ACTA

SANCTORUM

OCTOBRIS

TOMUS UNDECIMUS

IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1970

Dedit illi scientiam Sanctorum. Sapie

In plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccli. 24

ACTA

SANCTORUM.

OCTOBER.

ERVDITIO

VERITAS

ANTIQVA REDVCO

OBSCVRA REVELO

ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM MONUMENTIS, SERVATA PRIMIGENIA VETERUM SCRIPTORUM PHRASI.

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariisque et Observationibus

ILLUSTRATA

A

JOSEPHO VAN HECKE, BENJAMINO BOSSUE, EDUARDO CARPENTIER,
VICTORE ET REMIGIO DE BUCK.

SOCIETATIS JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

TOMUS XI

QUO DIES VIGESIMUS QUINTUS ET VIGESIMUS SEXTUS CONTINENTUR.



BRUXELLIS,
TYPIS HENRICI GOEMAERE.
MDCCCLXIV.



Licet sponsionis vinculo nos nequaquam obligare velimus, manifestare tamen placet in limine hujus tomi consilium quod jam pridem animo concepimus atque nunc demum aliena opera instituimus perficere. Quum scilicet olim plerique fontes historici exteri, linguis alienis vix aut ne vix quidem in Europa cognitis librariaque Orientalium supellectile in puteis, speluncis et latebris abdita, clausi pene essent, non potuerunt decessores nostri de multis dicere viris, quorum quidem vitæ sanctimonia popularibus suis olim probata fuit, sed quorum gesta eos ipsos jam pridem latent, aut certe ad bollandianum musæum non devenerant. Verum, quum nihil sit occultum quod suo tempore non reveletur, fieri non potest ut antiquitatis arcana paulatim non veniant in lucem; adeoque, quemadmodum Euphratis, Tigris Nilique lapidea et lateritia monumenta non deteguntur tantum, sed et leguntur, et percipiuntur, et melius forte explicantur quam bis mille abhinc annis, sic nulla gens, quæ olim in Christo credidit, tam peregrina lingua umquam usa est, ut hoc ævo ecclesiastici ejus codices non quærantur, non colligantur, non declarentur. Quot scilicet publicis locis jam exstant libri, manu exarati aut typis impressi, quibus res ecclesiasticæ Syriæ, Arabiæ, Ægypti, Armeniæ, Iberiæ, Rossiæ aliarumque slavicarum regionum, Scotiæ, Walliæ et Hiberniæ patrio sermone contineantur? Hos a nobis ne-

gligi non posse jam pridem perspeximus; sed, quantum aut per nostrum ingenium aut per alienam operam licet, delibandos saltem, si non omnino in usum nostrum convertere possimus. Neque solum ad postremos anni ecclesiastici menses, qui in Actis sanctorum illustrandi supersunt, adhibendi ii sunt; sed aliquid etiam conandum videtur ut superiorum mensium lacuna qualicumque modo expleatur. Cujus rei tentamen et specimen sit Annus ecclesiasticus græco-slavicus, quem incredibili labore confecit Joannes noster Martinovius. Quod si doctis eruditisque probetur lectoribus, calcar addetur nobis ut similia menologia ecclesiarum armeniacæ, syriacæ, alexandrinæ, britannicæ atque aliarum similium gentium aggrediamur. Quid? quod quotidie experimur a decessoribus nostris atque etiam a nobis innumeros prope omissos fuisse sanctos et beatos, etiam latinos, maxime italos, aut quod nomina ignorarentur, aut quod de cultu legitimo non constaret satis, licet nunc, librorum copia aucta, demonstrari possit eos ante celeberrima Urbani papæ VIII de cultu sanctorum decreta centum annis publicos, eosque ecclesiasticos, honores accepisse? Cui quoque vitio remedium aliquod inveniendum erit, atque illud quidem aliud quam supplementum ad universum opus. Quibus verbis quæ animo versemus aperire libuit, sed nullis (ut initio dictum est) promissis nos obstringere. Præter *Annum* autem *ecclesiasticum græco-slavicum* continere debebat præsens codex Acta sanctorum, quorum natales diebus 25 et 26 octobris aguntur : verum ea omnia uno volumine concludere non licuit; sed Vitæ sancti Fulci, episcopi Parmensis et Placentini, sancti Bernardi, episcopi Vicensis, beati Damiani Finariensis, qui et de Furcheriis, ordinis FF. Prædicatorum confessoris, et B. Bonaventuræ de Potentia ex FF. Minorum Conventualium familia in proximum librum seponendæ fuerunt : sin minus, quum hæ Vitæ, maxime postrema, rerum copiosissimæ sint, a bis mille paginis non procul abfuisset hujus tomi moles. Cujus rei hoc erit emolumentum quod tanto breviori intervallo proximum volumen in lucem veniet.

SYNOPSIS

TOMI UNDECIMI

DE ACTIS SANCTORUM

OCTOBRIS.

Continet itaque præsens tomus præter Annum ecclesiasticum græco-slavicum, quo memoriæ quadringentorum prope virorum slavicæ gentis et aliorum aliquot Ibericæ aliarumve vicinarum breviter referuntur, complures martyres anonymos et centum viginti quatuor cælitum nomina, quorum Acta seu Vitæ distributa sunt in commentarios singulares sexaginta. Hos pro more Dei servos in quatuor classes distribuimus : quarum prima sanctos status ecclesiastici, secunda ordinis monastici, tertia conditionis sæcularis complectitur viros; et quarta demum feminas cujuscumque professionis.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Exhibuit autem imprimis ecclesia Romana, mater et caput omnium ecclesiarum, duos pontifices, sanctimoniæ laude præclaros : sanctum *Evaristum* videlicet et sanctum *Bonifacium* I; quorum prior utrum S. Clementi an S. Anacleto successerit et quam partem in titulis ecclesiarum Romanarum constituendis habuerit inquisitum est : de posterioris autem electione, utpote laboriosissima, diligenter dictum est, et dein de ejus decretis et gestis adversus usurpatores sedis apostolicæ et ambitionem episcoporum Novæ Romæ, deque ejus statutis ut, salva episcoporum auctoritate, jus appellationis, ab episcopis Afris impugnatum, integrum staret et firmum. Tres alios obtulit deinde Italia præsules, S. *Gaudentium* nempe, episcopum Brixiensem, S. *Gaudiosum*, episcopum Salernitanum, et S. *Fulcum*, in agro Bononiensi cultum : quibus accedunt SS. *Protus* presbyter et *Januarius* diaconus, ambo Sardi, simul cum S. Gavino milite propter martyrii communionem celebrati, et S. *Quadragesimus* subdiaconus, notus dumtaxat ex S. Gregorii Magni Dialogis. Horum primus S. Gaudentius, licet vitæ integritate et doctrina plurimum claruerit, et basilicam, quæ Concilium sanctorum dicta est, tamquam perenne sui monumentum reliquerit, in fastis tamen sacris fere desideratur; adeoque ejus tempora ita incerta sunt ut nonnisi historia incursionis barbarorum et Rufini, Aquilejensis presbyteri, ætate qualitercumque definiri possint : quæ, quantum licuit, declarata fuerunt. Multo etiam minus bona fortuna S. Gaudiosi, Salernitani antistitis, de quo et pauciora supersunt et magis dubia. Quid? quod de S. Fulco, qui Saleti in diœcesi Bononiensi titulo confessoris pontificis colitur, nil scitur nisi quæ ad ejus venerationem ecclesiasticam pertineant? Ex oppositis Africæ littoribus obvius fuit S. *Quodvultdeus*, episcopus Carthaginensis, laudatus a S. Victore Vitensi; cujus libri Historiæ de persecutione Vandalica a recentiorum aliquot calumniis denuo vindicandi visi sunt. Qua oblata occasione declaravimus ejus decessoris, S. *Aurelii*, Acta; quæ suo loco in opere nostro omissa fuerant. Nil enim certius quam cultus ejus ecclesiasticus, et nil præclarius quam ejus gesta : egregius enim ille S. Augustini amicus, celebratis compluribus conciliis, ecclesiam Africanam optimis instruxit legibus; deinde, clericis accitis ex Italia, Africanis plebibus necessarios presbyteros præbuit; et demum, templis idolorum in ecclesias christianas conversis, sacrorum locorum auxit numerum. Gallia longe copiosior est; ubi primo venit loco S. *Fronto*, episcopus Petragoricensis; de quo quærendum fuit an fuerit ex septuaginta Christi discipulis, an primo æræ christianæ sæculo evangelium Petragoricensibus prædicaverit, et quæ sententia ferenda sit de serpentium portentosorum interfectione aliorumque id genus prodigiorum, quæ in Actis beatissimi viri legantur. Succedit S. *Demetrius*, episcopus et martyr Vapincensis, cujus cultum superiori sæculo vesani reformatores sustulerunt et quem non ita pridem, consensu S. R. C. postmodum accedente, restituit Irenæus Depéry, bonus piusque præsul et sanctorum gloriæ, donec vixit, promotor assiduus. Quantum autem verisimilis sit antiqua Vapincensium traditio, S. Demetrium, hujus sedis fundatorem, sæculo christiano primo fidem in his partibus promulgasse ex itinerum conditione et fidelium fervore demonstrare conati sumus. Pone venit S. *Amandus*, primus episcopus Argentoratensis, notus dumtaxat ex concilio Agrippinensi I, in quo Euphrates, Coloniensis antistes, ariana lue infectus, depositus fuit. Quum autem hujus concilii momentum sit maximum, non tantum quod illa ecclesiæ Coloniensis perturbatio insignis particula historiæ ecclesiasticæ sit, sed maxime quoniam multæ Galliarum ecclesiæ primorum suorum antistitum nomina inde intelligunt, visum est hoc argumentum singulari versare diligentia : qua demum factum esse confidimus, ut, ordinatis denuo S. Athanasii temporibus et itineribus, reperto Sardicensis concilii anno, definita Germaniæ Cisrhenanæ divisione, aliisque multis diremptis controversiis, nil supersit quo illius synodi

sinceritas, tot titulis commendata, vocetur in dubium. Crediderunt autem diu Argentoratenses hunc, quem colebant, S. Amandum eumdem esse ac S. Amandum, episcopum Trajectensem et Elnonensis seu S. Amandi monasterii celeberrimum auctorem. Quo vitio non minus laboraverunt Wormatienses et Salisburgenses, qui etiam ad diem 26 octobris S. *Amandi* episcopi agebant natalem. Quapropter etiam demonstrandum fuit hunc plane diversum esse a Trajectensi præsule : videlicet S. Amandum II, episcopum Wormatiensem, singulari cultu olim Wormatiæ honestatum fuisse atque etiam basilica, ejus nomine insigni; ejus vero corpus videri Salisburgum translatum a S. Ruperto, quum Wormatia Salisburgum perrexerit; Salisburgi certissime exstare S. Amandi episcopi corpus et ædiculam cœmeterialem, alia quam S. Amandi reliquias et basilicam, quæ olim Elnone essent, adeoque Alcuinum alios versus fecisse in laudem ædis cœmeterialis S. Amandi Salisburgensis, et alios, quibus renovatam ædem cœmeterialem Elnonensem celebraret. Quos hoc loco propter nominis consortium conjunximus Amandos, duo dividunt separantque intermedia sæcula : quo intervallo floruerunt complures alii in Galliis episcopi. Hos inter venit S. *Capuanus*, episcopus Cadurcensis, cujus ætatem ex ævo S. Sacerdotis Lemovicensis definivimus et quocum conjunximus SS. *Alithium* et *Florentium*, ejus decessores, non recte ad suos dies in opere nostro omissos. Multo autem præclariorem locum obtinet S. *Rusticus*, episcopus Narbonensis, cujus gesta laudesque eruimus ex epistola, quam anno circiter 411 dedit S. Hieronymus ad Rusticum monachum, eumdem scilicet qui dein Narbonensem sedem conscendit; ex inscriptione, quæ anno 445, quarto a jactis fundamentis, fronti basilicæ Narbonensis, ab ipso sanctissimo viro ædificatæ, insculpta est; et demum ex literis, quas anno circiter 458 S. Leo Magnus ad quæsita sancti antistitis rescripsit. S. *Alori*, episcopi Corisopitensis in Britannia Minori, ætatem et cultum, primis hujus sedis indagatis præsulibus, deinde declaravimus. Qui sequitur S. *Aptonius* et concilio Aurelianensi V subscripsit, deinde (quantum per documentorum inopiam licuit) illustratus est : quo loco hoc imprimis ostensum Engolismæ unum sedisse Aptonium, perperam a pluribus in duos dissectum episcopos. Qui eodem fere vixit tempore S. *Hilarus*, episcopus Gabalorum, eamdem aut etiam mirabiliorum expertus est fortunam. Hic etiam in duos divisus est, in Hilarum nempe et Ilerum, quin et alicubi in fastis sacris substitutus est propter vulgarem nominis corruptionem S. Eligio, episcopo Noviomensi. Ejus Vitam, hactenus ineditam, licet egregium monumentum historicum sit, dedimus in lucem, præmisso commentario de ejus reliquiarum et cultus fatis, de pago et civitate Gabalorum, aliisque id genus. Successit S. *Lupus*, episcopus Bajocensis; cui addidimus S. *Rufinianum*, ejus decessorem, et S. *Ausiacum*, presbyterum, tum quod immerito in opere nostro ad suos dies præteriti sunt, tum quod eorum gesta atque etiam cultus cum S. Lupi memoria plane cohærent. Duas edidimus Vitas cum commentario de eorum temporibus, ordinatione episcopali per saltum, reliquiarum translationibus, et maxime de S. Lupi veneratione in ecclesia collegiata Corboliensi; cujus ecclesiæ fata explicuimus. Hinc Metas nos vocavit S. *Sigebaldus*, episcopus civitatis; cujus Vitam, quamvis mutilam et magna parte ex S. Chrodegangi imperfecta Vita desumptam, nunc primum eduximus ex tenebris, præmissa disceptatione de ejus et S. Segolenæ abbatissæ genere, de S. Naboris et S. Adelfi monasteriis, quæ condidit aut restauravit, de scholis Metensibus. quibus præfuit, de reliquiarum translationibus et maxime de ejus obitus anno, quocum omnino connexum est tempus, quo S. Chrogegangus, ejus successor, Metensem cathedram conscenderit : quam ambiguam quæstionem demum definitam arbitramur. Tum ad occidentem declinantes, obvium habuimus S. *Guesnoveum*, immerito a nonnullis ex catalogo episcoporum Leonensium in Britannia Minori exclusum. Partem veterum Actorum, in lectiones liturgicas olim distributam, dedimus, simul cum memoriis ejus consanguineorum S. Majani eremitæ et S. Tugdoniæ virginis. Quorum omnium agmen claudit S. *Celsinus* presbyter, cujus commercium cum S. Remigio ejusque cultum in diœcesi Remensi explicuimus. Mare transgressis ecclesiæ Britannica, Hibernica et Scotica, quas linguæ, morum et sanguinis communio aut proximitas non facile sinit separari, complures stiterunt episcopos : Hibernica SS. *Nasadium* et *Beoanum* cum S. Mellano; quos ab homonymis distinximus, simul inquirentes in situm ecclesiæ Tamlachta-Humail seu Tamlachta-Menand in Ultonia; Wallica seu Britannica S. *Gwinocum*, cujus cultus indicia non evanuerunt omnia; Scotica vero S. *Mernocum*, natione forte Hibernum, sed veneratione Scotum, et S. *Beanum*, primum episcopum Murthlacensem; quæ sedes dein Aberdoniam translata est. Neque Anglicana ecclesia his diebus sanctorum præsulum omnino sterilis fuit. Omisso enim S. Ceddo, Northumbrorum episcopo, qui inter prætermissos referendus erat, dedit S. *Eatam*, episcopum Lindisfarnorum; qui opportunitatem præbuit dicendi in commentario, ejus Actis prævio, de initiis status monastici et originibus sedium episcopalium in Anglia Septentrionali. Hinc abivimus ad ecclesiam Germaniæ Transrhenanæ; quam quasi filiam esse ecclesiæ Anglicanæ, utpote partam laboribus S. Bonifacii ejusque sodalium, omnium fere natione Anglorum, nemo non novit. Obtulit autem hæc SS. *Albinum* seu *Wittam* et *Megingaudum*, episcopos Buriburgenses in Hassia, quibuscum conjunximus S. *Humbertum*, diaconum et priorem Fritislariensem. Quum autem hujus episcopatus origines indicandi essent, declaranda fuit et ad certa tempora et loca revocanda pars laborum S. Bonifacii; instituta pia Amanaburgi in Hassia, adeoque a Thuringiæ Amanaburgo diversi, Fritislariæ et Seelheimii illustranda; fundatio episcopatuum Wirziburgensis, Erfordiensis et Buriburgensis explicanda; tempus consecrationis S. Willibaldi, episcopi Eichstetensis, et concilii Germanici primi, quorum particeps fuit S. Albinus, investigandum;

vestigandum; et demum alia ejus gesta et S. Megingaudi, (quem cum homonymo Wirzeburgensi confundere non licet,) necnon S. Humberti diaconi enarranda; simul cum his quæ ad eorum reliquias cultumque et Buriburgi interitum pertineant. Quam augustissimam sanctorum clericorum coronam splendidissime claudit vir summus vicinæ Saxoniæ, S. *Bernwardus* scilicet seu *Bernuardus*, episcopus Hildesiensis. Qui quum filius comitis palatini fuerit, inquisitum est quæ hæc esset dignitas et penes quam familiam sæculo X consisteret. Quum autem idem beatus vir in scholis profecerit plurimum earumque curam gesserit insignem, exposita fuit earum illo tempore methodus, et enumeratæ scholæ, tum episcopales, tum monasteriales, quæ illo ævo, præsertim in Germania media et septentrionali, florerent. Neque omittenda fuerunt liberalia artificia, quibus etiam multum valuit sanctus episcopus, quippe qui sculpturæ, cælaturæ et scripturæ (ut ex præclaris monumentis, ad hanc usque diem superstitibus, apparet) fuerit peritissimus. Quin et architectonica ars atque etiam labor lateritius attingenda fuerunt, quum in his quoque ingenium suum explicuerit beatus vir, quando pro more illius temporis et castella ædificavit contra barbarorum incursiones et civitatem muris cinxit. Quæ inter nequaquam neglexit episcopalia officia, ut vel unum negotium vindicatæ sedi suæ jurisdictionis in Gandersheimense cœnobium testimonio est; multoque minus christianas virtutes, quas omnium maxime manifestas fecit, quum in cinere et habitu monastico spiritum suum in Dei manus tradidit.

EX STATU MONASTICO.

Ex his autem, quos modo memoravimus, non solus S. Bernwardus ordini monastico seu religiosæ militiæ adscribendus est; sed alii complures eodem sunt loco. Quibus addendus imprimis S. *Dulcardus*, agri Bituricensis eremita atque olim Miciaci apud Aurelianos alterius S. Maximiani discipulus. Quod quum Vita, quæ cum ejus nomine circumfertur, non ejus, sed mutato nomine, S. Læti sit, aliunde fere ejus colligenda fuerunt gesta; qua occasione diximus de ejus sociis et vitæ genere, sylloge adjecta de ejus cultu. Eadem fere instituta secutus esse videtur S. *Maurus*, toto cælo diversus a S. Mauro, S. Benedicti discipulo; quocum tamen nunc confunditur. Ille noster, ex S. Claudii vetere Martyrologio notus, vixit in pristina diœcesi Vesontionensi, loco cui nomen suum communicavit. De ejus reliquiis, presbyterorum societate, indulgentiis, recentioribus beneficiis aliisque quæ ad ejus honorem faciunt, ut documentorum sivit parcitas, diximus. Ab eremitarum institutis non longe aberat veterum Hiberniæ monachorum ardua disciplina, quam S. *Lasrianus* in monasterio Rathenensi sub S. Carthago et in insula Pioch sub S. Domangeno secutus est. In eorumdem eremitarum censu etiam referendus est S. *Fructus*, qui Maurorum in Hispaniam adventu floruit; itemque forte S. *Valentinus* ejusque soror Engratia, qui eodem tempore Segoviensem agrum virtutibus et profuso sanguine illustrasse traduntur. Aliquid itaque de Maurorum Arabumque invasione explicandum fuit; itemque de Segoviæ fatis, quæ cum S. Fructi rebus ita connexa sunt ut Segoviæ pene historia simul cum S. Fructi gestis et gloria posthuma narrari possit: sobrii tamen fuimus, his contenti quæ proxime ad S. Fructum spectarent. Quam normam quoque tenuimus in explicandis rebus prioratus S. Fructi et S. Dominici de Silos monasterii; quas non potuimus non attingere, quum beati viri reliquiarum venerationem aliaque id genus declaravimus. Pauciora autem de cultu, sed plura de vita novimus S. *Athanasii*, œconomi Mediciensis in Bithynia, scilicet ejus officium in logothesio Byzantino, fugam in monasterium Symbolorum, patris violentiam, secessum ad Mediciense monasterium, œconomi et diaconi officium et arborem ex demortui crescentem pectore in sanctitatis signum: quæ omnia hausimus ex Actis S. Nicetæ, hegumeni Mediciensis. Perquam autem insignia sunt S. Nicii Acta, utut mutila. Hic enim, diversus a S. Clino, sed idem qui S. Jacobus, monasterii græci S. Pauli de Foresta prope Pontemcurvum fundator, monachus aliquandiu fuit in Casinensi cœnobio, ritibus græcis utens: qua occasione diximus de conjunctione religiosorum variæ nationis aut ritus sub una regula atque aliquando in eodem monasterio aut saltem ordine: quod institutum, tantopere a Thoma de Jesu missionariis orientalibus commendatum, olim floruit in Syria, in Bohemia et Polonia, atque nunc etiam floret inter Mechitaristas, ritus armeniacos cum regula S. Benedicti conjungentes. Alio prorsus lumine, sed non minus suavi, lucet in cælitum firmamento B. *Ludovicas*, comes de Arnstein; cujus Vita a Luwando, canonico Arnsteiniano, conscripta, fundamentum quasi est genealogiæ illustrissimæ domus Nassavicæ. Hic olim, ut ferebant sæculi XII mores, prædonum fautor, per Dei misericordiam in alium conversus virum, statuit se cum uxore Guda in adolescenti ordine Præmonstratensi Deo consecrare. Castrum itaque Arnsteinianum in monasterium mutavit eoque induxit coloniam religiosam, ex Gratia Dei prope Magdeburgum ductam. Neque hoc solum beneficium ei debuit ordo Præmonstratensis, sed et fundationem monasteriorum Dreisensis, Vallis S. Mariæ, Enckenbacensis, Gummersheimensis et in Beselich. Quæ dum ipse procuraret, fratris conversi officia implebat omnia, miraculum patientiæ, pietatis et caritatis in medio sæculo nequam: quæ omnia explicuimus, adductis veteribus chartis, quæ pleræque adhuc supersunt. Præmisimus autem prolegomenum de cultu sanctorum Præmonstratensium in suo ordine: quod argumentum plane novum est. Deinde BB. *Albertum* et *Gerardum*, monachos Saxoferratenses in Piceno, conjunximus, non quod eodem colantur die, sed quod eorum res ita inter se connexæ sunt, ut vix aut ne vix quidem separari possint. In tempora itaque B. Gerardi, a quibus B. Alberti ævum pendet, in ejus nativitatem, monasticam professionem Saxoferrati, parochiale munus Serræcomitum, miracula et cultum inquisivimus; deinde ostendimus B. Albertum neque auctorem,

rem, neque abbatem, neque reformatorem Saxoferratensis monasterii fuisse; sed ejus cultum, centum annis ante Urbaniana decreta longe antiquiorem, merito a S. R. C. confirmatum esse : cujus confirmationis decretum, annotatis illustratum, dedimus. Demum ad statum monasticum seu potius regularem referendus est B. *Franciscus de Caldariola*, presbyter ordinis Minorum ; cujus cultus olim valde tenuis Colfani, diœcesi Camerinensi, dein aliquantisper auctus et demum a S. R. C. confirmatus, nuperis temporibus plurimum incrementum accepit. Ejus patriam et ministerium sacrum explicuimus, maxime vero operam quam posuit cum multis aliis beatis ordinis Minorum viris in promovenda montium pietatis institutione : cujus beneficii Colfanum particeps fecit. Ex his S. Athanasium diaconum et BB. Gerardum et Franciscum presbyteros ad statum ecclesiasticum pertinere manifesta res est. Contra S. *Majanum*, quem simul cum S. Guesnoveo episcopo memoravimus, ordo monasticus jure merito sibi vindicat; quin etiam eo referendi sunt complures sancti, maxime ex Hibernis et Wallicis, quos jam in Statu sæculari recensebimus, quod eorum Acta simul cum Actis laïcorum illustrata sunt aut quod dubium est eorum vitæ genus.

EX STATU SÆCULARI.

Inter sanctos autem, qui diebus 25 et 26 octobris coluntur atque statum sæcularem suis condecoraruntvirtutibus, venit imprimis celeberrimus martyr Florentinus S. *Mineas;* cujus an corpus sæculo x a Theodorico episcopo Metas translatum fuerit inquisitum est. Accedunt quadraginta sex martyres Romani et alii centum viginti et unus, ex Hieronymianis fastis cogniti : ex quibus nomine designati sunt *Theodosius*, *Lucius*, *Marcus*, *Petrus* et *Maximus Millenarius*. Sed multo illustriores SS. *Chrysanthus* et *Daria*, quorum Acta latina et græca nunc primum in lucem edidimus. Horum occasione in Numeriani imperatoris erga christianos animi comparationem, in vestalium quibus perperam adscripserunt S. Dariam instituta, in carcerem Tullianum aliaque quæ in Passione leguntur, maxime autem in reliquiarum quas Monasterium Eifliæ delatas fuisse arbitramur fata inquisivimus. Qui sequuntur SS. *Crispinus* et *Crispinianus*, eos dedit Suessionum in Galliis civitas. Horum antiquissimam Passionem, quæ hactenus lucem non viderat, e tenebris protulimus in medium, præmisso commentario de martyriis, quas Gallia, Diocletiano imperatore, ante generale persecutionis decretum conspexit, de Rictiovaro, famosissimo christianorum in Gallia septentrionali interfectore, et demum de reliquiis, a Carolo Magno Osnaburgum translatis. Orientalis deinde ecclesia præbuit nomina SS. *Valerini, Sabini*, *Valerii* et *Chrysaphi*, itemque SS. *Artemidori*, *Basilii*, *Glyconis* et *Leptinæ;* Africana SS. *Saturnini*, *Claudiani*, *Primi*, *Flaviani*, *Zotici*, *Asterii*, *Cari* et *Saturi*. Turribus in Sardinia documenta longe copiosa magis reperimus de S. *Gavino* milite, quocum SS. Protum presbyterum et S. Januarium diaconum simul martyrium fecisse supra diximus. Cultus eorum pluribus explicatus est, dictumque de judicatuum Sardiniæ origine, de celeberrima basilicæ Turritanæ consecratione et maxime de solemni reliquiarum recognitione, sedecim abhinc annis facta. Hispani, a fabulatoribus suis decepti, vindicant sibi SS. *Lucianum*, *Marcianum* et socios, quorum reapse reliquias jam pridem servant et festum agunt Vicenses in Catalonia; verum eos martyres esse, Nicomediæ in Bithynia passos, demonstravimus. Ex altero Propontidis littore dedit Constantinopolis SS. *Martyrium* et *Marcianum*, qui ab officio sæpe ab Orientalibus sancti dicuntur Notarii : eorum Acta græca nunc primum cum publico communicamus, adjecta versione latina, quæ a Lippomanio et Surio edita est. Gallia autem, SS. Crispino suo et Crispiniano non contenta, agmen insuper ostentavit octo fratrum martyrum, videlicet SS. *Spani, Lupi, Benigni, Messapii, Marcelliani, Genitoris, Principini* et *Tridorii*, qui partim in agro Turonensi, partim in Bituricensi vitam posuerint pro Christo. Cyclica videri Acta, quæ primi edidimus, indicavimus, quod nempe plurium sanctorum, quorum gesta ignorarentur, facta sit consociatio, mirabilium rerum ornatu condecorata; ita ut, quantum cultus certus est, tantum dubia sint omnia, quæ de eis circumferantur. Galliarum quoque sidus est pientissimus S. *Meliavus* seu *Eliavus*, qui in Britannia Minori a fratre inique trucidatus est, quo tota paterna ditio penes se fieret : quæ per leges Wallicas, a quibus Armoricanæ non dissentiebant, explicata sunt. Ut autem ille, quod dumtaxat cum pietate, non autem propter pietatem aut christiana officia truculentam mortem sustinuit, martyr sensu lato, ut loquuntur, dicendus est, sic omnino inter martyres referendi non sunt SS. *Rogatianus* et *Felicissimus* Carthaginenses. Hi quidem multa pro Christo passi sunt et initio persecutionis Decianæ literas exhortatorias a S. Cypriano in carcere acceperunt; sed quum sanguinem non fuderint, neque inter tormenta occubuerint, confessores dicendi sunt; quo nomine primis temporibus ii dumtaxat nuncupabantur, qui coram tyrannis quidem fidem confessi erant, sed confessionem suam sanguine non obsignaverant; postea vero quicumque viri, sanctimonia morum insignes. Hac significatione tres confessorum manipulos subministravit Wallia, seu potius nos ipsi effinximus, quod, quum unus sanctus his diebus olim coleretur, alios de familia proximos adjunximus. Primus itaque capit SS. *Cannam*, *Sadwren* seu *Saturninum*, *Crallonem* et *Eliam Geimiad* seu *Hilarium;* secundus SS. *Gwinorum* seu *Winocum*, cultum ut episcopum, ejus patrem *Aneurinum* seu *Gildam*, ejus fratres *Cennydd* seu *Kenedum*, *Madog* seu *Madocum*, *Dolganem* seu *Nwythonem*, sororem *Dolgarem* et *Garcium*, patruelem; et tertius duodecim nomina, item sanguine communitate conjuncta, nempe SS. *Tudyrem* seu *Tudurem, Arwystli Gloff, Twrnog* seu *Teyrnog, Dier* seu *Deiferum, Tyfrodog, Marcellam* virginem, *Gwynodl, Merinum, Senefyr, Tuglyd, Tudno* et *Tyneio*. Longe horum maxima pars (ut monuimus) vitam monasticam seu eremiticam professi sunt; nullus autem celebrior quam S. Aneurinus, suo tempore bardus seu vates inspiratus

tus (quod hominum genus quale esset significavimus) a popularibus habitus, pugnaque in Catraëth, carmine Gododin aliisque nominatissimus: qui an idem sit ac S. Gildas Sapiens inquisivimus. Quibus addidit Hibernia præter S. *Mellanum*, cum SS. Nasadio et Beoano laudatum, S. *Lasrium* seu *Lasrianum*, cultum in Drum-Liag, S. *Caideum* seu *Caidocum*, in Ultonia celebrem; Anglia vero et ditio Pontificiâ S. *Ardovinum* seu *Arduinum* et S. *Cletum* Tibure in Latio cælitum donatum honoribus.

EX SEXU FEMINEO.

Præter morem paucissimæ coluntur his diebus sanctæ feminæ. Etenim præter S. *Leptinam*, cum martyribus memoratam, S. *Tugdoniam*, conjunctam cum S. Guesnoveo, et SS. *Cannam*, *Dolgarem* et *Marcellam*, confessorum Walliæ consanguineas, dedit prior dies solas SS. *Childemarum* seu *Childemarcam* et *Margaretam*, et posterior duas virgines Hibernicas SS. *Dariam* et *Darbiliam*, Quarum S. Childemara, prius abbatissa Burdigalis, dein Fiscannensis monasterii prima abbatissa, eoque nomine S. Leodegarii, episcopi Augustodunensis, ab inimicis crudelissime habiti, innocentissima carceraria, occasionem obtulit inquirendi in nominum francorum seu germanicorum naturam, explicandi Fiscannensis cœnobii origines, instituta, fata, et vindicandi pristinum cultum sanctissimæ præpositæ; cujus nunc nomen et veneratio jam pridem Burdigalis et in Normanniæ oblivioni omnino tradita sunt. Neque S. Margaretæ nomen ullis nunc inscriptum est fastis sacris. Pia hæc mulier, nobilissimo Danico genere orta, quum a marito, adultero virtutumque ejus fastidioso, inique trucidata sit, inter martyres sensu lato recensenda est. In necis momenta omnia, diem, annum, locum, causam, auctorem, pœnam suicidii, prius sanctæ feminæ inflictam, divinis prodigiis ab occisore extortam confessionem, ejusque cum familia læsa reconciliationem, solemnissimam sanctæ martyris corporis translationem ejusque demum cultum Roskildiæ, (cujus pristinas celebravimus laudes,) inquisivimus diligenter: ita ut omnia manifesta facere potuerimus. Longe pauciora nota de duabus virginibus Hibernis, cultis in Connacia: quarum dumtaxat genus regale, quippe quæ Fiachriorum gente ortæ sint, commercium cum SS. Corbmaco et Columba, et demum venerationis loca investiganda fuerunt. Atque his breviter significavimus quæ sanctorum Acta undecimo tomo Octobris contineantur.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Quum tres theologi Societatis nostræ legerint edique posse censuerint tomum undecimum de Actis Sanctorum Octobris, collectis et illustratis a Josepho Van Hecke, Benjamino Bossue, Victore De Buck, Eduardo Carpentier et Remigio De Buck, Societatis ejusdem presbyteris theologis; ego infrascriptus præpositus provinciæ Belgicæ, potestate mihi facta ab Adm. R. P. Nostro Petro Beckx, concedo facultatem dictum tomum excudendi. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas consuetoque officii sigillo munitas, dedi Bruxellis, in festo Omnium Sanctorum, die prima Novembris anni 1864.

FREDERICUS BOSSAERT, S. J.

L. S.

APPROBATIO ORDINARII.

Imprimatur.

Mechliniæ, die 2 Novembris 1864.

J. B. VAN HEMEL, Vic. Gen.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod olim protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum opere, se servatas velle Urbani VIII constitutiones; neque suis aliorumve hic relatis commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ; idem nos ante hunc tomum undecimum Octobris protestamur.

INDEX SANCTORUM

IN TOMUM XI OCTOBRIS.

A

25 Albertus et Gerardus, confessores non pontifices, monachi Saxoferrati in Piceno. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Saxoferratensis monasterii descriptio. Documenta deperdita. Diversæ sententiæ de ætate B. Alberti, nixæ variis Vitis B. Gerardi 762. § II. Chronotaxis Vitæ B. Gerardi. Monachatus Saxoferrati, nativitas, parochiale munus, miracula et cultus Serræcomitum 764 § III. B. Albertus non fuit auctor, abbas aut reformator monasterii Saxoferrati 767. § IV. Cultus, translatio, dedicatio altaris, miraculorum fama B. Gerardi. DECRETUM *Ordinis S. Benedicti Congregationis Camaldulensium super confirmatione cultus, ab immemorabili præstiti S. D. Alberto, monacho S. Crucis Saxiferrati ejusdem congregationis, beato nuncupato* 769

26 Albinus seu Witta et Megingaudus, episcopi Buriburgenses, et Humbertus, prior Fritislariensis. SYLLOGE HISTORICA. § I. S. Albini cultus, nomen duplex, patria et adventus in Germaniam 947. § II. Hassiæ, in qua laboravit S. Albinus, fines; conditio civilis et religiosa; labores S. Bonifacii; duplex Amanaburgum, alterum in Thuringia, alterum in Hassia; instituta pia Amanaburgi, Fritislariæ et Seelheimii; oratoria passim sparsa 950. §. III. Fundatio Wirziburgensis, Erfordiensis et Buriburgensis episcopatuum. S. Albinus episcopus Buriburgensis 953. § IV. Tempus consecrationis S. Willibaldi, episcopi Eichstetensis, et concilii Germanici primi, quorum particeps fuit S. Albinus. Translatio S. Wigberti. Mors et sepultura S. Albini Hersfeldiæ 955. § V. S. Megingaudus, successor S. Albini. Non confundendus cum Megingaudo, episcopo Wirzeburgensi. Ejus olim officia in monasterio Fritislariensi. S. Humbertus, diaconus Fritislariensis. Buriburgi interitus 960

25 Alithius. *Vide* Capuanus.

26 S. Alorus seu Allorus, episcopus confessor Corisopiti in Britannia Minori. SYLLOGE. § unicus. Cultus. Primi episcopi Corisopitenses. Ætas S. Alori 883

26 S. Amandus, confessor pontifex, primus episcopus Argentoratensis. COMMENTARIUS HISTORICUS ET CRITICUS. § I. Amandus, primus Argentoratensis episcopus, an diversus a S. Amando Trajectensi 827. § II. Interfuit S. Amandus concilio Agrippinensi, a quo damnatus fuit Euphrates episcopus. Oppositæ de hoc concilio sententiæ 829. § III. Præcipuæ res S. Athanasii ab anno 339 ad 347 ex epistolis ejus heortasticis. Ætas synodi Sardicensis 831. § IV. Argumenta Binterimii adversus sinceritatem concilii Coloniensis, petita ex silentio historicorum, ex postconsulatu Amantii et Albini, et ex vocabulo castri confutantur 834. § V. Argumentum, petitum ex vocabulis Germaniæ secundæ refellitur. An Germania in duas provincias divisa non fuerit nisi medio sæculo IV. An antiqua divisio militaris dumtaxat fuerit. Refelluntur argumenta, hausta ex historia 836. § VI. Quod concilium Coloniense celebratum est die dominica, an propterea falsum dicendum sit. Qua hebdomadæ die incoharentur concilia 839. § VII. Antiqua Argentorati conditio sedi episcopali constituendæ opportuna 842. § VIII. Corporis S. Amandi fata et cultus 844

26 Amandus, episcopus Wormatiensis, Salisburgi (ut videtur) cultus. SYLLOGE CRITICA. § I. Wormatiæ origines civiles et christianæ. Primi episcopi. Amandus I et S. Amandus II. Insignis donatio Dagoberti I. Templum S. Amandi II Wormatiæ. Cessatio cultus 910. § II. Sæculo XVII bis invenitur Salisburgi sub summo altari templi monasterialis S. Petri corpus S. Amandi 914. § III. Corpus S. Amandi sæculo XV jam sub summo altari repositum. Officia et statuæ in honorem S. Amandi Trajectensis. Error corrigitur 917. § IV. Initio sæculi IX exstabat Salisburgi ædes S. Amandi, celebrata ab Alcuino; eo videtur delatum a S. Ruperto corpus S. Amandi Wormatiensis 919

26 Aneurin seu Gildas. *Vide* Gwinocus.

25 Aptonius, episcopus et confessor Engolismensis. SYLLOGE HISTORICA ET CRITICA. § unicus. Engolismæ colitur S. Aptonius, hujus urbis episcopus. Subscripsit concilio Aurelianensi V. Tempus obitus. Unus tantum fuit Aptonius Engolismensis 885

25 Arduinus seu Ardovinus, confessor non pontifex, Ceperani in ditione Pontificia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § unicus. Ceperani laudes. Cultus S. Arduini. Antiquum officium proprium. Scriptiones Vitaliani 650. HISTORIA S. ARDOVINI ANGLIGENÆ DE CEPERANO, *per modum allegationis in jure descripta ab Antonio Vitagliano Ceperanensi, philosophiæ ac medicinæ doctore.* PROLOGUS 653. JURIS ALLEGANTIA PRO SANCTIMONIA B. ARDOVINI ANGLIGENÆ, DE CEPERANO 653

26 Artemidorus, Basilius, Glyco et Leptina, martyres ecclesiæ orientalis. SYLLOGE *ex Menæis græcorum aliisque fastis Constantinopolitanis, Hierosolymitanis et Slavicis* 826

26 Arwystli Gloff. *Vide* Tudyr.

25 Asterius. *Vide* Saturninus.

26 Athanasius, confessor non pontifex, œconomus Mediciensis in Bithynia. SYLLOGE HISTORICA. § unicus. Nomen in Fastis sacris. Vita nota ex gestis S. Nicetæ, hegumeni Mediciensis.

Mediciensis. Ejus officium in logothesio Byzantino; fuga in monasterium Symbolorum; patris violentia; secessus Medicium; œconomi et diaconi officium; arbor crescens ex pectore in sanctitatis signum 963
26 Aurelius, episcopus Carthaginensis. Commentarius historicus. § I. Sanctus a nostris perperam omissus; ejus in ecclesia Carthaginensi diaconatus et pontificatus; celebratio conciliorum 852. § II. Templum deæ cælestis dedicatur in ecclesiam; evertuntur templa idolorum; jus azyli; clerici ex Italia vocantur; causa Donatistarum; S. Joannes Chrysostomus ab episcopis Afris defenditur; Pelagiani damnantur; quæstio de Paschate; Leporius presbyter patribus Gallis commendatur; obitus sancti antistitis 855

B

26 Basilius. *Vide* Artemidorus.
26 Beanus, episcopus Murthlacensis, dictus Aberdonensis, in Scotia. Sylloge historica. § unicus. S. Beanus, episcopus Murthlacensis, distinctus a S. Beano, episcopo Hiberno, provincia Lagenia. Erectio sedis Murthlacensis, dein translatæ Aberdoniam. Culdeorum institutio. Laudes S. Beani, mors, cultus 1084
25 Beatus. *Vide* Spanus.
25 Benignus. *Vide* Spanus.
26 Beoanus. *Vide* Nasadius.
26 Bernwardus, episcopus et confessor, Hildesiæ in Saxonia. Commentarius prævius. § I. Sancti memoria in Martyrologio Romano, dies cultus Hildesiæ; Acta omni fide digna; compendium Vitæ 965. § II. Familia sancti paterna et materna; dignitas comitis palatini explicatur; familia paterna exstinguitur 967. § III. Locus et tempus nativitatis sancti; ejus educatio in schola Hildesiensi; indoles scholarum istius ævi 970. § IV. Ottoni III imperatori minorenni datur magister; multorum invidiam incurrit; eligitur episcopus Hildesiensis secundum formam, quæ explicatur, sæculo X usitatam 973. § V. Diœcesim suam et urbem munit contra barbarorum incursiones; artes liberales, præsertim sculpturam, summa solertia exercet 976. § VI. Mortuo Ottone III, sanctus vir post aliquam tergiversationem S. Henricum regem habet et cum eo pluribus synodis interest 981. § VII. Controversia Gandersheimensis explicatur; fundatio monasterii S. Michaelis Hildesiæ 983. § VIII. S. Henrici in conjugio virginitas paucis defenditur; ejus donationes et diplomata pro ecclesia Hildesiensi; soror et matertera S. Bernuardi moniales 988. § IX. Sanctus sancte obit, agitatur ejus canonizatio, quam Cælestinus papa III perficit; elevatur corpus; ritus festivus in ejus honorem; plures translationes 991. Vita S. Bernuardi, episcopi Hildesiensis, *auctore Tangmaro, presb. æquali, ex Mabillonii Actis SS. Ord. S. Benedicti, sæc.* IV, *part.* I, *collata cum editione Pertziana, tom.* VI *Monum. historicorum Germaniæ*. Caput I. Sancti natales; discipulatus in schola Hildesiensi; presbyteratus; magisterium apud Ottonem III; episcopatus 996. Caput II. Summus est artifex; curat res ecclesiasticas et civiles; status controversiæ circa monasterium Gandersheimense exponitur 998. Caput III. In media controversia de Gandersheimensi parthenone sanctus Romam adit; ibique Ottoni III consiliarius adest, et synodis assistit 1003. Caput IV. Plures in Germania celebrantur conventus episcoporum in causa Gandersheimensi, quam ubique vincit, sed sine fructu 1007. Caput V. Lis Gandersheimensis pendens frustra definitur, Willigiso obstinate resistente 1010. Caput VI. Ottoni III defuncto succedit in regno S. Henricus, cujus opera pax inter sanctum et Willigisum redintegratur 1012. Caput VII. Ædificatio et dotatio monasterii S. Michaelis; sanctus habitum monasticum sibi imponit; obit 1016. Miracula S. Bernwardi, episcopi Hildesheimensis. Caput I. Sanctus dono prophetiæ utitur; visio de ejus sanctimonia; varia miracula 1019. Caput II. Continuatur relatio miraculorum 1021. Historia canonizationis et translationis S. Bernwardi, episcopi. Caput. I. Cardinalis Cencius suscipit causam canonizationis S. Bernwardi; cum eo Theodoricus II, abbas S. Michaelis Hildesiæ, proficiscitur; varia itineris pericula 1024. Caput II. Post varios casus canonizatio Romæ decernitur et Hildesiæ celebratur 1028. Caput III. Varia enarrantur miracula 1031
25 Bonifacius I, papa et confessor. Commentarius prævius. § I. Sanctus, sub contentione cum Eulalio electus, favente Honorio imperatore, pacifice sedem apostolicam occupat 605. § II. Sanctus lege lata ambitiosos a pontificatu repellit; appellationes Afrorum admittit; Maximum, Valentinum episcopum, episcoporum judicio subjicit; jura sedis apostolicæ adversus Atticum CP. defendit; jura episcoporum servanda decernit; sancte obit 609. Vita S. Bonifacii papæ et confessoris, *ex Proprio ecclesiæ Lateranensis ad diem* XXVII *octobris* 614

C

25 Caideus seu Caidocus, confessor in Hibernia. Sylloge. § unicus. S. Caidei memoria in Martyrologio Dungallensi; cultus in Ultonia; templum et oppidum; campanula et baculus. Alius S. Caideus, episcopus Hiensis 647
25 Canna, Sadwren seu Saturninus, Crallo et Elian Geimiad seu Hilarius. Sylloge. § unicus. Sanctorum genus et cultus in principatu Walliæ, præcipue S. Hilarii 616
25 Capuanus, Florentius et Alithius, episcopi Cadurcenses in Gallia. Sylloge historica. § I. Civitas, pagus et diœcesis Cadurcensis. Tempus S. Capuani episcopatus deductum ex ævo ejus discipuli, S. Sacerdotis, episcopi Lemovicensis 778. § II. Chronotaxis antecessorum S. Capuani in episcopatu. Sylloge de SS. Florentio et Alithio 781. § III. Antiquitas cultus S. Capuani. Ejus festum in diœcesibus Cadurcensi, Albiensi, Mimatensi 782
26 Ceddus seu Cedda, episcopus Saxonum orientalium in Northumbria. Monitum 922
25 Celsinus, presbyter et confessor Remis in Gallia. Sylloge. § unicus. Fasti sacri. S. Celsini

S. Celsini cum S. Remigio commercium. Ædes sacra sub ejus patrocinio. Reliquiæ. Cultus 585
26 Cennydd. *Vide* Gwinocus.
25 Childemara seu Childemarcha, abbatissa Fiscannensis in Normannia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § unicus. Vetus S. Childemaræ cultus. Vita deperdita. Burdigalis abbatissa; dein Fiscanni. Hujus monasterii exordia; laus perennis et instituta. S. Leodegarius a S. Childemara custoditus 679. VITA S. CHILDEMARÆ *cum originibus Fiscannensibus, ex sæculo* II *Benedictino* 684
25 Claudianus. *Vide* Saturninus.
25 Chrysanthus et Daria, martyres Romæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Dies cultus plures; celeberrima horum SS. Martyrum et antiquissima memoria in sacris fastis et scriptoribus. Acta, ut videtur, primum græce conscripta et dein latine versa, non probantur, quamvis antiqua. Passionis tempus 437. § II. De translationibus reliquiarum, quas complures ecclesiæ sibi vindicant. De trina translatione Romana et de reliquiis Lateranensibus. Dein de translatione Eiffliensi 445. § III. De translationibus Regiensi et Uritana in Italia 451. § IV. De translationibus Salisburgensi, Neapolitana et Viennensi. Item de minoribus reliquiis, quæ pluribus in ecclesiis exhibentur 456. § V. Monumenta Eiffliensia, ad reliquias et perpetuum cultum SS. Chrysanthi et Dariæ spectantia 460. § VI. Officium et Missa SS. Chrysanthi et Dariæ ex Officiis propriis Effliensibus et Coloniensibus. Quid Roma rescriptum de lectionibus, in quibus de translatione SS. Reliquiarum mentio facta sit 466. VITA ET PASSIO, *græce et latine ex codd. mss. pluribus.* PRÆFATIO. Exempla sanctorum docent nos terrena despicere et anhelare cælestia 469. CAPUT I. S. Chrysanthus, genere ingeniique dotibus clarissimus, in Christum credens, baptizatur. A patre dirum in modum tentatus, non divellitur ab amore castitatis, sed Dariam adducit, ut, agnita deorum vanitate, se voto virginitatis obstringat, simulato tamen cum Chrysantho conjugio 470. CAPUT II. SS. Chrysanthus et Daria traduntur Claudio tribuno; qui, divinitus motus, in Christum credit cum omni familia sua et subit martyrium. Posthæc S. Chrysanthus in carcerem, et S. Daria in lupanar ducitur, denique post nova tormenta ambo in foveam conjiciuntur, et, vivi terra lapidibusque obruti, palma cælesti donantur 479. ALTERA ACTA BREVIORA *ex codice R. Vat.* 487. SYNAXARION *ex Menæis impressis* XIX *Martii* 488. CARMEN DE SS. CHRYSANTHO ET DARIA *ex Patrologiæ Mignii tomo* LXXIV 488. HISTORIA TRANSLATIONIS RELIQUIARUM MARTYRUM SANCTORUM CHRYSANTHI ET DARIÆ EX URBE ROMA IN GALLIAM *ex actis SS. Ordinis S. Benedicti sæc.* IV *part. I, et pluribus mss. nostris.* CAPUT I. SS. Reliquiarum translatio 490. CAPUT II. Miracula quæ in translatione et post eam contigerunt 491
25 Chrysaphus. *Vide* Valerinus.
25 Cletus, confessor non-pontifex, Tibure in Latio. SYLLOGE. § unicus. Aliis diebus aliis temporibus fuit cultus. Pauca gesta nota ex Vita S. Petri Trebani. Reliquiæ et hospitale, ejus nomine insignitum. 712
25 Crallo. *Vide* Canna.
25 Crispinianus. *Vide* Crispinus.
25 Crispinus et Crispinianus, martyres Suessione in Galliis. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Memoria SS. Martyrum in fastis sacris cum compendio passionis. Quo anno palmam sint adepti. De eorum adventu in Gallias. Actorum ætas et meritum 495. § II. De ecclesiis, Suessione SS. Martyrum nomine dicatis; de horum ibidem sepultura, translationibus et reliquiis 504. § III. De translatione Romana et Osnabrugensi 513. § IV. Cultus sanctorum Crispini et Crispiniani apud Suessionenses perpetuus probatur. Sodalitia. Fratres sutores 522. § V. Officium SS. Crispini et Crispiniani ex breviariis ecclesiæ Suessionensis 529. § VI. De cultu SS. martyrum Crispini et Crispiniani apud Saxones. Officium ex ecclesiæ Osnabrugensis monumentis 532. MARTYRIUM SS. CRISPINI ET CRISPINIANI, *sicuti legitur in pluribus iisque antiquissimis mss. codicibus.* CAPUT UNICUM. Roma Suessionem advecti, artem sutoriam exercent, multosque convertunt ad fidem. Agente Rictio Varo, sistuntur coram Maximiano Herculio, qui eos immaniter torqueri jubet. Rictius Varus, SS. martyrum constantia in furorem concitatus, in ignem se præcipitat. Tum illi gladio cæduntur. Eorum sepultura et translatio 535

D

26 Daria et Derbilia, virgines in Connacia, Hiberniæ provincia. SYLLOGE. § unicus. Genus regale Fiachrii; commercium cum SS. Corbmaco et Columba; loca cultus. S. Derbilia de Irros 892
26 Deifer seu Dier. *Vide* Tudyr.
26 Demetrius, martyr, primus episcopus Vapincensis in Galliis. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § unicus. S. Demetrii cultus abrogatus et restitutus. Reliquiarum fata. An discipulus Apostolorum. Ejus martyrium. Ædes sacræ. Monumentorum penuria 795
26 Derbilia. *Vide* Daria.
26 Dier seu Deifer. *Vide* Tudyr.
26 Dolgan. *Vide* Gwinocus.
26 Dolgar. *Vide* Gwinocus.
26 Dulcardus, eremita et confessor in agro Bituricensi in Galliis. SYLLOGE. § unicus. Sancti nomen in fastis sacris. Vita S. Læti partim ei applicata. Ejus monachatus Miciaci apud Aurelianenses et sancti socii. Discessus in agrum Bituricensem. Cultus 643

E

26 Eatus, abbas et episcopus Hagustaldensis in Anglia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Cultus sancti stabilitur; ejus Vita; educatio Lindisfarnæ sub S. Aidano; regimen monasteriorum Mailrosensis, Lindisfarnensis et Ripponensis 922. § II. Sancti episcopatus Lindisfarnæ et Hagustaldii; mors sancta; sepultura et translatio 925. VITA S. Eatæ, episcopi Lindisfarnensis, *auctore anonymo, ex ms. Rubræ Vallis.* CAPUT UNICUM. Sancti institutio et monachatus sub Aidano, episcopo

scopo Scoto; præfectura monasterii Mailrosensis et Lindisfarnensis; episcopatus Hagustaldensis; obitus et sepultura 927
25 Elian Geimiad seu Hilarius. *Vide* Canna.
26 Eliavus. *Vide* Meliavus.
25 Engratia. *Vide* Fructus.
25 Evaristus, papa et martyr. SYLLOGE HISTORICA. § unicus. Sancti memoria minus frequens in fastis ecclesiasticis; inquiritur, utrum S. Anacleto an S. Clementi successerit : tempus et diuturnitas pontificatus; distributio titulorum Urbis; varia ejus decreta; supposititiæ ejus reliquiæ 799

F

25 Flavianus. *Vide* Saturninus.
25 Florentius. *Vide* Capuanus.
25 Franciscus de Caldariola, confessor ordinis FF. Minorum, Colfani in diœcesi Camerinensi, in Italia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Qui de B. Francisco scripsere. Patria ejus et ministerium sacrum. Institutio montis pietatis. Mors. 771. § II. B. Francisci cultus, initio valde tenuis, dein aliquantisper auctus et demum probatus sacræ rituum Congregationi 774. DECRETUM, *quo B. Francisci de Caldariola cultus auctoritate Gregorii XVI confirmatus est* 776
25 Fronto, episcopus confessor, Petragoricis in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. De missione S. Frontoni data a S. Petro apostolo, et de initiis ecclesiæ Petragoricensis 392. § II. Vita edenda proponitur; inquiritur in Sancti patriam, in ejus præsentiam ultimæ Cœnæ et sepulturæ S. Marthæ, in occisionem serpentis, universæ regioni infesti 396. De obitu et sepultura Sancti; de ejus cultu et variis translationibus ; reliquiæ , paucis servatis, a Calvinistis in Dordoniam projiciuntur 401. VITA S. FRONTONIS, EPISCOPI PETRAGORICENSIS, *ex ms. Ultrajectino S. Salvatoris, nunc bibliothecæ regiæ sub num.* 8931, *transsumpta*. CAPUT I. Sanctus, in Lycaonia natus, a B. Petro baptizatur; Christo adhæret; in Gallias mittitur ad Petrocorios, quos prædicatione et miraculis ad Christum convertit; per finitimas civitates Evangelium annuntiat 407. CAPUT II. Varias civitates prædicationis causa obit; Sigibertum regulum convertit; draconem in Dordoniam præcipitat; sancto fine in pace quiescit 410
25 Fructus, confessor, Valentinus et Engratia, martyres, Segoviæ in Hispania. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Præcipui scriptores de illis Sanctis. Horum patria. Vivendi genus. Adventus Maurorum in Hispaniam et ad partes Segovienses. S. Fructi controversia de Eucharistia. Martyrium SS. Valentini et Engratiæ. Singularis pietas erga eorum reliquias 693. § II. Reliquiarum translationes. Officia liturgica. Cultus in prioratu S. Fructi, Segoviæ et in monasterio Escurialensi. Indulgentiæ 696. LECTIONES EX OFFICIO S. FRUCTI, CONFESSORIS, *approbatæ a Paulo papa V juxta relationem factam a V. S. D. Roberto Bellarmino* 692
26 Fulcus, confessor, apud Italos in agro Bononiensi. COMMENTARIUS HISTORICUS. § unicus. S. Fulci res gestæ ignorantur. Quæ de eo circumferuntur, partim aperte falsa sunt, partim valde dubia. Cultus ejus certis de monstratur testimoniis. De corpore sancti viri, illiusque translatione 1039

G

26 Garci. *Vide* Gwinocus.
25 Gaudentius, episcopus Brixiensis in Italia. COMMENTARIUS CRITICO-HISTORICUS. § I. S. Gaudentii, cujus nomen in fastis sacris fere desideratur, patria et peregrinatio in Orientem, sub qua Brixiensis electus episcopus est, incertum quo anno. Doctrina et sanctitate fulgens, legatus mittitur in causa S. Chrysostomi, a quo et consolatorias accipit litteras 587. § II. S. Gaudentius ædificat basilicam, quam Concilium Sanctorum nuncupatam vult, et sub hujus consecratione præclarum habet ad populum tractatum, probabiliter circa 400. De obitu sancti viri et annis episcopatus 594. § III. S. Gaudentii scripta, cultus et reliquiæ 598
Anno 1639 *circiter* SS. Chrysanthi et Dariæ deferuntur in arcem Arburganam 463 b
Anno 1642, *die* 16 *januarii*, redditur monasterium S. Michaelis Hildesiæ, excepta ecclesia majori, monachis 987 e
Anno 1644 Viennæ in Austria celebratur translatio corporis cujusdam S. Chrysanthi 459 a
Anno 1645 inauguratur Parisiis communitas fratrum Sutorum 529 a
Anno 1661 reliquiæ S. Amandi Wormatiensis denuo Salisburgi inveniuntur 905 b c d e f
Anno 1667, *die* 6 *julii*, Ildebrandus, episcopus Florentinus, transfert reliquias S. Miniatis 418 b c
Anno 1679 Innocentius papa XI concedit indulgentias sodalitio SS. Chrysanthi et Dariæ in oppido Monasterii-Eiffliæ 464
Anno 1680 corpus S. Lucii mart. transfertur Roma in Calabriam 436 e
Anno 1695 plurimum augetur Serræcomitum cultus B. Gerardi Saxoferratensis 769 f, 770 a b
Eodem anno Brixiæ translatio reliquiarum SS. Gaudentii, Theophili et Silviæ 604 d
Anno 1698, *die* 20 *novembris*, ossa S. Bernuardi in

in capsam ligneam reponuntur 995 b
Eodem anno reliquiæ SS. Chrysanthi et Dariæ Colonia reducuntur ad Eiffliæ Monasterium 463 b

SÆCULUM XVIII.

Anno 1721 Osnabrugi recognitæ fuere reliquiæ SS. Crispini et Crispiniani 519 c d
Anno 1725 Benedictus XIII erigit diœcesim Pontiscurvi 709 a
Anno 1729 cultus S. Fructi extenditur ad totam Hispaniam 700 d
Anno 1737 canonici Fritislarienses instituunt annuam processionem Buriburgum in memoriam prædicati evangelii in Hassia 962 f
Anno 1742 Bertrandus de Guesclin, episcopus Cadurcensis, abrogat in sua diœcesi liturgiam Romanam 783 b
Anno 1751, *die* 1 *junii*, ossa S. Bernuardi in capsam argenteam reponuntur 995 c d
Anno 1755 cardinalis Malvetius visitat in vico Saleto reliquias, quæ dicuntur *Corpus S. Fulci* 1042 a
Anno 1756 componitur lis de independentia monasterii Arnsteiniani 742 a b
Anno 1763 abrogatur liturgia Romana in archidiœcesi Albiensi et in diœcesi Mimatensi 783 c
Anno 1766, *die* 21 *januarii*, elevatur ritus festivus SS. Bernuardi et Godehardi a duplici majori ad duplicem 2 classis 994 e f
Anno 1768, *die* 16 *julii*, consecratur templum cathedrale Segoviense 700 a
Anno 1777 approbatur a S. R. Congregatione cultus B. Gerardi Saxoferratensis 770 c d e f
Anno 1783 Pius papa VI erigit in basilicam insignem templum S. Mariæ de abbatissis Serræcomitum 765 a
Anno 1790 abbatia Wadegotiæ a Gallis supprimitur 760 e
Eodem anno, die 30 *decembris*, auctoritate civili exstinguitur S. Exsuperii Corboliense capitulum 665 c
Anno 1792 thesauri ecclesiarum Remensium destruuntur 587 d
Anno 1793, *die* 25 *octobris*, egregie ornatur templum cathedrale Segoviense 700 b
Eodem anno, *inter* 11 *et* 12 *novembris*, destruuntur reliquiæ abbatiæ S. Dionysii in Francia 622 a
Anno 1794 demagogi Corbolienses destruunt sanctorum reliquias 669 b c d
Anno 1797, *die* 2 *novembris*, corruit S. Martini templum Turonense 582 b

SÆCULUM XIX.

Anno 1803, *die* 22 *januarii*, supprimitur monasterium Hildesiense S. Michaelis 987 e
Sub annum 1803 supprimitur monasterium seu capitulum Fritislariense, fundatum a S. Bonifacio 952 d
Anno 1804 Monasterii-Eiffliæ ecclesia collegiata SS. Chrysanthi et Dariæ fit parochialis 467 f
Anno 1810, *die* 25 *aprilis*, Napoleo I supprimit conventum Colfanensem 775 d
Anno 1810, *die* 19 *augusti*, solemniter transferuntur reliquiæ B. Francisci de Caldariola 774 c
Anno 1814, *die* 17 *maji*, Pius papa VII coronat Tolentini imaginem Deiparæ Calderiolanam 773 d e
Anno 1828, *die* 13 *julii*, solemniter transferuntur reliquiæ B. Francisci de Calderiola 775 e f
Anno 1829 multa monumenta retecta in Javols 636 d
Anno 1831 Placidus Baccher, rector ecclesiæ dictæ Jesu Veteris, Neapoli, ibidem transfert reliquias plurium sanctorum 458 c
Anno 1833, *II dominica octobris*, solemnis S. Spani reliquiarum translatio 582 b
Anno 1841 Gregorius papa XVI instaurat pristinum capitulum Ceperanense 651 b
Anno 1843, *die* 17 *junii*, approbatur immemorialis cultus B. Francisci de Calderiola 776 a
Eodem anno, die 1 *septembris*, approbatur officium B. Francisci de Caldariola 771 f
Anno 1845 J. Marchi S. J. integrum reperit sepulcrum S. Hyacinthi, fratris S. Proti 422 f
Anno 1848 jubilæum millenarium translationis reliquiarum SS. Chrysanthi et Dariæ celebratur Monasterii-Eiffliæ 465 b
Eodem anno recognitio reliquiarum SS. Gavini, Proti et Januarii, Turribus in Sardinia ab Alexandro Varesini, archiepiscopo Turritano 554 d
Anno 1850, *die* 24 *septembris*, Pius papa IX, abrogata veteri hierarchia catholica, novam instituit 926 b
Anno 1853 liturgia Romana redintegratur in diœcesi Cadurcensi 782 e
Anno 1857, *die* 8 *decembris*, episcopus Suessionensis approbat reliquias S. Frontonis Nulliacensis 405 c d, 406 a b
Anno 1860 Suessione recognoscuntur reliquiæ SS. Crispini et Crispiniani 511 c

ACTA

ANNUS ECCLESIASTICUS GRÆCO-SLAVICUS.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Quod protestari solent patres Bollandiani se in Actis sanctorum servatas velle Urbani papæ VIII Constitutiones; neque suis aliarumve relatis commentariis aliud pondus tribui quam sit historiæ ab hominibus errori obnoxiis scriptæ; idem ego in fronte hujus Anni ecclesiastici Græco-Slavici, qui tomi XI Octobris pars est, solemniter protestor; tanto magis quod documentorum defectu non semper facile definiri possit qui legitime qui illegitime colantur, quin etiam qui catholici fuerint, qui ab unitate ecclesiastica alieni; dein quod multa retuli non meo nomine et ut credantur, sed ex libris slavicis aliisque orientalibus ut examinentur: quidquid autem in his aut a vera fide aut a probatis ecclesiasticis moribus diversum sit (verbi gratia ecclesiæ catholicæ hostium laudes), id non minus improbo quam Evodius Assemanus aliique qui hæreticorum et schismaticorum scripta protulerunt in medium. Sed hæc omnia sparsim in ipso Anno ecclesiastico declaravi.

MONITUM HAGIOGRAPHORUM

DE

ANNO ECCLESIASTICO GRÆCO-SLAVICO.

Quum hoc sibi sumpsisset Bollandus ut Acta sanctorum, quæ Rosweidus typis mandare cogitaverat, reapse in lucem mitteret, fines, quos sibi præstituerat magister, plurimum propagavit. Hic enim edere tantummodo voluerat Acta, quæ ipse ex codicibus manuscriptis excerpsisset aut inde fideliter ab aliis excerpta fuisse nosset, omissis sanctorum nominibus quorum antiquæ non exstarent Vitæ. Contra Bollandus, ut operis titulus præfert, Acta Sanctorum, quotquot toto orbe coluntur vel a catholicis scriptoribus celebrantur, ex latinis et græcis aliorumque gentium antiquis monumentis colligere, digerere et notis illustrare sibi proposuit. Verum neque ipse nec quisquam ex collegis et successoribus unquam sibi persuaserunt nullos se præterituros viros, quibus jus esset occupandi inter illos locum; imo primus publico non prodierat tomus quin intellectum esset *conjectos fuisse in omittendorum classem nonnullos, quorum postea et sanctitatem publicis festis monumentisque celebratam didicisset* operis parens *et res gestas accepisset* (1). Quantacumque autem cura collecta semper fuerit ante singulos dies hæc omittendorum classis, in quam ex martyrologiis et catalogis sanctorum illata sunt multorum nomina, *quibus cælestes honores non sunt Ecclesiæ judicio decreti vel antiqua populorum pietate prærogati,* multum abest ut hæc integra sit et omnibus numeris absoluta. Præteriti imprimis innumeri ex Ecclesiis orientalibus, qui, postquam per gentilitias æmulationes et superborum hominum molitiones respublica christiana in partes scissa est, floruerunt, magnum inter suos reliquerunt nomen et honores ecclesiasticos assecuti sunt. Neque id studio factum aut industria, sed interdum humana infirmitate, interdum monumentorum penuria. Ecquis autem crimini vertat quod in tanta rerum silva multæ res oculorum aciem fugerunt, aut quod libri præsto non fuerunt quos manibus versare nunc licet? quis præterea ignoret multa documenta, quæ jam ex latebris prosilierunt, densa olim nocte pressa fuisse?

2. Ex his profecto lacunæ plurimæ ad sequentes dies, aut ad finem voluminum, mensium et maxime primi semestris impletæ sunt; sed non potissima pars, verum longe minima. Quamobrem jam pridem cogitavimus remedium qualecumque huic afferre malo; nullum autem opportunius visum est quam si singularium Ecclesiarum, quarum præcipue sancti sive in ipso opere nostro, sive in prætermissis neglecti fuere, fastos sacros ederemus, quibus breviter contineretur Vita insignium virorum, qui a popularibus inter cælites recensiti sunt et veneratione ecclesiastica donati. Nullius autem Ecclesiæ beati magis in opere nostro desiderabantur quam Slavonicæ. Re quidem vera Papebrochius initio tomi I mensis Maii excudendas curavit sumptibus maximis Imagineum Kalendarium Moscum, quod inde Ephemerides effigiatæ Græco-Moscæ Papebrochii dictæ sunt; verum in hoc pauca nomina Slavica sunt, sed pleraque Græca aut Orientalia. Quod enim inter Latinos usitatum est, ut celeberrimi et antiquissimi universim colantur, minus vero illustres et præcipue recentiores ab iis tantum Ecclesiis, quas aut virtutum suarum odore aut reliquiarum præsentia lætificaverunt, illud idem observatur etiam ab Orientalibus et imprimis a Russis cæterisque Slavis. Ingens scilicet agmen sanctorum venerantur, quorum nomina in Menæis Græcorum leguntur; alios habent populares, quorum cultus etiam late patet; sed his multo plures item populares, qui aut in una tantum diœcesi, aut in uno monasterio, ecclesia aut loco cælitum honores accipiunt; atque hos in Moscis illis Ephemeribus frustra quæres : quo factum est ut hi decessores nostros atque alios fere omnes Occidentales seu Latinos plane latuerint.

3. Quod de Papebrochii Ephemeridibus dixi, intelligendum est etiam de Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ Ignatii Kulczynskii, quod non ita pridem novis typis edendum curavit noster Joannes Martinof, is ipse Anni ecclesiastici Græco-Slavici scriptor. Kulczynskius quidem omisit plerorum sanctorum Græcorum aut Latinorum memoriam, retinens solum ea quæ Ecclesiæ Ruthenicæ arbitrabatur esse propria; sed multum abest ut omnia aut potiorem partem protulerit in medium. Quum enim illum suum librum conscripsit, versabatur Romæ et in promptu solum habebat Anthologium et Tryphologium, anno 1643, et Ustav seu Horologium, anno 1679 Leopoli in Galicia typis excusa. Quamobrem *nonnullos tantum*, inquit in Præfatione, *sanctorum indigenarum Vitas profero, quia non habeo ad præsens unde omnes desumam; sed cum redivero in patriam, eas quæ desiderantur conquiram et publicæ utilitati, Deo adjuvante, exponam*, Ast ut patrium solum repetiit, aliarum rerum mole pressus fuit neque fidem datam solvere potuit.

(1) Acta SS. tom. I Januarii, in Præf.

Majora consilia, quam quæ Kulczynskii Specimine præstita sunt, animo conceperat Josephus Simonius Assemanius, non contentus Capponianas tabulas, quas circa annum 1300 pictas credebat explicare, verum etiam Ephemerides Possevinianas, Papebrochianas et Kulczynskianas. Ast hoc conatu non potuit multo plura nomina complecti; quoniam in omnibus illis fastis eadem fere occurrunt aut saltem quæ universis fere Slavicis gentibus communia sunt; vix autem quæ particularibus Ecclesiis sunt propria, licet maximus horum sit numerus.

4. Haud scio utrum celebrioribus illis triumviris annumerandus sit Franciscus Xaverius de Pejacsevich, suppressæ Societatis nostræ filius, qui de sanctis Serbiæ singulariter disputavit: liber enim ejus, licet non parvæ sit molis, tam parum innotuit ut ab eruditis etiam ignoretur. Occasio scribendi ei fuit quod anno 1771 Serbi non uniti typis Viennensibus ediderant calendarium, continens præter morem quatuordecim sanctorum Serborum nomina. Laqueum sibi structum esse conclamarunt uniti, quod pleraque illa festa etiam in foro celebranda essent; omnes, si unus forte S. Sabas archiepiscopus excipiatur, schismaticos esse; neque ferendam hanc novitatem. Adversum hæc primus in arenam descendit Adamus Franciscus Kollarius, laudatissimus bibliothecæ Vindobonensis custos, qui kalendarii illius censor exstiterat. Verum hanc litem nequaquam exstinguere potuit, ita ut anno 1775 abripi se siverit Pejacsevičius ad eam participandam. Multos itaque annos posuit in scrutandis veterum Serborum aliorumque scriptis, quo origines Ecclesiæ Serbiæ explicaret et ostenderet plerosque ex illis sanctis certissime fuisse catholicos; de aliis vero nulla esse argumenta, quibus vincatur eos fuisse schismaticos, contra multa esse quibus suadeatur eos vere fuisse catholicos; nil itaque esse cur eos impugnent uniti; contra ex hac ipsa eorum veneratione facile parari posse viam qua non uniti ad unitatem perveniant. E vivis recessit scriptor, priusquam in lucem venisset liber; quem anno 1779 suis sumptibus publici juris fecit Matthæus Franciscus Kerticza, Bosnensis seu Diakovariensis et Sirmiensis episcopus, titulo *Historiæ Serviæ seu Colloquiorum* XIII *de statu regni et religionis Serviæ ab exordio ad finem, sive a sæculo* VII *ad* XV. Sed, ut apparet, intra Serviam omnino se continuit Pejacsevičius. Quum itaque Papebrochii, Kulczynskii, Assemani et Pejacsevičii tentamina unici fere fontes sint, quos Latini, linguæ Russiacæ aut Slavicæ ignari, adire queant, hinc patet nullis auxiliis suppleri posse defectum, qui in opere nostro deprehenditur.

5. Nemo magis ea re perculsus est quam, quem paulo supra appellabam, Joannes noster Martinof. Hic domo Russus, et gentis suæ amantissimus, litterarumque Slavicarum, tum veterum, tum recentium, supra ætatem peritus, vehementer indoluit quod tot præclari viri, quos Ecclesia Slavica genuit, plane ommissi essent et ne in prætermissis quidem memorati. Sategit ille quidem ne in novis Actorum sanctorum tomis similes nævi admitterentur, quemadmodum ex subsidiis, quæ nobis in commentariis de S. Parasceve, de S. Hilarione Moglenensi et de S. Joanne Rylensi, et maxime ex ejus de S. Aretha, Kievocryptensi monacho, lucubratione, tomo X Octobris inserta, quotusquisque facile colliget. Sed his non resarcitæ veteres rimæ, nec quæ omissa fuerunt, suppleta. Quamobrem rogatus ut, quum bene multos libros Slavicos, ad historiam ecclesiasticam et hagiologicam pertinentes, haberet, et præcipuis instructus esset subsidiis quibus hæc opera præstari possit, hoc sibi sumeret ut Annum ecclesiasticum Slavicum litteris mandaret, prius causatus est plurium annorum id fore laborem; verum quum semel et iterum voce et scripto monitus esset, non postulari scriptionem, in qua res singulæ examinarentur (quemadmodum ipsimet facere consuevimus aut saltem nitimur), sed summam tantum Vitarum sanctorum, quales vulgo in Russia et in aliis Slavici idiomatis regionibus circumferri solent, victas tandem dedit manus et se exorari passus est.

6. Quicumque itaque ad præsens opusculum versandum accesserit, nolit oblivisci quis ei præscriptus fuerit scopus. Nunquam scilicet auctoris mens fuit Vitas conscribere, in quibus accurate stabilirentur rerum gestarum tempora; loca illustrarentur; expenderetur documentorum ætas et vis; monumenta de sanctis Slavis (quantum fieri possit) indicarentur et recenserentur omnia; difficultates et nodi, quibus historiæ Slavorum præprimis plenæ sunt, non secarentur sed solverentur; mores, consuetudines, earumque immutationes investigarentur et sexcenta id genus declararentur: hæc ut quis rite et luculente faciat, integram impendere necesse est vitam. De his itaque cogitatum est nunquam. Quod vero flagitatione nostra victus sibi proposuit, id multo arctioribus continetur finibus; scilicet ut ex libris Slavicis, quos Musæum S. Cyrilli patrum nostrorum Russorum Parisiense sat magno numero continet, breviaria quædam conficeret, in singulos anni dies distribuenda; non ut Latini crederent se hinc haurire posse quidquid hagiographiæ Slavicæ laticibus concluditur, sed ut gustarent saltem de ejus fontibus: qua ratione qualitercumque etiam explerentur lacunæ, quas in Actis Sanctorum esse supra fassi fuimus. Et quidem, licet adjutoris nostri opus properatum sit et tumultuaria potius scriptione quam præmeditata exercitatione confectum, arbitramur tamen id ipsis Slavis neque inutile fore, neque ingratum. Plura enim venerata sibi nomina in eo conjuncta simul habent, quam alibi uspiam; deinde passim res præcipuæ collectæ sunt et brevibus verbis conceptæ; et demum, quamvis omnes fontes indicati non sint (neque enim id Parisiis aut Bruxellis fieri potuit, quod ne Mosquæ quidem et Petropoli fieri posset), multi tamen indigitati iique sæpius non omnibus, etiam doctis, noti. Horum postea singularis veniet Elenchus.

7. In referendis autem illustrium illorum virorum gestis delectus nullus habitus est; omnes,

omnes, quotquot scivit Martinovius a Slavis ecclesiastica veneratione coli, et Slavis, ritum orientalem sequentibus, accenseri posse, in catalogos suos recepit eisque suum singulis assignavit locum seu potius diem. Studio itaque omissi duntaxat sancti Slavi, ritibus latinis addicti, quales exempli gratia inter Polonos SS. Casimirus, Joannes Cantius et ambo Stanislaï; inter Bohemos SS. Adalbertus et Joannes Nepomucenus et innumeri alii, quorum nomina Crugeri, Balbini, Skargæ et aliorum libri facile dabunt; si qui contra ritus orientalis sequaces præteriti fuerint, id oblivione factum aut ignorantia : quam ii tantum probro vertent qui, quod in simili provincia nunquam versati sunt, plane nesciunt quam difficile sit in hoc rerum genere omnia scire et ex iis quæ sciuntur nil incuriose prætermittere.

8. Quum id itaque et Martinovii et nostrum consilium fuerit, fieri non potuit ut multis non fieret locus, qui Ecclesiam catholicam non audiverint; quod ne quis male interpretetur, juverit id negotium aliquantulum explicare. Nos catholicos esse et, quod profitebatur Bollandus in Præfatione generali (1), cum hæresibus et schismatibus æternas esse inimicitias, nemo (putem) dubitat aut unquam dubitavit; sed hinc minime vetamur narrare gesta eorum, qui iisdem impliciti fuerunt aut impliciti fuisse videntur. Neque simili vetito se obstrictos fuisse arbitrati fuerunt decessores nostri, qui in Prætermissis ad singulos dies plurium segregum, qui a suis venerationem ecclesiasticam accipiunt et kalendariis inscripti sunt, res gestas breviter complexi fuerunt; idemque fecerunt in patriarchis Constantinopolitanis, Antiochenis, Alexandrinis et Hierosolymitanis, et similiter in antipapis Romanis. Qua in re licet schismaticos aut hæreticos frequenter eos appellarint, universim tamen moderate de eis dixerunt, a verbis aculeatis et mordacibus abstinentes. Sed in his apertum erat schismatis et hæresis peccatum; non item, ubi ad Slavos devenimus, dummodo pauci excipiantur, ut Jonas, Photius et alii hujus generis : de qua tamen re nolim longam dissertationem instituere.

9. Disputavit jam de fide Russorum Papebrochius in præfatione ad Ephemerides Græco-Moscas, sibi a P. Alberto Kojalowicz, Lithuaniæ historico, persuaderi passus metropolitas Russos usque ad annum 1520 fuisse catholicos. Atque eo passim inclinasse olim Basilianos Ruthenos unitos ut schisma in Russia recentissimum fuisse ostenderent, dum contra non uniti patres suos Ecclesiæ Romanæ nunquam paruisse contenderent, compluribus latinis jam innotuit. Illa itaqua opinione ductus, in opere nostro agi volebat Papebrochius de omnibus, qui Ephemeridibus suis inscripti erant. Verum id votum impletum non est; ita ut Sollerius ad diem 15 julii, qua S. Vladimirus, dux Russorum, a Slavis colitur, et ad diem 24 ejusdem mensis, quæ SS. Boriso et Hlibo, S. Vladimiri filiis, sacra est, ausus non fuerit eis locum inter sanctos catholicos concedere; sed ad diem 5 septembris, qua horum nomina kalendariis etiam inscripta sunt, disputationem rejecit, contentus eos in Prætermissis commemorasse, donec certiora de fide Russorum innotescerent. Videbatur scilicet decessoribus nostris Papebrochius multa quidem recte disseruisse, sed magis generaliter quam ferret argumenti varietas, vicissitudo temporum et animorum inconstantia.

10. Interea anno 1734 Romæ edidit et Clementi papæ XII dedicavit Kulczynckius, quod jam appellavi, Specimen Ecclesiæ Ruthenicæ; in quo *arripuit avide*, ut Stiltingi (2) verbis utar, *quidquid apud Papebrochium aliosque scriptores invenit argumentorum et conjecturarum ad schisma a Russis amoliendum suasque hisce non raro conjecturas addidit; at difficultates, quæ aliunde se offerunt, dissimulavit magis quam discussit aut sustulit.* Quum itaque anno 1748 ventum esset in opere nostro ad diem 5 septembris et Sollerii promissis faciendum foret satis, luculentam dissertationem, tomo II Septembris præmissam, scripsit Stiltingus de conversione et fide Russorum. Ostendit in ea Russos, tempore S. Vladimiri ad christiana sacra traductos, initio conversionis catholicos fuisse, et patriarchas Constantinopolitanos, quorum throno obnoxii erant, tunc temporis cum Ecclesia Romana fuisse unitos; deinde eosdem Russos toto sæculo XI fuisse catholicos ex singulis metropolitis patere; sæculo autem XII aliquos metropolitas fuisse catholicos, plures fidei dubiæ; sæculo XIII, quo schisma prævaluit in Russia, non defuisse tamen catholicos; sed metropolitas omnes fidei fuisse dubiæ aut suspectæ; sæculo XIV similiter nullum metropolitam certo fuisse catholicum, licet aliqui vulgo credantur catholici; sæculo XV Photio schismatico successorem datum fuisse catholicum, eodemque sæculo Russos circa tempus concilii Florentini in duas scissas fuisse partes, quarum una catholica fuerit usque ad annum 1520, altera constanter schismatica; demum ab anno 1520 usque ad annum 1594 metropolitas Kiovienses omnes fuisse schismaticos, donec in Brestensi synodo episcopi, in regis Poloniæ ditionibus degentes, statuerint se Romano pontifici subjicere; quod anno sequenti fecere; quos deinceps fuisse catholicos, usque dum anno 1839 inaudita ignavia se suosque greges e Romanæ Ecclesiæ ovili abreptos, inimico homini tradiderint, novimus omnes; alios autem omnes, metropolitæ et dein patriarchæ Moscuensi et postmodum synodo Petroburgensi adhærentes, fuisse schismaticos. Atque hæc Stiltingi opusculi summa est,

11. Sub idem tempus sudabat Josephus Antonius Assemani in conscribendo Kalendario suo Ecclesiæ universæ, quod tamen sanctos, Slavicis fastis inscriptos, unice continet. Plus quatuor tomos enarrandis rebus ecclesiasticis Slavorum impendit; neque in his omisit omnino

(1) Acta SS. tom. I januarii, pag. XXX. — (2) Acta SS. tom. 2 septembris, pag. I.

nino Russos, satis tamen fere habens de eorumdem conversione et de proximis secutis temporibus dicere. Plura autem dedit de Serbis et maxime de Bulgaris, consistens tamen fere in monumentis latinis. Unde fit ut, quum Russi inter omnes Slavos maximum sanctorum numerum celebrent, parum prosit ejus opus ad discernendos in Martinovii, quæ daturi sumus, vitarum breviariis catholicos ab aliis. Quamobrem id unum addendum videtur, quod scriptor ille, qui graviter culpat Kulczynskium quod pro catholicis obtruderit plures hoc nomine indignos (1), sensisse tamen Capponianis tabulis, quos circa annum 1300 pictas fuisse falso contendit, nullos inscriptos fuisse quin fuerint catholici (2). Pejacsevičium, qui pone venit, non minus favere Serbis eorumque omnes patronos a schismatis crimine liberare supra vidimus. Non ita pridem, anno scilicet 1841, Augustinus Theiner edidit typis Augustanis historiam recentiorum vicissitudinum Ecclesiæ catholicæ in Polonia et Russia (3), cui præmisit lustrationem seu recognitionem Ecclesiæ Russiacæ ejusque cum Ecclesia Romana commercii ab ejus exordiis usque ad Catharinæ II imperatricis ævum; atque in hac opella diligenter indagavit quidquid facere videretur ad persuadendum Russos ab unitate Ecclesiæ non abhorruisse, nisi brevi spatio, intervallis solum et perpetuo tantum recentioribus temporibus. Et sane multa protulit in medium lectu digna et ad intentum scopum bene collineata; verum quum præstitutus finis non postularet ut quæ adversantur in eadem constituerentur luce, sequitur inde ut qui juxta hæc de rebus ecclesiasticis Russiacis judicium generale ferre vellet, prorsus aberraret a vero. Post Theinerum versavit idem argumentum, sed multo magis particulatim, Verderius noster in lucubratione de originibus catholicis Ecclesiæ Russiacæ (4); sed quo penitius in has inquisivit et uberius de iisdem dixit, eo magis dolendum est quod ad annum 1100 stetit et hactenus nil dixit de sequentibus temporibus, omnium longe difficillimis. De aliis vix est quod dicam. Strahlius in Historia ecclesiastica Russiæ uti etiam in Historia politica nuspiam eam rem singulari cura tractat; Karamsinus autem et imprimis Macarius archiepiscopus in sua *Introductione fidei christianæ in Russia*, uti et cæteri historici Russi, in eo fere sunt ut, quantum fieri potest, constituant interstitium inter catholicos et Russos; quæ negare aliquo modo aut in dubium revocare possunt, inficientur aut incertum faciant; quæ non possunt, elevent saltem et extenuent: quasi summum malum non esset omnibusque deplorandum quod Christi tunica inconsutilis scissa est, neque id sat cito accidere potuisse eis videretur.

12. Quum autem hæc mente recolligimus atque uno intuemur conspectu, affirmare posse nobis videmur alios quidem singulares partes copiosius et accuratius tractasse, Stiltingi tamen dissertationem omnium plenissimam esse et longe maximi faciendam. Sed quod sentiebat desideratus collega noster Antonius Tinnebroek, in rebus Slavicis et præprimis in Russiacis plurimum versatus, id nos quoque sentimus, scilicet Stiltingum justo severiorem fuisse quemadmodum Papebrochius benignior fuerat, et quantum hic peccavit in amplificando temporis spatio, quo Russi cum Ecclesia catholica omnia necessitudinis vincula non abruperint, tanto illum nimium esse in contrahendis iisdem intervallis: cujus judicii apertæ sunt rationes. Demonstravit scilicet Stiltingus manifesto sæpius eos prorsus alienos fuisse ab Ecclesia catholica, quando eosdem ab eo non dissensisse generatim pronuntiavit Papebrochius; verum, licet Stiltingus magis particulatim vicissitudines Ecclesiæ Russiacæ investigarit et (quantum potuit) singula expenderit tempora, multa nihilominus, ut ex Theinero liquet, (quem tamen fontes indigenæ latuerunt,) singularia omisit, quibus appareat sæpe in mediis dissidiis nil fixum firmumque fuisse, neque omnem tunc interclusum fuisse mutuum usum, et præcipue, quum metropolitarum aversi essent animi, non semper eodem modo comparatos fuisse principes et populos: ita ut nequaquam possibile sit quidquam universim statuere. Præterea, donec sæculo XVII patriarchatus Mosquensis erectus est, obnoxii erant Russi patriarchis Constantinopolitanis; quos non omnes, etiam post concilii Florentini tempora, ita dissensisse a Romanis pontificibus, ut nullum cum eis haberent commercium, vel ex iis solum constat documentis, quæ raptim Theinerus tetigit. Præterea certo certius est metropolitas Russos aliosque Constantinopolitanis patriarchis non semper adhæsisse, imo ab iis plane dissedisse sæpius; quapropter nefas est concludere Russos semper participasse Byzantinorum in Latinos odia. Neque impugnatum ab omnibus concilium Florentinum, in quo Isidorus, metropolita Kioviensis et Mosquensis, anno 1439 singulari studio Ecclesiæ rimas resarcire sategit. Id eodem anno receptum est Kioviæ et sequenti promulgatum Mosquæ; ubi re quidem vera brevi post a czaro et magnatibus rejectum fuit; sed diu multos servavit in clero et populo asseclas, fideliter Isidori, profugi et ad mortem usque obedientiam Romano pontifici debitam professi, partes tuentes. Unde apparet quam difficile sit definire qui, dum hæc omnia fierent et continuo mutarentur, atque aliomodo in una provincia et alio in alia constituerentur, clerusque et populus in varias diversasque distraheretur factiones, quam difficile, inquam, sit definire qui catholici fuerint, qui non, seu quinam ex iis, qui kalendariis Slavorum inscripti sunt, inter sanctos catholicos retinendi sint, quinam autem expungendi.

13. Profecto cogitandum non erat de solvendis hoc loco tot difficultatibus, quæ non nisi in

(1) Kalendarium Ecclesiæ universæ, tom. I, pag. 155 et seqq. — (2) Ibid. pag. 7 et 8. — (3) Die neuesten Zustände der katolischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage. — (4) Études de théologie, de philosophie et d'histoire, publiées par les PP. Daniel et Gagarin, tom. II, Origines catholiques de l'Église russe, par le P. Verdière, pag. 133 — 306.

historia

historia ecclesiastica Slavorum orientalium attingi ordine queunt. Supererat itaque id unum ut ii soli, qui passim catholici fuisse habeantur et qui a catholicis colantur, dicerentur *sancti*; alii vero, et quidem longe maxima pars, quod non satis constaret eos fuisse catholicos aut a catholicis pro sanctis agnosci illa laude non honestarentur; reliqui demum, qui schismatici certo fuerint, dicerentur apertis verbis hac labe infecti fuisse. Neque licuit in referendis eorum omnium gestis accuratiores esse. Slavi enim æque ac reliqui recentiores Orientales plane Vitas nullas habent historicas, quales Latini legunt bene multas; sed quas versant et amant, panegyres sunt verbosæ, communibus laudibus plenæ, ex quibus vix quidquam de sanctorum gestis cognoscas, ne indolem quidem. Perquam itaque difficile est earum examen instituere, quum nil fere quod singulare sit contineant. Miracula autem sæpe prima specie fabulosa apparent; alia autem, quæ miraculorum loco habentur, hoc nomine nequaquam digna sunt, siquidem mere naturalia sint: quo referas imprimis corporum integritatem, quæ fundamentum est plerarumque canonizationum Slavicarum recentiorum. Quis enim nescit multis in locis corpora sponte et naturaliter servari integra? Aliquando vero corpora sponte siccari, non corrumpi? Verbo nil tam incertum esse quam hoc prodigium? Quare inter catholicos pro miraculo nequaquam admittitur corporis integritas, nisi carnes molles maneant et elasticæ, nisi membra plane mobilia sint, nisi annos duret incorruptio quadraginta aut quinquaginta; intra quos (nisi digitus Dei adsit) carnes non possint non exsiccari. Sed horum omnium nil curant Slavi et Græci; quibus persuasum est omnem corporis conservationem prodigiosam esse; si enim mala fama accedat, signum esse mortuum excommunicatum esse; si bona fama, eum esse sanctum. Neque ullum aliud miraculum novimus, quod serio examinatum fuerit. Hinc intelligitur quam parum fidei videantur nobis mereri laudes, quibus qui sanctorum albo Russiaco inscripti sunt a suis onerantur, et miracula, propter quæ complures vocantur thaumaturgi aut novi thaumaturgi. Quod si itaque aliquid de illis laudibus aut miraculis referatur, nemo putet hæc firma a nobis censeri et ex bonis fontibus hausta : nil enim aliud propositum fuit quam ut compendio exhiberentur quæ in libris Slavicis legantur multo fusius; non ut cæce credantur, sed ut aliquando examinentur. Quum autem omnino statutum nobis sit quæstiones juridicas et theologicas de communione ecclesiastica vitare, quoniam paucis capitibus omnino non possint expediri, stylus hic sistendus jam esset, nisi pauca de singulorum dierum titulis et subsequentibus observationibus lector monendus videretur.

14. Porro nisi quis plane hospes sit in Historia Europæ occidentalis, is norit oportet nil minus illic stabile fuisse quam gentium sedes. Aliæ enim venerunt post alias, aliquando expellentes priores, aliquando se interponentes; ita tamen ut sæpe mixtura nulla fieret. Atque nunc etiam plurimæ vivunt illic juxta se invicem positæ, sed plane distinctæ et separatæ. Hinc fit ut inter medios Slavos reperire sit Armenos, Græcos, Rumanos seu Valaccos aliosque. Quodsi qui ex his cælitum honoribus ambiantur, prorsus impossibile est ut secernantur a Slavis, nisi expressis verbis significetur qua gente orti fuerint: quod raro fit. Dein ex alienigenis, potissime ex Græcis, assumpti fuerunt multi, maxime ut episcopali aut abbatiali officio inter Slavos fungerentur; adeo ut, si Slavi non sint natione, videantur esse vita, ritu ecclesiastico et muneribus. Præterea Macedonia, in qua Mons Atho jacet, nunc occupatur maximam partem a Slavis et in ipso Monte sancto multi semper vixerunt et vivunt Slavi; quin etiam integra monasteria ex solis constant Slavis. Quis autem hagioritas, qui cultu ecclesiastico honorantur, singulos suæ adscribet genti? Profecto aliqui sine negotio ad classem suam ablegari possunt; sed non omnes; neque semper certo. Huc maxime pertinent neomartyres Græci, quorum sanctus mons quasi officina est; (inofficioso verbo utimur, ut culpemus imprudentem disciplinam, qua miseri peccatores excitentur ad sponte se offerendos truculentæ neci, ut sanguine suo priora scelera eluant. Ad hæc si impellat spiritus sancti impetus, bene est; sed ex institutione humana nequaquam fieri debent.) Quum itaque ob has aliasque causas sæpe fieret ut ambiguum esset quinam Slavis annumerandi essent ex tribus hominum classibus, quas modo recensuimus, hoc demum consilium initum est ut eorum omnium, quorum Vita nunquam videtur in Actis Sanctorum illustranda, quod aut non satis constet de eorum fide aut de eorum inter catholicos cultu, vitæ breviaria ederentur. Quod quum statutum esset, admittendi etiam visi sunt Iberi seu Georgiani, qui omnes fere catholici fuerunt, sed qui cum Slavis nil aliud commune habent, nisi quod eorum posteri nunc Russis pareant. Utique, quum tam late aperuissemus ostium, si fieri potuisset, omnes quotquot floruerunt fama sanctitatis in pristino patriarchatu Constantinopolitano, erutos voluissemus e tenebris et recentiorum Vitas in summaria contractas : sed libri defuerunt et tempus. Verum, licet nomina absint complura, tot tamen congesta fuerunt, ut nil simile etiam inter ipsos Orientales exsistat. Hæc inter ut ordo aliquis induceretur, in *Memoriis Slavicis* de iis tantummodo actum est, qui ritu orientali Slavico, quem SS. Cyrillus et Methodius incoharunt et promoverunt, usi fuisse videantur; ad *Observanda* vero relati sunt alii omnes, de quibus, quod minus cognita sint Latinis eorum gesta, paulo copiosius dicendum visum fuerit.

15. Ut autem omnia illa nomina colligerentur, kalendaria aliique fasti sacri examinanda fuerunt. Quorum quum ingentem syllogen ad manum haberemus partim in musæo nostro, partim in bibliotheca publica Bruxellensi, alia vero multa, maxime Slavica, collecta servaret

Martinovius, opportunum visum est aliquid tentare simile celeberrimis Hieronymianis Fastis. Hos enim sæculo IV ex innumeris singularum Ecclesiarum kalendariis collectos esse norunt omnes; ita ut nullum magis insigne supersit de innumera sanctorum martyrum multitudine documentum. Re quidem vera *Annus ecclesiasticus Græco-Slavicus* nondum tot abundat nominibus, quot Hieronymianum Martyrologium, sed nil nisi initium aliquod facere cogitavit scriptor. Sane plus centum quinquaginta menologia, synaxaria aliique id genus laterculi sacri excussa fuerunt; sed innumeri supersunt in bibliothecis Parisiensibus, Vaticanis, Berolinensibus, Monachiensibus, Viennensibus et maxime Mosquensibus et Petropolitanis, quæ nemo hactenus adierit. Veniat jam qui hæc pristinæ pietatis monumenta verset atque inde eruat quæ Martinovii lucubrationi desint. Constantinopolitani singulares natales sanctorum fere innotuerunt; sed Asiæ Minoris latent pene omnes; neque ipsius Græciæ et maxime insularum cogniti sunt satis. De Fastis Slavicis idem fere dixerim. Profecto satis felix fuit Martinovius ut ex omnibus fere Slavorum regionibus kalendaria collegerit; sed non sufficit. Necesse esset ut saltem præcipuarum ecclesiarum cathedralium et monasteriorum synaxaria describerentur : quoniam ut inter Latinos sic apud Slavos aliosque Orientales singulæ ecclesiæ proprios patronos aut certe populares venerantur; quos nonnisi ope particularium fastorum nosse fas est. Magna itque messis adhuc manet virum illum strenuum, qui natales sanctorum ex Menæis, Menologiis et Synaxariis in unum conferre voluerit et certo ordine disponere.

16. Quem autem ordinem observavit Martinovius, is simplicissimus est. Principii loco positum fuit inter Græca et Slavica monumenta tantam intercedere connexionem et communitatem, ut hæc semper habenda sit ob oculos. Et quidem omnia ex Græco fonte fluxisse in Slavicas Ecclesias per sacrum ritum exploratum est; idque a tempore SS. Cyrilli et Methodii qui ritus Græco-Slavici vere parentes sunt et conditores. Ab his nimirum libris aliquot liturgicis. Slavico sermone primum donati sunt, Evangeliis scilicet, seu Missalibus et Psalterio, utpote sacris usibus prorsus necessariis; quo exemplo cæteros dein codices sacros et liturgicos e Græco in Slavicum verterunt Methodii discipuli, Clemens, Gorazdus, Nahum aliique numero plures. Verumtamen exstant etiam nunc quædam sacræ liturgiæ monumenta Palæoslovenica quæ non immerito ipsorummet Cyrilli et Methodii opus habeantur; qualis est codex Ostromiranus, Vaticanus glagloliticus seu Assemanianus, et potissimum Fragmenta glagolitica, non ita pridem Pragæ inventa a clar. Hæfflero et illustrata a Josepho Schaffarik, qui venerandas has glagoliticarum litterarum reliquias ad sæculum x imo et IX retulit. Porro ex toto opere Martinovii manifestissime eruitur, SS. Cyrillum et Methodium non Latinum, sed Græcum ritum docuisse Moravos, Bulgaros, Slovenos aliosque; nec stare posse contrariam sententiam Assemani et qui eum sequuntur; quin etiam Kopitarium a vero deflexisse, quum asseruit S. Methodium Kalendaria Constantinopolitana ad Romanos fastos reformasse : argumenta enim, quæ profert in Hesychio, in Glagolita Cloziano et in Prolegomenis ad Evangeliarium Remense, tenuia nimis sunt ac levia. Quibus facillime eversis, inaniter gloriantur Russi acatholici. Detur enim Kalendariorum Slavicorum originem Græcam esse, ut demonstrarunt Bodianski, Nevostrujev, Bilarski aliique, nil inde; quum tempore SS. Cyrilli et Methodii, uti tempore Vladimiri, unica esset Ecclesia catholica. Quoniam itaque catholici erant SS. Cyrillus et Methodicus, cur ad Romanos fastos exegissent Slavicos? Nexus itaque ille inter codices Slavicos et Græcos nequaquam solvendus est, sed omnino retinendus. Verumtamen distinctio quædam facienda visa est, cujus fundamentum in ipsa græca Kalendariorum Slavicorum origine positum est. Scilicet singulis diebus præmisit litteris majusculis Martinovius Kalendarium Ostromiranum, quod licet multis diebus vacet, inter antiquos tamen omnium copiosissimum, saltem priore sui parte, est; et ab omni schismatico fermento purum; ita ut inde intelligi possit qui fere sancti sæculo XI adulto Slavis, adhuc catholicis, innotuissent. Post singula nomina indicantur alii codices quibus iidem sancti eadem die descripti sint, prius codices Slavici, dein Græci, separati fere particula *cum*. Postea venit manipulus sanctorum, quorum nominibus littera *S.* seu vocabulum *Sanctus* præmissum est; hi quoque in aliquot codidicibus Slavicis inventi sunt, et forte Græcis etiam libris inscripti. Denique accedit alius manipulus, cujus fere nominibus signum crucis (†) præpositum est : atque hi in solis libris Græcis obvii fuerunt. Illa itaque qualicumque distinctione cernitur quæ a Græcis mutuati sint Slavi (a Slavis contra nil fere sumpserunt Græci); atque ex hac codicum recensione intelligitur quam extensus et celeber fuerit quorumdam sanctorum cultus, et frequenter quam antiquus, et aliquando quæ ejus fuerint vices. Illud autem summum atque præcipuum est in lucem trahi innumeros sanctos, quorum multi olim in maxima veneratione essent, nunc fere in oblivione. Verum id argumentum si prosequerer, necesse esset partim ea quæ doctissimus Molanus Usuardi Martyrologio, partim ea quæ Baronius Martyrologio Romano præfatus est, describere atque etiam expolire : sed id nos facere non sinit, quam sectamur in hoc Monito, brevitas. Sequitur etiam ex hac codicum collatione hoc commodum ut multa, quæ seorsim non intelligantur, sine negotio pateant et manifesta fiant, ut primum componuntur cum aliis memoriis; ut aliorum, quæ vitiosa sint, detegantur vitia et vitiorum origines et causæ; et demum ut bene multa nomina, quæ quorum essent ignorabatur, quoniam nil erat quo distinguerentur ab homonymis aut determinarentur, ad certos sanctos jam referri possint.

17. Atque

17. Atque hæc in *Observandis* maxime curata sunt; ubi etiam singularia, potissime quæ in libris slavicis occurrunt, consignata fuerunt. Verumtamen modus statuendus fuit. In immensum enim crevissent hæc Observanda, si methodum Assemani, explicantis Tabulas Capponianas, Sabbatinii et Mazochii, illustrantium Kalendarium Neapolitanum marmoreum, et demum Morcellii, mira industria vetustissimum Kalendarium Constantinopolitanum declarantis, secutus fuisset Martinovius : quod neque ipse voluit, neque nos. Nondum præterea venit tempus, quo pro rei dignitate et argumenti amplitudine kalendarium universale orientale confieri et explicari possit. Prius enim, quod jam monuimus, edenda adhuc sunt multa kalendaria græca, multa slavica, atque etiam forte arabica, syriaca, æthiopica, armeniaca et alia in Oriente conscripta. Re quidem vera diu cogitavimus kalendaria secundum patriarchatus omnino dividenda esse; sed hic frustra tentatum est Antiochena separare et Hierosolymitana, atque in unis Constantinopolitanis consistere : nam per S. Sabæ libros liturgicos, quos monachi, maxime Athonitæ, Antiochia et Hierosolymis secum ferebant, omnia mixta sunt. Alexandria, ut remotior, sic etiam auctoritate minus valuit; verumtamen omnibus patriarchatibus Orientis tot sancti communes sunt, ut operæ pretium non videatur huic fundamento festorum seu etiam kalendariorum, quibus festa continentur, classes superstruere. Quamvis autem hæc ita sint, nisi tamen omnia semper turbata et confusa esse debeant, classes aliquot seu familias constituendæ sunt, in quas distribuantur codices. De Slavicis aliquid tentavit Martinovius, ut modo videbitur.

Atque his satis declaratum arbitramur quæ sit *Anni ecclesiastici Græco-Slavici* origo, quis ejus scopus, quæ in eo conscribendo servata fuerit methodus. Quæ nulla ratione melius utiliusque approbare poterit lector, quam si, hoc tentamine excitatus, ipse in arenam descendat, novos codices græcos et slavicos afferens, quibus hiulca impleantur, perversa corrigantur, obscura declarentur. Hæc nostra vota, multo autem magis Martinovii, cui jam locum facimus.

PROLEGOMENA JOANNIS MARTINOVII

DE

FONTIBUS ANNI ECCLESIASTICI GRÆCO-SLAVICI.

Ad hoc tentamen conficiendum adhibiti sunt libri Slavici,

Quum ipsimet Bollandiani in præmisso Monito lectorem docuerint quibus incitamentis ad præsentem lucubrationem faciendam devenerim, quæ mihi proposuerim consilia et qua incedere via statuerim, me liberarunt ingrato præfandi onere. Id tamen repetere velim scriptionem meam tentamen esse, nequaquam perfectum opus; ad quod plane mihi defuerunt necessaria subsidia. Quibus autem hæc patent (et quidem populares mei, quibus in exilio vivere necessaria lex non est, Petropoli et Mosquæ hac fausta fortuna fruuntur), quibus itaque auxilia illa denegata non sunt, ii mihi succedere velint et quæ conatus sum perficere. Quo voto nullum apud me est ardentius. Superest autem ut hoc loco monumenta, quibus usus sum, quantum fieri potest, ordine disponam et qualia sint describam.

quorum origo partim Constantinopoli, partim in Palæstina fuit,

2. Porro, ut codices Græci, sacri et liturgici, familiarum Palæstinensis et Constantinopolitanæ inter Slavos omnium sunt frequentissimi, sic quoque libri liturgici Slavici, quum ad illos compositi aut correcti fuerint, maxime apud eosdem invaluerunt. Initio quidem nil habebant Slavi nisi quod Constantinopolitanum esset; sed, quum Typicum Hierosolymitanum S. Sabæ in montem Atho devenerat et brevi temporis spatio Athonensium scriptorum diligentia per universas patriarchatus Constantinopolitani partes sparsum fuerat, et passim, partim saltem, admissum; fieri non poterat (maxime quod in sacro monte semper degerint Serbi, Bulgari aliique Slavi, adeoque Russi a tempore Jaroslai monasterium sibi proprium ibidem habuerint), ut Hierosolymitani ritus aliquot, quo referas festa sanctorum, in Slavicas provincias non penetrarent. Factum id maxime sæculo XIV, immo XV, Cypriano metropolita Kioviensi, natione Serbo; quo sedente, magnus codicum numerus ex monte Atho in Russiam delatus est et per librarios propagatus; neque cessavit deinceps mutuum inter Kioviam et montem Atho commercium. Nil itaque mirum, ut unico exemplo contentus sim, si inter Typicum Chilandariense et Kalendarium Bibliorum Ostrogensium summa appareat concordia seu similitudo. Verumtamen non ex monte Atho profecti sunt antiquissimi codices Slavici liturgici, sed potius ex Bulgaria, quo ritum Constantinopolitanum, Slavice versum, SS. Cyrillus et Methodius sæculo IX invexerant et ubi sæculo X literaria studia florebant omnium maxime; unde dein transierunt in Russiam. Neque illæ solæ fuerunt varietatum scaturigines et causæ; quarum tamen indagatio plena atque perfecta ne tentari quidem nunc potest, quoniam nondum sat multi codices veteres innotuerunt.

et qui dividi possunt in quatuor familias.

3. Sed si fontes nondum omnes aperti sint, manifesti tamen jam sunt complures rivi, qui ad certos quasi fluvios pertineant et singuli certam majorum convallium declivitatem sequi videantur. Codices scilicet intelligo, qui, licet sæpe uni ab alteris descripti non fuerint, communibus tamen affectionibus fuerunt obnoxii; unde eis insit similitudo quædam, quæ quasi cognatio est: et quidem vera cognatio hæc dicenda est, quando apographa, quamvis correcta, aucta aut minuta, versamus. Neque hactenus licet aliam vim accuratioremque significatum vocabulo *familiæ* tribuere, si id ad libros liturgicos Slavicos et maxime ad synaxaria transferatur. Quod quum ordinis claritatisque gratia faciendum sit, indicandæ mihi visæ sunt sequentes familiæ.

I Bulgarica, cui adscribantur a) Kalendarium Vaticanum glagoliticum seu Assemanianum, b) Zographiense glagoliticum, c) Ternobiense, d) Suprasliense, e) Parisinum I, III et VIII.

II Russica, quæ dividenda videtur in Novgorodensem, Kioviensem et Mosquensem. — 1) Ad *Novgorodensem* autem, quæ omnium antiquissima est et locupletissima, quoniam eo usque non penetrarunt sævæ Mongolorum turmæ, referenda sunt a) Kalendarium Ostromiranum, b) Novgorodense I, seu Putiatianum, de quo unus mensis Majus superest, c) Mstislaviense, d) Arcadianum, e) Novgorsdense II et III, d) Rumiantsovianum, e) Menæa quædam Petropolitana, f) Parisinum IV. 2) *Kiovtensi*, quæ nonnisi recentiores fere codices capit (si excipias Patericon Cryptense) quoniam sæpius illic grassati sunt Tartari, tribui possunt, a) Ostrogenses fasti, descripti ab Assemano et Dobrowskio, b) Ephemerides effigiatæ Papebrochii, c) plura Kalendariorum apographa, quæ P. David, Societatis Jesu, Mosquæ missionarius, manu sua procuravit et ad Bollandianos olim misit. Kioviensis quasi filia est Leopolitana, etiam recens et eosdem habens libros liturgicos; quos Ignatius Kulčinskius in conscribendo Specimine ecclesiæ Ruthenicæ adhibuit; maxime Horologium Leopolitanum et Počajovense, cujus duplicem editionem nos præ oculis habuimus. 3) *Mosquensis*, quoniam ad communem usum typographica arte maxime propagata

est, *vulgata* dicenda foret, nisi ad tam splendidum nomen promerendum majus necessarium esset studium et scientia. Huc autem refer Menæa mensualia, typis excusa, Prologum seu rectius Menologium parvum et Menologium Demetrii Rostoviensis; non quod Mosqua originem suam traxerint, sed quia Mosquensibus typis excusa sunt exemplaria, in hoc opere passim citata. His addendæ Tabulæ Capponianæ.

III SERBICA, quæ continet a) Kalendarium Sišatovacense, c) Typicon Chilandariense, d) Parisinum VI et VII; et alia quam plurima in bibliothecis passim servata.

IV) VALACHICA, quæ tamen cum Kioviensi plane convenire videtur, si judicium ferendum sit ex Menæis februarii bibliothecæ Ossolinianæ, anno 1492 scriptis, et ex Kalendario anni 1801.

Illis adde multos libros græcos.

4. Verum non his solum usus sum codicibus, sed aliis nonnullis, quos suo loco describam. Quibus adde bene multos Græcos, quorum antesignanus fere est Menologium Basilii. Sed de his jam peculiarius agendum. Quare prodeant nunc ordine singuli codices, prius Græci, dein Slavici.

Græcorum Kalendariorum delineatio.

5. De Kalendariis acturos, quibus in Anno Ecclesiastico passim et fere ad singulos dies usi sumus, res ipsa monet a fastis Græcorum exordium ducendum esse; quum ex his originem suam trahant primæva Kalendaria Slavonica. Experientia enim magistra, sæpenumero interpretatio Slavica tam parum accurata est tamve insolita, ut nonnisi, considerato exemplari unde descripta fuit, intelligi queat. Accedit quod Græca Kalendaria, licet viris harum rerum curiosis minime ignota sint, utpote typis jamdudum, etsi non omnia, vulgata, nuspiam tamen leguntur in unum volumen simul collecta, sicuti fit in præsenti opere; sed in libris plerumque rarissimis delitescunt; quæ proin hic in unum agmen coacta simul prodire gratum speramus fore lectori sacrarum antiquitatum studioso. Præterea siquis integram Kalendariorum sive Græcorum, sive Slavicorum Syllogen adhuc desideratam singulari volumine moliatur, quanto planiorem sibi viam reperiet? Cæterum tota ista de Græcis Kalendariis tractatio breviter expedienda est, utpote erudito lectori minus ignota.

Menologium Basilianum, ad finem sæculi X scriptum.

6. Et vero inter Synaxaria Ecclesiæ græcæ selectiora, quæ numero plus viginti passim usurpavimus, principem locum sibi vindicat Menologium jussu Basilii imperatoris exaratum, tum quod antiquissimum est, tum quod rerum abundantia et auctoritate reliquis præstat; siquidem non privato alicujus arbitrio confectum est, sed ad publicum ecclesiarum Constantinopolitanarum usum. Scriptum autem fuit jubente, non Basilio Macedone, qui imperium tenuit ab anno 867 ad annum 886; (nam ad 17 decembris fit illic *commemoratio B. Theophanon, uxoris Leonis, imperatoris*, anno 894 vita functæ;) sed Basilio II Porphyrogenito, qui imperavit toto fere sæculo posterius, ab anno scilicet 976 ad annum 1025, atque ob immensas clades Bulgarorum genti illatas Bulgaroctoni cognomen accepit. Scriptum itaque est tempore quo fidem Christi in Russiam primo invexit S. Vladimirus, sacra unda tinctus anno 988; adeoque potuit ex apographis innotescere Kioviæ saltem sæculo XI, uti certo innotuit sæculo proxime sequenti. Jam vero prius Menologii semestre, elegantissimo charactere exaratum, de quo plura Allatius in *Dissertatione de libris ecclesiasticis Græcorum*, cap. 12, adservatur in Musæo Vaticano. Alteram semestris partem, a mense nempe martii ad augustum invenit cardinalis Albanius, postea assumpto Clementis XI nomine summus pontifex, in monasterio Basiliano Cryptæ-Ferratæ in Latio; *non quidem*, ut aiunt Bollandiani, *pari characterum elegantia et picturarum ad singulas paginas deliciis exornatam (qualem in Vaticano esse vidimus), sed antiquitate et fide nihilo inferiorem, eumdemque Basilii imperatoris titulum præferentem; ut hanc Vaticanæ illius partis si non germanam alteram, ab eadem manu velut utero prognatam, certe genuinam ex parte atque auctore eodem tum cæteris indiciis, tum styli perfectissima similitudine nihil hæsitantes crederemus.* (Act. SS., tom. I Martii pag. 861). Quam idcirco in opere suo ad singulos menses, incipiendo a martio, græce vulgare instituerunt; et vulgassent integram nisi utramque partem græce et latine, typis Urbinatensibus juris publici fecisset Josephus Simonius Assemanus, Benedicto XIII summo pontifici dicatam, anno 1727. Quum autem in codice Cryptæ-Ferratæ, avulsis ob codicis vetustatem foliis, dies aliquot desiderentur, nimirum junii 9, 10 et 11, augusti 4, 13, 14, 28, 29, 30 et 31, eos ex Menæis Græcorum excusis descriptos et latinitate donatos adjecit editor. Ad hoc itaque celebratissimum sacræ antiquitatis monumentum cætera omnia synaxaria sive slavica sive græca revocare consultum visum est; in eoque fideliter referendo eo major diligentia adhibita, quod Menologiis hujusmodi slavicis, minus accurate Prologis dictis, ad instar exemplaris præluxisse, saltem in sex prioribus anni mensibus, a septembri ad martium, a viris fide dignis dicatur. An vero idem intelligendum sit de altero semestri, equidem antiquorum Prologorum copia destitutus, aliis me hac parte felicioribus relinquo definiendum. Illud tamen statui potest, Kalendario Ostromirano aliud a Basiliano exemplar præluxisse, ut cuivis alterum cum altero conferenti facile innotescet; imo sunt qui dicant Menologium istud ante sæc. XII Russis mansisse ignotum; ea forsan ratione ducti, quod antiquissima Prologorum seu Menologiorum slavicorum exemplaria XII sæculum vix attingant, nedum superent.

Constantinopolitanum scriptum ante medium sæculum VIII.

7. *Constantinopolitanæ Ecclesiæ Kalendarium*, a Ven. V. Morcellio Romæ editum anno 1788 et diurnis commentariis illustratum, nimis notum est, quam ut in eo describendo diutius inhæream. Est autem omnium Græcorum Kalendariorum quæ hactenus innotuerint antiquissimum; quippe quod ante medium sæculum octavum exaratum fuit, ut fusius disputat cl. Morcellius in præfatione,

præfatione, pag. 10; quod proinde Menologium Basilianum duobus sæculis et amplius ætate superat. Kalendarium istud ad Ecclesiam CPolitanam pertinuisse ex multis argumentis demonstratur; non tamen ad Magnam ecclesiam seu templum Sophianum; *sed*, juxta Morcellium, *unum ex iis esse quæ communia habebantur; quemadmodum apud nos quoque alia eduntur quibus plerique utantur, alia quædam ad certos cœtus ac certa collegia pertinent* (tom. I, pag. 280).

Neapolitanum marmoreum sculptum medio sæculo IX.

8. Inter duo Kalendaria modo laudata medium quasi locum tenet Kalendarium Neapolitanum, non in membranis aut charta, ut cætera, descriptum, sed marmori post octingentesimum annum Christi, ac medio fere sæculo nono insculptum. Cujus editiones enumeratas reperiet lector in Elencho auctorum ad finem hujus proœmii, ad siglas *Neap.*; unde etiam amplior ejus notitia petenda est. Quod Kalendarium, ut reliqua latina, nequaquam a nobis seponi potuit. Licet enim latinos mores sæpenumero sequatur atque, si ita loqui fas est, latinizet; tamen permulta etiam refert, quæ Græcorum potius quam Latinorum sacris usibus accommodata sint; ut utriusque ecclesiæ, æque cæterum catholicæ, commodis consuluisse videatur; maxime quum constet Græcum ritum in ecclesia Neapolitana olim viguisse.

Hierosolymitanum et Calipolitanum, scripta circa annum 1000.

9. Basiliano Menologio coævum fere est utrumque Kalendarium, in lucem productum a Ven. V. Augustino Scholzio. Horum alterum seu Hierosolymitanum, quod legitur ad finem codicis Evangeliorum bibl. Paris. signati 53, scriptum est a Daniele quodam, qui Hierosolymis in Monte Sancto habitavit; alterum seu Calipolitanum habetur in fine codicis ejusdem bibl. signati 79. Prius inde a 6 julii mutilus est. Utrumque typus vulgavit Scholzius tum seorsim in opusculo cui titulus: *De Menologiis duorum cod. græcorum bibl. regiæ Parisinæ commentatio*, Bonnæ, 1823, tum ad finem prioris tomi Novi Testamenti. Illud unice in memoriam lectoris revocasse sufficiat, Hierosolymitanum Kalendarium, licet in multis conveniat cum Ephemeridibus Græcorum vulgaribus, diesque festos indicet, quos soli Constantinopolitani celebrare solebant, plures tamen discrepantias intercedere. *Nam*, ut ait Scholzius, qui totam hanc rem penitus discussit, *non solum magna in eo est dissensio dierum, in quibus sancti vel res memoratu dignæ commemorantur, sed etiam in sanctis ipsis atque in diebus festis. Sic Theophanes, auctor canonum, et Theophania, regina*, 10 *octobris*, *Artemidorus* 27 *octobris*, *Cæcilia* 22 *novembris*, *Eubiota* 18 *decembris*, *Epephra* 8 *aprilis*, *Cophri* 9 *aprilis*, *Sebastiana* 3 *maii*, *Aphrodisius* 4 *maii in hoc solo memorantur*. Ad hæc, sancti Constantinopolitani aliique plurimi sæculi XI prætermittuntur; rarius vero Palæstinenses. Præterea dies festi nonnulli memorantur, qui ab Hierosolymitanis solis semper celebrati sunt. Unde conficitur Kalendarium hoc usui fuisse ecclesiæ Hierosolymitanæ, uti Calipolitanæ inserviisse alterum ex similibus argumentis collegit idem Scholzius. Quamvis enim cum Fastis Constantinopolitanis plerumque concordet, in nonnullis tamen ab eis recedit, ut in ecclesiis particularibus, propter consuetudines cuique proprias, solet contingere.

Coislinianum et Parisinum.

10. Præter duo illa Kalendaria præstantissima vulgavit idem Scholzius in fine tomi secundi Novi Testamenti aliud Kalendarium ex cod. 205 bibl. Coislinianæ descriptum et perpetua collatione cum quinque aliis auctum: quorum primum erutum est ex cod. 199 Coisl. pervetusto, reliqui vero ex codd. bibl. reg. Parisinæ signatis nn. 47, 57, 112, 125 et 164. Duo priora indicantur in opere meo siglis *Coisl.*; cæteri vocantur communi vocabulo *Parisini Græci*, et compendiosius siglis *Pg.* Synaxaria hæc omnia integra sunt; sed diversæ ætatis, nimirum Coisl. 205 refertur ad an. 1079; Coisl. 199 ad sæc. XII, reliqui Parisini ad sæc. XIV vel XV, uti enucleatius rem declaravit Scholzius, loco citato pag. 456; ubi sermonem instituit *de Synaxariis et Menologiis quæ reperiuntur in codicibus Parisiensibus Actuum et Epistolarum*.

Nanianum sæc. X et XI.

11. Nanianum Kalendarium subministrarunt duo codices Naniani, signati CLXIV et CLXVI, quos ven. vir Mingharellius designavit in Catalogo Naniano græco his verbis: COD. CLXIV *membranaceus, in-folio, mutilus initio et in fine, constans foliis* 78, *scriptus literis quas unciales vocant*, sæculo x. Continet lectiones evangelicas, et a folio 29 Kalendarium, incipiendo a septembri; cujus tres ultimi menses desiderantur. Plurimum convenit cum Florentino primo seu n. XVIII, ejusdem sæculi, de quo dicetur inferius. Alter seu CLXVI, *membraneus in-folio*, *sæc.* XI, *magni faciendus*, *constans quaternionibus* 38 et reliqua. Continet Evangelia pro singulis per annum hebdomadis; quin et ea quæ omnibus diebus legenda sunt, et notas musicas; a folio autem 249 incipit Kalendarium, ex quo Mingharellius ea duntaxat protulit, quæ in Hemerologio Venetiano anni 1764 adnotata non invenit. Utilissimus nobis fuit uterque.

Lindebrogianum scriptum post annum 944.

12. Magno usui item fuit in conscribendo Anno Græco-Slavico codex magnam partem a Papebrochio conscriptus et collectus, olim Bollandianus, nunc bibl. publicæ Bruxellensis, ubi notatus est num. 11322-26; ex quo deprompsi sequentia Kalendaria: 1° Lindebrogianum, a fol. 1 ad 15. Est vetus Menologium designans insigniora totius anni festa et proprias cuique ex Evangelio et Apostolo lectiones; quod alicujus ecclesiæ Constantinopolitanæ fuisse demonstrant festa soli huic urbi propria, etiam recentiora; in cæteris autem partibus ipsum antiquissimum esse duxerunt Bollandiani, Act. SS. April. II, pag. 67; non tamen sæculo decimo vetustius, siquidem 16 Augusti meminit imaginis acheropiitæ, Edessa CPolim allatæ, anno 944.

Crypto-Ferratense.

Venit ibidem dein Crypto-Ferratense, a folio 36, continens fragmentum Menæi imperfecti a Martio ad 14 Aprilis.

Taurinense utrumque.

Taurinensia duo, signata in codice α et 6, apud me 1 et 2, pariter non integra sunt; nam prius incipit tantummodo a 15 Martii, posterius 29 Martii; desinunt vero ad 31 Augusti.

31 Augusti. Conveniunt autem cum Menæis Mediolanensibus, signatis O, 148, de quibus modo. Neutrum legi in catalogo codd. biblioth. Taurinensis, quem adornavit Josephus Pasinus. Quæ sequuntur Mediolanensia Kalendaria seu Menæa ex bibl. Ambrosiana, numero plura sunt, atque fol. 162 verso ita breviter delineantur : Primum signatum N 103 *in-fol.* continens Μαρτυρολόγιον *seu Menologium. Codex perantiquus et optimus ex Calabria advectus anno* 1606. *A* 1 *die Octobris usque ad* 4 *Februarii.* Secundum, notatum O 148 *in-fol.* continet *Menæa a* 9 *Novembris usque ad* 17 *Augusti.* Tertium, N. 178, (non autem 378, ut erronee signatur in codice) *in-fol.* complectitur *Menæa valde antiqua a* 3 *Septembris usque ad* 31 *Augusti; sed folia hinc inde desunt.* Quartum, N 153, *in-fol. Codex valde antiquus Corcyræ emptus, a* 21 *Octobris usque ad finem Decembris.* Quintum, T n° 364, *in-4° a* 29 *Septembris ad* 20 *Junii,* adeoque initio et fine mutilum. Sextum, V n° 378, *in-4°. Est integer December cum odis, carminibus et elogiis.* Septimum signatum V n° 393, *in-4° a* 6 *Septembris usque ad* 3 *Martii, convenit fere cum* primo seu N 103. Alibi, fol. 64 verso, dicitur pervetustus, Crotonæ emptus. His addendum octavum, in-4°, notatum T n° 178 et continens mensem Octobrem; de quo agitur folio 54; nonum, in-4° quod signatur T n° 219 et continet mensem Novembrem, ut patet ex folio 66, ubi leguntur ejus fragmenta. Kalendarium, confectum ex his novem codicibus perpetuo inter se collatis, legitur folio 158 et sequentibus ; excerpta vero sive sanctorum elogia referuntur a folio 40 ad folium 68, non quidem integra, sed quatenus supplementa sunt Menæorum impressorum. — Hæc excipit

Sirmundianum et Chiffletianum.

pretiosissimum æque ac notissimum Synaxarium Sirmundianum seu collegii Claromontani Patrum soc. Jesu, quod fuit P. Sirmundi, venerandæ antiquitatis codex membranaceus, unum alterumve et sæpe plures sanctos singulis diebus per totum annum referens absque distichis. Accedunt excerpta ex Menæis Chiffletii chartaceis, sex tantum menses continentibus a Martio ad Septembrem, cum singulis distichis pro singulis sanctis a fol. 70 ad fol. 126; cum supplemento ad Synaxarium Sirmundianum a fol. 130 ad fol. 136. Ipsa vero sanctorum nomina, uti passim in Kalendariis referri solent, ex Menologio Chiffletiano deprompta habentur fol. 163 et sequentibus; quod tamen, foliis ad invicem post madefactionem inseparabiliter agglutinatis, multis in locis legi non potuit; ut notatur ibidem in proœmio. Sirmundianis adnumeratur in opere nostro etiam Kalendarium, ex Menæis anonymis depromptum, a 17 Augusti ad 9 Maii, de

Mazarinæa.

quo codex fol. 136 et seq. — Kalendaria Mazarinæa, id est ex Menæis Mazarini descripta, sunt numero tria; primum, ex quo fol. 148 exhibentur excerpta pro solo mense Julio, in cæteris omnibus fere convenit cum Chiffletiano. Secundum, a 20 Martii ad 19 Augusti, concordat plerumque cum Dominicano primo; de quo dicetur modo. Tertium, antiquissimum, continet pauca pro Septembri, Octobri, Martio et Julio. De his in cod. Bruxellensi agitur a fol. 148 ad

Dominicanum.

150. — Nomine Dominicani Kalendarii veniunt excerpta ex Menæis mss, olim conventus S. Ludovici PP. Prædicatorum Parisiis, a mense Martio ad Septembrem; et ex aliis Menæis bibl. S. Marci patrum Dominicanorum, Florentiæ, pro mensibus Aprili et Majo tantum. De his agitur fol. 150-155. Demum compendioso titulo *Agan* seu *Agann* notatur quoddam Kalendarium seu Menæum mihi ignotum, ad paucos dies; quos hic accurate describendos esse visum est. Itaque in variantibus ad Menæa excusa lectionibus, de quibus dicetur modo, ad 3 Septembris ex cod. *Agan*, refertur S. Stephanus abbas et confes., Constantinus Junior, imper. et Archontion ep. Ad 31 Octobr. puer mart., et 12 puellæ suspensæ; SS. MM. Seleucus et Stratonica. Ad 1 Nov. Cyprianus et Juliania; ad 11 Nov. Leo patr. CP. et Flavianus; ad 12, Arsacius; ad 22, S. Maximus Capiclanius, Zacharias in mari, et Procopius; ad diem 24, S. Chrysogonus, S. Rufus, in pace mortuus, et Mara Triglini. Plura ex Agan codice citata non inveni.

Florentina.

13. Kalendaria Florentina suppeditarunt quinque codices Bibl. Mediceæ Laurentianæ; quorum amplam notitiam dedit Aug. Mar. Bandinius in præclaro catalogo codd. mss. hujus thesauri, typis Cæsareis Florentiæ excuso, anno 1764. De quibus hæc pauca inde delibare liceat, ut quæ scripta in opere nostro simul conjuncta atque communi compendio *Flor.* comprehensa passim citantur, jam hic accuratius, aliud ab alio secernantur. Maximas itaque partes in Kalendariis istis obtinet synaxarium cod. Evangeliorum signati XVIII, membranacei, perspicue et eleganter exarati sæculo x. Est enim reliquorum omnium, quæ in aliis hujus bibliothecæ codicibus legantur, plenissimum; licet pluribus diebus mutilum sit, puta 6 et 8 Februarii, 2, 14, 16, 20, 21, 23, 24, 26, 28, 29 et 31 Martii, aliisque quæ hic exscribere supersedeo. — Secundum Kalendarium continetur in Codice membranaceo Novi Testamenti, signato XXVII, sæculi XII; legitur, ut sæpe usuvenit, initio voluminis, præeunte Synaxario seu Indiculo lectionum Evangelicarum sive pericoparum. A priore identidem discrepat, ut testatur Bandinius, qui idcirco integrum excudendum curavit; omisso altero kalendario, quod in eodem codice XXVII ad pag. 346 obvium est, sequentem præferens titulum : *Delectus comprendiarius* (Ἐκλογάδιον) *cum Deo insigniorum sanctorum totius anni.* Atque hæc duo, ut dixi, ex integro recusa legere est apud Bandinium, pag. 130 et 154. Ex reliquis vero tribus, nempe codd. XXXIV, XIV et XXIV, ea tantum exhibentur, in quibus a duobus prioribus aliquid discriminis intercedat. Sunt enim codices isti diversa ætate conscripti, et quidem cod. XXXIV, continens Evangelia, exaratus est sæculo XI; cod. XXIV quatuor Evangeliorum, sæculo XIII; ultimus denique seu XIV scriptus fuit sæculo XIII, sed synaxarium, recentius adjectum, præfert annum 1418. Demum omnia qninque integrum annum complectuntur.

14. Vindobonense

Vindobonense. 14 Vindobonense Kalendarium deprompsi ex codice mss. foliorum 67 in 4°, quem socii Bollandiani, dum Bruxellis opus meum conscriberem, compararunt, typis jamjam paratum, et forsan juris publici reapse factum. In ultimo enim folio legitur solita censoris formula : *Imprimatur*, I et II fasciculus, die 29 Novembris anno 1825 apposita a Sartorio censore; in secundo autem folio legitur : SYNAXARIUM *Evangeliarii et Menologii codici Byzantino præmissum. E codice Vindobonensi descripsit Stephanus Endlicher. Examen criticum, fasciculus secundus.* — Priorem codicis partem a pag. 1 ad 57 occupat synaxarium lectionum Evangelicarum juxta ritum ecclesiæ orientalis incipiendo a dominica Paschatis. Posterior a pag. 57 ad pag. 103 continet synaxarium sanctorum, incipiens a septembri; sequuntur lectiones evangelicæ communes; pag. vero 111 texitur *Index sanctorum et dierum festorum qui in Menologio codicis Byzantini commemorantur.* De Kalendario dixisse sufficiat, illud cum aliis Constantinopolitanis, verbi gratia Saxo-Gothano, quod edidit Matthæi, maxime convenire; nec quidquam peculiare offerre. Jam vero inquirenti mihi, quisnam sit ille codex bibliothecæ Cæsareæ, non alius occurrit præter quam ille, quem in prolegomenis ad Novum Testamentum, tom. I, pag LXIII, Aug. Scholzius recenset sub numero 124 his verbis : *Cæsaræus Vindobonensis Nessel.* 188, *Lambecii* 31, *olim Leontis cujusdam, codex memor. in* 4° *sæc.* XII, *continet evangelia cum canonibus Eusebianis et synaxariis; ad familiam accedit alexandrinam, sed habet etiam nonnullas lectiones singulares* et reliqua. Lambecius vero, Commentariorum de bibl. Cæsarea t. 3, pag. 126, postquam eum pervetustum nominaverat et optimæ notæ, ac ex 188 foliis constantem dixerat, hæc addit : *Continentur eo quatuor Evangelia tanto studio scripta, ut in fine cujusque Evangelii non tantum adnotatum sit, quot* VERSUS *unumquodque comprehendat, verum etiam quot* VERBA... *Post quatuor autem Evangelia exstat in eodem Codice Ephemeris sive Calendarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quo recensentur lectiones Evangelicæ singulis cujusque mensis diebus assignatæ una cum nominibus Sanctorum, quorum memoria quotannis celebratur.* Hactenus Lambecius. Cujus testimonium an recte adduxerimus, revera nescimus, quum divinando arbitrati simus codicem nostrum a Lambeciano 31 aut Scholziano 124 alium non esse.

Typica Athonensia. 15 Typicorum Athonensium nomine veniunt ea quæ Spicilegii Solesmensis tomo IV, pag. 445 et seq., evulgavit vir sacrarum antiquitatum bene peritus, J. B. Pitra, nuper in purpuratorum patrum collegium adlectus. Eruta sunt e cod. Coisl. n° 37, 36 et Paris. 2500; nec videntur ante sæculum XIV fuisse exarata, licet ex antigraphis longe antiquioribus fuerint descripta. Continent autem duntaxat festa totius anni selectiora; et quidem in primo typico in tres classes distincta, majora, media et minora, in quibus scilicet præscribebatur monachis Athonensibus ab operibus vacare et jejunium solvere. Secundum, paulo contractius, est indiculus dierum, in quibus vel monachis vel mercenariis vel utrisque simul ab operibus erat abstinendum. Tertio et quarto continentur festa, majora et minora, quæ obtinebant tum apud Studitas, tum Hierosolymis; et quidem Studiensia omnia consignata sunt multo accuratius quam Hierosolymitana, uti testatur scriptor incertus Athonita in proœmio. A quo illud etiam discimus, non admodum inter se convenire ea quæ in adjectis typicis ordinantur festa; sed sæpenumero quæ in uno reperiantur libro, ea in altero desiderari; variasque in singulis locis vigere consuetudines in celebrandis sanctorum festis, sive majora sint illa, sive minora. Argumento sunto duo ultima typicorum compendia, in quibus nec eadem semper festa, nec eodem gradu solemnitatis referuntur; sed quæ in uno desunt, ea supplentur ab altero. Cæterum omnino concordant sive cum Kalendario Hierosolymitano sæculi x Scholziano sive cum Typico Chilandariensi anni 1331; de quo dicetur infra. Excipiatur solus dies 13 Decembris, ad quem in Typico III, seu Studitarum et Hierosolymitanorum, præter S. Eustratium refertur S. Ignatius, sane ep. Antiochenus et martyr, qui in cæteris omnibus commemorari solet ad 20 Decembris.

Saxo-Gothanum sæculi XI et Mosquense. 16 Kalendarium Gothanum seu Saxo-Gothanum nuncupatum est a serenissimo duce Saxo-Gothano, ex cujus bibliotheca edidit suum Vetustum Ecclesiæ, ut videtur, Constantinopolitanæ Evangeliarium cl. Matthæi, Lipsiæ, 1791. Codicem, ac proinde Kalendarium, ad finem Lectionarii adjectum, retulit Matthæi ad sæculum XI. Convenit plerumque cum Kalendario Mosquensi, quod ad finem Novi Testamenti græce ex codicibus præsertim Mosquensibus, t. I, vulgavit idem Matthæi, Lipsiæ, anno 1803. Neutrum integrum est.

Sirletianum. 17 De Sirletiano Menologio, quod in Thesauro Monument. eccles. tom. III edidit Canisius, non est cur plura disseram, quum notissimum sit. Illud tantum adnotabo hoc Menologium græce non exstare, sed ex Menæis tum mss., tum editis excerptum esse (ut ait Papebrochius pluribus in locis) et quidem levi opera.

Maximus Margunius. 18 Mihi parum profuit; multoque minus liber Maximi Margunii, Cytherorum episcopi, qui omnia sua ex editione Menæorum Veneta anni 1595 et seq. mutuatus est et lingua vulgari donavit.

Menæa excusa. 19 Menæorum vero Græcorum utramque editionem diligenter, perpetua collatione adhibita, examinavi; idque eo majori cura, quod slavonica Menæa magna ex parte ad eorum normam composita sint et ordinata. Licet enim in codice Bruxellensi, superius laudato, exstet index, a Papebrochio ad usum suum olim confectus ac cum cæteris Menæis mss. quæ supra descripsi, perpetuo collatus, is tamen mihi haudquaquam suffícere potuit, quum inter antiquam editio-

nem Venetam, qua olim Bollandiani utebantur, et recentiorem anno 1843 editam, non parva discrepantia intercedat.

Siberus. 20 Kalendarium metricum Siberi, quum ex omnigenis Menæis tam excusis quam mss. collectum sit, prætermittendum non erat; quemadmodum nec Martyrologium in usum monachorum ordinis S. Basilii, Romæ editum anno 1848, et Martyrologio Romano ejusdem anni adnexum.

Martyrologium Basilianum Italo-Græcum. 21 Licet enim insigniter latinizet, quandoque tamen scitu utilia exhibet, et quæ Orientalium aures erigere queant. Festa insuper quædam continet solis catholicis ritus slavici propria, ut verbi gratia festum B. Josaphati, archiepiscopi Polocensis et martyris. Græcis autem illis fontibus succedant jam Slavici rivi.

Codicis Ostromirani, anno 1056 scripti, amplior notitia. 22 Porro celeberrimum Ostromiranum Evangeliarium, typis expensisque Academiæ Petropolitanæ splendide, ut decebat, excusum, publici juris fecit anno 1843 Alexander Vostokov, vir in slavicis, si quis unquam, summe peritus. Textui slavonico, quod exemplaris sui characteres oculis exhibet quam simillimos atque ad vivum repræsentat, adjectus est textus Evangeliorum græcus; præterea regulæ grammaticæ et vocabularium ex codice eruta. In fine voluminis, in epilogo, legitur nomen scriptoris Gregorii diaconi; qui, præter alia, dicit se scripsisse hoc Evangelium incipiendo a 21 Octobris anni 6564 ad 12 Maii, S. Epiphanio sacrum, anni 6565, in usum Josephi Ostromiri, præfecti Novgorodensis, et propinqui Iziaslai, magni ducis Kioviensis. Unde colligimus sequentia : imprimis quidem codicem fuisse descriptum ex alio vetustiore, ut putatur, bulgarico secundo, et quidem anno 1056-1057, septem scilicet mensium circiter spatio, nempe a 21 octobris anni 1056 ad 12 Maii anni 1057, ordiendo scilicet annum a mense martio, non septembri; nam secus laborasset Gregorius menses novemdecim, quod pro voluminis mole parum probabile videtur; scripsisset enim a 21 octobris anni 6564 seu 1056 ad primam septembris anni 6565 seu 1057, et insuper a prima septembris anni 1057 ad 12 maii ejusdem anni. Unde manifestum est solitum fuisse Gregorium computare annos non solum a mense septembri, verum etiam, pro civili maxime usu, a mense martio; qui duplex computandi modus in chronologicis apprime observandus est. Ex epilogo illo Gregorii sequitur insuper festum sancti Epiphanii, quod illic indicatur, celebratum esse 12 Maii, adeoque addendum Kalendario Ostromirano, in quo ad hanc diem omissum est, ut tot alia festa ad alios dies ; quod in ejusmodi eclogadiis sæpissime fieri solet. Nimirum continet hoc volumen Lectiones evangelicas per anni circulum, juxta ritum Ecclesiæ græcæ, incipiendo a Dominica Paschatis usque ad Sabbatum sanctum. Subjungitur Kalendarium sanctorum a mense septembri ad finem augusti. Demum evangelia quædam in quibusdam diebus festis legenda. Et vero dictum Kalendarium est omnium quæ hactenus innotuerunt tempore antiquissimum; eoque pluris ducendum quod certum annum, quo exaratus est, præseferat, licet non sit completum. Re quidem vera ad finem codicis Remensis, de quo fusius alibi dicetur, legimus eum exaratum fuisse ab ipsomet S. Procopio, abbate Sazaviensi, qui e vivis secessit anno 1053, adeoque codici Ostromirano saltem aliquot annis esse antiquiorem; verum tantæ antiquitatis characteres haudquaquam præfert codex ille Sazavo-Remensis, nec qua cyrillianis literis scriptus est, nec qua glagoliticis. Si autem orthographiam spectes et verborum structuram ac nasalium sonorum diligentem observantiam, Ostromirano omnino postponatur oportet; qui hac ex parte nullum sibi habet secundum; et tam perfectus est ut juxta quosdam quam proxime accedat ad genuinum illum ac primogenium sacrorum librorum textum, qualis ab ipsismet SS. Cyrillo et Methodio ejusve discipulis fuerit adornatus. Latuit porro codex Ostromiranus usque ad an. 1806, quo casu inventus est in cubiculo Catharinæ II imperatricis demortuæ. Quam inventionem eodem ipso anno juris publici fecit in suo Lyceo, t. II, l. I, p. 101, Joannes Martynov, de literis russicis et græcis bene meritus. A quonam aut quando imperatrici fuerit oblatum, non liquet; illud tamen constat, antequam in imperatorum palatium devenerit, asservatum fuisse in S. Sophiæ Novgorodiæ, ut testatur inscriptio initio codicis adjecta sæculo XI. Nunc ornamento est bibl. publicæ Petropolitanæ. De hoc pignore palæoslovenico scripserunt bene multi; lectu dignissima sunt ea quæ disseruit cl. Fr. Miklosich in opere periodico : Jahrbücher der Literatur, 1847, n. 169, p. 1-39.

Codex Vaticanus glagoliticus seu Assemanianus, sæculo XI scriptus. 23 Tres codices Slavicos citabimus ex bibliotheca Vaticana, kalendariis ornatos. Omnium celeberrimus æque ac vetustissimus est codex glagoliticis literis sæculo XI exaratus, quem Hierosolymis Romam advexit Josephus Assemanus anno 1736. Est liber Evangelistarium dictus, seu Evangelium eclogadium, continens lectiones evangelicas per anni decursum, juxta ritum ecclesiæ Græco-Slavicæ, incipiendo a dominica Resurrectionis ad sabbatum sanctum, ordine in Typico Græcorum diebus dominicis et Sabbatis præscripto. — Sequitur Kalendarium sanctorum a mense septembri ad finem augusti; in quo leguntur evangelia præcipuis diebus festis accommodata ; tum lectiones in dominicis ad matutinum et de communi sanctorum. Denique in ultimo folio exstat ratio præparandi se ad celebranda divina mysteria et alia quædam lectu difficilia. Plura de codice hoc scripserunt Caramanus, *Identità della lingua litterale Slava*, § 52; Assemanus, in Kalend. Eccles. univ. passim; Dobrowsky, in Institutionibus linguæ Slavicæ, pag. 688-689; Bobrowky apud Angelum Mai, Script. Vet. nova coll. Romæ 1831, tom. V. pag. 105. Kopitar in Glag. Cloz. pag. IV, X, XXVIII, et in Hesychii discipulo, pag. 39-41; Sreznevski, De antiquis

antiquis liter. palœoslavicæ monumentis disquisitione, p. 6, et in Izvestia Acad. t. X, pag. 160; et potissimum t. III. Schafarik, iu *Pohled na provvck hlahol skeho pisemnictwi.* — A Josepho Dobrovskio, qui cæco præjudicio nullum codicem glagoliticum sæculo XIII antiquiorem unquam admisit, et qui eum sequitur Bobravskius, refertur ad sæculum XIII aut XIV; at meliore jure assignatur XI a Kopitario, Caramano, Schaffarikio, Sreznevskio et cæteris, ea potissimum ratione ductis, quod codicis hujus textus evangelicus proxime accedit ad textum gemelli sui Ostromirani, formasque vocum exhibet antiquissimas, ut fuse prosecutus est Kopitarius in Hesychii discipulo, et fusius declarabitur, ut spero, a viro cl. Francisco Rački in cimelii hujus editione ardenter desiderata. Plura animadvertenda sunt in codice hoc optimæ notæ : imprimis quod, licet literis glagoliticis scriptus sit, tamen in eumdem ordinem modumque redactus est, quo comparati sunt codices cyrilliani. Secundo, quod continet kalendarium glagoliticum pro toto anno; quod in nullo alio codice glagolitico hactenus reperire erat. Nam in codice quatuor Evangeliorum, qui penes Grigorovičium est, nonnisi fragmentum synaxarii superest; Zographiense vere comprehendit tantum quinque menses, idque cyrillianis literis. Tertio, utræque literæ, glagoliticæ scilicet et cyrillianæ, non raro permiscentur: unde utramque scripturam simul exstitisse non immerito concludas. Scriptus est in Macedonia in usum Bulgarorum, ut liquet ex festis ecclesiæ Bulgaræ propriis, quale est SS. Cyrilli et Methodii, Clementis episcopi Velicensis, martyrum Stromnicensium seu Tiberiopolitanorum aliorumque. Apud Assemanum, qui eo plurimum usus est in Kalendariis suis ecclesiæ universæ, vocatur codex *Slavicus;* in præsenti vero opere nuncupatur *Assemanianus,* ut ita dignoscatur a multis aliis Slavicis et maxime a duobus codicibus Vaticanis I et II, cyrilliano charactere conscriptis. Vulgo tamen designatur nomine Vaticani glagolitici, sine alio additamento. Sæpe in eo recensendo dormitasse Assemanum demonstravit Kopitarius in Hesychii discipulo, pag. 40 et seq.; nos tamen, quum adcuratius apographum diu frustra rogaverimus, pretiosum hoc kalendarium ex commentariis Assemanianis eruere fuimus coacti, adhibitis emendationibus Kopitarii. Pertinet itaque hoc Eclogadium ad vetustissima literaturæ palæoslovenicæ monumenta, valetque ad labefactandam opinionem Assemani, docentis a SS. Cyrillo et Methodio invectum fuisse ritum Slavo-Latinum, non Slavo-Græcum.

Kalendarium Putiatianum, sæculi XI.

24 Kalendarium Novgorodense I seu Putiatianum excerptum est ex Menæis maii, quæ asservantur in bibliotheca Sophiana Novgorodiæ. Codex hic perantiquus, foliorum 134, minutis characteribus exaratus a Putiata quodam, refertur ad sæculum XI a cl. Al. Vostokovio, qui eum fuse descripsit in Memoriis Academiæ Petropolitanæ (Učenyia Zapiski) tom. II, pag. 126; et quidem ad sæculi XI initia, imo ad extremum sæculum X eumdem consignat J. Kuprianov in Descriptione codd. membraneorum ejusdem bibliothecæ, pag. 10-12; ajens Putiatam, codicis scriptorem, non alium esse, a celeberrimo homonymo, qui regnante S. Vladimiro, simul cum Dobrynia urbis præfecto, Novgorodenses ad fidem Christianam igne ferroque convertisse dicitur in Chronico Joachimi, episcopi Novgorodensis, anno 1030 vita functi. Quod si daretur, Kalendarium Putiatæ ætate antecelleret ipsummet Evangelium Ostromiranum, annis 1056 et 1057 certo exaratum.

Kalendarium Suprasliense, sæculi XI.

25 Kalendarium Suprasliense erutum est ex codice, quem anno 1851 publici juris fecit cl. Franciscus Miklosič, Vindobonæ, in opere ita inscripto : *Monumenta linguæ palæoslavenicæ e codice Suprasliensi.* Continet hoc volumen Vitas sanctorum, qui celebrantur mense martio, incipiendo a die quarta (tres namque priores desiderantur) ad trigesimam primam; præterea plures homilias S. Joannis Chrysostomi, unam S. Epiphanii et unam Photii, patriarchæ. Est itaque Menæorum volumen singulare. Quod ad ætatem codicis attinet, eum sæculo XI adjudicandum esse, imo in ipsa linguæ palæoslavenicæ patria scriptum omnesque ejusdem sermonis codices literis cyrillicis exaratos ætate antecellere contendit editor, optimus sane judex. Suprasliensis appellatus est, quia servabatur olim in abbatia Basilianorum Suprasliensi prope Bialostokium, in Alba Russia. Plura docebit clar. editor in præfatione.

Kalendarium Petropolitanum, sæculi X aut XI.

26 Petropolitanum Kalendarium ideo nuncupatum est, quia desumptum est ex codice bibl. publicæ Petropolitanæ. Codex iste familiæ Bulgaro-Novgorodensis continet officia sanctorum insigniorum pro mense septembri, octobri et novembri, et refertur ad sæculum X vel ad initium XI ab Alexandro Pypin, qui ampliorem ejus notitiam dedit in Prolegomenis Societatis Histor. Mosquensis, 1838, t. III, p. 36.

Kalendarium Mstislaviense, ineuntis sæculi XII.

27 Kalendarium Mstislaviense pro singulis diebus anni legitur in Evangeliario Eclogadio, quod jussu Mstislai, ducis Novgorodensis, scripsit Alexius quidam, Lazari presbyteri filius, pro ecclesia Annuntiationis in Gorodiščensi suburbio; ut liquet ex duplici inscriptione codici adjecta. Quum porro constet Mstislaum sedisse Novgorodiæ usque ad annum 1117, quo ei successit filius Vsevolodus, ecclesiam vero B. Mariæ Gorodiščensem excitatam fuisse a Mstislao an. 1103, hinc pronum est concludere, præsentem codicem exaratum esse intra annos 1103 et 1117. Est autem codex iste pulcherrime exaratus, et optimæ notæ, atque Ostromirano hac in re facile suppar; Kalendario vero instructus est longe ampliore quam Ostromiranum est, plurimis diebus, ut vidimus, mutilum, aut quam illud aliud est Evangeliarii monasterii S. Georgii Novgorodensis, scripti a Theodoro monacho intra annos 1118 et 1128. Eruditam codicis hujus descriptionem in lucem proxime dabit idem vir clar. Capiton Nevostrujev, qui Kalendarium Ostromiranum

Ostromiranum brevi commentario jam instruxit, et simul cum Al. Garsklio egregiam vulgavit Descriptionem codicum Slavicorum bibliothecæ synodalis Mosquensis, de qua dicetur inferius. Hic idem in lucem dedit etiam Kalendarium Evangeliarii Mstislaviensis cum perpetua collatione Ostromirani et brevibus adnotationibus; quod nos in Kalendariorum Sylloge ad finem operis excudi jussimus, prout legitur in Memoriis Academiæ Petropolitanæ (Izvestia) tom. X, pag. 111 et seq. Teste itaque Cap. Nevostrujevio, Kalendarium istud apprime convenit cum Synaxario codicis Evangeliorum Græci, bibl. Synodalis Mosquensis, signati n. 43, qui exaratus est anno 1065, atque ex Monte Atho Mosquam, uti tot alii, allatus. Præterea convenire dicitur cum Menologio Basilii imperatoris; quod postremum an verum sit, quisque facile perspiciet, si alterum Kalendarium cum altero conferat, seu etiam cum Kalendariis sive Slavicis, uti Parisino I et Ternobiensi, sive cum Græcis, præsertim Hierosolymitano et Calipolitano, quæ edidit Scholzius. Ab Ostromirano in multis recedit, cum Rumiantsoviano autem aliisque sequioris ævi synaxariis magis concordat.

Arcadianum scriptum sub medium sæculum XII.

28 Kalendarium Arcadianum ita nuncupatur, quia exaratum fuit tempore Arcadii, archiepiscopi Novgorodensis ab anno 1156-1613; de quo dictum est in opere nostro ad 10 februarii. Pertinet itaque hic codex ad familiam Novgorodensem; continetque stichiras pro toto anno, non tamen pro singulis anni diebus; quin et tribus prioribus mensibus (incipiendo a septembri et initio decembris) nunc mutilus est. Cætera suppeditabit Kuprianov in sua codd. Sophiensium Descriptione, pag. 34.

Novgorodense II et III, sæculi XII.

29 Ad eamdem classem spectant duo alia Kalendaria, Novgorodense II et III a me dicta, sæc. XII. Quorum prius, signatum n. 22, descriptum est ex Menæis mensis aprilis; posterius vero ex Menæis mensis junii. Utrumque fusius descripsit jam citatus Kuprianov, Descriptionis pag. 19 et seq.

Kalend. ex Annalibus Novgorodensibus excerptum.

30 Ad eamdem cum tribus præcedentibus stirpem pertinet Kalendarium ex chronicis Novgorodensibus, speciminis ergo, excerptum atque in decursu Anni ecclesiastici literis initialibus *Ng.* seu *Novg.* distinctum. Plerumque autem cum synaxariis Menæorum convenit.

Kalendarium Zographiense sæc. XII-XIII.

31 Zographiense Kalendarium desumptum est ex codice Quatuor Evangeliorum familiæ bulgaricæ, qui in monasterio ejusdem nominis adservatur in Monte Atho, catenæ alligatum. In sylloge Kalendariorum relatum est, ad sæculum XII-XIII; at ipsemet codex, qua scilicet parte continet Quatuor Evangelia, refertur ad sæculum XI, imo a quibusdam, sed minus recte, plus integro sæculo dicitur esse antiquius. Scriptus est literis glagoliticis in Bulgaria; unde postmodum in Montem Atho allatus, ibique synaxario auctus characteribus cyrillicis: quod tamen synaxarium nonnisi quatuor priores menses exhibet, incipiendo a Septembri, et insuper priores octo dies Januarii. Cætera desiderantur. Codicem hunc primus omnium detexit Michanovič, anno 1843, consulis Austriaci munere fungens Thessalonicæ. Descripserunt vero plures, V. Grigorovič anno 1844 in suo itinere Turcico pag. 67-71; Avraamovič in opere Sveta Gora, 1848, pag. 169. Petkovič, in Memoriis Academiæ, anni 1856; denique Ismael Sreznevski, illarum Memoriarum moderator æstimatissimus. Cujus ego humanitati debeo apographum Kalendarii Zographiensis, accurratissime expressum, juxta exemplar, quod cl. A. Sevastianov, photographiæ ope in Monte Atho procuravit.

Parisinum I.

32 Kalendarium Parisinum I reperitur in antiquo codice, olim S. Germani, quem Josephus Dobrowski in Institutionibus linguæ slavicæ veteris dialecti passim distinguit littera A, at qui in catalogo bibliothecæ publicæ Parisinæ signatur n° 25. Ab auctore catalogi refertur ad sæculum XI, non contradicente Dobrowskio; ab aliis affigitur, sæculo XIV, imo sequiori ævo: sane sæculo XIII antiquius non est. Synaxarium satis concordat cum Mstislaviensi, et multo magis cum Ternobiensi anni 1273, paucis tantum exceptis. Cæterum oscitanter scriptus est mendisque scatet. Descriptus esse videtur ex aliquo exemplari glagolitico recentiori, ut conjicere licet ex sequentibus nominum formis: *Gaurielis*, *Paula* (pro Pavla), *Benedicta* (pro Venedicta), *Teodoti*, *Tomæ*, *Eutymii*, *Timotei*, et ita fere constanter *t* pro *th;* præterea, *Jovanis*, *Gligorii* et similibus. Plura vide in opusculo meo: *Les manuscrits slaves de la bibliothèque impériale de Paris*, pag. 98, ed. 1858.

Ternobense scriptum anno 1272.

33 Optimæ notæ est Kalendarium codicis Ternobiensis, exarati anno 1272, Ignatio archiepiscopo. Continet sanctos pro singulis diebus anni; inter quos tamen, præter S. Parasceviam et S. Joannem Rylensem, nulli reperiuntur Slavi. Ad diem 9 Martii texuntur nomina omnium quadraginta martyrum Sebastenorum; unde colligas codicem exaratum fuisse in ipsamet civitate Ternobensi, ubi olim exstabat templum nomini horum pugilum dicatum. Plura de ipsomet codice legere est in Memoriis Academiæ Petropolitanæ (Izvestija) tom. VII, pag. 154. Adservatur apud cl. Franciscum Miklošichium; qui mihi, dum Vindobone duobus abhinc annis versarer, benigne communicavit examinandum; postmodum autem, a me rogatus, pretiosi Kalendarii apographum, manu propria exaratum, humanissime submisit; cui optimo viro gratias ago maximas.

Rumiantsovianum sæc. XIII.

34 Rumiantsoviani kalendarii nomine venit illud, quod ex codice signato n° CCLXXXIV scriptoque sæculo XIII, edidit Macarius archiepiscopus, Historiæ Eccles. Russ. tom. III, pag. 279-292. Continentur illo volumine plura officia, quotidiano usui inservientia; unde ei nomen *Libri usualis* (Slavice obichod) inhæsit; quod usitatiore forsan apud latinos vocabulo diceres *Officiorum*

rum liber seu *Hemerologion*. In Anno Ecclesiastico passim præfert nomen Prologi, licet minus recte, quod hic lectorem semel monuisse sufficiat. Errandi ansam præbuerunt duo Prologi, alter bibliothecæ publicæ Petropolitanæ, alter Novgorodensis S. Sophiæ, ejusdem sæculi XIII, in quo utroque habetur Kalendarium pro singulis anni diebus; completum, sed ineditum. Codicem Rumiantsovianum illustravit Al. Vostokovius in Descriptione hujus Musæi.

Sišatovacense, scriptum anno 1324.

35 Præstantissimum Kalendarium Sišatovacense suppeditavit codex Actuum Apostolorum membranaceus, quem non semel olim laudavit Josephus Dobrowsky in præfatione ad Institutiones linguæ slavicæ, anno autem 1843 juris publici integrum fecit Vindobonæ clar. V. Franciscus Miklošich; apud quem ampliorem codicis notitiam requirat studiosus lector. Nos paucis contentos esse oportet. Exaratus est codex anno creationis 6852 (id est 1324) ab hieromonacho Damiano, Pechii in arce *Ždrelo*, regnante Stephano Urošio tertio, jubente vero omnium regionum serbicarum archiepiscopo Nicodemo. Pertinet ad familiam serbicam magnique habendus est ab hagiologis propter synaxarium ad finem lectionum adjectum, maxime cum kalendaria in hujusmodi *Apostolis*, ut vocantur, plerisque diebus manca esse soleant aut breviora.

Chilandarience, scriptum anno 1551.

36 Ad eamdem familiam serbicam referendum est Kalendarium Typici Chilandariensis, in monasterio ejusdem nominis scriptum, anno creati mundi 6839, reparatæ salutis 1331, sub Gervasio hegumeno, a Romano monacho, qui se peccatorem, ac corpore et spiritu claudum esse dicit. Codex hic, ex foliis 275 in 4° constans et membranaceus, nunc adservatur in bibliotheca regia Berolinensi, signatus n° 49. Kalendarium, incipiens a mense septembri, primis diebus diebus mutilum est. Hoc ego, dum Berolini versarer, contuli cum Kalendario Sišatovacensi; non tamen integrum descripsi; sed lectiones tantum variantes diligenter adnotavi; quas deinceps concordes esse plerumque reperi cum Kalendario Bibliorum Ostrogensium : cui propterea exemplaris instar fere præluxisse non immerito diceretur. Maxime cum constet aliunde plurimos codices liturgicos a Monte Atho in Russiam jam sæculo xv fuisse invectos; Constantino, vero Ostrogeæ duci, qui Bibliorum Slavicorum editionem principem excudendam curavit, plurimos codices Græcos et Slavicos undequaque conquisitos præ manibus fuisse. Atque hanc ob rationem non parvi faciendum est Typicon Chilandariense; quod propterea in sylloge editurus amicos rogavi, ut integri kalendarii apographum mihi submitterent, accurate descriptum. Quod quum diu sed frustra exspectassem, nec tamen in Sylloge Kalendariorum esset omnino prætermittendum idcirco ea ratione excudi curavi ut lectiones variantes, quas solas excerptas habebam, Sišatovacensi Synaxario adjicerem.

Vaticana I et II, scripta sæculo XIII et XIV.

37 Kalendaria Vaticana I et II, ut signantur apud Josephum Assemanum et in præsenti opere, excerpta sunt ex codicibus bibl. Vaticanæ, quorum uberem descriptionem dedit Assemanus Kalend. Ecclesiæ Univ. tom. I. cap. VIII, pag. 100 et seq. Uterque codex exaratus est litteris cyrillicis; et quidem prior, membraneus, foliorum 275, juxta Assemanum sæculo XI; at juxta Bobrowskium, canonicum Vilnensem, cui, libenter assentior, referendus est ad sæculum decimum tertium. Vide tractatiunculam ejus de codicibus Musæi Vaticani Slavicis tam mss. quam typo excusis in Scriptorum veterum nova collectione cardinalis Maji, tomo V. Est autem codex Vaticanus I eclogadium, quippe qui contineat lectiones evangelicas pro toto anno cum Kalendario Sanctorum et aliquot evangeliis die Dominica legendis. Altero autem codice Vaticano, foliorum 238, comprehenduntur quatuor Evangelia. Hunc librum sæculo decimo tertio exaratum esse conjecit Assemanus; Bobrowskius vero ad decimum quartum referendum censet, *sive quod a puro Slavonismo*, ut loquitur, *deflectat, sive quod plura contineat quæ non nisi in textu edito mediæ recensionis inveniantur*. Hanc quoque sententiam Bobrowskii veri similiorem esse duco, maxime quum constet raros admodum exstare codices Slavicos *Quatuor Evangeliorum*, qui sæculo XIV sint antiquiores. In toto Musæo Rumiantsoviano ne unum quidem est; sed habetur tantum exemplar Tetraevangelii sæculi XIV. In bibliotheca synodali Mosquensi, olim patriarcharum, inter 53 codices sacros unum tantummodo Tetraevangelium occurrit sæculi XIII et unum sæculi XIV. Lege Vostokov, Gorski et Nevostrujev.

Parisina octo scripta sæculis XV-XVII.

38 Parisinos codices recensui in opusculo : *Les Manuscrits Slaves de la bibliothèque impériale de Paris*, ut hic solam numerorum concordantiam indicasse sufficiat. Itaque codex Parisinus I in catalogo bibliothecæ et in illo opusculo præfert numerum 25; Parisinus II respondet numero 27; Parisinus III, continens quatuor Evangelia Bulgaricæ recensionis, signatur n° 18; IV seu n° 19, sæc. XVI, recensionis Russicæ, continet Menæa Octobris; V seu n° 20, sæc. XVII, exhibet quatuor Evangelia et pene in omnibus convenit cum Parisino III. Codice signato n° 21 seu VI, sec. XV, comprehenduntur Menæa Februarii, recensionis Serbicæ, siquidem exarata sunt in monasterio Končulensi, de cujus situ plura disserui in opusculo superius citato, pag. 91. Codex VII seu n° 22, etiam Serbicæ recensionis, scriptus est in Monte Atho, anno 1419, ab Antonio monacho. Continet Menæa Januarii. Ultimus denique, in catalogo n° 23, apud me VIII, sæc. XIV-XV continet Menæa Augusti; videtur exaratus in Bulgaria, ob festum S. Joannis Rylensis.

Remense scriptum sæc. XIII aut XIV.

39 Kalendarium codicis Remensis, cyrillicis litteris exaratum, priores sex menses complectens, a nonnullis refertur ad sæculum XI, atque propria manu S. Procopii, abbatis Sazaviensis, sicuti et tota pars codicis Cyrillica scripta esse putatur. Quod si verum foret, profecto omnia cætera kalendaria ætate antecelleret, ipsoque codice Ostromirano saltem triennio præiret, siquidem S. Procopius in cælum migravit anno 1053. Hanc opinionem pie promovendam curavit bonæ

c' memoriæ

memoriæ Venceslaus Hanka, potissimum in editione codicis Pragensi, anno 1846. Verum Vostokovius, Kopitarius, Miclošich, Sreznevski aliique plurimi sæc. XIII aut etiam XIV exaratum esse docent, idque meliore jure. Juxta Kopitarium scriptus fuerit apud Ruthenos, et juxta Bilarskium, nunc Academiæ Petropolitanæ sodalem, qui omnium accuratissime scripsit de isto codice, patriam habuerit Moldo-Vlachiam, proinde pertineret ad codices mediæ recensionis Bulgaricæ. Equidem, ubi hoc cimelium bibliothecæ Remensis lustravi et textum genuinum cum splendida editione silvestrina diligenter contuli, tot inter utrumque textum discrepantias palæographicas deprehendi, ut argumenta cl. Bilarskii, ex palæographia petita, non parum momenti apud me amiserint; simul autem optaverim, ut codex iste ope photographiæ, mentiri nesciæ, tandem aliquando exhibeatur expressum.

Moldo-Valachicum, scriptum anno 1492.

40 Kalendarium Moldo-Valachicum appello illud, quod deprompsi ex Menæorum volumine ms. bibl. Ossolinianæ, signato n° 368: continet mensem Februarii tantum, scriptumque est in Moldavia, anno 1492, sub Voïvoda Joanne Stephano, filio Bogdani. Omnino concordat cum Parisino VI, ejusdem sæculi, et cum Kalendario Euchologii Valachici, editi Budæ anno 1803.

Venetum, excusum anno 1538.

41 Kalendarium Venetum, ex Menæis eclogadiis, Venetiæ excusis anno 1538, excerptum, si originem spectes, Serbicæ recensioni accensendum est, siquidem editionem curavit Moyses, Dečanensis in Macedonia hieromonachus. Hujus Synaxarii meminit Dobrowsky Inst., pag. XLI.

Ostrogense, excusum anno 1580.

42 Ostrogense Kalendarium descripsi ex Bibliorum editione principe, quam suis typis excudendam curavit Constantinus, dux Ostrogiæ, anno 1581 vel potius 1580. Maxime convenit cum Typico Chilandariensi anni 1331, ut observatum est supra; præterea concordat cum plerisque kalendariis, quæ solent subjungi post Biblia Kioviensia, Mosquensia, Budensia, Počajovensia, aliaque, quorum seriem reperiet qui volet apud eumdem Dobrowskium, pag, L et seqq.

Leopolitanum, editum anno 1648 et 1859, et Počajovense anni 1802. Typicon et Menæa Mosquensia, excusa anno 1848.

43 Ad eamdem classem spectant Kalendaria Leopolitana annorum 1648 et 1839, et Horologium Počajovense, in usus Ruthenorum Unitorum excusum anno 1802, quæ cum Ostrogensi mirum quantum consonant; ab Horologio autem seu Ustavo Leopolitano, anni 1679, quod passim citat Kulčinski in Specimine, vix ac ne vixquidem recedunt. Idem judicium esto de Typico Mosquensi seu Ustavo anni 1861 et de Kalendario in fine Menæorum (ut vocantur) *communium* (Obščaia minea) quæ excusa sunt anno 1846; nisi quod in his adjecti sint sancti, Ecclesiæ Russiacæ proprii.

Patericon Kiovience, editum Mosquæ anno 1757.

44 Hic jam de Menologiis aliquid delibandum est, quum eorum mentio fere singulis paginis recurrat in præsente opere : nempe de Paterico Kioviensi, de Menologio minore seu Prologo, et de majore seu Demetrii Rostoviensis: sunt enim e genere menologiorum. Horum primum monasterio Kievocryptensi proprium est, a nobis alibi descriptum. Usi sumus editione Mosquensi anni 1757.

Prologus, editus an. 1850.

45 Prologi nomine venit liber compendiosas sanctorum vitas com plectens, juxta ecclesiasti cum ordinem dierum dispositas, intermixtis homiliis aliisque narrationibus ad fovendam lectoris pietatem. Has tamen ultimas frustra inquiras in primævis Prologi exemplaribus, quæ sola vitarum compendia referre solent, ad instar Menologii Basilii; ex quo, ut alibi observavi, procul dubio Slavonice descripta fuere, ac temporis decursu variis additamentis ab indigenis aucta et ampliata. Quare inepte vocantur passim nomine Prologorum, cum appellanda forent Synaxaria, seu Menologia compendiosa, sola voluminis amplitudine a Menologio Demetrii seu Macarii distincta. Exstant autem in mss. nonnulla venerandæ antiquitatis, utpote quæ attingunt sæculum XIII, imo et XII. Ad ultimum pertinent Synaxarium Novgorodense S. Sophiæ, et alterum bibliothecæ publicæ Petropolitanæ, in quibus habentur Kalendaria pro singulis anni diebus maxime completa.

Menologium Demetrii Rostoviensis, editum anno 1852.

46 Longe fusius sanctorum vitas prosequitur Menologium Demetrii Rostoviensis, de quo passim disseruimus in Anno Ecclesiastico; ita tamen, ut quasdam Vitas, quæ in Parvo Menologio leguntur, retractare prætermittat; quod idem intelligatur de Parvo. Est autem maximam partem contractum ex Menologio ms. Macarii metropolitæ seu Magno.

Tabulæ Papebrochianæ anno 1658, et Capponianæ circa annum 1660 pictæ

47 Subsidiorum genus constituunt singulare Kalendaria effigiata; e quibus hic produximus celebratiora duo, Papebrochianum, in Actis SS. initio tomi I Maii editum, et Capponianum, quod illustravit Assemanus Kalend. Eccl. Univ. tomo V et VI. De utroque hic quædam uberius declarare consultum visum est, præsertim ad ætatem Tabularum Capponianarum certo definiendam. Quum enim in hac stabilienda graviter erratum sit a Josepho Assemano (1); qui, quod nulli sancti inscripti sunt, anno 1300 posteriores; nulli Russi aut Slavi præter SS. Cyrillum, Methodium et Sabam, qui anno 1237 archiepiscopus Serbiæ obiit; et demum quod nominum forma, litterarum modus, picturæ elegantia et vestitus ratio sæculum XIII designent, nil dubitans ad sæculum XIII retulit; a Kulcinio (2), qui eis S. Vladimiri ævum inscriptum voluit; a Dobrowskio (3), qui *facile admiserit eas a Serbicis monachis circa annum* 1300 *fuisse pictas;* et demum a Falconio (4), qui omnium primus eas in lucem protraxit, quasi sæculo XI aut XII fuissent pictæ. Quæ quisque suis superstruxit conjecturis nolim enarrare, quod comœdiæ propriora sint. Hoc scito lector tabulas pictas esse post medium sæculum XVII a pictoribus probe notis. Tabulæ enim, qua menses September, October et November

(1) Kalendar. Eccles. Univ. tom. I, cap. II, pag. 6 et alibi passim. — (2) Ap. Assemanum, ibid. pag. — (3) Instit. ling. slav. veter, dialecti pag. XIII. — (4) Fasti SS. Ecclesiæ Græco-Ruthenicæ, pag. 169.

continentur,

continentur, inscriptum est : *Sergius, filius Basilii, pinxit ;* quæ exhibet Martium, Aprilem et Maium, hæc præfert verba : *Andreas, Eliæ filius, pinxit:* et eam demum, quæ Junium, Julium et Augustum continet, *Nicetas, Joannis filius, pinxit.* Jamvero pictores istos post medium sæculum XVII floruisse, atque singulos in annalibus Mosquensibus non semel nec sine laude commemorari circa annum 1659, exploratum est.

A Sergio Andrea et Niceta, pictoribus regiis Mosquensibus ;

48 Et quidem Sergius Rožkov, Kostromæ Basilio patre natus, postquam pictoris artem exercuisset in urbe natali, inde Mosquam cum pluribus aliis accersitus fuit anno 1659, ut ecclesiæ S. Michaelis archangeli picturis exornandæ ibidem operam navaret, quemadmodum testatur chirographum, a prædictis pictoribus subscriptum anno 1659, die 19 Julii; quod legitur in Actis Societatis Archeologicæ Petropolitanæ, vol. VIII, pag. 38. Scilicet cum pictores, Mosquæ degentes et fisco adscripti, seu *regii*, ut vocabantur, numero essent longe pauciores, quam ut operi alicui majoris molis exequendo sufficerent soli, quotiescumque hujusmodi necessitas sese offerebat, e provinciis adjacentibus Mosquam vocari solebant iconographi meliores, et *regiorum* pictorum instar expensis fisci alebantur et remunerabantur. In horum itaque numerum adscriptus fuit Sergius, Basilii filius, qui et discipulos efformasse perhibetur. Idem, præter operam in pingendo templo S. Michaelis positam, instaurare jussus est a M. Ducissa, anno 1668, imagines sancti Sergii et S. Alexii metropolitæ, ut ferunt Acta præfata (pag. 76); anno vero 1670 ecclesiam monialium S. Joannis Mosquæ pinxit, ab aliis sociis Kostromensibus adjutus; tum vitam S. Mariæ Ægyptiacæ picturis illustravit, ac tandem socius fuit Simeoni Ušakovio in sedecim tabulis pingendis, quæ totidem miracula ope B. M. V. *titulo fontis vivifici* patrata repræsentarent. Erat autem Ušakovius anno 1626 natus, et Hilarioni metropolitæ Suzdaliensi sanguine junctus. Inter regios pictores facile princeps, populariter pingens et *hollandice* seu *francice*, et regius examinator constitutus, probavit *Nicetam, Joannis filium*, cujus nomen legendum occurrit in tertia tabula Capponii, inventusque est ab Ušakovio, *artis pictoriæ magister bonus* (Acta, pag. 33.) Demum Andreas Iljin, seu Eliæ filius, commemoratur ad annum 1688, quo regii stipendiarii pictoris titulo ornatus est, propterea quod sanctorum facies in minutis iconibus repræsentare bene callebat, quemadmodum Acta illa referunt (p. 34). Fuerunt igitur Sergius, Andreas et Nicetas pictores sæculi XVII in pingendis parvis imaginibus seu miniaturis versatissimi; et licet annus, quo Capponianas tabulas adornarunt, definiri nequeat, tamen intra annos 1660 et 1670 tuto collocari possunt.

non vero alterius.

49 Quæ quum ita se habeant, supervacaneum esse videtur, rationes supra allatas, quibus conjecturam suam communire conatus est Assemanus, pluribus refellere; quædam tamen, earum occasione, hic observare lubet. Et primo quidem exploratum est, quam plurimos codices exstare, etiam sæc. XVI et recentius exaratos, in quibus nulla mentio fiat sanctorum Serbiæ, Bulgariæ aut Russiæ propriorum, si excipiantur SS. Cyrillus et Methodius, Borisus et Glebus. Exemplo sit codex ms. *Actuum Apostolorum*, anno 1549 in Russia scriptus, qui in nostro Musæo Cyrilliano Parisiis adservatur; ad ejus finem, pro more, breve Synaxarium adjectum est, in quo præter sanctos aut dies festos, utrique Ecclesiæ Græcæ et Romanæ communes, nullus alius reperitur. Habemus et aliud ejusdem *Apostoli* exemplar, typis Leopolitanis anno 1654 excusum ac simili Synaxario seu Kalendario instructum; in quo e sanctis indigenis commemorantur duntaxat Borisus et Glebus, anno 1015 a fratre suo Germano perempti. An ideo ad sæculum duodecimum referendus est uterque codex? Nec magis valent argumenta, ex mira tabularum et characterum venustate petita; siquidem notissima res est, pictores Russos magistrorum suorum Græcorum antigrapha adeo religiose semper fuisse imitatos, ut a certa pingendi regula deflectere omnino nefas esse ducerent. Unde fit, ut picturæ sæculo XVII, vel etiam nostra ætate confectæ, modo ad normam pingendi iconographis in *Typico* (slavice *Podlinnik*) præscriptam exactæ sint, antiquitatis speciem adeo feliciter referant ac simulent, ut primo intuitu eas sæculo XIII imo et XII delineatas fuisse dicas. Præterea ex iis quæ de *francica* seu *hollandica* pingendi ratione attigimus supra, manifestum fit, exquisitiorem illam formarum elegantiam ex occidentis regionibus in scholam Moscoviticam fuisse invectam, idque non ante sæculum XVI; formas vero rudiores artemque pingendi, ut vocabant, *vulgarem*, in eadem religiose fuisse servatas, veluti sacras quasdam antiquitatis reliquias, a nemine mutandas. Jam si incriptiones slavonicæ singulis tabellis superpositæ ad leges palæographiæ expendantur, ne umbra quidem dubii remanere mihi videtur. Quum enim in his incidendis non minorem curam adhibere solerent iconographi, quam in ipsismet imaginibus exemplari suo conformandis; inscriptiones vero Capponianæ evidentissima sequioris ævi vestigia prodant, uti ex litterarum quarumdam forma concludere pronum est; idcirco etiam hac parte sæculo XIII non erant adjudicandæ. Ex omnibus, quæ hactenus dicta sunt, concludere fas est, Kalendarium Capponii imagineum, quod ad sæculum XIII retulit Assemanus, cujusque antiquitatem præ Kalendario Papebrochiano tantis laudibus extulit, reapse triginta minimum annis esse recentius. Præterea Papebrochianæ Ephemerides exhibent nobis sanctos slavicos numero plurimos, dum Capponianæ, præter SS. Borisum et Glebum, natione Russos, et SS. Cyrillum et Methodium, nec non et S. Sabam, Serbum, alium exhibent nullum.

Kalendaria

50 Ultimo loco veniunt Kalendaria, quorum solummodo particulas seu excerpta damus. Porro de

Mosquensia Synodalia.

de excerptis codd. bibl. Berolinensis, Vindobonensis, Leopolitanæ, Ossolinianæ, Onuphrianæ et Premysliensis disserere supersedemus, ne fastidium lectori ingeratur. Sufficiat, speciminis ergo, paucis describere excerpta *Synodalia*, utpote accessu difficiliora. *Synodalia* porro intelligo ea, quæ deprompta sunt ex codicibus bibl. Synodalis Mosquensis, olim patriarchicæ. Horum descriptionem partim jam adornarunt, partim adornabunt Alexander Gorski et Capiton Nevostrujev, viri profecto eruditi. Tomo hujus *Descriptionis* primo, qui solus, ni fallor, hactenus lucem vidit, illustrantur codices sacri numero 53. Quorum plerisque adnexa sunt Kalendaria sive Eclogadia pro singulis diebus anni. At, quod valde dolendum est, nullum eorum profertur ex integro, sed commemorantur duntaxat festa Ecclesiarum Slavicarum propria, omissis cæteris, eo quod ad propositum parum facere auctoribus videbantur. Jamvero integra Kalendaria reperiuntur in sequentibus codicibus : nn. 1, 20, 25, 28, 45, 46 et 47. Quorum primus seu Gennadianus, anni 1499, nulli ejusdem generis secundus, continet integrum corpus bibliorum. Codex 20, membraneus Krylosii, prope Galič, Kostromiæ civitatem, exaratus anno 1144, continet quatuor Evangeliæ; quod rarissime occurrit, quum pene omnia Tetraevangelia sæculum XIV haud excedant. Cod. 25, scriptus anno 1358, sub Alexio metropolita, in membrana, continet Evangelia eclogadia. Similiter cod. signatus n. 28, etiam membranaceus, scriptus in fine sæc. XIV. Tribus ultimis comprehenduntur lectiones ex Actis apostolorum et epistolis, singulis dominicis legendæ; et quidem cod. 45, pergameneus, exaratus est anno 1307; cod. 46, etiam membranaceus, intra annos 1309 et 1312; cod. 47 denique pertinet ad sæculum XVI. In cod. 45 desiderantur duo tantum ultimi dies januarii. Deest etiam dies 29 tum in hoc cod. tum in cod. 46; verum lacunam istam ex anno bissextili facile interpreteris, quin omissionis arguatur synaxarista. Exstant Kalendaria, ut dixi modo, in cæteris quoque codicibus a 21 ad 53, at non pro singulis anni diebus. Sunt autem codices isti vel Evangeliaria (nempe nn. 21, 22, 23, 24, 26, 27, 29, 30, 31, 32, 38) vel Tetraevangelia (a n. 33 ad 44) vel Apostolus (a 45 ad 53). Ultimæ classi accensendi sunt codd. 35 et 40, in quibus Acta apostolorum et Epistolæ junguntur cum quatuor Evangeliis. Jamvero operæ pretium visum est modicas illas Kalendariorum particulas hic proferre, diligenter in unum collectas ac juxta ordinem dierum dispositas.

Kalendariorum slavicorum sylloge.

51 Ex immensa autem hac Kalendariorum quæ hactenus recensui multitudine, pauca duntaxat Slavica selegi, quæ quasi aliorum specimen essent et imago; licet antiquiora aut quibus alia singularis laus insit, præferenda visa sint. In hac autem edenda Sylloge hanc rationem secutus sum, ut, quanquam fere omnia vertenda essent latine, codices tamen ipsos mss. Slavicos, quantum fieri posset, repræsentarem; potissime distorta nomina slavica latinis litteris, ut sivit linguarum diversitas, exhibens. Quare cum illic antiquos libros proxime sequerer, nolui discedere a vulgari Orientalium more, annum a mense septembri incohantium; quamvis in Anno Ecclesiastico a mense januario exorsus sim. Sed hic meus labor est, mea lucubratio; ubi procul dubio majorem mihi vindicare potui libertatem. Quid vero potius faciendum erat? Non enim inter Orientales unica fuit ratio statuendi annorum exordia; atque ab ipsis Russis, maxime ante Mongolorum adventum, observatum fuit ut (quemadmodum liquet ex Epilogo Evangeliarii Ostromirani, ex Psalterio Tchertkoviano sæculi XII atque etiam ex Kalendario codicis Bibliorum Gennadiani, qui anno 1499 scriptus est) annum inciperent a die 1 martii. Quam ob rem, licet in edenda Kalendariorum Sylloge imitari noluerimus Latinos, qui Martyrologia antiqua, in quibus dies 25 decembris primus sit, a die 1 januarii exordiantur, lectori tamen facilius et rationi magis consentaneum esse duximus ut Annus ecclesiasticus ad communem Europæorum computum exigeretur.

Auctoris labor.

52 Atque his subsidiis et ratione ad umbilicum tandem duxi opus qualecumque meum; quod speraram aliquot mensibus ocius in publicum iturum : sed impedimenta amovere non potui. Verum locus esto adagio : sat cito, si sat bene. Id unum profiteri possum me non labori pepercisse et omnem quæ in me esset adhibuisse diligentiam; sed in tanta rerum varietate et multitudine non potui non sæpe peccare, licet telam texuerim et retexuerim, magistris Sollerio, Baronio, Morcellio, Mazochio, Assemano utroque, maxime autem sociis Bollandianis; qui uti me ad suscipiendum arduum hunc laborem excitarunt, sic me in eo prosequendo, exanclando et complendo desudantem, qua consiliis, qua opera, non stimularunt tantum, sed et sublevarunt.

Conclusio.

53 Reliquum est ut lectorem iterum iterumque rogem ne de hac mea lucubratione judicium ferat, nisi prius expenderit *Monitum*, quod initio libri est; dein ut enixis precibus obtester Deum, qui errata corrigit et dispersa congregat, ut Græcorum Slavorumque Ecclesias cum Romana matre sua denuo conjungere dignetur, easque in eum reducat statum, quo, sedentibus S. Nicolao I et Hadriano II, viderunt eas SS. Cyrillus et Methodius, qui collectas a se inter Slavicas gentes primitias sanctæ Romanæ Ecclesiæ obtulerunt. Sit itaque unum ovile et unus pastor!

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUIBUS NITUNTUR MEMORIÆ SLAVICÆ.

ADDITÆ SUNT

SINGULORUM TITULORUM COMPENDIARIÆ NOTÆ.

Acta archæographica. *Acta ex bibliothecis et archiviis imperii Rossiaci eruta, collecta et edita a collegio archæographico Academiæ scientiarum.* Constant ex quatuor voluminibus in 4° anno 1836 editis Petropoli; quorum primum, initio ducto ab anno 1294, pertingit ad annum 1462; ultimum vero desinit in anno 1700. Ad calcem uniuscujusque adjectæ sunt breves annotationes.

Acta histor. *Acta historica*, ab eodem collegio archæographico tribus voluminibus in 4° vulgata anno 1841. Complectuntur temporis spatia ab anno 1334 usque ad annum 1645. Accedit supplementum, quod sequentes annos usque ad 1654 comprehendit. Prodiit anno 1848.

Acta Russ. occid. *Acta ad historiam Russiæ occidentalis spectantia, et a collegio archæographico collecta et edita.* Continentur quinque voluminibus in 4°; quorum primum in lucem venit anno 1846, secundum et tertium anno 1848, quartum anno 1851, quintum denique anno 1853. Complectuntur autem tria sæcula et dimidium seu res ab anno 1340 usque ad annum 1700 gestas; unde Kioviensis Ecclesiæ historia illustratur non parum.

Acta soc. geogr. *Acta societatis geographicæ, Petropolitanæ.* Opus periodicum. V. *Hilferding.*

Acta societatis archæologicæ. *Acta societatis archæologicæ*, vol. XIII. Opus periodicum, singulis annis semel prodiens Petropoli (Russice).

Acta patr. CP. *Acta patriarchatus Constantinopolitani* 1315-1402, *e codicibus manuscriptis Bibliothecæ palatinæ Vindobonensis ediderunt Fr. Miklosich et Jos. Muller, Tom. prior et posterior, Vindobonæ*, 1860 et 1862. Magni momenti opus est ad illustrandas res græcas medii ævi sive sacras sive profanas. Quædam insuper continet ad historiam Ecclesiæ Kioviensis spectantia. Est autem totius operis titulus sequens: *Acta et diplomata græca medii ævi sacra et profana.*

Archiv jugoslav. *Arhiv za povestnicu jugo-slavensku. Uredio Ivan Kukuljević-Sakcinski.* Agram, 1851-1854, vol. tria, tabulis illustrata. — Anno 1857 prodiit vol. IV. Opus periodicum, historiam Illyrici seu Slavorum meridionalium tum profanam, tum sacram illustrans, nec tantum a catholicis, sed etiam in Russia laudibus cumulatum.

Acta SS. *Acta Sanctorum*, 55. vol. Potissimum evolvendi a Slavis Martii tomus II, primus Maii et Augusti, II Septembris, auctarium tomi VI Octobris, et tomi IX et X Octobris.

Acta SS. MM. Orient. *Acta SS. Martyrum Occidentalium et Orientalium*, ed. Steph. Evodius Assemanus, Romæ 1748.

Anonymus. Auctor anonymus commentarii de *Antiquissimo Kalendario russiaco Evangelii Ostromirani,* in opere periodico Christianskoe čtenie (Lectio christiana), mensis Junii anni 1852 Petropoli.

Historia hierarchiæ russicæ, auctore Ambrosio, hieromonacho et Seminarii Novgorodensis præfecto. Mosquæ, an. 1807-1815. Opus hoc parum obvium, ex sex voluminibus in 8° constans, in duas partes divisum est; quarum altera exhibet omnium cathedrarum episcopalium origines et fata, in altera de monasteriis tractatur, ita ut episcopologium et monasticon Russicum merito possit appellari. Profert insuper omnium quotquot noscebantur episcoporum nomina, nec non et sanctorum Ecclesiæ Russicæ catalogum, ex Menologiis et Synaxariis depromptum et ordine chronologico dispositum. *Ambros. Hier. Russ.*

Geschichte des Fürstenthums Montenegro von der ältesten Zeit bis zum Jahre 1852 nach Serbischen Aktenstücken, Hulfswerken und Volksliedern von Alexander Andrič. Mit vielen Gnadenbriefen, Ukasen, Manifesten, Proclamationen, Sermons und sonstigen Aktenstücken, nebst einem Anhange, enthaltend die Regententafel der Balsiden und der Familie Cernojevic. Wien, 1853. *Andrič.*

Ansberti clerici, Historia de expeditione Frederici I imperatoris, ed. a J. Dobrovski, Pragæ, 1827. Expeditioni interfuit auctor. *Ansbert.*

Antiquités russes, d'après les monuments historiques des Islandais et des anciens Scandinaves, éditées par la société royale des antiquaires du Nord. 2 vol. fol. Coppenhague 1850. *Antiquitates Russicæ.*

Arcybašev, Narratio de Russia, 3 vol. in 4°. Cf. ubi de *Chronicis*. *Arcyb.*

Kalendaria Ecclesiæ universæ, opera et studio Josephi Simonis Assemani, edita Romæ anno 1755. *Assem. Kal. Eccl.*

Bibliotheca Slavica, duo vol. ed. Miklosich et Fidler. Vindobonæ, anno 1851 et 1858. *Bibl. slavica.*

De tempore quo exorti sint litterarum Slavicarum apices. Mosquæ 1855. Disquisitio non vulgariter erudita, ac vitæ sancti Cyrilli, qui characteres Slavicos excogitavit omnium primus, et fratris ejus Methodii, uberrimam lucem affundens. Genuinus operis titulus est: *O vremeni proishoždenia Slavianskih pismen.* *Bodianski.*

Chronique géorgienne, éd. à Paris, an. 1830. *Brosset.*

Description géographique de la Géorgie, par Wakhoucht, publié par Brosset. Paris, 1848.

Historica lineamenta litterarum et artium Russiæ (Istoričeskie Očerki), auctore Theod. Buslajev, vol. II. Petropoli anno 1861. — Eleganter scripta et excusa. Continet nonnullas SS. Vitas ad regulas artis criticæ exactas; quod vix ab alio quovis Russo hactenus tentatum sit. *Buslajev.*

Cangius. *Constantinopolis Christiana*, ed. Parisiis, anno 1648, Venetiis, 1729.

Cas. mus. česk. *Casopis musea Kralovstvi českeho* seu *Chronicon Musæi bohemici.* Opus periodicum Pragæ prodiens, resque Slavicas universas, præsertim vero Bohemicas erudite enarrans.

Chopin. *Bosnie, Servie, Herzegovine, Bulgarie, Slavonie, Croatie, Dalmatie, Montenégro, Albanie,* Dans l'Univers pittoresque, Paris, Didot, 1856.

Chron. Nest. *Chronicon Nestoris*, editum ab Academia Petropolitana, continetur primo volumine *collectionis completæ annalium Russicorum*, quam Academia Petropolitana evulgandam curavit, et jam ad nonum tomum feliciter perduxit. Porro quod ab ea profectum est *Nestoris Chronicon*, idem est ac *Laurentianum;* hoc cognomine a monacho vocatum, qui antiquissimi codicis scriptor esse perhibetur. Innumera enim exstabant olim Nestoris ecgrapha, ad certas familias seu classes facile reducenda; quarum singulæ a locis, in quibus codices fuerant conscripti, suum traxerunt vocabulum. Notissima sunt Chronica sequentia : Kioviense seu Gustinense, Volynense, Suzdaliense, Novgorodense, Pscovense, Rostoviense etc. quibus addendi codices Regiomontanus seu Radzivillianus, Sophiensis, Voskresenskianus et Niconianus. Horum nullus sæculo XIV anterior est, non ipse codex Laurentianus; qui licet ætate cæteros antecedat, non nisi anno tamen 1377 fuit conscriptus; imo nec Kioviensis, quem nonnulli anno 1309, sed perperam, exaratum fuisse volunt. Prædicti codices omnes, si Nicomianum excipias, ita in editione Academica exhibentur, ut variæ lectiones diligenter recensitæ sint; annotata autem et quem reliquum laborem ars critica postulat, desideretur aut lectoris studio relictus sit. Ad hæc excusus est liber typis Cyrillicis quidem, at non antiquis, sed recentioribus hodieque usitatis; qui adhibiti fuere in edenda ipsa parte, quæ est Nestoris; qui tamen eos procul dubio alienissimos habuit. Quam ob causam genuinam suam Nestori formam restituere tentavit clarissimus Fr. Miklosich in editione, quam nuperrime Vindobonæ evulgavit, ad leges palæographiæ slavicæ diligentissime procuratam. Restat ut aliquis nudum illum Nestoris textum ad artis criticæ regulas excutiat, commentariis, annotationibus aliaque hujusmodi supellectili instructum proponat. Interea consulantur sequentes Chronicorum editiones :

Chron. Nicon. *Chronicon Niconianum*, ab anno 862 ad annum 1630, 8 vol. in 4°, ed. Academia Petropolitana, 1767-1792. Primum volumen curavit Schloezerus, reliquos Bašilov.

Chron. Soph. *Chronicon Sophiense,* ab anno 862 ad annum 1534, ed. P. Strojev. Mosquæ 1820 et 1821. Continetur duobus voluminibus in 4°, quorum prius desinit in anno 1424; posterius annales Ducatus Mosquensis exhibet integros; accedit ad calcem rerum index.

Chron. Pscov. *Chronicon Pscovense*, edidit Pogodin, Mosquæ anno 1836. Editio propter rerum indicem ad finem operis adjectum, non spernenda, etiamsi tomus quartus Collectionis Academicæ, de qua supra, eumdem textum contineat.

Chron. Paris. *La chronique de Nestor, traduite en français, d'après l'édition de Pétersbourg* (manuscrit de Kœnigsberg) *accompagnée de notes etc., par Louis Paris*, 2 tom. in 8°. Paris, 1834. Commendanda, quia omnibus maxime obvia, licet codex ille Regiomontanus seu Radzivillianus non sit optimæ notæ.

Chron. Arcyb. Verum omnium commendatissimam Chronicorum editionem dedit Arcybašev, supra laudatus, in opere cui inscribitur *Narratio de Russia* (*Povestvovanie o Rossii*), quodque ex tribus voluminibus in 4° constans, omnium Annalium argumenta in unum corpus redacta exhibet, adjectis ad marginem inferiorem tum variantibus lectionibus, tum annotationibus et fontibus argumentorum. Est, ut ita dicam, *Chronicorum Concordantia;* editionis vero Academicæ non tantum optimum compendium, sed et supplementum prorsus necessarium. Primum volumen prodiit anno 1838, tertium anno proxime elapso.

Ctenija. *Ctenija Moskovskago Obščestva Istorii i drevnostej*, i. e. Prolegomena Societatis historiæ et antiquitatum Mosquensis. Opus periodicum, licet nullis temporis terminis finitum. Continet autem plurima ad historiam ecclesiasticam illustrandam perutilia eaque eruditione plena.

Debolski. *Annus liturgicus* (Dni bogosluženia) *ecclesiæ Orientalis.* tom. 2, ed. quinta, Petropoli an. 1856.

Derblich. *Land und Leute der Moldau und Walachei.* Prag, 1859.

Dict. hagiogr. *Dictionarium historicum Sanctorum qui in Ecclesia russica coluntur, (Slovar istoričeskij o Sviatyh proslavennyh v Rossijskoj cerkvi etc.). Petropoli*, 1836. *Altera editio, emendatior et completior, an.* 1862. Incertus hujus operis auctor, a nobis centies citandus, non solum eorum Sanctorum Vitas breviter enarrat, qui cultu publico ab universa ecclesia Russica celebrari solent, sed etiam eos, qui non nisi in quibusdam locis coluntur, aut nude commemorantur. Hinc est ut plus sexaginta supra trecentos recenseat in indice alphabetico, initio operis sui posito. Ad finem autem adjecti leguntur auctores multi, quibus in operis scriptione usus est auctor. Nos eos viros tantummodo in Annum nostrum inveximus, quos ecclesiastico cultu honorant indigenæ, omissis cæteris, quorum cultus in incerto positus est; qua in re ducem habuimus Menologii Ecclesiæ Orientalis auctorem, Michaelem Veršinskium; de quo dicetur postea suo loco. Alteram editionem in plurimis differre ab altera notavimus passim; posteriore tamen, quum tardius nobis advenerit, parcius usi sumus, licet emendatior sit et magis completa.

Dobrovski. *Mährische Legende von Cyrill und Method,* id est, Legenda moravica SS. Cyrilli et Methodii, ex codicibus mss. desumpta et cum aliis legendis collata. Pragæ, 1826. Opus criticum. At multo majoris momenti est ejusdem auctoris liber :

Cyril et Meth. *Cyrill und Method der Slaven Apostel,* seu de SS. Cyrillo et Methodio, Slavorum apostolis,

lis, tentamen historico-criticum. Pragæ, 1823. Idem, russico idiomate donatum, et pluribus additionibus locupletatum, prodiit Mosquæ, anno 1825, curante Michaele Pogodino. Quantam auctoritatem in rebus slavicis tractandis habeat Dobrovius, neminem latet quin in gentis hujus monumentis prorsus sit peregrinus. Ejusdem

Glagol. *Glagolitica*, editio altera, anni 1822. Pragæ.

Vita SS. Simeonis et Sabæ, Serbiæ apostolorum, a Dometiano, hieromonacho Chilandariensi et S. Sabæ alumno, conscripta, a Cyrillo Zivkovicio autem, orthodoxo episcopo Pancratiæ et Slavoniæ, contracta et castigata. Vindobonæ, anno 1794. Eamdem editionem nil immutatam verbotenus expressit et gallica versione explanavit Parisiis, vir cl. Alexander Chodzko, anno 1858. Manet itaque alios laudabilis genuinum Dometiani textum edendi cura; nam Zivkovicii textus ab acatholicis interpolis purus non est,

Dometianus.

Dudik Hist. Mor. *Maehrens allgemeine Geschichte* im Auftrage des Mæhrischen Landesaufschusses dargestelt von Dr B. Dudik, Ord. S. Bened. 1m vol. a remotissimis temporibus ad annum 906. Brunæ, 1860. Præclarum opus hoc in tres libros partitum est, quorum tertius vitam et gesta SS. Cyrilli et Methodii fuse et critice tractat. In quo conscribendo usus est auctor doctissimus prædecessorum omnium scriptis, etiam slavicis, quæ horum Apostolorum gesta illustrant. Ejusdem

Iter Romanum, 2 vol. 1853. Wien.

Elisejev. *Vita SS. Gurii*, Germani et Barsonophii, Kazanensium thaumaturgorum, auctore Elisejev. Kazaniæ, 1847.

Eugen., Dict. script. eccl. *Dictionarium historicum scriptorum ecclesiasticorum Ecclesiæ græco-russiacæ*. 2 vol. ed. 1827 Petropoli. Opus magnæ apud Russos auctoritatis, et licet parumper antiquatum, nihilo tamen minus a quovis similem materiam tractaturo necessario consulendum. Illud in librum suum « *Das gelehrte Rusland* » magna ex parte invexit *Strahlius*. Ejusdem

Descr. Eccl. Kiov. *Descriptio ecclesiæ S. Sophiæ et hierarchiæ Kioviensis*, ed. Kioviæ 1825 in 4°. Accedunt varia documenta historica et tabulæ Ecclesiam S. Sophiæ repræsentantes. Non minoris apud suos auctoritatis liber, in quo res ad historiam Ecclesiæ Kioviensis pertinentes satis prolixe tractavit auctor, zelotypiæ potius quam veritatis studiosus. Ejusdem

Descr. Laur. *Descriptio Lauræ Kievocryptensis*, in 4° edit. 2, Kioviæ, 1831. Historiam continet monasterii Cryptensis ab origine usque ad nostra tempora, et præterea magnam copiam instrumentorum publicorum eamdem illustrantium. Auctoris nomen exhibetur p. 159, ubi archimandritarum Kioviensium seriem claudit *Eugenius* Bolchovitinov, ordine undeoctogesimus, ab anno 1824 metropolita Kioviensis. Ejusdem

Hist. Duc. Pscov. *Historia Ducatus Pscoviensis*, 4 vol. Kioviæ, 1831.

Eug. Bulg. de Bapt. Olgæ. *De Baptismo Olgæ*, Magnæ Ducissæ, disquisitio historica, auctore Eugenio Bulgaris, archiepiscopo Sloveniæ et Chersonæ. Petropoli, 1792 (latine et russice). Exemplar latinum titulo caret; est enim responsum, quod dedit Eugenius « *Viro præstantissimo doctissimoque Domino Friderico Schall, literarum humaniorum in gymnasio Poltaviensi professori.* » Vitam Eugenii, anno 1806 mortui, et scripta numero copiosissima exhibuit Eugenius, metropolita Kioviensis in Dictionario Scriptorum Ecclesiasticorum Russiæ, tomo I, pag. 145-165; nuperrime vero edidit A. Papadopulus Vretos, in opusculo barbare scripto, cujus titulus est : *Biographie de l'archevêque Eugène Bulgari, redigée sur des documents authentiques.* Athènes, 1859.

Recherches sur la chronologie arménienne, 1er volume. Paris, 1860. *Dulaurier.*

Vita et conversatio sancti et deiferi patris nostri Joannis Rylensis, auctore Euthymio, patriarcha Ternobiensi, edita Belgradi anno 1836, adcurante Neophyto, expensas præbente Joasapho, monasterii Rylensis hieromonachis (slavice). Excerpta Euthymiani operis dedit A. Hilferding in suis Literis ad historiam Serborum et Bulgarorum spectantibus; de quibus modo. *Euthym.*

Fabricii Bibliotheca græca, ed. Harlesii Hamburg, 1791-1809. *Fabr.*

Illyricum sacrum, auctoribus Daniele Farlati et Coleto, 8 vol. in-fol. Venetiis, anno 1751-1819. Opus classicum, omnibusque notum. *Farlati.*

Testimonia de Immaculata B. M. V. Conceptione, ex auctoribus Russis deprompta atque slavonico idiomate vulgata Cenomani, anno 1858. *Gagarin, S. J.*

Témoignage d'un contemporain sur saint Vladimir, publié pour la première fois en français, par le prince Aug. Galitzin, Techener, 1861. Continet epistolam S. Brunonis seu Bonifacii ad Henricum II, imperatorem, anno 1007 datam, jamque a Hilferdingo, anno 1860 Mosquæ vulgatam. In qua epistola iter suum enarrat S. Bruno, quod Kioviam susceperat, a S. Vladimirio se peramanter fuisse susceptum et tractatum asseverans. Latinum exemplar asservari dicitur in bibliotheca Casseliana unde; per amanuensem sibi describi illud fecerat eruditus vir Uffenbachius, anno 1716; post cujus obitum prædictum ecgraphum in bibliothecam Hamburgensem venit, ibique hodiedum exstat. *Galitzin.*

Dalmatien und Montenegro mit einem Ausfluge nach der Herzegowina und einer geschichtlichen Uebersicht der Schicksale Dalmatiens und Ragusa's. Nach Sir J. Gardner Wilkinson bearbeitet von Wilhelm Adolf Lindau. 2 Bande, Leipzig, 1849. *Gardner Wilkinson.*

Geschichte der Slawenapostel Cyrill und Method und der Slawischen Liturgie. Von D. Ginzel, Leitmeritz, J. A. 1857. Accedit ad calcem operis « *Codex legendarum et monumentorum de SS. Cyrillo et Methodio nec non de liturgia slavica agentium;* » præterea Appendiculus germanice conscriptus de « *Fragmentis glagoliticis, quæ professor D. Hœfler Pragæ invenit* (anno 1855), *clarissimus vero Schafarik illustravit.* » Opus criticum et propter documenta modo indicata maxime commendandum. *Ginzel.*

Glasnik, id est *Nuntius societatis Serbicarum literarum*, opus periodicum, vol. 12, Belgradi, an. 1848-1860. Prodit in lucem quotannis, continetque plures sanctorum Vitas ex *Glasnik.*

ex antiquioribus codicibus manuscriptis depromptis, nec non et alia plura ad historiam ecclesiæ Serbicæ facientia.

Gloria B.M.V. *Gloria sanctissimæ Dominæ nostræ et Deiparæ semperque Virginis Mariæ, in miraculosis ejusdem iconibus, quæ in Russia apparuerunt, manifestata.* (Slava Bogorodicy Marii). Partes tres, Mosquæ, 1853. Duæ priores agunt de cultu beatæ Virginis Mariæ qui apud Græcos viget; in tertia disseritur de Russorum erga Deiparam pietate, deque sacris ejusdem iconibus, quæ in Russia passim tamquam miraculis insignes magna religione coluntur. Sunt autem apud Slavos hæ imagines adeo numerosæ, ut earum descriptio integrum volumen non parvæ molis facile expleret.

Gorski et Nevostrujev. *Descriptio codicum Slavicorum bibl. synodicæ Mosquensis*, tom. I, pars prima et secunda, annis 1855 et 1859, auctoribus Alexandro Gorskio et Capitone Nevostrujevio. Priore parte comprehenduntur codices sacri; posteriore opera SS. Patrum. Opus probatæ eruditionis; at nondum absolutum. Dolendum, quod in describendis Evangeliariis aliisque libris liturgicis, priore parte contentis, parce nimis ac jejune egerint de Kalendariis, quæ in eisdem inserta sunt; ita ut tota de Kalendariis tractatio duobus aut tribus paginis absolvatur, quamvis eorum nonnulla, quæ nempe in codd. signatis 20 25 et 28 reperiuntur, totius anni sanctos referant.

Grad. lib. *Gradualis liber* (Stepennaja kniga), regalis genealogiæ gradus exhibens, auctoribus Cypriano et Macario metropolitis, 2 vol. 1775 Mosquæ. Pertingit ad annum 1559.

Grigorović. *De Slavorum apostolis disquisitio* in regionibus Turciæ europeæ facta, auctore V. Grigorovič, in Universitate Kazanensi professore. Optima hæc scriptio, in *Diurnali Ministerii publicæ instructionis* pro anno 1847 inserta, præter generales notiones de Slavorum apostolis in veteri Serbia et Bulgaria, exhibet græcam Vitam S. Clementis, episcopi Bulgarorum, sæculo XIII, ut auctori doctissimo videtur, conscriptam.

Gumppenberg. Atlas Marianus, ed. Monachi, anno 1672.

Havski. *Menologia, Kalendaria et Hagioptycha* russica, opus chronologicum et historicum, tribus libris constans. Edit. Mosquæ 1856. In Quæstionibus chronologicis elucidandis multum subsidii præbet, eoque titulo utilissimum est.

Herberstein. *Rerum Moscovitarum commentarii*, ed. Basileæ, anno 1556. Præclaram hanc baronis Sigismundi de Russia tractationem nuper ex exemplari Basileensi ediderunt Universitatis Petropolitanæ alumni, eruditis prolegomenis et adnotationibus locupletatam, addita quoque versione russica. Restat ut elucubrationem suam, insertam « *Collectaneis* » anno 1857 et 1860 duobus voluminibus a se editis, seorsim quoque typis mandent editores.

Hilferding. *Literæ ad Historiam Serborum et Bulgarorum pertinentes, Mosquæ* 1855. Agunt de Historia Serbiæ et Bulgariæ antiquiore, continentque Vitam S. Joannis Rylensis ex vetusto codice exscriptam.

Acta soc. Geogr. *Acta Societatis geographicæ*, t. XIII, edit. Petropol, 1859. Fere integrum volumen replet tractatus ejusdem auctoris de Serbia, Bosnia et Herzegovina, variis notitiis de sanctis Serbiæ refertus, statumque gentis Slavicæ, regiones istas incolentis, ornatiore stylo magis quam veridico depingens.

Notitiæ seu Commentaria Academiæ literarum Russicarum Petropolitanæ. Opus periodicum, anno 1852 inchoatum, et quidquid ad literas Slavicas quomodocumque pertinet, in lucem proferens, adhibita arte critica; de rebus vero hagiographicis innumera continet, a quovis hanc materiam tractante præ oculis omnino habenda. Commentariorum editioni præest clarissimus Izmael Sreznevski, in Slavicis nemini in Russia secundus. *Izvestija.*

Matka swietyh Polska, albo żywoty swietych, blogoslawionych, wielebnych, swiatobliwych, pobożnych Polakow i Polek; *Sanctorum mater Polonia*, seu vitæ sanctorum, beatorum, venerabilium et devotorum Polonorum et Polonarum, auctore Flaviano Jaroševicio, ord. S. Francisci Reformati, 2 vol., ed. Pecaris, in Silesia superiore, anno 1850, juxta editionem anni 1767 factam. Pietati promovendæ potius, quam eruditioni aut arti criticæ indulsit auctor, utpote qui non tantum sanctos, numero quidem paucos, in medium protulit, sed et innumeros alios commemoravit, qui sive in religione, sive in mundo virtutibus inclaruerunt, non secus ac in Menologiis religiosorum Vitæ enarrari solent. Ad hæc, ex sanctis ecclesiæ ruthenicæ non nisi sequentes admisit auctor, Alexium Metropolitam, Borisum et Glebum, martyres, Mercurium Smolenscensem (ad 10 Julii) et Olgam, cæteris omnibus prætermissis. *Jaroševič.*

Descriptio Montis Atho, auctore Joanne Comneno, recusa græce et latine in Palæographia græca Montfauconii, a p. 441 ad p. 499. Titulus proprius est: Προσκυνητάριον τοῦ ἁγίου ὄρους τοῦ Ἄθωνος, sub quo prima vice prodiit opus Bucharesti, anno 1701. *Joannes Comnenus.*

Joannes, Bulgariæ Exarcha, ed. Kalajdovic Mosquæ 1824, in-folio maximo. Ejusdem *Kalajdo.*

Monumenta literarum russicarum sæculi XII, adnotationibus, variis lectionibus et graphicis speciminibus illustrata, Mosquæ, 1821. Utrumque opus criticum. Horum prius agit de Joanne, archiepiscopo Bulgariæ, qui sæculo X floruit, nec non de literarum slavicarum auctoribus, Cyrillo et Methodio, Clemente, episc. Bulgariæ, etc. Alterum continet quindecim scripta Cyrilli, episcopi Turoviæ, epistolam Nicephori metropolitæ ad Vladimirum, magnum ducem Russiæ, alteram epistolam Joannis metropolitæ, Clementi, Romano pontifici, inscriptam, Responsa Niphontis, episcopi Novgorodensis, ad Cyriacum data, Decretum Eliæ, Novgorodensis archipræsulis, Narrationem Danielis exulis, ac tandem famosam epistolam B. Simonis, episcopi Vladimiriensis et Suzdaliensis ad Polycarpum, monachum Cryptensem, destinatam. Porro scriptis Cyrilli, Niphontis, Eliæ et Simonis, qui inter sanctos a Russis numerari solent, præmisit auctor breves quidem, at solidas de eorum vita tractationes.

Archivium de rebus Russiæ juridico-historicum. *Kalačov.*

Historia

Karamzin. *Historia imperii rossiaci*, 12 vol. ed. Petropol. 1818. Opus classicum, propter magnam adnotationum criticarum copiam, ad calcem cujusque voluminis adjectarum, summopere commendandum. Cæterum nimis notum, quam ut longius in eo hæreamus. Monitum tantum lectorem volumus: *Historiam Karamzinianam* non excedere annum 1613, quo thronum Moscoviticum ascendit Michael Romanov, dynastarum hodie in Russia regnantium omnium primus.

Karatajev. *Index chronologicus librorum slavonicorum*, litteris cyrillianis excusorum ab anno 1491 ad annum 1730, auctore J. Karatajev. Petropoli, anno 1861. — Liber perutilis et magna cura concinnatus.

Kazanski. *Historia monachatus orthodoxi in Russia*, inde ab origine monasterii Kievocryptensis, a S. Antonio fundati, usque ad S. Sergium, Lauræ SS. Trinitatis conditorem. Scripsit Kazanski, in Academia ecclesiastica Mosquensi professor. Mosquæ, 1855. Compilatio optime quidem ex optimæ notæ auctoribus indigenis facta, novi tamen fere nihil exhibens, si excipias appendicem de tempore quo Antonius monasterii Cryptensis fundamenta jecit, non eruditam tantum, sed et novam modo.

Kojalovicius, S. J. *Historiæ Lituanæ pars prior*, libri novem, auctore Alberto Wuyk Kojalovicio, S. J., Dantisci 1650, in 4°. Desinit in anno 1387. Historiæ Lituanæ a conjunctione magni Ducatus cum regno Poloniæ ad unionem eorum dominiorum, libri octo. Antverpiæ, 1669. Desinit in annum 1572. — Utraque pars permagni æstimatur, simul et difficilime reperitur. — *Miscellanea rerum ad statum Ecclesiasticum in magno Ducatu Lituaniæ pertinentium*. Wilnæ, anno 1650. Horum initio leguntur compendiosæ Vitæ sanctorum Lituanæ Ecclesiæ propriorum. — Addamus, plures Kojalovicii notitias de imaginibus B. M. V. miraculosis, quæ in Lituania et Polonia sua ætate colebantur, in *Atlante Mariano* Gumppenbergi esse insertas.

Kopitar, Proleg. ad Evang. Rem. *Prolegomena historica in Evangelia Slavica, quibus olim in Regum Francorum oleo sacro inungendorum solemnibus uti solebat Ecclesia Remensis*: Hæc prolegomena præmissa sunt Evangelio Remensi, vulgo *Texte du sacre* dicto, et Parisiis anno 1843 typis vulgato. — Iterum excusa sunt in *Bibliotheca Slavica*, quam Vindobonæ anno 1851 evulgavit Franciscus Miklosič, tomo I, pag. 18 et seq. — Hujus Bibliothecæ initio legi potest Kopitarii vita ab ipsomet conscripta. — Ejusdem *Glagolita Clozianus*, Vindobonæ, 1836. Cui necessario addendum est opusculum clarissimi Miklosičii, ita inscriptum: *Zum Glagogolita Clozianus*. Vindobonæ 1860.

Kovalevski. *Quatuor menses in Monte-Nigro peracti*. Auctore Kovalevski, Petropoli, 1841 (russice).

Kostom. Mon. lit. ant. *Monumenta literarum russicarum antiquiora*, accurarunt Kostomarov et Pypin, expensas præbuit Comes Kušelev-Bezborodko, tomi tres Petropoli 1860-1862. Inter aliaminoris momenti, puta narrationes mysticas aut fabulas apud vulgus vigentes, reperiuntur in tertio tomo, quo potissime usi sumus, Legendæ de quibusdam sanctis indigenis, ex codicibus manuscriptis depromptæ, at nullo addito commentario. — Nicolaus Kostomarov Historiam russicæ gentis prælegit in Universitate Petropolitana, estque aliorum operum auctor notissimus. Plura quoque scripsit Alexander Pypin.

Kubarev, De pater. *Disquisitio de paterico Cryptensi, nec non antiquissimi ejusdem ecgraphi descriptio*. Auctore A. Kubarev, Mosquæ, 1847. Licet quadraginta paginis tantum constet hæc opella, multi tamen ponderis est, auctorisque merita commendat. *De Nestoris chronico dissertatio*, inserta in volumine Disquisitionum de Historia Russiæ, quas evulgandas suscepit Pogodin, historiæ russicæ cultor strenuus et ipse. De utroque tractatu sæpe sæpius agitur in commentario prævio ad Vitam B. Arethæ, monachi Kievocryptensis, in *Actis SS.* Octobris tomo decimo.

Vid. Archiv. jugoslav.

Kukuljević-Sakcinski. Kulčinski, Spec. *Specimen Ecclesiæ Ruthenicæ* ab origine susceptæ fidei ad nostra usque tempora in suis capitibus cum S. Sede Romana unitæ, cum Appendice, per Ignatium Kulczynski, ord. S. Basilii. Editio Parisina, anno 1859, juxta rarissima exemplaria romanæ editionis anni 1733 a me vulgata, ac præfatione, annotationibus variisque indicibus locupletata.

Diaspro. *Il diaspro prodigioso* di tre colori, ovvero narrazione istorica delle tre immagini miraculose della B. V. Maria, la prima di Zyrovice in Lituania, la seconda del Pascolo in Roma, e la terza copia della seconda parimente in Zyrovice, detta da quei populi Romana. Romæ, 1732. Opusculum quadripartitum, cujus secunda pars continet brevem Vitam B. Josaphati, archiepiscopi Polocensis et martyris.

Menol. Basil. *Menologium Basilianum*, ed. anno 1771. Opus posthumum, Basiliani ordinis Vitas sanctorum illustriores continens, in singulos anni dies ordine distributas. Kulčinii Vitam legesis in editione *Speciminis* Parisina. Quem licet acerrime, pro more suo, impugnet Assemanus, tamen fere ex integro in sua Kalendaria Ecclesiæ universæ exscripsit, quæcumque de sanctis Ruthenis continet Specimen; habet autem optimas res, easque ex vetustis et probatis fontibus depromptas.

Kopr. codd. Novg. *Conspectus codicum membraneorum qui in bibliotheca Novgorodensi ad S. Sophiam asservantur* (Obozrenije pergaminnyh rukopisej, etc.) auctore Kuprianovio, 1857, Petropoli. Antequam seorsim in lucem prodiret hæc erudita codicum mss. descriptio, legi potuit in Commentariis Academicis (Isvestija), quibus tanto omnium rei peritorum applausu moderatur clarissimus Sreznevskij.

Lequien. *Oriens Christianus*, studio Michaelis Lequien. ed. Parisiis, anno 1740.

Macarius, Hist. eccl. russ. *Historia Ecclesiæ Russicæ*, auctore Macario, episcopo Vinnitsæ, 3 v. Petropol, an. 1857. Incipit a tempore Vladimiri I, et desinit in annum 1240. Tomi quarti fragmenta vulgata sunt in variis operibus periodicis, in decursu operis hujus citandis. Reliqua volumina desiderantur. Tempora ante Vladimirum elapsa complexus est idem auctor in opere antea edito, cui inscribitur titulus: *Historia christianæ religionis in Russia usque ad tempora Vladimiri, ducis*, seu introductio in historiam Ecclesiæ Russicæ, auctore Macario,

rio, archimandrita, Petropoli 1846. Utrumque opus, ut verum dicamus, summa diligentia concinnatum est, et quamvis veritati historicæ non ubique consonet, ac popularium præconcepta judicia nimium redoleat, tamen ab historiæ ecclesiasticæ tractatoribus sedulo manibus versandum est, tum propter artem criticam, qua facta expenduntur, tum propter fontes uberrimos, qui reserantur ab auctore, doctissimo, simul et feracissimo.

Maceda. *Hosius vere Hosius*, ΟΣΙΟΣ ΑΛΕΘΩΣ ΟΣΙΟΣ, *hoc est Hosius vere innocens, vere sanctus.* Dissertationes duæ : I De commentitio M. Hosii, Cordubensis episcopi, lapsu; II De sanctitate et cultu legitimo ejusdem, etc. Auctore Michaele Josepho Maceda, presbytero, Bononiæ, 1790.

Martinof. *Manuscrits Slaves de la Bibliothèque impériale de Paris*, par le P. Martinof, S. J., avec un calque, Paris, 1858. Huic opusculo inserta est vita *S. Simeonis, magni Zupani Serbiæ*, a S. Stephano, ejusdem filio et Serbiæ rege, scripta sæculo XIII.

Martyrol. V. Martyrologium Venetum, ed. anno 1798, accurante Cariophilo.

Maximovič. *Kievlianin*, pro anno 1840. Analecta rerum ad Russiam inferiorem spectantium.

Mazochius. Alexii Symmachii Mazochii, Neapolitanæ ecclesiæ canonici, etc., in Vetus marmoreum S. Neapolitanæ ecclesiæ Kalendarium commentarius: tomi tres; Neapoli, an. 1743. Comprehendit sex priores anni menses tantum. Solidæ eruditionis opus.

Menæa. *Menæa menstrua*, liber quo exhibentur Officia ecclesiastica, in duodecim menses divisa et totidem voluminibus contenta. Edita Mosquæ, 1847.

Menolog. Menologium seu *Vitæ Sanctorum omnium qui ab Ecclesia Græco-Russica coluntur*, auctore Demetrio, Rostoviensi metropolita, 4 vol. in folio maximo, Mosquæ, 1852. Plura de hoc opere dicemus in Vita Demetrii, quem inter sanctos suos collocant Russi, et cujus vitam prolixiorem legere est in fronte primi voluminis.

Miklos. Monum. Serb. *Monumenta Serbica spectantia historiam Serbiæ, Bosniæ et Ragusii*, edidit Miklosich, Viennæ, 1858. Hic liber egregius complectitur diplomata spectantia ad historiam Serbiæ, Bosnæ et Ragusii, quæ lingua Serbica conscripta sunt. Diplomatibus addidit collector quasdam inscriptiones, ad eamdem historiam nonnihil facientes. Desinit in annum 1490, inde ab anno 1114. Ejusdem

Chron. Nest. *Chronica Nestoris*, (1860, Vindobonæ) codicem Laurentianum, ut vocatur, reproducens, cum pluribus aliis codd. mss. collatum, et ad leges palæographiæ slavicæ exactum. Cæterum ab editione Academiæ Petropolitanæ, de qua supra egimus, re quidem ipsa parum abludit. Ejusdem

Acta patr. CP. *Acta Patriarchatus Constantinopolitani*. V. supra.

Bibl. slav. *Bibliotheca slavica*. V. supra.

Monum. lit. Monumenta lit. ant. Cfr Kostomarov.

Montfaucon. *Palæographia græca*, ed. Paris. anno 1708.

Morcellius. *Kalendarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, mille annorum vetustate insigne, primitus e bibliotheca Romana Albanorum in lucem editum et veterum monumentorum comparatione diurnisque commentariis illustratum cura Stephani Antonii Morcelli, tomi 2, Romæ, anno 1788. Egregium opus.

Mosqu. *Mosquitianin* (seu Moscovita). Opus periodicum prodiens singulis mensibus Mosquæ.

Muraltus. *Essai de chronographie byzantine* pour servir à l'examen du Bas-Empire et particulièrement des chronographes slavons de 395 à 1057, par Edouard de Muralt, St-Pétersbourg, 1855. Liber chronologiam apprime illustrans, et manibus constanter terendus, licet rudiore stylo sit conscriptus.

Muraviev. *Vitæ sanctorum Ecclesiæ Russiacæ, nec non Iberorum et Slavorum*, 12 vol. anno 1856-1860. Petropoli. Liber hagiographo necessarius, eo quod Vitæ ibidem contentæ ex codicibus manuscriptis magna ex parte exscriptæ sint, quamvis legentium pietatis promovendæ, et arti oratoriæ multo magis quam criticæ exercendæ aut solidæ eruditioni indulsisse videatur auctor, cæteroquin notissimus. Ejusdem

Hist. Eccl. Russ. *Historia Ecclesiæ Russicæ*, Petropoli, 1838. Desinit in annum 1723, id est in tempus quo Synodus Petropolitana, ex nutu Petri Magni, patriarchæ Mosquensis jura hæreditavit, patriarcharum OEcumenicorum quasi soror.

Neophytus. *Officia et Vita venerabilis et Deiferi patris nostri Joannis Rylensis, eremitæ*, ex antiquis codd. eruta a Neophyto, typis vero vulgata a Joasapho, ejusdem monasterii Rylensis hieromonachis, Belgradi anno 1836. Accedit narratio de reditu reliquiarum S. Joannis Rylensis, ex urbe Ternobo, et de monasterii Rylensis instauratione, auctore Vladislao Grammatico.

Nestor. chron. *Nestoris Chronicon*. V. supra. Ejusdem

Vita sanctorum Borisi et Glebi, ed. Sreznevski, Petropoli, 1860.

Vita S. Theodosii, monasterii Kievocryptensis hegumeni et fundatoris, edidit Philaretes, episcopus Rigensis, in opere periodico cui titulus: « *Učenyja zapiski*, » tomo secundo, anno 1856. Ejusdem

Officium. *Officium Sanctæ Euphrosyniæ* Polocensis, cujus memoria celebratur ad diem 23 Maii. Petropoli, 1856, typis synodalibus.

Opera SS. PP. *Opera sanctorum patrum*, in linguam russicam conversa, cum appendicibus. Opus periodicum, cura Academiæ ecclesiasticæ Mosquæ prodiens. Plurima sanctorum indigenarum Vitas offert, in appendicibus passim legendas.

Ostrovski. *Descriptio historica ecclesiæ cathedralis Kostromensis*, auctore Ostrovski, ejusdem ecclesiæ presbytero, Mosquæ, 1855.

Palauzov. *Sæculum Simeonis, regis Bulgariæ* (Viek bulgarskago tsarja Simeona) Petropoli, 1852. Plura habet de SS. Slavorum apostolis, Cyrillo et Methodio, nec non de Clemente, Gorazdo, etc.

Passek. *Očerki Rossii* (seu Russiæ lineamenta), libri quinque, 1838-1842.

Patericon Cryptense. *Patericon Cryptense*, edit. Mosquensis, anno 1767.

Patericon Athon. *Patericon Athoense* (Afonski Paterik) seu Descriptio Vitarum sanctorum qui in Monte Atho claruerunt, tom. 2, Petropoli, an. 1860. Scriptus idiomate russico.

Pejacevich. *Historia Serviæ* seu Colloquia XIII de statu regni

regni et religionis Serviæ ab exordio ad finem sive a sæculo VII ad XV, auctore Franc. Xaverio e lib. Baron. de Pejacevich a Verocza, opus posthumum, in-fol., Colocæ, 1797. Liber rarissimus vereque aureus.

Plano Carp. *Joannis de Plano Carpini, Antivarensis archiepiscopi, Historia Mongolorum quos nos Tartaros appellamus,* editio societatis Geographicæ Parisiensis, inserta in opere cui inscribitur : Recueil de voyages et de mémoires publiés par la société de Géographie, t. IV, (p. 603-774), Paris, 1839. Editionem Plano-Carpini curavit et commentariis uberrimis instruxit D'Avezac.

Philar. Hist. Eccl. Russ. *Historia Ecclesiæ Russicæ*, auctore Philareto, archiepiscopo Charkoviensi, 3 volumina, Mosquæ 1857 et 1859. Duo priora jam tertio excusa prodeunt, ultimum vero anno 1859 tantum in lucem venit. Totum opus, in quinque libros divisum, totidem periodos complectitur : quarum prima desinit in annum 1238; secunda comprehendit tempus dominationis Mongolicæ; tertia incipit ab anno 1410, quo Metropolis in duas partes scissa est; quartam orditur annus 1589, quo Patriarchatus Mosquensis creatus est : excipit autem periodus Synodalis ab anno 1719 ad nostra usque tempora. Opus notabile si eruditionem spectes fontesque uberrimos unde haustum; si vero veritatem historicam respicias, a præconceptis popularium judiciis et partium studio minime immune adeoque valde caute legendum. Omnium tamen, quotquot hucusque prodierunt opera, similem materiam tractantia, procul dubio maxime completum est.

Cyril. et Method. *Cyrillus et Methodius, Slavorum apostoli*, Mosquæ 1846. Scripsit idem Philaretus, tunc episcopus Rigensis; iterumque vulgavit anno 1859 in opere de *Patribus Ecclesiæ*, de quo statim. Tractatiuncula erroribus referta.

Doctr. hist. de PP. Eccl. *Doctrina historica de Patribus Ecclesiæ*, vol. tria, Petropoli 1859. Horum ultimum, præter scriptionem de SS. Cyrilio et Methodio, agit de S. Clemente Bulgariæ episcopo, de B. Nestore, S. Theodosio Kievocryptensi et S. Hilarione Metropolita Kioviensi. Ejusdem

Conspect. litt. eccl. *Conspectus litterarum ecclesiasticarum in Russia* (Obzor Russkoi duchovnoj litteratury). Petropoli, 1856. Insertus tomo tertio operis periodici Academiæ : *Eruditorum memoriæ* (Učenyja Zapiski) dicti; dein vero Charkoviæ seorsim typis mandatus anno 1859. Tractatus re quidem vera eruditus, opusque Eugenii metropolitæ de *Scriptoribus ecclesiasticis* plurimum complens; in iis tamen, quæ ad scriptores ruthenos cum Romana sede unitos spectant, necessario complendus et ipse. Editionem separatam edidit auctor, jam archiepiscopus Tchernigoviensis et Nežinensis.

Pogodin, Collect. Histor. *Collectanea historica Russiæ.* (Russkij istoričeskij Sbornik). IV vol. 1837-1842. Mosquæ. Ejusdem, *Disquisitiones de historia russica.* Mosquæ, 1840-1855. Prodierunt quinque tomi : quorum primus agit de historiæ russicæ fontibus et imprimis de Nestoris chronico; secundus disserit de Varego-Russorum origine et de Slovenis; tertius continet periodum Normannicam; quam claudit annus 1054; quartus et sextus comprehendunt periodum sequentem, ab anno 1054 ad annum 1240. Quintum volumen et septimum, in quibus tractabitur de periodo Mongolica, adhuc desiderantur.

Cyril. et Meth. *Cyrillus et Methodius, Slavorum apostoli*, opus Josephi Dobrowskii historico-criticum, e lingua Germanica in Russicam convertit, et variis appendicibus auxit Pogodin, Mosquæ, 1825, in-4°. Ubi notanda sequentia editoris verba ad pag. VII : « *Quædam,* ait, *in primo operis paragrapho contenta, omitti debuerunt* NECESSITATE ITA EXIGENTE, *salva tamen rei essentia.* » Notavimus insuper in *Collectaneis historicis* primo loco citatis, variorum auctorum tractatus contineri; inter alia vero optimam dissertationem de Nestore, quam conscripsit A. Kubarev, superius a nobis laudatus. Cf. insuper quæ diximus supra, ubi de *Chronico Pscovensi.*

Polycarpus. *Epistola ad Acyndinum Cryptensem archimandritam.* Habetur in Patercio Cryptensi, folio 194 verso et sequentibus, ed. Mosquensis anno 1767. Ejusdem *Vitæ* quorumdam Patrum Cryptensium, in epistola modo laudata primitus contentæ, leguntur in eodem Paterico seorsim positæ folio 135 et sequentibus. — De Polycarpo plura diximus in commentario prævio ad Vitam B. Arethæ, tomo X Octobris *Actorum* ad diem 24 Octobris insertam.

Pouqueville. *Voyage de la Grèce*, 6 vol. Paris, 1826. *Histoire de la régénération de la Grèce.* 4 volumes. Bruxelles, 1825.

Pravila. *Pravila molebnaja Svetych serbskih prosvetitelei,* Mosquæ 1765. Id est canones precum in honorem sanctorum Serbiæ apostolorum (russice).

Pravosl. Sobesed. *Pravoslavnyj sobesednik*, seu *Colloquia orthodoxa*, Kazaniæ. Opus periodicum, anno 1855 inchoatum, curante Academia ecclesiastica Kazanensi. — Passim sanctorum indigenarum Vitas exhibet e codicibus manuscriptis erutas, atque adnotationibus auctas.

De præfectis Novgorodensibus tentamen. Petropoli, 1821, auctore incerto.

Prologus. *Prologus*, i. e. Synaxarium, 2 vol. in f°. Mosquæ, 1843. Vitas Sanctorum sive alienigenarum sive indigenarum exhibet, quæ et breves sunt et fide, ut generatim loquamur, vix digniores quam eæ, quæ in Menologii voluminibus continentur.

Proprium Poloniæ et Sueciæ. *Proprium* sive Officia propria Festorum et *sanctorum Patronorum* regni Poloniæ et Sueciæ. Campoduni, 1856.

Prżeglad. Poznanski. *Prżeglad* seu Speculator Poznaniensis, opus periodicum anno 1845 inceptum, adcurante Joanne Kozmian, hodie sacerdote, magno rei catholicæ zelatore.

Pypin. *Monumenta literarum russ. antiquiora.* Vide Kostomarov.

Rački, Cyrilli Method. *Viek i djelovanje sv. Cyrilla i Methoda Slovjenskih Apostolov.* Nacrtao Dr. Franjo Rački, fasciculus I et II. Agram, 1857-1859. Tractatus hic cæteris omnibus, quotquot de hac materia agunt, facile anteponendus, adeoque dignissimus, qui e lingua illyrica in aliam vulgatiorem convertatur, et ita apud alienigenas quoque quammaxime innotescat. Uterque fasciculus partem historicam complectitur; tertius de litteris Slavicis, a S. Cyrillo

rillo inventis, fuse tractaturus, ab omnibus slavicarum rerum amatoribus summopere desideratur.

Raič. Hist. popul. slav. *Historia variorum populorum Slavorum, imprimis vero Bulgarorum, Chrobatorum et Serborum ex oblivionis tenebris in lucem historicam eruta*, auctore Joanne Raič, Kovilensis monasterii ad S. Michaelem archimandrita. 4 vol. in 8°, Budæ, 1823, cum tabulis geographicis et genealogicis. — Opus criticum in quo conscribendo usus est auctor non modo scriptoribus græcis et latinis, sed etiam indigenis, usque ad hunc diem forsan ineditis. Magnopere igitur commendandum est, quamvis minus eleganti calamo exaratum sit. Editionem Viennensem anni 1794 ignoramus.

Ratšin. *De Monast. et Eccl. Russ.* — Notitiæ historicæ de omnibus monasteriis et notabilioribus ecclesiis, quotquot olim in Russia exstiterunt aut hodiedum exstant, in unum corpus redactæ, auctore Alexandro Ratšin. Mosquæ 1852. — Liber unicus.

Rudnev, De hæres. *Tractatus de hæresibus et sectis quæ in Ecclesia Russica a tempore Vladimiri Magni usque ad Joannem Minacem exstiterunt.* Auctore Nicolao Rudnev, Academiæ ecclesiasticæ Mosquensis studioso. Mosquæ, 1838.

Russk. beseda. *Russkaja besêda* (seu Colloquia Russica), Mosquæ, 1856-1861, opus periodicum.

Russk. Vest. *Russkij Vestnik* (seu Nuntius Russicus), Mosquæ, 1856-1861, opus periodicum, ideo hic citatum, quia hagiographica quædam, licet pauca, continet.

Sabbas. *Index bibliothecæ Mosquensis patriarchicæ* (hodie synodicæ), auctore Sabba, archimandrita, Mosquæ 1858. Est catalogus omnium codicum mss. dictæ bibliothecæ, alphabetico ordine dispositus. Prior pars continet codices Græcos, posterior Slavicos; utraque commentariis et adnotationibus pene destituta. Accedit fragmentum de characterismis quorumdum SS. Patrum, auctore Ulpiano, ex codice Græco signato 101, anni 993, excerptum, addito textu russico et slavonico; demum vocabularium. Auctor hujus opusculi nuper evectus est ad sedem Možaïscenam.

Sabbatinius. *Il vetusto calendario Napoletano* nuovamente scoverto con varie note illustrato dal P. D. Lodovico Sabbatini d'Anfora, prete della Congregatione de' pii Operaji. Opus tomis IX comprehensum, quorum primus prodiit anno 1743, ultimus anno 1747; continet novem priores anni menses.

Schafarick. Monum. Slav. Merid. *Monumenta litteraria Slavorum Meridionalium* (Pamatky drevniho pisemnictvi jihoslovanov). Pragæ 1851.

Monum. Glagol. *Monumenta Glagolitica* (Pamatky Hlaholskeho pisemnictvi). Pragæ 1853. Uterque liber a rei peritis maxime laudatus, quemadmodum et sequens : *Ueber den Ursprung und die Heimath des Glagolitismus*, Pragæ, 1858.

Schlözer. *Nestor. Chronica russica, palæo-slavonice scripta*, inter se collata, interpretatione et adnotationibus aucta edidit, Aug. Ludov. Schlözer. Russico idiomate donavit Dem. Jazykov, Petropoli 1809. Volumina tria. Horum secundum prolixe disserit de sanctis Slavorum apostolis Cyrillo et Methodio, de S. Clemente, Bulgariæ episcopo etc.

Skarga. *Vitæ Sanctorum* ed. Vilnensis, 1780. Opus classicum, et plurimus vicibus recusum.

Serbinović. *Notitia historica de Vita S. Euphrosynæ, ducissæ Polocensis.* Petropoli, 1841. Accedit descriptio crucis quam monasterio S. Salvatoris dono dederat Sancta Euphrosyna. Cæterum nomen suum tacuit auctor.

Schevyrev, Hist. lit. rus. *Historia litterarum russicarum, præcipue antiquarum.* Publice prælegit Steph. Schevyrev, in universitate Mosquensi professor. Vol. 4 Mosquæ 1846-1860.

Simon, epist. ad Polyc. *Epistola ad Polycarpum, monachum Pečerensem* data, a Simone episc. Vladimiriæ et Suzdaliæ. Editionem ejus præ cæteris commendandam vulgavit Kalajdovicius, *in Monumentis litterariis sæculi* XII, anno 1821 in lucem datis. Legitur etiam in Paterico, fol. 122-129 edit. Mosquensis anni 1767. De Simonis Vita, virtutibus et scriptis fuse tractavimus in commentario prævio ad B. Aretham, *Act. Sanctorum* ad 24 Octobris.

Solovjev, Hist. Russ. *Historia gentis Russicæ*, auctore Solovjev, in univers. Mosquensi professore. Decem priora volumina, jam typis mandata, desinunt in medium sæculi decimi septimi. Eorum primum prodiit anno 1854.

Sreznevski. *Legendæ Sanctorum Borisi et Glebi*, auctore Nestore. Ex codice Sylvestrino sæculi XIV, splendide et quam accurratissime, servatis omnibus palæographiæ legibus, edita Petropoli, anno 1860, cura illustrissimi professoris Sreznevskii. Innumera alia scripsit clarissimus editor, rerum Slavicarum, si quis unquam, peritissimus, simul et *Actis litterariis* Academiæ scientiarum edendis præpositus.

Stebelski, Duo Lumin. Dua swiatla (seu Duo magna Polociæ luminaria), i. e. Vitæ SS. Euphrosynæ et Parasceviæ, quibus accedunt Chronologia et Appendix ad Chronologiam. Vilnæ 1781 (Polonice). Opus maximi momenti, utpote quod fere universam Ecclesiæ Ruthenicæ historiam usque ad annum 1781 comprehendit; simul autem et rarissimum, adeoque ut iterum typis mandetur summopere desiderandum.

Strcht. *Das gelehrte Russland.* Leipzig, 1828. *Geschichte der Russischen Kirche*, 1 vol. Halæ, 1830. Horum prius ex Eugenii metropolitæ Kioviensis *Dictionario scriptorum ecclesiasticorum* quoad magnam partem exscriptum; posterius vero reliquis voluminibus caret.

Stredowski. *Sacra Moraviæ historia* sive Vita SS. Cyrilli et Methodii, genere civium Romanorum etc. ex diversis historicorum scriptorum Codicibus... collecta... a Joanne Georgio Stredowsky. Solisbaci, 1710. Liber plus 600 paginis in quarto constans, et acerbo sudore, ut titulus præfert, concinnatus.

Stulz. *Vita SS. Cyrilli et Methodii, Slavorum apostolorum.* Zivot swatyh Cyrilla a Methodia, apostoluv Slowanskih. Brunæ, 1857. Opusculum, pium æque ac eruditum, quæ duo rarissime inter se copulata reperiuntur.

Suchomlinov. *Codices manuscripti Comitis A. Uvarovii.* Tomus secundus, monumenta litteraria complectens. Fasciculus primus in 4°. Petropoli, 1858. Præter hunc fasciculum nihil aliud in lucem prodiit hucusque. Continet vero scripta

pta B. Cyrilli, episcopi Turoviensis, quas eruditissima præfatione ornavit auctor, in Universitate Petropolitana humaniorum literarum professor.

Susza, episc. Chelmensis. *Cursus vitæ et certamen martyrii beati Josaphat, archiepiscopi Polocensis.* Romæ 1665.

Saulus et Paulus ruthenæ Unionis, sanguine Beati Josaphat transformatus, sive Meletius Smotriscius, archiepiscopus Hierapolitanus, archimandrita Dermanensis, ord. S. Basil. M. per Jacobum Suszam, episcopum Chelmensem. Romæ, 1665.

Synaxarium. V. Prologus.

Tatiščev Hist. imp. Ross. *Historia imperii Rossiaci*, vol. VI. Opus posthumum, variis temporibus editum, nimirum tria priora volumina anno 1764-1773 ; quartum anno 1784; duo ultima vero nostris diebus addita. De auctore hoc qui plura scire cupit adeat præfationem meam in opusculo cujus titulus ita sonat: *Testament de Basile Tatistchef*. Paris, 1860.

Theiner, mon. Pol. et Lithuan. *Vetera Monumenta Poloniæ et Lithuaniæ* gentiumque finitimarum historiam illustrantia, maximam partem nondum edita ex tabulariis Vaticanis collecta et chronologico ordine disposita ab Aug. Theiner. Tomi tres in fol. max. ab anno 1217 ad annum 1700; quorum primum prodiit Romæ anno 1860, ultimum anno 1862.

Turgenev, Hist. Russ. mon. *Historica Russiæ monimenta*, ex antiquis exterarum gentium archivis et bibliothecis deprompta ab. A. J. Turgenevio. Duo vol. in 4°. Petropoli anno 1841-1842. Accedit supplementum, a Collegio Archeographico editum Petropoli anno 1848. Utinam plura ejusmodi monumenta ederent patriæ historiæ cultores : sunt namque auro pretiosiora.

Tsarstvennik *Tsarstvennik* seu Historia Bulgarica, explanans undenam Bulgari originem duxerunt, quomodo et quamdiu regnarunt et qua ratione regnum suum amiserunt ac jugum subierunt. Ex Mauro Orbino, Baronio, Zonara, Theophane, S. Euthymio Ternobiensi, (S.) Demetrio Rostoviensi aliisque Chronographis collecta. Budæ, 1844. Opusculum et mole tenue et auctoritate.

Učen. Zapiski. *Učenyja zapiski* (seu Eruditorum acta), ab Academia scientiarum Petropolitana edita, moderante Sreznevskio. Primum volumen prodiit anno 1854, ultimum, ordine quintum, anno 1859.

Ustav seu Typicon, ordinem divini officii exhibens, qui per integrum annum servari debet, in-fol. Mosquæ 1848. *Ustav.*

Vattenbach, *Beiträge zur Geschichte der christlichen Kirche in Mähren*. Wien, 1849. *Vattenbach, Beitrage.*

Menologium Ecclesiæ orientalis orthodoxæ, auctore Veršinskio, presbytero. Petropoli 1854. Opus egregium. V. etiam *Menologium*. *Veršinskio.*

Voyage historique et politique au Montenégro, par M. le colonel Vialla de Sommières, 2 vol. Parisiis, 1820. *Vialla.*

Vita S. Clementis, episcopi Bulgarorum. Græce edidit Franc. Miklosich. Vindobonæ, 1847. Vita hæc auctori anonymo, eique schismatico debita, est. *Vita S. Clementis.*

Vita S. Metrophanis, episcopi Voroneżensis, Mosquæ 1838.

Vita S. Demetrii Rostoviensis metropoltiæ, auctore Arsenio, metropolita.

Vita S. Euphrosynæ, Polotsensis ducissæ. V. Serbinovič.

Vita S. Theodosii, hegum. Cryptensis. V. Philaret.

Evangelium Ostromiranum, Petropoli, 1843. Descriptio codicum manuscriptorum Musæi Rumiantsoviani, Petropoli, 1842. *Vostokov.*

Pietas Mariana Græcorum sive ex duodecim tomis Menæorum et septem reliquis Græcæ ecclesiæ voluminibus, nunquam in latinum traductis, rerum et conceptuum selectorum pars prima, interprete Simone Wangnereckio S. J., Monachii anno 1647. Opusculum lectu gratissimum, et quod recuderetur non indignum. *Wangnereckius.*

V. Archiv hist. jurid. Kalačovii. *Zernin.*

Zoria Halicka seu Album pro anno 1860, Leopoli. Liber hic a Ruthenis cum sede Romana Unitis in lucem datus, curante Bogdano Dedickio, continet Vitam Jobi Scetensis schismatici a scriptore coævo etiam schismatico satis imperite concinnatam. *ZoriaHalicka.*

Historia veteris ducatus Russo-Galiciensis, in quatuor partes divisa. Leopoli, 1852. Liber erudite quidem, at rudiore calamo scriptus. *Zubrycki.*

INDICULUS

SIGLORUM QUIBUS KALENDARIA IN HOC OPERE PASSIM INDICANTUR.

Agan. Incertus codex, sæpe citatus in apographo Bollandiano ms., hodie bibliothecæ Burgundicæ.
Arc. Arcadianum seu Novgorodense, sub Arcadio archiepiscopo scriptum sæculo. XII (an. 1156-1163).
Ass. Kalend. Assemanianum seu Vaticanum, glagoliticis characteribus exaratum, sæculo XI.
Ath. Patericon Montis Atho.
Bas. Menologium Basilii, imperatoris, Urbini 1727.
Bud. Kalendarium bibliorum, ed. Budæ, anno 1806.
Cap. Tabulæ Capponianæ, sæc. XVII, edit. et illustratæ a J. S. Assemano in Kal. Ecclesiæ universæ, t. V. et VI.
CF. Idem ac Crypto-Ferratæ, de quo infra.
CL. *seu Clar.* Synaxarium græcum ms. collegii Claromontani seu Sirmundianum.
Chiffl. Menæa Græca mss. Chiffletii.
Chil. Typicon monasterii Chilandariensis ms., anni 1331.
Coisl. Codd. bibl. Coisl., n. 199 et 205, editi a Scholzio.
Copt. Synaxarium Copticum, citatum a Ludolpho et Bollandianis.
Crypt. Typicon græcum monast. Crypto-Ferratæ.
CP. Kalend. Ecclesiæ CPolitanæ, sæc. VIII, ed. a Morcellio. Romæ, 1788.
Cyth. Vitæ Sanctorum, ed. a Maximo Margunio, ep. Cytherorum, anno 1656.
Div. Menæa Græca mss. Divionensia seu Chiffletiana.
Dom. Menæa gr. mss. Patrum Dominicanorum.
Euch. Euchologium Serbicum. ed. an. 1854.
Eph. Ephemerides græco-moscæ figuratæ, quas illustravit Papebrochius, Act. SS. Maii, tomo I.
Flor. Synaxaria græca bibl. Laurentianæ Florentiæ.
Goth. Synaxarium Evangelii Saxo-Gothani, sæculi XI. Edid. Matthæi.
GP. Synaxarium Calipolitanum, sæc. x, ed. a Scholzio.
Gen. Kalendarium græc. Genebrardi.
Hag. Dictionarium hagiographicum, edit. Petropoli, 1839 et 1862, incerto auctore.
Hier. Kalend. græc. Hierosolymitanum, sæc. x, ed. a Scholzio.
Horol. Horologium Počajovense, ed. an. 1802.
Iber. Synaxaria Ecclesiæ Ibericæ quorum excerpta vulgavit Brosset Junior in suo Chronico Iberico.
Itg. Martyrologium in usum monachorum Italo-Græciæ, ord. S. Basilii, ed. 1848.
Kal. Kalendarium Mosquense, ed. an. 1818.
Kiov. Varia Kalendaria Kioviensia et Patris David S. J.
Leop. Kalend. Leopolitana, an. 1648 et 1839.
Man. Manuale seu Regula iconographorum.
Marg. *seu Max.* Maximus Margunius, ep. Cytherorum. Cfr Cyther.
Maz. Menæa græca mss. Mazarinæa.
Med. Menæa græca mss. bibl. Ambrosianæ Mediolani.
Men. Menæa Communia, ad quorum calcem adjectum est Kalendarium pro singulis diebus anni, ed. Mosquæ, 1848.
Mg. *seu Meng.* Menæa Græca excusa Venetis annis 1585 et 1834.
Mosch. Officia propria eccles. Bulgaræ, ed. Moschopoli.
Mst. Kalend. Evangeliarii Mstislaviensis, ante annum 1117.
Msq. Synax. gr. bibl. Mosq. synod., edita a Matthæi.
Nan. Codd. mss. bibl. Nanianæ.
Neap. Kalend. Neapolitanum marmoreum, sæculi IX.
Novg. Kalendarium ex Chronicis Novgorodensibus excerptum.
Og. Kalend. bibliorum Ostrogensium, an. 1581.
Ostr. Kalend. Evangeliarii Ostromirani, annorum 1056, 1057.
Pg. Synax. gr. bibl. Parisinæ ed. a Scholzio.
Pp. *seu Pap.* Tabulæ Papebrochii figuratæ.
Pat. Patericon Kievocryptense, ed. Mosquæ, 1757.
Poss. Synaxarium Possevini.
Pr. *seu Prol.* Prologus, id est Menologium compendiosum, ed. Mosquæ, 1850.
Prem. Synaxarium Premysliense, ed. an. 1861.
Ps. Kalendarium excusum ad calcem Psalterii Glossati.
Put. Menæa Novgorodensia mensis Maii, scripta a Putiata, sæc. X-XI.
Rem. Kalend. Evangeliarii Remensis.
Rum. Codex Novgorodensis Musæi Rumiantsoviani.
Supr. Menæa Suprasliensia, Mensis Martii sæc. XI.
Sib. Siberi Menolog. metricum.
Sirl. Menologium cardinalis Sirleti.
Sirm. Menæa mss. Sirmundi seu Claromnotana.
Siš. Sišatovacensis monast. Kalendarium, anni 1324.
Sp. Kalend. Sparvenfeldianum, ms.
Syn. Synaxarium græcum Nicodemi.
Taur. Menæa gr. aut cod. bibl. Taurinensis.
Tern. Kalend. Ternobiensis ecclesiæ ms. anni 1272.
Val. Synaxarium Horologii Valachici, ed. anno 1803, et Menæa febr. mss. bibl. Ossolinianæ, anni 1492.
Vat. Codd. Vaticani duo, editi ab Assemano in Kal. eccl.
Ven. Menæa Veneta ed. anno 1538.
Verš. Kalendarium Eccles. Græcæ Orientalis, ed. Petropoli, anno 1854, auctore Demetrio Veršinski.
Vind. Kalendarium ecclesiæ CPolitanæ, ms., sæc. XII, in bibl. Cæsarea Vindobonensi.
Ust. Ustav. seu Typicon, ed. Mosquæ, an. 1861.
Zogr. Kalendarium ad calcem Evangelii Zographiensis glagolitici, sæc. XI, exaratum literis cyrillianis, sæculo XII vel XIII.

MENSIS JANUARIUS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. Circumcisio Domini Nostri Jesu Christi. (*Ita omnes codices slavici cum Bas. CPol. Hier. GP. Neap. etc*). Et memoria Patris nostri Basilii, archiepiscopi Cæsareæ in Cappadocia (*Mstisl. et plurimi cum Bas. Neap. Hier. GP. Vind. Goth. Pg. Flor. Msq. etc.*).

Ex variis. S. Basilii Ancyrani martyris (*Men. Prol. Kal. et recentiores cum Sirm. Chifl. Maz.*).

† Theodoti mart. (*Maz. Mg.*) † Gregorii ep., patris S. Gregorii Theologi (*Maz. Mg.*).

† MM. Theopempti et Theodotæ (*Bas.*).

OBSERVANDA.

Circumcisio. Etsi in codicibus Slavorum liturgicis prima Januarii constantissime vocetur *Circumcisionis dies,* et huic mysterio celebrando sit imprimis sacra, nihilominus tamen eadem die recolitur quoque memoria sacratissimi Nominis *Jesu,* quod in ipsamet circumcisione Puero fuit impositum. Testantur id hymni sacri, quos decantare initio anni solet Ecclesia Græco-Slavica, uti quando fideles alloquitur his verbis : *Venite gloriosum Christi Domini nomen in sanctimonia celebremus; hodie namque, quemadmodum Deum decet, vocatus est Jesus* (Ode 9) ; et iterum : *Octavo die circumciditur Dominator ut puer; nomen vero Jesu accipit ut Salvator mundi et Dominus.* Utrumque innuit inscriptio Slavica Tabulæ Græco-Moscæ, initio hujus mensis superposita, quæ latine ita sonat : *Octavi futuri sæculi vitam incessabilem repræsentat* (Januarius), *in quo Dominus circumcisus est et die octava vitæ nomen suscepit.* Ubi notabis allusionem ad vitam futuram, quæ utpote omnimode perfecta octonario numero mystice significari putabatur olim. In Euchologio autem Ruthenorum catholico festum hodiernum annunciatur hoc modo : *Circumcisio secundum carnem Domini Nostri Jesu Christi;* statimque additur sequens clausula : *Dominus Noster Jesus Christus ideo circumcisus est, ne legem transgredi videretur, neve dicere possent hæretici phantasticam fuisse ejus incarnationem : etenim et carnem verissime assumpsit Dominus, et legis non adversarius fuit sed consummator, baptisma pro circumcisione nobis donans.* Ibidem, in oratione dimissoria seu ἀπολυτικίῳ dicitur celebrari hodie simul cum Circumcisione pueri Jesu festum S. Basilii, archiepiscopi Cappadocii; et re quidem vera de utroque perpetuus sermo fit in officio hujus diei. Utrumque referunt similiter synaxaria, non tamen omnia. Et quidem Arcadianus codex sat antiquus habet solummodo *Circumcisionem Domini*, tacito Basilio, quemadmodum et Kalendarium CPolitanum, a Morcellio vulgatum. In Saxo-Gothano contra tacetur Circumcisio. Assemanianus codex glagoliticus, quem a prædicto CPolitano raro dissentire testatur idem Morcellius (Kalend. tom. I, pag. 220), similiter nihil habet de S. Basilio; Circumcisionem quoque annuntiat aliter ac cæteri, nempe : *Circumcisio octavaria Domini Nostri Jesu Christi;* ut ita conveniat cum Martyrologiis Latinis, quorum pleraque Octavam Nativitatis et Circumcisionem simul commemorant. Parisinus 1 plane eadem habet ac Arcadianus; quibus addendus Ruthenicus Possevini, Circumcisionem duntaxat referens, dum cæteri fere omnes cum Mstislavico utrumque festum exhibent, quamvis varii sint verbis. — A Latinis ad eamdem hanc diem colitur S. Basilius una cum Circumcisione Dominica : *Depositio S. Basilii episcopi, cujus celebritas* XVIII *kalendas Julii, qua die ordinatus fuit episcopus, potissimum recolitur.* Ita Martyrologium Romanum. His duabus diebus Græcorum pietas sæculo XI addidit tertiam, SS. Basilio, Gregorio Theologo et Joanni Chrysostomo communiter dicandam; ut tres sint omnino dies sancto antistiti Cæsareensi sacræ, prima Januarii qua obiit, decima quarta Junii qua ordinatus est et trigesima Januarii. Harum secunda in nullo Græcorum synaxario reperitur, præter Horologium seu Horarium ad usum monasterii Cryptæferratæ et aliorum monasteriorum Ordinis S. Basilii, Romæ excusum. Iidem tamen monachi omnes solemnem faciunt primam memoriam una cum officio de Circumcisione. In Euchologio Ruthenorum catholico post festi annuntiationem additur sequens notula : *Basilius Magnus floruit circa annum* 345, *regnantibus Juliano Apostata et Valente. Patrem habuit nomine Basilium ex Ponto, matrem vero Æmiliam ex Cappadocia oriundam. Rexit ecclesiam Dei annos octo, menses septem, dies sexdecim, obiitque in pace, annos natus quinque supra quadraginta.* Plura in hac chronotaxi emendanda sunt aut elucidanda; juxta calculos a Bollandianis sociis prolatos ad XIV Junii, S. Basilius natus est anno 316, ad episcopatum evectus anno 370, die XIV Junii, e vivis cessit anno 379 plusquam sexagenarius. In Menæis Slavicis inseri solet Vita S. Doctoris, S. Amphilochio, episcopo Iconiensi tributa; verum nihil in ea esse Amphilochii jamdudum a viris eruditis demonstratum est. Nec minus constat diem hunc in memoriam mortis S. Basilii antiquitus fuisse celebratum. Id egregie confirmatur ex Kalendario marmoreo Neapolitano, in quo ad kalendas Januarii sic scribitur : *DP. S. Basilii*, id est *Depositio. Est autem,* advertit cl. Mazochius, *huic kalendario perpetuum, ut diebus emortualibus depositionis nota præscribatur.* Imo ex Nazianzeno observat doctissimus Josephus a Puteo, Ordinis S. Basilii abbas generalis, ab Assemano citatus, diem festum S. Basilii, non multo post ejus obitum celebratum (Kal. t. VI, pag. 4). Attamen Kalendarium Morcellii CPolitanum nullam prorsus facit S. Doctoris mentionem, neque ad præsentem diem, neque ad aliam quamcumque. Contra, Synaxaria Slavica fere omnia, ut supra attigi, eum hoc die referunt pluribusque titulis exornant. *S. Basilius.*

Dies II Januarii.

exornant. Mstisl. legit ita : *Memoria venerabilis Patris nostri Basilii;* similiter et Sišatovacense. Nec in alia re Remense discrepat ab utroque, nisi quod *Sanctum* dicat loco *Venerabilis*. Rumiantsovianum suo modo habet : *Eadem die Sancti Basilii* Magni *Antistitis*. Titulum *Magni* exhibent reliqua synaxaria fere omnia, sive impressa sive manuscripta, Vaticanum utrumque, Ostrogense, Capponianum; Leopolitanum vero, quod citavimus supra, et Menæa Slavonica annuntiant plenius : *Sancti Patris nostri Basilii Magni, archiep. Cæsareæ Cappadociæ*, quemadmodum et Menolog. Basilii imperatoris. — Eadem Menæa, Prologus et Kalend. Mosquense exhibent alium S. Basilium, patria Ancyranum et martyrem. Passus est hic Cæsareæ in Cappadocia sub Juliano, fuitque coævus alteri Basilio Ancyrano, martyri et presbytero, cujus festum agitur 22 Martii. Commemoratur etiam in cod. Rumiantsoviano et in Menologio Basilii imperatoris, sed ad diem Januarii secundam; ex qua in primam a recentioribus translatus esse videtur, propter sanctum antistitem cognominem, in cujus diœcesi martyrii palmam reportaverat. Talis nempe mos est Ecclesiæ Orientalis, alibi a nobis declaratus. (Cf. Act. SS. Oct. t. X, in Vita B. Arethæ, monachi Kievo-cryptensis, pag. 864). Menologium porro Mosquense, de hoc sancto agens : *Notum sit*, ait, *duos fuisse Basilios Ancyranos, quorum alter erat presbyter et colitur die* XXII *Martii, alter e numero non consecratorum; de quo nobis hodie sermo. Uterque passus est sub Juliano imperatore a præside Saturnino; at non in eodem loco.* In Actis SS. agitur de priore die secunda, omisso posteriore. —

S. Basilius Ancyranus.

SS. Theopemptus et Theodota in Menologio Basilii vocantur martyres; in aliis erronee parentes SS. Cosmæ et Damiani. Distinguendi sunt a SS. Theopempto et Theona MM., de quibus ad diem quartam. Eorum acta habes in Act. SS. XXVII sept., pag. 428 et seq. Cf. Siberum ad 2 Jan. et quæ a nobis dicenda sunt ad diem proxime sequentem. — S. Gregorii laudes fusissime prosequitur S. Gregorius filius, cognomento Theologus, in oratione funebri, quam ex interpretatione latina Billii vulgavit Bollandus in Actis Sanctorum ad hanc diem, pag. 21 et seqq.

SS. Theopemptus et Theodota.

S. Gregorius.

DIES II.

Ex Ostromirano.

Ex variis.

[Memoria S. Apollinariæ. Et venerabilis patris Gregorii thaumaturgi in Acrito. Et Vigilia Sanctorum Theophaniorum.]

S. Silvestri papæ (*Par. Ass. Mst. Prol. et reliqui cum Bas. Neap. Hier. Gp. Vind. Pg. Nan. Flor.*). S. Basilii Junioris (*Rum. cum Bas. Maz. Mg. Sirl.*). S. Petri in Atroa (*Rum. cum Sirm.*) S. Theogenis, episc. Parii et martyris (*Men. Prol. Kal. cum Mg.*). Silvestri mon. Crypt. (*Pat.* Profestum Luminum (*Rum. cum Hier. Gp. et aliis*). Post festum Natalis Christi (*Mstisl.*).

† Theopempti et Theodotæ, matris SS. Cosmæ et Damiani (*Mg. Sib.*). † Marci, Surdi (*Mg.*). † Sergii, mart. (*Mg.*). † Theopisti, mart. (*Mg.*). [Cosmæ, patr. CPolitani (*Mg.*)]. † Silvestri Troynopolitani in Sicilia, mon. Ord. S. Basilii (*Italg.*).

OBSERVANDA.

SS. Apollinaria et Gregorius Acritensis.

Præter Ostromiranum codicem, nullus alius, quantum sciam, agit hac die de SS. Apollinaria et Gregorio Acritensi; dum plerique commemorant utrumque Sanctum ad diem hujus mensis quintam, ut videbimus modo. Hunc errorem irrepsisse in codicem Ostromiranum merito suspicatus est eruditissimus in slavicis vir Nevostrujev, ea potissimum ratione ductus, quod post nomina S. Apollinariæ et S. Gregorii in prædicto synaxario continenter veniat Theophaniorum vigilia, quæ certo certius ad diem Januarii quintam pertinet. Error facile oriri potuit ex similitudine litterarum $\widetilde{\text{B}}$ et $\widetilde{\text{E}}$, quibus Græcorum more utuntur Slavi ad significandos numeros 2 et 5 : qua forsan similitudine deceptus, legit amanuensis alterum pro altero. Adde, quod Gregorius diaconus, qui Evangelium illud in Ostromiri usum exaraverat, oscitantiæ suæ et inscitiæ non unum prodat argumentum, indigitandum suo loco. Itaque conjecturæ eruditissimi professoris Nevostrujev eo libentius subscribo, quod in Synaxariis Slavicis, de quibus potissima cura mihi incumbit, S. Apollinariæ nomen repererim ad diem quartam aut quintam, S. Gregorii autem duntaxat ad quintam; qua ideo melius agetur de utroque. — Venientibus ad

S. Silvester.

S. Silvestrum papam imprimis notandum est, in Ostromirano synaxario memoriam sancti Silvestri fieri, præter hanc diem, etiam ad trigesimam primam Decembris, juxta Latinorum morem; atque in hoc differre ab omnibus aliis synaxariis tum Slavicis, tum Græcis, quæ de S. Silvestro agunt duntaxat secunda Januarii; convenire autem cum Kalendario marmoreo Neapolitano, quod agit de hoc pontifice utraque die. Et quidem ad secundam Januarii habet : *Depositio Silvestri papæ*, non secus ac Ephemerides Græcorum meтricæ (Act. SS. t. I Maji), sequentem versum exhibentes : Θυμὸν ἀποπνέει Σίλβεστρος δευτέρῃ νοΐ (Spiritus efflatur Silvestri die secunda). Errare utriusque Kalendarii auctorem observat Mazochius, nescio an recte; depositionis enim notam in nullo alio synaxario Slavico deprehendi, ex sequentibus lectionibus patebit. Sic Mstislavicum habet : *Memoria venerabilis Patris nostri Silvestri;* similiter et Sišatovacense, omissa sola voce *Memoria*. Ostrogense omittit eamdem vocem, mutatque *venerabilem* in *sanctum*, more recentiorum. Assemanianum legit : *Sancti Silvestri papæ Romani*. Eodem modo habent Vaticanum secundum, vacante primo, et recentiora fere omnia. Rumiantsovianum paulo aliter : *Sancti magni consecratoris* (id est pontificis) *Silvestri*. Parisinum, Possevinianum, Capponianum simpliciter : *S. Silvestri*. Ephemerides Papebrochii figuratæ nudum nomen, pro more, exhibent; at in manuscriptis additur : *Papa Romanus*. His omnibus præivit Menologium Basilianum (tom. II, pag. 78), ubi legimus ita : *Memoria S. Patris nostri Silvestri, papæ Romani*. Convenit Missale Venetum, excusum anno 1538. In nullo tamen codice, præter Ostromiranum occurrit forma illa : *papež* (papa), apud occidentales Slavos usitatissima. Optimas de S. Silvestro annotationes scripsit Assemanus (Kalend. t. VI, pag. 8 et seq.); ex his unam huc referendam censeo, nimirum fabulam illam de bove a Judæo interfecto, et a S. Silvestro ad vitam revocato, uti fingunt Acta Sancti antiqua, et inepte repetunt Menologia Slavica. — Rumiantsovianum solum est ex Slavicis, in quo repererim sanctum Basilium cognomento *Novum* seu

S. Basilius Novus.

Juniorem ad hanc diem. Adest quidem sanctus ille in Menologio imperatoris Basilii græco, ad

ad quod constanter recurrendum est, ubi de Synaxariis Slavicis agitur; at omni cognomine destitutus prodit, cum annuntietur his verbis: Ἄθλησις τοῦ ἁγίου μάρτυρος Βασιλείου, quod est, *certamen sancti martyris Basilii*. Porro agi hic de S. Basilio Ancyrano, martyre, quem Menæa Slavica memorant ad diem præcedentem, indubium est ex Menologiis Græcis Sirleti, Sirmondi, Mazarini, et aliis. *S. Petrus Atroæ.* Basilio Juniori adjungitur ibidem: *Sanctus Petrus qui in Atroa.* Colitur a Latinis cum cognomento Balsami seu Abalsami, tertia Januarii. Ad eamdem habent: Menæa Græca excusa: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Πέτρου τοῦ Σημειοφόρου, ἐν τῷ ἁγίῳ Ζαχαρίᾳ τῆς Ἀτρώας κειμένου, *Eadem die commemoratio S. P. N. Petri Semeiophori,* (quod est signiferi) *in æde S. Zachariæ Atroæ jacentis.* Hæc eadem leguntur in Menæis Sirmondianis mss., ad diem secundam. Jamvero hic Petrus idem est quem Acta latina, Menæa ut vocantur Communia et Prologus Rumiantsovii consignant tum ad diem undecimam Januarii, tum etiam ad XIV Octobris. (Cf. Assem. Kal. VI, pag. 60.) Insuper Menæa Slavica memorant S. Petrum Atroensem ad diem XIII Septembris, adduntque eum non differre ab alio Petro Aphirensi, cujus memoria agitur ad V ejusdem mensis. Rem totam de hoc Sancto accurate discussit Assemanus, Kalendariorum t. VI, ad XII Januarii, qua colitur Petrus a Russis hodiernis, ut dicemus suo loco. An die II Januarii loco III ejus natalis olim ageretur, quia illa die Cæsareæ passus esse dicitur in Actis ejusdem Syriacis, teste *S. Theogenes.* Assemano, pag. 61, definire nequeo. — S. Theogenes habetur in Prologo et in Kalendario Mosquensi recentiori, et hac eadem die legitur apud Notkerum. At Menologium Basilii imperatoris et Prologus Rumiantsovianus agunt de S. Theogene ad diem quartam; Romanum vero Martyrologium ad tertiam simul cum duobus aliis martyrii sociis Cyrino et Primo. (Cf. Act. SS. Jan. t. I, pag. 133.) Tertia quoque referuntur in Sirm. et Med. Quod si quæratur, cur ita ad varios dies adscriptus sit, non una posset ratio suppeditari, si per tempus liceret. Plura desiderantem remittimus ad Acta SS., ubi legi poterunt Acta hujus S. Martyris. Rum. habet mendose: *Eageni.* Men. et Prol. referunt eum his verbis: *Eodem die sancti martyris Theogenis, qui episcopus erat Parii Hellespontici, et a Zylicinthio tribuno cæsus et in mare demersus occubuit.* DIES II JANUARII. Versinski in Menol.: *Theogenis, episcopi Parii.* Episcopus Parii vocatur etiam in Menologio Basiliano picto. At non episcopum, sed episcopi filium fuisse conjecit Rosweydus noster, consentientibus hagiographis Bollandianis. — In Rum. addi- *Profestum.* tur primo loco: *Profestum Illuminationis* juxta morem Græcorum, qui quatuor dies profestos Epiph. præmittunt, ut recte emendavit Assemanus Papebrochium dicentem, ad IV Jan. Mrlg. Græc. metrici, tres tantum dies profestos præmitti a Græcis. Minus recte tamen addidit Assemanus, id constare ex codicibus Vaticanis Ruthenicis, a nobis etiam sæpissime citandis, cum neuter ullum profestum contineat, et solus secundus vigiliam habeat die V. Mstisl. singulariter legit: *Post festum Natalis Christi,* quod vel sabbatum vel dominicam post Natales Christi indicat, quemadmodum in cod. Vaticano primo ad XXX et XXXI Decembris legitur: *Nativitatis Christi.* — Præter S. Silvestrum pontificem Romanum, duo alii *S. Silvester Siculus et Kioviensis.* Sancti ei cognomines referuntur hodie, quorum alter erat monachus Italo-Græcus, ex ordine S. Basilii Magni, alter Kioviensis, ex monasterio Cryptensi. Prior commemoratur hodie ob natalitia, et iterum referetur die IX Februarii et II Maii (teste Bollando, pag. 124). De posteriore agit brevis notitia in capite Memoriarum Slavicarum inferius danda. — In Menæis Græcis excusis S. Theodota diserte vocatur mater SS. Cosmæ et Damiani, ta- *SS. Theopemptus et Theodota.* cito Theopempto; similiter in commentariis sat prolixis de sanctis his anargyris, quæ Actis SS. inserta sunt ad XXVII Septembris, nullum indicium reperitur, quo Theopemptum eorum patrem fuisse appareat. Hinc errore *parentes* SS. Cosmæ et Damiani vocantur Theopemptus et Theodota in Indice manuscripto ad Menæa Græcorum excusa, quem in usum suum confecerat Papebrochius. In Menologio Basilii præferunt titulum *martyrum.* Cæterum de eis sermo recurret alio loco. — Agitur de Cosma I, cognomento Hierosolymitano, *Cosmas.* qui vixit anno 1075. Hic in Menæis Græcis thaumaturgi titulo decoratur; a Bollandianis vero sociis ut *homo non parum de schismate suspectus* in Sanctorum senatum non admittitur, sed inter prætermissos ad hanc diem relegatur. (Cf. Chron. Patr. CP., t. I, Aug. num. 764.)

MEMORIÆ SLAVICÆ.

MONITUM. Hic in mentem revocanda sunt nonnulla ex iis quæ dicta sunt in præfatione, nimirum nos neque Silvestri, qui primo loco prodit, nec ullius ex sequentibus cultum vel proponere velle vel approbare, sed eorum duntaxat qui inter catholicos legitime cælitum honores adepti sint. Siquidem hanc quæstionem jam nunc de omnibus versare prorsus impossibile est, de nonnullis id facere supervacaneum foret. Quapropter hæc disquisitio, quantum ad singulos attinet, necessario reservanda est ad diem quo in Kalendariis referuntur, et ad quem eorum cultus in Actis Sanctorum vel in operis supplemento, pro more examinabitur. Cæterum ipsis verbis scriptorum slavicorum loqui plerumque conati sumus: quod meminisse velit lector maxime iis locis, quæ ad sanctimoniam aut cultum pertinent; ne his de rebus quidquam nos ipsos jam nunc asserere existimet.

Silvester, mon. cryptensis. Silvestri nomen in Kalendariis desideratur, et quandonam obierit, definiri nequit, quamvis revocandus sit ad sæculum XII vel XIII. Colitur hac die in monasterio Kievocryptensi, ubi corpus ejus asservari dicitur in crypta Antonii. In moribus scilicet Ecclesiæ Ruthenicæ est antiquioribus sanctis proprios cognomines sociare, quorum dies emortualis ignoratur, uti fusius declaratum est a me alibi. (Vide Acta SS. Octobr., tom. X, pag. 864, num. 1.) Cæterum idem mos sociandi sanctos cognomines apud Latinos quoque in usu est, neque minus frequenti. A scriptoribus indigenis vocatur *Silvester obediens et miraculorum patrator;* immo, si Muravievio fides adhibenda, non diversus est a Silvestro monacho, Chronicæ Nestoris continuatore; quod nemo alius, quod sciam, dixerat unquam: sed usitatum est huic auctori talia adferre, quæ nusquam alibi reperias, nedum suspicari possis, cum sæpissime manifestæ veritati contraria sint.

1) Cfr. Descriptio Lauræ Kiov., pag. 87. 2) Diction. hagiogr. pag. 49. 3) Murav. Vitæ SS., pag. 2.

DIES III JANUARII.

Juliania Muromiensis.

Juliania vidua, quæ venit secunda inter slavos, colitur tantummodo in vico Lazarevskoi dicto, provinciæ Muromiensis, ubi degit. Eam inter Sanctos Muromiensis ecclesiæ numerari testatur codex quidam mss. sæculi XVII, a Muravievio citatus et cui inscribitur : *Liber dictus de Sanctis Russis etc.* Parentibus nobilibus nata, pietate et amore erga pauperes enituisse traditur Juliania, divino potius magisterio quam humano edocta. Dum annum ageret decimum septimum, ut parentibus obsecundaret, nupsit viro cuidam nobili et christiano, nomine Gregorio. Conjux fidelissima, humilitatis, caritatis et patientiæ erga omnes, immo erga mancipia moribus difficiliora, eximia dedit exempla, pauperibus largas eleemosynas clam erogans, orationi noctes integras impendens, jejuniis et humicubationibus corpus domans, in adversis fortis, in tentationibus sui victrix. Beatissimam Mariam Virginem et S. Nicolaum Myrensem, thaumaturgum, peculiari cultu prosequebatur, illudque unice anhelabat, ut, relicto mundo, vitam ageret perfectiorem; atque interea a marito suo impetravit, ut castum conjugium illibatumque servaretur deinceps ab utroque. Mortuo marito et duobus filiis, Deo sese arctius adstrinxit Juliania, bonisque omnibus (erat autem dives satis) in egenos distributis, pauperculæ instar victitavit parcissime, semper tamen affabilis ac hilaris. Tandem ad grandem ætatem progressa, in morbum lethalem incidit, obiitque inter fundendum preces, anno 1613, sacramentis refecta et a filiis famulisque circumdata. Hæc contractius ex Vita Julianæ quam conscripsit ipsius filius, nomine Callistrates, edidit vero N. Kostomarov juxta codicem manuscriptum sæculi XVII, olim Tsarskianum (n° 129), in monumentis litterariis infra citandum. Ejusdem vitam elegantiore calamo exaratam et commentariis criticis, non semper tamen probandis, instructam, vulgavit cl. Buslaiev, in universitate Mosquensi professor, sæpius a me in decursu hujus operis citandus.

1) Cfr Kostomarov, Monum. liter. russ. antiquiora, tom. I, pag. 63 et seq. 2) Buslaiev, Lineamenta historica liter. russ. et artium. tom. II, pag. 281 ad 330. 3) Muraviev, Vitæ Sanct. ad hanc diem. 4) Dict. hag. ed. 1862, pag. 127.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Martyris Gordii (*Par. Vat.* 2. *Rum. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Neap. Hier. Gp. Vind. Pg. Msq. Flor. Nan. Sirm. Maz. Mg. etc.*). S. Prophetæ Malachiæ et Profestum Luminum (*Mst. Rum. Men. Prol. Kal. Hor. cum Bas. Hier. Gp. Pg. Nan. Sirm. Maz. Chif. Mg.*). S. Michææ prophetæ (*Sišatovac.*) [Isidorus cum Sociis LXXII (*Dict. hag.*)].

† Petri signiferi (*Mg.*) † MM. matris et duorum filiorum (*Mg.*). † Theogenis, ep. et mr. (*Sirm. Med.*). † Theopempti et Theonæ, MM. (*Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Gordius et Malachias.

Ostromiranum vacat usque ad diem sextam; silet etiam Assemanianum glagoliticum tum hac die, tum duodecim sequentibus. Assemanus observat utrumque sanctum antiquis martyrologiis latinis esse ignotum, ac proin ex græcis hodierno romano illatum, ubi Gordius ponitur ad hanc diem, Malachias ad XIV ejusdem mensis. Codex Parisinus primus nominat tantummodo Gordium, ut supra; de Malachia vero agit die proxime sequenti his verbis: *Prophetæ Malachiæ.* Codex Vaticanus secundus: *Gordius martyr.* Mstislavicus, contra, omisso Gordio, meminit solius prophetæ Malachiæ, modo supra indicato, nec videtur brevitatis causa id factum esse, cum continenter addatur ibidem *profestum Luminum.* Notandum hoc est eo magis, quod uterque sanctus legatur tum in Menologio Basilii, tum in duobus synaxariis sæculi X, Hierosolymitano et Calipolitano, quæ edidit Scholz. Item Rum. synaxarista jungit utrumque his verbis : *Memoria sancti prophetæ Malachiæ et sancti martyris Gordii.* Et ita fere omnes alii. —

Michæas.

In solo *Sišatovacensi* hodie legitur : *Sancti prophetæ Michææ;* quod etsi nusquam alibi reperire est, non tamen ideo mendum esse dixerim, scriptoris socordiæ tribuendum. Potest enim supponi peculiariter cultum fuisse S. Michæam prophetam in ecclesia monasterii Sišatovacensis, et sive ob hanc rationem sive ob aliam quamlibet translatum ad hanc diem ex die quinta, qua celebratur non tantum in Menologio Basiliano, sed et in codice Rumiantsoviano. Uter vero ex duobus prophetis hujus nominis hodie celebretur, videri poterit apud socios Bollandianos, ad diem XV Januarii et XIV Augusti. Cæteri codices concordant cum Rumiantsoviano, ut diximus, nec nisi in minutiis discrepant. Ephemerides Papebrochii brevissime, de more: *Malachias. Gordius.* Menæa Mosquensia : *Memoria S. prophetæ Malachiæ; eodem die passio sancti martyris Gordii.* — Synaxarium Mstislavicum, Ostrogense et recentiora addunt profestum Illuminationis seu Theophaniæ; et quidem Ostrogense et alia primo loco, Mstislavicum vero secundo. — De Isidoro ejusque sociis, quos hodie commemorari ait Muraviev, nescio qua auctoritate nixus, melius agetur VIII Januarii, eorum die mortis.

Isidorus.

DIES IV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Malachiæ prophetæ (*Par.*). Passio S. Theogenis (*Rum. cum Bas. Sirm. Sirl. Flor. Taur.*). SS. Theopempti et Theonæ (*Rum. cum Bas. Sirl. Sirm.*). S. Theoctisti, socii S. Euthymii (*Prol. Men. Siš. Poss. Og. Leop. Kal. Hor. cum Sirm. Med. Msq. Mg.*). S. Apollinariæ (*Prol. Mg.*). Synaxis 70 Apostolorum (*Par. 2. Leop. Men. Vat. 2. Og. Prol. et alii cum Vind. Pg. Msq. Mg. etc.*). SS. Zosimi et Athanasii commentarisii (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Hier. Sirl. Sirm. Maz. Mg.*). Profestum Luminum (*cum Hier. GP. Flor. Nan.*). [Memoria monachorum Vatopedi (*Ath.*). Onuphrii a Turcis occisi (*Ath.*)].

† Pauli Thebæi (*Hier. Nan.*). † Euthymii Junioris (*Sirm. Med.*). † Theoctisti Confes. (*Sirm.*). † Theoctisti Cucumi in Sicilia (*Sirm. Italogr.*) † Syncleticæ (*Bas. Sirm. Sirl.*). † Metrophanis, patr. CPolitani. (*Neap.*). † Sex martyrum (*Mg.*).

Cod.

OBSERVANDA.

S. Malachias. Cod. Par. omnium antiquissimus breviter, pro more : *Prophetæ Malachiæ.* — Mstislavicus, toties a me citandus, vacat, saltem in exemplari typis excuso, quo usus sum, dum hæc scriberem.

SS. Theogenes, Theopemptus et Theonas. —Prologus Rum. refert *Eagenem*, loco Theogenis, simul cum Theopempto et Theona, quos omnes exhibet etiam Menologium Basilianum vocatque martyres. De Theogene dictum est supra, ad secundum hujus mensis. Duos reliquos, Theopemptum et Theonam, nominant cum Menæis Græcorum excusis synaxaria recentiora ad diem sequentem. Iidem hodie commemorantur in nonnullis synaxariis venerandæ antiquitatis, quæ citavimus supra, et nominatim in Menologio Basilii imperatoris, ut mireris, qui asserere potuerit Assemanus in illo Menologio de eis agi die quinta (Calend. VI, p. 17). —Siš. et Chil.: *Sancti*

S. Theoctistus. *Theoctisti.* Og. : *Venerabilis Theoctisti.* Possevinus vero legit : *Concilium Theoncistæ*, duo festa in unum perperam conjungens, perinde ac si synaxis illa apostolorum ad Theoctistum referretur. Non melior est *Theretistus* Genebrardi. Papp. et Vat. II., omittunt Theoctistum. Menæa slav : *Eadem die memoria venerabilis patris nostri Theoctisti, Cucumi in Sicilia.* Minus recte habet Prologus Mosquensis excusus : *Vener. Patris Theoctisti, socii S. Euthymii Magni*, confundens scilicet Theoctistum siculum, abbatem Cucumi, cum alio Theoctisto, in Palæstina, quem ad 3 septembris

SS. Apollinaria et Syncletica. referunt synaxaria. — S. Apollinariam a S. Syncletica probe discernunt Menæa Græca, quamvis priori quoque cognomen Syncleticæ tribuant. S. Apollinariæ meminit hodie Prologus excusus, ab aliis hac in re dissentiens. Syncleticam, Sirleto *Encleticam*, referunt quædam Synaxaria Græca antiquiora. Nos de utraque agemus cum Slavicis codicibus die sequenti. — In Menologio Slavico

Synaxis 70 Apostolorum. majore subditur catalogus omnium discipulorum, qui a Christo Domino electi fuisse dicuntur, numero septuaginta, quibus adduntur Dionysius Areopagita et Simeon Niger. De eorum nominibus et numero breviter solideque disseruit Cuperus in commentario historico-critico ad diem XV Julii, pag. 16. Quamvis autem fuerint illi discipuli numero 72, tamen in synaxariis annuntiatur numerus septuagenarius, brevitatis causa, ut sentit Cuperus modo laudatus. —Menæa et Pro-

S. Zosimus. logus habent dein : *Et sanctorum martyrum Zosimi*

S. Athanasius. *monachi siculi et Athanasii commentariensis.* Martyres quoque vocantur in Menæis Græcis et Menologio Basilii. De solo Zosimo meminerunt Gallipolit. et Florent. — Profestum in quibusdum recentio-

Profestum. Metrophanes. ribus synaxariis ponitur primo loco. — Metrophanis patriarchæ festum nusquam hoc die consignari observaverat jam Mazocchius ; solet namque referri ad IV Junii, quando et in marmore Neapolitano iterum recolitur. — De Eustathio, ar-

Eustatius. chiepiscopo Serbiæ, dicemus modo in Memoriis

Monachi Montis Atho. Slavicis. —Innati in Romanam Ecclesiam sanctamque cum ea unionem odii signa frequentissima deprehendas in libris, in quibus gesta et conversationem suorum, ut putant, sanctorum, enarrant Græci et Russi. Argumento est *Patericon Montis Atho*, Vitas continens eorum omnium, qui in Monte Atho virtutum fama dicuntur enituisse. In hoc namque sequens legitur annunciatio ad præsentem diem : *Sancti Martyres a Michaele Palæologo imperatore et a patriarcha Vecco latinizantibus passi eo quod utrique hæresim eorum exprobrassent.* Deinceps enumerantur monachi, qui in variis monasteriis persecutionem passi esse finguntur, nimirum Euthymius, hegumenus Vatopedi, cum duodecim sociis, quorum memoria dicitur recoli hodie. Euthymio adduntur viginti et sex alii e monasterio Zographi, igne combusti in pyrgo seu turri, die X octobris, qua commemorantur æque ac XXII septembris ; præterea alii quidam ascetæ monasterii Iberorum, quorum memoria celebratur die XIII Maii ; denique totius Montis Atho protohegumenus cum sociis, quorum annua commemoratio fit in monasterio Caryarum, omnium præcipuo, quinto die Decembris. Mitto pseudo-martyrum horum nomina ; simul et Veccum patriarcham a calumnia, qua eum auctor schismaticus impetit, vindicare supersedeo. Multa de catholicis circumferuntur quæ non modo falsa sunt, sed et prorsus incredibilia ac talia quæ ne potuisse quidem accidere videantur; cujusmodi est illud Joannis Comneni in Descriptione Montis Atho, Romanum pontificem, in Montem Atho profectum, monasteria quædam compilasse et incendisse, quod monachi illic degentes nollent eum adorare. *Hujusmodi artificio*, ait illius Descriptionis editor, Montefalconius, *utuntur Græcorum præsules et primores, ut cæteri Græci, odiosis hujusmodi narrationibus decepti, in schismate detineantur.* Palæographiæ Græc. lib. VII, p. 434. Negari tamen non potest hujusmodi commentis subesse interdum aliquale saltem fundamentum. Cum, exempli causa, regeritur fabula ista Comneni, imo cum volumen integrum, *Paradisus mentalis* dictum, profertur a Græcis et Russis, in quo invasiones Latinorum in Montem Atho fuse narrantur, multumque forsan exaggerantur, in memoriam redit pulcherrima epistola Innocentii III, ad monachos Athonitas anno 1214 data. In hac summus pontifex, loquens de quodam *Dei* et *ecclesiæ inimico, qui, latrunculis congregatis in quodam castro, quod idem in Monte* (Atho) *construxerat per auxilium brachii sæcularis, non solum ecclesias vestras*, ait, *tanquam prædo sacrilegus et crudelis, auro, argento et ornamentis omnibus spoliavit, verum etiam ut pecuniam exhauriret, quam* (monachos) *credebat ille perditionis filius congregasse, tanquam insanus carnifex atque tortor peremit crudeliter quosdam vestrum multiplici genere tormentorum ; sed tandem sua prava intentione frustratus, exinde per imperatoris potentiam est dejectus.* (Epist. tom. II, pag. 829-830, ed. Paris. 1682.). Quibus recitatis, solatur monachos Romanus pontifex eorumque privilegia omnia confirmat et communit; bona vero omnia sub Beati Petri et sua suscipit protectione. In alia quoque epistola, anno 1281 ad eosdem agioritas data, conqueritur idem pontifex de episcopo Sebastiensi ; qui, cum custodiam monasteriorum Montis Sancti, quæ ad sedem apostolicam immediate pertinere dicebantur, suscepisset, *eas commisit enormitates, quæ non sunt dignæ relatu*, ac propterea a prædicta custodia apostolica auctoritate penitus fuit amotus. (Ibid. pag. 424). Fieri itaque potuit, ut tum *enormitates* illæ, tum etiam incursiones, temporum decursu obliteratæ, ipsimet pontifici Romano ab ignaris hominibus fuerint tributæ. Quod ad Michaelem Palæologum spectat, narratur quidem ille oppugnatores unionis ecclesiasticæ, pro qua acerbiori forsan zelo laborabat, variis pœnis afflixisse, teste Pachymere. Verumtamen de monachis Montis Atho nullum facit mentionem idem Pachymeres, cæteroquin parum æquus judex. — Magnum profecto apud Græcos numerum exstare eorum, qui recentiori ætate à Turcis crudeliter perempti sint, facile dabit catholicus quisque, quin eos propterea inter martyres Christi recensere velit: contra veluti veros martyres eos venerantur cultuque ecclesiastico honorant græci. Horum autem numero censetur Onuphrius quidam, in baptismo

On Ma Gal

Dies IV Januarii.

baptismo Matthæus, e vico Gabrovo diœcesis Ternobiensis oriundus, atque initio sæculi hujus interfectus. De quo sequentia narrant auctores indigenæ, vel ideo hic non prætermittendi quod simillima referunt etiam de aliis, quos dicunt, martyribus, Turcarum crudelitate peremptis. Ferunt igitur Matthæum, a parentibus, dum adhuc puer octennis erat, severius ob quoddam delictum castigatum, coram Turcis imprudenter declarasse se ad Mahometum transiturum, promissisque staturum, ni a parentibus impediretur. Adolescens factus in monasterium Chilandariense abiit Matthæus, ibique non modo habitu monastico minori indutus est, sed et diaconatu auctus. Mox præteritorum pœnitens, et simul exemplis Euthymii, Ignatii et Acacii accensus, quos pro orthodoxia sanguinem fudisse acceperat, simile mortis genus concupiscere cœpit, quo infantiæ delictum expiaret. Ne autem tanto certamini subeundo imparatus esset, per quatuor integros menses durissimam egit pœnitentiam, parvula cellula inclusus, solo pane et aqua parcissime vescens, profundas ad terram usque inclinationes, græcorum more, ter millies et quingenties quotidie faciens, minus profundas vero pæne innumeras. Tum, assumpto magno schemate, cum nomine Manassiæ, in insulam Chium navigavit, sene quodam Gregorio comite, atque plurium concivium in nova martyrii palæstra magistro. Ibi, octiduo in oratione peracto, sumptaque sacra communione, feria VI, utpote Passioni dominicæ sacra, ad tribunal sponte sua se sistit Onuphrius : Christianam fidem a se olim negatam, nunc vero se facti pœnitere, Mahometis placita detestari ac exsecrare, denique se mori malle quam Christum negare. Quamobrem in carcerem missus, paulo post gladio jugulatur et in mare projicitur, sacco inclusus, anno 1818, die Januarii quarta, vitæ suæ trigesimo secundo. Id specimen esto novorum martyriorum; quorum ea fere omnia, quæ annuis officiis recoluntur, studiose præter Christi consilium et sanctam communemque prudentiam quæsita sunt : ita ut mons Athos martyriorum officina dici possit. Cfr Pater. Ath., t. II, p. 335.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Eustathius, archiepiscopus Serbiæ.

Vitas archiepiscoporum Serbiæ fusiore calamo exaraverat Daniel, eorum ultimus ordine, in libro cui titulus *Genealogia* (Rodoslov). Easdem breviter contractas exhibet *Narratio,* in opere periodico *Glasnik* typis vulgata ; atque inde deprompta sunt fere omnia quæ de Eustathio hic subjiciuntur. Antea tamen præmonendus est lector, Eustathium, aliis Eustratium, nomine forsan in baptismate indito, fuisse Serbiæ archiepiscopum ordine sextum, atque coli apud Serbos ut sanctum, quemadmodum et omnes decessores ejus, si unum excipias Danielem I, qui Ecclesiæ Serbicæ præerat medius inter Joannicium, cui successit Eustathius, et Sabam II, Arsenii I successorem, præeunte omnibus S. Saba hujus nominus primo. Igitur Eustathius, patria Budimlensis, inde ab infantia Deum creatorem suum eximie amavit. Juvenis factus, paternam domum clam reliquit, et monasticum habitum tonsuramque suscepit ab episcopo Neophyto, in ecclesia monasterii Zentensis S. Michaelis Archistrategi, ubi sedem episcopalem instituerat S. Sabas I, et sacrum baptisma acceperat S. Simeon Nemania, S. Sabæ parens, ut in utriusque Vita refertur ad diem XIV Januarii et XIII Februarii. Religiosæ vitæ curriculum tanto fervore iniit Eustathius, ut fratribus admirationi esset, orationis studio, rerum terrenarum contemptu, laboribus assiduis et exactissima obedientia eis prælucens. Proprium cibum egenis ad se venientibus erogabat, famem patiens ipse. Amore Jesu Domini accensus, cum sepulcrum ejus vivificum et loca sacra adire concupisceret votaque cordis sui Deo in orationibus commendaret instanter, ecce duo monachi peregrini eodem, quo Eustathius desiderio capti, in monasterium S. Michaelis veniunt. Factumque est ut, quem communi voto et proposito jamdudum sibi junctum habebant, re quoque ipsa itineris Jerosolymitani socium adnumerarint. Navigavit igitur in urbem sanctam Eustathius, et universa loca, Christi Domini memoria illustrata, summa pietate obivit. Peregrinatione absoluta, Montem Sanctum repetiit, quo vitæ reliquum procul a tumultu degeret, sedemque suam fixit in celeberrimo monasterio Chilandariensi, quod popularibus excipiendis exstruxerant SS. Simeon et Sabas. Verum Deus, qui exaltat humiles, noluit, ut sub modio lateret Eustathius, quem, uti lucernam ardentem, decreverat ponendum super candelabrum totius Ecclesiæ Serbicæ. Nimirum, virtutum ejus fama longe lateque manante, non modo fratres Montis Atho etiam e remotioribus monasteriis ad eum confluxerunt, sed et ipsi Serbiæ reges inviserunt eum venerabundi, quo pia ejus monita recolerent conversationemque contemplarentur. Hinc primo in hegumenum monasterii Chilandariensis eligitur; dein ad cathedram Zentensem provehitur; et quam olim adierat incoluerat-que novitius, eamdem ecclesiam episcopali auctoritate accipit regendam. Pavit autem et verbo et exemplo diligentissime ad annum 1279; quo ad sedem Pechiensem, a morte Joannicii vacuam, promotus est unanimi episcoporum Serbiæ consensu, et annuente Stephano Dragutino rege, qui sceptrum tenuit ab anno 1270 ad annum 1316. Quamvis autem electioni multum obluctaretur Eustathius, se tanto oneri ferendo imparem esse asseverans, oblatam tamen aut potius sibi impositam dignitatem assumere consensit, ne ecclesiam relinqueret viduam, aut universæ synodi judicio contradiceret. Itaque prolixis precibus ad Deum fusis, gratiaque implorata, qua sancti Sabæ sedem digne administraret, ac in tremendo judicio Christo Domino fidenter dicere posset : « Ecce ego et filii mei quos dedisti mihi, » et ita cælestis hæreditatis simul cum sancto decessore suo fieret particeps, muneri archiepiscopali strenue se accinxit; gregemque sibi concreditum ea cura gubernavit, ut quotidie ad reddendam Summo Pastori rationem esset paratus, unamquamque diem sibi ultimam fore reputans. Qua in re ducem habuit et magistrum S. Sabam, cujus vestigia constanter premere et virtutum exempla innovare summo conatu allaboravit. Postquam autem

autem ea diligentia Ecclesiam Serbiæ septem annorum spatio rexisset, plurimasque ædes sacras ædificasset, gravi morbo correptus, eum sibi lethalem fore prænovit. Morabatur tunc antistes in monasterio Gidičensi, non multum distante a Pechio, ubi sedem suam ad tempus fixerant Serbiæ archiepiscopi. Itaque, morte imminente, sacramentis Ecclesiæ piissime receptis, postquam adstantes episcopos et monachos, in lacrymas effusos, ad lætandum in Domino potius quam flerent exhortatus esset, et extrema donasset benedictione, inter verba : « In manus tuas commendo spiritum meum, » placidissime obdormivit, die quarta Januarii, anno salutis 1286. Conditus in ecclesia Gidičensi Salvatoris, miraculorum fama inclaruisse fertur per universam regionem. Narrant indigenæ insuper apparuisse eum ecclesiarchæ monasterii Gidičensis specie juvenis, flammeum ensem vibrantis, morasque in publico cultu sibi reddendo exprobrasse. Visionem narravit ecclesiarcha Urošio II regi et Jacobo archiepiscopo, qui in locum defuncti præsulis suffectus fuerat anno 1286. Hic igitur sepulcrum aperiri jussit, et corpus integrum repertum suavemque exhalans odorem elevari ac in medio templi deponi, die quarta Januarii, ecclesiastico cultui Eustathii addicta. Non multo post ob exortos per universam Serbiam belli tumultus, has exuvias ex ecclesia Gidičensi in Pechiensem, utpote securiorem, transferendas curavit idem Jacobus, ubi simul cum cæteris ecclesiæ Serbiæ archipræsulibus etiamnum quiescunt, non sine rumore frequentium curationum. Si vera sint ultima synaxaristæ Serbici verba, mirari licet, Pejacevicium, tantopere in rebus Serbiæ versatum, nihil de rumore isto accepisse, nec inter sanctos Serbiæ collocasse Eustathium.

Cfr 1) *Genealogia*, seu Vitæ archiepiscoporum totius Serbiæ, auctore Daniele, archiepisc Serbiæ. 2) *Glasnik*. t. VI, pag. 31-34 3) Cod. ms. bibl. Pechiensis, citat. apud Muraviev ad hunc diem.

DIES V.

Ex Ostromirano. Memoria S. Apollinariæ (*Rum. Siš. Men. Kal. Hor.*). Et venerabilis patris Gregorii thaumaturgi in Acrita (*Rum. Siš. Prol. Men. cum Hier. Nan. Sirm. Maz. Mg.*). Vigilia Sanctorum Theophaniorum (*Mstisl. Arc. Rum. Siš. Chil. Hor. cum Hier. CP. Vind. Gpol. Flor. Goth. Msq.*).

Ex variis. S. Pauli Thebæi (*Par.*). S. Prophetæ Michææ (*Rum. Hor. Kal. cum Bas. Sirl.*). SS. Phostirii et Mennæ (*Men. Prol. Kal. cum Maz. Mg.*). SS. Theopempti, Theonæ et Syncleticæ (*Chil. Men. Prol. Ostr. Cap. Pap. Kal.*).

† Epiphanii patr. CPolitani (*Neap.*). † Taïdis, m. (*Maz. Mg.*). † Theoidi (*Maz. Mg.*). † Domnicæ seu Domnæ (*Mg. Maz.*). † Tatianæ (*Maz. Mg.*). [Romani mart. (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

S. Apollinaria. In Ostromirano cod. errore positam esse Apollinariam ad II diem, diximus supra. Ponitur autem primo loco : *Memoria sanctæ Apollinariæ*. In Prologo refertur ad diem præcedentem seu 4; in Rumiants. hodie his verbis : *Et venerabilis matris nostræ Apollinariæ* (subintellige : *memoria.*) Menæa Slavonica addunt : *virginis, quæ in virili habitu certabat;* Vers. superaddit : *sub nomine Dorothei.* Codex Sišat. feminam in virum plane mutat : *Memoria venerabilis Apollinarii.* — Cæteri, omissa *S. Syncletica.* Apollinaria, agunt duntaxat de Syncletica : verbi causa, tabulæ Papebr. et Cappon. legunt : *Synclitica*, sine encomio. Chiland. et Ostrog. addunt titulum *venerabilis*. Menæa plenius : *Memoria venerabilis matris nostræ Syncleticæ*. Mitto alia. Verum cum sancta quoque Apollinaria *Syncleticæ* cognomen præferat, utpote patricio genere orta, hinc originem traxit confusio quædam, quam non in synaxariis modo, sed etiam in menologiis facile deprehendes. Nimirum tres censentur Syncleticæ : senior quæ tempore Constantini Magni floruit; junior quæ vixit circa annum 434; et Apollinaria Syncletica. Verosimile esse censet Assemanus Græcos ex Syncletica juniore seu diaconissa, quam Sedulius laudat, Apollinariam Syncleticam fecisse, et ex Actis S. Eugeniæ (25 Dec.) eamdem calumniam Syncleticæ imposuisse, quasi scilicet sororem suam compressisset; erat enim Syncletica monastico habitu virili induta et Dorotheus appellata : Kalend. VI, pag. 18. Sane fabulosa sunt Acta Apollinariæ, Metaphrastæ, ut assolet, tributa : proponuntur tamen in Menologio slavico Macarii metropolitæ; qui, si eorum loco S. Syncleticæ vitam seu potius spiritualium exhortationum syllogen dedisset, viris doctis magis probaretur. — In Ostromirano, ad diem 2, annuntiatur secundo loco, his verbis : *Et venerabilis patris Gregorii in Acrita.* In Rum. post verba : Memoria S. Pr. Micheæ, additur : *et sancti Gregorii Cretensis;* et eodem modo legitur in Prologo. In Sis. simpliciter : *et Gregorii.* Basilianum Menologium tacet omnino, et Hierosolymitanum sæc. x, a Scholzio editum, post vigiliam expresse meminit sancti hujus Gregorii : τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ Γρηγορίου τοῦ ἐν τῷ Ἀκρήτᾳ. Est autem Acritas Bithyniæ promontorium ad initium Propontidis, teste Ptolemæo, tabula prima Asiæ. In eo fuisse videtur monasterium, ad quod Gregorium adduxisse narratur in ejus Vita Michael, Synnadarum episcopus, in Phrygiam rediens. (Cfr Act. SS. Jan. tom. I, pag. 191). Erat porro Gregorius natione Cretensis : hinc factum est, ut ab aliis nominetur Cretensis, Acritensis ab aliis, inter quos socii Bollandiani, loco supra laudato. Solus Kopitarius, in Glagolita Cloziano (pag. LXV) subdubitanter miscuit Acritam Bithyniæ cum Agrigento in Sicilia. — Arcad. antiquissimus *Vigilia.* legit : *Profestum Theophaniæ*, omissis cæteris; similiter et Mst.; in Si. ponitur tertio loco : *In vigilia Theophaniarum*. Rem. omittit particulam. *Profestum* primo loco habet Ostrog. et recentiores passim. — In nullo alio reperitur Paulus *S. Paulus Thebæus.* Thebæus præterquam in cod. Parisino I. Adest quidem in Synaxario Hierosolymitano sæc. x, at die præcedenti; unde forte ad hanc diem relatus est. — Rum. legit modo supra posito; Michææ *S. Michæas.* prophetæ meminit etiam Kalendarium omnium Sanctorum; ex Græcis vero Menologium Basilianum, quod hac in re præluxisse videtur Slavico Rum. — De Theopempto et Theona actum præce- *SS. Theopemptus et Theonas.* dentibus diebus. In Chil. Capp. Pap. nuda proferuntur nomina cum titulo martyrum; cujus loco Ostrogense ponit : *Sancti*. Possevinus duntaxat priorem nominat, at perperam mutat in *Teopertum*.

S. Gregorius Acritensis.

Il *Teopertum*. In Menæis uterque annuntiatur primo
ii. loco, ita : *Passio SS. Martyrum Theopempti et Theonæ*. De utroque agit etiam Menologium Basilii imperatoris, toties a me citandum. — Qui sequitur
ius. S. Epiphanius, ille est, qui ecclesiam CPolitanam rexit ab anno 520 ad annum 535, obiitque die Junii quinta; ac proinde omnino distinctus a S. Epiphanio Cyprio. De illo patriarcha CPolitano legeris Acta SS. Aug. t. I, in Chronol. nº 342 et seq. et Mazochium ad hanc diem. — Bis in anno, die v Januarii et xvi Februarii, Romani memoriam recoli apud Græcos testatur Νέον μαρτυρολόγιον, recentiorum Christianorum mortem pro fide perpessorum enarrans. Narratur itaque ibi Romanum, hominem illiteratum et agrestem, ad Loca Sancta invisenda profectum, in monasterio S. Sabbæ Hierosolymitani aliquandiu habitasse; atque, auditis narrationibus de SS. Martyribus Christi, tanto eos imitandi ardore esse accensum ut Thessalonicam illico profectus fuerit, ibique coram judice Mahometano se sistens, Christi doctrinam publice confessus sit, Mahometis secta diris objurgationibus castigata. Quapropter cæditur primo crudeliter, capitisque damnatur; at dein, cuidam navis duci venditus atque magno pretio a christianis redemptus, in Montem Atho secessit, quo novis certaminibus sese pararet. Et re quidem vera mox CPolim profectus, Turcas ad iram contra se concitat singulari prorsus industria usus. Denuo itaque comprehenditur, varieque vexatus, tandem capite mulctatur anno 1694, die, ut videtur, quarta Januarii. Corpus ejus ab Anglis fertur emptum et in Angliam delatum. Cfr Νέον μαρτυρολόγιον, cit. in Pater. Ath., t. II, p. 151.

DIES VI.

ni- **Festum Epiphaniorum.** (*Ita omnes.*)
S. Abo, martyr (*Iber.*).

OBSERVANDA.

ia. Mst. et Rem. *Sancta Theophania*, id est *Dei apparitio*. Capp. Arc. *Theophania Domini*. Rum. Og. et passim : *Sancta Theophania Domini N. Jesu Christi*. Par. *Baptismus Domini*, uti in Menologio Basiliano; Siš. *Theophania*. Pp. *Sanctarum Theophaniarum*. Notanda est lectio Ostromirana, quia sola refert dictionem latinis potius quam græcis propriam. Notanda quoque lectio codicis Parisini, ab aliis abludens, ipsi vero Basiliano Menologio consentiens. Omnes agunt de hac festivitate tantum, solo tacente codice Glagolitico Assemaniano, saltem teste Kopitario. Miror igitur, quomodo Nevostrujev asserere potuerit tacere etiam codicem Ostromiranum (pag. 122). — Non obscuram certaminis sui palæstram nactus est san-
iar- ctus Abo, Tiphlisium, Carthliæ metropolim, Iberico idiomate Tphilissi seu Tphilis-Kalaki dictam, ob aquas thermales, quæ simile nomen indiderunt Bohemorum civitati Teplitz, a Slavica voce *teplo*, id est, *tepidus*. Sancti hujus martyris gesta et agonem tradidit Antonius patriarcha in Martyrologii sui concione duodecima; et commemorant Iberorum Chronica, teste Muralto (Chronogr. Byzant. pag. 722) et Brossetio. Ex quibus pauca accipe. Tempore chalifi Abd-allah, cujus imperio subdita erat Georgia seu Carthlia, regionem hanc administrabat Nerses, cristavi titulum vulgo præ se ferens. Hic ab inimicis falso insimulatus, Bagdadam accersitur atque in carcerem truditur; sed, mortuo Abdallah, libertati redditur. Iberiam itaque repetiit, comite juvene quodam, cui nomen Abo seu Arbo, patria Arabia. Degebat autem Abo Bagdadæ una cum parentibus suis, unguentorum commercium exercens. Cognita religione christiana, quæ tunc apud Iberos admodum florebat, eam ex toto corde adamavit, utque mysteria fidei nostræ melius addisceret, orationi et jejunio vacabat multum. Dominum etiam suum, Agarenos fugientem, in Osetiam primum, dein ad Chozaros libenter secutus est, atque christianæ militiæ nomen dedit, ejuratis placitis Mahometis. Paulo post in Abhaziam profectus, quo majora charismata æmularetur, strictiorem vivendi rationem sibi imposuit, media in civitate veluti in eremo degens, annuente loci episcopo ac approbante. Interea, facultas data est Nerseti redeundi in Iberiam, Stephano ejus nepote, quem regioni præposuerat chalifus, intercedente; quapropter patriam repetit Nerses venitque in civitatem Tiphlis, comite itineris Abo. Erat autem urbs illa Saracenis frequentissima, ac homini Saraceno ad castra Christi transgresso admodum molesta. Et re quidem vera mox a concivibus, quod avitam religionem deseruisset, vexari cœpit variis modis, et sive blanditiis, sive minis, ut Christum ejuraret, adigi, sed frustra. Tandem, triennio ita inter multiplices tentationes exacto, a Saracenis comprehenditur atque in vincula conjicitur die xxvii Decembris. Imminente die Epiphaniæ, qui eo anno incidebat in feriam sextam, et quo martyrii palmam erat promeriturus, totam noctem in oratione peregit, sacros hymnos psalmosque miro fervore decantans. Ipso vero die festo, postquam sacramentis sese communiisset, coram tribunali sistitur secundo, Christumque non ore modo, sed et sanguinis effusione fortis atlheta profitetur. Quare capite plexus est, jubente chalifo Mousa, anno 787; et ita sanguinis baptisma recepit eodem die, quo Dominus Noster baptismum aquæ receperat olim. Corpus ejus in cimeterio Sagodeboli igne combustum est, ac in fluvium Cyrum seu Kurum præterlabentem ex summo monte dejectum, a miraculis mox inclaruisse fertur. Mire dissentiunt auctores in indicando anno, quo passus sit S. Abo. Muraviev, homo in chronologicis omnino peregrinus, scripsit anno 890; Muralt, quem nos sequimur, anno 787. Cfr 1) Martyrol. Patriarchæ Antonii, concio 12, et Vitæ SS. Iberiæ manuscriptæ, auctore Katholico Bessarione, citata apud Muraviev. 2) Muralt, p. 722.

DIES VII.

ni- **Synaxis sancti Joannis Baptistæ.** (*Ita omnes.*)
† Et Translatio manus (*Joannis Baptistæ*) CPolim. (*Mg. Sirm. Maz.*). † MM. Juliani et Basilissæ (*Neap.*). † Cyri, patr. CP. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA.

S. Joannes Baptista.

Codices Mst. et Ostromiranus legunt nomen Joannis: *Joana*, scriptum cum unica consona *n*. Unde conjicere licet, prototypon glagoliticum præfulsisse diacono Gregorio, qui codicem Ostromiranum descripsit. Parisinus I habet : *Synaxis sancti Jovannis Baptistæ*. Hunc quoque codicem ex glagolitico transcriptum, tum *Jovannis* nomen, tum alia indubia signa indicant satis. Menologium Basilianum inserit: *et gloriosi*.— Rum.: *Synaxim sancti et venerandi Præcursoris* (Predtetsa) *celebramus*. Ubi notabis Præcursoris nomen slavicum, Novgorodensium more enuntiatum ; nam solent illi literam č, quæ italico *c* in voce *Cicerone* æquivalet, cum litteris *ts*, germanico *z*, permutare. Unde prodit originem suam transcriptor codicis. Og.: *Synaxis sancti et venerandi Joannis Præcursoris*, omissis duabus ultimis vocibus. Siš.: *Synaxis S. Joannis Baptistæ*. Men. : *Synaxis S. Joannis Præcursoris et Baptistæ Domini*. Vat. I et II, Pp. Cap. Poss.: *Synaxis S. Joannis Præcursoris*. Et ita recentioria synaxaria communiter. Post diem septimam additur in Ostromirano codice *Sabbatum post Illuminationem* et *Dominica post Illuminationem*. Ita et plurimi alii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Theodosius Uglicensis.

Recentioris ætatis est Theodosius, quippe qui floruerit post medium sæculum XVII. Egit archimandritæ officium in monasterio Cernigoviæ civitatis Elecensi, usque ad annum 1693, quo cathedram Cernigoviensem ascendit, a morte Lazari Baranovicii vacuam. Obiit die 7 januarii anno 1693, quemadmodum testatur inscriptio tumulo ejus imposita. Verum enimvero, cum Cernigoviensem Ecclesiam ad mortem usque rexerit et in monasterio urbis illius etiamnum quiescat, cur Uglicensis cognominatus sit passim, aut quando et qua occasione corpus ejus fuerit elevatum, ignoratur. Uglicii forte natus est.

1) Ambros. I, 153; III, 427. 2) Dict. hagiogr. pag. 285.

DIES VIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria sancti Gregorii, episcopi Mysiæ.

Memoria sanctæ mart. Domnicæ (*Mst. Siš. Men. Pr. Hor. Kal. Pap. Pos. cum Sirm. Nan. Mg.*). S. Juliani martyris (*Par. I, Siš. Prol. Kal. Hor. cum Sirm. Mg.*) et S. Basilissæ (*Men. Prol. Hor. Kal. cum Hier. Vind. Pg. Nan. Sirm. Mg.*). SS. Martyrum Theophili diaconi et Helladii laici (*Rum. Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*). Memoria S. Georgii Chozevitæ (*Chil. Men. Og. Pp. Pr. Hor. Kal. cum Mg.*). S. Æmiliani confessoris (*Chil. Og. Hor. et recentiora cum Mg.*). S. Carterii hieromartyris (*Men. Pr. Kal. cum Sirm. et Mg.*). Venerab. P. Eliæ anachoretæ (*Men. Pr. Kal.*). Gregorii Cryptensis (*Pat. Men. Bud. Kal. Verš. et recentiora*). [Isidorus cum 72 sociis.]

† Hippolyti, papæ rom. (*GP. Flor.*). † Cyri, patr. CPolitani (*Sirm. Mg.*). † Attici, patr. CP. (*Mg.*). † Sameæ, proph. (*Mg.*). † Agathonis et Theoctisti (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Gregorius ep. Mysiæ.

Quisnam sit ille Gregorius, Mysiæ, id est, Bulgariæ episcopus, de quo solus Ostromiranus codex agit, divinare potius quam certi aliquid statuere licet nobis, antiquiorum Bulgariæ monumentorum copia destitutis. Juvat tamen cl. Nevostrujevii sententiam latine proferre, qui de Gregorio Bulgariæ episcopo in sequentem modum disserit in notis ad Synaxarium Mstislavicum: *Inventa est nuper*, ait, *a cl. viro B. Grigorovicio, in ecclesia Achridana S. Sophiæ, olim metropolitana, quam tempore Constantini Monomachi* (1042-1053) *extruxerat Leo, Bulgariæ archiepiscopus, tunc vero pene diruta, sequens inscriptio græca ex lapidibus ustis composita :* Γρηγοριος... σκηνην ἐγειρας... των Θεογραφων νομων ἐθνη των Μυσων ἐκδιδασκει παυσοφος... σφκ, *id est :* « *Gregorii... ædem excitavit... divinas leges Mysorum gentem docet perquam sapienter...* 6320 *vel* 1012. » *Ex quibus inscriptionis verbis erui videtur, fuisse in S. Sophiæ templo sacellum aliquod erectum in honorem Gregorii, sapientissimi Mysorum doctoris et magistri. Gregorium monachum,* « *omnium, ut vocatur, ecclesiarum Bulgariæ clericum,* » *norunt eruditi. Hic nempe chronicum Joannis Malalæ slavonico sermone donavit, in usus Simeonis, regis Bulgariæ ab anno* 888-927. *Potuit deinceps episcopus fieri, imo et Menologio* (*græco*) *inscribi, nisi alium Gregorium remotioris ævi supponere malimus.* Hucusque cl. vir Nevostrujev. De Gregorio clerico plura suppeditabit Philaretes, archiep. Cernigoviæ, in *Prospectu liter.* n° 6. Cum igitur libera inter duos Gregorios eligendi optio unicuique relinquatur, nec parum objectationibus obnoxia videatur sententia auctoris modo laudati, liceat præferre Gregorium antiquiorem, scilicet Nyssenum, *Nyssa* in *Mysiam* mutata; aut forte Georgium, Dobelti seu Debelti episcopum, natione Græcum, qui cum Manuele, Petro et Leone episcopis atque aliis sociis CCCLXXVII martyrium subiit anno 812 vel 813, imperante Bulgaris Murtagone, et colitur a Græcis et Slavis undecimo Kalendas Februarii (22 jan.) simul cum cæteris passionis suæ sociis. Hi omnes, apud Bulgaros captivi, eam gentem christianis doctrinis imbuerunt, ut aperte testatur Theophanes, certamen martyrum enarrans, et confirmat Theophylactus, Bulgariæ archiepiscopus, hujus nominis primus, in Narratione de XV Martyribus Tiberiopolitanis (Theophyl. opp., tom. III). Quam bene quadrent hæc in nostram inscriptionem, nemo non videt. Jac. Coletus noster, Illyrici sacri t. VIII, pag. 208, de Georgio agens : *Incertum*, ait, *an martyres hi sint Illyricis adjungendi, quippe omnes Adrianopoli in Thracia a barbaris comprehensi, si Georgium excipias, et extra imperii Romani fines perempti.* Nec obstat Gregorii nomen, leviter immutatum, aut altum de martyrio silentium in inscriptione. Alterum enim facile irrepere potuit, ob vocum similitudinem; alterum aut excidere, est enim inscriptio illa pluribus vocibus mutila; aut etiam prorsus omitti. Sed novæ memoriæ exspectentur. —

S. Domnica.

S. Domnica aliis est *Domniciana*, uti Venet.; aliis *Domna*, uti Possevino et Siš, qui scribit hæc, primo loco : *Memoria sanctæ martyris Domnæ et Juliani*. Menologium Basilii ad x diem Domnicam vocat, uti plerique synaxaristæ. De S. Domnica breviter agunt Menæa Slavica et Prologus, referuntque

DIES VIII JANUARII.

runtque eadem quæ continentur sive in Menologio Basilii imperatoris ad diem decimam, sive in officio diei, quod conscripserat Josephus hymnographus. Plura desideraverat Bollandus operis sui tomo primo ad hanc diem. Verum Papebrochius in notis ad Synaxarium Græcorum metricum asserit habere se vitam hujus sanctæ hegumenæ græce ac latine dandam in supplemento Januarii, necdum edito. — « In cod. ms. bibl. Coislinianæ, *S. Georgius Chozevita.* nº 303, sæculo decimo exarato, legitur venerabilis Georgii Chozevitæ Vita, fusiore calamo scripta ab Antonio, Georgii, ut videtur, discipulo. Ibidem narratur, Georgium, Cypro oriundum, mortuis parentibus, secessisse in monasterium quoddam, cui præerat ejus patruus, dein migrasse in lauram Calamonis, prope Jordanem, ubi morabatur frater ejus Heraclides; a quo, dum adhuc imberbis juvenis esset, perductum fuisse in cœnobium B. Virginis dictæ Chozeviticæ, ibique obiisse, paulo ante invasionem Persarum. Chozeviticum cœnobium, inter Jordanem et Hierosolymam situm, fundasse dicitur S. Joannes, de quo agetur ad diem 3 octobris. » — Hactenus auctor Menologii Ecclesiæ orientalis, Demetrius Veršinski, ultimis his annis morte præreptus. Scriptio illa Antonii adhuc in tenebris latet; sed alia sunt exemplaria quam Coislinianum. Apographum enim, ex Seguieriano desumptum, in Musæo suo servant Bollandiani; cujus initium est: Γεώργιος τῷ μὲν γένει Κύπριος. Pone hanc Vitam sequitur officium, immo narratio miraculorum B. M. Virginis in monasterio Choziva, in qua celebrantur quinque sancti patres, qui ibidem simul colebantur et quorum nomina, quum alium diem cultus ignoremus, placet hic recitare. Sunt autem illi SS. Promus, Helias, Gennæus, Æaulis et Zenon, totidem illius monasterii incolæ; quibus addendus S. Joannes, metropolita Cæsareæ Stratonis. — Viginti quinque diebus diversis occurrit S. Ju- *SS. Julianus et Basilissa.* lianus, teste Castellano, quem citat Mazochius. — Paris. I breviter pro more: *martyris Juliani*, omissis sociis passionis ejus, puta Basilissa, et aliis quamplurimis. Utriusque nomen exhibent Synaxaria Hierosol. et Callip. sæculi x. Menæa Slavica : *eadem die passio SS. martyrum Juliani et Basilissæ et sociorum.* Inter hos nominatur in Kal. Mosquensi Celsius, Antonius, Anastasius et Marionilla, mater Celsii. — In Rum. SS. Theophilus *SS. Helladius et Theophilus.* et Helladius referuntur ut supra, immutato paulisper Helladii nomine (Eladja). Ita etiam habet Menologium Basilii, inserta voce : *martyrum.* — In Cap. Leop. Og. Par. VII fit memoria : *Venera-* *S. Æmilianus. Isidorus.* *bilis Georgii, Domnicæ et Æmiliani.* — De Isidoro ejusque sociis agetur modo in Memoriis Slavicis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Gregorius mon. cryptensis.

Tres numerantur monachi, nomine Gregorii, Kievocryptenses: primus hymnorum sacrorum auctor, cujus memoria celebratur VIII Augusti; secundus, nomine tenus notus, commemoratur ad XXVIII Augusti; tertius denique, de quo nunc sermo, floruit sæculo XI, vivente adhuc S. Theodosio, monasterii Kievo-cryptensis fundatore ; a quo in monachorum cœtum receptus est beatus vir anno 1064, ac virtutes religioso homini convenientes edoctus. Mirum in eo orationis studium, cui diu noctuque vacare non desistebat; quapropter miraculorum donum a Deo accepit, prædicens futura, dæmonesque vel sola præsentia fugans. Fures, ad eum deprædandum jam paratos, ad pœnitentiam miraculose adegit, uni ex eis proxima morte prædicta. Similiter et satellitibus Rostislai, ducis Perejaslaviensis, sibi illudentes, in aquis simul cum principe perituros prænuntiavit. Quo oraculo iratus Rostislaus Gregorium, lapide ad collum appenso, in Boristhenem projici jussit; at post triduum corpus ejus in cella a fratribus inventum traditur, si fides adhibenda sit auctori Paterici, veris fictitia quandoque miscenti. Rostislaus autem, hostem fugiens, in fluvio Stugna misere periit, anno 1094; ita ut eventu prædictio Gregorii rite comprobata fuerit. Hæc summatim ex auctoribus indigenis, præeunte Paterico Kievo-cryptensi.

Cfr. 1) Pater. Crypt., fol. 131 et seq. 2) Prolog. et Menologium ad hunc diem. 3) Diction. hagiolog. pag. 79. 4) Menol. Verš. ad hunc diem.

Isidorus et 70 socii.

Horum nomina in nullo synaxario reperiri observatum est supra ad diem III; quo eorum memoriam apud suos fieri asserit Muraviev, mortemque violentam rhetorum more, ut assolet, enarrat, aut potius narrationem cujusdam monachi Barlaami, auctoris merito suspecti nec omnino coævi, ampliat et exaggerat. Narrationis summa hæc est. Tempore persecutionis, quam anno 1472 excitaverant Germani in civitate Livoniæ Dorpatensi [apprime catholica], degebant ibi sacerdotes duo Russi, Isidorus et Joannes, curam suæ gentis spiritualem habentes. Horum alter, Joannes, ipso persecutionis initio Pscoviam abiit, ut Germanorum effugeret manus; alter vero remansit Dorpati, quo ecclesiam SS. Nicolai et Georgii sibi concreditam tueretur. Quem apprehensum cum blanditiis ad Latinorum castra pellicere frustra conarentur Germani, ad minas devenerunt, accusantes virum quasi nempe Latinorum cultum contemptui haberet, utpote Græcæ religionis homo. Igitur (si hagiographis Russis fides sit) ipsomet Epiphaniorum die, ad flumen aquæ benedicendæ causa, Græcorum ritu solito, procedentem milites comprehendunt una cum aliis plurimis, et coram judice statuunt. Sprevit minas judicis Isidorus et orthodoxiam (vel forte ritum orientalem) non modo est confessus, sed et Germanis ipsis ut amplecterentur, suadere aggressus est. Quare in carcerem truditur, cum sociis duobus super septuaginta, quos ad certamen subeundum animavit. Cum autem, iterum coram judice ductus, nec promissis nec minis cessisset, in flumen Omovžam [Embachum intellige] projicitur, sacris vestibus ornatus. Proximo autem verno tempore, quum effluxissent hiemales fluvii aquæ, occisorum corpora tribus milliaribus ab urbe integra (et forsan a frigore servata) reperta sunt et honorifice condita in ecclesia S. Nicolai. Interemptus est Isidorus tempore Joannis III, magni ducis Moscoviæ ab anno 1462 ad annum 1505, Joanne archiepiscopo regente Ecclesiam Novgorodensem et Pscovensem; ad quam ecclesia illa Dorpati pertinebat. Horum mortem violentam enarravit omnium primus, ut dixi, monachus ille Barlaam nomine, jubente Macario metropolita, Menologii magni auctore, qui floruit sæc. XV. Exstat præfata narratio in synaxario mss. sæc. XVII, comitis

comitis Uvarovii, olim Tsarskiano; quæ omnino conferenda est cum historiis ordinis Teutonici (ex eo enim sunt Germani, qui occidisse dicuntur Isidorum), atque etiam cum annalibus Russorum, ubi bellum Livonicum explicatur; neque omittendæ literæ Romanorum pontificum, quas inter Monumenta Poloniæ historica non ita pridem edidit Theinerus et ex quibus constat equites Teutonicos non minus avare et truculente hoc bello habuisse christianos, ritum latinum sequentes : ita ut parum verisimile sit tum religionis rationem habitam fuisse. Quodsi tamen habita sit, cogitandum S. Augustini de martyribus Donatistarum pronuntiatum : *Martyrem non facit pœna, sed causa.* DIES IX ET X JANUARII.

Cfr. 1) Dict. hag. ed. 1862, pag. 108. 2) Murav. in Vitis SS. ad diem III Januarii. 3) Theineri, Monum. Polon. t. II, num. CCXX, CCXXVI, CCXXIX et seq.

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

Passio S. Polyeucti martyris (*Mst. Par. Arc. Rum. Siš. Chil. Men. Pr. Og. Pp. Cap. Vat. uterque, Pos. Hor. Kal. etc. cum Bas. CP. Sirm. Maz. Hier. GP. Vind. Nan. Pg. Flor. Msq. Mg.*). Post festum Luminum (*Mst. Vat. I, Nan. Hier. etc.*). S. Eustratii thaumaturgi (*Rum. Men. Pr. Kal. Hor. cum Sirm. et Mg.*). S. Marciani (*Cap. Kiov. Sirm.*). S. Sameæ prophetæ (*Men. Prol. Kal.*). S. Petri, ep. Sebasteni (*Men. Kal. Verš.*). S. Petri Abessalamitæ (*Sirm.*) Et memoria magni terræ motus (*Siš. Sirm.*). Philippi metropolitæ Mosquensis (*Men. Prol. Kal. Bud.*).

† Theoctisti mart. (*Bas.*). † Achiæ prophetæ (*Bas. Sirm.*). † Theoctisti ep. et conf. (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Polyeuctus. Paris. : *Sancti Polyeucti.* Arc. addit : *martyris.* Mst. errore : *hieromartyris;* cætera, ut supra. Rum. et Men. ut Mst., mutato erroneo titulo *hieromartyris* in verum : *martyris.* Siš. : *Sancti martyris Polyeucti.* Eodem modo referunt Og. Bud. et recentiora alia. Vat. II. : *Martyr Polyeuctus.* Idem habet Capp. in genitivo. Pos. mendose : *Martyris Poluecii.*

De festo Luminum. Pap. *Polyeuctus.* — Vat. I: *De Epiphania.* — Rum. :

S. Eustratius. *Et S. Patris Eustratii.* Men. : *Et memoria vener. Patris nostri Eustratii.* Verš. addit : *thaumaturgi.* — In Kal. Papebr. mss. errore : *Et S. Patris N. Marci.* Eodem modo habet Og. ad diem sequentem, quo vulgo referri solet S. Marcianus. — Philippus metr. obiit anno 1570, strangulatus jussu Joannis IV cognomento Terribilis. Adeantur Memoriæ Slavicæ ad hanc diem. — *S. Petri Sebasteni nomen,* ait Bollandus, *in nullo Menologio Græco legitur ad hanc diem :* nec contrarium testatur codex Menæorum Sirmondianus, ubi S. Petrus vocatur Abasalomita ; de quo etiam ad diem XII.

S. Marcianus. *Philippus.* *S. Petrus Sebastenus.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Philippus, metropolita Mosquensis. Celeberrimus hic Antistes, quem thaumaturgi titulo decorant indigenæ, nobilissimis parentibus Stephano et Barbara Mosquæ natus, et Theodori nomine in sacro fonte insignitus, ab infantia sese, ut traditur, Deo dedit. Dum adhuc puer esset, virum moribus agebat, lectioni libenter vacans, pueriles vero ludos fastidiens, ut omnibus esset admirationi. Cum annum trigesimum attigisset, relicta aula, ubi inter honorarios ephebos degerat, in remotissimum asceterium Solovecense, nesciis parentibus, abiit, soli regi invisibili exinde serviturus. Monachus effectus, obedientia, sui contemptu, præsertim vero humilitate præ cæteris eminuit. Quapropter fratrum regimini præpositus est; ac dein ad sedem metropolitanam, licet valde reluctans, evectus fuit, volente Joanne IV, cognomento Minace. Verum non diu Ecclesiam rexit. Cum enim, libertatis ecclesiasticæ studiosissimus summam Joannis crudelitatem, in neces et tormenta effusi, ægerrime ferret Philippus et quem cuncti adibant tremebundi, tum secreto, tum publice monere mansuetudinis et officii non timeret, sumpsit inde occasionem nocendi princeps. Verum ne commoveretur plebis multitudo, justitiæ speciem simulavit rex, et falsis testibus subornatis, præsulem in jus vocavit, quasi nimirum regiam læsisset majestatem; eumque mox, dum sacra perageret, in ipso templo comprehendi jussit, vesteque lacera indutum, scopis e templo pelli et in vincula conjici. Octiduo post, e carcere eductus antistes in monasterium Tveriæ Otrocense (seu Puerorum) trusus est, ibique, anno sequenti, id est, 1569, animam suam Deo reddidit, die 23 decembris, a Maluta Skuratovio, Joannis amico dignissimo, strangulatus. Demortui corpus, in monasterium Solovecense delatum, inde Mosquam a Nicone patriarcha translatum est anno 1652, die 3 julii, ibique in ecclesia cathedrali honorifice conditum, utpote jam ante annum 1636 a Russis publice cultum. His de causis bis in anno coli solet Philippus in Ecclesia Moschorum, qui eum martyris titulo passim condecorant, die 9 januarii, et 3 julii, habetque officium proprium. [Quibus brevissime et summatim dictis, fusiora cupientem remittimus ad fontes indigenas, quorum præcipui sequuntur.]

Cf. 1) Prologus, ad 9 Jan. 2) Annales Novgorod. pag. 162, 253. 3) Kurbski, Hist. Joan. IV, pag. 117, 121, 127. 4) Philaretes, Hist eccl. russ. part. III, pag. 35-37. 5) Menolog. Verš, ad hunc diem. 6) Karamzin, Histor. t. IX. 7) Vita mss. Bibl. Synod. Mosquen., citata a Murav. ad hunc diem, pag. 157. 8) Dict. hag. ed. 1862, pag. 235 et seq.

DIES X.

Ex Ostromirano. MEMORIA PATRIS NOSTRI JOANNIS (*cum Neap.*). VENERABILIS PATRIS NOSTRI GREGORII, EPISCOPI NYSSENI (*Pr. Men. Hor. Kal. Par. I et VII, Rum. cum Bas. CP. Hier. Nan. Pg. Msq. Fl. Maz. Sirm. Sirl. Mg.*).

Post

DIES XI JANUARII. *Ex variis.*

Post festum Luminum (*Vat.* I *et* II, *Mst.*). Venerabilis Domitiani episcopi Melitinæ (*Siš. Og. Pp. Cap. Men. Pr. Hor. Leop. Kal. cum Bas. Hier. GP. Pg. Nan. Sirm. Maz. Mg.*). S. Marciani, presbyteri et œconomi (*Chil. Og. Hor. Kal. Cap. Men. Pr. Leop. cum Bas. Maz. Mg.*). S. Theosebiæ, diaconissæ (*Men. Kal.*). Pauli Komeliensis (*Prol. Men. Kal.*).

† Polyeucti, mart. (*Pg.*) † Ammonii alias Amorii (*Mg.*). † Domnicæ (*Bas. Maz.*) † Theodosii, cœnobiarchæ (*GP.*).

OBSERVANDA.

S. Joannes Chrysost.

Lectio imprimis notanda; etenim venerabilem Patrem Joannem, quem refert Ostromiranus primo loco, nusquam reperies ad hunc diem, neque in Græcis codicibus neque in Slavicis, excepto Kalendario marmoreo Neapolitano. In hoc enim annuntiatur prædictum festum ita : *S. Johannis Chrim.* (id est Chrysostomi), nulla alia nota addita, nec depositionis, nec natalium, quæ in marmore isto frequentissimæ sunt. Sed de hac re plura suppeditabit cl. Mazochius in Commentariis suis ad diem XXVII Januarii. — Illustrissimus Barthol. Kopitar in interpretatione Ostromirani Kalendarii latina de S. Gregorio habet sequentia: *Memoria P. N. Joannis et Sancti* (ὁσίου) *P. N. Gregorii episcopi Nysseni;* in textu vero slavico, ex adversa parte posito, post vocem *prepodobnago*, id est venerabilis, non sancti, addit admirationis particulam *sic*, perinde ac si erronea esset *venerabilis* denominatio, Gregorio episcopo attributa. At errasse virum eruditissimum nemo non videt, cum non Ostromiranus codex tantum, sed et alii plures, simili modo venerabilem appellent eumdem Gregorium episcopum. Nec aliter annuntiatur Domitianus, episcopus, sive in Menæis recentioribus sive in Synaxariis remotioris ævi, exempli gratia Sišatovacensi. Unde liquet, promiscue usurpari voces illas : ὅσιος et ἅγιος, nec nimio rigore sumenda esse ea, quæ in hanc rem discrete scripserat Papebrochius noster ita aiens: *Nota quod* ὅσιος *et* ὁσιά FERE *dicantur de monachis et sanctimonialibus,* ἱερός *de presbyteris et episcopis,* ἅγιος *universim de cujusvis conditionis et sexus Sanctis.* Maii tom. I, pag. VII. Sed ad Gregorium Nyssenum redeamus, quem varii codices varie referunt. Par. I ita breviter: *Sancti Gligori Nysseni;* slavice *Gligora*, more scilicet Slavorum meridionalium. Mst. concordat omnino cum Ostromirano, omissis verbis : *Patris nostri Joannis.* Item Menæa, mutata voce *Venerabilis* in *Sancti*. Rum. : *Memoria sancti consecratoris Gregorii, archiepiscopi Nusseni.* Ubi notabis et consecratoris nomen et archiepiscopi titulum, sane erroneum. Siš. : *Venerabilis Patris nostri Gregorii episcopi.* Rem. : *Memoria S. Gregorii Nysseni, fratris Magni Basilii.* Og. : *S. P. N. Gregorii Nysseni.* Pos. : *S. Patris Gregorii.* Vat. I : *Gregorii Nysseni.* Pp. : *Gregorius.* — Siš. simpliciter: *Venerabilis Domitiani.* Og. : *Dometiani Mitelensis* pro *Meletino.* In Pp. et Cap. profertur nudum nomen : *Dometianus.* Men. Prol. Verš. : *Memoria vener. P. N. Dometiani, episcopi Meletinæ.* — In Men. Sirmundi extat S. Marcianus die IX. Item in Chiland. Typico : *Et Marciani presbyteri.* Synaxarium Og. perperam Marcianum mutat in Marcum, ut patet ex titulo *œconomi*, quem ei tribuit. Error iste communis est Synaxario Og. cum Kioviensi P. David, S. J., ut adnotavimus ad diem præcedentem. In Menæis et Prologo additur : *Magnæ ecclesiæ CPtanæ.* Constat excitatas fuisse a S. Marciano ecclesias SS. Irenes, Anastasiæ, Isidori, et alias. — S. Theosba, quam Verš. vocat etiam Theosebiam, uxor erat S. Gregorii Nysseni. — Vat. uterque habet: *de Epiphania.* Mst. ut supra, juxta Hier. et GP. sæc. X: μεθ' ἑορτὴν. — De Paulo Komeliensi ampliora habes in Memoriis Slavicis infradandis. — S. Polyeuctus occurrit hoc die etiam in vetustioribus martyrologiis latinis.

S. Gregorius Nyssenus.

S. Domitianus.

S. Marcianus.

S. Theosebia.

De Festivitate.

Paulus.

S. Polyeuctus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Paulus Komelscius seu Obnorensis.

Eremiticam vitam coluerunt in Russia sæculo XV non pauci; inter quos præcipui nominantur Paulus Obnorensis, Sabbas Višerensis et Nilus Sorensis. De primo sequentia perhibent auctores indigenæ. Dicunt nempe Paulum nobili genere Mosquæ ortum, cum annum ætatis attigisset vigesimum secundum, ne matrimonium contrahere a parentibus cogeretur, paternam domum reliquisse, vitamque monasticam esse amplexum, variis in locis agendam. In qua postquam a Sergio Radoneženси fuisset institutus, in solitudine non procul ab ejus monasterio annos quindecim degit; tum in silva Komeliensi arborem concavam per triennium inhabitavit, summæ abstinentiæ deditus, quippe qui non nisi sabbato et die dominica cibum sumeret, tum etiam parcissimo; cæteris vero diebus omnino ab eo abstineret. Demum in monte Obnorensi, ad flumen Nurmam sito, commoratus est; ubi et a latronibus in vincula conjectus. Interea, crescente numero sociorum, ecclesiam et cœnobium ibidem in valle subjacenti extruxit; nolens tamen hegumeni munus suscipere, sed illud discipulo suo Alexio committens. Ipse vero, solitudinis amans, seorsim ab aliis vivere statuit, nec nisi sabbato et die dominica fratribus miscebatur; quo tempore eos ad virtutem exhortabatur. Tandem, cum ad ultimam senectutem pervenisset, multumque a dæmonibus probatus esset, ad requiem transiit anno 1429, die 10 januarii, ætatis suæ centesimo duodecimo. Ex quonam tempore a Russis colatur, hactenus nesciri videtur. Pauli corpus, anno 1546 levatum, in nova ecclesia conditum fuit; ubi hodieque requiescit. Vitam ex memoriis cœvis et traditionibus collectam ab auctore incerto refert Macarius metropolita in suo Menologio majore.

Cfr 1) Prolog. ad hunc diem. 2) Men. Macarii mss. 3) Dict. hag. 192. 4) Murav. Jan. pag. 158 et seq. 5) Phil. Hist. eccl. rus. III, p. 160.

DIES XI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Passio sanctorum martyrum Marci et Agapii (*Mst. cum Mg.*). Memoria venerabilis Patris nostri Theodosii, cœnobiarchæ (*Ita Mst. et omnes, præter Ass. et Rem. qui vacant, cum Bas. Mg. Sirm. Maz. Hier. GP. Vind. Pg. Goth. Msq. Fl. Neap.*). Sacromartyris Petri (*Rum. cum Bas. Maz.*). S. Marciani (*Pp.*). Memoria venerabilis Patris Theodosii Antiocheni (*Prol. Men. Kal.*

Kal. cum Mg. Maz.). Michaelis Klopscii, Sali (*Prol. Men. Kal.*). Theodosii, metr. Trapezuntis (*Ath.*). Romili erem. (*Prol. serb.*)

† Theoctisti, patriarchæ (*Goth.*). † Gregorii Nysseni (*GP.*). † Synaxis Angelorum (*Mg.*). † Stephani protomartyris, in Placidianis (*Mg. Sirm.*). † Eupraxiæ (*Mg.*). † Theodori (*Mg.*). † Maëri (*Mg.*). † Vitalis (*Mg.*). † Marci, apost. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Theodosius M. Mirabitur non nemo, nihil dici de S. Theodosio Magno in cod. Ostromiri; idque eo magis quod cæteri Slavici codices meminerint ejus omnes, æque ac Menologium Basilianum et martyrologia latina. Sed id pro veteri usu. Nam tacet quoque de eo Menologium CP. antiquissimum, a Morcellio editum; aliud vero Callipolitanum sæculi x, quod typis vulgavit Scholz, agit de Theodosio die præcedente ; ad præsentem autem refert S. Gregorium Nyssenum. Magnus ille Theodosius in variis codicibus variis titulis ornatus prodit : in cod. græco Mosq. appellatur *patriarcha;* in Arcad. vocatur *cœnobitarum institutor;* similiter in Rum. in Menolog. et Prol. excuso, Bud. et aliis; in hisce præterea appellatur *venerabilis*, non secus ac in Siš. et in Kal. Mosquensi ; in Ostrogensi vero et Papebr. habet titulum *sancti :* utrumque enim promiscue usurpatur. — Theoctistus *patriarcha* legitur in Gothano, probabilissime pro Theodosio cœnobiarcha, quem cod. quidam Mosquensis jam vocaverat patriarcham. — Præter Theodosium cœnobiarcham in Men. gr. commemoratur alter Theodosius, Antiochenus, qui condidit celebre monasterium in *Scopulo* appellatum. In Kalendariis antiquioribus refertur ad diem VIII Februarii. — In Men. gr. nominatur Marcus apostolus πλησίον τοῦ Τάυρου. — Ibidem Agapius titulum præfert archimandritæ; nec quidquam commune habet cum S. Marco utroque, minimeque vocandus est martyr, ut est in Mst. — Non minorem nodum facit Petrus, quem codex Rum. martyrem nominat et simul *pontificem*. Equidem in Menæis ad diem 12 narratur vita Petri Abesalamitæ, de quo actum est supra ad diem 2 ; at hic sanctus nequaquam fuit sacerdos, nedum episcopus. De eodem martyre Abesalamita agit etiam Menologium Basilianum ad præsentem diem. Cum igitur Rum. codex Petrum, Abesalamitam, qui Atroæ passus est, jam retulerit die secunda Januarii, hodiernum vero episcopi seu consecratoris appellatione condecoret, asserere non auderem, agi hic de uno eodemque sancto, modo fides adhibenda sit kalendario impresso et non supponatur mendose ibi positas esse voces : *pontificis martyris*, pro *sancti martyris*. — De S. Marciano, presbytero et œconomo magnæ ecclesiæ, actum est die præcedenti, et agetur forsitan in commentariis ad Ephemerides Græco-Moscas. — De Michaele, cognomento Klopscio, uberiorem notitiam suppeditabunt Memoriæ Slavicæ. — Theodosius metropolita oriundus erat e finibus Castoriæ, e vico Koritza seu Corussi, fratremque natu minorem habuit Dionysium, deinceps monasterii in Monte Atho suo nomine insigniti fundatorem. Juvenis annorum octodecim, CPolim profectus est; ubi a patriarcha benigne receptus, ac dein ad diaconatum et tandem ad presbyteratum promotus fuit. Verum solitudinis amore, relicta regia urbe, in Montem Atho secessit, atque in monasterio Philothei primum monachi conditionem, tum etiam hegumeni munus suscepit. Quo dum perfungebatur, fratrem suum Dionysium, adhuc juvenem, in monachorum cœtum admisit ac religiosæ vitæ leges erudivit. Interea Dionysio in solitudinem secedente, ipsemet cum quadam die cum aliis monachis piscationi vacabat, a piratis captus in Brussam defertur urbisque christianis venditur. Mox libertati restitutus non Montem Atho, sed Constantinopolim appulit. Monasterio cuidam illic aliquandiu præpositus fuit; unde ad sedem metropolitanam Trapezuntis transiit. Erat tunc Trapezuntina civitas imperatoris græci Alexii Comneni sedes. Quam cum adivisset frater Theodosii, imperatorem exoraturus, ut monasterii a se fundandi in Monte Atho patrocinium susciperet, petitionem fratris Alexio fecit acceptam, quin et ipsum Dionysium tertio Trapezunte versantem, morteque præreptum, sepulturæ tradidit. Floruit itaque Theodosius sæculo XIV, coliturque, ni fallor, duntaxat a monachis Montis Atho, qui eum *Patrem suum venerabilem et Theophorum deprædicant*. Cfr Pater. Montis Atho, pag. 393, et in vita Dionysii, pag. 376 et seqq. Item Montfauc. Palœogr. gr. lib. VII. pag. 476.

S. Theoctistus

S. Theodosius Antioch.

S. Marcus.

S. Agapius.

S. Petrus.

S. Marcianus.

Michael. Theodosius metropolita Trapezuntis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Romilus, monachus. Romili nomen etsi in Synaxariis Serbicis numquam offenderim, eum tamen ad hanc diem coli testantur auctores infra referendi et nominatim prologus quidam serbicus, sat antiquus, quem nos fere ad verbum huc retulimus. Illo igitur teste, Romilus, patre græco, matre bulgara, Viddini natus, et Rasko in baptismo vocatus, floruit sæculo decimo tertio ineunte; [imo decimo quarto, ut liquet ex sequentibus.] In scholam ad literas addiscendas a parentibus traditus, æmulos tum majori diligentia, tum feliciori in studiis profectu facile superavit. Adolescens, ut mundo nuntium mitteret, Ternobum, inclytam Zagoriæ seu Transmontanæ regionis civitatem, contendit, ibique in monasterio quodam monasticum schema induit, Romili nomine assumpto. Postmodum, monasterio relicto, in eremum Parorianam ad Gregorium Sinaitam perrexit. Quo loco cum propter frequentes latronum irruptiones diutius commorari nequivisset, in Zagoriam remeavit, comitem secum habens Hilarionem, sibi amicissimum. Sedem itaque fixit in loco Mokry, iter unius diei a Ternobo distante. Verum mox, latronibus domitis, paceque et securitate Paroriæ incolis ab Alexandro rege restituta, eodem, unde abierat, properavit Romilus cum Hilarione; quibus brevi post socium sese adjunxit Gregorius quidam, Constantinopoli advectus; qui et magistri vitam postea scripsit. Sed frustra tranquillitatem speraverat Romilus : imminebat enim Parorianis Musulmanorum invasio. De qua mature a præfecto Scoplensi certior factus, utque eam fuga præverteret monitus, ad sedem Mocrensem, quam antea occupaverat, rediit Romilus, et brevi post in Montem Atho iter instituit. Mansit itaque ad illius montis radices cum sociis in loco, Melana dicto, donec e vivis cessit *Uglešius*, Macedoniæ et Thraciæ despotes, in bello contra Turcas ad Ciarnomenum hodie Tčermen, anno 1373 occisus. Tunc enim, tumultibus undique exortis, monachisque Athonicis fuga salutem turmatim

Dies XII Januarii.

matim petentibus, Romilus quoque sanctum Montem deserere coactus est. Quare in Illyricum perrexit; plurimisque ab errore ad fidei unitatem et a peccatorum cœno ad virtutem reductis, in locum quemdam vulgo Aulon nuncupatum secessit. Tandem in Serbiam cum sociis profectus, Ravanitsæ in monasterio Ascensionis sese inclusit, nec multo post instabilem suam vitam, an peregrinationem cum manente civitate commutavit. Ita fere Prologus quidam Serbicus, cujus ampliorem notitiam reperies in opere periodico *Glasnik*. Vitam Romili, a Gregorio ejus discipulo, ut diximus, exaratam, mihi tamen ignotam, ornatiori stylo adumbravit et officio auxit Gregorius Semivlachus zeu Zamblak, deinceps metropolita Kioviensis celeberrimus. Conferre juvabit ea quæ dicta sunt de Theodosio Ternobensi ad xxviii Januarii et de Gregorio Sinaita ad viii Augusti.

Cfr 1) Vita Romili, auctore Gregorio, ejus discipulo. 2) Alia Vita ejusdem ms., auctore Gregorio Zamblak seu Semivlacho. 3) *Glasnik*, tom. IX, pag. 252 et seq. et tom. XI, pag. 37.

Michael Klopscius, Salus.

Sæculo xv floruit Michael, vir profecto singularis. Qui quum Mosquensium ducum sanguine esset nobilissimus, omnibus propter Christum derelictis, veste pauperrima indutus in monasterium Klopscense, prope Novgorodiam, mirabiliter venit anno 1408, die 23 junii; ubi ab hegumeno, repentinam ejus apparitionem demirante, susceptus, mansit tacito nomine et ignotis natalibus. Stultus amore Dei factus, vitam rigidissimam instituit. Somnum super terram nudam capiebat, cibum semel tantum sumebat in hebdomada, et quidem parcissimum. Quotiescumque autem hominibus miscebatur, *salum* seu stultum agebat, ludibriis et injuriis obnoxius. Dei honorem alacriter vindicabat peccatoresque tum amore tum castigatione ad resipiscentiam adducebat. Imminentem reipublicæ ruinam Novgorodensibus prænuntiavit ea ipsa die qua lucem aspexit Joannes IV, olim Novgorodiæ flagellum. Anno tandem 1452, die 11 januarii, ad Deum, quem mirum in modum diligebat, transiit, postquam annos quadraginta quatuor in religione exegisset, multaque patrasset miracula. Cultum ejus ecclesiasticum per totam Russiam agendum decrevit Concilium Mosquense anni 1547, ordinaria sua auctoritate nixum, præsidente Macario metropolita; vitam vero scripsit anno 1537 nobilis vir, Michaël dictus, consilio ejusdem Macarii. Colitur etiam Michael quibusdam in locis 23 junii, quæ est dies ingressus ejus in religionem anniversaria.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad hunc diem. 2) Acta jurid. t. I, nº 213. 3) Dict. hag., pag. 196. 4) Menol. Verš. ad hunc diem. 5) Phil. Hist. eccl. rus., III, pag. 93, 145 et 199. 6) Pypin, Monum. lit. ant. III, 36 et seq.

DIES XII.

Ostrominarum. Ex variis.

VACAT.

Passio S. Tatianæ, martyris. (*Ita omnes post Mstisl. cum Bas. Hier. Pg. Nan. Msq. Sirm. Mg. Sirl. Maz.*). Post festum Luminum (*Mst.*) S. Meortii (*Rum. Men. Kal. Prol. cum. Bas. Maz. Sirl.*). S. Patris Eliæ (*Rum. cum Sirm. Mg.*). S. Petri dicti Abesalamitæ, martyris (*Men. Prol. Sirl.*). S. Patris Eliæ (*Rum. cum Sirm. Mg.*). S. Sabæ, primi archiepiscopi Serbiæ (*Og. Msq. Hung. Ps. Kal. Kiov.*). S. Eupraxiæ (*Hor. Leop. Kal.*). [Martiniani Belozerici, Eleazari Azerensis et Irenarchi mon. (*Hag.*)]. † Euthasiæ, mart. (*Mg.*). † Octo martyrum Nicææ (*Mg.*) † Quadraginta monachorum Ord. S. Basilii et martyrum (*Italgr.*). † Stephani ad Lacum Anserum (*Nan. GP. Flor.*). † Athanasii, conf. (*Bas.*). † Theodori Euchaitæ, mr. (*Mg.*). † Martiniani (*Neap.*). † Theodoræ Alexandrinæ (*Neap. Mg.*). † Alexandri, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Tatiana.

Acta S. Tatianæ plurimum convenire cum Actis SS. Martinæ et Priscæ, quæ ambæ Romæ certaverant, annotant Bollandiani, ac propter miram hanc similitudinem parum authentica esse suspicantur, totamque materiam paucis absolvunt. (Cfr pag. 720.) In Actis S. Tatianæ slavicis eadem, quoad substantiam rei, leguntur ac in latinis S. Martinæ; at undenam sumpta sint, tacet Menol. præter morem. S. Martina et S. Prisca Græcis et Slavis prorsus ignotæ manent. (Cfr Assem.) — De S. Petro in Menæis legitur : τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Πέτρου τοῦ Ἀβεσαλαμίτου : *eodem die commemoratio S. martyris Petri Abesalamitæ;* in Basiliano vero describitur certamen martyris, ad diem præcedentem. Unde patet eumdem esse ac Petrum cognomento *Signiferum*, Atroæ sepultum; de quo nos egimus supra ad diem Januarii secundam, et iterum ad diem undecimam ejusdem mensis. Utraque enim die recolitur in synaxariis antiquioribus, v. g. Rumiantsoviano sæculi xiii. Unde recte Papebrochius in nota ad hunc locum : *Martyr Eleutheropoli in Palæstina, colitur a Latinis cum cognomento Balsami seu Abelsami, tertia Januarii.* Nempe paterno nomine *Abelsamus* dictus fuit, in baptismo autem Petrus, quemadmodum testantur Acta Anastasiana. Porro

S. Petrus.

natus est Petrus in pago Anea apud Eleutheropolim, passus vero sub Diocletiano, dum adhuc in flore ætatis esset, et Atroæ sepulturam accepit. Cur igitur in tabella repræsentetur barbatus, cum imberbis juvenis esset, aliam causam non video, præterquam pictoris mosci imperitiam. Propius veritati accessit tabularum Capponianarum pictor origine etiam moscus. Hic enim S. Petrum repræsentat juvenem *nudum in fornacem immissum, et manibus expansis orantem, dum hinc inde duo satellites flammam ignis, hasta stimulantes, ardentiorem efficiunt* (Assem. tom. VI, pag. 60); alter pictor, certaminis genere postposito, solum martyrium indicavit et hanc ob causam S. Martyrem exhibuit crucem dextera tenentem; imo et militari habitu indutum, quamvis nuspiam legatur fuisse miles. Quibus addendum sanctum Martyrem hunc iterum commemorari in Menæis Slavicis ad diem xiii Septembris. — Eliam Thaumaturgum commemorari hodie apud Græcos, patet ex eorum Menæis, ut adverterat Bollandus in prætermissis ad hunc diem. Quod si etiam in Synaxario Rum. thaumaturgus appellaretur, satis inde liqueret, eum non esse alium ab Elia propheta; at cum ille simpliciter *sanctus Pater* dicatur, amplectenda est sententia Raderi nostri,

S. Elias.

ibidem

ibidem citati, qui existimat agi hic de Elia anachoreta, cujus laudes enarrant Ruffinus et Palladius. Porro de Elia anachoreta actum est supra, ad diem 8 januarii, quo quamnam ob rationem fuerit translatus, ignorare me ingenue fateor. —

S. Meortius. S. Meortius nominatur in Menol. Basilii : *certamen sancti martyris Meortii* (Μεορτιου); in Menæis Græcis et Slavicis et in Prologo *Mertius*. Utrumque placet.

S. Sabas. —De S. Saba, primo archiepiscopo Serbiæ, Chilandar. et recentiora synaxaria agunt ad diem 14. Plura itaque cupientem remittimus ad Memorias Slavicas, ubi fusius de eo tractatum est, aut etiam ad Acta Sanctorum, illa eadem die, pag. 979 et seq. Assemanus tractat ad præsentem diem sat fuse, licet non in omnibus recte. — S. Eupraxia vocatur hodie in Horologio Počajovensi; at in Prol. excuso et in Menologio Veršinscii prorsus omissa est. In Kal. Budensi refertur die sequenti. Eadem ne sit ac S. Euthasia, mihi nondum liquet. — Mazochius legit *Marciniania*, deque hac sua imaginaria *Marciniania* in adnotationibus necquidquam commentatur. Id veri nominis corruptelam esse testatur card. Maï, qui correctius exemplar marmoris Neapolitani edendum curavit tomo V Scriptorum veterum novæ collectionis, pag. 58. S. Martiniano jungitur in Kalend. Neap. S. Theodora, nimirum Alexandriæ cum S. Didymo martyrio coronata.

S. Eupraxia.

S. Martinianus.

S. Theodora.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Martinianus, hegumenus. Martinianus, Cyrilli Belozerici discipulus, monasticum habitum induit, cum adhuc juvenis esset. Relicto magistro, cœnobium Kozeozerense, 100 milliaria a Novgorodo dissitum, fundavit, illudque aliquandiu rexit. Mox, Cyrillo in urbem Možaiscum evocato, in ejus locum a fratribus monasterii Belozerici subrogatur. Hegumeni munus summa diligentia et cura exercuit, tantamque apud omnes auctoritatem nactus est, ut nomine ejus ipsummet monasterium nuncupaverint. Tum, monasterio Sergii Radoneženssis præpositus est, ita volente magno duce Basilio Cæco, a quo valde honorabatur. At octennio exacto, ad socios Belozerenses rediit, munusque administratoris, eorum precibus susceptum, ad mortem usque exercuit. Obiit autem anno 1483, die 12 januarii, ætatis suæ 86. Corpus ejus conditum est in sacello illius monasterii, ejus nomine dicato, una cum exuviis Galactionis, Sali, qui contubernio et magisterio Martiniani fuerat usus, dono futura prævidendi, ut tradunt, præditus.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 178. 2) Murav. ad hunc diem, pag. 195 et seq. 3) Ambros. Hist. hier. russ., III, pag. 572, et VI, pag. 851.

Eleazarus, mon. Anzerensis. Eleazarus, parentibus mercatoribus Kozelscii natus, mundo mature valedixit et in celebre monasterium Solovecense, Maris Albi, secessit. Unde, plures per annos in vita religiosa diligenter institutus, in insulam Anzerensem se contulit, non procul a Solovecensi positam, ibique vitam eremiticam sat diu egit, orationi et pœnitentiæ indulgens. Virtutum vero ejus fama percrebrescente, plures attraxit socios, inter quos Niconem, deinceps patriarcham omnium celeberrimum, cœnobiumque, anno 1616 institutum, diligenter rexit, et regula a semetipso conscripta dotavit. Denique laboribus et senio confractus, et futura prædicendi dono conspicuus, obdormivit anno 1656, die 13 januarii, postquam Nicodemum in sui locum subrogasset. Sepultus est in monasterio Anzerensi, et præfata die ibidem colitur atque etiam in monasterio Solovecensi.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 108. 2) Prav. Sobes., Jan. 1860, pag. 101-120, et Febr. pag. 237-252.

Irenarchus, mon. reclusus. Eadem die colitur in monasterio SS. Borisi et Glebi Rostoviensi Irenarchus, monachus reclusus. Hic, patre colono Rostovia oriundus, et in baptismo Eliæ nomine vocatus, initio quidem agris colendis dedit operam; mortuo vero parente, mercaturam fecit usque ad annum ætatis trigesimum. Tum spirituali mercationi unice vacare secum statuit. Quare monasterium SS. Borisi et Glebi, ad Rostoviam positum, ingressus, tonsuram accepit; ibique, postquam triennio in alio monasterio S. Lazari commoratus esset, ad mortem usque permansit, 38 annos integros in cella reclusus et gravissima catena vinctus. Obiit anno 1613, die 13 januarii, prophetiæ dono et virtutibus, ut fertur, clarus. Vitam ejus scripsit Alexander, discipulus.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 122. 2) Murav., pag. 337 et seq.

DIES XIII.

Ostromiranum. Ex variis. Vacat.

Passio sanctorum martyrum Hermyli et Stratonici (*Mst. et post eum fere omnes Slavici cod. cum Bas. Hier. GP. Vind. Coisl. Nan. Flor. Msq. Maz. Sirm. Sirl. Mg.*). Sancti Patris Stephani (*Rum.*). S. Jacobi Nizibiæ, episcopi (*Rum. Men. Kal. Prol. Leop. cum Sirm. Mg.*). S. Petri, martyris Aniensis, Hierapoli (*Men. Prol. Kal.*). SS. Patrum in Sinai et Raitha occisorum (*Pp.*). Adoratio Catenæ S. Apostoli Petri (*Rem.*).

† Glaphyræ, virg. (*Ex actis S. Basilei, ep.*). † Athanasii, mart. (*Mg.*). † SS. MM. Pachomii et Papyrini (*Mg.*). † Eliæ prophetæ encænia (*Mg.*). [Marcus Ephesinus (*Synax.*). Maximus Causocalybita (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

S. Hermylus. In Ostromirano venit S. Hermylus prima Junii; in Mst. et Rum. nominatur *Ermolus;* in Ostrog. vero *Ermolaus;* quod usu receptissimum est. *Parisinus* cod. antiquus omittit *Stratonicum*, uno nomine, pro more, contentus. In Kalendario Possevini positus est pro Hermolao *Hermogenes*, errore manifesto. Cæterum de sancto hoc diacono ejusque socio Stratonico commentariensi nihil peculiare occurrit dicendum, nisi quod acta eorum martyrii græca etiamnum inedita manent. —

Sancti

DIES XIII JANUARII.

S. Petrus.

S. Stephanus.

Sancti patris, Stephani meminit solus codex Rum., concorditer cum Menologio Græcorum a Baronio citato seu Sirletiano; idem est ac ille Stephanus, de quo Menologia Slavica post Basilianum agunt ad diem XIV, Synaxarium vero Callipolitanum sæculi X et Nanianum sæc. XI ad diem XII. Porro in Menologio Basiliano Stephanus diserte nominatur fundator cœnobii Chenolaci seu ad lacum Anserum, diciturque Leoni Isaurico fuisse coævus, qui sæculo VIII imperavit. Sepultus in monasterio a se condito, ut sequens distichon innuit :

Τῷ χηνολάκκου τὴν μονὴν δειμαμένῳ
Θείῳ Στεφάνῳ λάκκος ἀρύβχη τάφου.

Qui ad lacum Anserum cœnobium construxit,
Divino Stephano lacus sepulchri effossus est.

SS. Patres in Sina et Raitha.

— Magnam Papebrochio facessunt difficultatem *Sancti Patres in Sinai et Raitha occisi*. Et primo quidem quærit vir doctissimus, quinam sint illi quatuor monachi in una tumba collocati a pictore mosco. Difficultatem auget inscriptio ad latus et subtus posita, quam Papebrochius legit ita : *Pambon, Hipabe, Berbinda, Hieroschemon,* μοναχοι πρῶτοι... Ἱερλῆμσκι et interpretatur sequenti modo : *Pambon, etc... monachi primi Hierosolymitani, forte,* addit, *sub Chosroe occisi, de quibus tamen alibi nihil legi.* Papebrochii errorem, utut monstrosum, Kulcinius, homo ruthenus, silendo præterivit, meliora forsitan proferre non valens. Assemanus vero Papebrochium corrigere præsumpsit his verbis : *Non advertit,* ait, *vir doctus, eas litteras significare : Sacro schemate indutos eos monachos primos fuisse ex Sinaitis, qui passi sunt sub Diocletiano etc... a Saracenis occisi, qui proin non ad decimum tertium, sed ad decimum quartum hujus pertinent, ut superscriptio docet* (Kalend. tom. VI, pag. 64). Risum vix continebit lector slavonici idiomatis gnarus, talia legendo. Etenim luce clarius est, nihil commune intercedere inter literas ad latus positas et inscriptionem superiorem. In hac nempe annuntiatur martyrium SS. Patrum in Sinai et Raitha peremptorum, in illis vero refertur nomen Pambæ Beryndæ, hieromonachi Kioviensis, viri in re Slavorum litteraria non ignoti, cujus opera studioque Ephemerides Græco-Moscorum figuratæ lucem aspexerant. Erat porro Pambo Berynda Hierosolymis oriundus aut saltem inde Kioviam venit, ubi rei typographicæ præpositus plures libros liturgicos slavonico idiomate edi curavit. Quos omnes recensuit S. Karatajev in perbello opusculo cui titulus : *Index chronologicus librorum Slavonicorum, caracteribus cyrillicis excusorum ab anno* 1491 *ad annum* 1730 (Petrop. 1861). Litteræ ad latus subtusque positæ latine sonant ita : *Pambo, qui et Paulus Berynda, hieroschimmonachus, protosyncellus hierosolymitanus.* Immo nomen ejus tabellæ appositum esse puto non solum quia curaverat Ephemeridum harum editionem, sed quia etiam picturarum auctor exstitit ipse. Solent nempe pictores nomina sua tabulis a se confectis adscribere, ut in confesso est apud omnes et abunde testantur tabulæ Capponianæ. Rationem vero, cur huic uni tabellæ appositum sit, et non aliis, suppeditant ortus et nomen Pambæ seu Pauli, quod in baptismo et in religione nactus erat Berynda; qui, cum olim monachus Hierosolymis degisset, probeque nosset unum e martyribus Raithenis gestasse nomen Pauli, eidem sese tanquam patrono suo voluerit sociatum. Cæterum quod ad ipsos martyres spectat, de eis melius agetur die sequenti, quo commemorantur a cæteris omnibus, præter Ephemerides Papebrochianas. Hodie autem officium eorum celebratur, teste Horologio Počajovensi, quia die decimo quarto recolitur octava Theophaniorum. — Similiter remittenda est festivitas *adorandæ Catenæ* ad diem XVI Januarii. — Nisi recentiores Græci incredibili odio concordiam ecclesiasticam, pro qua Christus paulo ante mortem preces ad Patrem suum fudit, aversarentur, profecto intelligeret nemo quomodo fieri potuerit ut virum, in quo nil unquam de spiritu Christi apparuerit, sanctorum albo adscripserint. Est enim Marcus ille Ephesinus idem qui in concilio Florentino a cæteris Patribus Græcis, Russis et Latinis dissensit; qui dein universum Orientem adversus decretam Florentiæ pacem commovit, omnesque pristinas simultates restituit et exasperavit, et irremediabile forte fecit Photii, seu potius Michaelis Cerularii schisma. Plura de hoc metropolita disserere nolumus, de quo quippe historiæ ecclesiasticæ plenæ sunt; id unum animadversione dignum ducimus, scilicet eum nequaquam cum sanctimoniæ laude in coævis asseclarum suorum scriptis venire, sed recentiorem esse ejus probitatis famam. — Prolixam satis minusque probabilem de Maximo narrationem texuit auctor Paterici Montis Atho, ex exemplari græco depromptam. Paucis contracta hic prodeat. Perhibent igitur, Maximum Lampsaci non ignobili loco ortum, anno ætatis decimo septimo, insciis parentibus, in montem Ganum aufugisse, ne matrimonii vinculis constringeretur. Monasticum habitum indutus, seni cuidam Marco per omnia obedivit; quo demortuo, aliquandiu in solitudine vagatus est et in montibus Papiciensibus. Dein CPolim transfretavit, ubi ad postes templi Blachernici consedit, S. Andreæ τοῦ σάλου (Sali) vivendi rationem imitaturus, nudis pedibus incedens, fame sitique corpus domans, verbo, stultum agens. Hic dum morabatur, a B. Maria Virgine sublimis orationis donum se accepisse dicebat, ut exinde sanctissima Jesu et Mariæ nomina in mente sua volveret assidue. Noluit tamen cœnobiticam vitam inire, licet ab ipsomet patriarcha rogatus et monitus; imo nec ad templum Deiparæ diu sedit; sed, relicta urbe, in Montem Athum profectus est, quo liberius forsan initam vitæ rationem agere posset. Itaque initio quidem in Lauram S. Athanasii susceptus ad portam ecclesiæ sedit, sacellarii munere fungens; ex quo autem seni cuidam mira quæ in oratione experiebatur cælestesque, ut aiebat, visiones revelavit, somniator ab omnibus passim habebatur. Ad hæc, laura relicta, varia peragravit loca, aut sicubi calybum seu tugurium ex viminibus confectum ad breve tempus poneret, illud dein igni tradebat, alio migraturus; unde *Causo-Calybita* cognominatus est. Interea a Gregorio Sinaita (de quo agetur suo loco) persuasus, errabundam vitam dereliquit, atque in spelunca quadam perangusta sedem suam fixit et quatuordecim annos integros in eadem peregit, donec extremis appropinquans ad lauram S. Athanasii ipse quoque propius accessit; ubi et spiritum Deo reddidit sæculo XIV, anno ætatis nonagesimo quinto, miraculis in vita et post mortem (si fides habenda auctoribus indigenis) conspicuus. Obitus diem esse decimum tertium januarii testatur titulus prolixæ illius vitæ; tertium vero supra vigesimum assignat auctor sub narrationis finem, ut inde conjicere liceat, errasse in indicando hoc posteriore aut Paterici auctorem, aut typographum russum. Quam vero suspectæ fidei sit fons græcus, ex quo Maximi laudes haustæ sunt, manifestum facit narratio de Gregorio Palama, qui statim post Maximum prodit ibidem, Sancti titulo (pro nefas!) condecoratus. Cfr Νεὸν ἐκλόγιον, cit. in Pater. Montis Atho, t. I, pag. 267 et seqq.

Adoratio catenæ S. Petri.

Marcus Ephesinus.

Maximus Causocalybita.

DIES XIV.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

MEMORIA SANCTORUM PATRUM NOSTRORUM ET MARTYRUM IN SINAI OCCISORUM. (*Ita fere omnes.*) SANCTORUM THEODULI (*Bas. Sirm. Maz. Mg.*), NILI ET JOANNIS. — MEMORIA SS. PATRUM (*in Raitha*) (*Bas. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*).

Sancti Patris nostri Sabbæ, archiepiscopi Serbiæ (*Chil. Men. Prol. Ath. Leop. Euchol. Kal. Pp. Pos. etc.*). S. Agnetis, virg. et mart. (*Pp. cum Mg.*). S. Josephi, mon. Raitheni (*Prol. Kal.*). S. Stephani ad lacum Anserum seu Chenolaci (*Men. Prol. cum Bas. Sirm. Maz. Mg.*). Venerabilis Eupraxiæ (*Bud.*). S. Moysis, monachi et mart. (*Prol. Kal.*). S. Ninæ (*Iber.*).

† Petri Alexandrini (*Sirl.*). † Athanasii (*Bas.*). † Macrinæ, aviæ S. Basilii Magni (*Itg.*).

OBSERVANDA.

SS. Patres Sinaitæ et Raitheni.

Hodiernam lectionem Ostromirani codicis esse corruptam patet : refert namque sanctum quemdam *Abbadam*, qui dubio procul nunquam in rerum natura exstitit. Pergit autem post SS. Nilum et Joannem his verbis : *et memoria sancti Abbadæ* (slavice *Avvade* in dativo); ubi nomen appellativum græcum ἀββάδων in nomen proprium fuit mutatum a scriba hellenici idiomatis, ut apparet, parum gnaro. Forsan habuit ille præ manibus duplex exemplar græcum, alterum in quo annuntiabatur : *Memoria sanctorum Patrum nostrorum in monte Sina peremptorum* (Μνήμη τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν τῶν ἐν τῷ Σινᾷ ὄρει τελειωθέντων), quemadmodum habetur in Menologio Basilii imperatoris Porphyrogeniti; alterum in quo brevius legebatur ita : τῶν ἁγίων ἀββάδων, id est *sanctorum abbatum seu patrum*. Utut sit, error Ostromirani synaxaristæ nequaquam fluxit in Annales Russicos, ut liquet ex apographo chronicæ Nestoris Laurentiano, quod nempe a Laurentio monacho scriptum esse perhibetur anno 1377. Hic enim apographi sui tempus indicaturus : *Scribere cœpi*, ait,... *mensis Januarii die decimo quarto, memoriæ sanctorum Patrum nostrorum Abbatum sacro*. Hinc conjicere licet, Ostromirano codici præluxisse exemplar aliquod græcum a Menologio Basilii distinctum, Synaxario vero CPolitano Morcellii aut Callipolitano Scholzii non absimile, cum in utroque legatur ad hanc diem : τῶν ἁγίων ἀββάδων (sanctorum abbatum) et nihil amplius. Cum itaque manifeste agatur hodie de Patribus Raithenis, propterea immutanda erat lectio Ostromirani codicis genuina, modo superius indicato. Magna etiam deprehenditur confusio in codicibus Slavicis; quæ ut aliquatenus discutiatur, imprimis tenendum est tria esse agmina martyrum, qui in Sinai et Raitha certamen sustinuerunt. Primum passum est sub Diocletiano in monte Sinai; secundum eodem tempore in Raitha, quod duorum dierum intervallo distat a monte Sinai; tertium denique certavit in eodem monte, at sæculo proxime sequenti, id est quinto, quando morabatur ibidem S. Nilus, olim præfectus CPolitanus, tunc vero monachus Sinaita. Raithenorum Patrum triginta et octo cædem a barbaris illatam enarravit Ammonius, testis oculatus, cujus scriptionem edidit Combefisius in *Triumphis selectis martyrum*, ed. Paris. 1660, pag. 88 et seq. Martyrium Patrum Sinaitarum scripto tradidit posteris S. Nilus, oculatus testis et ipse; in qua narratione meminit ille prioris cædis quæ tempore Diocletiani contigerat, his verbis : *Interempti sunt quoque*, ait, *alii* (id est Patres Sinaitæ) *multis ante temporibus : quorum quoque commemorationem, propter viæ longitudinem et eorum qui congregantur multitudinem, eodem die peragunt*. Cum itaque priores isti Patres Sinaitæ eodem die quo Raitheni passi sint, hinc factum est, ut non modo utrique martyres Sinaitæ inter se, sed etiam cum manipulo Raitheno plerumque confundantur, perinde ac si unicum fuisset Martyrum agmen in Sinai et Raitha eodem tempore et ab eisdem barbaris interfectum. Jam vero inter Synaxaria Slavica nullum hactenus offendi, quod trium istarum turmarum distinctam memoriam exhibeat, quemadmodum id factum est in Menologio Basilii; sed eorum alia de solis martyribus Sinaitis agunt, utramque turmam Sinaiticam in unum cogendo; alia solos martyres Raithenos commemorant; alia tandem de omnibus simul tractant, nulla temporum locorumve habita ratione. Et quidem de Sinaitis Mstisl. habet ita : *Memoria sanctorum Patrum occisorum in monte Sina;* Rumiants. paulo aliter : *Passio sanctorum Patrum cæsorum in Sinai monte et S. Theoduli*. Sišatov. : *Passio SS. venerabilium Patrum nostrorum monachorum in Sinai monte occisorum*. Vat. I : *Patres montis Sinai*. De Raithenis commemorant Capp. Kal. Mosq. his verbis : *Sanctorum martyrum in Raitha*. Ephemerides Papebr. apocalyptice : *Sanctorum Patrum in Raitha centum*. At in tabula repræsentantur duntaxat undecim Patres Sinaitæ. De utrisque tandem simul habetur in Parisino breviter ita : *Sanctorum Patrum cæsorum*, ut diceres aliunde exscriptum; in Ostrog. Par. altero, et Arcadiano : *Venerabilium Patrum in Sinai et Raithu occisorum;* similiter in Prologo et Menæis. Quibus ita in genere delibatis, veniamus ad Ephemerides Papebrochianas. In his nempe duplici cædi Martyrum tabella respondet duplex. Altera, quæ ad diem XIII pertinet, repræsentat martyres Raithenos sub Diocletiano passos; sunt autem numero quatuor, quorum duo barbati, imberbes duo alii, ut hac ratione aliquatenus adumbrarentur juvenes illi ætate florentes senesque venerandi, quos, teste Ammonio, videre erat exanimes et simul jacentes humi. Sinaitas, eodem tempore passos, indicat sola inscriptio tabellæ superposita, quæ latine reddita sonat : *Sanctorum Patrum in Sinai et Raitha occisorum*. In altera tabella, ad diem XIV collocata, repræsentantur decem sancti martyres Sinaitæ, tempore S. Nili passi; quorum nomina referuntur apud S. Nilum et sunt : Theodulus, presbyter, Paulus, Joannes, Proclus, Hypatius, Isaac, Macarius, Marcus, Benjamin et Elias. His præponitur ibidem alius monachus, probabiliter S. Nilus, librum evangelii manu tenens, et nimbo caput ornatus. Supra vero legitur : *Sanctorum Patrum in Raithu centum*, cum scribi debebat : *Sanctorum Patrum in Sinai*, omisso numero centenario (CTO), quem tamen bene ex litteris slavicis eruerat interpres Belga, quidquid in contrarium clamet Assemanus. Papebrochius vero, qui utramque tabellam ut melius potuit explicavit, eruit ex eadem inscriptione præter numerum LXX, græcis O, etiam nomen Sabæ. Fatetur tamen esse hic aliquam confusionem ; imo maximam. Sane confusa sunt omnia sive in ejus interpretatione sive etiam in ipsamet inscriptione slavica, quæ aliud omnino exprimit quam rem in tabella depictam; siquidem illa loquitur de Patribus Raithenis, hæc vero repræsentat martyres Sinaitas, præcedente S. Nilo. Cæterum errandi occasionem præbere potuit pictori Menæorum Slavonicorum liber et Prologus, in quo non raro posterior cædes Sinaitarum annuntiatur iisdem

DIES XIV JANUARII.

plane verbis ac prior : *Passio SS. Patrum in Sinai et Raitha, tempore Nili occisorum.* Licuit igitur pictori, brevitatis causa, superscribere tantummodo voces *in Raitha*, quamvis in tabula repræsentaverit Patres Sinaitas cum S. Nilo, non vero Raithenos. Exemplum in promptu est : nempe in Menologio Mosquensi, anno 1850 excuso, legitur ad præsentem diem : *Memoria SS. Martyrum in Sinai et Raithu, tempore Diocletiani occisorum*; at in Actis quæ subjiciuntur narratur martyrium Patrum Raithenorum, Ammonio auctore. En primam cædem, primamque simul confusionem. Post narrationem Ammonii enuntiatur : *Secunda cædes SS. Martyrum in Sinai et Raithu, tempore Nili facta;* in elogio vero describitur martyrium Patrum Sinaitarum ejus coævorum. En alteram cædem et alteram confusionem. Hinc liquet, quam pronum esset pictori, ducibus Menæis et Prologis, aliud scribere et aliud pingere, errare in titulis et vera repræsentare in imagine, non secus ac ipsamet Menæa aliud annuntiant in titulis et aliud narrant in Actis subsequentibus. Alioquin nonne conveniebat distinctis diebus pingere res totius sæculi

S. Sabbas, archiep. Serbiæ. intervallo inter se sejunctas? — In Typico Chilandariensi anni 1331 legitur expresse : *Et sancti Patris nostri Sabæ;* similiter et in Prologo quodam serbico sæculi XIII et in aliis. Possevinus brevius ita : *S. Patris Sabæ;* in Men. et Prol. excusis, in Leop. Euchol. Bud. et aliis quibusdam recentioris ævi additur titulus *archiepiscopi Serbiæ*. Papebrochius intrudit quidem *Sabam* initio tabellæ in Ephemeridibus Græco-Moscis collocatæ, non tamen Serbum, sed alium, temporibus Diocletiani occisum a Saracenis. Assemanus vero confidenter affirmat, agi de S. Saba, Serbiæ episcopo, additque sequentem epigraphen : *Saba otec*, id est *Sabas pater*, genuinam scilicet lectionem ad fictitiam arbitrarie detorquens; ego quidem nunquam *Sabæ* nomen ex primis litteris eruissem, et quod magis miror, Kulčinio Rutheno Assemani errorem communem esse video. Errandi ansam forsitan præbuit Assemano vox *otec*, secundo loco posita, quam pro nominativo singulari sumpsit ille, dum evidentissime sumenda erat pro genitivo plurali; in utroque enim casu eadem forma solet usurpari. Plura de illo antistite in Memoriis Slavicis. —

S. Agnes. Sanctæ Agnetis virginis juxta ac martyris meminerunt hodie, præter Menæa Græca excusa, solummodo Ephemerides Græco-Moscæ Papebrochii, qui, rei novitate motus, martyr ne romana sit, an sancta aliqua indigena definire nequivit. Romanam esse constat ex Menæis Græcorum, ubi sequens distichon legitur de ea :

Ἀγνὴν ἄναγνοι θέντες εἰς οἶκον σκότους,
Πάμφωτον αὐτῇ προὐξένησαν οἰκίαν.

Agnetem, id est puram, *impuri mittentes in domum tenebrarum lucidissimam ipsi compararunt mansionem*). Qua de re consulatur omnino Assemanus (Kal VI, pag. 63). Kulčinius hanc Agnetem perperam refert ad diem XV, et S. Paulo eremitæ adjungit, uti recte observaverat Assemanus, loco citato. Vide dicta ad XXI Januarii et V Julii. —

S. Nilus. S. Nilus ille est, qui testis oculatus exstitit martyrii Patrum Sinaitarum, illudque scripto tradidit.

S. Theodulus. — S. Theodulus refertur in Menologio Basilii, unde devenit in synaxaria, testantibus Menæis Græcis; erat autem filius S. Nili supralaudati et sacerdos. —

S. Eupraxia. *Venerabilis Eupraxia* diserte annuntiatur in Synaxario Budensi, anno 1807 edito et relata

S. Joseph. est die XII. — In Kal. distinctius ita : *Venerabilis Josephi Analitini, monachi Raitheni.* —

S. Moyses. S. Moyses, monachus, occisus a Saracenis, commemoratur in Kal. simul cum SS. Stephano, Theodulo et Josepho. — Hodie celebratam fuisse antiquitus memoriam S. Basilii Magni apud Latinos, testatur Bollandus,

S. Macrina. agens de S. Macrina in prætermissis ad præsentem diem. — Celebratissimum est per totam qua late *S. Nina.* patet Iberiam Georgiamve nomen S. Ninæ, Moysi Chorenensi Nuniæ, quæ genti huic salutare lumen fidei attulit sæculo IV omnium prima, Illuminatricis titulo a suis ideo donata, non secus ac S. Gregorius Armeniæ Apostolus vocari solet et Illuminator. Quamvis autem tantæ famæ sit nomen S. Ninæ, nihilominus illud Latinis mansit adhuc ignotum. Ruffinus enim Aquilejensis, Historiæ ecclesiasticæ capite X integro, de conversione gentis Iberorum agens, tanti boni causam dicit quidem *mulierem quamdam captivam*, nomen tamen sanctissimæ virginis tacet. Tacent quoque cæteri Occidentis scriptores ecclesiastici, Ruffini vestigia relegentes, scriptoris alioquin fere coævi et a Bacurio, gentis Ibericæ rege, gesta sanctæ Ninæ edocti : ut somniari videatur Muraviev, asserens sanctam istam feminam vocari a Ruffino *Nonnam captivam*. Quæ igitur *ancilla christiana* passim nuncupari solet apud Latinos, eam scriptores indigenæ ore unanimi appellant sanctam Ninam seu Nino, nec captivam aut ignobili loco natam fuisse, sed maxime ingenuam et nobilissimo sanguine asseverant, utpote S. Georgii martyris neptim ac patriarchæ Hierosolymitano sanguine junctam. Adhuc puella plura de Iberorum gente deque sacra Domini nostri veste inconsutili, ad gentem istam olim delata, a matre sua acceperat Nina. Quum adolevisset, Ephesim petiit, cum quadam matrona, patriarcha benedicente, atque, ut fert traditio, ipsamet B. Virgine Maria id suadente. Inde cum sancta Ripsyme regina ac martyre, Diocletiani furores cum septuaginta duabus sociabus fugiente, in Armeniam perrexit; martyrii tamen palmam ibidem non invenit, quemadmodum id accidit S. Ripsymæ et triginta quatuor sociabus, ob castimoniæ amorem a Tiridate rege crudelissime interemptis; sed in partes Iberiæ secessit, adhuc barbaræ et in umbra mortis sedentis, venitque in civitatem regiam Mtskhetam, regnante tunc Miriano, idolorum cultore. Vitam duxit piam, sobriam ac pudicam, totisque diebus ac noctibus obsecrationes Deo exhibebat, ut admirationi barbaris esset; et primo quidem sedem suam posuit Nina in loco ubi confluunt Cyrus seu Kurus (Iberis Mtqvar) et Aragvia; tum a matrona quadam Anastasia hospitio suscepta esse perhibetur; qui locus hodiedum visitur et S. Ninæ sacer est. Narrant insuper auctores indigenæ, fabularum rerumque parum credibilium amatores, in moribus ei fuisse in vicina vinea sub umbra cedri mirifici nocturnas orationes persolvere; audiverat namque ad arboris hujus radices defossam latere sacratissimam Domini nostri vestem; quam Eliam Hebræum, ex genere sacerdotis Heli, Jerosolymis ad Iberos detulisse olim, atque cum sorore sua Sidonia simul sub terram defodisse. Hanc et alias aniles fabulas fuse prosequitur Muraviev, in opere toties a me citando. Illud vero constat, mox virtutum sanctæ virginis famam increbruisse, præsertim postquam mulieris cujusdam filiolo desperatam ab hominibus salutem reddidisset, cilicio suo ægrotanti superposito, fusaque ad Deum oratione. Facti fama ad aures reginæ perlabitur; quæ gravissimo corporis dolore afflicta in desperatione maxima erat. Rogat itaque ad se christianam virginem deduci; qua abnuente, ipsa se regina deferri ad ejus cellulam jubet. Similiter cilicio imposito et invocato Christi nomine, ægrotam sanam fecit S. Nina, Christum Dei filium salutis et vitæ auctorem esse docens eumque invocandum. Re audita, rex Mirian quum ob salutem uxoris munera deferri juberet S. Ninæ, illa autem respueret, a regina commonetur, ut secum Christum Deum coleret. Distulit ille, sæpius licet ab uxore admonitus,

nitus, donec quadam die, in venatione Christi miraculo a summo discrimine liberatus, illico promiserit ultra non alium Deum adoraturum quam Christum. Mox, a S. Nina doctrinam Christianam edoctus, sacris undis abluitur Mirian, totiusque gentis fit apostolus. Ecclesiam quoque in honorem duodecim Apostolorum exstrui jussit, quam nonnisi mirabili intercessione S. Ninæ absolutam esse testatur Ruffinus, rem fusius prosequens. Postea, S. Ninæ monitis ad imperatorem Constantinum legationem mandavit Mirian, sacerdotes rogans qui cœptum erga Iberos Dei munus perficerent. Voti compos factus, incredibili gaudio refectus est. Eustathium, patriarcham Hierosolymitanum, ad Iberos missum esse, nascentemque ecslesiam Mtskhetensem ordinasse, narrant quidam auctores indigenæ, quos sequitur Muraviev; at prorsus refragatur historia ac temporum ratio. Postmodum, S. Nina in solitudinem secessit, trans Aragviam fluvium in montanis sitam, ubi hodiedum templum visitur ejus nomini sacrum; inde in fines Kachetiæ abiit, cujus reginam Sophiam nomine ad fidem christianam pertraxisse perhibent iidem auctores, tacente Ruffino. Moses Chorenensis tradit eam, initio a Clarziis facto, apud Alanas et Caspias portas usque ad Massagetarum fines prædicasse. Tandem mortem imminere sibi sentiens, sacramentis refecta, piissime obdormivit in Domino, in loco ubi deinceps extructa est ecclesia S. Georgii, olim Bodbiensis metropolitæ sedes præcipua. Cfr 1) Ruffinus, Hist. eccl., lib. X, cap. XI. 2) Vita S. Ninæ ms. citata apud Muraviev. 3) Wakhoucht, Geogr. Iberiæ, passim. 4) Moses Chorenensis, lib. II, cap. LXXXIII.

Dies XIV Januarii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Sabbas, archiep. Serbiæ.

Tres filios procreavit cum uxore Anna S. Stephanus Nemania, hujus nominis secundus, Serbiæ megajupanus, seu magnus comes, Vulcanum, Stephanum et Rastcum : quorum primus, tanquam primogenitus regnum Dalmatiæ et Diocleæ obtinuit; secundus, qui et Primocoronatus appellari solet, Rasciæ principatum accepit; Rastcus vero, tertio loco genitus, anno 1169, regente adhuc Serbiam patre, a quo ob pietatis sensus præ cæteris fratribus diligebatur, aulicas turbas pertæsus, anno ætatis suæ decimo septimo, venatus causa egressus, cum quodam monacho athonite, natione Russo, qui ipsi amplectendæ vitæ religiosæ auctor hortatorque exstiterat, a cætero nobilium comitatu secessit, rectaque Montem Atho petens, in monasterio russico S. Pantaleonis cum religioso habitu nomen Sabbæ suscepit; et mox hegumeni imperio ad Vatopedi cœnobium transiit. Diu conquisitus, cum illic tandem a submisso per sollicitum patrem centurione detectus fuisset, crines quos jam attonderat vestesque ad patrem deferendas curavit, exaratis literis cælestis pietatis plenis : quibus denique non modo assensum impetravit, verum et patrem optimum eo permovit, ut et ipse, abdicato regno ac sæculi curis, monasticam vitam amplexus, in angusta Studenicensis cœnobii cella, assumpto Simeonis nomine, se abdiderit : unde postmodum in Montem Atho transivit, ibique ad mortem usque degit. Mariti sui exemplum imitata est Anna, in religione Anastasia dicta. Posthæc Sabbas, ad presbyteri ac archimandritæ munera per metropolitam Thessalonicensem provectus, fratrum principum Vulcani et Stephani rogatu Chilandarii gubernationem suscepit, quod e ruderibus excitaverat et ad religiosum instauraverat nitorem, vivo adhuc parente suo Simeone. Pro cujus cœnobii negotiis, cum subinde Constantinopolim proficiscitur, magna illic honoris significatione ac gaudio susceptus est ab imperatore ac patriarcha Germano (quem Gervasium alii appellant), eo etiam nomine, quod imperatoris Nicæni Theodori Lascaris filia Radoslao, Stephani Primocoronati filio primogenito, nupta esset. Atque tunc, anno scilicet 1221, ab imperatore et patriarcha designatus fuit Sabbas totius Serbiæ ac Maritimæ archiepiscopus. Quam dignitatem, quum diu renuisset, victus demum fratrum, discipulorum et monachorum precibus, admisit, avitasque ditiones repetiit ad erudiendam et præceptis orthodoxæ et catholicæ pietatis informandam gentem suam. Sedens porro in throno Ecclesiæ Serbiæ, cum fratre suo Stephano, Vulcani successore, de sincera religione ac pietate restituenda Serbiæ sollicitus, cum græci ritus episcopatus pauci adhuc, nec pares populorum necessitati viderentur, eosdem ad duodecim numero provexit fundavitque. Et quidem primum in Cholmia in Stopa templo B. M. Virginis; secundum in Zenta in ecclesia S. Michaelis; tertium in Debra in templo S. Nicolai; quartum in Budimlia in æde S. Georgii; quintum in Rassa in ecclesia SS. Apostolorum Petri et Pauli; sextum in Chvostno, æde B. M. Virginis Studenicensi; septimum in Prizren, in templo B. Virginis; octavum in Gračanitsa, itidem in æde B. M. Virginis; nonum in Toplitsa ad S. Nicolai; decimum in Braničevo in æde S. Nicolai; undecimum Belgradi in templo B. Mariæ; ultimum denique episcopatum instituit in Moravitsa in æde S. Archilii. Et in mandatis dedit per has omnes ditiones doceri, tenerique quam constantissime veram catholicamque fidem, a sanctis apostolis et Ecclesiæ doctoribus traditam. His omnibus rite peractis, ad coronationem Stephani megajupani processit. Quapropter prædictorum omnium antistitum concilium convenire jussit in magno archiepiscopio Pechiensi, ibique coram clero universo, nobilitate majori minorique et magna populi multitudine fratrem suum regali diademate coronavit; unde *Primocoronatus* vulgo appellari cœpit Stephanus. Diadema vero, quo eum decoravit, impetraverat ab Honorio III papa, per episcopum Methodium, quem ideo Romam missum fuisse extra omnem controversiam positum est. Quæ coronatio, anno 1222 facta, et legatio arctissimam S. Sabbæ cum Romano pontifice conjunctionem reddit manifestam. Post annos aliquot inter labores apostolicos exactos dimisit sanctus archipræsul episcopales insulas, et Arsenium, virum sanctitate conspicuum, successorem instituit; ipse vero solitudinis amantissimus in Montem Atho, ex quo ad insulas provectus fuerat, rursum secessit, postquam Ecclesiam Serbiæ multa auctoritate, prudentia et dexteritate rexisset, omnibus

Dies XV Januarii.

omnibus semper affabilis, cunctosque paterno affectu excipiens, nec ulla locorum distantia aut asperitate a lustrandis fidelium cœtibus impeditus. Post hæc duplicem peregrinationem instituit ad invisendam Terram sanctam: ex qua dum secundo per Bulgariam reverteretur, morbo correptus, in cælum evolavit anno Domini 1237, meritis onustus miraculisque in vita et post mortem admodum clarus. Eodem anno, corpus ejus, omnis corruptionis expers illæsumque, a Vladislao rege ex illustri urbe Ternobo in patriam revectum, et in cœnobio Mileševo, in ecclesia Ascendentis Domini, ab Arsenio conditum est; ibique per trecentos et sexaginta annos magno peregrinorum concursu celebratum fuit, donec scilicet ab impiis Turcis, postquam Mileševum oppidum expugnassent, tumulo extractum est et flammis sacrilegis absumptum mense Aprili, die 27, festo S. Simonis martyris, anno 1595. Quæ ubi primum sancti viri exuvias invaserunt, ab ipso rogo ad cælum usque magna barbarorum confusione mille coloribus speciosam nubeculam assurrexisse ferunt; portentum non obscurum cladis Turcarum, quæ sacrilegum facinus, cum ipsius ducis infami post cladem interitu, statim consecuta est. Quam nos hic brevissime perstrinximus vitam sancti Sabbæ, fusiori calamo exaravit Dometianus, ejus discipulus et in cœnobio Caryarum hieromonachus, anno creationis 6751 et reparatæ salutis 1243, non autem 1264, uti passim traditur; quod opus, apprime catholicum et sive pietatem spectes, sive veritatis sinceræ studium, sive denique rerum quæ ibi enarrantur copiam ac varietatem valde commendabile, nondum lucem, qua tamen dignissimum est, vidit. Exstant alia quoque scripta vitam sancti hujus antistitis adumbrantia. Non omnia conveniunt cum veritate; quam notam potissime meretur lucubratio Muravievii de S. Sabba, qualis legitur in Vitis Sanctorum, pag. 209 et seq. — Quæ hactenus hoc loco excusa est Vitæ epitome, prius edita fuit in nostro Trifolio Serbico.

Cfr 1) Vita S. Sabæ ms., auctore Dometiano, monacho, anno 1243 conscripta. (In Bibl. Vindobonensi in cod. slav. supplemento, nº 28.) 2) Vita ejusdem, auctore Theodosio, monacho, ed. A. Danicicio, Belgradi, 1861. 3) Légendes slaves du moyen âge, auctore A. Chodzko, Paris 1858. 4) Pejacevich, Hist. Serbiæ, pag. 178, 5) Vita S. Simeonis Nemaniæ, auctore eodem Dometiano, anno 1264 scripta. Reperitur in citato cod. ms. Vindob. Præterea cæteri auctores de S. Simeone, citandi ad 13 Febr. 6) Vita S. Sabbæ, abbatis, Stephani Nemaniæ Rasciæ, regis filii, auctore Joanne Tomco Marnavitio Bosnensi, ed. opera et studio Joan. Paulovich Lucich, Venetiis, 1789. 7) Acta SS., ad diem 14 Januarii. 8) Patericon Montis Atho, tom. I, pag. 188 et seq. 9) Raič Hist. Serb., tom. II, lib. v, cap. 4. 10) Assemani, Kalend., t. VI, pag. 39 et seq. 11) Prologus, ad 14 Januarii.

DIES XV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Joannis Calybitæ (*Mst. Arc. Pr. Men. Hor. Kal. et recentiora cum Bas. Hier. GP. Vind. Nan. Msq. Coisl. Flor. Goth. Gen. Sirm. Maz. Mg.*). S. Pauli Thebæi (*Mst. Rum. Chil. Og. Pr. Men. Hor. Kal. cum Bas. Hier. GP. Nan. Msq. Maz Sirm. Gen. Mg.*). S. Pansophii, martyris (*Men. Pr. Kal. cum Hier. GP. Nan. Sirm. Mg.*).

† Theodoræ (*Sirl.*). † Anastasii Persæ (*Sirl.*). † Cosmæ, episc. Majumensis (*Mg. Sirm.*). † Charitinæ, mart. (*Bas. Sirm. Sirl.*). † Sex Patrum (*Mg. Sib.*).

OBSERVANDA.

SS. Joannes Calybita et Paulus Thebæus.

In Mstisl. habetur: *Memoria S. Joannis Calybitæ et Pauli Thebæi;* in Arcad. commemoratur Joannes, omissa voce *Memoria,* et tacito nomine S. Pauli. Paris. singulariter meminit: *Sancti Jovanis Nocturni* (slavice *noščnika*), manifesto errore pro *kuščnika* seu *Calybitæ*. Hinc liquet, descriptum esse codicem istum ex aliquo ectypo glagoliticis litteris exarato, quod cyrillicis characteribus oscitanter reddidit scriba, litterarum glagoliticarum *k* et *n* similitudine deceptus. In Rum. legitur: *Dormitio S. Patris Pauli Thebæi et S. Joannis Calybitæ*; similiter in Menologio Basilii: *Dormitio S. P. N. Pauli Thebæi;* et dein subditur: *Eadem die commemoratio S. P. N. Joannis Calybitæ, qui aureum evangelium gestabat*. Siš.: *Venerabilis Patris nostri Joannis Calybitæ*. Ostrog. fere convenit cum Rum., omissa tantummodo voce *dormitio*. Vat. II breviter: *Paulus Thebæus, Joannes Calybita;* Ephem. Papebrochii brevissime, pro more: *Paulus, Joannes*. Porro S. Joannes *Calybita*, ab eo quod inhabitavit tuguriolo (καλύβην græci vocant), et etiam *propter Christum pauper*, ὁ διὰ Χριστὸν πτωχός, cognominatus, in nullis antiquis martyrologiis latinis hodie invenitur, teste Bollando ad xv Januarii, pag. 1029, § 2. Erat monachus e monasterio Acœmetarum CPolitano, quod fundaverat S. Alexander. In fastis Græco-Moscis figuratis depingitur planeta undique clausa, pendente e collo ad talos usque stola cruce signata, dextera benedicens, sinistra manu Evangelii codicem illum aureum tenens; Paulus vero stans nudo capite, barba prolixa, tunica ex palmæ foliis contexta indutus, expansis manibus. Cfr Assemanus, in Kalend. ad hunc diem. — In Menæis Slavicis: *Eodem die memoria S. martyris Pansophii, qui sub Decio imperatore ab augustali Alexandrino pro Christo passus est.* Augustalis nomine venit præfectus urbis, quod in Prologo Slavico et in Menæis Græcis in nomen proprium mutatum est. — Quænam sit ista Theodora, non constat; forsitan Theodora, mater S. Joannis Calybitæ. — Sancti Cosmæ hymnographi memoria desideratur hodie non solum in Synaxariis Slavicis, quæ eum potissimum celebrant 12 octobris, sed etiam in editione Menæorum Græcorum Veneta, anno 1843 facta; exstat tamen in editione eorumdem antiquiore anni scilicet 1595, et apud Margunium, qui inde derivare sua assolet, cum brevi sancti antistitis elogio, quod apud alios obvium est die 12 octobris. — Sanctam quoque Charitinam silentio prætereunt Menæa recentiora, sive Græca, sive Slavica; in quibus nomen ejus inscribitur ad 5 octobris, accedente brevi elogio. Huic simillimum encomium exstat in Men. Basilii ad præsentem diem, unde merito concludere licet illis diebus agi de una eademque martyre. De ea redibit sermo cum Ostromirano ad 5 Octobris; et de alia Charitina ad 7 Septembris.

S. Pansophius. *S. Theodora.* *S. Cosmas.* *S. Charitina.*

DIES XVI.

Ex Ostromirano. OSCULATIO ET ADORATIO CATENARUM SANCTI APOSTOLI PETRI. (*Ita omnes, præter Remensem, cum Bas. CP. Hier. GP. Nan. Sirm. Mg. Sirl. et reliquis.*)

Ex variis. S. Antonii Magni (*Rem.*). Memoria SS. martyrum, tergeminorum fratrum, Speusippi, Eleusippi et Meleusippi, Leonillæ eorum aviæ, Neonis, Turboni et Jovillæ sociorum (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Nan. Maz. Mg. Sirl.*). S. Danactis, lectoris et martyris (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm.*). [Damasceni, hegum. Chilandariensis (*Ath.*). Maximi Totmensis (*Hag.*)].

† Galatiani (*Neap.*).

OBSERVANDA.

Catenæ S. Petri. In codice Sišatovacensi, quem cl. Miklosich in lucem dedit, Catenarum festum annuntiatur his verbis : *Sancti et summi Apostoli Petri venerandæ* (catenæ) *adoratio*. In Mstisl. et Rum. legitur fere ut in Ostromirano, præter vocem *osculatio*, quæ abest; similiter in Ostrog. Bud. Msq. Men. Prol. et in recentioribus, in quibus loco *summi* ponitur *gloriosissimi*. Quæ in Ephemeridibus Papebrochianis inscripta sunt, legantur ita : *Adoratio venerandarum catenarum S. Apostoli Petri*, non autem *Liberatio ex carcere per Angelum*, uti expresserat interpres belga, jam a Papebrochio correctus, nec *Egressio ex carcere Apostoli Petri*, quemadmodum voluit Assemanus, Kulčinium immerito corrigens, quo Capponianam suam inscriptionem arbitrarie imponeret Papebrochianæ tabulæ. Cæterum hæc ultima male respondet inscriptioni superpositæ; cum non catenarum adorationem exprimat, sed eductionem Petri e carcere. In Arcad. habetur : *Adoratio venerandæ catenæ Apostoli Petri;* similiter in Assem., omissa voce *venerandæ*. In Par. I : *Venerandæ catenæ Petri Apostoli*. Vat. I : *Catenæ S. Petri Apostoli*. Possev. : *S. Apostoli Petri*. Capponianæ tabulæ modo insolito : *Egressio ex carcere* (puta S. Petri). Tandem in Chronicis Russorum antiquioribus hoc festum vocatur *casus catenarum* seu vinculorum, secundum illud Actuum Apostolorum : *et ceciderunt catenæ de manibus ejus* (XII, 7). Cfr Annal. Novgorod. I ad annum 1188-1192 seu 6696-6700. Partem catenæ Jerosolymis a patriarcha Juvenalio acceptæ CPolim attulit Eudocia imperatrix, et in ecclesia SS. Apostolorum reponendam curavit, circa annum 435. Hinc in Horologio solet inseri sequens troparium : *Roma non derelicta, ad nos venisti per veneranda vincula, quæ portaveras tu, Apostolorum præses, quæque nos veneramur*, etc. Et iterum : *Lapis Christus lapidem fidei præclare glorificat, discipulorum præsidem.* In Martyrologiis Latinis hoc festum recolitur prima Augusti, et eadem die pluribus illustratur in Actis Sanctorum. — S. Antonius Magnus commemoratur hodie a solo Remensi, et quidem phrasi insolita : *Memoria Patris Sancti Antonii;* a cæteris profertur die sequenti, quemadmodum et S. Speusippus cum sociis, et S. Danax lector, qui hodie prodeunt tantummodo in Menæis et in Prologo recentius excusis. Et quidem in hoc ultimo titulus exhibet duntaxat duos fratres *Peusipum* (imo Speusippum) et *Elasipum* (id est Eleusippum), omisso Melasippo seu Meleusippo; in Synaxario autem agitur de tribus fratribus. Ibidem S. Leonilla, eorum avia, vocatur Neonilla. Cæterum vix alia tam varie scripta Sanctorum nomina reperias. — Sanctum Galatianum nuspiam in libris ecclesiasticis Græcorum Latinorumve comparere asserit Mazochius in commentariis ad hunc diem; putatque eum aut minime distinguendum a S. Galatio, martyre Nicomediensi, qui in Martyrologio Hieronimiano Florentinii refertur ad XXII Februarii, aut novum omnino esse et huc usque ignotum Sanctum. Mallem ego Galactionem aliquem intelligi, sive ille Emesinus sit, qui apud Græcos et Slavos 5 Novembris colitur, sive qui 22 Junii celebratur, sive etiam ab utroque diversus. Marmori Neapolitano insculptum est : NT. S. GALATIANI, id est *natalis;* jamvero nomen illud Galatiani, maxime in obliquo casu, loco *Galactionis* facile scribi potuit; uti S. *Metrophani* memoria fit in eodem marmore loco S. Metrophanis, ad 4 Januarii, et S. *Philoni* ad 24 ejusdem mensis.

S. Antonius.

S. Speusippus.

S. Galatianus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Maximus Totmensis. OBIIT Maximus anno 1650, et cultu qualicunque gaudet in sola civitate Totmensi, in qua degit. Est autem nomen ejus in codicibus hagiologicis adeo recens, ut in Dictionario hagiographico, anno 1836 typis vulgato, desideraretur, et non nisi in altera ejusdem editione, anno proxime elapso facta, comparuerit. Sufficiet itaque dicere, Maximum fuisse sacerdotem et simul stultos propter Christum æmulatum esse; quæ duo rarissime apparent sociata. — Damascenus, vico Gabrovo Ternobiensis ditionis oriundus, et in monasterio Chilandariensi monachus ac deinde hegumenus, suspendio peremptus est a Turcis anno 1771. Mortis causam aliaque adjuncta declarata habes in Novo Martyrologio Græco; ex quo auctor Paterici Athonici narrat Damascenum, in metochium Sistovo in Bulgaria negotiorum causa profectum, cum inde in Montem Atho esset rediturus, a Turcis, debita monasterio solvere detrectantibus, non modo omnibus quæ secum habebat spoliatum fuisse, sed etiam stupri accusatum, quasi scilicet virgini cuidam Turcicæ vim intulisset, quam ipsimet subornaverant et in ejus mansionem Sistovianam clam adduxerant. Insontem coram tribunali trahunt calumniatores, mortisque sententiam ab invito judice extorquent, veniam de cætero vitamque Damasceno promittentes, si ad sacra sua transire vellet. At ille se christianum semper fuisse et ad mortem usque manere velle placide respondet. Quapropter ad locum supplicii ducitur, atque suspendio vitam absolvit, postquam se cruce signasset atque supremam ad Deum fudisset orationem. Apostata Alsatiensis Cerfberr, qui ejurata Christi fide nomen Ibrahim-Manzour-Effendi assumpsit atque anno 1827 vulgavit librum *Mémoires sur la Grèce et l'Albanie pendant le gouvernement d'Ali-Pacha* et paulo post a se ipse cruentis manibus pœnas repetiit, multis narrat in Turcia Europæa, ubi infanda adversus naturam facinora plane venialia sunt, fornicatio autem sanguine luitur, communissimam

Damascenus Chilandariensis.

Dies XVII et XVIII Januarii.

munissimam esse perdendi cujuslibet hominis exosi viam, mulierculam peregrinam clam in illius domum introducere. Illic ea lege. Cfr Νεὸν μαρτυρολόγιον, citat. in Paterico Athon. t. II, pag. 193.

DIES XVII.

Ex Ostromirano. MEMORIA VENERABILIS ANTONII. (*Ita omnes præter Remensem, cum Bas. CP. Hier. GP. Neap. Goth. Vind. Coisl. Flor. Sirm. Maz. Mg.*)

Ex variis. SS. Memoria trium puerorum Speusippi, Eleusippi et Melesippi, equitum (*Rum. cum Bas.*). S. Antonii Romani, Novgorodiæ (*Pap.*).

† Theodoti, ep. Cyrensis in Cypro (*Mg.*). † Juliani Sabæ *seu* Senioris (*Mg. Sirm.*). † Achillei (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Antonius Magnus. Maximo in honore esse apud Orientales sanctum cœnobitarum protoparentem testantur synaxaria Græca juxta ac Slavica. Ad institutum meum quod propius accedit, Synaxaristæ et menologi universim omnes pro hac die certatim pugnant, excepto solo Remensi, qui S. Antonium refert die præcedenti. In Arcad. legitur : *Venerabilis Patris Antonii.* In Mst. Rum. Siš. Chil. Men. Mosq. additur titulus Magni : *Memoria V. P. N. Antonii Magni.* In editione Bibliorum Ostrog. vocatur *sanctus* pro venerabili. Vaticano secundo insertus est : *Antonius Magnus, abbas.* Singularis est annuntiatio cod. Asseman. glagolitici : *Sancti Patris nostri Beati Antonii, monachorum institutoris* (seu cœnobiarchæ). Par. I breviter, pro more : *Sancti Antonii.* Denique Cap. Pap. Poss. habent brevissime : *Antonius.* — Rumiantsov. codex solus est, quantum sciam, qui hodie agat de sanctis tergeminis fratribus; convenit tamen hac in re cum Menol. Basiliano, quod ei præluxisse videtur. In hoc enim post commemorationem V. P. N. Antonii Magni, pergitur ita : Ἄθλησις τῶν ἁγίων τριῶν παίδων Σπευσίππου, Ἐλασίππου, Βελεσίππου καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς, id est : *Certamen sanctorum trium puerorum Speusippi, Elasippi, Velesippi et sociorum.* In ipso vero textu nominantur ἱππηλάται ἄριστοι, *equites insignes.* Porro eadem prorsus ad litteram refert codex Rum. excusus; ita enim habet : *Commemoratio V. P. N. Antonii Magni, et sanctorum trium* (et) *puerorum equitum, Speusipi, Velesipi et Elasipi;* ubi particula *et* secundo loco posita, non præcedere debuit vocem *puerorum*, sed sequi. In eodem cod. additur, præter morem, sequens troparium in honorem *sanctorum equitum martyrum : Trina claritas martyrio illustrata, Speusipe, Velusipe*, (tertii nomen desideratur) *ignea tormenta pati ausi coronam gloriæ a Christo accepistis. Orate Dominum pro grege vestro.* — Antonium, cognomento Romanum, commemorat hodie Synaxarium Papebrochii manuscriptum; cæteri vero referunt ad diem 3 Augusti, quo colitur. — De S. Juliano confer Acta SS. Oct. VIII, pag. 349.

S. Speusippus et Socii.

S. Antonius Novgorodensis.

S. Julianus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Antonius Dymensis. Antonius hic, unus ex insignioribus Barlaami Hutynensis alumnis, monasterio ab eodem fundato præfuit ab anno 1273. Dymensis cognomen nactus est, quod, monasterio Hutynensi relicto, aliud exstruxit ad lacum Dymensem, quindecim chiliometris ab urbe Tichvina dissitum. Colitur hac die, qua videtur decessisse; sed tantum in suo monasterio, quod hodieque exstat, cum sacello ejus nomini dicato.

Cfr 1) Ambros., Hist. hier. Rus., IV, pag. 71. 2) Dict. hagiogr., pag. 34. 3) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d., pag. 381 et seq.

S. Antonius Romanus. Eadem die colitur Novgorodiæ S. Antonius cognomento Romanus, de quo agemus infra, ad diem tertiam Augusti, ejus memoriæ in universa Ecclesia Russiaca sacram.

Antonius de lacu Nigro. Commemoratur insuper alius Antonius, asceterii cujusdam ad lacum Nigrum, in diœcesi Novgorodensi siti, fundator. Verum de illo nihil amplius scire se fatentur scriptores Russi; ideoque et nos de eo silebimus.

Cfr Dict. hagiogr., pag. 39.

DIES XVIII

Ex Ostromirano. Ex variis. SANCTI ATHANASII ET CYRILLI (*Ita omnes*) ET ALEXANDRI (*CP.*).

Eadem die memoria venerabilis Patris nostri Marciani Cyrensis (*Men. Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*). Maximi, archip. Serbiæ (*Chil. Bud. Euch.*).

† Eusebiæ cognomento Xenæ (*Bas. Maz. Mg.*). † Theodulæ (*Bas. Sirm. Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Athanasius, Cyrillus et Alexander. Cum tres illi sancti primo loco positi aliquam pariant difficultatem, operæ pretium est varias lectiones diligenter colligere, ut lucis aliquid inde affundatur quæstioni modo agitandæ. Porro, quantum huc spectat, synaxaria omnia in tres classes dividi possunt; quarum prima eos laterculos complectitur, qui de Athanasio, Cyrillo et Alexandro nominatim agunt; secunda constat ex synaxariis, quæ referunt duos priores tantum, Cyrillum et Athanasium; tertia denique comprehendit eos codices, in quibus memoratur solus Athanasius. Ad primam classem pertinet solus, quantum sciam, codex Ostromiranus; quamvis alios etiam Slavicos exstare non dubitem : de Græcis codicibus hujus classis agetur modo. Ad secundam classem spectant plures codices, tum antiquiores, tum recentiores. Horum alii addunt titulum *pontificis* aut *Alexandrini.* Sic in Mst. diserte legitur : *Memoria S. P. N. Athanasii et Cyrilli, archiepiscopi Alexandrini.* Rectius in numero plurali habent Arc. et Rum. : *Memoria sanctorum pontificum Athanasii et Cyrilli.* Similiter glagoliticus Assemani : *SS. PP. nostrorum Athanasii et Cyrilli, archiepiscoporum Alexandrinorum;* cum quo conveniunt Horol. Cap. Men. Prol. Bud. Vat. uterque, Valach. etc. In aliis indicantur quidem

dem iidem ambo, sed sine ullo titulo. Hos inter primo loco venit perantiquus codex Slavicus Par. I, in quo legitur ita : *Sanctorum Athanasii et Cyrilli.* Tum Siš. : *SS. PP. nostrorum Athanasii et Cyrilli.* Item Remens., Og. Mosq. vulgatus. In Ephemeridibus Græco-Moscis pro more ponuntur nuda nomina : *Athanasius, Cyrillus.* Ad tertiam classem denique referendum est Kalendarium Neapolitanum marmoreum, in quo sculptum est duntaxat : NT (seu Natalis) *S. Athanasii episcopi.* Cæterum quidam codices secundæ classis, etsi sola nomina utriusque pontificis proferunt, re tamen ipsa eos archiepiscopos aut patriarchas Alexandrinos esse satis indicant sive imagines adjectæ, ut in Ephemeridibus Papebrochianis, sive etiam synaxaria, ut in Menol. Basiliano. Fidenter itaque dico rectissimam esse lectionem Ostromirani codicis, adeoque Alexandri nomen ibidem omnino retinendum, licet contrarium tenere videatur cl. Nevostrujev. Esto taceant S. Alexandrum cæteri codices Slavici ; an ideo dormitasse dicendus est Gregorius diaconus, qui eximium illud Evangelium exaravit, aut oscitanter addidisse nomen Alexandri, cum scribere debuisset *Alexandrini?* Nequaquam. Et re quidem vera in Kalendario CPolitano, quod Morcellius edidit notisque illustravit, aperte citatur Alexander una cum Cyrillo et Athanasio his verbis : *Memoria reditus S. Athanasii ex exilio. Et memoria sanctorum Cyrilli et Alexandri.* Ad hæc, in Menologio Basiliano figurato, breve synaxarium expresse loquitur non solum de SS. Athanasio et Cyrillo, uti præfert titulus, sed etiam de Alexandro, qui vocatur sanctus : Μετὰ δὲ θάνατον τοῦ ἁγίου Ἀλεξάνδρου, ait, Πατριάρχης γέγονεν Ἀλεξανδρείας, id est : *Mortuo sancto Alexandro, patriarcha Alexandriæ creatus est* (Athanasius). Jamvero quam facile esset transcriptori slavico Alexandri nomen duobus aliis in titulo adjicere, nemo non videt. Sed quinam Cyrillus et Alexander? Patriarchas Alexandrinos esse aiunt, ni fallor, omnes, excepto cl. Morcellio. Hic enim, in suo commentario ad hanc diem, stabilire conatus est, agi non de patriarchis Alexandrinis, sed de monachis CPolitanis, quorum alter, Cyrillus, Acœmetarum monachorum fuerit hegumenus et Studii monasterii rector circa annum 473; alter vero, Alexander, eorumdem monachorum auctor et parens. Non placet hæc sententia; et imprimis parum movet ratio, deprompta ex silentio Menologiorum et Menæorum de S. Alexandro aliis anni diebus; nam constat memoriam sancti hujus hegumeni agi bis in anno, die 23 Februarii et iterum 3 Julii. Quod magis mireris, innititur Morcellius Menologio Basiliano; sed solum titulum legisse contentus, nec ad picturas ejusdem attendit, nec synaxarium inspexit, in quo tamen, ut vidimus, expresse agitur de Cyrillo et Alexandro, Alexandriæ patriarchis. Accedit, quod lectio Evangelica, quæ ad hanc diem indicatur tum in codice Ostromirano, tum in codice Hierosolymitano sæculi x, quem edidit Scholzius, desumenda est ad diem 11 Octobris; jam vero isto die in Ostromirano codice agitur, primo loco, memoria SS. Nectarii, Arsaci, Attici et Sisinnii patriarcharum CPoleos, in Hierosolymitano autem fit commemoratio orthodoxiæ, hoc est septimæ synodi œcumenicæ : quæ duo sane ad Acœmetas monachos minime spectant. Liquet itaque sermonem hic non esse de Alexandro Acœmetarum parente, sed de decessore S. Athanasii, viro eximiæ sanctitatis; cujus vita gestaque optime illustrantur in Actis SS. ad XXVI Februarii, sed in fastis Menæisque Slavis omnino prætermissa sunt. Rationem hujus festi, quatenus ad Athanasium pertinet, abunde declaravit Morcellius in Commentariis ad Calendarium CPolitanum. — De Marciano, Cyro oriundo, sermo redibit ad 2 Novembris. — Obitus Maximi, metropolitæ, consignatur hodie in Typico Chilandariensi, non illo, quod a me passim citatur, sed alio sequioris ævi. Ejus vita dabitur infra in *Memoriis slavicis.* — Cum S. Eusebiam, quæ et Xenia, codices Slavici referant ad diem XXIV hujus mensis, de ea tunc agere præplacet.

S. Marcianus. Maximus.

S. Eusebia.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Maximus, Serbiæ despota.

Maximus, Stephani despotæ et Angelinæ filius, et prius Georgius dictus, ab infantia sacris codicibus legendis operam dabat. Castitatem vero colebat tam fideliter, ut, propter egregiam formam ab imperatoris filia sollicitatus, a proposito suo caste vivendi nullatenus potuerit dimoveri. A rege Hungariæ, cui tunc Serbia subdita erat, accersitus, accepit Sirmium regendum, et paulo post Sabellam, regis filiam, uxorem duxit. Verum enimvero cum eam ad sua sacra traducere non potuisset, ea intacta, in monasterium sese recepit, a semetipso fundatum. Cujus exemplum mox secuta est Sabella, postquam ad orthodoxos accessisset. Interea, mortuo Joanne, fratre suo, quin hæredem relinqueret, cogitur a proceribus Maximus thronum ascendere, non diu tamen occupandum. Etenim mox ab alienigenis pulsus, profugit ad Vlachiæ Voivodam Radulum, quem postquam cum Bogdano, altero Voivoda, ipsi inimico et jamjam præliaturo, reconciliasset, ab utroque archiepiscopus Vlachiæ salutatur; quod ægerrime tulit. Mortuo Radulo, ut ejus successoris Michnæ, Turcarum partibus addicti, impia conamina eluderet, obtinuit ut pacis componendæ causa in Hungariam mitteretur. Qua conclusa, literis regiis ad Michnam missis, apud regem Hungariæ mansit, eoque auxiliante monasterium Krušedolense sub titulo B. M. V. Annuntiatæ erexit, ubi et supremum diem obiit anno 1516, cælesti visione, ut fertur, antea recreatus. Supersedemus hæc ex antiquo Prologo contracta secundum Hungariæ historicos expendere.

Cfr 1) Raič, Hist. Serb., lib. IV, cap. VI et VII. 2) Vita ejus ex antiquo Prologo in Glasn., t. XI, pag. 124-129. 3) Illyric. sacr., t. VIII, pag. 60 et seq.

DIES XIX.

Ostromirano. Ex variis.

Vacat.

Memoria venerabilis Patris nostri Macarii Ægyptii (*Mst. Par. Rum. Siš. Chil. Og. Eph. Vat. I. Poss. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Sirm. Hier. GP. Vind. Goth. Coisl. Flor. Maz. Mg.*). [Vener. Patris Macarii Romani (*Rum. Eph. cum Bas.*)]. S. Macarii Alexandrini (*Men. Hor. Prol. Kal. cum Sirl. Sirm. Maz. Mg.*). S. Euphrasiæ seu Euphrosynæ, virg. et martyris (*Men. Prol. Hor. Leopol. Kal. Euchol. cum Sirm. Maz. Mg.*). S. Arsenii, archiepiscopi Corcyrani (*Leop. Euch. Cap. Valach.*). † Theodoti, ep. Cypri et mart. (*Bas. Sirm. Med. Maz. Sirl.*). † Gregorii Nazianzeni translatio (*Mg.*).

DIES XIX JANUARII. (*Mg.*). † Pauli eremitæ (*Neap.*). † Luciani, Paulæ et filiorum Hypatii, Claudii, Pauli et Dionysii (*Mg.*). † Lucilliani (*Sirm.*). † Memoria magni miraculi, Nicææ, quando nempe magnus imperator Ecclesiæ catholicæ portas aperuit eamque tradidit orthodoxis (*Nan. Mg.*). S. Antonius Martqophius (*Iber.*).

OBSERVANDA.

S. Macarius Ægyptius. Capponianæ tabulæ, ait Assemanus (Kal. VI, pag. 99), solum Macarium Ægyptium exhibent; pro Macario vero Alexandrino adjungunt Arsenium, Romanæ scilicet Ecclesiæ diaconum; imo verisimilius existimat idem Assemanus, non de Arsenio sermonem esse, sed de Macario Alexandrino; emendandam propterea inscriptionem, ita ut sit : *Macarius, Macarius*. Verum emendandus ipsemet vir doctissimus, quippe qui et Macarium Alexandrinum et Arsenium Magnum perperam introducat, ut infra dicetur. Utrumque Macarium, Romanum et Ægyptium, exhibet Menologium Basilianum; ubi notabis, Macarium Romanum non nudum aut hirsutum prodire, ut in tabulis Moscis, sed monachali veste indutum. — *Macarius Romanus.* Perlectis iis, quæ de fabuloso S. Macario disseruntur in Actis Sanctorum, in appendice ad 23 Octobris, pag. 563 et seqq. intellexi continuo, supervacaneum fore, egregio commentario addere quidquam, quum rem totam acute pariter ac erudite prosecutus sit commentator. Quapropter, pro instituto meo, quædam tantummodo proferre sufficiet ex fontibus mere slavicis. Et primo quidem animadvertendum est, in Menologiis Slavicis Macarii Romani memoriam fieri plerumque die 19 Januarii, quæ etiam duobus aliis Macariis, Ægyptiaco et Alexandrino, sacra est; rarissime vero die 23 Octobris, quæ apud græcos menologos recentiores solemnior habetur. Sane in Menologio Basilii continetur breve Macarii Romani elogium ad diem 19 Januarii, quod inde in sua menologia et synaxaria derivarunt auctores slavi ferme universi. Excipiendus Prologi manuscripti bibliothecæ Vindobonensis transcriptor serbus, qui cæteroquin tum diem 23 Octobris, tum ipsammet fabulam de Macario Romano, ad literam mutuatus est ex Maximo Margunio, episcopo Cytherorum. In recentioribus autem Menæis, quibus utor, item in Menologio Veršinsciano et in Horologio catholicorum Ruthenico, non modo fabula de Macario Romano, sed et omnis memoria prorsus expuncta est. In *Monumentis literarum Russicarum antiquis*, tomo tertio, quo genuinum librorum apocryphorum et fictitiorum textum exprimendum curavit Pypin, de republica slavica jam bene meritus, duplex exstat narratio de Macario Romano; brevissima altera, altera longior multoque fabulosior quam illa altera, quam ex Prologo Serbico bibl. Vindobonensis in usus meos descripsi. Harum prior deprompta est ex prologo pergameneo bibl. publicæ Petropolitanæ anno 1432 exarato, et sequentem titulum præsefert : *Ejusdem mensis* (Januarii) *die* 19 *memoria VV. PP. nostrorum Macarii Romani et Macarii Ægyptiaci eremitæ*. Posterior, sæculo XIV scripta et *Analectis Paisianis* inserta, agit *de tribus monachis, quomodo scilicet S. Macarium invenerint*. Eidem in cod. Tsarskiano, sect. III, n° 70 inscriptum est : *Mensis Januarii die* 19, *vita sancti venerabilis Patris nostri Macarii, qui prope paradisum viginti stadia circiter repertus est* (pag. 135). Erraret autem ille qui Macarium Romanum a Russis hodiernis veluti sanctum coli putaret aut fabulam istam pro re vera et certa haberi. De modo pingendi Macarium dicetur alibi. Interea observet velim lector in Ephemeridibus Græco-Moscis figuratis inscriptionem slavonicam aliquantulum deformatam esse a pictore belga, qui litteras I et N passim confundit; præterea ultimo inscriptionis vocabulo significari non *episcopum* (ЕПІК) sed *Ægyptium*, (ЕГІП), ipsa veste Macarii Ægyptii errorem arguente, ut jamdudum observaverat Papebrochius. — *S. Macarius Alexandrinus.* Alexandrinum eremitam utrique Macario cognominem referunt codices sequioris ævi. — *S. Euphrasia.* Euphrasia Nicomediensis laudatur in Men. Basilii; Kal. Serbicum anni 1807, Hor. et Leopol. habent : *Sanctæ Euphrosynæ, virginis*, quasi non fuerit etiam martyr. Virginem et martyrem recte vocant Menol. et Veršinski. Vide Acta SS. ad hanc diem. — *S. Arsenius Corcyranus.* Archiepiscopus vocatur Arsenius in Kal. Serbico, episcopus in Leopolitano et Valachico. Cappon. tabulæ referunt nudum nomen. In Cal. Papebrochii manuscripto legitur : *Et S. Arsenii, archiepiscopi Cverkiscensis*, manifesto errore, pro *Corcyrensis*, vel, ut Russus diceret : *Korkirski*. Corcyræ enim nomen pronuntiant Russi *korkiram*, et inde adjectivum *korkirski* efformant. Assemanus, ut dixi, non modo hunc Arsenium cum magno illo Arsenio eremita confundit, sed etiam verisimilius existimat non de Arsenio sermonem esse in tabulis Capponianis, sed de Macario Alexandrino sacerdote; at perperam; nam in tabulis illis expresse nominantur Macarius et Arsenius; et quidem alter monachus, alter episcopus, ut patet ex pictura apposita (pag. 99, t. VI.) Nequaquam igitur emendanda erat inscriptio Capponiana, nec scribendum : *Macarius, Macarius*, quemadmodum id legitur in Menæis Græcis, et placuit Assemano. Arsenium, episcopum Corcyræ, certe referunt Kalendaria Leopolitanum, Serbicum et Valachicum, quæ duo ultima anno 1807, Budæ excusa. Vita ejus adhuc inedita est; plura tamen de eo legere licet in Actis SS., in Addendis ad XIX Jan. (t. II, pag. 1138). — *S. Antonius Martqophius.* Post sanctam Ninam, quæ omnium prima semen fidei christianæ in Iberiam seu Karthliam invexerat, regnante nempe Pharsmano IV, venerunt in eamdem regionem tredecim monachi Syri, duce Joanne Zedazeno, quo salutare Jesu Christi nomen latius propagarent. Horum ex numero fuit sanctus Antonius, cognomento Martqophius, qui sedem suam fixit in Guthaëba, antiqua episcoporum Karthliensium sede, ibique templum excitavit Salvatori sacrum et imagine Edessena, quæ adorandam Christi Domini faciem repræsentat, celeberrimum; propter quam iconem solet beatus vir passim exhiberi cum picta tabula. Martqophiensis vero cognomentum nactus est, quod, sociis in monasterio Guthaëbæ relictis, ipse in vicinam speluncam secessit, ut eremitarum more, Deo soli solus viveret : Iberorum enim idiomate Martqophi significat *solitarium* seu *hominem solitarie degentem*. Est locus iste, hodie Martqoph, peramœne in montanis situs, nec nisi viginti chiliometris a Tiphlisio distans. Mansit ibidem S. Antonius annos quindecim, jejuniis et orationi imprimis deditus; quin etiam, si auctoribus, quos sine judicio sequitur Muraviev, fides adhibeatur, S. Simeonis Stylitæ, qui columnam ascenderat anno 423, conversationem imitatus est, eaque de causa ipse quoque Iberiæ stylita passim nuncupatur. Exstare etiamnum aiunt columnam, in qua degerit sanctus Antonius. Sepultus est in ecclesia monasterii a se conditi, quo deinceps sedem suam transtulit episcopus Rusthaviensis, diruto Rusthavio, priori episcoporum sede. S. Antonii cultum ecclesiasticum manifestum facit tum officium, in ejus honorem conscriptum ab Antonio patriarcha, tum etiam templum Martqophiense, nuperius a fundamentis instauratum atque fidelium concursu frequens. Secum pugnat Muraviev,

viev, dum sanctum Antonium coli dicit die XIX, in tabula autem picta, quam initio mensis præmisit, refert ad diem XXII. Plura cupienti præsto sunt 1) Wakhoucht, Descript. géogr. de l'Ibérie, pag. 303, 305. 2) Klaproth, Voyage au Caucase et en Géorgie, tom. II, p. 67. 3) Muraviev, Januar. pag. 394 et seq.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Macarius, monachus Kievocryptensis. Conditus in cryptis Antonii, ubi ejus exuviæ etiamnum asservantur. Mortis annus ignoratur. Coli dicitur hac die in Laura Kievocryptensi.

Cfr Dict. hag., pag. 175.

Theodorus Novgorodensis, Salus. Eodem die colitur Theodorus Novgorodensis, qui sæculo XIV floruit. Novgorodia oriundus et in timore Dei a parentibus educatus, ut adolescens factus est, sacris lectionibus non minus quam Nicolai Kačanovii, de quo alibi, exemplo accensus, stultus pro Christo fieri statuit. Itaque, Salorum instar, in summa vixit paupertate, omnia, quæ ab aliis dono accipiebat, egenis erogans; nudisque pedibus etiam rigidissimo hiemis tempore ambulans, nec ubi caput reclinaret habens. Cum irrideretur ac injuriis peteretur, pro irrisoribus orationes Deo fundebat. Nocturno tempore ecclesias civitatis circuibat solus, pro ejus prosperitate Deum deprecans. Tandem mortem adesse sentiens: « Valete, aiebat, obviam sibi occurrentes alloquens, valete, longum namque mihi imminet iter. » Colitur Novgorodiæ, ubi corpus ejus quiescit, habetque officium proprium.

Cfr Dict. hag., pag. 280.

DIES XX.

Ex Ostromirano. Ex variis. Memoria venerabilis Euthymii. (*Ita omnes.*)

SS. martyrum Bassi, Eusebii, Eutychii et Basilidis (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Mg.*). SS. martyrum Innæ, Pinnæ et Rimmæ (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Med. Mg.*). SS. MM. Eugenii, Valeriani, Candidi et Aquilæ (*Prol. cum Bas. Sirm. Sirl. Med. Mg.*).

† Sebastiani (*Neap.*). † Neophyti, mart. (*Sirl.*). † Petri Telonarii (*Sirm. Mg.*). † Annæ Romæ mortuæ (*Sirm. Flor.*). † Charitinæ, mart. (*Sirm. Flor.*). † MM. Thyrsi et Agnetis (*Sirm.*). † Leonis, imper. (*Sirm.*). † Elpidii, Danactis et Helenæ (*Flor.*).

OBSERVANDA.

S. Euthymius. Natalis agitur dies S. Euthymii, qui in Rum. vocatur *magnus;* similiter in Menæis excusis et in aliis recentioris ævi synaxariis, præeunte Menologio Basilii. Arcad. concordat cum Ostromirano; in Paris. Assem. Rem. Possev. habetur: *Sancti Patris nostri Euthymii.* Vaticanum utrumque brevius: *Euthymius abbas;* in Ephemeridibus Moscis recte: *Euthymius.* — De S. Basso seu prima turma sanctorum martyrum agit Menologium Basilii ad præsentem diem; vide dicenda infra ad VII Februarii. — De S. Inna et sociis ejus iterum sermo erit die XX Junii, quando agitur translationis memoria, dum hodie recolitur passio. — Sancti quoque Eugenii et sociorum commemoratio fiet melius ad diem sequentem, quo refertur in Slavicis codicibus. — S. Charitinam retulimus jam die decima quinta. — Juxta Sirm., S. Anna obiit in *vetere* Roma, at juxta Flor., *in senectute.*

S. Bassus et soc. *S. Inna et soc.* *S. Eugenius et soc.* *S. Charitina.* *S. Anna.*

DIES XXI.

Ostromiranum. Ex variis. Vacat.

Passio S. martyris Neophyti (*Mst. Ass. Rum. Chil. Prol. Hor. Cap. Og. Men. Euchol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Hier. GP. Vind. Flor. Nan. Mg.*). S. Patris Maximi, confessoris (*Mst. Par. Rum. Prol. Chil. Siš. Og. Cap. Pp. Vat. Men. Hor. Kal. cum Hier. GP. Vind. Coisl. Msq. Sirm. Msq. Goth. Mg.*). S. Zosimi, ep. Syracusani (*Rum. cum Bas. Sirm. Maz. Flor. Med. Mg.*). SS. Eugenii, Valeriani, Candidi et Aquilæ (*Chil. Men. Prol. Og. Leop. Euchol. Hor. Kal. cum Flor. Mg.*). S. Agnetis (*Men. Prol. Kal. cum Neap. Med. Mgg.*). S. Anastasii Cryptensis (*Kal.*).

† Synaxis Irenæ, martyris (*Mg.*). † Thyrsi et Agnetis, martyrum (*Sirm. Med.*). † Monachorum quatuor in Tyro (*Mg.*). [Neophyti, prosmonarii Vatopedi (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

S. Neophytus. In quibusdam synaxariis commemoratur solus Neophytus, omisso S. Maximo, uti in Bas. et Assem. In Rum. ponitur secundo loco post Maximum; et ita fere apud omnes, excepto Mstislavico. Acta S. Neophyti, quæ in Menologio Slavico leguntur, et magnam partam ex libris liturgicis deprompta sunt, plura continent fabulosa. Observat Falconius apud Assemanum: *Ista Acta homo impostor tradit, quibus tantum ex verisimili est credendum humana fide. Præter martyrium, fabula omnia, etiam nomen Neophyti, quod insolitum* (Kal. VI, pag. 101). Id durius. — Zosimum inveni in solo cod. Rum., ubi vocatur *Izosimi:* pejus in Actis SS. *Losimi,* nisi sit mendum typographi. Zosimi, episcopi Syracusani, memoriam agit hac die Men. Basilianum; ex quo fonte probabiliter desumpsit eum codex Mstislavicus; ex Mst. vero Rumiantsovianus; in Men. Slavicis commemoratur die 30 Martii. — In Men. Basilii Eugenius cum sociis commemoratur ad diem præcedentem postremo loco. Postremus quoque prodit in quibusdam kalendariis recentioribus, uti in Menæorum libro; in aliis vero, uti in Kal. Serbico anni 1807, item in Leop. et Mosquensi obtinet primum locum; in Typico Serbico sæc. XIV et in Bibliis Ostrog. nominatur solus, ac si præcipuus esset in Trapezuntina martyrum turma. — Nuspiam legi S. Agnetem ad hanc diem, præterquam in Prologo et Menæis,

S. Zosimus. *S. Eugenius et soc.* *S. Agnes.*

DIES XXII JANUARII.

quæ continent ejus Vitam, a S. Ambrosio conscriptam. Hac eadem die commemoratur in Kal. Neap. (Cfr Mazochii, Kal. Neap. tom. I, p. 17), et in Mart. Romano (Cfr Acta SS. Jan. II, p. 350). In Med. additur: *Romæ*. Nos de ea egimus ad 14 Januarii, et iterum agemus ad 5 Julii. — Anastasius, monachus Cryptensis et martyr, remissus est a Veršinskio ad diem sequentem. — In Menæis Græcis numerantur tantum quatuor martyres in Tyro, ut patet ex disticho adjecto; at in Indice ms. Papebrochii numerus hic mutatus est in quadraginta. — Synaxin Irenes nuntiant Menæa Græca et Cytheræus Maximus, nullo elogio addito. Synaxis ista fieri solebat in celeberrima ecclesia S. Irenes ad mare posita (πρὸς θάλασσαν), quæ propterea vocabatur maritima (παραθαλάσσια) aut etiam S. *Irene ad Fretum* (τὸ πέραμα). Jamvero in Actis S. Marciani, presb. et œconomi magnæ ecclesiæ CPolitanæ, de quo nos egimus die x Januarii, narratur templum hoc S. Irenes, quæ est inter martyres admirabilis, excitatum fuisse a S. Marciano mari proximum; « adeo ut huic quoque » templo conveniat quod dictum est : *Ipse super* » *maria fundavit eam* (Ps. XXIII, 2), omnium scili- » cet opifex. » Templi encænia quotannis peragebantur vigesima Januarii. Quo tempore magnus erat concursus multitudinis et frequens in ore omnium decantabatur Marcianus et cætera (Acta SS. Jan. I, pag. 614 et 615). De hac eadem ecclesia iterum sermo fit in Vita S. Auxentii, archimandritæ, n. XI, in actis S. Isidori, in cujus honorem ædem ædificaverat idem Marcianus; præterea, in Vita S. Matronæ (9 Nov.), ubi dicitur nomine *Pacis Dei* fuisse appellata (*Pacem* enim *Irene* græco idiomate significat), ut S. *Sophiæ* templum a divina Sapientia nomen suum traxerat. Plura de situ hujus *Irenes maritimæ* vide apud Cangium (CP. christ., lib. IV, pag. 148), ubi et aliæ ecclesiæ sanctæ hujus megalomartyris recensentur; colitur autem S. Irene apud Græcos die 5 Maii. Quod vero hodie Menæa et Margunius annuntiant hanc synaxim, nullo prolato sanctæ martyris elogio, noli inde concludere agi hic de sancta minus celebri, sed in memoriam potius tibi revoca, nonnisi celebriorum sanctorum synaxes fieri aut ecclesiarum eisdem sacrarum dedicationes commemorari. Neque dubium est quin memoria sit S. Irenes megalomartyris, ut vocatur apud Græcos. Denique notabis, antiquitus hanc synaxim celebratam fuisse die xx Januarii; unde postmodum translatam ad diem præsentem, fortasse propter festum S. Euthymii Magni, diei vigesimæ affixum. In Men. Gr. additur : Eadem die ἐν τῷ κῷ πασχα κυριακη τοῦ ἀζώτου (id est dominica *Prodigi* seu ἀποκρέως), cum sequenti disticho :

S. Anastasius.

SS. Martyres in Tyro.

Synaxis S. Irenes.

Ἄσωτος ἴτις, ὡς ἐγὼ, θαῤῥῶν ἴθι.
Θείου γὰρ οἴκτου πᾶσιν ἤνοικται θύρα.

id est :

Prodigus si quis, ut ego, audacter veni :
Divinæ enim misericordiæ omnibus aperta est via.

Sanctum aliquem esse hunc *Asotum* putavit Bollandus in prætermissis ad præsentem diem; fatetur tamen se nusquam in aliis martyrologiis ejus legisse nomen. Sed nec legi poterat, cum disticho illo celebretur in Menæis non sanctus Asotus, sed dominica *Prodigi*, Latinis Septuagesimæ, quemadmodum et alibi celebrantur dominica Paralytici, aut Tyrophagi, etc. Idem est ac si diceretur S. Septuagesima. — Claruit Neophytus in monasterio Vatopedii, ubi prosmonarii munere fungebatur. Hic dum in quadam metochia negotiorum monasterii causa versabatur, gravi morbo correptus mortemque sibi imminere sentiens, Deiparam ferventer adprecatus est, ut sanitatem sibi reddere dignaretur. Orantem exaudivit Maria, annumque integrum concedi nuntiavit, quo ad mortem sese pararet. Valetudine recuperata, in monasterium remeavit Neophytus; sed, anno præterlapso, cum quadam die dominica ad synaxim se disponeret, iterato vocem de icone B. Virginis procedentem audire sibi visus est, imminentis mortis prænuntiam. Et quidem, peracta synaxi, diem obiit in pace; quandonam incertum. Cfr Νέος παράδεισος, citat. in Pater. Athon., tom. II, pag. 377.

Neophytus Vatopedii.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. Passio S. Apostoli Timothei. (*Ita fere omnes.*) S. Anastasii, Persæ (*Chil. Og. Prol. Hor. Kal. Arc. Cap. Men. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Neap. Hier. GP. Vind. Nan. Pg. Msq. Itg.*).

Ex variis. SS. martyrum Victoris et Vincentii (*Mst. cum Bas. Neap. Mg. Sirm.*). SS. MM. Manuelis, Petri, Georgii, Leontii, Sionii, Gabrielis, Joannis, Leontis, Parodi, et aliorum 377, in Bulgaria (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Mg. Med. Sirm. Maz.*). S. Anastasii Cryptensis (*Men. Kiov.*). Translatio reliquiarum S. Ignatii (*Pg.*).

† Callinici, hegumeni Casularum (*Bibl. Taur., t. I, p.* 308). † Ananiæ (*Goth. Msq.*). † Translatio reliq. Anastasii Persæ (*Itg.*). † Agathonis (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Timotheus. Concordat omnino Ostromiranum cum Menologio Basiliano, si demantur Victor et Anastasius Kievo-cryptensis. Unde perperam scripsit Veršinski agi in eodem de S. Timotheo ad 24 Januarii. Præter passionem S. Anastasii Persæ commemoratur ibidem translatio reliquiarum ejusdem martyris (Cfr Acta SS. Jan. II, p. 563. Assem. Kal. VI, 101. Morcel. Kal. CPolit., t. II, p. 33.

S. Anastasius Persa. Menæa ex Metaphraste). — Acta S. Anastasii Persæ habentur latine apud Surium ad 22 jan. Videantur Act. SS. Jan. II, p, 422 seq.; Morc. Kal. CP. loco cit.; Menæa ex Metaphraste; Prologus ad 24 de translatione corporis S. Anastasii. — De S. Victore agit hodie solum Martyrologium Romanum, et simul de Vincentio, Orontio, Acquilina ejusque marito, Gerundæ in Hispania passis. (Act. SS. Jan. II, pag. 389 et seq.) — Menol. Basilii et Sirm. agunt de Vincentio archidiacono Cæsaraugustano, qui Valentiæ passus est simul cum Valerio episcopo. In Menæis Slavicis recurrit ad 11 Nov. (Surius, 22 Jan.; Act. SS. Jan. II, 393 et seq.; Ruinart., II, 343). Adest quoque in marmore Neapolitano. De quonam Vincentio agatur in cod. Mstislavico dicant alii peritiores. — De S. Manuele conferantur Acta SS. Jan. II, pag. 441. Assem. Kal., t. VI, p. 353. Theophyl. Opp. t. III.

S. Victor.

S. Vincentius.

S. Manuel et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Anastasius. Kievocryptensis. Anastasius, monachus Kievo-Cryptensis, martyrium fecisse perhibetur sæculo XI; cætera ignorantur, nisi quod diaconatu erat ornatus. Corpus ejus asservatur in cryptis Antonii; memoria vero ad hanc diem recolitur in solo monasterio Cryptensi.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 22. 2) Menol. Veršinski ad h. d.

DIES XXIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Passio S. Clementis, episcopi Ancyrani. (*Ita omnes cum Bas. Hier. GP. CP. Pg. Nan. Sirl. Vind. Flor. Msq. Sirm. Maz. Mg.*). SS. MM. Agathangeli, Charitonis, Christophori, Phlegontis et Eucarpii, militum Amisi (*Par. Og. Men. Pr. Kal. Hor. cum Bas. Sirm. Mg. Maz. Neap. CP. Hier. GP. Coisl. Goth. Msq. Flor. Nan.*). S. Paulini, episc. Nolani (*Men. Kal. Prol.*). S. Maysimæ Syri (*Prol. Men. Kal. cum Mg.*). Ven. Salamanis Silentiarii (*Prol. Men. Kal. cum Mg.*). Commemoratio sextæ Synodi generalis (*Prol. Kal. cum Mg.*). [Gennadii Kostromensis (*Prol. Kal.*)].

† Eusebii abb. (*Mg.Mde. Sirm.*). † Duorum Martyrum in Pario (*Mg.*). † Desponsatio B. M. cum S. Josepho, Jerosolymis. (*Itg.*)

OBSERVANDA.

S. Clemens. In Ostromirano agitur de S. Clemente die sequenti. In Menæis leguntur acta ejus ex Metaphraste et aliis; Acta SS. Jan. II, pag. 458. — *S. Agathangelus, et alii.* Agathangelus, diaconus, a S. Clemente conversus ad fidem, palmam martyrii tulit 5 Novembris. Cæterorum sola nomina commemorantur. — *S. Paulinus.* In Mart. Rom. venit S. Paulinus ad 22 Junii; in Menæis legitur Vita ejus ex Dialogis S. Gregorii M. papæ desumpta. (V. Fabr. IX, 315.) — *S. Maysimas.* De sancto Maysima nihil in Menologio Basiliano, quidquid dicat Veršinskius; *S. Salamanes.* nihil quoque de Salamane; at utriusque Acta exhibentur in Act. SS. Jan. II, 489 et seq. Refertur insuper die XVII Februarii. — *VI Synodus.* De VI Synodi memoria Cfr Act. SS. Jan. I, pag. 623.

MEMORIÆ SLAVICAE.

Gennadius Kostromensis seu Lubimogradensis.

Gennadius, in baptismo Gregorius dictus, divitibus parentibus Joanne et Helena in Lithuania ortus, a puero divinis rebus vacavit in ecclesiis assiduus, ideoque a parentibus frequenter reprehensus. Ubi adolevit, paterna domo clam relicta, in Russiam profectus est, variisque regionibus peragratis, Mosquam Novgorodiamque perlustravit, ac tandem ab Alexandro Svirensi, qui inter sanctos Russiæ recensetur, ad Cornelium Comelscensem destinatur, mediis in silvis degentem. A quo benigne exceptus habitu monachali induitur, priori nomine mutato. Verum cum peregrini juvenis ardentissimo fervore ad invidiam concitarentur fratres, in ipsum Cornelium hegumenum mox insurrecturi, concesserunt ambo in eremum quamdam, ad lacum Surensem sitam, ibique reclusorum more vixerunt, laboribus orationibusque intentissimi. Paulo post sociorum numero crescente, ecclesiam Transfigurationis cum monasterio erexit Gennadius, illudque usque ad mortem rexit. Obiit autem die 23 januarii anno 1565, miraculis in vita et post mortem, ut fertur, conspicuus.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 74. 3) Murav., par. 398. 4) Menol. Verš., ad h. d.

DIES XXIV.

Ex Ostromirano. Ex variis.

PASSIO SANCTI MARTYRIS CLEMENTIS.

Memoria venerabilis Xeniæ. (*Omnes præter Ostromiranum.*) SS. MM. Pauli, Pausirii et Theodotionis (*Rum. cum Bas. Maz. Sirm. Med. Mg.*). S. Babylæ Siculi, martyris, et discipulorum ejus Timothei et Agapii (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Macedonii (*Prol. Men. Kal. cum Mg.*). Translatio reliquiarum S. Anastasii Persæ (*Prol. Kal. cum Mg.*). [Joannis Cazanensis (*Hag.*)]

† Philonis, episc. Calpasii in Cypro (*Neap. Mg.*). † Vincentii, mart. (*Nan.*). † Philippi, presb. (*Mg.*). † Helladii commentarisii, mart. (*Mg.*). † Hermogenis et Mennæ, mart. (*Mg.*). † Barsimei et duorum fratrum (*Mg.*). † Zosimi (*Mg.*). † Joannis Baptistæ memoria juxta sepulchrum (*Mg. Marg.*). † Theodulæ, mr. (*Med.*). † Monachorum in monasterio S. Sabæ occisorum (*Msq.*). † Publii, abb. (*Med.*). [Dionysii Olympici (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

S. Clemens. De S. Clemente, episcopo Ancyrano, ejusque in martyrio sociis agunt omnes die præcedenti, solo Ostromirano excepto. — *S. Eusebia Xene.* S. Eusebia, virgo, cognomento Xene seu Xenia, id est *peregrina*, quam Possevinus perperam vocat *Euximiam*, refertur hodie apud Synaxaristas Slavicos fere omnes. In Menologio Basilii nominatur ad XVIII Januarii. Ejus Acta græce vulgavit Assemanus in Bibl. Orient., t. II, pag. 51; exstant latine in Actis SS., tom. II, pag. 598 et seq. et apud Surium ad XXV Januarii. In Menologio Slavico legitur Vita desumpta ex mss. græcis et Metaphraste. — *S. Paulus et soc.* Tabulæ Papebrochianæ repræsentant cum S. Xene sanctum Paulum, martyrem, quem Papebrochius corrupte legit *Pabelum*. In Men. Basiliano habetur: *Certamen SS. MM. Pauli, Pausirii et Theodotionis.* Quorum duo priores fratres erant monachi; et occurrunt in solo codice Rumiantsoviano; Paulum exhibent Ephemerides Græco-Moschæ. Theodotionis nomen prætermissum utrobique. Miror nihil legi de his martyribus nec in Menæis Slavicis, nec in Menologio recentissimo Veršinskii. — Papebrochius confundit Paulum, de quo modo, cum Babyla, presbytero Antiocheno, qui in Sicilia profugiens martyrium passus est cum duobus discipulis, atque a celeberrimo S. Babyla, episcopo Antiocheno, distinguendus est. — *S. Babylas.* De S. Macedonio cfr Act. SS., Jan., t. II, p. 593 et seq. — *S. Macedonius.* MM. Sabaitis videtur errore appositus dies 24 (κδ) pro 14 seu ιδ. — *SS. MM. Sabaitae.* De Philone, discipulo S. Epiphanii, vide Mazochium ad hunc diem. — *S. Philo.* Theodota aliis Eusebia, mater sanctorum puerorum et martyrum Urbani, Pricidiani et Apolonii, diserte *S. Theodota.* nominatur hodie in Menæis Græcis Mediolan.; et in Actis S. Babylæ sanctissima femina fuisse dicitur. — *S. Joan. Baptišta.* Templi S. Joannis B. juxta sepulcrum, πλησιον τοῦ

DIES XXV JANUARII.

τοῦ Τάφου, meminit Cangius libro IV *CP. Christianæ*, pag. 104; quid autem per Τάφον intelligendum sit, dicere nequivit, nisi quod ædes conjuncta fuerit sepulcro Dominico in Locis Sanctis. — In libro, cui titulus Νέος παράδεισος, de Dionysio multa tradit auctor anonymus, quæ verissima esse attestatur initio narrationis, nos vero breviter exponemus. Jacet videlicet in diœcesi Phanariensi vicus Platina, satis obscurus, ubi degebant Nicolaus et Theodora, Dionysii parentes, conditione pauperes, pietate non postremi. His florenti ætate orbatus Dionysiis, erudiendis pueris dedit operam, atque inde vitam suam sustentavit, donec, relictis omnibus, in monasterium τὰ μετέωρα abiit, monente ac comitante Anthimo, cœnobii illius monacho, qui negotiorum causa Platinam venerat. Mox tamen in Montem Athum, inscio, quin et invito præposito, clam aufugit, ubi seni cuidam Seraphimo instituendum sese tradidit. Sacerdotio auctus, a Seraphimo, ad primarii hegumeni munus interim promoto, licentiam impetravit in solitudine Deo serviendi, atque non procul ab asceterio Caracallæ in vasto deserto sedem sibi delegit, ubi ecclesiam SS. Trinitatis erexit et triennio tenuit, vitam severissime instituens. Tum ad Loca Sancta invisenda mare transfretavit, parumque abfuit, ut ad cathedram Hierosolymitanam fuerit promotus. In Montem Athum redux, altero septennio solitarius degit; quo peracto, hegumeni munus in monasterio Philothei suscepit invitus, at paulo post, murmurantibus fratribus, qui rigidiorem ejus vivendi modum ægre ferebant, valedixit, et in Berrhœensem secessit regionem, comitantibus quibusdam fratribus; fuitque monasterio S. Antonii parum frequenti præpositus. Cum autem hic quoque ad cathedram episcopalem expeteretur Dionysius, fama scilicet ejus undique manante, in montem Olympum sese abscondit, ubi ad extremum vitæ suæ diem latuit, plura a loci domino Saraceno juxta ac a dæmonibus perpessus. Obiit die XXIV Januarii, anno incerto, postquam adstantes fratres eximia commonuisset exhortatione. Floruit sæculo XVI. Cfr Νέος παράδεισος, cit. in Pat. Athon., tom. II, p. 46.

Dionysius Olympicus.

MEMORIAE SLAVICAE.

Joannes et Petrus Cazanenses.

Synclitici nomen habet Joannes in Menæis Novgorodensibus anni 1664. Passio narratur ab annalista hoc modo: Anno 1529, regnante Joanne IV, Novgorodiam, quæ Inferior nuncupatur, invaserunt Tartari; a quibus comprehensus, aut potius raptus, et in captivitatem abductus est juvenis quidam, Joannes nomine, castitatis et orandi studio, nec non et liberalitate erga egenos conspicuus. Hunc igitur, ut a fide Christi ad impuram Mahometi sectam pertraheret Chani præceptor, tum blanditiis, tum minis usus est; sed frustra. Quare confessoris constantia exacerbatus, capite eum plecti jussit, non procul ab urbe, summoque in colle. Accidit autem, ut non extemplo animam exhalaverit Joannes; sed, licet gladio in collo percussus, totoque corpore graviter læsus, pro semimortuo relictus sit. Ad se igitur reversus, caputque sanguinolentum manibus sustentans, sacerdotem arcessivit fortis athleta, et veniam peccatorum nactus, ac viatico refectus, inter populares supremum spiritum edidit. Sepultus est in silva, in veteri cœmeterio, non longe ab urbe dissito. Aliquot post annis, inclaruit ibidem alter Christiani nominis confessor, Petrus nomine, cum adhuc esset neophytus. Accidit nempe, ut Tartarorum dux Sih-Ali, tertio Cazaniam missus, indeque pulsus, Sviažscum urbem fuga petere coactus sit. Quem cum plures mercatores et milites sequi non valerent, a Cazanensibus crudeliter occisi sunt. Inter hos porro fuit Petrus noster; quem cum parentes ejus, Mahometi erroribus addicti, blandiendo et minando ad eosdem reducere frustra essent conati, judici tradiderunt, extremo supplicio damnandum. Sepultus est Petrus Cazaniæ in loco, quo nostra ætate ecclesia Resurrectionis exstat. Hactenus scriptores indigenæ.

Cfr. 1) Murav., Vitæ SS. ad h. d., pag. 435. 2) *Dict. hag.* pag. 117 *ed.* 1862.

DIES XXV.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria S. Gregorii Theologi. (*Ita omnes.*)

S. Isaiæ prophetæ (*Pp. cum Mg.*). S. Publii, mon. in Syria (*Menol. Prol. Kal. cum Mg. Sirm.*). S. Mari cantoris (*Men. Kal. Prol.*). S. Felicitatis et septem infantium ejus, Januarii, Felicis, Philippi, Silvani, Alexandri, Vitalis et Martialis (*Kal. Prol. cum Mg.*). Festum SS. Deiparæ Dolorum solutricis (*Kal.*).

† MM. Medulæ et soc. (*Mg.*). † Demetrii, sceuophylacis (*Mg.*). † Apollinis (*Mg.*). † Translatio Theodori Studitæ, Platonis, et Josephi archiep. Thessalonicæ (*Med.*). † MM. Juventini et Maximi, Antiochiæ (*Act. SS.*) [Auxentii, epirotæ, *Synax.*]

OBSERVANDA.

S. Gregorius.

S. Gregorius Nazianzenus commemoratur quidem hodie in quibusdam Martyrologis Latinis; coli tamen solet apud Latinos die IX Maji, quo nulla prorsus fit mentio ejus in codicibus Græco-

S. Isaias.

Slavicis. — Apud Maximum Cythereum et in Menæis Græcis anno 1595 excusis annuntiatur ***commemoratio S. Isaiæ prophetæ prope S. Laurentium CPoli***; quæ quam ob rem instituta sit, nescitur: omissa quoque est in eorumdem Menæorum editione Veneta anni 1843. —

S. Mares.

S. Mares, abbas in Syria, propter vocis claritatem et psallendi artem cantor dictus est; καλόφωνος ἦν... καὶ ψάλτης τέλειος ὑπάρχων, aiunt Menæa Græca. — Miratur Bollandus nusquam in Græcorum Menæis, Menologiis, aliisve fastis sacris SS. Juventii et Maximi exstare memoriam; idem silentium deprehenditur in Synaxariis Slavicis; ideo tamen noluimus eos prætermittere. Eorum acta ex homilia XL S. Joannis Chrysostomi exstant apud Bollandianos, ad hunc diem, pag. 109 et seq. — Beata Maria cognomento Dolorum Solutrix seu potius ***dolores meos extingue***, (sic enim sonat titulus), colitur hodie in ecclesia Mosquensi

S. Juventius.

B. V. Maria.

Auxentius. Mosquensi S. Nicolai Pupyšensis. — Anno Domini 1720, ut scriptor Græcus testatur, capite truncatus obiit Auxentius, annos triginta natus, natione Epirota. Juvenis venit CPolim, ubi in vitia præceps ruit; atque, coriarii conditione relicta, navali militiæ nomen dedit, dissolutis moribus, uti antea, vivens. A sociis Saracenis falso insimulatus quasi ad eorum sacra transiisset, præ timore CPolim clam aufugit; quæ res stimulus fuit ut peccata sua recogitarit eaque sanguinis effusione expiare secum statuerit. Quare ad priorem navim rediit; ubi illico opportunam invenit pro Christo moriendi occasionem; atque initio quidem crudelissime cæsus, dein capite plexus, voti compos factus est. Demortui corpus honorifice ab ipsomet patriarcha CPolitano sepultum fuit in ecclesia B. Virginis ad Fontem; caput vero deinceps in monasterium Xyropotamis in Monte Atho translatum, illic hodie etiam visitur. Hæc summatim ex auctore Græco, citato in opere periodico, cui titulus : *Spiritualia colloquia* (Duhovnaia beseda) tom. XIV, pag. 257 et seq.

Dies XXVI Januarii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Moyses Novgorodensis. Moyses, in baptismo Metrophanes, divitibus parentibus Novgorodiæ natus, cum, a puero Deum adamasset, in monasterium Iveriæ Otročense clam secessit; unde, postquam vitam monasticam edoctus esset, in cœnobium Novgorodense S. Georgii transiit, ibique hegumeni munere defunctus est, donec, mortuo archiepiscopo Davide, in ejus locum a S. Petro metropolita fuerit suffectus anno 1325. Verum quadriennio exacto, dignitatem suam abdicavit archipræsul, in monasterio Kolomensi piam quietem quæsiturus. Frustra autem speravit se ibi omnes vitæ dies victurum. Ecclesia enim pastore suo iterum orbata, nimirum morte Basilii ejus successoris, non potuit pedum archiepiscopale non resumere, a Novgorodensibus enixe rogatus. Sedem itaque denuo occupavit, eamque usque ad annum 1360 tenuit, multaque interea monasteria et templa erigenda curavit. Illo autem anno, tum quia inter ipsum et metropolitam Mosquæ, Petrum, discordia intercesserat, tum etiam quia mortem appropinquare sentiebat, sede iterum relicta, in cœnobium Skavorodense, quod ipse fundaverat, secessit. Obiit ibidem anno 1362, die 25 Januarii, nec nisi anno 1686 corpus ejus fuit levatum, atque, si auctoribus credamus, incolume repertum. Erat autem vir eruditionis non communis, sedulo venientes ad se erudiens, multorumque scriptorum, quæ adhuc exstant, auctor. Vitam ejus et officium conscripsit Pachomius Logotheta, hagiographus, quam aliis verbis regerit Muraviev (pag. 499); brevius autem attigerunt auctores modo nominandi.

Cfr. 1) Ambros., Hist. hier. Russ., tom. I, pag. 73. 2) Dict. hag. pag. 198. 3) Philar., Prospectus, nº 95.

DIES XXVI.

Ex Ostromirano. S. Polycarpi episcopi. S. Xenophontis, (Mariæ) uxoris, et duorum filiorum Arcadii et Joannis (*Ita fere omnes cum Neap.*).

Ex variis. Translatio S. Theodori Studitæ (*Og. Men. Kal. Prol. Hor. cum Msq.*). Et fratris ejus Josephi Solunici (*Iidem*). S. Simeonis senioris, anachoretæ (*Prol. Kal. cum Sirm. Flor. Mg.*). SS. Martyrum Ananiæ presb. et Petri clavigeri cum septem militibus (*Men. Prol. Kal. cum Mg.*). Memoria magni terræ motus (*Prol. cum Bas. Med. Flor. Nan. Mg.*).

† MM. Asterii et sociorum (*Flor.*). † Ammoniæ (*Mg. Sib.*). † Gabrielis,abb. Hierosolymis (*Mg. Sib.*). † Duorum MM. in Phrygia (*Mg. Sib.*). † Paulæ, vid. (*Italg.*). † Davidis regis (*Iber.*).

OBSERVANDA.

S. Polycarpus. De S. Polycarpo, episcopo Smyrnensi, agunt omnia Synaxaria Græca et Slavica ad xxiii Februarii; at in Martyrologio Romano commemoratio fit hodie, non secus ac in Ostromirano: quod omnino notandum est. Hinc enim conjici potest præluxisse Kalendario Ostromirano aliquod exemplar Romanum. — Refertur S. Xenophon ab omnibus præter Florent. qui agit de eo die trigesimo. — Hodie recolitur translatio reliquiarum S. Theodori Studitæ ex Chersoneso Acritensi CPolim una cum venerandis exuviis S. Platonis, ejus nepotis, et S. Josephi, metropolitæ Thessalonicensis, ejus fratris. Facta est anno 845, tempore S. Methodii patriarchæ CPolitani. Proprium S. Theodori festum agitur xi Novembris; S. Platonis vero quinta Aprilis; S. Josephi Thessalonicensis hodie. — In Menæis Gr. Simeon Senior omissus est in titulo, verum in disticho diserte vocatur Priscus :

S. Xenophon.

S. Theodorus Studita.

S. Joseph.

S. Simeon Senior.

Τον οὐν παλαιὲ Συμεὼν, ἀπεξύσω,
Ἐχθροῦ παλαιοῦ λεπτύνας εἰς χοῦν κάραν,

id est *Pulverem, prisce Simeon, tergis, Hostisque prisci conteris terra caput.* Cfr Acta SS. — De S. Anania presbytero et martyre melius agetur die sequenti. — Accidit anno 247 CPoli temporibus Theodosii Junioris terræ motus, de quo hic sermo. — S. Asterii socii sunt Claudius, Neon et Neonilla, de quibus alii agunt die sequenti. — De S. Paula vidua Romana, videsis Acta Sanctorum, p. 711. — Inter Sanctos, qui Iberorum Ecclesiam olim virtutum fama, rempublicam vero victoriarum gloria illustrarunt, nullus profecto invenitur qui Davidi regi, cognomento Instauratori, possit æquiparari. Dolendum itaque quod magni hujus sanctique principis Vita, quam fusiori calamo exaravit Antonius, Ikaltiensis monasterii monachus, ejusque in via spiritus magister et dux, hactenus deperdita sit; ut nobis pauca tantummodo, illinc in annales Georgiæ illata, liceat proponere. Juvenis itaque annorum sedecim erat David, Georgii II filius unicus, quando anno 1098 gravissimam coronam accepit. Erat enim Karthaliæ facies horrenda visu : foris bella et incursiones, intus dissidia et gemitus luctuosissimi; omnia vastata et deserto simillima. Imprimis igitur, domito Liparide Orbeliano, bellorum civilium auctore præcipuo, ad majora certamina contra Turcas gentis dominatores, sese paravit, atque ut Hierosolymam a Francorum copiis captam esse audivit, odiosum Turcarum jugum illico dejecit, annui tributi solutione negata. Interea, mortuo Gabriele

S. Asterius et Socii.

S. Paula.

S. David III rex Iberiæ.

S. Ananias.

Terræ motus.

Dies XXVII et XXVIII Januarii.

Gabriele patriarcha, qui *catholicos* apud Iberos vocari solet, et in ejus locum electo Joanne III, concilium cogendum curavit Mtskheti, (nomen est civitatis regiæ antiquioris), quo morum corruptelæ remedium afferretur. Concilii statuta columnæ lapideæ in templo Mtskhetensi erectæ fuerunt insculpta, et pax Ecclesiæ reddita, quam insignis victoriæ mox subsecutæ sunt, Kachktia et Gandža Iberorum imperio subjecta. Corporis non minus ac animi magnitudine super cæteros eminebat David, in bello insuper fortissimus, domi vero piis exercitiis deditus, præsertim autem sacrorum codicum lectioni, quam etiam in itineribus intermittebat nunquam. Pietatem ejus erga S. Georgium, insignem totius Georgiæ patronum, et erga sanctissimam virginem Mariam, suam in bellis contra Turcas auxiliatricem, testatur templum in honorem Deiparæ Gelati in finibus Imeretiæ erectum, ac ejus imagine miraculosa tropheisque bellicis ope ejusdem, ut putabat, comparatis, ornatissimum. Ecclesiæ addidit monasterium et nosocomium, quod invisebat sæpius, ægrotis ipsemet inserviens, et caritatis documenta præbens eximia. Enituit quoque in eo justitiæ et continentiæ amor, et munificentia erga Dei domos vere regia, in pauperes vero liberalitas tanta, ut infelicem se diceret si quo die marsupium auro plenum non omnino vacuum domum referret. Anno regni sui vigesimo, cum Meleko sultano, Trialetiam, Iberiæ provinciam, cum ducentis bellatorum millibus invadente, signa commisit, hostemque in fugam vertit, quamvis plus quinque millia militum non habuerit; atque spoliis onustus rediit ad sua. Qua victoria de hostibus reportata, a diuturno Turcarum jugo patriam liberavit; tantamque gloriam sibi comparavit, ut dignus inventus sit cujus filiam uxorem duceret Græcorum imperator, Alexius Commenus, religionis catholicæ zelo et devotione erga Romanam sedem notissimus. Ut autem futuris Turcarum invasionibus viam præcluderet, cum Kipčacensi gente finitima, cis Caucasum degente, fœdus pepigit, illudque matrimonio cum Golinducha Kipčacensis principis filia firmavit, accepto simul castello Darial munitissimo; dataque genti facultate in Iberiam immigrandi. Quo factum est, ut dum Kipčacenses quadragies mille ad bellandum contra Turcas semper haberet paratos, eosdem colonos ab idolorum cultu ad veram religionem traducendi nactus sit occasionem peropportunam. Horum ope Turcomanos ubicumque e regionis suæ finibus profligans, tandem anno 1121 immensam cladem eis intulit, Trialetiam iterum invadentibus; anno vero sequenti Tiphlisiam, quæ ab annis quadringentis sub Turcarum jugo gemebat, cepit, ibique sedem suam figit. Mox Persarum rege devicto, sine ullo suorum detrimento, Chirvani regione potitus est, totoque littore maris Caspii; destructis quoque Derbenti portis ferreis, quarum fragmenta sepulcrum ejus hodiedum exornant. Ad hæc, Armeniæ australis civitatem principem, Ani dictam, suæ potestati subjecit, ibique secundo concilio adfuit, quod Joanne III præside contra Armenorum errores celebratum est, fructu nullo. Tandem dum pace Iberia frueretur, tot tantisque laboribus exantlatis, ad æternam requiem transiit in monasterio Gelatiensi quod ipse fundaverat, anno regni sui trigesimo quarto, vitæ quinquagesimo quarto, postquam imperii habenas, admodum dilatati, commisisset filio suo Demetrio. Conditus est in ecclesia ejusdem monasterii, in ipso introitu, ubi sequens legitur inscriptio, lapidi tumulari insculpta : « *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo quoniam elegi eam.* » (Ps. CXXXI, 14.) Ejus memoriam recolunt Iberi die Januarii XXVI, si fides habeatur Muravievio, qui tamen eum XXVI obiisse disertis verbis dicit in Vita, quam ex Chronico Wachtangi exscripsit, quibusdam ex incerto traditionis fonte adjectis. — Cfr Wachtang, Chronicon Iberiæ, cit. apud Murav. Wakhoucht, Descript. Géogr. de la Géorgie, p. 125, 359.

DIES XXVII.

Ex Ostromirano. Memoria reliquiarum S. Joannis Chrysostomi. (*Ita omnes.*) Et SS. Ananiæ, Petri et septem aliorum (*Rum. et Assem. cum Bas. Flor. Med. Sirm.*).

Ex variis. Translatio reliquiarum fratrum Chilandariensium (*Chil.*).

† MM. Claudii, Asterii, Neonis, Neonillæ (*Sirm. Flor.*). † Marcianæ, imperatricis (*Sirm. Mg.*). † Petri Ægyptii (*Mg.*). † Claudini (*Sirm. Mg.*). † Simeonis Prisci (*Flor. Med.*). Omnium defunctorum (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. J. Chrysostomus. *S. Ananias.* *Monachi Chil.* *Omnes defuncti.* De hoc die et aliis sancto Doctori sacris, videsis Acta SS., pag. 760, et Sept. t. IV, p. 691. — De Anania martyre et sociis agitur, ad diem præcedentem, in Menæis, Prologo et apud Veršinskium; verum in antiquioribus, Rumiantsoviano et Assemaniano, quemadmodum et in Menologio Basilii, ad diem præsentem. (Act. SS., Febr. III, p. 490.) — Translatio fratrum Chilandariensium annotata est manu recentiori in Typico Chilandariensi manuscripto bibl. Berolinensis. — In Menæis Græcis excusis legitur ad calcem : *Eadem die sabbato carniprivii, memoria omnium dormientium.* — In Menæis Græcis Sirmondi manuscriptis S. Marciana jungitur cum S. Claudino; at in excusis refertur seorsim et apostolis æquiparatur, accedente sequenti disticho : *S. Marciana.*

Τὴν βασίλισσαν Μαρκιανὴν ἐκ βίου,
Χριστὸς βασιλεὺς ἐξάγει βασιλέων.

reginam Marcianam e vita educit Christus rex regum. Dicitur insuper obiisse in pace, quemadmodum et S. Claudianus.

DIES XXVIII.

Ex Ostromirano. Memoria venerabilis Ephræmi. (*Ita omnes.*)

Ex variis. [Translatio reliquiarum S. Ignatii (*Mst.*)]. Venerabilis Palladii, eremitæ (*Prol. Men. Kal. cum Mg. Med. Flor. Sirm.*). Venerabilis Ephræmi, eunuchi, episcopi Perejaslaviæ (*Men. Kal. Hag.*). S. Ephræmi, archimandritæ monasterii SS. Borisi et Glebi (*Men. Prol. Kal.*). [Theodosii hegum. Totmensis (*Men. Prol. Kal.*)].

† Jacobi, mon. (*Mg. Med. Flor.*). † Duarum MM., matris et filiæ (*Mg.*). † Charitis, m. (*Mg.*). † Cyrilli, patr. Alexandrini (*Sib. Itg.*). † Marcianæ, imper. (*Med. Flor.*).

Mirari

OBSERVANDA.

S. Ignatius martyr.

Mirari subit, in Kal. Mstislavico excuso signari hac die *Translationem reliquiarum S. Ignatii*, prætermisso S. Ephræmo. Id typothetæ errore factum esse liquet ex iis, quæ ibidem immediate subduntur ex cod. Ostromirano, nempe : *Eadem die memoria ven. Jacobi, reclusi.* Porro in Ostromirano Evangelio memoria Jacobi, reclusi, certo certius ponitur ad diem XXIX, post commemorationem S. Ignatii, die vero XXVIII expresse agitur de S. Ephræmo. Nec facile dabitur tantum sanctum in codice Mst. fuisse omissum, præsertim cum ipsemet Nevostrujev, hujus Kalendarii editor doctissimus, asserat, referri ibi omnes anni dies, præter 23 octobris. Retulimus tamen lectionem cod. Mstislavici, prout jacet in editione academiæ Petropolitanæ. Quod eadem die veniunt plures Ephræmi nil mirum. Baronius, in observationibus ad Martyrologium Rom. die XII Februarii, quo tres sanctos *Modestos* retulit : *Tot sanctorum*, ait, *ejusdem nominis sub una die coacervationem ea de causa a majoribus aliquando factam animadvertimus, quod natalis alicujus martyris dies incertus esset; ut est exemplum de S. Columba Cordubensi, cujus quum diu natalis dies latuit, eadem die, qua agitur solemnitas Columbæ Senonensis, ejus commemoratio celebrari consuevit. Imo*, teste Mazochio, *est hoc perpetuum in Martyrologiis, ut sancti cognomines uno eodemque die coacervati millies reperiantur.* Reperiuntur autem in unum locum ita coacti maxime illi, quorum dies emortualis nesciretur. (Cfr In vetus marmor. Neapol. Kalendarium commentar., ad XVIII Januarii, pag. 15). Qui Latinorum usus invaluit quoque apud Græcos, quibus nil solemnius est quam sanctos cognomines eadem die collocare, quemadmodum id manifestum reddit præsentis diei laterculus, tres Ephræmos socians, solo nomine junctos. Ephræm Perejaslaviensis prætermissus est in Prologo Mosquensi, æque ac Theodosius Ternobiensis. De utroque plura dicentur in *Memoriis Slavicis*, quemadmodum et de Ephræmo Novotorgensi et de Theodosio Totmensi, cui additus est a nobis alter, Ternobo oriundus.

S. Ephræm Perejaslaviæ.

— S. Cyrillus Alexandrinus colitur a Græcis XVIII Januarii una cum S. Athanasio; et iterum solus die IX Junii, qua putant eum esse mortuum. Apud Latinos autem celebratur præsenti die, quo eum obiisse censent : qua de re fuse disserit Assemanus, Kal., tom. VI, p. 90, et Papebrochius in Actis SS. ad hunc diem.

S. Cyrillus Alexandrinus

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Ephræm Perejaslaviensis.

Ephræm, cognomento Eunuchus, genere Russus, ab episcopo ejusdem nominis et ævi Suzdaliensi, aut ab Hilarione metropolita, quocum perperam a quibusdam confunditur, omnino distinguendus est. An autem discernendus sit etiam ab Ephræmo, metropolita Kioviensi, ejus coævo, negatur fere ab omnibus, quotquot hanc quæstionem tractarunt hucusque, uno tantum, quod sciam, dempto. Nobis communem auctorum sententiam præplacuit amplecti, alio loco, Deo dante, serio exagitandam. Igitur Ephræm, ex aulicis magni ducis Jaroslai monachus Cryptensis factus, postquam aliquantum temporis cum S. Antonio in eadem crypta fuisset versatus, accepta ejus benedictione, Constantinopolim profectus est ibidemque in quodam monasterio mansit. Regulam monasterii Studii transcripsit, a B. Theodosio rogatus; qui eam in Kioviense cœnobium primus omnium invexit; unde per universam Russiam propagata est. Quæ Regula B. Theodori Studitæ non ita pridem ab Eminentissimo Cardinali A. Mai in Nova Bibliotheca Patrum græce vulgata est. In patriam redux, cryptam suam repetiit, ibique degit, donec ad cathedram Perejaslaviensem, a morte Petri, episcopi, ordine secundi, vacuam, evectus fuerit inter annos 1079 et 1089. Erat autem Perejaslavia, urbs Kioviæ proxima, olimque metropolitarum Kioviensium sedes ad annum 1054, quo illi simul cum sede sua metropolitana jura Kioviam transtulerunt; Perejeslaviam vero novæ diœceseos effecerunt caput, vicarii metropolitani titulo ejusdem episcopis affixo. Porro cum ædes Perejaslaviæ metropolitana, quam S. Michaeli archangelo sacram fecerat primus Ecclesiæ Kioviensis metropolita, nomine Michael, a nobis ad diem trigesimam Septembris laudandus, pro vetustate dilaberetur, eam de novo e lapidibus exstruendam curavit Ephræm, et baptisterium addidit, Constantinopolitano S. Sophiæ non absimile, adjectis etiam duobus sacellis, quorum alterum S. Theodoro Studitæ, alterum S. Andreæ, Russiæ apostolo, dicatum est. Quam forte ob causam metropolita Perejaslaviensis dictus est ab annalista. Mortuo Joanne metropolita, hujus nominis secundo, in ejus loco subrogatur Ephræm anno 1089; et licet Ecclesiam Kioviensem, ut quibusdam placet, vicaria potestate administrasset, tamen nonnisi anno 1092 ad dignitatem metropolitanam, ut accurate loquamur, evectus est; unde factum, ut vulgo episcopus Perejaslaviensis nuncupetur. Rexit Ecclesiam Kioviensem annos quinque, festumque translationis S. Nicolai, Myris Barum vecti, quod Urbanus II anno 1089 ad diem nonam Maji statuerat, eadem die in Russia instituit celebrandum; unde egregium habes argumentum, sanctum hunc metropolitam sedi apostolicæ obedientissimum vixisse. Alia etiam pietatis et zeli dedit documenta, miraculorumque dono in vita et post mortem a Deo ornatus fuisse traditur. Obiit anno 1097, conditus in crypta Antonii, ubi etiamnum asservatur. Placet hic, pro coronide, subdere seriem chronologicam episcoporum Perejaslaviæ, quorum e numero fuit Ephræm. Sunt autem sequentes : 1) Nicolaus (ann. 1054). 2) Petrus (circa ann. 1072). 3) Ephræm, de quo supra. 4) Lazarus. 5) Sylvester. 6) Joannes. 7) Marcus seu Marcellus, (defunctus anno 1134). 8) Macarius (ab anno 1134 ad 1141). 9) Euthymius. 10) Basilius (dubius). 11) Antonius; (in diptychis ponitur nono loco). 12) Paulus (ab anno 1198). 13) Simeon a Tartaris occisus anno 1237. 14) Theodorus, ordine ultimus : eo mortuo finem accepit quoque diœcesis Perejaslaviensis, nonnisi anno 1701 instaurata.

Cfr 1) Vita S. Theodosii, auctore Nestore. 2) Patericon, fol. 120 verso et seqq. 3) Kulcinii, Specimen eccl. Ruthen, pag. 114. 4) Diction. hag., pag. 110. 5) Macarii, Hist. eccl. Russ, II, pag. 9 et 192. 6) Philaret., Hist. eccl. Russ. I, pag. 127. 7) Maximovič, de antiqua diœcesi Prerejaslaviensi, in opere periodico Prolegom. Mosqu., 1858, t. IV. 8) Menæa et Prolog. ad hunc diem. 9) Karamzin, t. II, pag. 104.

DIES XXVIII JANUARII. *Ephraem Novotorgensis.*

Eadem die colitur Ephræm, monasterii Novotorgensis SS. Borisi et Glebi archimandrita; qui, Hungaria oriundus, olim sanctis ducibus Boriso et Glebo ministraverat simul cum fratre suo Georgio, martyrii palmam una cum heris suis adepto. His igitur martyrio peremptis anno 1015, abiit Ephræm in regionem urbi Toržok seu Novyj Toržok proximam, ibique hospitium ad dexteram ripam Tvertsæ fluvii ædificavit, simul et ecclesiam erexit SS. martyribus Boriso et Glebo dicatam, addito etiam monasteriolo, quod ipsemet regendum suscepit. Obiit sæculo XI, die 28 Januarii, anno incerto. Corpus ejus integrum repertum esse anno 1572 tradunt scriptores indigenæ.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 109. 2) Menol. Verš. ad h. d. 3) Menæa ad h. d. 4) Muravicv., pag. 483 et seq.

Theodosius Ternobiensis.

Quamvis nomen Theodosii Ternobiensis in synaxariis nullibi reperiatur inscriptum, eum tamen ob allatam supra rationem ponimus hodie simul cum Theodosio Totmensi : quæ autem de eo hic damus, ea desumpta sunt maximam partem ex Vita Theodosii, auctore Callisto, patriarcha Constantinopolitano, ejus coævo, sæculi scilicet XIV. Theodosius porro, natione Bulgarus, natalem urbem reliquit insciis parentibus, et in monasterium S. Nicolai Vidinense, Arčar dictum, sese abdidit. Amanter ibi receptus ab hegumeno Jobo, et monastico habitu decoratus, brevi virtutibus omnibus religiosi viri præ cæteris fratribus enituit, præsertim vero humili obedientia. Postquam autem multum temporis in his exercendis consumpsisset, parentibus orbatus, ad meliora charismata sese extendens, Ternobum, Bulgariæ caput, abiit, atque cœnobium B. M. Virginis, quod vulgo *Mons Sanctus* nuncupatur, ingressus est. Illic tamen non diu mansit Theodosius; sed in aliud, Crevense dictum, transiit; quo etiam mox relicto, in montem Slivensem, perrexit, ibique plures annos degit inter monachos B. M. V. Epikernevianæ, omnibus carus et amabilis. Verum neque tum votorum suorum compos factus est, quod virum, qui eum in via spiritus dirigeret, inter Bulgaros monachos invenire non potuit. Quapropter simul ac audivit multa præclara dici de Gregorio quodam, cognomento Sinaita, qui in loco Paraoria, (mons iste in Vita Gregorii, auctore patriarcha Callisto, *Latens* (*Skrytny*) vocatur,) in finibus Græciæ et Bulgariæ commorabatur, continuo ad virum Dei properavit, fratribus relictis. Erat Gregorius Sinaita inter omnes temporis sui monachos Montis Atho doctrina et virtute longe præstantissimus pluribusque discipulis in utraque palæstra magister apud suos celebratissimus. Horum notiores fuerunt Gerasimus, Josephus, Nicolaus, Marcus, Jacobus, Aaron et Clemens, quorum gesta in vita Gregorii Sinaitæ magistri fusius enarrantur. Venerat porro Gregorius iste in Paraoriam e Monte Atho, fugiens ab Agarenis, qui tunc universam Græciam vastabant. Verum cum Paraoria quoque infestaretur a latronibus, missus est Theodosius a magistro suo ad Alexandrum, Bulgariæ regem, rogaturus ut regionem istam (ipsi enim erat subjecta) ab inimicorum incursionibus liberaret, monachisque divinis rebus vacandi facultatem redderet securam. Annuit libenter petitioni rex piëntissimus; quin et cœnobium extruxit propriis expensis, illudque omnibus rebus necessariis munivit, reditibusque dotavit, adjectis pluribus vicis et lacu quodam piscoso. Redux in monasterium, Theodosius licentiam ab hegumeno petiit obtinuitque in cella solitaria Deo soli impensius vacandi. Interea, novis monasterii necessitatibus exortis, iterum mittitur ad Alexandrum in urbem regiam, unde socium adduxit, nomine Romanum. Mortuo autem Gregorio in ejus locum eligitur Theodosius unanimi fratrum consensu. Quam electionem cum ægerrime ferret, paulo post, relicto cœnobio, complura monasteria invisit, Romano socio; adiit itaque Slivnum, Montem Atho, CPolim, Mesembriam, ac tandem in monte Kiliphario, procul longe a Ternobo dissito, sedem fixit, annuente Alexandro rege, et advenientibus undique sociis circiter quinquaginta; quos inter Dionysius quidam mira virtutum fama inclaruisse narratur. Exortas hæreses Massaliensium seu Bogomilorum, Adamitarum et Judaizantium strenue oppugnavit, illudque a patriarcha, viro alioquin simplici, obtinuit, ut, concilio coacto, hæresum fautores publica condemnatione plecterentur, pœnasque luerent condignas. Celebratum autem est concilium contra Adamitas, anno salutis 1360, præsidente patriarcha Theodosio, et errores impurissimi profligati. Crevit igitur Theodosii hegumeni fama, sociosque pene innumeros ad eum attraxit. At cum Agareni totam Macedoniam iterum vastarent, in locum accessu perdifficilem, utpote summis in rupibus positum, sese cum sociis abdidit. Tandem post trienniales varios labores, gravi morbo correptus, ubi audivit patriarcham Callistum e Serbia CPolim rediisse, illico statuit in urbem regiam proficisci. Quare, Romano in successorem suis fratribus relicto, navem ascendit, appulitque CPolim, ibique non multo post pie obiisse dicitur annis onustus. Ejus corpus honorifice sepultum est in S. Mamantis æde a patriarcha Callisto, qui etiam Theodosii vitam, ut diximus, exaravit, rogatus a Concilio CPolitano et universo clero. Hinc forsitan factum est, ut Theodosii memoria, apud Græcos celebrata, Bulgaris parum innotuerit, ac non nisi in monasterio ab ipsomet condito publice colatur.

Cfr 1) Vita S. Theodosii Ternobiensis, auctore patr. Callisto, ed. in Prolegomenis Mosq., an. 1860, t. I, sect. III, pag. 1 et seq. 2) Vita Gregorii Sinaitæ, auctore eodem patriarcha, in Paterico Montis Atho, t. I, pag. 348 et seq.

Theodosius Totmensis.

Theodosius Totmensis lucem aspexit Vologdæ, ubi et monachi vestem induit in monasterio SS. Salvatoris, a S. Demetrio Prilucensi fundato. Mox, monasterii salinis præpositus, quod Totmæ possidebant fratres, ibidem monasterium instituit anno 1554; quod dum regeret, immunitatibus et privilegiis, a rege impetratis, nec non et prædiis ditavit, quemadmodum ejus fert testamentum, propria manu exaratum. Obiit Theodosius

sius anno 1568, die 28 januarii, lacrymarum dono conspicuus atque etiam, ut fertur, miraculorum. Conditus est in monasterio Sumoriano. Coli cœpit anno 1720; sed anno 1798 in Sanctorum Russiæ album a Synodo imperatoria illatus est. Habet officium proprium. DIES XXIX ET XXX JANUARII.

Cfr 1) Prol. et Menæa ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 284. 3) Murav., Vitæ SS. ad h. d., pag. 497 et seq.

DIES XXIX.

Ex Ostromirano. MEMORIA IGNATII DEIFERI (*Omnes cum Bas. Sirm. Maz. Mg Neap. Hier. GP. Vind, Med. Flor. et cæt.*) VENERABILIS JACOBI RECLUSI (*Med.*)

Ex variis. SS. septem MM. Samosatenorum Romani, Jacobi, Philothei, Yperichii, Abibi, Juliani et Parigorii, (*Prol. cum Med. Mg. Sirm.*). SS. MM. Silvani episcopi, Lucæ diaconi et Mocii lectoris, Amisi (*Men. Prol. Kal. cum Mg.*). S. Laurentii, reclusi cryptensis (*Men. Pat. Kal.*). S. Aphrati, anachoretæ (*Hor. cum Mg. Med. Sirm.*).

† MM. Tathuelis, Sarbeli et Babeæ sororis (*Bas. Meg. Maz.*). † Barsimæi, ep. Edesseni et mar. (*Meg. Maz.*). † Zosimi, papæ (*Italg.*). † Hippolyti, papæ (*Med.*)

OBSERVANDA.

S. Ignatius. Consentiunt cum Ostromirano synaxaria universa, sive Slavica sive Græca, excepto codice Mstislavico excuso, qui Translationem S. Ignatii (de hac enim agitur hodie) consignat die præcedenti, hodie vero vacat. Id typographi Petropolitani oscitantiæ potius quam ipsimet codici manuscripto tribuendum, observavimus supra. Martyris hujus memoriam agi apud Latinos Kalendis Februarii, norunt omnes. Imo in Actis SS. Febr. I, pag. 13, plures dies referuntur S. Ignatio sacri, solo XXIX excepto. Notandus est dies XXXI Januarii, qui in Kalendariis quibusdam Belgicis sicut etiam in Martyrologio Trevirensi S. Martini occurrit, S. Ignatio probabiliter ideo sacer, quia Kalendis Februarii præcipuum cultum obtinebat in istis ecclesiis alius aliquis sanctus. Eadem ratio valere videtur pro die XXIX. Natalem diem S. Ignatii agunt Græci et Rutheni die XX Decembris, quo Latini commemorant corporis ejus translationem. — De S. Jacobo recluso seu Exercitatore, quem distinguas a Jacobo martyre in Palæstina, agitur in Menæis Græcis et in Actis SS. ad diem præcedentem; in Slavicis vero ad IV Martii; et X Octobr. in Menologio Basilii. — Refertur S. Barsimæus hodie et die sequenti; hodie scilicet cum SS. Sarbelo et Babæa, aliis Barbea aut Bebæa, quos sacro baptismate donaverat; cras ob cultum peculiarem. — Apud Latinos colitur S. Aphraates VII Aprilis, qua et vitam sancti hujus anachoretæ exhibent Acta SS. p. 664, auctore Theodoreto, ep. Cyri. *S. Jacobus.* *S. Barsimæus.* *S. Aphraates.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Laurentius Kievocryptensis. Laurentius vir fuit insignis, qui floruit sæculo undecimo. Quo perfectius Deo serviret, exiguæ cellæ sese includere statuerat; verum cæteris fratribus quominus id faceret prohibentibus, ad monasterium Kioviense S. Demetrii, annuente hegumeno, transiit; ubi voti compos factus et parvam cellam adeptus, in jejuniis et orationibus diu satis perseveravit. Tum ad cryptas Antonii redux, ibidem extremam diem obiit anno salutis 1200, in provecta senectute, virtutum corona et dono sanandi morbos ornatus. Ejus exuviæ in eadem crypta hucusque quiescere dicuntur.

Cfr 1) Kulc., Specim. pag. 4. 2) Prolog. et Menol. ex Paterico ad h. d. 3) Dict. hag. pag. 164. 4) Menol. Verš. ad h. d.

DIES XXX.

Ex Ostromirano. INVENTIO RELIQUIARUM VENERANDARUM S. CLEMENTIS PAPÆ ROMANI, QUARTI POST APOSTOLUM PETRUM (*Ass.*).

Ex variis. Passio S. Hippolyti papæ (*Cæteri omnes cum Hier. GP. Vind. Nan. Msq.*). SS. MM. Censorini, Sabini seu Sabaïni, Auræ seu Chryses et aliorum, sociorum S. Hippolyti (*Men. Prol. Kal. cum Bas.*). SS. trium antistitum Gregorii, Basilii et Joannis Chrysostomi (*Chil. Og. Men. Prol. Kal. cum Mg.*). S. Theophili Novi, martyris (*Men. Kal. Prol. cum Mg. Flor. Med. Sirm.*). V. P. Zenonis (*Men. Pr. Kal.*). [Theodori Gabroviensis (*Ath.*)]. Petri, regis Bulgari (*Prol. ms.*).

† Cyri et Joannis (*Pg. Goth. Msq. Sirl.*). † Xenophontis mar. et soc. (*Flor. Msq.*). † MM. Felicis, Maximi, Herculini, Venerii, Styracini, Mennæ, Commodi, Hermi, Mauri, Eusebii, Rustici, Monagrii, Amandini, Olympii, Cypri, Theodori, Tribuni, Maximi, presb., Archelai, diac., Cyriaci, ep. et Sabaïni (*Mg. Sirm. Med.*). † Barsimæi, ep. Edessæ et mart. (*Bas. Mg. Med.*). † Sarbili (*Med. Sirm.*). † Barši, ep. Edes. (*Sib.*). † Triphænæ mart., Victorini et trium virginum (*Sirm.*). † MM. Theodori et Theophanis fratrum (*Italg.*). † Theodulæ, mart. (*Flor.*).

OBSERVANDA.

S. Clemens, Papa. Festivitatem S. Clementis papæ, notatu dignissimam, silentio prætereunt Menæa Græca et Slavica, excepto solo Assemaniano glagolitico. De S. Clementis translatione Chersona Romam firmum testimonium habetur in Epistola Anastasii Bibliothecarii ad Carolum regem: *Vir magnus*, inquit, *et apostolicæ vitæ præceptor Constantinus philosophus* (qui et Cyrillus) *Romam sub venerabilis*

DIES XXXI JANUARII.

memoriæ Adriano juniore papa venit, S. Clementis corpus sedi suæ restituit. Hæc Anastasius, testis oculatus. Eadem tradit Baronius in Martyrologio suo ad 23 Novembris. Translationis hujus historiam primus omnium vulgavit Henschenius in Actis Sanctorum in vita SS. Cyrilli et Methodii, ad nonam Martii (t. II, p. 12 et seq.). Certum est autem ex annalibus Russorum, manum S. Clementis papæ, Kioviam delatam fuisse S. Vladimiro rege, et capiti Clementis, Metropolitæ Kioviensis anno 1146 electi, in signum consecrationis impositam. Igitur, codice Ostromirano et Assemaniano teste, apud Slavos ritus græci translatio hæc paulo post S. Cyrilli ejusque fratris Methodii episcopi obitum fuit celebrata, uti jam pridem observavit Assemanus (VI, p. 111). — De SS. Cyro et Joanne agemus opportunius die sequenti. — Petrus, rex Bulgariæ, commemoratur ad hanc diem in duobus Prologis mss. sæculi XII, alias ad diem XXV Novembris, quo fit memoria S. Petri, patr. Alexandrini, et S. Clementis, Papæ Romani. Jam quæritur, uter sit ille Petrus, cum constet duos reges cognomines præfuisse Bulgariæ : alii enim volunt designari Petrum primum, Simeonis filium et Bulgariæ regem ab anno 927 ad annum 967, alii Petrum secundum, qui rexit Bulgariam ab anno 1186 ad 1189. In posteriorem sententiam propendit clar. Vostokov (Codd. mss. Musæi Rumiantsoviani, pag. 449); prior tamen omnino præplacet, ut explicabimus in Memoriis Slavicis ad 25 Novembris. Vitam Petri, quicumque demum ille fuerit, a Theophylacto, archiep. Bulgariæ et hagiographo celeberrimo, conscriptam, reperiri in Bibl. Ambrosiana auctor est Montfauconius (Bibl. t. I, pag. 305). Ubi notandum est, duos Theophylactos Ecclesiæ Bulgariæ archiepiscopos fuisse, quorum alter tempore S. Ignatii, alter sæculo XIII floruit, et scripta plurima posteris reliquit. Petri Bulgari nomen in nullo synaxario vidi. — S. Hippolytus perperam vocatur *papa romanus* in Menæis Græcis, Prologo Mosq. aliisque synaxariis passim. In Horologio Počajovensi recte : *S. Hieromartyris Hyppoliti, ep. Portus Romani seu Portuensis. Papa* quoque nominatur in Menol. Basilii, die præcedenti, at sine titulo *Romani*; quæ vox lato sensu sumenda est, quo nempe significetur episcopus. Verum volent forte nonnulli *papæ romani* titulum ortum fuisse quod sanctus martyr antipapa fuerit, oppositus S. Callisto; eum quippe auctorem esse Philosophoumenωn ; postea martyrio errata sua resarcivisse, etc. Sed hæc controversia longior est quam ut hic exponatur. Sunt et alii errores, ex eodem Menologio Græcorum in Slavicos codices derivati, quos emendare hic non est locus. In Mart. Rom. celebratur S. Hippolytus, Portuensis episcop., die 22 Augusti; qui vero hodie ponitur, non Portuensis episcopus est, sed presbyter Antiochiæ passus; S. Chryse, die 24, reliqui Socii die 23 ejusdem mensis. — De S. Barsimæo martyre agunt Menæa Græca ad diem XXIX, Romana vero Martyrologia hodie. — Hodie quoque refertur S. Sarbilus in Mediol. et Sirmondianis Menæis Græcis; quem loco S. Barsimæi scriptum esse arbitratus est Papebrochius. — S. Barsus vel Barses, episcopus Edessæ, minime confundendus cum Barsimæo, nominatur hodie in Martyrologio Romano et Menologio Canisii; vulgo tamen refertur apud Græcos die XXVIII Februarii et XV Octobris. — De S. Triphæna, Victorino et tribus virginibus, nempe filiabus S. Athanasiæ, agit solus Sirletus. — *Theodori et Theophanis dies natalis*, teste martyrologio Basilianorum Italo-Græcorum, *fuit sexto Kalendas Januarii,* seu XXVII Decembris; quem vide, si lubet. — Quæ initio hujus mensis de Onuphrio Gabroviensi dicta sunt, ea saltem ex parte huic quoque Theodoro conveniunt cæterisque omnibus simili mortis compendio peremptis. Erat Theodorus Mytilene oriundus, ac vinculo matrimonii obstrictus. Cum autem contigisset illi, ira abrepto, fidem negare, facti pœnitens, Montem Athum petiit, atque solita pœnitentia peracta, in patriam rediit ibique volens lubensque coram judice Saraceno se sistit, Christum profitetur, mortisque damnatus suspendio vitam absolvit anno 1784. Corpus ejus in mare projectum, ac deinde littori redditum in ecclesia S. Joannis Baptistæ condiderunt christiani; quod tamen mox iterum quærentes nullatenus potuerunt reperire; ut hodiedum ubinam lateat, ignoretur. Quæ res fabulis forte magis abundat quam miraculis. Cfr Νέον μαρτυρολόγιον, citat. in Paterico Montis Atho tom. II, pag. 212.

SS. Cyrus et Joannes.

Petrus rex Bulgariæ.

S. Hippolytus.

S. Barsimæus.

S. Sarbilus.

S. Barsus.

S. Triphæna.

SS. Theodorus et Theophanes

Theodorus Gabroviensis.

DIES XXXI.

Ex Ostromirano.
Ex variis

MEMORIA SS. MARTYRUM ABBA CYRI ET JOANNIS (*Omnes*).

S. Athanasiæ, martyris et trium filiarum ejus Theodosiæ, Theoctistæ et Eudoxiæ (*Pap. Men. Prol. Kal. cum Med. Mg.*). SS. Victorini, Victoris, Nicephori, Claudii, Diodori, Serapionis et Papiæ, martyrum Corinthi (*Prol. Men. Kal. cum Bas. Sirm. Max. Med. Mg.*). S. Tryphænæ, mr. (*Prol. Men. Kal. cum Sirm. Max. Med. Mg. Italg.*). Nicetæ, episc. Novogorodensis (*Pat. Prol. Men. Kal. Kiov.*). [Eliæ Ardunis (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

SS. Cyrus et Joannes.

Celeberrimi hi martyres cognomento Anargyri passim coluntur hodie a Græcis et Slavis æque ac a Latinis, quamvis in quibusdam synaxariis referantur etiam die præcedenti. In Kalendario Constantinopolitano Morcellii annuntiantur plane eodem modo ac in codice Ostromirano. Eorum festivitas peragebatur olim CPoli in ipsorum templo, quod erat in regione urbis, quæ a Sphoracio nomen habebat. Id indicant Menæa Græca ad calcem Synaxarii, et in suum Menologium inde derivavit Sirletus, non tamen ad diem trigesimam primam, sed ad trigesimam, nisi id negligentia contigit. Recte vero posuit ἐν τοῖς Σφοραχίου pro Φοραχίου, quemadmodum habetur in Menæis Græcorum. Cfr Acta SS., Jan. t. II, pag. 1081. — De S. Athanasia recole quod notavimus supra, apud Sirletum, die trigesima, præter SS. Cyrum et Joannem referri etiam tres virgines, nempe S. Athanasiæ filias et præterea SS. Victorinum et Tryphænam, nomen vero Athanasiæ desiderari; solent hi omnes simul indicari in Menæis Græcorum, unde sua passim describebat Sirletus, nec semper accurate. — De S. Victorino martyre ejusque sociis agunt iterum Synaxaria Slavica ad decimam Martii, Romanum vero Martyrologium die XXV Februarii. — S. Tryphænam, virginem et martyrem Cyzici in Hellesponto, Menologium Græcorum seu Sirleti, a Canisio editum, refert ita : *Eodem die* (XXX Januarii) *sanctorum martyrum Triphænæ ex Cyzico Hellesponti urbe;* ubi SS. Victorinum

S. Athanasia.

S. Victorinus.

S. Tryphæna.

ctorinum sociosque errore prætermissos esse liquet. Juvat huc referre ex Menæis distichon, ad nomen Tryphænæ alludens :

Ταῦρος, Τρύφαινα, σοῦ τρυφᾷ τὸ σαρκίον,
Καὶ πρὸς τρυφὰς πέμπει σε τὰς ἀκηράτους.

Taurus, Tryphæna, delicate vescitur tuis carnibus, et ad delicias te transmittit puras. — De Theodoro Mytilenensi a Turcis perempto actum die præcedenti; similis sors exstitit Eliæ Ardunis, anno 1686 igne cremati. Atque hic gradum sistere cogitaram. Verum, quia auctori Paterici Athonitarum Græco-Russo, quicumque tandem ille sit, quædam vere stupenda narrare placuit, ea huc, speciminis loco, referre lubet, ut auctoris soliditatem catholicus lector perspiciat. Extollit igitur magister Eliæ, hominis cæteroquin minime exculti, prudentiam et in conversando cum aliis dexteritatem, atque religionis christianæ zelum; at statim post addit fidem ab eodem fuisse negatam; nemine cogente; ratione fere nulla; ut hominis imprudentia ac animi inconstantia appareat manifesta. Accipe auctoris ipsamet verba: *Beatus Elias*, ait, *proximi saluti consulens* (agitur de christianis Peloponesi tributorum onere gravatis) *atque ostendere volens, alios quoque posse ita agere* (id est ad castra Mahometi transire, quo a tributis solvendis liberarentur), *in simplicitate cordis præsentibus christianis dixit : Offeratur mihi modo pileus ruber* (Turcarum sermone *fes*), *et illico fio alienigena : quibus auditis, quidam ex majoribus loci, jocandi gratia, turcicum pileum ei submisit; at ille, diabolicæ astutiæ immemor, nec tartareas tene bras extemplo excutere valens, ad judicem loci illico pergit fidemque Christi abrenuntiat.* Pergit auctor prædictus : *Ad ignem damnatur Elias, atque in rogum optime paratum conjicitur, cum ecce, o rem miram! intacti manent vestes martyris imo et capilli, totumque corpus integrum servatur ac illæsum, ligno cæteraque omni materia combustibili in cineres redacta, anima vero jam in cælestibus mansionibus ante thronum Altissimi jubilante* (pag. 149). Quæ quam parum credibilia sint, quamve tenuem fidem mereatur Paterici auctor, nemo non videt. Cætera cum aliis communia sunt, si excipias Eliam natum Calamatani, qui Moreæ vicus est, ejusque caput a christianis reconditum fuisse in monasterio Vurkano. Cfr Νέον μαρτυρολόγιον, cit. in Paterico Montis Atho, pag. 146 et seq.

Elias Ardunis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Nicetas Novgorodensis.

Nicetas, Kioviensis, dum adhuc adolescens esset, monasterium Cryptense ingressus, reclusorum vitam agere statuit. At quia propriis viribus, juvenum more, nimis confideret, seniorum consiliis spretis, propterea a dæmone sub specie angeli boni latente graviter illusus est. Nimirum posthabito orandi studio, Novumque Testamentum fastidiens, totus fuit in legendis libris Veteris Testamenti; quos magna ex parte memoriter recitare, simul et consilia visentibus dare, futura prædicere aliaque hujus modi ad vanam gloriam captandam præstare oblectamento ei erat. Tandem patrum Cryptensium precibus a tentatione liberatus, scientiæque a dæmone immissæ illico oblitus, vitæ religiosæ rudimenta de novo discere agressus est, eo majore studio, quo longius a recto tramite aberraverat. Episcopus Novgorodiæ electus anno 1095, vitæ sanctitatem etiam miraculis comprobavit : incendii flammas precibus suis extinxit; siccitatis vero tempore pluviam e cælo impetravit. Obiit anno 1107, die 30 januarii. Corpus ejus circa annum 1558 integrum repertum, in ecclesiam cathedralem S. Sophiæ Kioviensem solemniter illatum est, ubi non solum die præsenti peculiari cultu honoratur, verum etiam 30 aprilis.

Cfr 1) Vita antiq. auct., citata apud Macarium, Hist. Eccl. Russ. II, pag. 14 et 271. 2) Prolog. et Menæa ex Pater. ad h. d. 3) Dict. hag. pag. 206. 4) Nestoris Annal. I, 109; II, 3, 122, 179, 213.

MENSIS FEBRUARIUS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria S. martyris Tryphonis (*Omnes*).

S. Patris Vendimiani (*Rum. Men. Pr. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Med. Mg.*). Venerab. Petri Galati (*Men. Pr. Kal. cum Sirm. Med. Mg.*). SS. MM. Perpetuæ, Satyri, Revocati, Satornili, Secundi et Felicitatis (*Men. Pr. Kal. Verš. cum Mg.*). Profestum Hypapantes D. N. Jesu Christi (*Mg.*).

† Hypapante D. N. (*Sirl.*). † Sancti et justi Simeon (*Sirl.*). † Basilii, ep. Thessalonicæ et confes. (*Sirm.*). † Ephræm Syri (*Italg.*). † Timothei (*Mg.*). † Theionis et duorum puerorum, MM. (*Mg.*). † Carionis, mart. (*Mg.*). † Agnetis Romanæ (*Sirm.*). [Nectarii, hegumeni Casularum (*Necrol. Casulense*)]. † Davidis, Simeonis et Georgii metr. Mitylenes, fratrum et confessorum Mitylenensium. (*Laur.*)

OBSERVANDA.

S. Tryphon.

Partem Kalendarii Ostromirani aggredimur paucis festis distinctam; toto namque mense Februario exhibet dies festos septem tantum; in Græcorum quoque Synaxariis raras esse festivitates tribus sequentibus mensibus, neminem latet. De profesto Occursus nihil habet synaxarista Ostromiranus, sed solam exhibet *memoriam S. Tryphonis*, non secus ac CPolitanus Morcellii. In Mst. Assem. Rum. et Possev. inscribitur : *Passio S. martyris Tryphonis*, præeunte forsan Menologio Basilii, ubi legitur primo loco : *Certamen S. mart. Tryphonis;* apud Sirletum vero : *Natalis dies S. mart. Tryphonis, sub Gordio imperatore passi.* Remense Evang. concordat cum Mst., nisi quod omissa sit vox *martyris*; contra, in Par. III et V S. Tryphon præfert titulum *megalomartyris*. Similiter

DIES II FEBRUARII.

militer in Arc. Tern. Siš. Og. Men. et Horol. omittitur *passio : S. Tryphonis martyris*; Par. 1 brevius : *S. Trephunis;* tandem brevissime Capp. et Pap. : *Tryphon.* In Menologio Slavico legitur Vita S. Tryphonis ex Metaphraste, ut dicitur ibidem, contracta; encomium autem, quod in Prologo inseritur, ex Menæis Græcis fideliter descriptum est, nec dissimile ab eo, quod in Menol. Basilii mensem Februarium orditur, si excipias clausulam de loco, ubi solemnia S. Martyris peragi solebant. Est autem encomium illud e græco tam presse translatum, ut quandoque difficile sit intellectu, ni græcum exemplar præ oculis habeatur; quod generatim de textu codicum liturgicorum Slavico intelligi potest. — S. Vindemiani, eremitæ, memoria agitur hodie in Menæis et in Menologio Basilii. — De S. Perpetua ejusque in martyrio sociis agunt hodie cum Men. Gr. excusis Menologi Slavi; Græci vero antiquiores ad diem sequentem. — In synaxariis ætatis remotioris nullam fieri mentionem profesti, vidimus modo; at in recentioribus inscribitur passim, et quidem in Menæis Slavicis et Græcis, in Horol. aliisque, refertur primo loco. Imo ipsammet festivitatem Hypapantes refert in Menologio suo Sirletus; ita namque mensem Februarium orditur : *Natalis dies S. martyris Tryphonis, sub Gordio imperatore passi. Eodem die Hypapante Domini Nostri Jesu Christi, quo tempore beatus Simeon Christum Dominum in ulnas accepit.* Errorem cubare hic satis superque declarant tum Profestum Occursus, quod certo certius prima Februarii recolitur a Græcis et Slavis, tum etiam unanimis Menologorum consensus, festum Hypapantes referentium die secundo, nomen denique quo passim distinguitur ille dies apud auctores : solet enim vocari *quadragesimus dies* a celebritate Natalium Christi, quo scilicet expleti sunt dies purgationis e veteris legis præscripto. — Solus quoque Sirletus est, qui hodie celebrari dicat memoriam S. Simeonis, quam cæteri omnes recolunt die tertio Februarii, licet potuerit illa agi antiquitus simul cum festo Occursus Domini, uti dicetur suo loco. — S. Basilium, episcopum Thessalonicensem, commemorant Menæa Sirmundi mss., adduntque eum Athenis esse oriundum. Scripsit S. Basilius Vitam S. Euthymii Thessalonicensis, thaumaturgi, qui tempore SS. Cyrilli et Methodii floruit, dignusque omnino est, cujus gesta, quæ mihi ex slavica versione tantummodo innotuerunt, Latinis vero prorsus ignota manent, in lucem tandem prodeant, præsertim cum utriusque sancti Vita desideretur in Menologiis Slavicis et Græcis. Brevis de S. Basilio notitia habetur in Actis SS. ad hanc diem. — S. Ephræm, cognomento Syrus, vulgo referri solet die 28 Januarii; at in Martyrologio Italo-Græco annuntiatur initio hujus mensis, quin et recensetur inter sanctos ordinis S. Basilii Magni, quemadmodum et alii plures, suo loco indicandi. — In supplemento ad Synax. Sirm. mss. inscribitur S. Agnetis memoria his verbis : *Certamen sanctæ et victricis* (καλλινικου) *Agnetis Romanæ*. Non semel actum est de ea mense Januario. — Plura de Nectarii virtutibus et orthodoxia disseruerunt continuatores Bollandi, Act. SS., Oct., t. VIII, pag. 277, ubi etiam de S. Josepho monasterii Casulensis fundatore in Calabria deque successoribus ejusdem sermo versatur, insuper et Necrologium illius monasterii expenditur accuratius ac illustratur. In cod. quodam bibl. Taurinensis occurrit die nono hujus.

S. Vendimianus.

S. Perpetua.

Hypapante et profestum.

S. Simeon.

S. Basilius.

S. Ephræm.

S. Agnes.

Nectarius.

DIES II.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Occursus Domini Nostri Jesu Christi (*Omnes*).
† S. Simeonis (*Neap.*). † MM. Perpetuæ, Felicitatis et sociorum. (*Bas. Med. Maz. Sirm.*). † Agathodori, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

Occursus Domini Nostri.

Hypapantem sive Occursum Domini Nostri Jesu Christi celebrant hodie Græci et Slavi consensu unanimi in omnibus suis Menologiis, Synaxariis et Menæis, solo Sirletiano excepto, quod levi cæteroquin opera concinnatum esse jamdudum nec semel animadverterat Papebrochius. Eamdem solennitatem in antiquioribus martyrologiis suis expressit exemplo Orientalium Ecclesia Occidentis, retento græco vocabulo Hypapantes. In Horologio Ruthenorum Počajov. attexitur sequens elogium : *Veteris legis umbra hodie impleta est hoc modo : quadraginta nempe diebus elapsis post ineffabilem suam a purissima Virgine Maria nativitatem secundum carnem, allatus est Jesus Christus a matre sua et Josepho sponso in templum atque inibi a Simeone justo, qui ei obviam occurrit, in ulnas susceptus.* Aliud encomium, quod in Prologo Mosquensi et alias obvium est et paulo fusius rem declarat, totidem fere verbis exstat in Menæis Græcis atque latine redditum legitur in Actis Sanctorum (Febr. t. I, pag. 217). Accedit sequens clausula : *Celebritas fit in veneranda immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ semperque Virginis æde, quæ est in Blachernis.* Fiebat autem olim magno cum apparatu, præsente ipsomet imperatore, quem, teste Codino, ad templum Blachernicum usque comitabantur Varangi : solebant vero hi equitantem imperatorem comitari, portantes humeris secures suas, erantque cum Slavis permixti, ut neminem fugit in Slavicis non omnino peregrinum. Sed et nostra ætate festivitas Hypapantes inter duodecim solenniores numeratur, atque per octo dies integros agi solet, nisi feriæ occurrentes quadragesimalis temporis obstent. Habet etiam vigiliam seu profestum. In eodem Prologo Mosquensi adjicitur notissima illa in festivitatem oratio S. Cyrilli, ut vulgo credebatur, Hierosolymitani, quæ incipit : *Gaude valde, filia Sion;* quam S. Cyrillo episcopo Constantinopolitano multo pejus adscribit editor moscus. Notabilis est etiam lectio Codd. Mst. et Rom : *ousretenie* (occursus) : sapit enim idiotismum Russorum meridionalium. — Quum sanctus Simeon communiter recolatur die tertia, ad illam differendus est, quamvis hodie nominetur in Kal. Neap., ubi insculptum est : PVRIF. SCE MARIE SVMEO, *purificatio sanctæ Mariæ, Symeon.* Cæterum istud SVMEO inde manavit, quod etiam in Græcorum libris interdum hoc festum *S. Simeonis* vocetur. — De S. Perpetua ejusque in martyrio sociis nihil legitur hodie in Menologiis Menæisque Slavicis; quæ eas referunt Kalendis Februarii. Secus Græca.

S. Simeon.

S. Perpetua et soc.

DIES III.

DIES III.

Ex Ostromirano. Ex variis. MEMORIA S. SIMEONIS QUI DOMINUM EXCEPIT (*Omnes*).

S. Annæ prophetissæ (*Mst. Tern. Men. Pr. Hor. cum Bas. Hier. GP. Nan. Sirm. Maz. Mg.*). SS. MM. Adriani et Eubuli (*Men. Pr. Kal. cum Bas. Med. Maz. Mg.*). S. Blasii, armentarii mart. (*Pr. Men. Kal. cum Sirm. Flor. Med. Mg.*). S. Azariæ prophetæ (*Men. Pr. Kal. cum Sirm. Mg.*). SS. MM. Papii, Diodori et Claudiani (*Men. Prol. Kal.*).

† SS. Pauli et Simonis (*Mg.*). † S. Claudii, confes. (*Mg.*). † Commemoratio animarum (*Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Simeon et Anna. SS. Simeonis et Annæ memoriam recolunt hodie synaxaria fere omnia sive Græcorum sive Slavica; si excipiatur Kalendarium Neapolitanum, in quo S. Simeon nominatur ad 2, et Sirletianum, in quo refertur Kalendis Februarii; in utroque tamen simul cum Hypapante Domini : qua in re, observat Morcellius, Græci id, quod veri magis simile est, sectari videntur. Sane in Prologo diserte enuntiatur, sanctissimum senem, viso Domino et prænuntiatis eis quæ erant ventura, continenter obiisse; quod etiam binæ lectiones Evangelicæ diei declarare videntur. At Kalendarium Græcorum metricum fert : Τῇ τριτάτῃ δεσμοῖς βίοιο λύθη Συμεώνης, *tertia corporeis vinclis Simeona resolvit;* tertio die mentio SS. Simeonis et Annæ fit in duplici Cod. Barberino, quos citat Morcellius; et eodem die commemorantur fere in omnibus aliis synaxariis. Mos scilicet invaluit apud Græcos, post singula majora Christi Domini festa postridie subjungere memoriam eorum Sanctorum qui propius ad mysterium concurrerunt. Ita post festum Theophaniarum, septima Januarii, sequitur memoria sive synaxis S. Joannis Baptistæ; Natales Domini excipit synaxis SS. Deiparæ cum S. Josepho; Nativitati B. Virginis subjungitur memoria SS. Joachim et Annæ; Annuntiationi vero festum S. Gabrielis archangeli. Similiter post Occursum Domini Nostri congruum erat recolere memoriam SS. Simeonis et Annæ. — Sirletus inscripsit nomen S. Hadriani, tacito Eubulo, ad diem proxime sequentem. — S. Blasius, quia conditione erat bubulcus, græce βουκολος, ideo aliquando nomine *S. Bucoli* perperam designatur; est autem probe distinguendus a sancto cognomine, episcopo Sebasteno, cujus natalis dies annuntiatur hodie in Neapolitano : N. S. BLASSI; quod interpretaturus Mazochius orditur ita : *A Græcis non hoc, sed* XI *die Febr. celebratur in Menæis, Anthologio et Menologio. At Latini... hoc die.* Verum est quidem, S. Blasium episcopum celebrari apud Græcos et Slavos hodiernos die XI; an autem de antiquioribus idem sit intelligendum non constat; imo contrarium indicari videtur in marmore Neapolitano, Græcos mores plerumque sectante. Sane in Actis sancti martyris dicitur ille passus esse tertio nonas Februarii, eodemque die veneranda ejus passio solemnisque dies natalis celebrari. Quæ si apud Bollandum melius legisset vir doctissimus, alia omnino commentatus esset de S. Blasio ad hanc diem neque negasset hic, uti alibi etiam solet, diem emortualem sanctorum in Kalendario Neapolitano umquam *natalem* dici. Animadversione dignum est Blasium, dum Cæsareæ in Cappadocia non ignobile martyrium faceret et in bulliente lebete detineretur, sumpta inde aqua credentes aspersisse atque in nomine SS. Trinitatis baptizasse. Quod non in Menæis Græcis solum, sed etiam in Prologo Mosquensi totidem verbis excusum legitur; quamvis hujuscemodi baptismus, per aspersionem collatus, a Russis hodiernis tanquam res nova et antiquis temporibus prorsus inaudita improbetur. Quoniam autem dies ejus passionis incertus est, ideo sancto suo cognomini sociatus est ad præsentem diem; unde hic deinceps, ob festum SS. Simeonis et Annæ, ad XI Februarii translatus esse videtur. — De S. Azaria additur in Menol. Slav. : *de quo in lib.* II *Paralipomenon, cap.* 15 *scriptum est.* — Confessoris titulum præfert S. Claudius in Menæis Græcis, at in Kal. Neap. ad diem quartam vocatur monachus; quapropter distinguendum esse crederem a S. Claudiano martyre, qui cum aliis sociis nominatur hac eadem die et etiam sequenti. Præter distichon consuetum quod in Menæis et apud Siberum exstat, cætera desiderantur. — Animarum commemorationem referunt hodie Menæa Veneta his verbis : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἡ ἐν τῷ κυρίῳ πάσχα κατὰ τὸ σάββατον τῆς τυροφάγου μνήμη τῶν δικαίων ψυχῶν; quæ subsequuntur duo senarii versus : *Hos cogitantibus mentibus semper piis, libamen et poscentibus versus lito.* In editione eorumdem Menæorum Veneta anni 1843 omnia ista omittuntur. In Triodio tamen quadragesimali, eadem commemoratio fit sabbato ante Dominicam Tyrophagi, quæ respondet Latinorum quinquagesimæ; apud Assemanum ex eodem Triodio refertur ad feriam sextam. (VI, pag. 581.)

S. Hadrianus.

S. Blasius Armentarius.

S. Azarias, propheta.

S. Claudius.

Commemoratio animarum.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Romanus Uglicensis. Mortuo patre Vladimiro, Ugliciam cum fratre suo Andræa regendam accepit Romanus, eamque dein solus gubernavit ad annum usque 1285, quo obiit die 3 Februarii. Corpus ejus in ecclesia Transfigurationis conditum; ubi, posteaquam plus tria sæcula in terra jacuerat, integrum repertum esse dicitur anno 1595. Tum in ecclesiam cathedralem, a solo refectam, illatum est, et hodiedum ibidem quiescit.

Cfr 1) Dict. hag. pag. 235. 2) Murav. Vitæ SS. ad hanc diem.

DIES IV.

Ostromiranum Ex variis. VACAT.

Memoria venerabilis P. N. Isidori Pelusiotæ (*Mst. et cæteri cum Bas. Sirm. Hier. GP. Vind. Nan. Coisl. Maz. Mg.*). SS. MM. Papii, Diodori, Claudiani (*Rum. cum Bas. Sirm. Flor. Med.*). S. Nicolai Studitæ, confessoris (*Rum. Pap. Men. Kal. Prol. cum Sirm. Mg. Flor, Med.*). S. Iadori, mart. (*Leop. Pap. Kal. Hor.*). S. Abramii, episc. Arbelorum in Perside et mart. (*Prol. Kal. cum. Bas. Sirl. Maz. Sirm. Mg.*). Sancti cujusdam eremitæ Ægyptii (*Menol.*) Cyrilli Novoezerensis (*Pap. Men. Prol. Kal.*). Georgii, principis (*Kal. Pap.*).

† Joannis

DIES IV FEBRUARII.

† Joannis Irenopolitani (*Mg. Sirm.*). † Theoctisti, mart. (*Sirm. Mg.*). † Iasimi, thaumaturgi (*Mg.*). † Adriani, mart. Cæsareæ et soc. (*Med. Sirl.*). † Nicetæ in Pythiis (*Hier. Nan.*). † Claudii, mon. (*Neap.*). † Agathæ, mart. (*Sirl.*). † Protoparentum Adami et Evæ ejectio (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Isidorus. In Mst. et Rum. S. Isidorus vulgari nomine appellatur *Sidor;* in Rum. præterea eidem sociantur SS. martyres Papius cum sociis et S. Nicolaus Studita. In Typico Chilandariensi manifesto errore ponitur : *Theodorus Pelusiota.* In Italg. additur : *ex ordine nostro.* — Antiquiora synaxaria referunt *S. Papius et soc.* S. Papium et socios die præsenti, recentiora vero pridie. S. Claudianus in Rum. mutatus est in *S. Iadorus.* Claudionem (*Clodiona*). — S. Iadorus palmam martyrii promeruit, sub Numerio, imperante Decio, anno 253. Ita Horolog. Ruthenorum, et præterea nihil. A S. Iadore, episcopo et martyre in Africa, qui cum multis aliis sub Valeriano passus est, omnino distinguendus. Veršinscius in Menologio suo breviter et prudenter : *S. mart. Iadori.* — *S. Abramius.* Perperam in Kalend. Papebrochii mss. S. Abramius vocatur episc. *Rubimensis;* nec videtur alius esse a *sancto Patre Abramio* qui in Rum. refertur die sequenti. — *Cyrillus et Georgius.* De Cyrillo Novoezerensi et Georgio, principe, agetur modo in Memoriis Slavicis. — *S. Nicolaus Studita.* S. Nicolaus Studita, ex ordine Acœmetorum CPoli, SS. Cyrilli et Methodii coævus, erat magni Theodori Studitæ individuus socius in carceribus et tormentis. Photii, intrusi in sedem S. Ignatii, communionem ut evitaret, monasterii præfecturæ valedixit, multaque perpessus est. Ejus memoriam consecravit S. Nicolaus I, papa Romanus, dum petiit ab imperatore Michaele cum præcipuis hegumenis et episcopis ipsum mitti Romam ex parte S. Ignatii, patriarchæ, contra Photium invasorem et schismaticum, ut fuse declaratur in S. Nicolai Studitæ Vita lectu dignissima. (Cf. Act. SS. ad h. d., pag. 538 et seqq.) Eadem exstat in Menol. Mosquensi, at longe contractior et a græco exemplari caute abludit in *S. Adrianus.* iis quæ ad Photium spectant. — In Menæis bibl. Ambrosianæ mss. et in Menologio Sirleti annuntiatur hodie *martyrium S. Adriani et reliquorum Cæsareæ;* et quidem apud Sirletum breviter ita : *Natalis S. Hadriani qui apud Cæsaream sub Decio, imperatore, martyrium passus est;* in Mediol. vero cum sequenti synaxario, quod, quia diversum est ab elogio S. Adriani, martyris, socii S. Eubuli, et adhuc ineditum, ex integro hic proponere placet. — Οὗτοι ὑπῆρχον ἐπὶ Δεκίου τοῦ βασιλέως, ἐκ τῶν Σαταλέων πόλεως τῆς Παμφυλῶν ἐπαρχίας ἐπιτήδευμα ἔχοντες, τῇ τέχνῃ κτηνοτρόφοι, τῇ θρησκείᾳ χριστιανοί. Συλλαμβάνονται ὑπὸ Πουπλίου τοῦ ἡγεμόνος της Παμφυλιάς καὶ ἐρωτηθέντες ὡμολόγησαν τὸ ὄνομα τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ ἀναγκασθέντες ἀγνήσασθαι αὐτὸν οὐκ ἐσάλευσαν τὸν νοῦν τῆς ἀγαπὴς τοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ καὶ ὕβρισιν ἔβαλλον τὸν ἡγεμόνα; Θυμωθεὶς οὖν ξίφει τούτους ἐκτέμνει τὰς κεφαλὰς καὶ κηδεύονται ὑπὸ χριστιανῶν. *Erant hi sub Decio, imperatore, ex Satalorum civitate provinciæ Pamphiliæ originem trahentes, conditione jumentorum pastores, moribus christiani. A Publio, præfecto Pamphiliæ, comprehensi et interrogati, nomen veri Dei nostri confessi sunt; quod quum ejurare cogerentur, in amore Christi nequaquam vacillarunt, minis præfecti contemptis. Qui iratus gladio eos animadvertere jussit, capiteque mulctatos sepelierunt christiani.* Hinc satis apparet diversum esse hunc Adrianum a sancto cognomine, qui non Cæsareæ Pamphiliæ sed Palestinæ, nec sub Decio, imperatore, et Publio, præfecto, sed sub Firmiliano, imperante Diocletiano, martyrii palmam, tulit. Ejus nulla mentio fit in Men. Slavicis. — In Hier. *S. Nicetas.* additur : τοῦ ἐν Πυθίοις; rectius in Naniano : τοῦ ὁσιόυ Νικήτα τοῦ ἐν τοῖς Πυθίοις. Pythiorum locus erat in Bithynia propter thermas celeberrimus, in quo splendidum palatium exstruxerat Justinianus et ædem S. Michaeli sacram. Pythiorum palatii meminit auctor Vitæ S. Nicolai Studitæ, de quo nos egimus modo. Consulatur Cangius CP. Christ., l. IV, pag. 178. In Menol. Mosq. ad calcem diei additur: *Commemoratio cujusdam eremitæ Deum timentis et in virtute proficientis, qui in monte solitario, in finibus urbis Antinoe in Ægypto, morabatur;* tum prolixe narratur viri pœnitentia de peccato, quod commiserat imprudenter.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Cyrillus Novoezerensis. Quantam Deo gloriam aliquando procuraturus esset Cyrillus, jam a ventre matris prænuntiasse fertur. Hæc enim eum, utero gestatum, audisse sibi visa est exclamantem : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est terra gloria ejus.* Antequam adolevisset, monasticæ vitæ desiderio accensus, paternam domum clam reliquit, et ad B. Cornelium Comelscensem se contulit; a quo tonsuram accepit, annos 16 natus, et dein in vita monastica institutus est. Re comperta, in desertum advolat parens, Cyrillum secum abducturus; verum sancti juvenis monitis persuasus, propositum mutat, nomenque religioni dat ipse, post triennium ibidem moriturus. Similiter fecit et mater, angelicam formam induta, sub nomine Helenæ. Utroque orbatus, concitatiore pede in via perfectionis cucurrit Cyrillus, Cornelio duce et moderatore. Tum, arctioris vitæ cupidus, in desertum secessit, annuente magistro, et viginti annis ibidem rigidissime peractis, tandem in insulam Rubram (Krasnoie) Lacus Novi seu Novoezerensem, divinitus sibi præmonstratam, appulit; ubi cella posita, duas ædiculas erexit sub titulo Resurrectionis et B. M. V. Odigitricis. Mox in grande monasterium parvula cella excrevit, in qua vitam hanc ærumnosam cum æterna commutavit Cyrillus anno 1532 die 4 Februarii, virtutum splendore nec non et miraculorum et prophetiæ dono clarus habitus. Officium consecutus est cum duplici canone.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag. pag. 153. 3) Murav. Vitæ SS. ad h. d. 4) Menol. Veršinscii ad h. d.

Georgius Magnus Dux. Eodem die colitur a Russis, tanquam martyr, Georgius, magnus dux, a Tartaris, Russiam tunc primum invadentibus, interfectus. Erat autem Georgius, filius Vsevolodi III, anno 1189 natus, thronumque Vladimiriæ, quæ ea ætate urbs regia habebatur, accepit ab eo regendum anno 1212. Quod cum ægerrime ferret Constantinus, utpote Vsevolodi filius natu major, bellum inter utrumque fratrem exortum est, in quo adversa fortuna pugnavit Georgius. Cæsus itaque et a fratre throno pulsus est; quem non nisi post obitum Constantini iterum occupavit anno 1219. Erat porro Georgius pietatis eximiæ, in mandatis Dei semper ambulans;

ambulans; Deique timore plenus non amicos tantum, sed et inimicos diligebat. Pauperibus largus ultra modum, Dei ministros venerabatur fovebatque vel maxime, imprimis autem B. Simonem, episcopum Vladimiriæ et Suzdaliæ, doctrina et pietate celeberrimum; multa quoque monastèria et templa curavit excitanda, ac sacris codicibus, iconibus, prædiisque ditanda. Propter has sane virtutes, non minus quam propter observantiam erga summum pontificem, ad cujus obedientiam accessisse videtur Georgius, dignus inventus est, qui gloriosam mortem occubuerit in cruento conflictu, cum Tartaris, christiani nominis inimicis, ad Sitim flumen habito die 4 Martii anno 1238. Corpus ejus, ab episcopo Rostoviæ, Cyrillo, agnitum, ex campo, ubi inter tot alia jacebat, in ecclesiam Vladimiriæ delatum fuit et Basilio, ejus nepoti, in eodem tumulo appositum. Officium habet ad diem 4 Februarii.

Cfr 1) Annal. I, pag. 200. 2) Dict. hag. pag. 74. 3) Acta SS., Oct. t. X in Vita B. Arethæ, pag. 878. 4) Kulčin., Specimen, pag. 279. 5) Karamzin, III, pag. 221-280. 6) Macarius, Hist. eccl. Russ., pag. 227. 7) Turgenev, Histor. Russ. monum., t. I, pag. 30.

DIES V.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Agathæ, martyris (*Mst. Par. Tern. et cæteri ferme omnes cum Bas. Hier. GP. Vind. Goth. Neap. Maz. Sirm. Mg.*). S. Patris Abramii (*Rum.*). S. Polyeucti Junioris, patr. CPolitani (*Rum. cum Sirm. et Mg.*). S. Theoduliæ, mart. et sociorum ejus, Helladii, Boethi, Macarii et Evagrii (*Menol. Prol. cum Mg.*).

† Theodosii, in Scopulo (*Mg. Flor. Med.*).

OBSERVANDA.

S. Agatha. In Mst. Rum. Menol. legitur : *Passio S. Martyris Agathæ;* in Prologo : *Memoria S. mart. Agathæ;* in Par. VI, in Menæis, Tern. et Sišat. : *S. martyris Agathæ.* Kalendar. Moscov. apud Assemanum : *Martyris Agathæ.* Par. I : *S. Agathæ.* Capp. et Ephem. Græco-Moscæ brevissime : *Agatha.* Possevinus habet : *S. Martyris Agapii*, non tam inepte, ut volunt Papebrochius et Assemanus, modo legatur *Sanctæ.* Slavice enim Agatha audit *Agafia*, et in genitivo *Agafii*, ex quo interpres Possevini formavit suum *Agapium.* — *S. Abramius.* S. Abramius idem est quem memoravimus heri. Fuit episcopus Arbelorum et martyr, anno 348, sub Sapore rege, in vico Thelman dicto, capite truncatus. Brevem ejus Vitam, commentario prævio illustratam, exhibent Acta SS., Febr. tom. I, pag. 466 et seqq. — *S. Polyeuctus patr. CP.* Polyeuctus, patriarcha CPolitanus, sedit ab anno 956 ad annum 970. Etsi nævis quibusdam fortasse non caruit, si historicorum judicio acta ejus pensare velimus, ut observavit Bollandus, tamen in Album Sanctorum retulerunt et publice venerantur Græci, etiam ii qui Ecclesiæ Catholicæ addicti sunt. Plura de eo reperies apud eumdem Bollandum, in Actis SS. Febr. tom. I, pag. 706 et seqq., ab Ecclesiæ Orientalis asseclis serio perpendenda. Hujus enim patriarchæ manu sacrum lavacrum suscepit anno 957 magna ducissa Russiæ, Olga, Christiano nomine Helena; de qua dicetur ad XI Julii. *Junior* nuncupatus est in codice Rum., ut a S. Polyeucto Smyrnensi distinguatur. In aliis Codd. Slavicis non occurrit; tacetur quoque in Menologio Veršinsciano. — *S. Theodulia.* Confusionem aliquam pariunt S. Theoduliæ socii, quorum nomina in duplici synaxario Menologii et Prologi varie expressa sunt. Nempe in Prologo nominatur Helladius commentarisius cum *Boëtho*, βοηθος, quod latine audit *auxiliatorem;* in Menologio vero Helladius vocatur præfecti *auxiliator*, nomine proprio sumpto pro appellativo, dum commentariensis manet anonymus. Menæis Slavicis præluxerunt Græca cum Menol. Basiliano, quibus præferendam censemus cum Bollando lectionem Prologi in titulo a nobis expressam. — *S. Helladius.* De S. Helladio, commentariensi, actum est 24 Jan. die ejus mortis. — *S. Theodosius in Scopulo.* S. Theodosium in Scopulo, græce ἐν Σκοπελῳ, memoravimus ad XI Januarii, et referemus tertio ad VIII Februarii. Hodie nominatur in editione Menæorum Græcorum Veneta anni 1843; omittitur autem in editione principe, quæ cæteroquin in pluribus inter se differunt. Sed nec synaxarium, quod hodie subjicitur in Menæis, convenit cum synaxario Januarii, ut dubitare liceat, an de eodem Theodosio Antiocheno agatur utrobique; Antiochenum tamen certe exhibent Med. et Flor.

DIES VI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Bucoli, episcopi Smyrnensis (*Mst. Rum. Par. I et VI. Tern. Siš. et cæteri cum Hier. GP. Pg. Vind. Goth.*). S. Juliani, martyris, Emesæ in Phœnicia (*Rum. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). Memoria SS. MM. Silvani episcopi, Lucæ diaconi et Mocii lectoris (*Rum. cum Bas. Maz. Sirl.*). SS. MM. Faustæ, virginis cum Evilasio et Maximo, Cyzici in Propontide (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Neap. Sirl. Mg. Sirm. Maz. Nan.*). SS. Marthæ et Mariæ sororum ac fratris earum Lycarionis (*Prol. et Kal.*), SS. MM. Dorotheæ virginis, Christæ seu Christinæ et Callistæ sororum et Theophili scholastici (*Men. Kal.*). S. Parthenii (*Poss.*). Jacobi, ep. Rostoviensis in Russia (*Pp.*).

† Petri, episc., fratris S. Basilii Magni (*Itg.*). † Fausti, episc. et mart. (*Bas. Sirm.*). † Basilii in Darianis (*Sirm*). † Barsonuphii (*Sirm.*). [Photii patr. CP. (*Sirm.*)].

OBSERVANDA.

S. Bucolus. In Mst. : *Memoria vener. patris nostri Vycoli episcopi Smyrnæ;* in Rum. vocatur *consecrator et sanctus;* in Horol. *episcopus*, cum sequenti adnotatiuncula : *Vixit Bucolus tempore S. Joannis Theologi, a quo et ordinatus est antea quam Polycarpus martyr.* Consentiunt cæteri omnes, præter Possevinum; qui ejus loco nominat Parthenium, S. Bucolum autem refert ad diem sequentem, nomine aliquantulum

DIES VII FEBRUARII.

S. Julianus. quantulum immutato : *S. Patris Ucolii*, meridionalium scilicet Russorum more, qui consonam *v* vocali *u* passim postponunt. — S. Julianus in Rum. vocatur *sanctus*, sine titulo martyris; non secus ac S. Silvanus, Lucas et Mocius; martyrem appellant auctores Menologii et Prologi, brevique encomio ornant. — De Sylvano et ejus sociis egimus ad 29 Januarii, quo die certarunt; at hodie celebrantur in Prologo Rumiantsoviano, Menol. Basilii et in Actis Sanctorum. — In Menolog. et Prologo excuso exstat de S. Fausta ejusque sociis breve elogium ex Menæis Græcis depromptum; Anthologium, Neap. Nanianus codex solius Faustæ meminerunt; utpote præcipuæ. Latini de his martyribus agunt 20 Septembris. — S. Faustum adfert Menol. Basilii his verbis : *Commemoratio S. Fausti episcopi*, sine ullo synaxario; Sirm. addit titulum martyris jungitque S. Basilium qui colitur in æde Darii. Ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani in Darianis, ἐν τοις Δαρειου meminit quidem Cangius CP. Christ. lib. IV, pag. 122; at quisnam sit ille Basilius, non liquet. — Sanctas sorores et martyres celebrant hodie Menolog. et Prologus, adduntque eis Lycarionem seu Carionem, Græcis Bucarionem, qui in Prologo vocatur monachus, in Menol. vero frater Marthæ. De his Græci et Latini post Basilianum Menol. agunt die 8 Februarii. — Sat prolixum sermonem texuit in S. Dorotheam Menologus Slavicus, tacente Prologo. Plura continentur in Actis SS. Febr. tom. I, pag. 771 et seq. — Nescio, cur ad præsentem diem referatur in Kalendario Mss. Papebrochii Jacobus, Rostoviæ episcopus, quum celebrari soleat 27 Novembris, quo obiit. — S. Petrum, ep. Sebastenum et fratrem S. Basilii, refert hodie Kalendarium Basilianorum Italo-Græciæ, Romæ excusum anno 1845; verum continuo addit natalem ejus celebrari quinto Idus Januarii seu die 9. — De S. Barsonuphio agitur hodie in solo Sirmundiano Synaxario; ejus Vita partim fabulosa, partim incerta expenditur in Actis SS., ad XI April. pag. 23. — Profecto mirabitur lector in sacros fastos, in quibus S. Ignatius celebretur, intrusum esse nomen Photii illius, qui præcipuus exstitit sanctissimi viri adversarius et auctor schismatis inter Ecclesiam Græcam et Latinam. De quo, quia integra volumina conscripta exstant, et fuse disseritur in vita S. Ignatii, patr. CPolitani, auctore Niceta Paphlagone, in ultimo tomo Octobris recusa, plura dicere supersedemus. Illud tamen lectorem volumus monitum, a Symeone Magistro et Logotheta, quem eumdem esse cum Simeone Metaphraste doctissimi quidam contendunt, hunc pseudopatriarcham teterrimo colore depingi, edit. Paris., pag. 442. Nam asserit, *illum ex sacrilego conjugio ortum esse, impietatem ipsius variis sanctorum* (Joannicii, Euthymii, ut puto, Thessalonicensis) *vaticiniis prænuntiatam fuisse; eumque insimulat magiæ, aliorumque criminum, de quibus plerique auctores non meminerunt.* Quibus ita brevissime relatis, *satis certa sunt*, pergit Pinius noster, *turbulenti hujus viri scelera, quamvis ea non exaggerentur, et alia ex uno scriptore, reliquis tacentibus, hic non referantur. Quare omnem harum accusationum fidem penes Simeonem relinquimus, et memoriam Photii, aliunde omnibus catholicis satis odiosam, incertis flagitiis gravare nolumus.* Hæc Pinius in Chronol. Patr. CP. initio mensis Aug., pag. 112, mitissime sane et sapienter. Jam vero lugendi schismatis istius ducem Græci recentiores non modo miris laudibus extollunt, sed et inter sanctos Ecclesiæ suæ recensent, ut liquet ex Synaxario Sirmundiano, quod ad 17 Februarii sic habet : *Memoria S. Barsonuphii et sancti patris nostri archiepiscopi Constantinopolitani Photii. Celebratur autem festum illius in æde sacra sancti prophetæ et baptistæ Joannis, quæ sita est in loco Quietis,* ἐν τοις ἡρεμιας. Cæterum in nullo alio Menologio Græco aut Slavico mentio fit de Photio, ut jure dixeris cum Pinio illum *ab aliquo privato et audaci schismatico* in Sanctorum Album fuisse inscriptum, quemadmodum nostra ætate id in lucubrationibus suis factitant auctores quidem Russi, inter quos primas obtinet Muraviev. Nulla quoque ecclesia J. Baptistæ invenitur apud Cangium, quæ cognomen a quiete loci præferat.

S. Silvanus et soc.

S. Fausta, Virgo et soc.

S. Faustus ep. et mr.

S. Basilius.

SS. Martha et Maria cum Lycarione.

S. Dorothea et soc.

Jacobus ep. Rostoviæ.

S. Petrus, Ep.

S. Barsonuphius.

Photius.

DIES VII.

Ostromiranum.

VACAT.

Ex variis. S. Parthenii, ep. Lampsaceni (*Mst. Par. I, II et VI. Tern. Prol. Siš. Men. Hor. etc. cum Bas. Hier. GP. Vind Pg. Nan. Fl. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*). S. Theopempti, mart. et soc. (*Rum. cum Sirm. Mg.*). S. Lucæ in Hellade (*Par. VI. Og. Cap. Pap. Bud. Hor. Men. Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*). SS. quatuor protectorum eorumque famulorum 1003, martyrum Nicomediæ (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Mg.*). S. Bucoli (*Poss.*). S. Helladii (*Chil.*).

† Memoria Petri in Monobatis (*Sirm. Mg.*). † Arionis seu Aprionis, ep. Cypri (*Bas. Sirm.*). † Sex Martyrum in Phrygia (*Mg.*). † Theodori Stratilati (*Hier. Nan. Msq. Vind.*).

OBSERVANDA.

S. Parthenius. In cod. Mstisl. habetur : *Memoria sancti patris nostri Parthenii;* in Siš. : *venerabilis patris nostri Parthenii*, omissa *memoria;* Rumiants. tacet. In Horol. Prol. Menæis et aliis quam plurimis additur : *episcopi Lampsaceni* aut *Lampsacensis civitatis.* Similiter in Menolog., nisi quod loco *memoriæ* legatur *vita.* In Par. I vocatur *Phartenius;* in Par. VI bene quidem nominatur Parthenius, sed civitas, cujus episcopus fuit, dicitur *Laphacensis.* Possevinus legit : *S. patris Parthenii*, ad diem præcedentem. In Menæis exstat officium proprium; in Menolog. inseritur Vita, ex Metaphraste, inscripta Crispino, qui se Parthenii discipulum esse profitetur. — *S. Theopemptum* martyrem commemorat hodie synaxarista Rum. his verbis: *Passio sancti Theopempti et sociorum ejus*, tacitis SS. Parthenio et Luca, quos tamen nominant cæteri codices fere universi. Duos sanctos nomine Theopempti insignitos protulimus die 2, 3, 4 et 5 Januarii; quorum alter, dignitate episcopus, sociatus est cum S. Theona, alter cum S. Theodota. Hodiernum a priore illo diversum non esse aperte testatur Menologus Slav., additque S. Theopemptum episcopum, præter S. Theonam, habuisse martyrii socios quatuor protectores eorumque famulos, de quibus modo erit sermo. Quos omnes Rum. comprehendit generali formula : *et sociorum ejus*, nominato solo præcipuo : ubi notandum est, notam *passionis* et *memoriæ*, non semper in cod. illo esse urgendam. — *S. Lucas*, cognomento *Helladicus* seu *Junior*, distinguendus est a S. Luca Stylita, qui etiam *Junior*

S. Theopemptus.

S. Lucas.

Junior nuncupari solet et uno anno tantum post e vivis cessit, anno scilicet 946, die xi Decembris, quo recolitur in Fastis. Est et alius Lucas, hegumenus monasterii Salvatoris, τοῦ Σωτῆρος, nuncupati Profundi Rivi, ad 7 Sept. Fastis inscripti. Qui omnes Juniores vocantur comparati S. Lucæ Siculo, anno 828 vita defuncto, ut opinatur Bollandus, aut potius comparati S. Lucæ, evangelistæ. S. Lucam in Hellade referunt Menæa Græca, Venetiis anno 1596 excusa, his verbis : *S. P. N. Lucæ in Sterio Helladis*, ἐν Στηρίῳ τῆς Ἑλλάδος ; quæ a recentiore editore contracta sunt ita : *S. P. N. Lucæ, qui in Hellade*, τοῦ ἐν Ἑλλάδι, expuncta additione *in Sterio*. An recte Soterium inde efformaverit Bollandus, judicent alii ; at certe cognomen *Tyrensis*, quod in Paris. VI et in Ostrog. occurrit, corruptelam esse græci vocabuli, negabit nemo. — Huic similem errorem irrepsisse puto in nomine *Helladii*, quod ex typico Chiland. bibl. Berolinensis exscripsi ultimo loco, cum inter sanctos qui in Paterico Montis Atho recensentur bene multi, nullus Helladius inveniatur, qui vixerit ante annum 1334, quo typicon exaratum est ; et aliunde error ex cognomento S. Lucæ facile oriri potuerit. — In Menol. Basilii annuntiatur certamen *trium millium;* at in Menol. et Prol. Mosq., pariter ac in Men. Græcis numerantur tantum *mille et tres*, χιλίων καὶ τριῶν, intercedente scilicet particula *et*. Præterea, in Prol. veniunt primo loco quatuor protectores, quos Menologus nominat in synaxario, remittitque ad xx Januarii. Corripit quoque auctorem Prologi, qui, Menol. Basilii duce, S. Petrum, socium S. Theopempti, inepte vocat episc. Alexandrinum, cum carceris custos fuerit. Cfr dicta ad 28 Decembris et 2 Septembris.

Dies VIII Februarii.

SS. Martyres 1003.

Helladius.

DIES VIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Memoria S. Zachariæ, prophetæ (*Mst. Rum. Vat. I. Tern. Par. I et VI. Siš. Og. Men. Prol. Hor. Kal. et alii cum Bas. Hier. Vind. Msq. Sirm. Nan. Maz. Sirl. Mg.*). S. Theodori Stratilatæ (*Omnes citati modo, præter Par. I. cum Bas. Sirm. Mg.*). S. Theodosii, mon. (*Rum. cum Bas.*).

† Theodoræ (*Sirm.*). † Nicephori, mr. (*GP.*). † MM. Nicephori et Stephani (*GP. Mg.*). † Macarii, ep. Paphi, in Cypro (*Sirm.*). † Philadelphi, mart. (*Bas. Sirm.*). † Polycarpi, mr. (*Sirm.*). † Pergitæ (*Sirm.*). † MM. Marthæ et Mariæ sororum, ac Lycarionis mon. (*Bas. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Zacharias. Qui in Menologio Basilii commemorantur sancti Zacharias, Theodorus, Theodosius, ii eodem ordine inscribuntur hodie in Rum., et duo priores in Mst. Primo loco refertur etiam S. Zacharias in Tern. Par. I., Siš. et Chil., cæteris antiquioribus synaxariis vacantibus ; dum recentiores recolunt post S. Theodorum, secundo loco. In hisce insuper cognominatur *qui falcem vidit*, slavice *Serpovidets*, propter visionem, quæ in libro Zachariæ, cap. 5 ; a Latinis celebratur 6 Septembris. Fallitur Baronius, tradens eum a Græcis recoli die 5 Septembris in Menologio, nimirum Sirletiano. In hoc enim diserte commemoratur 8 Februarii ita : *S. Zachariæ, prophetæ, e numero duodecim* ; quinto vero Septembris agitur : *Natalis S. prophetæ Zachariæ, patris B. Præcursoris Joannis Baptistæ*, consentientibus omnibus Kalendariis Græcis et Slavicis. — S. Theodorum, ducem, quem Slavi græco vocabulo Stratilatam nuncupare solent, non solum recentioribus Kalendariis Græco-Slavicis, ut minus recte scripsit Bollandus, sed etiam antiquioribus optimæque notæ, insertum esse vidimus modo. Pridie quoque commemoratur in quibusdam Kalendariis remotioris ævi, at paucis numero et duntaxat græcis ; quibus perperam adnumeratur a Baronio Menologium Sirleti, ubi prorsus nulla mentio fit de S. Theodoro, neque ad præsentem diem, neque ad præcedentem. In Mst., secundo loco : *Eadem die Theodori Stratilatæ ;* in Rum. : *et sancti mart. Theodori Stratilatæ ;* in Par. II, III et V, in Hor. Men. et Prol. decoratur titulo *megalomartyris*. Vat. II : *Theodori militis*. Pap. : *Theodorus Stratilates*. Capp. et Kal. Mosq. apud Assemanum : *Martyr Theodorus ;* apud Genebrardum corrupte : *Theodoretus*. In Menol. Basilii additur : *in Euchaitis ;* in Sirm. vitiose *in Euchania ;* Euchaita vocatur quoque in Horol. Počajovensi. Cum autem S. Theodorus Tyro eodem modo passim cognominetur, hinc factum est, ut ob nominis cognominisque convenientiam alter pro altero a viris etiam eruditis quandoque accipiatur. Quam in rem juvabit huc referre ex Menologio Mosquensi sequentem adnotationem : *Sciant oportet, duos esse Theodoros megalomartyres Euchaitas, Tyronem alterum, alterum hunc Stratilatam. Prior sub Maximino passus, anno* 289, *conditus est in Euchaitis, ut fusius declarabitur in ejus Vita ad* 17 *Februarii. Posterior certamen subiit viginti duobus aut tribus annis post, sub Licinio, anno* 312, *pariterque ad Euchaitas translatus est. Igitur uterque Theodorus est Euchaita*. Hactenus Menologium, claudicante parumper chronologia, quam emendare non est hujus loci. Ibidem inseritur Vita seu potius *Passio S. megalomartyris Theodori Stratilatæ, auctore Varo* (aliis Abgaro) *ejus discipulo, ex Metaphraste*, imo ex Surio descripta, quemadmodum id produnt nonnullæ locutiones latinis propriæ. Opellam Dœderleinianam, qua passio magni hujus martyris in tabulis repræsentatur, subjecta unicuique propria inscriptione in lingua slavonica, norunt antiquitatum slavicarum amatores. — S. Theodosium commemorat hodie solus Rum. cum Menologio Basilii, eisdem fere verbis : *Sancti patris nostri Theodosii ;* Synaxarium vero Græcum aperte vocat Antiochenum ; de quo nos cum recentioribus egimus ad xi Januarii, et iterum ad 5 hujus, cum Menæis Græcis excusis. — De S. Theodora meminit Sirm. post S. Macarium, ep. Paphi, ita : *et sanctæ Theodoræ ;* eadem esse videtur cum Theodora Augusta, Theophili imperatoris uxore, cujus encomium legitur in Menol. Basilii ad xi Februarii. — S. Martham, Mariam sororem et Lycarionem celebravimus 6 hujus. — Synaxarium Callipolitanum, a Scholzio vulgatum, memoriam recolit S. Nicephori, martyris, cui cæteri pene omnes assignant diem sequentem ; ab Antiocheno namque hodiernum minime diversum esse duco, vel eam ob rationem, quod in citato synaxario nonnisi clariores sancti soleant nominari ; alter vero Nicephorus, quem cum Stephano referunt hodie Menæa Gr. excusa, nominetenus notus sit, omnique synaxario destitutus. Hodie autem celebratur propter festum S. Zachariæ, prophetæ, quod in Callipolitano inscribitur ad diem nonam.

S. Theodorus dux.

S. Theodosius.

S. Theodora.

S. Martha.

S. Nicephorus uterque.

DIES IX ET X FEBRUARII.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Sabas II, archiepiscopus Serbiæ.

Stephanum primo coronatum regem Serbiæ quatuor suscepisse filios Radoslaum, Vladislaum, Stephanum et Prædislaum, indubia testantur serbicæ historiæ documenta. Ex his tres priores natali ordine avitum thronum occuparunt. Ultimus S. Sabæ I archiepiscopi, patrui sui, exemplum secutus, religiosum vitæ institutum amplexus est et, quemadmodum annales patriæ loquuntur, per omnia similis eidem effectus. Loca etiam Sancta, non secus ac ille, lustrando obiit diuque Jerosolymis commoratus est. Inde Montem Atho petiit ibique virtutibus religiosi hominis diligenter se exercuit, donec redivit in patriam, ut piratarum continuas incursiones ac devastationes effugeret. Interea virtutum fama inclaruit adeo, ut ad sedem archiepiscopalem fuerit evectus; quam et occupavit post S. Arsenium, S. Sabæ I discipulum ac successorem. Rexit Ecclesiam Serbicam Sabas II (hoc enim nomen in religione assumpserat Radoslaus), septem annorum spatio. Quibus peractis, ad meliorem vitam transiit et in ecclesia Ascensionis Pechiensi sepulturæ mandatus integer et incorruptus hodieque visitur. Ejus vitam et gesta scripto tradiderunt auctores indigenæ, inter quos præcipui nominandi sunt Daniel archiepiscopus Serbiæ, hujus nominis secundus, Comes Brancovitch, *Historiæ Serbicæ*, lib. III, pag. 91 et seq., et qui citat utrumque, Raič, *Historiæ Serborum*, l. VII, cap. XIII, § 21. Meminit quidem ejusdem Sabæ Xaverius Pejacevič in opere suo præstantissimo atque virtutum fama eum claruisse testatur: inter sanctos tamen Serbiæ, quorum indicem texuit in fronte operis sui, ponere prætermisit.

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Nicephori, martyris (*Mst. Rum. Par. I et VI, Tern. Siš. Chil. Og. Vat. uterque, Pap. Capp. Hor. Men. Prol. cum Bas. Neap. et aliis quam plurimis*). S. Marcelli seu Marciani, ep. Siracusani; et SS. MM. Philagrii, ep. in Cypro, et Pancratii, ep. Tauromenii (*Rum. Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Nan. Mg.*).

† Romani Cilicis (*Sirm. Mg.*). † Petri Damasceni, mart. (*Mg.*). † Zachariæ, prophetæ (*Callip.*). † MM. Mariæ Marthæ et Lycarionis (*Anon.*). [Nectarii, heg. Casulensis (*Taur.*)]

OBSERVANDA.

S. Nicephorus. *Onesiphori* in Par. I error est manifestus pro *Nicephori*. Cujus Vita, Menologio Slavonico inserta, eadem est ac ea, quam Falconius fictitiam declaravit, annuente Assemano; Mazochius vero tuetur, ut fide dignissimam. Acta Latina exstant apud Surium, 9 Febr., pag. 89; atque eadem ex codice regis christianissimi restituta ac commentario prævio illustrata vulgavit G. Henschenius, in Actis SS. Febr., t. II, pag. 283; et iterum ex versione antiqua latina, pag. 894-895. Græce cum antiqua versione latine leguntur in Actis Ruinartii, pag. 238-245, ed. 1713 in fol. et sunt eadem ac Menolog. Slavici. Alia Acta, auctore Joanne, Sardium episcopo, interprete vero Alexandro Barroetio data sunt in Act. SS. Febr., t. II, pag. 285-288. —

S. Marcianus. S. Marcianus, Syracusarum episcopus, nomen Marcelli præfert in Menologio Basilii, in Kal., Prologo et Menolog. Slavico, at rectius in cod. Rum. et Ephemeridibus Papebrochii. Syracusanum episcopum esse suspicatur Bollandus, de S. Philagrio agens ad hanc diem. Marciani Syracusani encomium, ex ms. Vaticano, græce et latine, interprete Sirmundo, cum commentario prævio et notis Papebrochii insertum est

S. Pancratius. in Act. SS. Jan., t. II, pag. 786-795. — S. Pancratii sermo encomiasticus, auctore Gregorio, monacho Paguriensi, latine, interprete Florito, cum commentario præeunte et notis Henschenii, exstat in Act. SS. Apr., t. I, pag. 237-243. In Eccl. Græco-Russica S. Pancratii memoria recolitur insuper ad 9 Julii. —

S. Philagrius. De sancto Philagrio et duobus prioribus consulatur Assemanus. (Kal., tom. VI, 119). In Rum. Marcianus, Pancratius et Philagrius sociati prodeunt cum titulo episcopi. —

S. Romanus Thaumat. Bis in anno S. Romani, monachi et thaumaturgi, nomen inscriptum occurrit in Menæis Græcis, ad 9 Februarii et 27 Novembris. Qui genere cum esset Cilix, nempe ex urbe Rhoso, ἐκ πολεως της Ῥωσου; et uti 27 Nov. eadem Menæa habent: ἐν τῃ Ῥωσσων τεχθεις, *in Rhossorum urbe natus*. Hinc Raderus occasionem sumpsit scribendi S. Romanum profectum esse e gente *Rossorum, Roxolanorum* seu *Ruthenorum*, subscribente etiam Maximo Margunio, episcopo Cytherorum. Nam in Vitis Sanctorum ad 27 Novembris ita habet: γεννηθεις εις την Ῥουσιαν, *natus apud Rhusiam*. Accepta sane foret hæc interpretandi ratio cl. Lamanscio Petropolitano, qui eruditam pariter ac prolixam instituit nuper elucubrationem *de colonis Slavis in Asia minore, Africa et Hispania*, magno populariorum applausu exceptam. Consule hac de re simul et de gestis S. Romani Bollandum, pag. 295 et seq. —

S. Zacharias, Propheta. S. Zacharias, propheta, quem cæteri recolunt pridie, nominatur hodie in synax. Scholzii Callipolitano, S. Nicephorus vero refertur pridie; qui transponendi modus in kalendariis frequentissimus est. —

S. Martha et soc. Nectarius. De S. Martha ejusque sociis, et de Nectario, hegumeno monasterio Casulensis, actum est supra. Nectarii memoriam adnotavimus ex cod. quodam Græco, citato Bibl. Taurinensis, t. I, p. 308.

DIES X.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Charalampi, presbyteri et martyris (*Ita omnes*). SS. MM. Porphyrii, Bapti et trium mulierum; et Theæ, Valentinæ et Pauli, Cæsareæ in Palæstina (*Men. Horol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg.*). S. Prochori, mon. Cryptensis (*Ephem. Pater. Men. Kal.*). S. Anastasii, patr. CPolitani (*Horol.*

(*Horol. Men. Bud. Kal. cum Sirm. Mg.*). Antonii, Arcadii, Basilii, Germani, Gregorii, Joachimi, Lucæ, Martyrii, Simeonis, epp. Novgorodensium (*Hag.*). Annæ, ducissæ (*Hag.*). DIES X FEBRUARII.

† Laurentii, mon. in Sicilia (*Itg.*). † Zenonis (*Sirm. Mg.*). † Synaxis S. Deiparæ in Ariobindi (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Charalampus. In Mst. habetur : ***Passio sancti hieromartyris Charalampii.*** Rum. convenit cum Mst. in apponenda nota *passionis*, demit tamen titulum *hieromartyris*, additque S. Porphyrium. In Tern. Chil. et Siš. : *Sancti hieromart. Charalampii;* martyr simpliciter dicitur in Menæis; in Og. : *Sancti patris* Charalampii. Apud Papebr. et Capp. : *Charalampus*, imo *Charamphius* in Par. I, sæpe corrupto. Acta martyris, auctore incerto, ex Ms. Græco regis Galliæ, interprete J. Henxtovio, cum commentario prævio et notis Bollandi legesis in Actis SS. Febr. t. I, pag. 381-386. Veršinski facit Charalampium episcopum, quem tamen simplicem sacerdotem fuisse aperte testatur præter alia Menologium Basilianum. — In eodem Menologio S. Baptus vocatur Dauctus, Δαύκτος. — Iterum corrigendus est Veršinscius, quod S. Theam mutaverit in Ennatham, Paulum vero in Paulam, nescio qua auctoritate fretus. Sane Eusebius Cæsareensis, qui horum Martyrum agonem enarravit, nec Ennatham noverat nec Paulam. Hinc distinguendæ videntur tres SS. Porphyrii et Charalampi sociæ anonymæ a SS. Thea, Valentina et Paulo. De his tribus agitur in Actis SS. die 25 Julii, (Jul. t. IV, p. 163-166.) — De Prochoro Kioviensi vide dicenda infra in Memoriis Slavicis. — Anastasium archiepiscopum CP. inter prætermissos collocavit Bollandus, addita sequenti nota : *Unicum in vulgatis Catalogis legimus ejus sedis archiepiscopum Anastasium , tempore Constantini Copronymi eumque hæreticum.* (Febr. t. II, pag. 377). Bollandi sententiam comprobavit P. Cuperus noster in *Hist. Chronol. Patr. CP.*, p. 93. Nihilominus in Horologio Ruthenorum catholicorum disertis verbis fit commemoratio *sancti sacromartyris Anastasii, archiep. CPolitani;* ubi notabis titulum *hieromartyris* quo decoratur. Prudentius egit Veršinski, omnem Anastasii memoriam expungendo e Menologio suo. — Ecclesiæ B. Virginis in æde Ariobindi seu Areobindi meminit Cangius, pag. 93.

S. Baptus.

SS. Thea et Paulus.

S. Prochorus.

S. Anastasius.

Synaxis Deiparæ.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Prochorus Cryptensis. Claruit S. Prochorus circa initium sæculi undecimi, Sviatopolco principatum Kioviæ tenente. Cum maturam ætatem attigisset, Smolensco, urbe natali relicta, Kioviam petiit, et habitu monastico de manibus Joannis, Cryptensis hegumeni, suscepto, rigidissimam vitam ducere instituit. Victus illi fuit panis cum aqua modica; deliciæ vero herba quædam, atriplex dicta : cujus rei causa Atriplicinei cognomen (slavice *lebednik*) nactus est. Miraculis, adhuc vivum, claruisse ferunt : cum enim aliquando populus rei frumentariæ laboraret inopia, preces ad Deum fudit Prochorus. Tunc plurimum atriplicis, in campis mirabiliter multiplicatæ, collectum est; ex quo panes confecit pauperibus erogandos; atque hi comedentium palato tam dulces erant ut mirarentur omnes. Idem ad populum sublevandum cinerem in salem convertit non semel; quare et a mercatoribus apud principem accusatus fuit, quod salem in cella sua reconditum teneret, plebique cum magno ærarii damno distribueret. Veniunt itaque principis ministri in cellam Prochori ut salem recognoscant, quem cinerem purum putumque esse reperiunt stupentes. Quo prodigio permotus princeps, magnam exinde concepit venerationem erga servum Dei, quem semper egregie coluit, defunctum vero doluit sincerissime, et proprios humeros sacro oneri subdens, cryptis Antonii intulit ac reverenter tumulavit. Obiit autem Prochorus anno 1103, die 10 februarii.

Cfr 1) Kulčinius, Spec., pag. 5-7. 2) Prolog. ex Paterico ad h. d. 3) Dict. hag., pag. 234.

Episcopi Novgorodenses. Eodem die recolitur memoria Antistitum Novgorodensium 1) Antonii, 2) Arcadii, 3) Basilii, 4) Germani, 5) Gregorii, 6) Joachimi, 7) Lucæ, 8) Martyrii et 9) Simeonis. De quibus singulis breviter juxta ordinem, qui litterarum est proprius, dicturi, lectorem antea monitum volumus, eosdem præsules coli insuper ad diem quartum octobris, officio tamen omnibus communi; quod a sola Ecclesia Novgorodensi usurpatur. — Antonius igitur, nobilissimo genere ortus, laico nomine Dobrynia Andrenkovicius, in monasterio Hutynensi religiosæ vitæ jecit fundamenta. Unde, Metrophane archiepiscopo a Novgorodensibus pulso, ejus loco ad illam cathedram evectus est anno 1212, eamque ad annum 1220 prudentissime occupavit, donec scilicet pœnitentia ducti Novgorodenses Metrophanem in sede restituerunt. Tunc ad cathedram Premysliæ in Galicia transiit; anno vero 1225 ad priorem rediit. Cum autem viribus jam confractis et fere mutus esset, post triennium munus suum ultro abdicavit. At Arsenio iterum sede moto, (mutabat scilicet gens ista præsules suos et præfectos non secus ac amictum), tertio e monasterio in palatium archiepiscopale ducitur, aut potius trahitur Antonius; licet mutus et invitus. Mox tamen ad cellam redit: et sancte moritur ibidem, die 8 octobris anno 1238.

Antonius.

Cfr 1) Dict. hag , pag. 35. 2) Ambros., Hist. hier. rus., I, 71.

Arcadius. Arcadius floruit sæculo XII. Antequam archiepiscopus eligeretur , hegumeni munere fungebatur in monasterio Assumptionis, hodie vacuo, quod ipsemet fundaverat et suo nomine insigniverat anno 1150. Sedit annos septem, obiitque die 19 septembris anno 1163, in ecclesia cathedrali S. Sophiæ tumulatus. Commemoratur etiam ad 23 decembris.

Cfr Dict. hag., pag. 40.

Basilius. Basilius, cognomento Koleka, ex presbytero sæculari archiepiscopus ab 1330, initio æmulum habuit Arsenium , quem Pscovenses , archiepiscopi Novgorodensis jurisdictionem ægerrime ferentes, in proprium episcopum sibi elegerant, annuente Gedimino magno Lituaniæ

DIES X FEBRUARII.

Lituaniæ duce. Mox tamen repugnantes Pscovensium animos sibi devinxit, et ita utrique Ecclesiæ, Novgorodensi et Pscovensi, præfuit solus. Ob virtutum præstantiam mitra alba, a successoribus deinceps gestanda, et casula cruciata primus omnium fuit a patriarcha Constantinopolitano decoratus. Pluribus in locis templa excitavit, gregemque curæ suæ commissam mira caritate amplexus est, imo caritatis victima occubuit. Cum enim Pscoviæ incolis extrema christiani hominis solatia ministraret, contagiosam luem, tunc ibi grassantem, contraxit. Qua consumptus, anno 1352 die 23 julii migravit ex hac vita.

Cfr 1) Ambros., Hist. hier. russ., I, 73. 2) Dict. hag., pag. 54. 3) Philar., Prospectus, n° 67.

Germanus.

Germanus, ordine quintus, sedit Novgorodiæ ab anno 1078 ad annum 1096, obiitque Kioviæ; unde postmodum ejus corpus Novgorodiam translatum est.

Cfr 1) Hist. hier., I, pag. 68. 2) Dict. hag., Pag. 77. 3) Murav., Vitæ SS. ad h. d.

Gregorius.

Gregorii mentionem faciunt auctores in Vita Eliæ seu Joannis, archiepiscopi Novgorodensis, cujus frater uterinus erat et in cathedra successor ab anno 1186 ad annum 1193; quo obdormivit die 24 maji, in ecclesia cathedrali juxta fratrem suum tumulatus. Eliæ vita legitur ad 7 septembris.

Cfr 1) Ambros., Hist. hier russ., I, pag. 70. 2) Dict. hag., pag. 79. 3) Murav. loc. cit.

Joachim.

Joachim, Korsunensis, episcoporum Novgorodensium ordine primus, Ecclesiam rexit inde ab anno 993; eamque in fide, quam Michael I, metropolita Kioviensis, paulo antea plantaverat, firmavit et instituit. Contritis idolis et in fluvium projectis, templa in honorem veri Dei excitavit, quorum alterum S. Sophiæ, alterum SS. Joachimo et Annæ dicavit. Apostolico zelo doctrinam sociabat minime communem : erat namque litteris apprime eruditus, quemadmodum testatur Chronicon, quod ipsius nomine circumfertur. Scholam instituit, in qua pueri doctrinam christianam et linguam græcam ediscerent, magistro Ephræmo, discipulo suo. Tandem cum Ecclesiam per annos fere 40 sancte rexisset, ad supernas sedes migravit. In ecclesia SS. Joachim et Annæ tumulatus, anno 1699 in ecclesiam S. Sophiæ, de novo e lateribus exstructam illatus est.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 128. 2) Annal. Nicon., I, 103. 3) Chronic. Soph., I, 88. 4) Macar., Hist. eccl. russ., I, pag. 5 et 200. 5) Tatiščev, Hist. imp. russ., I, 38-40. 4) Murav., loc. cit.

Lucas.

Lucas, cognomento Djidiata, Zidiata seu Ziriata, cujus meminit B. Simon in epistola ad Polycarpum, natione Russus, successit Joachimo anno 1035. Hujus doctrinam æmulatus, in ipso episcopatus sui ingressu Exhortationem ad fratres conscripsit, multosque alios libros e græco slavicos fecit. Pietate etiam et mansuetudine imprimis enituit; et quidem pietatem ejus testatam facit templum S. Sophiæ, e solo refectum et splendidissime ornatum. Mansuetudinem vero demonstravit maxime in rebus adversis. Etenim anno 1055 a famulo suo falso accusatus, et Kioviam a metropolita Ephræmo citatus, toto triennio humiliter ibidem mansit detentus. Delatore demum falsi convicto, libertati sedique restitutus est; verum dum iter Novgorodense repeteret, morte præpeditus obdormivit in Domino die 15 octobris anno 1060, in loco Kopyso dicto. Corpus ejus, ad ecclesiam cathedralem conditum, post annos quingentos in eamdem illatum est.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 170. 2) Annales, I, 65; III, 121, 179, 211; V, 139. 3) Macar., Hist. eccl. russ., I, 87 et 262; II 12. 4) Patericon, fol. 224. 5) Murav., loc. cit.

Martyrius.

Martyrius, antequam ad sedem archiepiscopalem ascendisset, hegumenus fuit monasterii Staro-Russici, quod fundaverat ipse anno 1192. Episcopus effectus, plures ecclesias aut a fundamentis exædificavit, aut refecit. Demum Volyniam dum peteret, a magno duce Vsevolodo Georgide accersitus, supremum obiit diem in insula Seligero, 24 augusti anno 1199. Rexit Ecclesiam annos sex. Corpus ejus Novgorodiam delatum fuit et in ecclesia S. Sophiæ positum.

Cfr 1) Ambr., Hier. russ., I, 71. 2) Dict. hag., pag. 178. 3) Murav., loc. cit.

Simeon.

Simeon denique, ex monacho Hutynensi archiepiscopus factus, cathedram ascendit anno 1415, quam morte sua vacuam reliquit anno 1431, die 15 januarii, in ecclesia S. Sophia sepultus. Exstat ejus epistola duplex, ad monachos Montis Sancti altera, altera ad Pscovenses data.

Cfr 1) Ambros., Hier. russ., I, 74. 2) Dict. hag., pag. 250. 3) Phil., Prospect., n° 86. 4) Murav., loc. cit.

Anna ducissa.

His præsulibus solet addi Anna, S. Olai, Suæciæ regis filia, Iaroslai I, magni ducis Kioviensis uxor. Colitur namque et ad hanc diem, et præterea 4 octobris simul cum Vladimiro Jaroslaide, filio suo. Quam ultimam festivitatem instituit anno 1439 archiepiscopus Novgorodensis Euthymius. Illud porro notandum, B. Annam, cui laicum nomen Ingigerda, in baptismo *Irene*, cum morti proxima esset, magnum, ut aiunt, schema induisse inter ducissas Russiæ omnium primam, assumpto nomine Annæ, quo passim solet designari. Obiit autem medio sæculo undecimo, anno scilicet 1050, quemadmodum fert inscriptio tumulo ejus imposita, et hodiedum in ecclesia S. Sophiæ exstans.

Cfr Dict. hag., pag. 23, ed. 1862.

DIES XI.

DIES XI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Blasii, hieromartyris, episc. Sebasteni (*Mst. Arc. Rum. Tern. Par. I et VI. Assem. Siš. Chil. Og. Men. Pr. Hor. Capp. Pap. etc. cum Bas. Hier. GP. Vind. Goth. Flor. Pg. Msq. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). S. Theodoræ, imperatricis (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg.*). Demetrii Prilucensis (*Prol. Men. Kal. Pap.*). Vsevolodi seu Gabrielis, ducis Pscovensis (*Prol. Kal. Men.*).

† Macedonii (*Sirm.*). † Inventio reliquiarum S. Zachariæ prophetæ, patris S. Joannis Baptistæ (*Sirm. Mg.*). † MM. duorum infantium et septem mulierum (*Bas. Mg.*). † Simeonis Stylitæ (*Italg.*).

OBSERVANDA.

S. Blasius, mart. et soc.

Hieromartyris titulo, qui de episcopis juxta ac de presbyteris usurpatur, decoratus prodit S. Blasius in synaxariis bene multis, tum antiquioribus, tum recentioris ævi; male tamen vocatur *presbyter* et ***martyr*** in Kalend. Basilianorum Italo-Græciæ Mss., quod in Musæo suo adservant Bollandiani. — In Mst. agitur *memoria S. Hieromart. Blasii;* in Rum. rectius inscribitur: *Passio sancti antistitis Blasii*, cum hoc die martyrium consummasse testentur ipsius Acta, in Menolog. Slav. inserta, auctore Metaphraste. In Assem. Siš. Chil. habetur: *Sancti hieromartyris Blasii;* in aliis brevius ita: *S. Blasii*, et in Pap. brevissime: *Blasius*. Horol. convenit cum Chil., additque: *episcopi Sebasteni;* quod passim recurrit apud recentiores; quin et archiepiscopus prædicatur in Men. Græcis excusis. In Menol. insuper adjicitur: *et qui cum eo passi sunt;* in synaxario autem expresse nominantur *septem mulieres*, ante ipsius passionem gladio animadversæ, et duo pueri qui simul cum eo capite plexi sunt hac eadem die. Prologi auctor synaxarium suum deprompsit ex Men. Græcis excusis, quæ cum Sirm. Mss. de sociis S. Blasii agunt seorsim. Sanctarum mulierum expressa mentio fit in titulo Menologii Basiliani; imo in tabella repræsentantur martyrio S. Blasii adstantes; non sine nota anachronismi, cum constet eas antea passas esse. Rarum esse apud Græcos cultum S. Blasii asserit Mazochius in observationibus ad 3 Febr. Kalendarii Neapolitani; an recte, dubito valde. — S. Theodoram imperatricem recolunt hodie synaxaristæ et menologi recentiores; secus Græci, teste Menologio Basilii et aliis quibusdam. Vita ejus, quam ad 12 Febr., pag. 554 et seq. ex variis scriptoribus conflatam dedit Bollandus, hactenus desideratur in Menologiis Slavonicis, quemadmodum et aliorum sanctorum bene multorum. — S. Macedonium, quem Sirm. commemorat solus, Menæa Græca excusa referunt 29 hujus, tacentibus Codd. Slavicis utroque die. — De S. Zacharia, patre S. Joannis Baptistæ, agi hodie testatum faciunt Menæa Græca; Latina vero Martyrologia memorant ad 5 Novembris. — Notabilis est hodierna lectio Kalend. Italo-Græci: *Antiochiæ, sancti Simeonis monachi Ordinis Sancti Basilii, qui in columna stans multos annos vixit; unde et stylitæ cognomen accepit; cujus vita et conversatio extitit admirabilis. Ejus natalis celebratur tertio Idus Januarii*. Hæc eadem leguntur in Martyrol. Romano, at non tertio Idus Januarii seu die XI, sed Nonis Januarii seu 5 die. Hæc describere placuit in gratiam lectoris Slavi, qui nunquam forsan audiverit S. Simeonem Stylitam ex ordine fuisse S. Basilii Magni. — *De S. Demetrio hegumeno in Pryluka* paucis absolvit Kulčinius in *Specimine Eccl. Ruthenicæ*, pag. 7 editionis Parisinæ, a me paratæ; uberior notitia dabitur modo, tum ut Papebrochii desiderio aliquatenus fiat satis, tum etiam ut lector catholicus amplius informetur de actis et virtutibus hujusce viri, quem *sancti* titulo ornaverat Kulčinius, *thaumaturgum* vero Vologdensem passim appellant indigenæ. — Ibidem illustranda erit memoria Vsevolodi, ducis Pscovensis.

S. Macedonius.

S. Zacharias.

S. Simeon Stylita.

Demetrius Prilucensis.

S. Theodora Augusta.

Vsevolodus, dux.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Vsevolodus, dux Pscovensis.

Lucem aspexit Vsevolodus, in baptismo Gabriel, circa initium sæculi duodecimi, Novgorodiæ. Cui a Mstislao patre suo, totius Russiæ magno duce, præfectus anno 1117, omnium virtutum, quæ christianum principem decent, præbuit exempla, justitiæ nempe, clementiæ, pietatis, præsertim vero caritatis; qua vere orphanorum et viduarum tutor erat et quibusvis misericordiæ pandebat sinum. Pluribus in locis templa excitavit; quorum illud maxime laudandum, quod Opočæ constituit patrono S. Joanni Baptistæ. Propter bellum contra Suzdalienses infeliciter gestum a Novgorodensibus pulsus, Vyšegorodi aliquantum temporis constitit; dein vero a Pscovensibus in regem assumptus est anno 1137, non diu tamen eis-dem præfuturus. Anno enim proxime sequenti lethali morbo correptus ad regem regum migravit, die 11 Februarii. Defuncti principis corpus cum in urbem suam deferre statuissent Novgorodenses, factum esse traditur, ut nulla vi de loco suo potuerit dimoveri. Mansit itaque Pscoviæ, ubi, postquam quinquaginta quinque annos jacuerat, integrum repertum perhibetur die 27 Novembris, ac tandem nostra ætate, anno scilicet 1834, die 22 Aprilis, e sacello laterali in partem interiorem ecclesiæ cathedralis summa pompa translatum fuit. Quocirca ter in anno colitur prædictis diebus, mortis, inventionis et translationis anniversaria memoria illustribus.

Cfr 1) Prol. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag. pag. 69. 3) Muraviev, Vitæ SS. ad 27 Nov. 4) Menol. Verš. ad h. d. 6) Liber. Grad., I, 254-265.

Demetrius Prilucensis.

Natus in urbe Perejaslaviæ Transylvanæ (seu Zalesciæ) monasticum habitum ibidem in monasterio Goricensi induit. Dein hegumeni munere defunctus est in cœnobio S. Nicolai, quod ad lacum Perejaslaviensem fundaverat, non longe a laura S. Sergii Radoneżensis, cujus commercio frequentissime utebatur. Deinde, relicto monasterio, in fines Vologdæ contendit; sedeque sua non procul a Vologda urbe fixa, ecclesiam et monasterium Prilucense fundavit anno 1371, Demetrio Tanaico, magno Russiæ duce, necessarias ad id expensas suppeditante. Vere pater pauperum fuit ac pupillorum et viduarum advocatus. Debitoribus, unde solverent,

Dies XII Februarii.

rent, præstabat, aut condonabat; et plurimos captivorum redimi curavit et suis restitui. Obiit anno 1391, die 11 Februarii, et in ecclesia Prilucensi tumulatus fuit. Ejus Vitam exaravit Longinus, monasterii modo laudati hieromonachus.

Cfr 1) Prol. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag. pag. 87. 3) Menol. Verš. ad h. d.

Georgius Junior.

Eadem die agunt nonnulli de Georgio Juniore, anno 1541 a Turcis crudeliter occiso in Bulgaria; verum de eo melius agetur ad 26 Maii.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Meletii, archiep. Antiocheni (*Mst. Rum. Tern. Prol. Menol. Men. Kal. Hor. cum Hier. GP. Vind. Goth. Nan. Sirm. Flor. Msq. Mg.*). S. Antonii, archiep. CPolitani (*Rum. Men. Bud. Prol. Hor. Kal. Eph. cum Bas. Sirm. Nan. Hier. Mg.*). SS. Mariæ, quæ et Marinus, et Eugenii patris ejus (*Menol. Prol. Kal. Bud. cum Bas. Sirm. Mg.*). S. Maronis thaumaturgi (*Kal. Mosq.*). S. Theodoræ, imperatricis (*Ephem.*). S. Alexii, metropolitæ Kioviensis (*Men. Prol. Leop. Kal. Ephem.*). Apparitio iconis B. M. Virginis Ibericæ (*Kal.*). Translatio corporis Michaelis Cernigoviensis.

† MM. Saturnini et Plotini (*Sirm. Maz. Mg.*). † Martyrum mille et trium Nicomediæ (*Sirm. Msq.*).

OBSERVANDA.

S. Meletius.

In Mst. et Rum. præfigitur nota *Memoriæ;* in priore nominatur primo loco; in posteriore post Antonium CPolitanum. Tern. Paris. I et Poss. conveniunt in depravato nomine *Melentii*, quibus addendus Genebrardus habens *Moletium*. Poss. insuper appellat *martyrem*, sensu latissimo. Cæteri communiter habent ita : *S. P. N. Meletii, archiepiscopi Antiochiæ;* Tern. brevius : *S. P. Melentii;* Ephem. brevissime : *Meletius*. De eo recurret sermo ad 22 hujus. Officium proprium habet in Menæis, in Menologio vero synaxarium ex variis auctoribus conflatum. Cfr Acta SS. Febr. t. II, pag. 600; Oriens. Christ, t. I, pag. 713; Febr. IX,

S. Antonius.

pag. 304. — *Memoria Sancti Patris nostri Antonii, archiep. CPolitani* annuntiatur in Menol. Basilii primo loco, prætermisso S. Meletio, aut potius ad 23 Augusti remisso. In synaxario male cognominatur *Vlacheas* pro *Caulea*. Egregias Antonii virtutes, imprimis autem liberalitatem in pauperes cujusvis nationis, Scythas, Mysos aliosque, deprædicat Nicephorus philosophus apud Bollandianos, Febr. t. II, pag. 621. Consulatur etiam

S. Marinus.

Hist. chronol. patr. CP., pag. 113. — In nonnullis Kalendariis, Leop. Bas. vocatur *Marina*, minus recte, pro Maria aut Marino. In Actis SS. de ea

S. Alexius.

tractatur Jul. t. IV, pag. 278. — S. Alexii Kioviensis nomen reperitur non solum in Kalendariis superius allatis, sed in aliis quoque quam plurimis, quos longum esset recensere. Breve de sancto antistite commentarium præmisit Henschenius Actis sat antiquis, quæ Vilna acceperat a Sarbievio nostro, et in opere Bollandiano vulgavit ad hanc diem, pag. 639. Plura suppeditabunt tum *Memoriæ Slavicæ*, tum maxime auctores ad calcem earum citandi. Hic duo notanda in antecessum : alterum est, Alexii nomen desiderari in Horologio Ruthenorum Počajoviensi; alterum vero, codicem illum Leopolitanum, qui in titulo citatur, asservari in Bibl. Universitatis Pragensis. — In Kalen-

S. Maro.

dario Mosquensi, anni 1818, nempe in syllabo ecclesiarum Mosquensium et Festorum quæ in eisdem quotannis celebrantur, commemoratur ad hanc diem post S. Alexium S. Maro his verbis : *Et venerabilis patris nostri Maronis thaumaturgi.* Ejus solennia agi dicuntur in ecclesia Annuntiationis, ubi exstat sacellum ejus nomine dicatum. De S. Marone agitur iterum 14 et 19 Januarii. — Ephemerides Græco-Moscæ singulares sunt, dum hodie repræsentant S. Theodoram Augustam,

S. Theodora.

quam cæteri omnes referunt pridie. — Similiter de MM. Nicomediensibus actum est supra ad 7 Januarii. — De inventione iconis Ibericæ, a fabulis non omnino salva, consulantur *Memoriæ Slavicæ* ad 26 Junii et liber, cui titulus *Gloria Mariæ semper Virginis*, part. III, sect. II. pag. 21.

SS. Martyres Nicomedienses.

Imago B. M. V. Iberica.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Alexius, metrop. Kioviensis.

Natus est Alexius, baptismali nomine Eleutherius, in Volynia, anno 1293, a parentibus catholicis et nobilibus, Theodoro et Maria. Duodennis, cum aucupio, puerorum more, oblectaretur, nocte audivit per somnum vocem dicentem sibi : Alexi, quid frustra laboras? Ecce, abhinc eris homines capiens. Mirabatur puer Alexium se vocari. Igitur ubi ad annum ætatis duodevigesimum pervenit, religiosæ vitæ se dedit in monasterio Epiphaniæ Mosquensi, nomenque Alexii cum habitu accepit. Litteris Græcis apprime excultus, novum Testamentum e Græco idiomate Slavonicum fecit. Sanctitatis vero fama fruebatur tanta, ut anno 1350 episcopus Vladimiriæ Kliazmensis creatus sit et Theognosti metropolitæ coadjutor, anno vero 1354 metropolita Kioviæ totiusque Russiæ a synodo salutatus, annuente patriarcha Constantinopolitano Philotheo. Quia tamen hic alterum metropolitam simul designavit, Romanum nomine, et patriarcha Ternobiensis Kioviam tertium submisit, nomine Theodoretum; idcirco Ecclesiam Kiovien-sem per vicarios gubernavit Alexius, rerumque componendarum causa iter Constantinopolitanum bis instituit. Rexit autem Ecclesiam sibi concreditam summa laude. Principes Tverenses a bellis mutuis cohibuit. Tšanibegi, Tartarorum chani, qui in Russiam dominabatur, uxori jam triennio cæcæ visum restituit. Antequam autem ad civitatem pervenisset in qua regina degebat, illa ipsa in somniis vidit sanctum sacerdotalibus vestibus indutum. Quare etiam omnem habitum episcopo et sacerdotibus, ejusmodi qualem vidit, parare jussit; abeuntem vero præsulem muneribus cumulavit. Cumque immanis Berdebecus, patre suo Tšanibego et duodecim fratribus crudeliter necatis, rerum potitus, Russorum ditionem crudeli manu invasurus esset, Alexius in Tartariam iterum mittitur, iram tyranni sopit, et optatam Ecclesiæ patriæque affert pacem. Ad sedem

sedem suam redux, muneri pastorali impensius explendo incubuit. Plurimis in locis ecclesias et monasteria exædificavit, splendoremque cultui divino reddidit antiquum; martyrum quoque Lituanorum Joannis, Antonii et Eustathii, qui sub Olgerdo ethnico passi fuerant, cultum publicum fecit, annuente Philotheo patriarcha. Mosquæ templum in honorem archistrategi Michaelis, e sectis lapidibus, extruxit, ibique sepulcrum propriis manibus excidit. Demum, postquam plurima ad incrementum gloriæ divinæ præclare egisset, virtutibus et miraculis clarus, peracto Missæ sacrificio et benedictione principi populoque impertita, ex hac vita decessit, anno 1378, feria sexta, die Februarii 12 (secundum alios 15, sed errore manifesto, cum anno 1378, currente litera dominicali C, dies 15 in feriam sextam incidere minime potuerit), venerandam adeptus senectutem et de obitu suo a Deo præmonitus. Conditus est in monasterio, ut vocatur, Miraculoso (Cudovo), quod ipsemet erexerat; et ter quotannis colitur, nimirum die Februarii 12, die 20 Maii, qua translatus fuit, denique quinta Octobris, tribus Mosquæ archipræsulibus sacra. S. Alexii gesta a pluribus illustrata sunt atque descripta; at quinque potissimum circumferuntur Vitæ seu Legendæ Slavonice scriptæ. Harum prima, auctore forsan Pitirimo, ep. Permiensi, qui anno 1445 e vivis cessit, obviam est in Codd. Mss., cæterisque antiquior. Secunda, quam fuse conscripserat Pachomius Logotheta anno 1460, longe fusior evasit in *Graduali libro* (1, p. 114), ubi rebus gestis Vitas quoque illustriorum Sanctorum intexuit auctor. Tertia, auctore incerto satisque brevis, incipit his verbis : *Hic sanctus pater noster Alexius genere erat nobilissimus, e regione septentrionali, etc.;* exstat in Prologo, anno 1641 Mosquæ vulgato. Quartam reperies in Chronico Novgorodensi (t. IV, pag. 55). Quinta denique, cui inscribitur *Concio de Vita S. Alexii*, legi potest in Prologo recenter excuso ad hanc diem. Hactenus de *Vitis* Alexii tum excusis, tum Mss., ex Macarii, archiep. Charkoviensis, Historia Eccles. Russ., tom. III, nondum omnino absoluto. Quibus addendi sunt sequentes auctores :

Dies XIII Februarii.

1) Acta SS. ad 12 Febr., pag. 639. 2) Kulčinii, Specimen, pag. 8. 3) Menol. et Prolog. ad 12 Febr., 21 Maii et 3 Oct. 4) Dict hag., pag. 18. 5) Hist hierar. Russ. III, pag. 296. 6) Philaret. Obzor., n° 70.

Michael, dux Cernigoviæ.

Eadem die Michaelis, *ducis et martyris, reliquiarum translatio Cernigovia Mosquam.* De hoc principe agitur ad 20 septembris, qua passus est.

DIES XIII.

Ostromiranum. VACAT.

Ex variis. S. P. N. Martiniani (*Mst. Rum. Tern. Par. I, III. Men. Prol. Hor. Kal. Pap. Cap. Poss. cum Bas. Hier. GP. Vind. Goth. Pg. Flor. Msq. Sirm. Maz. Mg.*). S. Eulogii, archiep. Alexandrini (*Rum. Men. Prol. cum Bas. Sirm. Mg.*). SS. mulierum Zoæ et Photinæ (*Men. Prol. Kal. Hor.*). SS. Acquilæ et Priscillæ (*Rum. cum Bas. Sirm. Mg.*). S. Simeonis Myrobletæ (*Chil. Ath. Prol. Men. Kal. Bud. Ephem. Par. II, III et VI*). SS. MM. Pamphyli et Porphyrii (*Rem.*).

† Timothei, patriarchæ (*Neap.*). † MM. patris et filii, cruci affixorum (*Mg.*) † P. N. Maïusimæ (*Sirm.*). P. N. Acepsimæ (*Sirm.*) † Theodosii, cœnobiarchæ (*Italg.*).

OBSERVANDA.

S. Martinianus. Quæ in titulo relata sunt modo, testatum faciunt Græcos Slavosque unanimes esse in recolenda memoria S. Martiniani ad præsentem diem; nam quod in Par. VI ad 14 hujus relatus sit, id propter festum S. Simeonis Serbi factum esse liquet. Nota *memoriæ* expresse signatur in Mst. et Rum.; at a cæteris omittitur. Ab aliis vocatur *sanctus, venerabilis* ab aliis; ut iterum perspectus fiat promiscuus utriusque denominationis usus. In Men. Græcis additur : τοῦ ἐν τῷ Βουνῷ. *Marciani* apud Genebrardum et *Martiani* apud Possevinum

S. Eulogius. minutiæ sunt, vix attentione dignæ. — Eulogii nomen occurrit etiam sequenti die in Tabulis Græco-moscis; utroque die agitur de patriarcha Alexandriæ, cujus gesta et virtutes illustrata sunt in Actis SS. Sept. tom. IV, a pag. 83; ubi præter alia observatu digna est duplex visio, quam habuisse fertur sanctus antistes, et quæ ex Menologio Basilii defluxit in Menæa Græca et Slavonica ætatis recentioris. Consulantur etiam quæ de hoc patriarcha disseruit auctor Hist. Chronol. de

SS. Acquila et Priscilla. patr. Alexandr., pag. 68. — SS. Acquilæ et Priscillæ festivitas peragitur apud recentiores Græcos Slavosque 14 Julii, non secus ac apud Latinos. Vi-

S. Simeon Myrobleta. desis Acta SS. 8 Jul., pag. 534. — Post S. Sabbam, archiepiscopum, nemo alius e Serbis tanta sanctitatis miraculorumque fama gaudet apud suos quam Simeon Nemania, S. Sabbæ parens, et ex rege Serbiæ, monachus, anno 1200 vita defunctus. Cujus memoria recolitur jam in Fastis Serbicis sæculi XIII, estque satis frequens. In Par. II, III et IV cognominatur *Serbicus;* item in quatuor codd. bibl. Vindob. signatis 13, 15, 17, 22; in Par. VI et in Anthologio Kulčinii prædicatur *Serbiæ doctor et novus myrobleta. Myrobleta* nuncupatur etiam in Chil., in Evangelistario bibl. Vindob. signato 28, sæculi XIV, et in recentioribus sat multis. *Serborum episcopus* hallucinatio est Kulčinii, indigna quæ refellatur. Plura suppeditabunt *Memoriæ Slavicæ.*

— Prorsus singularis est et insolita lectio Evang. *S. Pamphilus.* Remensis, referens SS. martyres Pamphilum et Porphyrium, ejus famulum; de quibus cæteri omnes certatim agunt 16 februarii, Latini vero etiam die 17 febr. et 1 junii, ut magis declarabitur infra. Nec transpositionis hujusmodi ratio in promptu est, cum dies 16 in Remensi vacet. —

Cl. Mazochio S. Timotheus, marmori Neap. hodie *S. Thimotheus, patriarcha.* insertus, idem est ac S. Timotheus cognomento ϕοδίσμος : quod multis explicare et stabilire conatur in adnotationibus suis ad hanc diem. Recolantur etiam dicta ad 9 Maji. — An S. Maïusimas *SS. Maiusimas et Acepsimas.* distinguendus sit a S. Acepsima, mihi non liquet; inquirere autem non vacat, præsertim cum neutrius nomen in Synaxariis Slavicis signatum reperiatur ad præsentem diem.

DIES XIII FEBRUARII.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Simeon Nemania.

Stephanus Nemania, hujus nominis secundus, in cœnobio Simeon dictus, filius erat Tichomili, anno 1114 natus. Zentæ, in ecclesia S. Michaelis Archistrategi baptisma suscepit, sed ritu, ut videtur, sacrilego Patarenorum seu Bogomilorum; quorum nefanda hæresis Zachlumiam, Zentam, Dalmatiam, totamque Bosniam late jam invaserat, et latini perinde ac græci ritus homines Ecclesiasque cum ipsis sacrorum ministris corruperat. Veneno isto infecti erant non modo magnates plurimi, sed et ipse Culinus, Bosniæ princeps, Nemaniæ socer, et principis uxor, et soror, Nemaniæ fratri connubio juncta. Verum, baptismi vitio agnito, in Rassia, ubi Bogomilorum hæresis damnabatur, Stephanus catholico, sed græco ritu, quum adhuc puer erat, iterum baptizatus est ab episcopo Leontio in ecclesia SS. Petri et Pauli. Postquam adolevisset et regioni suæ fuisset præpositus, ditiones parenti suo, a Græcis vi ablatas, recuperavit; factusque est totius Serbiæ et Maritimæ dominus et megajupanus, seu magnus comes. Fredericum I, imperatorem, Jerosolymitanæ expeditionis ducem, magna pompa excepit in civitate Nissa, aliquando munita; eique splendida munera obtulit, vinum insuper et hordeum, oves et boves, et inter cætera dona eos, quos dicunt, boves marinos seu phocas sex, aprum mansuetum et tres cervos vivos itidem mansuetos. Singulos quoque imperatoris familiares principes munifice variis donis honoravit. Se ipse denique et omnes suos cum armis obtulisse dicitur in adjutorium susceptæ expeditionis cruciatæ, et *specialiter*, ut Ansberti chronographi verbis utar, *adversus regem Græciæ, si forte contingeret adversari* eum *Christi exercitui, sicut ipsi de eo tunc opinabantur, propter præmissos latrunculos*, militiam crucis *in dies infestantes*. Dum itaque Serbiæ præesset, pietate et præsertim liberalitate ac misericordia enituit, innumeris eleemosynis in pauperes erogatis, pluribusque templis et monasteriis exstructis; inter quæ celeberrimum illud, auro ac marmore ornatissimum, quod ad fluvium Studenitsam etiam nunc conspicitur. Quo in genere pietatis, apud Serbiæ reges tam solemni, præivit exemplo. Procreavit Stephanus cum Anna uxore sua filios tres Stephanum, Vulcanum et Rastcum, deinceps primum Serbiæ archiepiscopum, a quo etiam ad vestem monasticam capessendam fuit illectus. Cum nempe Sabbas seu Rastco, adhuc junior, in Montem Atho sive Sanctum clam aufugisset, vitamque religiosam ibidem fuisset amplexus, patri suo, licet rem ægerrime ferenti, ut se imitaretur feliciter persuasit. Itaque, postquam annos triginta septem Serbiam gloriose gubernasset, filium Stephanum, secundo loco natum, qui vulgo Primocoronatus vocatur, successorem suum designavit; mundique honoribus et pompis valedicens coronam cum cucullo commutavit, et in cœnobium Studenicense, a semetipso erectum, sese abdidit, ibique minorem et majorem habitum ab episcopo Callinico, exquisito pietatis sensu, suscepit anno 1195, die Martii vigesima quinta. Mariti sui exemplum imitata est Anna, in religione Anastasia dicta. Exactis autem duobus annis, Studenitsa in Montem Atho venit Simeon, 2 Novembris anno 1198; ibique in claustro Vatopedi erectis sex sacellis, post annum unum et menses quinque in Chilandarium transiit cum filio suo Sabba; ubi reliquum vitæ suæ mansit. Religiosæ vero vitæ curriculum tanto fervore, tantaque potissimum humilitate emensus est, filio magistro et duce, ut in admirationem raperet socios universos. Monasterium Chilandariense, deinceps omnium longe celeberrimum, tunc vero pene dirutum, e ruderibus de novo excitavit, optimeque dotatum, ecclesia, sub titulo Præsentationis B. M. Virginis seu, ut Græci aiunt, Ingressus in templum, auxit, impetrans insuper ab Alexio Comneno, imperatore, filii sui Stephani regis socero, ut prædictum cœnobium Serbiæ regum proprium esset, nec alteri juri quam imperiali obnoxium; unde Serbicum nuncupari ex illo tempore solitum est. Tandem senio et jejuniis confractus, cum exemplo suo plurimos Christo lucratus esset, et brevi cursu multa tempora explevisset, piissime in S. Sabbæ, filii sui, amplexibus obdormivit anno 1200, die Februarii decima tertia, ætatis anno octogesimo septimo, sacramentis Ecclesiæ refectus et cælesti etiam visione recreatus. Corpus ejus e monasterio Chilandariensi Studenitsam translatum fuit a S. Sabba, jam archiepiscopo, die undevigesima Februarii, anno 1208. Hujus translationis occasionem et historiam accipe ab ipsomet beato archipræsule, in Vita S. Simeonis. *Interea,* ait, *cum multæ turbationes fuissent exortæ in Græcorum regione atque ad nos usque perrepsissent, rogatus fui a fratribus meis, Stephano rege et Vulcano megajupano, ut parentis nostri corpus in patriam ab omni turbatione immunem transveherem. Quam petitionem justam esse tempusque opportunum videns, sepulcrum patris mei aperui, et reperi corpus ejus integrum et illæsum, licet per octo annos ibi jacuisset. Sacras itaque reliquias accipiens, itineri me accinxi, et quamvis magni in regionibus istis fierent tumultus, ego tamen Dei auxilio fretus et B. V. Mariæ ac venerandi parentis mei intercessione adjutus, per ignem, ut aiunt, et aquam transivi, incolumis et illæsus, et perveni in civitatem Serbiæ Chvostno dictam. Ulterius progredienti mihi obvii occurrerunt fratres prædicti Stephanus et Vulcanus, simul cum episcopis, presbyteris, hegumenis, monachis quam plurimis et magnatibus universis, atque venerandum corpus domini Simeonis ipsimet detulerunt in ecclesiam monasterii Studenicensis, ubi in tumulo pridem parato condiderunt pompa solemni magnoque populi concursu. Atque hæc facta sunt die decima mensis Februarii.* Sacræ Simeonis exuviæ miraculis mox inclaruerunt, oleumque suavissimi odoris stillare cœpit, adeo quandoque copiosum, ut totum sacellum perfundere videretur; unde et Myrobletæ nomen et peculiarem cultum apud Serbos obtinuit sanctus Simeon. Festum ejus agitur ad diem decimam tertiam

tertiam Februarii, qua cessit e vivis. Vitam autem habemus a pluribus auctoribus adumbratam; inter quos primo sane loco censendi sunt ambo S. Simeonis filii, S. Sabbas et S. Stephanus Primocoronatus, modo laudati; quibus addendus Dometianus, hieromonachus Chilandariensis et S. Sabbæ discipulus; insuper et Daniel II, inter archiepiscopos Serbiæ ordine postremus.

Cfr 1) Vita S. Simeonis, auctore S. Sabba, ed. Schafarik. 2) Vita ejusdem, auctore S. Stephano, rege, ed. Schafarik. 3) Vita ejusdem, auctore Dometiano, ms. 4) Daniel II, arch. Serbiæ, Genealogia regum Serbiæ. 5) Acta SS., tom. I Jan., pag. 979 et seq. 6) Pejacevič, Hist. Serbiæ, pag. 163 et seq. 7) Raič, Hist. Serb.. lib. VII, cap. 3. 8) Chronica Serbica, in Pamatky, ed. Schafarik. 9) Assemani, Kalend., t. VI, pag. 38 et seq. 10) Farlati, t. VII, pag. 33. 11) Prologus, ad diem XII Februarii. 12) Kulčinius, Specimen Eccles. Ruthenicæ, ed. Paris., pag. 11. 13) Légendes Slaves du moyen âge, ed. A. Chodzko. 14) Ansberti Historia, pag. 31 et seq. 15) Manuscrits Slaves de la bibl. impériale de Paris, par le P. Martinof, S. J. pag. 47 et seq.

DIES XIV.

Ostromiranum. MEMORIA VENERAB. AUXENTII, THAUMATURGI (*Omnes*). VENERABILIS PATRIS NOSTRI CONSTANTINI PHILOSOPHI, QUI IN MONACHATU DICTUS EST CYRILLUS (*Ass. Par. I. Rum. Men. Prol. Hor. Pap. Cap. Leop. Bud. Val. et alii quam plurimi*).

Ex variis. S. Eulogii, patr. CP. (*Ephem.*). S. Abramii, ep. Carrarum (*Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*). S. Martiniani (*Par. VI*). S. Maronis, eremitæ (*Menol. Prol. Kal. cum Sirm. et Mg.*). S. Isacii, reclusi Cryptensis (*Pat. Men. Kiov. Serb. Kal.*). S. Eustratii, mart. Chersonesi (*Prol. ms.*). Translatio corporis Michaelis Cernigoviensis (*Kal*).

† Philemonis, hieromart., ep. Gazensis (*Bas. Sirm.*). † Synaxis S. Joannis Evangelistæ in ecclesia Diaconissæ (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Cyrillus, Slavorum apostolus. S. Cyrilli, Slavorum apostoli, memoria, in Græcorum Fastis nuspiam obvia, in Slavicis celebratissima est atque ab remotiori ævo frequentata. Testantur id libri liturgici melioris notæ sæculo XI et sequentibus exarati; quibus omnibus sive auctoritate sive ætate præit Evangelium Ostromiranum anno 1056 et 1057 conscriptum, festum S. Cyrilli annuntians modo supra relato. In qua annuntiandi ratione duo notatu non indigna sunt, nempe *Constantini* nomen, cujus loco nonnisi extremo morbo Romæ laboranti inditum fuit nomen *Cyrilli*, et titulus *philosophi*, quo passim distinctus prodit Cyrillus. Præterea, solet *Slavonicæ gentis doctor* nuncupari; quin et *Catanensis episcopus* in quibusdam fastis cognominatur, forte inepte. Sed singulorum codicum genuinam phrasim in medium proferamus, ut cuivis perspectum fiat, quantum inter se varient quantisque modis inclytissimum Slavorum apostolum deprædicent et condecorent. In Assemaniano glagolitico habetur : *Sancti Patris nostri Cyrilli philosophi;* similiter in Paris. I, demptis vocibus : *Patris nostri*. In Rum. recolitur *memoria SS. PP. nostrorum Auxentii et Cyrilli, doctoris gentis Slovenicæ;* ubi notandum ultimum vocabulum, utpote quod proprium sit gentis hujus nomen et germanum. *Sloveni* nempe passim audiunt in monumentis slavicis antiquioris ævi, non *Slavi*. In Horologio Ruthenorum refertur post S. Auxentium his verbis : *Et venerabilis Patris nostri Cyrilli, episcopi Catanensis;* quibus minori charactere subditur : *Philosophi et doctoris Slovenorum et Bulgarorum, atque inventoris literarum* (Slavicarum), *quas e græcis russicas fecit, anno salutis* 863, imperii *Michaelis tertio*. In alio codice Evangeliorum Leopolitano legitur : *Idem Slavos et Bulgaros baptizavit*. Undenam *Catanensis episcopus* dictus sit, adhuc nescitur; ita tamen appellatur in plurimis codicibus, Bud. Leopol. aliisque recentioris ævi; imo in nonnullis vocatur episcopus civitatis *Canaonensis*, ut in Prologo Mosq. excuso, et *Natanensis* in Pap. mss. Varii quoque sunt dies commemorationis : nimirum hoc die recolitur S. Cyrillus solus, qui est ejus dies emortualis; at 9 Martii, 6 Aprilis, 11 Maii et 26 Augusti celebratur simul cum fratre suo, S. Methodio, archiep. Moraviæ. Nuperrime tandem decretum est a summo pontifice Pio IX, ut festivitas utriusque sancti in posterum celebretur 5 Julii; quo et reapse celebrata est hocce anno apud Slovenos, Bohemos, Moravos et Croatas, a SS. Cyrillo et Methodio mille annis abhinc evangelicis doctrinis imbutos. Hactenus codices excusi, quos mihimetipsi propriis oculis inspicere licuit et manibus versare. Addendi sunt codices mss. quorum magna copia in pluteis Petropolitanis et Mosquensibus congesta latet, et unde sequentia proposuit cl. Nevostrujev, in annotatis suis ad Kalendarium Evangelii Mstislavici, toties in decursu hujus operis a me citandi. Commemoratur igitur S. Cyrillus in duplici Prologo bibl. Synodalis Mosquæ, signato n° 247 et 248; insuper in Prologo Serbico sæculi XIII, quem citat in opere suo de Joanne exarcha Bulgariæ doct. Kalaidovič; in Menæis sæc. XII ejusdem bibliothecæ, signatis n° 164; item in codice Evangeliorum sæc. XIII musæi Rumiantsoviani, signato n° 106; in tribus aliis codicibus sæc. XIV bibl. synodalis, signatis nn. 21, 46 et 25, quorum primus exaratus est anno 1307, secundus anno 1337, tertius anno 1358; denique in volumine Actuum Apostolorum quod scriptum est intra annos 1309 et 1312, et signatum n° 45, ut juniores codices prætereantur, quos nimis longum esset recensere. Hæc ita summatim dicta, fusius, ut spero, declarabuntur in egregia *Descriptione codd. mss. Slavicorum bibliothecæ synodalis Mosquensis*, tomo secundo, quem vir doctissimus mox dabit in lucem. Non est hujus loci fastos latinos referre, qui S. Cyrillum commemorant; alioquin nota sunt ex eis quæ Josephus Dobrovsky, slavicorum studiorum facile parens, publici juris fecit in præclaro opusculo cui inscribitur SS. *Cyrillus et Methodius, Slavorum apostoli*. Quorum acta etsi ab aliis quoque illustrata sunt, nec sine magno eruditionis apparatu; tamen ad tuendam omnimodam eorum sinceritatem, brevia occurrunt, scopuli et syrtes in mari magno, quod mihi opportuniore tempore enatandum propono. Plura scilicet in eorum vita, gestis, laboribus, ærumnis, scriptis enodanda supersunt, quæ etiam post stratam a multis eruditissimis viris viam, operosissima indagatione indigeant, nec scio monumentane hactenus cognita rem sufficienter complanatura sint. Interea consulatur breviarium rerum ab eis gestarum,

DIES XV ET XVI FEBRUARII.

quod, pro instituto meo, *Memoriis Slavicis* insertum est; inserere autem placuit ad 5 Julii, ut dies illa Latinis nunc adeo solemnis, saltem aliqua sanctorum apostolorum commemoratione sit distincta. — S. Cyrillo, Slavorum apostolo, jungitur hodie in Tabulis Græco-Moscis S. Eulogius, monastico habitu indutus, quem idcirco indigenam esse conjiciebat Papebrochius. At episcopum Alexandrinum esse constat. Quod autem habitu monastico indutus repræsentetur, id pictoris oscitantiæ tribuendum. Nec omnino displicet sententia Assemani, conjicientis errorem adesse in nominum epigraphe, legendumque *Auxentius, Eulogius, Cyrillus;* præsertim cum in Fastis Slavicis S. Cyrillus monachi titulo potius quam episcopi decoretur. — De S. Marone, qui in Menologio vocatur *Myron*, et iterum redibit 19 februarii, legesis quæ disseruntur in Actis SS., Febr., tom. II, pag. 766. — Qua ratione martyris Chersonensis titulum promeruerit Eustratius, et quo sensu id sumendum sit, declarabunt *Memoriæ Slavicæ* ad 28 Martii, quo solet coli. Occurrit etiam crastina die, modestiore designatione *monachi* donatus. — Templum sanctissimæ Deiparæ, quod Diaconissæ nuncupatur, commemoratur in Menæis Græcorum 28 Julii, quo ejus encænia peraguntur. Ex hodierna annuntiatione conjicere licet, exstitisse inibi sacellum S. Joannis, apostoli, quod tamen inter ædes eidem CPoli sacras prætermisit Cangius. (Cfr CP. christ., lib. IV, pag. 87.)

S. Eulogius.

S. Maro, eremita.

S. Eustratius Cryptensis.

S. Joannes Evangelista.

DIES XV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Onesimi, apostoli et martyris (*Mst. Rum. Tern. Par. I et VI. Sišat. Chil. Og. Ephem. Poss. Cap. Men. Prol. Hor. cum Bas. Hier. Sirl. Mg. etc.*). SS. Paphnutii et Euphrosynæ, ejus filiæ (*Leop. Hor. Bud. Kal. cum Bas. Sirm.*). S. Eusebii, anachoretæ (*Prol. Men. Kal. cum Sirm. Mg.*). S. Eustratii, mon. Cryptensis (*Pp.*).

† Pantaleonis (*Neap.*). † Maioris, mart. (*Bas. Med. Sirm.*). † Joannis eleemosynarii, archiep. Alexandrini (*Italogr.*).

OBSERVANDA.

S. Onesimus.

S. Onesimi, Ephesiorum episcopi, festum celebratur hodie apud Slavos et Græcos, apud Latinos vero die proxime sequenti. Ille est, de quo S. Paulus scribit ad Philemonem, ex servo factus apostoli discipulus et episcopus. In Mst. et Rum. annuntiatur *Passio sancti apostoli Onesimi*, quamvis non constet, utrum hoc die martyrium consummaverit, quum Latinis martyrologis hodie ignotus sit. *Apostolus* vocatur etiam in Tern. et passim; imo *unus e 70 discipulis*, uti est in Menologio. Præterea appellatur *martyr et discipulus S. Pauli* tum in Prologo tum in eodem Menologio, prælucente Basiliano; in in Chil. et Siš. *discipulus Pauli*, tantum. In Par. I breviter, de more : *S. Onesimi.* Ephemerides Græco-moscæ et Cap. nudum nomen proferunt : *Onesimus.* Quod Possevinus scripsit : *Anysini*, sat insulse, modo revera scripserit ita, et non *Anisimi.* Hoc enim ultimum vulgo usurpatur : Russorum nempe idiomate vocalis o, quotiescunque accentu careat, non aliter sonat ac *a* correptum. Longe gravior error irrepsit in Acta Slavonica, a Græcis minime distincta; in utrisque enim S. Onesimus Ephesinus perperam confunditur cum altero, Puteolano, atque Puteolis obiisse narratur, quum Romæ crurifragio mulctatum esse constet inter omnes. At Ephesi post S. Timotheum sedisse, recte testantur eadem Acta; quibus proinde Onesimus, servus Philemonis et episcopus Ephesiorum, unus est prorsus idemque, licet id non omnino probetur. In Prologo altum de episcopatu Ephesino silentium. Hinc est, quod in Tabulis Græco-Moscis S. Onesimus repræsentetur absque habitu episcopali; Prologo namque duce passim utebantur pictores. Quam in rem Papebrochius, postquam pictorem moscum laudasset, hæc subdit : *Episcopum enim non fuisse, haud satis probant ea quæ de eo habemus.* Clausula ista minime retractari ea quæ de episcopatu Ephesino ab Henschenio recte stabilita fuerunt in Actis SS., ad 16 Febr., lectorem monitum omnino voluit Papebrochius ipse, teste Sollerio in annotatis ad Martyrologium Usuardi. *Onesimi, archiepiscopi Ephesi*, meminerunt Menæa Græca ad 1 Decembris; alibi examinandum an recte. — Non assequor rationem, cur S. Eustratius huc translatus sit ex 28 Martii, quo die recolitur a cæteris. — S. Pantaleo non est diversus a medico illo Nicomediensi, qui apud Græcos Latinosque consignatur 27 Julii, quo de eo agemus et nos cum eodem marmore Neapolitano. Ex hodierna commemoratione liquet, eum bis in anno celebratum fuisse olim apud Græcos æque ac Latinos; et reapse in quibusdam martyrologiis nominatur pridie, imo et diversis diebus februarii in veteribus scriptis refertur, teste Mazochio. — S. Maïrum seu Maërum ex Men. Græcis retulimus XI Januarii; S. Maior prodit hodie in eisdem Menæis et in Menol. Basilii; uterque porro dicitur inter flagella vitam amisisse; fere idem imponitur nomen utrique; verbo, unum eumdemque esse suadent omnia. — S. Joannes, archiep. Alexandriæ, *ex Ordine S. Basilii, M.*, translatus est ad hanc diem ex 23 Januarii, quo colitur apud alios ferme omnes.

S. Eustratius.

S. Pantaleo.

S. Maior, martyr.

S. Joannes, eleemosynarius.

DIES XVI.

Ostromiranum. Ex variis.

PASSIO SANCTI PAMPHILI ET ALIORUM MULTORUM (*Mst. Rum. Ass. Tern. Par. I et IV, Siš. Chil. Og. Men. Prol. Hor. etc. cum Bas. CP. GP. Hier. Vind. Pg. Nan. Flor. Maz. Msq. Mg.*).

SS. MM. Pauli, Valentis, diaconi, Porphyrii, Seleuci, Theoduli, Juliani, Samuelis, Eliæ, Danielis, Jeremiæ et Isaiæ, sociorum S. Pamphili, Cæsareæ (*Men. Kal. Hor. cum Baz.*). SS. Martyrum Martyropoli, in Perside (*Men. Prol. cum CP. Bas. et Mg.*). S. Maruthæ, ep. Mesopotamiæ (*Prol. Men. Kal. cum Bas. Sirm. Mg.*). S. Flaviani, patr. CPolitani (*Hor. Kal. Pp. cum Mg.*). S. P. N. Alexandri (*Pp.*). Romani (*Ath.*).

† Julianiæ, virg. et mart. Nicomediæ (*Neap.*). † Flaviani, mon. (*Mg.*). † Mariamnæ, sororis S. Philippi (*Nan.*). † Euphrosynæ, virg. (*Itg.*).

Numerum

OBSERVANDA.

S. Pamphilus et soc.

Numerum martyrum, qui in Ostrom. non designatur, docet Menologium, post Eusebium, apud quem alio ordine referuntur. Ex his solus Pamphilus, qui in Bas. depravate nominatur *Pamphius*, imo *Samphilus* in Par. I, erat sacerdotali dignitate insignitus, sicuti *Valens* diaconali, cui in Rum. inditum est nomen *Paulentis*, ex duobus forsan nominibus Pauli et Ualentis contractum. Hi omnes in unum rectissime collecti communi festo hodie celebrantur a Græcis et Slavis, dum apud Latinos coluntur disjuncti et in tres varios dies dispersi : Pamphilus, Valens et Paulus 1 Junii, Theodulus et Julianus 17 Februarii, reliqui septem hodie. Verumenimvero non ab omnibus Codd. citantur omnes. In Mst. annuntiatur *passio S. Pamphili et sociorum ejus*. Rum. meminit passionis SS. *Panphili* et *Paulentis*, tantum; Paulum et Pamphilum nominat Par. I. In Rem. Pamphilo additur Porphyrius, ad 13 Februarii; Ostrog. superaddit : *et sociorum*. Asseman. longe plenius : *SS. MM. Pamphili, Valentis, Pauli, Porphyli* (lege Porphyrii), *Seleuci, Juliani et aliorum*, omissis nempe SS. Theodulo et quinque Ægyptiis, qui prophetarum nomina sibi imposuerunt. Omnium plenissime Horol., ubi etiam quinque Ægyptii accurate distinguuntur a cæteris. In codicibus melioris notæ, Ostr. Mst. et Rum. præfigitur nota : *Passio;* est enim dies quo omnes duodecim socii martyrii gloriam promeruerunt. Slavicis Menologis consentire Græcos, testatum faciunt apographa in titulo citata. Tacet solum Sirletianum, in quo S. Pamphili memoria rejecta est ad 5 Novembris, licet eo die sileatur a cæteris omnibus. Hinc sacrum manipulum hodiernum coli a Græcis nonis Novembris concludit Emin. Baronius, in adnotatis ad 1 Junii, Sirletiani Menologii auctoritate deceptus. — Qui sequitur S. Maruthas, ep. Mesopotamiæ, ædificasse dicitur Martyropolim, quam a Cæsarea minime diversam esse contendit Morcellius, Kalend. suo CPolitano potissimum innixus; in hoc enim annuntiatur *memoria S. Martyris Pamphili et sanctorum qui cum eo Martyropoli quiescunt*. Litem aliis relinquimus dirimendam. — S. Flavianus, patr. CPolitanus, commemoratur hodie in Hor. et in aliis nonnullis; in Men. Basilii nominatur die sequenti, ultimo loco; at in Hieros. die 18. Distinguendus omnino a S. Flaviano, monacho et eremita, cujus breve encomium exstat in Menæis Græcis. Romanum retulimus 4 Januarii. — Apud Græcos et Slavos festum S. Julianæ Nicomediensis fere nunquam signatur alio die quam XXI Decembris. Excipiendum Kalend. Neapolitanum, quod cæteroquin passim argumento est Latinis juxta ac Græcis communia fuisse olim plura festa, quæ deinceps variis diebus agi consueverunt. — S. Euphrosyna virgo illa est, quæ cognominatur Alexandrina et vulgo colitur kalendis Januarii, ut manifestum facit annuntiatio Martyrologii Italo-Græci.

S. Maruthas, ep. Mesopot.

S. Flavianus, uterque.

S. Julianiæ.

S. Euphrosyna.

DIES XVII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Passio S. Megalomartyris Theodori Tironis (*Mst. Rum. Prol. Men. Hor. Kal. Ass. Tern. Par. I et IV, Siš. Chil. Og. Vat. I. Eph. Cap. Poss. cum Bas. Hier. GP. Vind. Pg. Lind. Goth. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). S. Mariamnæ, sororis S. Philippi, apostoli (*Rum. Prol. Menol. Hor. Kal. cum Hier. GP. Flor.*). Inventio reliquiarum S. Mennæ Calliceladi (*Men. Prol. Kal.*).

† Auxibii, ep. Soliorum, in Cypro (*Bas. Sirm. Maz. Mg.*). † Theocteristi (*Mg. Sirm.*). † Salamanis (*Mg.*). † Flaviani, archiep. CPolitani (*Bas.*). † Pauli Junioris, episcopi (*Neap.*). † Agathonis, papæ Romani (*Itg.*). † Marciani et Pulcheriæ, imperatorum (*Mg. Marg.*).

OBSERVANDA.

S. Theodorus Tyro.

In Mst. additur : *Ejus* (S. Theodori) *memoriam celebramus primo Sabbato jejuniorum quadragesimalium;* eadem clausula legitur in Menæis Græcis excusis et Sirm. mss. In illis superadditur tum celebritatis ratio, nimirum *stupendum Colyborum miraculum*, tum etiam locus quo peragebantur solemnia sancti Martyris, in æde scilicet Sphoracii. Sed adeantur potius Allatius, Assemanus, Goar

S. Mariamna.

aliique. — Gesta S. Mariamnæ, ex qua Rum. formavit suam *Marimianiam*, illustrantur in Vita S. Philippi, quem Græci colunt 14 Novembris.

S. Mennas.

— *Calliceladum* dictum esse S. Mennam ob vocis elegantiam, monet Raderus in adnotationibus Mss. ad Menæa; idem est ac qui vulgo refertur a

S. Salamanes.

synaxaristis XI Novembris. — S. Salamanes, Silentiarius, is est de quo actum est 23 Januarii.

S. Auxibius.

— De S. Auxibio, episcopo Soliæ seu Solonis, memorant soli, ni fallor, Menologi Græci, tum hoc die, tum die 19, quo etiam celebratur a Latinis; inserendus itaque in Menologia Slavica, una cum tot aliis quorum tamen Vitæ græce latineve passim circumferuntur. Græca Vita S. Auxibii, quam latine vulgavit Henschenius, asservatur in Bibl. Regia et etiam in Burgundica Bruxellis. Incipit : Βούλομαι διηγήσασθαι ὑμῖν τὴν θαυμαστήν et reliqua. — In Italo-Gr. additur : *nostri ordinis;* praeterea : *Qui quievit quarto idus Januarii* (die 10); hoc nempe die celebratur a Latinis. Redibit 20 hujus.

S. Agatho, papa Romanus.

— S. Pulcheriæ Augustæ adjungunt Menæa Græca Marcianum conjugem, adduntque utriusque solemnia agi in Magna Ecclesia CPolitana. Utrumque nomen recurrit in Sirm. die sequenti. Verumenim vero de cultu Marciani non omnino constare asserunt Bollandiani, ad x Septembris, S. Pulcheriæ sacram, qua data occasione rem totam enodant expenduntque. Marciani nulla memoria apud Slavos.

S. Pulcheria et Marcianus.

DIES XVIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. P. N. Leonis, papæ Romani (*Mst. Rum. Tern. Par. I et VI, Prol. et reliqui cum Bas. Hier. GP. Pg. Vind. Nan. Fl. Msq. Sirm. Goth. Mg.*). S. Agapeti, ep. Synnadarum seu Synai, et thaum. (*Men. Prol. Kal. Rum. cum Hieros. Nan.*). S. Leontii (*Rum.*). S. Maximi, mart. (*Ephem.*). S. Flaviani, confessoris, archiep. CPolitani (*Men. Verš. cum Nan. Hier. Sirl.*).

† MM. Leonis

DIES XIX ET XX. FEBRUARII.

† MM. Leonis et Paregorii (*Mg.*). † Pimenii (*Neap.*). † Thomæ et Joannis Jejunatoris, patr. CPolitani (*Sirm.*). † Memoria piorum imperatorum Marciani et Pulcheriæ (*Sirm.*). † Simeonis, presb. et mart. (*Italogr.*).

OBSERVANDA.

S. Leo, papa Romanus.

S. Leonem Magnum passim referunt hodie Græcorum et Slavorum Synaxaria, Latina vero XI Aprilis et 28 Junii; quamvis nullus ex his tribus diebus sit ejus dies natalis in cælo seu depositionis; in quo assignando disputant martyrologi. In Mst. annuntiatur : *Memoria Venerab. Patris nostri Leontis;* in Rum. : *Memoria Sancti Leonis, papæ Romani;* similiter in Prologo, nisi quod addatur : *patris nostri*, et loco *Leonis* positum sit *Leontii;* et ita passim tum *Leonis* tum *Leontii* nomen usurpant synaxaristæ, Græcam scilicet formam (Λεων, Λεοντος) mutuati. Imo in eodem Rum. post S. Leonem, papam, continuo nominatur *S. Leontius* quidam, cum S. Agapio sociatus; ut facile perspicias, utrumque vocabulum æque in usu esse. — Pro *Agapio* legendum *Agapitum*, palam est; at quisnam *Leontius?* In Menæis Græcorum excusis agitur commemoratio *SS. MM. Leonis* (græce Λεόντος) *et Paregorii, qui Pataris in Lycia decertarunt.* Jamvero nominum conformitas suadet maxime Leonem martyrem a Leontio illo codicis Rum. minime esse diversum. Quod si ita est, omnino restituenda sunt nomina *Leonis* et *Paregorii* martyrum Fastis Slavicis, utpote quæ nec in Menologio, nec in Prologo, imo nec apud Veršinskium reperiantur. — In Menologio Basilii commemoratur primo loco S. Agapitus, thaumaturgus, *ep. Sinai;* Συναοῦ episcopus vocatur etiam in Hieros. Nan. Men. Græcis et Prologo; at *Synnadensis* inscribitur in Menologio. Habet præterea titulum confessoris in Menæis Græcis et prolixo encomio donatur, quod una cum titulo confessoris inde mutuatus est auctor Prologi Mosquensis. — Singularis est lectio Ephemeridum, quippe quæ laudant S. Maximum cæterosque martyrii ejus socios referant; dum alii omnes die sequenti, quo dabimus et nos. — S. Flavianum, patr. CPolitanum, exhibet hodie Menologium Slavonicum et nonnulla Kalendaria vetusta optimæque notæ, Hieros. Callipolitanum, cum Sirletiano; at in Basiliano occurrit die præcedenti; in Menæis vero excusis die 16; in Prologo desideratur. Ex Ordine S. Basilii fuerit, si fides adhibenda Martyrologio Italo-Græco. — Consule quæ de S. Pimeno presb. et martyre adnotavit Mazochius. — Simeon quoque presbyter et martyr fuisse dicitur in Martyrol. Italo-Græco, cujus apographum in Musæo Bollandiano asservatur; verum nec consuetam notam præfert : *ex ordine nostro;* nec diversus est a S. Symeone, episcopo Hieros. et martyre, cujus natalis celebratur hodie a Latinis.

S. Maximus.

S. Flavianus, patr. CP.

SS. Leontius et Paregorius.

S. Pimenus.

S. Simeon.

S. Agapitus.

DIES XIX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. Apostolorum et MM. Archippi, Philemonis et Apphiæ, virginis (*Mst. Men. Prol. Pos. Cap. Pap. Kal. Par. VI. Siš. Chil. Og. etc. cum Vind. Pg. Msq. Mg.*). S. Theodori (*Par. I*). S Dosithei, discipuli S. Dorothei (*Men. Kal.*). S. Rabulæ, discipuli S. Baripsabæ (*Prol. Kal. Menol. cum Mg.*). SS. Eugenii et Macarii, presb. Antiochiensium et confessorum (*Menol. Prol. Kal. cum Mg.*). SS. MM. Maximi, Theodoti, Hesychii et Asclepiodotæ (*Tern. Prol. Kal. Hor. Val. cum Bas. Hier. Nan. Flor. Maz. Sirm. Mg.*).

† Cononis, mon. (*Mg.*). † Cindæi, ep. Pisidiæ, Eutropii, Aniani et Agathonis, papæ (*Sirm.*). † Marini, mart. (*GP.*). † Mari, eremitæ (*Sirm.*). † Sophronii, episc. (*Sirm.*). † Timothei Cæsareensis (*Sirm.*). † MM. Sadoth et Soc. (*Nan.*). † Auxibii, ep. Solonis, in Cypro (*Nan.*).

OBSERVANDA.

S. Archippus.

Non omnes tres martyres ab omnibus referuntur, nec eadem die; in Val. signantur postridie. In Bas. 23 Nov. Tres nominat Mst.; at Archippum perverse appellat *Archipapam*, quemadmodum et Kal. CPolitanum bibliothecæ Vindobensis et Hieros. (αρχιπάππου); præterea *Archieppam*, ad diem sequentem. Nec magis recte *Apphium* fecit ex Apphia virgine synaxarista Sišatovacensis. A Latinis coluntur variis diebus; S. Archippus 20 Martii, duo alii 22 Novembris. — Paris. codex I solus est, cui inscriptum sit nomen Theodori; quod initio quidem mendosum censebam, propter *Theodotum*, mart. et socium Maximi, qui communiter commemoratur hoc die, et quandoque vocatur Theodorus, licet male; postea tamen retinendam esse statui lectionem Cod. genuinam, ea potissimum ratione ductus, quod S. Theodorus Stratilates et megalomartyr, ni hodie poneretur, omnino commemoratione careret in citato codice, quippe qui fuerit prætermissus die 8, ejus nomini passim dicata. — Præter Theodotum et Asclepiodotam, socius S. Maximi inscribitur in Fastis Græco-Slavicis S. Hesychius, cujus tamen nulla fit mentio in Actis martyrii Græcis; deest quoque in Tern. et desideratur ad 17 Sept. quando iterum refertur. Notandum quoque discrimen in modo scribendi nomen Asclepiodatæ, quod feminæ est apud Græcos, viri apud Latinos. Theodotum a quibusdam minus recte dici *Theodorum* adnotavimus supra. *Sclipiodotæ* mentio fit in Menæis mss., anno 1492 in Valachia exaratis, simul cum Maximo et Hesychio. In Rum. et Bas. commemorantur tantummodo Maximus et Theodotus, præfixa nota *passionis* seu *certaminis*. — Non unum Cononem, martyrem, nominant Kalendaria Slavica; hodiernum tamen videntur omisisse; nuspiam saltem nomen ejus reperi. Erat ille presbyter et hegumenus monasterii Phetuclæ in Palæstina; de quo exstat in Menæis Græcorum breve encomium. De cæteris aut jam actum est aut agetur die cujusque proprio.

S. Theodorus.

S. Asclepiodota.

S. Maximus et soc.

S. Conon hegumenus.

DIES XX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. P. N. Leonis, episc. Catanensis (*Mst. Rum. Tern. Par. VI. Siš. Chil. Og. Eph. Cap. Poss. Men. Prol. Hor. etc. cum Bas. Hier. Vind. Maz. Mg.*). S, Archippi, discipuli S. Pauli (*Mst. Val. cum Sirm.*).

Sirm.). SS. MM. Sadoch et centum viginti et octo sociorum (*Rum. Kal. Prol. Hor. Men. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). S. Agathonis, papæ Romani (*Prol. Men. Hor. Kal. cum Sirm.*). S. Paphnutii (*Par. I cum Hier. GP. Flor.*). S. Polycarpi, mart. (*Rem.*). DIES XXI FEBRUARII.

† Sophronii, ep. (*Bas.*). † Eutropii (*Med.*). † Cyndæi, ep. Pisidiæ (*Med.*). † Eustathii Antiocheni (*Msq.*). † Aniani (*Med. Sirm.*). † Bessarionis (*Mg.*). † Antonii, patr. CPolitani (*Italg.*).

OBSERVANDA.

S. Leo Catanensis. S. Leonem Catanensem referunt hodie pene omnia synaxaria, addito quandoque titulo thaumaturgi, quo decoratur in Martyrologio Romano. *Leontem* vocant antiquiora quædam, Græcorum more. In Menæis Græcis peculiare exstat officium, cui subditur in utraque editione Veneta synaxarium seu Vitæ breviarium. Fallitur itaque Assemanus, nullum aiens exstare synaxarium. —

S. Archippus. Diximus supra S. Archippum iterato commemorari hodie in codice Mstisl. sub deformato nomine *Archieppi;* in Valachico vero simul cum SS. Philemone et Apphia. Synaxaristæ Novgorodensi errandi occasionem præbere potuit exemplar aliquod Græcum, Hierosolymitano simile, quod edidit Scholzius. In hoc nempe ad 20 februarii, post memoriam *sancti Patris nostri Paphnutii*, additur : τῇ αὐτῇ ἡμερᾷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου ἀρχιπάππου Ματθαίου, τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου καὶ Λεόντος ἐπισκόπου τῆς Κατάνης; *eadem die S. apostoli archipapæ Matthæi, sancti ap. Pauli et Leonis, ep. Catanæ.* Hæc in editione Scholziana, anno 1830 Lipsiæ absoluta; in priore vero, Bonnæ facta anno 1823, loco *Matthæi* legitur *Matthiæ* (Ματθίου), servata alioquin eadem interpunctione. Ubi ματθαιου pro μαθητου (discipuli) inepte scriptum esse, nemo non videt. De cætero similes errores frequentissimi sunt in Fastis Græcorum Slavorumque manuscriptis. — S. Sadoch seu Sadoth, Persis *Sciadhustes*, quod nomen *amicum regis* significat, occurrit ad præsentem diem in Menologio Basilii una cum sociis suis 128. Plura de his martyribus reperies in Act. SS. tum ad hunc diem, tum ad 19 octobris, a pag. 379, quo iterum referuntur; præterea in Actis SS. MM. Orient., part. I, pag. 88, ubi S. Sadoth martyrium consummasse dicitur non *die*, sed *luna* vigesima, quæ eo anno (nempe 342) incidebat in diem octavam. — *S. Sadoch et soc.*

In Remensi Evangelio solo refertur Polycarpus, quem cæteri recolunt 23 hujus : novum argumento habes codicem hunc ab aliis abludere. — *S. Polycarpus.*

Item dicendum venit de codice Parisino I, ubi nominatur hodie S. *Papnotius*, id est *Paphnutius*, a cæteris omnibus prætermissus; legitur tamen in Hieros. et quidem, ut vidimus, primo loco. — *S. Paphnutius.*

In marmore Neapolitano insculptum est nomen *S. Cindini*, quod hic notasse sufficiet. — *S. Cyndæus.*

Mart. Italo-Græcum orditur præsentem diem his verbis : *Constantinopoli S. Antonii, episcopi, Ordinis S. Basilii*, etc., *cujus natale pridie idus februarii.* *S. Antonius, patr. CP.*

Sanctus quoque Agatho, papa, e Basilianorum cœtu fuit, eodem Martyrologio teste. *S. Agatho, papa.*

DIES XXI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Timothei in Symbolis (*Mst. Rum. Men. Prol. Kal. Par. VI, Og. Cap. Ephem. Poss. Hor. etc. cum GP. Hier. Sirm. Vind. Nan. Pg. Mg.*). SS. MM. Mauritii et 70 sociorum (*Mst. cum Sirm. Mg.*). S. Eustathii, patr. Antiocheni (*Rum. Tern. Par. I, Siš. Men. Prol. Og. Cap. Hor. Kal. Euchol. cum Hier. Goth. Nan. Med. Msq. Sirm. Maz. Sirl. Mg. Marg.*). Memoria vener. Patris Agathonis (*Rum. cum Bas.*). S. Joannis, patr. CPolitani (*Rum. cum Mg. Sirm.*). S. Zachariæ, ep. Hierosol. (*Rum. cum Mg. Sirm.*). S. Leonis, patriarchæ (*Rum.*). Inventio sanctarum reliquiarum Eugeniis (*Cap. Hung.*). S. Georgii, ep. Amastridæ (*Men. Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*).

† Jacobi (*Sirm.*). † Convuldii Panormitani (*Italg.*). † Eustathii et soc. (*Msq.*). † MM. Anthusæ et duorum famulorum (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Timotheus. Duos sanctos potissimum recolunt kalendaria recentiora : S. Timotheum qui in Symbolis, anachoretam, et S. Eustathium, patriarcham Antiochiæ; dum in antiquioribus modo hic commemoratur, modo ille, uti palam fit ex testimoniis in titulo allatis. Tabella Græco-Mosca Papebrochii repræsentat S. Timotheum, patriarchali ornatu vestitum, ut continuo intelligas errasse pictorem in appingendo nomine Timothei, pro

S. Eustathius patr. Antioch. quo ponendus erat Eustathius. — Celeberrimus iste patriarcha Antiochenus non semel in anno commemoratur in sacris Græcorum et Slavorum Fastis, 21 et 22 Februarii, 5 Junii, et olim apud Antiochenos colebatur circa medium Novembris, die scilicet, ut conjicere licet, vigesima; apud Latinos vero colitur die 26 Julii; unde constat, quam longe lateque per orientem et occidentem Ecclesia patriarchæ hujus sanctitatem eximiam venerata sit. Jamvero a plurimis refertur tum hodie, tum 5 Junii; die 22 Februarii consignatur in solo Mstislaviensi. In codice Rumiantsoviano legitur, sine alio additamento, una cum Agathone, Timotheo, Joanne, Zacharia et Leone, medius inter duos ultimos. In Prologo Mosquensi excuso dicitur obiisse Philippis Macedoniæ, quo in exilium fuerat missus, et inde Antiochiam translatus centum annis post. Idem exilii locus indicatur in Horologio Ruthenorum catholico, additurque annus 560, quasi Eustathio fuerit emortualis. Quæ omnia cum historia et temporum ratione pugnare jamdudum ostenderat Boschius, in egregio commentario ad S. Eustathii Vitam in Actis SS. præmisso. Fictitium quoque videtur iter Eustathii Ibericum, de quo fabulatur Muraviev in Vita S. Ninæ, vulgo *ancillæ christianæ*, a nobis relata 14 hujus. — In Rum. S. Joannes commemoratur *S. Joannes, patr. CP.* nominetenus juxta ac S. Zacharias; illum patriarcham CPolitanum esse, cognomento Scholasticum, hunc vero patr. Hierosolymitanum, testatum faciunt Menæa Græca excusa et Sirmundiana *S. Zacharias.* mss., in quibus Zacharias corrupte vocatur *Zachæus*. — At quisnam sit S. Leo, *patriarcha*, *S. Leo, patr.* prout annuntiatur in eodem Prologo Rum., docebor ab aliis. — Quod autem ad sanctum *Eustathium et socios* ejus attinet, verosimillimum est *S. Eustathius.* nil intercedere illos inter et patriarcham cognominem, de quo supra. — De S. Convuldio ex *S. Convuldius.* ordine S. Basilii, consulatur Martyrol. Italogr. et Romanum. Prolixum S. Jacobi encomium inser- *S. Jacobus.* tum est in Menologio Slavico.

Dies XXII et XXIII Februarii.

DIES XXII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Patris nostri Meletii, patr. Antiocheni (*Mst.*). S. Proterii, patr. Alexandrini et mart. (*Mst. cum Nan. Msq.*). S. Eustathii, ep. Antiochiæ (*Mst.*). SS. MM. Mauritii et 70 sociorum (*Men. Prol. Kal*). S. Thomæ, patr. CPolitani (*Par. I,Tern. cum. Hier. GP. Nan. Flor.*). S. Petri, monachi (*Rum. Men. Prol. Hor. Kal.*). S. Athanasii, confessoris et mon. in Paulopetrio (*Rum. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg.*). SS. Andronici et Juniæ, apostolorum (*Rum. cum Sirm.*). Inventio sanctarum reliquiarum in Eugeniis (*Siš. Chil. Og. Prol. Men. Kal. Hor. Ephem. Poss. etc. cum Vind. Pg. Msq. Sirm. Mg.*). SS. Thalassii, Limnii et Baradati, anachoretarum in Syria (*Men. Prol. Kal. cum Mg.*).

† Telesphori, papæ Romani (*Sirm. Maz. Mg.*). † Blasii, ep. (*Sirm.*). † Theclæ, mart. (*Neap.*). † Porphyrii, ep. Gazæ (*Goth.*). † Anthusæ et 12 familiarium (*Mg.*). † Syneti, mart. (*Mg. Sirm*).

OBSERVANDA.

S. Meletius. Lectio cod. Mstislavici omnino singularis est atque notatu digna. De S. Meletio Antiocheno jam actum est in Mst. Rum. aliisque 12 februarii. — *S. Proterius.* Plura dicenda erunt de sancto Proterio, martyre, ad 28, quo die refertur pene ab omnibus; ibidem declarabitur, cur variis diebus in synaxariis sit inscriptus. *Troterius* Genebrardi vix memoratu dignus. — *S. Thomas.* *Tomas* codicis Parisini, in quo orthographiæ leges sæpe sæpius læduntur, est patriarcha CPolitanus, quemadmodum id palam fit ex Kalendario Hierosol. Scholzii. Porro non inopportune commemoratur hoc die, utpote cujus tempore inventæ fuerint in ædibus Eugenii reliquiæ sanctorum martyrum, puta Andronici et Juniæ; quod fusius enarratur in synaxario diei. *Inventio reliquiarum in Eugeniis.* — Prædicti duo martyres diserte nominantur in Prologo Rum., aliis ipsammet inventionem reliquiarum referentibus, tacitis nominibus; porro *Unia* in Rum. pro Junia, uti alibi *Ulitta* pro Julitta, idiotismus est Russorum proprius. S. *Ugnefantium* Possevini, aut S. *Euphemiam* interpretis belgæ in memoriam revocare tædet. Eugenianus locus erat in parte orientali Constantinopoleos situs, ἐν τοῖς Εὐγενίου. *Horum martyrum nomina*, ait Menologii Slavici auctor, *solus Deus scit, qui ea in librum vitæ intulit.* In Prologo autem narratur Nicolao cuidam calligrapho divinitus revelata fuisse nomina SS. Andronici et Juniæ, quorum corpora in Eugeniis laterent. Quæ duo hagiologis Russis relinquo concilianda. — *SS. Athanasius et Petrus mon.* S. Athanasii nomen cum titulo *confessoris* refertur hodie in Menologio Basilii, quod CPoli cultu gauderet; in Men. Græcis additur : in *Paulopetrio*, ut ita probe distinguatur ab altero Athanasio Athonite, qui cum S. Petro etiam Athonite sociatur, uti hodiernus. De eo videsis Acta SS. Febr., tom. III, pag. 298.

DIES XXIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

PASSIO SANCTI MARTYRIS POLYCARPI EPISCOPI SMYRNENSIS. (*Ita fere omnes cum Bas. Hier. Neap. Sirm. Maz. Med. Mg. etc.*).

S. Alexandri, mon., fundatoris Acœmetorum (*Menol. Prol. Kal.*). SS. Joannis, Antiochi, Antonini seu Antonii et Moysis, eremitarum in Syria (*Menol. Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*). SS. Zebini, Polychronii, Moysis et Damiani, eremitarum in Syria (*Menol. Prol. Kal. cum Mg.*). [Damiani Esphigmenii et alterius Damiani, mon. (*Ath.*)].

† Gorgoniæ, sororis S. Gregorii, theologi (*Mg.*). † Clementis, mart. (*Mg.*). † Theæ, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Polycarpus. Dictum est in titulo *fere omnes;* id propter Cod. Remensem in quo S. Polycarpus commemoratur 20 Februarii. Hodie refertur etiam a multis martyrologis latinis, quamvis communius signetur 26 Januarii, die vero præsenti inscribatur sanctus homonymus, presbyter romanus et confessor, non martyr. *Zmirensem* episcopum, ut corrupte legitur in Tern., retulimus jam 26 Januarii. — *S. Alexander.* In Prologo et Menologio Slavonico diserte signatur hodie S. Alexander, et quidem in Menologio nuncupatur parens Acœmetorum et fundator, in Prologo autem simpliciter monachus; sed accedente brevi synaxario, quod hic speciminis gratia prodeat; est enim proprius fetus auctoris Mosci, a fusiore Vita, quæ ad 3 Julii in Menologio legitur, distinctus. In Menæis vero Græcis non tantum nullum synaxarium, sed et nulla exstat mentio S. Alexandri, neque ad hanc diem neque ad 3 Julii. Juxta Prologum itaque : *Erat hic beatus semperque memorandus Pater noster Alexander e finibus Asiæ, a copiosis parentibus oriundus. Constantinopoli literas edoctus, mundo valedixit vestemque induit monachalem. Tum in Asiam* (imo Syriam) *profectus, in eremum secessit, vitamque solitariam in antro duxit, ac multa miracula patravit. Porro quum audisset civitatem vicinam idolorum cultui esse deditam, itineri sese illico accinxit, fanumque succendit; ad mortem propterea quæsitus a loci incolis, certamen de fide Christi cum eis instituit adeo feliciter, ut urbis præfectum ac dein magnam civium multitudinem baptismali unda lustraverit. Erat ei socius individuus, Arbilus* (rectius Rabulas) *nomine, quem antea baptizaverat; hic bona omnia in pauperes erogabat, in jejuniis et orationibus jugiter perseverans; quapropter in episcopum Ephesinum* (lege Edessenum) *assumptus est, Deo ita disponente, qui timentes se nunquam derelinquit. Alios etiam quamplurimos ab ethnica falsitate ad vera dogmata traduxit Alexander, inter quos et insignem quemdam latronem; quo baptisato, in eremum secedens annos viginti decertavit ibidem, noctes in montibus ducens, die vero in cisterna vacua delitescens. Re cognita, quadringenti socii conveniunt, eumque sibi statuunt hegumenum. Quos ille in novem turmas distributos totidem monasteriis formandis addixit, secundum propriam cujusque nationem, Græcos, Syros, Romanos, Arabes, Armenos, Bulgaros,*

ros, Iberos et Khozaros. Ipse vero civitates peragrabat, omnes docendo atque pro nomine Christi strenue cum infidelibus decertando. Tandem, exactis in monachatu annis quinquaginta, ad Deum migravit; cujus venerandum corpus in finibus Phœniciæ sepultum est. Hactenus Prologus Mosquensis, omnino conferendus cum Menologio, vel potius cum textu genuino; cujus latina versio exstat in Actis SS. ad 15 Januarii, quo recolitur a Latinis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Damianus Esphigmenius.

Pauca de Damiano narrant auctores indigenæ; floruisse nempe in Monte Atho, in asceterio Samaria, quod ad monasterium Esphigmeni pertinebat, atque in eodem loco positum est, ubi solitarie olim degisse dicitur S. Antonius Kievocryptensis; laudari insuper viri obedientiam etiam prodigio comprobatam, si quid miraculi insit in eis quæ sequuntur. Accidit nimirum quadam die, ut spiritualem patrem invisurus, ad monasterium Chilandariense proficisceretur absentemque diutius exspectare cogeretur. Ingruebat interea nox, frequenti pluvia horrida, magnumque aderat periculum errandi in via. Quod ut præverteretur, instabant fratres rogantes ut secum maneret usque ad mane; at ille, spretis fratrum precibus, itineri se accinxit, ne senioris mandatum postponeret, quo pernoctare extra cellam suam vetabatur. Mox tamen ubinam terrarum esset prorsus ignorans, seque in summo discrimine positum putans, in hæc verba prorupit : *Domine Jesu Christi, salva me pereuntem;* cum ecce cellæ suæ se adstare miratur, nihil de cætero læsus. Narrant etiam demortui corpus per quadraginta dies suavem exhalasse odorem, cujus fragrantia pertigerit ad monasterium Esphigmeni usque, a quo Samaria mons semihoræ itinere dissitus est. Hactenus auctor Vitæ Cosmæ Zographici, eremitæ; quem inter et Damianum magna dicitur intercessisse amicitia. De Cosma, qui obiit anno 1323, agetur 22 Septembris.

Cfr 1) Ἀκολουθία τῶν ἁγίων πατέρων, cit. in Pat. Ath., tom. I, pag. 401. 2) Νέον ἐκλόγιον, cit. in Pat. Ath., tom. I, pag. 252.

Alter Damianus.

In libro cui titulus Νέον μαρτυρολόγιον et apud synaxaristam Nicodemum commemoratur hoc eodem die alter Damianus, qui postquam aliquot annis in Monte Atho, in monasterio Philothei degisset, tum in finibus Kissoviæ et Larissæ verbum Dei prædicasset, atque multas persecutiones sive a falsis christianis sive ab Agarenis esset perpessus, tandem in vico Bulgarini comprehensus, et a præfecto Larissæ diu varieque tortus, igne crematur atque in fluvium Pinion projicitur, anno 1568; quapropter hosiomartyris titulo a suis decoratur. Oriundus erat Damianus e vico Richovan, diœceseos Agraphiensis, a parentibus christianis et piis.

Cfr 1) Νέον μαρτυρολόγιον, cit. in Pat. Ath., II, pag. 97. 2) Συναξαριστής, ad hunc diem.

DIES XXIV.

Ex Ostromiræo. Inventio capitis S. Joannis prophetæ, Præcursoris et Baptistæ (*Omnes, præter Arcad. cum Bas. Neap. CP. et cæt.*).

Ex variis S. Erasmi, mon. Kievo-Cryptensis (*Men. Prol. Kal. Pat.*).

† Rhegini, ep. Scopulorum et mart. (*Bas.*). † Zebini, Polychronii, Moysis et Damiani, eremit. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

Inventio capitis S. Joannis Baptistæ.

Festum S. Joannis Baptistæ referunt hodie codices omnes, excepto solo Arcadiano, sæc. xii, in quo inscriptum est ad diem sequentem. *Prophetæ, Præcursoris* et *Baptistæ* titulis ornatus prodit in Men. Græcis, uti in Ostr. In quibusdam synaxariis expresse agitur de inventione *prima et secunda;* ita in Menæis et Kalendariis Mosquensibus recentioris ævi, et in Horologio Počajov., in quo prima inventio facta esse dicitur a duobus monachis, quos repræsentatos habes in tabula Græco-Mosca. Tertia inventio recolitur 25 Maii. *Decollationem* Joannis Baptistæ, ut est apud Possevinum, aut synaxin in *Phoracii*, ut in Prologo, prætereo. Cfr Acta SS. ad 24 Aug. — Quisnam sit Erasmus, declarabunt *Memoriæ Slavicæ*. Prologus, in titulo inscriptus, non ille est qui passim a me citatur, sed alter, longe antiquior, in monasterio SS. Salvatoris Galiciensi anno 1518 exaratus. Asservatur hodie in bibliotheca monasterii S. Onuphrii, Leopoli. — In Menæis Græcis sanctus episcopus Scopulorum prodit die sequenti, ad quam translatus est sane ob festum Joannis Baptistæ.

S. Erasmus Cryptensis.

S. Rheginus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Erasmus Cryptensis.

Floruit Erasmus circa medium sæculi xii. A juventute vitam monasticam inter socios Kievocryptenses amplexus, omnes facultates suas convertit in templum sacris imaginibus ornandum. Senex factus, cum in extremum morbum incidisset, a sanctis monasterii fundatoribus, Antonio et Theodosio, de peculiari eorum pro sua salute intercessione certior redditus est, imo et a sanctissima Virgine visitatus. Quæ etiam a Filio suo impetravit ut æterna in cælis mansione frueretur, qui domus Dei decorem dilexerat tantopere in terris. Igitur, cum sese fratrum precibus humillime commendasset, post triduum, ut promiserat B. Virgo, ex hac vita migravit, magno ascetarum habitu indutus. In cryptis Antonii sepultus fuit.

Cfr 1) Prolog. ex Paterico, ad h. d. 2) Dict. hag. p. 109. 3) Kulčin., Specimen, pag. 12.

Erasmo

DIES XXV ET XXVI FEBRUARII. *Gerasimus Novgorodensis.*

Erasmo additur ad hanc diem Gerasimus, archiepiscopus Novgorodensis; de quo cum apud antiquiores scriptores nihil reperiatur, nobis quoque tacere præplacet. Adeantur tamen, si lubet, Vitæ Sanctorum Ecclesiæ Russiæ, recentissime conscriptæ, et a nobis sæpius citatæ.

DIES XXV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Tarasii, archiep. CPolitani (*Mst. Rum. Par. I et VI, Tern. Siš. Chil. Og. Hor. Men. Prol. etc. cum Bas. GP. Hier. Vind. Pg. Flor. Msq. Maz. Sirm. Mg. Sirl.*). S. Marcelli, ep. Apameæ in Cypro (*Rum. cum Sirm. Mg.*). S. Alexandri, mart. Druzipari in Thracia (*Rum. cum Bas. Med. Sirm. Maz. Mg.*). S. Erasmi, mon. Kievocryptensis (*Pateric.*). Inventio capitis Joannis Baptistæ (*Arc.*).

† Rhegini, ep. Scopulorum et mart. (*Sirm. Mg. Cyth.*). † Hypatii, ep. Gangrensis (*Mg.*), † Antonii, mart. (*Sirm. Mg.*). † Asclepii et Jacobi, erem. (*Med. Sirm.*). † Theodosii, episcopi (*Neap.*). † Theodori, Sali (*Sirm. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Tarasius. In Rum. recolitur *memoria sancti pontificis Tarasii;* item in Mst. additis verbis : *archiep. CPolitani.* Recte : non est enim dies emortualis S. Tarasii, qui obiit 18 Februarii. In Italogr. additur : *ex Ordine nostro. Tarsium* cod. Par. I, *Torasium* Possevini, aut *Terasium* Genebrardi indicasse sufficiet. Vitam habes in Actis SS., Febr., tom. III, a pag. 572; de translatione reliquiarum Venetias, ibidem Sept., tom. IV, a pag. 463. — *S. Marcellus.* Marcellum sine alio ullo additamento refert hodie solus cod. Rum., tacentibus cæteris omnibus. Episcopum *Apameæ in Cypro* fuisse testantur Menæa Græca excusa et Sirmundi mss.; at legendum : *Apameæ in Syria* conjiciunt Bollandiani, quum in Cypro nuspiam reperiatur; eumque esse S. Marcellum, qui in Martyrol. Romano refertur 14 Augusti. Accedit auctoritas Kal. Neapolitani, in quo signatur Marcellus, ep. *de Suria* ad 28 februarii, ab hodierno sane non distinctus. *Amaseæ*, quod in Mediol. legitur, mendum est amanuensis. — SS. Tarasio et Marcello adjungitur in Rum. S. Alexander, intercedente commate, quo aliquomodo indicetur non esse ex ordine episcoporum. Martyr nuncupatur in Bas. et in Menæis Græcis excusis et Mediol. ac Flor. mss. — *S. Erasmus.* Hodie refertur Erasmus ex Paterico Cryptensi apud Kulčinium, dum in codicibus a me consultis passim nominatur ad diem præcedentem. Cæterum parvi momenti res est. — *SS. Asclepius et Jacobus erem.* In Menæis Mediolan. mss. exstat breve encomium SS. Asclepii et Jacobi, juxta quod, ille quidem fuerit discipulus S. Polychronii, de quo actum pridie et 23 februarii; hic vero eremita, in quadam domuncula prope vicum dictum Niaousan inclusus; de quo alii agunt 21 Februarii. — *S. Hypatius ep. Gangræ.* S. Hypatium, Gangrensem episcopum, colunt Græci 31 Martii; hodie autem inscripsit solus editor Menæorum Græcorum antiquus, a recentiore merito correctus; in editione enim Veneta anni 1843 prorsus nulla fit mentio S. Hypatii ad præsentem diem.

S. Alexander mart.

DIES XXVI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Porphyrii, ep. Gazæ (*Mst. Rum. Par. I et VI, Chil. Og. Prol. Men. Tern. Hor. Cap. Pap. Poss. cum Bas. Neap. Hier. GP. Vind. Pg. Msq. Maz. Mg.*). S. Stephani (*Rum. cum Bas. Flor. Med.*). S. Gelasii, mart. (*Rum. cum Sirm. Med.*). S. Nicolai, toparchi (*Rum. cum Sirm.*). S. Sebastiani, mart. (*Kal. cum Mg.*). SS. MM. Photinæ et soc. (*Hor. cum Mg.*).

† MM. Papiæ et sociorum (*Flor.*). † Macarii, Hierosolymitani (*Hier. GP.*). † Baradati, erem. (*Sirm. Flor. Med.*). † Theæ, mart. (*Sirm.*). † Memoria ordinationis S. Joannis Chrysostomi (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Porphyrius. A cæteris synaxariis abludit Sišatovacense in eo, quod sanctum episcopum Gazæ commemorat die sequenti, hodie vero vacat. Porphyrii nomen torquetur variis modis; Paris. I scribit : *Phorphiri;* Possevino est *Parthenius;* in Mstisl. vocatur episc. *Gazinensis;* apud Genebrardum nomina quidem recte scripta, sed in fine additur : *et Symsi;* quod quid sibi velit, aliis relinquo divinandum. Nonne Sebastiani? Menol. Slavonicum continet Vitam S. Porphyrii, auctore Marco, ejus discipulo, aliquantulum contractam, de cujus sinceritate et authentia consulatur omnino Mazochius (Kal. Neap. tom. I, a pag. 70). Quamvis autem hic dies ei revera emortualis fuerit, tamen in Rum. et Mst. præmittitur nota *memoriæ*, non *depositionis*, uti et in Menol. Basilii, imperatoris. In Neap. similiter insculptum est N seu *natale;* quod cum aperte pugnet cum placitis Mazochii, alibi jam a me castigatis, coactus est vir cl. aliam viam inire, atque dicere, vocabulum illud esse generale, et universe quodlibet festum anniversarium sive depositionis, sive translationis, alteriusve generis notare (loc. cit.). Quæ posterior sententia verissima est. — *S. Stephanus.* Tres una sociati prodeunt in cod. Rum., Stephanus, Gelasius et Nicolaus. Horum primus erat conditor valetudinarii Armatii, uti palam fit ex Menol. Basilii. — *S. Gelasius.* Gelasius, mimus, laudatur hodie in Men. Ambrosianis seu Mediol. quod encomium latuit Henschenium; communius refertur die sequenti; *Gelasinus* vocatur in Chronico Alexandrino. — *S. Nicolaus.* In Sirm. annuntiatur hodie *memoria Patris nostri Nicolai* τοῦ κατεπινοῦ, cæteris omnibus ignoti, si excipias auctorem Prologi Rum., a quo slavonice cognominatur *pomestnik*, quasi *toparchum* diceres. Porro κατεπινός græce significat *a tergo venientem, sequentem, posteriorem* ac proin etiam *juniorem*, quod hagiographis solemne est, ut Nicolaus ὁ κατεπινος idem sit

sit ac *Nicolaus Junior;* Bollandiani legerunt olim ita : S. Nicolai *Catonici;* verum interpres slavus a τοπος derivandum censebat : neutrum, ut puto, recte. Jamvero, cum S. Nicolaus veniat post Joan. Chrysostomum, simpliciori titulo *Patris nostri* distinctus, putarem intelligendum esse S. Nicolaum, abbatem Studii et confessorem, qui cum S. Theodoro Studita certavit, et 4 februarii colitur a Græcis. Junior dictus fuerit quod venerit post S. Nicolaum, Myrensem thaumaturgum. — De S. Photina et sociis agunt Græci et Slavi tum hodie, tum etiam 20 Martii, simul cum Latinis. Eorum martyrium fuse narratur in Menæis Græcis, ubi etiam multus sermo de Sebastiano, duce, quem Hor. et Kal. Mosquense fœde miscent cum altero Sebastiano, martyre sub Diocletiano. Sane in Horol. Ruthenorum catholicorum post verba : *Et sancti martyris Sebastiani* continuo additur : *qui gladio obiit,* anno 287, *regnante Diocletiano;* cum in confesso sit apud omnes hunc Sebastianum non tertio, sed primo sæculo martyrium fecisse cum S. Photina, Samaratina, de qua in Evangelio scriptum est. — De S. Baradato, anachoreta, quem solum referunt hodie codd. in titulo diei citati, egimus supra, ad diem 22 hujus.

S. Photina et soc.

S. Sebastianus dux.

S. Baradatus, eremita.

DIES XXVII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Procopii Decapolitæ et confessoris (*Mst. Rum. Tern. Par. I et IV, Og. Eph. Hor. Men. Prol. Kal. cum Bas. Hier. Vind. Sirm. Msq. Mg. Flor. Med.*). S. Basilii, confessoris et synascetæ S. Procopii (*Rum. cum Bas. Sirl. Mg. Med.*). S. Marciani theophori (*Rum. cum Sirm. Med.*). S. Porphyrii, ep. Gazæ (*Siš. cum Flor.*). S. Phalelæi, eremitæ in Syria (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Mg.*). S. Gelasii mimi, mart. (*Men. Val. cum Mg. Sirm. Med.*). S. Titi, mon. Kioviensis (*Pat. Men. Kal.*).

† Stephani, curatoris nosocomii (*Mg.*). † Nesii, mart. (*Mg.*). † Lucæ, abbatis ordinis S Basilii (*Itlg.*).

OBSERVANDA.

SS. Procopius Decapolita et Basilius.

Quando dies 27 est penultimus februarii, quod anno communi contingere solet, tunc sancti Procopius et Basilius, qui cæteroquin una certarunt, simul nominantur in fastis; secus, distribuuntur in duos dies, ita ut præsens dies assignetur S. Procopio; et S. Basilio proxime sequens. Utrumque testantur Kalendaria Slavica et Græca. In Menol. Basilii commemorantur ambo sub uno eodemque synaxario; similiter in Menæis Sirletianis et in Prologo Rumiantsoviano; in quo etiam primo loco venit non *S. Prochopius*, ut vocatur, sed Basilius. At communius sejuncti prodeunt in fastis recentioribus. Denique occurrunt ambo die 28, quando annus est intercalaris, ut patet ex Typico Chilandariensi bibl. Berolinensis. Hinc illa varietas, quam tribus extremis Februarii diebus facile apprehendat quisque. — Sanctum quoque Phalelæum, anachoretam, alii referunt hodie, alii postridie, uti Menologus Basilii imperatoris, et Sirm. mss. — *Theophori* nomen præfert Marcianus in Rum. Novgorodensi, et Sirmundiano Græco; idem est cum Marciano presbytero et œconomo ecclesiæ CPolitanæ, qui in fastis nostris adscriptus est 10 Januarii, at quem Rum. codex silentio præterivit, forsan propter festum S. Gregorii Nysseni. — In Menæis Græcis excusis celebratur his verbis : *Eodem die S. Stephanus, qui gerocomium in locis Armatii constituit, in pace obdormivit.* — De Tito plura declarabuntur in Memoriis Slavicis.

S. Phalelæus.

S. Marcianus.

S. Stephanus.

S. Titus Kioviensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Titus Cryptensis.

Erant in monasterio Kievocryptensi monachi duo, Titus, presbyter, et Evagrius, diaconus, tenerrimæ amicitiæ vinculo conjuncti, quæ tamen postmodum, invidia diaboli homicidæ, in mutua odia degeneravit. Post multum vero temporis in morbum incidit Titus, reique pœnitens, veniam ab Evagrio magna humilitate petit; cumque ad extremum devenisset, fratresque Evagrium odii tenacissimum adduxissent vel invitum, ad pedes ejus procumbit Titus, ut videbatur, jamjam moriturus, veniamque iterum atque iterum inter lacrymas flagitat, sed frustra. Porro accidisse ferunt ut Evagrius, qui se nec in hac vita nec in altera Tito condonaturum pertinacissime asseruerat, ad pedes fratrum mortuus ceciderit, Titus vero a limine mortis ad sanitatem et vitam redierit. Ex eo tempore mira caritate erga fratres conspicuus fuit, qua et peccatorum multitudinem obtexit, et in via perfectionis multum profecit; et ita cum sancte vixisset, tranquillam et piam mortem promeritus, in cryptis Antonii conditus est. Vixit autem sæculo XII.

Cfr 1) Patericon, fol. 214 (verso) et seq. 2) Menol. et Prol. ad h. d. 3) Menol. Verš. ad h. d. 4) Dict. hag., pag. 260.

DIES XXVIII.

Ostromiranum Ex variis.

VACAT.

S. Basilii, confessoris (*Mst. Tern. Par. I et VI, Chil. Og. Cap. Eph. Hor. Men. Prol. Val. cum GP. Sirm. Maz. Flor. Mg.*). S. Procopii Decapolitæ (*Assem. Itg.*). S. Nestoris, episc. et martyris (*Mst. Rum. Tern. Eph. Prol. Men. Kal. cum Bas. Mg.*). S. Phalelæi, eremitæ (*Menol. Prol. cum Bas.*). S. Sacromartyris Proterii, patriarchæ Alexandrini (*Men. Prol. Kal. Horol. Val. cum Sirm. Mg.*). SS. Marinæ, seu Maranæ, et Cyræ (*Hor. Menol. Prol. cum Sirm. Mg.*). S. Domnicæ (*Hor. Kal. cum Bas.*).

† Sex

Dies XXIX Februarii.

† Sex Martyrum Ægyptiorum (*Mg.*). † Apostolorum Nymphæ et Eubuli (*Sirm. Mg.*). † Marcelli, episc. de Syria (*Neap.*). † S. Barsæ, ep. Damasceni (*Sirm. Mg.*). † Pauli, Sali, Corinthi (*Sirm.*). † Abercii, mart. (*Mg. Sirm.*). † Cosmæ, metrop. Chalcedonensis (*Msq.*). † Gelasii, mart. (*Med.*). † Cassiani (*Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Basilius et Procopius. In recentioribus Kalendariis hæc dies est S. Basilio potissimum sacra, uti hesterna S. Procopio. Excipiendum solum Assem. Glagoliticum, in quo hodie recolitur memoria S. Procopii Decapolitæ, et Martyrologium Basilianorum Italo-Græcorum, quod parvæ hac in re auctoritatis est. In Menol. Slavico et Græco, item in Prologo, additur breve synaxarium, quod nescio cur dixerit Assemanus desiderari in Menæis Græcis; nam in utraque editione Veneta procul dubio exstat. Officium diei

S. Proterius. auctorem habet Theophanem. — *Sacromartyris* titulo decoratur S. Proterius, patriarcha Alexandrinus, in plurimis synaxariis Græcis et Slavicis sive recentioris ævi, sive etiam antiquioribus, ut in Callipolitano sæc. x, ad 29 Februarii; idque jure merito, utpote qui tanta ab asseclis impii Dioscori, et præsertim a Timotheo Æluro fuerit passus. Illustre est quatuor episcoporum Thraciæ de Proterio testimonium, *qui postquam eum orthodoxum et sanctum patrem* deprædicassent, martyrem quoque pronuntiarunt his verbis : *Sanctissimum quidem Proterium in ordine et choro sanctorum martyrum ponimus, et ejus intercessionibus misericordem et propitium Deum nobis fieri postulamus.* Ejus gesta et certamina pro fide catholica exantlata egregie illustrarunt Bollandiani, *mirantes hujus sanctissimi martyris nomen in tabulas romanas non fuisse a Baronio relatum, imo neque venisse in censum aliorum fastorum latinorum.* (Febr. tom. III, pag. 736). In Menologio Mosquensi sat prolixum legitur encomium, quod ex variis auctoribus Græcis, imo potius Latinis compilatum est, at ab eo quod in Prologo ibidem excuso et in Menæis Græcis exstat, diversum. Non uno die Proterii nomen signari in Kalendariis, diximus alibi (ad 22 Febr.) Ratio hujus varietatis alia non occurrit, quam quod incertus est passionis dies; obiit enim sanctus præsul circa Paschalia festa, nempe in Cœna Domini aut sabbato sancto aut ipso Paschatis die. — Sex martyres Ægyptii, qui *Sex martyres Ægyptii.* accedunt, sunt e comitatu S. Proterii, quocum in baptisterio occisi fuerunt et referuntur in Menæis Græcis, anno 1843 editis. Quia autem in editione antiquiore desiderabantur, idcirco sane inter prætermissos a Bollandianis fuerunt collocati. — Utrumque apostolum Nympham et Eubulum frustra quæsivi in libris Slavorum liturgicis imo et *S. Nymphas et Eubulus.* in Menologio Veršinskiano. — SS. Marina et Domnica in Menol. Basilii appellantur *Marana* et *Domnina.* — Post nomen S. Pauli, in Sirmundiano *SS. tres mulieres.* *S. Paulus.* ecgrapho additur notula : 28 vel 29; propter annum scilicet bissextilem. — De S. Marcello, epi- *S. Marcellus, ep. Syriæ.* scopo Apameæ actum est 25 hujus mensis ad quem recurrat lector; utrobique enim agitur de uno eodemque sancto.

DIES XXIX.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Cassiani Romani (*Par. I et IV, Chil. Og. Hor. Men. Prol. Kal. Val. cum Pg. Mg.*). S. Joannis seu Barsonophii (*Prol. Menol. Kal.*). S. Theocteristi, mart. (*Prol. Kal.*). S. Maximi, conf. (*Tern.*) † Proterii, mart. (*GP.*). † Basilii, mart. (*Msq.*). † MM. Papiæ, Diodori et Claudiani (*Hier. Nan. Vind.*). † Macedonii (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Cassianus. S. Cassiani memoria agitur in Kalendariis Slavicis quovis quarto anno, quemadmodum id aperte declaratur tum in Horologio Počajovensi, ad calcem hujus diei, tum etiam in Prologo. Recte Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moscis : *Solum*, ait, *colitur a Græcis* (imo et Slavis) *quarto quoque anno, quem bissextilem vocamus;* scilicet hoc die; nam anno communi celebratur die 28, uti testantur Menæa Græca, ubi initio hujus diei legitur sequens monitum : *Sciendum est, quod quando annus est bissextilis, canitur hoc officium* (S. Cassiani) *die* 29, *quando vero non est bissextilis, canitur die* 28. Utrumque verum est, nec erat, cur in Papebrochium ob dicta superius animadverteret Assemanus; clarius tamen dicitur in Prologo, *diem* 29 *non quotannis, sed solum quarto quovis anno celebrari;* nec aliud monuit Papebrochius. Qua occasione notetur nomen bissextilis transiisse etiam ad Slavos, at aliquatenus corruptum, quum intercalaris dies audiat vulgo *vykososny*, et paulo melius *visectus*, græce βισεκτος. *Bissextilem* vero ideo vocari a Latinis, quod *bis* dicatur *sexto Kalendas* Martii, nempe die 24 et 25 Februarii, norunt omnes. Ex dictis hactenus intelligitur facile, cur nomen Cassiani desideretur hodie in Kalendariis Mst. Rum. Sišat.; scripta nimirum fuerunt anno communi, non bissextili. Præter cognomentum *Romani*, quod Cassiano passim tribuitur, quamvis dicatur genere fuisse *Scytha, ex Taurica Chersoneso oriundus*, additur titulus *confessoris;* qua de re consulantur omnino Acta SS. ad 23 Julii, pag. 482. — De S. Proterio, patr. Alexandriæ et *S. Proterius.* martyre egimus pridie; unde huc translatus est in Callipolitano, propter annum bissextilem, non secus ac S. Basilius, martyr, quem eumdem esse ducimus, ac S. Basilium, synascetam S. Proco- *S. Basilius.* pii Decapolitæ. Martyr appellatur improprie. — SS. Martyrum Papiæ, Diodori, Claudionis et Co- *S. Papias et soc.* nonis memoriam recolunt Latini 26 Februarii, Græci et Slavi 3 hujus, dempto tamen S. Conone qui colitur 5 Martii. Diodorum et Claudianum restituimus pro *Theodoro* et *Claudio*, uti habent ecgrapha Græca, superius citata. Cfr dicta 26 Februarii. Pro coronide, subdere liceat inscriptionem, quæ initio hujus mensis in Ephemeridibus Græco-Moscis legitur, atque ex I epistola S. Joannis apostoli vers. 18 fere ad verbum deprompta est : *Ultima hora est, et Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus quia novissima hora est.* Quæ verba de industria ad calcem mensis Februarii proponenda duximus, utpote qui totius anni ultimus esse censeretur olim, ac proinde hujus finem aliquatenus adumbrare. Sane in libris Slavorum liturgicis, in Menologio, Horario et aliis, initio mensis Martii sedulo declarari solet, mensem istum esse omnium primum, quo et mundus fuerit creatus, et primus Adam ex paradiso ejectus, et Dei Filius incarnatus, mortem pro nostra salute reparanda passus, atque e mortuis redivivus protoparentes nostros ab inferis liberaverit. Idcirco omnes solis lunæque revolutiones a mense Martio olim principium sumebant.

MENSIS

MENSIS MARTIUS.

DIES PRIMUS.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Eudociæ, mart. (*Mst. Arc. Ass. Par. Rum. Tern. Prol. Hor. Kal. Euch. Serb. etc. cum Bas. Sirl. Sirm. Maz. Mg. Med. Hier. GP. Msq. Vind. Goth. Flor.*). SS. MM. Nestoris et Tribimii (*Prol. Kal. cum Bas. Msq. Crypt. Sirm.*). S. Nestoris, mart. (*Chiffl.*) S. Antoninæ, v. et mart. (*Prol. Kal. Sirl. Maz. Crypt. Chiffl. Mg.*). S. Domninæ seu Domnicæ Junioris, virg. (*Prol. Kal. cum Sirl. Mg. Sirm. Med.*). SS. MM. Marcelli et Antonii seu Antonini (*Prol. Kal. CF. Sirm. cum Chiffl. Crypt. Sirm. Mg.*).

† MM. Agapii, Charisii, Nicephori (*Sirm.*). [Agapii (*Ath.*)]. †. MM. Silvestri et Sophronii (*Chiffl. Sirm. Crypt. Mg.*). † Sophronii, mon. (*Neap.*).

OBSERVANDA.

SS. Martyres 40.

Ipsomet initio mensis hujus nodum facit codex Ostromiranus; commemorat enim passionem martyrum quadraginta, non indicato die, quem non alium esse a nono, fere pro certe habeo, ac propterea exprimendum hic non curavi; etiamsi Kopitarius in interpretatione sua latina, nil dubitando, affixerit prædictam passionem huic diei, quæ S. Eudociæ Samaritanæ, mart., sacra est. —

S. Nestor. S. Antonina.

SS. Nestor et Tribimæus seu Tribimius occurrunt hodie in Bas.; at in Men. Chiffl. postridie. — Item S. Antonina venit die proxime sequenti in Bas. et Med. — In Synaxario Sirmundi mss., refertur

S. Agapius et soc.

S. Agapius, martyr, una cum SS. Charisio et Nicephoro; at præter nomen, nihil commune habet cum Agapio Montis Atho, qui sæculo XIV vixit, ut dicemus modo. Iidem tres martyres recensentur inter eos qui cum Leone, Donato et aliis passi sunt Romæ an in Africa incertum; celebrantur in Actis SS. ad 1 Martii. In Men. Sirmundianis annuntiatio hujus diei concluditur ita : *et sanctorum martyrum Charisii, Nicephori et Agapii.* — Juxta auctorem libri, cui titulus Νέος παράδεισος, erat in Monte Atho asceterium *Kolitza* dictum, quod a monasterio Vatopedio pendebat, atque nostra ætate jam non exstat. Inibi cum

Agapius e Monte Atho.

seniore suo degebat Agapius. Quem ad litus maris versantem comprehenderunt Turcæ et Magnesiæ cuidam Turcæ vendiderunt. Post annos duodecim in dura servitute peractos, a B. Virgine, ut fertur, vinculis liberatur Agapius atque ad seniorem suum redire jubetur. Verum iste contraria mandat : Magnesiam repeteret, vinculis se iterum gravaret, patiendo herum Christo lucrifaceret. Mandato obtemperat Agapius, et quæ sibi acciderat hero sincere declarat. Qui rei novitate perculsus, priores sensus mutat, mox autem in Montem Atho cum Agapio et duobus filiis se confert, ibique christianam fidem primum, tum etiam monasticam amplectitur, ac quem servum habuerat olim, magistrum nactus est et in spiritu ducem. Hæc ex *Novo Paradiso*, mira sane parumque credibilia. Nec minus miraberis viri, qui sæculo XIX vixit, incertum mansisse annum obitus. — Duo Sophronii occurrunt hodie in Fastis Græcis, quorum alter vocatur martyr cum sociis suis Silvestro, Marcello et Antonino, alter vero *monachus*, ut habetur in marmore Neapolitano. Jamvero S. Sophronium *monachum* non alium esse a clarissimo homonymo, patriarcha Hierosolymitano, suadet, præter alia, vel ipsum silentium dicti Kalendarii ad diem XI, quo fere unanimi consensu recolitur ab aliis menologis et synaxaristis. Nec obstat titulus *monachi*, quo insignitur S. Sophronius *patriarcha*, ut pluribus declaravit Mazochius; quem exscribere non est animus. Cur autem ipsomet mensis initio collocatus sit in Kalendario Neap., id innuere videtur alter Sophronius, martyr. Quum enim dies sancto Sophronio Hierosolymitano emortualis adhuc maneat incertus, idcirco assignatæ sunt ei Kalendæ Martii, quas martyr homonymus occupabat, perperam *Sophonius* vocatus in Menæis Cryptæ ferratæ.

S. Sophronius uterque.

DIES II.

Ostromiranum Ex variis.

VACAT.

S. Theodoti, ep. Cyrenensis (*Mst. Par. Rum. Tern. Prol. Hor. Men. Kal. etc. cum Bas. Sirm. Maz. Med. Hier. GP. Vind. Pg. Mg.*).S. Parmenæ, apostoli (*Rum. cum Sirl. Bas. Sirm. Chiffl. Maz. Crypt. Med. Mg.*). S. Troadii (*Men. Kal. cum Bas. Crypt. Mg. Med.*). S. Agathonis, eremitæ (*Men. Kal. Prol.*). S. Euthaliæ, virg. et mart. (*Men. Kal. cum Mg. Crypt.*). SS. martyrum 440 qui a Longobardis passi sunt (*Men. Kal.*). † Arsenii, ep. Tverensis (*Prol. Kal.*).

† Adriani et Nataliæ (*Neap.*). † Athaliæ (*Mg.*). † Hesychii, ep. et mr. (*Mg.*). † Andronici et Athanasiæ (*Bas. Crypt. Maz. Mg. Med.*). † Theodoreti, episc. Antiochiæ (*Bas. Med.*). † Titi, ap. (*Flor.*). † Porphyrii, ep. Gazæ et martyris (*Bas. Sirl. Med. Crypt. Maz.*). † Cointi seu Quinti, thaum. (*Bas. Med. Sirm. Maz. Msq. Mg.*). † Leolucæ, abb. Montis Leonis in Sicilia (*Itg.*). † MM. Nestoris et Tribimii (*Chiffl.*) † Antoninæ, mart. (*Med. Bas.*).

OBSERVANDA.

S. Parmenas. S. Agatho.

In cod. Cryptæ-ferratæ signatur *dormitio* S. Parmenæ, ap., ex 7 diaconis unius. — Agatho, abbas et confessor in deserto Scete in Ægypto, floruit sæculo IV dimidiato, habuitque magistrum S. Alonium. Ejus dicta et facta, collecta ex Vitis Patrum secundum editionem Heriberti Rosweydi, præmisso commentario de ipsius ævo et vitæ præcipuis momentis, habentur in Act. SS. Oct. t. IX, pag. 901. Ibidem leguntur apophthegmata S. Agathonis, ex codice Græco Colbertino edita et latine versa a Cotelerio

DIES III ET IV MARTII.

S. Hesychius. Cotelerio (pag. 205 et seq.). In nullo Synaxario Græco hodie reperitur. — Hesychius sive Isicius in Menæis Græcis excusis refertur primo loco cum officio, dum cæterorum aut sola elogia aut nuda nomina recitantur. Miror, quod omissus sit in cæteris menæis sive græcis sive slavicis. Erat episcopus Carcesæ aut Cazoriæ in Hispania; de cujus gestis vide Act. SS. ad primam Martii. — *S. Theodoretus.* Theodoretum Slavici codd. commemorant die III; ad quam vide. In Cod. Med. dicitur episcopus; presbyter in Menologio Basilii. — De eo actum est die XXVI. — *S. Porphyrius.* Andronicus et Athanasia, martyres sine gladio, ut vocantur, ἄξιφοι, *SS. Andronicus et Athanasia.* hodie ideo omissi a Codd. Slavicis, quia referuntur ad IX Oct., idque melius. — De *S. Euthalia.* S. Euthalia iterum agunt Fasti Slavici cum Romanis XXVII Augusti; an eadem ac Athalia?—Videsis Acta SS., *SS. Martyres 440.* p. 141, ubi gesta SS. MM. referuntur ex Dialogis S. Gregorii Papæ. — De *Arsenius.* Arsenio Tverensi agetur modo.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Arsenius Tverensis. Arsenius, Tverensis, cum a teneris unguibus Christum Dominum ejusque Matrem sanctissimam dilexisset, mundi vero vanitatem contemptui haberet, parentibus valedicens, in monasterium quoddam urbanum se recepit, orationis et abstinentiæ exercitiis diu noctuque vacaturus. Mox in locum Djelticovo dictum secessit, ibique monasterium cum ecclesia instituit, illudque paterna caritate et summa prudentia gubernavit, donec ob virtutum præstantiam et famam ad cathedram Tverensem fuerit assumptus anno 1390. Gregi suo maxima, ut bonum decet pastorem, diligentia invigilabat, principes et magnates de justitia erudiens, egenos vero et orphanos misericordiæ sinu fovens. Præter monasterium Djelticovense pluribus aliis in locis templa erigenda curavit et ornanda. Ejus consiliis sanctorum patrum Cryptensium vitæ primum fuerunt in unum collectæ, quemadmodum testatur Paterici codex, anno 1406 exaratus, qui omnium, quotquot hucusque innotuerunt, antiquissimus est. Demum annis meritisque onustus, ad Dominum migravit die 2 martii, anno 1409.

Cfr 1) Prol. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 41. 3) Act. SS., Oct. t. X, in Vita B. Arethæ, pag. 875, nº 12.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

SS. MM. Eutropii, Cleonici et Basilisci, Amaseæ in Cappadocia (*Mst. Prol. Hor. et alii cum Bas. Sirl. Sirm. Maz. Crypt. Med. Coisl. Hier. GP. Msq. Vind. Goth. Flor.*). SS. Zenonis et Zoili (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). S. Piamæ, virg. (*Kal. Prol. cum Mg.*). S. Theodoriti, presb. Antioch. et mart. (*Prol. Men. cum Chiffl. Mg.*).

† Eustochii, mon. (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Eutropius, mr. et soc. S. Basiliscus passus est seorsim a duobus prioribus, Eutropio et Cleonico, qui S. Theodoro Tyroni erant in martyrio socii. In Prologo excuso distinguitur a Basilisco Amaseno; videant alii an recte. Nos observabimus eum peculiariter commemorari die 22 Maii, primo loco, fere ab omnibus Menologis Slavicis. — *S. Theodoritus.* S. Theodorus, quem commemoravimus die præcedenti, celebratur hodie etiam in Menæis Græcis excusis antiquioribus, et in supplemento ms. Chiffletii ad Menæa excusa quod citatur in Act. SS., Oct., t. X, p. 33, nempe ad 23 diem. Ibidem habes *Passionem* S. Martyris, auctore anonymo, ex mss. Sanlaurentiano et Bodecensi, collatis cum editionibus J. Mabillonii, Theodorici Ruinartii, et ms. anonymo et præmissa critica disquisitione de sancto martyre, de die et anno ejus martyrii. In Menæis Slavicis et apud Verš. ponitur die VIII Martii; in Martyrologiis Latinis tum die XXIII Martii, tum XXIII Octobris, qui est proprius ejus martyrii, et quidem anno salutis 362, ut evicit eruditissimus Actorum editor R. P. Van Hecke. — S. Eustochius socius *S. Eustochius.* S. Convuldii, de quo XXI Februarii, erat ex Ordine S. Basilii.

DIES IV.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

SS. Pauli et Julianæ, sororis ejus, mart. (*Mst. Supr. Par. Siš. Men. Kal. Hor. Prol. cum Bas. Chiffl. Med. Nan. Hier. GP. Msq. Vind.*). S. Gerasimi, mon. (*Rum. Chil. Pp. Cap. Men. Prol. Hor. Kal. Euch. cum Bas. Crypt. Sirl. Maz. Sirm. Pg. GP. Mg.*). S. Jacobi, mon. (*Supr. Rum. Men. Kal. Prol. cum Sirm.*). S. Gregorii, ep. Constantiæ in Cypro (*Kal. Prol. cum Mg.*). S. Cononis, mart. (*Ostrog.*). S. Venceslai, ducis Bohemorum et mart. (*Prol. Kal.*). Danielis, ducis Moscoviæ (*Prol. Kal.*). Vasilko, ducis Rostoviensis (*Prol. Kal.*).

† MM. Archelai, Cyrilli et Photii (*Sirl. Crypt. Maz. Sirm.*). † MM. Perpetuæ, Satyri et soc. (*Sirl. Sirm.*). † Iraidis, martyris (*Sirm. Crypt. Maz. Sirl.*). † Hesychii, mart. (*Sirm. Chiffl. Maz. Flor.*). † Marci, ab. (*Bas. Neap.*). † MM. Codrati, Acacii, Stratonici (*Chiffl.*). † Sarbelus (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Gerasimus. Recentiores habent fere omnes primo loco S. Gerasimum. Cfr diem XX et diem V quæ est ei emortualis. — *S. Jacobus.* S. Jacobus annuntiatur in Rum. ita: *S. Jacobus, cujus vita admodum inclyta; magnus asceta* vocatur in Sirm. Vide Acta SS., pag. 300. — S. *Gregorium* referunt hodie etiam Menæa Græca excusa; *S. Gregorius.*

excusa; at in Menologio Basilii, Men., Mediol., Sirm. et Maz. legitur die proxime sequenti, et vocatur diserte ep. Constantiæ in insula Cypro; non autem CPoleos, ut habent Verš. et Kalend. Mosquense. — De S. Conone agunt Kalendaria, die v. — De S. Martyre Venceslao legesis Act. SS. ad 28 sept. De duobus ultimis, Ecclesiæ Russicæ propriis, agetur modo in Memoriis Slavicis. — In Bas. additur Paulo Stratonicus, qui melius adjungeretur SS. Codrato et Acacio; cum quibus certavit Ptolomaïde in Palæstina, effectus ex carnifice martyr. — S. Sarbilus ex sacrificulo martyr, commemoratus est supra ad XXIX Januarii. — De sancta Iraide, virgine et martyre, quia tacent hodie auctores Slavici, tacebimus et nos; agemus vero cum Prologo ad sequentem diem.

S. Conon. *S. Venceslaus.*

DIES V MARTII. *S. Paulus et soc.* *S. Sarbilus.* *S. Irais.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Vasilko, seu Basilius, dux Rostoviensis.

Basilius, Constantini I, ducis Vladimiriensis, filius, lucem aspexit anno 1209, die 7 decembris. Regnavit Rostoviæ, ob benignitatem et mansuetos mores omnibus carus, sed tempestate infelicissima, qua nempe Tartarorum turbæ in Vladimiriam impetum fecerunt, ac dein in pugna infaustissima, ad Sitim flumen, ingentem cladem Russis intulerunt. In qua pugna Basilius quoque in Tartarorum manus lapsus est, et in castra inimica abductus. Ubi propter generis nobilitatem, vultus decorem et animi fortitudinem, cunctis venerabilis, ut Tartarorum cultum impium amplecteretur, non semel tentatus est; verum, cum nec blanditiis nec minis ad id adduci potuisset, exquisitis tormentis cruciatus, morte crudelissima afficitur anno 1238, die 4 martii. Martyris corpus, in silva inventum, Rostoviam honorifice detulit Cyrillus episcopus, et in eumdem tumulum posuit, in quo jacebat Georgius I, magnus dux, in eadem pugna Sitiensi interfectus. Habuit Vasilko duos filios, Borisum et Glebum, quos ei pepererat Maria uxor, S. Michaëlis Cernogoviensis filia.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag. pag. 55.

Daniel Mosquensis.

Eadem die colitur Daniel, primus Mosquensium dux. Filius fuit S. Alexandri Nevensis, natu minimus, anno 1261 genitus. Dum adhuc bimulus esset, sanctum parentem amisit. Mosquensem ducatum, magni imperii semen minimum, nullo æmulo, hæreditavit, eumque deinceps Perejaslavia auxit, vicinis quidem ducibus timendus, ipse vero nemini subjectus. Demum, cælo maturus, in morbum incidit, quo confectus, brevi terrestre regnum cum cælesti commutavit, anno 1303, die 4 martii, postquam magnum ascetarum habitum induerat, seque moriturum in communem fratrum sepulturam mandaverat deponi. Venerandas ejus exuvias condiderunt fratres in ecclesia cathedrali S. Michaëlis; unde anno 1652, die 30 augusti, qua ideo colitur secundo, translatæ sunt in monasterium ejus nomine insignitum, quodque ad Mosquam fluvium fundaverat ipse.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag. pag. 84.

Gerasimus Vologdensis.

Eadem die coli dicitur a quibusdam auctoribus nostræ ætatis Gerasimus, cognomento Vologdensis, monasterii Glušicensis alumnus. Floruit sæculo XII, Kiovia oriundus. Et quidem, anno 1147 relicta urbe natali, Vologdam contendit, ibique ad flumen Kaisarovum ecclesiam SS. Trinitatis cum monasterio erexit; in quo supremum diem obiit anno 1178, die 4 martii. Hunc Gerasimum indicat Dictionarii hagiographici auctor, diem tacens, qua recolitur.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 76. 2) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d.

DIES V.

Ostromiranum. *Ex variis.*

VACAT.

S. Cononis, hortulani (*Mst. Siš. Pp. Cap. Men. Kal. Prol. cum Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Cononis, martyris Isauri (*Par. Euch. Kal. Hor. Prol. cum Sirm. Maz. Med. Hier. GP. Flor. Mg.*). S. Hesychii, presb. Hierosol. (*Rum. Kal. Prol. cum Bas. Med. Maz. Nan. Hier.*). S. Basilisci, mart. (*Supr.*). S. Marci, mon. (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Maz. Chiffl. Mg. Med.*). S. Gerasimi Jordanici (*Ostrog. cum Neap. Itg.*). S. Eulogii, mart. in Palæstina (*Men. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Eulampii, mart. (*Prol. Kal. cum Chiffl. Med. Mg.*). S. Iraidis, mart. (*Prol. cum Mg.*). Translatio orthodoxorum ducum Theodori Jaroslaviensis et filiorum ejus Davidis et Constantini (*Prol. Kal. Ustav.*). S. Onesimi seu Anisii, mart. (*Kal.*). Joannis Bulgari (*Ath.*).

† Gregorii, ep. Cypri (*Bas. Sirm. Maz. Med.*). † Georgii in mon. Anthemii Hierosol. (*Msq.*). † Archelai, mart. et soc. (*Mg. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Conon, mart.

Parisiense habet simpliciter : *sancti martyris*, tacito nomine Cononis; alii referunt postridie, alii die VIII, ut Sirletus, a quo vocatur S. Conon τοῦ κυπρίου. — S. Basiliscum citavimus jam ad diem tertiam. — S. Gerasimum, in Neap. Ierasimum, retulimus die præcedenti, licet præsens dies sit ejus propria; ex familia S. Basilii M. fuisse testatur Martyrol. Italo-Græcorum. — Inventa sunt ossa Theodori et filiorum anno 1463; anno vero sequenti die 5 martii in arcam lapideam posita. De sanctis Theodoro, Davide et Constantino agetur ad diem 19 Septembris, Theodoro emortualem. — S. Irais seu Herais passa est martyrium cum S. Archelao et aliis, quorum numerus variatur apud auctores. Varii quoque sunt dies quibus inscripta est in Fastis sacris; nam præter hunc diem refertur apud Sirletum postridie; tum 23 septembris in plurimis Kalendariis; in Ostromirano denique 5 octobris. — In Paterico Montis Atho annuntiatur hodie *Passio sancti martyris Joannis Bulgari*,

S. Basiliscus. *S. Gerasimus.* *Theodorus Jaroslaviensis.* *S. Irais.* *Joannes Bulgarus.*

DIES VI ET VII MARTII. *S. Archelaus mart. et soc.*

Bulgari, cum sequenti additamento : *Memoria ejus* 5 *Martii*. De hoc juvene dicetur modo in *Memoriis Slavicis*. — Apud Chiffl. numerantur 152 socii Archelai, in Men. Gr. excusis 142 ; alias 150. — In solo Kal. Mosq. legi nomen S. Onesimi. *S. Onesimus.* — S. Gregorius ille est, de quo sermo fuit die præcedenti ; at in Actis SS. tractatur hodie. *S. Gregorius.*

MEMORIÆ SLAVICAE.

Hadrianus hegumenus et Leonidas.

Commemorantur ad eamdem diem Hadrianus, hegumenus, simul et Leonidas, tanquam sanctorum cultu honorandi. Quorum ille, Macario metropolita benedicente, monasterium Posehonense ad Vetkam fluvium ædificavit, anno 1543, illudque rexit. De Leonida vero, præter nomen, omnia nos latent.

Cfr 1) Dict. hag. pag. 10. 2) Muraviev, vitæ SS. ad h. d.

Basilius Mirogensis et Joseph Pscoviensis.

Basilium, hegumenum Mirogensem, cum Josepho, presbytero, aliisque sociis, morte affectis a Livonibus, qui anno 1299 Pscoviam invaserant, prætermittendum esse censemus, utpote quorum cultus, imo et mortis occasio nihil certi habeant. Inest autem Mirogense monasterium urbi Pscoviensi, fuitque institutum a celeberrimo Niphonte, Novgorodensi episcopo, nec non et ab Abraamio, de quibus alibi.

Cfr 1) Dict. hag. pag. 54. 2) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d.

Joannes Bulgarus.

Annorum undeviginti juvenis erat Joannes, Bulgaria oriundus, quum gladio animadversus fuit a Turcis in aula fani Turcici, olim ecclesiæ Sophiensis, anno 1784. Venit ille CPolim, ut christianam fidem inibi publice profiteretur, atque fidei olim negatæ crimine sese expiaret, mortem sponte oppetendo. Antequam autem CPolim pergeret Turcarum more indutus, in Laura Montis Atho Athanasiana tres annos mansit, tristis semper ac taciturnus, conscientia scilicet constanter remordente, atque majora piacula exposcente. Voti compos factus est eodem anno quo Theodorus, ad 30 Januarii a nobis commemoratus.

Cfr 1) Νέων Μαρτυρολόγιον, cit. in Paterico Montis Atho, tom. II, pag. 214.

DIES VI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Passio SS. martyrum 42 Amorrhææ in Syria recenter manifestatorum (*Mst. Arc. Par. Rum. Siš. Og. Cap. Men. Prol. Kal. Hor. cum Bas. Hier. GP. Pg. Goth. Msq. Med. Chiffl. Maz. Mg. Sirl.*). SS. MM. Theodori, Constantini, Callisti, Theophili, Basois seu Bassonis et soc. (*Prol.*). S. Cononis, hortulani, et alterius Cononis (*Rum. Supr. Men. Kal. cum Bas.*). S. Arcadii Cyprii, confes. (*Men. Kal. Prol. cum Meg.*). Inventio S. Crucis, facta a B. Helena (*Hor. Prol. cum Mg.*). Inventio clavorum (*Prol. cum Mg.*).

† Hesychii, thaum. (*Chiffl. Mg.*). † Cononis Isauri, mr. (*Bas.*). † MM. Juliani, Eubuli (*Bas. Sirm. Med.*). † Basilii, ep. Chersonæ et mr. (*Neap.*). † Euphrosyni, m. (*Mg.*). † Maximi, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Martyres 42.

Quemadmodum pridie, ita et hodie codex Parisiensis agit de SS. Martyribus generatim, nec numero eorum, nec loco passionis indicato. Quorumdam nomina posuimus supra ex Prologo et Sirleto. — De utroque Conone egimus ad diem præcedentem. Hodie commemorantur in Menologio Basilii, imperatoris, et præterea in cod. Slavico Suprasliensi, qui tamen agit de solo Cononе Isauro, omisso altero hortulano. — Arcadium dedimus ex Prologo et aliis; at in Sirletiano et Mediol. exhibetur die sequenti, in Basil. die VIII. — Qui sequuntur SS. Julianus et Eubulus, erant S. Arcadii, martyris, socii, atque discipuli; de quibus in Menol. Bas. agitur tum 7, tum 8 hujus. — Ex inclyto martyrum Chersonensium manipulo nominatur in Kal. Neapolitano solus Basilius, utpote antesignanus; quod passim obvium est in dicto marmore.

S. Conon uterque.

S. Arcadius.

S. Julianus et Eubulus.

S. Basilius, martyr.

DIES VII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. Basilii, Agathadori, Elpidii, Etherii seu Eleutherii, Capitonis, Ephræmi, Eugenii, numero septem, pontificum Chersonæ et martyrum (*Mst. Par. Rum. Tern. Siš. Og. Cap. Men. Hor. Kal. Prol. cum Hier. Pg. Msq. Flor. Sirl. Bas. Med. Sirm Maz. Vind.*). S. Pauli, episc. Prusæ (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Sirl.*). S. Æmiliani, mon. (*Prol. Kal.*). S. Pauli, persimplicis (*Kal. Hor. cum Mg.*). SS. MM. Nestoris et Arcadii, epp. Trimythuntinorum (*Sirl. Mg. Bas. Neap. Med.*).

† Theophylacti Nicomed. (*GP.*). † Dometii (*Bas. Med.*). † MM. Juliani, Eubuli (*Bas. Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Martyres Chersonesi.

Non omnes septem martyres ab omnibus recensentur : In cod. Mstislavico leguntur tantum quinque priores, inter quos *Capaton* pro Capitone; in Rumiantsoviano nominantur tres, Basilius, Eugenius et Agathodorus. Ephræmum addit Ostrogensis, et ita completur septenarius numerus

rus illustrium martyrum, quos omnes optime optimus nominat codex Ternobiensis. *Chesponis* pro Chersonæ, et alia id genus apud Genebrardum legi nemo mirabitur. — In Suprasliensi codice agitur hodie de SS. martyribus Amorrhæis, de Chersonensibus vero die sequenti; secus alii. — S. Paulum, quem auctor Prologi fecit episc. *Plusiadenum*, exhibet Menolog. Basilii; at Æmilianum, præter Prologum, alius nemo. — In Kalendario Neap. fit mentio solius Arcadii, tacito Nestore : solent nempe fasti hi marmorei e pluribus collegis duntaxat præcipuum adnotare. Præit quoque Arcadius in Menologio Basilii et Synaxario Sirmundi Claromontano. Rem totam breviter et optime illustravit Mazochius, prælucente face Bollandiana.

SS. MM. in Amorrhea.

S. Paulus, confess.

DIES VIII IX ET X MARTII.

SS. Arcadius et Nestor.

DIES VIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Theophylacti, ep. Nicomed. et mart. (*Mst. Tern. Prol. Hor. Kal. Men. Euch. Sirl. et cæt. cum Bas. Sirm. Dom. Maz. Mg. Med. Flor. Hier. Pg. Msq.*). S. Ermæ, apostoli (*Rum. et Kal. Prol. cum Sirm. Maz. Mg.*). S. Theodoriti, presb. Antioch. et mart. (*Men. Kal. Prol.*). S. Theoctisti (*Ostrog.*). S. Theophanis (*Poss.*). S. Dometii (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). SS. ep. et mart. Chersonæ (*Supr. cum Bas. GP.*).

† Pauli, ep. Prusæ (*Mg.*). † Dionis, mart. (*Mg.*). † Dionysii, mart. (*Maz.*). MM. Arcadii, Eubulii, Juliani (*Bas.*). † Vitalis, abbat. in Sicilia. (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Theophylactus.

S. Hermas.

S. Theophylacti nomen invenitur in Basiliano Menologio; at apud Sirletum occurrit die præcedenti, sed et alii sancti commemorantur die non suo : S. Hermas pridie; et S. Dometius, die præcedenti, Theodoritus die Martii secunda. Utrum Theoctistes et Theophanes sphalmate scribæ positi sint, loco Theophylacti, probabile videtur. De Chersonensibus martyribus agit hodie præter Basilianum, ubi secundo referuntur, etiam Synaxarium Callipolitanum. — Utrum pro *Dionis* legendum sit *Dionysii*, manet incertum.

S. Dion.

DIES IX.

Ex Ostromirano. Ex variis.

SS. QUADRAGINTA MARTYRUM SEBASTÆ (*Mst. Arc. Supr. Tern. Rem. Rum. Hor. Kal. Prol. etc. cum Bas. Neap. Sirm. Maz. Crypt. Med. CP. Hier. GP. Msq. Coisl. etc.*).

S. Urpasiani (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Cæsarii, fratris S. Gregorii Nazianzeni (*Kal. Pr. Chil.* (*Mg.*). S. Tarasii (*Prol. Verš. Men. cum Mg.*). S. Dionysii, mart. Corinthi (*Prol.*).

† Pauli, ep. Pelusiadis (*Md. Mg.*). † Gregorii, fratris S. Basilii (*Itg.*). † MM quatuor, patris, matris et duorum filiorum (*Mg.*).

OBSERVANDA.

MM. Sebasteni.

Licet Ostromiranus codex illustres martyres Sebastæ recolat non indicata celebritatis die, eos tamen hodiernæ affigendos esse suasit unanimis cæterorum codicum consensus. Inter quos principem locum obtinet Kalendarium Ternobiense, quadraginta athletarum nomina non sine quodam fastu referens. Sunt autem sequentia : Cyrion, Candidus, Domnus, Severianus, Eutychius, Cyrinus, Theodulus, Bebianus, Aggeas, Hesychius, Sacerdon, Uallus, Priscus, Chodion, Ennoicus, Meliton, Eliades, Alexander, Heraclius, Egdicus, Joannes, Philoxtimon, Falavius, Xanthius, Valerius, Nicolaus, Athanasius, Theophilus, Lysimachus, Gais, Claudius, Smaragdus, Sisinnius, Leonidas, Aëtius, Acacius, Dometianus, Gorgonius et Julianus *capdelarius* (lege cubicularius). *Qui omnes*, pergitur in eodem codice, *unanimiter martyrium passi sunt, in civitate Sebastena, regnante Licinio, sub Agricola præfecto et Lycia duce.* Prolixæ annuntiationis rationem suggerit ecclesia nomini SS. MM. Ternobi dicata, in qua solemniori cultu celebrabantur. — De S. Urpasiano tractatur in Actis SS. ad 13 Martii, pag. 259, quæ hic indigitasse sufficiet. — S. Tarasii, aiunt Menæa, meminit Prologus, quin addat quisnam fuerit ille sanctus; in Menologio enim legitur simpliciter, ad 25 Februarii, esse quemdam sanctum Tarasium nomine, et nil plus. — Dionysius discipulus erat S. Condrati, gladio peremptus. — Hodie recolitur depositio S. Gregorio Nyssæ in Martyrologio Italo-Græcorum, qui eum, pro more, inter monachos ordinis S. Basilii collocant.

S. Urpasianus.

S. Tarasius.

S. Dionysius.

S. Gregorius.

DIES X.

Ostromiranum.

VACAT.

Ex variis.

S. Condrati, mart. et soc. Corinthi (*Mst. Supr. Tern. et alii*), nimirum Cypriani, Dionysii, Anectis, Pauli, Crescentis et aliorum (*Men. Pr. Hor. Kal. cum Sirl. Bas. Sirm. Chiffl. Maz. Med.* (*Mg. Hier. GP. Pg. Msq. Flor. Vind.*). SS. MM. Condrati Nicomediæ, Satorini, Victorini et aliorum (*Men. Kal.*). Venerabilis Anastasiæ, patriciæ (*Men. Prol. Kal.*). S. Pionii, mart. (*Prol. Men.*). Sanctæ matris nostræ Anastasiæ (*Prol. cum Mg.*). Memoria S. Deiparæ, in cujus honorem dicitur acathistum (*Prol.*).

† Dionysii, mart. socii Condrati (*Bas.*). † Marciani, mart. (*Men.*). † Poplii, ep. et mart. *Neap.*). [Michaelis Maurudæ (*Synax.*)].

OBSERVANDA.

DIES XI ET XII MARTII.

OBSERVANDA.

S. Condratus mr Corinthi. Priori martyrum turmæ adduntur, præter eos, quos supra nominavimus, etiam sequentes : Dionysius, Victorinus, Victor, Nicephorus, Claudius, Diodorus, Serapio et Papias, de quibus dictum est ad 31 Januarii; his addendi Leonidas, et septem mulieres : Chariessa, Nunechia, Basilissa, Nica, Calissa, Gallina, Theodora, quorum omnium

S. Pionius. peculiaris commemoratio fiet ad 16 Aprilis. — De S. Pionio opportunius agetur ad diem sequentem. Auctor est Vitæ S. Polycarpi, ep. Smyrnensis et martyris, quam legere licet in Menologio Slavico, ubi etiam expresse monemur ab editore mosquensi, S. Pionii memoriam agi hoc die. Verum id pro recentiori usu. Nam in antiquioribus Kalendariis nomen S. Pionii inscriptum est die XI aut XII Martii. Quorum ultimus est ejus proprius; hoc enim die certamen suum complevit martyr fortissimus, uti rectissime fert codex Suprasliensis, sæculi XIV, a clar. Fr. Miklosich typis vulgatus. Die quoque XI in antiquis fastis inscriptum esse testantur Menologium Basilii, Kalendarium Neapolitanum et alii quamplurimi optimæ notæ. Cur itaque præsens dies præplacuerit auctori Prologi, non assequor; synaxarium enim, in quo et fabula de igne tartareo qui in Sicilia, e monte Ætna scilicet, procederet, depromptum est ex Menologio imperatoris Basilii; at dies 10 ex proprio ingenio auctoris Russi, ut videtur, adscripta. Plura habes die sequenti. — Michael Maurudas, a Turcis Thessalonicæ crematus fuit anno 1544. *Michael Maurudas.*

DIES XI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Sophronii, episc. Hierosolymitani (*Mst. Tern. Prol. Kal. Men. et cæt. cum Sirl. Bas. Med. Bas. Sirm. Maz. Mg. Hier. GP. Pg. Msq. Flor.*). S. Pionii, mart. (*Men. Rum. Kal. cum Sirl. Bas. Med. Sirm. Maz. Neap. Mg.*). Translatio reliquiarum S. Epimachi, mart. CPolim. (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*).

† Euthymii, archiep. Novgorodensis (*Prol. Kal.*). † Georgii theophori et thaum. (*Mg. Med.*). † MM. Abdæ, ep., Benjamin, diac. et soc. (*Chiffl.*). † Constantini Judæi (*Laur.*). MM. Trophimi et Thali (*Sirl. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Sophronius. In Ternob. : *S. Sophronii, episcopi*; in Mst. additur : *Hierosolymitani*. In Paris. I : *S. Sophronii*. Nuspiam præfert titulum *monachi*, sed episcopus ab aliis, ab aliis patriarcha passim vocatur; hæc adnotanda erant ob dicta initio mensis de Sophronio *monacho*, quem habet illo die Kalendarium

S. Pionius. Neapolitanum. — De S. Pionio quædam attigimus pridie, et iterum agemus die sequenti. Unum tantummodo adnotabimus, nimirum pene omnes consentire in assignando hoc die, non quod sit S. Pionio emortualis, sed quia in 12 Martii, ejus martyrio sacrum, incidit festum S. Gregorii, Papæ Romani, quem solemniore cultu prosequuntur Græci et præsertim Slavi. Recte igitur in Rum. præscribitur nota *Memoriæ*. Quod vero vocetur episcopus (*Sviatitel*), quum simplex presbyter fuerit, id condonandum synaxaristæ, alioquin optimo, de sancto, qui Smyrnæ sæculo tertio certavit, post mille annos Novgorodiæ agenti. Martyrii socios habuit Pionius Asclepiadem, Macedonium, Linum, presbyterum, et Sabinum. — In quodam codice notatur hodie relatio *Callimacti* CPolim, ubi procul dubio Callimachus vitiose positus est pro Epimacho. S. Callimachi festum agitur 31 Octobris. — In Menæis Græcis additur : τοῦ ἐν τῷ ἱππίῳ λεγομένου, τοῦ νεοφανοῦς. — Constantini Acta græce in cod. Laurent. bibl., ipsi Fabricio adaucto ignota. Cfr Bandini, p. 712, n. 18. *Relatio Epimachi.* *S. Georgius mart.* *S. Constantinus Judæus.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Euthymius Novgorodensis. Vixit Euthymius II, archipræsul Novgorodensis, tempore Concilii Florentini. Natus est Novgorodiæ, ibique pie educatus a parentibus, Michea et Anna, dum adhuc infantulus esset, Beatæ Virgini oblatus est. Cum annum decimum quintum attigisset, monasticum habitum accepit ab hegumeno monasterii Viažicensis, Pœmene, eoque duce et magistro in virtutibus adeo profecit, ut mox a S. Simone in palatium archiepiscopale fuerit assumptus. Mortuo præsule, initio quidem in monasterio Salvatoris Hutynensi degit, tum vero fratribus monasterii in monte Lisicino præfuit, usque ad annum 1430, quo e cella ad cathedram transivit, a morte Euthymii I vacuam. Verumtamen nonnisi quatuor annis post peractam electionem fuit ordinatus Smolensci a Gerasimo Metropolita. Episcopus gregi suo summa diligentia invigilavit, cultusque ecclesiastici decori consuluit. Monasterium Viažicense, in quo primitias vitæ monasticæ Deo obtulerat, ampliavit et priori ecclesiæ S. Nicolai e solo refectæ, alteram addidit nomine S. Joanni Evangelistæ dicatam, quem in sacro fonte nactus fuerat patronum.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag. pag. 107. 3) Hist. hier. Russ., I, 74.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Theophanis, Sigrianensis, confessoris (*Mst. Tern. et cæteri cum Bas. Hier. GP. Flor. Msq. Pg. Vind. Sirm. Maz. Med. Dom. Mg.*). S. Sabini (*Rum.*). S. Gregorii Dialogi, papæ Romani (*Men. Prol. Eph. Leop. Kal. Hor. cum Neap. Sirm. Maz. Bas. Med. Sirl. Mg. Itg.*). S. Phinees, justi (*Prol. Kal. cum Mg.*). Passio S. Pionii, presbyteri in urbe Smyrnensi (*Suprasl.*). S. Cyrilli, Hierosolymitani (*Leop. Kal. Hor. cum Mg.*). Festum iconis B. Mariæ Lyddensis seu Romanæ.

† Martyrum novem qui igne perierunt (*Chiffl.*). † Martyrum qui a militibus perempti sunt (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA.

S. Theophanes Sigrianensis. In Menæis Græcis excusis et in Menologio imperatoris Basilii additur : *in magno campo jacentis.* — In hoc eodem Menologio et in Suprasliensi refertur S. Sabinus, martyr Ægyptius, ad diem sequentem; aliunde constat inter socios S. Pionii martyris, de quo modo, exstitisse etiam Sabinum; de utronam agatur in cod. Rumiantsoviano, non mihi liquet. — Notatu dignissima est lectio codicis Suprasliensis, his verbis concepta : *Passio sancti Pionnii* (lege Pionii) *presbyteri in urbe Smyrnensi;* abludit namque a cæteris omnibus, quotquot vidi menologis, et, quod caput est, verum diem obitus sola consignatum exhibet, dum alii 10, alii 11 diem assignent. Quam vero celebre fuerit olim martyrium S. Pionii, vel ex eo apparet, quod in Menologio Basilii præter titulum hieromartyris etiam primum locum obtinuerit, postposito patriarcha Hierosolymitano, S. Sophronio, a quo deinceps omnino evictus est. — Inter tot sanctos ordini S. Basilii Magni adscriptos Magnum quoque Gregorium Pontificem Romanum recensendum esse contendit Martyrologium Basilianorum Italo-Græcum. Non uno die refertur ubique: in Menologio Basilii, quod sequuntur Slavonica Kalendaria, commemoratur hoc die; at sequenti prodit in cod. Suprasliensi et Leopolitano. Ad hæc, vulgo nuncupatur *Dialogus*, utpote Dialogorum auctor, ex quo eximium illud volumen græcitate donavit Zacharias papa; quod agnomen ab imperitis Gregorio II pariter tribui solet. *In confingendis istius modi agnomentis*, verba sunt Mazochii, *mire in liturgicis libris luxuriant Græcorum ingenia, ut vix ullus sit sanctus, quin* διακριτικῷ *aliquo cognomine ab aliis homonymis distinguatur* (tom. I, pag. 83).

S. Sabinus.

S. Pionius.

S. Gregorius Dialogus.

DIES XIII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

Reditus reliquiarum S. Nicephori, patr. CPtani (*Mst. Par. I et alii quam plurimi cum Sirm. Chiffl. Med. Dom. Mg. Hier. Vind. GP. Pg. Msq. Itg.*). S. Alexandri, martyris (*Men. Prol. Rum. Kal. cum Bas. Maz. Sirm.*). S. Christinæ, mart. in Perside (*Kal. Prol. cum Neap. Chiffl. Sirl. Mg.*). S. Sabini, mart. (*Supr. Prol. Kal. Tern. cum Chiffl. Sirl. Mg.*). SS. MM. Africani, Publii, Terentii (*Kal. Prol. cum Sirl. Mg. Hier. Chiffl. Vind. Flor.*). S. Anini, thaumat. (*Prol. Kal.*).

† Abibi, mart. (*Mg.*). † Urpasiani, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Nicephorus. Teste Prologo, festum S. Nicephori agitur CPoli in ecclesia SS. Apostolorum. — In eo referendo consentiunt satis codices; non ita est ubi agitur de SS. Alexandro et Sabino; uterque refertur hodie in Menol. Basilii. Præterea Sabinus adest in Ternob., Suprasliensi et Hierosolymitano. Apud Sirletum et in Kalendario Mosq. adduntur socii Africanus, Publius et Terentius, quos omnes omittit Veršinski, et quidem recte; simul cum S. Sabino, de quo agit die 16 ejusdem mensis. — S. Aninus a variis vario die refertur. In cod. Suprasliensi prodit die 16, apud Veršinskium, seu potius in Menæis Slavicis, die 18, in Prologo et Kal. Mosq. hodie et iterum die 18; quæ variationes in Kalendariis frequentissimæ sunt. — Martyr Hermopolitanus, quem Men. Græca excusa tradunt lapidibus obrutum et in flumen projectum (Cfr Acta SS., Mart., t. II, pag. 458), diversus est ab altero Abibo, monacho in Ægypto, cujus mentio fit æque ac S. Apollinis ad diem XXII Octobris; ut facile persuadebunt Acta SS., t. VIII Oct., pag. 175 et seq.

S. Alexander.

S. Sabinus.

S. Aninus.

S. Abibus, mart.

DIES XIV.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Alexandri, mart. Pydnæ in Macedonia (*Mst. Supr. Par. I. Tern. Hor. Hung. et alii multi cum Bas. Maz. Sirl. Mg. Chiffl. Med. Vind. Mosq. Nan.*). S. Benedicti abbatis Romani (*Mst. Rum. Ass. Ostrog. Prol. Euch. serb. Kal. Hor. et alii cum Hier. GP. Nan. Med. Sirm. Maz. Chiffl. Mg. Sirl. Pg.*). S. Euschemonis, ep. Lampsaceni (*Rum. Kal. Prol. cum Bas. Maz. Chiffl. Med. Mg.*). Apparitio imaginis B. M. Virginis Kostromensis, dictæ Theodoricæ (*Prol. Kal.*). Theognosti, metr. Kioviensis (*Prol. Kal.*).

† MM. Satyri, Saturnini, Reucati, Perpetuæ et Felicitatis (*Bas. Sirm.*). † Joannis in Rufinianis (*Hier.*). † Pionii, hieromart. (*Hier.*). † Cyrilli et Methodii, episcoporum, in Moravia (*Itg.*). † Infantis, socii S. Convuldii (*Itg.*). † Euphrasiæ, mart. (*Sirm.*). † Christinæ, mart. in Perside (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Alexander, martyr. *Passio* S. Alexandri recolitur in Mst.; cui addi potest Suprasliensis, quamvis in codice excuso non expressa sit martyrii dies. *Pidmæ* pro *Pydnæ* minutiæ sunt. — Crassior error irrepsit in Cod. Hieros., in quo S. Benedictus nuncupatur *episcopus Romæ*, quemadmodum et in Naniano, ad diem proxime sequentem. Nec illud est prætereundum, sanctissimi hujus monachorum occidentalium parentis memoriam bis recoli in Mst., 14 et 21 Martii; quod magnam viri famam etiam in Oriente viguisse commonstrat. — Non uno die SS. Cyrillum et Methodium coli apud Slavicas gentes adnotavimus alibi; utrumque episcopali dignitate fuisse ornatos, tenent auctores bene multi; at institutum S. Basilii professos nusquam hactenus legi præterquam apud Stridowskium aut similis auctoritatis scriptores. Ad hæc, in solo Martyrologio Italo-Græcorum commemorantur hoc die, et quidem his verbis : *In Moravia sanctorum episcoporum Cyrilli et Methodii, Ordinis S. Basilii, qui multas illarum regionum gentes cum earum regibus ad fidem Christi perduxerunt.* Plura forent hic adnotanda, ni obstaret scopus mihi præfixus.

S. Benedictus.

SS. Cyrillus et Methodius.

DIES XV ET XVI MARTII.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Imaginis B. Mariæ Virginis Kostromensis, seu Theodoricæ apparitio.

Iconem piam anno 1239 reperiisse traditur Basilius, dux Galicii et Kostromæ, cognomento Kvašnia. Dum nempe quadam die (erat autem XVI Augusti) venationi vacaret, non procul ab urbe imaginem beatæ Mariæ Virginis offendit, de arbore suspensam. Quæ imago cum nequaquam posset ab illo apprehendi, quippe quæ superius semper ascenderet, in manus presbyteri, qui eam apprehendere a principe jussus fuerat, ultro se demisit, et in ecclesiam cathedralem S. Theodori Stratilati ingenti populi concursu delata est; unde et *Theodoricæ* cognomen accepit. Asservatur nunc iterum in ecclesia Assumptionis, in quam olim e cathedrali æde fuerat translata. In ipso autem apparitionis loco ecclesiam et monasterium erigi curavit Basilius, magnisque prædiis et latifundiis dotavit. Porro licet miraculosa hæc imago apparuerit die 16 Augusti, translatus tamen est cultus ad 14 Martii, quod hac die, anno 1613, Michael Romanovius, dynastarum nunc in Russia imperantium protoparens, monasterium S. Hypatii Kostromense, ubi delitescebat, jamjam cum palatio commutaturus, a matre sua Martha coram prædicta imagine ultimam acceperit benedictionem.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Karamsin, t. IV, not. 38. 3) Macarius, Hist. Eccl., III, pag. 266, not. 103. 4) Menolog. Verš. ad h. d. 5) Gloria SS. V. Mariæ, part. 3. sect. 2, pag. 5 et seqq.

Theognostus Kioviensis.

Theognostus, Græcia oriundus, S. Petri in sede metropolitana successor ab anno 1328, rexit Ecclesiam non minori zelo, licet impari fortuna. Cum enim apud magnum Tartarorum chanum Tšanibegum fuisset accusatus, quasi ingentem auri et argenti copiam sibi a clero exigeret solvendam, ipse vero tributa chano solvere detrectaret, multa a Tartaris eo usque passus est, donec magno pretio soluto licentiam obtinuerit abeundi. In Russiam redux, (rediit autem salvis Ecclesiæ immunitatibus), gregem suum per alios decem annos pascere perrexit, Deo, qui læta tristibus miscere assolet, aspirante. Nempe idem ille Olgerdus, magnus dux Lithuaniæ, qui olim christiani nominis odio aulicos suos Antonium, Joannem et Eustathium martyrio affecerat, postmodum ad resipiscentiam venit, et suadente imprimis Juliania Tverensi, conjuge sua, fidem christianam professus, tum Ruthenos, tum Latinos in urbem Vilnam, Lithuaniæ caput, admisit, et plurima templa pro utroque ritu ædificavit. Tandem virtutibus et annis dives ad summum animarum pastorem abiit præsul anno 1353, die 14 martii, cum sedisset annos triginta quinque, in ecclesia cathedrali juxta sanctum decessorem suum tumulatus.

Cfr 1) Prolog., Menæa et Menol. Verš. ad h. d. 2) Specimen Eccl. Ruth., pag. 119. 3) Dict. hag. pag. 272. 4) Dict. script. Eccles. II, 280 et 281. 5) Philaret., Hist. Eccl. Russ., II, 10, 18, 82-84, 89 91 et passim.

DIES XV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. duorum Alexandrorum et duorum Dionysiorum, Agapii, Timolai, Romili, Paisii seu Publii (*Mst. Rum. Hor. Kal. Prol. Supr. Men. cum Sirl. Bas. Med. Msq.*). S. Papiæ, mart. (*Chil. Ps. glos.*). S. Bucoli (*Pp.*). S. Thalassii, mart. (*Supr.*). S. Alexandri, presb. Sidæ (*Men. Kal. Prol.*). S. Nicandri, Ægyptii, mart. (*Men. Kal. Prol. cum Sirl. Bas. Maz. Med. Chiffl. Mg.*). S. Benedicti, abbatis (*Par I, Ternob. cum Nan.*).

† Jacobi, confes. (*GP.*). † Alexandri, mart. Pydnæ (*Hier.*). † Pionii, mart. (*Vind. Nan.*). † Olympi et Rodionis (*Pg.*). † Joannis in Rufinianis (*Bas. Taur. Nan. Mosq.*). † Nicodemi (*Neap.*). † Zachariæ, papæ (*Itg.*). † Menigni Fullonis, mart. (*Sirl. Chiffl. Maz.*). † Aristobuli, apost. et ep. in Britannia (*Sirm. Maz. Sirl. Med.*).

OBSERVANDA.

S. Paisius.

In Mst. perperam scribitur : *Plisii;* qui error reperitur etiam in Chiffl. et Med.; in aliis : *Publius.* Primo loco citatur Agapius. In Cod. Msq. legitur solus Agapius cum Joanne, probabiliter qui in Rufinianis.

S. Papias.

— Papiam alii referunt die XVI, putantque esse eumdem cum Papia, martyre, qui celebrabatur die 14 Sept.; unde propter festum Exaltationis translatus fuerit ad 16 Martii, quemadmodum J. Chrysostomus ob eamdem rationem remissus est ad 13 Novembris. — Codicem Ternobiensem et Parisiensem I mire inter se convenire perspectum erit cuique qui alterum cum altero conferre voluerit ac componere. Cujus concordiæ argumento sit hodierna in utriusque codice commemoratio S. Benedicti, quam in nullo alio Slavico Kalendario legi consignatam. Utrique consonat Nanianus, ubi *episcopus Romæ* vocatus est modo prorsus singulari et inaudito. In Flor. fit commemoratio *terræ motus;* de quo alii ad diem 17.

S. Benedictus, abbas.

DIES XVI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Papæ, mart. (*Mst. Tern. Siš. Cap. Ps. gloss. Kal. Hor. cum Sirl. Bas. Sirm. Chiffl. Dom. Maz. Mg. Med.*). SS. Trophimi et Thalli (*Par. Tern. Men. Kal. Prol. cum Bas. Med. Maz. Dom. Nan. Hier. Vind.*). S. Juliani (*Rum. Kal. Hor. cum Sirl. Sirm. Bas. Mg.*). S. Romani, mart. (*Rum. cum Bas. Med. Pg.*) S. Aristobuli, ep. Britanniæ, unius ex 70 discipulis (*Rum. Men. Prol. Kal. cum Bas.*

Bas. Chiffl. Med.). S. Anini thaum. (*Supr. Menol. cum Chiffl. Mg.*). S. Sabini, mart. (*Chil. Og. Pp. Men. Euch. Serb. Prol. Hor. Kal. cum GP. Pg. Sirl. Maz. Mg.*). S. Alexandri, papæ romani (*Kal. Hor. cum Bas. Med. Maz. Mg. Dom.*). Serapionis, archiep. Novgorodensis (*Prol. Kal.*). DIES XVII MARTII.

† Joannis in Rufinianis (*Mg. Med.*). † Menigni seu Benigni, mart. in Pario (*Med. Bas. Pg.*). † Euphrasiæ, mart. (*Bas. Med. Dom. Maz.*). † Decem MM. in Phœnicia (*Mg.*). † Theophanis, confes. (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Papas. S. Papas, mart. idem ac Papias, de quo supra, relatus est in Men. Basilii primo loco. Julianus et Menignus cum Romano referuntur in eodem *S. Sabinus.* Basiliano; sicuti et Trophimus et Thallus.—S. Sabinum quem refert jam Kalendarium Callipolitanum, dedimus supra die XIII. — Apud Sirl. et *S. Aristobulus.* alios Aristobulus inscriptus est pridie. — S. Julianum, seorsim a S. Romano, ponit Bas. et Kal. *S. Julianus.* Mosq.; Veršinskius omisit utrumque, æque ac S. Alexandrum, Romanum Pontificem, qui tempore Adriani passus est, teste Kalendario Mosquensi, an. 1818. — Hodie adest Aninus etiam in *S. Aninus.* Mart. Rom. V. Acta SS. 16 Mart. p. 431; Boissonadii Anecdota Græca, t. II, p. 409. — S. Theo- *S. Theophanes.* phanis natale commemoratur XII Martii, unde huc translatus est. In Kal. citatis supra, S. Menignus *S. Menignus.* refertur una cum S. Romano.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Serapio Novgorodensis. Patria fuit Serapioni vicus quidam Pehorna, viginti chiliometra a Mosqua distans; parentes vero christiani homines et pii. A quibus ad litteras addiscendas mature traditus, dein ad matrimonium contra vota contrahendum impulsus est : tenebatur enim monasticæ vitæ desiderio. Mox ad presbyteratum evehitur jam conjugatus (quemadmodum mos, in orientali Ecclesia, a synodo Trullana perperam invalescere cœpit). Mortua uxore, cui unum tantum annum convixit, in monasterium Dubenense abiit, ac paulo post a fratribus monasterii RadoneženSis salutatur hegumenus, anno 1493. Demum anno 1506 Ecclesiæ Novgorodensi præficitur a Basilio, magno duce. Quia autem vir erat probatissimæ virtutis, etiam miraculorum testimonio firmatæ, ideo non persecutiones ei defuerunt, non cruces. Notum est dissidium quod inter eum et Josephum, hegumenum Volocensem, intercessit, malorum omnium origo. Cum nempe Josephus cœnobium suum magno duci et metropolitæ Mosquensi propria auctoritate subdidisset, ipse propterea excommunicationi subditus est a Serapione, cujus juridictionem læserat. Serapionem hac occasione de sede movit metropolita Simon et interdicto subjecit; Basilius vero magnus dux in monasterium Andronicianum Mosquæ includi jussit, ac dein in Lauram S. Sergii transferri, ubi reliquum ærumnosæ vitæ suæ mansit præsul. Tandem morti proximus, magnum ascetarum schema induit, meritisque dives, ex hac valle miseriarum recessit anno 1516, die 16 Martii. Corpus ejus elevarunt eodem quo obiit anno, die 7 Aprilis, qua ideo colitur secundo. Exstat epistola ejus ad Simonem metropolitam, in qua sese recte et ad normam canonum Ecclesiæ egisse contra Josephum, alioquin jurisdictioni suæ subditum, abunde probat.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Philar., Prospectus, nº 121 et pag. 125. 3) Dict. hag. pag. 241. 4) Hist. hier. Russ., t. I, pag. 76. 5) Menol. Verš. ad h. d. 6) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d.

DIES XVII.

Ostromiranum. S. ALEXII, HOMINIS DEI (*Mst. Rum. Tern. Par. I, Prol. Hor. Og. Siš. Chil. et cæteri cum Hier. GP. Vind. Msq. Nan. Flor. Med. Sirm. Chiffl. Maz. Mg.*). COMMEMORATIO TERRÆ MOTUS (*Mst. Siš. Chil. Prol. cum Med. Nan.*).

Ex variis. Resurrectio Lazari, amici Christi (*Mst. Rum. Ternob. Siš. Chil. cum Hier. Nan.*). S. Marini, martyris (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Chiffl.*). Macarii, hegum. Kolazinensis (*Prol. Kal. Men.*).

† Simeonis Bar-Saboë, ep. in Perside (*Mg.*). † Pauli, mart. pro cultu imaginum occisi (*Sirl. Chiffl. Mg.*). † Theocteristi, confes. (*Sirl. Chiffl. Mg.*). † Passio Onesimi, episc. (*Neap.*). † Joannis in Rufinianis (*Chiffl.*). † Martyrum in Phœnicia (*Chiffl.*). † Romani, mart. (*Chiffl.*). † Alexandri, papæ (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Alexius. S. Alexium, hominem Dei, celebrant hodie in Fastis sui Slavi, præeunte Menologio Basilii; in quo tantum abest ut sileatur hodie, quemadmodum scripsit Falconius, ut etiam primum locum obtineat, postposito S. Marino. In Menologio et Prologo Slavonico fuse narratur Vita sancti hujus viri, utpote quam in deliciis habeat gens illa, insolitarum rerum et quæ præter consuetum morem fiunt valde curiosa. Et quidem duplex Vita inseritur in Prologo, brevis altera, altera prolixior, et ab ea quæ in Menologio legitur diversa. Præter luculenta ista synaxaria habetur in Menæis officium proprium cum canone, quem sæculo nono condidit Josephus hymnographus. Utrum autem a Joanne Calybita distinctus sit S. Alexius, non hujus instituti est examinare. Certe in Fastis Slavicis apprime distinguitur uterque, quod indicasse in præsentiarum sufficiet. Apud Latinos celebratur S. Alexius 17 Julii. — Juxta Menæa et Prol. accidit iste terræ motus regnante Constantino. *Terræ motus.* — Simeon Bar-Saboë erat episc. in Perside, de *S. Simeon.* cujus gestis adeantur Acta SS. ad 20 Oct., p. 841. — S. Paulus, mart. in Creta, refertur in Men. *S. Paulus.* Græcis Sirleti ad hanc diem, et memoratur in Actis S. Stephani Junioris, martyris, cujus festum fit 28 Nov; et etiam in Actis S. Andreæ in Crisi, quæ habentur in Actis SS. Oct., t. VIII, p. 127. Distinguendus a S. Paulo Juniore, etiam martyre CPoli, de quo die VIII Julii. — Theocteristus CPoli *S. Theocteristus.* pro iconibus passus est sub Copronymo simul cum S. Paulo et quinque aliis, de quibus omnibus egregie tractat R. P. Carpentier in commentario prævio ad Vitam S. Andreæ in Crisi, Oct., t. VIII, p. 127 et seq.; adeantur insuper Acta SS. Mart.,

DIES XVIII MARTII.

S. Onesimus.

Mart., t. II, p. 609. — In marmore Neap. insculptum est : PONESIMI EP̄I, quod Mazochius legendum statuit ita : *Passio Onesimi episcopi;* atque evincere conatur intelligendum esse illustrem S. Pauli discipulum et ex servo apostolum ac martyrem, quem Græci cum Puteolano antiquitus jam confundere solebant, uti liquidum fit ex eorum Menologiis, ad 15 Februarii, et confirmatur ex Kalendario Neapolitano, dummodo re vera agatur de *passione* Onesimi apostoli.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Macarius Kolazinus.

Macarius, in vico Gribkovo, nunc Kozino, prope Kašinum urbem, nobili genere natus est, matre Irene, patre Basilio, cognomento Koža. Ubi adolevit, parentibus obtemperaturus, uxorem duxit Helenam, nobilem puellam. Mox vero, tum uxore, tum parentibus orbatus, mundo valedixit, factusque monachus, Deo se totum mancipavit, mutato Matthæi nomine, quod in sacro fonte acceperat. Paulo post, sacerdotio auctus, in solitudinem contendit cum septem aliis sociis; sedeque prope Kašinum fixa, cellas ibidem posuit; unde illustre monasterium Kolazinense mox excrevit. Nomen indidit monasterio loci dominus, Joannes Kolaza, qui initio quidem piis advenis admodum erat adversus, quin imo necem Macarii moliebatur; postea vero, pœnitentia ductus, veniam ad pedes ejus provolutus petiit, nec prædia tantum aliaque bona externa, sed et seipsum servo Dei tradidit, ejusque monasterium ingressus est. Cum igitur hegumenus diu sancteque hegumenatu functus esset Macarius, multasque perpessus a diabolo tentationes, ad aliam vitam migravit anno 1483. Non præsenti duntaxat die colitur, sed etiam 26 Maii, translationis ejus, anno 1521 factæ, anniversaria die. Est autem celeberrimus ex aliis octo concivibus, quos veluti sanctos colunt Russi.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 171. 3) Menolog. Verš. ad h. d.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria sancti patris Cyrilli, archiepiscopi et martyris (*Omnes*).

SS. Martyrum Trophimi et Eucarpi seu Eucarpionis (*Prol. Kal. cum Chiffl. Sirl. Mg.*). S. Anini, erem. et thaumaturgi (*Men. Prol. Kal. cum Sirm. Dom.*). SS. MM. Alexandræ, Claudiæ, Euphrasiæ et aliarum (*Horol. Euch. cum Bas.*).

† Mariæ, sororis S. Lazari (*Mg. Chiffl.*). † Decies mille martyrum Nicomediæ (*Sirl. Chiffl. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Cyrillus Hierosolym.

Lectio codicis Ostromirani illud singulare habet, quod præter archiepiscopi titulum etiam martyris agnomen tribuat S. Cyrillo Hierosolymitano; qui licet vere martyr fuisse nequeat dici, tamen aliqua ratione potest appellari propter ea quæ ab Arianis perpessus fuit. Aliam viam inire mavult Cl. Nevostrujev, qui sequentem adnotationem subjunxit : *In Ostromirano*, ait, *additur in fine :* H MK̄A (et martyris); *id intelligi debet de majore numero martyrum qui in protypo fuerat signo aliquo expressus, at quem omisit Kalendarii Ostromirani concinnator, extrema inscriptionis parte servata.* At pace viri eruditissimi dicam, non tanti momenti esse hanc rationem, ut propterea genuina codicis lectio sit deserenda, quæ et per se plana est et argumentis satis idoneis posset facile defendi. Similiter parum convenit titulus *patriarchæ*, quo idem sanctus episcopus ornatur in typico S. Sabæ; nondum enim eo tempore Hierosolymitani antistites *patriarchæ* inscribebantur, sed Cyrilli successor, Joannes, primus omnium *patriarchæ* titulo donatus est. Rectius in Mst. Rum. et Tern. inscribitur *episcopus;* in Sišat. Chil. Menol. Prol. Men. Hor. aliisque recentioris ævi audit *archiepiscopus*. In Italo-Græco Martyrologio accensetur insuper ordini S. Basilii Magni; an jure, judicent alii. Ad hæc, in Mst. et Rum. recolitur tantummodo *memoria* sancti antistitis; marmor Neapolitanum insculptum habet *Natale*; in Menæis vero Græcis excusis præsens dies dicitur fuisse Cyrillo emortualis. Sic enim fert versiculus synaxario præmissus : *Octava decima mortis rapit hora Cyrillum.* Quam in rem observat Mazochius, *solenne esse Ephemeridibus Græcis*, unde versiculus desumptus est, *eos dies, quibus celebre aliquod festum a Græcis affigitur*, pro emortualibus venditare (pag. 98). Nec multum juvat Ephemerides marmor Neapolitanum; in quo *natalis* nota festum quodlibet sive depositionis, sive passionis, sive translationis quotannis recurrens promiscue significat. De S. Cyrillo silet codex Suprasliensis, hac parte mancus. — In eodem codice exstat Vita S. Anini thaumaturgi, rebus vere stupendis referta, atque antiquis Bollandianis ignota; encomium enim quod ex Menæis Græcis a Radero exscriptum prôtulerunt, longe brevius est quam Suprasliense a clar. Fr. Miklosičio vulgatum. Idem dicatur de Synaxario Slavonico Menologii Mosquensis, quod ex eodem fonte, quo Raderianum, aut forsan ab ipsomet Radero, haustum est. Jamvero, quum in Vita S. Anini multus sit sermo de leonibus, (duos namque ad obsequia sua habuisse perhibetur), in mentem subit durior censura Mazochii, simili in materia hæc pronuntiantis : *Illud verius est*, ait, *consuevisse antiquos sylvicolis sanctis* (qualis erat Aninus noster) *leonem juxta adnectere ad genus vitæ ab iis actum commonstrandum.* (Tom. I, pag. 85, in ipso fine.) Cl. Nevostrujev asserit agi hodie de S. Anino in Suprasl.; dubito an recte. — De S. Alexandra melius agendum erit die sequenti. In Basiliano commemorantur septem mulieres generatim, nullius nomine indicato. — Nicomediæ in Bithynia martyrium sustinuerunt tum decem millia athletarum, quos ultimo loco retulimus, tum SS. Trophimus et Eucarpius, Græcis Eucarpion. His duobus adjiciuntur in Menæis Græcis socii, sed quinam sint illi, non indicatur. S. Trophimus redibit 22 hujus mensis.

S. Aninus.

S. Alexandra et soc.

S. Trophimus et soc.

DIES XIX.

DIES XIX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Agapii, mart. et soc. (*Mst.*). SS. Chrysanthi et Dariæ et soc. (*Tern. Par. Siš. Chil. Og. Cap. Kal. Prol. Hor. Men. et recentiores omnes cum Neap. Sirl. Clar. Maz. Vind. Med. Hier. GP. Pg. Flor.*). SS. Patrum occisorum in monasterio S. Sabæ (*Rum. cum Bas. Maz.*). S. Thomæ, patr. CPolitani (*Rum. Hor. Leop. cum Med.*). S. Pauli, persimplicis (*Suprasl.*). S. Pancharii, mart. (*Prol. Kal. cum Sirl. Mg.*). S. Claudii tribuni, mart. (*Prol. cum Sirl. Mg.*). [Demetrii, a Turcis occisi (*Synax.*)]. S. Hilariæ, uxoris Claudii, Jasonis et Mauri, filiorum ejus (*Sirl. Mg.*). † Anini, thaumat. (*Med. Taur.*). † MM. Diodori et Mariani (*Sirl. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Agapius.

S. Agapium cum sociis septem Puplio seu Paisio, Romulo seu Romilo, Timolao, duobus Alexandris et duobis Dionysiis retulimus 15 hujus; hodie secundo referuntur in Cod. Mstislavico, licet nominetur solus Agapius; tandem die 24 tertio commemorantur tum in Menæis excusis tum in marmore Neapolitano. Optimas adnotationes de hoc manipulo reperies apud Assemanum, ad 15 Martii, quo eorum martyrium completum est et solemniter celebratur a Græcis, dum Latinis præplacuit dies 24. Nota *passionis*, quæ in Mst. præscribitur S. Agapio, ex dictis modo minus recte posita est; eamdem enim jam præfixam vidimus diei 15, qui vere obitualis fuit S. Agapio. — Simile quid exhiberi putavit cl. Mazochius in Kalendario Neapolitano, in SS. Chrysantho et Daria, qui in eo bis commemorantur, die præsenti et xxv Octobris, præscripta utrique diei nota *passionis*. Scilicet, quum dubium esset, quonam die hi duo sancti pro Christo occubuerint, atque ab aliis assignaretur dies præsens, ab aliis vero dies 15 Octobris, idcirco *marmor Neapolitanum utrique obsecundat*. Ita Mazochius (tom. I, p. 99). Profecto perurbane. Verum id cum veritate non omnino convenire clamat lapis Neapolitanus; nam, teste illustr. Cardinali A. Mai, qui correctius exemplar hujus Kalendarii edidit, non *Passio*, sed *Natale* præfigitur hodie nominibus Chrysanthi et Dariæ. Utut est de assignanda festivitate SS. Chrysanthi et Dariæ, non abs re erit varias slavicorum codicum lectiones accurate colligere. Porro utrumque sanctum martyrem referunt Fasti Slavici hoc solo, quod sciam, die. Et quidem cod. Ternob., in Bulgaria anno 1272 exaratus, meminit eorum primo loco his verbis: *Sancti martyris Chrysanthi et Dariæ*, postpositis *patribus Sabaitis*. Paris. I, qui cum Ternobiensi fere per omnia convenit, licet brevior sit, similiter facit mentionem *S. Chrysonti*. In Sišatovacensi, serbico, anno 1324 confecto, inscribitur: *SS. martyrum Chrysanthi et Dariæ;* pari modo in Typico Chilandariensi, biblioth. Berolinensis, quod solo decennio recentius est atque priori satis consentiens. Ex quo fonte serbico derivata est eadem aut similis lectio in Synaxarium bibliorum Ostrogensium, in Prologum, Menæa, Horologium Ruthenorum Počajovense aliaque Kalendaria recentiora, quæ longum esset recensere. Dolendum tamen nihil dici de martyrum pare in tradi Ostrom. Mst. Rum. et Suprasliensi, omnium antiquissimis. Atque hæc ex Fastis Slavicis. Quod ad Græcos attinet, pro hodierna festivitate stant kalendaria bene multa optimæque notæ, qualia sunt Neap. Hieros. Morcellii, et Callipolitanum a Scholzio edita, Vindobonense CPoli exaratum, Mediol., Laurentianum, Taurinense, Claromontanum, Mazarinæum, Coislinianum, Chiffletii et Sirleti, ut nihil dicatur de Menæis excusis, de Margunio Cythereo, qui inde sua exscribere assolet, aut de Genebrardo. Fatendum tamen, in nullo ex his codicibus præscribi notam *passionis*, non excepto lapide Neapolitano, in quo, ut dictum est initio, præmittitur non ad 19 Martii, sed tantum ad 25 Octobris. Item: *certamen sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ* consignatur in Menologio Basilii imperatoris, at non hoc mense, nec ad 25 Octobris, sed ad 17; quo utrumque nomen inscriptum est secundo in Mazarinæo et in Men. Græcis excusis. Utrum in Fastis Slavicis alio die quam præsenti occurrat, nec asserere in præsentiarum valeo, nec negare; rem declarabit index generalis, ad calcem hujus *Anni græco-slavici* adjiciendus. Atque hæc pro instituto meo sufficient; quæ vel eam ob causam non erant prætermittenda, quod hoc ipsomet Actorum volumine illustranda veniunt gesta SS. Chrysanthi et Dariæ. — Quatuor diebus continuis inscriptum est nomen S. Thomæ Patriarchæ CPolitani in Fastis Græco-Slavicis, 19, 20, 21 et 22 hujus. Et quidem hodie legitur in Synaxario Rum., sæculi decimi tertii, primo loco: *Memoria sancti Thomæ patr. CPolitani;* ubi recte prænotata est *memoria*; nam in cod. bibl. Ambrosianæ, signato O num. 148, diserte consignatur *reliquiarum ejus translatio*, ἀνακομιδή. Ita prologus antiquus; recentior vero, Mosquæ excusus, de S. Thoma agit die 21; Kalendarium CPolitanum Morcellii die 22; vigesima denique Menologium Basilii. — Qui post S. Pancharium nominati sunt in titulo diei Claudius, Hilaria uxor, Jason et Maurus, filii eorum, Diodorus et Marianus, hi socii fuerunt SS. Chrysanthi et Dariæ; unde novum momentum additur testimoniis supra a me allatis de communissima hac apud Græcos festivitate utriusque. — Recolantur quæ dicta sunt de S. Anino, thaumaturgo, ad diem præcedentem et undecimam. — Inter tot sanctos recentioris creationis, recensetur a synaxarista Nicodemo ad hunc diem Demetrius Tornara, anno 1564 gladio percussus; cujus rei aniversariam memoriam hoc die recolendam statuerunt Græci. Cætera desiderantur.

SS. Chrysanthus et Daria.

S. Thomas, patr. CP.

SS. Claudius et soc.

S. Aninus.

Demetrius Tornara.

DIES XX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Photinæ, mart. et soc. (*Mst. Siš. Hor. Og. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Maz. Sirl.*). [S. Patris Germani (*Mst.*)]. S. Gerasimi (*Ternob. cum Maz. Mg.*). S. Terentii, Africani et Pompeii (*Suprasl.*). S. Nicetæ, archiep. Apolloniadis et confes. (*Rum. Leop. Hor. Kal. cum Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). SS. Patrum Sabaitarum a Saracenis interfectorum (*Par. I. Chil. Euch. Hor. Kal. cum CP.*

DIES XXI MARTII. *GP. Hier. Pg. Vind. Mg. Sirl. Itg.*). S. Cyrilli seu Berylli Catanensis (*Pap.*). SS. septem mulierum, Alexandræ, Claudiæ, Euphrasiæ, Matronæ, Julianæ, Euthymiæ et Theodosiæ (*Prol. Kal. cum Taur. Sirm. Mg.*) .S. Arčili, regis Iberiæ et mart. (*Iber.*).

† MM. Archelai, Cyrilli et Photii (*Maz.*). † Sebastiani ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves et Cyriacæ (*Sirl.*). † Iconii, presb. Smyrnensis (*Maz.*) † Emmanuelis, mart. (*Mg.*). † Rodionis, mart. (*Mg.*). † Aquilæ tribuni (*Mg.*). † Lollionis, mart. (*Mg.*). † Thomæ, patr. CPolitani (*Bas.*). † Nicodemi, abbat. in Calabria (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Photina et soc. Apud Sirletum S. Photinæ adjunguntur præter Photium, Photidim, Parascevam et Cyriacam seu Domnicam, etiam Victor et Joseph, quem Ostrog. vocat Josiam. De S. Photina actum supra. — *S. Gerasimus.* Tres omnino dies sunt, S. Gerasimo Jordanico (nam de hoc agitur in Fastis nostris) dicati, quartus Martii, quintus et vigesimus. In Mstisl., tacito Gerasimo, consignatum legitur nomen *Sancti patris Germani,* secundo loco; quod in cæteris Synaxariis Græcis juxta ac Slavicis desideratur. At in Ternob. diserte fit commemoratio *Sancti patris Gerasimi,* quem referunt insuper Menæa Græca sive excusa, sive Sirmondi et Chiffletii manuscripta. Errorem irrepsisse in codicem Mstislavicum crederem libenter, vel eam ob rationem quod S. Gerasimi nulla facta sit ibidem mentio nec ad 4 Martii, quo recoli solet a Græcis, nec ad 5, quo ejus obitum celebrant Latini. Quia tamen magnæ auctoritatis est codex ille et aliunde non omni ex parte certus est error, lectionem genuinam in titulo servare placuit, uncis inclusam. — *S. Patres Sabaitæ.* In Menologio et Kal. Mosquensi Patres Sabaitæ recensentur hi : Joannes, Sergius, Patricius etc. In Par. I annuntiatio est sequens : *S. Sabæ.* Inepta satis. — *S. Cyrillus Catanensis.* De S. Cyrillo Catanensi opportunior locus dicendi erit ad diem sequentem, quo a pluribus refertur. — *S. Alexandra et soc.* S. Alexandra cum sociis martyrii sui venit apud Sirletum die præcedenti; tres priores nominavimus jam ad 18 hujus; quo commemorantur etiam in Menologio imperatorio, sed generatim tacitisque nominibus. Hodie nominatim recensentur omnes septem, non tamen ab omnibus. *Matronam* mutavit Menæorum et Prologi auctor in *Patronam.* — *S. Thomas, patr. CP.* Juxta chronicum Alexandrinum obiit S. Thomas patr. CP. die Martii 20; sepultus 22. Rectissime itaque refertur hoc die in Menol. Basiliano. — Apud Iberos celebratur memoria sancti Arčili regis et martyris, cujus certamen et gesta illustria ex chronico Djiantirano deprompta tradidit totius Iberiæ primas Bessario, nos vero hic contracta damus ex opere Muravievii. Narratur itaque Arčilum fuisse filium Stephani regis; quo vita functo, Iberiæ regimen suscepisse simul cum fratre suo Miro; at mox, Abkhaziam migrasse, quo Arabum invasiones effugeret. Quum vero nec Anacopi (civitas est Abhazorum, reliquiis S. Simonis Zelotæ apostoli atque imagine S. Deiparæ miraculosæ clara) securi essent, imo a Mirvano Surdo, Arabum duce, ad necem peterentur, arma acceperunt; atque, tribus millibus militum in aciem eductis, hostibus numero longe præstantioribus immensam intulerunt cladem. Mortuo interea fratre Miro, qui lethale in pugna acceperat vulnus, Iberiæ præfuit Arčilus solus, eamque quinquaginta annorum spatio gubernavit adeo feliciter ac sapienter, ut florentissimum vocatum sit ejus regnum ab annalistis Iberis. At extremis regni sui annis, quum Iberiam invasisset Arabum dux Casim, atque igne ferroque florentissimas Kachetiæ et Kartheliæ provincias devastaret; in castra inimicorum ultro sese confert Arčilus, ferocis ducis clementiam pro gentis suæ salute imploraturus. A quo honorifice quidem exceptus est; at quum ad fidem christianam negandam nec blanditiis, nec minis adduci posset, in vincula conjectus atque gladio percussus est 20 Martii anno 781. Sacrum ejus corpus, a familiaribus clam ablatum, atque in montanis honorifice conditum est in ecclesia Notcarensi, quam fundavit ipse. Atque hæc est summa eorum quæ in Vitis sanctorum ex codice Iberico tradidit nobis Bessario metropolita. Cfr 1) Murav. ad hanc diem. 2) Wakhoucht, Description géogr. de la Géorgie, pag. 129 et 333.

S. Arčilus, rex Iberiæ et mart.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Euphrosynus Sinoezerensis. Euphrosynus, nomine Ephræm in baptismo insignitus, dum adhuc junior esset, in monasterium Balaamicum abiit; unde Novgorodiam contendit : ac tandem in Tichvinensi cœnobio tonsuram cum Euphrosyni nomine suscepit. Ad vitam monasticam jam instructus, in solitudinem secessit, sedeque ad lacum cœruleum fixa, unde ei Sino-ezerensis cognomen mansit, cryptam sibi effodit quam annum integrum incoluit. Triennio peracto, cum sociorum numerus paululum accrevisset, monasterium instituit, ecclesiamque posuit Annuntiationis titulo. Demum anno 1612, die 20 Martii, ad aliam vitam migravit, a Polonis, monasterium eo tempore vastantibus, interfectus, postquam magnum schema induerat, monachorum Orientalium more. An colatur alicubi, tacent auctores russi.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 105.

DIES XXI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Jacobi, ep. et confessoris (*Mst. Rum. Tern. Prol. Kal. Hor. et alii fere omnes cum Bas. Hier. GP. Pg. Vind. Med. Mg. Maz. Nan. Sirl.*). S. Benedicti (*Mst. cum Bas. Neapol.*). S. Isacii Dalmati (*Suprasl.*). S. Berylli seu Cyrilli Catanensis (*Prol. Kal. cum Sirl. Bas. Maz. Chiffl. Mg. Med. Clar.*). S. Thomæ, patr. CP. (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*).

† MM. Philomenis et Domnini (*Sirl. Clar. Maz. Taur.*). † MM. Callinicæ et Basilissæ (*Sirl.*). † Ananii (*Hier. Nan.*). † Artemonis, mart. (*Nan*). † Serapionis Sidonitæ (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Jacobus junior. S. Cyrillus Catanensis.

In Menol. Basilii S. Jacobus cognominatur Junior. — SS. Cyrillus et Thomas ponuntur hodie etiam in Men. Græcis Chiffletii. In Kal. mosquensi S. Cyrillus, rectius Beryllus, dicitur vixisse primo sæculo, imo, teste Veršinskio, fuisse discipulus S. Petri et primus episcopus Catanensis. In cod. Coislin., signato 223, asseritur discipulus non Petri, sed Pauli apostoli. In Menol. Bas. Sirlet. et Chiffl., item in Martyrol. Romano vocatur Beryllus: quod est germanum ejus nomen; at apud Slavos solemnius nomen Cyrilli. Vidimus autem supra, hoc eodem mense, obvium esse nomen S. Cyrilli *philosophi* cum titulo *Catanensis*; atque probabile est ex hac utriusque sancti proximitate manasse errorem quorumdam fastorum, in quibus S. Cyrillus, Moraviæ Apostolus, perverse nuncupatur Catanensis, imo et Canaonensis, corrupto scilicet nomine Catanæ civitatis. *Sacrosancti martyris* titulo donatur ille a Sirleto; perperam. — Quænam sit ratio, cur hodie commemoretur in Prol. et Menologio S. Thomas patriarcha CP., difficile est dictu. Translatus fuerit ex die præcedenti, quo obiit, aut ex die sequenti quo sepulturam accepit, in gratiam SS. Patrum Sabaitarum aut S. Basilii Ancyrani, quorum hic colitur 22, illi 20 hujus. — Iterato occurrit nobis S. Benedictus, jam 14 Martii celebratus. Utroque die refertur etiam in Fastis Græcis; ex qua duplici patriarchæ sanctissimi commemoratione apparet magnitudo famæ, qua vel apud Orientales fruebatur olim. — SS. Callinica et Basilissa martyres proferuntur a solo Sirleto; ab aliis tum die 22, tum 26 hujus. Et quidem hoc ultimo die commemoratur in Menologio Basilii, cum brevi encomio, at mutato nomine Callinicæ in Callinicum, ut controversia sit de sexu. Neutrum noverunt Menologi Slavici. — S. Ananium arbitror esse eumdem ac S. Aninum, miraculis clarum; de quo dictum ad 18 Martii.

S. Thomas, patr. CP.

S. Benedictus, abbas.

SS. Callinica et Basilissa.

S. Ananius.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. MEMORIA S. THOMÆ NOVI, ARCHIEP. CPOLITANI. (*Ita etiam Assem. cum Med. CP. Hier. GP. Neapol.*).

Ex variis. S. Basilii, presb. Ancyrani et mart. (*Mst. Tern. Prol. Kal. Hor. et fere omnes cum Sirl. Bas. Mg. Sirm. Maz. Med. Hier. Vind. GP. Coisl. Flor.*). SS. Trophimi et Eucarpionis, mart. (*Suprasl.*). S. Artemonis, ep. (*Rum. cum Bas. Maz.*). S. Georgii, thaumaturgi (*Rum.*). S. Drosidis, mart. et soc. quinque (*Prol. Kal. Val. cum Mg. Sirl.*). S. Isaaci, mon. (*Kal. Hor.*). [Euthymii, mon. (*Ath.*)]. † Euphrasiæ, virg. in Theb. (*Itg.*). † MM. Callinicæ et Basilissæ (*Med. Mg. Maz. Clar. Chif.*).

OBSERVANDA.

S. Thomas, patr. CP.

S. Thomam, patr. CP. a variis varia die annuntiari notavimus alibi. Hodie inscriptus est in paucis quidem fastis, at qui omnium antiquissimi sunt atque cæteris, si Menologium Basilii imperatoris excipias, auctoritate præstantiores: in Hierosolym. et Callipolitano, a Scholzio editis, sæculi x, Neapolitano marmoreo sæculi octavi, CPolitano Morcellii sæculi noni et Assemaniano Glagolitico, undecimo sæculo nequaquam posteriori. Tria notanda occurrunt: Primum est, nota *Memoriæ* in Ostr. præscripta, modo generico, non secus ac in CPolitano Morcellii : μνημη; in Neap. insculptum est : N S THOME PĀT, *natale* S. *Thomæ, patriarchæ;* quod ad idem redit, cum *Natale* de quovis festo usurpetur in fastis marmoreis. In Med. signatur : κοιμησις *dormitio*, seu *obitus*. Rectius erat inscribere *depositionem;* hoc enim die non mortuum, sed sepulturæ mandatum esse, luculenter testatur Chronicon Alexandrinum : *Hoc anno mense Distro, qui est Romanis Martius, die* XX, *qui incidit in feriam* VI, *moritur Thomas, patr. CPolitanus, et* XXII *ejusdem mensis die Dominico terræ mandatur*. Habes rationem cur in fastis consignetur non uno die. Secundo, observatu dignus est titulus *Novi* seu *Junioris*, quo discriminatur a S. Thoma Apostolo. Tandem in Kalend. CP. Morcellii, in marmore Neapolitano et in Men. Mediol. præfert titulum *patriarchæ;* in Ostrom. et Assem. vocatur *archiepiscopus;* in Hier. et GP. *episcopus*. Quod autem in Neap. insculptum sit *patriarcha* sine addita sede, hoc non κατ' ἐξοχήν dictum, ut opinatur Mazochius, sed unice propter loci angustiam; qua etiam vocabulorum *Natale* et *patriarcha* sola initialia signa insculpere licuit. At in CPolitano, Assem. et Mediol. vocatur *CPolitanus*. Ad hæc, memoria S. Thomæ inscribitur etiam 24 hujus mensis, quo forsan translata est propter festum Dominicæ in quam incidit depositionis ejus dies. Atque ita quinque diebus universim insertum est nomen hujus patriarchæ; imo in Kalend. CPolitano uno ex tribus diebus festivis (plura hoc mense non continet); ut inde concludas, celebratissimum olim fuisse præsentem festivitatem. — Recole dicta de sancto martyre cognomine ad 1 Januarii. In cod. Parisino, citato apud Scholzium, nuncupatur *primarius dux*, πρωτοστρατήγος. — S. Drosis, martyr, quæ et Drozela, Drusilla, Drusina, Latinorum Fastis ignota est, quamvis in Græcis Slavicisque asseratur filia fuisse Trajani imperatoris. In Menæis excusis et Sirletianis adjunguntur quinque martyrii sociæ. Elogium, quod ex Menæis Græcis in Prologum Mosquensem manavit, adeo fabulis inquinatum est, ut integrum recitare abnuerint Bollandiani, brevi ejus compendio contenti. Quo citato et excusso : *Itaque existimamus,* ait Stiltingus, cui subscribo libenter, *eamdem omnino esse Drosidem, quæ ad hunc diem apud Græcos memoratur, cum ea, quam laudat Chrysostomus. Non tamen admittimus commenta Græcorum, qui illam et Trajani filiam dixerunt et alia quædam fabulosa, ut apparet, de ipsa et de quinque martyribus, quibuscum comprehensa dicitur, in Menæis protulerunt.* Tractat autem de Droside non ad 23 Septembris, ut scripsit Veršinski, sed ad 22, a pag. 300. Placuit fabula non modo Russis, sed et Valachis. Nam in libro Valachico : *Martirii crucii din ambele Dacii: Martyres utriusque Daciæ*, qui Bucharesti prodiit anno 1856, S. Drosis secundo loco venit, ubi et de S. Clemente, papa et martyre, deque SS. Cyrillo et Methodio versatur sermo. — S. Euphrasia, virgo in Thebaide, adnumeratur religiosæ familiæ S. Basilii Magni in Martyrologio Italo-Græco; cujus natale celebratum est supra, 14 Martii. — In Paterico Montis Atho, tom. II, pag. 298, annuntiatur memoria sancti et gloriosi neomartyris Euthymii, monachi, quæ recurrit etiam 1 Maii; tum additur prolixa narratio de ejus vita et passione, cujus summa redit ad hoc. Erat ille in Polopeneso in vico

S. Basilius Ancyranus.

S. Drosis.

S. Euphrasia.

Euthymius Athonites.

DIES XXIII MARTII.

vico Dimitsani a christianis parentibus Panagiota et Maria natus; juvenis, in vitia præceps ruit, neglecto proposito in Montem Atho secedendi; quin et fidem negavit. Tum in se reversus, meliorem vivendi modum instituit, factusque monachus in Monte sancto, ardens concepit desiderium juventutis crimina profuso sanguine lavandi ac expiandi. Peractis itaque solitis pœnitentiæ exercitiis, CPolim appulit; ibique Christum publice coram Turcis professus, utque vota christiana iterum ejuraret incassum tentatus, gladio percussus est, anno salutis reparatæ 1814, ætatis suæ vigesimo. Cætera vix lectoris catholici digna sunt adeoque prætermittenda.

DIES XXIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Niconis, mart. et 199 sociorum (*Mst. Tern. Rum. et alii plurimi cum Bas. Sirm. Maz. Med. Hier. Mg. Vind. GP. Pg. Itg.*). S. Dometii et sociorum, mart. (*Supr. cum Sirl. Bas. Med. Mg.*). S. Jacobi (*Par I.*). SS. Philetæ synclitici, Lydiæ, uxoris ejus, Macedonis et Theoprepii filiorum, Cronidis præfecti et Amphilochii famuli (*Prol. Kal.*). S. Niconis, mon. Kievo-Cryptensis (*Pater. Men. Kal.*). [Lucæ, mon. (*Ath.*)].

† MM. Pelagiæ, Aquilæ, Eparchi et Theodosiæ (*Sirl. Med.*). † Georgii Junioris, thaum. (*Sirm. Mg.*). † Christinæ, mart. (*Nan.*). † Crucifixio D. N. Jesu Christi (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Nicon et soc. *S. Jacobus, cp.* *S. Philetas.* *S. Nicon cryptensis.* *S. Dometius, mart.*

Niconis socios ducentos numerat Ostrogense. In Sirl. referuntur die sequenti. — Jacobus idem est cum Jacobo Juniore, episcopo et confessore, qui a nobis celebratus est ad 21 Martii, quemque alii iterum recitant ad diem sequentem. — De S. Phileta et soc. agetur melius ad 28 Martii. — S. Niconem Kievocryptensem illustrabunt Memoriæ Slavicæ modo dandæ. — In cod. Suprasliensi, quod solius mensis Martii Vitas continet, habetur *martyrium sancti Dometii et discipulorum ejus;* qui in Menæis ejusdem mensis Ambrosianis et apud Sirletum nominantur quatuor et sunt Pelagia, Aquila, Eparchus et Theodosia. At in Menæis Græcorum excusis commemoratur S. *Dometion* solus, mutato paulisper nomine et accedente solito disticho; est enim idem cum S. Dometio. In Menologio quoque Basilii prodit solus Dometius, suppressis nominibus sociorum. Sejungendum esse arbitrantur etiam Bollandiani, eo quod in Phrygia certasse dicatur, quod de aliis quatuor martyribus nequeat prædicari. Idcirco in titulo supra allato seorsim prodiit, quamvis in Med. et Sirl. cum aliis sit conjunctus. Eparchus apud Bollandianos vocatur *Eparchius;* quid si nomen appellativum sit, non proprium? — In Paterico Montis Atho, tom. II, pag. 235, narratur *Martyrium sancti et inclyti hosiomartyris Lucæ*, ex Νέον λειμωνάριον depromptum. Est autem narratio ista adeo insulse concinnata, ut hic minime recitanda videatur. Non enim aliud fere continet, quam perpetuas istius juvenis, quem conscientia remordebat, concursationes de civitate in civitatem, de monasterio in monasterium; quæ ad locorum notitiam comparandam multo magis quam ad morum ædificationem inservirent. Ad hæc, tantum abest, ut virtutibus claruerit Lucas, ut vel mendacii non immerito insimulandus esse videatur. Postquam enim quindecim sedes mutasset, nec uspiam consistere valuisset, tandem Mytilenam profectus est, ut coram Turcis Christi fidem profiteretur, quam puer negaverat olim. A judice interrogatus, undenam gentium esset et ubi tamdiu latuisset, nihil hæsitans respondit se indigenam esse et in Russia degisse, atque inde Mytilenam in Russica navi appulisse; quum tamen eum Adrianopoli esse oriundum nec unquam Russorum fines adivisse testatum faciat totius narrationis series et ordo. Missis igitur auctoris græci commentis, sufficiat dicere Lucam anno ætatis decimo sexto, salutis reparatæ 1802, Mytilenæ a Turcis fuisse suspendio peremptum atque ut martyrem commemorari a suis hoc die. — S. Georgium Novum seu Juniorem celebravimus XI Martii. In Menæis Græcis cognominatur νεοφάνης et thaumaturgus, in ecclesia S. Joannis Evangelistæ in Bigis seu Dihippio miraculis clarus. — Varii omnino sunt dies quibus affigitur sacra memoria Cruxifixionis Domini Nostri Jesu Christi; quos enumeratos reperies in Actis SS. ad 25 diem Martii, p. 540, quam adi. Cfr Patritium, de Evangeliis.

Lucas, monachus.

S. Georgius junior.

Crucifixio D. N. Jesu Christi.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Nicon Kievocryptensis.

Fuit ille inter discipulos B. Antonii Kievocryptensis omnium primus; sed latet undenam aut quando ad eum advenerit. Quum autem presbyter esset B. Nicon, ideo a B. Antonio jubebatur tonsuram habitumque monachalem advenientibus sociis conferre. Inter quos, præter magnum Theodosium, recensentur Barlaam et Ephræm, nobilissimo sanguine illustres, magnique ducis Jaroslai aulici. Hos quum a Nicone cucullatos accepisset Jaroslaus, furore motus, monasterium funditus evertere, fratresque in exilium mittere comminatus est; et certe minis facta addidisset, nisi uxoris monitis et precibus mollitus, ad meliores sensus rediisset. Nihilominus exulare debuit Nicon, innocentissimus tempestatis auctor; quare, accepta Antonii benedictione, in insulam Tmutorocaniam iter instituit, anno 1068, ibique in monasterio in honorem Beatæ Mariæ Virginis a se fundato diu vixit. Tandem, Antonio et Theodosio jam defunctis, ad Cryptas Kiovienses remeavit, ubi post obitum Stephani hegumeni, in ejus locum communi fratrum consensu subrogatus est. Monasterium sancte rexit plures annos, cumque ejus ecclesiam instaurasset et arte pictoria curasset exornari, virtutibus et miraculis conspicuus ad Dominum migravit anno 1088, die 23 martii, in cryptis Antonii sepeliendus.

Cfr 1) Menol. et Prol. ex Paterico. et Verš. ad h. d. 2) Kulčinius, pag. 20. 3) Dict. hag., pag. 211. 4) Macarius, Hist. eccl. Russ. I, p. 31 et 60.

DIES XXIV.

Ex Ostromirano. Ex variis. PASSIO SANCTORUM QUINQUAGINTA MARTYRUM CÆSAREÆ (*Bas. Mg.*). ET VIGILIA ANNUNTIATIONIS.

S. Artemonis, ep. Seleuciæ (*Mst. Tern. Prol. Kal. Hor. cum Hier. Vind. Med. Maz. Sirm. Mg.*). S. Artemii, ep. Thessalonicensis (*Supr. Par. I. Chil. Og. Ps. glos. Prol. Hor. Kal. cum Mg.*). S. Basilii, mart. (*Rum.*). S. Zachariæ, reclusi (*Cap. Men. Leop. Euch. Kal. Prol. cum Maz. Taur. Mg.*). S. Isaacii, (*Pp.*). S. Jacobi, conf. (*Kal. Men. Prol. cum Mg, Maz.*). [Lazari-abbæ, Muromensis (*Hag.*)].

† Severi, ep. Catanæ (*Sirl. Maz.*). † Thomæ, ep. CP. (*Coisl.*). † Nicandri, mart. in Ægypto (*Mg.*). † Martini Thebæi (*Mg.*). † Martyrum octo (*Neap.*). † Georgii Junioris, thaum. (*Maz.*). † Niconis (*Sirl.*).

OBSERVANDA.

SS. Martyres quinquaginta. Cl. Kopitar male legit octo pro quinquaginta; quæ duo facile miscentur, quod litteræ solummodo una lineola transversali inter se discriminentur; nimirum numerus octavus apud Slavos æque ac apud Græcos exprimitur per litteram H, numerus vero quinquagenarius æquipollet litteræ N. Basilianum Menologium refert 35 socios tantum. — In Men. Sirleti hodie referri S. Niconem diximus modo. *S. Nicon.* — SS. Artemon et Artemius, licet ob nominis similitudinem facile confundantur et re quidem ipsa, in Martyrologio Arabo-Ægyptiaco et in codice aliquo Slavico S. Artemius vocetur Artemon, tamen diversa sede, quam uterque occupavit, discernuntur satis. *SS. Artemon et Artemius.* — Qui in Rum. commemoratur Basilius cum titulo *martyris*, idem sane est cum S. Basilio, presb. Ancyrano. *S. Basilius, mart.* — Jam quinto recurrit memoria sanctissimi præsulis CPolitani, Thomæ; quæ cur huc translata sit, divinari potius licet, quam asserere aliquid certi. De eo satis dictum supra. *S. Thomas CP.* — S. Jacobus videtur esse strenuus ille imaginum propugnator, relatus a nobis die XXI, qua præcipue colitur, et etiam præcedenti. *S. Jacobus.* — Sanctus manipulus martyrum, quorum natale recolitur hodie in marmore Neapolitano, sunt illi celeberrimi octo, de quibus egimus supra, XV Martii. Eorum Eusebius in Historia Mart. Palæstinæ tum nomina tum genus martyrii scripsit. Nomina autem sunt hæc : Agapius, Puplius seu Paisius, Timolaus, Romilus, duo Dionysii et duo Alexandri. Cfr Mazochius ad hunc diem. *SS. Martyres octo.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Lazarus-Abba, Muromensis. In monasterio Muromensi commemoratur ad hanc diem Lazarus-Abba, ejusdem monasterii hegumenus et auctor. Floruit sæculo decimo quarto fere integro, e vita decedens anno 1391, plus quam centenarius : inde procul dubio *Abba* cognominatus. Antequam in Russiam veniret, monasterium quoddam Romanum aut potius Romæum incolebat : hoc enim nomine recentiores Græci, Rumeliam inhabitantes, sese passim insigniunt. Venit porro Constantinopoli Novgorodiam, ab ipsomet patriarcha Cpolitano missus ad Basilium archiepiscopum, apud quem toto novennio commoratus est. Defuncto Basilio, in insulam Muromensem, lacu Onega circumfluam, secessit Lazarus, ibique monasterii fundamenta posuit, non sine mira Basilii interventione, quem sibi videre visus fuerat. Insuper et ecclesiam Assumptionis excitavit eo ipso loco, ubi mulierem quamdam, luce splendidiorem, sibi apparentem viderat. Nec parum ab indigenis, utpote idolorum cultoribus, pati debuit, præsertim initio; verum ubi juvenem quemdam, unius e præcipuis viris filium, miraculose sanavit, non modo venerationi omnibus fuit, sed et plurimos eorum Christo lucratus est. Interea, sociorum numero in dies crescente, alteram ecclesiam erexit, titulo S. Lazari, hospitis Christi; et ita monasterii Muromensis institutor effectus, illud sapienter rexit usque ad mortem. Quæ hactenus de Lazaro diximus, deprompta sunt ex testamento, quod conscripserat ipse.

Cfr 1) Hist. hier. Russ., t. V, pag. 115-129. 2) Dict. hag., pag. 165. 3) Murav. ad hunc diem.

DIES XXV.

Ex Ostromirano. Ex variis. ANNUNTIATIO DEIPARÆ. (*Ita omnes.*)

† Dometii et sociorum ejus, Pelagiæ, Aquilæ, Eparchi et Theodosiæ, martyrum (*Sirm. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Dometius et soc. De S. Dometio, ejusque sociis, veris aut prætensis, actum est 23 hujusce mensis, ad quam vide.

DIES XXVI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

Synaxis S. Gabrielis, archangeli (*Mst. Tern. Rum. Par. I. et cæteri omnes.*). S. Irenæi, ep. Sirmiensis et mart. (*Supr. Men. Kal. Prol.*). S. Malchi, mon. (*Men. Kal. cum Chiffl.*). SS. viginti sex martyrum in Gothia; Bathusii et Verci cum duobus filiis et duabus filiabus; Arpilæ,

DIES XXVII ET XXVIII MARTII.

monachi et laicorum Abibæ, Agni, Reasi, Igathracis, Iskoi, Signici, Sonirili, Suimbali, Silæ, Thermi, Phiagi, et feminarum Allæ, Annæ, Laridis, Moicæ, Mamicæ, Virces et Animaidis (*Prol. Kal. cum Sirl. Maz. Clar. Mg. Bas.*). S. Basilii Junioris (*Men. Kal. Prol.*).

† Natalis S. Sabini (*Neap.*). † Isacii (*Nan.*). † Stephani Xilinitis (*Clar. Maz.*). † MM. Philemonis et Domnæ (*Bas. Sirm. Maz.*). † Callinici et Basilissæ, mr. (*Bas.*). † Abrahæ, olim latronis (*Sirm.*). † Stephani Trigliensis, confess. (*Sirl. Med. Sirm.*). † MM. Quadrati, Theodosii seu Theodosiæ, Emmanuelis, Sabini et aliorum (*Sirl. Med. Dom. Sirm. Maz. Mg.*). † Joannis, patr. Hieros. (*Taur. Dom. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Gabriel archangelus. *Synaxim Gabrielis, archangeli, celebramus*, ait Mstislaviensis, quæ annuntiandi ratio sæpe recurrit in Synaxariis. *Gauriel* Codicis Par. I prodit Slavum meridionalem. — *S. Irenæus.* S. Irenæi Sirmiensis memoria fit iterato ad 23 Augusti tum in Menol. Basilii, imperatoris, tum in Prologo. In Suprasliensi perperam vocatur episcopus *Smyrnæ*. — *S. Martyres Gothi.* SS. Martyres Gothi nominantur omnes in Actis SS., Mart. t. III, pag. 619. Ubi additur insuper S. Constans. In Bas. habetur modo generico : *plurimorum MM., etc.* nec omnes simul referuntur ubique. — *S. Basilius junior.* Basilii Junioris seu Novi Acta exstant in opere Bollandiano, ad 26 Martii, et omnino comparanda sunt cum Synaxariis Slavicis, propter res vere stupendas quæ ibidem venditantur de migrationibus S. Theodoræ, famulæ S. Basilii, post mortem. Norunt lectores catholici in migrationibus istis animæ e corporis carcere egressæ consistere, juxta Græcos et Russos, pœnas illas purgatorias, de quarum natura nihil definierunt concilia Florentinum et Tridentinum — De *S. Quadrato* vide dicenda ad diem sequentem. — *S. Joannes.* Recole quæ de S. Joanne in prætermissis ad præsentem diem adnotata sunt in Act. SS., tom. III Martii. Conferantur etiam observata inferius, ad 30 hujus mensis.

DIES XXVII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Matronæ Thessalonicensis, mart. (*Mst. Tern. Prol. Kal. Hor. cum Hier. GP. Pg. Vind. Flor. Mg. Sirm. Med.*). SS. Phileti et Lydiæ, uxoris, Macedonis, Theoprepii filiorum ejus, Cronidis et Amphilochii (*Rum. Pp. cum Bas. Maz. Chiffl. Mg. Sirl.*). SS. Manuelis et Theodosii, mart. (*Prol. Kal. cum Bas.*). S. Joannis Providi, anachoretæ (*Men. Kal.*).

† Isacii, mart. (*Neap.*). † Acacii, ep. Metilinæ, conf. (*Chiffl. Clar.*). † Pauli, ep. Corinthi (*Mg.*). † Jonæ et Barachisii (*Med. Mg.*). † Anini, proph. (*Mg.*). † Cerici in Apro, in Thracia (*Mg. Med. Sirm.*). † Stephani, confessoris (*Bas.*). † Codrati, ep. (*Bas.*). † Eutychii et Herodionis (*Sirm. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Matrona. De S. Matrona, Thessalonicensi, seu ut apud Slavos audit Solunensis, agitur in Menol. Basilii die sequenti; in Actis SS., die 15 Martii; apud Coptos 7 Septembris. In officio diei legitur canon *S. Philetus et soc.* Theophanis, hymnographi. — S. Philetum, uxorem ejus et filios cæterosque martyrii socios nominavimus ex Prologo ad 23 Martii; de iis proprius agendi locus erit, ad diem proxime sequentem. Hic vero in antecessum observabimus, in cod. Rum. Lydiam immutatam esse in Chudeam; ad hæc, in Menæis Sirl. Maz. et excusis eidem adjunctos esse Macedonem, Theoprepium, filios ejus; Cronidem commentariensem et Amphilochium ducem. — *S. Manuel et soc.* Manuel, qui hodie celebratur una cum Theodosio, Sabino, Codrato seu Quadrato aliisque sociis duodecim jam relatus est die præcedenti. In Menologio Basilii de S. Codrato agitur seorsim. — S. Isacium, martyrem, refert *S. Isacius.* cod. Nanianus die præcedenti. — *S. Joannes,* S. Joannes, eremita Lycopolitanus, in Thebaide, non diversus est ab eo qui in Vita SS. Cyri et Joannis anargyrorum a S. Sophronio adornata, voce coptica *Senuphius*, id est propheta, appellatur. Ubi obiter notabimus, in eodem loco Actorum SS. Cyri et Joannis vitiose scribi Scete pro Sciut; Sciut autem Lycopolim ipsam designare. Cfr Acta SS. ad hanc diem, Mart. t. III, pag. 698; et insuper Antonii Georgii præfatio ad *Fragmentum Evang. S. Joannis Græco-Copto-Thebaicum*, ed. Romæ 1789, pag. CLV et seq. — De S. Stephano, hegumeno, *S. Stephanus.* dictum heri. — *S. Aninus, propheta.* Quisnam sit S. Aninus, propheta, non constat; fortassis Hannani ille, quem Asa, rex Juda (2 Paralip. 16), in nervum compingi jussit.

DIES XXVIII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Phileti et soc. (*Mst. Par. I. Siš. cum Sirl. Med. Nan. Mg. Taur.*). S. Hilarionis Junioris, hegumeni Peleceti et thaum. (*Chil. Og. Men. Hor. Kal. cum Bas. Hier. Sirl. Med. Sirm. Mg. Nan. Hier. Vind.*). S. Stephani, hegum. et thaum. (*Par. Prol. ms. Chil. Cap. Kal. Men. Hor. cum GP. Anthol. Pg. Genebr.*). SS. Jonæ et Barachesii et soc. (*Rum. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Med.*). S. Herodionis, apostoli (*Rum. cum Bas. Sirl. Maz.*). S. Eustratii, Cryptensis mon. et mart. (*Pat. Men. Kal.*). [Hilarionis Pscovensis (*Hag.*)].

† Marci, ep. Arethusæ et Cyrilli, diaconi (*Bas. Sirm.*). † Matronæ, mart. (*Bas. Clar. Maz. Marg.*). † Hesychii, presb. Hieros. (*Bas.*). † Eutychii, ep. (*Neap.*). † Zosimi, ep. Syracusani (*Chiffl.*). † Eustathii, ep. Bithyniæ (*Taur.*). † Cononis, mon. Nesi in Sicilia (*Itg.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA.

S. Philetus. Si Eustratium Cryptensem excipias, qui sæculo XI obiit, omnes sancti hujus diei jam in vetustioribus synaxariis inscripti sunt. S. Philetum cum sociis nominatim jam bis retulimus 23 et 27 hujus; pro quo *Philippum* male legit Mstislaviensis codex, idcirco a me in titulo correctus. In Ternob. nuncupatur patricius (*boliarin*); cui adduntur Lydia uxor et duo filii Macedo et Theo-

S. Jonas et soc. prepius. — SS. Jonæ et Barachesio adduntur in Prologo socii sequentes : Zanithas, Lazarus, Maruthas, Narsus, Elias, Maras, Abibus, Sibeithas et Sabas; in Bas. et Supr. remissi ad diem sequen-

S. Herodion. tem; at apud Sirl. ad præcedentem. — *Rodivon*, Russorum more pro Herodione, inscriptus est in Mstislaviensi. Rursus veniet in Menæis Slavicis et

S Eustratius. Græcis die VIII Aprilis. — De Eustratio plura de-

S. Eutychius. clarabunt Memoriæ Slavicæ. — In Neapolitano marmore consignatur *Depositio Etuchii* (lege Eutychii) *episcopi*, de quo prolixam eruditamque tractationem instituit Mazochius, ut probaret, Etuchium, qui in marmore signatur, non alium revera esse quam Hesychium, presbyterum Hierosolymitanum, tot operum scriptorem clarissimum; quippe is hoc die obiit, quo et in Menol. Basilii memoratur. Idcirco emendandum marmor, ac legendum *Hesychium*. Sabbatinius Eutychium legendum quidem arbitratur, at episcopo substituit alterum sanctum cognominem, diaconum, qui cum pluribus episcopis martyrium passus fuerit et propter hanc rationem pro episcopo habitus sit ipse. Neutra sententia placet. Quis enim unquam credat, tantæ famæ virum, qualis S. Hesychius erat, qui fontes scientiarum exhausisse prædicatur, adeo fuisse Græcis Neapolitanis ignotum, ut eum ex presbytero fecerint episcopum, et ex Hesychio Etuchium? Sunt et alia plura, quæ obstant, quominus cl. Mazochii placita probentur quæ persequi non est hujus loci. Unum tantummodo proponere liceat, in mea provincia conquisitum, nec omnino spernendum. Nempe *Eutychii*, *episcopi*, diserte meminerunt Menæa Mediol. et Taurin. mss., ad diem proxime sequentem, qui est 29 Martii. Jamvero hoc die obiisse S. Eutychium aperte dicit Veršinskius in Menologio Ecclesiæ Orientalis. Esto, Theophanes in Chronographia scripserit Eutychium obiisse 6 Aprilis, indictione 15; explicandum semper manebit, undenam Menæa Med. et Taur. desumpserint suum Eutychium, episcopum, ad 29 Martii, et qui in Kalendario marmoreo die 6 Aprilis signetur *Natale* Eutychii, patriarchæ, quum omnino sculpi debebat *Depositio*. Quod autem in enuntiando nomine et titulo ecclesiastico levis utrinque intercedat discrepantia; id parvi momenti esse liquet. Nec magis movet nota *Depositionis*, affixa in marmore Neapolitano diei 28, non autem, ut conveniebat, vigesimo nono : id enim fieri potuit, ob festum S. Reducis, ep. Neapolitani, quod incidit in 29 Martii; tunc enim solemnitas S. Eutychii potuit anticipari una die, servata nota *depositionis*. Sed de his satis. — Menæa Sirmundi mss., quæ in titulo simul cum *S. Marcus.* Basiliano Menologio citavimus, agunt de S. Marco solo, tacito Cyrillo. Cæterum in Menol. quoque Basilii diversum habent synaxarium. Utrumque sanctum referunt Fasti Slavici die sequenti, ad quem idcirco remittendi. — S. Hilarionem Junio- *S. Hilarion.* rem et thaumaturgum referunt plura Kalendaria sive Slavica, sive Græca; inter quæ primas obtinet Menologium Basilii, ubi iterum inscribitur quarta Maii, quinta vero in Prologo.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Eustratius Cryptensis. Eustratius, Kioviensis, quum frequentibus cum monachis Cryptensibus colloquiis monasticæ vitæ desiderio fuisset accensus, pauperibus opes suas distribuit, habitumque monasticum indutus cum Cryptensibus sociis sanctissime vixit. Imprimis jejunio et abstinentiæ indulgebat, jejunatoris cognomen idcirco promeritus. Interea, anno 1096, Polovocenses, Boniaco duce, Kioviam invadunt, cladeque ingenti edita, monasterium vastant, multosque captivos abducunt, inter quos Eustratium, mox cuidam Hebræo Chersonæ venditum. Qui cæteris Eustratii sociis fame enectis, ipsum ad ejurandam Christi fidem qua illiciis, qua flagellis adigere frustra conatus, ne operam ulterius perderet, cruci affixit. Ex qua fortis Christi athleta dies quindecim pependisse dicitur, et tortoris insultus et horrendas blasphemias incredibili animi constantia repulisse; donec a furente hero hasta transfixus est. Corpus ejus exanime, in mare projectum diuque quæsitum, ac demum, miraculorum fama juvante, inventum honorifice Kioviam detulerunt fideles, et in Cryptis Antonii tumularunt. Passus est Eustratius circa annum 1010.

Cfr 1) Menol. ex Paterico ad h. d. 2) Kulčin., Specimen Eccl. Ruthen., pag. 13. 3) Dict. hag., pag. 100. 4) Veršinski, Menolog. ad h. d.

Hilarion Pscovensis. Hodie commemoratur quoque Hilarion quidam Pscovensis, discipulus Euphrosyni et hegumenus ac fundator monasterii Ozerensis, Patrocinio SS. Deiparæ (*Pocrov*) dicati. Erectum est illud monasterium anno 1470, ad fluvium Djelčam, anno vero 1764 supressum. In cujus ecclesia conditus fuit Hilarion, qui anno 1476 e vivis cessit.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 103, ed. 1862.

DIES XXIX.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

SS. Marci, ep. Arethusæ, Cyrilli, diaconi et aliorum (*Mst. Hor. et alii plurimi cum GP. Pg. Med. Mg. Sirm. Sirl. Maz. Chiffl.*). S. Eustathii, ep. Ciensis et conf. (*Par. I. Tern. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Mg. Chiffl. Med.*). S. Joannis in Puteo, eremitæ (*Prol. Kal. cum Chiffl.*). SS. Jonæ et Barachesii (*Supr. cum Bas. Sirm. Maz.*). [Joannis seu Jonæ et Marci Pscoviensium (*Hag.*)].

† Eutychii, ep. (*Med. Taur.*). † Alexandri (*Mg.*). † Marci Atheniensis (*Acta SS.*). † Acacii, confes. (*Bas.*). † Sosthenis, Apollinis, Cephæ, Cæsarii, Epaphroditi (*Mg.*). † Joannis, patr. Hierosolym. (*Hier. Vind. Chiffl. Nan.*).

DIES XXX MARTII.

OBSERVANDA.

S. Marcus, ep. Arethusæ.

S. Marcus, ep. Arethusanus, et S. Cyrillus, diaconus, passi sunt sub Juliano Apostata. Horum martyrum nomina referuntur in omnibus fere Synaxariis Slavicis et Græcis, iisque antiquissimis, ut vidimus alibi; S. Marci vero fides et sanctitas, Tillemontio immerito suspecta, vindicatur in Actis SS. ad hanc diem (Mart., t. III, p. 777 et etiam Oct., t. VIII, p. 850, § 12. Confer etiam Macedam, dissert. II, p. 297, n. 75.) Baronius suam duriorem sententiam de sancto Marco, in Annotatis ad Martyrologium sub eadem die prolatam, emollivit in Annalibus suis (ad annum 362, § CLIII.) Et re quidem vera omnes historici egregiam hujus episcopi in patiendo constantiam, et insignem pietatem deprædicant; sed et, quod pluris æstimari debet, ipse Gregorius Nazianzenus eum appellat virum eximium et sacrosanctum senem (Oratione prima adversus Julianum). In Menologio Basilii refertur duobus diebus, nempe die XXVIII Martii his verbis : Καὶ Μαρτίνου ἐπισκόπου Ἀρεθουσίων καὶ Κυρίλλου διακόνου. *Et memoria S. Martini* (lege Marci) *episcopi Arethusani, et Cyrilli, diaconi.* Ubi evidenter, vel ex socio diacono, ait R. P. Van Hecke, pro Martino Marcus legi debet. Die vero XXX, luculentius utriusque martyris elogium continetur in eodem Menologio. — S. Sosthenes, martyr, et socii memorantur in Menæis Græcorum excusis tum hodie tum sequenti die; iterum apud Græcos VII, VIII et IX Decembris; et S. Epaphroditus apud Latinos, quando de aliis varia dicta sunt in Actis SS. XXII Martii. Colitur etiam S. Sosthenes 28 Nov. et S. Apollo 12 Julii. — S. Joannis in Puteo Vitam græce scriptam ex cod. Vaticano ediderunt Bollandiani socii ad calcem mensis Martii. pag. 45 et seq. Occurrit etiam die proxime sequenti, tum in Menæis Græcis, tum in Mart. Romano. — Marcus Atheniensis refertur in Menæis Græcis mss. XX et XXII Maii. — Notatu digna est lectio codd. Med. et Taur.; in quibus si titulo episcopi addita fuisset sedes, multam lucem afferretur obscuræ quæstioni de sancto, quem pridie Kalend. Neapolitanum recitat his verbis : *Depositio Eutichii episcopi*. Conjecturam meam proposui supra, nec aliud quod addatur, habeo. Interea ut aliunde lux fiat, opto et exspecto.

S. Sosthenes et soc.

S. Joannes in Puteo.

S. Marcus Atheniensis.

S. Eutychius, ep.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Jonas Pscoviensis et Marcus.

Joannes (ita namque antea vocabatur Jonas) sacerdotale munus egit Dorpati; quæ urbs ab indigenis Jurievo solebat nuncupari; factusque monachus in locum venit, ubi hodie monasterium Pscovo-Cryptense cernitur, ibique juxta cryptam, quam in montis latere repererat excavatam, cellam suam condidit; cryptam vero in ædiculam, Beatæ Mariæ Virginis ad cælos assumptæ sacram, convertit anno 1473. Obiit anno sequenti, die 29 martii; qua die in quibusdam locis colitur. Mox novum cœnobium, loco prioris, in montis latere eduxit Michael, Jonæ successor, ecclesiamque Beatis Antonio et Theodosio Cryptensibus dicavit, in qua usque in præsens tempus imago Beatæ Virginis, miraculis illustris, asservatur. De Marco, qui Jonæ jungi solet, illud tantum constat, fuisse eum omnium primum e monachis prædicti monasterii Pscovo-Cryptensis, ibique jacere sepultum.

Cfr 1) Hier. Russ., tom. III, pag. 77. 2) Dict. hag., pag. 135 et 177.

DIES XXX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Joannis Climacis (*Mst. et omnes cum Bas. Maz. Med. Sirm. Hier. GP. Par. Vind. Mg. Flor.*). S. Joadi, prophetæ (*Rum. Kal. Prol. cum Bas. Sirl. Maz.*). S. Eubulæ, matris S. Panteleemonis (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Zosimi, ep. Syracusarum (*Prol. Kal. cum Sirl. Mg.*). SS. apostolorum Sosthenis, Apollinis, Cephæ, Cæsaris et Epaphroditi (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Joannis Silentiarii (*Kal. Hor. Prol. cum Sirl.*). S. Eustathii, confes., ep. Bithyniæ (*Prol. cum Mg. Sirl.*).

† Menandri natalis (*Neap.*). † Herodionis, ap. (*Maz.*). † Joannis, patr. Hieros. (*Bas. Chiffl. Med.*). † Cyriaci, ep. CP. (*Chiffl.*). † Hilarionis, hegumeni Casulorum (*Bibl. Taur. t. I, p.* 308). † MM. triginta et octo, in Cappadocia (*Bas.*). † Joannis in Puteo (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Joannes Climax.

S. Cyriacus, patr. CP.

Crucifixio D. N. Jesu Christi.

S. Joannes in Suprasliensi cod. cognominatur *Scholasticus;* in Assemaniano glagolitico dicitur Jovanes. — Quia non semel in fastis occurrit memoria S. Cyriaci, patr. CP., exspectare placet diem quo refertur apud Menologos Slavos. In Kalendario CP. Morcellii inscriptus est 30 Novembris, in Menæis vero editis, 17 Octobris, quo sepulturæ fuerat mandatus. — In Ephemeridibus Papebrochii Græco-Moscis cernitur ad hanc diem imago Christi crucifixi cum sequenti epigraphe : *Crucifixio Domini Nostri, Golgotha;* de qua vide dicta ad 23 hujus, et ad ultimam februarii. In Kalendario quoque Mosquensi an. 1818, in catalogo festivitatum, quæ in variis ecclesiis celebrantur Mosquæ, post commemorationem *S. P. N. Joannis Climacis* factam hoc eodem die pergitur ita: *Et Crucifixio D.N. Jesu Christi,* cui dicata est ecclesia peculiaris *Salvatoris* seu Tranfiguration Salvatoris. — S. Joannes Silentiarius iterum memoratur die sequenti in cod. Suprasliensi. Ex episcopo Ascalonis monachus factus in laura S. Sabæ Hierosolymis, ibidem in pace obiisse asseritur in Prologo, Mosquæ excuso, Slavico. Est igitur plane diversus a SS. homonymis, Joanne qui in *Puteo;* item ab alio Joanne quem Menologium Basilii et alia vocant patriarcham Hierosolymitanum; denique a Joanne Climace, qui celebratur hoc eodem die. Verum quæ de Joanne Silentiario in Prologo narrantur et nos brevissime contraximus modo, adeo conveniunt cum gestis cujusdam S. Jacobi, etiam monachi ex episcopo facti, ut alterum ab altero solo nomine diversum esse diceres, ni obstaret Cyrillus Scythopolitanus, S. Joannis biographus coævus, cui omnino credendum est. De S. Jacobo illo agetur infra, XI Novembris. Cfr Act. SS. Oct., X, pag. 687, n. 87.

S. Joannes Silentiarius.

DIES XXXI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Vari, mart. (*Mst. Siš. Par. I*). SS. MM. Abdæ, ep. et Benjamini, diaconi et sociorum (*Ternob. Prol. antiq. Kal. cum Sirl. Bas. Maz. Mg.*). S. Stephani, thaumat. (*Rum. et Prol. cum Med. Sirm.*). S. Blasii, thaumat. (*Rum. et Prol.*). S. Hypatii, thaum. et ep. Gangræ (*Chil. Men. Kal. Hor. Pr. cum GP. Pg. Sirl. Mg.*). S. Hypatii, heg. in Rufinianis (*Prol. Kal. Euch. serb.*). S. Joannis Silentiarii, in mon. S. Sabæ (*Suprasl.*). S. Josephi, justi (*Men. Kal.*). S. Theophili, mart. (*Men. Kal. cum Med. Maz.*). S. Apollonii, eremitæ in Thebaide (*Prol. Kal.*). [Jonæ, metr. Mosquensis (*Kal. Men. Hag. Prol.*)]. Apparitio iconis B. M. Ibericæ (*Kal.*). † Davidis Garedjiensis (*Iber.*).

† Martyrum triginta et octo (*Taur.*). † MM. in carcere a muribus peremptorum (*Mg.*). † MM. Menandri et Neophyti (*Hieros. Vind. Nan.*). † Glycerii, mart. (*Neap.*). † Acacii, ep. Melitenæ (*Mg. Maz. Med.*). † Sabini, mart. (*Taur. Maz.*). † Athenæi, mart. (*Med.*). † Christophori, mart. (*Dom.*). † Joad, proph. (*Sirm.*). † Joannis, patr. Hieros. (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Varus et soc. In nullo synaxario græco reperitur hodie S. Varus, qui in Parisiensi I insulse vocatur Aurus. De eo menologorum turba agit die 19 oct.; quibus addendum Martyr. Romanum. Acta nuper edita sunt latine et græce in Act. SS. Oct., t. VIII, p. 428, et egregiis commentariis illustrata. —

S. Stephanus. De S. Stephano vulgo agunt synaxaria die 28; at hodie inscriptus est simul cum S. Benjamino et S. Theophilo, martyre, in antiquo prologo sæc. XIII, quemadmodum id testatur doct. Lavrovski in Prælectionibus Societ. Historicæ Mosquensis, an. 1858, t. III. — Schismaticum fuisse

Jonas. Jonam metropolitam et *filium perditionis* testis

S. Hypatius Gangræ. est Pius II papa. — In Chil. simpliciter : *Patris nostri Hypatii*, probabiliter Gangrensis, cujus memoria celebratur non uno die in Fastis Græcis et Slavicis. In Ephemeridibus Græco-Moscis figuratis repræsentatur episcopali habitu ornatus et imaginem B. V. Mariæ manu tenens, ad significandum eum pro cultu imaginum decertavisse. Atqui hoc non convenire S. Hypatio, Gangrensi episcopo et martyri, constat ex historia ecclesiastica. Id adnotaverat jam Papebrochius, addiditque imaginem hanc forte spectare ad alterum Hypatium, episcopum quoque et pro imaginibus confessorem, qui celebratur in Menæis ad 20 Septembris. Adde in Ephemeridibus inscriptum esse *episcopum Hypatium*, non addita sede. Quod autem in *Typico* Veneto vocetur *Ancyranus* id oscitantiæ editoris tribuendum. Sane in editione Menæorum recentiore, anno 1843 facta, de Hypa-

S. Abdas. tio Ancyrano altum silentium. — Inter socios S. Abdæ, numeratur S. Hormisdas, qui idem est cum S. Achæmenide, 3 Nov. iterum celebrandus. At cum in Actis SS. Oct., t. VIII, p. 842, fuse disseratur de S. Abda, nolumus nos agere actum. Notabimus tamen eum commemorari hodie jam in antiquis Kalendariis, e quorum numero Ter-

S. Benjamin. nobiense. — Mediol. Menæa jungunt S. Benjami-

S. Hypatius in Rufinianis. num cum S. Athenæo, martyre. — S. Hypatius illustratur ad 17 Junii a Bollandianis; at in Prologo

SS. MM. in carcere. habet elogium satis longum hoc die. — Passi sunt cum SS. Abda, ep. et Benjamino, diacono. Habent longum elogium in Menæis Græcorum majoribus et memorantur in Actis S. Abdæ quæ in opere Bollan-

S. Sabinus. diano leguntur XII Maii. — Non est diversus S. Sabinus a S. Abibo, (utrumque enim nomen habet in synaxariis), martyre Hermopolitano in Ægypto;

S. David Garedjiensis. de quo nos egimus die XIII Martii. — Iberorum Ecclesia celebrat feria quinta hebdomadæ sanctæ memoriam illustris eremitæ Davidis Garedjiensis; quem ad finem hujus mensis ponendum duximus, tum quod feria illa nulli diei certæ affixa sit; tum etiam quod dies trigesima Martii, ut vidimus supra, Crucifixioni Dominicæ sit dicata. Vixit David sæculo quinto, quo maxime florebat in Palæstina religio christiana, eratque unus e discipulis S. Joannis Zedaseni, cum quo in Iberiam venit, relicta Syria, unde erat oriundus. Quia autem solitudinem amabat, mox in secretiorem eremum Garedjiensem secessit, comite Luciano, ibique in quodam antro ad pedes rupis præcelsæ sedem suam fixit. Aquæ fontem, quo desertum carebat omnino, precibus ad Deum fusis impetravit, quo sitim sedaret; escam ei præbebant plantarum radices; quae vivendi ratio adeo sobria erat, ut deficeret socii fides; quem dum quadam die ad perseverandum animabat magister, derepente adveniunt tres cervæ satisque abundam lactis alimoniam præbent, deinceps quoque statis diebus allaturæ, quemadmodum et de S. Ægidio, abbate, perhibetur in ejus Vita. Contigit autem venatores prædictam eremum intrare; atque cervam sancto viro lac præbentem propriis oculis videre; manante vero rei fama, crevit etiam discipulorum numerus. Itaque cellas in opposita montis parte excavandas curavit David, ibique primi monasterii fundamenta jecit, cui præposuit seniorem quemdam nomine Dadam; ipse vero, cum paucis alumnis, in priori antro perseveravit. Brevi post erecta est a Luciano magna Laura *Motsameti* seu Martyrum dicta, eorum nempe qui a Saracenis in solemni die Paschæ interempti fuerant numero sexies mille; universim vero duodecim monasteria erecta, vivente adhuc S. Davide. Quibus optime ordinatis, in sanctam civitatem profectus est, ut pie sepulcrum Domini adoraret; verum, quæ viri humilitas erat, urbi appropinquans, ulterius pergere non est ausus; sed, sumptis tribus lapidibus, in Iberiam remeare secum statuit; propositumque explesset procul dubio, nisi ab Hierosolymorum patriarcha Elia, in somniis admonito, fuisset impeditus. Ad suos redux ultimos vitæ suæ annos in visendis monasteriis a se fundatis posuit. Tandem mortem sibi appropinquare sentiens, deque ejus hora præmonitus, extrema exhortatione refecit fratres universos; tum sacramentis refectus et ipse, dum preces fundebat in genua provolutus, spiritum reddidit Deo. Demortuum magistrum et parentem condiderunt discipuli in ecclesia quam fundaverat Bubacarus, loci princeps, a S. Davide non sine miraculi interventione olim ad fidem Christi conversus. Hactenus auctor anonymus Vitæ mss. S. Davidis, cujus prototypon iberico idiomate exaratum asservatur in monasterio Garedjiensi, teste Muravievio, in Vitis SS. ad hunc diem. Sunt autem in hac Vita quædam parum credibilia et suspectæ fidei, pariter ac in Vita S. Ægidii, cum qua miro modo convenit. Uterque sanctus, patria relicta, ad exteros profugit, et in solitudine secretiore pascitur a cerva; utrumque detegunt venatores et magistrum sibi statuunt; utrique princeps erigit ecclesiam; uterque loca sancta lustrat, Romana Ægidius, Hierosolymitana David; uterque demum redux sanctissime moritur medios inter fratres. Quam similitudinem indicasse hic sufficiet.

DIES PRIMUS APRILIS.

MENSIS APRILIS.

DIES PRIMUS.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Mariæ Ægyptiæ (*Ita omnes*). S. Zosimi (*Pp.*). S. Macarii, heg. Peleceti (*Prol. Kal. cum Chiffl. Sirl. Mg. Itg.*). SS. MM. Gerontii et Basilidis (*Prol. Kal. cum Mg. Chiffl.*). Sancti et justi Achaz (*Prol. Kal. cum Chiffl. Mg.*). S. Abramii, Bulgari (*Kal.*). S. Euthymii, thaum. (*Rum.*). Euthymii Suzdalensis (*Menol. Prol. Pp.*). S. Joannis, archiep. (*Pp.*).

† Callinici, mart. (*Neap.*). † Titi (*Med.*). † Polycarpi, mart. et soc. (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Zosimus. S. Zosimus solet omitti hoc die, quia peculiariter colitur die 4 Aprilis. Vide Act. SS. ad 2 Apr., p. 67.

Achaz. — Quem sanctum et justum dicunt Fasti Græco-Slavici, eum Bollandiani socii in Act. SS., Aug. t. I, pag. 96 et seq., et etiam in prætermissis ad hunc diem impium pronuntiant, nil hæsitantes. —

S. Euthymius. Quisnam sit ille Euthymius, thaumat., priori loco positus, minime indicatur in cod. Rumiantsoviano non ultimæ notæ; sanctum esse testantur Menæa Sirm., ubi citatur die sequenti 17 et 18 hujus. Ab Euthymio Suzdaliensi diversum esse temporum ratio expostulat omnino : hic namque obiit anno 1404, ac proinde totius sæculi intervallo recentius est quam codex Rumiantsovianus. Inter plures sanctos cognomines nullus occurrit, cui thaumaturgi cognomen magis conveniat, quam S. Euthymius Junior et Theophorus seu Thessalonicensis, cujus Vitam, auctore L. Basilio, archiepiscopo, fusius dabimus ad 15 Octobris, quæ dies est ejus mortis, præsens vero translationis alicujus memoria anniversaria. — In Mart. Italo-Græco asseritur Ordini S. Basilii Macarius, adeoque annuntiatur primo loco, remissa S. Maria Ægyptiaca ad diem sequentem; quam cæteri omnes referunt hodie. — In Kalendario Papebrochii mss. aperte ponitur S. Joannes archiepiscopus, quem pro Jona, archiepiscopo Kioviensi, positum crediderim libenter. Commemoratur hic duobus ultimis diebus Martii, magnaque apud suos gaudet fama, ob bella sanctæ Unioni cum Ecclesia Romana illata, uti declaratum est superius. Est quidem et archiepiscopus Joannes nomine, qui Novgorodiæ sedit; at cujus nulla prorsus fit mentio ad hunc diem.

S. Macarius.

S. Joannes, archiep.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Abramius Bulgarus. Natione hic Bulgarus fuit, professione mercator. Qui cum mercandi causa in Magnam Bulgariam, seu Volgariam urbem venisset, atque a Bulgaris, idolorum cultui addictis, ad fidem christianam ejurandam frustra adigeretur, immaniter ab eisdem trucidatus est kalendis aprilis, anno 1229. Corpus ejus, a mercatoribus christianis, qui ejus agoni adstiterant testes, in eadem urbe sepultum; anno insequenti Vladimiriam Kliazmensem delatum fuit, ibique magna populi frequentia ab episcopo loci in monasterio, hodie B. M. V. Assumptioni sacro, repositum, die 6 martii, qua secundo colitur.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 5. 2) Menol. Verš. ad hunc diem.

Euthymius Suzdaliensis. Euthymius, a baptismo Joannes, piis parentibus in Novgorodia Inferiore natus et educatus est. Cum die quadam in ecclesia, quam frequentissime adibat, istud Evangelii oraculum : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,* etc., cordis aure potius quam carnis percepisset, protinus mundo valedixit, et in monasterium Cryptense se recepit a Dionysio hegumeno, deinceps episcopo Suzdaliæ, in via spiritus instruendus. Quo duce profecit adeo, ut cæteris esset admirationi. Abstinentiam summe coluit, cibum, quantum ad arcendam mortem erat necessarius, sumens; aqua non nisi ad urgentem sitim sedandam utens; lacrymæ continuæ, etiam mediis in laboribus. Tanta virtutum omnium præstantia perculsus magnus dux Suzdaliæ, Borisus, virum Dei sibi a Dionysio expetivit ac primum quidem ecclesiæ Transfigurationis et monasterio apud se exstruendis, dein fratribus gubernandis præposuit anno 1257. Hegumenus fratres ad virtutum monasticarum normam tum verbo, tum exemplo diligenter erudivit eo successu, ut brevi ad ter centum sociorum numerus excreverit, monasterii spatiis continere eos jam non valentibus. Quare alterum cœnobium excitavit, S. Joannis Climacis nomine dicatum. Erat porro S. Sergio Radonežensi amicissimus, quocum de rebus ad spiritum pertinentibus frequenti colloquio tractabat. Tandem annis meritisque onustus, cum fratrum curam per annos duos supra quinquaginta sancte exercuisset, fere nonagenarius ad Deum, conscientiarum scrutatorem, migravit anno 1404, die prima aprilis. Sepultus est in tumulo, quem sibi paraverat ipse, coliturque tum hac die, tum etiam 4 julii, inventionis ejus, anno 1507 factæ, anniversaria. Habet officium proprium.

Cfr 1) Prol. ad 1 Apr. et 4 Julii. 2) Muraviev ad hunc diem ex Vita ms. 3) Dict. hag., pag. 107.

DIES II.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Nicetæ (*Mst. Par. Siš. Chil. Og. Cap.*). S. Josephi, hymnographi (*Mst. Siš. Chil.*). S. Titi, thaum. mon. (*Rum. Tern. Euch. Kal. Hor. Prol. cum Hier. GP. Vind. Pg. Flor. Taur. Sirl. Dom. Maz.*). S. Apphiani seu Amphiani, mart. et fratris ejus Ædesii (*Rum. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Crypt. Nan. Flor. Dom. Maz. Mg. Chiffl. Sirm. Med.*). S. Polycarpi, mart. Alexandriæ (*Men. Kal. cum Bas. Maz. Dom. Taur. Neap. Mg.*). Certamen S. P. nostri Euthymii, thaumaturgi (*Sirm.*).

† Theodosiæ, virg. et mart. (*Sirl. Chiffl. Bas. Maz. Mg.*). † Theodori Syceotæ (*Goth.*). † Mariæ Ægyptiacæ (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Nicetas Medicenus. S. Apphianus.

Alii, post Sirletum, agunt de SS. Niceta et Josepho die sequenti. — S. Apphianum alii referunt die IX Aprilis, ut Rum. Non confundendus cum S. Amphiano, martyre, in Africa, qui colitur eadem die. Passus est Cæsareæ in Palestina; frater vero ejus Ædesius Alexandriæ, paulo post, nempe

S. Theodosia.

VIII Aprilis. — S. Theodosia in Prologo est minus recte Theodora dicta. Memoratur apud Græcos etiam crastina, solemnissime vero 29 Maii. Erroneam esse lectionem Prologi apparet vel ex eo, quod die sequenti taceat de S. Theodosia, quam tamen alii codices referunt bene multi. — Secundo Aprilis martyrium passus esse perhibetur S. Polycarpus, non ille Smyrnensis episcopus, quem Græci et Slavi passim colunt die XXIII Februarii, Latini vero die XXVI Januarii, sed alius quidam Alexandriæ passus; in Mazar. additur : *et sociorum*. — De S. Euthymio, quem Juniorem esse arbitramur, dictum est ad diem præcedentem et fusius tractabitur ad 15 Octobris, quo obiit.

S. Polycarpus.

S. Euthymius, thaum.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Theodosiæ, virg. et mart. et soc. (*Mst. Rum. Siš. Chil. Kal. Leop. cum Bas. CF. Med. Pg. Taur. Il*). S. Nicetæ, heg. Mediciensis (*Rum. Tern. Par. I. Chil. Og. Pp. Cap. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Sirl. Sirm. Hier. Vind. Pg. Dom. Maz. CF. Chiffl. Mg. Nan. Flor. Med.*). SS. Irenes, Agapiæ et Chioniæ (*Rum. Siš. Kal. Hor. Prol. Leop. cum Bas. CF. Maz.*). SS. MM. Elpiphidori, Dii, Bythonii et Galici (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Chiffl. Med. Mg.*). S. Illyrici, thaum. (*Kal. Prol. cum Chiffl. Med. Mg. Sirm.*). [Pauli, a Turcis occisi (*Martyr.*)]

† Josephi, hymnographi (*Bas. Mg. CF. Maz. Chiffl. Med. Itg.*). † Georgii in Maleo (*Callipol.*). † Antiochi, patr. (*Goth.*).

OBSERVANDA.

S. Agapia et sorores.

S. Agapiam cod. Rum. vocat vernaculo nomine *Lubov*. Eædem sorores referuntur in aliis synaxariis die 16 Aprilis, ad quam vide. — In Sirmundiano supplemento commemorantur primo loco Saleucus Bithynius cum Ilirio; ubi loco *Saleuci* legendus est *Galicus*. — In Menæis Græcis bibl. Ambrosianæ, signatis littera 0, numero 148, S. Illyricus commemoratur ita : *Sancti Helitrii*, τοῦ ὁσίου Ἡλιτρίου. In Suppl. Sirmundiano vocatur Ἡληρίος. In Prologo additur : *in monte Myrsione*, qui ubinam terrarum situs sit, discerem ab auctore Prologi perlibenter. — S. Antiochus refertur in solo cod. Saxo-Gothano, a cl. Matthæi in lucem dato : quæ lectio omnino singularis est; forsan legendus est Eutychius, de quo die VI.

SS. Elpiphidorus et soc.

S. Illyricus.

S. Antiochus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Paulus.

Russia oriundus, adhuc puer a Tartaris in captivitatem abductus Paulus, mox a quodam christiano viro redemptus est et manumissus. Porro laborabat Paulus epilepsia. Quo morbo cum quodam die correptus esset, quia in ecclesiam trahebatur a suis prorsus invitus, cum ab Agarenis sibi obviis quidnam rei esset interrogaretur, amens reposuit se *esse agarenum*. Qua data occasione, rem totam deferunt Turcæ Regis præfecto incusantes Christianos, quod Mahometi asseclas vel in ipsa urbe regia pervertere non timerent. Statuitur coram judice Paulus, et in carcerem projicitur. Postridie interrogatus, an vere Mahometi præcepta sectaretur, negavit Paulus, addiditque se, licet epilepsia et amentia interdum laboraret, Christianum tamen et fuisse semper et fore. Igitur, in carcerem redit, post triduum iterum interrogandus. Statuto die, ad tribunal stetit et Christum publice confessus est; quare capitis damnatus est in hippodromo ea ipsa die qua Dominus Noster cruci affixus fuerat, anno 1683. Haec summatim ex Cariophylo, quem citat Muraviev, in Vitis SS. ad hunc diem.

Cfr Νέον μαρτυρολόγιον, ed. Venet. 1798.

DIES IV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Memoria B. patris nostri et doctoris Methodii, archiep. Moraviæ (*Voloc.*). SS. Theoduli, lectoris et Agathopodis, diac. (*Mst. Par. I. Tern. Siš. Prol. cum Bas. Neap. Hier. GP. Vind. Flor. Nan. Taur. Med. CF. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Josephi, hymnogr. (*Rum. Chil. Men. Pp. Euch. serb.*

DIES V APRILIS.

serb. Kal. Hor. cum Hier. GP. Pg. Nan. Dom.). S. Zosimi, eremitæ (*Rum. Men. Kal. Hor. Prol. cum Chiffl. Sirl. Men.*). S. Georgii in Maleo (*Chil. Men. Pp. Euch. Kal. Hor. cum Sirl. Dom. Sirm. Maz. Mg. Flor.*). SS. MM. Pherbuthæ, ejus sororis et ancillæ (*Men. Kal. Prol. cum Sirl. Chiffl. Maz. Mg.*). S. Platonis heg. Studitæ (*Kal. Hor. cum Sirl. Mg. Itg.*). [Theonæ, metr. Thessal. (*Ath.*). Nicetæ (*Ath.*).]

† Publii, mart. (*Mg. Chiffl. Sirl.*). † Theonæ, Simeonis et Phorbini (*Mg. Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Methodius, apost. Slavorum. Lectio quam primo loco posuimus ex cod. quodam mss. biblioth. monasterii Josephi Volocensis, omnino singularis est et insolita, cum cæteri omnes taceant. — *S. Zosimus.* S. Zosimum retulimus jam initio mensis cum S. Maria Ægyptiaca; in Rum. vocatur *Izosimus*. — *S. Agathopodus.* S. Agathopodus in Siš. vocatur *Gatapodus;* in Pp. mss. *Agathopus*. — *S. Platonis.* S. Platoni additur apud Sirletum S. Publius. De utroque agetur melius die sequenti. — *S. Georgius.* Item dicendum de S. Georgio in Maleo, quem antiquiora synaxaria referunt crastina die, dum in recentioribus ponitur primo loco. — *S. Theonas.* S. Theonas refertur etiam apud Sirletum simul cum Simeone et Phorbino, de quibus omnibus vide diem sequentem. Valde diversus est a cognomine metropolita Thessalonicensi, qui inscribitur in Paterico Montis Atho. — *S. Pherbutha.* S. Pherbutha, quæ et Tarbuta, Tarbua et Tarbula, virgo devota et martyr, passa est sub Sapore cum sorore sua et pedissequa. In Actis martyrii Græcis sola Therme exprimitur; in Actis Latinis refertur Pherbutha cum sorore et ancilla; eædem tres nominantur in Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ et aliis. Acta martyrii latine exstant in Act. SS. ad diem 22 Aprilis. — *Theonas, metr. Thessalonicensis.* In libro cui inscribitur Ἀκολουθία τῶν ἁγιορειτῶν πατέρων, tom. II, pag. 103 legitur breve elogium *Venerabilis Theonæ, metropolitæ Thessalonicensis;* quod ad verbum latine redditum sic se habet : *Theophorus pater noster Theonas initio quidem morabatur in monasterio Montis Atho Iberico, ubi sacerdotii vices explebat, quemadmodum id testatur Vita Jacobi Iberi. Tum, silentii amans, simul cum ipso ascetarum certamina amplexus est in asceterio S. Joannis Præcursoris; exeuntem vero ad prædicandum verbum Dei secutus est, atque ad mortem ejus usque laborum socius permansit indivisus. Mortuo Jacobo, hegumeni munere fungebatur in monasterio S. Anastasiæ Galičistensi, unde ad sedem transiit Thessalonicensem. Cujus venerandum corpus in dicto monasterio hactenus videre est incorruptum. De eo iterum recurret sermo in Vita Jacobi; quem nominavimus supra:* quam ex eodem Novo Martyrologio referemus inferius ad 1 Novembris. Hactenus auctor incertus Martyrologii, quem citat Patericon Montis Atho. — *Nicetas.* Ingenue fatetur auctor Paterici Nicetæ nomen desiderari in Synaxario Nicodemi, desiderari quoque et vitam; qua deficiente, illud unice innotuit Nicetam, natione Epirotam, in monasterio Russico Montis Atho spiritualis vitæ jecisse fundamenta, atque presbyteri ministerium explevisse; tum vero, perfectiora anhelantem, in asceterium S. Annæ secessisse, atque martyrium voluntarium in civitate Serrarum invenisse. Obiit anno 1808, pridie Paschatis, conditus in æde S. Nicolai. Vocatur a suis hieromartyr et sanctus.

DIES V.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Georgii in Maleo (*Mst. Rum. Tern. Siš. cum Hier. Taur. Sirm. Nan. Med. Vind.*). SS. MM. Theoduli et Agathopodi (*Chil. Eph. Pp. Og. Men. Prol. Hor. Kal. cum Sirl. Dom. Pg. Flor.*). S. Publii, mon. (*Men. Kal. Prol.*). S. Platonis Studitæ, conf. (*Men. Prol.*). S. Theodoræ Thessalonicensis (*Men. Prol. Kal. Hor. cum Chiffl. Mg.*). SS. Theonæ, Simeonis et Forbini (*Prol. Kal.*). S. Marci Atheniensis (*Men. Kal.*). S. Patris Gordii (*Par. I*). SS. MM. Theodoræ et Didymi (*Hor. cum Chiffl. Mg.*). S. Theodori (*Rum.*).

† MM. Thermi, sororis et ancillæ (*Bas. Taur. Neap. Chiffl. Dom. Maz. Mg. Med. CF. Sirm.*). † MM. Claudii, Diodori, Victoris, Victorini, Papii, Nicephori et Serapionis (*Sirl. Mg. Taur. Dom. Maz. GP. Med.*). † Claudiani Persæ, mr. (*Med. Taur.*). † Zenonis, mr. (*Sirl. Mg. CF. Taur. Chiffl. Maz.*). † Quinque juvenum, martyrum in urbe Lesbo (*Sirl. Chiffl. Mg.*). † MM. Cyriæ seu Dominæ et Dulæ (*Men. Div.*). † Pompeji, m. (*Men. Taur. Maz. CF. Chiffl.*). † MM. Maximi et Percutii (*Mg. Taur. CF. Maz.*). † MM. centum et vigenti, in Perside (*Sirm. Med. Taur. CF.*). † Hypomonæ, mr. (*Nan.*). † Nicetæ Mediciensis (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Gordius. Singularis est lectio hæc cod. Parisini I. — *S. Theodorus.* Theodorus diserte refertur in Poč. Horologio et videtur esse idem ac Theodotus quem hodie refert Possevinus; imo uterque forsan positus est pro Theodora Thessalonicensi. — *S. Theodora et Didymus.* SS. Theodora et Didymus referuntur secunda vice ad 27 Aprilis; apud Latinos recolitur 28 ejusdem mensis. Quæ in Horologio Didymo jungitur Theodora, omnino distinguenda est a S. Theodora Thessalonicensi. — *S. Nicetas.* Nicetas idem est ac ille de quo actum est ad diem 3 Aprilis. — *S. Claudius.* S. Claudius et soc. in Men. Græcis referuntur primo loco, in Slavicis vero XXXI Januarii. Ut vidimus supra in Chiffl. et Taur. manipuli antesignanus vocatur *Claudianus*. — *S. Marcus.* De S. Marco quia egimus ad 29 Martii, nihil remanet dicendum. — *S. Terentius.* S. Terentius refertur in Taur. et Maz. simul cum Pompejo, Maximo et Zenone, quasi hi martyrii ejus socii fuerint. De S. Zenone et Pompejo Acta SS. agunt hodie; de Terentio et Maximo ad 10 Aprilis. — *SS. Cyria et Dula.* SS. Cyria et Dula forsan non distinctæ sunt a sociis S. Pherbuthæ, cum sint nomina appellativa non propria. — *S. Thermus.* S. Thermus nequaquam confundendus est cum Therme seu rectius Tarbua, Tarbuta, sc. Pherbutha. Confusionem parit cod. Taur. ubi legitur : *S. M. Thermi, sororis ejus et ancillæ.* Therme in Basil. rectius vocatur : Pherbutha, de qua actum heri. Qui in Men. et Rom. Mart. exprimitur S. *Thermus*, omnino alius est a Therme, sorore Pherbuthæ. — *S. Hypomona.* Nominetenus nota est S. Hypomona, martyr (græce : ὑπομονη), quæ in Supplem. Sirmundiano commemoratur ad 9 Aprilis simul cum SS. Amphiano et Ædesio. In Prologo additur : Eadem die homilia de terræ motu qui acciderat Antiochiæ, et, quo audito, timeamus Deum nos ob peccata nostra castigantem.

DIES VI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

SS. Martyrum centum et viginti (*Mst. Ass. Men. Kal. Prol. cum Bas. Sirl. Nan. Mg. Chiffl.*).

S. Eutychii, archiep. CPtani. (*Ita fere omnes cum Bas. Clar. Maz. Dom. Neap. Hier. GP. Vind. Pg. Flor. Taur. 2, Maz. Mg. Med. CF.*). Memoria dormitionis S. P. N. Methodii, archiep. Moraviæ superioris, ac fratris S. P. Cyrilli, philosophi (*Ass. Sišat.*). S. Platonidis (*Men. Kal. Prol. cum Sirl. Chiffl. Mg.*). SS. Jeremiæ et Archilei, presbyteri (*Prol. Kal.*).

† Claudii (*Genebr.*). † Duorum MM. Ascalonæ (*Mg. Chiffl.*). † Philareti, mon. in Sicilia (*Itg.*). [Gregorii Sinaitæ (*Ath.*). Gregorii Byzantini (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

SS. Martyres 120.

S. Eutychius.

Cod. Assemani addit: *qui in Perside.* Basilianum Menol. numerat 150. — De S. Eutychio plura dixi ad 28 Martii. Possevinus perperam mutavit in Euchemium. Vita auctore Eustathio in Act. SS. latine, p. 548 et seq.; græce in Appendice. —

S. Methodius.

Imprimis notanda est lectio Assemaniani codicis glagolitici de S. Cyrillo, cujus mentio facta est jam die XIV Februarii: præsentem diem esse S. Methodio emortualem constat insuper ex Vita ejus antiqua, quam in lucem dedit Josephus Schafarik; et cujus titulus fert ita: *Mensis Aprilis* VI *die, commemoratio et vita beati Patris nostri et doctoris Methodii, archiepiscopi Moraviæ.* Hæc eadem annuntiatio legitur in cod. Mosq. mss. ecclesiæ Assumptionis, signato n° 175/18; in Menæis Macarii mss.; in Menol. Academ. Mosq. signato 94, in alio cod. ejusdem Academiæ, signato 63. — Vitam Philareti Panormitani, auctore Nilo, monacho, dederunt latine Acta SS., pag. 606 et seq. —

S. Philaretus.

S. Platonis.

Apud Sirletum sancta Platonis est mutata in sanctum Platonidem; scilicet erronee illinc defluxit nominativus *Platonides*, quæ est terminatio virilis. —

S. Claudius.

Refertur Claudius in Anthologio Christophori Mytileni metrico et in Kalendario Genebrardi. Videtur esse antesignanus turmæ martyrum, de quibus nos egimus die præcedenti aut forsan idem ac Claudianus Persa, de quo ibidem. — Gregorius Sinaita hoc die refertur in libro: Νέον ἐκλόγιον; unde transiit in Patericon Montis Atho.

Gregorius Sinaita.

At in Slavicis Kalendariis celebratur die VIII Augusti; in Menæis vero Græcis bibl. synod. Mosq., die XXVII Novembris, teste archimandrita Saba, in suo *Manuductore bibl. patriarchicæ* (pag. 91). Nos Slavica sectari solemus potius quam Græca.

DIES VII.

Ostromirianum. Ex variis.

Vacat.

S. Georgii, ep. Mytilenæ (*Mst. Tern. Rum. Siš. Chil. Og. Pp. CP. Men. Leop. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Chiffl. Med. Vind. Mg. CF. Maz. Hier. GP. Taur. Pg. Flor.*). S. Rodionis, apost. (*Pp.*). S. Calliopii, mart. (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Med. Sirm. CF. Dom. Maz. Mg. Chiffl.*). SS. MM. Rufini, diac., Acquilinæ et 200 soc. (*Prol. Kal. cum Neapol. Bas. Med. Taur. Maz. CF. Chiffl. Flor. Dom. Mg.*). Danielis Perejaslaviensis (*Prol. Kal.*). S. Serapionis, monachi (*Kal. Hor.*).

† MM. Irenes et Chioniæ (*Nan.*).

OBSERVANDA.

S. Georgius.

S. Georgius, episcopus Mytilenæ in insula Lesbo, apud Slavos minus recte audit ep. Melitinæ. Cfr Acta SS. ad h. d. pag. 668. —

S. Herodion.

Herodion, slavice Rodion, melius poneretur die sequenti. —

S. Calliopius.

Calliopius in Menæis Sirletianis refertur bis. In Prologo et Kalendario Mosquensi perperam miscetur cum Rufino ejusque sociis; forsan quia passus est in Cilicia quemadmodum et isti; non tamen in eodem Ciliciæ loco, sed Pompejopoli; Rufinus vero cum sociis, Synopæ. — In Kal. Mosq. et Menæis Cryptæ Ferratæ numerantur 200 socii Acquilinæ, cognomento Junioris, et Rufini.

S. Aquilina et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Daniel, Perejaslaviensis.

Daniel, in baptismo Demetrius dictus, ex urbe Mcensco oriundus, initio quidem monachus fuit in monasterio Paphnutii Borovcensis per totum decennium; at dein in solitudinem abiit, Deo arctius sese devincturus. Biennio peracto, Perejaslaviam, quæ Transilvana cognominatur, venit, ibique monasterium ingressus est B. M. V. Goricense, ubi magnam vitæ suæ partem, annos scilicet triginta, in virtutibus se exercuit, sacerdotio initiatus est et hegumeni munere auctus. Fuit illi in amoribus hospitalitatem erga peregrinos et erga pauperes misericordiam exercere, vivis eleemosynam erogando, mortuis vero sepulturam donando. Cum autem instituti sui ampliandi esset percupidus, sociorumque numerus accresceret in dies, aliud monasterium fundavit, ejus nomine nuncupatum, non procul a Perejaslavia, eodem loco situm, quo pauperes suos sepelire solebat: addiditque et ecclesiam, SS. Trinitati dicatam, anno 1508. Biennio elapso, novique cœtus regimine suscepto, ad finem vitæ hegumenus ibidem exstitit, virtutum exempla omnibus præbens eximia, omnibus propterea præsertim vero magno duci admodum carus. Non multo ante mortem, corpus Andreæ, ducis Smolenscensis, reperit Perejaslaviæ incorruptum. Obiit autem Daniel die 7 aprilis, anno 1540, ætatis suæ octogesimo primo, et in monasterio SS. Trinitatis tumulatus est. Mortales ejus exuviæ anno 1652, die 30 decembris elevatæ, et in sacellum ipsius nomine dicatum illatæ sunt, ubi manserunt usque ad annum 1782, quo tumbæ argenteæ inclusæ sunt, die 16 octobris. Hinc ter in anno colitur a suis, die mortis 7 aprilis, 30 decembris et 16 octobris, inventionis et translationis die anniversaria.

Cfr 1) Prol. et Menol. ad 7 Apr. 2) Dict. hag. pag. 86. 3) Menol. Verš. ad 7 Apr. 4) Muraviev, Vita SS., ad h. d. 5) Phil., Hist., III, 237.

DIES VIII ET IX APRILIS.

DIES VIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Herodionis, ep. et soc., Agabi, Rufi, Asyncriti, Phlegontis et Ermii (*Mst. Rum. Tern. Menol. Eph. etc. cum Hier. GP. Pg. Vind. Flor. Nan. Sirm. Maz. Dom. Chiffl. Med.*). S. Cælestini, papæ (*Prol. Euch. Kal. Hor. cum Neap. Bas. Sirm. Dom. Maz. Chiffl. Mg. Med. Nan. CF.*). S. Pausilypi, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Clar. Chiffl. Maz. Med. CF.*). S. Georgii (*Par. I*). Niphontis, ep. Novgorodensis (*Men. Pater. Kal. Pp. Prol.*).

† Philareti, mon. et mart. Panormi (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Herodion. S. Herodion, vulgo Rodion dictus, in nonnullis codicibus prodit aut cum omnibus sociis, aut cum SS. Agabo et Rufo tantum. In Menol. Basilii de eo actum ad XXVIII Martii; de S. Agabo ad X Aprilis.

S. Cælestinus, papa. — *Cælestinus papa, cujus verba omnia et facta cum apostolorum traditionibus conveniebant, impium Nestorium per litteras deposuit.* Ita de sancto pontifice Prologus in brevi synaxario; quod recentiores quidam auctores pseudo-orthodoxi in memoriam sibi revocare debebant, antequam sanctissimi papæ facta calumniis essent petituri. — In Cod. Parisino I legitur : *S. Grogii*, pro *Georgii;* forsan est ep. Mytilenæ, de quo vulgo agitur ad diem præcedentem. — Brevem de Niphonte notitiam habes in Memoriis Slavicis hujus diei. — Philaretes monachus erat Ordinis S. Basilii, sub Saracenis martyrio consecratus, circa annum DCCCXXIV, regnante Michaele Balbo; hoc enim tempore occuparunt Siciliam Saraceni, testibus Cedreno et Zonara. Cfr Acta SS. pag. 753.

S. Georgius.

Niphon.

S. Philaretus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Niphon Novgorodensis. Niphon, Græcia, ut probabilius videtur, oriundus, et in monachum a Timotheo, hegumeno Kievocryptensi, tonsus, cathedram Novgorodensem ascendit anno 1131. Quam dum occuparet, principum Russorum lugenda dissidia pacavit. Erat autem litteris Græcis et Slavicis excultus, et ecclesiasticæ disciplinæ peritus, quemadmodum tum Responsa ejus ad Cyriacum hieromonachum, tum alia scripta abunde testantur. Plures ecclesias excitavit et monasterii Spasomirogensis auctor fuit et institutor. Clementem metropolitam, Ruthenum, eo quod ab episcopis Russis, inconsulto Patriarcha Constantinopolitano, fuerit electus, agnoscere renuit; quapropter in monasterio Cryptensi ab Iziaslao Magno Duce inclusus detinebatur, donec a Georgio Dolgorukio seu Longimano libertati sedique suæ fuit restitutus. Ut autem novum metropolitam, Constantinum, de quo alibi, CPoli venire accepit, Kioviam iter instituit, eidem obviaturus; verum morbo correptus, ibidem obiit anno 1156, mense aprili, a S. Theodosio in somniis visitatus deque morte sua præmonitus. Erat namque tum erga hunc sanctum, tum erga Beatam Virginem devotissimus. Magna præterea pollebat doctrinæ et sanctitatis fama, præcipue apud Novgorodenses qui eum totius Russiæ defensorem et patronum nuncupant, maxime dolentes venerandas ejus exuvias non in S. Sophiæ Novgorodiensi templo, sed in Cryptis Theodosianis Kioviæ fuisse conditas. Diem obitus ejus alii volunt esse 15, alii 18 vel 21 ; incertam pariter dicunt orthodoxiam et sanctitatem.

Cfr 1) Menol. ex Paterico et Verš. ad h. d. 2) Dict. hagiogr., pag. 215. 3) Macarius, Hist. eccl. t. III, pag. 61 et 184. 4) Phliaret., Conspectus, n° 30. 5) Niphon, ep. Novgorod., auctore Zernin. 6) Karamzin, t. II, not. 380. 7) Kalajdović, Monum. lit. a pag. 167. 8) Murav. ad hunc diem.

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Eupsychii, mart. Cæsareæ (*Mst. Tern. Rum. et cæteri cum Bas. PG. Vind. Mg. Med. Sirl. Clar. Dom. Maz.*). SS. MM. Amphiani et Ædesii (*Rum. cum Sirm.*). S. Vadimi, archim. et martyris (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Med. Sirm. Chiffl. Maz. Mg. CF.*). SS. mart. Heliodori, Disani seu Desæ ep. et Mariabi, presb., Audiesi et aliorum numero 270 in Perside (*Menol. Kal. Prol. cum Bas. Sirl. Med. Mg. Dom. Maz. Chiffl.*).

† Patermuthii et Copri (*Hier. Nan*). † Mariæ Ægyptiæ (*Neap.*). † Hypomonæ, mart. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Eupsychius. In quibusdam codicibns mss. loco S. Eupsychii legitur *Eutychii;* errorem esse cogito. — De

S. Amphianus. S. Amphiano egimus die 11 Aprilis; refertur in

SS. MM. in Perside. Men. Claromontanis una cum Ædesio de quo actum ibidem. — Ad martyres in Perside pertinet quoque sancta martyr Ia, de qua agetur XI Septembris, et S. Heliodorus, quem exprimunt seorsim Menæa Græcorum excusa. In Basil. Menologio et in Synaxario Claromontani collegii aperte vocatur episcopus, poniturque primo loco, dum a cæteris prætermittitur. — S. Hypomonam, martyrem, retulimus ex cod. Naniano jam ad quintam aprilis. — De SS. Patermuthio et Coprio codd. Slavici agunt nona Julii.

S. Hypomona, mart.

SS. Patermuthius et Coprus.

DIES X.

DIES X.

Ostrom iranum. Ex variis.

VACAT.

SS. Martyrum Terentii, Africani, Maximi, Pompeii, Zenonis, Alexandri, Theodori, Macarii, et aliorum numero 40 (*Mst. Tern. Prol. Hor. Kal. cum Hier. GP. Pg. Flor. Neap. CF. Vind. Chiffl. Sirl. Bas. Sirm. Maz. Crypt. Dom. Med.*). SS. Jacobi, presb., Azadæni et Audicii, diacon. (*Men. Kal. Prol. cum Chiffl. Mg.*).

† Macarii, episcopi Antiocheni (*Itg.*). † Agabi, ap., unius ex LXII (*Bas. Maz. Med. Crypt.*). † Holdæ, prophetissæ (*Chiffl. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Terentius et soc.

Alii alios nominant; quidam solum Terentium, quem Crypt. vocat *Terentianum;* in Mst. referuntur quatuor priores; eosdem nominat Rum., mutato perperam Pompeio in Poplium, additoque S. Zenone, et quadragenario numero universo. Eumdem numerum indicat Men. Basilii; at cod. Serbicus Sišatovacensis monasterii recenset 36. In officio diei celebrantur tantum triginta, inter quos occurrit quidam nomine Macarius. Alexandrum et Theodorum addunt Menologia. De omnibus denuo agit Prologus die 28 Oct. et 13 Martii. — In Martyrologio Basilianorum Italo-Græciæ fit commemoratio S. Macarii primo loco, his verbis: *Sancti Macarii, episcopi Antiocheni, Ordinis S. Basilii, virtutibus et miraculis clari.* Vide *Acta SS.* ad h. d. Erat archiepiscopus Armenus, residens in monasterio S. Simeonis Stylitæ, prope Antiochiam.

S. Macarius Antiochenus.

DIES XI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

S. ANTIPÆ, EP. PERGÆ. (*Ita omnes cum Bas. Crypt. Med. Chiffl.*).

S. Pharmutii, eremitæ (*Prol. Kal. Hor. cum Mg. Chiffl.*). SS. MM. Processi et Martiniani (*Prol. Verš.*). S. Joannis, discipuli S. Gregorii Decapolitæ (*Prol. cum Mg. Chiffl.*). [Jacobi, heg. (*Hag.*).]

† Tryphenæ, mart. Cyzici (*Mg. Chiffl. Med. Marg.*).

OBSERVANDA.

S. Antipas.

Cod. Par. I de more corrupte habet: *S. Andithi.* Prologus et Papebrochianus manuscriptus addunt sequentia: *qui habet a Deo gratiam sanandi dolorem dentium.* — De S. Joanne agetur inferius ad XVIII Aprilis; prætermissus est tum in editione Menæorum Græcorum Veneta anni 1842, tum apud plerosque synaxaristas Slavicos. — S. Pharmuthius seu Patermuthius magister erat S. Joannis in Puteo, de quo actum ad 29 Martii. — In Dict. Hag. ad h. d. refertur Jacobus Galicensis, de quo iterum 5 Maii.

S. Joannes.

S. Pharmuthius.

Jacobus Galicensis.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Basilii, ep. Pariensis et conf. (*Mst. Rum. Tern. et alii permulti cum Hier. GP. Vind. Pg. Mg. Sirl. Sirm. Maz. Dom. Med. Flor.*). S. Artemonis, ep. (*Rum. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Chiffl. Crypt.*). S. Dymi et Protionis seu Proclionis (*Rum. cum Sirm. Mg. Med. Chiffl.*). Translatio venerandæ zonæ SS. Deiparæ (*Rum. Prol. cum Mg. Chiffl.*). S. Pausilypi, mart. (*Ternob.*). S. Anthusæ (*Men. Pp. Kal. Prol. cum Mg. Chiffl.*). S. Athanasiæ, abbatissæ (*Men. Kal. Prol.*). SS. MM. Mennæ, Davidis seu Dadæ et Joannis (*Men. Kal. Prol. cum Chiffl. Med.*). S. Isaac, Syri (*Men. Kal.*). S. Zenonis, ep. Veronensis et mart. (*Men. Kal.*). [Acacii Novi, mon. (*Ath.*)].

† Gerontii, mart. (*Nan. Neap.*). † Sergii, archiep. CP. ex monast. Manuelis (*Nan.*). † Sabæ Gothi, mart. (*Taur. Med.*). † Sabæ, mart. et soc. (*Taur.*). † Martini, papæ R. (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Basilius.

S. Basilius, quem referunt Slavica Synaxaria fere omnia, annuntiatur in Men. Bas. die sequenti. — Contra S. martyris Artemonis memoria fit in Bas. Menol. hodie. In Sirm. et in Crypt. asseritur fuisse *presbyter.* In Menæis Slavicis laudatur ad 24 Martii. — In Menæis Græcorum festum B. M. annuntiatur his verbis: *Eadem die, anno* 6450 (qui est salutis 942), *regnantibus Constantino et Romano porphyrogenitis, allata est veneranda Zona SS. Deiparæ Dominæ Nostræ ex Episcopio Zylæ in regiam urbem* (CPolim); *postea vero iterum reposita in sacro monumento Chalcoprateorum, die Augusti trigesima prima.* Quid veri subsit huic annuntiationi, expendetur in *Anno Slavico* ad 31 Augusti. — S. *Paulolypus*, mart. refertur in solo Ternob., vero nomine corrupto; in Naniano est ad decimam quartam. — Athanasia, vidua et monialis in insula Ægina, melius ponenda esset die XIV Augusti, qua obiisse dicitur in Actis ejus Græcis. Colitur tamen tum hodie, tum die XVIII Aprilis, quo probabiliter translata est ex hodierna. In Prologo narratur S. Athanasiam viro suo orbatam fuisse tempore quo insulam Æginam invaserant *Russi* (lege Mauri); eamdem, morti jamjam proximam, sororibus præcepisse ut per quadraginta dies consequentes pauperibus mensam apponerent; quod cum neglexissent sanctimoniales, apparuisse eis S. Athanasiam, negligentiam exprobasse, ac sequentia addidisse verba notatu digna: *Sciatis oportet, quæcumque pro animabus defunctorum fiunt ad quadragesimum diem usque, sive eleemosyna præbeatur, sive pauperes alantur, sive preces presbyterorum solitæ persolvantur, prædictis animabus ita prodesse ut peccatorum remissionem, si peccatis gravantur, obtineant; aut, si justæ sunt, bonorum omnium impletione*

Zona Deiparæ.

S. Pausilypus.

S. Athanasia.

DIES XIII ET XIV APRILIS.

impletione ditentur. In tabula Papebrochiana scripturam præfert hæc sancta abbatissa adeo corruptam, ut eam nemo prorsus intelligat, excepta prima voce *Gospodi* (Domine). — S. Dada vocatur pro Davide in Prologo, oscitantia scribæ qui græci nominis formam abbreviatam pro nomine proprio usurpavit. (Græce enim David contracte scribitur Δαδ). — De S. Zenonis vita, gestis et modo quo cœptus est coli ut martyr, cum tamen nude confessor sit dicendus, fusius tractatur in Actis SS. h. d., pag. 70 et seq. — S. Sabæ Gotho emortualem esse diem hunc XII Aprilis designant Acta, a Bollandianis edita, p. 88 et seq. Alterius Sabæ ducis, etiam Gothi, at non in Gothia, ut iste, sed Romæ cum LXX sociis passi, memoria fit XXIV Aprilis. In Slavicis Synaxariis permultis refertur die XV, qua agemus et nos. — De S. Martino quoque agetur ad diem proxime sequentem. — Acacium, cognomento Novum seu Juniorem, a baptismo Anastasium, commemorat hoc die Patericon Montis Atho, tom. II, pag. 164, ex libro cui inscribitur : Νέον μαρτυρολόγιον. Obiit Acacius anno 1730, fere centenarius, virtutibus et spiritualibus donis, ut fertur, clarus. Religiosæ vitæ curriculum iniit in monasterio S. Dionysii ad montem Olympum, dum annum agebat vigesimum tertium; perfecit autem in Monte Atho, et quidem in loco ubi olim degerat Maximus Causocalybita, cujus mores vitamque ex parte æmulatus est; quin etiam (mirare novam ascesim) pulverem marmoreum farinæ loco siccis herbis miscere solitus fuit. Verum quo severior et insolentior erat vivendi ejus ratio, eo magis crescebat (ut illic mos est) apud alios auctoritas; quæ tanta erat ut plurimi eum in spiritualibus ducem sibi certatim deligerent; inter quos nominandi potissimum tres, Romanus, Nicodemus et Pachomius, domo Russus, quos ad voluntariam pro christiana fide mortem parasse fertur et erudivisse. Erat Acacius e vico Galacensi, in diœcesi Agraphæ, christianis piisque parentibus oriundus.

SS. Mennas, David.

S. Zeno.

S. Sabas Gothus.

S. Martinus.

Acacius.

DIES XIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Martini, papæ (*Mst. Tern. Par. I. Rum. Siš. cum Sirl. Clar. Maz. Dom. Mg. Chiffl. Taur. Nan. Med.*). S. Cyrilli (*Rum.*). S. Crescentis, mart. (*Prol. Tern. Kal. cum Bas. Hier. GP. CF. Med. Taur. Vind. Nan. Med.*). S. Thomaidis, mart. (*Men. Kal.*). S. Artemonis, presb. et mart. (*Men. Verš. Chil. Og. Cap. Novg. Prol. Kal. Hor. et recentiores cum Pg. Flor.*). SS. MM. Phasici Cyropolitanii et Ascetriæ, filiæ ejus (*Prol. Verš. cum Med. Dom.*).

† MM. Maximi, Dadæ et Quintiliani (*Sirl. Mg. Chiffl.*). † Eleutherii Persæ, mart. (*Bas. Mg. Med. Sirm. Dom. Maz. Chiffl.*). † Zoïli Romani, mart. (*Med. Taur. Clar. Dom. Maz. Men.*). † Basilii, ep. Parii (*Bas. CF.*). † Theodosii, Basilii et Gerontii, mm. (*Med. Taur. Clar. Dom. Maz.*). † MM. Simeonis, arch. in Perside, Abdelæ, presb., Gusthasati et centum quinquaginta soc. (*Taur. Flor. Maz. Sirm. Dom. Med.*). † Theodosii, mart. (*Hier. GP. Mg. Nan. Chiffl.*). Translatio S. Januarii (*Neap.*). † Alexandri, Joannis et Pauli Junioris, patr. CP. (Flor.).

OBSERVANDA.

S. Artemon.

Vulgo refertur hodie sanctus hic hieromartyr, non Seleuciæ episcopus, ut conjicit Papebrochius, sed presbyter Laodiceæ, passus tempore Diocletiani, sub præside Patricio, cum episcopo Sisinio; et quidem apud recentiores inscribitur primo loco. — Antiquiores synaxaristæ, duce Menol. Basiliano, S. Martinum, papam Romanum, referunt hodie; recentiores vero exprimunt die sequenti; Parisinus cod. legit: *S. Marini;* Possevinus æque male : *S. Marciani.* — Quisnam sit ille Cyrillus, non assequor; forsan Cyriacus martyr, de quo alii agunt postridie; in Cod. Rum. sociatur cum S. Martino. — S. Crescens refertur iterum die XV. — De S. Phasico seu Phusica vide dicta ad XIV et XVII Aprilis; insuper Acta SS. ad diem XXI. — SS. Eleutherius, Theodosius et Zoïlus passi sunt sub Sapore Rege. Quorum secundus, Theodosius, a quibusdam perperam vocatur *Theodosia;* Basilius vero non diversus esse videtur a S. Basilide qui cum S. Gerontio relatus est ad diem 1 Aprilis. — S. Simeon et socii a plerisque nominantur etiam ad diem sequentem, et quidem primo loco, ut modo videbimus.

S. Martinus.

S. Cyrillus.

S. Crescens.

S. Phasicus.

S. Eleutherius et soc.

S. Simeon et soc.

DIES XIV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Symeonis, ep. in Perside et mart. et soc. 150 (*Mst. Tern. Rum. Siš. et alii plures cum Bas. Maz. Nan. Crypt.*). S. Martini, papæ Rom. et conf. (*Chil. Ostrog. Pg. Cap. Men. Prol. Hor. Kal. cum Pg. Flor.*). SS. MM. Eustachii, Antonii et Joannis in Lithuania (*Leop. Pp. Horol. Men. Kal.*). SS. mille Martyrum in Perside et Azati, eunuchi (*Men. Pr. Kal. cum Bas. Med. Taur. Maz.*). S. Ardalionis, mart. (*Prol. Kal. cum Sirl. Meg. Chiffl. Taur. I. Med. Crypt.*). SS. apost. Aristarchi, Pudi et Trophimi (*Par. Novg.* 3, *cum GP. Sirm. Maz. Dom. Hier. Chiffl. Vind. Mg.*).

† Thomaidis, mart. ex urbe Alexandriæ (*Sirl. Mg. Chiffl.*). † MM. Ananæ Abdelæ, Phusæ et soc. 150 (*CF.*). † Phusici et filiæ ejus, mm. (*Bas. Maz. CF.*). † MM. Tiburtii et Valeriani (*Neapol.*). † Pausilypi, mr. (*Nan.*). † Jacobi, presb. et Azæ, diaconi (*Bas. Laur. Maz. Sirm. Nan. Med.*). † Cyriaci, sacromart. (*Taur. I*). † Eleutherii, Persæ, mart. (*Sirm.*). † Zoili, Romani (*Sirm.*). † MM. Theodosii, Basilidis et Gerontii (*Sirm.*)

OBSERVANDA.

S. Simeon et soc.

In Ternob. et Bas. numerantur socii S. Simeonis 150. Passus est in Perside, non secus ac Azates cum aliis martyribus mille, et Phusicus cum filia sua, Jacobus et Aza. In Naniano vocatur ep. Antiochiæ. In Med. legitur : *Certamen mille martyrum qui cum* 150 *sociis S. Simeonis passi sunt et inter quos Azates.* — S. Martinus refertur hodie apud synaxaristas Slavicos recentiores primo loco; apud

S. Martinus.

apud Græcos vero die præcedenti. Consule quæ de hujus sancti pontificis et martyris exilio docte scripsit Assemanus, Italiæ scriptor. t. II, p. 49 et seq. — De SS. MM. Lithuanis vide Act. SS ad hanc diem, pag. 265. Leopolitani codices, in quibus hæc martyrum trias refertur, sunt numero plures. Non uno die cum Christo triumpharunt: nam S. Joannes obiit 23 Aprilis; Eustathius vero 13 Decembris. — S. Aristarchus in Menæis Græcis hodie nominatur primo loco cum Pudo et Trophimo; in Slavicis vero crastina die, excepto Parisino, in quo tamen exprimitur solus Aristarchus. — S. Cyriacus duplici Synaxario Taurinensi inscribitur, semel quidem ad hunc, semel ad sequentem diem, quo occurrit etiam S. Cyriacus, Hierosolymorum episcopus, non tamen martyr.

SS. MM. Lithuani.

S. Aristarchus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Antonius, Joannes et Eustathius.

Joannes et Antonius fratres, nec non et Eustathius nobiles erant Lithuani, Olgerdi, magni ducis Lithuaniæ ab anno 1329 ad annum 1381, cubicularii. Populariter vocabantur Kumets, Kruglets et Nežilo. A familia christiana ipsius ducissæ natione Russæ ad veri Dei cultum conversi, et a Nestorio presbytero baptizati, ob fidem catholicam constanter professam, præsertim quod vetitos cibos statis diebus comedere recusarent, suspendio necati sunt, jussu Olgerdi, adhuc ethnico ignis cultui addicti. Et primo quidem Joannes in carcerem cum Antonio missus, et post annum animo concidens impiæ principis jussioni paruit et vinculis liberatus est. Antonius contra, licet natu minor, mansit inconcussus, fratremque graviter increpuit, imo et videre renuit apostatam. Resipuit Joannes, et fidem rursus publice confessus, fustibus cæsus est et in carcerem iterum detrusus. Demum, post multum temporis, Antonio de quercu suspenso die 14 januarii, ipse quoque suspendio vitam clausit, die 14 aprilis, quemadmodum ei prædixerat frater. Simile fatum nactus est Eustathius adhuc ætate florens et vultus decore conspicuus. Post multa namque tormenta, post verbera, cruris confractionem, cutis capillorumque (quas sibi ethnicorum more radi non permittebat) violentam detractionem, in eadem illa quercu suspensus, martyrii palmam promeruit, die 13 decembris. Passi sunt Vilnæ anno 1342, et in templo SS. Trinitatis ritus græco-russi sepulti; anno vero 1347 in Sanctorum Russicum Album a S. Alexio, metropolita Kioviensi, adnumerati.

Cfr 1) Acta SS. ad xiv Apr., pag. 265 et seq. 2) Menol. et Verš. ad h. d. 3) Dict. hag. pag. 36. Philar., II, 28, 93.

DIES XV.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Sabæ, Gothi, mart. (*Mst. et cæteri omnes cum Bas. Hier. GP. Vind. Nan. Med.*). S. Crescentii, mart. (*Mst. Novg.* 3 *cum Sirl. Mg. Chiffl. Sirm. Dom. Maz. Maz. Taur.*). SS. Aristarchi, Pudæ et Teophimi, apost. (*Rum. Chil. Og. Men. Pr. Hor. Kal. cum Bas. Coisl. Flor.*). SS. Basilissæ et Anastasiæ (*Men. Leop. II, Kal. Hor. Prol cum Bas. Sirl. Mg. Mediol. Dom. Maz. Chiffl.*).

† MM. Theodori, presb. et Pausilypii (*Men. Chiffl. Maz. Neap. Med.*). † Mille Martyrum in Perside (*Taur. II*). † MM. Irenæ, Agapiæ et Chioniæ (*Sirm. Maz.*). † Quirici seu Cyriaci, mart. (*Taur. II*). † Leonidæ, ep. Athenarum (*Mg. Med. Dom. Maz. Chiffl.*). † Leonidæ, mart. et soc. (*Hier. GP. Nan. Vind.*). † Jacobi, presb. et Azæ, diaconi, mm. (*Taur. II*).

OBSERVANDA.

S. Sabas Gothus.

S. Sabas, Gothus, martyr in Cappadocia, aprime distinguendus ab altero Saba etiam Gotho qui Romæ passus est et refertur xxiv hujus. In Cod. Rumiantsovii cognominatur *čtin*, ad designandum, ut videtur, *lectoris* officium, quod exprimitur voce illa slavica, et innuunt aliquatenus Acta martyrii, ubi inter alia legimus S. Sabam assiduum fuisse in *psallendo in ecclesia* (Act. SS., 12 Apr., pag. 88, lit. F). Potest etiam esse corruptela vocis slavicæ *gotin*, quæ significat *gothum*. Occurrit non una die. — Est hæc dies in Synaxariis Slavicis S. Aristarchi et soc. propria, ut et in Basiliano Menologio. — S. Crescentius relatus fuit jam die xiii Aprilis. In Menæis Novgorod. 3 additur : *qui Myris.* — De S. Irene Slavici Codices agunt die sequenti. — Quisnam sit S. Cyriacus non constat. — Duos Leonidas referunt Kalendaria, alterum martyrem, alterum episcopum; S. Leonidæ martyri in Naniano additur S. Nicodemus.

S. Aristarchus et soc.

S. Crescentius.

S. Irene.

S. Cyriacus.

S. Leonidas et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Mstislaus, magnus dux Kioviensis.

In Prologo Serbico manuscripto sæculi xiii fit ad hanc diem commemoratio Mstislai principis his verbis : *Eadem die, commemoratio orthodoxi principis Mstislai, a sacro baptismo Theodori. Erat porro princeps iste Vladimiri filius, ejusque in sede Kioviensi successor, christianis virtutibus, magnisque Dei donis insignis. Enituit in eo mira in quemvis hominem misericordia et domus divinæ zelus; quo impulsus templum Annuntiationis Mariæ Virginis, auro, argento, lapideque pretioso ornatissimum, condidit Novgorodiæ; et Kioviæ alterum S. Theodoro Tyroni sacrum; quod magna solemnitate consecrandum curavit a metropolita Kioviensi Michaele : pluresque alias ecclesias erexit. Aurum et argentum ne manu quidem tetigit, divitiarum contemptor eximius. Mortem suam præsciens, sepulcrum parari jussit, in quo et conditus fuit magno honore a filio suo et omni synclito* (seu *senatu*) *atque in prædicta ecclesia S. Theodori depositus.* Ita Prologus. Porro Vladimirus ille, de quo hic sermo, cognomento

DIES XVI ET XVII APRILIS.

gnomento Monomachus, Kioviæ regnabat ad annum usque 1125, quo cessit e vivis. In ejus locum successit eodem anno Mstislaus noster, dux Novgorodiæ, ab anno 1095; quam dum gubernaret, anno scilicet 1099, ecclesiam Annuntiationis prope urbem condidit, in loco Rurici castello dicto, in cujus usus celeberrimum Evangelium conscribi jussit, *Mstislaviense* ideo nuncupatum, atque Ostromirano codici qui anno 1056 vel 1057 exaratus fuit, sive auctoritate sive ætate omnium proximum, utpote sexaginta annis duntaxat aut certe non multo pluribus recentius. Utrumque templum, B. Mariæ et S. Theodori, exstat etiamnum. Cætera Mstislai gesta leguntur apud historicos scriptores. Nomen ejus nusquam in fastis sacris, quod sciam, occurrit nisi in Prologo illo Serbico sæculi XIII.

(Cfr 1) Annal., t. I, pag. 131, 11 et 12. 2) Vostokof, Cod. mss. Rum., pag. 452. 3) Izvještia, t. IX, pag. 73 et seq. 4) Dict. hag., pag. IV, ed. 1862, in adnot.

DIES XVI.

Ostromirianum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Leonidæ et soc., Chariessæ, Theodoræ et aliarum (*Mst. Tern. Rum. Siš. Chil. Kal. Prol. cum Bas. Neapol. Sirl. Mg. Dom. Maz. Med. Chiffl. Taur.*). S. Acacii, ep. Melitenæ (*Par. cum Hier. Vind. Nan.*). SS. MM. Irenæ, Agapiæ et Chioniæ (*Chil. Men. Novg.* 3. *Og. Verš. Pp. Prol. Hor. Kal. cum GP. Pg. Flor. Taur. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). S. Irenæ, mart. (*Men. Verš. Prol. cum Bas. Maz. Taur. Mg. Med.*).

† M. Felicis, ep., Januarii, presb. et Septiminii (*Sirl. Mg. Chiffl.*). † Georgii, ep. Mytilenæ (*Sirm.*). † Crescentis (*Genebr.*). † Adriani, mart. (*Bas.*).

OBSERVANDA.

S. Leonidas et soc.

De S. Leonida martyre et ejus sociis jam actum est die x Martii, ubi commemoravimus martyrii ejus socios, Chariessam, Nunechiam, Basilissam, Nicam, Callistam, Theodoram et Galinam. Harum unam tantum S. Chariessam, nominatim refert codex Rum.; præterea Theodoram nominat codex Ternob.; recens vero Prologus omnes. Quibus adnumeranda est S. Irena, ultimo loco posita et S. Adrianus, de quo die proxima. — S. Acacius a longe pluribus refertur die sequenti. — De SS. Irene, Agapia et Chionia, sororibus ac martyribus, egimus supra, ad III Aprilis. An altera Irene sit eadem ac prior, manet in obscuro. Irenem in *Hircenem* mutare potuit solus Genebrardus. — De S. Georgio vide dicta ad 7 Aprilis.

S. Acacius.

S. Irene et soc.

S. Georgius.

DIES XVII.

Ostromirianum. Ex variis.

VACAT.

S. Agapeti, papæ Rom. (*Mst. Men. Prolog. Tern. Rum. Siš. Kal. Hor. cum Bas. Sirl. Maz. Chiffl. Neap. Hier. Vind. Nan. Med.*). S. Acacii, ep. Melitenæ (*Rum. Tern. Chil. Og. Men. Prol. Leop. Kal. Hor. cum Taur. I. Dom. Maz. Pg. Flor.*). S. Cosmæ, ep. Chalcedonis (*Par. cum Hier. Nan.*). S. Simeonis, ep. Persidis et mart. et soc., Abdelai et Ananiæ, presb., Usthasani, eunuchi, Phusici, Ascetriæ, Azati et aliorum 1150 soc. (*Par. Men. Euch. Novg.* 3, *Kal. Hor. Prol. cum Sirl. Clar. Chiffl. Maz. Mg. GP. Pg. Flor.*). S. Adriani, mart. (*Prol. Kal. cum Sirl. Mg. Chiffl.*). Zosimi Solovecensis (*Men. Kal. Prol.*).

† Sabæ Gothi, mart. (*Sirm.*). † MM. Basilissæ et Anastasiæ (*Sirm.*). † MM. Leonidæ et soc. (*Sirm.*). † Irenæ, mart. (*Sirm.*). † Memoria S. P. N. Euthymii, thaumat. (*Med. Sirm. Taur.*). † Anthusæ (*Bas. Maz. Med.*). † Ardalionis, mimi. (*Bas. Med.*).

OBSERVANDA.

S. Adrianus. Zosimus.

S. Simeon et soc.

S. Euthymius.

S. Adrianus adnumeratur sociis S. Leonidæ, de quo die præcedenti. — De Zosimo Solovecensi, qui plures ecclesias habet sibi sacras, quarum tres Mosquæ, teste Kalendario Mosquensi, pag. 267, agetur modo, in Memoriis Slavicis. — In Menæis Græcis Simeon et soc. inscribuntur primo loco cum officio; in Novgorod. 3 fit mentio solius Simeonis, omissis sociis. — Thaumaturgi titulo ornatus refertur Euthymius, tum hoc die, tum proxime sequenti; sane non diversus ab eo, qui commemoratus est initio mensis. Nam omnia eadem sunt, excepto primo verbo, cum die primo et secundo legatur *certamen*, hoc vero *memoria*. Recolitur autem memoria vel translationis vel elevationis. Euthymium, Madytarum episcopum, intelligendum opinabantur Bollandiani ad 18 Aprilis; nihil quoque certi statuerunt eorum continuatores ad 15 Octobris, in re obscura satis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Zosimus Solovecensis.

Zosimus in vico Tolvujo, ad lacum Onegam, honestis et christianis parentibus, Gabriele et Barbara, natus, a puero futuræ sanctitatis signa dedit, morum innocentia et gravitate. Adolescens, a parentibus sollicitatus ad matrimonium, quum caste Deo vivere secum statuisset, relicta domo paterna, monasticam vitam aggressus est. Et quidem initio solus Novgorodiæ degit, dein vero in insulam Solovecensem perrexit, ubi postmodum monasterium celeberrimum instituit. Quo in proposito suasorem et socium habuit seniorem quemdam, Germanum nomine. Igitur in eodem ipso loco, ubi olim crucem plantaverat Sabbatius, ecclesiam eduxit Zosimus, titulo Transfigurationis, cellasque ligneas pro sociis undique convolantibus posuit. Misit quoque ad archiepiscopum Novgorodensem Joannem fratres qui hegumenum nascenti cœnobio impetrarent, accepitque Paulum hieromonachum, cui in omnibus ex animo obtemperavit. Verum enimvero, cum nec Paulus, nec successor ejus Jonas

nas monasterii labores situsque asperitatem diu ferre potuissent, communi consilio statutum fuit, ut deinceps e gremio suo hegumenum eligerent. Electus fuit contra vota Zosimus consensu unanimi et archiepiscopo probandus propositus. Crescebat interea numerus fratrum; quare ampliorem ecclesiam excitavit novus hegumenus, sacris Sabbatii reliquiis in eamdem illatis; cellasque posuit numero longe plures. Illud etiam a Novgorodensi præfecto et reipublicæ moderatoribus impetravit, ut totum archipelagum Solovecensi monasterio tribuerint, donatione scripto sigilloque firmata. Martham quoque, quæ summa potestate in republica potiebatur, initio sibi infensam, ad meliora adduxit, ejusque favorem et gratiam promeruit, postquam præsertim proximam reipublicæ Novgorodensis ruinam coram fuerat vaticinatus. Tandem, morte jamjam imminente, fratres extrema commonuit, sacrisque mysteriis munitus, somno mortis obdormivit, anno 1478, die 17 Aprilis, miraculis, ut volunt, et futura prædicendi dono conspicuus. Corpus ejus in tumulo, quem effoderat ipse, conditum, anno 1566 in sacellum translatum est, Zosimi et Sabbatii nomini sacrum, die 8 augusti; qua die deinceps secundo coli cœpit. Sanctorum albo Russico adscriptus est Zosimus a concilio Mosquensi, quod anno 1547 celebravit Macarius metropolita.

DIES XVIII ET XIX APRILIS.

Cfr 1) Prolog. Menol. et Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 113. 3) Colloq. Orthod., mens. Jan., Aug. et Oct., an. 1859.

DIES XVIII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Cosmæ, ep. Chalcedonis (*Mst. Tern. Rum. Siš. Chil. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Med. Chiffl. Maz. Sirl.*). S. Joannis, discipuli S. Gregorii Decapolitæ (*Par. Men. Prol. Chil. Og. Pp. Leop. Kal. Hor. cum Bas. Dom. Mg. GP. Sirl. Pg. Flor. Sib. Itg.*). S. Sabæ Gothi (*Eph. Pp. cum Sirl. Genebr. Chiffl.*). S. Athanasiæ viduæ (*Pp. Kal. Mosq. cum Mg. Sirl. Chiffl.*). SS. MM. Victoris, Zotici, Zenonis, Acyndini, Severiani et Antonini (*Prol. Kal. cum Bas. Taur. I et II*). SS. MM. Jacobi et Azæ (*Novg.* 3 *cum Dom. Flor. Taur. I*). Joannis Junioris, CPoli a Mahomedanis passi (*Men. Kal. Hor. cum Mg.*). [Joannis Kulicæ (*Synax.*)].

† Euthymii, thaum. (*Med. Sirm. Dom. Taur. I et II*). † Georgii, ep. Antiocheni (*Taur. I et II, Dom. Itg.*). † Eleutherii (*Neap.*). † Joannis Palæolauritæ (*Hier. Vind. Nan.*). † Agapiti, pp. (*Sirm.*). † Anthusæ (*Sirm.*). † Ardalionis (*Sirm.*). † Acacii, ep. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Cosmas. De S. Cosma actum heri; in Sirm. 19 die; in Maz. 14 die. — *S. Joannes.* In Menæis Græcorum excusis ponitur Joannes primo loco, habetque officium proprium. — *S. Sabas Gothus.* In editione Menæorum Veneta, anno 1603 facta, additur Sabæ nomini titulus ducis, Στρατιλάτου, errore manifesto : est enim titulus ille alterius Sabæ, etiam Gothi, qui sub Aureliano cum aliis LXX militibus Romæ passus est; contra sanctus hujus diei solus martyrium subiit. Ejus nomen jam ter offendimus, scilicet die XII, XV et hesterna. — *S. Athanasia.* De sancta Athanasia, vidua et hegumena Ægynensi, egimus supra ad diem 12 Aprilis; in Pp. mss. perperam mutata est in Athanasium. — *S. Victor et soc.* Ultimus Victoris socius, Antoninus, deest in Prol. et Kal. — *Joannes Epirota.* Acta Joannis martyris ex Anthologia Græca, Venetiis anno 1630 edita, latine fecit Matth. Raderus, et in Actis Sanctorum vulgavit Papebrochius, Aprilis tom. II, pag. 610 et 611. Adnotat Raderus, hunc Joannem abesse a totis Menæis et Menologiis, puta antiquioribus; recentiora enim Menæa, Venetiis anno 1843 vulgata, etsi Joannis elogio careant, mentionem tamen faciunt his verbis : Τῇ αὐτῇ ἡμερᾷ μνήμη τοῦ ἁγίου νεομάρτυρος Ἰωάννου τοῦ ἐξ Ἰωαννίνων, μαρτυρούσαντος ἐν ἔτει ᾳφκς *Eadem die memoria sancti neomartyris Joannis Joannina oriundi, qui passus est anno* 1526. Additur quoque sequens distichon, ad quasdam martyrii circumstantias alludens :

Βληθεὶς καμίνου ἐν μέσῳ, Ἰωάννη,
Χριστῷ προσῆδες ὕμνον εὐχαριστίας.

Projectus in medium caminum, Joannes, Christo decantasti hymnum gratiarum. Alii versus præmittuntur in Anthologio, quod anno 1719 publici juris fecit Glycas quidam, ipsamet Joannina oriundus; aliterque annuntiatur memoria Joannis, tacito martyrii anno. Versus sunt hi :

Τμηθεὶς καμίνου δέσμιος γυμνὸς κάρη
Θεὸν ἀνύμνει ἐν μέσῳ Ἰωάννης,
Ὀγδοάτι δεκάτῃ κτάν Ἰωάννην πυρὶ ἅος.

Sequitur idem elogium martyris quod præ oculis habuerat Raderus in editione, anno 1603 facta. Hoc elogium dum repetunt synaxaristæ recentiores, non pauca temere immutant. Addunt insuper auctorem elogii esse protopapam quemdam, Nicolaum Malaxam nomine, patria Naupliensem, et Joannis coævum. Narrant quoque miracula quædam ope aquæ patrata, quam tetigerant reliquiæ. Quorum nonnulla cum evenissent Venetiis, ubi Malaxas negotiorum causa aliquandiu moratus est, magnam famam obtinuit ideo Joannes, et ab ipsismet catholicis non spernendæ auctoritatis invocabatur, uti a legato regis Portugalliæ, Domno Diego, qui a gravi morbo quo laborabat continuo liberatus esse dicitur, simulac aliquid bibit de aqua Joannis benedicta. De miraculis istis legere licet quæ habentur in opere periodico : ***Duhovnaja beseda***, tom. XII, n. 17, pag. 501 et seqq. — Dicitur in Synaxarista Nicodemi passus esse Joannes Kulika a Turcis anno 1564. *Joannes Kulika.*

DIES XIX.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Joannis Palæolauritæ (*Mst. Tern. Rum. Siš. Og. Pp. Hor. Kal. Pr. cum Dom. Sirl. Pg. Flor. Med.*). SS. Christophori, Theonæ et Antonini (*Rum. Prol. cum Bas. Maz. Dom. Taur. I et II*). S. Theodori Trichinæ (*Par. I*). S. Georgii, ep. Pisidiæ et conf. (*Men. Kal. Prol. cum Sirl. Mg. Chiffl.*).

DIES XX APRILIS.

Chiffl.). S. Nicephori, heg. Catavadi (*Prol. Kal.*). S. Tryphonis, patr. CP. (*Men. Kal. cum Sirl. Mg. Chiffl.*). S. Paphnutii, mon. Hieros. (*Leop. Hor. cum Sirl. Mg.*). S. Paphnutii, mart. *Novg.* 3).

† Philippi, et ep., mart. (*Neap.*). † MM. Theodori, Philippæ, matris S. Theodori., Socratis et Dionysii, Pergæ in Pamphilia (*Mg. Sirl. Sirm. Chiffl. Hier. GP. Nan.*). † Longini, Isauri, mm. (*Nan.*). † Aphrodisii (*Nan.*). † Jacobi et Azæ, mm. (*Vind.*). † Euthymii, thaum. (*Sirm.*). † Agapeti, papæ (*Sirm.*). † Joannis, discip. Greg. Decap. (*Clar.*). † Ardalionis (*Sirm.*). [Simeonis, Discalceati (*Ath.*). Agathangeli Esphigmenici (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

S. Joannes Palælaurita.

In Sišatov. codice legitur : *Joannis Palæoli* et *Uritæ*; in Coisliniensi : παλαιολαβρίτου; utrumque satis inepte. —

S. Christophorus et soc.

S. Christophorus, martyr et socius Victoris et aliorum præterita die relatorum, memoratur in Prologo musæi Rumiantsoviani et excuso; et iterum referetur die sequenti, quo

S. Theodorus.

illustratur in Actis SS., p. 747. — Soli Parisiensi Synaxario mss. vetusto inscribitur hodie S. Theodorus, nullo addito cognomine quo ab aliis Theodoris, discriminetur. Trichinam tamen intelligendum suadet idem codex Parisinus, utpote qui die sequenti expresse referat S. Theodorum Pergensem, cæteris omnibus agentibus de S. Theodoro Trichina. Unde videtur anticipare una die temporis ordinem, et quidem, ut puto, propter festum S. Onuphrii, quem iterum fere solus exprimit idem codex. Jamvero in cæteris Synaxariis Slavicis de tribus Theodoris agi solet sequenti ordine: de S. Theodoro Trichina die xx, de S. Theodoro Pergensi die xxi, de S. Theodoro Syceota die xxii. Cæterum in Græcis Synaxariis exprimi S. Theodorum Pergensem ejusque socios vidimus modo. Confer etiam adnotationem diei sequenti appositam. — In cod. Laurentiano Florentiæ refer-

S. Jacobus, mart.

tur nudum nomen Jacobi. —

S. Paphnutius uterque.

Duos Paphnutios distinguunt Kalendaria, monachum et *martyrem;* in Menæis Novgorod. 3 refertur martyr, quem alii

S. Euthymius thaum.

commemorant die sequenti. — Quater jam commemoratus est S. Euthymius, thaumaturgus hoc

Simeon discalceatus.

eodem mense. — *Vita venerabilis et theophori patris nostri Simeonis Discalceati, novi thaumaturgi*, legitur ad hunc diem in Paterico Montis Atho. Deprompta est ex libro, qui Smyrnæ prodiit anno 1746, atque officium Simeonis continet. Narrat porro auctor ejus incertus Simeonem sacerdotis filium fuisse, et anno ætatis decimo quinto ab episcopo Demetriadis Pachomio (pendebat diœcesis ista a metropolita Larissæ), susceptum, atque dein monachali habitu et diaconatu auctum; mox tamen in monasterium Οἰκονομίου, ad montem Olympum prope Kissaram, secessisse; inde vero in lauram Athanasianam Montis Atho perrexisse; ubi ad presbyteratum fuisse evectum; ac tandem monasterium Philothei gubernasse, donec a rebellantibus fratribus hegumeni baculum deponere fuerit coactus. Relicto itaque monasterio, in montem Phlamurium, Zagoræ contiguum, secessit; ubi postquam septem annos cum summa vitæ severitate peregisset, a vicinis detectus, cœnobii fundamenta jecit ædemque SS. Trinitati sacram excitavit. Tum Epirum Thessaliamque peragravit, verbum Dei seminans ubique, non sine vitæ propriæ discrimine : nempe in Euripo (nam huc etiam venit pariter ac Athenas) a præfecto comprehensus igne damnandus erat, nisi intervenisset præfecti mater. Morti ereptus, et inter fratres Phlamurienses aliquandiu commoratus Constantinopolim profectus est, ubi non multo post supremum diem obiit, multis, ut fert auctor ejus Vitæ, signis post mortem clarus. Conditus fuit Chalcis, in æde SS. Deiparæ; unde biennio post, in monasterium Phlamuriense translatus. Hactenus auctor anonymus, qui non modo annum ejus mortis, sed et vitæ tempus reliquit in incerto; quod tamen ex nomine Pachomii, episcopi Demetriadis, posset erui et aliqua ratione definiri. — Hoc eodem die recolunt Græci recentiores memoriam Agathangeli, a baptismo Athanasii, qui anno 1819, ætatis undevigesimo a Turcis Smyrnensibus capite minutus est. Mortem autem sponte sua subiit, ut crimen antea ejuratæ fidei sanguine profuso expiaret, quemadmodum tot alii Montis Atho alumni. Agathangeli gesta, pœnitentiam et obitum prolixo admodum calamo descripsit Germanus quidam, a quo sua mutuatus est auctor Paterici Montis Atho, II, p. 436.

Agathangelus Esphigmenicus.

DIES XX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Theodori Trichinæ (*Mst. Rum. Tern. Prol. Siš. Novg.* 3, *Og. Leop. Kal. Hor. cum Bas. GP. Sirm. Dom. Med. Maz. Sirl. Mg. Chiffl. Flor. Pg.*). S. Theodori Pergæ (*Par. I*). S. Anastasii, heg. Sinaitæ (*Men. Prol. cum Bas. Leop. II, Kal. Hor.*). [Alexandri, heg. Kargopolitani (*Pp.*)]. S. Anastasii, patr. Antiocheni (*Kal. cum Maz. Dom. Mg. Chiffl. Itg.*). S. Gregorii, ep. Antiochiæ (*Kal.*).

† MM. Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæsarii, Christophori, Theonæ, Severiani et Antonini (*Sirl. Sib. Mg. Sirm. Chiffl.*). † Zachæi, ap. (*Mg.*). † Georgii, ep. Pisidiæ (*Sirm.*). † Thyphonis, patr. CP. (*Sirm.*). † Paphnutii, mart. (*Dom. Taur. I et II, Hieros. Vind. Nan. Neap.*). † Joannis Palæolauritæ (*Dom. Chiffl.*). † Paphnutii, hieros. (*Mg. Acta SS.*). † MM. Januarii et soc., Desiderii, Procli, Sosii, Fausti, Eutychii et Acutionis (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Theodorus.

Tres Theodori, tribus consequentibus diebus occurrentes, rem intricatiorem reddunt; præsertim in iis codicibus, ubi S. Theodori nomen sine alio additamento ponitur, uti in Paris. Habes impromptu causam talis dierum permutationis, nimirum festum S. Onuphrii, propter quod unus e Theodoris ad diem xix rejectus est. Hinc conjicio Par. codicem scriptum fuisse in loco aliquo ubi vigebat cultus S. Onuphrii, ut nunc apud monachos Basilianos, Leopoli, ubi hodie adhuc exstat monasterium et ecclesia huic sancto dicata. Nec probabile videtur Onuphrium scriptum esse pro *Januario*. S. Theodorus Pergensis celebrari solet die sequenti. A Possevino perperam vocatur *Theodosius*. —

S. Alexandersius. — De Alexandro agimus in Memoriis Slavicis. — De MM. Victore et sociis actum est die XVIII, exceptis SS. Cæsario, Theona et Christophoro; qui nihil commune cum cæteris habent, ac ideo sejungendi erant Sirleto. SS. Christophori, Theonæ et Antonii nomina inscripta sunt die præcedenti. — Zacchæus ap. occurrit in quibusdam Menæis hodie et duobus diebus sequentibus. Ex disticho, adjecto in editione Menæorum Veneta anno 1843 facta, apparet agi de Zacchæo publicano, de sycomoro a Christo evocato, quasi postea fuisset episcopus. Sic enim sonat distichon Græcum :

S. Victor et soc.

S. Zacchæus.

Οὐχὶ κατάβα, ἀλλ' ἀνάβα, σοὶ λέγει,
Ζακχαῖε, Χριστὸς προσκαλῶν σε εἰς πόλον.

id est : *Non descende, sed ascende, dicit tibi, o Zacchæe, Christus, vocans te in cælum* — In supplemento Sirmund. inscriptum est : *certamen S. Joannis, ar.*, quem S. Januarium esse manifestum faciunt sociorum nomina; in Slavicis Kalendariis referuntur die sequenti.

S. Januarius et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Alexander Oševensis.

Floruit Alexander sæculo XV. Annos viginti sex natus, in monasterio Cyrilli Belozerensis tonsuram accepit, auctusque sacerdotio, in quadam solitudine Kargopolensi, ad flumen Tĕuriagam, cellam posuit. Mox, ecclesiam ædificaturus S. Nicolai, cujus miraculosam imaginem secum attulerat, ab archiepiscopo Novgorodensi benedictionem et antimensa impetravit, quin et hegumenus salutatus est. Ad suos redux, monasterium ampliavit, illudque sepe munivit, et prædiis, ab Anastasia, matrona nobilissima, ejusque filio Georgio, dono acceptis, locupletavit. Demum anno salutis 1479, ætatis suæ quinquagesimo secundo, vivere in terris desiit, die 20 aprilis, in ædicula suo nomini dicata tumulatus; cujus Vitam et officium conscripsit Theodosius monasterii Oševensis alumnus.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 12, ed. 1862. 2) Murav. ad h. d. ex Vita mss. auctore Theodosio.

DIES XXI.

Ostromiranum. VACAT.

Ex variis. S. Theodori Pergæ et soc. (*Mst. Siš. Og. Men. Kal. Hor. Prol. cum Typ. Geneb. Pg. Flor. Med.*). S. Onuphrii (*Par. I, Leop.*). S. Alexandræ, imperatricis (*Rum. cum Bas. Taur. I et II, Dom. Mg. Sirl. Clar. Maz. Chiffl. Euch. Kal.*). SS. MM. Isacii, Apollos et Condrati (*Rum. Kal. Prol. cum Bas. Mg. Dom. Sirl. Maz. Clar. Chiffl. Taur. I et II*). SS. MM. Januarii et soc. (*Og. Men. Prol. Kal. Hor. Verš. cum Bas. Sirl. Flor. Dom. Maz.*). S. Michææ, proph. (*Rum. cum Bas. Sirl.*). S. Maximiani seu Maximi, patr. CPolitani (*Prol. Menol. cum Neap. Sirl. Sirm. Mg. Chiffl.*). S. Anastasii Sinaitæ (*Pp. cum Sirl. Clar. Mg. Chiffl.*). SS. MM. Pasicratis et Valentini (*Prol.*). S. Timothei (*Novg.* 3, *cum Taur. I et II, Dom.*). S. Theodori Trichinæ, mart. (*Eph. cum Hier. Vind.*).
† Paphnutii, mon. (*Sirm.*). † Zacchæi, apost. (*Sirm. Dom. Maz. Taur. I et II*). † Anthusæ (*Dom. Maz.*). † Joannis Palæolauritæ (*GP.*).

OBSERVANDA.

Theodorus Pergensis.

S. Onuphrius.

S. Januarius et soc.

Socii S. Theodori nominantur in Menæis sequentes: Dioscorus, presbyter, Socrates, Dionysius, milites, et Philippia, mater S. Theodori. In officio diei sanctus hic vocatur hieromartyr. — Omnino singularis est lectio Codd. Par. I et Leopolitani, qui referunt S. Onuphrium, de quo cæteri omnes tacent. — S. Januarius socios martyrii habuit, teste Prologo et Menol., Probulum (i. e. Proclum), Sossium et Faustum, diaconos, Desiderium, lectorem, Eutychium et Acutionem, laicos; de quibus iterum tractatur in Prologo ad 19 Sept.; ubi perperam vocatur *Anuriius* quemadmodum hodie in Ostrogensi. Cfr Mazochius in Append. ad tom. I et tom. III, pag. 963 et 1002. — In ecclesia Russica sancta Alexandra translata esse dicitur nuper ad 23 Aprilis, jubente Nicolao I imperatore. — Maximianus, seu Maximus, de quo alii die XXIV, fuit Nestorii in sede CPolitana successor. Hujus S. Antistitis memoria iterum celebratur die XX Novembris simul cum Gennadio etiam patriarcha CPtano. Maximus vocatur in Menæis Chiffletii, Sirleti et in editione Veneta anni 1603; at in recentiore, anno 1843 excusa, nominatur recte Maximianus. In Neap. legitur : *Maximi, ep. Con.* — In Men. S. Pasicrates et in Prologo *Parasicrates*, refertur die 24.

S. Alexandra.

S. Maximianus.

SS. Valentinus et Pasicrates.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. MEMORIA S. THEODORI SYCEOTÆ (*Ita fere omnes cum Bas. Sirm. Chiffl. Hier. GP. Vind. Pg. Flor. Nan. Dom. Maz. Med. Mg.*).

Ex variis. S. Nathanaelis, ap. (*Rum. cum Bas. Mg. Sirl. Med.*). SS. apost. Apellis, Lucæ seu Lucii et Clementis (*Kal. Hor. cum Bas. Mg. Sirl. Med. Sirm. Maz. Chiffl.*). S. Timothei (*Rum. cum Mg.*). S. Vitalis, mon. (*Men. Kal. Hor. Prol.*). Translatio corporis Vsevolodi Gabrielis, ducis Pscovensis (*Prol. Kal. Verš.*).
† Nearchi, mart. (*Mg. Chiffl.*). † Gaii, papæ Romani (*Neap.*). † Michææ, proph. (*Sirm. Dom.*). † Zacchæi, apost. (*Sirm.*). [Acacii (*Ath.*)].

OBSERVANDA.

S. Theodorus Syceota. Theodorus Syceota in Ostr. et Mst. dicitur ὅσιος, licet fuerit episcopus; in Rum. plenius : *Memoria sancti antistitis Theodori Syceotæ.* — *Nathanael, seu commemoratio cognitionis, qua in notitiam Christi venit.*

S. Nathanael.

DIES XXIII ET XXIV APRILIS.

venit. Ita Menæa, addentia eumdem esse ac Simonem Zelotem. — Apellis loco in Kalendario omnium SS. ponitur S. Nathanael; imo in Men. Græcorum recentioribus omnes tres omittuntur. — S. Timotheum retulimus pridie ex Menæis Novgorod. et Taurinensibus; martyrem non fuisse apparet ex eisdem Menæis, ubi nude vocatur *sanctus pater;* ponitur autem primo loco, ante S. Zacchæum, apostolum et alios; qua eadem die commemoratur etiam in cod. PP. Prædicatorum. In Rum. refertur post Theodorum Syceotam et apost. Nathanaelem. Idemne sit ac S. Timotheus, apostolus, an potius cum Thimotheo qui in Symbolis confundendus, non liquet. — *Passio S. Gaii, papæ Romis.* Ita marmor Neapolitanum; ut alibi *Critis* scil. ex græca pronuntiatione Ῥώμης et Κρήτης. Simile quid habemus in cod. Ostromirano ad 25 Novembris, quo commemoratur *Passio S. Clementis Rumech.* Recte præponitur *passionis* nota; hoc enim die decessisse S. Gaium seu Caium constat aliunde; at martyrii palmam vetustiora kalendaria ei non concedunt. Dicendum itaque, cum Tillemontio, nota VI, S. Cajum iis martyribus adnumerari, qui multa pro fide Christi passi sunt, quamvis perfectum martyrium profuso sanguine non sint adepti. Simili modo martyrem appellari S. Cyrillum, archiep. Hierosolymitanum, et alios, adnotavimus suo loco. — In Sirmund., si recte legi, S. Michæas annuntiatur ita : *Memoria S. prophetæ et anachoretæ.* — Vitam Vsevolodi, principis Pscovensis, qui et Gabriel, dedimus ad undecimam Februarii, qua emortuus est; iterumque de eo dicemus ad 27 Novembris, qua corpus ejus fuit inventum. Hodierna autem festivitas est recentissima, quippe quæ instituta fuit anno 1834, quo Vsevolodi exuviæ e sacello laterali in interiorem partem ecclesiæ SS. Trinitatis migrarunt.

SS. Apelles, Lucas et Clemens.

S. Timotheus.

S. Gaius, papa.

S. Michæas.

Vsevolodus Pscovensis.

DIES XXIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

MEMORIA S. GEORGII, MARTYRIS. (*Ita omnes.*)

S. Alexandra, imperatrix (*Men. Val. Hor.*). SS. MM. Anatolii et Protaleonis (*Kal. cum Mg.*). S. Joannis Lithuani, mart. (*Prol. Menol.*).

† Glycerii, agricolæ, mart. (*Mg.*). † Valerii, mart. (*Mg. Chiffl.*). † Athanasii, ex mago martyris (*Mg.*). † MM. Donati et Therini (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Georgius, martyr.

Vix ullus est terræ angulus, ait Mazochius, *quo non S. Georgii cultus pervaserit : in tantum ut ingens Asiæ tractus, qui inter Pontum Euxinum et mare Caspium protenditur, Georgiæ (incolis Gurgistan) ob eam causam sibi nomen imposuisse feratur* (t. I, p. 229). De quo, quia immane quantum conscriptum est, illud solum hic suggerere liceat, nempe *memoriæ* notam præfigi in Ostrom. concorditer cum Neap. et CP.; *passionem* vero consignari in Mst. Rum. Siš. et Bas.; ut vel inde videant, incertum fuisse diem S. Georgii emortualem. Acta martyrii, prout in Menol. Mosquensi jacent, spuriis sunt adnumeranda, non secus ac tot alia ibidem excusa. — De S. Alexandra fere nullibi mentio fit ad hanc diem, propter S. Georgii festum; sed vulgo refertur ad diem XXI. Inscribitur tamen hodie in quibusdam kalendariis cum S. Glycerio, eo quod utriusque mentio fit in Actis celeberrimi megalomartyris.

S. Alexandra.

DIES XXIV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Sabæ Stratilatæ et soc. 70 (*Mst. Tern. Rum. Novg.* 3 *et cæteri cum Maz. Sirm. Pg. Flor. Med. Mg. Hier. GP. Vind.*). S. Elizabeth, thaumaturgæ (*Men. Cap. Kal. Val. Prol. cum Bas. Sirm. Dom. Maz. Chiffl. Mg. Med.*). SS. MM. Eusebii, Neonis, Leontii, Longini et aliorum 40 (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirl. Mg. Taur. Maz. Chiffl.*). SS. MM. Pasicratis et Valentini (*Men. cum Bas. Sirl. Clar. Maz. Mg. Med.*). S. Thomæ Sali, mon. (*Men. Kal.*) [Ducæ, a Turcis perempti (*Synax.*)].

† Martyrum Chalcedone occisorum (*Taur. Hier.*). † MM. Demetrii, Danactis, Christophori, Donati, Therini, Nestorii, Nicæ et aliorum (*Taur. I et II, Sirm.*). † Innocentii, papæ Rom. (*Neap.*). † Encænia S. Georgii, megalomartyris, in Cypresseto. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Elizabeth.

S. Elizabeth apud alios refertur die XXV, ut in Leop. 2; at communiter inscribitur hodie, et quidem in Græcorum Menæis, primo loco. — De sancto Saba agit Menologium Basilii die sequenti.

S. Sabas.

S. Eusebius et soc.

— In eodem Basiliano nullus e sociis Eusebii nominatim designatur. Contra in Sirmundiano Synaxario et in Men. Taurinensibus nominantur præter Neonem, Leontium, et Longinum, Demetrius et cæteri in titulo laudati. Demetrius et Danax exprimuntur in cod. Ostromirano, die VI Maii, eisque junguntur Donatus, Therianus et Mesirus in Menæis Chiffletii, Sirmundi et Mediolanensibus, signatis O, 148. Notetur, quadragenarium numerum sociorum esse fictum, reponendosque quatuor socios, ut habetur cæteroquin in Menæis Græcorum excusis. In Taur. I deest Donatus. — S. Georgii festum certatim agunt synaxaristæ ad 23 Aprilis. In Supplemento Sirmundiano occurrit hoc die memoria ecclesiæ huic sancto martyri dicatæ in Cypresseto, ἐν τῷ Κυπαρισσίῳ, quæ quo loco CPoli sita sit, ignorare se fatetur Cangius. Plura de hoc argumento congesta reperies in Act. SS. Oct. tom. IX, pag. 521, nn. 4 et 5. — De Saba Cryptensi nihil aliud dicere habeo præterquam quod in cryptis Antonii hodiedum asservari perhibeatur, et in Laura Cryptensi cultu ecclesiastico honoretur ad præsentem diem, testibus auctore Dict. hag., pag. 240, et Eugenio, metropolita, in Descriptione Lauræ Kievocryptensis, pag. 87.

S. Georgius, martyr.

Sabas Cryptensis.

DIES XXV.

Ex Ostromirano. *Ex variis.* PASSIO S. APOSTOLI ET EVANGELISTÆ MARCI. (*Ita omnes.*)
S. Elizabeth (*Leop.*).
† Macedonii, patr. CP. (*Taur. II. Sirm. Men. Chiffl.*). † Nicæ, mart. (*Mg. Chiffl.*). † Octo monachorum, mart. (*Mg.*). † Sabæ, ducis et 70 sociorum (*Bas.*).

OBSERVANDA.

S. Marcus. *Passio* S. Marci notatur in Ostr., non secus ac in Neap. Bas. et Rum.; in cæteris signatur memoria. De toto hoc argumento legantur egregii commentarii Mazochii in Acta Marci græca, ab Henschenio vulgata. — *S.Macedonius.* S. Macedonii gesta et vitam illustrant Bollandiani ad hanc diem, pag. 369 et seq. — Sanctæ Nicæ martyris memoria celebratur etiam die præcedenti, junctim cum SS. Eusebio, Neone et aliis. — *S. Nice.* Vide de SS. Martyribus Act. SS. hac die, pag. 374 et seq. — *SS. MM Octo.* De S. Saba martyre egimus die præcedenti. *Sabas.*

DIES XXVI.

Ex Ostromirano. *Ex variis.* S. BASILII, EP. AMASEÆ ET MART. (*Ita omnes cum Bas. Neap. Hier. GP. Vind. Pg. Mg. Goth. Sirm. Dom. Maz. Mg. Chiffl. Flor. Med.*).
S. Glaphyræ, virg. (*Kal. Hor. cum Men. Chiffl.*). S. Stephani, ep. Permiæ (*Men. Pp. Kal. Prol.*).
† Publii, mart. (*Bas.*). † Justæ (*Men. Chiffl.*). † Nestoris, mon. (*Mg. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Basilius. Bis de S. Basilio agit codex Ostromiri, hodie et postridie, et quidem hoc die facit nudam mentionem; postridie vero recolit ejus *passionem*, addito etiam S. Publio, martyrii socio, et germano certaminis loco; nam hodie pro *Amaseæ* habet : *S. Stephanus.* *Amazoni.* — Hac die festum Stephani agitur peculiari modo in ecclesia *Salvatoris* Mosquensi, ubi corpus ejus conditum fuerat sub metropolita *S. Glaphyra.* Cypriano, teste Kal. Mosq., pag. 269. — S. Glaphyra jam occurrit nobis XIII Januarii; hodie iterum ponitur propter S. Basilium, in cujus actis *S. Justa.* nominatur non semel. — S. Justa celebratur hodie *S. Nestor, monachus.* apud Græcos, et in Actis SS., p. 424. — Ibidem ex Menæis Græcis illustratur S. Nestor, p. 424. — Præter S. Glaphyram, Basilio jungitur Publius, *Publius.* conversus audita prædicatione S. Basilii Nicomediæ, ibique passus. In Synaxariis refertur insuper duobus consequentibus diebus, et quidem in Ostromirano codice et in Menæis Græcis excusis die XXVII, in Synaxario Sirmundi, XXVIII Aprilis. In Actis SS. errore celebratur die XXV, quod putaverit cl. Henschenius proponi hunc martyrem ea die in Menologio Basilii; cum tamen certo certius laudetur ibidem die præsenti, simul cum Basilio. Utrumque jungit et codicis Ostromirani auctor, ut dixi supra, ad diem sequentem.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Stephanus Permiensis. Magna sanctitatis fama in Russia gaudet Stephanus, Permiæ apostolus vulgo cognominatus. Natus Ustiugæ, piis et honestis parentibus, Simone et Maria, optimisque naturæ dotibus præditus, dum adhuc lectoris munus in ecclesia cathedrali urbis ageret, animarum zelo accensus, Permiensium conversionem secum mente revolvere cœpit. Quo autem eorum linguam melius addisceret, simul et Deo sese arctius devinceret, in monasterium Epiphaniæ Rostoviense abiit, ubi suscepta tonsura, sacris doctrinis addiscendis totum sese impendit, duce Maximo hegumeno. Porro cum Zyrianicæ linguæ esset admodum rudis, litterisque careret, ideo characteres excogitavit Stephanus, quibus libros ecclesiasticos exprimeret. Demum, sacerdotio initiatus a Gerasimo, episcopo Kolomensi et metropolitæ vicario, acceptaque ejus benedictione, ad opus suum peragendum sese accinxit. Primum ad ostium Vyčegdæ fluminis veniens, verbum Dei gentibus prædicavit. Tum ad Ostium-Vymæ, primariam Zyrianorum sedem, progressus Christianorum numerum auxit ad mille, templumque Annuntiationis erexit, idolorum fano præcipuo in cineres redacto. Ad probandam doctrinæ christianæ veritatem, per ignem et aquam transire paratissimum se exhibuit mago cuidam, qui sese idem facturum coram turba jactaverat. Qua animi constantia et mago timorem incussit Stephanus, et victas manus dederunt præsentes turbæ, sacrum baptisma turmatim flagitantes. Duas itaque novas ecclesias eis condidit Stephanus, duoque monasteria instituit, scholis instructa. Anno vero 1383, Mosquam profectus, ut episcopum nascenti Ecclesiæ impetraret, eidem præficitur ipse a Pœmeno metropolita. In Permiam redux sedem suam fixit Ustvymæ, acceptique muneris partes tanta laude explevit, ut non solum Permiæ apostolus, sed et omnium pater, nutritor et advocatus fuerit nuncupatus. Tandem laboribus confractus, quo per octodecim annos multo ardore exantelaverat, ad aliam vitam transiit Mosquæ, anno 1396, die 26 aprilis; quemadmodum tribus ante mensibus prædixisse fertur. Officio ecclesiastico colitur.

Cfr 1) Vita S. Stephani Permiensis, auctore Epiphanio, ejus discipulo. 2) Menol. Prol., et Verš. ad h. h. 3) Dict. hag., pag. 253 et seq. 4) Philaret., Hist Eccl., II, 33-35, 39, 42 et 108. 5) Kulčin., Spec. pag. 15.

DIES XXVII ET XXVIII APRILIS.

DIES XXVII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

PASSIO SS. MARTYRUM BASILII, EP. AMASENI ET PUBLII (*cum Mg. Maz. Med. Chiffl.*).

S. Simeonis, ep. Hieros., cognati Dñi (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Kal. Prol. Hor. cum Hier. GP. Vind. Pg. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg. Med. Chiffl. Kal. etc. cum Chiffl.*). S. Stephani, ep. Vladimiriæ in Volynia (*Pat. Men. Kal.*).

† Joannis, conf., abb. mon. Catharorum (*Sirl. Mg. Chiffl.*). † MM. Maximi, Dadæ et Quintiani (*Nan.*). † Aristarchi, Marci et Zenonis ac 70 (*Sirl. Men. Chiffl.*). † Clementis, hymnographi (*Maz.*). † Zosimi, mon. (*Maz. Taur. I et II*). † Irenes, mart. (*Neap.*). † MM. Sosipatri et Jasonis (*Bas.*). † Cercyræ, mart. (*Bas.*). † Saturnini, mart. et soc. (*Bas.*). † Eulogii, hospitalis (*Men. Maz. Chiffl.*). † Theodoræ et Didymi (*Sirm.*). † Lollionis Junioris (*Mg. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

SS. Basilius et Publius.

Valde notanda est lectio cod. Ostromirani, cui nullus alius e Slavicis adstipulatur. Refragatur et Græcis, in eo quod signet *passionem*, cum tamen S. Basilium martyrium consummasse 28 Martii probe constet. Verum undenam iterato veniat idem S. Basilius Amasenus, indicant Men. Mazarinea, ubi diserte agitur de translatione ejus corporis, de qua alii ad 30 Apr. Ad hæc in Ostromir. legitur : *Peplii;* in Menæis Græcis : *Poplionis* seu *Puplionis*. — In editione Menæorum Veneta, anni 1843 Aristarchus et socii sunt prætermissi. — De S. Jasone, Sosipatro et Cercyra melius agetur die sequenti qua referri solent in Synaxariis Slavicis. — Vide de S. Clemente ad xxx Aprilis. — In Med. signatis O, num. 148, et N, num. 378, post S. Eulogium additur : *in S. Mocio.* — S. Irenæ martyris memoriam celebrant quædam Synaxaria Græca die sequenti.

S. Aristarchus. *S. Jason.* *S. Clemens.* *S. Eulogius.* *S. Irene.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Stephanus Vladimirensis.

Adolevit Stephanus sub alis S. Theodosii Cryptensis, cujus magisterio instructus et sedulo excultus, non ultimum locum inter ejus alumnos obtinuit. Quin imo adeo in via spiritus profecit, tantaque apud sanctum hegumenum gaudebat auctoritate, ut verba ad fratres facere ab eodem non semel jussus fuerit, et in successorem ab ipsomet Theodosio, jamjam morituro, fuerit designatus, summo omnium consensu. Fungebatur etiam Stephanus officio domestici id est præfecti ecclesiæ, utpote qui et canendi artem et ritus ecclesiasticos bene callebat. Hegumenus inceptam a S. Theodosio ecclesiam lapideam perfecit, fratresque in novum monasterium induxit, aliquot tantum sociis in priore relictis, qui mortuos collegas sepulturæ traderent, et sacris mysteriis sublevarent. At quadriennio post, a fratribus, incertam ob causam, a regimine semotus, novum sibi monasterium exstruxit, Clovense dictum, illudque regula S. Theodosii dotavit et ecclesia lapidea sub titulo Beatæ Mariæ Virginis in Blachernis. Tandem ecclesiæ Vladimiriensis in Volynia præposituram adeptus, anno 1091, cum eidem sancte præfuisset, ad Dominum migravit anno 1094, die 27 Aprilis, sanctorum cultu honestatus.

Cfr 1) Vita S. Theodosii, auct. Nestore. 2) Annales, I, pag. 80, 85, 90, 96, 266. 3) Prol. et Menol. ex Pater. et Verš. ad hunc diem. 4) Dict. hag., pag. 252. — Macar., Hist. Eccl., II, 14 et 59.

DIES XXVIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. Jasonis, Sosipatri et soc. (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Novg.* 3, *Chil. Siš. Og. Cap. Prol. Hor. Kal. cum Hier. GP. Vind. Coisl. Flor. Med. Chiffl.*). SS. MM. Maximi, Dadæ et Quintiliani (*Chil. Kal. Hor. Prol. cum Bas. Sirm. Maz. Flor. Med.*). SS. MM. Zenonis, Eusebii, Neonis et Vitalis (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Nan. Neap. Chiffl. Sirm.*). S. Cercyræ, virg. et mart. (*Chil. Kal. Prol. cum Chiffl.*). S. Cyrilli, ep. Turoviæ (*Prol. Kal.*). [Cyrilli, Tčelmogorensis (*Hag.*)]. S. Isaacii Kievo-cryptensis (*Men. et Pat.*).

† Patricii, ep. Prusæ et mart. (*Sirl. Men.*). † Memnonis, thaum. (*Bas. Mg. Maz. Sirm.*). † MM. Cyzicensium, Theognidis, Rufi, etc. (*Men. Maz.*). † Miraculum Carthag. factum (*Mg. Chiffl.*). † Eulogii, xenodochi (*Sirm.*). † Evodii et Onesiphori (*Chiffl.*). † Septem latronum a Jasone conversorum (*Chiffl.*). † Encænia S. Irenæ veteris et novæ (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Jazon et soc.

Præsens dies est S. Jasoni sociisque imprimis sacer. In Par. I legitur *Nazonis;* in Rum. *Azonis*, non secus ac in Sišat. Sozipater colitur etiam 10 Novembris cum Olympa, Herodione et aliis; at apud Sirletum inscribitur diei sequenti hujus.

S. Cercyra.

— Chilandariense Typicon refert nomen Cercyræ nunc difficile lectu. In Prologo dicitur fuisse filia Cercylini regis; fusius autem laudatur in Menologio Basilii ad diem præcedentem; in elogio SS. Jasonis et Sosipatri in Menologio Mosquensi hodie. Quam narrationem valde suspectam habet Papebrochius, verba cujus accipe : *Vereor*, ait, *ne illa aliquibus videatur fabulæ quam historiæ propior, eamdemque censuram subeat Cercylinus, rex, nomine a sua insula derivato dictus, quam filia Cercyra, Græcum ejusdem insulæ nomen referens, quod* Κερκυρα *scribitur : nihil enim familiarius mythologis, quam personis in scenam adducendis nomina mutuari a locis eo spectantibus* etc. (Cfr Act. SS., Jun., t. V, pag. 6 ad xxv). Ubi disces distinguere SS. Jasonem et Sosipatrum, a SS. Mnasone et Sopatro quibuscum vulgo confundi solent sive in Slavicis

Slavicis Menologiis et Græcis sive in Latinis. De S. Cercyra vide Acta SS. ad XIX Aprilis. Huic adduntur a quibusdam septem latrones, a Jasone conversi. Notanda lectio cod. ms. Parisini : *Nazonem* enim, pro *Mnasone*, legunt etiam pleraque martyrologia latina antiquiora, quibus perinde est scribere *Mnason*, *Nazon* et *Jason*. Habes itaque confusionis vestigia, etiam in Slavicis Synaxariis venerandæ antiquitatis. — De S. Zenone agit Sirletus die sequenti. — MM. Cyzicenses in Codd. Slavicis referuntur omnes die sequenti.

DIES XXIX ET XXX APRILIS.

S. Zeno et soc. SS. MM. Cyzicenses.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Cyrillus Turoviensis.

Cyrillus, celeberrimum Ecclesiæ Turoviensis ornamentum, divitibus parentibus Turoviæ natus et educatus, ab adolescentia sacrorum codicum lectioni potius quam mundanæ vanitati sectandæ operam dedit. Mox monasticam vitam ibidem amplexus, gratum Spiritui Sancto habitaculum factus est, jejuniis et vigiliis cæteros fratres antecellens, præsertim autem humili obedientia, quam hegumeno suo, veluti ipsimet Christo, præstare, verbo et exemplo edocebat omnes. Tum altiora charismata æmulatus in turrim sese inclusit, orationi et jejuniis jugiter vacaturus. Multa etiam conscripsit, pietatis et sapientiæ plena. Quare, rogante principe Turoviæ populoque universo applaudente, episcopus Turoviensis ordinatus est. Pontifex effectus gregem sibi concreditum tum virtutum omnium exemplo, tum doctrina christiana diligenter nutriens, tantam gloriam comparavit, ut sæculi sui Chrysostomus cognominaretur. Postquam autem Ecclesiam suam sancte administraverat, ad summum animarum pastorem migravit anno 1182. Colitur ad hanc diem; at quandonam inceperit ejus cultus incertum.

Cfr 1) Prolog., Menol. et Verš. ad h. d. 2) Vita antiqua in Codd. mss. comit. Uvarovii, tom. II, part. I. 3) Kalajdovic., Monum. liter. 4) Schevyrev, t. II, p. 223. 5) Dict. hist., pag. 152. 6) Hier. russ., t. I, pag. 225 7) et 285. Philar., Hist. Eccl. russ. t. I, p. 44 et seq.

DIES XXIX.

Ostromiranum. VACAT.

Ex variis. S. Memnonis, thaum. (*Mst. Tern. Rum. Siš. Og. Pp. Kal. Hor. Men. Prol. cum Hier. Vind. Pg. Nan. Typ. Flor. Med. Chiffl.*). SS. MM. novem, Theognidis, Rufi et aliorum, Cyzici (*Par. Rum. Chil. Og. Pp. Cap. Prol. Men. Kal. Hor. cum Bas. Dom. Hier. Nan. Med. Pg. Chiffl. Fl.*). SS. MM. Diodori et Rodopiani, diaconi (*Prol. Menol. Kal. cum Dom. Maz. Sirm. Med.*). S. Auxibii, ep. Soliorum (*Rum. cum Sirm. Med. Taur.*). Venerab. Patris Zosimi (*Novg.* 3).

† Onesiphori et Evodii, epp. et mart. (*Sirl. Mg.*). † Jasonis et Sosipatris (*Mg. Sirl. Maz. Dom.*). † Cercyræ et 7 latronum a Jasone conversorum (*Mg. Sirl.*). † Viginti duo Martyrum (*Hier. Nan.*). † MM. Zenonis et Vitalis (*Sirl.*). † Eusebii, mart. (*Sirl.*). † Simonis, cognomento Judæ, ap. (*Bas. Flor.*). † Thedosiæ, v. (*Sirm.*). † MM. Galici, Bithynii, Dii (*Sirm.*). † Illyrici, thaum. (*Sirm.*). † MM. Quintiani seu Cantiani et Attici seu Tatici (*Sirm. Maz. Med. Taur.*). † Patricii, ep. Prusæ (*Chiffl.*). Miraculi Carthagine patrati (*Chiffl*). † Hermæi, mart. (*Sirm.*). † Jacobi, Fratris Domini (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Memnon. Hodie recoli solent S. Memnon et martyres Cyzicenses. In Bas., pro Memnone, quem retulit pridie, commemoratur primo loco S. Simon, apostolus. In Hier. et Nan. S. Memnon jungitur cum 9 martyribus. *SS. MM. Cyzicenses.* SS. martyres Cyzicenses sunt Theognis, Rufus, Antipater, Theostichus, Artemas, Magnus, Theodotus, Thaumasius et Philemon; qui omnes recensentur in Menol., Prologo et Horol. Počajovensi. S. Rodopianus, Diodori socius, in Prologo audit *Herodion*. — De S. Auxibio, archiepiscopo Soliæ in Cypro, actum est 19 Februarii. — Alibi jam vidimus torqueri nomen S. Illyrici; in Sirmund. mutatus est in *Clerium* (Κληριον); quo nomine prodit in Actis Sanctorum. Simile quid accidit S. Attico, quem alii nominant *Taticum*, imo et *Tacitum*. — In Sirm. Hermæo additur : τοῦ ἐν τοῦ Σιρμίου.

S. Rodopianus. *S. Auxibius.* *S. Illyricus.* *S. Hermæus.*

DIES XXX.

Ex Ostromirano. S. APOSTOLI JACOBI, FRATRIS S. JOANNIS EVANGELISTÆ. (*Mst. Rum. Tern. Siš. Og. Prol. Men. Hor. etc. cum Sirm. Maz. Chiffl. Dom. Hier. Vind. Pg. Flor. Mg.*).

Ex variis. S. Donati, ep. Euroæ in Epiro (*Men. Kal. cum. Chiffl. Sirl. Mg.*). S. Maximi, mart. (*Kal. Prol. cum Mg. Chiffl.*). Inventio reliq. S. Basilii, ep. Amaseni et mart. (*Kal. Prol. cum Mg. Chiffl.*). S. Nicetæ, ep. Novgorodensis (*Novg. Kal.*).

† Jacobi, fratris Domini (*Bas.*). † Clementis, hymnographi (*Sirl. Chiffl.*). † Rufini, mart. (*GP.*). † Catechesis S. Ephræmi (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Jacobus Zebedæi. In Slavicis codd. fere omnibus proponitur hoc die S. Jacobus apost., filius Zebedæi et frater Joannis Evangelistæ; at in Bas. nominatur alter Jacobus, frater Domini. — *S. Donatus.* S. Donatus, ep. Aureæ, quem refert Sirletus, ab Euroensi minime est diversus. *S. Maximus.* Cfr Acta SS., pag. 764 et seq. — De S. Maximo videsis diem XXVIII, ubi duos martyrii socios habet; confer etiam Acta SS. ad hanc diem, ut hodiernum Maximum ab altero qui ex Asia discernas. — *S. Basilius.* De Basilio Amaseno bis agitur in Ostromirano, die XXVI et XXVII, quarum posterior est dies translationis ejus anniversaria. Acta martyrii Græca, auctore Joanne, presbytero Nicomediensi, teste oculato, vulgarunt Bollandiani ad calcem mensis Aprilis, pag. L et sequent. — S. Clemens, confessor et hymnographus apud Græcos, luculenter illustratur in Acta SS., pag. 787. — Nicetas, episc., commemoratur hodie in Annalibus Novgorodiæ, 201; in quibus præterea ad 29 Nov. inscribitur : *Inventio corporis Nicetæ Novgorodensis.*

S. Clemens. *S. Nicetas.*

MENSIS MAIUS.

DIES PRIMUS MAII.

MENSIS MAIUS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. Ex variis.

MEMORIA S. JEREMIÆ, PROPHETÆ. (*Omnes.*)

S. Batæ, mon. et mart. (*Prol. Menol. Kal. cum Bas. Sirm. Chiffl. Maz. Mg.*). S. Macarii, metrop. Kiov. et mart. (*Hag.*). [Paphnutii Borovcensis (*Menol. Prol. Kal. Pp.*). Gerasimi Bolonensis (*Hag.*). [Euthymii, Ignatii et Acacii, monachorum (*Ath.*)].

† Jacobi et Philippi (*Neap.*). † Philippi, unius ex septem diaconis (*Taur.*). † Bassi, mart. (*Taur.*). † Philosophi, mart. (*Sirm. Chiffl.*). † Isidoræ (*Chiffl.*). † Sabæ, ep. Daphnusiæ (*Med. Taur.*). † Sabæ, mart. (*Chiffl.*). † Encænia novæ ecclesiæ in palatio (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Jeremias.

Sacram Jeremiæ prophetæ memoriam recolunt initio hujus mensis Græci pariter ac Latini; et quidem in Rum. inscribitur *Dormitio* ejus, non secus ac in Basiliano (κοίμησις), et apud Notkerum (*pausatio*). Ostromiranum convenit magis cum CPolitano Morcellii, et cum Martyrologio Arabico-Ægyptiaco in quo habentur ista : *Primo die Maii memoria Jeremiæ, prophetæ, sanctificati* (intellige ab utero matris, ut plurimi censent). In Mstisl. annuntiatur ejus *passio*, dum Ternob. Par. I. Put. Siš. et cæteri simpliciter meminere S. *Jeremiæ, prophetæ*. In Menologio Mosquensi legitur hodie: *Vita, prophetiæ et passio S. prophetæ Jeremiæ, ex Sacra Scriptura breviter adumbrata;* imo octo folia integra implens et fabulis ex pseudo-Epiphanio depromptis nonnihil locupletata; de quibus legatur oportet adnotatio Papebrochii ad Ephemerides Græcas metricas, pag. xxv, et quæ tradit Falconius, pag. 89. Synaxarium Prologi, ex Chronico Alexandrino aliisque non majoris momenti fontibus desumptum, exstat jam in *Collectaneis Sviatoslai*, sæc. XI. — Quis fuerit Macarius ille Kioviensis, docebunt modo *Memoriæ Slavicæ*. — Solo fere nomine innotuit Gerasimus Bolonensis, conditus in monasterio SS. Trinitatis, prope Dorogobužiam civitatem; quod, teste Diction. hagiographico, ed. novissimæ, pag. 65, excitaverat anno 1528; juxta Muravievium vero, qui minorem sane fidem meretur, nonnisi anno 1628, toto scilicet centennio intercedente. — De Euthymio, anno 1814 a Turcis occiso, egimus ad 22 Martii. Eodem anno, die 8 octobris, suspendio peremptus est a Turcis Ignatius, a baptismo Joannes, Euthymio amicissimus. Antequam autem voluntariam pro fide mortem subierit, monasticam vitam duxit in Monte Atho, et multo antea degit aliquandiu in monasterio Rylensi in Bulgaria; erat enim Bulgarus natione, ex vico Eski-Zagora, diœceseos Ternobiensis, oriundus, linguæque slavonicæ peritissimus. Quamvis autem e vivis cesserit 8 octobris, colitur tamen a monachis Montis Atho non hoc die, sed 20 Octobris; qua corpus ejus simul cum exuviis Euthymii in Montem CPoli allatum est et insuper prima Maii, qua capite minutus est Acacius, utriusque exemplum æmulatus. Obiit anno 1816 et sepulturam accepit in æde utrique dicato in Monte Atho, ubi sese ad mortem paraverat, monachorum Chilandariensium aliorumque conversatione utens. — In Neap. marmore insculptum est : *Natale Jacobi et Philippi;* in Menæis Taurinensibus mss, quæ citavi in titulo, mentio fit de solo Philippo, *uno e septem diaconis*. Jamvero quum tres sint Jacobi et duo etiam Philippi, difficile est dictu ex nudo nomine, de quibusnam agatur in Neapolitano. Sane nullum ex modo allatis hoc die referunt Kalendaria Slavica; nam de S. Jacobo Alphæi agunt 9 Octobris; de altero Jacobo, filio Zebedæi, 30 Aprilis; de Jacobo, fratre Domini, 23 Octobris; de S. Philippo, apostolo, 14 Novembris et de S. Philippo, diacono, 11 Octobris. — S. Bassum, martyrem, cum Eusebio, Eutychio et Basilide sociis retulimus ad 20 Januarii; eumdem esse ac hodiernum, arbitrantur Bollandiani. — Iidem putant S. Philosophi nomen a facto sumptum, *quod nempe in molli culcitro religatus provocanti ad libidinem meritriculæ præmorsam dentibus linguam in vultum expuerit;* quomodo eumdem alii Nicetam seu Victorem appellavere. — De ecclesia nova cujus encænia kalendis Maii celebravit Photius, cum, extincto S. Ignatio, sedem patriarchalem recepit, habita etiam oratione, consulatur Cangius, CP. Christianæ, lib. IV, pag. 97 et lib. II, pag. 127. Orationis istius titulus est hîc : ἔκφασις τῆς ἐν τοῖς Βασιλείοις νέας ἐκκλησίας τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ὑπὸ Βασιλείου τοῦ Μακεδόνος οἰκοδομηθέισης : *descriptio novæ ecclesiæ SS. Deiparæ in palatio, a Basilio Macedone excitatæ*. Vulgo tamen S. Michaelis nomine venit apud scriptores; quia utrique fuit sacra, imo et Salvatori, Eliæ et Nicolao, thaumaturgo. In Supplemento Sirmundi tacentur nomina.

S. Jacobus et Philippus.

S. Bassus.

S. Philosophus.

Encænia Ecclesiæ novæ.

S. Macarius, metr. Kiovensis. Gerasimus.

Euthymius, Ignatius et Acacius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Macarius, metrop. Kioviensis.

Tres Macarios Kioviensi Ecclesiæ præfuisse constat apud omnes. Horum primus, de quo nobis sermo, sanctorum Albo inscriptus, vixit sæculo decimo quinto. Secundus Ecclesiam Kioviensem rexit ab anno 1538 ad 1550, quem a schismatis macula liberum fuisse opinatur Kulčinius; tertius denique, cognomento Ragoza, unionem cum sede Romana instauravit anno 1596, in synodo Brestensi. Jamvero Macarius I Lithuania erat oriundus. Adhuc juvenis monasticum institutum S. Basilii professus est, ac dein munere hegumeni defunctus

functus in Vilnensi monasterio SS. Trinitatis. Quod dum obiret, simul etiam universæ Lithuaniæ ecclesias et monasteria administrabat. Quantopere Sedi Apostolicæ fuerit addictus ac devotus, luculente demonstrat gravissima epistola, ad Sixtum IV anno 1476, die 14 Martii, nomine totius cleri Kioviensis et optimatum destinata, et a Macario quoque nostro subscripta; qui venit tertio loco, post Misaëlem metropolitam electum, et Joannem archimandritam Kievocryptensem. Eximia hæc epistola incipit his verbis : *Universali papæ, magno soli, totius orbis luminari, Ecclesiæ luci, sanctissimo patrum patri, summoque pastorum pastori, beato Sixto, sanctæ, universæ, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ vicario dignissimo et reliqua.* Est autem tantis Romani Pontificis laudibus plena, quantas hactenus nuspiam legere sit; Spiritum quoque Sanctum a Patre Filioque una eademque spiratione procedere apertissime profitentur Ecclesiæ Kioviensis antistites. Unde perspectum fit, vehementer errare eos, qui asserunt unionem in synodo Florentina instauratam fuisse incassum, minimeque Kioviæ perseverasse; quod in scriptis suis passim venditant auctores Russi recentiores, nimio orthodoxiæ suæ zelo abrepti. Illud quoque indubium, Macarium archimandritam non modo observantissimum exstitisse Romani Pontificis filium, sed et strenuum ritus slavici propugnatorem ac defensorem. Hinc factum, ut mortuo Jona Hlezna, seu potius Glina, metropolita, qui post Simeonem, Misaelis successorem, Kioviæ sedit, in ejus locum substitutus fuerit Macarius, anno 1495. Mox, relicta Vilna, ubi residere solebant metropolitæ Kiovienses, iter instituit Macarius, metropolim suam lustraturus. Itaque dum itineratur, in Tartarorum Crimensium manus incidit quorum frequentes incursiones memorantur in Chronicis Russis ad annos 1416, 1442, 1452, 1457, 1473, 1479, 1482, 1486; ab eisque in vico Strigolovio, seu Skrygolovio, ad Bčičim fluvium prope Mozyrium sito, crudeli morte afficitur die 1 maii 1497, cum biennio tantum gregem suæ curæ concreditum rexisset. Corpus Macarii in medio campo projectum, et capite ac dextra truncatum, Christi fideles Kioviam detulerunt et in ecclesia S. Sophiæ condiderunt, magna celebritate. Est autem Macarius tam apud non unitos, quam apud Russos Romanæ Sedi unitos in magna veneratione. Olim colebatur die 18 januarii, S. Macarii Ægyptiaci anniversaria; verum ab anno 1827 coli cœpit die, qua obierat, 1 Maii. Sacræ ejus reliquiæ hodiedum asservantur Kioviæ, et quotannis prædicta die circumferuntur magno populi concursu, clero sequentia troparia, Græcorum more, interim decantante : *Divina ac incruenta offerens sacrificia, sanguinem tuum, ab impiis Agarenis profusum, hostiam innocentem obtulisti Domino tuo, pastorum capiti Christo; a quo nobis suppliciter te rogantibus impetra, ut iram in gentes, bella meditantes, effundat.* Et hoc alterum : *Exsultat civitas Kioviensis, magnum thesaurum adepta, tuum scilicet, o beate antistes Macari, corpus corruptionis expers; thronum enim tuum ab immanium inimicorum invasione usque ad sanguinem defendisti, et nunc cælesti throno adstas, ubi et nostri memor sis, pater noster, Creatorem rogans, ut te in omnibus adversitatibus refugium habeamus, teque gloriemur, inclamantes : Gaude Macari, antistitum decus!* Non absimilis argumenti est oratiuncula, quam olim in canone suo, in honorem Patrum Kievocryptensium, posuerat Meletius Syrigus : *Sacromartyrum decus, o beate Macari, qui antequam visibilem in terris acciperes thronum, ad thronos præmissus es invisibiles, Deum mihi propitium redde.* Indicatur beatum virum cæsum esse, priusquam Kioviam venisset. DIES II MAII.

Cfr 1) Kulčinius, Specimen, pag. 125. 2) Stebelscius, part. II, pag. 51, 71 et 72. 3) Menolog. ad hanc diem. 4) Murav., ad hanc diem. 5) Philar., Hist. Eccl. Russ., tom. III, pag. 175.

Paphnutius, hegumenus Borovcensis.

Paphnutius, Joannis filius, in vico Kudinovo natus, et nomen Parthenii in sacro baptismate sortitus, cum adolevisset, paterna domo clam relicta, in monasterio Vysocensi Borovscii religiosæ vitæ jecit fundamenta. Ob virtutum præstantiam morumque disciplinam hegumenus a Photio metropolita electus, assumpto schemate, in desertum, monasterio vicinum, abiit cum duobus sociis, ibique, ad fluvium Istremam anno 1440 ecclesiam erexit, et monasterium adjecit, suo nomine deinceps nuncupatum. Ibidem hegumenatus munere defunctus, et provectam nactus ætatem, obiit anno 1480, kalendis maii. Ejus natalis per universam Ecclesiam Russicam ecclesiastico cultu honoratur, statuto synodi Mosquensis anni 1547. Paphnutii Borovcensis Vitam, a Bassiano, ejus discipulo ac deinceps Rostoviæ archiepiscopo, sat prolixo calamo adumbratam, in Menæa sua invexit Macarius, metropolita; officium vero et canonem conscripsit alter discipulus Innocentius.

Cfr 1) Menol. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 225. 3) Philar., Hist. Eccl. Russ., III, pag. 157. 4) Muraviev, Vitæ SS. ad hunc diem ex Cod. mss. monast. S. Sergii, signato 8.

DIES II.

Ex Ostromirano. **SS.** MM. Hesperii et Zoes, uxoris, et Cyriaci ac Theoduli, liberorum ejus (*Put. Men. Kal. Prol. cum Bas. Sirl. Mg. Sirm. Maz.*). Eodem die, S. Athanasii (*Omnes cum Bas. Dom. Maz. Mg. Nan. Vind. Hier. GP. CP. Vind. Coisl. Mosq. Lind. Goth. Neap. Flor.*).

Ex variis. Translatio reliquiarum SS. Martyrum et fratrum Borisi et Glebi (*Rum. Pap. Leop. Hor. Kal. Prol.*). S. Borisi, regis Bulgariæ (*Verš.*).

† Silvani, ep. et 40 soc. MM. (*Chiffl. Med. Maz.*). † Martyrum quadraginta in Ægypto et in Palæstina (*Chiffl.*). † Joannis, thaum. (*Chiffl.*). † Cyrilli, patr. Alex. (*GP. Mosq.*).

OBSERVANDA.

DIES II MAII.

OBSERVANDA.

S. Hesperius et soc.

Imperite habet Ostr. : *SS. MM. Hesperi et Zosiæ et conjugis ejus, et Cyriaci ac Theodoli, liberorum.* In Mart. Rom. et apud Sirletum Hesperius vocatur *Exuperius* (Cfr Acta SS., 2 Maii.) Alibi veniunt die sequenti; at hodie nominantur in Menol. Basilii et quidem primo loco. — S. Athanasio in Synaxario Callipolitano, a Scholzio edito, et in Mosq. additur S. Cyrillus, item patriarcha Alexandrinus, quemadmodum id fecerunt Menæa Græcorum excusa et Slavica, ad 18 Januarii. *Dormitionis* ejus esse hunc diem aperte testatur post Menol. Basilii codex Rum. In cæteris, uti in Mst., inscribitur *memoria* sancti Athanasii aut solum nomen, omissa omni nota, uti in Ternobiensi. Marmor Neapolitanum habet *natale S. Athanasii, patriarchæ*, eodem plane modo, quo ad 18 Januarii, nisi quod ibi non *patriarcham* vocaverit, sed *episcopum*, quod idem S. Eutychio patr. CPolitano contigisse animadvertimus supra. Sola Chiffletii Menæa referunt *allationem* reliquiarum Athanasii, scilicet ex urbe Alexandria CPolim; id tamen non obstat, quominus dies præsens ei fuerit emortualis, quippe quo, ut arbitratur Morcellius, et Athanasii mors, et corporis translatio simul acciderit, licet non eodem anno. Quæ in contrarium protulit Mazochius, ea levia sunt omnino, et argumentis ex ipsiusmet libro petitis facile solvuntur. — Duplex memoratur in Annalibus Russis translatio SS. Borisi et Glebi; altera facta est anno 1072, regnante Iziaslao, sub metropolita Georgio, vivente adhuc S. Theodosio hegumeno Kioviensi; altera vero anno 1115, eodem die, quo sacræ eorum reliquiæ translatæ sunt ex ecclesia lignea in lapideam, imperante Vladimiro Monomacho. Intelligitur itaque, cur neutrius translationis mentio facta sit in cod. Ostromirano, qui annis 1056-1057 fuit exaratus; sed nec memoratur in Mstislavico, qui anno 1117 scriptus est. De utroque sancto agetur ad diem quo gloriosam occubuerunt mortem. — S. Borisi, qui et Michael, ad fidem Christi conversionem et gesta declarabunt Memoriæ Slavicæ, modo citandæ. — S. Joannes, thaumat. ille est qui quarto hujus vocatur Palæolaurita; de quo actum supra.

S. Athanasius patr. Alexandrinus.

SS. Borisus et Glebus.

S. Borisus rex Bulgariæ.

S. Joannes.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Borisus, rex Bulgariæ.

Borisus, qui et Bogoris, Zviniči seu Presiami filius, Bulgariam, post crudelem Malomirum, rexit, ab anno 843 ad annum 888. Quem ut ab idololatriæ tenebris ad lucem fidei christianæ traduceret misericors Deus, qua bellis contra populos finitimos Serbos, Dalmatas et Græcos, infeliciter gestis, qua fame et peste per regionem sæviente disposuit, et consiliis denique et exemplis præclari monachi Theodori Cupharæ, tunc in Bulgaria captivi, necnon etiam propriæ sororis. Quocirca, postquam præsertim a S. Methodio, Constantinopoli in Moraviam pergente, fuisset visitatus et permotus, christianam religionem, simul cum duobus filiis Vladimiro et Simeone, anno 866 amplexus est, suscepto nomine Michaelis. At ubi proceribus et populo innotuit, principem mutasse religionem, concitatis turbis, tollere eum de medio moliti sunt. Quos ille, exigua suorum manu, prælato crucis signo, aggressus profligavit, et inopinato rerum eventu perculsos, Christo lucratus est, gentemque pene universam ad fidem catholicam traduxit. Id factum esse anno EXTI BEXTI, quemadmodum fert inscriptio, bulgaricæ versioni S. Athanasii, auctore Constantino episcopo et S. Methodii Moravici discipulo, inserta; quæ quid sibi velit, aliis inquirendum relinquo. Sane slavica non est, nec sensum ullum slavo homini exhibet. Fertur autem tanta perfectione virtutis stadium ingressus esse, ut interdiu ornamentis regiis indutus in publico procederet, noctibus vero sacco vestitus, latenter ecclesiam intraret, et super pavimentum ipsius basilicæ, substrato tantum cilicio, humi procumbens in oratione jaceret. Ne cum schismatico Photio communicaret, legatos misit ad sanctum Nicolaum I, pontificem Romanum, a quo famosas illas ad quæsita sua responsiones accepit anno 867, communionem Ecclesiæ Bulgaricæ cum Romana apertissime testantes. Mortuo S. Methodio, Moraviæ et Pannoniæ archiepiscopo, anno 885, ejus successorem ac discipulum Gorazdum, cum aliis, Clemente, Naumo, Angellario, Saba et Davide, Moravia pulsis, honorifice excepit, totamque Bulgariam, in septem diœceses divisam, subjecit Clementi, quem in ducem spiritualem sibi elegit et Archipræsulem Achridensem esse voluit. Imo et vices apostolicas sedi Achridensi in perpetuum affixit, Romano Pontifice Marino annuente, atque ita Ecclesiæ Bulgaricæ autocephaliam cum reverentia sedi Romanæ debita sapientissime conciliavit. Idem corpora SS. Martyrum Tiberiopolitanorum Tiberiopoli seu Strumitza Bregalnitzam transferri curavit et in templo, quod in eorum honorem erexerat ibidem, collocari. Paulo post, religione catholica jam stabilita, regnum terrenum dimisit, et designato successore, purpuram cum monastico habitu commutavit, eleemosynis, jejuniis vigiliis et orationi diu noctuque intentus. Interea Vladimirus, quem regem Bulgariæ in sui locum constituerat, prædas licenter cœpit agere, libidinibus vacare, omni conatu denique ad gentilitios ritus populum recenter baptizatum reducere. Quod cum audisset pater, nimio zelo accensus, sacrum habitum ad tempus deposuit, et militiæ cingulo resumpto, filium persecutus est. Quem mox cepit, oculisque privatum, in carcerem misit. Dein, juniore filio Simeone in regem constituto, ad monasterium regressus, reliquum vitæ in sancta conversatione duxit. Obiit anno 893, die 2 Maii.

Cfr 1) Pejacevich, Hist. Serbiæ, pag. 67 et seq. 2) Palauzov, Simeon, rex Bulgar., pag. 17 et seq. 3) Acta SS., t. II, Febr., pag. 563. 4) Vita S. Clementis, inferius danda, ad 22 diem Novembris. 5) Vita S. Clementis, ed. Miclosich, pag. 23 et seq. 6) Pertz, Monum. Germ., t. I, pag. 580. 7) Vita brevior S. Clementis, græce ed. Jos. Schaffarik. 8) Muraviev, Vitæ SS. ad. hanc diem.

DIES III.

DIES III.

Ostromiranum. VACAT.

Ex variis. SS. MM. Timothei et Mauræ (*Mst. Rum. Put. Prol. Ternob. Kal. Siš. Chil. Men. cum Bas. Sirm. Dom. Maz. Mg. Nan. Vind. Flor. Hier. GP. Coisl.*). S. Hierothei (*Par. I*). S. Petri Argivorum (*Rum. Kal. Prol. cum Bas. Med. Chiffl. Sirm. Maz. Taur.*). Obitus S. Theodosii, heg. Kievo-Cryptensis (*Rum. Og. Pp. Pat. Men. Prol. Hor. Leop.*). Festum B. M. V. Kievo-Cryptensis (*Kalend.*). Demetrii Uglicensis (*Hag.*).

† Inventio S. Crucis (*Neap.*). † MM. Diodori et Rodopiani (*Sirl. Mg.*). † MM. Hesperi et Zoes, et filiorum Cyriaci et Theoduli (*Hier. Vind. Nan.*). † M. Sebastianæ (*Hier. Nan.*). † Mart. 26 (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

SS. Timotheus et Maura. Timotheus, lector, et Maura, ejus uxor, referuntur hodie apud plerosque synaxaristas Græcos et Slavos. Acta Græca videsis apud Bollandianos, *S. Hierotheus.* Maii tom. III, pag. 376 et 741. — S. Hierotheum profert hodie solus Parisinus I, nullo alio adstipulante. Putarem errore positum esse pro Timotheo. — *S. Theodosius.* Obiit Theodosius anno 1074; cujus reliquiæ inventæ anno 1091, anno vero 1108 cultu publico honoratæ a Nicephoro, metropolita Kioviensi, qui eum in Sanctorum Album inseruit. Dormitionis ejus memoria occurrit hoc die jam in Prol. sæc. XIII; at translatio reliquiarum celebratur 14 augusti; sed hæc uberius declarabuntur in *Memoriis Slavicis.* — *Festum B. M. V. Kioviensis.* Festum B. M. V. Kievo-Cryptensis cœptum est celebrari anno 1085, quo CPoli Kioviam allata esse fertur ipsius imago a quatuor pictoribus græcis, jubente ipsamet beatissima Virgine. A templo, in quo hactenus asservatur, accepit nomen Kievocryptensis; licet initio vocabatur *Blachernica*, a templo Blachernarum CPolitano, ubi pictoribus apparuisse narratur SS. Deipara. De hac icone, miraculis clara, deque festivitatis origine et progressu tractat tum Menologium excusum, ad 3 Maii et 14 Augusti; tum potissimum auctor Vitæ *S. Theodosii.* Quorum summa redit ad hoc: anno 1073, cum jam de erigenda ecclesia Assumptionis Kievocryptensi consilium inivissent SS. Antonius et Theodosius, apparuit B. Virgo in templo ad Blachernas CPolitano cæmentariis quibusdam eosque de erectione templi ad Cryptas Kiovienses allocuta est, formam molis ipsis præscripsit, instructosque copioso auro Kioviam ire jussit. Obtemperarunt operarii, Kioviam venerunt, visionem beatis viris enarrarunt et ita, brevi tempore, juvante Deipara, templum mire inceptum, absolverunt. Nec minus miranda est imaginis prædictæ origo: cum enim, peracto decennio, pictores, e Græcia venientes, templum B. Virginis essent ornaturi, imago beatissimæ Mariæ visu pulcherrima, sua sponte supra altare efformata fuisse perhibetur, et brevi multis miraculis inclaruisse. Quare peculiari cultu ex illo tempore celebrari cœpit eadem die, qua magni Theodosii memoriam agunt Russi. Profecto mirabilia sunt ista et quæ difficile fidem apud lectores invenient. Sed nec magis credibilia sunt ea quæ auctores indigenæ perhibent de icone *B. M. Svenensis*, quæ hoc eodem die celebratur inde ab anno 1288, quo Romanus, Tčernigoviæ dux, visum recuperasse dicitur, precibus coram ea fusis. Nimirum ex eis quæ de hujus imaginis origine et apparitione vulgo circumferuntur, sequitur eam non esse diversam ab imagine Kievocryptensi quæ veluti replicationis miraculo et Kioviæ manserit et ad fluvium Svenam, non procul ab urbe Briansk fluentem, inter ramos suspensa fuerit inventa. Celebratur autem præter hanc diem etiam 17 Augusti. — *Demetrii, principis Uglicensis,* corporis translatio peculiari festivitate recolitur inde ab anno 1606, quo instituta est ab Hermogene, patriarcha Mosquensi. Porro translatum est corpus Demetrii e civitate Uglicensi Mosquam. Cujus translationis historiam exhibent Menæa ad 15 Maii, quo occisus est innocens puer; at hodie commemoratur in Menologio Veršinskiano. *Demetrius Uglicensis.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Theodosius, Kievocryptensis. Inter omnes sanctos, quotquot ecclesia Russica religioso cultu celebrat facile principem locum obtinet Theodosius, monasterii Kievocryptensis fundator, et cœnobiticæ vitæ in ecclesia Russica institutor. Natus est in oppido Vasilevo, non procul a Kiovia, parentibus honestis et christianis, quibuscum mox in urbem Kursk migravit. Ab ineunte ætate eximia futuræ pietatis signa dedit: ecclesiam quotidie adibat, hymnis et lectioni sacræ supra ætatem intentus. Anno decimo quarto, patre orbatus, ad majora certamina sese extendit; viles pannos indutus, mundi illecebras refugiebat diligenter, lumbosque ferreo torque constringebat, licet a matre propterea increparetur frequenter, duriusque tractaretur. Nimirum perfectiorem vitam anhelabat Theodosius ad magna a Deo vocatus. Itaque, postquam domum paternam iterato relinquendi periculum nullo successu fecisset, verbera et vincula ideo a matre perpessus, tandem domo aufugit, venitque Kioviam ad B. Antonium, eumque supplex oravit ut se in discipulum reciperet. Voti compos factus anno 1051, et a Nicone tonsura donatus, mansit in obedientia Antonii, tantaque virtutum omnium præbuit documenta, ut vel ipsi magistro suo esset admirationi. Quadriennio exacto, a matre sua diu quæsitus et inventus, eidem persuasit, ut velum acciperet, et monialium regulam in Nicolai asceterio Kioviæ profiteretur. Interea Nicone Tmutoracaniam profecto, quo magni ducis fugeret iras, ad presbyteratum gressum fecit Theodosius; ac paulo post, cum nempe fratrum advenientium numero crescente B. Antonius, solitudinis alioquin amantissimus, in cryptam, seorsim positam, secessisset, ejusque in hegumenatu successor, Barlaamus nomine, in monasterium S. Demetrii a magno duce translatus esset, ad regimen unanimi consensu evehunt fratres Theodosium. Factus hegumenus, de pristino vivendi more nihil imminuit, quin potius omnium minister evasit devotissimus. Socios

Dies IV Maii.

e cryptis subterraneis in ædem recenter absolutam transtulit, regulaque cœnobitica dotavit, a celeberrimo monasterio Studio accepta. Verumenimvero vitæ suæ exemplo multo magis, quam regula data etiam verbo fratres curæ suæ commissos erudiebat optimus magister; quæ enim docebat eos verbo, ea in se ipso et in operibus suis ad vivum repræsentabat, abstinentiam, unionem cum Deo, humilitatem, disciplinæ monasticæ studium, præsertim autem fraternam caritatem. Integram quadragesimam in jejuniis, oratione et silentio peracturus, angustæ cryptæ se includere solebat: somnum vero capiebat permodicum, idque nunquam jacens, sed sedens. Multis idcirco et insignibus donis a Deo præventus est, multosque sanctitatis suæ fama traxit alumnos. Quorum numero crescente, monasterium ampliavit illudque muro circumduxit et ecclesiam lapideam, loco prioris ligneæ, in honorem beatæ Mariæ Virginis in cælos assumptæ, quam tenerrimo affectu semper coluit, erigere aggressus est anno 1073. At brevi post, morbo correptus, quem sibi lethalem fore a Deo certior fuerat factus, non absoluta ecclesia, obiit anno 1074, die 3 maii, postquam Stephanum ecclesiarcham in sui locum designasset. Sacræ ejus exuviæ, in cryptis conditæ, in ecclesiam majorem translatæ sunt anno 1091, die 14 augusti, qua secundo colitur. In Sanctorum Albo inscriptus est anno 1180, a metropolita Nicephoro. Reliquit S. Theodosius quædam scripta pietatis plena; inter quæ nequaquam numeranda est epistola incerti auctoris *de religione Variagorum*, id est Latinorum, ad Iziaslaum, principem, data.

Cfr 1) Vita S. Theodosii, auctore Nestore, annalista. 2) Annales Nestoris. 3) Prolog., Menol. et Verš. ad h. d. 4) Macarius, Hist. Eccl. Russ., t. II, pag. 30 et seq.. 5) Philar., Hist. Eccl. Russ., t. I, pag. 40 et seq. 6) Kulčinius, Specimen, pag. 16.

DIES IV.

Ex Ostromirano. Memoria S. Aphrodisii, Medæ (*cum Nan. Hier. Coisl. Neap. Clar. Div. Maz.*). S. Gaii (*cum Maz. Chiffl. Sirm.*).

Ex variis. S. Silvani, ep. et mart. et 40 soc. (*Par. I, Pp. Prol. Kal. cum Bas. Chiffl. Sirm. Med.*). S. Olbiani, ep. Aneorum et mart. (*Rum. Kal. Prol. cum Bas. Chiffl. Med. Sirm. Maz.*). S. Nicetæ, heg. Mecidii (*Mst. Rum. Pp. cum Sirl. Mg. Maz.*). S. Athanasii, archiep. Corinthi (*Rum. cum Mg. Chiffl.*). S. Pelagiæ, virg. et mart. Tarsensis (*Put. Chil. Og. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum Sirl. Flor. Mg. Sirm. Chiffl. Coisl. GP.*). S. Pelagiæ, olim meretricis (*Horol.*). Translatio reliquiarum Lazari, amici Christi, et S. Mariæ Magdalenæ (*Rum. cum Chiffl. et Sirm.*). SS. MM. Probi, Tarachi et Andronici (*Siš.*). S. Erasmi, mart. (*Prol. Kal.*). [Nicephori (*Ath.*)].

† Nicephori, heg. Mecidii (*Bas. Chiffl.*). † Joannis Theristæ, abb. Panorm. (*Itg.*). † Joannis Palæolauritæ (*Mg. Maz.*). † Hilarionis, thaum. (*Mg. Sirm. Bas. Chiffl. Maz.*). † Barbari, militis et mart. (*Taur. Med.*). † Irenes, mart. (*Sirm. Dom. Maz. Hier. Nan. Vind.*).

OBSERVANDA.

SS. Aphrodisius et Gaius. In Ostr. legitur : *S. Aphrodisii, Gaimidi* lege : *Gai, Medæ*. Permixtæ sunt duæ turmæ martyrum, in quarum altera militarunt SS. Aphrodisius, Meldas, Leontius, Antoninus, Macrobius, Valerianus et alii; in altera : S. Gaius, Neophytus et quatuor alii socii, Gaianus, Zeno, Marcius, Macarius, quos referunt Taur. et Chiffl. In Hier. adest solus Aphrodisius; in Naniano additur : *et cæterorum;* in utroque tamen ponitur secundo loco, post S. Irenem. In Neap. : *Aphrodisii et congreg. ejus*. Hinc si minus probanda est lectio Ostromirana, pari jure rejiciatur emendatio proposita a Cl. Kopitario, qui substituit *Ganimedem*. Rectissime Nevostrujev legendum dicit : *Milidi* i. e. Meldæ. Cæterum etiam in codd. Græcis, v. g. in utroque Taurinensi, ad diem 5 pro Melda leguntur nomina *Medæ, Melthæ*. — *S Silvanus et soc.* De S. Silvano, ep. et soc., Nicephoro et Olbiano, tractatur in *Actis SS.* hac die; de Niceta, heg. Mecidiensi, ad 3 Aprilis; de S. Athanasio die quinta Maii. De S. Pelagia 29 Octobris. — Olbianus in Rum. vocatur Jovilianus. — Probus celebratur a Græcis 12 Oct.; apud Latinos die 11 Oct. — Erasmus videtur esse idem ac ille, de quo inferius ad diem 10 erit sermo. Apud Latinos celebratur 2 Junii. — Nicetas, hegumenus monasterii Mecidii (Μηκίδιον), CPoli, vulgo vocatur Medicensis; uti etiam in Bas. Nicephorus, ejusdem monasterii abbas. — S. Pelagia in Menæis Græcis celebratur primo loco. — S. Hilarion in Basil. et apud Chiffletium nuncupatur thaumaturgus. — Joannis Theristæ festum agitur xxv Junii. — In libro *Acoluthia Patrum hagioritarum*, quem citat Pat. Ath. t. I, p. 399, traditur Nicephorus catholicam fidem dereliquisse et Gregorio Palamæ in orando fuisse magistrum. Quæ duo non modo sanctitatem, sed etiam orthodoxiam viri hujus, ut vocatur, *Theophori*, reddunt valde suspectam.

S. Olbianus. *S. Probus.* *S. Erasmus.* *SS. Nicetas et Nicephorus.* *S. Pelagia.* *S. Hilarion.* *S. Joannes. Nicephorus Athonites.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Clemens Alphani et fratres ejus Cyrillus, Nicephorus, Niphon et Isaacius. Floruisse videntur sæculo duodecimo ineunte, fueruntque reipublicæ Novgorodensis præfecti, licet vita, gesta, ac virtutes plane sint nobis hodie ignota, et ipsa eorum nomina in præfectorum Novgorodensium serie prætermissa fuerint. Coluntur autem in Ecclesia Novgorodensi, thaumaturgorum titulo ornati. Corpora eorum, miraculis, ut aiunt, clara, reperta fuerunt circa annum 1162, tempore Joannis seu Eliæ, archiepiscopi, et in monasterio monialium Sokolnicensi condita, unde in monasterium S. Antonii Romani migrarunt anno 1775. Eorum memoria recolitur ad hanc diem in solo monasterio Sokolnicensi, idque non nisi ab anno 1809.

Cfr 1) Hist. hier. Russ., t. III, pag. 127. 2) De præfectis Novgorod., pag. 52. 3) Dict. hist., pag. 154.

Inter

Methodius, hegumenus Pesnošianus.

Inter alumnos S. Sergii Radoneženssis insigniores procul dubio collocandus est Methodius; qui postquam a magistro suo vitam monasticam fuisset edoctus, accepta ejus benedictione, in profundissimam solitudinem sese abdidit, Deo soli vacaturus. Verum cum sociorum frequentiam, licet mediis in silvis positus, non posset effugere, commodiorem locum exquisivit Methodius, et ad confluentem Pesnošæ et Jahromæ cellas posuit, ædemque S. Nicolao excitavit, unde et monasterii Pesnošiani cognomen venit. Obiit Methodius in prædicto monasterio, anno 1392 die 4 junii, hegumeni munere defunctus.

DIES V, VI ET VII. MAII.

Cfr 1) Menolog, Verš. ad h. d. 2) Philaret., Hist. eccl. Russ., II, 115. 3) Kalajdovicius, Descriptio mon. S. Nicolai ad Pesnošam.

DIES V.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. megalomartyris Irenes (*Omnes cum Bas. Sirl. Typ. GP. Coisl. Flor.*). Encænia S. Deiparæ Cyri (*Mg.*). S. Hilarionis, thaum. (*Prol.*).

† Nicephori Medicensis (*Sirm.*). † Silvani, episc. et mart. (*Taur. I et II*). † Pelagiæ, mart. Tarsi (*Sirm. Chiffl. Vind. Hier. Nan.*). † MM. Aphrodisii, Meldæ seu Medæ, Macrobii, Valeriani, Adriani, Leontii, Antonii et aliorum, Scythopoli (*Taur. Med.*). † Ananiæ, apostoli (*Neap.*). † Leonis, mon. in Calabria (*Itg.*). † MM. Neophyti, Gaii, Gajani (*Taur. I et II. Mg.*). † Barbari, mart. (*Taur. I et II, Med. Sirm.*). † Athanasii, ep. Corinthi (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Irene.

In Prologo legitur longum elogium sanctæ Irenes fabulis refertum; quod ideo erat omittendum.

S. Deipara Cyri.

— Ædes Deiparæ Κύρου, a Cyro consule et præfecto, Theodosio Juniore imperante, ædificata, celebratur potissimum a scriptoribus, teste Cangio, ob imaginem Deiparæ, quæ ibidem magno cultu et pia veneratione colebatur. CP. Christ., IV, p. 87. — Hilarion apud alios nominatur die præcedenti. — De Neophyto et sociis actum est pridie. In Menæis Græcis excusis additur : *festum eorum peragitur in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani in Darianis* (ἐν τοῖς Δαρείου). Iterum redibunt XI Augusti, ad quam vide.

S. Hilarion. *S. Neophytus et soc.*

DIES VI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

SS. MM. DEMETRII, DANACTIS (*cum Med. Taur. I et II, Div. Sirm.*).

Sancti et justi Job (*Mst. Put. Par. Rum. Og. Pp. Men. Kal. Prol. etc. cum Bas. Hier. Coisl. Vind. Sirm. Dom. Maz. Flor.*). SS. Andronici et Athanasiæ (*Pp. cum Mg.*). MM. SS. Barbari, militis et sociorum Bacchi, Callimachi et Dionysii (*Men. Kal.*). S. Barbari, olim latronis (*Men. Kal. Prol. Hor.*).

† MM. Donati, Therini et Mesiræ, sociorum Demetrii et Danactis (*Med. Chiffl. Sirm. Taur. I et II.*). † Parmenæ ex 70 et Euthaliæ (*Sirl. cum Mg.*). † Quinti, Troadii et Theodoreti Antiocheni (*Sirl. Mg. Cyth.*). † Theodoti, ep. Cyreneensis (*Sirl. cum Mg.*). † Matthæi, ap. natal. (*Neap.*). † Memoria SS. Pachomii, Hilarionis et Mamantis (*Bas. Med. Taur. I et II. Chiffl. Maz.*). † Patricii (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Demetrius et soc.

In Ostr. habetur : *Dmitri Dnactis*, unde Kopitar effinxit suum *Demetradnactem*. SS. Demetrius, Danax, Donatus et alii citantur hodie in variis Menæis Græcis, et etiam ad XXIV Aprilis, ut ibidem adnotavimus. *Dimii* pro *Demetrii* meminit Siš. His martyribus adnumerandi sunt SS. Therinus, Mesiras, seu Meseera, et Barbarus, gladio cæsus, de quo sequens distichon :

Nomine quidem es Barbarus; ast qui te colit
Ut fortem athletam, mente barbarus non est.

Præter hunc Barbarum nominatur etiam alter Barbarus, distinctus a priore. Plura de utroque vide in Actis SS. ad hanc diem. pag. 103; præterea ad XXIV Aprilis, pag. 264, n. 5. — De patientissimo Job agunt Bollandiani X Maii, juxta Mart. Rom. — SS. Andronicus et Athanasia memorantur etiam in Acta SS. ad hanc diem, inter prætermissos, et iterum die IX Octob., qua profertur eorum Vita. De eis jam egimus supra ad II Martii, quemadmodum et de SS. Parmena, Quinto, Troadio, Euthalia, Theodoreto et Theodoto. — S. Theodoretus, in Slavicis codd. hodie desideratus, est is presbyter Antiochenus, aliis Theodorus dictus, qui sub Juliano passus est et colitur potissimum XXIII Oct. Cfr Acta SS. ad hanc diem, pag. 105; et quæ tradita sunt ad diem XXII et XIX Januarii.

S. Job. *SS. Andronicus et Athanasia.* *S. Theodoretus.*

DIES VII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Apparitio crucis Dominicæ in cælis, Jerosolymæ (*Mst. Put. Par. Rum. Men. Og. Siš. Pg. Prol. Kal. etc. cum Bas. Sirl. Dom. Mg. Hier. GP. Coisl. Vind. Mosq. Flor.*). S. Acacii, mart. (*Par. Og. Men.*

DIES VIII MAII. *Men. Prol. Euch. Hor. Kal. Verš. cum Bas. Clar. Maz. Mg. Hier. GP. Vind.*). S. Pachomii, abbatis (*Rum. cum Clar. Copt.*). Nili Sorensis (*Hag.*). [Pachomii (*Ath.*)]. S. Joannes Zedazeni, et duodecim sociorum (*Iber.*).

† Samuelis, proph. (*Neap.*). † Martyrum Neophyti, Gaii, Gaiani (*Chiffl.*). † Joannis Damasceni (*Itg.*). † Codrati, mart. (*Mg.*). † Joannis Psichaitæ (*Mg.*). † Maximi, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

Inventio crucis. Inventio crucis primo loco refertur in Menæis sive Græcis sive Slavicis; et quidem in Menologiis Græcis potissimum celebratur *memoria ostensœ Crucis Constantino, imperatori,* cum verbis : *in hoc signo vinces.* — *SS. Acacius et Maximus.* Acacius seu Achatius, martyr CPoli, Latinis fere Agathius est et colitur VIII Maii cum S. Maximo Nicomed, presb., et plurimis aliis. — *S. Codratus.* S. Codratus seu Quadratus, mart. in Bithynia, commemoratur in Menæis Græcorum excusis cum suis sociis. Synaxarium est diversum ab eo quod continetur in Menæis Mediol. mss. ad 9 hujus. Apud Latinos celebratur IX Maii. — *S. Pachomius.* S. Pachomius, abbas in Ægypto, in Basilii Menologo celebratur pridie. — *S. Joannes Psichaita.* Joannes Psichaita, conf. ab iconomachis plura passus, a Latinis colitur XXV Maii. — *S. Joannes Damascenus.* Joannis Damasceni natalis dies celebratur hodie in Martyrologio Basilianorum Italo-Græco. — *S. Joannes Zedazenus.* De S. Joanne Zedazeno sermo recurret ad 4 Novembris.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Nilus, hegumenus Sorensis. Beloozerensis monasterii alumnus fuit Nilus Sorensis, nobilissimo Majcoviorum genere ortus. Hic, lustratis cœnobiis et asceteriis, quæ tum in Oriente, tum in Monte Atho præ cæteris celebrabantur, ad lacum Album redux, in solitudinem secessit, cellamque suam ad Soram fluvium fixit; ubi paulo post, ecclesiam B. M. V. cum monasterio Sorensi erexit. In quo non cœnobitarum, sed ascetarum regulam, quod ei peculiare fuit, invexit, ac dein in testamento suo, adhuc exstanti, fuse explicuit, asceticæ vitæ restaurator ideo cognominatus. Nec facile ad convivendum sibi admittebat candidatos; sed, turba amota, selectioribus contentus fuit. Quare universa, quam congregaverat Nilus, communitas quatuordecim tantum seniores numerabat. Humilitatis studiosissimus, fratres suos enixe rogavit, ut morituri corpus aut in campos escam feris projicerent, aut in fossam communem sine ullo honore demitterent. Paupertatem vel post mortem colere visus est; cum enim Joannes IV, Sorense asceterium invisens, lapideam ecclesiam loco ligneæ construi jussisset, regis jussionem adimplere vetuisse traditur Nilus, monasterii hegumeno in somnis apparens. Obiit die 7 maii, anno 1508, ætatis suæ septuagesimo sexto.

Cfr 1) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 215. 2) Hier. Russ., t. V, pag. 210-240. 4) Philaret, Hist. Eccl. Russ., t. III, pag. 160.

Pachomius, CPoli a Turcis interfectus. Pachomius, Ukrainia, piis parentibus, oriundus, adhuc puer a Tartaris captivus abductus est et cuidam mahumetano ferrifabro venditus. A quo in Anatoliæ urbem Usad avehitur, et domini sui artem religionemque addiscere cogitur; at frustra. Etenim nec promissis, nec minis a Christo separari potuit Pachomius, quascumque tribulationes pro eo pati paratus. Quocirca libertati erat jamjam restituendus, cum ecce, repentino morbo correptus, decumbit. Ægrotum ad instar suorum induunt impii Turcæ, quasi nimirum ille Mahometis spurcitias fuisset amplexatus; circumcidere tamen non audent. Quæ ægerrime ferens Pachomius, cum Smyrnam mercandi causa venisset, inde in Montem Atho navigavit, vestem Turcicam habitu monastico commutaturus. Duodecim ibidem annis peractis, eremitæ cuidam socium se adjunxit, ejusque severam vivendi rationem æmulatus, diuque et varie a senioribus probatus in Anatoliam remeat, atque in eadem urbe, quam olim incoluerat, in foro publico apparet, ut christianam fidem solemniter profitendi habeat occasionem. Illico comprehenditur imperterritus confessor, et coram judice sistitur, a quo aut fidem ejurare aut certam necem subire jubetur. Supplicium eligit Pachomius, capiteque truncatus, gloriose occubuit anno 1730, die Ascensionis. Corpus ejus in insula Pathmo hodiedum dicitur asservari et cultu publico quotannis ad præsentem die celebrari.

1) Martyrol. Constantinopol., ed. Venet. 179 et seq.

DIES VIII.

Ex Ostromirano. MEMORIA S. APOSTOLI ET EVANGELISTÆ JOANNIS THEOLOGI (*Omnes cum Bas. GP. Maz. Vind. Dom. Mg. Hier. GP. Pg.*).

Ex variis. S. Arsenii Magni (*Mst. Put. Rum. Chil. Og. Pp. Men. Leop. Kal. Prol. et Horol. cum Bas. Sirm. Chiffl. Dom. Maz. Mg. Hier. GP. Msq.*).

† Apparitio S. Angeli, prop. (*Neap.*). † Melis, hymnographi (*Chiffl.*). † Coronæ militum, mart. (*Chiffl.*). † Nicomæ, mart. (*Sirm.*). † Tarasii, thaum. in Lycaonia (*Sirm.*). † Acacii, mart (*Med.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA.

S. Joannes, apostolus. Post S. Joannem ev. in Prologo additur : ***Eadem die collectio sacri pulveris id est mannæ ex tumulo ejus defluentis.*** Fabula hæc celebratur hodie etiam a Coptis. — *S. Arsenius.* S. Arsenius Magnus a Latinis colitur *S. Meles.* XIX Julii. — Distichon de S. Mele sonat ita : ***Melen migrantem hymnographum ex hac vita, Laudare rythmis convenit, ut est hic mens.*** — *S. Tarasius.* S. Tarasius videtur distinctus esse a Tarasio, arch. CPolitano, cæterum solo nomine notus. — Neapol. lapis : ***Apparitio S. Angeli prop***[ugnatoris]; intellige S. Michaelis in monte Gargano; quam celebrant Latini. Ultimum compendium nec Mazochius explicuit, nec illustr. cardinalis Maii. — S. Nicomas erat unus e sociis S. Acacii, CPoli. martyrio coronati, de quo nos egimus pridie.

Apparitio S. Angeli.

S. Nicomas

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Isaiæ, prophetæ (*Mst. Put. Par. Rum. Siš. Og. Pp. Leop. Men. Hor. Kal. cum Bas. Neap. Hier. GP. Pg. Vind.Goth. Flor. Mg. Maz. Dom.*). S. Christophori, mart. (*Put. Chil. Og. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Neapol. Hier. GP. Pg. Mosq. Goth. Vind. Dom. Maz. Mg. Flor.*). Translatio reliquiarum S. Nicolai thaumaturgi Myris Barum (*Rum. Pp. Men. Verš. Ternob. Euch. Kal. Hor. Prol.*). S. Schio Syri, erem. (*Iber.*).

† Natalis S. Gregorii Nazianzeni (*Itg.*). † MM. Epimachi et Gordiani (*Bas. Mg. Sirl. Med. Taur. I et II, Sirm.*). † Codrati, mart. et soc. (*Bas. Mg. Chiffl. Maz. Clar. Taur. I et II, Maz. Marg.*). † Tryphenæ, mart. (*Med. Sirm. Taur. I et II.*). † Timothei, patriarchæ (*Med. Taur. I et II, Sirm.*). † MM. Saturnini et Rufini (*Chiffl.*). † MM. Acquilinæ et Callinici (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Isaias. In cod. Rum. perperam additur : *filii Amos;* a Latinis colitur Isaias 5 Julii. — In codice Parisino *Christophorus* sumitur pro cognomine S. Isaiæ : nec enim aliter intelligi potest titulus *Theophori* (bogonostza) quo decoratur propheta. A S. Chri- *S. Christophorus.* stophoro conversi sunt ad fidem SS. Acquilina et Rufinus, qui in codd. Græcis mss. inscribuntur *S. Nicolaus.* disjuncti. — Translatio reliquiarum S. Nicolai Barum facta est anno 1092. In Prologo exstat longum sancti elogium, cui additur narratio de miraculis ab eo patratis, peculiariter vero in S. Stephano, Dečanensi, rege Serbiæ, cui visum restituit, uti fuse evolvitur in Vita regis. (Cfr Memoriæ Slavicæ ad 30 Octobris). Festivitatem hanc ab Urbano II papa institutam, Græcis vero omnino ignotam, in Kioviensem Ecclesiam invexit, et ut in perpetuum celebraretur decrevit Ephræm metropolita anno 1092. Qua de re conferantur Prologus et Menologium excusum ad hunc diem, Kulčinius, in Specimine, pag. 114; Philaretus, Histor. Eccl. Russ., t. I, pag. 95; et Macarius, Hist. Eccl. Russ., t. II, pag. 191. — De Timotheo *S. Timotheus.* patr. conferantur omnino quæ de vocabulo illo ῥοδισμὸς disserunt Bollandiani, hac die, pag. 359 et Mazochius ad 13 Februarii ; in codd. enim superius allatis legitur : καὶ ὁ ῥοδισμὸς τοῦ ἁγ. Τιμοθέου πατριάρχου. — De S. Schio, quem hodie celebrat recens Iberorum Ecclesia, agetur fusius ad diem 4 Novembris, S. Joanni Zedazeno ejusque sociis Eliæ et Stephano sacram.

DIES X.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Simonis Zelotæ, apostoli (*Omnes cum Bas. Sirl. Hier. GP. Coisl. Msq. Sirm. Maz. Vind. Dom. Mg. Flor.*). S. Hesychii, mart. Antiocheni (*Prol. Kal. cum Bas. Sirl. Mg. Chiffl. Sirm. Maz.*). SS. MM. Alphii, Philadelphii, Cypriani, Erasmi et soc. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirl. Mg. Clar. Maz. Dom. Div.*). S. Isidoræ Salæ (*Men. Kal.*). S. Thaidis, pœnitentis (*Men. Kal.*). S. Simonis, ep. Vladimiriæ et Suzdaliæ (*Pat. Men. Kal.*).

† Laurentii (*Chiffl.*). † Abdæ, mart. (*Dom.*). † Condrati, mart. et soc. (*Sirm. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

SS. MM. Alphius et soc. De S. Erasmo mentio facta est jam 4 Maii. Cyprianus Sirmundo est Cyrinus, aliis Cyrillus. Præter Alphium et socios martyres, quos ex Menæis Græcis in sua Martyrologia invexerunt Latini, nemo alius ex Sanctis hic citatis colitur a Latinis præsenti die. — De Simone, ep. Vladimiriæ ac Suzdaliæ et hagiographo, fuse tractavimus in Actis SS. Oct., t. X pag. 877, quando de B. Aretha, monacho Cryptensi, instituebatur tractatio. Adscriptus est huic diei propter sanctum apostolum sibi cognominem. *S. Simon, ep. Vladimiræ.*

DIES XI.

Ex Ostromirano. GENETHLIACUS DIES URBIS (CPoleos) (*Mst. Tern. Chil. Siš. Og. Pp. Prol. Kal. cum Bas. Lind. Hier. GP. Goth. Vind. Msq. Flor. Nan.*). S. MOCII, MART. CPOLI (*Put. Tern. Rum. Par. I. Chil. Og. Leop. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Hier. GP. Coisl. Vind. Goth. Lind. Sirm. Dom. Maz. Flor. Msq.*).

Ex variis. Sanctorum Cyrilli et Methodii, episcoporum Moraviæ et Slavicæ gentis apostolorum (*Men. Kal. Prol. Hor.*). S. Dioscoridis (*Rum. cum Bas. Sirm. Maz. Chiffl. Sirl.*). S. Theodosiæ, mart. (*Prol.*).

† Pachomii (*CP. Hier.*). † Hilarionis, mon. (*Neap.*). † Philippi Argyrii, mon. (*Itg.*).

OBSERVANDA.

DIES XI MAII.

OBSERVANDA.

Natalis CPolcos.

In Græcis codicibus fit commemoratio exstructæ urbis his verbis aut similibus : ἡ μνήμη τοῦ γενεθλιου τῆς πόλεως; quod synaxarista Ostromiranus reddidit modo prorsus inaudito : *Memoria sancti Genethlii et multorum.* Similibus erroribus fœdatus est totus fere mensis Maius cod. Ostromirani. *Zosiam et conjugem Hesperii* pro Zoe conjuge, *Gaimidum* pro Gaio et Mida, *Dmitradnactem* pro Demetrio et Danacte retulimus suo quemque die; mox referetur ex eodem fonte *Memoriam sanctorum Basilii, Constantini et Helenæ*, pro *memoria sanctorum imperatorum* (βασιλεων) *Const. et Helenæ.* Hinc pronum est concludere, Gregorio diacono, qui codicem exaravit, præluxisse protypon aliquod Græcum diversum a Menologio Basilii et nonnihil corruptum. Nam præterquam quod in Menologio nulla fiat mentio SS. Aphrodisii, Gai, Meldæ seu Midæ, Demetrii et Danactis hoc mense, etiam encænia urbis annuntiantur paulo aliter ac in Ostromirano : ἡ ἀνάμνησις τοῦ γενέθλιου τῆς Κωνσταντινοπόλεως. In Ternob. refertur *memoria geneseos (bytia) urbis regiæ*, non secus ac in CPolitano Morcellii : εἰς το γενεθλιον της πολεως. Mst. addit : *Benevolentia Dei spiritualiter agimus memoriam regiæ urbis a Deo servatæ.* Cæterum *Natale* usurpatur de quacumque festivitate; natale reditus, natale cathedræ, calicis, templi, imo dicitur natale terræ motus γενεσια σεισμου. Novæ urbis CPolitanæ dedicationem Græci vocant γενεθλια seu ἐγκαινια, natalitium diem; quem celebratam fuisse XI Maii, anno vigesimo quinto Constantini, tradit Hesychius Milesius, apud Cangium CP. Christianæ, lib. I, pag. 27. In Prologo : *encænia regiæ urbis.* In Menologio excuso inscribitur post SS. Cyrillum et Methodium his verbis : *Eadem die commemoratio encæniorum regiæ urbis, quando nimirum magnus imperator Constantinus Byzantium valde ampliavit et suo nomine Constantinopolim dixit, sedeque sua e veteri Roma in eam translata, novam Romam vocari jussit, atque SS. Deiparæ patrocinio dicavit.* Hæc in codicibus Ecclesiæ Mosquensis; at in Horologio Ruthenorum catholicorum festivitas hæc omnino prætermissa est. — Undecima Maii solemnis recolitur memoria SS. Cyrilli et Methodii apud Slavos in oriente et meridie degentes, puta Russos, Bulgaros et Serbos. Cur autem hanc diem elegerint difficile dictu est; id tamen antiquitus factum esse testantur Menologia Slavonica ævi remotioris. Quorum exemplo hodiernum quoque Menologium, Mosquæ excusum, continet *vitam et labores venerabilium patrum nostrorum, Methodii et Constantini, qui et Cyrillus, Moraviæ episcoporum et Slavicæ gentis doctorum.* Incipit vero his verbis : *Tempore iconoclastarum Græciæ imperatorum, Leonis Armeni et Michaelis Trauli, ejus successoris, qui et Balbus cognominatur, item Theophili, filii Michaelis, erat Solunæ (civitas eadem est ac Thessalonica) vir quidam nobilis et dives, Leo nomine* et reliqua. Collegisse hanc Vitam dicitur auctor ex pluribus Vitis manuscriptis; imo non aliud est quam quæ legenda vocari solet pannonica S. Cyrilli, slavonice excusa curis cl. Josephi Schafarik, latine vero hactenus a nemine. Eidem quædam admixta sunt ex legenda pannonica S. Methodii, quam edidit slavonice idem Schafarik, latinitate autem donavit Fr. Miklosich, slavicarum litterarum in Universitate Vindobonensi professor. Quæ autem in Menologio excuso de SS. Cyrillo et Methodio leguntur, ea fortuito casu nactus, in suum Nestorem, capite decimo, invexit Schlœzerus, nullo prorsus instituto examine; quo tamen potissimum indigebat legenda S. Cyrilli, quum plurima contineat non nisi sobrie admittenda. Ejusmodi sane est iter saracenum et disputationes theologicæ, cum Saracenis et Hebræis a S. Cyrillo institutæ atque prolixo calamo exaratæ; quæ tamen a Schlœzero vero longe similiora esse pronuntiantur, quam res in legenda Italica de translatione corporis S. Clementis aut in Bohemica de conversione Bohemorum contentæ, scilicet quia hæc e fontibus scatebant Latinis adeoque scriptori catholicis infenso parum gratæ. Quamvis debilem esse Menologii Mosquensis auctoritatem persuasum sibi habebit, quivis in rebus hagiologicis non omnino peregrinus; SS. Cyrillum et Methodium nec inter Khozaros, nec apud Bulgaros, nec in Bohemia fuisse unquam, decretorie, ut solet, pronuntiat idem Schlœzerus, Menologii Mosquensis testimonio unice innixus; in Moraviam autem Constantinopoli perrexisse per Chersonesum, hodiernam Crimeam, id valde probabile esse censet, ut nihil dicatur de aliis ejusmodi commentis, quibus caput illud Nestoris decimum refertum est, quantumvis jactitet auctor illud summa qua potuit cura fuisse confectum; sed plura expendere non est hujus loci. In *Prologo* annuntiatur ad hanc eamdem diem *memoria venerabilis patris nostri Methodii, episcopi Moraviæ et Russiæ doctoris*, accedente sequenti Synaxario, quod, quia breve est et singulare, ex integro huc referre placet : *Venerabilis pater noster Methodius natus est Thessalonicæ a parentibus nobilibus et copiosis, Leone et Maria. A juventute sua in librorum scientia admodum erat versatus, corporisque viribus pollens; imperatori quoque innotuit, coram quo adstabat semper. Dum autem annum ageret duodecimum, Slavorum principatum obtinuit, inter quos toto decennio commoratus est ac linguam Slavonicam didicit literasque Slavonicas cum fratre suo Cyrillo composuit. Tum brevitatem vitæ præsentis secum reputans atque cum pœnarum quæ peccatores manent duratione conferens, timore Dei tactus, dignitatem principis abdicavit ultro, atque in montem Olympum profectus monachi habitum induit. Quadam autem die imperator misit fratrem ejus Cyrillum ad Khozaros, ut Hebræos disputando convinceret et faceret inde extorres : fuerant enim Khozari Hebræorum religionem amplexi. Adiit ille Methodium fratrem suum, qui linguam Slavonicam callebat; utque sese comitaretur impetravit. Peragrata itaque regione universa, omnes incolas ad veram religionem pertraxerunt, Hebræis profligatis. Tunc flagitare cœperunt Slaveni baptismum, Khozari doctorem, Moravi episcopum, Vlachi magistrum; rediitque Methodius Constantinopolim, et in episcopum a patriarcha unctus est, ac ad Moravos missus, ubi multis signis inclaruit. Zambrium quemdam, natione Khozarum, religione vero hæreticum, qui Christi fidem blasphemebat, publice falsitatis convicit. Indixerat nempe Moravorum princeps concilium, ad quod convenerunt Judæorum duo millia, duce Zambrio; Methodius autem venit solus. Et oppugnabant illi fidem christianam; quos omnes athleta egregius, Methodius, prophetarum et apostolorum enuntiatis, velut bino jaculorum genere armatus, obruit et devicit. Contigitque tunc signum magnum: crepuit Zambrius medius, Sedislaum vero deglutivit terra; cæteri aut igne combusti sunt, aut fuga salutem petierunt. Christiani autem jubilabant, et Methodio imposuerunt nomen* Os Christi. *Qui vitæ cursu completo in senectute bona migravit ad Deum.* Hactenus *Synaxarium*, cujus auctorem esse Russum produnt titulus et totius narrationis tenor. — In eodem Prologo commemoratur S. Theodosia, *protomartyr*, cujus synaxis peragi dicitur in monasterio Dexiocratico ibique sacrum ejus corpus asservari. Ita Prologus ad hanc diem, et iterum ad 18; at in Menologio excuso et Macarii manuscripto sanctæ hujus martyris pro cultu imaginum passæ mentio fit ad diem 19.

SS. Cyrillus et Methodius, Slavorum Apostoli.

S. Theodosia, martyr.

DIES XII.

DIES XII.

Ex Ostromirano. S. EPIPHANII (*Omnes cum Bas. Sirm. Dom. Flor. Maz. Hier. CP. Neap. GP. Coisl. Vind. Mosq. Goth. Med.*).

Ex variis. S. Germani, arch. CP. (*Mst. Rum. Chil. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Sirl. Sirm. Maz. Med. Hier. GP. Flor.*). S. Sabini, archiep. Cypri (*Prol. Kal.*). S. Polybii, ep. Rhinocyri (*Prol. Kal.*). Dedicatio ecclesiæ S. Deiparæ Kioviensis (*Rum.*). Dionysii, archim. RadoneženSis (*Hag.*).

† Parmenæ, ex 70, et Euthaliæ (*Mg.*). † Cointi seu Quinti et Troadii (*Mg.*). † Andronici et Athanasiæ (*Mg.*). † Theodoreti, presb. Antiocheni (*Mg.*). † Georgii in monte Maleo (*Sirm. Chifft.*). † Nicephori, presb. in monast. Aphaxeos (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Epiphanius. S. Epiphanium, Cypri episcopum, tot scriptis illustrem, celebrant hoc die Kalendaria Græca pariter ac Latina fere universa. Accedunt in Slavicis encomia, quorum unum notabimus, in Menologio Mosquensi prolixo calamo exaratum, atque ex Vita Epiphanii, auctoribus SS. Polubio et Sabino, quæ germana non est, depromptum. Mirandum itaque erat, nihil de tanto viro tradi in Kalendario Ostromiri; verum non omnis Epiphanii memoria ibidem expuncta; nam in epilogo diserte asserit Gregorius, diaconus, codicem a se absolutum fuisse 12 *Maii quo fit memoria S. Epiphanii.* Quam propterea in titulo diei nil dubius statui inscribendam. In CPolitano, post S. Epiphanium Cypri, additur *και λοιπων πατριαρχων, et cæterorum patriarcharum,* puta Constantiensium; de quo titulo recolantur dicta ab eruditissimo Morcellio in suis commentariis diurnis, t. II, pag. 104. Perperam tamen in Goth. et Mosq. S. Epiphanius vocatur archiep. Constantinopolitanus. — S. Epiphanio, archiepiscopo Cypri, fasti plerique addunt S. Germanum patriarcham CPolitanum. Tacent tamen duo Kalendaria omnium antiquissima, Neapolitanum marmoreum et CPolitanum a Morcellio vulgatum, quorum posterius decem tantum annis S. Germani obitus præcessisse putatur. Obiit autem S. Patriarcha anno 730. — Celebrata est dedicatio B. M. Kioviensis, tempore S. Vladimiri, qui primus e regibus Russis fidem Christi publice est professus. — Dionysium RadoneženSem refert hodie Diction. hagiologicum; licet autem vitam ejus fuse narrent auctores indigenæ recentiores, nos tamen cum antiquioribus silentio præterire malumus. Adeantur, si lubet, *Vitæ SS.* Ecclesiæ Russicæ, quas ex codd. mss. se excerpisse dicit Muravjev.

S. Germanus.

Dedicacio Ecclesiæ B. M. Kioviæ. Dionysius.

DIES XIII.

Ostromiranum. VACAT.

Ex variis. S. Glyceriæ, virg. et mart. (*Mst. Rum. Siš. Og. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Hier. GP. Flor. Coisl. Sirl. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Alexandri, mart. Romani (*Put. Par. I. Rum. Hor. Prol. cum Bas. Hier. Med. Taur. Sirm. Dom. Goth. Msq. Vind.*). S. Pausicaci seu Pausiaci, ep. Synnadarum (*Prol. Kal. cum Bas. Maz. Mg. Sirm.*). S. Alexandri, ep. Tiberianorum (*Med. Chifft.*). S. Sergii seu Georgii, confes. CPoli (*Rum. Men. Prol. Verš. cum Bas. Sirl. Mg. Sirm. Maz.*). SS. MM. Heraclii, Paulini et Venedimi (*Prol.*). SS. Joannis, Euthymii et Georgii Iberorum (*Ath.*). [Gabrielis Iberi et aliorum (*Ath.*).]

† Germani, episc. CP. (*Itg.*). † Polybii, ep. (*Neap.*). † Nicephori, presb. in monast. Aphaxeos (*Taur. I. Chifft. Sirm.*). † Laodicii, custodis carceris, mart. (*Chifft.*).

OBSERVANDA.

S. Glyceria. In Kalendario Mosquensi S. Glyceria nominatur bis eodem die, et quidem prima vice sola, secunda cum Laodicio custode carceris et martyrii socio. Unam eamdemque esse non dubites. In

S. Alexander uterque. Coisl. n. 199 perperam dicitur *Asceria.* — S. Alexander, martyr, natione Romanus, cujus festum celebrari dicitur Centumcellis, in Horologio Počajoviæ vocatur Cyprius, probabiliter corrupto nomine Drisipari, ubi capite truncatus et in flumen præterlabens projectus coronam promeruit; non absimili corruptela nominatur *Dioriparus* apud Sirletum. Cæterum, probe distinguendus est ab altero Alexandro, episcopo Tiberianorum, alias Hierosolymorum; uterque fæde miscetur in Med. —

S. Heraclius et soc. De S. Heraclio martyre et sociis ejus iterum agetur in Prologo die XVIII simul cum SS. MM. Petro, Dionysio, Andrea, Paulo et Christina; quo inscribuntur etiam in Menologio Mosquensi; in

S. Germanus, patr. CP. Sirletiano referuntur die XVI. — S. Germanus, patr. CPolitanus, cujus natale recolitur pridie, refertur in solo Martyrologio Italo-Græco, a quo

S. Georgius seu Sergius. etiam adseritur Ordini S. Basilii. — S. Sergium, confessorem, qui pro cultu sanctarum imaginum sub Theophilo, imperatore, verbera et carcerem passus est, consignant Menæa Græca; at in Prologo et Menol. Slavonico nominatur Georgius; unum eumdemque esse manifestum faciunt synaxaria adjecta. — S. Polybium, episcopum Rhynocyri, Slavica Kalendaria commemorant die præcedenti, simul cum S. Epiphanio, cujus erat discipulus; Græca hodie et die proxime sequenti. — Frustra a me quæsitus est Nicephorus in Actis SS., licet diserte indicetur in veteri apographo Bollandianorum ms.; non videtur esse diversus a presbytero illo anonymo monasterii Aphapseos, quem refert synaxarium Sirmundi. — De Joanne, Euthymio et Georgio agetur 30 Junii, quamvis in Monte Atho eorum memoria recolatur præsenti die quo Euthymius obiit. De Gabriele aliisque, qui tempore Michaelis Palæologi a patr. Becco passi fuisse dicuntur, recolantur quæ ad 4 Januarii de istiusmodi martyribus Montis Atho animadvertimus. Erat porro Gabriel, monachus monasterii Iberorum, quod fundaverant Joannes, Euthymius et Georgius.

S. Polybius.

S. Nicephorus.

SS. Joannes, Euthymius, Georgius.

Gabriel Iberus.

DIES XIV.

Dies XIV et XV Maii.

DIES XIV.

Ex Ostromiranno. Passio sancti Isidori (*Omnes cum Bas. CP. Hier. GP. Vind. Coisl. Flor. Sirm. Maz. Dom. Sirl. Mg.*). S. Pachomii.

Ex variis. S. Maximi, mart. (*Rum. Prol. Kal. cum Bas. Maz. Sirl. Sirm. Chiffl.*). Isidori Sali, Rostoviensis (*Pp. Prol. Men. Kal.*). S. Serapionis Sindonitæ (*Men. Verš. Prol.*).

† MM. Alexandri, Barbari et Coluthi (*Clar. Chiffl. Med. Maz. Dom.*). † Polybii, discip. S. Epiphanii (*Taur. I et II, Dom. Maz.*). † Gerasimi, mon. in Calabria (*Itg.*). † Therapontis, ep. in Cypro (*Mg.*) † M. Glyceriæ (*Goth. Msq.*). † Bonifacii, mart. (*Neap.*). † Deiparæ Diaconissæ (*Taur. I et II*).

OBSERVANDA.

S. Isidorus, mart. In Synaxario pervetusto Putiatæ Novgorodensis Isidorus cognominatur: *archiepiscopus Otski*, quasi hic martyr fuisset antistes Ecclesiæ *Otiensis*. Manifesta corruptela est vocis *Option.* — Est Magnus

S. Pachomius. ille Pachomius, de quo recentiora synaxaria fere omnia agunt 15 Maii, Latini vero hodie. — In Prologo excuso legitur: *Eadem die homilia de*

S. Serapio. *Serapione sene*, ubi narratur solo sindone indutum circumivisse ubique, unde et cognomen *Sindonitæ* accepit; at in Menologio legitur ad hanc diem ejus Vita, ex Palladio desumpta; unde concludendum est, præsentem diem esse cultui ejus dicatam. — S. Alexander nominatur junctim cum Barbaro et Colutho; an diversus sit ab Alexandro Romano, qui commemoratus est pridie, non liquet plane. — S. Coluthus iterum refertur ad XIX in Bas. et in Menæis Slavicis et Græcis, sed solus. In Mediol. additur: quorum synaxis peragitur in S. Irenes æde *Maritima* (πρὸς θάλασσαν); de qua ecclesia est actum ad 21 Januarii. — Ædis SS. Deiparæ Diaconissæ dictæ mentionem facit Cangius, IV, p. 87.

S. Alexander, martyr. *S. Coluthus.* *SS. Deiparæ Diaconissæ.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Isidorus, Rostoviensis. Isidorus, cognomento Tverdislaus, Germania e nobili Meisterorum genere oriundus, et in religione catholica institutus, ut fatuus pro Christo fieret, paternam domum, insciis parentibus, reliquit, et orientem versus profectus, pluribus regionibus peragratis, in Russiam tandem venit, sedemque Rostoviæ fixit, ritu romano cum græco-russico commutato, non vero fide, ut autumant auctores indigenæ. Innovavit nimirum eo tempore Ecclesiarum unionem celeberrimus semperque memorandus Isidorus, metropolita Kioviensis, deinceps cardinalis. Porro degit Tverdislaus in tuguriolo vimineo, quod non modo omni suppellectili destitutum, sed et tecto vacuum erat. Ibi noctes integras orationi vacabat aut somnum humi capiebat pluviis nivibusque expositus; die vero per urbem ambulabat veste tenuissima indutus, hominumque contumeliis obnoxius. Tandem resolutionis suæ tempus adesse sentiens, jejunio et precibus solito magis indulsit, et, tuguriolo inclusus, ad æternam requiem migravit die 14 maii, anno 1474, in hæc verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*. Beati mortem evulgavit suavissimus odor e corpore manans et universam implens civitatem. Venientes itaque fideles, Isidori corpus terræ condiderunt eo ipso loco, ubi obierat. Ecclesiam ibidem dein superstruxerunt.

Cfr 1) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 124.

DIES XV.

Ostromiranum. Vacat.

Ex variis. S. Pachomii Magni (*Mst. et cæteri fere omnes, cum Bas. Sirl. Sirm. Dom. Maz. Mg. Hier. GP. Pg. Goth. Msq. Vind. Flor.*). S. Theodori Consecrati, ejus discipuli (*Mst. Put. Men. Rum. Siš. Men. cum Bas. Sirl Maz. Hier. GP. Vind.*). S. Achillei, ep. Larissæ (*Par. Rum. Kal. Prol. cum Bas. Sirl. Mg. Sirm. Dom.*). S. Nicolai, patr. CPolitani (*Rum. cum Med. Taur. II, Sirm.*). S. Isaiæ, ep. Rostoviensi. (*Prol. Men. Pat. Pp. Kal.*). Demetrii Uglicensis (*Men. Prol. Kal.*). [Euphrosyni, Pscoviensis (*Prol. Men. Kal.*].

† MM. Abdæ, Abdijesu, ep. et 16 presbyterorum et 7 virginum e terra Khaskhar (*Med. Sirm. Taur. II, Chiffl. Dom. Maz.*). † Barbari, thaum. (*Flor.*). † Anastasiæ Latrensis (*Coisl.*). † MM. Heraclii, Paulini et Benedicti seu Venedimi (*Bas. Dom. Maz. Med. Chiffl. Taur. II*). † MM. Petri, Pauli, Andreæ, Dionysii et Christinæ (*Bas. Med. Taur. II*). † Pueri Lampsaci, mart. (*Chiffl.*). † MM. Simeonis, Isacii et Bachtisii, soc. (*Bas. Med. Taur. II, Sirm.*). † Deiparæ περαν ἐν τῳ περιτειχισματι (*Sirm.*). † Imaginis B. V in Camulianis (*Med. Sirm. Taur. II*). † Georgii, ep. Mytilenæ (*Sirl.*). † Zachariæ, proph. (*Neap.*). S. Alexandri, ep. Hierosol. (*Sirl.*). † SS. Patrum in mon. S. Sabæ occisorum (*Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Achilleus. In Rum. legitur: *Theodori, Ilarissæ, Pachomii, Nicolai*. Ubi probabilissime inter Theodorum et Ilarissam excidit nomen Achillei, cum nulla sancta Hilarissa inveniatur, Achilleus vero fuerit

S. Theodorus Consecratus. episcopus Larissæ. — S. Theodorus Consecratus profertur ab aliis die sequenti. — S. Nicolaus est

S. Nicolaus, patr. CP. patriarcha CP. cognomento Mysticus, qui non uno occurrit die; in Div. XIV, in Taur. et Mazar. XVII, in Par. Slavico XX, etc. De eo fuse tractant Bollandiani, XV Maii, p. 509, probantque S. Nicolaum obiisse hoc die, anno 925. — Exstant ecclesiæ Demetrio, Uglicensi principi, dicatæ, teste Kal. Mosq. pag. 272. Cfr. *Disquisitio de obitu principis Demetrii*, auctore Philareto, nunc archiep. Kharcoviensi, in Prælectionibus Soc. hist. Mosq. an. 1858, t. I, pag. 1 et seq. Plura dabunt Memoriæ Slavicæ. — S. Heraclius et socii ejus occurrunt etiam tribus subsequentibus diebus, unde iterum perspicuum fit, quanta ex hac iteratione exoriri debuerit in Synaxariis confusio. Ædem B. V. περαν ἐν τῳ περιτειχισματι apud Cangium non reperi. — S. Alexander vulgo celebratur 12 Decembris.

Demetrius Uglicensis. *S. Heraclius et soc.* *SS. Deipara.* *S. Alexander, ep. Hierosol.*

MEMORIÆ

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Isaias, episcopus Rostoviæ et thaum.

Kioviæ natus, Isaias monachus Cryptensis fuit tempore Antonii et Theodosii. Ob sanctos mores et eximiam pietatem monasterio S. Demetrii Kioviensi præfectus est anno 1062, ac tandem ad sedem Rostoviensem evectus anno 1077. Ecclesiam suam zelo vere apostolico excolebat, et innumeras animas Christo Domino genuit. Regiones sibi subditas lustravit gnaviter; idola, ubicunque reperiebantur, igni tradidit, baptizavit alios, alios recenter baptizatos in fide consolidavit, omnes vero misericordiæ operibus sibi devinxit. Demum christiana religione, quam etiam miraculis comprobavit per universam diœcesim omnino implantata, ad vineæ Dominum migravit anno 1090, die 15 maii, sanctorum cultu jam exeunte sæculo undecimo a Rostoviensibus honoratus. Sacræ ejus reliquiæ, anno 1160 vel 1164 die 23 ejusdem mensis repertæ, in ecclesia cathedrali Rostoviæ solemni pompa fuerunt collocatæ, peculiari festivitate in memoriam hujus inventionis instituta.

Cfr 1) Nestor in Vita S. Theodosii. 2) Annales ejusdem, pag. 89. 3) Annales Nicon., II, pag. 191. 4) Vita auct. anon., in Colloq. Orthod., an. 1858, mens. Mart., pag. 412-450. 5) Macarius, Hist. Eccl. Russ., II. 16, 77 et 274. 6) Prolog. Menol. et Verš. ad h. d. 7) Dict. hag., pag. 124. 8) Kulčin., Specimen, pag. 21.

Euphrosynus, monachus Pscoviensis.

Euphrosynus, in baptismo Eleazarus, in vico Videlebensi prope Pscoviam urbem, piis parentibus ortus est circa anno 1386. Sacras litteras mature didicit, eisque legendis et recogitandis, addita abstinentia, potius quam ludis aliisve carnis oblectamentis indulsit. Continentiam adeo coluit, ut parentes, matrimonio eum adstringere volentes, clam reliquerit, vitamque monasticam, jampridem desideratam, amplexus sit in cœnobio Suiatogorio, triginta chiliometra ab urbe dissito. Cum autem virtutum ejus fama late permanaret, ut hominum applausus fugeret, in eremum secessit anno 1447, et ad Talvam fluvium per aliquod tempus eremitarum instar degit in parvulo tuguriolo, carnem jejuniis et vigiliis domans. Postmodum, adjunctis sibi sociis, ecclesiam titulo SS. Basilii, Gregorii et Joannis Chrysostomi, ab eisdem in somniis præmonitus, excitavit, et monasterium instituit, quod tamen regere præ humilitate renuit. Ipse vero regulam monasticam adumbravit, ex triginta capitibus constantem, quam in magnum suum Menologium inseruit Macarius, metropolita; nec non et testamentum reliquit, in quo paupertatis studium imprimis commendatur. Utrum vero CPolim profectus fuerit, quorumdam dubiorum solvendorum causa, dubitatur. Obiit Euphrosynus, anno 1481, die 15 maii, in monasterio suo conditus. Defuncti vitam enarravit Basilius quidam, Eleazari coævus, et alius auctor hactenus deperditus.

Cfr 1) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d. 2) Colloq. Orthod., an. 1860, mensis Augusti. 3) Philaret., Prospect. liter., nº 101.

Demetrius, princeps Uglicensis.

Demetrius, quem Ecclesia Græco-Russica tanquam martyrem veneratur, filius fuit Joannis IV, cognomento Terribilis, frater vero Theodori natu minor, in lucem editus anno 1584. Nondum biennis patre orbatus, Ugliciam, Mosquæ proximam, cum matre sua mittitur educandus, Theodoro thronum ascendente. At non diu inter vivos morari datum fuit parvulo Demetrio. Nam cum Theodorus procreandæ prolis non esset capax, insuper et ægritudine consumptus brevi mori speraretur, Borisus vero Godunovius, magister equitum, regno inhiaret, jamque favore sororis suæ, quam Theodoro in uxorem dederat, summum rerum arbitrium esset consecutus, ut thronum securius occupare posset, Demetrium futurum imperii hæredem e medio tollere constituit. Itaque sicarios ad castrum Uglicense clam submittit, ut insontem puerum immaniter necent, die 15 maii, anno 1591. Corpus Demetrii, Ugliciæ conditum, inde Mosquam transtulit patriarcha Philaretus, anno 1606, die 3 junii; qua secundo colitur. Habet officium cum duplici canone.

Cfr 1) Menol. et Veršinski ad hunc diem et ad 3 Junii. 2) Kulčinski, pag. 295. 3) Philaret., De morte Demetrii Uglicensis disquisitio. 4) Soloviev, Hist. Russ., t. VII, pag. 412 et seq.

DIES XVI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Georgii, ep. Mytilenæ (*Mst. Rum. Siš. Chil. Kal. Prol. cum Bas. Mg. Clar. Dom. Maz. GP.*). S. Theodori Sanctificati (*Chil. Og. Pp. Men. Euch. Kal. Hor. cum Coisl. Flor. Maz. Mg.*). S. Zachariæ, patris S. Joannis Baptistæ (*Put. Tern.*). S. Alexandri, ep. Hierosolymorum (*Rum. cum Med. Dom. Maz. Taur. I et II, Mg.*). SS. MM. Arcadii et soc. (*Par.*). S. Musæ, puellæ (*Men. Prol.*). Translatio corporis Ephremi Perecomensis (*Ps. Pp. Kal.*). SS. MM. Viti, Modesti et Crescentis, (*Kal. Hor.*).

† Zachariæ, unius e 16 prophetis (*Hier. Sirm. Vind.*). † Patricii (*Msq. Goth.*). † MM. Abdæ, Abdiesu, episc. in Perside et XXVIII soc. (*Bas. Mg. Taur. I, Chiffl. Sirm.*). † MM. quadraginta quatuor in monast. S. Sabæ (*Mg. Sirm. Chiffl. Dom. Maz.*). † Euphemiæ, prope sinum Neorii (*Mg. Sirm. Chiffl. Maz. Dom.*). † MM. Simeonis, Isacii et Bachtisii (*Taur. I, Chiffl. Mg.*). † MM. Heraclii, Paulini, Venedimi (*Sirm. Maz. Med. Taur. I*). † Nicolai, patr. CPolitani (*Taur. I*). † Apparitio imaginis non manufactæ B. V. in Camulianis (*Med. Taur. I*). † MM. Theognii, Agapii et Pisti (*Sirm. Chiffl.*). † Neadii, thaum. (*Sirm. Chiffl. Dom. Maz.*). † Judæ, apost., fratris Jacobi (*Med. Taur. I et II, Sirm.*). † Petri Blachernitæ, mart. (*Chiffl.*). † Papylini, mart. (*Chiffl.*).

DIES XVII MAII.

OBSERVANDA.

S. Theodorus Sanctificatus.

Recentiora Kalendaria et Menologia referunt primo loco S. Theodorum, cognomento *Sanctificatum* dictum. Cujus cognominis ratio recte indicatur in Menologio Basilii his verbis : *S. P. N. Theodorus, propter sanctitatem ac puritatem sanctificati nomen adeptus, ab infantia Deum amavit* et reliqua; et paulo inferius : *S. Pachomio ejusque sanctis sociis contubernalis fuit et moribus similis apparuit. Unde et magnam ἡγιασμένου, hoc est sanctificati, appellationem promeruit.* At juxta Moscorum Kalendarium magnum, teste Menol. Mosquensi, *ideo sanctificatus dicitur, quod mater ejus, cum eum in utero concepissit, stellam in somniis viderit perfulgidam in uterum suum de cælo descendentem; quo infantulus a ventre matris sui a Deo electus et Spiritus Sancti gratia sanctificatus esse significaretur. Visio ista*, pergit Menologium, *ignota est Metaphrastæ et aliis Codd. Græcis; tacetur quoque in Menologio Majore Macarii et in Prologo; magisque convenire videtur S. Theodoro Syceotæ; propterea expuncta est ex Vita et ad calcem diei inter adnotanda rejecta. Sanctificati* autem cognomen acceperit S. Theodorus, si credamus Menologio, *ideo quia inter monachos cœnobii Tabenisensis, ubi morabatur, ad sacerdotium evectus fuerit omnium primus.* Verum S. Theodorum presbyterum fuisse, nuspiam legitur. — Duos Zacharias commemorari hoc die indubia res est : nam in cod. Novgorodensi Putiatæ, qui sæculo x vel xi exaratus fuisse putatur, diserte legitur : *canon sancti prophetæ Zachariæ, patris Joannis Baptistæ.* Zachariæ vero, *unius e sexdecim prophetis*, non minus aperte meminit cod. Hierosolymitanus sæc. x et Sirmundianus in supplemento; quibus accensendus est Vindobonensis; hic enim licet referat solum nomen *Zachariæ, prophetæ*, tamen adjectam habet lectio Evangelicam, quæ omnino convenit cum lectione ad diem 8 Februarii, S. Zachariæ uni e duodecim minoribus prophetis, ut vidimus, sacram. Difficultatem parit cod. Ternobiensis, in quo fit simplex commemoratio *sancti Zachariæ, prophetæ*, sine alio titulo aut additamento qualicunque; eodem scilicet modo quo inscriptus est ibidem ad 8 Februarii et ad 5 Septembris; jam vero utrique sancto titulus prophetæ communis est et æque convenit. — Simile dubium movet Kalendar. Neapolitanum a nobis citatum ad diem præteritum; quamvis enim cl. Mazochius statuerit intelligendum esse S. Zachariam, *undecimum e prophetis minoribus*, id tamen ex sola inscriptione marmori insculpta minime sequitur. Decimo quinto diei affixus est, juxta Mazochium, quia hodiernus festo S. Restitutæ, virginis, impeditur, quæ apud Neapolitanos et proximos insulanos celeberrima est. In Supplemento Sirmundi et in Chiffl. additur : *de quo scriptum ad 8 februarii.* — Petrus Blachernita martyrii palmam CPoli promeruit, anno 761, una cum S. Andrea Cretensi, dicto in Crisi. De eo plura reperiet lector in Actis SS. ad hunc diem, pag. 926 et etiam Oct.. tom. VIII, pag. 429. — In Taur. et Sirm. numerantur socii S. Abdæ viginti tres, quorum 16 sacerdotes et 7 virgines; de quibus omnibus opportunius dicetur ad diem proxime sequentem. — *S. Euphemiæ celebritas ad navale portus CPoli ob sanctam virtutem*, seu miracula, indicatur ex mss. Synaxariis et Menæis Græcis apud Bollandianos, pag. 560; et iterum ad diem 16 Septembris, sanctæ huic martyri sacram. At in Menæis Græcorum excusis, editione antiquiore (nam in recentiore deest), celebritas ista agi dicitur juxta *sinum Neorii* (Neorium sinui Ceratico CPoli adjacebat), ad S. Virtutem, εἰς ἁγίαν Δυναμιν, id est Christi, qui est virtus. Qua de re consulatur omnino Cangius in sua CPoli Christiana, l. iv, pag. 82 et 146.

S. Zacharias, uterque.

S. Petrus Blachernita.

S. Abda, mart. et soc.

S. Euphemia.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Ephræm Perecomensis.

Eximiæ abstinentiæ et mansuetudinis signa a puero dedit Ephræm, a baptismo Eustathius, Kašini natus. Quia vero solitariam vitam adamavit, ut voti compos fieret, parentibus Simone et Anna relictis, in Colazinense monasterium sese abdidit, quin et ipsis parentibus monasticum institutum profiteri feliciter persuasit. Triennio peracto, ad Sabbam Višerensem cælitus (ut ferunt), destinatur Eustathius, tunc annos 15 natus, tonsuraque ab eodem recepta anno 1430, cellam ad lacum Ilmenum posuit. Mox advenientibus fratribus, sacris initiatur ab Euthymio, archiepiscopo Novgorodensi, ad suosque redux monasterium cum ecclesia S. Epiphaniæ fundat, et paulo post alteram titulo S. Nicolai lapideam excitat, in qua et conditus est. Obiit anno 1452, die 26 septembris. Colitur tamen die 16 Maii, qua corpus ejus in ecclesiam monasterii fuit translatum. Officio ecclesiastico colitur.

Cfr Dict. hag., pag. 111.

DIES XVII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. Andronici, apost., unius ex 70, et Juniæ (*Rum. Put. Par. I, Mst. Siš, Chil. Og. Pp. Hor. Kal. Men. Prol. etc. cum Bas. Hier. GP. Sirl. Mg. Sirm. Dom. Flor. Maz. Coisl. Vind.*). SS. MM. Solochonis, seu Solonis, Pamphamyri et Pamphalonis (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirl. Mg. Sirm. Chiffl. Maz. Dom. Hier. GP. Med.*). S. Stephani, patr. CP., fratris Leonis, imperatoris (*Prol. Leop. Kal. Hor. cum Bas. Med. Taur. I et II, Dom. Sirm. Chiffl.*).

† MM. Heraclii, Pauli, Venedimi (*Mg. Maz. Med. Taur.*). † MM. Alexandrorum duorum et Dionysiorum, Agapii, Timolai, Romuli et Plesii (*Mg.*). † Epaphroditi, ex 70 (*Med. Sirm. Dom.*). † Theodori, papæ Rom. et mart. (*Med.*). † Theodoreti, presb. Antioch. (*Med. Sirm. Maz. Dom.*). † Martiniani, eremitæ, in Areobindi (*Med.*). † MM. Petri, Andreæ, Pauli, Dionysii et Christinæ (*Chiffl.*). † Marci, evang. (*Neap.*). † Juliani, mr. (*Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Andronicus et Junia.

SS. Andronici et Juniæ meminere Kalendaria ad 22 Februarii, quando celebratur inventio reliquiarum in Eugenianis. Commemorantur insuper 30 Julii. S. Juniam feminam fuisse, non virum, consentiunt Synaxaria Græca et Slavica, contradicente solo pseudo-Dorotheo, qui in synopsi

opsi sua fecit eum episcopum Apamiæ in Syria. Idem S. Andronicum asserit fuisse Pannoniæ episcopum; imo Sirmiensem Ecclesiam rexisse, ac Sirmii sedisse constans traditio fert et pluribus expendit Farlatius, Illyrici sacri tom. I, pag. 262, confirmatque Salagius in lib. III de statu Ecclesiæ Pannonicæ. Porro S. Methodius, Moraviæ episcopus, S. Andronici successoribus adnumeratur passim; quin et in Legenda Pannonica sat antiqua dicitur Kocel, Pannoniæ inferioris dux, excepisse magno honore S. Methodium, Roma venientem, iterumque misisse ad Apostolicum cum viginti aliis, ut ordinaretur *episcopus in Pannonia, in sedem sancti Andronici*, apostoli, qui unus ex septuaginta fuit. — Nicolaum Mysticum, patriarcham CPolitanam, retulimus pridie ex Kalendariis Græcis; hodie inscriptus est in Græcis Slavicisque S. Stephanus I, frater Leonis, imperatoris, et Photii schismatici successor ab anno 886 ad annum 893; quo sancte obiit. Stephano subrogatus est Antonius Cauleas, quem excepit Nicolaus Mysticus, uterque in Sanctorum Albo insertus. Sed et aliud sanctorum patriarcharum par multo postea in Ecclesia CPolitana illuxit, Tryphon et Polyeuctus, qui anno 970 mortuus est; ut vel hinc perspectum habeat lector, Ecclesiarum unionem, a Photio disruptam, diu postea perseverasse. — SS. Epaphroditus, Julianus, Theodoritus, Theodorus et Martinianus referuntur in Taur. I et II die sequenti. — S. Theodoretus videtur esse is qui sub Juliano apostata certavit pro fide, et colitur 23 Octobris; quo gesta ejus illustravit R. P. Joseph Van Hecke. — Merito hodiernam Kalendarii Neapolitani inscriptionem miram esse pronuntiat Mazochius, quum revera ferme nullum S. Marci, evangelistæ, vestigium existat hoc die apud Græcos synaxaristas aut apud Latinos, si excipiantur tria martyrologia mss., quæ citantur a Bollandianis, non tamen ad hanc diem, uti Mazochius scripsit, sed ad proxime sequentem. Peculiare aliquod festum videtur celebratum fuisse olim in Ecclesia Neapolitana et alibi, non tamen ob passionem, quæ communiter affigitur diei 25 Aprilis; licet juxta cl. Mazochium, dies 25 fuit non consummati martyrii, sed depositionis anniversaria, ut prolixe æque ac erudite disserit in commentariis ad Acta S. Marci Græco-Latina, ad illam diem.

SS. Stephanus, patr. CP.

DIES XVIII ET XIX MAII.

SS. Epaphroditus et soc.

S. Theodoretus.

S. Marcus, evangel.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano. VACAT.

Ex variis: S. Theodoti Ancyrani, mart. et septem virg. sociarum, Thecusæ, Alexandræ, Phainæ, Euphrasiæ, Claudiæ, Matronæ et Juliæ seu Julianiæ (*Mst. Rum. Tern. Chil. Og. Pp. Prol. Kal. Leop. Hor. Men. cum Bas. Flor. Coisl. Sirl. Mg. Maz. Chiffl.*). SS. MM. Petri, Dionysii, Andreæ, Pauli et Christinæ (*Put. Leop. Par. Siš. Og. Pp. Kal. Hor. Prol. cum Dom. Hier. Vind. Flor. Sirm. Taur. I, Mg.*). SS. MM. Heraclii, Paulini et Venedimi (*Men. Put. Prol. Kal. Hor. cum Mg. Maz.*). S. Epaphroditæ, apost. (*Rum. cum Neap. Chiffl. Taur. I et II, Med.*). SS. MM. Simeonis, Isaaci et Bachtisii (*Kal. Prol.*). S. Theodosiæ, virg. et martyris (*Mst. Prol. Rum. cum Bas. Sirm.*).

† Siræ, mart. in Perside (*Laur.*). † Leonis, m. (*GP.*). † Euphrasiæ, mart. (*Chiffl. Med.*). † Juliani, mart. (*Chiffl. Dom. Sirm. Maz. Taur. I et II*). † Anastasiæ seu Anastasonis (*Chiffl.*). † Theodori, papæ Rom. (*Chiffl. Sirm. Dom. Taur. I et II*). † Martiniani (*Sirm. Med. Maz. Taur. I et II.*). † Philethæri, mart. (*Med. Dom. Maz. Hier.*). † MM. Clericorum et laicorum, sub Valente (*Sirm.*). † Amphiani et Ædesii (*Meg.*). † Arsenii Junioris, in Brutiis (*Itg.*). † Stephani, patr. CPolitani (*Taur. Sirm. Chiffl.*). † Theodoreti, presb. Antiocheni (*Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Theodotus et soc. Non omnia synaxaria æque plene referunt sanctos Martyres. In Mst. Theodotus mutatus est in Theodotam et positus ultimo loco; præterea corrupta leguntur nomina *Thecusisæ* (Θεκούσης), *Sphainisæ* (Φαεί́νης), *Euphrosiasæ* (Εὐφρασίας) pro Thecusa, Phaina et Euphrasia; omissæ quoque sunt Claudia et Julia. Solam Alexandram cum Theodotio refert Leopolitanum; Ternobiense septem virgines nominatim exhibet, tacito S. Theodoto, qui cæteroquin non hoc die martyrium consummavit, sed VII Junii, quo idcirco seorsim colitur a Græcis cultu solemniori. In Actis SS. additur S. Losander, etiam Ancyræ passus. In Rum. et Bas. fit mentio *Theodoti et* 8 *virginum*; *SS. Petrus et soc.* Ostrog. rectius indicat septenarium numerum. — In cod. Putiatiano perantiquo annuntiatur duplex martyrum turma, quarum antesignani fuerunt Petrus et Heraclius; pro *Dionysii et Christinæ* legendum esse *S. Dionysiæ, virginis valde christianæ*, aiunt Bollandiani; an recte nequeo dicere. In Par. habetur tantummodo : *S. Petri, mart.* In Hier. additur præter Dionysium S. Philetærus; apud Sirletum nominatur Theodorus, oscitantia amanuensis, pro Theodoto. — De S. Heraclio et sociis actum est die XIII; apud Sirletum pridie. Passi sunt Athenis. — S. Theodosiam martyrem CPoli, commemoravit Prologus ad diem XI; et iterum refert hodie, accedente novo elogio sanctæ, quod æque breve est et a priore parum dissimile. In Menologio ponitur ad 19 Maii. Videtur esse eadem ac S. Theodota, quæ in Mstislavico adnumeratur sociabus S. Theodoti primo loco relatis. Quod autem inscripta sit in cod. Rumiantsoviano, quamvis tacito nomine, id innuit octenarius numerus virginum, quæ cum S. Theodoto passæ esse dicuntur ibidem. — Inter has exstabat S. Euphrasia, quam distinguas oportet ab alia sancta cognomine, non Ancyræ, nec cum S. Theodoto, sed Nicææ in Bithynia sine sociis passa. — In Domin. S. Martinianus vocatur Marcus. — Non papa Romanus, sed episcopus incertæ sedis fuit S. Theodorus, Romæ martyrii coronam adeptus. Antiquitus enim papæ nomen commune exstitit omnibus episcopis, cujus rei innumera sunt exempla apud ecclesiasticos scriptores.

SS. Heraclius et soc.

S. Theodosia.

S. Euphrasia.

S. Martinianus.

S. Theodorus.

DIES XIX.

Ostromiranum. VACAT.

Ex variis. SS. MM. Patricii, ep. Prusæ et soc., Acacii, Menandri et Poliæni (*Mst. Put. Tern. Par. Rum. Siš. Og. Pp. Men. Leop. Kal. Hor. Prol. cum Bas. Neap. Mg. Flor. Sirm. Dam. Maz. Hier. Coisl.*).

S. Coluthi,

DIES XX MAII.

S. Coluthi, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Chiffl. Med. Sirm. Taur. I et II*). S. Joannis, ep. Gothi (*Prol. Kal.*). Cornelii Comelscii, thaum. (*Prol. Kal.*). Joannis, principis, qui et Ignatius, Vologdæ (*Prol. Kal.*).

† MM. Philethæri, Cyriacæ et soc. (*Bas. Sirl. Sirm. Chiffl.*). † Theotimæ, mart. (*Chiffl.*). † Zosimi (*Callip.*). † Priscillæ et soc. (*Vind.*).

OBSERVANDA.

SS. Patricius et soc.

In Kalend. Hieros. manifesto errore refertur *S. hieromartyr Petrus*, quem errorem corrigit Cod. Coisl. 199 ita : *S. Hieromart. Patricii, Prusæ cum sociis*. Quominus enim de S. Petro, martyre, qui cum SS. Dionysio, Paulo et Andrea Lampsaci in Hellesponte certarunt, intelligatur Codex Hieros., id vetat titulus hieromartyris. Quod ad S. Patricium attinet, ejus gesta egregiis commentariis illustravit Mazochius, ut plura disserere prorsus supervacaneum foret. In Menologio Mosquensi exstant Acta martyrii e græco quodam fonte hausta atque a sinceris non multum diversa; Synaxarium vero Prologi ex Menæis Græcorum excusis ex integro desumptum est. In utroque multus est sermo de ignibus subterraneis et de impiorum suppliciis ex veterum christianorum sententia, non secus ac in Synaxario Venetorum Menæorum ad 28 Aprilis. Ad hæc, tum in Menologio tum in Prologo nominantur Patricii socii tres, Acacius, Menander et Polyænus; de quibus tamen tacent Acta sincera. Porro Vesuvianos ignes a primi sæculi christianis a gehennæ promptuariis fuisse repetitos, ex inedito ad id tempus Gerasimi monachi fragmento ostendit cl. Mazochius, eademque de Vesuvio S. Patricium sensisse ex Menæis et Cedreno demonstrat. Tum, in additamentis ad mensem maium, t. III, pag. 982, postquam dixisset non modo celebratissimam illam S. Patricii concionem de ignibus subterraneis ex Georgio Hamartolo a Cedreno fuisse decerptam, sed et alia plura ex ejusdem chronico (quippe ducentis annis antiquiore) in usus suos vertisse . *Utinam,* ait, *Hamartoli hujus chronicon (quod in pluribus bibliothecis latet) in lucem protrahatur*. Qui si nostra ætate vixisset, voti compotem redderet pulcherrima chronici editio Petropolitana, quam incredibili studio et eruditione adornavit ed. Muraltus , Academia scientiarum Petropolitana typos suos impensasque liberaliter suppeditante.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Cornelius Komelscius.

Natus est Rostoviæ, patre Theodoro, viro nobili et opulento, a quo ad aulam missus, inter ephebos magnæ ducissæ Mariæ, deinceps monialis, aliquandiu moratus est. Mox tamen, aulam cum monasterio Belozerensi commutavit, factusque monachus, transcribendis libris vacabat. Tum monachorum indigenarum more, plurima monasteria invisit, ac tandem, sacerdotio a Gennadio, archiepiscopo Novgorodensi, auctus, in sylvas Komelscenses prope Vologdam sese contulit, ibique ecclesiam et hospitium ædificavit , annuente metropolita Mosquensi Simone. Monasterio absoluto, ejusque administratione duodecim sociis selectioribus commissa, iterum in solitudinem abiit cum Gennadio comite, et ad lacum Surscium alterius cœnobii jecit fundamenta, Gennadii nomine insigniti. Utrique insuper regulam dedit, ex capitibus quindecim constantem. Tandem, in prius monasterium redux, recusato hegumenatu, tanquam simplex monachus ibidem degit ad annum 1537, diem vero 9 maii, qua obiit, sanctitatis fama clarus. Cultum ejus ad universam Russiam extendit concilium Mosquense anno 1600.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag., Pag. 159.

Joannes, dux Uglicensis.

Joannes, Andreæ Uglicensis ducis et Helenæ filius, Demetrii Tanaici pronepos, sacro fonte lustratus est in Magnis Lucis. Ad annum decimum tertium mansit in domo paterna, et singulari modestia excelluit, puerilia spernens. Tum, Joannis IV jussu, simul cum parente suo et Demetrio fratre comprehensus, in vincula conjicitur Perejaslaviæ; unde in monasterium Salvatoris Vologdense translatus, diem obiit, magno schemate indutus, et accepto nomine Ignatii, postquam triginta et duos annos in exilio summa patientia peregisset, fratremque suum ad precandum pro auctoribus malorum suorum tum verbo tum exemplo erudivisset. Obiit die 19 maii, anno 1522, et tanquam sanctus ab indigenis colitur.

Cfr Dict. hag., pag. 133.

Sergius, mon. Suhtoviensis.

Eadem die commemoratur Sergius quidam monachus Suhtoviensis, anno 1609 vita functus. Verum cum de ejus cultu minime nobis constet, ideo nominasse eum hic sufficiet. Plura desideranti indicabimus Diction. hagiographicum, pag. 245.

DIES XX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Thallelæi, mart. et soc. (*Omnes cum Bas. Hier. Chiffl. Sirm. Dom. Maz. Mg. Coisl. Goth. Neap. CP. Msq. Vind. Flor. Laur.*). S. Ascalonis, seu Asclæ, mart. (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Med. Sirm. Chiffl. Maz. Taur. I et II*). Nativitas S. Nicolai (*Par. I*). Inventio corporis S. Alexii, metr. Kioviensis (*Prol. Pp. Kal.*). MM. SS. Philetæri, Cyriacæ et soc. (*Prol.*). Prima translatio reliquiarum SS. Borisi et Glebi (*Prol.*). [Dovmontis (*Hag.*). Pitirimi, ep. Permiensis (*Hag.*).] S. Marci Atheniensis, eremitæ (*Maz. Chiffl. Dom. Sirm.*).

† Alexandri et Asterii (*Chiffl.*). † Antiochii, mart., soc. S. Procopii (*Clar. Dom. Maz. Taur. I et II*). † Nicostrati, mart. (*Sirm. Dom. Taur. I et II, Maz.*). † MM. Crescentis, Pauli, Dioscoridis (*Sirm.*).

(*Sirm. Chiffl. Dom.*). † Anatolii et Salonæ (*Dom.*). † Thalassii (*Chiffl. Clar. Dom. Maz.*). † Codrati et Marcelli, mart. (*Dom. Taur.*). † Sophiæ, medicæ (*Dom. Taur. I et II*). † Theodoreti, presb. (*Div.*). † Abercii et Helenæ (*Dom.*). † Heliconidis, mart. (*Dom. Maz.*). † Maximiani, patr. CP. (*Div.*). † Dedicatio ecclesiæ Omnium Sanctorum (*Sirm.*). DIES XXI MAII.

OBSERVANDA.

S. Thallelæus et soc. In Fastis Græcis et Slavicis fere omnibus celebratur hodie gloriosa mors S. Thallelæi, megalomartyris et thaumaturgi, qui cum Alexandro et Asterio spiculatoribus Ægis in Cilicia martyrii palmam promeruit. Sane in Menologio Mosquensi disertis verbis asseritur obiisse die vigesima Maii; quod etiam in Actis Græcis legi constat. Accedit auctoritas Kalendariorum optimæ notæ quæ mire consentiunt in præfigenda huic diei nota *passionis*, qualia sunt Neapolitanum marmoreum, Bas., Sirm., Mstislavicum, Rumiantsovianum et alia. Refragatur Papebrochius, qui S. Thallelæum 23 Augusti martyrium consummasse, præsentem vero diem non passionis, sed elevati corporis diem fuisse asseverat, melioris notæ Actis innixus. (Cfr Act. SS. ad hunc diem.) Papebrochium omni scrupulo liberare conatur Mazochius, tom. II, pag. 407; adnotat insuper illam in nomine Martyris scribendo rationem, quæ in titulo usurpata est, cæteris antecellere; fit enim a θαλλος et ἐλαια, quod ramum oleæ interpreteris. — *S. Ascalon.* Cum Græco nomine Ασκλα occurrit S. Ascalon in Menæis Chiffl., Mediol., Taurin., Sirm. et Maz.; minime diversus a S. Aquila, quem corrupto nomine refert Sirletus in Menologio suo, ut palam fit ex genere martyrii indicato. Obiit nempe S. Ascalon seu Ascla ferreis pectinibus dilaniatus. Commemoratur iterum cum S. Leonida in Actis SS. MM. Thyrsi, Leucii et Philemonis, ad 14 Decembris, ubi et de Arriano, præfecto, ad fidem converso. — *S. Nicolaus.* In cod. Parisino I refertur hoc die *nativitas sancti Nicolai:* quæ lectio singularis prorsus est et cui nuspiam reperire potui secundam. Recolantur dicta ad 15 Maii, ubi ex Synax. Rumiantsoviano retulimus S. Nicolaum, patr. CP.: quem huc translatum esse reor in cod. Parisino, propter festum S. Achillii, episcopi Larissensis. Quod si verum est, Nicolaum cognomento *Mysticum* intelligendum esse patet. — *Inventio reliquiarum S. Alexii.* S. Alexium, metropolitam Kioviensem, celebravimus cum Fastis Slavicis die 12 Februarii, et iterum commemorabimus ad 5 Octobris simul cum Petro et Jona, Kioviæ metropolitis. Hodie recolitur reliquiarum ejus inventio, quam Tabulæ Græco-Mosquæ ad vivum repræsentant. Inventæ autem sunt non anno 1436, ut tradit Kulčinski, sed 1439; in ecclesiam S. Alexii nomine sacram translatæ anno 1485; tandem anno 1685 mediæ inter ædes Annuntiationis et S. Alexii fuerunt positæ. Inventionis historia fuse texitur in Prologo; ad quam remittit lectorem Menologii editor. — *S. Philetærus.* In utroque commemoratur S. *Philetærus*, martyr; quin et brevi encomio ornatur in Prologo, in Menologio vero 30 Decembris. — *SS. Borisus et Glebus.* Prima translatio reliquiarum SS. Borisi et Glebi contigit anno 1057, die 2 Maii; secunda 1115 eodem die. Cur hodie celebretur prior in Prologo, non liquet. — *Dormontes et Pitirimus.* Pitirimum, episcopum Permiensem, referunt auctores recentiores, tacente Prologo et Menologio; quod idem intelligatur de Dovmonte Pscoviensi. De utroque agent *Memoriæ Slavicæ.* — *SS. Alexander et Asterius.* SS. Alexander et Asterius memorantur in Actis S. Thallelæi, cui exstiterunt in martyrio socii. Præterea nominantur Macarius, Thallelæi præceptor, Philagrius, Timotheus, Asteronas, Theodula, Macaria aliique.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Dovmontes, dux Pscovensis. Dovmontes, qui et Domantes, christiano nomine Timotheus, magnorum Lithuaniæ ducum sanguine illustris, patria pulsus Pscoviam migravit cum trecentis familiis christianis, ibique christianæ militiæ nomen dedit anno 1266. Apud Pscovenses tantam sibi comparavit auctoritatem, ut in ducem ab eisdem fuerit assumptus, pietate non minus quam fortitudine conspicuus. Ecclesiam adire, enseque altari imposito, Deum ferventer deprecari, nec nisi assumpta sacerdotis benedictione, ensem accingere ei pugnaturo in moribus fuit. Tandem provectam nactus ætatem et contagiosa quadam lue correptus, obiit die 20 maii, anno 1299, postquam aliquot diebus ante claram de Teutonici ordinis militibus, urbem oppugnantibus, victoriam reportaverat. Conditus est in Ecclesia SS. Trinitatis, ubi hodiedum visitur sepulcrum ejus et ensis eidem appensus. Publico cultu honorari cœpit sæculo sequenti, quo prima ædes ejus nomine exstructa est. In editione Dict. hag. recentissima dicitur coli 25 Maii; at dies 20 expressa est in priore.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 97. 2) Kulčinius, Specim., pag. 313.

Pitirimus, episcopus Permiensis. Eadem die commemoratur Pitirimus, episcopus, anno 1450 circiter a paganis crudeliter interfectus. Præfuit Ecclesiæ Permiensi ordine quartus, scripsitque compendiosam vitam Alexii metropolitæ, nec non et canonem de inventis reliquiis ejusdem sancti.

DIES XXI.

Ex Ostromirano. Memoria SS. imperatorum Constantini et Helenæ, matris ejus (*Ita omnes cum Bas. Neap. Lind. et reliquis*).

Ex variis. Constantini, principis, et filiorum ejus Michaelis et Theodori, Muromiensium (*Prol. Pp. Kal.*). Cassiani, Uglicensis (*Prol. Kal.*). [Pachomii, mon., a Turcis interfecti (*Ath.*)]. Festum B. V. Vladimiriensis (*Kal.*).

† Eleutherii, mart. (*CP.*).

OBSERVANDA.

SS. Constantinus et Helena. SS. Constantino et Helenæ præmittitur in Ostromirano *Basilius*, manifesta oscitantia Gregorii diaconi, qui quum in Græco codice reperisset του ἁγιου βασιλεως Κονσταντινου και Ἡλενης, nomen Græcum regis ex appellativo fecit proprium. Similia sphalmata in hoc eodem mense non semel occurrere observavimus supra. Quod ad cultum Constantini imperatoris attinet, eum antiquitus apud Græcos et dein in Slavicis ecclesiis invaluisse, argumento sunt Fasti eorum sacri ætatis remo-

DIES XXI MAII.

tioris, qualia sunt Neapolitanum marmoreum, CPolitanum Morcellii, Basilianum, ut taceantur alia. In quibus Constantinus quoque *sancti* titulo solet ornari, non eo sensu, quo primis Ecclesiæ sæculis *sancti* vocabantur fideles, sequentibus vero episcopi et imperatores CPolitani, sed ut ea significetur sanctitatis nota, qua Ecclesia viros virtutibus insignes decoravit. Helenam scilicet non modo a Græcis, sed etiam a Romana Ecclesia ut sanctam coli neminem latet; licet hæc Constantini cultum nunquam approbarit. Sed de hoc argumento consulantur quæ viri apprime docti, Bollandiani, Assemanus, Mazochius et alii abunde conscripserunt. Illud interea notetur Constantinum non hoc die sed proxime sequenti obiisse, ac proin errasse Græcos uno die in assignando ejus festo; multo magis autem in affigendo eidem diei 21 mortem S. Helenæ ejus matris; ad hæc plura esse in Synaxariis Menologii et Prologi Slavici de SS. Helena et Constantino, quæ emendatione indigeant, quemadmodum et in Græcis.— Plurima exstant in Russia templa et sacella, præsertim Mosquæ B. Mariæ Vladimiriensi dicata; quæ recensita reperies in Kalendario Mosq. anni 1818, pag. 272. — Qui huic festo præmittuntur, Constantinus, princeps Muromiensis, et Cassianus innotescent amplius ex *Memoriis Slavicis* inferius — De S. Eleutherio nullam hodie in Fastis Græcis injici mentionem observat Morcellius (t. II, p. 113), solidamque, ut solet, de S. Martyre instituit tractationem, ut statuat hodiernum Martyrem non Persam esse, sed Byzantinum, qui nempe in Menologio Basilii martyr occubuisse dicitur in proxima Bithynia, quo baptismatis suscipiendi causa secesserat. Apud Slavos recolitur die 15 Decembris una cum S. Eleutherio, ep. Illyricorum. — Cultum exhiberi hodie Pachomio in quibusdam locis, testatur Patericon Montis Atho. Nos egimus die 5, qua a Turcis peremptum esse constat ex eodem Paterico.

Festum B. V. Vladimiriensis.

S. Eleutherius.

Pachomius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Constantinus, dux Muromiæ, ejusque filii Michael et Theodorus.

Constantinus, qui et Jaroslaus, e genere S. Vladimiri, a patre suo Sviatoslao Tchernigoviæ duce, Muromiam regendam accepit, exeunte sæculo undecimo. Porro pertinebat Muromia ad ditionem Kazanensem, eratque gentilitiis superstitionibus æque ac libertati suæ valde addicta. Quare antequam Muromiensem civitatem veniret ipse, filium suum Michaelem præmisit Constantinus legatum, qui Muromiensium animos sibi conciliaret. At illi apprehensum Michaelem morte plectunt, et extra civitatem corpus exanime projiciunt. Tunc, exercitu comparato, urbem oppugnat Constantinus, et vi occupat. Rerum semel potitus, in convertendis Muromiensibus totus fuit. Quos ut securius Christo lucraretur, nec precibus et suasioni, nec muneribus et promissis, imo nec vitæ propriæ pepercit, non semel ad mortem ideo quæsitus. Innumeros propterea sacro fonte lustrari, lustratosque excoli diligenter curavit, pluribus templis erectis, et episcopo constituto. Tandem obdormivit in Domino anno 1129, in ecclesia Annuntiationis, quam fundaverat, sepultus. Colitur ad hanc diem inventionis anniversariam, et præterea 3 Julii, conjunctim cum Basilio, Vladimiriæ et Jaroslaviæ duce.

Cfr 1) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d. 2) Macarius, Hist. Eccl. Russ., II, pag. 17-21, 275 notæ, 61 et 69. 3) Annal., I, 89, 108-109 et 131. 4) Karamzin, II, 119-120, 172. 5) Dict. hag., pag. 158 et 274.

Cassianus, Uglicensis.

Morea patria fuit Cassiano, a baptismate Constantino, nobilissima Mabnucensium principum familia oriundo. Mosquam venit cum Sophia, Palæologorum Joannis et Constantini nepti, quam Joanni III in uxorem dederat pater, Moreæ despota, nomine Thomas. Jamvero, aliis e comitatu in patriam redeuntibus, ipse in Russia permansit, ac paulo post, spretis honoribus et prædiis a magno duce sibi oblatis, divinæ majestatis servitio sese mancipare statuit. Itaque postquam apud archiepiscopum Rostoviæ Joasaphum aliquantum temporis commemoratus esset, in monasterium Therapontianum ad Lacum Album abiit, ibique tonsuram cum nomine Cassiani suscepit. Mox, relicto monasterio, cum quibusdam sociis sedem fixit ad fluvium Volgam prope Ugliciam, et ecclesiam excitavit, annuente diœceseos episcopo, Tichone. Qua ob excrescentium aquarum inundationem labefactata, novum monasterium cum templo erexit; ubi et supremum diem obiit anno 1504, die 2 octobris, provectam nactus senectutem. Colitur tamen in prædicto monasterio ad diem præsentem; quin et hodie, non 2 octobris, obiisse asseritur in editione Diction. hag. recentiore.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 145.

B. Mariæ Virginis imago Vladimiriensis.

Imago illa quam, ut tot alias, a S. Luca pictam fuisse volunt auctores indigenæ, Jerosolymis Constantinopolim advenisse dicitur anno 450, ac deinceps a patriarcha CPolitano Chrysoberga Georgio Dolgorukio, magno duci, dono data et in monasterio Vyšegorodensi collocata. Hæc retinuit aliquandiu apud Kiovienses Pirogoščæ nomen a mercatore, qui eam Constantinopoli secum advexerat. Mox, ob miraculorum famam, quæ ope imaginis cœperant patrari, ab Andrea Bogolubscio, Georgii filio, visitata, ejus jussu, Bogoluboviam primo, dein, anno scilicet 1160, Vladimiriam fuit delata, ibique in ecclesia cathedrali Assumptionis collocata. Eam veluti tutamen quoddam, quotiescunque erat pugnaturus, secum in castris ferre solebat Andreas; ejusque ope victoriam de Bulgaris Volgensibus reportatam fuisse narrant, eamque ob causam festum die prima augusti institutum. Porro mansit imago Vladimiriæ ad annum 1395, quo Mosquam fuit delata, et summa populi frequentia a metropolita Cypriano et principe Basilio excepta. Translationis memoriam agunt die 26 Augusti, quæ ideo *Festum occursus* nuncupatur, ut dicetur suo loco. Præterea, die 23 Junii, celebratur aliud festum eidem iconi sacrum, ob victoriam de Achmate Khano reportatam; et tandem hac die 21 Maii, eo quod ejusdem imaginis ope a Tartarorum Krimensium invasione tertio liberata fuisse traditur Mosqua, anno 1521. Narrant nimirum auctores indigenæ, Mahmetum Gireum, Tartarorum ducem, Mosquensia suburbia jamjam appositis ignibus combusturum, innumeras Russorum copias conspexisse qui urbem circumstarent eamque defendere

essent parati. Visione bis et ter repetita perterritus Khanus, repente in fugam se dedit, exultante præ gaudio urbe universa, atque Beatam Deiparam laudibus extollente. Triplicem suam a Tartaris liberationem celebrans Ecclesia Mosquensis canit in hunc modum : *Hodie clare festum agit inclytissima urbs Mosqua, eo quod solis auroram, scilicet mirificam iconem tuam susceperit, o Domina. Deprecare igitur Christum Deum nostrum ex te incarnatum, ut hancce urbem et civitates ac regiones christianorum universas servet ab inimicorum incursibus illæsas, animabus vero nostris salutem præbeat, quia misericors est.* Festivitas *Occursus* innovata fuit anno 1514, et ipsamet icon instaurata. Exstant præterea et aliæ plures imagines, quæ vulgo Vladimirienses nuncupantur. Dies XXII Maii.

Cfr 1) Liber Grad., lit. I, pag. 534. 2) Menolog. Verš. ad h. d. 3) Gloria B. M. V., t. III, sect. 2, pag. 32 et seq.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. Ex variis. Memoria S. Basilisci (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. Sirm. etc.*).

S. Apostoli Judæ (*Rum, cum Bas.*). [S. Callinici (*Eph.*)]. Memoria S. Melchisedec (*Prol. mss.*). Commemoratio secundæ Synodi OEcumenicæ (*Prol. Horol. Kal.*).

† Marci Atheniensis, eremitæ (*Med. Dom.*). † Nicostrati, mart. (*Med.*). † Antiochi, mart., socii S. Procopii (*Med.*). † MM. Marcelli et Codrati (*Chiffl. Med. Dom. Sirm. Maz.*). † Sophiæ, medicæ, mart. (*Chiffl. Med. Sirm. Maz.*). † Romani, abb. (*Itg.*). † Epimachi, mart. (*Laur.*). † MM. Donati, ep., Macarii, presbyteri, Theodori, diaconi, Thmui (*Laur.*).

OBSERVANDA.

S. Basiliscus. S. Basilisci et commilitonum ejus Eutropii et Cleonici meminimus ad 3 Martii, quo simul recoluntur a Græcis, dum hodie peculiari festivitate celebratur S. Basiliscus solus; quod dies præsens sancto martyri fuerit emortualis. Id diserte testatur Synaxarium Sirmundi mss., et confirmatur ex Menologio Basilii et Kalendario Neap., aliisque quam plurimis, in quibus inscribitur *certamen* vel *passio*. In Ostrom. et Mst. consignatur quidem *memoria;* at in Rum. legitur: *passio*. Quod autem in Actis apud Bollandianos editis legitur coronatus esse 21 Julii, id latino interpreti aliive interpolatori tribuendum demonstravit vir clari nominis Mazochius in diatribis ad hunc diem. Sane in Kalendariis Græco-Slavicis nullum exstat S. Basilisci vestigium ad dictum diem Julii. In Ephem. Græco-Moscis ignorantiæ pictoris tribuendus est *Callinicus*, quem ideo uncis inclusimus.

S. Melchisedec. — *Memoria S. Patris nostri Melchisedec* annuntiatur hodie in quodam Prologo ms. Musæi Rumiantsoviani, sæculi XV vel XVI, signato 321; accedente brevi synaxario, cujus exemplar Græcum habetur in Chronico Paschali. — Acta S. Epimachi martyris, diversa a Lambecianis et Coislinianis, citantur a Bandinio, p. 460. In alio codice exstat de eodem concio Athanasii Alexandrini. Apocrypha omnia et fictitia. In Menol. Bas. recolitur 30 Octobris. — S. Romanus ille est, qui S. Benedicto ministravit in specu, eumque veste monastica induit, si credas martyrologio Ordinis S. Basilii Magni. — In cod. Bibl. Laurentianæ Florentiæ, unde exscripsimus nomen S. Epimachi martyris, consignantur quoque qui ultimo loco citati sunt a nobis Donatus, Macarius et Theodorus, martyrii palmam adepti Thmui in Ægypto, seu, uti in Græco exemplari legitur, in Pothumie, ἐν Ποθμουμίῃ. Acta martyrii Græco-Latine vulgata sunt in opere Bollandiano, ad præsentem diem, a pag. 144.

S. Epimachus.

S. Romanus et soc.

S. Donatus et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Vladimirus, rex Dalmatiæ et martyr. Vladimirus, qui et Joannes, filius erat Pretislai, qui, mortuo parente suo Chvalimiro, regionem Zentam acceperat regendam, dum alii duo fratres ejus, Dragomirus Travuniæ et Cholmiæ, Miroslaus Podgoriæ præessent. Quodam vero tempore accidit, ut Miroslaus veniens, causa visendi fratrem suum Pretislaum, natu maximum, navim ascenderit, ortaque subito tempestate, perierit in lacu Scodrensi ipse et qui cum eo erant; cujus terram possedit Pretislaus Zentæque adjunxit. Post hæc genuit Pretislaus filium, quem Vladimirum vocavit, et in pace quievit, sepultus in ecclesia sanctæ Mariæ, in loco qui dicitur Gazem. Puer autem, accepto regno, crescebat decoratus omni sapientia et sanctitate. Dum adhuc esset adolescens, regnaretque in loco patris sui, invasit Dalmatiæ partes Samuel, Bulgarorum imperator ab anno 967 ad annum 1015, venitque in terras Vladimiri cum magno exercitu. Rex vero, qui vir sanctus erat, nolebatque aliquem de suis perire in bello, secessit humiliter in montem qui olim *Obliquus* dicebatur, hodie vero *Niger* appellari solet, et est difficilis accessu. Imperator itaque (sic enim vocari cœperunt Bulgariæ principes inde a tempore Samuelis, Græcorum imperatoribus infensissimi,) cernens, se regi prævalere non posse, partem sui exercitus ad montis pedem reliquit, partemque secum ducens, ad expugnandum Dulcinium oppidum perrexit. Narrat Vladimiri biographus antiquus fuisse in monte illo serpentes, quorum morsus certam læsis mortem inferrent, precibus vero beati ad Deum fusis omnem nocendi vim, quasi sine veneno essent, amisisse. Interea misit imperator nuntios Vladimiro, ut cum omnibus, qui cum eo erant, descenderet de monte; sed rex minime acquievit invasoris jussis. Præfectus autem loci istius, honorum divitiarumque studio abreptus, misit ad imperatorem legatos dicens se traditurum regem. Re cognita, rex, congregatis omnibus, qui cum eo erant, se paratum esse declaravit, animam pro omnibus ponere, et corpus sponte tradere trucidandum potius, quam ut subditos

Dies XXII Maii.

universos sineret pati, sive gladium, sive famem. Igitur omnibus valedicto, perrexit ad imperatorem, a quo continuo in exilium relegatus fuit in locum regionis Achridanæ qui vocatur Prespa; ubi et curia imperatoris erat. Imperator cum Dulcinium expugnare nullatenus valeret, ira accensus totam Dalmatiam igne ferroque devastavit ita, ut sine habitatore regio ista esse videretur; similiter et maritimas terras montanasque vastavit Samuel usque ad Jadram, et ita per Bosnam et Rasciam reversus est in sua. Vladimirus interea detinebatur in vinculis, orationi et jejuniis vacans die noctuque. Quadam autem die apparuit ei Angelus Domini, confortans eum, et nuntians quæ ei ventura erant, quomodo nimirum carcere liberandus esset et martyrii palmam accepturus. Visione angelica roboratus, rex magis ac magis orationibus incubuit et jejuniis. Quadam itaque die imperatoris filia, Cossara nomine, divino spiritu impellente, accessit ad patrem, petiitque ab eo veniam visendi captivos et pedes eorum lavandi: quod ei concessit pater libenter. Descendit itaque in carcerem Cossara, ut opus misericordiæ perficeret; cumque vidisset Vladimirum non modo forma speciosum esse, sed etiam divina prudentia plenum, ejusque humilitatem, mansuetudinem et modestiam fuisset admirata, ac sermone super mel et favum dulci refecta, condoluit juveni, et corpore et anima adeo pulchro. Et quoniam audierat eum ex regali prosapia ortum esse, adamavit eum, et a vinculis liberare continuo statuit secum. Quapropter ad imperatorem accedens, ad pedes ejus provoluta, Vladimirum regem in sponsum sibi expetivit, addens se morituram potius, quam alii nupturam. Annuit petitioni imperator, quia valde filiam diligebat, et sciebat Vladimirum esse regem; statim itaque eum jussit sibi præsentari; balneo lotum et veste regia indutum, et benigne intuens atque osculans, coram regni sui magnatibus, tradidit ei filiam suam in uxorem. Celebratis nuptiis more regali, constituit Samuel Vladimirum in regem, totamque regionem Dyrachii priori ejus possessioni adjunxit; Dragomiro prætereà, Vladimiri patruo Tribuniam, quam antea rexerat ille, restituit. Vivebat Vladimirus rex cum Cossara, uxore sua, in omni sanctitate et castitate, diligens Deum, et serviens illi assidue, populumque sibi commissum regebat cum timore Dei et justitia. Cum autem Samuel bellis contra Græcos distineretur fere continuis, socius illi fuit fidelissimus, atque insignia virtutis præbuit documenta. Præsertim vero insectabatur nefandam Bogomilorum hæresim, quæ tunc in ditione sua passim grassabatur. Defuncto Samuele, anno 1014, die 15 septembris, imperium ejus accepit Radomirus Gabriel, Cossaræ frater, quem mox Joannes Vladislaus, Basilio Græcorum imperatore Bulgaroctono suasore et instigatore, dolo interfecit, et Bulgariam, qua late patebat, regendam accepit. Ut autem, securius gubernacula teneret solus, Vladimirum quoque perimere secum statuit, eodem Basilio consulente; idque eo libentius, quod Bogomilorum placitis ipse simul cum impia uxore sua esset addictus; Vladimirus contra inimicissimus, ut vidimus supra et ut aperte testatur græcus S. Vladimiri biographus. Quare nuntios ad eum misit Vladislaus qui eum ad se venire rogarent; quibus auditis, obstitit regina, viroque persuasit ut se abire sineret, quo incolumis maneret ipse. Dimisit uxorem Vladimirus, perrexitque ad consobrinum suum Cossara, quam ille honorifice quidem suscepit, at fraudulenter. Etenim legatos misit ad regem secundo, qui crucem auream ei deferrent fidemque, dicens: Quare venire dubitas? Ecce uxor tua apud me est, et nil mali passa, imo honorifice a me tractata. Accipe fidem crucis, et veni, ut videam te et cum donis domum remittam, simul cum uxore. Cui respondit rex: Scimus, quod D. N. Jesus Christus, non in aurea vel argentea cruce passus est, sed in lignea; igitur, si fides tua vera est, veraque verba tua sunt, ligneam crucem mitte mihi per manus religiosorum hominum, et ego tunc veniam, virtute D. N. Jesu Christi confisus et spem habens in vivifica cruce ac ligno pretioso. Tunc accersitis duobus episcopis, quorum alter vocabatur David, et quodam monacho, mentiendo illis fidem suam, dedit Vladislaus ligneam crucem, destinavitque ad regem Vladimirum. Rex vero accipiens crucem, pronus adoravit in terra, et deosculatus recondidit in sinu suo, assumptisque paucis secum, profectus est ad imperatorem. Jussérat imperator per viam ponere ei insidias, ut morte afficerent transeuntem; Deus autem, qui ab infantia custodivit famulum suum, noluit eum improvide e vivis exire; nam misit angelos suos, qui eum custodirent; cumque pertransiret loca ubi insidiæ positæ erant, videbant insidiatores comitari regem milites, quasi alas habentes, manuque gladios gestantes, ac perterriti diffugerunt, quisque in locum suum. Vladimirus itaque venit Prespam, imperatoris sedem, atque curiam ingressus, ut ei mos erat, cœpit orare Deum. Ut autem cognovit imperator adventum ejus, valde iratus est: proposuerat nempe in corde suo curare ut ab aliis occideretur rex, antequam Prespam veniret; ne perjurus videretur ipse aut necis complex. Verum cum jam videret opus suum nequissimum detectum esse, tempore prandii spiculatores subornavit, qui piissimum regem decollarent. Orantem igitur circumdant milites Vladimirum; at ille, ut rem cognovit, vocatis episcopis et monacho qui ibidem aderant, perjurii crimen exprobravit eis, præ pudore vultum ejus non audentibus aspicere. Tunc, absoluta oratione et confessione, accepto corpore et sanguine Domini, crucemque illam ab imperatore sibi oblatam manibus tenens, adjecit: Orate pro me, Domini mei; et hæc crux veneranda una vobiscum sit mihi testis in die Domini, quoniam absque culpa morior. Dein, adorata cruce, pacem dedit episcopis; et flentibus omnibus egressus est ecclesia, moxque a militibus ad januam ejusdem capite truncatus est die maii vigesima secunda anno 1015. Corpus ejus tulerunt episcopi et in eadem ecclesia cum hymnis et laudibus honorifice sepelierunt. Ut autem merita beati martyris declararet Dominus, multi diversis languoribus vexati, post orationes ad ejus tumulum peractas, sanabantur. Quibus omnibus ad pœnitentiam motus Vladislaus, timoreque perculsus, concessit

consobrinæ suæ dolore maximo afflictæ, ut ei liceret beati Vladimiri corpus tollere et honorifice condere ubicunque vellet. Tulit itaque regina beati viri corpus et in loco Craina, ubi curia ejus fuit, nunc autem vicus est exiguus, ab Antibaro passuum millia circiter novem in orientem distans, in ecclesia B. Mariæ condidit. Jacet ibi corpus integrum et suave olens, quasi multo aromate conditum, et crux illa, quam ab imperatore acceperat, in manu hæret (verba sunt Diocleatis); multaque beneficia recto corde petentibus præstantur ibi in hodiernum diem, et magna populi multitudo in ecclesia ista quotannis die festivitati ejus sacro conspicitur congregata. Uxor vero Vladimiri, Cossara, sanctimonialis effecta, pie et sancte vixit, et in eodem templo sepulta fuit ad pedes viri sui. Eodem tempore quo translatum fuit beati martyris corpus Prespa Crainam, Vladislaus, congregatis copiis venit possidere terram Vladimiri et Dyrrachium, juxta Basilii imperatoris promissa; stetit itaque ante Dyrrachium, ut obsidione caperet; verum antequam perficeret eam, morte improba e vivis cessit. Etenim quadam die, dum epularetur, videre sibi visus est militem armatum, beato Vladimiro quam simillimum; terroreque perculsus exclamavit magna voce: Accurrite, milites mei! accurrite et defendite me, quia Vladimirus occidere me vult! Et hæc dicens surrexit de solio suo, ut fugeret; statimque percussus ab Angelo, ut tradit Diocleas, aut ut Græci malunt, vi occulta sublatus, corruit in terram, et mortuus est corpore et anima. Milites ejus fugerunt omnes præ timore et terrore; sicque divino judicio factum est, ut nequissimus fratricida, qui ad prandium sedens S. Vladimirum decollari jusserat, ipse hora cœnæ percuteretur. Obiit anno 1019.

DIES XXIII MAII.

Cfr 1) Diocleas, apud Schwandtner, Rerum hungar. Script., tom. III, a pag. 492. 2) Vita S. Vladimiri græce, in libro rarissimo *Officia propria Ecclesiæ Bulgaræ* continente, pag. 55-62. Moschopoli, in Macedonia, 1741. 3) Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου ἐνδόξου βασιλέως καὶ μεγαλομάρτυρος Ἰωάννου τοῦ Βλαδιμήρου, Venetiis, 1858. 4) Farlati, Illyricum sacr., tom. VII, pag. 436 et tom. VIII, pag. 197. 5) Pejacevich, Hist. Serbiæ, pag. 99, 108, 422. 6) Hilferding, Literæ ad historiam Serb. spectantes, period. secunda, in opere periodico: Russkaja beseda, tom. 14, an. 1859. 7) Cedrenus, II, pag. 463.

DIES XXIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Michaelis, ep. Synnadarum et confes. (*Mst. Prol. Tern. Par. I, Men. Rum. Siš. Chil. Og. Hor. cum Bas. Sirl. Mg. Sirm. Dom. Maz. Hier. GP. Coisl. Goth. Vind. Msq. Flor.*). S. Joannis Psichaitæ (*Put. cum Chiffl. Med. Taur.*). S. Michaelis, mon. et mart. (*Men. Euch. Kal. Prol.*). Inventio reliq. S. Leontii, ep. Rostoviæ (*Prol. Kal.*). S. Euphrosynæ, ducissæ Polocensis et abbatissæ (*Men. Euch. Kal. Prol.*).

† Mariæ Myrophoræ (*Chiffl.*). † Simeonis Junioris in Monte mirabili (*Bas.*). † Marthæ, matris S. Simeonis qui in Monte mirabili (*Laur.*). † MM. Salonæ et Seleuci (*Chiffl.*). † Ephebi, ep. Neapolitani (*Neap.*). † Meletii, ducis, Joannis, Stephani, Serapionis (*Med. Sirm. Maz. Hier.*).

OBSERVANDA.

S. Michael, Synnadarum ep.

Variis cognominibus ornatur in codd. S. Michael; in Hieros. cognominatur ep. Synnadarum et *syncellus*. In Callipol., Msq., et Goth. insuper præfert titulum *confessoris*: ad hæc *Syndoarum* episcopus audit apud Genebrardum; *Sinaiticus* in Sišatovacensi; *Synadonensis* in Mstislavico; quæ et similia parvi cæteroquin sunt momenti. De eo fuse Bollandiani agunt tom. V Maii, pag. 257, ad præsentem diem, quo etiam in Martyrologio Romano inscriptus est. — Psichaita, a voce græca ψιχὴ (mica) rectius scribendus, quam Psychaita, occurrit saltem sexies in hoc mense, scilicet 7, 23, 24, 25, qua tractant de eo Acta SS. cum Bas.; præterea recolitur die 28, sed potissimum vigesima sexta. — A S. Michaele, ep. Synnadarum in Phrygia, probe distinguendus est alter Michael, monachus et martyr; qui tum in Menologio tum in Prologo brevi ornatur synaxario. — Plura de S. Leontio Rostoviensi declarabunt *Memoriæ Slavicæ*, inferius dandæ. — Quæ de S. Euphrosyna, e Polocensium ducum prosapie, breviter perstricta sunt in Memoriis Slavicis, ea abunde sufficient, ut Assemano omnis eximatur scrupulus, quem ei injecerant Bollandiani et Kulčinius, rectissime statuentes diversam esse sanctam Euphrosynam a S. Parasceve, Polocensium quoque ducum filia, et S. Euphrosynæ cognata atque ejusdem monasterii moderatrice; de qua oportunior dicendi locus erit ad 28 Octobris. — De Maria Unguentifera, uxore Cleophæ, matre Jacobi et Josephi, agunt Bollandiani ad 9 Aprilis, quo colitur a Latinis. — Vita S. Marthæ ex cod. Laurentiano exscripta occurrit apud Bollandianos, p. 403 sub die 24, S. Simeoni dicato. In Slavicis codd. recolitur 4 Julii. — S. Marthæ S. Simeon, matri filius, adjungitur hoc eodem die in uno alterove codice Græco; at in Slavicis Kalendariis S. Simeon, thaumastorita, inscriptus est die sequenti, ad quem ideo remittendus. — Qui ultimo loco consignati sunt apud Græcos Meletius cum sociis Joanne et Stephano et Serapio, in Slavicis codd. pariter referuntur ad diem sequentem.

S. Joannes Psichaita.

S. Michael, mon. et mart.

S. Leontius ep. Rostoviæ.

S. Euphrosyna.

S. Maria.

S. Martha.

S. Simeon.

Meletius et alii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Leontius, episc. Rostoviensis.

Leontius, Græcus, CPoli educatus, omnium primus e monasterio Cryptensi ad cathedram episcopalem fuit evectus; neque ante annum 1051, quo metropolitanam sedem Hilarion primum occupavit. Porro destinatus est Leontius Rostoviam, ubi labores vere apostolicos subire debuit et magna pro nomine Jesu ab ethnicis pati, sed felicissimo successu. Etenim quorum impias superstitiones nec duo priores Rostoviæ antistites, Theodorus et Hilarion, nec ipsemet Abraham, Rostoviæ apostolus dictus, evellere valuerant, eas extirpare datum fuit Leontio, divina gratia adjuto. Denique omnibus Rostoviæ incolis ad fidem Christi ad-

 ductis,

DIES XXIV MAII.

ductis, quam etiam miraculis comprobavit, pretiosam in conspectu Domini mortem promeruit anno circiter 1077. Quamvis incruentam mortem obierit, quia tamen permulta a paganis fuit perpessus, ideo hieromartyris titulum olim obtinuit, duobus primis martyribus, Theodoro et Joanni, natione Varegis, qui tempore Vladimiri I fuerant passi, adnumeratus. Sacræ ejus exuviæ repertæ sunt anno 1164, die 23 maii; qua die ex eo tempore solemni cultu celebratur.

Cfr 1) Vita, auct. anon. in Colloq. orthod., 1858, mens. Febr., pag. 301-318. 2) Macarius, Hist. Eccl. Russ., II, 13 et not. 59 et III pag. 279. 3) Prolog., Menol. et Verš. ad h. d. 4) Dict. hag., pag. 167.

S. Euphrosyna, Abbatissa Polocensis et virgo.

Predislava, christiano nomine Euphrosyna, ex genere S. Vladimiri oriunda, erat filia Georgii Sviatoslai, ducis Polocensis, cujus pater Vseslaus Briačislaides, longe celeberrimus, fato cesserat anno 1101. Duodennis in monasterium urbis, insciis parentibus, abiit, ut divino sponso, spreto terrestri, virginitatem ac seipsam offerret, ibique habitu monialium suscepto, sub obedientia amitæ suæ, Romani principis viduæ et abbatissæ, vixit. Mox, annuente episcopo loci Elia, in cellam se inclusit, ad sanctuarium ecclesiæ cathedralis S. Sophiæ proxime collocatam; in qua solitudine multum temporis mansit, orationis et jejuniis dedita, et manuum suarum labore ac præsertim librorum transcriptione egenis necessaria tribuens. Dein, divino monitu, in locum Seltse dictum recessit; quem cum a præfato episcopo, coram principe et magnatibus, dono accepisset, novam ibi ecclesiam S. Salvatoris Transfigurati, e coctis lapidibus excitavit, adjecto monasterio monialium cui ipsamet præfuit. Sorori suæ germanæ Gordislavæ, quæ et Eudoxia, Zvenislaæ seu Euphrasiæ, suæ collactaneæ, duabusque neptibus, Euphemiæ et Agathæ, persuasit ut eamdem religionem ibidem susciperent; et plurimis aliis gregem suum auxit, inter quas sanctitatis fama imprimis inclaruit Parasceva virgo, quæ cum S. Euphrosyna sociari passim solet. Præterea alterum monasterium, Deiparæ sacrum et viris destinatum, exstruxit. Ecclesiam Salvatoris, quæ adhuc exstat, diligenter ad splendorem ornavit, nec non et imagine ditavit, vulgo Korsunensi dicta, eaque celeberrima, utpote a S. Luca, ut fertur, delineata Ephesi; quam sibi ab imperatore Manuele impetraverat. Exstat insuper etiamnum crux aurea, eleganter elaborata, et variis reliquiis ornata, cum slavica epigraphe, donum esse Euphrosynæ, ecclesiæ Salvatoris oblatum, indicante. Postquam ita cœtum suum, tunc florentissimum, per plures annos sancte rexisset, Hierosolymitanam peregrinationem suscepit, Davide fratre et Euphrasia sorore comitibus. At non diu Hierosolymis mansit pia monialis; mox enim, morbo correpta, quem lethalem sibi fore prænoverat, sacramentis rite susceptis, ex terrestri Hierosolyma ad cælestem transivit, anno Domini 1173, die 23 maii, postquam quadraginta annorum spatio hegumenatus munere erat functa. Sacræ ejus exuviæ in monasterio S. Theodosii conditæ, dein Kioviam sunt translatæ, et in cryptis Theodosianis positæ, ubi hactenus religiose asservantur. Colitur non solum a Ruthenis cum sancta sede Romana unitis, sed etiam ab aliis; in Lithuania vero, cujus urbem principem illustraverat, inter præcipuas regni patronas numeratur.

Cfr 1) Liber gradualis, t. I, 269-283. 2) Stebelski, Duo luminaria, etc. 3) Prol. et Men. ad h. d. ol. excusum et ms. 4) De vita S. Euphrosynæ, notitia historica, Petr. 1841, auct. Serbinovitch. 5) Specimen Eccl. Ruth., pag. 32. 6) Assemani, Kalend., VI, p. 368. 7) Act. SS., 23 Maii, p. 234. 8) Macarius, Hist. Eccl. Russ., III, p. 50. 9) Kojaloviez, Miscellanea, § 1. 10) Karamzin, II, p. 441 et seq.

DIES XXIV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Simeonis Junioris in Monte mirabili (*Omnes cum Hier. GP. Coisl. Goth. Vind. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Meletii, ducis militum et martyris cum Serapione, Theodora, Fausto, Joanne, Stephano, Callinico et aliis sociis quam plurimis (*Rum. Prol. Men. Hor. Kal. Verš. cum Bas. Sirm. Maz. Chiffl. Flor. Sirl. Med.*). S. Nicetæ Perejaslaviensis, stylitæ (*Prol Menol. Eph. Kal. Verš.*).

† Joannis Psichaitæ (*Sirm. Med. Taur. II*). † Meletii, Peucæ, mart. et aliorum (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Simeon in Monte mirabili.

Si codicem Ostromiranum excipias, cæteri omnes summa consensione consignant S. Simeonem in Monte mirabili seu *thaumastoritam*, quasi *Miromontanum* diceres. *Junior* vocatur respectu ad S. Simeonem Stylitam quoque, quem Slavica Kalendaria referunt potissimum prima Septembris, Græca vero tum kalendis Septembris, tum 26 Julii. In Hieros. habetur simpliciter : *Sancti Patris nostri in Monte mirabili*, quemadmodum conveniebat scriptori Hierosolymis degenti. In Saxo-Gothano inscribitur diei 25 Maii, quod oscitantiæ amanuensis, an transponendi consuetudini, apud synaxaristas satis solemni, tribuendum sit, parum ad rem facit. In Menologio Mosquensi excuso exstat Simeonis Junioris Vita, ex magnis Menæis Macarii mss. excerpta, quæ eadem legi potest in Actis Sanctorum fusissimo calamo græce et latine exarata; ubi simul reperire est Vitam S. Marthæ, matris Simeonis thaumastoritæ, quamvis illius festum celebrant Græci nonnisi 5 Julii. — Antiquus Prologus Musæi Rumiantsoviani, toties a me citatus et in posterum citandus, præter S. Simeonem, consignatos habet secundo loco : Serapionem, Theodorum, Faustum, Meletium, ducem, et alios numero mille supra myriadem (sive undecies mille) ducentos et octo. In Menologio Mosquensi et apud Veršinskium numerantur tantum mille ducenti et octo; Horolog. Počajovense refert solos Meletium, Joannem et Stephanum, tacito sociorum numero. Non sine insigni, quoad numerum, varietate commemoratur idem manipulus in codd. Græcis, Bas. Sirm.

S. Meletius et soc.

Sirm., Chiffl., Maz., Flor. et in Menologio Sirleti; unde transierunt in Martyrologium Baronii, accedentibus ubique prolixis elogiis. Porro Acta martyrii græca inter fabulas amandanda esse pronuntiarunt Bollandiani, licet ea in opere suo ex integro dederint, etiam latinitate donata. Duplex exstat in Prologo Mosquensi encomium martyrum: de Meletio nominatim agit alterum; alterum de Serapione; at in Menologio, a cujus auctore cæteroquin sæpe castigatur Prologus, expunctum est utrumque, relicta nuda martyrum commemoratione, quamvis similes fabulas non omnino aspernetur menologus russus.

Dies XXV et XXVI Maii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Nicetas Stylita, Perejaslavensis.

Patria Nicetæ fuit Perejaslavia Transylvana in regione Rostoviensi. Ubi adolevit, vitiis sese totus dedit, ob morum pravitatem ac ferociam omnibus invisus. Timoris Dei tamen non prorsus oblitus, cum verba illa Isaiæ, prophetæ, audisset : *Lavamini et estote mundi,* in sese reversus, totus exhorruit atque continuo in alium hominem mutatus, relictis filiis, uxore, bonis omnibus, in monasterium secessit, prope Perejaslaviam, ibique in summa pœnitentia stylitarum instar reliquum vitæ tempus degit, ferreo cilicio indutus. Quod quum propter detritionis splendorem argenteum esse existimarent homines quidam pessimi, præda illecti, sanctum virum morte affecerunt. Obiit anno 1186, curationum dono in vita et post mortem clarus : unde thaumaturgi cognomen ei accessit, et in prædicto monasterio conditus est ; quod idcirco ejus nomine insignitur.

Cfr 1) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 207. 3) Kulčinius, Specimen, pag. 23.

DIES XXV.

Ostromiranum. Vacat.

Ex variis. Tertia inventio capitis S. Joannis Præcursoris (*Omnes cum Lind. Mg. Dom. Maz. Hier. GP. Clar. Vind. Msq. Flor.*). S. Therapontis, episc. Cyprii et mart. (*Prol. Men. Kal. cum Bas.*). S. Carpi, apost. (*Rum.*). S. Pancharii, mart. Nicomediæ (*Rum. cum Bas. Chiffl. Sirm. Mg.*). S. Therapontis, mart. (*Rum. cum Bas. Mg. Dom.*).

† Meletii, ducis, Joannis et Stephani, comitum, omnisque multitudinis eorum (*Laur.*). † Jacobi, apost. (*Neap.*). † Alphæi (*Chiffl.*). † Joannis Psichaitæ (*Bas. Sirm.*). † Marthæ, matris Simeonis Stylitæ (*Chiffl.*). † Eutropiæ, m. (*Chiffl.*). † Olbiani (*Chiffl.*). † Abercii et Helenæ (*Sirm.*). † Cælestini, m. (*Chiffl.*). † Jejunii, mon. Locris in Calabria (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Therapon. Duo Therapontes referuntur a variis tum præsenti die, tum etiam duobus diebus proxime sequentibus, præterea die XXVIII alter, alter vero die XIV; propterea diligentius sunt discriminandi. Uterque igitur commemoratur hodie in Menologio Basilii, et quidem primo loco S. Therapon, episcopus, ut ibidem traditur, ex Cypro CPolim translatus; tum S. Therapon, presbyter Sardicensis Ecclesiæ in Lydia et martyr. Neutrum episcopum fuisse sententia est Bollandianorum: verum apud Græcos jam pridem illa opinio invaluit, ut alter presbyter, alter episcopali dignitate fuisse credatur ornatus. Utut est, in Menæis et Prologis Slavicis recentioribus, hodie recolitur memoria translationis reliquiarum S. Therapontis ex insula Cypro Constantinopolim, non secus ac in Men. Basilii. In Rumiantsoviano autem Prologo sæc. XIII agitur de S. Theraponte, qui Sardis in Lydia passus est; de Cyprio vero postridie. Acta SS., omnino consulenda, tractant de utroque simul die XXVII. — Satis dictum de Meletio sociisque ejus die præterita — S. Jacobus, in marmore Neap. insculptus, Alphæi filius est, cujus nulla hodie apud alios vestigia reperiuntur, Mazochio teste; inscribitur tamen in Martyrologio Bedæ die sequenti.

S. Meletius et soc.
S. Jacobus, apost.

DIES XXVI.

Ostromiranum. Vacat.

Ex variis. S. Carpi, apostoli, unius ex 70 discip. (*Mst. Rum. Tern. Put. Par. I, Hor. Prol. Men. et fere omnes cum Bas. Coisl. Msq. Flor. Mg. Sirm. Dom. Maz. Lind. Typ.*). S. Alphæi, apost. (*Put. Men. Kal. Prol. cum Clar. Dom. Maz. Mg. Chiffl.*). SS. MM. Abercii et Helenæ (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Sirl. Mg. Chiffl.*). S. Joannis Psichaitæ, confes. (*Prol. Kal. cum Dom. Maz. Taur. I*). S. Therapontis, ep. Cypri et mart. (*Rum. cum Laur.*). S. Judæ, ap. fratris Domini (*Put. cum. Sirl Hier. GP. Neap. Vind. Goth. Msq. Coisl.*). S. Georgii Junioris, mart. Sardicæ in Bulgaria (*Men. Prol. Pp.*). [Inventio corporis Macarii Kolazinensis (*Kal.*).]

† Therapontis, presb. Sardicensis et mart. (*Sirm. Laur. Taur. I*). † Timothei, ep. et mart. Prusæ (*Chiffl.*). † Sergii et Bacchi in Rufinianis (*Dom.*). † MM. Eubiotæ seu Eusebioti, Alipii, Pauli et Julianiæ (*Dom. Maz. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Alphæus. S. Alphæus, pater SS. apostolorum Matthæi et Jacobi, ipse quoque apostolus a Græcis vocatus passim, significatione vocabuli ampliore, inscribitur in Menæis Putiatæ perantiquis aliisque recentioris notæ Kalendariis ; at nullibi facta mentione Jacobi. In Synaxario Sirmundi fit commemoratio *Sancti apostoli Alphæi, fratris Domini, et filiorum ejus;* quem locum sic integre legendum esse censet Papebrochius : *S. apost. Alphæi* [*patris apostolorum Matthæi et Jacobi*]. — In eodem Synax. Putiatiano legitur insuper : *Canon S. Carpi, apostoli, opus Sephi* (lege Josephi). *Eadem die, S. apostoli Judæ, fratris Domini, Jacobi,* ubi post *Domini* intercidisse videntur voces : *et sancti.* Simile quid accidisse

S. Judas, apost.

DIES XXVII MAII.

S. Therapon.

accidisse circa S. Alphæum in Sirm., vidimus modo. — Quia hodie in Rum. Synaxario S. Therapon præfert titulum *episcopi;* qui autem pridie relatus est ibidem, omni titulo caret: conjicere fas est, agi hic de S. Theraponte e Cypro CPolim translato, quem episcopum in insula Cypro fuisse Græci pariter ac Slavi credunt vulgo, auctoritate Menologii Basilii, imperatoris, potissimum innixi. De S. Theraponte Sardicensi agi in Synaxario Sirmundiano liquet ex elogio ibidem adjecto. In cod. Laur. unde desumpta sunt Acta, quæ dederunt Bollandiani ad 17 hujus, vocatur sacromartyr. Cæterum Acta ista reputantur fabulosa. — De S. Alypio et sociis agetur iterum crastina diei. — *Kalendarium omnium sanctorum* signat hodie, teste Veršinskio, inventionem corporis Macarii Kolazinensis, quæ contigit anno 1521. De Macario isto, hegumeno monasterii Kolazinensis, tractatum est 17 martii, quo colitur a Russis. — Georgium Juniorem nominasse hic sufficiet, siquidem ex Memoriis Slavicis satis innotescet.

S. Alypius et soc.

Inventio corporis Macarii Kolazinensis.

Georgius junior.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Georgius novus, martyr in Bulgaria.

De martyre Sardicensi sequentia ex Prologo excerpenda visa. Georgius, nobilissimo genere Sardicæ in Bulgaria natus et a parentibus, Joanne et Maria, pie excultus, anno vigesimo quinto eisdem orbatus, cum a Mahometanis ad negandam christianam religionem tentaretur, constanti animo Christum confessus est, Mahometi doctrinam diabolicum inventum esse publice declarans. Nimirum deputaverant juveni quemdam legis doctorem, qui eum ad impuras Mahometi doctrinas pertraheret. Cui, principum suorum munificentiam laudibus extollenti, reposuit Georgius : impiorum sacrificia abominationi esse Deo; multos quidem fuisse a sæculo principes, qui, præclaris rebus patratis, impie obierint; nec ullos sanctos in ea religione floruisse; apud christianos vero plurimos semper fuisse, sive reges, sive presbyteros, sive laicos, in sanctorum album relatos, et corporum integritate ac miraculis claros. Quod si verbis meis, addidit, credere renuis, ostendam tibi in hacce civitate principem nostrum Milutinum, qui adhuc suavissime olens, dormire potius quam mortuus esse videtur. (Colitur Milutinus a Serbis tanquam sanctus, die trigesimo Octobris quo illustrabitur in Memoriis Slavicis.). Quare ad urbis præfectum ductus, cum nullis promissis a proposito avelli posset, ferreis unguibus excarnificatus, et candentibus laminis exustus, per urbis plateas circumductus et tandem in ignem projectus, martyrio vitam consummavit, anno 1514. Dum autem in igne jaceret, tanta pluviæ copia erupit, tantaque tonitruum vis resonuit ut et ignis aquarum inundatione extingueretur et tortores præ timore fugerent. Interea corpus martyris, clarissimo splendore oborto, detegerunt christiani, remque ad metropolitam Jeremiam detulerunt; qui veniens honorifice illud in urbem detulit et in ecclesia S. Georgii martyris tumulavit.

Cfr 1) Prol. et Menol. ad h. d. 2) Martyrol. Græcum, ed. Venetiis, 1799, citatum apud Muraviev ad 11 Febr.

DIES XXVII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Therapontis, presb. Sardicensis et mart. (*Mst. Tern. Siš. Chil. Og. Pp. Men. Prol Hor. Kal. Hier. GP. Goth. Msq. Sirm. Chiffl. Med. Coisl. Flor. Taur. II*). S. Helladii, mart. et soc. (*Put. Siš. cum Sirl. Mg. Sirm. Chiffl. Maz.*). S. Clementis, hymnographi et conf. (*Rum. cum Sirm. Maz.*). SS. MM. Theodoræ, virg. et Didymi, militis (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirl. Med. Taur. I et II, Maz. Mg.*). S. Serapionis (*Par. I*). [Inventio corporum Cypriani, Photii et Jonæ, metropol. Kioviensium (*Prol. Kal.*).] Therapontis Belozerici (*Prol. Pp. Kal.*). Inventio corporis Nili Stolobensis (*Ps. Pp. Kal.*).

† Therapontis, hierom., ep. Cypri (*Med. Maz. Typ.*). † Anastasiæ, mr. (*Neap.*). † Carpi, ap. (*Hier. Vind.*). † Heliconidis, mr. (*Sirm.*). † MM. Alipii, Eubioti seu Eusebiotæ, Pauli et sororis ejus, Julianæ (*Med. Taur. I et II, Sirm.*). † Stephani, patr. CP. (*Sirm. Maz. Nan. Taur. II*). † Sergii et Bacchi in Pera, in Rufinianis (*Sirm. Med. Maz. Taur. I et II*). † MM. Abercii et Helenæ (*Dom.*).

OBSERVANDA.

S. Therapon.

Qui primo loco commemoratur S. Therapon, erat presbyter Sardicensis et martyr, non vero episcopus, ut vocari solet in Synaxariis Slavicis plerisque, et uti repræsentatus spectatur in tabulis Græco-Moscis, quas edidit Papebrochius initio mensis Maii. In quibusdam tamen kalendariis nuncupatur generico vocabulo hieromartyr, quod de presbyteris perinde ac de episcopis passim usurpatur. — Iterum singularem lectionem exhibet cod. Parisinus in consignando nomine Serapionis, sine ullo additamento. Quem unum e sociis Meletii, ducis militum, esse, vel eo libentius darem, quod de utroque seorsim agatur in Prologo, licet non ad hunc diem; erat enim inter tot Meletii commilitones facile præcipuus; imo in cod. Rumiantsoviano nominatur primo loco, sequentibus Theodoro, Fausto et Meletio; quorum ultimus totius cohortis antesignanus vulgo habetur et dux. — Ex tribus antistitibus Kioviensibus, quorum inventa corpora celebrantur hodie, Photium et Jonam inter hostes unionis catholicæ primarios recenseri ignorat nemo. Facta est autem inventio illa anno 1472. — De quanam Anastasia agatur in marmore Neapolitano, versamur in incerto; quæcunque autem ea fuerit, eam hodie martyrium consummasse innuit satis *passionis* nota, in marmore præfixa. — Acta S. Heliconidis, licet fabulosa, leguntur apud Bollandianos ad hunc diem; at in Slavicis inscripta est postridie — Exauctorato Photio, patriarcha, qui lugendi schismatis Græcorum præcipuus exstitit auctor, sedem CPolitanam occupavit S. Stephanus, Leonis imperatoris frater, quem Latini æque ac Græci inter sanctos recensent. Ejus memoriam egimus supra, die 27 hujus mensis.

S. Serapio.

Tres antistites Kiovienses.

S. Anastasia, mart.

S. Heliconis.

S. Stephanus, patr. CP.

MEMORIÆ

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Therapontes, hegumenus Belozerensis.

Therapontes, Volocensis, nobili genere ortus, in monasterio Simoniano Mosquæ religiosæ vitæ initia posuit, duce et magistro S. Sergio RadoneženSi. Pluribus annis ibidem peractis, in solitudinem se contulit cum Cyrillo, deinceps hegumeno Belozerensi, et speluncam sibi ad lacum Album effodit. Mox propius ad hunc lacum accedens, sedem suam posuit, dein ecclesiam et monasterium fundavit, invisens Cyrillum frequenter, ejusque consuetudine mirum in modum proficiens. Monasterium absolutum prædiis ditavit Andreas, Možaisci dux, ditionis vero Belozerensis dominus. A quo cum Možaiscum esset accersitus Therapontes, aliud cœnobium ibidem fundaturus, fratribus valedixit, Martiniano in sui locum suffecto, novumque monasterium Lužecense, a fluvio Lužka ita nuncupatum, eduxit anno 1408; ubi et supremum diem obiit, anno 1426, die 27 maii, provecta senectute. De Cyrillo autem uberius agetur ad diem 9 Junii.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 287. 3) Menol. Verš. ad h. d.

Jonas, metrop. Mosquensis.

Quoniam nomen Jonæ, metropolitæ Mosquensis plus quater recurrit in Fastis Russorum librisque liturgicis, quod magnæ profecto qua apud suos gaudet venerationis indicium est, vitam hominis, quamvis schismatis macula fœdati, paucis attingere visum est, quo abs Kioviensibus præsulibus ejusdem nominis accuratius distinguatur. Vixit igitur Jonas sæculo xv. Natalis urbs Galič fuit, pater vero Theodorus, cognomento Opaušev, vulgo Odnouša; ex quo, ut opinor, fluxit corrupta forma *de Asciscenia*, apud Latinos auctores obvia. Dum annum ageret duodecimum, in monasterio quodam Galičensi tonsuram accepit; dein in monasterio Simonis Mosquensi commoratus est, donec anno 1437 ad sedem Rezanensem transiit. Quam dum occupavit, simul etiam Mosquensis Ecclesiæ, quæ a morte Photii anno 1431 vita functi manebat vacua, curam egit. Metropolitanum tamen pedum nonnisi multo post obtinuit, quum nempe Basilio Cæco, magno duci, in resumendo sceptro et in devincendo æmulo Basilio Chemiaka auxiliator fuerat et magna ex parte auctor. CPolim itaque missus est, ut laborum mercedem acciperet; sed fructu prorsus nullo; nam antequam ad urbem appelleret, Isidorus, Thessalonicensis, Kioviæ totiusque Russiæ metropolita institutus fuerat a patriarcha Josepho et Joanne Palæologo, imperatore, unionis cum Ecclesia Romana ciendæ studiosis. In qua amplectenda atque per totam Russiam propaganda quantum adlaboraverit Isidorus, testantur acta Concilii Florentini; cui et adfuit ipse, et totius Ecclesiæ Kioviensis nomine subscripsit. Mosquam redux, eamdem ut magnus dux amplecteretur non modo ei non persuasit, sed ob promulgatum unionis decretum, apprehensus et in monasterio Tchudovo, quod prope Mosquam situm est, inclusus fuit; unde post plures menses evasit cum duobus sociis Athanasio et Gregorio, deinceps metropolita, Romamque feliciter pervenit, anno 1443; ubi supremum obiit diem, 27 aprilis, anno 1462, plura pro sancta unione non sine vitæ discrimine perpessus. In cujus loco Jonam, convocato concilio, constituit Basilius Cæcus auctoritate propria, neglectaque patriarchæ CPolitanæ approbatione, quam certe ægre obtinuisset a Mamma, de unione Florentina bene sentiente. Sedit Jonas annos duodecim, quos in dissolvendo opere Isidori fere unice consumpsit, Mosquensis tamen imperii limitibus circumscriptus. Nam in Kioviensi Ecclesia Isidori vices exceperat Gregorius II, anno 1442; quo rogante Pius II summus pontifex decretum voluit ut in postrum superior Russia seu Moscovia maneret penes *filium perditionis* (ita Pium in bulla loqui testatur Kulčinski), Jonam; inferior vero, Poloniæ regi subdita, archiepiscopo Kioviensi assignaretur, cum Ecclesiis suffraganeis Brestensi, Smolenscensi, Polocensi, Turoviensi, Luceorensi, Vladimiriensi, Premysliensi, Chelmensi, Leopolitana et Haliciensi. Ex quo tempore proprios quæque habuit rectores Ecclesia Kioviensis et Mosquensis. Licet autem priorem etiam potestati suæ subjicere plurimum adnixus fuerit Jonas, obtinere tamen illud non valuit. Obiit itaque a gremio Ecclesiæ catholicæ sejunctus, die 31 martii, anno 1461, catholicis quidem parum gratus, suis vero summe venerandus; quapropter et in Sanctorum Mosquensium album illatus est atque thaumaturgi titulo insignitus: quod ob miracula frequenter patrata promeruisse venditatur. Horum unum animi causa retulisse sufficiet: narratur nempe virum quemdam nobilem, qui gravi dentium dolore laborabat, violenti ictu alapæ, a Jona in ipsomet sanctuario impactæ, ab omni dolore illico liberatum fuisse. Colitur a suis, ut dictum, quater in anno: 31 vel 30 Martii, quo die obiit; 27 Maii, quo corpus ejus elevatum est; præterea 15 Junii una cum Cypriano et Photio; ac 5 Octobris simul cum SS. Petro et Alexio. Atqui hæc de Jona sufficient abunde.

Cfr 1) Menologium et Veršinski ad 31 Martii. 2) Prologus ad 15 Junii. 3) Muraviev, in Vitis SS., qui cæteroquin, præter commenta, nihil novi adfert, quantum ad rerum substantiam. His addendus: 4) Kulčinius in Specimine, pag. 122, ubi traditur brevis notitia de Isidoro ex Ciaconio descripta. 5) Potissimum vero Strahlius, auctor egregiæ dissertationis, cui titulus: *Der russische Metropolit Isidor, und sein versuch die Russisch-Griechische Kirche mit der Römisch-Katholischen zu vereinigen.* Tübingen Quartalschrift, 1823, fasc. 1, pag. 46 et seqq.

DIES XXVIII.

Ostromirianum. Ex variis.

Vacat.

S. Helladii, hieromart. (*Mst. Men. Kal. Hor. Prol. cum Bas. Vind. Sirl. Chifll. Hier. GP.*). S. Nicetæ, ep. Chalcedonensis (*Par. I, Chil. Og. Pp. Men. Hor. Kal. Hier. GP. Coisl. Flor.*). S. Theodosiæ, virg. et mart. (*Put.*). S. Eutychii, ep. Melitenensis (*Hor. cum Dom. Mg.*). S. Heliconidis, mart.

Dies XXIX Maii. mart. (*Men. Kal. Prol. cum Sirl. Bas. Mg. Sirm. Med. Taur. I et II*). S. Ignatii, ep. Rostoviæ (*Men. Pp. Kal.*). Memoria SS. PP. primæ synodi Nicænæ (*Hor.*). SS. MM. Crescentis, Pauli, Dioscoridis (*Rum. cum Bas. Hier. GP. Neap. Taur. I et II*).

† Joannis Psichaitæ (*Mg.*). † Andreæ Sali (*Chiffl.*). † Anatolii et Saronæ, Romanorum (*Sirm. Med. Chiffl.*). † Therapontis, mart. (*Maz.*). † Theoduli, monachi et stylitæ (*Laur.*).

OBSERVANDA.

S. Theodosia. S. Theodosia, virgo et martyr, refertur hodie in antiquis Menæis mensis Maii Putiatianis, dum cæteri Fasti Græci pariter ac Slavici eam nominant die sequenti; quo agemus et nos. — S. Eutychius seu Eutyches, ep. Melitenæ in Armenia et martyr, occurrit in Fastis Græcis et Slavicis hodie et duobus qui proxime sequuntur diebus. Apud Lequienum, Orb. christ., tom. I, p. 439, minus recte vocatur Eupsychius. Acta ejus hactenus desiderantur tum in Græcis Menæis, tum in Slavicis. — Contra S. Heliconidis vita et passio fuse discribuntur in Menologio Mosquensi, quod fabulosa a sinceris discernere parum curat. — Sequitur S. Ignatius, qui in Tabulis Græco-Moscis apponitur S. Nicetæ, ep. Chalcedonensi, et nonnihil negotii facessit Kulčinio et Assemano. Quorum ille, quum in libris suis nihil de eo reperisset pro S. Ignatio, patriarcha CPolitano, positum esse statuit a pictore ignaro, ac propterea ex indiculo sanctorum Ruthenorum eliminandum (pag. 82); hic vero, quia in Tabulis Capponianis Nicetæ Helladium associatum esse vidit, pro S. Helladio erronee inscriptum esse a pictore mosco vero simile censuit. At quantum a vero distat utraque interpretatio, id satis superque declarabunt Memoriæ Slavicæ. Interea dicatur in antecessum, Ignatium illum esse episcopum Rostoviæ et S. Leontii, de quo actum ad 23 Maii, in cathedra successorem. — SS. Crescentem, Paulum et Dioscoridem exhibet optimus Cod. Rumiantsovianus, præfixa nota passionis, quæ cernitur etiam in Kal. Neapolitano. Non in solis itaque Græcorum libris reperiuntur, quemadmodum clar. Mazochius asseverat. Cæterum in codd. Slavicis de eis agi solet ad diem 13 Aprilis.

S. Euthychius, ep. Melitenæ.

S. Heliconis.

S. Ignatius, ep. Rostoviensis.

S. Crescens et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Ignatius, episcopus Rostoviensis. Vixit Ignatius sæculo decimo tertio, piis parentibus ortus et in omnium virtutum disciplina institutus. Monachus factus in S. Epiphaniæ asceterio, ob virtutum præstantiam archimandrita primum, dein episcopus Rostoviensis eligitur, loco Cyrilli, anno 1262 demortui. Adfuit Ignatius concilio, quod Vladimiriæ celebravit Cyrillus metropolita, anno 1274; rexitque ecclesiam sibi concreditam, ut bonum decet pastorem : immunitates ejusdem coram magno Tartarorum khano tuitus est, et dissidia inter principes Rostovienses exortas prudentissime pacavit. Nihilominus apud Cyrillum falso accusatus, interdicto subjectus fuit, sed mox juribus suis restitutus. Tandem, cum viginti sex annos Ecclesiam Rostoviensem rexisset, sancte obiit, anno 1288, die 28 maii. Statim post mortem stupendis miraculis inclaruisse traditur. Nam dum in ecclesiam cathedralem incredibili populi frequentia deferebatur, e feretro surrexisse et adstantes turbas benedixisse perhibetur; et præterea archimandritam civitatis gravi morbo laborantem mire sanasse. Reliquiæ ejus hodiedum asservantur in ecclesia Assumptionis Rostoviæ.

Cfr 1) Prolog. Menol. et Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 116. 3) Philaret., Hist. Eccl. Russ., II, pag. 90.

DIES XXIX.

Ostromiranum. Ex variis. Vacat.

S. Theodosiæ, virg. et mart., CPoli (*Mst. Rum. Tern. Par. I. Chil. Og. Pp. Men. Kal. Hor. cum Bas. Neap. Sirl. Mg. Clar. Maz. Hier. GP. Goth. Vind. Msq. Coisl. Flor.*). S. Theodosiæ, virg. et mart., Tyri (*Men. Kal. cum Sirl. Mg.*). S. Eutychii, mart. (*Put.*). Memoria primæ Synodus OEcumenicæ Nicææ (*Men. Rum. Prol. Kal. cum Bas. Sirl. Med. Taur. I et II*). Obitus Joannis Sali, Ustiugensis (*Prol. Kal.*).

† Olbiani, mart., ep. Anæorum (*Bas. Sirm. Mg. Chiffl. Maz.*). † Alexandri, papæ Alexandrini (*Chiffl. Maz. Med. Taur.I et II*). † Hypatii in Rufinianis (*Chiffl.*). † Mariti et uxoris, mart. (*Chiffl.*). † Mariæ, virg. (*Laur.*). † MM. Crescentis, Pauli et Dioscoridis (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Theodosia, utraque. Duas omnino sanctas nomine Theodosiæ insignitas referunt Fasti hodierni, CPolitanam alteram, alteram Tyrensem. In Prologo Mosquensi commemoratur Theodosia Tyrensis die 2 Aprilis sub nomine Theodoræ; CPolitana vero refertur ibidem die XI et XVIII Maii; in Menologio refertur utraque hodie, et encomio donatur separatim. Parisinus cod., quem corruptelis scatere observavimus alibi, pro S. *Theodosia* habet S. *Theodoram*. In Rum. recolitur *passio* S. Theodosiæ, virginis; at utriusnam, reliquit divinandum. Plura cupienti præsto sunt scripta Mazochii, Assemani, Bollandianorum aliorumque. — Quemadmodum S. Theodosiam pridie, ita S. Eutychium hodie exprimit cod. Putiatiæ inter Slavicos solus. — De sanctissimo patr. Alexandrino, Alexandro, qui S. Athanasium in sede habuit successorem, sermo a nobis versabatur supra ad 18 Januarii; quo in Ostromirano adscribitur SS. Cyrillo et Athanasio. Hodie tamen de eo tacent Kalendaria Slavica.

S. Eutychius, mart.

S. Alexander, patr. Alex.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Joannes Salus, Ustiugensis. Natus est Joannes in vico Puhovo, prope Magnum Ustiugum, ex parentibus christianis, Saba et Natalia. A teneris unguibus miram abstinentiam coluit Joannes : nam feria quarta et

et sexta nihil manducavit, cæteris diebus pane et aqua contentus. Noctu vacabat orationi, interdiu vero per plateas incedebat meditabundus, ut amens esse a multis duceretur. Quam vivendi rationem non semel exprobravit filio mater; at frustra. Mortuo conjuge, eadem monasticam vitam amplectitur. Cujus exemplum æmulatus, fatuus pro Christo fit Joannes. Igitur Ustiugam veniens, tuguriolum ad ecclesiam incoluit, noctibus assidue orans, interdiu vero per urbem veste lacera et pene nudus incedens. Quot itaque injurias, irrisiones, verbera et similia pertulerit, incredibile dictu est. Famem et simul sitim, frigus, æstum aliaque intrepidus pertulit, non sine mirabili Dei interventione. Quadam enim die ardentem fornacem ingressus, super carbones cubuisse legitur, quin aliquid in corpore læderetur. Tandem laboribus pœnitentiaque confectus, obiit anno 1494, die 29 maii, a concilio Mosquensi anno 1647 cultu ecclesiastico honoratus. Habet officium cum canone Theophanis. *Dies XXX et XXXI Maii.*

Cfr 1) Prolog. et Menolog. Or. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 152.

DIES XXX.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Isaaci, heg. in monast. Dalmati et confes. (*Mst. Put. cum Bas. Neap. Sirl. Mg. Maz. Sirm. Dom. Chiffl. Hier. Coisl. Flor. Goth. Vind. Msq.*). S. Eutychii, discipuli S. Joannis apostoli et mart. (*Siš. cum Taur. I, Dom. Maz. Chiffl.*). Memoria omnium SS. Patrum et cognatorum S. Basilii Magni (*Hor. Itg.*).

† MM. Eusebii, Romani, Meletii, Charalampi, Christinæ et aliorum, Nicomediæ combustorum (*Bas. Chiffl. Med. Maz. Sirm. Taur. I*). † Eupli, mart. (*Chiffl.*). † Hermii (*GP.*). † Copri (*Laur.*). † Andreæ, mart. CPoli (*Acta SS.*).

OBSERVANDA.

S. Isaacius. De Isaacio, quem Genebrardus insulse mutavit in Haacium, recolantur optimæ adnotationes Mazochii, p. 435. — Familia S. Basilii potest sequenti stemmate repræsentari, quod nos hic subjicimus. *Cognatio S. Basilii Magni.*



In Martyrologio Basilianorum commemorantur hodie tantum parentes S. Basilii Magni, Basilius et Eumelia. Prædicta tabella non omnino convenit cum computo Bollandianorum; hi siquidem numerant tres fratres et sex sorores, quarum tres voverint castitatem; illa vero ponit sex fratres et tres duntaxat sorores, qua de re consulantur, si lubet, Acta SS. ad præsentem diem. — Martyres Nicomedienses referuntur in solis codicibus Græcis hodie et postridie; horum tres, Eusebius, Charalampius et Christina nominatim consignantur utroque die. Porro S. Christina minime diversa est ab ea, quam cum nota *passionis* refert marmor Neapolitanum 31 Maii. Rectius tamen ponuntur hoc die, quem glorioso martyrio illustrasse dicuntur in Græcorum libris liturgicis. Qua occasione notare liceat et illud, Meletium in Bas. audire *Mentium*, in Med. vero *Teleium*, similiter S. Charalampium mutatum esse in Chiffl. et Med. in *Barlamum*. Ad hæc in Med. additur: *Eorum synaxis peragitur in æde S. Iraidis, virg. et martyris.* — S. Coprum martyrem retulimus ex codd. Hierosol. et Naniano ad 9 Aprilis, quo commemoratur simul cum Patermuthio. — Imprimis commendata velim Acta S. Andreæ Chiensis, qui CPoli a Turcis pro fide Christi tormenta passus est, anno 1465. Exstant apud Bolandianos, ad 30 Maii, a pag. 185. *S. Eusebius et soc.* *S. Coprus.* *S. Andreas, mart.*

DIES XXXI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Hermii, mart. (*Mst. Put. Tern. Par. I, Rum. Chil. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Sirl. Hier. Coisl. Vind. Msq. Mg. Sirm. Dom. Maz. Flor.*). S. Hermæ, apost., unius ex 70 discip. (*Men. Prol. Kal. Hor.*). S. Philosophi, mart. (*Menol. Kal. Prol.*). Inventio corporis S. Theodosii, heg. Kievo-Cryptensis (*Rum.*).

† Joannis, ep. Gothiæ (*Chiffl.*). † Isacii (*GP.*). † Eusebii et Charalampii (*Chiffl. Sirm. Maz.*). † Christinæ, mart. (*Neap.*). † Josephi ab Arimathæa.

OBSERVANDA.

S. Hermius. In Callipol. ponitur S. Isacius loco S. Hermii, ordine dierum interverso. At lectio Saxo-Gothani Synaxarii, exhibens S. Germanum, omnino est scribæ oscitantiæ tribuenda. In codice nempe legitur ita: γερμ., teste Matthæi, qui Kalendarium istud CPolitanum publici juris fecit. Simili modo Possevinus et Paris. I, uterque sæpe corruptus, referunt S. *Heremiam* pro Hermio. Cætera ad institutum meum non pertinent. — In Prologo Rumiantsoviano qui sæculo decimo tertio exaratus est, annuntiatur, veluti pro coronide mensis Maii, *Allatio reliquiarum sancti patris Theodosii, hegumeni Cryptensis;* cujus sacræ exuviæ inventæ fuerunt anno 1091. Utrum hæc allatio pro inventione sumenda sit, an translationis alicujus memoriam significet, in incerto manet. Sane translationis festum agitur 14 Augusti. Præcipua vero sanctissimi monachorum Ruthenorum protoparentis festivitas celebratur 3 Maii, quo satis a me illustratus est. — S. Josephum recoli a Græcis die *Inventio corporis S. Theodosii.* *S. Josephus ab Arimathæa.*

DIES PRIMUS JUNII.

die 31 Maii, auctor est Schioppalalba in Dissertatione in perantiquam sacram tabulam Græcam a card. Bessarione dono datam pag. 33, ed. Venet. 1767; at in libro Triodii Paschalis, seu, ut apud Slavos audit, *floridi*, memoria ejus signatur Dominica Unguentiferarum, quæ est ordine tertia. Etiam in Martyrologio Romano nomen ejus legitur, sed, ut testatur Bollandus, multo serius inscriptum, nempe post annum 1585 et quidem ad diem 17 Martii, non autem ad 7, ut errore posuit Schioppalalba. Apud Siberum exstat in S. Josephum sequens distichon ad XXIII Martii :

Φέρων σε φεύγει, Σῶτερ, Ἰωσὴφ, πάλαι,
Καὶ νῦν Ἰωσὴφ ἄλλος ἐνθάπτει φέρων.

Olim ferens te, Salvator, exulat Josephus;
Et nunc alter Josephus te fert sepeliendum.

Versiculi isti succedunt apud Siberum duobus distichis in crucifixum Salvatorem et in latronem cum Christo cruci affixum; unde palam fit, memoriam S. Josephi incidere in sabbatum majoris hebdomadis, quo recolitur sepultura Christi Domini.

MENSIS JUNIUS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. PASSIO SS. MM. HERMYLI, STRATONICI (*Maz. Sirl. Mg.*). ET JUSTINI, PHILOSOPHI (*Mst. Tern. Par. Prol. Men. Chil. Leop. Novg.* 2. *Kal. cum Bas. Neap. Sirm. Chiffl. Dom. Maz. Mg.*).

Ex variis. SS. MM. Justini et sociorum Charitonis, Charitæ, uxoris, Evelpistii, Hieracii, Pæonis, Valeriani seu Liberiani et aliorum (*Rum. Men. Prol. Novg.* 2, *Siš. Kal. cum Bas. Sirm. Dom. Maz. CP. Hier. Coisl. Vind. Msq. Mg.*). SS. MM. Ptolomæi, Lucii et alius, Romæ (*Menol.*). Dionysii Glušicensis (*Prol. Men. Kal. Pp.*). S. Agapeti, mon. Kievocryptensis (*Pat. Menol. Pp. Kal.*).

† Firmi, mart. (*Mg.*). † Thespesii, mart. (*Mg.*). † Neonis, ep. Pyrrhi et mart. (*Chiffl.*). † Hypatii, ep. (*Sirl. Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Hermylus et Stratonicus. Quemadmodum ad 30 Januarii de SS. Hermilo et Stratonico egerunt Kalendaria Slavica omnia, excepto solo Ostromirano; ita hodie quoque solum ex Slavicis est quod utriusque martyris memoriam faciat, adstipulantibus quibusdam Græcis, at paucis numero. Habet autem præfixam notam *passionis*, quæ, quatenus respicit S. Justinum, reperitur etiam in Mstisl., Rum., Neap. et Bas. Notandum tamen est, emortualem S. Justino diem fuisse non hunc, sed 17 Junii; duos præterea Justinos martyres, quorum alter philosophus, alter cum S. Charitone aliisque certasse perhibetur, constanter discriminari a Græcis et Slavis, quamvis minime distinguendos esse statuant viri non indocti. De qua controversia, ne in aliena incurram, adeantur imprimis Mazochius in commentariis ad hunc diem, Tillemontius, Assemanus et Bollandiani in Actis SS. Aprilis, t. II, pag. 104, et Oct., t. VII, pag. 386; ubi de SS. Ptolomæo et Lucio. Atque hæc de S. Justino, philosopho dicto. Nam de altero legi possunt eadem Acta SS., ad primam Junii, pag. 16; cujus socius, S. Chariton, adscriptus est in editione Scholzii recentiore ad diem proxime sequentem.—Simul cum S. Justino philosopho celebrantur hodie SS. Ptolomæus, Lucius et tertius quidam ignotus nomine; quorum certamini adstitisse perhibetur *philosophus*, antequam martyr evaderet ipse : quin et certaminis memoriam in celebri sua *Apologia* posteris reliquit adumbratam. — Quæ de SS. Agapeto et Dionysio conjiciendo scripsit Papebrochius in Prolegomenis ad mensem Maium, et pag. 135, ea pleniorem notitiam expostulabant omnino. Dederat quidem eam Kulčinius, at nonnisi dimidiatam; siquidem Dionysium silentio præterire maluit, eo quod nomen ejus in libris suis non repererit; imo pro S. Agapeto amanuensis errore positum esse declaravit. Solet autem S. Agapetus, medicus ἀνάργυρος, slavice *bezmezdny*, seu gratis curationes præstans, appellari; adeoque pace Assemani dicam, jure merito in dubium vocavit Papebrochius interpretationem istius vocabuli a Sparwenfeldio datam, qua significabatur vir *vindictæ non cupidus*. Sed audiantur *Memoriæ*.

S. Ptolomæus et soc.

S. Agapetus et Dionysius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Agapetus, mon. Kioviensis. Agapetus, Kioviensis, ab Antonio tonsuram suscepit, ejusque vitam non contemplatus modo, (initio namque cum sancto magistro, vivebat in eadem crypta,) sed etiam imitatus est. Postmodum in cœnobio fratrum consortio utebatur, et regularum observantia eminuit adeo, ut donum sanandi morbos a Deo obtinuisse diceretur. Infirmis fratribus obsequia quævis præstabat libenter, et cella sua relicta, curabat eos diligentissime. Sanabat autem ægrotos ope quarumdam herbarum, quibus vescebatur ipse, vel precatione, qua herbas istas fieri salutiferas, Deo ita volente, aiebat. Quare adducebantur ei ægroti ex universa urbe; et sanati redibant omnes, etiam obstinatiori morbo detenti. Porro contigit, ut in gravissimum morbum inciderit Vladimirus Monomachus, tum Tchernigoviæ dux. Vocatur medicus quidam Armenus, a quo tamen nil juvaminis accepit ægrotus. Itaque rogant hegumenum Cryptensem Joannem, ut sine mora ad principem mitteret Agapetum. Verum Agapetus, qui nunquam pedem protulerat foras, e monasterio egredi renuit, satisque habuit mittere ægroto herbarum suarum partem. Quas ut gustavit Vladimirus, continuo convaluit. Cum igitur sanus ad monasterium venisset, sospitatori suo gratias acturus, ne videre quidem Agapetum potuit; sed abire debuit, relictis ad januam Agapeti magnis muneribus; quæ vir Dei superioris arbitrio permisit intacta. Sanabat nempe omnes gratis, ideo ἀνάργυρος cognominatus. Tandem pœnitentiæ laboribus fractus, in senectute bona obiit circa annum 1095, die 1 junii.

Cfr 1) Prologus, ex Paterico ad h. d. 2) Kulčinii Specim., pag. 24. 3) Dict. hag., pag. 8. 4) Menol. Verš. ad h. d.

Aliis

Dionysius, Glušicensis.

Aliis aliam vivendi rationem instituentibus, eam, quæ orientalibus lauris propria est, vivendi formam in boreales regiones invexit Dionysius, Glušicensis monasterii fundator. Porro natus est Dionysius, a baptismo Demetrius, prope Vologdam et accepit tonsuram a Dionysio Athonita, tunc Lubenscensis monasterii hegumeno, deinceps autem episcopo Rostoviensi. Peracto novennio, vicinam regionem peragravit cum Pachomio comite, solitudinem quærens, stetitque ad vicum S. Lucæ, et monasterium, quod olim exstiterat ibidem huic Evangelistæ dicatum, instaurayit, ecclesia S. Nicolai auxit anno 1393, et aliquandiu gubernavit. Tum, Pachomio in sui locum suffecto, ulterius in eremo progressus, alte rum cœnobium instituit ad Glušitsam fluvium anno 1403; unde ei Glušicensis cognomen. Lauræ nomen mox obtinuit id monasterium, tum ob monachorum multitudinem, tum propter auctoritatem quam in alia tria monasteria a Dionysio fundata exercuit, utpote quæ proprio carebant hegumeno, et a Glušicensi in omnibus pendebant. In quibus unum, in loco Sosnovets erectum, valde gratum sibi habuit, et in locum sepulturæ suæ elegit. Quæ omnia in monastica disciplina instituit, imaginibusque a se ipso pictis et codicibus manu propria exaratis ditavit. Tandem, innumerorum alumnorum parens effectus, in monasterio Pokroviensi obiit anno 1437, die 1 junii, in tumulo, quem sibi paraverat, conditus. Sanctorum Russiæ albo adscripsit Dionysium concilium Mosquense, anno 1547 celebratum.

Dies II Junii.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Menol. Verš. ad h. d. 3) Dict. hag., pag. 96. 4) Philar., Hist. Eccl. russ. t. III, pag. 145 et 158.

DIES II.

Ex Ostromirano. Memoria S. P. N. Nicephori (*Omnes cum Bas. Hier. GP. Sirm. Maz. Dom. Flor. Coisl. Vind. Msq. Mg.*).

Ex variis. S. Erasmi, ep. et mart. (*Ass. Tern. Novg.* 1, *cum Neap. Mosch. Sirm.*). S. Alexandri, patr. CPolitani (*Hor. Prol.*). S. Joannis Sučaviensis, mart. (*Men. Kal. Pp.*). [Constantini Agareni (*Ath.*)].

† Petri, mart. (*Neap.*). † Luciani, mart. (*GP.*). † Pyrrhi, ep., Gerasimi et Erasmi (*Sirm.*). † Martyrum triginta octo (*Chiffl.*). † Matris et trium liberorum (*Chiffl.*). † Mille martyrum Antiochiæ (*Sirm.*). † Acacii, mart. (*Sirm.*). † Attali, mart. (*Sirm.*). † Hermyli et Stratonici (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Erasmus. Observatu digna est hodierna commemoratio S. Erasmi, utpote Bulgaricorum codd. propria, recentioribus vero Slavicis ignota : in his enim celebratur 4 Maii. In marmore Neap. recte signatur : *passio;* quæ hoc die reapse contigit. In Novg. 1 vocatur *pater noster et archiepiscopus.* In offiiciis Ecclesiæ Bulgaræ, Moschopoli editis, habetur : *Memoriam celebramus sancti hieromartyris Erasmi qui Achridæ;* imo episcopus *Formiensis* nuncupatur in Menol. Prologo et apud Veršinskium. Verum non Formiensis, sed incertæ sedis in Syria episcopus erat Erasmus, primo Antiochiæ, dein Sirmii et Singiduni (hodie Belgrad in Serbia), ac tandem Formiis in Campania, sub Diocletiano et Maximiano tormenta passus; de quo legantur Acta SS., pag. 211. — S. Alexander erat coævus et in laboribus socius S. Metrophanis, primi patriarchæ CPolitani, de quo versabitur sermo die proxime sequenti. — Kulčinius fatetur ingenue se prorsus nihil reperisse in suis libris de Joanne, qui tamen in Kalendario Mosquensi vocatur megalomartyr, diciturque gloriosam obiisse mortem Belgradi, anno 1492; imo exstat Mosquæ in ecclesia Dormitionis B. M. Virginis sacellum huic martyri dicatum, teste Kalendario pag. 273; unde sicuti de cultu Joannis ecclesiastico dubitari nequit, ita nec inter Græcos est inquirendus, ut declarabunt Memoriæ Slavicæ hujus diei. — S. Petrus, exorcista, jungi solet cum S. Marcellino presbytero, quem martyrii sui socium habuit. Cfr Acta SS., pag. 170. — In *novo martyrologio* Græcorum, anno 1856 edito, quod citatur in Paterico Montis Atho, tom. II, pag. 415, annuntiatur *Vita et passio sancti et inclyti neomartyris Constantini natu Agareni, qui Cydoniæ tormenta passus est et CPoli vita functus.* Erat hic Mytilena oriundus atque in Agarenorum erroribus exultus; at dein christianam religionem juvenis professus est, quam ad vitæ finem usque fideliter tenuit. Obiit autem hoc die, postquam quadraginta dierum spatio variis pœnis fuisset afflictus.

S. Alexander, patr. CP.

S. Joannes Sučaviensis.

S. Petrus.

Constantinus Athonicus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Joannes Sučaviensis. Passus est anno 1492 Belgradi ad ostium Tyræ siti (hodie Akerman); unde corpus ejus Sučaviam, quæ est Moldovlachiæ urbs, olim princeps, translatum est, imperante Voivoda Joanne Alexandro. Hinc cognomen martyris Sučaviensis. Porro Joannes iste Trapezunte erat oriundus, agebatque mercaturam. Accidit autem, ut quadam die, Belgradum cum mercibus tendens, de rebus ad fidem spectantibus disceptaverit cum itineris sociis. A quibus apud præfectum Belgradensem traductus, et quasi solem adorare vellet falso denuntiatus, cum nec blanditiis, nec minis a christiana fide averti posset, exquisitis tormentis cruciatus ac tandem capite plexus gloriosum martyrium consummavit. Agonem ejus fuse enarravit Gregorius Semivlachus, tunc in monasterio Pantocratoris hegumenus, deinceps vero Ecclesiæ Kioviensis metropolita, qui etiam S. Parasceviæ Ternoviensis Vitam conscripsit. Verum Gregorii scriptio de Joannis martyrio, prout eam exhibent libri modo citandi, artis criticæ cribro agitanda est. Exstat officium liturgicum.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Menolog. Verš. ad h. d. 3) Acta SS. Jun., tom. I, pag. 263 et 264. 4) Assemani Kalend., VI, pag. 404. 5) Kulčinski Specim. pag. 83 et 308.

Dies III, IV et V Junii.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Luciani, mart. et soc. (*Mst. Par. I, Rum. Og. Pp. Men. Kal. Novg.* 1, *cum Sirm. Msq. Flor. Goth.*). S. Luciani, mart. Tarsi (*Prol. Kal.*). S. Lucilliani, mart. et quatuor puerorum, Claudii, Hypatii, Pauli et Dionysii, et S. Paulæ, virginis (*Siš. Chil. Og. Pp. Leop. Men. Prol. Kal. Hor. cum Bas. Med. Hier. Sirm. Dom. Maz. Mg. Flor. Chiffl.*). S. Metrophanis, patr. CPolitani (*Tern.*). Translatio corporis S. Demetrii principis Uglicia Mosquam (*Men. Pp. Kal.*).

† Nicephori, patr. CPolitani (*GP.*). † Athanasii, thaum. et mon. in Asia minore (*Chiffl.*). † Achillæ, patr. Alexandrini (*Dom.*).

OBSERVANDA.

S. Lucianus, uterque. Duo martyres Luciani nomine insigniti referuntur hodie; quorum alter martyrii socios habuit Maximianum et Julianum, tempore Domitiani; alter Tarso oriundus, certavit solus. In Kalendario omnium sanctorum Mosquensi perperam confunditur uterque. In Horologio Počajovensi agitur de solo martyre Tarsensi, non secus ac in Prologo. Cæterum magnam parit confusionem nominum *S. Lucillianus.* Luciani et Lucilliani similitudo. — Mazochio est S. Lucillianus idem ac S. Lucianus; verum distinctus ab eodem prodit in Horologio et in Græcorum Menæis, ut constat ex sociis ibidem adjectis. *S. Paula.* — S. Paulina, aliis Paula, in Menæis quidem plerisque eodem quo præcedentes encomio continetur; at in Menologio Basilii seorsim inscripta legitur, ac si minime ad eorum comitatum pertineret. Separatim quoque ab aliis refertur in Horologio Leopolitano. — Quamvis S. Metrophanem *S. Metrophanes.* hoc die inscriptum inveniam in Kalend. Ternobiensi, quod humanissime submiserat mihi cl. Fr. Miklosich, manu propria exaratum, eum tamen nonnisi hæsitanter hodie refero, tum quia vulgo affigi solet diei sequenti, tum quia in apographo Miklosičiano quintus dies desideratur, ac proinde per anticipationem hoc die videtur consignari.

DIES IV.

Ex Ostromirano. MEMORIA S. PATRIS NOSTRI METROPHANIS, ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. Vind. Goth. Pg. Flor. Msq. Sirm. Dom. Maz. Mg.*).

Ex variis. S. Andreæ, ep. Cretæ (*Rum. cum Sirm. Taur. II*). S. Astei, ep. Dyrrachii (*Prol. Kal.*). SS. MM. Frontasii, Severini, Severiani et Silani (*Men. Kal.*). SS. MM. Marciani, Nicandri (*Tern.*). S. Concordii, mart. (*Men. Kal.*). S. Zosimi, ep. (*Men. Kal.*). [Methodii, heg. Pesnošensis (*Kal.*).]

† Joannis, hegum. Monagriensis et mart. (*Chiffl.*). † Nicephori, archiep. CP. (*GP.*). † Sophiæ, viduæ in Thracia (*Chiffl.*). † Alonii, abb. in Ægypto (*Chiffl.*). † Marthæ et Mariæ (*Sirl. Taur. II*).

OBSERVANDA.

S. Metrophanes. Die IV Januarii recolebatur olim S. Metrophanes a Neapolitanis, teste Kalendario marmoreo. Erat porro S. Metrophanes primus Byzantinorum episcopus, ab anno scilicet CCCXV ad annum CCCXXV. In Kal. CP. vocatur jam patriarcha: de quo qui plura legere cupiat, evolvat volumen a Morcellio editum; præsertim vero consulat Acta Sanctorum hujus diei, quo acta S. Metrophanis illustrantur a pag. 384, et non pauca reperiuntur de S. Alexandro, successore ejus dignissimo. Menologii et Prologi Slavonici compilatores, fabuloso pseudo-Dorothei catalogo episcoporum Byzantinorum inhærentes, fictitios commemorant S. Metrophanis prædecessores, Probum et Dometium, quorum nomina prorsus expungenda. Quæ de S. Metrophane adnotavimus pridie, occasione cod. Ternobiensis, eadem valent de SS. Marciano et Nicandro, quos idem codex hodie profert, anticipando cæteros omnes uno die. — De S. Concordio, epi- *S. Concordius.* scopo Hiberno, prope Camberiacum in Sabaudia sed non martyre, tractant hodie Acta SS., pag. 413. An idem sit ac S. Concordius, martyr, dubitatur valde. — Vide quæ de S. Joanne, hegumeno Me- *S. Joannes Menagriensis.* nagriensi, disputantur in Act. SS., Oct. tom. VIII, pag. 130. — Iterato S. Nicephorum, patr. CPoli- *S. Nicephorus, patr. CP.* tanum, refert Synaxarium GP. Scholzii; utrum id recte factum, an potius corruptela sit nominis Methrophanis, præsertim cum S. Nicephorus jam die præcedenti in eodem Kalendario legatur inscriptus, sub judice lis est. — Methodius Sergii *Methodius Pesnošensis.* Radoneženis alumnus et monasterii Pesnošensis institutor, floruit sæc. XIV, vita functus anno 1392, die 4 Junii. Cultus incertus. Cfr Dict. hag., p. 161, ed. 1862; Kalajdovič, Descriptio monast. S. Nicolai ad Pesnošam; Philar., Hist. Eccl. Russ., II, p. 115.

DIES V.

Ex Ostromirano. S. MARCIANI, MARTYRIS ET SOC. (*Mst. Rum. Novg. Men. Prol. Kal. cum Bas. Clar. Chiffl. Maz. Mg. Sirl.*).

Ex variis. S. Dorothei, ep. Tyri et mart. (*Chil. Og. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum GP. Coisl. Mg. Genebr.*). S. Dorothei, heg. (*Men. Verš. Ng.*). S. Anubii, conf. eremitæ in Ægypto (*Men Kal.*). S. Theodori, thaum. (*Men. Prol. Kal.*). S. Eustathii, patr. Antiochiæ (*Par. cum Hier. Nan. Chiffl. Med. Mg. Crypt. Marg. Sirl.*). S. Hilarionis Junioris, heg. CP. (*Siš. Novg.* 1, *cum Clar. Div.*). Igoris, princ. Tčhernigoviæ (*Men. Kal. Prol.*). [Constantini, metr. Kioviæ (*Men. Kal.*).] Obitus Theodori, princ. Jaroslaviæ (*Ps. Kal. Prol.*). Memoria liberationis ab alienigenis, ope et precibus SS. Deiparæ et semper Virginis Mariæ obtentæ (*Mst. cum Nan. Vind. CP.*).

† Zenaidis, mart. (*Neap. Chiffl. Sirl.*). † Cyriæ, Valeriæ, Marciæ, mart. (*Sirl.*). † [Æsiæ et Suzannæ] (*Chiffl.*). † Quinque virginum (*Chiffl.*). † Sebastianæ, thaum. (*Vind.*). † Cononis, mart. Romæ (*Chiffl.*). † Christophori, mart. Romæ (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA.

SS. Marcianus et soc. S. Marcianus et soc. annuntiantur in Mstisl. et Novg. generali formula : ***passio sanctorum decem martyrum.*** In Rum. minus recte : ***SS. MM. Nicandri, Marciani et aliorum decem.*** Hi cæteri sunt : Hyperichius, Apollo, Leonidas, Arius, Gorgius, Selinius, Irinius (lege Selenias, Irene) et Pambo. In Annal. Pscov. IV, p. 187, mendose referuntur *S. Dorotheus.* ad IV Julii. — S. Dorotheus, ep. et martyr., de quo etiam die sequenti, imprimis distinguendus est a S. Dorotheo, hegumeno, et duobus aliis, Juniore et Thebano. Quorum publicum cultum incertum duxit P. Janningius, eo quod in Græcis Synaxariis et Fastis Latinis nulla vestigia repererit. Verum contrarium suadent Synaxaria Slavica, e græcis fontibus sane deprompta. De Dorotheis uberes commentarios suppeditat opus Bollandianum, pag. 434 et 591. — De Igore Constantino et *Igor Kioviensis.* Theodosio cfr ***Memoriæ Slavicæ.*** — Memoria liberationis ab Avaris disertis verbis exprimitur in *Memoria Liberationis.* Synaxariis Græcis pervetustis, CPolitano, Vindobonensi, Naniano; et quidem duplex fiebat olim CPoli supplicatio publica, in Campo altera, altera in templo urbis. In CPol. nominatur ecclesia S. Gregorii theologi; at in Nan. et Vind. ecclesia S. Babylæ. Non videtur festum istud esse diversum ab illo, cujus meminit codex, longe ante Tartarorum invasionem exaratus. — Exstat in monasterio Alexandri Nevensis, Petropoli, sacellum Theodori *Theodorus.* Jaroslaviensis nomini sacrum, ubi peculiaris solemnitas agitur quotannis hoc die. — Quæ ad S. Eu- *S. Eustathius.* stathium spectant, dicta sunt alibi, ad 21 Februarii. — S. Zenais memoratur apud Sirletum una *S. Zenais.* cum SS. Cyria, Valeria et Marcia, passis Cæsareæ, a quibus tamen sejungenda. In Neap. profertur sola; in Chiffl. subintelligenda cum cæteris quatuor : de quibus dicetur modo.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Igor, magnus dux Tchernigoviæ et Kioviæ. Igor, Olegi filius, S. Vladimiri I pronepos, thronum Kioviensem occupavit anno 1146, quod tantum duodecim dierum spatio tenuit. Etenim, invidia ducti Kiovienses, vocarunt ad se Perejaslaviæ ducem Iziaslaum, qui magnis copiis instructus Kioviam sine mora properavit. Committitur prœlium ; in quo adversante fortuna victus, captivus abducitur Igor, et in carcerem traditur ab Iziaslao, nova bella spirante. Quem ut a sanguine fundendo arceret Igor, mundo sceptroque valedixit et monachi habitum assumpsit. At ne in monasterio quidem securus permanere potuit : nam Kioviensis plebs, cædem ejus de novo spirans, monasterium invadit ; sanctumque principem nebulones morte afficiunt anno 1147, obnitentibus licet regni clerique primoribus, mortuique corpus, funibus ligatum, in urbem trahunt et in forum publicum projiciunt. Die sequenti collegit illud Clemens metropolita et in ecclesia S. Simeonis honorifice tumulavit. Inde Tchernogoviam solemni pompa translatum est anno 1150.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Menolog. Verš. ad h. d. 3) Dict. hag., pag. 116. 4) Annales II, pag. 34 et 53. 5) Philar., Hist. Eccl. Russ., t. I, 97, 136.

Constantinus, metropolita Kioviensis. Successit Constantinus in sede metropolitana Clementi, anno 1156, seditque annos quatuor. Quibus peractis, a Mstislao, Rostislai filio, sede pulsus, secessit Tchernigoviam, ubi morbo correptus, mox supremum diem obiit, qui fuit quintus junii, anno 1159. Moriturus episcopum loci sacramento obstrinxit, ut corpus suum demortuum funibus extra urbem trahi et canibus in escam projici juberet. Obtempe- ravit quidem episcopus, verum tertio post obitum die, in ecclesiam cathedralem honorifice intulit, jubente Sviatoslao Tchernigoviæ duce, et juxta Igorem, a Kioviensibus interfectum, posuit. Plura de hoc metropolita, Clementis æmulo, egi tomo X Actorum Sanctorum, ad 24 Octobris, in commentario prævio ad vitam B. Arethæ, monachi Cryptensis. Cultus incertus.

Cfr 1) Menæa, ad h. d. 2) Menolog. Verš. ad h. d. 3) Dict. hag., pag. 155.

Theodorus, dux Novgorodiensis. Theodorus, anno 1219, patre Jaroslao II natus, et omnibus boni principis virtutibus conspicuus, dum anno 1231, vitæ suæ tertio super trigesimum, ad nuptias celebrandas sese parabat, morte præreptus esse traditur, die 5 junii.

Cfr 1) Karamzin, III, pag. 255 et 258. 2) Dict. hag., pag. 276. 3) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d.

DIES VI.

Ex Ostromirano. PASSIO SANCTARUM QUINQUE VIRGINUM MARTHÆ, MARIÆ, THECLÆ, ZENAIDIS ET NEMMONIÆ (*cum Sirm. Med. Mg.*).

Ex variis. S. Dorothei, ep. Tyri et mart. (*Mst. Par. I, Novg.* 1, *Tern. Rum. Siš. Og. Pp. cum Hier. Chiffl.*). S. Hilarionis Junioris, heg. monasterii Dalmati (*Chil. Og. Pp. Hor. Men. Verš. Prol. cum Coisl. Mg.*). S. Bessarionis (*Chil. Og. Pp. Men. Verš. Hor. Prol. cum GP. Coisl. Vind. Flor. Typ.*). SS. virginum et martyrum, Archelaæ, Theclæ et Suzannæ (*Men. Kal.*). S. Marciani, mart. (*Eph. Pp.*) [S. Theodori (*Novg.*)].

† Encænia ecclesiæ S. Petri (*Sirm.*) † Epiphanii, patr. (*Sirm.*). † MM. Eusebiæ seu Æsiæ et Suzannæ (*Clar. Div. Maz. Dom.*). † Et Zenaidis, thaum. et mart. (*Iidem*). † MM. Cyriæ, Valeriæ et Marciæ, Cæsareæ (*Chiffl. Sirm. Bas. Maz.*). † Attali, thaum. (*Chiffl. Dom. Maz. Mg. Med.*). † Photi seu Lucii (*Chiffl.*). † Anthimii, ep. et mart. (*Neap.*). † Gelasii, mr. (*Chiffl. Maz.*). † Amelthæ (*CP.*). † Christophori et Cononis, mm. Romæ (*Clar.*). † Anub, erem. in Ægypto (*Chiffl.*). † Marthæ et Mariæ, Unguentiferarum (*Sirm.*). † Polycarpi (*Neap.*).

DIES VII JUNII.

OBSERVANDA.

SS. Quinque Virgines. SS. quinque Virgines passæ sunt sub Sapore, rege, in Perside, sexto Junii, ut auctor est Assemanus in Actis martyrii Syriacis. Porro quinque omnino turmæ mulierum occurrunt nobis hodie, sedulo discriminendæ. De prima agetur infra ad 9 Junii; secunda est Salernita, de qua Latini agunt 18 Januarii; ad tertiam spectant SS. Eusebia et Susanna; quartam faciunt martyres Cæsareenses, S. Cyria, Valeria et Macia, in Menol. Mosq. Cyriaca, Caleria et Maria; quintam denique illustrarunt SS. Thecla et altera Zenais. In Menæis Græcorum excusis celebrantur sanctæ quinque virgines, omissis nominibus; in Sirm. et Med. nominantur tantum Martha et Maria; at Nemmonia nuspiam alibi reperitur præterquam *S. Marcianus, mart.* in Ostromirano. — S. Marcianus, martyr, primo loco venit in Ephem. Græco-Moscis et in Pap. manuscripto; item in Menol. Basilii, sed die 7, quo profertur secunda vice; in Assem. et Med. consignatur die 8. — S. Hilarion, qui idem est ac sanctus cognomen diei præcedentis, præfuit celebri monasterio, quod CPoli fundaverat insignis vir, Dalmatus nomine. Cfr Act. SS., pag. 758. — *S. Hilarion.* In nullo, quod sciam, Kalendario Græco obviam *S. Archelaa et soc.* sunt hoc die S. Archelaa et sociæ, quæ martyrium passæ sunt sub Diocletiano, Salerni. Cfr Act. SS., Jan. XVIII, p. 190. — S. Eusebia passim Æsia *S. Eusebia et soc.* (Αἰσία) vocatur, non tamen in Sirmundiano; insuper dicitur fuisse discipula S. Pancratii et Suzannæ. Utrique additur in Sirm. S. Zenais, thaumaturga; *S. Zenais.* at apud Sirletum S. Eusebia refertur pridie una cum SS. Cyria, Valeria et Marcia, nescio qua ratione; cum utraque turma nil commune habeat cum S. Archelaa. — S. Anthimum ab alio mar- *S. Anthimus.* tyre cognomine, sed presbytero, distinguendum esse præstabilius ducit cl. Mazochius; fusamque ea de re instituit disquisitionem, quam indicasse hoc sufficiet.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Paisius Galicensis. Monasterio Assumptionis, quod etiam Paisianum vocatur, præfuit Paisius ad annum 1504, quo obiit. Est autem id monasterium non ignobile ob Beatæ Mariæ Virginis iconem, quam miraculis claram volunt indigenæ et quam Mosquam secum detulit Paisius; qui et privilegia quædam suo monasterio a magno duce Basilio impetrasse perhibetur. Colitur etiam die 23 maii.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 225; 2) Muraviev, ad. h. d.

Paisius Uglicensis. Alter hic Paisius colitur Ugliciæ ad hanc eamdem diem, qua obiisse traditur, anno 1506. Macarium Kolazinum, suum avunculum, habuit in vita monastica ducem et magistrum, quin et tutorem alterumque parentem. Etenim, cum patre et matre fuisset orbatus annorum undecim puer, a præclaro viro in monasterium Kolazinum susceptus est et tonsura insignitus. Anno 1493, monasterio Patrocinii B. M. V., prope Ugliciam, ab Andrea principe loci præpositus, et a Tychone, episcopo Rostoviensi, sacerdos factus, fratrum regimini summa omnium laude præfuit usque ad obitum.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 225. 2) Muraviev, ad h. d.

DIES VII.

Ostromiranum. Ex variis. Vacat.

S. Theodoti Ancyrani, mart. (*Mst. Par. Tern. Rum. Prol. Novg.* 1, *Chil. Og. Kal. Hor. cum Bas. GP. Pg. Flor. Sirm. Chiffl. Maz. Mg.*). SS. MM. Marcelli, papæ, Sisinnii et Cyriaci, diaconorum, Aproniani, commentarisii, Papiæ et Mauri, militum, Smaragdi, Largi, Saturnini et Crescentii; et SS. mulierum Priscillæ et Lucinæ, et S. Artemiæ, reginæ (*Men. Kal.*). SS. mulierum Cyræ seu Cyriacæ, Valeriæ et Marciæ (*Prol. Men. Kal. cum Mg.*).

† Anthimi, presb. et Stephani (*Sirm. Chiffl. Med. Maz. Mg.*). † Cyrilli, ep. Alexandriæ (*Neap. Med. Taur.*). † Nicandri et Marciani, mr. (*Bas.*). † MM. Eusebiæ seu Æsiæ et Suzannæ, discipularum S. Pancratii et Zenaidis, thaum. (*Mg.*). † Lycarionis, mr. (*Mg.*). † Michaelis, archangeli (*Med.*). † Tarasii et Joannis, mm. (*Div. Mg.*). † Sebastianæ, thaum. (*Chiffl. Sirm. Med. Maz. Mg.*). † Potamiænæ, mr. (*Chiffl. Sirm.*). † Ananiæ et Codrati, mr. (*Med. Taur.*). † Alexandri, ep. Prusæ, ep. et mart. (*Med. Taur.*).

OBSERVANDA.

S. Theodotus. In *Bas.* consignatur *martyrium et translatio* S. Theodoti; in Prol. Rum. sola translatio reliquiarum. In Novg. 1 loco *Ancyrani* vocatur *S. Marcellus.* *Ankraski*, quasi diceres: *Ancrasinus*. — Menologium Slavonicum agit de Marcellino Pontifice Romano, *tum utilitatis ergo, tum ut innotescat differentia inter Marcellum et Marcellinum.* Cfr. Acta *S. Potamiæna.* SS., 26 Apr. tom. III, pag. 412-414. — S. Potamiæna, Junior cognomento, qua tempore, qua conditione distincta est a S. Potamiæna *Seniore*, quæ a Latinis colitur die 28 Junii. — De SS. Ana- *SS. Ananias et Condratus.* nia et Codrato iterum meliusque agetur ad diem XII Junii. — Alteram Sebastianam, virginem et *S. Sebastiana.* martyrem Heracleæ, commemorant Acta SS. inter prætermissos et copioso commentario adumbrant in supplemento ad mensem Junium, tomo VI, parte I, pag. 37. Apud Græcos colitur die XVI Sept. et XXIV Octobris.

DIES VIII.

DIES VIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Theodori Stratilati translatio (*Mst. Ass. Tern. Par. Rum. Novg. I, Prol. Og. Ap. Chil. Pp. Hor. Kal. cum Bas. GP. Pg. Vind. Goth. Nan. Msq. Flor. Clar. Div. Dom. Maz. Mg.*). S. Ephrem, patr. Antiocheni (*Men. Verš. Prol.*). S. Zosimi (*Men. Kal.*). Theophanis, a Turcis CPoli perempti (*Synax.*). SS. MM. Nicandri et Marciani (*Kal. cum Sirm. Chiffl. Mg.*).

† Alexandri, ep. (*Neap.*). † Pauli Caioumensis, conf. (*Nan.*). † Calliopes, mart. (*Mg.*). † Melaniæ (*Chiffl.*). † Athris, abb. in Ægypto (*Chiffl.*). † Marci, mart. (*Chiffl.*). † Germani (*Sirl.*). † Naucratii, abbatis Studii (*Chiffl.*). † Memoria SS. Deiparæ in Sosthenio CPoli (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Theodorus.

Hodie agitur de translatione reliquiarum S. Theodori, ducis, Heraclea Ponti Euchaitam; non de martyrio, quod passus est 8 Februarii, qua iterum commemoratur. Hinc titulus Euchaiti, quem præfert in Flor. In Prologo duplex exstat sancti elogium, longius alterum, alterum brevius; quorum illud ex græco fonte recens haustum est. — Notanda est lectio codicis Assemaniani in quo primo loco refertur S. Nicander cum S. Marciano; secundo vero S. Theodorus, miles in Oriente. De Marciano et socio ejus egimus ad v et vi Junii. Primas autem ideo tenent, quia fortasse peculiari cultu gaudebant in loco ubi prædictum Synaxarium conscriptum est. Socius iste in Synaxario Divionensi vocatur Marcus, apud Sirletum autem Germanus. — De S. Alexandro ep. commemorant alii ad diem sequentem. Mazochius putat agi hodie in marmore Neap. de episcopo Prusæ. — In Synaxarista Nicodemi inscriptus est hodie Theophanes, a Turcis anno 1559 CPoli interfectus, cujus pleniorem notitiam hauriat, si lubet, ex opere prædicto curiosus lector.

S. Marcianus.

S. Alexander.

Theophanes.

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Alexandri et Antoninæ, virg. (*Mst. Ng. Pap. cum Sirm.*). S. Cyrilli, patr. Alexandrini (*Tern. Par. I, Rum. Novg.* 1, *Chil. Og. Pp. Men. Kal. Hor. Prol. cum GP. Pg. Vind. Msq. Chiffl. Mg.*). SS. Orestis, Diomedis et Rhodonis, mart. (*Siš. cum Taur. I, Dom. Maz.*). SS. MM. Theclæ, Marthæ et Mariæ, Mariamnæ seu Zenaidis, et Enneim seu Nemmoniæ (*Kal. Hor. Chiffl. Acta mart. Oriental.*). Cyrilli Belozerici (*Prol. Men. Pp. Kal.*). Alexandri, heg. Kuštensis (*Prol. Kal.*).

† Alexandri, ep. Prusæ et mart. (*Clar. Med. Maz. Chiffl. Dom.*). † Pelagiæ, mr. Antiochenæ (*Bas. Mg. Dom. Sirm.*). † Hypati in Rufinianis (*Nan.*). † Nicasii (*Neap.*). † Fortunati, ap. (*Nan.*). † Ananiæ et Condrati mart, (*Div. Maz.*). † Cyri (*Div.*). † Michaelis, arch. in Sosthenio CP. (*Sirm. Med.*). † Trium virg. et martyrum in Chio (*Chiffl.*). † Pansemnis, pœnitentis et Theophanis, reclusi (*Maz.*).

OBSERVANDA.

SS. Alexander et Antonina.

S. Cyrillus Alexandrinus.

S. Orestes et soc.

S. Thecla et soc.

In Men. Bas. SS. Alexander et Antonina, quæ et Antonides, referuntur die sequenti; item in Rum. Novg. 1 et aliis. Cfr Acta SS., III Maii, p. 381 et 744. — In Bas. S. Cyrillus venit 27 Junii; in Prologo iterum 18 Januarii simul cum S. Athanasio; in Mart. Romano et Actis SS., die 28 Januarii. — S. Rhodonem, Slavicis codicibus ignotum, exhibet Synaxarium Sirmundi.— Sexto die celebrata est memoria SS. quinque Virginum Theclæ, Marthæ, Mariæ, Zenaidis et Nemmoniæ, quas sicuti tunc ex Slavicis Synaxariis referebat solum Ostromiranum, ita hodie refert ex Græcis solum Chiffletianum. Sunt enim plane eædem, nisi quod quædam intercedat in nominibus varietas. Nempe pro *Zenaide* scribitur in Chiffletiano Mariamna, in Actis Syriacis, Maria, et in Hagiologio metrico Habessinorum Abia. Nemmonia vero in Actis Græcis Chiffletii vocatur Enneim (Ἐννείμ), in Syriacis Assemani Ama; in Hagiologio tacetur, sed exprimitur conditio ancillaris. Omnes tamen dicuntur virgines; et quidem in græco synaxario cognominantur *canonicæ*. De quo titulo deque SS. martyrum gestis vide Acta SS. Junii, t. II, pag. 173, et Octobris, t. X, pag. 730; Assemani, Acta mart. Orient. I, 123. — Cyrillus, quem inter monachos Sabaitas collocaverat Kulčinius in Specimine, pag. 83, apprime indigena est atque inter monachos suæ gentis non ultimæ notæ; ut palam fiet ex Memoriis Slavicis, quæ subduntur.

Cyrillus Belozerensis,

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Cyrillus Belozerensis.

Celebris est apud indigenas Cyrillus, Belozerensis monasterii fundator et rector; qui natus Mosquæ, piis et nobilibus parentibus, anno 1337, litterarum studio, moribus castis et pietate a puero excelluit. Quo vero saluti suæ vacaret securius, mortuis parentibus, in monasterium Simonianum abiit, ad Theodorum, archimandritam ejus simul et fundatorem. A quo, accepta tonsura cum nomine Cyrilli (vocabatur ante Cosmas), seniori cuidam, Michaeli nomine, viro in spiritualibus apprime versato ac deinceps ob magnas virtutes Smolenscensi Ecclesiæ præfecto, traditur instituendus. Tunc enituit vel maxime Cyrilli humilitas et obedientia omni numero absoluta; vilissima namque monasterii munia alacri animo obibat: dum autem panes coquebat, ignis aspectu æternæ damnatorum incendia ea devotione recogitabat, ut continuas lacrymas funderet; et quo pressius Christum Dominum sequeretur, stultus pro eo fieri decrevit. Impedire tamen non potuit, quominus, cælesti

DIES X ET XI JUNII.

cælesti ejus sapientia elucente, contra vota sacerdotio ornaretur; imo et in locum Theodori, ad Rostoviensem cathedram assumpti, sufficeretur aliquando. Habebat autem tantam virtutis famam, ut quotiescunque monasterium adibat S. Sergius, Cyrillum inviseret omnium primum, spiritualia cum eo tractaturus. Fratribus præpositus majori studio humilitatem et caritatem excolere cœpit, omniumque corda sibi devinxit. Verum salutis propriæ nunquam immemor, cum de solitudine quærenda frequenter cogitasset, imo et vocem cælitus emissam audisset, ad lacum Album pergere præcipientem, cœnobium clam reliquit et in locum divinitus sibi præmonstratum cum Theraponte properavit; cum quo in cellula aliquandiu degit. Mox ulterius progressus, in crypta a se effossa sedem fixit, soli Deo notus. At bono virtutum ejus odore manante, sociisque paulatim ad eum confluentibus, cellas addere coactus est, fratrumque regimen suscipere. Itaque ecclesiam Assumptionis et monasterium, deinceps famosissimum exstruxit, ubi strictiorem regularum observantiam induxit, eamque non tantum verbo et scripto, sed exemplo maxime, socios docuit. In Deum mire confidit, præsertim ubi rebus ad victum necessariis destituebantur fratres. Tandem miraculorum et prophetiæ fama conspicuus, postquam acerrimas dæmonum tentationes et infestationes invicto animo superasset, in morbum incidit: ex quo et mortuus est die 9 junii, anno 1427, hegumenatus sui trigesimo, ætatis vero nonagesimo. Vitam ejus scripsit Pachomius, Serbus, aliarum etiam Vitarum auctor non ignobilis.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Lib. Gradualis, II, pag. 47. 3) Hist. Her. Russ., IV, 385-391. 4) Dict. hag., pag. 153. 5) Philaret., Hist. Eccl. Russ., II, pag. 117.

Alexander, hegumenus Kuštensis.

Alexandrum, ortum Vologda, monasticæ vitæ genuit cœnobium Spasokamenense, ubi tonsuram accepit a Dionysio, hegumeno, et aliquandiu mansit. Tum in solitudinem contendens, sedem fixit ad fluvium Kuštam in cella, quam occupaverat Euthymius quidam eremita, et monasterium cum ecclesia Assumptionis ædificavit, Simeone et Demetrio, Jaroslaviæ ducibus locique dominis, præsertim vero Maria, Demetrii uxore, uberrimas eleemosynas largientibus. Obiit Alexander anno 1439, die 9 junii.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 61. 3) Menolog. Verš. ad h. d. 4) Murav., Vitæ SS. ad h. d.

DIES X.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Timothei, ep. Prusæ (*Mst. Tern. Par. Rum. Chil. Og. Pp. Men. Hor. Kal. cum Bas. Msq. Vind. Pg. Goth. Clar. Div. Dom. Maz. Mg.*). SS. MM. Alexandri et Antoninæ (*Rum. Novg. 1. Kal. Prol. Hor. cum Bas. GP. Sirm. Dom. Taur. I, Mg.*). S. Benjamini, mart. (*Siš. cum Sirm.*). S. Theophanis, Antiocheni (*Prol. Kal. cum Clar. Div. Maz. Mg. Med. Sirl.*). S. Bassiani, ep. Lydiæ (*Men. Kal.*). Alexandri Kuštensis (*Hag.*).

† Pansemnis, pœnit. Antiochiæ (*Clar. Div. Maz. Mg. Sirl. Med.*). † Barnabæ, ap. (*Neap.*). † Canidis, reclusi et confes. in Cappadocia (*Bas. Mg. Sirl. Marg.*). † Cyri (*Maz.*). † Apollinis et Alexii, epp. (*Mg. Sirm. Med.*). † Neanisci seu Juvenis, mart. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Timotheus. S. Timotheus vocatur in Mst. episc. Cypri; at in cæteris synaxariis sive Græcis sive Slavicis sedisse dicitur Prusæ, in Bithynia; quod vero propius est. Cfr Acta SS., pag. 273. — In recentioribus codd. Slavicis S. Alexander cum sociis affixus est huic diei; dum pridie refertur in quibusdam Kalendariis ætatis remotioris. Occurrit etiam ad 3 Junii. — S. Benjamin martyris titulo decoratus prodit in Synax. Græco Sirmundi, at a Bollandianis relinquitur incertus. Equidem arbitror esse eumdem ac Benjaminum diaconum, de quo actum 31 Martii, et iterum agetur 31 Octobris. — S. Barnabas translatus est huc e die sequenti. — S. Bassianus erat ep. Laudensis, ortu Syracusanus. Refertur in Martyrologiis Latinis die XIV, sed potissimum die XIX. — Neaniscus notatur quidem in cod. ms. quod Bollandianis erat olim in usu, at in Actis SS. omnino est prætermissus.

S. Alexander et soc.

S. Benjamin.

S. Barnabas.

S. Bassianus.

S. Neaniscus.

DIES XI.

Ex Ostromirano.

MEMORIA SS. APOST. BARTHOLOMÆI ET BARNABÆ (*Omnes cum Bas. CP. GP. Vind. Coisl. Chiffl. Flor. Msq. Goth. Sirm. Dom. Maz. Mg.*).

Ex variis.

S. Onuphrii, eremitæ (*Ass.*). [Barnabæ Vetlugensis (*Hag.*)].

† Maximi et Antonini (*Neap.*). † Apollinis, ep. (*Chiffl.*). † Gabrielis, archangeli (*Mg.*). † Theopempti et quatuor soc. (*Mg. Chiffl.*). † Zenonis (*Chiffl.*). † Triphylii (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Bartholomæus. In Rum. legitur: *Passio SS. apostolorum Valphromæi et Judæ;* unde liquet hanc scribendi rationem antiquitus fuisse in usu apud Russos; sed nec nostra ætate insolita est apud vulgus; bene igitur in Kalendario suo *Valphromeum* scripsit Possevinus, a Kulčinio temere carptus. Translatio reliquiarum S. Bartholomæi solemniter celebratur 25 Augusti. Num fuerit Arabiæ et Indiæ apostolus, declaratur Act. SS., tom. X Oct., pag. 672 et seq. Solum Barnabam refert Kalend. CPolitanum Morcellii, et commentariis illustrant Acta SS., pag. 421 et seq. — De S. Onuphrio melius agetur die sequenti; uti etiam de SS. Zenone et Maximo.

S. Onuphrius.

MEMORIÆ

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Barnabas, Vetlugensis. Venit Barnabæ Vetlugensis cognomen ex monasterio, quod ad Vetlugam fundaverat sæculo XV, quo floruit. Antequam autem illud instituerat, Vologdæ degit, ubi et in lucem editus est ac sacris initiatus. Obiisse traditur anno 1492, die 11 junii, SS. apostolis Bartholomæo et Barnabæ sacro, cum annos viginti octo in monasterio a se fundato in oratione et pœnitentiæ laboribus sese exercuisset. Cultum ejus jam ab antiquo invaluisse dicunt auctores indigenæ; at nullum vestigium reperitur in kalendariis.

Cfr 1) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 52.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Onuphrii Magni (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Novg. Chil. Og. Pp. Cap. Men. Mg. Prol. Hor. Kal. cum Bas. GP. Vind. Flor. Pg. Goth. Msq.*). S. Petri Athonitæ (*Og. Nan. Siš. Ap. Leop. Hor. Ath. Men. Prol. cum Typ.*). S. Condrati, mart. (*Novg. 1, cum Nan.*). SS. Joannis, Andreæ, Raclambonis et Theophili, eremitarum (*Kal.*). [Arsenii Konevensis (*Hag.*). Stephani Komelscensis (*Hag.*). Bassiani et Jonæ, Solovecensium (*Hag.*)].

† Antoninæ, mart. (*Bas. Mg. Sirm. Maz.*). † Zenonis, mart. (*Neap.*). † Joannis, ducis militum (*Mg. Sirm. Med.*). † Triphyllii et Zenonis, epp. (*Mg. Sirm. Maz.*). † Juliani, heg. CPolitani. (*Mg. Sirm. Maz. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Onuphrius. Magno apud Græcos Slavosque cultu honoratur S. Onuphrius eremita, qui in Mst. et Novg.: *Enuphrius*, in Par. *Enophrus* audit. Plura de tanto sancto dicere vetat rei notitia; consulantur Acta SS., pag. 527 ad hanc diem. — De Joanne, Andrea et aliis, quos e Kalendario Mosquensi deprompsimus, agitur in vita S. Onuphrii. — In Actis Sanctorum, p. 538, illustrantur gesta S. Petri Athonitæ, anachoretæ in Monte Atho omnium primi, atque a S. Onuphrio, si vitæ genus spectes, quam simillimi; qui in cod. quodam Slavico fœde nuncupatus est *Atheniensis*, (*Athinski* pro *Athonski*). Colitur hoc eodem die a monachis Athonicis, et iterum 5 Julii, quo jungi solet cum S. Athanasio, celeberrimo in eodem Monte eremiticæ vitæ magistro. — S. Condratus annuntiatur in Novg. Menæis sæc. XII, primo loco, ante S. Onuphrium. In cod. Naniano sæculi XI additur: τοῦ ἐν ῥυνδ... forte IN RHYNDACENSI regione. Rhyndacus autem fluvius est Mysiæ minoris, Olympenam ditionem a Sigriana disterminans. — Joannes, dux, ideo forsan in Menæis Græcorum excusis refertur una cum Zenone, Triphyllio et Juliano, quod eorum omnium reliquiæ in aliquam ecclesiam simul illatæ communi festo celebrantur. De S. Triphyllio agetur insuper die sequenti. — Synax. CP. Sirmundi de sancto Juliano suggerit sequentia: *S. Juliani*, τοῦ ὁσ τὰ Δίϐα ἐν τῇ Δαγόυτῃ. In Menæis Græcorum excusis pro Δίϐα ponitur Λίϐα, sub finem vero legitur: ἐν τοῖς Δάγατου, pro quo in Chiffletianis habetur, ἐν τῇ Δαγουηλ. Cfr Acta SS., XII, Junii, pag. 557.

S. Joannes et soc.

S. Petrus Athonites.

S. Joannes, dux militum.

S. Julianus.

S. Condratus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Arsenius Konevensis. Floruit Arsenius tempore S. Euthymii, qui Ecclesiæ Novgorodensi præfuit ab anno 1433. Novgorodia, natali urbe, in Montem Atho profectus, imaginem B. Mariæ Virginis, de qua ad 10 Julii agimus, inde secum attulit, vitam monasticam Deiparæ præsidio aggressurus. Itaque in montem, qui *sanctus* vulgo nuncupatur, ascendit, ibique aliquantum temporis cum alumnis suis commoratus est. Tum vero ad lacum vicinum propius accedens, cellas posuit et ecclesiam erexit titulo Nativitatis B. M. V.; ubi et ab Euthymio archiepiscopo visitatus et alba mitra donatus est. Anno vigesimo quinto a condito asceterio, cœnobium, insolita aquarum inundatione vastatum, in insulam Konevensem transtulit, novamque ecclesiam excitavit, in qua et sepultus est anno mortis 1444.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 43. 2) Menol. et Vers. ad h. d.

Bassianus et Jonas, Solovecenses. De Bassiano et Jona, monachis Solovecensibus, illud unice constat, eos in mari Albo cum pluribus aliis, in Solovecense monasterium tendentibus, naufragio periisse anno 1566.

Cfr Dict. hag., pag. 61.

Stephanus Komelscius. Sæculo decimo sexto floruit hic Stephanus, Vologdæ non ignobili genere natus. Qui postquam in monasterio Glušicensi per aliquot annos sese in virtutibus religiosis exercuisset, ac dein in cœnobio Tichvinensi aliquantum temporis esset commoratus, ad Komelæ fluvii ostia, ubi scilicet ille in lacum ejusdem nominis influit, sedem suam fixit, et oratorium ædificavit S. Nicolao sacrum; cujus imaginem secum attulerat. Triennio post, Mosquam profectus Stephanus, sacrisque a metropolita Daniele initiatus, et copiosa eleemosyna onustus, ad suos rediit, atque ecclesiam cum monasterio erexit; cui præfuit usque ad mortem. Obiit anno 1542, die 12 junii, habetque officium proprium.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 258. 2) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d.

DIES XIII ET XIV JUNII.

DIES XIII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Aquilinæ, mart. (*Mst. Tern. Par. Rum. Novg.* 1, *Siš. Chil. Og. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Neap. GP. Vind. Goth. Msq. Pg. Clar. Dom. Maz. Mg.*). S. Triphyllii, ep. Leucusiæ in Cypro (*Og. Pp. Novg. Hor. Men. Verš. cum Pg. Sirm. Maz.*). SS. episc. Alexandri et Petri (*Rum.*). SS. Annæ et Joannis, filii ejus (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Antoninæ, martyris (*Kal. Prol. cum Dom.*). Andronici, Mosquensis (*Pp. Hag.*).

† Jacobi, mon. (*Sirm. Chiffl.*). † Antipatri, ep. Bostrensis (*Chiffl. Sirm. Med.*). † Eulogii, patr. Antiocheni (*Chiffl. Sirm. Med. Maz.*). † Martyrum mille (*Chiffl.*). † Diodori Emeseni, mart. (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Aquilina. S. Aquilina, græce Ἀκυλίνη, vulgo *Aculina* dicta, in Siš. perperam nominatur *Ecquilina*. Cfr Acta SS., pag. 671 et seq. Junii, t. II. — *S. Triphyllius.* S. Triphyllius commemoratur in Vita S. Spiridionis. Vide Acta SS., 12 Jun., tom. II, pag. 618-685. — *S. Antonina.* De sancta Antonina Kal. Mosq. agit ad diem x Junii. — *S. Jacobus.* In Menæis mss., Sirm. et Chiffl. nomini S. Jacobi monachi additur sequens clausula : *qui, errore seductus, Antichristum adoravit.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Andronicus, hegumenus. Promiserat S. Alexius metropolita ante CPolitanum iter se, si illud feliciter cederet, ecclesiam Salvatori dicaturum; votique compos factus, ut datæ promissioni faceret satis, S. Sergium Radoneženscm rogavit ut aliquem mitteret, qui condendo templo invigilaret, impetravitque Andronicum, unum e præcipuis ejus discipulis. Erat porro templum Salvatoris propter iconem *non manufactam*, quam Alexius CPoli secum attulerat, ornatissimum. Templo addidit Andronicus monasterium, illudque rexit; unde Androniciani cognomen ei mansit. Obiit anno 1474.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 28. 2) Philar., Hist. Eccl. Russ., t. III, pag. 115.

DIES XIV.

Ex Ostromirano. Ex variis. MEMORIA S. PROPHETÆ ELISÆI (*Omnes cum Bas. CP. et cæt.*).

S. Methodii, patr. CPolitani (*Rum. Novg.* 1, *Prol. Og. Pp. Kal. Hor. Men. cum Bas. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Cyrilli, ep. Cretæ et mart. (*Rum. Prol. cum Bas. Med. Taur. Chiffl. Sirm. Maz. Mg.*). S. Theodori, CPolitani (*Siš. Chil.*). S. Joannis, Iberi (*Ath.*). Niphontis, mon. (*Ath.*).

† Julittæ mart. (*Chiffl.*). † Basilii Magni (*Horar. Crypto-Ferr.*). † Marciani, ep. Syracusarum (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Elisæus. Præter hunc diem refertur S. Elisæus etiam die 20 Julii, qui S. Eliæ prophetæ peculariter est sacer, cujus gesta docte adumbrata habes in Acta SS., pag. 784 et seq. — *S. Methodius, patr. CP.* Apud eosdem Bollandianos illustrantur Acta S. Methodii, pag. 961; quæ cum gestis S. Cyrilli Slavorum apostoli et fratris S. Methodii Moravici, prout jacent *in Legenda Pannonica*, ut vocatur, tantam quibusdam in rebus convenientiam produnt et analogiam, ut si quis ea incerto *Legendæ* auctori præluxisse asserere velit, per me liceat. Sed hæc indicasse sufficiet, aliquando, Deo dante, penitius a me examinanda. — *S. Cyrillus, ep. Gortynæ.* S. Cyrillum, episcopum Gortynæ, in insula Creta, celebrari hodie in codd. Græcorum ferme omnibus, licet fateantur Bollandiani, remittere tamen maluerunt ad x Julii, non aliam ob rationem, nisi quod hic dies assignetur S. Cyrillo in Martyrologio Romano. — *S. Theodorus.* Theodorus videtur esse idem ac Syceota; de quo agetur postridie. — *SS Julitta et Cyricus.* De SS. Julitta et Cyrico, filio ejus, agunt Latini die XVI, et olim agebant die XV; apud Græcos et Slavos communiter assignatur eisdem dies 15 Julii. — *S. Joannes Iberus.* Celeberrimum est in Monte Atho monasterium Iberorum, cujus tres recenseri solent fundatores, Joannes, Euthymius et Georgius, Iberia oriundi, quorum nomina non uno die inscripta leguntur in kalendariis; nam præter 13 Maii, quo tres simul commemorantur in Paterico Montis Atho, referuntur etiam die 30 Junii; præterea S. Georgius 28 Julii; et S. Joannes hodie, qui dies fuit ei obitualis, uti 13 Maii S. Euthymio, et 28 Junii S. Georgio. Nos de omnibus simul fusius agemus ad 30 Junii. — *Niphon Athonites.* In eodem Monte Atho recolitur hodie memoria Niphontis, qui sæculo XIV ibidem virtutibus et miraculis claruisse perhibetur in Paterico Athonico, t. I, p. 322, aut potius in libro Νέον ἐκλόγιον, unde sua mutuatus est Paterici concinnator russus. Erat Nicephorus e vico Lucovia, in ditione Argyrocastron sito, patre presbytero, oriundus, ac sacerdotio auctus et ipse; quem inter et Maximum Causocalybitam, magna quidem intercessit necessitas et amicitia; at non in moribus similitudo, sed discrimen. Quantum enim hic erraticam degebat vitam prorsusque singularem, ut legere est ad 31 Januarii, tantum stabilis atque communis, licetnon communibus virtutibus distincta, erat vita Nicephori, qui *Teophori* titulo idcirco exornatur a suis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Mstislaus, dux Novgorodiæ. Celeberrimus est in fastis gentis Russicæ Mstislaus, Rostislai Michaelis, magni ducis Kioviensis filius, cognomente *Validus*. Illustre est certamen illud singulare, quod cum Polovčensi

vcensi quodam homine immensæ magnitudinis iniit, et ex quo exiit victor, non sine mirando Beatæ Mariæ auxilio, quam jamjam vincendus fuerat adprecatus. Enituit in eo charitas et misericordia erga pauperes, quos non modo eleemosynis cumulabat, sed et honoribus sincere præveniebat. Verum non diu Novgorodensibus solatio fuit; postquam enim unum annum eis imperasset, repentino morbo correptus, e vivis cessit anno 1180, die 14 junii, dum adhuc ætate floreret. Quantopere vivum amarent cuncti, testes sunt annalistæ, quum neminem fuisse affirment, qui non abunde fleret defunctum. DIES XV JUNII.

Cfr 1) Dict. hag. præf., pag. V et 199. 2) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d. 3) Philaret, Hist. Eccl. Russ., t. I, pag. 144.

DIES XV.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

SS. MM. VITI ET MODESTI, PÆDAGOGI EJUS (*Men. Ass. Novg.* 1, *Kal. cum Neap. Maz. et Mart. Rom.*).

Et Crescentiæ nutricis (*Assem. Kal. Novg.* 1). S. Amos, prophetæ (*Mst. Tern. et fere omnes cum GP. Vind. Pg. Msq. Goth. Sirm. Maz. Mg.*). S. Fortunati, apost., episc. Neapolitani in Campania (*Novg.* 1, *cum Neap. Chiffl. Dom. Maz.*). S. Dulæ, mart. (*Men. Mg. Verš. Prol. cum Bas. Clar. Div. Med. Maz.*). S. Dulæ, mon. et mart. (*Pat. Men. Kal. Prol.*). S. Hieronymi (*Leop. Kiov. Menol. Kal. Hor. cum Chiffl.*). Translatio reliquiarum S. Theodori Syceotæ (*Hor. Novg.* 1, *Kalend. cum Nan.*). S. Lazari, regis Serbiæ (*Men. Kal.*). [Jonæ, metrop. Kioviensis (*Men. Kal. Prol.*). Gregorius Avneženssis (*Hag.*). Niphontis, patr. CP. (*Ath.*)].

† Nersi, mart. (*Mg.*). † Vetulæ, mart. (*Chiffl.*). † Achaici et Stephani, app. (*Chiffl.*). † Ortisii, abb. in Thebaide (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

SS. Vitus et soc. Antiquissima est lectio codd. Ostromirani et Assemaniani glagolitici; in quo ultimo exprimitur ita : *SS. MM. Viti et Modesti, pædagogi et Chrestanicæ, nutricis ejus.* In Neap. insculptus est solus S. Vitus. — *S. Amos.* S. Amos, propheta in Bas. refertur die sequenti. In Ephem. figuratis errore positum : *Ammon;* uti in Prologo perperam vocatur *pater* Isaiæ prophetæ; quem errorem emendaverat jam pridem S. Hieronymus, in procemio in Amos et in Isaiam, cap. I. — *S. Dulas, mon.* S. Dulas Tatianus celebratur hodie apud Græcos, et illustratur in Actis SS., pag. 1042 et seq. Erat ille non eparchus Ciliciæ, sed ex hac eparchia oriundus. De altero Dula, monacho et martyre, memorant soli codices Slavici recentiores. — *S. Theodorus Syceota.* In Kal. Kioviensi, Leopolitano aliisque Parvæ Russiæ hodie agitur anniversarius dies translationis S. Theodori Syceotæ; cujus Vita inserta est in Menologio ad 22 Aprilis. In Naniano cod. additur : *ex Galatia in regiam urbem,* id est CPolim. In Novg. 1 refertur primo loco. — *S. Hieronymus.* Quamvis nuspiam adhuc repererim S. Hieronymi encomium et multo minus vitam slavonice scriptam, eum tamen non omnino exulare a Fastis Slavonicis patet. — *Jonas, metr. Kioviensis.* De Jona, cujus memoria tertio recolitur, plura disseruimus ad 27 Maii. — *Gregorius Avneženssis.* Eodem die commemoratur Gregorius Avneženssis, qui cum Cassiano œconomo a Tartaris et Viaticensibus, claustrum invadentibus, morte affectus est anno 1392. Coli cœpit ab anno 1524, quo corpus ejus levatum est a Macario metropolita. Cfr Dict. hag., pag. 81 ; Prolog. et Menol. ad hunc diem.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Lazarus, rex Serbiæ. Anno 1372, post obitum Urošii, totius Serbiæ rex constitutus est Lazarus, Prilepcia oriundus, pietate non minus quam fortitudine imprimis clarus. Uxorem duxit Militzam, in religione Euphemiam, illustri Nemanidum sanguine ortam. Regno potitus, multos viros sanctos et spirituales sibi consiliarios delegit; quorum prudentia adjutus, plures annos feliciter gubernavit, regnumque excommunicationis vinculo a temporibus Stephani Dušani irretitum curavit solvi. Monachorum amans, egenorum studiosus, erga seniores venerabundus, cum coætaneis gratiosus fuisse perhibetur; ecclesiarum vero restaurator et auctor, atque eleemosynarum, quæ numerari nequeunt, largitor exstitit prorsus eximius. Ravanitsæ præclarum templum erexit, in quo et conditus est : Jerosolymam Montemque Sanctum venerabundus invisit. Verum humani generis inimicus, invidia tabescens, contra pium principem impiissimum suscitavit Amuratum, cædes et rapinas spirantem. Quem cum suasione ab injusta sanguinis effusione avertere non valuisset Lazarus, vim vi retundere decrevit. Igitur, fortium pane refectus, pugnam cum innumeris Agarenis in campo Kossovo iniit; in qua gloriosam mortem oppetiit anno 1389, capite truncatus. Corpus Lazari, quem tanquam martyrem pro fide christiana mortuum colunt Serbi, prius in vicina ecclesia conditum, dein in monasterium Ravanicense translatum est ; ubi hodiedum, ut passim legitur, magna populi religione celebratur. Verumtamen Milescichius, Austriæ et Etruriæ inter Ragusinos consul, qui circa annum 1740 patriarchatum Ipekiensem diligenter visitavit, perhibet Lazari corpus in monasterio Opova, in Esclavonia, in montibus Fruškæ prope Petrovaradinum magno hominum concursu suo tempore cultum fuisse. Alia ad manum sunt exempla virorum, quorum corpora non uno in loco servare se putant illarum regionum incolæ : neque mirum, quum turcicis bellis huc illuc confugerint cum sanctorum reliquiis : ex qua re facile nasci potuit in hoc rerum genere perturbatio.

Cfr 1) Glasnik, t. XI, pag. 108 et seq. 2) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d. 3) Vita S. Stephani Dečanici, auct. Gregorio Semivlacho. 4) Acta soc. Geogr. Petropolit., tom. XII, pag. 263 et 272. 5) Menol. et Veršinski. ad h. d. 6) Illyricum sacrum, tom. VIII, pag. 52 et 56. 7) Pejacevich, Hist. Serb. pag. 324 et seq.

Dies XVI, XVII et XVIII Junii.

DIES XVI.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Tychonis, ep. Amathuntis et thaumat. (*Mst. Tern. et cæteri cum Bas. GP. Vind. Pg. Msq. Goth. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). SS. mart. Tigrii, presbyt. et Eutropii, lectoris (*Men. Kal.*). [Tychonis Luchoviensis (*Men. Kal. Prol.*).]

† Amos, proph. (*Bas.*). † Athenogenis, mart. (*Neap.*). † Marci, ep. Apolloniadis (*Chiffl.*). † Quinque martyrum Nicomediæ (*Chiffl.*). † Martyrum quadraginta Romæ (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Tychon ep.

In cod. Mstislavico non secus ac in Flor., Coisl. etc., S. Tychon vocatur ep. Amathuntis; in nonnullis, minus recte, Trimethuntis. Cfr Acta SS. ad h. d., p. 92 et seq. — Bollandus, de SS. Tigrio et Eutropio tractaturus ad XII Januarii, pag. 725, quum in Græcorum Menæis, Menologiis aliisque, qui penes eum erant, Fastis eorum nomina non offenderet, ideo egit die jam dicto cum Martyrologio Romano. Verum non ignota esse eorum nomina vel gesta Synaxariis Græcis, argumento sunt Menologia Slavica, utpote ex Græcis exemplaribus procul dubio descripta. — Præter S. Tychonem, ep. Amathuntis in Cypro, Russorum Ecclesia duos alios viros hujus nominis colit veluti sanctos; quorum alter, Luchoviensis, floruit sæculo decimo quinto, alter Voroneziæ episcopus, sæculo ultimo mortuus, nonnisi nuperrime in sanctorum Russorum Album relatus est a synodo Petropolitana, quam Petrus Primus patriarchæ Mosquensi substituit. Posteriori cultum exhibent Russi inde ab anno 1862, ad diem 13 Augusti; de priore hæc pauca accipe.

Tychon Luchoviensis.

SS. Tigrius et Eutropius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Tychon Luchoviensis.

Tychon, Ucrainia oriundus, primo miles, dein monachorum certamina aggressurus, Mosquam venit, acceptaque tonsura, in eremum Luchoviensem secessit, asceterio ibidem instituto. Sacerdotii tamen dignitatem suscipere nunquam voluit, sed monachus gregarius obdormivit in morte, anno 1492. Corpus ejus inventum est anno 1565.

Cfr 1) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 229, ed. 1862.

DIES XVII.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

SS. MM. Manuelis, Sabelii et Ismaelis (*Mst. Tern. Prol. Kal. et alii cum Bas. GP. Vind. Pg. Msq. Flor. Goth. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Hypatii (*Rum. cum Sirm. Mg.*). SS. MM. Isauri, Basilii, Innocentii, Hermii, Peregrini et aliorum in Macedonia (*Hor. cum Mg.*).

† Nicandri (*Neap.*). † Bessarionis, anachor. (*Mg. Sirl.*). † Josephi, erem. (*Chiffl.*). † Philonidis, ep. Carii in Cypro et mart. (*Chiffl.*). † Piori, erem. (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Manuel et soc.

In Menæis Græcis SS. Manueli, Ismaeli et Sabelio junguntur Isaurus cæterique in titulo relati. In Sišatov. additur : *qui in Perside;* quæ verba intelligenda sunt non de martyrii loco, cum passi sint Chalcedone, sed de martyrum ortu : erant enim Persia oriundi. Habent officium proprium.— S. Hypatius refertur hodie solus in cod. seu Prologo musei Rumiantsoviani, estque omnino distinctus ab eo qui venit ibidem postridie una cum S. Theodulo. Etenim in Menæis excusis et Sirmundi. S. Hypatio hodierno additur: *in Rufinianis;* ex quibus verbis liquet agi hodie de presbytero monasterii Rufinianensis, in Bithynia siti. — Cfr Acta SS., pag. 303 et seq. — Apud Latinos S. Nicander nominatur simul cum Marciano, Daria, uxore sua, et Pasicrate, martyribus Atinæ et Venafri in Campania. Cfr Acta SS. ad h. d., pag. 266, et ad XXVIII Aprilis ; ubi tractatur etiam de S. Marco, episcopo Atinensi, post quem aut cum quo martyrium passi sunt, multaque traduntur ad notitiam horum martyrum spectantia. In Neap. legitur quidem nomen solius Nicandri; at obliviscendum non est, in hoc Kalendario solum antesignanum plerumque consignari; ac propterea hic quoque subaudiendum Marcianum, aliosque martyrii ejus socios. Cæterum observat Mazochius, qui optimos in utrumque sanctum conscripsit commentarios, eos non hoc die martyrium fecisse, sed 8 junii. — De S. Bessarione jam actum XX Februarii. — S. Joseph iterum referetur ad XX Junii; sicuti S. Philonides ad 30 Augusti, qua de eo agunt Bollandiani, p. 544. — Qui sequitur S. Piorus videtur omnino idem esse ac Orus, eremita, de quo commemoratio fit ad diem VII Augusti; nam Orus est nomen Ægyptiacum seu Copticum, et *Pi* articulus copticus, ut monuit me R. P. Carpentier.

S. Hypatius.

S. Nicander.

S. Bessarion.

S. Joseph.

S. Philonides.

S. Piorus.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano.

Memoria sancti martyris Leontii (*Mst. Rum. Arc. Tern. Par. I, Sišat. Chil. Og. Prol. Men. Hor. Kal. cum Bas. CP. Vind. Msq. Flor. Goth. Dom. Sirm. Maz. Mg.*).

Ex variis.

SS. MM. Hypatii et Theoduli (*Rum. Men. Kal. Prol. cum Dom. Maz. Chiffl. Sirm. Mg.*). [Leontii Providi (*Ath.*).] Festum B. M. Virginis Bogolubensis (*Kal.*).

† MM. Marci et Marcellini (*Neap.*). † Ætherii, mart. (*Mg.*). † Leontii, pastoris (*Sirm. Chiffl.*). † Erasmi (*Chiffl.*). † Duorum martyrum (*Chiffl.*). † MM. Gregorii, episc., Demetrii, archidiaconi et Calogeri, hegum. in Sicilia (*Act. SS.*).

OBSERVANDA

OBSERVANDA.

S. Leontius et soc. S. Leontium, quem patronum suum olim habebant Syri, Theodoretus vero inter primarios martyres recenset, pleraque kalendaria referunt cum SS. Hypatio et Theodulo, militibus, quibuscum martyrium fecit Tripoli in Phœnicia, sub Vespasiano. In Rum. diserte nominantur omnes tres, et quidem *Upatius* pro Hypatio; in Mstisl. refertur S. Leontius, *et qui cum eo passi sunt;* præterea in utroque cod. præscribitur nota *passionis*, cujus loco in Ostr. legitur *memoria*. Cæteri consignant nudum nomen Leontii, addito plerumque titulo martyris; quem hac die pro Christo occubuisse testantur, præter martyrii Acta, etiam Ephemerides metricæ, sic habentes : *Immororeris plagis decima octava, Leonti.* In Prologo excuso additur Encomio sequens clausula : *Celebratur ejus solemnitus trans fretum in Camaridio, in oratoria ejus æde quæ proxime ad portam Fontis sita est;* ubi omnino reponenda est particula *et* legendumque in *Camaridio et in oratoria ejus æde;* cum in confesso sit portam Fontis non trans fretum sitam fuisse, sed non procul a celebri ecclesia Beatæ Virginis ad *Fontem* dicta, atque uno tantum stadio ab urbe distante. Expungendum pariter cognomen *Africanæ*, quod Tripoli, quæ urbs Phœniciæ est, tribuitur ibidem. Habet hic sanctus Megalomartyr officium proprium cum canone, auctore S. Joanne Damasceno. Acta martyrii, prout in Menologio leguntur, non sunt germanum opus Cyri, quamvis sub ejus nomine vulgo circumferantur; sed potius, ut observavit Henschenius, ex memoriis Cyri in carcere relictis composita variisque additamentis deinceps ab auctore anonymo exornata. Erat Cyrus custos carceris, in quo detinebatur S. Leontius, megalomartyr. — Alter Leontius, ex Paterico Monte Athonitis, t. II, pag. 102, superius relatus, cui patria Peloponesus, obiit quidem 16 Martii; commemoratur tamen ab hagioritis hodie, ut auctor est Malaxas Naupliensis in *Acoluthia patrum Montis Atho*, quam citat Patericon jam dictum. Obiit autem Leontius, anno 1605, ætatis 85 in monasterio S. Dionysii, quod per sexaginta annos continentes inhabitaverat; ne semel quidem extra muros egressus, quod in monachis regionum istarum non parvæ sane severitatis indicium est; quapropter et prophetiæ dono a Deo ditatus fuisse fertur, a suis vero Providi titulo insignitus. — Festum B. M. V. Bogolubensis institutum est ab Andrea Bogolubscio, magno duce, anno 1158; quo quum Vyšegradia veniens Rostoviæ appropinquaret, sacra B. Mariæ icone onustus, ei apparuit ipsa Virgo, præcipiens, ut hanc imaginem non Rostoviam, sed Vladimiriam deferret. Obtemperavit Andreas, jecitque simul, juxta Deiparæ jussionem, urbis fundamenta in apparitionis loco. Ipsam vero visionem pingi curavit, pictamque imaginem, vulgo inde Bogolubensem dictam, in cognomine civitate collocavit, cultu publico celebrandam. Exstat Mosquæ ecclesia eidem sacra, teste Kalendario Mosq., pag. 274. Plura suppeditabunt Macarius, Hist. Eccl. Russ., t. III, pag. 38, et auctor libri cujus inscriptio est Gloria B. M. V., lib. III, sect. II, pag. 42. — Quum SS. Marcus et Marcellianus fratres, in marmore Neapolitano hodie insculpti, non videantur esse diversi a SS. Marco et Mocio, qui in Slavicis Kalendariis commemorantur ad 3 Julii, imo nec a sanctis coğnominibus qui simul cum S. Sebastiano referuntur ad 18 Decembris; idcirco opportunius de his martyribus gemellis agendum erit ad diem 3 mensis Julii, quo in Slavicis codd. seorsim referuntur.

Festum B. M. Bogolubensis.

SS. Marcus et Marcellianus.

Leontius Athonites.

DIES XIX.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Judæ, apost., fratris D. N. Jesu Christi secundum carnem (*Mst. Rum. Ass. Chil. Men. Prol. Hor. Og. cum Bas. GP. Msq. Flor. Coisl. Dom. Maz. Mg.*). S. Ezechielis, prophetæ (*Tern. cum Vind.*). S. Zosimi, militis et mart. (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Joannis, eremitæ (*Prol. Men. Kal.*). S. Paisii Magni (*Men. Kal.*).

† Gervasii et Protasii (*Neap.*). † Bartholomæi et Barnabæ, apostolorum (*Flor.*). † Trophimi, apost. (*Flor.*). † Zenonis, er. (*Mg.*). † Asyncriti, mr. (*Chiffl. Dom.*). † Mariæ, matris Josephi (*Chiffl.*). † Methodii, ep. Patarensis (*Dom.*).

OBSERVANDA.

S. Judas, Apostolus. S. Judas, qui et Thaddæus seu Levi, frater S. Jacobi, primi ep. Hierosolymarum, non confundendus cum alio Thaddæo, ap., uno ex 70 discipulis, quem Slavi æque ac Græci colunt 21 Augusti. In Mstisl., post ea quæ superius allata sunt additur : *filii Josephi,* et distinctius in Menologio excuso : *filii Josephi Sponsi;* verum SS. Judam et Jacobum, fratres Domini, non Josephi filios fuisse, sed Alphæi seu Cleophæ, fratris Josephi, constat apud viros doctos. Sunt in Menologio et alia plura ad S. Judæ agnomina, gesta, consanguinitatem cum aliis spectantia, quæ emendatione indigerent, at quæ operosioris indagationis sunt quam ut ferat institutum meum. Sufficiat itaque plura cupienti indicare egregiam dissertationem de fratribus Domini, quam tomo sexto Sept. Actuum SS. præmisit Stiltingus. In Assem. strictim habetur : *S. apostoli Thaddæi*, et ita in plurimis aliis. In Rum. præfigitur nota *passionis;* similiter in Menologio Basilii habetur : *Certamen sancti apostoli Judæ*, ubi S. Thaddæum, ap., intelligendum esse, existimat Mazochius. In marmore Neap. S. Judæ, ap., *passio* affigitur diei 26 Maii; quæ omnia quam confusa sint, nemo non videt. Illud tamen prore indubia habeatur, Judam sive Thaddæum, apostolum, a Thaddæo, uno ex 70, constanter distinctos fuisse apud Græcos; eamque distinctionem obtinere hodie apud viros doctos Occidentis ferme universos, licet olim ex duobus Thaddæis unicum facere solerent. *Gambratium* Possevini mitto, ne Kulčinium exscribere cogar. — S. Joannes, eremita in Ægypto, idem est ac Josephus quem alii commemorant postridie. — Prolixa admodum Vita Paisii Magni, Joannis Colobi nomine inscripta, reperitur in Menologio Mosquensi, cæteris omnibus Kalendariis ne nomen quidem Paisii proferentibus ad hunc diem; quod cæteroquin Martyrologio Romano prorsus ignotum mansisse videtur. Erat Paisius discipulus Pambonis et socius Joannis Colobi, quorum prior colitur apud Græcos 18 Julii, posterior 17 Oct. et 9 Nov. — Cur in Kalendario Neap. SS. Gervasio et Protasio præscribatur nota *passionis*, cum tamen probe exploratum sit, præsentem

S. Joannes, eremita.

S. Paisius.

SS. Gervasius et Protasius.

DIES XX ET XXI JUNII.

tem diem non eorum martyrio, sed inventione aut translatione distinctum esse, fuse prosequitur Alexius Mazochius in suis exercitationibus ad hunc diem.

DIES XX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Methodii, ep. Patarensis (*Mst. Rum. Chil. Novg. Prol. Og. Men. Kal. Hor. cum Bas. Par. Vind. Sirm. Maz. Mg. Typ.*). S. Asyncritis et soc. (*Tern. Par. I, cum Neap. Sirm. Med. Chiffl.*). SS. MM. Aristoclei, presb., Demetriani, diaconi et Athanasii, lectoris (*Men. Kal. Prol. cum Chiffl.*). SS. MM. Innæ, Pinnæ et Rinnæ (*Men. Kal. Prol. cum GP.*). S. Leucii, ep. et confess. (*Men. Kal.*). Callisti, patr. CPolitani (*Ath.*). S. Nahum, ep. in Bulgaria (*Moschopol.*).

† Josephi, erem. in Ægypto (*Sirm. Med. Taur. Chiffl.*). Translatio tunicarum SS. app. Joannis, Lucæ, Andreæ, Thomæ, Elisæi, proph. et Lazari, martyris, CPpolim (*Sirm. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Methodius. Sanctum Methodium martyrem et antistitem distinguendum esse a S. Methodio, ep. Olympi, opinantur Bollandiani, contrarium asserente Assemano, Kalend. VI, p. 435. Cfr Act. SS.; tom. IV Junii, p. 5 Oriens Chr. I, p. 977, col. b. In Mst. habetur: *passio S. hieromartyris Methodii, ep. Taronis* (lege *Patarorum*); passionis nota præscribitur

S. Asyncrites. etiam in Rum. et in Menologio Basilii. — S. Asyncrites, unus ex 70 disc., forsan ab hodierno non diversus, relatus est jam ad 8 Aprilis. Neapolitano marmori est *Syncritus*. In Tern. legitur: *Sancti..... Asyncriti*, obliteratis mediis litteris, quæ forsan *martyris* aut *apostoli* titulum continebant; nec plus lucis affert. cod. Par. I, alioquin brevissimus; habet enim tantummodo: S. Asyncriti. Cæteri codd. Slavici tacent omnes. Cfr Acta SS.

S. Aristocleus. ad hunc diem, pag. 6 et seq. — In antiquioribus Prologis et in Men. Bas. refertur S. Aristocleus, martyr, cum sociis, die 23 Junii, ad quam vide.—

SS. Inna et soc. Inna, Pinna et Rinna, erant discipuli S. Andreæ, apostoli, de quibus jam dictum ad 20 Januarii. Hodie recolitur translatio eorum in oppidulum Aliscum, ab episcopo Gothiæ Goddo facta, quemadmodum id testatur cod. ms. bibl. Parisinæ, nº 1488 signatus, quem in Menologio suo citat

S. Leucius, confes. Veršinski. — Leucium, episcopum, prius sedisse Alexandriæ, tum Brundusiopoli, aiunt Menologia et Veršinski; in Actis SS. vero (Jan. tom. I, pag. 667) et in Mart. Rom. distinguuntur duo Leucii, quorum alter martyrii palmam tulerit Alexandriæ, alter episcopus fuerit Brundusinus. — Cal-

Callistus, patr. CP. listum hujus nominis primum, quem hodie citat Patericon Montis Atho, I, p. 302, satis norunt lectores ex iis quæ de hoc patriarcha scripta sunt in Historia chronologica patr. CPolitanorum, pag. 179. Nec novi quidquam discent ex brevi encomio Paterici; in quo insignibus virtutibus claruisse prædicatur, quum tamen *Palamitarum amicum* fuisse et Palamiticæ synodo ad annum 1351 subscripsisse, in confesso sit apud omnes. Obiit in Serbia, ubi legatione fungebatur apud Elizabetham, Serbiæ reginam, quæ tanta eum veneratione prosequebatur, ut sese deum quemdam hospitio excepisse putaret, teste Cantacuzeno; demortui vero cadaver repetentibus monachis Montis Atho, inter quos aliquandiu immoratus fuerat, recusaret, dicens se hujus viri patrocinio indigere. Magnam lucem gestis patriarchæ hujus affundunt *Acta patriarchatus CPolitani*, quæ cl. Franciscus Miklosich et Jos. Muller non ita pridem e scriniis bibliothecæ cæsarææ Vindobonensis protulerunt, duobus tomis contenta, et pluribus aliis, ut sperandum est, mox augenda.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Nahum, ep. Bulgariæ et thaum. Septem sancti viri numerantur, qui peculiari cultu a Bulgaris celebrantur tanquam Bulgariæ apostoli et spiritales parentes: Cyrillus et Methodius fratres, Clemens et Nahum, Gorazdus, Sabas et Angelarius, vulgo sancti ἑπταρίθμοι appellati. Unus itaque ex hoc sacro septenario fuit Nahum, SS. Cyrilli et Methodii discipulus, eisque in natione Slavica convertenda adjutor. Nec in apostolatu tantum et evangelii prædicatione, sed etiam in passione et persecutione socius eisdem exstitit individuus ac securus: multa namque a clero Germanico, ritibus slavicis inimico, perpessus est, verbera et vincula, injurias et irrisiones. In libris liturgicis in slavicum idioma vertendis utrique apostolo multum adlaboravit; et quæcunque sibi præcipiebant, magna devotione executioni mandabat. Eisdem Romam euntibus, quo linguæ slavicæ usum tum in sacris celebrandis, tum in Scripturis legendis ab Adriano II impetrarent, comes fuit continuus. Moravia pulsus, in Bulgariam venit, mortuis jam Cyrillo et Methodio; ac S. Clementi, Velicensi episcopo, initio quidem fuit in evangelizanda natione Bulgara auxiliator, dein vero in episcopali munere (ut quidam volunt) successor. Ejus opera præsertim efflоruit regio Debolensis, lacui Achridano adjacens, ubi etiamnum monasterium S. Nahum exstat, ab ipso verosimiliter fundatum. Colitur tum hac die, tum etiam 16 Julii conjunctim cum aliis sex Bulgariæ apostolis, superius commemoratis.

Cfr 1) Ἀκολουθίαι τῶν ἁγίων ἑπταρίθμων, etc. 2) Vita S. Clementis, episc. Bulg. ed. Miclosich. 3) Colloq. Russica, an. 1859, tom. II, pag. 126 et seq. 4) Stulz, Zivot SS. Cyrilla a Methodia, Brünn, 1857. 5) Schafarik, Rozkvět liter. v Bulharsku.

DIES XXI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Juliani, Tarsensis, mart. (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Chil. Og. Men. Novg. I, Prol. Hor. Kal. cum Bas. GP. Vind. Flor. Msq. Pg. Dom. Maz. Mg.*). S. Terentii, ep. Iconii (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). S. Julii, presb. et Juliani, diaconi, fratris ejus (*Kal. Men.*). S. Marci, ep. Apolloniadis (*Prol.*

(*Prol. Menol. cum Mg.*). SS. MM. Juliani Ægyptii, Antonii, presb., Celsii, Anastasii et aliorum (*Prol. cum Clar. Div. Maz.*). SS. MM. Luarsabi, et Arcili, regum Iberiæ (*Iber.*). Dies XXII et XXIII Junii.

† Rufi, mart. (*Neap.*). † Aphrodisii, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Julianus. Tres Julianos consignant hodie Kalend. Slavonica: primus, natione Cilix et martyr, laudatur hodie primo loco in Prologo; secundus, Ægyptius, erat hegumenus monasterii, quod 10 millia monachorum continebat, teste Prologo, in quo prolixum legitur encomium ejus. Julii vero presbyteri et Juliani diaconi nulla ibidem fit mentio. Vide Act. SS. ad hunc diem inter prætermissos, pag. *S. Marcus.* 64, lit. F et ad 9 Januarii. — S. Marcum, ep. Apolloniadis, cognomento Justum et nepotem S. Barnabæ, ap., diserte commemorant hoc die Prologus et Menolog. excusum, at nullo accedente synaxario. Addit Menologium de eo agi 4 Januarii, et iterum 27 Septembris, ac in Vita S. Barnabæ ad 11 Maii. Apud Verš. et in editione Menæorum Veneta recentiore de Marco, episcopo, tacetur. Omiserunt eum quoque in titulo operis sui socii Bollandiani, eo quod episcopatum istum gratis ei affictum crederent, imo in commentariis de S. Barnaba, cujus consobrinus fuisse dicitur, docent nullam esse causam ipsum distinguendi a S. Marco, evangelista, de quo agunt ex professo ad diem xxv Aprilis, eidem sacram. Ad præsentem vero tractant tantummodo de SS. Tertio et Justo, qui passim S. Marco junguntur. Apud Græcos omnium trium memoria simul recolitur die xxx Octobris.— *S. Rufus.* S. Rufum marmoris Neapolitani eumdem esse ac Rufinum qui fecit martyrium Alexandriæ cum Martia, auctor est Mazochius; dubito, an recte. Cfr Act. SS. ad diem sequentem, pag. 145 et Mazochium in commentariis ad hunc diem. — S. Luar- *S. Luarsabus* sabum, Carthaliæ regem, qui floruit sæculo decimo septimo, celebrari hodie simul cum S. Arčilo rege, auctor est Muraviev in Vita sanctæ Ketevaniæ, reginæ, ad diem 13 Septembris. De S. Arčilo actum est ad 20 Martii; de S. Luarsabo opportunior dicendi occasio dabitur 13 Septembris, quando agendum erit de S. Ketevania.

DIES XXII.

Ostromira num. Ex variis. Vacat.

S. Eusebii, ep. Samosateni et mart. (*Mst. Tern. Novg. 1 et fere omnes cum Bas. GP. Nan. Flor. Pg. Vind. Sirm. Chiffl. Dom. Maz. Sirl. Mg.*). SS. Galactionis et Julianiæ, mart. (*Kal. Hor. cum Sirm. Chiffl.*). SS. MM. Zenonis et Zenæ (*Prol. Kal. cum Chiffl. Med. Maz. Sirm. Mg.*).

† Paulini, ep. (*Neap.*). † Terentii, ep. Iconiæ, et Marci, ep. Apollaniadis, Jesu Justi, ep. Eleutehropolis, Artemæ, ep. Lystræ et sociorum (*Med. Taur. Dom. Clar. Maz.*). † Pompiani, mart. (*Sirm. Chiffl.*). † Saturnini, filii S. Julianæ (*Sirm. Chiffl.*). † Basilii, hegum. monast. Patelariæ (*Nan. Taur. I et II, Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Eusebius, ep. Samosatenus. S. Eusebium, ep. Samosatenum in Syria, certatim referunt hoc die, non 21, Kalendaria et Menæa Græca sive excusa sive manuscripta, quibus concinunt Kalendaria Slavica. Hunc ex Menologio Sirleti in martyrologium suum ad 21 Junii primus omnium invexit Baronius, aut potius Eusebio, ep. Cæsareæ in Palestina, quem antiquissima quæque latina martyrologia eo die referebant, substituit, applaudente cl. Mazochio, nec omnino renuente Papebrochio, cujus ipsissima verba accipe : *Neque difficulter crediderim*, ait, *ut alios plures, sic etiam hunc* (Samosatenum) *a propria apud Græcos die ad proximam apud Latinos migrasse; deinde, ex ignorantia Samosateni, irrepsisse apud illos Cæsareensem.* Equidem viri summi sententiæ libenter subscribo. Addam insuper, Græcis Slavicisque Kalendariis solum Eusebium Samosatenum esse notum. In cod. Mst. annuntiatur hodie *Passio sancti hieromartyris Juliani Samosateni*, pro quo legendum esse *Eusebii Samosateni* suadet tum titulus hieromartyris, qui S. Juliano minime convenit, cum fuerit laicus homo; tum quod in eodem codice de Juliano martyre jam sermo fuit pridie. Esto exstiterit S. Julianus, martyr Samosatenus; sed ille colitur non his diebus, sed 29 Januarii. — Galactio, martyr CPoli, socios *S. Galactio.* martyrii sui habuit S. Julianam cum filio ejus Saturnino et S. Pompianum. Cfr Acta SS., p. 145. In Kalendariis Slavicis nominari solent tantum Galaction et Juliana. — De S. Marco, episcopo *SS. Terentius* Apolloniadis et Barnabæ apostoli nepote, dictum *et Marcus.* est ad diem 21 hujus, quo nomen ejus occurrit in Menologio et Prologo Mosquensi. Ibidem eodemque die commemoratus est Iconiensis antistes, Terentius, qui cæteroquin nullam hagiologis parit difficultatem. — In fine synaxarii de SS. Ze- *SS. Zeno et* none et Zena additur solita clausula : *Quorum Zenas.* *celebritas peragitur in æde S. Georgii* in Cypresseto; quod Prologus Mosq. corrupit in *Lyparisium*. De situ hujus ædis disputatur adhuc.

DIES XXIII.

Ostromira- num. Ex variis. Vacat.

S. Agrippinæ, mart. (*Mst. Rum. Tern. Novg. 1, Prol. etc. cum GP. Vind. Goth. Pg. Flor. Msq. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). SS. MM. Aristoclei, presb., Demetrii seu Demetriani, diac. et Athanasii, lectoris (*Rum. Eph. cum Bas. Neap. Maz. Dom. Mg. Med.*). SS. MM. Eustochii, Gaii seu Gaiani, nepotis, Probi, Lolii et Urbani, filiorum ejus et aliorum (*Prol. Kal. cum Bas. Chiffl. Med. Maz.*). Occursus imaginis B. M. Virginis Vladimiriensis (*Kal. Prol.*). Artemii Vercoliensis (*Kal.*).

† MM. Zenonæ et Zenæ (*Bas.*).

OBSERVANDA.

Dies XXIV et XXV Junii.

OBSERVANDA.

S. Agrippina. S. Agrippina, virgo Romana et martyr, Russis vulgo *Agraphena* dicta, gloriosi certaminis palmam tulit tempore Valeriani imperatoris. Mirari autem subit hodie nullam fieri mentionem martyrii, quod cum ea tolerarunt Bassa, Paula et Agathonica, quæ tamen diserte nominantur in Actis S. Agrippinæ, imo et martyrium sustinuisse prædicantur in officio diei hujus proprio. In Mst., Rum. *SS. Aristocleus et soc.* præscribitur nota *passionis*.—Cohortem illam martyrum, cujus antesignanus fuit Aristocleus, presbyter, nominavimus ad 21 hujus mensis ex codicibus recentioris ætatis et ex Prologo musæi Rum. — In Kalendario omnium sanctorum et in *Artemius Vercoliensis.* Menologio Veršinskiano inscribitur hodie obitus Artemii Vercoliensis; verumtamen in Menologio Mosquensi et in Prologo memoria ejus recolitur *Festum B. M. Vladimiriensis.* ad 20 Octobris, quo de ea agemus et nos.— Alibi dictum est, pluries in anno celebrari festum imaginis B. M. Vladimiriensis. Hodierna solemnitas instituta est anno 1480, in memoriam insignis auxilii, quo a Tartarorum invasione Moscoviam liberavit Beata Virgo. Stetit nimirum Achmates, cum immensis copiis, ad fluvium Ugram, quem nunc vulgo *Deiparæ cingulum* nuncupant, eo quod orientales Moscoviæ terminos circumcingit, et quodammodo protegit; stabant quoque ex adverso Moscorum exercitus. Porro ingens eo tempore insæviit frigus, quo ut concretus stetit fluvius, animum despondent Russi, tergaque hostibus vertunt. Simulatam esse fugam existimans Achmates, ipse quoque, repentino terrore perculsus, aufugit, Moscoviæ ditionibus illæsis. Miram aut saltem singularem hanc a Mongolis liberationem intercessioni B. Mariæ, coram qua toto isto tempore in ecclesiis continuæ fundebantur preces, tribuendam esse asseverant auctores indigenæ. Cfr Prolog. ad h. d., Lib. Gradualis, t. I, p. 555., Menol. Veršinsk. ad hunc diem.

DIES XXIV.

Ex Ostromirano. Ex variis. Nativitas Joannis Prodromi et Baptistæ (*Omnes cum Bas. Neap. CP. GP. etc.*).

S. Zachariæ prophetæ (*Novg.* 1, *Eph.*). SS. septem fratrum et mart., Orentii, Pharnacii, Erotis, Firmosi, Firmini, Cyriaci et Longini (*Prol. Kal. cum Bas. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

Nativitas S. Joannis Baptistæ. Antiquissimam apud Græcos Latinosque festivitatem certatim celebrant quoque christiani ritus Slavici; sed et apud Iberos tanta est festi hujus fama, ut nomen suum indiderit mensi Junio, qui non aliter vulgo nuncupatur quam *Joano Bisthuh*, ut testatur cl. Brosset in *Chronico Iberorum*, pag. 9. Quanta autem in veneratione fuerit CPoli, id abunde testantur frequentia templa ac monasteria ipsius nomini ibidem sacra, quæ singulatim recenset Cangius in CPoli christiana. Inter hæc insigne admodum erat monasterium Studii, cujus regula a S. Theodosio Kioviensi in monasterium Cryptense invecta fuit, et inde per universam Russiam propagata. In Horologio Počajovensi, quod Ruthenis catholicis in usu est (nam quæ in libris Mosquæ excusis, præsertim vero in Prologo venditantur, ea catholici lectoris non tanti interest) sequens legitur adnotatio : ***Notum sit, litem moveri a multis circa baptisma Joannis Præcursoris, aliis aliter de hac quæstione statuentibus; ad quam controversiam dirimendam, manifestetur oportet veritas; est autem hæc : tunc baptizatus est et sanctificatus S. Joannes, quando manus suas baptizando Christo imposuit, teste S. Joanne Damasceno dicente : Itaque Joannes ad suscipiendum Spiritum antea purgabat per aquam*** (Fidei orthodoxæ, l. IV, cap. IX). ***Quintum, Domini baptisma, quo ipse baptizatus fuit; non quod ipsemet sanctificatione indigeret, sed propter nostram sanctificationem et ut peccatum undis ablueret, totumque veterem Adamum in aqua sepeliret; ut præterea Præcursorem sanctificaret. Et iterum in fine : Joannes, imposita Domini capiti manu, et cruore proprio baptizatus fuit.*** Hactenus Horologium Počajovense, aiens insuper, initio adnotationis, S. Joannem Baptistam ad inferos descendisse, atque resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi animabus ibidem detentis annuntiasse. Plura in hac clausula indigent animadversione. — Zachariam prophetam exhi- *S. Zacharias.* bent Ephemerides Græco-Moscæ; et Menæa Novgorod. 1, addita S. Elizabeth; quæ duo nomina simul juncta satis superque indigitant, agi de S. Zacharia, patre Joannis Baptistæ.

DIES XXV.

Ex Ostromirano. Ex variis. Memoria S. Febroniæ, virg. et mart. (*Ita omnes cum Bas. Neap. GP. Flor. Vind. Msq. Pg. Sirm. Maz. Dom. Chiffl. Mg.*).

SS. Petri et Febroniæ Muromensium (*Prol. Kal. Pp.*). Dionysii, heg. Athonici (*Ath.*). Dometii, heg. (*Ath.*). Procopii, mon. a Turcis occisi (*Ath.*). [Petri Niegušæ, Montisnigri archiep.].

† Septem fratrum, Orentii et cæterorum (*Mg. Sirm. Maz.*). † MM. Leonidis, Lybes et Eutropiæ (*Chiffl.*). † Simonis, erem. (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Febronia. Febronia, monacha, martyrii socios habuit Leonidem, Lybem et Eutropiam, quarum certamen enarratur in Actis SS., pag. 17 et seq. Eadem Acta syriace vulgavit J. S. Assemanus, Bibl. Orientalis tomo IV, immerito negans ea esse genuina. Jamvero hoc die martyrium coronasse unanimi consensu referunt Kalendaria Græca, Bas., Neap., Menæa excusa et mss., accedentibus codd. Slavicis, ut Mstisl. et Rum. in quibus diserte præscribitur *nota passionis*. Nec obstat Ostromirani codicis auctoritas; potuit enim Kalendarii istius auctor primævus præ oculis habere Acta Græca, in quibus re vera de fuso sanguine nihil reperitur notatum; sed solummodo in fine scribitur, *depositas fuisse sanctæ martyris reliquias die* 25 *Junii*. Jamvero depositæ fuerunt eodem ipso die, ut sæpe usuvenit, quo sancta decertavit. — Petri *SS. Petrus et Febronia Muromenses.* et Febroniæ Muromensium breve elogium ex antiquis codicibus mss. Slavicis latino sermone donatum vulgaverunt PP. Bollandiani, in opere suo ad

ad præsentem diem, pag. 111; quapropter paucis rem absolvent Memoriæ Slavicæ modo dandæ. — De Theodosio, metropolita Trapezuntis, fratre Dionysii ætate majore, actum est XI Januarii, et quia ibi quædam de ipso Dionysio delibata sunt, idcirco pauca erunt hodie dicenda. Itaque postquam a fratre suo, tunc monasterii Philothei hegumeno, in religiosum cœtum fuerat accensitus Dionysius ac dein ab episcopo Herissèno sacerdotio auctus, relicto cœnobio in summa Montis Atho, ut vocatur, *parvi* secessit, quo Deo conjunctius viveret, ibique conspicuum monasterium excitavit anno 1380, imperatore Alexio Comneno sumptus ad id præstante atque monasterii patrocinium suscipiente; exstruxit autem illud in loco, ut fertur, divinitus monstrato, et peramœne supra littus maris sito, fecitque sancto Præcursori sacrum. Exstat adhuc in bibliotheca monasterii. eximium chrysobullum Alexii imperatoris, cujus initium est : Ἐν ὀνόματι τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, etc. Idem exornavit deinde Neagulus Bassaraba, Voivoda Ungaro-Valachiæ, qui et aquæductum fecit et aquam in monasterium derivavit. Tertio decoratum fuit a Voivoda Petro, qui anno 1580 Ecclesiam depingi curavit, et multo splendidius a Roxandra, Petri filia, ut cæteros monasterii protectores taceam, quos enumerat Joannes Comnenus, rem totam fuse prosequens. Ut monasterio suo consuleret, ter Trapezuntem navigavit Dionysius; ubi dum tertio versabatur, supremum diem obiit, anno vitæ suæ septuagesimo secundo, die Junii XXV, atque a fratre suo Theodosio, metropolita, honorificam accepit ibidem sepulturam. Hæc fusius declarata reperiuntur in Paterico Montis Atho, t. I, p. 376 et seqq.; cui addendi : Joan. Comnenus, Descriptio Montis Atho, Palæogr. Græcæ, I. VII p. 476. Descriptio monasteriorum Montis Atho, Petropoli, 1869, p. 123 et seq.; Fallmerayer, Originalfragmente etc..., citatus a doct. Miklosič, *Slavische Bibliothek*, t. I, p. 165. — Non aliter innotescit nobis Dometius, nisi quod fuerit Dionysii jam laudati socius et amicus, eique demortuo in regendo monasterio S. Joannis Baptistæ successor. Ita auctor Paterici Montis Atho, t. I, p. 394, ex libro cui titulus : Acoluthia, Patrum hagioritarum. — Dionysio et Dometio adnumeratur Procopius quidam, e finibus Varnæ oriundus; qui ex monacho Montis Atho evasit primum apostata, deinceps vero christianæ fidei confessor, ut tot alii. Occubuit Smyrnæ anno 1810. Hæc summatim ex Paterico, t. II, p. 266.

Dionysius, hegum.

DIES XXV JUNII.

Dometius.

Procopius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Petrus, Muromiæ dux.

Petrus, omnibus qui christianum principem decent virtutibus clarus, patrem habuit Georgium Vladimiridem, uxorem vero Febroniam, prudentia et pietate multo magis quam generis claritate illustrem. Hujus sanctitatem testatam fuisse volunt miro sanationum et secreta cognoscendi dono : quemadmodum fuse narratur in Vita, quam nuper in lucem ediderunt auctores Russi, inferius primo loco indicandi; sed quæ, utpote fabulis referta, egregia indiget castigatione. Verum, ut illa mittantur, postquam Petrus Muromiæ summa omnium laude imperasset, tandem maximam nactus senectutem, ex his terris migravit anno 1228, magno schemate cum nomine Davidis antea assumpto. Conditus est Muromiæ, in ecclesia cathedrali, et in eo sepulcro positus, quod ejus uxorem, a sanctitate quoque laudatam et in religione Euphrosyniam dictam, eodemque anno vita functam, mox erat excepturum. Utriusque memoriam ad præsentem diem coli statuit concilium Mosquense anno 1547.

Cfr 1) Monum. lit. ant. ed. Kostomarov, I, p. 29. 2) Prolog. et Muraviev ad h. d. 3) Dict. hag., p. 226. 4) Menol. Veršinski ad h. d. 5) Macarii, Hist. Eccl. Russ., t. III, p. 231 et not. 365.

Petrus Nieguš Montisnigri archiep. et princeps.

Natus est Petrus anno circiter 1747 in vico Montisnigri, nomine Nieguš; unde cognomen suum traxit. Juvenis versabatur Petropoli in Russia, quum ibidem die 10 martii, anno 1766, patruus ejus, Basilius, archiepiscopus, diem obiit. Aderat etiam Josephus Mukicevič, monachus Dalmata ex Maina oriundus; qui per capellanum regium Platonem a magno duce Paulo efflagitavit, ut quod juvenis eruditioni adhuc deerat, singulari sollicitudine procuraretur. Eum deinceps non deseruit ille monachus, sed cum duobus militum præfectis russis, Michaele Tarasov et Joanne Vasilievič Kozlovski, reduxit Stanievicium, castrum in finibus Montisnigri et Boccae Catharensis, et simul metropolim et monasterium; ubi archiepiscopus Sabbas ejus institutionem absolvit. Diligenter his curis respondit Petrus, et præter linguam patriam seu servicam et veterem slavicam seu liturgicam, didicit loqui russice, germanice et italice, atque aliquid etiam de linguis anglica et gallica delibavit. Cæterum ingenium ei erat amplum, alacris mens et natura imperio aptissima; statura vero magna erat, promissa barba, corporis habitus firmus; ita ut tota ejus species eximiam quamdam dignitatem spiraret et majestatem. Militarem scientiam non omnino neglexerat; et eam profecto probe calluit, qua barbaræ suæ genti victoriam de immanium Turcarum agminibus assereret et aliquando etiam de Gallis. Quibus dotibus quum præditus esset, quid mirum si efferis et bellicosis monticolis ad finem vitæ usque acceptissimus fuerit eosque habuerit sibi obedientissimos? Domum jam redierat, quum die 28 octobris anni 1768 Cevii pugnata est truculentissima pugna, in qua ter mille Cernegorenses sexaginta millia Turcarum fuderunt. Cui certamini non adfuit solum Petrus, sed ex monte Lisac aggressionis dedit signum. Tanta tum jam erat ejus apud suos auctoritas. Dux item erat anno 1774, quum cum parva manu septingentos Venetos milites, ad monasterium Stanievicium, quod simul castrum fuisse diximus, occupandum missos, in fugam vertit et propulit usque ad Popore. Hoc tempore principis loco habebant Cernegorenses medici Buduensis famulum quemdam, Stephanum Maly nomine seu Parvum, qui se Petrum III imperatorem esse, Russia profugum, credulæ genti persuaserat; ita ut clerus, licet error manifestus esset, metu discordiæ mendacium dissimulare cogeretur. Stephani morte mutata est rerum conditio anno 1774, et exinde venit reipublicæ regimen in archiepiscopi Sabbæ manus et Petri Petrovič,

DIES XXV JUNII.

Petrović, jam archimandritæ creati. Hic anno 1778 Petropolim cum duobus aliis mittendus visus est, qui ibidem (ni fallor), utpote Sabbæ adjutor et designatus successor, episcopalem consecrationem acciperet et pristina pacta redintegraret; sed septem mensium spatio nil istic profecit, quod in itinere cum duce militari Zorič, Potemkin adversario, amicitiam iniisset: qua repulsa facile adducti sunt Cernegorenses ad fœdus iniendum cum Austriacis. Firmata est deinceps hæc societas; et quidem, quum anno 1782 archiepiscopus Sabbas e vivis recessisset et populus urgeret Petrum ut sibi manus imponi curaret, a legato Golovkino ab itinere Petropolitano impeditus, consensu Josephi II, imperatoris Austriaci, die 14 octobris ejusdem anni 1782 archiepiscopus ordinatus est a Moyse Putnik, metropolita Carlostadiensi; in quam civitatem Arsenius II, Ipekiensis patriarcha, ad catholicum religionem plane propensus, anno 1741 sedem suam metu Turcarum transtulerat. Biennio post videtur Petrus se denuo dedisse in viam, ut universam Europam peragraret. Ut autem ineunte anno 1786 Tergestum et inde Petropolim venit, Montemnigrum interea temporis a Turcis devastatum fuisse intellexit. Quo propere pergens, eo appulit mense februario ejusdem anni et oculis suis vidit vicos, oppida atque ipsum Cetinense monasterium, antea suam sedem, spoliata et igne deleta, cives profugos, vectigalia a Turcis imposita et gravissimum æs alienum contractum. Atque hæc nata ex discordia, quæ, dum abesset, efferbuerat et nonnullos mense maio anni superioris eo impulerat ut Turcas injuriarum suarum adhiberent vindices! Quibus rebus cognitis, nil potius Petrus habuit, quam ut pacem inter suos conciliaret et, negatis vectigalibus, Montisnigri libertatem assereret. Russis itaque et Austriacis, quum anno 1788 Turcis bellum indixere, non magna opus fuit industria, ut Petrum ejusque gentem in partes suas adducerent. Triennium exinde cum hoste pugnarunt Cernegorenses diversa fortuna, jugum Turcicum nunquam sibi imponi passi: quare neque Josephus II, neque Catharina II a perfidiæ crimine absolvi possunt, quod anno 1791 pace Sistoviensi agnoverunt Montemnigrum ditionem esse Turcicam, ejusque incolas Sultano subditos. Hinc sequentibus annis Petro novæ pugnæ cum Turcis fuerunt; quæ omnium gravissimæ factæ sunt anno 1796, quo Galli fœdus cum Turcis inierunt de occupandis Venetorum coloniis: quibus tuto potiri non liceret, nisi interjectus Monsniger prius domitus esset. Præfuit ipse Petrus prælio Krusiensi longe faustissimo, quo die 22 septembris integer exercitus Turcarum fusus est, et sultani in ipsa Albania dominatus fractus. Licuit deinde Petro cogitata sua referre ad conficiendas leges, quibus gentis suæ ferocia cohiberetur et ex prædonibus cives fierent. Coacta comitia die 18 octobris anni 1798, in quibus triginta tres articuli probati; quibus die 18 augusti anni 1803 sex alii additi; et imprimis cautum ut Austriaca ditio ab omni molestia vacua esset. Verum ea erat gentis barbaries, ut quum foris non bellarent, domi pacem habere non possent: quare publice edixit Petrus, ut aut a discordiis intestinis cessarent, aut se officium suum abdicare sinerent. Quibus minis eos illuc adduxit ut quinquaginta præfectos aut judices admitterent. Interea tentabat sultanus, misso Polono quodam et edicto proposito, Cernegorenses tributarios facere: insigne Turcicæ amentiæ specimen. Paulus vero, Russorum imperator, eorumdem sibi amicitiam conciliare satagebat, datis die 1 maii anni 1798 gratulatoriis litteris cum insignibus ordinis S. Alexandri Nevensis et die 11 januarii anni sequentis missis mille ducatis, totidem pollicitis in singulos annos. De his ut gratias referret, misit Petrus in Russiam cum armis Krusiensi prælio a Turcis ereptis (ea munerum loco censebantur) archimandritam Buceticium, virum metu pœnæ olim ex provincia Gerbali Veneta profugum nimiaque confidentia in Montemnigrum receptum. Hæc ingentis mali labes. Metropoliticam sedem affectans, munera non Petri, sed suo nomine obtulit Buceticius. Archiepiscopum et Dulcium (hoc enim nomine vulgo cognitus est Franciscus Dubrostevič, eruditus Ragusinus, quem Petrus secum olim Petropoli duxerat et deinceps cancellarium adhibuerat) ambos, inquam, incusavit, quod Gallis favebant et ut populum ad religionem catholicam traducerent laborabant; dein quod oleum sanctum, libri liturgici et antimensia seu altaria consecrata missa ex Russia non distribuebantur, ita ut baptizati pueri confirmationis sacramento carerent et nil de libris et antimensiis nosset populus; quod decessoris mitra, imperatorium donum, jam ab anno 1790 pro plumbi et pulveris tormentarii pretio oppignorata, in alienis adhuc erat manibus; et demum quod in monasteriis nulli erant monachi, ita ut ne semel quidem in anno ibidem missæ sacrificium fieret. Misit itaque imperator Alexander comitem Ivelič, qui dolo Petrum caperet eumque traderet navarchæ russo, Corcyræ consistenti, hinc in Siberiam ablegandum, ejusque loco substitueret Buceticium. Sed ut Catharum advenit Ivelicius, secreto mandata sua aperuit fratri, Rizanensi archipresbytero: cui quum nil prius fuisset quam ut hæc cum metropolita communicaret, frustra ad conventum invitavit Ivelicius Petrum; frustra gentis primores tentavit; frustra gravissimas minas adhibuit; frustra demum inter archiepiscopi adversarios sparsit Alexandri imperatoris litteras, quibus Cernegorenses ad fidem Ivelicio habendam impellebantur, et alteras sanctæ synodi Petropolitanæ, quibus jubebatur Petrus causam suam dicere coram ejus cancellis. Hæc eo vergere ut Monsniger in Russiæ clientelam cederet, intellexere omnes, et quaternis litteris, aliis post alias ad Ivelicium datis, eum docuere se quidem a Russiæ autocratore adversus hostes defendi et protegi velle, sed non periculo libertatis, quæ vita potior sibi sit; falsis criminibus culpari archiepiscopum, patriæ patrem, cui cæterum nil cum sancta synodo commune sit; in Montenigro non omnia quidem optime esse composita, quum scholæ, tribunalia aliaque id genus instituta desint; verumtamen hæreses ibi nunquam, prout in Russia, egisse radices; cæterum res ante Petri Magni tempora pejori loco fuisse apud Moscos, neque nunc in exemplum proponi posse; rectius

ctius acturam sanctam synodum, si spiritales Russorum morbos curet et simul protegat Serbos orthodoxos, qui quod se armis tueri nequeunt, quemadmodum Cernegorenses solent, trucidantur a Turcis; et alia id genus, quæ ab ipso Petro aut scripta fuerint aut certe suggesta. Litteras quoque dederunt Cernegorenses ad imperatorem Alexandrum, sed paulo humaniores, testati tamen se nil unquam acturos præter archiepiscopi voluntatem; in eo repositam esse omnem suam fiduciam seque omnia quæ loquatur credere; virum esse animo constanti et imperturbato, sine ambitione, populi utilitatibus unice incumbentem et tam laboriosum ut, nisi Deus vires adderet, concideret sub onere gubernandæ Ecclesiæ, in qua sacri canones nondum vigeant. Addebant se imperatoria quidem consilia audire velle, sed clientelam et sanctæ synodi auctoritatem ferre non posse. In cunctis his epistolis nulla Dulcii mentio; in quem tamen volunt omnem culpam derivatam fuisse a Petro. Quod tamen certum est, in carcerem trusus fuit Dulcius; ubi nimio dolore absumptus est. Interim quum Russorum magnopere referret Cernegorenses adversarios non habere, prius Muzurevskium, dein Stephanum Andreevič Senkovski legatos imperator misit, qui de Ivelicii et Buceticii gestis inquirerent. Quam imprudenter ille, hic autem quam prave egisset, intellexere facile; et jussus fuisset Buceticius in Siberiam migrare, nisi veniam impetrasset Petrus. Quum hæc sedata fuisset tempestas animique monticolarum Senkovskii opera Russis denuo devincti, convertit se iterum archiepiscopus ad corrigenda Montisnigri instituta. Anno itaque 1805 aspero tempore cœpit omnes vicos circuire; quo itinere decennales dolores articulares contraxit, quibus tamen impeditus non fuit, quin extremo eodem anno arma denuo sumpserit. Quum enim Presburgensi pacto Austriaci Catharum, quæ octennium eis paruerat, Gallis cessissent, incolæ novum id jugum aversati, Petri auxilium implorarunt; quod ille non negavit. Atque hac re factum est, ut anno 1806 Russorum, in his plagis adversus Gallos bellantium, partes Petrus secutus sit; qua fidelitate promeruit pretiosissimam mitram a synodo Petropolitana dono missam. Nil omisere Galli ut hanc societatem solverent; quin etiam obtulit legatus Lariston Petro universæ Dalmatiæ patriarchatum; sed cassum plane fuit id molimen, annoque sequenti bis Petrus cum Russis tentavit Herzegovinum seu principatum S. Sabbæ Turcis, Gallorum sociis, eripere et in libertatem vindicare; neque prius cessavit ab hoc opere, quam fœdus Tilsitense finem imposuit irritis suis conatibus. Dum per id pactum Dalmatiæ secure dominarentur Galli, hi jam colloquiis, jam vi monticolas obsequentes sibi facere adnisi sunt; hinc nova certamina instituenda fuere Petro, cui non minus negotium erat cum Turcis, et simul auxilium præstandum Kara Georgio, Serviæ libertatem promoventi. Anno 1813 juvit Petrus Anglos in expellendis Gallis ex provincia Catharensi : quæ ditio mense octobri ejusdem anni Montinigro adjecta est, paulo tamen post, ita volente Alexandro imperatore, Austriacis reddita; quibuscum Petrus deinceps pacifice vixit. Cætera Alexandrum, Russiæ imperatorem, nunquam benevolum expertus est; neque ante annum 1829, quum Nicolaus successisset, promissam olim a Paulo I annuam pensionem accepit. Interea, quantum potuerat, legibus constrinxerat gentis audaciam; privatis odiis et truculentarum ultionum consuetudini imposuerat modum; qualecunque regimen invexerat, cavens tamen ne bellicosum montanorum animum emolliret, in quo salus reipublicæ, continuis Turcarum insidiis et molitionibus tentata, consisteret; anno 1816, quum fames provinciam enecaret, omnes intenderat vires, ut popularium inopiam sublevaret, atque omni tempore, (quum probe intelligeret arte perficiendum esse quod natura negabat,) ruris disciplinam promoverat: neque has curas ante mortem omisit; et quidem, annos octoginta tres natus, primores ad pacem inter omnes tribus sanciendam in diem 18 octobris anni 1830 acciverat, pridieque vespere cum eis, foco circumpositis, agebat de adhibendis postridie industriis, quum cœpit hora septima male habere. Sentiens itaque vitæ finem instare, ultimo adhortatus est rudes homines ad concordiam inter se servandam, ad acriter suam semper tuendam libertatem, et ad excludendos Montenigro extraneos. Dein ut se in cellam ducerent rogavit: quod dum fieret, ultimum spiritum exhalavit incredibili gentis suæ dolore. Obiit Cetiniæ, quo sedem suam a castro Stonevič transtulerat. Corpus depositum fuit in Citiniensi monasterio; ubi quum id anno 1836 integrum repertum fuisset, satis fuit incertissimum hoc prodigium, ut populus dilectissimum suum præsulem in sanctorum numerum referret. In quam rem consensit Petrus II, illius successor, et statuta fuit annua ejus festivitas sub diem 20 junii, (ni fallor, die 25); sed totum annum conveniunt peregrini ad sepulcrum celeberrimi archiepiscopi, quem in hymno ecclesiastico Montisnigri Stellam vocarunt. Et certe virum in media barbarie magnum fuisse, gentis suæ columen et patrem nemo jure negabit; sed simul id dandum, eum non ab omni ambitione fuisse vacuum, adeoque in id incubuisse ut patriarchatus Ipekiensis jura subvicarii titulo sibi sumeret et in omnes Serbos dominationem aucuparetur. Quare vicinorum fiducia aliquando caruit; verumtamen nunquam peccavit in socios ea perfidia, quam ab iisdem sæpius expertus erat. Defuit præterea ei quod catholicus nunquam fuit, licet ad catholicos propensus fuisse videatur; neque in alia animi affectione videntur hodie esse gentis primores; quin anno 1851 adivit archiepiscopus Petrus II Pium papam IX et benevole cum eo egit, et quum hæc scribimus versatur Romæ principis Danielis vidua. Faxit Deus, ut Nigrimontis incolæ, qui post Cæruliana ausa sæpius cum ecclesia Romana pacem redintegrarunt, ad matris sinum omnino redeant et in eodem perpetuo versentur!

Dies XXV Junii.

Cfr 1) Andrič, *Geschichte des Montenegro*. 2) Pouqueville, Voyage, tom. I, pag. 38 et seq.; Histoire, tom. I, pag. 19 et seq. 3) Chopin, Bosnie, Serbie, etc., pag. 175 et seq. 4) Vialla de Sommieres. tom. I, pag. 362, et tom. II, pag. 1 et seq. 5) Gardner Wilkinson, tom. II, pag. 10 et seq. 6) Kovalevski, Quatuor menses in Montenigro peracti, petropoli, 1841.

DIES XXVI ET XXVII JUNII.

DIES XXVI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Davidis Thessalonicensis (*Mst. Prol. Kal. Hor. Tern. Novg. 1, cum GP. Coisl. Vind. Msq. Dom. Maz. Mg.*). S. Joannis Gothi (*Kal. cum Bas. Chiffl. Mg.*). S. Dionysii, ep. Suzdaliæ (*Kal.*). Festum iconis B. Mariæ Lyddensis seu Romanæ (*Menol.*). Apparitio iconis B. M. V. Tichvinensis (*Men. Kal. Prol.*). S. Radjeni (*Iber.*).

† MM. Joannis et Pauli (*Neap.*). † Sampsonis Xenodochi (*Flor.*). † Rufi, ex 70 disc. (*Med. Chiffl.*). † Timonis, unius ex 70 (*Chiffl. Sirm.*). † Epenæti, ex 70 (*Chiffl. Sirm.*). † MM. Therapontis, Macarii, Marci et Marciæ (*Sirm. Med. Taur.*). † Theodori in Rhesio encænia (*Taur. I*). † Anthionis *Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Dionysius. Eruditissimi Bollandi socii tractant hodie, pag. 246, de Dionysio quodam Bulgariæ archiepiscopo, quem manifesto confundunt cum Dionysio Suzdaliensi. Hujus pleniorem notitiam exhibent Memoriæ inferius ponendæ. — *SS. Joannes et Paulus.* De Joanne et Paulo, martyribus Romanis, deque S. Terentiano et filio ejus fuse tractatur in Actis SS., p. 158 et seq. — *Festum B. M. Romanæ et Tichvinensis.* De Imagine B. Virginis Lyddensis seu Romanæ diceremus in Memoriis Slavicis, nisi fides deesset. Plura sacella et templa B. M. Tichvinensi dicata esse Mosquæ et alibi testatur Kal. Mosquense, p. 275. Consulantur Memoriæ Slavicæ hujus diei. — *S. Timon.* De Timone, uno ex septuaginta duobus discipulis Domini, confer, si lubet, Acta SS., t. X Oct., pag. 671, n. 31. — In alio cod. Florentino *S. Sampson.* S. Sampson refertur die sequenti; idque melius. — In synaxario Iberorum ms., cujus meminit *S. Radjen.* Brosset in *chronico Georgiano*, refertur ad hunc diem S. Radjen. Porro ad ultimum diem Martii contractam dedi notitiam de S. Davide Garedjiensi, eremita in Iberia seu Georgia; addidi et rationem cur in fine Martii fuerit collocatus. Jamvero quum hodiernum Radjenum ab eremita Garedjiensi distinctum esse certum non sit, idcirco plura dicere hic supersedemus. — De æde S. Theodori in Rhesio vide Cangium, CP. Christ. IV, 199.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Dionysius, episcopus Suzdaliensis. Obiit Dionysius Kioviæ anno 1385. Divino servitio ab adolescentia mancipatus, cryptam prope Novgorodiam inferiorem incoluit, et monasterium, Cryptense dictum, ibidem exstruxit et gubernavit. Ob præstantes virtutes ad sedem Suzdaliensem a S. Alexio, metropolita, evectus, multa passus est tum a magno duce Demetrio Tanaico, tum præsertim a Mitjao, qui dignitatem metropolitanam usurpaverat, reclamantibus cæteris episcopis, et maxime Dionysio. Hæresim Strigolnicorum, in finibus Novgorodiæ et Pscoviæ potissimum grassantem, qua verbo, qua scripto oppugnavit eo successu, ut magni ducis benevolentiam captaverit; a quo et Constantinopolim missus est, ut metropolitanam investituram acciperet a patriarcha. Qua obtenta, dum Mosquam repeteret, Kioviæ comprehenditur jussu Vladimiri Olgerdovicii, et custodibus traditus supremum diem ibidem obiit anno 1385, die 26 junii. Hunc igitur Dionysium, natione Græcum, in Kalendaria sua inserunt quidem auctores recentiores; verum nec Menæorum liber, nec Menologium, nec Prologus de eo quidquam habet. Recentiores autem fontes indicantur infra.

Cfr 1) Muraviev, Vitæ SS., ad h. d. 2) Diction. hagiogr., p. 95. 3) Menolog. Verš. ad h. d. 4) Philaret, Hist. Eccl. Russ., II, pag. 87.

Festum B. M. Tichvinensis. Narrant miraculosam hanc imaginem, Constantinopoli, ut fert traditio, oriundam, postquam pluribus in locis ditionis Novgorodensis apparuisset, quin tamen uspiam consisteret, tandem ad fluvium Tichvinam consedisse, et summa populi religione fuisse exceptam, anno 1383, archiepiscopo Alexio Novgorodensem Ecclesiam regente. In cujus apparitionis memoriam singularis hæc festivitas instituta est, templo insuper et monasterio Tichvinensi in loco visionis exædificato. Stupendam Apparitionis historiam fuse narrat Prologus, fusissime autem Menologii editor Mosquensis. Memorat quoque Menologii orientalis Ecclesiæ auctor ad præsentem diem. Minus etiam credibilis est historia imaginis Lyddensis.

DIES XXVII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

MEMORIA S. SAMPSONIS XENODOCHI (*Omnes cum Bas. CP. GP. Vind. Msq. Pg. Flor. Sirm. Chiffl. Dom. Maz. Mg.*).

S. Cyrilli, patr. Alexandrini (*Ass. Rum. cum Bas. Maz.*). S. Severi, jejunatoris (*Men. Kal.*).

† Davidis, mon. Thessal. (*Bas.*). † Irenæi (*Neap.*). † Anecti seu Aniceti, mart. Cæsareæ (*Mg. Sirl. Cyth.*). † Joannæ, myrophoræ (*Chiffl.*). † Lucæ, erem. (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Sampson. Vita Sampsonis cognomento *Hospitalis*, auctore Metaphraste, exstat in Actis SS, pag. 255; ex qua manifestum fit, quandonam vixerit Simeon dictus Metaphrastes; qua de re adeo disceptatum est inter eruditos. Superstes fuit scilicet non tantum Constantino Porphyrogenito, ut credidit Verhovius noster, sed etiam Joanni Tzemiscæ. Videsis etiam Pagium ad annum 968. — Joanna, unguentifera,

S. Joanna. *S. Lucas.*

tifera, quam ex cod. Chiffletii ms. exscriptam protuli, uxor erat Chuzæ; de ea plura legere est in Actis SS. ad 24 Maii. — Cum præter nomen Lucæ eremitæ nihil amplius repererit Papebrochius, idque in solo Synaxario Divionensi inscriptum, reliquit eum inter sanctos, ut invenit; certius judicium de sanctitate viri Deo et tempori dimittens. Operæ pretium erit perlegere ea quæ occasione Lucæ eremitæ, de aliis Græcæ Ecclesiæ sanctis sæculi IX et X statuendum dicit idem Papebrochius. — S. Cyrillum, patr. Alexandrinum, quem solemni cultu celebrat universa Græcorum Ecclesia ad 18 Januarii, diserte nominat hodie cod. Assemani glagoliticus, quem ille Hierosolymis Romam attulit. Concinit Hagiologium metricum Habessynorum, et, uti opinior, cod. Rum., quamvis proferat nudum nomen *Curilli episcopi*. — *Nota.* Hodie agitur insuper memoria victoriæ de Suevis, a Petro I reportatæ ad Poltavam, anno 1709.

Dies XXVIII et XXIX Junii. *S. Cyrillus patr. Alexandrinus.*

DIES XXVIII.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

Inventio reliquiarum SS. Cyri et Joannis (*Omnes cum Bas. CP. GP. Goth. Pg. Flor. Msq. Nan. Sirm. Maz. Dom. Vind. Mg.*).

S. Pauli, medici (*Prol. Kal. cum Sirm. Taur. Med Maz. Chiffl.*). SS. Sergii et Germani Balaamicorum (*Verš. Kal.*).

† Leonis, papæ (*Neap.*). † Hypatii, ep. Gangræ (*Nan.*). † Pappii seu Pappiani, mart. in Sicilia (*Mg.*). † Agathodori et Agathonicæ (*Med. Taur. Chiffl. Maz.*). † Luciani, conf. (*Chiffl.*). † Macedonii et duorum puerorum (*Chiffl.*). † Sergii, mon. (*Sirm. Chiffl.*). † Moysis, eremitæ (*Chiffl. Sirm.*). † Martyrum 70 Scytopoli (*Chiffl.*). † Trium MM. in Galatia (*Chiffl.*). † Josephi, mart. et soc. (*Taur. I, Maz.*).

OBSERVANDA.

SS. Cyrus et Joannes.

Senkesser Æthiopicum, a Dillmanno vulgatum, sic habet : « Die quarta mensis Hamle (28 Junii) translatio corporum Abukiri et Joannis, qui Jacatit mensis die VI (31 Januarii) passi sunt. » Dillmann, Catal. codd. mss. bibl. Bodleianæ, pars. VII, codd. Æthiop., pag. 63, Oxonii 1848. In Mart. Romano celebratur memoria SS. MM. Alexandriæ, quorum ultimo loco venit S. Rais seu Herais, Ostromirano Synaxario non ignota. — Lucianus et Macedonius fere nominetenus noti sunt. Qui vero post S. Paulum medicum memorantur in iisdem Synaxariis Græcis Agathodorus et Agathonica, videntur Bollandianis fuisse famuli S. Pauli diaconi, alias Papyli, cum S. Carpo episcopo passi, atque in Actis SS. relati ad XIII Aprilis. — S. Leo, de quo agit Neap., est hujus nominis primus, non secundus. De eo plura habes in Actis SS., pag. 374 et seq. et apud Sollerium in Martyr. Usuardino ad hunc diem. — Sergius, fundator monasterii Nicetiatæ in sinu Nicomediensi et militiæ magister, floruit sæculo nono. Cfr Acta SS., p. 384. — Verosimiliter dicunt Bollandiani hodiernum Moysen esse eumdem cujus memoriam celebrarunt ipsi XVIII Februarii, et de quo iterum pluribus egerunt tom. X Oct., pag. 679. Moysem Æthiopem, eremitam quoque, retulerunt iidem hagiographi XVIII Junii. — Josephus videtur passus esse cum SS. Acepsima et Aithala, quos retulimus alibi.

S. Paulus. *S. Leo.* *S. Sergius.* *S. Moyses.* *S. Josephus.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Sergius et Germanus, Balaamici.

Multa de his duobus monachis narrantur aut potius conjiciuntur ab auctoribus indigenis vel prorsus inepta, vel nullo solido argumento nixa. Alii namque apostolicis viris eos convixisse somniantur, alii, inter quos Muraviev toties jam in opere hoc citatus, tempore S. Olgæ floruisse autumant; sunt qui eos ad tempora S. Vladimiri remittere malunt. Jamvero illud tantum pro certo dari potest utriusque originem et adventum omnino ignorari. Probabilissima tamen sententia est eorum, qui Sergium et Germanum sæculo XIV vixisse affirmant, quo nempe Karelia sub dominationem Russiæ venit. Porro Balaamica insula sita est medio in lacu Ladoga; unde monasterium, a Sergio et Germano institutum, Balaamici cognomen retinuit. Cæterum uterque virtum in Prologo tum in Menæis desideratur. Translationis festum agunt Russi 11 Septembris.

Cfr 1) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 77. 3) Macarius, Hist. Eccl. Russ. I, pag. 153 et seq. 4) Philaretes, Hist. Eccl. Russ., II, 32. 5) Menol. Vers. ad h. d.

DIES XXIX.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

Memoria SS. app. Petri et Pauli (*Ita omnes cum Bas. Neap. CP. GP. etc.*).

S. Petri, thaum. Rostoviensis (*Pp. Kal. Prol.*). Andreæ Bogolubensis (*Hag.*). S. Eustathii Mzkhetensis (*Iber.*).

OBSERVANDA.

SS. Petrus et Paulus apostoli.

Valde notandum est elogium sanctorum apostolorum, auctore S. Joanne Chrysostomo, quod hodie legere est in Prologo. In eo enim S. Petrus disertissime vocatur *omnium apostolorum pastor præcipuus* (*pastyriu* VLADYČNYI *vseh apostol*). Cujus testimonii momentum tantum est, ut sufficeret vel solum ad refellendas omnes cavillationes, quas contra primatum S. Petri objicere solent Russi acatholici. Primatum dico non honoris, quem libentisse dabit Russorum quivis, sed jurisdictionis ac potestatis, quem totis viribus tum apostolorum principi tum ejus successoribus eripere conantur, sed frustra. — De Petro Rostoviensi dicendi locus proprius est ad diem præsentem, licet apud alios referatur die sequenti. In Actis SS. magnifice prædicatur Czar Rostoviensis, cum tamen esset regulus; id neminem gravabit. De Petro Muromensi et uxore ejus Febronia egimus supra, ad diem XXV, sanctæ Febroniæ, virgini et martyri, sacram. — In Kalendario quod ad calcem

S. Petrus Rostoviensis. *S. Eustathius Mzkhetensis.*

DIES XXX JUNII.

cem Bibliorum in Iberica lingua recens editorum adjectum est, legitur nomen S. Eustathii Mzkhetensis ad 29 Junii; at in Synaxario quodam antiquo, quod citatur in *Chronico* Brosseti, inscriptus est ad 20 Decembris; quo agemus de eo, si interea quædam de eo apud auctores invenire datum fuerit. Est autem Mzkheta Kartheliæ primaria civitas et caput.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Petrus Rostovicensis.

Alii recensent Petrum ad hanc diem, alii ad præcedentem, sancto Petro, apostolorum principi sacram. Floruit sæculo decimo tertio, dominantibus in Russia Mongolis, fuitque Chani Bercai nepos. Qui cum Rostoviæ episcopum, Cyrillum, de idolorum vanitate, deque christiana doctrina, et de S. Leontio, Rostoviæ apostolo, coram Chano disserentem audivisset, suscipiendæ fidei christianæ desiderium concepit; utque voti compos fieret, Cyrillo Rostoviam redeunti sese socium clam adjunxit. Baptismo cum nomine Petri suscepto, apud episcopum mansit usque ad annum 1266, quo ille obiit; Ignatio vero, Cyrilli successori, ecclesiam cum monasterio exstruxit sub titulo SS. apostolorum Petri et Pauli; a quibus hac de re in visione præmoneri sibi visus fuerat, et pecuniam accepisse fertur ad emendam terram templo erigendo necessariam. Ne autem in Asiam rediret Petrus, uxorem duxit, suadente principe Rostoviensi, a quo tanquam frater diligebatur. Postmodum, uxore filiisque ab ea procreatis orbatus, mundo valedixit, habituque monastico suscepto, in provecta senectute obiit anno circiter 1290. Sepultus est in monasterio a se condito, ubi ad hunc diem quiescit.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Colloquia Orthod., 1859, mens. Mart., pag. 357 et seq. 3) Buslajev, Očerki, t. II, a pag. 155. 4) Dict. hag., pag. 227. 5) Menol. Verš. ad h. d.

Andreas Bogolubensis.

Andreas Vladimiriæ sedit ab anno 1157 ad annum 1174, fuitque filius Georgii Dolgorukii, seu Longimani. Eminuit in Andrea pietas, ac potissimum tener erga B. Virginem affectus; cujus imaginem secum in castris ferre solebat præliaturus. Ejusdem virginis ope et præsidio insignem de Bulgaris Volgensibus reportavit victoriam anno 1164, in cujus rei memoriam festum peculiare in honorem B. M. V. Vladimiriensis institui voluit, et prima die augusti quotannis celebrari. Idem cum Vyšegorodia Rostoviam peteret, miraculosam B. M. V. imaginem secum deferens, a Beata Virgine in loco quodam sistere juberi sibi visus est et ecclesiæ urbisque jacere fundamenta, imagine Vladimiriam delata. In cujus visionis memoriam aliud festum institutum est, in honorem B. M. V. Bogolubensis die 18 junii obeundum, ut vidimus supra. Obiit Andreas anno 1174, die 29 junii, a proceribus et cognatis interfectus. Colitur præterea peculiari officio ad diem 4 Julii.

Cfr 1) Annal., t. I, pag. 140, 156, II, 111-113. 2) Macarius, Hist. Eccl. Russ. III, pag. 224 et seq. 3) Dict. hag., pag. 22. 4) Kulčinius, Specimen, pag. 278.

DIES XXX.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria sanctorum duodecim Apostolorum (*Omnes cum Bas. GP. Vind. Goth. etc.*).

B. Petri, thaum. Rostoviensis (*Menol.*). S. Georgii Mtha-Tzmindani (*Iber.*). SS. Euthymii, Georgii et Joannis Iberorum (*Iber.*).

† Pauli, ap. (*Neap.*). † MM. Diomedis, Eulampii Tarsensis, Melitonis, Petri Synapensis et Asclepiadis (*Chifft.*). † MM. Leonis et Paregorii, Pataræ in Lycia (*Acta SS.*). † Basilides, mart. Alexandriæ (*Acta SS.*).

OBSERVANDA.

Synaxis XII Apostolorum.

Solemnitatem hanc apud Græcos veterem fuisse et statam testatur, præter alia documenta SS. Patrum, SS. Apostolorum templum, omnium quæ in CPoli exstiterunt, post Sophianum, celeberrimum ac pulcherrimum. Exstruxit illud Constantinus Magnus, statuitque, ut in eo imperatores christiani post obitum humarentur: quapropter imperatorium cœmeterium vulgo fuit appellatum, ut fuse demonstravit Cangius, CPolis christianæ lib. IV, p. 105 et seq. Difficile itaque credet quis cl. Morcellio, conjicienti celebritatem hanc apud Latinos dudum institutam, nonnisi recentiori ævo a Græcis fuisse probatam et adscitam, temporibus nimirum Concilii Nicæni II, quum jam Iconomachorum rabies deferbuisset (Kal. Const., t. II, p. 144). In Ostromirano Synaxario et passim diserte exprimitur numerus duodenarius; quin tamen ideo non nominetur S. Paulus; cujus apostoli nomen seorsim expressum legitur in Kalendario Neapolitano marmoreo. Addatur, officii, quod in honorem SS. duodecim apostolorum recitari solet a Græcis, auctorem esse Theophanem, metropolitam Nicææ, qui floruit sæculo nono. — Georgium Mtha-Tzmindanum hoc die consignatum reperio in Kalend. Iberorum, quod in Chronico Iberico cl. Brossetus in lucem dedit anno 1830. A sancto Ibero sibi cognomine, qui cum duobus aliis, Euthymio et Joanne prodire solet, probe distinguendum esse suadet cognomen Mtha-Tzmindani. Posterior nempe degit in Monte Atho, ibique cum SS. Joanne et Euthymio monasterii, quod in eorum memoriam hactenus Ibericum nuncupatur, auctor fuit. De unoquoque accipe pauca. Joannes, e civitate Tao seu Taos Car oriundus, Davidis Curopalatæ, Iberiæ regis, erat consiliarius. At mox, despecta mundi gloria, (erat enim illustri genere prognatus,) monachum induit in monasterio Colpa; unde in montem Olympum S. Joannicii Magni nomine clarum transiit, ac tandem Montem Atho petiit, Athanasii Athonici fama illectus; cujus non consuetudine tantum, sed etiam familiaritate usus est. Quadam die, dum Constantinopoli monasterii causam agebat apud imperatorem, proprium filium, Euthymium, ibi cum avunculo versantem, casu offendit. Urbem nempe adierat Euthymius ut studia litterarum perficeret; quippe qui tenera adhuc esset ætate. Quibus absolutis, mundo valedixit et ipse, atque parenti suo in monasterio Athanasiano socium sese adjunxit. Interea Joannes, solitudinis amore, lauram

SS. Joannes, Euthymius et Georgius.

S. Georgius Mtha-Tzmindanus.

ram reliquit et in locum, ubi exstabat ædicula, e monacho qui eam excitaverat, Clementina dicta, cum filio secessit, ibique brevi socios nactus est adeo frequentes, ut amplioris ecclesiæ et monasterii fundamenta jacere coactus fuerit. Qua in re adjutorem habuit Tornicium Iberum, qui, e duce exercitus monachus, tropæis bellicis non minus quam sanguinis nobilitate erat illustris; quin etiam, dum in Monte Atho morabatur, ab imperatrice Theophania, suadente Iberiæ rege, iterum militum dux constitutus fuit adversus Persas, imperium bello invadentes; quibus devictis enseque deposito, in Montem Atho rediit, atque monasterium, quod in Iberorum usum eduxerat Joannes, splendide ornavit, ibique reliquum vitæ suæ mansit. Non diu superstes fuit benefactori suo Joannes; at antequam commune naturæ debitum solveret, Euthymio monasterii regimen commisit ea lege, ut ipsi demortuo succederet in hegumenatu Georgius, utriusque cognatus; qui tunc temporis jam in monasterio morabatur. Obiit autem Joannes 14 junii, coliturque a monachis Athonicis, ut dictum est, 13 Maii una cum Euthymio. Rexit hic monasterium, a patre sibi concreditum, annos quindecim; nec illi soli, sed et cæteris omnibus quotquot in Monte exstabant, præfuisse dicitur. Quamvis autem hegumeni curis varie distineretur, tamen multos libros in usum gentis suæ conscripsit, præsertim pios; selecta scilicet patrum opera, vitasque sanctorum et, quod caput est, scripturas sacras, e Græca lingua in Ibericam non ineleganter transtulit; quapropter unus e celeberrimis undecimi sæculi scriptoribus habetur a suis. In quo labore socios habuit Arsenium, episcopum Nino-Tzmindanum, et Joannem Gerdzelidzen, qui reclusorum vitam prope monasterium agebant. Tandem CPolim negotiorum monasterii causa profectus, cum quadam die per plateas urbis equo insedens procederet, in terram ab eo dejectus graviterque læsus, non multo post animam Deo reddidit anno 1026, die 13 Maii. Corpus ejus, CPoli in Montem Atho avectum, primo in ecclesia monasterii Iberici, S. Joanni Baptistæ sacra, dein in majori ecclesia B. M. in cælos Assumptæ translatum, et in marmoreo sepulchro a Georgio conditum est. De Georgio quoque pauca delibanda sunt. Et primo quidem distinguatur oportet a Georgio seniore, qui Euthymio in regendo monasterio fuit successor, atque huic aliquandiu moderator. Natus erat in Trialetia, a parentibus piis, Jacobo et Maria, anno 1014, imperante Georgio I. Septennis sorori suæ, nomine Theclæ, quæ in monasterio Sam-Tzkhetensi velum assumpserat, traditur educandus; tum anno ætatis decimo, in monasterio B. M. Khakhulensi, a sene quodam Hilarione excultus est, ac tandem CPolim abductus, ubi litterarum Græcarum et philosophiæ studio annos duodecim impendit. In patriam redux, monasterio Khakhulensi nomen dedit, ibique tonsuram ab Hilarione accepit, annos natus viginti quinque; mox, relicto cœtu, in Palæstinam clam profectus est, sedemque fixit non procul a monasterio S. Romani, socius factus cujusdam senis Georgii, natione Iberi; a cujus nutu pependit annos tres. Tum Jerosolymam adire, et loca sancta adorare; quin et in montem sanctum pergere permissus est, quo Euthymii fama trahebatur. At sanctum virum in vivis non reperit; mansit tamen in monasterio Iberorum, fratribus virtutum exempla præbens tanta, ut ecclesiæ ab eis brevi præfectus sit et ad sacerdotium promotus. Euthymii exemplo, plurima volumina iberice conscripsit; synaxarium nempe, aliosque libros liturgicos, Menæorum partem, commentarios in Genesim, et epistolas universas in linguam Ibericam convertit; præterea multa de monasterii fundatoribus et originibus scripto mandavit. Joannis et Euthymii corpora in novam ecclesiam Assumptionis transferenda curavit; ipsam vero ecclesiam plumbeo tecto munivit. Narratur insuper Slavos in Livadia degentes, homines admodum rudes, ab idolorum cultu ad fidem Christi traduxisse, præcipuo idolo confracto et contrito. Cum autem itinerum frequentia curarumque multitudine ab incepto scribendi libros proposito impediretur, relicto Monte Atho, in Armeniam minorem trajecit, et, sede in Monte Nigro fixa, in vertendis libris, aut potius in recognoscendis lucubrationibus Euthymii totus fuit, eas expoliens, exornans, dictionem, constructionemque verborum accuratissime castigans. Unde factum est, ut, Georgii scriptis per monasteria propagatis, fama quoque manaret ad Iberiam usque, auctoris præsentiam expetentibus non solum Ecclesiæ Ibericæ præsulibus, sed etiam rege Bagrato III. Perrexit itaque in patriam Georgius, ubi magno honore ab omnibus, potissimum vero a rege et Maria, matre ejus, exceptus est, omnibusque carus effectus, tum ob consiliorum prudentiam doctrinæque præstantiam, tum maxime propter misericordiam erga orphanos; quos, magno numero congregatos, litteras docebat ipsemet ac singulari cura excolebat. Mansit in Iberio annos quinque, donec a Babyloniæ rege Alp-Arslano, qui Iberiam invasit, fuerit deturbatus. Itaque Montem Atho iterum repetere statuit, comitantibus orphanorum suorum turmis. At Deo secus volente, CPoli levi morbo correptus placide obdormivit anno 1066, die 28 junii, atque in Montem avectus in ecclesia Præcursoris sepultus est, unde anno proxime sequente in majorem ecclesiam Assumptionis translatus ac in marmoreo sepulcro positus una cum fratre suo Joanne et Tornicio. Facta quidem fuit hæc solemnis translatio die 24 maii; verum neque hoc die colitur, neque 28, quo obiit, sed 30 Junii, qui apostolorum collegio sacer est; apostolus Iberiæ propter eximia scripta nuncupatus et ipse. Atque hæc de fundatoribus monasterii Iberorum sufficient. Plura qui volet reperiet tum in eorum Vita a patriarcha Iberiæ Bessarione conscripta, quam suo idiomate tradidit Muraviev ad hunc diem; tum in Paterico Montis Atho, ad 13 Maii; tum denique in Vita mss. monasterii Iberici; quæ tamen in pluribus locis a se invicem dissident et accurate aliquando examinanda erunt. — De Petro Rostoviensi actum pridie. — Diomedes et socii ejus martyres sunt Græci, non uno aut loco, aut tempore passi; de quorum agone : cfr Act. SS., p. 574.

Dies XXX Junii.

S. Petrus.

SS. Diomedes et soc.

MENSIS JULIUS.

Dies I et II Julii.

MENSIS JULIUS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. Memoria SS. Anargyrorum Cosmæ et Damiani, mart. (*Ita omnes cum Bas. CP. GP. Pg. Vind. Goth. Sirm. Dom. Maz. Sirl.*).

Ex variis. S. Petri, olim patricii (*Men. Hor. Prol. Kal. cum Bas. Med. Taur. II, Chiffl. Sirm. Maz.*). S. Potiti, pueri (*Men. Kal.*).

† Simonis et Judæ, app. (*Neap.*). † Basilii, abb. mon. ad profundum rivum (*Mg.*). † Leonis, erem. (*Chiffl. Sirm.*). † Martyrum bis mille (*Chiffl. Maz.*). † Mauricii, mr. (*Sirm. Chiffl.*). † Viginti quinque MM. Nicomediæ (*Clar. Div.*). † Simeonis Sali (*Sirl.*).

OBSERVANDA.

SS. Cosmas et Damianus. Soli Mst. et Rum. agunt de passione SS. Cosmæ et Damiani. In Horol. Prol. et aliis additur : *qui Romæ passi sunt*; *Romani* vocantur in Ternobiensi, uti in Vindobonensi, τῶν ἀπὸ Ῥωμῆς. In CP. et Naniano fit nuda commemoratio *SS. Anargyrorum*, τῶν ἀναργύρων. At alibi consignatur *dedicatio ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani*, nimirum Cephalœdi ; quod vero est similius et videtur indicari in Synaxario Ostromirano : in quo, non secus ac in CP., signatur sola *memoria*, non *passio*. Diximus autem alicubi non fuisse horum nominum martyres alios præter Arabes. — *S. Simeon Salus.* Testatur Baronius, agi de Simeone hoc die in Menologio Græcorum, puta Sirletiano, quod solum, latine ex Menæis redditum, præ manibus habebat. Jamvero Menologia et Menæa, sive Græca sive Slavica omnia, quotquot inspicere mihi datum fuit, agunt de S. Simeone Salo die XXI Julii. Errorem suum in Fastos Latinos invexit clariss. Baronius, et ita orta esse videtur diversitas dierum, quibus memoria hujus sancti celebratur apud Latinos et Græcos. Fieri tamen potuit, ut in codice aliquo ms. revera notatus fuerit dies 1 (α) pro vigesimo primo (κα), oscitantia amanuensis. Videsis quæ hac de re adnotaverunt Bollandiani ad diem primam Julii, pag. 130. — *S. Petri patricii.* S. Petri, patricii, Vitam ex Menæis mss. Mediolanensibus desumptam legere poterit qui volet in Act. SS., pag. 290 et seq. In Taur. II memoratur die 3 hujus.

DIES II.

Ex Ostromirano. Ex variis. Depositio tunicæ SS. Deiparæ in Blachernis. (*Omnes cum Bas. CP. GP. Vind. Mg. etc.*).

S. Juvenalii, patr. Jerosolym. (*Men. Kal. Prol. et Hor. cum Bas. Maz. Dom. Med. Chiffl. Mg.*). Festum iconis B. M. V. Achtyrensis (*Kalend.*). Obitus Photii, metr. Kioviensis (*Kalend.*).

† Hyacinthi, mr. in Phrygia (*Bas.*). † Processi et Martiniani † Quinti, mart. (*Med. Taur. Sirm. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

Depositio Tunicæ B. M. V. In Kalendario CPolitano Morcellii agitur de translatione monumenti (græce σορὸς) Blachernarum. De vestibus SS. Deiparæ in hac celeberrima æde asservatis fuse agit Cangius in Notis ad Alexiadem, pag. 329, edit. regiæ. Secunda depositio sacræ vestis commemoratur die ultima Augusti. Exstat Mosquæ ecclesia, in ipsomet palatio exstructa tempore Basilii cognomento Cæci, et anno 1526 consecrata. Est ibidem, teste Kalend. pag. 279, et alia Ecclesia B. M. Akhtyrensi sacra, in qua hodie peculiari solemnitate recolitur apparitio imaginis Akhtyrensis dictæ. Apparitionis tempus figunt auctores ad annum 1739. Cfr Menologium Veršinskianum ad hanc diem et opus inscriptum : Gloria B. M. V., part. III, sect. III, p. 90 et seq. — *S. Juvenalius.* De S. Juvenalio, patriarcha, plura disserere vetat erudita tractatio, quæ inserta est in Actis SS., Jul. tom. VII, pag. 855—863. — *Photius metr. Kioviensis.* Quemadmodum tempore SS. Cyrilli et Methodii inconsutilem Christi Domini vestem sacram, Ecclesiæ, inquam, unitatem scindere attentavit Photius, patriarcha, ita ineunte sæculo XV unioni infestissimum sese probavit Photius, metr. Kioviensis, non semel jam commemoratus. Cujus obitum recolunt Russi hodie, corporis vero translationem 27 Maii ; iterum redibit 5 Octobris.

Festum B. V. Akhtyrensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Photius, metropolita Kioviensis. Quæ de Jona, metropolita, superius adnotavimus, eadem in Photium hunc omnino quadrant. Nempe quemadmodum ille, ita et iste Ecclesiam Kioviensem turbavit potius, quam rexit. Præfit autem per annos unum et viginti, scilicet ab anno 1410, quo in metropolitam a Matthæo, patriarcha, creatus fuerat, ad annum 1431, quo obiit, die 1 aut 2 julii. Erat autem Photius Græcia oriundus, et in Palestina apud Acacium, episcopum, educatus ; ubi et monachum induit anno 1410, dum adhuc juvenili ætate floreret. Photii gesta breviter perstringit Kulčinius, Speciminis sui pag. 120, cujus verba huc referre minime gravabor : *Photius*, ait, *ad Kioviensem promotus sedem, cœpit Russiam schismate græcanico inficere, thesauros S. Sophiæ expilare, census ecclesiæ metropolitanæ emungere ac dilapidare, jamque cum omnia fere sacra cimelia, et præcipue mappam, scutellas et sandalia B. Virginis auro gemmisque pretiosis affabre exornata in Græciam exportasset, episcopi Rutheni tam gravibus occurrentes damnis, celebrata synodo Novgorodensi in Lithuania, Alexandro Vitoldo, magno Lituanorum*

rum duce, Photium multorum et magnorum criminum reum, sede metropolitana remove- *runt. Acta hæc sunt anno* 1415, *die* 15 *decembris.*

DIES III ET IV. JULII.

Cfr 1) Prolog. ad 27 Maii. 2) Colloq. orthod., 1860, Septemb. 3) Prospectus, nº 95. 4) Philaret., Hist. Eccl., III, 1-8, 12, 97, 155 et passim. 5) Macarius, in opere periodico Učenyia Zapiski, t. VII, pag. 47 et seq.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S.Hyacinthi, cubicularii et mart. (*Mst. Tern. Par. Rum. Ng.* 1, *Chil. Men. Prol. Hor. Kal. Leop. etc., cum Bas. GP. Goth. Vind. Pg. Msq. Maz. Dom. Chiffl. Mg.*). SS. MM. Marci et Mocii (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Taur. Maz. Chiffl. Sirl.*). S. Aniceti, mart. (*Par.*). S. Anatolii, patr. CPlitani (*Men. Prol. Pp. Kal. Hor. Dom Sirm. Maz.*). SS. MM. Theodoti et Theodotiæ, Diomedis, Eulampii, Asclepidioti et Golinduchæ (*Kal. et Prol. cum Bas. Chiffl. Maz. Mg.*). S. Alexandri, heg. et fundatoris Acœmetarum (*Men. Kal.*). Translatio corporis Philippi, metr. Kioviæ (*Kal. Prol.*). Obitus Basilii et Constantini, principum Jaroslaviæ (*Kalend.*).

† Thomæ, mart. (*Neap.*). † Petri, patricii (*Taur. I*).

OBSERVANDA.

S. Hyacinthus. Plures sunt sancti martyres Hyacinthi nomine distincti; quos nominis fama præit hodiernus, Cæsareæ in Cappadocia martyrium passus. —

SS. Theodotus et Theodotia. S. Theodotus et Theodotia in Prologo iterum referuntur die sequenti cum brevi encomio. In Kal. omnino omissi sunt, uti Diomedes et alii in Basiliano Menologio. —

SS. Marcus et Mocius. Marcum et Mocium ad hunc diem proferunt libri Græcorum Slavorumque liturgici fere omnes, probeque discriminant a SS. Marco et Marcelliano, qui coluntur 18 Junii et iterum 28 Decembris; verum hosce ultimos eosdem omnino esse ac hodiernos, conjectura est cl. Mazochii, cui equidem subscribere non repugnabo. Sane hodiernum synaxarium SS. Marci et Mocii, prout in Prologo legitur, per omnia convenit cum encomio SS. Marci et Marcelliani latino, ut utrumque conferenti persuasum erit. Aliunde variis modis effertur nomen Mocii : scribitur namque in Kalendariis Mochius, Mucius, Mucianus. —

S. Anatolius, patr. CP. Apprime distinguendus est S. Anatolius, CPolitanus, ab Anatolio, episcopo Laodiceæ, quem hoc eodem die referunt fasti quidam ex Eusebii Chronico. Ab accusationibus, quæ adversus sanctum patriarcham congeri solent, liberant eum Bollandiani in peculiari inquisitione; quam hac de re instituerunt, pag. 652 et seq., addita ejusdem Vita, auctore anonymo, pag. 659. Cfr etiam Acta SS., Febr. t. I, pag. 357, lit. F. —

Philippus, metr. Kiovien-sis. Translatio corporis Philippi, metropolitæ, e monasterio Solovecensi Mosquam facta est anno 1652. —

S. Thomas, apostolus. S. Thomam, apostolum, referunt quædam Kalendaria Coptica et Martyrologia Latina, testibus Bollandianis. An autem sit idem ac S. Thomas, martyr, marmori Neap. insculptus, non constat.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Basilius et Constantinus, Jaroslaviæ duces. Obiit Basilius, Vsevolodii ducis Jaroslaviensis filius, anno salutis 1249 Vladimiriæ, unde corpus Jaroslaviam translatum et simul cum reliquiis B. Constantini, Muromensis, de quo vide ad 21 maii, conditum est in sacello ecclesiæ cathedralis utriusque nomini dicato.

Cfr Dict. hag., pag. 54 et Menol. ad h. d.

Joannes Salus, Mosquensis Floruit Joannes sæculo decimo sexto, non ignobili genere Vologdæ ortus. Ab adolescentia orationis et abstinentiæ exercitiis summa diligentia vacavit, catenis ferreis et ciliciis corpus suum edomans. Mosquæ, ubi degebat, per plateas publicas incedere solitus est crinibus dijectis, vesteque tenuissima indutus, imo pene nudus, etiam frigore sæviente, digitisque plures annulos æneos gestans, globulosque ligneos volvens manu. Boriso Godunovio, thronum eo tempore usurpanti, facinora in faciem summa libertate exprobravit, variasque calamitates genti suæ imminentes publice prænuntiavit. Tandem anno 1589 Mosquæ obiit et in ecclesia Patrocinii B. M. V. sepultus fuit.

Cfr Dict. hag.. pag. 134.

DIES IV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Andreæ, archiep. Cretensis (*Mst. Tern. et reliqui cum Bas. GP. Vind. Goth. Pg. Msq. Flor. Nan. Dom. Maz. Mg.*). S. Theodori, ep. Cyreneorum et mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Nan. Med. Taur. Chiffl. Maz.*). S. Marthæ, matris S. Simeonis in monte Mirabili (*Men. Og. et Pp. Kal. Hor. Prol.*). S. Simeonis in monte Mirabili (*Pp.*). SS. MM. Theodoti et Theodotiæ (*Prol. Kal. cum Dom.*). Inventio corporis Euthymii Suzdaliæ (*Kal. Prol.*).

† Marthæ, matris S. Simeonis Stylitæ (*Mg. Dom.*). † Theodoti, mart. (*Mg.*). † Marci (*Med. Taur. Maz.*). † Arsæ, Cyprillæ et Luciæ (*Chiffl. Maz.*). † Asclepiæ, thaum. (*Maz. Chiffl. Sirm.*). † Theophili, mr. (*Chiffl. Maz. Sirm.*). † Menigni, mr. (*Chiffl. Maz. Sirm.*). † Procopius, abb. Sazaviæ (*Act. SS.*). † Lampadi Irenopolitani (*Bas.*). † Donati, ep. (*Neap. Nan. Sirm. Dom. Maz. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Andreas. S. Andreas vindicatur a monothelismo in Act. SS., pag. 44. —

S. Simeon. Simeon in monte Mirabili nuspiam alibi commemoratur hoc die præterquam in codice mss. quem Bollandianis Mosqua submiserat

DIES V. JULII.

S. Martha. miserat olim P. David, S. J. missionarius; in synaxario Callipolitano magnæ auctoritatis, prodit die VI. — Notandum in Menæis Græcis impressis et Med. mss. commemorari non Martham, matrem S. Simeonis Thaumatoristæ, sed matrem S. Simeonis Stylitæ, Mariam. Verum hanc quoque vocari Martham dicemus alibi, ad 1 Septembris. Proinde errasse Menæa Græca verisimile est, præsertim cum Martham, matrem S. Sim. Thaum.

S. Theodotus. referunt crastina die. — Distinctus est a SS. Theodoto et Theodotia Theodotus ille, qui exhibetur hodie in Menæis Græcis impressis, simul cum S. Donato. — Nomine Donati, in marmore Neap. insculpti, intelligendum esse episcopum Eurææ in Epiro, quem Græci colunt XXX Aprilis, auctor est Sabbatinius; equidem majorem fidem adhibendam existimo cod. Naniano et aliis, diserte exprimentibus Lybiam : Δονάτου Λιβύης. — Addidimus sanctum Procopium, abbatem Sazaviæ, prope Pragam, eo quod putatur a quibusdam ritu slavico sacra celebrasse, imo et Evangelii Remensis, sæpius a nobis citati, esse auctorem, quantum ad priorem codicis partem, quæ Cyrillicis characteribus conscripta est.

S. Donatus.

S. Procopius.

DIES V.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Lampadi (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Novg.* 1, *Prol. Kal. Hor. Kiov. cum Nan. Vind. Maz. Chiffl. Med. Mg. Marg.*). S. Marthæ, matris S. Simeonis in monte Mirabili (*Rum. Chil. Leop. cum Bas. Nan. Maz. Coisl. Mg.*). S. Astii, hieromart. (*Sišat. cum Sirm.*). S. Agnetis, mart. (*Hor. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg.*). S. Cyrillæ seu Cyprillæ (*Hor. Kal. cum. Bas. Maz. Mg.*). S. Athanasii Athonici et sex discipulorum (*Prol. Menol. Hor. Kal. Ath. cum Sirm. Maz. Chiffl. Sirl. Mg. Marg.*). S. Petri Athonici (*Chil. Men. Ath.*). Inventio corporis Sergii Radoneženssis (*Prol. Kal.*). Festum imaginis B. M. Ustugensis (*Kal.*). Procopii Ustugensis, Sali (*Kal.*). Cypriani Novi (*Ath.*). SS. Cyrilli et Methodii, Slavicæ gentis apostolorum.

† Archangeli Michaelis (*Neap.*). † Fortunati, apost. (*GP. Flor.*). † Marci (*Dom.*). † MM. Basilii et septuaginta sociorum (*Med. Chiffl. Maz. Mg.*). † Encænia S. Juliani, mart. prope forum (*Med. Taur. Mg. Marg.*). † MM. Luciæ, virg., Rixi et soc. (*Sirm. Chiffl.*). † Phocæ, thaumat. (*Chiffl. Sirm.*). † MM. Stephani, ep., Rhegii et soc. (*Sirm. Chiffl. Crypt.*).

OBSERVANDA.

S. Lampadus. S. Lampadus, thaumaturgus, qui a juventute pœnitentiæ addictus, ad senectutem usque in spelunca degisse perhibetur, in Menol. Basilii nuncupatur Irenopolitanus, non secus ac in Horol. Počajovensi et Kalend. Kioviensi. *Elampadius*, *Lambadus*, *Lampus* corruptelæ sunt veri nominis. — Celeberrimum ascetarum Montis Atho par, Petrum et Athanasium, referunt hoc die Kalendaria quædam, inter quæ principem locum obtinet Typicon Chilandariensis monasterii, sæculo XIV scriptum. Cætera solum Athanasium produnt eam, ut opinor, ob causam, quod S. Petrus peculiari festivitate celebratur 12 Junii, uti hodie S. Athanasius. Breve hujus encomium, ex Menæis Græcis depromptum, dederunt latine Bollandiani, longiorem sancti Vitam libenter daturi, si eam præ manibus habuissent. Jam vero valde prolixa est illa, quam Slavonico idiomate vulgavit auctor Menologii Mosquensis, Russicam vero fecit Paterici Athonici translator incertus, ex libro Καλοκαφίνη dicto; nec, ut opinor, diversa a volumine illo *abunde concinnato*, cujus mentio injecta est in encomio Menæorum contractiore, imo et in narratione Menologii Mosquensis. Occasione S. Athanasii Athonici meminit Papebrochius alterius Athanasii *in arbore* dicti, ἐν τῷ δένδρῳ; cujus effigiem se invenisse ait in diptycho CPolitano post alios illustres Græcorum sanctos expressum. Fatetur tamen se nuspiam alibi legisse hujusmodi sancti Vitam aut gesta; equidem ne cognomenti quidem illius vestigium reperi in diptycho; sed nudum nomen Athanasii; quem eumdem esse reor ac sanctum Athanasium, in Paulopetrio dictum, atque propter ea quæ pro cultu imaginum

SS. Athanasius et Petrus Athonici.

toleraverat confessoris titulo ornatum. — In Horol. Počajovensi et Kalendario Mosquæ excuso conjunctim referuntur SS. Anna et Cyrilla; at S. Agnetem intelligendam esse testantur cætera Kalendaria et Menæa sive Græcorum sive Slavica, in quibus præterea seorsim a S. Cyrilla prodit; quin in Synaxario Sparwenfeldiano occurrit S. Agna; quæ nominis forma inter Agnetem et Annam incedit veluti media. — Cyprianus Novus seu Junior, Montis Atho alumnus, commemoratur in Paterico Athonico, ad hunc diem; quo CPoli capite truncatus est a Turcis, anno 1679. Non apostasiæ expiandæ gratia, ut tot alii ejusdem scholæ alumni, sed nimio perfectionis studio abreptus, in necem irruit potius quam incidit. Junior nuncupatur, quo discernatur a S. Cypriano Carthaginensi.

S. Agnes.

Cyprianus Novus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

SS. Cyrillus et Methodius. Quoniam contentis nobis esse non licet vulgari SS. Cyrilli et Methodii encomio, visum est hoc loco edere syllogen eorum gestorum juxta utramque legendam Pannonicam; non quod Italicæ præferenda sit, sed quod Latinis fere ignota est. Particulas, littera majuscula (C) signatas, ex S. Cyrilli, littera (M) ex S. Methodii legenda excerpsimus; ex ambobus unam epitomen componentes. Constantinus itaque et Methodius, Thessalonicenses, floruerunt tempore Michaelis, imperatoris (M). Pater, nomine Leo, vir bonus et copiosus, et drungarii munere fungens, ex uxore Maria septem filios suscepit; quorum natu minimus fuit Constantinus, vulgo philosophus dictus (C). Qui puer anno ætatis septimo in somniis sibi visus est ex pluribus oblatis sibi virginibus delegisse unam, miræ pulchritudinis, nomine Sophiam seu Sapientiam. Non malum omen. In litterario ludo profecit præ omnibus in librorum scientia. (Hinc sequens troparium, quod ex Horologio Počajoviensi latine profero : *Sapientiam in sororem ab incunabilis sollerter elegisti tibi, o divina loquens, cum præclare vidisses eam in forma virginis castæ; hanc igitur amplectens, animam tuam ingeniumque*

niumque veluti aureis monilibus ornasti, factusque es in terris, o beate, tanquam alter Cyrillus, utpote re et nomine sapientissimus.) Quum autem aliquando exiisset juvenis cum falcone suo, venationis gratia; ventique impetus abstulisset avem, tanto animi mœrore correptus est, ut, oblectamento hoc derelicto, impensius studiis incubuerit. Præsertim vero delectabatur ediscendis operibus S. Gregorii Theologi; et cum adhuc juvenis esset, parieti mansionis suæ has S. Gregorii laudes, signo salutis suppositas, exaravit : « o Gregori ! carne quidem homo, anima vero angele ! etenim licet corpore humano indutus sis, angelus tamen apparuisti; nam labia tua, quemadmodum seraphim, Deum glorificant, totumque terrarum orbem illuminant, rectæ fidei vias edocendo. Quare et me, cum amore et fide ad te recurrentem, suscipe, illumina et erudi (C). » Cum vero fama de sapientia et studiis Constantini ad aures imperatorii œconomi seu logothetæ pervenisset, arcessitur ab eo ut cum imperatoris filio simul litteras disceret. Venit itaque CPolim ; ubi magistris traditus est. Trium mensium spatio totam grammaticam emensus, ad alia ediscenda progressus est. Homerum et geometriam, dialecticam et philosophiam apud Leonem et Photium didicit; præterea rhetoricam, arithmeticam, astronomiam et musicam : simul autem in humilitate et modestia se exercuit (C). Ita comparatum, logotheta præposuit eum super domum suam, concessa simul licentia introeundi palatium imperatoris cum fiducia (C). Voluit insuper ei in uxorem dare suam filiastram, adjecta pollicitatione se partem principatus et dignitatem strategi ab imperatore impetraturum. Quæ quum rejecisset juvenis magnanimiter, statuit eum, monachatu et sacerdotio auctum, bibliothecæ patriarchicæ ad S. Sophiæ præponere. Quod et fecit. Non multum tamen temporis commoratus est illic Cyrillus, sed trans Mare Angustum (Uzkoe) clam abiit, et in quodam monasterio sese abdidit, ita ut non nisi post sex menses fuerit detectus. Constantinopolim redux, nunquam adduci potuit, ut primum servitium resumeret; magistri tamen munus accipere et philosophiam cives et alienigenas docere non recusavit (C). Hoc tempore Constantinus, ætate adhuc juvenis, disputationem iniit, imperatoris jussu, cum patriarcha Janne (seu Joanne), propter pravas de sanctis imaginibus doctrinas sede pulso (C). Cum autem annum attigisset vigesimum quartum, missus est simul cum Gregorio Asyncrito ad Saracenos, quibus imperabat Amarus quidam. Missionis occasionem præbuit provocatio, a Saracenis facta, ut certamen cum iis iniretur de religione Christiana. Victor e certamine exiit Constantinus, postquam de veneno ab hostibus sibi porrecto triumphasset illæsus (C). Finita hac missione, ut solitariam vitam iniret solique Deo vacaret, abiit ad fratrem suum Methodium in montem Olympum (C). Methodius enim in montem hunc, ubi sancti patres habitant secesserat, prior monachus factus, postquam plures annos principatum Slavoniæ tenuisset (M). Uterque frater tempus insumebat orationi, vigiliis et jejuniis (C); donec quietem turbavit novum imperatoris mandatum, quo jubebatur Cyrillus ire ad Khozaros, a quibus viri eruditi expetebantur, qui eos primo quidem ab Hebræis, tum etiam a Saracenis defenderent, religionem suam illic certatim obtrudentibus. Iter iniit Constantinus, pervenitque Chersonam; ubi Hebræorum sermonem didicit; et libros, insuper et octo grammatices partes transtulit; unde majorem intelligentiam hausit. Ibidem quoque Samaritanam linguam didicit; reperitque Evangelium et psalterium sermone Russico scripta; quam linguam item didicit. Persuasit etiam archiepiscopo Chersonensi ut S. Clementis reliquias, in mari latentes, exquireret. Qua de re agens biographus, meminit fusioris scripti cujusdam de inventis reliquiis S. Clementis his verbis : « quemadmodum, ait, scribitur in ejusdem Inventione. » Constantino et Methodio Chersonæ morantibus, Khozarorum dux urbem christianam erat invasurus, nisi Constantini precibus ei suaderetur ut cives in pace relinqueret. Chersona ad Khozaros proficiscens, Constantinus obviam venit Ungris; a quibus tamen nil mali passus abire permissus est (C). Tandem, nave ascensa, iter Khozaricum iniit ille idem, Paludem Mæotidem et Caspias portas, in monte Caucaso sitas, invisurus. Quum ad Khozaros venit, disputationes cum sapientibus eorum, Judæis et Saracenis, Mahumedi placita sectantibus, habuit apud ducem Khozarorum. Contra Judæos disputans, indicat alicubi verba Aquilæ, cujus versio S. Scripturæ in singulari veneratione erat apud Judæos. Disputationis seriem contexens, dicit biographus, se « ex multis pauca brevitatis causa posuisse, ne oblivioni res daretur. Si vero, sic pergit, has sanctas orationes desideratis, integras invenietis in libris ab eo scriptis; at ab archiepiscopo Methodio, Constantini Philosophi fratre, nostroque magistro, translatas atque in octo partes divisas. » Finis fructusque harum disputationum fuit iste, ut, data cuivis licentia petendi baptismum, baptizati fuerint viri ducenti circiter; et ut illis qui christianam religionem cum Khozarica, Judaica aut Mahumedica permutarent, capitalis pœna fuerit indicta. Denique in patriam rediit Constantinus, donorum loco viginti captivis Græcis a duce Khozarorum impetratis (C). In reditu, cum siti premeretur, aquam salsam in dulcem precibus ad Deum fusis mutavit. Chersonæ mortem proximam prædixit archiepiscopi gentis Phullensis; quæ gens videtur eadem esse ac civitas Phylla (Φυλλα); de qua mentio fit in Vita S. Joannis Gothi; finem quoque imposuit cultui superstitioso, quem quercui magnæ molis reddebant indigenæ, præcisa arbore. CPolim redux, ad ædes SS. Apostolorum moratus est Constantinus (C). Methodio vero, episcopalem dignitatem recusanti, datum est monasterium Polychron, ubi septuaginta sodales numerabantur (M). Quo tempore Constantinus interpretatus esse dicitur (C) inscriptionem calicis templi S. Sophiæ; quam nemo legere potuerat. Inscriptio ista exarata fuisse dicitur litteris Hebræcis et Samaritanis tribus in partibus. In prima nempe legebatur : « Calix mi, calix mi ! prophetiza, donec luceat stella. In potionem sis, domino primogenito nocte vigilanti. » In secunda : « Factus est, ut Dominus gustaret arborem. Bibe et inebria te

Dies V Julii.

lætitia et clama, alleluia! » In tertia tandem : « Ecce dux! et omnis congregatio gloriam ejus cernet. Et David rex in medio eorum. » Sequitur numerus 909. Biographus addit numerum hunc designare spatium temporis ab anno 12 regni Salomonis ad Christum ducem; et ita prophetiam continere de Jesu Christo. Hoc tempore Rostislaus, Moraviæ rex, consilio inito cum primoribus suis et cum Moravis, legatos misit ad imperatorem Michaelem, rogans ut virum aliquem idoneum, adeoque episcopum destinaret, qui gentem Moravam, licet christianam, amplius edoceret veram fidem christianam (C). Misit Michael ambos fratres, utpote Thessalonica oriundos, ac proinde Slavica lingua bene loquentes. Constantinus Philosophus, licet ægrotaret, non recusavit missionem, sed, precibus fusis, illico in fingendas Slavicas litteras incubuit, scripsitque Joannis Evangelium; et ita donis imperatoris et litteris ditatus, iter Moravicum suscepit (C), Methodio comite (M). Magna veneratione exceptus fuit a Rostislao (C). Adversarii Slavicæ linguæ usui obstant. Errores eorum varii. Resistit omnibus Constantinus; et post quadraginta menses (triginta sex tantum secundum (M)), Romam per ditiones Koceli proficiscitur, qui ei quinquaginta discipulos adjungit (C). Iter Romanum. Disputatio Venetiis habita. Romam arcessuntur (C et M). Ordinari voluit suos discipulos S. Methodius (C). Rostislaus et Kocelus, rogantibus sanctis apostolis, nongentos captivos Græcos liberarunt. Excipiuntur Romæ ab Adriano papa; celebrant Missam slavonice, adsistentibus Arsenio et Anastasio bibliothecario. Adsunt item Formosus et Gaudericus, episcopi. Agebatur tum annus 868, non 869. Methodius factus est sacerdos a Romano pontifice; qui anathemate perculit adversarios, *trilingues* (M) dictos, quod latine tantum, græce et hebraice missam celebrare licere affirmarent. S. Cyrillus moritur (C) Romæ, schemate monastico suscepto, anno 869 die 14 februarii, anno ætatis 42 (C). Sepelitur in æde S. Clementis (C). Ultima commendatio fratri facta. S. Methodius a Kocelo expetitur in episcopum, et mittitur in Slavos universos (M). Qua occasione epistolam ad Rostislaum et Kocelum dedit Hadrianus, latine his fere verbis constantem : *Hadrianus, episcopus et servus Dei, Rostislao et Kocelo. Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis! Quemadmodum de vobis spiritualia audivimus, quæ sitiebamus cum desiderio et precibus propter vestram salutem, quoniam excitavit Dominus corda vestra ad quærendum eum, et ostendit vobis, quo non solum fide, verum etiam bonis operibus oporteat Deo inservire; fides enim sine operibus mortua est; et falluntur ii, qui se Deum cognoscere arbitrantur, operibus autem ab eo desciscunt. Non enim apud hunc episcopalem thronum tantummodo rogastis doctorem, sed etiam ab orthodoxo imperatore Michaele; a quo et missus est vobis beatus philosophus Constantinus cum fratre suo, cum nobis occasio deesset. Illi vero, juribus sedis apostolicæ in vestras partes cognitis, contra canones nihil fecerunt, sed ad nos venerunt, sancti Clementis reliquias secum ferentes. Nos quidem triplici gaudio repleti statuimus, re considerata, Methodium filium nostrum in partes vestras mittere, postquam eum cum discipulis ordinavimus, virum perfectum intellectu et orthodoxum, ut vos edoceret, prout rogastis, libros in vestra lingua interpretans secundum omnia Ecclesiæ præcepta plene, cum sancta Missa, id est, cum liturgia et baptismo, sicuti Constantinus Philosophus divina gratia et sancti Clementis invocatione cœpit; item si quis alius potuerit digne et orthodoxe docere, sit sanctio et benedictio a Deo et a nobis et ab omni catholica et apostolica ecclesia, ut facile præcepta divina discatis. Hunc unum servate morem, ut in missa primo legatur Apostolus et Evangelium latine, dein slovenice, ut impleatur verbum Scripturæ :* Laudate Dominum omnes gentes, *et alibi :* Omnes loquebantur variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. *Si quis autem ex doctoribus ad vos venientibus aut ex discipulis* (eorum), *aures suas a veritate avertentibus, ausus fuerit secus* (agendo) *vos in errores seducere, literas linguæ vestræ vituperando, sit excommunicatus; sed tantum in judicium tradatur ecclesiæ, donec resipuerit; isti enim sunt lupi, et non oves; quos convenit a fructibus eorum cognoscere et cavere. Vos autem, filii carissimi, audiatis præcepta Dei, nec institutionem ecclesiæ repudietis, ut inveniamini veri adoratores Dei, patris nostri cælestis et omnium sanctorum* (M). Methodius honorifice exceptus in ditione Koceli, mox remittitur Romam ut sacretur episcopus in sedem pannonicam S. Andronici. Et factum est ita (M). (Quæ res nuspiam alibi legitur.) Episcopus Pannoniæ factus, multa ab adversariis toleravit Methodius; imo captivos in Suabiam abducturus est; ubi duos annos et dimidium mansit, donec, S. Pontifice anathema adversariis minitante, liberaretur. Moravi, quoque ad se reversi, presbyteros Germanicos pepulerunt et Methodium a Romano pontifice impetrarunt sibi in episcopum, annuente Sviatopolco (M). Et prospera facta sunt omnia in regno Moraviæ. De prophetiæ dono tria dein documenta referuntur. Novi postea referuntur impetus adversariorum, *Uiopaterica* hæresi (ab ὑιοπατηρ) infectorum, sed irriti. De accusationibus, de vetita lingua Slavica a Joanne papa, de mandato comparendi Romæ nihil. Qui locus convenit cum epistola Joannis papæ ad Sviatopolcum scribentis : « *Nos illum in omnibus orthodoxum reperientes...* » et reliqua. Iter Constantinopolitanum, rogatu imperatoris initum, fausto omine perfecit. In Moraviam rediens, libros scripturæ sacræ intra sex menses slovenicos fecit, præter Macchabæos et quæ antea translata erant, psalterium et evangelium; (consonante Nestore, annalista, qui Vitam hanc Methodii præ oculis habuisse videtur). Iter Hungaricum feliciter peregit. Tandem, cælo maturus, pie quievit in Domino, die 6 aprilis anno 885, Gorazdo in sui locum suffecto. Sepultus est in ecclesia cathedrali, (imo in civitate *Canaonis*, ut inepte traditur in Prologo Mosquensi excuso). Jam ad diem 11 maii, quum de SS. Cyrillo et Methodio institueremus sermonem, lectorem monuimus Legendam eorum Pannonicam, quam hic secuti sumus, a fabulis non omnino puram esse. Multa tamen pejoris naturæ est S. Cyrilli Legenda, quippe quæ partim consarcinata sit

sit ex Vita fabulosa S. Silvestri papæ, ex genuinis S. Methodii, patriarchæ Constantinopolitani, sanctique Gregorii Nazianzeni; ita ut ex variis tum bonis, tum pravis monumentis concinnata esse videatur. Quare non possum non mirari a Schlœzero et nonnullis popularibus meis supra nubes attolli hanc incerti auctoris elucubrationem. DIES VI ET VII JULII.

DIES VI.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Sisoi Magni (*Mst. Tern. Par. Rum. Novg. Prol. Chil. Og. Men. Hor. Kal. cum Bas. Pg. Sirm. Maz. Mg. Med. Sirl. Typ.*). SS. martyrum Luciæ, virg. et sociorum Rixi, Luciani, Isidori, Dionis, Diodori, Cutonii, Aronosi, Capici et Saturi (*Prol. Kal. cum Bas. Maz.*). S. Cointi, mart. (*Prol. Kal.*). SS. MM. Isauri, diaconi, Innocentii, Felicis, Ermii, Basilii et Peregrini, et Rufi cum Rufinio (*Prol. Kal. Hor. cum Bas. Chiffl. Maz.*). SS. MM. Marini, Marthæ et filiorum eorum, Audifaxi et Abbacuc; et sociorum Cyrici ac Valentini, presbyteri, Asterii et aliorum (*Men. Kal.*). Inventio reliq. S. Julianiæ, virg. (*Men. Verš.*). S. Abibi, ep. Nekressensis et mart. (*Iber.*).

† Astii, ep. et mart. (*Bas. Nan. Maz. Mg.*). † Miraculum S. Phocæ, mart. (*Bas. Sir. Chiffl.*). † Polycarpi (*Neap.*). † Simeonis, thaumastoritæ (*GP.*). † Philemonis, mart., Archippi, et soc. (*Nan. Sirm. Maz. Chiffl.*). † Thomæ in Monte Maleo (*Nan. Vind. Dom.*). † Cyriacæ seu Dominicæ (*Msq. Goth.*). † Basilii, mart. et sociorum (*Sirl. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

SS. Isaurus et soc. In Horol. commemoratur solus Innocentius, socius S. Isauri; cæterum in indicandis sociis non conveniunt inter se synaxaria. Rufum vero et Rufinum, imo et Apollonium Menæa Mediolanensia referunt ad diem sequentem; in Mazarinæo nominatur S. Philemon. *Pergini* pro *Peregrini* mendum est Prologi. — Philemon refertur una cum S. Archippo, Apollonio, Alexandro, Epimacho et Onesymo, et alicubi ponitur primo loco. — Ad S. Polycarpum redibimus die sequenti. — In codice Callipolitano diserte nominatur S. Simeon. Forsan erronee positus est pro S. Martha, matre sua. — Astius qui et Asteius vel Aberisto, imo et Aëtius, sacerdos fuisse colligitur ex cod. Naniano, in quo annuntiatur ita primo loco : *S. hieromartyris Aëtii* (Ἀετίου). Fuit episcopus Dyrrachii. — Cyriaca non est diversa a S. Dominica, (græce Κυριακή), virgine et martyre Tropææ in Calabria; de qua tractatur hodie in Actis SS. In cod. Vindob. refertur die sequenti. — In antiquo Iberorum Synaxario mss. bibl. regiæ Parisiensis commemoratur S. Abibus, ep. Necressensis et martyr; at ab aliis laudatur mense Novembris, die 13, 15 et 29. Nos agemus die 29, qua colitur ab Iberis nostræ ætatis.

S. Philemon. *S. Polycarpus.* *S. Simeon.* *S. Astius.* *S. Cyriaca.* *S. Abibus.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Juliana, ducissa et virgo. Floruisse videtur Juliania intra annos 1530 et 1550, ætatis suæ decimo sexto nondum expleto ad aliam vitam assumpta. Fuit autem Georgii, Olšanensis ducis, filia, et magnorum ducum Lithuaniæ sanguine admodum clara, morum autem castitate longe illustrior. Corpus ejus, auro et gemmis ornatissimum, multoque magis integritate decorum, repertum est in templo Kievocryptensi, ineunte sæculo XVIII. Porro illibatam virginitatem servasse sancteque vixisse Julianam testatur, inscriptio ejus tumulo imposita; quo etiam retulerunt corporis conservationem; licet hæc telluris conditioni verosimilius adscribenda sit. Inventionis historiam scripto tradiderunt monachi Kievocryptenses anno 1705; Demetrius vero Rostoviensis in sua Menæa inseruit ad diem 6 Julii, qua virginis memoria recolitur in laura Kioviensi.

Cfr 1) Menol. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 445. 3) Philaretes, Hist. Eccl. Russ., III, 175. 4) Maximovič, Kievlianin, pro anno 1840, pag. 147, 239, 247. 5) Menol. Verš. ad h. d.

DIES VII.

Ex Ostromirano. S. EUSTATHII, MART. (*Ass. cum CP. Nan. Sirm. Chiffl. Med. Taur.*). S. POLYCARPI, MART. ET SOCIORUM (*Ass. cum CP. Nan. Sirm. Chiffl. Med. Taur.*).

Ex variis. S. Thomæ in Maleo (*Mst. Rum. Novg. Chil. Og. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Pg. Chiffl. Sirm. Med. Taur. Maz. Mg. Sirl. Typ.*). S. Isauri, mart. et soc. (*Tern. cum Nan. Sirm. Med.*). S. Acacii in Climaco (*Pp. Verš. Hor. Prol. cum Pg.*). SS. MM. Epicteti, presb., et Astionis seu Astei, mon. (*Men. Kal.*). S. Evangeli, mart. (*Ass. Men. cum Nan. Sirm. Chiffl. Med. Taur.*). S. Cyriacæ, mart. (*Prol. Kal. Hor. cum Typ. Vind. Chiffl. Mg. Taur. II*). SS. MM. Peregrini, Luciani, Pompei, Hesychii, Papiæ, Saturnini et Germani (*Prol. Kal. cum Bas. Mg. Med. Maz. Sirl.*). Obitus Euphrosynæ, ducissæ Mosq. (*Kal. Prol.*).

† Eulampii, mart. (*CP.*). † Cyrilli, ep. Alexandrini (*Neap.*). † Sisoi Magni (*GP. Goth. Msq. Nan. Vind. Dom.*). † Luciæ, virg. et mart., et soc. (*Dom.*). † MM. Abdæ et Sabæ (*Taur. I*).

OBSERVANDA.

SS. Eustathius et soc. Eustathius, Polycarpus et soc. martyres vocantur in Nan. et Assemaniano. Magna exstat in Synaxariis confusio circa hos sanctos; nec Pinius, qui de eorum martyrio commentariolum scripsit, vix aliud præter nomina dedit. Sane in cod. Ostromirano S. Eustathius nominatur cum S. Polycarpo, sed seorsim, siquidem inter utrumque intercedit comma. Seorsim quoque ponitur in cod. Naniano, medius

Dies VIII Julii.

medius inter S. Isaurum martyrem et S. Polycarpum ejusque socium S. Evangelum. Similiter et Polycarpus refertur in codd. sive solus, uti in Kalendario Neapolitano, quod, ubi plures socii occurrunt, præcipuum assolet nominare; sive cum aliis, uti in CP., Naniano et Assemaniano. Nimirum S. Eulampius associatur ei in Kalendario CPolitano, et S. Evangelus in Naniano et Assemaniano, (in ultimo corrupte *Evagius* dictus). Quod autem in eodem cod. Assemani Glagolitico in fine addatur : et *sociorum*, id intelligendum est de sociis S. Polycarpi. Propterea separatim egimus nos de S. Eustathio; S. Polycarpo vero adjecimus notam *et sociorum* (puta : Evangeli, Eulampii et aliorum.) Plura habes apud Morcellium ad hunc diem.

Notat denique Assemanus, tria illa nomina SS. *Eustathii, Polycarpi et Evagii* (lege Evangeli) *ac sociorum* adscripta esse in codice suo Glagolitico litteris Cyrillicis, manuque, si ei fides adhibeatur, recentiori. Utut est, negari nequit quasdam inscriptiones hujusce codicis, characteribus Cyrillicis exaratas, textui Glagolitico esse coævas.—Fatetur Pinius se nullibi horum MM. memoriam in Fastis Græcis reperire potuisse, sed nec in antiquis martyrologiis Latinis obvii sunt. Cfr Acta SS., pag. 538 et seq. — Acacius, cognomento Climax, slavice vocatur *Lestvičnik*, non autem *Lestvicensis*, ut Pinius posuit, addens vocem istam significare *testificatorem*, id est fortasse *confessorem*.

SS. Epictetus et soc.

S. Acacius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Euphrosyniæ, ducissæ.

Celeberrimi Demetrii, cognomento Tanaici, uxor fuit Euphrosynia, quæ et Eudoxia. Marito sese ad bellum contra Tartarorum ducem Mamajum parante, eleemosynis elargiendis et ecclesiis diu noctuque frequentandis solito magis indulsit; nec frustra : insignem namque de hoste victoriam retulit Demetrius anno 1380. Quo defuncto, Dei servitio sese totam mancipavit. Corpus itaque suum catenis ferreis et jejuniis assidue domabat; vultu tamen serenissimo incedens, habituque ornatiore. Quam ob rem cum apud filios suos hypocrysis et simulatæ virtutis fuisset accusata, quadam die, advocatis filiis catenas ferreas, quæ sub vestitu latebant, revelavit, ne cui secretum evulgarent vetans. Volebat nempe humilis mulier calumniarum pondere meritorum thesauros cumulare. Abstinentiæ et orandi studio pia quoque opera sociavit ; et plura templa ac monasteria condidit, inter quæ splendidior aliis exstitit ecclesia, in memoriam victoriæ Kulicoviensis exstructa anno 1393. Cæco visum subito restituisse legitur, Deo, qui humiles exaltat, Eudoxiæ innocentiam (ut volunt) ita comprobante. Tandem palatio cum cellula commutato, habituque monialium cum nomine Euphrosyniæ suscepto, ad alteram vitam migravit anno 1401, miraculis (si fides sit) in vita et post obitum conspicua.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 102. 3) Philaret., Hist. Eccl. Russ., II, pag. 119. 4) Menol. Verš. ad h. d.

DIES VIII.

Ex Ostromiriano. Ex variis

Memoria S. Procopii, mart. (*Omnes cum Bas. CP. GP. Vind. Pg. Sirm. Mg. etc.*).

Apparitio imaginis B. M. V. Kazanicæ (*Prol. Pp. Kal.*). B. Procopii Sali, Ustiugensis (*Men. Kal. Prol.*). Memoria miraculosæ Iconis B. M. V. Ustiugensis (*Men.*). S. P. N. Theophili, myrobletæ (*Ath.*).

† Pancratii, ep. Taormini in Sicilia (*Neap.*). † MM. Abdæ et Sabæ (*Sirm. Chiffl. Med. Maz.*). † Theodosia, mater S. Procopii, cum duodecim mulieribus, item Nicostrati, Antiochi et soc. (*Sirm. Chiffl. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Procopius.

Duo Procopii celebrantur hoc die; alter quem Latini vulgo *lectorem* vocant, alter qui *ducis* titulum præfert apud Græcos. Acta prioris omnino sincera, posterioris vero fabulositatis suspecta edidit Pinius in Actis SS. ad h. d., pag. 556 et seq.

S. Theodosia, mart.

— Quid de S. Theodosia martyre ejusque sociis sit sentiendum, legi potest apud eumdem Pinium in commentario, Actis S. Procopii ducis Græco-Latinis prævio, n. 20. —

Imago B. M. Ustugensis.

Commemoratur hodie miraculum, quod precibus suis, coram imagine B. Virginis Mariæ fusis, impetraverat S. Procopius Salus, de quo modo versabitur sermo. Quapropter Procopio quidem Thaumaturgi nomen inditum, imago vero peculiari festivitate exinde coli cœpta est, eo ipse die quo Procopii Ustiugensis festum agit Ecclesia. Qua de re conferantur Menologia in Vita Procopii et Veršinski ad h. d. — In Paterico Montis Atho legitur ad hanc diem *Vita venerabilis et deiferi patris Theophili oleum fundentis*, ex codice ms. monasterii Pantocratoris desumpta; in qua præclara quædam enarrantur de virtutibus Theophili, præsertim vero de orationis et humilitatis studio, qua oblatas sibi dignitates constanter recusavit, quin et rogavit ut mortui corpus foras projiceretur insepultum; ad hæc, teneros nutrivit affectus erga Christum Dominum, quem solum desiderasse perhibetur. Patriam habuit Macedoniæ civitatem, Zychnam, vitamque monasticam in Monte Atho degit, ubi sacerdotali ordini inscriptus fuit, atque supremum obiit diem, anno 1548, octavo Julii. Sepultus est in cella S. Basilii, monasterio Pantocratoris addicta, ubi suave oleum effundere perhibetur.

Theophilus Athonites.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

B. Mariæ Virginis Kazanicæ festum.

Institutum est hoc festum in honorem imaginis B. M. V., quæ Kazaniæ, tempore Joannis IV, apparuisse traditur. Post incendium scilicet, quod Kazanensis civitatis partem cum acropoli consumpserat anno 1579, dum miles quidam, Daniel nomine, novam domum in loco prioris, quam in cineres redegerat ignis, exstrueret, apparuit filiæ ejus decenni Virgo tribus vicibus, dicens latere in sinu terræ sui imaginem pictam, utque ea de re archiepiscopum et urbis præfectum certiores redderet, mandans, minis etiam mandato adjunctis.

Obtemperavit

Dies IX Julii.

Obtemperavit puella, remque totam retulit tum magistratibus, qui eam deridentes dimiserunt, tum archipræsuli Jeremiæ, qui parvi pendit visionem. Porro, die 8 julii fodere cœpit puellæ mater in loco, sibi a filia indicato; at frustra: verum simulac ipsamet puella fodere aggressa est, illico devenit ad iconem B. M. V. coloribus splendidam et veluti recenter pictam. Hanc sane christianorum aliquis terræ commiserat olim, ut eam a Tartarorum Kazaniæ tunc dominantium barbarie liberaret. Archiepiscopus de inventione certior factus, et pristinæ incredulitatis pœnitens, illuc magna cleri populique frequentia venit, inventumque thesaurum in vicina ecclesia S. Nicolai honorifice collocavit. Nec defuerunt miracula, rei veritatem testantia. Dum enim portaretur in templum icon, cæcus quidam visum a tribus annis amissum recuperavit; alter cæcus, ut imaginem in templo recenter positam veneratus est, continuo sanatus est. In cujus rei memoriam in ipso loco inventæ iconis ecclesiam condiderunt sub titulo B. Virginis Kazanensis, nec non et monasterium monialium, quarum omnium prima fuit Matrona (est nomen puellæ), in religione Martha, deinceps abbatissa. Dies vero inventionis, qui est octavus julii, inter festos fuit collocatus, at pro diœcesi Kazanensi tantum; Mosquæ coli cœpit eadem imago ad diem 22 octobris, inde ab anno 1612; donec anno 1649 illius cultus ad universam Russiam fuerit extensus, ut dicetur infra, ad 22 octobris. Jamvero, inter innumeras B. V. icones, quæ Kazanensis titulo gloriantur, illa quæ hodiedum in monasterio Kazaniæ asservatur et colitur, sola vera est et a B. V. olim revelata; cæteræ vero omnes ætate posteriores sunt et ex illa depictæ, non excepta imagine alioquin veneranda, quæ Mosquæ in ecclesia B. M. Kazanensi peculiari cultu gaudet. Est porro imago B. M. V. Kazanica vel ipsa ex prototypo Smolenscensi, quod vulgo Odigitria nuncupatur, desumpta, exhibetque Deiparam cum infantulo; quem capite parumper inclinato tenet recte stantem, et dextera sua benedicentem.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Gloria B. M. V., pag. 3, sect. III, pag. 1-31. 3) Menol. Verš. ad h. d.

Procopius, salus, Ustiugensis.

Inter plures sanctos, quos Ecclesia Russica, singulari illo vivendi genere, quod Salis proprium est, conspicuos, veneratur, tempore omnium primus fuit Procopius Ustiugensis, natione Variagus seu Norwegus, professione mercator. Hic igitur, cum Novgorodiam mercandi causa venisset, ad cælestem negociationem divinitus vocatus, in monasterium Khutynense abiit, ibique, S. Barlaamo duce et magistro, cæteros fratres brevi virtutibus superavit, pluresque mercatores alienigenas ad sese imitandum adduxit. Ut autem arctius sese Deo devinciret, stultus pro Christo fieri secum statuit, adeoque, monasterio relicto, Ustiugum contendit, ad mortem usque ibidem commoraturus. Jamvero interdiu per plateas incedebat hominum irrisiones et convitia, verbera et tunsiones libenter excipiens, noctu vero ad ecclesiarum limina orationes fundens. Victum sibi ex eleemosynis comparabat, quas tamen a divitibus accipere constanter renuit. Exemplo præterea Christi Domini, ubi caput reclinaret, non habuit. Ejus coram B. M. V. precibus fusis, a pluvia lapidea jamjam lapsura liberatam fuisse civitatem tradunt populares, festo in hujus rei memoriam instituto; de quo modo. Solebat quoque Procopius ad ripam Suhonæ, lapidi innixus, Deum pro navigantibus deprecari; qui lapis ipsius sepulcro dein religiose impositus est. Obiit anno 1303, a Mosquensi concilio inter sanctos Russiæ positus anno 1547.

Cfr 1) Prolog. et Menæa ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 231. 3) Philaret., Hist. Eccl. Russ., II, pag. 122. 4) Menol. Verš. ad hunc diem.

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Pancratii, ep. Tauromeniæ et mart. (*Mst. Tern. et plurimi cum GP. Pg. Vind. Goth. Msq. Flor. Clar. Div. Maz. Mg. Sirl.*). S. Cyrilli, ep. Gortynensis et mart. (*Rum. Men. Kal. cum Bas. Mg.*). Consecratio ecclesiæ S. Deiparæ ad Fontem (*Rum. cum Taur. Sirl.*). SS. MM. et mon. Scetensium 10 millia (*Hor. cum Bas.*). SS. MM. Patermuthii, Coprii et Alexandri militis (*Tern. Men. Kal. Prol. cum Bas. Chiffl. Maz. Mg.*). S. Theodori, ep. Edessæ et aliorum (*Men. Hor. Prol.*). Apparitio imaginis B. M. Kološensis (*Prol. Kal.*).

† Apollonii, mart. (*Bas.*). † Bianoris et Silvani, mart. (*Bas. Chiffl.*). † Rufinæ, mart. et soc. (*Neap.*). † Andreæ et Probi (*Maz. Sirm. Chiffl.*). † Orestis (*Sirm. Taur.*).

OBSERVANDA.

SS. MM. Scetenses.

Decem millia monachorum Scetensium, qui jussu Theophili, archiep. Alexandrini, dira morte perempti fuerunt, propter Isidorum presbyterum, sæculo quarto. Ita Horol. Počajovense et alii die sequenti. In Bas. simpliciter: *Decem millium (μυρίων) Patrum, qui in speluncis combusti et suffocati sunt*, propter Isidorum presbyterum. — S. Cyrilli Gortynensis, qui in Menologio Bas. Cretensis nuncupatus est, meminerunt cætera omnia Synaxaria Græca ad diem XIV Junii, unde huc translatus est; Acta tamen ejus dantur a Pinio ad hanc diem, p. 684. In Rum. refertur conjunctim cum S. Pancratio et Festo B. M. ad Fontem. — In cod. Taurinensi II

S. Cyrillus Gortynensis.

annuntiatur hodie memoria dedicationis S. Deiparæ *ad Fontem* his verbis: *Memoria encæniorum venerandæ domus intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ et semper Virginis Mariæ, quæ est ad Fontem, τοῦ ὄντος ἐν τῇ Πήγῃ.* Ædes hæc, ad Portam auream extra urbem sita, propter sanationes, quas Fontis istius aqua operata esse fertur, celeberrima fuit inter templa Deiparæ, quam ideo Fontem (Πηγὴν), scilicet sanationum, appellarunt Græci vel ipsam. Fuisse ibidem monasterium virorum indicat Anna Comnena apud Cangium, IV, p. 184. Atque hæc dicenda erant propter lectionem cod. Rum. his verbis constantem: *et consecratio SS. Deiparæ Pegasiæ;*

Dedicatio B. M. ad Fontem.

DIES X JULII.

gasiæ; quam ultimam vocem corruptelam esse græce vocis πηγής nemo non videt. — ***Sciendum est, quod S. Orestes ὁ ἐν τῇ βάτῳ a pluribus commemoratur tum hoc die, tum 9 Novembris.*** Ita cod. Taur. II. — Est prope Možaiscum urbem vicus Koločia dictus, in cujus vicinia, media in silva, casu offendit imaginem B. Virginis ruricola, Lucas nomine, anno 1413, die 9 julii. Quæ cum plurimis sanationibus aliisque miraculis Koločiæ inclaruisset, Možaiscum inde, tum Mosquam fuit delata, ac tandem Koločiam remissa, ibique in ecclesia B. M. V. collocata, quam Lucas ex eleemosynis undique collectis exstruxerat, monasterio deinceps adjecto. Inter ea autem miracula refertur ipsius Lucæ conversio, quem ex humili et paupere divitem factum et honorum cupidum, in superbiæ barathrum pertraxerat dæmon. Cfr Lib. Grad., I, p. 566-568. Gloria B. M. V., part. III, sect. 3, p. 84. Menol. Verš. ad h. d.

S. Orestes.

Imago B. M. Koločensis.

DIES X.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. Martyrum 45 Nicopoli in Armenia, Leontii, Mauricii, Danielis, Antonii, etc. (*Mst. Tern. Prol. etc. cum Bas. GP. Vind. Goth. Flor. Chifl. Pg. Msq. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). SS. MM. Bianoris et Silvani (*Prol. Kal. cum Maz. Sirm. Mg.*). S. Apollonii, mart., Sardis (*Prol. Kal. cum Mg. Clar. Div. Sirl.*). SS. eremitarum Ægyptiacorum et mart. a Theophilo, patr. Alex., interemptorum (*Men. Kal. Prol. cum Chiffl. Med. Taur. Mg. Maz.*). S. Antonii, Kievo-Cryptensis (*Men. Pat. Ath. Prol. Hor. Leop. Kal.*). Allatio tunicæ D. N. J. Christi ex Perside Mosquam (*Men. Kal. Prol.*). S. Mercurii Smolenscensis. (*Jarosz.*) Festum. B. M. V. Konevensis (*Men.*).

† Joannis evang. memoria (*Div. Maz.*). † MM. Jasonis et Mercurii (*Neap.*). Nicodemi, a Turcis occisi (*Moschop.*).

OBSERVANDA.

SS. MM. Nicopolienses.

S. Joannes, apostolus.

S. Mercurius.

S. Jason.

B. Mariæ V. imago Konevensis.

Qui in titulo consignati sunt primo loco, Leontius, Mauricius, Daniel et Antonius, eos nominatim refert codex Ternobiensis. — In Menæis Chifletii et Mazarini mss. inscribitur hoc die memoria S. Joannis Evangelistæ in loco *Beati* dicto, de quo consulatur Cangius in CPoli christiana, lib. IV, pag. 113. — Hac die colitur quibusdam in locis Mercurius Smolenscensis; de quo melius agetur infra, ad 24 Novembris. — In marmore Neap. insculptum est : Natale Imsoni et Mmuri. — De sacræ imaginis Konevensis origine et adventu in Russiam mentionem fecimus in Vita B. Arsenii, hegumeni Konevensis, ad diem 12 Junii : nimirum allatam fuisse ab Arsenio, anno 1393 e Monte Atho, ubi per triennium fuerat commoratus, et in monasterio Konevensi, ubi miraculis mox inclaruit, collocatam. Cæterum hæc icon publico cultu honorari cœpit, non nisi duobus sæculis postea, anno scilicet 1576, ob miraculum quoddam, ipsius veneratione patratum. Exhibet imago B. Virginem cum Christo infante, duos pullos columbarum læva tenente. Gloria B. M. V., t. III, sect. 2, p. 70 et seq. Vita Arsenii, ad 12 Junii. Hier. Russ., t. VI, p. 616-628. — Sacram D. N. Jesu Christi tunicam dono accepit patriarcha Philaretes a rege Persarum, anno 1625. Exstant venerandæ vestis partes tres, quorum duæ servantur Petropoli, tertia Mosquæ. Cfr Menol. Verš. ad h. d.

D. N. Jesu Christi tunicæ ex Perside Mosquam translatio.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Antonius, mon. Kievo-cryptensis.

Celeberrimus Antonius, monasticæ vitæ in Russia institutor et monasterii Cryptensis ad Kioviam fundator omnium primus, natus est Lubeci, quod est hodie oppidum ditionis Tchernigoviensis, nomenque Antipi in sacro baptismate sortitus. Timore Dei et vitæ perfectionis mature ductus, in Montem Atho contendit et in monasterio Esphigmeni cucullum cum nomine Antonii assumpsit. Et inde sancti patroni sui exemplo, in solitudine degit; cumque brevi in virtutibus multum profecisse videretur, missus est ab hegumeno in Russiam, monasticam vitam ibidem plantaturus. Lustratis itaque Kioviæ monasteriis electoque colle quodam Berestovo dicto, parvulam speluncam incolere cœpit anno 1051. Orationi et jejuniis incumbens, dies noctesque precibus insumebat : vescebatur autem pane duro semel in die, sæpenumero per integram hebdomadam ab omni cibo abstinens. Inclaruit igitur adeo, uf multi ad eum imitandum conflluerent. Inter quos omnium primus Nicon; quem modo secutus est Theodosius, in fundando monasterio Cryptensi Antonii socius. Verum cum solitudinis amantissimus esset Antonius, postquam aliquod tempus cum sociis suis conversatus esset, et Barlaamum in sui locum subrogasset, reliquum vitæ in crypta Berestoviensis collis mansit, orationibus et consiliis nascenti monasterio semper assistens. Tandem miraculorum et prophetiæ dono clarus ad Dominum transiit fere octogenarius, anno 1063, die 10 julii.

Cfr 1) Menol. et Prolog. ex Paterico ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 30. 3) Kubarev, in Collect. Pogodini, t. III et in Prolegom. 4) Kazanski, Histor. monach. in Russ., in Appendicc. 5) Macarius, Hist. Eccl. Russ., III, pag. 31 et seq. 6) Philaret., Hist. Eccl. Russ., I, 20, 55, 97, 140, 145.

Basilius, episcopus Rezaniensis.

De hoc antistite, qui sæculo XIII floruit, plura tradunt auctores indigenæ, stupore et admiratione plena : nimirum accusatum fuisse Basilium apud suos, quasi dissolutis moribus vixisset, ac propterea mortis damnatum : pœnæ dilatione obtenta, pernoctasse episcopum coram imagine B. M. V., quæ Muromensis vulgo nuncupatur; die vero sequenti post missæ celebrationem, strato pallio, super aquas incessisse, et sex horarum spatio antiquiorem Rezaniam fluvio adverso pervenisse, stupentibus factique pœnitentibus turbis; a quibus dein summo applausu in sedem suam fuisse restitutum. Verum cum neque in synaxario, neque in Menæis quidquam de Basilio inveniam, narrationem istam indicasse sufficiat, opportuniore loco discutiendam. Obiit Basilius anno 1294, postquam sedisset annos 42,

42; et in ecclesia SS. Borisi et Glebi conditus est. Colitur bis in anno, scilicet dominica Omnium Sanctorum, quæ in Ecclesia Orientali festum Pentecostes proxime excipit, et præterea ad præsentem diem, qua ejus translatio anno 1609 facta commemoratur. Porro translationis hujus solemnitas necnon et mira Basilii super aquas incessio ad vivum repræsentatur in monumento æreo, quod in loco obitus positum est anno 1836. Dies XI et XII Julii.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 58. 2) Hist. hier. Russ., I, pag. 150. 3) Acta societ. archeol. Petropol., t. VIII, pag. 299 et seq.

DIES XI.

Ex Ostromirano. *Ex variis.* Synaxis S. Euphemiæ, mart. (*Mst. Rum. Tern. Par. Siš. Og. Prol. et fere omnes cum Bas. CP. Neap. Nan. GP. Pg. Flor. Maz. Dom. Mg.*).

S, Marciani, mart. Iconii (*Assem. cum Bas. Clar. Div. Med. Taur. Maz.*). S. Serapionis, mart. (*Par.*). S. Cindei, presb. et mart. (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Chiffl. Med. Taur. Maz.*). S. Olgæ, ducissæ Russiæ (*Men. Pp. Kal. Prol.*). Festum B. M. V. Rževensis (*Kalend.*). [Nicodemi et Nectarii et alius Nicodemi, mon. (*Ath.*).]

† Leonis, erem. (*Chiffl. Maz. Sirm.*). † Martyroclis, mart. (*Chiffl. Maz. Sirm.*). † Golinduchæ, mart. (*Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Euphemia. Teste Menol. Basiliano, hodie commemoratur miraculum, intercessione hujus S. Megalomartyris a PP. synodus Chalcedonensis obtentum ad confirmandam ac comprobandam fidei catholicæ definitionem (τοῦ ὁρου). Ideo passim post nomen sanctæ Euphemiæ additur: *hoc est, definitiones Patrum*, ut in Horologio, aut epitheton *suffragantis* (τοῦ ὁρου) ut in Kal. CP. et Naniano, et fuse declaratur ab eruditissimo Morcellio. Recte in Mst. et Rum. præfigitur nota memoriæ, non passionis, quæ incidit in 16 Septembris. Quandoque habet cognomen *Callinicæ* seu victricis. — In Par. legitur: *S. Seraphiæ*, male. *S. Serapio.* De SS. Serapione et Marciano agitur iterum die proxime sequenti. — *Festum B. M. Rževensis.* Festum B. M. Rževensis celebratur Mosquæ in ecclesia sub hoc vocabulo sacra (Kal., pag. 283). Inventa est hæc imago miraculosa sub annum 1540; qua de re plura habentur in Menol. ad h. d. et in opusculo, cui titulus Gloria B. M. V., part. III, sect. II, a pag. 76. — In Menæo Chifflettii Martyrocles vocatur Tyrocles (Τυροκλης), expuncta, ut satis pronum est, prima syllaba. Sagittis ictus agonem dicitur consummasse. — *S. Martyrocles.* Duos Nicodemos commemorat hoc eodem die Patericon Montis Atho, t. I, pag. 398, et tom. II, pag. 178; quorum alter in finibus Vatopedi degisse et famoso Gregorio Palama magister in spiritualibus exstitisse perhibetur; alter, natione Epirota, negatæ fidei scelus, primum incruento monasticæ vitæ certamine, dein fuso sanguine expiasse narratur, anno 1709 seu 1711. — Utrique additur Nectarius, anno 1820, ætatis suæ vigesimo a Turcis interfectus, ut simile crimen morte voluntarie tolerata expiaret. Erat Nectarius oriundus Briulla, vulgo Burla, qui vicus est episcopatus Ephesini. Plura nullus eorum meretur. *Nicodemus uterque.* *Nectarius.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Olga, ducissa. Olga, nobillissimi viri Gostomysli filia, in vico Vybutino, prope hodiernam Pscoviam nata, dum annum vigesimum ageret, magno duci Igori in uxorem data est. Quo a Drevlianis interfecto, regnum Kioviense per plures annos nomine Sviatoslai, adhuc infantuli, fortiter et prudenter administravit; mortemque mariti, misso contra Drevlianos exercitu, gravissimis pœnis ulta est. Tandem, postquam annos viginti quatuor regnasset, imperium Sviatoslao filio suo cessit; ipsa vero CPolim profecta, fidem catholicam, quam Kioviæ prælibaverat, solemni pompa cum pluribus e comitatu suo suscepit, assumpto nomine Helenæ. Baptizata autem est anno 958 a patriarcha Polyeucto, et ab imperatore Constantino Porphyrogenito a sacris fontibus sucepta. Qua in solemnitate a patriarcha crucem dono accepit; quam dein in templo S. Sophiæ Kioviensi collocatam fuisse tradunt. Erat autem cruci sequens inscriptio imposita: *Innovata est Russorum terra per sanctum baptisma quod orthodoxa ducissa Olga susceperat.* In patriam redux, plurimos ad christianam religionem exemplo suo traxit, adeoque pronepotes suos, inter quos Vladimirus, christiana mysteria erudivit. Solus Sviatoslaus, filius, in erroribus ethnicis ad mortem usque perseveravit. Plures etiam ecclesias exstruxit Olga, quarum omnium antiquissima S. Nicolao sacra fuit. Tandem magnis virtutibus ornata, multumque pro convertenda patria sua Deum deprecata, ad Dominum suum transivit die 11 julii anno 969, ætatis suæ nonagesimo. Corpus ejus in ecclesiam B. M. V., quæ Decimana vulgo nuncupatur, translatum est, jubente S. Vladimiro.

Cfr. 1) Menæa et Prolog. ad h. d. 2) Specimen, pag. 28, 270. 3) Dict. hag., pag. 118. 4) Annales, I, pag. 38. 5) Macarius, Histor. rel. christ. in Russiam introductæ, pag. 303 et seq.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis. Vacat.

S. Golinduchæ, mart. (*Mst. Novg. Hor. Prol. Kal. Men. cum Bas. Nan. Chiffl. Maz. Sirm. Med.*). SS. MM. Procli et Hilarii, alias Hilarionis (*Tern. Par. I, Rum. Novg. Chil. Og. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. GP. Pg. Nan. Vind. Mg. Sirm. Chiffl. Dom. Maz.*). Synaxis archangeli Gabrielis (*Rum.*). S. Michaelis Malei (*Pp. Men. Kal. Prol. cum Typ.*). SS. MM. Theodori et filii ejus Joannis, Variagorum, Kioviæ (*Men Kal. Prol.*).

† Gaudiosi

Dies XIII Julii. † Gaudiosi et reliquorum (*Neap.*). † Serapionis, mr. (*Mg.*). † Mamantis, mr. in Sigmate (*Mg. Marg.*). † MM. Andreæ, militis, Fausti, Menæ et soc. (*Mg. Max. Chiffl.*). † Veronices, hemorrhoissæ (*Chiffl. Max.*).

OBSERVANDA.

S. Golinducha. Dari etiam S. Golinducham testatur Menologium Sirleti. Vide Act. SS. ad XIII Julii, p. 509 et seq. — *S. Gabriel.* De S. Gabriele, archangelo, cæteros melius agere die sequenti, comprobat sequens Ephemeridum Græcarum versiculus : *Tertia decima synaxim Gabrielis recolunt terricolæ.* Hodie occurrit in solo Rum. — *S. Michael Malcinus.* S. Michael Malæus seu Malæinus, Malinus, Melcinus, satis obscurus in Fastis Græcis esse declaratur a Pinio in brevi admodum quam de hoc sancto adornavit notitia; at in Prologo Slavonico diffusum exstat sancti ascetæ elogium; cui additur præterea breve synaxarium, rem eamdem paucis exhibens, uti et in Menologio. Ad hæc, habetur officium proprium, cujus meminerunt Menæorum Græcorum editores, licet consulto prætermissum fuerit. In Ephemeridibus Græco-Moscis figuratis repræsentatur post SS. martyres Proclum et Hilarium; quod sanctum minime obscurum prodit abunde. Multus quoque de S. Michaele versatur sermo in Vita S. Athanasii Athonitæ, quem aliquandiu habuit discipulum. Utriusque Vita latuit hactenus Latinos. — Jejuna pariter sunt ea quæ in Actis SS. proferuntur de S. Mamante, licet celeber fuerit CPoli ædes ejus in *Sigmate* dicta. Tractus est regiæ urbis in quo sita erat etiam ecclesia SS. Deiparæ, de qua videri potest Cangius, CP. Christianæ lib. IV, p. 93. — *S. Gaudiosus.* Gaudiosus fuit episcopus Bithyniæ in Africa, et fundator monasterii cujusdam in urbe Parthenopea, quam petierat fugiens persecutionem Vandalorum. Cfr Sabbatinii Comment. in Kal. Neapolitanum. — *SS. Andreas et Soc.* De S. Andrea, martyre, videatur dies sequens. In supplemento ad Menæa Græca Sirmundiano et Chiffletiano nominantur solummodo Andreas et Probus, de quibus jam actum est die IX, et iterum agetur sequenti die. In Menæis Chiffl. mss. habetur tantummodo : Passio Andreæ, militis, et soc., omissis nominibus Fausti et Menæ.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

SS. Theodorus et Joannes, martyres. Ambo illi Varegi seu Normanni, martyrum in Ecclesia Russica primitiæ, passi sunt circa annum 983; quo tempore Vladimirus ethnicis superstitionibus adhuc addictus erat. Quum scilicet hic princeps, victis Jatvagis, gente barbara, in gratiarum actionem, humanas victimas idolis oblaturus esset, cecidit sors super juvenem, Joannem nomine, religione christianum. Quumque Joannis parens impium hoc ethnicorum sacrificium publice exprobrasset, vanumque esse idolorum cultum audacter asseruisset, ira moti Kiovienses hominis christiani domum evertunt, ipsum vero una cum filio crudeliter necant. Utrumque Ecclesia Russica tanquam martyrem veneratur die 12 Julii, sub nomine Theodori et Joannis; in loco vero, ubi domus illorum exstiterat, celeberrimam ecclesiam B. M. V., vulgo Decimanam dictam, exstruxit ipse Vladimirus, postquam christiana sacra amplexus erat.

Cfr 1) Prolog. et Menolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 129.

Simon Volomensis. Anno 1641, a vicinis ruricolis interfectus fuit et deinceps dictus miraculis claruisse Simon, fundator monasterii Volomensis, ad Kičengam fluvium. Hunc commemorari hodie quibusdam in locis, testis est Dict. hagiographici concinnator, pag. 250.

Stephanus, Machriščensis. Kiovia oriundus et S. Sergio coævus, monasterium fundavit Stephanus ad ostium fluvioli Machriščii, illudque inhabitavit ad annum 1406, quo obiit. Coli jussus a synodo Mosquensi anno 1547.

Cfr 1) Prolog. ad hunc diem. 2) Muraviev, Vitæ SS., et Menol. ad h. d. 3) Dict. hag., pag. 256.

DIES XIII.

Ostromiranum. Ex variis. Vacat.

S. Acquilæ, apost. et mart. (*Mst. Rum. cum Med. Chiffl.*). S. Serapionis, mart. (*Men. Par. Kal. Prol. cum Bas. Nan. Med. Taur. Sirm. Max.*). S. Marciani, mart. (*Prol. Kal.*). S. Stephani Sabaitæ (*Chil. Og. Pp. Kal. Hor. Pr. cum Nan. Vind. Chiffl. Max.*). Synaxis S. Gabrielis, archangeli (*Chil. Ap. Pp. Prol. Kal. Hor. cum GP. Pg. Mg. Typ. Sirl.*). Memoria S. Josephi (*Pp. Hor. Typ. Kiov. Leop. Viln.*). SS. MM. Cyrici et Julittæ (*Kal.*). S. Juliani, ep. Cenomanensis (*Men. Kal.*). S. Myropes, mart. (*Tern. cum Bas. Neap. Med. Taur. Sirm. Max. Sirl.*).

† Mamantis, mart. in Sigmate (*Sirm. Chiffl. Med.*). † MM. Andreæ, militis, Heraclii, Fausti, Menæ et soc. (*Sirm. Med.*). † Golinduchæ, mr. (*Mg. Max.*). † Saræ, abb. (*Chiffl. Max.*).

OBSERVANDA.

S. Acquila. Synaxis Gabrielis archangeli. De S. Acquila agetur cum Ostromirano ad diem sequentem. — Præter solemnem illam S. Gabrielis synaxim, quæ festum Annuntiationis excipit, celebratur hodie secunda festivitas, in quam peculiaris canon conscriptus est a Josepho, hymnographo. Causa autem, cur iterato agatur festum, alia non datur in Menologio Mosquensi, nisi quod excitatis ecclesiis nomine S. Archangeli dicatis, institutæ quoque fuerint dedicationis solemnitates, atque propter tempus quadragesimale in præsentem diem translatæ, quo securius celebrarentur; cujus modi translationis exemplum præbet memoria S. Joannis Chrysostomi, ob festum Exaltatæ Crucis, in quod obitus ejus incidit, ad 13 Novembris translata. Cæterum non uno die Julii consignatur memoria S. Gabrielis; nam 11 refertur in Menæis excusis; 12 in codice Rum.; 26 in Kalendario Arabo-Ægyptiaco et iterum in Mæneis, denique

SS. Cyricus et Julitta. denique 28 in Coptico. — In Kal. Mosq. anni 1818, ubi agitur de festis quæ Mosquæ in variis ecclesiis solent celebrari, indicatur hodie festum *SS. mart. Cyrici et Julittæ*, et *B. M. V. Omnium afflictorum lætitiæ*. Ad hæc additur, hoc ultimum festum agi in ecclesia academiæ Mosquensis, juxta peculiare quoddam institutum (Kal., pag. 284). De SS. Cyrica et Julitta agit idem Kal. cum cæteris omnibus, die xv Julii. Nec videtur esse mendum typothetæ, cum citatæ synaxi S. Gabrielis archangeli, quæ revera die XIII fieri solet, diserte addatur : *Et SS. MM. Cyrici et Julittæ. Et festum B. M. V. etc.* — *S. Stephanus Sabaita.* S. Stephani Vitam valde prolixe exaratam habes in Actis SS. ad diem præsentem, pag. 524 et seq. In Prologo Mosquensi et in Kalendariis passim dicitur igne damnatus fuisse; et multa alia prædicari quæ S. Serapioni, martyri, congruunt potius quam S. Stephano, qui in pace obiit. Ita Menologium. — Ternobiensis codex solus ex Slavicis est in quo commemoretur hodie S. Myrope, virgo et martyr Chiensis; cæteris eam communiter referentibus ad 21 Decembris, qui fuit consummati martyrii dies. Idcirco in marmore Neap. insculptum est *Natale*, non *Passio*. — In Kalendariis Kioviensibus, Vilnensibus et Leopolitanis refertur hodie memoria S. Josephi, hymnographi; at in Prologo et Menologio inducitur ad 27 diem, simul cum translatione reliquiarum S. Theodori Studitæ, fratris Josephi.

DIES XIV ET XV JULII.

S. Myrope.

S. Joseph.

DIES XIV.

Ex Ostromirano. **S.** APOSTOLI AQUILÆ (*Tern. Chil. Siš. Prol. Novg. Kal. Hor. Og. Pp. Men. cum GP. Pg. Flor. Vind. Sirm. Maz. Taur. II, Chiffl. Mg. Typ.*). S. HILARII, MART. (*Sirm. Chiffl. Maz. Taur. II*).

Ex variis. S. Josephi, archiep. Thessalonicensis (*Mst. Rum. Novg. cum Bas. Chiffl. Maz. Mg. Sirm. Sirl. Med.*). S. Fortunati (*Par.*) S. Petri (*Rum. cum Sirm. Chiffl. Maz.*). S. Onesimi, thaum. (*Prol. Pap. Kal. Hor. cum Bas. Sirm. Chiffl. Maz. Med. Mg.*). S. Justi, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg.*). S. Ellii, mon. (*Men. Kal. Prol.*).S. Stephani, Machriščensis (*Prol. Kal.*). Stephani Sabaitæ (*Typ. S. Sabæ*).

† Simeonis, unius ex 70 (*Flor.*). † Theodori (*Neap.*). † Heraclii, mart. (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Aquila. In Flor. additur καὶ σι superscripta littera μ, id est *Simeonis*, uti integro nomine legitur in Kalendario Chaldaico seu Syriaco. Alter ille Aquila, quem cum Hilario signant quædam synaxaria, forsan ab apostolo non est distinctus. — *S. Joseph.* In Typico S. Sabæ Joseph Thessalonicensis profertur die præcedenti, et ejus loco ponitur hodie S. Stephanus Sabaita. — *S. Petrus junior.* S. Petrus cognomento Junior, dignitate episcopus Cretæ, prodit in Synaxariis *S. Ellius.* mss. Græcis. — Præter prolixum encomium S. Ellii, monachi, ex Rufino et Palladio magna parte desumptum, Menologii excusi auctor adjicit adnotationem, quæ latine reddita sic sonat : *Sunt*, ait, *et alia miracula S. Ellii, de quibus in Vita S. Eugeniæ, martyris, ad 24 Decembris. Item sanctus Ellius commemoratur insuper 20 Junii, in Vita S. Leucii, confessoris. An vero idem sit ac hodiernus, dubitatur : siquidem, licet conveniant in patria, in tempore et loco quo vixerunt; licet uterque in monasterio ob infantia commemorasse prædicetur et ardentes carbones in veste circumtulisse, attamen discrimen in eo est, quod ille Ecclesiæ Heliopolitanæ præfuisse, hic vero simplex monachus exstitisse perhibeatur.* Atque hactenus auctor Menologii Mosquensis, rem judicio cujusvis prudenter linquens.

DIES XV.

Ex Ostromirano. **SS.** CYRICI ET JULITTÆ, MATRIS EJUS (*Omnes cum Bas. CP. Neap. GP. Pg. Goth. Nan. Sirm. Chiffl. Maz. Mg.*).

Ex variis. S. Abudimi, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Taur. Chiffl. Sirm. Maz. Dom.*). S. Vladimiri, regis Russiæ (*Men. Pp. Leop. plura Kal. Hor. Prol.*).

† MM. Antiochi et Cyriaci (*Bas. Sirl.*). † MM. Pauli, Theæ, Valentinæ et soc. (*Bas. Sirl. Sirm.*). † Methodii Syncelli (*Nan.*). † Josephi, ep. Thessalonicæ (*Mg. Marg. Maz.*). † Lolliani, mart. (*Mg. Maz.*). † Justiniani Junioris, imperatoris (*Chiffl. Sirm. Maz.*). † Onesiphori et Porphyrii (*Sirl.*).

OBSERVANDA.

SS. Cyricus et Julitta. Insigne SS. Cyrici, pueri triennis, et Julittæ, matris ejus, festum recolunt hoc die Græci et Slavi, accedente Kal. Neap., Latinis vero celebrantibus die 16. Eadem festivitas apud Iberos tanti habetur, ut inde cognomen suum traxerit mensis Julius, vulgo Cyrici, iberice *Civiricobisthouh* dictus, ut auctor est Brosset; qui tamen S. Cyriacum pro Cyrico minus accurate scripsit in suo *Chronico Ibero*, pag. 9; ubi similes quorumdam mensium apud Iberos recensuit denominationes. De *S. Abudimus.* eis Acta SS. tractant die XVI Junii. — Abudimi, qui et Abudemus, gesta illustrantur in Actis SS., pag. 26, ad præsentem diem. — *S. Vladimirus, princeps Russiæ.* S. Vladimiri memoria recolitur non modo in recentioribus Kalendariis, sed etiam in antiquis; nam diserte refertur in Prologo quodam ms. sæculi XIII, bibl. publicæ Petropolitanæ. Cfr Memoriæ. — S. Antiochus idem est ac qui occurrit crastina die; et in pluribus kalendariis profertur una cum S. Cyriaco; licet incertum manet, utrum hic Cyriacus, distinguendus sit a filio S. Julittæ. — Gesta Justiniani vituperio, non laude, nedum publica aliqua veneratione dignissima esse pronuntiarunt Bollandiani in prætermissis ad hanc diem, pag. 3; attamen prorsus aliud de eo judicium tulit Agatho papa in epistola ad Augustos, quæ relecta fuit in Concilio sexto œcumenico. Luculentissimum hoc Romanis pontificis testimonium refert Morcellius Kalend. CP., t. I, p. 227; qua occasione plura alia profert lectu dignissima. De Justiniano agitur non semel : vide infra ad diem II Augusti et XIV Novembris.

S. Antiochus.

Justinianus imperator.

DIES XVI JULII.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Vladimirus, Magnus dux Russiæ.

Licet Vladimirus, filius Sviatoslai et Malušæ, a S. Olga, avia sua, sacris fidei doctrinis fuerit imbutus, idolorum tamen cultum, majorum more, servavit, etiam postquam ex ducatu Novgorodensi ad solium Kioviense fuerat evectus; tandem, divina gratia tangente cor ejus, christianam religionem proliteri secum statuit. Interea, pace in regno suo condita, bellum indixit Græcis; lectoque exercitu, Chersonesum Tauricam oppugnavit. Capta urbe, repente oculis cœpit laborare adeo, ut visum fere amitteret; quem, ut baptisma cum nomine Basilii, anno 988 suscepit, illico recuperavit. Quare celebratis nuptiis cum Anna, Cæsaris sorore, in patriam lætus rediit et exultans. Kioviam redux, universa idola contrivit; zelumque apostolorum æmulatus, in convertenda gente sua ad fidem Christi totus fuit, ἰσαποστολος ideirco a suis cognominatus. Baptisato populo Kioviensi, edixit Vladimirus, ut Christo Domino ejusque sanctis templa ubique erigerentur; et edictum exemplo roboravit. Pluribus enim in locis ipsemet ecclesias excitavit; quarum alteram S. Basilio, patrono suo, dicavit, alteram B. M. V. sacram fecit, decima parte omnium redituum eidem addicta: unde Decimanæ cognomen. Tandem cum multos annos tanto sanctius regnum administrasset, quo ante baptisma susceptum vixerat dissolutius, terrenam coronam cum æterna commutavit anno salutis 1015, die 15 julii, jam Jaroslai I tempore publice coli cœptus. Corpus ejus, quod Novgorodiæ asservatur, millenario imperii Russiaci anniversario nuper recurrente, ex antiqua tumba in novam, e fuso argento conflatam, maxima pompa populique concursu translatum est anno 1862.

Cfr 1) Vita S. Vladimiri, auct. Jacobo, monacho. 2) Antiquitates Russicæ. 3) Menol. et Prolog. ad h. d. 4) Kulčinius, Specimen, pag. 29, 101, 187, 250 et 272. 5) Acta SS., t. II, sept., præfat. 6) Macarius, Hist. christ. in Russ. introd., pag. 333 et seq. 7) Idem, Hist. Eccl. Russ., t. I, pag. 33, 66. 8) Philaret., Hist. Eccl. Russ., t. I, pag. 141.

DIES XVI.

Ex Ostromiriano. Memoria sanctorum patrum DCXXX qui Chalcedone (*Omnes cum Bas. CP. Vind. Goth. Flor. Coisl. Msq. Sirl. Nan.*).

Ex variis. SS. MM. Onesiphori et Porphyrii (*Rum. Siš. cum Bas. Taur. Med. Sirm. Maz.*). S. Antiochi, mart. (*Tern. Par. I, Prol. Kal. cum Neap. Chiffl. Sirm. Med. Taur. Dom.*). S. Athenogenis, hieromart., et decem discipulorum ejus (*Chil. Ostr. Pp. Siš. Men. Kal. Hor. Prol. cum Bas. GP. Coisl. Msq. Sirm. Maz. Chiffl. Sirm. Mg.*). SS. MM. Pauli, Valentinæ et Chioniæ, alias Theæ, sororum (*Prol. Kal. cum Taur. I, Maz.*). S. Juliæ, virg. et mart. (*Kal.*). [S. Tychonis (*Novg.*)]. Festum imaginis B. M. Tchirensis (*Prol. Kal.*).

† Quindecim millium martyrum in Pisidia (*Chiffl.*). † Plurium mulierum, mart. (*Sirm.*|*Chiffl.*). † Receptio reliquiarum SS. PP. Josephi, Victoris et Nicolai, hegumenorum Casularum (*Taur.*). † Fausti, mart. (*Mg. Cyth. Sirl.*). † Petri Junioris, mart. Cretensis (*Sirm.*). † Abudimi (*Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

Synodus Chalcedonensis. Variæ sunt lectiones, exhibentes festivitatem Concilii Chalcedonensis. In Ostr., Mst., Asseman. et Bas. agitur de sola hac synodo; in CPolitano Morcellii additur memoria Concilii quinti seu CPolitani secundi, dominica proxime sequenti celebranda; CPolitano cod. accedunt præter Vindobonense et Nanianum, quæ probabiliter CPoli fuerant exarata, etiam Rumiantsovianum, Novgorodiæ scriptum; in quo legitur sequens clausula observatu digna: *Sciatur oportet, quotiescunque dies* XVI *inciderit in feriam quartam, memoriam synodi celebrari dominica præcedenti; si vero incidat in feriam quintam, tunc fieri dominica sequenti, altera vero agi memoriam synodi quintæ.* In Bas. huic ultimæ assignata est dies 25 Julii; at in cod. Mosquensi, quem edidit Matthæi, memoria SS. patrum ἀπαραλλαχτῶς celebrari præcipitur dominica sexta post Pascha. Aliud iterum statuitur in Menæis Græcorum excusis, ut videbimus modo, quando agendum erit de S. Athenogene; præterea ibidem commemorantur hodie sex synodi, quo ordine celebratæ sunt; septima vero ad diem dominicam quæ prima est post XI mensis Octobris. Sed recolantur potius quæ occasione hodiernæ festivitatis adnotata habent Morcellius, II, p. 165, Assemanus, VI, p. 481, Bollandiani in prætermissis ad hunc diem, p. 220; et quæ præterea scripsit Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moscis, sex illas picturas explicaturus, quæ totidem synodos, juxta normam in Typico recentiore præscriptam, ibidem repræsentant. Nos solas dabimus inscriptiones Slavonicas, eisdem tabellis superpositas, in quibus interpretandis noluit immorari vir doctissimus; sed prout in protypo reperiebantur, in æs transferri jussit, eo quod interpretationem Belgæ sui minus accuratam esse deprehendisset. Sunt autem sequentes: *Prima sancta œcumenica synodus Nicæna, anno Domini* 325, *patrum* 381, *rege Constantino Magno. Secunda sancta synodus CPolitana, anno Nativitatis Christi* 403 (lege 381), *SS. Patrum centum et quinquaginta.* In parte tabulæ superiore: *Imperator Theodosius. Tertia synodus Ephesina, SS. Patrum centum, anno a Nativitate Christi* 431. Quæ sequuntur vix legi possunt. In tabula: *Imperator Theodosius secundus. Quarta synodus Chalcedonensis, SS. Patrum* 601 (lege 630) *anno a Nativitate Christi* 474. *Imperante Niceta* (lege Marciano). *Quinta synodus CPolitana, SS. Patrum* 160, *anno a nativitate Christi* 570. Infra: *Imperator Justinianus. Sexta synodus in regia urbe, SS. Patrum* 170, *anno a Nativitate Christi* 682. Infra: *Imperator Constantinus* (nempe Pogonatus). Kulčinius, qui has inscriptiones *nimis insulsas* esse declaravit, quam ut inde quidquam elici possit, quærit: *cur appareant coronati circa capita radiis non jam Constantinus Magnus, sed et alii cæsures, excepto solo Justiniano?* Responsum suppeditant Fasti Græci, in quibus imperatores prædicti commemorantur suo quisque die, solo Constantino Pogonato, quantum memini, excepto; non igitur ex suo cerebro id finxit pictor moscus, ut conjiciebat Assemanus. In Prologo

logo recurrit synaxarium de miraculo S. Euphemiæ, quod peculiari festivitate recolitur undecimo Julii. Sancti enim patres Chalcedonenses convenerant in templo hujus illustris virginis et martyris, quæ orthodoxam fidei definitionem eis, veluti vivens, præbuisse narratur. — *S. Athenogenes.* S. Athenogenem referunt hodie primo loco plura Kalendaria et Menæa Slavica recentioris ævi; at antiquiora remittunt ad diem sequentem, quod præsens impeditus fuerit ob memoriam Concilii Chalcedonensis. Id liquet ex sequenti monitu seu rubrica Menæorum, quam non abs re erit, integram huc proferre : *Sciendum est, quod post horum* (nempe S. Athenogenis et sociorum) *memoriam, id est post* 16 *hujus mensis, prima occurrente dominica celebramus officium SS. Patrum* 630 *qui convenerant Chalcedone, Niceæ* 318, *in regia urbe* 150, *Ephesi* 200; *in quinta synodo* 160, *et in sexta tandem* 700. *Quod si contingat hanc diem, scilicet* 16 *hujus mensis, incidere in Dominicam, in ea ipsa celebratur præsens officium;* sanctorum autem officium celebratur in Apodipnis. *Hoc vero officium est opus Philothei, sanctissimi patr. CPolitani. Sciendum quod etiam celebretur in quamcumque inciderit Dominicam post diem* 13 *hujus mensis usque ad* 19 *ejusdem.* Hinc est, quod in Horologio, Romæ græce edito anno 1677 in usum Basilianorum, Patres hujus synodi commemorentur die 13; sanctus Athenogenes vero occurrat tum hoc die, tum sequenti. Unicum martyrem hujus nominis agnoscunt Græci et qui eos passim sequuntur Slavi; notam fabulam de cerva in libris suis regerentes, quos Metaphrastis esse, pro more, venditant. Synaxis sancti agebatur in æde S. Georgii in Cypresseto. In officio diei canon est Josephi hymnographi. Cæterum totam de S. Athenogene materiam exhausit Mazochius, in commentariis suis ad 16 Junii; hoc namque die in marmore Neapolitano insculpta est *passio ejus;* at in Mst. et Rum. signatur ad diem sequentem. — In Menol. et Prologo excuso recolitur S. Paulus, martyr, cum Aleutina (lege Valentina) et Chionia, sororibus, accedente parvo encomio, quod plane convenit cum Taurinensi, nisi quod in hoc S. Chionia appelletur Thea. De ea Sollerius agit 25 Julii; simul ex Hieronymianis Martyrologiis refert ad præsentem diem S. Paulum, martyrem Cæsareæ in Cappadocia, at cum S. Mammete conjunctum; præterea Valentinum et Theonem cum Dioclete, tacita eorum ætate et palæstra, sed addita nominum non ubique uniformiter expressorum varietate, ut corruptum esse in pluribus totum hujus diei in istis codd. textum fateatur ibidem Sollerius. Valentinum et Theonem pro Valentina et Thea scriptum minime dubito; Chioniam vero corruptam esse ex Theone valde suspicor. — Non semel se animadvertisse dicit Mazochius, t. III, p. 650, festa, sicubi aliqua de causa præscripto die celebrari impediebantur, in parem sequentis mensis diem transponi. Quod si hoc viro eruditissimo detur, haud difficile erit explicare, cur in Kalend., quod ego ex Annalibus Novgorodensibus confeci, S. Tychon, ep. Amathuntis (alius enim non datur), ex 16 Junii ad 16 Julii fuerit translatus. Quod res ita fieri potuerit, non nego; mallem tamen hodiernum Tychonem aut amanuensis aut typographi incuriæ tribuere; quapropter uncis inclusum expressi supra. — Hac die memoria recolitur miraculi, quod evenit in Tchirensi ecclesia anno 1420, regnante Basilio Demetride. Visa namque est icon B. M. V. lacrymas fundere, tum in ipsa ecclesia, tum etiam Pscoviæ; quo sumna populi clerique religione propterea fuit delata. Tchirensis vocatur a vico Tchersk, prope Pscoviam sito. Exstat officium proprium, a Pachomio Logotheta conscriptum. Conferantur Prolog. et Menol. Verš. ad hanc diem et Gloria B. M. V., p. III, sect. 2, p. 64.

Dies XVII Julii.

SS. Paulus et soc.

S. Tychon.

Festum B. M. Tchirensis.

DIES XVII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Athenogenis, ep. et mart. (*Mst. Rum. cum Chiffl. Goth. Msq.*). S. Marinæ, megalomartyris (*Mst. Par. Tern. Arc. Chil. Apost. Og. Prol. Men. Kal. Hor. cum Bas. GP. Pg. Flor. Msq. Vind. Sirm. Chiffl. Maz. Mg.*). S. Lazari Galiseni translatio (*Men. Kal. Prol. Hor. cum Pg. Sirm. Chiffl. Maz.*). SS. septenariorum, Cyrilli et Methodii, Gorazdi, Clementis, Nahum, Angelarii et Sabæ (*Moschop.*). Ananiæ, pictoris et mon. (*Hag.*). [Leonidæ Ustnedumensis (*Hag.*).] B. M. Sviatogorensis imaginis festum (*Deb.*).

† Sperati, mart. Carthagin. (*Neap. Chiffl. Maz.*) † Veronicis (*Chiffl. Maz.*). † Quindecim millia martyrum in Pisidia (*Chiffl. Maz.*). † MM. Pauli, Theæ, Valentinæ (*Sirm. Chiffl.*). † Onesiphori et Porphyrii (*Chiffl.*). † Theodotæ, mart. (*Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Athenogenes. In Mst. inscribitur : *passio sancti hieromartyris Athinogenis;* in Rum. accuratius : *passio sancti antistitis Athinogenis;* quasi præsens dies eapse fuerit anniversaria dies martyrii consummati. Hoc enim utrique codici cum Ostromirano commune est, ut sanctorum sive obitum, sive passionem, sive nudam memoriam constanter indicent, cæteris kalendariis sola nomina referre contentis. Verum quoniam in marmore Neapolitano alia passionis assignatur dies, nempe 16 Junii, quæ præplacet Mazochio, concludendum est, diem quo revera martyrium fecit Athenogenes manere hactenus incertum. — *S. Marina.* Marina, Latinis Margarita, martyr et virgo Antiochena, apud Græco-Slavos hodie celebratissima, cave distinguatur oportet a virgine, sub virili monachi habitu Marinus dicta. Acta prioris illustrantur a Bollandianis, xx Julii, pag. 24 et sq.; posterioris hodie; at diversa ab actis cod. Laur., pag. 411. — *S. Onesiphorus.* Tertio jam nominatur S. Onesiphorus, cum servo suo Porphyrio ab equis distractus. — *S. Theodota.* S. Theodota rectius nominanda erat Theodosia, ut liquet ex adjunctis; de qua proinde melius dicetur postridie. — *S. Lazarus.* In typico S. Sabæ Lazarus signatur iterum VII Novembris, cum titulo thaumaturgi. — *S. Ananias, mon. et pictor.* Ananias monasterii S. Antonii Romani fuit alumnus, obiitque anno 1521, ut testantur auctores indigenæ. Cætera ignorantur. Interim poterunt legi Hier. Russ., t. III, p. 128; et Dict. hag., p. 22. — *Leonidas Ustnedumensis.* Anno 1654, ætatis suæ centesimo quinto, vita functus est Leonidas, de quo plura habentur in dicto Dict. Sanctorum ad hunc diem. — *SS. Speratus et Veronica.* Familiare est Kalendario Neapolitano præcipuum e martyribus, sicubi plures simul pro fide decertarunt, signare solum, omissis sociis. Hujusmodi est S. Speratus, martyr Scillitanus, Carthagine circa annum ducentesimum cum undecim aliis passus, atque olim in Ecclesia Africana celeberrimus. Alterum Speratum cum S. Veronice referunt ex Chiffletio Bollandiani in prætermissis, eumque a Scillitano

DIES XVII JULII.

Scillitano martyre distinguunt. Ego vero non modo unum eumdemque esse, sed etiam cum sancta Veronica simul decertasse existimo; nam præterquam quod conveniunt in die martyrii, uterque eodem genere supplicii, nempe gladio animadversus obiisse perhibetur. Quod autem nomen S. Veronicæ in Actis martyrii alioquin sinceris non reperiatur, id parum movet, præsertim cum fateantur ipsimet Bollandiani, nomina horum martyrum in variis Actis ita distorta esse ac diversa, ut vix inter se dignosci et feminæ a viris distingui possint. Et reapse eadem socia in variis apographis nominatur modo Bessia, Bassia, modo Vesta, Vestia, Vestina, modo Vestigia. Atque ex hoc ultimo nomine videntur mihi Græci, siquidem ea Acta suo idiomate conscripta habuerint, efformasse suam *Veronicem*. Quod si hoc mihi conceditur, frustra mirabantur Bollandiani Græcos nusquam in suis Synaxariis aut Menologiis S. Sperati et sociorum meminisse. — Exstat volumen rarissimum, officia propria Ecclesiæ Bulgaræ continens, cujus editio unica prodiit Moschopoli in Macedonia, anno 1741; capita attigit cl. Franciscus Miklosich in Vita S. Clementis, episcopi Bulgarorum, quam græce edidit, Vindobonæ, anno 1847. Apud hunc itaque, pag. 9, leguntur sequentia : Μηνὶ Ἰουλίῳ ιζ Ἀκουλουθία τῶν ἁγίων ἑπταρίθμων (quorum nomina) Κυρίλλος, Μεθόδιος, Σάββας, Ναοὺμ, Γοράσδος, Κλήμης, Ἀγγελάριος, ποιηθεῖσα παρὰ τοῦ ἐν ἱερομονάχοις Γρηγορίου Μοσχοπολίτου. De SS. Cyrillo et Methodio, quorum nomina primo loco expressa sunt, egimus non semel; sunt enim celeberrimi illi Slavorum apostoli. Eorum memoriam Bulgari venerantur non minus quam Moravi; nam et suos apostolos fuisse deprædicant passim, et cultu peculiari distinguunt die decimo septimo Julii, et forsan etiam aliis. De S. Clemente, episcopo Velicensi, agetur seorsim 27 Julii et iterum 22 Novembris; uti 20 Junii de sancto Nahum; præsens denique dies omnibus simul sacer est, potissime tamen SS. Gorazdo, Sabæ et Angelario, qui proprios dies non habent. De S. Angelario et Saba pauca innotescunt. Quum scilicet prior, mortuo S. Methodio magistro, Moravia una cum cæteris Methodii discipulis pulsus esset, hi vero in duas turmas divisi itineri se dedissent, comitem se adjunxit SS. Clementi et Nahum, in Bulgariam profectis; quibuscum primo Belgradensis regionis præfectum, Boritam nomine, tum ipsummet Borisum, Bulgariæ regem, adiit. A quo magnati cuidam Tchaslao commendatus, hospitalitate viri non diu fruitus est. Brevi enim post adventum in Bulgariam animam suam ab angelo exceptam Deo reddidit, anno dieque incerto, communi officio cum cæteris SS. Cyrilli et Methodii discipulis honoratus. Similiter latent nos S. Sabæ gesta, obitusque annus et dies. Illud tantummodo scitur, cum in Bulgariam venisse cum S. Gorazdo, aliaque via quam S. Angelarium. Colitur conjunctim cum aliis patribus *septenariis*, teste Gregorio Moschopolitano in officio superius allato. De S. Gorazdo plura dabo in Memoriis Slavicis, in antecessum tamen lectorem monendum esse censeo, tenuem omnino adhibendam esse fidem iis, quæ Kal. t. III, p. 145 et seq., de S. Gorazdo tradidit aut potius fabulatus est Josephus Assemanus, vir in Orientalibus magnæ sane auctoritatis, at valde tenuis et pene nullius in Slavicis. Multa namque de S. Gorazdo protulit testimonia undequaque petita, ubi non modo rerum gestarum veritas temporumque ratio et chronologia graviter nec semel læsa est, sed sanctus Gorazdus titulo pseudo-episcopi et schismatici fœdatus prodit, perinde ac si pro Græcorum schismate stetisset, qui potius a S. Methodio, Moraviæ archiepiscopo, in successorem, cæteris postpositis, idcirco fuit electus, quod catholicam magistri fidem servasset intemeratam, et inter Slavicas gentes propagaturus foret indubitanter. Sed talibus immorari tædet. Illud tamen notabo, arbitrarie confundi ab eodem Assemano S. Gorazdum cum Georgio quodam pseudo-episcopo, et Theophylactum, primum Bulgariæ archiepiscopum, cum Agathone, episcopo Moravorum, cujus nomen subscriptum legitur in pseudo-synodo Photiana coacta, anno 879, mense Novembri. Equidem *Agathonem* illum, Moravorum *metropolitam*, ut vocatus est a Photio, non alium, si nomen spectes, esse opinor ac S. Gorazdum : ἀγαθών enim Græcis fere idem significat ac slavice *Gorazd*. Verum hinc præcise falsitatis convincitur prædicta synodus Photiana; etenim celebrata fuisse dicitur anno 879, mense Novembri, ut constat; atqui tunc in vivis adhuc versabatur S. Methodius, Moraviæ archiepiscopus, qui non nisi morti proximus Gorazdum successorem sui constituit; obiit autem anno 885. In pluribus quoque emendandus foret Lequenius, ut quando S. Gorazdum mutat in Conradum, hominemque genere Moravum Teutonicum præsulem fuisse asserit; sed multo tolerabiliora sunt sphalmata Lequenii, quam figmenta Assemaniana. — Imago B. M. Sviatogorensis seu in Monte Sancto, prope Pscoviam, apparuit anno 1563 et 1569.

SS. Cyrillus, Methodius, Gorazdus, Clemens, Nahum, Angelarius et Sabas.

B. M. Sviatogorensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Gorazdus, episcopus Pannoniæ.

Gorazdus, nobili genere in Moravia ortus, alumnus fuit S. Methodii, Slavorum apostoli, ejusque in archiepiscopatu Moraviæ et Pannoniæ successor. Ad hanc dignitatem, quæ eo tempore sane et amplissima erat, et propter Germanorum invidiam, ac in Slavorum Ecclesiam odium difficillima, ab ipsomet Methodio, jam morti proximo, designatus est anno 885. Non diu tamen recentem Ecclesiam Moraviæ rexit, quoniam Germanorum clerus nequaquam ferre potuit, ut in discipulo revivisceret magister. Quare, duce Vichingo, Nitriæ Pannonicæ episcopo, sanctique Methodii adversario notissimo, vires omnes intenderunt Germani, ut divinum sancti viri opus dissolverent, ritu Slavico (si fieri posset) sublato. Anno igitur S. Methodii obitum proxime sequenti, qui erat 886, Gorazdum una cum Clemente, Saba, Nahum, Angellario, aliisque Slavis innumeris e Moravia pellunt, simul et Ecclesiam Slavicam, in Moravia et Pannonia adhuc teneram, opprimunt et disperdunt. Abiit Gorazdus in Bulgariam; ubi a Boriso rege honorifice exceptus, reliquum vitæ in excolenda Bulgarorum vinea strenue laboravit, sancteque obiit, anno incerto. Quamvis autem sancti antistitis gesta nos fere lateant et jejunæ admodum sint de sede quam occupabat notitiæ, eam tamen in vicinia Belgradiæ seu Berati Albanensis quærendum esse suadent monasterium et templum ejus nomini insignitum; ubi sacræ ejus reliquiæ hodiedum asservari dicuntur. Equidem illud vel eo libentius darem, quod non procul inde aliud exstet monasterium, ad lacum Achridensem situm, atque sancto Nahum dicatum; cujus corpus ibidem etiamnum jacet.

Cfr 1) Ἀκολουθίαι τῶν ἁγίων ἑπταρίθμων, etc. 2) Vita S. Clementis, ep. Bulgariæ, ed. Miclosich. 3) Colloq. Russica, 1859, t. II, pag. 126 et seq. 4) Schafarik, Rozkvet. Slav. Liter. v Bulharsku. 5) Asseman. Kalend. t. III, p. 143 et seq.

DIES XVIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Æmiliani, mart. (*Mst. Tern. Siš. Chil. Leop. Novg. Prol. Hor. Kal. cum Bas. GP. Pg. Flor. Vind. Clar. Div. Maz. Mg.*). S. Hyacinthi, mart. in Amastride (*Rum. Og. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Med. Taur. Chiffl. Maz.*). S. Theodosiæ, virg. (*Rum. cum Bas. Div. Dom. Maz.*). S. Pambonis Nitrensis (*Kal. Men. cum Chiffl. Maz. Sirm.*). S. Joannis Patientis, mon. Cryptensis (*Pat. Men. Kal.*). [Leontii, mart. (*Novg.*).]

† Marcelli, Dasii, Myronis, mm. (*Neap. Med. Taur. Clar. Div. Maz.*). † Pauli, Theæ, Valentinæ, mm. (*Med*). † Stephani, ep. CP. (*Med. Taur. Sirm. Dom.*).

OBSERVANDA.

S. Pambo. Ex Vitis patrum apprime notus est S. Pambo, abbas Nitrenisis et confessor, de quo multus est sermo in Vita S. Paisii Magni, ejus discipuli, quam a S. Joanne Colobo conscriptam fuisse asseverat Menologus Mosquensis. Ad hæc, ad 16 Nov. habetur in Prologo adhortatio Pambonis ad quemdam discipulum. — In Dom. codice S. Theodosia audit Theodota; similiter in Menologio Sirleti, ad diem 17; at ex adjunctis facile apparet, illam prorsus eamdem esse ac S. Theodosiam, de qua adeantur Bollandiani, ad XXIX Maii, pag. 87. — Solus Marcellus refertur hodie in marmore Neapolitano et apud Chiffletium, utpote totius turmæ certator præcipuus. In aliis adduntur SS. Dasius et Myron, alicubi perperam *Imaron* dictus. — De S. Stephano agunt Bollandiani XVII Maii, pag. 36, occasione alius Stephani, item patriarchæ CPolitani. In Menæis Mediolanensibus bibl. Ambrosianæ diserte significatur hodie celebrari ejus translationem Amasea Constantinopolim. — De S. Joanne Patiente, monacho Kioviensi, plura dabuntur modo in Memoriis Slavicis. — Die 18 Junii celebravimus memoriam S. Leontii, concinentibus kalendariis pene universis; idem hodie iterum prodit in Annalibus Novgorodiæ, t. IV, pag. 224, quod oscitantiæ amanuensis tribuendum esse apparet ex alto cæterorum codicum silentio. Aliunde errandi ansam facile potuit præbere vocum Junii et Julii similitudo. Similes errores in dictis Annalibus offendi non semel : cujusmodi est error circa S. Tychonem, pridie notatus; uti etiam *Synaxis S. Euphemiæ* relata ad 19 Julii, cum ponendus esset dies 16 ejusdem mensis.

S. Theodosia. *S. Marcellus.* *S. Stephanus.* *S. Joannes Patiens.* *S. Leontius.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Joannes Patiens, mon. Cryptensis. Castitatis servatæ studium longum aliquando esse martyrium comprobavit exemplo suo Joannes, angelicæ hujus virtutis cultor eximius. Etenim, cum a carnis concupiscentia vehementius sollicitaretur, inde ab ingressu suo in monasterium Cryptense, austeram vitam, S. Theodosio duce, amplexus, arduum bellum carni indixit, rebelles ejusdem appetitus jejuniis, quæ non semel ad octavam diem protraxit, et vigiliis, siti fameque frangens. Triennio in hisce certaminibus peracto, in cryptam Antonii sese abdidit, ibique triginta annorum spatio cum salutis suæ hoste decertavit, ferreo torque lumbos præcinctus. Adhuc insultante inimico, foveam sibi effodit, totamque quadragesimam in ea commoratus est, terra ad pectus usque obtectus; quemadmodum corpus ejus usque in præsens dicitur asservari, et a pictoribus depingi. Ultimum impetum fecit tunc spiritus immundus, formamque horrendi draconis simulans, irruit in Joannem, faucibusque ignem vomens, quasi ipsum vellet devorare; at sprevit terriculamentum ille, pacemque diu optatam tandem consecutus est, precibus Moysis Hungari; cujus corpus in prædicta crypta Antonii quiescebat. Obiit Joannes circa medium sæculum XII.

Cfr 1) Menol. ex Paterico ad h. d. 2) Kulčinii Specimen, pag. 31. 3) Assemanni, t. VI, pag. 404 et 486. 4) Macarius, Hist. Eccl, Russ., t. I, pag. 65. 5) Dict. hag., pag. 130. 6) Menol. Verš. ad h. d.

DIES XIX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Dii (*Mst. Tern. Par. Rum. Chil. Og. Men. Prol. Kal. Hor. cum Bas. GP. Vind. Msq. Sirm. Maz. Mg. Med. Taur. Dom. Sirm.*). S. Macrinæ, sororis S. Basilii (*Tern. Chil. Og. Pp. Men. Hor. Prol. cum Bas. Vind. Pg. Goth. Msq. Med. Clar. Maz. Mg. Chiffl.*). Romani, principis Riazanensis (*Kal.*).

† Mauritii (*Neap.*). † Joannis, metr. Chalcedon. et confes. (*Sirm.*). † Quatuor ascetarum (*Chiffl. Maz.*). MM. Apollinaris et Vitalis (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Dius. In Menologio Basilii refertur primo loco S. Dius, utpote archimandrita CPolitanus, celebrisque monasterii, quod CPoli exstitit suo nomine insignitum, fundator. Vocatur insuper *thaumaturgus*, ob innumera miracula, quæ patrasse narratur. In Horol. Počajovensi dicitur fuisse filius Romani et Nafrathæ, Antiochiæ in Syria oriundus. Ejus vitam paucis illustratam habes in Act. SS., p. 631 et seq.; at multo fusius in Menologio Mosquensi. — In codd. Parisino et Ternobiensi, qui raro dissentiunt, S. Macrina diserte vocatur soror S. Basilii Magni; ut taceantur Kalendaria recentiora, quæ unanimi consensu deprædicant eamdem ut Basilii et Gregorii Nysseni sororem; male itaque in codd. Naniano et Mosquensi confunditur cum S. Marina, martyre, quam nominaverant jam die præcedenti. In Ternob. ponitur primo loco, ante S. Dium. Similiter in Horologio Počajavensi, annuntiatur

S. Macrina.

Dies XX Jul. nuntiatur his verbis : *Venerabilis Matris nostræ Macrinæ, sororis Magni Basilii*, accedente brevissimo, pro more, encomio. Addit Kulčinius, Speciminis pag. 88, pro hoc festo concessam fuisse Ordini Basiliano plenariam indulgentiam, quam suo tempore impetraverat P. Bartholomæus de Marco, generalis Ordinis procurator in Italia. Habetur etiam officium diei proprium. Porro tantæ erat famæ S. Macrinæ sanctitas, ut omnium propemodum in Oriente Ecclesiarum Fastis ejus nomen hoc die, quo verosimillime obiit, pridem fuerit adscriptum. At Occidentalibus sero admodum innotuit; quod merito mirantur Bollandiani, idque eo magis quod nec obscuro loco nata sit, nec qualemcunque virtutum suarum præconem nacta, sed S. Gregorium Nyssenum, fratrem suum et totius Ecclesiæ ornamentum.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Romanus Riazaniæ dux. Romanus, Olegi Riazanensis ducis filius, paternum thronum occupavit anno 1258, Mongolis in Russia dominantibus. Apud chanum Mengu Temirum accusatus, quasi ejus religionem liberius reprehendisset, ipsumque verbis lacerasset, coram sistere jussus est et Mongolorum voluntati traditus. Quibus a fide christiana avertere eum conantibus, tanta libertate Christum publice confessus est, ut impii satellites, ore ejus obstructo, variis tormentis cruciatum, tandem in partes concideriunt, quemadmodum olim S. Jacobum Persam Saraceni. Cute autem detracta, caput hastæ infixerunt. Passus est Romanus, anno 1270.

Cfr 1) Annales Sophienses, t. I, pag. 285. 2) Karamzin, IV, not. 136. 3) Dict. hag., pag. 234. Menolog. Verš. ad h. d.

DIES XX.

Ex Ostromirano. Memoria SS. prophetarum Eliæ et Elisæi (*Omnes cum Bas. GP. Vind. Flor. Pg. Sirm. Mg. Goth.*).

Ex variis. S. Eliæ, diaconi, socii Joannis Zedaseni (*Iber.*). † Abraamii Galicensis (*Prol. Kal.*). B. M. V. imaginis Galicensis festum.

† Eleutherii synaxis prope Xerolophum, seu Collem Siccum (*Taur. II, Sirm. Chiffl.*). † Gregorii Junioris, ep. et conf. (*Med.*). † MM. Georgii et Theodori (*Taur. II, Chiffl. Sirm. Med.*). † Prophetarum et sacerdotum Moysis, Aaronis et Elisæi (*Sirm. Taur. II, Copt.*).

OBSERVANDA.

S. Elias, propheta. Magni Eliæ, prophetæ, festivitas commemoratur in pluribus Fastis optimæ notæ, Bas., Mst., Rum., his verbis : *Sancti prophetæ Eliæ ignea ascensio in cælos;* at in Ostromirano signatur tantummodo *Memoria;* non secus ac in CPolitano Morcellii. Quod autem in titulo diei dictum sit Ostromirano codici consonare cæteros *omnes*, id intelligendum est de solo S. Elia; nam Elisæum referunt pauci. Nec obstat codex Assemani glagoliticus, in quo S. Eliæ memoria adscripta est diei 21; siquidem id in nullo alio, quem sciam, codice reperire est; nec constat, utrum ita in prototypo jaceat, quum genuinum textum glagoliticum, quem cl. Fr. Račky in lucem mox, ut spero, daturus est, adhuc desideremus. Cæterum quantumvis illustris sit memoria sancti prophetæ, ea tamen tacetur in Kal. Neapolitano. In Kalendario CPolitano Morcellii, loco S. Eliæ nominantur Moyses et Aaron. Recentiores Slavorum Fasti celebrant solum Eliam, omisso Elisæo aliisque sanctis, hac solemni phrasi: *Sancti et gloriosi prophetæ Eliæ.* Eadem habetur in Typico, in Menæis, et in Horologio Počajoviensi; in hoc præterea cognominatur *Thesbites.* Menologium Mosquense, post fusam de propheta narrationem ex Scriptura Sacra aliisque fontibus haustam, in notula eidem adjecta lectores monet S. Eliam, jam in paradiso commorantem, scripsisse litteras ad regem Jerosolymorum Joramum, filium Josaphati, quibus iniquitates viro exprobravit exitumque pessimum prædixit. Addit Menologii editor dictam epistolam scriptam fuisse, juxta interpretes quosdam, anno post raptum suum in paradisum nono. Verum quidnam de hac epistola communiter sentiant interpretes, dicere prætermisit. Porro communius creditur Elias ex loco, ubi nunc versatur, apparuisse alicui prophetæ aut viro fideli, eique litteras a se scriptas ad Joramum perferendas dedisse. Insuper in eodem Menologio et in Prologo narratur fictitium prodigium illud, quod in nativitate Eliæ contigerit; apparuisse nempe patri ejus Sabbacha angelos albicantes, qui infantulum igne tanquam fasciis involverent, et flamma ignis veluti cibo alerent. Fabula ab ipsismet Græcis improbata. Quum enim in officium hujus diei, auctore Josepho, hymnographo, ode prima, irrepserit, sequentem censuram apponendam esse duxerunt recentiores Menæorum editores Veneti : *Quæ hic de igneo cibo et flammeis fasciis prophetæ Eliæ scripsit Josephus, hymnographus, ea forsan deprompsit ex synaxario infra dando; verum cum Scriptura Sacra, omnis historiæ sacræ fons et magistra, nihil simile quid tradat, manifestum est, ea desumpta esse ex aliquo libro apocrypho, cujusmodi est:* Apocalypsis prophetæ Eliæ, *aut ex traditione judaica.* Laudo editorum prudentiam, quam Mosquenses an æmulati fuerint, dicere nequeo, quum eorum Menæa nova præ manibus non habeam. Scio tamen exstare duplicem in Officio Slavonico canonem, quorum alter conscriptus est a Pachomio, hieromonacho, ni fallor, Logotheta. — In Kalendariis Iberorum recentioribus magno prophetæ adnectitur alius Elias, diaconus, atque S. Joannis Zedazeni socius individuus; at in vetustis commemoratur simul cum SS. Joanne et Stephano, episcopo Chirensi, 4 Novembris; quo die agemus de omnibus. — De situ Xerolophi, ubi fit solemnitas S. Eleutherii, consule Cangium, CPoleos Christianæ l. IV, p. 123, num. 37. — Bollandiani, dum sanctum Gregorium nominant, incerti sunt, utrum præsenti diei an alicui e proximis inscribi debeat.

S. Elias, diaconus.

S. Eleutherius.

S. Gregorius junior.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Abraamius Galicensis. Abraamius, alumnus S. Sergii Radoneženssis, fundavit monasterium Tchuhlomense, ubi ei apparuerat imago B. M. V.; quæ Tchuhlomensis ex illo tempore nuncupata est. Obiit anno 1375.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 7. 3) Menol. Verš. ad h. d. 4) Gloria B. Mariæ V., t. III, sect.

DIES XXI.

DIES XXI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Simeonis Sali et Joannis, socii ejus (*Mst. Tern. Par. Rum. Chil. Og. Men. Kal. Hor. Prol. cum Bas. Neap. GP. Flor. Msq. Pg. Sirm. Goth. Vind. Med. Chiffl. Sirl. Mg.*). S. Ezechielis, proph. (*Rum. Chil. Og. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Nan. Vind. Par. Med. Taur. Chiffl. Maz.*).

† Acacii in Heptascalo (*Meg. Max. Med. Sirm.*). † Theophili, Justi, Trophimi et Matthæi, mm. (*Mg. Cyth.*). † Synaxis SS. Deiparæ in Armatii (*Mg. Sirm. Chiffl.*). † Ignatii Steirionitis (*Chiffl. Maz.*). † Eleutherii prope Xerolophum synaxis (*Chiffl.*). † Trium MM. Melitenensium (*Chiffl. Maz.*). † Eugenii, mart. (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

SS. Simeon et Joannes.

Joannem addidimus Simeoni ex Menologio Basilii, ex codd. Mediol., Chiffl., Typico S. Sabæ, Genebr., Menæis excusis et aliis. S. Simeonis Vitam, auctore Leontio, ep. Neapoleos in Cypro, ex codice Vaticano, et alteram compendiosam ex Menologio Basilii et Menæis Græcis habes in Actis SS. ad primam Julii; ad quam diem recole adnotata a nobis. Eadem legitur in Menologio Mosquensi, at contractior. Joannem quemdam *Jejunatorem* (imo synascetam seu collegam) referri dicunt Bollandiani in Synaxario Kioviensi; procul dubio est idem ac socius ille S. Simeonis Sali. In editione Menæorum, Venetiis anno 1843 facta, totum diei hujus officium est de SS. Simeone et Joanne, accedente brevi synaxario, et nulla facta mentione S. Ezechielis, prophetæ, cujus tamen nomen, imo et officium exstat in exemplari Menæorum mss., et a synaxarista affixum est diei 23 hujus, ut testatur Menæorum editor. Re quidem vera Ezechielem plures codd. commemorant tum hoc die, tum 23; non tamen Slavici. — In Menæis Græcis excusis et apud Maximum Cythereum perperam legitur : *Acacius in Pascalo* pro *Heptascalo;* de quo loco agit Cangius CPoleos Christianæ lib. I, pag. 56; de ipso vero martyre, lib. IV, pag. 118.— B. Virginis in *Sarmasii* festum annuntiatur in Menæorum editione veteri; at rectius in *Armatii* (ἐν τοῖς Ἁρματίου) scribitur jam in editione recentiore. De qua æde cfr Cangius, operis jam dicti lib. IV, pag. 83. Eadem solemnitas redibit die XVII Augusti. — Sæpe dissentire antiquam editionem Venetam Menæorum a recentiore observavi modo, et iterum observandi ansam præbet S. Trophimus; cujus memoria signatur hodie in editione veteri; in recentiore ad 23 hujus. Imo synaxarista ponit ad præsentem diem ejus officium, quod in recentiori editione prorsus exsulat. — *Onuphrius, silentiarius, monachus Cryptensis,* colitur ad hanc diem in Laura Kioviensi, cætera prorsus ignotus. Cfr Dict. hag., 212.

S. Acacius.

Synaxis B. V.

SS. Trophimus et soc.

Onuphrius Cryptensis.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

MEMORIA S. MARIÆ MAGDALENÆ, UNGUENTIFERÆ (*Omnes cum Bas. GP. Coisl. Goth. Chiffl. Msq. Vind. Flor. Sirm. Maz. Mg.*).

S. Phocæ, hieromart. (*Rum. Chil. Siš. Og. Men. Prol. Hor. Kal. cum Pg. Msq. Vind. Flor.*). S. Juliani, mart. (*Prol.*).

† Agapii, mr. (*Neap.*). † Marcellæ, mr. (*Med. Taur. Sirm. Chiffl. Maz.*). † Apollonii, ep. (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Phocas.

In Kal. et in Typico signatur *translatio reliquiarum S. Phocæ;* in Tern. et Chiffl. refertur postridie. Menologium Mosquense addit : *Undenam et quonam fuerit translatæ ignoratur.* Juxta S. Joannem Chrysostomum, Oratione in S. Phocam (tom. II, pag. 704), advenerant e Ponto. Montfalconius refert hanc translationem ad annum 403 vel 404. In Menol. Basilii signatur *passio* ad diem 23 Julii; et iterum ad 22 Septembris. Habetur officium proprium.—De S. Juliano, actum est ad 2 Januar. et 21 Junii. — Summa consensione celebrant hoc die Kalendaria Græca et Slavica universa S. Mariam Magdalenam, vulgo Myrophoram aut Unguentiferam dictam. De qua sequentem adnotationem apposuit Menologii editor Mosquensis : *Occidentales*, ait, *putant hanc Mariam Magdalenam eamdem esse ac sororem Lazari, et peccatricem quæ Christi Domini pedes lavit et unguento unxit; at Orientales utramque probe distinguunt, et quidem recte. Nam Lazari sorori patria erat Judæa, Syria Magdalenæ, in montibus Magdala natæ, unde ei venit cognomen Magdalenæ; hæc Christum non in Judæa, sed in Galilæa sequi cœpit. Ad hæc Lazari sororem nequaquam publicam peccatricem esse potuisse, manifestum fit vel ex eo, quod filiæ Israel id esse omnino vetabantur a lege Moysis; qua ob simile peccatum lapidibus erant obruendæ. Illud etiam obstat quod vir honorabilis erat Lazarus et in dignitate constitutus (utpote Bythiniæ toparchus). Distinguenda igitur est soror Lazari a femina illa peccatrice. Incertum quoque manet, an peccatrix illa, de qua in Evangelio, eadem fuerit ac mulier quæ Christi pedes unxit* et reliqua; *de quo discrimine legatur Synaxarium Triodii, ad feriam quartam magnæ hebdomadis, et aliud Synaxarium ad Dominicam tertiam post Pascha.* Hactenus Menologium Mosquense; quod huc retulisse placuit, ut Slavorum quoque sententia in ardua hac quæstione magis innotescat. Interea consulantur Acta SS., Oct., t. IX, pag. 444 et seq. Faillon, Monuments inédits sur l'apostolat de Sainte Marie Madeleine; potissimum autem Act. SS. ad hunc diem, pag. 201 et seq. ubi Orientalium placita de tribus Magdalenis explosa sunt.

S. Julianus.

S. Maria Magdalena.

DIES XXIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

S. APOLLINARIS, ARCHIEPISCOPI RAVENNATIS, ET SOC. (*Men. Hor. Kal. Prol. cum Bas. Neap. Nan.*).

SS. MM. Trophimi, Theophili et tredecim sociorum (*Mst. Tern. Par. Rum. Siš. Chil. Og. Men.*

DIES XXIV JULII. *Men. Prol. Kal. Hor. cum Bas. Flor. Pg. Vind. Nan. Maz. Chiffl.*). S. Phocæ Junioris, mart. (*Tern. cum Bas. GP. Sirm. Chiffl. Maz. Mg.*).

† Plurimorum mart. in Bulgaria (*Bas. Mg. Maz. Med. Taur. Clar. Sirl. Div.*). † MM. Vitalis, episcopi Ravennæ, Apollonii, Eugenii ep. (*Bas. Nan. Maz. Mg. Chiffl. Med.*). † Ezechielis, prophetæ (*Goth. Msq. Taur.* I, *Mg.*). † Septem martyrum Chalcedonensium (*Mg. Dom.*). † Suzannæ seu Annæ in Leucate (*Bas. Nan. Med. Taur. Sirm. Chiffl. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Apollinaris. In Menologio Basilii S. Apollinaris præmittitur SS. Vitali, Apollonio et aliis quos citavi supra. In Naniano desunt SS. Eugenius et Suzanna. Hinc liquet nominari in Ostrom. solummodo præcipuum e martyribus et antesignanum, ut mos est antiquiorum Kalendariorum. — Socios S. Trophimi, martyris, alii numerant decem, alii triginta; inter hos erant Justus et Matthæus, a nobis jam alibi relati. In officio diei exstat canon, a S. Andrea Cretensi compositus. — S. Suzannam referunt codd. Bas. et Nanianus simul cum S. Vitali et ejus sociis; at in cæteris kalendariis supra citatis sancta hæc virgo nominatur seorsim, et quidem non Suzannæ, sed Annæ nomine insignita; quod obtinet etiam in Actis SS., pag. 486. — De martyribus in Bulgaria agimus fuse ad 29 Augusti.

S. Suzanna.

SS. Trophimus et soc.

SS. MM. in Bulgaria.

DIES XXIV.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Christinæ, mart. (*Mst. Tern. Par. Rum. et reliqui cum Bas. GP. Vind. Flor. Goth. Msq. Sirm. Chiffl. Maz. Mg. Med.*). SS. MM. Borisi et Glebi (*Mst. Tern. Rum. Siš. Chil. Og. Prol. Kal. Hor. Leop. Apost.*). S. Polycarpi, archim. Cryptensis (*Menol. Pat. Kal.*).

† Christophori (*Neap.*). † Anatolii (*Msq.*). † MM. Hymenæi et Capitonis (*Med. Sirm. Chiffl. Maz.*). † Hermogenis, mr. (*Chiffl. Maz.*). † Euphrasiæ et Olympiadis (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Christina. Exstant in Menologio Mosquensi acta S. Christinæ, virginis et martyris, latinis simillima, imo forsan inde deprompta. Prudenter in suo Menologio Ecclesiæ Orientalis, toties a me citato, hæc pauca de S. Christina tradit Veršinski: *Virgo erat*, ait, *Urbani præfecti Tyrensis filia. Quæ ubi verum Deum ex ejus operibus, Jesum Christum autem ex fide revelata cognovit, ejurata falsa idolorum religione, domesticos deos contrivit; quapropter a patre suo duobusque ejus successoribus multa passa est, ac tandem gladio perempta.* Hæc Veršinski, tacita ætate aut palæstra; prudenter sane; nam, quæ in Menologio Mosquensi proferuntur de hujus virginis et martyris gestis, obscura sunt admodum, nec levi examine ac censura indigent, ut plurium sanctorum in eodem volumine laudationes. Quibus allatis, ipsemet Menologii editor sequentem notulam addendam esse censuit: *Non constat*, ait, *quo genere mortis obierit sancta. Juxta Menologium Macarii et Prologum, lanceis fuit confixa; in officio vero diei, capite truncata esse perhibetur; tandem in Martyrologio Romano dicitur sagittis perempta esse. Utut est, ferro obiisse ex dictis liquet.* Hæc Menologus, adnotationum hujusmodi admodum parcus. Ast ego J. Pinii nostri verba nihil dubius usurpabo: *Dolendum est sanctam adeo illustrem non habere Acta melioris notæ, quæ vel inviti compellimur notare pessimo calculo... Etenim quaquaversum oculos conjicis, occurrunt identidem res novæ ac mirabiles, et mutatio scenæ continua... Et vero si liceat aperte rem ipsam sine ambagibus eloqui, ut plurimum nobis videntur præferre ista Acta puram putam texturam, quæ consarcinata sit ex farragine rerum mirabilium, tales characterismos exprimentium, ut videatur hic quasi in unam, ut ita loquar, massam congestum, quidquid fere in pluribus aliis mirabile, ne dicam incredibile, ab hujusmodi rerum gnaris observari solet* (Act. SS., Jul. t. V, pag. 507, n. 68). —Solent hi duo principes, a fratre suo crudeliter perempti, inter martyres Christi recenseri et uti tales publice coli a suis, cum tamen in confesso sit, eos nequaquam ob fidem Christi obiisse; qua de re legantur quæ disserunt Bollandiani in commentario prævio ad Acta horum martyrum, Act. SS., t. II Septembris, edita. In Prologo Rum. signatur: *Passio;* at in Mstislavico codice rectius sola *memoria* refertur, siquidem hoc occisus fuerit solus Borisus, ut patebit ex Memoriis.

SS. Borisus et Glebus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

SS. Borisus et Glebus. Borisus et Glebus, fratres uterini, Romanus et David in sacro baptismate vocati, filii erant Annæ, natione bulgaræ, et sancti Vladimiri, qui Russorum gentem sacris undis lustrandam curaverat, anno 988. Fulgebant autem veluti duæ stellæ mediis in tenebris, pietate non minus et religione quam vultu et specie præ cæteris fratribus speciosi, ideoque parenti admodum cari. Et quidem mansuetudine et humilitate præstabat Borisus; contra Glebus, ætate longe minor, eminebat misericordia, multam pecuniam in pauperes, viduas et orphanos erogans. Uterque piis lectionibus indulgebat, sanctorum exempla, præsertim martyrum, virtutem imitandi cupidus. Regno inter filios partito (procreaverat autem Vladimirus duodecim), obtigit Boriso Vladimiria, pro qua dein, mortuo scilicet Večeslao, natu maximo, obtinuit Rostoviam, dum Glebus Muromensi ducatui præponeretur; quæ ditiones sunt contiguæ: ut nimirum qui corde erant inter se conjunctissimi, etiam spatiis aliquatenus jungerentur, seseque mutuis auxiliis facile adjuvare possent. Porro imminebat anno 1015 Pečenegorum, quæ erat barbara gens Russisque inimica, invasio; quam ut averteret Vladimirus, quod ipsemet morbo domi detineretur, Borisum Rostovia accersivit, magnoque exercitu instructum contra hostes expedivit. Quibus non repertis, dum redit Borisus, ad superos sancte migrat Vladimirus, soliumque Kiovense occupat Sviatopolcus, nemini carus, in Borisum vero et Glebum incredibili odio accensus. Ilic igitur, occultata parentis morte, omniumque

omniumque fratrum cædem meditans, quo tutius posset regnum solus occupare, ad Borisum nuntios mittit, qui suo nomine blanda ei promissa facerent; ipse vero Višegorodum, Kioviense suburbium, clam profectus, sicarios subornat, qui pium principem morte perimerent. Morabatur tunc Borisus ad Altam fluvium prope Perejaslaviam, magnatibus incitantibus ut paternum solium usurpatori præriperet, præsentibus copiis confisus; at ille, licet Sviatopolci dolum comperisset, sprevit tamen procerum consilia, mori potius paratus, quam quidquam injusti contra fratrem agere, quem, utpote natu majorem, loco patris sibi fore adserebat. Itaque, dimissis copiis, cum parvo remansit comitatu. Die autem dominica instante, solus cum ministro, cui nomen Georgius, patria Hungaria, preces vespertinas persolvebat in tentorio piissimus juvenis. Summo vero mane, dicto Matutino, et eucharistico pane e manu presbyteri communitus, dum preces adhuc funderet Borisus, de repente irrumpunt homicidæ impiissimi, præcedente Putša; lanceisque crudeliter cor transverberantes, sanctum principem, ne fratri hoc in peccatum statueret Deus suppliciter exorantem, enecant. Cujus animam candidissimam in cælos recepit justus judex die 24 julii, anno 1015; corpus vero Višegradenses in ecclesia S. Basilii condiderunt. Martyrii palmam nactus est quoque Georgius, a sicariis una cum hero transfossus. Nec alia sors manebat Glebum Muromensem. Etenim, perempto Boriso, protinus misit Sviatopolcus ad Glebum, dolo rogans, patrem graviore morbo decumbentem quantocius invisendum properaret. Accurrit ille citissime; et, licet pedem ex lapsu equi attrivisset, non ideo tamen in itinere stetit, sed naviculam non procul a Smolensco, ubi Smiadina se in Borysthenem effundit, ascendit, iterque continuavit indesinenter, dolore et angore stimulos addente. Dum vero Glebus ita moribundum defleret parentem, ecce ex improviso sicarii a Sviatopolco subornati appellunt, principis scaphæ insiliunt, tremoreque comitibus injecto, ipsum veluti agnum innocentem immaniter mactant, die 5 septembris 1015, martyris memoriæ ideo sacra. Mactavit autem Glebum coquus ipsius, natione Torcus, a sicariorum duce Gorasera minis compulsus. Exanime corpus martyris projectum est in loco deserto, inter duos truncos; ubi jacuit initio quidem hominibus ignotum, mox tamen, luce desuper labente, cantuque angelico interdum resonante, detectum. Nec diu mansit ibidem. Profligato namque Sviatopolco, qui instar Caïni miserrime periit extorris et profugus, dilecti fratris exuvias inquirere, repertasque simul cum Boriso sepelire jussit Jaroslaus, rerum potitus (an. 1020-1054). Qui et paulo post, cum miraculorum a sanctis martyribus patratorum fama in dies cresceret, utrumque corpus elevari atque ecclesiæ ipsorum nominibus sacræ inferrenda curavit, annuente Joanne, metropolita. Quæ cum præ vetustate collaberetur, in novam ecclesiam ligneam inde translata sunt, die 2 maii, anno 1072, a Georgio, metropolita, regnante Iziaslao; anno vero 1115 in templum lapidibus exstructum illata, curante id Vladimiro Monomacho, festoque anniversario in rei memoriam instituto. Ter igitur in anno SS. Borisi et Glebi memoria colitur, die 5 Septembris, 24 Julii et 2 Maii; quarum duæ posteriores festivitates inter festa de præcepto connumeravit synodus Zamosciana, anno 1720 celebrata, et a Benedicto XIII S. P. approbata. Dies XXV. Julii.

Cfr 1) Vita SS. Borisi et Glebi, auctore Nestore, annalista, ed. Sreznevski. 2) Acta SS., Sept. t. II, p. 633-639. 3) Kulčinii Specimen, p. 32 et 172. 4) Assemani, Kalendar., t. IV, p. 65 et seqq.; t. VI, p. 494. 5) Menol. mosq. ad 2 Maii et 24 Julii. 6) Prologus, ad prædictas dies, et ad 20 Maii. 7) Menologium Verš., pp. 68, 114, 139. 8) Dictionarium hagiograph., pag. 48 et 78. 9) Nestoris Annales, ed. academ., t. I, 128-129; t. II, 8; t. III, 10. 10) Izveštija II Otdel. acad. Petropol., t. II, p. 81, 120, 145 et 157. 11) Karamzin, Histor. regni Russ., t. II, p. 206. 12) Pogodin, Collectanea histor., t. IV, p. 409-415. 13) Macarius, Hist. Eccl. Russ., t. I, p. 62 et seq. et not. 181; t. II, p. 110. 14) Philaretus, Hist. Eccl. Russ., t. I, pag. 42, 92, 134.

Polycarpus, heg. Kievo-Cryptensis.

Egimus de hoc Polycarpo in Actis Sanctorum ad diem 24 Octobris, pag. 870 et seq.; ubi de B. Aretha fusam instituimus tractationem. Est nimirum Polycarpus ille auctor epistolæ ad archimandritam Acyndinum, datæ anno 1236 circiter, quo Vitæ patrum Cryptensium, quemadmodum illæ in secunda parte Paterici continentur, enarrantur. Conjunctissimus fuit B. Simoni, episcopo Vladimiriensi et Suzdaliensi, a quo pulcherrimam illam epistolam accepit, de qua in commentario prævio ad B. Arethæ Acta disseruimus abunde. Cujus lectione ad meliora charismata sectanda accensus et veluti in alium hominem mutatus, non tantum honores, quos antea ambierat, contempsit, sed etiam humilitatis aliarumque virtutum insignia præbuit documenta. Quapropter fratribus præpositus esse perhibetur, post obitum Acyndini. Obiit anno incerto, ante medium sæculum XII. Probe distinguendus est ab altero Polycarpo hujus nominis primo, qui sub Acyndino I, anno 1182 defuncto, in eodem monasterio floruit.

Cfr 1) Menol. ex Paterico ad h. d. 2) Dict. hag, pag. 130. 3) Kubarev, Disquis. de Paterico, pag. 9. 4) Discriptio Lauræ Kievo-Cryptensis, pag. 137.

DIES XXV.

Ex Ostromirano. OBDORMITIO S. ANNÆ, MATRIS DEIPARÆ (*Ita omnes*). ET SS. EUPHRASIÆ ET OLYMPIADIS (*Assem. Tern. Chil. Og. Men. Kal. Hor. cum Bas. CP. Neap. Goth. Msq. Vind. Nan. Taur. Med. Chifft. Maz.*).

Ex variis. S. Parasceviæ, mart. (*Prol.*). Memoria Synodi OEcumenicæ quintæ (*Kal. Prol. Men. cum Bas. Mg.*). Macarii, Jeltovodensis (*Men. Kal. Prol.*).

† Hierusalem, mart. (*Chifft. Maz.*). † Blandinæ, Lugduni passæ (*Chifft.*). † Hermogenis, mart. (*Taur. I et II*).

DIES XXVI JULII.

OBSERVANDA.

S. Anna. In Neap. marmore refertur S. Anna post S. Eupraxiam, omissa S Olympiade. Legitur enim, teste cardinali Maio, ita : NT. S. EUPRAX. E ANNE (lege : Natalis S. Eupraxiæ et Annæ); unde concludes magni nominis fuisse apud Neapolitanos sanctam Eupraxiam seu Euphrasiam. — S. Olympias, quæ et Olympia, sola commemoratur hodie in Kal. CPolitano Morcellii, et in cod. Saxo-Gothano; at una cum Euphrasia reperitur in solo Naniano. Illam esse quæ fundaverat ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis, *Diaconissæ* dictæ, auctor est Cangius, in sua CPoli christiana, lib. IV, pag. 87. Templi hujus encænia agunt Græci 28 Julii. — Quamvis præcipuus cultus tribuatur hoc die S. Annæ, matri sanctissimæ genetricis B. Mariæ Virginis, tamen in Menæis Græcorum excusis officium S. Parasceviæ, martyris, non omnino exclusum est, sed cum officio S. Annæ miscetur. — Recole quæ de festivitate quintæ synodi œcumenicæ dicta sunt ad 16 Julii, quo commemoratur in pluribus simul cum synodo Chalcedonensi.

S. Euprazia. *S. Olympias.* *S. Parasceva.* *Synodus CP. secunda œcumenica.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Macarius, heg. Jeltovodensis. Macarius, in Novgorodia Inferiore christianis parentibus natus, a teneris magni quid portendisse traditur. Nam dum adhuc lac sugeret, ad pulsum campanæ, clamores fletibus mixtos edidisse perhibetur; quos, simul ac in ecclesiam portaretur, in gaudium illico mutarit. Puer, monasterium Pečerense frequenter adibat, cum monachis de rebus ad salutem pertinentibus acturus; cum vero adolevisset, paterna domo relicta, in eodem monasterio tonsuram a Dionysio hegumeno suscepit. Terrenas res omnes aspernabatur adeo, ut vel parentibus sese spectandum renuerit exhibere, licet toto triennio ab eisdem fuerit inquisitus. Ut autem mundanam gloriam fugeret, quam virtutum suarum fama sibi conciliarat, in solitudinem secessit, et ad lacum Jeltovodensem seu ad Aquas Flavas, pone Volgam fluvium, monasterium ejusdem nominis fundavit; cui diu præfuit. Dum autem hegumeni munere fungeretur, multum etiam in convertendis incolis laboravit. A Tartaris, monasterium invadentibus, comprehensus et in captivitatem abductus, tantum apud præfectum effecit, ut non suam duntaxat, sed et aliorum christianorum libertatem vindicaverit. Ad socios redux, in solitudinem iterum contendit, novique monasterii ad Unžam fluvium jecit fundamenta, quæ tamen ad fastigium perducere mors prohibuit. Obiit anno 1504, ætatis suæ quinto supra nonagesimum.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., p. 173. 3) Muraviev, Vitæ SS., p. 248.

DIES XXVI.

Ex Ostromirano. Ex variis. MEMORIA S. SIMEONIS IN MANDRA (*cum CP. Coisl. Nan. Sirm. Taur. I et II, Mg.*).

SS. MM. Ermolai, Hermippi et Hermocratis (*Mst. Tern. Par. Rum. Chil. Siš. Og. Pp. Men. Kal. Hor. Prol. cum Bas. GP. Pg. Msq. Goth. Vind. Maz. Mg.*). S. Parasceviæ, mart. (*Par. Pp. Leop. Kal. Hor. Prol. cum Maz. Mg.*). S. Moysis, Hungari, mon. Cryptensis (*Pat. Men. Kal. Prol.*).

† MM. Sancti et soc. (*Bas. Med. Taur. Dom. Maz. Sirm.*). † Leontii, ep. Neap. (*Neap.*). † Joannis Palæolauritæ (*Flor. Mg.*). † Ignatii Sterionitis (*Mg. Taur. I et II, Sirm.*). † Dorothei, Eusebiæ conjugis, et Cyriacæ filiæ (*Sirm.*). † Oræozelæ, mart. CPoli (*Chiffl. Sirm. Maz.*). † Mauritii (*Sirm. Mg.*). † MM. Appionis et Hierusalem (*Mg. Sirm.*). † Gabrielis archangeli encænia (*Taur. I et II*).

OBSERVANDA.

S. Simeon Salus. Tres exstitisse Stylitas, Simeonis nomine insignitos, docemur ab auctore Menæorum, cui consonat Triodion, ita habens : *Cælum quatuor instructum hominibus in terra apparuit, bis bina ipsa Simeonis cognominatio, quorum in columna tres sunt, et unus Salus* (p. 32). In Taur. I et II habetur : *memoria sancti patris nostri Simeonis Stylitæ presbyteri et archimandritæ* ἐπέκεινα τοῦ Ἀνάπλου. At quisnam e tribus? Teste Morcellio, minime diversus est a S. Simeone, cujus festum celebratur apud Græcos Kalendis Septembris, et qui omnium celeberrimus est; Simeon tertius, seu Fulminatus, præplacet Sollerio (Act. SS. ad hunc diem); tandem de S. Simeone Salo, cujus festum hodierni Græci et Slavi recolunt 21 Julii, agi docet multæ eruditionis vir, Nevostrujev, in adnotationibus ad Kalendarium Ostromiranum, anno 1852 Petropoli editis. Equidem Morcellio libenter subscribo. Solet enim Simeon ille, qui Kalendis Septembris colitur, atque annum ecclesiasticum quodammodo orditur, *Mendræ* vocabulo ab aliis sanctis cognominibus discriminari, quod in hodierna lectione cod. Ostromirani aliorumque optimæ notæ servatum est. Celebratur autem dedicatio ejus templi, ultra Anaplum, CP. suburbium, siti. — Sancti socii nominantur Maturus, Attalus et Blandina, qui tacentur in Basiliano Menologio. — *Hodie celebrantur Encænia S. Gabrielis, trans fretum, Chaldis,* περὰν ἐν Χάλδαις. Ita codex Taurinensis uterque.

S. Sanctus. *Encænia S. Gabrielis.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Moyses, Hungarus. Hungaria oriundus erat nobilis juvenis, S. Borisi principis Rostoviensis cubicularius. Qui, post obitum Borisi, a sicariis interfecti, anno 1015, ad Predislavam, ejus sororem, aufugit, et in ejusdem obsequio mansit ad annum 1018, quo, a Boleslao Valido, Kiovia expugnata, in Poloniam captivus abductus est. Ubi postquam in quodam castro quinque annos vinctus degisset, cuidam nobili matronæ venumdatus, in ejus domo sex alios annos peregit, longe gravioribus ærumnis ab eadem afflictus. Moysis enim pulchritudine capta et insano amore ardens, nihil non egit, quo castum juvenem sibi conciliaret : imo et matrimonium impudenter proposuit monasticam vitam unice cogitanti. Sprevit ille sive

blandientis viduæ divitias, sive contempti amoris iras, nec ulla ratione adduci potuit, ut monastici instituti propositum relinqueret, aut læderet castitatem. Quin potius tonsuram suscipere properavit a quodam monacho, illac fortuito transeunte. Quapropter in furorem acta matrona sanctum juvenem fustibus quotidie cædi, ac dein in carcerem mitti et circumcidi jussit : quæ omnia usque ad mortem impiæ mulieris constanter tulit. Tum vero in libertatem ab hæredibus restitutus, Kioviam lætus repetiit circa annum 1054, et in monachum a S. Antonio receptus est. Obiit ibidem, vivente adhuc beato viro, postquam decem annos in omnibus virtutibus sese exercuisset, dono ab impuris cogitatis liberandi clarus ; ut vidimus supra, ubi de Joanne Patiente diximus. Dies XXVII Julii.

Cfr 1) Prolog. ex Paterico, ad h. d. 2) Kulčinii Specimen, p. 34. 3) Dict. hag., pag. 199. 4) Menol. Vers. ad h. d.

DIES XXVII.

Ex Ostromirano. Memoria S. Pantaleemonis (*Omnes cum Bas. CP. Neap. GP. Pg. Goth. Msq. Vind. Flor. Clar. Dom. Coisl. Maz. Mg.*).

Ex variis. S. patris nostri Clementis, ep. Velicensis (*Assem. cum Mosch.*). S. Anthusæ, abbatissæ, et nonaginta sociarum (*Prol. Kal. cum. Bas. Chiffl. Sirm. Med. Maz.*). Nicolai Sali, Novgorodensis (*Kal. Prol.*).

† Martyrum centum quinquaginta trium in Thracia (*Chiffl. Maz.*). † Manuelis (*Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Pantaleemon. In codd. Mst. et Rum. præscribitur nota *passionis;* at in Ostromirano fit tantummodo *memoria:* ut inde nihil certi erui possit de die, quo martyrium fecit S. Pantaleon, aliter Pantaleemon dictus. De cujus gestis præter Acta SS. ad hanc diem, qua ex professo tractatur, consulantur quoque dicta ad diem VIII Oct., pag. 381, lit. A, ubi commemoratur inventio reliquiarum SS. Mauri, Pantaleemonis et Sergii. — *S. Clemens, ep. Velicensis.* De S. Clemente, ep. Velicæ, in Macedonia, attigimus quædam ad diem 17 Julii, quando agebatur de septem Bulgariæ apostolis et patronis, Cyrillo, Methodio, Gorazdo aliisque. Plura insuper dabuntur modo in Memoriis Slavicis, infra subnectendis; ut inutile sit diutius ei illustrando immorari. Attamen silentio præterire non possum durissimum de sancto Antitiste judicium Assemani, qui eum non modo e sanctorum Albo eradendum esse, sed etiam acatholicum fuisse et Photiano schismati addictum, pronuntiavit, testimonio scilicet auctoris cujusdam anonymi, qui Vitam Clementis adornaverat, unice innixus. Vitam hanc græce et magnam partem etiam latine, non ita pridem editam a cl. Francisco Miklosich, ab homine schismatico scriptam esse sole clarius est; an ideo schismaticus quoque dicendus et S. Clemens? Hoc si verum esset, expungendi quoque forent e sanctorum Ecclesiæ catholicæ Albo SS. Cyrillus et Methodius ; nam et hos Slavorum apostolos auctores pseudo-orthodoxi, ducibus Moravievio, Philarete, Macario aliisque, tanquam Photii placitis deditos fuisse somniantur, Romano vero Pontifici aut nunquam obedivisse, aut si obedierint, eum in profitenda processione Spiritus Sancti a solo Patre sibi conformem invenisse fabulantur. Qui ratiocinandi modus quam parum solidus sit, nemo non videt. Cæterum præter hanc Vitam auctoris Græci, quæ vulgo *Legenda Bulgarica* nuncupatur, eo quod Bulgarico idiomate primitus exarata fuisse censeatur, exstat etiam alia quæ multo brevior est et omnis fermenti Photiani expers. Quæ si tempore Assemani nota fuisset, sane aliud de SS. Cyrilli et Methodii discipulo tulisset vir alioquin summæ eruditionis mihique venerandus. Hanc compendiosam Vitam primus omnium in lucem dedit cl. Grigorovič, slavicarum litterarum in Universitate Casanensi professor; dein vero græce et latine vulgavit Jos. Schafarik. Sed hæc sufficiant.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Clemens, ep. Velicensis in Bulgaria. Hic vir sanctissimus, Bulgaria oriundus, cum, ex utero matris Deo electus, a teneris Dei servitium adamasset, primus cum Gorazdo, Nahum et Angelario sacram Scripturam strenue edoctus est, in dialectum Bulgaram a SS. Cyrillo et Methodio, fidei apud gentem Bulgarorum (ut fertur) magistris, translatam. Susceptum evangelii semen fructum attulit usque ad sexaginta et centum, ut rem facta comprobarunt. Etenim vita solitaria et virginali electa, nullisque edomandi concupiscentias artibus neglectis, cunctas virtutes consecutus est, jejuniis, oratione et perpetua continentia corpus et animi perturbationes deprimens, sinceræ humilitatis studiosissimus, omnemque animi maculam sedulo fugiens. Ita vitam perfectionis decurrens, primum quidem magistris suis, SS. Cyrillo et Methodio, in laboribus et periculis socius, dein, Pannonia pulsus, Bulgaris dux in via pietatis factus est ipse, episcopus Velicensis electus sive Tiberiopolitanus, totique Illyrico et Bulgariæ præpositus, cum juribus *vicarii apostolici* a Romano Pontifice Marino sedi Achridanæ in perpetuum affixis, circa annum 886. Quo factum est, ut Bulgaræ Ecclesiæ autocephalia firmata fuerit, et jura patriarchica in Illyricum Summo Pontifici tandem restituta, simul et diuturna inter occidentis et orientis Ecclesias disceptatio dirempta. Lychnidi seu Achridæ, quæ Illyrici caput erat et prima Justiniana olim vocabatur, plerumque commorans, vitamque prope asceticam degens, præter duo templa monasterium S. Panteleemonis, martyris, exstruxit et verbum Dei ubique sparsit gnaviter. Illud autem imprimis memorandum est, quod litterarum novas formas excogitavit, Cyrillicis planiores, quibus universam Scripturam sacram, sanctorum Vitas, hymnosque sacros conscripsit. Bulgarorum gentem, quæ nondum tota baptismate lustrata erat, multoque minus omnem feritatem exuerat, ad veram fidem, Bogomilorum hæresi ubique expugnata, traduxit, et, honestate morum inducta, sub Christi jugo domuit. Quin et angustiorem consiliorum evangelicorum viam plurimos edocuit ; quos non tantum sermonis

Dies XXVIII Julii.

sermonis sapientia, sed etiam miraculorum virtute alliciebat; adeo ut aliquando mortuum precibus suis suscitaverit. Apud Simeonem vero, Bulgariæ regem et Borisi filium, gratiam iniit tantam, ut ad quævis imperata sua exsequenda eum haberet paratissimum. Nunquam tamen adducere potuit, ut se, jam senio confectum, cælestibus rebus unice vacare sineret, episcopali cura derelicta. Idcirco ad extremum diem usque Ecclesiam Bulgaram sedulo gubernavit, nunquam otiosus, et juventuti erudiendæ imprimis deditus; cujus selectiorem partem ad sacros ordines promovit. Tandem, ubi solutionis tempus advenit, adstantes ultimo hortatus, et pro grege suo, quem Nahum commiserat, precatus, ad Deum, quem ardenter cupiebat adire, lætus migravit, anno 916. *Ut autem suos aliquatenus solaretur*, ait antiquus biographus, *thesaurum pretiosissimum eis Achridæ reliquit, (ubi hodiedum asservantur,) sacras scilicet exuvias, quarum ope varii morbi domantur, ecclesia vero S. Pantaleonis, quasi commune refugium, remediis plenum, omnibus cum fide venientibus facta est.* Hactenus biographus græcus. Venerandum præsulis caput deinceps asportarunt Græci in urbem Berat, ubi etiamnum asservatur lignea statua S. Clementis, auro et gemmis pretiosis exornata. Exstant quoque plura Clementis scripta, nimirum homiliæ in dies festos D. N., Beatæ Mariæ et Sanctorum, numero tredecim; quibus addenda sunt duo opuscula hagiographica, de vita et gestibus S. Cyrilli, philosophi, et S. Methodii, archiepiscopi Moraviæ. Clementis orthodoxiam ac sanctitudinem, nonnisi summa injuria in dubium vocatam a quibusdam, auctoritate cujusdam Vitæ ejus græcanicæ temere innixis, ab omni prorsus schismatis aut hæreseos labe vindicare hic supersedebimus. Sancti hujus archipræsulis memoria colitur ter in anno, 17 Julii, 22 Novembris et 27 Julii; jamque in Evangelio Assemani glagolitico mss. sæculi XI occurrit ad hanc ultimam diem.

Cfr 1) Vita S. Clementis, episcopi Bulgarorum, ed. Miklosich, Vindobonæ, 1847. 2) Vita brevior, ed. Schafarik, in Monumentis litter. Glagoliticis, Pragæ, 1854. 3) Philaretes, Patrum Ecclesiæ doctrina historica, t. III, § 291, Petropoli, 1839. 4) Pejacevich, Hist. Serb.. pag. 72 et seq. 5) Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου Κλήμεντος, Moschopoli in Albania, 1741. 6) Palauzov, p. 73 et seq. 7) Schafarik, Roskvet liter. v Bulharsku. 8) Assemani, Kalend. t. III, p. 143 et seq. et t. VI, p. 505.

Nicolaus Kačanovius, Salus.

Paucissima dicere habemus de Nicolao Salo. Floruit sæculo decimo quarto, degitque Novgorodiæ, ubi et obiit anno 1392, die 27 julii, in ecclesia S. Pantaleonis conditus. Ejus mentio fit in Vita Theodori Novgorodensis, quem exemplo suo ad stultitiam pro Christo amplectendam adduxit. De Theodoro egimus ad 29 Januarii.

Cfr Dict. hag., pag. 211.

DIES XVIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Eustathii, mart. Ancyrani (*Mst. Tern. Siš. Chil. Og. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). SS. apost. Prochori, Nicanoris, Timonis et Parmenæ (*Par. Tern. Chil. Og. Men. Prol. Kal. Hor. cum Bas. GP. Pg. Flor. Vind. Sirm. Taur. I et II, Maz. Mg. Chiffl.*). S. Acacii, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Chiffl. Maz. Med. Taur. Mg.*). [S. Euthymii, mart. (*Rum.*).] S. Juliani, mart. (*Men. Kal.*). Festum B. M. V. Smolenscensis (*Prol. Pp. Kal.*). Festum B. M. V. Grebnevensis (*Kal.*). S. Pauli Xeropotameni (*Ath.*) Encænia SS. Deiparæ Diaconissæ, CPoli (*Mg.*).

† Nazarii (*Neap.*). †Artemæ, apost. (*Chiffl.*). † MM. Quintiliani, Dadæ, Maximi et Callinici (*Sirm. Chiffl. Taur. II, Mg.*). † Drosidis, mart. (*Maz. Chiffl.*). † Constantini, patr. CP. (*Chiffl.*). † Cononis (*Chiffl. Maz.*). † Irenæ Cappadocis, hegumenæ CPoli (*Chiffl. Sirm. Maz.*).

OBSERVANDA.

SS. Prochorus et soc.

In recentioribus Slavorum Fastis SS. Prochorus, Nicanor, Timon et Parmenas veniunt primo loco cum titulo apostolorum; sunt autem ex septem diaconis, post SS. Stephanum et Philippum nominati in Actibus Apostolorum. — At in antiquioribus, ut Mst. et Rum., præsens dies soli S. Eustathio, latinis Eustachio, est sacer. Consulto nominavi cod. Rum., nam licet in eo inscriptus sit S. Euthymius, legendum tamen puto S. Eustathium. Lectionem cod. Rum. genuinam servandam esse censui, sed uncis inclusam. —

S. Eustathius.

S. Callinicus.

S. Callinicus qui refertur una cum SS. Quintiliano, Dada et Maximo videtur esse idem ac martyr Gangrensis, de quo Slavici Fasti agunt crastina die, quemque hodie cum cognomento Gangrensis commemorant Menæa Chiffletii. — Paulum Xeropotamenum commemorat hodie Νέον ἐκλόγιον et qui illud citat auctor Paterici Montis Atho, tom. I, pag. 65 et seq. Ejusdem obiter meminit Menologium Mosquense excusum, in Vita S. Athanasii Athonici ad quintam Julii, quando nempe tradit, quemdam e reverendissimis patribus Athonitis, nomine Paulum Xeropotamenum, futuram Athanasii, eo tempore in Monte novitii, sanctitatem sociis suis prænuntiasse; quem ab hodierno Paulo minime distinguendum esse mihi persuasum habeo. Cætera altum de eo silentium in libris Slavorum liturgicis, sive recentioribus sive antiquis, excepto solo Paterico Athonico, in quo facta commemoratione, legitur *Vita venerabilis et deiferi Patris nostri Pauli Xeropotameni*, ab incerto auctore imperite concinnata, in capitibus tamen a vero non abludens. Summa hæc est: Erat Paulus, filius Michaelis Curopalatæ, imperatoris, cognomento Rangabæ, qui pacis et solitudinis amore, relicto sceptro, monachus factus est in monasterio Myrelæon, quod ipsemet fundaverat. Matrem habuit Procopiam Augustam, Nicephoro Genico imperatore prognatam. Hæc dum gravida esset, sibi visa est in somnio peperisse agnellum, qui duos leones in se irruentes cruce, quam præferebat, superavit solus et prostravit. Quo somnio significari aiebat fore, ut duplicem naturæ vitæque religiosæ hostem, mundum et diabolum, devinceret filius. A Leone Armeno, qui Michaelis thronum usurpaverat, virilitate destitutus et multa ob cultum imaginum perpessus est. Erat autem tanta ingenii acie præditus litterisque adeo excultus, ut sæculi sui prodigium vocaretur; quod etiam testantur ejus scripta, inter quæ non ultimum

S. Paulus Xeropotamenus.

ultimum locum obtinent concio in festum Ingressus B. Mariæ in templum, præterea officium quadraginta martyrum Sebastenorum et venerandæ Crucis. Ut autem importunas hominum laudes mundique gloriam devitaret, relicta regia urbe, in Montem Atho secessit, ibique sedem posuit in loco, ubi exstabat monasterium Xeropotami, a S. Pulcheria olim fundatum, tunc vero ruinosum; simul et socium sese adjunxit seniori cuidam Cosmæ, in vicinia degenti, a quo etiam in monachum attonsus est, suscepto nomine Pauli : prius enim vocabatur Procopius. Interea regni gubernaculum obtinuit Romanus; a quo diu quæsitus tandemque inventus, CPolim arcessitus est atque filiis ejus educandis præpositus. Mox tamen, obtenta licentia imperatoris, in Montem Atho rediit atque monasterio Xeropotameno instaurando et exornando auctor fuit, impensas suppeditante imperatore; a quo etiam patriarcha CPolitanus, Theophylactus, submissus est, qui instauratum monasterium Deo dedicaret titulo pretiosissimæ reliquiæ venerandæ Crucis, quam dono dederat et cujus longitudo erat plus quam unius cubiti, latitudo vero duorum digitorum, pondus denique drachmarum centum; ut aurea imperatoris bulla testatum facit. Omnibus recte ordinatis, numeroque sociorum aucto, hegumenum eis constituit Paulus; ipse vero ad radices Montis Atho secessit, quo solus degeret. Verum cum hic quoque socios sexaginta circiter brevi nactus esset, novum monasterium eduxit sub vocabulo S. Georgii megalomartyris, vulgo Pauli dictum. Cui postquam aliquandiu præfuisset, ad cælestem patriam migravit die 28 junii anno incerto. Demortui corpus, Constantinopolim transvectum, ibidem conditum fuit, juxta quosdam, in magna ecclesia; juxta alios vero in monasterio B. Mariæ Peribleptæ nuncupatæ. Hæc ita summatim ex Paterico perstricta omnino conferenda sunt cum scriptoribus Byzantinis, Theophanis continuatore, Nicephoro Gregora aliisque; at potissimum cum aurea bulla Romani Lecapeni, anno 924 data, quam cl. Franc. Miklosich nuper græce vulgavit in sua Bibliotheca Slavica, tom. I, pag. 200. Legantur insuper quæ de historicis monasteriorum Athonicorum documentis solide tractavit ibidem Jos. Muller, in universitate Patavina professor. Quædam de monasterio Xeropotami tradiderat Joannes Comnenus in sua Descriptione Montis Atho, græce et latine vulgata a Montfalconio, Palæographiæ græcæ lib. VII, pag. 441; sed multo plura habentur in libro qui Petropoli prodiit anno 1859, ita inscriptus: *Descriptio monasteriorum et asceteriorum Montis Atho*. Jamvero ex dictis videtur Paulus Xeropotamenus extremam attigisse senectutem, imo annos centum et decem superasse, utpote qui natus esse dicatur in Vita anno quo Michael Curopalates regno pulsus fuit a Leone Armeno, id est 813, atque post annum 924, quo aurea bulla Romani Lecapeni certo fuit data, aliquandiu inter vivos versatus sit. Verisimillimum quoque habendum stetisse Paulum a partibus fratris sui Ignatii, patriarchæ Constantinopolitani, adeoque Romano pontifici fuisse addictum. Quod autem in Vita vocatur Procopius, quasi suscepisset nomen istud cum baptismo, id e cerebro suo effinxit auctor Paterici, matris nomine paululum immutato : nam juxta scriptores Byzantinos, Michaelis filii nominabantur Theophylactus, Eustratius et Nicetas, qui et Ignatius, quamvis non constet uternam e duobus prioribus fuerit idem ac Paulus. Similiter manifesto errore inducitur patriarcha Theophilus, cujus loco substitutus est a me Theophylactus. Sunt et alia plura in prædicta Vita quæ emendatione indigeant, at quæ ulterius prosequi non est præsentis instituti. Illud vero stat, S. Paulum Xeropotamenum non modo fuisse unum e primis monachis Montis Atho, sed et ipsomet S. Athanasio, qui cum S. Petro eorum antesignanus passim nuncupatur, tempore incolatus præcessisse. Xeropotameni cognomen accepit a monasterio quod, quia ad *Rivum exsiccatum* fuerat conditum, Xeropotamos idcirco nuncupatum est.

Dies XXIX Julii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

B. Mariæ V. Smolenscensis imago.

Hanc imaginem, quæ vulgo Odigitria seu Hodegetria nuncupatur, a S. Luca pictam fuisse volunt Russi. Fuit autem in Russiam e Græcia allata a Vsovolodo, Jaroslai filio, Cernigoviensi duce, quo mortuo, in potestatem venit Vladimiri Monomachi, et in ecclesia cathedrali Smolensci honorifice collocata est, anno 1101. Inde Mosquam delata est ab ultimo Smolensci duce Sviatoslao, quem Vitoldus pepulerat anno 1404, remeavitque Smolenscum anno 1456, a Misaele episcopo, eoque probe catholico, repetita, postquam ecgraphon sibi depingi curaverant Mosci. Quod ectypon e monasterio Annuntiationis in aliud, recentius conditum, et Novodevičense dictum, transferri jussit Joannes IV anno 1525, festumque in translationis memoriam institui, die 28 julii quotannis celebrandam. Inter varia miracula, quæ ope iconis Smolenscensis patrata fuisse passim perhibentur, memorandum est illud, quod exhibet Vita S. Mercurii, a Tartaris anno 1237 interfecti, ut legere est ad 27 novembris. Præterea colitur a Smolenscensibus hæc imago ad 5 novembris, in memoriam patriæ a Gallorum invasione anno 1812 liberatæ.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Gloria B. M. V., p. III, sect. I, p. 85. 3) Menol. Verš. ad h. d.

B. Mariæ V. Grebnevensis imaginis festum.

Imaginem hanc, multis miraculis claram, obtulerant olim Grebneviæ urbis incolæ Demetrio Tanaico, post celeberrimam pugnam, quam cum Mamajo anno 1380 gloriose inierat, Mosquam redeunti. Accepit donum Demetrius, et in cathedrali Mosquensi templo collocari jussit, ubi singulis annis eam colunt Mosquenses ad præsentem diem.

Cfr 1) Gloria B. M. V., p. III, sect. II, pag. 58. 2) Menol. Verš. ad h. d.

DIES XXIX.

Ex Ostromirano. Memoria sancti martyris Callinici (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Novg. Chil. Og. Men. Kal. Hor. Prol. cum Bas. CP. Vind. Sirm. Dom. Maz. GP. Pg. Flor. Mg.*).

Ex variis. S. Theodotiæ, mart. et trium liberorum ejus (*Men. Kal. Hor. Prol. cum Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Seraphiæ, virg. et mart. (*Men. Kal.*). S. Michaelis (*Kal. Hor.*). S. Theodori (*Par.*).

† Joannis Ducis (*Mg. Maz.*). † Benjamini et Berii seu Verii (*Mg.*). † Artemæ, ap. (*Chifl. Maz.*).

† Constantini,

DIES XXX ET XXXI JULII.

† Constantini, patr. CP. (*Maz. Mg.*). † Eustathii, mart. (*Chiffl. Sirm.*). † MM. Mamantis et Basilisci (*Mg.*). † Quatuor MM. patris, matris ac duorum filiorum (*Maz.*). † Theodosii Junioris, imper. (*Mg.*). † Encæniorum S. Deiparæ in Promoto (*Sirm. Chiffl.*). † Joannis, archiep. Chalcedonis (*Bas.*). † Felicis, papæ, et Simplicii (*Neap.*).

OBSERVANDA.

S. Callicinus. De sancto Callinico, martyre, Bollandiani agunt ad præsentem diem, pag. 39. In Mst. additur : *qui Agræ* pro *Gangræ*. Synaxis ejus peragitur juxta

S. Theodotia. Justinianum Gephyrum, et juxta Petrium. — Paris. legit : S. *Theodori*, fortasse pro Theodotiæ. Solet corrupta nomina proferre iste, cæteroquin

S. Seraphia. remotæ ætatis codex. — Idem de S. Seraphia, virgine et martyre, fortasse agebat supra, die XI Julii. Cfr Acta SS., pag. 38. — Constantinus refertur etiam die sequenti; at in Ostromirano codice nominatur die IX Aug. primo loco; est Constantinus hujus nominis *primus*. — Vide dicta de Theodosio ad XXXI Julii. — Recole dicta de S. Michaele *in Promoto* ad diem XXVII Octob., quem Cangius ponit ultra sinum CPolitanum, ex Chronico Alexandrino, pag. 187.

Constantinus.

Theodosius, junior.

Encænia Deiparæ.

DIES XXX.

Ostromirianum. Ex variis. VACAT.

S. Joannis, militis (*Mst. Tern. Rum. Siš. Prol. Pp. Kal. Hor. cum Bas. CP. Vind. Med. Taur. Sirm. Chiffl. Maz.*). SS. app. Silæ, Silvani, Crescentis, Epenetis et Andronici (*Par. Tern. Rum. Novg. Hor. Prol. Kal. Chil. Og. Pp. Men. cum Bas. GP. Pg. Flor. Maz. Mg. Typ. Taur. II*). S. Valentini, ep. et mart., et soc. (*Men. Kal.*). S. Angelinæ, reginæ Serbiæ (*Serb.*). S. Polychronii, ep. et mart., et soc. Parmeni, Elimi, Chrysoteli, Lucæ et Mucii, Abdonis et Senne, et discipulorum Olympii et Maximi (*Men. Kal. cum Neap.*). S. Julittæ (*Novg. Hor. Taur. Med. Chiffl. Maz. Mg.*).

† Benjamini et Benii aut Venæi ad Palatia Hebdomi (*Taur.*). † Basilisci Senioris, mart., et Mamantis in Darianis (*Maz. Chiffl. Taur. II, Med.*). † Eudocimi justi (*Flor.*). † Crucis exaltatio (*Med. Taur.*). † Theodosii Junioris (*Taur. II, Med. Sirm. Chiffl.*). † Constantini Junioris, patr. CP. (*Sirm. Taur. I et II, Med.*).

OBSERVANDA.

S. Joannes. In Kalend. Sišatovacensi legitur : *Job*, militis, errore patente. — De Sila et sociis agitur apud

S. Silas. Bollandianos die XIII, probaturque unitas Sili et Silvani, qui perperam in duos dividitur a Græcis

S. Angelina. et Slavis. — S. Angelinam, regiam Serbiæ, inter sanctos Ecclesiæ Serbiæ recenset Pejacevich, consonantibus ejusdem Ecclesiæ Fastis. — SS. Abdon et Senne, Romæ passi duos solos refert Neap, illustrantur hodie in Actis SS., pag. 130 et seq. — S. Julittam Annal. Novg. et Hor. rectius referunt die sequenti. — S. Eudocimus in alio Flor., n. 24, refertur die sequenti, ad quam vide.

SS. Abdon et Senne.

S. Julitta.

S. Eudocimus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Angelina, despota Serviæ. Saverstia Angelina, quam Luccarius Theodoram appellat, filia erat Arianitæ, Comneni, Dyrrachii, Aulonis, Cermenici aliorumque in Dalmatia et Albania oppidorum principis apprime catholici; cui Eugenius papa IV vexillum Ecclesiæ adversus Turcas ferendum commisit. Nupsit S. Stephano Cœco, (anno 1438 ab Amurate oculis orbatus fuerat,) fratri despotæ S. Lazari II Greblanović; qui, Servia in Ecclesiæ Romanæ clientelam transcripta, anno 1458, die 21 januarii, sine prole mascula diem obierat, uxori Helenæ Palæologæ principatum relinquens; quod matrimonium non ante fratris mortem celebravit. Inde mansit pia femina in Albania cum marito, qui paternam illic hæreditatem habebat, donec, Turcarum premente potentia, in Sirmienses partes migrare coacti fuerint sedemque figere in Kupinik ad Savum, ubi anno 1477 vir ejus pie obiit. Mortua ibidem etiam est S. Angelina, et simul cum S. Stephano sepulta in templo cœnobiali S. Lucæ, eisque deinde additi ambo sancti eorum filii Georgius, qui et Maximus monachus, et Joannes. Verum quaterna corpora postea translata sunt in Krušedol, ubi adhuc integra servantur : quæ integritas, apud Latinos signum maxime dubium, apud Orientales certissimum sanctimoniæ indicium est. Colit Ecclesia Serviana S. Angelinam die 30 Julii, et (ut id in memoriam revocem aut partim præmoneam) S. Stephanum martyrem seu Cœcum 11 Octobris, S. Joannem 10 Decembris et S. Georgium seu Maximum 18 Januarii : ad quas dies plura de eis vide.

Cfr 1) Pejacsevich, Historiæ Serviæ, p. 370, 371, 439. 2) Raič, Historiæ tom. III, p. 260.

DIES XXXI.

Ex Ostromirano. MEMORIA BEATI EUDOCIMI (*Mst. Tern. Par. Rum. Chil. Og. Men. Vat. Prol. Hor. Kal. cum Bas. GP. Pg. Vind. Msq. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). MEMORIA THEODOSII, IMPERATORIS. ET CONSECRATIO ECCLESIÆ S. DEIPARÆ (*Assem. cum Mg.*). EODEM DIE ADORATIO VENERANDI LIGNI (*Og. Pp. Kal. cum CP. Goth. Msq. Vind.*).

Ex variis. S. Julittæ, mart. (*Mst. Tern. Rum. Siš. Og. Men. Prol. Kal. cum Bas.*).

† Duodecim martyrum Romæ (*Maz. Chiffl.*). † Germani Antissiodor. (*Neap.*). † Tychici, apostoli (*Maz. Chiffl.*). † Trophimi, apostoli (*Maz. Chiffl.*). † Josephi ab Arimathea (*Chiffl. Maz.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA. DIES PRIMUS AUGUSTI.

S. Eudocimus. S. Eudocimus, cognomento Junior, quem *Edecimum* corrupte vocat Ostromir., hoc die juvenis obiisse dicitur in Menæis excusis; at cur *Junior* dicatur, cum alium Eudocimum ignorent Græci et qui eos sequuntur Slavi, non assequor. Die Julii sexta celebratur translatio ejus corporis Byzantium. Cfr. Acta SS. Jul., VII, pag. 308. — In nullo codice aut synaxario Slavico inveni nomen Theodosii, imperatoris, quod in Græcis Fastis hodie jam tertio occurrit, et relatum est die præcedenti. Nempe agitur de Theodosio Juniore. De quo Bollandiani, inter prætermissos ad diem Julii XXX agentes, sequentia adnotarunt : *Quandoquidem*, aiunt, *imperator iste tam hesterno* (id est XXIX) *quam hodierno die tanquam* pius, *non autem tanquam* beatus, *nedum* sanctus *apud Græcos memoratur; neque scitur aliunde, quod apud eos solemni, publico, legitimove aut sufficiente saltem cultu honoratus unquam fuerit, absit, ut eumdem nos ipsi attribuere ausimus, donec nobis de illo sufficienter constiterit.* Recolet velim lector, quæ occasione aliorum augustorum observavit in Kalendario suo CPolitano Morcellius (t. I, pag. 227 et 228). — *Dedicatio ædis Blachernis, ubi adservatur cingulum B. Virginis.* Ita expresse habetur in Menæis Græcorum typo editis. Nimis nota est ecclesia in Blachernis, quam ut ei illustrandæ fas sit immorare. — De S. Julitta, martyre Cesareæ in Cappadocia, solidam, pro more, tractationem instituunt Bollandiani socii in Actis SS. ad diem præcedentem, pag. 141 et seq. In cod. Mst. annuntiatur ejus *passio;* at in Ostr. et Rum. signatur tantummodo *memoria.*

Theodosius, imperator.

Dedicatio B.M. in Blachernis.

S. Julitta.

MENSIS AUGUSTUS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. MEMORIA SS. MACHABÆORUM (*Ita omnes cum Bas. CP. Neap. GP. Vind. Med. Pg. Goth. Flor. Sirm. Maz. Mg.*).

Ex variis. SS. Eleazari, Solomoniæ et septem puerorum (*Mst. Kal. Prol. cum Taur. Mg.*). SS. MM. novem, Leontii, Attii, Alexandri, Cyndei, Mnesithei, Cyriaci, Mineonis, Catuni et Euclei (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Sirl. Chiffl.*). Processio vivificæ Crucis Dominicæ (*Prol. Verš. Novg. Kal.*). Festum misericordissimi Salvatoris nostri Christi et S. Deiparæ Mariæ (*Men. Verš. Kal.*).

† Timothei, ep. Proconnesi et thaum. (*Mg.*). † Felicitatis, mart. (*Neap.*). † MM. Cyrici, Theodori, Polyeucti et Eleazari (*Mg. Maz. Taur. I et II, Dom. Chiffl. Sirm.*). † Menæ, Menæi et alior. (*Mg. Chiffl.*). † Papæ Junioris (*Mg. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

SS. Machabæi. In Mst. Tern. Rum. et Prologo plenius annuntiantur ita : *Passio SS. MM. Machabæorum, Eleazari, Solomoniæ et septem puerorum ejus.* Horum nomina quæ, utpote pro arbitrio excogitata, Menæorum editor consulto omiserat, referuntur in cod. Ternobiensi, in Prologo et in Horologio. Sunt autem hæc : Abibus, (in Prologo Abienus) Antoninus, Gurius, Eleazar, Eusebon, Alimus (in Prologo Samonas) et Marcellus. Passio seu, quod ad idem redit, certamen notatur quoque in Menol. Basilii imperatoris. Machabæorum ædem in Sycæno oppido stetisse Heraclii temporibus testatur Chronicon Alexandrinum; hymnos conscripserunt SS. Joannes Damascenus et Cosmas Maiumensis. —

SS. Leontius et soc. Ex martyribus Pergæ duo tantummodo nominantur in Basiliano Menologio, Leontius et Alexander.

S. Menas. — Præterea, in Menæis Græcis excusis nominantur hodie SS. Cyricus, Mena et Menæus, fortasse non distincti a SS. Cyriaco, Mineone at Mnesitheo, sociis S. Leontii. In Menæis modo laudatis Menas et Menæus dicuntur celebrari in æde æneo Tetrapylo vicina, in Viglentio.—Quos nos cum S. Cyrico damus, eos seorsim unumquemque referunt Menæa Græca excusa. Eleazarum addidi ex Taur. II; ibidem loco Theodori legitur Theodosius. — In marmore Neap., a card. Maï vulgato, legitur : SCE. FELI. — Nomine Processionis Crucis intelligebatur olimegressio illa Crucis a palatio imperatoris CPolitano et accessus ad magnam ecclesiam S. Sophiæ, unde per totam urbem circumferebatur ad sedandos morbos qui hoc mense quam aliis erant frequentiores. Fiebat ab ultima Julii ad decimam quintam Augusti. Erat CPoli alius mos benedicendi aquam in ecclesia palatii Kalendis cujusque mensis, excepto Januario (tunc enim fiebat die sexta) et Septembri, quo peragebatur die decima quarta. Hinc initium sumpsit festivitas venerandæ Crucis et solemnis benedictio fontium aquarum, Kalendis Augusti peragenda. Processionis festum institutum est in Ecclesia Russica non ante sæculum duodecimum, nempe regnante Andrea Bogolubensi. Cæterum in Menol. Basilii neutrum indicatur nec ad hanc diem, nec ad ultimam Julii. — S. Timotheum, episcopum Proconnesi, inscriptum invenio in editione Menæorum Græcorum recentiore, Venetiis anno 1843 facta, accedente brevi synaxario, quod in veteri editione desiderabatur. Depromptum est ex cod. ms. quo continebatur officium seu, ut cum Græcis loquar, Acoluthia sancti, auctore Nicolao Chiliodromo, et Vita ejusdem, incerto auctore, quam vulgari sermone donavit Arsenius monachus atque simul cum Officio Galatæ typis excusit anno 1785. Quod encomium, quum ferme sit ignotum, in lectoris commodum latine huc referre juvat: *Floruit igitur Timotheus circa medium sæculi sexti, imperantibus Justino Thrace et Justiniano Magno, fuitque virtutibus omnimodis ornatus; quapropter constitutus est episcopus*

S. Cyricus.

S. Felicitas.

Processio vivificæ Crucis.

S. Timotheus, ep. et thaum.

Dies II Augusti.

scopus Proconnesi, olim Elaphonnesi, nunc vero Marmaræ vulgo nuncupati. In insulam profectus, quum invenisset incolas piratarum more degentes, omnem curam apposuit, ut ad meliores sensus eos adduceret, quod brevi obtinuit. Postquam autem gregem sibi concreditum optime pavisset, vitamque ascetarum more degisset, quin etiam calumnias patienter tolerasset, atque Justiniani filiam a dæmonio vexatam, sola presentia sua, sanasset, quievit in Domino, Kalendis Augusti. In cujus honorem Theodora Augusta, sanatæ filiæ mater, excitavit monasterium in eodem prædio, ubi sanatio facta est; inventæ sunt quoque sancti antistitis reliquiæ et aquæ salutiferæ in loco paulo superiore. Situm est prædium istud in parte superiore insulæ versus orientem, supra oppidum Proconnesum, nunc vulgo Clazacium dictum et ex viginti domunculis tantummodo constans. Licet autem monasterium et ecclesia pene collapsa sint, quotannis tamen conveniunt eodem indigenæ, festivum sancti commemorationem celebraturi.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Salvatoris et Mariæ festum.

Misericordissimi Salvatoris ejusque purissimæ matris Mariæ festum institutum est anno 1164, regnantibus Andrea Bogolubscio in Russia, in Græcia vero Manuele. Acciderat enim ut uterque hac die illoque anno castra moverent, hic contra Saracenos, contra Bulgaros Volgenses Andreas, et ut uterque victor evasisset; rei felicem successum superno auxilio tribuentes, eo quod, dum coram vivifica cruce et imagine B. Mariæ V. gratiarum actiones pro reportata victoria agerentur, uterque vidisset exercitum suum fulgentissimis radiis ex imagine resplendentem. Solebat nimirum Andreas præliaturus B. Virginis iconem secum in castris ferre. Hac vero die, antequam pugnam iniret, cum omni exercitu coram imagine Vladimiriensi genu flexit, B. Deiparæ ejusque Filii promptum auxilium implorans. Re sibi invicem communicata, communi consensu statuerunt Andreas et Manuel, ut Kalendis Augusti peculiari celebritate coleretur misericordissimus Salvator ejusque mater purissima, simul et imago B. Virginis Vladimiriensis una cum cruce vivifica fidelium venerationi exponeretur, addita insuper solemni crucis processione. Unde duo hic distinguenda occurrunt: alterum est festum clementissimi Jesu ejusque matris Mariæ, anno 1164 institutum, alterum processio crucis vivificæ, longe antiquior. Apud vulgus præsens dies audire solet primus dies Salvatoris (Spasa); sicuti festum Transfigurationis secundus; et festum imaginis Christi non manufactæ tertius.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Lib. Gradual., I, p. 539. 3) Annal. I, 151; cod. Nicon. II, 159. 4) Gloria B. M. V., p. III, sect. I, p. 35.

DIES II.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria SS. septem puerorum Ephesi (*cum CP. Flor. Taur. II*).

Translatio reliquiarum S. Stephani, protomartyris (*Mst. Tern. Par. Rum. Prol. Novg. Chil. Og. Men. Kal. cum Bas. GP. Flor. Msq. Sirm. Dom. Maz. Vind. Mg.*). S. Stephani, papæ rom. et mart., et soc. (*Prol. Ternob. Kal. cum Bas. Neap. Med. Sirl. Sirm.*). Basilii Sali, Mosquensis (*Prol. Pp. Menol. Kal.*).

† MM. Dadæ, Maximi et Quintilliani (*Bas. Sirm. Mg.*). † Phocæ, mart. (*Sirm. Taur. II, Mg.*). † Justiniani, imperatoris (*Mg. Sirm. Taur. I et II*). † Dedicatio ecclesiæ Joannis Theologi prope Magnam Ecclesiam (*Taur. I et II*).

OBSERVANDA.

Septem pueri Ephesi.

Lectio cod. Ostromirani convenit cum Kal. CPolitano Morcellii, in quo præter morem, sanctorum septem martyrum Ephesinorum memoria celebratur hoc die, dum vulgo celebrari solet die 4 Augusti, aut etiam 22 vel 23 Octobris. In Menologio et Prologo Mosquensi vulgare illud de somnio per plura sæcula protracto commentum regeri, per se intelligitur. In Ostr. de somnio nihil. In CPol. diserte habetur *passio* SS. septem puerorum. —

S. Stephani translatio.

S. Stephani, protomartyris, translatio reliquiarum (puta Hierosolymis CPolim) expresse indicatur in Bas., Msq., Vind., Coisliniano et in Menæis Græcorum excusis. In Menol. Mosquensi regeruntur putidissimæ fabulæ, quas jam exploderat Assemanus, Kal. VI. p. 512. —

S. Stephanus, papa.

Hodie S. Stephanum, pontif. romanum, occubuisse pro fide Christi colligi posset quidem ex nota *certaminis* seu passionis, quam præfert in Menol. Basilii, at in aliis codicibus eadem affigitur diei 30 Augusti; in Neap. hodie legitur tantummodo Natale S. Stephani. —

S. Phocas.

In Menæis Græcis excusis S. Phocas nominatur simul cum Dedicatione ecclesiæ S. Joannis Theologi, id est Evangelistæ, prope magnam ecclesiam CPoli, et Justiniano, cujus mentio jam tertio, ni fallor, recurrit in synaxariis Græcis. —

SS. Dada et soc.

Post nomina S. Dadæ et sociorum in Menologio Basilii additur: *Inventio reliquiarum.* In Menæis excusis signatur sola inventio reliquiarum. —

Basilius Salus.

Quærit Assemanus, an Basilius Salus sit idem ac *Isidorus propter Christum stultus*, de quo Kulčinski, et nos ad 14 Maii. Respondebunt Memoriæ Slavicæ. —

Justinianus, imperator.

Legantur quæ de cultu Justiniani imperatoris disserit Morcellius, Kalendarii CPolitani tom. I, pag. 226; ubi et de Theodora Augusta. Recolantur insuper quæ observata sunt a nobis occasione Theodosii imperatoris, ad XXXI diem Julii. —

Encænia ædis S. Joan. Evangelistæ.

S. Joanni Evangelistæ seu Theologi plures ædes CPoli fuisse dicatas, constat ex Cangio. Quæ ad Horologium sita erat, eadem est ac hodierna, quam magnæ ecclesiæ seu templo Sophiano proximam fuisse dicunt Menæa. In ea servabantur corpora SS. Tryphonis, Eustratii, Auxentii, Orestis, Eugenii et Antipæ. An autem diversa sit ab ea quæ stetit in Milio, dubitatur.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Basilius, salus Mosquensis.

Floruit Basilius tempore Joannis IV, cognomento Minacis, Macario metropolita Ecclesiam Mosquensem gubernante. Anno ætatis decimo sexto, relictis parentibus, Jacobo et Anna, quorum

quorum precibus a Deo fuerat obtentus, spretisque mundi vanitatibus, stultus pro Christo fieri constituit. Igitur, ad exemplum Domini Nostri ac Salvatoris, ubi caput reclinaret non habens, in plateis et ad ecclesiarum limina somnum capiebat. Famem et sitim, frigus et æstus constantissimo animo ferebat, fere nudus semper. Hominum frequentiam fugere solitus, Dei consuetudine jugiter fruebatur; at quo magis solitudinem quærebat, eo instantius ab hominibus desiderabatur, quin et ipsi Joanni IV, tunc adhuc laudabiliter regnanti, erat venerationi. Quadam autem die, quum mirabantur turbæ Basilium ante ecclesiam Exaltatæ Crucis stantem et in lacrymas effusum, rationem fletus manifestavit dies proxime sequens, qua ingens incendium magnam urbis partem terribiliter devastavit. Tandem morbo correptus Basilius ex hac vita migravit anno 1552, ætatis octogesimo octavo, die 2 augusti, et summo honore terræ traditus est in loco, ubi deinceps splendidissimum templum sub titulo Patrocinii B. Mariæ excitatum est. Mox, anno scilicet 1588, ob miracula (ut volunt) ad tumulum ejus patrata, publico cultu honorari cœpit, instante Theodoro rege, Joannis IV filio et successore; cui futurum regnum prædixerat Basilius, dum adhuc inter vivos versaretur Joannes, Theodori frater natu major.

Dies III Augusti.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., p. 59. 3) Phil., Hist. Eccl. Russ., III, 170.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Dalmati, Isaacii et Fausti (*Mst. Tern. et reliqui cum Bas. GP. Pg. Vind. Goth. Msq. Flor. Clar. Dom. Mg. Maz.*). S. Cosmæ, eremitæ (*Men. Kal. Prol.*). S. Antonii Romani, Novgorodiæ (*Prol. Men. Pp. Kal.*).

† Theodoræ, mart. Myroblitidis (*Lind.*). † Salomes, unguentiferæ (*Mg.*). † Theocleto (*Mg.*). † Joannis, conf., heg. monasterii Patelaræ (*Sirm. Mg.*). † Aspreni, ep. Neap. (*Neap.*). † Stephani, papæ et mart. (*Mg. Chifft.*). † Quarti, ap. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Dalmatus. Dalmatus in Par. perperam dicitur *Almatus*. In Goth. et Msq., quæ plerumque inter se conveniunt, referuntur Dalmatus et Faustus, omisso Isaacio. Hic seorsim iterum commemoratur ad 30 Maii. Hegumeni successive fuerunt monasterii Dalmati, omnium quæ CPoli exstiterunt celeberrimi et antiquissimi; de quo fuse agit Cangius in sua Constantinopoli christiana, lib. IV, pag. 155, ed. regiæ. — *S. Theodora.* Theodoram eamdem esse asserunt Bollandiani ac S. Theodoram viduam Thessalonicensem, cujus vitam dederunt 5 Aprilis. De S. Theodota et tribus pueris ejus, quæ Cæsareæ in Mauritania martyrium consummarunt, egimus supra, ad 29 Julii. — *S. Joannes.* Joannem, hegumenum Patelaræ, silentio prætereunt fere omnes, ut notatum est post Raderum a Bollandianis in prætermissis ad hanc diem, pag. 179; attamen confessoris titulus sane non qualemcunque nec obscurum sanctum indicat; nec magis obscurum est monasterium Patelaræ, quod memini me alibi etiam offendisse in operis hujus decursu. — De S. Aspreno consulantur, si lubet, Acta SS., pag. 199 et seq. Fuit primus discipulus S. Petri, apostoli, et ep. Neapoli. Recoli hodie ejus obitum argumento est nota *Depositionis* in lapide Neapolitano nomini ejus præmissa, et fuse probat Sabbatinus. — *S. Aspren.* Romani cognomen sortitus est Antonius, quod ex Italiæ finibus oriundus esse perhibetur, quibus relictis Novgorodiam profectus fuerit ibique residuum vitæ suæ degerit. De quo in Menologio Mosquensi, apud Muravievium aliosque auctores indigenas plura traduntur asystata et fictitia, uti quando narrant, Antonium Roma Novgorodiam transfretasse, non navi, ut inter cæteros mortales usu venit, sed magno lapide usum; aut piscatores Novgorodenses ex fluvio Volchovo dolium extraxisse, quod ille simul cum sacra supellectili ibidem deposito maris undis commisisset, Italiam relicturus, et alia hujusmodi commenta, quæ nos a *Memoriis Slavicis* amandanda esse duximus. Siqui tamen has fabulas ament, adeant Muravievium.

Antonius Romanus, Novgorodiæ.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Antonius, romanus. Antonius, claris natalibus in Italia ortus anno 1067, et litteris mature imbutus, cum annum undevigesimum attigisset, monasticam vitam in quadam eremo amplexus est, ibique viginti annorum spatio humilem obedientiam præstitit. Deinde, fratribus hæreticorum persecutionem fugientibus, in specum mari imminentem secessit, diu noctuque orationi et jejuniis quatuordecim menses vacans. Quibus peractis, mari se dedit et Novgorodiam mirabiliter appulit anno 1106. Ibi sede sua non longe ab arca ad fluvium Volhovum fixa, et benedictione a S. Niceta, episcopo accepta, ecclesiam Nativitatis B. Mariæ V. posuit, et monasterio auxit; cui ipsemet præfuit ab anno 1131. Tandem laboribus fractus, ad cælestem patriam evolavit anno 1147, die 3 augusti, qua per totam Russiam colitur. Id monasterium usque in præsens exstat, ejus nomine ornatum; sacræ autem exuviæ inventæ sunt anno 1597, die 3 julii. Qua occasione, antiquam beati viri Vitam, ab Andrea, alumno ejus et in hegumenatu successore ab anno 1147 ad annum 1157, conscriptam, recentior biographus, Niphon nomine, nobis tradidit, sed nonnihil, ut notavi supra, immutatam et fabulis conspersam. Demum die 3 augusti anni 1747, qua sexcentesima anniversaria ejus mortis memoria recolebatur, curavit imperatrix Elisabetha Petrowna loculo cupressino, laminis argenteis tecto, ejus reliquias summa solemnitate recondi. Colitur præterea Antonius Romanus die 17 Januarii et feria sexta post 29 Junii; sed tantum Novgorodiæ.

Cfr 1) Vita S. Antonii Rom., auct. Andrea, in Pravosl. Sobes, an. 1858, mens. Maii et Junii. 2) Prolog. Menæa et Menolog. Verš. ad h. d. 3) Dict. hag., p. 52. 4) Hist. hier. Russ., III, p. 105-258. 5) Macar., Hist. Eccl. Russ., t. II, p. 72; III, p. 170. 6) Theiner, Die neuesten Zustände der katholischen Kirche in Polen und Russland, p. 30 et 31.

DIES IV ET V AUGUSTI.

DIES IV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Eleutherii, mart. (*Mart. Rum Siš. Prol. Kal. cum Bas. Med. Taur. Maz. Mg. Sirm.*). SS. septem puerorum Ephesi (*Chil. Og. Prol. Men. Kal. cum Pg. Maz. Mg.*). S. Eudociæ mart. (*Tern. Par. Kal. Prol. cum GP. Vind. Msq. Flor. Chiffl. Mg. Med. Taur. Sirm.*). S. Irenes, mart. (*Par.*). Inventio corporis Petri, metrop. Kioviensis (*Pp.*). [Cosmæ, presb. et mon. (*Ath.*).] S. Iæ, mart. et soc. (*Menol. Verš. cum Bas. Chiffl. Taur. Med. Sirm.*).

† Patrum synodi Ephesinæ (*Neap. Taur. I et II, Dom.*). † Tuthaelis, mart (*Mg. Dom.*). † MM. Pamphili et Capitonis (*Dom. Sirl. Mg.*). † Joannis, mon. (*Dom. Taur. I et II*). † Joannis Novi, ep. Ephesini (*Dom. Taur. I et II*). † Phosterii (*Dom. Taur. II*). † Dedicatio ecclesiæ S. Procopii (*Sirm.*). † Memoria S. Mariæ Magdalenæ (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Eleutherius.

Recentiora kalendaria referunt hodie passim septem pueros qui Ephesi passi sunt; at in antiquioribus, ut Mst. Rum., nominatur solus Eleutherius martyr, præmissa nota passionis, qua hoc die certasse significatur, et tacitis Septem pueris Ephesinis. Ita etiam Menologium Basilii. Iterum commemoratur ad diem 15 Dec. in Prologo. —

Septem pueri Ephesi.

Septem puerorum qui Ephesi dormierunt, Maximiliani, Exacustodiani, Jamblichi, Martiniani, Dionysii, Joannis et Antonini, memoria iterum agitur 22 et 23 Octobris. Lectu digna sunt ea, quæ de his martyribus scripserunt Bollandiani ad hunc diem, et breviter Morcellius, qui totam historiam de eorum somno post sæculum septimum confictam esse statuit, et græcis primum litteris consignatam; a quibus dein in Slavorum quoque libros liturgicos, qualis nunc legitur, ut tot alia figmenta, manavit. —

S. Ia seu Eudocia.

S. Eudociam refert hodie Menolog. Mosquense, at sine ullo synaxario. In Menol. vero Basilii consignatur S. Ia. Jamvero S. Eudociam non esse diversam a S. Ia, post probatissimos auctores observavimus ad diem 1 Martii. Agi memoriam translationis ejus reliquiarum, testantur Menæa; verum in Menologio Basilii signatur *passio*. —

S. Tathuel.

Tathuel seu Phaphuel, in mala arbore suspensus, refertur iterum in quibusdam codd. mss. die sequenti cum S. Christina. Videtur autem esse idem ac S. martyr homonymus, quem Menæa Græca et Slavonica exhibent die 4 Septembris una cum S. Charitina. Sequenti die annuntiantur ita : *Passio SS. Tathuelis et Christinæ, prope Palatium.* —

S. Joannes uterque.

S. Joannes, monachus, procul dubio est ille hegumenus monasterii Patelaræ et confessor, quem nominavimus die proxime prætergresso. In Menæis mss. olim PP. Prædicatorum commemoratur cum alio Joanne, cognomento Juniore, his verbis : *Memoria SS. Patrum nostrorum et archiepiscoporum, qui fuerunt Ephesi, Joannis monachi et Joannis Junioris.* — Inventio Petri celebrari solet 24 hujus; unde huc errore transposita esse videtur. —

S. Petrus, metr. Kiovien-sis. Cosmas.

In Paterico Montis Atho, t. II, pag. 196 et seq., fit commemoratio Cosmæ, *hieromartyris et apostolorum æqualis*. Apostolicis viris æquiparatus est, quod in prædicanda doctrina christiana magnam vitæ suæ partem consumpsit, pluresque regiones perlustravit docendo, puta Thessaliam, Acarnaniam, Ætoliam, Cephaloniam, Albaniam, Deo, ut fertur, prodigiis et signis verba ejus confirmante. Peragrabat autem non solus, sed cum 40 aut 50 aliis sacerdotibus qui eum sequebantur ubique. Hieromartyr vocatur quia sacerdotali dignitate fuit ornatus, et peremptus a Turcis, aut potius a Judæis, qui eum falsi criminis insimulaverant, quasi nempe, prætextu concionum, populum commoveret et Russorum partes secreto ageret. Obiit Livantiæ, anno 1779, ætatis 55, patibulo suspensus. Oriundus erat e vico quodam Ætoliæ, *Magna arbore* dicto, et aliquandiu in monasteriis Athonicis Vatopedii et Philothei commoratus, ubi et litteris excultus fuit et sacerdotio auctus. Sepulturam accepit in monasterio B. M. Argevussensis, prope vicum Colicontasi in Albania. Solebat ille, catholicorum more, rosaria, cruces, libellos pios aliasque id generis illecebras fidelibus distribuere; quorum conscientias, antequam ad aliam civitatem pergeret, homologesi purgabat.

DIES V.

Ex Ostromirano. Ex variis.

MEMORIA SANCTÆ IÆ, MARTYRIS (*cum CPolitano*).

S. Eusygnii, mart. (*Mst. Tern. et reliqui cum Bas. Neap. GP. Vind. Goth. Msq. Pg. Flor. Clar. Maz. Mg.*). SS. MM. Candidii et Candidiani (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). S. Sibeli, mart., in Ægypto (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). S. Nonnæ, matris S. Gregorii Nazianzeni (*Men Kal. Prol. cum Mg.*). S. Fabii, papæ Rom. et mart. (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). S. Pontii, Romani, mart. (*Men. Kal.*). S. Irenæi, mr. (*Poss.*). S. Antheri (*Kal.*).

† Thuthael et Christinæ (*Dom. Taur. I et II*). † Theodosii, abb. Oroborum (*Dom.*). † Dedicatio S. Procopii prope Chelonam (*Taur. I et II*).

OBSERVANDA.

S. Ia, martyr.

Nomen sanctæ Iæ, hodiernis kalendariis ignotum esse asseverat auctor commentariorum in Kalendarium Evangelii Ostromirani. Miror virum alioquin non ineruditum talia potuisse asserere, quum in Prologo Mosquensi non tantum sancta Ia nominetur, ad undecimam Septembris, sed etiam brevi ornetur encomio; imo hac eadem die 5 Augusti laudatur in Menæis Græcis excusis. Cæterum perperam distingui a S. Eudocia, quod nomen Græcum idem omnino sonat ac Chaldaicum Ia, manifestum faciunt synaxaria quæ, sub utroque nomine proferri solent in Menæis Slavicis aut Græcis; utrobique enim refertur eadem rerum gestarum series, idem martyrii genus, tempus et locus. Jamvero passa est S. Ia sub Sapore, rege, anno 362, cum 9000 aliis, quorum pars aliqua laudatur in Menæis et Kalendariis ad 9 Aprilis et ad 15 aut 16 Maii. Cfr Assemanus, Acta

Dies VI et VII Augusti.

S. Candidianus et Sibelus. *S. Fabius.* *S. Pontianus.* Acta Martyr. Oriental., t. I, a pag. 131, Acta SS., Augusti, t. I, pag. 328, Morcellius, II, pag. 187. — SS. Candidianus et Sibel martyrium consummarunt in Ægypto. De utroque videsis Acta SS., pag. 72. In Menæis excusis et Prologo vocantur Cattidius, Cattidianus et Sobelus. — S. Fabii memoriam recolunt Latini, die 20 Januarii; insuper non Fabium nominant, sed Fabianum. In cujus Vita quia de Pontio fit sermo, hujus quoque laudes et gesta enarrat hodie Menol. Mosquense. — Porro S. Pontianum, mart. Romæ, Act. SS. exhibent XXV Augusti; et alium, item martyrem, X Augusti. — Displicet Papebrochio Irinæus, quem reperit apud Possevinum; et quidem valde suspicor corruptum nomen esse S. Irenes, quam codex Parisinus I nominat die præcedenti, quamque Augustam fuisse diserte indicat auctor Menologii Basiliani ad diem sequentem. — In Menæis mss. Combefisii de S. Theodosio legitur: ὁσίου (lege Θεοδοσίου) Orob præpositi. Idem, ad diem 8, vocatur hegumenus Oromorum diciturque degisse in silvis et antris.

S. Irenæus. *S. Theodosius.*

DIES VI.

Ex Ostromirano. TRANSFIGURATIO D. N. JESU CHRISTI (*Omnes*).

OBSERVANDA.

Transfiguratio D. N. Solemne est festum Transfigurationis Salvatoris nostri apud Ruthenos æque ac apud Græcos, utpote quod inter *duodecim majora* festa recensetur. Apud vulgus nuncupari solet *secundus dies Salvatoris*, uti Kalendæ Augusti vocantur primus; festum vero imaginis acheropitæ tertius. A Græcis porro celebratur per octo dies integros, accedente profesto; in eo fit benedictio fructuum. In officio diei duplex exstat canon, auctoribus Cosma et Joanne. Famosa est inter Græcos quæstio de lumine Thaborico; de qua quæstione deque erroribus infamis Gregorii Palamæ adeatur Allatius, de Consensu, lib. II, cap. 16, a num. 4. In Menologio Mosq. animadvertitur in quemdam Cyrillum Tranquillionem, qui docebat Christum Dominum transfiguratum fuisse feria tertia magnæ hebdomadis, additurque id evenisse multo tempore antea, sexta die Augusti, ante auroram matutinam.

DIES VII.

Ex Ostromirano. Ex variis. MEMORIA LIBERATIONIS A BARBARIS (*cum CP. Bas. Msq.*).

S. Dometii seu Dementii, mart. et soc. (*Mst. Rum. cum Bas. GP. Pg. Msq. Vind. Sirm. Chiffl. Dom. Maz. Mg.*). S. Pimeni, patientis (*Menol. Pp. Kal.*). S. Ori, monachi et eremitæ in Ægypto (*Men. Kal. Prol. cum Mg. Chiffl.*). S. Marini, militis et mart. (*Men. Kal.*). S. Asterii, thaum. et mart. (*Men. Kal. Prol. cum Chiffl.*). S. Potamii, thaum. (*Prol. cum Mg. Chiffl.*). S. Pulcheriæ Augustæ (*Horol. Kiov. et Leop. cum Bas. Chiffl. Sirm.*). [Dometii, mon. Athonitæ (*Ath.*).]

† Irenes Augustæ (*Bas. Sirm. Chiffl.*). † Decem millia monachorum in Thebaide (*Chiffl. Mg.*). † Narcissi, patr. Hieros. (*Mg. Chiffl.*). † Sozontis, mr. (*Mg. Chiffl.*). † Hyperechii, mart. (*Mg. Chiffl.*).

OBSERVANDA.

Memoria liberationis a barbaris. Lectio cod. Ostromirani, prout in exemplari excuso jacet, nimis insulsa est, quam ut in titulo prodire meruerit. Sic enim habet: *Memoria sanctæ Barbaræ in Vlachernis*, nempe amanuensis *Avaros* aut potius *barbaros* quos in cod. Græco legerat cum sancta Barbara miscuit. Liberata fuit urbs ab Avaris et Persis sub Heraclio, anno 626. In Menol. Basilii fit commemoratio liberationis a Persis et Avaris; in CPol. Morcellii a solis Avaris; in Sirmund. ab Agarenis; alibi: εἰς ἐπελευσιν βαρβάρων. — *S. Dometius.* Dometius in cod. Ternobiensi vocatur Dometianus: item in GP. et Vindob. Lapidatus est cum duobus discipulis sub Juliano apostata. In marmore Neapolitano agitur de ejus depositione. In recentioribus Synaxariis Græco-Slavicis, ponitur passim primo loco, mirantibus Bollandianis. — *S. Marinus.* *Senis* cognomento donatur S. Marinus in quibusdam synaxariis, ut Sirm., Maz., Taurinensi et in Basiliano ad diem proxime sequentem. Ad eamdem martyrium ejus illustratur in Actis SS., pag. 347. — *S. Asterius.* Asterius, senator, capite plexus, signatur hodie in Synaxariis Slavicis una cum S. Marino Anazarba, cum quo colitur; et apud Latinos III Martii, ut est videre in Actis Sanctorum, pag. 224. — S. Pulcheriam referunt hodie Kalendaria Kioviensia, Leopolitana et Horologium Počajovense; at Menologus Mosquensis de ea tractat ad 10 Septembris. Ad hæc in pluribus codd. Græcis jungitur cum S. Irene etiam augusta. — Omnino referendum esse ducimus sequens Bollandiani auctoris dilemma de isto Oro seu Horo, pag. 182, lit. E: *Hic si sit idem cum famoso Or seu Hor, de quo Ruffinus in Vitis Patrum, l. 2, c. 2, sanctis eum accensere non ausim; si alium Orum hic intelligendum velis, cultum ejus publicum proba.* Recolantur quæ dicta sunt supra, ad XVII Junii. S. Ori meminit Theodorus Studita in Triodio quadragesimali, sabbato Tyrophagi, ode septima. — Pauca admodum innotuerunt de Dometio, quem hodie commemorat auctor Paterici Montis Atho, tom. II, pag. 101, secutus *Acoluthiam Patrum Hagioritarum*. Dicitur nempe angelicam vitam duxisse in finibus monasterii Philothei, unde ei cognomen mansit, atque per totum triennium synascetam habuisse Damianum; de quo nos egimus ad 23 Februarii. Floruit itaque sæculo decimo sexto, utpote quo Damianus a Turcis peremptus est. Ad præsentem vero diem relatum esse puto propter sanctum martyrem sibi cognominem.

S. Pulcheria. *S. Orus.* *Dometius Athonites.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Pœmenus, mon. Cryptensis. A pueritia, licet corpore valde debilis, animo tamen et confidentia in Deum fortis, ad solitariam vitam constanter anhelabat Pœmenus. Cum igitur adolevisset, morbo in dies ingravescente, in monasterium a parentibus allatus est: ubi nocte quadam ab angelis tonsuram accepisse

Dies VIII Augusti.

accepisse fertur, atque, annuente Prochoro hegumeno, inter monachos admissus. Fuit autem ei vita monastica perpetua crux; quippe qui viginti annorum spatio gravi morbo laboravit, a quo non nisi in ultimis vitæ annis liberatus est. Tandem meritis dives passionum suarum mercedem recepturus, abiit ad Dominum die 7 augusti, anno 1139, Patientis cognomine passim insignitus.

Cfr 1) Menol. ex Paterico ad h d. 2) Dict. hag.. pag. 150. 3) Menol. Vers. ad h. d.

DIES VIII.

Ex Ostromiriano. Ex variis.

Vacat.

S. Æmiliani Cyzici, confes. (*Mst. Par. Rum. Tern. Novg. Prol. Chil. Og. Men. Kal. cum Bas. GP. Vind. Goth. Msq. Flor. Pg. Dom. Maz. Mg.*). S. Myronis, ep. Cretæ et thaum. (*Rum. Men. Prol. Kal. Bas. Sirm. Maz. Mg.*). S. Theodosii (*Rum. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Taur. I, Sirl. Chiffl.*). [Gregorii Sinaitæ (*Men. Kal.*)]. SS. MM. Eleutherii et Leonidæ (*Men. Kal. cum Sirm. Chiffl. Dom. Mg.*). Festum B. M. V. Tolgensis prope Jaroslaviam (*Men. Kal.*). Gregorii, mon. Cryptensis (*Pat.*). Job, heg. Počajovensis (*Codex Počaj.*).

† Marini Senis, mr. (*Bas. Sirm. Maz. Taur. I*). † Antonini, mr. (*Bas.*). † Donati et Cyriaci, mm. (*Neap.*). † Duorum martyrum ex Tyro (*Chiffl.*). † Decem monachorum Ægyptii (*Mg. Sirl.*). † Dedicatio app. Petri et Pauli in ambitu murorum (*Taur. I*). † Dedicatio S. Joannis evangelistæ in æde B. V. in Marinacis (*Taur. I*).

OBSERVANDA.

S. Æmilianus.

Sancti Æmiliani, qui sub Leone Armeno pro cultu imaginum passus est, mentio fit tum in Actis S. Theophylacti Nicomediensis qui colitur 8 Martii, tum in Vita S. Nicetæ hegumeni Mediciensis: unde generosum illud effatum huc referre placet, quod imperatori iconomacho intrepide impegit : « *Si quæstio*, inquit, *ecclesiastica est, in ecclesia inquiratur. A principio namque quæstiones ecclesiasticæ in ecclesiis, non in palatiis inquiruntur.* » Cfr Menolog. ad 3 Aprilis fol. 11. —

S. Theodosius.

In Rumiantsoviano Prologo S. Theodosius nominatur post SS. episcopos Æmilianum et Myronem, sed seorsim, nam commate separatur, et sine ullo additamento. In Menologio Basilii diserte nuncupatur *Pater noster;* in Menæis Taurinensibus mss. dicitur fuisse hegumenus Oromorum; at in Menæis Græcorum excusis vocatur hegumenus Oroborum, de quo monasterio videsis Acta SS. ad hunc diem, pag. 357; insuper non Theodosii, sed Theodori nomen præfert in eisdem Menæis et apud Sirletum, qui inde forsan sua exscripserat. Unum eumdemque tamen esse non dubites. —

S. Donatus.

Plures sanctos, Donati nomine insignitos, exhibent fasti ecclesiastici tum ad præsentem diem et ad proxime præteritam, tum ad alias. De quonam ex illis agatur in Neapolitano, non constat; Sabbatinius, tom. VIII, p. 52, pro certo habet intelligendum esse episcopum Areti, cujus festum Latini celebrant die septima Augusti.—

S. Cyriacus.

S. Cyriacus, martyr romanus celeberrimus, cum Largo et Smaragdo et aliis signatur et colitur apud Latinos die sequenti, nec videtur distinguendus a nostro. Cfr Acta SS., pag. 327 et seq. et Sabbatinium ad hunc diem, pag. 53. —

Job heg. Počajovensis.

Muraviev, tenuis admodum fidei auctor, in *Vitis Sanctorum* toties a me citatis, refert hodie ex codice quodam monasterii Počajovensis *Vitam beati Jobi, Jelezo cognominati, hegumeni Lauræ Počajovensis.* Verum quum in hoc encomio dicatur obiisse 22 octobris, aliunde autem pateat, præsentem diem non fuisse Jobo emortualem, sed translationis ejus aut elevationis anniversariam, cur hodie lectori proponatur, non assequor. Ad hæc, alia exstat Vita Jobi, fundatoris Scetensis monasterii, quam nuper ex codice quodam eruit Antonius Petrašević, jurisque publici fecit in *Albo* pro anno 1860 Leopoli vulgato. Quæ etsi a Muravieviana in quibusdam discrepat, tamen in eodem argumento versari mihi videtur; multoque majorem fidem quam illa meretur vel eam ob rationem, quod ab auctore coævo exarata sit, quamvis græcanico schismati addicto. In hac autem dicitur Job obiisse, non 22 Octobris, sed 27 Decembris, ad quam idcirco remittere libet. —

Gregorius Sinaita.

Gregorium Sinaitam, de quo non semel mihi fuit sermo, commemoratum reperio ad hunc diem in Menologio Mosquensi et in Kalendariis Kioviensibus; at in Paterico Montis Atho inscriptus est ad 6 Aprilis; in Fastis vero Græcorum refertur ad 27 Novembris, teste Saba in suo Indice bibliothecæ patriarchicæ Mosquensis, pag. 91. Et quidem in Menologio Mosquensi additur sequens encomiolum : *Venerabilis hic Gregorius Sinaita vixit temporibus Michaelis et Andronici Palæologorum, scripsitque volumen collationum asceticarum, de actione et contemplatione, hoc est de vita activa et contemplativa; præterea auctor est hymni* Dignum est, *qui in honorem SS. Trinitatis cani solet die dominica in officio matutino, post canonem. Hic postquam Deo bene serviisset, in senectute bona mortuus est.* Præcepta illa ascetica, centum et quinquaginta capitibus contenta, legere est in libro φλοκαγαθια (slavice Dobrotolubie) dicto, parte prima. Atque hæc brevissime Menologus Mosquensis. Non ita auctor Paterici Montis Atho, qui prolixam texuit de Gregorio narrationem, a Callisto, patriarcha CPolitano, hujus nominis primo conscripta; cujus summa redit ad hoc. Patriam habuit Asiam minorem, Cuculis, prope Clasomenum natus. Puer a Turcis captivus factus est cum tot aliis civibus christianis et Laodiceam abductus; unde mox, auro redemptus, primo Cyprum navigavit, dein in montem Sinai secessit, ibique monasticum habitum suscepit, Sinaita idcirco cognominatus. Utrobique autem vitam austeram, ascetarum more, duxit, orationi mentali potissimum addictus, quin tamen externa ministeria negligeret. Sed præcipua viri palæstra fuit Mons Atho, quo Gerasimo comite, appulit, postquam aliquandiu Jerosolymis et Cretæ commoratus esset, seseque in ascesi multum exercuisset. Sede igitur in asceterio Magala, prope monasterium Philothei fixa, spiritualibus exercitiis orationique mentali sese totum dedit, eamque cæteros monachos Athonitas edocere aggressus est, quum tres tantum inter eos invenisset, qui mentaliter orare nossent. Quia autem modus ejus orandi insolitus erat et in quadam quiete animæ, omni intellectus actione soluta, constabat, non secus ac hesychistarum, brevi frequentes nactus est discipulos, novitate rei facile allectos. Inter quos præcipui nominantur Gerasimus, supra memoratus, tempore

pore omnium primus, Josephus, Euripo oriundus, vir litterarum jejunus, Nicolaus Atheniensis, Marcus, Clazomenis natus ac antea monachus in monasterio S. Isaaci Thessalonicensi, Callistus, deinceps patriarcha CPolitanus, qui magistri vitam scripto tradidit, eratque Marco amicissimus, Jacobus, ex monacho Athonita episcopus Serbiæ, Aaron cæcus, Clemens, natione Bulgarus, ex pastore monachus, quibus addendi Moyses, Cornelius, Longinus et Isaias. Qui omnes cum præcelsa illa contemplandi arte insigne quoque odium unitatis ecclesiasticæ a magistro suo simul edocti sunt. Verum quum discipulorum et visitatorum frequentia a summa illa cum Deo communione detraheretur Gregorius, imo singularis ascesis crimini verteretur ei ab aliis sanioris sensus monachis, relicto Monte Atho, varia peragravit loca, Thessalonicam, Mytilenam, Constantinopolim, ac tandem Sizopolim veniens, in quadam solitudine vicina commoratus est cum Callisto itinerum comite, ibique vitæ asceticæ præcepta, de quibus supra fuit sermo, scripto mandavit. At ab indigenis pulsus, Montem Atho repetiit, quem brevi iterum reliquit aut potius fugit ; profectusque Adrianopolim, in monte vicino, qui *Latens* vulgo nuncupatur, sedem fixit, atque advenientibus sociis monasterium excitavit, impensas præbente Alexandro, Bulgariæ rege, ad quem oratorem miserat, unum e discipulis suis, Theodosium Ternobiensem; de quo fusius dictum est ad 28 Januarii. Atque hæc ad cognoscendos Gregorii mores satis superque sufficient. Illud denique notabo, Paterici auctorem, dum de Gregorio scriberet, præ oculis habuisse Νέον ἐκλογίου, non semel jam a me citatum; atque ejusdem Vitæ exemplar quoddam græcum exstare in bibliotheca patriarchica Mosquensi, in codice sæculi XVI, signato 293 et triginta foliis constante, ut testatur Sabas, nunc episcopus Možaiscii, non spernendæ eruditionis vir, in Indice suo. Idem non semel asserit, Gregorium Sinaitam vixisse sæculo decimo tertio; verum Callistus, patriarcha, qui ejus Vitam conscripsit, atque, ipsomet Saba teste, circa medium sæculi XIV, floruit, sese Gregorii coævum atque in itineribus socium individuum fuisse testatur aperte. Oportet igitur, ut Gregorius quoque floruerit sæculo decimo quarto, quo Callistum, patriarcham, hujus nominis primum, vixisse in confesso est apud omnes; aut, si revera vixerit eo sæculo, falso dicatur scripsisse Gregorii Vitam.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Gregorius, mon. Cryptensis.

De Gregorio Cryptensi sequentia tradit auctor *Dictionnarii hagiologici,* anno 1836 Petropoli editi : *Vita ejus,* inquit, *in Paterico desideratur ; exuviæ vero jacent aperte in cryptis Antonii.* Memoria recolitur in Laura Kievocryptensi, *die* 8 *augusti.* Vocatur insuper iconum pictor et *venerabilis.* Verum in editione ejusdem operis altera, anno proximo priore facta, omnino prætermissus est Gregorius iste, consulto an negligentia editoris anonymi, nequeo determinare. Equidem puto, Gregorium nequaquam esse diversum a *scriptore canonum* seu hymnorum sibi cognomine, de quo infra. — Beatæ Mariæ V. Tolgensis imaginis festum instituit anno 1314 episcopus Rostoviensis et Jaroslaviensis, Prochorus seu Tryphon nomine, cui, diœcesim suam peragranti, ea imago ad fluviolum Tolgam apparuisse perhibetur. Regebat tunc Ecclesiam Mosquensem et Kioviensem S. Petrus metropolita. Est autem Tolga Jaroslaviensi civitati proxima.

Festum B. M. Tolgensis.

Cfr 1) Gloria B. M. V., tom. III, part. III, pag. 72 2) Menol. Veršinski ad h. d. 3) Dies liturgici (Dni bogosluženia), tom. I, pag. 165.

DIES IX.

Ex Ostromirano.

Ex variis.

S. Constantini, patr. CPolitani (*cum Bas. Neap. Sirm. Dom. Chiffl.*).

S Matthiæ, apost. (*Mst. Tern. Rum. et cæteri cum Bas. GP. Vind. Gt. Msq. Pg. Flor. Sirm. Maz. Mg. Typ.*). S. Antonini, mart. (*Prol. Kal. cum Taur. Med. Sirm. Dom. Mg.*). SS. MM. Juliani, Marciani, Joannis, Jacobi, Alexii, Demetrii, Phocæ, alias Photii, Leontii, Petri, Mariæ et aliorum (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Med. Taur. Sirm. Mg.*). S. Psoï (*Men. Kal. Copt.*). Festum B. M. Patientis, Mosquæ (*Deb.*).

† Irenes Junioris (*Dom.*). † Inventio imaginis Camuliensis, non manufactæ (*Mg. Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Constantinus, patr. CP.

Constantinus, patr. CPolitanus, hodie nominatur non solum in cod. Ostromiri, sed etiam in vetustioribus synaxariis Ecclesiæ Græcæ, accedente marmore Neapolitano. Bollandiani agunt de eo 28 et 29 Julii, quando relatus est etiam a nobis. A recentioribus Slavorum kalendariis omnino exulat. — Matthias, non Matthæus, ut leg. in Prol. Rum. Par. VI, Msq. Goth. etc. — Antonînus refertur in Prologo; at in Menæis Græcis excusis adest Antonius ; utramque hujus nominis formam olim alternasse, sicuti etiam Constantini et Constantis atque Constantii, norunt omnes. Cfr Act. SS., pag. 413. — Juliano martyri in Actis SS. primo loco additur Gregorius Spatharius, in Menæis Slavicis omissus. — Inventio imaginis B. M. Camulianensis annuntiatur in Menæis Græcorum excusis Venetiæ, cum sequenti additamento : ***descripta a S. P. N. Gregorio, episcopo Nysseno.*** Nihil se de hac inventione reperisse fatetur Raderus in observationibus mss. ad Menæa excusa; sed nec inter opera S. Gregorii Nysseni tale quid reperire est. Exstat in Menæis, ad XI Augusti, prolixa ***narratio de imagine acheropita D. N. Jesu Christi,*** ubi Camulianensem, non Edessenam iconem intelligendam esse auctor est Gretserus in syntagmate de imaginibus non manufactis, cap. 13. Est autem Camulium, seu Camulianum civitas Cappadociæ, et quidem olim episcopalis, in qua antiquitus adservabatur imago non manufacta, quam tempore Justini, imperatoris, Constantinopolim translatam fuisse testatur Cedrenus. Cæterum de festo B. M. Camuliensis agitur etiam aliis diebus. — In Calendario Copto-Arabico apud Ludolphum Comment., pag. 421, ad diem VIII Julii, occurrit Abba *Bessoi*, eremita; jamvero *Bessoi* nihil aliud est quam enuntiatio arabica nominis Psoï (carent enim arabes littera *p*). — Hodierna Irene diversa est a sancta homonyma diei septimæ, ut apparet ex nota *Junioris* seu *Novæ* in sanctis apostolis, id est in æde SS. Apostolorum, de qua Cangius, IV, p. 105.

S. Matthias, apostolus.

S. Antoninus.

SS. Julianus et soc.

Imago B. M. Camulianensis.

S. Psoës.

S. Irene.

DIES X.

Dies X et XI Augusti.

DIES X.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria S. Laurentii, mart. (*Omnes*).

SS. MM. Xysti et Hippolyti (*Tern. cum Bas. Neap. CP. Sirm. Maz. Mg.*). SS. Felicissimi et Agapeti (*Kal. cum Rum.*). Laurentii, Sali, Kalugensis (*Hag.*).

OBSERVANDA.

S. Laurentius.

Omnes quidem codices, at non eodem modo, annuntiant hodiernam festivitatem, S. Laurentio, archidiacono, sacram. Ostromiranum et CPolitanum consignant *memoriam* sancti martyris; rectius in Mst. et Rum., quibus consonat Kalendarium Neapolitanum et Menologium Basilii, imperatoris, exprimitur *passio;* hoc enim die reapse tormenta tolerasse Laurentium dubitare vetant martyrii acta. In Prologo Mosquensi regeruntur Græcorum Menæorum fabulæ de impositis currui claudis et mancis adductisque a S. Laurentio ad Decium, de bello Decii adversus Persas, deque interitu Decii et Valeriani.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Laurentius, Salus.

In Dictionnario historico Sanctorum Russiæ, editione prima, Laurentius hic commemoratur kalendis Augusti, quo supremum diem obiisse dicitur; verum in editione ejusdem operis recentissima anni 1862, translatus est ad hunc diem, qui ei revera emortualis fuisse asseveratur. Recentiorem sequimur, suadente etiam nominum similitudine. Jamvero floruit Laurentius circa xv sæculum, Kalugæ, nobili, ut probabilis sententia est, Chitrovorum prosapie prognatus; plerumque degit in domo Simeonis, Kalugensis ducis, a quo summe diligebatur. Orationi vacaturus secedere solebat in locum quemdem solitarium, ubi deinceps templum et monasterium ejus nomine fuerunt exstructa. Simeoni, adversus Agarenos qui Kalugam invaserant pugnanti et ab hostibus undequaque circumfuso apparuisse fertur, securi armatus, animisque tum duci tum exercitui ejus additis, victoriam in ejus partes inclinasse. Hinc est, quod in iconibus securim manu tenens repræsentatur passim. Obiit Kalugæ, anno 1515, cultuque ecclesiastico in civitate ista honoratur, ut manifestum fit ex oratione dimissoria, quam, invocatis sanctis patronis et etiam *beati Laurentii, propter Christum stulti,* super populum dimittendum proferre solet sacerdos.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 142. 2) Hier Russ., tom. VI, pag. 1019.

DIES XI.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Eupli, diaconi et mart. (*Mst. Rum. Tern. Kal. Novg. Par. Prol. cum Bas. GP. Msq. Pg. Sirm. Maz. Mg. Vind. Goth.*). SS. MM. Suzannæ, virg. Gaii, papæ, Gabinii, presb., Maximi, Claudii fratris ejus, Præpedignæ, uxoris et duorum filiorum Alexandri et Cutii (*Men. Kal.*). SS. Anicetæ, Photii et soc. (*Men. Rum. cum Bas.*). SS. Basilii et Theodori, Cryptensium (*Pat. Men. Kal.*). Niphontis, patr. CPolitani (*Ath. Val.*). Encænia S. Deiparæ Miserantis (*Sirl. Mg.*).

† Tiburtii, mart. (*Neap.*). † MM. Neophyti, Gaii, Gaiani, Zenonis, Marcii et Macarii (*Med. Taur. Sirm. Dom.*).

OBSERVANDA.

S. Euplus.

S. Suzanna.

S. Euplus hodie nominatur fere ab omnibus, præter Kalend. Neapolitanum marmoreum, quod convenit cum Martyrologiis Latinis. — S. Suzanna, virgo et martyr, sub Diocletiano, imperatore, capite truncata, erat neptis S. Gaii, papæ Romani, et filia Gabinii, presbyteri, e Dalmatia originem ducens. Non omnes una die martyrio coronati sunt illustres hi quinque, e sanguine Diocletiani, athletæ: nam Gaius occubuit 22 Aprilis, anno 296; Claudius et Maximus, 18 Februarii, Gabinius die sequenti, Suzanna denique hoc die. Martyrii ejus acta commentariis illustrata præsto sunt cum in opere Bollandiano, ad hanc diem, pag. 624 et seq., tum apud Farlati, Illyr. sacri tom. II, pag. 611, 574, 351, 353, 581. — SS. Neophytus, Gaius, Gaianus, etc. Jam bis a nobis sunt relati mense Maio, die quarta et quinta. — Dedicationis B. M. Miserantis, τῆς ἐλεούσης, pia solemnitas Græcæ Ecclesiæ propria est; apud Russos celebratur die 15 Novembris. De ipsa æde disserit Cangius in CPoli christiana, lib. IV, pag. 87. — Niphontem, qui sedem Constantinopolitanam bis occupavit, referunt hodie libri liturgici Valachorum, in quibus habetur proprium officium, et Patericon Montis Atho, accedente utrobique prolixa Vita, auctore Gabriele, protohegumeno Athonitarum. Quid de hoc patriarcha sentiendum sit, jam pridem statutum est a Bollandianis in Chronologia patr. CP., tomo I Augusti præmissa.

Dedicatio S. Deiparæ.

Niphon, patr. CP.

SS. Neophytus et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

SS. Theodorus et Basilius, Cryptenses monachi.

Erant ambo hi monachi amicitia inter se conjunctissimi; quorum alter Theodorus, divitiis in pauperes distributis, et novissima sua recogitans, monasticam vitam amplexus est in cœnobio Cryptensi, ubi cryptam olim a Varegis excavatam incoluit. A dæmone sub specie angelica apparente illusus, thesaurum in crypta invenisse sibi visus est; at mox intellectum errorem, quem ex simplicitate commiserat, flevit diu. Tandem a Basilio consolatus, animum resumpsit, sed nec thesaurum nec locum ejus amplius invenit. Comperit interea rem princeps loci Mstislaus, homo ferox opumque cupidissimus, et utrumque monachum ad se accersitum, inventum thesaurum ærario publico restituere jubet.

jubet. Cumque illi respondissent, apparuisse quidem sibi thesaurum, sed hac in visione se a diabolo fuisse illusos, furore succensus Mstislaus utrumque vinculis constringi et in carcerem mitti imperat, ac dein variis tormentis cruciari. Quibus fortiter perpessis, iterum in carcerem traduntur; ubi inter orandum sanctas animas suas Deo reddiderunt anno 1091, die 11 augusti. Brevi post Mstislaus sagitta confossus est, quemadmodum ei prædixerat Basilius, telo ab eodem vulneratus. *Dies XII et XIII Augusti.*

Cfr 1) Menol. ex Paterico ad h. d. 2) Specimen, pag. 56. 3) Dict. hag., pag. 275. 4) Menol. Verš. ad h. d.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Aniceti seu Nicetæ et Photii et soc. (*Mst. Tern. Par. Rum. Siš. Og. Men. Kal. Prol. cum Bas. GP. Goth. Msq. Vind. Flor. Chiffl. Sirm. Maz. Med. Typ. Mg.*). S. Alexandri, ep. Comanorum (*Men. Kal.*). SS. MM. Pamphili et Capitonis (*Men. Kal. Prol. cum Mg. Sirl.*). S. Maximi, conf. (*Par. VI*).

† Eupli, mart. (*Neap.*). † MM. Sergii et Stephani (*Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Anicetus et Photius.

SS. Anicetus seu Nicetas et Photius coluntur hodie a Græcis æque ac Latinis, et copiose laudantur in Menologio, tacito tamen encomii auctore. In Bas. Mst. Rum. præscribitur nota *passionis.* — In Menæis Augusti seu cod. Par. VI habetur : *Venerabilis Patris nostri Maximi, confessoris;* verum vulgo solet poni ad diem sequentem. Varietatis hujus ratio in promptu est; cum nempe dies sequens incidat in octavam Transfigurationis Domini, quæ fortasse festum erat patronale loci, hinc fit commemoratio S. Maximi die præsenti. Sane in Menæis, Horolog. et alibi, ad diem 13 Augusti, legitur hæc nota : *Commemoratio S. P. N. Maximi, confessoris, cujus officium scriptum est die* 12, *propterea quod hodie agitur de Festo.* Similia monemur ad diem XXIII quæ concurrit cum octava Assumptionis : *propter octavam celebratur* (S. Lupi memoria) *die* 22. — Alexander, cognomento Carbonarius, primus episcopus Comanæ in Ponto, atque fastis antiquis plene ignotus, in recentiora adscitus est ex S. Gregorio Nysseno, qui solus res gestas ejus tradidit in oratione de Vita S. Gregorii thaumaturgi. — SS. Pamphilus et Sergius referuntur etiam crastina die. Ingenue fatetur Menologus Mosquensis, se præter nomina SS. Pamphili et Capitonis, nihil aliud de eis comperisse.

S. Maximus.

S. Alexander.

SS. Pamphilus et Sergius, mart.

DIES XIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Maximi, confes. (*Mst. Tern. Rum. et cæteri cum Bas. GP. Pg. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg. Vind.*). S. Hippolyti, mart. et soc. (*Men. Kal. cum Neap.*). B. Maximi Sali, Mosquensis (*Kal. Prol*). Festum B. M. V. Dolorosæ (*Kalend.*).

† Pamphili et Capitonis, mart. (*Sirm. Chiffl. Med. Taur. Dom.*). † MM. Sergii et Stephani (*Sirm. Chiffl. Med. Taur.*). † Eudociæ, reginæ (*Sirm. Med. Taur.*). † Irenes, monachæ (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Maximus, confessor.

Celeberrimum hunc fidei catholicæ propugnatorem et confessorem bis in anno commemorant Fasti Græci et Slavici, 21 Januarii et hodie; et quidem illa recolunt sanctissimi abbatis obitum, hac vero reliquiarum ejus translationem. Sane in Mstisl. et in Menologio Mosquensi æque ac Basilii et in Menæis Græcis aperte exprimitur *translatio;* verum in Prologo Rum. sæculi XIII inscribitur hodie : *dormitio beati Maximi, confessoris,* quod verissimum est; siquidem teste Anastasio, teste vivo et præsenti, decima tertia Augusti, ut ipsemet sanctus prædixerat, feria septima perrexit ad Dominum. Hinc consequens est, ut corruat id quod adnotat Menologus Mosquensis in titulo diei, nempe *die* 21 *Januarii recoli ejus mortem,* quasi revera illa die, non 13 Augusti, obierit S. Maximus. Sed et alia hujusmodi sphalmata occurrunt in Menologio, ut puta quum dicitur Maximus vixisse imperante Constantino Pogonato, aut e *Thracia* in regionem Lazorum relegatus, ibidem ad *tres annos* vitam traduxisse, donec obierit; quum constet eum eodem anno, quo in exilium in Lazicam missus est, id est 662, requievisse in Domino. Prudenter in Prologo et in Horologio Počajovensi nulla adjicitur nota discriminans, nuda commemoratione sancti confessoris contentis. Ostromiranum tacet omnino æque ac CPol. et Neapolitanum. Cæterum errasse Menologium non miror; miror eumdem de morte Maximi errorem ex Græcis fontibus manasse in Menologium Veršinskii, alioquin vera a falsis sedulo discriminantis. Restituenda itaque est in Fastis Slavicis lectio codicis Rumiantsoviani. — Cum S. Hippolytus in Menæis Slavicis annuntietur non solus, sed cum sociis, liquet eumdem esse ac S. Hippolytum, S. Laurentii discipulum, qui Romæ cum S. Concordia et aliis undeviginti martyrii palmam promeruit. Cfr dicta ad 10 Augusti et Acta SS., pag. 4 et seq. — SS. Sergium et Stephanum retulimus pridie; in Mediolanensibus Menæis mss. bibl. Ambrosianæ substituitur *Bacchus* loco *Stephani;* an erronee incertum. — De Eudociæ publico cultu, gestis et virtutibus certa testimonia postulantur a Bollandianis, ut ei in opere eorum locus detur. Testimonia hujusmodi protulit Jos. Assemanus in Actis Martyr. Oriental., ex fontibus Syriacis petita. — Recolantur omnino, quæ de hac imperatrice, de titulo monachæ, et præsertim de ejus sanctitate et cultu publico adnotata sunt a Bollandianis. Hi inter sanctos operis sui eam inserere ausi non sunt, licet præisset exemplo Castellanus, qui eam in Martyrologio suo universali inseruit ad hanc diem.

S. Hippolytus.

SS. Sergius et Bacchus.

S. Eudocia.

S. Irene.

Dies XIV Augusti.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

B. Mariæ Dolorosæ imago.

Allata est Mosquam, anno 1641, e loco quodam Palets dicto, prope Novgorodiam inferiorem, ubi ejus occasione miræ patratæ fuerant sanationes; ex quo tempore coli probabilissime cœpisse videtur. Ubi vero Mosquæ fuerat a clero et a rege Michaele excepta, monasterium conditum est, anno 1654. Dolorosæ cognomen mansit huic imagini, eo quod Passionis instrumenta in superiori parte ad utrumque latus repræsentantur.

Cfr 1) Menol. Verš. ad h. d. 2) Gloria B. M. V., part. III, sect. III, pag. 62.

DIES XIV.

Ex Ostromiriano. Memoria S. Marcelli, mart. (*Ass. Rum. Prol. Kal. cum Bas. CP. Pg. Sirm. Dom. Maz. Mg. Med.*). Et vigilia sanctissimæ Deiparæ (*Kal. cum CP.*).

Ex variis. S. Micheæ, proph. (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Chil. Siš. Og. Pp. Men. Kal. Prol. cum GP. Vind. Pg. Msq. Goth. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). Translatio reliq. S. Theodosii Cryptensis (*Pat. Men. Kal. Prol. Leop.*).

† Eusebii, conf. (*Neap.*). † Memoria S. Lucii, mart. (*Taur. I, Sirm.*). † Ursicii seu Ursicini, mart. (*Sirm. Maz. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Marcellus. In Menol. Basilii habetur : *Memoria hieromartyris Marcelli, episcopi Apameæ;* et ita fere ubique, paucis mutatis. In Rum. additur : *et septuaginta discipulorum ejus.* Cum igitur nuspiam legatur *passio*, sed sola *memoria*, pronum est colligere, non hoc die obiisse sanctum Marcellum, sed alio, nobis ignoto. Festum ejus olim peragebatur CPoli in æde S. Joannis Baptistæ in Sphoracio. Ita Prologus et Supplementa Sirmondi atque Chiffletii ad Menæa excusa. De ecclesia hac CPolitana consulatur Cangius, l. IV, p. 102. — S. Ursicini, martyris Illyrici, acta Græco-Latina, auctore anonymo, vulgavit J. Pinius, Acta SS., p. 158. Ursicius vocatur in Menol. Basilii ad diem sequentem. — Non unus Eusebius commemoratur hodie in Synaxariis; sed solus presbyter Romanus præfert titulum confessoris, ut fusius declaratur in Actis SS., p. 166.

S. Ursicinus.

S. Eusebius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Translatio corporis S. Theodosii Cryptensis.

In antiquo Kalendario sæculi decimi tertii, cujus meminit Macarius, Hist. Eccl. Russ., t. III, p. 337, not. 377, translatio reliquiarum S. Theodosii celebrari jubetur ultima die Maii seu 31, dum cætera omnia indicant diem 14 Augusti, ut translationis anniversariam, accedente Nestore annalista, inventionis et translationis teste oculari, a quo etiam distincte et accurate descripta est in Chronico. Quamvis autem inventæ fuerint S. Theodosii reliquiæ anno 1091, et in ecclesiam solemniter illatæ, ecclesiastico tamen cultu honorari cœpit non ante annum 1108, quo a Metropolita Nicephoro in sanctorum album insertus est, et a cæteris quoque episcopis exinde habitus ut sanctus. Verosimile esse videtur, simul institutum fuisse tunc duplex ejus festum, alterum ad 3 Maii, quo recoleretur ejus pia mors, alterum ad hanc diem, quæ translationis ejus est anniversaria. Inventionis et translationis historiam texuit Nestor annalista, quam hic latine factam accipere forsan non gravabitur lector. *Anno* 1091 *consilium inierunt hegumenus et fratres monasterii Cryptensis, statueruntque, inconveniens esse, patrem suum Theodosium, qui monasterium excitaverat, et fratres in unum coegerat, extra monasterii muros jacere. Continuo itaque jusserunt parari in ecclesia locum, quo reliquiæ ejus ponerentur. Triduo autem ante Assumptionem Deiparæ adiit me hegumenus dixitque : « Eamus in speluncam ad Theodosium. » Ivimus igitur clam cæteris, locumque, ubi foveu erat, distinximus. Addidit hegumenus : Nemini rem dicas, quo secreta maneat; adjutorem tamen, quemcunque placuerit tibi, inter fratres selige. Equidem paratis eodem die instrumentis ad fodendum propriis, sub vesperam, feria tunc erat tertia, petii speluncam, comitante uno e fratribus, psalmisque absolutis, cœpi fodere; tum labore fessus, socio palam tradidi, fodimusque ad mediam noctem usque. Postquam autem laboravimus multum nec quidquam offendimus, tristari cœpi timens ne alibi esset fodendum. Resumpta pala, cœpi fodere diligentius, dum socius ante speluncam quiesceret. Audita campana matutini officii, exclamavit ille : « Signum datum est ad Matutinum, » eo ipso momento, quo ego ad ossa Theodosii perveni. Respondi igitur, me attigisse quæsita. Ubi autem effodi, terrore correptus dicere cœpi : « Kyrie eleison! » Eodem vero tempore duo fratres cryptam versus e monasterio spectabant, observantes, utrum Theodosii reliquias cum nonnullis fratribus clam afferret. Audito vero signo campanæ, viderunt tres columnas quasi iridei coloris stetisse supra cryptam, ubi positus erat Theodosius. Stephanus quoque, episcopus (Vladimiriæ antea Theodosii in hegumenatu successor, qui in monasterio suo Clovensi morabatur), vidit cryptam et campum splendida aurora illustratum. Qui quum nudius tertius de futura translatione monitus fuisset, putaretque eam fieri tunc ab hegumeno, continuo ascenso equo, assumptoque secum hegumeno Clovensi Clemente, properavit ad monasterium Cryptense. Equitantibus jugiter videbatur lux auroræ similis cryptæ imminere. Cum autem appropinquarent, credebant videre veluti candelarum accensarum multitudinem; at ubi cryptæ proximi fuerunt, nihil aliud repererunt præterquam nos ad inventa ossa assidentes. Interea ego destinavi quemdam ad hegumenum rogans, ut veniret, transferretque reliquias. Venit igitur cum duobus fratribus. Tunc latius aperuimus sepulcrum, descendentesque in illud, aspeximus ossa Theodosii; cujus partes omnes adhuc junctæ*

junctæ exstabant, solis capillis capiti adglutinatis. Extulimus igitur e crypta reliquias super mantile positas. Sequenti die convenerunt episcopi, nempe Ephrem Perejaslaviensis, Stephanus Vladimiriensis, Joannis Tchernigoviensis, Marcus Georgiensis, præterea hegumeni e pluribus monasteriis, monachi et laici frequentes : elevatisque reliquiis Theodosii, cum thymiamate et candelis, transtulerunt eas in magnam ecclesiam, posueruntque in sacello laterali ad dexteram, die 14 Augusti, feria quinta, magnum festum peragentes eo die. Hactenus de translatis Theodosii reliquiis ex Nestore Annalista, qui et ipse inter sanctos recensetur a suis. DIES XV, XVI ET XVII. AUGUSTI.

Cfr 1) Annal., t. II, p. 6. 2) Macar., Hist. Eccl. Russ., loco citato.

DIES XV.

Ex Ostromirano. TRANSITUS S. DEIPARÆ (*Omnes*).

† Ursicii, mart. (*Bas.*). † Lucii, mart. (*Taur. II*).

OBSERVANDA.

Dormitio SS. Deiparæ. Quamvis in codice Ostromirano annuntietur *Transitus* S. Deiparæ, tamen solemnior est apud Græcos et Slavos terminus *Dormitio*, κοίμησις, uti *Assumptio* apud Latinos. Et quidem *dormitio* vocatur in cæteris Kalendariis pene omnibus, Mst., Rum., Ternob., Horol., Men. et reliquis. Aliunde antiquissimus est iste loquendi modus, quem Latini quoque olim imitati sunt, ut testatum faciunt Martyrologia antiqua; imo in quibusdam Kalendariis Latinis vocabatur *quies* et *pausatio*. Nec tamen recens appellatio est *Transitus* apud Slavos, μετάστασις apud Græcos; nam in Menologio Basilii ad 15 Augusti, æque usurpatur ac *dormitio*. In officio diei duplex exstat canon, auctoribus Cosma et Joanne Damasceno. — Præter martyrium S. Ursicii, de quo actum pridie, in Menologio Basilii fit commemoratio cædis Agarenorum; quam alii remittunt ad diem sequentem, propter festum Dormitionis S. Deiparæ. *S. Ursicius.*

DIES XVI.

Ex Ostromirano. MEMORIA S. DIOMEDIS (*Omnes cum Bas. CP. GP. Pg. Vind. Msq. Goth. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg. Typ. Sirl.*).

Ex variis. Allatio Imaginis Jesu Christi non manufactæ Edessa CPolim (*Par. Tern. Rum. Chil. Siš. Og. Pp. Men. Prol. Kal. Nan. Msq. Vind. Pg. Flor. Typ. Sirl. Mg.*). S. Cheremonis (*Men. Kal. Prol. cum Mg. Sirl. Chiffl.*). SS. Pauli et Julianiæ (*Novg.*). S. Rabulæ (*Prol. cum Mg. Chiffl. Sirm.*). Memoria victoriæ de Agarenis reportatæ sub Leone Isauro (*Prol. cum Nan. Vind. Sirl. Mg.*). S. Mebsambis (*Iber.*).

† Triginta trium martyrum Palæstinæ (*Mg. Sirl. Chiffl.*). † Myronis, mart. (*Bas.*). † Cosmæ, ep. Neap. (*Neap.*). † MM. Thyrsi, Leontii, Coronati et soc. (*Med. Taur. Dom.*). † Æglonis, anachor. (*Med. Taur. Dom.*).

OBSERVANDA.

S. Diomedes. Diomedes, medicus et martyr illustris Nicææ in Bithynia, digne illustratur a Bollandianis, p. 226 et seq.— De Paulo et Juliania agetur die sequenti. — In codd. Rum., Chilandarico, Sišatovacensi et aliis annuntiatur primo loco : *commemoratio imaginis D. N. Jesu Christi non manufactæ.* Græce : τοῦ ἁγίου μαντηλίου seu μανδηλίου, id est sacri mantilii seu sindonis. Ex isto mantilio sanctum *Mandelium* effecerunt viri alioquin de hagiographia apud Latinos quam meritissimi, Molanus, Castellanus, Ferrarius; quorum ultimus non solum martyrii palmam ei decernere, sed et certaminis palæstram, Asiam scilicet, designare minime dubitavit. Hanc porro virorum eruditissimorum hallucinationem adeo crassam eo potissimum fine huc retuli, ut similia sphalmata synaxaristarum Slavicorum benignius tractanda esse lectoribus occidentis persuaderem. Rectissime autem adnotatur a Papebrochio in prætermissis ad hanc diem, S. *Veronices* nomine, cujus meminit Kalendarium Possevini, designari ipsammet imaginem Antiochenam Christi Domini, de qua hic est sermo. De imaginibus acheropitis copiosa exstat tractatio Gretseri, quam adi.— Duo miraberis hic cum Pinio, quod sanctum Arsacium ad Græcos pertinentem nusquam in eorum fastis reperire liceat, et quod Latini ad quos nullo modo pertinet, eum, et quidem ob Sozomeni solius auctoritatem, colant. — S. Mebsambem, solo nomine mihi notum, refert Kalend. Ibericum, cujus meminit Brosset in Prologomenis ad *Chronicon Ibericum*, pag. XIII. *SS. Paulus et Juliania. Imago Christi Edessena.* *S. Arsacius.* *S. Mebsambe.*

DIES XVII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

SS. MM. Pauli, Julianæ uxoris, et Stratonici (*Mst. Rum. Novg. Siš. Chil. Og. Pp. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Sirl. Chiffl.*). S. Myronis, mart. (*Tern. Par. Chil. Men. Prol. cum GP. Pg. Vind. Flor. Goth. Msq. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). SS. MM. Stratonis, Philippi, Eutychiani et Cypriani (*Prol. Kal. cum Bas. Taur. Dom. Mg. Chiffl.*). SS. MM. Thyrsi, Leucii et Coronati (*Kal. cum Mg. Sirm. Maz.*). S. Patrocli, mart. (*Men. Kal.*). Synaxis S. Deiparæ in Armatii (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Alypii, pictoris, crypt. mon. (*Pat. Men. Kal.*).

† Natalis sanctorum septem de Epheso (*Neap.*). † Æglonis, anachor. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

Tres martyrum turmæ occurrunt in Kalendariis hujus diei; de singulis dicemus quædam. — S. Paulo alii solam Julianam, sororem ejus, adjungunt, alii præterea S. Stratonicum. Cfr Acta SS., *SS. Paulus et soc.*

DIES XVIII AUGUSTI

SS. Straton et soc.

SS Thyrsus et soc.

SS., pag. 446 et seq. — An secundæ turmæ martyrum, cujus dux fuit Straton, accensendus sit S. Cyprianus, non constat; siquidem nec conjunctim cum tribus aliis nominetur, nec ubique. — S. Coronato substituitur in quibusdam synaxariis S. Callinicus. Sane in Kalendario Petropolitano, anno 1840 edito, quod supra citavi, ponitur solus, omissis SS. Thyrso et Leucio. — Armatii tractus in urbe CPolitana notissimus describitur apud Cangium, CPol. Christianæ t. II, pag. 168, et lib. IV, pag. 165. Id cum ignorarent transcriptores Prologi et Kalendarii Slavonici, pro Armatio Amartiam posuit ille, iste vero Amastridem, non secus ac Veršinski in Menologio suo, Prologi excusi ficulnea auctoritate, præter morem, temere innixus. *Synaxis B. M. Armatii.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Alypius, Cryptensis pictor.

Adhuc puer pictoribus Græcis, qui Kioviam venerant, traditus est Alypius, qui artem pingendi ab eis disceret. Qui non tantum didicit picturam, sed et monastici instituti regulam, quum monachi ejus essent magistri. Hinc vitam monasticam amplexus, sub Nicone hegumeno, dum imagines pro ecclesia Cryptensi aliisve gratis pingebat, animam quoque suam virtutibus veluti coloribus quibusdam exornabat. Si quem autem laborum suorum fructum perciperet, eum in tres partes dividere solebat; quarum unam in pauperes, aliam in usus monasterii, tertiam ad colores emendos expendebat. Pingendis autem imaginibus ita operam navabat, ut choro cæterisque communibus religiosorum exercitiis omnino satisfaceret; quin et non raro in oratione pernoctabat. Ad sacerdotium evectus, majori studio virtutibus sectandis incubuit; adeoque profuit ut ægrotos miraculose sanaret. Sic leprosum quemdam, ut faciem ejus et pectus coloribus quibus pingebat linivit, protinus sanum fecit. Tandem morbo correptus, obiit die 17 Augusti, in cryptis Kioviensibus honorifice tumulatus. Exstat Rostoviæ imago B. Mariæ Virginis, ab ipsomet, ut aiunt, depicta et miraculis clara.

Cfr 1) Menolog. ex Paterico. 2) Kulčinius, Specimen, p. 39. 3) Dict. hag., p. 21. 4) Menol. Verš. ad h. d. 5) Macarius, Hist. Eccl. Russ., tom. I, p. 64.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano.

Ex variis.

Memoria SS. Flori et Lauri, mm. (*Ita omnes cum Bas. CP. GP. Pg. Goth. Msq. Flor. Vind. Taur. Sirm. Dom. Maz. Mg.*).

SS. MM. Hermæ, Serapionis et Poliæni (*Prol. et Kal. cum Bas. Sirm. Mg. Chiffl. Sirl. Taur.*). Memoria SS. PP. NN. Joannis et Georgii, patr. CPolitanorum (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Mg. Taur.*). S. Joannis Rylensis (*Par. VIII.*). SS. Macarii et Joannis (*Kal.*). S. Æmiliani, mart., et soc. ejus Hilarionis, Dionysii et Hermippi (*Men. Kal.*).

† Plurimorum martyrum igne combustorum (*Sib.*). † Agapeti, mr. (*Neap.*). † Julianæ, mr. Myrensis (*Mg. Sirm. Sirl.*). † Leonis, mr. Myris in Lycia (*Mg. Sirm. Sirl.*). † Eliæ Junioris, mon. in Calabria (*Itg.*). † Quatuor ascetarum, eremit. (*Sib.*).

OBSERVANDA.

SS. Florus et Laurus.

S. Hermas.

SS. Macarius et Joannes.

Synaxis Flori et Lauri fit in eorum martyrio ad ædem S. Philippi, ap., teste Prologo. Utrique adjunguntur socii Proculus, Maximus et alii, martyres in Illyrico. — De S. Herma videsis Acta SS., pag. 546. — In Kal. Mosquensi, post SS. Joannem et Georgium, patr. CPolitanos, fit commemoratio venerabilium Macarii et Joannis, sine alio characterismate discriminante. Joannem Rylensem intelligendum esse suadet magnum viri hujus nomen apud Bulgaros et Russos; Macarium vero abbatem monasterii Pelecetes, suggerunt Kalendaria diei proxime sequentis. Utrumque monachum fuisse, apparet ex titulo *venerabilium* quo insigniti sunt. — Nullam mentionem sancti Æmiliani, martyris, ad hanc diem inveni apud alios synaxaristas sive Græcos sive Latinos. — Quinam sint isti Joannes et Georgius, ignorare se fatetur Menologus Mosquensis. *Suspicari tamen licet*, ait Veršinski, *intelligendos esse patriarchas cognomines, quorum memoria facta fuit in septima synodo œcumenica, æque ac S. Germani; adeoque esse Georgium I, qui adfuit sextæ synodi œcumenicæ, anno 685 celebratæ, et Joannem VI, S. Germani decessorem, qui sedit ab anno 712 ad annum 715.* Hæc Veršinski. Recte quoad Georgium; Joannes VI autem hactenus a nemine, quem sciam, inter sanctos habitus est; qua de re legantur Morcellius et Bollandiani in Chronologia Patr. CPol., num. 517, et ad hunc diem Augusti. Georgium commemorant Menæa excusa etiam seorsim, ad 6 Aprilis.

SS. Æmilianus et soc.

SS. Joannes et Georgius, patr. CP.

S. Agapetus. — De S. Agapete, martyre, Præneste in Italia, fuse tractant Acta Sanctorum ad hanc diem, pag. 525 et seq. — Vitam S. Eliæ Junioris sat prolixam, auctore anonymo et synchrono, id est sæculi X, e græco idiomate in latinum versam, publici juris fecerunt Acta SS., pag. 489 et seq., præmisso commentario de sancti hujus gestis et cultu. — Tres sunt dies S. Joanni Rylensi sacri, 18 Augusti qua ad Dominum perrexit, 19 Octobris qua corpus ejus Ternobum translatum est, et 1 Junii quo e civitate Ternobiensi in monasterium Rylense revectum. In cod. bibl. Parisiensis, sæculi XIII vel XIV, qui inter Slavicos signatus est 23, olim 55, a me autem Par. VIII dictus, præsens festum annuntiatur his verbis : *Dormitio sancti Patris nostri Joannis Rylensis;* et quidem primo loco, postpositis SS. martyribus Floro et Lauro. Accedit officium quod in honorem sancti legi præscribitur eo die. Observatu digna est lectio hujus codicis, tum quod festivitatem cæteris codicibus ignotam prodat sola, tum quod verum obitus diem adcurate et certa ratione indicet. Eadem dies exhibetur in Vita S. Joannis Rylensis, auctore Euthymio, patriarcha Ternobiensi, quam simul cum officio liturgico typis Belgradensibus vulgavit Neophytus hieromonachus, anno 1836. Hic enim, ubi ex Euthymio extrema sancti nostri retulisset, sequentem adnotationem adjecit : *Obiit venerabilis Pater Joannes anno creationis* 6454 (a Christo nato 946) *die* 18 *mensis Augusti, imperante in Bulgaria Petro, in Græcia vero Constantino, filio Leonis Sapientis.* Sequitur : *In Prologo, in Vita ejusdem, hic nominatur* *S. Elias Junior.*

S. Joannes Rylensis.

nominatur Constantinus Diogenes; ex quibus verbis colligi potest, in Prologo quoque affixam esse mortem Joannis præsenti diei Augusti. Placet autem ipsamet Euthymii verba, ultimos sancti abbatis annos describentis, latine huc referre. *Postquam*, ait, *gregem bene rexisset, et multos Deo esset lucratus crebrisque miraculis inclaruisset, provectam attigit senectam. Ut autem exitum suum ad Deum appropinquare cognovit, dedit se orationi, fundensque lacrymas ac genuflexus: Deus omnipotens, aiebat, suscipe me, servum tuum indignum et peccatorem, et insere electorum tuorum choris; quoniam vero nihil boni in terris præstiti, ideo precor clementiam tuam, ut angelo bono præcipias, ut meum ad te ascensum a dæmonum curumventionibus muniat. Ecce, Domine, in manus tuas committo spiritum meum. Atque in hæc verba spiritum suum Deo reddidit, cum annos vixisset septuaginta, ibique sepulturam accepit a discipulis suis, nempe in monasterio Rylensi, quod excitaverat ipse.* Hactenus Euthymius. Illud etiam probabile videtur, prædictum codicem Paris. VIII exaratum fuisse in usum monachorum Rylensis monasterii : est autem Menæorum volumen, continens ecclesiastica officia singulis diebus mensis Augusti recitanda. Qua occasione notabo, Vitam sancti Joannis, cum ejus officio typis excusam prodiisse primo Kioviæ, anno 1671, curante Antonio Radzivilovscio; e manuscriptis vero esse quæ pertineant ad sæculum XIII et XII; auctores denique, præter Euthymium, patriarcham, nominari Georgium Scylitzem, Demetrium Cantacuzenum et Vladislaum Grammaticum. Quorum omnium scriptis usus est Neophytus, hieromonachus, in suæ Vitæ Euthymianæ editione, omnium recentissima.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Joannes Rylensis, monachus.

Joannes, hegumenus Rylensis, in vico *Scrin*, prope Sardicam (slavico nomine *Sredets*), quæ tunc Bulgaris parebat, piis parentibus natus est circa medium sæculum nonum. Quum per ætatem et multo magis per parentum amissionem licuisset, bona pauperibus distribuit et in monasterium abiit; unde, peracto tirocinio, secessit in montem sibi cælitus præsignatum. Ubi postquam aliquandiu in tugurio, e ramis confecto, degisset, speluncam subiit quam duodecim annos incoluit, donec nempe a latronibus inde fuerit pulsus. Venit igitur in eremum Rylensem, sacro horrore plenam, et monasterio S. Patris, quo nomine S. Joannes Rylensis κατ' ἐξοχήν, vulgo nuncupatur, usque in præsens celeberrimam. Mansit autem in hac solitudine multos annos partim in saxo solitario, partim in arbore cava degens, solique Deo notus. Tandem a Petro, Bulgariæ rege, qui inter venandum illuc cum comitatu suo casu venerat, detectus, hominibus innotuit. Mox advenientes socios admisit beatus eremita, eosque pabulo verbi et exempli erudivit diligenter; quibus etiam ecclesiam condidit et monasterium in præcelsa rupe collocatum, totique regioni adjacenti late dominans. Denique annis meritisque onustus, in sene-ctute bona e montibus terrenis ad colles æternos transiit fere centenarius die 17 aut 18 augusti, anno 946. Venerandæ ejus reliquiæ in monasterio Rylensi primum, dein in ecclesia Sardiensi S. Lucæ conditæ, anno 1128 ab Hungaris inde sublatæ fuerunt et Strigonium devectæ; ubi multis miraculis inclarescentes, thecæ pretiosæ inclusæ sunt, ac postmodum Sardicam remissæ, anno 1137. Demum jussu Joannis Asanis, regis Bulgariæ, a patriarcha Basilio, Romanæ sedi addicto, Ternobum translatæ fuere et in novo templo hujus sancti nomini sacro collocatæ, tempore quo subactis meridionalibus et occidentalibus thematibus domum rediit Joannes Asanes. Nostra ætate asservantur in monasterio Rylensi, quo curis Kalo-Mariæ, filiæ Despotæ Serbici Georgii, Amurato II nuptæ, ex ecclesia Ternoviensi revectæ fuerunt, anno 1470, die 30 junii, quapropter etiam nunc memoria sancti hujus fieri assolet ibi die proxime sequenti, id est prima julii una cum SS. Cosma et Damiano. Hinc evenit ut in pluribus fastis S. Joannis Rylensis nomen inscriptum sit tum ad hanc diem, tum ad diem 16 aut 17 Augusti, ejus emortualem, tum etiam ad 5 Sept., tum demum ad diem 22 Octobris.

Cfr 1) Vita S. Joan. Rylensis, auct. Euthymio. 2) Alia Vita, auct. Neophyto, hierom. Rylensi, 1836, Belgrad. 3) Acta SS., t. IX Octobr., pag. 683 et seq. 4) Prolog., ad 19 Oct. 5) Synax. Serb. antiquum. in opere period. *Izveštia*, etc. t. VII, pag. 150 et seq. 6) Muraviev, ad hanc diem. 7) Vita ejusdem cum officio, Kioviæ, 1671, in-4°.

DIES XIX.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Andreæ Stratilati, mart. et soc. (*Mst. Ass. Tern. Rum. Kal. Og. Pp. Prol. Men. cum Bas. Neap. GP. Goth. Msq. Pg. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg. Taur. Vind.*). SS. MM. Timothei, Agapii et Theclæ (*Rum. Siš. Chil. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Mg. Taur.*). S. Sarmean (*Iber.*). Festum B. V. Tanaicæ (*Prol. Kal. Sparv.*). [Theophanis, hegum. (*Ath.*).]

† Eutychiani, militis et Strategii (*Mg. Chiffl.*). † Macarii, hegum. Pelecetes (*Taur. Dom.*). † Maximi, conf. (*Sirm.*). † Diomedis, mart. (*Sirm.*). † Bartholomæi, fundatoris monasterii Salvatoris prope Messinam (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Andreas, miles.

SS. Timotheus et soc.

Festum B. V. Tanaicæ.

In Kal. Mosq. numerantur 2593 socii; non secus ac in Menæis Græcorum prelo editis. Acta martyrii habentur apud Bollandianos, pag. 720 et seq. — Timothei et soc., mart. in Palestina, acta illustrantur in eodem opere nunquam satis citando, p. 727.—Festi B. M. Tanaicæ (Donskaia) originem declarabunt Memoriæ Slavicæ infra dandæ. In Actis SS., inter prætermissos ad hanc diem, minus recte vocatur S. Deipara Davensis, pro *Donensis*, a fluvio Don (Tanais) nuncupata.—Strategii nomen proprium esse, non appellativum, testantur Menæa supra laudata. — S. Macarius, hegumenus Pelecetis, relatus fuit a nobis 1 Aprilis. — Maximus et Diomedes referuntur in Supplemento Sirmondo-Chiffletiano ad Menæa excusa; eorumque solemnitas dicitur ibidem recoli in ecclesia SS. Deiparæ,

S. Strategius.

S. Macarius.

SS. Maximus et Diomedes.

DIES XX ET XXI AUGUSTI.

Theophanes Athonites.

SS. Deiparæ Hierosolymitanæ et ad Album fluvium: de qua adeatur Cangius, t. IV, pag. 157. Videntur autem iidem esse ac illi, de quibus egimus XIII et XVI Augusti. — Magnum et pulchrum monasterium etiamnum videre est in parte occidentali Montis Atho, inter hortos et prædia situm. Cujus fundator S. Euthymius S. Athanasio Athonitæ fuit coævus et aliquandiu contubernalis. In hoc itaque monasterio, Dochiari dicto, degebat Theophanes, quem hodie commemorat auctor Paterici Montis Atho, II, pag. 381, addito encomio, quod simul cum officio Theophanis prodierat Venetiis, anno 1764. Oriundus erat hic Janina, quæ urbs Albaniæ est. Factus monachus in cœnobio Dochiarensi, eidem, ob virtutem præstantiam, præpositus est. Nepotem ab Mahumeti placitis, quæ amplexus fuerat, ad pristinam Christi fidem reductum, atque Constantinopoli in cœnobium suum advexit; quod quum ægre ferrent cæteri fratres, relicto Monte Atho, Berroam cum nepote profectus est, ibique novum cœnobium multo labore instituit. Tum Nausam venit, et alterum monasterium nomine Archangelorum excitavit atque diu rexit. Denique Berroensem domum repetiit ibique supremum diem obiit, provectam nactus senectutem, et miraculis, ut fert ejus biographus, post mortem et in vita clarus. Horum equidem unum esse duco, nempe quod nec annus quo obiit, nec tempus quo vixit, posteris distinctius innotuerit, quum ex narrations serie illud tantummodo colligi possit, eum floruisse intra annos 1450 et 1650. —Præter nomen S. Sarmean, cujus meminit Kal. Ibericum, citatum a Brosseto juniore, Chronici pag. XIII, cætera me latent omnino.

S. Sarmean.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

B. M. V. Tanaicæ festum.

Tanaica ideo cognominata est quod ejus imaginem secum in castris detulit Demetrius, magnus dux, cum Tartaris pugnaturus, anno 1380. De quibus cum insignem victoriam retulisset, in campo Kulicovo, Tanai fluvio adjacente, ideoque Tanaici cognomen fuisset nactus, similiter cognominata fuit et illa imago. Demetrii exemplum secutus est Theodorus, Joannis IV filius: anno enim 1591, cum Tartaris Crimensibus præliaturus, eamdem imaginem in castra afferri jussit, et victo hoste, monasterium Tanaicum erigi curavit in loco, ubi steterat imago tempore pugnæ.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Menol. Verš. ad h. d. 3) Gloria B. M. V., pars III, sect 2, pag. 56.

DIES XX.

Ex Ostromirano.
Ex variis.

MEMOIRA S. APOSTOLI THADDÆI (*Mst. Ass. Par. Ternob. Rum. cum CP. Neap. GP. Flor. Vind.*).
S. Samuelis, proph. (*Mst. Ass. Par. Tern. Rum. Novg. Siš. Chil. Og. Pp. Men. Kal. Prol. cum Bas. Par. Vind. Goth. Msq. Sirm. Dom. Maz. Mg. Taur.*). S. Lucii, senatoris, seu Photini (*Leop. cum Chiffl. Mg.*). SS. MM. Severi, Memnonis centurionis et 37 soc. (*Prol. Kal. cum Bas. Mg.*).
† MM. triginti septem (*Mg. Chiffl. Taur.*). † Theocletæ, thaum. (*Bas. Taur.*). † MM. Heliodori et Dosæ (*Chiffl. Mg.*). † Pauli Junioris, ep. CP. (*Chiffl. Sirm. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Thaddæus.

S. Lucius.

Ita in suo Hesychii Glossographi discipulo russo, pag. 42, emendavit Kopitar Assemanum, qui in Kalendariis Eccl. Universæ utrumque sanctum retulit ad diem 21 Augusti. Uter e duobus viris æque eruditis erraverit, dirimendum relinquo amico meo Francisco Rački, cujus beneficio mox, ut spero, genuinum Assemaniani codicis textum legere poterunt glagoliticarum litterarum amatores. In Menæis vero Græcorum prelo excusis S. Thaddæus hodie desideratur. — In Synaxario Leopolitano excuso, æque ac in Menæis Magnis Græcorum et Chiffletianis annuntiatur non Photinus, latine Lucius, sed Photina. Cfr hac de re Acta SS., p. 28. De S. Lucio martyre agunt etiam Bas. et Flor., at die sequenti.—De Theocleta melius agetur die sequenti, una cum Menæis Magnis Græcorum, tam excusis, quam manuscriptis. — Non semel jam fuit sermo de sancto Paulo, patriarcha CPolitano, et fusius tractant hodie Bollandiani, pag. 96 et seq. Nos cum Slavicis codd. agemus de eo ultima Augusti.

S. Theocleta.

S. Paulus.

DIES XXI.

Ex Ostromirano.
Ex variis.

MEMORIA SAMUELIS, PROPHETÆ.
S. Bassæ, mart., et filiorum ejus (*Tern. Kal. cum Vind. Flor. Sirm. Chiffl. Mg. Taur.*). Theognii, Agapii et Pisti seu Fidelis (*Mst. Ass. Kal. Tern. Rum. Prol. Siš. Pp. Men. cum Bas. Sirm. Mg.*). S. Thaddæi, apost. (*Chil. Og. Pp. Kal. Prol. cum Pg. Goth. Msq. Sirm. Maz. Mg. Taur.*). Obitus Abramii Smolenscensis (*Men. Kal. Prol.*).
† Lucii, mart. (*Bas. Flor. Taur.*). † Chrysanthi, mart. (*Neap.*). † Luppi, mart. (*Hieros.*). † Theocletæ, thaum. (*Mg. Dom. Med. Chiffl. Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Samuel.

S. Thaddæus.

S. Bassa.

Hodie refert S. Samuelem prophetam solus cod. Ostromiri; cæteri omnes cum Bas., die præcedenti.—Thaddæus unus ex 72 discipulis, occupat hodie primum locum in Kalendariis supra citatis et in recentioribus. — S. Bassæ nomen varie profertur in codd. Slavicis: In Mst. vocatur: *Basisa*, quam lectionem repetit Sišat; in Assemaniano et Ostrog.: *Basilissa*. Hinc videtur Sišatovacensis cod. secutus esse Mstislavicum; similiter Ostrogensis Chilandaricum Typicon anni 1331, cum quo convenit fere in omnibus eis, in quibus ab aliis Synaxariis differt.—S. Fidelis in cod. Ternobiensi vocatur Pistus, a Græco πιστος; præterea Agapius quibusdam est Agapitus. Consulantur de his martyribus Acta SS., p. 417 et seq.

SS. Agapius et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Abraamius Smolenscensis.

Beatus Abraamius, piis et divitibus parentibus ortus, et in timore Dei instructus, ab infantia futuræ sanctitatis indicia præbuit; jocos enim pueriles aspernans, ecclesiam frequentissime adibat et in legendis piis libris sibi complacebat. Specie pulcher, animo vero longe pulchrior, matrimonium constanter refugit, ad vitam monasticam anhelans. Quare, mortuis parentibus, bona sua in pauperes erogavit; ipse vero, misere indutus, quasi mendicus vivere cœpit. Mox secessit in monasterium B. Mariæ Virginis, Selišče dictum, prope Smolenscum, ibique SS. Patrum lectione, multo autem magis virtutibus excultus et exoratus, contra vota sacris initiatus est. Sacerdos nunquam adorandum sacrificium Deo offerre prætermisit. Erat porro Abraamius miræ in dicendo facultatis; monitaque salutis, præsertim vero extremi judicii tremendum diem tanta efficacia prædicabat, ut cujusvis generis homines ad eum audiendum adcurrerent, et a vitiis ad pœnitentiam traducerentur. Nihilominus calumniis servum Dei, ut aliquando fit, impetere cœperunt fratres, nactique partibus suis faventem hegumenum, e monasterio abire coegerunt Abraamium. Qui abiit in monasterium S. Crucis in eadem urbe, et prædicandi ministerium majore ardore resumpsit. Verum neque hic in pace relictus est, sed sacerdotum parochialium invidia apud episcopum Josephum accusatus, imo et hæreseos reus factus, coram eo sisti jussus est. Quem, nullo crimine invento, absolutum dimisit episcopus; et, licet interdicto ad tempus subjecerit Abraamium, mox tamen viri sanctitate comperta, non solum jura omnia ei restituit, sed et monasterio a se erecto præposuit, summaque amicitia exinde eum honoravit. Tandem meritis et virtutibus dives, insignis hic extremi judicii præco, cursum consummavit circa annum 1220, religionis quinquagesimo.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Colloq. Orthod. 1858, Sept., pag. 136, et Octobr., pag. 369. 3) Dict. hag., pag. 5. 4) Menol. ad h. d. 5) Macar., Hist. Eccl. Russ., tom. III, pag. 47 et seq.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. Memoria S. M. Agathonici et soc. (*Omnes cum Bas. CP. GP. Pg. Vind. Goth. Flor. Sirm. Dom. Maz. Taur. Mg.*).

Ex variis. SS. MM. Anthusæ, Athanasii, ep., Charisimi et Neophyti, famulorum S. Anthusæ (*Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Mg. Taur.*). S. Eulaliæ, virg. et mart. (*Men. Kal.*). S. Luppi (*Og.*). Festum B. M. V. Ibericæ seu Georgianæ (*Prol. Kal.*).

† Zotici, mart., socii Agathonici (*Taur.*). † Theclæ, mart. (*Neap.*). † MM. Severi et Memnonis (*Sirm.*). † MM. Irenæi, Or et Oropsis (*Mg. Sirm. Taur.*). † Memoria Ariadnæ, reginæ (*Taur. Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Agathonicus. In Ostr. nominatur solus; in Rum. et Prol. recentiore adduntur Zoticus, Bogolep seu Theoprepes et Zenonomus (lege Zeno); in Menæis insuper Acyndinus et Severianus. S. Agathonicus primo Byzantiæ flagellis cæsus, tum Selymbriæ capite damnatus est: hinc clara martyris apud CPolitanos notitia. — *S. Luppus.* Luppus refertur ab aliis die sequenti. — *S. Thecla.* Lapis Neopolitanus habet ita: NT. PAS. SCE THECLE, *natale passionis sanctæ Theclæ.* Ex qua epigraphe denuo manifestum fit, nota passionis non semper significari diem martyrii, quum constet S. Theclam obiisse non hoc die, sed 23 aut 24 Septembris. Plura de hoc argumento suppeditabit Sabbatinius in commentariis ad hunc diem. Cæterum alia quoque præsto sunt exempla, quibus opinio Sabbatinii comprobetur, ut quando ad diem 28 Augusti, quo Decollatio S. Joannis Baptistæ ab universa Ecclesia celebratur, marmor Neapolitanus habet: *passio* S. Joannis Baptistæ; quem alio die capite truncatum esse evangelica lectio testatur.

DIES XXIII.

Ex Ostromirano. Memoria S. Callinici, patriarchæ CPolitani (*Mst. Rum. Tern. Siš. Men. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Maz. Taur.*).

Ex variis. S. Luppi, mart. (*Ass. Par. Tern. Chil. Og. Pp. Men. Prol. Novg. Kal. cum Pg. Vind. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Irenæi, ep. Lugduni (*Men. Leop. Chil. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Dom. Mg. Taur.*). S. Timothei (*Par.*). SS. Eutychii et Florentii (*Men. Kal.*).

† Irenæi, ep. Sirmiensis (*Bas. Taur.*). † MM. Or et Orepseos, presb. (*Bas. Crypt.*). † MM. Silvani, Sabini et Pantherii (*Bas.*). † Eustathii, patr. Antiochiæ (*Bas.*). † Meletii, patr. Antiocheni (*Bas.*). † Pauli, ep. Neap. (*Neap.*). † Samuelis, proph. (*GP.*). † Bartholomæi (*Goth. Msq.*). † MM. 38 in Thracia (*Mg.*). † Tationis seu Datiani (*Dom.*). † Thallelæi, mart. (*Acta Gr.*).

OBSERVANDA.

S. Callinicus. In Ostr. legitur: *Patriarchæ Callinici;* in Ass. et Ostrog. additur: *CPolitani*; In Mst. simpliciter: *Memoria Venerab. Callinici.* In Rum: *episcopi Callinici.* De hoc patriarcha iterum agitur in Ostro- *S. Luppus.* mirano die proxime sequenti.—In Chil. perperam additur: *et socii*, quum nullum habuerit Luppus. — Duo Irenæi prodeunt hodie in Menol. Basilii, Sirmiensis unus, alter simplici titulo martyris insignitus. *Hieronem* codicis Cryptæ Ferratæ corruptelam esse Irenæi patet. Videsis Acta SS. ad xxix Augusti. — In cod. Paris. I refertur *Tumphus*, quod corruptelam esse puto Timothei; at cujusnam? *SS. Irenæus, Or et Oropsis.* *S. Timotheus.*

DIES XXIV ET XXV AUGUSTI.

cujusnam? probabiliter ejus quem supra retulimus ad 19 Augusti simul cum Agapia et Thecla. In moribus enim est codicis Parisini unum tantummodo e pluribus sanctis diei, sicubi occurrunt, commemorare, cæteris prætermissis.

DIES XXIV.

Ex Ostromirano. *Ex variis.* MEMORIA SANCTI PATRIS NOSTRI CALLINICI, PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLEOS (*Assem.*).

S. Bartholomæi, apost. (*Mst. Tern. Rum. Novg. cum Vind. Nan. Taur.*). S. Irenæi, mart. (*Tern.*). S. Eutychii, discipuli Joannis Theologi (*Rum. Novg. Prol. Chil. Siš. Og. Pp. Men. Kal. cum Bas. GP. Pg. Nan. Dom. Mg.*). S. Tatiani, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Mg.*). S. Georgii Limnæotæ, confes. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Mg. Taur.*). S. Syræ, virg. et mart. (*Men. Kal.*). Translatio corporis Petri metr. Kioviæ (*Men. Kal. Prol.*). Arsenii, heg. Komelscensis (*Prol. Kal.*).

† Menæ, patr. CPolitani (*Bas.*). † Titi, ep. Cretæ (*Neap. Goth. Msq. Flor.*).

OBSERVANDA.

S. Callinicus patr. CP. S. Callinicum retulimus pridie ex pluribus codd. Slavicis et Græcis. Hodie recoli translationem ejus reliquiarum testatur cod. Assemani glagoliticus. Sanctis accensetur in omnibus Menologiis Menæisque decimo sæculo posterioribus; at in Kalendario CPolitano Morcellii, quod post annum 740 exaratum fuit, prætermissus est; cujus omissionis rationem evolvit clar. vir, quem equidem exscribere nolo. Hoc tamen observabo: in Indice Patriarcharum CPolitanorum, quem ad diem XXXI Augusti adjecit idem Morcellius, Callinicum nominat, dempto titulo *sancti*, quamvis eum sanctitate claruisse paulo antea in textu disertissime affirmaverit. Cfr Kal. CPol., t. II, p. 230. — In Ternob. legitur : *Translatio reliquiarum S. Bartholomæi, apostoli, et Irenæi, martyris.* Vide diem sequentem. — Neapolitani diem hunc S. Tito tribuunt, dum Græci non secus ac Romani a sæculo VIII eum honorant die XXV Augusti. Græcos imitati sunt synaxaristæ Slavi, quibuscum et nos de hoc sancto discipulo apostoli Pauli et episcopo Cretensi agemus crastina die.

S. Bartholomæus. *S. Titus.*

DIES XXV.

Ex Ostromirano. *Ex variis.* PASSIO S. APOSTOLI TITI (*Omnes cum Bas. CP. GP. Vind. Flor. Msq. Pg. Sirm. Dom. Maz. Mg. Taur.*).

SS. PP. nostrorum archiep. CPolitanorum Epiphanii et Mennæ (*Assem. Men. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Mg. Taur.*). Translatio reliq. S. Bartholomæi, apostoli (*Chil. Siš. Og. Pp. Ap. Men. Kal. Prol. cum Neap. Msq. Pg. Maz. Mg.*). SS. confessorum, qui Edessæ ab Arianis persecutionem pertulerunt (*Men. Kal. Prol.*). SS. Cyrilli et Methodii, episcoporum Moraviæ et apostolorum Slavicæ gentis (*Prol. mss.*).

† Memoria SS. PP. nostrorum Gennadii et Joannis, archiep. CPoleos (*Taur. Bas.*). † Thaddæi, apostoli (*Coisl.*).

OBSERVANDA.

S. Titus. Quæ de patria S. Titi et prima institutione in Menologiis Menæisque leguntur, fabulosa esse videntur (V. Bollandianos, Jan. tom. I, pag. 163; Tillem., tom. II, pag. 141). In Ternob. annuntiatur his verbis : *Sancti apostoli Titi, episcopi Cortinsis* (lege Cretensis), *qui fuit discipulus S. Pauli, apostoli;* fere eodem modo in Assem. : *episcopi, discipuli magni apostoli Pauli;* item in Mst., præter titulum episcopi. — In Kal. et in Menologio Veršinskiano nomen Epiphanii desideratur, æque ac in Basiliano; cujus loco, post Mennam leguntur Gennadius, Joannes et Stephanus. — Translatio S. Bartholomæi refertur hodie in codd. recentioribus, quibus præivisse Chilandaricum Typicon facile posset demonstrari. Observatu digna est lectio Kal. Neap. in quo habetur: *natale passionis* S. Bartholomæi, apostoli; unde iterum liquet nota illa non semper indicari diem obitus aut martyrii. — In musæo Rumiantsoviano, pretiosissimis codicibus referto, exstat Prologus mss. pergameneus, sæculo XIII vel ineunte XIV in Serbia, ut putatur, exaratus, cujus ampliorem notitiam jampridem dederat Alexander Vostokov, in eruditissima sua codicum hujus musæi descriptione ad numerum CCCXIX, pag. 447 et seq. Continentur hoc Prologo seu rectius Menologio breves sanctorum Vitæ pro singulis anni mensibus, quorum unus tantum, September, deperditus est. Jamvero ad 25 Augusti legitur ibidem *Commemoratio sanctorum et vere venerabilium Patrum nostrorum, Moraviæ archiepiscoporum, Constantini, qui et Cyrillus Philosophus nuncupatur, et Methodii fratris ejus, ac Slavicæ gentis doctorum.* Additur continuo : *Eorumdem memoriam peragit Ecclesia die 6 Aprilis, magnaque celebrat solemnitate.* Prima illa annuntiatio nullam sibi habet secundam; constat enim SS. Cyrilli et Methodii festum agi apud Slavos occidentis, puta Moravos, Bohemos, Illyrios 9 Martii aut etiam 11; apud orientales vero 14 Februarii, 6 Aprilis et 11 Maii, ut ad singulos dies fusius dictum est in præsentis operis decursu. Est itaque hodierna festivitas antiquorum Serborum propria, recentioribus autem prorsus ignota; quæ idcirco minime erat prætereunda. Porro plura ex Vita superius allata colligi possunt observatu non indigna. Primo quidem liquet, S. Cyrillum quoque, nam de Methodio nemo dubia movit, episcopum habitum fuisse, quemadmodum id perhibetur in Legenda Moravica recentioris ævi, in lectionibus, additis Breviario Romano et in plurium eruditorum virorum scriptis. Notandum tamen cum Josepho Dobrowskio, titulum archiepiscopi præscribi S. Cyrillo in sola epigraphe, in ipso vero elogio tribui soli Methodio. Alterum est, quod Methodius dicitur fratri suo comes exstitisse in itinere Khozarico et Saraceno; et quidem Khozaros adiisse Methodium una cum Cyrillo, innotuit nobis aliunde, ex *Legenda Pannonica;* at de itinere ejus Saraceno nuspiam legitur, præterquam in concione panegyrica : unde forsitan sua deprompsit Prologi Serbici auctor. Quæ ad iter sanctorum Moravicum et Romanum spectant, ea satis consonant Legendæ Pannonicæ. Similiter utraque narratio concordat in eis quæ pertinent

S. Epiphanius. *S. Bartholomæi translatio.* *SS. Cyrillus et Methodius.*

pertinent ad mortem triduo ante prædictam et sepulturam S. Methodii. Nimirum dicitur in Prologo Serbico *conditus fuisse in magna Ecclesia Moraviæ, pone altare SS. Deiparæ, in muro ad sinistram;* idem, sed minus distincte, indicavit Legendæ Pannonicæ auctor his verbis : *et posuerunt eum in ecclesia cathedrali.* Intelligendam esse ædem archiepiscopalem, quæ in civitate principe Velegrad dicta exstiterat, sententia est plurimorum auctorum gravibus documentis comprobata, refragantibus licet quibusdam non spernendæ eruditionis viris. Notabile est de Velegradensi civitate testimonium Briačislai, ducis Moraviensis, quod ex fragmento antiquissimi codicis Ecclesiæ Olomucensis, a professore Monse qui illud detegerat, Monsiano dicto, vulgavit clar. Boček, Codex diplom. et epistol. Moraviæ, tom. I, n° CXXVII, pag. 112. Constat autem his verbis : *Illacrimavi sane et intimo corde sum perculsus,* quando videbam loca illa sacra, *ubi cœpit christianitas*, per eosdem Ungaros, tum paganos, devastata et diruta atque in ruderibus dissipata jacere et ecclesias in illis partibus terræ nostræ omnes ad unam spoliatas et profanatas existere; *et devovi pio meo tum proposito magnam spoliorum copiam ab eisdem vastatoribus et spoliatoribus receptam in reædificium prædictarum ecclesiarum impendere, deponendo ipsa super altare ejus cui ablata, atque quo opitulante recepta esse dignoscuntur. Hinc est, quod ego Briachislaus, dux Moraviensis, etiam ecclesiæ sancti Petri in Olomuci et capellæ quæ est in honore B. Clementis constructa ibidem, eam dotis suæ restitui fecimus portionem, quam ipsi ex collatione antiquorum hujus terræ principum concessam esse scripto et oretenus veraciter didicimus* et reliqua. Scripta fuisse hæc anno 1028 auctor est Palacki, Dêjiny narodu českeho, tom. I, part. 1, pag. 298. Quod autem verba illa *ubi cœpit christianitas* referenda sint ad civitatem Velegradensem, (quasi diceres Magnam urbem seu Megalopolim), id apparet ex altero instrumento ejusdem Briačislai, anno 1030 dato, in quo præter alia leguntur hæc : *Briachislaus, dux Moraviensis, tradidit ad ecclesiam, quam in loco novæ civitatis Zpitigneu, in memoriam victoriæ suæ super Ungarorum gente locandæ, honorifico opere construxerat, universam dotem, quæ olim ecclesiæ,* B. juxta Vueligrad, ubi cepit christianitas, *in loco quondam civitatis* Deuin *exstitisse cernitur etc.* Sed de Velegradi situ, nominibus, deque tota hac questione, admodum nostris diebus controversa, opportunior disserendi locus præstolandus est. Interea legantur ea quæ hac de re conscripserunt Schafarik, Palacki, Dudik, Brandl, Bily aliique; accedit Josephus Bodianski, Slavicarum litterarum in Universitate Mosquensi professor, in opere magnæ eruditionis : *De elementorum Slavicorum origine,* anno 1855 Mosquensibus typis vulgato; cui, si quid boni insit huic adnotationi, totum tribuendum est. A quo etiam sequens troparium, utpote quod ex antiquo quodam officio ms. erutum est et ad rem facit, mutuabor : *Sancte Methodi, magister sapientissime,... beatum te prædicat Moravorum terra, quæ venerandum tuum corpus possidet, et Pannonica, fidei lumine a te illustratæ; tuamque celebrat commemorationem gens utrinque congregata* (loco cit. pag. 78). Ex dictis hactenus patet errasse Jacobum Coletum, aientem SS. Cyrillum et Methodium *supremum diem Romæ obiisse, eorumque reliquias quiescere in ecclesia S. Clementis, papæ et martyris, cujus corpus ipsi e Chersoneso Romam retulerant* (Illyr. sacri, tom. VIII, pag. 296, not. 4). Optime tamen sequentia de eisdem addidit ibidem : *Iis gens Slavonica et Illyrica ritum debet divina officia mysteriaque celebrandi propria ipsorum lingua, a Romanis pontificibus probatum; et digni maxime sunt, qui summo honore ab Illyricis hominibus colantur, habeanturque veluti principes nationis totius patroni. In Ecclesia Ragusina coluntur die hujus mensis (Martii) undecima.* Hæc Coletus, in adnotationibus ad Martyrologium Illyricum, in quo, ad diem 9 Martii, sic habetur : *In Moravia SS. Cyrilli et Methodii, qui Slavorum gentes apostolicis laboribus ad Christi fidem cultumque perduxerunt.* Plura de eisdem tradidit Daniel Farlatus tomo III Illyrici sacri, qui Serborum præcipue conversionem illis attribuit, pag. 64.

Dies XXVI Augusti.

DIES XXVI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Adriani et Nataliæ et 23 soc. (*Mst. Ass. Tern. Par. Rum. Novg. Chil. Og. Men. Prol. Kal. cum Bas. Neap. GP. Pg. Vind. Goth. Msq. Flor. Sirm. Maz. Mg.*). Allatio imaginis B. M. V. Vladimiriensis Mosquam (*Men. Kal. Prol.*).

† Metrophanis, ep. CP. (*Bas.*). † Patriarcharum Joannis, Epiphanii, Mennæ (*Pg.*). † Attici, Sisinnii et Ibistionis, conf. (*Mg.*). † Josaphati, filii regis (*Mg.*). † Adriani, mr. patris Probi, ep. CP. (*Bas. Sirm. Mg.*). † Tithois, mon. in Thebaide (*Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Adrianus et Natalia.

In codice Assemani glagolitico SS. Adriano et Nataliæ adduntur viginti tres socii; dum in quibusdam aliis nominatur solus Adrianus. In Mstisl. et Rum., non secus ac in marmore Neapolitano, signatur hodie eorum passio; Baronius autem in notis ad Martyrologium suum statuit SS. Adrianum et Nataliam martyrii palmam obtinuisse quarta die Martii, octavam vero Septembris esse translationis anniversariam. Ultimæ huic sententiæ repugnant Bollandiani, asseverantes 8 Septembris fuisse diem martyrii ab eis consummati. Esto. Quæritur, quamnam ob rationem præscripta sit nota *passionis* hodierno festo? Ex duobus itaque unum: aut prædicta nota incertum est criterium ad statuendum verum diem obitus, aut incertus est dies quo martyrium fecerunt sancti quorum nominibus hodie præscribitur. — Imago B. M. V. Vladimiriensis allata fuit Vladimiria Mosquam anno 1395; ut fusius declarabitur in Memoriis Slavicis hujus diei. — S. Metrophanes, patr. CPoleos, in Bas. jungitur cum S. Adriano, patre Probi, et uterque vocatur episcopus Byzantinus. Nullum episcopum Byzantii exstitisse ante S. Metrophanem, dixi alibi ad diem 4 Julii, quo memoria S. Metrophanis solet celebrari.

Allatio imaginis B. M. V. Vladimiriensis.

S. Metrophanes, patr. CP.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

B. Mariæ V. Vladimiriensis occursus festum.

Anno 1395, metropolita Cypriano I, regnante Basilio Demetriade, irruperunt in Moscoviam Tartarorum turbæ, duce Tamerlano. Qui, capta Elecia urbe, et magno christianorum numero

Dies XXVIII Augusti.

numero interfecto, quum jam Mosquæ cum ingenti exercitu appropinquaret, universam regionem devastaturus, tantum terrorem principi incussit, ut desperatis humanis rebus, extra cælitum auxilium salutem nullam videret. Dum igitur ad Okam fluvium cum copiis suis moraretur Basilius, Tamerlanus vero quindecim dies integros alicubi hæreret, imaginem B. Mariæ V. victoria de Bulgaris olim reportata aliisque miraculis celebrem, Vladimiria, quæ Transylvana cognominatur, Mosquam afferri jussit Cyprianus, metropolita. Ipse vero interea diu noctuque preces in ecclesia fundit, clero populoque circumfusus. Advenienti imagini fiducia plenus obviam it, eamque summa veneratione in civitatem defert, pie deprecatus, ut hostis ab urbe avertatur. Sequebatur frequens populi turba ad B. Virginem clamans : O Mater Dei, salva Russorum terram! Et salva facta fuit Russia, optimæ Matris auxilio. Nam eadem die, qua Mosquam advecta est imago, (erat autem dies 26 augusti,) Tamerlanus, repentino terrore correptus, terga vertit, finesque Moscoviæ illæsos reliquit. In cujus liberationis memoriam in agro Kučkovo, ubi imago fuerat excepta, templum cum monasterio exstruxit Cyprianus sub titulo Occursus B. Mariæ V., diemque istam, quam *Obviationis* seu *Occursus* nomine designant Russi, quotannis celebrandam statuit. In ipsa vero urbe Mosquæ institui solet hac die solemnis processio ex ecclesia cathedrali Assumptionis ad monasterium *Occursus;* quo ipsa solemnitas, quæ tempore Cypriani fuerat celebrata, ad vivum quadamtenus repræsentetur.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Lib. grad., I, 547-555. 3) Menol. Verš. ad h. d. 4) Assemani, Kalend. VI, pag. 440 et 540.

DIES XXVIII.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Pimeni Magni, eremitæ in Lybia (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Novg. Prol. et cæt. cum Bas. GP. Pg. Sirm. Flor. Dom. Maz. Mg.*). S. Pimeni in Palestina (*Men. Kal.*). S. Liberii, papæ Rom. et conf. (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Vind. Sirm. Dom. Mg.*). S. Hosii, ep. Cordubensis et conf. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Mg. Taur.*). S. Kukšæ, hieromart. (*Pat. Men. Kal.*). S. Anthusæ Junioris, mart. (*Kal. cum Mg. Sirl.*).

† Rufi, mart. (*Neap.*). † Bartholomæi, ap. (*Flor.*). † Euthaliæ, virg. et mr. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Pimenus. In Rum. et Ternobiensi habetur : *Pumenus;* quæ litterarum *i* et *y* in *u* mutatio in Slavonico idiomate sæpissime usuvenit. Cfr de eo Acta SS.,

S. Liberius. pag. 25 et seq. — Notandum valde, Liberium, pontificem Romanum, coli a Russis et aliis Græco-Slavis veluti sanctum et fidei catholicæ confessorem; in Menæis Græcis insuper aperte negari ejus lapsum. Apud Latinos colitur Liberius die XXIII Septembris; ad quam prolixum commentarium critico-historicum de eo instruxit Stiltingius, pag. 572 et seq. — Illud quoque notabis cum

S. Hosius. cl. Morcellio, in SS. Hosio et Liberio Græcos cum Latinis liberalius egisse quam optare fas esset: neque enim Hosium Latini coluisse unquam videntur; Liberii vero rara in Martyrologiis veteribus mentio est, in recentioribus nulla. Calend. CPolitani, t. II, pag. 145. De sanctitate et cultu Hosii egregie tractavit Michael Josephus Maceda, presbyter, in opere cui titulus est: *Hosius vere Hosius,* Ὅσιος ἀληθῶς ὅσιος, hoc est, Hosius vero innocens et sanctus. Bononiæ, 1790; præsertim a pag. 241 ad pag. 375. In Taur. vocatur episcopus Cudrumensis, Κουδρούμης, in Hispania. — Duo martyres *S. Rufus.* hujus nominis citantur hodie in Fastis; episcopus alter sæculo primo, alter laicus sub Diocletiano tormenta passus. Posterior socios martyrii habuit Carponem et Carponium seu Carpophorum; de quibus omnibus legatur tractatio in Actis SS. ad hanc diem, p. 17 et seq. De utronam ex duobus hodie agatur in Kal. Neapolitano, non liquet. Uterque palmam tulit Capuæ, in Campania.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Kukša, mon. Cryptensis et martyr.

Floruit Kukša sæculo duodecimo, fuitque unus e celeberrimis monasterii Kievocryptensis alumnis, et Pœmeno, hegumeno ab anno 1133 ad annum 1141, amicissimus. Sacerdotio initiatus, Viaticensibus, quæ erat barbara gens et idolorum cultui maxime inserviens, verbum Dei prædicavit, miraculis doctrinam suam comprobans. Elementis nempe et dæmonibus imperabat : pluviam e cælo precibus impetravit et paludem quamdam siccam fecit ac multa alia patravit signa. Quibus cum plurimos ethnicos Christo lucraretur, ira acti idolorum sacerdotes virum Dei comprehendunt, variisque tormentis cruciatum, capite truncant; una cum ejus discipulo, quem Niconem alii, alii Joannem appellant. Pretiosam amici sui mortem prænuntiarat fratribus Pœmenus.

Cfr 1) Prolog. ex Paterico ad h. d. 2) Dict. hag, pag. 162. 3) Menol. Verš. ad h. d. 4) Philaret., Hist. Eccl. Russ., tom. I, pag. 22.

Mercurius Smolenscensis.

Floruisse videtur Mercurius circa annum 1100, utpote successor Simonis, episcopi Smolensci; cujus mentionem faciunt chronographi ad annum 197. Colitur hac die in Laura Kioviensi; quiescit vero in crypta Antonii.

Cfr Dict. hag., pag. 181.

Pœmenus, mon. Cryptensis.

Fuit Pœmenus unus e notissimis monachis Cryptensibus, abstinentia et sanctitatis studio non minus quam curationum et prophetiæ dono conspicuus, ideoque Jejunator et Providus cognominatus. Mortem prædixit Kukšæ, a Viaticensibus interfecti; quin et se eadem die, qua

qua amicus recesserat, vita functurum duobus annis antea prænuntiavit. Obiit itaque hac die, anno 1147, postquam monasterio Kievocryptensi præfuisset ab anno 1132. Meminit ejus Polycarpus in celebri epistola ad Acyndinum, hegumenum Cryptensem, data, ubi agit de Spiridione, monacho. DIES XXVIII AUGUSTI.

Cfr 1) Menol. ex Paterico ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 230. 3) Descriptio Lauræ Kiov., pag. 133. 4) Macarius, Hist. Eccl. Russ., II, 21, 66. 5) Menol. Verš. ad h. d.

Sergius, Obediens, mon. Cryptensis. De Sergio id unum dicendum, quod in cryptis Antonii sepultus fuit, et in Laura Kioviensi ad hanc diem celebratur.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 249. 2) Descriptio Lauræ Kiov., pag. 87.

DIES XXVIII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Moysis Æthiopis, seu Murini (*Mst. Tern. etc. cum Bas. GP. Vind. Pg. Msq. Flor. Sirm. Dom. Maz. Mg.*). S. Sabæ, Pscovensis (*Prol. Kal.*). Commemoratio Patrum Kievo-Cryptensium (*Kiov.*). S. Annæ, filiæ Phanuelis (*Kal. Prol. cum Mg.*). S. Suzannæ, reginæ Iberiæ (*Iber.*).

† Augustini, ep. (*Hor. cum Neap.*). † Pœmeni (*Goth. Vind. Msq.*). † Callinici, patr. CP. (*Dom.*). † Irenæi, ep. Syrmii (*Dom.*). † Acacii Junioris (*Mg.*). † MM. Diomedis et Laurentii (*Mg. Chiffl.*). † Ezechiæ, regis (*Mg. Sirl.*). † Anastasiæ, patriciæ (*Sirm.*). † Triginta trium Nicomediæ (*Sirm.*). † Damæ, mart. et thaumaturgi (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Moyses. In Par.: *Patris nostri Æthiopis.* Cfr Acta SS., Aug., tom. VI, pag. 211. — Obiit Sabas, anno 1495, die 30 Augusti. De eo plura habes in Memoriis Slavicis. — Quia Ezechias propheta ad vetus spectat testamentum, et in Martyrologio Romano non habetur, ideo prætermissus est in Actis SS. — De S. Dama, hieromartyre, quædam legere est in Vita S. Eupsychii, die IX Martii, in Actis Sanctorum. — Quemadmodum S. Hieronymi, ita et S. Augustini rara est mentio in Fastis Græcis et Slavicis. Commemoratur tamen hodie S. Augustinus in Horologio Počajovensi Ruthenorum cum Romana sede unitorum. In marmore Neap. notata est ejus *depositio*.

Sabas.

S. Ezechias.

S. Damas.

S. Augustinus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Patrum Cryptensium memoria. Qui in cryptis S. Theodosii seu remotioribus quiescunt, et quorum nomina nec in Kalendariis, nec in Menæis aut Prologis occurrunt, sed solummodo in Paterico commemorantur, ii omnes communiter coluntur hac die. Sunt autem sequentes, ordine alphabetico dispositi :

1) Achilles, diaconus,
2) Agatho, thaumaturgus,
3) Ammon, reclusus,
4) Anatolius, reclusus,
5) Arsenius, laboriosus,
6) Cassianus, reclusus,
7) Dionysius, reclusus,
8) Euthymius, schemate indutus,
9) Gerontius, conarchista,
10) Gregorius, miraculorum patrator,
11) Hilarion, schemate indutus, et ab Hilarione, metrop. omnino alius,
12) Hypatius, medicus,
13) Ignatius, archim. Cryptensis,
14) Joseph, patiens,
15) Leontius, conarchista,
16) Longinus, ostiarius,
17) Lucianus, hieromartyr,
18) Macarius, diaconus,
19) Mardarius, reclusus,
20) Martyrius, reclusus,
21) Martyrius, diaconus,
22) Moyses,
23) Nestor, litterarum expers,
24) Paisius,
25) Pambo, reclusus,
26) Pancratius, hieromonachus reclusus,
27) Paphnutius, reclusus,
28) Paulus, obediens,
29) Pior, reclusus,
30) Pœmenus, jejunator,
31) Rufus, reclusus,
32) Silvanus, schemate indutus,
33) Sisoes, schemate indutus,
34) Sophronius, reclusus,
35) Theodorus, silentiarius,
36) Titus, miles,
37) Veniamin,
38) Zacharias, jejunator,
39) Zeno, jejunator.

Quorum omnium sola nomina innotuerunt. Vitæ tempus intra sæculum XII et XIV definiri potest. His addantur triginta et unus alii viri, sancti dicti, sed nominetenus duntaxat noti; quorum crania in eisdem cryptis asservata, oleum stillasse perhibentur. Insuper adnumerari illis solent, duo alii, Theophilus, episcopus Novgorodiensis, et Theodorus, dux Ostrogiæ, omnino dubiæ sanctitatis viri, imo religionis catholicæ inimici, et ex sanctorum albo expungendi. Uterque floruit sæculo XV; et quidem Theophilus Novgorodiæ; qua urbe relicta, non procul a Mosqua monasterio Salvatoris inclusus, obiit anno 1484; Theodorus vero in Volynia, anno 1434.

Cfr 1) Dict. hag., Præfat., pag. 4.

Sabas, Pscovensis. Sabas, natione et educatione alienigena, in Russiam venisse perhibetur ex Serbia vel e Monte Atho, et in monasterio B. Mariæ V. in monte Sniatno aliquandiu degisse cum hegumeni munere. Tum ad Euphrosynum, sanctitatis fama apud Pscovenses celebrem, in mo-

Dies XXIX Augusti.

nasterium Tolvense transiit, unde in Cryptensem solitudinem secedens, monasterium in colle quodam ibidem condidit, Cassiano discipulo hegumeno constituto. Verum Sabæ humilitas minime impedivit, quominus ab hominibus societas ejus appeteretur. Inter quos principem sane locum obtinet Jaroslaus dux, locique dominus, cum quo frequens ei consuetudo et sancta quædam familiaritas intercessit. Pro auro et argento, quo cumulabatur a principe, spirituales thesauros eidem servus Dei rependebat. Quadam autem die ejusdem uxori, gravi morbo laboranti, sanitatem reddidit impertita benedictione. Tandem virtutibus et miraculis clarus, obdormivit somno mortis die 28 augusti, anno 1495, a Synodo Mosquensi sanctorum numero additus anno 1547.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 237.

Theophilus. archiep. Novgorodensis.

Successit Theophilus Jonæ, anno 1471, seditque ad annum 1478; quo destructa republica Novgorodensi, ipse quoque sede motus est, et in monasterium Tchudovo seu Miraculorum prope Mosquam inclusus in dicto monasterio, vel, ut alii docent, obiit anno 1484, die 26 octobris, dum Kioviam perigrinaretur, voto olim emisso sese liberaturus. Colitur tamen ad hanc diem.

Cfr 1) Descriptio Lauræ Kiov., pag. 107. 2) Dict. hag., pag. 286.

DIES XXIX.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Decollatio Joannis Præcursoris et Baptistæ (*Omnes cum Bas. Neap. CP.*).

SS. martyrum qui Strumitzæ passi sunt, Timothei, Theodori, Eusebii et soc. (*Assem.*). S. Theodoræ Thessalonicensis (*Assem.*). Depositio Zonæ S. Deiparæ (*Par.*).

† Felicis, mart. (*Med.*).

OBSERVANDA.

Decollatio S. J. Baptistæ.

In Fastis Slavicis solemnis titulus hujus diei est *Abscissio capitis S. Joannis Baptistæ;* ita in Mst., Rum., Menol., Prol., Horol. et reliquis. Ostromirano præplacuit forma brevior *abscissio*, Græcorum ἀποτομήν, Latinorum *decollationem* adcuratius et pressius reddens. In marmore Neapolitano insculptum est: *passio sancti Joannis Baptistæ;* unde tamen perperam concluderes hac formula significari diem emortualem, siquidem decollationem S. Joannis evenisse circa solemnitatem paschalem ex evangelico testimonio comprobatur. Quid itaque? Recolitur ejus decollatio, occasione capitis ejusdem secundo inventi Emessæ et in ecclesia urbis conditæ ut diserte habetur in Martyrologio Romano.

SS. Martyres Strumitzæ.

— SS. Martyrum Strumitzensium seu Tiberiopolitanorum memoria recolitur hoc die in solo codice Assemani glagolitico. In libro rarissimo, excuso Moschopoli anno 1741, cujus summam non ita pridem vulgavit clar. Fr. Miklosich in Vita græca S. Clementis, episcopi Bulgariæ, inter alia officia Ecclesiæ bulgaræ propria, continetur Ἀκολουθια των ἁγιων πεντεκαιδεκα ἱερομαρτύρων των ἐπι Ἰουλιανου του παραβατου μαρτυρησαντων ἐν Τιβεριουπολει τη κοινως ἐπικαλουμενη Στρουμνιτζη; id est Acoluthia seu Officium sanctorum quindecim sacromartyrum qui sub Juliano apostata Tiberiopoli, vulgo Strumnitzæ dictæ, passi sunt. Refertur autem non ad hunc diem, sed ad 28 Novembris, quo pro fide vario supplíciorum genere perempti sunt. Iidem in Menæis excusis citantur sub sola *martyrum in Bulgaria interfectorum* annuntiatione sine synaxario; in Menologio Basilii laudantur ad 23 Julii, sed tacitis nominibus; quapropter et a Sollerio in Act. SS. ad 23 Julii prolati sunt cum generico titulo *SS. martyrum anonymorum in Bulgaria.* Jamvero in Officio Moschopolitano nominantur omnes quindecim, nempe Timotheus, Comasius, Thomas, Eusebius, Sergius, Daniel, Socrates, Chariton, Basilius, Theodorus uterque, Petrus, Nicephorus, Ierotheus et Joannes. Horum certamen, prolixo calamo exaratum, continetur operum Theophylactis, archiepiscopi Bulgariæ, tomo III, a pag. 490, utpote qui narrationis hujus auctor vulgo habeatur; quamvis eam Theophylacto hujus nominis primo adjudicandam esse equidem verosimilius ducam. Sed missa de auctore quæstione, quæ non est hujus loci, nec quidquam ad rem facit, ipsammet narrationem compendiose hic referendam esse censui, siquidem plura continet ad res Bulgarorum sacras illustrandas propria, nec a gestis SS. Cyrilli et Methodii omnino aliena. Hic namque Strumitzæ diu commoratus esse traditur, imo toti provinciæ regendæ præfuisse, antequam, deposita hac dignitate, monasticam vitam amplexus sit. In hac eadem regione, Slavis referta, primitias apostolatus sui posuisse utrumque sanctum, non improbabilis est sententia quorumdam eruditorum. Præterea, quum sanctorum horum martyrum expresse meminerit ad hanc diem codex Assemani glagoliticus, quem in Bulgaria et in usum Bulgarorum conscriptum esse procul dubio est, quumque ego Slavica Kalendaria potius quam Græca sequi soleam, idcirco opportunius visum est de eisdem ad præsentem diem agere, quam ad 28 Novembris Græcorum exemplo differre. Qua occasione adnotabo, corrigendum esse B. Kopitarium, quando in Prolegomenis codici Remensi præmissis, qui Cyrillo-Glagoliticis litteris exaratus est, martyrum numerum ad XIV reducit; ad hæc, Comasium apud Theophylactum vocari etiam Etimasium. — S. Theodoram commemoravimus ad 5 Aprilis. — De festo B. M. Virginis vulgo agunt fasti ultimo Augusti, ad quem idcirco remittendum est. — Similiter remitti debet S. Felix, martyr, ad diem sequentem, qui ejus proprius est.

S. Theodora, Thessalonicensis. Depositio Zonæ B. M. V. S. Felix.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

SS. Martyres Strumitzæ seu Tiberiopolitani.

Tempore Juliani apostatæ, cum improbus imperator cunctis civitatum præsidibus potestatem fecisset, ut quidquid vellent in christianos agerent, persecutoris rabiem experta est quoque Nicæna civitas, ubi aliquot annis ante Arius damnatus fuerat. Impium imperatoris mandatum ut primum cognovit Nicææ præfectus seu commentariensis, id exsecutioni ut quantocius mandaret, edictum per totam civitatem promulgari jussit, quo præcipiebatur, ut cuncti qui Christum adorabant, ea religione dimissa, diis sacrificarent, secus, scirent, se intolerandis cruciatibus puniendos. Hoc promulgato iniquissimo edicto, sequente die

die omnes in theatrum convocat, cumque in sublimi tribunali consedisset, blandos primo sermones ad universum cœtum habuit. Quibus auditis, non pauci professi sunt se idem cum imperatore de religione sentire; quos præfectus honoribus ac muneribus auctos, illustriores in speciem fecit. Alii vero summa libertate unoque ore confestim exclamarunt, se non posse Christum qui verus Deus est abnegare, et idolis surdis et mutis sacrificare. Statimque cœpti sunt a satellitibus cruciatus ac etiam mors quibusdam inferri. Hinc alii clam montes et solitudines petierunt, alii per varia loca dispersi sunt, patriam, domesticos, amicos et omnia quæ possidebant contemnentes, ut Christum solum lucrifacerent. Ex horum numero fuere Timotheus, Comasius seu Etimasius, Eusebius et Theodorus : qui, relicta Nicæa, Thessalonicam commigrarunt; sed modico tempore ibi commorati, cum ejus quoque civitatis præsides, impii imperatoris voluntati obsequentes, sedulam navarent operam, ut christianorum res omnino pessumdarent, et ut si fieri posset, neque ipsum Christi nomen amplius in ea civitate et circumjacente regione audiretur; Thessalonica etiam relicta, Tiberiopolim, hodie Strumitzam, ad borealem illius plagam in principio terræ Illyricorum positam, sese contulerunt. Ubi non nihil libertatis adepti, verbi semen in animarum agros rite spargentes, fructuosam uberemque agricolationem Christo Domino fecerunt. Non minus vero vita, quam divini verbi prædicatio, in ipsis elucebat. Quam ob rem Timotheus Ecclesiæ Tiberiopolitanæ episcopus constituitur; Comasius, qui antea inter milites præcipuum locum tenuerat, cingulum solvit; ac monasticum habitum indutus, ipse quoque verbum salutis in circumjacentibus Tiberiopoli locis prædicabat. Etiam Eusebius monasticam vitam amplexus, cum verbi prædicatione tum vitæ sanctitate multos ad bonam frugem adduxit. Ab avaritia vero summopere abhorrens, paucula quæ possidebat, cum pauperibus communicabat, adeo ut pater orphanorum et viduarum adjutor diceretur; erat item valde mansuetus ac suavis. Theodorus autem, episcopus, fuit unus ex illis trecentis octodecim patribus, qui ad concilium Nicænum convenerant. Quibus adnumerandi sunt Petrus, Joannes, Sergius, Theodorus et Nicephorus, presbyteri; Basilius et Thomas, diaconi; Hierotheus, Daniel et Chariton, monachi, ac tandem Socrates, olim militiæ addictus. Hi igitur, cum omnes simul convenissent, genus quoddam vitæ plane angelicum aggressi sunt. Illuminabant vero omnes loci illius incolas veræ cognitionis lumine, et ita quidem ut dum animarum mederentur languoribus, eos, qui corporalibus infirmitatibus detinebantur, absque cura non præterirent : quibus miraculis evangelium quasi velocius reddebatur. Quamobrem illorum fama longe lateque celerrime pervagata est, ita ut etiam Thessalonicæ frequens de eisdem sermo haberetur; et ut Valens et Philippus, Thessalonicæ seduli mandatorum Juliani executores, audientes et ipsi propter sanctam conversationem ipsorum neminem Tiberiopoli et circumjacentibus in locis qui gentilismum tueretur superesse, zelo exardescerent pro patriis ritibus. Primo itaque decernunt, mittere Tiberiopolim apparitores aliquot sævos ac truces, qui illis vel persuaderent, ut, imperatoris obsequentes voluntati, diis sacrificarent; vel hoc renuentes intolerandis primum cruciatibus afficerent, ac dein gladio vitam ipsis adimerent. Mox vero mutata sententia, consultius visum illis est, ut non aliis id negotii imponerent, sed ipsi illuc abeuntes omnem industriam ad finem consequendum adhiberent : siquidem contra murum firmiorem machinæ graviores sunt admovendæ. Tiberiopolim itaque profecti, cum omnes crudelitatis suæ fama primum complevissent, sanctos comprehendi et ad se adduci jubent. Quod ut factum est, in sublimi tribunali, ut eorum aspectus majorem terrorem incuteret, considentes, variis argumentis a christiana fide avertere eos conati sunt, sed frustra. Ad omnia namque quæsita nihil hæsitantes responderunt sancti; cumque, data loquendi occasione, fusius essent dicturi de omnibus quæ creduntur a christianis, tyranni sermonis filum abrumpentes : *Quid hoc?* inquiunt; *anne ob concessam vobis respondendi libertatem rhetores nobis constituti estis, quod facundiam ostentatis, quasi in theatro et non ante formidabile tribunal judicandi staretis? Sed non plura : assentimini diis immortalibus sacrificare, vel non? respondete. Absit*, dixerunt martyres, *ut nos, qui a Christo Deo e dæmonum servitute liberati sumus, ipsis dæmonibus eorumque simulacris sacrificemus*. Brevi hac et peremptoria responsione a sanctis data Valens et Philippus vehementius irritantur : et quoniam publica negotia eos Thessalonicam ut quantocius redirent urgebant, cum non possent diutius Tiberiopoli immorari, absque mora sanctos capite damnant. Ducebantur igitur illi per extremam beatam viam, quæ ducit ad vitam et ad gloriam æternam. Exultabant vero lætitia inenarrabili et internum gaudium externa alacritate significabant. Illud solummodo illos affligebat, quod perspiciebant spontaneam tyrannorum cæcitatem ad lumen veritatis; et quod futurum prævidebant, ut ob judicii formam, in speciem servatam, multi ex debilioribus forent in fide vacillaturi. Quamobrem unus sanctorum, nomine Petrus, presbyter, zelo divino actus, in judicem tyrannum invehitur; quapropter virgis crudeliter cæsus manibus et capite truncatur. Et quidem manus canibus in cibum sunt projectæ; quarum dexteram cum mulier quædam, a nativitate cæca, sibi ad pedes forte accidentem sensisset, tulit, et tegumento capitis quod gestabat involvit; domumque quam potuit celerrime remeans, cum ad oculos suos admovisset, ecce subito aperti sunt ejus oculi, statimque vidit lucem. Post paucos vero dies manum illam secum detulit in magnam Thessalonicensem civitatem, atque in venerabili S. Anastasiæ martyris sacello servandam deposuit. Porro, cum consummati essent hi sancti, die vigesima octava novembris, per multos dies eorum corpora indecore jacuere projecta in cibum bestiis et volucribus, honorem tribuere sepulturæ nemine audente, quod Valentis et Philippi crudelitatem adhuc præ oculis haberent. At postquam illi Thessalonicam redierunt, christiani, resumpto paululum animo, congregati sunt, ac sacra illa martyrum

DIES XXIX AUGUSTI.

martyrum corpora reverenter, ut decebat, sublata et mundis linteis involuta, omnibus quæ lex christiana præscribit rite persolutis, Tiberiopoli reposuerunt singulos in singulis urnis : quibus etiam singulorum martyrum nomina, vitæ genus, et dignitates quas in Ecclesia habuere inscripta sunt. Miracula vero non solum indigenis, sed etiam aliis ad extremas usque regiones large dispensabant sancti martyres. Quare multi gentilium tot prodigiis ad veritatis cognitionem adducti, ad Christi fidem accedentes sacro sunt consignati baptismate, ut jam nemo ex impiis Tiberiopoli, ac in circumjacentibus vicis ac montibus residuus esset. Imo eorumdem miraculorum virtute ad reliquas Occidentis partes fides protendebatur; adeo ut Tiberiopolis aliis Occidentis civitatibus esset ad instar conspicuæ cujusdam turris, quæ fidei facem proferret, et existentes in pelago infidelitatis a tenebricoso errore avocaret. Post plura sæcula, Borisо-Michaele Bulgarorum rege, apparuit in ejus regione S. Germanus; apparuerunt et sancti martyres isti. Illustriores tamen eorum apparationes factæ sunt in civitate Tiberiopolitana. Pervenit de his fama etiam ad aures Michaelis, Bulgarorum regis : qui utpote erga sacra quæque ferventissimus, jussit, ut templum illis in episcopio Bregalnitza ædificaretur, quod statim fuit executioni mandatum; et ut illuc sanctorum reliquias transferrentur, quod etiam minime neglectum est. Cum enim hoc negotium Taridinæ, comiti, homini Bulgaro, non solum genere nobilissimo, sed etiam summe industrio, demandatum esset; is nullo modo segnem in eo conficiendo se præstitit; sed superaddito naturali solertiæ suæ etiam zelo fidei erga mirificos martyres, templum multa cum celeritate, multorum manibus usus, perfecit. Deinde congregatis pontificibus, sacerdotibus, principibus, ac ingenti populi multitudine, cum hymnis et thymiamate Tiberiopolim contendunt. Stantes vero in loco ubi sancti apparere solebant, facta fervidis cum lacrymis prolixa oratione, effodere incipiunt et humum asportare : cumque satis effodissent, inveniunt sanctorum urnas tabulis ex polito marmore opertas, quibus inscripta erant singulorum nomina, forma staturæ, genus vitæ, dignitas et lineamenta visus. Sublatas vero tabulas istas marmoreas hominibus, qui eas ad domum episcopalem Bregalnitzæ deferrent, tradiderunt, ut, cum illuc translatæ essent sanctorum reliquiæ ac in sacro loco positæ, denuo illis operimento essent. Ipsas vero reliquias mundis linteis obvolutas in arculis ligneis, quas ad earumdem comportationem de industria fecerant, reposuerunt, rursusque prolixa oratione ad Deum facta, ejus in se misericordiam implorarunt. Quod dum fit, lectori cuidam, a multis annis muto, restituitur usus linguæ. Quod cum populus vidisset audiissetque illum multo tempore voce penitus destitutum fuisse, indeque miraculi magnitudinem perspexisset, quæ sanctorum potestatem declarabat, circum arcas sanctorum effusus, eas osculabatur, amplectebatur, atque arctissime tenebat, ut inde avelli non posset. At Tiberiopolitani reliquis adhuc vehementius commoti, ad comitem et ad episcopos dixerunt, se tantum thesaurum nequaquam dimissuros, imo et vincula et mortem ipsam pati potius paratos esse; mortem hujusmodi caram sibi fore, nec alio in loco sanctius sepulcrum se habere posse quam in isto, qui sanctos illos texerit et ubi paulo ante simul prandium sumpserint; nec adeo se esse ignavos, ut tantum bonum surripere volentibus sine pugna cederent, cum tot alii in præliis cadant ob bona corruptibilia et quorum sæpe domini non fiant ipsi. Hæc cum diceret populus et animosior videretur quam decebat, jamque ex parva scintilla magnum incendium pararetur, comes cum episcopis ægre impetrato silentio, modo suavitate, modo minis eum deterrere summo studio conatus est; verum multitudo majorem ciebat clamorem, omnesque ad mortem sese exhibebant promptiores. Quapropter, cum tempus inutiliter utrinque tereretur, tandem convenerunt, ut tres tantum ex illustrioribus sanctis tollerentur, nempe Timotheus, Comasius et Eusebius : reliqui Tiberiopoli relinquerentur. Sublatis igitur illis, Bregalnitzam cum præclaro hymnorum concentu multorum luminum gestatione suaviumque odorum effusione perrexerunt. Cum vero ab ea civitate viginti circiter stadiis abessent, obviam illis venit vir distortos pedes habens, subsidium sanctorum implorans cum lacrymis et clamore magno. Subito thecæ sanctorum adeo graves evaserunt, ut amplius ferri non possent. Quare ibidem depositæ sunt; quibus ut accidit miserabilis ille homo, continuo naturalem se movendi virtutem pedes ejus recuperarunt; thecæ vero iterum leves, ut erant antea, evaserunt. Itaque Bregalnitzam perlatæ sunt; ibique depositæ in dextra parte templi, quod in eorum honorem exstructum erat, die 28 prædicti mensis. Constituti sunt etiam pro hoc templo clerici, qui scirent sacra facere Bulgarico idiomate, ut ei præsiderent, ac in perpetuum sacras laudes concinerent. Præterea duos dæmoniacos et unum paralyticum sanitati reddidit S. Eusebius, ab ipsis cum fiducia invocatus.

Interea Vladimirus, Borisi principis filius, regnum administrandum susceperat. Cumque quatuor annos in principatu supervixisset, junior illius frater cui nomen Simeon, rerum administrationi admovetur. Hujus jussu Distrus, comes, sanctos Socratem et Theodorum Tiberiopoli Bregalnitzam transtulit, ac in eodem templo prope alios reposuit. Porro ex eo die plura adhuc miracula ex iis promanarunt : quæ ubique deprædicata, omnes ad divinorum charismatum fruitionem invitabant. Quidam lepra toto corpore albicans, pedes etiam luxatos habens, ex Moglenis, quæ urbs Macedoniæ est, veniens, rogabat in angustia cordis, ut ex duabus infirmitatibus alterutra liberaretur. At Dominus, qui abundantius dat, quam nos petamus, Sanctorum illorum intercessione, ab utroque morbo eum liberavit. Alius a nativitate mutus, cum jam consenuisset, omni curationis amissa spe, domi manebat mortem expectans, tanquam unicam medelam tristitiæ, quam ob loquendi impotentiam patiebatur. At dormienti Sancti isti ter apparuerunt, suadentes, ut ad templum ipsorum accederet ; ac sanitatem, si id faceret promittebant.

promittebant. Persuasus ille iis quæ viderat, ad sacrum templum pergit, illa illustri ac magna die dominica Paschatis. Ubi post decantatum Evangelium, accedens ut sanctum Evangelii librum oscularetur, is, qui in omnimoda loquendi impotentia consenuerat, tunc elata voce clamavit : *Kyrie eleison*. Hac ratione sanatus domum suam repetiit acturus dies vere Paschales, non solum decurrentis tunc solemnitatis, sed etiam reliquos omnes vitæ suæ. Neve miraculum quod in viro alio patratum est, silentium prætereatur. Is cum sæpe octo panes ex iis sane maximis quos Bulgari facere solent, ut singuli decem et amplius hominibus plene saturandis sufficiant, fame adhuc detinebatur. Aliquando etiam, cum arietem integrum devorasset, adhuc jejunus sibi videbatur. Quin ipse affirmabat, interdum nec taurum integrum ad famem expellendam satis sibi fuisse. Quadam die etiam torcular integrum uvarum devoravit. (Erat, juxta biographum, dæmonum effectus fames ista : quæ enim præter naturam sunt passiones, eas dæmonum perturbationes ipse putabat.) Porro vir ille, intelligens pravam affectionem suam, erubescebat quidem; at quid sibi agendum esset, ignorabat. Loca omnia miraculis inclyta circumire cœpit; unde et Romam profectus est, ut magni illic apostolorum principis Petri virtutem invocaret. Adiit quoque S. Irenæum, qui etiam miraculis valde celebris erat. Cum vero nullibi, quod postulabat, impetrasset, vix tandem in mentem illi venerunt sancti nostri. Ad eos igitur ire contendit. Cum autem adhuc a longe civitatis mœnia et templum in quo sancti jacebant vidisset, venit ad quemdam rivum aquosum, ubi reperit senem prope decursum ipsius sedentem. Erat vero senex ille gratiosissimus aspectu, cui alba canities decorem ac venerationem conciliabat; ante ipsum autem erat panis. Is igitur, qui prædictam passionem coercere nunquam poterat, volebat a sene illo cibum petere. At cogitans modico illo pane famem suam adeo domandam non fore, ut potius acrius esset incitanda, voluntatem petendi comprimebat. Interea ipsum, hæc secum cogitantem, vocat senex dicens : « Huc adsis, « frater, ac mecum recumbe, ut ambo de isto « pane comedamus. » Ille rursus eadem, quæ prius mente revolvens, panis illius parvitatem cum inexplebili fame sua conferebat. Hinc aliquandiu ambiguus hæsit, an humanam adeo invitationem acceptaret. Sed demum acquiescens, assidet venerando seni : qui in duas partes primum fracto pane, et rursus altero dimidio in duas partes secto, ex his unam, hoc est quartam panis totius partem, insaturabili illi homini comedendam tribuit. Hic eam comedens, adeo brevi saturatus est, ut etiam portio ipsi superfuerit : qua secum sumpta, monasterium ingressus est, usque ad illud tantummodo tempus insatiabilis; in posterum vero ea infirmitate penitus liber, nunquam intermisit Deo O. M. gratias agere. Et hæc quidem de sanctis istis martyribus.

Dies XXX Augusti.

Cfr Theophylacti, Opp., tom. III, pag. 487 et seq., ed. Venet., 1758.

DIES XXX.

Ex Ostromirano. Passio S. Hermogenis et sociorum ejus (*Solum*). Memoria SS. PP. NN. archiepiscoporum Constantinopoleos Alexandri, Joannis et Pauli Junioris (*Tern. Par. I, Og. Pp. Kal. Hor. cum Pg. Vind. Sirm. Maz. Mg. Flor. Sirl.*).

Ex variis. S. Felicis, mart. et soc. (*Mst. Assem. Rum. Tern. Siš. Chil. Pp. cum Neap. GP.*). S. Philonidis (*Assem. cum Med. Sirm.*). S. Phantini (*Prol. Tern. Kal. cum Bas. Nan. Vind.*). S. Christophori (*Men. Kal.*). Alexandri Svirensis (*Prol. Kal.*). Inventio corporis Danielis, princ. Mosquensis (*Kal.*). Translatio corporis Alexandri Nevensis Vladimiria Petropolim (*Men. Prol.*).

† MM. Stephani, papæ Romani, et duodecim discipulorum ejus et reliquorum sanctorum, qui Romæ martyrium confecerunt (*Vindob.*). † Sedecim martyrum Thebensium (*Mg. Chiffl.*). † Eulalii (*Chiffl.*). † Sarmatæ et Briænis (*Chiffl.*).

OBSERVANDA.

S. Hermogenes. S. Hermogenes, martyr, cum Mena et Eugrapho passus Alexandriæ, commemoratur alibi die 10 Decembris.—

SS. Alexander, Joannes et Paulus. SS. Alexandro et Joanni, qui soli referuntur in Ostromirano, addidi Paulum ex Menæis excusis et Kal. CPolitano antiquissimo, in quo referuntur omnes tres die sequenti, quemadmodum et in Typico Chilandariensi. —

S. Felix, mart. Passio S. Felicis insculpta est hac die in Neap., cui consonat cod. Rum. Præterea Felicem expresse nominant codd. Sišat. Chil., Ostrog. et Pp.; quibus addendus Mst.; nam licet in eo legatur: *Passio SS. MM. Philippi et soc.;* tamen Felicem intelligendum esse non dubito. Legantur omnino quæ de hoc sancto martyre, vulgata sunt in Actis Sanct., tom. X Oct., p. 618 et seq. Minime audiendus est Kulčinius, aiens *Felicem huc irrepsisse loco Fantini, quem ex Græcis Menæis vel etiam ex Prologis Slavonicis inseruit pictor moscus in tabulas suas* (puta Papebrochianas). —

S. Fantinus. In Vindob. male : *Fatnus*, τοῦ ἁγ. φατνοῦ. —

S. Philonides. Erat S. Philonides, ep. Curii in Cypro, ut habetur in Sirm. et Med. —

S. Stephanus, papa. Martyrium S. Stephani I, papæ Romani, et sociorum ejus, signatur hodie in cod. CPolitano pervetusto, de quo Lambecius bibl. cæsareæ Vindobonensis, lib. VIII, pag. 100. Sociorum nomina innotuerunt ex actis martyrii et sunt : Nemesius, Lucilla, Sempronius, Olympius, Tharsicius; discipuli vero nominantur hi : Faustus, Maurus, Primitivus, Calumniosus, Joannes, Exuperantius, Cyrillus, Honoratus, Castus, Theodosius, Basilius et Bonus seu Donatus, qui omnes recensentur in cod. Vindobonensi, et illustrantur in Actis SS., kalendis Augusti. —

Daniel et Alexander, principes. Inventio corporis Danielis facta est anno 1552; corpus vero Alexandri Vladimiria Petropolim, recenter conditam, translatum fuit jussu Petri I imperatoris, anno 1724. De Daniele, qui fuit primus Mosquensium dux, pluribus actum ad diem 4 Martii; de Alexandro, patre ejus, cui propter victoriam ad fluvium Nevam de Suevis reportatam Nevensis cognomen mansit, fusius tractabitur ad diem 23 Novembris, quo e vivis cessit.

DIES XXXI AUGUSTI ET I SEPTEMBRIS.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Alexander, Svirensis hegumenus.

Fundator fuit monasterii Svirensis, a fluvio Svira ita cognominati. Novgorodiæ honestis parentibus ortus, abstinentiam adeo coluit, ut puer semel tantum in die cibum sumeret, nocte vero orationi vacaret. Anno vigesimo sexto, monasticam vestem induit in cœnobio Valaamico; unde anno 1487 in solitudinem Svirensem contendit, et monasterium hujus nominis instituit; quod cum titulo hegumeni rexit. Cujus munere dum fungeretur, summæ humilitatis exempla fratribus dedit. Paupertatis imprimis amantissimus veste, centies resarta utebatur. Tandem virtutum fama clarus, die, quam præscivisse dicitur, ex hac vita migravit, anno 1535, ætatis suæ octogesimo quinto. Vitam ejus scripsit Herodion, Svirensis monachus.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict hag., pag. 17. 3) Philaret., Hist. eccl. Russ., III, pag. 168.

DIES XXXI.

Ex Ostromirano. Depositio venerandæ zonæ SS. Deiparæ in Chalcopratiis (*Ita fere omnes cum Bas. CP. GP. Pg. Flor. Msq. Goth. Vind. Mg.*).

Ex variis. SS. PP. Alexandri, Joannis et Pauli, patriarcharum Constantinopolitanorum (*Chil. cum CP. Pg.*). S. Gennadii, patr. CPolitani (*Men. Kal.*). S. Cypriani, ep. Carthaginensis et mart. (*Men. Kal.*).

† MM. Felicis, Januarii, Septimini et Fortuniani (*Sirm.*). † MM. Menæ, Fausti, Andreæ et Heraclii (*Chiffl.*). † Quatuor martyrum Pergæ (*Chiffl.*). † Triginta sex martyrum Nicomediæ (*Chiffl.*). † Diadochi, mr. (*Chiffl.*). † Philæorti, mr. (*Chiffl.*). † Septem virginum Gazæ (*Chiffl.*). † Synaxis SS. Deiparæ in Neorio (*Mg.*). † Cælestini, papæ (*Dom.*).

OBSERVANDA.

Depositio Zonæ B. M. In codice Assemani glagolitico legitur ita : *Depositio venerandi cinguli SS. Deiparæ, quod in sacra arca* (krabii ἁγία σορός) *in Chalcopratiis adservatur.* Vide quæ de hac solemnitate adnotarunt Bollandiani in prætermissis ad hanc diem. — De æde B. V. in Neorio consule Cangii CPolim Christianam, l. IV, pag. 88. — *Synaxis B. M.*

S. Cælestinus, papa. S. Cælestini, Romani pontificis, nomen latine scriptum invenitur in Menæis mss. PP. Prædicatorum, quibus olim usi sunt Bollandiani.

MENSIS SEPTEMBRIS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. Memoria S. Simeonis Stylitæ (*Omnes cum Bas. CP. Hier. GP. Sirm. Med. Pg. Mg.*). Sanctarum quadraginta mulierum, monialium (*Prol. Men. Cap. Kal. cum Bas. Sirm. Mg.*). S. Ammonis (*Men. Prol. Cap. Hor. Kal. cum Bas. Sirm.*). S. Aithalæ, mart. (*Mst. Ps. gloss. Cap. Men. Hor. Kal.*). Obdormitio Jesu Nave (*Prol. Hor. Cap. cum Bas. Sirm. Mg.*). Novi anni et initii indictionis (*Assem. Tern. Par. Og. Cap. Ps. Prol. Hor. Kal. cum Bas. CP. Hier. GP. Sirm. Med. Mg.*).

Ex variis. S. Marthæ, matris S. Simeonis Stylitæ (*Mst. Men. Prol. Cap. Hor. Kal.*). SS. Callistæ et Evodi ac Hermogenis ejus fratrum (*Prol. Kal. Cap. Hor. cum Sirm. Mg.*). Festum SS. Deiparæ in Miasinis (*Mst. Prol. Men. Leop. Hor. Cap. Kal. cum Nan. Vind.*). Commemoratio magni incendii (*Prol. cum Anth.*).

† Prisci et Adjutoris (*Neap.*). † Euanthiæ (*Sirm. Anth.*). Festum B. M. Chalcopratiis (*CP.*).

OBSERVANDA.

S. Simeon Stylita. Totius anni ecclesiastici exordium ducunt Græci et qui eos passim sequuntur, Bulgari, Serbi et Russi, a mense Septembri, qui cæteros menses omnes, uno Octobri excepto, festorum et commemorationum numero facile superat; quippe nullus vacat dies, sed singuli eorum statas festivitates habent, easque quandoque quinas et senas. Et quidem primum hunc diem auspicatur in cod. Ostromirano S. Simeon Stylita, styliticæ professionis parens, consonantibus cæteris omnibus, quotquot inspicere licuit, Kalendariis, sive Slavicis sive Græcis; si excipias marmor Neapolitanum, in quo recolitur memoria SS. Priscæ et Adjutoris magnæ in regno Neapolitano famæ, quodque cæteroquin Latinos mores ex parte prodit. In Mstisl. additur nota discriminans : *qui in Mandra* (*v ograde*, græce ἐν μάνδρᾳ, hoc est in septo). In Prologo ms. bibl. synodalis Mosquensis, signato nº 247, æque ac in Prologo recenter ibidem excuso de S. Simeone legitur : *et obiit in Laura, quæ nuncupatur Oyrada* (Mandra). Hinc titulus archimandritæ, quem passim præfert Simeon, præter totius historiæ fidem, rectius *Mandrita* nuncupandus; quum locus ille, ubi certabat, *Mandra* dictus sit, non appellativo, sed proprio nomine, undecunque demum illud acceperit. Fuit porro S. Simeon, Arabum Hirensium apostolus, ut videre est in Act. SS., Octobr. tom. X, pag. 684 et seq. Præter hunc stylitici ordinis parentem duo alii exstiterunt ejusdem nominis Stylitæ, quorum alter Junior seu thaumastorita colitur 24 Maii, alter fulmine tactus, sabbato Tyrophagi.

rophagi. In Menologio Mosquensi legitur copiosa Vita hodierni stylitæ, ex variis auctoribus excerpta, Antonio, Theodoreto, Evagrio, Metaphraste, Nicephoro Callisto, Cedreno et ex magno Menologio Macarii, metropolitæ, hactenus manuscripto; quibus addi poterat Cosmas, presbyter Syrus, atque sancti Simeonis familiaris. Tum de annis, quos sive in columna, sive alibi egerit Simeon, disseritur his verbis : *Juxta quosdam*, ait, *steterit in columna annos quadraginta septem, aliis quadraginta tantum annos concedentibus. Nos autem totius in variis columnis stationis reperimus annos octoginta, uti diserte legitur in libro, Convivio spirituali dicto. Teste enim Triphologio Leopolitano, universos vitæ suæ annos habuit centum et tres, monachus factus anno ætatis decimo octavo, styliticam vero vitam aggressus anno vigesimo aliquantulum exacto, postquam triennio in maceria prope vicum Talanissam* (lege Teledensem) *inclusus mansisset.* Verum audiendus est potius eruditissimus Assemanus, qui ex Cosma, biographo Syro, accuratissime statuit S. Simeonem, *quum annos novem in monasterio Teledensi exegisset, decemque præterea in Mandræ angulo, cœpisse in columnis stare, brevioribus quidem per annos septem, altiori vero cubitorum quadraginta per triginta annos, donec ad cælum evolavit* 2 *Septembris, anno Christi* 450; adeoque in columnis brevioribus stationem aggressus anno 423; a quo stylitarum institutum sumpsit exordium. Illud etiam ex eodem Cosma discimus, Simeonem obiisse non prima septembris, ut vulgo traditur, sed secunda, et quidem feria quarta, hora undecima; Antonium vero, qui magistrum suum feria *sexta* obiisse tradit, hallucinatum esse, quod corpus S. Simeonis *feria sexta* Antiochiam delatum fuit, ut Acta Syriaca testantur; atque adeo diem Translationis corporis pro die mortis ejus supposuisse. Sed de Simeone satis. Plura cupientes evolvant Assemani Acta Martyrum Oriental. et Occid., t. II, a pag. 227. In officio diei liturgico canitur canon, auctore Joanne Damasceno. — S. Ammon, diaconus, atque sanctarum 40 virginum et martyrum, quæ hoc eodem die coluntur, magister, passus est Heracleæ in Thracia, sub Licinio tyranno.—S. Aithalam, quem Ostr. amanuensis *Italam* corrupte vocavit, nuspiam reperiri asseverat commentariorum in hoc Kalendarium auctor, neque in Menologio Basilii, neque in Macariano, neque in hodierno ; legi tamen in Euchologio Græco kalendis Septembris. Miror, virum alioquin non ineruditum talia scribere potuisse: nam S. Aithalæ nomen bis proponitur in Menologio Basilii, semel ad 3 Novembris una cum SS. Acepsyma et Josepho, juxta ac in Menologio et Prologo hodierno, ut taceam Kalendaria a me superius in titulo diei allata; et iterum ad XI Decemb. una cum Apsæo, diacono. Cæterum sicuti *Italam*, ita etiam *Aithalum*, *Aithalam*, *Aeithalam*, *Aitallaham* corruptas esse formas genuini nominis Aithilahas, jampridem observaverat Assemanus. Non Græcum, sed Syriacum vocabulum est, duabus vocibus constans *Aithi*, id est *adduxit*, et *Alaha*, *Deus*. Sed de eo opportunior dicendi occasio erit ad 3 Novembris, quamvis nec iste dies fuerit ei obitualis, sed 27 Maii. — Discrepant Kalendaria in indicando sexu Callistæ martyris; aliis enim est vir, ut auctori Prologi, aliis femina, ut Menologio et Veršinskio. Dirimant litem otiosi. — In codd. Mstislav. et Vindob. annuntiatur festum B. Mariæ modo generico : *Memoria S. Deiparæ*, sine alio additamento; in CPolitano indicatur locus solemnitatis, *Chalcopratiana* ædes; at in Capp. Hor. Menol. Prologo et passim additur nota : *in Miasinis*. Quid igitur? duplicem ne admittemus solemnitatem an unicam? Unicam commendare videtur antiquus codex Nanianus, in quo habetur ita : γίνεται δὲ καὶ σύναξις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐν τοῖς Χαλκοπράτοις ὑπὲρ Μιασινῶν, *celebratur etiam festum SS. Deiparæ Miasenorum in Chalcopratis*, nempe in memoriam iconis B. Mariæ, e lacu Gazur emersæ, quo projecta fuerat tempore Leonis Isauri, iconomachi (717-741). Erat porro lacus iste ad monasterium Miasinum, non procul ab urbe Melitina in Armenia situm. Addunt Menæa emersisse iconem centum annis post, imperante S. Theodora, et tunc coli cœptum esse primo Miasinis, dein etiam in urbe regia. Atque hac ratione conciliantur inter se diversæ in speciem codicum lectiones. Jamvero si festum hoc celebratum fuit Constantinopoli nonnisi centum annis post tempora Leonis Isauri; sequitur profecto solemnitatem B. M. Chalcopratianam, de qua in Kalendario CPolitano Morcellii, esse prorsus distinctam a priore, quum constet hosce fastos octavo sæculo dimidiato nequaquam esse posteriores. Propterea seorsim utramque festivitatem expressi in titulo diei. Hinc colligitur quoque, in Mst. agi de festo B. M. Miasinorum, non secus ac in Naniano et cæteris recentioris ætatis Kalendariis. Cæterum minime prodigiosam fuisse prædictæ imaginis conservationem existimat Morcellius, tom. I, pag. 116.

S. Ammon.

S. Aithala.

S. Callista et soc.

Festum B. M. Miasinis et Chalcopratiis.

DIES II.

Ex Ostromirano. Memoria S. Mamantis (*Ita fere omnes cum Bas. Neap. GP. Hier. etc.*). Eodem die memoria SS. Joannis et Pauli, episcoporum CPolitanorum.

Ex variis. SS. Joannis Jejunatoris et Pauli Junioris, epp. CP. (*Par. I, Prol. Men. Og. Vat. uterque, Cap. Kal. Eph. Hor. cum Bas. Hier. GP. Nan. Goth. Pg. Flor. Sirm. Maz. Mg.*). SS. MM. Juliani, Philippi et Theodotæ (*Assem. cum Sirl. Mg.*). SS. martyrum 3618, Nicomediæ (*Prol. Kal. cum Sirm.*). SS. Theodoti et Rufinæ, parentum S. Mamantis (*Kal. Man.*). B. M. Kalugensis imaginis festum (*Deb.*).

† Eutychii, mart. (*Mg. Sirl.*). † Eutychiani, mart. (*Mg. Sirl.*). † Hesychii, mart. (*Mg. Sirl.*). † Leonidis, mart. (*Mg. Sirl.*). † Philadelphi, mart. (*Mg. Sirl.*). † Pantagapæ, mart. (*Mg. Sirl.*). † Melanippi, mart. (*Mg. Sirl.*). † Eleazari, presbyteri, et Phinees (*Sirm. Mg.*). † Diomedis, mart. (*Sirl.*). † Aithalæ et Ammonis (*Sirm.*). † MM. Evodi, Callistæ et Hermogenis, fratrum (*Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Mamas. S. Mamantis, martyris, nomen exhibent fasti pene universi, sive Græci sive Slavici, non tamen eodem modo omnes. *Memoria* notatur in Ostromirano; at *passionis* nota præfigitur in Mst. et Rum., accedentibus aut potius prælucentibus Bas. et CPolitano. In CPolitano præterea nuncupatur *hieromartyr*. Hunc, quod quinquennis primum pronuntiaverit latine *Mama*, ideo dictum esse Mamantem, tradunt post magistros suos Græcos Slavi in Fastis, Prologo, Menologio, Anthologio. Fabula. In officio diei huic proprio canitur canon, auctore Theophane. — Difficultatem pariunt

DIES III ET IV SEPTEMBRIS.

riunt nomina Joannis et Pauli, patriarcharum CPolitanorum, quæ hodie leguntur in cod. Ostromirano, quum nullam notam præferant qua ab aliis discriminentur. Equidem putabam initio intelligendos esse Joannem Jejunatorem et Paulum Juniorem, quos plerique Fasti exhibent ad hanc diem; verum quominus id pro certo haberem, obstitit Kalendarium CPolitanum Morcellii, in quo præter hoc patriarcharum par commemorantur secundo loco duo alii cognomines, eodem prorsus modo quo in cod. Ostromiri. Duplicem itaque classem instituendam esse prudentius duxi. Quod si quæratur, quinam sint hi Joannes et Paulus, an et a Jejunatore et Juniore alii? responsum difficile est. Juxta Morcellium, intelligendi sunt Joannes Cappadox, hujus nominis secundus, et Paulus I, martyr, sub Constantio multa ab Arianis passus. Prior passim colitur die 30 Augusti, et summis laudibus celebratur ab Hormisda, papa, et a Sophronio Hierosolymitano. Posterior autem, confessoris titulo vulgo distinctus, celebratur seorsim sexta Novembris, ut hic dies sit translationis ejus reliquiarum anniversarius. Mihi præplacet Paulus hujus nominis tertius, eam potissimum ob rationem, quod Paulus I vulgo martyris aut confessoris nota soleat distingui, dum hodiernus antistes nec confessoris, nec Junioris titulum præfert. — Sed nec omnino liquet, cuinam proprie conveniat cognomen Junioris seu Novi. Assemanus nihil dubius tribuit illud Paulo II, hæretico; quod falsum esse, nedum absurdum, recte pronuntiavit Morcellius, patriarchæ Monothelitæ Paulum III, sanctissimum utique patriarcham, potiore sane jure substituens. At ne hic quidem pro certo statui potest, quum Junioris titulum non minore jure sibi vindicet Paulus IV, Cyprius, quem cum Joanne Cappadoce et Alexandro Menæa Græca referunt ad 30 Augusti, et iterum ad 20 Augusti, sed solum his verbis: *Memoria S. P. N. archiepiscopi CPolitani Pauli Novi.* Demum, ut verum fatear, confusa sunt quæ de Paulis traduntur apud auctores; nec lucem, sed tenebras affudit auctor russus in adnotationibus ad hunc diem Kalendarii Ostromirani. De S. Joanne Jejunatore plura in utramque partem conscripta sunt, quam ut aliquid superaddendum habeam. Illud tamen lecturis in memoriam revocabo, quod egregius Joannis fautor, Morcellius, ex Falconio refert in commentariis ad hunc diem, t. I, pag. 120: quum nempe quæstio de græcanico Joannis cultu Romæ fuisset instituta apud cardinales qui de librorum orientalium editione cognoscunt, auditis doctorum virorum sententiis, consensisse patres nihil esse immutandum. Prætereundus non est codex Assemani glagoliticus, in quo hæc leguntur: *S. martyris Mamantis et Juliani, Philipi et Theodotæ, et sanctorum Patrum nostrorum CPolitanorum Joannis Jejunatoris et Pauli Novi.* — Non conveniunt Kalendaria in assignando numero martyrum Nicomediæ; in Sirm. numerantur duplo fere plus, quam in Prologo et Menologio excuso. — De S. Theodota, quam Assemanus Theodoram, nescio quo jure, vocat, Fasti Slavici communiter agunt die 17 Septembris et 22 Octobris. Kopitarius legit: *Theodosia.* In Sirm. nominantur Theodotus, Junius (lege Julianus) et Aithala, de quo actum pridie. Apud Sirletum Theodota desideratur.

SS. Joannes Jejunator et Paulus Novus, patr. CP.

SS. MM. Nicomedienses.

S. Theodota.

DIES III.

Ex Ostromirano. MEMORIA SANCTI ANTISTITIS ANTHIMI, NICOMEDIÆ (*Mst. Assem. Rum. Tern. Prol. Men. Hor. etc. cum Bas. Hier. GP. Vind. Goth. Flor. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). ET S. BASILISSÆ, MART. (*Assem. Prol. Kal. Menol. cum Bas. Sirm. Med. Mg. Sirl.*).

Ex variis. S. Theoctisti, socii S. Euthymii (*Chil. Prol. Men. Og. Eph. Hor. Kal. Leop. cum Nan. Sirm. Med. Sirl. Mg.*). S. Aristionis, ep. Alexandriæ et mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Mg. Sirl.*). S. Thebæ (*Menol. Kal.*). Inventio corporis Zosimi Solovecensis. (*Mur*).

† Zenonis, mart. (*Mg. Sirl.*). † Charitonis, mart. (*Mg. Sirl.*). † Stephani, abbatis Trigliensis et confes. (*Med. Sirm.*). † Constantini Junioris, imperatoris (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Anthimus. In cod. Ostromirano habetur: *memoria S. Athanasii, ep: Nicomediæ;* ubi Athanasio substituendum esse Anthimum, nemo non videt. Nos correctam lectionem dedimus supra, lectorem hic admonere contenti. In Kalendario Mosquensi adduntur socii sequentes: Theophilus, diaconus, Dorotheus, Mardonius, Mygdonius, Petrus, Indis, Gorgonius, Zeno, Domna, virgo, et Euthymius. In Mst. et Rum. signatur *passio*, uti in Menologio

S. Theba. Basilii. — S. Thebam, diaconissam, a S. Paulo laudatam, distinguunt Menolog. et Kal. a Bebea, sorore S. Tuthaelis, martyris, de qua agitur ad diem quintam. Cæterum omnia sua deprompsit hodiernum Menologium ex Martyrologio Romano, quo solo nixum est in citanda S. Theba. — Duos potissimum viros colit monasterium Solovecense, in Mari Albo situm, Zosimum et Sabbatium, fundatores suos. De priore actum est 17 Aprilis, quo obiit; de secundo sermo versabitur 27 Septembris, qui ei ultimus fuit. Hodie tertiam solemnitatem refert Muraviev in Vitis suis, inventionis corporis Zosimi anniversariam; fatetur tamen eam nuspiam celebrari præterquam in cœnobio, quod instituit Zosimus; imo ne verbum quidem profert de ipsamet corporis inventione; ita ut narrationem suam quantocius expromere potius, quam de hodierno festo agere voluisse videatur. — Ut pridie S. Stephanus, confessor, in Menæis Mediolanensibus, ita hodie S. Constantinus, imperator, *novus apostolus* prædicatur in Sirmundianis.

Zosimus Solovecensis.

Constantinus, imperator.

DIES IV.

Ex Ostromirano. SS. MARTYRUM BABYLÆ ET INFANTIUM (*Prol. Man. Horol. cum Bas. CP. Hier. GP. Goth. Pg. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). ET S. HERMIONES (*Assem. Prol. Chil. Horol. cum Basil. Nan. Sirm. Maz. Med.*). S. MOYSIS DEUM VIDENTIS (*Prol. Hor. Kal. cum Bas. Nan. Maz. Med. Sirl. Mg.*). S. ROMANI (*Prol. cum Sirm.*).

Ex variis. S. Babylæ, ep. Nicomed., et 84 sociorum (*Prol. Tern. Chil. Hor. Man. Og. Kal. cum Sirm. Med. Maz. Sirl.*). SS. MM. Theodori Juliani, Ammiani et Oceani (*Prol. Mst. Kal. cum Bas. Sirm. Mg.*

Mg. Sirl.). S. Abdiæ (*Assem.*). S. Eutychidis, filiæ S. Philippi, apostoli (*Chil. Prol. Horol.*). Festum iconis B. Mariæ Virg. quæ incombustus rubus dicta est (*Kal. Versš.*). DIES V SEPTEMBRIS.

† MM. Petronii, Zarbeli seu Sarveli, Tuthael et Bebææ (*Maz. Mg. Sirl.*). † MM. Theotimi et Theoduli (*Mg. Sirl.*). † Martyrum 3628 Nicomediæ (*Sirm. Mg. Sirl.*). Josephi, fundatoris monasterii Casularum. † Alexandri, mart. (*Neap.*). † (*Taur.*). Charitinæ, mart. (*Msq. Maz. Mg. Sirm. Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Babylas, uterque. Solent in synaxariis distingui duo sancti hujus nominis; quorum alter cum tribus pueris, Urbano, Prilidiano et Apollonio, alter cum octoginta quatuor sociis martyrium consummasse perhibetur. In Prologo uterque dicitur fuisse antistes Ecclesiæ Antiochenæ; et quidem prior patriarchæ titulo ornatur, scilicet qui cum tribus pueris passus est. Jam, quod ad pueros spectat, non quatuor, ut in Prologo Rumiantsoviano, nec post S. Hermionem, uti in Synaxario Ostromirano, sed tres tantum et immediate post S. Babylam erant ponendi. In Ostromir. habetur ita : *Passio SS. MM. Babylæ et Hermiones et puerorum.* In Ternob. legitur : *S. hieromartyris Babylæ;* unde difficile eruas, uternam e duobus sit intelligendus, cum uterque *S. Hermione.* dicatur fuisse episcopus. — S. Hermione, filia erat S. Philippi, unius ex septem diaconis, a Græcis vulgo apostoli dicti; et soror S. Eutychidis. Hermionem mutavit codex Assemanianus in *Heremnonam*; Assemanus vero, quod pejus est, a *S. Moyses.* Russis *Seremionim* vocari asseverat. — Idem codex Assemani glagoliticus legit *Miseotum* loco *S. Romanus.* Moysis. — S. Romani loco Romulum seu Romilum ponendum esse conjicit Nevostrujev; quem re quidem vera die sexto hujus mensis referri a pluribus synaxaristis videbimus modo; nihilominus retinere placuit S. *Romanum*, cum apertissime designetur non modo in Prologo, sed etiam in sequenti clausula Synaxarii Sirmundiani perantiqui, de S. Hermione dicentis : *Ejus synaxis peragitur in æde ipsius* (id est Hermionis) *prope S. Romanum, ubi celebratur eadem die festivitas SS. Petronii, Charitinæ et Eutychidis, qui cum S. Hermione simul passi sunt.* — In cod. Assema- *S. Theodorus.* niano habetur *Theodorus*, uti in Prologo et Kalendario Mosquensi, anno 1818 typis synodalibus edito, legimus *Mianum* et *Cianum* pro Ammiano et Oceano. His, præter Julianum, additur in Menæis et apud Sirletum Centurio quidam, imo Centerio, quasi nomen proprium esset, non appellativum.—De S. Abdia, martyre, quem Assem. *S. Abdias.* codex annuntiat ita : *martyr in Abida*, perinde ac si Abida non personæ, sed loci nomen esset, videsis diem sequentem. — S. Charitinam reperiri *S. Charitina.* ad hanc diem in Synaxario quodam Græco bibl. synodalis Mosquensis, testis est Nevostrujev; apud Sirletum et in Menæis jungitur cum Tathuele et soc.; in Menæis Sirmundi mss. sociatur cum S. Petronio et sanctis sororibus, Eutychide et Hermione. —S. Simeon Stylita translatus est huc *S. Simeon.* in Martyrologio Basilianorum Italo-Græco, ex die 1 Septembris. — Legesis quæ de Josepho scripsit *Joseph.* bonæ memoriæ P. Tinnebroeck, Act. SS., t. VIII Oct., p. 277 ; insuper Taur. bibl. t. I, p. 308.

DIES V.

Ex Ostromirano. PASSIO SANCTI ZACHARIÆ, PROPHETÆ (*Ita omnes cum Bas.*).

Ex variis. S. Glebi, principis Muromensis, occisio (*Rum. Men. Kal. Prol. ms.*). SS. mart. Urbani, Theodori, Medimni et soc. (*Men. Kal. Prol.*). S. mart. Abdiæ seu Abidæ (*Prol. Man. Kal. cum Bas. Mg. Maz.*). SS. mart. Tuthaelis et Bebeæ, sororis ejus (*Prol. Kal. cum Bas. Neap. Sirm. Med. Maz.*). S. mart. Sarvili (*Prol. Men. Kal. cum Mg.*). S. Petri Athirensis (*Men. Kal. cum Mg. Sirm.*). SS. mart. Juventini et Maximi, militum (*Men. Kal.*). S. Raidis mart. (*Prol. Men. Kal. cum Mg. Sirm.*). Annæ, ducissæ (*Hag.*). [S. Joannis Rylensis].

† Cyrilli, ep. Gortynæ (*Sirm.*). † Benjamini, diac. (*Sirm. Med. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Zacharias. Erravit profecto eminent. Baronius, aiens Zachariam, prophetam, coli hoc die a Græcis; nam sanctum parentem Joannis Baptistæ, non prophetam cognominem veteris Testamenti, celebrari hodie aperte testantur omnia Kalendaria. In Ostr. et Rum. annuntiatur ejus *passio*, in Mst. tantum- *S. Elizabeth.* modo *memoria*. — S. Zachariæ jungitur in Horol. Počajovensi Elizabeth, conjux, uti in Martyr. Romano ad 5 Novembris, non ea ratione, quod una eademque die uterque migraverit e corpore; sed, ut advertit Baronius, cum ejus natalis certæ diei ignorantia aliquando ejus memoria fuerit prætermissa, consultius visum est eam viro suo *S. Glebus.* conjungere. — S. Glebi, seu Davidis, nomen inscriptum est in Prologo Rum. sæculi XIII, et in alio ms. anni 1518 et passim; in Rum. vocatur princeps *Russus*. Interfectus est 5 septembris a fratre suo Sviatopolco anno 1015, quo et Borisus. De utroque fusius dictum ad 24 Julii, quo *S. Abdias.* occubuit Borisus. — Varie profertur nomen S. Abdæ, episcopi. Abidas vocatur in Assem. pridie. Idem est ac Abdias aut Audias aliorum codicum; de quo copiose disserit Assemanus Act. Orient., t. I, pag. 141 et seq. Ergolam civitatem, martyrii palæstram, indicat cum Sirm. auctor *SS. Tuthael et Bebea.* Prologi et Mosquensis.— Tuthael et Bebea, Slavis Thiphael et Thibea, imo Fifael et Fivea, laudantur in Prologo, tacentibus cæteris. In Neap. habetur : *passio S. Thuthail et prōvi;* qua ultimo voce S. Probum significari suspicatur Sabbatinius. — Ad 13 Sept. refertur alius Petrus, cogno- *S. Petrus Athirensis.* mento Atroensis; unum eumdemque esse statuit Menolog. Mosquense. Dictum est autem alibi, ad 12 Januarii, Petrum, qui Atroæ, non alium esse a Petro Abselamo; ac proinde hallucinari eos qui ex uno duos aut etiam tres conflent. — Urbano *SS. Urbanus et soc.* adduntur in Kalend. Mosq. septuaginta socii, ex ordine clericali; in Prologo et Menæis Græcis numerantur octoginta, *ex ordine presbyterorum et diaconorum.* — S. Olai, regis Sueciæ filia, no- *Anna.* mine Anna, uxor erat Jaroslai I, magni ducis; cujus memoria recolitur bis in anno, 10 Febr. qua de ea actum est, et 4 Octobris; præterea olim assignabatur ei dies præsens, quemadmodum id conjicere licet ex vetustis iconibus, quæ hodiedum in templo Sophiensi Novgorodiæ asservari dicuntur in Dict. hagiol., edit. 1863, pag. 23. — Antequam Vitas sanctorum Slavorum, sicubi den- *S. Joannes Rylensis.* tur, proferat Muraviev, solet brevissimas præmittere annuntiationes sanctorum Ecclesiæ Græcæ, qui singulis diebus præcipue coluntur etiam a Russis. Ad quintam igitur Septembris, facta

DIES VI ET VII. SEPTEMBRIS.

commemoratione SS. Borisi et Glebi, tradit ille hac eadem die recoli in Ecclesia Bulgara memoriam obitus S. Joannis Rylensis, cujus festum agitur ad 19 Octobris. Jamvero S. Joannem Rylensem ad cælum migrasse die 18 augusti, ostendi ex Fastis Serbicis ad illam diem, nec uspiam alibi legere mihi licuit sanctum hegumenum Rylensem obiisse 5 septembris, ut hallucinari Muravievium credam.

DIES VI.

Ex Ostromirano. PASSIO SANCTI EUDOXII, MARTYRIS (*Assem. Par. Zogr. Prol. Og. Men. Hor. Kal. cum Bas. CP. Hier. GP. Nan. Flor. Msq. Sirm. Chiffl. Mg.*).

Ex variis. Miraculi S. Michaelis, archangeli, Chonis (*Mst. Rum. Ass. Tern. Par. Zogr. Siš. Og. Men. Prol. Hor. Kal. etc. cum Bas. Goth. Msq. Pg. Nan. Mg.*). S. Romili, alias Romuli, mart. (*Prol. Men. Kal. cum Med. Maz. Sirm. Mg.*). SS. MM. Zenonis et Macarii (*Kal. Prol. cum Med. Maz. Sirm. Mg.*). S. Archippi (*Cap. Ps. Kal. Hor. Anthol.*). SS. MM. Fausti, presb., Abibi, diaconi, et tredecim sociorum (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Med. Mg.*). S. Charitonis (*Ass.*). S. Cyriaci, mart. (*Prol. Kal.*). S. Cyrilli, ep. Gortynæ et mart. (*Prol. Kal. cum Nan.*). S. Davidis, olim latronis (*Men. Kal. Prol.*).

† Christinæ, mart. (*Neap.*). † MM. mille et viginti quatuor ac Calodatis (*Mg.*). † MM. Urbani, Medimni et Theodori (*Med. Mg.*). † Fantini Thessalonicensis (*Itg.*). † Dedicatio ecclesiæ B. M. in Deutero (*Mg.*). † MM. Andreæ, Andronici, Dionysii, Andropelagiæ, Theclæ, Theoctisti, Naucleri et Cyriaci (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Eudoxius. S. Eudoxius, cujus solius festum annuntiatur in Ostrom., præfixa nota passionis, martyrii sui socios habuit Romilum seu Romulum, Zenonem et Macarium, Basilissam, uxorem suam, Calodatem et alios numero 1104, juxta quosdam 1109, aut etiam decemmillia, Melitinæ in Armenia. Quatuor primi passim conjuncti referuntur. —

Miraculum Chonis. In Siš. habetur: *Synaxis SS. Michaelis et Gabrielis.* Miraculum Chonis in Phrygia patratum fuit precibus S. Archippi paramonarii, qui ad ædem S. Archangeli eremitarum more exercebatur, atque ideo hoc eodem die commemorari solet in Fastis. In codice Assemani glagolitico, facta mentione SS. Eudoxii et Charitonis, additur quidem hodierni festi commemoratio, at characteribus Cyrillianis, manuque recentiore adscripta. Ex quo additamento recentioris ævi colligit Assemanus hunc codicem ante institutam festivitatem fuisse exaratum. Nimium, adeoque nihil probat. — Præter Abibum, diaconum, martyrii collegas habuit Faustus Andream, Cyriacum cæterosque, ultimo loco a me relatos ex Græcorum Menæis excusis; qui sane generica illa formula *et aliorum* 13 *sociorum* comprehensi sunt. — *SS. Faustus et soc.*

S. Christina mart. S. Christinam profert hoc die marmor. Neapolitanum; sanctam Charitinam nominat cod. Ostromiranus ad diem sequentem, unde recentiores transtulerunt ad 5 Octobris. Equidem utramque suspicor esse eamdem, nomine paulum immutato; sed hoc longiore inquisitione indigeret, quam ut fert scopus mihi propositus. Christinam Tyrensem, de qua dixi ad 24 Julii, intelligendam esse conjicit Sabbatinius. — Non ignota fuit Cangio festivitas B. M. in Deutero, qui eam in domo S. Irenes celebratam fuisse tradidit in sua CP. Christ., lib. IV, pag. 87, ed. reg. *Festum B. M. in Deutero.*

DIES VII.

Ex Ostromirano. PASSIO SANCTI SOZONTIS, MARTYRIS, SUB MAXIMIANO, IMPERATORE (*Ita omnes cum Bas. Hier. GP. Vind. Mg. Sirm. Maz. Med.*). ET SANCTÆ MARTYRIS CHARITINÆ.

Ex variis. S. Eupsychii, mart. (*Men. Prol. Siš. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Maz. Mg.*). SS. ap. Evodi et Onesiphori (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). S. Lucæ, heg. (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Mg.*). S. Joannis, ep. Novgorod. (*Men. et Man. Kal. Prol.*). S. Eudoxii seu Eudocimi (*Chil. Ephem.*). Profestum Nativitatis B. Mariæ (*Ass. Og. Kal. Hor.*). S. Stephani, papæ Rom. et mart. (*Prol. cum Med. Maz. Clar. Mg.*). [Macarii Obručensis (*Hag.*).]

† Patris nostri Eulabii, heg. Salvatoris (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Charitina. In nullo alio cod. refertur sancta Charitina, præterquam in Ostromirano, aliis eam commemorantibus modo ad 15 Januarii, modo ad 4 Sept., modo ad 5 Octobris. Gregorius, diaconus, qui codicem Ostromiranum exaraverat, non Charitinam scripsit, sed Charitonam, græco scilicet vocabulo leviter corrupto, ut ei non semel accidisse vidimus supra. In cod. Hieros., quod Scholzius edidit, ad 5 Octobris, fit memoria sanctæ Charitis, Χαριτος (a nominativo Χαρις); in Calipolitano vero sanctæ Charitinæ Χαριτινης; unde mediam quamdam formam efformasse videtur amanuensis Novgorodensis. Tolerabilior est ista corruptela, quam plures aliæ, debito loco a me relatæ. Auctor anonymus commentariorum in Kalend. Ostromiranum docet nomen S. Charitinæ se legisse in Prologo quodam Græco mss. bibl. synodalis Mosquæ, ad 4 Septembris; unde colligitur, lectionem Ostromiranam non omnino græcis exemplaribus caruisse. Quid si Christina, martyr, de quo marmor Neap. actum pridie, a Charitina non sit diversa? — Eudocius seu Eudoxius, quem, Russorum morem sectando, Ephemerides Papebrochianæ et Sparwenfeldii mutant in Eudocimum, idem est ac qui celebratur die præcedenti. Nec est cur ad S. Evodum confugiamus cum Kulčinio, qui nec Eudocimum nec Eudocium in tabulis istis inscriptum esse asseruit, aut potius rem sole clariorem negavit. Displicet quoque sententia Assemani dicentis agi de S. Eudocimo justo, cujus festum agunt Græci et Russi 31 Julii. — *S. Eudoxius.*

S. Evodus. Fuit S. Evodus, teste Prologo, magnæ Antiochiæ episcopus, sanctique Petri, principis Apostolorum, in sede successor. — *S. Lucas.* In Prologo habetur :

betur : Eodem die celebratur memoria dormitionis S. Lucæ, qui fuit in diœcesi Lycaoniæ tertius hegumenus monasterii Salvatoris, *profundi fluvii* dicti. Hæc totidem verbis legere est in Menæis Græcorum excusis. — Quam ob causam hodie commemoretur S. Stephanus I, papa Romanus et martyr, de quo actum ad 2 Augusti, non liquet. In Prologo legitur brevissimum encomium, ubi sanctus pontifex dicitur multos baptizasse et gladio occubuisse, quasi præsens dies revera fuerit martyrii consummati anniversaria. Vide etiam dicta ad 30 Augusti. DIES VIII SEPTEMBRIS.

S. Stephanus papa.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Joannes seu Elias, archiep. Novgorodiensis.

Joannes, qui et Elias, Novgorodiæ piis parentibus Nicolao et Christina natus, ab infantia in mandatis Dei ambulavit. Factus presbyter, munus suum in S. Blasii templo tanta omnium satisfactione obibat, ut, mortuo episcopo Novgorodiæ Arcadio, in ejus locum suffectus fuerit a metropolita Kioviensi, Joanne, anno 1165, mox ad dignitatem archiepiscopalem ab eodem evehendus omnium primus. Plures ecclesias Deo excitavit, cooperante fratre suo Gabriele; qui ei deinceps in cathedra Novgorodiensi successit. Plura admiratione digna narrantur, quibus sanctitatem viri manifestare placuit Deo. Inter quæ memoranda est victoria, quam anno 1170 ope imaginis B. M. V. precibusque Joannis, episcopi sui, de Suzdaliensibus reportarunt Novgorodienses, peculiari festivitate ex illo tempore hanc imaginem quotannis recolentes die 27 Novembris. Enituit etiam castimonia Eliæ. Cum enim impudicitiæ falso culpatus, ratique fuisset impositus, adversum flumen ascendit navigium, appulitque ad monasterium S. Georgii tribus stadiis ab urbe situm. Quare summo honore in sedem restitutus est insons præsul. Nec virtute tantum, sed et doctrina præcelluit Joannes, ut testantur varia ejus decreta ad ecclesiasticam disciplinam spectantia. Tandem postquam gregem sibi creditum diu et sancte rexisset, in cælos migravit, magnum schema indutus, anno 1186, die 7 septembris. Reliquiæ ejus inventæ fuerunt die 4 octobris, anno 1439.

Cfr 1) Prolog., Menol. et Veršinski ad hunc diem. 2) Dict. hag., pag. 130. 3) Dict. script. Eccl., I, pag. 257. 4) Hier. Russ.. tom. I, pag. 70. 5) Kalajdovicius, Monum. lit., pag. 223. 6) Annal. tom. III, pag. 13-19, 125 et 215. 7) Macarius, Hist. Eccl. Russ., tom. III, pag. 22 et 197.

Macarius Obručensis.

Duos Macarios veluti martyres colunt populares eorum, Russi; alterum metropolitam Kioviensem et catholicæ religioni addictum, acatholicum alterum atque Unitati ecclesiasticæ vehementer infensum. De hoc, pro instituto meo, pauca delibentur oportet, omissis auctorum indigenarum commentis. Natus est Macarius ipso anno 1596, quo sanctam Unionem cum sede Romana promulgarunt Ecclesiæ Kiovienses duces; monachus factus in monasterio Obručensi diœcesis Vladimiriensis in Volynia, eidem primo per 16 annos, tum monasterio Kanevensi per annos 12 præfuit, multaque adversus sanctam Unionem adlaboravit. Quorum laborum mercedem merito tulit anno 1653, quo a Tartaris, monasterium oppidumque Kanev invadentibus, variis tormentis aflictus ac tandem capite truncatus spiritum reddidit. Demortui corpus e monasterio Kanevensi Perajaslaviam detulerunt, ubi hodiedum jacere, quin et sanationes præstare creditur a suis. Cæterum cultus incertus, incerta quoque martyrii causa, quum minime pro fide christiana occubuisse manifestum fiat ex ipsismet auctoribus, quorum nomina hic subduntur.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 154. 2) Muraviev, Sept., pag. 163 et seq.

DIES VIII.

Ex Ostromirano.
Ex variis.

Nativitas sanctæ Deiparæ (*Ita omnes cum Bas.*).

B. Mariæ Kioviensis, Počajovensis, Siamensis et Kurensis imaginis festa (*Deb.*). Beati Nicetæ, cartularii (*Prol.*). [Luciani Galičensis (*Hag.*)].

† MM. Rufi et Rufiniani (*Mg.*). † Severiani, mart. (*Mg.*). † Artemidori, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

Nativitas B. M.

Nativitatis sanctæ Deiparæ, aut his verbis quæ sua fecerunt codd. Mst. et Rum., aut æquivalentibus terminis, in omnibus Kalendariis hodie celebratur. In Prologo præterea additur brevissima declaratio, quæ sic sonat : *Nata est SS. Deipara e regia stirpe, et tribu David, a parentibus sterilibus Joachim et Anna, anno a creatione mundi* 5486. In Menologii Mosquensis editione novissima post festum SS. Joachim et Annæ prolixa adjicitur adnotatio de genealogia Beatissimæ Virginis, quam hic expendere nimis foret longum, nec est mei instituti. Dicam tantum, uti hodie, ita plerumque, claudicare chronologiam Horologii Počajovensis, quæ ad meliores calculos omnino est reducenda. Est autem hodierna festivitas e solemnioribus, imo una e *duodecim majoribus*, quæ ideo per sex dies integros durat, incipiendo a septimo septembris seu a profesto. In officio liturgico canitur duplex canon, nomine S. Joannis Damasceni et Andreæ, arch. Cretensis, inscriptus. — Plura hujus Beatissimæ Dei matris, festa hodie connexit Russorum pietas; quorum præcipuum illustrasse sufficiet. — Notissima est de Sozonte diacono et quodam sacerdote, odio ad invicem accensis, historia. Porro Nicetas ille est, cujus precibus obtemperavit Sozon, veniamque petiit a sacerdote, ad mortem usque fraternæ charitatis inimico. In Menologio translatus est ad diem sequentem, propter solemnitatem B. Virginis Mariæ. — De Luciano, mon. et presbytero, qui obiit hoc die, anno 1655, cfr Dict. hag. p. 150, ed. 1862.

B. M. Kiovien-sis imago.

Nicetas.

Lucianus Galičensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Sophiæ seu Sapientiæ festum.

S. Sophiæ festum vocatur ita, quod Dei Filium, qui est summa sapientia, cum matre Maria, hoc die celebrat Ecclesia Kioviensis, dum sacram venerat imaginem, qua S. Deipara

Dies IX Septembris.

para cum Infante Jesu repræsentatur dextera benedicente, sinistra vero orbem terrarum sustinente. Adest et superscriptio : *Sapientia ædificavit sibi domum, et firmavit columnas ejus.* In parte iconis superiore cernitur Deus Pater, e cujus ore procedunt verba : *Ego firmavi columnas ejus*, simul cum S. Spiritu, columbæ speciem præferente. Utrinque adstant angeli septem præcipui, Michael, archangelus, gladium evaginatum tenens, Uriel cum fulmine, Raphael cum alabastro myrrhæ, Gabriel cum lilio, Salathiel cum rosario, Jegudiel cum diademate, Barachiel cum florum fasciculo. Gradibus templi insistunt protoparentes, patriarchæ et prophetæ, suo quisque symbolo ornati. Atque in hunc fere modum repræsentari solet S. Sophia seu Sapientia; non tamen ubique. Novgorodiæ namque omnino aliter pingitur tum Salvator Dominus, tum Beatissima ejus mater. Festum quoque variis diebus peragitur in variis Ecclesiis; Kioviæ in solemnitate hodierna ; Novgorodiæ, Mosquæ, Vologdæ in festo Assumptionis; semper tamen die aliquo B. Mariæ Virgini sacro.

DIES IX.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria SS. Joachim et Annæ (*Ita omnes.*).

S. Severiani (*Men. Prol. Man. Og. Pp. Cap. Leop. Kal. Hor. Bas. Nan. Med. Sirm. Maz. Mg.*). Memoria tertiæ synodus œcumenicæ (*Kal. Men. Prol. cum Msq. Med.*). S. Theophanis conf. (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Charitonis (*Kal. Prol. cum Sirm. Mg.*). B. Nicetæ (*Men. Kal.*). S. Stratoris, mart. (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). Josephi, heg. Volocensis (*Prol. Men. Kal.*).

† MM. Ammiani, Theodori, Juliani (*Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Joachim et Anna.

Alibi observatum est, Græcorum Slavorumque morem esse, post solemnitates D. N. Jesu Christi aut B. Mariæ eorum quoque festum agere qui potiores egerint partes in mysterio. Hac itaque lege Nativitati B. M. adnectitur memoria justorum Joachim et Anna, parentum ejus. Et quidem sicuti aliorum, ita hæc quoque solemnitas vocatur *synaxis*, tum in Mst., tum in Rum. melioris notæ Kalendariis; at in Ostr. tantummodo habetur : *memoria*. Apud Græcos eorum venerationem antiquissimam esse, in dubium revocavit nemo; secus dicendum de Latinis, apud hos enim non ædeo antiquam esse, testantur Bollandiani. Nec favet Sabbatinio contrarium asserenti marmor Neapolitanum, sæculi noni monumentum, utpote quod Græcorum mores potius quam Latinorum sectari solet. —

S. Chariton.

Satis innotuit lectori S. Chariton ex iis quæ dicta sunt de eo ad 6 hujus.—S. Stratorem, martyrem, iterato prodire ad 13 Septembris, licet sub nomine Stratonici, auctor est Menologus Mosquensis.—

S. Strator.

Tertiæ synodi œcumenicæ Ephesi celebratæ diserta mentio fit in eodem Menologio.

Synodus Ephesina.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Joseph, hegumenus Volocensis.

Notissimus hic sectæ Judaizantium oppugnator floruit altero dimidio sæculi xv. Natus est scilicet anno 1440, die 12 novembris, nobili familia Lithuaniæ Saninorum oriundus. Septennis litteris addiscendis in scholam traditus, ecclesias potius, quam condiscipulorum consortia adamabat. Quum autem annum ætatis vigesimum ageret, in monasterium Borovscense abiit; ubi, Paphnutio hegumeno, spiritalis vitæ præcepta didicit. Eo itaque magistro adeo in virtutibus profecisse visus est, ut eidem in hegumenatu fuerit subrogatus. Non diu tamen cum fratribus vixit. Cum enim cœnobiticam vitam invehere frustra conatus esset, sociis scilicet reluctantibus, monasterio clam relicto, cœnobium Belozerense petiit; ubi communis vitæ leges penitius indagaret; aliasque religiosas domos invisit. Tum ad Borovscenses socios redux, cœnobiticam regulam proposuit eis iterum; ast iterum rejectus, in solitudinem Volocensem cum aliquot ex illis secessit anno 1479, ibique cœnobium instituit, et *Regula monastica*, ut vocatur, a se conscripta, dotavit. Dum hegumenus esset, multum adlaboravit in oppugnanda Judaizantium hæresi, quæ ejus ætate passim in septentrione grassabatur; nec prius quievit quam errones illi a concilio Mosquensi, sua opera convocato, damnati fuissent pœnisque acerrimis plexi. Scripsit etiam contra eosdem librum qui *Illuminator* vulgo nuncupatur, suoque tempore fuit celeberrimus. Propter molestias, a principe Volocensi monasterio suo illatas, rogavit Josephus magnum ducem, ut monasterii patronicium susciperet, conferretque metropolitæ jurisdictionem. Quod quia, inconsulto Serapione, archiepiscopo loci, egerat, interdicto ab eodem subjectus est, mox tamen in gratiam præsulis rediturus. Tandem, cum cœnobium Volocense, quod jam centum socios habebat, annos triginta septem rexisset, ad alteram vitam migravit anno 1515, die 9 septembris. Præter *Illuminatorem*, de quo modo dixi, alia plurima scripta reliquit Joseph, quæ adhuc exstant. Erat enim vir litteris tum sacris, tum profanis bene excultus. Memoria quoque pollebat tanta, ut dum apud Paphnutium degeret et codices liturgici deficerent, totum officium memoriter sine offendiculo decantaverit. Vitam ejus scripsit Dositheus, discipulus, et Sabas, episcopus Savensis et Donensis.

1) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 189. 3) Philaret., Hist. Eccl. Russ., III, 167. 4) Idem, Prospectus lit., n° 119. 5) Dict. script. eccles., I, pag. 306 et seq. 6) Muraviev ad h. d.

DIES X.

DIES X.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

ADORATIO SANCTÆ ET VENERANDÆ CRUCIS (*Mst. Ass. Tern. Par. I, Zogr. cum Hier. GP. Flor. Vind. Msq.*).

SS. MM. Menodoræ, Metrodoræ et Nymphodoræ (*Rum. Par. 1, Tern. Zogr. Chil. Og. Pp. Cap. Men. Prol. Hor. Man. Kal. et cæt. cum Bas. Vind. Goth. Pg. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Baripsabæ, mart. (*Rum. Men. Man. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Pulcheriæ, imperatricis (*Men. Man. Kal. Prol. cum Med. Sirm. Mg.*). SS. apost. Apollos, Lucii et Clementis (*Men. Man. Kal. Prol. cum Mg.*). SS. trium mulierum (*Men. Kal. Prol.*). SS. Petri et Pauli, epp. Niceæ et confes. (*Prol. Man. Kal. cum. Med. Sirm.*). Andreæ, mon. Vologdensis (*Hag.*).

† MM. Diodori et Didymi (*Med.*). † Simonis, ap. (*Neap.*). † Iæ, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

Adoratio Crucis.

Ante diem festum Exaltatæ Crucis, quod die 14 recolitur, præmittitur ejusdem adoratio tribus continuis diebus, decima, undecima et duodecima. Verba sunt Assemani, quibus satis explicatur lectio codd. Ostr. et Mstisl., qui de sola adoratione crucis agunt, posthabitis sanctorum memoriis. In Rum. præterea adduntur SS. Baripsabe, Menodora, Metrodora et Nymphodora. — In Par. legitur : *Tinodoræ*; in Rum. : *Nyphorodæ*. — S. Clemens additus est Lucio et Apollo ex Prologo et (quæ illum passim sequitur) *Regula* iconographorum. — De S. Pulcheria, augusta, agunt hodie etiam Menæa Græca et præterea ad diem XVII Febr. simul cum Marciano, imperatore, cujus erat conjux. Legesis quæ de cultu utriusque disserunt Bollandiani in Actis SS. ad hanc diem, pag. 503. — In Med. et Sirm. nomen Petri desideratur. Hic gnaviter decertabat pro cultu imaginem, sub Leone Armeno, imperatore. — Simonem Zelotem, unum e duodecim apostolis recolunt Græci et Slavi tum 10 Maii, tum die 30 Junii, omnibus apostolis sacro. In marmore Neap. refertur hodie, et quidem præfixa nota *passionis*, quamvis nemo hactenus tradiderit S. Simonem occubuisse 10 Septembris. Unde denuo collige nota illa non constanter indicari diem martyrii. — Pluries jam retulimus S. Iam, martyrem, et iterum nominabimus postridie, concinentibus nonnullis Fastis Slavicis.

SS. Menodora et soc. *S. Clemens.* *S. Pulcheria.* *SS. Petrus et Paulus.* *S. Simon ap.* *S. Ia.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Andreas, mon. Vologdensis.

Andreas, ex principe Vologdensi monachus, patrem habuit Demetrium Basilidem, ducem Zaozerensem. Duodennis in monasterium Spasokamenense sese abdidit; et anno vigesimo tonsura a Cassiano hegumeno initiatus, quinquennio monasticæ vitæ certamina decertavit. Quo peracto, ad aliam patriam migravit 10 septembris, anno 1462. Tribus sæculis post in ecclesiam monasterii Balaamici solemniter translatus fuit, ibique hodiedum cultu ecclesiastico honoratur.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 26.

DIES XI.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

PASSIO S. DIODORI, MARTYRIS (*Mst. Ass. Zogr. Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg.*). SANCTÆ MARTYRIS THEODORÆ (*Mst. Rum. Par. Zogr. Prol. Man. Chil. Og. Pp. Kal. Hor. et cæt. cum Bas. Goth. Vind. Pg. Sirm. Maz. Mg. Med.*). ADORATIO VENERANDÆ CRUCIS (*Mst. Rum. Tern. cum CP. Hier. GP. Flor. Vind.*.

Sanctæ Iæ, martyris (*Prol. Man. Kal. cum Bas. Mg. Maz. Med.*). S. Euphrosyni (*Men. Prol. Man. Kal. cum Mg.*). SS. MM. Demetrii, Didymi et Evanthiæ, uxoris ejus, et Demetriani (*Prol. Kal.*). Translatio corporum Sergii et Germani Balaamensium (*Hag. Verš.*). SS. MM. Serapionis, Cronidis, et Leontii (*Kal. Prol.*). SS. MM. Valerii et Seleuci (*Prol.*).

† Mariæ, mart. in Perside (*Sirm.*). † Proti et Hyacinthi (*Neap.*). † Autonomi, mart. (*CP. Sirm. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Diodorus.

Diodorus socium martyrii habuit *Didymum*, quem referunt Prologus, Kal. Mosquense, Menologium Basilianum et alii; in Men. Græcis excusis additur Diomedes, a cæteris prætermissus. — Martyr et pœnitens Alexandrina, sub virili habitu latebat S. Theodora. — De S. Ia, martyre, sermo fuit nobis non semel; illud quoque notatum, eam. a Græcis et Slavis perperam distingui a S. Eudocia. Quid si etiam Maria, cujus meminit hodie Menæum Sirmundi, eadem sit ac Ia, nomine dimidiato? — De Sergio et Germano Balaamicis, quorum recolitur translatio, actum est ad 28 Junii; facta est hæc translatio ex monasterio S. Nicolai Ladogensi in Balaamicum, anno 1718 instauratum. Alteram translationem consignatam quidem legimus in Chronico Sophiensi seu Novgorodensi ad annum 1163, sub S. Joanne, archiepiscopo Novgorodiæ; at eam a scriptore longe recentiore descriptam imo confictam fuisse, testantur iidem auctores indigenæ ; qui ipsammet ascetarum Balaamensium Vitam inter fabulas amandant. — Serapio videtur esse errore relatus hodie ; nam iterum redit die XIII una cum tribus aliis martyribus, quasi ejus socii fuissent.

S. Theodora mart. *SS. Ia et Maria.* *SS. Sergius et Germanus.* *S. Serapio.*

DIES XII.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

PASSIO S. AUTONOMI, EPISCOPI (*Mst. Rum. Man. Prol. Par. I, Siš. Chil. Og. Pp. Men. Leop. Hor. Kal. cum Bas. Neap. Nan. Pg. Goth. Vind. Flor. Msq. Med.*).

S. Cornuti, ep. Nicomediæ (*Ass. Rum. Prol. Kal. Man. cum Bas. Nan. Pg. Msq. Mg. Sirm. Maz.*

Dies XIII Septembris.

Maz. Med.). S. Juliani, mart. et 40 soc. Ancyræ (*Prol. Man. Kal. cum Nan.* 1, *Mg.*). S. Theodori Alexandrini (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Maz. Mg.*). Adoratio Crucis (*Ass. Rum. Zogr. Tern. cum CP.*). [Bassiani Totmensis (*Hag.*). Simeonis Verhoturensis (*Hag.*)].

† MM. Macedonii, Tatiani et Theoduli (*Sirm. Maz. Mg. Med.*). † Danielis in Thasio (*Sirm. Mg. Med.*). † Oceani, mart. (*Mg.*). † Heliæ, abb. in Calabria (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Autonomus. In Rum. habetur tantummodo : *et sancti Autonomi;* at in Ostr. et Mst. plenius, ut in Neapolitano.—In Ass. Cornutus vocatur episcopus Iconii, consentiente Lequieno, apud quem audit Coronatus (Orb. Christ., tom. I, pag. 1068). Assemanus putavit *Cornatum* codicis sui glagolitici positum fuisse pro Cornelio, centurione. Minime. — In Menologio Basilii refertur S. Julianus, etiam martyr, cum 49 sociis. In Naniano 1, seu signato CLXVI, habetur distinctius ita *S. Juliani, martyris Ancyræ, τοῦ ἐν Ἀγκύρᾳ*; cujus loco Menæa Græcorum Magna ponunt Galatium. Cæterum unus est et idem.

S. Cornutus.

S. Julianus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Bassianus, heg. Totmensis. Bassianus, in baptismo Basilius dictus, in vico Burtsovo patre agricola natus, monasticam vitam amplexus est in cœnobio Spasomurino, quod in Totmensi civitate adhuc floret. In solitudinem profectus, monasterium Tixnense, a flumine Tixna nuncupatum, instituit, et exstructam ecclesiam imagini Salvatoris non manufactæ dicandam curavit. Mansit ibidem ad supremum vitæ suæ diem, hegumeni munere defungens. Obiit autem anno 1633, die 12 septembris. Cultu ecclesiastico Totmæ jam ab anno 1647 honoratur.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 62. 2) Muraviev ad h. d.

Simeon Verhoturensis. Ecce novum nomen, mihi ad ultima fere tempora prorsus ignotum; de Simeone namque Verhoturensi nullum vestigium reperitur in Dictionnario Sanctorum Russiæ historico, quod Petropoli prodiit anno 1836; illatus est in novissimam ejusdem operis editionem anno proxime elapso vulgatam ibidem. Floruit Simeon sæculo XVII, degitque procul a patria domo, in finibus Siberiæ, in vico quodam Mercušinsk dicto, provinciæ Permiensis, quinquaginta chiliometris circiter a civitate Verhotursk distante. Victum laboribus manuum suarum quærere, licet nobilis sanguinis vir esset; pauperes vestire ; paganos ad christianam fidem pertrahere nunquam omisit, ut narrant. Obiit anno auctori incerto dieque; dies vero præsens servat memoriam translationis ejus corporis Mercuševo in civitatem Verhoturensem. Contigit hæc translatio anno 1704.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 219, ed. 1862. 2) Murav. in Appendice ad mensem Decemb. a pag. 229.

DIES XIII.

Ex Ostromirano. Memoria S. martyris Simeonis, cognati Domini secundum carnem et archiepiscopi Hierosolymitani (*Mst. cum Nan.*).

Ex variis. SS. MM. Macrobii, Gordiani et Seleuci (*Rum. Zogr. Prol. Men. cum Bas. Med.*). SS. Menodoræ, Metrodoræ et Nymphodoræ (*Vat.* 2). SS. MM. Zotici, Luciani, Valeriani et Heli (*Prol. Men. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Cornelii, centurionis et hieromart. (*Rum. Novg. Par. Chil. Og. Pp. Cap. Men. Leop. Hor. Kal. Prol. cum Nan. Msq. Sirm. Mg.*). S. Petri Atroensis (*Men. Kal. Prol. cum Sirm. Med.*). Adoratio vener. Crucis (*Tern. cum CP. Hier. GP. Flor. Goth. Vind.*). Encænia ecclesiæ Resurrect. Domini (*Men. Cap. cum Pg. Nan.* 1, *Med.*). Dedicatio Ecclesiæ S. Georgii (*Chil.*). Kethevaniæ seu Ketheonis, reginæ (*Iber.*). S. Juliani, presb. et mart. (*Prol. Man. Kal. cum Bas. Med. Sirm.*). SS. MM. Cronidis, Leontii et Serapionis (*Prol. Kal. cum Mg. Med. Maz.*). SS. Stratonici et Silvani, mart. (*Men. Man. Kal. cum Med. Maz. Mg.*). S. Theodoti, mart., Alexandriæ (*Prol.*). [Hierothei, mon. Athonitæ (*Ath.*).]

† Olympiodoris, mart. (*Sirm.*). † Nicetæ, mr. (*Neap.*).

OBSERVANDA.

S. Simeon. In cod. Nan. 1, facta commemoratione *Dominicæ post Exaltationem* et *memoriæ* S. *Simeonis, cognati Domini*, additur continuo : *eadem dominica celebratur memoria sextæ synodi in magna ecclesia.* Illud quoque observandum est, S. Simeonis nomen ter occurrere hoc mense : hodie, 18 et 21 Septembris; sane ob festum Crucis. — Solus Macrobius refertur in Rum. uti Gordianus in Zographico; at Prologus nominat utrumque una cum Seleuco, Cronide, Leontio et Serapione. — Tres ultimi seorsim commemorantur ad diem XI. — In quibusdum codd. indicatur sola adoratio Crucis, omissis nominibus sanctorum. — Non unum est in Kalendariis festum dedicationis ædis, S. Georgio megalomartyri dicatæ; et quemadmodum Græci celebrant diem anniversariam ecclesiæ quæ Lyddæ, Russi vero quæ Kioviæ fuit exstructa, ita forsan monachi Chilandarienses habebant proprium festum in honorem ejusdem martyris, cujus hodie recolebant anniversariam memoriam.—Non tam sanguinis nobilitate, quam præclara morte innotuit Ketheon seu Kethevane, Persis Mariana, Kakhetiæ regina. Erat illa illustri Bagratidum Mukhranensium genere orta, et uxor Davidis, cujus adversam fortunam ex parte sortita est. Quum nempe David a patre suo Alexandro II, quod thronum usurpasset, maledicto solemniter esset percussus, brevique sceptrum simul cum vita misere amisisset, detenta est Kethevane in domo soceri sui; Theimurazus vero, infantulus ejus, regi Persarum Abazo II, qui eo tempore universæ Kachetiæ et Karthliæ dominabatur, obses datus. Anno 1605, quum ejusdem regis consilio Alexandrum proprius filius ejus

SS. Macrobius et soc.

SS. Seraphio et soc.

Vigilia.

Dedicatio ædis S. Georgii.

Kethevania et Luarzabus, reges Iberiæ.

ejus Constantinus inter convivia dolose trucidasset una cum Georgio fratre suo, natu secundo, (quorum corpora, camelo imposita, Alaverdum fuerunt delata,) paternam domum repetiit Kethevane; ibique mansit, donec a Kachetis, Constantini tyrannidem ægre ferentibus, in reginam expetita fuit. Commisso prælio ad fluvium Alazanum, illustrique de tyranno victoria reportata, unanimi magnatum clerique consensu regina Kachetiæ constituta est Kethevane. Qua in pugna, Constantinus gladio confossus, capiteque truncatus, dignam apostasiæ, parricidii et fratricidii obtinuit mercedem. Eodem anno Theimurazum, annorum sedecim juvenem, qui ad id tempus in aula regis Persiæ detinebatur obses, recuperavit mater, regnoque præposuit, annuente Chah-Abbazo, et brevi post matrimonio junxit cum Anna, Mamiæ, Gouriensis regis, filia. Qua ex ulcere mortua anno 1609, uxorem duxit Theimurazus Luarzabi sororem, nomine Khorošanam, eximiæ pulchritudinis. Erat Luarzabus Georgii IX, regis Karthliæ, et Thamaris Lipartianidis filius, anno 1595 natus, Karthliæ autem rex ab anno 1605; quo pater ejus veneno sublatus fuerat, ejusdem Abbasi jussu. Et quia parum huic arridebat utriusque principis christiani potentia et familiaritas, utrumque interimendi occasionem quæsivit, inventaque bellum indixit Luarzabo; Theimurazo vero auctor fuit, ut matrem suam Ketheonem duosque filios, Leonem et Alexandrum, sibi obsides daret. Annuit illa, saluti gentis suæ consulens, licet nihil boni sibi adventurum auguraretur; fuitque honorifice ad speciem excepta; at mox e Gandja Chirazum in exilium acta, per integrum decennium ibi cum nepotibus detinebatur. Kachetiam et Karthliam igne ferroque interea vastavit Chah-Abbaz. Cujus furorem monasterium Garedjiense expertum est omnium primum, sex millibus monachorum ipsamet nocte Paschatis crudelissime trucidatis; rex vero uterque profugit in Imeretiam, auxilium Georgii II expeturus. Tunc quod armis non potuit, dolo obtinere statuit tyrannus, deditque Luarzabo litteras simulatæ amicitiæ verbis plenas; quibus princeps, utpote juvenis, facile deceptus ad regem venit et initio quidem blande et cum honore sibi debito exceptus est. Verum mox, instigante præsertim Muravo, olim sibi familiari, tunc vero, eo quod ejus sororem matrimonio ductam repudiasset, ipsiusque mortem decrevisset Luarzabus, inimicissimo, primo Astrabathum, dein in castellum Goulabiense loci natura horridum relegatus est, ibique tandem, submisso sicario, strangulatus, anno 1615, postquam totum septennium in exilio exegisset. Hunc igitur non modo heroum numero accensent Karthiæ incolæ, sed etiam ecclesiastico cultu veluti sanctum et martyrem venerantur quotannis ad diem 20 Martii, ut auctor est Brossetus; juxta Muravievium vero ad 21 Junii, quo similes honores tribuuntur ab Iberis S. Arčilo, regi et martyri, mille annis antea passo. Quo autem a Luarzabo hujus nominis primo discriminetur hodiernus, vulgo cognominatur *parvus* et *martyr*, iberice *Patara Motsame*. Nec multo post morti traditi sunt Alexander et Leo, filii Theimurazi, qui ut patriam suam a Persarum dominatione liberaret, copiis undique conquisitis, impavidus hosti repugnabat. Ipsa denique Kethevane, quum nec splendidis promissis aut thori regii illecebra, nec minis a christiana fide averti potuisset, capitis damnata, fusis precibus coram icone B. M. Virginis, sumptoque corpore Domini Nostri, quod ob imminens discrimen secum gestasse dicitur, crudelia tormenta forti animo sustinuit, atque in verba: *Domine Jesu Christe, suscipe animam meam*, exhalavit spiritum, anno 1624. Quapropter veluti martyr colitur ab Iberis ad 13 Septembris. Atque tali mortis genere obiisse Kethevanem tradit Muraviev; qui etiam addit, corpus ejus a missionariis Ordinis S. Augustini, supplicii testibus oculatis, ex ædicula, ubi conditum fuerat, in suum templum delatum esse; mox vero, missis quibusdam particulis Namurcum in Belgio, ubi hodiedum asservari asseverat, ejusdem caput, manum dextram et cruorem coagulatum, Theimurazo, totius Karthliæ et Kachetiæ jam potito, oblatas esse, qui eas in ecclesia Alaverdensi honorificentissime condi jussit, præscripto etiam festo, ad 13 Septembris quotannis celebrando. Juxta alios non supplicii tormentis, sed veneno perempta est Kethevane. Cujus gesta et mortem scripto tradiderunt Arčilus, Imeretiæ rex, et ipsemet Theimurazus tam vincta quam soluta oratione; insuper Antonius, Ecclesiæ Iberæ primas. Omnino aliter rem narrat, Chardin, tom. II, pag. 142 et seq., ed 1739; præter quem consulantur 1) Chronicon Ibericum, ed. Brosset, pag. 27 et seq. 2) Peysonell, pag. 37. 3) Muraviev, ad hunc diem. — De Hierotheo, qui obiit anno 1745, plura dicere non vacat. Cfr. Pater. Ath. II, 156.

Hierotheus Athonites.

DIES XIV.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Exaltatio S. Crucis (*Omnes*).

S. Joannis Chrysostomi obitus (*Hor. Euch. Kal. cum Sirm. Mg. Med. Maz.*). S. Papiæ, martyris (*Prol. Kal. cum Bas.*). S. Simeonis, archiep. Serbiæ et thaumaturgi. [Macarii, mon. Athonitæ (*Ath.*).]

† Cypriani, ep. et mart. (*Neap.*). † Placidæ, imperatricis, uxoris Theodosii Magni (*Sirm. Med. Mg.*). † Theoclis, mart. (*Mg.*). † Valeriani (*Mg.*).

OBSERVANDA.

Festum exaltatæ Crucis.

Celebratissimam hanc adorandæ et vivificæ Crucis festivitatem pluribus illustrare esset actum agere. Hæc itaque paucissima referam: inventam fuisse Crucem a S. Helena, imperatrice, anno 326. Exaltationis festum institutum anno 335, quo Deo initiata fuit ecclesia Resurrectionis Hierosolymitana; dedicatio vero incidit in 13 Septembris. Festum hoc, utpote unum e duodecim insignioribus, præter profestum, recolitur per octo integros dies. In officio liturgico diei canitur canon, a S. Cosma, hymnographo, conscriptus. — In Horologio Počajovensi annuntiatur optime his verbis: *Dormitio S. Patris nostri Joannis Chrysostomi, archiep. CPolitani.* Hoc namque die ad cælicolas migravit inclytus Ecclesiæ doctor; at propter festum Crucis translatus est ad 13 Novembris, quo colitur a Græcis et, qui eos imitati sunt, Russis, Bulgaris et Serbis. — Papias alibi vocatur Papas, nomine tantum, non persona diversus. — Notavimus ad diem hujus mensis quintam, commemorari a Muravievio, nescio quanam auctoritate, S. Joannem Rylensem, ac si eo die memoriam ejus celebrarent Bulgari, quorum Ecclesiam illustravérat anachoreta eximius; ecce tibi novum sanctum inducit hodie, non Bulgarum, sed Serbum, Simeonem nomine, quem archiepiscopum fuisse asserit et

S. Papias.

S. Simeon.

S. Joannes Chrysostomus.

DIES XV ET XVI SEPTEMBRIS.

et thaumaturgum seu miraculorum patratorem. Dolendum, quod nullus proferat testem, a quo talia acceperit Vitarum Sanctorum editor russus; præsertim quum nullum sanctum, Simeonis nomine distinctum, reperire sit inter archiepiscopos Serbiæ; quorum accipe seriem et nomina : 1° S. Sabas I, ab anno 1217 ad annum 1221; 2° S. Arsenius; 3° S. Sabas II; 4° Daniel; 5° S. Joannicius; 6° S. Eustathius seu Eustratius; 7° Jacobus; 8° Eustathius II; 9° Sabas III; 10° Nicodemus; 11° Daniel II, archiepiscoporum ultimus et 12° Joannicius I, patriarcha ab anno 1350. Fefellit virum levis alioquin eruditionis nomen Simonis seu Simeonis, quem reapse quidam recolunt Serbi ad 24 Septembris, ut dictum eo die; at Simeon iste vix monachus, nedum antistes, vocari potest, siquidem sceptrum Serbiæ ad extremum fere vitæ suæ tenuit, nec nisi ad brevissimum tempus, cum jam morti proximus erat, monachorum habitum suscepit a S. Saba, archiepiscopo et fratre suo germano. Verumenimvero quantumvis probabilis sit error auctoris jam dicti, consultius visum est nomen Simeonis servare, donec certiora documenta proferantur ad improbanda dubia mea aut probanda. — Macarius, quem commemorat hodie Patericon Athonicum, discipulus erat Niphontis, patr. CPolitani, de quo actum 11 Augusti; dicitur ob fidem Christi mortem oppetiisse, anno 1527. Plura recole in Paterico jam dicto, t. II, p. 116, cui præivit Νεον μαρτυρολογιον.

Macarius Athonites.

DIES XV.

Ex Ostromirano. MEMORIA S. NICETÆ, MARTYRIS (*Men. Ass. Rum. Zogr. Tern. Prol. Hor. Kal. Novg. cum Bas. Hier. GP. Flor. Pg. Vind. Sirm. Med. Mg.*). ET S. ACACII, EP. MELITINÆ (*Prol. Kal. cum Hier. Mg.*).

Ex variis. S. Stephani, protomartyris (*Ass. Kal. Prol. cum Sirm. Mg.*). S. Philothei, presb. et thaum. (*Prol. Kal. Men. cum Bas. Sirm. Maz. Med. Mg.*). SS. MM. Maximi, Theodoti et Asclepiadis (*Prol. Men. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Mg. Maz. Chiffl.*). [S. Philothei, patr. CP. (*Ephem.*)]. Memoria sextæ synodi œcumenicæ (*Ass. cum Hier. Nan.*). Abraami, Alexii, Helladii, Onesimi, Sisois et Theophili, reclusorum Kioviensium, Joannis, infantis et alius Joannis (*Hag.*). SS. duarum virginum et mart. (*Men. Prol. Kal. cum Mg.*).

† Martini, papæ et mart. (*Bas. Maz.*). † Melitinæ, mart. (*Bas.*). [Bessarionis, archiep. Larissæ (*Synax.*)].

OBSERVANDA.

S. Nicetas. Antiquam S. Nicetæ megalomartyris Vitam protulit nuper in lucem cl. Kostomarov, in opere sæpius a me citato; non quod novi quid aut serii contineat, sed quia ad criticorum ingenia exercenda amplam materiem præbet. Est autem slavonico idiomate conscripta. — Teste Prologo, hodie recolitur memoria translationis S. Acacii, cujus festum celebratur ad 17 Aprilis. — Sancti Stephani quoque memoria huic diei ideo est adscripta, quod sit inventi corporis ejus anniversaria. — In Tabulis Græco-Moscis inscriptum legitur nomen cujusdam Philothei, patr. CP., sacerdotali veste induti. Hunc unum ex Metropolitis Kioviensibus esse censuit Papebrochius; ego autem a Philotheo presbytero et thaumaturgo, superiis relato, minime distinguendum esse existimo. — Sabbato, quod diem 14 Septembris exaltatæ cruci sacram proxime sequitur, communi officio celebrantur in monasterio Kievocryptensi, sequentes monachi reclusi : Abraham, Alexius, Helladius, Onesimus, Sisoes et Theophilus, ab altero Theophilo, de quo modo, prorsus distinguendus. His addendi sunt Joannes, infans, et alter Joannes, de quo agitur in Vita Theophili, fratris ejus uterini, ad diem 29 Decembris; nec quid aliud hic superest dicendum. Quod cæteros attinet, præter nomina et locum sepulturæ, reliqua omnino ignorantur. Cfr 1) Dict. hag., pag. 7, 20, 109, 130, 252 et 286. 2) Eugenius, Descript. Lauræ, pag. 108.

S. Acacius.

S. Stephanus.

Philotheus, patr. CP.

Abraham, Alexius et alii mon. Kiovienses.

DIES XVI.

Ex Ostromirano. Ex variis. PASSIO S. EUPHEMIÆ, MARTYRIS (*Ita omnes cum Neap. CP.*).

S. Sebastianæ, mart. (*Prol. Men. Kal cum. Med. Sirm. Maz.*). S. Melitinæ, mart. (*Prol. Men. Kal. cum. Sirm. Maz. Med.*). S. Dorothei, eremitæ (*Men. Kal.*). S. Ludmillæ mart., matris S. Vinceslai (*Prol. Men. Kal.*). S. Cypriani, metrop. Kioviensis (*Prol. Men.*). B. Josaphati, arch. Polocensis et mart. (*Hor. Leop.*).

† Martini, papæ, mart. (*Sirm. Med.*). † Fidei, Spei, Charitatis et Sophiæ (*Bas.*). † Agathocleæ, mart. (*Bas. Nan.*).

OBSERVANDA.

S. Euphemia. Ad diem Julii undecimam recolunt Græci memoriam miraculi quod intercessione S. Euphemiæ ad firmandam fidem catholicam fuisse patratum creditur; hodie vero festum agunt martyrii ejus anniversarium, ut colligere licet ex nota *passionis* quæ præscribitur in Ostr., Mst., Rum. quamvis apud Sirletum legatur eadem ad XI Julii; cujus auctoritate deceptus Sabbatinius immerito contrarium asseruit in adnotationibus ad hunc diem.

S. Ludmilla. — S. Ludmilla, Slavibori comitis pagani filia et S. Wenceslai avia, Borivoio Bohemorum principi gentili nupta, ingenti Dei beneficio, Methodium, S. Cyrilli fratrem, virum sanctissimum, sortita est in fide christiana magistrum; cujus opera una cum conjuge et populo sibi subjecto, sacrum baptisma suscepit, et quidem, ut docetur a pluribus auctoribus, ritu græco, non latino. Hinc est, quod in Fastis Slavicis S. Ludmillæ nomen sit inscriptum, non secus ac SS. Cyrilli et Methodii, ritus slavici institutorum et parentum. Vitam ejus, auctore Christanno, sanctæ pronepote, dederunt Bollandiani, Act. SS., Sept., t. IV, p. 339, et iterum Josephus Dobrowski, emendatiorem et criticis adnotationibus locupletatam. — B. Josaphatum, archiep. Polociæ, die 12 Novembris, anno 1623, a plebe illius civitatis crudeliter

B. Josaphat, archiep. Polociæ.

liter trucidatum, martyrii coronam promeruisse, constans est omnium historicorum testimonium. Evidenter itaque erravit editor Horologii Počajovensis catholicus, qui postquam hodiernam festivitatem annuntiaverat his verbis : *Eodem die celebramus memoriam beati hieromartyris Josaphati, archiepiscopi Polocensis*, continuo subdidit : *qui pro unione sanctæ Ecclesiæ in urbe Lithuaniæ Vitebsco martyrium passus est anno* 1623, *die* secunda *Novembris*. Festum ipsius die præsenti sub præcepto a Ruthenis celebrari jussit synodus Zamosciana, celebrata anno 1720; unde factum, ut ad 12 Novembris, martyrio ejus clarum, in recentioribus Ruthenorum catholicorum Fastis silentio prætermittatur. A nobis illustrabitur die quo occubuit. — Cypriani, metropolitæ Kioviensis, meminimus ad 27 Maii, inventionis corporis ejus anniversarium; hodie recolitur ejus obitus qui contigit anno 1406, ut fusius declarabitur in Memoriis Slavicis.

DIES XVII SEPTEMBRIS

Cyprianus, metr. Kioviensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Cyprianus, metr. Kioviensis.

Cyprianus, cui patria Ternobum, Bulgariæ urbs olim princeps, in metropolitam Kioviensem a patriarcha Philotheo ordinatus, Kioviam venit anno 1377; ubi ab Alexio in coadjutorem assumptus fuit. Ut autem Alexius vita functus est, ei in regenda ecclesia successit Cyprianus, anno 1380. Initio quidem habuit duos competitores, Pimenum et Dionysium; ast ubi hunc Vladimirus, Olgerdi filius, Kioviæ dux, carceri mancipavit; illum vero Demetrius, cognomento Tanaicus, Moscoviæ dux, a sede amovit, solus utrique Ecclesiæ Kioviensi et Mosquensi præfuit Cyprianus. Vir fuisse traditur illibatæ vitæ, divina sapiens, litteris instructissimus, in spiritualibus apprime versatus et doctrina ecclesiasticæque disciplinæ studio plane conspicuus. Arduum illud negotium regendi subditos, eosque christianam sapientiam ac timorem Dei docendi procurabat multa constantia et fortitudine. In inobedientes, etiam episcopos, severe animadvertebat; Ecclesiæ jura, a laicis usurpata, cum sancta libertate tuebatur. Ejus tempore Permienses ad fidem conversi sunt opera Stephani episcopi, Cypriano amicissimi; magnusque Lituaniæ dux, Jagello, ad regnum Poloniæ vocatus, sacrum baptisma suscepit anno 1386, perpetua unione facta Lituaniæ et Rutheniæ cum Polonia. Ecclesiastico ritu ad meliorem formam revocato, cultum sanctorum Serborum in Russia introduxit; atque festum, Occursus imaginis Deiparæ dictum, instituit, 26 Augusti quotannis celebrandum, in memoriam patriæ ab invasione Tartarorum ope hujus imaginis mirabiliter liberatæ, anno 1395. Ut autem a negotiorum tumultu liber saluti propriæ et litterarum studiis nonnihil vacaret, ideo (si otium esset) in villa, Goleniščevo nuncupata, prope Mosquam, libenter commorabatur; ibique, media in solitudine degens, Ecclesiæ regimini consulebat, episcopos et presbyteros ordinabat, gregemque suum scriptis frequenter visitabat; in quibus orationem et pœnitentiam imprimis voluit commendatam. Sunt et alia permulta, quæ adhuc supersunt, aut ab ipso confecta, aut manu propria exarata. Inter alia, scripsit Vitam S. Petri, decessoris sui celeberrimi, a quo Constantinopoli sanatus fuerat, antequam peteret Mosquam. Insuper magnam codicum manuscriptorum copiam in Russiam invexit, idcirco litterarum ecclesiasticarum instaurator merito appellandus. Verumenimvero hanc librorum scriptionem negotiorumque multitudinem continua oratione jugique novissimorum suorum meditatione temperabat. Horum semper memor, postquam in bonis operibus sese diu et diligenter exercuisset, ac venerandam senectutem attigisset, lethali morbo correptus est. Morti jam proximus, testamentum exaravit, pietatis et humilitatis sensibus plenum, in quo scilicet benedictionem omnibus fidelibus, veniamque ultimo impertiebat, veniam, si qua in re peccasset, vicissim ab eis petens; illudque, ut super corpus ejus mortuum publice legeretur, mandatum voluit. Mortuus est anno 1407, die 16 septembris, postquam triginta ferme annos Ecclesiam sibi concreditam rexisset. Corpus ejus translatum est in templum cathedrale Mosquæ, anno 1472, die 27 maii, qua ideo colitur secundo. Ita de eo Russi; neque omnino dissentit Kulčinius, nimium forte facilis.

1) Prologus. 2) Liber Gradualis, I, 507 5) Dict. histor., p. 147. 4) Karamsin, t. V, p. 61 et seq. 5) Schevyrev t. III, p. 119 et seq. 6) Opera SS. Patrum (russ.), an. 1848, t I, p. 295-396. 7) Annal Novg. I, 91, Soph., I, 331. 8) Philaret., Hist. Eccl. Russ. t. II, 25, 42, 62, 86, 100, etc. 9) Kulčinii Specimen, p. 120. 10) Macarii, Metropolis Russicæ periodus transitoria, pag. 37 et seq. in opere academico Učenyia Zapiski, t. VII, part I.

DIES XVII.

Ex Ostromirano. Passio SS. Charalampi, Pantaleontis et sociorum (*Ita Siš. cum CP. Nan. Pg. Maz. Sirm. Mg. Med.*).

Ex variis. SS. MM. Fidei, Spei, Charitatis et matris earum Sophiæ (*Mst. Par. Zogr. Rum. Tern. Man. Prol. Chil. Og. Pp. Cap. Men. Leop. Hor. cum Goth. Msq. Vind. Med. Sirm. Maz. Mg.*). SS. MM. Eulampii et soc. (*Ass. cum Hier. GP. CP. Flor. Nan. Pg.*). S. Agathocliæ, mart. (*Prol. Verš. Man. cum Med. Sirm. Maz. Mg.*). S. Theodotiæ, mart. (*Prol. Verš. Man. cum Mg.*). SS. centum et quinquaginta sex mart. (*Men. Prol. cum Mg.*).

† MM. Sophiæ et Irenes (*Sirl. Med.*). † MM. Luciæ, viduæ et Geminiani (*Bas. Sirm. Med. Maz. Sirl. Mg.*). † MM. Maximi, Theodoti et Asclepiodotæ (*Mg.*). † Pelei et Nili, epp. (*Mg. Sirl.*). † Patermuthii et Heliæ (*Mg.*). MM. Heraclidis et Myronis, epp. Cypri (*Sirm. Med. Maz. Mg. Sirl.*). † Simonis, fratris Domini (*Neap.*).

OBSERVANDA.

S. Charalampius. Charalampius et Pantaleon seu Pantaleemon celebrantur seorsim unusquisque die sibi proprio, hic 27 Julii, ille 10 Februarii. Olim conjuncti colebantur Constantinopoli in æde ipsis dicata

Dies XVIII Septembris.

dicata in Deutero (urbis tractus erat in regione duodecima). Ostromirano consonant Menæa excusa et Menologium Sirleti; habent enim: *Natalis SS. MM. Charalampii, Pantaleontis et sociorum;* at in Ass., Nan., CP., Flor. et aliis perantiquis, loco Charalampii nominatur Eulampius. In CPolitano Morcellii habetur : Memoria SS. Eulampii, Pantaleontis, Domnini, Myronis et cæterorum; in Nan. tantummodo nominantur duo priores. Ultimus refertur in Sirm., Maz. et Med., at conjunctim cum S. Heraclide. Hinc Morcellius in eam sententiam abiit Charalampium hodiernum non alium esse ac Eulampium, diversum tamen a S. Charalampio, qui colitur 10 Februarii. In Fastis Slavorum recentioribus hodierna festivitas prætermissa est, utpote Ecclesiæ CPolitanæ propria. Notanda quoque nota *passionis*, quæ præmittitur in cod. Ostromirano. — SS. Fidei, Spei, Charitatis et Sophiæ, matris, memoriam faciunt primo loco Fasti recentiores omnes, præeuntibus quibusdam remotioris ævi, Mst., Rum., Zogr., Par. I, Chilandariensi. Et quidem in Mst. et Rum. notatur *passio;* item in Menologii Basilii, ad diem præcedentem; a Latinis vero affigitur Kalendis Augusti. Zographicum concordat omnino cum Mstislaviensi. In Chilandar. legitur : *Pistiæ, Elpidis et Agapiæ*, quæ Græcorum nomina slavice audiunt Viera, Nadeżda, Lubov. Parisin. refert solam Sophiam, omissis cæteris. — S. Theodotia seu Theodota, occurrit denuo ad diem 23 Oct., quo refertur in Menol. Basilii et Menæis Græcis excusis et mss. Verum præsens dies est ejus proprius, utpote martyrio ejus clarus, quod Niceæ in Bithynia passa est, anno 230. Præterea commemotur ad 21 Octobris, conjunctim cum S. Socrate. Plura videsis in Act. SS., Oct., tom. X, a pag. 9, ubi reperies narrationem de ejus certamine, e Græco mss. Medicæo desumptam, interprete Guilelmo Gratio, Brugensi. In Bas. refertur pridie; at in Hieros. per antiquo et in Menæis excusis prodit postridie. — In eodem Menologio imperatoris Basilii commemorantur ad 19 Septembris martyres centum et quinquaginta; quibus sex alii adduntur in Menologio et Prologo Slavico; in Menæis vero Græcorum numerantur tantummodo centum et quadraginta sex, et quidem in duas turmas divisi, ac si centenarius manipulus seorsim ab aliis certaverit. Centum et quinquaginta ponuntur etiam in Sirl., Sirm. et Mediol. ad 19 Sept. Quid quid sit, e numreo horum martyrum fuerunt Peleus et Nilus, episcopi, Patermuthius et Helias, viri nobiles; quibus Menologium Mosquense addit Zenonem, presbyterum; Med. et Sirm. Dium, at non hodie, sed ad 19 Septembris. Apud Sirletum Peleus et Patermuthius perperam vocantur Petrus et Patremateus. — In Neap. marmore, teste Angelo Mai, insculptum est : Nt. S. Simoni ser. Dni, *Natale S. Simonis, servi Domini;* at legendum esse Simonis Fr, *fratris*, patet. De hoc sancto antistite et martyre sermo erit modo.

SS. Fides, Spes et Charitas.

S. Theodotia.

SS. Martyres 136.

S. Simon.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano.

Passio S. Simeonis, archiep. Hierosol. et martyris. (*Mst. Rum. Prol. cum Bas. Neap. Sirm. Maz. Mg. Med.*). Et S. P. N. Eumenii, ep. Gortynensis, thaum. et mart. (*Tern. Par. Zog. Man. Prol. Chil. Og. Pp. Cp. Men. Hor. Leop. Kal. cum Vind. Msq. Goth. Sirm. Maz. Mg. Med.*).

Ex variis.

SS. Sophiæ et Irenæ, mart. (*Prol. Man. Kal. cum Med. Maz. Mg. Sirl.*). S. Ariadnæ, mart. (*Men. Prol. Man. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Castoris, mart. (*Prol. Kal. cum Maz. Mg. Med. Sirm.*). MM. Bidzinæ, Chalvæ et Elizbari (*Iber.*).

† MM. Januarii et soc. Sosii, etc. (*Bas.*). † Martyrum 150, Nili, Pelei, Keliæ et soc. (*Bas.*). † Thomæ, ap. (*Neap.*). † Theodoræ (*Flor. Sirm. Med.*). † Theodosiæ (*Hier.*). † Theodori, mr. (*GP.*). † Susannæ, mr. (*Nan.*).

OBSERVANDA.

S. Simeon.

Simeon seu Simon, anno ætatis centesimo et vigesimo passus, iterum occurrit die 13 et 21 Septembris; universim itaque ter in eodem mense : eam ob rationem, ut videtur, quia, ubi cœpit celebrari festum Exaltatæ Crucis die xiv, simul et cultus S. Simeonis, cognati Domini et episcopi Hierosolymitani, frequentior evasit, nempe in vigilia Exaltationis Crucis seu 13, in medio octavæ seu 18, et in octava festi seu 21 Septembris. Conjectura est auctoris adnotatorum in Kal. Ostromiri; quam tamen Synaxaria GP. et Hierosol., a Schulzio edita, non confirmant. In Mst. et Rum. legitur *passio*, ut in Ostromirano. In Rum. additur : *fratris Domini*. De cognatione Simeonis cum Domino Nostro consulantur interpretes sacri, et insuper Menologus Mosquensis ad 27 Aprilis, quo solemnis fit commemoratio ejus apud Græcos Slavosque hodiernos, et ubi in multis corrigitur auctor Prologi. — Eumenius, non *Gotunensis*, ut jacet in Ostromirano, sed Gortynensis episcopus, successit S. Cyrillo, cujus festum celebratur 9 Julii. Obiit in Thebaide, sepultusque est Gortynæ, miraculorum fama in vivis et post mortem clarus, atque thaumaturgi cognomine idcirco insignitus. — Marmor Neapolitanum solum est, ni fallor, in quo fiat mentio S. Thomæ, apostoli, ad hunc diem; nam 3 Julii et 21 Decembris prodit apud alios plerosque. Observatu digna est nota *passionis*, quam præfert marmor : siquidem de die martyrii ejus controvertitur adhuc, ut fusius dicetur ad 6 Octobris, quo colitur a Græcis et Russis. — In Kalendario Iberorum, cujus meminit Brosset Junior in Prologomenis ad suum *Chronicon Iberiæ*, pag. xii, tres occurrunt sancti, Radjen, Mebsambe et Sarmean, recentioribus synaxaristis fere ignoti. Similiter Bidzinæ, Elizbari et Chalvæ nomina desiderantur in antiquioribus, idque merito : siquidem non nisi sæculo xvii floruerint, teste Antonio, Iberiæ patriarcha, in Martyrologio; ubi eorum certamen enarratur ad 18 Septembris, quo coli solent in Ecclesia Iberorum. Porro floruerunt illi tempore Theimurazi I, Kakhetiæ regis, de quo sermo fuit in Vita S. Ketheonis, reginæ, ejus matris, et Luarsabi II, Karthliensis regis, cognomento *Parvi;* quando nimirum Kakhetia Persarum et Tatarorum jugo premebatur. A quo ut patriam suam liberaret Bidzina, nobilissimo Tcholocaensium principum genere prognatus, in Kakhetiam profectus, Elizbarum jam senem, et Chalvam, nepotem ejus, ut secum adversum communem Christiani nominis hostem decertarent, excitavit. Coacto itaque exercitu, nocturno tempore in Tatarorum campum clam irruunt ingentique clade hostem affligunt, pene quadraginta hominum millibus, ut fertur, trucidatis. Re accepta, in furorem actus Persarum rex Chah-Abbaz II, cladis auctores præcipuos tradi jubet Vakhtango IV, Karthliæ regi, in cujus terras secesserant. Obtemperavit ille mandato, comprehensosque

S. Eumenius, ep. Gortynæ.

S. Thomas, apost.

Bidzina, Elizbarus et Chalva.

prehensosque in Persiam misit, unde ad sultanum Ardalamensem, in Kakhetia morantem, pergere jubentur, capitali sententia, ni ad Mahumeti placita accederent, damnandi. Sistuntur itaque coram sultano Ardalamensi; a quo quum nullis bonorum promissis a Christi fide abduci potuissent, primo siti et fame tentati sunt, tum ultimo supplicio plexi. Et quidem Elizbarus et Chalva gladio occubuerunt; Bidzina vero pedibus manibusque articulatim amputatis scissoque ventre, tandem lancea confossus expiravit, die 18 Septembris. Quorum corpora in monasterio S. Michaelis Icortiensi deinceps honorifice condita sunt; capita vero a Latinis et Armenis ablata.

Dies XIX Septembris.

DIES XIX.

Ex Ostromirano. Passio S. Suzannæ, martyris (*Chil. Sirm. Mg.*). Et SS. mart. Trophimi, Dorimedontis et Sabbatii (*Mst. Tern. Par. Zogr. Rum. Chil. Prol. Hor. Man. Men. etc. cum Hier. GP. Pg. Goth. Flor. Vind. Msq. Sirm. Maz. Mg. Med. Kal.*).

Ex variis. SS. MM. Timothei, ep. Gazensis, Agapii et Theclæ (*Prol. cum Sirm.*). S. Zosimi, erem. et mart. (*Man. Kal. Prol.*). Michaelis, ducis Tchernigoviæ (*Prolog. Galiciensis*). Theodori, principis Jaroslaviæ et Smolensci, et filiorum ejus, Davidis et Constantini (*Pp. Ustav. Man. Kal. Prol.*). Arcadii, ep. Novgorodiæ (*Hag.*). SS. MM. Januarii, ep. Beneventani, et soc., Sosii et Procli, diaconorum, Gantioli, Eutychii, Acustii, Theosti et Desiderii, clericorum (*Kal. Prol. cum Neap. Maz. Med.*).

† MM. Pelei, Nili, Patermuthii, Dii, Heliæ (*Sirm. Med. Maz.*). ✝ Nicandri, abb., Petri, Demetrii et Elizabeth (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Suzanna. S. Suzanna occurrit solummodo in Ostromirano et in Typico Chilandariensi, ubi sequens additur notula : *Hanc sanctam plurima typica omittere solent.* In Nan. prodit die præcedenti; in aliis postridie. De ea actum est ad 6 Junii. —

S. Zosimus. Theodorus, Jaroslav. dux. Zosimus recurrit ad diem 4 Januarii simul cum S. Athanasio, commentarisio. — De Theodori vita et gestis vide Memorias Slavicas; et insuper adnotata ad diem 5 Martii, quo celebratur translatio ejus corporis. In Typico seu Ustavo sæc. xv bibl. Petropolitanæ refertur solus, omissis filiis, eo quod præsens dies sit obitus ejus anniversarius. — De SS. Timotheo, Agapio et Thecla vulgo agunt Fasti, ad 19 Augusti; id perperam fieri, auctor est Assemanus, Actis Chaldaicis innixus, omni quidem exceptione majoribus, utpote ab Eusebio Cæsariensi, auctore accuratissimo et coæquali, conscriptis. Jam vero Acta illa ferunt eorum martyrium contigisse vigesima prima Maii, anno persecutionis Diocletiani secundo ineunte, æræ vulgaris 304. Præterea, etsi Kalendaria Græca et Slavica S. Theclam cum S. Timotheo recte conjungant; falluntur tamen, dum S. Agapium eodem die, eodemque quo S. Thecla mortis genere affectum perhibent. Nam Agapius, ut ex Actis Chaldaicis apparet, nonnisi duobus ab obitu Timothei et Theclæ annis, die 20 Novembris, Cæsareæ feris objectus, sequenti vero die præceps in mare datus, coronam obtinuit. Ita Assemanus, Act. Orient., II, 183. Cur igitur hodie recolantur in Prologo, me prorsus latet : nisi dicas e 19 Augusti in similem diem mensis sequentis, quod aliquando usuvenit, fuisse translatos. — Prologus Galiciensis, anno 1518 exaratus, solus est, ni fallor, qui hodie proferat S. Michaelem, ducem Tchernigoviæ; nam apud cæteros prodit postridie. —

SS. Timotheus, Agapius et Thecla.

S. Michael, dux Tchernigoviæ.

SS. MM. Trophimo, Sabatio et Dorymedonti addi solent in Fastis recentioribus Theodorus, dux Jaroslaviæ, cum filiis suis, Davide et Constantino, de quibus plura docebunt Memoriæ. Hodie recolitur obitus Theodori, anno 1299 vita defuncti, ut patet ex sequenti Contacio, quod ex Anthologio suo descripsit Kulčinski : *Ut magnus sol comparuisti in Ecclesia Christi, illuminans omnes doctrinæ radiis; hauriens vero a fonte indeficienti, aureo animæ tuæ scypho donum curationum, easdem propinas indigentibus*, hodierna obitus tui die, *o beate Theodore; nunc ergo pro nobis omnibus Christum ora, ut donet veniam delictorum, quum sis decus et gloria monachorum.* Ita Anthologium; at nihil horum legere est in Horologio Počajoviensi recentiore. — Marmor Neapolitanum solius Januarii mentionem facit, utpote totius turmæ antesignani. *Anurius*, pro more, Prologi Mosquensis manifesta corruptela est Januarii, de quo actum est ad 21 Aprilis. — De Arcadio aliisque præsulibus Novgorodiæ dictum est ad 10 Februarii, et iterum sermo redibit ad 4 Octobris, quo conjunctim solent commemorari in Fastis. Hodie vero recolitur Arcadius seorsim, eo quod præsens dies sit mortis ejus anniversarius.

Theodorus, dux Jaroslaviæ.

SS. Januarius et soc.

Arcadius ep. Novgorodiæ.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Theodorus, David et Constantinus. Theodorus, cognomento Niger, patre Rostislao natus, Možaisci primum, tum Jaroslaviæ et Smolensci regnabat cum titulo ducis. Ab infantia Christum ejusque matrem fideliter amavit, seseque ab omni iniquitate servavit diligenter. Hinc sequens troparium : *A juventute vestra Christum ex toto corde diligentes, egregie legem ejus et justificationes custodistis, et idcirco miraculorum dono ditati, curationes effunditis, o sancti Theodore, David et Constantine.* Tanto commiserationis sensu erga pauperes et orphanos commotus est, ut pater eorum vulgo appellaretur. Mortua priore uxore Maria, quæ ei Michaelem genuerat, alteram duxit, Mengu-Temiri filiam, christiano nomine Annam; quod matrimonium contraxit annuente patriarcha CPolitano. Jaroslaviam a castris Tatarorum redux, summa omnium gratulatione regno potitus est, antiquarum injuriarum contra se a civibus commissarum immemor. Pietatem rebus magis quam verbis demonstravit, et templum S. Michaelis aliaque plura erigi curavit, in id potissimum intentus, ut christiana religio in ditione sua floreret. Tandem anno 1299, quum ad summam senectutem pervenisset et morti proximus esset, regium habitum cum monastico permutavit; et mox, quarto nempe post susceptum schema die, qui erat 19 septembris, ex hac vita migravit sepultusque est in monasterio Transfigurationis. Eidem deinceps appositi sunt David et Constantinus, e secundo thoro filii.

Quorum

DIES XX ET XXI SEPTEMBRIS.

Quorum corpora anno 1463 reperta, in ecclesiam Transfigurationis illata sunt anno sequenti, die 5 martii; quamobrem eo die festum agitur; sicut et 22 Junii, quo translationis anniversaria memoria recolitur.

Cfr 1) Prolog. et Menol. Vers. ad h. d. 2) Lib. Gradualis, I, pag. 392-403. 3) Philaret., Hist. Eccl. Russ., II, pag. 23. 4) Dict. hag., pag. 277.

DIES XX.

Ex Ostromiriano.

PASSIO SS. EUSTATHII, MARTYRIS, THEOPISTÆ, EJUS UXORIS, ET THEOPISTI ET AGAPII, FILIORUM (*Ita omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Pg. Goth. Vind. Flor. Sirm. Maz. Mg.*).

Ex variis.

Michaelis, princip. Tchernigoviensis et mart., et Theodori, ejus aulici (*Prol. Pp. Kal. Man. Men.*). Hilarionis, mon et mart. (*Ath.*). SS. PP. Hypatii, ep., et Andreæ, presb. (*Prol. cum Sirm. Mg. Med.*).

† Suzannæ, diacon. et mr. (*Bas. Med. Maz.*). † Jonæ, prophetæ (*Goth.*). † Martini, papæ, Maximi et soc. (*Mg.*). † Artemidori et Thallelei seu Thalæ (*Mg. Sirm. Med. Maz.*). † Meletii, ep. (*Mg.*). † Joannis Ægyptii (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Eustathius.

S. Eustathius, martyr celeberrimus, cognomentum *Placidæ*, præfert hodie in Kal. marmoreo Neapolitano, ubi insuper signatur *passio*, ut in Ostr. et Mst. Apud Latinos audit Eustachius. Cujus uxor Tatiana post baptismum appellata fuit Theopiste; ac proinde omnino diversa est a S. Tatiana quæ celebratur ad 12 Januarii. Sub Tatianæ nomine prodit in Euchologio Serbico, in Ephemeridibus Papebrochii et Tabulis Capponianis. S. Eustathii Placidæ Acta, alioquin *fabulosa*, citat jam Nestor annalista in Martyrio SS. Borisi et Glebi : mira nempe sectatur vulgus. — In opere singulari de *Diis titularibus orbis christiani, in quo de sanctis regnorum, provinciarum, urbium maximarum patronis agitur*, Antonio Macedo auctore, hæc leguntur de Michaele Tchernigoviensi, ex Alberto Kojalovicio, ni fallor, accepta : *Sanctus Michael, dux Czernihoviensis, martyr, Batejo Scythæ, Russiæ tyranno, Russisque a fide christiana apostatis, tantum scelus exprobrare ausus, vario primum tormentorum genere cruciatus, deinde truncatus capite, semper in ore versans illa verba :* Christianus sum, christianus sum, *martyrii palmam adeptus est Kioviæ, die* 20 *Septembris, circa annum* 1235. Accuratius rem tradent *Memoriæ Slavicæ*. — Quum S. Jonæ nomen occurrat hodie in solo cod. Saxo-Gothano, quem publici juris fecit Matthæus, cæteris omnibus nonnisi postridie illud referentibus, pronus sum credere, id incuria amanuensis accidisse potius, quam ex industria fuisse positum.—Hilarionem, neomartyrem, commemorat auctor Paterici Montis Atho, tom. II, pag. 250, ejusque mortem, quam ad expiandum apostasiæ scelus sponte sua appetiit, modumque quo ad illam obeundam sese in Monte Atho paraverat, pluribus enarrat. Nota sunt hæc omnia lectori ex eis quæ de similibus Montis Atho pseudomartyribus tradidi non semel. Quare sufficiet addere, Hilarionem gladio occubuisse Constantinopoli, die 20 septembris, anno 1804; præsertim quum ejus cultus sit prorsus nullus, nedum incertus.

S. Jonas, propheta.

Hilarion Athonites.

Michael, dux Tchernigoviensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Michael Tchernigoviæ dux et martyr.

Passus est Michael, sub impio Batto, anno 1246, simul cum Theodoro, aulico suo. Erat porro Vsevolodi cognomento Rubri filius, a teneris annis in Dominum Nostrum ejusque Matrem sanctissimam singulariter pius. Postquam Perejaslaviæ primum, tum Kioviæ et Novgorodiæ sedisset, tandem Tchernigoviam regendam accepit anno 1225. Ob religionem, mansuetudinem, eximiam charitatem erga pauperes Deo et hominibus carus videbatur et solis Mongolis, qui ea tempestate universam Russiam gravissimo jugo opprimebant, maxime invisus, tum quia patriæ liberationi promovendæ sedulo incumbebat, tum præsertim quia Kioviæ, ubi dominabatur ipse, Chani legati fuerant occisi. Igitur a Chano accersitus, in iter Asiaticum sese dedit Michael, accepta prius sacerdotis benedictione, et comitante Theodoro sibi amicissimo, nec non et Boriso, duce Rostoviensi, suo nepote. Illuc quum advenisset, non prius ad Battum admissus est, quam per ignem, ut mos invaluerat, transiret et solem aliaque idola adoraret. Verum christianus princeps neque minis, neque promissis eo adigi potuit, sanguinem pro fide christiana se libentissime fusurum asserens. A sicariis itaque comprehensus, crudelissime cæsus est pedibusque conculcatus, ac tandem a quodam apostata Domonte, capite truncatus fuit, reliquo corpore in partes a barbaris divulso. Similiter morti traditus est Theodorus. Utriusque corpus, Michaelis scilicet et Theodori, Tchernigoviam prius, tum Mosquam delatum, in ecclesia, eorum nominibus sacra, conditum est die 14 februarii; unde ea die alterum in eorum honorem festum celebratur. De S. Euphrosyna, Michaelis filia, vide quæ dicta sunt ad 25 Septembris.

Cfr 1) Prolog. et Menol. 2) Dict. hag., pag. 189. 3) Annal. Volynensis, pag. 185. 4) Plano Carpini, pag. 526, 621. 5) Karamzin, IV, pag. 31-35. 6) Philar., Hist. Eccl. Russ. t. II, 12 et 73. 7) Kalend. ad h. d., t. V, p. 248. 8) Annal. Voskres., II, 220-225.

DIES XXI.

Ex Ostromiriano.

PASSIO S. ISAACII, MART. ET EP. CYPRI (*Rum. Prol. Kal. cum Bas. Neap. Maz. Mg. Med. Sirm.*). ET S. SIMEONIS, COGNATI DOMINI. ET DEDICATIO S. MENNÆ. ET S. THEODORI, MARTYRIS PERGÆ IN PAMPHILIA (*Mst. Rum. cum Bas. Sirm. Maz. Med.*).

Ex variis.

S. Meletii, episc. Cypri (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Maz. Mg.*). S. Condrati, apost. (*Zogr. Men. Prol.*

DIES XXII ET XXIII SEPTEMBRIS.

Prol. Man. Tern. Chil. Pp. Og. Cap. Horol. Leop. Kal. cum Hier. GP. Bas. Vind. Pg. Flor. Msq. Nan. Med. Maz. Mg.). S. Jonæ, proph. (*Par. cum Msq. Sirm. Mg.*). S. Jonæ Sabaitæ (*Prol. cum Mg. Sirm. Med.*). S. Prisci, mart. (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Eusebii, mart. (*Men. Kal. Prol. cum Mg.*). SS. mart. Hypatii et Andreæ (*Men. Kal.*). Demetrii, metrop. Rostoviensis (*Kal. Prol.*).

† Bassæ, Tyrensis, mr. (*Sirm.*). † MM. et fratrum Eusebii, Nestabi et Zenonis (*Mg. Sirm.*). † Dedicatio SS. Deiparæ in veteri Petra (*Nan.*). † Quatuor martyrum sub Maximiano (*Mg. Sirl*).

OBSERVANDA.

S. Isaacius. S. Isaacio, quem antiqui Fasti referunt, adjungitur in Prologo, Kal. et in Menologio Basilii Meletius, etiam episcopus et martyr — De Simeone diximus supra, ad 13 et 18 hujus. — Alibi quoque relatus est S. Mennas, cujus meminit hodie solum Ostromiranum. Celebratur autem festum anniversarium ejus ecclesiæ, quam in ejus nomine excitaverat CPoli Constantinus, imperator; et de qua pluribus agit Cangius, l. IV, p. 128. Fallitur tamen vir doctissimus aiens S. Mennæ festum agi 10 Decembris; nam præcipua S. Mennæ solemnitas celebratur 11 Novembris. — De S. Condrato passim additur : *qui in Magnesia*. A Latinis vocatur *Quadratus*. — Insignis Menæorum Slavicorum collectoris Demetrii Vitam dabimus in Memoriis Slavicis, ad 28 Octobris, qua obiit. Hodie celebratur inventio ejus corporis quæ contigit anno 1752. — Priscus cum sociis martyrii refertur in Ostrom. die sequenti; in Neap. prodit conjunctim cum S. Phoca, etiam postridie. — S. Jonas, Sabaita, id est monasterii S. Sabæ Hierosolymitani alumnus, pater fuit S. Theophanis hymnographi; simul cum Jona propheta redibit postridie. — Eusebium et Priscum conjunctos profert Menologium Mosquense; alius Eusebius cum Nestabo et Zenone consignatus est in Sirm. et in Menæis Græcis excusis; an idem sit uterque, inquirere supersedeo. In Ostromirano S. Priscus nominatur primo loco postridie, una cum SS. Martino et Nicolao. — Apud Sirletum habetur : *Sanctorum sex martyrum satellitum Maximiani, imperatoris.* Quatuor tantum numerantur in Menæis.

S. Condratus.

Demetrius, ep. Rostoviensis.

S. Priscus.

S. Jonas presb.

SS. Eusebius et Priscus.

SS. Martyres sub Maximiano.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. PASSIO SS. MARTYRUM PRISCI, MARTINI ET NICOLAI (*cum Neap. Sirm. Mg.*). ET S. PHOCÆ, MARTYRIS (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Nan. Goth. Vind. Msq. Flor. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*).

Ex variis. S. Phocæ, hortulani (*Men. Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*). S. Jonæ, prophetæ (*Rum. Tern. Prol. Men. Kal. Cap. Eph. Leop. cum Bas. Nan. Vind. Flor.*). S. Jonæ, presbyteri (*Rum. Hor. Man. Kal. cum Bas. Nan. Maz.*). S. Condrati (*Par.*). S. Petri, telonarii (*Men. Kal.*). [Cosmæ, eremitæ Athonitæ, et monachorum monasteri Zographi, sub Manuele Palæologo passorum (*Ath.*).]

† Isaacii, mart. (*Mg.*). † Drusillæ, filiæ Trajani et quinque mulierum canonicarum (*Sirm. Mg.*). † Sergii, papæ (*Itg.*).

OBSERVANDA.

SS. Priscus et soc. S. Prisci nomen offendimus jam in Fastis Græcis diei præcedentis, in Menologio Basilii et Sirletiano; de eo item Menologus Mosquensis ex Græcorum fontibus, ad eumdem diem, et Baronius ad 20, ac si eo die relatus fuisset in Menologio Græcorum, id est Sirletiano, unde Græcos sanctos passim in suum Martyrologium invexit. Hodie iterum occurrit, cum nota passionis in cod. Ostromirano et Kalend. marmoreo, et quidem hic cum S. Phoca, illic vero cum SS. Martino et Nicolao, quamvis ex Actis nullum martyrii sui socium habuisse videatur. In Menologio mosquensi perperam jungitur cum S. Eusebio, martyre. — Duos sanctos martyres Phocæ nomine distinctos referunt hodierni Fasti, episcopum Synopes alterum, alterum olitorem. De priore actum est 22 Julii, qui est translationis ejus anniversarius; et iterum hodie agunt pleraque Kalendaria. De Phoca hortulano, etiam Synope oriundo, copiosum encomium texuit Menologus Mosquensis, tacito auctore, quem Asterium esse satis apparet, etiamsi sedulo expuncta sint quæcunque in textu græco supra veritatem exaggerantur. Solet ille a navigantibus invocari. — Valde distinctus est S. Jonas propheta a S. Jona, presbytero et SS. Theophanis hymnographi ac Theodori Grapti parente; de quo agit Prologus Mosquensis ad diem proxime elapsum. Utrumque jungunt Kalendaria recentiora æque ac antiqua. Horum occasione de Jona Mosquensi scripsit Papebrochius; et de alio Jona, Glezna cognominato, Assemanus, Kulčinium secutus; jamvero nullam similitudinem cum Jona schismatico habere sanctum prophetam aut Sabaitam cognominem, nemo non videt; Jonam autem Gleznam inter sanctos a nemine, nisi a Kulčinio, recenseri, dixi alibi. — Petrum telonarium nuspiam reperi ad hanc diem, præterquam in Menologio Mosquensi, ubi exstat sancti hujus encomium, ex vita S. Joannis Eleemosynarii depromptum. Idem legitur quidem in Prologo, at ædificationis causa potius, et ad instar concionum, quæ sanctorum encomiis ibidem passim interseruntur. — Floruit Cosmas, seculo decimo quarto, ex Bulgaria oriundus; qui juvenis in monasterium Zographi Athonicum clam parentibus venit; unde in solitudinem vicinam secedens, eremiticam vitam degit ad mortem usque, quæ obtigit 22 septembris, anno 1325, teste Paterico Athonico t. 1, p. 258, ubi multa narrantur lectoris serii indigna, adeoque hic prætermissa. Quid sentiendum sit de prætensis martyribus, qui in eodem monasterio igne combusti fuisse narrantur, sub Manuele imperatore, dixi ad 4 Januarii.

S. Phocas uterque.

S. Jonas uterque.

S. Petrus telonarius.

Cosmas Athonites.

DIES XXIII.

Ex Ostromirano. NOVUS ANNUS (*Ass.*) ET CONCEPTIO JOANNIS PRÆCURSORIS (*Ita omnes cum Bas. Neap. CP.*).

Ex variis. SS. mart. Andreæ, Joannis et filiorum ejus, Petri et Antonini (*Prol. Kal. cum Sirm. Med. Sirl. Mg.*). S. Iraidis, virg. et mart. (*Menol. Prol. Kal. Man. cum Bas. Maz. Med. Sirl. Mg.*).

SS. Polyxenæ

Dies XXIV Septembris. SS. Polyxenæ et Xantippæ (*Prol. Kal. Menol. cum Bas. Med. Sirm. Mg. Sirl.*). B. M. V. Mirożensis imaginis festum (*Deb.*).

† Sossii (*Neap.*). † Persissæ, mart. (*Sirm.*). † Eusebiotæ seu Eusebii, confes. (*Sirm. Maz. Med. Mg.*).

OBSERVANDA.

Novus annus. Notatu digna est lectio codd. Ostromirani et Assemaniani glagolitici, in quibus solis annuntiatur *Novus annus*. Jam quamnam ob rationem is affigitur huic diei, non autem alii, verbi causa, diei primæ Septembris, quo id fieri maxime conveniebat? Id ignorare se fatetur adnotationum in Kal. Ostromiranum auctor anonymus. At ratio in promptu est : constat nempe triplicem distingui vulgo indictionem ; CPolitanam, quæ a kalendis Septembris incipit; Cæsaream seu Constantinianam, quæ ab VIII kalendas Octobris seu XXIV Septembris; Pontificiam sive Romanam, quæ a kalendis Januarii progreditur. Harum itaque secundam consignavit Gregorius amanuensis; quæ an Constantini temporibus a XXIV Septembris inchoata sit, nondum satis idonea argumenta suppetunt, teste Petavio nostro (De doctr. Temp. l. XI. cap. 41). Idem adnotavit, apud nonnullos populos initium anni conjectum fuisse in VIII kalendas Octobris, imo indictionem hanc quibusdam, ut Bedæ, videri Constantinopolitana priorem. — De *Conceptione S. Joannis Præcursoris*, quæ in omnibus Kalendariis, excepto solo Ostromirano, primum locum obtinet, plura disserere supervacaneum foret. Illud unice observatum velim, eam apud Græcos aliosque Orientales in veneratione esse ad hanc diem, apud Occidentales vero ad 24 Septembris. Cætera legantur apud Morcellium, Florentinium, et potissimum apud Papebrochium, omnia quæ huc spectant accuratissime illustrantem tom. IV Julii, a pag. 701. — S. Iraidem, martyrem Alexandrinam, retulimus ad 5 Martii; et iterum commemoratur hoc die, præeunte Menologio Basilii. Fallitur Baronius, aiens de ea agere Græcos ad 22 Septembris, qua eam inscripsit in suo Martyrologio. In Menologio Basilii notatur *certamen*. — De sanctis Polyxena et Xantippa, Apostolorum discipulis, ut passim vocantur in Fastis, legantur oportet quæ adnotarunt Bollandiani in prætermissis ad 23 Septembris, pag. 535 et in vita S. Onesimi ad 16 Februarii. Quorum summa hæc est : Xantippam et Polyxenam, quibus adjungitur Rebecca, nunquam forsan exstitisse, nedum fuisse cultas; in fastos vero et in martyrologia migrasse ex actis græcis, maxime fabulosis atque ab auctore recentioris ævi consarcinatis, qui S. Theclæ acta imitatus esse videtur; in vetustis Latinorum Fastis prorsus esse ignotas, uti et in Græcis ante seculum decimum. Cæterum Rebeccam tacent Fasti Slavici; tacet quoque Veršinskius, quamvis ad eosdem actorum censores remittat lectorem russum. — B. M. MiroženSis imago apparuisse fertur anno 1198, atque asservatur in monasterio Salvatoris, ad Mirožam fluvium prope Pscoviam sito. Ex quo autem hæc civitas ejus ope a lue pestifera liberata fuit anno 1567, institutum est in honorem ejus festum, atque officio proprio distinctum, quod anno 1666 in Menæis insertum est et hactenus cani solet quotannis 24 Septembris.

S. Iraïs.

SS. Polyxena et Xantippa.

Conceptio S. Joannis Præcursoris.

B. M. MiroženSis festum.

DIES XXIV.

Ex Ostromirano. Ex variis. Passio S. Theclæ, martyris (*Omnes cum Bas. Neap. CP.*).

S. Coprii (*Prol. Man. Kal. cum Mg.*). S. Simonis seu Stephani, regis Serbiæ (*Euchol Bud.*). [Nicandri, Pscovensis, eremitæ (*Hag. Kal. Veršinsk.*). Galactionis, ex principe monachi (*Hag.*).]

† Antonii Junioris, ep. Monembasiæ (*Taur.*).

OBSERVANDA.

Thecla. S. Theclam, martyrem, colunt hodie Græci juxta ac Slavi, quibus consonant Bas., CPolitanum et Neap. In eisdem præmittitur nota *passionis*, quam suam fecerunt codd. Ostr. Mst. Rum. et Assem., e Slavicis antiquissimi. In Mst. præterea nuncupatur *protomartyr*, imo *apostolus* in Assemaniano glagolitico, cujus accipe ipsa verba : *passio S. protomartyris et apostoli Theclæ*. In Neapol. eadem nota passionis iterum insculpta est ad 22 Augusti. Acta, in Menologio Mosquensi excusa, multas fabulas continent, licet Patrum testimonio niti dicantur. — Non alius est hic Simon a Stephano, rege Serbiæ, quem Primocoronatum vulgo nuncupant, eo quod primus omnium corona regia, quam ab Honorio III, papa, impetraverat, fuerit cinctus, ut fusius declarabunt Memoriæ modo dandæ. Huic diem 14 Septembris perperam assignavit Muraviev, ut dictum est eo die. — De Nicandro et Galactione plura docebunt Memoriæ Slavicæ quæ sequuntur. — S. Antonium, episcopum Monembasiæ, retuli in titulo ex Bibl. Taurin., tom. I, pag. 420.

S. Simon, rex Serbiæ.

Nicander et Galactio.

S. Antonius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Stephanus Simon. Anno 1195, in Montem Atho secessurus S. Stephanus Nemania, magnus jupanus Serbiæ, filium suum Stephanum regno præposuit, præsentibus præcipuis ex clero et magistratu, atque etiam conjuge sua et altero filio Vulcano, cui Dalmatiam et Diocletiam tradiderat regendam. Porro quo animo erga sedem apostolicam comparatus fuerit novus megajupanus, aperte testatur ejus epistola, ad Innocentium papam III anno 1199 data; in qua postquam summum pontificem tanquam caput totius Ecclesiæ et patrem suum spiritualem est reveritus, fatetur apertissime, se in hac exhibenda reverentia patris sui exempla imitari : *Nos*, inquit, *semper consideramus in vestigia Romanæ Ecclesiæ, sicut bonæ memoriæ pater meus, et præceptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper custodire*. (Innoc. III, regest. lib. II, ep. 177.) Scripsit autem hæc Stephanus post synodum, Diocleæ eodem anno celebratam; in qua, canone sexto, Serbia universa Romanam Ecclesiam *omnium ecclesiarum matrem et magistram agnoscit* et profitetur, subscribente Serbiensi episcopo Theodoro. At mox lugenda inter fratres principes exarserunt dissidia et bella, quorum causam, a nemine quidem proditam, suspicari potius, quam affirmare licet. Illud constat Stephanum, postquam

quam Vulcanum regno Dalmatiæ dejecisset, ab eodem ditionibus suis exutum fuisse et in exteras oras ejectum anno 1202, Emerico, Hungariæ rege, auxilium fratri præbente. Confugit Stephanus ad Calo-Joannis, regis Bulgariæ, præsidium, ejusque ope in solio suo restitutus est, ac deinde etiam, sequestro scilicet S. Sabba, cum fratre suo Vulcano pacem iniit; in qua deinceps firmiter perstiterunt. Nam anno 1208, quo S. Sabbas corpus S. Simeonis patris sui Chilandario Studenitsam transtulit, uterque frater ad venerandas patris reliquias in oppido Chvostno occurrisse perhibetur. Alia quoque bella gessit Stephanus cum Andrea, rege Hungariæ, cum Borila, Bulgarorum duce, cum Michaele quodam, Dyrachii principe, et cum Henrico Philandro, qui CPoli imperabat. In quibus omnibus plurimum adjutus fuit a fratre suo S. Sabba, ut in Vita hujus sancti antistitis fusius narratur. In dignitate magni jupani perstitit Stephanus, quoad vixit Vulcanus, qui obiisse videtur circa annum 1222. Tunc enim coronam regiam, quam olim ab Innocentio III expetierat, sed quam Emerici artificio amiserat et ipsemet Vulcanus ægre tulerat, ab Honorio III iterum expetivit et impetravit, *Rex primocoronatus* propterea vulgo cognominatus. Coronationis hujus testis luculentissimus est Dometianus, monachus Chilandariensis et bonus S. Sabbæ biographus; qui in Vita S. Sabbæ, nondum typis edita, narrat sequentia: *Et elegit* (S. Sabbas, tunc jam archiepiscopus,) *de discipulis suis unum, reverendissimum episcopum Methodium, eumque destinavit Romam ad gloriosissimos apostolos Petrum et Paulum atque ad magnum horum sanctorum cohæredem papam magni romani imperii; deditque dona, eorum sanctitate condigna; ut et illi patriam suam invicem benedicant, atque orthodoxum principem patriæ suæ coronare dignentur. Scripsit et epistolam ad magnum sanctorum et gloriosorum apostolorum successorem, papam, eumque de visibili gratia, qua ipsemet a Deo coronatus fuerat* (archiepiscopali scilicet dignitate), *reddidit certiorem. Rogavit quoque ut sanctorum apostolorum benedictionem sibi impertiret, simul et diadema benedictum submitteret, quo fratrem suum coronare posset in regem paternæ ditionis*, nempe Diocleæ; *quam pater eorum* (S. Simeon Nemania) *divina providentia nactus fuerat, quæque magnum regnum pridem nuncupabatur. Deus vero, qui servo suo dilecto omnimodam virtutem et successum impertiebat, omnesque ejus petitiones adimplebat, huic quoque sancto, apostolorum in cathedra socio, per Spiritum Sanctum imperavit, ut benedictum diadema mitteret, quo verus ille divinarum legum factor benediceretur et coronaretur, atque jam hic in terris glorificaretur, antequam illucesceret magnus ille dies* (tremendi judicii). *Et allatum est benedictum diadema in patriam ejus; quo accepto, glorificavit antistes benefactorem suum pro omnibus sibi datis. Arcessitoque fratre suo orthodoxo, magno jupano Kyr-Stephano, in magnam archiepiscopi sedem Jidicensem, in monasterio, quod ipsemet* (Stephanus) *excitaverat, solita pervigilia nocturna celebravit sanctissimus Kyr-Sabba, hymnos sacros cum corde contrito victimisque in altari cordis Deo offerens. Mane vero inter sacra, post magnum exodum, sacrum diadema in manus suas accepit, et pii fratris sui capiti imposuit atque Spiritus Sancti gratia in regnum unxit, ut deinde Dominus Rex vocaretur, et ut omnes tres illi Christi cooperatores a Deo coronam olim accepturi significarentur.* Hæc Dometianus. Regnavit S. Stephanus ad annum 1228, fratris sui S. Sabbæ consiliis, orationibus et exemplo jugiter eruditus et adjutus, atque in timore et amore Dei, ut olim parens, veluti radicatus et infixus. Tandem extrema appropinquare sentiens, sanctum antistitem, ut ad se properaret, enixe rogavit; verum, quantumvis properasset ille, regem tamen jam vita functum reperit. Qui tamen rex, ejus precibus, ad vitam revocatus, magno schemate indutus est, et sacratissimo corpore et sanguine Domini Nostri Jesu Christi refectus, in amplexibus eximii fratris piissime obdormivit die septembris vigesima quarta; qua et colitur a Serbis. Appositus est parenti suo in ecclesia Studicensi; unde postmodum in ecclesiam cathedralem Jidicensem ab eodem S. Sabba translatus est; ubi an hodiedum jaceat, incertum. Quatuor filios reliquit S. Stephanus, Radoslaum, Vladislaum, Stephanum et Predislaum; quorum ultimus, S. Sabbæ patrui sui mores imitatus, mundo valedixit atque ex monacho archiepiscopus Serbiæ constitutus est, assumpto nomine Sabbæ II; Stephanus vero patri suo in regno successit. Erat S. Stephanus in litteris græcis, slavicis et latinis non mediocriter excultus; exstant in bibliotheca Monacensi epistolæ ejus ineditæ, numero duodecim, græce ad Demetrium Chomatenum, archiepiscopum Bulgariæ, datæ atque de rebus liturgicis tractantes. Exstat quoque in bibliotheca Parisina Vita S. Simeonis, patris sui, slavonico idiomate ab eodem conscripta, quam celebris memoriæ Schafarik juris publici fecerat; ego vero gallico sermone contraxi.

Cfr 1) Vita ms. S. Sabbæ, auctore Dometiano, in bibl. Vind. 2) Vita S. Simeonis, auctore S. Sabba, ed. Schafarik, in Monumentis litterarum Slavicarum antiquioribus. 3) Alia Vita ejusdem, auctore S. Stephano, ed. Schafarik. 4) Pejacevič., Historia Serviæ, colloq. 5, 5) Raič, Historia Serbiæ, lib. VII, cap. 5. 6) Vetera monumenta Slavorum meridionalium historiam illustrantia, ed. Theiner, t. I, nº 8, 9, 110, etc. 7) Chron. Serb., in Monumentis lit. Slav., ed. Schafarik. 8) Assemani, Kalendaria Ecclesiæ universa, t. VI, p. 34 et seq. 9) Innocentii III Regesta in Patrologia Migniana, epist. 214 et 215. 10) Manuscrits slaves de la bibliothèque impériale de Paris, par le P. Martinof, pag. 47 et seq. 11) Trifolium Serbicum, Bruxellis, 1863.

Nicander heg. Pscovensis.

Nicander, in baptismo Nicon appellatus, Videlibæ in Pscovensi regione anno 1507 natus, cum adhuc juvenis esset, in solitudinem sese recepit, quæ inter Pscoviam et Porchoviam media jacet, ibique aliquandiu parcissimo cibo solisque radicibus victitavit. Verum mox a vicinis detectus, in cœnobium Sabæ Crypecensis perrexit et tonsuram cum Nicandri nomine suscepit. Cum autem arctioris vitæ cupidus esset, relicto cœnobio, in eremum iterum contendit ibique quindecim annos integros mansit. Tunc in cœnobium remeavit; sed illud iterum relinquere coactus est a fratribus, rigidiorem ejus vivendi rationem ægre ferentibus.

Dies XXV Septembris.

ferentibus. Quare in priorem eremum redux, cum inde etiam brevi fuisset pulsus, ulterius perrexit, ac tandem magno schemate indutus, obiit anno 1582, vitæ suæ septuagesimo sexto. Vitam ejus scripsit auctor anonymus anno 1665.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 204. 2) Philaret., Histor. Eccl. Russ., III, pag. 166.

Galactio mon. et princeps.

Innumeros esse qui per tyrannidem Joannis IV, cognomento *Minacis*, crudelissima morte fuerint perempti, passim notum est. Hos inter venit Joannes Belscius, princeps, infelicissimus nostri Galactionis parens. Hunc ut irati regis vindictæ eriperent, Staritzam abduxerunt cognati, dum annum duodecimum agebat, et ita salvum reddiderunt. Ubi adolevit Galactio, Vologdam migravit; ibique uxore ducta coriariam artem exercuit, in sudore vultus victum lucrans. Mortua uxore, rerumque omnium fallacia perspecta, mundo nuntium remisit, factusque monachus, reliquum vitæ in cellula angusta degit. Versabatur itaque in hac mansiuncula, quum anno 1613 a Polonis et Lituanis, Vologdam vastantibus, comprehensus est et tam crudeliter verberibus affectus, ut post triduum e vivis cesserit, die 24 septembris. Ea die publico cultu a Vologdensibus honoratur.

Cfr Dict. hag., pag. 72.

DIES XXV.

Ex Ostromirano.
Ex variis.

Passio S. Romani, martyris (*Ass. cum Neap.*). Et S. Iæ, martyris.

S. Paphnutii, mart. et soc. (*Mst. Ass. Rum. Kal. Man. Prol. cum Bas. Nan. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Euphrosyniæ, quæ et Smaragdus (*Men. Man. Prol. Ass. Par. Zogr. Rum. Tern. Hor. Siš. Chil. cum Bas. Nan. GP. Flor. Pg. Msq. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Sergii RadoneženSis (*Pp. Men. Kal. Prol. mss.*). Euphrosyniæ, ducissæ Suzdaliæ (*Prol. Men. Kal.*).

† SS. MM. Sabiniani, Pauli, Tattæ, Theophili, et soc. (*Nan. Hier. Med. Maz. Sirm. Mg.*). † Paphnutii, patris S. Euphrosyniæ. (*Mg. Med.*). † Theophili, ep. Ephes. et conf. (*Maz. Med. Sirm.*). † Supplicatio in campo (*CP. Bas. Flor. Goth. Nan. Msq.*).

OBSERVANDA.

SS. Romanus et Ia.

SS. Romanus et Ia, de quibus actum est supra, referuntur hodie in Prologis Græcis; præterea in CP. S. Ia refertur ad diem v Augusti. — Euphrosyna, filia Paphnutii, nomen Smaragdi assumpsit; quare male ex una persona duas fecit Rum., annuntians ita : *S. Euphrosynæ et Samragdi.* —

S. Euphrosyna.

S. Sergius.

In Prologo legitur vita S. Sergii satis fusa. —

Terræ motus.

Ibidem commemoratur magnus terræ motus, quo sæviente puer in aera sublatus fuisse narratur, tempore Theodosii Magni, ut testatur Menologium Basilii. In CP. habetur sic : *Ob memoriam terræ motus in campo*, quod omnino conferatur oportet cum dictis ad diem v Junii, ubi agebatur de *supplicatione Campi.* — In cod. Hierosol., quod edidit Scholzius, habetur tantummodo : *S. Sabini*, sine titulo martyris. Aliis est Sabinianus.

SS. Sabinus et soc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Euphrosynia.

Insignem parentem habuit S. Euphrosynia, nempe Michaelem, Tchernigoviæ ducem et cultum pro martyre, de quo vide ad diem 20 Septembris. Parentum precibus a Deo obtenta, et in monasterio Kievocryptensi sub nomine Theoduliæ baptizata, quod nomen indicabat, id vel ab incunabilis factis comprobavit pia Dei serva. Infans namque diebus, quibus nutrix ejus comedebat carnes, a lacte sugendo abstinebat. A parentibus in pietate et in litteris a Theodoro, Michaelis aulico et cum hero deinceps a Tartaris occiso, exculta, ad perfectiorem vitam amplectendam vocatam sese sensit mature. Cum autem ob venustatem et morum innocentiam a pluribus in matrimonium expeteretur, et valde invita id ferret, Beatam Virginem constanter rogabat, ut illæsam servaret suam virginitatem; nec frustra has preces fudit. Etenim Suzdaliam profecta, ut Mennæ principi Suzdaliensi ibidem nuberet, mortis ejus nuntium subito accepit lætabunda. Itaque, voti compos facta, in monasterium Beatæ Virginis proximum secessit anno 1227, ubi deinceps Euphrosynia dicta. Enituit porro ejus obedientia et humilitas plane eximia; abstinentia quoque erat tanta, ut cibum nonnisi semel in die sumere soleret, quandoque per integram hebdomadem jejunium observans. Divinis autem rebus adeo fuit addicta, et tantam eorum habebat notitiam, ut sorores publice exhortari a superiore juberetur. Etiam quum externos alloqueretur, verbis ejus tantam vim et auctoritatem addebat Deus, ut plures ad monasticam vitam alliceret pia virgo. Monasterium suum et virtutibus floridum reddidit, et a Tartaris, Suzdaliam anno 1238 invadentibus, precatione sua servavit illæsum. Tandem ætate provecta, e vivis recessit, medio sæculo XIII, die 25 septembris. In vita et post mortem miraculis claruisse traditur. Ejus exuvias elevarunt die 15 septembris, anno 1699. Vitam, adhuc ineditam, conscripsit Gregorius monachus sæculo XVI.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 103. 3) Macar, Hist. Eccl. Russ., III, pag. 45.

S. Sergius, heg. RadoneženSis.

Quemadmodum monastica vita a sanctis Antonio et Theodosio Kioviæ in meridionalibus Russiæ plagis, ita a Sergio RadoneženSi in septentrionali parte Russiæ instituta fuit et propagata. Illustri bojarorum seu magnatum Rostoviensium genere ortum duxit Sergius, anno 1315 natus, et in baptismo Bartholomæi nomine insignitus. Parentes Rostovia Radonežum migrantes secutus est, unde RadoneženSis cognomen ei mansit. Eisdem orbatus, fratri suo natu minori hæreditatem ultro cessit, rerumque terrestrium cura solutus, in solitudinem

solitudinem contendit cum Stephano fratre suo majore, jam monacho, et prope Radonežum sedem suam fixit, exstructa ibidem ecclesia, SS. Trinitati sacra. Mox, Stephano Mosquam profecto, solus mediis in silvis remansit Bartholomæus; susceptaque tonsura a Metrophane hegumeno, magis sollicite Deo sibique vacare cœpit, parcissimo victu et oratione assidua dies transigens. Verum enimvero, sanctitatis ejus fama quaquaversum manante, socii numero duodecim convenerunt Radonežum, et Sergium, jam sacerdotio auctum, hegumenum sibi eligerunt anno 1354, annuente Athanasio, episcopo Volyniæ. Atque hæc fuerunt initia lauræ Radonežianæ, hodie omnium celeberrimæ. Qua omnimode ordinata et regulis cœnobitarum instructa, Sergius, ut mundi favores laudesque declinaret, Deoque soli vacaret securius, in solitudinem Kiržatensem secessit; ibique procul dubio mansisset diutius, nisi Alexii metropolitæ hortatu fratrumque enixis precibus ut Radonežum rediret fuisset permotus. In lauram itaque remeavit, eamque ad extremum vitæ suæ diem diligentissime rexit. Fuit porro metropolitæ Alexio tantæ venerationi, ut ab eo dignus habitus fuerit qui sibi in dignitate metropolitana succederet. Verum crucem episcopalem offerenti respondisse dicitur Sergius, se ab adolescentia non gestasse aurum, multoque minus in senectute gestaturum. Recusata itaque summa hac Ecclesiæ suæ dignitate, simplex monachus mansit. Ejus precibus et meritis monasterium Radonežense quam maxime effloruit, factumque est pietatis seminarium. Plures enim hinc prodierunt Sergii alumni insigniores; quos inter Simon, archiepiscopus Smolenscensis, Isaacius tantopere a Sergio adamatus, Micheas et Macarius, visionum magistri sui testes et speculatores, Simon ecclesiarcha, Theodorus, Sergii nepos, Methodius Pesnočensis, Gregorius, Abraamius Galicensis, Sabas Storožensis, nonnullorum monasteriorum fundatores, aliique permulti Tandem, ut legitur, virtutibus et miraculis resplendens, magnum hoc Ecclesiæ Mosquensis lumen, occubuit die 25 septembris, anno 1392; non autem 1397, ut quidam putarunt, litteras numerales, quibus annus ille indicatur, perperam legentes. Exanime ejus corpus, omnis corruptionis, ut aiunt, expers, repertum est die 5 julii, anno 1423, et in ecclesiam præcipuam lauræ solemni pompa illatum fuit. Quare utraque die colitur a suis. Vitam Sergii exaravit Isaacius unus e discipulis.

Cfr 1) Prolog. Menol. et Veršinski ad h. d. 2) Annal. t. V, pag. 62; Nicon. t. IV, pag. 239; Troicens et apud Karams. Hist., t. V, not. 254. 3) Vita Sergii, auctore Epiphanio. 4) Dict. hag., pag. 210 et seq. ed. 1862. 5) Macar., Hist. Eccl. Russ., t. IV. 6) Philar., Hist. Eccl. Russ., pag. 113 et seq.

DIES XXVI.

Ex Ostromirano. TRANSLATIO SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ ET THEOLOGI (*Omnes*). ET SANCTÆ MARTYRIS RIPSYMIÆ ET SOCIORUM EJUS.

Ex variis. † Quinque virginum et mart. (*Sirm.*). † Nili, abbatis Cryptæ-Ferratæ (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Joannes Theologus. S. Joannem, Evangelistam, cognomento et antonomastice *Theologum*, hodie referunt Græca et Slavica Kalendaria universa; est enim hic dies cultui ejus potissimum addictus. Si codd. Ostr., Rum., Mst., Assem., Zogr., Tern. aliisque adhibenda sit fides, obiit S. Joannes hoc die, non alio. Sic enim annuntiatur in singulis: in Ostromirano, ut supra, addito obitus loco : *in insula Patmo*, præter omnem historiæ fidem; quæ ideo expuncta sunt in titulo. Ostromirano consonant Rum., Assem., Zogr. et Mst., nisi quod hic solo Theologi cognomine eum distinxerit. Nec aliter est in Menologio Basilii. Simplicius loquuntur Sišatov. et Ternobiensis : *Transitus Joannis Theologi;* in Paris. I solum habetur : *S. Joannis Theologi.* In Horol. Počajovensi, Menæis communibus aliisque sequioribus plenius ita : *Transitus sancti apostoli et Evangelistæ, Joannis Theologi.* In marmore quoque Neapolitano inscriptus est, Græcorum exemplo, ad hanc diem : *Assumptio sancti Joannis Evangelistæ*, et iterum 27 Decembris, quo præcipue colitur a Latinis, his verbis : *Natale sancti Joannis Evangelistæ.* Mitto Latinorum Martyrologiorum lectiones, quas curiosus lector reperiet apud Sollerium in adnotatis ad Martyrol. Usuardi et apud Florentinium, adcuratissime rem totam illustrantem. Præter hanc diem colitur S. Joannes 8 Maii et conjunctim cum cæteris apostolis ad 30 Junii. Jamvero ex variis istis loquendi formulis, quibus obitus S. Joannis passim enunciatur, concludere licet, cum Florentinio, incertum esse, quo die sanctus hic apostolus Ephesi translatus fuerit aut obdormierit; insuper opinionem illam indicari, qua diu apud multos sanctus hic apostolus credebatur revixisse et in cælos receptus esse, quemadmodum de SS. Deipara Maria sentit Ecclesia Occidentalis æque ac Orientalis. In Menologio Mosquensi exstat narratio de vita et laboribus S. Joannis, non omnino a fabulis pura; multa insuper mirabilia narrantur in Prologo. Sub nomine S. Joannis circumferuntur complura scripta manifesto apocrypha, quale est de ejus sepultura, aut de Dormitione SS. Deiparæ Mariæ, aut *Quæstiones de vivis et mortibus* cum responsis Abrahæ, patriarchæ, quas nuper in lucem protulit Nicolaus Kostomarov, in Universitate Petropolitana professor, Monument. liter. russ., t. IV, pag. 112. — Rectissima est lectio Ostr. de S. Ripsymia atque cum Actis martyrii plane conveniens. In his enim sub finem habentur sequentia : *Itaque vigesimo sexto mensis Septembris mortua est sancta Ripsyme cum athletis eidem adjunctis.* Pergitur : *Vigesimo septimo ejusdem mensis Gaiana cum duabus obtinuit coronam victoriæ.* Paulo antea vero scripserat Agathangelus, narrationis auctor : *Qui simul cum illis venerant e regione Romanorum, plures erant quam septuaginta. Qui vero cum sanctis Gaiana et Ripsyme mactati sunt, una cum reliquis numero erant triginta septem.* Cfr Act. SS. ad 30 Sept., pag. 358, n. 88. Unde duo collige: primum, universos qui cum S. Ripsymia passi sunt, fuisse numero 37, non vero centum et duo, uti perperam traditur in codd. Slavicis ad 30 Sept; secundo, dissentire Basil. in assignando martyrii die. Hodie quoque S. Ripsymiam commemorat codex quidam Usuardinus, dum alii eam consignant

SS. Ripsymia et soc.

DIES XXVII ET XXVIII SEPTEMBRIS.

modo ad diem 18, ut marmor Neap., modo ad 29, uti post Galesinum Martyrolog. Romanum, modo denique ad 30 Septembris, ut Græci aliique Orientales. Sed consulantur quæ de S. Ripsyme egregie tractarunt Bollandiani.— De sanctis quinque martyribus et virginibus actum est modo, ad 22 Sept. et fusius ad 6 Junii, quo recte inscriptæ sunt in cod. Ostromiri, utpote quæ eodem die capite cæsæ fuerunt a Paulo, presb. apostata. *SS. Virgines et martyres quinque.*

DIES XXVII.

Ex Ostromirano. MEMORIA SS. MARTYRUM CALLISTRATI ET SOCIORUM EJUS, NUMERO DLX, SUB DIOCLETIANO, IMPERATORE (*Mst. Tern. Zogr. Rum. Man. Novg. Prol. Chil. Men. Og. Pp. Leop. Hor. Kal. cum Bas. Hier. Nan. Vind. GP. Pg. Flor. Sirm. Maz. Mg. Med.*).

Ex variis. S. Epichariæ, mart. (*Rum. Par. Prol. Man. Kal. cum Bas. Nan. Goth. Msq. Sirm. Mg. Maz. Med.*). S. Condrati, mart. et soc. (*Cap.*). S. Ignatii, heg. ad profundum fluvium (*Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*). SS. apost. Marci, Aristarchi et Zenæ (*Men. Verš. Prol. cum Mg.*). Sabbatii Solovecensis (*Men. Man. Kal. Prol.*).

† MM. Philemonis, ep., Fortuniani et Gaiani (*Mg. Maz. Sirm.*). † Nectarii, ep. CP. et Flaviani ep. Antiocheni (*Sirm.*). † Passio Cosmæ et Damiani (*Neap.*). † Victoris, hegumeni (*Taur.*). † MM. Eustathii, Romuli et soc. (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Callistratus. Callistrati socios alii aliter numerant. Basilianum recenset 184; Rum. contra minuit ad 49; qua in re apprime concordat cum Martyrologio Romano Baronii, græcos cæteroquin ductores secuti. In officio diei unus ex sociis Callistratianæ turmæ vocatur *Gymnasius*. — S. P. Nicolai, tertii hegumeni Casularum, natalis inscriptus est etiam in cod. bibl. Taurinensis, tom. I, pag. 308; sed detrita est dies. *S. Nicolaus heg. Casularum.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Sabbatius Solovecensis. Floruit Sabbatius, Soloveceńsium ornamentum, tempore Basilii Cæci, Euthymio Barbato Ecclesiam Novgorodensem administrante. Anno 1396 in cœnobio Cyrilli Belozerici monasticam vestem induit, vitæque religiosæ cursum eo fervore aggressus est, ut abstinentia, disciplinæ studio et regulæ observantia in admirationem traxerit omnes. At quoniam solitariæ vitæ erat amantissimus, simul et majora Deo præstanda æmulabatur, petita hegumeni benedictione, in monasterium Balaamicum secessit; unde mox fama commotus, quæ de suis virtutibus percrebuerat, ad Mare Album divina voce vocari sibi visus est et iter clam instituit. Quo dum pergeret, seniorem quemdam offendit Germanum nomine, in profundissima solitudine ad Vagum flumen degentem. Cumque de Solovecensis insulæ situ locique asperitate ab eodem fuisset edoctus, ipsum, Deo ita disponente, socium suæ peregrinationis adhibuit, eoque duce iter Solovecense, utcunque difficile, feliciter perfecit. Tandem anno 1429, in loco, quem sibi delegerat, crucis trophæum erexit, cellaque posita, vitam severitate horridam intrepidus inivit. Quod quantopere Deo gratum fuerit et acceptum sequenti eventu comprobatum fuisse creditum est: nempe piscatores, in eodem loco sedem suam figere volentes, a duobus angelis pulsi fuisse perhibentur. Interea ad Onegam fluvium transfretavit senior Germanus, mansitque Sabbatius omnino solus. Verum enim vero mortem adesse sibi sentiens, ipse quoque reliquit insulam, et ad vicum pervenit qui vulgo Vyg Navolok nuncupatur; ubi tranquille obdormivit, die 27 septembris, anno 1435, sacramentis refectus. In Sanctorum indigenarum Album relatus est a concilio Mosquensi, anno 1547. Colitur præterea simul cum Zosimo, die 8 Augusti, qua translationis anniversaria memoria recolitur, et habet officium. Utriusque Vitam et gesta fuse enarravit incertus auctor, et ad vivum repræsentant viginti quatuor tabulæ pictæ, quibus columnas ecclesiæ cathedralis Novgorodiæ ornatæ sunt.

Cfr 1) Prolog. et Menol. Verš. ad h. d. 2) Menol. ad 17 April. 3) Dict. hag., pag. 140. 4) Colloq. orthod., an. 1859, mense Jun., Aug. et Octobri 5) Acta Soc. archeol. Petropol., VIII, pag. 13. 6) Philaret., Hist. Eccl Russ., t. III, pag. 145, 158.

DIES XXVIII.

Ex Ostromirano. PASSIO SANCTORUM MARTYRUM CALYTINENSIUM, ALPHII, ALEXANDRI, ZOSIMI (*Prol. Kal. Menol. cum Bas. Maz. Sirm. Mg.*). S. NICONIS, MART. ET S. CHARITONIS (*Omnes cum Bas. Hier. GP. Vind. Pg. Goth. Msq. Flor. Sirm. Med. Mg.*).

Ex variis. SS. MM. Marci, pastoris, Niconis, Neonis, Heliodori et aliorum puerorum et puellarum (*Prol. Menol. Kal. cum Sirm. Maz. Med. Mg.*). S. Cyriaci, eremitæ (*Zogr.*). S. Baruch, prophetæ (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Wenceslai, regis Bohemiæ (*Prol. Menol. Kal.*).

† MM. Ripsymiæ et Gaianæ (*Neap.*). † MM. Eustathii, Romani, Callinici (*Sirm. Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Alphius et soc. Non satis accurata est lectio cod. Ostromirani; quæ sic habet : *Passio sanctorum martyrum Calutini, Alphii, Alexandri, Zosimi, Niconis, Charitonis*, ac si Calutinus et Chariton socii fuerint S. Alphii, martyris; quum tamen constet primo S. Calutinum nunquam exstitisse, nedum cum Alpheo passum esse; est enim non hominis nomen, sed civitatis, quod ignoravit commentator anonymus; Niconem vero non cum S. Alphio, Alexandro et Zosimo, germanis fratribus, sed cum SS. Marco, pastore,

pastore, Neone et Heliodoro certasse manifestum fit ex aliis Fastis, supra citatis; Charitonem denique non inter martyres, sed inter confessores recenseri, nihilque commune habuisse cum S. Alphio aut Nicone, sole clarius sit. Quos igitur in unum conjunctos protulit Ostromiranus amanuensis, eos ad meliorum codicum normam in tres turmas distinctos proferre placuit, quemadmodum prodeunt in Menologio Mosquensi. Et primo quidem, quod ad Calutinum spectat, legendum esse, ut positum est supra, testantur Fasti Græci tam excusi quam mss., puta Menæa Sirmundi, Sirleti, Veneta, accedente codice Naniano signato CLXX, in quo habetur ita : τῶν ἁγίων Καλυτίνων, Ἀδελφίου, Ἀλεξάνδρου, Ζοσίμου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ *sanctorum Calytinensium Adelphii* (lege Alphii), *Alexandri*, *Zosimi et sociorum*. Ubi notes velim errorem amanuensis græci, qui posuit Ἀδελφίου cum scribere debuit ἀδελφῶν Ἀλφείου, id est *fratrum*, *Alphii*, etc.: erant enim tres fratres. Insuper in Menæis Sirmundianis diserte traditur, eorum mortem contigisse Calyti, ἐν Καλύτῳ, die 28 Septembris, ut omne prorsus dubium tollatur. Ibidem dicitur S. Marcus, opilio, occubuisse Claudiopoli, die 21 ejusdem mensis; alii ad 13 Julii, Philomili in Phrygia, quam urbem Menæa Græca corruperant in Marmilium. Horum e numero fuerunt Neon, Heliodorus et pueri multi ac puellæ; quibus ultimis omissis, Sirletus seorsim commemorat S. Alexandrum et triginta milites socios. Ex dictis claret, non uno loco passos esse sanctos martyres, adeoque non immerito dividi a quibusdam in plures turmas. Cæterum confusio est in indicandis hisce martyribus apud Menologos. Jam quæ sive ad situm Calyti in Pisidia, sive ad fabulas spectant, quibus martyrum elogia non omnino sunt destituta, consulantur Acta SS., Sept., t. VII, pag. 602. Hoc unum addam : encomium Prologi Mosquensis cum Menologio Sirleti multo magis convenire, quam cum Basiliano. —

S. Chariton. S. Charitonem abbatem et confessorem, imo eremitarum ducem nuncupat Menologium Basilii; in quo commemoratur non seorsim tantum, sed

S. Cyriacus. etiam primo loco. — Non minoris famæ est S. Cyriacus, anachoreta, quem Fasti referre solent postridie, et qui diserte nominatur in cod. Zographico, saltem prout jacet in apographo quod mecum humanissime communicavit clar. Ismael Sreznevski, optime de litteris slavicis meritus. —

S. Wenceslaus. Mirabitur forsan lector, S. Wenceslai laudes in Memoriis Slavicis offensurus. Sciat itaque, hunc sanctum martyrem, apud Slavos latini ritus adeo celebrem, vindicari quoque a Slavis ritus græci, qui eum jampridem magno prosequebantur cultu, non secus ac S. Ludmillam, ejus aviam, de qua actum ad diem 16 Septembris, aut SS. Cyrillum et Methodium. Sunt enim in ea sententia, S. Wenceslaum, æque ac S. Ludmillam et S. Procopium, monasterii abbatem Sazaviensis, slavonico ritui fuisse addictos, adeoque sacram Cyrilli et Methodii propaginem merito esse nuncupandos. Utut est, S. Wenceslai nomen inscriptum est in Fastis Russorum non modo sequioribus, sed etiam vetustis, ex quibus depromptum est encomium sancti, in Memoriis Slavicis proponendum. Quod licet jam typis fuerit vulgatum; huc tamen latino sermone, in commodum lectorum occidentalium, retractare minime dubitavi, servata ex parte latinitate, qua illud donaverat cl. Franciscus Miclosich, et resecatis eis quæ ad rem parum mihi facere videbantur. Aliud, sed multo contractius, encomium legitur in Prologo Mosquensi, non ad 28 Novembris, ut est in antiquo Prologo ms., unde slavonicum textum deprompsit Fr. Miclosich, sed ad 28 Septembris, qui S. Wenceslai proprius est. Quod latine factum sic sonat : *Oportet scire primum patriam et sedem sancti martyris Venceslai. Erat ille filius Vratislai, Bohemorum ducis, duos fratres habens, natu minores, Boleslaum et Spisignevum. Mortuo parente, thronum accepit Venceslaus. Tum malevoli principes cœperunt discordiam movere inter fratres : et primum quidem induxerunt Venceslaum, ut matrem suam pelleret, dicentes : Occisura te est cum fratribus, quemadmodum occidit aviam tuam Ludmillam. Et egit matrem suam in Budoč. Mox autem facti pœnitens reduxit ad se. Tunc miserunt proceres ad fratrem ejus dicentes : nisi nos audias et fratrem tuum sine mora occidas, occidet te ipsum; nos vero tecum stamus, teque malumus. Et convenit cum eis Boleslaus, persuasitque Venceslao, ut veniret ad festum dedicandæ ecclesiæ. Venit ille, blandeque exceptus est a fratre. Finita solemnitate, discedere voluit ab urbe; at a fratre persuasus, remansit ad diem sequentem, quo simul delectarentur : fraudulenter enim a se præ vita amari aiebat Boleslaus, in corde vero cædem ejus meditabatur. Cum autem mansisset in urbe Venceslaus, eadem nocte occidere eum constituit cum proceribus Boleslaus. Mane igitur in ecclesiam euntem ad officium matutinum aggressus est cum proceribus frater, gladioque caput ejus percussit. Cumque ille ad ecclesiam confugisset, insecuti sunt eum duo proceres atque in ipso ecclesiæ limine occiderunt, alius vero latus ejus gladio confodit. Atque ita beatam animam suam in manus Dei tradidit sanctus Venceslaus, feria secunda illucescente. Cujus sanguis per tres dies integros abstergi non potuit de muris templi : clamabat enim, sicuti olim sanguis Abelis, ad Deum contra Boleslaum. Post aliquot autem annos venerandæ ejus reliquiæ delatæ sunt in inclytam urbem Pragam et conditæ ad sanctum Vitum.* Hactenus Prologus recenter Mosquæ excusus. Verum idem encomium occurrit in codd. remotioris ævi, puta in Prologo ms. chartaceo bibl. publicæ Petropolitanæ, exarato anno 1442; et in duobus apographis Menæorum Macarii, sub hoc titulo : *Eodem die* (id est 28 Sept.) *passio S. Venceslai, ducis Bohemiæ.* Imo sæculo decimo non ignotum fuisse Russis, eo tempore apprime catholicis sedique Romanæ unitis, testatum faciunt Acta SS. Borisi et Glebi, martyrum, auctore Nestore annalista. Exstant insuper in codd. sæculi XV et XVI breves Legendæ de translato corpore S. Venceslai, ad 4 Martii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Wenceslaus, rex Bohemiæ. Erat princeps magnæ famæ in Bohemia, Vratislaus nomine, cui uxor Dragomira. Procrearunt hi filium primogenitum, nomenque Venceslai ei, cum bapisma suscepisset, indiderunt. Et pervenit puer ad eam ætatem, qua puerorum crines resecari solebant. Vocavit itaque Vratislaus princeps episcopum cum omni clero, et cantata liturgia in ecclesia S. Mariæ, sustulit puerum antistes, benedixitque ei in gradu ante altare collocato; et tonsus est puer a principibus, crevitque deinceps gratia divina servatus. Et tradidit eum avia ejus Ludmilla docendum litteras slavonicas in modum presbyteri, didicitque eas bene. Misit vero eum Vratislaus in Buduč, et cæpit puer discere litteras latinas non infeliciter. Porro mortuus est Vratislaus, princeps, et constituerunt Venceslaum in throno avito; ex quo cœpit ei obedire Boleslaus frater. Erant autem ambo parvuli, quorum nomine mater Dragomira populum regebat, usquedum adoleverunt filii, cœpitque regni gubernacula Venceslaus. Erant huic sorores

DIES XXVIII SEPTEMBRIS.

rores quatuor, quas in matrimonium dederunt fratres bene dotatas. Et impertiit Deus gratiam Venceslao talem, ut litteras latinas intelligeret sicut bonus episcopus vel presbyter, librumque græcum vel slavonicum, sicubi deponebat, memoriter recitaret sine difficultate. Nec solum litteras callebat, sed etiam fidem servans pauperibus benefaciebat, egenos pascebat, ægrotis servis ministrabat, viduas non patiebatur injuriam pati, omnes denique, pauperes æque ac divites, amabat, ecclesias vero auro ornabat : credebat nempe in Deum toto corde omneque bonum præstabat in vita sua. Jamvero viri Bohemi superbia acti insurrexerunt alii contra alium : junior enim erat eorum princeps, utpote annos tantum octodecim natus, quando mortuus fuit ejus pater. Ubi autem adolevit etiam frater ejus, ingressus est diabolus in corda improborum consiliariorum, persuaseruntque Venceslao dicentes : Occisurus te est Boleslaus, cum matre colludens et cum viris suis; effeceruntque, ut expelleret matrem suam insontem. Ille vero, timoris Domini præceptique divini memor, volensque omnem justitiam perficere, reduxit matrem suam, et quæ egerat valde flebat. Exinde vero apprime honorabat matrem suam, bonisque operibus solabatur : magnam enim erga pauperes et egenos exercebat charitatem; presbyterum, sicubi venditus eum adibat, redimebat omni modo. Ecclesias vero condidit in omnibus civitatibus pulchras admodum, Dei ministris collectis ex omni natione, quo divina mysteria fierent per singulos dies, sicuti apud magnos populos. Excitavit etiam ecclesiam S. Viti non male animatus. Sed, diabolo suadente, incitarunt in eum Boleslaum, fratrem ejus. Venit igitur dies sancti Emerami, cui se devovens sanctus Venceslaus lætabatur in Deo. Homines vero malevoli inimica suaserunt Boleslao circa fratrum ejus, non secus ac olim Judæi circa Dominum. Erant porro festivitates ecclesiarum per omnes urbes; quas obiens Venceslaus venit Boleslaviam. Die porro dominica, audita liturgia SS. Cosmi et Damiani, redire voluit domum Pragam. At Boleslaus flebili voce rogavit eum, ut secum maneret illo die, annuitque Venceslaus. Et consenso æquo cœpit eum agitare et se oblectare cum sociis suis in domo Boleslai. Tum locuti sunt quidam ei dicentes : occisurus te est Boleslaus, quorum verbis fidem nullam adjecit Venceslaus, spe in Deo constituta. Ea vero nocte convenerunt adversarii in domo Gnevyšæ; et, advocato Boleslao, consilium inierunt cum eo, quo modo occiderent insontem regem suum; statueruntque tempus officii matutini. Summo itaque mane, audito campanæ pulsu, confestim ad officium matutinum ivit Venceslaus. Consecutusque est eum Boleslaus in janua ; quem respiciens Venceslaus : *Bonus*, ait, *erat nobis, Domine, vesper*. At ille, evaginato gladio, respondit : *Sic tibi obediam*, percussitque ejus caput. Venceslaus conversus dixit: *Quid in animo habes?* et prehensum humi eum prostravit, et irruit in eum dicens : *Per Deum, frater*. Tuža accurrens percussit ejus manum. Dimisso igitur fratre, ad ecclesiam confugit Venceslaus. Tunc Tchesta et Tira occiderunt eum in janua ecclesiæ, Gnevyša vero adcurrens transfodit gladio ejus latus. Et efflavit animam suam rex in hæc verba : *In manus tuas, Domine, trado spiritum meum*. Occiderunt vero in ea urbe cum eo Mstinam quemdam aliosque viros, cæteris diffugientibus, et abierunt cito. Demortui corpus, quod insepultum reliquerunt, Krastes presbyter sustulit, et ante ecclesiam reposuit, tenui linteo velatum. Audita vero cæde filii sui, adcurrit mater; et ubi eum conspexit, advoluta est cordi ejus, et flens colligebat membra corporis ejus, collecta vero non ausa est ferre in domum suam, sed in presbyteri cubiculo abluta et vestita poni curavit in media ecclesia. Timens vero mortem et ipsa, aufugit ad Chorvatos, et ita evasit manus impii Boleslai. Advocato autem Paulo presbytero, ut preces faceret super eum, sepelierunt honorifice corpus Venceslai, boni et justi Domini et Christi amatoris. Sanguine vero ejus renuente per triduum in terram ire, tertio die vespere, omnibus videntibus et demirantibus, ecclesia concussa est super eum. Occisus porro est Venceslaus princeps anno 6337 (a Christo nato 829) indictione II, cyclo III, die 28 septembris. Interea Boleslaus, secum reputans, quantum peccatum commisisse precatus ad Deum et omnes sanctos, misit servos et transtulit corpus fratris sui Boleslavia in inclytam urbem Pragam. Et collocarunt illud in ecclesia sancti Viti, ad dextram altaris duodecim Apostolorum. Translatus vero est die 3 mensis martii. — Hactenus codex mss. Musæi Rumiantsoviani, sæculi XVI, signatus CCCCXXXVI; cujus ampliorem notitiam benevolus lector inveniet in Bibliotheca Slavica, tom. II, pag. 270 et seq., ed. cl. Francisco Miclosich, Vindobonæ anno 1851 et 1858; amplissimam vero in egregia Descriptione codd. dicti Musæi, quam dedit cl. Alexander Vostokov, a pag. 692 ad pag. 698. Hæc eadem legenda reperitur in Magno Menologio Macarii metropolitæ mss., ut auctor est Josephus Bodianski in opere cui titulus : *Origo litterarum slavicarum*, not. 179; ubi criticas adnotationes adjecit, non semper probandas.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Časopis česk. Mus., 1830, IV, pag. 455 et seq. 3) Acta SS., Sept., VII, pag. 770. 4) Bibl. slav. tom. II, pag. 270 et seq. 5) Vostokov, Descript. Codd. Mss. Rum. num. CCCCXXXVI.

Herodion Iloezerensis.

Inter sanctos ab indigenis numerari Herodionem Iloezerensem testatur ecclesia ejus nomine excitata; in qua hodiedum corpus ejus adservari perhibetur. Floruit sæculo XVI, fuitque Cornelii Comelsciensis discipulus, et monasterii ad lacum Ilum institutor, Iloezerensis cognomine idcirco distinctus. Obiit 28 septembris, anno incerto, postquam suscepisset magnum monachorum habitum, uti tradit auctor Diction. hagiogr., pag. 107, ed. 1862. De Cornelio Comelscensi, anno 1537 vita functo, dictum est ad 19 Maii.

Cfr 1) Dict. hag. pag. 107, ed. 1862. 2) Histor. hier. russ. tom. IV, pag. 291 et 292.

DIES XXIX.

Dies XXIX et XXX Septembris.

DIES XXIX.

Ex Ostromirano. Ex variis. Passio SS. martyrum Trophimi et Dorimedontis (*cum Msq. Sirm. Maz. Mg. Med. Flor.*).

S. Cyriaci, eremitæ (Ita fere *omnes cum Bas. Hier. GP. Vind. Flor. Goth. Pg. Msq. Sirm. Med. Maz. Mg.*). SS. martyrum Byzantinorum (*Prol. Kal. cum Mg.*). SS. martyrum Dadæ, Gabeddæ et sororis ejus Casdoæ, in Perside (*Prol. Kal. Man. cum Sirm. Maz. Med. Mg.*). S. Theophanis, Eleemosynarii (*Prol. Kal. Man.*). [Cypriani Ustugensis (*Hag.*)].

† Tryphonis, mart. (*Flor.*). † Dedicatio S. Michaelis, archang. (*Neap.*). † Abramii (*Goth.*). † MM. centum et quinquaginta in Palæstina (*Sirm. Mg.*). † Petroniæ, mart. (*Sirm. Mg.*). † Anastasiæ, mart. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

SS. Trophimus et soc. SS. Trophimum, Dorimedontem et Sabbatium retulimus ex Ostrom. ad 19 Septembris, quo primum locum obtinebat passio S. Susannæ. Hodie referuntur iterum duo priores, præfixa nota *passionis*. In cod. bibl. S. Marci Florentiæ utrique additur, imo præmittitur S. Tryphon. Atque hæc in Kalendariis vetustis; in sequioribus vero tacentur.—Eorum loco prodit primo loco S. Cyriacus, quem certatim referunt omnes Fasti, excepto Kalend. Ostromirano, quod tacet, et Zographico, in quo commemoratus est pridie.—Floruit Cyprianus Ustugensis sæculo XIII, fuitque institutor et hegumenus monasterii cujusdam prope Ustiugam. Obiit anno 1276, die 29 Septembris. Utrum autem sanctorum cultu gaudeat, mihi incertum. Cfr. Dict. hag., pag. 146.

S. Cyriacus.

Cyprianus Ustugensis.

DIES XXX.

Ex Ostromirano. Ex variis. Memoria S. Gregorii in Armenia (*Ita omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Vind. Flor. Sirl. Goth. Sirm. Maz. Mg. Med.*).

SS. martyrum Ripsimiæ, Gaianæ et sociorum, inter quos 70 viri et 32 feminæ (*Rum. Man. Prol. Men. Kal. cum Bas. Nan. Maz. Mg. Med.*). S. Michaelis, metropolitæ Kioviæ (*Men. Prol. Kal.*). Gregorii, hegumeni Pelšmensis (*Prol. Man. Kal.*).

† Hieronymi (*Neap.*). † MM. Mygdonii, Gorgonii, Dorotheæ, Indi, Stratonici, Glycerii, presb., Theophili, diac., et mulierum (*Sirm. Mg.*). † Mille Martyrum (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Gregorius Armeni. In aliquibus Synaxariis S. Gregorius vocatur martyr, in aliis *apostolus* seu *Illuminator* ob adductos ad fidem Armenos; in omnibus maximo consensu annuntiatur hodie, sive Græcis et Slavicis, sive Armenis, Copticis, Arabicis, Chaldaicis, etc. Recolitur autem hodierno festo inventio ejus reliquiarum, scilicet ipsa prima corporis mortui inventio, quæ fuit diei obitus substituta, quod hæc ignoraretur. Obiit enim S. Gregorius in solitudine, ibique inventus est mortuus. Hinc apparet, quid sentiendum sit de nota *passionis*, quæ præfigitur hodie in quibusdam codd., ut Mstislaviensi, Rumiantsoviano, in aliis autem, ut Neap., ad 3 Decembris. Vero propius accessit Ostr., Bas. et CP. habentes simpliciter : *memoria*. Cæterum, ut obiter dicam, nec ex nota passionis, nec a fortiori ex die cultus sanctorum dies eorum emortualis certo deduci potest, nisi constet aliunde. — S. Ripsimia et socii relati sunt in Ostromirano ad diem Septembris XXVI; unde probabiliter propter festum S. Joannis, evangelistæ, huc translati fuisse videntur. Notanda autem mira concordia Prologi Rumiantsoviani cum Menologio Basiliano, quod priori certo certius præivisse dicendum est. Hoc die celebratur S. Ripsimia etiam a Latinis. — Menæa excusa nominant seorsim, tantum duos, Mardonium (lege Mygdonium) et Stratonicum. — S. Michaelem, qui totam metropolitarum Kioviensium seriem orditur, illustrabunt Memoriæ Slavicæ, inferius a me producendæ.

SS. Ripsimia et soc.

S. Mygdonius.

S. Michael metr. Kioviæ.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Michael, metr. Kiovien-sis. Michael I, natione Græcus secundum alios vero Bulgarus, ordinatus est anno 988 a Nicolao Chrysoberga, patriarcha Constantinopolitano; et eodem anno in Russiam cum Vladimiro, recenter ad fidem catholicam converso, missus, fuit primus Ecclesiæ Kioviensis metropolita. Sedem suam fixit Perejaslaviæ, prope Kioviam; atque illic stetit donec anno 1055, in hanc ipsam urbem translata fuit, regnante Jaroslao I. Novellam Ecclesiam excoluit diligenter, eamque privilegiis et immunitatibus, a S. Vladimiro impetratis, ditavit. Gentem Russicam, ethnicorum superstitionibus immersam, baptismo magna ex parte lustrandam curavit. Fidem catholicam docuit illibatam et a schismatis labe prorsus immunem, quum, regnante Vladimiro, Ecclesia Constantinopolitana esset ejusdem fidei ac Romana : extinctum enim jampridem erat Photianum schisma, Cerularianum vero nondum exortum. Episcopos ordinavit, templa et monasteria pluribus in locis ædificavit, destructis fanis idolorum, aliaque insignia pietatis et zeli documenta præbuit. Mortuus est vir vere apostolicus anno 992, et in ecclesia B. M. V., cognomento Decimana, Kioviæ conditus fuit. Anno autem 1013 in cryptam Antonii et sæculo XVIII, die 1 octobris, in magnam ecclesiam monasterii Cryptensis translatus est. Colitur ab Ecclesia Russica die 30 septembris; a quonam tempore incertum.

Cfr 1) Specimen, pag. 111. 2) Annal. Nicon., t. I, pag. 92. 3) Menol. die 30 Sept. 4) Dict. histor., pag. 185. 5) Macar., Hist. Ecc. Russ., t. I, pag. 5, 20 et seq. 6) Eugenius, Descr. Lauræ crypt., pag. 115.

Nobilissima

DIES PRIMUS OCTOBRIS. *Gregorius Pelšmensis.*

Nobilissima Lopatoviorum familia ortum suum duxit Gregorius, in urbe Galič natus. Qui, antequam religiosæ militiæ nomen daret, in monasterio B. M. V. Galicensi veluti simplex frater laicus ministravit; tum ad Aquas Flavas profectus, monasticum habitum a Macario, hegumeno, accepit et paulo post ob virtutum præstantiam sacerdotio initiatus est. Quare Georgius, dux Galicensis, Gregorii sanctitatis fama commotus, voluit eum habere archimandritam monasterii Salvatoris Rostoviæ. Verum ille, honores devitaturus, ad Dionysium Glušicensem perrexit, cellamque a novo magistro sibi commodatam totum decennium tranquillus incoluit, orationi et sacris codicibus exscribendis assidue vacans. Postmodum, in fines Vologdenses se contulit, annuente Dionysio, et ad Pelšmam fluvium cœnobium instituit, quod etiam Lopatoviense apud vulgus nuncupatur. Æquitatis amantissimus fuit Gregorius et pati pro ea paratus : quadam itaque die, cum magni ducis Georgii Mosquensis injustitiam liberius reprehendisset, parum abfuit, quin jussu principis de summo ponte in fluvium fuerit dejectus. Demum, cum fratribus annos duodecim præfuisset, ex his terris migravit anno 1442, die 30 septembris, et in ecclesia monasterii, ejus nomine dicata, tumulatus fuit.

Cfr 1) Prolog, ad hunc diem. 2) Dict. hag., pag. 81.

MENSIS OCTOBRIS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. S. ANANIÆ, APOSTOLI, EPISC. DAMASCENI ET MART. (*Omnes*). S. DOMNINI, MART. IN PERSIDE (*Assem. Kal. Prol. cum Bas. Nan. CP. Hier. GP. Flor. Clar. Med. Maz. Mg.*). S. ROMANI (*Ass. Par. Chil. Og. Pr. Men. Leop. Kal. Hor. cum Bas. CP. Clar. Mg. Med.*). S. ARETHÆ (*Ass. cum Hier. Neap. GP. CP. Msq. Flor.*).

Ex variis. Festum Patrocinii SS. Deiparæ (*Rum. Novg. Prol. Par. Og. Men. Leop. Hor. Kal. et Pp.*). S. Michaelis, heg. et mart., et soc. 36 (*Prol. Kal. cum Bas. Mg. Sirm. Maz. Med.*). Sabæ Vyšerensis (*Men. Prol. Pp. Kal.*). Joannis Kukuzelis (*Ath.*). Gregorii, domestici magnæ ecclesiæ (*Ath.*).

† Abrahæ, ascetæ (*Sirm. Maz. Med.*). † Domnini, mart. (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Arethas. In Ostromirano legitur : *Areus* (Ἄρης, Ἀρέως). Etsi certo definiri nequeat, errore necne scriptus sit S. *Areus*, cum talis nominis sanctus revera nominetur ad diem XIX Decembris, ut videbimus eo die; nihilominus legendum esse puto *Aretham* pro *Areo:* præsertim, cum cod. Assemanus, in quo Arethas diserte nominatur, cæteros tres sanctos eodem prorsus modo quo Ostromiranus, annuntiet, nimirum : *S. apostoli Ananiæ, episcopi Damasceni et mart.; Arethæ et soc. ejus, et mart. Domnini et memoria S. Romani qui composuit hymnos festivos.* Præterea Aretham referunt cod. GP. sæculi X, a Scholzio editus, marmor Neapolitanum sæculi VIII, accedente Martyrologio Romano, in quo habetur ita : *B. Aretheæ et aliorum quingentorum quatuor.* An vero sanctus Arethas diversus sit ab homonymo suo, de quo agitur communissime ad 24 Octobris, inquirere non vacat. — Festum Patrocinii seu Omophorii SS. Deiparæ, CPoli primitus institutum et celebratum, nunc vero Græcis prorsus ignotum, magna cum religione peragitur a Russis tam catholicis quam acatholicis. De eo plura reperiuntur apud Kulčinium, Specim., p. 98, a me editi, in mea Descriptione codd. bibl. Paris. pag. 93; Assemani Kalend. VI, 261; potissimum autem in Analectis historicis (*Précis Historiques*, 1858, Jul. 15, pag. 1 et seq.). — De Sabba Vyšerensi videsis Memorias hujus diei. — In Prologo seorsim commemorantur martyres triginta sex; qui tamen haud distincti sunt a sociis S. Michaelis, teste Menologio Basilii, quod sic habet : *Certamen S. Michaelis, abbatis, et sociorum triginta sex monachorum.* In Menæis vero Græcorum excusis fit mentio triginta tantum, sex reliquis seorsim positis. — Duos martyres, Domninus nomine, distinctos, exhibent Synaxaria; quorum alter et celebrior passus est in Perside. — Joannis Kukuzelis nomen cum titulo *venerabilis* et *deiferi* occurrit in Paterico Montis Atho, tom. I, pag. 171, accedente encomio, ex libro, cui titulus : Σωτερια ἁμαρτολων, deprompto. In quo multa de eximia ejus canendi arte, vocisque dulcedine narrantur rhetorum more amplificata, rebusque mirabilibus exornata, ut, quando dicitur, absoluto *acathisto*, quod in honorem SS. Deiparæ quovis sabbato legi solet, dum in choro leviter obdormivisset, a B. Maria visitatus fuisse nummumque aureum, cantus sui mercedem, accepisse. Traditur insuper canendi artem, dum adhuc puer esset, CPoli inter cantores imperatorios didicisse, ipsique imperatori ob formæ speciem vocisque dulcedinem admodum fuisse gratus; at dein, urbe derelicta, in Montem Atho clam aufugisse, et ab hegumeno Lauræ Athanasianæ initio quidem pascendi gregis curam obtinuisse, quod pastorem se esse allegasset; at mox, canendi arte agnita, inter cantores monasterii constitutus esse, annuente imperatore, a quo diu frustra fuerat inquisitus. Solebat Joannes in locum solitarium non procul a Laura secedere, ubi cellam posuit et ædicula sub vocabulo S. Michaelis archangeli auxit. Eo autem virtutis processisse fertur, ut mortis suæ diem et horam prænosse meruerit. Verum obitus ejus annus, nedum dies, mansit ignotus; quin et sæculum quo vixerit adhuc in incerto positum est. Ab auctore Paterici collocatus est sæculo XII; at a Saba archim., nunc episcopo Možaisceno, ad sæculum XIV merito revocatus; a quo existimatur

Patrocinium SS. Deiparæ.

Sabba Vyšerensis.

S. Michael et soc.

S. Domninus.

Joannes Kukuzeli melodus.

matur notis musicis adornasse troparia B. M. Virginis, opus cujusdam Michaelis Rambati (Ῥαμβάτου seu Ῥαββάτου), simul et cantiale quoddam conscripsisse, quod inter codd. bibl. cæsareæ Vindobonensis citat Lambecius, tom. V, cod. CCCVIII, ita inscriptum : Βιβλιον συν Θεῳ ἁγιῳ περιεχον την ἁπασαν ἀκολουθιαν της ἐκκλησιαστικης ταξεως, συνταχθεισαν παρα του Μαΐστορος κυρου Ἰωαννου του Κουκουζηλη. Cujus initium est : Δευτε προσκυνησωμεν etc.; in quo etiam sequens opusculum tribuitur eidem : Τεχνη ψαλτικη και σημαδια ψαλτα μετα πασης χειρονομιας και συνθεσεως. Cfr Sabæ, archimandritæ, Index bibl. synod. Mosquensis, pag. 99. Idem Sabas auctor est Joannem Kukuzelem in monachis audiisse Gregorium. Quod viri doctissimi testimonium apprime quadrat cum mea sententia de Gregorio, monacho Athonite et magnæ ecclesiæ (puta Athanasianæ) domestico, seu quod idem est, chori præfecto; quem Paterici Athonici editor tanquam alium a Joanne proponit (tom. I, pag. 396); at quem minime distinguendum esse suadent omnia quæ de Gregorio narrantur ibidem, ex libro, cui titulus : Ἱερα κατηχησις, pag. 136, deprompta. Quod si ita est, quum in encomio Gregorii sermo versetur de Callisto, patriarcha, evidenter sequitur, Joannem Kukuzelem floruisse sæculo XIV; siquidem uterque Callistus CPolitanam sedem occupaverit intra annos 1350 et 1396.

Dies II Octobris.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Sabbas Vyšerensis, stylita. E nobili Borosdinorum familia ortum traxit Sabbas, virtutibus longe nobilior. Natus est Kašini, quæ urbs est Tverensis ditionis, ibique pie educatus. Juvenis vitam maturo homine imo et religioso dignam duxit, orationi et jejuniis indulgens, in ecclesiis frequens. Monachus factus, virtutum præstantia cæteros fratres superavit, eosque in admirationem movit, angelum, hominis forma indutum, secum versari dictitantes. Quorum laudes, non secus ac alii homines convitia refugiunt, pertimescens, relicto cœnobio, Novgorodiam petiit, mendici veste indutus. At cælesti voce admonitus, ad fluvium Vyšeram, non longe ab urbe stetit, et tuguriolum posuit. Quum autem eum ibi quadam die offendissent homines in oratione immobiliter perseverantem, licet facies culicibus cooperta esset, virique pietatem evulgassent, continuo cellam suam ad Sosnitsam fluvium transtulit, arctiorem vitam ducturus. Latere tamen diu non potuit; sociisque undique confluentibus, ipsoque archiepiscopo Novgorodiensi Joanne sæpius eum invisente et omnia ad victum necessaria benigne suppeditante, ad fluvium Vyšeram rediit, cellas pro fratribus ibi posuit, ædemque Ascensionis erexit anno 1418. Qua absoluta, in columna viciniore seorsim degit, inde non descendens nisi diebus Sabbati et Dominicis ad communes preces solvendas. Morti proximus, Andream monachum fratribus præposuit, sumptisque Sacramentis, obdormivit anno 1461, die 1 octobris, Joanne supra laudato Ecclesiam Novgorodiensem gubernante. Hujus jussu Sabbæ Vitam et gesta scripto tradidit Pachomius Logotheta, Macarius vero metropolita in Menæa majora inseruit. Exstat officium diei cum canone.

Cfr 1) Prolog. et Menæa ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 238. 3) Phil., Hist. Eccl. Russ., III, 160-161.

DIES II.

Ex Ostromirano. PASSIO SS. MARTYRUM CYPRIANÆ ET JUSTINÆ (*Mst. Ass. Prol. Rum. Tern. Par. Zogr. Siš. Chil. Og. Men. Pp. Hor. cum Bas. CP. Hier. GP. Pg. Nan. Flor. Sirm. Maz. Mg. Med. Goth. Vind.*).

Ex variis. S. Andreæ Sali (*Kal. Men. Prol. Hor.*). SS. Davidis et Constantini, principum Argivetensium et mart. (*Iber.*). [Georgii, mon. (*Ath.*).]

† Dionysii, ep. (*Neap.*). † Theophili, mon. et confes. (*Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*).

OBSERVANDA.

S. Andreas. S. Andreas, natione, ut fertur, Slavus, et cujusdam civis CPolitani servus, ille est cui B. V. apparuit urbemque regiam a se protectam iri manifestavit. Floruit sub Leone Sapiente (886-911). Vitam ejus, auctore Nicephoro, sancti confessario, habes in Act. SS., in Appendice ad tom. VI Maii, pag. 1 ad 111. In Prologo de eo agitur iterum die

S. Justina. sequenti et passim. — S. Justina, Russis vulgo Ustina dicta, in codd. varia nomina habet; in CP. vocatur *Justa*, imo in Hier. et Callipolitano *Justus*, et in Cois]. n° 199 *Justinus*. In plerisque solus

S. Theoctistus. adest Cyprianus. — S. Theoctistum cum utroque sancto eadem hora martyrii palma coronatum esse testatur Historia B. Cypriani martyris et Justinæ virginis, libris III heroico carmine conscriptis comprehensa, auctore Eudocia Augusta. Cfr. Bandini catal. codd. mss. Bibl. Med. Laurentianæ,

S. Dionysius. t. I. pag. 227, sub finem. — Duos Dyonisios offendemus die sequenti, Areopagitam alterum, alterum Alexandrinum; de utronam hodie agatur in marmore Neopolitano, satis difficile est dictu. —

S. Theophilus. Idem esse omnino videtur hic Theophilus ac is cujus prolixum elogium habetur in Menæis Græcis ad 10 Octobris et in Prologo Slavico. De eo Bollandiani agunt cum ad hanc diem, tum iterum ad 10 Octobris inter prætermissos, ut stabiliant utriusque Theophili identitatem. — Quum de Georgio pene eadem narret auctor libri Νέον μαρτυρολόγιον, quæ de tot aliis Montis Atho alumnis a me tradita sunt, qui apostasiæ crimen voluntaria morte expiarunt, sufficiet dicere, Georgium, Philadelphia oriundum, in vico Karačasu dicto, diœceseos Heliopolitanæ, ubi Christum juvenis negaverat, a Turcis in odium christianæ religionis crudelissime tortum et dein capite truncatum obiisse anno 1794. Cfr. Pater. Montis Atho, tom. II p. 217. — Hodierna Ecclesia Iberorum celebrat, teste Muravievio, Davidis et Constantini memoriam die secunda Octobris; at in Synaxario ms. Brosseti Junioris referuntur iidem ultima ejusdem mensis, qua dicuntur passi esse sub Mirwano Abul-Casimo *Surdo*, Mahometi nepote, anno creationis 6223, Nativitatis Christi 777. Initio nempe fuerunt fustibus crudeliter cæsi, dein lapidibus ad collum appensis in fluvium Rionem, ex arce urbis Kutais, præcipites dati. Quorum corpora hodiedum visuntur in monasterio Motsameti seu Martyrum dicto ad fluvium Tshal-Tsiteli id est Rubrum, quod de nullo alio sancto Iberiæ dici potest, siquidem cæterorum corpora fidelium cultui publice nuspiam proponantur.

Georgius, mon.

SS. David et Constantinus, principes Argivetenses et martyres.

DIES III ET IV OCTOBRIS.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Anna, ducissa Tverensis.

Anna, ducissa Tverensis, filia fuit Demetrii, ducis Rostoviæ; a quo in matrimonium tradita Michaeli Jaroslaviæ duci, gloriosam mortem a Tartaris passo, anno 1315. Marito orbata, nuntium mundo remisit Anna, velumque accepit in monasterio S. Sophiæ Tverensi; unde, rogatu filii sui Basilii, Kašinum migravit, et sancte ibidem obiit anno 1338, die 2 octobris. Corpus ejus, tempore Alexii Michailovicii elevatum, in ecclesiam cathedralem summo honore illatum est a metropolita Kostromensi Barlaamo, ipso rege venerandum pondus gestante. Acta hujus ducissæ adhuc inedita manent.

Cfr Dict. hag., pag. 30.

DIES III.

Ex Ostromirano. Memoria S. Dionysii Areopagitæ (*Ita omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Med. Sirl. Maz. Sirm. Mg.*).

Ex variis. S. Dionysii, episcopi Alexandriæ et mart. (*Rum. cum Sirl. Med.*). S. Joannis Chozebitæ, ep. Cæsareæ (*Prol. Kal. Menol. cum Sirl. Mg.*). B. Hesychii, Chozebitæ, silentiarii (*Prol. Kal.*). Allatio reliquiarum S. Georgii, mart. (*Nan.*).

† MM. Gaii, Fausti, Eusebii et soc. (*Med.*). † Theoctisti, mr. (*Mg.*). † Dometii (*Neap.*). † Theogenis, mr. (*Mg. Sirl.*). † Theotecni, mr. (*Mg. Sirl.*). † Adaucti, mr. (*Mg. Sirl. Maz.*). Callisthenæ, filiæ ejus (*Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Dionysius uterque. Dionysius Areop. (si idem sit ac Parisiensis) socios habuit Rusticum, presbyterum, et Eleutherium, diaconum, quorum nomina citantur in Menæis. Alter Dionysius, quem refert cod. Rum., est patriarcha Alexandriæ, cui in Menæis Med. adjunguntur tres alii martyres, Gaius, Faustus et Eusebius, in Sirl. præterea Petrus et Paulus, universim vero octo. De quibus agetur die proxime sequenti. Dionysium Alexandrinum diserte nominat Menologium Basilii postridie; pridie vero marmor Neapolitanum. — Joannis Chozebitæ meminit Prologus Mosquensis etiam ad 28 Octobris. — S. Dometius idem est ac homonymus Persa, mon. et martyr, de quo agetur die proxime sequenti.

S. Joannes Chozebita.

S. Dometius.

DIES IV.

Ex Ostromirano. Passio SS. martyrum Dometii (*Sirm. Med. Maz.*) et Diogenis (*Med.*). Et S. hieromart. Petri, ep. Capitoleorum (*Par. Kal. Prol. Med. Sirm. Nan. Maz. Mg.*). Et SS. Deiparæ. Et S. Hierothei, qui adfuit sepulturæ SS. Deiparæ (*Mst. Rum. Tern. Par. Zogr. Chil. Og. Eph. Men. Prol. Kal. Leop. cum Bas. Hier. GP. Nan. Vind. Pg. Msq. Flor. Sirm. Med. Maz. Mg.*).

Ex variis. S. Pauli, simplicis (*Rum. Men. Prol. Kal. cum Bas. Med.*). SS. mart. Domninæ et filiarum ejus Berenices et Prosdoces (*Prol. Kal. cum Meg. Sirm.*). SS. MM. Adaucti et filiæ ejus Callistheniæ (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Ammonis, mon. (*Men. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Med. Mg. Maz.*). SS. MM. Gaii, Fausti, Eusebii et Cheremonis (*Prol. Men. Kal. cum Bas. Med. Mg.*). S. Theotecni (*Serb. Synax. cum Neap. Med.*). Gurii, archiep. Cazanensis et Barsonophii, ep. Tverensis (*Men. Kal. Prol.*). Memoria præsulum Novgorodiensium Arcadii, Germani, Joannis et aliorum (*Hag.*). Stephani Sčilanovič, principis Serbiæ (*Euch. Serb.*).

† Dionysii, patr. Alexandriæ (*Bas.*). † MM. Acepsimæ, Leonis, Isidori (*Med.*). † MM. Neophyti, Gaii et Gaiani (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Diogenes. *Diogenem* et *Deiparam* corruptelas esse Græcarum vocum Θεογένους et Θεοτεκνου, quæ de Dometio prædicantur in Prologo Græco, conjicit cl. Capiton Nevostrujev, ea ratione nixus, quod nusquam alibi inveniantur duo ista nomina ad hanc diem, nec in Græcis Synaxariis, nec in Slavicis. At S. Theotecnum exhibet hodie Synaxarium Serbicum, et etiam lapis Neapolitanus sæculo octavo suppar.; alii vero die præcedenti aut 10 hujus. Diogenem vero diserte referunt Menæa Græca Mediolanensia ad diem præsentem. Non est ergo cur ad subtiles conjecturas confugiamus. —

S. Petrus Capitolinus. Græcum nomen Καπετωλείων seu Καπετωλείων, id est Capitolinus, interpres russus transtulit adeo scrupulose, ut etiam casus locativi terminationem, expresserit (*kapitulaih.*) Non secus egit alibi, quando nempe S. Clementem, papam Romæ (Ῥωμης), annuntiavit ita : *S. Clementis* Rumeh. *Rumeh* enim est in casu locativo, uti et *Capitolaih.* Hinc minus probatur mihi opinio Kopitarii, aientis Latinum vocabulum *Capitoleorum*, non Græcum, subesse prædictæ voci slavicæ, quam idcirco vocavit insulsam. Consule quæ de hoc sancto martyre disseruntur ab eruditissimis Bollandi sociis in Act. SS. ad diem 25 Oct., in commentario prævio ad SS. MM. Martianum et Martyrium. — De S. Arcadio, Joanne cæterisque episcopis et archiepiscopis Novgorodiæ egi fusius ad 10 Februarii. — S. Theotecnes reperitur hodie in Synax. Serb., sæc. XVI, bibl. Vindob.; licet mendose vocetur ibi : *Theoctenes.* Apud alios prodit die 10 Octobris.

Præsules Novgorodienses.

S. Theotecnes.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Barsonophius. Cum Gurius, præter hanc diem, inventionis ejus aniversariam, peculiari festivitate colatur die 4 decembris, qua decessit e vivis et seorsim a nobis illustrabitur, ideo hic de Barsonophio solummodo agendum. Hunc igitur virum apostolatus sui socium habuit Gurius, Ecclesiæ Kazanensis, adhuc nascentis, primus archipræsul. Natus est Barsonophius, qui in haptismo Joannes dictus est, Serpuchoviæ, patre Basilio, sacerdote. Dum adhuc junior esset, a Tartaris in

in captivitatem ductus est, et non nisi post triennium a parente redemptus. Libertatem sibi restitutam Deo obtulit ultro; spretoque mundo, tonsuram cum nomine Barsonophii accepit in monasterio S. Andronici Mosquensi; unde postmodum in Pesnošianum transiit; quod et rexit. Mox Cazaniam a Gurio accersitus, monasterio Salvatoris Transfigurati ibidem construendo et dein regendo fuit præfectus, simulque in auxilium vocatus est ab eodem præsule ad convertendos Tartaros, quorum linguam olim captivus didiscerat. Tum archimandritæ dignitate cum episcopatu commutata, Ecclesiam Tverensem accepit gubernandam anno 1563. Verumtamen de priore abstinentia nihil imminuit, sed orationi et jejuniis manuum laborem, Apostoli exemplo, sociare solebat. Morbis sive animi sive corporis (medicam namque artem callebat) paterna charitate medebatur. Tandem senio et laboribus confectus, episcopali munere abdicato, in monasterium Transfigurationis sese recepit, ibique obiit anno 1576, die 11 aprilis, juxta alios vero 4 octobris. Eadem mensis octobris die viginti annis post, tum ipsius tum Gurii corpus inventum fuisse dicitur.

Cfr 1) Menol. ad hunc diem. 2) Vita SS. Gurii, Germani et Barsonophii, auct. Eliseev. 3) Vita SS. Gurii et Barsonophii, auct. Gregorio, archiep. Cazanensi. 4) Dict. hag., pag. 45, ed. 1862. 5) Phil., Hist. Eccl. Russ., III, 47.

Vladimirus Novgorodensis.

Eadem die recolitur in Novgorodensi Ecclesia memoria Annæ, ducissæ, et novem antistitum, Antonii, Arcadii, Basilii, Germani, Gregorii, Joachimi, Lucæ, Martyrii et Simonis, de quibus omnibus tractatum supra, ad diem 4 Februarii. Ibidem mentionem fecimus de Vladimiro, Novgorodensium duce, quem cum Anna, matre ejus, hac die commemorari voluit Euthymius, archiepiscopus. Fuit porro Vladimirus, Jaroslai I et Annæ modo relatæ filius, anno 1035 natus; rexitque Novgorodiam. Eminuit pietate non minus qaum fortitudine, cujus eximia dedit documenta in bellis contra vicinos hostes et contra Constantinum Monomachum. Pietatem vero viri testatur, præter alia, celeberrimum illud, quod anno 1045 in civitate sua excitavit S. Sophiæ templum, in quo et tumulatus est. Regnum terrestre cum vita amisit anno 1052, die 4 octobris, dum adhuc ætate floreret.

1) Cfr Dictionn. hagiogr. pag. 67. 2) Hist. hier. russ. 1, 276. 3) Karamzin, t. II, pag. 28-30, 34 et not. 45.

Stephanus Schilanović.

Præterea ecclesiastico cultu honoratur in Serbia Stephanus Schilanović, princeps Serbiæ; cujus vitam et gesta ab aliis peritioribus edoceri vellem, cum præter nomen ejus, nihil aliud potuerim reperire, nisi quod corpus ejus adservatur Sirmii, in monast. Schišatovacensi.

Cfr Pejacević, Hist. Serbiæ in fine præfationis.

DIES V.

Ex Ostromirano. PASSIO S. IRAIDIS, MART. (*cum Bas. Med. Sirm. Maz.*). S. MAMELCHTÆ, MART. (*Mst. Rum. Prol. Kal. Siš. Og. cum Bas. Nan. Hier. GP. Msq. Sirm. Maz. Mg. Sirl. Med.*).

Ex variis. S. Charitinæ, martyris (*Rum. Par. Zogr. Prol. Tern. Hor. Siš. Ch. Og. Pp. Kal. cum Bas. Hier. GP. Nan. Vind. Pg. Msq. Flor. Maz. Sirm. Mg. Med.*). S. Dionysii, ep. Alexandr. et mart. (*Kal. Prol. cum Bas.*). S. Damiani, presb. et medici Kievo-Cryptensis (*Pater. Men. Kal. Prol.*). SS. Jeremiæ et Matthæi, providorum, mon. Cryptensium Kioviæ (*Prol. Menol. Pateric. Kal.*). Trium pontificum Petri, Alexii et Jonæ, metropol. Kioviæ (*Ps. Kal.*). S. Christinæ (*Prem.*). Charitinæ, mon. (*Hag.*). Memoria magni terræ motus (*Rum.*). [Memoria inventi corporis cujusdam Eudocimi Vatopedici (*Ath.*)].

† Sabini Junioris, ep. (*Med. Sirm. Maz.*). † Pelagiæ (*Neap.*). † Hierothei (*Goth.*). † Theodoti, ep. Ephesi (*Med. Sirm. Maz.*). † Pauli, simplicis (*Sirm. Maz.*). † Gallæ, viduæ (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Irais. Irais, slavice Raissa, relata est alibi. In Med., Sirm. et Maz. jungitur cum S. Sabino Juniore, et

S. Dyonisius. dicitur fuisse ex Memphi. — Cur hodie ponatur

S. Damianus. S. Dionysius, ep. Alexand., non assequor. — De Damiano et duobús aliis monachis Cryptensibus

Petrus, Alexius et Jonas. plura declarabo in Memoriis infra dandis. — Qui tertio loco ponitur, Jonas, erat, ut non semel adnotavi, schismati Photiano addictissimus et Concilio Florentino admodum inimicus. Recolantur dicta ad 15 Julii. Hodiernam festivitatem instituit Job, primus patriarcha Mosquensis, anno 1596.

S. Mamelchta. —S. Mamelchta seu Mamelta, imo Malphetes, celebratur bis in anno, die scilicet sexta Junii, quæ translationi, et quinta Octobris, quæ martyrio ejus

SS. Charitina et Christina. sacra est. (Cfr Assemani Acta SS. Mart. Orient., t. I, pag. 97-101). — Probabile satis duco, errore positam esse S. Christinam in Kalendario Premysliensi, ed. an. 1861, pro S. Charitina; quia tamen id certo affirmari nequeat, propterea retinere placuit genuinam Kalendarii prædicti lectionem, quantumvis tenui gaudeat auctoritate. S. Charitinam nominavi jam ad 15 Januarii, ubi etiam dixi varia esse elogia hujus sanctæ in Menologio Basilii et in Menæis obvia. — Forsan *S. Hierotheus.* hic quoque errore scripsit amanuensis diem v pro VI; nam singularis est hæc lectio cod. Saxo-Gothani, cæteris omnibus de Hierotheo agentibus pridie. — Ultimum locum inter hagioritas, quos *Eudocimus mon. Vatopedii.* veluti sanctos habet auctor Paterici Montis Atho, obtinet anonymus quidam, anno 1841 in monasterio Vatopedii repertus, quem Eudocimi nomine monachi voluerunt insignitum. Cæterum, tum gesta ejus, tum tempus quo vixerit, in tenebris latent; in quibus maneat et ipse. — Teste *Charitina, monialis Novgorodensis.* auctore Diction. hagiologici, ed. 1862, pag. 240, fit hoc die in quibusdam locis Novgorodensis ditionis quotannis commemoratio cujusdam Charitinæ, monialis, quæ in monasterio Novgorodensi SS. Petri et Pauli olim sancte obierat, anno et die incerto. Juxta quosdam, fuisse dicitur e genere ducum Lithuaniæ orta et principi cuidam Russiæ, Theodoro nomine, matrimonio juncta, eoque mortuo monasticam vestem induisse.

DIES VI ET VII OCTOBRIS.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Damianus mon. Cryptensis.

Damianus, S. Theodosii magistri vestigia premens, abstinentiam magnopere servabat, pane et aqua victitans. Ad sacerdotium promotus, frequenter a sancto hegumeno jubebatur oleo benedicto ungere infirmos, qui templo inferebantur. Obtemperabat præsuli Damianus diligenter, multosque precibus potius quam oleo sanitati reddebat, *medici* cognomen propterea nactus. Mirum illud sanationum donum humilitate, obedientia, paupertatis et orandi studio promeruit; quem idcirco Theodosius admodum diligebat. Demum vitæ curriculo sancte peracto, in extremum morbum incidit, et cælesti visione recreatus, qua de æterna salute sua certior redditus fuerat, tranquille obdormivit anno 1071. Cujus funus S. Theodosius honorifice curavit, corpore in cryptas Antonii illato.

S. Jeremias Providus.

Jeremias, cognomento Providus, singulare virtutum præmium accepit a Deo, donum scilicet prædicendi futura et revelandi cordis arcana. Si quem enim mala secum meditantem reperiebat, clam eum adiens ad resistendum tentationi animabat. Præsertim vero eos, quorum periclitabatur vocatio, amanter solabatur, proposito revelato; utque inimico humanæ salutis fortiter repugnarent, hortabatur. Cui autem prænuntiabat aliquid, sive faustum, sive infaustum, id omne rei eventus comprobabat. Mortuus est Jeremias ætate adeo provecta, ut memor esset temporis, quo fides christiana primum in Russiam fuerat invecta, anno 988, regnante S. Vladimiro.

S. Matthæus Providus.

Eodem, quo Jeremias, dono ventura prædicendi et ea quæ corporeis oculis vidi nequeunt, mentis acie videndi, præditus fuit Matthæus, idem propterea, quod ille, *Providi* cognomen nactus. Nec immerito. Sic quadam nocte, hora officii matutini, vidit dæmonem sub forma juvenis viscos, recenter cultos, monachis in choro canentibus adaptantem; fratres vero, quibus flosculus adhæreret ex choro exire, acedia nimirum victos; quibus autem non adhæreret viscus, in cantando perseverare. Officio absoluto, visionem fratribus enarravit. Solebat porro, post matutinum officium, ad portam ecclesiæ somnum capere, dum cæteri socii cellam suam unusquisque repeterent, quiescendi gratia. Tandem meritis et virtutibus conspicuus, postquam duobus hegumenis supervixisset, Theodosio et Stephano, ad Dominum in senectute bona migravit, in cryptis Antonii conditus.

Cfr 1) Annal. Nest., I, pag. 81, 82 et 262. 2) Idem, in Vita Theodosii. 3) Prolog. et Menol. ex Paterico ad h. d. 4) Dict. hag., pag. 83, 127 et 181. 5) Menol. Verš. ad h. d. 6) Kulčinius, Spec., pag. 47 et 48. 7) Act. SS. ad 5 Oct., pag. 5, 2, et ad 24 Oct., in vita B. Arethæ, mon. Crypt.

DIES VI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Passio S. apostoli Thomæ (*Omnes cum Bas. CP. Hier. GP. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*).
[Macarii Junioris, mon. (*Ath.*)].
† Nicetæ, conf. (*Bas. Sirm. Maz. Mg. Med. Sirl. Nan.*). † Erotheidis, mart. (*Mg. Sirl.*). † Marcellii (*Neap.*). † Quiriaci, anachor. in Palæstina (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Thomas.

In Prologo excuso exstat sat longum Thomæ elogium. —

S. Erotheis.

S. Erotheis, serva S. Capitolinæ, solet referri ad 27 Oct., una cum domina sua et martyre. —

Macarius Junior.

In Paterico Montis Atho, parte secunda, p. 83, notatur Macarius, *hosiomartyr*, accedente encomio in quo narratur ille a Turcis fuisse circumcisus, licet maxime reluctaretur; idque instigante patre, apostata impiissimo; mox in Montem Atho refugisse, ibique, suscepto monastico habitu, per annos duodecim cruento certamini, quod subire anhelabat, sese parasse, ac tandem anno 1590 occubuisse, Brussæ, capite abscisso. Hactenus Patericon, aut potius Νεον λειμωναριον, unde sua mutuatus est Paterici auctor.

DIES VII.

Ex Ostromirano.

Passio SS. martyrum Sergii et Bacchi (*Omnes ita cum Bas. Neap. CP. Nan. Hier. GP. Med. Sirm. Sirl. Maz. Mg.*).

Ex variis.

SS. MM. Juliani, presb. et Cæsarii, diaconi (*Prol. Kal. cum Sirl. Mg.*). S. Polychronii, mart. (*Prol. Kal. cum Sirm. Sirl. Mg. Med.*). S. Pelagiæ, mart. Tarsensis (*Kal. Prol. cum Bas.*). Sergii Vologdensis (*Prol. Kal.*).

OBSERVANDA.

S. Pelagia.

In Kal. Mosquensi habetur: *S. Pelagiæ, martyris, quæ sæculo tertio pro Christo passa est.* Breve ejus elogium reperitur in Prologo excuso; nec videtur distinguenda a sancta cognomine, cujus nomen legitur in marmore Neapolitano, ad diem quintam hujus. Sed de Pelagia redibit sermo postridie. —

Sergius Vologdensis.

Obiit Sergius, anno 1412; ejus gesta paucis perstricta habes in Memoriis Slavicis hujus diei.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Sergius Vologdensis.

Vologdensis ab aliis, ab aliis vero Obnorensis, aut etiam Nurmensis cognominatur Sergius, cui Græcia patria fuit. A Monte Atho namque in Russiam veniens, se Sergio Radoneženi tradidit in monastica vita erudiendum. Tum, monasterio SS. Trinitatis relicto, in fines Vologdenses secessit, et ad Nurmam flumen, in loco præcelso, cellam suam posuit non procul a Paulo Obnorensi, eremita præstantissimo, magna et diuturna certamina cum salutis humanæ inimico præliaturus. Post plures igitur annos, cum sociorum numerus

merus ad quadraginta excrevisset, ecclesiam Transfigurationis et monasterium excitavit, a fluvio, qui præterlabitur, Nurmense dictum. Porro solebant Sergius et Paulus sese invicem invisere, et de rebus spiritualibus salutaria colloquia miscere; quibus satiati, sociis suis verba bona communicabant. Tandem laboribus et senio confectus, cum fratres ad perseverandum in via perfectionis ultimo monuisset, ad aliam patriam transiit die 7 octobris, anno 1412 aut 1413. *Dies VIII et IX Octobris.*

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 247.

DIES VIII.

Ex Ostromirano. Memoria S. Pelagiæ Tarsensis in Cilicia, sub Diocletiano, imperatore (*Mst. et cæteri*). Et alius Pelagiæ Antiochenæ, sub Numeriano, imperatore, quam Chrysostomus laudibus honoravit (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Med. Mg. Sirm. Sirl. Maz.*).

Ex variis. S. Thaidis, pœnitentis (*Men. Kal. Euch. serb. Hor. Prol. cum Sirm. Maz. Med. Mg.*). S. Pelagiæ, olim meretricis (*Mst. Rum. Pp. Hor. Men. cum Bas. Sirm. Mg. Sirl. Med.*). S. Melaniæ, virg. (*Siš.*). Dosithei Pscovensis (*Hag.*). Tryphonis Pečengensis (*Hag.*).

† Artemonis presb. et Bacchi, mart. (*Neap. Sirm. Med. Maz. Sirl. Mg.*). † Nicodemi, mr. (*Sirm.*). † Petroniæ, filii S. Petri (*Sirm.*). † MM. Mulierum quarumdam (*Sirm. Med. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Pelagia. Tres sunt sanctæ nomine Pelagiæ insignitæ; quarum una, virgo et martyr, passa est Tarsi sub Diocletiano. Ejus memoria fit in Menologio Basilii die præcedenti, apud recentiores die 4 Maii. Alia, etiam virgo, quæ minus recte dicitur obiisse tempore Numeriani imperatoris, erat Antiochia oriunda. Hanc laudavit Chrysostomus. Utraque refertur hodie in Ostromirano. Tertia, ex meretrice pœnitens, etiam Antiochia orta, obiit circa annum 465, in Palæstina. De hac tacet Ostromiranum, agentibus aliis, ut Mst., Rum., Prol., Hor. et Eph. Menologio Basilii. Cæterum difficile dictu est, de quanam e tribus Pelagiis agatur in pluribus Synaxariis Græcis et Slavicis, v. g. Ternob., cum in eis nudum Pelagiæ nomen referatur, nullo alio titulo addito. De distinctione sanctarum hujus nominis disserit R. P. Bossue, Act. SS. Octobr., tom. VIII, pag. 421. De Pelagia Antiochena cfr Act. SS. ad 9 Junii, p. 154 et seq. — S. Melania vulgo refertur ad 31 Decembris. — S. Bacchus adjungitur S. Artemoni in solo lapide Neapolitano. — In Dict. hagiologico, pag. 87, ed. 1862, commemoratur Dositheus quidam Pscovensis, Euphrosyni Pscovensis, de quo 15 Maii, discipulus, atque monasterii SS. Petri et Pauli, quod in insula lacus Pscovensis fundaverat anno 1470, hegumenus. Obiit anno 1482, conditus in suo monasterio. — Vitam monasticam amplexus est Tryphon in monasterio Pyscorensi, quo dein relicto, ecclesiam B. M. V. ad cælos Assumptæ, vulgo Tryphonis dictæ, excitavit ad fluvium Viatkam, non longe a civitate ejusdem nominis dissitum. E vivis cessit die 8 octobris, anno 1613, ut testatur auctor Dict. hag., pag. 234, ed. 1862. *S. Melania. S. Bacchus. Dositheus Pscovensis. Tryphon Pečengensis.*

DIES IX.

Ex Ostromirano. Memoria Abrahæ et Loti (*Kal. Prol. cum Neap. Med. Sirl. Mg.*). Et SS. Annæ et Elizabeth et sociorum (*cum Sirm. Med. Maz.*).

Ex variis. S. Jacobi Alphei, apost. (*Mst. Rum. Prol. Kal. Novg. Par. Hor. Zogr. Tern. Siš. Men. cum Bas. Hier. GP. Vind. Pg. Msq. Goth. Flor. Sirm. Maz. Mg. Med.*). S. Andronici (*Chil. Men. Pp. Hor. cum Sirl. Mg.*) et Athanasiæ, uxoris ejus (*Men. Kal. Hor. cum Sirl. Mg.*). S. Publiæ seu Popliæ, diaconissæ (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*). SS. mart. Juventini seu Euventii et Maximi, militum (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Maz. Sirm.*). S. Petri Galatæ (*Prol. Kal. cum Sirm. Sirl. Mg. Med.*). S. Stephani, despotæ Serbiæ (*Euch. Serb.*). B. M. Corsunensis imaginis festum.

† Dorothei, ep. Tyri et mart. (*Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). † Gaudentii, Philippis in Macedonia, mart. (*Sirm.*). † MM. Diodori et Didymi (*Med. Maz.*). † Jasonis, ep. Damasci (*Med. Sirm.*).

OBSERVANDA.

SS. Abraham et Lot. Cod. Ostr. non solus est in quo commemoratus sit S. Abraham cum Loto; nam in marmore quoque Neapolitano signatur: *Natale Abrahæ, patriarchæ.* Quod autem additur in Prologo, sanctissimum patriarcham in ipsomet die mensis Octobris ad Deum migrasse, id e cerebro suo finxisse synaxaristam patet. — Jacobus apostolus, Alphæi filius, et frater S. Matthæi, evangelistæ, putatur a Græcis diversus esse a Jacobo, fratre Domini, episcopo Hierosolymitano; Latini vero unum eumdemque esse docent; de qua re plura dixi alibi. A Latinis colitur non hoc die, sed kalendis Maii una cum S. Philippo. A Græcis et Slavis commemoratur iterum ad 30 Junii conjunctim cum cæteris apostolis. In officio diei liturgico canitur canon S. Theophanis, hymnographi, cujus festum celebratur die undecima hujus mensis.

S. Jacobus Alphæi, apost.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Stephanus, despota Serbiæ. Stephanus, parentibus, sanctorum numero accensis, Lazaro et Angelina, quæ et Militsa, natus, postquam patrem suum, in pugna Kossoviana a Turcis interfectum, amiserat anno 1389, sub tutela matris remansit puer. Ubi adolevit, Bajazeti sororem in uxorem duxit, patriæ saluti consulturus. Mox tamen coram emiro a proceribus traductus fuit, quasi nimirum contra dominum suum, pacto cum Hungaris clam inito, insidias strueret. Quare emirum adiit despotissa Angelina, Stephani mater, nec tantum calumnias magnatum discussit, sed et honoribus cumulata Belgradum rediit, sacrisque exuviis S. Parascevæ, virginis, olim Ternobo ablatis, onusta. Sed et Stephanus ipse, Constantinopolim profectus, benignissime a Bajazeto

Dies X Octobris.

zeto fuit exceptus, ac, præter spem, cum honore ex urbe dimissus, accepto insuper consilio, ut procerum domaret superbiam frangeretque vires. Anno 1395 et sequentibus Bajazeto pluribus in bellis socius fuit, quo patriæ suæ melius consuleret; ideo et gloriam apud suos comparavit multam et inter tot vitæ discrimina divina providentia permansit salvus. Post pugnam Ancyranam, Constantinopoli honorificentissime acceptus est a Joanne, imperatore, cui regni gubernacula commiserat Manuel, Romam pergens, ubi de unione Ecclesiarum deque fœdere contra Turcas ineundo tractaret. Igitur diademate et despotæ titulo a Joanne decoratus, asscensa navi imperatoria, Serbiam repetiit. Mitylenæ offendit Manuelem Roma redeuntem, pacemque Ecclesiæ Græcæ afferentem. Ab hoc itaque Thessalonicam, a Turcarum potestate liberandam, missus, inde per Albaniam patrios fines attigit, postquam de Turcis sibi insidiantibus, deque fratre suo Vulko insignem victoriam reportasset. Antiquis Serbiæ ditionibus Belgradum adjecit, quæ urbs ad Hungaros defecerat; sedeque sua ibidem fixa, ecclesiam cathedralem cum duabus aliis, nec non et monasterium SS. Trinitatis erigendam curavit, et locupletissimis muneribus auxit. Verum anno 1407 arma rursus arripere debuit, contra Vulkum fratrem præliaturus. Hoc enim auctore gravissima mala patriæ incubuerunt. Et quidem magna pars Serbiæ, inter plures principes divisæ, Solimano, filio Bajazeti, feudatario jure obnoxia facta est, præter regiones Stephano subditas. Cum autem acerrimum bellum mox exarsisset inter Solimanum ejusque fratrem Mussam, fœdus iniit Stephanus cum Mussa, qui, Bulgaria et Macedonia subjectis, Constantinopolim oppugnavit; victus tamen fuga salutem quæsivit, summo discrimini Stephanum exponens. Periculo liberavit despotam Manuel, imperator, commodans navim, qua per Pontum Euxinum et Istrum in Serbiam remearet. Interea, mortuo Solimano, Mussa, rerum potitus, in Serbiæ principes sævire cœpit eorumque plures interfecit. Quare fœdère inito cum Mahometo, tertio Bajazeti filio, ejus copiis adjutus, Mussam, qui Serbiam plane evertere minitabatur, ad Philippolim cecidit, domumque rediit victor. Pace Serbiæ ita reddita, sese totum divino servitio addixit Stephanus, orationi admodum intentus, in legendis sacris codicibus assiduus, erga pauperes et egenos eo usque liberalis, ut etiam nocturno tempore, ne ab hominibus videretur, eos inviseret et sublevaret. Cum Sigismundo, Hungariæ rege, amicitia junctus fuit, aliis etiam occidentalibus tam carus, ut clerus latinus pro eo preces in ecclesiis publice funderet. Tandem gravi morbo correptus, ut regno provideret, hæredem solemniter instituit generum suum Georgium, excluso filio Joanne; nec multo post supremum diem obiit in pago Glavi, anno 1427, die 19 julii, in ecclesia SS. Trinitatis magno populi concursu tumulatus.

Cfr 1) Pejacević, Hist. Serb., p. 370. 2) Raič, Hist. Serb., lib. X, cap. 9. 3) Muraviev, Vita SS. ad hunc diem. 4) Miklosich, Monum. Serbica, nn. CCXVII, CCLI, CCXC et seq.

B. M. Corsunensis imaginis festum.

Corsunensis seu Ephesinæ nomine venit illa B. M. Virginis imago, quam S. Euphrosyne, ducissa Polocensis, in monasterio SS. Salvatoris, a se fundato, collocavit, Constantinopoli advectam; quemadmodum in ejus Vita, ad 23 Maii, uberius enarravimus. Jam vero imaginem istam, miraculis claram, de numero earum esse, quas S. Lucas evangelista Ephesi pinxisset, constans est apud Russos traditio. Cum autem temporum injuria jampridem illa e monasterio Polocensi evanuerit, et pluribus iconibus prorsus eadem origo tribuatur, pro certo definiri nequit, quænam earum vere Ephesina seu Euphrosyniana censenda sit. Duæ icones, præ aliis, hoc nomen sibi vindicant; Claramontana altera, Tchenstochoviæ in Polonia summa religione culta, altera Toropecensis seu Korsunensis. Illam a Polocensi nequaquam differre auctores sunt præcipue Poloni, Stebelscius, Suša, aliique. De hac idem affirmant auctores Russi, adduntque eam Polocia fuisse ablatam a Briačislai, ducis Polocensis, filia, Alexandro Nevensi matrimonio juncta Toropecii, anno 1239, testante id instrumento publico quod in ecclesia urbis etiamnum asservatur. Cæterum Korsunensis vel, ut loquamur rectius, Chersonensis, nomen pluribus iconibus B. M. V. inditum est, quarum una, in Novgorodia Inferiore exstans, inscriptionem græcam exhibere dicitur, anno 993 exaratam : etenim picturæ græcæ aut Korsunensis nomen unum et idem significat.

DIES X.

Ex Ostromirano. PASSIO SS. MARTYR. EULAMPII ET EULAMPIÆ, GERMANÆ EJUS SORORIS, SUB MAXIMIANO, IMPERATORE, IN URBE NICOMEDIENSI (*Ita cæteri omnes cum Bas. Neap. Hier. etc.*).

Ex variis. S. Theophili, confes. (*Prol. Kal. cum Mg. Sirl.*). S. Theotecni, martyris (*Prol. Kal.*). S. Bassiani, Syri (*Kal. cum Bas. Nan. Sirm. Med. Maz. Mg.*). S. Dorothei, mart. (*Syn. Serb.*). Andreæ Totmensis (*Hag.*). S. Jacobi Jejunatoris (*Prol. cum Sirm. Med. Maz. Mg.*).

† S. Acepsimæ, mr. (*Med.*). † Philippi, diac., unius e septem (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Eulampius. Acta hujus martyris, commentariis et annotationibus instructa, legere est in opere Bollandiano, pag. 67 et seq. Ibidem, post Acta S. Eulampii sylogen addidit Buæus de S. Bassiano, confessore Constantinopoli. — In Menologio Basilii et Mart. Romano S. Theophilus refertur ad 2 Octobris; est enim idem sanctus. — Bassianus perperam vocatur Basilianus in Prologo. De eo adi Acta SS., Oct., tom. V, pag. 79. — In Synaxario Serbico, sæc. XVI, bibl. Vindob. annuntiatur hodie, tacentibus cæteris omnibus, S. Dorotheus, episcopus Tyri et martyr, quem totidem verbis exhibet Menol. Basilii, imper., cum aliis ad diem IX Octobris. — In Prologo iterum fit mentio S. Jacobi Jejunatoris seu ascetæ, ad 4 Martii, quo de eo fusius actum. — Andream Totmensem, Salum, commemorat Dict. hag., p. 22, ed. 1862. Obiit anno 1696, cætera pene ignotus. — Acepsimas non alius est, quam

S. Theophilus. *S. Bassianus.* *S. Dorotheus.* *S. Jacobus Jejunator.* *Andreas Totmensis.* *S. Acepsimas.*

quam Acepsimas, episcopus Honitæ et martyr, quem hoc die in cælos migrasse perhibent ejus Acta in Bollandianorum opere vulgata ad XXII Aprilis, et confirmant Acta Syriaca, apud Assemanum, t. I, a pag. 170. A Græcis et Slavis celebrari solet die 3 Novembris una cum SS. Aitilaha, diacono, et Josepho, presbytero; quo die plura de eis dicendi occasio redibit. DIES XI ET XII OCTOBRIS.

DIES XI.

Ex Ostromirano. MEMORIA SS. PATRUM NOSTRORUM, PATRIARCHARUM CPOLITANORUM, NECTARII, ARSACII, ATTICI ET SISINNII (*Assem. cum Hier. CP. Nan. Goth. Msq. Med. Sirm. Mg.*). ET SS. MART. ZENAIDIS ET PHILONILLÆ, SORORIS EJUS (*Prol. Kal. cum Bas. Hier. GP. CP. Nan. Neap. Vind. Msq. Sirm. Sirl. Cl. Maz. Med. Mg.*).

Ex variis. S. Philippi, apost. (*Mst. Rum. Prol. Novg. Kal. Tern. Hor. Men. Par. Pp. cum Bas. Pg. Hier. Msq. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*). S. Theophanis, conf. et hymnogr. (*Chil. Prol. Par. Hor. Men. Pp. Kal. cum Hier. Nan. Pg. Msq. Sirm. Maz. Mg. Med.*). Memoria septimæ synodi œcumenicæ (*Ass. Rum. Prol. Par. Pp. Kal. cum. Hier. Nan. Vind. Msq. Flor. Sirl. Med.*). Theophanis, mon. Cryptensis *Hag.*).

† Theophanis, imperatricis (*Nan.*). † Theodori Grapti (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Nectarius. Ostromiranum concordat cum vetustissimis Synaxariis Græcis, Hierosol. CP. et Callipolitano. In CP. et Sirmund. additur Atticus; in Goth. et Msq. sunt tantum Arsacius et Nectarius. De sanctitate horum omnium multum disceptatum est in varias partes. Arsacium et Acacium e Sanctorum Albo eradendos certo ait auctor prætermissorum in Actis Sanctorum, reclamante Morcellio. Qua de re consulatur oportet Chronologia Patriarcharum CP., tomo I Augusti præmissa, Acta SS. ad hunc diem in Vita Nectarii (pag. 608), Sisinnii (pag. 627), denique Auctarium, pag. 48, not. 70.—

Septima Synodus œcumenica. Synodus septima commemoratur in Bas. die sequenti; apud alios alio. Rationem habes in Horologio Počajovensi aiente: Sciendum est, die dominica, quæ proxime sequitur undecimam Octobris, fieri officium 7æ Synodi œcumenicæ seu Nicænæ secundæ etc. In cod. Mosquensi, qui hodie per omnia convenit cum Hierosolymitano, nisi quod omittat S. Theophaniam, addit officium eorum celebrari plane ita, ut SS. Patrum Synodi Nicænæ primæ, id est dominica ultima ante Pentecosten (κυριακὴ πρὸ τῆς υ.), agitur.—Acta Zenaidis et sororis Græco-Latina commentario prævio ditata vulgavit Byeus noster, Oct. die 11, pag. 503 et seq.—Nominetenus notus est Theophanes, monachus Kievo-Cryptensis, vulgo *Jejunator* cognominatus; quem hoc die in Laura Kioviensi commemorari testatur Dict. hag., p. 252, ed. 1862. Conditus est in Cryptis Antonii.

SS. Zenais et Philonella.

Theophanes Cryptensis.

DIES XII.

Ex Ostromirano. PASSIO SS. MART. TARACHI, PROBI, ANDRONICI, QUI SUB DIOCLETIANO, IMPERATORE, COMPREHENSI FUERUNT. (*Ita omnes cum Basil. Hier. GP. etc.*).

Ex variis. S. Cosmæ, ep. Maiumi (*Kal. Euch. Menol. Hor. Prol. cum Genebr. Horario græco*). S. Martini, ep. Turonensis (*Prol. Menol. Kal.*). S. Domnicæ, mart. (*Prol. Sparv. Kal. cum Basil. Med. Sirm. Maz. Mg.*). Translatio reliq. S. Joannis Baptistæ Malta Gatšinam (*Kal.*). Festum iconis B. M. Virginis dictæ Hierosolymitanæ (*Kalend.*).

† Florentii (*Neap.*). † PP. Septimæ synodi œcumenicæ (*Bas.*). † Anastasiæ, virg. et mart. (*Sparv. cum Bas. Maz. Sirm. Mg. Med. Sirl. Cyth.*).

OBSERVANDA.

SS. Tarachus et Probus. In Nan. : *S. Probi et soc.*, et passim primo loco; S. Andronicus redit solus die XX Octob. Sincera acta horum martyrum habes græce et latine in opere Bollandiano, ad diem Octobris 11, pag. 556. — Idem Cosmas refertur in Men. Magnis Græcorum et in Chil. Typico ad diem XIV Octob. Cfr dicta ad 15 Jan.—

S. Cosmas.

S. Martinus Turonensis. Martinus, ep. Turonis, olim Martinopolis, non Romanus erat natione, ut ait Veršinski cum Prologo, sed Slavus, Syrmio oriundus; nec ep. Constantinopoleos in Galilæa, ut ridicule refertur in Prologo, sed Martinopolis in Gallia. Legesis quæ de S. Martino narrantur in Prologo ad diem XIII Februarii, at quæ hoc loco melius posita fuissent. In Menologio Basilii refertur ad 12 Nov. et vocatur episcopus φραγγίας id est Galliæ.—

S. Joannes Baptista. Translata fuerunt dextera Joannis B., particula Crucis et imago B. M. V. dicta *Philermica*, de qua post Gumpenberg disserit Saharov in sua *Iconographia russica*, tom. II, p. 24. Porro Gatčina civitas est 40 chiliometris a Petropoli distans. —

S. Domnina. Domnica seu Domnina certavit Anazarbi in Cilicia. Non unam sanctam hujus nominis retulimus supra; Domnicam Juniorem die I Martii, aliam die IV Octobris simul cum Berenice et Prosdoce; tertia citatur in *Actis Sanctorum* ad XXIII Augusti. Atque hæc quidem pariter in Cilicia, sub eodem præside Lysia, ac iisdem fere suppliciis, quibus S. Domnina, de qua hoc nobis sermo est, torta fuisse perhibetur, ut altera ab altera forsan non sit discriminanda. Sane Slavica Menæa nullam Domninam referunt ad XXIII Augusti. Cfr Acta SS., tom. VI Oct., pag. 19. —

S. Anastasia. Haud est diversa hodierna Anastasia ab Anastasia Seniore, de qua Latini agunt die XXVIII Octobris.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Amphilochius, heg. Glušicensis. Floruit Amphilochius sæculo decimo tertio, fuitque Dionysii Glušicensis alumnus et in hegumeni munere sucessor. Verum antequam sancti viri magisterio uteretur, jam sacerdotalia ministeria agebat in urbe Magno-Ustiugo. Mortuo Dionysio, dignus habitus est, qui in ejus

DIES XIII ET XIV OCTOBRIS.

ejus locum subrogaretur, rexitque fratres ad annum 1225, quo obiit. Colitur in monasterio Glušicensi.

B. M. Hierosolym. imaginis festum.

B. Mariæ Hierosolymitanæ imaginem, non secus ac alias plures, a S. Luca, evangelista, pictam fuisse volunt auctores indigenæ, addentes eam Solymis CPolim venisse anno 435; inde Chersonam Tauricam migrasse anno 898, tempore S. Vladimiri, ac tandem Novgorodia Mosquam, ibique in ecclesia cathedrali B. M. V. fuisse collocatam. Quidquid sit, certissimum est, antiquiorem illam iconem tempore gallicæ invasionis disparuisse; eam vero, quæ nunc Hierosolymatana solet nuncupari, et hoc titulo coli, nequaquam primigeniam esse, sed deperditæ typon.

Cfr 1) Gloria B. M. V., part. III, sect. II, pag. 50. 2) Menol. Vers. ad h. d. 3) Gumpenberg, nº 515 et 845.

DIES XIII.

Ex Ostromirano.

PASSIO SS. MARTYRUM PAPYLI, CARPI, ANAULI ET SOCIORUM (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Flor. Vind. Goth. Msq. Pg. Med. Maz. Sirm. Mg.*). ET S. TROPHIMI (*cum Hier. GP. CP.*).

Ex variis.

S. Florentii, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Sirl. Med. Mg.*). S. Nicetæ, confes. (*Prol. Kal. Menol. cum Maz. Sirm. Mg.*). S. Benjamini, diaconi et mart. (*Kal. cum Sirl. Mg.*). S. Parasceviæ, virg. Ternobiensis (*Eph. Prol.*). Agathodori, mart. (*Menol. prol. cum Sirl. Med.*).

† Pauli, mart. (*Neap. CP.*). † Dioscori mart. (*Sirm. Mg.*). † Antigonis, mart. (*Sirl. Mg.*). † MM. Diodori et Andromedæ (*Sirm.*). † Leonis, abb. in Lucania (*Itg.*).

OBSERVANDA.

SS. Carpus et soc.

Utrum hic S. Carpus alius sit nec ne a sancto apostolo cognomine, cujus festum celebratur ad 26 Maii, disputatur. Non diversum esse, auctor est adnotator Bollandianus, in prætermissis ad hunc diem, pag. 164. Omnes quidem referunt Carpum et Papylum seu Pamphilum, at varii sunt in citandis cæteris sociis. In Menologio Mosquensi expresse nominantur Agathodorus, eorum famulus, et Agathonica, soror S. Papyli, consentiente Menol. Basilii; Anaulum vero nullus refert præter Assemanianum; cui Menol. Basilii præcessisse videtur, quique insuper Carpum fæde mutavit in Raspum. In marmore Neap. habetur:

S. Trophimus.

Passio S. Pauli et Carpi. — In nonnullis codd. additur S. Trophimus, puta in CPolitano, Hier. et Callipolitano omnium antiquissimis; et quidem in duobus prioribus Trophimus prodit medius inter Carpum et Papylum. Quod igitur doctissimus Capiton Nevostrujev asseruerit S. Trophimum in nullo alio codice sive Græco sive Slavico prodire ad hunc diem, id merito mirari licet. Sed nec cl. Mazochius dixisset S. Trophimum nuspiam reperiri simul cum SS. Carpo et Papylo, si notitiam habuisset duplicis synaxarii, quod juris publici fecit Scholzius. — Quum nomen S. Pauli martyris commate sejungatur in marmore Neap. a S. Carpo, merito quis dubitabit, an ad eamdem turmam pertineat, cujus antesignani fuerunt SS. Carpus et Papylus. Consulatur Morcellius, tom. I, pag. 190. — Nicetas, cognomento Patricius, refertur in Menol. Basilii ad 6 Octobris et eadem die illustratur in Actis SS. — Recolantur dicta ad 31 Martii, quo S. Benjamin commemoratus est simul cum Abda hieromratyre. — S. Parascevia, Bulgaræ ecclesiæ decus et ornamentum virgineum, inscripta est hodie in Prologo quodam anni 1518 et in Euchologio Serborum recentissimo. A cæteris referri solet communissime die proxime sequenti. — Antigonus apud Sirletum audit Antiochus; quem in Acta sua haud esse admittendum pronuntiarunt Bollandistæ, tom. VI Oct., tacita ratione.

S. Paulus.

S. Nicetas, conf.

S. Benjaminus.

S. Parascevia

S. Antigonus.

DIES XIV.

Ex Ostromirano.

PASSIO SS. MART. NAZARII, GERVASII, PROTASII ET CELSI, SUB NERONE, IMPERATORE ROMÆ (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Med. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*).

Ex variis.

S. Cosmæ, Maiumensis ep. (*Chil. cum Pg, Sirl.*). S. Parasceviæ, virg. Ternobiensis (*Men. Prol. Leop. Tern. Euch. Val. Kal. Hor.*). S. Silvani, presbyt. (*Prol. Kal. cum Mg. Sirl.*). S. Nicolai Sviatošæ, princ. Tchernigoviæ et monachi (*Pat. Men. Kal.*). S. Euthymii Novi, Thessalonicensis (*Ath. Synax.*). Cosmæ Jachromensis (*Hag.*).

† Fortunatæ (*Neap.*). † Petri Abselami, mart. (*Mg. Sirl.*). † MM. Sarbeli et Babeæ (*Nan.*).

OBSERVANDA.

SS. Nazarius et soc.

S. Nazarius in Mst. et Paris. male dicitur Azarias. — Vide quæ de S. Parascevia tractata sunt in Act. SS., Oct. tom. VI, in Auctario. In Tern. perperam vocatur *martyr*, ac si ageretur de virgine Alexandrina. — De Nicolao plura dicentur in Memoriis Slavicis. — S. Euthymius Thessalonicensis refertur hodie in Synaxario Græco Nicodemi et in Paterico Montis Atho; sed ejus proprius dies est sequens, quo proinde opportunius illustrabitur. — Petrus Abselames, rectius Abesalomes, occurrit iterum die sequenti. Egimus de S. Petro Atroensi, a quo haud est distinctus, ad diem 2 Januarii et alibi. — De S. Cosma fuse tractatur hodie in Actis Sanctorum, pag. 594 et seq. Memoratus est a nobis die XII hujus, et XV Januarii. — De S. Silvano martyre actum est ad IV Maii. — Nullam sanctam, Fortunatæ nomine distinctam invenio, in Actis SS. ad præsentem diem; cujus loco prodeunt duo Fortunati. — Cosmæ Maiumensi jungitur hodie alius Cosmas, Jachromensis monasterii conditor et hegumenus, in provecta senectute sæculo XV vita functus, anno incerto. Est autem dictum monasterium quadraginta chiliometris a Vladimiria Kliazmensi dissitum, in cujus finibus natus fuisse perhibetur Cosmas in Dict. hag., pag. 241, ed. 1862.

S. Parascevia.

S. Nicolaus.

S. Euthymius.

S. Petrus.

S. Cosmas.

S. Silvanus.

S. Fortunata.

Cosmas.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Parasceve Ternobiensis, virgo.

PARASCEVE virgo nata est Epibatis in Thracia, a parentibus piis et timoratis. Quibus orbata, hæredem domus reliquit fratrem suum Euthymium, qui postea Madyti in Thracia episcopus

episcopus fuit; ipsa vero angelicam vitam æmulata in eremum quamdam se recepit, divinis rebus vacans, castumque corpusculum suum jejuniis, orationibus, vigiliis et humicubationibus perpetuo affligens. Et vero mortificationis erat tantæ, ut herbis tantummodo vires reficeret, aqua ad potum adhibita, idque permodice, neque umquam antevesperum; cibus enim ejus potusque erant lacrymæ atque orationes. Dum autem dulci cum Deo conversatione frueretur, illud unice quærens ut divino sponso suo quam maxime placeret, frequentes dæmonis insultus corde impavido sustinuit, Deo, qui solus debiles roborat, penitus confisa, atque perseverantiam in vitæ instituto humillime implorans. Multis igitur annis in solitudine peractis, de reditu in patriam deque vicina morte sua cælitus præmonita, eremum reliquit, natalemque locum Epibatos repetiit. Constantinopoli templa præstantiora, aliaque loca sacra, tanquam apis operosa vernos flosculos, circumivit, fervidissimis precibus ubique fusis, præsertim in S. Sophiæ et in templo B. M. V. Blachernensi. Omni igitur fiducia in B. Virginem posita, in Callicratiam, regionem suburbanam, festinavit. Postquam vero Epibatos pervenisset, mansit ibidem tempore non exiguo, labores laboribus, doloresque doloribus addens. Tandem, extremo morbo correpta, inter preces et amoris suspiria purissimam animam in manus Domini tradidit. Corpus ejus incorruptum repertum, et in templo Epibatensi SS. apostolorum honorifice conditum, postquam duo sæcula fere integra ibi jacuerat, et miraculorum fama per universam circa regionem inclaruerat, Epibatis Ternobum, regiam Bulgariæ urbem, solemni pompa translatum est et in basilica collocatum, anno, ut probabilius videtur, 1221, æræ vulgaris, curante Asane, Joannis filio, Bulgarorum rege, annuentibus quoque Francis, qui Constantinopolim ea tempestate occupabant. Post hæc, Bulgaria Turcarum tyrannidi jam subjecta, sacer is thesaurus postquam aliquantum temporis apud Vlachiæ dynastam fuerat detentus, a Solimano Constantinopolim remissus fuit; unde Belgraduni remeavit, curante id S. Angelina, S. Lazari, imperatoris Serbiæ, uxore, ut diximus in ejus vita ad diem trigesimam julii, et ut aperte testatur Gregorius Zamblak, ex hegumeno Dečanensi metropolita Kioviensis, in Laudibus S. Parasceves, adhuc anecdotis. Verum non diu mansit in Serbia; qua debellata a Turcis, Constantinopolim iterum avectus fuit, ac in ecclesia patriarchica depositus. Tandem anno 1641, sacras istas reliquias dono accepit Basilius Lupulus, Moldovlachiæ dynasta, a Parthenio Seniore, patriarcha, cujus omnia debita munificenter solverat; at nonnisi clam populo ac nocturno tempore per muros Phanaris demissas, avexit Jassium, tum Moldovlachiæ, hodie vero Moldaviæ metropolim, ibidemque magno in honore haberi perrexerunt ad nostram ætatem usque; similiter in Serbia, Bulgaria aliisque regionibus ritus Slavici. Notandum denique, in quibusdam fastis commemorari Parasceviam ad diem decimam tertiam octobris.

Cfr 1) Acta SS., t. VI Oct., in Auctario. 2) Prolog. ad h. d. 3) Muraviev ad h. d.

Nicolaus Sviatoša.

Hic fuit filius Davidis Sviatoslaidis, ducis Tchernigoviensis, ex Sviatoslao-Pancratio Nicolaus, et ex principe monachus factus anno salutis 1116. Quod vitæ institutum quum amplexus esset, vilia quæque et dura obsequia lætus obibat, nemini molestus, unicuique obedientissimus. Triennio integro in obsequiis culinæ exacto, et munere secandi ligna, eademque humeris imposita in coquinam transportandi humillime defunctus, ut quartum annum in eisdem obsequiis transigeret ab hegumeno impetravit. Postmodum cœnobii janitor fuit cum omnium laude. Quo officio per duos annos impleto, cellam separatam obtinuit; in qua reliquum vitæ mansit, numquam foris exiens, sed saluti animæ suæ unice vacans, manuumque laborem continuæ orationi miscens. Jejuniis et vigiliis adeo fuit deditus, ut, licet ab aliis rogaretur, nihil tamen de solito rigore voluerit laxare, non condignas esse aiens hujus sæculi passiones ad futuram gloriam promerendam. Cibus ei parcus et vulgaris; bona propria nulla; quæcumque enim a cognatis submittebantur, ea omnia vel in pauperes erogabat, vel in ditandum ornandumve monasterium dispertiebat. Tandem, morbo confectus, migravit ad Deum, die 13 octobris, anno 1142, religionis trigesimo sexto, in Cryptis Antonii incredibili Kioviensium frequentia conditus.

Cfr 1) Menolog. ex Paterico ad h. d. 2) Kulčin., Specimen pag. 51. 3) Nestor., Annal., I, pag. 120; III, pag. 3 et 155. 4) Act. SS., Oct. t. VI, pag. 399. 5) Macar., Hist. tom. II, pag. 65.

DIES XV.

Ex Ostromirano. Ex variis.

PASSIO S. LUCIANI, MART. (*Ita omnes*).

S. Sabini, ep. (*Prol. Kal. cum Bas. Neap. Sirm. Med. Maz. Sirl. Mg.*). SS. mart. Sarvili et Babeæ, sororis ejus (*Men. Prol. Kal. cum Sirl. Mg.*). S. Euthymii Novi, Thessalonicensis (*Men. Pp. Kal. Hor.*). Euthymii Siamžensis (*Hag.*). Joannis, ep. Suzdaliæ (*Hag.*).

† Petri Abselami, mart. (*Sirm.*). † Barsi, ep. Edessæ (*Sirl. Mg.*). † Monachi cujusdam, mr. (*Sirl. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Lucianus.

Lucidus vita, lucidus scriptis, lucidus etiam martyrio est Lucianus, ecclesiæ Antiochenæ presbyter, inedia in carcere consumptus. De quo in Menæis sequens legitur distichon: *Carere Lucianus pane pertulit, ne pane vitæ careret;* in Tabulis vero Græco-Moscis, in fronte mensis Octobris: *Fame mentes marcessentes pane verborum suorum corroboravit, et credere in unum Deum, panem vitæ nostræ, edocuit Lucianus.* Perperam itaque hanc sententiam *ad aliquem apostolum et signanter ad S. Andream, Ruthenorum patronum, vel ad aliquem ecclesiæ doctorem* referendam putavit Kulčinius, Specim.,

DIES XVI OCTOBRIS.

Specim., pag. 157. At multo pejus egit editor Prologi Mosquensis, dum recudit fabulam illam de Luciano, juxta quam adeo Deo similis evasisse narratur, ut, quum urbem obiret, a quibus vellet conspiceretur; a quibus vero nollet, nequaquam videretur. — De SS. Sarvilo et Babea actum est ad 29 Januarii, cum Bas. In Nan. relati sunt pridie. —

SS. Sarvilus et Babea.

S. Petrus Abselamus.

Pluries jam sermo fuit de S. Petro Abselamo, quem non alium esse dixi a Petro Athirensi seu Atroensi. Corrupte cognominatur Abesalomites, Abesalon, Abessalom, Balsamus, ut auctor est Assemanus, qui plura de eo tradidit Act. Mart. Orient., t. II, p. 206. — Multum negotii facessit Papebrochio, Kulčinio et Assemano Euthymius, quem hoc die exhibent Tabulæ Græco-Moscæ figuratæ, nullo characterismate adjecto, quo ab aliis sanctis cognominibus (sunt enim plures numero) discriminetur; nec felicior res successit Bollandianis hodiernis qui hactenus, ut olim Papebrochius, exspectant, ut aliunde lux aliqua affulgeat, ampliorve de sancto notitia subministretur. Jamvero Euthymius ille non alius est, quam S. Euthymius vulgo Thessalonicensis dictus, cognomento Junior, SS. Cyrillo et Methodio coævus, imo forsan in monasterio Olympi contubernalis. Floruit namque sæculo nono, anno 824 in lucem datus. Cujus nomen in fastis sacris occurrit tum ad 14 Octobris, tum ad diem præsentem. Et quidem pridie inscriptus est in Paterico Montis Atho, in Synaxario Græco Nicodemi et in Menologio Demetrii Rostoviensis; at in Vita, quam græce adornaverat S. Basilius, ep. Thessalonicensis, Euthymii discipulus, obiisse traditur die 15 Octobris; ad quem rectius idcirco proponitur in Menæis Græcis mss. et Slavicis excusis, addito cognomento *Junioris* et officio liturgico. Officium illud omissum est in editione Menæorum Veneta anni 1843, consultone an casu, incertum; quin et nomen sancti Euthymii; ut plane encomium in synaxario diei desideretur. Benignius cum sancto nostro egit Menologus Mosquensis; qui quum

S. Euthymius, Junior, Thessalonicensis.

Vitam ejus nuspiam potuisset reperire, sequens elogium ex Menæis (ut vocantur) communibus concinnavit, præmisso titulo: *Memoria venerabilis Patris nostri Euthymii Junioris. Hic venerabilis Pater noster Euthymius initio quidem vir laicus fuit et uxoratus, honeste matrimonio utens, colensque pietatem; dein autem, amore Dei actus, sprevit uxoris amplexus, mundoque valedicto, sese in eremum recepit; ubi antiquorum anachoretarum certamina æmulatus, frigus et æstus patienter sustinuit, jejuniis et laboribus carnem suam enecans, jugique oratione vivificans, quo securius adversus diabolicos incursus staret. Virtutis igitur eo processit, ut angelis spectaculum factus sit, dæmonum vero agminibus terribilis. Monachorum quoque institutor exstitit bonusque magister; qui alumnos suos, velut pater filios, in via salutis laudabiliter direxit; atque ita postquam multos annos in eadem via ipse incessisset, absoluto cursu, ad beatum appulit portum; ubi hodie a laboribus quiescit una cum iis quos ad se vocaverat Dominus dicens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Hactenus Menologus Mosquensis, vage admodum et jejune. Quod magis mireris, latuit eum Vita sancti thaumaturgi, auctore S. Basilio, episcopo Thessalonicensi, copioso calamo exarata, quæ in codd. Græcis mss. exstat proculdubio. Inde namque in suum Patericon Montis Atho inseruit eam editor Russus, vernaculæ linguæ donatam; ego vero ad calcem hujus anni Græco-Slavici Latine proponam, quippe quæ lectu dignissima sit, occidentalibus vero hactenus prorsus ignota. In Synaxario Nicodemi minus recte dicitur Euthymius pro cultu sanctarum imaginum decertasse; de quibus in Vita ejus altum silentium. S. Basilium, episcopum Thessalonicæ, qui magistri sui adornaverat Vitam, colunt Græci æque Latini ad 1 Februarii; laudavit quoque S. Nicolaus I, pontifex Romanus, ob fidei constantiam et in repugnando Photianæ rebellioni zelum.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Joannes, ep. Suzdaliæ.

In editione Diction. hagiologici priore nullum adest vestigium Joannis, episcopi Suzdaliensis; imo in serie episcoporum Suzdaliæ tanquam dubius proponitur ab Eugenio metropolita, Histor. hierarchiæ Russ. tom. 1, pag. 176. Verum in ejusdem Dictionarii editione recentissima anni 1862, non commemoratur modo, sed etiam brevi encomio ornatus prodit; discutiuntur quoque Eugenii metropolitæ dubia. Quæ vana fuisse probatur ibidem, tum ex antimensio anno 1637 confecto, quod in ecclesia cathedrali Suzdaliæ etiamnum adservatur, præfertque nomina Theodori et Joannis, episcoporum; tum ex schedula quadam Alexii regis, in qua dicitur Stephanus, archiepiscopus Suzdaliæ electus, Missam solemniter celebrasse Mosquæ, anno 1673, die 15 octobris, *in festo S. Luciani hieromartyris et sancti patris nostri Joannis episcopi, thaumaturgi Suzdaliensis.* Ex quibus colligitur, Joannem non exstitisse tantum, sed cultum insuper fuisse a suis, non secus ac sanctum Theodorum, primum Suzdaliæ episcopum; de quo agetur ad 28 novembris. Cæterum pauca innotuerunt nobis de Joanne; cujus Vita, auctore Gregorio monacho, deperdita est; nempe monachum induit adhuc juvenis, gressumque ad dignitatem episcopalem fecit CPoli, anno 1340, quam tamen nonnisi ab anno 1352 exercuit; anno vero 1363, abdicata sede, magnum monachorum schema suscepit, atque vitæ suæ reliquum degit in monasterio Bogolubensi. Obiit anno 1372, die 15 octobris; quo colitur in ecclesia cathedrali Suzdaliæ, in qua et conditus est.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 115. ed. 1862. 2) Hist. hier. Russ., tom. I, pag. 176. 3) Murav., ad hunc diem.

Euthymius Siamžensis.

Ad diem 9 junii, quando agebatur de Alexandro Kuštensi, sermo fuit etiam de Euthymio quodam eremita, quocum cellam suam commutaverat Alexander. Non alius est ab Euthymio Siamženси, qui cæteroquin ex Vita Alexandri tantummodo innotescit. Commemoratur hoc die, non quod præsens dies sit ejus mortis anniversarius, quum obiisse dicatur 20 januarii; sed propter sanctum thaumaturgum sibi cognominem, quem hoc eodem die celebrari dixi supra. Siamžensis vocatur a flumine, ad quod excitavit monasterium cui præfuit ipse.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 95, ed. 1862. 2) Murav. ad hunc diem.

DIES XVI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

S. MARTYRIS LONGINI, CENTURIONIS, QUI INTERFUIT PASSIONI CHRISTI (*Omnes cum Neapol.*).

S. Nicolai Sviatošæ (*Prol.*). Danielis Perejaslaviensis translatio (*Hag.*). Eupraxiæ Pscovensis (*Hag.*). SS. duorum martyrum sociorum S. Longini (*Prol. cum Mg.*).

† Mali, thaum. (*Nan. Med. Maz. Mg.*). † S. Sebastianæ, v. et mr. (*Sirm.*). † S. Antigoni, mart. (*Med. Sirm. Maz.*). † MM. Leontii, Dometii, Terentii et Domnini (*Sirm. Med. Mg.*). S. Theophanis (*Med. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Longinus.

Sanctus Longinus, slavice *Login*, celebratur hodie in Slavicis Menologiis pene omnibus, in Latinis autem die 15 Martii; utrobique centurio appellatus. Codex. glagoliticus Assemani vacat. In Mstisl. habetur: *Passio S. M. Longini, centurionis;* in Rum. brevius: *S. Longini, centurionis;* in Paris. et Pap. brevissime : *S. Longini*. Sanctus hic vulgo idem esse censetur ac miles qui pectus Domini in cruce pendentis vulneravit. At duo Longini omnino distinguendi sunt : alter centurio, qui et primus Christi confessor, hodie a Græcis et Slavis cultus; alter miles, seu Christi vulnerator, qui die 15 Martii in Martyrologio Romano annuntiatur ita: « Cæsareæ in Cappadocia passio S. Longini, militis, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur. » Rem totam fuse tractant Bollandiani socii in Act. Sanct. ad xv Martii. In tabulis Papebrochii repræsentatur barbatus, pallio et tunico indutus, et manus expansas habens, quasi non fuisset martyr aut miles. Melius in Capponianis depingitur habitu militari et lanceam manu tenens. Ita quoqe depictus cernitur, teste Assemano Kal. t. V, p. 303, in codice Syriaco Evangeliorum bibl. Laurentianæ Mediceæ, scripto et picto anno 586. Juxta *Manuale* pictorum S. Longinus pingendus est cum barba parum longa, pene rotunda et paululum crispa. — *S. Nicolaus.* S. Nicolaus Sviatoša, seu Sviatoslaus, ponendus erat die XIV, qua de eo fuse egimus. Hodie inscriptus est in Prologo quodam, anno 1518 exarato.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Danielis Perejaslaviensis translatio.

De S. Daniele Perejaslaviensi dictum est ad 7 Aprilis et iterum redibit sermo ad 30 Decembris. Hodie recolitur memoria translationis ejus corporis, coli cœpta ab anno 1782. — In Ecclesia Pscovensi commemoratur hodie Eupraxia, quæ et Euphrosyne, Rogvolodi Lithuaniæ ducis filia, et Jaroslai Vladimiridis, Pscovensis ducis uxor, quæ in urbe Odenpe interfecta est anno 1243, die 8 Maii. Antequam autem moreretur, magnum schema induit in monasterio S. Joannis Baptistæ, quod ipsamet Pscoviæ fundaverat, et forte etiam rexerat.

Eupraxia Pscovensis.

Cfr Dict. hag., pag. 99.

Demetrius Tanaicus.

Sabbato diem 18 octobris proxime sequenti recolitur memoria insignis victoriæ, quam de Tartaris reportaverat magnus dux Demetrius cognomento Tanaicus, anno 1380, die 8 septembris.

DIES XVII.

Ex Ostromirano.

FESTUM DEIPARÆ IN LOCO DICTO PARADISO. S. ARCHANGELI GABRIELIS. ET PASSIO SS. MM. LEONIS, DOMENTII, TERENTII.

Ex variis.

S. Osiæ, proph. (*Mst. Ass. Tern. Siš. Rum. Men. Prol. Hor. Kal. Pp. Cap. Novg. cum Bas. Hier. Goth. Vind. Pg. Sirm. Med. Maz. Mg.*). S. Andreæ Cretensis, mon. et mart. (*Chil. Prol. Men. Par. Kal. Hor. cum Pg. Itg.*). S. Lazari Justi translatio Cypro CPolim (*Prol. Men. Kal. cum Sirm. Med. Mg. Sirl.*). SS. anargyrorum Cosmæ et Damiani, et fratrum Leontii, Anthynis et Eutropii seu Euprepii (*Assem. Men. Prol. Kal. cum Bas. Nan. Hier. Maz. Med. Mg.*). S. Glyceriæ (*Syn. Serb.*). S. Susannæ, mart. (*Iber.*).

† Ignatii, ep. et mart. (*Neap.*). † MM. Hormisdæ et Jovini (*Med.*). † Isidori, mart. et soc. (*Flor. Gp.*). † MM. Claudii et Hilarii (*Mg.*). † Mauri et Jasonis (*Mg.*). MM. Chrysanthi et Dariæ (*Bas. Maz. Mg.*). † Joannis Colobi (*Copt.*). † Abdæ, ep. et Benjamin, diac. (*Med. Maz.*). † Callinici, mart. (*Med. Maz.*). † Papæ, mart. (*Sirm.*). † Rhegini, mart. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

Festum B. V.

Ita codex Ostromiranus, nullo alio accedente ex Slavicis; torquetque non parum viros doctos Russiæ iste *Paradisus. In synaxariis Græcis*, ait Nevostrujev, *nullum templum hujusmodi, imo nec locum reperire est qui Paradisus* (παράδεισος, slavice Raï) *nuncupatur sive CPoli sivi in ejus vicinia. Cum autem templi hujus dedicatio conveniat cum festo S. Gabrielis archangeli, non improbabilis sententia est, agi hic de ecclesia aliqua S. Deiparæ sub vocabulo Annunciationis erecta. Quod si detur, posset intelligi ecclesia illa Annunciationis, quem Jaroslaus I portæ aureæ Kioviæ imposuerat, præsertim cum locus iste, antequam ecclesia cathedralis S. Sophiæ exsurgeret, extra urbem positus esset, et forte* Paradisus *nuncuparetur. Adde alias quoque ecclesias a Jaroslao ædificatas fuisse, quæ ab illa* paradisiaca *parum distabant, testatum facit synaxarium Mstislaviense ad diem* IV *et* XXVI *Novembris*. Hactenus cl. Nevostrujev, erudite magis et acute, quam recte. Etenim locus iste Paradisus minime ignotus est antiquioribus synaxaristis Græcis, teste Synaxario Sirmundi; ubi prædictum festum B. M. V. annuntiatur eisdem fere verbis ac in Ostromirano, ad diem præcedentem : Σύναξις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐν τῷ ἐπονομαζομένῳ παραδείσῳ, ἐστὶ δὲ καὶ τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριήλ, *festum SS. Deiparæ in dicto Paradiso simul et archangeli Gabrielis;* et iterum ad 9 Nov., ubi ædes hæc exstare dicitur prope S. Mocium, CPoli. Ruit itaque conjectura viri alioquin in sacris antiquitatibus Ecclesiæ nonnihil versati. Cæterum nulla mentio fit loci *Paradisi* apud Cangium. — S. Leo est idem ac Leontius, nominatus ad diem præcedentem; posterior rectius vocaretur *Dometius*. Ultimus tandem, *Teron* manifesto errore positus est sive pro S. Hierone, discipulo S. Ignatii et in sede Antichena successore, cujus tamen nomen in nullo Synaxario Slavico reperi, sive quod malim, pro

SS. Leo, Dometius et Terentius.

DIES XVIII ET XIX OCTOBRIS.

S. Terentio. — De S. Hierone, ep. Antiochiæ, cfr Acta SS., Oct. t. VIII, pag. 8. — In Par. Osias vocatur *Ieseus*. De eo lege Acta SS., Jul. t. IV. — In Typico Chilandariensi habetur : Andreæ τῆς Κρίτης (in Crisi), at in Parisiensi : *Iecretensis*. In antiquissimis Martyrologiis sanctus hic occurrit die XX et X ; unde tandem ad diem XVII translatus est : qua constanter refertur ab omnibus inde a sæc. XIV, ut liquet ex dicto Typico Chiland. anni 1331. Presbyterum fuisse S. Andream docet Veršinski in Indice alphabetico, quem Menologio suo ad calcem adjecit ; at in corpore operis, ad diem 17 Oct. idem auctor vocat eum hosiomartyrem, id est monachum et martyrem, non vero hieromartyrem, quod de martyribus presbyteris dici solet. Unde sibi constare non videtur. Verosimilius est S. Andream simplicem monachum fuisse. Nec obstat, quod in Tabulis Papebr. stolæ speciem habeat e collo pendentem, cum omnes monachi et eremitæ ita prodeant, et quidem, ut Andreas, dextera benedicentes. — S. Susanna, Iberis Chuchanic, commemorata fuit ad 28 Augusti, et iterum refertur hoc die ; quo utroque die colitur in Ecclesia Iberorum, ut testatur Muraviev, Oct. p. 328. Ejus Vita ab auctore coævo testeque oculari conscripta legitur in Vitis Sanctorum Ecclesiæ Ibericæ, unde hæc pauca retulisse sufficiet. Floruit Susanna, regis Armeni an Iberi filia, sæculo sexto, nupsitque Vaskeno, Ranensis aut Carabachensis ditionis domino, atque malorum omnium quæ deinceps toleravit auctori præcipuo. Hic enim quum dissolutis moribus esset fidemque christianam ejurasset, quo Persarum regis gratiam iniret, cujus filiam matrimonio sibi copulavit, Susannam quoque ad idem scelus una cum filiis pertrahere conatus est ; sed frustra. Quapropter sanctissimam feminam tum injuriis gravissimis læsam, tum indignissime tractatam, in carcerem trudit, vinculis constrictam, ubi integro sexennio peracto, mulier vere fortis et in confitenda Christi fide constantissima, invictum animum suum tandem Creatori reddidit, die 17 octobris, condita honorifice in ecclesia Metekhensi Tifflissii. Cujus passionis initia refert biographus Iberus ad 8 Aprilis ; ac præterea distinguit feriam secundam hebdomadis sanctæ et diem 14 Maii, utpote quibus exquisitiora tormenta toleravit sancta martyr. Hæc ita summatim, pro instituto meo, perstricta sufficiant ; plura cupientes adeant scriptionem auctoris Iberi : quæ scriptio optimæ notæ et genuinus fœtus mihi esse videtur.

S. Osias.

S. Andreas.

S. Susanna, regina Iberiæ et mart.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

MEMORIA S. APOST. ET EVANG. LUCÆ. (*Ita fere omnes cum Bas. Neap. CP. GP. Hier. etc.*).

S. Marini, senis, mart. (*Men. Kal. Prol. cum Med. Sirm. Maz. Mg.*). S. Juliani, anachoretæ (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Joannis Rylensis (*Prol. ms.*).

† Receptio reliquiarum S. Josephi, hegumeni Casularum (*Taur.*). † Encænia S. Deiparæ Odigitriæ (*Mg. mss.*). † S. Cyriaci, ep. Hieros. (*Mg. mss.*). † Euticæ et Acutii (*Neap.*). † Asclepiadis, ep. Antioch. et mart. (*Act. SS.*). † Aristobuli præfecti, mart. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Joannes Rylensis. Ter in anno fit mentio sancti Joannis Rylensis, hegumeni, per totam Bulgariam admodum celebrati : 1 Julii, qui est translationis ejus Ternobo Rylum anniversarius ; 18 Augusti, quo ad cælos migravit ; et 18 Octobris aut communius die sequenti, quo translatus fuit Ternobum. — De S. Marino vide Acta SS. ad VIII Augusti, et insuper inter prætermissos ad hunc diem Oct., tom. VIII, pag. 274. — Cyriacus seu Quiriacus, qui et Juda, ep. Hierosolymitanus, ordine decimus quintus, qui crucem S. Helenæ revelasse traditur, memoratur hodie in Synaxariis Græcis, teste Papebrochio in Actis SS. ad 4 Maii, pag. 439 ; at in antiquis Martyrologiis Latinis occurrit die 1 Maii, ejus natali, aut etiam 30 Aprilis, et 15 seu 13 Aprilis. In Slavicis Fastis refertur ad diem XXVIII Octobris, fortassis quia CPolitana aut alia ab ea dependens ecclesia tali die exceperit sancti hujus martyris reliquias. Nisi mendum obrepserit in indicanda die 28 pro 18 : qui error facilis erat. Utut sit, hodie nulla mentio fit S. Cyriaci apud Latinos. — De S. Deipara, cognomento Odigitria, Siculis d'*Itria*, fuse agit Cangius in sua CP. christiana, l. IV, p. 61.

S. Marinus.

S. Cyriacus.

S. Deipara.

DIES XIX.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

PASSIO SS. MARTYRUM MNASONIS EP. CYPRI ET SOC. (*Nan. Flor. Sirm. Med. Maz.*). S. SADOTH ET CXX SOCIORUM, IN PERSIDE SUB SAPORE, REGE (*Rum. Hor. Prol. Kal. cum Bas. Nan. Sirm. Maz. Med. Mg.*).

S. Cornelii, mart. et soc. (*Mst.*). S. Joelis, prophetæ (*Rum. Tern. Par. I, Siš. Prol. Eph. Cap. Hor. Kal. cum Bas. Hier. GP. Vind. Pg. Sirm. Msq. Med. Maz. Mg.*). S. Vari et sociorum septem, Cleopatræ, ac filii ejus Joannis (*Men. Eph. Kiov. Prol. Kal. Hor. cum Hier. Pg. Nan. Sirm. Med. Mg.*). S. Amphilochii, ep. (*Rum. cum Bas. Med. Maz Mg.*). S. Joannis Rylensis (*Tern. Zogr. Prol. Kal.*).

† Andreæ Cretensis (*Sirm. Mg.*). † Artemii, mart. (*Pg. Mg.*). † Asterii, presb. romani (*Mg.*). † Meletii, ep. Cypri (*Mg.*). † Flori, (*Maz.*). † Modesti, episc. Hieros. (*Sirm. Maz. Med.*). † Encænia ædis S. Tryphonis (*Sirm.*). † Elesbanis, regis (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Mnason. Hodie quoque dormitasse convincitur Gregorius diaconus, qui Evangelium Ostromiranum exaraverat ; siquidem in textu slavonico hæc posuerit : ***Passio sanctorum martyrum Mnasonis et sociorum centum et viginti*** ; quum tamen neminem fugiat, hunc sociorum numerum non Mnasoni convenire, sed Sadothi. Verosimillimum igitur puto sancti Sadothis nomen intercidisse hoc loco. Apud recentiores synaxaristas S. Mnason desideratur ; in Act. SS. illustratus est ad 12 Julii. — S. Sadothem seu Sciadhustem norunt lectores ex eis, quæ de eo adnotata sunt ad 20 Februarii, ut plura hic addere supervacaneum foret. Unum advertam, de sociorum numero, qui a variis variis exhibetur ; secundum alios namque erant CXX, aut CXXVIII ; juxta alios vero CXXVIII supra mille, uti traditur in Prologo recentiore et in Kalend. Mosquensi, typis synodalibus Mosquæ excuso, anno 1818. — A nemine alio, præter Mst., memorari hodie S. Cornelium recte observavit Nevostrujev ;

S. Sadoth.

S. Cornelius.

vostrujev; verum postridie diserte nominatur in cod. Rum. et in Menologio Basilii. Cfr Acta SS. ad 2 Februarii. — S. Joel reperitur ad hanc diem etiam in quibusdam Kalendariis Coptitarum; in Martyrol. Romano prodit conjunctim cum Esdra ad 13 Julii, quando laudatur a Bollandianis. — Ad SS. Varum et Cleopatram quod attinet, non est cur multus sim; siquidem egregius exstat de utroque commentarius in Act. SS. ad hunc diem, Oct. tom. VIII, pag. 423. In cod. Assemani glagolitico refertur S. Varus ad 25 Octobris, non secus ac in Menol. Basilii; præterea ad diem 31 Martii inscriptus est in Mst., Sišat. et Parisino I. Non omnino igitur conveniunt Martyrologia Slavica cum Græcis in assignando die 19. Numerus septenarius sociorum, quem statuunt quædam Kalendaria, minus accuratus est, quum sex tantummodo socios habuerit Varus. — Apud Latinos colitur S. Amphilochius 23 Novembris, quo proponitur in Kalendariis Slavicis pene omnibus, non excepto Rumiantsoviano, a quo solo refertur insuper hodie iisdem plane terminis.

S. Joel.

SS. Varus et soc.

S. Amphilochius.

Dies XIX Octobris.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Joannes Rylensis.

In libro, quem in laudes S. Joannis Rylensis typis Belgradensibus edidit Neophytus, monasterii Rylensis hieromonachus, anno 1836, primo loco legitur officium, quod in festo S. Joannis hodierno solet decantari. Titulus hic est : *Mensis octobris die* 19, *memoria Venerabilis et Deiferi patris nostri Joannis. eremitæ Rylensis*. Porro hunc diem non mortis ejus, sed translationis anniversarium esse, declaravi supra ad 18 Augusti, quo in cælum migrasse Joannem constat. Celebratur autem duplex corporis ejus translatio; altera, quæ Sardica Ternobum; altera Ternobo Rylum multo posterius facta; hæc commemoratur die 1 Julii; de illa agitur ad præsentem diem, ut copiose traditum est in Vita sancti anachoretæ, quam vulgarunt Bollandiani socii Act. SS. Oct. t. IX, a pag. 683; ut plura hic disserere supersedendum sit. At secundam translationem, quia, typographo properante, silentio præterita fuit ad primam Julii, paucis hic illustrare juverit, ne omnino vacua manu remittatur lector, Sancto Joanni Rylensi devotus. Igitur in volumine jam dicto, fol. 31, incipit officium de *Translatione reliquiarum Venerabilis et Deiferi Patris nostri Joannis Rylensis thaumaturgi,* kalendis Julii celebranda. Cui additur, a fol. 44 verso, *narratio de reliquiis Venerabilis Patris Joannis Rylensis Ternobo Rylum, et de sacro ejus monasterio Rylensi instaurato, auctore Vladislao Grammatico*. A quo traditur, tres presbyteros, Joasaphum, Davidem et Theophanem, Jacobi, deinceps Episcopi Crupnicensis, filios, uxoribus singulorum defunctis, mundo valedixisse, et in monasterium Rylense profectos, illud a ruderibus excitasse instauratumque pristino splendori ac monachorum frequentiæ restituisse. Qui ut acceperunt a quodam presbytero Philippolitano, Jacobo nomine, aliisque adservari in ecclesia cathedrali Ternobiensi reliquias S. Joannis, et a fidelibus coli, continuo unum e fratribus monasterii Ternobum destinarunt, quo certiores de auditis redderentur; reique veritate comperta, Mariam, Georgii Despotæ Serbici filiam, quæ Amurato Sultano nupserat, enixe rogarunt, ut Sancti Joannis exuvias monasterio Rylensi restituendas curaret. Illa vero nullo negotio scriptum a Sultano obtinuit, quo Ternobiensis præfectus jubebatur monachorum petitis acquiescere sine mora. Itaque Ternobum profi- ciscuntur Theophanes et socii quidam, votique compotes fiunt, licet non sine magna civium repugnantia; aurora vero sequente, Ternobo clam discedunt, ne majores civium excitarentur tumultus. Rositam fluvium, qui non longe ab urbe fluit, eo autem tempore diffluebat, mirabiliter transierunt, et ita Sardicam, Bulgaris Sredetz dictam, pervenerunt lætabundi; ubi totius hebdomadis spatio manserunt; nuntio interea in monasterium destinato, qui sancti patris proximum adventum nuntiaret. Dum autem Sardicæ morabantur, matrona quædam e ditioribus arcam largita est e ligno pretioso confectam, cui includeretur corpus S. Joannis, pretioso velo obtectum. Die septimo, arca equo imposita, e monasterio S. Georgii megalomartyris, ubi morabantur, discesserunt, immenso populi concursu; comitantibus presbyteris et magnatibus ad locum usque Lešnitsa dictum; unde quidam e ferventioribus venerandum onus propriis humeris impositum ulterius detulerunt. Quorum adventum audientes regionis istius accolæ, convenerunt frequentes ad fluvium German, in vico quodam, iter unius diei cum dimidio a monasterii muris distante; quo brevi quoque accessit David hegumenus cum sociis nonnullis, sanctarum reliquiarum adventum ibidem præstolaturus. Quas magna veneratione exceptas ad *Montem Magnum* inde tulerunt, ipsiusmet hegumeni aliorumque sacerdotum humeris impositas; ac brevi devenerunt Orlitsam (metochia est a monasterio Rylensi pendens) : ubi in æde SS. Apostolorum Petri et Pauli, quam David hegumenus condiderat ipse, statuerunt arcam, Apostolorum festum imminens ibidem celebraturi. Die autem 30 junii, mane, resumptum est iter, comite Josepho episcopo, perventumque ad locum Verbitsam, quo confluunt Rylla et Iliina; ubi obviam venerunt reliquo monasterii cœtui; ac tandem cum hymnis et candelis, ad ecclesiam Rylensem procedentes, sacras exuvias in loco convenienti ibidem deposuerunt anno creationis 6978, salutis 1470, die 30 junii. Simul autem statutum fuit, ut translationis hujus memoria quotannis recoleretur die prima Julii una cum SS. Anargyris, Cosma et Damiano; ac præterea quavis feria quarta officium in honorem S. Joannis Rylensis, paraclitis nuncupatum, in monasterio caneretur.

DIES XX.

DIES XX OCTOBRIS.

DIES XX.

Ex Ostromirano. PASSIO SS. MART. ET THAUMATURGORUM ARTEMII, SUB JULIANO APOSTATA (*Ita fere omnes cum Bas. Med. Sirm. Mg. etc.*). ET ABERCII.

Ex variis. S. Andronici (*Rum. cum Maz.*). SS. apost. Terentii, Marci, Isaaci, cognomento Justi, et Artemæ (*Rum. Pp. ms. cum Med. Sirm. Mg.*). S. Cornelii, centurionis (*Rum. cum Bas. Neap. Maz. Med.*). S. Artemii Vercoliensis, thaumat. (*Prolog. Kal.*). S. Cleopatræ (*Ephem.*). [Gerasimi Junioris (*Ath.*). Ignatii, mon. et mart. (*Ath.*).]

† Andreæ in Crisi (*Nan. Hieros. GP. Med.*). † Stephani, Pauli, Petri, mr. (*Med. Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Abercius. In Ostr. legitur : *Passio SS. martyrum et thaumaturgorum*, in plurali; at S. Abercius nequaquam socius fuit S. Artemii, imo ne martyr quidem, sed simpliciter episcopus Hieropolitanus; quem ideo seorsim ponere placuit. Ejus memoria vulgo fit die 22 Octobris; Vita vero abunde narrata est in Act. SS., tom. IX, Oct., auctore R. P. Bossue. — *S. Cornelius.* S. Cornelius in Basiliano Menol. episcopus et confessor fuisse prædicatur; dubito an recte. — *S. Andronicus.* S. Andronicus relatus in cod. Rum. non ille est, qui cum S. Athanasia, mart., nominatur ad XII Oct.; sed quem cum S. Athanasia vulgo referunt Kalendaria ad diem 9; hoc enim die reapse prætermissus est in cod. Rum. propter festum *S. Terentius.* S. Jacobi Alphæi. — Memoria SS. apostolorum Terentii seu Tertii, ep. Iconiensis, Marci, ep. Apolloniadis seu inculpati Barnabæ, Jesu (Rum. Isaaci) dicti Justi, ep. Eleutheropolis, et Artemii, episcopi Lystrensis, celebratur hodie etiam in Menologio Sirmundiano et in Synaxario Ruthenorum ms. Recensentur hi sancti inter septuaginta duos Jesu Christi discipulos, de quorum cultu videantur Act. SS. ad XV Julii; occurrunt insuper die XXX Oct., X Nov.; denique die 24 Junii, sed non omnes ubique simul. — *S. Artemius.* Artemius, augustalis præfectus Ægypti et megalomartyr ac thaumaturgus, hodie colitur tum a Græcis tum a Latinis. Acta ejus græce et latine, auctore (ut videtur) S. Joanne Damasceno, ediderunt socii Bollandiani in opere suo, Octobr. t. VIII, pag. 856 et seq., ex tomo VI Spicilegii Romani Cardinalis Angeli Maji. In Menæis Slavicis leguntur Acta Metaphrastica, sed contracta; imo fortasse ex latina versione Lipomani aut Surii exscripta. In utraque tabula, Papebrochiana et Capponiana, repræsentatur S. Artemius habitu ducis militari; in Ephemeridibus insuper barba rotunda, et dextera crucem tenens, læva expansa. In *regula pingendi* (podlinnik) expresse præcipitur pictoribus, ut barbam sancti martyris pingant paulo minorem ac S. Joannis Evangelistæ, non tamen extrema partes divisam, uti pingi solet *S. Cleopatra.* sanctus apostolus. — Putabat Papebrochius S. Cleopatram esse sanctimonialem indigenam, sub Batto, Tartarorum rege, passam. Papebrochii conjecturam (quod satis mirum est) laudavit Kulčinius, nihil de hac sancta in suis libris invenisse dicens. Verum nec indigenam, nec sanctimonialem fuisse, constat ex Actis S. Vari, ubi multus sermo de S. Cleopatra ejusque filiolo, Joanne nomine. Quæ si legisset Kulčinius, nunquam ex vidua in Ægypto commorante, martyrem indigenam fecisset, anno 1241 in Russia passam. Ponitur autem hac die, tum quia die præcedenti passus est solus S. Varus, cæteri autem martyris socii coronam promeruerunt nonnisi die XX; tum etiam quia Græci sæpissime, dum sanctum aliquem colunt, alios sanctos minus notos, quorum in eisdem Actis fit mentio, uti S. Cleopatræ, remittunt ad diem proxime sequentem. Cæterum pleraque Synaxaria et Menæa referunt sanctam Cleopatram die XIX simul cum S. Varo. Sed nec sanctimonialis fuit hæc sancta vidua, licet contrarium conjectarit Papebrochius, pictura innixus. Repræsentatur utique cum corona in capite, habitu sanctimonialium, crucem dextera gerens, sinistra expansa; ante se filiolum habens nobiliter indutum et cruciculam etiam manu tenentem. Verum, ut recte observaverat Assemanus in Kalendariis ad hanc diem (tom. V, pag. 311) ex habitu quem Cleopatra gestat nihil certi colligi potest, utrum monialis fuerit an martyr : simili enim modo repræsentantur in Ephemeridibus S. Magdalena (XXII Julii) et S. Anna (XXV Julii), quarum neutra fuit virgo, aut martyr aut monialis. Cur igitur S. Cleopatra crucem gerens repræsentatur, et monialium habitu induta? Ideo, ait R. P. Carpentier, Actorum S. Vari editor eruditus, quia erga sanctam martyrem devotissima exstitit, æque ac filius ejus Joannes, quem proinde perperam martyribus adnumerat Veršinski, in Indice alphabetico; dein quia, dimissis turbis, ut aiunt Acta S. Vari, sequestravit se in martyrio (id est in ecclesia, ab ipsamet exstructa, ubi corpus S. Vari depositum erat); et erat ibi ministerio orationum vacans continuo et invocans Dominum. Hinc jure aliquo licuit pictori Moscho S. Cleopatram ut monialem pingere et cruce munire, etiamsi nec martyr fuerit ipsa, nec sanctimonialis. Sed de his omnibus fusius tractatum in Act. SS., Oct. t. VIII, pag. 426 et seq. quæ adeantur, si lubet. — Obiit Gerasimus anno 1597, die 15 Augusti; *Gerasimus Athonita.* unde ad præsentem translatus est, tum propter festum SS. Deiparæ, tum quia præsens dies est translationis ejus corporis anniversarius. — De *Ignatius.* Ignatio plura disserere supersedeo, siquidem de eo jam actum est ad 1 Maii.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Artemius Vercoliensis. Artemius in vico Vercola, patre agricola, anno 1532 natus, cum quadam die in agris cum parente versaretur, violenta tempestate subito exorta, viribus destitutus supremum diem obiit duodenis, die 23 junii, anno 1543. Corpus ejus, postquam diu in silva jacuerat insepultum, in ecclesiam Vercoliensem delatum est anno 1577, quo fuerat inventum, sub Macario, metropolita. Colitur etiam, ut vidimus, die 23 Junii.

Cfr Dict. hag., pag. 45.

DIES XXI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

MEMORIA VENERAB. HILARIONIS (*Ita omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. etc.*).

SS. mart. Gaii, Dasii et Zotici (*Ass. Prol. Menol. Kal. cum Bas. Med. Maz. Sirm. Mg.*). Translatio reliquiarum S. Hilarionis, ep. Moglenorum (*Prol. Menol. Kal.*). [Philothei, erem. (*Ath.*).] † MM. Andreæ, Stephani, Petri et Pauli (*Mg.*). † MM. Theodotæ et Socratis, presbyteri, et soc. (*Sirl. Mg.*). † Eucratis, mr. (*Sirl. Mg.*). † Jacobi, œconomi monast. (*Sirm.*). † MM. sexaginta, Jerosolymis ab Arabibus occisorum (*Maz.*).

OBSERVANDA.

S. Hilarion Magnus.

Magni Hilarionis, monachorum in Palæstina parentis, memoriam summa religione venerantur cum Græcis et Slavis cæteri quoque Orientis christiani. Quam autem supra posuimus lectionem cod. Ostromirani, eadem omnino proponitur in Mst. et Rum., optimæ notæ codicibus; at in marmore Neapol. loco *memoriæ* legitur *Natale*. Hilarionis Vitam, auctore S. Hieronymo, eruditissimo commentario instructam, habes in Act. SS. ad hunc diem, a pag. 43. — In eodem Bollandianorum opere exstat brevis Vita Hilarionis, epi-

S. Hilarion Meglinensis.

scopi Meglinensis in Macedonia, accedente prævio commentario. Aliam, ex Euthymio, patriarcha Ternobiensi, potissimum desumptam, in Slavicarum rerum amatorum gratiam, hic proponere placuit, licet prolixiori calamo adornata sit. — Cod. Assemani glagoliticus habet : *Gasii*, *Tasii et Zotici*, pro *Gaii*, *Dasii*. In Bas. S. Dasius obtinet primum locum, at tacentur socii; de quorum omnium gestis consule Act. SS. ad hanc diem, a pag. 11. — Inter sanctos martyres, Hierosolymis occisos, tres præcipui nominantur in elogio : Georgius, Joannes, Julianus. — Philotheus, Chrysopoli in Macedonia oriundus, monachum induit in monasterio Vatopedii; unde postea in solitudinem sex stadiis a cœnobio distantem secessit, ibique ad mortem usque degit. Obiit anno incerto, ætatis vero octogesimo quarto. Reliqua, alioquin vulgaria satis, legi poterunt in Paterico Montis Atho, t. II, pag. 333 et seq. aut in libro Νεὸς παράδεισος, unde sua mutuatus est Paterici editor russus.

SS. Gaius et soc.

SS. Martyres sexaginta.

Philotheus Athonites.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Hilarion, ep. Meglinensis.

Sæculo XII fere medio, enituit splendidum Ecclesiæ Bulgaricæ lumen, sanctus Hilarion, cujus inclyta gesta nobis tradita sunt ab eodem patriarcha Ternobiensi Euthymio, qui S. Parasceves Vitam exaraverat, a nobis supra relatam. Nempe ab utroque sancto illustrata fuit Bulgaria eadem fere ætate, licet non eodem modo. Ortus est Hilarion parentibus nobilitate non minus quam opibus et pietate claris; qui juxta mandata Domini jugiter conversabantur et Deo pie inserviebant. At, quoniam nullam habebant posteritatem, filiumque procreare ardenter desiderabant, assidue Deum ea de re deprecabantur; imprimis vero uxor beatissimam Matrem Dei Mariam frequenter adibat supplex, eamque summa cum fiducia, ut olim Samuelis mater, Deum, in lacrymas effusa, enixe rogabat, ut sterilitatis vinculum solvere dignaretur. Nec frustra. Quadam enim nocte apparuit ei in somnis purissima virgo Deipara, dicens: Surge, filia, et dimitte mœrorem : exauditæ enim sunt preces tuæ, pariesque filium qui plurimos a tenebris errorum ad lumen veritatis adducturus est. Surrexit mulier gaudens, nec tam de promisso filio, quam de prædicta ejus vocatione lætabunda. Eodem anno peperit puerum eique Hilarionis nomen imposuit, perpetuum lætitiæ suæ argumentum : Hilarion enim latino sermone *lætantem* significat. Proficiebat autem ætate puerulus, et adhuc triennis trisagion illud : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus* (Is. VI, 3) decantabat, omnibus rem demirantibus. Juvenis annorum octodecim factus, paternæ domui mundoque valedixit, ut angelicam vitam in domo Domini amplecteretur. Monasterii officia omnia strenue exerrebat ac voluntatem propriam jugiter domans brevi ad tantam virtutis aciem pervenit ut nomen ejus in ore omnium fratrum versaretur; præsidi vero suo, quem simul in rebus spiritualibus ducem habebat, magno solatio esset; prævidebat nimirum hegumenus futuram discipuli sui gloriam ac propterea assiduus Deo preces fundebat, quo tentationes a filio suo dilecto averterentur. Interea, multis annis præterlapsis, exitum suum ex hoc mundo præsentiens hegumenus, jamque in lecto decumbens, fratres ad se vocari jussit, eosque Hilarionis curæ commisit universos. Hic vero non solum fratrum curam, sed et prioris præsulis sollicitudinem et in oratione constantiam hæreditare visus est; erat enim erga omnes fratres humilis, eisque religiosæ conversationis formam in se ipso præbebat : erat præterea, jejuniis addictissimus, adeoque temperantiam colebat, ut vinum nunquam in vita sua degustaverit, in oratione diu noctuque perseverans atque magno cœnobiticæ vitæ institutori Theodosio in omnibus simillimus effectus. Porro quadam die, dum regio fame premeretur tanta, ut etiam in monasterio annona deficeret, mœrentibus fratribus, simul ac Deum invocavit supplex Hilarion, illico, o rem miram! inventum est monasterii horreum frumento plenum. Nec solum fratres suos, sed et cæteros omnes, qui fame pressi ad eum veniebant undequaque, domum remittebat, tum corpore, tum anima refectos. Quam ob rem alter Joseph habitus est ab universis; nec pauci, mundana veste relicta, tonsuram eique convivendi licentiam ab ipsomet acceperunt. Licet autem Hilarionis nomen ubicunque ad nubes extolleretur, ipse tamen hominum laudibus minime illectus, universam gloriam ad solum Deum humillime referebat,

Dies XXI Octobris.

referebat. Verumenimvero noluit Dominus eam lucernam sub modio latere, aut angustias monasterii solummodo illustrare, cum super cathedram episcopalem poni dignus esset. Itaque beatissima Mater Dei, quæ olim Hilarionem prædixerat nasciturum, apparuit in somnis Eustathio, totius Bulgariæ archiepiscopo, eique : Lucernam, ait, candelabro imponere festina, Hilarionem nempe in Moglenorum episcopum ordinando, a quo multi ab errorum tenebris ad veritatis lucem sunt perducendi. Surrexit e lecto archipræsul et sine mora superna mandata adimplevit. Eadem nocte dulci quadam visione recreatus fuit etiam Hilarion. Nimirum virum quemdam sibi videre visus est dicentem : « Dominus Deus tuus, qui elegit te in veritate, dabit quoque tibi virtutem, quo genti tuæ sis testamento, et in umbra mortis sedentes in lucem inducas. » Expergefactus Hilarion intellexit divinitus immissam fuisse visionem, et voluntati Dei sese submisit, etsi a fratribus sejungi ægre ferret. Post non multos autem dies, ab archipræsule accersitus, episcopus Meglinæ, quæ urbs Macedoniæ est, creatus est Hilarion; gregisque sibi commissæ curam suscepit, postquam in ecclesia cathedrali Dei sanctorumque opem implorasset ardenter. Gaudio repleta fuerunt fidelium corda, in adventu boni pastoris. Qui pace eis data hortabatur eos orthodoxam fidem et sanctæ Ecclesiæ mandata firmiter tenere, impias vero doctrinas, quæ tunc in regione illa infeliciter vigebant, procul amandare et abhorrere. (Porro impiæ illæ doctrinæ non diversæ sunt ab erroribus Bogomilorum, qui etiam Paulicianorum et Patarenorum nomine veniunt, suntque antiquorum Manichæorum nefanda propago, Albigensibus vel Catharis perquam affinis. Quos omnes a pristinis Manichæis prodiisse a compluribus historicis ostensum est. Atque hi quidem, impugnati ab imperatoribus Constantinopolitanis, ut narrant Petrus Siculus, Photius et Cedrenus, discipulos tamen plurimos in regionibus Orientis, maxime in Armenia, retinuere; in quo regno Pauliciani dicebantur a Paulo quodam, Callinices feminæ Manichææ filio, qui medio sæculo VII dogmata pleraque Manichæorum illic prædicaverat, et, juvante fratre suo Joanne, non paucos sibi discipulos fecerat. Porro Paulicianis extremo sæculo IX, imperante CPoli Basilio Macedone, dominabatur quidam Chrysochir, urbis Tephricæ seu Tibricæ præses. Quem feliciter oppugnavit imperator, primo imperii sui anno; et a bello redux Petrum Siculum Tephricam misit ad redimendos captivos. Octo menses Tephricæ versatus Petrus legationis suæ historiam scripsit et primo archiepiscopo Bulgarorum ritus Græci, misso a Basilio, imperatore, sed cujus nomen nos latet, nuncupavit (Act. Sanct., Oct., t, IX, pag. 716, lit. E). Egregium id monumentum. Sæpe enim Petrus disputando cum Paulicianis congressus illorum et catholicorum illic degentium opera diligenter usus, eorum arcana omnia curiose investigavit; atque ab ipsismet impiis et delirantibus cognovit, eos de conciliabulo suo nonnullos missuros qui in Bulgaria quoscunque possent a catholica religione ad suam nefariam sectam averterent. Reipsa Bulgaros non multo post labe suæ pestiferæ doctrinæ infecerunt. Maxime tamen id factum, quando hortante quodam Theodoro, monacho, qui dein ad patriarchatum Antiochenum provectus est, Joannes Tsimisces, imperator Manichæos Philippopolim in Thracia ex Oriente transtulit. Quæ hæreticorum colonia universæ deinde Europæ funestissima fuit. Certe duobus post sæculis reperti sunt Manichæi magno numero in Bulgaria, dictique sunt Bogomili; ac inde in Serbiam, Bosniam, Italiam et Galliam transierunt. Compescuit illos in Bulgaria non minore zelo quam industria et pene restinxit imperator Alexius initio sæculi duodecimi, teste Euthymio Zygabeno, idemque postmodum præstitit in Paulicianos Philippopolitanos ab exeunte sæculo nono quaquoversum grassantes. Attamen penitus delere eos non valuit; quin et hodie, post mille annos elapsos, in Bulgaria adhuc supersunt, nomine Babunorum; quod apud vulgus solemne est.) Contra hos sectarios gregem suum præmunire adnixus est Hilarion, catholicæ Ecclesiæ dogmata, et traditiones imprimis omnibus commendans, utpote quæ respuebantur a Bogomilis pene universæ : docens credere in SS. Trinitatem ac Incarnationem Filii Dei, invocare crucis vivificæ virtutem, sanctorum reliquias venerari et omnia Ecclesiæ præcepta pariter servare, repudiatis ac procul abjectis hæresium parentibus Ario, Macedonio, Nestorio, Eutychio, præsertim autem Manete et Paulo Samosateno, Bogomilensium zizaniorum præcipuis satoribus. Nec irritus fuit strenui pastoris labor : crescebat enim in dies numerus eorum qui agnitis erroribus Bogomilorum ad veram Ecclesiam redibant. Cum tamen numero præstantiores essent hæretici, doctrinæ autem catholicæ resistere minus pares, varios dolos contra strenuum antistitem meditari cœperunt, ut vel hac ratione gregem ejus discerperent perimerentque. Laboribus igitur labores addidit indefessus pastor, et dum instantius in fidelium instructionem incumbebat, ferventem quoque orationem ad Deum mittebat. Cujus adjutorio inimicorum suorum conamina reddidit irrita, eorumque cavillos facile, non secus ac araneæ tela, dissolvit. Quadam igitur die falsi hi doctores, extrinsecus quidem mansuetarum ovium pelle induti, intus vero lupi rapaces, sanctum Christi servum inanibus suis cavillis capere tentarunt, aientes : « Quare vos, catholici, non vultis obaudire nobis docentibus duos esse creatores, alterum bonum, factorem cæli, alterum vero malum, qui fecit terram et omnia quæ in ea sunt? » — « Audite responsum meum, reponebat humilis Hilarion, omnemque superbiam prius deponite. Quemadmodum Dominus de se dicebat : Mea doctrina non mea est, sed ejus qui misit me, Patris (Joan. VI, 16), similiter et ego non a me ipso loquar vobiscum, sed juxta Evangelium, quo vos niti gloriamini. Unde igitur didicistis alium esse Deum qui terram fecit, præter illum bonum, factorem cæli? Nonne unum eumdemque Deum in cælis et in terra adesse docemur ab ipso Domino, in admirabili oratione, quam tanto solatio recitamus? Etenim in oratione illa nos dicere docuit : « Pater noster, qui es in cælis, fiat voluntas tua sicut in cælo

cælo et in terra (Matth. vi, 9, 10)? » Quid his verbis clarius? Et iterum, cum Patrem suum invocat, dicens : « Confitebor tibi, Pater, Domine cæli et terræ (Luc. x, 21), » numquid terram a cælo sejungit? Numquid non verbis istis doctrina vestra penitus destruitur? Neque his tantum, sed et aliis Scripturæ sacræ dictis quam plurimis, aperte docemur, Deum esse totius mundi factorem. » Ita antistes. Alium errorem callide suggerentibus Bogomilis, nempe veterem legem scriptam esse a maligno spiritu et Christi crucem esse pessumdandam : « O homines, aiebat animarum amantissimus pastor, relinquite ignorantiæ vestræ tenebras et exitialem somnum a palpebris vestris excutite procul. Si a maligno originem duxerat lex antiqua, qua dicere potuisset Christus : *Scrutamini scripturas?* (Joan. v, 39.) Per scripturas porro intelligit Moysem et prophetas; nondum enim stabilita fuit tunc temporis lex nova gratiæ. Jamvero in lege diaboli quomodo vita æterna reperiri queat? Nonne præcepta veteris legis Moysi data in tabulis proprio digito exaraverat Dominus, atque ut ab omni homine servarentur, per os David edixit? (Ps. lxxvii.) Ad hæc, interrogantes de via salutis ad præcepta remittebat Dominus Jesus, eaque servabat ipse quam exactissime, quippe qui non solvere ea venerat, sed adimplere, addita scilicet novæ gratiæ abundantia prioris legis infirmitati. Iterum qui crucem vituperare audetis aut vocare nobis inimicam? Numquid Paulum non audistis clamantem : *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. vi, 14.)? Et alibi : *Verbum crucis salvantibus virtus est Dei* (1 Cor. 1, 18.). Porro si virtus Dei nuncupatur, cur non creditis ei? nonne per crucem infernus dirutus est et resurrectio nobis donata, filiorumque adoptio comparata? Et quid respondebimus in tremenda illa die, quando apparebit in cælo signum Filii hominis, nempe crux ejus, qua visa omnes tribus terræ amare flebunt, attestante Evangelio (Matth. xxiv, 30)? His et similibus responsis obstruebat mendacia Bogomilorum ora beatus Hilarion coram ingenti populi concursu. Illi autem, ad instar piscium mutorum, abierunt confusi, et quid sibi faciendum esset, secum reputantes. Quorum secretas cogitationes præveniens Hilarion, ut ad cor redirent, veritatem agnoscerent, agnitamque amplecterentur et in sinum Ecclesiæ catholicæ reverterentur, amanter eos hortabatur. Nec irrito conatu. Plurimi enim eorum corde contriti, atque ad pedes ejus provoluti errores suos ejurarunt, et sacrum baptisma impetrarunt. Hos orthodoxiæ triumphos cum ægerrime ferrent præcipui armenæ religionis patroni et nullis modis pastorem optimum valerent ad iram provocare, quosdam e suis correligionariis (erant enim Meglini, forte commercii causa, magno numero) contra eum excitarunt. At servus Dei nil pertimescens, inter eos, veluti agnus inter lupos, versabatur, illud Psalmistæ dictitans : *Etiamsi in umbra mortis ambulavero, non timebo malum, quoniam tu mecum es* (Ps. xxii, 4.). Quotiescunque fictis prætextibus heretici adibant eum, ut dolo caperent, semper imbecillitatis suæ conscii et confusione repleti revertebantur domum. Quadam vero die postquam acriter cum eo concertassent Armeni, eo furoris processerunt, ut lapides in sanctum virum, non secus ac olim Judæi in Stephanum protomartyrem, projecerint, et semivivum reliquerint in agro, quo orationis causa secedere solebat antistes. In se reversus Hilarion, urbem cellamque repetiit, gratias agens Deo, quod pro ejus gloria incruentum hoc martyrium fuerit passus. Re cognita, malevolos homines unanimiter aggressuri erant catholici Meglinenses, ac morti certissimæ tradituri, ni mitissimi Christi discipulus eos a proposito avertisset, dicens: Mementote, filii, verborum quæ apostolo Petro a Domino dicta sunt : *Mitte gladium tuum in vaginam; ne gladium sumens, gladio pereas* (Matth. xxvi, 52.). Mementote quoque apostolorum, qui gaudentes e concilio Judæorum revertebantur, quod digni habiti fuissent pro nomine Jesu contumeliam pati. Sinite eos, nesciunt enim quid faciunt. Stupebunt isti, et quid de viro tantæ mansuetudinis cogitarent dubii hærebant, bonum esse ac optimum virum dicentibus aliis, aliis, contra, seductorum esse asserentibus. Nihilominus a disputando non desistebant adversarii, sed omnibus modis ad errores suos strenuum pastorem pertrahere conabantur, jactantes se solos esse orthodoxos, atque antiquis traditionibus, puta officiis, jejuniis, cæterisque omnibus traditionibus Ecclesiæ veræ catholicæ et apostolicæ, immobiliter adhærere. « Bene facitis, respondebat Hilarion, Ecclesiam nominantes : hæc enim revera doctrinam suam ab apostolis, verbi divini satoribus, tenet, et quæcunque ab eisdem tradita sunt, sancte coluit semper et colit. Vos quoque eadem tenuistis usque ad concilium Chalcedonense, œcumenicum quartum, postea vero ab Ecclesia catholica secedentes in varios abiistis errores. Quos alium post alium ex ordine refellens, Ecclesiæ catholicæ dogmata singulis erroribus opposita evolvit, eo successu, ut quosdam ex Armenis in gremium Ecclesiæ matris pertraxerit. Ipsum imperatorem, Manuelem Comnenum, in vera religione titubantem, et in Armenorum placita plus æquo pronum, (adeo scilicet execranda hæresis tunc profecerat ubique), ad fidei catholicæ sinceritatem revocasse narratur sanctus præsul et in eadem stabilivisse, stabilitum vero dein adjutorem et auctorum habuisse in prædicta hæresi oppugnanda et perimenda. Cum enim Armeni, frequenter disputando cum Hilarione, errores proprios tandem agnovissent, et ad Ecclesiam catholicam accessissent, litteras autographas dedit Præsuli imperator, quibus præscribebatur reliquias hæreseos penitus extirpare, inobedientes vero hæreticos procul pellere, ne contagione cæteri læderentur. Mandato regis obtemperavit antistes libenter, pulsisque hæreticis, in loco ubi convenire solebant, insignem ecclesiam in honorem SS. apostolorum ædificavit et cœnobio auxit, sæpeque sacra fecit ibidem, assistentibus fratribus. (Hactenus Euthymius, patriarcha Ternoviensis. Quæ de imperatore Manuele tradidit hic sæculi xiv scriptor, intelligantur oportet de cura quam in reducenda Ecclesia Armena ad unitatem fidei posuerat imperator, quamque mors reliquerat imperfectam. Constat enim ex historia, philosophum quemdam Græcum, nomine *Theorianum*.

DIES XXI OCTOBRIS.

orianum, missum fuisse a Manuele ad patriarchas Armeniæ, Narsestem Claensem, et Gregorium IV, Narsetis fratrem ac successorem, ex regia Arsacidum stirpe oriundum; insuper et litteris communicasse utrumque patriarcham cum imperatore Manuele ac patriarcha Constantinopolitano Michaele, unionis ecclesiasticæ obtinendæ causa; mortuo Narsete, convocatum fuisse a Gregorio IV concilium Rumlæ, ubi sedem suam tunc habebant Armeniæ primates; ac unioni quidem cum Ecclesia catholica adhæsisse episcopos Armeniæ universos; at in litteris ad imperatorem et patriarcham, nomine Concilii datis, scripsisse quædam de duplici natura Christi et de Concilii Chalcedonensi minus sincera, nec omnino consona prioribus loquendi formulis, a catholicissimo Narseste ante usurpatis. Id forte occasionem præbuit Euthymio de orthodoxia imperatoris dubitandi. Fieri etiam potuit, ut Constantinopolim evocatus fuerit Hilarion colloquendi causa cum Armenis, et deinceps domum redux cum hominibus ejusdem gentis, qui in Meglinensi diœcesi degebant frequentes, de rebus fidei disputaverit ac propterea eorum odiis ad mortem usque fuerit impetitus.) Utut sit, assiduo laboravit Hilarion in tuenda orthodoxia; plurimosque Bogomilos ad veram fidem perduxit et sacris undis abluit. Effloruit quoque cœnobium Meglinense ab ipsomet institutum, crescente in dies numero fratrum, quos in recta fide stabilire nunquam cessavit. Tandem finem appropinquare sentiens, convocatis discipulis universis, unum eorum, nomine Petrum, quem per multos annos socium habuerat indivisum, in hegumenum eis dedit, et ut virtutes religioso viro proprias, præcipue autem mutuam dilectionem colerent paternasque traditiones exactissime servarent, eosdem adhortatus est. Tum, pace fratribus in lacrymas profusis ultimo data, obdormivit in Domino beatus Hilarion die vigesima prima octobris, anno reparatæ salutis 1164, postquam triginta annorum spatio Ecclesiam Meglinensem sanctissime rexisset. Conditus est in monasterio, quod Moglenæ fundaverat ipse. Eidem etiam mortuus invigilasse narratur. Cum nimirum multos post annos, temperantia, quam verbo et exemplo tantopere commendaverat vivus, a quibusdam fratribus monasterii pessumdari cœpisset, cæterisque vitiis, ut fieri solet, lata via panderetur, non obstantibus Petri hegumeni monitis et minis, beatus Hilarion delinquentibus monachis in somnis apparuit, et alios acri corripuisse verbo, alios verberibus cohibuisse, alios denique morte afflixisse visus est. Mane facto, ii qui plagas et verbera accepisse sibi videbantur, gravi morbi sunt correpti; quibus vero mortem minatus erat sanctus, non multo post e vivis reapse cesserunt, omnibus fratribus timore perculsis et ita ad exactam temperantiæ regulam continuo revocatis. Ad hæc, alia plura miracula ad ejus sepulcrum patrata esse perhibentur. (Quæ omnia fere comprehenduntur in sequenti tropario quod canitur die sancto præsuli sacra : *Magnis virtutibus illustris, monachorum cœtus rexisti, pontificalem sedem purgasti, hæreticorum impetus repressisti, Christo dicatas domos erexisti, o sancte Hilarion! Post obitum vero tuum, integrum et incorruptum mansit corpus, curationes fundens infirmis et dæmones propellens.* Et iterum in contacio : *Prout lucifera apparuit Pontificis commemoratio, illico tenebras somnolentiæ pepulit, lucemque attulit donorum cælestium. Tu, o Hilarion! invenisti gratiam apud Deum, cum exstiteris monachorum optimus institutor.*) Horum miraculorum fama pervenit ad aures regis Bulgarorum Calo-Joannis, qui, labescente imperio Byzantino, Bulgaris imperavit ab 1196 ad 1207, et armis potitus est Græcia et Thracia usque ad oppidum Meglinum; quod etiam obtinuit. Incensus itaque sancto ardore, statuit reliquias beatissimi viri transferre Ternobum, regni sui et Ecclesiæ Bulgariæ sedem principem. Igitur cum patriarcha Ternobensis sancti adventum audivisset, obviam ei processit cum omni clero, cum magnatibus et populo, et venerandum corpus deposuit, non in ecclesia Quadraginta Martyrum, ut volunt quidam auctores, cum hæc tunc temporis nondum existeret, sed in alia quadam nobis ignota. Multo autem tempore post, mortuo scilicet Calo-Joanne et successore ejus Borila, novus Bulgariæ rex, Joannes Asanes, Asanis senioris filius, qui ab anno 1217 ad annum 1241 sceptrum tenuit, decrevit erigere templum in honorem Quadraginta Martyrum et corpus beatissimi Hilarionis solenniter in illud transferre. Translatio hæc referenda videtur in annum 1230, quo prædictum templum absolutum fuisse testatur sequens inscriptio, columnæ ejus marmoreæ litteris cyrillicis insculpta, quamque latino idiomate huc referre juvat integram : « Anno 9738 (seu 1230), indictione tertia, ego Joannes Asanes, Christi Dei fidelis rex et autocrator Bulgarorum, senioris Asanis filius, a fundamentis condidi et picturis exornavi hanc venerandam Ecclesiam sub vocabulo sanctorum Quadraginta Martyrum. Horum enim ope, duodecim annorum regni mei spatio, quo scilicet hoc templum ornabatur, bellum intuli in Romaniam, et Græcorum copias fudi, ipsumque imperatorem Dominum Theodorum Comnenum simul cum magnatibus ejus cepi, et regionem omnem ab Odrino (i. e. Adrianopoli) usque ad Dračum (Dyracchium), Græcorum quoque Serborum et Arbanensium terram occupavi, si excipiantur urbes Constantinopoli vicinæ, ipsaque urbs ista regia, Francis subdita. Verum et hi quoque sub manu mea positi erant, quod alium regem præter me non haberent, et vitam suam deberent mihi, Deo ita disponente, sine quo nec fieri aliquid, nec verbis proferri potest; cui gloria in sæcula, Amen. » Concordant historici : nam re quidem vera anno 1226, perfidum imperatorem Thessalonicensem, Theodorum Comnenum, qui et Angelus Theodorus, devicit Joannes Asen, et dein Thracia et Macedonia partim occupata, in Thessaliæ montana excurrit; Elbanum cepit et usque Illyricum omnia vastavit; quo tempore utriusque maris (Nigri scilicet et Albi seu Adriatici) oppidis dominatus esse non immerito dici potuit. Postea fœdus pepigit cum Græcis, et anno 1233 copias suas sociavit cum exercitu Joannis Ducæ, qui jam imperium Græcorum obtinebat, bellumque Latinis tunc Constantinopoli dominantibus intulit. Neque infeliciter cessit hæc expeditio, quam ad urbis ipsius muros usque, quos illi

illi defendebant, movit; sed autumno domum rediit. Atque ita modo aliquo dici potuit in Prologo Slavonico ad hanc diem eum dominatum fuisse Bulgaris, Græcis, Francis, Serbis et Arbanensibus. Hæc itaque translatio facta est anno 1230 aut non multo post. Templum Quadraginta Martyrum, olim magna Laura dictum, et Imperatorum Bulgarorum sepulcris clarum, nunc vero in fanum turcicum (vulgo moschetam) misere conversum, de pristino splendore nil retinuit, præter sex columnas marmoreas mirifice elaboratas, et inscriptionibus slavicis ornatas. Harum præcipuam dedimus supra, præeunte D. Daskalovio, qui brevem notitiam de hodierno statu ecclesiarum Ternobiensium scripsit. Narrat idem auctor, anno 1850, dum ecclesiæ turris, quæ centies jam fuerat collapsa, a Turcis denuo instauraretur, repertas esse sub ipsius fundamentis res varias magni pretii, puta coronam regiam, auream crucem, sepulcrum magnæ molis, etc., et quod caput est, reliquias S. Hilarionis, quæ inde in interiorem turris partem translatæ et in terra a Turcis defossæ sunt; ut autem christianorum nemo eas adire posset et multo minus venerari, positam esse in eodem loco sepulcrum quoddam panno viridi coloris obtensum et Turcico torulo auctum. Aiebat quidem Cheich-effendi, loci istius custos, qui ob singularem suam erga Græcos phanariotas propensionem Protosyncellus exarchæ Bulgariæ derisorie nuncupatus fuerat, asservari ibidem corpus cujusdam viri, Mahometanis admodum venerandi; attamen re quidem vera vacuum esse sepulcrum, pro certo tenendum testatur Auctor modo laudatus; cui miserrimam hanc ecclesiam invisere et accuratius describere permisit fortuna quædam prorsus singularis. Quonam tempore in turcicum fanum conversa fuerit magna hæc Ternobii Laura inclytumque Bulgariæ palladium, definiri nequit. Certe, anno 1360, monasterii hujus archimandrita, Joannicius, concilio Ternobiensi adfuit, in quo Bogomilorum aliorumque hæreses damnatæ fuerunt, Ecclesiam bulgaricam regente Theodosio patriarcha. Hodie vero omnium moschetarum miserrima est; constat duabus cameris, quarum altera perangusta est, altera sat spatiosa. Faxit Deus Optimus, ut tandem aliquando hæc loca, tot monumentis sacris olim celeberrima, iniquissimo quo premuntur jugo fiant libera; destruatur et murus divisionis, quo filii, ex aquis baptismalibus nati, a veræ matris suæ, Ecclesiæ Catholicæ, amplexibus impediuntur, et præstet tandem aliquando, ut unus sit pastor et unum ovile, quemadmodum erat, quum floreret S. Hilarion.

Dies XXII Octobris.

Cfr 1) Vita ms.. auctore Euthymio, patr. Bulgariæ, apud Muraviev. 2) Vita ejusdem, edita a Neophyto, Belgradi. 3) Prologus et Menæa ad hunc diem. 4) Acta Sanctorum, Oct., IX, pag. 405 et seq. 5) Das-kalov, De iis quæ Ternobi inventa sunt, in Ctenija soc. hist. Mosq., anno 1859, lib. II. 6) Rudnev, De antiquioribus hæresibus et sectis in Russia disquisitio, not. 30. 7) Cosma, presbyter, adversus Bogomilos.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. Passio SS. martyrum Heraclii, Elisabeth, Theodotes et Glyceriæ (*Menol. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Mg. Maz. Sirl. Med.*). Et S. Deiparæ.

Ex variis. S. Alexandri, episc. (*Prol. Menol. cum Bas. Kal. Sirm. Sirl. Mg.*). S. Abercii, apostolorum æqualis, ep. Hieropolitani (*Mst. Rum. Prol. Par. Siš. Men. Tern. Zogr. Hor. Kal. etc. cum Bas. Hier. GP. Pg. Vind. Flor. Goth. Msq. Sirm. Maz. Mg. Med.*). SS. septem puerorum Ephesi, Maximiliani, Jamblichi, Martiniani, Dionysii, Antonini, Constantini et Joannis (*Mst. Menol. Prol. Hor. Leop. Pp. Kal. cum Sirm. Mg. Menol. Med.*). Festum B. M. V. Cazanensis (*Prol. Kal.*). Theodori et Pauli, monach. (*Hag.*).

† Cosmæ et Damiani, mart. (*Neap.*).

OBSERVANDA.

SS. Heraclius et soc. S. Heraclio addendi sunt socii Alexander, episcopus, qui nominatur primo loco in Menol. Basilii et in Prologo, utpote manipuli hujus præcipuus, et S. Anna. In Menologio Basilii ponuntur tantum tres mulieres, et quidem S. Anna loco S. Elisabeth; in Menæis adsunt omnes quatuor, et ultimus tandem omnium venit Alexander. Slavicus cod. neutrum videtur inscripsisse. Videsis quæ de his sanctis disseruntur in Actis SS., Oct. IX, p. 520. — Nec in Græcis Synaxariis Menæisve, nec in Slavicis quidquam licuit mihi legere de hodierno festo B. Mariæ Virginis, quod ideo incertum relinquo. — S. Abercii Acta exstant apud Bollandistas, pag. 485 et seq. ad hunc diem. In Synax. Serbico prodit die sequenti; atque *apostolus* nuncupatur in cod. Saxo-Gothano, sensu latissimo. — Postridie quoque referuntur septem Pueri, imo martyres Ephesi in nonnullis Synaxariis, ut Rum. et Basilii; verum a plerisque nominantur hodie, et quidem omisso S. Abercio, ut in Synax. Leop., anni 1768, in alio Serbico sæc. XVI; item in Menolog. Mosquensi et in Magnis Menæis Græcis, ed. Venetiis, anno 1843, in quibus illorum festivitas agitur die IV Augusti, et insuper commemorantur Kalendis Septembris. — Non aliqualis commemoratio SS. Cosmæ et Damiani fit hodie in Kalendario Neapolitano marmoreo, sed recolitur ipsamet *passio*, ut manifestum fit ex nota eorum nominibus præscripta.

SS. Deiparæ festum.

S. Abercius.

SS. septem pueri Ephesi.

SS. Cosmas et Damianus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Theodorus et Paulus. Vixerunt hi duo fratres, Theodorus et Paulus, tempore Sergii Radoneżensis; quo benedicente excitarunt monasterium nomini SS. martyrum Borisi et Glebi sacrum, in *Silva Nigra*, quæ Rostoviam inter et Vologdam jacet media. Monachorum regimen suscepit Theodorus; qui et fratrem suum constituit hegumenum monasterii S. Nicolai, quod in finibus

DIES XXIII SEPTEMBRIS.

Beloozerensibus seu lacus Albi erexerat ipse. Utriusque memoria quotannis recoli dicitur in dicto monasterio SS. Borisi et Glebi, die 22 Octobris, quo e vivis decessit Theodorus.

Cfr 1) Dict. hag., ed. 1862. 2) Muraviev, in Vita Irenarchi, Januar., pag. 362 et seq.

3. M. Virginis Cazanensis festum.

Institutum fuit hoc festum anno 1612, in annalibus gentis Russicæ maxime memorabili, in gratiarum actionem pro victoria de Polonis reportata. Nimirum anno 1611, Polonis tunc Mosquam occupantibus, rerumque in Russia, rege suo destituta, potitis, cum universus populus pro liberanda patria Deum et Beatissimam Virginem in jejunio et fletu deprecaretur, apparuisse traditur Arsenio archiepiscopo Galasunensi, qui eo tempore Mosquæ morabatur, Sergius Radoneženssis, eique proximam regiæ urbis liberationem promisisse, B. M. Virginis Cazanensis ope obtinendam. Evulgata visio vires animosque addidit indigenis; qui, Demetrio Požarscio duce, aut potius B. Virgine præside, cujus venerandam iconem, ut vocant, Kazanensem, secum deferebat Demetrius, hostem Mosquæ sedentem oppugnarunt, et ingenti clade eidem illata, civitatem feliciter recuperarunt, die 22 octobris, anno 1612, universam regionem a Polonis mox liberaturi. In cujus rei memoriam statutum fuit, ut B. M. Virgo Kazanica, quæ etiam ad diem 5 Julii colitur, ad 22 Octobris peculiari cultu honoraretur. Quæ festivitas, initio soli Mosquensi civitati propria, postmodum, anno sc. 1648, ad universam Ecclesiam Russicam fuit extensa.

Cfr 1) Prolog. ad h. d. 2) Gloria B. M. V., part. III, p. 16.

DIES XXIII

Ex Ostromirano. PASSIO SANCTI APOSTOLI JACOBI, FRATRIS DOMINI (*Ita omnes cum Bas. et Synaxariis Græcis et Copticis*).

Ex variis. SS. Theodotæ et Socratis (*Rum. cum Bas. Med. Maz. Sirm.*). SS. septem puerorum Ephesi (*Rum. Bas. Nan. Goth. Msq. Maz.*). S. Ignatii, patr. CPolitani (*Rum. Hor. Leop. Menol. Kal. Prol. cum Bas. Nan. Sirm. Maz. Mg. Med. Itg.*). S. Nicephori, patr. CPolitani (*Rum. Kiov.*). S. Josephi (*Sišat.*). Macarii Romani (*Prol. Serb. cum Sirl. Mg.*). Elisæi Laurašensis (*Steb.*). Jacobi Bovoricensis (*Pp. Men. Kiov. Kal. Prol.*).

† Zachariæ (*Neap.*).

OBSERVANDA.

S. Jacobus, frater Domini. Prologus Rum. sæc. XIII hodie in omnibus concordat cum Menologio Basilii, imperatoris, perinde ac si inde fuerit descriptus. Distinguunt Græci et Slavi hunc Jacobum, fratrem Domini, a Jacobo Alphæi et a Jacobo Zebedæi; neque, ut recte scripsit Assemanus (t. V, p. 315), in numero duodecim Apostolorum collocant, sed asserunt ipsum *primum Hierosolymorum episcopum ab ipso Christo ordinatum, primumque ab eodem edoctum, liturgiam divinam conscripsisse, quam postea Basilius Magnus et post hunc Chrysostomus concisiorem reddidere.* Similia habet Euchologium Leopolitanum, ad usum Ruthenorum cum Eccl. Romana unitorum, editum Počajoviæ, anno 1801. Hæc eadem et reliqua, quæ de S. Jacobi passione et titulo Theadelphici tradit Assemanus, ad verbum repetita leguntur in Prologo Mosquensi recentiore. Præterea in synaxi apostolorum 70 ad diem 4 Januarii, nominatim signatur Jacobus, frater Domini, qui et primus ep. Hierosolymitanus. Refertur insuper cum SS. Josepho et Davide, die XXVI Decembris. Jamvero hunc S. Jacobum non a Christo Domino, sed a S. Petro episcopum Hierosolymis ordinatum fuisse, indubium est; an autem ab alio Jacobo Alphæi sit distinguendus, non constat inter eruditos. Diversos fuisse tenent socii Bollandiani; et rationes quibus statuitur ista diversitas, congestas exhibent in Actis Sanctorum, Maii, t. I, p. 24 et seq. In officio diei legitur canon Theophanis. Tabula Papebrochiana repræsentat S. Jacobum theadelphicum tunica et pallio indutum, dextera expansa, sinistra pallium elevantem. In Capponianis vero repræsentatur cum habitu pontificali, læva librum clausum tenens, id est *Epistolam*, ejus nomine insignitam et inter canonicas reputatam, et divinam Liturgiam. In Men. Basilii depingitur ejus passio : e templi pinnaculo deturbatus, fullonis fuste percutitur in capite. Vitam ejus ex Metaphraste latine ediderunt Bollandiani loco citato, pag. 31. In Menæis Slavicis collecta est tum ex Metaphraste, tum ex libris liturgicis. De S. Jacobo Alphæi actum est cum Ostrom. die 9 Octobris. — Septem Ephesini Pueri relati sunt die præcedenti. — Eruditissimum commentatorem nactus est sanctus Ignatius, patriarcha CPolitanus, in Actis SS., t. X Octobris, p. 157 et seq. R. P. Van Hecke, qui ejus Vitam, auctore Nicephoro Gregora, iterum vulgavit, et commentario prævio instruxit. Consulatur oportet utrumque. — Quisnam sit hic Joseph, docebor libenter ab aliis. Interea conjicio non differre a Josepho patriarcha, qui refertur in cod. Ostromir. ad 29 Octobris. — Altera lectio singularis proponit S. Nicephorum; crediderim agi de aliqua translatione ejus reliquiarum, Ecclesiæ Russicæ propria. In Sirm. ad diem sequentem vocatur monachus. — De Theodota, martyre, Russis *Fedotia*, egi ad diem 17 Sept., quo vitam suam pro Christo posuit. Hodie itaque celebratur aliqua translatio reliquiarum utriusque sancti. — Macarius romanus diserte nominatur hodie in Prologo Serbico ms. bibl. Vindobonensis. Sirletus : *Commemoratio sancti patris nostri Macarii Romani.* Vide dicta ad 19 Jan. et in Menæis Græcis excusis, ubi prolixa additur narratio. — Recole quæ de Jacobo dicta sunt in Acta SS., Oct. IX, p. 6, inter prætermissos, et pag. 918. Anno 1858 translatus est in novam tumbam eximie elaboratam.

SS. septem pueri Ephesi.

S. Ignatius, patr. CP.

S. Joseph.

S Nicephorus.

SS. Theodota et Socrates.

Macarius Romanus.

Jacobus Borovicensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Elisæus, heg. Laurašensis. ELISÆUS, Lithuania nobilissimo genere oriundus, floruit sæc. XIII. Plurimæ, qua apud Mendogvum, magnum ducem Lithuaniæ, pollebat, auctoritati majorem virtutum splendorem sociavit. Solitariæ vitæ cupidus, relicta aula, secessit in locum Lauraševo dictum; qui propter paludes desertissimus est, licet a Novogrodeco non longe distet. Ibi dum versaretur, a monacho

cho quodam Basiliano repertus et regulam hujus ordinis edoctus, id vitæ institutum dein amplexus est. Postmodum pluribus aliis sociis advenientibus, ecclesiam excitavit circa annum 1255 et monasterium erexit quod et gubernavit. Porro cum id plures annos summa omnium laude administrasset, seque in omnium virtutum genere exercuisset, a quodam juvene dæmoniaco interfectus est die 23 octobris, tempore nocturno. Miraculis statim post obitum inclarescere cœpisse traditur. Etenim simulac prædictus juvenis defuncti præsulis corpus exanime tetigit, illico a dæmone liberatus est. Præterea multa alia miracula patrasse legitur servus Dei; quem idcirco synodus provincialis, a Josepho Soltano, metropolita Kioviensi catholico, coacta anno 1514, beatorum catalogo adnumeravit; Rutheni vero, cum romana sede uniti, die 23 Octobris etiamnum publico cultu honorant.

Cfr 1) Stebelscius, part. I, pag. 168. 2) Kojalović, Miscellanea.

DIES XXIV.

Ex Ostromirano. Memoria S. Procli, episc. CPolitani (*Bas. CP. Maz. Mg. Med.*). Et S. mart. Arethæ (*Mst. Rum. Tern. Par. Siš. Hor. Kal. Men. et alii cum Bas. CP. GP. Neap. etc.*).

Ex variis. S. Syncliticæ, mart. et soc. (*Men. Kal. Prol.*). S. Elesboæ, regis Æthiopum (*Men. Kal. Prol.*). S. Arethæ, Kievo-Cryptensis (*Pat. Kal. Men.*), Athanasii (*Eph. Kal. Anth. Euch. Serb.*). Festum Iconis B. M. Omnium afflictorum Consolatricis (*Kal.*).

† Sebastianæ, virg. et mart. (*Mg.*). † Matris cujusdam et filiæ, mart. (*Sirm. Maz. Mg.*). † MM. Marci, Soterichi et Valentinæ (*Med. Maz. Sirm. Men.*). † Glyceriæ, mart. (*Med. Sirm. Maz.*). † Nicephori, mon. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Proclus, patr. CP. S. Proclus refertur in Bas., CP. et GP.; at in cæteris Slavicis refertur xx Nov. Videsis Acta SS., tom IX Oct., ubi reperies ejus Vitam commentario prævio instructam. — In Prologo Rum. sæc. xiii numerantur socii 4253; in excuso 4299; in Sišatov. 4000. De hoc numero, deque omnibus ad S. Aretham spectantibus plane, ut de SS. Synclitica et Elesboa, rege, eruditam tractationem exaravit in Act. SS., tom. IX Oct., R. P. Carpentier; quam ideo consulat curiosior lector. Cæterum, nihil peculiare dicendum hic occurrit, nisi quod Vita et passio ejus, quæ in Menæis Slavicis Metaphrastæ tribuuntur, novis curis edenda foret, juxta textum Græcum in Actis SS. nuper editum (Oct. tom. X, pag. 721 et seq.) Si picturam consideres, nihil in ea observatum reperies ex eis quæ præscribuntur in *Regula* pictorum, sola excepta cruce, quam dextera tenet sanctus martyr. Debuisset nempe apparere vestitu militari, non secus ac pingitur S. Demetrius ad diem 26 Octobris; in tabula vero simillimus representatur S. Longino, qui in loculo superiore, die xvi cernitur. —

S. Arethas.

B. Arethas, mon. Kioviensis. Habetur quoque in eodem volumine Actorum tractatus de Aretha, monacho Pečerensi, cui accedit disquisitio de Paterico Kioviensi, toties jam hic citato et sæpius in posterum citando. — Agi de

Athanasius, patr. CP. Athanasio, patriarcha CPolitano, manifestum fit ex variis monumentis liturgicis hujus diei. Nam in Kal. Mosquensi, anno 1818 ed. et Serbico, quod anno 1853 Budæ prodiit expresse signatur ad diem præsentem his verbis : *Athanasii, patr. CP., qui vixit anno* (lege circa annum) 351. Item in Anthologio quo usus est Kulčinius, qui pro anno 351 posuit annum 362. In utroque volumine confunditur Athanasius CPolitanus cum Alexandrino, ut liquet. At, quod valde miror, Kulčinii error regeritur totidem verbis in Horologio Ruthenorum Unitorum Leopolitano, edito anno 1801, et in Premysliensi, anni 1861. In Paterico Montis Atho signanter ponitur Athanasius, patr. CP., ad diem xxviii Oct., ubi et Vita ejus sat fuse enarratur. Patriarcham quoque indicat tabula. Exhibetur enim ibidem, aiunt Bollandiani, non veste metropolitica indutus, ut vult Papebrochius, sed potius patriarchali, ut recte observaverat Assemanus. Vestis enim ista (de mitra potissime loquor), prorsus eadem est ac quacum ibidem picti sunt ad diem 18 Januarii S. Cyrillus, ad 25 Novembris S. Petrus, ambo patriarchæ Alexandrini. Verum ad 26 Augusti exhibetur Mosquensis metropolita eadem mitra redimitus. Itaque ex hoc capite certo definiri non potest, utrum patriarcha repræsentetur an metropolita. Maxime cum videamus S. Abercium, ad 22 Octobris, eadem mitra ornatum, licet simplex episcopus fuerit. Igitur ex alio capite quæstio dirimenda est. Assemanus conjicit cubare hic errorem, et Athanasium substitutum esse Proclo, patr. CP., cujus mentio fit hodie tum in Menologio Basilii, tum apud Latinos. Hanc sententiam jam pridem conceperat Papebrochius, et calculo suo probat collector Bollandianus, hac de re agens in Prætermissis ad diem xxiv Octobris, tomo X. Ego tamen assentire huic conjecturæ repugno, imprimis ex eo quod Procli memoria celebretur apud Slavos die xx Novembris, et nulla mentio fiat ad hanc diem. Præterea, verisimilius substituendus fuisset Athanasio non Proclus, sed Ignatius, patr. CP., celeberrimus, utpote qui die xxiii in Synaxariis Slavicis ponitur æque ac in Græcis, et similem nominis terminationem habet cum Athanasio. Sed potissima ratio est sequens : Athanasii, patriarchæ CP., memoria expresse refertur in aliquot Synaxariis sive ad hanc diem, sive ad xxviii Octobris unde facile potuit detrudi ad diem præsentem. Maxime cum die xxvi Oct. ab omnibus synaxaristis commemoretur alius Athanasius, mon. et confessor, qui floruit sæc. ix, et similis confusionis aut translationis exemplum habeamus in Abramio, de quo erit sermo modo. Ad xxviii signanter ponitur in Paterico Montis Atho, quod ego præ manibus habeo, et præterea in libro cui titulus : νεὸς παράδεισος, unde depromptus fuerat ab editore Paterici, russo. Ibidem fuse narratur ejusdam patriarchæ vita, quam in serie chronologica Patr. CPolitanorum jam pridem, adumbraverant Bollandiani socii, initio mensis Augusti. Nimirum agitur utrobique de Athanasio, qui Georgio Cyprio in cathedra CP. successerat anno 1289, mense Octobri. Plura habentur in Actis SS., loco supra laudato, pag. 169 et seq., ex quibus nulla apparet Athanasii sanctitas, nullus ecclesiasticus cultus. Hanc sane ob causam prorsus omittere eum in Menologio suo maluit Veršinskius, quam certis dubia miscere. Secus egerunt Rutheni catholici, ut patet ex eorum libris liturgicis. Liceat mihi in memoriam lectoris revocare mordacem apologum, quo Athanasium propter nimiam severitatem depositum, et intempestivum erga eum studium imperatoris, a quo fuit

Dies XXV Octobris.

fuit sedi restitutus, perstrinxit patriarcha Alexandrinus. *Erat*, inquit, *sutor quidam, qui felem albam habebat, unum quotidie murem domi capere solitam; quæ aliquando per imprudentiam in medium vas incidit, in quo sutor ille atramentum habebat, tingendis coriis destinatum; unde et vix eluctata, tota nigra evasit. Ac mures quidem opinabantur, eam, monastico habitu sumpto, mutatam, non commissuram esse deinceps, ut carnibus vesceretur. Itaque metu posito, per pavimentum dispersi, odorari et vestigare cœperunt ea, quibus alerentur. Illa vero cum prodiisset, et tantam prædam oculis suis obversari vidisset, omnes simul comprehendere admodum cupiens, haudquaquam poterat; attamen duobus comprehensis epulata est. Reliqui omnes fuga salutem quæsiverunt, admirantes quo pacto, sumpto monastico habitu, crudelior evasisset. Vereor igitur, addidit patriarcha Alexandrinus, ne et Athanasius hic, prædictionum præmium sedem patriarchicam jam nunc consecutus, priorem illam asperitatem posteriore multo majore deleat, sumpta inde superbia elatus.* Veram hujus fabulæ significationem docuit eventus, teste Pachymere, t. II, l. VII, c. 23. Hinc intelligitur, cur ne suspicati quidem sint Bollandiani sanctitatem talis viri, et nullum verbum de cultu ipsius dixerint. Obiit Athanasius die 28 oct., centenarius senex.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

B. Arethas, mon. Cryptensis.

Vixit Arethas, Polocia oriundus, in cœnobio Kievocryptensi, sub annum 1185, commilitonem habens Simonem, qui postea Suzdaliensis et Vladimiriensis episcopus creatus, laudabilem immutationen venerandi sui socii scripto commendavit. Antea scilicet bonis suis incubabat nimium Arethas; quare permisit Deus ut ea sibi eriperentur a latronibus. Quod cum ægerrime ferret, ipsosque fratres suos ea de re pessime haberet, in gravem delapsus morbum, audire sibi visus est angelos et dæmones de pecunia illa disserentes. Quibus sermonibus absolutis, exclamavit infirmus : Miserere Domine! parce Domine! Tua sunt omnia! Bonorum jacturam amplius non doleo. Atque exinde ad meliora conversus, speculum pœnitentiæ, paupertatis, obedientiæ, pietatis et castitatis factus est. Sepultus fuit in Crypta Antonii, ejusque festum agitur hoc die propter cognominem S. Aretham, martyrem in Arabia.

Cfr Acta Sanctorum ad 24 Oct.

Joannes Pscovensis.

Paucissima dicere habemus de Joanne. Degisse traditur in oppidi muro inclusus, viginti duo annos, solis piscibus victitasse, atque obiisse anno 1616, die vigesima quarta octobris, dum Sueci civitatem Pscovensem oppugnarent, duce Gustavo Adolpho.

Cfr 1) Historia ducatus Pscov., tom. III, pag. 80. 2) Dict. hag. pag., 135.

B. M. Virgo, consolatrix omnium afflictorum.

Festum beatæ Mariæ Virginis afflictorum consolatricis, quod die vigesima quarta Octobris quotannis celebratur, institutum est anno 1688, in memoriam miraculosæ sanationis quam Mosquæ a beatissima Virgine impetraverat patriarchæ Joachimi soror Euthymia, gravissimo morbo et diuturno laborans. Narratur nimirum infirma audivisse vocem qua jubebatur iconem beatæ Mariæ Virginis, quæ sub titulo Afflictorum lætitiæ in ecclesia Transfigurationis servabatur, venerari; quam cum sibi afferri curasset Euthymia, precesque solitas coram ea persolvisset, illico sanitatem recuperasse.

Cfr 1) Gloria B. M. V., t. III, part. III, pag. 65. 2) Menolog. Vers. ad h. d.

DIES XXV.

Ex Ostromirano.

Passio SS. martyrum Marciani et Martyrii, notariorum et soc. (*Ita pene omnes cum Bas. CP. GP. Hier. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*).

Ex variis.

S. Pauli, confes. (*Ass.*). S. Nestoris, mart. Thessalonicæ (*Ass. Men. Siš. cum Med.*). S. Vari, mart. et 7 soc. (*Ass. cum Bas. Maz. Med.*). S. Anastasii, martyris (*Prol. Menol. Kal. cum Mg.*). Sabbato qui præcedit diem 26, commemoratio omnium in bello occisorum. S. Abraami (*Pp. ms.*).

† MM. Chrysanthi et Dariæ (*Neap.*). † Valerini, mr. (*Mg.*). † Sabini, mr. (*Mg.*). † MM. Valerii et Chrysaphi (*Sirm. Mg. Med.*). † Tabithæ seu Dorcæ (*Sirm. Maz. Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Marcianus et Martyrius.

Non germana est annuntiatio de SS. Marciano et Martyrio, notariis S. Pauli conf., patr. CP., initio diei relata; nam in Ostr. legitur ita : *Passio SS. martyrum Marciani et Marturii* (in Rum. male *Manturius*). *Et sancti Nutarii;* ubi errore manifesto notarii dignitas in personam mutata est a Gregorio, diacono, cum nemo unquam audiverit sanctum, Nutarii nomine insignitum. Clar. Kopitarius, qui Kalendarium Ostromiranum in suo Glagolita Cloziano Slovenice et Latine publici juris fecit, mendo mendum substituit; nempe pro *Nutarii* legit *Cutarii;* quin et sequentem subdit interrogationem : *quid*, ait, *si hic Cutarius exstiterit e notariis Kal. Basiliani?* Verum meminisse debuit vir alioquin mihi admodum colendus, Gregorium, diaconum, qui codicem Ostromiranum exaraverat, frequenter in referendis Græcorum nominibus fœdeque errasse. Id abunde testatum faciunt sphalmata vel soli mensi Maio impacta, quibus hic retractandis supersedeo. Recolantur quæ hanc in rem adnotata sunt ad dies Maii 2, 4, 6, 11 et 21. —

S. Nestor.

Nestor, martyr, refertur in Bas. die sequenti; in aliis ad 27. —

Memoria in bello occisorum.

Sabbatina occisorum commemoratio prima vice locum obtinuit anno 1380, post celeberrimam victoriam de Mongolis a Demetrio Tanaico reportatam. — In cod. Assemaniano habetur : *Varus, martyr, et septem socii.* Hæc clausula forte deprompta est ex Bas. Menologio. —

SS. Varus et soc.

S. Abramius.

Abramius translatus est huc ex die XXIX qui ei proprius est, utpote quo cessit e vivis.

DIES XXVI.

Dies XXVI et XXVII Octobris.

DIES XXVI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Passio S. Demetrii (*Ita omnes*). Et Basilii et Artemidori (*cum Med. Sirm. Maz. Mg.*). Commemoratio terræ motus (*Tern. Par. Prol. Hor. et Hier cum Bas. CP. Nan. Msq. Pg. Med.*). S. Athanasii, Midicensis (*Menol. Kal.*). [Joasaphi, mon. Athonitæ (*Ath.*).]

† MM. Marci, Soterichi et Valentinæ (*Bas.*). † Nestoris, mr. (*Bas. Sirm. Med.*). † Glyconis, mr. (*Mg. Sirm. Med.*). † Leptinæ, mr. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Demetrius mart.

Celeberrimum hunc Thessalonicæ martyrem, Demetrium, certatim referunt omnia Kalendaria Græca et Slavica, variisque eum titulis exornant. In Mst. nuncupatur megalomartyr; in Horologio Počajov. præfert titulum myrobletæ; thaumaturgus denique prædicatur in Menæis Græcis. At in Ostr. simplicius ita : *Sancti Demetrii*, præmissa nota *passionis*, quæ exstat etiam in Mst. et Rum.; cujus loco in Neap. lapide insculptum est *Natale*. In officio die duplex exstat canon, auctoribus Theophane et Georgio. — S. Demetrio in Ostrom. adduntur SS. Basilius et Artemidorus, quos nuspiam legi in Slavicis aut Græcis codd. ait Cap. Nevostrujev, in adnotationibus ad Kalend. Ostromiranum; verum uterque inscriptus est in Menæis Græcis, accedente disticho, ut taceam Menæa

SS. Artemidorus et Basilius.

S. Athanasius Midicensis.

mss. Sirmundi, Mazarini, Mediolanensia. — In Hier. et Nan. S. Artemidorus refertur insuper die sequenti cum S. Nestore. — S. Athanasii Midicensis Vitam quæsivi frustra in Menologio Mosquensi; at multus de eo sermo fit ad 3 Aprilis, quo narrantur gesta S. Nicetæ ejusdem monasterii alumni, quocum pro cultu imaginum strenue certavit. Norunt viri eruditi, miraculosam historiam cypressi quæ super demortui tumulo efflоruisse perhibetur. Hinc prædicatum *in arbore*, quod tribuitur S. Athanasio in Triptycho CPolitano, initio Maii Act. SS. excuso, Midicensi non male convenire videtur. — Facta memoriæ Terræ motus, in Horol. Počaj, additur: *qui fuit in regia urbe* (CPoli), *anno* 758, *Leonis et Sauri* (lege *Isauri*) *vigesimo quarto*. In Menæis Græcorum excusis indicatur annus 740; et insuper adnotatur hymnos, ad terræ motum spectantes, aut falso tribui S. Simeoni Thaumastoritæ, qui 140 annos ante vixerat, aut alii cuidam sancto Simeoni esse tribuendos. — Quando agebatur de Niphonte, patriarcha CPolitano, hujus nominis secundo, quem monachi Montis Atho æque ac Valachi inter sanctos suos collocant, dictum fuit, duos ei fuisse discipulos, qui vitam suam cruenta morte, ne dicam martyrio, consummarunt. Horum alterum Macarium retuli ex Paterico Athonico ad 14 Septembris, et nunc ex eodem propono Joasaphum. De quo hæc pauca traduntur : Mortuo nempe Niphonte, navigasse Constantinopolim, ibique, confesso nomine Christi, a Turcis comprehensum et capite truncatum fuisse. Hæc dum scribebat Paterici concinnator Russus, præ oculis habuit librum, cui titulus Νεὸν μαρτυρολόγιον; in quo similium certatorum gesta et mortes enarrantur. Eo sæpe jam usi sumus.

Terræ motus.

Joasaphus Athonites.

DIES XXVII.

Ex Ostromirano.

Passio SS. mart. Capitolinæ et Erotidis, ancillæ ejus, sub Dioclet., imperatore (*Prol. Menol. Hor. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Sirl. Med.*). Eodem die archang. Michaelis in promotio.

Ex variis.

S. Nestoris, mart. (*Chil. Rum. Prol. Tern. Par. Zogr. Hor. Kal. Men. etc. cum Hieros. GP. Nan. Vind. Pg. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*). Depositio capitis S. Joannis Prodromi (*Mst.*). SS. mart. Marci, Soterichi et Valentinæ (*Siš. Prol. Menol. Kal.*). S. Nestoris, annalistæ et mon. Cryptensis (*Kal. Menol, Verš.*). Inventio corporis Andreæ, principis Smolenscensis (*Kalend.*). Demetrii Bassarabi, mart. (*Val.*). S. Ninæ (*Prol.*).

† Artemidori, mr. (*Hier. Flor.*). † Gaudiosi, ep. Neap. (*Neap.*). † Cyriaci, patr. CPolitani (*Maz. Mg.*). † Antonii Junioris, thaum. Pelopon. (*Med.*). † Febroniæ, thaum., filiæ Heraclii, imper. (*Sirm.*). † Proclæ, uxoris Pilati (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Capitolina.
S. Erotis.
S. Michael.

S. Capitolina refertur in Mst., Siš. Prologo, et aliis, præcedente Bas. — In Ostrom. S. Herotis male vocatur Perotis. — In eodem habetur : *Et S. Michaelis, archangeli, in Probato* (slavice : *v ovčei*). *Probatum* nullibi invenitur, nec in Græcis nec in Slavicis Synaxariis. Procul dubio intelligenda est ecclesia sancti archangeli in suburbio CPolitano εἰς τα προμότου dicta; de qua plura habet Cangius, pag. 187, CPoleos Christianæ. Memoratur quoque in Menæis Græcis ad xxix Julii *Dedicatio ecclesiæ S. Deiparæ prope Promotum* (πλησίον τοῦ προμότου), testibus Bollandianis in Prætermissis ad hanc diem, ubi corruptam lectionem codicis manuscripti (προμόντου) recte emendarunt. Quemadmodum itaque Græcus scriba male expresserat nomen suburbii CPolitani; ita longe pronius fuit errare homini russo, et ex προμότου facere προσάτου, una alterave littera mutata. Recole quæ dicta sunt ad diem xxix Julii. — In Nan. Nestori additur Artemidorus. — In Siš. legitur : Marci, Sotirichi, *Juletinæ*, (lege : Valentinæ); in Basiliano referuntur die præcedenti. — De Nestore, annalista, et Andrea plura docebunt Memoriæ Slavicæ. — Demetrii Bessarabæ Vitam hactenus desideravi frustra; scio tamen pro certoeum in Kalend. Valachorum esse inscriptum ad hunc diem. — In Prologo, et in Menæis Græcorum excusis ad calcem hujus diei narratur, ex Rufino, conversio gentis Iberæ ad fidem ope cujusdam græcæ mulieris, puta S. Ninæ; de qua copiose actum ad 14 Januarii.

SS. Marcus et soc.
Nestor annalista.
S. Demetrius Bassaraba.
S. Nina.

S. Nestor, mon. Cryptensis et annalista.

Celeberrimus historiæ Russiæ parens lucem aspexit medio sæculo duodecimo, oppido Belozerensi seu Lacu-Albo oriundus. Dum juvenis annorum septemdecim esset, S. Theodosio Cryptensi socium se adjunxit. Non tamen ab eo, sed a Stephano, qui Theodosio in hegumenatus

Dies XXVIII Octobris.

natus munere successerat, ad monasticam vitam receptus fuit, et mox, præter morem, ad diaconatum gressum fecit. Sacras Theodosii exuvias, qui anno 1074 e vivis decesserat, sese invenisse testatur ipse in Chronico. Illud quoque pro certo statui potest, fuisse nempe Nestorem non litteris modo, sed et virtutibus insignem, utpote unum ex iis, quorum precibus Athanasius, monachus, a tentatione gravissima fuerat liberatus. Obiit anno 1115, ætatis suæ 60, postquam quadraginta annos fere integros in religione fuerat emensus. Corpus ejus in cryptis Antonii conditum, dein argenteæ tumbæ inclusum est. Interea nominis fama quaquaversus propagata est. Etenim præter Chronicon illud celeberrimum, quod ad annum 1110 deduxerat, et alii dein continuarunt, duas alias lucubrationes fecit Nestor, memoria minime indignas. Quarum altera martyrium Sanctorum principum Borisi et Glebi enarrat; altera, ætate posterior, S. Theodosii Kievo-Cryptensis vitam et gesta. In hac etiam, ubi se dat occasio, plurium aliorum patrum Cryptensium vitæ breviores proponuntur, Antonii scilicet, Stephani, Niconis et Barlaami hegunorum, Ephræmi, ex monacho episcopi Perejaslaviensis, Isaiæ, deinceps præsulis Rostoviensis, et denique Damiani presbyteri, Jeremiæ et Matthæi Providorum, Erasmi et Isaiæ. Quorum omnium res gestæ cum testimoniis de prima monachorum Kioviensium vivendi ratione et cum monasterii descriptione, in prima parte Paterici Cryptensis hodie leguntur. Nestorem itaque non chronographum tantum, eumque sane præstantissimum, sed et hagiographum, inter suos facile primum, salutare licet. De quo, si quis prolixiori calamo, et quem admodum rei gravitas exigit, accuratius tractare vellet, sequentes fontes præcipuos adeat necesse est.

Cfr. 1) Annal. Coll. t. 1, ed. Acad. 2) Nestoris annales, ed. Miclosich. 3) Nestor, auct. Pogodino. 4) Idem, auctore Schlözero. 5) Dict. hag. pag. 175, ed. 1862. 6) Dict. Script. Eccles., auctore Eugenio, met. 7) Karamzin, Histor. imp. Russ. t. 1. 8) Philaretus, Conspectus lit. Eccl. n° 19. 9) Ejusdem, Historia Eccl. Russ. t. 1, pag. 41. 10) Kubarev, in Collectan. Pogodini, t. IV, p. 400. 11) Suhomlinov, De Chronico Nestoris, in Učen-zapiski, t. III. 12) Macarius, Hist. Eccl. Russ. t. II, pag. 124.

Translatio corporis Andreæ, Perejaslaviensis.

De hoc viro, e nobilissima principum Smolenscensium prosapie orto, illud unice noscitur, nempe, natali urbi mundoque valedicto, ut fratrum dissidia declinaret, Perejaslaviam Transylvanam, peregrini habitu, abiisse; ibique per annos triginta sacristæ munere defunctum in ecclesia S. Nicolai, in eadem fuisse sepultum. Testatur id catena aurea, annulusque ducalis, nec non et scriptio quædam, brevem Andreæ vitam exhibens. Quæ omnia simul cum corpore incorrupto invenit Daniel, hegumenus Perejaslavensis, anno 1539, die 27 octobris. Floruisse videtur Andreas sæculo duodecimo.

Cfr. 1) Dict. hag. pag. 27. 2) Hist. hier. Russ. t. IV. 3) Menol. Verš. ad h. d. 4) Pogodin, Disquisitionum t. VI, pag. 127, n° 111.

DIES XXVIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria vener. Abramii et sociorum ejus septuaginta trium (*Siš.*).

SS. MM. Africani, Terentii, Maximi, Pompeii et soc. triginta sex (*Prol. cum Sirl. Mg.*). SS. mart. Terentii, Neonillæ et liberorum (*Mst. Par. Zogr. Prol. Tern. Chil. Menol. Horol. Leop. Kal. cum Hier. Vind. Pg. Flor. Maz. Mg.*). S. Stephani Sabaitæ (*Horol. Chil. Cap. Ps. Leop. Kal. cum Mg. Sirm.*). SS. MM. Stephani Junioris, Petri et Andreæ (*Hier. GP. Flor. Nan.*). S. Parasceviæ, Iconiensis, megalomart. (*Rum. Og. Prol. Kal. Hor. Men. Leop.*). S. Parasceviæ, heg. Polocensis (*Eph.*). S. Cyriaci (*Rum. Menol. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Mg.*). S. Arsenii, archiep. Serbiæ (*Ps. Chil. Euch. Serb. Kal.*). [Athanasii, patr. CP. (*Ath.*).] S. Joannis Chozebitæ (*Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Sirl. Maz. Med. Mg.*). S. Neophyti, ep. Urbnissii (*Iber.*). Demetrii, Rostov. metr. (*Hag.*)

† Matris S. Cyriaci (*Mg.*). † Diomedis, mr. Leucopoli (*Neap. Med. Sirm. Maz.*). † Cosmæ et Damiani, et trium fratrum (*Goth. Msq. Sirl. Mg.*). † Annæ Junioris, mr. (*Sirm.*). † Firmiliani, ep. Cæsareæ, et Melchionis, presb. Antiocheni (*Mg. Sirm. Maz. Sirl. Med.*). † Domnini, mr. Thessalonicæ (*Sirm.*). † Dedicatio ecclesiæ S. Romani (*Maz.*). † Febroniæ, filiæ Heraclii imper. (*Sirl. Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Abramius et soc.

Hactenus, ait Nevostrujev, inventus est hic martyr in uno tantum Synaxario et uno Prologo Græco; attamen non ad præsentem diem, sed ad 31 Octobris. Alius Abramius occurret modo. —

SS. Terentius et Neonilla.

Terentius et Neonilla passi sunt cum septem filiis, Sarbilo, Photo, Theodulo, Hiera, Nicete seu Nita, Bela et Eunica, qui omnes nominantur in Menæis et in Horologio. In ms. græco bibl. Paris., n° 19 suppl. dicuntur passi esse in Africa sub Decio, imperatore, et Fortunato, præfecto. —

S. Cyriacus.

Consulendi sunt omnino operis Bollandiani continuatores de S. Cyriaco seu Juda, Solymorum episcopo, ad 4 Maii, pag. 439 et seq., ubi habentur etiam acta ejus apocrypha et variis figmentis plena. —

S. Arsenius, archiep. Serbiæ.

Est Arsenius I, archiepiscopus Serbiæ, ab ipsomet S. Saba in successorem delectus; de quo dicetur fusius in Memoriis. —

S Stephanus uterque.

Utrumque S. Stephanum, Sabaitam nempe et Juniorem, referri hoc eodem die in Kalendariis, extra omne dubium est. De Sabaita nulla movetur difficultas: in Sirm. diserte nominatur nepos seu consobrinus S. Joannis Damasceni; in Menæis præter titulum Sabaitæ præfert etiam cognomentum hymnographi, quo utroque insigniri solet in Kalendariis Græcis et Slavicis sequioris ævi. Vocatur insuper discipulus S. Sabæ, estque, juxta Assemanum, idem prorsus ac ille, de quo Menæa agunt ad 13 Julii. Fallitur tamen vir doctissimus, putans nullam hodie fieri mentionem S. Sabæ Junioris, propter sacras imagines sub iconomachis passi; siquidem non minus aperte indicatur in cod. Hier., uti ex titulo martyris et sociis Petro et Andrea manifestissime patet. Imo in cod. Naniano pressius habetur: *S. Stephani Junioris et soc.*, non secus scilicet quam annuntiantur vulgo ad 28 Novembris, qui dies est ejus proprius. Videsis Act. SS. ad 13 Julii in commentario prævio, et Oct. tom. VIII, pag. 131, n° 24. —

S. Parascevia.

S. Parasceviæ seu Praxedis, hegumenæ Polocensis, memini ad 23 Maii, quando agebatur de S. Euphrosyna, monasterii Salvatoris prope Polociam fundatrice et abbatissa. Hic, ut promissis stem, quædam

quædam enucleatius proponenda sunt, quo omnis scrupulus Josepho Assemano adimatur, an Parascevia Polocensis reapse in rerum natura exstiterit subdubitanti. Sic enim, ad diem 13 Maii, suas de S. Euphrosyne observationes concludit : *Quid etiam?* ait, *si Polocensium ducis Basilii filia Parascevia seu Praxedes, una eademque fuerit cum Euphrosyna? mutato scilicet nomine, tum, quum objectis mundi pompis facta est sanctimonialis in monasterio S. Salvatoris* et reliqua (Kal., tom. VI, pag. 372). Alibi, ad 28 nempe Octobris, pag. 323, de S. Parascevia agens, quæ in Tabulis Græco-Moscis repræsentatur, cum corona seu mitra in capite, Iconiensem martyrem potius, quam Polocensem abbatissam pictam esse arbitratur, quod de illa, non de Polocensi, legatur eo die apud Ruthenos Synaxarium. Plura hic animadvertenda sunt, ut verum a falso sejungatur. Et primo quidem, quæ de identitate SS. Euphrosynæ et Parasceviæ protulit vir doctissimus, omni prorsus fundamento carent; siquidem Kojalovicius, Kulčinius et Stebelscius, testes sane fidei dignissimi, eas diversas fuisse aperte testantur. Nec multum movet me fortissimum Assemani argumentum, ex Chronologia petitum, quod ille his verbis proposuit : *Quo pacto*, ait, *stare possit, quod Kojalovicius de S. Parascevia dicit, eam ob incursionem Tartarorum, sacram suscepisse peregrinationem, qua intra septem annos absoluta, Romæ tandem sancte quievisse die* 12 *Nov. anno* 1239, *non video; præsertim, quum Tartarorum in Russiam incursio non annum* 1237 *antecesserit, ac proinde illa septem annorum suscepta post Tartaricam incursionem peregrinatio usque ad obitum Parasceviæ, qui anno* 1239 *die* 12 *Nov. contigerit, manifestam involvit repugnantiam?* Nodi solutionem accipe. Tartarorum incursio prima contigit anno 1236, licet solis orientalibus Russiæ partibus noxia; orientales invasit barbara gens non ante annum 1340; jamvero potuit Parascevia, solis rumoribus permota, Polociam relinquere, adeoque antequam reapse invasio ingrueret. Tandem chronologia in libris Slavorum liturgicis adeo claudicat, ut parum inde emolumenti quis colligere possit ad probandum aliquid aut improbandum, nisi aliis certioribus historiæ testimoniis innitatur. Præsertim, quum totius octennii differentia intercedat apud chronologos russos : siquidem alii creationem mundi referant ad annum 5508 ante Christum natum, aliis vero præplaceat annus 5500. Quod autem in Prologo Slavonico legitur hodie Synaxarium S. Parasceviæ martyris Iconiensis, id quoque parum me moveret, nisi aliunde constaret, hanc potius, quam Polocensem ibidem esse adpictam. Scilicet cum nulla exstet imago martyris Iconiensis nec ad diem 25, nec ad 26 Julii, quando alia Parascevia colitur a Græcis et Slavis; necesse est, ut quæ ad 28 Octobris repræsentatur, non Polocensis sit, sed Iconiensis, quam nullo pacto silentio prætexere fas erat pictori Mosquensi. Sed etiamsi hoc concedatur, ut concedi potest, minime inde probatur, Parasceviam aut nunquam exstitisse, aut Romam non peregrinatam esse. Cæterum, confusionem quamdam cubare in Actis S. Parasceviæ Polocensis, non diffiteor, atque ut plena vitæ et examinis pro canonisatione instituti Acta alicunde eruantur, cum Papebrochio vehementer exopto; præsertim cum in Russorum libris liturgicis aut hagiologicis ne levissimum sanctæ hujus hegumenæ vestigium hactenus reperire potuerim. In recentioribus enim Kalendariis ad 28 Octobris refertur sola Parascevia Iconiensis, virgo et megalomartyr; uti Parascevia Ternobiensis ad 14 Octobris; quarta, quæ sub Antonino passa est, ad 25 aut 26 Julii, quinta denique, martyr Romana, tempore Neronis passa, ad 20 Martii, simul cum S. Photinia, Samaritana. — S. Neophytum, episcopum Urbnissii, in Iberia, et martyrem, hoc die coli in Ecclesia Iberorum, auctor est Bessarion, Iberiæ exarcha, in suo Martyrologio. A quo præterea docemur, floruisse Neophytum sæculo septimo, tempestate scilicet perquam nefasta, quippe qua feracissimas quasque Iberiæ regiones igne ferroque vastarent Saraceni, Achmete duce; atque initio quidem adorasse ignem ac Achmetis exercitui præpositum fuisse; dein autem, abdicato hoc munere solutoque cingulo, christianæ militiæ primum, tum etiam monasticæ nomen dedisse una cum duobus sociis, qui Christophorus et Christodulus a baptismo audierunt. Et quidem religiosum institutum amplexus est Neophytus, antea Omar vocatus, in eodem monasterio, a quo expugnando visu quodam cælesti olim prohibitus fuisse narratur, quodque in monte excelso ad fluvium Kurum situm adhuc exstat, sancti Chio Mgvimensis nomine clarum. Postquam autem plures annos perquam laudabiliter exegisset, ad sedem Urbnissensem assumptus est a Samuele, totius Iberiæ primate. Quam dum occuparet, zelum in convertendis popularibus suis exeruit tantum, ut a gente ignicola ad mortem, propterea expeteretur. Tandem comprehensus, in carcere aliquandiu detinetur; mox vero inde eductus post verbera accepta lapidibus obruitur, die octobris vigesimo octavo; quo idcirco veluti martyr colitur quotannis. Sacrum ejus corpus in monasterium Chio-Mgvimense delatum et in ecclesia Assumptionis sub altari positum, etiamnum ibidem asservari perhibetur. Atque hæc summatim ex Bessarione, citato apud Muravievium; qui illud etiam addit, alterum Neophyti socium, Christophorum, postquam monachis Mgvimensibus seu, quod idem est, Cryptensibus, præfuisset, in provectissima obiisse senectute annos nempe centum quadraginta quinque natum : quod pene inauditum est.

Dies XXVIII Octobris.

S. Neophytus Urbnissensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Parasceve hegumena Polocensis.

Parasceve, quæ et Praxedes, Rogvolodi ducis Polocensis filia, ab infantia in omnem pietatem propensa, cum ad evangelicam perfectionem divinitus vocaretur, spretis aulæ deliciis, omnibusque hæreditatis juribus in favorem fratris sui ultro abdicatis, institutum S. Basilii, ritus slavici, amplexa est, in monasterio SS. Salvatoris Transfigurati, prope Polociam a S. Euphrosyne olim fundato. Septem annos transegit ibidem Parasceve, eximia virtutum religiosarum præbens documenta; quare a sororibus in magistram electa est totique monasterio præposita; quæ ægerrime tulit. Dum vero hegumenæ munere summa omnium satisfactione fungeretur, certa venerunt nuntia de imminente ferocium Tartarorum invasione. Quam ut effugeret, religiosum cœtum dissolvit Parasceve; et patriæ valedicto, Romanam instituit peregrinationem, SS. Apostolorum limina veneratura. Septennio in urbe sancta sancte peracto, in febrim incidit lethalem, omnibusque Ecclesiæ sacramentis eximia pietate susceptis, in cælestem patriam perrexit, anno a partu Virginis 1239, die novembris duodecima. Nec multo post miraculis inclaruit religiosa virgo. Quibus accurate examinatis et probatis, a Gregorio X, summo pontifice, in sanctorum album relata est anno 1273, atque

DIES XXIX OCTOBRIS.

que in singularem regni patronam a Lithuanis assumpta. Colitur autem ab eisdem ritu solemni die Octobris 20, in canonisationis ejus, ut videtur, anniversariam memoriam.

Cfr. 1) Stebelski, Dwa swiatla etc., hoc est, Duo luminaria, t. I, pag. 141-221. 2) Kojalovicius, Miscellanea, cap. de SS. Lithuan. patronis. 3) Kulčinius, Specimen, pag. 55. 4) Assemanus, Kalend. tom. V. pag. 322; t. VI, pag. 368 et seq.

Arsenius I, archiep. Serbiæ.

Arsenius, archiepiscopus Serbiæ, hujus nominis primus, Sirmio ex parentibus christianis ortum traxit. Spreto mundo, monachus factus est in monasterio Zidicensi, ubi tum morabatur S. Sabas, archiepiscopus. A quo varie diuque probatus, in ecclesiarcham primum, dein in totius ecclesiæ præsulem invitus eligitur, et coram rege Radoslao archiepiscopus ordinatur anno 1221, quoniam ipse Sabas iter Jerosolymitanum jamjam initurus erat. Decessoris sui et magistri vestigia premens Arsenius, in pascendo grege curæ suæ commisso strenue laboravit, errantes ad pœnitentiam vocans, rebellium vero corda veritatis verbo, veluti gladio utrinque acuto, percutiens. S. Sabæ unionem cum Romano pontifice luculenter statuimus suo loco. Jamvero sanctum Arsenium quoque, quem vivens Sabas in cathedram Pechiensem successorem provexit ordinavitque, pari sanctitatis et religiosæ observantiæ nexu tum Sabæ, tum Romanæ Ecclesiæ conjunctum exstitisse omnia suadent: nec enim credi potest, dissimilem sibi religione, aut in thronum promovisse, aut in eodem toleraturum fuisse. Post multos denique annos, Arsenius in morbum incidit adeo gravem, ut trium annorum spatio neque Missæ sacrificium Deo offerre, neque ecclesiam adire, nisi ab aliis portatus, valuerit. Itaque, cælo jampridem maturus, et sacramentis refectus, placidissime obdormivit Tcherntsæ, die 28 octobris, anno 1251, postquam Ecclesiam, quam triginta annos rexerat, Sabæ II tradidisset gubernandam. Sepultus est in templo Apostolorum. Habet officium. Hujus præsulis memoria Serbis adeo sacra est, ut ex usu perantiquo archiepiscopi et episcopi ejus invocatione, non secus ac sanctorum Simeonis et Sabæ, juramenta sua in ipso muneris novi ingressu confirment.

Cfr 1) Genealogia seu Vitæ archiep. Serbiæ omnium, auct. Daniele II, archiep. Serbiæ, in Glasnik, t. VI, pag. 26. 2) Menol. Veršinsk. ad h. d. 3) Pejacevič, pag. 184.

Demetrius, Rostoviensis metropolita.

Celeberrimus hic hagiographus et concionator natus est in urbe Macarov, prope Kioviam, anno 1651, patre Sabba Tuptala, matre Maria, et Danielis nomine in sacro fonte insignitus fuit. Humaniorum artium cursu Kioviæ felicissime absoluto, duodeviginti annorum juvenis in monasterium SS. Trinitatis se recepit, ubi tonsura et Demetrii nomine donatus est. Tum Tchernigoviæ, quo a Lazaro, archiepiscopo, fuerat abductus, sacerdotii dignitatem assumpsit, anno 1675, et concionatoris munere plures annos magna audientium voluptate perfunctus est, non in hoc solum loco, verum etiam Vilnæ, Slucii et aliis in urbibus. Cum enim variis donis, tum maxime dicendi facultate ornarat eum Deus. Quare expetebatur ab omnibus, non eloquentia solum, sed et modestia ejus, mansuetudine, et tenerrimæ pietatis specie allectis. Postquam igitur pluribus monasteriis præfuisset, archimandritam in monasterio Elecensis Tchernigoviæ primum, dein in Novgorodia Severiensi egit. Quibus curis dum continuo detineretur, sanctorum Vitis colligendis et adornandis operam navavit, rogante Barlaamo Jasinscio, deinceps metropolita. Quo in opere conscribendo, præter auctores indigenas, puta Macarium, metropolitam, Magnorum Menæorum concinnatorem, Acta Sanctorum Bollandiana diligenter adhibuit. Ne igitur tantum lumen sub modio lateret, metropolitanæ sedi Siberiæ præpositus fuit; sed anno sequenti ad Rostoviensem translatus, quam ad extremum vitæ summa omnium laude occupavit. Rostoviæ clericorum seminarium instituit omnium primus, ut densas ignorantiæ tenebras discuteret, quibus sacerdotes plerique omnes obvolvebantur. Sectariorum placita, qua verbo, qua scripto non segniter oppugnavit. Paupertatis amans, terrenis bonis, ex quo mundo nuntium remiserat, nunquam corde adhæsit; sed quæcunque ei a fidelibus offerebantur, ea vel in usus necessarios, vel in ornandas ecclesias, vel denique in egenos collocabat, quos paternæ charitatis sinu semper fovit. Tandem laboribus et morbo confectus, migravit ex hac vita anno 1709, die 28 octobris, quam plurimis scriptis post se relictis. Miraculis etiam claruisse volunt. Colitur ab anno 1757 tum hac die, tum 21 Septembris, qua corpus ejus inventum est, anno 1752. Vitam Demetrii conscripsit Arsenius, metropolita Rostoviensis.

Cfr 1) Vita S. Demetrii, in fronte Menæorum. 2) Vita S. Demetrii Rostov., Mosquæ 1849. 3) Phil., Prospect., nº 250. 4) Dict. hag., p. 78, ed. 1862. 5) Menol. Verš. ad h. d.

DIES XXIX.

Ex Ostromirano.

PASSIO SS. MM. ET APOSTOLORUM PETRI ET PAULI, JOANNIS BAPTISTÆ, JOSEPHI, PATRIARCHÆ, COSMÆ ET DAMIANI ET TROPHIMI (*Med. Sirm.*).

Ex variis.

S. Abramii, erem. et Mariæ, neptis ejus (*Rum. Zogr. Tern. Menol. Kal. Hor. cum Bas. Pg. Msq. Flor. Sirm. Maz. Med. Mg.*). S. Anastasiæ Romanæ, mart. (*Mst. Rum. Tern. Par. Novg. Prol. Men. Kal. Hor. cum Pg. Vind. Sirm. Msq. Sirl Mg.*). S. Annæ quæ et Euphemianus (*Prol. Kal. Menol. cum Mg.*). SS. mart. Claudii, Asterii, Neonis et Neonillæ (*Prol. Kal. Menol. cum Bas.*). Stephani Urošii (*Chil.*). S. Abramii, Rostoviensis (*Men. Prol. Kal.*). [Timothei, mon. Esphigmenii (*Ath.*).]

† Barnabæ, ap. (*Neap.*). † Cyrilli, mart. (*Mg.*) † Bassæ (*Med. Sirm.*). † Pauli Thebæi, mon. (*Med.*). † Sabæ, ducis militum (*Med. Mg.*). † Melitinæ, mart. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA.

SS. Petrus, Paulus etc.

SS. Petrus et Paulus aliique, quorum passio notata est in cod. Ostromirano, nominantur totidem terminis omnes in Med. et Sirm., ubi additur in fine S. Bassa; post Josephum vero patriarcham ponitur S. Cleopas. De hoc Josepho, patriarcha CPolitano, vide adnotata ad diem sequentem. Eorum synaxis celebrabatur olim CPoli in templo S. Pauli, apostoli, in orphanotrophio simul cum dedicatione hujus ædis. Ita Menæa mss.; habes itaque rationem, cur hi sancti simul conjuncti prodeant hoc die. — Stephanus Uroš, martyr, celebratur a Serbis, die 2 Decembris; estque diversus ab hodierno; nam in Typico Chilandariensi continuo additur : *magni eleemosynarii*. Quinam igitur est, quum plures reges Serbiæ Urošii cognomine insignitos fuisse constet? De Stephano Milutino agi, indicant satis Kalendaria diei sequentis. Quadrat quoque titulus eleemosynarii, ob magnam ejus vereque regiam in pauperes et religiosos liberalitatem. Cæterum de eo fusius agetur ad diem sequentem quo solet vulgo referri. — Nimis Athonicam neomartyrum officinam redolet Timotheus iste, monasterii Esphigmeni alumnus, quam ut inter veros Christi martyres recenseri queat. Unus est enim ex quamplurimis montis istius pugilibus, qui pristinum apostasiæ crimen voluntaria morte expiarunt; adhæc recentissimus est tempore; nam occubuit anno 1820, gladio percussus. Plura igitur cupientes adeant Patericon Montis Atho, t. II, p. 485.

Stephanus Uroš.

Timotheus Esphigmenius

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Abraham Rostoviensis.

Abraham, Tchuhloma non procul ab urbe Galič ex ethnicis parentibus natus, floruit tempore S. Vladimiri, imo potius Vladimiri Monomachi, qui ab anno 1113 ad annum 1125 principatum tenuit. Juvenis, cum invocato nomine Jesu a diuturno morbo sanatus esset, baptisma accipere statuit. Domo paterna deinde relicta, monasticæ vitæ nomen dedit in Baalamico, ut fertur, cœnobio. Inde Rostoviam, quæ idolorum cultui adhuc addicta erat, cælitus vocatus fuit. Strenue in hac civitate pro Christo laboravit Evangelio explicando et permultos infideles ad ejus fidem adduxit. Ut autem, quem annuntiaverat, christianorum Deus in posterum quoque ab indigenis debito honore coleretur, duas ecclesias ædificavit : alteram sub invocatione S. Joannis, evangelistæ, in loco quo S. apostolus ei in visione apparuerat; alteram, Epiphaniæ Domini sacram, quam et monasterio auxit, et in hoc ipso loco, ubi antea præcipuum idolum Veles, a se contritum, colebatur, excitavit. Dum monasterio illi præesset, nil remisit de ardore quo hactenus ad lucrandas infidelium animas constanter flagraverat. Quod eo præstitit successu, ut, e vita migraturus, conscius esset universos Rostoviæ cives suavi Christi jugo esse mancipatos. Obiit anno incerto, cœpitque publico cultu honorari tempore Vsevolodi, qui Vladimiriensis et Suzdaliensis princeps fuit ab anno 1176 ad annum 1212.

Cfr 1) Prolog. et Menæa ad h. d. 2) Vita antiqua, incerto auct., apud Macar., in Hist. Eccl. Russ., t. I, pag. 7-9, et not. 25-27. 3) Dict. hag., pag. 3. 4) Menol. Verš. ad h. d. 5) Phil., Hist. Eccl. Russ., t. I, pag. 32.

DIES XXX.

Ex Ostromirano.

Passio SS. MM. Cyriaci, patriarchæ (*Ass. Par. Siš. cum Bas. CP. Nan. Hier. Sirm. Med.*)., Zenobii, ep., et Zenobiæ, sororis ejus (*Mst. Ass. Men. Prol. Hor. Kal. Tern. cum CP. Nan. Hier. GP. Sirl. Vind. Pg. Sirm. Maz. Mg. Med.*). Asterii et soc. (*Hor. cum CP. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*).

Ex variis.

S. Marciani, ep. (*Rum. Menol. Prol. Kal. cum Neap. Sirl. Mg.*). S. Eutropiæ, mart. (*Prol. Menol. Rum. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Maz. Sirl. Mg.*). S. Epimachi, mart. (*Rum. cum Bas. CP.*). S. Pauli, jejunatoris (*Ass.*). S. Petri (*Premysl.*). S. Anastasiæ, Thessalonicensis, mart. (*Kalend. Prol.*). SS. apost. Tertii, Marci, Justi et Artemæ (*Prol. Men. Kal. Hor. cum Mg.*). S. Cyrilli, ep. (*Rum. cum Goth. Msq.*). Stephani, Milutini, regis Serbiæ (*Euch. Serb.*).

† Hermenegildi, mr. (*Sirm.*). † Maximi (*Neap.*). † Gaudiosi, ep. Africani (*Itg.*). † MM. Stachis, Amplii et Urbani (*Sirm.*). † Josephi, patr. CP. (*Mg. Sirl.*). † Alexandri, Chronionis, Juliani, Macarii et soc. (*Sirm. Med. Sirl.*). † Leonis Philosophi (*Sirm.*). † Aristobuli (*Mg. Sirl.*). † Meletinæ, mart. (*Sirl.*)

OBSERVANDA.

S. Cyriacus.

Notatum velim, SS. Asterium, Zenobium et Cyriacum nominari in Ostr. et in CPolitano eodem plane ordine. Nec prætereunda communis nota *passionis*, quæ eorum nominibus præfigitur in Ostromirano, non excepto Cyriaco; quum tamen exsequiarum ejus hunc diem fuisse constat ex Chronico Alexandrino, citato apud Morcellium, t. I, p. 208. — De Asterio, quem cod. Rum. refert pridie, confer Act. SS., Oct. t. IX, ad diem 19 et 21 Octobris. — Zenobius adest apud alios die sequenti. Ejus socii erant Claudius, Neonas, Neonilla, et Marcianus. — In Prol. Rumiantsoviano perperam habetur: *Eutropii*, ac si vir esset. — Epimachus recurrit die sequenti in Ostr. Siš. Hier. Nan. et Neap. — Intelligendum puto Paulum Thebæum, cognomento Magnum, de quo proxima die erit sermo in codice Mstislaviensi. — Sanctus quoque Tertius iterum refertur ad 10 Nov., uti et Marcus in Prologo ad 21 Junii et insuper ad 20 Octobris. — S. Marcianus est episc. Syracusarum, de quo alii agunt crastina die. — Cyrillus, quem Rum. Prologus jungit cum Marciano, episc., non differt forsan a Cyriaco, patriarcha, præsertim cum in Goth. nuncupetur *patriarcha*. — Schismaticus fuisse putatur Josephus a Bollandianis. Cfr Act. SS., Aug., t. I, pag. 168, nº 1011. — Forsan errore positus est Petrus loco *Pauli*. Suadet id titulus venerabilis (ὁσίου) quod de monachis imprimis solet usurpari. — Stephanus Uroš, cognomento Milutin, non modo colitur a Serbis ut sanctus, sed insuper titulum præfert *Theophori*, ut legere est in Euchologio Serbico Budæ excuso anno 1853. De ejus virtutibus, sanctitate, orthodoxia et cultu disceptatum est multum inter auctores. — In Kal. Neap. marmoreo habetur tantummodo : *Nt. S. Max.*, *Natale S. Maximi*, unde nihil certi erui potest. — De Stachyde melius agetur die sequenti. — S. Leonis, philosophi, nomen occurrit etiam die sequenti in Menæis Mediol. mss.

S. Asterius.

S. Zenobius.

S. Eutropia.

S. Epimachus.

S. Paulus.

S. Tertius.

S. Marcianus.

S. Cyrillus.

Josephus.

S. Petrus.

Stephanus Milutin.

S. Maximus.

SS. Stachys et soc.

S. Leo philosophus.

Dies XXXI Octobris.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Stephanus Milutinus rex Serbiæ.

Stephano Urošio I filii fuere duo, Stephanus cognomento Dragutinus et Urošius Milutinus, hic junior, ille natu major; quorum mater, Helena, Francorum regis, ut volunt, filia, christianissima ac pientissima omnium auctorum calculo femina fuit. Cum vero Dragutinus, tum crucis ex lapsu confracti malo, tum cumprimis pœnitudine admissi sceleris in patrem, quem throno deturbaverat, adductus, in Milutinum fratrem summum Serbiæ imperium ultro transtulisset, anno 1275, seseque in Sirmiensem regionem recepisset, coronam regiam cinxit Milutinus, assumpto nomine Stephani Urošii II. Exinde cœpit ædificare templa multa: ac nominatim elegantissimam basilicam ad fluvium Banscum, ab aquis tepidis ita vocatum, in honorem S. Stephani protomartyris condidit; quam omnem auro introrsum ornavit, erecto sibi illic sepulcro. Nec in Serbia tantum, sed Hierosolymis, in monte Sinai, Constantinopoli, Thessalonicæ, in Monte Atho, ac per omnia Græcorum Slavorumque regna et insulas, ut auctores indigenæ referunt, xenodochia et templa excitavit; quin et voti sacramento se obstrinxit ad erigenda divino honori tot sacra domicilia, quot regni annos numerasset. Stetitque promissis, divino numine imperium ejus in annos quadraginta duos producente. Ecclesiam Chilandariensem ad splendorem instauravit, latifundiis et prædiis adjectis, uti regium testatur chrysobullum. Præterea viri pietatem ac divinæ domus zelum commonstrant quatuordecim episcopatus ab eo ordinati et varie ditati, annuente Nicodemo, archiepiscopo totiusque Ecclesiæ Serbicæ capite. Quorum episcopatuum sedes fuere fixæ ut sequitur : 1) Zetæ, 2) Rasciæ, 3) Cholmiæ, 4) Chvostnæ, 5) Budimliæ, 6) Debræ, 7) Moravicæ, 8) Scopiæ, 9) Prisreniæ, 10) Liplianæ, 11) Braničeviæ, 12) Mačvæ, 13) Gradeciæ et 14) Končulii. Ab eodem hegumeni constituti fuerunt Studenicæ, Mileševii, Sopočanis, Banscii, Gradeciæ, Ravanicæ, Rascæ, Končulii, Modricæ, Chvostnæ, Gostivarii, Orechovicæ, Nagoricæ, denique Scopiæ. Eleemosynas sine exemplo maximas, quales nemo ante ipsum, profudit; justitia vero universo populo innotuit. Bellica virtute destitutum minime fuisse satis demonstrant bella adversus finitimas nationes, Græcos, Bulgaros, Ragusios, Hungaros, secunda plerumque fortuna suscepta; quæ hic enarrare longius esset. Tandem, postquam Serbiam per annos quadraginta sex circiter gubernasset, e vivis cessit, die octobris 29, ut diserte notatum est in Typico Chilandariensi, anno 1321, conditus in ecclesia S. Stephani protomartyris Banscensi. Quo cum Agareni venissent, corpus ejus delatum est Prisreniam; ea vero etiam civitate a Mahometanis expugnata, Sophiam, quæ urbs Bulgariæ est, veterum Sardica, traductum et in ecclesia S. Marinæ depositum, quod sua adhuc ætate integrum exstitisse, nec semel oculis usurpasse, pectorisque pilos inspexisse testatur Luccarius, latinus auctor. Tandem in ecclesiam Sirmiensis cœnobii Jasak inde translatum est, hodieque incorruptum sanctorum cultu honoribusque afficitur a suis. Non desunt tamen vitæ labes, eæque graves; inter quas non postremo loco veniunt adulterii incestuosi macula, et proprii filii, Stephani, seditionis incusati, excœcatio, visus acie pelvi candente infirmata; denique communio cum sede Romana minus sincera ac simulata. Verum ab his omnibus eximunt Stephani memoriam vel auctores latini. Nam apud Serbos ejus sanctimonia postplurimas etiam vitæ labes in comperto prorsus est: has enim profusis eleemosynis, rigidaque pœnitentia redemit eluitque. Aiunt illum cum Simonide uxore, Andronici imperatoris filia, extremos vitæ annos monachali egisse habitu et disciplina, totumque misericordiæ operibus deditum ad ultimum anhelitum exstitisse. Certe Serborum Ecclesia sanctorum suorum Albo eum adseruit et diem 30 Octobris cultui ejus consecravit. Sed et fidei Romanæ dogmata complexus fuerat ac sedi apostolicæ obedientiam, quam et in quibus debebat ultro detulerat; nec nisi calumnia, ut loquitur Pejacevich, schismaticus et ecclesiæ Romanæ hostis proclamatur. At vero arduum hoc de Stephano argumentum, quod in præsentarium vix ac ne vix quidem delibare licuit, tractandum relinquo sagacissimis sociis Bollandianis, quando ad 29 Octobris devenient.

Cfr 1) Daniel, archiep., Genealogia Serb. 2) Raič, Hist. Serbiæ, lib. VII, cap. X. 3) Pejacevich, pag. 226. 4) Miclosich, Monumenta Serbica, nº LXXII et seq.

DIES XXXI.

Ex Ostromirano. Passio SS. MM. Pantaleonis et Heraclii (*Neap. Med.*). Et Epimachi (*Tern. Menol. Kal. Hor. Prol. cum Neap. Nan. Hier. Vind. Par. Maz. Mg. Med. Sirl.*).

Ex variis. Memoria S. Pauli Magni (*Mst.*). SS. apost. Stachis, Amplii, Urbani, Narcissi, Apellii et Aristobuli (*Rum. Men. Tern. Par. I, Chil. Kal. Prol. Hor. cum Bas. Hier. GP. Nan. Pg. Med. Mg.*). SS. Spiridionis et Nicodemi, mon. Kioviensium (*Pat. Men. Kal.*). SS. Davidis et Constantini, principum Argvetensium et mart. (*Iber.*). S. Mauræ (*Kal. Hor.*).

† Marciani, ep. Syracus. et mart. (*Nan. Hier. Msq. Sirm.*). † Zenobii, ep. et Zenobiæ, sororis (*Bas. Goth.*). † Abramii, mart. (*Synax. et Prol. Græc.*). † Trophimi, mart. (*Ibid.*). † Jacobi, ep. Mygdoniæ (*Mg. Sirl.*). † Leonis, philosophi (*Med.*). † MM. Seleuci et Stratonicæ (*Sirm.*). † Duodecim puellarum, mart. (*Sirm.*). † Pueri cujusdam mart. (*Sirm.*). † Eustoliæ, Matronæ et Sopatræ, filiæ Mauritii, imperat. (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Pantaleon. Teste Capitone Nevostrujev, S. Pantaleon nullibi reperitur ad hanc diem nisi in cod. Ostromirano. — S. Heraclii nomen adest solummodo in Kal. marmoreo Neapolitano, ubi jungitur S. Epimachio, *S. Heraclius.*

SS. Stachis et soc. machio, præmissa nota *Natalis*, et apud Assemanum. — S. Stachis et socii diserte nominantur, sed non ubique : in Mstislavico desunt omnes, in Rum. et Tern. tres ultimi, in aliis alii. — De monachis Kioviensibus, Spiridione et Nicodemo, agetur modo in Memoriis Slavicis hujus diei.—Post Dedicationem ædis B. M. V., in Nan. codice additur : *ubi requiescit venenerandum caput S. P. N. Abercii;* at in Maz. annuntiatur *dedicatio Oratoriorum patriarchatus* in genere. — Recole dicta ad diem XIX, qua sanctus Abramius relatus est in cod. Ostromirano. — De Davide et Constantino, principibus Argvetiæ in Iberia, actum est ad diem 2 hujus, ut plura hic disserere sit superfluum.

SS. Spiridion et Nicodemus.

Dedicatio ædis B. M. V.

Dies primus Novembris.

S. Abramius mart.

David et Constantinus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Spiridion et Nicodemus, mon. Cryptenses.

Spiridion, rudis et indoctus ruricola, assumpto habitu monastico sub Pœmeno, hegumeno ab anno 1132 ad annum 1141, quamvis ita ætate jam profecisset, ut scientiæ parum idoneus videretur, auxilio tamen divino suffultus, totum psalterium memoriæ mandavit et quotidie sine libri ope recitavit. Intellecto autem ejus in perfectione acquirenda studio, officium pistoris prosphorarum seu panum, divinis liturgiis inservientium, injunxit ei Pœmenus. Quod munus suum adimplebat summa alacritate Spiridion; et sive ligna secaret, sive aliud opus exerceret, indesinenter psalmos Davidicos recitabat, ut proposito suo totum psalterium ante nocturnum somnum absolveret. Quadam die incendii flammas, in pistrino erumpentes, pallio suo exstinxit; quod illæsum omnino remansit, demirantibus fratribus. Habuit quoque Spiridion officii socium discipulumque egregium, Nicodemum, quem ad labores strenue peragendos et ad psalterium similiter quotidie recitandum optimo suo exemplo erudivit. Tandem, canitie et insignibus meritis ornatus, votorum suorum attigit metam, postquam annos triginta laborioso munere suo summa omnium laude esset defunctus. Magistri et discipuli corpora in cryptis Antonii condita fuerunt et hodiedum asservantur ibidem.

Cfr 1) Menæa ex Paterico ad h. d. 2) Dict. hag , pag. 232. 3) Menol. Verš. ad h. d. 4) Specimen Eccl. Ruth., pag. 56. 5) Descriptio lauræ Kiov., pag. 104.

Anatolius, reclusus Cryptensis. Eadem die colitur Kioviæ Anatolius, monachus Cryptensis et reclusus, cujus corpus in cryptis Antonii asservari tradunt auctores. Cætera desiderantur.

Cfr 1) Dict. hag , pag. 22. 2) Pateric. Kioviense.

MENSIS NOVEMBRIS.

DIES PRIMUS.

Ex Ostromirano. Memoria SS. Anargyrorum Cosmæ et Damiani (*Mst. Assem. Rum. Tern. Par. I, Zogr. Og. Pp. Prol. Men. Hor. Kal. cum Bas. CP. Hier. GP. Pg. Vind. Flor. Sirm. Maz. Med. Sirl. Mg.*).

Ex variis. S. Hermenegildi, mart. (*Menol. Kal. Prol. cum Sirl. Mg.*). S. Theodotiæ, matris SS. Cosmæ et Damiani (*Hor.*). SS. MM. Cyriænæ et Julianiæ (*Prol. Menol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Med. Sirl. Mg.*). SS. Joannis, ep. et Jacobi Zelotæ, presbyteri, mart. sub Sapore (*Prol. Menol. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*). SS. MM. Cæsarii, Dasii et aliorum quinque (*Menol. Prol. Kal. cum Neap. Sirm. Med. Sirl. Mg.*). [Jacobi, presb. et discipulorum ejus Jacobi, diaconi et Dionysii, mon. (*Ath.*).]

† MM. Domnæ, Domnini et Cyriacæ (*Sirm.*). † MM. Sabæ, Sabiniani, Agrippæ, Adriani et Thomæ (*Med. Maz.*). † Marciani (*Med. Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Cosmas et Damianus. Tria paria Sanctorum ejusdem nominis Cosmæ et Damiani discerni in Fastis Slavicis ad 1 Julii, 17 Oct. et 1 Nov., in comperto est apud omnes; ut mireris Assemanum affirmare potuisse *Romanum par* eisdem esse ignotum, quum horum diserta mentio fiat in omnibus Fastis Slavonicis tam recentioribus quam antiquis, ad 1 Julii. Cæterum trina hæc fratrum cognominum paria serum Græcorum commentum esse, observatum est supra. Accedit novum ex Menæis Græcorum excusis testimonium, unde colligitur tria illa paria olim minime fuisse recepta. Nam quum SS. Cosmæ et Damiani memoria recurrat etiam ad diem 1 Julii, infra ad hunc diem adnotatur, legendum esse evangelium quod præscriptum est *in memoriam eorumdem* Kalendis Novembris. Id expresse habetur in Kalendario CPolitano quod edidit Morcellius; cui consentire videtur Kalend. Ostromiri, in quo pariter remittitur lector ad 1 Novembris, licet verba illa : *in memoriam eorumdem* addita non sint. Quod magis mireris, idem legitur in Menæis Græcorum excusis in monitu, initio hujus mensis præmisso, quod sic sonat : *Si vis celebrare hos sanctos, vide solemnitatem eorumdem et pleniorem Acoluthiam ad 1 Julii;* ut probe intelligatur eosdem utroque die sanctos celebrari. Jamvero in Synaxario hujus diei aperte agitur de sanctis qui *ex Asia*, Theodotæ filiis; Kalendis vero Julii de martyribus cognominibus *Romanis*, seu qui Romæ passi sunt. Nec illud prætereundum, in Menologio Mosquensi et in Prologo ridiculam illam regeri fabulam de contentione,

trium

DIES II ET III NOVEMBRIS.

trium ovorum causa, inter fratres exortam, et de camelo humana voce loquente. In cod. Rumiantsoviano juxta ac in Menologio Basilii notatur *dormitio*, perinde ac si hic dies fuerit eis supremus; at in Ostrom., CPolitano aliisque habetur tantummodo : *memoria;* in marmore vero Neapolitano, ut vidimus, signatur *passio* tum ad 27 Septembris, tum ad 22 Octobris. — Qui in Prologo et Menol. Mosq. commemorantur socii Cæsarii et Dasii, expresso solo numero, eos nominatim referunt Menæa Mediolanensia et Mazarinæa, nempe Sabam, Sabinianum aliosque supra relatos; qui omnes variis tormentis probati vitam consummarunt Damasci. Eorum festivitas celebrabatur olim CPoli in templo S. Theodori, mart., ad Tetrapylum. — In libro Νεον μαρτυρολογιον recolitur ad hunc diem memoria Jacobi, presbyteri et duorum discipulorum ejus, Jacobi, diaconi et Dionysii, qui postquam septemdecim dierum spatio carceris ærumnas et multiplices cruciatus tolerassent, tandem Adrianopoli suspendio a Turcis perempti sunt, anno 1520. Quorum corpora in vico Galačisto prope Thessalonicam, in æde S. Anastasiæ jacere dicuntur; gesta vero fusius ex dicto Martyrologio prosequitur auctor Paterici Athonici, tom. II, pag. 105, qui etiam addit exstare offîcium proprium in eorum laudem conscriptum.

SS. Cæsarius et soc.

Jacobus uterque et Dionysius.

DIES II.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Acindyni, Pegasii, Aphtonii, Anempodisti, Elpidiphori et soc. 7028 (*Mst. Rum. Ass. Tern. Par. Zogr. Prol. Siš. Og. Eph. Men. Kal. cum Bas. Neap. Hier. GP. Pg. Vind. Msq. Sirm. Med. Maz. Sirl. Mg.*). S. Marciani Cyrensis (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Sirl. Mg.*). S. Josaphati, archiep. Polocensis et martyris (*Leop. Prem. Horol.*).

† MM. Attici, Eudoxii, Agapii et cæterorum (*Bas. Med. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Acindynus et soc.

Non omnes Fasti eodem modo annuntiant utrumque manipulum martyrum, supra relatum. Et quidem priorem quod attinet, variant codices in assignando numero sociorum, qui cum S. Acindyno passi sunt. In Mstisl. referuntur tantummodo Acindynus et alii quatuor, juxta illud Menæorum : *quatuor Aphthonio junctos necat ignis et ensis;* at in Rum. diserte adduntur eisdem socii 7028, quos alii reducunt ad 28. Assem. brevius ita : *S. Acindyni et sociorum ejus;* Ephemerides Papebr. : *Acindynus, Pegasius;* Possevinus brevissime : *S. M. Ancidini*, pro Acindyno; in marmore Neap. notatur ita : PASSIO *S. Acindini, Pegasii;* quæ *passionis* nota legitur etiam in Mst. et Rum. Horum martyrum festum agebatur olim CPoli in propria eorum æde in Deutero. —

SS. Atticus et soc.

Alter manipulus in Menæis Græcorum excusis refertur ita : *Memoria SS. MM. Eudoxii, Agapii, et aliorum octo;* ex quibus Atticus in Menol. Basilii ponitur primo loco; in Menæis vero mss. Sirmundi et Med. nominantur cæteri septem, Marinus, Oceanus, Eustratius, Carterius, Styrax, Nicopolitanus et Tobias; qui omnes recurrent postridie in Fastis Slavicis. — S. Marcianus is est, quem retuli ad 18 Januarii. — Beatum Josaphatum, archiepiscopum Polociæ et martyrem, gloriosam pro sancta Unione mortem oppetiisse die duodecima novembris, anno 1623, constans est historiæ testimonium. Cur itaque ad præsentem diem commemoretur in Horologio Počajovensi, profecto non assequor; imo errorem in assignato die cubare, valde suspicor; illud autem magis miror, in Kalendario Premisliensi, quod anno 1861 in usum Unitorum vulgatum est, eumdem Antistitem referri ad 19 Novembris. Porro in Horologio Počajovensi habetur ita : *Eadem die cædes beati hieromartyris Josaphati, archiep. Polocensis;* tum indicatur troparium et contacium, ex die 16 Septembris petendum, quo festum hujus martyris ex die 12 Novembris transferendum edixerat synodus Zamosciana, anno 1720 celebrata.

S. Marcianus.

B. Josaphat.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Acepsimæ, ep., Josephi presb. et Aithalæ, diaconi (*Mst. Tern. Par. Zogr. Rum. Chil. Og. Hor. Men. Ephem. Prol. Kal. cum Bas. Hier. GP. Vind. Goth. Pg. Msq. Flor. Sirm. Maz. Med. Sirl. Mg.*). S. Acepsimæ, erem. (*Rum. Kal. Prol.*). SS. MM. Attici, Agapii, Eudoxii, Carterii, Styracis, Pactobii seu Tobiæ, Eustratii, Nicopolitiani (*Prol. Menol. Kal.*). S. Snanduliæ (*Men. Prol. Kal.*). Dedicatio ecclesiæ S. Georgii, Lyddæ (*Chil. Og. Hor. Kal. Val. cum Med. Sirl. Mg.*).

† Ambrosii, ep. natalis (*Neap.*). † Joannicii, thaum. (*Bas. Nan. Med.*). † Theodori, ep. Ancyrani (*Mg. Sirl. Sirm.*). † MM. Dasii, Severi, Androuæ, Theodoti et Theodotæ (*Mg. Sirl.*). † Eliæ (*Mg.*) † Martyrum novem (*Mg.*). † Martyrum viginti novem, igne combustorum (*Mg.*). † Archimenidis, confessoris (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Acepsimas nterque.

Duos sanctos, Acepsimæ nomine insignitos, celebrant hodie Fasti Slavici et Græci, alterum martyrem et episcopum, alterum eremitam. Acepsimæ martyris, ejusque sociorum Josephi et Aithalæ certamen, a S. Marutha descriptum, publici juris fecit, et adnotationibus adornavit Evodius Assemanus. Act. MM. Oriental., t. I, p. 169 et seq.; præter quem consulantur etiam Josephus Assemanus Kalend., t. V, p. 333, et Bollandistæ ad 22 Aprilis, quo hi sancti martyres coluntur a Latinis. Porro, quod Evodius Assemanus adnotaverat de Actis Græcis a Lipomano editis, ea falso tribui Metaphrasti, utpote quæ septingentis minimum annis ante Metaphrastem conscripta fuerint, id pariter intelligendum est de Actis in Menologio Mosquensi insertis. De S. Aithala, diacono, plura dicta sunt Kalendis Septembris, quibus iterum occurrit in Fastis, sed seorsim ab Acepsima et Josepho. Ut autem Aithalæ nomen varie torquetur a Menologis, ita quoque Acepsimæ; quem cod. Ternob. corrupit in Anepsimum; Paris. I in *Aximum;* Possevinus in *Accexi-*
mum.

mum. Eorum festum celebrabatur olim CPoli in æde S. Elisæi, prophetæ, quæ exstabat in ædibus Antiochi. — S. Snanduliæ mentio fit in Actis S. Acepsimæ. — Socios S. Attici nominavi pridie ex Menæis Græcis mss.; *Pactobium* pro Tobia refert Prologus; item *Nictopolionem* pro Nicopolitiano. — Magnus Joannicius, eremita et thaumaturgus, vulgo referri solet, etiam in Fastis Græcis, ad 4 Novembris; ad quem ideo differendus. — Illustrissimi martyris Georgii memoria recolitur 23 Aprilis. In Med. habetur : *Allatio cineris S. Georgii;* at in Menæis excusis distinctius ita : *Eodem die celebramus encænia templi sancti magni martyris Georgii Lyddæ, id est depositionem sacri ejus corporis.* Lydda Palæstinæ civitatula est, in qua natus fuisse perhibetur Georgius. De simili festo ejusdem sancti, CPoli et Kioviæ, dicetur ad 26 Novembris.

S. Snandulia.
SS. Atticus et soc.
S. Joannicius.

DIES IV NOVEMBRIS. *Dedicatio ædis S. Georgii.*

DIES IV.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Passio S. Porphyrii, martyris (*Par. Rum. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med. Sirl.*).

S. Joannicii Magni (*Mst. Zogr. Par. Rum. Tern. Hor. Kal. Siš. Og. Pp. Men. Prol. cum Bas. GP. Msq. Pg. Sirm. Maz. Mg. Goth. Flor.*). SS. mart. Nicandri, ep. Myrensis, et Hermæi, presb. (*Prol. Chil. Og. Kal. Hor. cum Hier. Vind. Med. Nan. Msq. Sirm. Maz. Mg.*). Dedicatio ecclesiæ sanctæ Sophiæ, Kioviæ (*Mst. Siš. Prol.*). Simeonis Sali, Jurievecensis (*Hag.*). SS. Joannis Zedazeni, Stephani et Eliæ (*Iber.*). S. Gregorii, hieromart. (*Msq.*). SS. apost. Patrobæ, Hermæ, Lini, Gaii et Philologi (*Rum. Horol. cum Bas. Sirm. Maz. Med.*). S. Joannicii Devičensis.

† Theodori seu Theodoti, ep. Ancyrani et conf. (*Med. Neap. Sirm.*). † MM. Dasii, Severiani, Andronæ et Theodoti (*Sirm. Maz.*). † Theodotæ, mart. (*Nan. Flor.*).

OBSERVANDA.

S. Porphyrius.

S. Porphyrium silentio premunt hodierni Fasti Slavici pene universi; adeoque erravit auctor adnotationum in Kalendarium Ostromiri, aiens contrarium. Jamvero de quonam Porphyrio agitur, quum exstent plures, iique omnes martyrio coronati? Eum esse, qui apud recentiores coli solet die 15 Septembris, prodit titulus *mimi* (igrnik), quem præfert in cod. Rum. Passus est autem, non sub Aureliano, imperatore, uti post Sirletum minus recte tradit Baronius in Martyrologio, sed sub Juliano apostata, capite truncatus; cujus gesta illustrarunt Bollandiani socii, Sept., tom. V, a pag. 37. — Ejus loco in hodiernis Fastis unanimi consensu prædicatur S. Joannicius, eremita in monte Olympo, in Bithynia, magnæ apud orientales famæ, in Rum. perperam *Anicius*, et multo pejus *Onicius martyr* a Possevino dictus. In Bas. et Nan. refertur die præcedenti. Ejus festum agebatur CPoli in monasterio S. Callistrati. — S. Hermæus distinguendus a S. Herma, uno ex 72 discipulis. — Ex eodem numero discipulorum erat S. Patrobas. Rum. habet Hermam, qui deest in Bas. Qui omnes in Menæis Slavicis hodiernis referuntur die sequenti; insuper Hermas secundo venit ad 31 Maii, et in Prologo ad 8 Martii. — De festo B. M. Kioviensis imaginis actum est ad 8 Septembris; hodie celebratur consecratio ipsius ædis S. Sophiæ Kioviæ, quam a metropolita Ephremo, factam fuisse diserte testatur cod. Mstislavicus. Dedicatio hæc contigit inter annos 1090 et 1096, et quidem, ut advertit Nevostrujev, non prima fuit, sed secunda; nisi intelligenda sit de aliquo sacello in ecclesiæ latere, cujusmodi exstabant ibi duo; in quorum altero sepultus fuerat Jaroslaus I, ecclesiæ Sophiensis fundator. Cfr Macar., Hist. Eccl. Russ., tom. I, pag. 42. — S. Dasius, martyr, in Sirm. et Mazar. ponitur primo loco, ad diem præcedentem; similiter in Menæis Græcorum excusis; at in marmore Neap. refertur solus Theodotus, tanquam totius turmæ martyrum præcipuus. — In Kalendario, quod *Psalterio glossato*, ut vocatur, insertum est, et alio, quod simul cum priore volumine his diebus Mosqua accepi, legitur ad hunc diem nomen S. Gregorii, hieromartyris, die vero sequenti commemoratur famosus ille Gregorius Palama, archiep. Thessalonicensis. Utrumque præter communem Kalendariorum morem; nam Palamam referunt Fasti recentiores ad 14 Novembris; S. Gregorium autem Alexandrinum archiepiscopum, ab hodierno martyre minime distinctum, consignant die sequenti, ut declarabitur modo. — Plures occurrunt hoc mense sancti Ecclesiæ Ibericæ proprii, quorum seriem orditur S. Joannes, cognomento Zedazenus. Hic tempore S. Simeonis Stylitæ in Iberiam commigravit, cum duodecim sociis, Syris quoque natione. Quorum omnium memoria nunc communi ritu quotannis celebratur ad 7 Maii; sed præcipue S. Joannis; sunt autem sequentes : 1) David Garedjiensis, 2) Chio Mgvimensis, 3) Abibus, deinceps episcopus Necressensis, 4) Jesseus, episc. Cilcani, qui et Iso, 5) Stephanus Chirensis, 6) Zeno Icaltensis, 7) Antonius Martqophius, 8) Josephus Samtaviensis, 9) Thaddæus, Stephano-Tzmindanus, 10) Pyrrhus, qui Bereti, 11) Michael Ulumbiensis et 12) Isidorus; præterea Elias, diaconus. Hodie colitur S. Joannes, conjunctim cum SS. Stephano et Elia, ut testatur Brossetus Junior; seorsim vero ad 7 Maii; David Garedjiensis ad 26 Junii; S. Chio Mgvimensis ad 9 Maii; Abibus ad 29 Novembris; Jesseus ad 7 Decembris; Antonius denique Martqophius 19 Januarii. Non omnium tamen *Vitæ* supersunt, sed quorumdam tantum præcipuorum, quæ suo quæque loco aut datæ fuerunt aut dabuntur deinceps. In præsentiarum de S. Joanne, sacræ istius coloniæ duce, deque S. Chio, eremita Mgvimensi, quædam paucis perstringere lubet. Degebat igitur Joannes in finibus Antiochiæ tempore S. Simeonis Stylitæ; ubi postquam in ascetarum palæstra multos annos sese exercuisset, sociosque frequentes esset adeptus, in Iberiam cum duodecim selectioribus discipulis profectus est, SS. Deipara, ut fertur, ipsamet monente. Antequam abiret, alium hegumenum sui loco constituit, sanctumque Simeonem Stylitam, benedictionem ejus accepturus, itinerando invisit. A patriarcha Iberiæ, Eulabio, quem de ejus adventu ab angelo præmonitum volunt, humanissime exceptus totam illam regionem sociis suis commisit peragrandam atque evangelica voce personandam, Deo linguarum donum eis largiente. Tandem in monte Zedazeno, qui trans Aragvam eminet atque Zadeni idolo clarum erat, sedem suam fixit, et eremitarum antiquorum certamina æmulatus est, confluentibus undique ægrotis et infirmis, quos sanitati restituebat. Sacra vero mysteria peragebantur in montis spelunca, quam in ædiculæ speciem curaverat adornandam. Interea crescente numero sociorum, Thaddæum eis sui loco præposuit; ipse vero in summa montium secessit, solo Elia diacono secum assumpto;

S. Joannicius.
S. Hermæus.
S. Patrobas.
Dedicatio S. Sophiæ, Kioviæ.
SS. Dasius et soc.
S. Gregorius hieromartyr.

SS. Joannes Zedazenus et socii duodecim.

DIES V NOVEMBRIS.

pto; ubi quum aqua destitueretur, laticem oratione ad Deum fusa impetravit, multisque aliis prodigiis patratis, sanctissime obdormivit in Domino, conditus in spelunca quam incoluerat. — Magistri sui vitam solitariam imitatus est S. Chio, cujus gesta fusiore stylo exaravit Martyrius, græcus, olim S. Joannis Jejunatoris familiaris, dein autem sancti Chio socius individuus et synasceta. Martyrio itaque teste, dum annum ætatis vigesimum ageret Chio, ad Joannem venit, de animæ suæ salute cum eo acturus; defunctis vero parentibus, illico socium sese ei adjunxit, magnoque schemate suscepto, obedientiam per annos viginti præstitit omni numero absolutam. Eidem in Iberiam proficiscenti socius exstitit; cæterisque discipulis in varias Karthliæ et Kachetiæ regiones missis, in solitudine manendi facultatem impetravit, atque prope Mtzkhetam in spelunca quadam solus diu degit, columba cibum ei quotidie adferente, donec discipulos nactus fuerit. Horum primus exstitit juvenis quidam, nomine Evagrius, nobili sanguine ortus et Pheresmani regis aulicus; qui dum venationi quadam die vacaret, sanctum Chio casu offendit; mox vero, omnibus bonis in pauperes distributis, habuit socium simul et magistrum. Mox discipulorum numero adaucto, in eorum usum tres ecclesias excitavit, SS. Trinitati, B. Mariæ et S. Joanni sacras, impensas largiente Pharsmano rege; quo præsente, Deo initiatæ fuerunt a Macario, patriarcha. Nunquam adduci potuit, ut ex diacono presbyter fieret aut hegumeni susciperet munus; sed condito ampliore monasterio, cui præposuit Evagrium, in spelunca ad ecclesiam S. Joannis Baptistæ sedem suam posuit, semel in hebdomade aut bis tantum fratres invisens. Mox vero, ut melius ad mortem sese pararet, magisque Deo jungeretur, convocatis fratribus, fusaque ad Deum oratione, in cryptam, in quam e media ecclesia S. Joannis patebat aditus, descendit; ibique ad extremum vitæ suæ latuit, monacho quodam cibum ei per aperturam subministrante. Morti proximus, arcessito sacerdote, sacramentis se refecit, manibusque in cælum lævatis ac genuflectens, sanctissimam animam suam Deo restituit, Mgvimensis seu Cryptensis ideo cognominatus. Cujus venerandæ exuviæ in monasterio Mgvimensi conditæ sunt, quod etiamnum exstat. Hactenus ex Martyrio Bessarion in Martyrologio, omissis variis prodigiis, in quibus enarrandis et ampliandis complacet Muraviev. Cfr præterea Wakhoucht, pag. 213 et 369. Macarius, Introd. in Hist. Eccl. Russ., pag. 149.

S. Chio, eremita.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Joannicius, eremita Devičensis.

Inter eos, quos veluti sanctos colit Serborum Ecclesia, paucissimi inveniuntur, qui vitam eremiticam peculiari studio fuerint amplexi, quique nec e regia stirpe fuerint prognati, nec Ecclesiæ Serbicæ gubernandæ præpositi. Illud enim Ecclesiæ hujus proprium est, ut sancti ejus fere universi ad duplicem illum ordinem pertineant, archiepiscoporum et regum. Eremitas sanctos habuerunt Serbi duntaxat duos, Petrum Korišcium et Joannicium Devičensem, de quo hic sermo est, paucis absolvendus. Vixit Joannicius sæculo decimo quinto, regnante Georgio Brankovičio, ætate scilicet infelicissima, utpote qua Serbiam impura Turcarum gens igne ferroque vastabat. Gubernacula regni tenuit Georgius ab anno 1427 ad annum 1456. Undenam ortus sit Joannicius, quibusve parentibus natus, aut quidnam egerit adolescens, me deficientibus documentorum subsidiis, prorsus latet. Illud solum compertum est, Joannicium pene toto vitæ suæ tempore in eremo degisse. Et quidem vitæ suæ solitariæ initio in montes secedens, locum illum sibi delegit, quo deinceps monasterium Devičense exsurrexit, nostra etiam ætate visibile; tum ulterius progressus, medias inter rupes, quæ Tchernorečenses seu ad *Nigrum flumen* nuncupantur, sese abdidit, ibique in quadam spelunca perangusta adituque difficillima septuaginta annorum spatio commoratus est, solis fere angelis sociatus jugique cælestium rerum meditatione deditus. Cum autem vicina lustrando aliam speluncam reperisset paulo spatiosiorem, iniit eam, relicta priore S. Michaeli, archangelo, sacram. In eadem certavit Joannicius usque ad extremum vitæ suæ, Magni Joannicii, anachoretæ, agones æmulatus. Mortui corpus e summis montibus delatum est in monasterium Devičense, quod in memoriam filiæ suæ, a S. Joannicio non sine miraculi interventione sanitati redditæ, exædificaverat jam dictus despota Georgius. Quia vero dies quo Joannicius obiit ignoretur, cum S. Joannicio Magno placuit eum sociare.

Cfr Russkaja beseda an. 1858, tom. III, pag. 89.

DIES V.

Ex Ostromirano. Memoria S. Galactionis, martyris et Epistemes (*Omnes cum Bas. Hier. GP. Pg. Flor. Goth. Msq. Maz. Mg. Med. Vind.*). S. Domnini et soc. (*cum Bas. Med. Maz. Sirm. Mg.*). Dedicatio ecclesiæ S. Theodori in Sphoracio. Et dominicæ protoparentum.

Ex variis. S. P. N. Gregorii, archiep. Alexandrini (*Prol. Kal. cum Mg.*). [Gregorii Palamæ (*Msq. Psalt.*)]. SS. apostolorum, Patrobæ, Ermæ, Lini, Gaii et Philologi (*Men. Prol. Kal. Hor.*). Jonæ, archiep. Novgorodensis (*Men. Kal. Prol.*). Barlaami Chutynensis (*Prol. mss.*).

† Methodii (*Neap.*). † Pamphili, mart. (*Sirl.*). † Agathangeli, mart. (*Med. Sirm. Mg.*). Castoris, ep. et mart. (*Med. Sirm. Maz.*). † Nili Senioris, abb. (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Galaction. *S. Domninus.* Inter S. Galactionem et Epistemen, conjugem ejus, perperam intercedit in Ostromirano. S. Domninus alius turmæ præcipuus certator. — Hic in Bas. et aliis synaxariis mss. jungitur cum Theotimo, Timotheo, Philotheo, Dorotheo, Carterio et Silvano, quos omnes singulatim referunt Menæa Græcorum excusa, additis SS. Eupsychio, Pamphilo et Theophilo. Fallitur sane commentator in Kal. Ostromiranum, aiens S. Domninum referri tantummodo in Kalendariis Russorum. — *S. Theodori dedicatio.* Agitur de dedicatione ecclesiæ S. Theodori Tyronis CPolitanæ, quæ a fundatore suo Σφοραχίου cognominata fuit. — *SS. Patrobas et alii.* De S. Patroba, Lino aliisque actum est die præcedenti; unde quamnam ob causam

causam ad hodiernam translati sint in Menæis Slavicis, incertum. De S. Lino hæc habet Prologus : ***Linus post Petrum summum, fuit Romæ episcopus***, quod auctores quidam neoterici temerrime negarunt. — Gregorius Alexandrinus est ille, qui in tabula figurata Papebrochii representatus cernitur ad diem 23 Novembris. — Vulgo refertur Barlaam ad diem sequentem; at hodie inscriptus est in Prologo quodam, anno 1518 exarato. Hoc eodem die in Ostr. et Mst. indicatur Evangelium de divite et Lazaro pro commemoratione cineris delapsi, quæ in Ecclesia Græca fieri solebat olim; at in Menæis Græcorum excusis et in Menologio Basilii hæc commemoratio facienda præscribitur die sequenti; in Kalendario autem Morcellii Constantinopolitano kalendis Novembris. — Pridie observatum est, Gregorium Palamam referri hoc die in *Psalterio glossato* et in Kalendario Mosquensi, quod Ecclesiæ istius asseclæ, *iedinovertsi* dicti, in usus suos, juxta exemplaria Nicone patriarcha antiquiora recudendum curaverant anno proxime elapso.

S. Gregorius Alexandrinus.

Barlaam Chutynensis.

Dies VI Novembris.

Gregorius Palamas.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Jonas, archiep. Novgorodensis.

Novgorodia patria fuit Joanni, in religione Jonæ nuncupato. Hic dum adhuc juvenis esset, parentibus orbatus a quadam vidua adoptatus fuit et diaconi cuidam traditus sacris litteris instruendus. Accidit interea loci, ut Michael Klopensis, salus, puerum quadam die forte fortuna offenderet. Eum in aëra sublevavit venerandus vir, addens hæc verba : Joannule, Joannule, studeas bene : futurum est enim ut civitatis hujus episcopus fias. Prædictionem comprobavit eventus. Mortuo namque Euthymio, hujus nominis secundo, de quo egimus ad diem 11 Martii, cecidit sors super Joannem, eo tempore in monasterio Otenensi latentem, ubi tonsuram acceperat. Quare e cella in episcopium ducitur, sedi imponitur, brevi Mosquæ a metropolita Jona ordinandus. Eminuisse in eo legitur charitas erga pauperes divinæ gloriæ zelus et humilitas. Testantur ejus studium et in laborando alacritatem templa, quæ pluribus in locis a fundamentis excitanda curavit, prædiisque, latifundiis, sacris codicibus et omni supellectili ad sacra peragenda necessaria ditavit. Ipsius quoque jussu plurium sanctorum indigenarum Officia et Canones composuit Pachomius Logotheta, S. Olgæ scilicet, Barlaami Chutynensis, Euthymii II et aliorum. Quibus dein ipsius Jonæ defuncti Vitam adjecit idem Pachomius. Tandem senio et labore gravis, cum annos tredecim Ecclesiæ præfuisset, et dignitatem metropolitanam sibi a Jona oblatam ultro recusasset, obdormivit pacifice anno 1471, die 5 Novembris. In monasterio Otenensi, in sepulchro, quod sibi paraverat ipse, conditus jacet.

Cfr 1) Prol., Menol. et Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 138.

DIES VI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria S. Pauli, confessoris (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Vind. Maz. Sirm. Mg. Med.*).
S. Lucæ Tauromenici (*Prol. Kal. cum Sirm. Mg.*). SS. septem mart. et virg., Tecusæ, Alexandræ, Polætiæ, Claudiæ, Euphrosyniæ, Athanasiæ et Matronæ (*Prol. Kal.*). Commemoratio cineris delapsi (*Prol. cum Bas. Mg. Sirm. Med.*). S. Barlaam Chutynensis (*Men. Kal. Pp. Prol.*). S. Hieronis, mart. (*Pp. Kiov.*).
† Pauli Corinthini, Sali (*Mg. Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Paulus Patr. CP.

S. Paulus, patriarcha CPolitanus et confessor, ab Arianis suo omophorio suffocatus, colitur præcipue hoc die; præterea commemoratur dominica quæ est proxima diei sextæ Novembris; ut liquet ex Synaxario Sirmundiano hujus diei. Hic idem occurrit quoque aliis diebus conjunctim cum aliis ejusdem urbis patriarchis. Apud Latinos celebratur ejus memoria die VII Junii, ad quam ejus Vita fuse enarratur in Actis Sanctorum, pag. 13 et seq. In Kalendario compendioso, quod adjectum legitur ad calcem cod. *Actorum Apostolorum* ms., vulgo *Apostolus* dicti, qui penes me est, sanctus hic confessor annuntiatur ab oscitante amanuensi hoc modo : *S. Apli et confessoris*, ubi legendum esse *S. Pauli confessoris* per se patet. Exaraverat codicem istum anno creationis 7057, a Christo nato 1549, quidam Lazarus Matveiev. Kalendarium vero quod ibidem, pro more, adjecerat, multo brevius est quam illud, quod continetur in eodem *Actorum* volumine, typis Leopolitanis anno 1654 excuso; cætera ei simillimus, nisi quod ad 3 Septembris loco SS. Anthimi et Theoctisti habeat S. Joannem Jejunatorem, et ad 25 Aprilis addat S. Marcum Evangelistam, qui in cod. Leopolitano desideratur. Huc etiam facit inscriptio slavonica quam legere est initio hujus mensis in Tabulis effigiatis Papebrochii. Continet enim laudes sancti Pauli confessoris et martyris, quas ex officio diei, auctore Theophane, ode I, deprompsit et ex parte contraxit pictor moscus. Quæ ideo græce hic prodeant : ‘Ο Παῦλος ὁ μέγιστος, τῆς οἰκουμένης ὁ ἥλιος, τρισμάκαρ προσάλλεται, σὲ Παῦλον δεύτερον, ὡς πῦρ φλέγοντα εὐτόνως τὰς αἱρέσεις, καὶ πέλεκυν κόπτοντα τὴν ἀθεότητα, ***Paulus maximus, orbis terrarum sol, terbeatus præfigurat te alterum Paulum, veluti ignis acriter comburentem hæreses et veluti securis impietates ferientem.*** Extra chorum itaque, ut aiunt, canit Kulčinius, dum putat *alludi ad jejunium Adventus, quod incipit die* XV *hujus mensis, et ad Paulum apostolum, quod jejunium in epistolis sæpe fidelibus inculcat.* (Specimen Eccl. Ruthen., pag. 157, meæ editionis.) — Licet ad hanc diem commemoretur Barlaam, de eo tamen melius agetur ad diem 19.

Barlaam, heg. Kievocryptensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Germanus, archiep. Cazanensis.

Gurio, primo archipræsuli Cazaniæ, ad sedem suam proficiscenti anno 1555, duo socii adjuncti fuerunt, Barsonophius et Germanus noster, ambo archimandritæ. De Barsonophio egimus ad 4 Octobris; unde restat ut hic pauca de Germano dicamus. Igitur Germanus, nobili Polevojorum

DIES VII ET VIII NOVEMBRIS.

Polevojorum familia oriundus, vir fuit magno ingenio morumque integritate conspicuus. Vitæ monasticæ initia, non secus ac Gurius, posuit in monasterio Volocensi, ubi sacra dogmata didicit, magistro Maximo Græco, in Fastis Ecclesiæ Mosquensis (heu! nimis) celebri. Tum lauram S. Sergii petiit, quam aliquandiu gubernavit; et postmodum monasterio Sviažecensi Assumptionis præfectus, inde ad sedem Cazanensem, per Gurii obitum viduatam, transiit anno 1564. Quam quum annos quatuor prudenter rexisset, opusque decessoris sui strenue promovisset, peste extinctus est anno 1568, die 6 novembris, in regia urbe, ubi diœcesis suæ negotia procurans morabatur. Corpus ejus, anno 1595 inventum, eodem anno Sviažscum detulerunt discipuli et in ecclesia cathedrali tumularunt.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 78. 2) Philaret., Hist. Eccl. Russ., III, pag. 45 et 47.

Barlaam, heg. Chutynensis.

Barlaam, laico nomine Alexius, divitibus parentibus Novgorodiæ natus est sæculo duodecimo. Ab infantia abstinentiam mire coluit; et mortuis parentibus, quæcunque possidebat distribuit in egenos. Factus dein monachus, sedem suam Chutyniæ fixit, quæ solitudo duobus chiliometris a Novgorodensi civitate ad flumen Volchovum posita est. Mox virtutum fama socios undique allexit. Quare ecclesiam Transfigurationis e lapidibus loco prioris ædiculæ ligneæ erexit, et monasterium instituit, quod ipsemet rexit omnium primus. Erat autem omnibus omnia factus, adeoque omnibus carus, præsertim vero Jaroslao duci et loci domino, a quo multa prædia dono accepit. Anno post fundatum cœnobium proxime sequenti, mortem appropinquare sentiens, ut fratrum bono consuleret, curavit ut quæcunque monasterio a prædicto duce Jaroslao fuerant donata, scripto firmarentur. Demum Antonio in sui locum subrogato, pie obdormivit in Domino anno 1193, die 6 Novembris, linguam ultimo solvens in hæc verba: Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Viri sanctitatem probatam volunt miraculis, continuo post secutis. Vitam, adhuc ineditam, scripsit Pachomius Logotheta, natione Serbus; cujus memini pridie.

Cfr 1) Prol. Menol. et Vers. ad h. d. 2) Supplem. ad Acta histor. t. I, n. 5. 3) Dict. hag., pag. 50. 4) Philar., Hist. Eccl., I, 146. 5) Idem, Conspect. lit., n. 75.

DIES VII.

Ex Ostromirano. PASSIO SS. MARTYRUM TRIGINTA TRIUM, MELITENÆ (HIERONIS, ETC.). (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Flor. Med. Sirm. Mg. Sirl.*).

Ex variis. SS. MM. Melasippi, Casiniæ et Antonii seu Antonini, eorum filii (*Assem. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Maz. Mg. Sirl.*). SS. MM. Aucti, Taurionis et Thessalonicæ (*Prol. cum Bas. Med. Sirm. Maz. Sirl. Mg.*). S. Theodoti, mart. (*Prol. Kal.*). S. Lazari, in monte Galisæo (*Eph. Og. Kal. Hor.*).

† Alexandri, mart. Thessalonicæ (*Maz. Mg.*). † Athenodori, fratris S. Gregorii, thaumaturgi (*Maz. Med. Sirm. Mg. Sirl.*). † Matronæ, mart. (*Hier. Nan.*).

OBSERVANDA.

SS. Hieron et soc. S. Hieronem adscripsi in titulo ex codd. Mstisl. et Ternobiensi, in quo ultimo refertur his verbis: *S. martyris Hieronis et sociorum ejus.* Cæterum nomine potius, quam re abest in Ostromirano, utpote martyrum Nicomediensium, quorum passio ibidem notatur, dux et antesignanus. Quia tamen nominatim expressus non est, ideo uncis inclusus prodiit supra. In Menologio Bas. habetur ita: *Certamen S. Hieronis et sociorum duorum ac triginta;* in Menologio Mosquensi et in Martyrologio Romano enucleatius: S. *Hieronis, Nicandri, Hesychii et sociorum triginta.* Iidem tres nominantur apud Veršinskium. Hinc minus adcurate annuntiatur in Mstisl. Rum. et Sišat.: *Passio S. Hieronis et sociorum triginta trium*, cum ponendi essent *triginta duo.* Præterea, perperam S. Hiero vocatur *Neron* in Rum. et Prologo excuso, aut *Hierax* in Synaxario Veneto, anni 1609. Ejus commilitones fuerunt SS. Eutychius et Phocas, ut uberius declarabitur ad 19 Decembris; quo iterato referuntur.

S. Theodotus. — Theodotum nominavimus non semel, 18 Maii, 7 Junii et ex marmore Neap. die 4 hujus mensis. — Menæa Græcorum excusa Lazarum annuntiant ita: *Memoria S. Patris nostri et thaumaturgi Lazari, qui in monte Galiseo certavit.* Ejus corporis translatio celebratur 17 Julii; unde colligere licet præsentem diem esse mortis ejus anniversarium. In Horologio Valachico anno 1807 Budæ impresso, pro monte Galiseo perperam positus est *Galilæus.* Lazari Vitam, auctore Georgio Cyprio, patr. CPolitano, quam tantopere desideraverat Papebrochius, publici juris fecit Boissonadius, Anecd. Græca, t. II, p. 81. Exstat officium liturgicum proprium. *S. Lazarus Galisenus.*

S. Antonius. — Codex glagoliticus Assemani hac die profert *SS. martyres Antonium et parentes ejus* primo loco, postpositis vel martyribus Nicomediensibus. Præluxisse videtur Menologium Basilii, in quo præterea leguntur nomina parentum, Melasippi et Casiniæ. — Antonius et Alexander recurrunt ad 9 Novembris, uti postridie S. Matrona. — De S. Athenodoro in Menæis Sirmundianis additur: « Ejus festum celebratur in veneranda æde S. Jacobi, fratris Domini, in ecclesia SS. Deiparæ Chalcopratiis. »

S. Matrona.

S. Athenodorus.

DIES VIII.

Ex Ostromirano. SYNAXIS ARCHANGELI MICHAELIS IN ARCADIANIS (*Omnes*).

Ex variis. S. Matronæ, mart. (*Assem. cum Bas. Med. CP.*).

† Carteresii (*CP.*). † Coronati, mart. (*Neap.*).

OBSERVANDA.

OBSERVANDA.

Synaxis S. Michaëlis archangeli.

Ostromiranus codex solus est qui indicet locum ubi celebrabatur solemnitas hodierna; licet corrupte pro Arcadianis habeat : *in Arvadianis*. Arcadiana vocabatur CPoli locus, ubi olim exstabant thermæ Arcadianæ, ab Arcadio, imperatore, qui eas exstruxerat, ita nominatæ. Cfr Cangius, CP. Christ., lib. IV, p. 98. In Mst., Par. I, Zogr. et Rum. S. Michaeli additur S. Gabriel; in Ostrog. Horol. Prol. Vind. Msq. et Menæis Græcorum excusis superadduntur omnes beatorum *Spirituum et incorporearum Virtutum ordines*. Menologium Basilii simpliciter ita : *Synaxis archangelorum;* in cod. Barberino CCXXIII et Lindenborgiano : *Synaxis Incorporeorum;* at omnium brevissime Typicon Montis Atho : *Incorporeorum* (*τῶν ἀσωμάτων*), appellatione scilicet vulgatissima. Hanc quum in Typico Montis Atho offendisset eruditissimus Spicilegii Solesmensis auctor, nunc S. R. E. cardinalis eminentissimus, ad marginem inferiorem adnotandum censuit *nil simile ad hunc diem occurrere in Menæis*. At vero contrarium colligitur ex officio solemni, quod hoc eodem die assignatur in Menæis Græcorum excusis; et cui, testibus Bollandianis, præfigitur pictura plures Angelos repræsentans, cum hac epigraphe, antiquis Græcorum characteribus expressa : Η ΣΥΝΑΞΙΣ ΤΩΝ ΑΣΩΜΑΤΩΝ, *Synaxis Incorporeorum*. Hæc in editione Menæorum antiqua. Sed idem prædicatum diserte expressum habetur in editione recentiore, tum in fronte diei, tum in titulo Synaxarii, tum denique, nec semel, in decursu officii. Constat insuper feria quavis II a Græcis inter ordinarias commemorationes cum contritionali canone jungi canonem de *Incorporeis*, utrumque a S. Josepho, hymnographo conscriptum. Ternob. Cod. abludit a cæteris; habet enim : *Miraculum quod in Chonis*. In Menologio Mosquensi, præter alia, narratur fusissime miraculum pueri in mare a monachis projecti, at in ecclesiam monasterii Dochiarii, in Monte Atho, illico translati; de quo plura dicentur postridie, quando sermo devenerit ad Euthymium et Neophytum, monasterii hujus fundatores. Quod autem post Menæa Græca Kulčinius tradit *Synaxi* hodierna significari SS. Achangelorum concordiam et conspirationem in rebellando adversus Luciferum, non vero sacrum fidelium *conventum* festi celebrandi causa, id argute magis quam sapienter dictum recte observavit Morcellius. Celebratur autem die 9 Novembris, qui mensis est post Martium ordine nonus, ut ita significentur Angelorum ordines, qui sunt numero novem. — S. Matrona referri solet in Fastis Slavicis die sequenti; hodie tamen occurrit in cod. glagolitico Assemani, in Bas. et CPolitano Morcellii. —Vide quæ de S. Carteresio disputat idem Morcellius in commentario ad hunc diem. Equidem puto non alium esse a Carterio.

S. Matrona.

S. Carteresius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Martha ducissa Pscovensis.

Martha, quæ etiam Maria nuncupatur, magni ducis Demetrii filia, Alexandri Nevensis neptis, Dormonto, Pscoviæ duci, in matrimonium data fuerat. Verum, viro mortuo, ipsa quoque mundo mori statuit, magnumque schema induta, cum sanctitatis fama obiit anno 1300. In monasterio S. Joannis Baptistæ fuit condita, ubi publico cultu honoratur.

Cfr Dict. hag., pag. 181.

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Matronæ (*Mst. Rum. Siš. Chil. Og. Pp. Men. Prol. Hor. Kal. cum GP. Msq. Pg. Sirm. Maz. Mg.*). SS. mart. Onesiphori, Porphyrii et soc. (*Men. Hor. Par. Tern. Prol. Kal. Chil. Rum. Og. Pp. cum Hier. Pg. Vind. Med. Sirm. Maz. Mg.*). S. Theoctistæ Lesbiæ (*Men. Kal. Chil. Og. Hor. Prol. cum Pg. Sirm. Mg. Sirl.*). S. Alexandri, mart. Thessalonicæ (*Rum. Kal. Prol. cum Bas. Sirm. Med. Mg. Sirl.*). S. Joannis Colobi (*Men. Novg. Kiov. Kal. Hor. Prol. cum Mg.*). S. Antonii, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Clar. Maz. Mg.*). S. Parasceviæ (*Assem.*). SS. Eustoliæ et Sosipatræ (*Prol. Kal. cum Sirm. Nan. Med. Maz. Mg. Sirl.*). S. Stephanidis (*Hitt.*). SS. Euthymii et Neophyti Dochiariensium (*Ath.*).

† Helladii (*Mg.*). † Narsetis (*Sirm.*). † Timothei et Mauræ (*Flor. Hier.*). † Memoria S. Deiparæ in Paradiso (*Sirm.*). † Encænia ædis S. Deiparæ in Protasii (*Sirm.*). † Orestis, mart. (*Bas.*). † Agrippini (*Neap.*). † Theostericti, mon. in Symbolis (*Sirm. Med.*). † Nonni, ep. (*Sirm. Med.*). † Jacobi, fratris Domini (*Med.*). † Artemonis (*Med. Sirm. Maz.*). Memoria Theodosii Magni, imperatoris (*Med. Sirm.*). † MM. Christophori et Mauræ (*Med. Sirm. Msq. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Matrona.

S. Matrona, discipula erat S. Bassiani, in cujus monasterio sub habitu virili diu latuit. De ea plura disputat Buæus in Vita S. Bassiani, Oct., t. VI, p. 80, n. 5. — Nomen S. Parasceviæ, puto Polocensis, recentiori manu et litteris Cyrilliicis adscriptum esse in cod. suo glagolitico, testis est Assemanus Kalend., t. V, p. 346. — Joannes *Colobus* seu *Parvus* unus erat e celebratioribus Nitriæ ascetis, cujus Apophthegmata norunt viri eruditi. Mirum igitur, nullam ejus mentionem fieri in antiquis Martyrologiis Latinis; sed tribuendum id, aiunt Socii Bollandiani, Dioscorianæ hæresi, quæ a medio sæculo quinto Ægyptum invasit, atque ex eo tempore christianis occidentalibus Ægyptios, utpote Monophysitos, odibiles reddidit. Græci tamen, qui patriarcham suum Alexandrinum retinuerunt, qui usque ad Photii tempora catholicus fuit, sancti nostri in Menæis Magnis iidem obliti non fuere. Ex Menæis Græcis S. Joannis nomen transiit in Menæa Slavica et in Synaxaria. In Synaxario Coptico annuntiatur *requies S. Joannis* Exigui die XVII Octobris. Plura videsis in Acta SS., Oct., t. VIII, p. 39; præterea apud Quatremère, Mémoires sur l'Egypte, t. I, p. 151 et 161.— Festum dedicationis templi, S. Deiparæ Mariæ in loco Paradiso sacri, relatum est a me ex cod. Ostromirano ad 17 Octobris, ubi de situ hujus templi dictum satis. Ex hodierna lectione antiqui cod. Sirmundiani, quod CPoli exaratum fuit, discimus, templum hoc exstitisse prope

S. Parasceviæ.

S. Joannes Colobus.

S. Deiparæ in Paradiso festum.

DIES X NOVEMBRIS.

ædem S. Mocii, adeoque in regia urbe, non autem Kioviæ, ut conjiciebat Auctor adnotationum ad Kalend. Mstislaviense et Ostromiranum. Jamvero Mociani templi situm ubertim descriptum habes apud Cangium, CPol. Christ., lib. IV, pag. 129, ed. reg. — Euthymium Dochiariensem, cujus mentio facta fuit ad 19 Augusti, commemorari hoc die simul cum Neophyto a monachis Athonitis, testatur auctor Paterici Athonici, tom. I, pag. 152. Erat is S. Athanasii Athonitæ coævus ac discipulus, atque dein monasterii Dochiarii institutor. Atque initio quidem, monasteriolum posuit in loco Daphna S. Nicolao sacrum; quod Dochiariense nominavit a munere, quod in laura Athanasii olim defunctus erat. Postmodum autem, ob Saracenorum incursiones, eo relicto, alterum excitavit in loco ubi etiamnum cernitur, illudque diu administravit, donec provectam nactus senectutem nepoti suo Neophyto, ex aulico imperatoris Nicephori Phocæ monacho, tradiderit gubernandum; ipse vero in pace mortem exspectavit. Erat porro monasterium Dochiariense unum e præcipuis in Monte Atho, habetque templum pulcherrimum nomine S. archangeli Michaelis insignitum. Cum enim cælestis ille militiæ princeps in opposita insula, quæ vulgo Longos dicitur, thesaurum mirabiliter ostendisset, quo Neophytus ecclesiæ picturam perficeret, multaque alia restauraret, priscum nomen monasterii patres cum cælestis archistrategi nomine commutarunt, S. Nicolao sacellum initiantes. Cujus thesauri occasione contigisse narratur miraculum juvenis, quem Archangelus eripuit ne in mare submergeretur; quo a monachis Dochiariensibus projectus ille fuerat suspenso ad collum lapide, ut fuse narratur tum in miraculis S. archangeli Michaelis, ad 8 Novembris, tum in Vita Euthymii et Neophyti. Puerum autem educentes angeli detulerunt continuo cum lapide a collo suspenso, et in media ecclesia deposuerunt. Quo miraculo monachorum scelus manifestatum fuit; puer vero, suscepto monastico habitu cum nomine Barnabæ, postmodum suffectus est in locum Neophyti, qui omnium calculo primarius totius Montis hegumenus creatus, in bona senectute obiit, anno dieque incerto. Cfr 1) Comneni Descriptio Montis Atho, apud Montfauconium, Palæogr. Græcæ, libr. VII, pag. 491. 2) Patericon Montis Atho, t. I, pag. 152 et seq. 3) Menolog. ad 8 Novembris; qui tamen omnes in narrando miraculo pueri mirum quantum variant. Qua occasione a castigando Joanne Comneno temperare nequeo. Hic enim, postquam origines monasterii et miraculum pueri paucis attigisset, pergit ita : *Profectus autem in montem Romanus Papa, iratus in Orthodoxos Romanos, maximeque in Calogeros, tyrannica motus invidentia, cum piissimos patres sibi non obtemperantes esse comperisset, ipsos inde ejecit, monasterium penitus devastavit, sacra vasa omnia et indumenta diripuit.* (Loc. cit., pag. 490.) Jamvero id de Saracenorum incursionibus intelligendum, adeoque Comnenum impudenter mentitum esse, manifestum fit vel ex ipsis auctoribus, qui, æque ac ille *orthodoxi*, fere eisdem verbis id Saracenis tribuunt; Romanum pontificem, si possent, procul dubio dictarum deprædationum insimulaturi.

Euthymius et Neophytus Dochiarienses.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Onesiphorus, mon. Cryptensis.

De hoc viro, quemadmodum de aliis pluribus, solemnis est apud auctores indigenas hæc dictio : Vita ejus desideratur in Paterico, nec aliud quidquam noscitur, nisi quod corpus ejus in cryptis Antonii quiescit. Habet Onesiphorus in Officio monasterii Cryptensis hanc diem sibi propriam.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 217.

DIES X.

Ostromiranum. Ex variis.

Vacat.

S. Jacobi Alphæi (*Mst.*). SS. apost. Olympæ, Herodionis, Sosipatri, Erasti, Tertii et Quarti (*Par. Zogr. Rum. Siš. Og. Eph. Hor. Kal. Men. Prol. cum Bas. Pg. Msq. Maz. Mg. Sirl.*). S. Orestis, mart. (*Men. Prol. Tern. Zogr. Kal. cum GP. Hier. Nan. Flor. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). S. Milis, ep. Persiæ et mart. (*Kal. Prol. cum Mg. Sirl.*). S. Nili (*Tern. Par. I, Zogr. cum Nan. GP. Pg. Mg.*). S. Constantini Iberi, mart. (*Iber.*). S. Theostericti in Symbolis (*Kalend. Horol. cum Mg. Med. Maz.*).

† Calliopii, Nerei et Orionis (*Mg. Sirm. Maz. Med.*). † Natal. S. Theodosii, imper. (*Neap.*). † Joannis Eleemosynarii (*Goth.*). † Ephræm, ep. Uniæ (*Sirm.*). † Nonni, ep. (*Mg. Med.*). † Martini, ep. Turonensis (*Sirm. Maz. Mg. Med.*). † Lazari (*Med.*). † Mauræ et Timothei (*Med. Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Jacobus Alphæi.

S. Jacobum refert solus cod. Mst. Cæteri die 9 Octobris. —

SS. Olympas et soc.

Miro modo torquent synaxaristæ S. Olympæ et soc. nomina. In Rum. Olympas audit: *Alumba;* in Ephem. : *Alypius;* Tertius mutatus est in Rum. in *Terentium;* Erastes in *Arestem;* Herodion in *Rodivonem.* De Sosipatro vide dicta ad XXVII Aprilis. Qui omnes ideo forsan conjuncti sunt, quia eorum reliquiæ in aliqua CPolitanarum ecclesiarum insimul requiescunt. —

S. Orestes.

S. Oresti, martyri, assignatur in Bas. dies IX. In Sirmundiano legitur : *Certamen S. Oresti, Bati,* (τοῦ ἐν τῇ Βάτῃ). —

S. Nilus.

S. Nilus, monachus, refertur ab aliis ad XII Nov.; at hodie legitur in Kalendario Hier. perantiquo et in Zographiensi glagolitico. Nili nomine insignitur quandoque, licet minus recte S. Miles, ep. Suzæ, qui commemoratur insuper in Bas. die 13 Novembris, quo martyrium consummavit una cum duobus sociis (nam plures non habuit) Abrosymo, presbytero, et Sina, diacono; Bollandiani tractant de eo ad XXII April., t. III, pag. 19, et iterum Oct. VIII, pag. 840, in Martyrio S. Barsabiæ; uberrime denique Assemanus, Act. Orient., t. I, p. 65 et seq. —

S. Joannes eleemosynar.

In aliis cod. mss. S. Joannis memoriam celebrari die XII, testatur Matthæi. —

S. Calliopius.

S. Calliopio in Sirm. additur: *Orestes.* —

S. Constantinus, martyr Iberus.

Apud Iberos coli hodie Constantinum quemdam, martyrem, auctor est Bessarion in Vitis sanctorum Iberiæ, qui etiam sequentia de eo tradit : virum fuisse pietate ac præsertim misericordia erga pauperes egenosque conspicuum; dum autem loca sacra summa pietate lustraret, sanguinis sui, Salvatoris exemplo, effundendi desiderio exarsisse, adeoque in Kachetiam, patriam suam, quæ ea ætate Arabum jugo premebatur, properasse.

S. Miles ep. et mart.

properasse. Mox, seditionis insimulatum comprehensumque, Tiflissio Bagdadum fuisse abductum atque a Khalifo Djafar Christo renuntiare jussum. Quod quum nunquam se facturum intrepidus affirmasset, diu varie tentatum, tandem capite plexo gloriosum martyrium consummasse, anno post Christum natum 946, die 10 Novembris; quo ideo veluti martyr colitur ab Iberis. Ejus Acta, ab auctore quodam anonymo græce conscripta, regnante S. Theodora imperatrice, commemorantur a Bessarione; a quo sua mutuatus est Muraviev. Qua occasione notabo, diem præsentem esse S. Georgio martyri sacram, si fides adhibeatur cl. Brosseto Juniori; qui insuperaddit mensi Novembri inde adhæsisse cognomen *Georgiani*. Chron. Iberiæ, introd.. pag. XI. DIES XI NOVEMBRIS.

DIES XI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

PASSIO S. MENNÆ, MARTYRIS (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Sirm Sirl. Mg. Med. etc.*).

SS. MM. Victoris et Stephanidis (*Men. Mst. Zogr. Tern. Prol. Hor. Rum. Siš. Og. Pp. etc. Kal. cum Bas. GP. Vind. Pg. Sirl. Med. Mg. Cyth.*). S. Vincentii, diaconi, mart. (*Iidem*). S. Theodori Studitæ (*Chil. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Nan. Pg. Sirm. Maz. Mg. Med. Sirl.*). S. Stephani Dečanensis (*Apost. Chil. Euchol. Serb.*). B. Maximi Sali, thaum. Mosci (*Kal. Pp.*). S. Thimothei, ep. (*Serb.*). Martyrii, hegumeni Zelenecensis (*Hag.*).

† Martini, ep. Turonensis (*Neap. Sirm.*). † Antonii Junioris et Jacobi, eremitarum (*Vindob.*). † Draconæ, mart. (*Med. Maz.*). † Bartholomæi, abb. Cryptæ Ferratæ (*Itg.*). † Mennæ, mon. (*Itg.*). † Vigilia Joannis Chrysostomi (*CP.*).

OBSERVANDA.

S. Mennas.

Magni martyris Mennæ *passionem* seu certamen recolunt hodie Fasti Græci et Slavici; in quibus præterea consignatur translatio corporis ejus ad 17 Februarii. In Menologio Mosquensi legitur ejus vita, Metaphrastis nomine inscripta; in officio vero diei canon S. Joannis Damasceni. —

S. Theodorus Studita.

Celeberrimi Theodori Studitæ memoriam solemniter venerantur hodie Græci; in cujus laudes canonem conscripsit Theophanes, hymnographus. In Martyrologio Baronii prætermissus, dein, Urbani VIII jussu, adscriptus fuit, idque jure merito, utpote optime de fide catholica et de sede Romana meritus. —

S. Martinus ep. Turonensis.

Martinum, *episcop. Franciæ*, adeoque Turonensem, diserte exhibent Menæa Græcorum excusa, die sequenti. In Sirmundiano Synaxario perperam dicitur ep. *Terracinæ;* cui addidi marmor Neapolitanum, quamvis in eo proferatur solum nomen Martini, sine alio additamento. —

S. Antonius.

Antonius, primum quidem monachus monasterii S. Sabæ, Hierosolymitani, postea autem eremita, teste auctore Vitæ ejus synchrono, quem citat Lambecius, Codd. Vindob., lib. VIII, nº 28. Idem auctor anonymus tradit S. Antonium obiisse tertio idus novembris (τῇ πρὸ τριῶν εἰδῶν Νοεμβρίων); meminitque in decursu narrationis S. Jacobi cujusdam, ex episcopo Anchiali anachoretæ, ab Antonio inventi, tempore Tarasii, patriarchæ. Binos hos sanctos, Antonium scilicet et Jacobum, in Martyrologiis Latinis se frustra quæsivisse fatetur Kollarius, in adnotatione ad citatum locum commentarii Lambeciani (pag. 642).

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Martyrius heg. Zelenecensis.

Floruit Martyrius, laico nomine Menas, sæculo XVI, honestis parentibus in civitate Velicolucensi natus. Quibus defunctis, a Bogolepo seu Theoprepio, presbytero, educatus, ubi ad maturam ætatem pervenit, monasticum institutum amplexus est in cœnobio Tichvinensi; mox tamen hominum frequentiam pertæsus, in solitudinem secessit, sedemque in insula quadam, mediis in paludibus sitam, fixit. Verum ne hic quidem latere potuit, brevique socios nactus est; in quorum usum positis cellis ligneis, ædiculam exstruxit de nomine B. Mariæ Annuntiatæ, fratrumque rogatu sacerdotale onus cum hegumeni munere suscepit. Postmodum beneficio Simeonis, Cazanensis regis, cujus filium morientem sanitati restituerat, imposita pectori imagine B. M. Tichvinensis, in honorem ejusdem Deiparæ, quam tenero affectu prosequebatur, ecclesiam lapideam excitavit; ac reliquum vitæ suæ procul ab hominum frequentia degit. Obiit anno 1603, die 1 martii, conditus in tumulo quem effoderat ipse. Colitur tamen 11 Novembris, non ab universa Ecclesia, ut temere asseverat Muraviev, sed in quibusdam tantum Pscovensis Ecclesiæ locis; quem ideo frustra quæras sive in Menologio, sive in Prologo, nedum in Typico. Ejus Vitam, addito canone, conscripsit Cornelius, archiep. Novgorodensis, non diversam, ut puto, ab ea, quam ex codice quodam ms. sæculi XVIII nuper vulgavit Nicolaus Kostomarov, in Monumentis litt. Russ. antiquioribus, tom. IV, pag. 52 et seq., sequenti titulo donatam : *Mensis martii die* 1, *Vita et conversatio venerabilis Patris nostri Martyrii, hegumèni, qui in eremo Zelenecensi* (*seu Viridi*) *dicta, in finibus magnæ Novgorodiæ, cœnobium vivificantis Trinitatis instituit, regnante Joanne Basilide, totius Russiæ autocratore.* Est autem hæc narratio prolixo stylo exarata, visionibus aliisque rebus mirabilibus referta; quas pleno ore, nullaque adhibita crisi, ut solet, refert Muraviev in Vitis SS. ad hunc diem; at quas serius lector quisque inter somnia et pias hallucinationes non immerito collocabit.

Cfr 1) Monum. litt. Russ. antiq., t. IV, pag. 52. 2) Murav. ad h. d. 3) Dict. hag., pag. 160, ed. 1862. 4) Buslajev, Očerki, etc., tom. II, p. 391.

Stephanus Dečanensis, rex Serbiæ.

Stephanum Dečanensem filium nothum fuisse Stephani Milutini, de quo nos seorsim egimus ad diem octobris trigesimam, testantur litteræ papæ Joannis XXII et auctores plurimi. Apud patrem injuste accusatus, quod regni gubernacula ei præripere clam moliretur, apprehendi jussus est et luminibus orbari, pelvi ardente admota. Dein, Constantinopolim relegatus circa annum 1317, in monasterio Pantocratoris septem annos detentus est. Patienter tulisse adversa omnia perhibetur infelix princeps, in oratione multus

Dies XI Novembris.

tus, adeoque et Deo gratus et monachis conviventibus venerabilis. Quin et imperator Græcorum Andronicus frequenter eum colloquendi causa invisebat, (erant namque sanguine juncti), ejusque monitis Acyndini hæresim, quæ eo tempore per imperium grassabatur, cohibuit, atque ea ratione Ecclesiæ Byzantinæ pacem reddidit. Mortuo interea Stephano Milutino, anno nempe 1321, regnum vi et armis vindicare sibi conati sunt Vladislaus et Constantinus, Dragutini filii. Quo bello quum fratrem suum tandem debellatum intercepisset Vladislaus, et immanitate inaudita in partes dissecuisset, ita universorum procerum populique animos a se amovit, ut Stephanum Constantinopoli evocarint, malentes cæco potius ac notho, quam tantæ crudelitatis principi se regendos submittere. Ergo mitem principem in solium evehunt, natalium vitium virtute compensaturum. Crevit in immensum gaudium, postquam compertum est, Stephanum, quem cæcum crediderant, visu etiam pollere. Non quod cæcitatem prudenti consilio simulasset, ut quidam tradunt, cum certissimum sit Stephano visus aciem ardenti pelvi infirmatam fuisse, sed quia depulsa fuit cæcitas divi Nicolai precibus et intercessione, ut Chronicum quoddam Serbicum refert his verbis : « Cum aliquando Stephanus in æde sacra vigiliis nocturnis vacaret, et vita sancti Nicolai legeretur, secundo visendum se ipsi sanctus præbuit, visumque restituit. (Prima scilicet vice apparuerat ei sanctus Constantinopolim petenti, in loco Ovče polye nuncupato, dicens : Noli temere, Stephane! oculi tui in manu mea sunt. Stephanus, de recepto miraculo adhuc dubius, velum, quo oculi tegebantur, detraxit, et cum clare videret omnem ecclesiam, dictis Deo et sancto laudibus, rursum se velo contexit, clam prodigium habiturus, dum Deo aliud placuisset. » Monasterio igitur eductus, defuncto patri in regenda Serbia subrogatus est anno 1322. Anno vero sequenti mense julio, offerenda curavit in æde S. Nicolai Barensi opus altaris seu magnam iconem argenteam, lampades et candelabra magna de argento cum tabula marmorea, perpetuæ gratitudinis monumento, quod Orbini ætate adhuc prostabat. Præterea ad fluvium Bystrizam non longo a pago Decan ecclesiam Ascendentis Domini miro ornatu fulgentem exstruxit; unde et Dečanensis cognomen ei mansit; atque ad latus ejus basilicæ dextrum, templum divo Nicolao sospitatori sacrum posuit; addito hospitio, in quo ægrotorum multitudo aleretur. Continuo post, ut sese adversus hostes domesticos muniret, Philippum Tarentinum principem sibi devinxit, filia ejus Blanca in uxorem expetita et auxilio ad imperium Constantinopolitanum oblato. Quibus consiliis ne religionis diversitas obsisteret, per Tarentini principis legatos rogavit Joannem XXII papam, ut se cum clero, nobilibus et populo in Ecclesiæ catholicæ gremium reciperet et legitimationis concederet diploma, quo ipse rite regnum possideret sibique filii succederent. Delegavit pontifex Bertrandum, Brundusinum episcopum, cum aliis pluribus præclaris viris, qui Stephani votis satisfacerent. Exstant autem etiamnum redintegratæ communionis monumenta, et pro certo statui potest regis exemplum, ad unitatem redeuntis, plurimos fuisse imitatos. Rexit deinde Stephanus Russiam, Diocleam, Albaniam, Bulgariam et omnes partes maritimas a Culpho Adriæ usque ad Dalmatiam (harum saltem regionum se regem dicebat) cum omnium laude; erat enim timore Dei plenus; in egenos vero adeo misericors, ut, aliorum manibus non suppetentibus, ipsemet eleemosynas erogaret; eaque de causa quavis nocte palatio egrediebatur. Erat insuper æquitatis et pacis studiosissimus, nec nisi coactus omnino bellum indixit Bulgaris et Græcis, regnum invadentibus, circa annum 1330, idque feliciter perfecit. Licet autem tot tantisque curis distineretur, in orationis studio eatenus profecit, ut ab illustrioribus illis pœnitentiæ cultoribus, quibus mundus cum carne fuerat crucifixus, parum differre videretur. Accepit quoque a Deo cum spiritu orationis lacrymarumdonum. Itaque cum multos annos gentem sibi a Deo concreditam optime rexisset, atque Michaelem, Bulgariæ regem, et Andronicum III, imperatorem, devicisset, Stephanum, filium suum, cognomento Dušanum, ob operam in eo bello præclare navatam et in victoriæ præmium Zentana regione donavit. Quem ibi, procul a patre degentem, cum proceres seditiosi ad arripiendas regni habenas diu frustraque sollicitassent, tandem regem suum acclamant, obluctantem licet et invitum; patrem vero senio jam confectum e medio tollere statuunt. Imminere sibi mortem comperit pius rex a divo Nicolao, suo patrono. Hic enim tertio jam ei apparuisse fertur, et ut judicem mox venturum paratus exciperet, annuntiasse, mortis etiam genus cædisque locum prædixisse. Quæ cædes facta est anno 1333, die undecima novembris. Dum se ad Pebicæ castrum venatione oblectabat, a factionis capitibus ex improviso adortus, in carcerem detrusus ibique strangulatus est; invito, ut quidam volunt, at furori procerum resistere non auso filio; ut autem affirmant alii, non connivente solum, sed et jubente. Utut est, proborum dolore gravissima passum et sacrilega demum nece sublatum Stephanum Dečanensem indubia res est, sanctimoniam ejus etiam Latinis Scopiæ archiepiscopis judicio suo attestantibus. Martyr appellatus sit pro communi illius tempore more, quod non quidem pro pietate, sed cum pietate cruentam mortem subivit. Cultui ejus addictus est dies XI Novembris. Venerandum corpus religiose conditum fuit in monasterio Dečanensi, quod regia liberalitate fundaverat ipsemet, quodque mortuus miraculorum fama multo magis, quam auro et argento vivus reddidit clarum. Inter prodigia quæ ad sancti regis tumulum patrantur, illud pervulgatum memoratur, quod in causis dubiis, ac teste destitutis, cum partes ad divi corpus se invicem oblato juramento provocant, quisquis perjurio se obstrinxerit, sacris ædibus incolumis sanusque haud excedat.

Cfr 1) Vita et conversatio S. Stephani Dečanensis, auctore Gregorio Semivlacho, in Glasnik, t. XI, pag. 43-75. 2) Menæa Veneta,

Veneta, an. 1538 ad hanc diem. 3) Prologus ad 9 Maii. 4) Pejacevič, Hist. Serbiæ, pag. 252 et seq. 5) Raič, Histor. popul. Slav., lib. VII, cap. x et xi. 6) Assemani, Kalendaria, t. V, pag. 54 et seqq. 7) Muraviev, Vitæ SS. ad diem 30 Octobris. 8) Farlati, t. VII, pag. 68 et 69.

Maximus Mosquensis, salus.

Obiit Mosquæ, anno 1434, die 11 novembris; coliturque præterea ad diem 13 Augusti, qua corpus ejus fuit levatum, et in ecclesia, ipsius nomine dicata, conditum. Degit Mosquæ ubi eximiis virtutibus eminuisse dicitur, aliorum Salorum sui temporis exempla æmulatus, Michaelis Klopscii, Isidori Rostoviensis de quo dicetur modo, et Joannis Ustiugensis.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Joannis Eleemosynarii (*Mst. Tern. Prol. Zogr. et cæteri cum Bas. Hier. GP. Vind. Pg. Flor. Msq. Sirm. Maz. Mg.*). S. Nili, jejunatoris (*Men. Chil. Apost. Prol. Hor. Pp. Kal. cum Goth. Msq. Sirm. Mg. Med.*). S. Achiæ, proph. (*Prol. Kal. cum Mg.*). S. Josaphati, archiep. Poloc. et mart. (*Itg.*). S. Parasceviæ, abb. Polocensis (*Ath.*). [Nili, mon. (*Ath.*).] Joannis Rostoviensis (*Hag.*) † Arsacii, mart. et Victoris, mon. (*Neap. Med. Sirm.*). † S. Martini, ep. Turonensis et conf. (*Bas. Med. Maz. Mg.*). † Dedicatio oratorii Abba-Cyri (*Sirm.*). † Leonis et Flaviani, patr. CP. (*Med. Sirm.*). † MM. Antonii et soc. (*Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Joannes Eleemosynarius.

Baronius in notis ad martyrologium suum ad 23 Januarii minus accurate pronuntiavit S. Joannem Eleemosynarium coli a Græcis eodem die. In quodam Synaxario, Leopolitano sæc. xv, bibl. S. Onuphrii, traduntur sancti viri miracula numero unum et triginta. — In Breviario Basilianorum Italo-Græcorum festum B. Josaphati optime annuntiatur his verbis : *Vitebsci in Polonia passio B. Josaphat ord. S. Basilii, archiep. Polocensis, qui a schismaticis in odium catholicæ unitatis et veritatis crudeliter interfectus est.* De glorioso hoc martyre dictum est tum ad 16 Septembris, quo festum ejus translatum fuit ex præcepto synodi Zamoscianæ, tum ad 2 Novembris, quo expresse nominatur in quibusdam Fastis Ruthenorum catholicorum; quamvis supremus ei dies fuerit non 2 sed 12 Novembris. Quapropter ad præsentem diem distulimus ampliorem de eo notitiam, in *Memoriis* inferius proponendam, opportuniorem præstolantes occasionem, qua, Deo favente, possimus ipsammet Vitam, a Jacobo Susza, episcopo Chelmensi, latine exaratam, in lucem iterum dare et debitis commentariis illustrare. — S. Parasceviæ, abbatissæ Polocensis, nomen inscriptum reperio in Anthologio Leopolitano, ad hunc diem, quo migravit ad Dominum. De ea fuse actum die 28 Octobris. — Floruit Nilus sæculo XVII, solitarie degens in Monte Atho; de quo vulgaria prorsus traduntur in Paterico Athonico, t. II, p. 123. — Quisnam fuerit et unde venerit iste Joannes, cognomento *Trichinas* aut *Eleemosynarius*, incertum; nobili tamen genere eum ortum esse et litteris excultum fuisse, conjicere licet partim ex psalterio, quod una cum aliis rebus in ipsius sepulcro repertum est; partim ex inscriptione, tumulo superposita; ex qua præterea eruitur eum obiisse die tertia septembris, anno 1581. Porro degit Joannes Rostoviæ, ad instar mendici aut potius pro Christo fatui, sub dio cubans, ex eleemosynis victitans, in orando assiduus, jejuniorum, castitatis et humilitatis studiosus. Sepultus est in ecclesia S. Blasii, prope urbem. Cfr 1) Act. SS., t. I Maii, p. 63. 2) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d. 3) Dict. hag. pag. 118, ed. 1862.

S. Parascevia Polocensis.

Nilus Athonites.

Joannes Rostoviensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

B. Josaphat, archiep. Polocensis et martyr.

Josaphat, in sacro baptismate Joannes, nobilibus parentibus, Gabriele et Marina, Vladimiriæ in Volynia natus est anno Domini 1584. Inde a pueritia piis moribus institutus adeo præmaturum ad religionem ostendit ingenium, ut vacaret assidue orationibus, aut depingendis formandisque sanctorum imaginibus; tamdiu interdum in sacris ædibus commorans ut absentiæ suæ sollicitos redderet parentes. Quocirca tanquam exemplar virtutum cæteris etiam provectioris ætatis adolescentibus proponebatur. Quadam die cum puer admodum in ecclesia Christi cruci affixi imaginem studiosius intueretur, spectantibus parentibus, prorumpens ex ea imagine scintilla et ad pectus pueri delapsa, eum ad insignem futuræ sanctimoniæ gradum initiavit. Adultior, post aliquot annos in famulatu divitis mercatoris Vilnensis cum summa pietatis commendatione peractos, licet ab eodem in filium adoptatus fuerit, tamen sprevit omnes divitias; et, nullo duce, solius Dei instinctum secutus, monasticam regulam amplexus est anno 1604, ætatis vigesimo, in ordine S. Basilii, in æde scilicet S. Trinitatis Vilnensi; quam Unitis nuper attributam, sed desertam pene ac ruinæ proximam, reperit. Orationi et jejuniis deditissimus, humicubatione varioque pœnitentiæ genere corpus jugiter domabat, lumbos cingulo ferreo cinctus, aquæ potu per quinquennium contentus, a carnibus autem per totum vitæ decursum abstinens. Virgini Deiparæ sese totum devoverat; cui non solum aras dein erigere, festivitatesque solemniter obire curavit, sed et semetipsum exactissimum castitatis observatorem exhibuit. Mulierculam, ab hostibus subornatam ac seducere se conantem, fuste verberatam fugavit. Sacris initiatus, disciplinarum sacrarum lectioni et meditationi impensius indulgebat; erga pauperes summe misericordem sese exhibuit; in lucrandis vero peccatorum animabus, præsertim acatholicorum, tanto zelo, tantaque peritia excelluit, ut ab Unitis *flagellum schismaticorum*, ab aliis *raptor animarum* vulgo nuncuparetur. Nam quamvis nullius alterius linguæ quam vulgaris patriæ et slavonicæ gnarus esset, ita tamen cujusdam doctoris theologi privata instructione profecerat, ut nemo felicius sanctæ Unionis adversarios refelleret; unde pertinacissimos quosque parvo negotio Unioni adjungebat, argumentis ex Russorum

Dies XII Novembris.

Russorum libris liturgicis potissimum usus, quæ etiam in volumen redigi curavit; titulo *Defensionis Unionis*. Propterea ex non Unitis quidam, advertentes quantum auctoritatis sanctæ Unioni ab ejus æstimatione apud plebem accederet, in suas partes eum omnimode pertrahere conati sunt; at ille constanter omnes conatus adversariorum repulit. Monasterio præpositus, omnia officia solus interdum sustinuit. Quadam die, pane in elecmosynas distributo, ita ut nil ad prandium superesset, precibus Deum exoravit, et mox copiosam annonam, ab ignoto peropportune submissam, obtinuit. Paulo post cum Josephus Velaminus Rutscius, deinceps Ecclesiæ Kioviensis metropolita ab anno 1613, animum ad Unionem Russorum cum sede Romana procurandam et disciplinam ordinis S. Basilii inter Unitos instaurandam adjecisset, socium se omnium laborum indefessum exhibuit. Monasterio Byteniensi ordinato, Zyroviciis vero templo et cœnobio a fundamentis exstructo, in locum Josephi creatus est archimandrita Vilnensis, ac brevi post coadjutor factus est Gedeonis Brolnicki, archiepiscopi Polocensis. Quo mortuo, Polocensem cathedram ascendere coactus est anno 1619, maximopere invitus. Tanta autem dignitate auctus, nihil de prioris vitæ austeritate remisit, sed majori Dei gloriæ procurandæ totus incubuit. Clerum sibi subditum synodis annuis reformavit; ecclesiarum jura et episcopalem jurisdictionem strenue tutatus est; imprimis autem unitatem fidei, pro qua vel sanguinem suum profundere erat paratissimus, in diœcesi sua firmare ac propagare curavit eo successu, ut duorum annorum spatio vix aliquod præteritæ discordiæ vestigium remaneret. Triginta millia florenorum, a Non-Unitis sibi oblata, ut sineret ecclesiarum regimini sacerdotes non-unitos præfici, respuit indignabundus, animarum salute, non pecunia opus sibi esse, inquiens. Quem integerrimi zeli ardorem ægerrime ferentes unitatis ecclesiasticæ hostes, insidias struere ei non desistebant, instigante potissimum Meletio Smotricio, qui cum a Theophano, patriarcha Constantinopolitano, Polocensis archiepiscopus designatus esset anno 1620, Josaphati cathedram usurpare secum omnino statuerat. Quare non semel Josaphatus ad necem quæsitus est. Voti tandem sui compotes facti sunt. Beatus enim martyr, licet mature monitus Vitebsenses cives in suam cædem conspirasse, infracto tamen ad quævis pericula pro sancta Unione subeunda animo, Vitebscum venit cum parvo comitatu. Itaque summo mane diei dominicæ, quæ fuit duodecima Novembris, cum domum suam oppugnari, familiamque invadi intellexisset, ex interiori cubiculo, ubi preces fundebat, ad parricidas progressus, ab uno eorum securi in capite percussus, dein glande pyrobolo excussa transverberatus, gloriose occubuit die novembris duodecima, anno 1623. Corpus ejus nudatum, ludibriis expositum et per urbis compita tractum, demum e proximo monte in præterlabentem Dunam præcipitatum ac in profundiore fluminis alveo, appenso lapide, submersum, sexta die post clerus Polocensis in ecclesia cathedrali S. Sophiæ, quam collapsam pius antistes ingenti sumptu instauraverat, incredibili populi concursu honorificentissime sepeliendum curavit. Mox miraculis clarum, inter quæ non ultimum sane locum obtinet Meletii illius ad Ecclesiam catholicam reditus, Urbanus VIII beatorum martyrum agmini per solemne edictum adnumeravit anno 1642, indicta ad cultum ejus die duodecima novembris, novo stylo. Verum anno 1721 festivitatem ad diem Septembris decimam sextam fixit et sub præcepto celebrari in universa Unitorum Ecclesia statuit synodus Zamosciana, approbante pontifice Romano.

Cfr 1) Cursus vitæ et certamen martyrii, etc., auctore Jac. Susza, ep. Chelmensi. 2) Relatio auditorum Rotæ, in appendicibus ad libros Benedicti XIV de Canonizatione Sanctorum. 3) Il diaspro prodigioso, auctore Kulčinio, part. III. 4) Specimen Eccl. Ruthen. pag. 40 et seq. 5) Proprium Poloniæ et Sueciæ, pag. 101, Campoduni, 1856. 6) Kojalovicius, Miscellanea sacra, pag. 69 et seq. 7) Saulus et Paulus Ruthenæ Unionis sive Meletius Smotricius, auct. Susza. 8) Stebelski, Chronolog., passim. 9) Kojalovicius, Unio Lithuana ecclesiastica (russice) t. II.

B. M. V. Zyrovicensis.

Quia de monasterio Zyrovicensi, quod imagine B. M. V. miraculosa inclaruit, sermo incidit in Vita beati Josaphati, non abs re fore existimo, si de icone hac thaumaturgica pauca hic subjungam; idque eo magis, quod ad diem 7 Maii, quo peculiariter colitur quotannis, nihil dictum fuerit. Zyrovicium itaque pagus est palatinatus Novgorodecensis, in magno Ducatu Lithuaniæ; in quo exstabat præter ædem, pro gentis more, venustam et grandem, monasterium quod regulam S. Basilii Magni professi, sedique et fidei Romanæ uniti, cœnobitæ incolebant inde a temporibus B. Josaphati. In templo etiamnum servatur imago jam dicta, lapidea, molis exiguæ, atque ut nonnulli putant, e jaspide griseo; in cujus ambitu sequens legitur inscripto ex liturgia S. Joannis Chrysostomi slavonicis litteris expressa : *Te, venerabiliorem præ Cherubim, et gloriosorem præ Seraphim, quæ sine labe Verbum Dei peperisti, veram Deiparam, magnificamus.* Hanc in vicina silva Zyrovicensi (a voce *Zyr*, Latinis *pascua*, nuncupata) invenere pastores piro insistentem, absque fulcro et fulgentissima luce radiantem. Inventa est non sub annum 1566, ut minus adcurate mandavit ad Gumpenbergum Albertus Kojalovič, nec anno 1191, uti patenti et immani anachronismo tradidit Demetrius Debolski, protopresbyter, domo russus; sed intra annos 1470 et 1480, teste Kulčinio aliisque auctoribus ab eo citatis, qui de hoc argumento scripserunt ex professo. Unde illuc allata fuerit, penitus ignoratur; tradunt namque, ab angelis de cælo deportatam et in sylvis relictam. Illud pro certo habendum, quam plurimis miraculis coruscasse; quorum fama non Lithuaniam tantum, sed et Albam Russiam et Poloniam Lithuanis contiguam traxisse; præsertim ex quo illata fuit in templum, ab illustrissimo Alexandro Soltano, ordinis Hierosolymitani et Aurei velleris equite, locique domino, perbelle, ut dixi, exstructum. Jamvero venerationi et cultui B. Virginis augendo non parum consuluit beatus martyr Josaphat, et quam secum Zyrovicium adduxerat sacra Basilii familia, tot martyribus

martyribus ob cultum imaginum passis jure merito clara. Porro non in Lithuania tantum, sed et Romæ cultum obtinuit imago Zyrovicensis, vulgo *del Pascolo* dicta, ut fuse tradit Kulčinius, in opere inferius citando. Pulchre totius rei summam sequenti oratione expressit in *Anno* suo *Cælesti* ad 15 Augusti, Joannes Nadasi noster : *Sancta Maria Zyrovicensis, cujus festum in Lithuania hac die celebratur, quam in silva in arbore piro sine fulcro pendentem lux prodidit; quæ inde ablata, eodem sponte tua rediisti, postea igne omnia circumpasto, illæsa permansisti; quæ quibusdam hæresi, aliis gravi quopiam peccato infectis visa es veluti tenebroso quopiam velo obducta, cum tamen iisdem, dum post rite obita Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta te aspicerent, pulcra et amœna esses : dele, Domina, dele quidquid in me displicet oculis tuis, quidquid potest tenebras offundere oculis cordis mei.* Unde discimus insuper peculiariter hanc imaginem cultam esse etiam 15 Augusti.

Dies XIII et XIV Novembris.

Cfr 1) Kulčinius, Il diaspro prodigioso, parte I et III. 2) Gumpenberg, Atlas Marianus, pag. 286. 3) Dobolski, Dni Bogosluženia, tom. I, pag. 140.

DIES XIII.

Ex Ostromirano. Obdormitio S. Joannis Chrysostomi, archiep. Constantinopolitani (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. etc.*)

Ex variis. SS. mart. Antonini, Nicephori et Germani (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm.*). S. Manethæ, virg. et mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Med.*). S. Abibi, episc. Necressensis et martyris, in Iberia (*Iber.*). [Damasceni, mon. (*Ath.*).]

† Zebenæ, mart. (*Maz. Med.*). † MM. Milis, ep., Eboræ, papæ, et Seboæ seu Senoci, diac., in Perside (*Bas. Sirm. Med.*). † Hypatii, ep. Gangræ et mart. (*Sirm.*). † Thomæ Junioris, patriarchæ CPolitani (*Sirm.*). † Quintiani, ep. Seleuciæ (*Sirm.*). † Commemoratio omnium monachorum ordinis S. Basilii Magni (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Joannes Chrysostomus. S. Joannes Chrysostomus obiit 14 Septembris. Itaque non obitus ejus celebratur hodie, sed reditus ex exilio, et quidem tertius, ut fuse prosequitur Morcellius in commentariis ad Kal. CPolitanum; in quo reapse signatur non *dormitio*. sed tantummodo : *memoria* sancti pontificis. In Prol. Rumiantsoviano distinctius : *Memoria exilii S. Joan. Chrysostomi;* ut in Menologio Basilii.

S. Manethæ. Vitam ejus prolixe refert Prologus. — Manetha seu Manethon jungitur in Bas. cum S. Antonino et duobus aliis sociis ejus, æque ac cum S. Zebena.

S. Milis et socii. — Vide ad x hujus quæ dicta sunt de S. Milo, ep., ejusque duobus sociis. Addo encomium quod legitur in Menol. Basilii, licet breve sit, tamen pluribus scatere mendis; nec omnino cohærere cum prolixiori elogio Menæorum. Est autem præsens dies, juxta Acta Syriaca, martyrii ejus anniversarius; ad quorum fidem emendanda sunt Acta Græca æque ac Slavonica. Menologium Bas. corrupte legit *Eboram* pro Abrosimo, et *Seboam* pro Sina. Nomen autem *Papæ*, non proprium est, sed appellativum, ut, juxta hodiernum Græcorum morem, sensus sit : *Eboræ, papæ* seu *presbyteri*. — Inter varios dies quibus in Fastis Ibericis adscriptus est S. Abibus, ep. Necressensis et martyr, sæculo quinto passus, hodiernus ideo præplacet, quod morti ejus, quæ, teste Muravievio, contigit 12 Novembris, quam proximus sit, imo forsan ipsiusmet martyrii anniversarius; nam quod die 12 Nov. certasse dicitur a Muravievio, id parum movet, quum nuspiam consignatum sit in Fastis; ad diem vero 13 Novembris S. Abibus expresse commemoratur post S. Joannem Chrysostomum in Synaxario Iberorum recentiore, quod citat Brosset Junior, in Prolegomenis ad *Chronicon Ibericum*, pag. xxviii; et in alio Synaxario quod citatur ibidem rursus pag. xiii, ad 15 Novembris; quo forsan translatus fuit ob festum S. Joannis Chrysostomi. Quidquid sit, ab hodiernis Iberis coli dicitur ad 29 Novembris, quo idcirco de eo agetur fusius.

S. Abibus Necressenus.

DIES XIV.

Ex Ostromirano. Ex variis. Passio S. apostoli Philippi (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. etc.*).

Piorum imperatorum Justiniani et Theodoræ (*Rum. Menol. Prol. Kal. cum CP. Med.*). S. Hypatii, ep. Gangræ et mart. (*Hor. cum Bas. Med. Sirl.*). [Gregorii Palamæ. archiep. Thessalonicensis (*Menol. Msq. Kal. Ath.*).] Constantini Novi (*Ath.*). Philippi Irapiensis (*Hag.*).

† Fantini Junioris, abb. in Calabria (*Sirm. Med.*). † Thomæ, patr. CP. (*Med.*).

OBSERVANDA.

S. Philippus apostolus. *Sancti, gloriosi et inclytissimi apostoli Philippi, unius ex primo ordine duodecim commemoratio* solemni phrasi fit idque in solis Menæis Græcorum excusis; similiter in Menolog. Basilii: *Commemoratio S. apostoli Philippi, unius ex* xii *apostolis; memoria* quoque notatur in Mst.; at in Rum. præscribitur *passio*, ut in Ostr.; marmor vero Neapol. habet genericam notam *Natalis*. Prolixa leguntur encomia sancti apostoli tam in Prologo quam in Menologio Mosquensi. Commemoratur præterea 30 Junii simul cum reliquo apostolorum choro. In officio diei legitur canon, auctore Theophane. Die proxime sequenti incipit Jejunium Nativitatis Christi, Philippicum idcirco nuncupatum. — Justinianus I, quem cod. Rum. perperam Justinum vocat, fundator aut potius instaurator erat templi Sophiani et aliarum plurium, obiitque anno 565 die 14 novembris; Theodora vero, anno 548. Cæterum nec prima vice occurrit in Fastis, nec in solo Rumiantsoviano: nam, quod mireris, in Kalendario CPolitano Morcellii adsociatur S. Apostolo Philippo his verbis : *Memoria S. Apostoli Philippi et Justiniani ac Theodoræ, imperatorum.* De utriusque virtute et cultu legantur quæ disseruit Morcellius, tom. I, pag. 226, et quæ a me adnotata sunt ad diem 2 Augusti.— In plerisque Synaxariis refertur S. Hypatius, certaminibus pro cultu imaginum susceptis clarus, ad 31 Martii; et iterum redit hodie,

Justinianus et Theodora.

S. Hypatius Gangrensis.

Dies XV Novembris. *Gregorius Palama.*

hodie, die proxime sequenti ac tandem XVI. — Quum in Tabulis Græco-Moscis figuratis ad hunc diem invenisset *Gregorium, episcopum*, indigenam esse putavit Papebrochius, sibi omnino ignotum, cujus loco idcirco substituit B. Josaphatum, arch. Polocensem et martyrem. Non indigenam, sed Græcum hominem esse statuit Kulcinius, ingenue addens eum in libris suis non reperiri. Tandem Gregorium, episcopum Constantiæ, in Cypro, intelligendum esse pronuntiavit Assemanus, ea potissimum ductus ratione quod in Fastis Græco-Moscis Gregorii omnes episcopi, præter hunc descripti cernuntur. Kal., t. V, pag. 353. Verum non Constantiæ episcopus cernitur ibi, nec indigena aliquis, sed famosus hæresis et schismatis fautor Gregorius Palama, archiep. Thessalonicensis, quem Fasti Græcorum et Russorum recentiores (pro nefas!) inter sanctos suos non infimæ notæ recensent; siquidem præter hanc diem celebrant quoque dominica secunda quadragesimæ, et insuper die 5 Augusti, ut observatum est a me eo die. Hominem nempe, ut fert condemnationis tomus, apud Allatium editus (De Consens., l. II, cap. XII, pag. 815), *execrabilem*, non tantum sacerdotio spoliatum et perpetuæ depositioni subjectum, sed et igne ferroque dignum; Palamam denique, *improbitatis auctorem perditissimum, Palamam, cujus vel sola recordatione animus simul et mens expianda est*, talem hominem, dolens dico, populares mei, Græcis ducibus, cultu ecclesiastico, condecorant ignorantiæ an malæ fidei culpandi. Ut vera esse probentur, quæ de magistris eorum Græcis pronuntiaverat Gennadius, patriarcha: viros scilicet quamvis flagitiosissimos, si solum adversus Latinos dixerint, inter sanctissimos ab eis collocari, laudibus extolli, festis solemnibus celebrari. Horum e numero fuit sane Palama, qui multa adversus fidem catholicam scripsit; jampridem a Bessarione, cardinali, confutatus in *Apologia* adversus Gregorium Palamam pro J. Veccæ, patr. CPolitani, libro adversus responsiones Græcorum de processione Spiritus Sancti; cujus exemplar exstat ms. in cod. Vatic., signato 1428, versio vero latina in cod. 3526, teste auctore anonymo Commentarii *De vita et rebus gestis Bessarionis, card. Nicæni*. Romæ 1777. — *Passio sancti Constantini, neomartyris*, narratur ad hanc diem in Paterico Montis Atho, tom. II, pag. 220, præeunte libro cui inscribitur Νέον λειμωνάριον. Vere novus est inter martyres Athonicos hic Constantinus, natione Græcus, siquidem anno 1500 in Rhodensi civitate a Turcis strangulatus fuerit, postquam aliquandiu in monasterio Iberorum sese ad cruentum piaculum, ritu solito parasset. E numero scilicet erat eorum qui præteritæ apostasiæ scelus morte voluntaria expiandum esse censuerunt. — In Menæis Mediol. et Sirm. mss. exstat breve S. Fantini seu Phantini encomium, in quo sancte et in bona senectute obiisse perhibetur Thessalonicæ, postquam sexaginta annorum spatio a Saracenis in terra natali fuerat assidue vexatus.

Constantinus Novus.

S. Fantinus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Philippus Irapicus.

In monasterio Irapico quotannis recoli dicitur memoria Philippi, qui illud ad Andogam fluvium, inter magnum et parvum Irapum mediam, fundaverat anno 1517; unde Irapici cognomen ei adhæsit. Erat alumnus Cornelii Comelscensis, cujus magisterio per annos quindecim usus est; tum vero, annuente magistro, in fines Belozerenses secessit, ibique in loco quem supra significavi cellam posuit; quam ædicula de nomine SS. Trinitatis auxit, domino loci res ad sacros usus necessarias suppeditante. Tandem, quum annos 21 in hac solitudine peregisset, e vivis decessit anno 1538, cultu ecclesiastico a monachis Irapicensibus honoratus.

Cfr 1) Dict. hag, pag. 234, ed. 1862. 2) Muraviev, ad hunc diem.

DIES XV.

Ex Ostromirano.

Passio SS. confessorum Guriæ, Samonæ et Abibi (*Ita omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Mg. Sirm. Med. Sirl.*).

Ex variis.

S. Jacobi, apostoli, fratris S. Joannis, evangelistæ (*Ass. Rum. Siš. Capp. cum Bas. Neap. Sirl.*). S. Demetrii, mart. Amaseni (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Mg. Cyth.*). SS. MM. Elpidii, Marcelli et Eustochii (*Prol. Kal. cum Sirm. Med. Mg.*). S. Abibi, ep. Necressensis et mart. (*Iber.*). Philippi, heg. Rabangensis (*Hag.*).

† Thomæ Junioris, patr. CP. (*Mg. Cyth.*). † Baruch. (*Sirl. Mg.*). † Quintiniani, ep. Seleuciæ (*Mg. Cyth.*). † Hypatii, ep. Gangrensis (*Mg. Cyth.*). † Justiniani et Theodoræ, imperatorum (*Sirm. Med. Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

SS. Gurias, Samonas et Abibus.

De S. Guria et sociis hæc habentur in Horol. Počajovensi: *Gurias et Samonas erant tempore Diocletiani, anno* 282; *Abibus vero sub Licinio, anno* 312. Non sub Diocletiano, nec anno 282, sed sub Maximiano, imperatore, a præfecto Musonio passi sunt duo priores circa annum 306; Abibus vero seu Habibus, diaconus, anno 322 a Lisanio, præfecto. De martyrii epocha fuse disserit Assemanus, Bibl. Orient., t. I, p. 329; ubi præterea referuntur duo encomia Jacobi, ep. Sarugensis, de SS. Guria et Samona alterum, alterum de S. Abibo. In officio diei habetur canon conscriptus a S. Theophane. *Confessorum* cognomento distincti fuisse dicuntur, quod contractuum (ὁμολογιῶν) fidei servandæ invigilare crediti sint. —

S. Jacobus Zebedæi.

S. Jacobum, filium Zebedæi, fratrem S. Joannis, evangelistæ, diserte nominant hoc die codd. Ass. et Rum., sæculi XIII, consentientibus Menolog. Basilii et Kalend. Neapolitano. Eumdem recentes Fasti Græcorum et Slavorum celebrant 30 Aprilis, quo Menol. Basilii agit de S. Jacobo, fratre Domini; hodie autem tacent. Unde liquet S. Jacobum Zebedæi bis in anno fuisse olim celebratum tam apud Græcos quam apud Russos; nam in eodem cod. Rum. ad 30 Aprilis notatur *passio sancti et gloriosi Jacobi, filii Zebedæi*, uti in hodierna lectione Menolog. Basilii et Sirmundi signatur *Cædes* ejusdem. — S. Abibum, ep. Necressensem, ad hunc diem refert Kalend. Iberorum recentioris ævi, sane ob sanctum martyrem cognominem. De eo agetur die 29 Novembris.

S. Abibus Necressensis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Philippus Rabangensis.

Philippus, monasterii Rabangensis fundator, quem hoc die coli quibusdam in locis testatur Muraviev, parum innotuit. Illud solum constat, eum floruisse sæculo decimo quinto, quippe qui anno 1448 dictum monasterium cum ecclesia Transfigurationis fundaverit ad confluentem Suchonæ et Rabangæ, 32 chiliometris ab urbe Vologda; præterea supremum diem obiisse 15 novembris, ut legere est in synodico monasterii, ab anno 1764 vacui. An cultu ecclesiastico donatus sit, saltem in loco quo degit, tacet auctor Diction. hag., quem confer, ad pag. 238, ed. 1862.

B. M. Miserantis festum.

Duæ imagines B. M. *Miserantis*, græce Ἐλεουσης, in peculiari veneratione sunt apud Græcos. Harum altera, Κυκκιοτισσα cognominata, a monte in insula Cypri, quam a S. Luca evangelista dicunt pictam, atque miraculis claram, postquam diu asservata fuisset Constantinopoli, inde ab Alexio Comneno, imperatore, in Cyprum insulam remissa est et in ecclesia B. Mariæ Virginis, in monte Cycco, recondita. Exstat de hac veneranda icone volumen græce scriptum; cujus quartam editionem, ab Ephræmo, patriarcha Hierosolymitano, emendatam curavit, archiepiscopus Sinai Constantius. Narrantur ibi aliqua parum credibilia: nempe dimidiam imaginis partem velo obductam esse, ita ut nemini fas sit inspicere adorandam Christi ejusque Matris faciem; quas qui, reducto velo, revelare ausi fuerint, temeritatis suæ graves tulisse pœnas, reique experimentum fecisse patriarcham Alexandrinum, nomine Gerasimum, anno 1699.

Cfr Gloria B. M. V., part. II, pag. 225 et seq.

B. M. Cupiaticensis festum.

Cupiatič vicus est palatinatus Minscensis, in districtu Pinscensi ad Jasoldam fluvium situs. Hic anno 1180 apparuisse fertur crux cum imagine B. M. V. in arbore pendens et luce radians; quam cum loci incolæ semel et bis in eodem loco reperissent unde fuerat ablata, impensius colere cœperunt, ecclesia ibidem excitata. Eamdem, jam miraculis celebrem, Kioviam asportarunt Russi sæculo XVII; ubi hodiedum in ecclesia S. Sophiæ adservatur.

DIES XVI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Passio S. apostoli et evangelistæ Matthæi (*Omnes*).

S. Hypatii, episc. et thaumaturgi (*Rum. Eph.*). S. Barlaami, mart. (*Rum. Eph. cum Bas. Hier. GP. Nan. Med. Sirl. Mg. Cyth. Sib.*). S. Fulviani, principis (*Kal. cum Mg. Cyth.*).

† Quintiliani, ep. Seleuci (*Sirl.*). † MM. Elpidii, Eustochii et Marcelli (*Med. Sirl.*).

OBSERVANDA.

S. Matthæus apostolus.

Solemne S. Matthæi, apostoli, festum agunt hoc die Græci et qui eos sequuntur Slavi; Latini vero 21 Septembris. Solum nomen *sancti et gloriosi apostoli* notatur in Mst; at codd. Ostr. et Rum. præferunt notam *passionis*. In Menæis texitur prolixum synaxarium de sancto, quod ex apocryphis depromptum esse testatur Assemanus Kal., t. V, pag. 337. — Ex dicto synaxario discimus Fulvianum, regulum quemdam Æthiopiæ, ex pagano et persecutore sancti apostoli primo christianum factum esse, dein episcopum et evangelii præconem. — S. Hypatius, episcopus, nominatur hodie in Rum. simul cum S. Matthæo et Barlaamo, at sine alio additamento; imo in *Eupatium* leviter immutatus. Verum episcopum Gangrensem intelligendum esse apparet ex Menologio Basilii, imperatoris, aliisque Kalendariis, ad 14 hujus mensis relatis. — S. Barlaamum, martyrem, referunt hodierni Fasti Mosquenses ad 19 Novembris; verum ad præsentem diem inscriptus legitur in Prologis ævi remotioris, cujusmodi est Rumiantsovianus; item in Fastis antiquis Græcis, melioris notæ, quale sunt Bas., Hier., Callipolitanum., Nan. In editione Menæorum veteri, et apud Margunium et Siberum, qui inde sua depromere solent, commemoratur utroque die; in recentiore vero tantummodo ad 19 Novembris: quo serius translatus esse videtur ob festum Matthæi apostoli. Apud Siberum sequens additur de sancto martyre distichon:

S. Fulvianus.

S. Hypatius ep. Gangræ.

S. Barlaam, martyr.

Perfert rogi flammas ovans hic Barlaam,
Æternitatis humidum rorem intuens.

DIES XVII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Memoria S. Gregorii, thaumaturgi (*Omnes*).

S. Lazari, pictoris (*Prol. Kal. cum Med. Sirm. Mg. Sirl. Cyth.*). Niconis, discipuli Sergii Radonežensis (*Men. Prol. Kal.*). S. Barlaam, mon. et erem. (*Prol.*). S. Michaelis Gobronis, mart. (*Iber.*). [Gennadii mon. Vatopedici (*Ath.*).]

† Joannis Dermocaitæ in Olympo (*Sirm.*). † Zachariæ Scythotomi et Joannis (*Mg. Cyth.*). † Longini (*Mg. Cyth.*). † Gennadii, patr. CP. (*Mg. Cyth.*). † Maximi, patr. CP. (*Mg. Cyth.*). † Justini, erem. (*Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

S. Gregorius Thaumaturgus.

Abundat sanctis, nomine Gregorii insignitis, mensis November. Hodiernus Gregorius, episc. Neocæsareæ, absolute *thaumaturgus* nuncupari solet apud Græcos. In marmore Neap. habetur: *Depositio Gregorii thaumaturgi;* in Vaticano secundo brevius: *Gregorius thaumaturgus*. Cujus loco Possevinus obtrudit *martyrem* Gregorium. Canon officii liturgici auctorem habet Theophanem, *Vita* S. Gregorium Nyssenum, operum t. II, pag. 966, ed. Paris. — S. Lazarus, pictor et confessor CPoli, a Baronio in martyrologium romanum relatus est 23 Februarii; nescitur quam ob causam; nam hodie colitur a Græcis simul et Slavis, et hoc eodem die refertur in Catalogo

S. Lazarus pictor.

DIES XVIII NOVEMBRIS.

generali Ferrarii. Ad hæc, confundit eminent. Cardinalis Lazarum hunc cum celeberrimo homonymo, fratre S. Magdalenæ, cujus memoriam peragunt Græci 17 Octobris. — Iberorum Ecclesia recolit hoc eodem die memoriam S. Michaelis Gobronis, principis, et sociorum ejus ducentorum, qui martyrium subierunt eodem tempore quo S. Abo, in opere hoc laudatus ad sextam Januarii. Nimirum sæculo octavo, quum tota pene Karthlia et Kachetia Abdul-Cassimo, cognomine Surdo, qui eas invaserat vastaveratque, esset jam subjecta, in castro Kvelitz-Tskinensi invictus repugnabat ducentorum militum manipulus, Michaele Gobrone duce, locique istius domino. Quem, quia aperta vi et armis non valeret, dolo superare statuit Cassimus; missoque nuntio, cum pace veniam amicitiamque, si castro cederent, promisit, addito etiam fidei sacramento. Verum, simulac illi, dira alioquin fame pressi, arma deposuerunt, Christo renuntiare atque ad Mahometi placita accedere a perjuro tyranno jubentur, morte crudelissima secus periturі. Cumque impium mandatum fortiter, ut germanos Christi milites decebat, sprevissent omnes, vario tormentorum genere continuo cruciati occubuerunt centum et triginta tres, cæterorum supplicio in aliud tempus dilato. Tandem hi quoque immaniter trucidati sunt, et quidem sub oculis Michaelis ducis, cujus supplicium consulto dilatum erat, si forte sociorum tormentis permotus Christum vellet negare. Ast quum eorum exemplo in fide magis confirmatus esset, capite plexus, commilitonibus suis consors evasit gloriosi certaminis, Ardanaso rege, qui eorum memoriam solemni festivitate quotannis recolendam statuit ad 17 Novembris. Ita fere Muraviev in Vitis ad hunc diem, tacito tamen fonte, unde sua hauserit. — Gennadius, monasterii Vatopedii œconomus, commemoratur hoc die, teste Paterico Montis Atho, tom. II, pag. 376, cætera omnino ignotus : nam miraculum olei multiplicati, quod ibi narratur, nequaquam ejus meritis tribuendum est, siquidem pari jure vindicari posset monasterii hegumeno.

SS. Michael Gobron et soc. 200.

Gennadius, mon. Vatopedii.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Passio S. Platonis, mart. (*Omnes cum Bas. CP. Hier. GP. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*).
SS. MM. Romani et Barulæ, infantis (*Zogr. Rum. Men. Og. Pp. Kal. cum Bas. Hier. GP. CP. Mg. Sirl.*). SS. MM. Zacchæi, diaconi Gaddarensis et Alphæi (*Kal. Prol. cum Mg. Sirm. Med. Sirl. Cyth.*).
† Calvi, ep. (*Neap.*). † Romani, diaconi et mart. Palæstini (*Sirm. Sirl. Mg.*).

OBSERVANDA.

SS. Plato et Romanus.

S. Plato, Ancyræ, anno 306 martyrio coronatus, frater erat Antiochi, qui relatus est 16 Julii. In officio diei vocatur megalomartyr et habet canonem, a S. Theophane hymnographo conscriptum. Mstisl. ad amussim convenit cum Ostromirano. Post S. Romanum in Rum. additur : *et infantis qui erat cum eo*; uti in Menologio Basilii: *Certamen S. Romani et socii infantis*. Barulus, qui additur in Men. et apud Veršinskium, non filius erat Romani, diaconi, sed juvenis christianus, ejus martyrii testis oculatus, postea vero martyr et ipse. In Tern., Hor. aliisque quam plurimis juncti prodeunt SS. Romanus et Plato, non quod simul passi sint, sed quia eorum martyrium vel corporum translatio incidit in eumdem diem. Qui post S. Calvum propositus est ex Sirmundo Romanus, diversus est a priore : erat enim ex Palæstina oriundus, Antiochiæ sub Diocletiano lauream adeptus; ille vero ibidem, sed sub Galerio, imperatore, ab Asclepiade præfecto passus. Duos Romanos martyres coli a Græcis et Slavis, alterum hodie, alterum postridie testantur ipsorum Fasti. Græcis adstipulatur Baronius, refragantibus aliis, quorum lites dirimere non est hujus loci. Legatur Assemanus in Kalendariis ad hunc diem, ubi rationes in utramque partem expendit; legatur etiam Evodius Assem. in Act. Orient., t, II, pag. 173, ubi protulit Acta Zacchæi, Alphæi et Romani Syriaca. Quæ mei instituti magis propria sunt, proferam : discimus nempe ex Actis Syriacis, Romanum, diaconum Cæsaræensem eadem die 17 Novembris passum esse, qua Zacchæus et Alphæus coronam promeruerunt; et tamen in Græcis Fastis Slavicisque ad eam diem de omnibus tribus altum servatur silentium; sed vulgo proponuntur hoc die 18; Latini vero duos priores colunt 17 Novembris; Romanum die sequenti. In Menæis Græcorum excusis adest hodie uterque Romanus; quorum alterum, Fasti Slavici referunt die 19. Præterea, teste Assemano, eisdem conjungunt *Michæam* quemdam, quem *Theodotam* vocat Florentinius, undenam desumptos prorsus incertum. Michæam primus omnium invexisse videtur Sirletus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Nicon, hegum. Radoneženſis.

Nicon, Sergii Radoneženſis alumnus et in hegumenatu successor, natus est in urbe Jurievo, quam ad maturam usque ætatem incoluit. Tunc autem, accepta benedictione Sergii, in monasterium Vysocense Serpuchoviam abiit, habitum monachalem ab Athanasio hegumeno suscepturus. Sacerdotio initiatus, ad Sergium rediit, cui ob insignem suam pietatem erat admodum dilectus, quin et in successorem ab eodem mature designatus. Hegumeni munus dum obiret, ecce impetum in Moscoviam faciunt Tartarorum immanium turbæ, duce Edigeo; quas ut effugeret, monasterium reliquit Nicon, non nisi post discessum Edigei illuc reversurus. Redux fratres undique collegit, cœnobiumque a Tartaris vastatum ac pene dirutum instauravit et ecclesia, SS. Trinitati dicata, auxit. Tandem ad provectam senectutem progressus, cum annos triginta septem summa omnium approbatione fratribus præfuisset, obiit anno 1427, die 17 novembris, et in ecclesia monasterii, juxta magistrum suum Sergium, sepulturam accepit. Habet officium, cujus canonem conscripsit Pachomius Logotheta.

Cfr 1) Menæa et Menol. Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 213. 3) Kulčinius, Specim., pag. 59.

DIES XIX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Abdiæ, prophetæ (*Mst. Tern. Rum. Menol. Prol. etc. cum Bas. Nan. Hier. GP. Pg. Vind. Msq. Sirm. Mg. Med. Sirl.*). S. Azæ, mart. (*Prol. Menol. Kal. cum. Bas. Med. Sirm. Mg. Sirl.*). S. Heliodori, mart. (*Prol. Menol. Kal. cum Mg. Sirl.*). S. Romani mart. (*Prol. Menol. Kal.*). SS. Barlaami et Josaphati, regis Indiæ (*Men. Prol. Hor. Prem. Kal.*). S. Barlaami, mart. (*Chil. Leop. Pp. Hor. Kal. cum GP. Sirm. Mg.*). S. Barlaami, heg. cryptensis Kioviæ (*Pat. Men.*). S. Gregorii Decapolitæ (*Zogr.*) .S. Hilarionis Iberi, eremitæ (*Iber*).

† Natale S. Philothei (*Neap.*). † Dasii, mr. et soc. (*Nan. Hier. Msq.*). † MM. Neophyti et soc. (*Flor.*). † Centum et quinquaginta militum, mart. (*Mg.*). † Duodecim militum, mart. (*Mg.*). † Agapii, mart. (*Mg. Sirm. Med.*). † Anthimi, Thallelæi, Christophori, Euphemiæ et liberorum et Pancharii (*Sirl. Mg. Sirm. Med.*). † Encænia SS. Deiparæ Diaconissæ (*Sirm.*). † Commemoratio SS. apost. Petri et Pauli, Stephani et Jacobi, fratris Domini, in æde SS. Deiparæ Diaconissæ (*Med. Sirm.*). † Theodori Studitæ (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Abdias. In recentioribus Fastis primo loco proponitur S. Abdias qui recurrit postridie; in Callipolitano audit *Audius*. — *S. Romanus.* Romanus, martyr, diversus est a Romano, diei præteritæ, etiamsi ambo tormenta passi sint sub Maximiano, imperatore. — *SS. Barlaam et Josaphat.* SS. Barlaam et Josaphati Vitam rebus ad stuporem mirabilibus refertam græce edidit Boissonade in *Anecdotis Græcis*, tom. IV, pag. 1-165. In plerisque codd. vocatur Joasaph, de quo solo agit hodie Prologus. — *S. Barlaam Kiovocryptensis.* S. Barlaam, hegumeni Kievocryptensis, Vitam ex Nestoris chronico breviter perstrictam habes in *Memoriis Slavicis*, inferius proponendis. — *S. Barlaam, martyr.* Post Barlaamum, martyrem Cæsareæ, legitur sequens nota in Typico Chilandariensi : *Incipit legi Vita S. Gregorii Acragantini* (lege Agrigentini); unde liquet quanto in honore erat sanctus antistes apud monachos Chilandarienses et totius Montis Atho. — *SS. Anthimus et soc.* Pancharius, socius S. Anthimi, in Sirmundiano Synaxario deest; apud Sirletum barbare vocatur Zenchrius. — *S. Agapius.* Vulgo referri solet Agapius, martyr in Palæstina, ad 21 Maii una cum SS. Timotheo, ep. Gazæ, et Thecla; perinde ac si eodem quo illi die occubuerit. Rectius proponitur hoc die in Sirm. et Med., licet nec sic omnem assequamur veritatem, quum S. Agapius Cæsareæ feris oblatus 20 Novembris, non nisi postridie seu 21 Novembris in mare datus fuerit præceps, ut probavit Assemanus, Act. Orient., t. II, pag. 183. — *Hilarion mon. Iberus.* Hilarionem, Iberum, commemorat hodie Bessarion, Iberiæ exarcha, in Vitis SS. Iberorum, unde sequentia accipe. Kachetia patria fuit Hilarioni, opulentibus piisque parentibus prognato; a quibus antequam nasceretur, Deo dicatus fuerat; juvenis vero in monasterium abductus est, quod ipsimet erexerant, atque ita voto factum satis. Ille vero, quum solitudinem amaret, in eremum Garedjiensem inde secessit, cujus incolæ non communi vita utebantur, sed degebant solitarii in speluncis aut eremis, solis rebus ad victum necessariis contenti, eisque parcissime utentes. Ubi postquam decennium exegisset, sacerdotio auctus est; quin et ad episcopatum expetitus, sed frustra. Non modo enim oblatam sibi dignitatem recusavit, sed, alio hegumeno fratribus constituto, in Palæstinam perrexit; tum, perlustratis locis sacris, in spelunca quadam annos latuit decem et septem, donec ab angelo monitus, in patriam rediit, ut patris et fratris sui extrema solaretur, matri autem sororique monasticum velum conferret. Antrum, in quo S. David Garedjiensis olim certaverat, Deo initiandum curavit; cumque rursus ad episcopatum quæreretur, patriæ sociisque valedicto, CPolim profectus est, comitibus duobus discipulis. Inde Olympum veniens, S. Joannicii, anachoretæ, nomine clarum, in quodam oratorio, non procul a monasterio Olympiaco, sedit annos quinque; quibus peractis, CPolim repetiit, Romamque biennium incoluit, ac tandem sedem suam fixit Thessalonicæ; ubi, præfecti filia solo crucis signo sanitati restituta, aliisque miraculis patratis, post tres annos, obdormivit in Domino die 13 novembris, imperante Basilio Macedone. Cujus jussu demortui corpus Thessalonica CPolim mox translatum, in monasterio Sosthenis, in æde SS. apostolorum, solemni ritu conditum fuit a S. Ignatio, patriarcha, die 10 novembris. Colitur tamen non die 13 quo obiit, nec 10 quo CPolim translatus est, sed 19 Novembris; modo decimalis numerus errore positus non sit apud Muravievium pro 19. Hæc ita summatim ex Bessarione, qui Hilarionis gesta satis fuso stylo exaravit : eadem prolixe narrantur a Muravievio; a quo illud etiam docemur, Bosphoricum sinum, ubi maxime angustiatur utrinque, Græcorum idiomate (mirare viri eruditionem) vocari, non *Stenum*, ut hactenus traditum est, sed *Sostenum* (Decembr., pag. 183).

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Barlaam, heg. Kievocryptensis. Primus omnium hegumenus monasterii Cryptensis, a SS. Antonio et Theodosio fundati, erat Barlaam, filius magnatis nobilissimi, Joannis nomine, qui magna apud Iziaslaum, principem Kioviæ, pollebat auctoritate. Dum adhuc juvenis esset Basilius (sic enim a sacro fonte vocabatur), ex frequenti commercio cum monachis Cryptensibus, tanta cum eis vivendi cupiditas eum incessit, ut vestem monachalem a B. Antonio flagitarit. Hic quamvis diu restitisset, tum quia uxoratus erat Basilius, tum ob timorem parentis, cum tamen, quod tam enixe rogabat, alumnis suis, numero paucissimis, adjunxit. Re comperta, domum reduxit Basilium iratus pater, utque ab instituto monastico eum plane averteret, diu varieque vexavit, at frustra : tantam enim animi constantiam exeruit filius, ut parentis consensum demum obtinuerit, uxorem vero ad castitatis votum eliciendum adduxerit. Itaque ad monasterium redit multo gaudio Barlaam; qui et ob eximias virtutes fratribus præfectus fuit ab Antonio, in solitudinem profecturo. Crescente numero sociorum, ecclesiam ligneam cryptis superstruxit novus hegumenus, adjuncto monasterio; quod idcirco Cryptense dictum est. Anno 1062, a magno duce Iziaslao monasterio S. Demetrii præpositus, ac paulo post

DIES XX, XXI ET XXII NOVEMBRIS.

post Jerosolymam primum et dein Constantinopolim profectus, rebusque sacro usui necessariis ibidem magno sumptu comparatis, dum Kioviam repeteret, prope Vladimiriam, Volyniæ urbem, morbo correptus, in monasterio, Montesancto dicto, animam suam Creatori reddidit die 19 novembris. Sacræ ejus exuviæ Kioviam, quemadmodum commendaverat ipse, a sociis itineris delatæ, in cryptis Antonii tumulatæ sunt.

Cfr 1) Menæa ex Paterico et Menol. Verš. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 49. 3) Kulčinius, Specim., pag. 57. 4) Macarius, Hist. Eccl. Russ., II, pag. 41.

DIES XX.

Ex Ostromirano. MEMORIA SS. MAXIMINI ET GENNADII (*Assem. cum CP. Hier. Pg. Flor. Sirm. Med.*). ET S. GREGORII (DECAPOLITÆ), NOVI THAUMATURGI (*Mst. Assem. Rum. Tern. Og. Eph. Men. Prol. Hor. Kal. Val. cum Bas. GP. Sirm. Med. Pg. Mg. Sirl.*)

Ex variis. S. Procli, patr. CPolitani (*Assem. Rum. Chil. Og. Menol. Prol. Hor. Kal. cum Neap. Hier. Nan. Vind. Pg. Med. Sirm. Mg.*). S. Anatolii, patr. CP. (*Assem. cum Hier. Sirm. Nan. Med.*). S. Dasii, ep et mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Neap. Sirm. Pg.*). SS. MM. Eustathii, Thespesii et Anatolii (*Menol. Prol. Kal. cum Sirm. Med. Mg. Sirl.*). SS. MM. Nersetis, ep., Josephi, ejus discipuli, Joannis, Saverii, Isaaci et Hypatii, episcoporum, Azoti, Sasonii, Theclæ, Annæ et aliorum (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Sirl. Mg.*). S. Barlaam, mart. (*Ostrog.*).

† Thomæ, mart. (*Sirm.*). † Papiæ (*Sirm.*). † Abdiæ, prophetæ (*Goth. Msq.*). † Maximi, mart. et soc. (*Flor.*). † Theoctisti, eunuchi et mart., et Theodoræ Augustæ (*Med. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Maximinus patr. CP. Gregorius, diaconus, oscitanter scripsit: *Maimini* pro Maximini, qui et Maximus, at rectius Maximianus. Patriarcha fuit CPolitanus æque ac Gennadius, Anatolius et Proclus, ut testantur Fasti supra citati, et plenissime refert cod. Assem. Glagoliticus his verbis: « SS. PP. nostrorum qui fuerunt archiepiscopi regiæ urbis, Maximiani, Procli, Anatolii et Gennadii. » In hodiernis Fastis remansit solus Proclus, de quo cfr Act. SS., Oct., tom. X, p. 637. Gennadii festum celebratur 12 Aprilis; Procli die ultimo Augusti; Anatolii ad 3 Julii. Synaxarium Sirmundi addit *eorum solemnitatem actam fuisse CPoli ad S. Mocium;* de qua æde plura scripsit Cangius, CPol. Christianæ, lib. IV, p. 129. Unde colligere licet præsentem diem esse translationis eorum anniversarium, præsertim quum singuli proprias dies seorsim habeant. Observatu non indignum est, S. Proclum consignari hoc die etiam in marmore Neap., ubi jungitur cum S. Dasio. — S. Maximum, mart., quem refert cod. Florentinus bibl. Laurentianæ, seorsim exprimendum censui, quum incertus sim, an idem sit ac S. Maximus, patriarcha. — Vita Gregorii Decapolitæ, qui erat SS. Cyrilli et Methodii coævus, exstat græce in cod. Bibl. Coislinianæ, signato n° 1595, unde capita deprompsit Veršinskius in suo Menologio, toties a me citato. Quæ ego latine hic exscribere supersedeo, quod parum differant ab eis quæ ex Menæis Græcorum collegerat Assemanus, Kalend., t. V, pag. 368; operæ tamen pretium fore existimo, si quis Acta illa ex pluteis Parisiacis integra proferret in lucem; plura namque continent res Slavicas illustrantia. — In Prologo, cui præivit Menologium Basilii, recensentur tres turmæ martyrum, in Perside passorum; quarum primam componunt SS. Nerses et Josephus; secundam Azotus et Susanius, tertiam Joannes et reliqui. Nec conveniunt Fasti circa nomina: Saverius in Bas. Med. et Sirm. vocatur *Saborius;* Hypatius vero et Azotus dicuntur Agapius, imo Dapius et Boëthazatus. Additur insuper alter Isaacius, presbyter. Denique in Actis Chaldaicis, præter Annam et Theclam nominantur Bantha, Dinach, Tatuna, Mama, Mazochia, Aste, Mamlacha, Nuna et Onas, asceta. De quibus omnibus legendus est Assemanus, Act. Orient., t. I, pag. 97 et 226, ubi res tota serio examinatur et veritati jura sua restituuntur.

SS. Nerses et soc.

SS. Maximus et soc.

S. Gregorius Decapolita.

DIES XXI.

Ex Ostromirano. ILLATIO SS. DEIPARÆ, QUANDO ILLATA EST IN TEMPLUM DOMINI, TRES ANNOS NATA (*Omnes*).

Et S. Julianæ (*Mst.*).

Ex variis. † Depositio S. Macarii (*Neap.*).

OBSERVANDA.

Ingressus S. Deiparæ in templum. Triennis illata dicitur etiam in cod. Zographico, Mst. et Menæis. Vulgo legitur: *Introductio,* non *illatio.* In codd. Nan. et Flor.: *Sancta Sanctorum* (τὰ ἅγια τῶν ἁγίων). — Hac die nullibi refertur S. Juliania, præterquam in Mstislaviensi et Ostromirano; sane propter festum B. Mariæ Virginis. In Bas. refertur 1 Nov. et 21 Dec.; in Coisliniano die 4 Decembris.

S. Juliana.

DIES XXII.

Ex Ostromirano. VACAT.

Ex variis. S. Ceciliæ, mart. et virg. et soc. Tiburtii, Valeriani et Maximi (*Mst. Zogr. Tern. Men. Prol. Hor. Kal. Leop. cum Hier. Nan. Neap. Goth. Msq. Mg. Med.*). SS. ap. Philemonis, Archippi et Apphiæ (*Men. Prol. Par. Rum. Siš. Og. Pap. Kal. Hor. cum Hier. GP. Pg. Vind. Flor. Mg.*). S. Procopii, mart. (*Prol. Rum. Siš. Kal. cum Med. Sirm. Mg.*). SS. mart. Marci et Stephani (*Rum. Siš. cum Bas. Mg. Sirm. Med.*). S. Menigni, mart. (*Prol. Kal. cum. Sirm. Mg. Med.*). S. Agabbæ, seu Abbæ, discipuli S. Eusebii, Syri (*Prol. Kal.*). S. Michaelis, militis Bulgari (*Prol. Chil.*). Michaelis, princ. Perejaslaviæ (*Prol. Kal.*). [Callisti II, patr. CP. (*Ath.*).]

† Nicodemi

† Nicodemi, hegumeni Casulorum (*Taur.*). † MM. Christophori et Euphemiæ (*Mg.*). † Thallelæi et Anthimi, mart. (*Mg.*). † Callisti (*Mg.*). † Thaddæi, mart. (*Mg.*). † MM. Agapionis, Sisinnii et Agapii (*Mg.*). † Maximi Capiclanii (*Agan.*). † Zachariæ in mari (*Agan.*). DIES XXIII NOVEMBRIS.

OBSERVANDA.

S. Cecilia. In Menol. Bas. S. Cecilia refertur die 24; Cfr Acta SS. April., t. II, pag. 203; Mazochii Kalend., t. I, pag. 207. — S. Philemon redit iterum die sequenti in Men. Bas. et Sirmundi. — In Menæis excusis expresse additur : *et alius Marci.* — Callisti nomen expressum est in antiqua Menæorum Græcorum editione, quæ Venetiis prodiit anno 1603; at in recentiore anni 1845, non reperitur; nec negaverim esse eumdem ac Callistum II patriarcham, quem inter sanctos recensuit auctor Paterici Montis Atho, et brevi encomio exornavit, ut ad diem 20 Junii laudatur ibidem Callistus, patriarcha CPolitanus, hujus nominis primus. Sane utriusque nomen inscriptum est in Synaxario Græco Nicodemi. Severam de utroque censuram reperies in Chronologia Patriarcharum CPolitanorum, initio mensis Augusti præmissa a Bollandianis.

S. Philemon.

S. Marcus uterque.

S. Callistus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Michael, miles. Vixit Michael tempore Michaelis imperatoris, Potocii in Bulgaria natus. A puero tanta morum innocentia enituit, ut a parentibus sanctus appellari soleret. Juvenis vero, timore Domini plenus, quod est initium sapientiæ, vitam degit castam, simul eleemosynis et jejuniis Deo placere studens, humilitate autem et mansuetudine hominum corda sibi concilians. Dum annum vigesimum quintum ageret, ad primicerii dignitatem promotus, præclara fortitudinis præbuit documenta, bello inter Græcos et Agarenos exorto. Ex quo dum victor rediret, in loco quodam Raitha dicto, ubi erat pernoctaturus, virginem, quam horrendo draconi in escam tradiderant cives, (non aliter quam de S. Georgio traditur,) invocato Dei nomine liberavit, serpentemque truncavit capite. Domum redux, non multos post dies animam tranquille exhalavit, et miraculis inclaruisse memoratur. Corpus ejus Potocio Ternobum transferri curavit patriarcha Basilius, Calo-Joanne in Bulgaria tunc regnante. Ita Prologus. Colitur non uno die, et quidem in Serbia 22 Octobris, in Russia vero 22 Novembris; at Græcis prorsus mansit ignotus.

Cfr Prolog. ad h. d.

Michael dux Tverensis. Tverensium ducum libertatem seu autocephaliam firmavit Michael, Jaroslai III et Xeniæ filius; qui anno 1304, mortuo fratre suo Andrea, magni ducis dignitatem adeptus est, consensu Tartarorum chani, qui tunc in Russiam dominabatur. Verum non diu pacem habuit Michael; etenim a Georgio Mosquensi, æmulo suo et homine perverso, apud Usbecum, chanum ab anno 1313, falsi criminis inculpatus, coram sistere jussus est. Ad castra itaque Tartarorum profectus est, peccata sua prius sacerdoti confessus et omnino ad mortem, quam indubiam fore sentiebat, diligenter paratus. Et re quidem vera tanquam reus a chano exceptus fuit; et quamvis falsas Georgii et Kavkadii, suorum judicum, accusationes nullo negotio dissipasset ac confutasset, nihilominus in vincula conjectus fuit, capite plectendus ; quare grave collare humeris ejus imponitur, dies viginti sex integros circumferendum. Interim constanti et impavido animo sive ignominias, sive irrisiones ferebat princeps, psalmos Davidicos jugiter recitans, noctesque integras orationi indulgens, spretis quoque amicorum monitis, qui fuga salutem petere suadebant. Demum, de die mortis suæ certior factus, eam nova exhomologesi et sacris mysteriis confortatus, æquo animo expectavit. Ut illa illuxit, a sicariis comprehensus fuit, pedibus conculcatus, et tandem crudeliter confossus. Cor etiam mortui immaniter extractum. Passus hæc est Michael anno 1319, ætatis suæ quadragesimo septimo, feria quarta. Ejus exuviæ, Mosquam delatæ, deinceps in ecclesia Tverensi S. Michaelis honorifice conditæ sunt, et anno 1655 inventæ. Habet officium proprium. Vitam et agonem ejus enarravit auctor quidam coævus, quem exscripserunt Chronica, inferius citanda.

Cfr 1) Vita S. Michaelis, mart., auct. Macario, archim. 2) Prolog., et Veršinski Menol. ad h. d. 3) Dict. hag., pag. 190. 4) Chron. Sophiense, t. I, pag. 299-318; Annal., t. V, pag. 207-215, et t. VII, pag. 188-197; Annal. Nicon., t. III, pag. 116-124; Annal. Voskresenskianæ, t. II, pag. 285-295.

DIES XXIII.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Amphilochii, ep. (*Mst. Par. Tern. Zogr. Rum. Prol. Novg. Men. Hor. Og. Kal. cum GP. Hier. Nan. Coisl. Flor. Vind. Sirm. Msq. Med. Sirl. Mg.*). S. Sisinnii, mart. (*Par. Zogr. Prol. Kal. Menol. cum Hier. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Theodori, mart. Antiochiæ (*Menol. Prol. Kal.*). S. Gregorii Agrigentini, ep. (*Chil. Menol. Prol. Serb. Og. Horol. cum Pg. Sirl. Mg. Cyth.*). Alexandri Nevensis, principis (*Prol. Men. Kal.*). Metrophanis, ep. Voronegiæ (*Prol. Men. Ustav.*).

† MM. Archippi et Philemonis (*Bas. Med. Sirm.*). S. Apphiæ (*Sirm.*). † S. Clementis natalis (*Neap.*). † Procli et Anatolii, epp. CP. (*Goth. Msq.*). † Gennadii, ep. CP. (*Msq.*). † Myropes, mart. (*Sirm.*). † Ischirionis, ep. (*Mg. Cyth.*). † Heleni, ep. Tarsensis (*Sirm. Mg. Cyth.*). † Menigni (*Med.*). † Procopii, mart. in Perside (*Med.*).

OBSERVANDA.

Dies XXIII Novembris.

OBSERVANDA.

S. Amphilochius.

Perperam *martyr* vocatur Amphilochius apud Possevinum; in Mstisl. fit *memoria P. N. Amphilochii*, quem Hor., Prol., Menol. aliique plenius annuntiant ita : *S. P. N. Amphilochii, ep. Iconii.* In officio diei legitur canon, auctore Theophane.

S. Gregorius Agrigentinus.

— S. Gregorium, episcopum Agrigenti, qui in Slavicis Fastis vulgo Acragantinus, imo *Gragonitinus* in cod. Zographiensi nuncupatur, referemus etiam postridie. Teste Demetrio Veršinski, in Menologio ad hunc diem, tres Gregorios Agrigentinos discernit Cajetanus; unum qui celebratur ad 22 Junii, secundum ad 22 Novembris, tertium ad 19 Decembris. Verum tripartitam hanc distinctionem a mente Cajetani prorsus alienam esse, ipsius verba satis probant superque. Nam in Animadversionibus in breviarium Vitæ S. Gregorii, pag. 176: *Scito, mi lector*, ait, *sub imperatoribus christianis, Gregorios duos fuisse Ecclesiæ Agrigentinæ episcopos; alter vixit sub Justiniano primo, interfuitque Concilio CPolitano secundo; alter vixit sub Constantino Pogonato, Agathone papa, interfuitque synodo Romano, anno* 680, *itemque Concilio CP. tertio, ac pervenire potuit ad imperatorem Justinianum Rhinotmetum, etc.* Et paulo inferius : *Menologium Sirleti duos etiam Gregorios, sanctitate claros, commemorat. Primi Gregorii meminit die* 23 *Novembris*, et reliqua; *alterius,* 19 *Decembris hisce verbis : Commemoratio S. Patris nostri Gregorii Agrigentini* (lege Gregentii). Hunc vero Gregorium esse alium ab illo, *ostendit diversus dies natalis. Equidem*, pergit Cajetanus, *crediderim, Gregorium, quem memorat Menologium die* 19, *eumdem esse, qui sub imperatore Constantino et Agathone claruit.* Tandem addit, in Menologio Basilii confundi duos Gregorios, episcopos Agrigentinos, nulla temporum habita ratione, ac primum Gregorium ad secundi tempora retrahi, atque huic quæ primi sunt perperam tribui. Unde hallucinatum esse Veršinskium patet. Jamvero, Gregorius ille, de quo hodie in Fastis, cum a duobus presbyteris falso accusatus esset, calumniatores adeo nigros reddidisse narratur, ut in sequentibus quoque generationibus ita apparerent. Miraculum istud, etiam in hymnis sacris diei laudatum, atque ex græco fonte totidem verbis in Menologio Mosquensi insertum, fere nullum evasit in Prologo, siquidem ibi accusatores non nigri redditi, sed sacerdotio in omnes generationes a Gregorio destituti fuisse perhibeantur. Sed legatur ipsemet Leontius, biographus, apud Morcellium, Venet. Cajetanus et Assemanus Kal., t. V, pag. 372. — Obiit Alexander Nevensis 14 Nov., *Alexander Nevensis.* anno 1263; colitur tamen die 23 hujus, quo sepulturam accepit Vladimiriæ; præterea die 30 Augusti, translationis ejus Petropolim anniversaria. Plura hic expendenda forent de legatione Innocentii IV ad Alexandrum, de Professione Fidei, quæ huic temere tribuitur ab auctoribus indigenis, deque prætensa ejus aversione a fide catholica et unione; verum disquisitio hæc operosior est quam ut fert scopus mihi propositus. Nullo tamen pacto possum tacitus præterire epistolam ab Innocentio IV ad Alexandrum, anno 1248 datam, ex qua certo colligitur, Alexandrum ad unionem fidemque catholicam accessisse, pluresque popularium meorum objectiones veluti malleo retunduntur; quam ideo integram inferius a me relatam esse minime, ut puto, gravabitur lector.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Alexander Nevensis, Magnus dux.

Alexander, Jaroslai II filius, populi amore et victoriis clarus, lucem aspexit anno incerto. Novgorodiam accepit regendam anno 1236: quam dum gubernaret, cum finitimis nationibus, Lithuania, Livonia et Suecia felicissime pugnavit, imo et insignem victoriam, ope SS. Borisi et Glebi, ut fertur, de Suecis reportavit ad Nevam fluvium; unde ei Nevensis cognomen adhæsit. Plescovia subacta, ecclesiam cathedralem in Latinorum usus ibidem curavit erigendam. Mortuo parente, ad Battum, Tartarorum regem, profectus, ut ducatus investituram acciperet, non modo creaturam, puta ignem, adorare renuit audacter, sed etiam Battum prodigiis editis exterruisse memoratur, atque ideo, inermis licet et sine milite, honorifice tamen ab eodem habitus et in Russiam dimissus esse. Imperium post obitum fratris sui Andreæ susceptum tenuit annos duodecim, subditorum utilitatibus serviens diligenter. Nec prætereunda qualisqualis observantia Alexandri erga Innocentium IV, ab anno 1243 ad annum 1254 summum pontificem, a quo ad perseverandum in fide catholica, quam pater amplexus erat, monitus fuit et per legatum visitatus. Tandem dum e Tartaria tertio rediret, morbo correptus Gorodecii decubuit, et monastico habitu cum nomine Alexii suscepto, supremum diem obiit 14 novembris, anno 1263, ætatis suæ fere quinquagesimo. Propter miracula, quæ tum in vita, tum post obitum patrasse habitus est, tantam apud suos promeruit venerationem, ut ad honorem ejus dicatum fuerit templum et monasterium Petropoli ad latus Nevæ, et ordo equestris ejus nomine donatus. Colitur autem tum die 23 Novembris, qua in Vladimiriensi B. M. V. monasterio tumulatus fuit, tum 30 Augusti, qua Petropolim translatus est anno 1724. Sequuntur litteræ pontificiæ de quibus supra. *Innocentius, episcopus, etc. Carissimo in Christo filio Alexandro, illustri regi Novogardiæ salutem. Aperuit Dominus oculos tuæ mentis et tuis infudit sensibus sui luminis claritatem, quia, sicut venerabili fratre nostro archiepiscopo Prusiæ, apostolicæ sedis legato, accepimus intimante, tu quæsisti et invenisti prudenter directionis semitam, per quam sub felici posses compendio ad paradisi januam pervenire. Verumtamen cum claves ipsius januæ beato Petro et successoribus ejus Romanis pontificibus a Domino sint commissæ, ita ut nullum per ipsam ingredi patiantur, nisi Romanam Ecclesiam matrem nostræ fidei recognoscat, et ipsius pontifici Christi vicario prona mente ac alacri spiritu reverentiam studeat debitam exhibere; tu, ne ab ipsius ingressu januæ, quod absit, contingeret te repelli, uniri per veram obedientiam tanquam membrum capiti eidem Ecclesiæ devotissime postulasti, in ipsius obedientiæ signum affectans in Pleskowe civitate tua latinorum ecclesiam erigere cathedralem. Super quo Salvatori omnium, qui neminem vult perire, imo venditus nos redemit, vivificavit occisus, et multis lacessitus injuriis honoravit, gratiarum, quas possumus, uberes referimus actiones, ac te tanquam specialem Ecclesiæ filium caritatis brachiis amplectentes,* tanto de tua conversione ampliori animi alacritate perfundimur, *quanto in remotioribus partibus constitutus suavitatem ipsius*

ipsius Ecclesiæ persensisti, et plures possunt tuo exemplo laudabili ad eamdem devotionem adduci. Conforta te ergo, fili benedicte, præteritorum oblitus ad meliora aciem tuæ considerationis extendens, ut in Ecclesiæ præfatæ devotione firmus et stabilis perseverans, in ea flores suavitatis producas, ex quibus tibi postmodum fructus proveniet, qui non perit; nec credas, quod obedientia hujusmodi tibi quidquam ingerat gravitatis, cum per eam ab homine nil aliud requiramus, nisi ut Deum diligat, et sic in justificatione procedat, quod exuto corpore mortis hujus mereatur justorum consortio aggregari, *ubi fulget lux quam non capit locus, sapit cibus quem non minuit edacitas, et hæret amplexus quem satietas non divellit. Cæterum cum præfatus archiepiscopus tuam cupiat personaliter visitare personam, serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamus attente, quatinus ipsum tanquam nobile membrum Ecclesiæ honeste recipias, et benigne pertractes, ac in his, quæ tibi pro tua et subditorum tuorum salute suggesserit, ipsi reverenter intendere non omittas. Nos autem facultatem tibi concedimus faciendi de consilio ipsius archiepiscopi construi ecclesiam supradictam. Datum Lugduni,* XVII *kal. Octobris, anno sexto.* Hactenus Summus Pontifex Innocentius IV, citatus apud Theinerum, *Vetera monumenta Poloniæ et Lithuaniæ,* tom. I, n° XCVI, pag. 46, ex apographo Reg. orig. quod exstat in biblioth. reg. Parisiensi, n° 4039, ep. 137, fol. 12.

Cfr 1) Chron. Sophiense, t. I, pag. 274. 2) Prol. ad 23 Nov. 3) Menol. ad 30 Aug. 4) Verš. ad h. d., Dict. hag., pag. 10. 5) Kulčinius, pag, 280. 6) Karamsin, Hist. imp. Russ. 7) Theiner, Vetera monum.Polon. et Lith., loc. cit.

Metrophanes, ep. Voronegiæ.

Constat inter omnes, hunc Metrophanem, primum episcopum Voronoženscm, nostra ætate, et veluti sub oculis nostris Sanctorum russorum Albo fuisse adscriptum, anno 1832. Quapropter paucissima de eo dixisse sufficiat, cæteris amandatis. Igitur natus est Metrophanes anno 1623; sedem Voroneženscm primus omnium occupavit anno 1682, eamque rexit ad annum 1703 quo obiit, cum antea magnum schema cum nomine Macarii suscepisset. Vitam fuse conscriptam, et miracula vera an falsa, quæ Metrophanes post obitum patrasse a vulgo creditur, publici juris fecit synodus Petropolitana, anno 1838. Consulatur Menologium Veršinskianum ad hunc diem et Dict. hag. pag. 169 et seq. ed. 1862.

DIES XXIV.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Gregorii, ep. Acragantini (*Mst. Par. Zogr. Tern. Rum. Siš. Og. Pp. cum Bas. Nan. Hier. GP. Flor. Msq. Vind. Goth. Sirm. Med. Sirl. Mg.*). S. Catharinæ, megalomart. (*Chil. Men. Og. Pp. Prol Hor. Kal. cum Coisl.*). S. Mercurii, mart. (*Chil. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Coisl.*). S. Mastridiæ, virg. (*Prol.*). S. Mercurii Smolenscensis, mart. (*Men. Verš.*). SS. Chrysogoni et Anastasiæ (*Serb. cum Neap. Sirm.*). S. Augustæ, imperatricis et mart. (*Kal.*).

† Sisinnii, ep. Cyzici et mart. (*Bas. Med.*). † MM. Cæciliæ, Valeriani et Tiburtii (*Bas.*). † MM. Clementis Romani et Petri Alex. (*Mg. Sirm.*). † Malchi (*Mg.*). † Carionis (*Mg.*). † Hermogenis, ep. Agrigentini (*Mg. Sirm.*). † MM. Philemonis et Christophori (*Mg. Sirm.*). † Eugenii, mart. (*Mg. Med.*). † MM. Procopii Christophori et prope Chelonem (testudinem) (*Mg. Cl. Med.*) et Macarii (*Med.*). † Alexandri, mr. Corinthi (*Mg. Sirm.*). † Gregorii in Chrysopetra (*Mg. Sirm.*). † Theodori, mr. Antiochiæ (*Mg.*). † Rufi (*Agan*). † Mara, Triglini (*Agan*).

OBSERVANDA.

S. Gregorius Agrigentinus.

S. Mercurius.

SS. Chrysogonus et Anastasia.

Recolantur quæ de S. Gregorio dicta sunt ad diem præcedentem. In Parisino dicitur *Gligorius;* in Zogr. nuncupatur *Gragonitinus.* — De Mercurio Smolenscensi præclare disseruit vir cl. Buslajev in *Lineamentis litterarum et artium Russicarum;* quæ tamen si cum Legenda Mercurii Romani Latina, quam Surius edidit, collata fuissent, aliquid lucis inde sane affulsisset. Adeo enim utraque Legenda, Latina et Slavica, secum conveniunt, ut hæc ex priore desumpta esse videatur. — Singularis lectio est Prologi Serbici, sæc. XVI bibl. Vindobonensis; præfert enim SS. Chrysogonum et Anastasiam, de quibus cæteri agunt die XXII Decembris, excepto Kalend. Neapolitano.—Augusta, dicta uxor Maximiani, imperatoris, passa est simul cum S. Catharina. — SS. Clemens et Petrus vulgo referri solent die sequenti, uti et in Menæis magnis Græcorum mss. In excusis vero huc translati sunt eam ob rationem, ut festum S. Catharinæ, quæ eorum loco ad diem XXV posita est, majori cum solemnitate possit celebrari a monachis Sinaitis, SS. Deiparæ solemnitatibus tunc jam omnino absolutis.

S. Augusta.

SS. Clemens et Petrus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Mercurius Smolenscensis martyr.

Martyris instar cursum consummavit Mercurius, genere Romanus, professione miles. Hic in Lithuaniam emigraverat cum parentibus suis, degebatque Smolensci, quum accidit, ut Tartarorum dux Batty, orientalibus Russiæ partibus devastatis, Smolenscum quoque anno 1239 magnis copiis instructus oppugnaret terroremque incolis incuteret. Quam calamitatem ut a civitate averteret Deus, beatam Mariam Virginem ardenter deprecabatur Mercurius, longas orationes coram ejus imagine fundens. Nec frustra. Audivit enim quadam die vocem ex illa imagine profectam, qua jubebatur, ut arreptis armis singulare certamen ab hoste propositum susciperet, divino auxilio fretus, dignumque decertationis præmium exspectaret. Obtemperavit Mercurius, victoque adversario, viro ingentis magnitudinis, impetum in castra inimica fecit, et magnam cladem Tartaris intulit. Dum autem urbem repeteret viribus lassatus, somnumque paulisper in loco pervio caperet, a Tartaro quodam capite truncatus fuit atque ea ratione coronam a Beata Virgine sibi promissam est consequutus. Mortuus caput

Dies XXV Novembris.

put suum, ut olim S. Dionysius Parisiensis, manibus gestasse traditur et attulisse in urbem, ubi in ecclesia B. M. V. honorifice condiderunt eum fideles, appensis etiam armis ejus, quibus veluti palladio quodam deinceps usi fuerunt, quæque diu in templo PP. Prædicatorum singulari observantia culta fuisse perhibentur. Alibi colitur die 10 Julii; et habet officium ecclesiasticum. Fabulosi aliquid immixtum esse huic narrationi recte animadvertit Papebrochius, quæ ideo serio examine indigeret. Conferantur, si lubet, Acta SS., Octob., X, pag. 572 et Vita S. Mercurii Magni, apud Surium latine data.

Cfr 1) Buslajev, Očerki, t. II, pag. 173 et seq. 2) Kojalovič. in Miscellaneis. 3) Dict. hag., pag. 181. 4) Act. SS., t. I. Maii, pag. LIII. 6) Jaroševič, ad 10 Julii.

DIES XXV.

Ex Ostromiranno.

Passio S. Clementis, martyris Romæ (*Mst. Rum. Ass. Tern. Par. Siš. Zogr. Prol. Men. Og. Eph. Cap. Vat. I, Hor. Kal. cum Bas. CP. Hier. GP. Nan. Vind. Pg. Goth. Msq. Flor. Med.*). Et S. Petri Alexandrini (*Par. Rum. Zogr. Og. Men. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Neap. CP. Nan. etc.*). Et S. Mercurii (*Rum. cum Bas. Hier. Goth. Msq. Pg. Med. Mg.*).

Ex variis.

S. Catharinæ, virg. et mart. (*Rum. cum Bas. Nan. Sirm. Med. Mg.*). S. Petri Silentiarii (*Prol. Kal. cum Mg.*). SS. duorum martyrum ab Aveniro rege combustorum (*Men. Prol. Cyth.*). S. Clementis, archiep. Achridani (*Mosch.*).

† Agathangeli (*Flor.*). † Porphyrii, ducis et ducentorum militum (*Mg. Cyth.*). † Basilissæ, uxoris Maxentii, imperatoris (*Mg. Cyth.*). † MM. centum et quinquaginta rhetorum (*Mg. Cyth.*). † Martyrum sexcentorum et septuaginta (*Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

S. Clemens, papa.

Magnam in Fastis varietatem regnare ad dies 25, 24 et 26 Novembris, observarunt martyrologi jam pridem. De sancto Clemente, papa et martyre, attigi nonnulla ad 30 Januarii, quo recolebatur olim memoria translationis ejus corporis, dum præsens dies est martyrii anniversarius. Passus autem est Chersonæ, quo a Trajano fuerat relegatus; quapropter magna veneratione gaudet apud Russos, ex quo præsertim sanctæ ejus reliquiæ a SS. Cyrillo et Methodio ibidem inventæ fuerunt. Exstat hodiedum sacellum in eodem ipso loco positum, unde in mare projectus fuisse creditur, ancora ad collum alligata. Ejus gesta et miracula plures illustrarunt auctores, e quibus imprimis citandus est S. Ephrem, Chersonæ episcopus. Nec parum lucis affudit, et adhuc affundet clar. Eques Joan. Bapt. de Rossi, in sacris antiquitatibus explanandis, si quis unquam, pereruditus; cui utinam daretur venerandas reperire exuvias S. Cyrilli, quarum inquirendarum provinciam accepit a summo pontifice Pio IX. Porro neminem fugit, S. Cyrilli corpus sepultum fuisse in antiquissima illa basilica Clementis, quam sua ætate exstitisse testatur S. Hieronymus in hæc verba : *et nominis ejus memoriam usque hodie Romæ exstructa ecclesia custodit.* — S. Clementi, martyri et papæ Romano, adsociatur hodie alius Clemens, archiepiscopus Achridanus, ut vocatur in libello Moschopolitano, quo propria Ecclesiæ Bulgaræ officia contineri dixi alibi. Annuntiatur autem his verbis : Mensis Novembris 25, *memoria sancti patris nostri Clementis, archiepiscopi Achridani*, pag. 13. Et inferius, pag. 41, legitur : *Mensis Julii die* 27 *memoriam celebramus sancti patris nostri Clementis, archiepiscopi Bulgariæ.* Idem itaque est ac S. Clemens, episcopis Velicensis, de quo fusius tractavi ad 27 Julii, quem præterea occurrere in Fastis Græcis ad dies 28 Julii et 22 Novembris asseverat Andreas Muraviev, Vitamque sancti Clementis ad hanc ultimam diem prolixe texit, ab auctore certe schismatico aut concinnatam aut serius corruptam, quam græce et latine publici juris fecerat Fr. Miklosich. Ex hac porro discimus, corpus sancti antistitis illatum fuisse in monumentum monasterii Achridani, Julii mensis die 27, anno post Christum natum 916. In lapide vero, quod hactenus in dicta ecclesia adservatur, insculpta cernitur sequens inscriptio, slavonicis characteribus exarata : *anno* 916, *die* 27 *mensis Julii, obiit Clemens Achridanus;* quæ duo inter se facili negotio conciliantur, si huic diei adscribatur memoria obitus, illi vero memoria depositionis seu sepulturæ. — *A Græcis recolitur hoc die memoria S. Catharinæ; Clementis vero, Pontificis Romani, et Mercurii festivitas translata est in diem præcedentem. Hic tamen ordo præposterus invaluit non ante sæculum* XIII, *quo in Ecclesia Græca statutum fuit, ut die* 25 *Novembris recoleretur præter inventionem corporis S. Catharinæ, quæ eo die contigerat, etiam memoria ejus martyrii* 24 *Novembris consummati, atque ita utrumque festum in unum conflaretur. In Russorum Ecclesia servatur antiquus ritus; ac proinde memoria S. Catharinæ celebratur* 24 *Novembris; Clementis vero die* 25; *non tamen Mercurii, qui, uti apud Græcos, translatus est ad diem proxime præteritam.* Hactenus auctor anonymus Adnotationum in Kalendarium Ostromiranum. — Notanda lectio Kalendarii Neapolitani, his verbis concepta : *Passio S. Petri* papæ *de Alexandria.* Quod olim de episcopis cujusvis sedis promiscue usurpatum est. — Hoc die inscriptum esse nomen Petri, regis Bulgariæ, in quodam Prologo ms. sæculi duodecimi, significavi ad 30 Januarii; addidi insuper in nullo Kalendario a me fuisse repertum. Sed nec recensitus est in catalogo sanctorum Bulgariæ, quem texuit anonymus auctor Historiæ Bulgariæ, typis Budensibus excusæ, anno 1844, p. 97. E duobus autem regibus hujus nominis præplacet ille de quo sermo fit in Vita S. Joannis Rylensis, ejus coævi, quique Bulgariam rexit ab anno 916 ad annum 967. Ut præplaceat, suadent duo : insignis viri pietas et testata erga sedem apostolicam devotio, ut clarius patebit ex eis quæ in Memoriis tradentur modo.

S. Clemens, ep. Achridæ.

S. Catharina.

S. Petrus, ep. Alexandriæ.

Petrus, rex Bulgariæ.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Petrus, rex Bulgariæ.

Mortuo Simeone, rege Bulgariæ, anno 916, imperium suscepit Petrus, filius ejus ex secunda uxore. Bis nempe nuptias inierat Simeon, ac cum priore quidem conjuge procreavit Michaelem, quem monachum attondit; ex altera, quæ soror fuit Georgii Susurbuli, nati Petrus, Joannes et Michael, aliis Benjaminus seu Bajanus, qui adeo didicisse artem magicam

magicam ferebatur, ut ex homine lupum et quamcunque aliam vellet feram faceret. Testatur porro Calo-Joannes, Bulgarorum rex, in epistola ad Innocentium III, papam, data anno 1202, Petrum coronam imperii et patriarchalem benedictionem a sanctissima Dei Romana Ecclesia et ab apostolica sede ac principe apostolorum Petro accepisse. Idem in diplomate de obsequio Romanæ Ecclesiæ exhibendo, dato anno 1204, scribit: *Quum placuit D. N. Jesu Christo, me dominum et imperatorem totius Bulgariæ et Blaciæ facere, inquisivi antiquorum nostrorum scripturas et libros, et beatæ memoriæ imperatorum nostrorum prædecessorum leges, et diligenter perscrutantes, in eorum invenimus scripturis, quod beatæ memoriæ illi imperatores Bulgarorum et Blacorum, Simeon, Petrus et Samuel, nostri prædecessores, coronam imperii eorum et patriarchalem benedictionem acceperunt a sanctissima Dei Romana Ecclesia et ab apostolica sede, principe apostolorum Petro.* Ex quibus manifesta fit Petri regis erga sedem Petri apostoli devotio, quam frustra conantur elevare auctores quidam pseudo-orthodoxi. Hic, icto cum Romano Lecapeno fœdere anno 927, filiam Christophori augusti, Mariam, uxorem duxit, die octobris octava ejusdem anni, S. Stephano, patriarcha, nuptias benedicente in ecclesia Deiparæ Pegana seu ad Fontem. Eo regnante, Bogomilorum lues per Bulgariam grassari cœpit, ut testatur Cosmas, presbyter, qui impias eorum doctrinas profligavit in scriptis suis, sæculo X slavonice exaratis; simul autem floruit eximiæ sanctitatis vir, Joannes Rylensis, eremita. Quem cum videndi desiderio teneretur, nec voti compos fieri posset, litteras ad eum dedit pietatis plenas, adjecta non parva copia auri; quod tamen vir Dei renuit accipere. Fratrem suum Joannem, quod cum nonnullis proceribus conjurationem inivisset, deprehensum flagrisque emendatum, in carcere inclusit; unde ille a Græcis Byzantium clam abductus est. Quin et alterum fratrem, Michaelem monachum, imperio inhiantem atque in arce quadam rebellantem, domare debuit. Mortua uxore Maria, a qua filios habuit tres, Borisum, Romanum et Simonem, fœdus renovavit cum Nicephoro Phoca, anno 936, filiis suis Boriso et Romano obsidibus datis. Mox tamen Nicephorus, quum Ungarorum incursiones cohibere vellet, quumque Petro præcepisset, ut certamen cum eis iniret, repulsam ab eo passus, anno 967 Russos in illum excitavit; quibus Bulgariam invadentibus, jamque Dorostolum oppugnantibus, fugam ipse Petrus arripiens, in sonticum morbum incidit, et paucis diebus post humanis excessit, anno 967 vel 969.

Cfr 1) Vita S. Joannis Rylensis, auctore Neophyto, pag. 25 et seq. 2) Innocentii III, lib. v, ep. 115; Regesta, III, 70. 3) Cedrenus, II, pag. 499 et seq., ed. Venet. 4) Assemani Kal., t. III, pag. 154, 341, 364. 5) Raič, Hist. Serb., lib. II, cap. 8.

S. Petrus Korišensis, eremita.

Eremiticam vitam illustrarunt in Ecclesia Serbica duntaxat duo anachoretæ, Joannicius Devičensis, et qui eum plus dimidiati sæculi intervallo antecessit, Petrus Korišensis. De priore dictum est ad diem 4 hujus, qui S. Joannicio Magno sacer est; posterior prodeat hoc die, etiam non suo; uterque tacetur in Catalogo sanctorum Serbiæ, quem initio operis sui vulgavit Pejacevič. Jamvero floruit Petrus tempore Stephani, regis, cognomento Dušani seu Fortis, qui sceptrum Serbiæ tenuit ab anno 1336 ad annum 1356. Solitariam vitam iniit Petrus, dum adhuc ætate floreret: abdidit autem sese in summis montibus, qui Prisreniam urbem, unam e præcipuis in regione illa, undequaque circumcingunt, ibique jejuniis et orationi unice vacans solitarius degit; non tamen tanto tempore quanto Joannicius, sed cursu multo celerius consummato. Obiit namque, aut potius ad montem Domini ascendit, adhuc juvenis, meritisque magis quam annis onustus. Cujus exuviæ primo quidem in ædicula repositæ, quam in monte construendam curaverat ipse, mox vero in ecclesiam S. Michaelis archangeli Tchernorecensem inde translatæ sunt ibique hodiedum adservantur una cum volumine quodam, quod secum ubique circumtulisse fertur vivus. Colitur a Serbis uti sanctus; at quonam die, incertum mihi, quum in nullo synaxario nomen ejus legerim unquam. Hinc, ni omnino prætermitteretur, ad præsentem diem, ob alium sanctum sibi cognominem, erat commemorandus. Quæ autem de eo hic jejune retuli, ea suppeditavit mihi *Iter Serbicum* Alexandri Hilferdingii, in opere periodico, mox citando, vulgatum.

Cfr Russkaja Beseda, pro an. 1858, t. III, pag. 90.

DIES XXVI.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Alypii Stylitæ (*Mst. Zogr. Rum. Novg. Siš. Og. Pp. Men. Kal. Hor. Prol. cum Bas. Nan. Hier. GP. Pg. Vind. Flor. Goth. Msq. Sirm. Mg. Med.*). S. Jacobi, eremitæ (*Prol. Kal. cum Mg.*). Dedicatio ecclesiæ S. Georgii Kioviæ (*Prol. Ass. Par. Rum. Siš. Pp. Men. Kal.*). Innocentii, ep. Irkutskiani (*Kal.*). S. Catherinæ, mart. (*Ass.*). S. Petri Alexandrini (*Chil.*).

† Silæ, ap. Corinthi (*Neap. Sirm. Mg. Med.*). † Acacii (*Hier. Sirm. Mg. Med.*). † Styliani (*Mg. Sirm. Med.*). † Niconis, pœnitentis (*Mg.*). † Luciani et Marciani (*Acta SS. Orient.*). † Encænia ecclesiæ S. Georgii in Cypresseto (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Alypius.

In Mst.: *Alympius;* in Rum. *Alcypius;* in Zogr. *Lypius.* In fine elogii Sirmundiani dicitur vixisse annos centum et viginti. — In Evangeliario Slavico bibl. Synodalis nº 2 legitur: *Eadem die consecratio ecclesiæ S. Georgii.* (Cfr dicta ad 17 Oct.). Duo Prologi Slavici ejusdem bibl., nn. 247 et 248 signati, exhibent insuper quædam quæ non inveniuntur in Annalibus, ut testatur Nevostrujev. Porro celebrata fuit hæc dedicatio anno 1037, ab Hilarione metropolita, regnante Jaroslao, qui in baptismate acceperat nomen Georgii. Exstat de hac solemnitate peculiare officium. In Synax.

Dedicatio ædis S. Georgii Kioviæ et CPoli.

Dies XXVII Novembris. Leopol., anno 1605 edito, fit memoria miraculi a S. Georgio patrati, omissa mentione S. Alypii. In hunc eumdem diem incidit festum ecclesiæ S. Georgii, quæ exstabat CPoli in loco Cypresseto dicto, ut liquet ex Synaxario Sirmundi. De cujus ecclesiæ situ non semel dictum est in hoc opere.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Innocentius, episc. Siberiæ Inter tot celebres viros, quibus quasi sanctis Ecclesia Græco-Russiaca gloriatur, hic est tempore, si Tychonem Voroneženscm exceperis, omnium recentissimus. Obiit enim anno 1731, et non nisi præsentis sæculi initio, anno scilicet 1804, cultu ecclesiastico ab indigenis honorari cœptus est. Quapropter de eo, quemadmodum et de Metrophane ac Tychone Voronoženscibus, paucissima dixisse sufficiat, ne omnino tacitus prætereatur. Innocentius igitur, nobili Kulciciorum familia in Russia meridionali oriundus, theologicis studiis Kioviæ peractis, Petropolim venit, ibique episcopus ordinatus est anno 1721, et Chinensi missioni destinatus. (Habebant enim jam tunc temporis suam in cælesti imperio, ut aiunt, missionem Russi.) Cum autem a Chinensibus constanter impediretur, quominus ad missionis sedem perveniret, (non enim episcopus, sed nudus archimandrita venire debebat,) ideo in Siberiam redux Innocentius, metropolitæ Tobolscensis vicarius creatus est, simulque Ecclesiæ Nerčinskianæ et Irkutskianæ præfuit usque ad mortem.

Cfr Dict. hag., pag. 118.

DIES XXVII.

Ex Ostromirano. Passio SS. MM. Cosmæ et Damiani qui sunt ex Arabia et aliorum multorum (*Ass.*).

Ex variis. S. Jacobi, Persæ (*Mst. Ass. Par. Zogr. Rum. Sirl. Prol. Ternob. Kal. Hor. Chil. Og. Pp. etc. cum Bas. Neap, Hier. GP. Flor. Med. Vind. Goth. Pg. Sirm. Meg.*). S. Romani, thaum. (*Prol. Kal. cum Meg.*). S. Palladii (*Og. Men. Pp. Kal. Hor.*). Memoria miraculi ex icone B. M. Novgorodiæ (*Rum. Men. Kal Prol.*). Inventio corporis Gabrielis Vsevolodi (*Prol. Kal.*). S. Jacobi, ep. Rostoviæ (*Men Kal.*). SS. Martyrum septemdecim, monach. (*Kal. Prol.*).

† Acacii Climacis (*Nan.*). † Nathanaelis (*Mg.*). † Pinuphrii (*Mg.*). † Paramonis et 370 mm. (*Sirm.*). † Gregorii Decapolitæ (*Itg.*). † Gregorii Sinaiţæ (*Kalendaria Græca*).

OBSERVANDA.

SS. Cosmas et Damianus. Notatu digna est hodierna lectio cod. Ostromirani, eo quod solus sit cum Assemaniano glagolitico, in quo commemorantur SS. Cosmas et Damianus, Arabes; quos recentiores Fasti referre solent 17 Octobris, Latini autem 27 Septembris. In utroque codice dicuntur Arabes, et præfigitur nota *passionis;* ad hæc, in Ostromirano additur : *Et aliorum multorum;* quod quidem de sociis eorum Leontio, Anthimo et Eutropio intelligendum esse existimo; quamvis non adcurate expressus sit in cod. numerus sociorum, et posset quis eum referre ad septemdecim illos martyres monachos, quorum mentio fit in Vita SS. Barlaami et Josaphati. Illud pro certo tenendum, hodiernos Anargyros nequaquam diversos esse ab iis qui in eodem cod. Ostr. prodeunt Kalendis Novembris.

S. Jacobus, Persa. — Codd. Mstisl. et Rum : *Passio S. Jacobi Persæ;* similiter marmor Neapol. et Menol. Basilii. Plura occurrunt in Prologo et Menologio Mosquensi quæ emendatione indigent, ut quando notabili anachronismo dicitur passus fuisse Jacobus *sub Arcadio et Honorio :* nam Arcadius obiit anno Christi 408; Jacobi vero martyrium contigit anno 422, sub Theodosio juniore. Restituendum quoque nomen Vararanis, regis Persarum, cujus loco perperam citatur *Isdegerdes*, ut apparet ex Actis Syriacis apud Assemanum, t. I, p. 237. — Recole quæ de S. Paramone dicta sunt ad diem 29 qui est ejus proprius. — Similiter non suo die refertur Gregorius Decapolita, quem *Ordini S. Basilii Magni* accenset Menologium Italo-Græcum. — Hac die occurrit Gregorius Sinaita in Kalendariis Græcis, teste archim. Saba, nunc episcopo Možaïsceno, in *Indice* codd. bibli. synodalis Mosquensis, p. 91. De eo actum est die VIII Augusti cum Kalendariis Slavicis, et VI Aprilis cum paterico Montis Atho. — Recte Pinuphrium a Palladio distinxit Assemanus; nam reapse hic Palladius non alius est ac ille de quo sæpius recurrit sermo in Limonario et cujus festum celebrant Græci 28 Januarii.

S. Paramon.

S. Gregorius Decapolita.

Gregorius Sinaita.

SS. Pinuphrius et Palladius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Jacobus, ep. Rostoviensis. Anno 1386 episcopus Rostoviæ renunciatus est Jacobus; quod nomen alteri ante eum Rostoviensi præsuli fuerat. Jacobus itaque II, licet ea integritate, quæ decet pontificem, eminere videretur, apud populum tamen diffamatus fuit, quasi nempe depravatis moribus dignitatem suam commaculasset. Quare, ut olim Basilium præsulem suum Riazanenses, ita Jacobum Rostovienses sede pulerunt, quorumdam pessimorum hominum invidia, ut solet fieri, abducti et obcæcati. Igitur sede et urbe relicta, ad lacum Nero, urbi proximum, secessit, et, divinæ providentiæ confisus, sedem ibidem fixit, Deo et propriæ saluti securius vacaturus. Interea virtutum ejus fama plures socios ad eum traxit, consortii ejus cupidos. Quare opportunum cellarum numerum posuit Jacobus, futuri monasterii, quod adhuc exstat, fundamenta, ædemque excitavit, Conceptioni S. Annæ sacram. Et quamvis a Rostoviensibus, pœnitentia ductis et præsulis præsentiam desirantibus, enixe rogaretur, ut ad gregem suum rediret, nunquam tamen precibus eorum acquiescere voluit Jacobus, cæterum senio jam confectus; sed mansit in eremo, ubi et obiit anno 1392, die 27 novembris, fratrum corona circumfusus. Corpus ejus asservatur in dicta ecclesia Conceptionis, qua scilicet S. Anna concepit Mariam Virginem.

Cfr 1) Prol. et Menol. 2) Hist. hier. Russ., t. II, p. 507-510. 3) Dict. hag., pag. 125. 4) Philaret., Hist. Eccl. Russ., t. II, pag. 97 et 108.

Anno

Miraculum de icone B. M. Novgorodensi.

Anno 1170, fervente bello inter Andream Bogolubskium, Suzdaliæ ducem, et rempublicam Novgorodensem, oppugnavit Novgorodiam magnis copiis Romanus, Andreæ filius. Periculo perterriti cives, licet urbem vallo circumduxissent, propriis viribus et virtute parum confidebant. Quam ob causam ad Dominum Nostrum ejusque Matrem benedictam auxilii gratia confugere statuerunt, decernentes, ut triduo preces publice solverentur. Dum itaque tertia nocte Joannes qui et Elias, archiepiscopus, orationes in ecclesia cathedrali funderet, clero populoque adstante, fertur accidisse, ut vox audita fuerit, imago B. M. V. super muros civitatis collocaretur. Igitur summo mane iconem promi jubet Joannes, archipræsul; verum cum nulla vi de loco suo posset dimoveri, venit ipsemet antistes in ecclesiam, et coram imagine procumbens humillime Deum est deprecatus. Tum nullo negotio loco movit imaginem, et super muri propugnacula, veluti invictum urbis palladium, solemni pompa collocavit. Traditur præterea contigisse, ut cum imago Virginis telo hostili fuisset tacta, sese urbem versus converterit, oppugnatoribus dorsum opponens. Quam imaginis conversionem indubium futuræ victoriæ signum augurantes incolæ, animos resumunt, factoque in hostes impetu, insignem de eisdem victoriam reportant. In cujus rei memoriam statuerunt, ut in honorem B. Virginis dies 27 Novembris quotannis festivus ageretur, templumque dicaretur sub titulo Miraculi B. M. V. Novgorodensis. Porro exhibet illa imago Deiparam, manibus ad instar orantium expansis, et puerum Jesum medio in sinu matris recte stantem et dextera sua benedicentem.

DIES XXVIII NOVEMBRIS.

Cfr 1) Annales, t. I, p. 9-10. 2) Macarius, Hist. Eccl. Russ., t. III, p. 72. 3) Prolog. ad h. d. 4) Gloria B. M., t. III, sect. I, pag. 64.

DIES XXVIII.

Ex Ostromirano.

Passio S. mart. Irinarchi (*Prol. Mst. Rum. Novg. Hor. Siš. Og. Pp. Kal. cum Bas. Nan. Hier. GP. Flor. Vind. Msq. Mg. Sirm. Med. Sirl.*). Et memoria piorum imperatorum Constantini et Mauriciani et duorum liberorum eorum.

Ex variis.

S. Stephani Junioris, mart. (*Men. Par. Zogr. Tern. Rum. Novg. Chil. Og. Pp. Kal. Hor. Prol. cum Hier. Vind. Par. Nan. Sirm. Agan. Mg. Med. Italg,*). SS. MM. Basilii et alius Basilii, Stephani, Gregorii et alius Gregorii, Joannis et aliorum multorum qui cum S. Stephano Juniore passi sunt (*Prol. Kal. cum Bas. Sirl. Sirm. Mg. Med. Cyth.*). SS. Martyrum Strumitzæ seu Tiberiopoli (*Mosch. Mg.*). S. Bojanus seu Nravota (*Mosch.*). Simeonis Metaphrastæ (*Offic.*). S. Theodori, episc. Rostoviæ (*Pp.*).

† Elisæi, prophetæ (*Neap. Sirm.*). † Andreæ et Petri, mm. (*Bas. Mg. Sirl. Marg. Itg.*). † Annæ, mr. (*Mg.*). † Septem mulierum, mr. (*Mg. Sirm. Sirl.*). † Theodori, ep. Theodosiopoli in Armenia (*Med. Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Irinarchus.

Passio S. Irinarchi notatur non solum in Ostrom., sed etiam in Mstisl. Rum. et in Menologio Basilii. In Menæis excusis Græcis ponitur ultimo loco cum septem mulieribus martyribus. Ejus festum celebrabatur CPoli in propria ejus æde quæ exstabat in Rabdo. — Cod. Rum., post Menolog. Basilii, adjungit S. Stephano socios duos Petrum et Andream, qui citantur seorsim in Menæis Græcorum excusis; ubi præterea additur S. Anna et uterque Gregorius alter conculcatus, alter in Sosthenio inclusus. In Martyrol. Italo-Græcorum: *Stephani, Basilii, Petri et Andreæ et* 339 *soc.* Verum hi 339 martyres cum S. Stephano non sunt passi. Consulatur omnino Chronologia horum martyrum in Act. SS. Octob., tom. VIII, pag. 131; e qua patescunt errores chronologici Theophanis. Horum unus proferatur: scribit Theophanes S. Stephanum 60 annos transegisse in clausura, quum tamen non nisi 53 annos vixerit. Cfr. Baronius ad annum 765, n° 1 et 763, n° 16. Pagius ad annum 762, n° 1, 765, n° 1 et 737, n° 1; præterea Pinius de diversis Stephanis, Acta SS. Julii, ad diem 13, pag. 525. Stylitis Stephanum adnumerandum non esse auctor est Assem. Act. Orient. t. II, pag. 260. — In Actis sanctorum Martyrum Strumicensium seu Tiberiopolitanorum, quorum summarium dedi ad 6 Julii, narratur quoque certamen S. Bojani, principis Bulgariæ, a fratre suo Malomiro in odium fidei christianæ occisi. Quod hic paucis delibatum legere non gravabitur lector slavus. Martyrum Strumicensium certamen annuntiatur etiam in Menæis Græcis, excusis anno 1843; quibus testantibus, Nicodemus synaxarista addidit decimum sextum martyrem, Etimasium nomine. Non addidit ille, sed tantummodo Comasii nomen leviter immutavit in Etimasium. — Simeon est is celeberrimus vitarum Sanctorum scriptor, cujus eximias laudes continet officium, a Psello compositum et ab Allatio ad calcem diatribæ de Simeonibus latine editum. In quo, pag. 236, ed. 1664, hæc habentur: Mensis Novembris die XXVIII, *commemoratio Sancti Patris nostri Simeonis Logothetæ Metaphrastæ.*

SS. Stephanus Junior et soc.

SS. Martyres Strumicenses.

Simeon Metaphrastes.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Bojanus, princeps Bulgariæ et martyr.

Boian, quem Theophylactus Græcorum more Enrabotam seu Enravotam appellare solet, (nos vero Slavi *Nravotam* nuncuparemus, quod idem significat ac nomen *Æthici,*) primus omnium fuit inter principes Bulgaros, qui martyrii honores promeruerit. Cujus rei occasionem præbuit christianus quidam, nomine Cinamon, qui eum ad fidem christianam convertit. Cum igitur Crumus, princeps Bulgariæ longe celeberrimus Græcorumque imperio terribilis, horum regiones invasisset, et Hadrianopolim cepisset, ejus incolas in servitutem redactos, ad magis dissitas Bulgariæ civitates curavit transferendos. Fuerunt porro inter captivos Basilius Macedo, futurus imperator, tunc vero adhuc infans, archiepiscopi duo, Hadrianopolitanus Manuel, et Debeltinus Georgius; duo quoque episcopi, Leo et Petrus, sacerdotes et clerici

Dies XXVIII Novembris.

clerici quam plures, laici etiam cujusvis conditionis et ætatis, universim millia quadraginta circiter. Hos inter fuit christianus quidam nomine Cinamon natione Græcus, externa quidem specie elegans et decorus, sed quod ad animæ ornamenta, sociis suis multo illustrior. Hic in captivorum partitione sorte obtigit Mortagoni, (qui et Ombritago, minus tamen recte, vocatur,) Crumi filio, regnique successori. Diligebatur autem ab hero suo et reliquis Cinamon, quod singulariter officiosus erat; sola displicebat religionis diversitas maxime hero, viro aspero et Græcorum osori. Quare barbarus ille nihil intentatum reliquit, ut eum a Christo abalienaret. Postquam igitur prædictos verbi evangelici seminatores Manuelem, Georgium, Leonem, Petrum, alium Leonem, Joannem, Parodem sociosque numero ducentos septuaginta septem, varie tortos capitis damnasset, Cinamonem quoque ad idolorum cultum pertrahere conatus est. Primum autem hoc experimento fidem ipsius tentavit. Celebrato splendido sacrificio, atque opipari parata mensa, jussit etiam strenuum Cinamonem invitari, ut cum aliis principibus convivio interesset. At ille, sciens non posse Christi fideles calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum, ad convivium accedere recusavit. Mortagon, in furorem repulsa actus, jussit illum verberibus immaniter cædi, cæsumque in carcerem conjici, ubi et mansit ad mortem usque Mortagonis. Moriens vero iste tres reliquit filios : nomen majoris erat *Enrabotas*, alter appellabatur *Svinitzes*, tertius *Malomirus*, qui etiam paternum principatum obtinuit. Enrabotas vero, qui et *Boianus* vocabatur, divina providentia recordatus est christianissimi Cinamonis : et misso ad fratrem suum Malomirum nuntio, rogavit ut diligenter eum conquireret inventumque ad se mitteret. Ille haud insuper habens fratris sui mandatum, quæsivit virum, reperitque in carcere, fame ac squalore plenum, pallidum et tabidum ac merum, ut ita dicam, prioris Cinamonis simulacrum. Eum itaque eduxit et diligenter (quoad fieri potuit) refectum et ornatum ad Nravotam misit. Venientem vero ut vidit iste omni ex parte referentem carceris ærumnas et adeo toto corporis habitu mutatum, ut non nisi tempore dignosci posset, causam tantæ mutationis percunctatur. Cui ille, expositis primum carceris molestiis, de corporis humani abjectione et tenuitate sapienter disseruit. Rogatus vero a Nravota ob quam causam ea omnia tolerasset, respondit, fidem in Christum unicam sibi ærumnarum exstare causam. Igitur Nravota, amore Dei quasi dulci telo sauciatus et tota mente complectens verba Cinamonis, desiderio fidei corripitur. Adamavit itaque virum, ac, frequentissimis cum eo habitis colloquiis, de rebus christianæ fidei interrogabat. Cum igitur didicisset *Magnum pietatis sacramentum* et cum aliquandiu cum hujus puritate Bulgaricæ superstitionis impuritatem, contulisset, impietatem detestatus, ad sacrum baptisma accessit. Ex quo tempore assidue jejuniis, orationibus, aliisque omnibus vacabat operibus, quibus verus christianus dignoscitur. Ista cum rescisset ipsius frater, Malomirus, inique ferens, eum ad se accersivit; et venientem non tanquam fratrem, sed ut paternæ religionis desertorem excepit, ac zelo pro diis suis accensus, jussit ut ab extranei Dei cultu recederet; nisi faxit certæ morti tradendum esse. At ille mortem magis sitiens, quam frater ipsius sanguinem, sine mora eidem reposuit, se ad mortem et quævis tormenta paratum esse. His auditis, impius et iniquus frater confestim capitis sententiam in ipsum pronuntiat. Cum vero ille ad supplicii locum duceretur, divino Spiritu repletus, de rebus futuris prophetice loqui cœpit : *Fides*, inquiens, *pro qua ego hodie occumbo, dilatabitur per universam Bulgariæ regionem, tametsi vos mea cæde eam coercendam existimatis. Idola vero eorumque altaria et prophana templa penitus conterentur. Et tu ipse non multis posthac annis, nullo ex tanta immanitate fructu percepto, miseram animam infeliciter efflabis.* Hæc ut clare prænuntiavit, cervicem inflexit porrexitque carnifici præcidendam; sicque gladio feriente pretiosam animam in Dei manus deposuit. Malomiro autem, cum tres adhuc transegisset annos, divinæ justitiæ falx vitam immature demessuit, ac Bulgarorum principatum obtinuit Zvinitses filius, nepos Malomiri, nomine Boris, a baptismate Michael : cujus ætate Bulgari fidem christianam agnoverunt pene universi, exemplum ejus secuti, quemadmodum fuse narratur in Vita hujus regis; quam consule ad diem Maii secundam.

Cfr Theophylacti operum, tom. III, pag. 497 et seq., ed. Venet. 1758.

Theodorus, archiep. Rostoviæ.

Theodorus, qui in baptismo Joannes, Simone patre natus, nepos fuit Sergii RadoneženSis, a quo tonsuram accepit cum nonnisi quatuordecim annorum esset puer, et ab eodem in vita monastica instructus est. Tum, annuente magistro, lauram RadoneženSem reliquit, et brevi monasterii Simoniani, ad Mosquam flumen instituti, hegumenus constituitur a S. Alexio, metropolita; anno vero 1383 ad dignitatem archimandriticam promovetur. Non tamen hic constitit. Sedi enim Rostoviensi præfectus fuit a patriarcha Constantinopolitano Nilo, ad quem bis fuerat ablegatus a magno duce Demetrio Tanaico, cui a confessionibus erat admodumque acceptus. Jam vero archiepiscopi titulo ornatus fuit Theodorus inter antistites Rostovienses omnium primus. Ast non diu præfuit huic Ecclesiæ : triennio enim post e vivis secessit, anno 1395, die 28 novembris. Non male callebat Theodorus artem pingendi, quemadmodum testimonio est imago Sergii RadoneženSis, quam depinxerat, dum adhuc in monasterio Simonis archimandritæ munere fungeretur.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 279. 2) Philaret., Hist. Eccl. Russ., t. II, pag. 115. 3) Muraviev, Vitæ SS. ad h. d. 4) Memor. soc. archæol. Petropol., t. VIII, pag. 29 et 195.

DIES XXIX.

DIES XXIX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Paramonis, mart., et sociorum 370 (*Mst. Tern. Prol. Zogr. Rum. Chil. Og. Pp. Men. Leop. Hor. Kal. cum Hier. Pg. Vind. Nan. Msq. Med. Mg. Sirl.*).| S. Silæ, apostoli (*Par. I, cum Hier. Nan. Vind.*). S. Acacii, Sinaitæ (*Menol. Og. Eph. Hor. Prol. Kal.*). S. Nicolai, ep. Thessalonicæ (*Rum. cum Sirm. Med. Mg.*). S. Philumeni, mart. (*Rum. Hor. Leop. Kal. cum Bas. Coisl. Sirm. Med. Mg. Sirl.*).S. Bessarionis, thaumaturgi (*Hor. Leop. cum Sirm. Mg.*). S. Joannis Damasceni (*Rum. cum Bas. Med. Sirl.*). S. Abibi, ep. Necressensis et mart. (*Iber.*).

† Gregorii Agrigentini (*Itg.*). † Irinarchi (*Coisl. Msq.*). † Theoduli (*GP. Flor.*). † Dionysii, ep. Corinthi (*Mg. Sirm.*). † Joannis, mart. in Perside, et sociorum sex (*Med. Mg.*). † Urbani, ep. Macedoniæ (*Med. Sirm. Mg.*). † Pancosmii (*Mg. Cyth.*). † Pitirumi (*Mg. Cyth.*). † Phedri, mart. (*Mg.*). † Valeriani, (*Mg.*). † Dedicatio ecclesiæ SS. Sergii et Bacchi prope Perennem Citernam (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

SS. Paramon et soc.

In Mstisl. habetur : *passio S. Paramonis et* 300 *ac* 70 *sociorum;* omissa nota *passionis*, socios centum et septuaginta tantummodo recenset cod. Rum., sed minus recte. In officio legitur canon, auctore Josepho Hymnographo. Passi sunt anno 250, imperante Decio. — Vulgo refertur S. Joannes Damascenus die 4 Decembris, ad quam ideo differendus. — Iterum commemoratur S. Acacius ad 7 Julii, habetque officium liturgicum proprium. Hunc obedientia clarum, quum defunctus interrogatus erat an mortuus esset, negative respondisse aiunt, quod obedientiæ filii non moriantur. — Quatuor diversis diebus adscriptum esse S. Abibum, episc. Necressii in Iberia et martyrem, observatum fuit alibi. Et quidem dies 6 Julii assignatur in Synaxario Iberorum ms. bibl. Parisinæ, cujus fragmentum dedit Brosset Junior; at in Kalendario recentiore, quod ad calcem Bibliorum adjectum est, commemoratur ad 15 Novembris; teste eodem auctore, in alio ad 13; qui dies forsan S. Abibo supremus fuit, quamvis apud Muravievium, seu potius Bessarionem martyrium ejus figatur ad diem 12 ejusdem mensis. Denique die 29 Nov. coli ab hodiernis Iberis, tradit idem Bessarion, quem citat Muraviev. Porro S. Abibum unum exstitisse e tredecim Patribus Syris, qui, duce S. Joanne Zedazeno, in Iberiam commigrarunt, et ad sedem Necressenam fuisse assumptum, dictum est ad 4 Novembris, quo Joannis memoria recolitur conjunctim cum SS. Elia diacono et Stephano, deinceps episcopo Chirensi. Episcopus constitutus, in monte excelso, qui civitati Necressenæ stat ex adverso, monasterium Bethleem dictum sub vocabulo Nativitatis Christi Domini erexit, aut potius instauravit, ibique solebat residere. Interea Persis ignicolis Iberia potitis, in viciniam descendit ; unde clam reficiebat fideles verbo et sacramentis, impios vero Persarum ignes, data occasione, exstinguebat. Quare comprehensus, in urbem principem vinctus abducitur; quam dum peteret, epistolam accepisse fertur a S. Simeone Stylita, sibi amicissimo, quibus ad certamen sibi imminens animabatur. Urbi proximus cum esset, sanctum Chio, eremitam ac olim in monte Zedazeno condiscipulum, invisendi facultatem a militibus impetravit. Cujus verbis majore martyrii desiderio accensus, coram judice tandem sistitur in vico Rechi dicto; a quo interrogatus, quum Persarum religionem ineptam esse ac homine ratione prædito prorsus indignam intrepidus asseverasset, primo crudeliter cæsus, tum lapidibus obrutus est et in escam volatilibus extra urbem projectus. Cujus venerandum corpus sepulturæ clam mandarunt Christiani istius loci, opera sancti Chio; unde postmodum, rogante Adarnaso, Iberiæ rege, in ecclesiam Samtaviensem Mzkhetæ solemniter illatum fuit, instituto simul festo die 12 Novembris quotannis celebrando; quod ad 29 Novembris translatum est anno 1700, sub Vachtango VI. S. Abibi Vitam scripto tradiderunt Arsenius et Antonius I catholici; præterea auctor quidam antiquus at hodie ignotus, cujus meminit idem Antonius Patriarcha qui insuper vetustum canonem complevit æque ac Nicolaus, Tifflissii metropolita. Hactenus Vita ms. monasterii Garedjiensis, quam citat Muraviev ad hunc diem. — Præter nomen, prorsus ignotus est Nectarius, cujus laudes nec in Paterico supersunt. Commemoratur tamen in laura Cryptensi, non cum aliis simul, sed singulariter hac die. Corpus ejus quiescere perhibetur in cryptis Antonii. Cfr 1) Dict. hag. pag. 200. 2) Descriptio Lauræ Kievocrypt., pag. 87.

S. Joannes Damascenus.

S. Acacius.

S. Abibus, ep. Necressensis et martyr.

Nectarius, mon. Cryptensis.

DIES XXX.

Ex Ostromirano. Ex variis.

PASSIO S. ANDREÆ, APOSTOLI (*Omnes*).

S. Frumentii, archiep. Indorum (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Mg. Sirl.*). Commemoratio imaginis B. M. V. Romanæ (*Synax. Serb.*).

OBSERVANDA.

S. Andreas.

Vulgo refertur in fastis *memoria S. Andreæ, ap. primovocati*, vel brevius, ut in Mstisl. cod.; *S. Andreæ, apostoli*. Hunc porro non tantum Ecclesiæ suæ patronum esse, sed et apostolum fuisse gloriantur Russi atque eximiis laudibus exornant; parum denique abest, ut inter sanctos indigenas recenseatur; quod primus omnium nuper tentavit Andreas Muraviev, prolixam Vitam in opere suo texens. Sed misso hoc fabulatore, qui larvatæ pietati magis, quam veritati consuluit, audiamus Macarium, nunc Ecclesiæ Tchernigoviensis præsulem, non parvi nominis auctorem apud suos. Hic igitur, de Apostolatu S. Andreæ in Russia disserens, statuit: primo, pro certo tenendum, regiones ad oras Ponti Euxini sitas, a S. Andrea visitatas fuisse et Evangelica prædicatione illustratas, ut testatum faciunt Ecclesiæ illæ, quæ a primis temporibus extabant in Tauride, nempe Chersonensis, Gothica, Phullensis, Sugdæensis. Secundo, verisimiliter perrexisse S. Andream usque ad locum quo postmodum stetit Kiovia, aliasque regiones mediterraneas; unde per Poloniam et Pannoniam tendisse Romam. Tertio tandem, quæ de itinere Novgorodensi narrant auctores, sæculo XIII nequaquam antiquiores,

Dies primus et II Decembris.

antiquiores, ea rejicienda esse utpote sequioris ævi figmenta, omni solido fundamento destituta. Hactenus Macarius in Prolegomenis ad sæpe memoratam suam Historiam Ecclesiæ Russicæ. Cui, iter S. Andreæ Novgorodense repudianti, equidem subscribo perlibenter; dum autem iter Romanum vero esse simile ducit, assentire vel eam ob rationem nequeo, quod Romanis manserit prorsus ignotum ac inauditum. Quin et totam hanc de adventu Andreæ in hodiernam Russiam narrationem dubiam esse ac incertam duco cum viris non spernendæ auctoritatis, Platone metropolita, Strahlio, aliisque, ut nihil dicam de Bayero et Schlœtzero, viris in re hagiographica ferme peregrinis. Sed de his, pro instituto meo, satis. In Prologo novissime edito subjicitur breve synaxarium ex Græcis fontibus desumptum, additis quibusdam quæ ad iter Kioviense et Novgorodense illustrandum spectant, demptisque aliis nullius cæteroquin momenti rebus. In Menologio Mosquensi et apud Muravievium texitur Vita perquam prolixa, auctore Epiphanio, monacho et presbytero, quam præ cæteris omnibus Sancti Apostoli encomiastis fabulis indulgere animadverterunt jampridem critici, at quam ambabus ulnis amplexus est Muraviev, additis quibusdam ex versione ejusdem Iberica. Hanc transcripsit Romanus quidam monachus; confecerat vero, meo quidem judicio, Euthymius ille tot scriptionum auctor, de quo fuse dixi ad 30 Junii.

MENSIS DECEMBER.

DIES PRIMUS.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Nahum, prophetæ (*Fere omnes cum Bas. Hier. GP. Flor. Vind. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Ananiæ seu Menæ, Persæ, mart. (*Rum. Prol. Hor. Leop. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Philareti, eleemosynarii (*Men. Prol. Hor. Leop. Kal. cum Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*).

† Antonii seu Ananiæ Junioris, Onesimi seu Onesiphori et Solomonis, episcoporum Ephesi (*Sirm. Med. Sirl. Mg.*). † Dedicatio ecclesiæ S. Stephani (*Neap.*).

OBSERVANDA.

S. Nahum.

Mensem Decembrem orditur in Fastis plerisque omnibus S. Nahum, propheta, excepto Kal. Ostromirano, quod tribus primis diebus vacat. Minus recte Bartholomæus Kopitar, in sua interpretatione dicti Kalendarii latina, assignavit præsentem diem SS. Barbaræ et Joanni Damasceno. Licet enim primo loco prodeat ibidem uterque, non ideo tamen Kalendis erant ponendi; siquidem in textu minime expressa est cultus eorum dies, quam quartam esse cæterorum codicum unanimis prodit consensus. — S. Ananiam, martyrem, diserte nominant hodie cod. Rum. et Prologus, concinentibus Bas. Sirl. aliisque supra relatis. In Med. vocatur Menas; quem ab Anania minime distinctum esse manifestum fit ex encomio adjecto; siquidem quæ de S. Mena ibidem prædicantur, eadem ad verbum S. Ananiæ tribuuntur in Menologio Sirleti. — Alterum Ananiam proferunt eadem Menæa bibl. Ambrosianæ, ad diem sequentem, his verbis : *Memoria SS. patrum nostrorum Ananiæ et Solochonis, episcoporum Ephesi.* Hic ab Antonio Juniore sit ne diversus, nec ne, dirimant peritiores; equidem eumdem esse, sicuti nec Onesimum ab Onesiphoro, aut Antonium, martyrem, a Mena distinguendum duco. Quominus autem Solochon cum Solomone confundatur, obstant Menæa Mediolanensia mss., in quibus seorsim commemoratur et distincto versiculo laudatur uterque.

S. Ananius utrque.

SS. Episcopi Ephesini.

DIES II.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Habacuc, proph. (*Omnes*). SS. Joannis, Heraclemonis, Andreæ et Theophili, eremitarum (*Menol. Prol. Kal. cum Sirm. Med. Mg. Cyth.*). S. Myropes (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Mg. Cyth.*). S. Athanasii, mon. Kievocryptensis (*Pat. Menol. Kal.*). Urošii, regis Serbiæ (*Euch. Serb.*). S. Jessei, ep. Cilcanensis (*Iber.*).

† Passio S. Gregorii, ep. (*Neap.*). † Philareti, eleemosynarii (*Bas.*). † Abibi Junioris, diaconi et mart. (*Bas. Med. Sirl.*). † Ananiæ, Solochonis et Solomonis, epp. Ephesi (*Med.*). † Moysis, conf. (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

S. Myrope.

S. Myropè, ab unguento quod ex monumento S. Hermiones suscipiebat nomen sortita, longiore encomio donatur in Prologo et Menologio Mosquensi. Ubi multus sermo fit de S. Isidoro, milite et martyre, quem peculiariter colunt Græci 14 Maii. — Stephani Urošii, hujus nominis quinti, memoria inscripta est in plerisque Fastis Serbicis recentioris ævi, et in Catalogo sanctorum Serbiæ, quem initio Colloquiorum suorum de Historia Serbiæ præposuit Franciscus Pejacevič. Plura dabunt Memoriæ Slavicæ. — SS. Guriæ, Samonæ et Abibi, confessorum, proprius dies est 15 Novembris, quo de eis abunde actum. In Menologio Sirleti rursus commemoratur hodie Abibus, diciturque depositus fuisse cum SS. Guria et Samava (lege Samona) in loco Bethelachicla. — De S. Gregorio, Armeniæ episcopo et apostolo, (hunc enim referunt Fasti Neapolitani marmorei,) fusius tractatum est ad 30 Septembris, quo passim solet commemorari a Græcis juxta ac Latinis. — Teste,

Urošius.

S. Abibus diaconus.

S. Gregorius, ep.

S. Jessæus, ep. Cilcanensis.

Teste Bessarione, patriarcha Iberiæ, citato apud Muravievium, in Ecclesia Iberorum hodierna recolitur memoria S. Jessei, qui apud Brossetum Juniorem appellatur etiam Iso. Erat unus e duodecim patribus Syris, qui, S. Joanne Zedazeno duce, in Iberiam commigraverunt sæculo quinto. Ab Eulabio, patriarcha, ad episcopatum evectus fuit una cum S. Abibo Necressensi ; de quo uberius dixi ad 4 Novembris. Sede occupata, totus fuit in spargendo verbo Dei, et in magorum ignibus extinguendis. Viri sanctitatem sequens miraculum prodidit; quum scilicet Cilcanensis regio perarida esset et inaquosa, fluvium Tquilianum adiens, ut pedum suum in eum immisit Jesseus, illico rivulum inde deduxit usque ad Cilcanum, aquis baculum episcopalem sine mora sequentibus. Samthavii, prope Rekhulam fluvium, ecclesiam erexit de nomine B. M. V., grandem et pulchram, ad quam deinceps sedem suam fixerunt episcopi Xanienses. Tandem senio confectus, pie obdormivit in Domino, in eadem ecclesia sepultus, ubi corpus ejus hodiedum adservatur una cum imagine B. Mariæ, omnium, si fidem auctoribus adhibeamus, antiquissima, utpote quam in ligno præsepis Dominici pictam esse ferunt. Exstat in laudes Jessei canon, cui conscribendo operam navarunt Arsenius et Antonius patriarchæ, Nicolaus metropolita Tiflissii, Joannes philosophus et Jesseus Xaniensis. Cfr Wakhoucht, Description de la Géorgie, pag. 215.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Athanasius, mon. Cryptensis.

Floruit sæculo XIII, tempore Polycarpi, Cryptensium Patrum biographi. Jejuniis et vigiliis corpus suum extenuabat adeo, ut aliquando toto biduo sensibus orbatus jacuerit; quare a fratribus pro mortuo habitus est. Tertia itaque die, ad cellam Athanasii, extrema soluturi, accessere; ast quem defunctum æstimabant, eum sedentem invenerunt, stupore attoniti, et plorantem. Exinde, annuente hegumeno, clausit se in cella Athanasius; extra quam deinceps nunquam pedem extulit, jejuniis et orationi jugiter intentus. Imminente tandem extrema die, sacramentis refectus, manibus supra pectus compositis, tranquillam mortem obiit anno 1264, die 2 Decembris, miraculis mox conspicuus. Corpus ejus cryptis Antonii illatum est, ibique honorifice tumulatum.

Cfr 1) Prolog. et Men. ex Paterico ad h. d. 2) Kulčin. Specim., pag. 60. 3) Dict. hag., pag. 47.

Urošius, rex Serbiæ.

Stephanus Urošius, hujus nominis quintus quem Latini *Orosium* vocant, fuit ultima Nemaniorum propago. Natus est anno 1338, patremque habuit Stephanum Dušanum, cognomento Validum, qui sceptrum tenuit ab anno 1336 ad annum 1356, matrem vero Helenam, Joannis Cantacuzeni, Græcorum imperatoris filiam. Stephanus Dušanus is fuit, qui magnis rebus gestis Serborum reges omnes antecelluit; imperio in Macedoniam et Thessaliam prolato, se imperatorem Romaniæ, Slavoniæ et Albaniæ dici voluit; quin magistratuum nomina et munera in Serbiæ regnum invexit ad aulæ Constantinopolitanæ imaginem, atque equestrem ordinem S. Stephani instituit. Idem, in sacris perinde ac in civilibus rebus ambitioni consulens, Serbiæ archiepiscopos patriarchali titulo ac dignitate donavit ad formam Ecclesiæ Byzantinæ, eo forte principio innixus apud Græcos solemni, imperium sine patriarchatu stare cogitarive non posse. Utut est, patriarchæ titulum, quem Græci Ecclesiæ Serbicæ invidebant, et objectis etiam excommunicationis fulminibus abrogatum ibant, Innocentius VI, pro summa in Ecclesias potestate, ultro largitus est ac ratum habuit, quamvis ob neglectam petitionem pallii eum redarguerit paterne; verumtamen quum non videatur Honorius III a S. Saba I, Serbiæ archiepiscopo, efflagitasse ut veterem illum morem observaret, privilegio aut forte diversæ Orientalium disciplinæ consuetudine factum est, ut ille ritus in Ecclesia Serbica nunquam viguerit. Illud præterea memoratu dignum est, quod quidam de Stephano Dušano referunt scriptores, eum, coacta scilicet Serbicorum episcoporum synodo, circa annum 1355, omnes Græcos episcopos Photiani lolii satores, toto quam late patebat Serbiæ imperio expulisse et ejecisse; quam ob causam a Callisto, patriarcha Constantinopolitano, tum ipse imperator tum universæ Serbiæ episcopi anathemate sunt confixi. Illius severitatis regiæ edictique synodalis in Græcos episcopos non alia causa in animum venit, quam, quod post regium edictum et inhibitionem *sub pœnis formidabilibus* latam de non profanandis Latinorum sacramentis, abstinendoque ab eorum vexatione et injuriis, græcanici episcopi, disciplina Cerularii imbuti, (quorum multi, aucto per Romaniam Macedoniamque imperio, in ditione Stephani numerabantur,) insigni contumacia sacra Latinorum, Baptismum, Confirmationem ac Eucharistiam in azymo confectam, opprimendisque ritus hujus fidelibus haud desinerent, perversisque suis doctrinis Serbos quoque in eamdem impietatem commoverent. Cumque huic regiæ ordinationi justissima subesset causa, nihil prorsus reformidavit imperator patriarchæ Contantinopolitani anathema. Factum istud celeberrimum incidit in annum 1355, quo nempe Sabas IV Joannicio successit, et quo ipso Urošius, Dušani filius, juvenis annorum decem et septem, nuptias suas solemni pompa celebravit. Duxit autem uxorem Annam seu Ancam, Alexandri Valachici principis et Claræ filiam, ut in confesso est ex litteris Urbani V ad eamdem Claram jam viduam, quam alibi « *non solum catholicam, sed claris dictæ fidei meritis insignitam* » pronuntiavit Pontifex modo laudatus. Quod vero scriptores latini de repudio primæ conjugis, et nuptiis illegitimis cum Voisavi Cæsaris filia, Elisabetha, perhibent, nescio unde hauserint; et certe fidem merentur nullam. Cum diem extremum sibi imminere sensisset Dušanus, provinciarum præfectos ad fidem Urošio filio sancte servandam gravibus juramentis obstrinxit. Imperium enim in præfecturas partitus erat adhuc vivens valensque, retento sibi summo imperio; Acarnaniæ præposuerat Simeonem, fratrem suum; Vukašino, Ugliešæ et Goico fratribus potissimum tractum illum, qui a Pheris excurrit, velut maxime bellis obnoxium, commendavit; Lazaro et Vuko Brankovicio, ejus genero, Sirmium et Mačvam et provincias

Dies II Decembris.

provincias Danubio Savoque finitimas, *Terram Stephani regis* olim dictas; Altomanoque Chulmiam commiserat regendas, ut cætera silentio prætermittam. Mortuo igitur patre anno 1356, regni gubernacula arripuit Urošius, annos decem et novem natus. « *Imperium auspicatus*, ut domestici scriptoris verbis utar, *ecclesiam honoribus Natæ Virginis Mariæ in urbe Scopia, regum domicilio, exstruxit; cui mater, Helena, in monte Nigro supra Segligovo, pari pietate, alteram didicavit. Princeps juvenis cum facilis esset, mitissimaque indole, amorem omnium in se provocavit; ac, dum ex matris suæ agebat consiliis, regiminis optimi spem mentibus suorum ingessit. Verum cum brevi post, rejectis maternis et seniorum consiliis, juvenes audire cœpit, instar Roboami, ad extremum periit : aut, ut viciniore utamur exemplo, sicut Michaelem, Bulgarorum regem, servi sui Basilii, ita Urošium immatura juvenum consilia perdidere. Itaque anno ejus imperii decimo sexto ostenderunt se violatores sacramenti complures proceres, ac præcipue Vukašinus, qui licet ab Urošio Despotæ dignitate et mox etiam regali Serbiæ et Romaniæ corona auctus esset, ad extremum tamen imperatorem suum, mortalium ingratissimus, imperio et vita ipsa exturbavit. Peremerunt itaque Urošium rex Vukašinus, Uglieša despota et Goico fratres et quadrifariam partiti imperium Serbicum, servatis sibi titulis regis, despotæ ac Cæsaris, Amuratem, Orchanis filium,* Knezim *nominarunt.* » Hactenus annalista Serbus, admodum brevis. Sane malorum omnium initium ex Simeonis patrui ambitione belloque adversus Urošium gesto, secessione Helenæ matris, quæ peculiare sibi regnum Pheris constituit, ac neglectu meliorum consiliorum repetendum est; quæ omnia primo imperii biennio evenerunt. Annus tertius, salutis nostræ 1359, transactus est inter civilia bella duorum summorum Serbiæ præfectorum, Vukašini et Lazari, et quæ his successerunt bella Hungarica. Annos tres sequentes occuparunt motus, quos partim Nicephorus despota in Thessalia, partim Matthæus Cantacuzenus ad Pheras, ac denique Joannes Palæologus adversus Bulgaros, Helenæ fœderatos, concitaverunt. His malis ultimam manum addidit nimia Urošii facilitas in augendo Vukašino rege, et despota Uglieša, Vukašini fratre. Hinc enim invidiæ, suspiciones, mutuæ procerum collisiones et bella ad se invicem, inobedientia erga Urošium tanta ut solum imperatoris nomen retineret, et postremo pernicies ejus originem traxit. Malum diu toleravit Urošius; tandem ejus impatiens, detractum sibi a Vukašino et Ugleša imperium armis recuperare statuit, suadentibus potissimum Lazaro comite et Nicolao Altomano jupano, atque auxilia opesque universas offerentibus perlibenter. Ergo prælium acre committitur anno, ut videtur, 1371; profligato Altomano, quem Lazarus reliquerat solum, Urošius in Vukašini manus venit, et privati instar, nulloque honore domi est retentus, quin et crudelius tractatus. Unde cum anno exeunte fuga se Ragusam subducere molitur, fratrum consilio et sacrilega Vukašini manu ferali ictu capiti inflicto exanimatus est in campo Merularum seu Kossovo, ob cladem Serbis ibi non multo post illatam celeberrimo. Occubuit autem non multo post, die secunda decembris, qua a Serbis ut martyr honoratur, in medio regni sui, hærede nullo relicto, et luctu patriæ maximo. Ita imperium Serbicum, quod ex Græcorum dissidiis creaverat Stephanus rex, ex domesticis pariter dissidiis in Urošio filio desiit, nondum expletis ab erectione annis septem et viginti. Sepulcrum nactus est Urošius prope castrum *Petrikum* in ecclesia Beatæ Virginis Assumptæ, supra Nerodymliam. Post lapsum annorum aliquot, cum beneficiis prodigiisque inclaruisset, reliquiæ, de sepulcro levatæ, venerationi publicæ sunt expositæ; quæ hodiedum suavem exhalant odorem, et sanitatem præbent accedentibus cum fiducia. Dein ob Turcarum irruptiones, corpus translatum est in monasterium *Jaslense* Sirmii, in Francochorio situm, qui mons nunc Fruška-Gora nuncupatur. De religione Urošii et orthodoxia fidenter affirmat Pejačevič (p. 305), eum cum matre sua Helena catholicæ Ecclesiæ dogmata complexum, ac obedientiam erga Romanam sedem fuisse professum. Qua in re quæstionem absolvit, dubiumque omne tollit Lucæ Wadingi testimonium, quod huc propterea retulisse juvabit, utpote haustum ex monumentis Fratrum Minorum, qui per regna ista late sparsi agebant. Wadingus igitur, postquam retulit opera Innocentii VI, summi pontificis, finem bello Hungarico Venetoque anno 1358 esse tandem impositum, et Dalmatiam a Ludovico, Hungariæ rege, in fidem receptam, sic in rem nostram prosequitur : *Superatis itaque multis difficultatibus atque obtenta pontificis facultate, selectum Ludovicus conscripsit militem contra Rasciæ regem; arces et munitissima quæque loca occupavit, ipsum regem cepit. Sed cum postea in manus Ludovici ex formula ab Innocentio præscripta jurasset, inque fide et obedientia tum Romanæ Ecclesiæ, tum regum Hungariæ se futurum promisisset, magnifice donatus, regno reddito, dimissus est.* Annal. Minor., t. VIII, p. 111, n. 6. Id quod ad annum 1359, non alteri quam Urošio V, qui Serbiæ regio nomine tunc imperabat, evenisse debuit, et aperte asserit Samuel Timon in Synopsi chronologica; *etsi vulgari scriptorum latinorum præjudicio*, ut observat Pejačevič, *orthodoxiam regis ad fictionem simulationemque trahat.* Urošii interitu stirps Nemanica desiit, regnumque Serbicum seu Rascianum prorsus interiit. Vucašinus, sceleris patrati justas pœnas dedit : cum enim post primam victoriam, dein ad Ciarnomenum a Turcis esset victus ejusque exercitus profligatus, anno 1371, ipsum ex acie fuga elapsum quidam ex ejus armigeris, Nicolaus Harsevič nomine, torque aureo ingentis pretii quam inhiabat e collo detracto, interfectum alii, alii Maritzæ fluctibus haustum esse tradunt. Exinde proceres et dynastæ arma adversus se invicem sumpserunt, et licet inter se discordes essent, tamen veluti quadam conjuratione facta, ad vastissimum illud regnum dilacerandum conspirasse viderentur, donec Turcarum barbaricæ tyrannidi fuerit subjectum.

Cfr 1) Pejacevič, Historia Serbiæ, pag. 298 et seq.; 317 et seq. 2) Raič, lib. VII, cap. 13 et 14. 3) Glasnik, t. XI, pag. 95 et seq. 4) Muraviev ad h. d. 5) Farlati, t. VII, 78 et 79. Act. Patr. CP.

DIES III.

DIES III.

Ostromiranum. Ex variis. VACAT.

S. Sophoniæ, prophetæ (*Omnes cum Bas. Sirm. Mg. etc.*). S. Theoduli (*Siš. Prol. Menol. Hor. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Mg.*). S. Theodori, ep. Alexandr. et mart. (*Prol. Menol. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Mg. Cyth.*). S. Joannis Silentiarii (*Menol. Prol. Kal. cum Med. Mg. Cyth.*). Sabbæ Zvenigorodensis (*Prol. Menol. Kal. Pp.*).

† Passio S. Gregorii de Armenia (*Neap.*). † MM. Agapii, Seleuci et Mamantis (*Med. Mg. Cyth.*). † MM. Indis, Domnæ et 20,000 soc. (*Hier. Nan. Sirm. Med. Msq. Goth.*). † Glyceria, mr. (*Med.*). † Quadraginta martyrum in Sophianis (*Sirm.*). † Moysis, œconomi (*Med.*). † Cosmæ et Damiani (*Sirm. Med.*).

OBSERVANDA.

S. Sophonias. Ex omnibus sanctis, modo relatis, Sophonias, propheta, solus est, quem hoc die Græci celebrent æque ac Latini. In Menologio Mosquensi legitur breve encomium ejus, ex Epiphanio et sancto Hieronymo excerptum; in Menæis autem *S. Theodulus.* legitur canon, auctore Theophane. — Theodulus, ex eparcho Constantinopolitano monachus factus, in columna prope Edessam degit annos triginta *S. Theodorus.* et octo. — Eis quæ de Theodoro, archiep. Alexandriæ, traduntur in Menæis Græcis, addenda est, pro more, chronologia; hanc enim constanter vel lædunt menologi vel silentio premunt. Excipiendus Veršinski, qui in assignandis annis ut plurimum et adcuratus est et minime obliviosus. Hodie tamen, forsan Lequienii auctoritate deceptus, minus adcurate fixit martyrium S. Theodori, patriarchæ, ad annum 609; cum indicare debuerit annum 606. Hoc enim anno capite plexus post varia tormenta, occubuit Theodorus, cognomento Scriba, postquam infulas biennio tenuisset, inter S. Eulogium, Gregorii Magni, pontificis romani, amicissimum, et Joannem Eleemosynarium medius. Consulatur Historia chronologica patriarcharum Alexandrinorum, Act. SS. tomo quinto Julii præposita, et Oriens christ:, t. II, col. 445. In Med. perperam vocatur ep. Ancyræ, pro Alexandriæ. — Joannes Silentiarius laudatus est ad *S. Joannes Silentiarius.* 30 Martii. Est enim is qui monachus evasit ex episcopo Ascalonis, vel *Coloniæ*, ut corrupte habetur in Fastis Græcis et Slavicis.— De S. Indi et *SS. Indis et soc.* sociis dicemus ad 28 hujus. In uno Saxo-Gothano habetur : ***Bis viginti millia martyrum.***

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Sabbas, heg. Zvenigorodiæ. Inter plurimos Sergii Radoneženssis alumnos non ultimum locum obtinet Sabbas, hegumenus Zvenigorodensis. Qui initio quidem solitariam vitam duxit ad flumen Mosquam, non procul a monasterio SS. Trinitatis, quod fundaverat magister ejus Sergius. Postea vero, rogante scilicet Georgio, magni ducis Demetrii filio, cui a confessionibus erat, in ejus ditionem migravit, et in monte Storoža dicto, prope Zvenigorodiam urbem, cellam posuit, quam dein ecclesia, Nativitati B. M. V. sacra, auxit; et monasterium, sociis undique ad se venientibus, excitavit. Quibus postquam triginta integros annos præfuisset, aliumque hegumenum in sui locum suffecisset, supremum diem obiit 3 decembris, anno 1407. Ducentis et quinquaginta annis post ex terra elevatum est ejus corpus et decenti loco reconditum.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad hunc diem. 2) Dict. hag., pag. 236. 5) Philar., Hist. Eccl. Russ., t. II, p. 116.

DIES IV.

Ex Ostromirano. PASSIO S. MARTYRIS BARBARÆ (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Sirm. etc.*). ET S. JULIANIÆ (*cum Med. Mg. Cyth.*). S. JOANNIS DAMASCENI SEU MANSUR, PRESBYTERI (*Menol. Horol. Pp. Prol. Kal. cum Hier. GP. Pg. Sirm. Msq. Med. Mg. Cyth.*).

Ex variis. S. Joannis, ep. Polyboti et thaum. (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Sirm. Mg. Cyth.*). Gurii, archiep. Cazanensis (*Verš.*).

† MM. Christoduli et Christodulæ (*Sirm. Med. Mg.*). Christoduli, heg. in insula Pathmo, † Grati seu Rati, episc. Ephesi (*Sirm. Med.*). [Seraphim, archiep. Phanariensis (*Synax.*).]

OBSERVANDA.

S. Barbara. De S. Barbara, virgine et martyre celebratissima, non est cur multa disseram, quum integra exstent volumina ejus laudibus referta. Illud tamen addendum censeo, plura contineri in Fastis Slavicis ad ejus gloriam posthumam facientia, quæ Occidentales latere puto. Summa namque religione colitur Kioviæ, ubi venerandæ ejus reliquiæ adservari dicuntur. In Menologio Mosquensi, post Vitam ex Metaphraste, Joanne Damasceno et Menæis Macarii mss. collectam, adduntur miracula, quorum seriem texuit Theodosius Sophonovič, anno 1676. Illustre hujus virginis martyrium refert Assemanus intra annos 235 et 237, regnante Maximino, Alexandri Severi successore. Exstat officium liturgicum ejus proprium. — *S. Juliania.* S. Juliania, quæ S. Barbaræ in martyrio socia exstitit, adeoque simul cum ea prodit in codice Ostr., vulgo solet referri ad 21 Decembris. — Triplici cognomento distinguitur Joannes in Fa- *S. Joannes Damascenus.* stis sacris : nam a Damasco, ubi præfecti munere fungebatur olim Damascenus; a munere Mansur, quæ vox arabica est, vicarium seu locum tenentem adeoque ministrum Bachæ significans; a gratiæ fluentis denique Chrysorrhous nuncupatur. Hic, cum dexteram suam B. M. V. ope mirabiliter recuperasset, in grati animi tesseram et patrati miraculi memoriam, ejus iconi brachium arte factum appendit; unde invaluit apud pictores mos pingendi beatam Mariam Virginem cum tribus manibus; quæ imago idcirco Damascena aut Τριχειρ cognominatur, atque peculiari veneratione colitur 28 Junii. — Hodie citatur Gurius in *Gurius.*

DIES IV DECEMBRIS.

Christodulus Nicænus, hegumenus in insula Pathmo.

Menologio Veršinskiano; at in Kalend. Mosquensi anno 1818 excuso refertur ad diem sequentem. Commemoratur etiam die 5 Octobris, translationis corporis ejus anniversaria. — Edidit non ita pridem Eduardus Le Barbier, scholæ gallicanæ Athenis alumnus, libellum, cui titulum fecit : *Saint Christodule et la réforme des couvents grecs au* XIe *siècle;* sed quem neque a religione neque a gravitate laudavero. Ex bullis aureis, quæ in insula Pathmo conservantur, affirmat se dicta sua collegisse; eadem, omissis scommatibus, compendio referimus ad præsentem diem, non quod ejus natalis sit, sed quod ea sanctus martyr homonymus colitur : maxime quod nescimus qua die mortuus sit aut qua colatur. In oppidulo itaque non procul a Nicæa natus est ille anno 1020 et in baptismo Joannes dictus. A grammatista curis parentum primas litteras doctus est et mox Scripturis sacris memoriter discendis totum se dedit. Anno ætatis vigesimo, ne a matre cogeretur matrimonium inire, fuga se recepit in montem Olympum Bithyniæ, ubi ascesis florebat. Cum schemate monastico Christoduli nomine accepto, triennium pane et sale vixit, non nisi aquam bibens et somni parcus. Dein Romam profectus est, ubi sepulcra SS. Petri et Pauli pie visitavit; quod indicium sit eum tunc catholicum fuisse, quin tamen hinc concludi possit eum in communione catholica perseverasse, quum paucis annis post universa fere Græcorum gens a Latinis iterum abhorruit. Sed inde Hierosolymam abiit; ubi anno 1045, ætatis 25, advenit, cogitans vitam monasticam in Oriente meliori conditioni restituere. A Bethleem ad lacum Tiberiadis usque Palæstinam obivit, donec in monasterium deserti ad Jordanem se contulit. Verum aliquot annis post, irruptionem fecere Agareni, populabundi monasteria et monachos occidentes. Fuga se abripuit Christodulus; et stipatus a sociis aliquot navigio venit in sinum Latmicum ad ostia Meandri. In vicino monte Latros degebat religiosa colonia monachorum a monte Sina; quibus fixum erat vitam cœnobiticam anteponere singulari seu ἰδιορρυθμίᾳ et gravissimo labore victum quærere. Quibus quum se adjunxisset, eminuit inter eos Christodulus, interdiu rastro terram colens, noctu plures horas orationi deditus. Pane vescebatur; paschate tamen aliisque majoribus solemnitatibus caseo utebatur et ovis, ne manichæus seu bogomilus videretur. Quare petierunt a patriarcha Nicolao omnia montis Latros monasteria ut archimandrita esse juberetur. Quo consentiente, illud ei munus demandatum fuit; ut deinceps singulorum asceteriorum hegumenis præpositus fuerit. Verum circa annum 1077 turbata plane fuerunt omnia ejus consilia. Advenerunt subito Turcæ Seldjukidæ; quidquid pretiosi pietas et labor in monte Latros collegisset, abripuerunt; monachos autem pepulerunt in fugam. Quem tum dolorem expertus est, viginti quatuor annis post in testamento significavit archimandrita : « Quomodo, inquit, tantarum calamitatum « memoriam ferre possim!... In monte Latros « nullum audiebatur a fratribus verbum indecorum; nullum unquam deprehendebatur inter « eos pravum commercium! Sex diebus in hebdomade non nisi psalmos cantabant et opera manuum perficiebant... Sed divinæ iræ gladius « evaginatus est neque cessat in Ioniam sævire. » E sinu Latmico solvens, denuo Hierosolymam cogitabat; sed prius in portum Strovili e regione insulæ Coi delatus, monasterium S. Joannis, quod in suburbio, ad pedem montis Conici, vulgari nomine *Mouni Cavalouri*, surgebat, se contulit. Hegumenus veste monastica, sed vir laicus et pater familias, erat Arsenius Skinouris, qui in filiæ gratiam asceterium condiderat et de agris in insulis Coo et Lero dotarat, ab imperatore Michaele VII seu Parapinace inter annos 1071 et 1078 vectigalium immunitate concessa. Profugum abbatem sibi substituit Arsenius eique omnia monasterii bona transcripsit. Interea pulso Michaeli successerat anno 1078 Nicephorus III Botoniates. Quo autem firmior esset nova fundatio et disciplina stabilior, petiit Christodulus ab imperatoris sorore Typicum : nil enim ab aula alienum putabant Byzantini principes, nisi quod revera de officio suo esset : ab imperatore autem impetravit bullam auream, qua monasterii libertas et immunitas certæ essent, quamdiu Typicum observaretur. Sed quum illic timor a Turcis esset, passus est Christodulus sese ab Arsenio qui, laica tandem abjecta conditione, novum monasterium in monte Dicæo insulæ Coi, trecentis tritici modiis in singulos annos et vectigalium immunitate a Nicephoro concessis, construxerat, in eamdem insulam invitari; ubi anno 1080 in monte Pilæo templum et monasterium B. M. V. Castrinianorum cœpit ædificare, dum Arsenius cellas suas in Dicæo exstrueret. Licet Christodulus secum attulisset bullam Nicephori, mense Martio anni 1080 obsignatam, qua Castriniani a vectigalibus liberi essent; quum anno 1081 Nicephoro successisset Alexius Comnenus, tetarton seu sex mulos quotannis exegerunt collectores, donec id anno 1083 vetuit Alexius, decem libris auri pro pœna indictis. Contractum deinde iniit Christodulus cum monachis SS. Salvatoris Pandepoptis, quo sua Meandri prata eis cessit, eorum loco Leron, Lipso et Pharmacon, tres ex Sporadibus insulas accepturus; sed secreti Myrelæi interventu Lipso tantum et tres Leri vicos nactus est : quæ confirmavit imperator mense Maio anni 1087. Quum autem illic solitudinis quiete frui non posset et insula Pathmos incolis vacua esset, hanc efflagitaturus Constantinopolim petiit; eamque obtinuit anno 1088, postquam, Celliorum et Zagoræ archimandrita designatus, frustra tentasset monachos ad vitam communem traducere. Constituit illic in monte Acropoli Christodulus ut nullus eparchiæ episcopus, nullus patriarcha, nulla femina, puer aut eunuchus in insulam admitteretur; Alexius autem chrysobullam dedit, qua ab omni potestate laica et ecclesiastica insula libera esset : consensit et patriarcha Joannes. Sed hæc pleraque stare non potuerunt. Quum enim, dejecto Dianæ templo, in Acropoli monasterium S. Joannis evangelistæ moliretur Christodulus, atque ipse et monachi in saxosa sterilique insula illa laborem suum cum operariorum labore sociarent, desiderare cœperunt monachi Anatoliam et insulam Coum, operarii uxores familiamque suam; ita ut prope a rebellione abessent. Monachos facile compescuit Christodulus; sed operarios non vicit, nisi concedens ut in altera insulæ parte feminis locus esset, quo pergere possent laici vespere feriæ sextæ usque ad primam lucem feriæ secundæ : atque hinc viculi aliquot orti sunt, qui adhuc exstant. Sed brevi satis non erat unde multitudo illa viveret : quare nova aliquot dona addidit Alexius; et, quum secretum Myrelæi vectigalia exigeret, denuo vetuit; matris consiliis, quæ nunquam destitit Pathmensibus monachis favere. Miracula aliquot illic fecisse fertur Christodulus; scilicet, eo jubente, in Horto Sancti (Joannis) fontem scaturiisse; citros seu malos assyrias subito floruisse; et panem multiplicatum. Sed Pathmo jam imminebant Turcæ; quare statuit anno 1093 cum octoginta monachis in Eubæam transfretare ad Eumathium, discipulum suum, quem quoque sanctum dici video. Supererant in insula duodecim familiæ; a quarum singulis militem extorserunt fiscales : Christodulo agente, Pathmenses a militia liberos voluit

voluit Christophorus Magister, magnus chartularius et insulæ Coi collector; quippe qui insulam tueri deberent; sed eorum loco servos Coenses militiæ adscripsit. Interea Pathmi desiderio tenebatur Christodulus; verum, a discipulis impeditus, anno 1100 eo misit Sabbam discipulum, subhegumeni titulo donatum, cum libris, reliqua necessaria supellectile et jure disponendi de pristini monasterii bonis; optans ut S. Joannis asceterium redintegraretur. Undecim mensibus post, anno 1101, ætatis 81, diem obiit, ante condito testamento discipulisque rogatis ut Pathmum corpus suum deferrent illicque denuo sedem figerent. Verum quum, navigia nacti, corpus auferre tentarunt, obstiterunt armati accolæ. Soli itaque abierunt. Sed anno post regressi sunt et clam noctu abstulerunt patris sui exuvias. Quæ nunc in tumulo vitreo conspiciuntur ad ingressum templi S. Joannis Pathmensis.—Seraphim, anno 1600 a Turcis peremptus, refertur in Synax. Nicodemi. *Die V Decembris.* *Seraphim.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Gurius, archiep. Cazanensis. Gurius, a baptismo Gregorius, Radonežæ, nobili genere ortus, duci cuidam ministravit ea morum integritate, ut nihil in eo reprehendendum invenerit quisquam. Quare, invidia diaboli apud principem falso accusatus, quasi nimirum heri sui torum adulterio maculasset, in profundam fossam conjectus est; in qua toto biennio detentus, avena et aquæ haustu jumenti instar victitavit. Libertati restitutus, monasticum schema induit in cœnobio Volokolamensi, cui deinceps ab anno 1522 per integrum novennium præfuit, diutius recturus, nisi morbo a curis hegumenatus quiescere fuisset coactus. Mox tamen monasterio Seližarovo, anno vero 1555, ecclesiæ Cazanensi, tunc primum institutæ præficitur. In qua regenda pastoris nomen comprobavit : etenim in fidelibus rudioribus edocendis, cujus rei causa duas scholas instituit, in convertendis Mahumetanis, in excolendis neophytis summam operam dedit, Barsonophio et Germano cooperantibus. Tandem, postquam plura Tartarorum millia ad fidem christianam adduxisset, laboribus et morbo confectus, magnumque schema indutus, ex hac vita migravit die 4 decembris, anno 1564. Corpus ejus repertum est anno 1596, die 4 octobris. Qua propterea die colitur secundo simul cum Barsonophio. Utriusque vitam exaravit Hermogenes, deinceps patriarcha Mosquensis.

Cfr. 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Dict. Hagiogr. pag. 82. 3) Vita SS. Præsulum, Gurii, Germani et Barsonophii, auct. Elisejevo. 4) Vita SS. Præsulum Gurii, Germani et Barsonophii, auctore Gregorio archiep. Cazanensi. 5) Menol. Verš. ad 4 oct. 6) Philar, Hist. Eccl. Russ, III, 45-47.

DIES V.

Ex Ostromirano. S. Patris nostri Abercii (*cum Med. Mg. Cyth.*). Et sancti institutoris Sabbæ (*Omnes cum Bas. Neap. CP. etc.*). S. Anastasii, mart. (*Menol. Prol. Kal. cum Med. Mg. Cyth. Sirl.*). SS. Carionis, mon. et Zachariæ, filii ejus (*Menol. Prol. Kal.*). Gurii, archiep. Cazanensis (*Kal.*). [Monachorum qui Caræis obierunt (*Ath.*). Nectarii et Philothei in mon. Caræarum (*Ath.*).]

Ex variis. † Abercii, mart. (*Mg. Cyth.*). † Joannis, ep. Polyboti, thaum. (*Sirl.*). † Diogenis, mart. (*Med. Mg. Cyth.*). † Nonni (*Med. Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

S. Abercius uterque. Duos Abercios ut dignoscerem, inductus sum a synaxarista Ostromirano, qui quum primo loco meminerit *S. Patris nostris Abercii*, utpote celebratioris, postposito ipsomet S. Sabba, tantæ apud Orientales famæ viro, Hieropolitanum Antistitem et thaumaturgum intelligere cogor vel invitus. Nec enim credibile est, agi hic de Abercio, martyre, gladio animadverso, de quo quæcunque innotuerunt hoc disticho comprehendit Menologus Græcus : *Brabea cædis magna sunt Abercio, quem non coronat laurus, attamen polus.* De Abercio vulgo agunt tabulæ Ecclesiasticæ ad 22 Octobris; qua iterato inscriptus legitur in Ostromirano. —

S. Sabbas. S. Sabbam *Sanctificatum* solum commemorant hodie Fasti pene universi tacito Abercio, aliisque sanctis. In Mst. et Rum. habetur : *Commemoratio sancti patris nostri Sabbæ*; in aliis brevius: *Sabbæ.* Codex Assemanianus glagoliticus aliquantum uberius quam Ostromiranus habet ita : *S. Patris nostri beati monachorum institutoris Deiferi Sabbæ.* In marmore denique Neap. notatur : *Depositio S. Sabbæ*; et quidem recte : hoc namque die obiit in sui nominis celeberrimo monasterio, anno 532, ætatis suæ nonagesimo nono; non autem *centesimo quinto*, ut mendose habetur in Actis S. Theodosii cœnobiarchæ, teste Assemano, fusius de anno obitus S. Sabbæ disputante, Kalend. t. V, pag. 410 et seq. In quo consignando emendandum est Kal. Mosquense et Horologium Počajovense, dum statuunt annum 516 et 524. Genuinam Sabbæ Vitam, auctore Cyrillo Scythopolitano, græce et latine edidit Cotelerius in Monumentis Eccles. Græcæ t. III. pag. 220; slavonice autem Menologus Mosquensis. Porro, non monachorum tantum, sed etiam divini officii institutor fuisse perhibetur; nam, ut Simeon Thessalonicensis auctor est in Dialogo adversus hæreses, divinum officium in certum quemdam Typum, seu formam scriptam redegit; quam a Sanctis Euthymio et Theoctisto, magistris suis, per traditionem acceperat: hi porro a majoribus suis et præsertim Charitone, confessore, desumpserant. Hanc porro Divini Officii norma, a S. Sabba in litteras missa, cum ob irruptionem barbarorum interiisset, S. Sophronius, patriarcha Solymorum, studio laboreque restituit, ac post eum divus Joannes Damascenus renovavit. Ordo itaque canticorum in Menæis, toties a me citatis, est ille ipsissimus ordo, quem in Typico Hierosolymitano S. Sabbas primo et post illum Sophronius ac Damascenus observandum sanxerunt. Quin et ingens illa canticorum copia quæ nominibus auctorum destituitur, tribus istis seu ut auctoribus, seu ut collectoribus tribuenda videtur. Quid autem eorum singulis, et nominatim S. Sabbæ adscribendum sit, fuse prosequitur Simon Wagnereckius in egregio opusculo cui inscribitur : *Pietas Mariana Græcorum*, ed. 1648, Prolegomenorum pag. 55 et seq. — In Paterico Montis Atho commemorantur ad 5 Decembris, monachi quidam Caræarum, in Monte Atho, qui tempore Michaelis Palæologi pro sua religione occubuerunt. Utinam id fecissent pro vera! Horum

Monachi Caræarum.

Dies VI et VII Decembris.

rum unus fuit protohegumenus totius Montis; cæterorum numerus tacetur. Sunt autem ejusdem generis martyres ac ii, de quibus ad 4 Januarii dictum est satis superque. Eodem die recolitur a monachis Athonitis memoria Nectarii et Philothei, Caræensium, qui circa medium sæculum xv vixerunt, teste auctore Paterici tom. II, p. 59 et 45. Et quidem Nectarius certabat in asceterio SS. Archangelorum, dicto Jagari, quod pendebat a monasterio Caræarum. Antea vero moratus est in monasterio SS. Cosmæ et Damiani anargyrorum, prope Bitoliam, in Albania hodierna, ubi et initia monasticæ vitæ posuerat. Dum in cella Archangelorum versaretur, magistrum et ducem nactus est Philotheum, quem tantæ virtutis virum fuisse tradunt Athonitæ ut donum ventura prænoscendi acceperit a Deo. Mortuus est Nectarius, anno 1500, die 5 decembris, diuturno gravique morbo confectus. — In Kalend. Mosquensi, edito anno 1818, expressis verbis habetur, ultimo loco : *Obitus S. Gurii, primi archiep. Cazanensis, anno* 1564; refragantibus cæteris omnibus, ut satis liquet ex dictis pridie.

Gurius Cazanensis.

DIES VI.

Ex Ostromirano.

Memoria S. Patris nostri Nicolai (*Omnes cum Bas. Neap. etc.*). **Dominica SS. Protoparentum, ante Nativitatem Christi secunda.**

OBSERVANDA.

S. Nicolaus.

Nullus est in Ecclesia Russiæ locus tam remotus, tamque abditus, quo fama et miracula S. Nicolai non manaverint; non urbs, non ecclesia, in qua aliquod sacellum ejus nomini non sit dicatum. Hinc thaumaturgi titulo distinguitur passim et absolute; atque in officio diei nullis aliis sanctis relictus est locus, sicuti nec in Fastis sacris. Tantæ autem erga Antistitem Myrensem devotioni nonnihil, mea sententia, profuit festum translationis ejus corporis, Græcis quidem prorsus ignotum, Russis vero ab iisdem pene temporibus, quibus a Roma Ecclesia celebratum. In Menologio Mosquensi prolixa texitur Vita sanctissimi thaumaturgi, Metaphrasti adscripta. Accedit sequens notula, quam prætereundam non esse puto : *Qui cupit aliqua de tantis tamque gloriosis miraculis S. Nicolai cognoscere, quale est illud in Basilii filio Agricii patratum, qui unius horæ spatio e terra Saracenorum domum fuit translatus, aut in Christophoro presbytero, a mortis supplicio liberato, aut in Stephano Dečanensi, rege Serbiæ, qui visum recuperavit, aut alia permulta, evolvat Prologum tam ad hunc diem, quam ad* 9 *Maii, et insuper legat librum de S. Nicolai miraculis, qui typis monasterii Kievocryptensis editus est anno* 1680. Imprimis notatu digna est prolixa narratio de sanatione Stephani Dečanensis, auctore Gregorio Zamblak, metropolita Kioviensi, utpote quæ Occidentalibus hactenus parum innotuit, apud Serbos autem, Bulgaros et Russos augendæ veneration erga Sanctum Thaumaturgum certe profuit. Ad cætera miracula quod attinet, quæ a Græcis auctoribus desumpta sunt, legatur adnotatio Assemani ad hunc diem; ubi insulsas quasdam Synaxariorum narratiunculas explodit, simul et in Falconium jure merito animadvertit, quod S. Nicolaum e quarto sæculo in quintum temerrime transtulerit. In Kalendariis pauca occurrunt observatu digna. Mstislaviense habet ita : *Memoria S. Patris nostri Nicolai;* Rum. distinctius et plenius : *Memoria Sancti et Magni Antistitis Nicolai;* Menæa recentiora : *S. Patris nostri Nicolai, archiepiscopi Myrorum in Lycia.* Unde Sirletus effinxit suum ep. Mylaniræ pro Myrlycensi. In Neap. marmore insculptum est : *Natale S. Nicolai.* In cod. Græco-Mosquensi, quem edidit cl. Matthæi, legitur : *Nicolai Myrorum* (Νικολαου Μυρων), subintellige episcopi, ut, brevitatis gratia, dici solet. *Tamen*, advertit Matthæi, *viri etiam docti ita aliquem* Corinthum *pepererant, qui de dialectis scripsit. Sed nominativus erat* ὁ Κορινθου, *nimirum metropolita. Hæc appellandi ratio adhuc obtinet apud Græcos et Russos.* — De Dominica Protoparentum agetur die xi.

Dominica Protoparentum.

DIES VII.

Ostromirea-num. Ex variis.

Vacat.

S. Ambrosii, ep. Mediolanensis (*Omnes cum Bas. Neap. Hier. GP. etc.*). S. Athenodori, mon. et mart. (*Rum. Menol. Prol. cum Sirm. Med. Mg. Sirl. Cyth.*). SS. MM. Prisci, Martini et Nicolai (*Rum. cum Med. Mg. Cyth.*). S. Joannis Sabaitæ, jejunatoris (*Rum. Menol. Prol. Kal. cum Sirm.*). S. Pauli Obedientis (*Prol. Menol. Kal. cum Mg. Cyth.*). S. Philotheæ, virg. et mart. (*Valach.*). Nili Stolobensis (*Menol. Prol. Kal.*). Antonii Siensis (*Menol. Prol. Pp. Kal.*). Gregorii *mon.* (*Ath.*)

† MM. trecentorum in Africa (*Mg. Sirl. Cyth.*). † Neophyti, mart. (*Mg. Cyth. Med.*). † Dometii, mart. (*Med. Mg. Cyth.*). † MM. Isidori, Acepsimæ, Leonis et Stratii (*Med. Mg. Cyth.*). † Ammonis, ep. Nitriensis (*Med. Mg.*). † MM. Gaii, Gaiani (*Med. Mg. Cyth.*). † Ignatii, prope Blachernas jacentis (*Med. Mg. Cyth.*). † Dedicatio ecclesiæ SS. Deiparæ Curatoris (*Med. Mg.*). † Sosthenis, Apollo, Cephæ, Tychici, Epaphroditi, Cæsarii et Onesiphori, e numero 70 disc. (*Sirl.*)

OBSERVANDA.

S. Ambrosius.

S. Ambrosius Mediolanensis prolixe laudatur in Menologio Mosquensi, ex Paulino, presbytero, et aliis; in officio autem diei legitur canon, auctore S. Josepho, hymnographo. Ejus synaxis celebrabatur CPoli in Magna Ecclesia seu Sophiana. Menologium Basilii habet : *Commemoratio S. P. N. Ambrosii, ep. Mediolani*, suffragantibus Mstisl. et Rum. In martyre Neap. notatur : *Depositio*, sive dies obitus; at in Martyrologio Romano hac die recolitur *Ordinatio S. Ambrosii*, depositio vero celebratur ad 4 Aprilis. Ostromir. cum CPolitano Morcellii tacet. Has lectionum varietates indicasse sufficiet. Nimis dicit Assemanus, dum de cultu Ambrosii apud Græcos et Russos agens, asserit SS. Augustinum et Hieronymum Fastis Ecclesiæ Orientalis non esse adscriptos. — In Menologio Bas. S. Athenodorus, in Mesopotamia sub Diocletiano passus, commemoratur postridie et quidem solus, omissis aliis sanctis; quemadmodum Ambrosius Mediolanensis hodie. — Paulus, cognomento

S. Athenodorus.

S Paulus Obediens.

mento Obediens (ὑποτακτικος, slavice Povinnik), dum adhuc inter vivos versaretur, in paradiso visus fuisse perhibetur in Menæis Græcorum et Prologo. — Ad diem tertiam Decembris nominavimus ex Menol. et Prologo Joannem Silentiarium, quem auctores distinguunt ab hodierno; an recte, videant ipsi. — Philotheæ virginis Vitam cum Officio, valachice conscriptam, cum præ manibus nunc non habeam, ex alio fonte longe minus sincero, paucis perstringere cogor. Quod si tamen genuinus textus mox, ut spero, ab amicis recipiam, inter Appendices sermone latino exhibebo, si operæ pretium sit. Hic unum adnotabo, a Valachis coli Philotheam, ut martyrem, a proprio parente interfectam. — Non conveniunt Fasti in assignandis Isidori sociis; nam Med. adjungunt ei Stratium, Menæa vero excusa Leonem; qui in Med. adnumeratur Gaio et Gaiano. — S. Deiparæ Curatoris templum exstitit Constantinopoli, prope forum Tauri, ut colligitur ex Menæis ad 22 Julii, ubi festum S. Magdalenæ celebrari dicitur in æde S. Lazari et in ecclesia Curatoris prope Taurum; id est, in æde a Curatore quodam (forte palatii alicujus) exstructa, ut conjicit Cangius, CPol. Christ., t. IV, pag. 86. — S. Sosthenem aliosque, e numero septuagenario discipulos, referunt Fasti Slavici ad diem sequentem, ad quem propterea remittendi sunt. — Gregorius, natione Serbus, floruit ineunte sæc. xv, fundavitque in Monte Atho monasterium, ejus nomine hactenus insignitum. Cfr 1) Patericon, t. II, p. 400; 2) Joan. Comnenus, pag. 494, apud Montfauconium.

S. Joannes Sabaïta.

S. Philothea.

SS. Isidorus et soc.

Festum SS. Deiparæ Curatoris.

S. Sosthenes et alii.

Gregorius Athonites.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Philothea, virgo et martyr in Valachia culta.

In partibus superioribus fluminis Ardsisch, quod, postquam Valachiam in duas secuit portiones, aquas suas in Danubium infundit, consurgunt inter medias parietinas, pristini splendoris reliquias, templum cathedrale et monasterium, quæ olim omnium fuerunt pulcherrima. Imperio Romano, Ardeiscus videtur dictus fuisse ille locus; postquam vero ad finem sæculi XIII Radu Negru seu Rodolphus Niger illuc aulam suam transtulerat, *Curte d'Argik*, *Curt d'Argis* seu *d'Argisch;* nunc vulgo *Ardgisch* seu *Ardzeschul* ad Ardiscum. In hoc itaque oppido jam pridem quiescit S. Philothea, patre lignario, opulento atque avaro, nata Ternobi; quæ sub oculis piæ matris pueriles annos egressa est, tanta laude ut diaconi vere implerit prophetiam, qui genetrici dixerat : « Bonam terram seminasti. » Quum itaque ad nubilem pervenisset ætatem, e multis procis ei in maritum a patre electus est Stephanus Mazias, juvenis locuples; quem quod ebriosus esset, blasphemus et jurgiosus, admittere noluit bona virgo. Quare patris iram reformidans, consilio et assensu matris, rebus suis Christo commendatis, pridie nuptiarum, veste peregrinantis et scapulari indutis, clam profecta est ad monasteria Macedoniæ, a quibus Moldovlachica pendebant. Initio itineris, quum comitem adhuc haberet matrem, viderunt ambo in cælis crucem; quod, tanquam novum labarum, prosperum omen esset. Paulo post ad eam accessit famula, quæ herilis filiæ desiderio vestem quoque peregrinantis induerat, eam secutura. Tres dies processerunt ambæ, radicibus et aqua viventes, nocte data orationi. Quarta autem nocte, quum, ad Istrum flumen (an oppidum in ripa sinistra Danubii) progressæ, sub arbore patula somno se dedissent, vidisse fertur famula angelum ad caput Philotheæ stantem, sinistra tenentem sertum, et temporibus auream habentem coronam, quæ super puellæ caput descenderet : quæ visio proxima nocte renovata esse perhibetur. Quinta die novum miraculum contigisse traditur. Licet enim ultimos nummos pridie famula dedisset epileptico, quum tamen eleemosynam peterent duo pauperes, jussu Philotheæ aperuit crumenam, et tantum pecuniæ in ea reperit, quantum quum iter inchoassent. Septima die, quum ab infidelium oppido prope abessent, jejunio et oratione parарunt se ad discrimina, quæ se manerent; sed, defatigatione victæ, cesserunt somno; in quo audivit Philothea angelum dicentem sibi : « Domum redi; mater morti proxima est; majores labores a te non flagitat Deus. » Fecit jussa puella et intra quatriduum domum redux fuit. Sed populi multitudine circumdatas reperit paternas ædes, matremque mortuam intellexit. Dum itaque intrare niteretur, agnita fuit a circumstantibus, quoniam casu a Stephano Mazia cucullus amotus fuerat. Continuo jussa est a patre humi genua flectere; atque a plebe objurgari cœpit quod maternæ mortis causa esset. Octo integros dies sub tectum suum admittere noluit filiam faber, donec tandem animadvertit eam sibi esse posse famulæ loco. Intra limen itaque recepta, brevi omnium animos sibi devinxit virtutum fama, ita ut communis consiliatrix esset senum æque ac juvenum. Sed martyrii coronam præpararat ei Deus. Scilicet quum pater morbo decubuisset, neque pro more cibum ad operas potuisset ferre, eo officio functa erat actuosa virgo. In itinere accesserant ad eam pauperes, eleemosynas rogantes : quibus sæpius dederat de ferculis, confisa (ut ferunt) ea divinitus repletum iri. Monitus pater rem explorare instituit, viditque eam medium panem dantem cæco. Cujus rei indignatione motus avarus securi filiam trucidavit. Patratum sit oportet hoc facinus anno 1060, quum Michael Cærularius paucis annis ante schisma orientale renovaverat; verum an id tum penetrarit in Bulgariam, plane incertum est: quum historia Bulgariæ illius ævi in tenebris omnino posita sit. Septuaginta duobus annis post corpore reperto integro, consensit Basilius metropolita ut cælitibus accenseretur Philothea. Tunc etiam, anno scilicet 1132, in ejus honorem tegulis romanis templum Ardeisci excitatum est; in cujus choro, tumulo laminis argenteis cooperto, servatur etiamnum ejus corpus : ad cujus venerationem undique accurrunt peregrini, frontem et manum, argento contectam, osculaturi. Hæc ex libro Stanislai Bellanger : *Le Kéroutza, voyage en Moldovalachie.* Paulo aliter hanc historiam narrat W. Derblich, qui anno 1859 typis Pragentibus edidit *Land und Leute der Moldau und*

DIES VIII DECEMBRIS.

und Wolachei; docens insuper S. Philotheam illic amentium patronam esse, qui in vicina domo custodiantur. Id unum monebo me suspicari Basilium metropolitam esse episcopum Zagorensem, dein primatem Ternobensem, qui non vixit ante annum 1132, sed initio sæculi XIII cum Innocentio papa III unitatem ecclesiasticam redintegravit. In Officio Valachico; tardius recepto, nata dicitur S. Philothea anno 1206, multa passa a noverca et a patre interempta anno ætatis XII et continuo post mortem translata Curtim d'Argis, ubi dominaretur Rodolphus Niger. Verum hic non nisi anno 1241 in Romania imperare cœpit.

Antonius Siensis.

Natus est Antonius, qui in baptismo Andreas dictus est, in vico Kechta, ditionis Dvinensis, patre agricola, a quo christianis moribus imbutus fuit. Præter litteras artem quoque pingendi didicit, ita ut eam optime calluerit. Mortuo parente, Novgorodum se contulit Andreas, in domo magnatis cujusdam ministraturus; ubi et uxorem duxit. Mox, quum uxore tum domino orbatus, mundo valedixit. Quamobrem, bonis omnibus in egenos distributis, de eligenda religione cœpit cogitare. Interea in visione a Deo prænonitus, Kenensem eremum petiit, ibique a Pachomio hegumeno benignissime susceptus est et in vita monastica cum Antonii nomine institutus. Agebat tunc annum ætatis trigesimum. Post aliquot tempus, accepta magistri benedictione, sumptisque secum duobus sociis Alexandro et Joachimo, in solitudinem progressus est, et ad Schelescam fluvium cellas posuit ædemque S. Nicolao dicavit. Erat autem tum temporis sacerdotio jam insignitus. Brevi tamen ab incolis inde pulsus, in fines Cholmogradenses perrexit, ibique ad Siam fluvium novam ecclesiam SS. Trinitatis excitavit eamque imaginibus, manu sua pictis, exornavit. Tum ut monasterii erigendi licentiam peteret, Mosquam proficiscitur, ubi Joannis principis, a patre suo Joanne IV Minaci olim immaniter trucidandi, amicitiam iniit; fundatumque monasterium ad mortem usque gubernavit. Obiit autem fere octogenarius, die 7 decembris, anno 1557, hegumenatus 37; postquam socios extrema monuerat eisque successorem suum indicaverat. Antonii vitam, elogium et officium conscripsit Joannes, tsari filius modo laudatus; unde concludere pronum est, Antonium brevi post decessum fuisse cultum.

Cfr 1) Prolog. et Menol. ad h. d. 2) Dict. hag., pag. 37. 3) Philar., Conspect., nº 145 et 146.

Nilus Stolobensis.

Fuit Nilus unus ex insignioribus eremitis sæculi XVI. In Novgorodensi provincia, ignotis parentibus natus, monasticam vestem induit in cœnobio Krypecensi, diœcesis Pscovensis; unde in eremum monasterii Rževensis secessit; ac demum, majorem solitudinem concupiscens, ad lacum Seligerum perrexit, Stolobensem insulam sibi divinitus præmonstratam habiturus. Quo ubi pervenit, anno 1528, speluncam sibi effodit, ædiculam erexit ibique viginti septem annos integros solitarius degit, donec animam Auctori suo reddidit anno 1554. Mox sanctitatis ejus fama percrebescente, monachi quidam ecclesiam super tumulum ædificarunt; anno vero 1594 monasterium fundarunt : quod Nili nomen hæreditavit, estque nostra ætate, ob peregrinantium frequentiam, unum e celeberrimis provinciæ. Colitur Nilus tum die 7 Decembris, qua mortem obiit, tum etiam 27 Maii, qua inventi corporis anniversaria memoria peragitur. Vitam ejus scripsit anno 1594 auctor incertus.

Cfr 1) Menol. ad h. d. 2) Dict. hist., pag. 214. Philar. Hist. Eccl. Russ. t. III, p. 166.

DIES VIII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Potapii (*Mst. Tern. Rum. Prol. Men. Hor. Novg. Cap. Og. Eph. Vat. Kal. cum Hier. GP. Vind. Sirm. Med. Goth. Mg.*). SS. apostolorum Sosthenis, Apollos, Tychici, Cephæ, Epaphroditi, Cæsarii et Onesiphori (*Rum. Menol. Prol. Kal. cum Sirm. Med. Msq. Mg. Cyth.*). SS. martyrum in Africa ab Arianis occisorum (*Prol. Menol. cum Sirm. Med.*).

† Athenodori, mon. et mart. (*Bas.*). † Martyrii (*Neap.*). † Sophronii, ep. Cypri (*Sirm. Med. Flor. Sirl. Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

S. Potapius.

Ex antiquo tempore obtinet S. Potapius in Fastis Slavicis principem locum, ut patet ex Mst., Rum., Tern. aliisque supra citatis; quin et a recentioribus plerisque tacentur cæteri sancti, utpote minus præcipui.—S. Sosthenem aliosque e 70 discipulis recolunt Græci unumquemque proprio die, Sosthenem ad 18 Novembris; Apollo ad 10 Sept.; Tychicum ad 20 Aprilis; Epaphroditum ad 22 Martii; Onesiphorum ad 7 Septembris; Cepham denique una cum toto discipulorum collegio ad 4 Januarii. In Basiliano Menologio laudandur postridie, uti etiam Potapius et Sophronius; apud Sirletum, ut vidimus, die proxime præterita. Cepham, Cæsarium et Onesiphorum omittit Veršinski, uti Menologus Mosquensis duos ultimos; an consulto, dicere nequeo. In Menæis Græcis adsunt omnes. — Martyres hi Africani, numero trecenti aut, ut alii volunt, trecenti sexaginta et duo, plane diversi sunt a martyribus in Africa quoque coronam adeptis, quorum memoria celebratur die 12 Octobris, et duo præcipui nominantur Cyprianus et Felix. Diversitatem statuit J. Buæus in Act. SS., tom. V Octobr., pag. 93, n. 37. —

S. Sosthenes et alii.

SS. Martyres Africani.

S. Martyrius.

S. Martyrium descripsi ex marmore Neapolitano, ubi refertur solum nomen *Marturii*, præfixo tantummodo titulo sancti; ut difficile sit dictu, martyr ne fuerit an confessor. Notissimum est pugilum par, Martyrius et Marcianus, notarii S. Pauli confessoris, patriarchæ CPolitani; quorum memoria recolitur in Fastis ad 25 Octobris, excepto Kalendario Neapolitano. In hoc enim ad eam diem insculpti sunt Chrysanthus et Daria. Sanctos itaque notarios intelligendos esse in marmore Neapolitano, equidem arbitror, quamvis desideretur nota aliqua, qua martyres fuisse indigitetur.

DIES IX.

DIES IX.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

Conceptio S. Annæ quando concepit S. Deiparam (*Omnes.*). S. Annæ, prophetissæ, matris Samuelis, prophetæ (*Prol. Kal. cum Med. Sirl. Mg.*). S. Stephani (*Prol. Kal. cum Med. Sirm. Mg. Cyth.*). S. Sophronii, archiep. Cypri (*Prol. Kal. cum Bas.*).

† Joannis, confes., ex episcopo monachi (*Bas.*). † MM. Sosthenis, Apollo, Cephæ, Tychici, Epaphroditi, Cæsarii et Onesiphori (*Bas.*). † Potapii, mon. (*Bas.*). † MM. Sosithei, Narsetis et Isaacii (*Mg. Cyth.*). † Gorgoniæ, sororis S. Gregorii Nazianzeni (*Itg.*).

OBSERVANDA.

Conceptio B. M. V.

« Immaculatam beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionem ab originali humani generis labe, ait Kulčinius, pag. 103, semper credidere et credunt Rutheni, festumque hoc colunt solemniter; nam officium habent cum parvis et magnis vesperis, cum duplici canone (quorum alter a S. Andrea Cretensi conscriptus) cum synaxario ornato hac epigraphe : *Non ut Eva in doloribus paries o Anna; concipis enim in utero magnam orbis lætitiam.* Accedit prolixus discursus, ex orationibus S. Joannis Damasceni depromptus. » In summum hoc B. Virginis privilegium ac ornamentum, quod nempe Romanus Pontifex vere pius tanquam fidei catholicæ dogma tenendum esse urbi et orbi nuper promulgavit, schismatici quidam cum hæreticis certatim declamarunt; obstrepatque Muravievius aliique mendaciorum textores. Tu vero, lector veritatis studiose, consule auctores, non dico catholicos, quorum ingens numerus exstitit quavis ætate, non Ruthenos cum Sede Romana unitos, sed indigenas celebriores ac Ecclesiæ Moscoviticæ sæc. XVII oracula et columnas. Cujusmodi fuisse prædicantur a suis Lazarus Baranovič, archiepiscopus Tchernigoviæ et Joannicius Galiatovski, monasterii Kioviensis hegumenus et rector. Ne autem a me quid exaggerari putes, accipe utriusque testimonia, in B. Mariæ laudem tuique commodum latinitate a me donata. « *Ante conceptionem, Deo puram sanctificatam esse canit Ecclesia mater in festo Introitus SS. Deiparæ, in acathisto post secundam stichologiam* (Concio de Conceptione S. Deiparæ, fol. 99 verso). *Quomodo hic sol* (Maria) *magis quam luna lucere incipiat, nullis tenebris, imo nullo peccato originali obnoxius, in hodierna concione examinemus. De conceptione matris tuæ verbum facere da mihi, o Deus; et quia conceptio ista fuit perfecta, utpote pura a primogenio peccato, de pura conceptione genitricis tuæ, Domine*, etc. (fol. 100). *Universorum communis confessio est:* In iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea; *alienati namque sunt peccatores inde a vulva. Tibi soli minime convenit hæc confessio, utpote non in peccato natæ. Decebat utique te absque peccato concipi, quæ genitura eras illum, per quem mundus ab omnibus peccatis et cunctis iniquitatibus erat liberandus. Decebat absque primævo peccato concipi eam, quæ nobis conceptura erat totius creationis primogenitum, pontificem immaculatum, a peccatoribus segregatum.* (Ibid. verso). *Qui omnia valet Deus, nonne facere potuit, ut Mater ejus absque peccato originali conciperetur? Quod potuit, hoc et fecit qui sapientia sua fecit omnia. Haud decebat Matrem Domini peccati servam esse vel ad tantulam moram, imo nec primævi, cum ipsa sit inter creaturas omnium prima... Malum non accessit ad Dei genitricem, quam ipsemet Sponsus alloquitur ita :* Tota pulchra es, et macula non est in te. (Cant. 4). *Contrivisti caput serpentis in conceptione tua sancta; nec potuit lædere te in tua conceptione immaculata :* Impolluta est, intemerata, inviolata, o Deipara! *De omnibus matribus concipientibus valet divinum oraculum :* Concepit dolorem et peperit iniquitatem. (Ps. 7). *De te, o sancta Anna, id dici nequit; non enim dolorem concepisti, sed Dei genitricem, cæli et terræ tuumque solatium. De semine quidem concepta est Deipara, at de immaculato, teste S. Joanne Damasceno, exclamante :* O beata femora Joachim, unde semen omnino immaculatum effusum est (fol. 101). *Hominis vires superat, ut de semine concepti absque peccato originali concipiantur; Deus autem, qui omnia potest, id facere potuit singulari modo in Virgine, quam singulariter sibi delegerat matrem.* (Ibid. verso). *Eos qui in peccato originali concepti sunt, servos suos appellare incipit diabolus. Quo igitur pacto ille, quominus matrem Dei servam suam appellare posset, non fuerit impeditus? Et quisnam esset Dei honor, si natus fuisset ex ea, quam diabolus servam suam appellasse potuerit?* (fol. 102). *Uti de immaculata terra creatus est prior Adam; ita de immaculata Virgine natus est secundus Adam, Christus.* (Ibid. verso). *Quomodo prædicabimus te, o Virgo sanctissima, absque peccato conceptam, nos qui in iniquitatibus concepti sumus? Angeli conceptionem tuam mirantur, o Pura, quod nempe omnis peccati exsors sis, cum tamen ex semine fueris concepta* (fol. 103 verso). *Omnia inundavit diluvium, sola arca Noe illæsa remanente. Similiter universum genus humanum inundavit labes originalis; in qua demersus ingemiscit quisque :* Salve me Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (Ps. 68). *Sola arca justioris Noe animata, Virgo scilicet purissima, non fuit submersa, sed mansit illæsa* (fol. 104). Hactenus archiepiscopus Tchernigoviensis, Lazarus, in sua *Tuba concionatoria* (*Truby Sloves*), seu concionum, quas diebus festis præcipuis ad populum habuit, sylloge, typis Kioviensibus vulgata, anno a partu Virginis 1684. Jam audiamus alterum concionatorem, sua ætate non minus clarum, Joannicium Galiatovskium. Hic igitur in concione secunda in Nativitatem S. Deiparæ, magnalia Dei in ea patrata enumerans: *Tertia res magna,* ait, *quam Deus fecit purissimæ Virgini, illa est, quod eam a peccato originali exemerit; siquidem S. Virgo sine labe originali concepta æque ac genita fuit. Sicuti nempe terra, unde vetus Adam fuerat desumptus, erat pura et maledicto minime obnoxia, ita animata terra, S. Virgo, ex qua natus est novus Adam, Christus, erat pura, nec ullo peccato originali aut maledicto polluta. Præfigurabat puram Deiparæ conceptionem arca Noe. Ingruente namque diluvio in universo mundo, homines, animalia, volucres, reptilia, montes, omnia denique aquis obtecta fuerunt, sola arca Noe justi excepta; pari modo peccatum originale infecit quemvis hominem, intacta sola purissima Virgine. Præsignabat quoque puram Deiparæ conceptionem templum Salomonis, quod dum ædificaretur, non mallei, non securis, non alius instrumenti ictus erat audire aut strepitum percipere qualemcunque; sicuti nec in purissima Virgine, dum conciperetur aut gigneretur, ullum apprehendere erat peccati originalis vestigium. Possumus etiam puram Deiparæ conceptionem elucidare ex vellere Gedeonis; quemadmodum enim vellus illud rore madidum apparuit, dum reliquum terræ circum jacentis esset aridum; ita in omni homine reperitur peccatum originis, juxta psalmistam dicentem :* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (Ps. 50); *at vero in purissima Virgine nullum aderat peccatum originale, sed aderat gratia Dei. Quocirca*

DIES X DECEMBRIS.

Quocirca Angelus Gabriel ad eam : Ave, *ait*, gratia plena, Dominus tecum. *Ex quo effato angelico intelligimus, puram fuisse conceptionem Virginis purissimæ; nam sicuti vas oleo plenum difficile aquam aut alium quemvis suscipit liquorem, eo quod suscipiendo desit spatium, ita in purissima Virgine nullum locum habet originale aut aliud quodvis peccatum, utpote quæ divina gratia plena est.* (Clavis intelligentiæ, slavice Kluč razumenia, fol. 172 et 173, ed. Kiov. 1639). Similia plane de immaculata Virginis Mariæ conceptione legi poterunt in *Horto Mariano* (Ogorodok Marii Bogoroditsi), auctore Antonio Radzivilovski, pag. 723, 728 et 740, ed. Kiov. 1676; quibus exscribendis supersedeo. Quæ omnia testimonia, lectu sane dignissima, slavonico idiomate non ita pridem in lucem edidit R. P. Gagarin, domo russus, ut ora quorumdam e popularibus suis obstrueret, qui hodie (dolens dico) in Matre sua amantissima, tanquam novum quid et hactenus inauditum, ignari illud idem blasphemant, quod olim majores eorum præstantissimi quique pleno ore prædicarunt. Prætermitto alia quamplurima quæ ad stabiliendum dogma catholicum ipsimet Ecclesiæ Russiacæ libri liturgici facile suppeditarent; memor notationes hic me tantum conscribere, non controversias instituere aut fidem catholicam ab omnibus neotericorum calumniis vindicare. Ad extremum addo, in marmore Neapolitano legi *Cceptio S. Anne Marie vir.*; eamque lectionem ambiguam esse judicio emin. cardinalis Maii, qui arbitratus est in lapide insculptum esse: *Sancte Marie*; additque certe se in antiquo Kalendario cod. Vaticani signati 5744 legisse: *VI Idus Decembris, Conceptus S. Mariæ*. Assemanus, in commentariis pererudits ad hanc diem, legit cum Mazochio: *Conceptio S. Mariæ Virginis*, conceptionem intelligens, ut aiunt, *passivam*, quando scilicet in utero S. Annæ concepta est; tum statuit per Neapolitanos conceptionis SS. Deiparæ cultum, a Græcis acceptum, ad cæteros Latinos permanasse. Sane in Constitutione Manuelis Comneni de Feriis diserte memoratur ad 9 Dec. *Conceptio sanctissimæ Matris Dei nostri*. De vera origine illius festi apud latinos *Études de Théologie, d'histoire et de littérature*, 1860. — In Menæis additur de Stephano: *qui jacet in æde S. Antipæ*. Præterea vocatur Νεολαμπης, apud Siberum autem *Neolaurita*. Manebat ad ædem S. Antipæ CPoli, estque distinctus a S. Stephano Juniore, martyre.

S. Stephanus.

DIES X.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

SS. MM. Mennæ, Hermogenis et Eugraphi (*Omnes cæteri cum Bas. Hier. Pg. Vind. Goth. Msq. Flor. Sirm. Mg. Sirl. Cyth.*). S. Gemelli, mart. (*Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Thomæ Defurcini (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Mg. Cyth.*). S. Joannis, despotæ Serbiæ (*Euch. Serb.*).

† Eulaliæ (*Neap.*). † Eustratii (*Neap.*). † Amphilochii (*GP. Flor.*). † Tuthaelis et Babeæ (*Sirm.*). † Sosthenis, Narsetis et Isaacii (*Med. Sirl.*).

OBSERVANDA.

SS. Mennas et soc.

S. Mennam cum sociis, quorum nomina tacentur, referunt codices Mst. et Rum. Fasti Papebrochiani habent brevissime: *Menas*. Possevinus addit Hermogenem. Capponianæ tabulæ præferunt omnes tres, quos cæteræ quoque recentiores solent associare. In Menæis Græcorum excusis S. Mennas cognominatur Calliceladus, a vocis elegantia ita cognominatus, ut dictum est ad 17 Februarii, quo celebratur inventio ejus corporis. Et vero hodiernum Mennam, Alexandriæ passum, diversum esse a Menna Atheniensi, qui Cotyæi in Phrygia martyrium consummavit et celebratur 11 Novembris, satis colligitur tum ex cognomine Calliceladi tum præsertim ex sociis martyrii et synaxario utriusque sancti. Apud Versinskium, quod miror, hodiernus martyr distinguitur ab eo qui colitur 17 Februarii, quamvis uterque insignitus sit cognomine Calliceladi; imo Sirletus ex Menna Callicelado conflavit duos sanctos, ut exploratum fit ex modo quo annuntiantur in suo Menologio; habet enim ita : *Eodem die commemoratio sanctorum Christi martyrum Menæ, Hermogenis, Calliceladi et Eugraphi*. Sed similia sphalmata frequenter deprehenduntur in fastis ecclesiasticis.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Joannes, despota Serbiæ.

Ad diem 18 januarii ex Prologo monumentisque Serbicis brevem notitiam dedimus Georgii, despotæ Serbiæ, qui, mutato nomine in Maximum, monachus et archiepiscopus Krušedolensis aliquando fuit; ubi monuimus nos Serborum dicta expendere nolle ad hungaricos fontes. Multo minus a schismatis accusatione eum purgare libuit; quum catholicum ejus matrimonium, (non cum Sabella, regis Hungariæ filia, ut volunt Serbi, sed, voluntate Beatricis Aragonensis, Mathiæ Hungariæ regis uxoris, cum Elisabetha, ex sorore nepte Angilberti Balsensis, primi Nardorum in regno Neapolitano ducis, initum,) et simul ejus itus et reditus ad regem Hungariæ, tanquam pacis sequestri, et maxime pecunia ei data ab Hungariæ rege pro fundando Krušedolensi monasterio tam manifesta sint indicia eum vere catholicum fuisse et narratiunculam de vi, uxori illata ut a latinis dogmatibus recederet, fabulam esse, ut in ea re declaranda opera perdenda visa non sit. Quæ hoc loco in memoriam revocamus, quoniam consentimus omnino Pejačevicio, Georgium seu Maximum, atque etiam ejus fratrem Joannem Despotam, de quo nunc dicendum est, catholicorum sanctorum agminibus accensenti. Licet autem hujus viri officium liturgicum exstet ad hanc diem, gesta tamen ejus parum innotuerunt. Quid, quod Pejačevicius, qui tanta diligentia in Serborum res inquisivit, minime conveniat cum aliis historicis? Hi enim volunt Stephanum Cæcum, morti proximum, regni gubernacula tradidisse non Joanni, filio quindecim annorum legitimoque heredi, sed Georgio seu Maximo genero suo, adstante patriarcha et procerum corona; illum, patre regnoque orbatum, apud matrem mansisse; cujus exemplo et hortatu totum se dedisse divino servitio, donec anno 1503, die 10 decembris, e vivis recesserit. Sed hæc parum firma videntur, quum Georgius seu Maximus (ut ex ejus matrimonio liquet) Stephani Cæci gener nequaquam fuerit : quod cæterum ex diplomatibus constat. Hæc inter unum est, quo appareat Angelinam simul cum filiis Georgio et Joanne regnasse

regnasse anno 1495. Trini enim promiserunt se monasterio S. Pauli in Monte Atho quotannis daturos quingentos aureos. Diplomati appensa est bulla aurea; in cujus altera facie trini cernuntur coronati cum his verbis slavice : *Domina despina Angelina; Dominus Georgius; Dominus Joannes;* datum autem Kupinicii, ubi tum erat perennis eorum sedes. Brevi post, quum improles uxorem amisisset Georgius, rerum terrestrium pertæsus, matre adhuc viva, Sirmiensem ditionem in fratrem Joannem transtulit, et vestem monasticam ab hegumeno Kucsanensi ad fluvium Mlavam seu Zdrelo, et presbyteratum in Kupinik, ubi deinde degit, a Levito seu Callevito, Sophiæ metropolita, accepit, postea Valachiæ transalpinæ metropolita futurus ipsemet. Inde in diplomate anni 1496 solus Joannes, titulo despotæ Serbiæ, quasdam terras (quas inter Carlovitzium) donavit monasterio Krušedolensi; atque anno 1498, subscribente etiam matre Angelina, promisit se, ubi Serbiæ principatum recuperarit, monasterio Esphigmenii in Monte Atho daturum ea quæ frater Georgius dare soleret; ea conditione ut singulis sabbatis missæ sacrificium celebraretur. Annos viginti inglorium regnasse Joannem fabulantur nonnulli; verum annum 1503 ex hac luce abreptum esse jam dictum fuit. Hac morte factum est ut Maximus denuo regni habenas tenere coactus fuerit, mox tamen pulsus ab alienigenis et ad Radulum, dein vero ad Michnam seu Mihnam, Valachiæ principem profugus; ut ad diem 18 Januarii docuimus, multo autem melius explicat Piacevičius. Ex quo id unum adhuc hauriemus Joannis corpus, non secus ac parentum et fratris, usque ad annum 1716, integrum servatum fuisse in Krušedolensi monasterio, quod frater Maximus condidit; tum vero a Turcis cum aliis pignoribus frustatim cæsum partimque abreptum : sed hæc explicatius dabit Raič.

Dies XI Decembris.

Cfr 1) Piacevič, Hist. Serviæ, pag. 370 et 371. 2) Raič, Hist. Serviæ, lib. x, cap. 6. 3) Miclosich, Monum. Serbica, pag. 541, 542 et 549. 4) Paulus Jolinscius, Brevis introd. in hist. gentis Slaveno-Serbicæe, pag. 120 et seq., edit. 1765.

Ostromiranum. Ex variis.

DIES XI.

VACAT.

S. Danielis Stylitæ (*Mst. Tern. Rum. Siš. Chil. Og. Menol. Prol. Hor. Eph. Cap. Vat. Kal. cum Bas. Hier. GP. Sirm. Mg. Itg. etc.*). S. Lucæ Novi, stylitæ (*Rum. Siš. Menol. Prol. Pp. Kal. cum Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). SS. MM. Acepsis et Aithalæ (*Prol. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Mg. Cyth.*). S. Miracis, mart. (*Prol. Menol. cum Med. Mg. Cyth.*). S. Niconis Aridi, mon. Cryptensis (*Pat. Men. Kal.*). Dominicæ SS. Protoparentum.

† MM. Terentii, Vincentii et Æmiliani (*Neap. Sirm. Mg. Med.*). † Barsabæ, mart. (*Med. Sirl. Mg. Cyth.*). † MM. Eugenii et Marini Cæsareæ (*Med.*). † Tuthaelis et Babeæ, sororis (*Med.*). † Petri Ascetæ (*Med. Sirm.*). † Stephani, protomartyris, in Constantianis (*Sirm. Med.*).

OBSERVANDA.

S. Daniel stylita.

Mirabilem S. Danielis, Stylitæ, Vitam adornatam habes a Metaphraste, quem contraxit Menologus Mosquensis; eadem latine exstat apud Surium. Optimas de Daniele adnotationes conscripsit Evodus Assemanus Act. SS. mart. Orient. tom. II, pag. 225 et seq. In officio diei canonem suppeditavit Josephus hymnographus. In vetustis Fastis Mst. et Rum. annuntiatur ita : *Commemoratio S. Patris nostri Danielis Stylitæ;* nec aliter profertur in Menologio Basilii, nisi quod addatur stationis locus *in Anaplo*, haud procul scilicet a templo Constantinopolitano, quod antea idolorum fanum erat. Martyrologium Italo-Græcum citavi, eo quod ibi S. Daniel familiæ S. Basilii Magni, ut tot alii utriusque sexus sancti, vindicetur. — Evodus Assemanus in Actis modo citatis, pag. 128, narrationem de Martyrio S. Barhadbesciabæ diacono prolaturus, observat sanctum hunc athletam plane distinctum esse a S. Barsaba; Barsabam vero et Apsæum (sic enim Acepses vocatur in Menologio Basilii) esse unum eumdemque. At pag. 92, de S. Barsabia Cœnobiarcha et martyre ac decem sociis ejus agens, contrarium statuere videtur, dum scribit, S. Barsabam qui hodie in Menologio Basilii et in Menæis Græcis celebratur sub nomine Apsæi, connexionem aliquam habere cum Barhadbesciaba. Certe confusio quædam adest in Synaxariis Græcis et Slavicis, quam hic discutiendi non est locus. Recolantur quæ de Acepsima ep. et Aithala, diacono, dicta sunt ad 3 Novembris. — Commemoratio SS. Protoparentum fieri solet Dominica quæ incidit inter 11 et 17 Decembris. Horum seriem inde ab Adamo usque ad S. Josephum, gloriosissimum sponsum B. Mariæ Virginis, nolim texere, quia nimis longum est et alibi facile reperiet quivis in officio diei : idcirco ii tantummodo notentur, quorum sanctitas valde dubia est, Roboam, Joram, Achaz, Ochozias et Abias. Hi quidem apud Veršinskium prudenter sunt prætermissi; secus vero in Græcorum Menæis. Salomonem tamen refert Veršinski vel ipse. — Inter socios S. Terentii recensent Menæa Græca excusa S. Babeam, quam Mediolensia mss. conjungunt, mea sententia meliore jure, S. Tuthaeli, ejus fratri. In Neap. Terentius prodit solus, utpote totius turmæ præcipuus, præmissa nota *passionis*. — Satis copiosum synaxarium Miracis exstat in Prologo et Menologio ex Græco fonte, ut solet, desumptum. Martyris hujus reliquiæ asservari in Monasterio Simonis Petræ, in Monte Atho, tradit Joannes Comnenus in sua Descriptione Montis, pag. 485, apud Montfauconium. — Ædis S. Stephani prope Constantianas mentio fit in Menæis tum hoc die, tum 26 Decembris; apud Cangium, pag. 139, cui hodierna commemoratio mansit ignota.

Dominica Protoparentum.

SS. Terentius et soc.

SS. Barsabas, Acepses et Aithala.

S. Mirax.

S. Stephanus protomartyr.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Nicon Aridus, mon. Cryptensis.

Parentibus divitibus et nobilioribus Kioviæ ortus, ibidem tonsuram accepit Nicon in monasterio Cryptensi. A Polocensibus, qui anno 1096 Kioviensem regionem invaserant, duce Boniaco, comprehensus est et captivus abductus simul cum Eustratio et aliis fratribus. Qua in captivitate famem, sitim, penuriam, verbera, aliosque cruciatus toto triennio passus est. Demum, ut omnis evadendi via captivo præcluderetur, venam sub genu præcidit crudelis herus; unde tanta sanguinis copia profluxit, ut quodammodo aruisse videretur Nicon;

DIES XII DECEMBRIS.

hinc et Aridi cognomen nactus fuit. Nihilominus quadam die ab oculis custodum evanuit Nicon, et in monasterio Kievocryptensi a fratribus repertus est. Interea, pace cum Polovecensibus inita, præfatus Niconis herus monasterium invisens, obviam fit Niconi, virique aspectu attonitus, et singularem ejus evasionem coram omnibus testatus, victas manus dedit, susceptoque baptismo, quem antea veluti servum durius tractaverat, eidem tanquam hero suo ac domino humiliter inservivit ad obitum usque. Obiit autem Nicon die 11 decembris, ineunte sæculo XIII, et in Cryptis Antonii conditus est.

Cfr 1) Prolog. et Men. ex Paterico ad h. d 2) Dict. hag., pag. 212. 3) Menol. Vers. ad h. d.

DIES XII.

Ostromiranum. Ex variis.

VACAT.

S. Spiridonis, ep. Trimethuntis, thaum. (*Mst. Rum. Tern. Menol. Vat. Eph. Prol. Kal. Hor. cum Bas. Hier. GP. Nan. Flor. Pg. Vind. Sirm. Goth. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Syneti, mart. (*Rum. Menol. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Mg. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Alexandri, ep. Hierosolymitani et mart. (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Sirl. Mg. Cyth.*). [Therapontis Monzensis (*Hag.*).]

† Danielis, Stylitæ (*Neap.*). † Amonathæ et Anthæ (*Med. Mg. Cyth.*). † Memoria victoriæ de Chozroe, Persarum rege, reportatæ (*CP. Goth. Nan.*).

OBSERVANDA.

S. Spiridon thaum.

S. Spiridon seu Spiridion, ob miraculorum gloria thaumaturgus vulgo cognominatus, commemoratur in Fastis plerisque omnibus, non excepto Kalendario Possevini; nam *martyr Isidorus* pro Spiridone obtrusus est ibi, aperto errore, cum nuspiam ille occurrat hoc die apud Græcos. Cæterum martyr vocaretur non immerito Spiridon noster, quippe quem Maximinus imperator dextero oculo effosso et sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat; quamvis in Fastis solo thaumaturgi cognomine insigniri soleat. Cujus festum celebrabatur CPoli in æde sancti apostoli et coryphæi Petri, quæ adjacebat magnæ ecclesiæ. De Spiridone narrantur quædam, prorsus fabulosa: ut quando duos equos album et nigrum, quorum capita absciderant Ariani, redivivos fecisse perhibetur, repositis imo mutatis capitibus, ita scilicet ut nigro equo caput imposuerit album, albo nigrum. Et alia ejusmodi audacis animi commenta. De Spiridone diatribam conscripsit Urbanus Godofredus Siberus, Martyrologii Græcæ Ecclesiæ metrici collector, qui etiam sequens de eo distichon profert: *Ut mortuus sit thaumaturgus Spiridon, at mira nondum patrare adhuc desiit.* Canonem officii hodierni composuit Theophanes. In Neap. refertur die 14 his verbis: *Natale S. Spiridoni episcopi.* — S. Synetus, martyr, in quibusdam Kalendariis, ut Rumiantsoviano, et in Prologo Mosquensi audit slavonico nomine *Razumnik*, quod græco respondet ad amussim. Pari modo, SS. virgines Pistis, Elpis et Agapia apud Russos vulgo vocantur *Vera*, *Nadežda*, *Lubov*. Licet autem hæ nominum permutationes genuini vocabuli sensum optime reddant, tamen retinenda videntur nomina propria qua lingua scripta, nec facile aliis idem valentibus reddenda. Sic enim confusioni adimitur locus, et errandi occasio tollitur facilius. *S. Pacem* pro S. Irene, aut *S. Potentiam* pro Salvatore Omnipotenti norunt viri eruditi. Nec silentio prætereundus S. *Rex* Amasiæ, quem pro S. Basileo episcopo Amaseno, confinxit vir cætera magnæ eruditionis Montfauconius, in sua Palæographia, in Descriptione Montis Atho, pag. 474, ubi græcus textus fert ita: του ἁγιου Βασιλεως της Ἀμασιας. *S. Synetus.*

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Therapontes Monzensis.

In Diction. hag. anni 1836, in fine libri, hæc pauca leguntur de Theraponte: Auctor fuit monasterii Monzensis, ab anno 1764 vacui, cujus ecclesia titulo Annuntiationis B. M. V. erat dedicata, unde Monzensis cognomen accepit ipse. Erat autem monasterium istud, viginti quinque chiliometris dissitum ab urbe Galič, et totidem plus quinque a Tchuhloma. Obiit die 12 decembris, anno 1585. Atque hæc ita parce ex editione illa Dictionnarii hag. excripta prælo destinaveram, quum novam ejusdem opusculi editionem anno 1862 vulgatam munificentia principis cujusdam, domo russi, subministravit mihi peropportune. Hanc porro in pluribus a priore dissentire apprehendi, quod etiam de aliis quam plurimis viris, quorum notitiæ in utraque editione continentur, intelligendum est. Et quidem a recentiore editore annus 1585, quo Therapontes obiisse dicebatur, dilatus est ad annum 1591; adimitur insuper titulus fundatoris monasterii Monzensis, quod minus accurate tributum fuit in priore. Tota denique gestorum series distinctius adornatur. Docemur itaque Therapontem alumnum fuisse monasterii Costromensis de nomine Exaltatæ Crucis, tantamque civium venerationem sibi conciliasse, ut fama nominis ejus per totam civitatem manaverit. Quapropter, urbe relicta, secessit in monasterium Annuntiationis ad fluvium Monzam, in ditione Galicensi positum, ubi degebat Adrianus quidam, probatæ virtutis vir. Verum vix ac ne vix quidem in monasterio isto commoratus est; si quidem quovis die, petita senioris benedictione, in vicinam silvam trans Monzam sitam sese abscondebat, orationi vacaturus; noctes vero transigebat in monasterio pene insomnis ac sacris codicibus describendis intentus. Ad ejus sepulchrum, unus e fratribus monasterii, nomine Procopius, qui ab infantia oculorum morbo laboraverat, visus aciem perfecte recuperasse perhibetur. Obiit autem Therapontes anno 1591, die 12 decembris, conditus in sacello S. Nicolai, ubi quotannis commemoratur ad hunc diem. Hactenus Dict. hag. editor recens, pag. 254; qui omnia sua mutuatus est ex Vita quadam Therapontis ms., incerto auctore.

Cfr Dict. hag. utriusque editionis, in fine.

DIES XIII.

Ex Ostromiranno. PASSIO SS. MM. EUSTRATII, AUXENTII, EUGENII, MARDARII ET ORESTIS (*Mst. Arc. Tern. Par. Rum. Zogr. Men. Prol. Og. Vat. Eph. Cap. Hor. Kal. cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Vind. Flor. Goth. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*).

Ex variis. S. Luciæ, virg. (*Leop. Menol. Prol. Hor. Kal. cum Bas. Neap. Med. Sirm. Mg. Cyth.*). S. Arsenii Latrensis (*Hor. Og. Pp. Kal. cum Mg.*).

† Cyrianæ, mart. (*Med.*). † Azæ et Anastasiæ (*Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Eustratius et soc. *Passionem* S. Eustratii et sociorum recolunt antiqui Fasti Slavici æque ac Græci, quorum lectiones proin exscribere hic inutile foret. Unam notatam velim, in marmore Neap. his verbis expressam: *Natale passionis S. Eustrati et Lucia;* de qua nota fusius disserit Sabbatinius in peculiari diatriba, ad diem 2 Septembris, præterea ad 10, 13, 22 et 25 Augusti, quando eadem nota præmittitur nominibus SS. Laurentii, Hyppoliti, Theclæ et Bartholomæi; quinquies namque, non sæpius, in marmore jam dicto usurpatur. Festivus horum martyrum dies celebrabatur CPoli in æde S. Joannis, apostoli et evangelistæ, prope magnam ecclesiam. Cætera quæ adnotari possent, reducuntur pene ad errores antiquariorum, ut *Ustratii*, *Mandri*, *Mandarii*, *Eusesiti*, *Euxentii*, *Aresti* et alia ejusmodi. Gravius erravit Matthæi, vir alioquin græcarum litterarum peritissimus, dum lectionem codicis sui Saxo-Gothani μαρ, cum superscripta syllaba δι, resolvit ita : Μαρδωνιου, cum legendm erat Μαρδαριου. Simile mendum irrepsit in Kalendarium Possevini, ubi Eustratius mutatus est in *Eustachium*. Cæterum Possevinianum Kalendarium scatere mendis hujusmodi jampridem observaverant Bollandiani. — Encomium gloriosæ martyris *S. Lucia.* Luciæ, quod in Menologio Mosquensi legitur, excerptum est ex Martyrologiis Latinis, quorum tamen nomina silentio obvolvit editor Mosquensis. Ad Cajetanum, t. I, pag. 114, remittit Veršinski. — Mons Latrensis, monasterio non minus *S. Arsenius.* quam Olympus in Bithynia aut Mons Atho in Macedonia clarus, ingentem alumnorum numerum fovit, inter quos enituit Arsenius, asceta, perperam in episcopum *Blatnensem* mutatus in Kalendario Papebrochii ms., quod ei Mosqua olim fuerat submissum. — Azæ nomen, si bene legi, *SS. Aza et Anastasia.* inscriptum est in Menæis Mediol. mss., simul cum S. Anastasia.

DIES XIV.

Ex Ostromiranno. PASSIO SS. MM. THYRSI, LEUCII, CALLINICI, PHILEMONIS, APOLLINIS ET SOCIORUM (*Mst. Rum. Tern. Par. Siš. Chil. Og. Hor. Men. Prol. etc. cum Bas. CP. Hier. GP. Vind. Pg. Sirm. Flor. Med. Sirl. Mg. Cyth.*).

Ex variis. SS. martyrum Arriani, Theotichi et aliorum trium protectorum (*Men. Hor. Kal. cum. Bas. Med. Sirm. Sirl. Mg. Cyth.*). Commemoratio terræ motus (*Rum. cum CP. Med. Nan. Mg.*). Gennadii, archiep. Novgorodensis (*Hag.*).

† Spiridonis, ep. (*Nap.*). † Agnelli, abb. (*Itg.*).

OBSERVANDA.

S. Thyrsus et soc. S. Thyrsum et socios ejus martyrii refert codex Mstislavicus in unam turmam coactos; cui propterea accensendi sunt Arrianus et Theotichus unus e quatuor protectoribus, quos ille generico vocabulo *sociorum* comprehendit. Duas turmas statuit post Ostromiranum Prologus Mosquensis et Veršinskius. Tres tandem classes martyrum distinguuntur in Menologio Basilii imperatoris; quarum primam efficiunt Thyrsus et Leucius; secundam Philemon, Apollonius cum sociis; tertiam Arrianus cum cæteris protectoribus. Thyrsus in Ostromirano evasit Tursus, Leucius vero Lucius, alias Lucianus; imo Seleucus audit in cod. Parisino, ubi præterea Philemon cognominatur modulator (slavice vocabulo *svirelnik*, id est Choraula). Hic in Flor. profertur solus. In Annalibus Novgorodensibus (IV, pag. 215) commemorantur ad 16 Decembris. De Thyrso, Leucio et Callinico jam actum ad 17 Augusti, quo inscripti sunt in Prologo. Habent omnes officium commune, cujus canonem confecit Theophanes. Acta SS. Thyrsi, Leucii et Callinici habes apud Bollandianos, ad 28 Jan., tom. II, pag. 808; cæterorum vero ad 1 Martii, pag. 732 et 895. In Menologio Mosquensi narratur eorum martyrium, ex Metaphraste, ut dicitur, desumptum et aliquatenus contractum. Quæ Acta, teste Assemano Kal., t. V, pag. 465, omnino posteriora sunt Actis Syriacis, nec tamen multum dissimilia, ut inde colligere liceat, genuinum Actorum parentem non fuisse Metaphrastem, sed alium quemdam ætatis longe remotioris. — Recolantur quæ de S. Spiridone *S. Spiridon.* dicta sunt ad 12 Decembris, qui dies ei assignatur in Fastis Slavicis pene omnibus.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Gennadius, archiep. Novgorodensis. Celeberrimus hic Judaizantium oppugnator, sacrarumque litterarum fautor eximius, postquam a Sabbatio Solovecensi, vitam monasticam edoctus fuerat, in monasterio *Tchudovo* Mosquæ archimandritæ munus gessit. Unde anno 1485 ad cathedram Novgorodensem transiit, morte Sergii archiepiscopi vacuam. Nefariam Judaizantium hæresim, ipso episcopatus initio detectam, qua verbo, qua scriptis tum ad magnum ducem Mosquensem, tum ad metropolitam, aliosque præsules frequenter datis, omni denique armorum genere, tanquam strenuus Christi miles, profligavit; nec prius quievit quam sectarios, antiquorum Messalianorum et Marcionitarum blasphemias innovantes, anathemate percussisset concilium Mosquense, anno 1490 ipsius cura coactum. Anathemati pœnas easque crudelissimas addidit aliud concilium

Dies XV Decembris.

cilium anno 1504 ibidem celebratum; a quo tamen abfuit Gennadius. Non minorem zelum exeruit Gennadius in clero ad meliorem formam revocando, præsertim Pscoviensi. Quapropter tum indigni clerici, tum occulti Judaizantium fautores tantum odium in eum induerunt, ut ex eo tempore optimum pastorem calumniis petere non destiterint, simoniæ et arbitrario potestatis usu eum apud magnum ducem et metropolitam falsissime accusantes. Igitur, cathedram relinquere coactus, in monasterium Miraculorum, ubi archimandritæ officio olim functus erat, sese recepit anno 1504, ibique a laboribus quievit in Domino die 14 decembris, anno 1506, eo ipso loco, quo antea Alexius metropolita quievera[4]. Ibidem honorifica sepultura conditus est. Multa scripta Gennadii supersunt, non vulgaris antistitis eruditionis testimonium; quibus adnumerandus est Bibliorum codex Slavicus, anno 1499 ipso accurante concinnatus, isque omnium qui in Russia noscuntur, facile antiquissimus. In quo conficiendo vulgatum Latinorum exemplar peculiari modo præ oculis habuit, P. Benjamino ordinis Prædicatorum, natione Slavo pluriumque linguarum peritissimo, in auxilium sibi assumpto.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 72. 2) Ambros., Hist. hier. Russ., I, pag. 76. 3) Philar., Hist. Eccl. Russ., III, 72, 146. 4) Idem, Prospect., nº 107 et 108. 5) Gorski, Codd. mss. bibl. synod. part. patr., I, pag. 1 et seqq.

DIES XV.

Ex Ostromirano. PATRIS NOSTRI ELEUTHERII (*Ita etiam cæteri cum Bas. Neap. Hier. GP. Vind. PG. Flor. Goth. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*).

Ex variis. S. Anthiæ, matris S. Eleutherii (*Menol. Kal. cum Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Pardi (*Prol. Menol. Kal.*).S. Stephani, archiep. Surožiæ (*Menol. Prol. Novg. Og. Pp. Kal.*). S. Pauli Latrensis (*Og. Menol. Hor. Kal. cum. Sirm. Med. Mg. Cyth.*). S. Susannæ mart. (*Rum. cum Med. Mg. Cyth.*). S. Bachi Junioris (*Rum. cum Sirm. Med. Mg.*). S. Eleutherii cubicularii (*Prol. Kal. cum Med. Mg. Cyth.*). Dominicæ Protoparentum (*Ephem.*). S. Niphontis, ep. in Cypro. (*Prol.*).

† Natalis ordinationis S. Joannis Chrysostomi (*Maz. Mg.*). † Corebi, eparchi et mart. (*Med. Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

S. Eleutherius. Duos fuisse Eleutherios martyres arbitratur Baronius; unum tantum agnoscit Papebrochius Act. SS. Apr. II, p. 976; adeo nempe Acta hujus martyris sunt confusa et intricata; quin et fabulositatis nota difficile eximenda, ut censet post Papebrochium Assemanus, non Græca tantum, Metaphrasti adscripta, sed etiam Syriaca quæ Metaphrasticis multo sunt antiquiora. Sed de glorioso hoc episcopo Illyrici et martyre consulantur Farlati, Illyric. Sacr. t. VII, pag. 485. Cum Eleutherio certarunt S. Anthia, aliis Euanthia, et Corebus præfectus, Græcis Coremmon, Syris Carpus dictus. In officio diei legitur canon, a Josepbo compositus.—

S. Stephanus Surožiensis. Venit ad præsentem diem in Prologo et Menologio Slavicis Vita S. Stephani, archiepiscopi Surožiæ; de qua me valde ambiguum esse non diffitebor. Plura enim rationum momenta suadere videntur hunc virum non alium esse ac S. Stephanum, qui a Constantino Copronymo Sugdæam relegatus sit et cujus natalis agatur die 28 Novembris. Hic enim jure an injuria episcopus habetur; dein Surožia plane ignota est civitas, nisi sit Sugdæa seu Soldæa, nunc *Sudak*, in Chersoneso Taurica. Tertio Menologi Græci plerique omnes, itemque synaxaristæ veteres russi plane ignorant Stephanum Surožiensem, unum Sugdæensem commemorantes; quod non ita pridem observavit cl. v. Vostokof in egregia sua Descriptione codd. musæi Rum., pag. 455 : et quidem in Kalendariis antiquissimis optimæque notæ, qualia sunt Ostrom, Mstisl. Rum. Assem. Tern. Siš. Paris. I et alia nonnulla, frustra S. Stephani Surožiensis nomen investigabis. Accedit, quod hujus, quæ circumfertur, Vita plane singularis est multaque complectitur, quæ ad historiam Ecclesiæ generalem pertineant : quid itaque hæc Vita græce nondum reperta est, sed slavice duntaxat? Demum videtur scriptor slavus ea duntaxat novisse quæ in Menologio Basilii ad diem 28 Novembris de S. Stephano Sugdæensi referuntur; ea autem nimis jejuna habuisse; et propterea ex Vitis S. Stephani Junioris et maxime S. Andreæ in Crisi multas desumpsisse partes, quibus S. Stephanum Sugdæensem, in Surožiensem culpa librariorum mutatum, ornaret : unde intelligatur quomodo Acta hæc seu Passio tot bonis rebus abundet, et simul tam parum cohæreat. Verum, licet hæc gravissima sint, non ausim tamen eis plane assentire, tum quoniam illinc plus dubitationis quam certæ cognitionis oriatur, tum quod plane negligi non possint codices Mosquenses CLXVIII, CLXIX, CLXXII, CCCCXXXIV, CCCCXXXV, quibus sæculum XIV attingatur : ita ut, si Vita, quæ in Prologo Mosquensi nunc legitur, febricitantis cerebri fœtus sit, is ante quinque sæcula conceptus fuerit oportet. Atque hinc id unum concludere lubet multum examen multamque operam in Actis S. Stephani Surožiensis discutiendis ponendam esse : quod quum hoc loco fieri non possit, suppressimus versionem, quam ex slavico feceramus; differentes universam hanc disputationem aut ad diem 28 Octobris, quo S. Stephanus Sabaïta colitur, aut ad diem 28 Novembris, quo natalis agitur S. Stephani Sugdæensis; aut certe ad 15 Decembris, quo recentioribus Russorum Fastis S. Stephani Surožiensis nomen inscriptum est. Interea videatur. 1) Prol. et Menol. ad hunc diem; 2) Macarius, Introd. relig. Christ. in Russiam, pag. 80 et seq. et pag. 169 et seq.; 3) Farlati, Illyricum sacrum, tom. VIII, pag. 126; missis tamen iis quæ de prætenso quodam Russorum apostolo, Dionysio, traduntur ibidem. 4) Acta SS., tom. VIII Octobris, pag. 130, num. 23 et seq. —Testibus Menæis Græcis, floruit Paulus Latrensis tempore Constantini porphyrogeniti. *Vitam ejus,* ait Menologus Mosquensis, *nuspiam in ditione Russica potuimus reperire*, puta Slavonico idiomate conscriptam. Nam Græcam vidit Allatius laudavitque; cujus exemplar adservatur in pluteo Coisliniano, nº 148, sæculo XI exaratum et hactenus ineditum. Unde sequentia per modum breviarii, expressit Demetrius Veršinski, Menologii Ecclesiæ Orientalis Auctor minime spernendus. Natus itaque est Paulus Eleæ, non procul a Pergamo Asiana, matre Eudocia, patre Antiocho, quibus alter filius erat nomine Basilius. Postquam Antiochus, qui in classe militabat, lethale vulnus

S. Paulus Latrensis.

vulnus in pugna contra Saracenos ad insulam Chiensem accepisset, atque mox, domum reversus, ex eo occubuisset, in Phrygiam (imo Bithyniam) migravit Eudocia vidua simul cum utroque filio et in vico Marycati dicto, atque natalibus S. Joannicii Magni claro, sedem suam fixit. Matris iteratis votis ut faceret satis Basilius, matrimonium iniit tandem; at eo ipsomet die, quo nuptiarum solemnia celebrata sunt, relicta uxore et domo, in montem Olympumclam secessit, vestemque induit monachalem. Interea mortua matre, solus remansit Paulus, cómite penuria; quæ brevi evasit tanta, ut gregum pascendorum curam apud vicinos suos suscipere fuerit coactus, atque hac ratione victum suum lucrari, donec summa miserio presso subvenit frater natu major. A quo accersitus, in montem Olympum perrexit, unde in Latrensem deductus est ac monasterii hegumeno Petro enixius commendatus. Hoc itaque magistro et duce, monasticæ vitæ certamina exorsus est Paulus; verum deinceps, cum se magistro et fratre simul destitutum esse vidisset, in solitudinem sese abdidit prope Heracliam (nomen loci est); unde mox summa montis Latrensis ascendit, ibique undecim annorum spatio, ceu in columna non manufacta, degit, donec socios nactus sit, mores ejus vivendique rationem imitaturos. Constituto itaque in eorum usum cœnobio, rebusque omnibus rite ordinatis, in insulam Samos migravit; unde tamen mox in Latrensem Lauram rediit, fratrum precibus permotus. Interea virtutum ejus fama manavit quaquaversus; ita ut apud Cretenses et Romanos non minus inclaruerit quam apud extremos Scythas. Cujus precibus se commendasse dicitur Petrus, rex Bulgariæ, quin et a Romano Pontifice monachus quidam missus qui viri mores vivendique rationem oculatus testis adspiceret et contemplaretur. Ab imperatore Constantino (Porphyrogenito), cui expeditionem Cretensem male successuram fore prædixit, litteras non semel accepit, quæ tempore suo in Laura Latrensi adservari testatur ejus biographus. Episcopus vero Amisi et cives Mileti varia dona monasterio ejus sustentando sponte sua offerebant. Tandem e vivis migravit Paulus 15 Decembris, indictione 14, anno creationis 6164, a Christo nato 956, aut 955. Conditus est in templo monasterii, quod S. Michaeli Archangelo dicatum est; quem peculiari officio hoc die laudari voluit Ecclesia Græca. Hactenus Veršinski. — S. Susanna, martyr et sanctimonialis, patre Græco, matre Judæa, ex Palæstina oriunda, probe distinguatur oportet ab alia sancta martyre cognomine, quæ commemoratur ad 11 Aug. simul cum S. Gaio, papa romano. — Sequentem de S. Joanne Chrysostomo monitum profert Synaxarium Sirmundi ms., remotæ, ut norunt, antiquitatis: *Sciendum est, patrem nostrum Joannem Chrysostomum hac die ordinatum fuisse patriarcham CPolis Novæ Romæ, in qua etiam natalis dies Christi ab illo celebrari cœpit ad visegimam quintam hujus mensis, quibusdam ab Occidente venientibus et renuntiantibus* (ita scilicet in sua regione fieri). *Quapropter splendissimam apologeticam concionem habuit.* Eadem totidem pene verbis monemur in Menæis Græcorum excusis. — S. Niphon, episc. Cypri, referri solet ad 23 Decembris; hodie inscriptus est in quodam Prologo antiquiore.

DIES XVI DECEMBRIS.

S. Susanna.

S. Joannes Chrysostomus.

S. Niphon.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Tryphon Pečengensis.

Duo sunt qui in barbara Lapponum gente ad fidem Christi reducenda præ cæteris laborarunt, Theodoretus et Tryphon; et quidem ille Kolæ, hic ad Pečengam fluvium, qui in remotissima regione, versus Promontorium Septentrionale, *Nord-Cap* dictum, fluit. Uterque floruit sæculo XVI; et uterque Lapponiæ apostolus ab indigenis vocitatur, licet non clareat, utrum consensu communi et mutua cura, an seorsim omnino alter ab altero in hac vinea laborarint. Ad hæc, solum Tryphonem cultu ecclesiastico honorare placuit Ecclesiæ Russiacæ, quamvis cultus ille angustioribus limitibus adhuc comprehendi videatur. Igitur Tryphon, Novgorodensis, anno 1495 natus, patre sacerdote, cum ad ætatis plenitudinem pervenisset, in remotissimam Trans-Kolensem regionem contendit, ibique lucrandis animabus sese totum viresque omnes impendit. Cum vero simplex laicus esset, nec sacerdotem qui catechumenos baptizaret secum haberet, Novgorodum iter instituit, presbyterum ab archiepiscopo flagitaturus, simul et licentiam exstruendi ecclesiam. Hac absoluta, moramque faciente sacerdote, Kolam perrexit Tryphon, et hieromonachum quemdam, Eliam nomine, secum inde abduxit, a quo et ethnici baptismo lustrati sunt et Tryphon monastico habitu indutus, anno 1558. Interea, sociorum numero augescente, monasterium erexit, illudque Theodoreto regendum tradidit, et plurimum ampliavit, præsertim postquam eleemosynis et donis, apud magnum ducem Mosquæ comparatis, onustus rediisset. Tandem, exstructa altera ecclesia ad fluvium Paësum, assiduis laboribus attritus, ad extremum vitæ devenit. Quare convocatis sociis, eosque ad fraternam caritatem ante omnia servandam cohortatus, obdormivit somno mortis anno 1583, die 15 decembris.

Cfr 1) Vita Tryphonis Pečengensis, auctore incerto, in opere period. Pravosl. Sobesed., an. 1859, mens. Maii, pag. 89-120. 2) Dict. hag. pag. 233, ed. 1862. 3) Muraviev, in Append. ad Vitas SS. 4) Phil., Hist. Eccl. Russ., III, pag. 40. 5) Ambros., Hier. Russ., t. IV, pag. 579-585.

DIES XVI.

Ostromirianum. Ex variis.

VACAT.

S. Aggæi, proph. (*Mst. Tern. Rum. Prol. Men. Og. Cap. Ephem. Hor. Kal. etc. cum Bas. Hier. GP. Flor. Sirm. Vind. Med. Msq. Mg. Sirl. Cyth.*). S. Marini, mart. (*Rum. Prol. Menol. Kal. cum Bas. Hier. Sirm. Med. Msq. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Theophanon, imperatricis (*Rum. Menol. Prol. cum Bas. Sirm. Med. Mg.*). SS. MM. Lithuanorum Antonii, Joannis et Eustathii (*Vindob.*). S. Nicolai Chrysobergæ, patr. CPolitani (*Rum. cum Med. Sirm.*). Memoria SS. protoparentum Abraham, Isaac, etc. (*Rum. cum Bas.*).

† Patermuthii, mart. (*Neap.*). † Bacchi Junioris (*Hier.*). † MM. Probi et Hilarii (*Med. Mg. Cyth.*). † Modesti, archiep. Hierosolymitani (*Mg. Cyth.*). † Memnonis, archiep. Ephesi (*Sirm.*). † Simeonis, archiep. Antiochiæ (*Sirm.*). † Dedicatio ecclesiæ S. Christophori, prope S. Polyeuctum (*Med. Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

DIES XVII DECEMBRIS.

OBSERVANDA.

S. Aggæus. Synaxario quod in Prologo legitur materiam suppeditavit Menologium Basilii imperatoris, præter ea quæ Mosquensis synaxarista ex eruditionis suæ pluteis addidit de nomine Aggæi, significari nempe festum aut eum qui festum celebrat.—

SS. Martyres Lithuani. SS. martyres Antonius, Eustathius et Joannes, in Lithuania anno 1347 palmam adepti, proferuntur hodie in Prologo ms. bibl. Vindob., quo sex priores anni menses a Septembri ad Martium continentur. De hoc manipulo tractatum est ad 14 Aprilis. Ad præsentem diem translati sunt forsan ex 13 Decembris, quo unus eorum Eustathius licet martyrium consummarit, attamen quominus celebraretur festum S. Joannis Chrysostomi, utpote solemnius, impedivit. — Quod alibi observavi, de retinendis propriis nominibus in ea lingua qua scripta sunt, ad vitandam confusionem quæ secus facile potest exoriri, bene quadrat in hodiernam cod. Rum. lectionem. Hæc enim meminit sancti patriarchæ Nicolai *Aureæ virgæ*, cujus cognomenti originem nunquam forsan intellexissem, ni divinanti mihi adfuisset supplementum cod. Sirmundiani ms., in quo ad hanc eamdem diem disertis verbis notatur *Dormitio Nicolai Chrysobergæ, patr. CPolitani.* Porro insulsam esse antiquarii Novgorodensis interpretationem

S. Nicolaus Chrysobergès. quis infitias ibit? Nihilominus notanda est lectio codicis Rumiantsoviani; cum sola exhibeat nomen hujus patriarchæ, apprime catholici, quidquid in contrarium congerant auctores Russi. Sedit enim Nicolaus ab anno 985 ad annum 995, eo scilicet ipsissimo tempore quo Vladimirus, Russorum rex, christianam fidem cum baptismo suscepit, totamque gentem suam catholicæ fidei lumine illustravit, apostolus Russiæ idcirco nuncupatus; quem Ecclesia Romana æque ac Russiaca sanctorum suorum Albo merito inscripsit. Sed de hoc argumento gravissimo, deque Nicolai Chrysobergæ orthodoxia disserere non est hujus loci; poterit autem penitius expendi alibi, quando, vita comite Deoque favente, dabuntur sanctorum Russorum Acta genuina, præviis commentariis, ut merentur, illustrata. — In Prologo *S. Theophanon.* Mosquensi S. Theophanon annuntiatur solemniter his verbis : *Commemoratio semper memorandæ imperatricis et thaumaturgæ Theophaniæ, quæ fuit uxor Leonis Sapientis, imperatoris.* Ejus corpus, Menæis Græcis testantibus, servatur incorruptum in patriarchio CPolitano; in quo etiam memoria celebratur hoc die cum proprio officio. — De ec- *Dedicatio ædis S. Christophori.* clesia S. Christophori CPolitana, cfr Cangius, l. IV, p. 121. Christophori festum agitur 9 Maii.

DIES XVII.

Ex Ostromirano. MEMORIA SANCTORUM TRIUM PUERORUM, ANANIÆ, AZARIÆ, MISAELIS, QUI IN BABYLONE IGNEUM FORNACEM RESTINXERUNT. ET DANIELIS, PROPHETÆ. (*Ita omnes codd. Slavici cum Bas. Neap. Sirm. Mg. etc.*).

Ex variis. S. Dunalis, dicti Stephani, confessoris (*Prol. Kal. Menol. cum Sirm. Med. Mg. Cyth.*). S. Susannæ (*Prol. Serb.*). Dominica ante Nativitatem Christi, sanctorum Patrum (*Ephem. cum Bas.*).

† Bacchi Junioris (*Bas. Med. Mg.*). † Joannis, ep. Sardorum et conf. (*Nan.*). † Michaelis Syncelli, conf. (*Goth. Msq.*). † MM. Probi, Hilarii et Tarachi (*Sirm. Med.*). † Patermuthii, Copri et Alexandri (*Sirm. Med. Mg. Cyth.*). † Memnonis, ep. Ephesi, Modesti, patr. Hierosolym., Simeonis, ep. Antiochiæ (*Med.*). [Dionysii Novi, archiep. Æginensis (*Synax.*).]

OBSERVANDA.

S. Daniel. Synaxarium diei Græcum continet de Daniele quædam serius conficta, uti jamdudum observavit post Papebrochium Assemanus (Kal. V, pag. 470); quæ Prologus Mosquensis, fabularum nonnihil prodigus, retractare minime prætermisit. Canonem officii hodierni ordinavit S. Theophanes. In quodam Prologo Serbico sæculi XVI S. Daniel et tres pueri referuntur ad diem præcedentem, ut puto, oscitantia antiquarii; maxime cum dies XVII et duo proxime sequentes ibidem

Dominica SS. Patrum. desiderentur. — Festo trium puerorum conjungitur in quibusbam Kalendariis commemoratio sanctorum Patrum, seu omnium justorum qui ante Nativitatem Christi Domini vixerunt. De hac

S. Dunalis. dicemus melius postridie. — S. Dunalis, qui et Stephanus, audit Daniel in Prologo et Menologio Mosquensi. Hic monasticum habitum induit Romæ; magnum vero schema, ut vocatur, apud Græcos, cum Stephani nomine suscepit Hierosolymis a patriarcha Christodulo, aliis Christodoro. *In cod. quodam Græco mss.*, advertit Versinski, *nominatur* Δουναλετος; at terminatio est genitivi nominis Δουναλε, quod ita passim sonat in Menæis Græcorum sive excusis sive manu scriptis. — Sancta Susanna plane distincta a virgine *S. Susanna.* homonyma, quam ex cod. Rum. retuli die 15 Decembris. Hodie ponitur in Fastis sacris propter S. Danielem prophetam, quo judice a morte sibi imminente liberata fuit, ut in sacro codice legit quivis, et fuse proponitur in Prologo; rursus commemoratur cum omnibus justis Antiqui Testamenti, postridie. — S. Bacchus, cognomento *S Bacchus Junior.* Junior, ante baptisma Dacha dictus, laudatur hoc die in Menologio Basilii; in Fastis vero Slavicis, ad 15 Decembris. Menologio addidi in titulo Menæa Græcorum excusa: nam Iacchus ille, qui citatur in utraque editione Veneta, manifesto idem est ac Bacchus, maxime cum uterque eodem genere martyrii consummaverit vitam; discrimen autem, quod intercedit inter utramque nominis formam, perexigui momenti sit. Hinc prudenter tacuerunt Iacchum Siberus et Veršinskius. — Lectu *S. Patermuthius.* digna sunt quæ de Patermuthio adnotavit Quatremère, Mémoires sur l'Egypte, tom. I, pag. 28. — *Dionysius novus.* Dionysium Novum, archiep. Æginensem, retuli ex Synaxario Græco Nicodemi, quod evolvere cupientibus integrum est.

DIES XVIII.

DIES XVIII.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

DEDICATIO ECCLESIÆ S DEIPARÆ, QUÆ EST IN CHALCOPRATIIS PROPE MAGNAM ECCLESIAM (*Prol. cum Med. Mg. Cyth.*).

S. Sebastiani, mart. et soc., Nicostrati, Zoes, Tranquillini et Castorii, Marcellini et Marci, Claudii Symphoriani et Victorini, Tiburtii et Castuli (*Rum. Tern. Par. Prol. Men. Siš. Hor. Eph. Cap. Kal. cum Bas. GP. Vind. Flor. Msq. Med. Pg. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Flori, ep. Amisi (*Rum. Prol. Menol. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Msq. Mg.*). S. Michaelis Syncelli (*Prol. Menol. Pp. Kal. cum Sirm. Med: Msq. Mg. Cyth.*). S. Modesti, archiep. Hierosol. (*Prol. Menol. Kal. cum Neap. Med. Sirm. Mg. Cyth.*). Translatio S. Ignatii, mart. (*Anth. cum Neap.*). Dominica ante Nativitatem Christi, sanctorum Patrum (*Mg.*). Commemoratio omnium sanctorum qui fame, frigore aut lue perierunt (*Mg.*).

† MM. Phocæ et Hermyli (*Med. Mg. Cyth.*). † MM. Athenodori, Philareti et Eubioti (*Hier. Nan. Med. Mg. Cyth.*). † Sophiæ, thaumat. (*Med. Sirm. Mg. Cyth.*). † MM. Zacchæi, diaconi, et Alphæi, lectoris (*Med. Sirm. Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

Dedicatio ædis Chalcopratianæ.

In Menologio Basilii imperatoris festum Dedicationis hujus ædis non invenitur amplius; at in Prologo Serbo-Bulgaro, sæculi decimi tertii, adhuc exstabat inter cæteros dies sacros. Hujus Prologi meminit Vostokov, in Descriptione codd. Musæi Rum., p. 349. Ita commentator anonymus Kalend. Ostromirani, ex cujus verbis colligitur, apud recentiores Græcos et Slavos dictum festum jamdudum obsolevisse. Hoc, licet de Menologio Basilii verum sit, tamen de recentioribus Fastis nequaquam asseri potest, siquidem in Menæis Græcorum excusis, disertis terminis annuntiatur hæc solemnitas, consignatur in codicibus Slavicis, accedente Kalendario Neapolitano marmoreo, Sirm. et Mediol. In Prologo Mosquensi legitur prolixum encomium, ex Menæis Græcorum vulgaribus descriptum. Ubi, præter alia, asseritur, annos ejus episcopatus fuisse triginta et octo. At vero Nicephorus assignat Modesto annum tantummodo unum; auctor tabularum Theophani insertarum numerat duos; quos alii producunt ad annos viginti et unum, totum scilicet tempus comprehendentes, quo ille tum patriarchæ vices egit, tum ut verus patriarcha Ecclesiam administravit. Hoc quomodo cum annis triginta et octo componatur, videant Prologi Mosquensis editores. — In Horologio Valachico, quod penes me est, Translatio corporis S. Ignatii celebratur die sequenti. In marmore Neapolitano notatur *passio*, et præterea S. Ignatio adjungitur Modestus, ep. Hierosolymitanus. — Præter SS. Patres, Dominica Protoparentum relatis, numerantur hodie in Prologo Eva, Heber, Salomia et Raabe (de qua in ep. ad Hebr., XI, 31). Cum officium liturgicum dici debeat die dominica quæ incidit intra 18 et 24 Decembris, hinc fit, ut in Kalendariis occurrat non semel. In Menæis Græcorum excusis unicuique subjiciuntur versiculi, auctore eodem Christophoro Patricio Mytilenensi, cujus Menologium metricum ad calcem sui operis adjecit Siberus. Jamvero teste Morcellio, Kal., t. I, pag. 279, versiculi isti *non modo inepti plerumque sunt, sed etiam non raro absurdi;* utpote nullo delectu habito conditi; *nam non Salomon solum occurrit in eisdem, sed Roboam etiam et Achar aliique, quos sacræ litteræ plurimum reprehendunt, nec facile quispiam cælo dignos agnoverit.*

SS. Sebastianus et soc.

S. Modestus, patr. Hierosol.

Translatio S. Ignatii.

Dominica SS. Patrum.

DIES XIX.

Ex Ostromirano. *Ex variis.*

PASSIO SS. MM. EUTYCHETIS (*cum Sirm. Mg. Cyth.*), PHOCÆ ET HERMONIS (*Med. Mg.*), et S. BONIFACII (*Tern. Men. Prol. Hor. Kal. cum Hier. GP. Nan. Vind. Flor. Pg. Sirm. Med. Msq. Goth. Sirl. Mg. Cyth.*). DOMINICA ANTE NATIVITATEM CHRISTI. MEMORIA SS. PATRUM ABRAHÆ, ISAAC ET JACOBI.

SS. MM. Probi, Arei et Eliæ (*Rum. Menol. Prol. Kal. cum Bas. Neap. Nan. Hier. Maz. Med. Mg. Cyth.*). SS. MM. Polyeucti et Timothei (*Menol. Prol. Kal. cum Bas. Med. Mg. Cyth.*). S. Aglaidis, matronæ Romanæ (*Pp.*). S. Bonifatii, ep. Ferentini (*Menol. Prol. Kal.*). S. Gregorii seu Gregentii, archiepiscopi Homeritarum (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Med. Sirm. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Athenodori (*Sišat.*). Translatio S. Ignatii, mart. (*Valach.*).

† Tryphonis, mart. (*Med. Mg. Cyth.*) † Thessalonicæ, mart. (*Sirm. Mg. Cyth.*) † Flori, presb. (*Maz.*) † Dunalis, mon. (*Med.*) † Capitonis, ep. Chersonensis (*Med.*).

OBSERVANDA.

SS. Eutyches et Hermon.

Lectio cod. Ostromir. accuratiore indiget distinctione, eo quod plures martyrum turmæ, quæ omnino erant sejungendæ, in unam actæ sint. Certe S. Eutychetem inter et Phocam atque Ermonem (ita namque in codice audit) aut Bonifatium, præter martyrii palmam, nihil commune intercessit unquam, ut satis liquet ex Menæis Græcorum, ubi de Phoca et socio ejus Hermylo agitur pridie, hodie vero S. Euthycheti socii martyrii dantur, præter S. Thessalonicam, aliæ feminæ septuaginta

DIES XX DECEMBRIS.

septuaginta et viri ducenti. Sed quid de Ermone? Corruptelam esse, amanuensis oscitantiæ tribuendam, qui scribere debuit Hermylum seu Ermilum, non male conjicit cl. Capiton Nevostrujev; maxime cum Hermylum cum Phoca reapse referant codices nonnulli ad diem præcedentem. Non diffiteor tamen, id non omnino mihi exploratum esse; nec minus propendere me in S. Hermonem archiep. Hierosolymitanum; quod ut faciam, duo potissimum suadent : nominum conformitas tanta ut major vix possit desiderari, et insignis memoria sancti hujus antistitis in Fastis Slavicis et Græcis. Est enim is, qui in Chersonesum ablegavit viros apostolicos Ephræmum, Basilium, Eugenium, Agathodorum, Elpidium, Etherium, denique Capitonem, de quibus omnibus actum est die 7 Martii, et quorum cultus celeberrimus apud Russos hactenus perseverat. Accedit, quod tum hodie, tum 21 et 22 Decembris recurrat in Fastis ecclesiasticis nomen S. Capitonis, quem re quidem vera 21 Decembris martyrio coronatum esse constat. Unum obstare videtur, martyris titulus qui Hermoni quoque tribuitur in textu Slavonico, non secus ac SS. Phocæ et Bonifatio. Idque præter historiæ fidem, cum ille a persecutionis Diocletianæ æstu miro modo servatus fuerit. Verum neminem fugit, passionis aut martyris notam non semper sensu proprio esse sumendam. Manet itaque lis sub judice. — S. Bonifatius quoque minus accurate vocatur in Ostr. *Genifatus*, imo *Vinfantus* apud Possevinum. Servus erat S. Aglaidis, quam expresse nominant Ephemerides Græco-Moscæ Papebrochii. In Menologio Basilii commemoratur 20 Decembris. Habet officium peculiare, cujus canonem conscripsit Josephus, hymnographus. In Menologio Mosquensi et in Prologo S. Bonifatio martyri copulatur alter Bonifatius, episc. Ferentinus, cujus gestorum seriem deprompsit Menologus ex Dialogis S. Gregorii, papæ; non quod præsens dies sancti hujus antistitis sit proprius, sed nominum similitudo fecit ut initio quidem aliquid de ejus virtutibus, ut sæpe usuvenit, proponeretur in Prologo, ædificationis causa; dein vero ipsamet Vita adtexeretur integra, perinde ac si ageretur dies ejus festivus. Nec illud silentio obvolvendum, auctorem Vitæ, quæ in Menologio legitur, esse S. Gregorium Magnum, ex cujus Dialogis plura hausit editor Mosquensis, ut vel inde concludas, quanta veneratione gaudeat sanctissimus hic pontifex apud Russos. — Mirari subit, ill. Bartholomæum Kopitarium quærere in sua editione latina Kal. Ostromirani, de *quotanam* agatur *dominica*; cum sit exploratum agi de Dominica quæ Natalem Christi proxime antecedit; siquidem in Typico disertis verbis præcipiatur celebrari intra 18 et 24 Decembris.— In cod. Rumiantsoviano legitur ad hunc diem : *Passio sanctorum Promi, Eliæ sacerdotis* (slavonice *ierea*). *Passionis* notam reperimus etiam in marmore Neapolitano quod sic habet : *P. S. Probi et Iliu*, tacito Areo; item in Menologio Basilii, ubi loco *passionis*, pro more, ponitur *certamen*, et inter Probus vocatur Promus. At sacerdotis dignitas nuspiam tributa est Eliæ, qui homo laicus fuit, adeoque non hieromartyr, sed tantummodo martyr nuncupatur passim. Ex suo itaque capite sacerdotis titulum addidit transcriptor Russus, cujus errorem facile arguunt exemplaria græca. In his enim diserte exprimitur nomen Aræi sive cum Probo sive cum Elia. In Menologio Basilii habetur ita : *Certamen SS. MM. Promi, Arei et Eliæ;* in Menæis excusis ponitur ultimo loco, post S. Probum; alibi, mutato ordine, legebatur forsitan ita : Passio SS. Promi, Eliæ, Arei (Ἀρεως). Hoc ultimum nomen amanuensis Russus cum in exemplari suo offendisset, ac mendose positum existimaret, ex nomine proprio Arei (Ἀρεως) appellativum fecit sacerdotis (Ἱερεως), atque Eliam ex homino laico sacerdotem; nisi hanc ultimam vocem in exemplari suo græco offenderit scriptam, quod tamen mihi minus probatur. — Gregorius, Homeritarum seu Hymeritarum, aut potius Taphrensis episcopus, passim præfert nomen Gregentii. Multus de eo sermo fit in Actis S. Arethæ, martyris, et prolixam gestorum seriem texuit Metaphrastes, quam contractam dedit Menologus Mosquensis. Gregorii Vita in codd. tam Græcis quam Slavicis occurrit frequenter; nominabo quasdam Vitas occidentalibus minus notas. In bibl. Patriarch. Mosquensi asservantur duæ, altera in cod. nº 560, (apud Matthæi CCCLXVII), anno 1627 exarato, altera in cod., nº 334 (apud Matthæi, t. II, nº 18 et seq.) sæculi XVI-XVII; utraque græce scripta. Quarum principia, pro instituto suo, tacuit Sabbas, archimandrita, nunc episcopus Możaiscenus. Idem Slavicas recensuit quatuor, quarum antiquissima, signata nº 419, exarata fuit anno 1452, jubente Basilio Jaroslaide, duce; secunda, nº 750, refertur ad sæculum XV, anno incerto; tertia signata nº 755 scripta est anno 1517, quarta denique nº 83 sæculi est proxime sequentis. Quintam reperi ego in Prologo ms. bibl. Onuphrianæ Leopoli, signato nº 15, qui concinnatus fuit in monasterio SS. Salvatoris, in Galicia, anno 1518. Sed notatu dignissima est illa quæ exstat in ditissimo pluteo Berolinensi in cod. sæculi XV, inter Slavicos ordine primo de qua jam Fabricius, t. X, pag. 116. Titulus est : *Vita et conversatio B. P. N. Gregorii, episcopi Taphrensis civitatis Homeritarum, scripta ab episcopo civitatis Negran.* In Catalogo sequentem titulum præfert : *Unterredungen über theologische Gegenstände zwischen Gregoire, Bischof von Homeriten* et reliqua. Præterea S. Gregentius commemoratur in duobus aliis codd. ejusdem bibliothecæ, signatis nº 30 et nº 36, accedente brevi encomio. Sed de S. Gregorio Taphrensi mox, ex professo agent Bollandiani Socii, quando in Act. SS. deventum erit ad S. Elesbanum regem. — In Nan. Athenodorus refertur cum SS. Philetero et Eubioto, pridie. Videtur esse distinctus a sancto cognomine, qui floruit sæc. IV in Thebaide et commemoratur Sabbato Dominicæ Tyrophagiæ.

S. Bonifatius uterque.

Dominica SS. Patrum.

SS. Probus et soc.

S. Gregentius.

S. Athenodorus.

DIES XX.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Sancti antistitis Ignatii (*Omnes cum Bas. Neap. CP. Hier. GP. Sirm. Med. Maz. Mg. Sirl. Cyth.*). S. Philogonii, ep. Antiochiæ (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Sirm. Mg. Sirl. Cyth.*). S. Joannis Chrysostomi ordinatio in patr. CP. (*Prol.*). S. Eustathii Mzkhetensis (*Iber.*). Profestum Nativitatis Jesu Christi (*Horol. et alii*).

† MM. Eugenii et Macarii (*Bas. Sirm. Med. Maz. Mg. Sirl. Cyth.*). † Bonifatii, mart. (*Bas.*).

OBSERVANDA.

S. Ignatius.

S. Ignatius, cognomento *Theophorus*, præfert in marmoreo Kalendario sequentem notam : *de Suria;* id est, ex Syria; ut ita distinguatur ab altero Ignatio, martyre, qui cum S. Modesto pro fide Christi decertavit. In eodem marmore recte signatur *passio*, consonantibus Bas., Mst., Rum. et

et ipsismet martyrii Actis, ubi disertis verbis dicitur Ignatius occubuisse decimo tertio Kalendas Januarii seu die vigesimo Decembris, Romæ. Adde Menæa excusa, quorum synaxario præmittitur sequens versiculus : *Dentibus Ignatium laniat vicena leonum.* At in Ostrom., Ternob. et in recentioribus plerisque omnibus profertur solum nomen, addito titulo hieromartyris aut deiferi. In uno tandem Valachico notatur *translatio* ad diem præcedentem, uti in Martyrologio Romano ad 17 Decembris; ubi intelligendam esse secundam corporis Ignatii translationem fusius prosequitur Assemanus Kal., tom. V, pag. 475. Festi hujus solemnia agebantur CPoli in magna ecclesia. Canonem officii ordinavit S. Andreas Cretensis. — De S. Philogonio melius agetur die sequenti. — Ordinationem S. Joannis Chrysostomi retuli ex Prologo excuso, quod passim a me citatur. In eodem additur sequens notula : *Hic damus primam concionem quam habuit de pœnitentia.* Tum sequitur ipsamet concio, occasione Natalium Christi Domini a sancto præsule CPoli prolata. Recolantur quæ adnotata sunt ad diem 15 Decembris et 13 Novembris, quo utroque recoli dicitur ejus ordinatio. — Jam ad diem 29 Junii meminimus S. Eustathii cujusdam, cognomento Mzkhetensis; de quo præter nomen aliud quod proferam, non habeo, deficientibus documentis. — SS. Eugenium et Macarium, sub Juliano apostata passos, commemoravimus ad 19 Februarii. Hodie rursus inscribuntur in quibusdam Fastis Græcis, præeunte Menologio Basiliano. In Menæis vulgaribus vocantur *martyres;* at in Synaxario mensis Februarii, quod longe fusius est quam hodiernum, præferunt nomen *confessorum.* Utrumque vero consonat; nam licet in pace animas suas tradiderint, coronam tamen martyrum, ob varia tormenta a Juliano apostata antea imperata, promeruerunt; ut recte indicant bini versus Menæorum : *Antequam moriuntur, innumera mala simul patiuntur Macarius et Eugenius.* Menæa non intelligo recentiora anni 1843, in quibus altum silentium de utroque martyre, sed antiqua, ex quibus sua passim mutuati sunt Sirletus et potissimum Margunius, ep. Cytherorum.

Dies XXI Decembris.
S. Eustathius Mzkhetensis.
SS. Eugenius et Macarius.
S. Philogonius.
S. Joannes Chrysostomus.

DIES XXI.

Ex Ostromirano.
Ex variis.

MEMORIA SANCTÆ MARTYRIS ANASTASIÆ.

S. Julianæ, mart. Nicomediensis (*Mst. Prol. Tern. Rum. Zogr. Siš. Og. Pp. Cap. Men. Hor. Kal. cum Bas. Hier. GP. Vind. Pg. Flor. Goth. Msq. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Themistoclis, mart. (*Rum. Prol. Menol. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Maz. Mg. Cyth.*). S. Philogonii (*Rum cum Bas.*). S. Nahum, ep. Bulgarorum. S. Petri, metr. Kioviensis (*Men. Pp. Og. Prol. Leop. Kal.*).

† Capitonis, ep. Chersonensis (*Med.*). † Theophanis, archiep. Monembasiæ (*Med. Taur.*). † Thomæ, apost. (*Neap.*). † Centum et triginta mulierum Nicomediæ (*Med. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Anastasia.

Plane singularis est lectio codicis Ostromirani, siquidem nullum aliud, quod viderim, Kalendarium referat hoc die S. Anastasiam, martyrem, *vinculorum solutricem*, ut in Fastis Slavicis assolet nuncupari; sed plerique omnes commemorant postridie, accedentibus Menæis Græcis tam excusis quam manuscriptis. Neutrum recte; siquidem proprius hujus martyris dies est 25 Decembris, quo sanguinem pro Christo profudit Sirmii, ut fusius prosequitur Coletus, Illyr. sacri, t. VII, pag. 495, et diserte notatur in Martyrologio Illyrico et Romano. Hinc non *passionis*, sed *memoriæ* nota præscripta est in cod. Ostromiri; ubi illud quoque animadvertendum, nomen Anastasiæ solo *martyris* titulo esse decoratum, omisso cognomento *pharmacolytriæ*, de quo nonnulla delibabimus ad diem proxime sequentem. Interea addamus, hodiernam Anastasiam probe distinguendam esse ab Anastasia Seniore, etiam Romana, de qua dictum ad 29 et 30 Octobris. — Si Kal. Ostromiranum excipias, hodie S. Julianæ memoria inscripta est cæteris omnibus; apud Latinos vero ad 16 Februarii. Ostromirano præplacuit dies 21 Novembris, quo forte translata est ex 21 Decembris, eo quod hæc festo Anastasiæ erat impedita; cujusmodi translatio aliis quoque exemplis facile posset corobari. In Mst. et Rum. signatur *passio.* — Tribus diebus pene continuis commemoratur S. Capito, episcopus Chersonensis, 19, 21 et 22 Decembris, insuper die 7 Martii una cum cæteris sex episcopis ejusdem regionis; de eo dicetur postridie; in Menol. Mosquensi laudatur ad 7 Martii, quamvis ibidem dicitur occubuisse 21 Decembris. — Hodie de S. Nahumo agit Muraviev in Vitis, tacito obitus die, et citato duntaxat opusculo illo Moschopolitano, cujus ego memini non semel, quando agebatur sive de S. Clemente et de S. Gorazdo, sive de ipsomet Nahumo ad 17 Julii. Quocirca nomen sancti hujus retulisse hic sufficiet.

S. Juliana.
S. Capiton.
S. Nahum in Bulgaria.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

S. Petrus, metrop. Kioviensis.

B. Petrus, unus ex præcipuis Mosquæ patronis, natus est piis parentibus, in Volynia. Quantæ sanctitatis futuræ esset, jam a materno utero prænuntiavit singularis visio. Nimirum videbatur sibi in sinu fovere candidum agnellum, ex cujus capite prodiit pulcherrima arbor, fructibus onusta, et lucernis intra frondes ardentibus micans. Septennis litteras discere cœpit Petrus, in quibus, a quodam sancto mirabiliter illustratus, adeo profecit, ut brevi tempore insignem adeptus fuerit doctrinam. Annos duodecim natus, monasterium adiit, ubi caritate, humilitate, obsequentia erga seniores, præsertim vero mansuetudine enituit vel maxime, dignus propterea qui ad sacerdotium eveheretur. Callebat insuper artem pingendi, in qua exercenda multum in via spiritus profecit: dum enim sanctorum for nas exprimeret, eorum exempla sectari toto nimo ardebat. Mox, ad majora natus, relicto monasterio, abiit in solitudinem, sedeque ad Ratam fluvium fixa, templum condidit Salvatori sacrum et monasterium, quo fratres affluebant undique. Horum regimini præpositus, mitem sese et humilem erga omnes præbuit; præsertim vero caritatis erga egenos fuit tantæ, ut neminem vacuum a se abire passus sit, imaginem a se pictam, atque etiam vestem propriam,

DIES XXII DECEMBRIS.

priam, deficiente pecunia, mendicis erogans. Post non multos annos, ut mortuo metropolitæ Maximo sufficeretur, importunis principis Volynensis et universi cleri precibus victus, patriarcham CPolitanum Athanasium adiit, a quo magno cum honore exceptus est, et in metropolitam consecratus, anno 1308. Redux ad sedem suam, quæ tunc Vladimiriæ erat, Ecclesiæ regendæ se totum impendit, salutaribus doctrinæ pascuis gregem pascens, summamque benignitatem cum justa severitate socians. Cum enim ab episcopo Tverensi Andrea calumniis peteretur, calumniatori, mendacii a synodo convicto ac damnato, debitas pœnas benigne condonavit et pristino honori restituit. At hæreticum quemdam, Scitam nomine, Ecclesiam audire detrectantem, anathemate percussit. Anno 1313 ad magnum chanum Usbekum profectus honorifice susceptus est et privilegiis pro clero universo donatus. Horum exemplar aliquod citatur a chronographis et datum est anno, ut Mongoli nominant *leporino*, seu, secundum computum christianorum, anno 1315. Illud quoque memorandum est, ejus tempore, anno scilicet 1325, sedem metropolitanam esse translatam, Vladimiria Transylvana Mosquam. Quæ urbs ex ruinis Russiæ inferioris, a magno duce Lithuaniæ Gedimino non ita pridem debellatæ, Kioviensium ducum nomine exstincto, tunc efflorescebat, caput magni imperii Moscovitici mox futura. Hanc itaque in urbem, secutus Joannem principem, et futurorum veluti præscius, sedem suam transtulit Petrus, ejusque exordia ornari curavit, magnificentissimo templo in honorem B. Mariæ in Cælos Assumptæ erecto. Non diu tamen Mosquæ sedit Petrus; sequenti namque anno, de proximo obitu suo cælitus admoneri sibi visus, sacrisque mysteriis celebratis, extremum adstantes exhortatus, expansis ad cælum manibus, animam Deo tradidit, die 21 decembris, anno 1326. Exstant duæ homiliæ a sancto Petro jam metropolita conscriptæ, quarum altera ad hegumenos, presbyteros et diaconos directa est, altera ad clerum universa data, ineunte tempore quadragesimali. In posteriore clerus monetur inter alia, ut infantes non per *infusionem*, sed per triplicem *immersionem* baptizentur. « Cæterum, ait Kulčinius, *Speciminis*, pag. 119, hunc sanctum primatem vixisse in unione cum Romana Ecclesia indubium est, tum quod cum latinis episcopis ex ordine Prædicatorum in Lithuania ac Russia recenter institutis optimam pacem coluerit; tum quod legatos a sede apostolica Bartholomæum, episcopum Electensem, et Bernardum, abbatem, cum professione fidei orthodoxæ in Russiam missos, devotissime exceperit. » Demortui Pontificis corpus cum ad templum ritu solemni portaretur, quidam homo plebeius, videns magnam pompam funebrem, temeraria cogitatione ductus, tantos honores mortali homini præstitos intus damnavit, secum dicens : Nonne cadaver istud, ut et cætera, pulvis est et cinis? Talia cogitanti spectandum se præbet vir sanctus sedens in feretro, et populo benedicens. Expavit incredulus, remque miram a se visam populo enarravit; unde major religio movit omnes. Corpus ejus, in tumulo conditum, quem sibi ipse prope aram principem paraverat, mox miraculis inclaruit et solemniter levatum est anno 1419, die 24 Augusti, qua ideo colitur ab Ecclesia Russica, et insuper die 5 Octobris et 21 Decembris.

Cfr 1) Vita S. Petri, auct. S. Cypriano I, metr. in libris Gradualibus, l. I, p. 404-424. 2) Specimen, pag. 60 et 118. 3) Prologus et Menol. ad diem 21 Decembris. 4) Dict. hag. p. 228. 5) Assemani, Kalend., t. V, pag. 479 489. 6) Opera SS. Patrum, ed. Mosq. 1844, l. I. 7) Miclošich et Müller, Acta patr. CP., t. I, 191. 8) Macarius, Učen. Zapiski, t. VII, parte I. 9) Philaret. Hist. Eccl. Russ., III, pag. 73 et seq. 10) Idem, Conspectus liter., n° 65.

Procopius, Viaticensis.

Eadem die recolitur memoria Procopii Viaticensis, propter Christum fatui. De quo tamen nulla memoria superest, nisi quod diem obiit anno 1628, conditusque fuit in monasterio Assumptionis, quod prope Viatkam urbem, fundaverat Tryphon Pyscorensis. De Tryphone plura dedimus ad diem 8 Octobris, qua colitur.

Cfr Dict. hag., pag. 254.

Juliana, ducissa Viazmensis.

Præterea commemoratur ad hanc diem Juliana, ducissa Viazmensis, Simeonis Mstislaidis uxor, continentiæ conjugalis amore longe magis, quam pulcritudine aut illustribus natalibus clara. Quam cum nec blanditiis, nec minis ad thorum violandum adducere potuisset Georgius, dux Smolenscensis, impurissimo amore accensus, marito inter convivia crudeliter interfecto, fugientem Julianam comprehendit, et in frusta dissectam in fluvium projecit anno 1407. Cujus corpus collegerunt fideles et in ecclesia cathedrali urbis Toržok tumularunt. De cultu Julianiæ nihil certi reperio.

Cfr 1) Dict. hag., pag. 285. 2) Ambrosius, Hist. hier. Russ., I, 153, III, 427.

DIES XXII.

Neromiranda.

VACAT.

S. Anastasiæ, megalomartyris et sociorum. (*Omnes cum Bas. GP. Hier. CP. Flor. Pg. Goth. Msq. Vind. Sirm. Med. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Chrysogoni, episc. et mart. (*Rum. Men. Prol. Pp. Kal. cum Bas. Sirm. Med. Maz. Sirl. Mg. Cyth.*). S. Theodotes, mart. (*Men. Prol. Kal. cum Bas. Sirm. Maz. Med. Mg.*). S. Capitonis, ep. Chersonæ (*Rum. cum Bas. Sirm.*).

† MM. Irenes, Agapiæ et Chioniæ (*Bas. Med.*). † Zoili, presb. et mart. (*Med. Mg. Cyth.*). † Ephræm et Abramii (*Neap.*). † Apertio magnæ ecclesiæ CPolitanæ (*Nan. Barber.*). Festum Photodromi ecclesiæ magnæ. (*Mg. Cyth.*).

OBSERVANDA.

S. Anastasia.

Solemni cultu, ut dixi modo, honoratur hoc die S. Anastasia apud Slavos juxta ac apud Græcos; nam et megalomartyris titulo insignitur et totum diei officium pene sola occupat; utpote inter martyres

tyres quibuscum certavit præcipua; unde in Menologio Mosquensi annuntiatur his verbis : *Passio sanctæ et magnæ martyris Anastasiæ vinculorum solutricis, et Chrysogoni, magistri ejus, et Theodotes aliorumque qui cum ea passi sunt.* In Mstisl. brevius ita : *Passio sanctæ martyris Anastasiæ;* in Rum. : *Passio sanctæ Anastasiæ.* Item in Ternobiensi et Posseviniano, omissa nota *passionis;* in Ephemerid. Papebrochii : *Anastasia-Chrysogonus.* Brevissime tandem in tabulis Capponianis et in cod. Vaticano primo apud Assemanum : *Anastasia.* Menologium Basilii refert *certamen S. Martyris Anastasiæ et sanctarum sociarum mulierum.* Ferunt Acta socios supplicii fuisse viros ducentos, cum feminis septuaginta; imo ingentem numerum exstitisse asserunt alii. In recentioribus Fastis Slavicis vocari solet non *veneficiorum*, ut apud Græcos, sed *vinculorum* solutrix, eo quod Christianis qui in vinculis detinebantur quamlibet afferre opem erat illi solemne; quamvis *pharmacolytriæ* cognomen jam a Codino expressum in laudem potius vertitur sanctissimæ martyris, si illud intelligatur de ope, qua divinitus vim rei noxiæ cujusque *dissolvit*, ab eaque redimit infectos; ac proinde *liberatricem a noxiis* rectius Anastasiam diceres quam *incantatricem aut veneficam.* Quod autem in Horolog. Počajovensi dicatur, vocabulo *pharmacolytriæ* et *vinculorum solutricis* unum significari et idem, id in quonam glossario expressum sit, hactenus prorsus latuit viros doctos. Sed legantur quæ de hoc cognomine commentatus est Combefisius in adnotationibus ad Nicetæ Paphlagonis orationes panegyricas a pag. 510; Coletus Illyr. sacr. t. VII, pag. 494, ubi gesta Anastasiæ optime illustrantur, Assemanus in Kalend. t. V, pag. 489 et Morcellius. Martyrii annum exprimere omisit Veršinski, præter morem : in Horologio Počajovensi assignatur annus 282, cui si addantur anni octo, quibus æram Constantinopolitanam anticipat Alexandrina, in Fastis Slavicis quibusdam usurpata, habebimus annum 290, quo reapse martyrium complevit Anastasia octavo Kalendas Januarii, seu 25 Decembris. Celebre exstabat CPoli templum Anastasiæ, in porticis Domnini situm, cujus mentio fit in Menæis ad undecimam Januarii, et fuse illustrantur origines apud Cangium CP. Christianæ lib. IV, pag. 142. — Cæteri Sancti hujus diei pene omnes commemorantur in Actis Anastasianis; quorum præcipuus est S. Chrysogonus, S. Anastasiæ magister, hoc eodem die, sed anno diverso, passus, atque a S. Zoilo presbytero sepulturæ mandatus. De cæteris, nempe Theodote et tribus sororibus Irene, Agape et Chionia actum est alibi seorsim. Præter has nominantur *Apollonia*, quæ corpus Anastasiæ in sepulcro constituit, *Eutychianus*, cujus ope plurimi ad fidem conversi sunt, et alii socii universim ducenti et septuaginta. — Tertio venit in Fastis hujus mensis S. Capito, quem Menol. Basilii annuntiat ita : *Commemoratio sacrosancti martyris Capitonis, ep. Chersonæ;* cod. vero Rum, conjunctim cum S. Anastasia et Chrysogono, his verbis : *Passio sanctæ martyris Anastasiæ et Capitonis antistitis et Chrysogoni. Commemorationem* notavit Menologus Basilianus, non passionem, eo quod Capitonem tranquilla morte obiisse crederet, ut diserte legitur in fine Synaxarii. Cæterum secum pugnare Menologum imperatoris levi negotio demonstratur. Et primo quidem, parum cohærent ea, quæ de morte Capitonis modo retuli, cum eis quæ habentur in Synaxario ad 8 Martii, ubi aperte dicitur S. Capito cum aliis tribus episcopis a paganis fuisse occisus. Insuper, hodie asserit Capitonem Chersonæ sedem occupasse, mortuo Ætherio quem post Capitonem vixisse tradit ad 8 Martii. Sed nec omnino conveniunt inter se Synaxaria Græca et Slavica : juxta Menologium Basilii Ætherius finem acceperit, in Danaprim (lege Dneprum) fluvium projectus; quod idem de Capitone narrat Menologus Mosquensis. Rursus legimus in Basiliano ad hanc diem, fanum Parthenii idoli eversum fuisse a Capitone, qua in re mire convenit cum Sirmundiano; at in Mosquensi id tribuitur S. Basilio, qui Chersonam venerat omnium primus. Sunt et alia quædam in Menologio Mosquensi, quæ auctor e proprio sinu deprompsisse merito dicatur, ut quando Basilium, Ephræmum, Eugenium cum Elpidio et Agathodoro, ac tandem Ætherium uno eodemque die 7 Martii, licet annis diversis, occubuisse tradit, quod in antiquis codd. nuspiam legere est; aut quando narrat, Capitonem, dum in camino accenso versaretur, carbones in omophorium suum collegisse, illudque dein populo ostendisse omnino illæsum, et alia hujusmodi. Denique, a Macario, patriarcha Hierosolymitano, qui successit S. Hermoni, missum fuisse ad Chersonenses Capitonem testantur Menæa Græca, ad 7 Martii; qua occasione notatum velim, sanctum hunc Macarium nec a Græcis nec a Slavis inscriptum esse in Menæis. — *Natale S. Ephræmi et Abramii* refertur in Marmore Neapolitano; ubi nomine Ephræmi significari episcopum Chersonensem cognominem, de quo modo, mea est conjectura, quam aliis relinquo expendendam. Et quia de Ephræmis et Basilio nobis versatur sermo, liceat hic quædam proponere de patriarcha hujus nominis Serbo, deque Basilio qui ex archiepiscopo Montis-Nigri factus est eremita.

Dies XXII Decembris.

S. Capito.

S. Chrysogonus.

S. Ephræm.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Ephræm, patr. Serbiæ.

Ephræmum, Serbiæ patriarcham, uti sanctum coli die 15 Junii, auctor est Muraviev, in Appendice ad mensem Augusti, pag. 281, ubi de eo quædam tradit, e codice ms. quod olim in bibl. patriarcharum Serborum Pechii servabatur, deprompta. Quorum summa hæc fere est. Oriundus erat Ephræm civitate Ternobiensi, lucemque aspexit circa annum 1310, Bulgaris imperante Michaele, Serbis vero Stephano Milutino, de quo fuse dictum ad 30 Octobris. Cum monasticæ vitæ desiderio a juventute teneretur, quod etiam cælestibus visionibus volunt comprobatum, parentes vero ne voti compos fieret obstarent, quadam die in vicinam eremum clam aufugit, acceptaque tonsura a sene quodam Basilio, in Montem Atho inde perrexit atque Chilandariensi monasterio nomen dedit. At ubi, pluribus annis exactis, montem infestare cœperunt Agareni, omnia vastantes, Philippos Macedoniæ profugit Ephræm; unde tandem in Serbiam profectus, a patriarcha Joannicio benigne susceptus est et monasterio Dečanensi sedem figere rogatus. Quod cum ob bellicos tumultus brevi exortos minus evasisset securum, (erat namque urbi regiæ proximum,) in aliud monasterium Zdrelo dictum, utpote in secretiore longeque tutiore loco situm, transiit, suadente Sabba IV, Joannicii successore. Mortuo vero Sabba, in ejus locum communi episcoporum Pechii congregatorum suffragio sufficitur, anno 1376, licet valde reluctans; solitudinis namque quietem multo magis, quam regiminis curas cordi habuit; a quibus ut liberaretur rogare regem nunquam destitit; tandemque voti compos factus, in monasterium S. Michaelis

DIES XXII DECEMBRIS.

chaelis archangeli lætus secessit, postquam in sui locum constituerat Spiridonem. At novem annos post, sedem Pechiensem, morte Spiridonis vacuam, iterum ascendere coactus est, quam paulo post Danieli cessit ; ac tandem senio confectus migravit e vivis die 15 junii, anno 1400, ætatis 90, cum in religione exegisset annos 66, in episcopatu 24. Conditus in ecclesia patriarcharum Pechiensi, præsente Sabba V patriarcha, qui Ecclesiæ Serbicæ recenter fuerat præpositus, a Joannicio ordine jam sextus. Qua occasione totam patriarcharum Serbiæ seriem juxta successionis ordinem hic adtexere consultum videtur. Sunt autem sequentes : 1) Joannicius II, patriarcha ab anno 1350, omnium primus; 2) Sabbas IV; 3) Ephræm, ab anno 1367; 4) Spiridion et iterum Ephræm; 5) Daniel III; 6) Sabbas V; 7) Cyrillus I, qui rexit tempore Lazari Despotæ; 8) Nicon I; 9) Nicodemus II; 10) Arsenius II, quo tempore Serbiam et Bulgariam subegerunt Turcæ; 11) Macarius I; 12) Paulus I; 13) Antonius I; 14) Gerasimus I; 15) Sabbatius I; 16) Nicanorus I; 17) Joannes I, initio sæc. XVII; 18) Paisius I; 19) Gabriel Raič, a Turcis strangulatus; 20) Maximus, mortuus anno 1681 ; 21) Arsenius III Tchernojevič, qui anno 1690 cum ingenti Serborum numero migravit in Austriam; 22) Callinicus I, Monasteriensis; 23) Athanasius Prizreniensis; 24) Moyses Tergoviščensis; 25) Arsenius IV, Pechiensis, circa annum 1737; 26) Joannicius III, CPolitanus; 27) Athanasius II, Scopiensis; 28) Gabriel II, Bosnensis; 29) Gabriel III, Græcus; 30) Vincentius, Sirmiensis; 31) Paisius II, Užicensis; 32) Cyrillus II, CPolitanus; 33) Gabriel Claudus, natione Græcus, qui ad Mahometi castra transiit anno 1762; 34) Basilius Brkič, ab anno 1763; 35) Hadži Callinicus, Græcus, ad annum 1765, quo patriarchatus Pechiensis accepit finem, postquam duraverat annos 415.

Cfr Vita archiep. totius Serbiæ, in Glasnik, tom. IV, pag. 45 et seq.

Joannicius, archiep. Serbiæ.

Patriarcharum Serborum seriem modo propositam qui orditur Joannicius, ab anno 1340 ad annum 1350 solo archiepiscopi titulo distinctus, probe discernatur oportet ab altero ejusdem nominis archiepiscopo, qui peculiari mentione vel ideo frustrandus non est, quod ad 28 Maii qua coli dicitur, silentio fuerit prætermissus. Erat porro Joannicius I Sabbæ II primo quidem in Monte Atho discipulus, tum in peregrinatione Hierosolymitana socius, ac tandem, deposito Daniele, qui demortui Sabbæ sedem ad breve tempus occupavit, in eadem sede successor, postquam aliquandiu in monasterio Chilandariensi et Studenicensi hegumeni munere fuerat defunctus. Stephanum Urošium regem, quem Dragutinus filius, Stephani Milutini frater, throno deturbaverat et in Cholmensem ditionem in exilium egerat, sponte sua secutus est Joannicius, ibique supremum clausit diem anno salutis 1269, die 28 maii; unde postmodum in Serbiam translatus est curante Helena, regina christianissima, et in ecclesia Sopočanensi, quam dictus Stephanus Urošius fundaverat, honorifice conditus. Habuit itaque Joannicius decessores quatuor : 1) S. Sabbam I; 2) S. Arsenium; 3) S. Sabbam II; 4) Danielem I; successores vero sex quorum nomina sunt : 6) Eustathius, a nobis laudatus ad 4 Januarii; 7) Jacobus ab anno 1286; 8) Eustathius II ab anno 1292; 9) Sabbas III ab anno 1310; 10) Nicodemus ab anno 1318; 11) Daniel, ab anno 1326 ad annum 1340, quo eum excepit Joannicius II, patriarcha ab anno 1350.

Cfr 1) Glasnik, tom. IV, pag. 29. 2) Muraviev, August., pag. 273. 3) Raič, l. VII, cap. 8. 4) Miklošich, Monumenta Serbica, passim.

Basilius, patr. Ipekiensis et eremita in Montenigro.

Gardner Wilkenson, qui anno 1848 Londini edidit Iter suum in Dalmatiam et Montemnigrum, perhibet Basilium centum septuaginta annis ante diem obiisse; ita ut circa annum 1678 vita functus dicendus sit. Vitam, cyrillicis litteris excusam, sub annum 1810 accepit ex archimandritæ manibus Vialla de Sommières, qui aliquot ex ea prodigia joco potius quam serio in publicum protulit. Contra de hoc Basilio plane tacuit Alexander Andrič, qui omnium optime et accurate de eo dicere potuisset. Ex illis itaque pauca hic compendio exhibebimus. Prius Herzegowinæ (Galumensis et Scodrensis) episcopus fuerat Basilius, atque eo titulo, patriarcha Ipekiensis. Quod officium ad provectam usque ætatem implevit. Tum vero, juventutis peccata recogitans, statuit munus suum abdicare et eremiticam vitam colere. Venit itaque in Cernegoram seu Montemnigrum anno circiter 1648; ubi an tunc temporis adhuc viveret Mardarius, hujus regionis episcopus, qui anno 1640 ad Urbanum papam VIII legatos misit, nomine suo obedientiam sedi apostolicæ professuros, et qui apud patriarcham suum, procul dubio Basilium, *gratiam atque auctoritate*, ut Urbanus in responsis loquitur, *plurimum valebat*, definire nequeo. Abscondit se illic Basilius in spelunca difficillimi accessus, quæ nunc monasterium simul est, ejus nomine dictum, inexpugnabile castrum seu perfugium, et præterea pulveris tormentarii cella. Multa ibidem vivus et mortuus patrasse dicitur prodigia ; quæ, si minus credula esset illa gens, majorem auctoritatem haberent. Scilicet quum aliquando mense februario ad marginem aggeris pirum comedisset, et grana quaquaversum sparsisset, postridie visa est arbor, ex una parte innumeris floribus ornata, ex altera maturis fructibus onusta. Alias quum nuspiam apium sativum, quo remedium conficeret, reperiret, ecce avicula, purpureo et cæruleo coloribus fulgens, cellam ingreditur, ramusculum graniferum ore gerens, et in orantis pluteo consistit. Grana seminavit continuo senex et tam propere crevit semen, ut postridie apium colligi potuerit. Exinde sponte nascitur in angulo, soli et imbri impervio. Annos triginta degit illic annosus anachoreta ; qui et in specu illa sepultus est. Incorruptum servatur ad hanc diem cadaver; ita ut Vialla scribat se nunquam vidisse medicatum corpus tam integrum. Ad id peregrinantur continuo plurimi et multa dona offerunt; neque hi incolæ solummodo sunt Montisnigri, sed totius viciniæ; quos inter catholicos videre est et etiam mahumethanos. De uno ex eis narratur quod

quod, quum sub osculantis specie indicem momordisset, alapa occisus fuit. Phylacteria seu vittas varii coloris, corporis tactu sanctificatas, vendit eremita, sepulcri custos. DIES XXIII ET XXIV DECEMBRIS.

Cfr 1) Vialla de Sommières, tom. I, pag. 211 et seq. 2) Gardner Wilkenson, tom. II, pag. 33 et seq. 3) Kovaleski, pag. 61.

DIES XXIII.

Ex Ostromirano. PASSIO SANCTORUM DECEM MARTYRUM IN CRETA, SUB DECIO IMPERATORE (*Omnes cum Bas. Neap. Hier. GP. PG. Vind. Goth. Msq. Flor. Sirm. Med. Maz. Mg. Sirl. Cyth.*).

Ex variis. S. Pauli, ep. Neocæsareæ (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Mg.*). S. Niphontis, ep. Constantiensis in Cypro (*Menol. Prol. Kal.*). Dominica Protoparentum, ante Nativitatem Christi (*Mstisl.*).

† Dedicatio magnæ ecclesiæ CPoli (*Med. Nan. Barber. Mg. Cyth.*). †Bitimionis et Aphrodisii (*Med. Sirm.*).

OBSERVANDA.

SS. MM. Cretenses. Optimi codices Mst. Rum. plane concordant cum Ostromirano, nisi quod omittant conclusionem illam : *sub Decio imperatore;* quæ in Horologio distinctius exprimitur ita : *Passi sunt sub Decio imperatore anno* 248. Ternobiense brevius : *sanctorum martyrum Cretensium decem*, et ita fere recentiores plerique omnes, tacitis passim nominibus. Sunt autem, juxta Menologium, sequentia : Theodulus, Saturninus, Euporus, Gelasius, Eunicianus, Zoticus, Pompejus, Agathopus, Basilides et Evaristes. Quandoque annuntiantur brevissime ita : *SS. Decem martyrum.* In officio diei legitur canon quem ordinavit Georgius. — Probe distinguatur oportet Niphon Constantiæ episcopus a Niphonte patr. CPolitano, licet prior Constantinopolitanus interdum nuncupetur, ob simillima nomina urbium, quarum sedem occupavit uterque. In Prologo minus recte vocatur monachus, accedente Synaxario, quod paucis multa comprehendit, sed inepta. De Niphontis Constantiensis vita et gestis pluribus disseritur in opere Academiæ Petropolitanæ periodico : *Izvestia* tom. X., pag. 374, ubi antiqua quædam ejus Vita in medium profertur. Alia satis prolixa exstat in Menologio Mosquensi, ad hane diem; sed prolixissime exarata latet in codd. Græcis mss. ut puto, hactenus ineditis; unde suam procúldubio hausit Macarius metropolita, Magni Menologii concinnator. Summa hæc est. Floruit Niphon tempore Constantini Magni, Armiropoli in Paphlagonia oriundus. Juvenis Baccho et Veneri multo magis quam Deo, imo unice libavit; postea tamen ad meliores mores ope Beatæ Mariæ Virginis conversus, divino servitio se totum mancipavit : quapropter innumeras a dæmonibus pertulit vexationes. Alexandriam profectus, episcopus Constantiensis in Cypro ordinatur a S. Alexandro, patriarcha Alexandrino, licet ætate esset jam provecta; cumque Ecclesiam suam aliquandiu rexisset, in pace migravit ad Dominum, 23 decembris, anno incerto. Cætera quæ de Niphonte narrantur in Menologio Mosquensi, e continuis visionibus aliisque rebus mirabilibus contexta, vix aliquam promerentur fidem, antequam artis criticæ cribro probentur. Illud quoque mirari subit, nomen Niphontis, tot prodigiis illustre, Fastis sacris Græcorum, quos viderim, mansisse prorsus ignotum. — In Mst. post Sanctos martyres Cretenses continuo additur : *Dominica Protoparentum.* Dein : *Sabbatum et Dominica ante Nativitatem Christi, sanctorum Patrum, Abraham, Isaac et Jacob.* Utraque commemoratio fit in Ostrom. ad 19 Decembris; solet enim hæc commemoratio, ut dixi, intervallo octo dierum includi, qui Natalibus Domini proxime præcurrunt. *Dominica sanctorum Patrum* notatur quoque in Kalend. CPolitano Morcellii, sed ad diem præcedentem. —Agitur de secunda Dedicatione templi Sophiani, quæ, hemisphærio post ruinam restituto, celebrata est a Justiniano imperatore, et quidem, ut testatur Chronicon Alexandrinum, non ad 23 Decembris, sed ad 24, unde probabiliter ad præsentem diem postmodum translata est, ob Vigiliam Nativitatis. Saltem in tabulis ecclesiasticis ad diem 24 inquires frustra. De structura hujus templi S. Sophiæ nuncupati narrationem incerti auctoris, a Fr. Combefisio vulgatam, norunt eruditi; quam operæ pretium foret conferre cum eis quæ de originibus Ecclesiæ Kievocryptensis traduntur in Paterico, non omnino forsan a Græco fonte aliena. Quanto autem in honore templum illud Constantinopolitanum Russorum gens habuerit, colligitur vel inde, quod primariam Kioviæ et Novgorodiæ ædem eodem S. Sophiæ nomine appellarint. — In Menæis Sirmundi mss. de Bitimione legitur sequens versiculus, in Menæis excusis prætermissus : *Corrupto sacco exutus, Bitimion, in resurrectione illum accipias incorruptum.* De Aphrodisio vero : *Venusto admodum viget animo Aphrodisius, ut veneris purus fato functus.*

S. Niphon.

Dominica Protoparentum.

Dedicatio magnæ ecclesiæ CPoli.

SS. Bitimion et Aphrodisius.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Theoctistus, arch. Novgorodensis. Antequam cathedram ascenderet, hegumenus fuit in monasterio Annunciationis Novgorodensi. Præfuit Ecclesiæ Novgorodensi ab anno 1299 ad annum 1308; quo episcopali onere deposito, in præfatum monasterium secessit, Deo securius vacaturus, ibique pie obiit die 23 decembris anno 1310. Corpus ejus, miraculis et sanationum virtute conspicuum, ex monasterio Annunciationis, ubi conditum fuerat et sacello ejus nomini sacro honoratum, in monasterium S. Georgii translatum est anno 1788, die 23 januarii.

Cfr Dict. hag. pag. 285.

DIES XXIV.

Ex Ostromirano. S. EUGENIÆ, MART., SUB COMMODO IMPERATORE (*Omnes cum Hier. GP. Vind. Pg. Goth. Msq. Sirm. Maz. Mg. Sirl.*). VIGILIA SEU EXPECTATIO NATIVITATIS CHRISTI (*Mst. etc.*).

Ex variis. S. Nicolai, ex milite monachi et mart. (*Prol. Men. Kal. cum Med. Mg.*). SS. MM. Protasii seu Protæ et Hyacinthi, eunuchorum. S. Eugeniæ et Claudiæ, matris ejusdem (*Kal. cum Med. Mg.*). SS. Patrum qui existebant ante Nativitatem Christi (*Tern.*).

† Achaici, mart. (*Med. Sirm. Mg.*). † MM. Schinonis, Eususii, Agathæ (*Neap. Sirm.*). † Basillæ, mart. et Philippi, patris S. Eugeniæ (*Mg.*). † Antiochi (*Med. Mg.*).

OBSERVANDA.

DIES XXV DECEMBRIS.

OBSERVANDA.

S. Eugenia. S. Philippus et socii indicantur etiam in Menol. Basilii imperatoris. Sunt autem præter Philippum et Claudiam, S. Eugeniæ parentes, Basilla nobilis virgo, Protas et Hyacinthus. Pervigilii natalitiorum Christi officium matutinum majore ex parte impenditur laudandis Eugeniæ, Basillæ, Philippo, Eugeniæ patri, et Nicolao, martyribus. *S. Achaicus.* —Duos sanctos hujus nominis reperimus in Synaxariis, apostolum alterum, de quo sermo est IV et XV Januarii apud Græcos, alterum martyrem Thessalonicensem, cujus memoria recolitur die XXX Martii. De posteriore agi videtur in citatis Menologiis Græcis, ubi sancto martyri associatur *S. Schino.* S. Schino. — In marmore Neapolitano legitur ad hanc diem : P., id est Passio *S. Scino, Eususio, Agā.* Difficultatem parit S. Scino. Initio quidem putabam ego significari per primum nomen S. Sinotum, martyrem in Campania Italiæ, quem episcopum Capuanum fuisse sub finem primi sæculi conjiciunt Bollandiani (Acta SS., die VII Sept.); verum lectio Menæorum mss. Sirmundi, Mediolanensium et excusorum omnem adimit ambigendi rationem. S. Schynnum, Meldensem episcopum, memorant Martyrologia Latina ad XII Octobris (V. Acta SS. in prætermissis). Aliter se res habet circa duos alios sanctos. *Eusucium* martyrem Tarsensem referunt iidem Bollandiani ad III Julii, tanquam unum e sociis S. Severi, Helionis et aliorum. Quis autem sit intelligendus per initiales litteras *Agā*, divinare potuimus, non affirmare. Legimus itaque *Agatham*, donec lucis aliquid afferatur aliunde. Cæterum tres illi sancti martyres nil aliud inter se commune habere videntur, nisi quod eorum reliquiæ in aliqua ecclesia Neapoli simul jacentia simultaneo quoque cultu celebrarentur. Verum ubi ipsa nomina tam obscura sunt, præstat forte a conjecturis abstinere; maxime quod insperato lux aliquando fiet. — In Menæis recentioribus *S. Antiochus.* Græcorum nomen Antiochi expunctum; at exstat in editione antiqua et apud Cythereum.

DIES XXV.

Ex Ostromiriano. Ex variis. NATIVITAS CHRISTI (*Omnes*).
Adoratio Magorum (*Menol. Prol. cum Bas. Med. Maz. Mg.*).
† S. Josephi, ab Angelo admoniti (*Bas. Maz.*).

OBSERVANDA.

NativitasD.N. Jesu Christi. Natalitium diem Salvatoris Nostri Jesu consignari hodie in omnibus non tantum Russorum aliorumve Slavorum, sed omnium Christianorum Fastis, exceptis Armenis, exploratum adeo est, ut præter lectionum varietates vix aliquid in codicibus a me citari solitis occurrat, quod observationem mereatur. Antiquissima Kalendaria, Ostr., Arcad., Paris. I cum Remensi habent tantummodo : *Nativitas Christi;* paulo prolixiora sunt Mstisl., Rum., Sišat., in quibus legitur : *Nativitas D. N. Jesu Christi.* Ternobiense et cum eo recentiores plerique addunt : *secundum carnem.* Quid annuntiet codex Slavicus Glagoliticus, tacuit Assemanus, quamvis referri festum Natalium minime dubito. Ephemerides Papebrochii præter epigraphen : *Nativitas Christi* (*Roždestvo Christovo*) subdunt annum a mundo creato 5500 (ϵφ), non autem 5526 (ϵφκϵ), ut perperam legit Kulčinius; siquidem numerus ille 26 pertinet ad diem sequentem Decembris, memoriæ S. Deiparæ Mariæ sacrum, quam jampridem observaverat Assemanus. Verum non solæ sunt Tabulæ istæ, in quibus Natalis Christi consignetur ad an. 5500; nam in Horol. Počajoviensi expresse declaratur *natum esse Christum Dominum e Maria virgine, anno imperii Augusti* 42, *a creatione mundi* 5500, *indictione decima, feria quarta;* quæ totidem verbis leguntur in Kalendario Mosquensi, quod ad fidem vetustorum exemplarium, a Niconis patriarchæ correctionibus illibatorum, anno præterlapso ediderunt antiquorum rituum cultores, vulgo *iedinovertsi* dicti. Nec aliud profecto legere erat in Anthologio seu Ustavo, quo passim usus est Kulčinius; quum, ipsomet teste (Specim., pag. 95), crucifixio D. N. Jesu Christi ponatur ibidem in annum a creatione mundi 5533, ætatis Christi 33 (tum enim passus esse vulgo creditur a Russis); Nativitas vero B. M. Virginis alligetur ad annum 5486, quo Christum peperisse habeatur 14 annis post, id est, anno 5500. Nimirum duplex modus computandi annos invaluit ex antiquo apud Russos; Constantinopolitanam æram sequentibus aliis, aliis Alexandrinam. Illa communiter obtinet in Ecclesia Russiaca hodierna; hanc etiamnum sequuntur ii omnes qui ab *antiqua fide* aut *antiquis ritibus* nomen acceperunt (staroverstsi seu staroobriadsi), ex *Psalterio glossato*, ut vocatur, istam computandi legem mutuati. Jamvero *juxta Kalendarium dicti Psalterii* (*sledovannaja psaltir*), ait Veršinski, *D. N. Jesus Christus natus est anno a creatione mundi* 5500, *non autem* 5508, *uti habetur in Computo Paschali; unde fit, ut annis hujus Psalterii semper alii octo addendi sint.* Hæc Veršinski in Menologio suo, toties a me laudato, initio præfationis et quidem rectissime, ut mireris, quomodo contrarium asserere potuerit Debolski, in *Anno* suo *liturgico* (*Dni bogosluženia*, t. I, pag. 18), perinde ac si neutrum volumen evolverit unquam. Hinc liquet, quid sentiendum sit de Assemano, dum in Kulčinium jure merito animadvertens, absolute pronuntiat æram Antiochenam non amplius esse in usu apud Russos aliosque Orientalis Ecclesiæ asseclas, adeoque in ea omnes nunc stare sententia, ut Christum natum velint anno mundi 5508 (Kal. V, pag. 499). Atque hæc de Nativitatis anno; ad diem autem quod spectat, eam fuisse Dominicam docet Synodus sexta, can. 8; quacum qua ratione conciliari queat Horologium Počajovense et Psalterium Glossatum videant ipsimet Rutheni et Russi. Pro chronologia, cfr Recherches sur la chronologie arménienne, par Ed. Dulaurier, tom. I, pag. 7, 37, 167 et passim. — In Menologio Basilii, impe- *Adoratio Magorum.* ratoris, leguntur tria synaxaria, quæ in Menol. Mosquensi, Prologo et Menæorum Græcorum exemplari reducuntur ad duo. Primum commemorat *immaculatam* nativitatem *D. N. Jesu Christi*, secundum agit de *Adoratione Magorum*, tertio inscriptum est : *Joseph sponsus et custos Virginis ab Angelo admonetur*, ut scilicet cum puero et matre ejus fugiat in Ægyptum; de qua fuga rursus et seorsim agitur postridie in utroque Menologio; et quidem in Mosquensi vera falsis et dubiis certa, nullo examine adhibito, miscentur. Est autem præsens festivitas adeo solemnis; ut tres dies integros, non secus ac festum Paschæ insumat majori

majori ritu celebrandos; olim vero duodecim dierum spatia amplecteretur, incipiendo a 25 Decembris ad 6 Januarii, δωδεκαημερον idcirco nuncupatum; atque juxta constitutionem Manuelis Comneni, inter feriatos dies haberentur tum duodecim isti, tum quinque dies profesti, quorum exordium ducit 20 Decembris. Nunc solemniori modo celebrantur tantummodo tres, non secus ac in festo Paschatis. Hinc factum est, ut festum martyrum Nicomediensium, qui ipsismet Natalibus Christi certamen subierunt, rejiciatur ad 28 Decembris. In officio diei vere eximio canitur duplex canon, quem ordinarunt Cosmas et Joannes Damascenus. Pridie vero leguntur Horæ, ut vocantur, *Regiæ*, qui non nisi in maximis anni solemnitatibus solent usurpari. Cæterum consulantur Morcellius, I, pag. 280, Assemanus, loc. cit. Baronius, Sollerius aliique. Absoluto sacro, solemnes fiunt in ecclesiis Russiæ *gratiarum actiones pro liberatione Ecclesiæ et ditionis Russiacæ a Gallis aliisque nationibus duodecim*, qui Russiam infestarunt, anno 1812; accedente officio proprio ex variis scripturæ sacræ effatis, a vero sensu plane detortis, concinnato; quod hic silentio haudquaquam licuit præterire.

Dies XXVI Decembris.

DIES XXVI.

Ex Ostromirano. Ex variis.

Postridie Nativitatem Christi (*Cum CP. GP.*).

Synaxis SS. Deiparæ (*Omnes*). SS. Joseph, Sponsi SS. Deiparæ, Jacobi Adelphotei et Davidis regis (*Horol. Ostrog. Kal. cum Med.*). S. Euthymii, ep. Sardicensis et Confes. (*Prol. Menol. Hor. Og. Euch. Kal. cum Med. Mg.*). S. Evaristi (*Prol. Menol. Kal. cum. Med. Mg.*). S. Constantini Synnadarum (*Prol. Menol. Kal. cum Sirm. Med. Mg.*). [Constantii, presb. (*Ath.*)]

† Stephani (*Neap.*). † Memoria venerandæ vestis SS. Deiparæ Blachernis in monumento depositæ (*Mg.*).

OBSERVANDA.

Synaxis SS. Deiparæ.

Alibi observatum est, in moribus Græcæ Ecclesiæ fuisse ut sancti, qui primam aut saltem aliquam partem in mysteriis Domini partem gesserunt, eidem mysterio subjungerentur. Hanc ob rationem, post festum Nativitatis Christi, solemniter peragitur Synaxis seu festum SS. Deiparæ, eademque die 26 aut dominica sequenti celebratur memoria S. Joseph, patris putativi Christi, additis Davide rege et Jacobo fratre Domini. In Naniano habetur: *Synaxis puerperii Deiparæ;* in Basil. Menologio peculiariter recolitur *Fuga in Ægyptum*. Kalendarium vero CPolitanum, a Morcellio editum, habet ita: *Postridie Nativitatem Christi Synaxis Sanctæ Deiparæ;* quæ licet in Ostromirano expressa non sit, tamen sub intelligenda procul dubio est. In Mst. Rum. Par. Ternob. Siš. aliisque pene omnibus tam antiquis quam sequioribus annuntiari solet *sola Synaxis SS. Deiparæ*. Cætera ad hoc festum facientia petat lector ab Assemano Kal. tom. V, pag. 501; a Kulčinio, in specimine, pag. 106, ed. Parisinæ; et a Morcellio, t. I, pag. 283 et seq. — De S. Josepho agit Prologus ad ultimam Decembris; S. Jacobus insuper peculiariter colitur 23 Octobris; at David tantummodo hodie. In quorum laudem exstat officium proprium cum canone, quem ordinavit Cosmas monachus. In Menologio legitur synaxarium, quo plura continentur severa animadversione digna, ut quando juxta genealogiam quamdam prorsus falsam, dicitur S. Joseph certo habuisse filios et filias, antequam desponsaretur ei Virgo Maria, ac proin haudquaquam servasse virginitatem; præterea annos vixisse centum et decem; adeoque Mariam Sponsam accepisse fere octogenarium; quæ omnia jampridem explosa sunt et ab Ecclesia Romana, maxime quæ ad virginitatem S. Josephi spectant, jure merito improbata, utpote honori Sanctissimi Sponsi contraria, nec ulla solida ratione certave traditione nixa; nam Nicephori Callisti aut Cedreni auctoritatem, quam profert Menologus Mosquensis, minimi, imo nullius pene momenti esse negabit nemo. Sed et illud etiam prætereundum non est, in veteri Menæorum Græcorum editione Veneta, in Canone nomine S. Josephi hymnographi inscripto, disertis verbis laudari Sanctissimum Mariæ Sponsum, *quod simul et virginitatem possederit et pater nati filii dictus sit*, τῆς παρθενίας ἐχρημάτησας καὶ πατὴρ τοῦ τικτομένου παιδὸς κέκλησαι; quæ verba in nova editione desiderantur. De genealogia S. Josephi Cfr Act. SS. Mart. tom. III, pag. 6 et seq; Oct. t. IX, pag. 436 et seq. Patrizzi, De Evangeliis libri tres, lib. III, pag. 101 et seq. De Castro, Viridarium Marianum, Coloniæ, 1649, passim. — S. Euthymius Confessor, ob cultum imaginum a Leone Armeno passus, commemoratur postridie in cod. Rum; at hodie inscriptus est in Menæis Græcis et Slavicis excusis, et aliis quibusdam Fastis. — Qui in marmore Neap. insculptus est Stephanus, procul dubio est sanctissimus protomartyr, quem miro consensu referunt hoc die Latinorum martyrologia omnia, dum in Orientalibus Fastis consignatur ad diem sequentem. — Depositio vestis SS. Deiparæ Virginis, vulgo celebratur 2 Julii, quam diem retinuit etiam Menologium Basilianum; ut hodierna commemoratio, in Menæis Græcorum excusis consignata, recentioris ævi habenda sit.

SS. Joseph, David et Jacobus.

S. Euthymius.

S. Stephanus.

Vestis SS. Deiparæ.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Constantius presb. Russus.

Agmen demum claudit Athonitarum martyrum, (quod genus quam singulare sit et a prudentia christiana alienum, non sine stupore sæpius jam intellexerint lectores), popularis meus Constantius, a Græcis Constantinus dictus. Regnante imperatrice Elisabetha, versabatur Constantinopoli legatus Russiæ, vir consultissimus, patrem spiritualem secum habens Constantium, presbyterum russum; quum, bello exorto, ambo recedere coacti sunt. Sanctimoniam a peregrinationibus sperans, Montem Atho visitavit Constantius, dein Jerusalem aliaque loca sancta; et, pace redintegrata, rediit Constantinopolim, *sapiens, virtutibus plenus et pietatis fructibus onustus,* ut traditur in Paterico Athoensi. Verum quum, nescio quam ob causam, legato, qui initio amanter eum et reverenter admiserat, non liberet pristinam cum patre spirituali restaurare amicitiam, hic, sapientiæ suæ oblitus, clam aufugit in palatium sultani; in cujus præsentia Christum Deum esse negavit et Mahometem supremi numinis prophetam confessus est. Quocirca, licet passim notum sit

Dies XXVII et XXVIII Decembris.

sit Turcas despicere apostatas christianos, a biographo dicitur honoribus cumulatus fuisse. Sed brevi post, in se reversus, ad Christum redire statuit; quod nemo non laudarit. Verum, quod minori laude dignum videtur, Athoenses martyres imitatus, voluntariæ morti se objecit. Anno enim 1743, die 26 decembris, pristina veste sacerdotali amictus et caput veteri strophiolo tectus, secumque ferens vestem turcicam, coram sultano et proceribus stetit denuo, Mahometi maledicens et vestem turcicam pedibus conculcans. Continuo capite minutus est in aula palatii et a Græcis, tanto magis eam fortitudinem admiratis quo a prudentiæ legibus longius recederet, sanctorum martyrum Athoensium catalogo inscriptus est, ut liquet ex novo Martyrologio et Synaxario Nicodemi, ubi donatus est titulo *hieromartyris* et refertur ejus passio, auctore Jona, hieromonacho lauræ S. Athanasii.

Cfr 1) Patericon Montis Atho, t. II, pag. 189. 2) Νέον μαρτυρολόγιον, citat. ibid.

DIES XXVII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

S. Stephani, protomartyris (*Omnes*).

S. Theophanis Grapti, mart. et conf. (*Men. Kal. Hor. cum Maz. Mg. Sirl.*). S. Theodori, archiep. CP. (*Prol. Rum. Og. Pp. Prem. Kal. cum Sirm. Med. Maz. Mg.*). S. Petri (*Rum.*). S. Euthymii (*Rum.*).

† Theophanis, fratr. S. Theodori Grapti, et confes. (*Sirl.*). † Joannis Evangelistæ (*Neap.*). † Martyrum in Sinai (*Maz.*). † MM. Maurici et soc. (*Mg. Sirl.*). † Infantium (*Par.*).

OBSERVANDA.

S Stephanus.

In Menologio Mosquensi legitur Vita S. Stephani, protomartyris, ex sacro codice potissimum collecta; in officio vero diei canitur canon, auctore S. Joanne Damasceno. S. Stephanum memoravimus non semel; 4 Januarii, 2 Augusti et 15 Septembris. — Theodorum Graptum celebrant hoc die Fasti Slavici plerique, consonantibus Græcis; præterea in Sirletianis commemoratur frater ejus, Theophanes, hymnographus, quem tamen cæteri consignant undecima Octobris; qui etiam canonem in fratrem suum, ad hanc diem, ordinavit, ita ut sequentem exhibeat acrostichin : Τοὺς σοὺς ἀδελφὲ γνησίους πλέκω κρότους, *Tuas, veras, frater, necto laudes*. S. Theodori Grapti Vitam vulgavit Combefisius, in Manipulo rerum CP., pag. 191, Paris. 1664. — S. Theodorus, CP., refertur tum hodie, tum die proxime sequenti. Posterior, si auctoritatem codicum spectes, præferenda est. — Idem dicendum venit de SS. Petro et Euthymio, martyribus Nicomediensibus, quorum proprius locus est die sequenti; ubi de Gorgonio, Inde et aliis. Cæterum de S. Petro seorsim sermo fuit die XII Martii, de S. Euthymio die XXIV Decembris. Notandum est insuper, in Synaxario Rumiantsoviano legi ita: «Et SS. episcoporum Theodori, Euthymii et Petri; » ubi observes velim vocem illam *episcoporum* usurpari non in plurali, sed in *duali* (dualis namque numerus in lingua Slavonica, præsertim in codicibus vetustioribus, usitatissimus est et sedulo observatus). Ideoque titulus ille minime convenit S. Petro, qui tertio loco nominatur, et quem cubicularium fuisse aliunde constat. — Singularis sane est lectio hæc codicis Slavici Parisini, quam tanquam librarii errorem, omisissem libenter, nisi scirem plura in vetustioribus codicibus legi, quæ a recentioribus discrepant, non quia erronea sunt, sed quia vetustiora et obsoleta.

SS. Theodorus Graptus et Theophanes.

S. Theodorus, patr. CP.

S. Petrus.

SS. Infantes.

DIES XXVIII.

Ex Ostromirano. Ex variis.

S. patris nostri Theodori, qui fuit archiepiscopus noster (*Par. Siš. Og. cum Bas. CP.*).

SS. viginti millium martyr. Nicomediæ combustorum (*Rum. Mst. Tern. Par. Zogr. Siš. Og. Pp. Men. Kal. Hor. cum Hier. GP. Vind. Par. Flor. Goth. Med. Maz. Sirm. Mg.*). S. Nicanoris, ap., unius e septem diaconis (*Prol. cum Med. Mg.*), SS. MM. Indis, Domnæ, Gorgonii, Petri et soc. (*Rum. Par. Men. Prol. Hor. Pp. Og. Leop. Euch. Serb. Kal. etc. cum Bas. Sirm. Maz. Mg. Med.*). Ignatii Uglicensis (*Hag.*). Ignatii Vologdensis (*Hag.*). Simonis myrobletæ in monte Simopetræ (*Ath.*).

† Innocentium (*Neap.*). † Theodori Grapti, conf. (*Bas. Hier. Goth. Msq. Nan. Sirm.*). † Stephani Junioris (*Flor. Maz. Sirm.*). † Martyrum Senatorum (*Maz. Mg.*).

OBSERVANDA.

S. Theodorus, patr. CP.

S, Theodorus Graptus.

SS, Martyres Nicomediæ.

Genuina cod. Ostromirani lectio vel ideo erat retinenda, ut græca ejusdem origo pateret magis. Ad S. Theodorum quod spectat, legi poterit Morcellius, t. I, pag. 296. — S. Theodorus Graptus in Basiliano Menologio obtinet primum locum; postposito Theodoro patriarcha; in Tabulis Slavicis referri solet die XXVII. — Inter martyres Nicomedienses numerandi sunt Petrus, Maximiani imperatoris cubicularius, Indis eunuchus, Domna, Agatha et Theophila, mulieres, Gorgonius, Glycerius presbyter, Mardonius, Mygdonius, Dorotheus, Theophilus, Euthymius, Zenon et alius Theophilus (Cfr Acta SS. XII Martii, in commentario prævio ad Vitam S. Anthimi Nicomediensis). In Martyrologio Romano de his martyribus tractatur vario die, nempe die XXV Dec. de omnibus in genere; de SS. Mardonio et Mygdonio die XXIII Decembris; de SS. Dorothea et Gorgonio die IX Septembris; de S. Petro XII Martii; de S. Euthymio XXIV Decembris; de S. Glycerio XXI Decembris; de S. Zenone XX Decembris; tandem de SS. Indi, Domna (quam Kal. Premysliense et Mosquense vocant Thomnam) die XXVIII Decembris. — Festum Infantium, uti et duo præcedentia, cum Latinorum festis quoad tempus omnino convenit, et nuspiam alibi reperire est ad hanc diem. In Neapolitano lapide legimus ita : *Passio* SS. Innocentorum; quibus illustrissimus Cardinalis Angelus Maï sequentia adscripsit: «*Nunc si quis puer*, ait, *in ludo grammaticali sic scriberet, sexcentas plagas*

SS. Innocentes.

plagas ab Orbilio magistro referret. » Quinto Kalendas Januarii ponitur hoc festum jam in Kalendario Carthaginensi perantiquo, dum apud

S. Simon, heg. Athonites.

Græcos celebratur die proxime sequenti. — Ubi Montem Atho ab occidente conspicis, in media fere peninsula ingentem rupem ad cælum consurgentem cernis, cum superimposito monasterio Simopetra. In Descriptione Montis Atho, anno 1701 in monasterio Synagobi Bucharesti atque inde in Palæographia græca Montfalconii typis excusa, pluribus declaratur et illustratur; quæ inter brevem Vitam reperimus Simonis; qui, quum ejus fundator fuerit, nomen communicavit, et, quum sanctus habeatur, ὁ ἅγιος Σίμων dictus, præsidio suo favere censetur. Proxime itaque ad sedem hujus asceterii, in cella solitaria, editiore loco sita atque ineunte sæculo XVIII destructa nondum, vitam asceticam ducebat ille; quum noctu aliquando et deinde sæpius sibi visus est stellam videre descendentem stantemque supra Petræ cacumen; quod portentum quid significaret a Deo siscitatus est; et intellecta divina voluntate, præsentem ecclesiam, Novam Bethleem dictam, titulo Nativitatis Christi molitus est. Interea Joannis Unclis seu Unclesis, (Slavis Ugliеša, Græcis Οὔνκλεις seu Οὐγκλέσης,) despota Serbiæ, subdiderat sibi Romaniam et Constantinopolitanis partibus appropinquabat : dominatus itaque Macedoniæ, Montis Atho negotiis plurimum occupatus fuisse videtur, controversias componens et larga manu donans. Quum itaque, ut refert Descriptionis auctor, ejus filia precibus Simonis a gravi et incurabili morbo sanata esset, venerabili viro dedit facultates multas et totam monasterii fabricam absolvit; jamvero diploma fundationis græcum in ipso monasterio Simopetræ vidit P. Uspenski, qui putat versionem e Serbico esse : datum autem est mense octobri anni 1363. Jura patriarchæ Pechiensis, quem nonnisi pro metropolita agnoscebant Græci, sequebatur tum Unclesius; neque dubitandum quin Simon eamdem viam iniverit. Sed mense martio anni 1368, quo faciliores haberet novos subditos, hanc rerum conditionem mutavit, omnes ecclesias, patriarchæ seu metropolitæ Pechiensi parentes, transferens ad patriarcham Constantinopolitanum; qui anno tantum 1371, mense maio, hanc submissionem admisit et metropolitæ Dramensi contulit metropolim Philippopolis, jubens ut in despotæ Serbiæ terris patriarchica jura exerceret. Laudavit procul dubio hanc etiam mutationem Simon, pro more popularium minus curans ordinem jurisdictionis quam cantus, orationum vestiumque similitudinem. Vita, verbis abundans et fabulis, legitur in Paterico Montis Atho; ex qua hæc sola excerpere libet : in Monte Atho nactum esse magistrum sævum, cui inter vapulandum ita obediens esset, ut ejus animum tandem emolliverit; quo tamen relicto, speluncam in Simopetra subiisse; ubi sacerdotio auctum pluribusque exactis annis, socios admisisse tres fratres, quorum sumptibus monasterium inchoarit, a dæmonibus demum et Sarracenis vexatum plurimum, monitisque fratribus ne juniores admitterent, ad aliam vitam migrasse. Si Patericon Athoense audias, mortuus fuerit anno 1257; sed plus integro sæculo a veritate aberrare manifestum est. Cfr 1) Montfaucon, Palæographia Græca, pag. 485 et seq. 2) Patericon Montis Atho, tom. I, pag. 235 et seqq. 3) Miklosich, Monum. Serb., pag. 171, 178, 179 et 182; Acta patriarchatus Constantinopolitani, tom. I, pag. 553 et seqq. 4) Νέον λειμονάριον, cit. in Paterico.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Ignatius Uglicensis.

Memoratur ad hanc diem a recentioribus scriptoribus Ignatius, antiquioribus, quotquot præ manibus habeo, ignotus. Ad auctorem itaque, inferius citandum, remittendi videntur qui plura desiderant; quum de eo nobis tacere præplaceat, donec vetera documenta publico producentur.

Cfr Muraviev, Vitæ SS. ad h. d.

Ignatius Vologdensis.

Ignatius Vologdensis, Cyrilli Belozerici alumnus, quem hac eadem die commemorat auctor Dictionnarii hagiographici, initio degit in monastero Vadoženssi B. M. V.; quo relicto, asceterium instituit in vicinia urbis Vologdæ; unde Vologdensis cognomen ipsi adhæsit. Obiit hac die, anno 1592. Monasterium ab ipso fundatum hodie vacuum est; quamobrem ignoro ubinam terrarum nunc colatur fundatoris memoria. Tacet de eo auctor supra laudatus.

Cfr Dict. hag., pag. 116.

DIES XXIX.

Ex Ostromirano.

Passio sanctorum infantium. (*Fere omnes cum Bas. CP. Hier. GP. Vind. Sirm. Goth. Msq. Maz. Flor. Med. Mg.*).

Ex variis.

S. Marcelli, hegum. Acœmetarum (*Rum. Men. Prol. Hor. Og. cum Bas. Hier. Nan. Sirm. Maz. Msq. Goth. Med. Mg.*). S. Thaddæi, confes., mon. Studitæ (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Mg.*). SS. Marci et Theophili, mon. Kievocryptensium (*Pater. Men. Prol. Kal.*). Commemoratio omnium Christianorum qui fame, siti, gladio aut frigore perierunt (*Rum. cum Mg.*). [Jobi, fundatoris monast. Scetensis in Galicia].

† MM. Secundi, Babylæ, Benjamini, Athenodori et Gregorii, ep. Romani (*Med.*). † Dedicatio ecclesiæ quadraginta martyrum ad Chalcotetrapylum (*Med.*). † Leontii abb. et Georgii, episc. Nicomediæ (*Sirm.*). † Jacobi, apost. (*Neap.*). † Theodoræ, Cæsareensis (*Sirm.*).

OBSERVANDA.

SS. Infantes.

In plerisque Kalendariis ut in Rum. Zogr. Tern. Hor. Prol. SS. Infantium numerus extenditur ad quatuordecim millia, at sine ullo solido fundamento; qua de re legi poterit Papebrochius in Defensione *Actorum*. Apud Possevinum reducuntur ad *duo millia*. Mst. habet tantummodo : *Passio SS. infantium;* Rum. prolixius ita : *Passio sanctorum infantium quadraginta millium, pro Christo occisorum*. Basil. æque ac Ostrom. et Mst. prudenter tacuerunt numerum. Horum martyrum reliquiæ quædam adservantur in Cryptis Kioviensibus, si fidem adhibeamus auctoribus Russis. — No-

DIES XXIX DECEMBRIS.

Job, heg. Scetensis.

men Jobi protulimus e Vita ejusdem, quam adornaverat Ignatius monachus, auctor synchronus et Jobi familiaris; cujus apographum sæc. XVII exaratum, et schismatis lue nonnihil aspersum, non ita pridem in lucem dedit Antonius Petruševič, nunc canonicus Leopolitanus ad S. Georgium in libro cui titulus *Aurora Galiciana sive Album pro anno* 1860, Leopoli typis Stauropygianis edito et Gregorio Jachimovič, Ecclesiæ Ruthenæ in Galicia metropolitæ, qui nuper cessit e vivis, ab editoribus dicato. Hanc ob causam optandum est, ut aliud apographum melioris, si possit, notæ et ab omni schismatis fermento purum inquiratur atque juris publici fiat. Interea Vitæ jam excusæ capita, pro instituto meo, proponam in Memoriis Slavicis, inferius dandis. — In Menæis Mediolan. mss. Secundus cum cæteris annuntiatur his verbis : *Commemoratio Sancti martyris Secundi, et beatorum patrum nostrorum Babylæ, Benjamini, Athenodori, Gregorii, Romæ episcopi, et Encænia ædis* 40 *Martyrum*. Subjiciuntur de singulis bini versiculi, quorum ultimi de S. Gregorio sic sonant : *Numen in terra etiam mortuus laudas, pater, dum nos illud concione collaudamus.*

SS. Secundus, Gregorius, ep. Romæ etc.

MEMORIÆ SLAVICÆ.

Marcus et Theophilus, mon. Cryptenses.

Vixit Marcus exeunte sæculo undecimo, et sub schemate monastico fossoris munus exercuit. Ejus temporibus, anno scilicet 1091, inventum fuit corpus B. Theodosii, monasticæ vitæ in Russia institutoris celeberrimi; in quo effodiendo Nestori annalistæ socius fuisse videtur Marcus. Erat autem orationi et jejuniis deditus, erga omnes humilis et mansuetus, et in laborando assiduus. Propter has itaque virtutes Deo admodum placuit, ita ut futura prædicendi aliaque prorsus mirabilia patrandi donum acceperit. Collegam suum Theophilum, qui præ nimia lacrymarum effusione visum amiserat, triduo post recuperatum oculorum usum moriturum esse prænuntiavit. Prædictionem comprobavit eventus, plures post annos et post ipsius Marci transitum. Obiit vero anno incerto, postquam ipsemet sibi paraverat fossam in Cryptis Antonii, ubi et sepultus est. Colitur simul cum illo Theophilo de quo sequentia perhibent auctores antiquissimi. Fratrem uterinum, natuque minorem habebat, nomine Joannem; quem tanto amore prosequebatur, ut ne a mortuo quidem voluerit separari. Neque minus diligebatur a Joanne Theophilus. Quas ob causas adierunt ambo Marcum monachum, rogantque, ut communem utrique tumulum parare velit. Obtemperavit ille. Accidit porro, ut quadam die, dum Theophilus longiore itinere abesset, in morbum inciderit Joannes, morteque fuerit abreptus et in tumulo antea parato positus. Re comperta, Theophilus in monasterium redux, tanto mœrore fuit afflictus, ut ex eo tempore nil nisi suæ quoque mortis diem cogitaret, tantam lacrymarum copiam profundens ut vas integrum eisdem explevisse legatur, quin etiam oculorum usum amisisse. Quem mortis cogitatum pectoribus Theophili, fraterno affectu plus æquo forsan occupati, altius infigendum curavit Marcus. Eum tamen ita solatus est ut, quemadmodum in Marco brevius dixi, visum aliquando restitutum iri, sed mortem triduo post secuturam eidem prænunciarit. Eventus respondit prædictioni et appositus est Theophilus Joanni in eodem tumulo, in Cryptis Antonii.

Cfr 1) Pateric. 172. 2) Prolog. et Menol. ad h. d. 3) Dict. hag. 130, 176, 286. 4) Menol. Vers. ad. h. d.

Job Scetensis.

Non procul a Maniava (qui vicus est circuli Stanislaviensis, in Galicia) exstabat olim monasterium Scetense dictum, monachis non infrequens, at cujus nunc sola rudera supersunt, brevi omnino forsan peritura. Hujus asceterii initia referuntur ad annum 1611, quo institutum est a monacho quodam ordinis S. Basilii, Job nomine, ex nobili stirpe Kniaginiciorum prognato, quorum dominio suberat oppidum eorum nomine etiamnum insignitum. Patria Jobo fuit Tismenitsa, Galiciensis civitatula, in Pocutia jacens. Lucem itaque aspexit Job, ut annus 1611 satis innuit, tempestate illa summe infausta, qua scilicet mutua inter ejusdem Ecclesiæ filios ardebant odia et bella, facem præferente Ostrogiæ duce Constantino, nec segniter adlaborante Gedeone Balabano, episcopo Galiciensi et Leopolitano, cujus patrocinio constanter usus est Job, Scetensis monasterii fundator. Discordiarum principia repetenda sunt a sæculo decimo sexto ad finem vergente, maxime vero ab anno 1596, quo Unio cum sancta Romana Ecclesia a plerisque episcopis Ruthenis cum metropolita Kioviensi in concilio Brestensi congregatis, solemni ritu accepta fuit et promulgata, exceptis episcopis Leopolitano et Premysliensi. Nil mirum itaque, si populariorum suorum errores pleno ore hauserit Job, sive dum Unioviæ litterarum elementa a monachis disceret, sive Ostrogiæ, ubi sub auspiciis Constantini ducis studiorum cursum absolvit diuque postea degit, sive denique in Monte Atho, quem semel et bis adiit, imo et per annos fere quatuordecim, monasticam vitam ibidem amplexus, incoluit, monasterii Vatopedi alumnus. Erant enim monachi Athonitæ ejus temporis schismati Ruthenorum apprime faventes. In Russiam ad eleemosynas conquirendas semel et iterum missus, Montemque redire impeditus, Unioviæ, non procul a Leopoli, sedem fixit, rogantibus Gedeone episcopo et Isaia Balabano, monasterii Uniovien-sis hegumeno; ibique magnum, ut vocant, habitum monachorum suscepit una cum nomine Job; quum antea vocaretur Joannes, in religione vero Jezechiel. Ast brevi post, solitudinis amore, monasterium reliquit et primo quidem Ugornicium secessit, ordinatoque cœnobio ulterius perrexit atque Maniavæ ad fluvium Berstovum cum tribus quatuorve sociis aliquandiu degit, ac tandem in secretiore quodam loco novum *Asceterium* instituit, *Scetense* ideo dictum, quod alterum Vatopedium futurum esse gloriabatur. Simul autem Ugornicensis monasterii convictores qua consiliis qua præceptis regere minime intermisit et quam eisdem imposuerat regulam Montis Atho, ut probe observarent, invigilabat. Quod vero a sancta Unione haud vulgariter alienus esset, id abunde colligitur sive ex commercio quod eum inter et schismatis primipilos intercessit, cujusmodi sane erant Cyrillus Lucaris,

ris, Gedeon Balaban, Zacharias Kopystenski aliique non pauci; sive ex studio quod in eligendo successore Gedeonis schismatico posuit, sive ex itineribus ad partium suarum animos augendos, nec semel nec ad breve tempus susceptis, ut quando Kioviam petiit aut Moldaviam, ne dicam Unioviam, aliasque civitates viciniores. Cujusmodi concursationes cum solitudinis amore, quo jugiter arsisse perhibetur, qua ratione concilientur, equidem non assequor. Tandem a laboribus suis, meliore causa utique dignis, quievit anno 1621, ætatis suæ septuagesimo, die 29 decembris; qua an colatur alicubi, haud quaquam liquet. Tacet sane de cultu Ignatius, Lubaroviensis, hieromonachus, qui Jobi, in monasterio Ugornicensi contubernalis sui, Vitam exaravit, cæteroquin imperite, ut mitius loquar, concinnatam; quam nuper ex bibliotheca monasterii Podgoricensis erutam in lucem protulit Antonius Petruševič, canonicus ad S. Georgium Leopoli, rerumque slavicarum investigator minime spernendus. Aliud exemplar exstat apud cl. Aug. Bielowscium, præsidem Instituti Ossaliniani, Leopoli. Hanc ego cum Vita Jobi Počajoviensis, Dositheo monacho adscripta, in pluribus convenire adnotavi ad 8 Aug., quo refertur apud Muravievium; verum re penitius considerata utramque diversam esse mihi, meliorum licet documentorum ope destituto, pene persuasum habeo; maxime quum in Vita Jobi, Počajoviensis lauræ fundatoris, nihil occurrat, quod virum acatholicum fuisse prodat.

Cfr Aurora Galiciensis seu Album pro anno 1860, Leopoli, pag. 225 251.

Job, hegu. Počajovensis.

Pocutia, in finibus Galicianis regio, lucem dedit Jobo, cognomento *Ferreo* seu Djeleso, circa medium sæculum XVI; qui in baptismate Joannis nomen accepit, atque sancti patroni sui exemplo solitariam vitam ineundi desiderium concepit, dum adhuc puer decennis esset. Quocirca paterna domo relicta, in vicinum monasterium Ugornicense seu *ad Montem positum*, ac Transfigurationi Domini sacrum, perrexit, ubi benigne susceptus, atque anno ætatis suæ duodecimo, communi fratrum consensu, ad tonsuram admissus est. Sacerdos factus, magnum monachorum schema induit, quo hominum frequentiam suique famam jam per universas Poloniæ et parvæ Russiæ ditiones undequaque manantem fugeret. Sed frustra; siquidem, hegumeni jussu, monasterii Dubnensis de nomine sanctæ Crucis regimen suscipere debuit, licet invitus. Quod postquam annos viginti integros summa omnium suorum exterorumque laude rexisset, solitudinis desiderio clam in montem Počajovensem secessit, monasterio et multo magis imagine B. M. Virginis miraculosa clarum; sed nec hic diu latere potuit; brevi namque agnitus est et unanimi monachorum suffragio hegumenus creatus. Dum vero præpositi munere fungeretur, mirum quantum studium posuisse fertur in excolenda humilitate, patientia et caritate, interdiu strenue, veluti mercenariorum unus, in exornando muniendove monasterio laborans, noctes vero in precibus consumens. Est porro in monte Počajovensi spelunca quædam, non arte nec manu hominum, sed natura ipsamet artifice efformata, in qua biduo et etiam integram quandoque hebdomadem soli Deo vacabat; carnem suam incredibili modo usque ad ulcera domabat; a Beata Virgine ideo non semel, ut aiunt, visitatus et consolatus; cumque tantis cruciatibus seipsum affligeret, alios summa tractabat benignitate et mansuetudine, solemnem illam apud Orientales oratiunculum : *Domine Jesu Christi, Fili Dei, miserere mei peccatoris,* continuo ingemiscens. Hisce tandem certaminibus et senio confectus, obdormivit somno mortis anno salutis 1651, ætatis suæ centesimo, die 22 octobris : quam rem septem diebus ante prædixerat; Corpus ejus, post octo annos, elevatum et integrum repertum, honorifice translatum est a metropolita Kioviensi Dionysio in ecclesiam SS. Trinitatis die 8 Augusti, qua coli dicitur. Hactenus Dositheus, Jobi discipulus, in Vita ejus mss., quam in monasterio Počajovensi adservari testatur A. Muraviev in opere suo, ad 8 Augusti. Accedunt miracula, quorum seriem texere consulto prætermisi, maxime quum de omnimoda viri orthodoxia et cultu ecclesiastico, documentorum copia deficiente, non sim plane certus; ad stabiliendam vero utriusque Jobi, Počajovensis nempe et Scetensis, ea quæ ex Dositheo paucis perstricta sunt, sufficiunt abunde.

Cfr 1) Vita mss. Jobi, Počajovensis, auct. Dositheo, cit. apud Murav. 2) Philar., Hist. Eccl. Russ., t. IV, pag. 209. 3) Ambros., Hist. Hier. Russ., t. V, pag. 359. 4) Mons Počajovensis, ed. Počajoviæ, 1805.

DIES XXX.

Ex Ostromirano. **Passio S. martyris Anysiæ, Thessalonicensis, sub Maximiano, imperatore** (*Mst. Tern. Par. I, Zogr. Rum. Siš. Og. Men. Prol. Hor. Vat. II, Eph. Cap. Kal. cum Bas. Hier. Vind. Pg. Sirm. Med. Maz. Msq. Goth. Sirl. Mg. Cyth.*).

Ex variis. S. Timonis, apost., unius ex 70 (*Menol. Prol. Kal. cum Bas.*). S. Theodori Cæsareensis (*Rum. Prol. Menol. Kal. cum Med. Mg.*). S. Theodoræ CPolitanæ (*Menol. Prol. Kal.*). S. Philheteri, mart. Nicomediæ (*Prol. Menol. Kal. cum Med. Mg.*). S. Melaniæ (*Og. Possev.*). S. Zotici (*Og. Cap. Pp. Kal. Hor. cum Msq. Mg.*). S. Leontii, hegumeni, et Georgii, ep. Nicomediæ (*Rum. cum Med. Mg.*). SS. MM. Magistriani, Maulini, Umbrii, Veri, Severi, Callistrati, Florentii, Ariani, Anthymi, Urbicii, Isidori, Euculi, Sampsonis, Studii et Thespesii (*Kal.*). Danielis Perejaslaviensis. [Gedeonis, mon. Athonithæ (*Ath.*).]

† Antonii, ep. (*Neap.*). † Marcelli (*GP. Flor. Msq.*). † Domnæ, mart. (*Sirm.*). † Abdiæ, proph. (*Maz.*).

OBSERVANDA.

DIES XXXI DECEMBRIS.

OBSERVANDA.

S. Anysia. S. *Anastasiam* loco Anysiæ oscitanter inscripsit ad hanc diem Gregorius diaconus, codicis Ostromirani scriptor; immemor S. Anastasiæ nomen a se exaratum fuisse ad 21 ejusdem mensis. In Menol. Mosq. narratur ejus Vita ex Metaphraste, quam latine dedit Surius, græce vero asservatur in cod. bibl. Mosq., n° 159, ut auctor est Veršinski. Canon officii hodierni adscribitur S. Theophani. — Duæ Theodoræ occurrunt hoc eodem die in codd. liturgicis Slavicis, Cæsareensis altera, altera CPolitana. De posteriore fusius agitur ad 26 Martii, in Vita S. Basilii Junioris seu Novi, cujus erat discipula; ubi de migrationibus animæ, e corpore egressæ, narrantur quædam parum probabilia serioque examine expendenda. Quamnam e duabus in mente habuerit cod. Rum. concinnator, difficile est dictu; quum nudum proferat nomen S. Theodoræ, sine nota discriminante. — S. Melaniam refert, præter Possevinum, etiam synaxarista Ostrogensis hisverbis: *S. mart. Anysiæ. Et venerabilis Melaniæ. Et Zotici.* Ad diem vero sequentem habet ita : *Venerab. matris nostræ Melaniæ Romanæ;* unde satis liquet agi hodie de Melania Seniore. Hinc minus recte Assemanus, Kal., t. V, pag. 521, statuit hodiernam Melaniam non esse aliam a Melania Romana, seu Juniore, ut fuse disserit ad 31 Decembris. Qua occasione, in mentem revocentur ea quæ de sancta Melania Seniore leguntur in Menæis Chiffletii mss., ad 8 Junii, sequente disticho comprehensa : Τρέψασα Μελάνεια πνεῦμα πὰν μελάν Λευκὴ τὸ πνεῦμα πρὸς Θέον χωρεῖ Λόγον, Ab omni sorde animam purgatam habens, candida mente ad Verbum Dei Melania procedit. — De Zotico Orphanotropho opportunius agetur die sequenti, quo inscriptus est in Fastis plerisque. Hodie expresse signatur in Horologio Počajovensi. — In Rum. commemoratur postridie; at hoc die in recentioribus. — Leonem, archimandritam, et Georgium, episcopum, conjungunt codd. Rum. et Mediol.; at in Menæis Græcorum excusis Georgius desideratur. — Marcellus, cujus nomen legitur in Kal. supra in textu relatis, est hegumenus ille Acœmetarum CPolitanus, de quo actum est pridie et rursus agetur die sequenti. — Hodie recolitur inventio corporis Danielis, de quo plura disserui ad 7 Aprilis. — Non ignobile est in Monte Atho monasterium Caracalli dictum, in quo aliquandiu commoratus est Gedeon, anno 1818 a Turcis occisus, quem monachi Athonitæ veluti martyrem venerantur, non secus ac tot alios montis sui alumnos, qui anteactæ apostasiæ scelus voluntaria morte expiarunt. Obiit Gedeon Velestini, ad instar S. Jacobi Persæ in frustra concicus, et in fœdissimum locum projectus; cujus membra in unum collecta et in monasterium Caracalli delata sunt. Exstat de Gedeone liber, CPoli editus anno 1840; quo continetur ejus Vita cum officio proprio, unde sua deprompsit editor Paterici Montis Atho, tom. II, pag. 397 et seq.

S. Melania senior.

S. Zoticus.

S. Timon.

SS. Leon et Georgius.

S. Marcellus.

Daniel Pereĵaslaviensis.

Gedeon Athonita.

S. Theodora utraque.

DIES XXXI.

Ex Ostromirano. Ex variis. PASSIO SANCTI MARTYRIS SILVESTRI, PAPÆ (*cum Neap.*).

S. Melaniæ Romanæ (*Mst. Tern. Par. I, Rum. Sišat. Serb. Og. Prol. Men. Hor. Kal. cum Bas. Hier. GP. Sirm. Flor. Med. Msq. Pg. Mg. Cyth.*). S. Timonis, apost. (*Rum.*). S. Zotici, orphanotrophi (*Prol. Menol. cum Hier. Nan. Sirm. Med. Goth. Msq. Sirl. Mg. Cyth.*).

† Irenæi (*Flor.*). † Gelasii (*Mg.*). † Abdiæ, proph. (*Med.*). † Olympiodoræ, mart. (*Mg.*). † Gaii (*Mg.*). † Salamini (*Med.*). † Decem virginum et martyrum Nicomediæ (*Mg.*).

OBSERVANDA

S. Silvester papa. Notatu dignam esse lectionem cod. Ostromirani, observatum est initio hujus Anni Græco-Slavici, ad diem 2 Januarii qua S. Silvester refertur in reliquis omnibus Fastis sive Slavicis sive Græcis; non excepto Neapolitano marmoreo noni sæculi. In hoc enim insculptus est tum hoc die, tum 2 Januarii; et quidem ad 31 Decembris annuntiatur ita: *Natalis S. Silvestri papæ*; ad 2 Januarii vero signatur : *Depositio S. Silvestri papæ.* Posterior notatur in omnibus apographis Hieronymianis, teste Sollerio; *Natalis* memoratur in Martyrologio Usuardi; solum denique nomen inscriptum est in Kalendario Bucherii omnium antiquissimo, scilicet IV sæculi : *Pridie Kal. Jan. Sylvestri in Priscillæ;* quibuscum conveniunt reliqua omnia quæ supersunt Latinorum monumenta ecclesiastica. In quibusdam appellatur *confessor;* at nuspiam, quantum sciam, præfert titulum martyris aut notatur ejus *passio;* quin et in *pace obiisse* diserte perhibetur in apographo Bruxellensi, concinente Menologio Basiliano cæterisque Kalendariis Slavicis et Græcis ad 2 Januarii; ut hanc etiam ob causam prorsus singularis sit lectio codicis Ostromirani, utpote qua annuntietur *passio sancti mart. Silvestri papæ* (slavice *papeža).* Jamvero, quemadmodum Kal. Neopolitanum hac extrema sua parte et passim, si ita loqui fas est, aliquantulum *latinizat*, ita Ostromirani quoque Kalendarii originem latinam aut saltem occidentalem esse suspicatus est Bartholomæus Kopitar, hodierna lectione potissimum innixus; cujus ipsamet verba proferre juvat : *In Pannonia*, ait, *ipsaque Pannonicorum Slavorum dialecto, Christianorum minime recentium Romanæ Ecclesiæ, illiusque kalendario utentium, liturgiam slavicam cepisse initia, præter argumenta firmissima quæ jam attulimus, accedit testimonium luculentissimum Ostromirani codicis, hucusque vetustissimi, anni* 1057, *in cujus synaxario festum S. Silvestri papæ assignatur ad diem pridie Kal. Januarias, more Occidentalis Ecclesiæ, cum Orientalis illud assignet ad* IV *Non. Januarii* (Glagolita Clotzian. § XXIX.). Et alibi : *Præter Silvestrum papam invenies et alia, quæ probent S. Methodium adlatos CPolitanos suos fastos in Pannonia Romana correxisse ad Romanos* (pag. 61). Similia demum repetit in suo *Hesychii glossographi discipulo Russo* (pag. 49). Equidem quæstionem hanc examinare supersedeo, ne extra provinciam meam excurram. Ea itaque sagacitati lectoris permissa, quædam multo certiora nec minus ad rem facientia in medium proferam. In Menologio Mosquensi legitur ad hanc diem Vita S. Silvestri, Metaphrastis nomine inscripta, at contractior. De qua idem, quod de famosis Actis Silvestrinis pronuntiarunt viri doctissimi, obtinet judicium, nimirum compluribus erroribus esse deturpatam; ut sunt illa quæ referuntur de dracone in profunda spelunca prope Tarpeium montem latente, de bove quem Zambrius Judæus verbo interfecerit, sanctus vero antistes ad vitam revocaverit; de Constantino ante Helenam matrem baptisato; de balneo ex sanguine infantium confecto, quo a lepra mundaretur,

mundaretur, de jejunio Sabbati per Silvestrum abrogato deque Dominica tunc primum instituta, et alia ejusdem generis a veritate historica aliena, quæ indigitasse sufficit. Nec magis purus est Prologus; siquidem post breve encomiolum sancti papæ, ex Menologio Basilii, pro more, depromptum, interjecta memoria S. Theogenis, regerit fabulam de bove resuscitato; quæ pene eisdem verbis exstat in Menæis Macarii metropolitæ, seculo XVI collectis et adhuc ineditis, uti testatur Josephus Bodianski, in opere erudito *De origine literarum Slavicarum*, pag. XLVI et seq., in appendice. A quo illud insuper discimus, ad hujus synaxarii Silvestrini normam confectum esse encomium S. Cyrilli, Slavorum apostoli, superius relatum ad 14 Februarii; ipsum vero synaxarium de S. Silvestro ex Chronico Georgii monachi, cognomento *Hamartoli* seu *peccatoris*, ex parte fuisse depromptum, quod jam antiquitus lectitabant describebantque suo quisque idiomate Russi, Bulgari et Serbi. Atque hæc Actorum Silvestri et Cyrilli connexio, prorsus inopinata, erat minime silentio prætereunda; ut ita magis perspectum fieret, quam caute admittenda sint librorum ecclesiasticorum testimonia, ad S. Cyrillum spectantia; quamve merito dixerimus ad 5 Julii, ipsammet *Vitam* ejus *Pannonicam* ex aliorum sanctorum Vitis ab incerto auctore esse concinnatam; maxime quum constet, illam inter et prædicta compendia Prologorum nexum quemdam intercessisse et communitatem. Quoniam autem Silvestri gestorum tantæ in actis Cyrillianis partes sint, non abs re fore puto, mentionem facere antiquæ cujusdam picturæ, in qua repræsentatur non S. Silvester baptisma conferens Constantino imperatori, ut hactenus sentiebant qui eam interpretati sunt viri eruditi; sed Hadrianus II papa, S. Methodio ad Moravos profecturo benedicens, ut felicissime non ita pridem interpretatus est in suo *Itinere Italico* Kukuljevič Saccinski, presbyter, vir in rebus slavicis apprime versatus. Repræsentatur id in ora tabulæ inferiore; in superiore vero cernere est SS. Apostolos Petrum et Paulum, quorum nomina in epigraphe superposita characteribus Slavonicis optimæ notæ expressa sunt; quibusque e superiore loco benedicit Jesus Christus. Atque ita divina SS. Cyrilli et Methodii missio, ab ipsomet Ecclesiæ catholicæ summo capite, Jesu Christo, intermedio Hadriano II papa Romano, ejus in terris Vicario et S. Petri Apostolorum principis successore, accepta fuisse aptissime significatur. Nec ineleganter; quatenus saltem conjicere licet ex tabula, quæ dono Bollandianorum in Musæo Cyrillo-Methodiano Parisiis exstat; at cujus protypon venerandæ antiquitatis religiose adservatur Romæ inter cimelia Vaticana. Sed de his uberius dicendi erit locus in alio volumine, quo Acta SS. Cyrilli et Methodii et quorumdam aliorum slavica, ex antiquis codicibus simul collecta, versione et commentariis criticis ac adnotationibus illustrata, in lucem dare mihi propono, dummodo vires ad id præstandum gratiamque suam concedere dignetur Deus Optimus Maximus, cui sit cum D. N. Jesu Christo, B. Maria Virgine sine labe originali concepta omnibusque Sanctis ejus perpetua laus, honor et gloria in sæcula sæculorum.

AEMERI SEU DIEBUS INCERTIS CULTI.

Angelus, miles.

Anno 1844 prodiit Pesthini opusculum, auctoritate æque ac mole tenue, cui titulus: *Tsarstvennik seu Historia Bulgariæ*, typis Universitatis excusum; ad cujus calcem adjectus est *Index Sanctorum Bulgariæ*, numero septuaginta et septem, ordine ut plurimum chronologico dispositus. Hos inter itaque recensetur Angelus quidam, miles et martyr, ordine trigesimus quartus, adeoque ætatis recentioris. — Brevem de Basilio notitiam adjecimus ad 22 Decembris, qua adornata est omnium archiepiscoporum et patriarcharum Serbiæ series chronologica, incipiendo a S. Sabba I, ad annum 1765, quo finem accepit patriarchatus Pechiensis.

Basilius, ep. Montis Nigri et eremita.

Bassa virgo.

— Bassam virginem et martyrem, e finibus Thessalonicæ oriundam, refert auctor Catalogi ordine trigesimam secundam. — Vide dicenda infra, ad vocem Zlata. — Mortuo Boriso, filio Petri, quem veluti sanctum coli fuse tradidi ad 25 Novembris, Bulgarorum imperium devenit in manus quatuor fratrum Comitopulorum, Davidis, Moysis, Aaronis et Samuelis, circa annum 963. Horum primus cum aliquandiu regno administrando præfuisset, monasticum institutum amplexus sancte obiisse dicitur, teste Auctore Catalogi, pag. 37. Duobus quoque aliis fratribus vita functis, gubernacula solus tenuit Samuel, unus e potentissimis Bulgariæ dynastis, ut colligitur ex eis quæ tradita sunt in Vita S. Joannis Vladimiri, ejus generi, ad 23 Maii. — Galatæ, quæ Constantinopolis suburbium est, capitis obtruncatione vitam clausit Demetrius, anno 1784, ætatis suæ 25, falsi cujusdam criminis insimulatus a Turcis. — Plurium sanctorum Bulgariæ Vitas non ineleganter adornatas esse ab Euthymio, patriarchæ Ternobii, diximus non semel in decursu operis; de viri tamen orthodoxia, sanctitate et cultu inquisitionem instituere supersedemus, hac sola adnotatione interea contenti, eum inter sanctos Bulgaros recenseri ab Auctore anonymo Catalogi, ordine septimum. — S. Joannem Rylensem et nepotem ejus Lucam in dicto Catalogo excipit Gabriel Lesnovensis, cum titulo venerabilis, ordine undevigesimus. Cætera ignotus. — Gabriel, ex episcopo Gani et Choræ patriarcha CPolitanus, sedit dies duodecim, juxta alios tantum duos; erat enim regimini prorsus ineptus, utpote homo litterarum expers. Ejectus itaque Brussam secessit; ibique post biennium ab Hebræis accusatus quod quemdam eorum baptizasset, quem Turcam fuisse dixerant Pachæ, suspendio vitam finivit, anno 1659. Hæc de Gabriele narrat auctor quidam Russus, Soloviev, Ecclesiæ Russiacæ minister, qui e nescio quo fonte græco tum hanc de Gabriele notitiam tum de aliis plurimis neomartyribus credula manu mutuatus est; atque in opere periodico *Duhovnaia beseda* curavit vulgandas. Hæc eadem de Gabriele habentur in Catalogo patriarcharum CP. Renaudotiano. At prorsus diversa tradiderat Paulus Taffernerus noster, qui anno 1665 legatum Cæsareum in itinere CPolitano comitatus est, et iter suum descripsit anno 1668. Nimirum *CPoli periturus sub agonem ipsum acciri rogaverit Gabriel urbis antistitem, metropolitas et episcopos; quibus associari petierit Judæorum primates. Convenerant evocati, quando ipse ex Judæis oriundum se, religione etiam Judæum esse semperque fuisse contestatus est, quidquid eousque simulasset; mori denique Judæum sese, velleque a contribulibus more patrio tumulari. Ut dicto fidem faceret, schediasma propria manu exaratum a sinu protulit,*

Gabriel Lesnovensis.

Gabriel, patr. CPolitanus.

Demetrius Galatensis.

Euthymius, patr. Ternobiensis.

eadem quæ asseverabat confirmans, et idipsum Hebræorum primoribus sciens volensque consignavit. Hactenus Taffernerus, cujus testimonium fusius prosequitur auctor Chronologiæ patriarcharum CPolitanorum, nº 1489, initio mensis Augusti præpositæ. — Joachimum, patriarcham Ternobiensem, sanctorum Bulgarorum catalogo inscripsit auctor anonymus, narrans alibi (pag. 54), eum cum apud Svetoslaum regem falso accusatus fuisset, quod clam favisset Persis, quos armis appetierat ille, ejusdem regis jussu, e prælto jugo præcipitem fuisse datum. Jamvero hoc mortis genere sublatum Joachimum narrat Pachymeres, lib. III, cap. 26, et Orbinus, lib. de Regno Slavorum, pag. 465, citati apud Coletum, ex quo hæc pauca de Joachimi gestis promere libet. Regebat ille Ternobiensem Ecclesiam circa annum 1270, quo tempore multum disceptatum est CPoli de Romana communione ineunda, Michaele Palæologo et Joanne Vecco patriarcha præcipuis auctoribus. Adfuit et subscripsit concilio Constantinopolitano, quod anno 1277 in Blachernarum suburbio celebratum est, præsente Hieronymo de Asculo, postea nomine Nicolai IV, pontifice Romano; in quo concilio Græca Ecclesia universa consensit cum Romanæ fidei dogmatibus. Exstant ad eum litteræ Nicolai IV, quibus ad retinendam et tutandam Ecclesiæ Romanæ doctrinam excitatur, quam olim in palatio Blacherniano professus fuerat, *oraculo* nempe *vivæ vocis se Papæ Romano immediate subesse.* In alia epistola ad Helenam Serborum reginam, unionis Bulgarorum cum Romana sede studiosissimam, quæ Pontificem missis epistolis et legatis ad aggrediendum illud opus impulerat vehementer, ait Nicolaus se confidere in Bulgarorum archiepiscopo, negotium hoc recte cessurum; *posse enim eum existere plurimum fructuosum*, ut utriusque desiderio de regis (Bulgariæ) ab schismate recessione satisfaceret. Ex quibus Nicolai IV verbis certo arguit Coletus, Joachimum in orthodoxa fide eatenus perseverasse. Idem auctor, postquam retulerat miserabilem antistitis finem, quem anno 1296 attigisse opinatus est Possinus, addit non esse abs re suspicionem, eum a schismatico rege et ingratissimo e vita fuisse ereptum, utpote Romani dogmatis cultorem. Sed legatur Coletus ipse, Illyr. Sacr., t. VIII, p. 238 et seqq. — Medio sæculo XII, cum Græcorum imperium jam inclinare cœpisset, Bulgari, spe indubia freti regni sui instaurandi, Græcorum dominatum excussere et Asenem I regem salutaverunt. Hoc itaque regnante in Bulgaria, floruisse Joannem, archiepiscopum Ternobiensem, imo et patriarcham tradit, præter omnem historiæ fidem, anonymus Catalogi auctor; non enim ante annum 1203 patriarchalem dignitatem obtinuerunt præsules Ternobienses. Narrat idem auctor, Asenem regem fuisse constitutum et corona cinctum ab eodem Joanne, præmonente S. Demetrio martyre; coronationis vero solemnia peracta in eximio templo, quem in honorem magni martyris excitaverat Ternobii Joannes. Sed hæc penitius examinanda forent, quam fert locus. — In Catalogo sanctorum Bulgariæ prodit Joannes cum titulo venerabilis, ordine vigesimus primus. — Joannicium Devicensem, eremitam, cum S. Joannicio Magno conjungere ad 4 Novembris, quo hic colitur, suasit nominum conformitas. Recolantur igitur dicta ad eam diem. — Anno 1650 seu 1651 capitis truncatione obiit Constantinopoli Jordanus Trapezunte oriundus; qui patria relicta, navigaverat Galatam, ibique ærarii artem exercuit per annos 40 matrimonio junctus. Mortem ejus scripto tradidit Joannes Cariophilus, magnæ ecclesiæ logotheta. — In Vita S. Joannis Rylensis, qui non uno colitur die, mentio fit ejus nepotis Lucæ, qui, dum adhuc juvenis esset, relicta domo paterna, in eremum ad patruum suum confugit, in spelunca quadam sublime posita adituque difficili degentem. Mox vero a patre conquisitus et vi abductus, dum domum repeteret valde invitus, serpentis morsu lethaliter læsus illico spiritum reddidit Deo, raptus scilicet ne malitia mutaret ejus intellectum. Hunc itaque inter sanctos gentis suæ recensuit auctor *Historiæ Bulgariæ*, et post Joannem Rylensem jure merito collocavit. — Marcus, archiep. Preslaviensis, in Bulgaria, inscriptus legitur in Catalogo sæpius jam citato, ordine vigesimus quintus. Hujus antistitis mentio fit in Actis S. Parasceviæ, virginis Ternobiensis, quæ colitur 14 Octobris. « Quum nempe, ait Euthymius, patriarcha Ternobiensis, imperator Bulgarorum Joannes Asenes, senioris Asenis filius, intellexisset Francos qui tunc Constantinopoli potiebantur, postulatis ejus assensisse optatumque corpus S. Parasceviæ concedere jussisse, statim sanctissimum Marcum metropolitam magnæ Preslavæ cum pompa plurima ad efferendum sanctum corpus ex loco Epivatorum in gloriosam civitatem Ternobum. Qui cum festinatione abiens, omnia quæ honoris sunt explens, acceptis sacris reliquiis, in propria rediit festinanter. In cujus occursum venit cum comitatu suo, cum patriarcha Basilio cleroque universo rex ipse ad quatuor ab urbe stadia progressus pedes. » Translationem istam anno 1221 obtigisse probabili calculo stabilierunt Bollandiani, addentes a catholico adhuc principe catholicisque episcopis reliquias S. Parasceviæ in urbem et basilicam Ternobiensem fuisse introductas. Cfr Act. SS., Oct. t. VI, pag. 62, 66 et 68 in Auctario. — In eodem Catalogo, post S. Sabbam, *ep. Achridanum*, unum e septem Bulgariæ apostolis, atque discipulum SS Cyrilli et Methodii, nominatur Nicolaus, ejusdem Ecclesiæ archiepiscopus, cæteroquin ignotus. — Smyrnæ supremum diem clausit Nicolaus Caramanus, an. 1657, postquam crudeliter fuerat cæsus ac violenter circumcisus; eo quod ad castra Mahometi se transiturum promiserat, promissisque renuit stare. Periit suspendio et projectus est a Turcis in mare. — Prilep seu Prilepia civitas est Serbiæ, olim celeberrima regumque Serborum sedes, ex qua eam a Græcorum potestate patriæ suæ vindicavit Stephanus Dušanus, seu Validus. Hæc itaque urbs patria fuisse videtur Nicodemo, quem auctor anonymus *Historiæ Bulgariæ* inter sanctos recenset, ordine decimum sextum, et insuper vocat Prilepiensem et myrobletam. Prilepia in Vlachiam migrasse ibique ad mortem usque degisse testantur spelunca et sepulcrum sancti viri, qui etiamnum supersunt in monasterio Tismana. Est autem hoc monasterium non procul a limitibus Hungro-Transylvaniæ situm; quod anno 1366 absolvit Vlachiæ Voivoda Radu seu Rudolphus. — Angelum, martyrem, excipit in Catalogo SS. Bulgariæ Nicolaus Sophiensis, titulo sancti, (utpote homo laicus) ornatus. Sophiensis cognomen accepit a civitate hujus nominis, quæ antiquis est Sardica, Bulgaris vero recentioribus Sredetz. — Nicolaus, Epirota, Metzovo oriundus, post varia tormenta Tricallis igne cremari se sivit a Turcis, anno 1617; ut morte hac voluntaria fidem Christi, quam olim ibidem negaverat, publice confiteretur. Caput ejus adservari dicitur in monasterio S. Bartholomæi Methodoris; pars brachii vero Janinæ. Vitam græce adornavit Nicolaus Kirkos. — De Parthenio, patriarcha CPolitano, hujus nominis III, cognomento Parthenaki, quem inter sanctos suos collocarunt Græci recentiores, hæc traduntur: Oriundus erat ex Chio insula seditque menses octo; tum falso accusatus, quod litteras misisset in Moscoviam, suspendio peremptus est jussu Caimakani Pachæ seu præfecti urbis ad Barmak-capi portam sic dictam, sabbato Lazari, anno

Joachim, patr. Ternobiensis.

Marcus, archiep. Preslavæ.

Nicolaus, archiep. Achridanus.

Nicolaus Caramanus.

Nicolaus Prilepiensis.

Joannes, archiep. Ternobiensis.

Nicolaus Sophiensis.

Joannes Sarandopolus.

Joannicius Devicensis.

Nicolaus Tricalliensis.

Jordanus Trapezuntius.

Parthenius, patr. CPolitanus.

S. Lucas Rylensis.

anno 1657. Hæc eadem leguntur in Catalogo Renaudotiano, quem citant Bollandiani in Historia patr. CPolitanorum, initio mensis Augusti præmissa, nº 1487. Sabbatum porro Lazari præcedit Dominicam Palmarum. Parthenii meminere Dositheus in libro de Patriarchis Hierosolymitanis et Meletius, Historiæ suæ tomo III; Vitam quoque scripsit alter Meletius, episc. Sigriensis. — De Petro Korišensi tractatum est ad diem 25 Novembris, licet non suum. — Zographiense monasterium, Bulgaris monachis addictum, est unum ex antiquioribus cœnobiis Montis Atho. Hujus itaque monasterii alumnus fuit Pœmenus, quem ordine undetrigesimum profert auctor Catalogi Bulgarus. — Prochorus, a loco quem incoluit, Pšinensis nuncupatus, erat eremita in Macedonia. Monachus fuisse colligitur ex titulo Venerabilis, quem præfert in Catalogo modo citato. Exstat etiamnum monasterium Pšinense dictum in Macedonia. — S. Tribelius, rex, in monachatu Theoctistus dictus, orditur seriem sanctorum Bulgariæ, quam ad calcem suæ *Historiæ Bulgariæ* adjecit auctor incertus, sæpius a me citatus. De Tribelii seu Terbelii gestis consulantur auctores præsertim Byzantini. Is est, qui Justinianum II Rhinotmetum throno CPolitano imposuit, anno 705; dein vero, pactorum oblitum armis appetiit. Quæ autem de ejus conversione ad fidem, de ingressu in monasterium, deque sceptro resumpto, quo filius ejus natu major abusus fuerat, narrat auctor Catalogi in corpore operis, ea passim atque meliore jure tribuuntur S. Boriso-Michaeli, nec nisi errore manifesto referri possunt ad Terbelium. — Si ex fructibus arbor cognoscenda est, dubia profecto, non dico sanctitatis, sed rectæ fidei fama gaudeat oportet Theoleptus, ex monacho Caræarum episcopus Philadelphiensis; quippe qui detestabilis memoriæ Gregorio Palamæ, dum hic in Monte Atho commoraretur, dux in asceseos palæstra exstiterit et magister. Nihilominus et divina sapuisse prædicatur et cultu ecclesiastico honoratur a neotericis Dominica, quæ proxime sequitur Dominicam omnium Sanctorum, teste auctore Paterici Montis Atho, t. II, pag. 393, et Acoluthia Agioritarum. Exstant insuper quædam conciones sive collationes, Theolepti nomine inscriptæ, in libro notissimo, cui titulus Φιλοκαλια (slavice Dobrotolubie), ex variis nec semper probatis ascetarum lucubrationibus consarcinato. Scripsit Theoleptus sæculo XVI. — Duos præsules, Theophylacti nomine distinctos, Ecclesiæ Bulgaræ præfuisse, exploratum est. Priorem constituit S. Ignatius, patriarcha CPolitanus; posteriorem sæculo floruisse XI ad finem vergente, scriptisque suis atque præsertim commentariis in sacram scripturam esse clarum, ignorat nemo. Hunc porro, hoc loco intelligendum esse, omnia suadent adjuncta, præter viri orthodoxiam, quam parum sinceram fuisse testantur ipsius scripta. — Patris in Achaia, S. Andreæ apostoli martyrio claris, inter tormenta crudelissima animam auctori suo reddidit Zacharias, anno 1782, ex Artensi ditione oriundus. Mortem sponte sua appetiit, quo anteactæ apostasiæ peccatum expiaret. — Zlatina vicus est ditionis Meglinensis, quæ Bulgaro episcopo in ecclesiasticis subjacet. Hanc patriam habuit atque palæstram puella quædam Zlata nomine, Græcis Chryse, pauperum parentum filia, atque egregiis tum animi tum corporis dotibus ornata. Cujus pulchritudine captus quidam Turca, dissolutorum morum juvenis, eam vi in domum suam abduxit, nihilque non tentavit, quo a christiana fide retraheret; sed frustra. Sive enim matrimonium promissum et divitias, sive pœnarum et tormentorum minas, omnia sprevit Zlata. Feminis igitur traditur a raptore, ut quacunque tandem ratione ad impium Mahometi cultum alliceretur. At quum illæ in virgine christiana oleum perderent et tempus, imo nec ipsimet parentes ac sorores eam unquam adducere possent, ut a Christi fide se recessisse tantillum simularet, in iram actus impurus Agarenus, carnificis pectus induit frontemque æneam. Primum enim innocuam puellam trium mensium spatio fustibus quotidie cædit, tum laminas e dorso ejus excisas coram oculis appendebat, ferroque incandescente auribus immisso, caput perforavit; ac tandem in arbore suspensam in frustra concidit. Immania hæc tormenta sustulit Zlata anno 1795, mense Octobri, narrante hegumeno monasterii Stauronicetæ in Monte Atho, nomine Timotheo, qui patri ejus a confessionibus fuit, atque eo ipso tempore Zlatinæ versabatur.

Petrus Korišensis.

Pœmenus Zographiensis.

Prochorus Pšinensis.

Terbelius, rex Bulgariæ.

Theoleptus, episc. Philadelphiæ.

Theophylactus, patr. Ternobiensis.

Zacharias.

Zlata seu Chryse.

ADDENDA ANNO ECCLESIASTICO GRÆCO-SLAVICO.

S. Stephanus, protomartyr.

Ad 11 Januarii. In Menæis Græcorum, Venetiæ editis anno 1595, commemoratio fit *S. Stephani in Placidianis;* intelligitur protomartyr, ut constat ex Menæis mss. Sirmundi, in quibus ad 8 Januarii legitur : Μνήμη τοῦ ἁγ-πρωτομάρτυρος Στεφάνου. Ædis S. Stephani in Placidianis mentio fit etiam ad 23 Decembris, teste Cangio, CPoleos christianæ, l. IV, p. 138. — Eadem die nominantur duo Marci, quorum alter in cod. Mstislavico præfert titulum martyris et sociatur cum S. Agapio etiam martyre; alter vocatur apostolus, cujus solemnitas CPoli celebrata fuisse dicitur juxta Taurum (πλησίον Ταύρου). Marci apostoli memoria refertur in Menæis Venetis anni 1595, sed omittitur in editione anni 1843. Et recte; alter enim est S. Maïrus, qui inter flagella spiritum Deo reddidit. Mendum itaque in codice Mstislaviensi ita corrige : *S. Maïri, mart. et S. Agapii, monachi,* imo archimandritæ. De æde S. Marci apostoli CPolitana juxta Taurum disserit Cangius in opere jam citato, pag. 114. — *Ad 21 Januarii.* In nova editione Dictionarii SS. Russiæ prodit Maximus, natione et cognomine Græcus, litteris græcis et latinis apprime excultus; quas ut coleret, adierat Parisios, Venetiam et Florentiam. E Monte Atho, ubi religiosæ vitæ initia posuit, in Russiam evocatus est; at quum codices sacros ac liturgicos emendare Mosquæ statuisset, hæreseos ab indigenis antiquorum rituum tenacioribus accusatus, a præsule Mosquensi interdictus et excommunicatus est, ac in arcta custodia 12 annorum spatio detentus. Illud certum est, catholicæ fidei oppugnatorem exstitisse acerrimum, ut abunde testantur ejus scripta, sæpe absurda. Colitur tamen quibusdam in locis, die 21 Januarii, qua obiit anno 1556; imo veluti martyr libertatis ecclesiasticæ nostra præsertim ætate certatim a quibusdam deprædicatur. — *Ad 22 Januarii.* Macarium, in Djabynensi Deiparæ præsentatæ monasterio hegumenum et thaumaturgum Belevcensem dictum, sanctis Ecclesiæ suæ accensent Russi, teste novo Dictionario hag., p. 155. — *Ad 1 Februarii.* Kalendis Februarii refertur Anastasius quidam, Anapliensis pictor, a Turcis capite plexus, anno 1655. — *Ad 26 Februarii.* Commemoratur Joannes quidam Calpha, CPolitanus, capite truncatus a Turcis, anno 1575. Ejus agonem enarravit Andreas, magnus œconomus Ecclesiæ Blancanensis SS. Theodori et Theophanis; qui Joannem morti jam proximum refecerat sacris. Oriundus erat

S. Marcus uterque.

Maximus Græcus.

Macarius Djabynensis.

Anastasius.

Joannes Calpha.

erat Joannes Galata, artemque exercebat architectonicam. — *Ad* 23 *Maii*. Glyceriæ, virginis, cæterum ignotæ, meminit chronicon Novgorodense. Memoria ejus celebrari dicitur aliquot locis 23 Maii, ut testatur novus editor Dictionarii hag., anni 1862, pag. 67. Corpus adservatur in ecclesia SS. MM. Flori et Lauri. — *Ad* 2 *Junii*. Demetrius, Philadelphiæ nobili genere ortus, duodennis ad Mahometi religionem a Turcis pertractus est; at postmodum ætatis suæ anno vigesimo quinto in se reversus, Christum solemni confessione agnovit; quapropter crudelissime cæsus capitis obtruncatione vitam finivit anno 1657, die 2 Junii. Vitam ejus, fabulis inspersam, scripsit Basilius Hadji Cyriacus, et credulæ suæ genti regessit Soloviev, presbyter russus. — *Ad* 1 *Julii*. Translatio reliquiarum Joannis Rylensis, notatur in Officio diei proprio; de quo fuse dictum est ad 19 Octobris. — *Ad* 14 *Julii*. Nicodemus hagiorita in suo Synaxarista commemorat hoc die quemdam Petrum, qui pedum abscissione peremptus est. Tacent cæteri omnes. — Metrophanem, Voronežiæ episcopum, qui tempore Petri I vixit, in sanctorum Russorum album jubente Nicolao imperatore, adscriptum esse novit Occidens universus. Ejus similiter successor Tychon illi albo insertus est anno 1862 sanctione Alexandri II, imperatoris. Natus est Tychon anno 1724, in vico Korotskensi, provinciæ Novgorodensis, patre Sokolovio, clerico. In seminario Novgorodensi, absolutis studiis, docuit linguam græcam, rhetoricam et theologiam. Tonsuram cum nomine Tychonis (antea namque vocabatur Timotheus) suscepit an. 1758. Anno sequenti factus est archimandrita monasterii Djelticovensis, tum Otrocensis, quod utrumque exstat Tveriæ; anno vero 1762 constitutus episcopus Keksholmiæ et Ladogæ, simul archiepiscopi Novgorodensis egit vices ac monasterio Chutynensi præfuit cum titulo archimandritæ. Tandem anno 1763 ad sedem transiit Voroneženſem, quam occupavit quatuor annos et septem menses. Quibus exactis, abdicato munere episcopali, reliquum vitæ degit primum in monasterio Tolševensi, et dein in Zadonensi; in quo et diem supremum obiit die 13 Augusti, anno 1783, fere sexagenarius. Corpus ejus, anno 1845 elevatum, transtulerunt ex ecclesia Zadonensi in ædem principem SS. Deiparæ anno 1861, die 13 Augusti; qua ideo ejus memoria recolitur. Plura, pleraque ascetica, scripsit, anno 1826 sedecim voluminibus edita. — *Ad* 27 *Augusti*. Memoria sancti martyris Phanurii recenter manifestati, anno nempe 1500, inscripta est hoc die in Synaxarista Nicodemi; ex quo eum produxit anonymus quidam Russus in opere periodico Christianskoie čtenie anni 1861, p. 294. — *Ad* 25 *Octobris*. Eodem Nicodemo teste, agitur die 25 Octobris memoria recenter manifestatorum martyrum, Gabrielis et Kirmidoli, qui in Ægypto vitam amiserunt inter tormenta, anno 1523. — *Ad* 25 *Novembris*. Eis quæ de S. Petro, Bulgarorum rege, disseruimus ad 30 Januarii et fusius ad 25 Novembris, pauca addere lubet ex optima tractatione Victoris Grigorovič, egregii in universitate Cazanensi professoris. Hic scilicet ad fragmentum codicis Zographiensis sæculi XIII, continentis officium S. Clementis, papæ Romani, « *Illud porro notabile est*, ait, *huic officio immixtas legi laudes Petri, Bulgariæ regis. Nempe compendiosam Vitam sancti Clementis excipit Synaxarium diei* 25 *Novembris an* 30 *Januarii incertum, his verbis expressum: « Passio sancti mart. Hippolyti, papæ Romani, et sociorum ejus, et passio sancti mart..... sancti Savliri et sancti mart. Theophili. Eodem die memoria venerabilis patris nostri Petri, regis Bulgariæ. » Ejusdem nominis regem refert Prologus mss., sæc.* XIV, *quem in sua Descriptione Musæi Rumiantsoviani, p.* 449, *illustravit vir cl. Alexander Christophorovič Vostokov, probabilius ducens intelligendum esse Calopetrum, anno* 1189 *vita functum. Equidem Petrum, qui in Synaxario* (Zographiensis fragmenti) *commemoratur, filium fuisse reor Simeonis regis, anno* 966 *mortui. Id innuunt quædam verba hymnorum, quibus continentur S. Petri laudes, ut quando dicitur fuisse inter fratres suos natu minimus; qua in re non omnino dissentit Georgii Harmatoli continuator, ubi agit de filiis Simeonis ex utroque thoro procreatis. In Hymnis vero laudatur fere ita : « Sicuti antea in vita tua pacem dilexisti, ita et nunc universas regiones, precibus ad Deum fusis, in pace compone, atque a magnis periculis, quæ nobis imminere conspicis, liberare nos intercessionis ope festina, o pater sanctissime Petre.— Veluti astrum fulgidum apparuisti nobis, terram ultima hac ætate splendore illustrans cunctasque adversantium hostium tenebras discutiens et fugans. — Virtutum tuarum decora laudare frustra conantur labia peccatorum, quibus ideo laudes tuas dicendi facultatem concedere digneris.—Prædicavit te Dominus, dum minimum inter fratres, veluti Davidem, in regem unxit, atque universam regionem a quibusvis hostibus tutandam tibi commisit.—Summi* (*apostolorum*) *nomen sortitus, Ecclesiam tuam ædificasti, in petra eam fide fundans atque adversos fluminum impetus domans.* » Hactenus cl. Gregorovič; cujus testimonio egregie illustrantur ac confirmantur ea, quæ de Petro hujus nominis primo, ac S. Joanni Rylensi coævo, tradita sunt ad 25 Nov. et 30 Januarii. De hoc, non autem de alio, agi in Synaxario Zographiensi, præter alia testatur ultimus, quem modo retuli, hymnus, in quo Petri fides, utique catholica et romana, zelusque in falsis dogmatibus (puta Bogomilorum) cohibendis ac discutiendis prædicatur; quæ quam bene in Petrum quadrent, negabit nemo. Illud etiam certo definiri potest, Petri memoriam olim celebratam fuisse die 30 Januarii a Bulgaris, ea nimirum ætate felicissima, qua Ecclesia Ternobiensis Romano Pontifici, uti capiti membrum, erat fide et caritate juncta.

Glyceria.

Demetrius.

S. Joannes Rylensis.

Petrus.

Tychon, ep. Voronežiæ.

Phanurius.

Gabriel et Kirmidoli.

S. Petrus, rex Bulgariæ.

SYLLOGE

SYLLOGE

KALENDARIORUM SLAVICORUM.

KALENDARIUM OSTROMIRANUM

ANNI 1056-1057.

NOTA. — *De singulis kalendariis et de modo quo in eis edendis usi sumus recolantur dicta in fine præfationis.*

SYNAXARIUM ECCLESIASTICUM INCIPIT A MENSE SEPTEMBRI AD MENSEM AUGUSTUM DICTUM ZAREV.

September.

1 Memoria sancti Symeonis stylitæ. Et sanctarum XL mulierum monialium. Et sancti Amonis. Et sancti martyris Italæ. Et requies Jesu Nave. Et novi anni. Et initium indictionis. 2 Mensis ejusdem. Memoria S. Mamantis. Eodem die memoria S. Joannis et Pauli, episcoporum in urbe Constantini. 3 Memoria S. Pontificis Athanasii Nicomediæ. Et S. martyris Basilissæ. 4 Passio SS. MM. Babylæ et Hermiones et puerorum. Et S. Romani. Et S. Moysis prophetæ. 5 Passio sancti prophetæ Zachariæ. 6 Passio S. Eudoxii. 7 Passio S. Martyris Sozontis, sub Maximiano imperatore. Et sanctæ martyris Charitonæ. 8 Nativitas sanctæ Deiparæ. 9 Memoria S. Joachim et Annæ. 10 Adoratio sanctæ et venerandæ Crucis. 11 Passio S. mart. Diodori et S. mart. Theodoræ. Et adoratio sanctæ et venerandæ Crucis. 12 Passio S. mart. Autonomi, episcopi. 13 Memoria S. mart. Symeonis, cognati Domini secundum carnem, archiepisc. Hierosolymitani. 14 Exaltatio sanctæ Crucis. 15 Memoria sancti martyris Nicetæ. Et sancti Acacii. 16 Passio sanctæ martyris Euphemiæ. 17 Passio sancti Charalampii et Pantaleontis et sociorum eorum. 18 Passio S. mart. Symeonis, archiepiscopi Hierosolymitani et venerab. patris nostri et thaumaturgi Eumenii, episcopi Gotunensis. 19 Passio S. mart. Susanæ, et SS. mart. Trophimi et Dorodomedontis et Sabbatii. 20 Passio S. mart. Eustathii et uxoris ejus Theopistiæ et liberorum ejus Theopisti et Agapii. 21 Passio S. mart. Isaaci, ep. Cypri et Symeonis, cognati Domini. Et dedicatio S. Menæ. Et S. Theodori Pergæ in Pamphilia. 22 Passio SS. MM. Prisci, Martini et Nicolai. Et S. mart. Phocæ. 23 Novus annus, et conceptio Joannis Baptistæ. 24 Passio S. mart. Theclæ. 25 Passio S. mart. Romani. Et S. martyris Iæ. 26 Transitus S. Joannis Evangelistæ et Theologi in insula Pathmo. Et S. mart. Rypsimiæ et sociorum ejus. 27 Memoria SS. MM. Callistrati et sociorum ejus numero D et LX, sub Diocletiano imperatore. 28 Passio SS. MM. Calutini, Alphii, Alexandri, Zosimæ, Niconis, Charitonis. 29 Passio SS. MM. Trophimi et Dorymedontis. 30 Memoria S. Gregorii in Armenia.

October.

1 Passio S. apost. Ananiæ, ep. Damasceni. Et S. Domnini. Et Arei et Romani. 2 Passio S. Cypriani et Justinæ. 3 Memoria sancti Dionysii areopagitæ. 4 Passio SS. MM. Dometi et Diogenis et sancti hieromart. Petri Capituleorum et S. Deiparæ. Et S. Hierothei. Hic adfuit sepulturæ S. Deiparæ. 5 Passio S. Iraidis. Et S. Mamelchitæ. 6 Martyrium S. apost. Thomæ. 7 Passio S. Sergii et Bacchi. 8 Memoria Venerabilis Pelagiæ Tarsi in Cilicia, sub Diocletiano imperatore, et alius Pelagiæ Antiochiæ, sub Numeriano imperatore, quam et Chrysostomus laudibus honoravit. 9 Memoria Abrahæ et Lot. Et S. Annæ et Elizabet et sociorum earum. 10 Passio S. Eulampii et Eulampiæ, germanæ sororis, sub Maximiano imperatore in urbe Nicomediensi. 11 Memoria SS. patrum nostrorum patriarcharum regiæ urbis, Nectarii, Arsacii, Attici et Sisinnii et S. mart. Zenaidis et Philonillæ, sororis ejus. 12 Passio SS. MM. Tarachi, Probi, Andronici, (qui) sub Diocletiano imperatore comprehensi fuere. 13 Passio SS. MM. Papyli, Carpi, Anauli et sociorum eorum. Et S. M. Trophimi. 14 Passio SS. MM. Azariæ, Gervasii, Protasii et Celsi, sub Nerone imperatore Rom(æ). 15 Passio S. M. Luciani. 16 S. M. Longini, centurionis, qui adfuit passioni Christi. 17 Festum Deiparæ in loco dicto Paradiso. Et archangeli Gabrielis. Et passio SS. MM. Leonis, Domentis, Terontis. 18 Memória S. apost. et evangelistæ Lucæ. 19 Passio S. M. Mnasonis, ep. Cypri, et sociorum CXX in Perside sub Sabore rege. 20 Passio SS. MM. et thaumaturgorum Artemæ et Abercii, sub Juliano apostata. 21 Memoria venerabilis Hilarionis. 22 Passio SS. MM. Heraclii, Elizabeth, et Theodotiæ, et Glyceriæ. Et S. Deiparæ. 23 Passio S. apostoli Jacobi, fratris Domini. 24 Memoria S. Procli, ep. CPolitani. Et S. M. Arethæ. 25 Passio SS. MM. Marciani et Marturii et S. Nutarii. 26 Passio S. Demetrii et Basilii et Artemidori. 27 Passio S. M. Capetulinæ et Perotidis ancillæ ejus, sub Diocletiano imperatore. Eodem die Archangeli Michaelis in Probato (*v Ovčej.*). 28 Memoria S. Abramii et sociorum ejus 73, sanctorum confessorum. 29 Passio SS. MM. et apostolor. Petri et Pauli. Joannis Baptistæ. Josephi patriarchæ. Cosmæ et Damiani. Trophimi. 30 Passio SS. MM. Cyriaci patr. et Zenobii ep. et Zenobiæ sororis ejus et Asterii, 31 Passio SS. MM. Pantaleontis, Heraclii et Epimachi.

November.

1 Memoria SS. anargyrorum Cosmæ et Damiani. 4 Passio S. M. Porphyrii. 5. Passio S. M. Galactionis et Domnini et Epistimiæ. Eodem die dedicatio S. Theodori in Sporacio. Et Dominica primogenita. 6 Memoria S. Pauli confessoris. 7 Passio SS. MM. XXXIII Meletinæ. 8 Synaxis Archangeli Michaelis in Arcadianis. 11 Passio S. M. Menæ. 13 Quies Joannis Chrysostomi, archiep. CPolitani. 14 Passio S. apostoli Philippi. 15 Passio SS. confessorum Guriæ, Samonæ et Abibi. 16 Passio S. apost. et evangel. Matthæi. 17 Memoria S. Gregorii thaumaturgi. 18 Passio S. M. Platonis. 20 Memoria S. Ma(x)imini et Gennadii. Et S. Gregorii, novi thaumaturgi. 21 Illatio S. Deiparæ, quando illata est in templum Domini, tres annos nata. Et S. Julianæ. 25 Passio S. Clementis Romæ. Et Petri Alexandriæ. Et M. Mercurii. 27 Passio SS. MM. Cosmæ et Damiani, de Arabia. Et aliorum multorum. 28 Passio S. M. Irenarchi. Et memo-

ria orthodoxorum imperatorum Constantini et Mauriciani et duorum liberorum eorum. 30 Passio S. apostoli Andreæ.

December.

4 Passio S. M. Barbaræ et Julianæ. Et V. P. N. Joannis Mansuri, presbyteri. 5 S. P. N. Abercii. Et S. institutoris Sabbæ. 6 Memoria S. P. N. Nicolai. Dominica II ante Nativitatem Christi, SS. Protoparentum. 13 Passio SS. MM. Eustrati, Euxenti, Eugeni, Mardari et Orestis. 14 Passio SS. MM. Tursi, Leucii et Callinici, Philemonis et Apollonii, et sociorum eorum. 15 S. P. N. Eleutherii. 17 Memoria SS. trium puerorum Ananiæ, Azariæ, Misaelis, qui Babylone restinxerunt fornacem igneum. Et Danielis prophetæ. 18 Dedicatio ecclesiæ S. Deiparæ, quæ est prope Magnam ecclesiam, in Chalcopratiis. 19 Passio SS. MM. Eutychetis, Phocæ et Hermonis, et Genifati. Dominica ante Nativitatem Christi, memoria SS. PP. Abrahæ, et Isaaci et Jacobi. 20 S. Antistitis Ignatii. 21 Memoria S. M. Anastasiæ. 23 Passio SS. decem MM. in Creta, sub Decio, imperatore. 24 S. M. Eugeniæ, sub Commodo, imperatore. Et Vigilia Nativitatis Christi. 25 Nativitas Christi. 26 Postridie Nativitatem Christi. 27 Passio S. protomartyris Stephani. 28 S. P. N. archiepiscopi Theodori. 29 Passio SS. Infantium. 30 Passio S. M. Anastasiæ (lege Anysiæ) Thessalonicensis, sub Maximiano, imperatore. 31 Passio S. martyris Silvestri, papæ.

Januarius, dictus Prosinetz.

1 Circumcisio D. N. Jesu Christi. Et memoria P. N. Basilii, archiep. Cæsareæ Cappadociæ. 2 Memoria S. Apollinariæ et V. P. Gregorii, thaumaturgi in Acrito. Et vigilia SS. Theophaniorum. 6 Festum Epiphaniorum. 7 Synaxis S. Joannis Baptistæ. 8 Memoria S. Gregorii, ep. Mysiæ. 10 Memoria P. N. Joannis et V. P. N. Gregorii, ep. Nysseni. 14 Memoria SS. patrum nostrorum et martyrum occisorum in monte Sinai, Theoduli, Nili, Joannis. Et memoria S. Abbadæ. 16 Osculatio et adoratio catenarum S. apostoli Petri. 17 Memoria venerabilis Antonii. 18 S. Athanasii et Cyrilli et Alexandri. 20 Memoria S. Euthymii. 22 Passio S. apostoli Timothei et Anastasii. 24 Passio S. M. Clementis. 25 Memoria S. Gregorii Theologi. 26 S. Polycarpi, episc., et S. Xenophontis et uxoris ejus et filiorum Arcadii et Joannis. 27 Memoria reditus reliquiarum S. (Joannis) Chrysostomi. 28 Memoria venerabilis Ephræmi. 29 Memoria Ignatii Deiferi. Eodem die memoria S. Jacobi reclusi. 30 Inventio reliquiarum venerandarum S. Clementis, papæ Romani, quarti post apostolum Petrum. 31 Memoria SS. MM. Abba Cyri (et) Joannis.

Februarius.

1 Memoria S. M. Tryphonis. 2 Occursus D. N. Jesu Christi. 3 Memoria S. Simeonis qui excepit Dominum. 14 Memoria V. Auxentii, thaumaturgi, et V. P. N. Constantini philosophi, in monachatu dicti nomine Cyrilli. 16 Passio S. M. Pamphili et aliorum multorum. 23 Passio S. M. Polycarpi, ep. Smyrnensis. 24 Memoria inventionis capitis sancti Joannis, prophetæ et præcursoris et baptistæ.

Martius.

9 Passio SS. martyrum quadraginta. 17 Memoria S. Alexii, vocati hominis Dei. Et magni terræ motus. 18 Memoria S. P. Cyrilli, archiep. et martyris. 22 Memoria S. Thomæ Novi, archiep. CPolitani. 24 Passio SS. MM. octo Cæsareæ. Et vigilia Annuntiationis. 25 Annuntiatio SS. Deiparæ.

Aprilis.

6 Passio sanctorum CXX. Et memoria sanctificati P. N. Eutychii, archiep. CPolitani. 11 Passio S. M. Antipæ, ep. Pergensis. 22 Memoria V. Theodori Syceotæ. 23 Memoria S. M. Georgii. 25 Passio S. apostoli et evangelistæ Marci. 26 S. M. et episcopi Basilii Amasoni. 27 Passio SS. MM. Basilii, ep. Amasiæ et S. Peplii. 30 Passio S. apost. Jacobi, fratris S. Joannis evangelistæ.

Maius.

1 Memoria S. prophetæ Jeremiæ. 2 SS. MM. Hesperii et Zosiæ, et conjugis ejus et liberorum Cyriaci et Theoduli. Eodem die Athanasii. 4 Memoria S. Aphrodisii, Gaïmidi. 6 Passio S. Demetradnactis. 8 Memoria S. apost et evang. Joannis theologi. 11 Memoria S. Genethlii et multorum. Et memoria S. M. Mocii. 14 Passio S. Isidori et S. Pachomii. 21 Memoria SS. Basilii, Constantini et Helenæ, matris ejus. 22 Memoria S. Basilisci.

Junius.

1 Passio SS. MM. Hermyli, Stratonici et Justini, philosophi. 2 Memoria S. P. N. Nicephori. 4 Memoria S. P. N. Metrophanis, archiep. regiæ urbis. 5 Passio S. M. Marciani. 6 Passio SS. quinque virginum Marthæ, Mariæ, Theclæ, Zenaidis, Nemmoniæ. 11 Memoria SS. apost. Bartholomæi et Barnabæ. 14 Memoria S. prophetæ Elisæi. 15 Passio S. Viti et odesti, pædagogi ejus. 18 Memoria S. M. Leontii. 24 Nativitas Joannis Præcursoris et Baptistæ. 25 Memoria S. Febroniæ. 27 Memoria V. Sampsonis. 28 Inventio reliquiarum SS. Cyri (et) Joannis. 29 Memoria SS. apost. Petri et Pauli. 30 Memoria sanctorum apostolorum XII.

Julius.

1 Memoria SS. anargyrorum Cosmæ et Damiani. 2 Depositio vestis S. Deiparæ in Blachernis. 7 Memoria S. Eustathii, Polycarpi. 8 Memoria S. Procopii. 11 Synaxis S. Euphemiæ. 14 Passio S. apostoli Aquilæ, Hilarii. 16 Memoria SS. PP. DCXXX Chalcedone (congregatorum). 20 Memoria S. prophetæ Eliæ et Elisæi. 22 Memoria S. Mariæ Magdalenæ unguentiferæ. 23 Passio S. Apollinaris, archiep. Ravennensis. 25 Obdormitio S. Annæ, matris Deiparæ, et S. Euphraxiæ et Olympiæ. 26 Memoria S. Simeonis in Mandra. 27 Memoria S. Panteleemonis. 29 Memoria S. M. Callinici. 31 Memoria B. Edecimi. Et memoria Theodosii, imperatoris, et dedicatio ecclesiæ S. Deiparæ. Eodem die adoratio venerandi ligni.

Augustus.

1 Memoria SS. Machabæorum. 2 Memoria SS. septem infantium Ephesi. 5 Memoria S. Jasæ. 6 Transfiguratio D. N. Jesu Christi. 7 Memoria S. Barbaræ in Blachernis. 9 Memoria S. Constantini patriarchæ. 10 Memoria S. Laurentii. 14 Memoria S. Marcelli. Eodem die, Vigilia SS. Deiparæ. 15 Transitus S. Deiparæ. 16 Memoria S. Diomedis. 17 Memoria S. Flori et Lauri. 20 Memoria S. apost. Thaddæi. 21 Memoria Samuelis prophetæ. 22 Memoria S. M. Agathonici. 23 Memoria S. Callinici, patriarchæ. 24 Memoria S. P. N. Callinici, patr. regiæ urbis. 25 Passio S. apostoli Titi. 29 Decollatio Joannis præcursoris et baptistæ. 30 Passio S. Hermogenis et sociorum ejus. Et memoria SS. PP. NN. archiepiscoporum regiæ urbis, Alexandri (et) Joannis. 31 Depositio venerandæ Zonæ S. Deiparæ in Chalcopratiis.

KALENDARIUM ASSEMANIANUM, GLAGOLITICUM SÆC. XI.

September.

1 Initium indictionis et novi anni, et memoria Sancti Simeonis Stylitæ. 2 S. Martyris Mamantis et Juliani, Philipi et Theodotiæ (1) et Sanctorum Patrum nostrorum CPtanorum, Joannis Jejunatoris et Pauli novi. 3 S. Hieromartyris Anthimi et Basiliæ (2). 4 Sanctorum m. in Abida (3) et Heremnonæ et Theodoræ et Sancti prophetæ Miseoti. 5 Sancti prophetæ Zachariæ, patris Joannis Baptistæ (4). 6 S. Martyris Eudoxii, Charitonis. Archangeli Michaelis (5). 7 Profestum Nativitatis SS. Deiparæ. 8 Nativitas S. Dominæ Deiparæ. 9 Sanctorum Joachim et Annæ. Sabbatum ante Exaltationem Crucis. 10 (Vacat) Adoratio venerandæ Crucis. 11 Adoratio Vener. Crucis et S. Autonomi. 12 Adoratio Vener. Crucis et S. Mart. Cornati episcopi [I]coniensis [Conska], litostrati, gabbata. 13 Profestum Exaltationis Crucis. 14 Exaltatio venerandæ Crucis. 15 S. Martyris Stephani et memoria Sanctorum Patrum congregatorum in sancto et generali Concilio et S. Martyris Nicetæ. 16 S. Martyris Euphemiæ. 17 S. Eulampii et aliorum. 20 Sanctorum martyrum Eustathii et uxoris ejus, Theopistiæ et filiorum Theopisti et Agapii. 22 Sanctorum martyrum Phocæ et sociorum ejus. 23 Novus annus et conceptio Joannis Baptistæ. 24 Passio sanctæ protomartyris et isapostolæ Theclæ. 25 S. Martyris Romani, et monachi Paphnoti et S. Euphrosynæ quæ vocatur nomine masculino Smaragdus. 26 Migratio Sancti Joannis Theologi et Evangelistæ. 30 Sancti hieromartyris Gregorii, archiepiscopi magnæ Armeniæ.

October.

1 S. apostoli Ananiæ, episcopi Damasceni, et martyris Arethæ et sociorum ejus, et martyris Domnini, et memoria S. Romani, qui composuit hymnos festivos [*svietičnaa*] (6). 2 Justinæ virginis (Kop.). 3 S. P. N. martyris Dionysii Areopagitæ. 6 S. Apostoli Thomæ. 7 Martyrium Sanct. martyrum Sergii et Bacchi. 11 Sanctorum Patrum Nostrorum Archiepiscoporum CPoleos, Nectarii, Arsacii, Adici, Issini (7). Et SS. Patrum nostrorum 367 septimæ Synodi, quæ habita fuit Niceæ secundo. 13 Sanct. mart. Papyli, Raspi, Anauli et sociorum. 18 S. Lucæ Evangelistæ. 21 S. Hilarionis magni et SS. martyrum Gasii, Tasii et Zotici. 23 S. Jacobi, Apostoli, fratris Dei. 25 SS. Marciani et Marturii. Pauli confessoris, Nestoris Solunensis, martyris, Vari mart. et 7 sociorum. 26 S. Demetrii. 30 SS. Zinovii et Zinoviæ, sororis ejus. Et memoria Cyriaci patriarchæ et S. P. Pauli, magni Jejunatoris.

November.

1 Sanctorum thaumaturgorum anargyrorum Cosmæ et Damiani. 2 Sancti Acindyni et sociorum ejus. 6 S. Pauli confessoris. 7 SS. martyrum Antonii et parentum ejus, et SS. martyrum XXXIII, qui Melitinæ. 8 Synaxis Archangeli Michaelis et Sanctæ Matronæ. 9 Sanctæ Parascevæ Piatki (8). 11 S. martyris Menæ et Victoris et Vincentii. 14 S. Philippi apostoli. 15 S. Jacobi apostoli, fratris S. Joannis evangelistæ et SS. confessorum Guriæ, Samonæ, Abibi. 16 S. Matthæi apostoli, et evangelistæ. 17 S. Gligorii, thaumaturgi Neocæsariensis. 18 S. martyris Platonis. 20 Sanctorum PP. NN. qui fuerunt archiepiscopi regiæ urbis, Genadii, Maximi, Anatolii, Procli. Et S. Gligorii, novi thaumaturgi. 25 S. Clementis, papæ Romani. 26 S. martyris Catharinæ et dedicatio S. Georgii. 27 Passio SS. martyrum Cosmæ et Damiani, de Arabia, et S. Jacobi Persæ. 30 S. apostoli Andreæ.

December.

1 S. prophetæ Nahum. 4 S. Barbaræ virginis et martyris. 5 S. P. N. beati monachorum institutoris, deiferi Sabæ. 6 S. P. N. thaumaturgi Nicolai. 9 Conceptio S. Annæ [quando concepit Deiparam]. 13 SS. Eusesiti, Eugenii, Mardarii, Eustratii (Kop.). 14 S. Apollonii (Kop.). 25 Nativitas Christi. 27 Sanctorum Infantium (Kop.).

Januarius.

1 Circumcisio octiduana D. N. Jesu Christi. 2 Sancti Selivestri, papæ romani. 16 Adoratio catenæ Petri apostoli. 17 S. P. N. beati Antonii, institutoris monachorum. 18 SS PP. NN. Athanasii et Cyrilli, archiepiscoporum Alexandriæ. 20 S. Patris nostri Euthymii. 21 S. martyris Neophyti. 22 S. apostoli Timothei. 25 S. martyris Clementis, episcopi Ancyrani. 25 S. P. N. Gregorii, theologi, qui fuit episcopus Nazianzenus. 27 SS. martyrum Ananiæ presbyteri et Petri, clavium custodis, et aliorum VII militum, et relatio reliquiarum S. Joannis Chrysostomi. 28 S. P. N. Ephræmi Syri. 29 Memoria relationis reliquiarum hieromartyris Ignatii deiferi. 30 Inventio reliquiarum S. Clementis, papæ romani. 31 SS. thaumaturgorum Cyri et Joannis.

Februarius.

1 Passio S. martyris Tryphonis. 2 Occursus Domini. 3 S. Simeonis Deum excipientis. 11 S. hieromartyris Blasii. 14 Sancti patris nostri Cyrilli philosophi. 16 SS. martyrum Pamphili, Valentis, Pauli, Porphirii, Seleuci, Juliani et aliorum. 17 S. martyris Theodori. 23 S. hieromartyris Polycarpi, episcopi Smyrnæ. 24 Inventio capitis S. Joannis præcursoris.

Martius.

1 S. Eudociæ martyris. 22 S. P. N. Thomæ, archiepiscopi CPolitani. 24 Profestum Annuntiationis. 25 Annuntiatio Deiparæ.

Aprilis.

6 SS. martyrum CXX, qui in Perside. Et memoria S. P. N. Eutychii, archiepiscopi CPolitani. Et memoria dormitionis venerabilis patris nostri Methodii, archiepiscopi superioris Moraviæ, fratris venerabilis Cyrilli philosophi. 11 S. Antipæ. 22 S. Theodori Syceotæ. 23 S. magni martyris Georgii. 25 S. apostoli et evangelistæ Marci. 26 S. hieromartyris Basilii, episcopi Amaseæ. 30 S. apostoli Jacobi.

Maius.

1 S. prophetæ Jeremiæ. 2 S. Athanasii episcopi. 8 S. apostoli et evangelistæ Joannis theologi. 11 S. martyris Mocii. 12 S. P. nostri Epiphanii. 14 S. Pachomii. Isidori. 15 S. P. N. pontificis Achillei. 20 S. martyris Thalelæi. 21 Memoria sancti et magni piissimi Constantini regis et matris ejus Helenæ. 24 S. Simeonis qui in monte Mirabili (Thaumastoritæ).

(1) Ita Kopitarius. Assemanus errore posuit Theodoram; in fine autem agit de Theodota. — (2) Ita in codice, teste Kopitario. Lege cum Assemano : Basilissæ. — (3) Assemanus legit : SS. mart. Babylæ et Hermionis, et Theodori, et S. Prophetæ Moysis. — (4) Kopitarius habet tantum : S. Joannis præcursoris et baptistæ. — (5) Vox *Archangeli* antiqua manu, ***Michaelis*** recenti scripta est. — (6) I. e. Contacia, non autem ***voluminosa***, ut vult Assem. ad h. d. Kal. V, 266. — (7) Pro Attici, Sisinnii. — (8) Addita sunt ad marginem, manu recentiore, charactere cyrillico, ut testatur Asseman. tom. V, pag. 346.

Junius.

2 S. Nicephori patriarchæ Tsargradensis (i. e. regiæ urbis) et S. Erasmi episcopi. 4 S. P. N. Metrophanis archiepiscopi Tsargradensis. 8 S. martyris Nicandri, Marciani. Et S. martyris Theodori militis in Oriente. 11 SS. apostolorum Bartholomæi et Barnabæ. Et S. P. N. Onuphrii eremitæ. 14 S. prophetæ Elisæi. 15 SS. martyrum Viti et Modesti, pædagogi ejus, et Crestanicæ (lege Crescentiæ), nutricis ejus. 19 S. apostoli Thaddæi. 24 Nativitas S. Joannis præcursoris et baptistæ. 27 S. P. N. Cyrilli, archiepiscopi Alexandrini. 28 Inventio reliquiarum Cyri et Joannis. 29 Sanctorum coryphæorum apostolorum Petri et Pauli.

Julius.

1 Sanctorum anargyrorum Cosmæ et Damiani. 2 Depositio venerandæ et sacræ vestis S. Deiparæ. 7 SS. martyrum Eustathii, Polycarpi et Evagii et aliorum. 8 S. martyris Procopii. 11 S. mart. Marciani, et sanctæ Euphemiæ. 15 S. martyris Cyrici et Julittæ, matris ejus. 16 Synodus Sanctorum Patrum 630 Chalcedone. 21 S. Eliæ prophetæ. 25 Dormitio S. Annæ, matris Deiparæ. Et S. Eupraxiæ. Et sanctæ Olympiadis. 27 Sancti Panteleemonis martyris, et sancti antistitis patris nostri Clementis, episcopi Veličensis. 31 Dedicatio ecclesiæ S. Deiparæ, quæ in Blachernis. Et adoratio venerandæ et vivificæ Crucis Christi.

Augustus.

1 Sanctorum Machabæorum. 5 S. martyris Eusygnii. 6 Transfiguratio Domini. 14 S. hieromartyris Marcelli, episcopi, et profestum Dormitionis S. Deiparæ. 15 Dormitio Deiparæ. 18 SS. Flori et Lauri martyrum. 20 S. apostoli Thaddæi. Et proph. Samoelis (1). 22 S. Agathonici. 24 S. P. N. Callinici. 25 S. apostoli Titi episcopi, discipuli magni apostoli Pauli. Et SS. PP. nostrorum archiepiscoporum Tsargradensium, Epiphanii et Menæ. 26 S. martyris Adriani, et qui cum eo XXIII, et uxoris ejus Nataliæ. 29 Decollatio S. Joannis præcursoris et baptistæ. Eadem die memoria sanctorum Strumnitsensium, Timothei, Theodori, Eustobii et sociorum. Et sanctæ Theodoræ Solunensis. 30 S. hieromartyris Philondi. 31 Depositio venerandi Cinguli SS. Deiparæ, quod in sacro scrinio (krabii) in Chalcopratiis servatur.

KALENDARIUM NOVGORODENSE I. — SÆCULI XI.

Maius.

1 Dies. Canon S. prophetæ Jeremiæ. 2 Dies ejusdem mensis, Canon S. Athanasii et Esperii et Zoes. 3 Dies ejusdem (2). Canon S. Timothei et S. Mauræ. 4 Canon Sanctæ martyris Pelagiæ. 5 Can. Sanctæ martyris Irenes. 6 Can. justi Jobi. 7 Memoria apparitionis Crucis, quando apparuit in cælis in sancta urbe, hora diei tertia, sub Constantino rege, filio magni Constantini. 8 Can. sancti apostoli Joannis Evangelistæ et Ven. Patris Arsenii. 9 Can. S. prophetæ Isaiæ et S. mart. Christophori. 10 Can. S. apostoli Simonis. 11 Can. S. martyris Mocii. 12 Can. sancti Patris nostri Epiphanii. 13 Can. sancti martyris Alexandri. 14 Can. S. martyris Isidori, archiep. [Pelusi]otæ. 15 Can. S. Patris nostri Theodori. 16 Can. S. prophetæ Zachariæ, patris Baptistæ. 17 Can. apostoli Andronici. 18 Can. Sanctorum martyrum Petri, Dionysii, Andreæ, Pauli, Christinæ, Heraclii, Paulini et Venedimi. 19 Can. SS. mart. Patricii, episc. et Polieni et Acacii et Menandri. 20 Can. sancti martyris Thalelæi. 21 S..... SS. Constantini et Helenæ. 22 Can. sancti et perinclyti martyris Basilisci. 23 Can. venerab. Patris nostri Joannis Psichaitæ. 24 Can. sancti P. N. Symeonis in Montemirabili. 25 Canon tertiæ inventionis venerandi capitis J. Baptistæ Cpli. 26 Can. sancti apostoli Carpi, opus [Jo]sephi. Eadem die Can. S. apostoli Judæ fratris Domini [et] Jacobi. 27 Can. sancti martyris Helladii. 28 Can. sanctæ martyris Theodosiæ. 29 Can. sancti martyris Eutychii. 30 Can. sancti Patris nostri Isacii. 31 Can. sancti martyris Ermii.

KALENDARIUM SUPRASLIENSE. — SÆCULI XI.

Martius.

4 Martyrium sanctorum Pauli et Julianæ. * Et S. Jacobi monachi (3). 5 Martyrium sancti Basilisci. 6 Miracula sancti Cononis in Isauria. 7 Martyrium sanctorum et inclytorum martyrum qui recenter apparuerunt, Theodori, Constantini, Callisti, Vasois et sociorum. * Vita et passio SS. PP. et episcoporum Basilii, Capitonis, qui Chersonæ passi sunt. 9 Martyrium sanctorum martyrum 40 qui Sebaste passi sunt. 10 Passio sancti Condrati et sociorum ejus. 11 Vita Gregorii papæ Romani. 12 Martyrium sancti Pionnii presbyteri in urbe smyrnensi. 13 Martyrium sancti Sabini. Martyrium sancti Alexandri. Martyrium sancti Thalassii. * Vita et gesta Venerabilis Anini. 19 Vita venerabilis Patris nostri Pauli Persimplicis. 20 Martyrium sanctorum Terentii, Africani et Pompeji. 21 Vita V. P. N. Isacii e monasterio Dalmati. 22 Martyrium sanctorum Trophimi et Eucarpionis. 23 Martyrium sancti Dometii et discipulorum ejus. 24 Passio sancti antistitis et martyris Artemii. 25 Annuntiatio sanctissimæ Deiparæ. 26 Martyrium sanctæ Irenæi. 29 Martyrium sancti Jonæ et Barachisii et sociorum ejus. 30 Vita persimplicis P. N. Joannis, hegumeni in sancto monte Sinaï, cognominati Scholastici. 31 Vita sancti Joannis episcopi Silentiarii, in monasterio Patris nostri Sabæ.

KALENDARIUM PETROPOLITANUM. — SÆC. XI-XII.

September.

5 S. prophæte Zachariæ. 6 Archistrategi Michaelis. 8 Nativitas S. Deiparæ.

October.

1 S. apostoli Ananiæ. 6 S. apostoli Thomæ. 14 S. Nazarii, Gervasii, Protasii et Celsii. 23 S. Jacobi, fratris Domini. 28 Parasceviæ martyris.

(1) Ita Kopitarius in Hesychio; Assemanus vero utrumque dat ad diem 21. — (2) Has voces singulis diebus præscribere omisimus, brevitatis causa. — (3) Quæ asterisco adnotavimus, ea in codice Suprasliensi sub finem addita leguntur. Et quidem S. Jacobum monachum, cujus vita « *valde miserabilis* » fuisse dicitur a scriptore, non alium esse putamus a Jacobo qui in Kalendario Rumiantsoviano commemoratur ad diem quartam Martii, ubi similiter additur *vitam ejus esse percelebrem*.

November.

1 SS. anargyrorum Cosmæ et Damiani. 6 Pauli confessoris. 8 Archistrategi Michaelis et Gabrielis. 11 SS. Menæ, Victoris et Vincentii. 12 Joannis Eleemosynarii. 13 Joannis Chrysostomi. 14 Apostoli Philippi. 16 Apost. et evangel. Matthæi. 21 Introitus S. Deiparæ. 29 S. Joannis Damasceni.

KALENDARIUM MSTISLAVIENSE ANTE ANNUM 1117.

September.

1 Memoria S. Simeonis Stylitæ qui in Mandra. Et matris ejus Marthæ et memoria S. Deiparæ. 2 Passio S. mart. Mamantis. 3 Passio S. hieromartyris Anthimi. 4 Passio S. hieromart. Babylæ. 5 Memoria S. prophetæ Zachariæ, patris Joan. Baptistæ. 6 Memoria miraculi Chonis patrati ab archistratego Michaele. 7 Passio S. mart. Sozontis. 8 Nativitas sanctæ Deiparæ. 9 Synaxis sanctorum justorum Achimi et Annæ. 10, 11, 12, 13 Adoratio venerandæ Crucis. 14 Exaltatio venerandæ Crucis. 15 Passio S. mart. Nicetæ. 16 Passio sanctæ mart. Euphemiæ. 17 Passio SS. martyrum Fidei, Spei, Caritatis et matris earum Sophiæ. 18 Passio hieromart. Simeonis, episc. Hierosolymitani. 19 Passio S. mart. Trophimi et sociorum. 20 Passio S. mart. Eustathii et sociorum. 21 Passio S. mart. Theodori et sociorum. 22 Memoria S. mart. Phocæ. 23 Conceptio Joannis Præcursoris. 24 Passio S. protomartyris Theclæ. 25 Memoria S. Paphnoti et sociorum. 26 Transitus Joannis Theologi. 27 Memoria S. mart. Callistrati. 28 Memoria S. patris nostri Charitonis. 29 Memoria venerab. patris nostri Cyriaci. 30 Passio mart. Gregorii magnæ Armeniæ.

October.

1 Sancti apostoli Ananiæ. 2 Passio S. mart. Cypriani. 3 Memoria S. Dionysii areopagitæ. 4 Memoria S. Hierothei apostoli. 5 Memoria S. Mamelchthæ. 6 Passio S. apostoli Thomæ. 7 Passio SS. mart. Sergii et Bacchi. 8 Memoria venerabilis Pelagiæ, olim peccatricis. 9 Passio S. Jacobi Alphæi. 10 Passio S. Eulampii et sociorum. 11 Passio S. apost. Philippi diaconi, unius ex 70. 12 Passio SS. mart. Provi, Tarchi et Andronici. 13 Passio SS. mart. Carpi et Papyli. 14 Passio SS. mart. Nazarii, Gervasii et Celsii. 15 Passio S. mart. Luciani presbyteri. 16 Passio S. mart. Longini centurionis. 17 Memoria prophetæ Osiæ. 18 Sancti apostoli Lucæ. 19 Passio Cornelii et sociorum. 20 Passio sancti et magni martyris Artemii. 21 Memoria S. patris nostri Hilarionis. 22 Memoria S. P. N. Abercii. Eodem die sanctorum septem puerorum Ephesi. 23 Vacat. 24 Passio S. mart. Arethæ et sociorum. 25 Passio SS. notariorum Marciani et Martyrii. 26 Passio sancti et magni mart. Demetrii. 27 Passio S. Capetolinæ (et) Depositio venerandi capitis Joannis Præcursoris. 28 Passio S. Terentii et sociorum. 29 Passio sanctæ megalomartyris Anastasiæ. 30 Passio S. Zenobii et Zenobiæ. 31 Memoria S. Pauli Magni.

November.

1 Sanctorum thaumaturg. Cosmæ et Damiani. 2 Passio SS. mart. Ancudini et Pegasiæ. 3 Passio S. mart. Acepsimæ et sociorum. 4 Memoria venerab. patris nostri Joannicii. Eodem die dedicatio S. Sophiæ, quæ est in urbe Kiovia. Dedicata fuit ab Ephræmo metropolita. 5 Passio SS. mart. Galactionis et Domnini et Episimiæ. Eodem die dedicatio S. Theodori in Sphoracio. Et Dominica primogenita (*pervorodnaia*, id. est protoparentum). 6 Memoria S. Pauli confessoris. 7 Passio S. Hieronis et sanctorum 30 et 3 martyrum. 8 Synaxis archistrategi Michaelis et Gabrielis. 9 Memoria venerabilis Matronæ. 10 Sancti apostoli Jacobi Alphæi. 11 Passio SS. mart. Menæ, Victoris et Vincentii. 12 Memoria S. patris nostri Joannis Eleemosynarii. 13 Memoria venerab. patris nostri Joannis Chrysostomi. 14 Memoria sanctiapostoli Philippi. 15 Memoria SS. confessorum Gurii, Samonæ et Abibi. 16 Sancti et gloriosi apost. et evangel. Matthæi. 17 Memoria S. P. N. Gregorii Thaumaturgi. 18 Passio S. martyris Platonis. 19 Memoria S. prophetæ Abdiæ. 21 Ingressus in templum S. Deiparæ annos tres natæ. 22 Passio sanctæ Ceciliæ. 23 Memoria patris nostri Amphilochii. 24 Memoria V. P. N. Gregorii Acragantini. 25 Memoria sancti hieromart. Clementis papæ Romani. 26 Memoria S. P. N. Alympii Stylitæ. 27 Passio S. Jacobi Persæ. 28 Passio sancti martyris Irenarchi. 29 Passio S. mart. Paramonis et sociorum 300 et 70. 30 Sancti apostoli Andreæ.

December.

1 Memoria sancti prophetæ Nahum. 2 Memoria S. prophetæ Ambacum. 3 Memoria S. prophetæ Sophoniæ. 4 Passio S. mart. Barbaræ. 5 Memoria V. P. N. Sabbæ. 6 Memoria V. P. N. Nicolai. 7 Memoria V. P. N. Ambrosii. 8 Memoria V. P. N. Potapii. 9 Conceptio sanctæ Annæ. 10 Passio S. mart. Menæ et sociorum. 11 Memoria V. P. Danielis Stylitæ. 12 Memoria V. P. N. Spiridonis. 13 Passio SS. mart. Ustratii, Auxentii, Eugenii, Mardarii et Aresti. 14 Passio S. mart. Thyrsi et sociorum. 15 Passio S. mart. Eleutherii. 16 Memoria S. prophetæ Aggæi. 17 Passio SS. trium puerorum Ananiæ, Azariæ, Misaelis et Danielis prophetæ. 19 Passio S. mart. Bonifantii. 20 Passio S. hieromart. Ignatii Theophori. 21 Passio S. mart. Julianæ. 22 Passio S. mart. Anastasiæ. 23 Passio SS. martyrum decem in Creta. 24 Vigilia Nativitatis Christi. 25 Nativitas Domini Nostri Jesu Christi. 26 Synaxis S. Deiparæ. 27 Passio S. protomartyris Stephani. 28 De festo Nativitatis Christi et sanctorum martyrum 20,000. 29 Passio sanctorum Infantium. 30 Memoria venerabilis Anysiæ et de festo Nativitatis Christi. 31 Memoria sanctæ matris nostræ Melan(i)æ et de festo Nativitatis Christi.

Januarius.

1 Circumcisio D. N. Jesu Christi et memoria V. P. N. Basilii. 2 Memoria V. P. N. Silvestri et de festo Nativ. Christi. 3 Mem. proph. Malachiæ et profestum Luminum. 5 Vigilia Theophaniæ Christi. 6 Sancta Theophania (Domini). 7 Synaxis S. Joannis Baptistæ. 8 Mem. S. mart. Domnicæ. 9 Passio S. hieromart. Polyeucti et de festo Luminum. 10 Memoria V. P. N. Gregorii, ep. Nysseni et de festo Luminum. 11 Passio SS. mart. Marci et Agapii. Eodem die memoria V. P. N. Theodosii cœnobitæ. Et de festo Luminum. 12 Passio S. mart. Tatianæ et de festo Luminum. 13 Passio SS. mart. Hermolæ et Stratonici. 14 Memoria SS. Patrum in monte Sinai occisorum. 15 Memoria S. Joannis Calybitæ et Pauli Thebæi. 16 Adoratio venerandæ catenæ S. apostoli Petri. 17 Memoria V. P. N. Antonii Magni. 18 Memoria S. P. N. Athanasii et Cyrilli archiepiscopi Alexandriæ. 19 Memoria V. P. N. Macarii. 20 Memoria V. P. N. Euthymii. 21 Passio S. mart. Neophyti et S. P. Maximi confessoris. 22 Passio S. apost. Timothei et SS. mart. Victoris

ris et Vincentii. 23 Passio S. hieromart. Clementis, ep. Ancyrani. 24 Memoria venerabilis Xeniæ. 25 Memoria S. P. N. Gregorii Theologi. 26 Memoria venerabilis Xenophontis. 27. Translatio reliquiarum Joannis Chrysostomi. 28 Translatio reliquiarum S. Ignatii Theophori. 30 Passio S. hieromart. Hippolyti. 31 Passio SS. mart. Cyri (et) Joannis.

Februarius.

1 Passio S. mart. Tryphonis. 2 Occursus D. N. Jesu Christi. 3 Memoria sancti et justi Simeonis et Annæ Prophetissæ. 4 Memoria V. P. N. Isidori Pelusiotæ. 5 Passio S. mart. Agathæ. 6 Memoria V. P. N. Bucolæ, ep. Smyrnensis. 7 Memoria S. P. N. Parthenii. 8 Memoria S. proph. Zachariæ. 9 Passio S. mart. Nicephori. 10 Passio S. hieromart. Charalampii. 11 Memoria hieromart. Blasii. 12 Memoria S. Meletii, ep. Antiocheni. 13 Memoria S. P. N. Martiniani. 14 Memoria V. P. N. Auxentii. 15 Passio sancti apostoli Onesimi. 16 Passio S. mart. Pamphili et sociorum. 17 Passio sancti et magni martyris Theodori Tyronis. Eumdem S. Theodorum celebramus quoque Sabbato primæ hebdomadis jejunii (quadragesimalis). 18 Memoria V. P. N. Leontis. 19 Passio SS. mart. Archipapæ, Philemonis, Apphii. 20 Memoria S. P. N. Leontis et S. Archippi, discipuli S. Pauli. 21 Memoria S. Timothei. Eodem die S. Mauricii, et 70 discipulorum ejus. 22 Memoria S. P. N. Meletii, patr. Antiocheni. Et Proterii, patr. Alexandrini. Eodem die S. Eustathii, ep. Antiochiæ. 23 Passio S. hieromart. Polycarpi, ep. Smyrnensis. 24 Inventio venerandi capitis Joannis Præcursoris. 25 Memoria S. P. N. Tarasii, archiep. CPolitani. 26 Memoria V. P. N. Porphyrii, ep. Gazinensis. 27 Memoria V. P. N. Procopii Decapolitæ, confessoris. 28 Memoria vener. Basilii, confessoris et S. mart. Nestoris, episcopi.

Martius.

1 Passio S. mart. Eudociæ. 2 Memoria vener. Theodoti, ep. Cyrenensis. 3 Passio SS. mart. Eutropii, Cleonici et Basilisci. 4 Passio SS. Pauli et Ulianæ, sororis. 5 Passio S. Cononis, hortulani. 6 Passio SS. mart. 12, recenter manifestatorum in Syria. 7 Passio SS. mart et app. septem Corsunæ passorum, Basilii, Agatho(do)ri, Elpionis, Atherii et Capatonis. 8 Memoria V. Theophylacti, confess. et ep. Nicomediensis. 9 Passio SS. mart. quadraginta Sebastiæ passorum. 10 Passio S. mart. Condrati et sociorum. 11 Memoria vener. Sophronii, ep. Hierosolymitani. 12 Memoria S. Theophanis, confessoris. 13 Memoria reditus reliquiarum S. Nicephori, patr. CPolitani. 14 Pass. S. Alexandri, S. Benedicti. 15 Passio SS. mart. duorum Alexandrorum et duorum Dionysiorum, Agapii, Timolai, Romili et Plisii. 16 Passio S. mart. Papæ. 17 Passio S. Alexii, nuncupati hominis Dei. Accedit commemoratio magni terræ motus et resurrectio justi Lazari, amici Christi. 18 Memoria S. P. N. Cyrilli, archiep. Hierosolymitani. 19 Passio S. mart. Agapii et sociorum. 20 Passio S. mart. Photiniæ Samaritanæ et S. P. Germani. 21 Memoria V. P. N. Jacobi et S. Benedicti. 22 Passio S. hieromart. Basilii, presbyteri. 23 Passio S. hieromart. Niconis et sociorum 199. 24 Memoria venerabilis Artemonis, episcopi. 25 Annuntiatio S. Deiparæ. 26 Synaxim celebramus archangeli Gabrielis. 27 Memoria vener. Matronæ Solunensis. 28 Passio S. mart. Philippi et sociorum. 28 Memoria S. hieromart. Marci et Cyrilli, diaconi. 30 Memoria V. P. N. Joannis Climacis. 31 Passio S. mart. Uari.

Aprilis.

1 Memoria ven. Mariæ Ægyptiacæ. 2 Memoria V. Nicetæ (et) Josephi, auctoris (canonum). 3 Passio S. Theodosiæ, virginis et sociorum. 4 Passio S. mart. Theoduli, lectoris et Agathopodi, diaconi. 5 Mem. ven. Georgii in Maleo. 6 Mem. ven. Eutychii, ep. CPolitani. 7 Mem. ven. Georgii, ep. Melitinæ. 8 Mem. SS. apost. Rodionis et sociorum. 9 Passio S. mart. Eupsychii Cæsareensis. 10 Passio SS. mart. Terentii, Africani, Maximi, Pompei. 11 Passio S. hierom. Antipæ, ep. 12 Mem. ven. Basilii, confessoris. 13 Memoria ven. Martini, papæ Romani. 14 Passio hieromart. Simeonis, archiep. in Persia et aliorum. 15 Pass. S. mart. Sabbæ et S. Crescentis Myris. 16 Pass. S. mart. Leonidæ et sociorum. 17 Mem. S. P. N. Agapiti, papæ Romani. 18 Mem. ven. Cosmæ, ep. Chalcedonensis. 19 Mem. ven. Joannis Palæolauritæ. 20 Mem. ven. Theodori Trichinæ. 21 Pass. S. mart. Theodori Pergæ in Pamphilia. 22 Mem. vener. Theodori Syceotæ. 23 Passio sancti et gloriosi mart. Christi Georgii. 24 Pass. S. mart. Sabbæ Stratilatæ. 25 Mem. S. apost. et evangel. Marci. 26 Pass. hieromart. Basilii, ep. Amaseni. 27 Memoria S. Simeonis Hierosolymitani, cognati Domini secundum carnem. 28 Passio S. apost. Asonis et Sosipatri. 29 Mem. ven. Memnonis, thaumaturgi. 30 Passio sancti et gloriosi apost. Jacobi, filii Zebedæi et fratris S. Joannis Theologi.

Malus.

1 Passio sancti prophetæ Jeremiæ. 2 Mem. S. P. N. Athanasii Alexandrini. 3 Pas. S. mart. Timothei et Mauræ. 4 Mem. ven. Nicetæ, presbyteri et hegumeni. 5 Pas. S. mart. Irenes. 6 Pas. sancti et justi Job. 7 Mem. apparitionis venerandæ crucis quæ apparuit in cælis, regnante Constantino. 8 Mem. S. apost. et evangel. Joannis Theologi. 9 Pas. sancti et gloriosi proph. Isaiæ. 10 Pas. S. apostoli Simonis Zelotæ. 11 Benevolentia Dei spiritualiter agimus commemorationem conditionis hujus regiæ urbis a Deo servatæ. 12 Mem. V. P. N. Epiphanii, ep. Cypri et S. P. N. Germani. 13 Pas. S. mart. Glyceriæ. 14 Pass. S. mart. Isidori. 15 Mem. SS. et VV. PP. Pachomii et Theodori. 16 Mem. S. et V. P. Georgii, metr. Mitylinensis. 17 Mem. S. apost. Andronici, unius ex 70. 18 Mem. SS. mulierum Tecusisæ, Alexandræ, Sphainisæ, Euphrosiasæ, Matronæ et Theodotæ. 19 Pas. S. hieromart. Patricii, archiep. 20 Pas. S. mart. Thalelei. 21 Mem. sancti et orthodoxi regis Constantini et matris ejus Helenæ. 22 Mem. S. mart. Basilisci. 23 Mem. S. P. N. Michaelis, ep. Synnadensis. 24 Mem. V. P. N. Simeonis in monte Mirabili. 25 Tertia inventio venerandi capitis Joannis Præcursoris. 26 Mem. S. apost. Carpi, unius ex 70. 27 Pas. S. hierom. Therapontis. 28 Pas. S. hieromart. Helladii. 29 Pas. S. mart. Theodosiæ, virginis. 30 Mem. ven. Isaac, presbyteri monachi et confessoris. 31 Passio S. mart. Hermæi.

Junius.

1 Passio S. mart. Justini, philosophi. 2 Translatio reliquiarum S. Nicephori, archiep. CPolitani. 3 Pas. S. mart. Luciani et sociorum. 4 Mem. ven. Metrophanis, archiep. CPolitani. 5 Memoria terribilis periculi ob incursionem alienigenarum nobis imminentis, a quo liberalitate ac misericordia Dei precibusque Deiparæ et semper Virginis Mariæ liberati sumus. Eodem die passio SS. martyrum decem. 6 Pas. S. hieromart. Dorothei Tyrensis. 7 Pas. S. mart. Theodoti Ancyrani. 8 Mem. id est reditus sancti et magni mart. Theodori Stratilatæ. 9 Pas. SS. mart. Alexandri et Antonii. 10 Pas. S. Timothei, ep. Cyprensis. 11 Passio

Thomais, mart., 13 *april.*; mart. Alexandriæ, 14 *april.*

Thomas, patr. CP., 18 et 22 *febr.*, 19, 20, 21, 22 et 24 *mart.*, 13, 14 et 15 *nov.*; et Joannes Jejunator, patr. CP., 18 *febr.*; Novus, arch. CP., 22 *mart.*; Salus, mon., 24 *april.*; apost., 20 *junii*, 18 *sept.*, 6 *oct.* et 21 *dec.*; apost. tunicæ transl. CP., 20 *junii*; mart., 3 *julii*; in monte Malæo, 6 et 7 *julii*; cum Saba, 1 *nov.*; Junior, patr. CP., 13 et 15 *nov.*; mart., 20 *nov.*; Defurcinus, 10 *dec.*

Thyrsus et Agnes, mart., 20 et 21 *januar.*; Leontius vel Leucius, Coronatus et soc., mart., 16 et 17 *aug.*; Leucius, Callinicus, Philemon, Apollo et soc., mart., 14 *dec.*

Tiburtius et Valerianus, mart., 14 *april.*; mart., 11 *aug.*; cum Cæcilia, 22 et 24 *nov.*; cum Sebastiano, 18 *dec.*

Tigrius, presb. et Eutropius, lector, mart., 16 *junii.*

Timolaus, 15 *mart.*; cum Alexandro, 17 *maii.*

Timon ex 70 discipulis, 26 *junii*; apostolus, 28 *julii.*

Timotheus, apost., 22 *januar.*; T., 1 *febr.*; patriarcha, 13 *febr.* et 9 *maii*; Cæsareensis, 19 *febr.*; in Symbolis, 21 *febr.*; T., 21 et 22 *april.*; et

et Maura, mart., 3 *maii*, 9 et 10 *nov.*; ep., mart. Prusæ, 26 *maii* et 10 *junii*; ep. Proconesi et thaum., 1 *aug.*; Agapius et Thecla, mart., 19 *aug.*; T., 23 *aug.*; Theodorus, Eusebius et soc., mart. Strumitzæ, 29 *aug.*; Timotheus, ep. Gazensis, Agapius et Thecla, mart., 19 *sept.*; [e monasterio Esphigmeni in monte Atho, 29 *oct.*;] episc., 11 *nov.*; cum Polyeucto, 19 *dec.*
Tithoes, mon. in Thebaide, 26 *aug.*
Titus, mon Kioviensis, 27 *febr.*; apost., 2 *mart.*, 24 et 25 *aug.*; thaum., monachus, 2 *april.*; ep. Cretæ, 24 *aug.*
Tobias cum Attico, 3 *nov.*
Tranquillinus cum Sebastiano, 18 *dec.*
Transfiguratio D. N. J. C., 5 *aug.*
Tribimius cum Nestore, 1 et 2 *mart.*
Tribunus cum Felice, 30 *januar.*
Triphylius, 11 *junii*; Zeno, episc., 12 *junii*; ep. Leucusiæ in Cypro, 13 *junii.*
Troadius, 2 *mart.*, 6 et 12 *maii.*
Trophimus et Thales, mart., 11 et 16 *mart.*; et Eucarpus seu Eucarpion, mart., 18 et 22 *mart.*; apost., 14 et 15 *april.*, 19 *junii*, 31 *julii* et 29 *oct.*; Theophilus et socii tredecim, 21 et 23 *julii*; Dorimedon et Sarbatius, mart., 19 et 29 *sept.*; Tr. 13 *oct.*; in æde S. Pauli CP., 29 *oct.*; mart., 31 *oct.*
Tryphæna, mart., Victorinus et tres virg., 30 *januar.*; mart., 31 *januar.*; mart. Cyzici, 11 *april.*; mart., 9 *maii.*
Tryphon, mart., 1 *febr.*; patr. CP., 19 et 20 *april.*; mart., 29 *sept.*; Pečengensis, 8 *oct.*; martyr, 19 *dec.*
Tunica Christi Dom. allata ex Perside Mosquam, 10 *julii.*
Turbonus cum Speusippo, 16 *januar.*
Tuthaël, martyr, 4 *aug.*; et Christina, 5 *aug.*; cum Petronio, 4 et 5 *sept.*; et Babea, 10 et 11 *dec.*
Typhon, ep. Amathuntis et thaum., 16 *junii.*
Tychicus, apostolus, 31 *julii*, 7, 8 et 9 *dec.*; e 70 discipulis, 7, 8 et 9 *dec.*; cum Sosthene, 9 *dec.*
[Tychon Luchoviensis, 16 *junii*; T., 16 *julii*; ep. Varoneženssis, p. 328.]

V

Vadimus, archimandr. et mart., 9 *april.*
Valens cum Paulo, 16 *febr.*
Valentina cum Porphyrio, 10 *febr.*; cum Marco, 24, 26 et 27 *oct.*; cum Paulo, 15, 16, 17 et 18 *julii.*
Valentinus cum Pasicrate, 21 et 24 *april.*; cum Marino, 6 *julii*; ep. et mart. et soc., 30 *julii.*
Valeria cum Cyria, 5, 6 et 7 *junii.*
Valerianus cum Eugenio, 20 *januar.*; cum Tiburtio, 14 *april.*; cum Aphrodisio, 5 *maii*; cum Justino, 1 *junii*; cum Zotico, 13 *sept.*; V., 14 *sept.*; cum Cæcilia, 22 et 24 *nov.*; V., 29 *nov.*
Valerinus, mart., 25 *oct.*
Valerius, mart., 23 *april.*; et Seleucus, mart., 11 *sept.*; et Chrysaphus, mart., 25 *oct.*
Varus, mart., 31 *mart.*, 19 et 25 *oct.*; et socii 7, mart. et Cleopatra, ac hujus filius Joannes, 19 *oct.*; et socii 7, mart., 25 *oct.*
Vasilko, dux Rostoviensis, 4 *mart.*
Vatopedi mon. memoria, 4 *januar.*
Venceslaus, dux Bohemorum et mart., 4 *mart.*
Vendimianus, 1 *febr.*
Venedimus seu Benedictus cum Heraclio, 13, 14, 16, 17 et 18 *maii.*
Venerius cum Felice, 30 *januar.*
Vercus cum Bathusio, 26 *mart.*
Verius seu Berius, 29 *julii.*
Veronice, hemorrhoissa, 12 *julii*; V., 17 *julii.*
Verus cum Magistriano, 30 *dec.*
Vetula, mart., 15 *junii.*
Victor et Vincentius, mart., 22 *januar.*; cum Victorino, 31 *januar.*; cum Claudio, 5 *april.*; Zoticus, Zeno, Acyndinus, Cæsarius, Christophorus, Theonas, Severianus et Antoninus, mart., 18 et 20 *april.*; hegum. Casularum in Calabria transl., 16 *julii*; hegum., 27 *sept.*; et Stephanis, mart., 11 *nov.*; mon., 12 *nov.*
Victoria de Agarenis reportata sub Leone Isauro, 16 *aug.*; de Cosroe rege Persarum, 12 *dec.*
Victorinus cum Tryphæna, 30 *januar.*; Victor, Nicephorus, Claudius, Diodorus, Serapion et Papia, mart. Corinthi, 31 *januar.*; cum Condrato sive Codrato, 10 *mart.*; cum Claudio, 5 *april.*; cum Sebastiano, 18 *dec.*
Vincentius, mart., 24 *januar.*; diac. mart., 11 *nov.*; cum Terentio, 11 *dec.*
Virgines septem Gazæ, 31 *aug.* V. Martyres.
Vitalis, 11 *januar.*; cum Felicitate, 25 *januar.*; abbas in Sicilia, 8 *mart.*; mon., 22 *april.*; cum Zenone, 28 et 29 *april.*; cum Apollinari, 19 *julii*; ep. Ravennæ, Apollonius et Eugenius, ep., mart., 23 *julii.*
Vitus, Modestus et Crescens mart., 16 *maii*; et Modestus, ejus pædagog. et Crescentia, nutrix, mart., 15 *junii.*
Vladimirus, rex Russiæ, 15 *julii.*
Umbrius cum Magistriano, 30 *dec.*
Urbanus cum Eustochio, 23 *junii*; Theodorus, Medimnus et soc., mart., 5 et 6 *sept.*; cum Stachide, 30 *oct.*; apost., 31 *oct.*; ep. Macedoniæ, 29 *nov.*
Urbicius cum Magistriano, 30 *dec.*
Urošius, rex Serbiæ, 2 *dec.*
Urpasianus, 9 *mart.*; mart., 13 *mart.*
Ursicius seu Ursicinus, mart., 14 et 15 *aug.*
Vsevolodus seu Gabriel, rex Pscovensis, 11 *febr.*; ejusdem transl., 22 *april.*
Usthasanus cum Simeone, 17 *april.*

W

Wenceslaus, rex Bohemiæ, 28 *sept.*

X

Xantippa cum Polyxena, 22 *sept.*; X., 23 *sept.*
Xenia, virgo, 24 *januar.*
Xenophon, Maria, Arcadius et Joannes, 26 *januar.*; mart., et soc., 30 *januar.*
Xystus et Hippolytus, mart., 10 *aug.*

Y

Yperichius e martyribus Samosatenis, 29 *januar.*

Z

Zachæus apost., 20, 21 et 22 *april.*; diac. Gaddarensis et Alphæus, mart., 18 *nov.* et 18 *dec.*
Zacharias, propheta, 8 et 9 *febr.*, 15 et 16 *maii*, 24 *junii* et 25 *sept.*; pater Joannis Bapt., 11 *febr.* et 16 *maii*; ejusdem inventio reliq., 11 *febr.*; ep. Hierosol., 21 *febr.*; papa, 15 *mart.*; reclusus, 24 *mart.*; Z., 23 *oct.*; Scythotomus et Joannes, 17 *nov.*; [Bulgarus, *inter aëmeros.*]
Zarbelus seu Sarvelus cum Petronio, 4 *sept.*
Zebenas, mart., 13 *nov.*
Zebinus, Polychronius, Moyses et Damianus, eremitæ in Syria, 23 et 24 *febr.*
Zena cum Zenone, 22 et 23 *junii.*

Zenais, martyr, 5 *junii*; thaumaturga et martyr, 6 *junii*; cum Martha, 6 *junii*; cum Eusebia, 7 *junii*; cum Thecla, 9 *junii*; et Petronilla, martyres, 11 *oct.*

Zeno, 30 *januar.*; Z., 10 *febr.*; et Zoilus, mart., 3 *mart.*; mart., 5 *april.*; cum Terentio, 10 *april.*; ep. Veronensis et mart., 12 *april.*; cum Victore, 18 et 20 *april.*; Eusebius, Neon et Vitalis, mart., 27 et 29 *april.*; cum Aristarcho, 27 *april.*; Z., 11 *junii*; mart., 12 *junii*; episc., 12 *junii*; et Zena, mart., 22 et 23 *junii*; cum Neophyto, 11 *aug.*; mart., 3 *sept*; et Macarius, mart., 6 *sept.*; cum Eusebio, 21 *sept.*

Zenobia cum Zenobio, 30 et 31 *oct.*

Zenobius, ep. et Zenobia soror, 30 et 31 *oct.*

Zlata cum Chryse, *inter aëmeros.*

Zoe et Photina, 13 *febr.*; cum Hesperio, 2 et 3 *maii*; cum Sebastiano, 18 *dec.*

Zoilus Romanus, mart., 13 et 14 *april.*; presb., mart., 22 *dec.*

Zosimus et Athanasius commentariensis, 4 *januar.*; Z., 24 *januar.*; papa, 29 *januar.*; ep. Syracusæ, 30 *mart.*; Z., 1 *april.*; eremita, 4 *april.* et 19 *sept.*; Solovecensis, 17 *april.* et 3 *sept.*; monachus, 27 *april*; Z., 29 *april.*; Z., 19 *maii*; ep., 4 *junii*; miles et mart., 19 *junii*; erem. et mart., 19 *sept.*; cum Alphio, 28 *sept.*

Zoticus cum Victore, 18 et 20 *april.*; mart., soc. Agathonici, 22 *aug.*; Lucianus, Valerianus et Helus, mart., 13 *sept.*; cum Gajo, 21 *oct.*

INDEX

NOMINUM MEMORIIS SLAVICIS INSCRIPTORUM[1].

A

Abraamius Galicensis, 20 *julii*.
Abraamius Smolenscensis, 21 *aug*.
Abraham Rostoviensis, 29 *oct*.
Abramius Bulgarus, 1 *april*.
Agapetus, mon. Kioviensis, 1 *junii*.
Alexander Oševensis, 20 *april*.
Alexander, heg. Kustensis, 9 *junii*.
Alexander Svirensis, heg., 30 *aug*.
Alexander Nevensis, magnus dux, 23 *nov*.
Alexius, metr. Kioviensis, 12 *febr*.
Alypius, pictor Kievocryptensis, 17 *aug*.
Amphilochius, heg. Glušicensis, 12 *oct*.
Anastasius Kievocryptensis, 22 *januar*.
Anatolius, reclusus Kievocryptensis, 31 *oct*.
Andreas Bogolubensis, 29 *junii*.
Andreas, mon. Vologdensis, 10 *sept*.
Andreæ Perejaslaviensis transl., 27 *oct*.
Andronicus, heg., 13 *junii*.
Angelina, despota Serbiæ, 30 *julii*.
Anna, ducissa Kioviensis, 10 *febr*. et 4 *oct*.
Anna, ducissa Tverensis, 2 *oct*.
Antonius Romanus, 17 *januar*. et 3 *aug*.
Antonius Dymensis, 17 *januar*.
Antonius, ep. Novgorodensis, 10 *febr*. et 4 *oct*.
Antonius, cubicularius Olgerdi, ducis Lithuaniæ, 14 *april*.
Antonius, mon. Kievocryptensis, 10 *julii*.
Antonius de lacu Nigro, 17 *aug*.
Antonius Siensis, 7 *dec*.
Arcadius, ep. Novgorodensis, 10 *febr*. et 4 *oct*.
Arethas, mon. Kievocryptensis, 24 *oct*.
Arsenius Tverensis, 2 *mart*.
Arsenius Konevensis, 12 *junii*.
Arsenius I, archiep. Serbiæ, 28 *oct*.
Artemius Vercoliensis, 20 *oct*.
Athanasius, mon. Kievocryptensis, 2 *dec*.

B

Barlaam, heg. Chutynensis, 6 *nov*.
Barlaam, heg. Kievocryptensis, 19 *nov*.
Barnabas Vetlugensis, 11 *junii*.
Barsonophius, 4 *oct*.
Basilius, ep. Novgorodensis, 10 *febr*. et 4 *oct*.
Basilius, heg. Mirogensis, 5 *mart*.
Basilius et Constantinus, Jaroslaviæ duces, 3 *julii*.
Basilius, ep. Rezaniensis, 10 *julii*.
Basilius Salus Mosquensis, 2 *aug*.
Basilius, patr. Ipekiensis et erem. in Montenigro, 22 *dec*.
Bassianus et Jonas, Solovecenses, 12 *junii*.
Bassianus, heg. Totmensis, 12 *sept*.
Bojanus, princ. Bulgariæ et mart., 28 *nov*.
Borisus, rex Bulgariæ, 2 *maii*.
Borisus et Glebus, 24 *julii*.

C

Cassianus Uglicensis, 21 *maii*.
Clemens Alphani et fratres ejus, Cyrillus, Nicephorus, Niphon et Isaacius, præf. Novgorodenses, 4 *maii*.
Clemens, episcopus Velicensis in Bulgaria, 27 *julii*.
Constantinus, dux Muromiæ, ejusque filii Michaël et Theodorus, 21 *maii*.
Constantinus, metr. Kioviensis, 5 *junii*.
Constantius, presb. Russus, 26 *dec*.
Cornelius Komelscius, 19 *maii*.
Cryptensium seu Kievocryptensium Patrum memoria, 28 *aug*.
Cyprianus metr. Kioviensis, 16 *sept*.
Cyrillus Novoëzerensis, 4 *febr*.
Cyrillus Turoviensis, 28 *april*.
Cyrillus Belozerensis, 9 *junii*.
Cyrillus et Methodius, apostoli Slavorum, 5 *julii*.

D

Damascenus Chilandariensis, 16 *januar*.
Damianus Esphigmenius, 23 *febr*.
Damianus Larissæ a Turcis crematus, 23 *maii*.
Damianus, mon. Kievocryptensis, 5 *oct*.
Daniel, dux Mosquensis, 4 *mart*.
Daniel, Perejaslaviensis, 7 *april*. et 16 *oct*.
Demetrius, mon. Prilucensis, 11 *febr*.
Demetrius, princ. Uglicensis, 15 *maii*.
Demetrius Tanaicus, 16 *oct*
Demetrius, metr. Rostoviensis, 28 *oct*.
Dionysius, ep. Suzdaliensis, 26 *junii*.
Dovmontes, dux Pscovensis, 20 *maii*.

E

Eleazarus, mon. Anzerensis, 12 *januar*.
Elisæus, heg. Laurašensis, 23 *oct*.
Ephræm Novotorgensis, 28 *januar*.
Ephræm Perejaslaviensis, 28 *januar*.
Ephræm Perecomensis, 16 *maii*.
Ephræm, patr. Serbiæ, 22 *dec*.
Erasmus Kievocryptensis, 24 *febr*.
Euphrosyna, abb. Polocensis, 23 *maii*.
Euphrosynia, ducissa, 7 *julii*.
Euphrosynia, ducis Tchernigoviensis filia, 25 *sept*.
Euphrosynus Sinoëzerensis, 20 *mart*.
Euphrosynus, mon. Pscovensis, 15 *maii*.
Eupraxia Pscovensis, 16 *oct*.
Eustathius, archiep. Serbiæ, 4 *januar*.
Eustathius, cubicularius Olgerdi, ducis Lithuaniæ, 14 *april*.
Eustratius Kievocryptensis, 28 *mart*.
Euthymius, ep. Novgorodensis, 11 *mart*.
Euthymius Suzdaliensis, 1 *april*.
Euthymius Siamžensis, 15 *oct*.

G

Galactio, mon. et princ., 24 *sept*.

(1) Cfr Protestatio et Monitum initio operis impressa, pag. 24 et 27.

Gennadius Kostromensis seu Lubimogradensis, 23 *januar.*
Gennadius, archiep. Novgorodensis, 14 *dec.*
Gerasimus Novgorodensis, 24 *febr.*
Gerasimus Vologdensis, 4 *mart.*
Germanus, ep. Novgorodensis, 10 *febr.* et 4 *oct.*
Germanus, archiep. Cazanensis, 6 *nov.*
Georgius Magnus, Russiæ dux, 4 *febr.*
Georgius Junior a Turcis occisus, 11 *febr.* et 26 *maii.*
Georgius Novus, mart. in Bulgaria, 26 *maii.*
Gorazdus, episcopus Pannoniæ et Moraviæ, 17 *julii.*
Gregorius Kievocryptensis, 8 *januar.*
Gregorius, ep. Novgorodensis, 10 *febr.* et 4 *oct.*
Gregorius, mon. Kievocryptensis, 8 *aug.*
Gregorius Pelšmensis, 30 *sept.*
Gurius, archiep. Cazanensis, 4 *dec.*

H

Hadrianus, heg. Pošehonensis, 5 *mart.*
Herodion Iloëzerensis, 28 *sept.*
Hilarion Pscovensis, 28 *mart.*
Hilarion, ep. Meglinensis, 21 *oct.*

I

Jacobus, ep. Rostoviensis, 27 *nov.*
Jeremias Providus, 5 *oct.*
Ignatius, ep. Rostoviensis, 28 *maii.*
Ignatius Uglicensis, 28 *dec.*
Ignatius Vologdensis, 28 *dec.*
Igor, magnus dux Tchernigoviæ et Kioviæ, 5 *junii.*
Innocentius, ep. Siberiæ, 26 *nov.*
Joachim, ep. Novgorodensis, 10 *febr.* et 4 *oct.*
Joannes et Petrus Cazanenses, 24 *januar.*
Joannes Bulgarus a Turcis occisus, 5 *mart.*
Joannes, cubicularius Olgerdi, ducis Lithuaniæ, 14 *april.*
Joannes, dux Uglicensis, 19 *maii.*
Joannes Salus, Ustingensis, 29 *maii.*
Joannes Sučaviensis, 2 *junii.*
Joannes Salus, Mosquensis, 3 *julii.*
Joannes Patiens, mon. Kievocryptensis, 18 *julii.*
Joannes Rylensis, mon., 18 *aug.* et 19 *oct.*
Joannes seu Elias, archiepiscopus Novgorodensis, 7 *sept.*
Joannes, ep, Suzdaliæ, 15 *oct.*
Joannes Rylensis transl., 19 *oct.*
Joannes Pscovensis, 24 *oct.*
Joannes, despota Serbiæ, 10 *dec.*
Joannicius, erem. Devičensis, 4 *nov.*
Joannicius, archiep. Serbiæ, 22 *dec.*
Job, heg. Počajovensis, 29 *dec.*
Job Scetensis, 29 *dec.*
Jonas Pscovensis, 29 *mart.*
Jonas, metr. Mosquensis, 27 *maii.*
Jonas, archiep. Novgorodensis, 5 *nov.*
Josaphat, archiepiscopus Polocensis et martyr, 12 *nov.*
Joseph, heg. Volocensis, 9 *sept.*
Irenarchus, reclusus Rostoviensis, 12 *januar.*
Isaias, ep. Rostoviæ et thaum., 15 *maii.*
Isidorus et socii 70 ab equitibus Teutonicis occisi, 8 *januar.*
Isidorus Rostoviensis, 14 *maii.*
Juliana Muromiensis, 2 *januar.*
Juliana, virgo ducissa, 6 *julii.*
Juliana, ducissa Viazmensis, 21 *dec.*

K

Kievocryptensium patrum memoria, 28 *aug.*
Kukša, mon. Kievocryptensis et mart., 27 *aug.*

L

Laurentius Kievocryptensis, 29 *januar.*
Laurentius Salus, Kalugensis, 10 *aug.*
Lazarus-Abba, Muromiensis, 24 *mart.*
Lazarus, rex Serbiæ, 15 *junii.*
Leonidas, 5 *mart.*
Leontius, ep. Rostoviensis, 23 *maii.*
Lucas, ep. Novgorodensis, 10 *febr.* et 4 *oct.*

M

Macarius Kievocryptensis, 19 *januar.*
Macarius Kolazinus, 17 *mart.*
Macarius, metr. Kioviensis, 1 *maii.*
Macarius, heg. Jeltovodensis, 25 *julii.*
Macarius Obručensis, 7 *sept.*
Marcus et Theophilus, mon. Kievocryptenses, 29 *dec.*
Maria Deipara : Imaginis Kostromensis seu Theodoricæ apparitio, 14 *mart.*
Mariæ D. imago Vladimiriensis, 21 *maii.*
Maria D. Tichvinensis, 26 *junii.*
Maria D. Kazanica, 8 *julii* et 22 *oct.*
Maria D. Grebnevensis, 28 *julii.*
Maria D. Smolenscensis, 28 *julii.*
Maria D. dolorosa Mosquam allata, 13 *aug.*
Maria D. Tanaica, 19 *aug.*
Maria D. Vladimiriensis, 26 *aug.*
Maria D. Corsunensis, 9 *oct.*
Maria D. Hierosolymitana, 12 *oct.*
Maria D. Kazanensis, 22 *oct.*
Maria D. Consolatrix afflictorum, 24 *oct.*
Maria D. Zyrovicensis, 12 *nov.*
Maria D. Cupiaticensis, 15 *nov.*
Maria D. Miserans, 15 *nov.*
Maria D. Novgorodensis, 27 *nov.*
Martha, ducissa Pscovensis, 8 *nov.*
Martinianus, heg. Belozericus et Radoneženšis, 12 *januar.*
Martyres Strumitzani seu Tiberiopolitani, 29 *aug.*
Martyrius, ep. Novgorodensis, 10 *febr.* et 4 *oct.*
Martyrius, heg. Zelenecensis, 11 *nov.*
Matthæus Providus 5 *oct.*
Maximus Totmensis, 16 *januar.*
Maximus, Serbiæ despota, 18 *januar.*
Mercurius Smolenscensis, 27 *aug.*
Mercurius Smolenscensis, mart., 24 *nov.*
Metrophanes, ep. Voronegiæ, 23 *nov.*
Michaël Klopscius, Salus, 11 *januar.*
Michaël, dux Tchernigoviæ, 12 *febr.*
Michaël, dux Tchernigoviæ et mart., 20 *sept.*
Michaël, metr. Kioviensis, 30 *sept.*
Michaël, dux Tverensis, 22 *nov.*
Michaël, miles, 22 *nov.*
Moyses Novgorodensis, 25 *januar.*
Moyses Hungarus, 26 *julii.*
Mstislaus, magnus dux Kioviensis, 15 *april.*
Mstislaus, dux Novgorodiæ, 14 *junii.*

N

Nahum, episcopus Bulgariæ et thaum., 20 *junii.*
Nestor, monachus Kievocryptensis et annalista, 27 *oct.*
Nicander, heg. Pscovensis, 24 *sept.*
Nicetas Novgorodensis, 31 *januar.*
Nicetas, stylita Perejaslaviensis, 24 *maii.*
Nicolaus Kočanovius, Salus, 27 *julii.*
Nicolaus Sviatoša, 14 *oct.*
Nicon Kievocryptensis, 23 *mart.*

Nicon, heg. Radoneženſis, 18 *nov.*
Nicon Aridus, mon. Kievocryptensis, 11 *dec.*
Nilus, heg. Sorensis, 7 *maii.*
Nilus Stolobensis, 7 *dec.*
Niphon Novgorodensis, 8 *april.*

O

Olga, ducissa Kioviensis, 11 *julii.*
Onesiphorus, mon. Kievocryptensis, 9 *nov.*

P

Pachomius CP. a Turcis interfectus, 7 *maii.*
Paisius Galicensis, 6 *junii.*
Paisius Uglicensis, 6 *junii.*
Paphnutius, heg. Borovcensis, 1 *maii.*
Parasceve, virgo Ternobiensis, 14 *oct.*
Parasceve, heg. Polocensis, 28 *oct.*
Paulus Komeliensis seu Obnorensis, 10 *januar.*
Paulus a Tartaris occisus, 3 *april.*
Petrus, Muromiæ dux, 25 *junii.*
Petrus Nieguš, Montisnigri archiep. et princeps, 25 *junii.*
Petrus Rostoviensis, 29 *junii.*
Petrus, rex Bulgariæ, 25 *nov.*
Petrus Korišensis, erem., 25 *nov.*
Petrus, metr. Kioviensis, 21 *dec.*
Philippus, metr. Mosquensis, 9 *januar.*
Philippus Irapicus, 14 *nov.*
Philippus Rabangensis, 15 *nov.*
Philothea, virgo martyr culta in Valachia, 7 *dec.*
Photius, metr. Kioviensis, 2 *julii.*
Pitirimus, ep. Permiensis, 20 *maii.*
Pœmenus Patiens, monachus Kievocryptensis, 7 *aug.*
Polycarpus, heg. Kievocryptensis, 24 *julii.*
Prochorus Kievocryptensis, 10 *febr.*
Procopius Salus, Ustingensis, 8 *julii.*
Procopius Viaticensis, 21 *dec.*

R

Romanus Uglicensis, 3 *febr.*
Romanus, Riazaniæ dux, 19 *julii.*
Romilus, mon., 11 *januar.*

S

Sabbas, archiep. Serbiæ, 14 *januar.*
Sabbas II, archiep. Serbiæ, 8 *febr.*
Sabbas Pscovensis, 28 *aug.*
Sabbas Vyšerensis, stylita, 1 *oct.*
Sabbas, heg. Zvenigorodiæ, 3 *dec.*
Sabbatius Solovecensis, 27 *sept.*
Salvatoris et Mariæ Deiparæ festum, 1 *aug.*
Serapion Novgorodensis, 16 *mart.*
Sergius, mon. Suhtoviensis, 19 *maii.*
Sergius et Germanus Balaamici, 28 *junii.*
Sergius, heg. Radoneženſis, 25 *sept.*
Sergius Vologdensis, 7 *oct.*
Silvester Kievocryptensis, 2 *januar.*
Simeon, ep. Novgorodensis, 10 *febr.* et 4 *oct.*
Simeon Nemania, 13 *febr.*
Simeon Volomensis, 12 *julii.*
Simeon Verhoturensis, 12 *sept.*
Sophiæ seu Sapientiæ festum, 8 *sept.*
Spiridion et Nicodemus, mon. Kievocryptenses, 31 *oct.*
Stephanus Permiensis, 26 *april.*
Stephanus Vladimiriensis, 27 *april.*
Stephanus Komelscius, 12 *junii.*
Stephanus Macriščensis, 12 *julii.*
Stephanus seu Simon, Serbiæ megajupanus et rex primocoronatus, 24 *sept.*
Stephanus Schilanovič, princ. Serbiæ, 4 *oct.*
Stephanus, despota Serbiæ, 9 *oct.*
Stephanus Milutinus, rex Serbiæ, 30 *oct.*
Stephanus Dečanensis, rex Serbiæ, 11 *nov.*

T

Theoctistus, archiep. Novgorodensis, 23 *sept.*
Theodorus Novgorodensis, Salus, 19 *januar.*
Theodorus, dux Novgorodensis, 5 *junii.*
Theodorus et Joannes, martyres Kiovienses, 12 *julii.*
Theodorus et Basilius, mon. Kievocryptenses, 11 *aug.*
Theodorus, dux Jaroslaviensis et filii, David et Constantinus, 19 *sept.*
Theodorus et Paulus, mon., 22 *oct.*
Theodorus, archiep. Rostoviæ, 28 *nov.*
Theodosius Uglicensis, 7 *januar.*
Theodosius Ternobiensis, 28 *januar.*
Theodosius Totmensis, 28 *januar.*
Theodosius Kievocryptensis, 3 *maii.*
Theodosii Kievocryptensis transl., 14 *aug.*
Theognostus, metr. Kioviensis, 14 *mart.*
Theophilus, archiep. Novgorodensis, 28 *aug.*
Therapontes, heg. Belozerensis, 27 *maii.*
Therapontes Monzensis, 12 *dec.*
Titus Kievocryptensis, 27 *febr.*
Tryphon Pečengensis, 14 *dec.*
Tychon Luchoviensis, 16 *junii.*

V

Vasilko seu Basilius, dux Rostoviensis, 4 *mart.*
Vladimirus, rex Dalmatiæ et mart., 22 *maii.*
Vladimirus, magnus dux Russiæ, 15 *julii.*
Vladimirus Novgorodensis, 4 *oct.*
Urošius, rex Serbiæ, 2 *dec.*
Vsevolodus, dux Pscovensis, 11 *febr.*
Wenceslaus, rex Bohemiæ, 28 *sept.*

Z

Zosimus Solovecensis, 17 *april.*

ACTA

ACTA SANCTORUM

OCTOBRIS.

TOMUS UNDECIMUS.

DIE VIGESIMA QUINTA.

SANCTI QUI VIII KALENDAS NOVEMBRIS COLUNTUR.

S. Fronto, episc. Petragoricensis in Galliis.
S. Minias, mart. Florentiæ in Thuscia.
SS. Quadraginta sex martyres, et alii
SS. Martyres centum viginti et unus, inter quos
S. Theodosius,
S. Lucius,
S. Marcus,
S. Petrus et probabiliter
S. Maximus Millenarius.
} Romæ.
SS. Chrysanthus et Daria, martyres Romæ.
SS. Crispinus et Crispinianus, mart. Suessionibus in Galliis.
SS. Valerinus, Sabinus, Valerius et Chrysaphus, martyres.
S. Saturninus,
S. Claudianus,
S. Primus,
S. Flavianus,
S. Zoticus,
S. Asterius,
S. Carus,
S. Saturus,
} MM. in Africa.
S. Gavinus, miles, S. Protus, presbyter, et S Januarius, diaconus, martyres Turribus in Sardinia.
SS. Martyrius et Marcianus, martyres Constantinopoli.
S. Spanus,
S. Lupus,
S. Benignus,
S. Messapius,
S. Marcellianus,
S. Genitor,
S. Principinus et
S. Tridorius,
} pro martyribus culti in agris Turonensi et Bituricensi.
S. Celsinus, presb. et conf. Remis in Gallia.
S. Gaudentius, episc. Brixiensis in Italia.
S. Bonifacius papa I, Romæ.
SS Canna, Sadwren seu Saturninus, Crallo et Elia Geimiad seu Hilarius, conff. non pontt. in Wallia.
S Hilarus, episc. Gaballorum in diœcesi Mimatensi in Galliis.
S. Dulcardus, eremita et conf. in agro Bituricensi in Galliis.
S. Lasrius seu Lasrianus in Drum-Liag in Hibernia.
S. Caideus seu Caidocus. conf. in Hibernia.
S. Mernocus, episc. et conf. patronus de Kilmernok in Scotia.
S. Ardovinus seu Arduinus, conf. Ceperani in ditione pontificia.
S. Lasrianus, conf. in Hibernia.
SS. Rufinianus et Lupus, episcopi Bajocenses in Galliis.
S. Maurus, monachus in Burgundia Jurana.
S. Childomara seu Childomarca, abbatissa Fiscanensis in Normannia.
S. Guesnoveus, conf. et episc. Leonensis in Britannia Armoricana.
S. Fructus, conf. et SS. Valentinus et Engratia, martyres in diœcesi Segobiensi in Hispania.
S. Nicius, conf. monachus prope Pontemcurvum in Italia.
S. Cletus, conf. Tibure in Latio.
B. Margareta, martyr, Roskildiæ in Dania.
B. Ludovicus de Arnstein, conf. et conversus Ord. Præmonstratensis.
BB. Albertus et Gerardus, conff. monachi Saxiferrati in Piceno.
B. Franciscus de Calderola, conf. Ord. FF. Minorum, Colfani in Italia.

A D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

S. Amandi, *episcopi Trajectensis, ordinatio, translatio prima ejusque basilicæ dedicatio commemoratur hodie in ms. Martyrologio ecclesiæ S. Lamberti Leodiensis; quæ ab aliis postridie celebratur. Decessores nostri de ea egerunt, quum illustrarunt sanctissimi viri gesta,* VI Februarii.

Vasione, S. Theodosii, episcopi, *memoriam hodie celebrant cardinalis de Noaliis in Martyrologio Parisiensi et Castellanus in Martyrologio Universali. De eo dixit Bollandus noster ad diem 14 Februarii, qua laudatur a Saussayo. Dubitavit tamen nonnihil decessor noster de cultu beati viri* (1). *Nil certius quam ejus festum agi die 25 Octobris, quemadmodum testes sunt Ludovicus Anselmus Boyer in Historia Vasionensi* (2) *et Fratres Sammarthani* (3). *Nihilominus Dionysius Sammarthanus* (4) *sancti titulum ei ademit; sed immerito. Nam in Ordine Vasionensi recitandi divini officii per annum bissextilem 1676 fieri jubetur ejus festum tamquam de confessore pontifice ritu duplici secundæ classis. Josephus Franciscus Gualteri, qui sub initium sæculo* XVIII *cathedram Vasionensem obtinuit, reperit S. Theodosii reliquiarum partem, panno aureo et serico involutam, cum apposita epigraphe, sub altari marmoreo, quod simul cum veteri odeo diruendum curabat* (5). *Cætera vide in opere nostrò ad diem* XIV Februarii.

Translatio S. Simeonis, episcopi et confessoris, Metensis ecclesiæ pastoris piissimi, *totidem his verbis annuntiatur hac die in auctario Usuardino Luxoviensi. In monasterio Senonensi in Lotharingia, quo delatum fuerat S. Simeonis corpus, fiebat quotannis solemnis hujus rei memoria; quemadmodum pluribus explicuit Bollandus ad diem, qua beatum suum præsulem colunt Metenses,* XVI Februarii.

Andegavis, translatio S. Albini *memoratur hac die in auctario Usuardi Burdigalensi, et* C *in Martyrologio Benedictino Menardi, qui eam memoriam desumpsit ex Breviario monastico S. Albini Andegavensis. De hac translatione, die 25 Octobris anni 1070 facta, uti etiam de aliis S. Albini rebus vide decessores nostros ad diem, qua S. Albinus potissimum colitur,* I Martii.

S. Godebertæ, virginis Noviodunensis, translatio *recensetur hodie in Florario ms., passim in opere nostro citato : de hujus virginis rebus consule opus nostrum ad diem* XI Aprilis.

In Anglia, translatio S. Joannis Eboracensis et confessoris, *memoratur hac die a Greveno in sua Usuardi editione et secundum eum a Walassero in Martyrologio Canisiano seu Germanico. Agitur de S. Joannis Beverlacensis, Eboracensis archiepiscopi, corporis solemnissima translatione, die 25 Octobris anni 1044 peracta; quam cum Actis beatissimi viri illustravit Henschenius noster ad diem* VII Maii.

Apud Suricum in Lario translatio B. Miri, eremitæ et confessoris, cujus corpus ex humili sede, in qua dudum jacuerat, ultima die dominica anni 1637 elatum ad nobiliorem tumulum, magna totius regionis celebritate ac pietate Lazarus Carafinus, Novocomensis episcopus, sub ara majori in ecclesia S. Michaelis reposuit. *Hæc Tattius sub hac die in Martyrologio Novocomensi. De S. Miro dixere decessores nostri ad diem* X Maii.

S. Guiberti, *fundatoris monasterii Gemblacensis, memoria hac die celebratur in Kalendario ms. Benedictino, fere desumpto ex Trithemio. De hac ipsa memoria et sancti viri gestis dictum est in opere nostro ad* XXIII Maii.

In Italia sancti Petri, abbatis Perusini, magnis vitæ meritis illustris, *memoria multis celebratur hac die a Bucelino in Menologio Benedictino, ab Antonio de Heredia in Vitis sanctorum ordinis S. Benedicti et ab aliis ejusdem instituti viris. Dederunt ejus Vitam decessores nostri ad diem, qua ejus festum agitur,* X Julii. E

S. Radegundis, reginæ Franciæ, *memoria et laudes hodie celebrantur in Viola Sanctorum, sæculo* XV *sine loco et anno edita; de ea egerunt decessores nostri ad diem* XIII Augusti.

S. Paulum, confessorem, *celebrat hoc die codex Slavicus Joannis Alexandri, Bulgarorum regis, quo passim Assemanus usus est. Indicatur procul dubio unus ex tribus patriarchis seu episcopis Constantinopolitanis, quos Græci honoribus ecclesiasticis colunt. Primus sæculo* IV *martyr obiit; dicitur* Paulus confessor *et colitur ab Orientalibus die 2 Septembris et 6 Novembris; quin etiam in Menæis Græcorum, anno 1843 excusis, ejus confessionis beatæque mortis breve texitur encomium; a Latinis vero agitur ejus memoria die, sub qua in opere nostro de eo actum est,* F VII Junii;

secundus Paulus novus *seu* Junior, *qui, ab anno 641 ad 651 Constantinopoli sedens, Monothelitis favit eaque de causa a Theodoro papa damnatus est; sed nihilomius apud Græcos Fastis ecclesiasticis inscriptus est ad diem* II Septembris;

qui probe distinguendus est a S. Paulo Novo, *militiæ duce et martyre sub Constantino Copronymo, qui legitimum cultum et locum in opere nostro nactus est ad diem* VIII Julii;

alius Paulus Junior, *qui sæculo* VIII *archiepiscopalem Constantinopolitanem cathedram occupavit, Fastis Græcis insertus diebus 20 et 30 Augusti et in opere nostro celebratus est ad diem* XX Augusti.

Paulus *itaque* confessor, *qui in illo Slavo-Bulgarico libro laudatur, idem habendus est ac*

(1) Acta SS, tom. II Februarii, pag. 782, 785 et 901. — (2) Hist. de l'égl. cathed. de Vaison, part. I, pag. 40. — (3) Gallia Christiana, tom. III, pag. 1055. (4) Gallia Christiana nova, tom. I, col. 922 et 925. (5) Boyer. Hist. de l'égl. cath. de Vaison, part. I, pag. 41.

qui

A *qui in opere nostro illustratus est ad diem*
vii Junii.

Translatio S. Bartholomæi de insula Lippari in Beneventum *recolitur hac die in auctariis Usuardi Vaticano et Bedæ Barberiniano; eamdemque pluribus prosequitur Grevenus in sua Usuardi editione et Walasser in Martyrologio Germanico. De ea dixere decessores nostri sub die, qua ejus nomen in Martyrologio Romano occurrit,* xxiv Augusti.

Sanctonis, translatio corporis S. Bibiani, episcopi et confessoris *refertur hac die in pluribus codicibus Hieronymianis, justo auctioribus, in quibus passim ejus nomen plane corruptum est. In codice Florentinii Lucensi dicitur* Jubianus; *in Augustano Sollerii* Urbanus; *in Labbeano ejusdem* Julianus; *sed dubitandum non est quin sit S. Bibianus, qui et* Vibianus *et* Vivianus, *episcopus Sanctonensis. Ejus corpus dicitur ab aliis Figiacum apud Cadurcos translatum, ab aliis in templum S. Vibiani Rothomagense. Sed de neutra translatione agitur; verum potius de prima solemnitate, quum non multo post mortem in*
B *basilica, sub ejus patrocinio extructa, corpus ejus de terra levatum est. Cæterum vide ejus Acta in opere nostro ad diem, qua potissimum colitur,* xxviii Augusti.

S. Stephani regis confessoris, cujus anima evolavit in cælum decimo octavo Kalendas Septembris, ac festum recensetur quarto nonas Septembris. *Ita in Martyrologio Carmelitarum Calceatorum. De eo dictum in opere nostro sub die quarto nonas seu*
ii Septembris.

Natalis sancti martyris Anastasii, qui fidei christianæ prædicatione multos convertens, ense obtruncatus, quievit in Domino, *annuntiatur hac die in Menologio, quod ex Menæis Græcorum collegit cardinalus Sirletus et Henricus Canisius* (1) *edidit; atque ejus etiam memoria celebratur in Menæis Græcorum, anno* 1843 *Venetiis editis, et similiter in Prologo Slavico aliisque recentioribus libris Slavicis. De præclaro hoc Salonitano in Dalmatia martyre tractarunt decessores nostri ad diem* vii Septembris.

Eporediæ, *vulgo* Ivrée, Ivoria *in Pedemontio,*
C S. Teguli, martyris et patroni, *festum nuntiant hac die Ferrarius in Catalogo generali sanctorum et in Catalogo sanctorum Italiæ, Saussayus in Martyrologio Gallicano, Castellanus in Martyrologio Universali et auctor Hagiologii Italici : quibus accedunt Kalendaria liturgica Eporediensia, etiam recentiora. Censetur inter martyres legionis Thebææ seu S. Mauritii comites. Habemus præ manibus antiquas lectiones Eporedienses de S. Tegulo; sed his nil continetur quod accuratius non legatur in Actis S. Mauritii. Ex quo tempore V. V. Braunius dissertationem suam edidit de legionis Thebææ martyrio* (2), *cujus epitomen dedimus ex alieno relatu in tomo superiori* (3), *sed quæ nunc in musæo nostro exstat, operæ pretium esset decessorum dicta confirmare præclaris Braunii inventis; sed quum in multis chartis, quas de S. Tegulo possidemus, nil sit quibus clarius illustrari* D *possint ejus gesta et cultus, melior occasio expectanda est; tantoque magis quanto minus certum est S. Tegulum reapse de S. Mauritii comitatu fuisse. Superest itaque ut amendemus lectorem ad ea, quæ de eo collegerunt decessores nostri* (4) *sub die, qua S. Mauritius cum multis suis sociis colitur,*
xxii Septembris.

S. Demetrii, martyris celeberrimi Thessalonicensis, *quem non soli Christiani, verum etiam Mahumedani sub nomine* Casin-Giuni *colunt (non secus ac S. Georgium, quem* Hydyrlez *nuncupant), festivitas agitur ab Hungaris hac die, qua etiam ejus nomen inscriptum est Martyrologio Whitfordi Anglico, anno* 1526 *Londini vernacule edito, atque aliis etiam Fastis sacris. Sed multo pluribus ad diem* 26 *Octobris inserta est ejus memoria. De eo dixere decessores nostri ad diem, qua ejus natalis celebratur in Martyrologio Romano,* viii Octobris.

S. Gereonis martyris translatio *memoratur in Florario ms., quod penes decessores nostros erat. De hoc sancto vide opus nostrum ad diem* E
x Octobris.

S. Eduardi, confessoris, de quo tertio idus Octobris memoria recolitur. *Ita in Martyrologio Seraphici Ordinis. Vide itaque in opere nostro ad III idus seu diem*
xiii Octobris.

S. Varum martyrem et septem socios *laudat hac die Menologium Basilii; eosque ad hanc quoque diem reperit Assemanus, ut ipsemet in Kalendariis Ecclesiæ universæ tradit, in codice suo Slavico, circa annum* 1350 *exarato ad usum Joannis Alexandri, Bulgarorum regis* (5). *Et quidem conveniunt etiam Menologia Græca Mazarinense et Medicæum. De S. Varo ejusque sociis egimus die*
xix Octobris.

Viconiæ anno Domini 1236 plurimorum corporum ex societate S. Ursulæ translatio, facta per Nicolaum de Valencenis, loci cœnobitam, *annuntiatur hac die a Gelenio in Fastis sacris, quos suæ Magnitudini Coloniæ inseruit. De hac translatione dixi in Gloria posthuma S. Ursulæ et sociarum ad diem*
xxi Octobris. F

S. Syram, virginem, *Meldis et Catalauni cultam, nuntiat hac die Adalbertus Müller in Martyrologio suo Universali, errore duorum dierum. De ea diximus ad* xxiii Octobris.

S. Octavianum, episcopum Comensem, *laudat præsenti die auctor Hagiologii Italici. De eo diximus sub die, qua vere colitur,*
xxiii Octobris.

SS. Claudiani, Rogati, Papiri, Felicis et Vitalis, *martyrum, partim Nicomediensium in Bithynia, partim Hierapolitanorum in Phrygia, memoriam reperit Florentinius in Hieronymianis codicibus Lucensi, Antverpiensi seu Epternacensi et Corbejensi. De iis diximus ad diem, quo in iisdem codicibus et in multis aliis inscripti sunt,* xxiv Octobris.

Dedicationes ecclesiæ metropolitanæ Toleti et majoris ecclesiæ Gienæ in Hispania *memo-*

(1) Thesaurus monumentorum, edit. Basnage, tom. III, part. I, pag. 481. — (2) Zur Geschichte der Thebaischen Legion, Bonn, 1855. — (3) Acta SS., tom. IX Octobris, p. 156. (4) Ibid., tom. VI Septembris, pag. 924 et 925. — (5) Kalendaria Ecclesiæ Universæ, tom. V, pag. 206.

rantur

A *rantur hac die secundum Kalendaria diœcesana a Tamajo in Martyrologio Hispanico et a Ferrario in Catalogo generali sanctorum; similiter* dedicatio ecclesiæ sanctorum apostolorum Petri et Pauli Cluniaci, ab Innocentio papa secundo *celebratæ, memoratur a Menardo in Martyrologio Benedictino; atque etiam* dedicatio ecclesiæ SS. Joannis Baptistæ et Vincentii levitæ et martyris Carnotis *annuntiatur a Greveno in sua Usuardi editione et a solito suo sequace Walassero in Martyrologio Canisiano. In hæc inquirere non solemus, sed quæ sponte obvia fiunt in prætermissis obiter indicare.*

Lomatii in plebe Fini diœcesis Comensis translatio S. Epiphanii martyris, quæ summo populorum concursu ac religione peracta est hac die *(anno* 1665), quando veneranda beati athletæ pignora paucis ante annis ex Urbe *(ex cœmeterio Cyriacæ)* delata, publicam venerationem habere cœperunt. *Ita Aloysius de Tattis in Martyrologio Novocomensi. Hoc martyrum genus, de quo nihil præter nudum nomen profertur, et quidem nuspiam inscriptum aliquo in Martyrologio, censemus hic*
B *loci ponendum esse.*

Treviris, translatio S. Sabani episcopi *notata erat in Florario ms., quod passim in opere nostro adductum fuit. Is proculdubio Sabinus est, cujus natalis in eodem Florario nuntiatus fuit sub die* 31 *Julii. Ut se nil de eo reperisse ad hanc diem decessores nostri fassi sunt, sic quoque nobis, quamvis centum abhinc annis tot egregii libri de rebus ecclesiasticis Trevirensibus in lucem venerint, nil innotuisse dicamus necesse est.*

Germanus de Kill-Gorman in Arthir Lageniæ *occurrit hac die in Martyrologio Dungallensi et Mariani Gormanni. Videtur esse patronus parœciæ Kilgorman in baronia de Gorey, in comitatu Wexfordiensi, in provincia Lageniæ. Eum illic abbatem fuisse censet Archdallius. Malim cum Colgano, qui ejus meminit (in Triade thaumaturga, pag.* 16), *non tam doctus videri. Qui conjecturas volet, adeat Colganum.*

Duthrucht Lemchaille *seu* Dutrachta de Lemchoille, Beocus, Conaca virgo, Maeluider,
C *qui et* Moelodarius *et* Mailodarius, *annuntiantur hac die in Martyrologiis Tamlactensi, Dungallensi et aliis hibernicis. De aliquibus ex iis dixit Colganus, nil tamen luminis affundens. In Martyrologio Dungallensi, nuperius edito additur:* Dutracht videtur esse eadem quæ Durach, filia Ennæ, filii Corbmaci, qui est de familia Colla-dà-Chrioch.

S. Silissam Virginem, in sacris ecclesiæ Tolosanæ tabulis dudum annua commemoratione celebrem, *laudat hoc die Saussayus in supplemento ad Martyrologium Gallicanum et secundum eum Arturus a Monasterio in Gynecæo. Nullus dubito quin quæ perhibet Saussayus vera sint, quum præteritis etiam diebus sancti, Tolosæ culti et in reliquo occidente fere incogniti, nobis obvii fuerint. Verum cæterum hæc sancta incognita nobis est. Nihil de ea in Officiis sanctorum propriis ecclesiæ et diœcesis Tolosanæ, quæ anno* 1647 *archiepiscopus Carolus de Montchal edi jussit; nihil in recentioribus Kalendariis; et demum nihil in Catalogo sanctorum et sanctarum, quod post mortem auctoris Simonis de Peyronnet, parochi* D *B. Mariæ de Tauro Tolosæ, editum est Tolosæ anno* 1706. *Quare cogimur eam prætermittere.*

S. Prosperi martyris *memoriam faciebant hac die pristinæ Societatis nostræ patres in collegio Antverpiensi, in cujus templum, non secus ac in templum domus professæ Antverpiensis, illata fuerant plura corpora, eruta ex cœmeteriis romanis; quæ inter S. Prosperi. Sæpe jam innuimus quare satis nobis sit hoc sanctorum genus in prætermissis memorare.*

S. Notarius *annuntiatur hodie in codice Slavico Ostromirano; quod nomen mutavit Kopitarius in* Kutarium; *quantum hæc omnia erronea sint explicatur in hoc tomo in Anno Ecclesiastico Græco-Slavico ad præsentem diem.*

Memoria sanctæ matris nostræ Tabithæ, Joppensis, quæ et Dorcas appellatur, *fit hodie in Menologio ms. Græco Sirmundiano seu Claromontano; atque etiam in Menæis excusis in hunc modum :* Memoria sanctæ Tabithæ, quam S. Petrus a mortuis suscitavit. *Sequitur hoc distichum :* E

Ποῦ σοι, Ταβιθὰ, Πέτρος; εἰ γὰρ ἦν πάλιν,
Ἤγειρεν ἄν σε καὶ θανοῦσαν ὡς πάλαι.

Quos versus ita vertit Siberus :

Ubi, Tabitha, Petrus est? Si viveret,
Adhuc (puto) resuscitaret mortuam.

Verum quum id decessorum institutum fuerit ut de viris et mulieribus, qui ex Scripturis sanctis innotuerunt, commentarios non scriberent, nisi eorum cultus alicubi in ecclesia latina vigeret, (orientales enim, ut fastos suos sacros celebribus nominibus onerarent, nimia facilitate usi visi sunt;) Tabithæ autem festivitatem nuspiam sciamus a Latinis agi, cogimur a laudanda hac muliere (de qua cæterum Actus Apostolorum et commentarii legi possunt) abstinere. Ejus jam nomen in Prætermissis ad diem 13 *Septembris occurrit.*

Stephano, presbytero Bajocensi, *qui in Actis SS. Rufiniani et Lupi occurrit, locum dedit in suo Martyrologio universali Castellanus; sed immerito : certe cultus ecclesiastici nulla reperimus vestigia. Cæterum de eo nil novimus, quod in illis Actis non sit.* F

Romæ depositio beati Offæ orientalium Saxonum regis, monachi et confessoris, *recolitur hodie a Bucelino et ab Antonio de Heredia inter sanctos et venerabiles viros ordinis S. Benedicti, quorum hodie memoria fit. Ejus laudes vide lib. V, cap.* 19, *Historiæ ecclesiasticæ Angliæ Ven. Bedæ : cæterum numquam cultus fuisse videtur.*

In monasterio S. Galli apud Helvetios, B. Ratperti monachi, ex regio sanguine et antiquorum Saxonum genere oriundi, qui magna et sanctitatis et eruditionis laude refulsit. *Ita Bucelinus ad hanc diem et alii Menologi Benedictini. Primus ejus laudes scripsit Ekkehardus IV, continuans Casus S. Galli, incohatos ab ipso Ratperto et ab Ildephonso ab Arx diligentissime in tomo II Monumentorum Germaniæ Pertzii editos. Joannes Mezlerus, non secus ac Arxius cœnobita San-Gallensis, qui ad finem sæculi XVI duos libros edidit de Viris illustribus San-Gallensibus, editos a Pezio ad finem partis III tomi I Anecdotorum, lib. I, cap.*

A *cap.* 23, *res Ratperti brevibus complexus est. D. Rivetus in tomo V Historiæ literariæ Franciæ easdem fusius prosecutus est; et Ildefonsus ab Arx, tum in fronte editionis Casuum S. Galli, tum in tomo I, cap.* 3, *Historiæ vernaculæ pagi S. Galli, quantum satis erat, dixit de egregio hoc viro, qui sub medium sæculum IX scholas exteriores S. Galli direxit. Hi omnes nequaquam parci sunt in laudando Ratperto; sed abstinent a nuncupando eo beato, quoniam cultum ecclesiasticum habuit numquam.*

Remis sancti Hecmari episcopi, qui Ludovicum Balbum coronavit anno 878 ibique magna celebritate colitur. *Sic ad hanc diem Ghinius in Sanctorum canonicorum natalibus, anno* 1621 *Venetiis prelo excusis; et quidem ad marginem indicat se ea ex Democharis topographia sumpsisse; et, quem* Hecmarum *appellarat, ab aliis dici* Hincmarum *et* Haymardum. *Re vera celeberrimus Hincmarus Remensis, qui anno* 877 *Compendii Ludovicum Balbum coronavit, et anno* 882, *die* 21 *aut* 23 *Decembris vita functus est, indigitatur : ast*
B *ille, licet summus vir et de religione atque imperio plerumque bene meritus, ecclesiasticos honores adeptus est numquam. Flodoardus præcipua ejus gesta complexus est et post eum alii complures; ex quibus alios nominare nolim, nisi Marlotum, tomo I Metropolis Remensis historiæ, Galliæ Christianæ scriptores, tomo IX, et Rivetum, tomo V Historiæ literariæ Galliæ.*

Waldpertum, monachum S. Galli, *annuntiat hac die Adalbertus Müller in Martyrologio universali, quod Germanico idiomate nuper edidit, secutus elenchum sanctorum, quem nos ipsi adjecimus programmati de prosecutione Actorum Sanctorum. Verum quomodo id nobis nomen obtrusum fuerit non amplius reperio; certe nulla nobis apparent cultus ecclesiastici vestigia. Laudavit pientissimam mortem egregii hujus presbyteri Ekkehardus IV inter syncellitas quos vocat SS. Galli et Othmari carminibus puerilibus* (1), *quæ magistro Notkero pro penso offerebat et annis gravior aliquantisper correxit et explicuit. Laudavit eum etiam Mezlerus* (2); *sed frustra quæres cultus publici indicia.*

C In monasterio Hirsaugiensi, depositio sancti Ruthardi monachi, sanctitate conspicui : *ita Wion ad hanc diem in Ligno vitæ; et similia habent Menardus in Martyrologio Benedictino et Ferrarius in Catalogo generali sanctorum. Ejus quoque meminit Castellanus in Martyrologio universali, nuncupans eum* venerabilem : *quæ vox ordinarie apud eum tantum valet quantum apud alios* beati *titulus. Majorem itaque solita operam posui ut an veneratione ecclesiastica umquam cultus fuerit reperirem. Antonium de Heredia* (3) *offendi affirmantem in monasterio Hirsaugiensi diœcesis Herbipolensis ejus quotannis officium celebratum fuisse. Sed non est dubitandum quin erronea sit hæc assertio. Trithemius tum in Chronico* (4), *tum in Annalibus Hirsaugiensibus* (5) *Ruthardi laudes explicat; sed neutro loco quidquam tradit quo eximium hunc scholasticum Hirsaugiensem publicis honoribus* D *fuisse honestatum insinuet. Contra, ut retulit eum die* 25 *Octobris anni* 865 *vita functum esse, recitat epitaphium, quod ad ejus memoriam Richbodo, qui in regenda florentissima schola Hirsaugiensi successit, versibus qualibuscumque composuit, et quo viator preces rogatur pro mortui requie :*

Hoc per iter, rogito, qui pergis rite viator,
Paulisper siste gressum, hunc titulumque lege :
Ipsoque perspecto supplex memorare sepulti,
Ruthardique pius, dic, miserere, Deus.

Jure merito itaque Mabillonius omisit ejus nomen in Sæculis Benedictinis seu Vitis sanctorum ordinis S. Benedicti; nec venerabilem, nec beatum eum vocavit in Annalibus (6), *sed nude Ruthardum; eumque imitatus est Ziegelbauer* (7). *Quod magis mireris, Bucelinus eum præterivit in Menologio Benedictino; in cujus solum supplemento locum invenit cum laude* sanctæ memoriæ. *D. Rivet* (8) *neque venerabilem, neque beatum appellavit Ruthardum; sed religiosas et literarias ejus laudes diligenter illustravit, corrigens etiam nonnulla* E *Trithemii asserta minus vera. Qui itaque plura volet de hoc viro, quem Trithemius jure merito* æterna memoria dignum *pronuntiavit,* quippe qui in omni doctrina monachos plures eruditissimos auditores reliquit, *is adeat D. Riveti Historiam literariam Galliarum.*

In monasterio S. Lamberti superioris Styriæ memoria Wolfcheri abbatis, *qui, abdicato abbatiali pedo, in jejuniis, vigiliis et orationibus reliquam vitam peregit, laudatur hac die in Supplemento ad Menologium Benedictinum Bucelini. Publice numquam fuit cultus.*

Vallisoleti, in monasterio S. Benedicti memoria venerabilis patris Laurentii de Ayala, *doctrina et sanctimonia præclarissimi viri, qui die* 25 *Octobris anni* 1631 *vita functus est, celebratur hodie ab Antonio de Heredia in Vitis sanctorum ordinis S. Benedicti. Cultu ecclesiastico caret.*

Martyrium monachorum Setichenbekensium ordinis Cisterciensis, *quos memoravimus in prætermissis ad diem* 23 *Octobris, hodie celebratur in Menologio Benedictino Bucelini et in Menologio Cisterciensi Henriquezii; sed, ut* F *ante biduum monuimus, nondum eos vindicavit Ecclesia.*

In Spanheim beatæ Lutgardis, virginis sanctimonialis, *memoriam recolit ad hanc diem Menardus in Martyrologio Benedictino: ubi in Observationibus hæc ex Joannis Trithemii Chronico Hirsaugiensi subdit :* Hoc ipso anno (1084) Ludgardis, virgo monialis, filia quondam Everhardi militis de Solernheim, octavo kalendas Novembris obiit et in claustro hujus cœnobii sepulta fuit. De qua ferebatur quod etiam visiones et revelationes angelicas sæpe habuerit. *Quin volunt eam inclusam fuisse in inclusorio monasterii Spanheimensis. Verum ecclesia Spanheimensis, anno* 1047 *fundata, monasterialis facta non est (auctore ipsomet Trithemio) ante annum* 1101 *: unde non intelligo quomodo Lut-*

(1) Alp. Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. II, pag. 57. — (2) Ap. Pez, Anecdota, tom. I, part. III, pag. 570. — (3) Vidas de sanctos de la religion de San Benito, tom. III, pag. 145. — (4) Pag. 16. — (5) Pag. 26 et 29. — (6) Annales Bened. tom. III, pag. 120. — (7) Hist. litteraria ordinis S. Benedicti, tom. I, pag. 228 et 229. — (8) Hist. littéraire de France, tom. V, pag. 317 et 318.

gardis

A *gardis illic regulam benedictinam ante annum* 1084 *in monasterii inclusorio servaverit. Dein in neutra Chronici Hirsaugiensis editione, quæ in Musæo nostro est, quidquam de Ludgardi ad annum* 1084 *occurrit. Præterea neque in Actis Sanctorum, neque in Annalibus ordinis S. Benedicti ejus mentionem fecit Mabillonius; ita ut Menardus inopportuna mentis avocatione in devia seductus fuisse videatur : quo etiam traxit Bucelinum, Herediam aliosque qui solent eorum premere vestigia.*

In Germania natalis quadraginta sex monachorum Cisterciensium, qui, ponentes pro Christo animas suas, martyrii coronam promeruerunt, *legitur hodie in Henriquezii Menologio. Cultus ecclesiastici vestigia nulla apparent.*

In Aureavalle commemoratio piæ memoriæ Dionysii Largentier, abbatis Clarævallis, quem Deus in vita egregiis virtutibus, miro fervore, reformationis zelo, post mortem vero signis et miraculis illustravit. *Ita in Martyrologio Villariensi in Brabantia; quod,*

B *sæculo proxime superiori scriptum et in choro adhibitum, id proprium habet ut contra Urbani VIII decreta multa nomina ei inserta sint virorum, qui legitimum cultum numquam adepti sint. Plura de illo Dionysio vide ad præsentem diem in Menologio Cisterciensi Henriquezii.*

Joannam Tolosanam, *virginem Carmelitanam, quam multis laudibus efferunt scriptores Carmelitani, commemorat hac die auctor Menologii Carmelitani, cui titulus* Acies bene ordinata. *Cultu ecclesiastico caret.*

Florentiæ B. Petræ, ordinis Servorum B. M. Virginis, *religionis ac paupertatis amore conspicuæ, quæ ad annum* 1388 *claruit, pium obitum signat hac die in Gynecæo sacro Arturus a Monasterio; verum non reperio eam cultu publico honestatam fuisse.*

B. Robaldus de Albigania, Mediolanensis, *qui vestem fratrum Prædicatorum recepit Bononiæ de manibus S. Dominici, laudatur hac die in Sacro diario Dominicano, anno* 1758 *edito. Publici cultus certa testimonia desideramus.*

S. D. Marcellæ de Anselmis, sororis ordinis fra-

C trum Prædicatorum, *quæ anno* 1619 *ex Bononiensi S. Mariæ de Nova monasterio ad cælum evolavit, laudes hodie celebrant Dominicus Maria Marchesius in Sacro Diario Dominicano et Emmanuel de Lima in Hagiologio Dominicano. Neque publice colitur, neque cogitatur de ea publice colenda.*

Ven. matris Catharinæ de Præsentatione, *natione Moisiacensis, quæ circa medium sæculum* XVII *antiquissimum Tolosanum sororum S. Dominici monasterium virtutum suarum odore replevit, laudes vide sub hac die in Hagiologio Dominicano Emmanuelis de Lima, desumptas ex Anno Dominicano gallico.*

Ven. P. Emmanuelis de Lambuano, missionarii ordinis S. Dominici in Indiis orientalibus;

Ven. P. Sumiquii Seldii, inquisitoris et ordinis S. Dominici sodalis, *anno* 1341 *ab hæreticis in Bohemia ex odio fidei occisi;*

Centumcellis seu Civitate veteri, sororis Beatæ de Urbeveteri, *quæ anno* 1306 *pientissime obdormivit;*

In insula S. Irenæ (*vulgo* Santorin) in Archipe- D lago B. Antonii de Marchis, *qui ordinem S. Dominici et illius insulæ cathedram virtutum splendore illustravit et anno* 1660 *obiit;*

Avenione sororis Margaritæ de Castello Renardi, *quæ circa annum* 1600 *ex hac vita recessit;*

In provincia Dominicana Poloniæ in conventu Luccorensi pii fratris Caroli Franconii, *qui ad annum* 1647 *in cælum abiit;*

Avenione Joannis Gervasii, fratris laïci ordinis S. Dominici, *qui anno* 1629, *pestiferis serviens, caritatis victima occubuit; et*

V. P. Thomæ Thomasoni, filii conventus Romani S. Mariæ super Minervam, episcopi Umbriaticensis, *qui hoc die anno* 1655 *non sine veneni propinati suspicione sanctissime obiit,*

beatam memoriam recolit Antonius de Lima in Hagiologio Dominicano; sed nullus ex his ecclesiasticos honores consecutus est.

Villæ Castinæ in Castella Bartholomæi Anduxari, *qui circa annum* 1600 *ordinem Minorum illustravit;*

Agrigenti in Sicilia V. S. D. Matthæi fratris E laïci ex ordine Minorum, *qui anno* 1603 *tanta sanctimoniæ fama diem obivit, ut ejus causa beatificationis et canonisationis incohata fuerit; qui probe distinguendus est a B. Matthæo ab Agrigento, episcopo confessore, qui, cultu ejus S. R. Congregationi probato, colitur a fratribus Minoribus die* 13 *Martii;*

Mediolani in Insubria, in monasterio S. Apollinaris Mariæ Ludovicæ Castellæ, *ad annum* 1471 *inter virgines Clarissas conspicuæ; et*

Avenione in Gallia, Franciscæ de Claramonte, abbatissæ S. Claræ,

natales celebrat hac die Huberus; sed ii omnes non coluntur ab ecclesia.

Goudæ in Hollandia beatorum martyrum Joannis Rixteli et Hadriani Lamberti, *qui ab hæreticis anno* 1572 *crudeliter necati sunt;*

In Belgio B. Arnoldi, fratris Minoris laïci, *patria Amersfordiensis, cognomine Cnappardi, qui anno* 1572 *occisus est;*

laudes memorat præterea hac die Arturus, præeunte Molano in Natalibus sanctorum Belgii; sed cultu ecclesiastico carent. F

Diestemii in Brabantia sex fratrum Minorum, *qui ab hæreticis ob religionis catholicæ constantiam anno* 1578 *cæsi sunt;*

Apud montem Sinaï B. Adami, confessoris ex ordine Fratrum Minorum, *qui martyrii flagrans desiderio aliquandiu inter Saracenos versatus circa annum* 1345 *obiit:*

Apud Campum-Bassum in Apulia, B. Silvestri Guidonii, confessoris ordinis S. Francisci, *sanctitate et miraculis creberrimis circa medium sæculum celeberrimi;*

In Mechioacano Indiæ Occidentalis regno, B. Hieronymi, confessoris ordinis Minorum, *qui, potens verbo et exemplo, sub medium sæculum* XVI *multos Indos ad evangelium traduxit;*

Romæ B. Catharinæ viduæ, Bosnensium reginæ, *quæ, tertiariorum ordinis Minorum habitu assumpto, anno* 1478 *ad Deum abiit, memoriam celebrant hodie consona voce Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano et Huberus in Menologio Franciscano, non quod illi*

A *illi cultum ecclesiasticum nacti sint, sed quod virtutum suarum odorem suavissimum posteritati reliquerunt.*

Michaelis de la Parra, fratris laici Minoritæ, *qui virtutibus suis multa Hispaniæ loca illustravit et anno* 1685 *obiit; et*

Hieronymi Palantieri, *qui ex fratre Minorita factus est episcopus Bituntinus et, anno* 1619 *vita functus, tantarum virtutum exemplum post se reliquit ut auctoritate apostolica facti sint duo processus, quibus ad ejus canonisationem via sterneretur,*

egregia merita prosequitur Benignus Fremaut in Spirituali Palmeto seu Legenda flandrica ordinis S. Francisci, præclaro utique libro.

S. Hilwaris in Scotia, *legitur in elencho sanctorum, qui subjectus est libello De prosecutione operis Bollandiani; unde jam transiit in secundum tomum Lexici sanctorum germanici, quem ven. vir Joannes Evangelista Stadler, decanus et consultor ecclesiasticus Augsburgensis, anno* 1861 *typis edidit. Verum id nomen omittendum erat : licet enim ii, qui illum sanctorum catalogum confecerunt,*

B S. Hilwarim in Scotia *in decessorum mss. collectaneis repererint, in nullis tamen probatis libris occurrit, sed ex turbatis Scotiæ aquis emersit. Quod vero maxime hoc loco animadverti velim, errant graviterque errant, qui elencho illo tamquam opusculo accurato et absoluto utantur. Re quidem vera incredibilis opera in eo colligendo posita est; sed quis sibi persuadeat fieri potuisse ut intra aliquot mensium spatium infinita nomina efferrentur ex martyrologiis aliisque id genus operibus et rite examinarentur? Judicium quidem aliquod institutum est, sed summarium, eminus magis quam cominus. Neque aliud umquam cogitatum fuisse ibi in antecessum declaratum est.*

Nicomediæ, sanctorum Luciani, Martiani, Flori, Heracli, Tuti, Florini, *memoriam hoc die vel sequenti recolendam esse tradit Grevenus in sua Usuardi editione. De eis, scilicet de SS. Martiano, Floro, Heraclio et Tito, (nam* Tutus Titi *locum occupat et Florus et Florinus unus et idem est vir), dicetur ad diem, quo reapse pertinent,* XXVI Octobris.

C S. Demetrii, *primi episcopi Vapincensis in Galliis, natalis celebratur hodierna die in Martyrologio Universali Castellani et in Parisiensi cardinalis de Noaliis; atque ejus nomen reperitur in capite catalogi episcoporum Vapincensium, editi in tomo primo Galliæ Christianæ. Verum in ordine Vapincensi recitandi divini officii per annos bissextiles* 1676 *et* 1832 *nullum S. Demetrium reperio sub die* 25 *Octobris, sed sub die sequenti. In priori episcopus et martyr dicitur et festum habet duplex; in posteriori nudo martyris titulo appellatur et ritu simplici colendus dicitur. Crediderunt scilicet eum non alium esse quam martyrem Thessalonicensem, qui in Kalendariis aliquot eadem die annuntiatur, atque levi hac de causa recesserunt ab antiquissima Vapincensium traditione. Verum qui non ita pridem huic diœcesi præsidebat et cui res hagiographica Belicensis et Vapincensis plurimum debet, ill. D. Joannes Irenæus Depery, quum anno* 1856 *ritus Romanos postliminio reduxit, restituit S. Demetrio pristinam primi episcopi Vapincensis laudem. Sed de his pluribus dicemus ad diem* XXVI Octobris. D

S. Rusticum, episcopum Narbonensem, *laudant hodie unus alterve; pertinet ad diem proxime sequentem seu* XXVI Octobris.

S. Cyrillam, *filiam, ut volunt Decii, imperatoris Romani, hodie celebrat auctor Menologii Carmelitani, cui nomen* Acies bene instructa. *De ea juxta Martyrologium Romanum dicemus sub die* XXVII Octobris.

S. Nestor, Thessalonicensis martyr, *annuntiatur hac die in codice Slavico, quem in SS. Paulo confessore et Varo, jam prætermissis, memoravimus, atque similiter in codice Slavico Sišastoviensi, in Menæis Slavicis et in Menologio Græco Medicæo. An vero Nestori huic, de quo multa parum probanda ab Orientalibus circumferuntur, locus dandus sit inter sanctos, an vero solum in appendice (ut ad diem* 23 *Octobris de S. Macario fecimus), an demum plane prætermittendus, definiri poterit post biduum, quandoquidem ejus nomen passim Fastis orientalibus inscriptum est sub die* XXVII Octobris. E

S. Abraham *monachum cum cuculla ad humeros reducta et habitu presbyterali exhibent hac die Ephemerides Græco-Moschæ, quas in in fronte Maji Papebrochius repræsentandas curavit. Verum in nullis aliis Fastis Ruthenicis aut Græcis recensetur hac die* Abrahami *nomen.* Itaque existimo, *ait Assemanus* (1), pictorem moschum oscitanter hic obtrusisse Abramium illum, quem Græci ac Russi colunt die 29 Octobris... Nec mirari debes, quod moschus pictor in Fastis Papebrochianis sæpe allucinatus sit : nam et in Capponianis tabulis... idem Cosmas bis ponitur. *De S. Abraham cum nepte Maria, quorum historia etiam apud Latinos olim celeberrima erat, egerunt decessores notri sub die, qua S. Abraham in Martyrologio Romano locum invenit,* XVI Martii.

verum, quum Orientales ejus natalem jam pridem celebrent die 29 *Octobris, Russi pro more suo (a Latinis etiam usurpato) inscripsere Fastis sacris hac die duos alios homonymos, quos cælitum consortio dignos habent, scilicet* venerabilem Abrahamum reclusum *et* Abrahamum, thaumaturgum Rostoviensem; *quemadmodum videre est in Kalendario, præmisso Bibliis Slavicis, anno* 1839 *tribus tomis Moscuæ editis. Hinc de Russorum Ahrahamis opportunus dicendi locus erit ad diem* XXIX Octobris. F

In pago Viromanduensi dedicatio ecclesiæ S. Quintini et translatio corporis ipsius *refertur hac die in auctariis Bedæ Atrebatensi et Tornacensi atque etiam in Martyrologio S. Savini de Levitania, quod ad finem Martyrologii sui Gallicani edidit Saussayus. Verum hæc pertinent ad diem, qua S. Quintinus, celeberrimus in Galliis martyr, fuse laudandus erit,* XXXI Octobris.

S. Jacobi, eremitæ, *quem laudat Theodoretus, cap.* XXI *Philothei, memoria celebratur hodie in Synaxario Ambrosiano; sed in Menæis excusis et Menologiis ad diem, qua eum illu-*

(1) Kalendaria Ecclesiæ Universæ, tom. V, pag. 519.

strare

A *strare conabimur,* XVIII Novembris.
Translatio secunda sancti Othmari, abbatis et confessoris, *laudatur hac die a Menardo aliisque Martyrologis et Menologis Benedictinis, atque etiam a Castellano in suo Martyrologio Universali. De hac solemnitate, quantum satis erit, dicetur ad diem, qua beatissimus ille monasterii S. Galli in Allemannia abbas in Martyrologio Romano celebratur,* XVI Novembris.
S. Mercurium *martyrem, cujus ope Julianus apostata occisus fuisse traditur* (1) *et quem* D
Beneventani patroni loco habent, transmiserunt ad hanc diem decessores nostri (2); *sed manifesto errore scripserunt* XXV Octobris *loco* XXV Novembris.
S. Diodori presbyteri *nomen adjicitur in aliquot Molani Usuardinis editionibus nominibus SS. Chrysanthi et Dariæ. De eo verbum fiet hodie in Actis horum sanctorum et postea sub die, qua Martyrologio Romano inscribitur,* I Decembris.

(1) Vide tom. X Octobris, pag. 573. — (2) Acta Sanctorum, tom. II Junii, pag. 1012.

DE S. FRONTONE, EPISCOPO CONFESSORE,

PETRAGORICIS IN GALLIA,

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B

§ I. De missione S. Frontoni data a S. Petro Apostolo, et de initiis Ecclesiæ Petragoricensis. E

PROBABILITER SEC. I. *Evangelium, per universum orbem propagatum.*

De S. Frontone, *primo episcopo Ecclesiæ Petragoricensis, acturus, repetere nolumus, quæ generaliter de origine Ecclesiarum Gallicarum ad diem* XVII *Octobris in Commentario historico de S. Florentino Trevirensi pro modulo nostro exposuimus* (1). *Monstravimus istic incertam et ambiguam esse, qua unice nituntur adversarii, auctoritatem Sulpitii Severi et Gregorii Turonensis : e contrario Scripturas canonicas et Patres scriptoresque antiquissimos uno ore clamare Evangelium regni, adeoque Ecclesiam Christi, propagatam fuisse ad omnes gentes, prout Christus jusserat Apostolos suos,* euntes in mundum universum, prædicare Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). *Quæ verba Tertullianus, sæculo secundo florens, ita interpretatur, quasi omnibus gentibus Evangelium illuxisset. Enumeratis enim populis, qui Jerosolymis præsentes erant, quando Spiritus sanctus in Apostolos descendit* (*Act.* II, 9), *addit libro*
C *adversus Judæos, cap.* 7 (2) : Jam Getulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversæ nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vere subdita; et Sarmatarum et Dacorum, et Germanorum et Scytharum, et abditarum multarum gentium et provinciarum, et insularum multarum nobis ignotarum, et quæ enumerare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat. *Scimus quidem, hæc dicta traduci ab adversariis tamquam exaggerata et rhetoricam magis quam veritatem sapere. Verum quoniam antiquissimi scriptores in unam sententiam conspirant, non video quo jure quis eorum gravissimum testimonium opinatione unius alteriusve recentioris elidere aut eludere possit.*

primo jam sæculo apud Petragoricenses per S. Frontonem *innotuit :*

2 *Quamvis igitur satis constet, lucem evangelicam primo jam sæculo Galliis affulsisse; non continue aut indiscriminatim admittendæ sunt singularium per Gallias Ecclesiarum origines ad ævum Apostolorum usque pertingere; sed earumdem sinceritas rite est expendenda : ambitiosus est quandoque pro singulis Ecclesiis suis quorumdam amor. Quapropter de primo episcopo seu fundatore Ecclesiæ Petragoricensis acturis investigandum est, quos suæ antiquitatis titulos proferat. Est autem Petragorica civitas* (Périgeux) *caput agri homonymi* (Le Périgord), *hodie partitionis Dordoniæ* (Département de la Dordogne) *ad Ellam fluvium. Olim Vesuna aut Vasona Petrocoriorum dicebatur et ad Aquitaniam secundam, cujus metropolis erat Burdegalensis civitas, spectabat* (3). *Porro Petragoricensis episcopatus usque ad præsentem diem ad metropolim ecclesiasticam Burdegalensem semper pertinuit. Quæ igitur de originibus Ecclesiæ Petragoricensis dicturi sumus, ad ipsam aliquatenus Burdegalensem metropolim spectant, cujus initia S. Martiali Lemovicensi tribuuntur* (4) : *nam sine controversia coævi sunt SS. Martialis et* F
Fronto. *Gregorius Turonensis lib.* I, *Hist. c.* 28, *S. Martialem in Gallias missum dicit* Decio et Grato coss., *id est, anno Christi* 250 : *sed quanti in hac parte facienda sit ejus auctoritas, in Commentario de S. Florentino supra citato late ostendimus. Sed cominus quæstionem de S.* Frontone *aggrediamur, cujus missionem ab ipso Apostolorum ævo deducit constans traditio late diffusa.*

et docent Ado *et* Usuardus *in suis Martyrologiis.*

3 *Nam id monstrat imprimis Ado, Viennensis episcopus sæculo nono, qui primum, quod novimus, de missione apostolica* S. Frontonis (*aliquibus etiam* Frontus *dictus*) *texuit elogium in suo Martyrologio ad diem* XXV *Octobris, his verbis :* Eodem die, Petragoricas civitates, natalis sancti Frontonis episcopi, qui Romæ a beato Petro ordinatus, cum Georgio presbytero ad prædicandum Evangelium missus est. Quumque tertio die itineris idem Georgius

(1) Acta SS., t. VIII Octob., p. 16. — (2) Migne, Patrol. t. II, col. 610. — (3) Guérard, Essai sur les divis. territor. des Gaules, p. 27. — (4) Gallia Christ. t. II, col. 786.

esset

A esset mortuus, mœrens Fronto reversus est ad Apostolum; acceptoque ejus baculo et super corpus defuncti posito, socium de morte recepit. Sicque ad prædictam civitatem veniens, magnam illius multitudinem ad Christum convertit, et multis miraculis clarus, in pace quievit. *Hæc eadem, sed pro more suo compendiose, repetit ad eumdem diem Usuardus dicens :* Eodem die, Petragorica civitate, sancti Frontonis, qui Romæ a beato Petro episcopus ordinatus, cum Georgio presbytero, quem per Apostoli baculum in itinere socium de morte recepit, ad prædictam civitatem veniens, magnam gentis illius multitudinem ad Christum convertit, et multis miraculis clarus, in pace quievit. *Utrique Hagiologio accedit Martyrologium Romanum hodiernum :* Petragoricis in Gallia, sancti Frontonis, qui a beato Petro Apostolo episcopus ordinatus, cum Georgio presbytero magnam illius gentis multitudinem ad Christum convertit, et miraculis clarus, in pace quievit. *De S. Georgio,* S. Frontonis *socio, qui dein Velaunensem seu Aniciensem aut Podiensem Ecclesiam* (Le Puy) *fundavit, agetur ad diem* x *Novembris.*

B

quorum auctoritas adversus R. D. Audierne

4 *Auctoritatem Adonis et Usuardi, quæ gravissima est, elevare conatus est nuperus scriptor, scilicet R. D. Audierne. Hic enim novæ editioni litho-typographicæ operis Joannis Dupuy, ordinis Minorum stictioris observantiæ, de statu Ecclesiæ Petragoricensi* (1), *notas quasdam adjecit, quibus traditionem Petragoricensem impugnat. Petit imprimis, undenam Ado, quæ de* S. Frontone *refert et antecessoribus ignota fuere, deprompserit : respondetque manasse* ex Legendis (2), *nodum quasi uno ictu dissecans. Sed facile concedet nobis D. Audierne, qualemcumque Legendarum compilatorem, quem nemo nostrum novit, esse tamen Adone antiquiorem, adeoque uni alterive antecessori Adonis, quæ referuntur, ignota non fuisse. Restat etiam inquirendum, unde hæ ipsæ Legendæ emerserint : habent scilicet, licet floribus fictis adornatæ, radicem suam in traditione, quæ nisi argumentis contrariis frangatur, solidum præbet histo-*
C *riæ adjumentum. Laudatus dein scriptor censet Adonis Martyrologium interpolationem passum fuisse, quatenus* S. Frontonis *elogium in solis exemplaribus Petragoricensibus exstat. Sed et in hoc fallitur : nam ut monstrat Adonianum Martyrologium, a Dominico Georgio summis curis anno* 1745 *Romæ editum, Sancti nostri elogium, prout ex hac ipsa editione retulimus, in omnibus exemplaribus reperitur, ac proinde ab ipso Adone derivatum censendum est.*

vindicatur :

5 *Idem etiam criticus rejicit auctoritatem Usuardi, pro more suo verba Adonis compendio repetentis, quia in ejus Martyrologio, ait, occurrunt nomina sanctorum, ipso Usuardo recentiorum. Verum quidem est, Usuardum in multis Adonem prope sequi, ejusque verba ad amussim citare, ut abunde constat conferenti elogium* S. Frontonis *ab utroque concinnatum, quod supra attulimus. Sed non novit criticus, Usuardum, licet pro qualitate temporum et locorum auctum, exstare tamen omnino purum, editum a Joanne Baptista Sollerio nostro ad calcem Actorum mensis Junii, et novis curis ex ipso, ut dicitur, apographo recusum Parisiis anno* 1718 *a Jacobo Bouillard, monacho Mauro-Benedictino. In utraque autem editione legitur* S. Fronto a B. Petro ordinatus *et in Gallias missus. Animadvertamus tandem, utrumque, Adonem et Usuardum, sæculo* IX *floruisse, adeoque ante Normannicam vastationem scripsisse; quando nempe exstabant documenta antiquiora, origines Ecclesiarum indicantia. Uterque porro sine ullo dubitationis signo dicit,* S. Frontonem a B. Petro ordinatum : *alter quidem Parisiis in monasterio Pratensi, alter Viennæ Allobrogum scribebat, locis videlicet Petragorica multum distantibus : quo mea sententia indicatur late propagatam fuisse famam de ordinatione* S. Frontonis, *a B. Petro Apostolo peractam. In argumentum etiam contra Sanctum nostrum adducit R. Audierne silentium Bedæ et Wandelberti, sæculo* VIII *et* IX *scribentium* (3). *Quid inde? Numquid silentium monstrabit* S. Frontonem *non exstitisse, Ecclesiam Petragoricensem non fundasse, ac in ea cultum obtinuisse sæculo jam* V *sub Chronopio II episcopo? Quod si hæc,* E *nil obstante quorumdam silentio, inconcussa maneant, aerem verberasse dicendus est auctor. Cæterum satis notum est, nos hactenus genuinum Bedæ Martyrologium non habere, plurimisque emendationibus indigere, quod in capite tom. H Actorum Sanctorum mensis Martii editum est. Quod ad Wandelbertum spectat, sanctum antistitem nostrum, licet versibus suis non incluserit, in textu tamen (si ejus sit) stylo prosaico celebrat, dicens* (4) : Eodem die (XXV *Octobris*) natale sancti Frontonis, episcopi et confessoris. *Tandem admissum etiam Bedæ, Wandelberti aliorumque, si lubet, silentium est argumentum, ut vulgo dicitur, mere negativum; quod contra positivum æqualis auctoritatis prorsus imbelle est : etenim si quidpiam valeret, eliminaret ex Sanctorum Albo omnes fere Sanctos, quum vix ullum reperies, qui ab uno alterove Martyrologio aut Kalendario non exsulet.*

AUCTORE J. V. H.

2° *Rabanus, præsertim*

6 *Consulto omisi hactenus Martyrologium Rabani, Adone et Usuardo antiquioris, quia de missione apostolica* S. Frontonis *nullam mentionem fecit, et proin ad quæstionem præsentem* F *inutilis est. Nolim tamen lectorem fraudare textu, qui antiquissimum* S. Frontonis *cultum demonstrat. Scilicet* (5) : Eodem die (I *Octobris*) natale Fronti episcopi et confessoris, terminibus urbis Patracoricæ, ex loco, qui dicitur Linicasio, felicem luminis sumpsit exordium. Sicque devotus in servitio inter monachos habitans, multis virtutibus claruit, et multos ad fidem Christi convertit; ad extremum vero post sacros labores, qui per insignia virtutum ejus claruerunt, a præsenti tribulatione ad æternam migravit requiem. *Gauzbertus, qui initio sæculi* XII *Vitam* S. Frontonis *conscripsit, ut infra latius explicabimus, duo sibi ex Rabano desumpsit; patria Petragoricensem fuisse ac* devotum inter monachos habitasse. *Neutrum habent alii biographi. Et quidem, quem edimus, Anonymus dicit num.* 1 *Sanctum* ex finibus Lycaoniæ regionis *oriundum, neque ullam de monachatu facit mentionem : sed solum num.* 13 *in pago Lemovicensi, in loco Nogentio, cum discipulis aliquandiu* angelicam vitam *duxisse.*

(1) L'estat de l'Eglise du Perigord. — (2) Ibid.,t. I, p. 251. — (3) Ibid , p. 229. — (4) Migne, Patrol., t. CXXI, col. 616. — (5) Ibid. t. CX, col. 1171.

AUCTORE J. V. H.

Non est tamen, quod Rabanus Petragoricensem Frontonem *cum homonymo Nitriensi confuderit : nam ad* XVIII *Kal. Maii* (XIV *Aprilis*) *bene longum de Nitriensi texuit elogium* (1) *; quod dein ad res gestas Petragoricensis traductum fuit. Quod autem in ipsis Kalendis Octobris sancti antistitis nostri festivitatem reponit, movere nos non debet. Alibi monstravimus, valde luxatam, mutilam ac vitiosam esse Rabaniani Martyrologii editionem* (2), *quam novis curis et secundum correctiora exemplaria recusam optamus.*

in Vita S. Mariæ Magdalenæ, ipsi tributa.

7 *Istic enim signavimus discrepantiam, quæ est inter textum Martyrologii mox citati et Vitam S. Mariæ Magdalenæ, quam eidem Rabano attribuit reverendus et doctissimus vir D. Faillon in suis Monumentis apostolatus S. Mariæ Magdalenæ in Gallia* (3). *Etenim in Vita exhibetur nobis* S. Fronto, *quasi unus ex iis qui cum B. Magdalena in Gallias appulerunt* (4), *et testes fuerunt mortis et sepulturæ B. Marthæ* (5) *: quæ nequaquam conveniunt cum iis, quæ Rabanus scribit in suo Martyrologio, eum*
B *nempe patria Petragoricensem fuisse et* devotum *vixisse* inter monachos. *Propterea dubius est nobis auctor Vitæ S. Mariæ Magdalenæ, licet ad sæculum nonum, ut alibi ostensum est* (6), *pertineat. Nihilominus demonstrat lucubratio, quis demum cumque scriptor fuerit, sæculo nono vulgatam fuisse traditionem, quæ missionem* S. Frontonis *ad S. Petrum Apostolum, adeoque ad sæculum primum æræ christianæ refert. Hæc de Martyrologiis dicta sunto : nunc alterum proferimus argumentum, desumptum ex concilio Lemovicensi II, anno* 1031 *celebrato, in quo acriter de qualitate Apostoli,* S. Frontoni *tribuenda, disputatum fuit.*

Concilium movicense an 1031,

8 *Non levis in Gallia fervebat controversia de S. Martiali, primo Lemovicensium episcopo, utrum Apostolis accensendus esset necne, ac proin an eadem solemnitate ejus ac Apostolorum festum esset celebrandum. Ipse Jordanus, Lemovicensis episcopus circiter ab anno* 1023 *ad* 1032 (7), *ad Benedictum Pp. VIII scripserat, nomine etiam Roberti regis Francorum, archiepiscoporum Bituricensis, Burdegalensis ac Turonen-*
C *sis, et omnium suffraganeorum, ut S. Martialis collegio apostolico neutiquam accenseretur* (8). *Tota epistola videtur insinuare, Jordanum non tam suo, quam alieno ore loqui : plurimum urget, episcopis multis displicere apostoli dignitatem, S. Martiali collatam; ac tandem totum negotium Pontifici tractandum permittit. Quid in causa egerit Benedictus Papa, ignoratur. Id certum, eo mortuo anno* 1024, *agitatam denuo anno* 1031 *fuisse quæstionem de Apostolatu S. Martialis, ejusque fautores causam vicisse, ut videre licet in Actis dicti concilii Lemovicensis* (9) *; in quo plures oratores late exposuerunt merita S. Martialis, in medium proferentes antiquorum scripta et Ecclesiarum inveteratas consuetudines; ex quibus constabat, S. Martiali Apostoli titulum ab antiquo tributum fuisse. Tunc* quidam, *aiunt Acta* (10), ex clericis Petragoricæ urbis dixit : Eodem modo sanctum Frontum possumus dicere apostolum.

9 *Tunc Geraldus, pater monasterii Solemniacensis, respondit :* Tace, frater, melius est, ut sileas : quia quando nos in scholis magistrorum mel et lac bibebamus, tu solam ruminabas fabam. Scripturam de sancto Fronto novam, cujus tu auctoritate niteris, Gauzbertus noster edidit lucri causa, qui sub hujus Lemovicæ sedis episcopo Hildegario chorepiscopus nobis exstitit. Qua autem ratione ille potest esse Apostolus, qui indigena Petrocoricensis fuit? Profecto si ibi a puero psalterium didicit, sicut in ejus gestis legitur, et ibi clericus est factus; jam ibi sacerdotium et christianitas erat, ubi scholæ Scripturarum divinarum, ubi clericatus ordo erat. Legitur enim, potius eremitam vixisse, quam episcopum. Dicere nescis, quæ signa ille operatus est, ut Petrocoricenses converteret. Potius ille eos Deo acquisivit, qui omnem Aquitaniam cum Stephano, principe Galliarum, ad fidem traxit. Neque Fronto, neque Saturninus, neque Dionysius leguntur mortuos suscitasse. Et utique sine suscitatione mortuorum, sine ostensione signorum primi gentiles non potuerunt credere, dicente Domino : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis... » * Ubi autem est locus, ubi Frontus Georgium suscitasse legitur?... Et ne verbo meo longiores faciam vos, o venerabiles patres, qui in hoc interestis concilio, hoc tantum breviter perstringam, quia numquam usque ad hunc hodiernum diem, qui est quinta Sabbati *, factus est liber in toto orbe terrarum, qui in ordine Apostolorum per litanias habeat scripta nomina Fronti, Saturnini, Dionysii, Juliani, Austremonii, Ursini, neque aliorum, qui post Martialem in Galliam venerunt, patrum.

D

* *Joan. IV*, 48.

* *Fer. V, die* XIV *decemb.*

quod Apostoli titulo abjudicando,

10 *Hunc textum sine annotationibus nobis præterire non licet. Imprimis videmus, Gauzbertum scripsisse Vitam* S. Frontonis *paucis ante annis : nam Hildegarius, sub quo chorepiscopus fuit, Lemovicensem sedem ab anno circiter* 963 *ad* 983 *occupavit* (11) *: dein sine ullius contradictione asseritur Gauzbertum id* lucri causa *fecisse. Sed quodcumque fuerit lucubrationis ejus momentum, certum videtur, id non præstitisse, ut confirmaret apostolicam* S. Frontonis *missionem. Etenim insulse valde diceret, illum Petragoricis* psalterium didicisse
F *et* clericum factum fuisse, *quoniam hæc elementa quædam Ecclesiæ Petragoricensis ante* S. Frontonis *episcopatum supponunt. Patriam Petragoricensem et monachatum, cui affinis est doctrina psalterii et clericatus, ex Rabani Martyrologio deprompta credo. Dein ex obscura traditione habet Gauzbertus Georgium suscitatum fuisse; neque aliud documentum scriptum cognoscebant Petragoricenses : alioquin clericus istius Ecclesiæ elisisset objectionem allegando Adonem et Usuardum, duobus fere sæculis antiquiores : atque hinc liquet, vagas non raro Ecclesiarum traditiones solidis monumentis, sed tunc quidam ignotis aut destructis, fulciri. Tandem videmus, quid maxime requirerent Lemovicenses patres, ut alicui sancto Apostoli titulum conferendum censerent : nempe non solum gratiam curationum, sed suscitationem mortuorum; quapropter in dubium vocant suscitationem S. Georgii,* S. Frontoni *tributam.*

nullatenus negavit S. Frontonis

11 *Quamvis porro Lemovicenses patres* S. Frontoni *Apostoli dignitatem denegarent,*

(1) Migne, Patrol., t. CX, col. 1140. — (2) Act. SS, t. VIII Oct., p. 30. — (3) Monum. de l'apostol. de Ste M. Madel., t. II, col. 15 — (4) Ibid. col. 540. — (5) Ibid. col. 550. — (6) Act. SS., t. VIII Oct. p. 29. — (7) Gall. Christ., t. II, col. 518. — (8) Ibid. Instrum. col. 161. — (9) Labbe, t. IX Conc. col. 870. — (10) Ibid. col. 875 — (11) Gall. Christ., t. II, col. 510.

minime tamen ejus antiquitatem infirmabant; utpote quem fecere æqualem SS. Saturnini Tolosani, Dionysii Parisiensis, Juliani Cenomanensis, Austremonii Claromontani, et Ursini Bituricensis, qui omnes unanimi sæculi undecimi consensu, et præsertim ipsius Lemovicensis synodi testimonio, ut mox ostendemus, ad sæculum primum æræ christianæ pertinuerunt. Unum synodus volebat, Aquitaniam universam S. Martiali primitias fidei debere; ac proin ante cæteros omnes Apostoli titulum eidem convenire: dum alii, inter quos et S. Fronto *noster, in paratam jam messem falcem suam immiserint. Quod nunc particulatim ostendendum est. In sessione secunda ejusdem concilii Aymo, Bituricensis archiepiscopus, totus in eo est, ut monstret, S. Martialem ab ipso Christo, quemadmodum undecim Apostolos, potestatem solvendi atque ligandi accepisse; quando alii missionem mediante sede apostolica obtinuerunt.* Nemo, *inquit* (1), contradicere potest, beatum Martialem a Christo, in terris in carne adhuc degente,
B potestatem ligandi et solvendi cum reliquis Apostolis accepisse. Sancti etiam doctores et patres nostri antiqui, columnæ Ecclesiæ fortiores, proclamant, omnes, qui Dominum in carne viderunt, eumque postea prædicaverunt, fuisse apostolos appellatos. *Hæc, ut satis liquet, non sine judicio accipienda sunt. Nam quum in Actis Apostolorum cap.* I *ageretur de implendo duodenario numero, ex quo exciderat Judas proditor, præcipuam conditionem posuit Apostolorum princeps, ut eligerent* ex his viris, *qui cum reliquis Apostolis fuerant* congregati in omni tempore, quo intraverat et exiverat inter eos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est, testem Resurrectionis ejus fieri unum ex istis. *Ex quibus sequitur, non dicendum continuo Apostolum illum, qui cum Christo in carne conversatus et ad prædicandum Evangelium destinatus fuit; alioquin septuaginta duo discipuli essent dicendi Apostoli; sed insuper requiri specialem electionem et vocationem, qualis in S. Mathia exstitit, quando* annumeratus fuit
C cum undecim Apostolis.

missionem ad sæculum primum pertinere.

12 *Quapropter, ut docet nos eadem synodus Lemovicensis* (2), *aliqui* opinabantur, Martialem ipsum esse Mathiam, et similitudine nominis a lingua Aquitanorum ita facile cœpisse vocari: sive propterea quod non facile invenitur, ubi corpus jaceat Mathiæ. (*Ignorabat scilicet Aymo, Reliquias Apostoli Mathiæ Treviris servari* (3)). *Quamvis autem tanta de S. Martiali suo prædicarent Limovicenses patres, nihilominus primorum Galliæ episcoporum missionem ad apostolica tempora revocabant.* Quod, *inquit Aymo* (4), de beatis Dionysio et Saturnino dixi (*nempe eorum nomina nuspiam inter Apostolos recenseri*), eodem modo dictum de Ursino et Austrémonio, de Fronto genere Petracorico, de Juliano Cenomanensi, genere Romano, et de aliis, qui Apostolos viderunt in carne, vel videre potuerunt, qui tam a B. Petro, quam a B. Clemente sive a successoribus ejus in Galliam post B. Martialem, prædicare missi sunt. Illi non specialiter a Christo, sed ab eis, qui illos in episcopatus ordine consecrarunt, potestatem ligandi solvendique acceperunt. *Quamvis ita loquerentur Lemovicenses, non ignorabant tamen, ut constat ex Actis* (5), *passionem S. Saturnini ad consulatum Decii et Grati, adeoque a martyrio S. Petri Apostoli ad primum annum Decii imperatoris fluxisse annos centum octoginta duos. Non igitur tanti faciebant auctoritatem sive Actorum S. Saturnini sive Gregorii Turonensis* (*lib. I, cap.* 28), *ut ab ea discedere non auderent.*

AUCTORE J. V. H.

4° laminæ sæculo saltem X *in sepulcro inventæ,*

13 *Pro missione apostolica S.* Frontonis *antiquissimum nobis præbent testimonium duæ laminæ, altera plumbea, ænea altera, et quidem peremptorium, si de earum antiquitate certo constaret. Etenim anno* 1261 *die* XXX *aprilis Petrus de S. Asterio, Petragoricensis episcopus, grassante in vulgus rumore ablati a Normannis corporis S.* Frontonis, *decrevit Sancti sepulcrum visitare. Quo aperto, reperit ossa venerabilis Confessoris, et simul duas laminas. In plumbea quidem hæc legebatur inscriptio:* HIC JACET CORPUS BEATI FRONTONIS JESU CHRISTI DISCIPULI
E ET BEATI PETRI IN BAPTISMATE DILECTI FILII. *In ænea vero:* HIC JACET CORPUS BEATISSIMI FRONTONIS JESU CHRISTI DISCIPULI ET BEATI PETRI APOSTOLI IN BAPTISMATE FILII EX LYCAONIA REGIONE ORTI DE TRIBU JUDA EX SIMONE ET FRONTONIA. OBIIT OCTAVO KALENDAS NOVEMBRIS ANNO QUADRAGESIMO SECUNDO POST PASSIONEM DOMINI (6). *Gallia christiana, has inscriptiones referens, quæstionem præcidit, dicens:* Quæ recentiora et sequiora tempora redolent (7). *Verum hæc manu tam levi non discutiuntur. Nam si attendimus causam, ob quam Petrus episcopus visitationem sepulcri instituit, nempe rumorem, in vulgus sparsum,* ablati corporis a Normannis. *Nam sæculo* IX *Normannos Franciam meridionalem, atque adeo agrum Petragoricensem vastasse, extra dubium est. Legitur enim in Chronico S. Benigni Divionensis, illos, anno Christi* 888 *per Gallias in Hispaniam irrupisse* (8).

testantur sanctum a B. Petro baptizatum:

14 *Sed quid censendum de antiquitate ambarum inscriptionum? Non dicam, utramque ad ætatem Chronopii II, qui, initio sæculi* VI *florens, primus S.* Frontonis *corpus a veteri tumulo ad novum sepulcrum transtulit, pertinere. Etenim in lamina ænea consignatum habemus annum S.* Frontonis *emortualem in* annum quadragesimum secundum post Passionem Domini, *quæ ratio computandi temporis non quadrat cum more sæculi sexti. Habentur quidem aliqua documenta, in quibus anni a Passione Domini numerantur, ut videre est in Fragmento Chronici sæculi tertii* (9): *tamen in priori medietate sæculi sexti, æra christiana in Galliis usitata non erat, quæ solum sæculo octavo adhiberi cœpit* (10). *Videtur itaque lamina cuprea Chronopio recentior et potius referenda ad Froterium, Petragoricensem sedem ab anno* 979 *ad* 991 *tenentem; qui, ut docet Philippus Labbe* (11), magnum monasterium S. Frontonis ædificare cœpit. *Quoniam igitur ecclesia, a Chronopio ædificata, novo opere instaurata fuit, arbitror, tunc quidem inspectas fuisse sacras Reliquias et additam fuisse laminam æneam, in qua pro more istius temporis inscribi potuit æra christiana*

(1) Labbe, t. IX Conc. col. 894. — (2) Labbe, Ib. col. 877. — (3) Cfr Act. SS., t. III Febr., p. 434. — (4) Labbe, Ib. col. 894. (5) Ibid. col. 880. — (6) Dupuy, t. II, p. 92. — (7) T. II, col. 1475. — (8) D. Bouquet, Rec., t. VIII, p. 241. — (9) Migne Patrol., t. III, col. 670. — (10) Nouveau traité de Diplom. t. IV, p. 696. Cfr Dion. De Rom. Pont. infallib., p. 86. — (11) Nov. Bibl. mss., t. II, p. 737.

AUCTORE J. V. H.

sive a Nativitate sive a Passione Domini. Utrum porro lamina plumbea, nullo chronogrammate signata, æqualis aut majoris sit antiquitatis, ex ipsis litterarum elementis, quæ periere, dijudicare non licet. Non censeo tamen, utramque laminam ejusdem esse ætatis et simul uno tempore in sepulcro fuisse positam (1) *: istiusmodi enim cautiones, quatenus nempe pro diversitate metallorum certior sit documenti conservatio, non convenit cum simplicitate istorum temporum. Dein si, ut altera pereunte, altera superstes et intacta maneret, duplex fuisset lamina, debuisset magis in utraque idem scribi. Tandem plumbea simplicior est nec impedimentum chronogrammatis habet. Propterea hanc antiquiorem Froterio, instauratore basilicæ, et Chronopio coævam existimo; nisi ostendi posset translationem aut visitationem Reliquiarum mediam fuisse inter Froterium et Chronopium.*

opinionem nostram non infringit sive Ecclesiarum ambitio,

15 *Hæc fere sunt, quæ pro missione apostolica* S. Frontonis *dicenda habemus. Sed R. Audierne novam objicit difficultatem, quam apud alios legere non memini : nata nempe fuerit opinio de missione apostolica, S. Frontoni et aliis episcopis a S. Petro collata, quando, Leone Pp. IV sedente ab anno* 847 *ad* 855, *sedes episcopales et monasteria satagebant obtinere privilegiorum suorum confirmationem, adeoque titulos sibi antiquissimos effingebant* (2). *Verum quo fundamento hæc eruditi viri assertio nitatur, plane non perspicio. Etenim consideranti tum res gestas ipsius Pontificis tum Acta istorum temporum nihil simile occurrit, sive in Collectione Conciliorum, sive apud Brecquigny in tabula chronologica diplomatum, chartarum, etc., sive apud Petrum Georgisch in Registris chronologico-diplomaticis, sive apud D. Bouquet in amplissima collectione rerum Gallicarum, sive tandem apud Baronium aut in Actis Sanctorum Bollandianis in Vita Leonis IV, edita ad diem XVII Julii. Quod si tamen adversarius assertionem suam veram ostenderet, non continuo sequeretur, tunc primum natam esse opinionem; sed id solum, tunc primum necessariam fuisse allegationem antiquorum titulorum ad defensionem jurium Ecclesiarum. Pari modo cespitat R. auctor, quando affirmat, sæculo primum duodecimo Lycaoniam patriam S.* Frontoni *tributam fuisse : vidimus enim sæculo saltem decimo sub Froterio eum Lycaoniæ adscriptum; imo si aliquid valet nostra sententia de utraque inscriptione supra allata, sæculo sexto sub Chronopio opinio ista jam vulgaris erat.*

C

sive incerta et mutila primorum episcoporum successio.

16 *Antequam hanc claudo dissertationem, non dissimulabo difficultatem, mihi semper gravissimam, provenientem ex manca primorum episcoporum Petragoricensium successione. Nam inter S.* Frontonem *et Paternum, qui anno* 356, *teste Sulpitio Severo lib. II, Hist. Sacræ cap.* 45 (3), non detrectans perfidiam *Arianam* profiteri, sacerdotio pulsus est, *duos solum episcopos medios numerat Gallia Christiana, Anianum et Chronopium I* (4). *Atqui quatuor episcopi spatium trecentorum fere annorum, quod a medio sæculo primo ad medium quartum excurrit, implere non possunt. Quod si initia Ecclesiæ Petragoricæ ad normam Gregorii Turonensis, id est ad medium sæculum tertium redigantur, quatuor episcopi commode ab anno* 251 *ad* 356 *pertingent. Nodus intricatus solutione sua carere non debet. Jam alibi diximus* (5), *primos nationum episcopos regionarios magis, quam certæ sedi affixos fuisse, adeoque eorum jurisdictionem intra angustias unius diœcesis non fuisse circumscriptam, sed extendisse se ad plures provincias et plures civitates ejusdem provinciæ. Sic videmus S. Maternum haberi proprium episcopum a Trevirensibus, Coloniensibus et Tungrensibus : ipsum S.* Frontonem *nostrum exhibet Vita edenda obambulantem varias Galliarum provincias prædicando Verbum Dei. Quod si in decursu istiusmodi prædicationis morerentur, ea, in qua diem suum claudebant, civitas defunctum in diptycha sua referebat, ut episcopum sibi proprium, omissis aliis civitatibus, in quibus pontificatum gesserant. Atque hinc explicantur jam rara nomina primorum episcoporum, qui in diptychis recensentur, ac difficultas constituendi horum successionem, donec in certos episcopatus distributa esset regio. Dein* E *sunt catalogi, qui Aniano et Chronopio duos adjungunt, Leonem seu Leontium, qui colitur Petragoricis* XXVIII *Junii, et Pagasium, ut ad nos scripsit R. D. Dion, professor historiæ ecclesiasticæ in seminario. Diuturnior adhuc esset singulorum pontificatus, utpote qui ad quinquaginta annos excurreret : sed fieri etiam potuit, ut, furente persecutione gentilium, sedes Petragoricensis vacaverit. Tandem hiulci sæpe sunt episcoporum Catalogi etiam posterioribus temporibus : quando certo jam constitutæ erant sedes episcopales, tamen lacunæ in successione antistitum reperiuntur. En exempla domestica : inter Saffiarium, qui anno* 590, *et Bertrandum, qui an.* 767 *Petragoricensem cathedram occupabant, nullus reperitur episcopus medius* (6) *: et in metropoli Burdigalensi ab anno* 589 *ad* 816 *nullus recensetur episcopus* (7). *Valeret certe objectio, si pauci et rari episcopi presse sibi subsequerentur, ut supra ad diem* XXIII *Octobris in episcopis Tullensibus ex tabulis ejusdem Ecclesiæ monstravimus* (8), *quando S. Amonis tempus ad* IV *sæculum revocavimus : sed in Petragoricensi catalogo nihil simile occurrit; imo Joannes Dupuy aperte docet, propter persecutiones viduatam aliquandiu permansisse Petragoricensem Ecclesiam* (9). F

§ II. Vita edenda proponitur; inquiritur in Sancti patriam, in præsentiam ultimæ cœnæ et sepulturæ B. Marthæ; in occisionem serpentis, universæ regioni infesti.

Quam edimus, Vita non videtur

17 *Ut fundationem Ecclesiarum Galliæ a primo ad medium usque tertium sæculum removeant adversarii, passim objiciuntur Vitæ primorum episcoporum, multis, ut aiunt, fabulis refertæ, anachronismis et erroribus scatentes* (10). *Enimvero Acta antiquiorum Sanctorum, a recentioribus non raro conscripta, multis nævis inspersa esse nemo diffitebitur. Esto igitur Vita S.* Frontonis *fabulis quibusdam infecta : inde tamen*

(1) Dion., p. 85. — (2) Dupuy, t. I, p. 232. — (3) Migne. Patrol., t, XX, col. 155. — (4) T. II, col, 1448. — (5) Act. SS., t. VIII Octob., p. 34. — (6) Gall. Christ., t. II, col. 1454. — (7) Ibid. col. 795. — (8) Act. SS., t. X Octob., p. 908. — (9) T. I, p. 91. — (10) Dupuy, t. I, p. 233.

nequaquam

A *nequaquam consequitur, sancti missionem in Gallias et sedis Petragoricensis fundationem ad sæculum primum æræ christianæ non pertinere. Etenim memoria temporis, quo Ecclesia aliqua incepit, licet fabulosis circumstantiis infarta, in ipsa hac Ecclesia non facile obliteratur : adeoque istiusmodi traditio retinenda est, donec argumentis contrariis elidatur. Sed aliud omnino est adjectio circumstantiarum, quibus honoris causa Vita alicujus Sancti adornatur. Dein hujusmodi additiones quandoque proveniunt ex similitudine nominum : unde fit, ut quod uni homonymo proprium est, alteri etiam tribuatur. Sic S. Gregorius Nazianzenus duos Cyprianos, alterum Carthaginensem episcopum, alterum magum Nicomediensem, in unam conflavit personam, eorumque Acta permiscuit, ut monstrant nostri ad diem* XXVI *Septembris in Actis SS. Justinæ et Cypriani Martyrum* (1). *Eodem modo, ut jam diximus num.* 6, S. Fronto, *noster cum homonymo Nitriensi confusus fuit, atque hinc variæ fabulæ natæ sunt. Quædam specialia, omissis tamen iis, quæ in Vita elucidabimus, attingimus.*

B *non videtur valde antiqua :* 18 *Quaternas novimus Vitas antiquiores* S. Frontonis. *Jam indicavimus supra num.* 6 *Vitam, a Gauzberto lucri causa conscriptam, quam idcirco omittendam censemus, quia patribus Lemovicensibus probata non fuit. Alteram nuper e tenebris alicujus parochiæ ruralis diœcesis Bellovacensis eruit R. D. Pergot, et ipse auctor Vitæ* S. Frontonis, *anno* 1861 *editæ. In hac parochia, quæ Domni-Frontonis* (Domfront) *nomen habet, in partitione Isaræ* (Oise), *et Sancto nostro antistite patrono gloriatur, hactenus conservatur codex manu exaratus, eximia quidem artis calligraphicæ, sed recentioris ætatis, utpote qui vix ante medium sæculum* XVI *conscriptus fuerit. Continet autem totum Officium Sancti, musicis signis notatum, ac in eo præter novem picturas, res gestas a* S. Frontone *referentes, habentur lectiones, quæ vulgo Legendæ dicuntur et Vitam Sancti exhibent* (2). *Tertium quod habemus exemplar, auctorem prodit Sebaldum, Petragoricensem episcopum, quum dicit :* Ego Sebaldus episcopus. *Sebaldus porro sedem occupavit sæculo decimo ineunte* (3) ; *adeoque ab ætate* S. Fron-

C tonis *sat remotus fuit, ut narrationi suæ fabulas quasdam admiscere potuerit. Sed neque Sebaldum crediderim Vitæ, qualem habemus, auctorem : si enim Sebaldina lucubratio exstitisset, clerici Petragoricenses in synodo Lemovicensi abbatem Solemniacensem facili negotio refutare potuissent, indicando, scriptorem antiquiorem, Sebaldum, ita omnia collegisse, quibus* S. Fronto *S. Martiali æquiparatur et Apostoli titulum meretur, ut auctore Gauzberto nullatenus indigerent. Unde consequens fit, ut ignota delituerit centum post annis Vita, a Sebaldo composita, quod verisimile non est. Dein codex noster ea affert, quæ apostolatum* S. Frontonis *potentissime vindicant, quasi scriptor vellet refutare, quæ contra hunc titulum Lemovicis oggesta fuerant. Quapropter malo Vitam edendam anonymo tribuere, qui antecessorum scriptis uti potuit. Porro hujus Vitæ duplex est exemplar, in schedis Bollandianis asservatum, alterum altero prolixius. Brevius edimus : sed in Annotatis proli-*

(1) Act. SS., t. VII Sept., p. 201. — (2) Pergot, Vie de S. Front, p. 280 et seqq. et p. 456 et seqq. — (3) Gall. Christ. t. II, col. 1456.

AUCTORE J. V. H.

xiori, quantum opus fuerit, utemur; quæ enim brevius est, plerumque antiquius habetur. Utrumque sicut et illud, quod ex codice Domni-Frontonis editum fuit, eadem eodem fere ordine refert : sed alterum, quemadmodum et Domno-Frontonianum, verbis locupletius, varios locos communes addit, qui desunt in exemplari edendo. Cæterum licet quam edimus, Vita suis non careat fabulis, propterea inutilis non est, tum quia immixtas narrat res vere gestas, tum quia usui esse potest ad elucidanda Sanctorum monumenta, sine talibus Legendis ænigmatum instar habenda. In istiusmodi scriptis gravis est difficultas in discernendo verum a falso; quæ augetur etiam confusione Frontonis *Petragoricensis cum homonymo Nitriensi. Sed rem cominus aggrediamur.*

patria probabilius ex Lycaonia 19 *Imprimis inter biographos inquiritur, quæ sit* S. Frontonis *patria. Gauzbertus eum Petragoricis natum et informatum litteris, etiam christianis, tradit. Certe primo jam sæculo æræ christianæ, subactis Galliis, frequentissimum erat commercium inter Italiam et Gallias. Quapropter si hæc sibi constaret traditio, non esset quod repugnaremus Gauzberto; dum tamen cum* E *eodem non poneretur,* S. Fronto *psalterium Patragoricis addidicisse et sacris christianis fuisse ibidem initiatus. Sed est alia traditio, ejusdem, quantum novimus, antiquitatis, nempe* S. Frontonem ex Lycaonia regione ortum *fuisse, ut habet inscriptio supra num.* 13 *citata. Quoniam autem sustinemus, Sanctum a B. Petro Apostolo in Gallias missum, adeoque ejusdem discipulum fuisse, nihil obstat, quominus ea patria assignatur; nam Lycaonia media fere jacet inter Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam, eas videlicet provincias, quibus Christi Evangelium prædicavit, ut docet nos ejus prima catholica epistola directa* electis advenis dispersionis Ponti, Gallaciæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ. *Quando dein S. Petrus Romam adiit, ut ibidem summam sedem apostolicam in perpetuum constitueret, aliquos secum discipulos, adjutores apostolatus sui, probabiliter adduxit, quos dein ad varias provincias Europæas misit episcopos ad fundandas Ecclesias; quemadmodum S. Paulus discipulum suum Titum* reliquit Cretæ, ut ea quæ deerant, corrigeret, et constitueret per civitates presbyteros, sicut et ipse F disposuerat illi (*Tit. I,* 5).

Cœnæ Dominicæ cum Apostolis. 20 *Sed clientelæ S. Petri novum ornamentum adjecit alter biographus, quem diximus num.* 18 *explicatiorem Vitam edidisse. Hic vero hisce verbis orditur :* B. Fronto, ex tribu Judæ patre Simone, matre vero Frontonia genitus, ex finibus Lyaconiæ regionis, generositate clarus, exstitit oriundus. Hic lingua facundus, moribus honestus, prædicante Domino nostro Jesu Christo Evangelium regni per Judæam, Galilæam et Syriam, venit ad ipsum petens unda sacri baptismatis regenerari ; quem B. Petrus, jubente Christo, baptizavit, secumque manere voluit : fuitque virgo electus a Domino et virgo permansit. Hic fuit unus de septuaginta duobus discipulis Christi, qui et cum cæteris sanctæ prædicationis ministerium suscepit. Hic etiam cum aliis a Domino accepit potestatem mortuos suscitandi, infirmos curandi, leprosos mundandi, cæcos illuminandi, dæmones

ejiciendi

AUCTORE J. V. H.

ejiciendi, et virtutes alias et signa in Christi nomine faciendi. Interfuit autem cum Apostolis cœnæ dominicæ, in qua panem in corpus et vinum in sanguinem sua potestate Christus convertit, suisqus discipulis tradidit, et eorum pedes lavit. Dein post passionem Domini, cum aliis discipulis vidit gloriam resurrectionis Christi in carne et potentiam ascendentis in cælum, et in die sancto Pentecostes Spiritum Sanctum in linguis igneis cum cæteris accepit etc.

ut monstrant Evangelistæ,

21 *Hæc, quæ in collectione hagiographicæ bibliothecæ regiæ Bruxellensi inter codices manuscriptos sub numero* 8921 *servantur, posteriora censeo concilio Lemovicensi anni* 1031, *utpote quæ ad amussim respondent objectionibus, in eadem synodo apostolatui oppositis, scilicet* S. Frontonem *non habuisse resuscitandi mortuos potestatem, et aggregatum non fuisse Apostolis Christi. Sed minus solerter id fecisse videtur, quum ipsa verba Evangeliorum illum præterierint. Nam tres Evangelistæ, qui conceptis verbis de suprema cœna agunt, expresse docent, duodecim cum Jesu fuisse convivas Apostolos. Matthæus* XXVI. 19 *dicit :* Paraverunt pascha : vespere autem facto, discumbebat cum DUODECIM discipulis suis. *Marcus autem* XIV, 16 : Paraverunt pascha. Vespere autem facto, venit cum DUODECIM. *Lucas tandem* XXII, 13 : Paraverunt pascha. Et cum facta esset hora, discubuit et DUODECIM Apostoli cum eo. *Joannes, quoniam cœnam non describit, numerum convivarum non refert. In hæc verba Evangelistarum ita commentatur Joan. Maldonatus ad Matth.* XXVI, 20 : Videtur mihi Evangelista discipulorum numerum expressisse, cum quibus Christus agnum comedit, ut ea etiam in re significaret, eum legis præscriptum observasse. Jubebat enim lex, ut pater familias cum tota familia sua agnum ederet (Exod. XII, 3) ; Christi autem familia discipuli erant. Chrysostomus ideo hoc ab Evangelista dictum esse judicat, ut ostenderet, Judam etiam cum cæteris Apostolis accubuisse, ejusque impudentiam et ingratitudinem declararet, de quo veteres auctores inter se dissentiunt.

B

non interfuit.

C

22 *Scilicet inter antiquos non convenit, utrum Judas proditor institutioni sacræ Eucharistiæ interfuerit, eaque fuerit refectus : sed id ad rem nostram non attinet, quod Maldonatus exponit ; ac dein prosequitur :* Quæri etiam potest, et a nonnullis dubitatum video, an alii aliqui præter discipulos cum Christo accubuerint. Euthymius alios etiam nonnullos accubuisse, putat; quamvis eos Evangelistæ non nominaverint, quod multis ego de causis probare non possum : et quia cæteri Judæi non eodem die pascha celebrarunt, et quia ita accurate Evangelistæ discipulorem nomen aut numerum expresserunt, ut duo facere voluisse videantur, et significare omnes discipulos adfuisse, et indicare neminem adfuisse præter ipsos, et quia lex præcipiebat, ut unaquæque familia suum agnum ederet, nec externus ullus admitteretur, nisi familiarium numerus ad edendum integrum agnum satis non esset; hinc enim externos, quotquot ad esum agni necessarii essent, advocari permittebat. Discipulorum autem numerus ad edendum agnum satis magnus erat. *Eamdem sententiam amplectitur Lucas Brugensis in suo commentario ad citatum textum Matthæi Ex his satis manifestum est, nullum in cœnaculo S.* Frontoni *locum fuisse, sed meram esse fabulam, ideo inventam, ut Apostoli titulus Sancto adaptaretur. Hactenus dicta cæterum ostendunt, incertam esse S.* Frontonis *patriam. Quoniam tamen illum antiquiores e Gallia oriundum faciunt, et quidem ex pago Petragoricensi, probabilior istis opinio est, Martyrologio Rabani confirmata, illum natum esse in loco* Linicasio in termino urbis Petragoricæ. *Videtur esse hodiernus pagus* Lanquais, *etiamnum in diœcesi Petragoricensi, in districtu Bergeracensi.*

D

Ex aliorum historia mutuatio

23 *Ex Adone habemus*, S. Frontonem *ope baculi S. Petri socium suum resuscitasse :* Romæ, *inquit,* a B. Petro ordinatus, cum Georgio presbytero ad prædicandum Evangelium missus est; cumque die tertio itineris idem Georgius esset mortuus, mœrens Fronto reversus est ad Apostolum, acceptoque ejus baculo et super corpus defuncti posito, socium de morte recepit. *Quia idem prodigium cum iisdem prorsus circumstantiis etiam aliis Gallicanis episcopis tribuitur, ansam cepit Jacobus Longueval infirmandæ veteris traditionis, qua fundatio Ecclesiæ Petragoricensis sæculo primo illigatur. In sua enim dissertatione de initiis propagati Evangelii per Gallias, conqueritur, quosdam mendaciorum ope Sanctos glorificare* (1), *dicitque talibus fabulis infecta Acta primorum Galliæ apostolorum.* Quæ, *ait,* edita sunt Acta, tam portentosis ornantur adjunctis, ut in iis simplicem veritatem nemo agnoscat, quin etiam alia ab aliis derivata videantur. Sic S. Martialis suscitat S. Austriclinianum socium suum ope baculi, a S. Petro dati : ejusdem baculi ope suscitat S. Maternum socium suum S. Eucharius : S. Clemens Metensis idem miraculum præstat S. Domitiano socio suo virtute ejusdem baculi S. Petri : S. Fronto vitam eodem baculo reddit S. Georgio socio. Quam fides istius modi Actis præberi potest? *Ut jam diximus, omnia eadem sunt in hisce Actis : mittuntur singuli cum singulis sociis; tertio itineris die moriuntur socii ; revertuntur Romam episcopi, et reduces, acceptum a S. Petro baculum mortuo imponunt, qui statim reviviscit. Itaque unum ab altero scriptore exceptam historiam descripsisse, ne scilicet unus Sanctus altero inferior videretur, omnino manifestum est.*

E

F

B. Georgii, socii S. Frontonis

24 *Rev. Dom. Faillon, Sansulpicianus theologus, qui antiquas Galliæ traditiones curiose simul et solerter defendit, ingenue fatetur, ipsam prodigii quater repetiti similitudinem facere, ut narratis omnem fidem abroget; quatenus manifestum fiat, id ad amplificandam gloriam Sancto affictum fuisse. Censet nihilominus, istius generis miraculum alicui viro apostolico, in Gallias misso, contigisse : ut enim quatuor diversis episcopis tribuatur, necesse est, inquit, ut vel uni aliquando acciderit. Fundamentum spuriæ traditionis est plerumque veritas historica, perperam quandoque ab uno ad alium traducta. Censet porro laudatus scriptor, miraculum istud primitus S.* Frontoni *nostro adscriptum fuisse* (2). *Certe Ado de solo* Frontone *nostro id refert. Paulus diaconus, sæculi* VIII *scriptor Historiæ episcoporum*

(1) Hist. de l'Egli. Gall. T. I, p. LXIII. Edit. Paris. 1825. —

(2) Monum. de l'apostol. de S. M. Mad., t. II, col. 393.

A *episcoporum Metensium* (1), *dum refert, S. Clementem, Metas a S. Petro missum, plurimis miraculis inclaruisse, nullum tamen istius modi prodigii ingerit mentionem. Gesta Trevirorum, quorum auctor Eberhardus obiit anno* 909 (2), *id miraculum S. Euchario adscribit, qui mortuo socio suo, S. Materno baculum S. Petri imponens, eumdem ad vitam revocavit* (3). *Utra sit antiquior traditio S.* Frontoni *aut S. Eucharii propria, non ausim decidere. Quod vero spectat ad prioritatem inter S.* Frontonem *nostrum et S. Martialem æque difficilis est quæstio : nam sæculo* XI *in concilio Lemovicensi, apostolatui S.* Frontonis *nostri duo præsertim opponebantur, nempe eum Jerosolymis non esse profectum, nec cognosci locum, ubi Georgius* a Fronto suscitatus *legitur* (4). *Ex quo quidem consequitur, vagam illa tempestate fuisse traditionem de Georgio suscitato, quando locus indicare non poterat : dum e contrario Lemovicenses Martiali suo prodigium vindicabant, ostendentes locum prodigii Elze, hodie Collem, urbem episcopalem Etruriæ. Videtur igitur resuscitatio Georgii serius efficta, ac proinde omnino expungenda.*

resurrectio dicenda est,

25 *Porro Acta S. Georgii, a Bernardo Guidonis edita, omnium antiquissimum præbent monumentum de rebus gestis S.* Frontonis *conscriptum* (5). *Hæc eadem præ manibus habemus ex collectione Bollandiana Bibliothecæ regiæ sub num.* 8930. *S. Georgii resurrectionem hisce verbis narrat biographus :* Ipsi (Fronto *et Georgius*) non reluctantes salutaribus monitis, aggressi sunt injunctum sibi iter, licet multis pro caritatis affectu effusis lacrymis. Tertia quoque die devenerunt in quoddam oppidum juxta locum Volsini antiquitus ab ipsa Vultorum gente siti, ibique benigne suscepti, aliquandiu habuere hospitium, prædicantes atque evangelizantes catholicæ religionis verbum salutare. Interea dum ibidem demorantur, Georgius, morbo gravatur, nec plurimo interjecto tempore, morte præoccupatur : et Fronto tristis et mœstus concito gradu ad Apostolum Petrum revertitur : pedibusque ejus prostratus, flebiles voces ingeminat et pro reddenda defuncto vita lacrymabiliter implorat. Cui magister inquit : Depone luctum, carissime, quo frustra affligeris; quia quem mortuum non
C ignoras, vivere procul dubio gaudebis. Accipe ergo baculum hunc et virgam pastoralem, quam tecum deferens super corpus defuncti pones : tunc invocata virtute Dei, fiducialiter jube, ut a mortuis citius resurgat et sic sanus et incolumis ad prædicandum Evangelium pariter tecum perget. Quibus omnibus sicut Apostolus præceperat jam peractis, surgere videt socium suum defunctum ; pro cujus obitu amarissime fleverat. Unde et illa in patria multi crediderunt in Christum. *Hactenus biographus.*

quod factum etiam S. Euchario Trevirensi, tribuendum est :

26 *Volsinum, vernacule* Bolseno, *oppidulum est in delegatione Viterbiensi et diœcesi Urbis Veteris* (Orvieto), *octoginta fere chiliometris Roma distans septemtrionem versus. Si vero, ut supra dictum est, S. Georgii Acta continent documenta antiquissima de S.* Frontone, *videntur hæc sæculo* XI *recentiora ; quandoquidem interrogati Petragoricenses*, ubi Frontus Georgium suscitasse *legeretur* (6) : *mussitarunt, et provocati respondere nescierunt. Quod si supra scripta historia elucubrata tunc fuisset, confidenter Volsinum indicassent et sua responsione oppositionem Lemovicensium fregissent. Id quoque prætereundum non est, vulgatiorem videri traditionem S. Eucharii quam S. Frontonis : nam Innocentius III, in suo opere de Sacro Altaris Mysterio, lib.* I, *cap.* 62 (7), *docet,* Romanum Pontificem pastorali virga non uti, pro eo quod B. Petrus Apostolus baculum suum misit Euchario, primo episcopo Treverorum, quem una cum Valerio et Materno ad prædicandum Evangelium genti Teutonicæ destinavit. Cui successit in episcopatu Maternus, qui per baculum S. Petri de morte fuerat suscitatus. Quem baculum usque hodie cum magna veneratione Treverensis servat ecclesia. *Non ideo tamen censuerim, resurrectionis miraculum ad S. Eucharium magis quam ad S.* Frontonem *certo pertinere, quamvis pro Trevirensi traditione stare videatur ipsius baculi conservatio. Unum insinuare volui, resurrectionem istam, siquidem ad unum ex apostolicis viris pertineat,* E *nulli eorum in specie et individuo tribui posse. Quamvis hæc ita sint, diu tum apud Petragoricenses, tum apud Velaunos servata fuerunt fragmenta baculi prodigiosi, qui etiam apud Tungros, quasi instrumentum resuscitationis S. Materni in thesauro repositus est. Frontonianus baculus in duas partes discissus fuit, superior olim Petragoricis exstabat, et verisimiliter tunc amissus fuit, quando ipsum corpus S.* Frontonis *disperiit* (8). *Inferior pars in collegiata ecclesia oppidi S. Pauliani, diœcesis Aniciensis* (St-Paulien, dép. Haute-Loire), *permansit usque ad annum* 1793 (9). *Tunc enim impiis subductus fuit. Reddita pace Ecclesiæ, restitutus baculus parocho Sampaulianensi, qui illum dedit monialibus, ab Instructione dictis* (Dames de l'Instruction) *et hactenus Anicii asservatur* (10). *Baculus iste viatorius est, flavus auri instar, et tanti ponderis, ut ferreus videatur, nec certo hactenus indicari potuit ad quam speciem arboris, unde excisus est, pertineat.*

AUCTORE J. V. H.

prodigiosa præsentia sepulturæ.

27 *In Vita, S. M. Magdalenæ, quam Rev. D. Faillon Rabano adscribit, legimus cap.* 49 (11) : Die dominica, hora diei tertia, congregati aderant omnes ut corpus sanctum *B. Marthæ* congruo condirent * pridie Kalendas Augusti. Cum ecce eadem hora, apud Petragoricas, Aquitaniæ civitatem, Missas celebraturo pontifici S. Frontoni, populos expectanti et in cathedra dormitanti apparuit Christus et ait illi : Fili, veni, imple, quod promisisti, exsequiis Marthæ hospitæ meæ te affuturum. Dixit : moxque pariter in ictu oculi apparuerunt apud Tharasconam, libellos manu tenentes, in ecclesia : Christus capiti, præsul pedibus adstantes; ipsi soli corpus in mausoleum locantes, mirantibus cunctis, qui aderant. Egrediuntur, completis exsequiis. Sequitur eos unus ex clero, quærens a Domino qui esset vel unde venisset. Cui Dominus nihil respondit, sed codicem, quem tenebat, dedit. Clericus ad sepulcrum rediit, codicem cunctis ostendit, in singulis

hucusque?

(1) Calmet, Hist. de Lorr., t. I. Preuv., col. 62. — (2) Prolegom., p. 18. Edit. Trevir., 1856. — (3) Ibid., p. 32. — (4) Labbe, t. IX, conc. col. 875. — (5) Monum., t. II, col. 591. — (6) Labbe, t. IX, conc. col. 875. — (7) Migne. Patrol., t. CCXVII, col. 798. — (8) Pergot, Vie de S. Front, p. 178. — (9) Ibid., p. 177 et 441. — (10) Ibid., l. c. et p. 449 et seq. — (11) Monum. de l'apostol., t. II, col. 555.

AUCTORE J. V. H.

paginis sic legit : In memoria æterna erit Martha, hospita Christi, ab auditione mala non timebit. Nihil aliud continebatur in codice. Interea apud Petragoricas levita pontificem excitat; horam sacrificii præterire, populum fatigari, suggerens. Cui præsul : Nolite, inquit, turbari, nec tædeat vos diutius exspectasse : ego enim nunc raptus sum in spiritu, sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit, Tharasconam cum Domino Salvatore ministram ejus Martham sanctissimam, ut viventi pollicitus sum, mortuam sepelire. Mittite igitur nunc, qui annulum nostrum et chirothecas criseas referat, quas in manus sacristæ posui, dum corpus sanctum in mausoleo composui. Miratur hæc audiens populus, mittit Tharasconam nuntios tenus. Rescribunt Tharasconenses Petragoricensibus diem et horam sepulturæ ejus, ignotam et venerabilem cum eorum pontifice, quem bene noverant, exsequiis ejus interfuisse personam; et de libello et titulo libelli, ne forte hoc episcopum latuisset; et annulum, quod receperat sacrista, remitti, alteramque chirothecam : altera in testimonium tanti miraculi retenta.

griseas.

B

B. Marthæ, a sepultura S. Martini,

28 *In hac narratione varia occurrunt, quæ cum moribus primorum sæculorum minus conveniunt. Sic annulus et chirothecæ pontificales sapere videntur tardiora sæcula; licet enim annulus apud antiquos in usu fuerit, ut docet Romanorum, Græcorum et Hebræorum historia, nequaquam ostendi potest, fuisse etiam ornamentum pontificale. Quod ad chirothecas spectat, illæ, si fides est Petisco in suo Lexico antiquitatis V.* Chirothecæ, *apud Romanos solum ex necessitate, nunquam propter ornatum adhibebantur. Erant certe primo sæculo clerici, qui sacram supellectilem custodiebant, tamen non crediderim sacristæ nomen illis inditum fuisse. Ex hisce deduco, biographum supra citatum prodigiosam B.* Frontonis *in sepultura S. Marthæ præsentiam secundum mores suæ ætatis expressisse* (1). *Non tamen refugerem ab accipienda narratione, si constaret, biographum esse vere Rabanum, id ex antiquiori Vita mutuatum : difficultatem facessunt dicta num.* 6, *quæ incertum faciunt ejus auctorem. Quiscumque*

C

tamen sit scriptor istius Vitæ, id tamen elucet, firmum fixumque stetisse, S. Frontonem *fuisse coævum S. Marthæ, hospitæ Christi, adeoque ejus apud Petragoricenses pontificatum ad primum sæculum æræ christianæ pertinuisse. Ad rei memoriam Tarasci in ecclesia S. Marthæ erat altare in honorem S.* Frontonis *erectum* (2), *et in sarcophago ejusdem Sanctæ S.* Fronto *sepeliens exhibebatur* (3).

cui præsens adfuisse dicitur B. Ambrosius

29 *Animadvertendum quoque est, apparitionem S.* Frontonis *in exsequiis S. Marthæ ita a biographo narrari, ut suspicari liceat, eum ad verbum fere exscripsisse Gregorium Turonensem, qui idem refert de S. Ambrosio Mediolanensi, sepulturæ B. Martini Turonensis præsenti. En verba ex lib.* I *de Miraculis S. Martini, cap.* 5 (4) *S. Ambrosio* celebrandi festa dominicæ diei ista erat consuetudo, ut veniens lector cum libro suo, non antea legere præsumeret, quam Sanctus nutu jussisset. Factum est autem, ut illa die dominica, prophetica lectione recitata, jam lectore ante altare stante, qui lectionem B. Pauli proferret, beatissimus antistes Ambrosius super sanctum altare obdormiret. Quod videntes multi, quum nullus eum penitus excitare præsumeret, transactis fere duarum aut trium horarum spatiis, excitaverunt eum dicentes : Jam hora præterit : jubeat domnus lectori lectionem legere; exspectat enim populus, valde jam lassus. Respondens autem B. Ambrosius : Nolite, inquit, turbari : multum enim mihi valet sic obdormisse, cui tale miraculum Dominus ostendere dignatus est. Nam noveritis, fratrem meum Martinum sacerdotem egressum fuisse de corpore, me autem ejus funeri obsequium præbuisse, peractoque ex more servitio, capitellum tantum, vobis excitantibus, non explevi. Tunc illi stupefacti, pariterque admirantes, diem et tempus notant, sollicite requirentes. Qui ipsam diem tempusque transitus sancti repererunt, quod beatus Confessor dixerat, se ejus exsequiis deservisse. *Fabulosam habet hanc historiam Theodoricus Ruinart Mauro-Benedictinus, editor operum S. Gregorii Turonensis* (5), *quia aut differendus est S. Ambrosii, aut anticipandus S. Martini obitus. Sed hæc in alterutrius Actis examinanda erunt : et*

D

E

adiri possunt nostri in Tractatu præliminari ad tomum I Aprilis (6).

traducta videtur :

30 *Hic vero unum ostendendum habemus, similitudinem circumstantiarum in utroque facto, unde nascitur suspicio, rem, prout narratur, a Gregorio Turonensi, scriptore antiquiori, derivatam esse. Nam* 1° *Martha et Martinus die dominica sepeliuntur.* 2° *Uterque pontifex, sedens in cathedra, præsente populo, indormit.* 3° *Nullus Ambrosium aut* Frontonem *a somno excitare audet.* 4° *Populus Mediolanensis et Petragoricensis expectans lassatur.* 5° *Ambo episcopi, præterita jam sacrificii hora, respondent clericis stupefactis : Nolite turbari et quæ alibi acciderant, narrant.* 6° *Utrobique notatur dies et hora; et facta perquisitione reperitur, vere hæc in longinqua regione contigisse* (7). *Quamvis autem hæc ita se habeant, non rejicimus tamen prodigiosam præsentiam S.* Frontonis *in funere S. Marthæ, quatenus scilicet miraculum idoneo testimonio nitatur. Quod si propter difficultates chronologicas dubia est auctoritas Gregorii Turonensis, referentis rem gestam in propria ecclesia; mirari nemo debet, hærere nos incertos in portento, dubiis notitiis involuto. Non est tamen, quod negemus prodigiosas istiusmodi apparitiones, aut, si dicere fas est, bilocationes, quarum multiplicia exempla affert Prosper Lambertini in suo opere de Servorum Dei Canonizatione, lib.* IV, *part.* I, *cap.* 32, *num.* 18, *et in Vita S. Alphonsi de Liguori, fundatoris meritissimæ Congregationis SS^mi Redemptoris egregium affertur hujusmodi apparitionis specimen, quando scilicet sanctus vir obdormire visus est per horas viginti quatuor, et expergefactus declaravit adstitisse se Clementi papæ XIV morienti* (8).

F

de serpente, a S. Frontone

31 *In Actis S.* Frontonis *edendis frequenter laudatur in sancto antistite virtus expellendi serpentes :*

(1) Monum. de l'Apost., t. II, col. 340. — (2) Monum. sur l'Égl. de S. Marthe, à Tarascon, p. 70. — (3) Monum. de Mar. Mad., t. I, col. 1221. — (4) Migne. Patrol., t. LXXI, col. 918. — (5) Ibid., l. c. n. *g*. — (6) Act. SS., t. I, Apr., p. XXXVIII. — (7) Monum. de l'ap. de S. Marie M., t. II, col. 337. — (8) Tannoja, Mem. sur la vie de S. Alph. de Liguori, t. II, p. 447.

A *serpentes : quod certe, siquidem ad primos apostolos pertineat, auctoritatem habet ab ipso Evangelio, in quo Marc.* XVI, 18 *inter* signa, *quæ* eos, qui crediderint, sequentur, *ponitur : In nomine Jesu* serpentes tollent. *Examinandum tamen remanet, an, quod præcipuis Sanctis primorum sæculorum tribuitur, aliquando tales serpentes aut dracones, qui universam aliquam regionem terrefacerent, exstiterint. Istiusmodi narratio ab Actis S.* Frontonis *vix abesse poterat. Eamdem ex Bruxellensi codice, num* 8921 *hic consignamus :* Suam aliquando diœcesim visitabat, eratque coluber miræ magnitudinis, non solum animalia, sed etiam homines lacrymabili populans vastitate. Quapropter ex vicinis locis ad eum venerunt homines ac mulieres, humiliter deprecantes, ut prædictum colubrum ab eorum finibus expelleret. Quorum petitioni consentiens, Dordoniam fluvium sicco pede transmeavit, et procedenti colubro adversum se crucis signum opponens, præcepit in nomine Jesu Christi, quem Judæi crucifixerunt, ne ulterius remanere præsumeret, ubi hominum esset habitatio, sed sese in altum
B mare reciperet. Moxque ad viri Dei præceptum se in flumen Dordoniam præcipitavit; indeque maris Oceani, unde venerat, vorticibus abdidit. *Paulo aliter narrationem suam adornat Joannes Dupuy, alios scriptores secutus; videlicet draconem precibus sancti antistitis crepuisse, et in Dordoniam præcipitatum fuisse.*

occiso, 32 *Referuntur etiam apud profanos historicos dracones seu serpentes portentosæ magnitudinis et crudelitatis. Valerius Maximus, lib. I, c.* 9, *Florus, l. II, c.* 2, *narrant, apud Bagradum fluvium in Africa* tantæ magnitudinis anguem fuisse, ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet; multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus elisis, quum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balistarum tormentis undique petitam, silicum crebris et ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem : atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, Romana inde summovisse castra. *Dicit belluæ etiam corium* CXX *pedes longum, in urbem missum. Plinius, l. VIII,*
C *cap.* 14, *Hist. Natur. eadem habet de serpentibus miræ magnitudinis, additque :* Faciunt his fidem in Italia apellatæ boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, ut divo Claudio principe, occisæ in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans. *Eadem fere habet Solinus Polyhistor* (1). *De hoc serpente similia habet Vita S. Hilarionis, a B. Hieronymo conscripta, quam ad diem* XXI *Octobris edidimus* (2). *Strabo quoque lib.* VI (3) *scribit* visum fuisse serpentem jugeri longitudinem; crassitudine tanta, ut equites, ex utraque parte adsistantes, alter alterum videre nequiret; rictu eo, qui hominem, equo insidentem, reciperet; exuvii squamam quamlibet clypeo majorem. *Qui plura desiderat, consulere potest varios auctores, qui de istiusmodi portentosis brutis tractarunt. In Lexico historico critico occasione Adeodati Go-*

(1) P. 78. Edit. Paris., 1847. — (2) Acta SS., t. IX Oct., p. 56. — (3) P. 1073. Edit. Oxon., 1807. — (4) Chausepié, Dict. hist. et crit. V. *Gozon*. — (5) Lecanu. Hist. des év. de Constance, p. 451. — (6) Morice, Mem. de la Bretagne, t. I,

zonis, militis Rhodii, qui enormem draconem interfecisse fertur, Jacobus de Chausepié varia exempla citat monstrorum, simulque ostendit vera essse quæ de Gozone narrantur (4). *Anno* 1589 *Noverogi* (Niort) *in diœcesi Pictaviensi draco erat allatus, infestus universæ regioni; Gulielmus quidam de Bello Campo, damnatus capitis, monstrum aggreditur, sub cautione vitæ indultæ : draconem interimit, sed evomitum a dracone venenum victorem necat. Exstabat ad annum usque* 1792 *facti egregii monumentum* (5). *Etiam medio ævo exhibebantur episcopi, serpentem calcantes : sic Stephanus, episcopus Trecoriensis, anno* 1222 *in sigillo suo draconem conterit* (6). AUCTORE J. V. H.

forsan signo debellatæ idololatriæ. 33 *Hæc eo adduximus, ut constaret, serpentium draconumve historias, etiamsi ut fabulæ traducantur, legendarios medii ævi e penu non sua deprompsisse. Inter fictiones relegat Bertholdus Niebuhr, quod historia Romana narrat de serpente a Regulo occiso* (7) *: enimvero exaggerata esse formam, magnitudinem, vires hujusmodi serpentium, nemo, credo est, qui diffiteatur : dummodo consentiatur, etiam aliquid veri istis, si ita loqui lubet, fabulis subesse. Fieri* E *itaque potuit, ut agrum Petragoricensem vastaret aliquis serpens seu draco, precibus S.* Frontonis *occisus : rem etiam aliquatenus probabilem facit traditio, quæ nomen cubilis, ubi aliquando latuit, hactenus retinuit : nam juxta Lindam oppidum est mons, Dordoniæ imminens, spelæum habens quatuor pedum altitudinis et duorum latitudinis, serpentis latibulum : in vertice autem montis est, scribit Joannes Dupuy, ecclesia sub titulo S.* Frontonis de Colubro, St-Front-Colori (8). *Traditio, quæ topographica dici potest, confirmat aliquatenus ipsam draconis historiam. Scrupulum tamen nobis injicit multitudo Sanctorum* Ὀφιοκτονῶν, *qui aut primi idololatriam insectati sunt, aut ejus reliquias deleverunt, ut de S. Romano Rotomagensi ad* XXIII *octob. num.* 50 *dictum fuit. Sic teste Eusebio in Vita Constantini Magni, lib.* III, *cap.* 3 (9), *imperator crucem effingi jussit, infra quam exhibetur* hostis et inimicus generis humani sub draconis forma in præceps ruens : *Scilicet* draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus. (*Apoc.* XII, 9).

F

§ III. De obitu et sepultura Sancti; de ejus cultu et variis translationibus; Reliquiæ, paucis servatis, a Calvinistis in Dordoniam projiciuntur.

Post obitum Sanctus extra urbem **M***orte naturali, in pace Domini, diem suum clausisse videtur S.* Fronto; *ac pro more istorum temporum extra civitatem tumulum nactus est.* Ejus corpus, *ait Breviarium Petrocorense anni* 1833, sepultum est prope urbem, in eo, qui postea dictus est Podium sancti Frontonis, loco, qui et ipse in civitatem excrevit. *Joannes Dupuy scribit, sancti antistitis corpus conditum fuisse in oratorio B. Mariæ*

tab. X, num. 139. — (7) Hist. Rom, t. III, pag. 541. — (8) Dupuy, Estat de l'Egl. du Perig., t. I, p. 59. — (9) Migne. Patrol. græc., t. XX, col. 1058 Cfr Baron. ad an. 325, CCCVI. Eckhel. Doctr., num. Vet, t. VIII, p. 88.

AUCTORE J. V. H.

Virginis ; dubitari merito potest, an jam tunc publice dedicatus fuerit locus sacris christianis peragendis. Ast id certum ex lege Romana, religiosum locum fieri, dum mortuus infertur in locum suum. *Instit. lib. II, tit. I,* § 9. *Et qui sepulcra violabant, præter alias pœnas, infamiam incurrebant, l. 1, ff de sepulc. violato* (*XLVII, 12*) : *cfr Cod. Theod. lib. IX, tit. XVII de sepulc. violatis. Tales leges quam efficacissime defunctorum non solum memoriam, sed et ossa ab omni injuria vindicabant : ad quod accedit specialis cura, a christianis defunctorum corporibus impensa, ut insinuat Tertullianus in suo Apologetico cap.* XXXVII (1), *dum gentilibus exprobrat, quod* ipsis bacchanalium furiis nec mortuis parcant christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant. *Quanta porro esset Christianorum pro mortuis suis, præsertim sanctitatis gloria illustribus, cura, bene exponit Ant. Bosius in sua Roma Subterranea lib. I, capp,* 9 *et sequentibus : inter alia refert ex Martyrologio Romano encomium S. Lucinæ, mores apostolicorum temporum*
B *referens, scilicet ad diem* XXX *Junii habemus :* Romæ, sanctæ Lucinæ, Apostolorum discipulæ, quæ de facultatibus suis Sanctorum necessitatibus communicans, Christianos, in carcere detentos, visitabat, et Martyrum sepulturæ inserviebat, juxta quos et ipsa in crypta, a se constructa, sepulta est.

sepelitur.

35 *Etiamsi itaque non constet, primo jam sæculo oratorium, in quo corpus S.* Frontonis *componeretur, ædificatum fuisse, certum tamen est, ossa sancti antistitis non periisse, sed ad tempora Chronopii II, episcopi Petragoricensis intacta permansisse. Hic vero episcopus, qui cathedram ab initio sæculi sexti, siquidem concilio Agathensi anni* 506, *ad annum saltem* 533, *quo concilio Aurelianensi II interfuit et subscripsit, occupavit, S.* Frontonis basilicam erexit, ac ejus Reliquias ex veteri ædicula in ornatiorem locum transtulit. Pridie non. (VI) Octóbris hæc translatio celebratur, at quo præcise anno hæc facta fuerit, prorsus incertum (2). *Cointius censet, anno* 530 *probabilius illigandam: nam, ait ad hunc annum* § *XII,* hæc translatio celebratur pridie nonas Octo-
C bres : si facta fuit die dominica, ut admodum probabile est, anno contigit vel decimo tertio, vel undevicesimo, vel vicesimo quarto, vel tricesimo post quingentesimum. Opus videtur ultimorum ferme temporum, quibus Chronopius episcopatum rexit, ideoque a nobis hoc potius anno (530) quam aliis consignatur.

Chronopius II ecclesiam ædificavit :

36 *S.* Frontonis *Reliquias veneratus est S. Gaugericus Cameracensis, initio sæculi* VII *vita functus, ut legitur in ejus Actis ad* XI *Augusti; Petragoricas veniens, ut prædia episcopii sui inspiceret, sepulcrum sancti antistitis visitavit, et quum nullus esset, qui baculum episcopalem sustineret, stetit, nemine tenente, erectus* (3). *Idem narratur de S. Hilario Pictaviensi, qui cum discipulo et familiari suo Justo Lemovicas profectus, in itinere tumulum S.* Frontonis *veneraturus adierit* (4) : *verum ista Hilariana Vita passim rejicitur, utpote quæ fabulam sapiat, v. g. refert, S. Hilarium in Synodo Romana altercatum fuisse cum Leone* D *Papa, solido fere sæculo juniore. Non negamus tamen Pictaviensem episcopum negotiis Petragoricensibus implicatum fuisse, adeoque eam urbem aliquando frequentasse, cum apud Sulpitium lib. II, Historiæ sacræ cap.* 45 *legamus* (5), (*Ariangoa*) *Hilarii opera* Paternum a Petrocoriis, vecordem, nec detrectantem perfidiam profiteri, sacerdotio pulsum fuisse. *Atque hinc fieri certe potuit, ut Hilarius, qui teste eodem Sulpitio l. c.* optimum factu arbitrabatur revocare cunctos ad emendationem et pœnitentiam, *etiam Petragoricenses visitaverit, ac in catholica fide conservanda firmaverit; qua occasione etiam non neglexerit S.* Frontonis *sepulcrum visitare et debitum cultum exhibere. Sed eatenus est mera, licet probabilis, conjectura, qua nihil certi definiri licet.*

quam a Normannis destructam,

37 *Sacram, a Chronopio Ædem erectam, destruxisse videntur Normanni. Etenim in Fragmento de Petragoricensibus episcopis apud Philippum Labbe scribitur* (6) : Anno Incarnationis dominicæ noningentesimo septuagesimo sexto, Froterius episcopus ab Hugone Capetio, Francorum rege Petragoras missus est, et E rexit Ecclesiam annos XIV, menses VI, dies III. Obiit autem anno Domini DCCCCXCI, VI idus Decembris et sepultus est in basilica S. Frontonis. Hic episcopus magnum monasterium S. Frontonis ædificare cœpit, atque castrum Aganiacum, Craoniacum, Albam Rocham, Rupem S. Christophori, Rupem de Basiliaco, ut essent munimen et refugium contra Normannos, tunc temporis paganis erroribus aberrantes. Tempore hujus corpus S. Frontasii martyris per visionem revelatum est cuidam viro religioso, ejusdem ecclesiæ canonico : locus tamen, in quo jacebat, propter guerrarum frequentes discursus penitus ignorabatur. Ad ultimum iste episcopus a præposito suo jugulatus est in loco, qui dicitur Morcinq, qui est in parochia de Coursiaco. *Frontasius Martyr, de quo agit textus confundendus non est cum nostro S.* Frontone, *cujus discipulus fuit una cum SS. Severino, Severiano et Silano, de quibus agunt nostri ad diem* II *Januarii* (7).

sæculo X instaurat Froterius, episcopus;

38 *R. D. Audierne in glossematis ad librum Joannis Dupuy opinatur, antiquum templum Chronopianum S.* Frontonis *non fuisse destructum, sed a Froterio episcopo fuisse ampliatum: veri enim simile non existimat, solido sæculo Sancti tumulum incultum jacuisse* (8). *Ast conjecturam non facile admittet, qui considerarit vastationem, Normannorum ferocia per universas Gallias propagatam : unde fiebat, ut Sanctorum Reliquiæ aut occultarentur, aut ad aliam transferrentur regionem : quod et in Petragoricensi provincia factitatum insinuat textus, quo docemur, Froterium construxisse Castra* munimina et refugia contra Normannos. *Malo igitur alteri, quam affert, rationi subscribere : nempe templum Froterianum alio loco, aliquantulum dissito, reædificatum fuisse, dum antiquius seu Chronopianum aliquandiu perstiterit. Etenim Rudolfus de Cohalia seu Cohiaco, quem R. Audierna Radulfum de Scoraille nominat* (9), *et qui ab anno* 1000 *ad* 1013 *Petragoricensem*

(1) Migne, Patrol., t. I, col. 461. — (2) Gall. christ., t. II, col. 1451. — (3) Dion. De Infallibil. summi Pont., p. 79. — (4) Migne. Patrol., t. IX, col. 185. — (5) Ibid. t. XX, col. 155. — (6) Nov. Biblioth. mss. t. II, p. 737. — (7) Act. SS., t. I, Januar., p. 79 et 1085. — (8) Dupuy, Estat de l'Egl. du Perig., t. I, p. 273. — (9) Ibid. l. c.

cathedram

A *cathedram occupavit, legitur* sepultus primum in MONASTERIO VETULO, ubi altare consecratum est in honorem S. Thomæ martyris (1). *Hunc Thomam Cantuariensem interpretor, anno* 1170 *passum : ac proin, si quidem altare erigeretur in monasterio Vetulo centum sexaginta annis post obitum Rodulfi, manifestum est, monasterium istud diu perstitisse. Quamvis Froterius novum monasterium condidisse dicatur, serius ultima manus ædi imposita fuit, quum anno primum* 1047 *ab Aimone Borbonio, archiepiscopo Bituricensi, ejus dedicatio celebrata fuerit* (2) : *anno dein* 1077, *ut habet Fragmentum Petragoricense apud Phil. Labbe* (3), Guinamandus monachus Casæ Dei sepulcrum S. Frontonis mirabiliter sculpsit. Stephanus Iterius Canonicus S. Frontonis et cellarius omnia necessaria huic operi ministravit.

Sancti reliquiæ a Petro de S. Asterio episcopo

39 *Vix dein annis quinquaginta stetit ædes* S. Frontonis, *quando denuo conflagravit. Primo enim quadrante sæculi duodecimi, nempe sub pontificatu Gulielmi de Alba Rocha, qui Petragoricensem episcopatum ab anno* 1104 *ad* 1123 *rexit* (4), burgus S. Frontonis et monasterium
B cum suis ornamentis repentino incendio, peccatis promerentibus, conflagravit, atque signa in clocario igne soluta sunt. Erat tunc temporis monasterium ligneis tabulis coopertum (5). *Atque occasione istius incendii censeo obnubilatam aliquandiu fuisse* S. Frontonis *memoriam. Quamvis enim non ita diu post instauratum utcumque fuerit monasterium, utpote in quo anno* 1138 *compositus fuit Guilielmus de Nauclar, Gulielmi de Alba Rocha successor* (6); *nihilominus serpere cœpit opinio de abacto tempore Normannorum et deperdito corpore* S. Frontonis. *Quapropter Petrus de S. Asterio, Petragoricensis episcopus, sancti sepulcrum visitavit, ut deinceps omnibus constaret, quid veri haberet vulgaris rumor. Instrumentum visitationis exhibemus* (7) : Petrus, Dei gratia Petrachoricensis episcopus, viris venerabilibus et discretis, abbatibus, prioribus, ecclesiarum rectoribus, clero ac populo universo Petrachoricensis diœcesis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino Jesu Christo. Cum de corpore beatissimi Frontonis, primi pontificis Petrochoricensis longis retro tem-
C poribus fuisset a pluribus dubitatum, utrum in ecclesia sua esset in sepulcro. quod tumba S. Frontonis vulgariter appellatur, quibusdam ex ignorantia, aliis ex malitia dicentibus, ipsum a Normannis fuisse ablatum : nos et capitulum et burgenses podii S. Frontonis, volentes de hoc habere certitudinem pleniorem, auditis primitus et plenius intellectis quorumdam proborum virorum revelationibus seu visionibus, ostensis a Domino ad honorem Sancti de hujusmodi veritate; pridie kalendas maii devote prædictum sepulcrum intrantes, assistentibus nobis infra sepulcrum multis fratribus Minoribus et Prædicatoribus, et multis canonicis S. Frontonis et duobus burgensibus; exterius autem circa sepulcrum exsistentibus et assistentibus aliis multis canonicis, presbyteris et clericis et consulibus villæ prædictæ et aliis multis burgensibus cum magnis luminaribus cereis ; aperuimus cum magno labore tumulum lapideum, in quo per famam publicam et alias conjecturas dictum sacratissimum corpus requiescere, firmiter credebamus.

AUCTORE J. V. H.

40 Et invenientes in prædicto tumulo magnam capsam ligneam, fortem et bene ferratam, ipsam aperuimus, reperientes in ea magnam aliam capsam plumbeam, in qua invenimus, sicut sperabamus, sanctissima ossa corporis integra, et per Dei gratiam incorrupta, et magna frusta capitis solida atque firma : et antequam de prædictis Reliquiis aliquid tangeremus, ambas capsas cum omnibus contentis in eis de prædicto tumulo extraximus, et ante oculos omnium prædictorum et plurium aliorum, de prædicta capsa plumbea, cum ingenti gaudio et devotione circumstantium, extraximus ossa singula, et universa reposuimus in quodam pulcherrimo novo instrumento ligneo, interius panno serico involuto. Quibus peractis et gratiarum actionibus Domino persolutis, prædictis omnibus videntibus, dictas Reliquias exposuimus in sepulcro et tumulo, de quibus extraxeramus, easdem servandas ibidem, quousque in capsa nobili responantur, quod erit in brevi, Deo E concedente. Post istam autem translationem, hora tertia de consilio cleri et populi, festum translationis inchoavimus ad honorem Domini Jesu Christi, de beato Frontone Missarum solemnia solemniter celebrantes innumerabili populo, qui ad ecclesiam istam confluxerat. Finito sermone omnia supradicta fideliter exponendo, ostendentes eidem populo laminam plumbeam, in qua litteræ hujusmodi erant scriptæ : HIC JACET CORPUS BEATI FRONTONIS JESU CHRISTI DISCIPULI ET BEATI PETRI IN BAPTISMATE DILECTI FILII. Item ostendimus eidem populo aliam laminam cupream vel æream, litteras hujusmodi continentem : HIC JACET CORPUS BEATISSIMI FRONTONIS JESU CHRISTI DISCIPULI ET BEATI PETRI APOSTOLI IN BAPTISMATE FILII EX LICAONIA REGIONE ORTI, DE TRIBU JUDA, EX SIMONE ET FRONTONIA. OBIIT OCTAVO KALENDAS NOVEMBRIS, ANNO QUADRAGESIMO SECUNDO POST PASSIONEM DOMINI. Istæ duæ laminæ inventæ fuerunt a nobis in capsa plumbea cum sanctissimo corpore supradicto, et quasdam alias litteras invenimus in ipsa capsa plumbea inscriptas, multos versus ad laudem prædicti Sancti F compositos continentes. Cum igitur totus clerus et populus dictæ diœcesis Petrachoricensis de tanto patrono, qui fidem catholicam primus in istis partibus prædicavit, et populum ad Christum convertit, gaudere debeat in immensum, universitatem vestram attente requirimus et rogamus, vobis in virtute sanctæ obedientiæ injungentes, quatenus festum prædictæ translationis in vigilia Philippi et Jacobi ad honorem Dei et beatissimi Frontonis perpetuis temporibus solemniter celebretis; nos enim omnibus, prædictum festum pie et cum devotione celebrantibus, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum sexto nonas Maii, anno Domini 1261.

quia dicebantur periisse, recognoscuntur;

41 *Erat certe Petro de S. Asterio episcopo mens reponendi sacra ossa* in capsa nobili, *idque aiebat* in brevi, Deo concedente, *factu-*

et postea, annuente Eugenio Pp. IV,

(1) Labbe, Nov. Bibl. mss., t. II, p. 738. — (2) Gall. christ., t. II, col. 1459. — (3) Nov. Bibl. mss., t. II, p. 758. — (4) Gall. christ. t. II, col. 1462. — (5) Labbe, t. II, p. 738. — (6) Gall. christ., t. II, col. 1465. — (7) Dupuy, Estat de l'Egl. du Perig., t. II, p. 90.

rum

AUCTORE J. V. H.

rum se sperabat : nihilominus duo integra sæcula inter spem et rem elapsa sunt. Etenim anno 1441 *canonici ecclesiæ S.* Frontonis *petitionem ad Eugenium IV direxerant, ut tandem exsequi illis liceret, quod tam diu in votis fuerat.* Sicut, *ait Pontifex* (1), ex serie petitionis, pro parte vestra nobis oblatæ, percepimus, licet bonæ memoriæ Petrus, Petrochoricensis episcopus, revolvens et pie considerans, quod Altissimus ipsius Sancti, qui in illis partibus patronus et christicolarum intercessor præcipuus habetur, plurima miracula operari dignatus est, prout in dies operatur, quodque ejusdem sancti corpus in loco minus decenti requiesceret; cupiensque summopere, ut corpus hujusmodi decentius et venerabilius conservaretur ac peramplius exaltaretur, quamdam argenteam satis pulchram et pretiosam thecam, ad hoc, quod corpus ipsius inibi collocaretur, ac de loco, ubi consistit, ad aliquem alium in præfata ecclesia locum pro illius veneratione magis convenientem atque congruum fieri procuraverit, et diem translationis sive exaltationis dicti sancti ultima die
B mensis aprilis singulis annis solemniter ibidem celebrare instituerit et ordinaverit; pro eo tamen quod dictus episcopus dudum, sicut Domino placuit, debitum naturæ persolvit, præmissa ad effectum nondum deducta fuerunt, nec perduci potuerunt. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis corpus hujusmodi in theca prædicta reponendi et etiam tranferendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur.

in capsam pretiosiorem translata fuere;

42 Nos igitur institutionem et ordinationem hujusmodi aliorumque per eumdem episcopum circa venerationem et exaltationem ipsius corporis factam plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illud a Christi fidelibus congrue veneretur et decenter conservetur; ejusmodi quoque supplicationibus inclinati : vobis corpus prædictum juxta intentionem, institutionem et ordinationem episcopi in dicta theca reponendi, nec non de loco, in quo exsistit, ut præfertur, ad aliquem alium decentem et ad id congruentem in ipsa ecclesia locum, de quo melius videatur, transferendi : ac etiam caput dicti Sancti de corpore hujusmodi per
C aliquem catholicum antistitem separandi et in aliquo condecenti tabernaculo seu vase pretioso, nec non supra majus altare vel alibi, ubi in dicta ecclesia congruentius videbitur, ut populo melius et decentius ostendi possit, quotiescumque vobis videbitur, etiam reponendi licentiam auctoritate apostolica tenore præsentium largimur. Non obstantibus etc. Nulli ergo hominum etc. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLI, XVII kal. Januarii, pontificatus noctri anno undecimo. *Sed post datam bullam hæsit denuo inceptum opus, ac primum sub episcopatu Eliæ de Bourdeilles, qui ab anno* 1447 *ad* 1468 *sedem Petragoricensem occupavit* (2), *scilicet post annos* XXII *seu anno Christi* 1463 *translatio et exaltatio ad effectum deducta fuit. Hic autem antistes, assistentibus episcopis Rivensi et Sarlatensi, Hugone et Bertrando de Rouffignac, translationem solemnem celebravit die, ut habet Joan. Dupuy,* XXV *aut* XXVII *maii anni* 1463. *Equidem putarim* D *celebritatem locum habuisse magis* XXVII *quam* XXV *maii, Ascensione Domini incident illo anno in diem* XXVI *ejusdem; adeoque ejus vigilia, jejunio et supplicatione Rogationum impedita, minus apta solemnitati videtur. Suis porro sumptibus Elias episcopus magnificentissimam arcam, corpori S.* Frontonis *servando erectam, construxit, et caput seorsim in vase pretioso in medio choro collocavit, ac tandem brachium in ecclesiam cathedralem invexit* (3).

donec anno 1575 a Calvinistis fuere dispersæ;

43 *Tandem elapso vix sæculo sacra ossa B.* Frontonis *maxima ex parte periere. Nam quum anno* 1575, *die* VI *augusti, Calvinistæ, regi rebelles, astu urbem Petragoricensem occupassent, sacra susdeque verterunt; ac præ cæteris in ædem Sancti nostri debacchati sunt; quum pretiosas lipsanothecas tum corporis tum capitis deprædati, sacra ossa in Dordoniam fluvium projecerunt. Deinceps etiam templo cathedrali undequaque labefactato, ecclesia S.* Frontonis *instar cathedralis, utroque capitulo in unum coalescente, haberi cœpit, et hactenus est sub titulo SS, Stephani et* Frontonis (4). *Hac occasione carmen, in libro capitulari servatum, compositum fuit, et est sequentis tenoris* (5). E

Vidimus hic quondam gemmis radiare sepulcrum
Frontoni sacrum, nec minus arte potens :
Nam lapidum strues variarum incisa ferarum
Monstra dabat, nec non tot simulacra virum.
Hoc tamen excisum est, scelus hoc templi ruina
Direptis opibus, pene sequuta fuit.
Urbs etiam vastata virum crudelibus ausis,
Quos agitat vetitæ religionis amor.
At veluti gens sacra Deo, Babylone relicta
Templa per Assyrios diruta restituit;
Sic nos reliquias templi veneramur, ut ante,
Tristius at solitas fundimus ore preces :
Quas, Pater, exaudi et populi miserere precantis,
Placatusque tuam protege, Christe, domum.

servato tamen osse cranii, cujus pars an. 1826 in æde cathedrali deposita fuit :

44 *Non tamen omnia ossa S.* Frontonis *in vastatione Petragoricensi anni* 1575 *perierant. Nam in Actis capitularibus ejusdem Ecclesiæ ad diem* XXIV *Junii* 1826 *leguntur sequentia, quæ e gallico latina reddimus :* Illustrissimus dominus episcopus Petragoricensis (*Alexander de Lostanges ab anno* 1823 *ad* 1835) notum fecit capitulo, penes se habere depositas pretiosas Reliquias sanctorum indubitatæ sinceritatis. Imprimis os S. Silani, primi discipuli S. Frontonis, a piis fidelibus furori impiorum, quando hujus sancti ecclesia parochialis destruebatur surreptum, ac dein comiti de S. Asterio, prætori loci de Antonne, servandum commissum, donec in manus illustrissimi Domini deponi potuerit. Dein os cranii S. Frontonis studiose asservatum in parochia Andrivaux, hodie parochiæ Cancellatæ unita. Cura R. D. Ségui, parochi Cancellatæ indicia collecta fuere, quibus constat de sinceritate istius lipsani : jussit itaque particulam dissecari, cathedrali ecclesiæ destinatam. Atque tali modo in antiqua ecclesia S. Frontonis erunt duæ capsæ, juxta altare maximum positæ, portiones pretiotissimas

(1) Dupuy, t. II, p. 138. — (2) Gall. Christ. Antiq. T. I, p. 783. — (3) Dupuy. T. II p. 150 et Brev. Petrag. ad XXX april. — (4) Ibid. p. 200 et seq. — (5) Ibid. p. 205.

A simas primorum apostolorum hujus provinciæ continentes, in quibus inscribentur litteris aureis, verba : Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Ps. cxv, 15 (1).

Similiter Nulliaci in diœc. Suessionensi

45 *Præter Petragoricenses Reliquias, hactenus servantur aliqua ossa Sancti Nogeliaci, seu* Nulliaci-Sancti-Frontonis (Neuilly-Saint-Front) *in diœcesi Suessionensi, ubi S.* Fronto *prædicasse fertur. Et postmodum Joanna, regina Franciæ et Navarræ, uxor Caroli Pulchri, qui regnum Navarræ sibi retinere satagebat, fundat sacellum in honorem Sancti nostri. Fundationem probavit Clemens papa VI, anno pontificatus sui* II. *En bullam, cujus fragmenta exhibet R. D. Pergot, in Vita S.* Frontonis (2). Clemens VI, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Immensæ devotionis integritas et reverentia filialis quam carissima in Christo filia nostra Joanna Franciæ et Navarræ regina illustris, ad nos et Romanam gerit Ecclesiam, promerentur ut petitionibus suis, quæ ex internæ devotionis fervore incrementum sumunt, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis
B præfatæ reginæ petitio continebat, quod juxta villam Nulliaci-Sancti-Frontonis, Suessionensis diœcesis, videlicet in quodam deserto, quidam locus, qui Ad Lapides S. Frontonis nominabatur, et in quo sicut asseritur, idem S. primus Petragoricensis episcopus longo tempore moram traxit, et... super uno ex dictis lapidibus celebravit, et quod ibi est quædam Amphora quam Deus dicitur misisse cum vino de quo, ut dicitur, Sanctus celebravit ibidem... quod prædicta regina in eodem loco quamdam capellam, canonice fundatam, ad honorem ejusdem Sancti Frontonis dedicatam, de bonis propriis usque ad valorem triginta librarum Turonensium annui et perpetui redditus dotare proponit, ut idem Sanctus in iisdem partibus honoretur a fidelibus, et fervor in prædicto loco fidelium amplietur, et Domini cultus etiam augeatur. Datum Avenione anno pontif. II.

erigitur sacellum, in quo Reliquiæ

46 *Ipse rev. editor fatetur. se edidisse solum fragmenta quædam bullæ* (3) : *unde fieri potuit, ut non omnia ad amussim reddiderit. Sic in ipso initio papa non dixerit* Clemens VI ; *non con-*
C *suevere pontifices suo nomini numerum apponere : hodiernus pontifex Pius IX, simpliciter dicit :* Pius episcopus, servus servorum Dei, *quin numerus* IX *addatur. Porro in citata bulla dicitur, quod juxta villam Nulliacum est* quidam locus, qui Ad Lapides S. Frontonis nominabatur : *videlicet sunt tres lapides seu rupes siliceæ, in quorum prima, tabulæ instar fere plana, Sanctus sacrificasse dicitur : secundæ impositum est loculamentum elegans, statua sancti ornatum : tertia, aliquot centimetris excavata, quibusdam credulis videtur repræsentare ungulam equi, quem Sanctus conscendit, quando draconem, terras illas vastantem, interfecit* (4). *Amphora etiam seu phiala, in quo vinum sacrificale, cœlitus missum, aliquando confracta fuit, ejus tamen fragmenta, una cum particula serica, vino portentoso olim madidata, hactenus asservantur. Juxta lapides est fons, qui S.* Frontonis *dicitur. Hæc omnia etiam hodie in veneratione habentur, et aqua fontis salutifera habetur infirmis* (5). *Anno* 1499 *Petragoricas missæ fuerunt* unciæ septem lapidis, sub quo sanctus pontifex divina mysteria, cum vino cœlitus misso celebrasse credebatur. *Simul petebatur, si fieri posset, aliqua pars Reliquiarum, quas concesserunt canonici S.* Frontonis : *hæc autem omnia referuntur in Officio Translationis S.* Frontonis, *composito pro ecclesia Nulliacensi* (6). *Celebratur hæc translatio feria* II *post festum S. Joannis Baptistæ, duratque ad dominicam sequentem cum magna frequentia populi, concurrentis non solum ex vicinis, sed ex longinquis etiam villis* (7), *invocaturque præcipue ab iis, qui laborant ex pedibus* (8).

AUCTORE J. V. H.

hactenus servantur, ut constat

47 *Reliquiæ Nulliacenses hactenus conservatæ fuerunt vel socordia impiorum vel piorum vigilantia. Anno* 1857 *novæ et decentiori thecæ inclusæ cura R. D. Couty, parochi Nulliacensis, recognitæ fuerunt jussu reverendissimi episcopi Suessionensis, ut liquet ex instrumento subscripto a vicario ejus generali, cujus tenorem damus ex libro R. D. Pergot* (9). Paulus Armandus Anacletus Ignatius de Garsignies, miseratione divina et sanctæ sedis apostolicæ E
gratia episcopus Suessionensis et Laudunensis, provinciæ Remensis decanus et primus suffraganeus, universis et singulis præsentes litteras inspecturis, testamur quod nos, ad majorem Dei omnipotentis gloriam, Sancti Frontonis et omnium Sanctorum honorem, adhibito examine diligentissimo, et auditis testimoniis fide dignissimis, certiores facti sumus, os quoddam ex antiqua Theca extractum a domino Josepho-Prospero Couty, ecclesiæ Negoliacensis diœcesis nostræ parocho, quem ad hoc delegavimus, esse partem minorem unius digitorum Sancti Frontonis, Petragoricensis episcopi, ex ejusdem digiti majore parte quæ prius existebat, et particulam cujusdam panni serici, rubri coloris, e sudario quo beati pontificis corpus venerandum post mortem involutum fuerat, ad os idem recondendum fuisse resectam ; has vero sacras Reliquias e civitate Petragoricensi secum detulerant Negoliacum, diœcesis Suessionensis oppidulum, anno 1499 tres honesti cives, inter quos aderat presbyter, a Dnis ecclesiæ rectoribus legati ad dictam urbem Petragoricen- F
sem ; quas authenticas recognovimus ; partem quidem venerabilis digiti recondidimus in theca minima, ovata, ex ære deaurato, adamantinis vacuis, quatuorque smaragdis cincta et ornata, reposuimusque, filis sericis rubri coloris alligatam, super quodam panno serico vetustissimo ejusdem coloris, qui hucusque involvebat membranam, os prædictum includentem ; ipsimetque sacro ossi superponitur vitta serica ferens in chartula, fere corrosa tempore, hanc inscriptionem : « *Reliques de saint Front.* » Hæc vero minima theca clauditur et munitur in quatuor partibus sigillo minori nostro, vittis sericis viridi coloris impresso. Isti thecæ subjacet pulvinar sericum purpureum, quadratum, in anteriori parte inclinatum, majori thecæ, de qua infra, quatuor clavis cochleatis subtus infixam et tegens membranam supradictam ac præsentes testi-

(1) Monum. de Ste Marie Madel. T. II col. 1647. — (2) Vie de S. Front, p. 485. — (3) Ibid., p. 299. — (4) Ibid., p. 292 et seqq. — (5) Ibid., p. 297 et seqq. — (6) Ibid., p. 490. — (7) Ibid., p. 310. — (8) Ibid., p. 312. — (9) Ibid. p. 304 et 486.

moniales

AUCTORE J. V. H.

moniales litteras charta cærulei coloris inclusas. Hæc vero minima theca et omnia adjuncta superius descripta includuntur in prædicta theca majori, nova et forma eleganti, etiam ex ære deaurato conflata, sex angulis totidemque vitris stabilibus, inæqualibus constanti planoque tecta ac parte tantum superiori aperta, quæ duplici operculo quatuor clavis firmiter clausa a partibus anteriori et posteriori, in vittis sericis rubri coloris obsignatur sigillo nostro minori ceræ ejusdem coloris impresso.

ex instrumento anno 1857 *confecto ;*

48 Quoad partem sudarii sancti Frontonis, eam recondidivimus in numismate ex cristallo petroso, auro ærique inserto, octo lapidibus nitenti, cui crux eminet, et ornanti parvam Sancti Frontonis statuam, antiquissimam ac feliciter restauratam, quæ creditur donum reginæ Joannæ Ebroicensis, uxoris Caroli Valesii, fundatricis, anno 1343, Capellæ Sancti Frontonis, dictæ *ab ericibus*, quæ majori thecæ superponitur; simulque in supra dicto numismati, quod minori nostro sigillo obtegitur, inseruimus novem fragmenta vitreæ, quæ B fortuito fracta est, ampullæ, in qua, secundum piam et venerabilem traditionem, in Bulla summi pontificis Clementis VI relatam, cœlitus a columba sancto pontifici allatum est vinum ad divina celebranda mysteria, ac etiam quatuor particulas panni serici rosei coloris, quæ dicuntur hoc vino fuisse refertæ. In quorum fidem præsentes expediri jussimus, cum facultate dictas reliquias venerationi fidelium exponendi. His præsentibus litteris nostro majori sigillo munitis subscripsit noster vicarius generalis, archidiaconus Suessionensis. Datum Negoliaci anno Domini 1857, die vero mensis Decembris sexta. Duplicata litterarum testimonialium recognitionis et translationis Reliquiarum Sancti Frontonis novæ thecæ insertarum. Negoliaci die 8 decembris 1857, immaculatæ conceptionis festo. Hurillon, vic. generalis. *Atque hæc sunt, quæ de reliquiis S.* Frontonis *dicenda habuimus. Nam Niciæ in subalpinis servari ejus lipsana, verisimile, ut infra monstrabimus, non est.*

Liturgia Petragoricensi de S. Frontone.

49 *Ut cultus S.* Frontonis *latius explicetur, operæ pretium fuerit, hic subnectere liturgiam in Sancti festo abhibitam, quam Franciscus de la Béraudière, Petragoricensis episcopus ab anno* 1614 *ad* 1624 *aut* 1625 (1), *celebrandam præscripsit* (2) : *Missa est de Apostolo, Epistola,* Fratres jam non estis hospites, *etc., Evangelium,* Designavit Dominus alios septuaginta duos, *etc. Post Graduale habetur Prosa seu Sequentia, quam hic adscribimus :*

Petrus petra derivatur,
Petra Christus qua fundatur
Stabilis Ecclesia.

Petræ nomen ampliatur,
Cum per Petrum dilatatnr
Trinitatis gloria.

Petra primum piscatorem,
Romam mittit, ut errorem
Pellat et inania.

Petrum primum correctorem, D
Roma tenet et pastorem,
Servet ut ovilia.

Petrus ad Petragorarum
Terram, gurgitem petrarum
Ex earum copia,

Fratrem mittit sibi carum,
Molliatur ut illarum
Gentium duritia.

Hic est Fronto, mordens mortem,
Fortror qui fugat fortem,
Mortis aufert spolia.

Nam Georgium consortem
Supra consuetam sortem
Trahit ad sublimia.

Cananeæ comparata
Per Frontonem fit sanata
Senatoris filia.

Visione duplicata,
Timet cutis vulnerata,
Congregat consilia. E

Videns Squirius turbatur,
Fidem petit, fides datur,
Sordet idololatria.

Nomen mutat et mutatur,
In baptismo renovatur
Tota simul patria.

Mira res! dum celebratur
Missa, præsul soporatur
Hora lucis tertia :

Tarasconum properatur,
Christus illum comitatur,
Celebrant funebria.

Apud ipsos absens mansit,
Apus illos manens transit,
Manet in absentia.

Extra corpus præsul an sit,
Chirotheca cum remansit,
Dei scit scientia.

Tu nobiscum pastor mane, F
Tuas oves sero, mane,
Protegat præsentia.

Esto tuæ dux urbanæ
Plebis, per te christianæ,
Præsul ac custodia. Amen. Alleluia.

Falso Nicienses corpus S. Frontonis *sibi vindicant.*

50 *Petrus Joffredus in sua Nicia Illustrata Part. I, tit. IV* (3) *refert servari corpus S.* Frontonis *in ecclesia monasterii S. Pontii Niciæ Maritimæ seu ad Varum fluvium. Non tamen censet, licet fama vulgaris aliud ferat, esse corpus Petragoricensis, utpote quod anno* 1261, *ut diximus supra num.* 37, *repertum fuerit integrum, quatenus omnia ossa inventa fuerint. Unde quoque deducit Joan. Dupuy, in errore versari San-Pontianos affirmantes, penes se esse Sancti Petragoricensis episcopi corpus* (4). *Quapropter laudatus Joffredus opinatur, esse magis corpus*

(1) Gall. Christ., t. II, col. 1486. — (2) Pergot. Vie de S. Front, p. 434. — (3) Thesaur. Antiq. Ital. Part. V, Rom. IX, col. 89. — (4) T. II. p. 90.

Frodonii,

Frodonii, episcopi Niciensis (1), *qui circa initium sæculi* XI *floruit, et monasterium S. Pontii, adjuvantibus Mirone et Odila conjugibus, instauravit* (2). *Periit abbatia olim insignis circa finem sæculi* XVIII (3) : *exstat tamen hactenus ecclesia, in qua Frontonis seu Frodonii corpus probabiliter conservatur. Ejus curam hodie gerunt PP. Oblati S. Mariæ, ut constat ex Kalendario liturgico anni* 1846.

De moneta, S. Frontoni tributa.

51 *Tandem antiquissimum, si sincerum esset, cultus S.* Frontonis *monumentum præberet moneta aurea, triens solidi aurei, in cujus parte antica est caput margaritis redimitum cum inscriptione* VESONNO VIC, *in aversa, cruce anchorata insignita, legit auctor antiquitatum Vesonnensium* FRUNTO | SILAS. *Fuit nempe Silas discipulus S.* Frontonis *et colitur Petragoricis* IV *jan.* (4). *Si hæc ita se haberent, moneta antiquissimum certissimumque cultus indicium exhiberet; quoniam jam sæculo secundo æræ vulgaris obsoleverant antiqua urbium nomina, ut monstrat D. Belley in Commentariis academiæ Francicæ Inscriptionum et Bonarum litterarum* (5) : *enimvero Gregorius Turonensis nuspiam de Vesona, antiquo nomine, sed de Petragoricis loquitur. Verum accuratius inspicienti monetam jam non* FRUNTO SILAS *legere est, sed* FRUNISISILUS, *nomen scilicet monetarii, quem sibi ignotum fatetur Le Blanc* (6). *Habetur et alterum exemplar similis monetæ, in qua antica habet* VESONNE VICO, *postica crucem, duobus gradibus innixam, cum inscriptione* FLANISILUS (7). *Utrumque ligno incisum exhibemus :*



Vesonno vico interpretatur D. Lelewel locum Besons, *qui tribus chiliometris Argentolio distat, in hodierna diœcesi Versaliensi* (8). *Erraverit itaque Claudius Bouteroue, quando monetam civitati Petragoricensi attribuit* (9). *Quin et crux anchorata ad monetas Galliæ septemtrionalis mediæ pertinet, ac propterea vulgo* crux parisina *appellatur* (10), *neque in Aquitanicis monetis reperitur. Argumentum itaque pro cultu antiquissimo* S. Frontonis *omnino ruit : quod eatenus profuisset, quatenus ostenderet,* S. Frontonem *sæculo secundo, adeoque ante tempus, a Gregorio Turonensi assignatum, in Galliis prædicasse.*

(1) Thes. p. 89. — (2) Ibid. col. 155. — (3) Casalis. Dizionn. de Sardegna Va *Nizza* p. 991. — (4) Antiq. de Vesone T. II, p. 257. Cfr Act. SS. T. I, p. 79 et 1085. — (5) Mém. de l'Acad. des Inscr. et Belles Lettres. T. XIX, p. 507. — (6) Traité des Monnoyes p. 58. — (7) Revue numismat. franc. année 1839, p. 200. — (8) Numism. du moyen âge, t. I, p. 78. — (9) Recherches curieuses sur les moun., p. 371. — (10) Lelewel, Numism. du moyen-âge, t. I, p. 52 et 56.

VITA
S. FRONTONIS,
EPISCOPI PETRAGORICENSIS,

Ex ms. Ultrajectino S. Salvatoris, in bibliotheca regia sub num. 8931 *transsumpta* a.

a

CAPUT PRIMUM.

AUCTORE ANONYMO.

Sanctus, in Lycaonia natus, a B. Petro baptizatur; Christo adhæret; in Gallias mittitur ad Petrocorios, quos prædicatione et miraculis ad Christum convertit; per finitimas civitates Euangelium annuntiat.

B. Fronto, a S. Petro baptizatus, b

Beatus Fronto ex tribu Juda, patre Simone matre vero Frontonia genitus, ex finibus Lycaoniæ regionis *b*, generositate clarus, exstitit oriundus. Hic lingua facundus, moribus honestus, prædicante Domino nostro Jesu Christo Evangelium regni per Judæam, Galilæam et Syriam, venit ad ipsum petens, unda sacri baptismatis regenerari ; quem Beatus Petrus, jubente Christo, baptizavit, secumque manere voluit, fuitque virgo electus a Domino et virgo permansit. Hic fuit unus de LXXII discipulis Christi, qui et cum cæteris sanctæ prædicationis ministerium suscepit: hic etiam cum aliis a Domino accepit potestatem mortuos suscitandi, infirmos curandi, leprosos mundandi, cæcos illuminandi, dæmones ejiciendi, et virtutes alias et signa in Christi nomine faciendi *c*. Interfuit etiam cum Apostolis cœnæ dominicæ, in qua panem in corpus suum et vinum in sanguinem sua potestate Christus convertit, suisque discipulis tradidit, et eorum pedes lavit *d*. Exinde post passionem Domini cum aliis discipulis vidit gloriam resurrectionis Christi in carne et potentiam ascensionis in cœlum, et in die sancto Pentecostes Spiritum Sanctum in linguis igneis cum cæteris accepit.

c

d

ab eodem in Gallias mittitur cum B. Georgio, quem a morte suscitat;

2 Anno autem dominicæ Incarnationis XXXV post assumptionem beatissimæ Dei Genitricis Mariæ Apostoli Christi ad prædicandum Evangelium per diversas provincias sunt digressi *e*. Beatus autem Petrus, postquam in partibus Orientis sacerdotalem cathedram quatuor annis tenuisset, Antiochiam ire disposuit: quem Beatus Fronto cum aliis multis concomitatus est. Peracto autem Antiochiæ septennio in prædicationis officio *f*, ordinatisque ibi episcopis, presbyteris et diaconibus, Beatus Petrus cum Frontone, Georgio et aliis discipulis suis Romam profectus est. Factum est autem Frontone illic commorante et prædicante, ut puellam, cujusdam senatoris filiam, per XIII annos continuos a dæmonibus vexatam, Fronto, fusis ad Deum precibus, in Christi nomine libe-

e

f

ravit,

AUCTORE ANONYMO.

ravit, dæmonibus clamantibus et dicentibus : O Jesu Nazarene! Quid tanta et talia nobis immisisti tormenta! Tanta est hominis istius virtus, quod ante conspectum illius assistere non possemus. Inter cætera etiam ejus miracula duos cæcos ibidem illuminavit, leprososque mundavit et alias infirmitates varias in Christi nomine curavit. Qua ex causa Beatus Petrus honoratius eum cœpit habere. Quumque Beatus Petrus plures de LXXII discipulis et aliis, quos ipse Petrus sibi assumpserat, per diversas provincias ad prædicandum verbum Dei destinaret, Frontonem ad Secundam Aquitaniam, scilicet Petragoricis, specialiter destinavit *g*. Qui benedictione apostolica roboratus, valedicens fratribus cum Sancto Georgio arripuit iter sibi injunctum. In quo itinere Sanctus Georgius migravit ad Dominum : at baculo S. Petri, per B. Frontonem allato, resuscitabatur, ut supra in legenda B. Georgii continetur *h*.

g

h

Petragoricas pervenit ;

3 Ipsis ergo iter inceptum explentibus ad urbem Valentiam pervenerunt, cui civitati S. Georgius fuerat episcopus destinatus *i*. Eo autem ibi remanente, Sanctus Fronto cum Aniano, Frontasio aliisque suis discipulis Petragoricam civitatem, cui assignatus fuerat, adire cœpit. Quumque plura loca pertransisset verbum Dei prædicando, ad urbem pervenit Petragoricam. Quam civitatem ingressus, cœpit verbum Dei prædicare, cultumque deorum, in quibus dæmonia habitabant, cultoresque eorum destruens, in brevi multos gentiles ad Christum convertebat, et sacri baptismatis fonte abluebat. Factum est autem dum in theatro prædicaret, ut homo quidam, plenus dæmone, catenis ferreis ligatus, clamare cœpit, dicens : O Fronte, incendunt me orationes tuæ. Cui Beatus Fronto dixit : Obmutesce, immunde Spiritus, et exi ab eo. Statimque homo liberatus est, qui ante multos annos a dæmone vexabatur. Quod videns Maximilla, venerabilis matrona, procidens ad pedes Sancti, ut baptizaretur, postulavit. Baptizata ab eo, duxit eum in palatium suum et honorifice suscepit. Hæc habebat virum, nomine Cilpericum qui per XII annos morbo paralysi laborans, non poterat a lecto surgere. Tunc venerabilis matrona Maximilla deprecata est Sanctum Frontonem, ut, sicut alios curabat infirmos, sic virum suum a morbo paralysis sanare dignaretur. Veniensque Fronto, ubi jacebat Cilpericus, dixit ei : Pax tecum. Cui Cilpericus : Bene advenisti. Dixit ei Fronto : Vis sanus esse? Cilpericus ait : Volo. Tunc Sanctus Fronto : Crede, inquit, in Dominum Jesum Christum. Cilpericus dixit : Si me salvum fecerit, ipse est Deus. Tunc Sanctus Fronto dixit : Credis, quod Dominus Jesus Christus potest te ab hac infirmitate liberare? Cui Cilpericus : Firmiter, inquit, credo. Tunc Sanctus Fronto, accepta aqua, baptizavit eum, et tenens manum ejus dixit : Dominus Jesus Christus, qui paralyticos sanavit, te ab hac infirmitate curare dignetur : et signo crucis facto, sanavit eum. Quod videntes filii ejus et omnis familia, numero ducenti, procidentes in terram coram eo, baptismum petierunt : qui indicto et peracto triduano jejunio, baptizavit eos.

variaque miracula operatus,

4 Quumque fama sanctitatis ejus per totam civitatem divulgaretur, comes civitatis ejusdem *k*, Aurelius nomine, ulceribus et doloribus plenus, Beatum Frontonem, ut ad se veniret, exoravit. Qui quum ad eum accederet, cæcum, sibi obvium ante januam aulæ, Christi nomine invocato, illuminavit. Quod comes audiens, festinus occurrit, genibus ejus provolvitur. Quem Sanctus Fronto catechizavit et ab ulceribus et doloribus liberavit. Qui in tanto fidei ardore excrevit, ut Beatum Frontonem et ejus successores super se et suos temporales dominos constitueret : et palatium Sancto viro tradidit, in quo ecclesiam, divino cultui aptam, exstrueret. Sanctus autem Fronto ecclesiam ibidem in honorem Salvatoris, Beatæ Mariæ Virginis et Sancti Joannis Baptistæ anno imperii Claudii tertio consecravit *l*. Post hæc filius cujusdam mulieris, quam antea B. Fronto a vexatione dæmonis liberavit, in puteum corruens et post quatuor horas exanimis extractus, ante pedes Sancti deponitur; quem suo tegens pallio, non cessavit orare, donec vivum puerum matri reddidit.

k

plurimos ad fidem Christi convertit,

5 In eadem civitate erat vir nobilis, fidei christianæ nondum subjectus, cujus filius unicus defunctus erat. Pater autem cucurrit ad beatum virum Dei dicens : O Fronto, redde mihi filium meum unicum et in Christum credam quem confiteris. Tunc B. Fronto jussit corpus pueri sibi deportari : et tenens manum pueri oravit : oratione autem completa, puer quasi de somno incolumis surrexit. Quod ejus parentes videntes, cum eo et tota familia numero CCC baptizati sunt. Post hæc Sancto Frontoni simile quasi accidit miraculum. Nam quum versus portam, quæ Romana nominatur, digrederetur, ut retraheret properantes ad sacrificandum Dianæ, efferebatur adolescens mortuus, cujusdam magnifici viri filius, qui Pascentius dicebatur, turba populi concomitante. Superveniens autem Fronto, manu silentio indicto, patri adolescentis dixit : Si Christum, quem prædico, verum Deum esse credideris, et baptizari te permiseris, de tua salute et filii tui resuscitatione gaudebis. Tunc Pascentius et universus populus adstans Sancti Frontonis genibus advolvuntur, cunctisque promittentibus, deorum suorum figmenta contemnere et fidem Christi suscipere, Beatus ergo Fronto, genibus in terram curvatis et manibus ad cœlum elevatis, ad Deum orabat. Oratione autem finita, adolescens quasi a somno surrexit, clara quoque voce dixit : Vere hucusque erravimus, quia dii, quos colimus, dæmonia sunt; vidi enim eos cum cultoribus suis tormenta sustinere. Tum septem millia hominum illa die sacri baptismatis fonte diluuntur.

ecclesiam vero Deo,

6 Vir autem Dei cum turmis, per eum ad fidem conversis, perrexit ad templum majus et Marti consecratum, et idola ibi erecta evertit, et locum illum mundavit, ibique ecclesiam in honore Protomartyris Stephani consecravit, et caput sedis suæ esse voluit, et septuaginta duos clericos ibi constituit, qui laudem Dei die noctuque decantarent *m*. Videns autem Fronto civitates circumvicinas, idolatriæ errori deditas, discipulos suos undique per vicos et castella destinavit, qui verbum Dei seminantes, aliqui palmam martyrii obtinuerunt, aliqui, pluribus conversis, ad magistrum læti redierunt. Quumque quadam die Beatus Fronto

m

A Fronto ad evertendum templum, quod erat Veneri dedicatum, properaret, paganorum multitudo eum maleficum acclamans, pro defensione deorum suorum ei restitit; sed Beatus Fronto interius templum ingressus, Christi nomine invocato, simulacrum enorme in pulverem redegit, ex quo draco immanissimus erupit, qui flatu suo sulfureo septem viros peremit, cæterosque cultores suos atroci caudæ urgere cœpit verbere. Tunc illi viri Dei auxilium petunt, qui, crucis signo opposito, draconi imperat, ut amplius nullum locum, nisi desertum petat. Quod videntes cæteri, promittunt, se in Deum credere, rogantes, ut illos, quos draco peremerat, a morte dignaretur suscitare; qui corpora defunctorum extra templum jussit deportari: ibi, oratione facta, velut a somno excitati surrexerunt.

destructo idolorum fano, ædificat:

7 Tunc Beatus Fronto, facta cruce, dixit: In nomine Domini Jesu Christi, quem Judæi crucifixerunt, corruat pars istius fani cum reliquis idolis, et reliqua pars stet in recordationem futuris generationibus. Qui statim

B corruit. Quo viso, illa die quatuor millia hominum baptizantur. Claudius, imperator Romanorum quintus, imperii sui anno quarto, postquam obtinuerat insulam Britannicam et

cod. B. *Sequirus* *n* alios adjecit imperio *n*, misit Squirum*, consanguineum suum, filium Amabili senatoris Romanorum, cum mirabili apparatu Aquitaniam, ut eam Romano imperio subjugaret. Venitque Squirus ad urbem Petragoricam, quæ est civitas prædictæ provinciæ et eam Romano subdidit imperio. Sacerdotes autem, indigne ferentes dilatationem nominis Christi, Beatum Frontonem apud Squirum præsidem unanimiter eum maleficum acclamantes. Audiens hoc præses Squirus, missis apparitoribus suis, jubet aspectibus præsentari. Venitque beatus Fronto cum Frontasio, Severino, Severiano atque Silano: quos præses ita alloquitur: Tu es Fronto, qui tuis vanis eloquiis de quodam Jesu, ante paucos annos a Judæis crucifixo, dicis et sic populum a cultura sanctissimorum deorum revocasti? Cui Fronto: Utique. Squirus dixit: Si hic Deus fuisset, nec mori potuisset, nec contumeliis affligi. Tunc Beatus

C Fronto cœpit divinitatis suæ potentiam exponere. Dixit ei Squirus: Persuadere non potes, ut deos sequar ignotos. Frontasius cum sociis suis dixit præsidi: Audi verba patris nostri, ut tormenta valeas evadere æterna.

persecutionem fugiens, Anicium venit.

8 Tunc præses iratus dixit satellitibus suis: Quamdiu vivent isti, qui nobis æterna tormenta promittunt? Quumque unus e satellitibus, elevato gladio, Beatum Frontonem ferire vellet, suspenso gladio in aere, cervix pontificis permansit illæsa. Tantaque super eum lux apparuit, ut præses cum satellitibus, relicto theatro, fugeret; satelles autem, qui pontificem ferire voluit, dentibus seipsum, donec spiritum emitteret, cœpit laniare. Beatus autem Fronto cum suis perrexit in locum, qui dicitur Podium, ubi ecclesiam in honore beatæ

o Mariæ construxit *o*. Audiens autem Squirus præses, turbas fidelium ad beatum Frontonem in prædicta ecclesia convenire, jussit eum duci in exilium. Hoc audito, turbata est omnis civitas contra Squirum præsidem, unanimiter volentes insurgere, quod Sanctus Fronto inhibuit, dicens: Dominus Jesus Christus, mittens nos per diversas regiones, ait nobis: Dum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. * Quumque omnes contristarentur, dicentes: Heu nobis, qui tantum patrem et pastorem amittimus: consolatus est eos dicens: Habetis Deum patrem super omnia et pastorem, in cujus manibus vos relinquo. In ipsa autem nocte apparuit ei Dominus dicens: Dulcissime frater, ne timeas ire in exilium, quia postquam multis hominibus nomen meum manifestaveris, cum gloria et honore revertens et persecutorem tuum mihi lucraberis. Facto mane, convocatis fidelibus, beatum Calepodium presbyterum ad regendam Ecclesiam eis reliquit; et benedictione data, assumptis paucis, versus septemtrionalem plagam iter suum direxit *p*.

AUCTORE ANONYMO.

* *Matth. X*, 23.

p

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 18 *diximus, quæ nobis suasit ratio, ut hanc ederemus S.* Frontonis *Vitam, licet variis erroribus infectam : simulque duo nobis esse exemplaria, satis diversa, quorum altero alterum verbis abundantius est. Diximus prolixiore nos usuros ad supplendum quæ desunt; brevitatis causa signabimus exemplar prolixius siglo* cod. B.

E

b *De patria S.* Frontonis *egimus Comment. prævii num.* 19.

c *Inter septuaginta duos discipulos Christi, de quibus, tamquam a Domino designatis, agit S. Lucas X*, 1, *recensetur S.* Fronto *a biographo: abest ab Hippolyti Catalogo* (1). *Hæc Sancti qualitas ignorabatur a patribus Concilii Lemovicensis, anno* 1031 *celebrati, non prætermissuris id argumentum, ut Apostoli titulum Sancto vindicarent.*

d *Comment. prævii num.* 21 *monstravimus, solos duodecim Apostolos adfuisse cœnæ dominicæ, exclusos alios discipulos : hæc dicta sunt, ut apostolatus S.* Frontoni *confirmaretur.*

e *Dubia est chronotaxis; incertus est enim annus, quo B. Virgo Maria in cœlum assumpta fuit. Verbis Eusebii in chronico utitur Baronius ad an.* 48, § IV, *ut annum ab Incarnatione quadragesimum octavum assignet, quamvis fateatur diversas valde esse opiniones, quas enumerat. Cæterum verba Eusebii citata desiderantur in Chronico genuino Eusebii, ab Angelo Mai, S. R. E. cardinali novis curis edito* (2). *Sunt tamen alii, a Baronio citati, qui dicunt, B. Mariam* post annum elapsum a Passione Christi et totidem dies, quot intercurrunt ab eo tempore usque ad decimam quintam Augusti ex hac vita migrasse. *Quæ sententia convenit cum anno* XXXIV *ab Incarnatione.*

F

f *Septennio S. Petrum Antiochiæ versatum, docet Baronius ad an.* 39, § XIII, *id* constare *dicit* tam traditione quam scriptis. *Hanc opinionem examinarunt nostri in Commentario prævio Actis S. Petri Apostoli a diem* XXIX *Junii* (3).

g *Qui primis Ecclesiæ sæculis a Romanis Pontificibus mittebantur episcopi ad universam gentem plerumque deputabantur, in qua dein secundum opportunitatem unam vel plures Ecclesias constituebant. Hoc modo S.* Fronto *ad*

(1) Migne. Patrol. gr. t. X col. 954. — (2) Script. Vet. nova collectio, t. VIII. — (3) Act. SS., t. V Jun., p. 402.

AUCTORE ANONYMO.

Aquitaniam Secundam missus cum aliis, serius sedem episcopalem Petragoricis statuit, quin reliquam Aquitaniam negligeret, in qua, ut infra notatur, prædicationis officium Burdegalæ, Engolismæ, Santonis et alibi exercuit. Solebant Ecclesiarum fundatores sedem metropolitanam in ipsa metropoli civili constituere, sedes autem episcopales in urbibus primariis pagorum majorum; ut abunde monstrant Notitiæ provinciarum. Eodem modo mittebantur ad varias gentes primi episcopi, quo S. Paulus discipulum suum Titum reliquit Cretæ, ut constitueret per civitates presbyteros, sicut ipse Paulus disposuerat Tito : *Tit. I*, 5. *Hic autem interpretes omnes sub voce* presbyteros *etiam* episcopos *intelligunt* (1). *Sic quum medio sæc.* XI *inclinata per Normannos in Sicilia dominatione, Sarracenorum res catholica restituenda esset, misit illuc S. Leo Papa IX, Humbertum, Benedictinum monachum, prædicationis causa. Hunc, inquit S. Lanfrancus in libro de Corpore et Sanguine Domini contra Berengarium cap.* 2 (2), virum religiosum, scientia divinarum ac sæcularium litterarum apprime eruditum... de Lotharingia
B Sanctus Leo Romam traduxit, ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinavit, postea vero sancta Romana Ecclesia præsulem sibi cardinalem constituit. *Et reipsa in concilio Romano, a Leone IX celebrato anno* 1050, *Humbertus subscribit his verbis :* Humbertus Siciliensis archiepiscopus (3); *quatenus ad universam Siciliam missus, rem ecclesiasticam instaurare debuit.*

h *De resurrectione S. Georgii egimus Comment. prævii num.* 24.

i Valentiam *perperam scriptum existimo; melius habet* Cod. B urbem Vellaunorum; *antiquo nomine Ruessio aut Ruessium appellatam, dein lapsu temporis* Anicium *et* Podium (Le Puy) *vocatam : quod aliquando* Vetulæ *nomen sortita fuerit, ut loquitur* Cod. B, *nuspiam reperi.*

k *Vitam scriptam diximus sæculo* XI *jam provecto : hinc mirari nemo debet agi de* comite civitatis, *qui sæculo* I *non cognoscebatur : idem judicium esto de* Cilperico, *nomine Teutonico, quod tunc vix reperire erat in Gallia occidentali, ubi Petragoricensis urbs jacet.*

C l *Varii variumtempus adventus Petri Romam signarunt. Francisc. Pagius in Breviario historico censet S. Apostolum ante imperium Neronis, quod anno Christi* 54 *occœpit, Romam non venisse* (4) *: hanc opinionem, quasi ex Lactantio depromptam, refutat Joan. Antonius Bianchi Ordinis Minorum* (5). *Altera est opinio Francisci Bianchini in editione Anastasii Bibliothecarii, ponentis adventum Romanum in anno Christi* 40, *seu quarto Caji Caligulæ Augusti* (6). *Baronius et Tillemontius* (7), *tandem fulti auctoritate Eusebii in Chronico, statuunt annum II Claudii seu Christi* 42 (8). *Hæc ideo indicavimus, ut constet incertam esse chronotaxin ab auctore nostro indicatam : annus tertius Claudii Augusti concurrit fere cum anno Christi* 43.

m *Loca quædam deputata fuisse conventui fidelium primo jam sæculo, non est, quod dubitemus : dummodo absint consecrationes solemnes ecclesiarum, et clerici, qui more capituli canonicorum,* diu noctuque laudes Deo decantarent. D *Hæc ad quietiora Ecclesiæ tempora pertinent.*

n *Ad annum Christi 44 referenda est victoria Britannica.*

o *Supra Annotato* i *varia nomina Urbis Aniciensis signavimus. Quæ deæde B. Mariæ dicuntur, cum moderamine accipiantur.*

p *Est scilicet Brantomum, quo primum exsul S.* Fronto *pervenit ad septemtrionalem plagam urbis Petragoricensis, ut inspicienti mappam topographicam manifestum est.*

(1) Cfr A Lapide ad hunc locum. — (2) Migne. Patrol., t. CL, col. 409. — (3) Mansi. supplem. Conc. Labbe, t. I, col. 1293. — (4) T. I, p. 3. — (5) Ap. Zaccaria. Raccolta di Dissertat. di Stor. eccles., t. III, p. 248. — (6) T. II. p. 17. — (7) Mém. pour servir à l'hist. ecclés., t. I, p. 162. — (8) Ann. 44, § XXV.

CAPUT II.

Varias civitates prædicationis causa obit; Sigibertum regulum convertit; draconem in Dordoniam præcipitati; sancto fine in pace quiescit.

Sanctus Brantomum et Burdegalam adit; a

Quumque loca aliquot pertransisset, Brantomum pervenit *a*, ibi paganas gentes convertit, atque idolum Mercurii in cinerem redegit, atque in eo loco ecclesiam in honore Salvatoris construxit. Quumque die quadam populis ibidem prædicaret, mulier quædam corpus exanime unici filii sui ante pedes Sancti detulit, prostrataque solo cum hominum multitudine Beatum Frontonem, ut sibi misereretur, suppliciter exoravit. Qui, facta oratione, tenens manum pueri, dixit : Surge, puer, in nomine Domini Jesu Christi Salvatoris. Qui statim surrexit, et cum matre baptismum suscepit. Inde egressus Engolesmam pervenit *b*, ubi duos dæmoniacos et unum paralyticum sanavit, et paucos ad fidem convertit. Deinde Sanctonas *c* pervenit, ubi verbum vitæ prædicans, multos ad fidem convertit, et quatuor dæmoniacos, ad eum perductos, sanavit. Qui quum aliquandiu ibi fuisset, versus urbem Burdegalam *d*, præ cæteris tunc insignem, iter suum direxit. Quumque staret super ripam Garonnæ, ut eos Deus trans flumen incolumes perduceret, oravit. Oratione facta, navis, quæ ex alia ripa tenebatur, sine humano regimine, recto itinere, ad eum pervenit, quam F ingressi ad littus civitatis sine nautis pervenerunt.

b

c

d

ubi multos convertit;

10 Civitatem ergo ingressi, idola sic muta facta sunt, ut suis idolatris nulla, sicut consueverant, responsa darent. Templorum pontifices, hoc ægre ferentes et inter se murmurantes, tandem famam Sancti Frontonis cognoverunt, dæmonum etiam spiritus archiflamini revelavit, se eis responsa non posse dare, nisi Christi discipulus e civitate ejiceretur. Qui Sanctum Frontonem inquirentes, apud Sigebertum comitem eum *e* accusaverunt. Sigebertus iratus, missis satellitibus, injuriose tractatum extra civitatem ejecit. Quumque ante templum Priapi et Veneris transiret, elevata manu, dixit : Destruat te Filius Dei. Et facta oratione, pars templi corruit, et simulacra in favillam sunt redacta. Beatus autem Fronto extra civitatem commo-

e

A rabatur, et multos ad se venientes in fide instruens, ad fidem convertit, ibique signum crucis fixit, et ecclesiam construens in honorem Protomartyris Stephani consecravit. In ipsa autem nocte, qua Sigebertus comes Sanctum Frontonem extra urbem expelli jusserat, morbo paralysis est percussus. Adducta est quædam puella ante præsentiam Sancti Frontonis, dæmonio plena. Beatus autem Fronto dixit dæmoni : In nomine Domini Jesu Christi præcipio tibi, ut exeas. Et ecce cum ululatu magno spumans exivit, statimque puella sanata est.

Blavium castrum visitat;

f

11 Sanctus autem Fronto, data populis benedictione, cum discipulis suis ad Blavium castrum transfretavit *f* : ibique decem et octo viri, carcerali custodia detenti, quum ejus audierunt adventum, ut eis misereatur, ingenti clamore exorant. At ille, ut benignus erat, præfectum adivit : perfidus autem præfectus continue Sancti præconia spernit. Tunc sanctus Dei misericordiam cœpit invocare, statimque hi, qui in carcere tenebantur inclusi, catenis divinitus confractis, viri sancti con-
B spectibus se obtulerunt. Quod audiens præfectus cum reliquo ejusdem castri populo pedibus Sancti provolvuntur, veniam exorantes. Quos, triduano jujunio indicto, baptizavit, idolaque destruens, ecclesiam in honorem Sancti Salvatoris construxit. Abhinc ad civitatem Sanctonas iter suum direxit. In quo itinere cæcum a nativitate signo crucis illuminavit. Veniensque ad prædictam civitatem a fidelibus honorifice est susceptus. Abhinc recedens, multasque urbes et castella, in quibus verbum Dei seminavit, pertransiens, terram Normannorum, quæ Neustria dicebatur, ingressus est *g*. Veniensque ad quemdam locum,

g

h

qui Foresta de Passagio dicebatur *h;* ibique puer parvulus, ejusdem loci domini filius, grandi vexatus molestia, defunctus est. Quod quum viro Dei nuntiatum fuisset, corpus exanime in locum secretum sibi deferri jubet : cunctisque remotis, tamdiu in oratione se prostravit, donec puer a morte et ipse ab oratione pariter consurgerent. Ob cujus miraculi novitatem pater et mater cum cæteris ejusdem
C loci incolis fidei christianæ colla supponunt; Fronto autem ecclesiam in eodem loco construi fecit, et paganos ad se venientes ad Christum convertit.

Suessionibus draconem interficit;

i

12 Inde egrediens Suessiones pervenit; ubi plurimos ad fidem Christi signis et prodigiis convertit. Rogatus autem a fidelibus, ad quemdam locum Nogeliacum *i* accessit : eratque ibi draco miræ magnitudinis. Appropinquante autem Sancto, draco erecto capite obviam ei venit. Cui Sanctus dixit : Præcipio tibi, draco funeste, qui caput tuum erexisti, ut te mihi subdas. Statimque draco, emittens venenum, cum rugitu exspiravit, ibique ecclesiam Sanctus construi fecit. Quumque in die sancto Pentecostes indutus sacra veste ad altare pervenisset pro missarum celebratione, vinum in ampulla defuit : et quia vinum in eodem loco, nisi de remotis partibus afferretur, non poterat inveniri, Sanctus super altare cum lacrymis orare cœpit, et ecce columba, nive candidior, in rostro ampullam vino plenam attulit. Quod ut vidit Christi discipulus, gratias agens Deo, divinum, quod inceperat, officium consummavit. In eodem loco præfata ampulla adhuc hodie conservatur, cujus tamen materiæ fuerit, ab omnibus ignoratur. Dux quidam, Lotharingius nomine, habebat filiam unicam, quæ atrociter a dæmonio vexabatur. Dæmon autem conjuratus dixit : Non exibo, nisi advenerit Christi discipulus Fronto. Missisque nuntiis, ut ad Lotharingium veniret, suppliciter exoratum. Quumque advenisset, statim dæmon, ejus præsentiam ferre non valens, puellam sanam reliquit. Quo viso, dux et cuncti loci illius habitatores, relictis idolis, fonte baptismatis renati sunt.

Metis et Lemovicis miracula facit

k

13 Hoc audito, Clemens, Metensis episcopus *k* festinus ad Beatum Frontonem accessit, rogans, ut civitatem Metensem adiret. Cujus petitioni annuens, iter carpere cum Clemente cœpit : in quo itinere invenientes juvenem, a dracone valde læsum, omnibusque perterritis, Sanctus Fronto propius accessit, factaque oratione pro juvene ad Deum, serpens medius crepuit, et juvenis sanus evasit. Quumque civitatem ingrederetur, duos energumenos, eum sequentes, invocato Christi nomine, sanavit.
E Inde digressus, multas pertransiens civitates, prædicando et ad fidem Christi plurimos convertendo ad pagum pervenit Lemovicensem, in locum, qui dicitur Nogentius *l.* Quumque

l

ibi varia signa fecisset, et multos ad fidem Christi convertisset, rogabant eum fideles, ut draconem fortissimum, qui ibi cum innumerabili multitudine serpentium habitabat, interficere dignaretur. Qui signo crucis se muniens, ad locum ubi draco habitabat, cum populo pervenit : signoque crucis opposito, dixit : In nomine Jesu Christi præcipio tibi, ut ab hac regione discedas, nullum hominem neque creaturam lædens. Ad hanc vocem egressus draco cum innumerosa multitudine serpentium, nusquam postea comparuit; quo facto, ecclesiam ibi construi fecit, et in eodem loco commoratus cum suis discipulis angelicam vitam duxit. Ipse autem tercentis vicibus in nocte et totidem in die exorando Deo genua solo, et oculos cœlo defixit.

in eremo constitutus, mirabiliter pascitur;

14 Interea, providente Deo, Squirum persecutorem Sancti Frontonis, superius commemoratum, in stratu suo quiescentem, Angelus Domini talibus allocutus est, dicens : Quid tibi epularis splendide, et carissimus meus Fronto in deserto fame deficit? Surge, festina eis mittere cibaria, alioquin furorem meum erga te excitabis. Mane autem facto, convocatis pluribus, pro habitatione Christi discipulorum in eremo conquisivit; sed nullum, qui se novisse diceret, invenit. Alia vero nocte a prædicto Angelo visitatus, gravi plagarum cæde percussus est. Ille vero mane amicos convocans, flens plagas ostendit, et quid faciendum esset, ab omnibus requisivit. Unus tandem, cæteris prudentior, divino forte spiritu tactus, ait : Audi, præses, sunt tibi cameli plurimi, jube eos onerari escarum largitate, et dimitte eos abire onustos sine ductore : si enim a Deo hæc visitatio est, ipse deducet eos ad famulos suos, et depositis oneribus, illæsos revocabit. Placuit autem hoc consilium præsidi, et oneratis septuaginta camelis, demisit eos sine ductore abire. Qui recto itinere ad Sanctum Frontonem pervenerunt. Videns autem Sanctus Fronto camelos venientes, per spiritum

AUCTORE ANONYMO.

spiritum, quæ sunt, agnovit : atque lætus effectus, Deo gratias egit. Convocatisque discipulis dixit : Videtis, quia Deus per gratiam suam sine labore nostro misit nobis camelos onustos. Nequaquam autem licet nobis omnia cibaria retinere; sed mediam partem illi, qui ea nobis misit, remittamus. Divisis itaque cibariis, pabuloque camelis ministrato, ad propria dimissi sunt. Qui via, qua venerant, revertentes, quarta die post eorum emissionem ad præsidem redierunt *m*.

m Sigebertus, diu reluctans,

15 Tunc præses et omnes, qui ei assistebant, cum magna admiratione Deum laudare cœperunt, dicentes : Magnus Deus christianorum, quem Fronto prædicat. In crastinum ergo Squirus præses, assumptis aliquibus domesticis, iter aggreditur, ab Angelo sibi revelatum. Veniens ad Beatum Frontonem, pedibus ejus provolutus, veniam postulavit, relictoque paganismi errore, baptismum instanter petiit sibi dari. Beatus autem Fronto eum præsidem cum suis catechizans, post triduanum jejunium baptizavit : et ut de sanguine justorum, qui per eum effusus fuerat, pœniteret, admonuit; nomenque præsidi Georgius imposuit. Post hæc Sanctus Fronto cum discipulis suis ad urbem Petragoricam regreditur. Quum autem tota urbs in occursum sui pastoris properaret, mulier quædam, habens puerum suum parvulum, in lebete ferreo positum super ignem, audiens strepitum occurrentium, quasi attonita, officium balneandi deseruit, oblitaque infantuli, cum cæteris obviam Sancto Frontoni occurrit. Interea ignis cafefecit vas ferreum et aqua cœpit ebullire : porro mater, recordata pueri, Sancto Frontoni ipsum commendavit : pavida recurrit æstimans, ipsum ignis caloribus liquefactum. Ingressaque domum, vidit filium, in vase igne succenso ludentem illæsum. Tunc subito terrore concussa, plures convocavit, ut de re gesta secum pariter congauderent.

B

sis prodigiis, ptismum petet et accipit;

16 Erat in eadem civitate vir quidam, nomine Sigebertus, qui Sancto Frontoni plurimas injurias ingerebat : quumque prædicationibus ejus Sigebertus nullatenus acquiesceret, dixit ei Fronto : Vade ad urbem Engolismam, ubi moratur Ausonius episcopus *n*, et si ex ore ejus, quæ tibi prædico, vera non probaveris, mihi de cætero non crede. Sigebertus autem incredulus, sumpto secum proprio servo, ad urbem Engolismam devenit : Sanctum Ausonium orantem invenit. Quumque Ausonius causam Sigeberti adventus cognovisset, multa secum sanctæ prædicationis verbis perorare cœpit; sed a perversa mentis insania eum nullatenus flectere potuit. Tunc cœpit Sigebertus pagum Petragoricum repetere. Ambulante vero eo cum servo suo, ursus fortissimus obviam ei venit : quem quum Sigebertus cum rugitu terribili impetum contra eum facere vidisset, territus cœpit eum per Cruxifixum, quem Fronto prædicat, perjurare, ut eum nullatenus læderet. Qua adjuratione ursus perterritus, ad pedes ejus provolvitur. Quo viso, Sigebertus gratias Deo agens, ursum alloquitur, dicens : In nomine Jesu Christi, quem Fronto prædicat, te adjuro, ut mihi tractabilem præbeas. Ad hanc vocem ursus perstitit, et Sigebertus super dorsum ejus insedit, Beatique Frontonis præsentiæ se obtulit, et cum sua uxore baptismum recepit.

n

D

draconem regioni infestum, in Dordoniam præcipitat : o

17 Erat quoddam fanum juxta fluvium Drone, quod Regula dicebatur *o*, quod quum Beatus Fronto voluisset evertere, multitudo gentilium ei restitit et cum injuria repulsus est. Tunc Sanctus, in oratione prostratus, post modicum a terra surrexit : statimque fragore tonitrui et terrore coruscationum magna pars fani et simulacra in nihilum sunt redacta. Quod videntes pagani pavefacti, in Christum crediderunt et reliqua pars Petragoricensis pagi Christum recepit. Templa demoliuntur et ecclesiæ undique construuntur; sicque crescebat multitudo fidelium per Sancti Frontonis prædicationem. Coluber quidam miræ magnitudinis super Droniam habitabat, qui homines et animalia devorare solebat. Convenerunt ergo homines ad Sanctum Frontonem, deprecantes, ut dictum colubrum ab ipsorum finibus expelleret : quorum petitioni annuens vir Dei, transito fluvio Dordoniæ sicco vestigio, ad locum, ubi habitabat coluber, pervenit : præcepitque ei in nomine Jesu Christi, ne ulterius, ubi esset humana habitatio, manere præsumeret, sed maris pelago se immergeret. Qui illico ad præceptum viri Dei, cunctis videntibus, in fluvium Dordoniæ præcipitans ad fluctus maris Oceani, unde evenerat, regressus est *p*. Quumque quadam vice in quodam loco amœno juxta fluvium Garonæ Beatus Fronto prædicaret, ecce juvenis, qui erat ultra aliam ripam, Sanctum Frontonem audire et videre desiderans, carens navigio, trans fluvium natare cœpit. Qui subito veloci cursu fluminis mergitur in profundum. Post triduum autem corpus ejus exanime est inventum, et Sancti Frontonis pedibus proponitur. Qui pietatis visceribus commotus, in terra prostratus, pro suscitatione juvenis orare cœpit. Oratione autem facta, a terra surrexit et apprehensa dextera defuncti, dixit : Surge in nomine Jesu Christi, quem Judæi crucifixerunt. Statimque juvenis surrexit et baptismum Christi petiit et accepit.

E

p

ad cœlestem patriam invitatus,

18 Quum quadam die Sanctus Fronto populis extra urbem Petragoricensem prædicaret, ostensum est ei, Sanctos Apostolos Petrum cruce, et Paulum ense eadem hora occubuisse. Qui ad se reversus, omnibus, qui aderant, quæ viderat revelavit, et ibidem in honorem Beati Petri Apostoli ecclesiam construi jussit. Hic est ille Fronto, qui beatam Martham cum Salvatore sepelivit, ut supra in Legenda sanctæ Marthæ plenius continetur *q*. Quumque quadam die dominica in Petragoricensi pago Missam celebraret, lux de cœlo super eum resplenduit, in qua apparuit ei Dominus Jesus Christus cum multitudine Angelorum, in miro odore, dicens : Veni, dulcissime frater, dominica die sequenti venies ad me in convivio fratrum tuorum. Et his dictis, Dominus Jesus cum luce ipsa receptus est in cœlo. Appropinquante autem die dominica, vultus ejus radiabat ut sol. Circa vero horam primam agens sacra mysteria, populo quasi innumerabili adunato, longum fecit de cultu Dei exhortatorium sermonem. Consecrato et consignato Aniano ejus successore *r*, oculis elevatis in cœlum, gratias agens Deo, oves, quas acquisierat, benedixit et Deo commendavit.

F

q

r

Missa

A Missa vero cômpleta, orante populo, ante Beati Protomartyris Stephani prostratus est, luxque immensa super eum post dimidiam ferme horam resplenduit, quæ omnium mentes exterruit, et aspectus obtexit; et vox cum luce audita est, dicens : Veni dilectissime, veni dilectissime, veni coronaberis. Tunc Beatus Fronto gratias egit Deo, dicens : Tibi Domine Jesu Christe, corde et spiritu gratias ago cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Statimque populus respondit : Amen. Inter omnes orationes et lacrymas lætus et gaudens cœlo reddidit spiritum.

sancte obit.

s 19 Beatus autem Georgius, Vallavensis qui et Aniciensis episcopus *s*, dum Missarum solemnia celebraret, vidit Beatum Frontonem, inenarrabilibus ornamentis indutum, coronas habentem in capite cum tribus diaconis, rubeis dalmaticis indutis, et duobus clericis, cereos portantibus, cum multa Angelorum comitante caterva. Tunc Sanctus Georgius ait circumstantibus : Videtis gloriam, quam video? Qui nihil se vidisse, testati sunt. Et Sanctus Georgius dixit : Numquid hic vidistis

B patrem nostrum Frontonem? Cum tribus diaconis et pueris duobus, cereos portantibus, cum multitudine Angelorum advenit, nosque benedicens recessit. Unde certe scio, quia migravit ab hoc sæculo. Surgamus ergo et ad exsequias piissimi patris quantocius properemus. Hæc eo dicente, omnes admirati sunt : pariterque surgentes, ad exsequias sancti patris accedunt et in pondio in ecclesia beatissimæ Dei genitricis Mariæ, ut ipse præceperat, cum hymnis et laudibus sepelierunt. Quumque ad sepeliendum deferretur, cœlum a pluribus visum est aperiri; tantæque suavitatis odor emanavit, ut per triginta fere dies sequentes ab ingredientibus ecclesiam sentiretur. Obiit VIII Kal. Novembris quamvis * ejus

quando?

t festum hoc loco celebratur *t*, anno XLII post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi,

u Vespasiani imperii anno secundo *u*. In die obitus sui tribus cæcis visum, quatuor claudis gressum, tribus mutis loquelam, pluribusque debilibus reddidit sanitatem : sex quoque possessos a dæmone suis meritis liberavit. Crescentibus autem miraculis, revelatum est

C Cronopio episcopo per visionem, quatenus aliam basilicam construi faceret, in qua cor-

v pus ejus sanctum transferret *v*. Episcopus autem referens hoc clero et populo, confestim cœperunt fodere fundamenta ecclesiæ, complentes eam cursim instanti opere : coadunatisque fidelium turbis pridie non. Octobris cum hymnis et canticis eum transtulerunt. Tunc virtus Dei merita Sancti Frontonis declaravit : nam septem contracti solidati sunt et quatuordecim ardentes, ipso igne exstincto, sanati. Conscripserunt autem sancti Frontonis Vitam et Gesta Anianus et Cronopius, ejus

w successores *w*, et etiam Sebaldus episcopus

x quam multa *x*. Ex quibus omnibus hæc breviter sunt excerpta ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

—

(1) T. II, col. 1490. — (2) Ibid. col. 975. — (3) Ibid. col. 1053. — (4) Migne. Patrol., C. LXXI, col. 756. — (5) Gall. christ., t. II, col. 787. — (6) Morice, Mém. pour servir à l'hist. de Brét., t. I, col. 392. — (7) Ibid. col. 503. — (8) Ibid. col. 391.

ANNOTATA.

AUCTORE ANONYMO.

a Brantomum *etiam* Brantolmium *ut scribitur* cod. B *oppidulum est in septemtrionali plaga urbis Petragoricensis ad Dronam fluvium; hodie quoque ad episcopatum Petragoricensem et ad partitionem seu præfecturam Dordoniæ spectat* (Département de la Dordogne) : *erat olim ibidem insigne monasterium Ordinis S. Benedicti, cujus initia narrantur ab auctoribus Galliæ christianæ* (1).

b Engolisma, *a Græcis Latinisque nuspiam memorata, proprium episcopum habuit ab ipsis incunabilis Religionis in Gallia, si quidem primus ejus episcopus Ausonius a B. Martiale ordinatus traditur: metropoli Burdegalensi perpetuo accensita fuit* (2). *Hodierna diœcesis præfecturam Carantoni* (Charente) *complectitur.*

c *Santones, quorum urbs olim* Mediolanum Santonum *dicebatur, primum episcopum habuere S. Eutropium, cum primis Galliarum apostolis huc missum* (3). *Ejus sacrum corpus anno* 1843 *die* XIX *Maii inventum, et accurate recognitum ab illustriss. D. Clemente Villecourt, tunc Ruppellensi episcopo, nunc Eminent. S. R. E.* E *Cardinali, die* XIV *Octobris* 1845 *solemni ritu in cryptam ecclesiæ olim cathedralis Sanctonensis relatum fuit. De S. Eutropio loquitur Gregorius Tyronensis lib. I, de Glor. Mart. cap.* 56 (4).

d *Diximus Comment. prævii num.* 2 *metropolim Burdegalensem participem fuisse laborum, quos S. Martialis ejusque socii in Aquitania Secunda exantlarunt. Episcoporum Burdegalensium Catalogum orditur Gallia christiana ab Orientali, qui sedit circa annum* 314 (5). *Sed veri minime simile est, metropolim insignem tanto tempore sine adjutorio episcopi proprii fuisse.*

e *Denuo occurrit nomen teutonicum et officium comitis civitatis Burdegalensis, quæ recentiorem quamdam lucubrationem indicant.* Cod. B *habet* Seguibertum.

f *Blavium Castrum, hodie* Blaye, *in hodierna, quemadmodum et antiqua diœcesi Burdegalensi. Habebat olim duo monasteria virorum, unum Ordinis S. Benedicti, alterum S. Augustini. Promontorium Santonum antiquitus vocabatur.*

g Cod. B *habet, S.* Frontonem *etiam Turonensem urbem adiisse : adeoque provinciam* F *Lugdunensem Tertiam, cujus metropolis est, visitasse. Exstat hujus peregrinationis memoria in fundatione monasterii Frociacensis* (Frossay), *S.* Frontoni *tributa, ut testatur charta fundationis his verbis* (6): Quod monasterium testantur antiqui a beato Frontonio, Petragoricensi episcopo, qui eumdem locum per multos dies heremita incoluit, reædificatum et priscis atque modernis temporibus pro signis, atque virtutibus in magna veneratione habitum. *Quamvis autem tanta tribuatur monasterio antiquitas; nihilominus denuo fundatum, sub abbatia Rotonensi* (Redon), *legimus circa initium sæculi* XII *ab Urvodio clerico* (7) *: quin et initio sæculi præcedentis Frociacum cœnobium constitutum testatur charta, qua Droaloius Catwalloni ejusque monachis Rotonensibus donat* in eleemosyna sempiterna monasterium sanctæ Mariæ in plebe quæ vocatur Fruszai (8).

AUCTORE ANONYMO.

Catwalonus autem monasterium Rotonense tenuit ab anno 1019 *ad* 1040 (1). *Ex his recte deducitur, Frociacense monasterium multiplices perpessum calamitates; quæ resarcitæ, instar fundationum habebantur.*

h *Locus, qui* Foresta de Passagio *dicitur, mihi omnino incognitus est, neque me juvit additamentum* Cod. B juxta fluvium, cui Verona nomen est : *sunt quidem hujus nominis varia flumina, sed nullum, quod sciam, terram Normanorum aut Neustriam attingit.*

i *Est forsan* Nogeliacum, Neuilly-Saint-Front, *etiamnum in diœcesi Suessionensi, in qua Sancti nostri memoria hac die cum festivitate SS. Crispini et Crispiniani, ut docet nos missale Suessionense, recolitur.* Cod. B *addit :* qui locus Poronæ fluvio conterminus, milliaribus circiter duodecim Suessione distat. *Locus iste chiliometris* XXIV *Suessione versus meridiem distat: adjacet quoque rivulo, in Urcum* (Ourcq) *influenti, cujus nomen in Atlante Cassiniano non notatur.*

k *Clementem fundasse Metensem Ecclesiam, eamque sedem primum occupasse, extra contro-*
B *versiam est. Videtur autem cum primis episcopis in Gallias missus : quod quidem ad diem, quo colitur,* XXIII *Novembris examinandum erit.*

l Cod. B *addit aliqua :* Cum primum in quodam Briven.sis provinciæ loco, qui prope Dordonam fluvium situs, Nogentius dicitur, substitisset. *Brivensis provincia est pagus aliquis minor civitatis Lemovicum, in qua tunc versabatur S.* Fronto. *Verum locus Nogentius in finibus Brivensibus nuspiam occurrit : tandem non videtur locus aliquis provinciæ Brivensis potuisse Dordoniæ adjacere; quum Briva* (Brive-la-Gaillarde) *Curretia* (la Corrèze) *alluatur, in Dordoniam quidem fluens, sed in regione longe dissita, ut ad pagum minorem Brivensem pertinere non possit.*

m *Hæc ad verbum fere narrantur in Vita coæva S. Frontonis Nitriensis ad diem* XIV *Aprilis* (2). *Enimvero camelos* LXX *facilius in Ægypto quam in Galliis reperire erat.*

n *De S. Ausonio, primo Engolismensi episcopo, actum fuit a nostris a diem* XXII *Maii* (3). *Satis convenit, illum a S. Martiale missum*
C *Engolismam ad fundandam Ecclesiam: adeoque ejus ætas a missione S. Martialis pendet.*

o Cod. B : Interea nuntiatum est ei, fanum esse juxta Doronam fluvium, nomine Rigia. *Regula monasterium est, olim Vasatensis* (Bazas), *hodie Burdegalensis diœcesis* (La Réolle), *a S. Martiale, ut quidem volunt, fundatum; sed verius sub Ludovico Pio imperatore incepit* (4). *Ast monasterium Regula ad dexteram ripam Garumnæ sedet, nec ulla ex parte Drone fluvium attingit. Quod si cum* Cod. B. Rigiam *locum tenemus, hunc nuspiam invenimus. Drona fluvius* (La Dronne) *in Ellam influens, dein in Garumnam illabitur : ast in neutra parte fluminis ullum est nomen, cujus elementu litterarum sive Regulæ sive Rigiæ coaptare possint.*

p *Commentarii prævii num.* 31 *agimus de* D *dracone, per S.* Frontonem *occiso.*

q *Commentarii prævii num.* 27 *ad trutinam revocavimus, quæ referuntur de* S. Frontone, *præsente sepulturæ S. Marthæ.*

r *De S. Aniano tractabitur ad diem, quo colitur,* XV *Novembris : consuli potest Joan. Dupuy* (5).

s *Colitur S. Georgius, primus Aniciensium episcopus, die* X *Novembris, quo ejus Acta dabuntur.*

t *Textus luxatus videtur: vox* quamvis *indicat aliquid supplendum : nempe* hoc loco, *quo scribebat biographus, alia quadam die festivitatem S.* Frontonis *celebratam fuisse, quamvis* VIII *Kal. Novembris obierit. Nisi quis malit, supplere, quod in margine posuimus,* quando : *ita ut sensus sit, sanctum* obiisse VIII Kal. Novembris, quando hoc loco celebratur.

u *Annus Vespasiani secundus cum anno Christi* LXX *concurrit. Quin autem curiosius hoc loco scrutemur, quæ sit comparatio æræ vulgaris cum ætate Christi Domini, adeoque cum ejus Passione : constat, esse differentiam* E *annorum aliquot inter utrumque, et Christi nativitatem sexennio æram vulgarem præcedere. Qui plura circa hanc quæstionem scire cupit, adeat Sanclementium in erudito opere de æræ vulgaris Emendatione* (6).

v *De Chronopio II, fundatore ædis Frontonianæ, actum fuii Comment. prævii num.* 35.

w *De Aniano alibi locuti sumus. Chronopius, hujus nominis Primus, tertius fuit a S.* Frontone *Petragoricensis episcopus. Is, ut habet antiquum Breviarium Petragoricense, a Joanne Dupuy citatum* (7) : Elpidii et Benedictæ filius, a morte suscitatus, Beati Frontonis discipulus, ac demum in episcopatu successor, cum numerosa familia ab eo baptizatus, multorum conversionis ad fidem causa exstitit.

x *Sebaldus circa initium sæculi* X *sedit et gesta S.* Frontonis *collegisse scriptoque mandasse legitur* (8). Cod. B *ipsi Sebaldo episcopo attribuit Vitam, quam edit, his verbis :* Quum ego Sebaldus episcopus inter seriem divinarum Scripturarum commorarer, multaque mecum revolverem de vita sancti patris nostri Frontonis, Christi discipuli, edita a beatissimo F Aniano, Cronopio et episcopis, ejusdem sancti viri successoribus, inveni plurima, sed nimium prolixa, quæ ut non traderentnr oblivioni, ego ardens valde in hoc negotio, quantum potui, abbreviavi, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est honor et gloria in sæcula sæculorum. *Malui Vitam qualem habemus, attribuere anonymo propter rationum momenta, allata num.* 18 *Commentarii prævii. Sebaldi opus scriptum dicitur, anno gratiæ nongentesimo quarto, indictione septima, principatus Guillelmi, comitis urbis Petragoricæ et Agenni decimo quarto* (9). *Minus accurate expressus est annus principatus Guillelmi comitis, quippe qui regnare cœperit anno* 886 : *adeoque, currente vulgari anno* 904, *annus principatus erat decimus octavus* (10).

(1) Gall. christ. antiq., t. IV, p. 799. — (2) Act. SS. t. II April., p. 202. — (3) Act. SS., t. V Maii, p. 131. — (4) Gall. christ., t. II, col. 610. — (5) T. I, p. 88. — (6) P. 491. — (7) T. I, p. 90. — (8) Gall. chr., t. II, col. 1456. — (9) Ibid. l. c. — (10) L'art de vérifier les dates, t. II, p. 375.

DE

A D

DE S. MINIATE MARTYRE,

FLORENTIÆ IN TUSCIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. B. B.

ANNO CCL. **§ I. Acta S. Miniatis non satis fida; eorumdem compendium ex Joanne Lamio. Passus S. Martyr est sub Decio et probabilius sine sociis.**

Acta. S. *Miniatis, quem hodie celebritate maxima colunt Florentini, Acta edidit Surius, hoc præfixo titulo :* Martyrium S. Miniatis, militis et martyris Florentini, ab incerto quidem auctore, sed erudite, mutato prioris historiæ, quæ in vetustis mss. libris exstat, stylo conscriptum. *Eadem, sed pro more suo contracta, habet Petrus de Natalibus, lib.* IX, *c.* CVIII. *Inter mss. nostra hagiographica unum alterumque invenitur apographum Passionis S.* Miniatis, *quam infra dabimus* ex ms. S. Maximini Trevirensis, collato cum ms. Metensi, *ut notavit unus ex decessoribus nostris. Binas similes Passiones in lucem dedit Joannes Lamius ex mss. codd. Bibliothecæ Laurentianæ* (1). *Habemus præterea* Notitias de S. Miniate martyre, Florentia *missas a Francisco Cionaccio, ut liquet ex sequentibus verbis, fasciculo junctis :* Clarissimis viris theologis sacerdotibus Soc. Jesu, adm. R. P. Danieli Papebrochio ac cæteris ejus adjutoribus Franciscus Cionaccius humilis sacerdos Florentinus S. P. D.; atque quamdam racemationem ex tenuitate suorum studiorum libenter transmittit pinguissimæ eorum sacræ vindemiæ incomparabilis operis de Actis Sanctorum. Florentiæ die secunda mensis Junii currentis anni 1693. *Multa Cionaccius operose diligenterque congessit, quorum frequens nobis per decursum hujus commentarii usus erit. Acta Tillemontius* (2), *non sine quodam stomacho, rejicit, quia recentiora; quia perpetuis contexta prodigiis, quia exordiuntur supino errore chronologico : cum passos SS. Laurentium et Sixtum asserant sub Decio; quod* B *utique falsum aperte est* (3). *Tillemontio consentit Joannes Lamius in opere de* Memorabilibus ecclesiæ Florentinæ, *ut plenius dicemus numero tertio. Nec multo majoris fecit Acta Baronius, qui ad annum* 254, *n.* 29, *inter martyres in Tuscia sub Decio coronatos recenset S.* Miniatem Florentiæ, *addens præterea nihil. Prætermittitur quoque a Moronio, nisi quod incidenter pauca quædam traduntur, paragrapho de* oppido S. Miniatis, *in agro Florentino. Nec ego Actorum fidem tueri velim. Nihilominus cum non adeo recentia sint, nec admodum dissimilia ab aliis, quæ sparsim in opere nostro leguntur, et a scriptoribus Florentinis haud raro memorentur, ac denique non sint valde prolixa, et insuper Acta etiam minoris auctoritatis apud nos quærantur et a viris eruditis a nobis exspectentur : visum est illa commentario prævio subnectere, ut statuat ipse lector quanti valeant. In Annotatis in specie nonnulla expendemus.*

2 *Quo sæculo conscripta sint Acta, nemo facile dixerit.* De Miniate, *inquit Sollerius in* Observatione *ad diem* XXV *Octobris* (4), nihil apud vetustiores uspiam reperio, nec satis conjicere possum, unde eum Usuardus acceperit; neque enim Acta a Surio vulgata vidisse existimandus est, qui tam jejune de eo loquitur. *Cum aliunde scimus Usuardum Martyrologium suum edidisse, ut opinatur Sollerius, circiter annum* 875 *et* 877; *imo citius, anno scilicet* 859 *vel* 860 *et iterum inter annum* 869 *et* 877, *ut* E *dictum a nobis fuit alibi* (5); *sæculo nono posteriora sint oportet Acta illius S. martyris. Laudatus supra Cionaccius ex libello ms., quo documenta continentur spectantia ad* ecclesiam S. Miniatis de Monte, *refert, hanc una cum monasterio fundatam ab episcopo Florentino, Ildebrando, cujus viri prima occurrit mentio circa initium sæculi* XI, *anno scilicet* 1008. *Apud Ughellum* (6) *recitatur* scriptura antiqua, *seu diploma, quo probatur Hildebrandus* collabentem S. Miniatis martyris basilicam restaurasse, cœnobiumque construxisse. *Diploma datum est* anno Incarnationis tertio decimo post mille. Indictione undecima. *Addit Cionaccius ab Hildebrando primum monasterii abbatem constitutum Drogonem, qui legitur reconcinnasse Vitam S.* Miniatis; *atque hanc esse existimat Cionaccius, quæ a Surio typis data fuit, ac proinde sæculo* XI *jam adulto adscribendam. Ast cum, ut infra latius reddam, Sigebertus Gemblacensis plane edicat in Deoderico, hunc* Passionem *S.* Miniatis *Metas circa annum* 970 *attulisse, et præterea moneant decessores nostri se ex urbe illa Acta, quæ cum Tre-* F *virensi ms. contulerunt, accepisse; probabile fit sæculo præfato antiquiora esse, atque scripta saltem circa medium sæculum* X.

probabiliter conscripta sæc. X.;

3 *Diximus Joannem Lamium, diligentem rerum ecclesiæ Florentinæ indagatorem, eodem fere, quo Tillemontius, loco habere Acta S.* Miniatis. *Quapropter ejus verba hic adscribo :* Cum, *inquit* (7), luculentissime pateat, martyrem Mineatem vere olim exstitisse, sed ejus martyrium quali certamine consummatum fuerit nos lateat : nam ejus Actis insinceris et apocryphis fides adhiberi ab homine cordato non potest; tentare nunc juvat, an ea defæcare et fabellis, quibus scatent, purgare et ad verisimilem historiam redigere, mihi res ecclesiæ Florentinæ illustrare adgresso fortunate liceat. *Dein sequens subjicit compendium :* Quum Decius imperator crudelem persequutionem in christianos excitasset, B. Mi-

et horum compendium, a Lamio

(1) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. III, p. XLI. Florentiæ 1758. — (2) Mémoires, tom. III, p. 331. — (3) Conf. Act. SS., die x Augusti. — (4) Martyrologium Usuardi. — (5) Tom. VIII Octobris, p. 85 et seqq. — (6) Italia Sacra, tom. III, col. 47 et seq. — (7) Memorabilia ecclesiæ Florentinæ, tom. I, p. 589.

neas

AUCTORE B. B.

neas, juvenis florentinus genere clarus, christianam legem in patria, non secus ac alii plures, profitebatur, ejusque religio et pietas ipsis gentilibus innotuerat. Quadam autem die ad suburbana civitatis proficiscenti ministri præsidis in silva, quæ dicitur Elisboth, occurrunt, eumque capiunt ac detinent, inquirentes ejus religionem et nomen. Quum vero didicissent quod christianus esset et Mineas vocaretur, præsentaverunt eum præsidi. Cui præses ait : Tu es Mineas, sectator cujusdam religionis christianæ, ineptæ et vanæ, qui conturbas, vana docendo, totam provinciam? Cui Mineas respondit : Ego sum servus Christi. Tu vero, nisi a deorum cultura recesseris, perpetuum incendium sustinebis. Tunc præses dixit : Crede diis nostris. Beatus Mineas respondit : Ego credo in Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, et mare et omnia quæ in eis sunt. Tunc iratus præses jussit eum in equuleo suspendi et torqueri, dicens ei : Si fortior me est Deus tuus, liberet te de manibus meis. Sanctus Mineas ait : Non me deseret Deus meus Jesus Christus, qui facit mi-
B rabilia. Præses autem ira magis succensus jussit sudes acutas mitti sub ungulis ejus, et omnes digitos ejus pertundi; et ait beatus Mineas : Ista sunt opera patris tui diaboli, quæ tu facis. Audiens autem hæc præses, jussit ministris, ut eum ad terram subspenderent et saxum ingens ad pedes ejus liga-
rent. Quod quum factum est, sanctus Mineas levavit oculos suos ad cœlum cum fiducia dicens : Domine Deus meus exaudi precem meam. Mox jussit præses ministris, ut ferro acuto aures ejus perforarent; quod et factum est. Quod autem beatus Mineas omnia tormenta patienter et alacriter substineret et nec in minimo superari posset, jussit præses ad templum Martis adduci et adferri aurum et argentum et gemmas, vestesque pretiosas et in conspectu ejus poni, quo sacrificare vellet, et animum ejus, quem non potuerat per ejus inania tormenta a Christi fide revocare, saltem per oblectamenta sæculi posset ad deorum suorum culturam allicere, eo quod ipsum antiqua amicitia plurimum dilexisset. Quæ om-
nia quum vidisset beatus Mineas, velut ster-
C cora reputata sunt ab eo, et immolare recusavit. Cumque hoc vidisset præses, ait : Mineatem rebellem deorum nostrorum jubeo capitalem subire sententiam; statimque ministri accipientes eum duxerunt in montem, qui dicitur Florentinus. Et cum pervenissent ad locum, unus ministrorum evaginato gladio amputavit caput ejus. Passus est autem VIII Kal. Novembris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ex mss. compositum.

4 *Cæterum accurate indicat Lamius fontes ex quibus Passionem S.* Miniatis *hausit*, Ad hæc, *ait* (1), conflanda usi sumus duobus Passionariis Plut. XX, nn. 1 et 2 aliisque, Lectionario Laurentiano, eodem Pluteo n. 5; Vitis Sanctorum a Blasio scriptis in codice itidem Laurentiano n. 6 eodem Pluteo, Martyrologio Georgii Antonii Vespuccii in codice Laurentiano n. 30 Plut. XXI; Vita Italica B. Mineatis Riccardiana, Plut. O, ord. IV n. 35; Actis D
a Laurentio Surio interpolatis atque editis; Chronico Joannis Villanii, lib. I, cap. LVII; duobus Passionariis et duobus Lectionariis archivi S. Mariæ Floridæ; Lectionibus Stroctianis ab Orlendio editis et a nobis supra iterum publici juris factis; Passionariis bibliothecæ sanctæ Crucis, Chronico D. Antonini, archiepiscopi Florentini, compendio Vitæ B. Mineatis a Petro de Natalibus scripto, Vitis a Silvanio Ractio (Razi) et Jos. Maria Brocchio scriptis. *Speciali mentione dignus est scriptor ultimo hic loco a Lamio laudatus, nempe Josephus Mar. Brocchius, qui ex professo tractavit idiomate Italico de Sanctis et Beatis Florentinis* (2). *Opus tribus constat voluminibus in-4°, estque etiam Florentiæ rarissimum aut certe exquisitissimum. Ejus exemplar nacti nuperrime sumus ex munificentia PP. Servorum B. M. V. Florentinorum. Vita S.* Miniatis *reperitur initio tomi I* (3). *Ex quibus efficitur quam multa apud Florentinos de S. Martyre suo delitescant monumenta, quam multa sint congesta scripta; sed an magis fide digna, quam ipsa acta nostra, quæ Lamius* insincera et apocrypha *habet?* E

Passus est sub Decio,

5 *Passum S.* Miniatem *sub Decio imperatore, extra controversiam videtur. De anno certant. Teste Lamio* (4), Vita Italica Riccardiana, scripta ut videtur sæculo XV, adfirmat B. Mineatem passum esse anno æræ vulgaris CCL; et recte ac probabiliter quidem... fallitur Villanius qui ad annum CCLII eam (*decollationem*) differt; Georgius Antonius Vespuccius etiam errat in suo Martyrologio, quod in codice 30 Laurentiano Pluteo XXI exstat, dum eam an. CCIIL consignat. En ejus verba. « VIII Kal. Novembris. Civitate Florentia, passio S. Miniatis et Sociorum ejus, qui passi sunt sub Decio imperatore anno Domini CCXLVIII. » *Baronius in Annalibus meminit S.* Miniatis *sub anno* 254; *Castellanus passum notat anno* 251. *Quæ quidem discrepantia ex annis, quibus Decius imperium tenuit, quos alii alios dixerunt. Quo de argumento audiendus Petavius* (5): Philippis (*patri et filio*) annos quinque Victor, Eutropius et Onufrius attribuunt; septem Eusebius in Historia et in Chronico, Epiphanius, Orosius, Cassiodorus et Baronius. Priores
F mortuos esse Philippos volunt Coss. Æmiliano et Aquilino, qui est annus Christi CCXLX; posteriores Deciis duobus coss. qui est annus Christi CCLI. Rursus Decio biennium Eutropius et Victor imputant; hic tamen in Epitome menses XXX numerat. Cassiodorus annos II, menses IV; Eusebius et Epiphanius annum I, menses II... Sane tam horum quam insequentium imperatorum tempora partim scriptorum inopia et ἀνιστορησία, partim consulatuum perturbatione obscurissima remanserunt... Nos ambobus Philippis non plures annos quinque solidis cum mensibus aliquot assignandos credimus : nam Tribunitiam potestatem VI cum consulatu III Philippo patri numi veteres addicunt (*idem habet Eckhel* (6) *quod et confirmari probat ex numis Alexandrinis*); ut appareat cœpto jam anno imperii sexto Coss. Æmiliano et Aquilino, periisse Philippos, anno Christi CCLXL. *Denique Peta-*

(1) Pag. 589, *a*. — (2) Vite de sancti et beati Fiorentini. Florentiæ, 1742. — (3) Pag. 17-30. — (4) Pag. 592, *b*. — (5). Doctrina temporum tom. II, p. 187. — (6) Doctrina Numorum, tom. VII, pag. 327.

vius

A *vius paulo inferius de Decio :* Cui quidem annos duos cum mensibus aliquot imputamus nempe VI, ut auctor est Aurelius Victor. Etenim anno Christi CCXLX Æmiliano et Aquilino Coss. imperare cœpit, pervenitque saltem ad extremum annum Christi CCLI, quem ipse consulatu III cum Etrusco filio notavit. Nam Trebellius Pollio in Valerianis senatum Decii imperatoris auctoritate coactum refert duobus Deciis Coss. VI Kalend. Novembris, in quo Valerianus absens censor factus est; idque ordinis amplissimi decretum ratum jussit esse Decius. Quare sub illius anni finem Decii ambo perierunt. *Unde etiam Pagius* (*quod jam animadverterat ante eum Norisius*) *in annum Baronii* 251 (1) : Quia Baronius annos septem Philippo seniori, qui sextum tantum inchoavit, attribuit, ejus chronologia per decennium et amplius prorsus corrupta. *Fisus nempe Baronius est laudatis supra a Petavio scriptoribus, quorum sententiam confirmatam censuit ex* vetere *quod* exstat Veronæ monumento, his verbis conscripto (2) :

B ANNO CHRISTI CCLIII IMP. DIVUS PHILIPPUS SENIOR VERONÆ ET ROMÆ JUNIOR A SATELLITIBUS INTERFICIUNTUR.

At enim, ut habet iterum Petavius ubi supra, adulterina et nugatoria est epigraphe, quam merito neglexit Onufrius (3). Neque enim annorum Christi putatio ita vetus est, quam demum post Dionysium passim usurpatam constat, *nempe ab ipso Dionysio Exiguo sæc.* VI, *et in Galliis sæc.* VII (4). *Denique sic Petavius ordinat annos Decii* (5) : 249, cœpto jam imperii sexto, Philippus senior Veronæ, junior Romæ a militibus occisi sunt. Successit Decius... *Anno* 250 Decius septimam in christianos persecutionem commovet... Fabianus papa in ea persecutione martyrium obiit, Januarii XX, cum sedisset annos XV... *Anno* 251. Exitu hujus anni ambo Decii perierunt. *Et paulo distinctius Benedictini* (6) : Decius Philippo successit medio Octobri an. 249; periit exeunte Novembri an. 251. *Quibus vix non ad amussim subscribit Eckhel* (7): *an.* 249 *Decius*, victo Philippo, Angustus agnoscitur, saltem inchoato jam autumno;... *anno* 251 in prælio adversus
C Gothos apud Abricium Thraciæ... palude haustus obit... factum istud post mensem Octobrem. *Tillemontius quoque initium Deciani imperii figit* circa medium vel circa finem *an.* 249, *finem vero* paulo post 27 Octobris *an.* 251 (8).

anno probabilius 250 ; 6 *Atque ut ad S.* Miniatem *redeamus, non videtur passus anno* 249, *tum quod circa hujus mensem Octobrem longe probabilius est Decium capessivisse imperium nec proinde tempus fuisse, quo impia ejus in Christi sequaces molimina facile ad effectum perducerentur; tum quia neminem sub hac persecutione martyrio coronatum novimus ante S. Fabianum papam, qui die* XX *Januarii* 250 *mortem pro Christo obiit; nec etiam anno* 251, *quo jam deferbuerat persecutionis ardor; pronum præterea est præsumere illam primo suo impetu per Italiam vicinasque Urbis regiones grassatam, quod etiam insinuant scriptores ecclesiastici, cum omnes fere martyres, nomine suo notos, anno intermedio scilicet* 250, *adscribant, quapropter et hoc agonem S.* Miniatis *ponendum censemus. Nec illud prætermittendum S. Martyris natalem tum in Actis tum alibi celebrari* VIII *Kal. Nov. id est* XXV *Octobris; quod si revera is in hunc diem inciderit, novum sententiæ nostræ accedit pondus. Certum namque videtur isto tantum mense Decium purpura donatum, quam primis omnino diebus sanguine eum fœdasse, nec id Romæ sed in urbe dissita, non apparet; nec similiter extremis regiminis et vitæ diebus, quibus in Thracia contra Gothos agebat,* AUCTORE B. B.

an cum soeiis incertum. 7 *Nonnulli asserunt alios cum S.* Miniate *passos, et hæc* credulitas, *ut loquitur Lamius*, sæculo IX jam obtinebat. *Qua de re audire juvat Orlendium* (9) : Plures alios Martyres cum in eadem qua sanctus Minias ,tum in aliis persecutionibus Florentiæ pro Christi nomine passos esse ad locum, ubi nunc ecclesia sanctæ Candidæ ad crucem, vulgo *al Gorgo*, dictam, fateor cum Joanne Villanio lib. I cap. 57. Quoniam vero latent eorum nomina, ferunt quondam Martyres Candidatos fuisse dictos, indeque nomen loco impositum *Santa Candida al Gorgo,* E ubi olim templum celebre SS. Martyrum. Hos autem seorsim a S. Miniate ac diverso tempore agonem suum ibi complevisse, colligimus ex vetustissimis Actis præfati martyris Miniatis, quæ exstant in perantiquo codice Vallis Umbrosæ, in quibus legimus : « sed et alios martyres » ad Gurgi locum passos fuisse credimus. » Pervetus quoque Martyrologium bibliothecæ Medico-Laurentianæ memorat Sanctos Turbolum, Valentem aliosque nonnullos eadem die cum S. Miniate aut paulo post, eo loco Martyrii palmam adeptos. Immo Amici, eruditi ac fide digni, testimonio proditum est, in breviario sancti Joannis Gualberti, die 25 octobris hæc verba extare : « Sancti Miniatis cum sociis suis. » Id etiam constat auctoritate vetustissimi codicis membranacei in celeberrima bibliotheca nobilissimi viri Caroli Thomæ Strozzæ, patricii florentini num. 746, in quo habentur IX lectiones cum oratione in honorem S. Miniatis martyris florentini « et sociorum ejus, » quæ antiquitus recitari solebant in choris florentinarum ecclesiarum. *Ast recte notat Sirmius :* cum socios tantum adpellant, in- F certum est, socii agonis an sepulturæ fuerint et memoriæ. *Quod posterius mihi longe probabilius. Plura si lubet vide apud eumdem Lamium loc. cit. Confer etiam Brocchium qui, licet alios quam Orlendius non habuerit fontes, tradit tamen S.* Miniati *septem fuisse socios, quorum nomina interciderunt* (10); *atque testatur in Breviario, quo usum S. Joannem Gualbertum vidimus, quodque sæculo* XI *Vetustius est,* fieri mentionem de S. Miniate et sociis, nec tamen ullius eorum nomen signari. *Non itaque putem numerum septenum aliunde Brocchio venisse quam ex vulgari quadam fama et inscriptione recentis ævi, de qua dicam numero sequenti. Certe Orlendius, ubi supra, licet iisdem quibus Brocchius, nixus documentis antiquis, solum socios memorat, nullo addito numero. Denique nec in Petro de Natalibus, nec in antiquis lectioni-*

(1) Annal., tom. II, pag. 570. — (2) Ibid., p. 577. — (3) Conf. ipsum Onuphrium Panvinium Fastorum lib. v. Comm. in lib. II, pag. 260 et seq. Heidelbergæ 1588. — (4) Art de vérifier les dates, pag. III. — (5) Tom. II, pag. 297 et seq. — (6) Art. de vérifier etc., pag. 344. — (7) Doctrina Numorum, tom. VII, pag. 342 et seq. — (8) Mémoires, tom. IV. Ad calcem in *Chronologia*. — (9) Orbis sacer et profanus, parte secunda p. 1142. — (10) Vide tom. I p. 23 et seq.

AUCTORE B. B.

bus ab Orlendio recitatis, nec in Actis, infra a nobis edendis, ullus socius sancto nostro datur Martyri. Unde etiam Baronius in Martyrologio Romano, hac die : Florentiæ Passio beati Miniatis militis, qui sub Decio principe pro fide Christi egregie certans, nobili martyrio coronatur. *Pariter de sociis silent Castellanus* (1) *et Müller* (2).

§ II. An sacrum S. Miniatis corpus Florentia translatum Metas in Galliis fuerit sæculo x a Theoderico episcopo. Quid censendum de reliquiis in ecclesia S. Bartholomæi seu Montis Olivetani Florentiæ.

Sacrum S. Miniatis *corpus Florentiæ permansisse,*

B

S*acrum S.* Miniatis *corpus sibi vindicant hinc in Italia Florentini, illinc in Gallia Metenses, acriter inter se certantes. Stat utique præsumptio, SS. martyrum reliquias, iis fere locis primum tumulatas, quibus contigit certamen, atque ibidem quærendas, nisi probentur sive ab initio sive lapsu temporis inde translatæ. Ad S.* Miniatem *quod attinet, nullum videtur dubium, quin sacrum ejus corpus Florentiæ depositum fuerit et plura per sæcula servatum; imo præfatæ urbis ecclesiæ traditio est, perpetuis firmata testimoniis, illud nullo umquam tempore extra agri Florentini limites deportatum. Unde post SS. Reliquiarum recognitionem (cujus Instrumentum mox subjiciam) factam anno* 1667, *in crypta ecclesiæ S.* Miniatis ad Montem, *retro altare majus, apposita sequens inscriptio est :*

D. O. M.
SANCTORVM MINIATIS ET SOCIORVM SEPTEM
EXVVIAS, QVAS TOT SOECVLORVM DECVRSVS
OBLITTERARAT MARMOREA SVB ARA PROPRIORE
QVIESCENTES IBIQVE OLIM IN VRNIS CONDITAS
A. S. MXIII. AB ILDEBRANDO FLORENTINORVM
EPISCOPO, MERCATORVM ARS CALISMALÆ *
A LATEBRIS ET OBLIVIONE VINDICAVIT, EAS
VENERATA CVM OPTIMATVM CVLTV PRÆSENTIAQVE
VICARII FLORENTINI VINCENTII BARDII EX COMITIBVS
VERNII, POSTERORVM PIÆ RECORDATIONI
COLENDAS PRISTINO LOCO RESTITVIT DIE IV * IVLII
A. S. MDCLXVII.

* *a voce italica* Calimala, *quod genus panni serici est.*

* *legendum* VI.

Est et altera similis inscriptio, in duabus aris lateralibus, *ut Lamii verbis utar,* geminata, atque ita habet :

RELIQVIARVM SS. CHRISTI MM. MINIATIS
ET SOC. QVÆ EX HOC ALTARI IN ARAM
PRINCIPEM HVIC PROXIMAM TRANSLATA
FVERVNT FRAGMENTA QUÆ SVPERERANT IN
THECA PLVMBEA CLAVSA ET SVB HVIVS ARÆ
MENSA RECONDITA VENERABILITER
ASSERVANTVR.

Haud abs re fuerit hic adscripsisse, quæ habet Orlendius de his inscriptionibus : Tractu temporis, *ait* (3), eædem sacræ reliquiæ ex ara maxima confessionis (*ecclesiæ subterraneæ*) in duo alia hinc inde ad utrumque latus erecta altaria fuerunt translatæ; ac tandem anno 1667 die 4 (*imo* 6) Julii rursum in aram maximam reportatæ, (*id enimvero secus omnino est, ut videbitur ex Instrumento nn. seqq. recitato*) D paucis tantum earum fragmentis in præfatis altaribus ad majoris latera positis, relictis. Iis autem fidem adstruunt binæ Inscriptiones, quarum altera in choro prope altare majus, altera in anteriori parte altarium collateralium est affixa. *Brocchius in Vita S.* Miniatis *quatuor recenset urnas, quibus promiscue conditæ sunt reliquiæ; ideo forte quod ambas* thecas plumbeas *addiderit duabus* urnis, *de quibus sermo in Instrumento visitationis, sub qua apertum fuit tantum altare majus, vel quod his duabus jungat alias duas thecas, quæ sunt, ut infra videbitur, in ecclesia S. Bartholomæi. Cæterum non putem Instrumentum visum fuisse a diligentissimo Lamio, cum illius in Memorabilibus nullam inveniam mentionem, nullam recitatam partem. Mirum utique : nec tamen facile crediderim illud ab eo de industria prætermissum, utpote traditioni Florentinæ non satis favens. Utut est, Instrumentum, forte nunc primum, typis edimus ex schedis Cionaccii, olim, ut monui, ad decessores Florentia missis. Duabus quasi partibus constat : in altera agitur de perpetua super his reliquiis traditione; in altera describitur* E *recognitionis seu visitationis modus. Est autem sequentis tenoris.*

antiqua docet traditio;

9 Die 4 Julii 1667. Coram Revendissimo Domino Vincentio de Bardis ex comitibus Vernii, archidiacono ac vicario generali, Florentiæ comparuit Illustrissimus Dominus Carolus *q* D. Thomæ de Strozzis, senator florentinus, provisor artis mercatorum civitatis Florentiæ et breviter exposuit, qualiter magistratus dictæ artis est patronus ecclesiæ S. Miniatis ad Montem, et sub ejus patrocinio regitur et servatur. Et qualiter fuit et est publica traditio, in dicta ecclesia requiescere multa corpora sanctorum et reliquias servari; quæ traditio fundatur optimis argumentis, cum ipse dominus Comparens asserat vidisse antiquissima monumenta apud monasterium Montis Oliveti extra Florentiam, et in archivio Capituli Florentini, hoc idem significantia, et in specie in quadam donatione facta a Lamberto imperatore episcopatui Florentino anno Domini 898, XII Kal. Junii, Indictione prima; ubi in descriptione bonorum dicitur : « Quæ est circumdata ex omni parte terra ejusdem F ecclesiæ S. Miniatis, ubi requiescunt sanctorum corpora novem etc. » In alia simili Berengarii regis, sub datis Kal. Maii 899 et regni ejus anno XII Indictione 2 Papiæ, etiam dicitur in descriptione bonorum : « De omni parte terræ B. Miniatis in cujus ecclesia SS. corpora octo quiescunt. » Et in alia scriptura, in qua Ildebrandus episcopus Florentinus, anno Domini 1013 et Enrigi regis Romanorum sub V Kal. Maii monasterinm S. Miniatis (*locus paulisper corruptus; non obscurum tamen quid significet : nempe innuit ecclesiam vetustate collabentem una cum monasterio reparatam imo ædificatam*) locum olim neglectum et postea decoratum, dicit, « preciosissimas gemmas, auditu tamen antea ex parte cognitas, plenius quam audieramus, visibiliter in prædicta reconditas ecclesia, non tamen ut decuit, invenimus; corpus videlicet memorabile B. Miniatis mart. plurimorumque eadem

(1) Martyrologe universel 25 oct. — (2) Algemeines Martyrologium, part. secunda, eodem die. — (3) Orbis sacer et profanus, p. 1250.

palma

A palma coronatorum. » Et in alia concessione facta ab Atto episcopo Florentino sub 1037, anno XI Curradi imperatoris, Indictione 4, mense Februario eidem monasterio S. Miniatis, ubi inquit : « Quamvis enim præcipuorum Martyrum locus ille exstitisset sacris meritis eximius, et miraculorum laude conspicuus, tam enim usque tempora Ildebrandi fel. mem. episcopi, cui ego tertius successor in cathedra pontificia existo, non ut decebat tales tantosque Martyres ordinationis laude pollebat ; prælibatus igitur antistes monasterium ibi fieri decrevit, ordinatisque in eodem loco fratribus sub abbatis custodia etc. » Et in Privilegio Paschalis papæ II, sub 1110, V. Id Jan., Ind. 3, pontificatus anno XI, directo abbati dicti monasterii S. Miniatis dicitur : « In quo nimirum monasterio ipsius S. martyris Miniatis et aliorum multorum Martyrum corpora requiescunt etc. » Arlingus episcopus Florentinus, in ejus Privilegio, directo abbati dicti monasterii S. Miniatis sub data 6 Id. Julii 1246, Ind. 4, dicit : « Meritis hujus eximii martyris B. Miniatis et septem sociorum ejus, B quorum ibi corpora requiescunt, unde non solum eadem fulget ecclesia et civitas floret, sed tota patria decoratur, dum illorum fulciuntur auxiliis et patrociniis sustentantur. » Dicit insuper Joannem Villanum in lib. I, Histor. cap. 57 mentionem facere, quod Ildebrandus, episcopus Florentinus anno Domini 1013 reponi fecisset corpus dicti S. Miniatis sub altare marmoreo in parte inferiori dictæ suæ ecclesiæ. Ex quibus et aliis cognoscitur jam in dicta ecclesia fuisse multa corpora SS. et præcipue S. Miniatis, et merito populos magnam ostendisse devotionem in ecclesia prædicta; et ipsum D. Comparentem, in certa visitatione dictarum reliquiarum olim facta, aliquas vidisse reminiscitur, non autem quales et quantas. Verum quia in hac mortali vita vicissitudinem rerum semper continue experimur, et cum e dicta ecclesia et monasterio jam recesserint monachi, ibi Deo servientes et aliam recepit formam ecclesia prædicta, dum ibi fortilitium constructum fuerit et, ut dicitur « sia stato a uso di Lazzareto (*concessum adusum Lazzareti id est pestiferorum*), » et C propterea dubitetur multas dictorum SS. Martyrum reliquias fuisse ablatas, et pro debito sui muneris cupiat ut recognoscantur dictæ reliquiæ, si ibi adsint, et provideatur quoad fieri potest conservationi et cultui hujusmodi reliquiarum; propterea instanter petiit dictum Reverendissimum D. Vicarium accedi ad ecclesiam ipsam, et visitari dictas reliquias et recognosci, adhibitis aliquibus probis viris una cum eodem Comparente, et destinari diem hujusmodi accessus, et statuatur quid congruum videbitur et opportunum. Et dictus Reverendissimus dominus Vicarius generalis Florentinus, visis et auditis præmissis, hujusmodi piæ ac justæ petitioni præstans assensum, destinavit diem sextam hujus mensis, quæ erit feria quarta, de mane pro hujusmodi visitatione et recognitione facienda, ubi vocari mandavit fabrum ferrarium et cœmentarium, qui præsto sint ad omnia ibi facienda omnibus.

nec tamen ibidem repertum est an. 1667, *ut constat ex*

10 Die 6 Julii 1667. Ipse Reverendissimus Dominus Vicarius generalis Florentinus ad effectum visitandi reliquias, quæ dicuntur repositæ in ecclesia S. Miniatis extra Florentiam, accessit ad ecclesiam prædictam, quæ est intra arcem, hodie inermem et non custoditam a militibus: ubi aderat etiam dictus Illustrissimus Dominus senator Carolus de Strozzis, provisor artis Mercatorum, patronæ ejusdem ecclesiæ, D. Ferdinandus *q* D. Horatii fulvii della Rena, nobilis Florentiuus provisor arcium et D. Camillus... de Paganellis custos arcis prædictæ et affictuarius bonorum ipsius; et procedens ad altare majus partis inferioris dictæ ecclesiæ, ubi creditur fuisse corpora et reliquias Sanctorum, vidit altare prædictum marmoreum et eleganter confectum, cum mensa magna etiam marmorea, quæ quamvis magni ponderis sit et difficilis ad removendam, attamen cognoscitur aliquando fuisse remotam et non optime suo loco insertam; et cum pro certo habeatur, et ex scripturis in dicta arce repositis ac aliquali reminiscentia dicti Domini senatoris Caroli de Strozzis facile percipiatur, sub dicto altare existere sanctorum reliquias, et in media parte faciei frontalis dicti altaris esse quadrata fenestra, quæ clauditur lamina ferrea perforata, per quam interior pars altaris inspicitur; mandavit dictus Reverendissimus Dominus Vicarius aperire et amoveri hujusmodi laminam, ut ex ostiolo ingrederetur magister murorum, et lumine inspiceret, quid ibi sit repositum. Clavicula igitur, quæ servatur in dicta arce, et adduci fecerat dictus Ill. D. Carolus Strozza provisor, aperto ostiolo et remota lamina ipsa, ingressus fuit dictus magister murorum, et videbatur prima facie tabernaculum ligneum depictum intus cæruleo colore cum stellis, et in foribus Angelus et Annunciata Virgo sanctissima exterius, interius duæ figuræ sanctorum, et visum fuit omnibus dictum tabernaculum vetustate contritum, fuisse ibi appositum ex parte superiore, dum mensa marmorea fuerit amota, vel quando fabricatum fuit altare, cum aliter præ magnitudine non potuerit ibi apponi et aptari. In superficie terræ a cornu evangelii erant duæ capsæ sepulcrales, marmorea una, lapidea altera; ambo coopertæ etiam cum marmore et petra respective; quas capsulas sive urnas mandavit dictus Dominus Vicarius extrahi, ut inspicerentur propius, prout executum fuit; et visum fuit marmoream urnam esse altitudinis novem solidorum brachii, latitudinis etiam solidorum novem, et longitudinis solidorum undecim in circa. Altera lapidea erat altitudinis solidorum octo, cum uno solido quatuor pedum quibus sustinetur, latitudinis medietatis brachii, et longitudinis duarum ex tribus partibus brachii. Apertis urnis per amotionem cuique ipsarum partis superioris, in qualibet urna erat capsula sepulcralis ex ligno, exterius infecto colore nuceo cum cristalina lamina in facie, per quam transpiciebantur ossa; capsula quæ erat in lapidea urna, erat longitudinis medietatis brachii; altera vero reposita in urna marmorea erat etiam medietatis paulo minus. Seras non habebant; erant autem clausæ papireis zonis signatis. De mandato dicti Reverendissimi Domini Vicarii sublatis cantis* fuerunt apertæ; et ambo dictæ capsulæ erant quasi plenæ ossium fragmentis absque aliqua inscriptione; et ipsis veneratis, tamquam

AUCTORE B. B. *Instrumento recognitionis ;*

E

F

* Canto, *Italis est latus, angulus ; flandrice* Kant.

AUCTORE B. B.

quam sanctorum reliquiis, similibus zonis papireis cera rubra hispanica firmatis, fuerunt ut prius clausæ, posito desuper nota brevis hujus visitationis; et mandavit dictus Reverendissimus Dominus Vicarius omnia reponi in statu et locis, prout erant; et fuit observatum in dictis urnis adesse foramina, per quæ aliquando ferris plumbatis essent clausæ, et coopercula cum reliquo urnæ corpore firmata. Intrando denuo dictus cæmentarius altare præfatum, capsulas in urnis, et urnas in locis ut prius collocavit. Insuper dictus Reverendissimus Dominus Vicarius generalis Florentiuus, circumstantiis universis pensatis, declaravit hujusmodi sacras reliquias, uti tales esse venerandas, prout temporibus præteritis fuerunt veneratæ, quamvis non adsint inscriptiones, per quas agnoscatur, quorum sanctorum sint; et ulterius pro earumdem sacrarum reliquiarum securitate mandavit, quod urnæ præfatæ firmiter claudantur ferris plumbatis et ut dicitur *con spranghe de ferro*, et ostiolum ante altare præfatum claudatur lamina firmiori, vel alia
B solida et eleganti forma, prout dicto Domino senatori Carolo de Strozzis videbitur; et hoc interim mandavit ostiolum obstrui lateribus et calce, prout statim executum fuit a cæmentario præfato, et omnes recesserunt. Quibus omnibus præsentes ultra supra nominatos, Dominus eques Ricoverus *q* D. Petri Francisci *q* Benedicti de Uguccionibus nobilis Florentinus, Dominus Philippus *q* D. Dino *q* Laurentii de Peris civis Florentinus, et Dominus Marcus *q* D. Bernardini Vincentii de Duccis J. U. D. et civis Florentinus testes vocati et rogati. (*Erat signatum*) C. Joês, Ant^{s} Vignalius Cancellarius.

cum igitur testetur Sigebertus

11 *Quo ex Instrumento, sincero utique et fidelissimo, constat quidem antiquam fuisse traditionem, corpus S,* Miniatis (*de hoc solum nobis sermo*) *asservari eo loci*; *nec tamen repertum anno* 1667, *sed tantum* duas capsulas quasi plenas ossium fragmentis absque aliqua inscriptione. *Quid ergo? An, ut innuit Baronius in adnotationibus ad* XXV *Octobris, translatæ in*
C *Gallias S. Martyris reliquiæ fuerunt tempore Othonis imperatoris? Nostrum sane est quæstionem hanc, quantum licuerit, delucidare. De Theoderico I* (*Sigebertus Gemblacensis Deodericum appellat*) *Metensi episcopo, ab exeunte anno* 964 *ad diem* 7 *Septembris anni* 984, *legitur in nova Gallia christiana* (1): Imperatorem (*Ottonem I*) consobrinum secutus in Italiam, illic per triennium versatus est. Hac occasione usus, multas hinc inde reliquias collegit et transferri curavit anno 970 in sancti Vincentii monasterium, quod in illius urbis (*Metensis*) insula ante biennium exstruxerat et præclaris ædificiis exornaverat. *Inter has reliquias recensetur corpus S.* Miniatis. *Disertum est Sigeberti in Chronico ad an.* 970 *testimonium, hic proinde in extenso adscribendum:* Deodericus, *inquit* (2), Mettensium episcopus, imperatori sanguine, dilectione ac familiaritate cæteris devinctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora et pignora sanctorum de diversis Italiæ locis quocumque potuit modo collegit. Primum a Marsia sanctum Elpidium confessorem, cujus socium Euticium D ipse imperator jam sustulerat; ab Amiternis Euticetem martyrem cum reliquiis Maronis et Victorini sociorum ejus; a Fulginis Felicianum episcopum et martyrem; a Perusio Asclepiotatum martyrem; a Spoleto Serenam martyrem cum Gregorio Spoletino martyre; a Corduno pignera Vincentii martyris et levitæ, ab Hispania olim a duobus monachis Capuam, a Capua vero illuc deportata; a Mevania alterum Vincentium episcopum et martyrem; a Vincentia Leontinum episcopum et martyrem; A FLORENTIA MINIATEM MARTYREM; ab urbe Tudertina Fortunatum episcopum et martyrem; a Corfinio Luciam Syracusanam virginem et martyrem, a Faraoldo duce Spoletinorum olim a Syracusis illuc translatam; a Sabinis partes corporum Proti et Iacincti martyrum. Hæc omnia cum parte catenæ S. Petri apostoli, cum capillis ejusdem, et sanguine sancti Stephani prothomartyris, et parte de craticula sancti Laurentii a papa Johanne sibi donata, cum aliis multis sanctorum pigneribus presul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit, et E in ecclesia sancti Vincentii martyris, a se in insula urbis constructa, locavit. *Unum observo, Sigebertum nempe intelligere corpus S.* Miniatis *translatum, cum non dicat* pignora, reliquias, partem, *sed a* Florentia S. Miniatem, *quo loquendi modo utitur, quoties de* corpore *integro agit. Præterea exstat Vita S. Theoderici, auctore eodem Sigeberto Gemblacensi, in cujus capite XVI, quod inscribitur:* De aviditate ejus (*Deoderici*) in perquirendis reliquiis sanctorum, *eadem sed enucleatius traduntur, additis Translationis Actis:* Jamjam ergo, *ait* (3), pagina illa proferatur in medium, ab his qui interfuerunt plenissime digesta de translatione sanctorum. *Deinde de singulis reliquiis supra enumeratis docemur qui in manus Theoderici venerint. Verum prætermittuntur nomina nonnullorum sanctorum et inter hos S.* Minias. *Subjungit autem Sigebertus* (4): Hanc quidem de translatione sanctorum a majoribus accepimus relationem. Cur vero sancti Fortunati Tudertinæ urbis episcopi, de quo Gregorius in Dialogo suo memorabilem indidit narrationem, nec non et MINIATIS martyris nullam fecerunt F mentionem, non parvum animis nostris ingerunt commotionem. Et horum quippe corpora ab Italia ad nos ab eo translata, fide vera credimus. MINIATEM vero cum Proto et Jacinto et Vincentio episcopo ad nos delatum 6 Nonas Julii legimus. Fidentii etiam et Terentii reliquias cum Vincentio martyre et levita, Feliciano, Eutice, Elpidio, Asclepiotate et cathena sancti Petri, 18 Kal. Maii nobis ab eo missas, ipsa rei indicat veritas. Horum et passiones descripsit (*vel describi curavit Deodericus*) et diem passionis vel depositionis annotavit; Fortunati scilicet 3 Kal. Julii, Miniatis 8 Kal. Novembris, illorum vero 5 Kalendas Octobris. Pignera quoque Quintiani presbyteri et martyris de Altro, campaniæ civitate et Florentii martyris de Tile castro, sedulus sanctorum amator transtulit, gesta tamen passionis non attulit, diem tantum passionis retulit; Quintiani 3 nonas Julii, alterius 6 Kal. Novembris. *Ex his clarius adhuc elucet agi de* corpore *S.* Miniatis

(1) Tom. XIII, col. 726. — (2) Migne. Patrologia, t. CLX, col. 192. — (3) Ibid. col. 709 et seqq. — (4) Ibid. col. 715.

A niatis; *et insuper efficitur historiam passionis sive Acta ejusdem a Deoderico in Gallias quoque perluta; quæ putem eadem esse quæ infra typis daturi sumus. Quod si ita revera sit, sequitur illa saltem paulo post medium sæculum* x *scripta. Conf. n.* 2.

illud a Theoderico episcopo, an. 970

12 *Cum, teste Sigeberto, S.* Minias *una cum Proto et Jacinto et Vincentio episcopo Metas delatus fuerit, operæ pretium ducimus adscribere quæ de his tribus in* pagina *superius laudata leguntur. Ex quibus præterea judicare licebit* (*sunt enim similia*) *quid in aliorum seu translatione seu comparatione contigerit.* In Sabinis (*verba sunt Sigeberti* (1)) regione non procul ab urbe Roma milliario fere quadragesimo sancti martyres Protus et Jacintus erant reconditi aliquanto negligentiori custodia. Hos abbas quidam de monasterio Sanctæ Mariæ, quod dicitur Farfara, venerabili pontifici nostro (*Deoderico*), dum de causa sua eum apud imperatorem sibi fieri intercessorem rogaret, quia nullo tantum munere eum cognoverat delectari, partem primo obtulit; sed postea mira instantia domni præsulis, quidquid inde reB perire potuit, adjecit; ipse cum suis monachis dans super sancta Evangelia sacramentum, vere ea ossa sanctorum Proti et Jacinti existere. Hoc post Natale Domini dum Romæ reverteremur, in vicinio Hortæ civitatis est actum. *Et de S. Vincentio episcopo, ibidem :* Alterum (*a S, levita*) sanctum Vincentium episcopum ex monasterio quodam in comitatu Urbini a Ravenna milliario fere quinquagesimo, juxta Petram pertusam ab abbate, rebus necessariis nimis attrito, quia aliud quod daret pro relevatione loci non habuerat, partem primo offerente, set Bertrao illuc misso multaque arte strenue agente, percepit. Hujus passionem descripsimus. Hic per Immonem comitem missus est.

Metas delatum;

13 *Quo vero animo vir ille venerabilis* (*de quo apud nos aliquoties mentio inter Prætermissos* (2), *quod de cultu non satis constat*) *tam avide sanctorum pignora exquireret, declaratur in notatione prævia Sigeberti ad præfatam* paginam *seu relationem* (3) : Intelligens Vir Dei (*Deodericus*) magis expetendam interioris hominis puritatem, quam perfunctoriam exterioris pulC chritudinis venustatem, etiam in hoc sategit opus suum perducere ad unguem. Quod facile quivis vel in hoc solo animadvertere poterit, si consideret, quantum ei de coadunandis sanctorum pignoribus in isto loco (*Monasterio S. Vincentii Metis*) studium fuerit, quorum inibi habitantes et ad bene agendum accenderentur exemplis, et si quibus attererentur malis vel periculis, eorum præsentibus defensarentur patrociniis, *Attamen hoc ex capite vapulat non nihil Theodericus apud Muratorium in Dissertatione* VII (4) : Erat ergo ferreis illis sæculis incredibilis sacrarum reliquiarum aviditas; atque inde sæpe ac sæpius manabant furta illa atque rapinæ; sibique arridere fortunam putabat, quisquis aut bello eripere hosti, aut fraude surripere incautis, sacra hujusmodi pignora poterat. Præ cæteris vero certare consueverunt episcopi, ac potissimum Germaniæ in quorum regionem invecta serius Christi religio nullos dederat martyres (*quod non omni ex parte verum est*), ut quisque suam patriam ac templa ornarent pretiosis ejusmodi spoliis. Quam in rem auctoritate principum, precibus, pecunia, violentia cæterisque artibus utebantur. Celebrem ea de causa se præbuit olim Theodericus Metensis episcopus, ut reliquos omittam. Erat is Ottoni Magno Augusto arcta affinitate conjunctus utpote illius consobrinus, eique inter paucos carus, atque una cum illo « in Italica expeditione per triennium militavit, » uti Sigebertus ad annum DCCCCLXIX scribit. Tantam fortunam suam desidem facere minime ille est passus. Nam teste eodem Sigeberto, « corpora et pignora multa Sanctorum de diversis Italiæ locis, quocumque modo potuit (*addit Muratorius :* quæ (*tria*) verba attente animadvertenda) collegit. Primum *etc., ut supra n.* 11. *Et exclamat Muratorius :* En quot sanctorum ossa ex una Italia unus episcopus « quocumque modo potuit, » per triennium corrasit. Qui vero forent isti modi, hinc disce. Dum Romæ in comitiva Ottonis Magni versaretur, atque adesset, quum Catena sancti Petri a Johanne XIII papa ad familiarem imperatoris, sese dentibus discerpentem, adhiberetur, « eam Catenam Theodericus Metensis episcopus arripuit, dicens, nisi manu abscissa se illam non demissurum. Tandem imperator sedato litigio, a papa Johanne obtinuit, ut annulum hujus Catenæ exsectum mereretur. » *Postrema verba, hinc inde parumper immutata, habet Sigebertus in Deoderico* (5). *Cæterum justo acerbius imo et invidiosius hæc sunt a Muratorio intorta.*

AUCTORE B. B.

E

quæ translatio videtur admittenda,

14 *Ut ut est, negari non potest gravissimum esse hac in questione Sigeberti testimonium, ne dicam decretorium. Nam* (*ut est in* Monito *apud Pertzium* (6) *cujus ex Monumentis editus in Patrologia Migniana est Sigebertus*) Vitam Deoderici scribendam suscepit... pietate ductus in conditorem monasterii sancti Vincentii, cui operæ quæcumque conferre possent, monumenta antiqua, chartas et privilegia imperatorum et pontificum, historiam translationis reliquiarum a Deoderico in Italia collectarum a clerico ejus, qui rebus interfuerat conscriptum, congesta in laudem episcopi et civitatis MetF tensis concinnavit. *Et ipse Sigebertus in libro de scriptoribus ecclesiasticis* (7) : Multa scripsi opuscula Metis positus in prima ætate in ecclesia sancti Vincentii ad instruendos pueros. Scripsi Vitam Theodorici episcopi, conditoris ipsius ecclesiæ et abbatiæ etc. *Natus porro Sigebertus est circa annum* 1030; *Gemblaco Metas transiit paulo post annum* 1048, *ibique permansit usque ad annum circiter* 1071, *quo Gemblacum repetiit, ubi octogenario major obiit die* V *Octobris anno* 1112 (8). *Suppar proinde fuit Theoderico, defuncto, ut monui, anno* 984; *et certe cum iis conversatus est, qui testes oculati fuerant translationis, quorum forte nonnulli superstites erant. Cum itaque adeo diserte scribat de corpore S.* Miniatis, *non video quid ejus assertis refragari possit. Præsertim cum ex Instrumento visitationis n.* 10 *recitato habeamus, anno* 1667 *nullum repertum corpus, sed* duas

(1) Migne, Patrol., tom. CLX, col. 714. — (2) Acta SS., tom. IV. Jul. p. 348 et tom. III. Sept. p. 2. — (3) Patrologia, tom. CLX, col. 709. — (4) Antiquitates medii ævi, tom. V, col. 8 et seq. — (5) Patrol., ubi supra, col. 712. — (6) Monumenta Germaniæ, tom. IV, p. 461. — (7) Patrol., ibid., col. 587. — (8) Ibid., col. 8-11.

capsulas

AUCTORE B. B.

capsulas quasi plenas ossium fragmentis *promiscue congestis*, absque aliqua inscriptione. *Præterea clare ex eodem Instrumento constat depositionis locum haud inviolatum permansisse, et quidem de* mensa magna marmorea, *superposita altari, sub quo ferebantur quiescere sancta pignora,* quæ quamvis magni ponderis sit et difficilis ad removendum, attamen cognoscitur aliquando fuisse remotam et non optime suo loco insertam; *et iterum :* Visum fuit omnibus tabernaculum fuisse ibi appositum ex parte superiore, dum mensa marmorea fuerit amota, vel quando fabricatum fuit altare, cum aliter præ magnitudine non potuerit ibi apponi et aptari. *Denique :* Et fuit observatum in dictis urnis adesse foramina, per quæ aliquando ferris plumbatis essent clausæ, et coopercula cum reliquo urnæ corpore firmata. *Quando, per quos quove modo hæc acciderint vel patrata fuerint, nuspiam dicitur. Neque illud prætermittendum, quod in* donatione *Lamberti imperatoris, de qua sicut et de sequenti mentio est in Instrumenti nostri priore parte, in* ecclesia S. Miniatis *leguntur requiescere* Sanctorum corpora novem, *atque id quidem anno* 898; *in altera vero simili donatione Berengarii anni sequentis, id est* 899 : SS. corpora octo. *Nec utrobique additur inter illa* novem *vel* octo *esse corpus S.* Miniatis, *quamvis ita ex donatorum mente supponendum videatur. Quod autem in Pagina apud Sigebertum recitata, non explicetur quando vel quomodo Theodericus reliquias S. Miniatis adeptus sit, id forte quia clanculum vel saltem paucis consciis fuerat ablatum. Lege Muratorium loc. cit. ubi frequens illi sermo de* piis prædonibus, *de* corporibus Sanctorum clam et furto ex antiquis tumulis sublatis *etc. Unde etiam Cionaccius in codice ms. habet ex Silvano Razio de* Sanctis et Beatis Tusciæ *ad calcem Vitæ S.* Miniatis, *de translatione in Gallias :* Si vera res est (nec difficilis erat) quæ narratur, id furtive et clam factum fuerit; quod quidem non abludit a verbis illis Sigeberti. « Quocumque modo potuit. »

B

cum nulla solida ratio illi refragetur.

15 *Sed videamus quid adversæ sententiæ patroni opponant. Laudatus Razius ait se præter Sigebertum novisse neminem qui simile quid protulerit; et in ipso martyrologio Gallico, ubi non solum agitur de Sanctis illius regionis, sed etiam de exteris, quorum reliquiæ ibidem asservantur, nulla fit de S.* Miniate *mentio. Verum enim vero argumentum hoc mere, ut aiunt, est negativum; et præterea, si recentiores Sigeberto intelligat Razius scriptores, falsum est : ipse inter alios citat Baronium et Reginaldum, et alii superaddi facile possent. Insuper animadvertit Razius, agi tantum in præfata translatione de* parte *corporis; idque probat primo ex Reginaldo, qui in compendio Baronii scribit Theodericum in Gallias tulisse annulum Catenæ S. Petri et plura corpora SS.* id est eorum partes, variis ex locis collectas; *Sigebertus diserte tradit* corpus *Metis repositum; secundo ex antiqua ecclesiæ consuetudine, numquam exhumabantur integra corpora, sed horum tantum partes, quæ corpus dicebantur (mitto inquirere an et quatenus ita consuetum esset; at si etiam hoc Razio concederemus, sane nihil obstaret quominus admittatur Theodericus processisse præter, imo etiam contra morem); verum nullus ego dubito falsum esse Razii assertum, nec talem consuetudinem umquam obtinuisse saltem ubi de primæva questio est exhumatione* (1). *Tertio probat Razius ex traditione clara et constanti ecclesiæ florentinæ, de qua satis superque in Instrumento Visitationis. Atque hac sola ratione impugnant Metensem translationem Brocchius in Vita S.* Miniatis, *et ex hac cum illo Lamius in Memorabilibus ecclesiæ florentinæ* (2), *nixi testimoniis S. Antomini et Ildeprandi.* Quare, *concludit Lamius*, oportet ut partem tantum aliquam lipsanorum Theodericus abstulerit, non integrum Martyris corpus. *At eadem illa traditio perdurabat nec minus constanter medio sæculo* XVII, *nec tamen repertum Florentiæ est corpus S. Miniatis, ut ex sæpius laudato Instrumento liquet. Hæc cum ita sint, subsistit Sigeberti testimonium, ut mihi videtur, inconcussum, unde et putem firmam perstare possessionem Metensem. Quam etiam memorant et testantur Calmetus in Historia Lotharingiæ* (3), *Benedictini congregationis S. Vitoni in Historia Metarum urbis* (4), *ubi addunt isti Acta plurium Sanctorum, inter quos S.* Miniatis, *conscripta ab ipso Theoderico, idque tradi a Sigeberto in ejus vita. Vide locum, quem ex Sigeberto recitavimus n.* 11; *vox autem* descripsit, *nobis potius videtur interpretanda eo sensu quod Actorum apographa sibi Theodericus procuraverit, non vero ipse passionis historiam composuerit. Cæterum in catalogo abbatum S. Vincentii* (5), *horum nullus legitur vel minimum quid suscepisse in gratiam reliquiarum S.* Miniatis; *ex quo saltem conjicere licet, illas peculiari cultu seu veneratione caruisse. Idem efficitur ex Calmeto et Benedictinis, qui præter translationem, nihil de S. Martyre memoriæ prodiderunt.*

C D E

Num deceptus fuerit Theodericus episcopus, existimans corpus se transferre S. Miniatis?

16 *Coronidis loco unum adhuc animadvertemus. Refert Sigebertus in Chronico (vide supra n.* 11) *Theodericum inter alias plurimas sanctorum reliquias ex Italia Metas apportasse* a Sabinis partes corporum Proti et Iacinthi; *et explicatius in vita Theoderici (supra n.* 11) *narrat, sanctos illos* in Sabinis, regione non procul ab urbe Roma reconditos *jacuisse* aliquanto negligentiori custodia; abbatem *vero* quemdam monasterii sanctæ Mariæ partem ossium *Theoderico* obtulisse, sed postea mira instantia domni præsulis quidquid inde reperire potuit adjecisse, *atque* ipsum *abbatem* cum suis monachis dedisse sacramentum, vere ea ossa sanctorum Proti et Iacinthi existere. *Equidem putem viros illos bona fide ita jurasse. Attamen si mens eorum fuit (et quidem ita mihi videtur) præfata ossa spectasse ad celeberrimos fratres martyres Protum et Hiacinthum; certum est eos errasse, atque proinde etiam deceptum Theodericum, dum putavit se horum tenere reliquias; siquidem nuperrime, an. scilicet* 1845, *P. J. Marchi S. J. integrum reperit sepulcrum S. Hiacinthi, fratris S. Proti* (5), *proinde prioris (S. Hiacinthi) reliquiæ nullæ uspiam extra cœmiterium subterraneum quo primum depositæ fuere, exstitisse probantur. Ad S. Protum quod attinet, solidis demonstrat laudatus Marchi rationibus, corpus ejus medio sæculo* VII *adhuc in crypta, via Salaria veteri intactum perman-*

F

(1) Confer. Marchi, Monumenti delle Arti Christiane primitive, p. 255 et seq. Item. p. 259 Romæ. 1844. — (2) Tom. I, p. 26 et 584 — (3) Histoire de Lorraine, tom. II, col. 96. Nancy 1748. — (4) Histoire de la ville de Metz, tom. II, p. 75. Metz, 1775. — (5) Gallia Christ. tom. XIII, col. 918-925. — (6) Arti primitive, p. 258. item p. 262 et seq.

sisse

A *sisse* (1); *postea translatum ad basilicam Salvatoris trans Tiberim; deinde caput divulsum a reliquo corpore, cum aliis exuviis depositum a Leone IV* (*sedit ab anno* 847 *ad an.* 855 (2)) *sub altari SS. quatuor Coronatorum* (3); *exeunte autem sæculo* XVI, *ossa S. Proti* (*et, ut falso existimabant, S. Hiacinthi*) *ex dicta Salvatoris æde delata fuisse ad ecclesiam S. Joannis nationis Florentinæ in ripa sinistra Tiberis* (4). *Non itaque potuit Theodericus* a Sabinis *Metas retulisse partem, utique magnam imo et maximam, corporis S. Proti quod probatur repositum in ecclesia Salvatoris usque ad finem sæculi* XVI (5); *multo minus partem corporis S. Hiacinthi, quod nuperrime intactum reperit in primævo suo loculo præfatus Marchi, cujus inventionis ipse luculentam doctamque scripsit historiam, unde pauca hæc nostra desumpsimus. Quid igitur? An quia deceptus hac ex parte fuit Metensis præsul, dicemus ita etiam in reliquis falsum? Latius pateret conclusio. Recole quæ superius disputavimus de translatione S.* Miniatis *in Lotharingiam ubi plura memoravimus adjuncta, quæ facti fidem haud parum adstruunt; et aliunde*
B *nihil equidem video quod in fraudis suspicionem specialiter trahat.*

De reliquiis in ecclesia Montis Oliveti.

17 *Superest ut dicamus de reliquiis asservatis in ecclesia S.* Bartholomæi de Castaneo, *etiam vocata* Montis Olivetani, *quod in eam monachi hujus congregationis se receperint anno* 1552 *vel* 1553, *quando monasterium S.* Miniatis ad Montem, *quod incolebant, arci inclusum est. Sunt enim qui scripserunt ipsum corpus B. martyris tunc translatum. Huc imprimis spectat quædam epistola Caroli Strozzi scripta italico idiomate, et cujus apographum, manu Papebrochii exaratum, reperio inter mss. hagiographica decessorum nostrorum, cum hac ejusdem Papebrochii notatione :* Epistola illustrissimi senatoris Caroli Strozzi relata in ejus codice NN, f. 1. *Necesse existimamus bonam ejus partem hic adscripsisse. Initio paucis verbis refertur S.* Minias *martyrio coronatus sub Decio an.* 252, *sepultus vero in Monte prope Florentiam. Tum exponitur traditio florentina de corpore beati Viri ex diplomatibus seu chartis Lamberti et Berengarii, item Ildebrandi et Attonis, quæ in Instrumento suprà laudantur.*
C *Dein prosequitur Strozzius, cujus verba latine reddo :* In adversariis libris artis Mercatorum (cui subdita fuit ecclesia ista anno 1337, quo et facti cancelli quibus altare medium sub fornice, *id est in crypta*, circumdatur) legitur etiam sub dicto altari corpus S. Miniatis asservari. Ast quemadmodum clarum est, corpus gloriosi Martyris eo loci fuisse reconditum, ita obscurum ubi illud hodie reperiatur. Sigebertus in Chronico tradit, illud anno 969 Florentia in Germaniam delatum ab Othone imp. Monachi Montis Oliveti, quibus quondam ecclesia præfata obtigit, exhibent reliquias nonnullas, quas corpus S. Miniatis esse prætendunt, atque inde translatum a se ad novum monasterium suum anno 1552, quando vetus (*nempe* S. Miniatis ad Montem) in arcem conversum fuit. In dicta vero ecclesia S. Miniatis, ubi quiescere credebatur sacrum corpus istud, paucis abhinc annis, procurante V. A. *, præsente archidiacono et assistente altero canonico capituli metropolitani, repertæ fuerunt binæ capsulæ marmoreæ, ossium plenæ; quas postea intellexi visas quoque fuisse paulo ante a præposito (*Capitan*) imperiali Cinuzzi, qui arci præerat; hæ autem reliquiæ non jam creduntur aliorum esse sanctorum, quam S. Miniatis et sociorum (*le quali non piu credersi che siena d'altri che di S. Miniato e seu compagni*). Equidem sic existimo, fragmenta corporis S. Miniatis exstare in tribus illis locis; eumque simul cum sociis terræ mandatum fuisse, nulla apposita inscriptione qua alii ab aliis discriminarentur, quo modo etiam Romæ et alibi sepultos reperiri est plurimos; denique id paulatim invaluisse, ut qui aliquid ab his pignoribus distraxerant, se corpus S. Miniatis dicerent transtulisse. Opinor itaque ad S. Martyrem posse pertinere, tam reliquias quæ in Germaniam transportatæ, quam alias, quas monachi Olivetani in sua venerantur ecclesia. *Hactenus Strozzius, ex cujus mente* corpus *S. Viri permansit in ecclesia S. Miniatis ad Montes;* partes *vero Metis et apud Olivetanos asservantur. Satis con-* E *cordat Cionaccius inquiens :* Isti PP. Olivetani secum transtulerunt tum scripturas omnes ad monasterium et ecclesiam spectantes, tum reliquias S. Miniatis, quæ etiam nunc, *id est anno* 1692 *vel* 1693 *quo schedas suas cum hagiographis communicavit Cionaccius*, die XXV Octobris exponuntur in eorum ecclesia Montis Oliveti, nescio quando aut a quibus sublatas ab altari sub quo repositæ erant. *Et distinctius Jos. Maria Brocchius in vita S.* Miniatis *apud Lamium* (1) : Reliquiæ S. Miniatis et sociorum dispersæ sunt per plurimas ecclesias, ejus nomine dicatas tum in Florentina tum in Fesulana diœcesi, speciatim vero plures venerandæ exhibentur (*se ne venerano molte*) duabus argenteis inclusæ capsulis (quas paucis ante annis ego de mandato reverendissimi P. abbatis, domni Miniatis Scarlatti reconcinavi) in ecclesia Montis Oliveti, quæ sita est extra portam S. Fridiani, quo translata fuerunt a monachis Olivetanis, quando migrarunt isti ex vetere monasterio S. Miniatis, ut locum daret arci, quam extruendam decreverat Cosmas I. *Ex hisce Brocchii adeo disertis* F *verbis habemus perspicue quæ sint in ecclesia S. Bartholomæi de Casteneo seu Montis Oliveti reliquiæ* (*quæ sane dici non possunt corpus*); *sed non discimus quando, quomodo aut a quibus et an revera extractæ fuerint, nec etiam si ad S.* Miniatem *potius quam ad ejusdem sepulturæ socios pertineant. Vult quidem, sed an jure merito, Cionaccius apertum fuisse sub migrationem ab Olivetanis altare subterraneum; idque probatum autumat ex laudato Instrumento, ubi memoratur* mensa magna marmorea, *altari superimposita*, aliquando fuisse remota; *sed non dicitur quando nec a quo: an ab Olivetanis? quidni potius sub Theoderico? Falendum ex dictis hoc numero haud parum concuti florentinorum traditionem de perpetua S. Corporis asservatione in S.* Miniatis ad montem; *et ex adverso probabiliorem reddi translationem Metensem.*

AUCTORI. B. B. *Vostra Altezza* id est *vestra celsitudine.*

(1) Arti primitive, pag. 253. — (2) Art de vérifier les dates, p. 271. — (2) Arti prim., p. 256. (3) Ibid, p. 257. — (4) Ibid. — (5) Tom. I, p. 584.

§ III.

AUCTORE B. B.

§ III. De celeberrimo cultu S. Miniatis in Etruria. Ecclesiæ ejus nomine dicatæ Florentiæ. Urbs S. Miniatis. Festum et officium S. Martyris, atque hymni duo proprii. Reliquiæ minores in pluribus ecclesiis, et ampullæ ejus sanguine repletæ.

Cultus. Ecclesiæ, plures quam 40, ejus nomine dicatæ,

Cultus S. Miniatis *celeberrimus apud Florentinos et antiquissimus est.* Hujus inclyti martyris, *inquit Lamius* (1), memoria VIII Kal. Novembres ab ecclesia recolitur; et pervetustus in Etruria ejus cultus est, ut temp'a illius honori excitata testantur, quorum quædam antiquissima exstant. Hæc quidem sunt : Ecclesia sancti Mineatis in Monte Regis seu Florentino, juxta Florentiam, cujus memoria ab usque Caroli Magni ætate repetitur, et quam Tusci eximia semper religione venerati sunt, et immensis prope reditibus laudabili prodigalitate
B auxerunt. Hæc pro illorum temporum more adhærens xenodochium habebat (*de hac ecclesia peculiariter dicam infra*). Ecclesia D. Mineatis inter Turres, quæ Florentiæ est, una cum parœcia, et in ea quidem urbis parte, quæ vetustissima reputatur. Aliæ ecclesiæ hujus martyris nomine insignitæ sunt : Ecclesia cum Parthenone sanctimonialium Florentiæ, in via S. Galli, quæ quum primum monasterium in ipso sancti Mineatis Monte extra urbem situm habuissent, in urbanum deinde xenodochium Cippi, ubi paullo ante puellæ Cippi habitarunt, et tandem in illam ecclesiam, christianorum olim hospitium, translatæ fuerunt. In reliqua vero diœcesi Florentina exstant aut exstabant olim, nostro Martyri sacræ ecclesiæ *omnino octodecim, quorum nomina et situm ac originem videre est apud eumdem Lamium in Memorabilibus; in diœcesi Fesulana aliæ decem; in Pistoriensi duæ;* sed, *inquit Lamius,* et in ipsa urbe Pistorii ecclesia sancti Mineatis in Curte fuisset, in qua B. Atto episcopus sepultus fuit, si Ferdinando Ughellio fides habenda est : nam Franc. ForteguerC rius in B. Attonis Vita ecclesiam S. Mariæ in Curte vocat. Adhærentia forte Numina fuerunt. *In diœcesi Senensi una, sicut etiam in Pisana et Clusina; in Aretina duæ. Addit insuper Lamius :* Unam quoque in diœcesi Lucensi, ubi nunc sancti Mineatis urbs (*Sanminiato*) est in valle Arni inferiore, ecclesiam hujus martyris honori constructam ab antiquis temporibus exstitisse, et oppidum illud nomen ab eo mutuatum esse, non est dubitandum; sicut et aliud Florentinæ diœcesis oppidum, Florentia XIV. M. P. ad occasum distans, sancti Mineatis nomine insignitur, vulgo Sanminiatello, quod ecclesia eidem martyri sacra ibi ædificata fuerit; quæ ecclesia sancti Mineatis in Monte Lupo dicitur... Nisi autem fallor, ecclesia qua de agimus, illa est quæ antiquitus sancti Mineatis in Quarto, in diœcesi Lucensi vocabatur (2). Denique in Placentina diœcesi alia est ecclesia D. Mineati sacra, vel D saltem olim fuit; non enim nisi ab hujus Martyris ecclesia, Castellum sancti Mineatis, quod in ea diœcesi est, nomen sibi vindicaverit. *Itaque universim ecclesiæ numero saltem quadraginta et una. Unde jure meritissimo subjungit Lamius* (3) Tot igitur ecclesiæ S. martyri Mineati erectæ, vetustate censendæ fere omnes, perspicue demonstrant, perillustrem christianæ veritatis Testem a venerabundis populis late in Tuscia et extra Tusciam quoque cultum fuisse. *Antequam ulterius progrediamur in recensendis testimoniis de cultu, operæ pretium ducimus latius nonnulla explicare de præstantissima ecclesia S. Miniatis ad Montem, quæ sane monumentum longe præclarissimum est memoriæ sancti Viri consecratum.*

inter quas eminet ecclesia ad Montem, *tum antiquitate*

19 *Et primum quidem antiquissima est.* Monasterium *suburbanum* S. Mineatis exstat in Monte Regis seu Florentino seu sancti Mineatis (*triplici enim hoc nomine occurrit*) cum ecclesia, *cujus jam meminit Carolus Magnus.* Mons *autem* Regis dictus est, ut videtur, quod ad regem Langobardum tamquam pars sui pri- E vati patrimonii pertineret (4). *Imo nec absurdum fuerit, judice Lamio* (5), *monasterium illud* ab aliquo nostrorum regum conditum seu instauratum et ampliatum *dicere,* et forte a Desiderio, cujus erga sanctum Martyrem venerationem ex eo etiam, quod oppidum sancti Mineatis in valle Arni inferiore aut ædificavit aut ampliavit, arguere est. *Monasterii ac proinde ecclesiæ seu basilicæ antiquitas præsertim probatur ex* Charta donationis, facta Nonantulano monasterio (*in finibus Mutinensium et Bononiensium sito*) ejusque abbati Anselmo, a Carolo M., Francorum et Langobardorum rege, atque Morteperto duce, circiter annum 774, (*Tiraboschius ponit :* circa annum 780 (6)) *edita a Muratorio* (7). *Inter alia plurima donatur* monasterium in civitate Fossolana sanctus Michael atque monasterium sancti Miniati in ipsius civitate cum cellis suis in ipsius civitate vel foris ad ipsas pertinentes. *Non desunt qui chartam istam dubiæ fidei imo et nullius habuerunt. Hos inter numeratur Tiraboschius, qui illam emendatius recusit, licet ipsi apocrypha sit, tum quod nomine duorum donatorum, nempe Caroli M. atque Norteperti ducis, inscribatur; tum quod in elencho privilegiorum a Carolo M. et Ludovico Pio concessorum, quam composuit monachus Nonantulanus anno* 1279, *nulla fiat præfatæ chartæ mentio, dum tamen auctor elenchi testatur se instrumenta originalia concessionum hujusmodi sub oculos habuisse : ut quid ergo prætermisit loqui de Charta omnium præcipua? Autumat Tiraboschius ideo, quia illam non vidit, vel si vidit, destitutam comperit debito diplomatum caractere seu forma : deest sigillum; desunt subscriptiones etc. Quare subdit Tiraboschius,* diploma, ut diploma, apocryphum; *quamvis teneat scripto illo recenseri bona quæ monasterium Nonantulanum revera possidebat in Tuscia* (8). *Paulo aliter sentit Muratorius :* Quisquis, *ait,* chartam hanc legerit animoque

(1) Tom. I, p. XXIII. — (2) Confer Ripetti, Dizionario geografico della Toscana. Verbo *Sanminiato*. Florentiæ, 1843. — (3) P. XXVII. — (4) Lamius, tom. II, pag. 1178. — (5) Ibid., p. 1180. — (6) Storia dell' augusta badia de Nonantola, t. II, p. 27. — (7) Antiquitates medii ævi, tom. V. col. 647 et seqq. — (8) Storia, ubi supra..

intento

A intento legerit, aut continuo eam ad apocrypha amandet, aut anceps dubiusque in ejus contemplatione consideat oportet. Et ego hæsi atque adhuc hæreo. Fidem pœne excedit tanta bonorum, villarum atque ecclesiarum, uno tenore ac die facta in unum abbatem, unumque monasterium. Deinde nulla est chartæ huic germani diplomatis facies; et quisque novit, quibus verbis et formulis reges atque imperatores donationes ac privilegia concipere consuerunt. Mirari etiam subeat, cur sese cum rege Nortepertus dux immisceat in ejusmodi donatione facienda. *Addit nihilominus Muratorius:* suppositium fœtum affirmare non ausim, *tum quod monachis, si fingere voluissent, facile ad manum fuissent* diplomata a regibus emissa, quæ imitari potuissent; *tum quod* subsequentibus temporibus nulla supererant, uti videtur, vestigia tantarum opum Nonantulano cœnobio in Tuscia collatarum; ac proinde quem quæso in usum imposturæ huic indulsissent monachi? Ad hæc quis Comitatum illum Lucardum..., posterioribus sæculis excogitasset, quando ne unum quidem verbum de
B illo antiqua historia habet? (*De hoc Comitatu egit ex professo Muratorius Dissertatione XXI*). Quamobrem justus opinandi locus relinquitur, nihil figmenti in ea charta haberi, ipsamque fuisse privatam veluti scripturam a Carolo rege et Norteperto duce factam. *Denique* suspicatur *Muratorius* tantam Caroli magnificentiam in Anselmum Nonantulanum abbatem inde ortam, *quod Carolo Anselmus adjutorio fuerit* ad arripiendam coronam Langobardici regni, fructumque ceperit operæ bene navatæ magnificam illam tot bonorum donationem. *Quam deinde suspicionem pluribus studet probare legitimam* (1). *Nec obest, in Charta mentionem fieri de* civitate Fossolana *non vero* Florentina. *Certum namque est intelligi civitatem Florentinam,* seu errore ita *in Instrumento* scriptum fuerit, seu quod Florentia et Fæsulæ ob proximitatem confunderentur (2): *nam primum* monasteria sancti Michaelis et sancti Mineatis Fæsulis umquam exstitisse ignoratur; plures autem ecclesias *iisdem sanctis* sacras easque pervetustas Florentiæ fuisse, compertum habemus. *Deinde* per ea tempora Florentia
C exigua erat et devastata ruinis, cum Gotthi et Langobardi in eam immaniter sæviissent et prope delevissent. Unde fama illa orta est, Florentiam funditus eversam totamque destructam fuisse, quam nostri historici litteris mandarunt; quare eo magis flocci fiebat; nec forte aliter considerabatur quam suburbium et portio urbis Fæsulanæ, donec sub Carolo magno imperatore resurgere cœpit et brevi ambitu conclusa mœnibus circumdata est. Ex hoc ortum esse videtur, ut etiam posterioribus temporibus Territorium Fæsulanum et Florentinum confunderentur: nam multa vidi Instrumenta ita habentia: « Actum judiciaria Florentina seu Fesulana (3). » *Ex his concludit præfatus Lamius in hunc modum* (4): Primi domini igitur et patroni hujus monasterii reges fuere, dein monachi cœnobii Nonantulani, *tandem episcopi Florentini* sub sæculi IX exitum, ex Berengarii imperatoris donatione.

(1) Ubi supra, col 650. — (2) Lamius, tom. I, p. 545. — (3) Confer Ripetti, Dizion. geogr. voce *Fiesole*. Item Acta S. Donati Fesul. ep. tom. IX Octob., p. 660. — (4) Tom. II, p. 1182.

AUCTORE B. B.

Hoc porro certissimum est, ecclesiam S. Miniatis, *initio sæculi* XI *restauratam fuisse ab Ildebrando episcopo Florentino;* Inveni, *inquit in suo diplomate an.* 1013 *apud Ughellum* (5), ecclesiam non longe ab urbe sitam, in honorem sancti Miniatis martyris dedicatam, antiquitus vocabulo Monasterii insignitam, quam quia nimia vetustate neglectam atque pene destructam inveni, qualiter renovare potuissem, anxie cogitare cœpi *etc. Constat vero tum ex hoc tum ex altero diplomate an.* 1024, *Ildebrandum præter templum vix non a fundamentis renovatum, construxisse etiam cœnobium, eidemque magnam* dotem censusque dixisse, *ut sarto tecto conservando templo satis forent, iisdemque monachi, qui D. Benedicti regulam profitebantur, alerentur* (6). *Atque hæc de ecclesiæ S.* Miniatis ad Montem *antiquitate. Qui plura nosse voluerit, adeat Lamium locc. citt.*

20 *Ad magnificentiam quod spectat, sequentia ex eodem scriptore suffecerit recitasse* (7) *qui postquam notavit ecclesiam, qualiter ab Ildebrando* refecta renovataque *fuerat, adhuc* permanere, structura nulla ex parte corrupta, *sic pergit:* Ecclesia in tres naves dispertita E
est, quarum muri intermedii marmoreis lapideisque columnis substinentur, novem arcubus hinc inde iis incumbentibus. Nam Presbyterium seu Tribunal supra confessionem assurgit, ad quod per duas scalas marmoreas laterales adscenditur. Hoc autem marmoreum marmoreis et discoloribus quatuor columnis parietes innixos habet; et pone altare princeps in apside quinque fenestræ sunt, lapide speculari et pellucido obductæ. In superiore parte apsidis et cava fornice, Christi Dei imago inter Joannem et Matthæum evangelistas, atque ab hujus sinistris B. Mineatis effigies, mussivo opere artificiose elaboratæ sunt anno MCCXCVII, ut in zoophoro inferiore legitur. Chorus marmoreo septo, tesselis et emblematis mirifice cingitur, atque in extimo sinistroque ejus angulo ambon affabre sculptus e marmore, similibus columnis elevatur. Pavimentum autem marmoreo limite in medio distinctum ante portam primariam Josephus Judex et Remetrius anno MCCVII faciundum curavere. Confessio sive martyrium sub presbyterio jacet, cujus fornices triginta sex F
columnis marmoreis substentantur. Fenestræ plures, oblongæ et angustæ, quæ olim omnes lapide speculari septæ erant, mediæ navi lucem desuper fœnerantur. Ante confessionem in ampliori pavimento ædicula est, a Petro Cosmæ f. Medice (*perperam ipsi Cosmæ seniori tribuitur in subdenda hic Inscriptione*) ex marmore constructa, laqueari fictili et tabula exornata exsistit. *Quando autem et quem in finem erecta fuerit, docebit sequens Inscriptio, quæ marmori incisa altari subest:*

tum magnificentia.

SANCTISSIMÆ JESU DE CRUCE PENDENTIS IMAGINI
QUÆ
JOANNI GUALBERTO STRENUO MILITI
POSTEA VALLIS UMBROSÆ MONACHORUM AUCTORI
IN HAC ANTIQUISSIMA SANCTI MINIATIS ECCLESIA
POST IMPARTITAM SUPPLICI FRATRICIDÆ CUM VITA VENIAM
CAPUT INCLINAVIT ORANTI
SÆCULI SUB INITIUM UNDECIMI; *
COSMAS * MEDICES DECRETO PUBLICO P. P.

* *An.* 1005.
* Imo *Petrus, Cosmæ filius.*

(5) Italia sacra, tom. III, col. 47. — (6) Ibid. col. 48 et seq. — (7) Lamius tom. II, p. 1192.

AUCTORE B. B. *patruo*

SACELLUM HOC INSIGNE CONSTRUXIT ET DEDICAVIT
EX QUO
SATAGENTE APUD SEREN. M. E. D. LEOPOLDO MEDICE AVUNCULO
SANCT.EQUE ROMAN.E ECCLESLE CARD. AMPLISSIMO
SOLEMNI QUA DECUIT POMPA TRANSLATAM AN. S. MDCLXXI.
IN ARA PRINCIPE ECCLESLE ET MONASTERII SS. TRINITATIS FLOR.
QUO CONFLUENTIUM POPULORUM PIETATI COMMODOQUE CONSULERENT
LOCARUNT ABBAS ET MONACHI.
NE RERUM GESTARUM MEMORIA INTERCIDAT
REGIUS COSMI III. E. D. ERGA COELITES AMOR
MONUM. PON. CUR. AN. MDCCX.

Notum est S. Joannem Gualbertum primum vitam regularem professum in monasterio S. Miniatis; et dein ex eo digressum congregationis Vallis Umbrosæ posuisse fundamenta. Vide ejus Acta (1). *Cum scribat Joannes Villani Fesulas a Florentinis anno* MX *captas et populatas fuisse, et columnas præcipue ac marmora in suam urbem ab iis deducta, paulo ante scilicet quam Ildebrandus ecclesiam S.* Miniatis *reficeret, haud absonum est autumare eum hujusmodi spoliis usum ad hanc instaurationem.* Profecto, *inquit Lamius* (2), marmora *illius ecclesiæ* exotica, ut plurimum dignoscuntur, et internarum columnarum capitula, licet
B Corinthii vel Compositi ordinis omnia, tamen cuncta magnitudine, forma, cælatura inter se differunt, quod ex diversorum ædificiorum ruderibus et ruinis extracta in hujus templi structuram translata et conversa fuerint. Hoc et in aliis antiquis Florentiæ templis observatur. *Quæ quidem omnia satis declarant quanta cum magnificentia tum exteriori tum interiori ædes S. Miniatis ad Montem exurgat. Cæterum similia signantur de hac ecclesia in hodiernis Itinerariis Florentinis vulgo* Guide de Florence (3).

cui contiguum erat monasterium.

21 *Juverit addidisse ex sæpius dicto Lamio* (4): Quum inter monachos observantiæ regularis disciplina defecisset, et ad quinque tantum redacti essent; Augustinus abbas renuntiavit; et Gregorius papa XI an. 1374 concessit et donavit monasterium et ecclesiam cum omnibus suis bonis et juribus et omni dominio et jurisdictione episcopi liberam, monasterio S. Mariæ Montis Oliveti, ordinis S. Benedicti... Itaque cum per tot sæcula monachi atrati illud tenuissent, tandem monachi candidati eorum loco successere, et illud incolere perrexerunt usque ad annum MDLIII quo locus
C ille, muris et munimentis circumdatus jussu Cosmæ I magni ducis, arx evasit et monasterium domus militum factum est. Quare monachi inde migrare coacti sunt, licet monasterii dominium usque retinuerint, et ecclesiam unus et simplex sacerdos deinde curavit. *Denique notat alio loco idem Lamius* (5) : Monasterium S. Mineatis hodie (*circiter annum* 1738) Jesuitæ possident, in quo statis temporibus convenientes cives piis contemplationibus et cæremoniis exercent. *Haud procul ab ecclesia occurrit urbis porta hodie a S.* Miniate *dicta* (Porta S. Miniato). *Alterius ecclesiæ intra urbis Florentinæ mœnia sitæ, memini supra, S.* Miniatis inter turres (*S. Miniato fra le Torri.*) *Et hæc antiquissima etiam est et præclara, hodieque superstes, de qua pluribus agit idem Lamius* (6).

De urbe S. Miniatis Teutonis

22 *Exstat in agro Florentino oppidum frequens, S.* Miniatis ad thedescum *sive* Teutonis *dictum S.* Miniato al tedesco, *jam inde a sæculis viris domi militiaque claris nobile atque celebratum, quod Gregorius XV et urbis nomine et sede episcopali insignivit* V *Decembris anno* 1622; *nostris autem diebus novo auctum splendore, cum ex illo oriunda sit stirps gentis* Bonaparte (*sic scribitur*), *qua inde in Corsicam partim translata, in lucem editus est belliduæ, cui parem haud inveneris, nempe* Napoleo *imperator I* (7). *Oppidi conditorem dicunt alii Othonem I imperatorem sæculo* X, *alii Desiderium, ultimum Langobardorum regem sæculo* VIII ; *imo non desunt, qui ejus originem ad Romanos referant* (8). *Verum Ughellus istiusmodi* nugatoribus, *ut loquitur, fidem non adhibet.* Crediderit tamen ante Fridericum œnobarbum (*qui Occidentis imperium tenuit ab anno* 1152 *ad annum* 1190 (9) fuisse ædificatum, ab eoque deinceps ampliatum, ut illic suorum Theutonum sedes constitueretur, qui cum ibidem absenti imperatori vicariam operam præstituri commorarentur frequenter, ab illis « ad thedescum » oppidum illud traxit cognomen. *Hoc præterea notatu dignum, Ughellum in suo de ecclesia Miniatensi tractatu ne verbo quidem meminisse S. Martyris nostri. Aliud sensere recentiores tum historici tum geographi, qui rem penitius inspexerunt. Recitantur enim apud Muratorium* (10) Litteræ Joannis episcopi Lucensis, *per quas rectorem* ecclesiæ sancti Miniatis in loco quarto (*sic forte dicto, quod* quatuor *milliaribus distaret ab antiquissima ecclesia parœciali S. Genesii* (11)) *constituit sive confirmat Autchis Clericum anno* 783. *Incipiunt :* In Dei nomine. Regnante domno nostro Carolo rege Francorum et Langobardorum, anno quo Langobardiam cœpit * nono, sicque filio ejus *cepit* domno nostro Pippino rege, anno regni ejus secundo, XVII Kalendas Februarii, indictione VI (12). *Deinde sequitur :* Manifestum est mihi Johanni in Dei nomine episcopo, qualiter ante hos annos Bonushomo, Aidualdus (*nominantur alii quatuordecim*) a fundamentis construxerunt ecclesiam in honore Dei et sancti Miniatis in loco Quarto, et in ipsa ecclesia et in omni re ad eam pertinente, una cum licentia consilii bone memorie Balsari, hujus Lucensis ecclesiæ episcopi, Nandolfum custodem et guvernatorem elegerunt. Quidem et quod Bonichis presbyter una cum consensu Walprandi episcopi, in prædicta ecclesia et in omni re pertinente Austripertum Clericum sibi per cartulam adoptivam filium heredem et successorem confirmavit. Postea vero ipse Austripertus Clericus per cartulam in præfata ecclesia et in rebus ad eam pertinentibus, Autchis Clericum filium suum rectorem et guvernatorem ordinavit et confirmavit, sed absque episcopali consensu, pro eo quod bone memorie Peredeus episcopus decessor meus in Francia erat detentus in servitio domni Regis *et reliqua quibus confirmatur electio Autchis Clerici.*

E

F

23 *Mitto inquirere qui sint illi Clerici, pater* *et ejus eccle-*

(1) Acta SS., tom. III, Jul., p. 313. — (2) Tom. I, p. 1149. — (3) Conf. Nouveau guide de Florence, par Frédéric Fantozzi, traduit de l'italien par d'Estre, p. 749 et seqq. — (4) P. 1196. — (5) Tom. I, p. 34. — (6) Pag. 34 et seqq. — (7) Conf. Ughelli, Italia Sacra, tom. III, col. 269; Moroni, Dizionario di erudizione storico-ecclesiastico verbo : *Sanminiato*; Ripetti, Dizionario, geographico della Toscana; Guibert, Dictionnaire géograph. — (8) Moroni, ubi supra. — (9) Art de vérifier les dates, p. 444. — (10) Antiquitates medii ævi, tom. VI, p. 405. — (11) Repetti, tom. V, p. 79. — (12) Conf., Art de vérifier les dates, p. 535.

et filii,

sia primæva. *et filii, sibi succedentes; nec enim ad propositum nostrum spectant. Ast primum notabo episcopos illos Lucenses tres nominatos vixisse* Balsarium *quidem anno* 700, Walprandum *anno* 742, Peredeum *huic successisse, cujus locum* ἀμέσως *cepit* Joannes *Litterarum auctor; proinde ecclesia, qua de agitur sæculo* VIII *antiquiorem esse. Deinde* quum aliam, *ut observat Lamius* (1), ecclesiam D. Mineati sacram in Lucana diœcesi olim exstitisse, nisi eam, unde nomen accepit oppidum S. Mineatis, minime constet, si excipias ecclesiam D. Mineatis in Faugnana (vulgo Sanminiatello (2), suburbio oppidi Miniatensis; adfirmare probabiliter possumus, ecclesiam D. Mineatis in Quarto, in illa diœcesi, esse hanc eamdem ecclesiam, adeoque ædificatam anno circiter DCC. *Et paucis interpositis addit:* Itaque sensim et tacito temporis lapsu circa ecclesiam S. Mineatis, in colle ad sinistram Arni ripam sito, in valle Arni inferiori, in Lucana diœcesi et distantia ab urbe Luca et Pisis XXII M. P; a Florentia XXIII M. P. varia ædificia constructa sunt; et tandem domorum frequentia sæculo X adeo excrevit, ut oppidi
B speciem præ se ferret et ab imperatore Othone I anno DCCCCLXII muro circumductum oppidum munitum sit, ut verosimiliter scribit Laurentius Bonicontrius Miniatensis in Annalibus et in historia Sicula... Vetustam D. Mineatis ecclesiam, quæ huic oppido initium dedit, fama est eam esse, quæ nunc refecta et ampliata D. Francisci vocatur et a Minoritis una cum addito monasterio possidetur... et D. Mineatem unum ex illius oppidi patronis Divis fuisse patet ex eo, quod in sui Communis sigillo etiam D. Mineatis imago cælata erat. *Eadem fere tradunt Moroni et Ripetti locc. citt. Quamvis in urbe S. Miniatis præter cathedralem, Deiparæ in cœlum assumptæ et S. Genesio martyri dicatam, plures sint ecclesiæ et oratoria, nulla ex his ædibus hodie S.* Miniati *sacra habetur. Incolas anno* 1840 *numerabat* 2500 (3). *Si quis plura scire de rebus ad hoc oppidum pertinentibus voluerit, consulat Lamium, qui tot tantaque collegit ut in ejus Memorabilibus solidas capiant paginas fere ducentas* (4). *Atque hæc summatim dicta sint de cultu S.* Miniatis *in Etruria aliisque vicinis regionibus. Restat ut addamus*
C *nonnulla ex martyrologiis aliisque id genus fastis sacris.*

Memoria in fastis sacris. 24 *Usuardus ad hunc diem* XXV *Octobris annuntiat:* Civitate Florentia passio beati Miniatis, sub Decio principe. *Observat autem Sollerius:* De Miniate nihil apud vetustiores usquam reperio, nec satis conjicere possum, unde eum Usuardus acceperit; neque enim Acta a Surio vulgata vidisse existimandus est, qui tam jejune de eo loquitur. *Ast cum, ut supra notavimus n.* 2, *Martyrologium suum ediderit Usuardus primum anno* 859 *vel sequenti, et iterum inter annum* 869 *et* 877, *atque jam diu ante floruisse in Etruria S. Miniatis memoriam ex dictis pateat; nihil obstat quominus Usuardus eum inde acceperit. Kalendaria quoque Florentina, Pisana et Senensia ejus festum ad diem* VIII *Kal. Novembris signant; die vero præcedenti* Breviarium Gallo-sæculum *apud Joannem de Joanne* celebrat Natale S. Miniatis. *Teste Lamio* (5): In bibliotheca Laurentiana Pluteo XVII codex III. Psalterium continet, et eleganter ac ornate scriptus. Membraneus est et præfixum habet Kalendarium, quod Florentinum dici potest: nam sanctorum Florentinorum et Tuscorum plurium dies festos seu Natales indicat... *nec* ullus sanctus memoratur qui sæculo XI posterior sit. *Addit Lamius:* Putaverim codicem exaratum fuisse circa sæculi XI dimidium non autem antea, nec post illius sæculi finem, *quod et rationibus haud spernendis ibidem probatur. Hoc autem in Kalendario, typis apud eumdem Lamium edito, habetur:* VIII Kal. (*Novemb.*) S. Miniati Mr., Chrysanti et Dariæ. *Cæterum præfatæ ecclesiæ omnes ejus officium agunt; quin et Florentiæ olim in pervigilio jejunabatur. In Kalendario missalis sæc.* IX *vel* X, *in archivo ædituorum sanctæ Mariæ Floridæ, hac die mentio fit S.* Miniatis, *et in ora paginæ, posteriori manu, puta sæc.* XII *vel* XIII, *scriptum est, quod in ejus* vigilia jejunatur. *In Missali seu Sacramentario* ad usum ecclesiæ cujusdam Florentinæ, *exarato sæculo* XV, *habetur Kalendarium, in quo signatur hac die* 25 *Oct.:* Florentia S. Mi- E
niatis cum suis sociis (6); *et rursus in altero codice sæc.* XV *exeuntis: SS. MM.* Grisanti et Dariæ (*additur alia manu*) et S. Miniatis M. (7). *Extra Etruriam et Italiam haud magnopere cultus S.* Miniatis *floruisse reperitur; nec, quod magis mireris, in ipsa urbe Metensi nec in cœnobio S. Vincentii venerationis specialis S. Martyri exhibitæ apparent alicujus momenti vestigia, præter ea quæ de translatione protulimus n.* 11 *etc. Martyrologium Romanum hæc habet:* Florentiæ passio beati Miniatis militis, qui sub Decio principe pro fide Christi egregie certans, nobili martyrio coronatur.

AUCTORE B. B.

Officium. Hymni. 25 *Orationes et Lectiones, quas ecclesia Florentina olim recitabat, ex Actis conflatæ sunt; illas ab Orlendio* (8) *et dein a Lamio* (9) *editas, nihil opus est hic adscribere. Cæterum subdit Lamius* (10): Non me latet in Passionariis et libris liturgicis Florentinis diversis diversas *Orationes et Lectiones* haberi, unaquaque ecclesia illas pro arbitrio et lubitu concinnante; secus enim tantum inter eas discrimen intercedere non potuisset. *In schedis Cionaccii habemus Of-* F
ficium S. Miniatis descriptum ex libro chorali ms. qui reperitur in ecclesia parochiali S. Miniati inter Turres. *Ex quo duos sequentes hymnos desumendos operæ pretium duximus.*

Ad Vesperas hymnus.

In laude sui militis
Adsit festive celeber
Agnus ille purpureus
In quo vicit hic Minias.

Præsago quippe nomine,
Suo tingendus sanguine
Minias ante prælium
Hoc meruit vocabulum.

Sub indecenti Decio
Gravi tortus supplicio
Veritatis præconia
Voce fatetur libera.

(1) Memorabilia tom. I, p. 335. — (2) Ibid. p. XXVI. — (3) Ripetti p. 97. — (4) Tom. I, pag. 534-521. — (5) Tom. IV, p. 61 et seqq. — (6) Orbis sacer et profanus, ubi supra p. 1142 et seq. — (7) Catalogus Bibliothecæ Laurentianæ tom. I, col. 179. — (8) Biblioth. Leopoldina Gaddiana tom. II col. 8 et 9. — (9) Orbis sacer et profanus p. 1142. — (10) Tom. I p. 570.

Cavantum

AUCTORE B. B.

Cavantum ungues subdibus,
Carnes liquescunt ignibus;
Sed non sentit incendia
Simplex auri materia.

Hinc Agonista nobilis
Tot decoratus titulis,
In congressu novissimo
Subdit cervices gladio.

Videres Christi Puerum
Caput tollentem proprium,
Hinc inde procedentibus
Angelorum conventibus.

O quam dulci spectaculo
Humano et angelico
Jam immolata victima
Montis scandit cacumina.

Laus, honor et imperium
Benigno Regi martyrum,
Quos tanto postliminio
Sacro reddit palatio. Amen.

Item alter hymnus ad Matutinum.

B Adest nobis festivitas
Carus qua Deo Minias
Suscepit regni bravium
Post triumphatum stadium.

Hinc sompni quies fugiat,
Mens vigil se exerceat
In Patris laude ipsius,
Defendat nos ut precibus.

Hostem repellat improbum,
Pacis donet subsidium,
Excessus mundet noxios,
Mores infundat sobrios.

O Minias sanctissime,
Cunctis ambientissime
Quod se vellent cum sociis
In suis esse loculis.

Os obstruatur omnium
Iniqua obloquentium,
Et nos præ natis hominum
Te contemplemur dominum.

Sit Trinitati gloria,
Laus unitati sedula,
C Quorum potestas valida
Regnat per cuncta sæcula. Amen.

Duabus penultimis strophis manifeste alluditur ad prætensionem Metensium, sibi corpus S. Miniatis *vindicantium. Nec enim tunc inter alios contentio fuisse noscitur. Monachi namque qui dicuntur S. Corpus secum asportasse, Olivetani, medio tantum sæculo* XVI *ex primævo cœnobio S.* Miniatis *migrarunt. Conf. n.* 17. *Cæterum licet hymni præfati desumpti sint ex libro chorali S.* Miniatis *inter Turres, probabile fit ex duabus strophis prædictis officium utrique ecclesiæ* inter Turres *et* ad Montem *fuisse commune. Nisi dicamus versiculos*

Et nos præ natis hominum
Te contemplemur Dominum

id solum innuere, S. corpus Florentiæ quiescere sanctumque Martyrem urbis esse patronum.

Fragmenta reliquiarum; ampullæ. 26 *Vix dubitandum quin in unaquaque ecclesia* S. Miniati *dicata* (*supra vidimus eas numero fuisse circiter quadraginta*) *pars aliqua ejus sacrarum exuviarum a populo coleretur. In specie hæc signantur in Memorabilibus* (1): *Reliquiæ* Florentiæ quidem religiose adservantur in ecclesia S. Bartholemæi suburbani monasterii Montis Oliveti, in ecclesia D. Mineatis inter Turres, in ecclesia Parthenonis, qui S. Mineatis titulum præfert et juxta portam S. Galli situs est; ut nihil de perantiqua S. Mineatis ad Montem ecclesia dicam, in quo corpus ipsum gloriosi Martyris quiescere traditur. In ecclesia quoque urbis S. Mineatis os hujus Martyris cognominis, urbis patroni custoditur (*conf. n.* 23); et sanguinis, ut creditur, ampulla in arcem Lutiani in Mucillo nuper translata est. *De hac vero ita refert Jos. Maria Brocchius in vita S.* Miniatis, *cujus verba ex italico in latinum verto :* In ecclesia parochiali S. Miniatis inter Turres, *præter alias reliquias* servantur ad nostra usque tempora tres ampullæ repletæ S. Martyris sanguine (qui adhuc, nec sine prodigio, fluidus *fresco* spectatur) : quarum una, ex parte rupta, mihi benevole dono data anno 1734, fuit ab Antonio Fani, presbytero rectore illius ecclesiæ, ut illam reponerem cum aliis reliquiis omnium Sanctorum et Beatorum Florentinorum, quas ego asservo in oratorio, meis expensis eorum honore ædificato in Mucillo et in antiqua rupe Lutiani. Unde hodie in ecclesia inter Turres duæ tantum remanent ampullæ.

(1) Tom. I p. 579.

PASSIO
SANCTI MINIATIS MARTYRIS.

Ex Mss.

Ex ms. Trevirensi collato cum ms. Metensi. Item ex Codice Bibliot. Laurentianæ n. I *Plut.* XX, *apud Lamium, tom.* III *pag.* XLI. *Surius eamdem habet, mutato stylo.*

In illo tempore *a* imperante impiissimo Decio imperatore, qui imperavit anno uno *b* Romanæ reipublicæ, sævissima orta est persecutio Christianis. Eo vero tempore beatissimus Sixtus *c* Romanæ urbis episcopus una cum Laurentio archidiacono suo præcesserant ad martyrium, cœpitque religio christiana turbari. Dumque iste impius Decius imperator in civitatem, quæ vocatur Florentia advenisset, exeuntes ministri foris civitatem, invenerunt virum proficiscentem ad suburbana civitatis; cui et dixerunt : Cujus religionis es tu? Qui ait : Christianus sum ego. Et illi dixerunt : Quo nomine vocaris? Et inquit : Quod de sacro fonte accepi renatus, Minias dicor *d*. Tunc ministri comprehenderunt eum, et ad palatium trahentes, unus autem ex officio nunciavit cæsari Decio, quod fuerat factum. Tunc imperator jussit eum suis tribunalibus sisti, cui et ait : Tu es Minias, sectator nescio cujus christianæ, ineptæ et vanæ religionis, et conturbas provinciam totam, inania et caduca docendo, et injurias deorum nostrorum et contumelias inferendo. Sanctus Minias dixit :

S. Minias *coram Decio imperterritus Christum confitetur;* *a b c*

d

Ego

A Ego sum servus et vinctus Christi: nam tu es Decius imperator, qui ad injuriam vivi et omnipotentis Dei (ante) surda et muta ydola flectis genua et adoras, qui sibi nec aliis prodesse possunt; et nisi ab istorum cultura discesseritis, pariter vos perpetuum incendium cruciabit. Et imperator dixit : Minias consulere tibi. Et sanctus Minias respondit : An mihi dicis gaudens? Tibi autem æternum gaudium numquam erit. Imperator dixit : Adducatur fera crudelis et pessima, ut eum devoret. Sanctus Minias dixit : Domine Deus esto adjutor meus; et ne derelinquas me, Domine Deus salutis meæ. Et dum complesset orationem, fera pardus extinctus est *e*.

e *in fornacem ardentem immissus, nil læditur;*

2 Tunc ministri imperatoris ad sanctum Miniatem dixerunt : Tu es, qui maleficiis tuis male agis et diis nostris non credis. Sanctus Minias dixit : Vos credite eis, inimici (Dei) creditores diaboli, quem Deus et Dominus meus Jesus Christus in imo profundi demersit. Unus ex ministris renuntiavit imperatori, et jussit imperator eum sibi præsentari, et dixit ad eum : Tu es etiam qui dudum ante me
B astitisti et nunc nescio unde occurristi mihi. Sanctus Minias dixit : Dixi jam tibi quia ego
f sum Minias miles et servus Christi *f* quando exivi de civitate ministri tui invenerunt me
g in silva, quæ dicitur Elyzaboth *g* interrogaverunt me et respondi eis quia Christianus sum et credo in filium Dei et in Jesum Christum. Tunc iratus imperator Decius jussit eum in fornacem ignis ardentis mitti et dixit ei : Credis * diis nostris et sacrifica eis, et quæcumque petieris dabo tibi. Sanctus Minias dixit : Aurum vel argentum tuum, æs vel substantia tua nihil est. Ego credo in Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt; qui liberavit filios Israel de terra Ægypti, et Susannam de falso crimine et Danielem de lacu leonum. Imperator jussit duo-

* *crede*

duodecim carra... congeri.

bus * caris lignorum congeriem fieri et fornacem igne succendi; et jussit eum exspoliari oleoque perungi et mitti in ignem. Angelus autem Domini intravit ad illum, et ignis nihil nocuit eum*. Angelus Domini dixit ei : Visitatione visitavit te Dominus et ipse misit me ad

* *ei*

C te, ut possis sufferre quæ inferuntur tibi tormenta, et te hodie Dominus suis manibus coronabit. Puer autem Domini Minias flectens genua dixit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui dignatus es angelum tuum mittere, ut * confortares me servum tuum, quod * possim sufferre quæ inferuntur mihi tormenta. Ananias, Azarias et Misaël te collaudant, Domine; per te ignem non sentiunt, quia in fornace ignis, tu læsus es quartus in numero, qui potens es * liberare de camino ignis ardentis. Et signavit frontem sibi signo sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi. Tunc omnis illico ignis extinctus est, ut nec tepor quidem incendii remaneret. Beatus miles Christi Minias liberatus exiit ab igne.

* *qui confortaret*
* *ut*
* *qui potes*

leoni objectus et dein in equuleo tortus Christum liberius annuntiat;

3 Videns autem Decius imperator quod factum est, dixit : Adducatur fera omnium ferarum horribilior, * ut devoret illum, et superabimus eum. Et statim præparatus est leo crudelis. * Et cum vidisset eum beatus Minias, signaculnm * Christi contra eum factum *, in ictu oculi ipsa fera extincta est. Tunc beatus Minias dixit : In nullo timeo feras tuas, inimice Dei, filius diaboli, habitaculum Sathanæ. Dominus meus Jesus Christus liberare potens est me de manibus tuis, quia ipse vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. Decius imperator dixit : Minias, sacrifica diis, quos colimus nos et liberabis te a tormentis. Sanctus Minias dixit : Tormenta tua non timeo; feras tuas non paveo, ignem tuum non horresco; quoniam tormenta tua, sicut plumæ in aqua, levia mihi videntur, et ipsa tormenta quæ mihi præparas, tu in æternum et in sæculum sæculi sine fine sustinebis. Tunc iratus nimis Decius imperator sævire cœpit, et jussit eum sibi præsentari. Ipse quoque sedens pro tribunali et prorumpens dixit ad Virum Dei. Crede mihi, nisi sacrificaveris diis nostris, horribilia non poteris effugere tormenta. Sanctus Dei dixit : Exerce quod vis. Tunc imperator jussit eum in eculeo suspendi et torqueri. Et dixit ei : Si Deus tuus fortior me est, liberet te de manibus meis et de his pœnis. Sanctus Minias dixit : Non me deseret Dominus meus Jesus Christus, qui fecit mirabilia magna solus et innumerabilia faciet in sempiternum. Imperator dixit : Et E ego non facio mirabilia et quid tibi videtur potestas mea? Sanctus Minias dixit : Ego veritatem possum enarrare; ipse testis est * et *cs sacra Scriptura, Lex et Prophetæ, quibus vos creditis, affirmant. Decius imperator dixit : Ego legi Moysi credo et prophetis; sed de Christo tuo, quem credis, si aliquid verius nosti, enarra. Minias miles Christi respondit : Cæcos illuminavit, paralyticos sanavit, claudos fecit ambulare, leprosos mundavit, dæmonia ejecit, mortuos suscitavit, mulierem de fluxu sanguinis liberavit, ventis imperavit, super aqua maris siccis pedibus ambulavit, de duobus piscibus et quinque panibus quinque millia hominum satiavit absque parvulis et mulieribus, et quæ superaverunt de fragmentis duodecim cophinos colligerunt. Quid enim facilius quam dicere innumerabilia beneficia ejus? Manus et sensus non sufficit explicare, qui in nullo mentitur. Tunc unus ex ministris imperatoris dicit : Puto, victi sumus.

4 Imperator vero jussit eum de eculeo *crudelius excarnificatus,* deponi et dixit ad eum : Ego quidem non F mentior. Sanctus Minias respondit : Dic, imperator, tu qualia mirabilia ostendis? Decius imperator dixit : Adducite eum ante præsentiam meam. Quod cum factum fuisset, jussit sudes acutas de ligno infigi sub ungulis ejus, et omnes digitos ipsius pertundi. Sanctus vero Minias dixit : Non facis tu mirabilia, sed opera diaboli patris tui exerces et facis. Tunc imperator dixit ministris suis : Lassati sumus. Ministri ejus dixerunt : Domine imperator, si cogitas aliquid, jube* ut adhuc adhibeamus *cogitasti aliquid? Jube* alia tormenta. Imperator dixit : Audi me, Minias, sacrifica diis nostris; si non sacrificaveris diversis te interficiam pœnis et dissipabo te. Sanctus Minias dixit : Et qualia sunt ipsa tormenta? Et si aliqua alia vis facere, fac. Et facta est vox angeli ad eum : Ne timeas, Minias, quia in omnibus his tormentis Dominus Jesus Christus confortabit te. Decius imperator dixit : Sacrifica diis nostris. Minias dixit : Audi me, imperator : spes mea in Domino vivo. Imperator dixit : Ipse Dominus tuus, quem tu dicis, non liberabit te de manibus

* *horribilis*
* *leocordius*
* *signo*
* *facto*

ex mss. manibus meis; non seducat te vanitas, quæ festinat perdere. Sanctus Minias dixit : Christus Dei filius, qui me docuit, ipse liberabit de manibus tuis. Imperator dixit : Pulchro * aspectu conspicio te; consule tibi ne pereas. Sanctus Minias dixit : Deus meus est defensor animæ meæ. Imperator dixit : Plumbo ollam implete, et in aures ejus fervens mittite, ut quando eum Dominus suus vocaverit, non audiat. Ministri autem fecerunt sicut præceptum fuerat illis, et dixerunt ei : Miñias, indolescimus super te, et compatimur tibi. Quare non credis et sacrificas diis nostris? Sanctus Minias dixit : Vos cum eo quem colitis simul in æternum peribitis. Et extendens manus ad cœlum dixit : Tu Domine Deus meus, ne longe facias auxilium tuum a me. Tunc imperator jussit Miniatem suspendi et in pedibus ejus lapidem magnum ligari. Sanctus Minias cum hæc audisset, levabat ad cœlum oculos suos cum fiducia dicens : Domine Deus, exaudi preces meas.

pulchrum

ab angelo liberatur.

5 In hoc loco apparuit ei Dominus Jesus in similitudine militis juvenis et dixit ad eum : Ne timeas, Minias, quia sicut plumæ in aqua
B levia sunt tibi tormenta. Et repletus est gaudio magno valde. Ministri imperatoris viderunt et renuntiaverunt ei : Domine imperator, stabat juxta illum juvenis in veste alba, et facies ejus fulgebat sicut sol in virtute sua. Imperator autem stabat in palatio cogitans intra se qualia tormenta faceret, ut superaret Militem Christi. Ministri vero imperatoris dixerunt : Omnia tormenta, quæ potestas tua imperavit fecimus, at nihil eum moverunt; * jube quid faciamus. Imperator ait : Ferro acuto aures ejus perforate et mox conturbabitur. Unus ex ministris venit ad eum dicens : Minias, in nullo tormento te conturbas. ' Sanctus Dei dixit : Licet innumerabilia sustineam tormenta, quod semel vidi, negare non potero. Imperator dixit : Et quid est quod vidisti? Sanctus Minias dixit : Angelum sanctum. Tu fac quod inchoasti facere, fili diaboli, factor sceleris, frater Sathanæ.

** ei nocuerunt*

' conturbant?

Denique, postquam blandimentis pariter restitit, capite plectitur.

6 Imperator ministris suis dixit : Congregemus auri multitudinem et argenti * et gemmas et sericum et statuamus in mediis deorum nostrorum templis et veniat (Minias); cum viderit omnia bona, consentiet dictis nostris; et quod non per tormenta potuimus facere, potest (fieri) ut consentiat per blandimenta. Quod cum factum fuisset, adduxerunt eum *h* et dixit ei imperator : Vides hæc omnia bona; elige tibi unum quod optimum est, et credas diis nostris, et vivas. Sanctus Minias dixit ad eum : Aurum et argentum tuum nihil est mihi, quasi stercus quod jacet in via. Dii tui cæci sunt, sine anima, surdi et muti sunt. Tunc ministri imperatoris dixerunt : Domine imperator, cogita de eo quid faciamus. Imperator dixit : Multa ei præparavi tormenta, et nil ei nocuerunt. Sanctus Minias levans cum fiducia ad cœlum oculos suos dixit : Domine Deus, esto adjutor meus; sitivit in te anima mea quam multipliciter et caro mea, quia inimici tui quærunt animam meam. Cum hæc audisset imperator, jussit eum decollari di-

** aurum et argentum multum*

h

cens : Miniatem rebellem deorum nostrorum D
jubeo capitalem subire sententiam. Ministri autem imperatoris ducebant eum, et angelus Domini antecedebat eos usque dum venissent ad montem, qui vocatur * Florentius *i* in loco ubi Deo placuit. Ex eis unus evaginato gladio caput amputavit; et angelus Domini absque dubio animam ejus suscepit. Deposito est et a Christianis reconditum corpus *k* ejus octavo Kalendas Novembris *l* regnante Domino nostro Jesu Christo cui est honor, laus, virtus et potestas et imperium in sæcula sæculorum. Amen *m*.

Florentinus

i

k

l

m

ANNOTATA.

a *Juverit adscripsisse speciminis gratia, initium alterius Passionis, auctore quodam presbytero Blasio. Exstat in cod.* 6 *Plutei XX bibl. Laurentianæ, et edita fuit a Lamio in Memorabilibus* (1) : Minias, regis Armeniæ filius, ab infantia fide Christi diligenter instructus, audiens imperatorem Philippum ad prædicationem Origenis conversum (*locus, ut continuo demonstrabitur, notatione dignus*) apostolorum limina visitare proposuit; et sic usque Florentiam secundum status sui condecentiam venit; E
ubi dum sentit, imperatorem obviam Decio, qui victoriam contra gentem Gallicanam rebellantem Romano imperio habuerat, usque Mediolanum ivisse, ibi eum expectare ac eum sociare decrevit, ut ei de fide suscepta congauderet et secum eundo sua præsentia honoraret. Hic ut sensit, imperatorem a Decio interemptum, et hunc a Romanis cæsarem factum, et in necem christianorum ineffabiliter avidum, familiam, paucis secum retentis serviciis, decenter renumeratam remisit, et ipse, cunctis distributis pauperibus, in silva quæ dicitur Elisbot, prope Florentiam, cum illis, quos in socios receperat, eremiticam vitam ducens ad sumendum pro Christo martyrium affectione inestimabili se disponit, *etc. Codex, ex quo hæc transumpta sunt, dicitur esse* sæculi XIV ineuntis (2). *Elucidemus breviter, quæ hic de Philippo et Origene traduntur. Veteres passim Philippum fuisse christianum aperte dicunt; idque Eusebius Cæsariensis, hac in re præ cæteris fide dignus, diserte habet* (3); *ita etiam S. Isidorus* (4) : Philippus... Hic primus christianus F
imperator fuit. *Præterea constat eum ex Arabia oriundum et quidem patre, latronum antesignano* (5). *Insuper novimus Origenem pluries in Arabia fuisse, quo tempore vivebat Philippus* (*natus anno* 204, *imperator anno* 244, *occisus anno* 449 (6)). *Teste Eusebio* (7), *missus eo circa annum* 217 *fuit Origenes a Demetrio, antistite Alexandrino, ad convertendum ducem Arabiæ, cujus nomen reticetur. Operæ pretium est verba Eusebii describere :* Cum Alexandriæ moraretur *Origenes,* miles quidem adveniens, Demetrio ecclesiæ episcopo, et præfecto Ægypti literas a duce Arabiæ detulit, quibus poscebat ut confestim Origenem ad se mitteret, qui doctrinam suam ipsi communicaret. Missus igitur ab illis Origenes in Arabiam perrexit. Nec multo post, perfecto cujus causa venerat negotio, Alexandriam regressus est. *Confer*

(1) Tom. III, p. XLIII. — (2) Bandinius. Codices Latini Bibliothecæ Medicæ Laurentianæ, tom. I, col. 618. — (3) Hist. ecclesiast., lib. VI, cap. 34. — (4) Etymolog., lib. V, cap. 39. Patrologia Mign., tom. LXXXII, col. 227. Conf. Art de vérifier les dates, p. 344. — (5) Art de vérif., etc., p. 343. — (6) Ibid., p. 343 et seq. — (7) Hist. ecclesiast., lib. VI, cap. 19, versus finem.

Acta

A *Acta SS. Arethæ et sociorum quæ dedimus tomo præcedenti X Octobris* (1). *Haud absurda conjectura est ex his ortam sententiam, quæ in Actis profertur, de Philippi conversione, quam non jam Origeni sed S.* Miniati *tribuit auctor, tanto facilius quod B. Martyrem gente Armenum scribat, dum plerique Florentia ortum volunt. Audiamus Brocchium* (2) : Gloriosissimum hunc martyrem S. Miniatem pertinere ad nostram civitatem Florentiæ, non solum quod ibidem moratus et martyrio coronatus, sed etiam quod in ea ortus sit, communis est historicorum nostrorum assertio ; proinde, ut habet Borghinius, fabulosa potius quam verisimilis dicenda opinio paucorum, qui cum Villanio (*scriptore ut veridico ubi de rebus sui ævi*, *ita* suspecto ubi de antiquis tractat) S. Miniatem, filium dicunt regis Armenorum, atque in Italiam venisse pœnitentiæ agendæ causa. *Addit Brocchius, historiolam hujusmodi primum inventam, judicio multorum, ab antiquis illis monachis Basilianis, qui quondam incoluerunt monasterium et ecclesiam S. Miniatis ad Montem; quod forte putarent, decus ali-*
B *quod additum fore suæ patriæ adeoque sibi, si exinde sanctissimus Pugil noster Florentiam appulisset. Utut est, nihil in Actis nostris de natalibus S.* Miniatis *memoratur. Certe nomen latinum non est; terminatio græcanicam prodit originem. Et eruditus professor Beroliniensis W. Pape in suo vocabulario inter nomina propria græca recenset* (3) Μινύας Minyas, sub quo, *inquit,* Minyæ Μινύαι, gens de stirpe Æolica, ex Thessalia in borealem migrarunt Bæotiam, et regnum fundarunt Minyarum, cujus metropolis Orchomenus. *Nescio cur Lamius licet ei etiam nomen videatur græcum, perpetuo scribat:* Mineas, *dum alii omnes:* Minias. *In vocabulario Papiano occurrit, sed cum apposito signo interrogationis,* Μινήας (?) *nomen viri inscriptum cuidam nummo Ephesino, ast potius legendum putat Papius* Μίννος.

b *Duobus annis et paulo plus imperavit Decius. Vid. Com. præv., n.* 3.

c *Diximus Comm. Præv. n.* 1 *hic lapsum scriptorem.* Sub idem tempus, *ait Orlendius* (4), eadem Decii persecutione sæviente, in amphi-
C theatro martyres occubuisse Fabianum, Cornelium Xistum et Laurentium, tradit Scipio Amiratus; Ughellus vero pro Fabiano Fabritium recenset, in reliquis Amirato consentiens. Verum tres priores Romani pontifices fuerunt; nec Florentiæ, sed Romæ, et quidem diversis temporibus atque sub diversis imperatoribus martyrium consummarunt : Laurentius vero archidiaconus Romanæ ecclesiæ Romæ pariter martyrii coronam est adeptus, non in persecutione Decii, sed Valeriani imperatoris, sicut etiam Xystus secundus, cujus diaconus fuerat Laurentius, *etc.*

d Minias, *Lamio* Mineas, *Italis* Miniato ; *Latine in lapidibus reperitur* Mineus, Minius. *Vide Indices Inscriptionum Muratorii. Conf. lit.* a *ad finem.*

e *Hujus quoque meminit S. Antoninus :* Leopardus ad ipsum occidendum emittitur; sed Leopardus ex se subito moritur. *Sane hæc et similia quæ sequuntur bene multa, utut non sunt fabulis statim amandanda* (*haud enim minus prodigiosa in sacris litteris consignata habentur*), *solidioribus utique fulcienda essent testimoniis, ut facile iis adhiberi posset fides.* EX MSS.

f Miles et servus Christi, *hæc sane indicare videntur S.* Miniatem *militiam professum sæcularem, quod et traditione vix non constanti firmatur. Sunt tamen qui existiment verba illa de militia spirituali esse intelligenda, ita ut eodem fere sensu* miles *quo* servus *Christi habeatur. In sequentibus S.* Minias *solum* miles *Christi appellatur, quod de quovis sive patiente sive certante pro fide deprædicare potest. Verumtamen proprie* miles *haud consuevit dici similibus locis de militia spirituali. Actis alii alia addidere, quam autem fideliter ipsi viderint. Inter cæteros martyres* illustris exstitit, *ait Orlendius* (5), sanctus Minias, professione miles imperatoris, genere nobilis, religione christianus, ætate juvenis sed virtute senior. *Sanctus quoque Antoninus :* Cum autem, *inquit*, ei (*Decio*) insinuatum fuisset de quodam juvene nobili, nomine Miniate, eum coram se fecit adduci.

g Elyzaboth, *communius scribitur* Elisboth ; E *quandoque* Arisbot, Alogoth, Arisgotto. *Vide Annotata in Passionem SS. Crescii et sociorum* (6). *Brocchius scribit :* Elisbot *atque addit* (7) : Nomen quod forte remansit ex antiqua et jam deperdita lingua Etrusca.

h *Petrus de Natalibus* (8) *deductum scribit ad* templum Martis. *In nostris Actis id non legitur. Non tamen* ille, *judice Lamio* (2), templum Martis peculiariter indicasset, nisi in exemplari Actorum, quo usus est, invenisset. Templum autem Martis Florentiæ seu ad Florentiam exstitisse concors et constans scriptorum rerum Florentinarum traditio est. *Citantur Melaspina et Villanius. Deinde subdit Lamius :* His autem cæteri omnes consonant. Verum animum inducere nequeo, ut credam ecclesiam D. Joanni Baptistæ sacram, illud Martis templum esse, ad sacrum usum conversum... hanc vero famam ex eo ortam existimo, quod non procul a situ, ubi sæculo VI condita est ecclesia D. Joannis Baptistæ, templum Martis exstitisset, quod a Chrisfianis dirutum fuerit. Et certe locus hic Campus Martis, vulgo *Camarti*, adpellabatur, in quibus campis mos erat F ei numini templa ædificare. *Atque hæc quidem Lamii conjectura est. Nec opus est pluribus prosequi in Annotatis nostris ad Acta, quæ exiguæ sunt fidei.*

i *Qui et* Mons Regis *dictus fuit et postea* Mons S. Miniatis. *Vide Comm. Præv. n.* 19. Nescio, *inquit Lamius* (9), unde Villanius hauserit, quod B. Mineas obtruncatus est eo loco, ubi jam ecclesia S. Candidæ erat, ad Crucem ad Gurgitem seu Gorgo, ubi plures alii Jesu Christi servi martyrium consummaverunt. Eadem narrat Blasius, vitarum Sanctorum Etruscorum scriptor sæculo XIV et vita Italica Riccardiana; quum aliter habeant vetusta Passionaria Laurentiana superius laudata aliaque, adfirmentque in Monte Florentino sanctum hunc Martyrem capite plexum fuisse. *Nihilominus Orlendius adhæret Villanio: ait enim* (4) : Eo loco passus est, ubi ecclesia

(1) Pag. 678, n. 57. — (2) Vite de sancti et beati Florentini, tom. I, p. 17. — (3) Wörterbuch der Griecheschen Eigennamen. Edit. 1842. Voce Μινύας. — (4) Orbis sacer et profanus, part. II, tom. II, p. 1141. — (5) Orbis, etc., p. 1140. — (6) Tom. X Octobris, p. 590, lit. *b*. — (7) Vite, tom. I, p. 18. — (8) Lib. IX, cap. CVIII. — (9) Tom. I, p. 591. — (10) Tom. I, p. 592. — (11) Orbis sacer. et prof. p. 1140.

S. Candidæ

EX MSS. S. Candidæ ad Crucem, ad Gorgum dicta. Nonnulli referunt, sanctum Martyrem divulsum a cætero corpore caput suis manibus tulisse, ac tranato flumine in vicinum evasissise collem, ubi D. Petri oratorium erat, quod postea de nomine Martyris « sancti Miniatis » dixerunt. *Hinc utique ortum est, ut sanctum Virum alio loco passum alio conditum voluerint.* Verum, *ut apposite prosequitur Orlendius,* de stupendo hoc miraculo nihil prorsus proditum est in ejusdem Martyris Actis apud Surium et Petrum de Natalibus, nihil itidem apud divum Antoninum; *nihil pariter in nostris.* Ejus tamen sacrum corpus in præfatum collem delatum fuit ibique reconditum. *Equidem admissero* reconditum, *non vero* delatum; *nec enim id probat Orlendius nisi ex* stupendo illo miraculo, *quod ipse suppositium etiam habet. Satius itaque mihi videtur stare antiquioribus Actis, ex quibus efficitur sanctus Minias eodem loco capite plexus et sepultus, nempe in* Monte Florentino. *Vide litt.* l.

k Ubi sanctos Frontinum et Paulinum prima Christianæ religionis fundamenta apud Florentinos posuisse ferunt; ibique a Christi fideli-
B bus sacram ædiculam initio fuisse conditam ac divo Petro dicatam, quæ postmodum in ampliorem formam redacta, sancto Miniati martyri consecrata fuit. *Orlendius ibidem. Vidimus Comm. Præv. n.* 18 *hanc ecclesiam collabentem ab Ildebrando episcopo magnifice restauratam ineunte sæculo* XI, *atque ita fere perdurasse ad nostram usque ætatem.*

l *Hic subjungit Blasius :* Anno Domini CCLII. Qui confestim surrexit, caput propriis ulnis sumsit, Arni flumen transiit, et sequente eum populo et stupente, montem ascendit, et D
in loco ubi nunc est, ipsum posuit et se juxta naturali ordine collocavit. Processu temporis Florentini ejus honori ecclesiam mirificam fecerunt; et eum in ipsa honore maximo collocarunt. *Conf. Annot.* i.

m *Coronidis instar adscribo ex Petro de Natalibus* (1) : Sanctus Phridianus episcopus Florentinus (*imo Lucensis*) ecclesiam Minyatis martyris trans flumen Arni positam sæpius visitabat. Cum autem die quadam inundatione nimia flumen navi transiri non posset, et nautæ quidam ultra flumen existerent, sanctusque episcopus transire curaret; nautæque illi periculo postposito, beati Martyris confisi meritis, ad episcopum transvadandum venire disponerent; subito se citra flumen invenerunt, et episcopum transportantes sine periculo fluvium transierunt. Tunc sanctus episcopus eisdem per spiritum nunciavit : civibus illis hoc a Deo sanctum Minyatem obtinuisse, ut nemo in aqua illius fluminis necari posset. Quod usque hodie ita extitisse refertur; ubi postmodum ecclesia in honorem sancti Phridiani fabricata est. *Confer Lamium* (2) *qui eadem profert* E
sed latius evoluta, ex libro « diversarum vitarum » signato numero 108 f. 21, in bibliotheca archiepiscopatus Senensis extante. *Sanctus autem Frigidianus Lucensem cathedram tenuit ab anno* 560 *ad annum* 578. Adeoque, *ut infert ibidem Lamius,* constat, ecclesiam beati martyri Mineati dicatam in Monte Florentino medio sæculo VI jam exstitisse ad quam beatus Frigidianus quotannis accederet. *De S. Frigidiano agendum erit ad diem* XVIII *Novembris.*

(1) Lib. IX cap. CVIII. — (2) Tomo I p. 586.

B. B.

DE SS. QUADRAGINTA SEX MILITIBUS MM.,

ET ALIIS ITEM CENTUM VIGINTI ET UNO, INTER QUOS

SS. THEODOSIUS, LUCIUS, MARCUS ET PETRUS,

AC PROBABILITER ETIAM MAXIMUS MILLENARIUS.

C F

SYLLOGE.

§ unicus. Memoria in fastis sacris et Passio ex Mombritio. Coronati fuere sub Claudio II, qui dictus est gothicus. De aliis SS. Militibus CXXI MM., inter quos S. Maximus, comes millenarius, eodem loco sepultis.

CIRCA ANNUM CCLXIX. *Memoria in fastis sacris,*

De sanctis Martyribus quos in titulo hujus sylloges recensuimus, pauca ad nos pervenerunt; ast eorum passio certa est, et memoria recolitur in sacris fastis antiquissimis. Usuardus et Martyrologium Romanum (utrobique eadem sunt prorsus verba) annuntiant hac die XXV *Octobris :* Romæ natalis quadraginta sex Militum, qui simul baptizati a Dionysio papa, mox jubente Claudio imperatore decollati ac via Salaria sepulti, ubi et alii Martyres centum viginti et unus positi sunt : inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus et Petrus. *Observat autem Sollerius* (1) : Annuntiatio duplex seu composita est, a Beda ex Actis S. Xysti, ut testatur, primitus excerpta. *Et re quidem vera sic habet Beda genuinus* (2) : Ipso die Romæ via Salaria natale quadraginta sex militum, qui simul baptizati a Dionysio papa, et mox jubente Claudio imperatore decollati sunt. Ubi sunt positi et alii martyres centum viginti unus inter quos fuerunt milites Christi Theodotius (*sic*), Lucius, Marcus et Petrus. Scriptum in Passione S. Xisti. *Alii S. Laurentii, alii S. Hippolyti Acta adducunt, sed de iisdem loquuntur, ut infra declarabitur. Prima pars annuntiationis Usuardinæ*

(1) Martyrologium Usuardi 25 Oct. — (2) Migne Patrologia tom. XCIV, col. 1081.

reperitur

A *reperitur in Romano parvo :* Romæ via Salaria, XLVI Milites, qui baptizati a Dionysio papa, jubente Claudio decollati sunt; *Hieronymiana majora, non item minora, hos prætermittunt, sed* Maximum *nominant* et milites alios CXX *anonymos*, quorum nomina Deus scit. *Wandelbertus, sed pridie hujus diei, Romæ agit de* XLVI *Militibus* (1) :

Nono (*Kal. Nov*). Quadrageni effulgent sexque triumpho
Romæ, militia et sancto certamine clari.

Ado numerum a Beda, elogium ex actis S. Laurentii sumpsit, quod pro more suo satis longum texit : Ipso die Romæ (*etc. ut apud Bedam, dein ita prosequitur*) quorum corpora noctu collegerunt beatus Justinus presbyter et Joannes, et sepelierunt in crypta cum multitudine christianorum, in via Salaria in (ad) clivum cucumeris, VIII Kal. Novembris ; ubi positi sunt et alii martyres centum viginti unus. Inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus et Petrus. Hi videntes ad se venire armatos, rogabant ut primi decolla-
B rentur. Scriptum in Passione sanctorum martyrum Sixti, Laurentii et Hippolyti (2). *Similiter Rabanus, Usuardus et Notkerus numerum servant a Beda determinatum, probabiliter quod adnumeretur S.* Maximus, *cujus cum seorsim meminerint Hieronymiana, alios* CXX *anonymos tantum signant, ut vidimus paulo superius. Sed hac de re infra agemus ex professo. Habentur itaque omnes simul SS. Martyres centum sexaginta septem memorati, atque in duas classes distributi. Prior quadraginta sex complectitur, omnes anonymos, posterior centum viginti et unum, quorum quinque nomine proprio designati : SS.* Maximus, Theodosius, Lucius, Marcus *et* Petrus. *De utraque classe singillatim dicemus. Prius tamen duplex notandus Philippi Ferrarii, in catalogo SS. Italiæ lapsus : alter quod SS.* Theodosium, Lucium, Marcum *et* Petrum *priori turmæ adscribat ; alter, quod hos quatuor passos dicat* cum aliis 152 Romæ, *atque ita quidem in titulo seu rubrica ; in textu vero priores* quadraginta sex milites una cum aliis 120 christianis trucidari jussos. *Hæc enim vero sibi nullo modo constant : si quatuor nomine*
C *proprio designati adduntur* XLVI *anonymis militibus, erunt simul quinquaginta, qui juncti cum aliis* CXX *martyribus, coalescent universim* CLXX *numero. Adde SS.* XLVI *milites coronatos tricenis annis ante alios.*

et passio ex Mombritio,

2 *Prioris turmæ, ut jam dictum, notitiam se hausisse profitetur Beda ex actis S. Xysti, quam alii tribuunt actis S. Laurentii vel S. Hippolyti, sed omnes eodem respiciunt. Surius passionem S. Hippolyti subnectit* Gestis præclaris *S. Laurentii ad* X *Augusti, Mombritius separatim illam edidit* (3). *Hujus textum adscribimus. Post narratum S. Hippolyti sociorumque martyrium, addunt acta :* Nocte venit Justinus presbyter collegitque corpora et sepelivit in eodem loco. *Et paulo post :* Corpus Triphoniæ, uxoris quondam Decii, quam cum filia ejus Cyrilla *baptizaverat*, sepelivit in crypta ubi sanctum Hippolytum sepelierat quintodecimo Calendarum Novembrium. *Posthæc ita de SS. Martyribus* XLVI *militibus :* Ab eadem die cæpit beatus Justinus presbyter diligenter quærere, sicubi corpora Sanctorum absconsa essent, *ex quo præmium promisit militibus ; qui quidem audientes Triphoniam Decii uxorem filiamque ejus Cyrillam christianas fuisse factas, venerunt cum uxoribus suis numero quadraginta sex ad beatum Justinum præsbyterum, miseruntque se ad ejus pedes, rogantes ut baptismum perciperent. Tunc Justinus collegit omnem clerum, exquisivitque quem in locum beati martyris Sisti papæ episcopum consecraret. Et exinde ordinaverunt venerabilem virum nomine Dionysium. quem consecravit Maximus Ostiensis episcopus. Tunc obtulit beatus Justinus Milites quadraginta sex ad baptismum venerabili viro Dionysio urbis Romæ episcopo, et eos baptizavit in nomine Trinitatis. Ut hoc Claudius rex audivit, indignatione repletus misit et tenuit filiam Decii cæsaris (*Cyrillam*) et Christi Milites, jussitque duci ad sacrificandum dæmoniis. Qui omnes, contempto regis præcepto, deriserunt eum ; illos autem jussit in custodiam recipi ; Cyrillam vero sibi præsentari. Cui ita dixit : Sic tibi placuit, ut præce-* E *ptum nostrum et ritum claritatis parentum non sequaris et deseras nutrimenta regalia ? Respondit Cyrilla : Ego christiana sum, ancilla Christi, et desero dæmonia, quæ vos usque ad supplicium æternum deducent, ut cum ipsis pereatis. Cui Claudius : Consenti nobis, et sacrifica diis, et accipe virum secundum natales tuos Et Cyrilla : Ego jam virum accepi, qui me docuit sapientiam, hoc est Dominum nostrum Jesum Christum, cui semel tradita sum. Claudius iracundia repletus jussit eam jugulari ; et necatam gladio, jussit corpus ejus in plateam jactari, canibusque derelinqui. Quod noctu collegit beatissimus Justinus presbyter et sepelivit cum matre sua, ubi posuerat beati Hippolyti corpus quinto Calendas Novembres. Eodem tempore jussit Claudius exercitum armatum in palatio Sallustii includi, sibique præsentari, qui baptismum perceperant. Et præcepit exercitui ut educeret eos foras muros portæ Salariæ in civitate Fidenis ; ibidemque eos omnes capite cæderunt. Decollati sunt autem omnes pro Christi nomine numero quin-*
F *quaginta sex præter uxores eorum. Quorum corpora noctu collegerunt beatissimi præsbyteri Justinus et Johannes, et sepelierunt in crypta cum multitudine Christianorum in via Salaria vetere in clivo cucumeris, octavo Calendas Novembres. Ubi florent orationes eorum usque in hodiernum diem cum aliis centum viginti uno Martyribus, de quibus infra, ubi de posteriore classe.*

justo severius a Pagio aliisque reprehensa.

3 *Suriana S. Laurentii acta, quibus adnexa seu immixta S. Hippolyti et aliorum plurium passio, tanti non fecit Pinius, ut operi nostro inserenda duxerit* (4) ; *eorum loco adscripsit elogium ex martyrologio S. Adonis ; Baronio quoque* castigatione indigent ; *Norisio* scripta sunt a posterioris ævi scriptore, eorum, quæ in litteras mittebat, imperito ; *Pagio* acta S. Laurentii supposititia certum *omnino est* (5). *Molliori stylo usus est Stiltingus in actis S. Justini, presbyteri et martyris, ad diem* XVI

AUCTORE B. B.

* *essent, promisitque præmium.* Surius.

(1) Migne, Patrolog., tom. CXXI, col. 615. — (2) Dominicus Georgius, Martyrol. Adonis pag. 545. Romæ 1745. — (3) Tom. II, fol. XIII. — (4) Acta SS. ad diem X Augusti, tom. II, p. 512. — (5) Ibid., p. 511.

AUCTORE B. B.

Septembris (1) : Cum, *ait*, de S. Justino multa etiam legantur in actis S. Laurentii, apud Surium editis ad x Augusti, quæ Pinius noster edere noluit, quia fabulis saltem fœdata sunt; ex iis huc traducam spectantia ad S. Justinum; hæc enim pleraque talia sunt, ut credere possimus esse vera, sicut multa alia vera et sanctorum Patrum auctoritate confirmata in iisdem actis leguntur. *Deinde sequuntur inter alia, quæ ex Mombritio retulimus, mutato, pro more Surii, stylo. Sententia Stiltingi probatur in recentiori tomo Actorum nostrorum ad* XVIII *Octobris* (2), *in commentario de S. Tryphonia, at simul* ea fere omnia quæ ad illam pertinent, *habentur* apocrypha et plane fabulosa, *speciatim vero multis declaratur S. Tryphoniam dici omnino perperam uxorem Decii, imo nec concubinam fuisse* (3); *proinde nec S. Cyrillam, cujus mater S. Tryphonia, imperatoris illius filiam. Emendandus itaque, saltem hac ex parte, est Mombritius num. præc. citatus et cum eo etiam Surius. Cætera, quæ ad S. Cyrillam pertinent, probanda vel rejicienda erunt* XXVIII *hujus mensis, quo ejus natalis celebratur. Verum quod*
B *attinet ad* Milites LXVI *Martyres nostros, non video cur fides denegetur actis, quæ vix non omnium Martyrologiorum testimonio confirmantur. Unde et ipse Pagius agnoscit* illa martyria vera esse (4); attamen eorum, *inquit*, dies incertus, nec ulla imperante Claudio persecutio in christianos vel milites excitata. *Neutrum probat Pagius;* diem *retinendum puto, utpote qui signatur in actis et fastis sacris supra laudatis; de anno dicam numero sequenti.*

oronati fuerunt sub Claudio II,

4 *Si coronati vere fuerunt sub Claudio II, passio adscribenda certo est anno* 268 *vel duobus sequentibus, cum Augustus dictus sit ille* XXIV *Martii* 268, *et peste extinctus circa mensem Maium* 270 (5). *At enim, objicit Pagius, nulla Claudio imperante persecutio. Reponit Stiltingus* (6) : *id quidem ille* rotunde edicit; sed rationes non allegat, quibus evinci possit. Tillemontius vero... agnoscit, aliquos probabilius sub Claudio II esse passos. *Confer Acta S. Tryphoniæ* (7). *Sane si omnimoda censetur auctoritas in testimonio Trebellii Pollionis, nemo facile dixerit Claudium in christianos sæviisse.* Quid enim, *exclamat* (8), in illo non mirabile?
C quid non conspicuum?... In quo Trajani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio et magnorum principum sic fuerunt, ut non ab aliis exemplum caperet, sed etiam si illi non fuissent, hic cæteris reliquisset exemplum... Quid enim magnum vir ille domi forisque non habuit? Amavit parentes. Quid mirum? Amavit et fratres. Jam potest dignum esse miraculo. Amavit propinquos; res nostris temporibus comparanda miraculo. Invidit nulli, malos persecutus est... Stultis quasi negligeret indulsit. Leges optimas dedit. *Post hæc jure sibi præcavet ab adulationis nota :* In gratiam me quispiam putet Constantii Cæsaris (*sc. Chlori, qui Claudii abnepos erat, et cujus tempore scribebat Trebellius* (9)) loqui; sed testis est et tua conscientia et vita mea, nihil D umquam cogitasse, dixisse, fecisse gratiosum. Claudium principem loquor, cujus vita, probitas et omnia quæ in re publica gessit, tantam posteris famam dedere, ut Senatus Populusque Rom. novis eum honoribus post mortem affecerit : illi clypeus aureus, vel ut grammatici loquuntur, clypeum aureum Senatus totius judicio in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur. *Nihilominus assentatorie multa a Trebellio dicta, non est quod dubitetur.* Trebellius laudatorem magis quam historicum agit, *ait Eckhel* (10). *Verum enim vero optimus esto Claudius fuerit, ut paganus princeps, nec impar Trajano et Antonino; sed quum sub his fuerint martyres, quidni et sub illo?* Malos persecutus est; *nonne tales habebantur passim apud ethnicos christiani? Senatui addictissimus erat, et vicissim illi senatus; sed hic quam sinistre sentiret semperque etiam sub Constantino ejusque successoribus senserit de Christi sequacibus, quis ignorat? Nec adeo mitis erat Claudius ut a sanguine diraque vindicta penitus abhorreret. Conscius*
imo et consors fuisse necis Gallieno decessori E *illatæ videtur* (11), cæsoque (*ut habet Eckhel* (12)) ducum conspiratione Gallieno, cujus eum (*Claudium*) saltem fuisse conscium, ne ii quidem, qui ejus res gestas omnes ad cœlum extulere, audent plane inficiari. *Amplius innuit Trebellius* (13): Qui (*Claudius*) Gallienum... etiamsi non auctor consilii fuit, tamen ipse imperaturus bono generis humani a gubernaculis publicis depulit. *Et infra, ubi de bello gothico scribit* (14) : Claudius omnes qui rebelles animos extulerant, conducto exercitu rapit atque in vincula Romam etiam mittit ludo publico... Nec sola de hoste victoria sed etiam vindicta præsumpta est. *Atque hæc ut demonstretur, ne dictis quidem adeo assentatoriis Trebellii Pollionis refragari sententiam, quæ martyres Claudio imperante passos coronatosque statuit.*

circa annum 269.

5 Cum, *inquit Baronius ad annum Christi* 269 (15), Claudius creatus imperator Romam se contulisset, audissetque longa pace res christianorum invaluisse, nobilissimosque viros ac clarissimas feminas christianam religionem profiteri, succensuit. *Et Tillemontius :* Ex
F martyrologiis, *ait* (16), discimus *Claudium* valde infensum Christianis; nec hoc creditu difficile in principe, qui gratus Senatui esse studebat, alioque agere modo quam Gallienus, a quo pax ecclesiæ reddita fuerat. *Eadem repetit, sed paulo magis evoluta in Historia ecclesiastica* (17). *Unde haud improbabile fit, SS.* Milites XLVI *martyrii triumphum adeptos sub Claudio II, dicto etiam Gothico, quod barbaris hujus nominis horrendam intulisset stragem, ac proinde circa annum* 269, *ut margini adscripsi, medio fere imperatoris illius principatu. Eadem habet Paulus Aringhi, lib.* IV, *cap.* 35 (18) : Sub eodem item Claudio in hoc ipso cœmiterio quadraginta sex pariter Milites post consummatum nobilis

(1) Acta SS., tom. V Sept., p. 471. — (2) Tom. VIII Oct., p. 319. — (3) Ib. et p. 20 et 21. — (4) Ad an. Baronii 269, n. VII. Annales ecclesiast., t. III, p. 165. — (5) Art de vérifier les dates, p. 346. — (6) Tom. V Sept., p. 475. — (7) Tom. VIII Oct., p. 319, n. 5. — (8) In Claudio, Hist. Augusta ex recognitione Erasmi, p. 292. Coloniæ, 1527. — (9) Tillemont, Hist. des Empereurs, tom. III, p. 197. Biographie universelle, V. *Pollion.* — (10) Doctrina Numorum, tom. VII, p. 471. — (11) Tillemont, ibid. — (3) Ubi supra. — (13) In Claudio. Ubi supra. — (14) Ibid., p. 295. — (15) Annal., tom. III, p. 164 et seq. — (16) Hist. des Empereurs, tom. III, p. 201. — (17) Mémoires, t. IV, p. 344. — (18) Roma subterranea, tom. II, p. 106.

martyrii

martyrii agonem depositi sunt, ut M. S. * eorumdem acta his verbis enuntiant : Tunc obtulit B. Justinus, *etc., ut n.* 2. *Hæc Aringhius ubi de* Cœmiterio ad clivum cucumeris (1), *sic appellato,* vel quod sub clivo quodam situm erat, qui cucumeris formam intuentibus præ se ferret; vel certe quia id genus poma ab agricolis ibidem seri consueverant, vel demum, ut nihil prorsus lectorem lateat, ob pomi ejusdem formam alicui lapidi vel ædificio insculptam, ex quo subinde locus nomen traxerit, quod plerisque aliis in Urbe locis contigit; et his præcipue, qui ab antiquis multipliciter denominati sunt, ut exempli gratia. « Ursus pileatus, Capita bubula, Caput tauri, ad Pyrum, ad Malum punicum, inter duas Lauros » et alia ejuscemodi nomina, quæ ab antiquis derivata ad nostra usque tempora pervenerunt. *Atque hæc dicta (nec enim alia uspiam reperi) sint de priore SS. Martyrum classe.*

A

* *id est* mss.

De aliis martyribus quorum in præfata passione mentio fit,

6 *De altera seu posteriori, nempe aliorum CXXI, brevioribus esse licebit, cum hanc ex iisdem fere fontibus habeamus, et acta illustrata fuerint a decessoribus nostris ad* XXIX *Januarii. Subdit Mombritius loco supra n.* 2 *recitato :* Ubi florent orationes eorum (SS. *Militum* XLVI) usque in hodiernum diem cum aliis centum viginti uno * Martyribus, quos inter fuerunt quattuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus et Petrus. Quattuor videntes * armatos ad se venire, rogabat * eorum quisque ut primus decollaretur. Adeo enim mori leti pro Christo festinabant regnare (cum) Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. *Aringhius paulo aliter, citans in margine cod. Vallicellanum* (2) : Hi videntes ad se armatos venire, dicebant rogantes omnes, ut primus a primo decollaretur, cum intentione ferventes mori læte, quam vivere male. *Quæ lectio accedit ad Surianam; non tamen plane. Notandum hoc ideo erat, quod Surius negare videatur eos milites fuisse : adscribit Margini :* Milites 46 decollantur; *et paulo infra :* 120 Martyres. *Idem habet Ferrarius in Sanctis Italiæ. At diserte* Milites *scribuntur in Vetustiori Florentinii et Corbeiensi Acherii, et id recte quidem ut videbitur numero sequenti.*

* *centum viginti.* Sur.

* *qui ut viderunt.* Surius.

* *rogabant... ut primi... decollarentur.* Sur.

C

numero CXXI,

7 *Surius, cum in secunda turma martyres tantum numeret centum viginti, secutus putem est Hieronymiana, quæ, ut notavi ex Sollerio n.* 1, Maximum *nominant et alios addunt anonymos CXX; classici, ut dici solet, martyrologi universos recensent CXXI. Et re quidem vera ex præclarioribus duobus Hieronymianis, alterum, a Florentinio editum et docto eruditoque commentario illustratum, habet :* VIII *Kal.* Nov. Romæ Maximi et aliorum CCXX Militum, quorum nomina Deus scit; *alterum, scilicet Corbeiense ab Acherio publicii juris factum* (3), *eadem repetit ne vel uno apice mutato. In utroque nihil de prioris classis Pugilibus XLVI; hoc idem obtinet in tertio Hieronymiano minoris molis, quod Florentinus* vetustissimum *suum vocat, ubi omnes similiter recensentur, sejunctis tamen Anonymis a Maximo, in hunc modum :* Romæ natalis Maximi, et in Sardinia in Turribus Gavini. Item Romæ CXX militum. *Ex quibus facile intelligitur qui, in classicis, ut vocantur, martyrologiis, unus accreverit numero anonymorum, his nempe additus ob suppressum S. Maximum. Sed sunt et alia plura Hieronymiana, quæ* Minora *vocantur a Sollerio* (4); *hæc autem mire inter se variant, ubi de Sanctis nostris mentionem habent. Juverit præcipua adscripsisse. Prætermisso Rhinoviensi, quod, ut apud nos typis est datum* (5), *ultimis tribus anni mensibus caret; Richenoviense solius ad* VIII *Kal. Nov. id est Octobris* XXV, *meminit* Romæ Maximi; *Augustanum annuntiat :* Romæ XLVI mart. seu mille centum octoginta quatuor. Saturnini, Maximi, *etc.; Labbeanum* : Romæ natale sanctorum quadraginta trium martyrum seu mil. ducentorum viginti duorum. Saturnini, Maximi, *etc.; Corbeiense brevius :* Suessionis civitate Crispini et Crispiniani martyrum. *Præterea nihil hac die; Martyrologium reginæ Sueciæ truncum est; deficit September a die* VIII, *et integri menses Octobris, Novembris, Decembris. Atque hæc ex editis* (*excepto* vetustissimo *Florentini*) *in Opere nostro, loc. cit. Nonnulla etiam Hieronymiana reperiuntur in Thesauro P. Martene* (6); *ubi in Autissioderensi ad eumdem diem* XXV *Oct. :* Romæ natalis sanctorum XLV (*sic*) seu militum CXXIV. Crispini et Crispiniani; *horum duorum in pervetusto Turonensi solum mentio fit. Denique apud Acherium, in Gellonensi legitur* (7) : Romæ natalis sanctorum quadraginta sex seu millia centum viginti quatuor, Saturnini, Maximi, *etc. Circa quæ notanda sunt sequentia : primo Augustanum, Gellonense et Labbeanum meminisse utriusque turmæ simul et* Maximi, *sed interposito Saturnino; Autissiodorense, utriusque turmæ sed omisso* Maximo; *e contra Richenoviense mentionem facere* Maximi, *omissis turmis; denique Corbeiense brevius, Morbacense et Turonense omnes præteriisse. Secundo in minoribus hisce Hieronymianis obtinere id, quod notavit ad hunc diem Dominicus Georgius* (8), nihil corruptius esse in veteribus monumentis, quam ubi de numeris agitur : nam immaniter a librariis fœdantur. *Corruptio autem hic orta apparet tum ex voce* milites *primis suis tantum litteris exarata seu* mil. *et hinc a librariis scriptum* mille, millia; *tum quod, ut infra planius dicam, in actis S.* Maximi *cum eo passi legantur alii* milites *numero circiter* mille. *Notandum tertio additos primigenio numero CXX alios* quatuor *in Augustano et Gellonensi, quæ* Maximum *signant, prætermittunt vero* Theodosium, Lucium, Marcum et Petrum, *quos proinde adjiciendos censuerint turmæ, perperam utique, cum ea comprehenderentur,* inter quos, *ut est in actis,* Theodosius, *etc.; Labbeanum* duos *tantum addit, nisi agatur ibi de CCLX, vel ut alicubi falso notatur, CCLXII sagittatis Romæ sub eodem Claudio; Autissiodorense CXXIV numerat, quod tamen, ut sibi constaret altero uno augere classem debuisset, cum non magis meminerit* Maximi *quam aliorum quatuor. Ex his utique pronum est concludere, qua ratione in classicis martyrologiis suppresso* Maximo, *anonymi recenseantur CXXI. Cæterum aucti in classicis numeri auctor videtur Beda,*

AUCTORE B. B.

E

F

(1) Roma subt., p. 105. — (2) Ibid., tom. II, p. 106. — (3) Spicilegium, tom. II, p. 1-23. — (4) Mart. Usuardi Præfatio, p. VIII. — (5) Tom. VI et VII Junii ad calcem. — (6) T. III, col. 1543 et seqq. — (7) Spicilegium, t. II, p. 35. — (8) Martyrologium Adonis. Romæ 1745.

AUCTORE B. B. *inter quos S. Maximus, comes millenarius.*

quem deinde Ado, Usuardus, etc., secuti sunt.

8 *Præterea mihi valde probabilis est sententia Florentini, quam l. c. his exponit verbis :* De clarissimo Cristi martyre Maximo, duce vel comite millenario hic agi vix dubitarem ; qui a puero christianus alios, quos poterat ad Christi fidem suspiciendam inducebat. *Addit Florentinius passionem S.* Maximi *et sociorum haberi ex actis S. Marcelli papæ. Fragmentum certaminis* ejus etiam recitat Aringhius (1) ex codice Vallicellano, *quod similiter asserit reperiri in actis S. Marcelli papæ, estque hujusmodi :* Maximus, qui comes millenarius erat, ab infantia sua christianus, ex parentibus christianis exortus, centum et viginti ex suis militibus conversos a S. Marcello baptizari fecit. Quod audiens Maximianus, eumdem Maximum comprehensum, una cum dictis centum et viginti militibus damnavit ad arenam fodiendam; et post menses novem, dum Marcus tribunus comperisset, (quod) Maximus comes cæteros suos milites, qui ex millenario residui fuerant, qui ad eum visitandum accesserant, convertisset; fecit Maximum in
B carcerem mitti; deinde eductum fustibus cædi jussit; et cum cæderetur, tribunus excœcatus est. Quod Maximianus imperator audiens et moleste ferens, Maximum comitem cum centum viginti militibus ad arenam damnatis fecit decollari. Reliquos vero ex mille militibus conversos, in arenario missos flammis jussit incendi. Quorum corpora sanctus Marcellus una cum Joanne presbytero sepelivit in clivo cucumeris, secundo ab Urbe milliario. *Nihil tale occurrit in actis S. Marcelli editis a Mombritio sicut et a Bollando nostro ad* XVI *Januarii; attamen non est dubium hæc in suis codicibus legisse Bosium, a quo sua deprompsit Aringhius. Atque hæc de S.* Maximo *et sociis militibus dicta hoc loco sufficiant, cum eorum natalis celebretur die* XXIX *Januarii, quo Bollandus egit* (2) de sanctis martyribus Severa Virgine, Maximo et Secunda ejus parentibus, Marco et Calendino, eorum filiis, Severæ fratribus, et aliis circiter mille militibus; *ubi passio adscribitur initio sæc.* IV, *et acta seu martyrium recitantur ex Petro de Natalibus, quibuscum concordant quæ supra retulimus ex Aringhio.*
C Eadem, *inquit Bollandus*, recenset ex Petro Baronius (3), mendis expunctis. *Itaque idcirco illorum CXXI memoria hac die inscripta legitur plerisque fastis sacris, quod eodem loco cum supradictis XLVI Militibus depositi fuerint, quamvis diverso tempore martyrio coronati; hi quidem sub Claudio II circa an.* CCLXIX, *illi sub Diocletiano et Maximiano Herculio, ineunte sæculo* IV. *Forte etiam christiani olim conventus habuerunt hac die ad clivum cucumeris, quibus honor deferebatur omnibus simul SS. Martyribus ibidem quiescentibus, et speciatim utrique classi nostræ SS. Militum, præcipue priori, quod aliquatenus colligi posse videtur ex Hieronymianis minoribus; verum cur in duobus majoribus (vetustiori Florentinii et Corbeiensi Acherii) signentur* Maximus *ejusque socii, et prætermittantur nostri CLVI, plane incompertum mihi est. Eodem in cœmiterio tumulatos recenset Aringhius alios martyres ducentos sexaginta sagittis confixos jubente Claudio II, de quibus in martyrologio Romano et in opere nostro, Calendis Martii, item alios XXIII capite truncatos, quorum meminit Romanum* V *Augusti. Reliqua vide apud Aringhium, lib.* IV, *cap.* XXXV.
D

9 *Corpus S.* Lucii *translatum fuit sæculo* XVII *Roma ad ecclesiam Societatis Jesu, Rhegii in Calabria. Id imprimis constat ex imagine, ære incisa, ubi S. Martyr genuflexus exhibetur, jam feriendus.* Misit hanc imaginem, cum adjuncta relatione Italica, Regio in Calabria per Josephum de Luciis, Neapoli habitantem, ad nos Antverpiam P. Scipio Tazzari 30 Aug. 1694. *Ita in notula a decessoribus nostris imagini addita. Ad marginem ejusdem inferiorem legitur, litteris pariter incisis :* S. Lucius M. inter prætorianos milites unus e primis, una cum 46 commillitonibus Romæ sub Claudio imp. pro X^to^ obtruncatus. Cujus corpus Rhegii apud Calabros in Coll. Soc. Jesu colitur, festumque agitur die 25 Octobris. *Ex supra dictis patet S.* Lucium *minime annumerandum illis XLVI, bene vero aliis Martyribus centum viginti et uni,* inter quos, *ut conceptis verbis habetur in martyrologio Romano,* fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus et Petrus. *Cæterum ex relatione P. Scipionis Tazzari, discimus S. corpus Roma in Calabriam translatum an.* 1680, *donatumque Collegio nostro a P. Josepho Fozi, qui illud acceperat ab Ambrosio Sanduccio episcopo Porphyriensi, præfecto sacrarii apostolici et assistente oratorii seu capellæ pontificiæ,* ut liquet (*verba sunt relationis*) ex authenticis litteris quibus continetur mentio prioris donationis sicut et alterius factæ collegio nostro a prædicto P. Fozi, missis simul cum publico instrumento, scripto manu notarii, cancellarii et secretarii reverendissimæ Cameræ apostolicæ. Sacrum corpus ad nos pervenit, septem munitum sigillis, et recognitum fuit in curia archiepiscopali hujus urbis, data etiam venia illud exhibendi fidelium venerationi. *Quæsierat Janningus unde constaret esse revera corpus S. Lucii, de quo agitur in martyrologio Romano die* XXV *Octobris; rogabat præterea an in cœmeterio sit inventum, proprium sibi adscriptum ferens nomen. Ad hæc responsio non est valde liquida, imo satis confusa : sic enim habet ex italico latine fideliter reddita:* Hæc relatio et instructio Roma missæ F
fuere a præfato P. Fozi ad P. Antonium Battaglia, tunc rectorem hujus collegii, ut accepi ex ejus litteris, quibus eadem testatur, nempe corpus inventum in cœmeterio S. Priscillæ, esse S. Lucii, de numero SS. Militum MM. quorum meminit martyrologium Romanum XXV Octobris, et Baronius ad annum 269. *Putem priori phrasi innui, Roma responsum ad quæsita Janningi, rem ita se habere; at ex reliquis verbis non efficitur nomen S. Lucii fuisse adscriptum. Notandum quoque est, sanctos Martyres nostros depositos via Salaria ad clivum cucumeris : corpus vero Rhegiense venisse ex cœmiterio Priscillæ. Unde dubium nascitur, an in ecclesia nostra dictæ urbis serventur ossa S. Lucii, quo de agimus, an alterius S. martyris cœmiterialis, cui nomen Lucii addidere. Sequuntur in Relatione sanationes et alia cœlitus obtenta beneficia haud parvo numero sub translationem.*

De translatione S. Lucii ad collegium Rhegiense S. J.

E

(1) Romæ subterran. lib. IV, c. XXXV. Tom. II, p. 106. — (2) Tom. II Januarii, p. 946. — (3) Tom. III, p. 289. Ad an. 298.

DE

A D

DE SS. CHRYSANTHO ET DARIA

MARTYRIBUS ROMÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

§ I. Dies cultus plures signantur; celeberrima horum SS. Martyrum et antiquissima memoria est in sacris fastis et scriptoribus. Acta, ut videtur primum græce conscripta et dein latine versa, non probantur, quamvis antiqua sint. Passionis tempus.

AN. PROBABILIUS 283.

Eorum memoria præcipua fit quidem hac die;

SS. Chrysanti et Dariæ *festivitati, haud parum in ecclesia jam inde a prioribus sæculis celebri, alios apud alios dicatos esse dies vetera ostendunt calendaria et martyrologia.* Vulgarem eorum diem *vocat Menardus* (1) VIII Kalendas Novembris, *seu* XXV *Octobris*, quem, *ut loquitur Sollerius* (2),
B eorum festivitati solemni stabiliter consecravit Romanum modernum, *cujus his verbis concepta annuntiatio est* : Romæ sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ uxoris ejus, qui post multas, quas sub Celerino præfecto pro Christo sustinuerunt passiones, jussi sunt a Numeriano (*in margine* Valeriano) imperatore via Salaria in arenario deponi, atque illic viventes terra et lapidibus obrui. *Eodem item die illorum officium ritu simplici habetur in breviario romano, duabus distinctum lectionibus cum oratione propria. Autumat Sollerius* (3), *diem hunc assumptum,* non ex Rabano, quem Baronius non novit, sed ex Belino aliisque codicibus Usuardinis auctioribus. *Et re quidem vera Rabani martyrologium, hæc habet* (4): VIII Calend. *Novembris:* Passio martyrum Christi Chrysanti et Dariæ, qui sub specie conjugii castitatem servaverunt perpetuam *etc. Obiter hic notemus lapsum Florentinii* (5) *asserentis Menardum negasse fieri hac die apud Rabanum de sanctis Martyribus nostris mentionem; imo vero Menardus diserte contrarium scripsit* (6).
C *In* Calendario, *quod Allatius publici juris primum fecit atque* descriptum *asserit* (7) ante nongentos annos (*floruit Allatius usque ad medium fere sæculum* XVII) *occurrit* VIII Cal. Novembris natalis SS. Chrysanthi et Dariæ, *sicut et in* kalendario Romano nongentis *iterum* annis antiquiori, *editoque a Frontone* ex ms. monasterii S. Genovefæ Parisiensis in monte (8). *Ita quoque in calendario, quod præfigitur* Responsoriali et Antiphonario Romanæ ecclesiæ, *Romæ* 1686 *in lucem dato a B. Josepho Thomasio, sub pseudonymo Josephi Cari.* Passos *quoque SS. Martyres nostros scribit Equilinus* (9) VIII Calend. Novembris. *Videsis plura Usuardi auctaria apud Sollerium ad hunc diem. Haud supervacaneum fuerit notasse nec hoc nec ullo alio die illos signari in antiquissimis kalendariis* Bucheriano, Leoniano, Gregoriano, *quæ reperiuntur in egregia Muratorii* Dissertatione de rebus Liturgicis (10). *Conf. infra n.* 4. *Denique ad hunc diem* remissi *fuerunt a prædecessoribus ex* XIX *Martii his verbis:* S. Chrysanthus et S. Daria uxor, martyres celebrem venerationem habent apud Græcos in magnis Menæis... apud Latinos vero XXV Octobris (11).
E

licet aliis etiam frequens occurrat : XIX *Martii,*

2 *Alios dies, quibus fit memoria eorum, recensebo, mensium servato ordine. Græcis præcipua illorum dies est* XIX *Martii : ita in Menologio Sirleti, et quidem primo loco* (12), *in Ephemeridibus Græco-Moscis Papebrochii* (13) *et Assemanii* (14). Quod ad Græcos attinet, pro hodierna festivitate (XIX *Mart.*) stant kalendaria bene multa optimæque notæ; qualia sunt Neapolitanum, Hierosolymitanum et Calipolitanum a Scholzio edita; Vindobonense, Cpli exaratum; Mediol-Laurentianum, Taurinense, Claromontanum, Mazarinæum, Coislinianum, Chiffletii et Sirleti. *Hæc ita P. Martinof in* Anno Græco-Slavico *pag.* 93 *hujus tomi XI Octobris. In Menæis impressis Venetiis* 1843, *pariter signantur hac die cum sequentibus versiculis :*

Ζῶσι, Χρύσανθος καὶ Δαρεία ἐν πόλῳ,
Κἂν ἐκπνέωσι ζῶντες εἰσδύντες βόθρῳ.

Vivunt Chrysanthus et Daria in cœlo,
Quamvis obierint, viventes immissi in scrobem.

Et additur hexameter :

Ζεύγνυσαν συζυγίην δεκάτῃ ἐνάτῃ ὁμόλεκτρον
F
Conjugium concors decima nona subhumatur.

Et subditur synaxarii epitome. Kalendarium quoque marmoreum Neapolitanum, a Mazochio illustratum (15), *utriusque S. Martyris memoriam facit tum hac die, tum etiam* XXV *Octobris. Quam in rem notat laudatus Mazochius:* Neapolitanorum fastorum auctoribus quum propositum esset kalendarium suum partim ex græcis partim ex latinis officiorum libris consarcinatum edere, utroque die hos ambos Martyres consignarunt... Crediderim de his SS. Neapoli tum Græcos tum Latinos peculiares habuisse ecclesias. *Quod autem addat Mazochius, utrique diei inscribi :* Passio; *id secus est, non quidem in exemplari, quo ille usus, sed in correctiori*

(1) Notæ in S. Gregorii Sacramentar. Migne, Patrologia, tom. LXXVIII, col. 412. — (2) Usuardi Martyrol, pag. 714. — (3) Ibid. — (4) Apud Canisium, tom. II, part. II, p. 344 et seq. — (5) Vetustius Martyrologium, p. 1013. — (6) Migne, t. LXXVIII, col. 412. — (7) De Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione *etc.* col. 1487. Coloniæ Agrip. 1648. — (8) Jo. Frontonis epistolæ et dissertationes ecclesiast., Calendarium Romanum *etc.*, pag. 253. Hamburgi 1720. — (9) Lib. IX, cap. CV. — (10) Migne, Patrologia, tom. LXXIV, col. 879 et 880; item col. 886. — (11) Acta SS., tom. III Martii, p. 3 et 4. — (12) Canisius, tom. III, p. 418. — (13) Acta SS., Propylæum Maii. — (14) Kalendaria, XIX Martii, t. VI, p. 193. — (15) In vetus marmoreum Kalend. Commentarius, tom. I, p. 98. Neapoli, 1734.

AUCTORE B. B.

meliorique, a cardinali Majo in lucem dato; in hoc enim priori loco, seu XIX *Martii inscribitur:* Natalis (1); *posteriori seu* XXV *Octobris :* Passio (2); *ut proinde hic obtineat, quod, teste eodem Mazochio,* alibi *in eodem calendario,* quoties duplici die de aliquo martyre fit *mentio. Ad memoriam quod spectat apud Slavos, hæc habet loc. cit. supra laudatus P. Martinof :* Utrumque sanctum Martyrem referunt fasti slavici hoc solo die... Et quidem codex Ternobiensis, in Bulgaria anno 1272 exaratus, meminit eorum primo loco... « sancti martyris Chrysanthi et Dariæ; » postpositis « patribus Sabaitis. » Parisiensis I, qui cum Ternobiensi fere per omnia convenit, licet brevior sit, similiter facit mentionem « S. Chrysonti. » in Sisatovacensi, serbico, anno 1324 confecto, inscribitur : « SS. martyrum Chrysanthi et Dariæ, » pari modo in Chilandariensi Typico... quod solo decennio recentius est atque priori satis consentiens. Ex quo fonte Serbico derivata est eadem aut similis lectio in Synaxarium bibliorum Ostrogensium, in Prologum... Horologium Ruthenorum Pochajovense aliaque
B kalendaria recentiora, quæ longum esset recensere. Dolendum tamen, nihil dici de Martyrum pare in Ostromirano (*med. sæc.* XI), Mstislavico (*sæc.* XII), Rumiantsoviano (*sæc.* XIII) et Suprasliensi (*sæc.*XI), omnium antiquissimis. *Subdit præfatus auctor paulo infra:* Utrum in fastis Slavicis alio die quam præsenti (XIX *Mart.*) memoria occurrat, nec asserere in præsentiarum valeo nec negare.... *Eadem hac die signatur* natalicium *S.* Chrysanthi *in kalendario seu tabula marmorea, quæ erat Romæ in porticu monasterii S. Silvestri, et judice Mazochio adscribenda sæculo* IX *est contra Muratorii sententiam, cui antiquius videtur hoc monumentum. Vide Cardinalem Majum* (3). *In altera tabula ejusdem porticus, sed confracta et mutila, suppletum manu satis recenti fuit hac iterum die nomen S.* Dariæ (4). *Utriusque corpora eo translata memorantur a Paulo papa I anno* 761 (5). *De his tabulis quas reperies editas in citato opere Card. Maji, redibit sermo* § II.

XII *Augusti et* XVII *Octobris,*

C 3 *Rursus in nonnullis Hieronymianis occurrunt die* XII *Augusti SS. Martyres, una cum aliis pluribus. In Vetustiori Florentinii legitur :* Romæ natalis sanctorum Crissanti et Dariæ et qui cum eis passi sunt Claudius, Hilaria, Jason, Maurus et milites LXX. *De his sociis passionis videsis ad calcem Acta cap. II. Eodem die reperiuntur in quibusdam auctariis Usuardinis apud Sollerium, qui alibi profitetur* (6) *se* non satis intelligere, quid Wandelbertus velit XIII Octobris. *Hic autem ita canit* (7) :

> Ternas Marcellus, Faustus, Januarius implent.
> Tum quoque Petre tibi, Dionysique sacratum
> Templum; et Chrysantho Dariæque corurscat et ara,
> Tulpia cum plano, quo præminet æquore castrum.

Videtur agi de dedicatione altaris in honorem illorum sanctorum Martyrum. Notum quippe est Wandelbertum, diaconum et monachum Prumiensis monasterii in diœcesi Trevirensi, claruisse sub Lothario imperatore anno Dni 854. *Eo autem tempore cultus illorum in hac Germa-*

D *niæ parte florebat, ut ex dicendis ubi de Translationibus SS. corporum sermo erit, constabit. Apud Sirletum, qui jam de SS. nostris Martyribus egit primo loco* XIX *Martii, rursus memoria habetur, sed ultimo loco,* XVII *Octobris :* Eodem die sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ (8). *Dies quoque* XVII *Octobris* (*perperam apud Montfaucon scribitur Novembris* (9)) *notatur in codice Coisliniano, ex quo Acta edimus græce conscripta, item in apographo nostro Vaticano. Num forte istis præluxit* Menologium Græcorum, *quod jussu Basilii imperatoris sæculo exeunte* X *vel ineunte* XI, *compositum, typis prodiit Romanis anno* 1727? *In hoc memoratur ad diem* XVII *Oct. primo loco:* Certamen (ἀθλήσις) sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ *cum imagine æri incisa et brevi actorum compendio, cujus infra non semel facienda erit mentio.*

XXIX *Novembris*

4 *In pluribus antiquioribus kalendariis et martyrologiis signantur iidem sancti Martyres ad diem* XXIX *Novembris. Diximus n.* 1, *nomina eorum desiderari in Kalendariis Bucheriano, Leoniano et Gregoriano antiquissimis et a Muratorio laudatis ; verum annuntiantur ad diem* III *Kal. Decemb.* (29 *Nov.*) *in altero kalendario haud inferioris notæ, nempe Gelasiano, apud eumdem Muratorium* (10), *his verbis :* Sanctorum martyrum Saturnini, Crisanti, Mauri, Dariæ et aliorum. *Et in sacramentario itidem Gelasiano ad eumdem diem signatur Missa* in Natali SS. martyrum Saturnini, Crisanti, Mauri, Dariæ et aliorum. *Propriæ sunt oratio, secreta et postcommunio; sed in unaquaque duorum tantum priorum exprimuntur nomina :* Beatorum martyrum, Dne, Saturnini et Crisanti adsit oratio *etc.* (11). *Sic etiam habent calendarium S. Maximini Trevirensis,* præmissum, *inquit Hontheim* (12), Psalterio *sæc.* X, servato in ejusdem abbatiæ archivio (*nunc vero in Musæo nostro Bollandiano*) : SS. Saturnini, Crisanti, Mauri et Dariæ *MM; calendarium collegiatæ S. Simeonis,* præfixum Psalterio *sæc.* XI : Crisanti et Dariæ. Vigilia (13) ; *calendarium,* insertum computui ecclesiastico anni 1128 : Saturnini. Crisanti. Mauri. Vigilia (14) ; *calendarium sæc.* XIII *exeuntis* : Saturnini et sociorum ejus. Vigilia (15) ; *qui* socii *hic utique intelliguntur SS.* Chrysanthus, Daria *etc., cum in aliis* F *calendariis ejusdem patriæ seu originis diserte nominentur, sicut et in multis vetustioribus Hieronymianis obtinet, quamvis revera S. Saturnini* socii *in passione non fuerint. Conjunctim vero in martyrologiis occurrunt, quod Saturnini, non quidem Tolosani episcopi, ut non nemini placuit, sed illius qui cum Sisinio diacono passus est,* ac nomen cœmiterio dedit in via Salaria, Thrasonis etiam dicto, celebris memoria, *ut prosequitur Sarazanius in notis ad Damasi carmina* (16), agebatur eo loco, ut constat ex Bucheriano kalendario, aliisque veteribus monumentis ad diem 29 Novembris; *et* eodem loco posita *erant* cæterorum martyrum sepulcra a Damaso reparata et versibus exornata, Chrisanthi scilicet et Dariæ et Mauri et Hilarii ac forte aliorum. Ordo certe Gelasianus Missam habet pro Saturnino, Chrisantho,

(1) Veterum scriptorum nova collectio, tom. V, p. 60. — (2) Ibid. p. 64. — (3) Ibid. p. 56. — (4) Ibid. p. 58. —(5) Conf. Acta SS., tom. VIII Octobris, p. 322 et seq. — (6) Martyrologium Usuardi, p. 714. — (7) Dacherius, Spicilegium, tom. II, p. 54. — (8) Canisius, Thesaurus tom. III, p. 480. — (9) Bibliotheca Coisliniana, p. 185. — (10) Dissertatio liturg. Migne t. LXXXIV, col. 885. — (11) Ibid. col. 1181. — (12) Podromus Historiæ Trevirensis, tom. I, p. 373 et seq. — (13) Ibid. 380 et seqq. — (14) Ibid. 394 et seqq. — (15) Ibid. p. 401 et seqq. — (16) Migne, Patrologia tom. XIII, col. 394, *not.* g.

Mauro

A Mauro et Daria, uno eodemque loco et die. *Sic etiam omnes simul ponuntur in Appendice ad martyrologium Adonis :* Item Romæ, Arasonis (*imo* in Trasonis) Saturnini, Crysanthi, Mauri et Dariæ et aliorum septuaginta duorum. *Qui illi sint* LXX, *vide in Actis et Annotatis. Concordat Gellonense Martyrologium* (1) *sicut et Hieronymiana contracta, a Sollerio edita; nempe Labbeanum ac Richenoviense, desiderantur in Corbeiensi breviori. Hæc tria integra; alia Sollerii Hieronymiana mutila sunt, nec finem mensis Novembris exhibent. Vide etiam Martinum Gerbertum* (2).

et 1 Decembris. 5 *Denique veniunt SS.* Chrysanthus *et* Daria *kalendis seu die prima Decembris in Usuardo puro :* Romæ, natalis sanctorum martyrum Crisanti et Dariæ virginis, qui post multas, quas pro Christo lucrati fuerant passiones, jussi sunt a Numeriano imperatore via Salaria in arenario deponi, atque illic viventes terra ac lapidibus obrui. *Et observat Sollerius* (3), male *a nonnullis die* XXV *Octobris,* adduci Usuardum, qui hic a consuetis ducibus (*Romano parvo et Adone*) nec ad latum unguem deflexit.

B *Additque :* Cæterum de vero martyrio et prisco in universa Ecclesia cultu, dubitare prorsus non sinunt, relata hic monumenta certissima. *Qui autem factum sit ut tot diversis diebus eorum memoria recolatur, pronum est suspicare varietatem hanc ortam ex die passionis, inventionis, translationis, dedicationis etc.*

Memoriæ celebritas : ex S. Damaso, 6 *Id certum SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *memoriam celeberrimam in Ecclesia Occidentis esse idque ex remotissima antiquitate, ut vel ex solis vetustioribus martyrologiis efficitur. Id quoque extra dubium, eorum sepulcrum versibus fuisse a S. Damaso* (*qui præfuit ab an.* 366 *ad annum* 384) *exornatum. Inter pauca enim hujus pontificis carmina, quæ ab omnibus genuina habentur, recensetur epigramma, ad sanctos Martyres nostros pertinens* (4) :

His votis paribus tumulum duo nomina servant,
Chrysanthi, Dariæ nunc venerandus honor,
Effera quem * rabies, neglecto jure sepulcri,
Sanctorum tumulos * præda furentis erat.
Pauperis ex censu melius nunc ista resurgunt,
Divite sed voto plus placitura Deo.
Plange tuum, gens sæva, nefas; periere furores;
Crevit in his templis per tua damna decus.

** quæ rabies! Neglecto*
** pro tumulas*

C *Testibus Sarazanio et Merenda, S. Damasi præclarioribus editoribus*, sunt Damasi versus, *ut ille habet conceptis verbis* (5); *hic vero ita in Prolegomenis* (6) : Ex Priscillæ cœmeterio, quamquam multa perierint, plura tamen quam ex aliis, Damasi carmina tulerunt ætatem. Adhuc enim supersunt quæ Marcelli, Prothi, Hyacinthi, Saturnini, Mauri ac Chrysanthi et Dariæ sepulchris inscripta fuerunt. At quod de Chrysantho et Daria inscribitur, cum ex apographo oscitanter exscriptum olim fuerit, medica manu indiget, quam Sarazanius applicuit, ac, ut nunc legitur, ex actis eorumdem Martyrum et ex Gregorio Turonensi illustrari oportet; siquidem ex iis intelligi datur, cur eorum Sanctorum tumulum, idololatriæ « furentis prædam » Damasus fuisse dicat : illo scilicet furiosa ethnicorum manu, qui ad cœmeterium adversus christianos confluxerant, disjecto penitus eversoque, cryptaque insuper occlusa lapidibus terraque aggesta. At post redditam Ecclesiæ pacem, loco eodem pristinæ religioni restituto, Damasus hæc carmina tum inscripsit, tum præterea aliquid novi operis sua impensa addidit, qui ob eam causam, puto sub « pauperis » appellatione se haud immerito designavit. *Quæ clariora fient ex ipso textu S. Gregorii Turonensis, quem ideo præterea adscribimus, ut ex illo rursus cultus tum antiquitas tum celebritas demonstretur.*

AUCTORE B. B.

et Gregorio Turonensi, aliisque nonnullis veteribus. 7 *Is itaque lib.* I *de Gloria Martyrum, cap.* XXXVIII *scribit* (7) : Chrysanthus martyr, ut historia passionis declarat, post acceptam martyrii coronam cum Daria virgine, multa populis sanitatum beneficia tribuebat. Et ob hoc etiam crypta super eos miro opere fabricata est, quæ, in arcuum modo transvoluta, firmissima stabilitate substitit. Denique cum ad ejus festa populorum frequentatio confluxisset, iniquissimus imperator erectum in illius cryptæ introitu parietem, conclusa multitudine, jussit ædem arena ac lapidibus operiri, factusque est desuper mons magnus, E idque gestum certissime ipsius manifestant scripta certaminis (*vide infra Acta versus finem*). Quæ crypta diu suo hoc velamento permansit operta, donec urbs Romana, relictis idolis, Christo Domino subderetur. Jam procedente tempore nulli erat cognitus locus ipsius sepulturæ, donec Domino Jesu revelante patefactus est. Cujus parte in una loci, interposito pariete, sepulchra martyrum Chrysanthi et Dariæ segregata; parte in alia Sanctorum reliquorum cadavera in unum sunt congregata. Verumtamen pariete illo, qui est in medio positus, fenestram structor patefactam reliquit, ut ad contemplanda Sanctorum corpora aditus aspiciendi patesceret. Ferunt etiam quod eo tempore, quo ad sancta solemnia accedentes inclusi sunt, urceos argenteos ex metallo formatos cum vino, quod ad oblationem sacrificii divini offertur, secum homines detulissent, argentumque ibi remansisse manifestum est, idque hodie a conspicientibus cerni. Sed quia jugitur mens humana turpibus erubescendisque cupiditatibus inhiat, subdiaconus quidam, viso per fenestram ar- F gento, cogitat intra se quod postero die avaritia impellente complevit. Nocte enim consurgens, ingressus est basilicam Sanctorum, deinde per fenestram ingrediens cellulam, ac per obscuritatem noctis palpans manibus, aliquos de urceis capit : deinde egredi cum præda cupiens per totam noctem circumiens, numquam potuit aditum unde ingressus fuerat reperire. Dato vero die, dum opera sua obtegi conscius sceleris voluit, juxta illud dominici oraculi dictum, quod « omnis qui male agit odit lucem, ut non manifestentur opera ejus *, » occultavit se in angulo cellulæ tota * *Jois III*, 20. die ne manifestaretur. Sequenti vero nocte quæsivit iterum aditum, sed reperire non potuit. Sic per tria noctium curricula fecit. Tertia vero die cum jam fame cruciaretur, accessit coram populo ad fenestram, et relicto

(1) Dacherii Spicileg. tom. II. *Ab initio*. — (2) Monumenta veteris liturgiæ Alemanicæ, part. I, p. 198. Edit. 1777. — (3) Martyr. Usuardi, p. 714. — (4) Migne, Patrolog., t. LXXI, col. 1149. — (5) Ibid., t. XIII, col. 401. *Nota* 1. — (6) Ibid., col. 276 et 277. — (7) Ibid., tom. LXXI, col. 739.

argento

AUCTORE B. B.

argento confessus est opus suum, egressusque est foras cum magna verecundia, nec latuit scelus quod gesserat populis qui aderant. Post multum vero temporis, cognoscens hoc factum Damasus antistes sanctæ sedis apostolicæ, jussit diligentius operiri fenestram ubi et versibus decoravit locum. *Nihil in his occurrit de ampliata per Damasum crypta, quod tamen efficitur luculenter ex hujus recitato supra carmine. Refert præterea Gregorius, lib.* I *de Gloria Martyrum* (1), *nonnullas reliquias SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *diacono cuidam concessas a Pelagio papa II atque in Galliam circa annum* 590 *delatas. Ex quibus infert Tillemontius* (2), *pignora ista ipsi Gregorio missa a præfato pontifice, quod tamen ex verbis Gregorii non omnino clare habetur. Itaque suppetunt præter martyrologia, de cultu SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *antiquo et celeberrimo testimonia certa sæc.* IV, *quo floruit Damasus, et labentis sæculi* VI, *quo scribebat S. Gregorius Turonensis. Sæculo* IX *habemus Wandelbertum, Usuardum et Adonem. De hoc posteriore redibit fusius sermo paulo infra.*

Martyrium ex actis,

8 *Inter martyres sub Numeriano passos Romæ,* celebriores, *ait Baronius* (3), habentur Chrysanthus et Daria. *Ille* Polemii Alexandrini filius Romæ cum legendo sanctum evangelium, tum audiendo Carpophorum, fide christiana imbutus est, et patris in se odium concitavit, cujus arte nihil non molitum est, ut eum ad ritus patrios revocaret, ususque ad hoc Daria virgine. Sed et ipsa Chrysanthi persuasione in Christum credidit, amboque simul ea de causa sub prætore Celere * complura sunt experta tormenta. Horum constantiam et divinum circa eos patrocinium admiratus Claudius tribunus, una cum uxore, et duobus filiis Jasone et Mauro cæterisque domesticis et septuaginta militibus, facti sunt Christiani, atque mox confessione demumque sunt martyrio illustrati. Chrysanthus vero in Tullianum carcerem detrusus est; cum interim Daria ad prostibulum condemnatur; sed divinitus liberata, una cum Chrysantho in foveam altam demissa, occluso aditu (instar Vestalium delinquentium in Campo Scelerato pœnas dantium) extra portam Salariam eo modo ambo mori coguntur. Accidit autem, ut cum ad propinquum specum natalem diem eorum christiani celebraturi frequenti cœtu concurrerent, gentilium invidia factum sit ut obstructo aditu, qui synaxim intus agebant, sic mori coacti, martyrii coronam fuerint consecuti. *Ita nempe Baronius compendiose exhibet acta valde prolixa, utinam et fida. Horum* cum exemplaria, *subdit ibidem Baronius*, complura legerimus, illa fideliora reperimus, quæ breviora latine conscripta habentur; quæ vero græce edidit Metaphrastes (*imo alius*), compluribus additis, multum abest ut (quod putavit qui edidit auctor) fuerint græca eloquentia illustrata, sed potius corrupta et in imposturæ suspicionem adducta appareant eruditis ipsa exactius disquirentibus. *Tillemontius acta quævis, tum longiora, tum breviora, nullius habet pretii* (4). *Sic etiam Ruinartius : notat enim in præfatum Gregorii Turonensis locum ubi* historiæ passionis *meminit* (5) : Acta Sanctorum Chrysanthi et Dariæ, quæ hodie habentur, et videntur hic a Gregorio laudari, nullius sunt ponderis.

* *Celerino*

C

D

9 *Et re vera in illis plurima sunt, quibus si non prorsus spuria demonstrantur, saltem vehementer suspecta reddantur. Nam primum S.* Daria *annumeratur, saltem in Actis plerisque Latinis,* Vestalibus, *quod falsum demonstrabimus in* Annotatis *ad vitam, ex virginum illarum disciplina; tum passi scribuntur sub* Stephano I *papa et* Numeriano *imperatore; ast ille fere viginti septem annis ante hunc floruit; Stephanus martyr occubuit anno* 257, *Numerianus patri suo Caro suffectus est anno* 284, *quo etiam occisus, factione Arrii Apri, soceri sui* (6). *Deinde acta tradunt, passionem contigisse præsente et agente Numeriano; quod nemo admiserit : constat enim imperatorem hunc patri suo morienti in oriente præsto fuisse ibidemque necatum postquam mensibus octo vel novem regnasset* (7), *nec proinde a tempore quo præsse cœperat, Romam umquam venisse. Cum tamen in actis Numerianus* imperator *non vero* Augustus *dicitur, forte in mentem alicui venerit, martyrium contigisse ante mortem Cari, nihilque obesse quominus* Numerianus imperator *Romæ tunc moraretur, cum ex nummis certum sit* (8) *utrumque Cari filium, Carinum scilicet et Numerianum, vivente patre,* imperatoris *titulo donatos fuisse. Utique istiusmodi lis de verbo speciem cavillationis haberet; sed præterea exinde non efficeretur Numerianum Romæ tunc præfuisse, cum ibidem* imperium Cæsarianum, *ex patris decreto, Carinus exerceret. Audiamus Clarissimum Eckhelium* (9) : Vopisco teste, Carus in orientem profectus natu majorem Carinum in occidente reliquit, decretis illi Galliis, Italia, Illyrico, Hispaniis, Britannia, Africa, « imperio, » ut ait, « cæsariano, ea lege, ut omnia faceret quæ Augusti faciunt. » Ergo Carus filium, ut olim Gallienus Salominum, imperatoris et nomine et potestate ornavit, ut majore in tanto imperio polleret auctoritate.., Imperatoris titulum a patre delatum quoque Numeriano, nou quidem historici sed numi aperte docent (10). *Adde in Actis nostris prolixioribus innui motam ab Numeriano contra Christianos persecutionem, quod in brevioribus nonnullis, quæ præ manibus habeo, diserte asseritur :* Temporibus igitur Numeriani impiissimi cæsaris, dum in Romana urbe idolorum cultura a sacrilegis haberetur, in Christi cultores gravis persecntio exarsit, sævissimi Cæsaris jussu. B. igitur Chrysanthus *etc. Quæ sane componi hand facile cum optima indole Numeriani queunt.* Numerianum, *inquit Eckhel* (11), egregie moratum et vere dignum imperio... ac denique dissimilem sese plane moribus fratris (*Carini*) perversis probavisse, tradit Vopiscus, *qui addit, eum* mortuo patre nimio fletu oculos dolere cœpisse (12). *Non ergo verisimile est, a tali viro in Christianos sævitum. Hinc quoque Baronius :* Unde, *ait* (13), quæso, quod nonnulli martyres sub Numeriano passi legantur

parum fidis, tum quia Numerianum, crudelem dicunt tyrannum, et Romæ imperantem sub passione,

E

F

(1) Migne, Patrol. col. 779 et seq. — (2) Mémoires, t. IV, p. 567. — (3) Annales tom. III, p. 231. — (4) Mémoires, tom. IV, p. 762 — (5) Migne, Patrologia tom. LXXI col. 739, *nota* b. (6) L'art de vérifier les dâtes, p. 347. Vopiscus in Numeriano, historia Augusta, p. 251. Paris, 1622. — (7) Ibid. ubi supra. — (8) Eckhel, Doctrina Numorum, tom. VII, p. 516. — (9) Ibid. — (10) Conf. Vopiscum in Carino, Historia Augusta, p. 253. — (11) Doctrina Numorum, tom. VII, p. 511. — (12) Hist. Augusta, p. 251. — (13) Annales, tom. III, p. 231.

in

A in cunctis martyrologiis? Haud res est facilis demonstratu; nec est quod dici possit, nisi ipsum vivente adhuc patre, cum Cæsarem ageret, sæpius in christianos rescripsisse.

qui illo tempore in Urbe non erat, saltem cum imperio;

10 *Ast primum de istiusmodi rescriptis silent antiqui omnes, si tamen exceperis Chronicon paschale seu Alexandrinum, quod hic nullius esse pretii mox demonstrabo. Deinde Carus imperio potitus est mense Augusto an.* 282, *quo eodem mense ambos filios suos Cæsares creavit, extinctus vero est labente Decembri, anni sequentis, postquam præfuisset mensibus sexdecim vel septemdecim* (1). *Cæterum imperio vix adepto, profectus est Carus adversus Sarmatas, Illyricum turbantes, quos brevi tempore devicit, videturque ex universa Vopisci narratione patrem Numerianus in hac expeditione comitatus, quod etiam suspicatur Tillemontius* (2) *confirmari ex quodam nummo, quem tamen Eckhelius* Cimmeriis *imo* spissioribus tenebris *involutum dicit, ut ex illo nihil certi inferri hactenus liceat* (3). *Id porro extra omne dubium, Numerianum post Sarmatas profligatos statim in Orientem cum patre adversus Persas abiisse,*

B *nec umquam in Occidentem inde reversum. Est ergo saltem ambiguum an Numerianus Romæ absque patre suo Augusto moratus vel brevissimo tempore sit. Quod si daretur, non exinde legitime flueret fas fuisse Numeriano in Christianos Romæ degentes gravius quid vel rescribere vel moliri : supra enim vidimus Carinum cæsarem*, decretis sibi a patre Galliis atque Italia, Illyrico.., tenuisse imperium, ea lege ut omnia faceret quæ Augusti faciunt, *unde omnino videtur concludendum potestatem Romæ, absente Caro, penes Carinum fuisse. Quod confirmatur ex altero loco ejusdem Vopisci* (4) : Ubi primum, *ait,* accepit *Carus* imperium... bellum Persicum, quod Probus parabat, aggressus est, liberis Cæsaribus nuncupatis; et ita quidem ut Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret, secum vero Numerianum adolescentem, cum lectissimum tum etiam disertissimum, duceret. Et dicitur quidem sæpe dixisse se miserum, quod Carinum ad Gallias principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani, ut illi Gallicanum, quod maxime constantem principem quærit,

C crederetur imperium. *Confer Aurelium Victorem* (5) *et Eutropium* (6). *Quis in animum sibi inducat, Numerianum, adolescentem lectissimum, nullaque instructum auctoritate, in Christianos Romæ sæviisse, quibus pater ejus Carus favebat?* Nullum, *inquit Baronius* (7), sub Caro legimus passum, quod, ut dictum est, ipse faveret potius christianis. *Aliunde vero Numerianus adeo in patrem pius exstitit, ut ob ejus mortem* nimio fletu oculos dolere cœperit. *Talia sane facile caperentur in Carino,* homine omnium contaminatissimo, *cujusque pater* audiens quæ ille faciebat, clamabat : Non est meus (8). *Attamen, quod mireris, hunc Baronius omnis persecutionis in Christi sequaces exortem vult.* Sub Carino, *ait* (9), passus ponitur... Marinus senator, multis acerbissimisque tormentis excruciatus sub Marciano Urbis præfecto. Verum quod, quæ sunt certiora Acta Martyrum, dicant Carinum quosdam ex Christianis habuisse in amicitia, atque persecutionem excitatam magis cessare fecisse; æquius puto Numeriani jussu, quam Carini, martyrio sublatum esse; nam in Tabulis superius citatis, non per Carinum sed sub Carino passus Romæ ponitur, *quod mihi secus omnino videtur. Cæterum Baronius res illius ævi confuse et incohærenter exequitur, ut ex hactenus dictis haud obscure apparet.*

AUCTORE B. B.

nec ullam movisse noscitur contra christianos persecutionem;

11 *An ergo, contra fidem plurium actorum* (10), *dicemus nullos martyres sub Numeriano exstitisse? Aperte propendet in hanc sententiam Tillemontius* (11) : Numerianus, patre superstite parum auctoritatis habuit, quippe valde adolescens et solum Cæsar; ex quo autem factus est Augustus, in hoc unice intentus fuit, ut exercitum ex Persia reduceret et dirigeret Chalcedonem versus, ubi die 17 Septembris 284 interemptus est. Proinde vix in Oriente potestatem habuit, nullam vero in Occidente. Vereor itaque, ne ei tribuantur, quæ sub aliis E imperatoribus patrata sunt a præfectis, *Numerianus* vel simili nomine dictis. Certe Maximus Numerius (in nonnullis manuscriptis Numerianus) crudelissimus persecutor sub Diocletiano fuit in Cilicia; signatur quidam Numerus in actis S. Isidori sub Decio etc. *Ast Pagio* multos, Numeriano imperante, præter eos, quorum Baronius meminit, martyrium passos esse certum esse debet (12). *Mediam quamdam init Baronius viam, aiens* (13), *quamvis nullus sub Çaro passus legatur,* accidisse tamen interdum, ut invito ipso imperatore, Christianorum complures necarentur, *prout* dicta superius in Severo demonstrant. *Nec ego sane id negavero. Hoc autem posito, acta SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *in eo saltem falsitatis arguuntur, quod Numerianum Romæ præsentem dicant et sævum persecutorem. Restat ut agamus de Chronico Paschali seu Alexandrino, quod hic* nullius pretii *dixi. Nec multis opus erit ad hoc demonstrandum : ipse enim textus omnis generis scatet erroribus. Sic habet* (14) : Carino II et Numeriano Coss. Anno CCLV a Domini in cælos Ascensione (*id est anno* 284 *æræ nostræ : brevior enim æra Ascensionis* 29 *annis* (15)) facta est Christianorum persecutio, in qua multi martyres vitam finierunt, atque in iis S. Georgius et S. Babylas. Hic Antiochiæ magnæ erat episcopus quo Carinus imperator pervenit cum Caro patruo, Persis *bellum illaturus :* qui quidem Carus in Mesopotamia de cælo tactus interiit. Carinus vero victus Carras profugit, ubi a Persis, castris ad urbem positis, captivus factus, statim ab iis interfectus est : illiusque pelle detracta, ex ea saccum ii confecere, quem unguentis delibutum in victoriæ monumentum deinceps servarunt. Periit autem Carinus cum annorum esset XXXVI. Post ejus mortem Numerianus ejus frater suscepta in

F

(1) Art de vérifier les dates, p. 347. — (2) Tillemont, Histoire des empereurs, tom. III, p. 237. Bruxellis, 1732. — (3) Doctrina Numorum, tom. VII, p. 512 et seq. — (4) In Caro, Hist. Augusta, p. 250. — (5) Collectio scriptorum de Romanis imperatoribus ex recognitione Erasmi, p. 346. Coloniæ, 1527. — (6) Ibid. p. 391. — (7) Annales, tom. III, p. 231. — (8) Vopiscus, Hist. Augusta, p. 253. — (9) Annales, tom. III, p. 232. — (10) Ibid., p. 231 et seqq. — (12) Mémoires, tom. IV, p. 565. Conf Baronium, tom. III, p. 261. — (12) Baronii Annales, tom. III, p. 230. — (13) Ibid., p. 231. — (14) Tom. I, p. 510. Corpus scriptorum histor. Byzantinæ. Bonnæ, 1832. — (15) Art de vérifier les dates, p. xxxv.

AUCTORE B. B.

Persas expeditione ultum ivit fratrem *etc. Quæ omnia vel falsa vel incohærentia sunt : Georgius passus Nicomediæ est initio persecutionis decimæ sub Diocletiano et Maximiano* (1)*; magna vero de S. Babylæ ætate controversia est. Unicum antiqui memorant sub Decio* (2)*; Carini pater erat Carus, isque cum Numeriano Persis bellum intulit; Carinus post mortem fratris sui, cum Diocletiano acie congressus et a suis interfectus est* (3)*, anno ætatis fere trigesimo secundo* (4).

tum quia continuis prodigiis a capite ad calcem contexta sunt.

12 *Passio ex actis contigit sub Celerino præfecto Urbis, cujus nomen nec in fastis Buchenianis nec in aliis reperitur; nec uspiam alibi occurrit nisi in actis SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *sicut et in actis S. Mauri; et hinc semel iterumque in Martyrologio Romano, nempe* 25 *Octobris, ubi de SS. nostris Martyribus agitur et* 22 *Novembris, ubi de S. Mauro;* cum vero, *ait Orsinius* (5), martyrum illorum acta vel apocrypha vel suspecta maxime sint, nihil prorsus præsidii pro Celerini præfecti nomine exsculpi inde potest. *Vide Annotata ubi et alia fere id genus asterisco digna, commodius reddentur. Sufficiat generatim monuisse hoc loco,*

B *acta SS.* Chrysanthi *ct* Dariæ *continuis prodigiis a capite fere ad calcem esse contexta, ut ex hac parte etiam a probe sinceris, et pro talibus apud cordatos habitis, plurimum abludant. Usu proinde venit hic prudens Gelasii papæ animadversio :* Gesta sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ista catholicorum dubitet, et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in S. Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus idiotis superflua aut minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur... Propter quod (ut dictum est) ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia nón leguntur. *Ita Gelasius sæculo* V (6).

ide dignius ncomium ex enologio Baliano.

13 *Longe majorem meretur fidem encomium, quod, ut diximus n.* 3, *reperitur ad diem* XVII *Octobris in Menologio Græcorum, jussu Basilii imperatoris conscripto, et propterea hic*

C *in extenso recitamus :* Certamen sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ. Isti Numeriano imperatore claruerunt et Chrysanthus quidem Romam cum patre, senatorii ordinis viro, profectus, Christi fide ab episcopo quodam in spelunca latente instituitur. Quod ubi rescivit pater, in tenebricosum carcerem eum includit; tum compellit uxorem ducere Dariam, philosophicis imbutam studiis; qua tamen non secus ac sorore usus est, quando id uterque consilii ceperat, ut virginitatem ad mortem usque tuerentur. Quare et ipsa baptizata est; sed cum ambo populum ad caste temperateque vivendum inducerent, infideles ægerrime ferentes, uxores suas facto secum divortio, Christo desponderi, rem deferunt præfecto, qui illos Claudio tribuno tradidit. Ex urbe igitur educti et variis cruciatibus torti, in foveam cœno plenam dejiciuntur, atque obruti et conculcati decedunt. *In his nec* D Daria *scribitur* Vestalis; *nec mentio fit* Stephani *papæ; sub* Numeriano *quidem passi indicantur, sed nec imperator ille persecutionis auctor traditur, nec Romæ præsens certamini. Desunt prodigia. Ut vix non omnia, quæ Actis objecimus prorsus cadant, atque obtineat hic quod supra n.* 8 *notavimus ex Baronio :* illa *Acta* fideliora, quæ breviora.

Acta primum græce conscripta,

14 *Acta SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *edimus græce et latine. Græce ex duplici codice Parisino; scilicet Coisliniano, qui, judice Montfalconio, sæculi est circiter* XI*; et Colbertino, qui sæculo* XII *exaratus videtur; item ex transumpto, quod nobis reliquerunt decessores nostri, cui manu sua adscripsit Papebrochius :* Ex Ms., ut puto, Vaticano. *Codex Coislinianus longe melioris est notæ (cujus solius meminit Fabricius); hunc proinde prælo subjicimus, hactenus ineditum. Quæ diversa alicujus momenti occurrunt in aliis duobus Annotata docebunt. Id universim sufficiat hoc loco monuisse, tria nostra manuscripta græca rebus inter se convenire, verbis hinc inde discrepare; ut pateat eodem ex fonte orta.*

et ex his latine versa;

15 *Latina, rursus ex codicibus pluribus manuscriptis, cum Mombritio collatis; prætermitto Surium, qui, ut mox videbimus, longe fideliorem melioremque habet versionem. Vide Annotata ad præfationem Actorum litt.* a *et* b. *Non videtur dubium Acta ab origine græce conscripta fuisse quod luculenter efficitur ex perpetua utriusque textus comparatione. Cum tamen Græci adhuc inediti manserint, scriptores consuluisse reperiuntur solas latinas versiones, alias ex aliis transumptas, non sine mendis (ut assolet) multisque adulterationibus sive corruptelis. Excipitur Suriana, ut paulo ante jam innui, cujus auctor certo certius præ manibus habuit exemplar græcum, haud dissimile Coisliniano nostro, cum ejus versio fere semper nec non accurate respondeat præfato codici; unde etiam pluribus in locis non parum abscedit a latinis, ut palam fiet ex Annotatis. Ex eo vero quod staretur Actis Latinis, iisque sat mendosis, factum est, ut nonnulla passim obtinuerint asserta, quæ non spernendas moverunt difficultates, ex textu græco facile sive tollendas sive elucidandas. Exempli causa, asseritur vulgo sancta* Daria *fuisse* Vestalis, *cum in tribus nostris Græcis codicibus dicatur* Virgo Minervæ Παρθένος τῆς Ἀθηνᾶς, *prout habet etiam Surius.* F

quamvis de auctore non constet,

16 *Dissentiunt etiam nonnihil de auctore Actorum. In Latinis sic legitur :* hæc omnia sicut gesta sunt, scripsimus Varinus et Armenius fratres a sancto Stefano papa Romano in Sede apostolica facti presbyteri. *Differt Coislinianus, priorem solum nominans, numeroque utens singulari :* Ταῦτα ὡς ἐπράχθη ἀνεγραψάμην ἐγὼ Οὐιρῖνος, προτροπῇ ὑπειξας Στεφάνου τοῦ ἁγιωτάτου πάπα *:* hæc sicut facta sunt, scripsi ego Virinus, voluntati obtemperans Stephani sanctissimi papæ. *In altero codice Parisino, nempe Colbertino, uterque nominantur Verinus et Armenius, numerusque adhibetur pluralis :* ἀνεγραψάμεθα Οὐηρῖνος καὶ Ἀρμένιος ἀδελφοὶ παρα *etc.;* Scripsimus Verinus et Armenius fratres. *Posteriorem sequitur Surius :* hæc autem omnia, ut gesta

(1) Acta SS., tom. III April. die XXIII, p. 106. — (2) Ibid. tom. II Januarii, die XXIV, p. 570. — (3) Tillemont, Hist. des empereurs, tom. IV, p. 3. — (4) Art de vérifier les dates, p. 347. — (5) De Præfectis Urbis, p. 133. Pisis 1766. — (6) Migne, Patrologia, tom. LIX, col. 160. Conf. Baronium, tom. III, p. 262.

sunt,

A sunt, nos Verinus et Armenius fratres conscripsimus. *Quod sane indicio est, Surium (quem novimus plerumque ad manus habuisse varios, eosque haud infimi meriti codices) ita reperisse. Si tamen res dijudicanda esset ex duobus Parisinis codicibus, utique standum foret Coisliniano, quippe qui longe præstat Colbertino. In Vaticano prætermittuntur scriptores, totusque numerus apud alios ultimus desideratur, non quidem negligentia amanuensis, sed ipsius codicis defectu, ubi post narratam fidelium, ad sanctorum* Chrysanthi et Dariæ *sepulcrum confluentium internecionem, finis imponitur doxologia consueta* Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ *etc.* in Christo Jesu, domino nostro, cui *etc. Itaque ex codicibus nostris Græcis, unus de scriptore vel scriptoribus silet; alter unum nominat, tertius duos. Huic Latini omnes consonant, non excepto Surio, ut non videam quomodo factum sit ut in Vaticano desit mentio de Varino et Armenio. In Actis Latinis (exceptis tamen Surianis) Varinus et Armenius dicuntur non solum* fratres, *sed etiam* presbyteri *et quidem* ordinati a Stephano *papa; hujusque jussu* scripsisse
B *asseruntur. Similiter græcus codex Colbertinus (Coislinianus, ut diximus, unum tantum signat auctorem* Virinum) *vocat* fratres : ἀδελφοι; *uterque docent acta* jubente Stephano *memoriæ prodita, sed silent de sacerdotio. Græcis inhæret omnimode Surius :* fratres conscripsimus, jussu sanctissimi papæ Stephani. *Post hæc non capio qua ratione nixus scribat Baronius* (1) : Celebriores inter alios (*Martyres*) habentur Chrysanthus et Daria, quorum acta feruntur esse scripta a Verino et Armenio Stephani papæ presbyteris; non tamen (ut habent mendosi codices) jussu Stephani papæ. *Imo* mandatum Stephani *testantur cum Surio ambo codices græci Parisini, et latini omnes;* Sacerdotium *posteriores solum. Et confirmatur ex Actis translationis* (2) (*conscriptis anno* 886) *SS. Diodori et Marini. Hi die natali SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *cum aliis multis convenerant ad eorum sepulcrum, et jussu Numeriani leguntur obruti zabulo. Vide ad calcem hujus Comment. Acta nostra cap. II. Dicitur autem apud Surium, ubi de translatione SS. Diodori et Marini :* Stephanus papa cum plurimos quotidie persecutio-
C nibus Christianos affici conspiceret, et ipse ad subeundum pro Christi nomine martyrii agonem proximus esset, duos presbyteros testimonio fidei probabiles, Varinum videlicet et Armenium, qui Sanctorum passiones, quos assidue pati videbant, conscriberent. *Bollandus SS. Diodorum et Maurinum ex* XVII *Januarii remisit ad Kalendas Decembres. Quo die erit in opere nostro de illis agendum. Hoc unum addam; si Varinus et Armenius a Stephano papa facti presbyteri ad ætatem usque Numeriani vixissent; communi loquendi modo, dicti fuissent non* Stephani, *ut a Baronio, sed potuis* Caii *presbyteri, qui tunc sedi Apostolicæ præerat, ab anno nempe* 283 *ad annum* 296 (3). *Cæterum quam fidem mereantur acta, vidimus supra nn.* 10-13. *Hæc igitur cum vehementer nutet, et in specie, errore manifesto laborent, ubi synchronos ponunt S. Stephanum papam et Numerianum imperatorem; aliunde vero de auctoribus non constet nisi ex actorum eorumdem testimonio et insuper exemplaria græca inter se discordent; aliis unum, aliis duos signantibus scriptores, aliis denique silentio prementibus utrumque; videat eruditus lector quo in hujusmodi rerum adjunctis prudens ratio ducat.* AUCTORE B. B.

17 *Perperam quoque historia passionis tribui a nonnullis videtur Simeoni Metaphrastæ. Ait quidem Surius :* SS. Chrysanthi et Dariæ historia, scripta a Verino et Armenio, Stephani papæ presbyteris, teste Baronio, habetur in Metaphraste, consentiuntque antiqui Mss. codices latini; *sed, ut scite animadvertit Leo Allatius* (4), male affirmatur, cum quis nobis in manus codex pervenerit, et in eo habeantur vitæ Sanctorum nullo præfixo scriptoris nomine, illas vitas haberi apud Metaphrastem, cum collectio illarum vitarum, Metaphrastis non sit, et consequenter illas Metaphrastem, etsi non scripserit, approbasse vel saltem dignas existimasse, quæ per manus hominum volitarent. *Dein subdit triplicem catalogum; primum Vitarum, quæ certum auctorem habere probantur ex ipsis codicibus Mss. vel horum contextu, ut obtinet in Vita SS.* Chrysanthi *et* E
Dariæ, *quorum* Martyrium scriptum est a præsentibus et videntibus : ἠκούσθη δὲ τοῦτο πασιν ἡμῖν καὶ ἐλαλαλεῖτο καὶ τις τῶν ἀκουσάντων λέγει τῷ πατρῖ αὐτοῦ : Id vero a NOBIS omnibus auditum est et cirumferebatur; et unus ex iis qui audierant dicit patri suo (5). *Non nominat Allatius Varinum et Armenium; quod forte in ejus codicibus deerant versus qui in Coisliniano et Colbertino nostris, ultimi; ut etiam obtinet in apographo nostro Vaticano. Id quoque notandum vocem* ἡμῖν *in græcis quidem omnibus Mss., quæ mihi videre contigit, adhiberi, sed in latinis versionibus item omnibus, ne Surio quidem excepto, prætermitti. Vide de his latius in Annotatis ad cap. I. et cap. II. In secundo catalogo Allatii veniunt Vitæ Simeoni abjudicatæ* (6); *tertius denique recenset Vitas a Metaphraste scriptas* (7); *in his autem nulla est quæ de SS.* Chrysantho *et* Daria *vel minimum agat.* *et immerito tribuerentur Simeoni Metaphrastæ.*

18 *Utut vero est de actorum sive sinceritate sive scriptoribus, antiquitas in dubium vocare non potest. Et primum quidem Ado Viennensis, ad diem* 1 *Decembris tale habet in suo martyrologio compendium, ut evidens sit eorum exemplar præ manibus fuisse. Juverit locum ex Adone recitasse :* Kalendis Decembris. Natale sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ, qui tempore Numeriani sub judice Celerino Romæ passi sunt. Chrysanthi pater Polemius, vir illustris fuit, Alexandrinus genere. Hic filium suum cuidam virgini elegantis pulchritudinis conjunxit, quam ex nobilissimis Romanis fuisse constat. Hanc Chrysanthus a beato Carpophoro presbytero in divinis litteris satis fideliter eruditus, ad fidem Christi convertens, et prædicatione sua, ut virginitatem suam Deo servaret instituens, et ut pariter nomen conjugii habentes, caste viverent, efficiens, baptizari fecit. Factumque est ut per Chrysanthum multitudo virorum, et per Dariam (sic enim vocabatur) innumerabiles feminæ ad Christi gratiam confluerent. Igitur post aliquod tempus orta est seditio adversus *Attamen antiqua probantur acta ex Adone;* F

(1) Annales tom III, p. 231. — (2) Apud Surium XVII. Januarii. — (3) Art de vérifier les dates, p. 243. Conf. Tillement, Mém., tom. IV, p. 763. — (4) De Symeonibus, p. 80. — (5) Allatius de Symeonibus, p. 110. — (6) Ibid. p. 119 et seqq. — (7) Ibid. p. 124 et seqq.

eos,

AUCTORE B. B.

eos, quod essent christiani, Celerino tunc præfecto Urbis. Qui utrosque comprehensos tradidit Claudio tribuno, ut diversis pœnis eos interficeret. Claudius vero tribunus septuaginta militibus ad torquendum Chrysanthum dedit; qui nervis crudis eum adstringunt, sed mox ligamenta omnia resoluta sunt. Deinde in cippo nodosissimo, ita ut in tertio puncto ejus tibiam coarctarent, eum mittunt; moxque totum lignum cippi in cinerem resolvitur. Deinde perfundunt eum lotio humano putentissimo; ut maleficia, inquiunt, tua amittas. Sed fœtor in suavem odorem mutatus est. Deinde in corio recenti vitulino constringunt nudum et ad solem ferventem componunt; sed virtute divina corium, ut erat, molle permansit. Deinde collum, manus ac pedes catenis constringentes ferreis claudunt eum in obscurissimo loco, sed statim catenæ resolutæ sunt, et tanta lux infulsit, ut putarentur illic innumeræ lampades fulgere. Milites ergo hæc omnia nuntiaverunt tribuno, qui jussit eum sibi exhibitum fustibus cædi, sed allatæ virgæ rigidissimæ illico cœperunt
B in manibus cædentium mollescere. Quod videns Claudius jubet eum erigi et vestimentis indui; et genibus ejus provolutus, cum universis militibus orabat se fieri christianum. Quid mora? Catechisatus baptismi gratiam percepit, cum illo et Hilaria uxor, duo filii ejus Jason et Maurus, amici et familiares ejus, septuaginta milites cum universis suis. Quod factum imperator audiens, Chrysanthum et Dariam jussit in carcere Tulliano includi, unde putor horribilis ascendebat, quia domorum et civitatis stercora pro cloacarum cuniculos jugiter illuc decurrebant. Exinde Daria in publico meretricum lupanari ponitur. Sed Chrysantho lux divina et odoramenta suavia præstantur; Dariæ vero leo de cavea fugiens, Domini virtute ad tutelam donatur; qui ingressus cellulam, in qua Sancta Dei in oratione prostrata jacebat, juxta eam prosternitur, ut venientes et ingredi volentes vi sua repelleret. Cumque plures hoc miraculo perculsi, Christi potentiam venerarentur, Celerinus præfectus jussit ignem copiosum in ingressu cellæ, ubi Daria cum leone erat,
C accendi. Tunc cum jam leo paveret ac rugitum daret, ait beata Daria : Egredere securus et vale, quia ille, quem in me honorasti, ipse te liberat. Exhibitis iterum, jubente imperatore, Chrysantho et Daria Celerino præfecto, Chrysanthus equuleo ingenti suspenditur; sed statim omnia ligna equulei comminuta ac vincula dirupta sunt, lampades quoque applicatæ lateribus ejus extinctæ. Hoc Celerinus præfectus vehementer expavescens nuntiavit imperatori. Ille hoc maleficiis imputans, jussit eos duci via Salaria in arenario, et vivos deponi ac terra et lapidibus obrui. Passi sunt autem die Kalendarum Decembrium. Ad quorum venerandam Memoriam cum multa beneficia Deus præstaret, contigit ut ad diem natalis eorum infinita populi multitudo concurreret. Hoc nuntiatur imperatori, qui jussit ut in introitu cryptæ paries levaretur. Ac sic factum est, ut omnes pariter dum sacramenta Christi D perciperent, martyrii gloriam celebrarent, inter quos erat Diodorus, presbyter et diaconus Marinianus et plurimi clericorum. *Hactenus Ado.* Verisimillimum *porro est ejus martyrologium* circa annum DCCCLVIII aut forte paulo citius exaratum fuisse (1), *proinde circa tempora, quibus contigit translatio, facta sub Marcwardo abbate Prumiensi, anno* 844, *de qua pluribus erit agendum sequenti paragrapho. Et notatu sane dignum est, Adonem sub abbate illo Prumiæ aliquamdiu meruisse.* Monachis Ferrariensibus, *inquit Sollerius* (2), in discipulum traditus (*Ado*), istic a Sigulfo abbate adhuc infantulus aut puer susceptus esse videtur, ubi bene conversatus, teste Lupo, omnes sibi coævos in litterarum studiis præivit. Inde ad Prumiense cœnobium, rogatu Marcwardi abbatis directus, ibi aliquamdiu commoratus est, donec quorumdam invidiosorum insidiis impetitus Romam se contulit.

forte etiam ex carmine nuper reperto.

19 *Imo multo antiquiora forent habenda acta nostra, si genuinum est* carmen, *recens inter manuscripta bibliothecæ Sangermanensis repertum, publicique juris factum a DD. Miller et Aubenas anno* 1845 (3), *in cujus fronte legitur manu recenti scriptum :* Horum versuum auctor creditur sanctus Damasus pont. maximus, *quos et nos commentario huic subdendos duximus ex Patrologia Migniana* (4). *Certe si constaret* (*nec tamen ita est*) *S. Damasum esse illius carminis auctorem, Actis non spernendum accederet pondus; nam exinde sequeretur, sæculo* IV (*præfuit Damasus ab an.* 366 *ad annum* 384) *martyrium SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *eodem prorsus modo fuisse descriptum, quo exhibetur in Actis nostris, quibus carmen ad amussim concordat, ut perspiciet quivis voluerit utraque inter se conferre. Ast hactenus nihil omnino, licet statuere tum de auctore, tum de ætate carminis. Quoniam de carmine diximus, obiter hic notabo inter opera poetica celeberrimi vatis hispani Petri Calderon de Barca reperiri* (5) *Drama sub titulo :* Los dos amantes del cielo, *id est* duo amantes *seu sponsi* cœlestes, *nempe* Chrysanthus *et* Daria, *quorum historia argumentum poematis est. Opus hoc scriptum putem ab auctore, cum jam presbyter esset. Cæterum quanta fiat vir ille apud suos, nemo est qui ignoret. Judice Nicolao Antonio, in multis par est Lupo a Vega, eumque* in non una dote superat (6).

E

F

Passio probabilius contigit anno circiter 283, *sub Numeriano*

20 *Restat ut ad finem hujus paragraphi tempus passionis, si non certo, saltem probabilius indicemus. Sane ex hactenus disputatis manifestum est, densis nos hac in re obvolvi tenebris. Quæstio scilicet est an certamen SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *adscribendum Valerianæ tempestati sit an Numeriani temporibus. Alterutrius horum imperatorum ætate contigisse, extra controversiam videtur. Si, post mortem Cari, sub Numeriano illius filio* Augusto *passi teneantur, id factum sit oportet anno Christi* 284, *cum Numerianus illo anno imperare cœperit et desierit* (7); *si sub Numeriano,* cæsare *tantum et vivente patre ejus imperatore Caro, coronati martyrio sunt, admittendus erit annus* 282 *ad finem ver-*

(1) Sollerius, Præfatio in Usuardum, p. xxx, n. 151. — (2) Ibid. — (3) Revue de Bibliographie, Août, 1845. — (4) Tom. LXXIV, col. 527 et seqq. — (5) Las comedias de P. Calderon de Barca..., por Juan Jorge Keill, t. II, p. 622 et seqq. Leipsique, 1828. — (6) Bibliotheca Hispana nova, tom. II, p. 177. — (7) Art de vérifier les dates, p. 347.

gens,

A *gens, vel annus* 283; *siquidem priori Numerianus* cæsar *renuntiatus est, et posteriori Carus circa* xx *Decembris obiit* (1). *Favent huic sententiæ acta, quæ diserte Numerianum passionis auctorem imo et actorem faciunt; et confirmatur ex eo quod difficile sit negare sub illius imperio plures christianos martyrio fuisse affectos. Conf. n.* 11. *Aliunde tamen cum, iisdem testantibus actis, mortem sancti Pugiles nostri pro Christi fide oppetierint sub Stephano papa I, hic autem sederit sub Valeriano, pronum est suspicari huic Numerianum substitui in actis facile potuisse propter utriusque nominis similitudinem: mutatis enim tribus prioribus litteris, ex* Valeriano *fit* Numerianus. *Hoc si admittimus incidet passio inter annum* 256, *quo labente cœpit Valeriani persecutio* (2), *et initium mensis Augusti an.* 257, *quo cœli corona S. Stephanus est potitus* (3). *Nec diffitendum quod barbara crudelitas in actis descripta conveniat apprime sævissimæ a Valeriano excitatæ persecutioni; non item imperio Numeriani, qui nuspiam deprehenditur gravius quid contra Christianos statuisse. Attamen cum modus martyrii ex*
B *actis tantum prolixioribus habeatur; hæc autem vix ullam mereantur fidem, nec proinde cogamur admittere passionem contigisse sub Stephano papa, cum id aliunde quam ex iisdem actis haud constet; non facile recedendum est a perpetua tum græcorum tum latinorum traditioni, qua certamen SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *ponitur sub Numeriano; idque tanto minus, quod, sicut supra monui, quamvis nullius iste persecutionis proprie dictæ auctor probetur, multa tamen sint rationum momenta, quæ suadeant, aliquos saltem sub imperatoris illius regimine passos martyres. Omnibus itaque perpensis, rationi magis consentaneum nobis manet, SS.* Chrysanthum *et* Dariam *sub Numeriano* Claruisse, *ut voce utar ex menologio Basilii mutuata; atque palmam adeptos circiter annum* 283.

§ II. De Translationibus reliquiarum, quas diversæ diversarum regionum ecclesiæ sibi vindicant. Et primum de trina translatione Romana et reliquiis Lateranensibus. Dein de translatione Eiffliensi.

C

Memorantur translationes plures.

Operosa nec mediocriter intricata quæstio est de reliquiis harumque translationibus. Illas etiam hodie plures ecclesiæ sibi vindicant, et plerumque instrumenta haud spernenda exhibent, quibus suam existiment stabiliri possessionem. Omnium prima translatio signatur sæculo VIII, *sub Paulo papa I, qui sedit ab anno* 757 *ad annum* 767; *altera ineunte sæculo* IX, *sub Paschali I, qui consecratus in pontificem fuit anno* 817, *obiit anno* 824; *tertia eodem sæculo* IX *ad finem vergente, sub Stephano V, qui præfuit ab anno* 885 *ad annum usque* 892. *Atque tres istæ translationes memorantur Romanæ. Aliæ extra Urbem numerantur omnino sex; Eiffliensis, Regiensis, Uritana, Salisburgensis, Neapolitana, Viennensis; adeoque tres in Germania et totidem in Italia. De singulis ex ordine dicemus, id prævie monentes, Eiffliensem translationem cæteris videri melius probatam.*

AUCTORE B. B.

Prima translatio sub Paulo I, circa annum 761,

22 *Paulum papam I plurima ex cryptis seu cœmeteriis Romanis transtulisse corpora, liquet ex ejusdem pontificis Constituto, dato die* 2 *Junii anno* 761 (4) : Conspecta, *inquit,* sanctorum locorum desidiosa incuria, et ex hoc valde ingemiscens;... aptum prospexi, Deo annuente, eosdem sanctos martyres, et confessores Christi, et virgines ex iisdem dirutis auferre locis. Quos et cum hymnis et canticis spiritualibus in hanc Romanam introduximus urbem, et in ecclesiam, quam noviter a fundamentis in eorum honorem construxi... eorum sanctissima collocans condidi corpora, *id est in ecclesia S. Silvestri. Nomina sanctorum illorum in Constituto non exprimuntur; sed leguntur in duabus tabulis seu kalendariis marmoreis, quas videre erat in porticu præfatæ* E *ecclesiæ, quasque editas reperies ab Angelo Maio* (5). *Prior incipit :*

† IN N. DNI. HEC EST NOTITIA NATALICIORUM SCORUM HIC REQUIESCENTIUM.

Et paulo inferius in Martio :

DIE XVIII *M. SS. N. * SCOR CHRYSANTHI ET THRASONIS.

* *id est* Martis.
* Natalicium.

Altera tabula vel si mavis posterior pars prioris (in hac enim nomina tantum occurrunt virorum martyrum et confessorum Christi, *ut est in Constituto) rupta et mutila, dein restituta fuit, verosimillime ex vetusto kalendario seu tabula membranacea, de qua Lucas Waddingus in Annalibus Minorum* (6). *In posteriore hac parte veniunt nomina sanctarum feminarum seu* virginum, *quarum corpora transtulit Paulus I. Hanc quoque partem edidit Maius, litteras restitutas uncinis inclusas exhibens. Initium sic habet*

MENSE MARTIO. D. XVIIII. N. SCA [E DARIÆ] ET HILARIÆ V. [ET. M.]

F

Porro Tabulæ istæ videntur Paulo I coævæ. Certe observat cardinalis Maius in priorem, hoc monumentum *a Mazochio adjudicari sæculo* IX, contra sententiam Muratorii, cui antiquius videtur, *quam sententiam et nos secuti sumus in actis S. Tryphoniæ, monstrantes rationum momenta per Mazochium allegata exigui ponderis esse* (7). *Itaque stando hisce monumentis prima ex cœmeteriis translatio S.* Crysanthi *contigit inter diem* 28 *Maii anni* 757, *quo pontificatum adeptus Paulus I est, et diem* 2 *Junii anni* 761, *quo suum de hoc argumento edidit Constitutum; quod utique prodiit haud diu post peractas translationes; et ipsæ tabulæ ad idem fere tempus probabilius referendæ. De S.* Daria *minus constat, cum in posteriori tabula ejus nomen, ut dixi, fuerit supplendum.*

(1) Art de vérifier les dates, p. 347. — (2) Ibid., p. 243,; Tillemont, Mémoires, tom. IV, p. 779. — (3) Art de vérif. ibid Tillemont, ibid.,p. 780. — (4) Baronius, Annal. eccl. ad ann. 761, numm. III et IV. Item, Acta SS., tom. VIII Octobris, pag. 322 et seq. — (5) Scriptorum veterum nova collectio, tom V, p. 56-58. — (6) Ad an. 1285, n. 20. Tom. V, p. 148. — (7) Acta SS. ubi supra, p. 233.

AUCTORE B. B. *altera translatio Romana sub Paschali I, circa an.* 817 :

23 *Nihilominus sæculo sequenti, anno scilicet* 817, *teste Anastasio bibliothecario* (1), *Paschalis I*, beatissimus et præclarus pontifex, multa corpora sanctorum diutius in cœmeteriis jacentia pia sollicitudine, ne remanerent neglectui, quærens atque colligens, magno venerationis affectu in jam dictæ Christi martyris Praxedis ecclesiam, quam mirabiliter renovans construxerat... deportans recondidit. *Erant autem hæc corpora bis mille trecenta; supersunt tabulæ quas et in nova collectione Card. Maji recusas invenies* (2). *Rursus adscribimus initium :*

† IN N̄ DN̄I D̄I SALV. NR̄I IHU XP̄I TEMPORIBUS SCISSIMI AC TER BEATISSIMI ET APOSTOLICI D̄N PASCHALIS PAPÆ INFRADUCTA SUNT VENERANDA SCORUM CORPORA IN HANC SCAM ET VENERABILEM BASILICAM BEATÆ XP̄I VIRGINIS PRAXEDIS : QUÆ PRÆDICTUS PONTIFEX DIRUTA EX CYMETERIIS SEU CRYPTIS JACENTIA AUFERENS ET SUB HOC SACRO SC̄O ALTARE SUMMA CUM DILIGENTIA PROPRIIS MANIBUS CONDIDIT IN MENSE JULIO DIE XX INDICTIONE DECIMA.

B *Sequuntur nomina plurima sanctorum, per turmas summorum pontificum, episcoporum etc. distributorum; post viros sequuntur nomina virginum et viduarum; inter has signatur* S. Daria, *inter illos* S. Chrysantus. *Quæ sit memoratæ tabulæ ætas non mihi liquet. Cardinalis Majus testatur illam reperiri* Romæ in S. Praxedis, haud procul ara maxima, optimis litteris, *quæ dua postrema verba videntur prodere ævum non adeo remotum. Quod si hæc admittatur sacrorum pignorum ad S. Praxedis translatio et quidem ex* Cymeteriis seu cryptis *facta a Paschali I anno circiter* 817; *manifeste sequitur, supposititia esse quæ supra ex tabulis Silvestrinis retulimus; nec enim educi ex catacumbis a Paschali potuere corpora, quæ quinquaginta fere ante annis ablata fuerant a Paulo I. Vicissim si genuinæ habeantur Silvestrinæ, spuriæ sint oportet tabulæ S. Praxedis, saltem quod spectat ad corpora SS.* Chrysanthi *et* Dariæ.

item tertia sub Stephano V. ad ecclesiam Lateranensem, anno circiter 886 :

24 *Sed et tertia translatio, duabus prioribus longe celebrior memoratur habita sub Stephano V, qui a nonnullis VI vocatur, sed perperam. ut ex dicendis patefiet. De hac ita scribit Sarazanius in Notis ad carmina S. Damasi* (3) : Horum Sanctorum corpora a Stephano papa VI (*imo V*) anno Domini 886, pontificatus anno primo cum aliis reliquiis inventa ex eoque loco translata in Lateranense palatium et ad basilicam SS. XII Apostolorum et alibi condidit ac largitus est, ut habetur in historia inventionis Sanctorum Diodori et aliorum apud Surium tom. I die 17 mensis Januarii, de qua etiam Petrus in Catalogo lib. I, cap. 12. Quorum etiam sanctorum Chrysanthi et Dariæ altare in basilica Lateranensi sub abside fuit, in quo ipsorum corpora recondita olim fuerant; sed cum tempore, quo ecclesia corruit sub Stephano VI (*lege V*), pollutum et dirutum fuisset, translata sunt in oratorium S. Mariæ et S. Pancratii martyris, quod erat in dextro latere basilicæ ubi nunc sacrarium est, ibique sub altari ipsius oratorii recondita sunt, ut scribit Panvinius de septem ecclesiis, in sancti Joannis templo. *Necesse est addidisse ex historia Inventionis SS. Diodori etc. locum, ad quem respexit* D *Sarazanius.* Beatus igitur Chrysanthus et Daria virgo (*Surii verba recitamus* (4)) plurimis jam martyriis affecti, gratia Christi cum victoriæ coronam in omnibus consequerentur, ejusdem imperatoris (*Numeriani*) furia extra portam Romanæ urbis via Salaria in arenario depositi, terra et lapidibus obrui jussi sunt vivi. Cumque omnipotens Deus multa fidelibus præstaret eorum interventionibus beneficia in eodem loco, evenit ut die natalis eorum infinita populi multitudo inibi conveniret... Hoc igitur cum fuisset Numeriani auribus intimatum, jussit ut in introitu cryptæ paries levaretur. Quod cum fuisset impletum, montem qui cryptæ imminebat, super eos dejecit; et ita factum est, ut omnes pariter, dum divina perciperent sacramenta et Martyrum gloriam celebrarent, ipsi quoque ad gloriam Martyrii pertingerent; inter quos erant Diodorus presbyter et Marianus diaconus *etc. tum interpositis nonnullis ad pietatem facientibus, sequitur :* Hic thesaurus in paradiso collocandus, iniquissimi cæsaris perfidia montium ruina absconditus, per plura latuit sæcula, et licet a E pluribus sit exquisitus pontificibus, a nullo tamen reperiri potuit. Sed omnipotens Deus... suorum Martyrum gloriam revelare voluit suis fidelibus. Unde sanctum Stephanum (*nempe V*) suæ sanctæ præfecit apostolicæ ecclesiæ, cujus ad hoc inspiravit animum ardore mirabili, ut tantorum sanctorum quærere aggrederetur thesaurum, ruina obrutum. Hic igitur fossores advocat, et benedictione munitos, ubi et qualiter fodere debeant, instruit. Reliquit fossas, quas prædecessores sui plurimi plures fecerant, et ostendit eum locum ubi fodere debeant, quem ei revelatum divino affamine non ambigimus. Incipiunt fossores terram egerere sed plus omnibus ipse institit Deo digno operi. Nam illi fodiunt manibus, hic Deum dignis orat precibus. Illi quærunt fodiendo, hic orando invenit. Hoc quis ambigat divina factum providentia. Circa primi namque Stephani martyris (*passos sub hoc pontifice SS.* Chrysanthum *et* Dariam *ferunt acta, conf. supra n.* 9) tempora, cum ipse Romanam gubernaret ecclesiam, hæc in Christi martyribus F persecutio exorta est, et sexto (*imo* quinto) Stephano Romanæ præsidente ecclesiæ ipsorum facta est inventio..... Invento igitur sacratissimo thesauro, nullis copiis coæquando, ipse prior accinctus cryptam ingreditur, et stipatus diversis venerabilis sacerdotii gradibus ac cœtu populi orthodoxæ fidei, Deo dignas laudes cum exultatione referens, inter ruinas ac lapidum congeriem, propriis cœpit manibus omni mundo venerabiles margaritas legere de sanctorum corporibus, nec cessat suo sancto studio, donec omnia fragmina artuum a ruinæ segregaret congerie. Collectis itaque artubus per dies aliquot, propter maximam ruinæ montium congeriem, tanti odoris nectar inerat loco, ut omnes reficeret qui aderant. Quamobrem fossores magis ac magis labori operam dare exardescebant, lassitudinis et corporei alimenti imemores. Nocturno siquidem tempore angelicæ voces in crypta audiebantur et psalmodiæ hymnizantium,

(1) Tom. I, p. 320. — (2) Tom. V, p. 38-40. — (3) Migne Patrologia, tom. XIII, col. 402. — (4) Tom. I, p. 283.

tantusque

A tantusque splendor illam illustrabat, ut nullus auderet nocturno tempore accedere. Peracto autem opere, idem sanctissimus papa litanias indixit, et congregato omni cœtu cleri et populi romanorum civium, discalceatis pedibus, cum lampadibus et crucibus, omnique apparatu ecclesiastico adveniens, in feretris cum psalmis et canticis spiritualibus, Sanctorum corpora introduxit in Urbem, ipseque prior incedens et feretrum propriis gestans humeris, cum exultatione et jubilo, sub die decimo sexto Calendarum Februariarum anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo octogesimo et sexto, pontificatus vero sui anno primo, imperii autem Dni Caroli (*crassi*) excellentissimi augusti anno quinto (*al.* sexto). Indictione quarta : quorum in Lateranensi palatio aliquos apud ecclesiam, quam ipse idem jam ruinæ proximam a fundamentis renovaverat, quæ ad Apostolos dicitur; alios per diversos cardinales titulos condidit digna honorificentia : alios etiam circumquaque per diversa largitus est monasteria, ubi plurimis hodieque coruscant miraculis ad laudem et
B gloriam Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in sæcula. Amen. *Ita Surius in historia Inventionis cujus mihi præ manibus apographum est* ex tomo 139 ms. bibliothecæ Cassinensis in litteris longobardicis.

quæ sit hujus translationis fides,

25 *Porro si fides adhibenda est huic narrationi, quam cum Surio Baronius adscribit Anastasio bibliothecario, evidens fit binas alias translationes, de quibus diximus, esse fictitias. Ast plura sunt quæ inventionem Stephano V tributam reddunt saltem dubiam. Primum translatio facta ex* cœmeteriis seu cryptis *ad ecclesiam S. Silvestri sub Paulo I, haud spernendis probatur ex monumentis, scilicet ex Constituto hujus pontificis et tabulis Silvestrinis quæ probabilius ipsi translationi coævæ sunt. Conf. n.* 22. *Altera ad S. Praxedis nititur itidem tabulis marmoreis hujus ecclesiæ, de quarum tamen antiquitate minus constat. Sufficit autem ut alterutra harum translationum fidem habeat, ut Inventionis historia falsi arguatur, saltem quod spectat ad SS.* Chrysanthum *et* Dariam. *Deinde Anastasio, auctori coævo, tribuitur perperam laudata scriptio. Ita quidem censuit Baronius, ideoque illam inseruit maximam partem suis Annalibus* (1), *sed emendatus a Pagio fuit. Audiamus utrumque :* Etsi nomen, *verba sunt Baronii* (2), non prodatur, non alius mihi videtur, quam Anastasius bibliothecarius, hujus pariter temporis historicus, qui, ut diximus, ejusdem Stephani papæ res gestas conscripsit: sed eædem nobis haud integræ conservatæ, quæ decurtatæ in multis habentur : nam inter alias desideratur mentio de inventione eorumdem SS. Martyrum *nempe Diodori, Mariani et aliorum; non nominantur SS.* Chrysanthus *et* Daria. *Aliter omnino sentit Pagius in Critica* (3) : Horum corpora, *ait,* cum Stephano V Romanæ ecclesiæ præsidente inventa fuissent, in Urbem delata sunt sub die XVI Kalend. Februar... ut dicitur in eadem
C Historia, quam Surius conscriptam putat circa tempora Caroli Crassi (*regnavit ab anno* 880 *ad* 888 (4)) vel Arnulphi imperatoris (*ab anno* 887 *ad an.* 899 (5)), et ex qua Baronius deducit, Stephanum, qui hoc anno ecclesiam Romanam regebat, male appellatum fuisse *quintum,* ideoque vulgarem illum errorem corrigendum. Verum hujus historiæ scriptor longe post hæc tempora vixit, cum currentem annum, qui sextus fuit Caroli Crassi, quintum vocet, et Stephanum papam, qui *quintus* ordine tantum erat, *sextum* nominet. Stephanus enim presbyter, qui mortuo Zacharia papa electus est pontifex, quia subito demortuus (*tertio scilicet ab electione die*), numquam ordinatus fuit, ideoque nec pontifex Romanus exstitit... Indeque Stephanus alter, qui postea pontificatum adeptus est, vocatur ab Anastasio Stephanus II... et Stephanus qui hoc tempore (*an.* 886) ecclesiam Romanam regebat, vocatur *Stephanus quintus* a Frodoardo, qui anno LXII sæculi insequentis mortuus, hoc ignorare non potuit. Denique hæc opinio Baronii... omnes antiquos scriptores contrarios habet, omnesque pontificum Romanorum ca- E
talogos, in quorum nullo nomen Stephani presbyteri, quia nempe tantum pontifex electus fuit, legitur. *Sed et aliud est quod multo magis Baronium stringit : nam, teste eodem Pagio* (6), male ei (*Anastasio*) Baronius attribuit vitas Hadriani II et Stephani V, vulgo VI, cum utraque post mortem ejus elucubrata fuerit. *Atque hæc Pagii sententia longe communior est probabiliorque; unde utraque vita quæ ad calcem operis Anastasiani poni solent* (7) *a plerisque adscribuntur Guillelmo, qui Anastasium in officio bibliothecarii excepit. Ast quisquis scripserit Stephani vitam, parum refert, cum in illa, ut ipsemet fatetur Baronius, desideretur* mentio de inventione eorumdem SS. Martyrum, quæ cum inibi scripta esset (*hæc mera conjectura est*) excisa pagina, *intermissa remansit* (8); *nec illius inventionis meminere alter Pagius in Breviario* (9), *nec Novaes in Elementis* (10). *Cæterum eruditi norunt operose diligenterque investigatum de scriptore* Vitarum Pontificum *fuisse sæculo elapso, atque hanc fere prævaluisse sententiam,* neutiquam omnium,
F sed paucarum quarumdam fortasse a Gregorio IV ad Nicolaum I, quibus vicinus vixit, auctorem posse esse Anastasium (11). *Qui plene de hac quæstione eruditi voluerit, adeat Franciscum Blanchinum in Prolegomenis ad Anastasium* (12), *Oudinum de scriptoribus ecclesiasticis* (13), *et Muratorium* (14). *Sed etiamsi Anastasio adscriberetur, nondum res omnino confecta esset. Verum quidem est primo intuitu in Narratione, quam descriptam habes numero superiore, agi tam de SS.* Chrysantho *et* Daria, *a quorum martyrio et depositione exorditur auctor, quam de SS. Diodoro, Mariano et aliis; attamen ubi de corporum inventione et defossione sermo habetur, soli proprio nomine exprimuntur SS. Diodorus et Marianus, silentio prætermittuntur SS.* Chrysanthus *et* Daria. *Num ideo quod horum reliquiæ ibi jam non essent, sive quia sub*

AUCTORE B. B.

(1) Tom. XV, p. 427 et seqq. Lucæ 1744. — (2) Ibid., p. 430. — (3) Ibid., p. 427. — (4) Art de vérifier les dates, p. 434. — (5) Ibid., p. 434 et 435. — (6) Ubi supra p. 409 et seqq. — (7) Vide Migne, Patrologia, tom. CXXVII, col. 1397 et seqq. Item ibid., col. 1377. — (8) Baronii Annal., t. XV, p. 430. — (9) Tom. II, p, 129 et seqq. Venetiis, 1730. — (10) Elementi della Storia de sommi Pontefici, tom. II, p. 139 et seqq. Romæ 1821. — (11) Conf. Fabricium, Bibliotheca latina, *voce* Anastasius Bibl. — (12) Migne Patrol., t. CXXVII. — (13) Tom. II, col. 258 et seqq. — (14) Scriptores, t. III.

Paulo I

AUCTORE B. B.

Paulo I vel Paschali I defossæ, sive quia quadraginta duobus ante annis a Marcwardo (ut infra videbitur) fuerant in Germaniam delatæ? Certe constat ex Gregorio Turonensi, cujus verba recitavi n. 7, *corpora SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *seorsum ab aliis fuisse deposita :* Parte, *inquit,* in una, interposito pariete, sepulcra martyrum Chrysanthi et Dariæ segregata; parte in alia sanctorum reliquorum cadavera in unum sunt congregata. Verumtamen pariete illo, qui est in medio positus, fenestram structor patefactam reliquit... Post multo vero temporis... Damasus, antistes sanctæ Sedis apostolicæ, jussit diligentius operiri fenestram ubi et versibus decoravit locum, *in quibus agitur solummodo de SS.* Chrysantho *et* Daria. *Conf. n.* 6. *Subdit Gregorius nonnullas horum duorum reliquias diacono cuidam fuisse circa annum* 590 *concessas a Pelagio II. Porro cum in* Actis inventionis SS. Diodori et Mariani et aliorum innumerabilium martyrum (*sic apud Surium inscribuntur* (1)) *specialis non fiat mentio de inventis pignoribus SS.* Chrysanthi *et* Dariæ, *qui tamen omnium erant antesignani et præclarissimi;*

B *haud absurdum est arguere de his detegendis vel investigandis non fuisse actum omnemque operam impensam, ut* fragmina sanctorum (Diodori et Mariani, *qui soli nomine suo designantur, et cæterorum, quorum omnium simul* parte in alia *cadavera in unum erant congregata*) gravi labore legerentur per dies plurimos (2). *Itaque dubiæ ad minus fidei sunt inventiò et ex cœmeteriis translatio, quæ factæ perhibentur ad Lateranum sub Stephano V, tum quia, ut ex monumentis haud spernendis efficitur, præcesserunt aliæ duæ, et forte etiam tertia sub Pelagio II, ut conjici aliquomodo potest ex reliquiis, quas concessas cuidam diacono refert Gregorius Turonicus, tum quia Anastasio abjudicanda videtur sæpius dicta historia inventionis, tum quia non clare constat an in hac agatur de translatione SS.* Chrysanthi *et* Dariæ.

Quid censendum de reliquiis Lateranensibus.

26 *Quid ergo censendum de reliquiis SS.* Chrysanthi *et* Dariæ, *quas ecclesia Lateranensis jam inde a Stephano V possidere ac venerari traditur? Vidimus n.* 24 *ex Sarazanio, qui testem adhibet Panvinium, illorum* ibi corpora sub altari oratorii (*S. Mariæ et S. Pancratii*)

C recondita esse. *Quod etiam diserte affirmat Mazzolarius, cujus Diarium Sacrum recusum tertiis curis Romæ anno* 1820 *fuit a Joachimo Marino Fuertès :* In capella, *inquit* (3), subterranea quiescunt corpora SS. Chrysanthi et Dariæ, et adsunt aliæ reliquiæ insignes. *Alio loco dixerat idem Mazzolarius* (4) : *Stephanus VI* (*ex cœmeterio SS.* Chrysanthi *et* Dariæ) etiam transtulit horum corpora, quorum pars colitur in *S.* Joannis Lateranensis sub altari papali, pars in S. Pauli, et pars in SS. Apostolorum, *quæ sane diversa sunt a priori assertione. Quod autem mireris, Attilius Serranus in opusculo de septem urbis Romæ ecclesiis, Gregorio XIII oblato, ubi recenset reliquias S. Joannis Lateranensis* (5), *alto silentio premit SS. Martyres nostros; dum in aliis duabus romanæ urbis ecclesiis scribit aliquas eorum reperiri exuvias. Cæterum liquet* (*nisi de parte aliqua corporum intelligatur nec adeo magna*) *possessionem Lateranensem non subsistere nisi supposita Inventione sub Stephano V, anno* 886; *hanc autem vidimus non satis idoneis probari testimoniis. Insuper tum hæc corporum inventio tum eorumdem asservatio in Lateranensi ecclesia stare non possunt cum altero monumento maximi sane pretii, scilicet* Historia Translationis *Eiffliensis, de qua continuo agemus enucleate, scripta ab auctore* rei gestæ teste oculato. *Translatio autem ista contigit anno* 844, *proinde dimidio fere sæculo ante Stephani V pontificatum. Porro sic habetur in præfata historia : Marcwardus abbas Prumiensis* susceptus denique honorifice ab apostolico papa *Sergio II,* epistolas ei regias *Lotharii* tradidit. Ille jussis imperialibus ejusque petitionibus favorabiliter annuens, spopondit se cuncta facturum quæ suggesserat. Constituta itaque die ad Lateranensem properat *Marcwardus* ecclesiam. Cumque jussus ad romanum ingressus fuisset pontificem, positis in locello super altare corporibus (*sanctorum* Chrysanthi *et* Dariæ), atque ex utraque parte stantibus clericorum ordinibus et canentibus, tradidit ei cum summa veneratione et honore

E præfatorum Martyrum corpora *etc. Testimonium profecto clarum atque disertum, et, nullus quidem dubitem, omnino fidele, quo utique fides translationis Stephano V adscriptæ vehementer concutitur. Quod autem corpora dicantur Marcwardo tradita in* Lateranensi ecclesia, *non sequitur illa ibidem quievisse; nihil enim impedit, quominus jussu Sergii pontificis (cupientis et votis Lotharii et petitionibus Marcwardi* favorabiliter in omnibus annuere) *aliunde eo fuerint delata, puta ex S. Silvestri vel S. Praxedis ædibus vel ex ipsis cœmeteriis. Cætera de hoc argumento vide tum numeris sequentibus ubi Eiffliensem explicamus et stabilimus traditionem, tum in historia Translationis, quam Actis SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *subjicimus. Denique cum nuper RR. DD. Cardinalis archiepiscopus Coloniensis Romam, quo probaretur, misisset recens suæ diœceseos Proprium, expuncta SS. Rituum congregatio voluit omnia quæ in Lectionibus SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *spectabant ad Eiffliensem seu translationem seu possessionem (de qua mox fiet a nobis ex professo sermo); hac data ratione, quod ecclesia Lateranensis*

F *etiam vindicaret sibi eorumdem SS. Martyrum corpora; nec posset S. Congregatio probare pro Germania, quod recusarat pro ecclesia in Laterano, in cujus Lectionibus nihil dicitur de loco quo corpora illa quiescant; ne secus faciendo videretur voluisse dirimere litem, quod ab ejus mente prorsus alienum est. Ita rescripsit nobis die* 16 *Julii anno* 1858, *R. D. Dr Heuser, lector in Majori Seminario Coloniensi. Videsis ipsa S. Congregationis verba, ad calcem nostri commentarii ubi agitur de officio proprio SS.* Chrysanthi *et* Dariæ. *Hactenus de Romanis translationibus, in quibus utique multa occurrunt obscura, incerta, et nonnulla haud parum inter se pugnantia. Ad Eiffliensem transeamus.*

Eiffliensis translatio : corpora primum Roma Prumiam delata fuere a Marcwardo,

27 *Translationis Eiffliensis præclara, ut supra jam monuimus, extat historia, conscripta vel a Wandelberto vel certe ab auctore, rei gestæ coævo.* Conditorem, *inquit Mabillonius* (6), esse Wandelbertum crederem, nisi aliter sua-

derent

(1) Tom. I, p. 283. — (2) Ibid., p. 284. — (3) Diario Sagro, tom. VI, p. 96. — (4) Ibid., tom. V, p. 394. — (5) De Septen eccless... una cum earum reliquiis, stationibus et indulgentiis, p. 120-124. — (6) Acta SS., Ord. S. Benedicti, sæc. IV, part. I, p. 609.

derent quædam vitia latinitatis in ea occurrentia, quæ in hominem disertum et eruditum, qualis Wandelbertus pro tempore fuit, cadere facile non possunt. Certe Wandelbertus hujus translationis meminit. *Vide supra n.* 3. *Et paulo post iterum Mabillonius* (1): Quæ (narratio Translationis) si non a Wandelberto, certe a quodam Prumiensi monacho, rei gestæ teste oculato, scripta est. *Scilicet ineunte anno Christi* 844 (2) *Marcwardus, abbas Prumiensis, Romanum iter aggressus est, obtentis a Lothario imperatore litteris ad Gregorium papam IV, eo fine, ut alicujus præclarissimi martyris corpus Marcwardo concederetur. Ast vix viæ ts se dederat, cum mortuo Gregorio suffectus Sergius est. Alteræ itaque ab imperatore petitæ atque obtentæ litteræ ad novum pontificem. Hic votis Lotharii incunctanter obsequens, per Marinum episcopum, librum, sanctorum passiones continentem, Marcwardo misit, ex quo SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *martyrium transcriberet, quorum pignora ipse Sergius eidem tradidit, in ecclesia Lateranensi, præsente et canente numerosa clericorum corona, conf. n.* 26. *Quibus* B *acceptis, Marcwardus reditum accelerat, et quinquagesimo die, ex quo Roma discesserat, pervenit ad cellam S. Goaris, ubi biduo commoratus est, dum Prumiæ quæ opus erant pararentur. Porro allatæ Prumiam reliquiæ sunt* IV *Nonas Julii, et deinde* VIII *Kalendas Novembris* sunt Sanctorum corpora ab episcopo Thegamberto admodum religioso... in cella quæ Novum-Monasterium vocatur... tumulata, *id est in Eiffliæ Monasterio, hodie* Münstereiffel, *ut demonstrabimus contra Mabillonium, postquam nonnulla præfati fuerimus de* episcopo Thegamberto, *quem quidam confuderunt cum* Theutgaudo *archiepiscopo Trevirensi. Quæ confusio si admittenda foret, non levis oriretur suspicio contra fidem hujus translationis historicam. Confer Cl. Marx qui translationem eamdem compendiose exhibens, lata primum SS. corpora memorat a Marcwardo Roma ad cellam S. Goaris, dein Prumiam, denique ad Monasterium Eiffliæ, a Marcwardo paucis ante annis ex proventibus abbatialibus* aus abteilichen Mitteln *constructum et fundatum* (3).

et dein a Thegano chorepiscopo Trevirensi,

28 *Jam pridem mota de Thegamberto difficultas est, ut apparet ex litteris, quas mss. habemus, P. Joannis Gamans S. J. ad decessorem nostrum God. Henschenium, vivente adhuc Bollando :* In Translatione SS. Chrysanthi et Dariæ petit Rev. Vestra, quis sit episcopus ille Thegambertus, cum apud vos, ut ex litteris vestris colligere videor, appelletur Thietgaudus ; quod an sit sic, quæso disertius rescribat. Vix putem eum potuisse esse, cum novem annis post primum sit factus Trevirensis episcopus Thietgaudus. Nonne potius Theganus seu Degan, scriptor vitæ Ludovici pii, qui chorepiscopus Trevirensis fuit sub Amalario archiepiscopo Trevirensi et probabiliter etiam sub sequenti episcopo Hetti continuavit id officii? Saltem adhuc vixit hoc Translationis tempore, quæ sub initio imperii Lotharii contigit, cujus parentis Ludovici ipse res gestas concinnavit, ni fallor, post Ludovici mortem. *Hactenus Joan. Gamans, cujus suspicio vix non in omnimodam postea transivit certitudinem.* Episcopus Thegambertus admodum religiosus, *inquit Mabillonius* (4), qui non alius videtur, quam Thegan tunc chorepiscopus Trevirensis *cujus sapientia et religio plurimum commendantur* (5); *et disertius in Actis* (6) : Is est Thegan seu Tegan chorepiscopus Trevirensis, cujus habetur historia de Gestis Ludovici Augusti, carmine laudatus a Walafrido Strabo. *Sic etiam D. Bouquet* (7), *Scriptores historiæ litterariæ Franciæ* (8) *etc. Animadverti quoque potest,* Thegambertum *constare ex duobus vocabulis* Thegan *et* Brecht ; *et sæpe primo solum vocabulo designabantur viri et feminæ : sic* Conradus *dicebatur* Cuno, *Brunechildis* Bruna *etc. Quod autem Theganus fuerit chorepiscopus Trevirensis, testem coævum habemus eumdem Walafridum Strabum abbatem Augiensem, qui cum eo diu amicitia conjunctus fuit, et ita præfatur in libellum de Gestis Ludovici pii* (9) : Hoc opusculum in morem Annalium Thegan, natione francus, Trevirensis ec- E clesiæ chorepiscopus breviter quidem et vere potius quam lepide composuit. *An vero functus hoc officio sit primum sub Amalario et dein sub Hetto, ut tenet Browerus* (10), *vel an solum sub Hetto, ut probabilius contendit Cointius* (11), *parum facit ad nostram questionem. Sed num adhuc vixit Thegan Translationis tempore?* Post Amalharium, *ait Cointius* (12) in Trevirensi cathedra sedit Hettus archiepiscopus, qui Thegano chorepiscopo nec non et Ludovico pio supervixit. *Porro Hettus infulas tenuit ab anno* 814 *usque ad annum* 847 *quo mortem obiit* (13). *Sane nihil obstat quominus Theganus anno* 844, *quo facta Translatio, superstes viveret. Non tamen videtur diu post hæc produxisse diem, cum Walafridus Strabus, defunctus anno* 849, *censendus sit scripsisse Præfationem, de qua supra, post Thegani decessum* (14). *Cæterum Thietgaudus seu Teutgaudus Hetto successit anno* 847 *et communior sententia est Theganum scripsisse de Gestis Ludovici pii adhuc viventis, proinde ante annum* 840, *quo is ereptus vivis est. Sunt itaque nonnulla non satis accurata in litteris P. Joannis Gamans, quæ ipse* F *sane emendasset, si in publicum dandas scripsisset ; ast nullum superesse videtur dubium de persona Thegani, qui reliquiarum translationi præfuit.*

non ad monasterium S. Naboris,

29 *Scribit Mabillonius in Annalibus* (15) : Allatæ Prumiam reliquiæ IV nonas Julii, ibidemque in eo, quo delatæ fuerant, feretro ad dexteram altaris servatæ sunt ad undecimum Kalendarum Novembrium, quousque scilicet eisdem monumentum condignum IN POSSESSIONE SANCTI SALVATORIS, nempe IN CELLA QUÆ NOVUM-MONASTERIUM VOCATUR, pararetur. Omnibus demum dispositis, istuc Sanctorum corpora VIII Kalendas Novembris, ipso die festo eorum translata sunt. *Et rursus in Actis*

AUCTORE B. B.

(1) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæc. IV, part. I, p. 610. — (2) Conf. Annal. Bened., tom. II, p. 606. — (3) Geschichte des Erzstifts Trier, tom. II, part. I, p. 288 et 284. Treviris 1860. — (4) Annal. Ord. S. Ben., tom. II, pag. 606. Conf. Marcx, tom. II, part. I, p. 288. — (5) Histoire litt. de France, tom. VI, p. 45 et 46. — (6) Acta SS. Ord. S. Ben., sæc. IV, tom. I, p. 612. — (7) Tom, VI, p. 72. — (8) Tom. V, p. 46. — (9) D. Bouquet, tom. VI, p. 73. Pertz, Script. t. II, p. 589. — (10) Annales Trev., tom. I, p, 396. — (11) Annales ecclesiast. Francorum, tom. VIII. p. 382 et seq. — (12) Ibid. p. 385. — (13) Gallia Christ. tom. XIII, col. 391. Conf. Marx, Geschichte, tom. I, p. 87 et seq. — (14) Histoire littéraire de France, tom. V, p. 46. — (15) Tom. II, p. 606.

AUCTORE B. B.

SS. *ord. S. Benedicti* (1) : Depositæ sanctorum Martyrum reliquiæ in Monasterio-Novo seu Cella-Nova sancti Salvatoris, quæ alio nomine sancti Naboris, vulgo *Sainct Avol* dicitur, ob reliquias scilicet sancti Martyris, quas eo Chrodegangus, Mettensis episcopus, transferre curavit. *Porro fundationem illius monasterii refert idem Mabillonius sub anno* 734 (2); *translationem vero S. Naboris sub anno* 765 (3). *Ast mihi certum est corpora SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *delata a Marcwardo ex Prumia fuisse ad Eiffliæ monasterium, non autem ad S. Naboris. Nam primo hoc nimium a Prumiensi distat, utpote situm juxta Divodurum seu Mettas (Metz); secundo valde probabile est, medio sæculo nono, quo nostra contigit translatio, jam non illud* Novum-Monasterium, *bene vero S.* Naboris *vulgo dictum fuisse; tertio in hujus cœnobii historia* (4), *nulla prorsus præfatæ Translationis mentio occurrit, sicut nec alterius, qua fuissent hinc sacra illa pignora Eiffliam delata, ubi ab immemorabili noscuntur asservata. Nec prætermittendum, in fastis ejusdem monasterii multis describi solemnitates et cæremonias quibus corpus S. Naboris et receptum et depositum ibidem fuerit atque veneratum; quarto decretorium præbet argumentum Wandelbertus, scriptor coævus, et quem ipse Mabillonius censet* (5), istius historiæ, *nempe Translationis SS.* Chrysanthi *et* Dariæ, conditorem *esse, et* certe hujus translationis in Martyrologio suo meminit VIII Kal. Novembris. *Porro ita Wandelbertus habet* (6) :

B

Octavum Crispinus habet cum Crispiniano,
Flammas qui passi sævum vicere tyrannum.
Gemmas martyrii geminas veneramur eodem,
CHRYSANTHUM DARIAMQUE, novo quos munere Christi
Roma nunc vectos, tumulis Nova Cella venustat,
Qua Rheni celsis succedunt æquora sylvis.

Qui postremus versiculus nullo sane modo convenit Monasterio S. Naboris, ad Mosellam non ad Rhenum sito; apprime autem Eiffliæ quod haud procul a Rheno dissitum est. Browerus, *inquit Valesius* (7), « Eiffliam regionem Treviris et Agrippinensibus confinem » esse ait, melius facturus, si inter Treviros et Agrippinenses eam jacere, sed Agrippinæ tamen quam Augustæ Trevirorum propriorem dixisset. Hunc

C

pagum tabulæ collocant circa monasteria Prumiam, Malmundarium et Stabulum. *Confer Guibert* (8), *La Martinière, Sprunner* (9); *quinto dicta confirmantur ex eodem Wandelberto ad diem* 13 *Octobris, ubi haud minus perspicue designat Eiffliæ monasterium :*

Chrysantho Dariæque coruscat et ara,
Tulpia cum plano quo præeminet æquore castrum.

Quæ utique significant Aram *sanctorum Martyrum* coruscare *in* planitie *illa, ubi præeminet* Tulpia *seu* Tulbiacum *et* Tulpiacum, *vulgo* Zullich *vel* Zulich, *locus victoria Clodovæi regis longe celeberrimus. Confer Valesium* (10), *cui Tulpia* Castrum est in ducatus Juliacensis regiuncula Eflia vel Eiflia, *die Eifel,* non procul a flumine Rura et Marcoduro, *Ex his liquet reliquias SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *non fuisse delatas ad S. Naboris; denique sexto tradit Mabillonius* (11) *Marcwardum, sub annum Christi* 836, in Eifflia cœnobium extruxisse, a quo ut originem, sic et nomen accepit haud ignobile oppidum agri Juliacensis in diœcesi Coloniensi, vulgo Monasterium Eiffliæ *Munster-Eiffel* appellatum : quod monasterium monachis Prumia adductis tributum fuit, eisdem annona ex eodem Prumiensi cœnobio assignata. *Atque hæc utique* Nova-Cella *est, quam laudat Wandelbertus.*

D

30 *Nullum itaque mihi superest dubium quin eo ab initio SS. Martyrum nostrorum pignora translata* (12) *atque ibidem ad hunc usque diem perpetuo fuerint asservata; tanto magis quod (ut habet Gallia christiana* (13)) *sita sit* Prumia decem circiter leucis ab urbe Trevirensi, septentrionem versus, in saltu Arduennæ et in Eiffliæ tractu, ad Promeam vel Prumiam amnem, *etc. Proinde emendandus Mabillonius, quem secuti deinceps sunt omnes qui de iisdem reliquiis scripserunt et ipsi pariter emendandi, nominatim Baillet* (14), *Butler* (15). *Rem, prout erat, subodoratum D. Calmetum fuisse, patet ex eo, quod prorsus sileat de S. Naboris monasterio, et delata SS. corpora scribat ad* priorat*um* dictum Nova-Cella *Neuf-Moutier* (16), subjectum, *ut paulo ante notaverat* (17), Prumicensi *abbati. Non tamen nomine suo designat Eiffliæ monasterium, imo ubi de hujus fundatione tractat* (18), *ne verbum quidem habet de translatione reliquiarum. Ast recte habet* Notitia *de Jubilæo millenario, Monasterii Eiffliæ celebrato an.* 1848, *ubi hæc ex germanico reddita latine* (19) : Marcwardus Prumiam redux fuit die IV Julii an. 844 cum SS. Reliquiis, quæ ibidem manserunt usque ad XXIV Octobris. Erat tum hoc in loco, qui pridem Petri Vallis dicebatur, fundatum cœnobium subjectum abbati Prumiensi, *quod Nova-Cella* et etiam *Novum-Monasterium in Eifflia* nuncupatum, deinde in urbem *Monasterium-Eiffliæ* excrevit. Huic destinatæ erant reliquiæ SS. MM. Chrysanthi et Dariæ; itaque cum die præfata (24 *Oct.*) Prumiam venisset Thegambertus, episcopus Trevirensis; die XXV an. 844 cum pretiosis illis antiquitatis

E

sed Eiffliam.

F

christianæ pignoribus huc advenit. In memoriam hujus translationis, singulis annis XXV Octobris, vel, secundum præsentem morem, die dominica sequenti, SS. Martyrum nostrorum festum agitur. *Infra latius dicam de Jubilæo. Historiam Translationis integram, una cum pluribus miraculis quæ sub hac contigerunt, reperies post Acta Martyrii. Cæterum plura, ex quibus fides Translationis hujus, stabiliatur, dabimus* § V, *ubi de monumentis, perpetuo sibique singulis fere sæculis succedentibus, agemus ad cultum* SS. Chrysanthi *et* Dariæ *in Eifflia pertinentibus.*

---

(1) Sæc. IV, part. I, p. 610. — (2) Annal., tom. II, p. 89. — (3) Ibid., p. 194 — (4) Vid. Gallia Christ., tom. XIII, col 589 et seqq. Item D. Calmet, Histoire de la Lorraine, tom. I. In Indice *verbo* Avold. — (5) Acta SS. ord. S. Bened., sæc. IV, part. I, p. 609. — (6) Dacherii Spicileg., tom. II, p. 54. — (7) Notitia Galliarum, p. 185. — (8) Diction. géograph. Paris, 1850. *Vocibus* Eiffel, Munstereiffel. — (9) Atlas medii ævi, Tabulæ Germaniæ et Galliæ. — (10) Notitia Gall., p. 556. — (11) Annal., tom. II, p. 545. — (12) Conf. Marx Geschichte, tom. II, part. I, p. 284 et 288. — (13) Tom. XIII, col. 589. — (14) Vie des Saints, 25 Octobre — (15) 25 Oct. Lovanii 1852. — (16) Histoire de Lorraine, tom. I, col. 626. Nanceii 1746. — (17) Ibid., col. 617. — (18) Ibid., col. 625. — (19) Jubiläum wegen der tausendjährigen Aufbewahrung der Reliquien von den HH. MM. Chrysanthus und Daria in der Stiftskirche zu Münstereifel, p. 14 et 15. Coloniæ 1848.

§ III.

A

§ III. De translationibus Regiensi et Uritana, in Italia.

Sæculo x translatio Regiensis ex Sarazanio aliisque;

Regiensis *Translationis meminit Sarazanius in Notis ad carmina S. Damasi. Scilicet post verba* (*n.* 24 *a nobis recitata*) *quibus agitur de inventione sub Stephano V et reliquiis Lateranensibus, subdit laudatus Sarazanius* (1) : Refert tamen Sigonius in Regno Italiæ lib. VI, sub anno 947, Adelardum episcopum Regiensem sancta martyrum corpora Chrysanthi et Dariæ a Berengario impetrata Regium deportasse, quæ in hanc usque diem Regienses religione præcipua venerantur. Et in officiis sacris civitatis Regii habentur lectiones et in Translatione eorumdem Sanctorum, ubi legitur, anno Domini 915, a Joanne X papa Berengarium horum Sanctorum corpora impetrasse, ipsi vero Adelardi precibus concessa. *Et similiter Ferrarius* (2) : Horum corpora Regii in æde majori seu cathedrali asservantur summa religione (sunt enim urbis tutelares) eo ex urbe Ticinensi ab Adelardo episcopo Regiensi,
B a Berengario rege, qui ea Romæ a Jo. papa X an D. 915 impetraverat, sibi concessa translata. Quamquam eadem Uriæ in Salentinis, cujus urbis iidem Martyres sunt patroni, haberi traduntur, et corpus Dariæ Romæ in S. Sylvestri quiescere nuper in ea translatum marmorea tabella docet. *Hic sane intelliguntur tabulæ Silvestrinæ, de quibus diximus supra. Errat autem Ferrarius tradens, corpus S.* Dariæ nuper translatum; *imo ex præfatis tabulis manifeste constat pluribus ante sæculis id contigisse, si tamen contigit. Vide n.* 22. *Sunt et alia in recitato Ferrarii loco minus accurate reddita, quæ ex sequentibus facile emendabuntur. Georgius Passi ubi summatim agit de episcopis Regiensibus, hæc breviter habet de Adelardo* (3) : Anno 947 transtulit Ticino (*Pavia*) Regium corpora SS. Chrysanthi et Dariæ. atque in cathedrali (*nel Duomo*) deposuit.

et præcipue ex relatione ms.;

32 *Habemus bina documenta Regiensia mss. a decessoribus accepta, quæ ad reliquias SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *pertinent : altero continetur* Relatio *ex mss. ecclesiæ Regiensis de Translatione SS. corporum, horumque Recognitione*
C *facta anno* 1522; *altero exhibetur* Instrumentum *hujus Recognitionis. Utrumque documentum necesse est hic adscribere. Et* Relatio *quidem sic habet :* Cum Berengarius primus serenissimus rex, tempore Joannis papæ decimi, anno Domini 915 (venisset) Romam, ut coronam imperii susciperet, et Apostolorum limina solito more peragrasset; ecclesiam præclaræ magnitudinis, ubi corpus ejus olim requiesceret, divinitus inspiratus ædificare cogitans, corpora SS. Chrisanti et Dariæ, in somnis admonitus, ab eo magna cum supplicatione petivit. Quod idem papa audiens, nimis tristis effectus, obstinatius ei resistere et contradicere cœpit, nolens ut Roma tantorum Martyrum pignore fraudaretur. Tunc rex, Sanctorum desiderio anxius, data illi dextera, promisit in honorem eorum basilicam fabricare et de suis rebus eam ditare et pulcro schemate decorare, suumque corpus quandoque, Deo tamen permittente, ibi sepeliendum promisit; cujus piis precibus romanus pontifex devictus est. Revertente autem rege cum ingenti gaudio factum est, ut postquam Papiam cum reliquiis advenisset, Longobardorum ibi insidiis circumventus, regno vitaque privaretur. Hujus nepos Berengarius secundus cum Italiam occupare tentaret, maximeque illi faveret Adelardus, (hunc) episcopum Regiensem constituit; et post aliquod tempus ab eodem rege corpora sanctorum Chrisanti et Dariæ (Adelardus) impetravit. Itaque episcopus accepto tanti thesauri pretio, cuidam suo fideli, Urso nomine, judice et ecclesiæ advocato, comite quodam religioso presbytero, ea Regium deportanda commendavit; quæ in fide sua suscipiens, et humeris imposita, per mediam ejusdem Papiæ urbem, intempestæ noctis silentio latenter progrediens, per nimiam quoque aquarum inundatiouem, quasi portans a quo portabatur, ad hospitium siccis pedibus pervenit. Inde statim cum sequenti die arrepto itinere profectus Regium jam appropinquaret, ubi eorum sedes, Dei ordinante providentia, præparanda erat, Regiensium populus co- E
gnito Sanctorum adventu, gaudens et exultans cum cereis et lampadibus illis factus est obvius. Tunc multi variis infirmitatibus detenti, eorum meritis tacto feretro liberati sunt. Ad quorum famam plurimi infirmi ex diversis partibus properantes, facto pro salute voto, sospites, sani et alacres in sua revertebantur. Jam dictus episcopus corpora beatorum martyrum Chrisanti et Dariæ infra basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ hujus urbis est caput, decenter sicuti promiserat recondiderat : deinde arcam laminis argenteis miro opere tectam fieri jussit et ad memoriam ipsorum superimposuit, ubi Dei beneficia meritis eorum præstantur usque in hodiernum diem.

AUCTORE B. B.

dein an. 1522 *celebris earumdem reliquiarum facta recognitio,*

33 Sed cum per multos annos utrobique summo in honore haberentur, Regiensi Papiensique populo, uter prætiosa corpora teneret dubitantibus, anno Domini 1522 Adriano sexto pontifice maximo, Carolo quinto imperatore, Ugo Rangonus Regiensis episcopus, indicto prius trium dierum jejunio, clero populoque præsentibus, mane die dominico pridie F
Kalendas Decembris hujusmodi arcam aperire decrevit; id autem omnibus placuit, ut omni tandem dubitatione deposita atque veritate magis comprobata, populus frequentior ad ecclesiam conveniret. Paratis itaque omnibus ad id necessariis, episcopus et clerus (notariis assidue visa conscribentibus) solemniter induuntur, atque ex superiore ecclesia, ubi primum proprii Martyrum officii Nocturnum rite decantaverant, ad hunc inferiorem chorum ordinate descenderunt, ibique pontifex, postquam satis digne sacrificasset, primus tumulum malleo percutiens, illud ab aliis ad id paratis jussit aperiri. At postquam arca mirabili et incredibili celeritate aperta est, prius pixidis ligneæ cum linteaminibus concisis et sanguineis capsella, ubi Beatorum ossa requiescebant, ad latus arcæ apparuit; ea vero reverenter a ministris sublevata et ab

(1) Migne, Patrologia lat., tom. XIII, col. 402. — (2) Catalogus SS. Italiæ, 25 Octobris. — (3) Racconto de' santi primi vescovi di Reggio et altri dell' istessa citta, p. 92. Parmæ, 1645.

antistite

AUCTORE B. B.

antistite aperta, omnibus genuflexis, ossa miro odore redolentia conspicienda concessit. Postea singulis ossibus apte in ferculo collocatis ab episcopo, canticum Te Deum Laudamus intonuit, utroque choro alternatim respondente, necnon omnium ecclesiarum præcedentibus crucibus, clericis singula funalia deferentibus atque concinentibus, tubis, tibiis, campanis ubique lætitia constrepentibus circum plateas ducta est solemnis processio : nam episcopus utraque capita cum brachiis, seniores canonici ferculo capsellam, pixidem in altum elevantes, juniores vero aureum velamen gastii* utrumque deferebant. Postquam vero in ecclesiam reversi sunt, reliquiis intra clathros diligenter reclusis fidissimisque adhibitis custodibus, in sua quisque redierunt. Hora autem competenti primis vesperis cœterisque diurnis nocturnisque officiis usque ad secundas vesperas sequentis diei rite decantatis, custodibus tamen vicissim permutatis et assidue vigilantibus utriusque hominum sexus, ne per totam quidem noctem, accessus recessusque numquam intermissus est. Die vero jam inclinata, medicorum adhibito judicio, maris et feminæ, ætatis vero circa annum vigesimum ossa illa esse compertum est. Ex quibus utraque capita cum totidem brachiis et pixide retenta sunt, veterem autem capsellam cum cæteris ossibus in novam capsam condidit (episcopus) atque undique ferro ligatam, addito desuper titulo, in arca marmorea refixit; ossa vero retenta idem pontifex ad sacrarium detulit, ubi tamdiu summo opere conservanda sunt, quamdiu thecis aureis argenteisque honorifice condantur. Passi sunt beatissimi martyres Chrisantus et Daria anno Domini ducentesimo octuagesimo quinto, Caro, Numeriano et Carino imperatoribus. *Hactenus Relatio. Verum quæ in Recognitione gesta sunt, accuratius enucleatiusque disces ex sequenti* Instrumento.

* *Vid. Cangii Gloss.* verbo : *Gastus.*

B

cujus subditur Instrumentum :

34 Jesus. In Christi nomine. Amen. Anno Circumcisionis ejusdem millesimo quinquagesimo vigesimo secundo, indictione decima, die ultimo Novembris, tempore pontificatus domini Adriani papæ VI anno primo. Cum per

C

reverendissimum dominum dominum Rangonum divina providentia episcopum Regiensem decretum fuerit, accedente consensu totius cleri et populi civitatis Regii, aperiri arcam, in qua fuerunt posita sacratissima corpora sanctorum martyrum Chrysanti et Dariæ, ut tolleretur omnis dubitatio cleri et populi ejusdem civitatis, an dicta corpora quiescerent in dicta arca nec ne, et ad finem, quod si extare ibidem reperirentur, in futurum firmiori intentione possent venerari dicta corpora, et etiam extrahi dictorum sanctorum Martyrum capita et brachia et in vasis argenteis collocari, ut secundum exigentiam temporis possent dicta capita et brachia ad conspectum totius cleri et populi dictæ civitatis exhiberi et laudabiliter (prout convenit) venerari.

res gestæ die 30 Novembris;

35 Ideo prædictus R. D. Episcopus, convocatis prius toto clero et populo et præcipue deputatis per magnificam communitatem aperitioni prædictæ, et præmisso jejunio trium dierum immediate præcedentium diem dictæ aperitionis, de mandato prædicti R. D. Episcopi, suprascriptis millesimo et die, in festo

D

S. Andreæ apostoli magna cum devotione post horam decimam septimam et celebratum Matutinum per præfatum D. episcopum et totum clerum ad præsentiam populi, immediate ingressus fuit, universo clero et populo insequente, subtus altare magnum ecclesiæ cathedralis dictæ civitatis Regii ad altare dictorum sanctorum Martyrum, in quo exstare dicebantur dicta sanctissima corpora, et ibidem prædictus beatissimus Episcopus Missam devotissimam celebravit. Quo facto, statim de ejus R. D. Episcopi mandato magister Ludovicus de Spanis, alias de Clementibus aurifex et lapidicina et civis civitatis ejusdem aperuit arcam dicti altaris, qua aperta immediate fuit per me notarium infra scriptum visa intus dictam arcam sic apertam, quædam capseta lignea, ligata tribus laminibus ferreis et super dicta capseta super lamine ferreo existente in medio aderat quoddam sigillum magnum in cera rubea, quod videbatur fuisse unius episcopi, et penes dictum sigillum etiam super dicta capseta, aderat quædam carta, in qua

E

erant reconditæ certæ modicæ reliquiæ, quæ esse videbantur sanguinis conglutinati, et juxta dictam capsetam aderat etiam quædam urna lignea, longa ad mensuram medii brachii vel circa, clausa etiam; et dicta capseta simul cum dicta urna erat in cornu dextero dicti altaris, in quo sacerdos solitus in missa legere Epistolam, a parte anteriori dicti altaris. Ex quo præfatus RR. D. Episcopus in primis extraxit dictam urnam ligneam, quam dedit uni ex canonicis ibidem adstantibus; deinde extraxit dictam capsetam, adjuvante D. Jo. Angelo de Meliis, in cujus extractione aliquantulum fracta est dicta capseta propter vetustatem. Quibus factis, ilico dicta capseta simul cum dicta urna fuit posita super quadam tabula parata, et præfatus D. Episcopus existens continue in habitu pontificali aperuit primo dictam urnam ligneam, ex qua extraxit non nulla fragmenta panni linei, in quibus adhuc apparebat sanguis, et dicebatur ibidem per adstantes, quod dicta fragmenta fuerant camisiæ dictorum beatorum Martyrum. Qua ostensione facta, præfatus Reverendissimus Episcopus clausit

F

dictam urnam ligneam, et levato dicto sigillo cereo existenti super capseta et etiam illa cartula in quibus (qua) erant reconditæ dictæ modicæ reliquiæ et levatis etiam laminibus ferreis, aperuit dictam capsetam. Qua aperta visus fuit quidam panniculus lineus albus et in nulla sui parte corrosus, et multum bene filo consutus et clausus, quem dissuit prædictus R. D. Episcopus, et panniculo dissuto, visa fuerunt ibidem ossa dictorum sanctorum Martyrum miro ordine in dicta capseta recondita; et ab uno latere dictæ capsetæ aderat caput beati Chrysanti, ab alio latere erat caput beatissimæ Dariæ. Quæ capita dictorum sanctorum Martyrum fuerunt ex dicta capseta per prædictum R. D. episcopum extracta simul cum duobus brachiis dictorum Martyrum et omnia in bacillo argenteo per eumdem collocata, residuo dictorum corporum in dicta capseta reservato, præfatusque D. episcopus causam dictæ aperitionis ornatissima oratione propalavit et dictos Martyres pro hac civitate humiliter deprecatus est. Quibus factis ilico

fuerunt

A fuerunt factæ processiones per præfatum D. episcopum, procedente toto clero et subsequente toto populo dictæ civitatis, et dicta capita in dictis processionibus per præfatum D. episcopum universo populo fuerunt ostensa; finitisque dictis processionibus præfatus D. episcopus dicta capita simul cum residuo dictorum corporum penes altare dictorum sanctorum Martyrum intus ferratas (*clathros*) multum bene clausas super quadam tabula parata posuit discooperta, ad finem ut ibidem starent per diem integrum et per totum populum Regiensem manifeste videri possent; rogans me notarium infrascriptum prædictus R. D. episcopus ut de prædictis publicum conficiam instrumentum.

attestatio notarii;

36 Acta et gesta fuerunt omnia et singula supradicta in civitate Regii in ecclesia cathedrali dictæ civitatis et in locis de quibus supra congrue referendo, ad præsentiam præfati domini episcopi et dominorum canonicorum dictæ ecclesiæ et multorum aliorum clericorum et illustrium virorum domini Francisci Guicciardini de Florentia dignissimi gubernatoris dictæ civitatis pro sancta Romana ecclesia, D. Herculis quondam D. Sigismondi Estiensis, domini Ludovici de sancto Laurentio prioris dominorum Antianorum dictæ civitatis, et omnium electorum per magnificam communitatem ad aperitionem hujusmodi et omnium doctorum de collegio dictæ civitatis, et aliarum innumerabilium personarum, quas longum esset hic recensere. Rogantibus etiam se (*sic*) de prædictis domino Petro de Zamoronibus præside notariorum dictæ civitatis, Thomæ de Cambiatoribus, Jo. Baptista Malvitio, Petronio de Parisetis et Jo. Baptista Martello, omnibus notariis dictæ civitatis. Ego Albertus Pancirolus juris utriusque doctor ac de collegio dominorum judicum et notariorum dictæ civitatis Regii de prædictis omnibus et singulis rogatus fui.

acta die 1 Decembris.

37 Die sequenti immediate post prædicta, quæ fuit dies prima mensis Decembris, quo die festum dictorum Martyrum translationis celebratur in civitate Regii, post vesperas præfatus Reverendissimus D. episcopus una cum toto clero et populo dictæ civitatis reposuit dictam capsetam, continentem intus ossa corporum dictorum sanctorum martyrum Crisanti et Dariæ, simul cum dicta urna, continente dicta fragmenta camisiarum, in quadam capsa magna, laminibus ferreis circumdata, exceptis tamen capitibus et duobus brachiis dictorum sanctorum Martyrum, quæ reposuerunt in sacristia ecclesiæ majoris Regiensis in quadam capsa, habente tres clavaturas, quarum una clavis fuit tradita domino priori dominorum Antianorum, qui tunc erat D. Ludovicus de Santo Laurentio, alia (*deest nomen*) alia (*iterum desideratur nomen*), et sic dicta capsa, in qua fuerunt recondita dicta ossa, exceptis dictis capitibus et brachiis, fuit posita in arca marmorea intus altare dictorum sanctorum Martyrum, existens in ecclesia prædicta subtus voltam altaris magni dictæ ecclesiæ majoris, et dicta arca lapidea fuit multum fideliter ac bono artificio clausa et murata. Acta et gesta fuerunt omnia et singula suprascripta ad præsentiam personarum de quibus supra congrue referendo et de quibus etiam in præcedenti rogatu et in locis suprascriptis, et ad præsentiam testium, de quibus in præcedenti rogatu, singula singulis congrue referendo. *Erat subscriptum :* Ego Albertus Pancirolus, notarius Regiensis de prædictis rogatus.

AUCTORE B. B.

Quid sit de hac translatione censendum;

38 *Quæ in prædicta* Relatione *occurrunt de Berengario I et II satis concordant cum Sigonio, qui ad annum* 915 *ita refert* (1) : *Berengarius I* certe hoc anno a Joanne pontifice imperator inunctus est, *quod tamen Valesius et Pagius ostendunt contigisse anno sequenti in die Paschatis* (2); *anno autem* 923 *vel secundum alios* 924 *Berengarius* romphæa a tergo percussus prosternitur (3), *idque* Veronæ, *non vero* Papiæ, *ut habet Relatio. Et rursus Sigonius ad annum* 947 (4) : *Berengarius II* Adelardum *episcopum* Regiensibus dedit, qui post sancta martyrum corpora Chrysanthi et Dariæ a Berengario (*utique II ex mente Sigonii cum de hoc ibidem agat, nec ordinis apponat numerum*) E impetrata Regium deportavit, quæ in hunc usque diem Regienses religione præcipua venerantur. *Idem, sed aliis verbis, de Berengario I, tradit P. Romualdus a sancta Maria* (5) : Berengarius Roma Ticinum detulerat corpora SS. MM. Chrysanthi et Dariæ anno 915, quæ subinde dono dedit Adelardo episcopo Regii Lepidi. *Atque hæc primo intuitu videntur confirmari apud Ughellum ex charta Adelardi episcopi, in archivo ecclesiæ cathedralis reperiunda* (6), *qua plura* donantur clericis servientibus in ecclesia SS. Chrysanthi et Dariæ et S. Thomæ apostoli. *Subdo verba Adelardi huc spectantia* (7) : Concedimus ecclesiam S. Mustiolæ, *etc.* in ecclesiam beatorum martyrum Grisantis et Dariæ et B. Thomæ apostoli Christi, ut habeant clerici, id est Adalbertus presbyter et Martinus clericus, qui illic omnipotenti Deo et beatorum martyrum Grisanti et Dariæ quotidianum debitæ veneratiotionis exhibent famulatum, et qui pro tempore loco eorum successerint, teneant, possideant... Quod si quis successorum nostrorum hoc nostræ oblationis onus callida ingenii curiositate F ullo tempore fratribus præscriptis subtrahere quæsierit, omnes maledictiones, quas proposuit B. Moyses filiis Israel... veniant super eum..., nisi resipiscendo secundum Deum et nostræ institutionis edictum super dictis martyribus Grisanti et Dariæ et fratribus emendationem omnem fecerit. Actum in civitate Regio. *Nec annus nec dies adscriptus est, dum in altera Adelardi charta de alio argumento apud eumdem Ughellum* (8) *uterque perspicue notatur. Cæterum in priori charta Adelardi, ut videre est ex recitato textu, nulla fit mentio translationis, quam ipse Ughellus tribuit Gothardo, de quo hæc solum recenset* (9) : Gothardus Regiensis episcopus anno 914 Roma Regium asportavit corpora SS. Chrysanthi et Dariæ, eaque sub confessione cathedralis honorificentius collocavit, ubi hactenus summa

(1) De regno Italiæ, lib. VI, col. 388. Mediolani, 1732. — (2) Ibid., Nota (75). — (3) Ibid., p. 393. — (4) Ibid., p. 411. — (5) Italia sacra, tom. II, col. 267. — (6) Flavia Papia sacra, p. 11. Ticini Regii 1699. — (7) Ital. sac., tom. II, col. 268. — (8) Ibid. col. 266 et 267. — (9) Ibid., col. 261.

AUCTORE B. B.

veneratione fidelium recoluntur. *Paulo inferius docet Ughellus quo ex fonte hæc hauserit, nempe* documento, *anno* 1522, *ut ait,* condito, in quo habetur, quo tempore quave occasione hæc sanctorum pignora Regium translata sunt, *ubi ab initio sic legitur :* Cum alias de anno D. N. J. C. ab ejus circumcisione 914 et die 1 mensis Decembris per beatiss. in Christo patrem et olim B. memoriæ D. Gotardum olim episcopum et principem ex civitate Papiæ ex parte et in hac alma civitate Regii translata fuerint cum magno honore corpora et sanctæ reliquiæ plurimorum martyrum divorum Grysanti et Dariæ, et reposita fuerunt in cathedrali ecclesia Regii in altare desubtus, et cui beatiss. D. Gotardo tunc episcopo dicta corpora et reliquiæ hujusmodi fuerunt tunc data et resignata. Et prout latius de prædictis omnibus et aliis constat evidenter... in quodam libro antiquissimo in cartis hædinis et literis antiquis scripto, existente in archivio dominorum canonicorum capituli prædictæ cathedralis ecclesiæ Regii. Et sit verum, quod a dicto tempore et citra, quod dicta corB pora et reliquiæ hujusmodi fuerint in dicto altari reposita, *etc. Hæc quidem conscripta sunt stylo admodum confuso et barbaro, ex quibus id tamen deduci posse videtur* corpora SS. Chrysanthi et Dariæ *a Gothardo fuisse* Papia (*Ughellus supra habet* Roma) *Regium delata. Quid porro sibi velint voces :* ex parte; *et* corpora et sanctæ reliquiæ plurimorum martyrum divorum Grysanti et Dariæ, *non est operæ pretium inquirere, cum ipsum hoc* documentum *notas evidentis seu suppositionis seu adulterationis præ se ferat. Perspicuum enim cuicumque est legenti, instrumentum recognitionis, a nobis integre recitatum supra, nihil hujusmodi continere; in quo ne verbum quidem nec de Gothardo nec de Adelardo; subindicatur solum nonnullam fuisse contentionem* (*probabiliter intelligitur ecclesia Papiensis*) *de possessione SS. corporum :* Ut tolleretur omnis dubitatio cleri et populi ejusdem civitatis, an dicta corpora (SS. Chrysanthi et Dariæ) quiescerent in dicta arca nec ne. *Porro standum esse Instrumento nostro patet ex sequenti attestatione :* Instrumentum *per...* dominum Albertum (*Pancirolum*) notaC rium hujus civitatis rogatum in ejus plicis originatum extraxi et in hanc publicam formam, tamen aliena manu scriptum, redegi, in quorum fidem hic me subscripsi et de more signavi requisitus... Anno circumcisionis Domini, 1767 (*forte* 1747) die 27 Nov. *Erat signatum* Stephanus Ghinius. *Ita nempe legitur ad calcem Instrumenti, quod in chartis nostris hagiographicis servatur.*

quæ videtur tantum accipienda de parte SS. Corporum.

39 *Nemo non videt ex prædictis haud mediocriter infirmari fidem Relationis. Notandum insuper est, Ughellum in præliminaribus ad catalogum Regiensium episcoporum, nihil omnino, præter morem suum, afferre de reliquiis, quibus ecclesia illa condecoratur; in ipso vero catalogo, non ubique, ut vidimus, sibi constat, nec firmæ fidei documentis nititur, quando de SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *pignoribus mentionem habet. Cæterum queritur Ughellus de monumentorum ad res Regienses spectantium penuria, ita, post enumerata civitatis multiplicia decora, concluD dens* (1) : Unum illud Regio defuisse videtur, historicus scilicet, qui vetustæ civitatis eventus opesque jaceret in commentarios quorum historiæ et annales publici juris factæ fuerint. *Et nos eadem penuria laborare fatemur : nam si qua forte deinceps prodierunt, nobis non sunt ad manus. Moronius, qui anno hujus sæculi* LII *typis mandavit Dictionarii sui tomum, in quo plurima de urbe Regiensi collegit, aperte negat* corpora *SS. Martyrum nostrorum ibidem asserservari : sic enim scribit* (2) : Cathedralis ecclesia sub invocatione Assumptionis B. V. Mariæ dedicata est, in qua inter alias insignes reliquias, venerationi est PARS corporum SS. Chrysanthi et Dariæ; alia eorumdem pignora quiescunt in basilicis Lateranensi et XII Apostolorum Romæ. *Et rursus* (3) : Gothardus episcopus anno 914 Roma transtulit corpora (seu magnam eorum partem, *o gran parte*) SS. Chrysanthi et Dariæ et honorifice collocavit in confessione cathedralis; *quæ manifeste desumpta, excepta parenthesi, sunt ex Ughello. Denique* (4) Hugo Rangonus, ad augE gendum cultum SS. Chrysanthi et Dariæ, eorum ossa solemniter reposuit in locum honoratiorem. *Ignoro an viderit Moronius Instrumentum nostrum recognitionis* (*putem tamen secus, cum* ossa *non describat*), *ex quo habetur,* de capseta capita extracta simul cum duobus brachiis... residuo dictorum corporum in dicta capseta reservato. *Et infra :* Episcopus reposuit dictam capsetam continentem intus ossa corporum dictorum, exceptis tamen capitibus et duobus brachiis, *quæ si non omnino integra corpora, saltem longe maximam eorum partem designare videntur. Quod utique nullo modo daturi sunt nec Lateranenses nec Eifflienses. Jam de translatione Uritana dicamus.*

Translatio ad civitatem Uriam

40 *Est Uria* (*Italis nostris* Oria, *olim etiam* Oyra, Oira) *antiqua civitas, cujus meminit diserte Plinius* (5), *in regno Neapolitano, in provincia Hydruntina seu Salentina, vulgo* Terra Otranti *dicta, jacetque fere media Brundisium inter et Tarentum* (6). *A primis sæculis erat sedes episcopalis sub metropoli Brundisina; sed hæc cum sæculo* VIII *a Saracenis eversa esset,* F *unitæ fuere duæ illæ ecclesiæ, unde archiepiscopus dicebatur* Brundisinus et Uritanus *vel* Uritanus et Brundisinus. *Ut vero omnis contestationis ansa tandem tolleretur, Gregorius papa XIV die* 8 *Maji* 1591 *separavit diœceses, et relicto sedi Brundisinæ titulo archiepiscopali, de novo erexit episcopatum Uritanum, suffraganeum metropolis Tarentinæ. Ita Moroni* (7). *His prælibatis hujus ecclesiæ traditionem de reliquiis SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *subjungo ex variis mss.* Inter archiepiscopos, qui ecclesiæ Uritanæ, antequam cum Brundisiana unita esset præfuerunt, numeratur B. Theodosius, vitæ sanctimonia et integritate morum carissimus pluribus suæ ætatis summis pontificibus, speciatim Stephano P. VI, a quo legatus Constantinopolim missus anno 886 ad imperatores Basilium hujusque filios Leonem et Alexandrum. Qui cum Romam redux esset, quando contigit inventio corporum SS. Chrysanthi et

(1) Italia sacra, t. II, c. 240. — (2) T. LVII, p. 36. — (3) Ibid., p. 45. —(4) Ibidem p. 47. — (5) Historia natur., lib. III, cap. XI, p. 353 et 356. Edit. Harduini. — (6) Conf. Lorenzo Giustiniani, Dizionario geografico ragionato del regno di Napoli, *verbo* Oria. Neap. 1804. — (7) Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica, tom. XLIX, p. 107.

Dariæ,

Dariæ, item SS. Diodori presbyteri, Mariniani diaconi atque aliorum, benigne ei a præfato pontifice concessa fuere integra corpora SS. Chrysanthi et Dariæ, cum reliquiis nonnullis aliorum SS. Martyrum. Illo itaque tam pretioso thesauro suam properavit ditare ecclesiam et civitatem Urianam, et sacra pignora reposuit in metropoli, quam paulo ante reædificaverat dedicaveratque sub titulo B. V. Mariæ in cœlum assumptæ. Hæc ita leguntur in antiquo breviario membranaceo, ecclesiæ Urianæ proprio, in Lectionibus officii dictorum sanctorum, quod sæculis præterlapsis recitabatur in illa ecclesia. Nostra quoque ætate ibidem fit singulis diebus commemoratio translationis corporum SS. Chrysanthi et Dariæ sicut et S. Barsanuphii, sequenti adhibita oratione « Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum martyrum tuorum Chrysanthi et Dariæ et B. Barsanufii confessoris tui atque abbatis corpora Uriam transferri voluisti, concede propitius, ut quorum patrocinio gaudemus in terris, corum suffragiis sublevemur in cœlis. » *Sic in ms. sub rubrica* Notitia Vitæ et Gestorum
B aliquot sanctorum quorum corpora servantur in civitate Uria, *auctore Dominico Thoma Albanese, cive Uriensi, qui, ut notavit aliquis decessor noster et etiam ex conservatis P. Viterbi S. J. litteris constat, notitiam hanc* misit ipsemet P. Jacobo Viterbo rectori Tarentino anno 1683 mense Februario. *Et rursus alio loco ejusdem ms. legitur inventio præfata* facta 17 Januarii 886 sub pontificatu Stephani VI, imperantibus in Occidente Carolo Crasso, in Oriente Basilio cum suis filiis Leone et Alexandro.

expenditur 41 *Atque ita quidem habet traditio Uritanorum, quæ tota nititur inventione sub Stephano V facta; hanc autem non satis idoneis probatam vidimus testimoniis. Proinde hoc jam ex capite traditionis illius nutat fides. Aliunde vero, valde obscura sunt, quæ ad Theodosium episcopum Uritanum pertinent. Recensetur hic quidem ab Ughello, ubi de ecclesia Uritana* (1), *sed nullo adscripto anno vel sæculo. Nec multum luminis accedit, quod* vixerit, *ut iterum Ughellus ibidem,* temporibus quando ossa S. Leucii Benevento *dimidiatim* Tranum delata sunt. *Nam historia illius translationis, edita a Bollando in*
C *actis S. Leucii* (2) *et curante Coleto emendatius recusa in recentiori Italia sacra* (3) *nullam prorsus notam continet chronologicam; scripta autem fuit ab anonymo et* attitulata Joanni Tranensi archiepiscopo, *qui* vixit post annum nostræ salutis millesimum (4). *Ecce verba ad rem nostram facientia* (5). Interea Theodosius Orietanæ sedis antistes cum Beneventano pontifice charitativam inierat amicitiam. In cujus dilectione confisus petiit ab eo aliquantum partis pretiosi corporis. At ille petitioni ejus satisfaciens, summa cum diligentia concessit quod fraterna devote charitas poscebat; suscipiensque tanti thesauri munus, magna cum exultatione apud Brundisium loco pristino collocavit. *Ex quibus sane efficitur id contigisse ante eversam a Saracenis anno* 924 *Uriam* (6); *secus quidni Uriam non vero Brundisium Theodosius reliquias detulisset? Brundisium delatas suspicatur Papebrochius* (7) quia jam tum communes utrique urbi episcopi erant, *quod si obtineat, perperam asseritur initio numeri præcedentis, Theodosium præfuisse ecclesiæ Uritanæ*, antequam *hæc* cum Brundisina unita foret. *Præterea translatio SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *adscribitur ibidem anno* 886 *vel paulo tardius, sub pontificatu Stephani VI imo V. Quod utique stare non potest, si floruerit Theodosius post præfatam Uritanam calamitatem.* Theodosium episcopum, *inquit Papebrochius in actis S. Barsanuphii* (8), existimamus vixisse sub annum 850 vel 860, ut saltem ab ejus morte usque ad Uritanæ urbis calamitatem primam (*altera refertur ad annum* 978) intercesserint anni 60 vel 70. *Nulla additur ratio qua fulciatur hac sententia seu conjectura.*

42 *Est itaque undequaque incerta, densisque involuta tenebris ætas Theodosii. Quod autem dicatur fuisse* carissimus pluribus suæ ætatis summis pontificibus, speciatim Stephano VI a quo legatus Constantinopolim missus sit, *id eninvero nec simile quid uspiam alibi discimus. Fortassis ortum hoc est ex perperam intellecta* E *epistola Stephani V ad Fulconem Rhemensem archiep. pro Teutboldo Lingonensi episcopo apud Flodoardum recitata* (9) *qua declarat pontifex se* simul et Oirannum Senogalliensem episcopum a suo latere direxisse executorem *mandatorum suorum. Hæc quidem epistola integre non reperitur inter editas litteras Stephani* (10), *sed partim tantum; additur autem in Notis, supplementum ex Frodoardo, qui, ut aliunde constat, haud multum distabat a Stephani ætate. Porro vox* Oirannus, *si apices spectentur, accedit ad* Oiriannum *ab* Oiria, *quomodo sæpe scribitur pro* Oria *seu* Uria, *ita ut* Oirannus *sumi potuerit pro* Oirano episcopo, *nempe Theodosio Oriensi. Utut est, nec Pagius, nec Novaes, nec Baronius vel unum habent verbum de legatione Theodosii. Cæterum falso prorsus traditur Theodosius ecclesiam suam* dedicasse sub titulo B. V. Mariæ in cœlum assumptæ; *testibus namque Ughello et aliis* (11), Theodosius cathedralem veterem, SS. Chrysanthi et Dariæ titulo condecoratam, ædificavit in loco ubi nunc arx munita spectatur. In columna marmorea adhuc hi versus leguntur ædificationis testes : F

Hanc ædem præsul struxit Theodosius almam;
Dicito quæso : Deus esto misertus ei.

Nova cathedralis recentioris est structuræ et Mariæ in cœlos assumptæ dicata. Denique docet ibidem Ughellus ecclesiam hanc nobilitari, inter alias reliquias plurimas, ossibus aliquot SS. Chrysanthi et Dariæ, *et Moronius solius meminit* brachii S. Barsanuphii, *cum supra disertis verbis asseratur*, integra corpora SS. Chrysanthi et Dariæ concessa a Stephano *fuisse Anastasio. Non itaque putem translationem Uritanam probari. Non tamen negaverim insignes aliquas illorum sanctorum Martyrum reliquias eo, quocumque demum tempore fuisse delatas, ut revera obstineat quod notavit Papebrochius in actis S. Barsanuphii ad diem*

AUCTORE B. B.

nec probatur

(1) Italia sacra, tom. IX, col. 167. Venetiis 1721. — (2) Acta SS., tom. I, ad diem XI Januarii. — (3) Tom. VII, col. 892 et seq. — (4) Ibidem. — (5) Ibid. col. 893. — (6) Lorenzo Giustiniani, Dizionario geografico ragionato del regno di Napoli, tom. VII, p. 83. Neapoli 1804; Papebrochius, tom. II, Aprilis p. 25. — (7) Tom. II, April. ibid. — (8) Ibidem p. 25. — (9) Historia ecclesiæ Remensis, lib. IV, cap. I. Migne, Patrol., tom. CXXXV, col. 216. — (10) Migne, Patrol., tom. CXXIX, col. 795 et 796. — (11) Italia sac., tom. IX, col. 166. Moroni, Dizionario *verbo* Oria.

AUCTORE B. B.

xv *Aprilis* (1) : Agetur de iisdem Martyribus (SS. Chrysantho *et* Daria) xxv Octobris, ubi indicabitur quam multæ sunt ecclesiæ, quæ partem aliquam sanctarum reliquiarum adeptæ, eorum corpora habere gloriantur, quomodo hic contigit Oretanis. *Denique translatio Uritana* (*nisi intelligatur de aliquot ossibus*) *prorsus destruitur translatione Regiensi*, *et Eiffliensi de quibus diximus supra.*

§ IV. De translationibus Salisburgensi, Neapolitana et Viennensi. Item de minoribus reliquiis, quæ pluribus in ecclesiis exhibentur.

Translatio Salisburgensis.

M*entionem facit Hundius de translatione corporum SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *ad ecclesiam Salisburgensem in Bavaria.* Adalbinus (2), corpora sanctorum Crispini, Crispiniani, Crisanti, Mauri et Dariæ virginis Roma Juvavium (*Salisburgum*) intulit. *Præfuit porro Adalbinus ab anno* 859 *ad annum* 872 *vel potius sequentem, quo mortem obiit* (3) *ac proinde floruit haud ita multo post allatas a Marcwardo in Eiffliam reliquias. Ejusdem translationis meminit Hansizius his verbis* (4) : Anno 860 profectus est *Adalbinus* Romam ad Nicolaum papam, a quo pallium accepit ; præterea reliquias sanctorum Crispini et Crispiniani fratrum, Mauri martyris, item Chrysanthi et Dariæ conjugum. Hundius diem obtenti pallii adnotavit secundo Calendas Octobris (30 *Sept.*) ; Mezgerus hanc ipsam diem importatis in urbem Salzburgensem sacris lipsanis tribuit. Incertum utrumque. *Itaque, quæ apud Hundium* Corpora, *vocantur, Hansizio* reliquiæ *sunt. Denique in* Excerptis Altahensibus, *valde brevibus, apud Pertz* (5) *notatur :* Anno 859, Adelwinus archiepiscopus corpora sanctorum Chrysanthi et Zoariæ (*utique* Dariæ) Saltzburch attulit. *Monet vero Pertz in* Excerpta *illa :* Hartmannus Schedel, medicus Ambergensis, in monasterio Altahæ inferioris ad oram codicis Ottonis Frisingensis notas historicas allitas repperit, quas ex schedis ejus bibliothecæ regiæ Monacensi illatis ab OEfelio in SS. rerum Boicarum vulgatas hic proponimus. *Aliud non inveni de translatione Salisburgensi. Non negarem partem aliquam reliquiarum præfatæ ecclesiæ, forte ab ipso Marcwardo, concessam ; sed quominus plus admittam, vetat inopia seu defectus testimoniorum. Sane anonymus, Adelbino coævus, scriptor* libelli de conversione Bagoariorum (*Bavarorum*) et Carantanorum *solius accepti meminit pallii* ; *silet de translatis Roma reliquiis.* Adalrammo, *inquit* (6), a nexibus corporis absoluto, Liuprammus venerabilis prædictæ sedis pontificatum accepit pastor anno 836 ; quem Gregorius papa (*IV hujus nominis*) pallio honoravit. Qui innumerabilibus Deo placitis operibus peractis, sidereas conscendit sedes, anno nativitatis Christi 859. Cui successor, quem ipse nutrivit, Adalwinus venerabilis præsul, pallio honoratus a Nicolao papa (I), ad præsens enitet tempus, cum omni regens diligentia gregem divinitus sibi commissum. Quorum temporibus, Liuprammi videlicet ac Adalwini archiepiscoporum, Osbaldus episcopus Sclavorum regebat gentem, prout jam priscis temporibus jam dicti episcopi fecerunt, subjecti episcopis Juvavensium (*Salisburgensium*). Et adhuc ipse Adalwinus archiepiscopus per semetipsum regere studet illam gentem in nomine Domini, sicut jam multis in illis regionibus claret locis. *Atque hæc ita capite* IX *in Pertzii editione, quousque tantum pertingebat apographum Canisii secundum. Capite autem* XIV *seu ultimo apud eumdem Pertzium alia plura ab Adalwino gesta summarie recensentur ; at nec ibi translationis ulla mentio.*

de qua nihil in præclaro Libello *de episcopis Salisburg.*

44 *Juverit paucis indicasse quo tempore conscriptus quantique sit præfatus libellus pretii et quæ ejus fuerint fata : ex his enim emendari poterit locus Papebrochii, qui fisus Canisio, quædam non satis accurata protulit in actis S. Ruperti. Ex supra recitatis verbis efficitur auctorem coævum esse Adalwino. Aliunde vero constat hæc ab illo scripta sub finem vitæ dicti pontificis : obiit namque Adalwinus* XIV *Maii anno* DCCCLXXIII (*ut plerisque placet*) ; *capite autem ultimo Libelli leguntur sequentia :* A tempore igitur quo, dato et præcepto domni Karoli imperatoris, Orientalis Panonniæ populus a Juvavensibus regi cœpit præsulibus usque in præsens tempus, sunt anni 75 (7). *Commissa vero Pannonia Juvavensibus non fuit ante annum* 796, *ut diserte habetur in Libello cap.* XI (8) ; *proinde scripsit Anonymus noster vel anno* 871, *si, ut præfert Wattenbachius* (9), *commissio anno* 796 *annectatur, vel anno* 872, *si, ut aliis magis placet, hæc facta sit tantum anno* 797 ; *non vero, ut innuit Canisius, anno* 1186 *aut* 1190. *Editus primum in lucem, sed ex mutilo turpiterque adulterato apographo ms., Libellus est ab Henrico Canisio, tom. II.* Antiquarum Lectionum, *et iterum, multo quidem correctior et in quibusdam auctior, sed tamen mutilus, ejusdem operis tom. VI ; novisque typis subjectus a Basnagio in* Thesauro Monumentorum (10), *tributusque, subdubitando tamen,* cuidam S. Eberhardi archiepiscopi Salisburgensis discipulo ; *id vero secus omnino esse vel ex eo probatur quod S. Eberhardus* naturæ concesserit *anno ab incarnatione Domini* MCLXIV (11). *Postea integer atque emendatior prodiit cura Marci Hansizii, S. J., qui textum, non uno tenore, sed sparsim tomo II* Germaniæ sacræ *inseruit, affirmans* se exemplaria Canisiana cum mss. accurate contulisse. *Denique nuperrime, anno scilicet hujus sæculi quinquagesimo quarto, opusculum integrum purumque atque ad fidem plurium codicum mss. accepimus ab erudito viro D. W. Wattenbach* (12), *de quo ipse ita præfatur :* Agmen ducit pretiosa illa de adventu S. Rudperti primi episcopi (*Salisburgensis*) et de Bawarorum et Carantanorum conversione narratio, quæ usque ad annum 871 protenditur. *Et paulo infra :* Libellus summi pretii, unicus multarum rerum, quæ illa Germanorum et Slavorum confinia attingunt, fons. *Nec aliter Hansizius, cui scriptio hæc* maximæ semper

(1) Acta SS., tom. II Aprilis, p. 26. — (2) Metropolis Salisburgensis, tom. I, pag. 4. Ratisponæ, 1719. — (3) Ibid., Conf. Hansizium Germaniæ sacræ, tom. II, p. 135. — (4) Germania sacra, ibid., p. 133. — (5) Monumenta Germaniæ (scriptores), tom. IV, p. 36. — (6) Ibid. tom. XI, p. 10 et seq. — (7) Ibid., p. 14. — (8) Ibid., p. 9. — (9) Ibid., p. 1 et 2. — (10) T. III, p. 282-285, et p. 340-344. — (11) Germ. sac., tom. II, p. 276. — (12) Pertz,. tom. XI, p. 1-14.

auctoritatis

A aucthoritatis habita est, ac veluti sacra linea Actorum Ruperti (1). *Superest ut locum Papebrochii in actis S. Ruperti* (2), *de quo supra, adscribam, quem ex hactenus dictis facile erit castigare*. Opusculum, *ait ille*, quod S. Eberhardi discipulus quidam de episcopis Salisburgensibus anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVI (3) composuit; vulgavit autem ex ms. Canisius, tom. II Antiquarum Lectionum pag. 255; iterumque tom. VI, pag. 1138, prout immutavit idem ille auctor, qui S. Rudperti acta interpolando deformavit, ut diximus : qua editione omissa, prima, ut sinceriori, quando opus erit, utemur libentius. *Nunc vero constat* secundam *editionem longe* sinceriorem *esse* prima; *ipsumque libellum sæculo nono compositum, et quidem, opinione Wattenbachii* (4), ab anonymo clerico Salisburgensi ad defendendam diœcesis, per erectum noviter Moraviensem archiepiscopatum imminutæ, integritatem.

Pignora SS. Chrysanthi *et* Dariæ *Neapolim*

45 *Neapoli quoque SS. Martyrum nostrorum corpora exhibentur in ecclesia sanctissimi nominis Jesu, (vulgo dicta nunc* Gesu Vecchio), B *quam olim ædificarunt Patres Societatis Jesu et tenuerunt usque ad ordinis sui suppressionem sub Clemente XIV. Restituta autem Societate a Pio VII, Socii reduces Neapolim, templum illud numquam recuperarunt; quod deinceps ad normam oratorii exstitit, habens proprium rectorem, gaudetque frequentissimo populi concursu. Quando et quomodo reliquiæ ad præfatam venerint ecclesiam, docebit Josephus de Magistris : Cum, inquit* (5), *Augustinus Caputus, Baro Bagnoli,* inter cætera sua thesaura, quæ in ejus vita magna veneratione in chrystallinis capsis, gemmis pretiosis et auro ornatis, habebat, *possideret* pretiosum thesaurum pulcherrimi *SS. MM.* reliquiarii, ipsi a fel. record. Clemente VIII et Paulo V sum. pontif. concessi, et per ejus mortem prædictum thesaurum transitum fecisset Joanni Caputo Baroni etiam sancti Manghi... ejus filio...; ipseque Joannes, cum forsan in aliis occupatus non intendebat venerationi et cultui illius tanti thesauri vacare, hortatu illius tanti viri et servi Dei Pat. Julii Cæsaris Recupiti (*Soc. Jesu*), dictas reliquias modo, quo asservabantur a dicto Augu- C stino ejus patre, pro earum majori veneratione, dono dedit collegio dictæ Societatis; quæ fuerunt quatuor corpora integra, videlicet duo de SS. martyribus Chrysanto et Daria conjugibus... tertium fuit illud S. Hygini P. et M., et quartum S. Lucillæ V. et M. Quæ quatuor corpora SS. simul per dictos Patres collegii collocata fuerunt sub ara majori *seu potius, ui infra videbitur, a tergo aræ majoris* ipsius ecclesiæ in quodam parvo oratorio, in quo quotidie celebratur...; et Patres grati animo ibi marmoream tabulam sculptam posuerunt cum sequentibus verbis :

Hic asservantur Corpora
Sanctorum Martyrum Chrysanti
Et Dariæ conjugum
Sancti Hygini Pontificis et Martyris et S. Lucillæ
Virg. et Mart.
Joannes Caputus
Carovigna et Sancto Mangi
Dominus dono dedit.
Societas Jesu Monumentum posuit
Anno Dom. MDCXXXIV.

AUCTORE B. B.

46 *Atque hæc ita stylo non valde terso laudatus Josephus de Magistris. Ex quibus discimus sacras reliquias concessas a summis pontificibus Clemente VIII et Paulo V primum Augustino Caputo, dein in manus venisse Joannis, ejus filii, qui illas dono dedit Patribus nostris Neapolitanis. Notat autem Pellinus, de quo mox recurret sermo, ecclesiam SS. nominis Jesu consecratam fuisse anno* 1632, *et biennio post, scilicet anno* 1634, *sacra pignora ibidem reposita, quo in loco permanserunt usque ad annum præsentis sæculi trigesimum primum, quando nova contigit translatio, de qua sequenti numero dicendum, ex præfati D. Pellini canonici et lectoris sacræ scripturæ in academia regia Neapolitana, opusculo quod hac super re, ipso translationis anno* 1831, *edidit lingua italica sub titulo :* Tractatus historicus de gestis gloriosis S. Hygini papæ et martyris et E SS. conjugum Chrysanthi et Dariæ VV. et MM., nec non de nova translatione ossium eorum ex uno loco in alium in ecclesia Jesu Veteris Neapoli (6). *In priori parte recitantur acta SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *ex Surio, velatis nonnihil hinc inde verbis, ubi de puellis dicitur, introductis ad labefactandam sanctissimi Juvenis virtutem. Supervacaneum proinde foret quidquam de his adscribere.*

anno 1634 *advecta*

47 *In altera parte tractat Pellinus de translatione SS. Hygini, atque* Chrysanthi *et* Dariæ; *prætermittit vero S. Lucillam, quod ejus reliquiæ alio in loco reconditæ tunc fuerint. Ratio dimovendorum SS. ossium erat, quod ob erectum anno* 1826 *a R. D. Placido Baccher, rectore ecclesiæ, magnificum B. V. Mariæ, cujus imago ibidem maxima in veneratione est, sive thronum sive monumentum, SS. Martyrum sepulcrum jam vix videri vel adiri posset, nec, ut moris erat, sacrum super eorum corpora dicere fas esset* (7). *Nam, ut præfati sumus, erat eorum confessio a tergo majoris altaris, in cujus summitate extructus fuerat modo dictus thronus. Statuit itaque R. D. Placidus, cum omnimodo* F *consensu eminentissimi cardinalis Aloysii Ruffo, archiepiscopi Neapolitani, sacra pignora transferre in partem anteriorem summi altaris. Die sabbato* 16 *Aprilis anno* 1831 (8), *apertum sepulchrum est, atque extractæ, una post alteram, capsulæ (cassettine), quibus continebantur, reliquiæ singulorum Sanctorum, patefactisque capsulis ossa fuerunt recognita; primum S. Hygini, tum S. Lucillæ; denique SS.* Chrysanthi *et* Dariæ: *In horum urna reperta capsula est lignea, in cujus parte exteriori depictæ cernebantur utriusque imagines, juxta locum quo quiescebant eorum ossa. Hæc autem erant omnino intacta, utpote quæ nullum detrimentum acceperant ex loco circumfuso humore, quod non item contigerat reliquiis SS. Hygini et Lucillæ. His peractis sacra pignora primum deposita ad*

et anno 1831 *in alium locum translata,*

(1) Germania sacra, t. II, p. 34. — (2) Acta SS., tom. III Martii, p. 700. — (3) Conf. Thesaurum Monumentorum, t. III, part. II, p. 282. *Nota.* — (4) Pertz, ubi supra, p. 1. — (5) Status rerum memorabilium civitatis Neapolitanæ, p. 366. Neapoli 1678. — (6) Trattenimento storico sulle gloriose geste di S. Igino papa e martyre et de santi conjugi Crisanto et Daria VV. et MM., e sul nuovo transferemento delle loro ossa da un luogo all'altro nella chiesa del Gesu Vecchio in Neapoli. — (*i*) Ibid., p. 43. — (8) Ibid., p. 45 et seqq.

tempus

AUCTORE B. B.

tempus fuere in æde contigua, atque ibidem diligenter singula suis locis separatim composita et observata donec opportuna solemnis translationis veniret dies. Interea temporis operi se accinxerunt, cæperuntque partem inferiorem (superior BB. Virginis trono destinata erat) ad novam redigere formam, quæ asservandis sacris exuviis foret accommoda. Quare sub mensa altaris paratus est locus, haud quidem parum spatiosus, nec tamen sufficiens quatuor deponendis corporibus; proinde statutum fuit, ut S. Lucillæ ossa ad separatam deferrentur sedem; aliorum vero trium Sanctorum simulacra justæ magnitudinis conficerentur. Notanda sunt sequentia verba Pinelli (1) : *Jussu R. D. Placidi,* artifex peritissimus sculpsit capita, thoraces, manus et pedes sanctorum Martyrum, quorum facies seu vultus referrebat apprime singulorum ætatem et indolem. Capita erant ex creta durissima, atque ad occipitium valvula instructa, qua in cavum intromitteretur pars aliqua calvarii (*qualche ossa del cranio*). *Cætera ossa SS.* Chrysanthi et Dariæ imposuerunt duobus magnis reliquiariis, quæ collocata nunc cernuntur ante pectus utriusque S. Martyris. Quo ad sanctum Hyginum spectat, qui inter Socios eminere debebat, voluit R. D. Placidus, ut pars ejus reliquiarum ita distribueretur, ut singulis membris simulacri convenientia ossa nonnulla applicarentur; unde præter portionem capite inclusam, et costas, quæ magno reliquiario contentæ, ante pectus positæ exhibentur, alia ossa minora manuum pedumque respondentibus in simulacro membris imposita cernerentur. *Atque hæc omnia disposita et composita fuere in sepulchro seu tumba pellucida; ac proinde oculis visitantium undequaque patentia. Porro medius recumbit S. Hyginus, ornatu pontificali decorus, capite gestans tiaram, sinistra vero manu crucem, ut vocant, patriarchalem. Ab una parte S.* Chrysanthus, *ab altera S.* Daria *positi sunt, habitum nobilium romanorum referentes, atque ipsi etiam suo quisque incumbens pulvinari, facie in S. Pontificem intenta. Denique consecratum altare die* XVI *Maii* 1831, *quæ anniversaria erat primæ dedicationis, factæ anno* 1634; *translatio vero celebrata solemniter est die* I *Junii præfati anni* 1831; *innumero præsente populo. Quæ sic peracta ut perpetuæ posterorum memoriæ commendarentur, apposita ex aversa summi altaris parte, sequens inscriptio est, lapidi marmoreo incisa :*

B

C

A ☧ Ω

QUÆ DUDUM HEIC OBSCURO LOCO
ABDITA OBRUTA IGNOTA PENE LATITAVERANT
SANCTORUM LIPSANA
HYGGINI P. M. CHRYSANTHI ET DARIÆ CONJ. VV. MM.
UT MAJORI POSTHAC HONORE CUMULARENTUR
R. D. PLACIDUS BACCHER ECCLESIÆ RECTOR
NON SINE EMI PRÆS. NEAP. ALOYS. I CARDINALIS RUFFO
CONSILIO AUCTORITATE PROVIDENTIA
EX ARCULIS EDUCTA
NOVO ARTIFICIO COMPOSITA ELEGANTIORI FORMA RESTITUTA
EXTERIUS SOLEMNI RITU TRANSFERENDA
NEC NON SUB ARA MAXIMA
COLLOCANDA CURAVIT
A. D. MDCCCXXXI.

partes tantum sunt sacrorum corporum.

48 *Liquet a summis pontificibus Clemente VIII et Paulo V non integra corpora SS.* Chrysanthi et Dariæ *fuisse Augustino Caputo concessa, cum nuspiam tradatur, ecclesiam Lateranensem reliquiis eorumdem BB. Martyrum exutam (nec enim video unde alias Neapolim fuissent alatæ); imo vero contrarium constat ex dictis, ubi vidimus sacra illa pignora (sic nempe existimant) perpetua veneratione jam inde a pluribus sæculis ad nostra usque tempora coli in prædicta basilica. Conf. nn.* 24-26. *ubi notavimus multa esse quæ saltem dubias faciant ipsas reliquias Lateranenses. Cæterum verba Pinelli supra recitata non reperiri Neapoli integra corpora satis innuunt :* Pars Calvarii, *inquit, ille, inclusa capite utriusque simulacri;* reliqua ossa *binis reliquiariis imposita. Quæ sane intelligenda de partibus tantum. Quod insuper confirmatur ex comparatione cum pignoribus S. Hygini, quæ longe abundantiora indicantur. Id unum restat, ut moneamus, nullam fieri mentionem litterarum, quibus sinceritas reliquiarum declaretur; quæ an adfuerint, ignoramus. Utique eadem est istarum reliquiarum conditio, quæ cæterarum variis in locis asservatarum. Cum fieri non possit ut omnes simul genuinæ habeantur (saltem si de integris corporibus vel eorum majori parte agatur); examinandi serio sunt tituli quibus singulæ nitantur ecclesiæ. Hoc autem ex capite haud parum laborant Neapolitani, et cæteris omnibus, mea opinione, prævalent Eifflienses.* D

E

49 *Quid quod et Viennam in Austria corpus S.* Chrysanthi, *sine corpore S.* Dariæ, *circa medium sæculum* XVII *asseratur Roma translatum? Qua de re habemus inter mss. nostra hagiographica instrumentum sequentis tenoris :* Nos Philippus Fridericus Dei et apostolicæ sedis gratia, episcopus Viennensis, sacri Romani imperii princeps etc. Notum facimus universis, et per hoc publicum donationis instrumentum attestamur, cum nobis de mandato sanctissimi D. N. Urbani, Dei providentia Papæ VIII, tria corpora Sanctorum, nimirum S. Chrysanthi, S. Marcellini, S. Cyriacæ Roma huc Viennam transmissa, et licentia data ea aliis donandi, vel ad fidelium venerationem in ecclesia collocandi, cujus transmissionis et licentiæ tenor est sequens. Nos Joannes Baptista de Alteriis, olim episcopus Camerinus, eminentissimi Urbis Vicarii vicegerens et judex ordinarius etc. Universis ac singulis præsentes litteras inspecturis fidem facimus et attestamur, qualiter nos ad majorem omnipotentis Dei et Sanctorum suorum gloriam tradidimus et consignavimus perillustri et admodum Reverendo domino Joanni Barssottis, protonotario apostolico, præposito Isnensi, coadjutori primicerio cathedralis Lucensis, eminentissimi cardinalis ab Arrach, cameræ præfecto ac Sacræ Cæsareæ Majestatis consiliario, corpora sanctorum martyrum Chrysanthi ex cœmeterio Priscillæ, et Marcellini ac Cyriacæ ex cæmeterio Calistæ, quorum nomina in martyrologio descripta reperiuntur ad effectum transmittendi illustrissimo et reverendissimo Domino Philippo, episcopo Viennensi et principi sacri Rom. imperii etc., cui illustrissimo et reverendissimo Domino episcopo, ut illa possit aliis donare ac in ecclesiis ad fidelium venerationem collocare, licentiam et facultatem

F

Denique translatio Viennensis memoratur;

(1) Trattenimento, p. 51.

A tem in Domino concedimus et impertimur. In quorum fidem etc. Datum Romæ hac die 30 Martii 1643. J. B. episcopus Cam. Vice Gerens (*Locus Sigilli*). Quia vero memorata corpora sanctorum S. Chrysanthi, S. Marcellini et S. Cyriacæ die 5 Junii A. 1644 per publicam processionem, cui etiam Sacra Cæs. Majestas Ferdinandus III, Dominus noster clementissimus, et augustissima conjunx Maria et Serenissimus archidux Leopoldus Guilielmus interfuerunt, cum summa totius cleri et populi veneratione, ex templo B. V. de Monte Serato in prourbio ante portam vulgo Scotensem dictam sito, ad cathedralem ecclesiam S. Stephani hic Viennæ introduximus, eaque ibidem ad venerationem fidelium collocavimus et exposuimus; nobisque bene visum fuit et complacuit dicta tria corpora dictæ basilicæ D. Stephani donare et perpetuo applicare et appropriare. Itaque deliberata mente, per hoc publicum donationis instrumentum prædicta tria corpora Sanctorum eidem cathedrali ecclesiæ S. Stephani donamus, applicamus et appropriamus, ita ut hæc corpora perpetuo
B apud prædictam basilicam permanere et in custodia, ubi aliæ reliquiæ conservantur, conservari debeant, et prout aliæ, sic etiam hæ reliquiæ, ad venerationem fidelium exponi et collocari possint ac valeant; sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, inhibentes, ne quisquam successorum nostrorum episcoporum vel alius quiscumque de hisce tribus sanctis corporibus aliquid alienare vel alienis donare attentet vel præsumat. In fidem horum hoc publicum donationis instrumentum propria manu subscripsimus, sigillo nostro majori communiri fecimus, et venerabili capitulo cathedralis ecclesiæ Viennensis tradidimus. Viennæ Austriæ in residentia nostra episcopali, die 6 Sept. anno 1644. *Erat signatum:* Philippus Episcopus Viennensis.

sed non probatur. 50 *Utique si verum hoc sit* S. Chrysanthi *corpus, falsæ sunt reliquiæ ejusdem S. Martyris quæ sive in Lateranensi basilica, sive Uriæ, sive Regii sive Eiffliæ servantur. Ast, attentis hactenus disputatis, quis hoc affirmare auserit? Cæterum in folio verso præcitati Instrumenti addita legitur sequens notatio:* Epistola Cardinalis
C Altieri ad episcopum Viennensem, Roma 27 Febr. 1646, cujus dubiis respondet, asserendo corpora prædicta esse cum nomine proprio a se inventa; non posse se autem pro certo affirmare, an eadem sint eorum SS. cognominum, qui sunt in martyrologio Romano, cum eodem in cœmeterio, etiam nomine proprio, ejusdem nominis Sancti reperiantur. *Non itaque putem ullo modo corpus S. Chrysanthi, quod Viennæ asservatur, posse referri ad conjugem* S. Dariæ; *sed alterius Sancti cognominis esse mihi certo statuendum videtur. Sua proinde hac rursus ex parte remanet Eiffliensi possessioni firmitas.*

Reliquiæ partiales diversis in locis. 51 *Sunt præterea aliæ ecclesiæ quibus pars aliqua reliquiarum SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *obtigit. Teste Serrano* (1), *Romæ in Vaticana S. Petri basilica habentur* reliquiæ S. Chrysanthi *et* brachium S. Dariæ (2); *in basilica S. Pauli* reliquiæ SS. Chrysanthi *et* Dariæ (3): *item Papiæ in ecclesia S. Helenæ, sanctimonialium ord. S. Benedicti,* ossa SS. Chrysanthi et Dariæ (4); *in ecclesia S. Mariæ Rotundæ ad Perticas,* ossa *eorumdem* (5); *in ecclesia S. Michaelis majoris,* ex Ossibus (6). *Anno* 1754 *Eifflia missæ fuerunt aliquot* particulæ de tumba reliquiarii *Monasteriensi ad* parochialem ecclesiam in Welckerath diœcesis Trevirensis (7), *ut ex genuinis litteris, constat. Supra n.* 25 *aliqualis facta est mentio de reliquiis in Gallias Roma delatas, a diacono S. Gregorii Turonensis. Hujus narrationem integre hic adscribimus* (8) : *Per* confessionem *suam* Martyres gloriosi ineffabilia semper salutarium munerum beneficia meruerunt, ac petentibus se hoc præstiterunt virtute, quod eisdem a Domino impertitum est Creatore, sicut nobis nuper a diacono nostro relatum, ita gestum esse cognovimus. Hic autem diaconus a papa urbis Romanæ Pelagio, quorumdum martyrum confessorumque assumpta pignora cum grandi psallentio vel clericorum officio ac populi immensi obsequio usque ad portum deductus est. Et ingressus navem, E erectis velis, ac per illum antennæ, quæ modulum crucis gestat, apparatum extensis, flante vento, pelagus altum arripuit. Qui dum navigant ut Massiliensis urbis portum attingant, appropinquare cœperunt ad locum quemdam, de quo a littore maris lapideus mons exurgens ac paulatim decedens, summo tenus unda in mari distenditur. Cumque impellente vento carina magno impetu ferretur in præceps, ut scilicet scopulo illisa quassaretur, ac nautæ discrimen intuentes, exitum vociferarent, diaconus, elevata cum sanctis pignoribus capsa, invocare nomina singulorum cum gemitu et voce maxima cœpit, deprecans ut eorum virtute ab hoc periculo perituri liberarentur. Jamjamque appropinquabat navis, ut præfati sumus, ad scopulum; et statim in sanctarum contemplatione reliquiarum, ab ipso loco commotus cum violentia majori ventus huic vento contrarius fluctum elisit ventumque diversum repulit, ac nave in pelagus profundum revocata, cunctos a mortis periculo liberavit. Sicque gyrata mole periculi, F portum quem desiderabant cum Domini misericordia et Sanctorum patrocinio contigerunt. Erant enim reliquiæ Sanctorum, quorum sacra vestigia Domini manibus sunt abluta (*Apostolos intelligit Gregorius*) cum Pauli Laurentiique atque Pancratii, Chrysanthi Dariæque virginis, Joannis atque alterius Pauli fratris ejus, quorum certamina ac palmas victoriarum ipsa caput orbis urbs Roma devote concelebrat.

Cæteris certior est translatio Eifflien-sis. 52 *Antequam finem imponamus longæ laboriosæque disputationi de reliquiis* SS. Chrysanthi *et* Dariæ, *unum liceat addere. Cæteris mihi melius probata videtur translatio et possessio Eiffliensis. Constat namque ex coævis, iisque fidissimis documentis, concessa Marcwardo fuisse a Sergio pontifice, anno* 844 *bina corpora, quæ tunc temporis certo tenebantur esse*

AUCTORE B. B.

(1) De septem urbis Romæ ecclesiis, p. 114. — (2) Ibid., p. 115. — (3) Ibid., p. 118. — (4) Flavia Papia sacra, part. tertia, p. 27. Ticini regii 1699. — (5) Ibid., p. 47. — (6) Ibid., p. 62. — (7) Katzfey, Geschichte der Stadt Münstereifel und der nachbarlichen Ortschaften, tom. I, p. 95. Coloniæ, 1854. — (8) Lib. I de Gloria Martyrum, cap. 85. Migne, Patrol., LXXI, col. 779.

AUCTORE B. B.

SS. Chrysanthi *et* Dariæ *pignora; secus enim romani quin et ipse Sergius fraudis* (*quod dictu nefas*) *arguendi forent; constat exparibus testimoniis, præfata corpora a Marcwardo Prumiam delata et hinc Eiffliam. conf. nn.* 27-30. *Unde Moronius* (1): Corpora Sanctorum illorum fuere sepulta via Salaria, et ab iis nuncupata multo tempore est pars ista cœmiterii. Anno 842 (*lege* 844) reliquiæ sanctorum Chrysanthi et Dariæ translatæ sunt ad abbatiam Prumiensem in diœcesi Trevirensi, et duobus post annis (*imo mensibus*) ad monasterium S. Naboris juxta Mettas, *imo Eiffliense. Nullius alterius translationis meminit ibidem Moronius; sed alibi, ut vidimus supra, scribit, easdem reliquias partim Romæ partim Regii Lepidi inveniendas. Quæ quomodo inter se componi queant, ipse viderit vir eruditus. Mea quidem opinione id unum Eiffliensibus objici posset: nempe, quæ bona fide, dum Romæ Marcwardus agebat, credebantur esse corpora SS.* Chrysanthi *et* Dariæ, *postea comperta fuisse supposititia; sive quod probentur anno* 886 *inventa atque translata ad ecclesiam Lateranensem a Stephano V; sive* B *quod idoneis nitantur testimoniis translationes Regiensis, Uritana, Salisburgensis, Neapolitana vel Viennensis, aut saltem una aliqua ex istis. Secus autem est: vidimus enim illarum exstare nullam* (*non excepta Lateranensi cui non una ex aliis superstruitur*), *quæ certæ fidei probetur documentis. Nec tamen negamus in præfatis ecclesiis fragmina plus minusve insignia posse asservari, quæ per synecdochen corpora fuerint dicta; modo id firmum maneat, longe maximam SS. pignorum partem a Marcwardo acceptam atque ad Eiffliæ monasterium delatam, ut recte jureque asseri queat corpora illic quiescere. Cum itaque Eiffliensis translatio cæteris præferenda videatur, censuimus peculiari paragrapho subjiciénda documenta, quibus innotescat jam inde a sæculo* IX *sacra corpora ibi perpetuo servata et summa in veneratione fuisse habita.*

§ V. Monumenta Eiffliensia ad reliquias et perpetuum cultum SS. Chrysanthi et Dariæ spectantia.

C

Monasterii Eiffliensis notitia

Præmitto brevem regionis et urbis notitiam. Ejus situs, *ait Hontheim* (2), inter Suram *die Saur*, Uram *die Ur*, Urtam seu Ourt, Ortam id est *Orf*, et Erpaham *seu Arnapham* vel Ervam *die Erft*, atque Rhenum monstratur, appellaturque adhuc hodie *die Eyffel* (*nunc communiter* Eifel) *Eifflia. Regio est montosa, habetque hinc inde planities* 1200 *imo et* 1600 *pedes maris æquore altiores* (3). Monasterium Eiffliæ montibus Eiffliacis incingitur, in quibus Eifflia (*sic nonnumquam vocatur Arnapha*) fluvius parvus natus (4). *Apud antiquiores scriptores dicitur* Eyphalia, Eiphalia, Eiphla, Eifalia, Eifflia (5). *Ædes sacra, quæ origo fuit oppidi dicti Monasterium Eiffliæ* Münstereifel, *ædificata a Marcwardo est, judice Brosio anno* 830 (6); *tardius id factum insinuat Browerus* (7); *qui ad annum* 846; sub hoc tempus, *ait*, conditum est quoque monasterium a Marquardo abbate in Eifalia, quod oppido crescens et canonicorum collegio, sacris quoque beatorum Chrysanthi et Dariæ e Prumia corporibus illatis... præclarum evasit, ditionique abbatis, antequam Juliacensibus cederet, olim paruit. Certe decus hoc martyrum Eiffliæ terræ sub NOVÆ CELLÆ nomine Wandelbertus egregie versibus suis asseruit : « Gemmas martyrii » *etc. ut n.* 29. *Mabillonius toto decennio differt a Browero :* Sub idem tempus (*ita ad an.* 836 (8)) aliud in Eifflia cœnobium extruxit *Marcwardus* vulgo *Monasterium Eiffliæ* appellatum. *Probabilius mihi videtur Novam Cellam fundatam ante Marcwardi romanam profectionem an.* 844, *qui eodem anno redux postquam Prumiæ menses duos substitisset, reliquias transtulit mense Octobris, proinde parata jam erat earum sedes. Quod mea opinione confirmatur ex sequentibus historiæ translationis verbis :* IV Nonas Julii deferunt eas (*reliquias*) in Prumiam Monasterium; jacueruntque in eo, quo delata fuerant feretro ad E dexteram altaris usque XI Kalendarum Novembrium die; scilicet quousque pars quædam antiqui templi complanata in spatium prolixius extenderetur, et locus tumulo dignus extrueretur. Quo expleto tempore... translata (*corpora*) sunt... VIII Kalendarum Novembrium. *Nullum itaque susceptum justæ molis opus, sed duorum fere mensium spatio paratus locus sacris exuviis recondendis idoneus. Quis porro in mentem sibi inducat, Eiffliam tam eximia pignora deducenda a Marcwardo, nisi adfuissent eo loci qui debitam illis ipsi exhiberent et ab aliis exhiberi curarent venerationem, quorumque custodiæ concredita forent? Hoc autem posito, nonne admittamus necesse est, habitaculum seu cellam, quam monachi incolerent, extitisse? Ex his emendanda censeo, quæ habentur in Lect. V* offlcii primæ translationis *olim ad usum ecclesiæ Eifflienses :* Ex tunc vero (*nempe ex quo reliquiæ Prumiam delatæ erant*) ad augendam Sanctorum istorum gloriam... Marcwardus totus incubuit..., unde divina inspiratione incidit ei... consilium bonum, ut nempe ad horum sanctorum martyrum Chry- F santhi et Dariæ novum monasterium ædificari faceret, in quo translata eorum corpora requiescerent ac religiose asservarentur. Hujus monasterii structuræ veluti a Deo præordinatæ electus est locus olim vallis S. Petri vocitatus, quia S. apostolum Petrum Christi vicarium uti patronum venerabantur incolæ fideles, etiamnum compatronus habetur; qui locus deinceps... mutato nomine novum monasterium ob patriam Eiffliacam geminato vocabulo Monasterium Eiffliæ dicitur. In hanc igitur collegiatam ecclesiam ex monasterio Prumiensi postmodum ab episcopo Thegamberto corpora sanctorum Patronorum translata *etc. Verosimillimum mihi est, errorem manasse ex eo quod auctor existimaverit,* Thegambertum *episcopum eumdem esse ac* Theutgaudum, *qui*

(1) Dizionario, tom. XIX, p. 108. *Verbo* Daria. — (2) Historia Trevirensis diplomatica et practica, t. I, p. 68. Augustæ Vindel. 1750. — (3) Katzfey, Geschichte von Münstereifel. tom. I, p. 1. Coloniæ 1854. — (4) Ibid., p. 6. — (5) Ibid., p. 3. Confer Eifflia illustrata seu Beschreibung der Eifel von Schannat, edito a Georgio Bärsch, tom. I, part. I, p. 3 et seqq. Coloniæ 1824. — (6) Katzfey, tom I, p. 88. — (7) Annales Trevirenses, tom. I, p. 412. Leodii 1670. — (8) Ann. Benedictini, tom. II, p. 545.

primum,

A *primum adeptus est infulas Trevirenses anno* 847. *Vide n.* 28.

Quando ecclesia illius oppidi facta sit collegiata,

53 *Observat Hontheim* (1) : *Monasterium Eiffliæ a Marcwardo fundatum*, in quod idem abbas collegium religiosorum de Prumia introduxit. Successu vero temporis status regularis et monasticus transiit in canonicum sæcularem, monasterii nomine retento. *Quo tamen anno hoc factum sit ignoratur.* Regio nostra, *ait Günther* (2), ad finem sæculi XII, ut ex originalibus chartis demonstratur, senas numerabat collegiatas *inter quas recenset Eiffliensem* (3). *At id Eiffliensi citius contigisse ex iisdem monumentis colligitur. Sic in charta Popponis, abbatis Prumiensis, data an.* 1110 *ad finem sic habetur :* Huic restitutioni intererant ejusdem loci prepositus Walterus, decanus Wicelinus, magister Albericus, custos ecclesie Becelinus cum ceteris fratribus (4) ; *et in altera ejusdem Popponis an.* 1115 : Presentes interfuerunt Canonici ecclesie eorumdem Sanctorum (Chrysanthi *et* Dariæ) Wicelinus decanus, Reginherus prepositus... cum ceteris fratribus ; comes Theodoricus de
B Ara ejusdem loci advocatus *etc.* (5).

et oppidum villæ nomine cœperit appellari.

54 *Primum mentio fit* Villæ *in charta Friderici archiepiscopi Coloniensis data an.* 1112 : In pago Eflia, in villa quæ Monasterium dicitur (6) ; *et an.* 1114 : Ecclesie sanctorum martyrum Chryanti et Dariæ, quæ est sita in villa novo monasterio in Eifla, *quo tempore signatur* Rutholfus advocatus ipsius loci (7) *seu potius* subadvocatus *vel* secundus advocatus ; *erat enim comes de Ara advocatus major, seu* Obervogt, *id est tutor, protector* (8). *Videtur auctor historiæ Monasterii Eiffliæ innuere ex eo quod* Arnoldus, prefectus urbis *subscriptus legatur chartæ Sigewini archiepiscopi Col. datæ an.* 1086, *jam tum* villam *exstitisse ; sed primum in ipsa charta agitur de* Congregatione sanctorum Crisanti et Darie quod est in novo monasterio in pago Eifle sito ; *deinde verba :* præfectus urbis Arnolt *non videntur mihi referenda ad oppidum seu villam monasteriensem. Juverit finem chartæ subdidisse :* Cui traditioni testes intererant hi prepositi : Berenger, Luidolf, Hartwic, Arnolt, Bertolf, Hezel ; Capellani vero : Gerhart, Heinrich, Ruprecht etc ; Pala-
C tinus comes Heremann, prefectus urbis Arnolt, Wernere, Hupreht, Heinrich, Hupreht, Hereman, Theodoricus. Quod ut verius credatur *etc.* (9). *Nonne urbis Coloniensis præfectus potius intelligendus ? Oppidum ab ineunte sæculo* XII *ad medium usque sæculum* XVII *incolas numerabat ter mille ; anno* 1849 *erant ibidem fere catholici mille nongenti octodecim, protestantes quatuor tantum, Judæi nonaginta et unus ; universi bis mille et tredecim* (10).

Chartæ ad Reliquias et cultum pertinentes. Sæc. IX XI;

55 *Perpetuo autem SS. Reliquiqs, ab earum translatione, in ecclesia Eiffliensi fuisse asservatas, probant innumera singulorum sæculorum sibi succedentium documenta. Et quidem* IX *sæculo, scilicet anno* 898, *Zwenteboldus, rex superioris Lotharingiæ, testatur, se* ad Novum Monasterium in pago Riwerense (*id est* Ripuariensi) situm venisse *et statuisse* quatenus in D eodem loco mercatum habeatur et publica fiat moneta et de telonio ipsius mercati duas partes ad beatum Chrysantum et Dariam, QUORUM CORPORA IBIDEM QUIESCUNT, perpetualiter concessisse (11). *Disertum sane et evidens testimonium. Hactenus nullæ in rem nostram repertæ sæculi* X *chartæ. Exeunte sæculo* XI *habemus* Privilegium Sigewini Coloniensis Archiepiscopi super decimatione novalium ecclesie (*Eiffliensi*) collata 1086, *in quo :* Decimationem, *inquit* (12), dedimus congregationi sanctorum Crisanti et Darie, quod est in Novo Monasterio in pago Eifle sito, pro remedio anime nostre parentumque nostrorum ibidem in Christo quiescentium ad utilitatem scilicet fratrum ibi Deo militantium. *Cujus privilegii confirmatio et ampliatio facta legitur anno* 1105 (13). *Præcedenti numero facta est Sigewinianæ chartæ sicut et nonnullarum sequentium mentio.*

Sæc. XII. 56 *Sæculum* XII *plura subministrat documenta valde clara. Anno* 1110 *Poppo abbas Prumiensis restituit Monasterio telonium* : In nomine *etc.* notum sit... qualiter ego Poppo, gratia Dei Prumiensis ecclesie abbas, thelonium, in Novo E Monasterio a rege Lutheriensium Zwindebaldo sanctis martyribus Chrysanto et Darie pro anime sue remedio, libere cum censu et dono traditum, ab antecessore meo Wolframo ex parte imminutum, ad piam ibi nostri memoriam et vite eterne desiderio, fratribus ibidem Domino famulantibus perpetualiter ex integro restitui, ea condicione, ut ejusdem ecclesie fratres ad communem utilitatem, omni alia potestate remota, dandi ac disponendi propriam habeant libertatem (14). *Attentione dignum quoque est alterum ejusdem Popponis instrumentum, quod in Historia Monasterii Eiffliæ ex hujus archivo primum editum est una cum prævia hac Notatione* (15) : Justatius et Wicelinus primi decani noti a sæculo undecimo, circa quod tempus Niro abbas Prumiensis cœnobii donavit decimas hujus villæ ; a quo tempore reperiuntur privilegia diversa nostra et specialia ab episcopis et abbatibus Prumiensibus concessa esse scilicet super molendino, telonio, municipiis, decimis etc., specialiter vero privilegium Popponis abbatis Prumiensis super molendino, sito in vico Werth super Arla-
F pam (Erft) cum dono silvæ ad ædificandum ex certis curtibus. *Hactenus* Notatio, *sequitur dein Charta Popponis, data ibidem anno* 1112 : Ego Popo... molendinum... ad altare sanctorum Chrysanthi et Dariæ, quod est in minore crypta in eadem Villa, scilicet Novo Monasterio, ad usum inibi Deo famulantium... tradidi *etc. Ad finem additur :* Huic traditioni interfuerunt præsentes tam clerici quam laici. Walterus ejusdem loci præpositus, Wezelinus decanus... laici vero liberi : Comes Theodoricus de Areara (*al.* Ara) ejusdem loci summus advocatus, præterea incolæ ejusdem villæ *etc. Videtur fidum instrumentum ; qui tamen illud transumpsit, orthographiam mutavit et probabiliter aliquot etiam verba. Dolendum sane est*

(1) Hist. Trev. diplom., tom. I, pag. 238. — (2) Codex diplomaticus Rheno-Mosellanus, tom. I, p. 41. Coblenz 1822. — (3) Ibid., p. 34. — (4) Ibid., p. 165 et 166. Conf. Regulæ S. Chrodegangi caput 46, inscriptum : *de Præpositis.* Migne, Patrol., tom. LXXXIX, col. 1077. — (5) Günther, p. 184 et 185. — (6) Ibid., p. 179 et 180. — (7) Ibid., p. 181. — (8) Ibid., p. 486 et 487. — (9) Katzfey, tom. I, p. 24, § 29. Günther, tom. I, p. 151 et 152. — (10) Katzfey, tom. I, p. 320. — (11) Hontheim, hist. Treviren. diplom. tom. I, p. 238 et 239. Günther tom. I, p. 55. Katzfey, tom. I, p. 96. — (12) Günther, tom. I, p. 151 et 152. — (13) Katzfey, tom. I, p. 96 et 97. — (14) Günther, t. I, p. 165. — (15) Katzfey, tom. I, p. 98 et seq.

AUCTORE B. B.

ex archivo Monasteriensi tam pauca superesse. Cæterum id ipsum ex illo instrumento efficitur quod ex tertia ejusdem Popponis charta, supra laudata, nempe anno 1112 *adhiberi vocem* Villa. *Anno* 1114 *Justina prædium donat* ecclesiæ sanctorum martyrum Chrysanti et Dariæ, quæ sita est in Villa Novo Monasterio in Eifle (1); *anno* 1115 *idem Poppo abbas Prumiensis* Becelam cum omni prole trium filiarum ejus Sigewine, Acele, Adelheidis tam nata quam nascitura prius ad Notteno (*Nöthen*) pertinentes ad altare sanctorum martyrum Chrysanti et Dariæ, quod est in Novo Monasterio in minore cripta pro anime mee remedio tradidi. Quibus hanc legem a nullo violandam constitui, ut nemo de hac prædicta progenie nubendi licentiam ab aliquo quereret sive redimeret, neque illud quod vulgo dici solet Ervideila, latine autem hereditaria pars vocatur, nemo de eadem progenie solveret; sed omnis census et justicia in hoc solo penderet, ut in festo eorumdem Sanctorum, quod est III Kl. Decembres, ad altare supradictum sive vir sive femina copulata conjugio denariatam cere pro
B lumine juxta religionem christianam ibidem comburendam fideliter persolverent (2). *Eodem rursus tendit* Privilegium Friderici archiepiscopi Colonien. super Decimis et Thelonio ab abbate Prumiensi ecclesiæ (*Eiffliensi*) collatis, *ubi inter alia hæc occurrunt:* Inter quas (*ecclesias*), congregationem martyrum sanctorum Chrysanti et Dariæ in villa quæ Novum Monasterium dicitur, Deo et ipsis præmemoratis Sanctis cum summa devotione servientem oculis intuitus sum *etc. Habetur charta in archivo Eiffliensi* (3). *Sub idem tempus* Wolbertus de liberis progenitus predium ecclesiæ SS. martyrum Crisanti et Darie ad usum inibi Deo famulantium pro sepultura fratris *sui* in eodem loco et pro *ejus* atque anime *suæ* remedio atque pro prebenda filii *sui* Regenoldi in eodem monasterio libere tradidit. *Hanc donationem refert Lacomblet ad an.* 1182 (4), *ast frustra teste auctore historiæ Monasterii Eifflien.* (5). *Anno* 1140 *Gerardus archidiaconus Coloniensis et Bunnensis ecclesiæ præpositus dirimit* controversiam, que excitata fuit inter fratres in Monasteriensi ecclesia Deo et sanctis martiC ribus Crisanto et Darie famulantes, et quendem eorum sacerdotem, qui quandam juris eorum parrochianam ab eis susceptam regebat ecclesiam in villa que dicitur Reinbach (6). *Anno* 1182 Philippus Dei gratia Coloniensium humilis minister *id est archiepiscopus,* notum *facit* quod Herimannus in majori ecclesia canonicus et cellerarius, et frater suus Arnoldus in Monasterio, quod est in Eifflia, canonicus, frater quoque eorum Rutholfus *in* nominata villa advocatus ejusque uxor Flandria allodium suum in *Schevene* cum omni integritate, culta scilicet et inculta, molendinum et pratum, censuale et non censuale, in beneficium concessa et non concessa, ecclesie quæ est in monasterio in Eifflia legitime contulerit (7). *Denique ejusdem sæculi* XII *anno* XCVII *data est charta Gerardi, Prumiensis abbatis, in qua dicit* Notum *esse* omnibus in Christo fidelibus, eos, quos vocant advocatos, in annis retroactis ec- D clesiarum extitisse tutores. Unus autem ex ipsis Lotharius nomine comes de Hostadin... cum major esset advocatus ville Monasteriensis, que est in Eiphlia, annuali exactioni et omni operi, quod dicitur *burchwerc,* que sui possedisse videbantur antecessores, nutu Dei ductus, accedens ad altare beatorum apostolorum Petri et Pauli, Crysanthi et Darie festucando libere renunciavit... Rudolfus autem secundus advocatus sue renuncians exactioni similiter juravit.

Status collegiatæ Eiffl. ineunte sæc. XVI, *ex bulla Julii II.*

57 *Sequentibus sæculis diplomata id genus habentur bene multa, quæ recitasse supervacaneum foret, cum indicentur vel in extenso recitentur apud Hontheimium in historia Trevirensi diplomatica practica, Katzfey historia Monasterii Eiffliæ, Günther codex diplomaticus Rheno-Mosellanus, Lacomblet etc. Pauca solum ex recentioris ævi monumentis decerpam. Anno* 1508 *Julius papa II incorporavit capitulo ecclesiam parochialem in Wichtrig, bulla signata decimo calendas Augusti, ex qua etiam discimus quis tunc temporis esset Collegii status:* cum, *inquit pontifex* (8), in dicta ecclesia SS. Chrysanthi et Dariæ triginta canonicatus et præ- E bendæ pro totidem canonicis instituti sint, licet plurium parochialium ecclesiarum dictæ diœcesis (*Coloniensis*) majores decimæ et alii reditus annui pro sustentatione ipsorum canonicorum et pro dote canonicatuum et præbendarum prædictorum alias assignati fuerint; tamen, cum ad dictum oppidum frequens sit nobilium et aliorum conventus, canonici prædicti non solum ex hujusmodi hospitalitate advenientium, sed etiam in contributione onerum tam ratione dictæ ecclesiæ, tam eorum, quæ in contributionibus per eos venerabili fratri nostro moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo Colon., maxime tempore belli, si quando eumdem Archiepiscopum pro tuitione jurium suæ ecclesiæ inire oportet, faciendis, ex fructibus suorum canonicatuum et præbendarum se commode sustentare non possint; imo opus est ad alia loca se transferre, ex quo ministrorum numerus in ipsa ecclesia SS. Chrysanthi et Dariæ minuitur; verum si dicta parochialis ecclesia mensæ capitulari dictæ ecclesiæ SS. Chrysanthi et F Dariæ, in augmentum portionum canonicorum prædictorum perpetuo uniretur..., profecto ex hoc plures ex dictis canonicis ad residendum in eadem ecclesia SS. Chrysanthi et Dariæ invitarentur et inducerentur, ex quo in ea debitus ministrorum numerus ac etiam divinus cultus conservaretur; pro parte capituli præfatorum, asserentium fructus et proventus dictæ parochialis ecclesiæ quatuor marcorum argenti secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictam ecclesiam parochialem ecclesiam eidem mensæ capitulari perpetuo unire, annectere et incorporare... dignaremur *etc. Leo quoque papa X anno* 1520 *confirmavit* concordiam *initam* præpositum, Decanum et Capitulum ecclesiæ sanctorum Crisanti et Darie opidi Monasterii

(1) Günther, tom. I, p. 181. — (2) Ibid. 184 et 185. Katzfey, tom. I, p. 100. — (3) Katzfey, tom. I, p. 100 et seq. — (4) Urkundenbuch, tom. I, p. 343 Düsseldorf 1840. — (5) Katzfey, tom. I, p. 101. — (6) Günther, tom. I, p. 260 et seqq. — (7) Lacomblet, Urkundenbuch tom. I, p. 342. — (8) Katzfey, tom. I p. 115. Conf. ibid. p. 125 et 126.

Eyfflie

AUCTORE B. B.

A Eyfflie colon. diœc. *inter et* Abbatem et decanum ac dilectos filios conventum * monasterii sancti Salvatoris in Prumen ord. S. Benedicti, Treviren. diœcesis. *Item confirmatur quædam* Venditio. *Bullam in extenso habet Katzfey ex archivo capituli* (1).

* *conventus?*

Sæculo XVII *una et altera memoratur SS. Reliquiarum transvectio;*

58 *Bina etiam memoratur SS. Reliquiarum transvectio in loca tutiora, dum res religionis per Germaniam, ob reformationis turbines, in summum adductæ discrimen erant. De quibus ita in officio proprio secundæ Translationis pro ecclesia collegiata Eiffliensi, Lect. VI:* Postmodum vero ob periculosa belli tempora, ab istius collegiatæ decano de consensu venerabilis capituli in munitissimam arcem Arburganam perlata sunt sanctorum Patronorum (Chrysanthi *et* Dariæ) corpora; ubi turris, pulvere tormentario a summo usque deorsum concepto, fulguris igne accensa, et arci et adjacenti oppido præsentissimam minitabatur ruinam; nihilominus sola turris horrendo fragore concussata fuit, immotis Sanctorum reliquiis et oppido nihil læso; id quod Sanctorum patrocinio anniversaria solemnitate merito refertur acceptum (*innuitur festum secundæ Translationis, de quo vide paragrapho seq.*). Pari de causa SS. Martyrum corpora Coloniam Agripinnam deducta, pace demum inter belligerantes principes firmata, insigni solemnitate et omnium ordinum pompa circa annum millesimum sexcentesimum nonagesimum octavum Monasterium Eiffliæ ad locum quietis reducta. *Utriusque transvectionis meminere scriptores* (2); *prioris sub decano Antonio Gleen, quem verosimillime eumdem esse putat Katzfeyus ac Gelenium, qui reperitur in chartis ab an.* 1647 *ad an.* 1652; *nomine vero Gleen venit anno* 1639 (3). *Ex his deduci potest quo fere tempore contigerit prior illa transvectio; posterioris exstat documentum ab teste oculato conscriptum, ex quo liquet SS. Reliquias anno* 1698 *ecclesiæ Monasteriensi restitutas. Quod documentum in historia præfatæ urbis editum,* (4) *hic in extenso recudendum putavi:*

de posteriore insignis recitatur relatio.

59 Relatio solemnitatis in reditu SS. Monasterii-Eiffliæ patronorum Chrysanthi et Dariæ a venerabili capitulo, clero, urbe et gymnasio institutus (*sic*) anno 1698, 14 (*imo* 24) Junii. C Festo Joannis Baptistæ circa horam primam pomeridianam, ut promulgatum et in choro collegiatæ ecclesiæ affixum fuerat, egressa est processio e collegiata, comitantibus studiosis nostris, catechismo et sodalitatibus per portam Coloniensem ad crucem molendino et ponti proximam, ubi pro actoribus ex ramis arborum scena stabat erecta. Adolescentes opifices duabus vel tribus horis ante cum 2 vexillis, tibicinibus ad musicam interstrepentibus, Euskirchium versus processerunt. Cives juniores, præcedente capitano equite usque in Iversheim ibant Sanctis obviam. Expectabat pariter processio in Weingarten, quo Sanctos in Iversheim usque deducerent. Stabant in vicino urbis monte, qui orientem respicit, prope ingressum silvæ Monasteriensis, 12 mortariola seu cameræ, ut vocant, quarum una aut altera explosa, erat signum appropinquantium Sanctorum. Sed explosa licet esset una aut altera, expectandum fuit, cœlo modice pluvio et frigido, usque post horam quartam, quando tandem comparuere post processionem ex Iversheim rhedæ duæ. Uni, quam phalerati rubris albisque ligulis ornati trahebant equi, insidebat amplissimus D. decanus Carolus Brewer et adm. R. D. Gherardus Graeff, collegiatæ thesaurarius et plebanus, qui in cista ante se collocata habebant SS. MM. capita. Alteri insidebat perillustris vidua D. de Goldstein, Cancellarii quondam serinissimi Philippi Wilh. Palatini et urbis hujus satrapæ, cujus sumptibus SS. lipsanothecæ huc Colonia deductæ erant. Præcedebat thecas cohors adolescentium ramis pileos ornata. Sequebatur cohors civium armata. Ubi ad crucem lapideam, quæ vias in Wachendorf et Iversheim dividit, ventum est, sacræque in cista reliquiæ extractæ a præfatis DD. choraliter vestitis, assistentibus duobus aliis DD. canonicis pro majore veneratione reponebantur, ecce tibi serenari mox aër et qui frigidus toto die fuerat incalescere. Exonerabantur tum secunda vice cameræ 12. Ubi dicto jam ordine ventum est ad molendinum, sacraque capita in mensa a DD. canonicis reverenter collocata E fuerunt, Ceres scenica cum Faunis miseriam et sterilitatem agrorum et rusticorum calamitatem absentibus SS. reliquiis describens, fertilitatem et fœcunditatem faustaque omnia Sanctorum meritis pollicita, applausit reducibus Sanctis. Hinc post novam explosionem camerarum 12, ingressi urbem e regione arcis incineratæ et ædis procuratoris Hörstgen substiterunt; ubi Justitia, absentibus Sanctorum exuviis, Martis furias, incendia, rapinas, civium et urbis flentissimæ olim miserias deplorans, cives bono jubebat esse animo, et gratulari sibi de ortu novæ stellæ et fausti sideris (habet urbs in insigni stellam), subdere fasces hisce geminis, clavesque et civitatem universam Sanctorum reducum tutelæ committentibus, inter tormentorum et sclopetorum majorum boatus, præcedentibus ante clerum studiosis nostris, 4 fidicinibus coronatis actoribusque pluribus (PP. Capucini non invitati emanserunt) longo ordine inter ramos et extentos arcus florum pervenimus ad curiam... Ante hæc ab imo usque frontispicium Rhetoricæ erectus erat Parnassus arboribus, F virgultis, floribus decore ingenioseque vestitus... In pede Montis saliebant ad stuporem copiosæ et altæ Heliconis undæ, quæ et sequente die in Theophoria fluxissent, nisi pluvia impediisset; in Parnasso Apollo cum Musis longo pulchroque ordine insidens, latine et germanice, vocali et instrumentali musica excepit Sanctos. Subinde e regione porticus ad erectum sub umbella, artificiose a Carmelitessis concinnata, altare, cui imposita erant Sanctorum capita, nitide illuminatis et a RR. Levitis vic. deportatis insistentia. Hic Religio cum Virtutibus applaudebat, et in figura columbæ cum oliva pacis in arcam regressa adm. R^dos DD. Domicellares, tempore belli non exiguam rei familiaris jacturam passos, consolata non sine motu et lacrymis adstantium, sancta venerata, spondebat post pœnitentiam et patientiam aurea sæcula pacis. Stabat non modo in foro spectatura bene-

vola

(1) Tom. I, p. 117-120. — (2) Katzfey ibid., p 90. — (3) Tom I. p. 182. — (4) Ibid. p. 90 et seqq.

vola processio, quam præsentia sua perill. D^na de Goldstein ejusque neptis cum R. Rectore nostro (*id est S. J.; ipse nempe hujus Relationis scriptor P. Maximil. Scheiffart vel Scheiffert ex eadem Societate erat, degebatque tunc in collegio nostro Monasterii Eiffliæ, ut ad calcem manifeste elucebit* (1)) Henrico Hinterhausen ejusque socio P. Francisco Weisweiler, ministro Coloniensi et P. J. Raquet concionatore templi nostri Coloniensis, et D.D. vice-satrapa, præfectus, consules, senatores honorabant; sed et domus fenestræque repletæ erant peregrinis, inter quos plurimi Colonienses erant. Denique ubi studiosa juventus siluit, D. capitaneus Trips, urbis Commendans, stans ante cohortem suam, in foro circa Carmelitessas collocatam, explosione tormenti et bombardarum ultimum plausum tulit... A foro tandem ad chorum hora 6 processimus, et post Te Deum et Benedictionem datam, dum DD. canonici Vesperas ordirentur, nos cum collegio ad cœnam accessimus. Impensa a gymnasio nostro sanctis Patronis opera usque adeo venerabili capitulo placuit, ut licet post distributas personas amplissimus D. Decanus B cum D. Thesaurario in collegio magisterium haustu vini recreasset, et iterum post facta in monte Apollinis in loco veteris arcis, R. P. Rectorem, P. Præfectum cum magisterio liberalissime tractassent; nihilo minus adhuc ex unanimi venerabilis capituli decreto refectorium sit indictum, ad quod R. P. Rector, P. Maximil. Scheiffart (*qui hanc Relationem scripsit*) templi S. J. (?) concionator, P. J. Kafrad? præfectus schol., P. J. Stoll colleg. procurator invitati fuerunt, et hilares in Domino ad octavam vespertinam comparuerunt... Benedictus Deus in Sanctis suis. Nemo fuit, qui non compositionem P. Præfecti et actionem adolescentum eorumque omnium concordiam in honorandis SS. MM. æstimare et commendare voluerit. Ita testor qui ab ovo ad mala spectator et ex parte actor interfui. Venerabilis capituli collegiat. SS. MM. C. et D. servus etc. Maximil. Scheiffert (*sic*). M. E. 19 Jul. 1698.

Sodalitium SS. Chrysanthi et Dariæ olim valde celebre.

60 *Exstabat in eadem urbe Monasteriensi Sodalitium seu confraternitas a SS.* Chrysantho *et* Daria *nuncupata; quo tempore cœperit nuspiam comperi, ast antiqua valde dicitur; anno* 1679 *ditata* indulgentiis plenariis *fuit a summo pontifice Innocentio papa XI, cujus indultum typis editum est in libello ad usum sodalium. Sed et aliud nobis submisit R. D. Dr Heuser documentum ejusdem fere ætatis et ad hanc rem spectans, quod cum hactenus excusum non fuerit, idcirco integrum adscribam:* Joannes Henricus, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Hierapolitanns, serenissimi et reverendissimi archiepiscopi ac principis electoris Coloniensis domini nostri D. Maximiliani Henrici, utriusque Bavariæ ducis etc. vicarius in spiritualibus generalis metropolitanæ Coloniensis et imperialis exemptæ SS. Simonis et Judæ Goslariensis ecclesiarum respective præpositus atque canonicus presbyter etc. universis et singulis præsentes nostras litteras visuris, lecturis aut legi audituris salutem in Domino sempiternam. In concrediti nobis in spiritualibus generalis per civitatem et archi- D diœcesim Coloniensem vicariatus officii debito, ad ea animum sedulo intendimus per quæ Christi fidelium pietas ac devotio cum animarum salute promovetur, atque eosdem Christi fideles, ut piorum operum exercitio confoveantur, specialibus favoribus et gratiis libenter prosequimur, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Nuper siquidem nobis in Christo dilecti Decanus et capitulum collegiatæ ecclesiæ SS. Chrysanthi et Dariæ oppidi Monasteriensis Eiffliæ archidiœcesis Coloniensis devote nobis exponi fecerunt, qualiter ab immemorabili tempore in jam dicta collegiata ecclesia instituta ac erecta viguerit atque etiamnum quidem existat una confraternitas utriusque sexus Christi fidelium, non tamen pro hominibus unius specialis artis, ad honorem et sub invocatione eorumdem SS. Christi martyrum Chrysanthi et Dariæ; illa autem, temporum injuria et refrigescente per grassantes hæreses charitate mutua, quodammodo collapsa plurimorumque oblivioni sepulta, ipsi Decanus et Capitulum præfati ad majorem omnipotentis Dei gloriam ac perpetuum eorum- E dem SS. Martyrum honorem ac venerationem, excitandamque per frequentiora pietatis ac charitatis exercitia devotionem publicam, confraternitatem a quondam prædecessore nostro vicario generali reverendissimo in Christo P. ac domino Paulo Aussemio, dum viveret, episcopo Arminiensi non ita pridem instaurari atque restitui petierint; quo circa obtentis nunc etiam ad hunc effectum a sanctissimo domino nostro D. Innocentio papa undecimo sub IX mensis Novembris 1679 plenariis indulgentiis, devote nobis supplicari fecerunt, quatenus instaurationem atque restitutionem hujusmodi perpetuæ firmitatis robore munire, desuperque congruas instaurationis ac restitutionis litteras decernere sibique concedere dignaremur. Nos igitur pio eorumdem Decani et Capituli desiderio favorabiliter annuere, publicamque devotionem promovere cupientes, supplicationibus ejusmodi inclinati, prætactam confraternitatem in antefata collegiata ecclesia sub invocatione SS. Chrysanthi et Dariæ Monasteriensis Eiffliæ restituendam atque instaurandam, seu etiam F de novo, quatenus opus, sine cujusque præjudicio, erigendam atque instituendam duximus, prout restituimus, instauramus seu erigimus atque instituimus authoritate archiepiscopali ordinaria, qua hac in parte fungimur; præsentium per tenorem dantes et concedentes pro tempore existentibus ejusdem confraternitatis confratribus et sororibus in Domino licentiam et facultatem processiones instituendi ac processionaliter incedendi, devotionis ac charitatis opera exercendi, divina officia in uno oratorio seu capella antedictæ ecclesiæ more confratrum recitandi et pro ipsius confraternitatis negotiis tractandis, extra tamen tempus quo divina officia ibidem celebrabuntur, sese congregandi, ac quæcumque statuta, ordinationes et decreta pro salutari eorum ac dictæ confraternitatis regimine et directione necessaria et opportuna, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus atque

(1) Conf. Katzfey, t. I, p. 215 et seqq.

concilli

A concilii Tridentini decretis atque constitutionibus apostolicis non contraria, per serenissimum et reverendissimum principem ac dominum nostrum D. Maximilianum Henricum archiepiscopum ac principem Electorem Coloniensem ejusve in spiritualibus vicarium generalem examinanda et approbanda, faciendi et edendi, illaque pro tempore, prout eis videbitur, prævia simili examinatione et approbatione, mutandi, corrigendi ac in melius reformandi; insuperque omnia et singula legata, res et bona qualiacumque mobilia et immobilia, quæ a quibusvis Christi fidelibus per viam testamenti, donationis aut quovis alio modo dictæ confraternitati relicta et elargita fuerint, recipiendi, illaque per deputatos suos officiales fideliter et diligenter regendi et administrandi atque in ipsius confraternitatis ejusque piorum operum usus impendendi, ita tamen ut singulis annis dicti officiati omnes omnino teneantur de receptis et expositis atque totius suæ administrationis eidem archiepiscopo seu ejus vicario in spiritualibus generali juxta ordinationem concilii Tri-
B dentini rationem reddere. In fidem præsentes per protonotarium in spiritualibus expediri et manu propria subsignatas sigillo nostro consueto jussimus communiri. Coloniæ die trigesima prima mensis januarii anno Domini 1680. J. H. d'Anethan episcopus Hierap. vicarius generalis Coloniensis. Hen. Jansen protonot. in spiritualibus. *Rescriptum mihi hisce diebus fuit, Sodalitium SS.* Chrysanthi *et* Dariæ, *solemniter instauratum fuisse an.* 1859 *occasione primæ communionis puerorum. Ab anno* 1830 *nullus adscriptus fuerat sodalis.*

Jubilæum millenarium, celebratum an. 1848,

61 *Alibi jam incidit mentio jubilæi millenarii, de quo latius hoc loco agendum. Celebrari illud debuisset anno* 1844, *quo elapsi erant anni mille ab adventu SS. reliquiarum in Eiffliam, sed quadriennio dilatum fuit, nempe usque ad diem Pentecostes seu XI Junii* 1848. Cum nullum sit dubium, quin fideles tam ex vicinis quam remotioribus locis participes futuri sint solemnitatis, de licentia RR^mi DD. Archiepiscopi Coloniensis, ordinatum fuit a clero Eiffliensi, ut die sacro Pentecostes Reliquiæ cum sua theca exponerentur et per totam octavam
C remanerent in choro supra altare SS. Patronorum. Tribus diebus festis et dominica sequenti officium habebitur solemne cum expositione Sanctissimi Sacramenti, quod posterius etiam fiet, interpositis feriis, in missa matutina. Per totam octavam aderunt quatuor vel plures sacerdotes qui sacram communionem omni hora distribuant. Denique Dominica post Pentecosten habebitur solemnis supplicatio, comitantibus SS. Reliquiis. *Ita clerus Eiffliensis in monitione prævia ad jubilæum* (1), *et additur sequens chronogramma :*

CHRYSANTHI NOS ATQVE DARIÆ MILLE PER ANNOS
PROTEXIT, SERVET LUX ET TVTELA PER ANNOS.

cum ingenti concursu populi.

62 *Quo autem populi concursu, qua solemnitate, qua devotione peractum fuerit jubilæum, declaratur in eodem libello* (2) *: Hebdommada ante Pentecosten in oppido Eiffliensi cessatum fuit ab omni labore, ut fieri solet in majoribus quibusque civitatibus, ubi expectatur adventus principis vel liberatoris patriæ; quando vero in solemnitatis pervigilio insonuit æs campanæ, prodiere illico per totam urbem arbusta aliique id genus ornatus præsertim circa et intra ecclesiam, ubi etiam in summo choro Theca affabre facta cum ossibus SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *fuit elevata. Id certum, incolarum zelum omni expectatione majorem fulsisse; ingens quoque erat exterorum concursus, qui cum presbyteris suis, per turmas accedebant, præcipue secunda Pentecostes die et festo SS. Trinitatis. Sacerdotes ex circumjacentibus locis, singuli numerosa populi sui stipati corona, præsto adfuerunt solemni per oppidum supplicationi, ultima octavæ die. A tribus clericis præferebantur totidem Capita SS. Patronorum, scil. BB.* Chrysanthi *et* Dariæ *ac S. Leonis; alii item octo gestabant hierothecam, cætera ossa continentem. Longo ordine comitabantur fideles fere ter mille numero orantes et canentes. Post absolutam solemnitatem, nihilominus confluebant turbæ ad ecclesiam, nec videbantur posse sibi temperare a conspiciendis colendisque sanctis Pignoribus. Denique circa horam vespertinam* E *decimam accesserunt cives faculas manu gestantes, quo gratias agerent Reverendo D. Weber, primario oppidi presbytero. Atque ita finis jubilæo factus est.*

AUCTORE B. B.

Reliquiarum præsens status.

63 *Ossa* (*non tamen omnia; desunt capita et alia nonnulla*) *sunt involuta panno serico et margaritis exornato, deposita separatim in theca deaurata et affabre facta, sed non ita antiqua : reliquiæ S.* Chrysanthi *in parte antica, S.* Dariæ *in postica. In fronte thecæ cernuntur depictæ effigies B. V. Mariæ* (*hæc in medio*), *sanctorumque Petri et Pauli; reliquorum vere apostolorum in circuitu. Prior hæc theca includitur altera ex ferro cancellato, imaginibus iisque eximiis utriusque S. Martyris ornata. Porro sacra illa pignora sic obserata servantur in crypta, cui superpositus est chorus ecclesiæ parochialis, reliquam navem altitudine haud parum superans. Ex hac patet in cryptam accessus eleganti porticu ex marmore, in cujus medio habetur janua cancellis ferreis instructa. Dixi SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *capita non esse in theca, qua cætera, saltem maximam partem, continentur ossa : illa enim deposita sunt ad* F *dextrum latus majoris altaris, clausa in reliquiariis gothicæ, ut aiunt, formæ. Atque hæc de præsenti sacrorum pignorum statu, accepta a R. D. Richters, hodierno oppidi Monasterii Eiffliæ parocho. Paucis diebus ante jubilæi millenarii solemnitatem, visitatæ fuerunt reliquiæ, atque tum sequens confectum instrumentum est, quod coronidis loco, sed ex germanico in latinum subjicio :* Infrascripti presbyteri parochiæ Monasterii Eiffliæ testantur se hac die reliquias SS. martyrum Chrysanthi et Dariæ reserasse; atque omnia invenisse rite clausa, thecam vero ipsam sigillo parochiali munitam; in hac reseratione reperta sunt sacra ossa gossipio decenter involuta, appositis quibusdam instrumentis, quorum novissimum datum fuit, anno 1818, a piæ memoriæ Domino Schopp parocho primario qui tunc recognovit reliquias. Monasterii Eiffliæ die 2 Junii 1848.

(1) Jubilæum wegen der tausendjährigen aufbewahrung der Reliquien von den HH. Martyrern Chrysanthus und Daria in der Stiftkirche zu Münstereifel, p. 18. Coloniæ 1848. — (2) Pag. 20-22.

Erat

AUCTORE B. B.

Erat signatum : Weber, paroch. prim. Katzfey, gymnasii præs. Roth catechist. Müller capell. *Alia instrumenta desiderantur.*

§ VI. Officium et Missa SS. Chrysanthi et Dariæ ex Propriis Eiffliensi et Coloniensi. Quid Roma rescriptum de Lectionibus, quæ de Translatione SS. reliquiarum mentionem habent.

Officium proprium festi;

P*ræ manibus habemus libellum, cui titulus :* Officium cum Lectionibus de SS. martyribus Chrysantho et Daria, patronis collegiatæ ecclesiæ Monasterii Eiffliæ, anno 1749 emendatum et renovatum, *typis Coloniensibus editum cum approbatione RR. DD. Archiepiscopi Electoris. Libellus pertinet ad præfatam ecclesiam, nobisque ad tempus benevole commodatus fuit. Antiphonæ, Responsoria, Hymni et alia id genus propria sunt atque ex Actis desumpta.*

B *Festum principale cum octava celebratur hac die* XXV *Octobris. Lectiones I Nocturni :* fratres, debitores sumus ; *II Nocturni, initium continent Actorum usque ad victoriam S.* Chrysanthi *de puellis a patre ad tentandum filium immissis, sed multa omittuntur et stylus mutatur, quod idem obtinet per Octavum in lectionibus ejusdem Nocturni ; denique III Noct. homilia S. Ambrosii in Evang. :* Descendens Jesus.

Item translationis primæ

64 *Die vero prima Decembris notatur* festum Translationis primæ SS. Patronorum. Officium ut 25 Octobris, *exceptis Lectionibus I Noct. quæ sunt de scriptura occurrente.* II Nocturni *quarta breve compendium est Actorum ; quinta sic incipit :* Qualiter vero ipsorum Sanctorum corpora postmodum pulsis tota Italia gentilitatis tenebris reperta fuerint ac publicæ in ecclesia venerationi exposita, dignum est, ut quantum ex certissima traditione accepimus, vestris mentibus ad Dei gloriam proponamus. *Deinde multis verbis declaratur, cœlitus mentibus fidelium injectum, ut SS. corpora perquirerent,* nec Deus piæ intentioni superna virtute cooperante fraudari eos permisit a desiderio

C suo : locum enim martyrii cœlesti odore divinisque replevit unguentis ; post cujus suavitatis odorem christiani indefesso labore fodientes arenarium montem super cryptam congestum abigunt, et sacrum thesaurum, corpora nimirum sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ, ac si mutuo se amplexarentur, cum exultatione inveniunt, quæ deinde a Romanæ sedis et universali antistite religiose translata et in ecclesia eorum honori ædificata recondita ab omnibus tum græcæ tum latinæ ecclesiæ venerari cœperunt. Tu autem Domine etc. *Hæc sane castiganda sunt ex dictis n.* 27 *et seqq. Sexta Lectio exponit quomodo SS. corpora Marcwardo in Germaniam deferenda fuerint tradita Romæ, unde docemur ad quid referatur* officium primæ Translationis *nempe ad acceptas in ipsa Urbe reliquias a Marcwardo. Lectionem vide infra ubi agimus de officio ex Proprio Coloniensi anni* 1828.

et secundæ

65 Festum Translationis secundæ SS. Patronorum *indicitur* 26 *Junii. Lectiones I Noct. de scriptura occurente ; II Noct. docent hac die celebrari Reliquias primum ad S. Goaris basilicam,* D *dein Prumiam et hinc Eiffliam allatas, atque inde una et altera vice, ingravescentibus bellis, alio deductas. In specie quarta Lectio agit de mora ad S. Goaris et altera facta Prumiæ, nihilque habet, quod ex inferius edenda Translationis historia non innotescat. Quintam juverit partim recitasse :* Ex tunc vero ad augendam Sanctorum istorum gloriam, ad promovendum eorum cultum et fidelium religionem beatus Marcuardus totus incubuit : unde divina inspiratione incidit ei ac monasterii fratribus consilium bonum, ut nempe ad honorem sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ novum monasterium ædificari facerent, in quo translata eorum corpora requiescerent ac religiose asservarentur. *Aliter sane res se habet, cum monasterium illud jam ante Marcwardi reditum esset exstructum. Sequitur Eiffliensis cœnobii et loci in quo id exurgit, descriptio, quæ commodius in Annotatis reddentur. In fine ejusdem Lectionis V notantur sequentia :* Anno vero millesimo quingentesimo quinto, hæc sacra corpora in plurimorum prælatorum et abbatum præsentia thecæ argenteæ reverenter inclusa in altari E olim S. Severini, nunc SS. Chrysanthi et Dariæ patronorum asservantur. Tu autem Domine etc, *Sexta Lectio sic habet :* Postmodum vero ob periculosa belli tempora ab istius collegiatæ ecclesiæ decano de consensu venerabilis capituli in munitissimam arcem Arburganam perlata sunt sanctorum Patronorum corpora ; ubi turris pulvere tormentario a summo usque deorsum concepto fulguris igne accensa, et arci et adjacenti oppido præsentissimam minitabatur ruinam ; nihilominus sola turris horrendo fragore concussata fuit, immotis Sanctorum reliquiis et oppido nihil læso ; id quod Sanctorum patrocinio anniversaria solemnitate merito refertur acceptum. Pari de causa SS. Martyrum corpora Coloniam Agrippinam deducta, pacem demum inter belligerantes principes firmata, insigni solemnitate et omnium ordinum pompa circa annum millesimum sexcentesimum nonagesimum octavum Monasterium Eiffliæ ad locum quietis reducta. *Sequuntur non nulla miracula, de quibus alibi.*

ac commemorationis.

66 *Denique in eodem Proprio ad calcem ponitur* Officium SS. patronorum Chrysanthi et Dariæ, pro fer. 3, votiva per annum. *Pro II Nocturno ponitur locus S. Gregorii Turonen, quem videsis n.* 7, *in ternas Lectiones distributus. Nec prætermittendum tres diversas præscribi Orationes : Unam in ipso die festo* XXV *Octobris :* Deus qui nos annua SS. martyrum Chrysanti et Dariæ solemnia celebrare concedis, præsta quæsumus, ut et devotis eadem mentibus celebremus et eorum patrocinio promerente, plene capiamus securitatis augmentum ; *alteram infra octavas et in commemoratione :* Deus qui sanctos martyres tuos Chrysantum et Dariam cum virginitatis honore martyrii gloria consecrasti, da nobis eorum intercessione vitiorum nostrorum flammas extinguere, ut tibi mundo corde dignum fieri habitaculum mereamur ; *in secundo festo Patronorum :* Beatorum martyrum tuorum Chrysanti et Dariæ nobis adsit oratio, ut quos obsequio veneramur, pio jugiter experiamur auxilio ; *vel sequentem :* Propitiare quæsumus Domine famulis

A lis tuis per sanctorum martyrum tuorum Chrysanthi et Dariæ, qui in præsenti ecclesia requiescunt, merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus ubique liberemur adversis. *Alibi, scilicet ubi de officio pro fer.* 3 *votiva, notatur oratio* Propitiare *dicenda in* Choro; *sed* extra Chorum, *Oratio* Deus, qui SS. martyres tuos *etc. Atque hæc omnia hactenus ex* Officio emendato et renovato *recitata, putem perseverasse saltem usque ad suppressam an.* 1802 *collegiatam.*

Missa propria in primo festo: Introitus etc.

67 *Habemus inter documenta nostra hagiographica Missam propriam, typis editam, quam existimo coævam præfato officio et hanc ferentem rubricam :* Missa in primo festo SS. Chrysanti et Dariæ martyrum, virginum et conjugum, patronorum collegiatæ ecclesiæ Monasterii Eiffliæ, quod celebratur 25 Octobris. *Introitus :* Intret in conspectu, *etc. Oratio* (*in qua notanda memoria duorum aliorum SS.*) : Deus qui nos annua sanctorum martyrum tuorum Chrysanti et Dariæ, Crispini et Crispiniani solemnia frequentare concedis, præsta *etc. ut supra.* (*Ex memoria*
B *SS. Crispini et Crispiani videtur concludendum insignes eorum reliquias præsentes servari*). *Addit Rubrica :* Per octavam loco orationis *Deus qui nos annua, etc.* dicitur sequens : Deus qui sanctos martyres tuos *ut numero præcedenti. Epistola :* Fratres scimus quoniam diligentibus Deum... a charitate quæ est in Christo Domino nostro. *Graduale :* Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in majestate, faciens prodigia. ℣ Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia, Alleluia. ℣ Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum. Alleluia. *Aliud Alleluia post Octavam :* Alleluia, Alleluia. ℣ Martyres sancti Chrysantus et Daria facti sunt in passione sociati, sicut fuerunt mentis virtute copulati, et quasi in uno lectulo, ita in una fovea quieverunt. Alleluia.

Sequentia.

68 *Sequentia :* In honorem summi Regis, novæ servans jussa legis, jubilet ecclesia,

Cum conjunctis sponso sponsis cæli, quibus in absconsis sponsi patent atria.

Hi sunt vasa retinentes, oleumque deferen-
C tes cum quinque Prudentibus;

Hi sunt Agnum qui sequuntur, stolis albis induuntur, nati sed ex gentibus.

Vita patris spreta docti Chrysantus, et, nox quam nocti indicat, scientia,

Dies verbum eructavit; hunc Carpophorus purgavit Sacramenti gratia.

Male agens odit lucem, jubar monstrans vitæ ducem, pater claudit filium.

Carcer locus luci gratus fulgor fulget; hic locatus supra, non sub modium,

Non ut parcat pater parcens visum carne raptum arcens ducit in triclinium;

Qua nec re nec est personis fractus : Dei nam ex donis obdormit conjugium.

Tentat ergo decens vultu, fallax verbis, dispar cultu nec Chrysanthum Daria;

Forma verbis hic fraudatur, casta casto desponsatur, sicut Joseph Maria.

Scorto, clamant, victa detur, per leonem sed tuetur a procante Daria.

Agna lupum agnum Deo reddit et quos cœpit leo præmittens ad gaudia.

Chrysis aurum firmus, sancto isti nomen Chrysantus, res dedit et ratio; AUCTORE B. B.

Cum tribuno domum totam, cum cognatis gentem notam, plures adhuc animas,

Una morte sociatas, nunc victrices, tunc truncatas, hic misit ad nuptias.

Sponsos torus, fossa capit vivos ambos nobis rapit victuros per sæcula.

Nos hic Christe morituros cum his tecum fac victuros carnis sine macula.

Evangelium.

69 *Evangelium:* Descendens Jesus de monte. *Credo per totam Octavam. Offertorium :* Lætamini in Domino et exultate justi, et gloriamini omnes recto corde. *Secreta :* Sacrificiis præsentibus Domine, quæ tibi in tuorum commemoratione Sanctorum deferimus, intende placatus, ut et devotioni nostræ proficiant et saluti. *Communio :* Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui vos persequuntur. *Postcommunio :* Cœlestis doni benedictione percepta, supplices te Domine deprecamur, ut idem nobis intercedentibus sanctis tuis Chrysanto et Daria, Crispino et Crispiniano, quorum festa agimus, et sacramenti causa sit et salutis. E

In secundo festo et commemoratione.

70 In secundo festo patronorum SS. Chrysanti et Dariæ, quod celebratur calendis Decembris. *Omnia ut supra exceptis collectis. Oratio :* Beatorum martyrum tuorum Domine Chrysanti et Dariæ nobis adsit, *etc. ut n.* 66. *Secreta :* Populi tui Domine quæsumus tibi grata sit hostia, quæ sanctorum martyrum tuorum Chrysanti et Dariæ solemnitatibus immolatur. *Postcommunio :* Mysticis Domine repleti sumus votis et gaudiis, præsta quæsumus, ut per intercessionem beatorum martyrum tuorum Chrysanti et Dariæ, quæ corporaliter agimus, spiritualiter consequamur. *In commemoratione SS. Patronorum per annum. Introitus :* Sapientia sanctorum, *etc. Oratio :* Propitiare *ut n.* 66. *Epistola :* Fratres, sancti per fidem vicerunt, *etc. Graduale :* Gloriosus Deus, *etc.; post Septuagesimam, tractus :* Qui seminant in lacrymis, etc. *Pars sequentiæ dicitur ab illo versu :* Chrysis autem. *Offertorium:* Lætamini, *ut supra. Secreta :* Suscipiat clementia tua Deus quæsumus de manibus nostris munus oblatum, et per sanctorum tuo-
rum martyrum Chrysanti et Dariæ orationes F
ab omnibus nos emunda peccatis. *Communio :* Dico autem vobis ne terreamini, *ut supra. Postcommunio :* Divina libantes mysteria Domine, quæ pro sanctorum martyrum tuorum Chrysanti et Dariæ veneratione tuæ obtulimus majestati, præsta quæsumus ut per ea veniam mereamur peccatorum.

Officium ex Proprio coloniensi an. 1828,

71 *Anno* 1804 *ecclesia SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *facta est parochialis et spectat ad archidiœsum Coloniensem, in cujus Proprio anni* 1828 *reperio sequentia ad diem* XXVI *Octobris* (*die præcedenti venit festum dup. maj. S. Raphaelis arch.*) : In festo SS. Chrysanthi et Dariæ mart. Semiduplex. Omnia de comm. plur. mart. *præter Orationem :* Deus, qui nos concedis sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere; *et Lectiones II Noct., quibus brevi eoque bene castigato compendio, exhibentur martyrium, Inventio et Translatio in hunc modum :* LECT. IV. Chrysanthus et Daria virgo, sæculo tertio Romæ pro Christo occisi,

AUCTORE B. B.

occisi, martyrii coronam acceperunt. Eodem sæculo crypta super eorum sepulcrum ædificata est : ubi cum ad Sanctorum festum populus frequens conflueret, ethnicus imperator ædificato pariete in cryptæ introitu, multitudinem in ea conclusit et interemit. Sæculo quarto, Christo revelante, sanctorum Chrysanthi et Dariæ detecta corpora, ab aliis segregata sunt, et locum sanctus Damasus papa versibus exornavit. LECT. V. Sæculo sexto sancti Gregorii Turonensis diaconus a Pelagio papa reliquias quasdam sanctorum Chrysanthi et Dariæ cum aliis nonnullis dono obtentas, Massiliam navigio deferebat; sed carina ad scopulum jamjam peritura, diaconus elevata cum sacris pignoribus capsa, sanctorum Chrysanthi et Dariæ aliorumque, quorum reliquiæ illic continebantur, nomina cum gemitu invocavit; cum ventus subito conversus carinam primo in altum mare, dein in portum feliciter detulit. LECT. VI. Sæculo nono venerabilis et beatæ memoriæ Marcwardus, abbas Prumiensis, Romam a rege missus, a Sergio papa horum Sanctorum corpora obtinuit; quæ maxima
B cum celebritate ad monasterium Prumiense delata, multis miraculis illustrata sunt. Cum autem idem Marcwardus alterum in Eifflia in archidiœcesi Coloniensi monasterium fundasset et illius gubernationem suscepisset, sacra etiam Chrysanthi et Dariæ corpora illuc translata sunt. Zwentiboldus ad honorandos sanctos Martyres locum munifico diplomate donavit; et ob fidelium illuc devotionis causa confluentium multitudinem oppidum non ignobile surrexit, quod a monasterio illic per Marcwardum fundato nomen duxit.

cujus lectiones non fuere probatæ, et eorum loco substitutæ

72 *Ast hic veniunt nonnulla notanda. Primo ante annum* 1857 *nullum haberi Proprium Coloniense a sancta Sede probatum, quamvis jam ab anno* 1646 *separatis typis editum a Ferdinando archiepiscopo, ac deinceps pluries recusum; secundo Maximilianum Fridericum, item archipræsulem, anno* 1780 *novam breviarii Coloniensis parasse editionem, quæ propius accederet ad breviarium Romanum S. Pii V, simulque prelo submisisse Proprium suæ diœceseos, ad normam illius breviarii, quantum fieri potuit, exactum; tertio desumptas ex hoc Lectio-*
C *nes II Nocturni de SS.* Chrysantho *et* Daria, *quæ insertæ leguntur in Proprio anno* 1828, *ex quo illas recitavi numero præcedenti; quarto aliud novis curis concinnatum posterioribus annis, quod approbatum quidem est a Sacra Rituum Congregatione decreto* 27 *Novembris* 1857; *quinto denique eamdem Congregationem expunctas voluisse Lectiones de SS.* Chrysantho *et* Daria, *harumque loco adhiberi, quæ in Proprio Lateranensi reperiuntur. Postulaverat Eminentissimus DD. Card. Archiep. Colon., datis Romam litteris* 2 *Maii* 1857, *ut fas esset ex tribus Lateranensibus binas conflare priores Lectiones II Nocturni, retenta tertia ex Proprio Colon. quæ incipit* Sæculo nono *et spectat ad reliquias Eifflienses. Responsum fuit a S. Congregatione die* 7 *Augusti ejusdem anni* 1857 *his verbis :* Nec minoris momenti ratio est, qua sacra Congregatio abstinere cogitur a tertio postulato (*priora duo spectabant alterum ad hymnum quemdam, alterum ad Lectiones de S. Ursula*) admittendo, quod Lectiones respicit secundi Nocturni in festo sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariæ. Etsi enim Sacra Congregatio nullum præjudicium inferre intendat fundamentis traditionis, juxta quam Prumiense (*sic*) monasterium istorum sanctorum Martyrum corpora se possidere gloriatur, quum nihilominus non ignoret, eorumdem corpora ab antiquissima ætate hic Romæ venerata fuisse, et adhuc a fidelibus venerari sub ara maxima patriarchalis basilicæ Lateranensis, ad criticas quæstiones declinandas, prudens existimat, ut omissa in Lectionibus mentione qualibet de loco, ubi prædictorum sanctorum Martyrum corpora jacent, eædem in diœcesi Coloniensi recitentur Lectiones, quæ a clero Lateranensi adhiberi solent. *Erat signatum:* Pro E. et R. D. Card. Patrizi S. R. C. præfecto... A. Card. Fieschi. *Tandem probatum, ut dixi, Proprium fuit, hac pro officio SS.* Chrysanthi *et* Dariæ *apposita ad marginem exemplaris submissi restrictione :* Nota. In II D et III Nocturno recitabuntur Lectiones a S. R. E C. jamdiu probatæ pro ecclesia Lateranensi, quarum exemplar in adnexo folio exhibetur. *Juverit lectiones Lateranenses adscripsisse :*

Lectiones ex proprio Lateranensi.

73 LECT. IV. Chrysanthus Alexandrinus una cum patre Polemio, viro illustri ex ordine Senatorio, Romam venit, ubi divino spiritu ad veri Numinis agnitionem adductus et Dariam sponsam, quam ei pater, ut a fide Christi revocaretur, post durissimum carcerem desponsaverat, feliciter convertit ad fidem. Mirum est quanta prius ab impio patre et a dæmonibus tentamenta pertulerat, sed invictus Christi Athletæ animus adeo se fortiter gessit, omnesque artes et adversariorum vires elusit, ut omnibus esset admirationi et exemplo. LECTIO V. Quamobrem Romæ innumerabilem multitudinem, hæc mulierum, ille virorum ad Christum converterunt. Eos igitur Celerinus præfectus comprehensos tradidit Claudio tribuno, qui jussit a militibus Chrysanthum vinctum acerrimis cruciatibus torqueri; sed vincula omnia resoluta sunt, et compedes in quos conjectus fuerat, confracti. LECTIO VI. Deinde bovis corio inclusum in ardentissimo F sole constituunt : tum pedibus ac manibus catena constrictis, in obscurum carcerem detrudunt; ubi, solutis catenis, clarissima lux locum illustravit. Daria vero in lupanar detrusa, a leone, qui e cavea fugerat, ne quis ad eam accederet divinitus defensa est. Denique in arenaria, quæ est via Salaria, ambo, effossa terra, in foveam conjecti et lapidibus obruti, parem martyrii coronam adepti sunt. *Id unum notandum hoc loco est, Lectionem* V. *vix non ad verbum eamdem esse, quæ habetur* II (*est enim officium de simplici*), *in breviario Romano, nisi quod in hac ab initio nonnulla tradantur de genere Sanctorum nostrorum, quæ magis evoluta, sunt materia* IV^ae *in proprio Lateranensi; Lectionem* VI *paucis tantum vocibus abscedere a* III, *quæ in præfato breviario Romano reperitur.*

A D

ΒΙΟΣ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΧΡΥΣΑΝΘΟΥ ΚΑΙ ΔΑΡΕΙΑΣ.

VITA ET PASSIO SANCTORUM MARTYRUM CHRYSANTHI ET DARIÆ *a*. *a*

B. B. *Ex codice Coisliniano* CX, *fol.* 35 *verso et seqq., collato cum codice Colbertino* 1540, *fol.* 65 *recto et seq., et cum apographo Vaticano* b. *b*

PRÆFATIO.

Exempla Sanctorum docent nos terrena despicere et anhelare cœlestia.

Τὴν ἱστορίαν τῆς ἀθλήσεως τῶν προγεγονότων ἁγίων πρὸς ἡμετέραν οἰκοδομὴν καὶ ὠφέλειαν ὁ Θεὸς ἠὐδόκησε παραστῆσαι, οὐχ ἵνα ἐπαίνοις Θνητῶν ἐκείνοις
B κορέσῃ οὕστινας ἀθανάτου εὐωχίας ἠξίωσεν, ἀλλ' ἵνα ἡμᾶς τῷ ἐκείνων ὑποδείγματι ἐκδιδάξῃ τῶν ἡδονῶν τοῦ παρόντος βίου περιφρονεῖν καὶ ὑπὲρ πορισμοῦ τῆς αἰωνίου δόξης τὴν πρόσκαιρον καί παράγουσαν Θλῖψιν μὴ δεδιέναι. Πᾶς γὰρ πόνος σωματικὸς, εἰ μὲν ἔστι κουφότερος, εὐφόρητος ὑπάρχει · εἰ δὲ βαρὺς, σύντομον τὸ τέλος ἐπάγει. Εἰ οὖν τὰ ἀμφότερα φόβον ἔχει, ἀναγκαῖον πρὸς τὸ ἐκφυγεῖν ἐκεῖνον τὸν αἰώνιον Θάνατον τούτου καταφρονῆσαι. Εἰ γὰρ αὗται αἱ ἀλγηδόνες αἱ σήμερον ἐπιοῦσαι καὶ αὔριον ἀφανιζόμεναι οὕτω χαλεπαὶ ὑπάρχουσι, πόσῳ μᾶλλον ἐκεῖναι αἱ μὴ ἔχουσαι τέλος; Καὶ αὗται μὲν εἰκόνα ἔχουσι τῶν προσφερόντων ἑαυτοὺς ταῖς τῶν ἰατρῶν περιοδείαις ὑγείας χάριν τέμνεσθαι ἢ φλέγεσθαι καυτῆρσιν ἢ πικροτάτων πομάτων μετέχειν τὴν τοῦ Θανάτου δειλίαν ἐπτοημένων ὧν τὸ πικρὸν οὐ παραιτοῦνται, καὶ τὸ πῦρ οὐ δεδοίκασι καὶ σίδηρον οὐκ ἀποστρέφονται. Ἂν δὲ ὁ Θάνατος τῆς σφαλερᾶς ταύτης ζωῆς καὶ ἀπίστου χρυσίῳ ἐξαγοράζεται τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὴν, καί ὑποφέρουσι πόνους σιδήρου καὶ πυρὸς καὶ πικρίας μετάληψιν, πόσῳ μᾶλλον ἐπιχειρεῖν δεῖ τοῖς ἑκοντὶ καὶ δωρεὰν περιεχομένοις παθήμασιν; Ἃ ποιοῦσιν ἡμᾶς πρὸς ὀλίγον ταπεινοῦσθαι, ὅπως εἰς τὸ διηνεκὲς ὑψωθῶμεν, καὶ ποιοῦσιν ἡμῖν πικρὰς βασάνους, ὅπως μετάσχωμεν αἰωνίου
B m Ἔστιν ἐν ταῖς παρθένοις τῆς Ἀθηνᾶς μία est inter virgines Minervæ una. *Et paulo inferius :* ἡ παρθένος τῆς Ἀθηνᾶς ὀνόματι Δαρεία virgo Minervæ nomine Daria. *Versiones latinæ antiquiores, sicut et nostra reddunt :* Quæ deæ Vestæ inserviunt. *Num recte? Surius græco inhærens non* Vestam *sed ponit* Minervam. *Id certum, utrumque nomen non eidem proprie convenire numini, imo distinctas referri ad divas.* Duæ, *inquit Robertus Stephanus in Thesauro linguæ latinæ,* a veteribus memorantur Vestæ; altera Saturni mater, (*Laurentio Guazzeso* uxor) altera ejusdem deæ filia... Confundunt tamen has poetæ, alteram pro altera ponentes. Quando eam Terram esse dicunt, de matre Saturni intelligendum est; quando vero Virginem nominant, de filia ejus, quam ignem esse voluere, *Et brevius supra dictus Laurentius Guazzesus, ubi de Vesta Etrusco-* E

rum : Duas Vestas, *ait* (1), nobis ostendunt mythologi; Matrem ac Filiam; pro altera coluere terram, pro altera ignem. Ops, quæ Vesta senior, Saturni uxor fuit *etc. Ex his utique claret Vestam non confundendam cum Minerva, Jovis ex cerebro orta. Baronius qui acta græca si vidit, certe non consuluit; latinis, quæ sola hactenus typis excusa fuere, inhæret sicut et Lipsius, Moronius aliique passim. Quocirca conantur explicare qui fieri potuerit ut* Daria *virgo Vestalis nuptui tradita sit S.* Chrysantho. *Et primum observat Baronius* (2), *Vestales,* post emerita castitatis stipendia nubere consuevisse, *quod* omnes ethnici scriptores profitentur. *Unde concludit non mirandum,* si Dariam, tempore nubendi impleto, traditam audias in uxorem Chrysantho, ut ejus acta significant. *Confirmatur ex S. Ambrosio, qui lib. I de Virginibus cap.* IV (3) : Quis, *inquit,* mihi prætendit Vestæ virgines et Palladis sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia sed annorum, quæ non perpetuitate sed ætate præscribitur? Petulantior est talis integritas cujus corruptela seniori servatur ætati? *Dein ex hoc loco solvi putat Baronius difficultatem ex nomine Minervæ ortam.* Quod autem, *ait,* in aliquibus actis Daria Minervæ virgo dicatur, non est novum : nam cum Vestales penes se Palladium haberent, eædem et Palladis *seu Minervæ* virgines dictæ reperiuntur. Palladis sacerdotes eas appellat

C S. Ambrosius. *Lipsius quoque in hunc Propertii versiculum:* F

Palladis extinctos si quis mirabitur ignes

notat: Ubi et ipsum cultum ignium Palladi adscribit *poeta.* Sicut in martyrologiis quibusdam nostris « Daria scribitur Minervæ sacerdos » fuisse, quæ aliis simpliciter est Vestalis. *Quibus ex posterioribus verbis apparet Lipsio etiam acta græca non fuisse perspecta. Denique quod* Daria *una cum* Chrysantho *jussa est terra obrui,* symbolum quoddam *Baronio* habere videtur cum illo supplicio, quod Vestalibus irrogari consuevit *idque tanto magis quod* dicantur passi via Salaria; *et esset* extra portam Salariam, quæ et Collina dicta reperitur, locus ille infamis, dictus Campus Sceleratus, quod illic Vestales delinquentes defoderentur. *De loco martyrii redibit sermo in Annotatis ad Caput* II. *Itaque tria hæc Baronio videntur sufficere ad actorum latinorum vindicationem; scilicet licitum fuisse Vestalibus, post certum lapsum annorum, nubere; virgines Vestæ quandoque dictas Minervæ sacerdotes; S.* Dariam *cum* Chrysantho *vivos terra obrutos idque via Salaria. Ast ex toto Actorum nostrorum contextu haud obscure innuitur* Daria *in primo juvenilis ætatis flore, imo et pubertatis annos haud multum prætergressa, ad* Chrysanthum *accessisse. Atque id stare non potest cum Vestalium disciplina seu conditione. Illæ enim (sex erant numero) admittebantur, seu ut verbo solemni utar,* capiebantur, *nec* minores quam sex annos, nec majores quam annos decem natæ; *atque* tempus tricennale manere eas oportebat castas et a nuptiis vacuas, sacra ex more facientes; quo tempore decem annos discere debebant, decem sacris operari, decem docere (4). *Ex his infert Lipsius* (5) : Itaque non nisi XXX annos obligabantur, et post id tempus licitum

(1) Raccolta d'opuscoli scientifici et Filologici, tom. XVIII p. 252. Venetiis 1738 (2) — Martyrologium Romanum, 25 Octobris, nota *a.* — (3) Patrologia Mignian., tom. XVI col. 195. — (4) Vide Pitisci Lexicon Antiqq. *Voce* Vestales. Item Lipsii De Vesta et Vestalibus Syntagma. Operum tom. III, p. 606 et seqq. Antverp. 1637. — (5) Ubi supra, p. 608.

nubere,

ex mss. nubere, haud pessima adhuc ætate. Nam pone ab anno VII (id licebat) ingressam; ergo D
anno XXXVII fas virum quærere et ætate frui... etsi antiquitus observatum, infaustas fere et parum lætabiles eas nuptias fuisse. *Proinde S.* Daria, *ubi S.* Chrysanthum *convenit saltem annos habuisset triginta septem, quod sane nemo unus legendo acta suspicatus fuerit. Sed fortassis sacrilega seu corrupta vel saltem corrumpenda accessit* Daria? *Non equidem putem, inhærendo actorum contextui. Fixa nempe et ab antiquo statuta in delinquentes Vestales erat pœna.* Gravis autem, *ait Dionysius Halicarnassensis* (1), pœnæ statutæ sunt in earum delicta, quorum quæsitores et vindices ex legibus sunt ipsi pontifices; alias quidem, quæ leviter peccarent (*ut si earum culpa ignis sacer extinctus*) flagris cædentes; eas vero, quæ stuprum passæ fuerint, fœdissimo et miserrimo mortis genere necantes. Vivæ enim in lecto, non aliter quam mortuæ, funebri pompa efferuntur, eas deflentibus et prosequentibus amicis et cognatis. Delatæ autem usque ad portam Collinam, intra mœnia, in cella subterranea (ad id) parata, cum omnibus funereis ornamentis sepeliuntur; sine ullis monumentis, sine parentatione, denique sine iis omnibus rebus, quæ defunctorum manibus dari solent. *Similia habent Plutarchus aliique. Confer Lipsium et Pitiscum locis citt. item Moronium, qui plures recentiores laudat scriptores, quos adhibuit ad suum de Vestalibus componendum tractatum* (2). *Stupratorum pœnam Joannes Zonaras Annalium lib.* VII *describit his verbis* (3) : Qui vero illas violaverint, collo furcæ in foro inserto, nudi flagris cæduntur donec expirarint. *Nihil simile in actis nostris. S.* Daria, *fidem edocta a* Chrysantho, *baptizatur, nomen conjugii assumit, per eam feminæ innumerabiles ad Christi gratiam confluunt; in carcerem una cum putatitio viro suo conjicitur; dein in prostibulo publico posita juvenem procacem aliosque plurimos convertit; posthæc in equuleo torqueri jubetur, sed divinitus obrigescunt tortorum nervi; denique ambo deponuntur vivi in arenario lapidibusque obruuntur. In his nihil sane quod pœnam in Vestales pollutas statutam sapiat; imo nec in toto passionis decursu vel uno insinuatur verbo S.* Daria *violatæ in Vestam fidei ream fuisse dictam, vel*
B *saltem hoc de crimine a judicibus reprehensam. Unicum, quod aliqualem cum Vestalium supplicio* E
præ se fert similitudinem, est hoc, scilicet, S. Virginem vivam *una cum S.* Chrysantho in arenario, via Salaria depositam *fuisse, atque ibidem utrumque simul* terra et lapidibus obrutos. *Quod mortis genus illatum in actis Martyrum reperitur multis aliis fidei christianæ pugilibus, quibus nihil commune erat cum Vesta. Cæterum quis ex hac qualicumque similitudine inferat, cætera omnia quæ de disciplina Vestalium supra notavimus, flocci pendenda esse? Vidimus paulo ante quid sentiat Baronius, a quo non longe discedit Lipsius.* Legimus, *inquit iste* (4), in Martyrum actis de Daria, quæ Chrysantho nupserat, olim Vestalis, jussam cum marito « a Numeriano imperatore, via Salaria, in arenario deponi, atque illic viventes terra et lapidibus obrui » In quo videntur, quasi Vestalem, cum Stupratore suo punire voluisse; certe ad veterem pœnam respexisse. *Non omnino repugnarem,* respexisse, *si certo constaret S.* Dariam *a primigenio actorum scriptore Vestalem fuisse dictam et habitam. Aliter autem rem se habere apparet tum ex supra dictis tum ex græcis codicibus, ubi* Daria παρθένος τῆς Ἀθηνᾶς *scribitur; tum ex Adone* (*cui hic consonat menologium Basilii*) *ad diem* I *Decembris, qui nulla seu Vestæ seu Minervæ facta mentione, ita refert :* Hic (*Polemius*) filium suum cuidam virgini elegantis pulchritudinis conjunxit, quam ex nobilissimis Romanis fuisse constat; *tum ex Menæis impressis, ubi ad diem* XIX *Martii,* (*quo die diximus Comm. Præv. apud Græcos memoriam agi de SS. Martyribus nostris*), *dicitur* Daria Atheniensis ἡ δὲ Δαρεία ἐξ Ἀθηνῶν. *Et infra :* Polemius ei (Chrysantho) junxit puellam formosam et in ætatis flore constitutam ὡραίαν, quam Athenis accerserat ἐξ Ἀθηνῶν μεταπεμψάμενος, Dariam nomine, etc. *Vide infra locum in ipsis Menæis, quæ integra damus. Non nemo utique suspicabitur,* Δαρεία ἐξ Ἀθηνῶν, Παρθένος τῆς Ἀθηνᾶς *varias esse lectiones atque unam ex altera ortam. Denique in Menæis nullo modo supponitur* Daria *Vestalis; imo cum* Athenis accersita *dicatur, eo fine ut desponsaretur S.* Chrysantho, *liquet eam saltem a decimo ætatis suæ anno non fuisse sacris Vestæ initiatam, quo tamen anno si non citius id fieri debebat. Adde*
C *non alienigenas sed Romanas virgines ministerio Vestæ addictas.* Necesse erat, ut quæ Vestalibus F
accenserentur, ingenuæ essent, nulloque corporis laborantes defectu, natæ ex parentibus adhuc viventibus, Romanis et Italiam incolentibus (5). *Restat altera Baronii et Lipsii notatio. Hic insinuat, ille asserit Vestales etiam dictas* Minervæ sacerdotes. *Utriusque verba supra habes recitata, una cum loco ex lib.* I. *S. Ambrosii de Virginibus. Non putem hanc sententiam ex scriptoribus profanis posse probari. Id certum penes Vestales fuisse asservatum* Arcanum, *ut Livius loquitur,* imperii pignus. *Quid autem illud sit non convenit inter eruditos.* Varia, *inquit Lipsius* (6), interpretatione *venit;* etsi plerique ad Palladium trahant. *Erat vero generatim palladium, teste eodem Lipsio,* Palladis minuta effigies : *hoc autem de quo agitur habebatur,* a cælo delapsum et Ilo traditum. Erat autem magnitudine tricubitali, habitu quasi ingredientis; dextra hastam præferebat, sinistra fusum et colum; *et dicebatur ab Ænea ex incensa Troja servatum et in Italiam delatum. Plura si lubet vide apud Lipsium loc. cit. Non itaque negaverim aliquo sensu Vestales dici potuisse, ob asservatum palladium,* sacerdotes Minervæ; *an vero id obtineat in Actis SS.* Chrysanthi *et* Dariæ, *equidem non putem. Repugnat enim vix non universa virginum Vestalium disciplina, ut sancta* Daria, *si Vestæ dicata erat, potuerit accedere ad* Chrysanthum, *atque cum eo agere et mori, prout in actis legitur. Certe genus martyrii a S.* Daria *perpessum quam longissime abest a probro seu supplicio Vestalium, quod supra ex probatissimis auctoribus descripsimus; genus autem mortis a S.* Chrysantho *toleratum, nihil commune habet cum pœnis in stupratores Vestalium statutis.*

(1) Antiquitatum Roman., lib. II, § LXVII. Opera tom. I, p. 122. Oxoniæ 1704. — (2) Dizionario. *Voce* Vestali. — (3) Tom. II, p. 29. Bonnæ 1844. — (4) De Vesalibus syntagma. Opera tom. III, p. 618. — (5) Moroni Dizionario. *Voce* Vestali, tom. XCVI, p. 131. — (6) Ubi supra, p. 610.

n *Locus*

A n *Locus iste :* est inter virgines-mollior redderetur : *prout jacet in mss. latinis, haud parum recedit a textu nostro græco. Sensus quidem fere idem, sed stylus multo laxior et diffusior. Surius, qui utique usus est codice, nostro omni ex parte consono, fere ad verbum reddit :* Est inter virgines Minervæ una, respondit amicus ejus, ornatissima, quæ vultu est admodum venusto, ingenii acumine, et prudentia atque eloquentia singulari, et jam nubilis ætate. Antevertamus igitur et petamus eam, indicemusque illi, quomodo sese habeat adolescens, ut eam ab instituto removeat, atque ipsi conjungatur. Perficiuntur hæc atque ipsa Minervæ virgo, Daria nomine, componitur : quæ veste splendida atque ornatu pretioso fulgens ad Chrysanthum audacter ingreditur, blandisque sermonibus, dulci atque ornata oratione conatur adolescentem a proposito removere. Verum Chrysanthus, *etc.* EX MSS.

o *In græco :* Erunt tibi proximi angeli, paranymphi apostoli, amici martyres, sponsus Christus, qui... inscribet dotem in libro vitæ sempiternæ, *etc.*

p *Surius :* Itaque pro communi utilitate de his disseramus.

q *Mombritius :* Ut oculis suis cultor attendat, quem doceatur mente excolere et timere. *Surius :* Ut cultores propriis oculis discant, quos cogitatione complecti, venerari timereque debeant.

r Hunc tu — comprobassent. *Locus obscurus et hinc varia in latinis codicibus lectio. In textu græco omnia perspicua. Ita reddit Surius :* Qui igitur talis extiterit, eum tu credideris esse Deum? Quod autem talis fuerit, scriptores ipsi testantur. Qui, quos stulti ac dementes homines deos appellant, eos et reges fuisse, et in bellis gerendis fortes ac strenuos, et suo tempore interiisse memorant.

s Cujus (*Mercurii*) forma capitis porcum et monstrum imitatur, in vertice autem solum capillos habet et alas. Hic magicis artibus absconditas in terra pecunias indagabat, et incantationibus et virga serpentum virus extinguebat, idque dæmonum auxilio, quibus quotidie vel
B suem vel gallum mactabat. *Surius. Cæterum vox* ficatum *seu* ficotum, *quæ in textu nostro latino* E
habetur, idem est ac jecur.

t *Additur in ms. latino :* Et licet leonem necaverit, idram truncaverit, canem infernalem ligaverit, ipse tamen redactus in cinerem, nusquam omnino comparuit, sed periit. *In græco desiderantur.*

u *Græcus textus habet :* Hi ergo omnes, cum honore divinitatis exciderint, cui cæterum Deo imperitum vulgus illum adscribet honorem?

v *Addit de suo latinus noster interpres :* Siquidem Χρόνος, quod est ejus in græco vocabulum, non aliud possimus quam tempus intelligere.

x *Nemo non vidiet, sumenda hæc esse, tamquam argumentum, ut dici solet, ad hominem. Cæterum* Chrysanthus *cum* Daria *disputans, nondum penitus christianam poterat perspexisse theologiam.*

y Et unicuique honorem majestati sapientius quam alii exhibent præbeamus. *Hæc rursus adduntur in latinis actis. Cæterum locus male respondet græco; Surius ita reddit :* Argumenta tua, inquit Daria, rationem meam confirmant. Docui enim rerum imagines ab hominibus imperitissimis coli, nos autem res ipsas adorare. Scite, inquit Chrysanthus, sententiam tuam conaris argumentis nostris confirmare, *etc.*

z *Addit interpres noster :* Non illum, qui vanissimo ritu hæc speranda crediderit.

aa *Ex græco sic :* Jussu Dei terra concipit solis calore; imbrium beneficio plantæ nutriuntur, et temporum sibi succedentium efficientia maturescunt.

bb *Surius :* Quæ suscepto virginitatis velo, virgo sanctissima fuit; et exiguo temporis spatio scripturas divinas omnes didicit.

C

CAPUT II. F

SS. Chrysanthus et Daria traduntur Claudio tribuno; hic autem divinitus motus, in Christum credit cum omni familia sua et subit martyrium. Posthæc S. Chrysanthus in carcerem et S. Daria in lupanar ducitur; denique post nova tormenta ambo in foveam conjiciuntur et vivi terra lapidibusque obruti palma cœlesti donantur.

Πολλαὶ δὲ παρθένοι καταλείψασαι τοὺς μνηστῆρας ἑαυτὰς ἀνέθεντο τῷ Χριστῷ ὡσαύτως καὶ νεανίσκοι, διαπτύσαντες τοῦ βίου τὰς ἡδονὰς καὶ ἀγαπήσαντες τὴν ἁγνείαν ἑαυτοὺς ἀφιέρωσαν τῇ ἐν Χριστῷ σωφροσύνῃ. Ἀθρόως δὲ ἀναφύεται τις στάσις ἐν τῇ πόλει, καὶ κρατοῦσιν οἱ δῆμοι Κελερῖνον τὸν ὕπαρχον δημοσίᾳ. Καὶ οἱ νέοι ἐβόων · Τὰς μνηστευομένας ἡμῖν διὰ Δαρείας ἀπωλέσαμεν οἱ ἄνδρες τὰς γυναῖκας. Αἱ γυναῖκες ἐβόων · Τοὺς ἄνδρας ἀπόλλυμεν διὰ Χρυσάνθου, καὶ τέκνα οὐκ ἔτι ἔξομεν. Καὶ ἦν διάφορα τὰ ἐγκλήματα, καὶ ταραχώδης ἡ σύγχυσις. Καὶ κελεύει ὁ ἔπαρχος εὐθέως συλληφθῆναι αὐ-

Igitur cum multæ virgines, relicto amore sponsorum, Christo se traderent; ac juvenes relicto voluptatum studio et carnali commercio sese castimoniæ* manciparent; excitata* est in Urbe seditio, et Celerino *a* præturam Urbis administranti interpellatio publica exhibetur. Juvenes clamabant : Sponsas nostras per Dariam amittimus; viri clamabant : Conjugia perdimus; mulieres clamabant : Maritos amisimus per Chrysanthum et jam filios non habemus. Et erat interpellantium varia et seditiosa confusio. Jubentur itaque a præfecto ambo

Comprehensus S. Chrysanthus

* *et Christi disciplinæ.*

* *ἀθρόως subito.*

a

EX MSS. ambo constringi et diversis pœnis interfici, si sacrificiorum ceremonias contempsissent. Traditur itaque tribuno Claudio Chrysanthus, qui tradit eum septuaginta militibus dicens : Ducite eum extra civitatem ad fanum invicti Herculis, ubi si sacrificare noluerit, diversis pœnis agite, quoad usque consentiat.

τοὺς καὶ διαφόροις βασάνοις τιμωρηθῆναι, ἐὰν μὴ τὰς προσηκούσας Θυσίας τοῖς Θεοῖς προσενέγκωσι. Τότε παραδίδοται ὁ Χρύσανθος τριβούνῳ τινὶ Κλαυδίῳ. Ὁ δὲ Κλαύδιος παρέδωκεν αὐτὸν ἑβδομήκοντα στρατιώταις λέγων · Ἀπαγάγετε αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως εἰς τὸν ναὸν τοῦ * ἀηττήτου Ἡρακλέους, ἔνθα, εἰ μὴ βούλοιτο Θύειν *, ποικίλοις βασάνοις αὐτὸν τιμωρήσασθε ἄχρις οὗ πεισθῇ *.

D

* Vat. Διος.
* Vat. τῷ ακητητῳ Ἡρακλεῖ.
* Vat. καὶ Θύσει.

cruciatur. 16 Tunc milites crudis eum nervis adstringunt, ut sensim siccantibus nervis ad ossa usque vis pertingeret ligamenti ; statim autem ut constrictus est, ita omnia sunt in manibus ejus ligamina resoluta, ut non occurrerent oculi ejus * videre celeritatem resolutionis eorum *. Et quasi luctantibus contra se ligaturis, diverso modo diversi eum milites constringebant novis et exquisitis ingeniis. Mox autem ut manus ligantis cessasset a vinculo, dicto citius quidquid ligaverat solvebatur. Tunc irati milites mittunt eum in cippum *b* novum, nodosissimnm, ita ut in tertio puncto ejus tibias coarctarent. Igitur cum starent ante eum et insultarent ei, ita putrefactum est lignum totius cippi, ut in cinerem converteretur. Tol-
B lentes autem milites Chrysanthum, perfundunt eum lotio humano, dicentes : Maleficia tua modo amittes. Statim autem ut perfusus est lotio putentissimo, ipsa aqua putens ita est in nectareum odorem conversa, ut putares eum non lotio humano sed rosato esse perfusum *c*. Auferentes autem eum ex eodem loco, excoriaverunt vitulum, et corio recenti cingunt eum nudum, et posuerunt eum ad solem ; sed per totum diem in æstu nimio et flagrantissimo sole, nulla omnino potuit calefactione siccari, sed eadem, qua fuerat viriditate perdurans, corium in nullo potuit Dei famulum violare *d*. Item posuerunt in collo ejus catenas ferreas, et simul manus et pedes constringentes, clauserunt eum in obscurissimo loco. Statim autem ex manibus ejus soluta sunt vincula, et tanta lux refulsit in loco, ut putatarentur illic lampades multæ fulgentes.

16 Τότε οἱ στρατιῶται ὑγροῖς αὐτὸν νεύροις δεσμοῦσιν, ὅπως ταῦτα ξηραινόμενα * διαδύνωσιν ἄχρι * τῶν ὀστέων αὐτοῦ σφιγγόμενα. Παραχρῆμα οὖν ὡς ἐδέθη, καὶ συνεσφίγγη πάντα τὰ δεσμὰ διελύετο, ὡς μὴ φθάνειν ὀφθαλμοὺς κατανοῆσαι τὴν ὀξύτητα τῆς διαλύσεως τῶν νεύρων. Ἀντιμηχανώμενοι * δὲ οἱ στρατιῶται τὰ νεῦρα συέσφιγγον διαφόροις τρόποις δεσμεύοντες αὐτὸν καὶ ξέναις ἐφευρήμασιν. Ὡς δὲ ἐπαύοντο αἱ χεῖρες τῶν δεσμοῦντων, ταχύτερον λόγου τὰ δεσμὰ διελύετο. Τότε Συμωθέντες οἱ στρατιῶται ἐμβάλλουσιν αὐτὸν εἰς ποδοκάκην * καινὴν κάτοζον καὶ τρίτῳ κεντήματι τὰς κνήμας αὐτοῦ ἠσφαλίσαντο. Ἑστηκότων δὲ τῶν στρατιωτῶν εὐώπιον αὐτοῦ καὶ ὀνειδιζόντων αὐτὸν, συνεσάπη τὸ ξύλον τῆς πέδης, καὶ εἰς κόνιν μετεβλήθη. Ἅραντες δὲ οἱ στρατιῶται κατέχεον αὐτοῦ * οὖρον λέγοντες · Τὰ φάρμακά σου ἄρτι ἀπώλεσας. Ἀντὶ δὲ δυσωδίας εὐωδία διεδόθη ὥς τινος τῶν εὐόδμων περιχυθέντος. Καὶ ἅραντες αὐτὸν ἐκεῖθεν, δέρουσι μόσχον, καὶ περιβάλλουσιν αὐτὸν γυμνὸν, καὶ περισφίξαντες, ἔστησαν ἐν τῷ ἡλίῳ. Διʼὅλης δὲ τῆς ἡμέρας ἐν τῷ σφοδρῷ καύματι καὶ ἐν τῷ ἐκκαίοντι ἡλίῳ οὐδʼ ὅλως ἐξηράνθη ἡ δορὰ, οὐδὲ ἐλυμήνατο τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον. Καὶ περιθέντες αὐτῷ κλοῖα καὶ ἁλύσεσι δεσμεύσαντες, ἐνέκλεισαν ἐν σκοτεινῷ τόπῳ παραχρῆμα δὲ διελύθησαν αὐτοῦ τὰ δεσμὰ, καὶ φῶς ἔλαμψεν ἐν τῷ οἰκήματι, ὡς λαμπάδων τινῶν ἔνδοθεν καιομένων.

* Vat. τῶν νευρων ξηραινομένων.
* Vat. μεχρι.
* Vat. μαχομενοι.
* Vat. κουπον?
* Vat. περιεκεον αυτῳ.

Claudius tribunus eum hortatur, ut Christo renuntiet ; 17 Nuntiantur omnia hæc a septuaginta militibus Claudio tribuno suo. Et ipse veniens ad locum vidit lumen immensum, et jubens eum egredi ad se, dixit : Quæ ista tanta vis maleficiorum tuorum est, ut ista perficias... *e*?
C Cui respondens Chrysanthus ait : Si esset in te vel scintilla prudentiæ, cognosceres me non maleficiorum argumentis, sed divinis adminiculis adjuvari ; sed sic ad me respicis sicut ad deos, quos colere injusto judicio comprobaris : si enim oculi tui sapienter aspicerent, viderent quia dii tui non vident ; si aures tuæ reciperent veritatem, adverteres illos voces clamantium audire non posse ; si interiora tua intellectum alicujus prudentiæ caperent, considerares istos in interioribus suis nihil habere aliud præter argillam et plumbum. Tunc tribunus Claudius jussit eum fustibus cædi. Statim autem ut allatæ sunt virgæ durissimæ *, cœperunt in manibus cædentium quasi pluma mollescere *f*. Denique dum tenerentur virgæ, quasi ferreæ essent ita erant solidæ, dum vero percuterent, quasi ex papyro essent, ita mollisssimæ reddebantur et leves *g*.

17 Τότε μηνύουσι οἱ στρατιῶται τῷ τριβούνῳ Κλαυδίῳ πάντα τὰ γενόμενα, καὶ παραγενόμενος ἐπὶ τὸν τόπον καὶ θεασάμενος τὸ φῶς, ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐξελθεῖν πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει αὐτῷ · Τίς ἡ τοσαύτη βία τῆς σῆς γοητείας ὑπάρχει ὥστε σε τοιαῦτα διαπράττεσθαι ; Χρύσανθος ἔφη · Εἰ ὑπῆρχεν ἐν σοὶ κἂν σπινθὴρ φρονήσεως, συνῆκας ἂν ὅτι οὐ μαγειῶν περιεργίᾳ, ἀλλὰ Θείᾳ δυνάμει βοηθοῦμαι. Ἀλλʼ οὕτως εἰς ἐμὲ ὁρᾷς ὥσπερ εἰς τοὺς Θεούς σου, οὓς Θρησκεύεις ἀδίκως. Εἰ γὰρ οἱ ὀφθαλμοί σου ὀρθῶς ἔβλεπον, ἔγνως ἂν ὅτι οἱ Θεοί σου οὐ βλέπουσι · καὶ τὰ ὦτά σου εἰ ἀληθειαν ἤκουον συνῆκας ἂν ὅτι φωνὴν κραυγαζόντων οὐκ ἀκούουσιν· εἰ ἐν τοῖς ἐγκάτοις σου αἴσθησις φρονήσεως ὑπῆρχεν, ἔγνως ἄν τούτους μηδὲν ἔχειν ἔνδον πλὴν χοὸς καὶ μολύβδου. Τότε κελεύει αὐτὸν Κλαύδιος ὁ τριβοῦνος ῥάβδοις τύπτεσθαι · καὶ παραχρῆμα ἐκομίσθησαν ῥάβδοι τραχεῖαι σὺν τοῖς σκόλοψιν αὐτῶν. Ὡς οὖν ἔτυπτον οἱ στρατιῶται, ἐν μὲν ταῖς χερσὶν αὐτῶν τραχεῖαι ὑπῆρχον αἱ ῥάβδοι · κατενεχθεῖσαι δὲ εἰς τὸ σῶμα τοῦ ἁγίου ὡς πάπυρος ἐγίνοντο ἁπαλαί.

F

e

f

** cum surculis etc.*

g

*sed frustra ; quare et ipse aliique multi * solvi et.*

18 Tunc Claudius tribunus, jussit eum * erigi et indui vestibus suis, et conversus ad milites suos, omnes hac voce alloquitur dicens : Bene nostis me et incantationem et

18 Ἰδὼν δὲ ὁ τριβοῦνος κελεύει ἀνεθῆναι αὐτὸν, καὶ ἀνορθωθῆναι, καὶ ἐνδύσασθαι καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς στρατιώτας εἶπεν · Αὐτοὶ ἀκριβῶς γινώσκετε ὅπως πάσας τὰς τῶν μάγων καὶ ἐπκοιδῶν κατελαβόμην κα-

magorum

A κουργίας νῦν δὲ ἐξ ὧν ὁρῶ, οὐδὲ μία * ἀνθρωπίνη κακουργία ὑπάρχει ἐν τούτῳ, ἀλλὰ θείας ἀρετῆς δύναμις · καὶ γὰρ τὰ δεσμὰ τῶν νεύρων ἑκοντὶ διαλυθέντα ἐσχόλασαν · τοῦ ξύλου ἡ ἀγριότης αἰφνιδίῳ διαλύσει, διεσάπη · τῆς δορᾶς ἡ ὑγρότης ἐν τῷ καύσωνι τοῦ ἡλίου δι' ὅλης τῆς ἡμέρας διέμεινε νεαρὰ ὡς ἀπεδάρή · τῶν ἀλύσεων τὰ δεσμὰ ἀόρατος δύναμις ἔλυσε · τῆς σκοτίας ὁ τόπος φωτι κατηυγαζετο · αἱ ῥάβδοι ἐν ταῖς τῶν κρατούντων χερσὶ τὴν οἰκείαν ἐπιδείκνυνται στερρότητα, ἐν δὲ τῷ τύπτειν ὡς πάπυρος ἀπαλύνονται. Ὡς δὲ ἀγνεία φαίνεται ἐν τῷ πράγματι, καὶ δικαιοσύνη ἀληθεία δοκιμάζεται, τοῦτο λοιπὸν περιλείπεται, ἵνα πάντες ἡμεῖς τοῖς γόνασι τοῦ ἀνθρώπου τούτου προσπεσόντες συγγνώμην αἰτήσωμεν τῶν προγεγονότων ἀνομιῶν, καὶ παρακαλέσωμεν, ἵνα ποιήσῃ ἡμᾶς τοιοῦτον Θεὸν σέβεσται ὅστις τοὺς σεβομένους αὐτὸν ἐν παντὶ πολέμῳ νικηφόρους ποιεῖ. Καὶ γὰρ πάντας τοὺς ἄχοντας ἡμῶν καὶ τοὺς βασιλεῖς καὶ ὅσοι ἐπαναστῶσιν αὐτῷ, οὐχὶ οὕτω νικήσει καθάπερ καὶ ἡμᾶς; Ταῦτα εἰπὼν ὁ Κλαύδιος σὺν κᾶσι τοῖς στρατιώταις τοῖς γόνασι τοῦ ἁγίου Χρυσάνθου προσπεσὼν παρεκάλει λέγων · Ἐπ' ἀληθείας ἔγνωμεν ὅτι ὁ Θεός σου Θεός ἐστιν ἀληθινός. Ὅθεν παρακαλοῦμεν, ποίησον ἡμᾶς ἐπιγνῶναι αὐτὸν, καὶ πρὸς τὴν αὐτοῦ γνῶσιν οἵῳ βούλει
B τρόπῳ προσάγαγε. Χρύσανθος ἔφη · Πρὸς Θεοῦ ἐπίγνωσιν εἰ προσελθεῖν ἐπιποθεῖτε, μὴ τοῖς ποσὶν, ἀλλὰ τῇ καρδίᾳ ποσεύθητε πρὸς αὐτόν. Καὶ γὰρ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν πλησίον γίνεται ὁ Θεὸς, ἐὰν αὐτὸν * ὅλῃ τῇ καρδίᾳ καὶ τῇ πίστει ἐπιζητῶμεν.

* Vat. οὐδὲ οὐδεμία

* Vat. ὅσον αὐτον ἐν

19 Πολλῷ δὲ λόγῳ κατηχήσας αὐτοὺς, πρὸς τὴν τοῦ Χριστοῦ πίστιν ἐχειραγώγησεν · ἐπίστευσε γὰρ ὅ τε Κλαύδιος ὁ τριβοῦνος καὶ Ἱλαρία ἡ αὐτοῦ γυνὴ, καὶ οἱ δύο υἱοὶ αὐτοῦ Ἰάσων καὶ Μαῦρος, καὶ πάντες οἱ φίλοι αὐτοῦ, καὶ πᾶσα ἡ Θεραπεία αὐτοῦ · ἐπίστευσαν δὲ καὶ οἱ αὐτοῦ στρατιῶται μετὰ πάντων τῶν οἰκείων. Καὶ ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες ἐφωτίσθησαν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ διδασκαλίᾳ τοῦ Χρυσάνθου μετὰ πόθου, καὶ ἀκούοντες τοῦ λόγου τῆς πίστεως τῆς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν * μετὰ φόβου. Ἐδέοντο δὲ καὶ ηὔχοντο ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ πάντα παθεῖν.

* Vat. ἔχειρον, καί μετὰ πόθου εὐδεοντο

20 Ὡς οὖν οὗτοι πάντες ἐπίστευσαν τῷ Κυρίῳ, ἦλθεν εἰς τὰ ὦτα Νουμεριανοῦ τοῦ βασιλέως . καὶ κελεύει Κλαύδιον τὸν τριβοῦνον προσδεθέντος λίθου τῷ τραχήλῳ αὐτοῦ ῥιφῆναι εἰς τὸ μέσον τῆς Θαλάσσης πάντας δὲ τοὺς στρατίωτας ἐξεταστθῆναι, καὶ τὸν μὴ
C βουλόμενον ἀρνήσασθαι ἀποκεφαλισθῆναι. Τοσαύτην δὲ χάριν παρέσχεν ὁ Κύριος τοῖς πιστεύσασιν, ὥστε τοὺς δύο υἱοὺς Κλαυδίου ἄνευ ἐπερωτήσεως ὁμολογῆσαι τὸν Χριστὸν, καὶ ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἥδιστα ἀποθανεῖν ἑτοίμως ἔχειν. Τούτους ζηλώσαντες πάντες ὁμοψύχως οἱ πιστεύσαντες, ἐν μιᾷ ὥρᾳ ἐν τῇ ὁμολογια τοῦ μαρτυρίου ἐτελειώθησαν. Ἦν δὲ ἐν * ᾧ τόπῳ τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν, τύμβος ἀρχαῖος · τοῦτον ἐκκαθάραντες διὰ νυκτὸς οἱ Χριστιανοὶ ἅπαντα τὰ σώματα τῶν ἁγίων κοινῇ κατέθεντο, οὐ μακρὸν τῆς πόλεως, ἐν ὁδῷ τῇ καλουμένῃ Σαλαρία * Ἦν δὲ Ἱλαρία ἡ γυνὴ τοῦ τριβούνου συναγαγοῦσα τὰ σώματα τῶν δύο υἱῶν αὐτῆς Ἰάσωνος καὶ Μαύρου, καὶ ἐν δυσὶ σοροῖς ἕκαστον καταθεμέμη.

* Vat. ἐν τῷ τόπῳ ἐν ᾧ ἐτεμαχηλοκοπήθησαν

* Vat. σαλαθαρεια

21 Ἐν δὲ τῷ πυκνότερον αὐτὴν ἔρχεσθαι καὶ θυμιᾶν καὶ προσεύχεσται ἐν τῷ τοπῳ κατεσχέθη ὑπό τινων, καὶ ἑλκομένη, παρεκάλεσεν ἐνδοῦναι αὐτῇ τοῦ εὔξασθαι. Ὡς οὖν ἔκαμψε τὰ γόνατα ἐκπετάσασα τὰς χεῖρας εἶπε · Δέσποτα Ἰησοῦ Χριστὲ, ὃν ἐξ ὅλης καρδίας ὁμολογῶ, νῦν με τοῖς ἐμοῖς τέκνοις *,

* Vat. υἱοίς μου

magorum deprehendisse præstigia. Hic humanæ artes penitus non sunt, ubi virtutum divinarum potestas apparet : nam vincula nervorum sponte soluta cesserunt, ligni fortitudo repentina defectione computruit; corii viriditas in solis ardore nimio in eadem, qua de vitulo ablata est novitate permansit; catenarum quoque nexus invincibilis probitas exolvit, tenebrarum locus nimia illustratione perfulsit, fustes in manu tenentis rigescunt, in ferientis ictu mollescunt. In aspectu patientis *h* ipsa sinceritas atque in verbo etiam *h* rationabilis veritas comprobatur. Quid superest, nisi omnes hujus Hominis genibus advoluti, veniam postulemus sceleris et rogemus ut nos quoque talem faciat Deum colere, qui cultores suos facit in omni pugna vincentes? Ecce etenim et nos et judices et omnes qui contra eum venerunt, numquam non ita superat, ut probastis. Igitur cum hæc et alia fuisset prolocutus, cum universis militibus ipse Claudius genibus (S. Chrysanthi) advolutus orabat dicens : In veritate probavi, quia Deus tuus, Deus verus est. Peto itaque, ut facias me cognoscere eum, et ad notitiam cul- E
turæ ejus aliqua ratione pertingere. Cui Chrysanthus dixit : Ad notitiam Dei si pervenire desideras, non pedibus tibi sed corde pergendum est : tantum enim unicuique præsens efficitur Deus, quantum cum fide mentis et cordis integritate quæsierit.

19 Hæc et similia prosequente Chrysantho *i* *baptizantur* credidit Claudius tribunus, credidit Hilaria, *i*
uxor ejus; crediderunt et duo filii ejus Jason et Maurus; crediderunt omnes amici et familiares ejus; crediderunt omnes illi septuaginta milites cum suis, et universi eodem die baptizati sunt; per singulos dies a sancto Chrysantho eruditionem veritatis desiderantissime audiebant, et verbum Christi cum omni reverentia et timore capientes, optabant pro Dei nomine etiam adversa (omnia) perferre *k*. *k*

20 Cum omnes credidissent Deo, et (hoc) *et martyrio* Numerianus *l* imperator audiisset, jussit Clau- *coronantur;* dium tribunum ingenti saxo (in collo) con- *l*
strictum in medio mari præcipitari; omnes autem milites singillatim audiri, et quicumque se negasset christianum, dimitti; qui F
verum negare noluisset, caput amputari *m*. *m*
Tantam autem gratiam Dominus credentibus concessit, ut primum Jason et Maurus, filii Claudii, etiam non interrogati Christum se colere dicerent et pro ejus nominis confessione mortem libenter obirent. Hos imitantes omnes unanimiter intra unam horam martyrium Domino consecrarunt. Erat autem in loco ubi decollati sunt, tumulus *n* antiquus; *n*
hunc emundantes per noctem Christiani simul in unum omnia corpora sepelierunt non longe ab Urbe, via quæ Salaria *o* nuncupatur. Corpora autem filiorum suorum collegit sancta Hilaria, relicta * martyris Claudii, et singillatim condiens id est Mauri et Jasonis in sarcofagis singulis collocavit *p*.

o * *mulier tribuni* (Claudii)

21 Quæ dum assiduis obsequiis circa Sanctorum confessionem oraret, tenta est. Quæ dum trahitur, rogavit eos qui se trahebant, dicens : obsecro vos, permittite prius orationem complere, et veniam quocumque volueritis. Igitur dum fixisset gradum, accepit Sacramentum

p *item moritur Hilaria, Claudii tribuni uxor*

EX MSS. Domini *q* et expandens manus suas dixit : Domine Jesu Christe, quia toto corde te confiteor, modo me associa cum filiis meis, quos ex utero meo ad tuum martyrium convocasti. Et hæc dicens projecit se in orationem, et dum oraret emisit spiritum. Tunc illi ipsi qui eam tenuerant dolentes super repentino obitu ejus, reliquerunt duas ancillas ejus, quæ cum ea erant. Illæ autem sepelierunt eam diligentissime, et super eam brevissimam ecclesiam fabricaverunt; quia locus in quo defuncta fuerat, ejusdem erat hortus Hilariæ, et ex quo passi fuerant Sancti, ibidem sibi mansiunculam collocaverat *r*.

συναρίθμιον ποίησον, οὓς ἐκ τῆς ἐμῆς γαστρὸς εἰς τὸ σὸν προσεκαλέσω μαρτύριον. Ταῦτα εἰποῦσα, καὶ ἐγχρονίσασα ἔτι τῇ προσευχῇ ἐν τῷ ἐξιλεοῦσθαι τὸ Θεῖον, ἀπέδωκε τὸ πνεῦμα. Οἱ δὲ κρατήσαντες αὐτὴν συμπαθήσαντες ἐπὶ τῷ αἰφνιδίῳ Θανάτῳ αὐτῆς, καταλιπόντες τὰς δύο παιδίσκας τὰς σὺν αὐτῇ ἐπορεύθησαν. Καὶ ἐκεῖναι ἔθαψαν αὐτὴν ἐπιμελῶς, καὶ ὑπεράνω ᾠκοδόμησαν μαρτύριον βραχύτατον· αὐτῆς γὰρ ὑπῆρχεν ὁ τόπος· καὶ ἔξω αὐτοῦ οἱ ἅγιοι κατετέθησαν ἐκεῖ· τὸ γὰρ οἰκητήριον αὐτῆς ἐκεῖ ἦν. D

r 22 Interea (Numerianus) Chrysanthum jussit infernali retineri custodia in carcere Tulliano *s* unde putor horribilis ascendebat, quia cloacarum cuniculis digesta domorum stercora illic jugiter decurrebant *t*. Et in hoc decursorio, ut diximus, erat ima et lutea, et ita tenebrosa custodia, ut penitus lucifluus aer nec signum ibidem diei nec vestigium aliquod lucis ostenderet *u*. In hanc ergo habitationem ferro vinctus Chrysanthus mittitur; Daria vero mittitur in publico contubernio meretricum; sed diversis his Sanctorum passionibus, diverso genere (auxilio) Christus occurrit : nam Chrysantho lux divina et odoramenta sancta præstantur. Dariæ * vero leo *v* fugiens de cavea amfitheatri dirigitur, qui ingressus cellulam illam in qua Daria prostrata in oratione jacebat, ipse quoque leo prostravit se juxta eam pronus, ut videretur ipse etiam adorare illum, qui suam præsentiam deprecanti Virgini exhibebat.

S. Chrysanthus *in carcerem*

22 Ὁ δὲ Νουμεριανὸς ἐκέλευσε τὸν Χρύσανθον φυλάσσεσθαι ἐν φρουρᾷ βαθυτάτῃ*, ὅπως αὐτὸν σὺν τῇ Δαρείᾳ διαφόρως κολάσεται. Καὶ ἐνέβαλον αὐτὸν ἐν τῇ τοῦ Τουλιανοῦ φυλακῇ. Ἦν δὲ αὕτη βαθυτάτη καὶ βορβορώδης καὶ πλήρης δυσωδίας, ἐπειδὴ τὰ κανάλια ἐκεῖθεν διήρχοντο, καὶ ζοφώδης δὲ λίαν, ἔνθα ἦν ὁ Χρύσανθος διδηροδέσμιος γυμνός. Ἡ δὲ Δαρεία παραδίδοται ἐν ἑταιρείῳ. Ἀλλὰ τοῖς διαφόροις αὐτῶν παθήμασι διαφόρῳ χάριτι ὁ Κύριος ἐβοήθει. Καὶ γὰρ τῷ Χρυσάνθῳ ἡδύσματα καὶ φῶς Θεῖον ἐχορηγεῖτο· τῇ δὲ Δαρείᾳ λέων ἐκπεφευγὼς ἐκ τοῦ σταδίου, εἰσελθὼν εἰσ τὸ οἴκημα ἔνθα ἦν ἐπὶ πρόσωπον προσευχομένη, ἥπλωσεν ἑαυτὸν ἐν τῷ μέσῳ. * Vat. ἀσφαλεστάτῃ. E

s

t

u

B

* *ad Dariam*

v

S. Daria *ad lupanar ducitur;*

23 Nescientes itaque leonem intus esse, miserunt ad eam quemdam turpissimum, qui in scelere corruptionis opinatissimus habebatur. Qui ut ingressus est, insilivit in eum leo, et prosternens eum sub pedibus suis, cœpit ad faciem virginis Christi Dariæ respicere quasi interrogans quid de eo juberet. Quod intelligens beata Daria, leoni dixit : adjuro te per filium Dei, pro quo martyrii passionem libenter amplector, ut non eum in aliquo lædas; sed permitte eum sermonem meum absque terrore suscipere *x*.

23 Ἀγνοοῦντες δὲ τὸν λέοντα εἶναι ἔνδον οἱ τῆς πόλεως ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὴν ἄσωτόν τινα ὃς ἐν τῷ * μύσει περιεόντος ἐτύγχανεν. Ὡς δὲ εἰσῆλθεν, ἐπιπηδᾷ αὐτῷ ὁ λέων, καὶ ὑποστρώσας αὐτὸν ἐπάτει τοῖς ποσὶν ἐπάνω αὐτοῦ. Ἦν δὲ ἀτένιζων τῇ παρθένῳ τοῦ Χριστοῦ ὡς τί κελεύσειε ποιῆται. Γνοῦσα δὲ ἡ ἁγία Δαρεία εἶπε τῷ λέοντι· Ὁρκῶ σε κατὰ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἄνες αὐτῷ ἀκοῦσαι παρ' ἐμοῦ λόγον. * τῷ

x

ubi a leone defensa, juvenem prosacem

y

24 Tunc leo reliquens eum posuit se in ipso introitu, ut nec ille remissus copiam fugiendi arriperet, nec alius posset intrare *y*. Tunc dixit ad eum Daria : Ecce ferocitas leonis audito Christi nomine dat reverentiam Deo; et tu homo rationabilis in tantis criminibus te exerces, ut etiam in hoc, quo miser lugendus es, glorieris. Tunc ille prosternens se ante eam, cœpit clamare dicens : Jube me hinc egredi sanum, ut ego clámem omnibus, Dei filium Christum, quem colis, ipsum solum esse verum Deum. Tunc Daria jussit leoni, * ut amoveret se ab ingressu. Qui cum esset egressus clamare cœpit et per totam civitatem currere dicens : Sciatis omnes (vos Romani) Dariam esse deam. Igitur diversi venatores et diversi populi, dum ad leonem capiendum pergerent, hanc Deus leoni virtutem concessit, ut omnes caperet, et quasi manu tenens ita comprehensos sine aliqua læsione ante pedes sanctæ Dariæ poneret *z*.

24 Ὁ δὲ λέων, καταλιπὼν αὐτὸν, ἀνελθὼν ἀνέπεσεν ἐν τῇ εἰσόδῳ, ἵνα μὴ ἕτερός τις δυνηθῇ εἰσελθεῖν. Καὶ λέγει ἡ Δαρεία· Ἰδοὺ τοῦ λέοντος ἡ ἀγριότης ἀκούσασα τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ εὐλαβήθη τὸν Θεὸν, καὶ σὺ ἄνθρωπος λογικὸς ἐν τοσαύταις αἰτίαις διάγεις, ἄθλιε, καὶ ἐν οἷς πενθεῖν σε ἔδει, ἐν τούτοις καυχᾶσαι. Ἐκεῖνος δὲ προσπεσὼν αὐτῇ, ἤρξατο βοᾷν καὶ λέγειν· Κέλευσόν με ἐξελθεῖν ἀβλαβῆ, κἀγὼ κηρύξω πᾶσι τὸν Χριστὸν Θεὸν ὑπάρχειν ἀληθινὸν, ᾧ σὺ λατρεύεις, καὶ οὐκ ἔστι παρὲξ αὐτοῦ Θεός. Καὶ ἐκέλευσεν ἡ Δαρεία τῷ λέοντι συγχωρῆσαι αὐτῷ ἐξελθεῖν. Καὶ μεταστάντος τῆς εἰσόδου τοῦ λέοντος, ἐξῆλθε καὶ περιέτρεχεν εἰς τὴν πόλιν, καὶ ἐβόα λέγων· Γνῶτε πάντες Ῥωμαῖοι Δαρείαν Θεὰν ὑπάρχειν. Παραγενομένων δὲ τῶν ἀπὸ τοῦ σταδίου συλλαβεῖν τὸν λέοντα, Θείᾳ δυνάμει ἐκεῖνος ἕνα ἕκαστον αὐτῶν ἁρπάζων πάντας αὐτοὺς ἔστρωσε χαμαὶ ἀβλαβῶς συνέχων πρὸ ποδῶν τῆς Ἁγίας. F

z

aliosque plurimos convertit.

* *dii vestri vos liberent.* Sur.

25 Tunc Daria omnes alloquitur dicens : Si promiseritis vos Christo credituros, illæsi poteritis adscedere, sin alias, * nescio si dii ve-

25 Ἡ δὲ εἶπε πρὸς αὐτοὺς· Ἐὰν πιστεύσητε εἰς τὸν Χριστὸν, δυνήσεσθε ἀβλαβεῖς ἀναχωρῆσαι· εἰδ' οὐ, οἱ Θεοὶ ὑμῶν ἀντιλάβοιντο ὑμῶν. Ἐκεῖνοι δὲ

stri

A μιᾷ φωνῇ ἐβόων · Ὁ μὴ πιστεύων τὸν Χριστὸν ἀληθινὸν εἶναι Θεὸν καὶ ζῶντα, μὴ ἐξέλθοι ζῶν. Καὶ ταῦτα εἰπόντες, ἐξεπορεύοντο βοῶντες · Πιστεύσατε, δῆμοι Ῥωμαίων μὴ εἶναι ἄλλον Θεὸν εἰ μὴ τὸν Χριστὸν, ὃν Δαρεία κηρύσσει. Ὁ δὲ ἔπαρχος Κελερῖνος ἐκέλευσε πῦρ ἀναφθῆναι πρὸς τὴν Θύραν τοῦ οἰκήματος ὅπου ἦν Δαρεία σὺν τῷ λέοντι. Ἰδὼν δὲ ὁ λέων τὸ πῦρ ἐφοβήθη, καὶ ἤρξατο ὠρύεσται. Πρὸς ὃν ἔφη ἡ Δαρεία · Μὴ φοβοῦ · οὐ μὴ κατακακῇς, οὐδὲ συλληφθήσῃ πώποτε, οὔτε ἀναιρεθήσῃ, ἀλλὰ ἰδίῳ θανάτῳ ἀποθανῇ. Ἔξελθε οὖν ἀφόβως, καὶ πορεύου ἐν εἰρήνῃ · ὅτι ὃν ἐτίμησας ἐν ἐμοὶ, αὐτὸς ῥύσεταί σε. Καὶ κλίνας τὴν κεραλὴν ὁ λέων ἐξῆλθε, καὶ διελθὼν τὴν πόλιν ἐπορεύθη μηδένα ἀδικήσας. Οἱ δὲ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ῥυσθέντες ἐβαπτίσθησαν πάντες.

stri auxilientur vobis. Tunc illi omnes una voce clamabant : Qui non credit Christum verum esse Deum *, vivus hinc non exeat. Et hæc dicentes cœperunt egredi omnes una voce clamantes : Credite populi Romani non esse alterum Deum præter Christum *. Tunc præfectus, Celerinus nomine, jussit ignem copiosum accendi in ingressu cellulæ in qua erat Daria cum leone. Quod cum fieri videret, cœpit leo expavescere et rugitum dare. Cui beata Daria ait : Noli timere; nec incendio cremaberis, neque capieris*, neque interfici poteris; sed morte tua morieris. Egredere securus et vade * quia ille, quem in me honorasti, ipse te liberat. Tunc inclinato capite, leo egreditur per medias turbas populorum. Nullus eum cepit, et ipse neminem læsit *aa*. Hi autem qui ex ejus ore incolumes evaserant, universi baptizati sunt.

ex mss.
* *et viventem.*
* Gr. *quem prædicat Daria.*
* *umquam*
* *in pace*
aa

26 Ἐμηνύθη ταῦτα Νουμεριανῷ τῷ βασιλεῖ, καὶ ἐκέλευσε τῷ ἐπάρχῳ ὅπως τὸν Χρύσανθον καὶ τὴν Δαρείαν, εἰ μὴ βουληθῶσι Θύειν, διαφόροις βασάνων αἰκισμοῖς πικρῶς ἀναλώσῃ. Ὡς οὖν κατηνάγκαζεν αὐτοὺς ὁ Κελερῖνος πρὸς τὸ Θύειν πολλὰ λέγων καὶ
B ἀκούων παρ' αὐτῶν, ἐκέλευσε τὸν Χρύσανθον κρεμασθῆναι ἐν τῷ ἑρμηταρίῳ. Κρεμασθέντος δὲ αὐτοῦ, τὸ ξύλον ἐφθάρη, καὶ τὰ δεσμὰ διερράγη, καὶ αἱ λαμπάδες ἐσβέσθησαν. Ὅσοι δὲ ἥπτοντο τῆς ἁγίας Δαρείας, συνεσπῶντο τὰ νεῦρα τῶν χειρῶν αὐτῶν, καὶ ὠρύοντο ἐκ τῶν πόνων. Θεασάμενος δὲ ταῦτα ὁ ἔπαρχος Κελερῖνος ἐφοβήθη, καὶ πορευθεὶς δρομαίως πρὸς τὸν βασιλέα ἀπήγγειλεν αὐτῷ τὸ γεγονός. Ὁ δὲ Νουμεριανὸς, ταῦτα ἀκούσας οὐ Θείαν δύναμιν *, ἀλλὰ περιεργίαν τινὰ λογισάμενος ἐκέλευσεν αὐτοὺς ἔξω τῆς πόλεως ἀπαχθῆναι * τῇ ὁδῷ τῇ καλουμένῃ Σαλαρία, καὶ ὀρυγῆναι βόθρον, καὶ ἐμβληθῆναι ἐκεῖ ἀμφοτέρους, καὶ λίθοις καὶ γῇ καταχωσθῆναι. Ἀπαχθέντες δὲ οἱ ἅγιοι Χρύσανθος καὶ Δαρεία κατήχθησαν ἐν τῷ βόθρῳ, καὶ ψαλλόντων αὐτῶν καὶ προσευχομένων τῷ Θεῷ κατεχώσθησαν. * Καὶ γέγονεν αὐτοῖς ἡ τε κοινωνία τοῦ μαρτυρίου καὶ ἡ ταφὴ καὶ ἡ κόλασις ἀδιάζευκτος, καὶ καθὼς γεγόνασιν ἐν τῷ παρόντι βίῳ, σύζυγοι πνευματικοὶ, οὕτω καὶ τὴν μετάστασιν τοῦ βίου ἔσχον ἐν ὁμονοίᾳ. Καὶ προσεδέξατο αὐτοὺς ὁ Θεὸς Θυσίαν ζῶσαν, καὶ ὁμοθυμαδὸν ἀπειλήφασι τοὺς στεφάνους.

* Al. περιεργείαν
* Al. ἀπενεχθῆναι
* Al. ψάλλοντες αὐτοὶ καὶ προσευχόμενοι

26 Nuntiata sunt omnia hæc Numeriano imperatori, et jussit Celerino præfecto ut ambos id est Chrysanthum et Dariam, si non consensissent sacrificiis, diversis tormentorum suppliciis puniret. Igitur cum cogeret eos ad sacrificandum et diversa diceret et audiret, E jussit sanctum Chrysanthum eculeo ingenti suspendi et torqueri. Cumque imponeretur eculeo Chrysanthus, ligna omnia eculei comminuta sunt, vincula vero universa disrupta sunt; lampades vero quæ erant ejus lateribus applicandæ extinctæ sunt. Quicumque ergo (autem) misissent manum ad sanctam Dariam, stupebant nervi eorum et præ dolore mugitum cordis gemitumque reddebant. Videns itaque hæc Celerinus præfectus vehementer expavit, et cursu rapidissimo ad imperatorem properans, cuncta quæ gesta fuerant enarravit. Tunc Numerianus imperator non virtutibus divinis sed maleficiis (hæc) imputans, jussit eos duci in viam Salariam *bb* atque in arenario deponi, illic utrosque simul id est Chrysanthum et Dariam vivos terra et lapidibus obrui *cc*. Tunc beatissimus Chrysanthus cum beata virgine Daria deponuntur in fovea, psalmis et orationibus insistentes * facti sunt in passione sociati sanguine, sicut fuerant etiam mente conjuges; quasi in uno lectulo, ita in una fovea durantes. Talis fuit passio, quæ magis sepulturam Dei famulis ingessit quam pœnam. Accepit autem Deus hostiam viventem, cujus gratia hoc factum est, ut qui simul juvenes in virginitate durantes, simul pertingerent ad coronam sine fine viventes *dd*.

Tandem ambo palma triumphi potiuntur;
bb
cc
* *obruuntur*
F
dd

C

27 Ὡς οὖν χάριτι Θεοῦ πολλαὶ δυνάμεις καὶ ἰάσεις ἐν τῷ τόπῳ ἐγίνοντο, κατήντησεν ἡ ἐνιαύσιος ἡμέρα τοῦ πάθους αὐτῶν, καὶ ἀνείκαστον πλῆθος ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν καὶ παιδίων * συνήχθη εἰς τὸ μνημόσυνον αὐτῶν. Ἦσαν δὲ ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν συνηγμένοι * ἐν ἑνί σπηλαίῳ · καὶ (γὰρ) ἦν τὸ σπήλαιον πλησίον αὐτῶν. Τοῦτο οὖν ἀκούσας ὁ Νουμεριανὸς ἐκέλευσεν ἀνοικοδομηθῆναι καὶ ἐμφραγῆναι τὴν εἴσοδον τοῦ σπηλαίου *. Παραχρῆμα δὲ γέγονε τοῦτο · καὶ * λαξεύσαντες κύκλῳ ἄνωθεν τὸν τόπον, ἐπαφῆκαν κατ' αὐτῶν γῆν, καὶ μετασχόντες πάντες τῶν Θείων μυστηρίων τῆς κοινωνίας ὁμοθυμαδὸν τὸν στέφανον τοῦ μαρτυρίου ἀπειλήφασι μετὰ πάντων τῶν ἁγίων · ἐν οἷς ὑπῆρχε Διόδωρος ὁ πρεσβύτερος, Μαριανὸς διάκονος καὶ πλεῖστοι κληρικοί. Πλῆθος δὲ ἀναρίθμητον λαοῦ, ὧν τὰ ὀνόματα ἢ τὸν ἀριθμὸν ἐκζητῆσαι περιττὸν * ἡγησάμεθα · ἀδύνατον γὰρ ἦν.

* Al. παιδισκῶν
* Al. ἅπαντες συνηγμένοι ἦν
* Al. τὴν Θύραν τοῦ
* λαξευω lapides polio, incido
* Al. omitt. λαοῦ
* Al. περισσὸν

27 Igitur cum multa beneficia Deus venientibus ad eorum sepulturam præstaret, evenit ut die natali eorum, infinita populi multitudo concurreret; viri simul ac mulieres pariter et infantes et innuptæ puellæ et juvenes. Hoc cum fuisset Numeriani auribus intimatum, jussit ut in introitu, per quem introierant in cryptam, paries levaretur. Quod cum fuisset adimpletum, de zabulo *ee* super eos montem dejecit. Omnes ergo pariter dum communionis Sacramenta perciperent et Martyrum gloriam celebrarent, ipsi quoque ad martyrium pertigerunt *ff*; inter quos erat Diodorus presbyter et diaconus Maurinus * et plurimi clericorum *gg* ac populi multitudo, quorum nec numerus nec nomina collecta sunt *hh*.

postmodum alii multi, qui ad eorum sepulchrum venerant, coronantur.
ee
ff
* *Marianus*
gg
hh

28 Hæc

EX MSS. *Passio a quibus scripta.* *ii kk καὶ ἐξαπέστειλα et misi*

28 Hæc omnia sicut gesta sunt, scripsimus Varinus et Armenius fratres *ii* a sancto Stephano papa Romano in sede apostolica facti presbyteri *kk* et direximus * ad omnes ecclesias ad Orientem et Occidentem, ut sciat omnis mundus, quia martyres suos Dominus Chrysanthum et Dariam cum multis filiis in triumpho martyrii et gloriæ perpetuæ corona suscepit *ll*.

ll

28 Ταῦτα ὡς ἐπράχθη * ἀνεγραψάμην ἐγὼ Οὐιρῖνος προτροπῇ ὑπείξας Στεφάνου τοῦ ἁγιωτάτου πάππα, καὶ ταῖς πέριξ πόλεσιν ἐξαπέστειλα, ὡς ἂν τὰ περὶ τῶν ἁγίων τῶν δε μαρτύρων ἐπιγνῶσιν ἅπαντες, καὶ δοξάσωσι τὸν ἐν τῇ καλῇ τούτους καὶ σεπτῇ τοῦ μαρτυρίου ὁμολογίᾳ Χριστὸν στεφανώσαντα, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνον. Ἀμήν. D

* Al. καθὼς ἐπράχθησαν ἀνεγραψάμεθα κ. τ. λ.

ANNOTATA.

a *Vide Comm. Præv., n.* 12, *ubi diximus Celerinum hunc probabilius esse fictitium. Certe Eduardus Corsinus in erudita sua scriptione* de præfectis Urbis, *testatur Celerini nomen in serie præfectorum apud probatos auctores nuspiam occurrere. Juverit integrum fere Corsini locum recitasse* (1) : CELERINUS circa an. Urbis conditæ 1005. Christi 252. Celerini præfecti nomen semel iterumque in martyrologio Romano nobis occurrit. Nam 25 Octobris die ubi de S. Chrysantho et Daria martyribus agitur, habetur : « Qui post multas, quas sub Celerino præfecto... sustinuerunt passiones, jussi sunt a Numeriano... lapidibus obrui. » Ita quoque 22 Novembris die dicitur : « Romæ S. Mauri martyris, qui sub Numeriano imperatore et Celerino Urbis præfecto agonizavit. » Baronius quidem in primo martyrologii loco pro « Numeriano » rescribendum esse putavit « Valeriano, » quod historiæ magis congrueret, cum Numerianus numquam Romæ fuerit aut imperaverit (*conf. Comm. Præv., n.* 10); sed eadem prorsus emendatio in posteriori quoque loco adhibenda foret, ne Celerini nomen ac præfectura dissitis adeo temporibus adscribatur. Certe Tillemontius quoque pluribus ostendit quod eorum Martyrum triumphus ad B Valeriani potius aut Decii quam Numeriani tempora revocandus esset. Cum verum Martyrum E illorum acta vel apocrypha vel suspecta maxime sint, nihil prorsus præsidii pro Celerini præfecti nomine exsculpi inde potest; cum præsertim Usuardus S. Mauri elogium exscribens « Numeriani » nomen omiserit. *Ad tempus martyrii quod attinet vide Comm. Præv., n.* 20. *Rectius passi SS.* Chrysanthus *et* Daria *sub Numeriano ponuntur, ut est in Actis.*

b Cippus *instrumentum ad instar annuli, quo pedes damnatorum constringebantur et servorum :*

Nervo torqueris, in Cippo quando teneris;
Membraque firmantur nervis, quibus ossa ligantur.

In glossis : ποδοκάκκη, ξύλινος δεσμός, cippus; ligneum vinculum. *Unde Suidas :* ποδοκακκη. Sic cippus in carcere vocabatur, vel inserto altero κ, quod esset quasi ποδῶν κακωσις, vel per syncopem, ut Didymus ait, quasi ποδοκατέχη. *Vide Pitisci lexicon antiquitatum. Significat etiam ipsum carcerem :* Cives namque meliores et ditiores contumelia et injuriis afficiebat : alios indemnatos et injudicatos in cippo vilissimo concludens, *etc. Balderius. Vide Cangii Glossarium. Locum hunc Surius, præter morem suum, minus fideliter reddit :* Confestim igitur vinctus ita premebatur, ut nervorum tormentum oculus videre non posset : milites enim nervos miro artificio novisque rationibus connectebant : verum cum vincientium manus quievissent, dicto citius vincula sunt dissoluta. Quapropter milites indignati eum in carcerem conjecerunt et triplici compede constrinxere.

c *Vim igitur credebant antiqui inesse urinæ hominis ad dissolvenda maleficia. Saltem ita conjiciendum ex Actis nostris. Cæterum locus iste longe melius redditur apud Surium :* Tunc milites sublatum lotio conspergebant, dicentes : Maleficia tua nunc tibi non prosunt. Sed fœtoris loco, odoris suavitas est consecuta, non aliter quam si roseus liquor diffusus esset.

C d *Brevius meliusque Surius ex græco :* Vitulo igitur excoriato, ipsum in ejus pelle nu- F dum incluserunt et in sole collocarunt. Verum cutis ejus nihil est læsa, nec ullum Vir Dei sensit incommodum, quamvis totum diem in vehementiori calore ardentique sole permansisset.

e *Multa hic inseruntur actis latinis, quæ in Codd. Parisinis desunt. Pergit scilicet Claudius ad Chrysanthum loquens :* Nam omnes magos et hierofantas, et Chaldæos et ariolos et incantatores ego domui, et adhuc istam potentiam in maleficiis non inveni. Omnibus tamen imperans quod volui, eorum ad meos libitus inclinavi. Hunc te virum nobilem et sapientem ad hanc solam partem accepi, ut contempta superstitione christianæ temeritatis, de qua murmur romani populi et seditio excitata est, reddam te generi tuo, et diis omnipotentibus debita sacrificia clementer exhibeas. *Reperiuntur in apographo Vaticano :* Καὶ πάντας δὲ τούς μάγους, καὶ τοὺς φαρμάκους, καὶ ἐπαοιδούς ἐγὼ κατεδάμασα καὶ τοσαύτην δύναμιν ἐν μαγείαις οὐχ' ἑυρον, καὶ πάντων μὲν ἐκείνων κατεκράτησα, καὶ τὴν ἐκείνων πανουργιάν πρὸς τὸ εμόν ὑπεταζα θελήμα. Νυνι δὲ σε οἶδα ἄνδρα ἐμφανῆ καὶ σοφρὸν πρὸς τοῦτο δὲ μόνον τὸ πραγμα συνέλαβον, ἵνα ἀπολείπῃς τὸ τῶν χριστιανῶν τολμηρόν ἐπιτήδευμα δι' οὗ θρυλλος Ῥωμαίων καὶ στάσις γεγένηται, καὶ προσκυρώσεις ἑαυτόν τῳ γένει σου καὶ τοὺς παντοδυνάμοῖς θεοῖς τὰς ὁφολομένας ἐκτελέσῃς θυσίας *quæ apud Surium redduntur his verbis :* Omnes ego magos incantatoresque domui; nec ullam magiæ tantam potentiam inveni. Omnes a me victi sunt; omnis eorum malitia meæ cessit voluntati. Cæterum cum te videam virum præclarum et sapientem; non aliud abs te requiro, nisi ut audax deseras christianorum institutum, quo tumultus atque seditio in populo Romano excitantur, teque genere tuo dignum præbeas, et omnipotentibus diis debita facias sacrificia. *Qui fiat ut verba hæc in Coisliniano desiderentur, dicendo non sum.*

(1) Pag. 135.

f *Pericope*

A f *Pericope hæc non est in græco. Locus cæterum rectius vertitur a Surio :* Allatæ igitur sunt virgæ, quæ quidem in manibus militum erant admodum duræ, sed Viri sancti corpori admotæ, instar papyri molles factæ sunt. EX MSS.

g *Hoc loco, litteris paulo majoribus et ad normam tituli inseruntur in Vaticano sequentia :* Κλαυδίου τριβούνου ἐπιστροφὴ καὶ πασῆς τῆς οἰκίας αὐτοῦ καὶ στρατιωτῶν Claudii tribuni conversio, totiusque domus ejus et militum.

h *Verte potius cum Surio :* Quamobrem cum sinceritas in re et justitia et veritas appareat, *etc.*

i *In græco sic habetur :* Cum multis verbis eos instituisset, perduxit ad Christi fidem : nam credidit Claudius, *etc.*

k *Additur in actis nostris latinis sequens pericope, quæ deest in græcis nostris codicibus :* Verum quia longum est mirabilia quæ Deus per eos fecerit enarrare, rerum exitum intimemus. *Prætermittitur etiam a Surio. Hoc iterum loco inserit Vaticanus majusculis litteris :* Κλαυδίου τριβοῦνου μαρτύριον καὶ τῶν μετ'αὐτοῦ Claudii tribuni et sociorum ejus martyrium.

l *Vide Comm. Præv.*, § 1, *n.* 20.

m *Brevius ex græco apud Surium :* Et de omnibus militibus haberi quæstionem, ut qui abnegare Christum recusarent, capite plecterentur.

n *Alibi legitur* cuniculus, colliculus, conculus; *Surius habet :* Vetus monumentum.

o *Sic dicta a sale.* Sal, *inquit Plinius* (1), magna apud antiquos auctoritate ; sic apparet ex nomine Salariæ Viæ, quoniam illa salem in Sabinos portari convenerat. *Et notat Harduinus* (2) *ex Festo,* Salariam Viam incipere a porta quæ Collina, a Colle Quirinali, dicitur. *Postea, ut latius evolvam infra An. bb, hæc porta* Salaria *nuncupata est. Cæterum nostris etiam diebus habetur Romæ et porta et via quæ Salaria seu Salara vocantur.*

p *Ex his et sequentibus intelligitur, qui hi omnes simul commemorentur nonnullis in martyro-*
B *logiis. Conf. Comm. Præv.*, § 1, *n.* 4. E

q *Tria hæc verba* accepit sacramentum Domini *desunt in græco; et melior est versio Suriana :* Cum autem frequentius eum in locum ingrederetur Hilaria, Claudii uxor, a quibusdam comprehensa est. Quæ cum abstraheretur : Sinite me, inquit, precationem meam absolvere... Cum igitur flexis genibus expansisque manibus oculos in cælum sustulisset, *etc.*

r *Paulo brevius accuratiusque apud Surium :* Illæ vero diligenter sepelierunt, et super eam parvum monumentum ædificaverunt : erat enim locus ipsius (Hilariæ); et quia prope ipsum Sancti positi fuerant, ex eo tempore illic sibi domicilium constituerat.

s Tullianum, *pars erat carceris inferior, quæ etiam* Robur *vocata legitur. Hanc partem, a Tullio rege additam et hinc nomen suum sortitam, sic describit Sallustius* (3) : Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderis ad lævam, circiter viginti (*Pitiscus, in Lexico antiquitatum Romanarum verbo* Robur, *legit* duodecim) pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus juncta, sed inculta tenebris et odore fœda atque terribilis ejus facies. *In actis S. Petri agitur de* custodia *vel* carcere Mamertini, *ubi nunc invenitur* ædes *seu* ecclesia S. Petri in carcere, *atque teste Baronio* (4) subterraneos habens descensus, a christianis, statutis diebus præsertim IV Julii, religionis ergo, frequenti cœtu invisitur. *Desuper anno* 1539 *erecta a sodalitio Fabrorum lignariorum* ecclesia *in honorem S. Josephi, patroni sui, fuit. Addit Baronius, locum hunc* præ se ferre carceris illius speciem, *qui a Sallustio, Varrone et in actis sanctorum* Chrisanthi *et* Dariæ *describitur, unde* multi, *inquit,* in eam sententiam ducti sunt, ut opinati sint Tullianum carcerem illum ipsum esse, quem dicimus Mamertinum. *Ast* certe, *prosequitur,* sunt complura quæ me a prædictorum sententia distrahunt coguntque, ut existimem Tullianum carcerem in alia parte Capitolii (*id enim extra controversiam est, in Capitolina arce quærendum*) fuisse positum, juxta locum quem et majores nostri carcerem Tullianum dixisse reperiuntur, ubi et est
C ecclesia, antiquus titulus, dictus sancti Nicolai in carcere Tulliano, quod nomen hactenus F perseverat. *Ad hæc reponit Alexander Donatus* (5), *in romanis quidem antiquitatibus multa multos peccare, assumentes appellationes, quæ, cum apud imperitum vulgus invaluissent, a scribis etiam et scriptoribus, quin rem accuratius excuterent, fuere adhibitæ. Et plura citat exempla : sic* Neronis turris *et hodie apud populum confunditur cum* turri Mæcenatis ; *et* statuam equestrem M. Antonini vulgus ad hæc usque tempora Constantini esse voluit. *Deinde veterem refert Ugonius inscriptionem ex templo S. Nicolai, ubi titulus tantum* carceris *apponitur, dempta voce* Tullianus. *Hujus propositi non est pluribus hæc prosequi. Sufficiat notasse ex Pitisci Lexico Antiquitatum :* Acris inter antiquarios orta controversia est, utrum Tullianum ille ipse carcer (*Mamertini*) sit, an vero alter ad aream Montanariam, ubi ædes D. Nicolai in carcere est. Blondus, Volaterranus, Fulvius, Marlianus, Faunus, Panvinius aliique absque ulla hæsitatione carcerem affirmant Tullianum, a Servio Tullio auctore sic appellatum... eumdem esse qui in actis martyrum Carcer Mamertini vocatur, sub Capitolio situs; quam sententiam Hugonius de stationibus urbis Romæ, et eo recentior Donatus defendunt. Nihilominus quidam non magni nominis et auctoritatis contrarium statuit ; et illum Baronius ad Martyrol. Romanum ad diem XIV Martii, et in Apologia (*quam alteri ejusdem Martyrologii editioni inseruit*) contra Hugonium multis adductis defendit. *Attamen, ut ex Itinerariis Romanis facile conjicitur, hodie prævalet etiamnum in Urbe sententia Baronio adversa. Imo Platner et Bunsen, qui nuper præclaram* urbis Romæ descriptionem, *Germanico idiomate ediderunt, absque ulla dubitatione sic statuunt* (6) : Carcer antiquæ Romæ, Carcer Mamertinus seu Tullianus dictus, adhuc visitur ad pedes

(1) Hist. Nat., lib. XXI, cap. VII, tom. II, p. 561. Paris, 1741. — (2) Ibidem. — (3) Bellum Catilinarium. — (4) Martyrol. Roman., XIV Martii. — (5) De urbe Roma, lib. II, cap. XIX. Apud Grævium, tom. III, col. 623. — (6) Beschreibung der Stadt Rom., tom. III, sect. I, p. 259. Stuttgarten und Türingen 1837.

Capitolini

EX MSS. Capitolini montis, in ingressu Viæ Marforii (Vicus Mamertinus). Mutatus in ecclesiam, cui D
nomen S. Petrus in Carcere, est. *Sequitur dein minuta carceris Tulliani descriptio; additurque* (1), *præfatæ ædis S. Petri certam mentionem inveniri primum ante medium sæc.* XV. *Rursus de ecclesia S. Nicolai in Carcere* (2) : Antiquis Romanis diaconiis annumeratur. Ejus tamen mentio nulla est in Libro Pontificali. In quantum nobis constat, prima ejus notitia refertur ad annum 1100, quo, sub pontificatu Paschalis II, invenitur cardinalis Diaconus illius ecclesiæ. Nomen habet S. Nicolai in Carcere, ex vicina custodia, olim ab Appio Claudio decemviro ædificata, quam medio ævo confuderunt cum Mamertino seu Tulliano, et hinc dicta est S. Nicolai in carcere Tulliano. *Qui plura scire voluerit de hac quæstione adeat auctores citatos præsertim Platner et Bunsen.*

t *Causa hæc fætoris in Tulliano nuspiam apud probatiores auctores invenitur. Nec opus est ad talia recurrere : sufficiunt enim et ipse locus depressus, et sordes in eo congestæ et interclusus aer, ut fætor intolerabilis nasceretur.*

u *Tota carceris descriptio accuratius reddita est apud Surium :* At Numerianus imperator jussit Chrysanthum in carcere profundissimo custodiri, ut simul cum Daria variis (*potius* sed diversimode διαφόρως) cruciatibus afficeretur. Conjectus igitur est in carcerem Tulliauum, profundissimum (*addimus nos reliqua ad verbum*) cœnosum, plenum fœtoris, quod ibidem cloacæ decurrerent, et valde tenebrosum ; hic detinebatur Chrysanthus, vinculis constrictus et nudus.

v *Ex græco brevius verte cum Surio :* Dariæ vero leo, qui e stadio fugerat, auxilio fuit. Domum enim, ubi illa erat et supplex precabatur, ingressus sese in medio extendit.

x *Legitur in græco :* Adjuro te, ait sancta Daria, per Filium Dei, ut permittas illi audire sermonem meum.

y *Surius :* Leo autem, ipso relicto, fores observabat, ne quispiam alius introiret.

z *Multum hæc absunt a textu græco.* Cum autem audaces e stadio homines accessissent, ut
B leonem corriperent ; divina virtute leo singulos humi dejecit, detinebatque eos ante pedes E
sanctæ Dariæ, nihil eis mali faciens. *Ita Surius.*

aa *In græco :* Caput inclinans discessit leo, et per mediam transiens civitatem, neminem læsit.

bb *Antiquis unica erat via hujus nominis; postea bina fuit; distincta in* veterem *et* novam; *quæ distinctio occurrit in documentis christianis post ætatem persecutionum editis. Vide Boldetti* (3). In Via Salaria Veteri, *ut habet Mazzolari* (4), *quæ* exit a porta Pinciana, et ad sinistram procurrens radit villam collegii germanici, *cernuntur cœmiteria* ad clivum cucumeris, *item SS.* martyrum Hermetis, Basillæ, Proti et Hyacinthi, *etc. Via Salaria* nova, *ait rursus Mazzolari* (5), antiquum retinuit nomen, exitque a porta similiter *nominata* et protenditur versus pontem Salarium. *Teste Boldetti* (6), novæ *adjacent cœmiteria S. Antonii abbatis, SS. Saturnini et Trasonis; item cœmiterium SS. Felicitatis, Alexandri, Vitalis et Martialis, quod et* Jordanorum *appellatur vel* septem Virginum *vel denique SS.* Chrysanthi et Dariæ, nobilissimorum Romanorum (*id quidem secus : vidimus enim S.* Chrysanthum *certo Alexandria, S.* Dariam *potius Athenis oriundam*) eo loci martyrio *coronatorum; denique cœmiterium S. Priscillæ, quod cæteris magnitudine præstat, ut illa non raro ad hoc referantur. Paulo aliter laudatus Mazzolari l. c. :* Novæ *adjacent* cœmiteria Priscillæ, S. Sylvestri papæ, S. Felicitatis et SS. Alexandri, *etc.* ; SS. Chrysanthi et Dariæ, Novellæ, Ostriani, S. Hilariæ, SS. Trasonis et Saturnini. *Ex his intelligitur qui fieri potuerit ut S. Saturninus una cum SS.* Chrysantho et Daria *alicubi celebrentur. Sic in breviario Ratisbonensi, quod mihi ad manus est, typis excusum anno* 1496, *legitur die* XXX *Octobris :* In festivitate sanctorum Saturnini, Crisanti, Mauri et Dariæ. *Officium est de Communi præter Orationem et Evangelium, desumptum ex Joannis, cap.* I : Stabat Joannes et ex discipulis ejus duo, *etc., cum homilia venerabilis Bedæ :* Ecce enim, narrante Evangelio, fratres charissimi, audivimus, quia stabat Johannes, *etc. Oratio hæc est :* Beatorum martyrum tuorum,
C Domine, Saturnini, Crisanti, Mauri et Dariæ, nobis assit oratio, ut quos digno veneramur F
obsequio, pio (*pios*) jugiter experiamur auxilio. Per. *Cæterum in martyrologio Romano occurrit præfato die :* Caralis in Sardinia sancti Saturnini martyris, qui in persecutione Diocletiani sub Barbaro præside capite truncatus est. *Sed et alii plures* Saturnini *eodem in martyrologio signantur diversis diebus, diversisque in locis. Ut autem ad* Viam Salariam *redeamus, dictum supra est illam incepisse a porta, quæ primum* Agonensis *sive a ludis* Agonensibus *sive a montibus quos* Agones *dicebant; dein* Quirinalis, *quod ea in collem* Quirinalem *iretur, sive quod proximum esset* Quirini *sacellum; postea* Collina *a* Collibus *Quirinali, Esquilino et Viminali; denique posterioribus temporibus* Salaria, *a via cui imposita erat, dici cœpit. Confer Panvinium apud Grævium* (7). Ad portam Collinam *erat* Campus Sceleratus (8), *de quo supra aliquid innui. Annot. ad cap.* I, *lit. m. Addo ex Bartholomæo Marliano* (9) : Campus Sceleratus, in quo vestales incesti reæ vivæ defodiebantur, totum id spatii obtinuit, quod a Sallustii hortis ad portam Collinam fere usque protenditur ; de quo Livius sic inquit : « Minucia vestalis, facto judicio, viva sub terra, ad portam Collinam, dextera via strata defossa Scelerato Campo. » *Locus proinde ubi passi sunt SS.* Chrysanthus *et* Daria *potuit spectare ad* Campum Sceleratum *vel esse ejus partem. Non tamen putem ex eo vel minimum probari S.* Dariam *de numero virginum vestalium fuisse. Confer Annotata ad cap.* I, *lit. m.*

cc *Ex græco sic vertendum :* Et foveam fodi, et utrumque eo dejici, atque lapidibus et terra obrui.

(1) Beschreibung der Stadt Rom., tom. III, sect. I, p. 261 et seq. — (2) Ibid., tom. III, sect. III, p. 474. — (3) Osservazioni sopra i cimiteri, lib. II, cap. XVII. — (4) Vie Sagre. Diario, tom. V, p. 409. Romæ 1820. — (5) Ibid. pag. 385. — (6) Ubi supra. — (7) Antiquitt. Romm. tom. III, col. 243. — (8) Ibid., col. 291. — (9) Ibid., col. 162.

A dd Facti sunt in passione — sine fine viventes. *Ex græco ad litteram :* Et fuit eis societas martyrii et sepulturæ et supplicium indivisum; et quemadmodum fuerant in præsenti vita conjuges spirituales, sic et transmigrationem nacti concorditer sunt. Suscepit autem eos Deus hostiam viventem, et unanimiter ipsi coronas acceperunt. EX MSS.

ee Zabulum *vel* sabulo *idem quod* arena.

ff Τὸν Στέφανον τοῦ μαρτυρίου ἀπειλήφασι, *his verbis explicit apographum nostrum Vaticanum, nisi quod addatur clausula doxologica, quam partim tantum legere licuit, cum folia transumpti versus finem corrosa et lacera sint et lineæ pleræque exinde dimidiatæ.*

gg *Vide Comm. Præv., n.* 12 *et* 24.

hh *Conf. Comm. Præv.* § II, *n.* 24. *Solum paragraphum adscribo ex Surio, qui multo propius, ut solet, accedit ad textum græcum :* Porro cum Dei gratia multæ virtutes et curationes eo in loco fierent, et solemnis martyrii ipsorum dies ab incredibili virorum et feminarum et puerorum multitudine celebraretur in specu quodam propinquo; Numerianus, audita re, speluncæ os atque aditum obstrui jussit. Quod quidem celeriter factum est. Cumque undique terra demitteretur, omnes divinorum mysteriorum communionem suscipientes, martyrii coronam summo cum gaudio perceperunt; inter quos erat presbyter Diodorus, Marianus diaconus et clerici, atque alii quam plurimi fideles, quorum (*numerum et*) nomina conquirere supervacaneum ducimus, cum reperiri nequeant.

ii *In codice Coisliniano solus* Varinus *nominatur, et verbum singulari numero ponitur :* ἀνεγραψάμην ἐγὼ Ουιρῖνος scripsi ego Virinus. *Ast ambo nominantur in codice Colbertino :* ἀνεγραψάμεθα Οὐηρῖνος καὶ Ἀρμενίος ἀδελφοὶ scripsimus Verinus et Armenius fratres; *hanc lectionem sequitur Surius :* Hæc autem omnia, ut gesta sunt, nos Verinus et Armenius fratres conscripsimus. *Quod sane indicio est, Surium ita reperisse. Si tamen res dijudicanda esset ex nostris duobus codicibus, utique standum foret Coisliniano, qui longe præstat Colbertino.*

B kk *Hic enimvero locus vel plane corruptus vel prorsus vitiosus est. In græco Coislin. habetur :* Scripsi ego Virinus desiderio (voluntati) obtemperans Stephani, papæ sanctissimi. *Consonat Surius :* Conscripsimus, jussu sanctissimi papæ Stephani. *Conf. supra lit.* ii. *Unde sua* (*eadem habet etiam Mombritius*) *deprompserit latinorum auctor actorum, non facile dixerim. Vestigia quædam reperio in codice Colbertino, cujus hæc lectio est :* Ταῦτα καθὼς ἐπράχθησαν ανεγραψάμεθα Οὐηρῖνος καὶ Ἀρμένιος ἀδελφοὶ παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου Στεφάνου πάππα Ῥώμης ἐπὶ τῆς καθέδρας αὐτοῦ καὶ τοῦ πρεσβυτερίου, καὶ ἀπεστείλαμεν, *etc.* Hæc prout facta sunt scripsimus Verinus et Armenius fratres, mandato sanctissimi Stephani papæ urbis Romæ sedentis in cathedra sua, et (item mandato) presbyterii, et misimus, *etc. Sic locus verti potest; quamvis non clare videam quid sibi velint :* ἐπὶ τῆς καθέδρας αὐτοῦ. *Utut tamen est, numquam ex græco textu etiam isto, poterit quis extundere viros illos* factos presbyteros a Stephano Romano pontifice. E

Il *In græco :* Et circumjacentibus (Ταῖς πέριξ) civitatibus misi, ut possint omnes cognoscere quæ ad sanctos hosce Martyres spectant, et glorificent Christum qui eos in præclara et veneranda confessione coronavit; cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. *Codex Colbertinus ita habet :* καὶ ἀπεστείλαμεν εἰς τὰς πέριξ πόλεις, ὅπως γνῶσιν ἅπαντες ὅτι τοὺς ἑαυτοῦ μάρτυρας ὑήσιν (*sic*) Χρυσάνθου καὶ Δαρείας σὺν πολλοῖς τέκνοις διὰ τῆς ἀθλήσεως καὶ στεφάνων τοῦ μαρτυρίου προεδέξατο εἰς τὴν αὐτοῦ βασιλείαν, ᾧ ἡ δοξα κ. τ. λ. *Hanc lectionem secutus est noster interpres, sicut etiam Surius :* Et in omnes civitates misimus, ut omnes intelligerent sanctos martyres Chrysanthum et Dariam (*cum multis filiis*) a Domino martyrii præmium in cœlesti regno percepisse: cui gloria et imperium, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ALTERA ACTA BREVIORA.

C

CRISANTI ET DARIE

a MARTYRIUM *a.*

Ex. Cod. R. Vatic., n. 529 (589?), *p.* 99.

Eo tempore Numerianus imperator jussit Celerino præfecto, ut Chrisantum et Dariam virginem, si non consenserint sacrificiis, diversis tormentorum cruciatibus puniret. Set cum cogeret eos Celerinus ad sacrificandum, et diversa diceret et audiret; jussit sanctum Chrisantum equuleo ingenti suspendi; cumque imponeretur equuleo Chrisantus ligna omnia equulei comminuta sunt, vincula vero universa disrupta sunt; lampades quoque, que erant lateribus ejus applicande extincte sunt. Tunc beatissimus Chrisantus cum beata Virgine deponuntur in foveam psalmis et orationibus insistentes. Et facta est in passione societas sanguinis sicut fuerat mentis; et quasi conjuges in uno lectulo, ita in una fovea cum una voluntate durantes defuncti sunt. Talis fuit passio, que magis sepulturam Dei famulis intulit, quam penam ingessit. Accepit autem Deus hostiam viventem, cujus gratia hoc factum est, ut qui simul erant in virginitate durantes, simul contingerent ad coronam. Set cum multa beneficia Deus venientibus ad eorum sepulcra prestaret, venit*, ut die natalis eorum infinita populi multitudo concurreret; viri simul et mulieres, pariter et infantes et innupte puelle et juvenes. Hoc cum fuisset Numeriani auribus intimatum, jussit ut in ipso introitu, quo criptam ingressi fuerant, paries levaretur. Quod cum fuisset impletum desuper ad Sablonem super eos montem dejecit. Omnes ergo pariter dum communionis Sacramenta perciperent et Martyrum gloriam celebrarent, ipsi quoque ad coronam martyrii pervenerunt. F

* *evenit.*

ANNOTATUM.

a *Sunt eadem verba ac in Actis prolixioribus; ut evidens sit altera ex alteris fuisse concinnata.*

Actorum

EX VARIIS. *Actorum* cum exemplaria, *inquit Baronius* (1), complura legerimus, illa fideliora reperimus, quæ breviora latine conscripta habentur. *Num nostra hæc vidit et respicit? Minus dubitarem si in his mentio fieret* Diodori *et* Mariani, *quorum meminit Baronius : ast nullum de duobus istis Martyribus verbum. Lectiones breviarii romani nostri ex prolixioribus Actis contractæ sunt.*

SYNAXARION

(EX MENÆIS IMPRESSIS XIX MARTII)

SS. CHRYSANTHUS ET DARIA *a*.

a Hi vivebant sub Numeriano rege (βασιλέως). Erat autem Chrysanthus filius viri illustris, *b* nomine Polemonis *b*, Alexandrini; Daria vero Athenis oriunda. Postquam Chrysanthus a quodam Christiano divina edoctus fuisset, et baptismo accepto, libere Christum prædicaret, B a patre in custodiam datus est. Cum autem non cederet, sed firmus et inconcussus permaneret, ei junxit pater puellam formosam in flore ætatis constitutam, quam Athenis arcesserat, Dariam nomine, ut hujus amore a fide Christianorum abduceretur. At illa non modo eum non persuasit, sed ipsa persuasa fuit, atque, abjurata impietate, sanctum suscepit baptismum, et ab utroque servata virginitas est illæsa. Quare accusati apud Celerinum præfectum, traduntur Claudio tribuno examinandi. Qui variis cruciatibus eos affecit : quibus cum eos superstites atque animo quibusvis supliciis superiores videret, mutatus ipse in Christum credidit una cum uxore sua Hilaria et duobus filiis Jasone et Mauro et militibus, qui sub ipso erant, qui omnes postea martyrii coronam acceperunt die XIX Martii. Et Claudius quidem saxo alligatus in profundum dejectus atque mersus est; ejus vero filii cum militibus capite plexi vitam finierunt; *c* sanctus vero Chrysanthus et Daria in foveam *c* projecti, et desuper congesta terra sepulti sunt, ubi et martyrii palmam acceperunt.

C

ANNOTATA.

a *Vide Comm. Præv.* § I, *n.* 2.

b *Alibi dicitur constanter* Polemius; *solum hic appellatur* Polemon ὀνόματι Πολέμωνος.

c Βόθρον.

CARMEN

a DE SS. CHRYSANTHO ET DARIA *a*.

(Ex Patrologia Migne, tom. LXXIV, *col.* 527 *et seqq.)*

Nec meminisse moror præconia clara Chrysanthi,
Quem merito mundus famosa laude frequentat.
b Hunc igitur genitor florentem tempore proto *b*
Tradidit in vestem *c* rhetorum sub sorte magistris, *c*
Ut puer indolis *d* librorum disceret artes, *d*
Quas mundana colit stolido sapientia sensu.
Qui fuit, ut fertur, donatus mente sagaci,
Ardens ingenio et prudens, ac pectore pubes.
Posthac inlustris cum sacra volumina lector
Auribus hausisset cœlesti grammate scripta,
Protinus antiquæ contemnens dogmata sectæ,
Falso * vetustarum calcavit frivola legum, * *falsa?*
Et dicto citius nactus rudimenta fidei *e*, *e*
Flagitium sceleris baptismi deluit unda.
Mox publice Christum paganis prædicat ultro,
Dira superbarum spernens tormenta minarum.
Tum genitor sobolem, naturæ jura resolvens,
Truserat in tenebras conclusi carceris atras,
Magnopere metuens fisci decreta nefandi;
Insuper et capital *f* tremulus formidat acerbum. *f*
Sed cum mens juvenis ferret tormenta libenter,
Mox aliter genitor concinnans machina *g* scenam, *g* E
Lubrica mundanis admovit gaudia pompis,
Serica purpureis præbens velamina peplis,
Quæ moritura facit festo viscere bombix,
Induit egregium pretiosa et veste nitente.
Tunc jussu patris convivia larga puellæ
Deliciasque ferunt epulis luxusque culinæ,
Vestibus ornatæ variis et fronte venusta,
Talibus ut pompis miles mollesceret audax,
Ferrea quis * crebro cedunt præcordia virum. *quibus.*
Sed tamen armatus Christi testudine tyro
Oscula virgineis despexit lubrica labris,
Nec penetrare sinit stuprorum spicula pectus,
Sed procul excussit jaculatas fraude sagittas.
Non secus ut cecinit sponsali carmine vates *h*. *h*
Dulcia sed Christi leniscunt labra labellis,
Mellea tunc roseis nigrescunt labra labellis.
Venit ad extremum virgo certamen adulta,
Daria Vestalis formosa fronte rubescens,
Aurea cum glaucis quam comit lunula gemmis.
Nititur hæc juvenem muneris *i* constringere *i*
nexu,
Quatinus ad thalami flectat connubia mentem.
Hæc falerata *k* fuit facundis freta loquelis; *k*
Denique diserti stupuerunt forte magistri
Virginis ingenium biblorum *l* famine fultum : *l*
Nempe tenax scripti fuerat veloxque legendi.
Sed secus evenit fortunæ casus opacæ.
Dum pius obposuit fatis contraria fata,
Daria quæ dudum servabat numina Vestæ *m*, *m*
Credidit Altithrono, cœli qui sceptra gubernat,
Facundi Virgo verbis conversa Chrysanti.
Tunc simulata thori fingunt consortia fata,
Moribus et castis vivunt concorditer ambo,
Ut spurcum penitus vitarent pectore nævum,
Et maculam ventris pullam de corde fugassent.
Post hæc baptismi sacris tingitur undis,
Quatinus exuvias spoliaret mente vetustas,
Et nova de liquido sumatur gurgite lodix *n*. *n*
Tum Virgo veterum sprevit documenta librorum,
Et sequitur Christi quadratis dogmata biblis.

(1) Annal., tom. III, p. 232. Ad an. 284. Lucæ, 1738.

Quis

A Quis poterit vulgi tantas numerare catervas,
Quantas exemplis egerunt credere Christo?
Traditur idcirco pœnis torquendus acerbis,
o Septuaginta viris quem denso milite servant *o*
Herculis in fano, ni forsan thura litaret.
Tunc miles cœpit dirus vexare negantem
Athletam Domini, fretum virtute superna,
Udis et crudis nervorum nexibus angens,
p Torrida flammantis laturum caumata *p* solis.
Sed puncto citius laxantur lora lacertis,
Omnipotente Deo restes solvente nefandos.
Ecce sudes iterum cipporum vincula cludunt,
Cruraque cum rigidis nectebant turgida lignis.
Ex templo cippum fundit Regnator Olympi,
Quamvis hunc stolidi cecata mente ligarent.
Lotia tunc lictor crudelis spargere jussit,
Sacros humectans artus fœtore putenti :
Qui liquor, ut dicunt, atrum fantasma fugabat
Dum vernam Domini sperat nicromantia fretum,
Sed putor ambrosiam flagrabat nectare suavi.
q Exin tortores bucula de globo rebyrsa *q*
B Mandant ut crudo stringantur tergore membra
Marthyris, ardentem passuri lumine solem.
Torrida sed Titan compressit fulmina fervens,
* *feriant?* Ut nulla insontis ferant * incendia membra.
Tum reciproca concludunt ergastula Sanctum;
Arta catenarum constringunt vincla lacertos,
Nec non et collum nectunt cum crure gemello.
Ecce repente pius nodatos Arbiter artus
Eripit et chalibis mox stricta ligamina rumpit.
Porro cum Sanctum nodoso vimine miles
Cederet infaustus rubro qui sanguine gaudet,
Sed mirum dictu, sceptrorum flagra beatus
Ictibus argutis Martyr non sensit acerba.
Quin immo ut plumæ mollescunt vimina Sancto,
Ceu viridis lentescit lene papyrus in amne :
Claudius insignis compunctus credidit ultro,
Septuaginta viros convertens dogmate claro
Fecit baptismo purgari gurgite mersos;
Quapropter rubro perfusos sanguinis ostro
* *ad* Miles Ada * ethereum faustus perduxit Olympum,
Quos simul obstrinxit felix spelunca sepultos,
Lucida perpetuæ visuros præmia vitæ.
His convexa poli merito lustrantibus alto
Daria cum duro patitur tormenta Chrysanto.
Impiger ast ille strictus molimine ferri,
r Truditur in tenebras laturus *r* carceris atras,
Lurida quo putidis fluxerunt stercora cryptis;
Nectare sed fœtor cedit ceu luce latebræ.
Traditur interea et sceleratis Daria scortis,
Prostibulum mechæ penetrans sine crimine sevo;
Sed leo de claustris rugibundus mittitur arctis
Virgineos artus tutos servare puellæ.
Si quisquam cuperet sacrum temerare pudorem,
Gestibus obscœnis contractans corpus honestum,
s Arcam ceu quondam probrosus contigit Oza *s*,
Protinus oppeteret confusus fronte petulcus,
Rictibus et rabidi conrosus dente leonis
Ultricem pœnam sentiret morte ferina.
Tum demum Augusti, qui Romæ regna regebat,
Decreto rubras sumpserunt morte coronas,
Et simul in cripta pausant sabulone sepulti,
Quos simul in vita vexavit pœna cruenta.
Credimus ut faustis glomeratos jure catervis
De gremio tumuli, cum tellus sponte dehiscet,
Et genus humanum tumbis emerserit atris
Suscitet ad requiem mundum hunc qui laxat habenis.

ANNOTATA.

a *Vide Comm. Præv. n.* 19.

b *Id est* primo *a græco* πρῶτος.

c *Non mirarer* vestem *hic adhiberi sensu, quo apud Du Cange in Glossario legitur :* de vestibus et familia alicujus reputari.

d Puer indolis *forte pro* indolus ἄδολος sine dolo, sincerus. *Nisi velit auctor dicere* puerum indole præclara præditum; *quod non esset quidem valde latinum, sed a more scriptoris nostri non ita alienum, ut in sequentibus satis elucebit.* E

e Fidei, *versus peccat, cum media syllaba sit brevis.*

f Capital, *proprie dicitur* crimen quod capitis meretur supplicium.

g Machina, *cum sit in casu ablativo syllaba ultima fit longa.*

h *Quis vates ille sit, non mihi constat, forte Catullus.*

i Muneris sui aliquem facere *idem est ac* bene mereri de aliquo. *Putem hoc sensu sumenda verba* juvenem muneris constringere nexu : *erat enim* Daria *jam inde a principio in* Chrysanthum *benevola. Rursus peccatur in prosodiam : mūnĕrīs.*

k Phalerata (*puella*) *id est ornata phaleris : Sunt autem* Phaleræ *proprie* ornamenta equorum, *item et* equitum nobilium; *hinc etiam* muliebres ornatus. *Vide Stephani Thesaumum.*

l *Proprie Biblus,* Βιβλός *juncum significat et codicem quibus veteres in scribendo uti consueverant. Vide Stephanum.* F

m Vestæ. *Vide Comm. Præv. n.* 9 *et Annotata, c.* I, *lit. m.*

n Lodix *proprie est* operimentum lecti. *Hic sumitur pro veste candida, quo baptizati induebantur.*

o *Confer Acta prolixiora nostra, cap.* II, *n.* 13 *et seqq.*

p Caumata *a græco* καῦμα, æstus, ardor.

q *Versus iste manifeste refertur ad genus supplicii, de quo in Actis n.* 16 : Excoriaverunt vitulum et corio recenti cingunt eum (Chrysanthum) et posuerunt eum ud solem *etc. Voces proinde :* Bucula, rebyrsa (*quarum prior probe latina est, posterior barbara*) *significant :* Bucula *seu vitulo* excoriata, *in casu nempe ablativo. Deducitur autem* rebyrsa *a* βύρσα, *latine* corium detractum, pellis. *Nisi* rebyrsa *nomen dicatur, et* Bucula *adjectivum* (*sed hoc sensu utraque vox barbara*). *Denique* Globo, *idem est ac* Grege. *Versus iterum claudicat.*

(1) Migne, Patrologia, tom. LXXXIII, col. 1569.

EX MABILLONIO ET MSS.

r Laturus *subauditur vox* pœnas *vel simile quid.*

s Oza, *de quo lib.* II *Regum :* Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei et tenuit eam; quoniam calcitrabant boves et declinaverunt eam; iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate; qui mortuus est ibi juxta arcam Dei. *Cap.* VI, ℣ 6 *et* 7. *Non magna intercedit similitudo inter Ozam* temerarium *et sceleratum turpemque stupratorem.*

HISTORIA

TRANSLATIONIS RELIQUIARUM

MARTYRUM SANCTORUM

CHRYSANTI ET DARIÆ *a*

EX URBE ROMA IN GALLIAM *b*.

(Ex Actis SS. Ord. S. Benedicti, Sæc. IV, *Part.* I, *pag.* 611 *et seqq. et pluribus mss. nostris.)*

CAPUT I.

SS. Reliquiarum translatio.

Marcwardus abbas Romam advectus

Expleta sanctorum Martyrum passione, non absurdum videtur cupientibus scire, quemadmodum vel quibus auctoribus ab urbe Romana in Galliam translata sunt corpora, certaminis eorum adnectendum libello. Igitur anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLIII, imperante Hlotario Augusto, filio serenissimi imperatoris Hludovici *c,* Marcwardus *d* Abba Prumiæ monasterii Romam ire disponens, memorati principis impetravit licentiam et epistolas ad pontificem sedis apostolicæ Gregorium *e,* in quibus regia conveniebatur auctoritate, ut alicujus præclarissimi martyris corpus ei dari deberet famæ celebrioris, de cujus passione ac veneratione nullus fidelium posset ambigere. Arrepto namque jam itinere, cum comperisset antedictum Papam obisse Gregorium, aliumque pro eo constitutum nomine Sergium *f;* missa ad imperatorem relatione, receptisque mox ad nuper creatum antistitem mandatis, tandem post longa itineris spatia Romam ingreditur.

c d

e

f

accipit corpora SS. Chrysanthi *et* Dariæ,

2 Susceptus denique honorifice ab apostolico Papa, epistolas ei regias tradidit. Ille jussis imperialibus ejusqus petitionibus favorabiliter in omnibus annuens, spopondit se cuncta facturum quæ suggesserat. Post hæc misit ei per Marinum episcopum librum sanctorum continentem passiones, jussitque passionem sancti Chrysanti et Dariæ litteris tradere, pollicitus eorum corpora se ei daturum. Constituta itaque die ad Lateranensem properat ecclesiam *g*. Cumque jussus ad Romanum ingressus fuisset Pontificem, positis in

g

locello super altare corporibus, atque ex utraque parte stantibus clericorum ordinibus et canentibus, tradidit ei cum summa veneratione et honore præfatorum Martyrum corpora, sub invocatione nominis Domini præcipiens eum circa venerationem eorum intendere, quo uterque Dei omnipotentis offensam possit effugere : ipse quidem quod dederit, ille vero quod datis debitam non providerit venerationem. Tradidit ei quoque reliquias XLVI sanctorum Martyrum, ac præcepit in tumulo eas memoratorum recondi Sanctorum. Susceptis itaque cum summa veneratione corporibus, omnes præcipitans moras maturavit profectionem. D

quæ Prumiam transfert

3 Omnibus igitur incolumibus, quinquagesimo die postquam ab Urbe gressum extulerant, in possessionem veniunt monasterii, videlicet in cellam sancti Goaris *h* : ubi per biduum commoratus, ordinatis fratribus cum venerandis corporibus præmittit eos ad Prumiam monasterium, quorum fratres adventu comperto, cum maxima gratulatione sacris induti festinant occurrere cum candelabris et crucibus. Quæ vero in hoc spatio itineris miracula Deus ad ostendenda Sanctorum suorum merita declaraverit, translatione eorum peracta, expediam. Cum ingenti itaque devotione et gaudio susceptis Sanctorum reliquiis, omnibusque quæ tempori congruebant canentibus, IIII Nonas *i* Julii deferunt eas in Prumiam monasterium; jacueruntque in eo quo delata fuerant feretro ad dexteram altaris usque XI Kalendarum *k* Novembrium die, scilicet quousque pars quædam antiqui templi complanata in spatium prolixius extenderetur, tumulo dignus conderetur. E

h

i

k

atque hinc ad Eiffliæ monasterium.

4 Quo expleto tempore memorata die translata sunt Sanctorum corpora et ab episcopo Theganberto *l* admodum religioso VIII Kalendarum Novembrium *m,* videlicet passionis eorum die, in loco quo nunc venerantur, scilicet in possessione sancti Salvatoris, in cella quæ Novum-Monasterium *n* vocatur, cum summo honore omniumque gratulatione tumulata, ubi nunc eorum intercessionibus ad laudem sui nominis orantes Christus exaudit, sicut ex subjectis comprobatur miraculis. Sed antequam illa quæ post eorum tumulationem acta sunt miracula proferantur, ea quæ paullo superius promisimus, reddenda prius in initio videntur. F

l

m

n

ANNOTATA.

a *In nostro codice ms. titulus est, sed aliena manu exaratus :* Liber secundus translationem eorum (*SS. Corporum*) continens; scriptus, ni fallor, ab aliquo Prumiensi monacho, qui ipsi Translationi præsens interfuit. *Vide Comm. Præv.* § *I, ubi de auctore hujus historiæ diximus. Incipit :* Expleta sanctorum martyrum passione (*quæ libro primo continetur*), non omittenda sensuimus, quæ de eisdem in libro beati Gregorii Turonensis, qui Miraculorum inscribitur, reperimus. *Et recitatur locus ex Gregorio, quem vide supra Comm. Præv.*, § *I, n.* 7. *Atque hæc capite* I. *Secundum orditur auctor historiæ his verbis :* Nunc quoque absurdum non est consequenter scribere, quemadmodum vel quibus auctoribus, ab urbe Romana in Galliam

A Galliam translata sint eorum corpora, ac certaminis illorum libello annectere. Igitur anno Dominicæ, *etc.*

b *Circumscripta erat Gallia Transalpina, Oceanum inter et Rhenum, Alpes, mare Mediterraneum et Pyrenæos montes.*

c *Qui dictus est Pius et Caroli Magni filius erat.*

d *Vide Comm. Præv.*, § II, *n.* 27 *et seqq.*

e *Hujus nominis IV, cujus mortem Pagius, contra quosdam alios præcedenti anno illam innectentes, contendit ponendam die* XXV *Januarii* 844, *quod et ex historia hujus Translationis apprime confirmatur.*

f *Sergium II, quem alii die* XXVII *Januarii, alii die* X *Februar. præfati anni* 844, *cathedram S. Petri conscendisse volunt.*

g *Confer Comm. Præv. n.* 26.

h *Cella S. Goaris ad Rhenum sita, in diœcesi Trevirensi, abbatiæ Prumiensi subdita erat. Vide Acta SS. Ord. S. Benedicti, ubi vita S. Goaris reperitur auctore Wandelberto.*

i *Id est die* IV *Julii.*

k *Id est* XXII *Octobris.*

B l *Imo Thegano, chorepiscopo Trevirensi, ut diximus Comm. Præv.*, § II, *n.* 28.

m *Die* XXV *Octobris.*

n *Quod originem dedit oppido, dicto Monasterium Eifflіæ* Münstereiffel, *hodie in archidiœcesi Coloniensi. Vide Comm. Præv.*, § II, *n.* 30, *ubi emendandum demonstravimus Mabillonium, qui* Novum-Monasterium *confudit cum monasterio sancti Naboris in agro Divodurensi seu Mettensi. Huc spectat Lectio VI. Proprii Coloniensis anni* 1828, *quam reperies Comm. Præv.*, § VI, *n.* 71.

CAPUT II.

Miracula quæ in translatione et post eam contigerunt.

Mulier renum dolore vexata sanatur;

Igitur cum ab Italia digressi ab basilicam beati Goaris gressum dirigerent, femina quædam non ignota civibus suis, cum nimio renium (*sic*) teneretur dolore, audito Sanctorum adventu petiit se eorum obviam duci. Cumque C hinc inde a duobus sustentata, vix ad locum pervenisset; mox ut tetigit feretrum quo sancta vehebantur membra, omnis ita fugatus est dolor, ut omnibus inspicientibus libero ante gestatorium gressu curreret. Hæc prima nobis Sanctorum enituit virtus : licet fidelis post viri relatione comperissem, adhuc nobis in Italia positis, simili modo eorum orationibus quamdam feminam contractam fuisse erectam.

altera mulier cum ancilla liberatur,

6 Femina quædam erat non ignobilis, uxor cujusdam Waningi nomine, cujus pedes et crura ita intumuerant, ut pæne lecto detineretur. Hæc audita opinione Sanctorum, subvectione equi obsequentiumque adminiculo obviam ducta, vix tacto feretro ita sana effecta est, ut per totum montem, cujus in illis locis nimia asperitas et altitudo est, una esset ex gestantibus feretrum. Postero autem die, cum Missarum sollemnia celebrarentur, ancillula memoratæ feminæ inter Missarum celebrationem ita contracta est, ut quæ pedibus venerat, alterius manibus tolleretur, ignoramus tamen quid causæ fuerit. Opinio vero fuit, quod servitium recusaverit Sanctorum, volens eam domina sua illis delegare. Postea denique cum triduum in eadem ecclesia ubi contracta est faceret, atque pro ea oratum esset; orationibus Sanctorum restituta est sanitati, itemque cum domum reverteretur, contracta est, iterumque virtute sanctorum Martyrum priorem recepit valitudinem. EX MABILLONIO ET MSS.

item tertia;

7 Item femina quædam, cum ita membrorum debilitate contracta teneretur, ut vehiculo duceretur, rogavit se obviam duci Sanctorum. Hæc orationibus eorum ita salva surrexit, ut propriis firmata gressibus incederet.

vir a morte ereptus;

8 Cum vero jam decerneremus in locum, ubi nunc adorantur, Sanctorum deduci corpora; multitudo innumerabilis processit mundare vias, per quas reliquiæ deducendæ erant Martyrum. Cum igitur quædam succideretur arbor, quidam non præcavens casum, cecidit super eum. Cum itaque putaretur mortuus, amota arbore, ut credimus orationibus Sanctorum, ita incolumis repertus est, ac si nil pertulisset læsionis. E

surdo restituitur auditus,

9 Jam vero tumulatis beatis Martyribus, quidam illuc veniens, cujus aures perpetuæ surditatis tumor obtinuerat, cum Sanctorum ibidem præstolaretur devotus suffragium; sanctissimis eorum meritis auditum diu sibi denegatum recipere meruit.

alteri brachium,

10 Item quidam debilis brachio, ita ut ab humero deorsum penderet aridum, præterea surditate damnatus; cum ad Sanctorum sepulcrum cum fide accederet, et bracchium pristinum recognovit officium, et obstructæ aures auditum recepere.

et rursus alteri brachium et manus.

11 Alius quidam fuit qui ita manum cum brachio debilem habebat, ut semper deorsum pendens omnibus corporis officiis redderetur inutilis. Hic fasciculum lini manui innexum aridæ cum ad memoriam (ut oportebat) venisset Martyrum, atque super altare poneret, protinus a rigiditate sua resolutum prior rediit virtus.

Mulier irreverentiæ suæ pœnas luit; F

12 Quædam item femina cupiens Deo et sanctis Martyribus illic servientibus, subsidiis corporalibus subvenire, onustum plaustrum cum pane et potu, aliisque necessariis secum ducens, ad locum properabat. Verum cum jam in proximo esset, præcessit plaustrum. Cumque sepulcrum minime auro vel argento cerneret fulgere; ut stolidæ et inreligiosæ solent mentes, despexit et inrisit locum : atque suorum obviam concito reversa gradu, jussit eos qua venerant redire, dicens nihil ibi sanctitatis contineri. Tunc multione * Sanctorum carum * confractum est, potusque diffusus, atque omnia superposita ita dispersa sunt, ut nullo usui apta redderentur. Ipsa denique tertia die ob vindictam contemtus mortis pœna multata est.

* *multatione* id est *carrum* seu *plaustrum.*

alia a scabie sanatur,

13 Alia item femina cum valida scabie omni premeretur corpore, adeo ut lepra putaretur, sed etiam diutino morbo lecto teneretur, præterea neque medicorum ulla potuisset arte curari, hæc cum audisset a vicinis cereum in honore Martyrum fieri, accensa fide particulam ceræ coemtam, fecit in eodem misceri cereo. Cum itaque cereus ad sepulcrum delatus fuisset Martyrum, mirum in modum, mox ut

EX MABILLONIO ET MSS.

ut igni accensus est, sensit ægra longe posita virtutem, atque e strato surgens pristinam recepit corporis sanitatem.

altera a digitorum debilitate,

14 Item alia inclusos digitos atque rigidos habens, admonita divinitus ut ad memoriam properaret Sanctorum, fide ducta, ad locum ita sana reversa est, ac si nihil umquam læsionis pertulisset.

uxor viri cujusdam nobilis plexa.

15 Quidam nobilis vir amore ductus Sanctorum volebat locum adire. Hic conjugem suam hortatus ut secum pergeret; illa e contra aspernata dixit, se potius ad opera sua pergere : nam non esse verum quod fama vulgaverat. Ille quidem cœptam perficiens voluntatem, illa vero in sua manens perfidia, cum ad locum properaret destinatum, equo dejecta brachium fregit, ut hactenus ita manens nulla possit medicina curari.

Puerulus sanatus;

16 Quidam puerulus ita claudus ab utero exstitit matris, ut nativitas gressum negaret. Hic cum humeris matris fide ad tumulum tolleretur Sanctorum, ita sanctissimis Martyrum meritis sanatus est, ut qui alterius gestatus venerat gressibus, propriis revectus matrem
B subsequeretur.

item mulier,

17 Quædam item cum manum atque brachium ita incurvum ac debile haberet, ut neque ad os quidquam eo potuisset deducere, cum ante sepulcrum Martyrum diu prostrata jaceret, tandem orationibus eorum pridie Palmarum die pristinæ reddita est sanitati.

18 Redeunte tempore quo beatissimorum Martyrum corpora in locum, ubi nunc adorantur, delata sunt, cum celebritas anniversarii inmineret diei, inter frequentiam multitudinis quæ pæne illuc innumerabilis tunc accurrebat, contigit quamdam feminam a pago Tulpaciense * *a* ex beneficio Odrici advenire. Hæc unicam filiam jam quinquennem, nomine Ermenradam, cujus oculos cæcitatis obduxerat caligo, habens, doloris acta stimulis, secum meritis illuminandam Sanctorum devote attulit, quæ cum a custodibus peteret, ut in aliquo ecclesiæ loco suffragium præstolatura Sanctorum, poneretur, permissa est in angulo cryptæ, ubi ad pedes adoratur Sanctorum, eam deponere. Deposita itaque cum tota die illa et nocte ac si rigida immobilis jaceret, ac
C matutinum celebraretur officium, et nox diei sequentis daret initium; subito virtus divina per orationes adfuit Sanctorum, et luminis recepto vigore quod per triennium sibi denegatum omnes cognoverant, cœpit respicere clare. Hoc itaque miraculum cum per omnium curreret ora, et Domino sanctisque ejus Martyribus laudes clamarent; voluit etiam Dominus fidelibus populis geminato miraculo lætitiam geminare spiritalem, quantique essent sancti Martyres apud eum meriti ostendere.

* *Tulpiacense*
a

altera
b c
Ocgisesreym
geseshcim

19 Nam quædam femina nomine Bertrada, ex familia beati Maximini *b*, de villa nuncupante *c Ocgisesheim* *, cum nimia premeretur imbecillitate, ita ut nervis siccatis contracta et debilis omnibus redderetur membris; audiens Sanctorum virtutem, ad hanc et eamdem celebritatem spe sanitatis se se contulit; quæ cum devota Martyrum imploraret auxilium, obtentu eorum meruit sanitatem. Igitur cum Missarum celebratio perageretur, Sanctorum ei advenit virtus : et quæ contracta et debilis aliorum venit adminiculo, propriis firmata gressibus rediit ad propria.
D

20 Fuit item in vico, qui * Sinciacus *d* nuncupatur, quædam femina, nomine Gaminildis, ex familia sancti Petri *e*, cujus facies in tantum erat deformata, ut intuentibus non parvum horrorem incuteret. Ore siquidem ad aurem prope contorto oculisque transversa, tuentibus monstrum quoddam exstiterat. Hæc dominam suam, nomine Heritrudem, deprecatur ad Sanctorum ecclesiam properantem, ut candelam quam ad modum capitis sui ut pauper effecerat, secum deferret : quatinus per intercessionem Sanctorum omnipotentis miseratio subveniret ejus difformitati. Annuens domina precibus famulæ, secum detulit quod fuerat postulata. Cumque pervenisset ad locum sacratum, candelam inter sacras vigilias accendit ex more. Continuo miserabilem longe positam virtus divina respiciens, omnem deformitatem ab ejus abstulit facie : nam rediens domina ita sanam reperit omni deformitate carentem, ut nec signum in facie præteritæ remanserit infirmitatis. Gestum est et hoc miraculum die natalis eorum.

atque tertia.
* *Syntziacus*
d
e

E

Mercator convalescit;

21 Alius quidam, Freosbaldus nomine, de Bunna, pluribns inter suos auctus pecuniis, (nam instituendis mercibus operam dabat) valida opprimebatur debilitate membrorum, ita ut nihil aliud nisi paralyticus crederetur : quippe totius corporis bona destitutus valitudine, ministrorum potius quam propriis utebatur gressibus. Hic audita virtute Sanctorum quam orationibus suis infirmantibus conferebant, rogavit se ad eorum deportari memoriam, quo ut aliis, ita sibi sanitatis impenderent opem. Itaque eo vehiculo deportatur : nam, sicut dixi, aliter venire nequibat. Cum igitur votis expletis minime petitum sensisset in se redire vigorem, fecit se unde venerat referri, nil tamen de virtute desperans Sanctorum, congruo iterum reversurus tempore. Verum sancti Martyres fidem non obliti recedentis, ut ostenderent se non modo præsentes, verum etiam absentes orationibus suis posse juvare, huic quoque virtute solita adesse dignati sunt. Nam dum famuli cum eo agerent iter, sensit æger meritis Sanctorum virtutem sensim sibi advenire. Cum igitur prævenisset* domum, atque gestatorio deponeretur, ita firmatis gressibus omnibusque corporis membris cœpit incedere, ut qui quondam diutino tabefactus morbo inutilis jacuerat, ad omnia prorsus suffragio Martyrum utilis redderetur. Itaque laudans et benedicens Deum, qui per Sanctos suos sanitatem sibi divine gratam contulit, hactenus virtute potita fruitur.

* *pervenisset*

contractus erigitur

22 Fuit quidam homo item ex familia sancti Petri, nomine Daguinus, in villa quæ vocatur Albiniaca *f*, quem eodem anno quo sancta sunt corpora tumulata, ita contigit tibiis contrahi, ut penitus ambulare non posset, sed genibus et manibus reperet claudus toto permanens anno. Hic ad locum sanctum carro devectus, per triduum se se reptando per ecclesiam traxit, in crypta sæpe residens apud Sanctorum memoriam. Cumque nocte quarta nocturnis pulsatis solitus adforet, finitis eis, a custode jubetur ad horam ecclesia secedere. Ille jussionibus ejus obtemperans traxit se in vestibulum ecclesiæ. Verum nimio vento ibi sedere

f

A sedere prohibitus, in aliam se contulit porticum, ducentem per ecclesiam ad pauperum hospitale, et in ipso se projecit introitu ecclesiæ; ubi cum aliquamdiu jacuisset, vidit, ut ipse referebat, duos albatos pueros nimium decoros per idem ostium egressos versus domum hospitum pergere. Ubi parum commorati per eamdem porticum redierunt, et ecclesiam intrantes unus eorum ejus humerum tetigit, eique dixit : Surge, quia sanatus es, et vade ad mansionem. Ille continuo sanus evigilans, laudes et gratias egit Deo, qui eum per Sanctos suos ita curaverit, ut vehiculo veniens pedibus propriis ad suam domum perrexerit.

puerulus visum recuperat;

23 Erat quidam puerulus ex familia beati Petri, Novi scilicet Monasterii, Berefridus nomine, cujus oculos ita cæcitatis repleverat caligo, ut omnino negato lumine ductu regeretur alterius. Adveniente itaque dominicæ nativitatis die, visum est patri ejus, qui, ut filius, Berefridus vocabatur, quatinus ad memoriam clarissimorum deduceretur Sanctorum. Cum igitur adveniret tempus, quo de more vigiliæ celebrabantur nocturnæ, depositus est in crypta ad pedes Martyrum, præstolaturus ibidem per orationes Sanctorum Domini Salvatoris virtutem. Expletis ibidem vigiliis idem puer ad hospitale relatus est pauperum, iterum mane facto ad tumulum bona spe reversurus. Sed misericordia Domini Redemptoris suffragiis sanctorum Martyrum inopinanti in loco adfuit quietis. Nam cum die facto e lecto exsurgeret, ita cœpit omnia clare inspicere, ut inoffenso gressu omnibus inspicientibus ad basilicam properaret Sanctorum, gratias illi agens, qui ea die exortus est in tenebris rectis corde, qui etiam meritis eorumdem Sanctorum visum meruerat recipere oculorum.

B

vir a paralysi sanatus;

24 Non longe a possessione præstructi Monasterii est villa quædam, quam antiquitas Tabernam voluit appellare. In ea quidam erat homo, nomine Alvoldus. Hujus itaque ægritudo paralysis ita totum sibi vindicaverat corpus, ut pæne omnibus dissolutus membris vix tactum pateretur aliorum. Ad similitudinem igitur illius evangelici paralytici, inter manus deductus famulantium, ad memoriam devehitur Sanctorum; quem in brevi tempore suffragio Martyrum ita divina reparavit pietas, ut solidatis membris ad propria exsultans et benedicens Deum suis reportaretur, qui aliorum venerat gressibus.

C

cæcus visu donatur,

25 Alius item de eadem villa, nomine Hibaldus, privatione communis damnatus luminis, audiens virtute Martyrum concivis sui paralysi dissolutis membris priorem recepisse virtutem; spe roboratus petiit a suo germano eo se deduci. Germanus itaque ejus cum fratris miseratus cæcitatem, tum etiam Sanctorum non diffidens meritis, cœpit cum eo iter agens ad locum properare, ac futuræ salutis indicio, ut alterius gestatus officio, mira tendere agilitate. Qui cum haud longe abfuissent a loco, ita ut culmen potuisset ecclesiæ conspici, paullulum represso subsequentis gradu: Frater, inquit, si tibi virtus suffragaretur luminis, potuisses utique tecta et parietes ecclesiæ conspicere Sanctorum. Hic tacito mentis nutu cæcus orationibus Martyrum divinum sibi adesse implorans auxilium, cœpit mirum in modum fugatis tenebris parum videre, et menti injecta digito notare loca. Ad tumulum igitur perveniens Sanctorum, ita infra paucos dies pristinam recepit sanitatem, ut non integritatem modo reciperet visus, verum etiam oculorum magnitudinem, qui caliginis diutina cæcitate ita parvi effecti fuerant, ut vix pupilla in eis cerneretur.

EX MABILLONIO ET MSS.

item mulier.

26 Aliud huic haud multum dissimile subjungam miraculum. Quædam namque femina similiter per continuum annum cæca, cum desperationis nimiæ torqueretur angore, funem factum accedens ad locum Deo ac sanctis obtulit Martyribus. Hæc, si ille non competeret, formam sibi a custode petiit dari, quo, revertens domum, aptum præparare potuisset. Inter ea dum custos necteret moras, illa regenti sibi gressus imperat illo se duci, ubi signorum dependebant funes : nam ad idem opus suum intexere cupiebat. Factumque est. Cumque grossitudinem pertentaret manu, magnifica circa miseram Dei claruit virtus, ac mira celeritate objecta deseruit cæcitas oculos : ut uno eodemque momento et funem arriperet, et luminis reciperet claritatem E Gaudens igitur et exsultans, ad memoriam recurrit Martyrum, atque, prout competebat, gratiarum eis persolvit laudes, quod misericordia divina interventu eorum eam respicere dignata sit.

Duo conjuges ab infirmitate liberati;
g

27 Tempore quo Sanctorum reconditæ sunt reliquiæ in memorato sæpius loco, erant in villa nuncupante Crupta *g*, duo carnis conjuncti copula, quorum alter nuncupabatur Wilhelmus, altera Engilsuindis, qui a conjunctionis suæ tempore usque in id tempus bona semper roborati vixerant valitudine. Accidit autem prædicto tempore indissimili, utrosque fatigari infirmitate. A renibus namque ita omne inferius corpus feritas attrivit morbi, ut nisi obsequentium portarentur manibus, nulla urgente necessitate loco moverentur. Cum itaque frequens Sanctorum virtutem et miracula opinio circumquaque diffunderet, habitatores etiam præfatæ replevit villæ. Hac excitati fama, facta conventione ad locum omnes pariter oratum disponebant ire. Duo igitur jam nominati vicinorum religiositatis cognoscentes voluntatem, tametsi corpore nequirent, animo F tamen ire gestiebant. Accepta namque cera, factisque candelis, instituerunt propinquos et affines ad memoriam eas beatorum mittere Martyrum, quatinus miseratio Redemtoris interventu Sanctorum eorum subvenire dignaretur imbecillitati. Parantibus autem eis, mira circa eos divina effulsit pietas. Nam loco nondum motis, dicto citius ita virtus adfuit Dei, ut uno tempore et sanissimi exsurgerent, iterque cum aliis arriperent : quique petituri sanitatem aliorum ibant ore, ipsi intercedentibus Sanctorum clarissimis meritis per se vota merérentur deferre.

sanatio mulieris surdæ et mutæ,
h

28 Femina quædam ex provincia Arduennæ, nomine Immina, ex villa quæ *Binuzfelt h* dicitur, cum jam diu esset surda et muta, manibusque debilis, cum ad locum sanctum comitantibus vicinis et permittente domina sua, Teotburga nomine, oratum venisset; diem integrum commorata, mox ut regredi cœpit, primo unius manus et loquelæ auditusque facultatem; mox deinde alterius quoque manus

EX MABILLONIO ET MSS.

nus et totius corporis est sanitatem adepta : ita ut hodieque vicini et affines ejus testentur, numquam eam in multo retro spatio, ita ut nunc, sanam exstitisse.

item alterius multopere infirmæ.

29 Item alia quæ priorem in supra dicta infirmitate vidisset, et ad sanctum locum comitata testis sanitatis ejus exsisteret, nomine Grimilt, cum a viro suo narrata prioris feminæ sanitate, quam sub oculis viderat, ut sibi denuo oratum liceret venire, petisset, nec ad id temporis obtinuisset; qua hora, ut post compertum est, in Monasterio beatorum Martyrum Missæ dominici diei, quibus illa se interfuturam esse voverat, celebrari cœperunt, ipsa manuum est debilitate et totius corporis multata gravedine, adeo ut quia incessum non poterat, carrucæ superposita ad Monasterium denuo veheretur. Cumque venisset, et apud memoriam Martyrum aliquamdiu perorasset; primo in ecclesia una ei manus est absoluta, deinde inter prandendum alterius manus et totius corporis commoditas restituta. Ita factum est, ut quæ prius alienæ sanitatis narratrix exstiterat, suæ deinceps et compos esset
B et testis.

Planetæ seu casulæ maculæ abstersæ;

30 Est consuetudo loci, ut die solemnitatis paschalis clerici vespertinum celebrantes officium ita sacris induantur, ut in Missarum agitur celebratione. Factum est igitur, ut custos de more cum aliis indutus, lampades accensurus ecclesiæ procederet. Sed dum incaute progrederetur, positus sub lampadibus oleum lampadis cecidit, atque partem planetæ, qua forte indutus erat, non absque deformitate infecit. Custos exterritus, mox ad secretarium gradum retorsit, atque ea exutus congruo, non absque fide, deposuit loco. Hanc, inquit, sancta Daria, si vales tuis reforma precibus. Postridie ejus diei accessit custos, ut depositam gnaris eam mitteret feminis, quæ hujusmodi potuissent emendare vitium, quam diligentius intuens, nec levem in ea reperire potuit maculam, quæ aut honestati aut damno esse potuisset.

cervisia repudiata, quia die dominica fuerat facta.

31 Villa quædam est non longe a Monasterii possessione, quæ Wisa *i* vocatur. Hujus igitur habitatores condixerant sibi omnes pariter ad locum contendere, et ut non vacua viderentur
C venire manu, conlatione facta vas quod cupa dicitur, cervisia impleverant, ut etiam dono muneris Deo et sanctis Martyribus vota persolverent. Cum igitur jam properare disponerent, consilio habito qualitatem prius tentare voluerunt potus, antequam iter arriperent. Cuniculo *k* itaque facto, nec parva quidem eo digeri potuit gutta. Verum a ministro segniter hoc putantes peractum, alio delecto succedere fecerunt, ut terebrato cupæ fundo potum educeret. Huic aliis succedentibus, cum omnis eorum penitus frustraretur labor, ad semet reversi cognoverunt, eumdem potum ea nocte, quæ Dominica dicitur, confectum. Agnoscentes itaque reatum, pœnitudinem piaculi gerentes, votum Deo ac beatis vovere Martyribus, se nil ulterius tale in ea pertentaturos nocte, ipsumque potum egenis ac pauperibus erogaturos. Mox voto peracto, omnibus egressus foraminibus potus largissime cœpit ef- D
fluere. Hoc pro voto egenis distributo, alioque confecto, sicut disposuerant, ad memoriam venientes Sanctorum, ibique proprii reatus confitentes culpam, votisque persolutis ad propria sunt reversi.

ANNOTATA.

a *Vide Comm. Præv.*, § II, *n.* 29.

b *Putem monasterii S. Maximini Trevirensis. Familia dicebantur servi vel coloni spectantes ad dominos, monasteria, etc. Vide Cangii Glossarium.*

c *In* libro Valoris *ecclesiarum Coloniensis diœcesis, a Binterim edito et illustrato, sub* Decania Eiflii *occurrit* Ochisheim, *ubi pastor et vicarius notantur residere* (1). *Non dubitem de hoc loco agi in nostra historia. Teste eodem Binterim in diplomate anni* 898, *signatur* Ockisheim in pago Eifla, *quod eruditus vir refert ad* Uxheim (2). *Confer* Eifflia illustrata *Joannis Schannat, editore Georgio Bärsch* (3). *In altero manuscripto, ut notavi in margine legitur* Orgesesheim, *an idem ac* Ogersheim *in Palatinatu, quod, teste Frehero* (4), *erat* oppidum satis E
munitum et elegans. *Olim* Agridesheim *dicebatur. Ab Hispanis vix non destructum fuit. Confer La Martinière* (5) *qui falso adscribit hanc calamitatem anno* 1644. *Vicus* Ogersheim *hodie ad Bavariam spectat, et anno* 1840 *incolas numerabat mille sexentos quadraginta quinque* (6).

d Sinciacus, *germanis* Sinsich, *teste Ortelio, pagus Germaniæ inferioris, ad Rhenum, supra Bonnam,* 2 *milliaribus germanicis. Conf. Baudrand. Hodie* Sinzich (7).

e Ex familia sancti Petri. *Infra legitur :* Ex familia beati Petri, novi scilicet monasterii. *Vidimus Comm. Præv.*, § II, *n.* 30 et 53, Novum Monasterium *a Marcwardo fundatum in loco* Vallis S. Petri *vocato, qui postea* Monasterium Eiffliæ *dictus est.*

f Villa Albiniaca. *Meminere geographi vici quem* Albiniana Castra *vocant; nunc* Alphen *dicitur, situsque inter Lugdunum Batavorum et Trajectum ad Rhenum. An forte idem quod hic Villa Albiniaca? Conf. Baudrand, La Martinière, etc. Obstat tamen quod* Villa Albaniaca F
non videatur procul abfuisse a Monasterio, cum dicatur Danguinus ex familia S. Petri. *Cæterum Villæ* Albaniaca, Taberna *et* Wisa (*de his duabus infra fit mentio*) *quæ in historia Translationis diserte traduntur Monasterio satis vicinæ, nuspiam alibi in notitiis bene multis, quas consului, signantur; nec illarum ulla quoque occurrit mentio in Prologo ad sæculum* VII (8), *quamvis ibidem recensio fiat pagorum et locorum quæ in antiquis documentis sive indicantur sive describuntur. Unde efficitur historiam nostram forte non fuisse Hontheimio ad manum.*

g Crupta *opinor esse* Crufft *vel* Krufft prope Lacum. *In diplomate Zwentiboldi an.* 898 (*de quo Comm. Præv.*, § II, *n.* 54) *legimus :* Quia nos ad Novum Monasterium in pago Riwense (*i. e. Ripuariensi*) situm venientes, *etc. Itaque Eifflia monasterium illa ætate in finibus*

(1) Alte und neue Erzdiöcese Köln, tom. I, p. 151. — (2) Ib., p. 153 et 156. — (3) Tom. I, p. 95. Coloniæ 1824. — (4) Origines Palatinæ, part. II, p. 64. Edit. 1613. — (5) Dictionnaire géogr. *Verbo* Ogersheim. — (6) Guibert, Diction. de Géographie. Paris, 1850. — (7) Vide Binterim. Die alte und neue Erzdiöcese Köln, tom. I, p. 139. Mainz 1828. — (8) Historia Trevirensis diplomatica, tom. I, p. 53-73.

Ripuariorum

A *Ripuariorum erat; ibidem erat etiam* Lacus, *celebris abbatia S. Benedicti* (1), *fundata primum ab Henrico comite Palatino circa annum* 1093 (2), *qui inter alia concesserat abbatiæ* Krufft cum ecclesia, *ut constat tum ex* primis *tum ex* secundis litteris fundationis Monasterii ad Lacum, *datis an.* 1112, *et quas recitat Hontheim* (3).

h Binuzfelt. *Affert Hontheimius* (4) *diploma Karolomanni, datum anno* 770, *quo* justitia redditur monasterio Prumiensi de loco Benutfeld, *ubi inter alia hæc habentur :* Silva aliqua in loco, qui dicitur Benutfelt, infra centina Belslango, infra vasta Ardenna. *Et notat præfatus scriptor* (5) : Sicuti pagi in Comitatus, ita hi in Centenas dividebantur : erat itaque Centena Belslango pars majoris pagi Arduennæ. *Et infra in diplomate additur :* Justitiam ei reddimus de loco qui dicitur Benezfelt, de illa fontana, quæ in ipsa villa est, *etc.*

i Vespertinum. *In hunc locum*, duo, *inquit Mabillonius* (6), notanda : primum, monachos, ut sæpius jam observatum, hic clericos appellari; secundum, etiam tum in more fuisse apud monachos, ut diebus sollemnibus non tantum albis vestibus, ut fit apud nos, sed etiam aliis ornamentis induerentur.

k Cuniculo *i. e. foramine.*

(1) Hist. Trevir. diplomatica, tom. I p. 69. — (2) Ibid., p. 441. — (3) Ibid., p. 242 et 493. — (4) Ibid., tom. I, p. 130. — (5) Ibid. — (6) Acta SS. Ord. S. Ben., ubi supra p. 617.

DE SS. CRISPINO ET CRISPINIANO MM.

B

SUESSIONE IN GALLIIS.

E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

§ I. Memoria SS. Martyrum in fastis sacris cum compendio passionis. Quo anno palmam sint adepti. De eorum adventu in Gallias. Actorum ætas et meritum.

ANNO 285 VEL SEQUENTI. *Memoria in Martyrologiis.*

Haud minus celebris est in fastis sacris Occidentis SS. Crispini *et* Crispiniani *memoria, quam SS. Chrysanthi et Dariæ, de quibus egimus supra. Vix ullum reperias apud latinos martyrologium, quod illorum non meminerit, idque hac die* XXV *Octobris* (1). Coluntur, *inquit Georgius* (2), hac die ab Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Rabano, Floro, Adone, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Hagiologio Franco-Gallico, martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbeiensi breviori, Kalendario Palat. Vat, 485 et Vat. 3806. *Operæ itaque*

C *pretium non est singulorum adscribere elogia ; suffecerit recitasse quæ apud Usuardum, addita Observatione Sollerii, et in martyrologio Romano annuntiantur. Ille sic habet :* Apud urbem Suessionem, sanctorum Crispini et Crispiniani, qui persecutione Diocletiani, post immania tormenta sibi illata, gladio trucidati, coronam martyrii consecuti sunt. *In quam annuntiationem observat Sollerius* (3)*:* Illustres illi gemini Suessionenses Martyres sic a Beda consignantur : « Suessione, natale sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani. » Florus elogium addidit; Rabanus longiorem historiam ex eodem, opinor, fonte; ex quo etiam sua sed diversa et breviori phrasi accepit Ado; eam ex hoc magis contraxit noster (*Usuardus*); Notkerus verosimilius ex Rabano. Celeberrimorum Pugilum memoria antiquior est in codicibus Hieronymianis : « Galliis, Sessionis vel Sessonis, Crispini et Crispiniani, » additis sociis qui aliunde divulsi videntur. *Concordat Florentinius* (4) : Sessonis pro Suessonis urbem librarius nostrorum codicum reposuit. In hac celebris est omnibus fere latinorum Martyrologiis (*excipe Vetus Romanum Rosweidi, quod de his silet*) SS. Crispini et Crispiniani memoria. *Et infra :* Martyres, qui tam in libris nostris quam Corbeiensi et Antverpiensi sub Claudiano duce, Crispino et Crispiniano succenturiantur, horum certe socios fuisse in eorum actis non dicitur, neque ab his, qui SS. Crispini et Crispiniani memoriam recolunt indicatos video. Qua propter vel incerti loci martyres sunt, vel ab Africanis illorum interpositione divulsi; quod illius regionis uber- F rima sanctorum Pugilum messis mihi facile suaderet. *In Romano hæc leguntur :* Suessione in Gallia sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, nobilium Romanorum, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro præside, post immania tormenta gladio trucidati sunt : quorum corpora postea Romam delata fuerunt, atque in ecclesia sancti Laurentii in pane et perna honorifice tumulata. *Ast, ut recte observat Florentinius* (5), id (*translationem Romanam*) sane Rabanus, Usuardus, Ado, Notkerus et Hagiologium Vetus Franco-Galliæ non docent, dum eorum certamen attingunt; imo negat Saussayus. *Qua de re infra redibit ex professo sermo. Præter festum principale, quod, ut diximus, hodie celebratur, apud præfatum Saussayum signatur* VI *Martii* : Suessione Inventio corporum sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum facta ex revelatione divina; in qua ipsa sacratissima corpora suavissimos

(1) Conf. Baillet, Vies des Saints, 25 Oct. — (2) Martyrol. Adonis, 25 Oct. Romæ 1745. — (3) Martyrol. Usuardi. — (4) Vetustius Occidentalis Ecclesiæ martyrologium, p. 934. — (5) Ubi supra, p. 934.

odores

AUCTORE B. B.

odores efflaverunt, gloriæque, quam apud Christum nobilissimo agone promeriti sunt, perspicua prodidere magnificaque indicia; *et rursus* VIII *ejusdem mensis* : Suessione Triumphus sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, quando e loco certaminis, ubi aliquamdiu condita latuerant, illorum corpora divina manifestatione reperta, atque micantibus miraculis solemni cum fidelium ovatione et jubilo in basilicam eorum in honorem exstructam, hierothecis pretiosis inclusa, ad perpetuam venerationem delata sunt. *Utriusque, nempe Inventionis et Triumphi* (*hic in Saussayi Indice vocatur Repositio*) *meminere decessores in Prætermissis. Diem* XV *Maii assignat quoque Baillet* (1) *præfatæ Inventioni; quod nuspiam alibi reperio; asseritque ibidem festum principale, quod agitur hac die* XXV *Oct., adhuc signari in Calendario Liturgiæ Anglicanæ, quamvis schismaticæ et hæreticæ. Habet autem ex Polydoro Laurentius Beyerlinck sequentia* (2) : Henricus V, Anglorum rex, nobili illa ad Dadingurtum pugna, victis Gallis, flexis genibus multis oravit precibus, Deoque immortales
B egit gratias, et eam diem, quæ divis Crispino et Crispiniano sacra est, solemnem perpetuo habuit. Inde per totum regnum supplicationes multorum dierum ad omnia templa decretæ. *Osnabrugi in Westphalia colitur altera, eaque celeberrima, translatio ad diem* XX *Junii* (3); *de qua pluribus agemus in hoc Commentario.*

Passionis compendium ex Mombritio.

2 *Subdimus actorum seu passionis compendium ex Mombritio* (4) *ut facilius cætera deinde expediamus. Est sequentis tenoris :* Sanctus Crispinus et Crispinianus, qui cum beato Quintio (Quintino) et cæteris de Roma in Gallias venerant, Suessionensi civitate peregrinationis hospitium elegerunt ; ubi sequentes Doctoris gentium magisterium, ut necessaria vitæ labore manuum sibi providerent, artem sutoriam, quæ quiete exerceri potest, didicerunt. Et cum omnibus pœne artificibus operarentur elegantius, a nullo mercedem operis coacte exigebant. Unde etiam pro hoc gentiles eorum amore devicti, non tam necessitate artificii quam amore verbi Dei ad eos frequenter veniebant, et relicto errore Deum verum credebant. Denique hi sancti Viri a Rictio —
C varo exquisiti, calciamenta pauperum sarcientes reperti sunt; quos post multas interrogationes extensos ad trochleam jussit fustibus cædi; deinde sudes eorum ungulis immitti, et corrigias singulas de dorso tolli. Quibus inter acerrimos dolores orantibus, sudes de ungulis eorum exilierunt, et ministros percutientes , quosdam interfecerunt , quosdam vulneratos cruciaverunt. Deinde jussit Rictiovarus molas ad singulorum colla suspendi, et hyemis tempore in fluvio Axona velut sub glatie demergi. Sed eos nec aqua mergere, nec petra premere, nec frigus stringere potuit; quinimo quasi æstivis lavacris delectati, projecto molari onere, ad alteram fluminis ripam devenerunt. Postea jussi sunt in plumbo liquefacto demergi. Omnibus in plumbo oran-
D tibus, exiliens gutta plumbi ferventis oculum Rictiovari, gravi illum dolore crucians excæcavit. Picem deinde et oleum et adipem simul bullire jussit, et sanctos Martyres ibi præcipitari. Sed mox eos orantes angelus ab igne illæsos eduxit. Tunc videns Rictiovarus se adversus Martyres Christi nihil illatis prævaluisse suppliciis, sese concite furens in ignem præcipitavit; sicque morte pessima consumptus est, justo Dei judicio agente, ut qui multos martyres igne interemerat, ipse ad ignem æternum descenderet, igne temporali consumptus. *Hic subsistit Mombritius, ex quo videmus eum codice usum mutilo; nec etiam docet quo ex fonte hauserit. Cæterum quæ habet, congruunt Passioni a nobis infra excudendæ, tum rebus tum verbis, his tamen multo brevioribus apud Mombritium. Finem Passionis adscribo ex Petro de Natalibus* (5), *qui correctori stylo acta contraxit* : Maximianus autem audita morte præsidis, die sequenti Sanctos gladio puniri mandavit; qui decollati sunt octavo Calendas Novembris (25 *Octobris*). Quorum corpora bestiis et avibus devoranda relicta,
E divina providentia permanserunt intacta. Senex autem quidam cum germana sua vetula, ab angelo monitus, corpora inde tulerunt; venientesque ad fluvium Axona in navicula, divinitus ibidem præparata, ea posuerunt, et contra ictum fluminis sine remo vel remige, Deo duce ad locum sibi ostensum pervenerunt; et Sanctorum corpora sine ullo pondere portantes, ita ut magis ipsi a corporibus portari viderentur, in quodam tugurio secreto sepelierunt; ubi, persecutione cessante, honor eis a Christianis condebitus impensus est, et basilica eorum nomine fabricata. *Atque hæc passionis summa est, in qua utique non nulla sunt, haud ita facile admittenda, quamvis ipsum martyrium extra omne dubium, ut videbimus, sit positum. His præmissis, ad questionem præcipuam accedimus : quo nempe tempore seu anno ad palmam pervenerint.*

Passi sunt ante generalem Diocletiani persecutionem,

3 *Ne tota historiæ ecclesiasticæ series perturbetur, admittamus oportet, plures non solum in Galliis sed nonnullos etiam in aliis regionibus exeunte sæculo* III *martyres passos sub Diocletiano, quamvis hujus imperatoris generale contra Christianos edictum promulgatum fuerit tantum primis annis sequentis sæculi, id est circiter an.* 303, *quo præterea tempore constat paucos in Galliarum provinciis ob fidem morti addictos, quod in his partibus imperaret Constantius Chlorus, qui Ecclesiæ favebat; Maximianus vero Herculius, Christi sequacibus tam atrociter infensus, Italiæ præsset* (6). *Unde non intelligeretur qua ratione coram Maximiano* (*ut diserte in actis habetur*) *comparuissent SS.* Crispinus *et* Crispinianus, *si ineunte sæculo* IV *sanguinem suum fudissent, cum ille tunc temporis longe abesset a Galliis. Atque hæc sunt quæ jam pridem impulerunt eruditos ut discederent a sententia illorum qui opinabantur SS. Martyres nostros sicut et alios plures sub idem tempus excarnificatos, puta SS. Macram,*
F

(1) Baillet, ubi supra. — (2) Theatrum vita humanæ, litt. D., p. 105. — (3) Acta SS., tom. IV, Junii, p. 3. — (4) Tom. I, fol. verso 198. (5) Libro IX, cap. CVI. Vicentiæ 1493.— (6) Confer. Tillemontium, Mémoires, tom. V, p. 3. Item, p. 587 et 608. — Histoire des Empereurs, tom. IV, p. 4 et seqq. Bruxellis, 1732. — Longueval, tom. I, p. 113 et seqq. — Baillet, Vies des Saints, 21 Sept., 25 Oct etc. — Acta SS. Belgii, tom. I, p. 111 etc. — Smet, Heylige en roemweerdige persoonen in Nederland, tom. I, cap. III. — Bucherius, Belgium Romanum, p. 220 et seq. — Butler, 25 Sept. etc. — Dr Braun, Zur Geschichte der Thebaischen Legion, p. 16. Bonnæ, 1855. — Schmitt, die Kirche des H. Paulinus, p. 21. Trier, 1853.

Ruffinum

A *Ruffinum et Valerium, Quintinum, Fuscianum, Chrysolium, Lucianum, Firminum, Piatum, Justum puerum, et totam Legionem Thebæam* (1), *palmam triumphi adeptos, circiter anno, quo prodiit Diocletiani generale edictum. Dubius jam hæsit Bollandus in actis SS. Luciani, Maximiani et Juliani, tempus passionis in medio relinquens, atque his verbis* § II[um] *Commentarii sui concludens* (2) : Interea quia sic expedit, dum certius quid reperiamur, sequemur ecclesiarum Gallicanarum traditionem, *qua, inter alia, S. Dionysius Parisiensis confundebatur cum Areopagita. Similiter censuisse videtur Henschenius dum martyrium SS. Ruffini et Valerii, sub Rictiovaro coronatorum, posuit sub. Diocletiano, absque certa anni designatione. Et re quidem vera imperabat tunc ille, siquidem purpuram induit anno* 284. *Postea ab eruditis bina admissa diserte fuit persecutio : altera particularis, generalis altera :* Existimo, *ait Pagius* (3), scriptores persecutiones peculiares in quibusdam provinciis et urbibus, primis Diocletiani et Maximiani Herculii annis excitatas, cum persecutione generali, quæ hoc
B anno (303) contigit, confudisse, ut ante me Baronius observavit. *Quæ opinio communiter deinceps invaluit, nonnullis tamen dissentientibus, quos inter P. Joannes Cleus decessor noster, cum palmam SS. Mauritii et sociorum ponat sub Maximiano Herculio inter annum* 285 *et* 305 ; *ast desertus fuit a successoribus hagiographis Bueo, Periero, Ghesquerio etc., ut ex dicendis constabit.*

eo fere tempore quo legio Thebæa

4 *Celebris est in annalibus ecclesiasticis cædes legionis Thebææ, quam jussu Maximiani Herculii factam consentiunt omnes. Id pariter generatim assumitur passionem SS.* Crispini *et* Crispiniani *sub idem tempus, id est eodem furente persecutionis turbine, contigisse. Quapropter censuimus hoc loco nonnihil inquirendum de anno quo in præclarissimos Agaunenses pugiles sævitum est, tanto magis quod non ita pridem novam huic quæstioni lucem attulerit Franciscus Zaccaria, qui exeunte sæculo* XVIII *de tempore illius Martyrii erudite disputavit. Haud parum discedit is a laudato Joanne Cleo, qui, ut jam innuimus, ad diem* XXII *Septembris acta SS. Mauritii et sociorum illu-*
C *stravit typisque mandavit anno* 1757 ; *quamvis conjicere liceat Zaccariam illa non vidisse vel saltem non consuluisse, cum nuspiam eorum mentionem faciat. Porro Zaccariæ sententiæ hæc summa est. Asserit imprimis Herculium in Gallias quater venisse* (4), *et primum quidem cum adversus Bagaudas progressus est, deinde aliis tribus vicibus, ut ex Lactantio docet Pagius* (5) ; *ad priorem referendam esse cædem Thebæorum militum, siquidem tres aliæ moræ, quas in Galliis traxit Herculius, contigerunt post annum* 306, *quando imperium, quod paulo ante abdicaverat, recuperare tentabat. Sufficiat obiter hic animadvertisse, scriptores (nec immerito) plures, quam Zaccariam saltem hoc loco, signare Herculii moras in Galliis. Sed parum vel nihil hoc ad rem nostram refert, ut infra videbimus.*

AUCTORE B. B.

sub Maximiano Herculio cæsare ;

5 *Ut sententiam suam probet Zaccaria, assumit ex Pagio* (6), *Herculium prius Cæsarem quam Augustum fuisse nuncupatum ; Cæsarem quidem die* XX *Novembris anno* 284 ; *deinde pro certo habet eumdem Herculium creatum esse Augustum Kalendis Aprilis anno* 286 ; Cæsarem *adversus Bagaudas movisse ; sub hujus expeditionis initio factam stragem Thebæorum ; proinde ante mensem Aprilem anni* 286, *nec tamen anno* 284 ; *cujus die* XX *Novembris renuntiatus Cæsar est Herculius ; nec etiam tribus prioribus mensibus anni* 286, *retrocedendo a Kalendis Aprilis ad Kalendas Januarii ; cum tunc saltem maximam partem finitum jam esset bellum rusticanum et die* I *Aprilis Nicomediæ, ubi Augustus nuncupatus est, Herculius moraretur ; consequenter Thebææ Legionis cædem incidere in annum* 285. *Quod confirmari censet Zaccaria ex antiquis calendariis et martyrologiis omnibus, cum passionis illius meminerint* XXII *Septembris, quo die Herculius anno* 284, *ex mente Zaccariæ, nondum erat Cæsar, anno vero* 286 *jam Augustus fuerat renuntiatus. Si* E *quæ assumuntur hic, ita revera se habent, non erit dubium SS. Mauritii et sociorum martyrium alligandum præfato diei Septembris currente anno* 285. *Ast nonnulla ex placitis Zaccariæ difficultatem faciunt haud levem, quæ propterea accuratius a nobis examinanda sunt.*

quam cæsaream dignitatem censet Pagius probari, primum ex Eutropii et Orosii testimoniis,

6 *Imprimis quæritur an reapse Herculius, priusquam Augustus diceretur, Cæsar fuerit nuncupatus? Baronius, ut est apud Pagium* (7), hujus nuncupationis nullam mentionem fecit ; imo Card. Norisius... ait se vix in communem sententiam trahi posse, quæ docet eumdem Maximianum, antequam Augustus crearetur, cæsaream dignitatem obtinuisse. *Ast rem delucidavit pleneque, judice Zaccaria* (8), *demonstravit Pagius tribus præcipue his argumentis. Primum est* (9), *disertum Eutropii et Orosii testimonium. Prior sic habet* (10) : Cum tumultum rusticani in Gallia concitassent et factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent ; duces autem haberent Amandum et Ælianum, ad subigendos eos Maximianum Cæsarem misit (*Diocletianus*), qui levibus præliis agrestes F domuit et pacem Galliæ reformavit. *Et paulo infra* (11) : Diocletianus Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum ; Constantium (*Chlorum*) et Maximianum (*Galerium*) Cæsares. *Similiter Orosius, vestigiis Eutropii manifeste insistens :* Cum, *inquit* (12), Amandus et Ælianus, collecta rusticanorum manu, quos Vagaudas vocabant, perniciosos tumultus excitassent, Maximianum, cognomento Herculeum cæsarem fecit (*Diocletianus*), misitque in Gallias ; qui facile agrestium hominum imperitam et confusam manum militari virtute compescuit. *Et iterum* (13) : Hoc periculo Diocletianus permotus, Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum, Constantium vero et Maximia-

(1) Conf. Schmitt, ib. et p. 31 et seq. — (2) Acta SS. tom. I Januarii, p. 460. — (3) Annales, Baronii, tom. III, p. 347. — (4) Dissertazioni varie Italiane a storia ecclesiastica appartenenti, tom. I, p. 270. Romæ, 1780. — (5) Ad an. Baronii, 307, n. 6. — (6) Dissertazioni varie italiane a storia eccleslastica appartenenti, tom. I, p. 270 et seqq. — (7) Ad ann. Baronii 284, n. x. Tom. III, p. 231. — (8) Zaccaria, p. 271. — (9) Pagius, Dissertatio hypatica, parte II, cap. VII, n. VII. Apparatus ad ann. Baronii, p. 58. — (10) Eutropius, Breviarium lib. IX, c. XIII. Historiæ Rom. scriptores minores, p. 318. Biponti, 1789. — (11) Ibid., p. 319. — (12) Historiarum, lib. VII, c. XXV. Migne, Patrologia, tom. XXXI, col. 1125. — (13) Ibid., col. 1126.

AUCTORE B. B.

num Galerium Cæsares legit. *Plana hæc utique et aperta dixeris.*

quæ tamen non omnibus æque clara videntur.

7 *Est tamen quod opponas. Scilicet Aurelius Victor, Eutropio coævus* (*ambo enim floruere circa medium sæculum* IV), *eadem narrans, Herculium* imperatorem *appellat:* Ubi, *inquit* (1), comperit (*Diocletianus*) Carini discessu, Ælianum Amandumque per Galliam, excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis late agris, plerasque urbium tentare, Maximianum statim, fidum amicitia quamquam semiagrestem, militiæ tamen atque ingenio bonum, imperatorem jubet. Huic postea... Herculei cognomentum accessit... Sed Herculeus in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia brevi patraverat. *Et paucis interpositis:* His de causis Julium Constantium, Galerium, Maximinianum, cui cognomen Armentario erat, creatos cæsares, in affinitatem vocant *Diocletianus nempe et Herculius. Dissentiunt itaque Eutropius et Aurelius, quem ille* cæsarem, *hic* imperatorem *dicit. Vult Zaccaria l. c. vocem* imperatorem *hic non significare* Augustum *sed* administra-
B torem belli gerendi, *quo sensu, inquit, Dio Cassius testatur illam adhibitam quoque fuisse post Julii Cæsaris ætatem. Proderit recitasse verba Cassii* (2) : Id vero nomen Imperatoris a Julio, quemadmodum etiam Cæsaris nomen, tamquam peculiare summi imperii cognomentum, ad omnes deinceps imperatores dimanavit; non tamen sublata antiqua hujus nominis ratione, sed utraque integra. *Est vero notanda triplex vocis significatio.* Romanis, *ait Eckhel ubi* de nomine imperatoris *prolixe disputat* (3), dictus est imperator stante republica, qui imperium militare habuit... Alia imperatoris significatio, sed honoris tantum, fuit, cum quis dux relata victoria in acie a militibus imperator est acclamatus. Etiam a Senatu nonnumquam hunc titulum fuisse decretum *constat...* Tertia nominis imperatorii significatio est, qua summum in imperii R. provincias jus indicabatur. *Et alio loco, sed in eodem tractatu, restringit Eckhelius laudata Cassii verba ad posteriores duas vocis* imperatoris *significationes, quatenus nempe* propria sit summi imperii appellatio, *et honoris titulus*
C *ob victoriam* : sed utraque integra (sc. IMP ob victorias (4)). *Ita quoque Spanheimius* (5) : Imperatoris vero nomen... duplici respectu Augustis ac interdum Cæsaribus, seu primi et secundi fastigii principibus, tribui norunt... uno nempe, quo vice, ut plurimum prænominis, summi in orbe Romano imperii potestas; altero, quo cognominis instar, et quidem crebro subinde iteratum, partæ de hostibus victoriæ decus... designabatur. *Videtur itaque ex mente Eckhelii et Spanheimii, non admittenda Zaccariæ interpretatio. Cæterum de nomine imperatoris intricata valde quæstio, ut videre est apud præfatos scriptores. Non putem vel unicum proferre posse exemplum clarum, qua demonstretur Augusto vel Cæsari nomen* imperatoris *tributum fuisse sensu quo vult Zaccaria. Ex quibus effici videtur, non ita facile inter se conciliandos Eutropium et Aure-* D
lium. Ast utri potius fidendum? Non ausim equidem statuere. Eutropium sequitur Orosius; hujus tamen cum levis sit auctoritas, haud magnum exinde accedit Eutropio pondus. Præterea, si ejus verba obvio sensu sumuntur, manifeste labitur Eutropius docens Herculium ex Cæsare factum Augustum, quando Cæsares nuncupati sunt Constantius et Galerius, scilicet circiter an. 292 : *constat enim multo ante Augusti dignitatem Herculio collatam, nempe Kalendis Aprilis an.* 286, *ut habet Idatius. Posthæc non ita mirum videbitur hæsisse Norisium, Tillemontium* (6) *aliosque, atque hisce annis etiam Eckhelium, cujus hæc sunt verba* (7) : Maximianum non statim Augustum, sed Cæsarem principio fuisse, diserte adserunt Eutropius et Orosius... Cujus causa proferendus hoc loco numus sequens : VAL. MAXIMIANVS. NOB. CAES... Si numus hic hujus est Maximiani, Eutropii et Orosii sententiam insigniter confirmat. Eum Bandurius ex museo Magni Ducis recitat. At vero turbat non parum, quod inter numos max. mod. musei Florentini non me-
moratur, deinde quod forte est Galerii Maxi- E
miani, qui et CÆSAR fuit et Valerii etiam nomen habuit.

dein ex annis quibus imperavit Herculius,

8 *Secundum Pagii argumentum desumitur ex iis scriptoribus omnibus* qui Herculium annis viginti imperasse *testantur, ut Aurelius, Lactantius etc.* (8). *Opus non est horum textus diligentius expendere, cum parum his Pagius juvetur : Herculius namque factus Augustus est Kalendis Aprilis anno* 286 (9), *quod etiam ex Idatio docet Pagius; abdicavit autem imperium Kalendis Maii anno* 305 (10), *proinde anno imperii sui vigesimo inchoato. Consequenter et in sententia illorum, qui negant eum Cæsarem umquam fuisse, Herculius viginti annis recte dicitur imperasse; si cum Pagio eum cæsarem fuisse admittimus ab* XX *Nov. anni* 284, *Herculium imperasse comperiemus annos iterum viginti et menses præter propter quinque. At dubitare omnino licet an auctores qui illum* annis viginti imperasse *tradunt, respexerint ad cæsaream dignitatem, et non potius ad solam augusteam, et ab hac cœperint numerare annos imperii Herculiani. Cæterum priusquam in lucem a Baluzio daretur libellus Lactantii de* F
mortibus persecutorum, variabant scriptores de anno assumpti et primum depositi imperii ab Herculio, ut videre est apud Petavium (11), *qui illius imperatoriam dignitatem* (*non meminit cæsareæ*) *annectit anno* 285; *sed post editum libellum vix non omnes eruditi consentiunt in præfatos terminos; nempe initium Herculii Augusti ponentes anno* 286, *abdicationem primam, de qua sola hic agitur, anno* 305. *Atque hæc sufficiant de altero Pagii argumento.*

tandem quod, teste Ammiano, moris esset, ut qui ab Augustis augustea dignitate ornabantur, prius cæsares nuncuparentur.

9 *Tertium suum argumentum sic exponit Pagius:* Non tantum Maximianus Herculius prius Cæsar quam Augustus nuncupatus est, sed ii etiam omnes, qui a Marco Aurelio ad Valentinianum seniorem ab aliis Augustis Augustea dignitate donati sunt; *subditque in probationem locum Ammiani* : In hoc tamen negotio Valen-

(1) De Cæsaribus, c. XXXIX. Hist. Rom. scriptores minores, p. 138. — (2) Hist. Rom., lib. XLIII, p. 235. Hanoviæ, 1606. — (3) Doctrina Numorum, tom. VIII, p. 343 et seqq. — (4) Ib., p. 352. — (5) De præstantia et usu numismatum antiquorum, tom. II, p. 392. Amstelædami, 1717. — (6) Histoire des Empereurs, *not.* V in Diocletianum. — (7) Doctrina Numorum, tom. VIII, p. 15 et seq. — (8) Pagius, Dissert. hypatica, p. 58. — (9) Tillemont, Hist. des Empereurs, tom. IV, pag. 300. — Art de vérifier les dates, p. 348. — (10) Ibid., p. 302. — (11) Dissert. hypatica, p. 285.

A tinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares, sed Augustos Germanicum nuncupavit et filium; benevole satis. Nec enim quisquam ante hac adscivit sibi pari potestate collegam, præter principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua, majestatis imperatorum socium fecit (1). *Notat Valesius in hunc Amniani textum* (2) : Atqui nonne etiam Severus Bassianum et Getam filios Augustos nuncupavit, teste Herodiano, lib. III? Quod si quis ab exercitu, non autem a Severo appellatos esse Augustos cavillabitur, ut scribit Spartianus in Severo; tum Diocletiani exemplum opponam, qui Maximianum Herculeum collegam Augusti imperii sibi adjunxit. Sed responderi potest, nec Diocletianum nec Severum collegas sibi Augustos statim adscivisse, sed initio Cæsares tantum, ut de Bassiano quidem et Geta scribit Spartianus, de Maximiano autem Eutropius. *Subdubius itaque hæret Valesius. Nec decretorium est Herodiani testimonium, utpote qui generali tantum phrasi et veluti incidenter asserit Bassianum* (*nempe Caracallam nec confunden-*
B *dum cum Bassiano Heliogabalo*) *et Getam supremæ potestatis participes a patre suo Severo factos :* τούς τε υἱεῖς αὐτοῦ κοινωνοὺς τῆς βασιλείας καὶ αὐτοκράτορας ἀποδείξαι. *Proinde per Herodianum licet ut pridem jam Cæsares fuerit nuncupati; quod et communiter tenent eruditi. Confer Eckhel, qui plures profert nummos in confirmationem hujus sententiæ, quam ipse certam habet* (3). *Favet igitur igitur Pagio Ammianus, consentitque cum Eutropio et Orosio, qui asserunt Herculium ex Cæsare factum Augustum. Fateor ob triplex hoc testimonium sententiam hanc mihi longe probabiliorem videri.*

Cum ergo probabilius anno 285 *Herculius sit* cæsar *nuncupatus,*

10 *Sed quo anno Herculius nuncupatus Cæsar est? Respondit Pagius* (4) *id contigisse* die vicesima mensis Novembris seu XII Kal. Decembris *an.* 284, *quod sic probat : Certum est ex Lactantio Diocletianum Vicennalia sua celebrasse anno* 303 ad duodecimum Kalendas Decembres; *porro* id genus festa *solebant agi* die natali imperii, *qui Diocletiano erat* XV *Kal. Octobris;* ideo *autem* hic anno CCCIII ad duodecimum Kalendas Decembres Vicennalia distulit, quia *anno* 284 eodem die Maximianum Herculium
C imperio Cæsareo exornarat. *Hæc ita statuit Pagius ex Canone seu Regula IV, quam in sua Dissertatione hypatica posuerat* (5), *nempe* quinquennalia *et id genus solemnia* a Cæsaribus vel Augustis die imperii natali.., vel etiam die natali collegarum... de more celebrata, sed aliquando in similem alterius mensis diem translata, adeo ut exempli causa, qui quinto Kalendas Novembris imperium obtinuerat, si ea die ac mense ea solennia repræsentare non posset, non nisi quinto Kalendas alterius mensis ejusdem anni eadem celebraret, *unde, ut paulo infra habet* (6), sequitur omnino ideo Diocletianum duodecimo Kalendas Decembris Vicennalia celebrasse, quia eo die Maximianum Herculium anno 284 Cæsarem nuncuparat. *Sane res ita se haberet, si canones Pagiani firmi consisterent; ast multum abest, ut ita sit. Ut alios amittam, audiamus Eckhelium :* Possum, *inquit* (7), meam confidentius profiteri sententiam, quæ est, nihil his Pagii regulis magis esse fluctuans, incertum, arbitrarium, et quaquaversum a viro erudito ad confirmandam suam opinionem facta historica ac monumenta eorum ipsorum ingratiis adferri. *Et iterum ubi in specie agit de octo illis canonibus, quorum quartum supra recitavi :* Pagii, *inquit* (8), doctrinam in eruditis commentis habendam omnino mihi persuadeo. Qua de veritate si quis statim volet convinci, is quæso vel solos titulos octo canonum, in quibus universa ejus doctrina nititur, obiter inspiciat, ac tum experietur continuo, quam is pro libidine quinquennalium decennaliumve justa spatia laxet contrahatve, *etc. Et infra* (9) : Credamus ergo numis aut scriptoribus Eusebio, Marcellino, Idacio aliisque, cum nobis certum nuncupatorum votorum annum memorant; at non credamus Norisio, Pagio, Mazzoleno, cum certam nobis rationem ex tanta rerum et caligine et confusione præscripturos quantacumque eruditionis mole et redundantia spondent. *Nihil itaque ex Pagii regulis inferri legitime* E *potest; ac proinde hac ex parte incerti manent dies et annus quibus Herculius renuntiatus Cæsar est. Plerique statuunt id factum anno* 285; *tum quia diserte docet Aurelius* (10) *Herculio tantum uno* anno minus potentiam fuisse *quam Diocletiano, qui imperator salutatus secundum communem sententiam est die* XVII *Septembr. an.* 284 (11); *tum quod, teste eodem Aurelio, cum, occiso Gallo Cæsare, Constantius solus potitus rerum est, septuaginta* fere *effluxerant anni, ex quo id jam non obtinuerat :* Ita, *inquit*, (12), longo intervallo, annum fere post septuagesimum, relata ad unum cura reipublicæ. *Nex Gallo illata est exeunte anno* 354 (13); *ergo annus abhinc septuagesimus incidit in annum Christi* 284, *quo proinde solus imperabat Diocletianus. Quod si non admittatur, retrocedendum foret usque ad Probum, anno* 282 *a militibus interfectum; sed ab hoc ad Constantium, absque socio tenentem imperii gubernacula, annus curret septuagesimus secundus. Igitur probabilius differtur nuncupatio Herculii Cæsaris in annum* 285.

probabilius hoc quoque anno facta est strages Thebæorum,

11 *Quo admisso, hunc in modum ordinari commode potest series rerum gestarum de quibus hic quæstio. Salutatur Diocletianus imperator ab exercitu die* XVII *Septembris anno* 284, *hoc eodem currente anno, imo sequenti Herculius* Cæsar *copias parat, cum exercitu Gallias versus movet; Alpes transcendit contra Bagaudas acturus; Septembris die* XXII *ejusdem anni* 285 *mactatur Legio Thebæa; mense Octobri pervenit ad fines Parisiorum, Remorum, Veromanduorum, Suessionum, etc.; exinde Bagaudas ubique* levibus præliis domat, *ut loquitur Eutropius et, ut alii dicunt*, facile, brevi; *ac denique in Orientem redux ad Diocletianum, Augustus nuncupatur die* I *Aprilis* 286, *haud procul a Nicomedia. Nihil est in his quod cum reliqua chronotaxi et historia imperii Diocletiani vel minimum pugnet; imo quod non apprime con-*

AUCTORE B. B.

(1) Ammianus Marcellinus, lib. XXVII, c. VII, p. 335. Lugduni Bat. 1693. — (2) Ibid. — (3) Doctrina Numorum, tom. VII, p. 227 et seqq. — (4) Ad annum Baronii 284. Tom. III, p. 232 et seq. — (5) Apparatus ad Bar. ann., p. 33. — (6) Ibid., p. 34. — (7) Doctrina Numorum, tom. VIII, p. 326. — (8) Ibid., p. 486. — (9) Ibid., p. 488. — (10) Hist. Rom. scriptores minores, p. 142. — (11) Art de vérifier les dates, p. 348. Tillemont, Hist. des Empereurs, tom. IV, p. 2 et 241. — (12) Ubi supra, p. 150. — (13) Till. ib., p. 164.

veniat.

AUCTORE B. B.

veniat. Ita enim Herculio uno anno minus potentia *quam Diocletiano reperitur; et* annus FERE septuagesimus *ab eodem Aurelio notatus obtinetur. Cæterum, mea opinione, haud magni interest, sive labente anno* 284, *sive inchoato anno* 285 *ponatur Cæsarea Herculii nuncupatio. Quinimo, etiamsi quis cum Norisio negaverit, Herculium* Cæsarem *umquam fuisse, series rerum gestarum supra stabilita, manebit firma, hac tamen lege ut bellum rusticanum Herculius susceperit ante acceptam Kalendis Martii an.* 286 *purpuram; secus enim et ejus in Gallias adventus et Thebæorum passio integro saltem anno retardanda forent, atque præfato anno* 286 *illiganda, quod equidem non facile admiserim : videtur enim extra dubium, Herculium contra Bagaudas movisse, paulo post* discessum *Carini ex Galliis, qui contigit labente anno* 284. *Etenim Numerianus imperator occisus haud procul Perintho est dicto anno* 284 *ante* XVII *Septembris, quo die Diocletianus ei suffectus fuit* (1). *Carinus vero, cum* XII *Septembris ejusdem Romæ ludos magnificos habuisset, audita nece fratris sui Numeriani et electione Diocletiani, adversus*

B *hunc processit* (2). *Ex quibus utique patet Carinum ante mensem Septembrem anni* 284 *e Galliis discessisse.* Paulo *autem post movisse Herculium contra Bagaudas, efficitur ex Aurelii verbis jam supra n.* 7 *recitatis :* Ubi, *inquit,* comperit *Diocletianus,* Carini discessu, Ælianum Amandumque per Galliam, excita manu agrestium quos Bagaudas incolæ vocant... Maximianum statim imperatorem jubet *etc.*

nempe sub initium expeditionis Herculii contra Bagaudas;

12 *Sed an strages Legionis Thebææ connectitur cum expeditione Herculii contra Bagaudas? Id in dubium vocat Cleus in actis SS. Mauritii et sociorum. Tillemontius et Bailletus, inquit* (3), *statuunt* passos esse thebæos martyres primo anno, quo Maximianus Herculius purpuram gessit et ad sedandos in Galliis tumultus a Bagaudis excitatos profectus est, quod tamen cum S. Eucherii verbis non videtur componi posse. Hauserunt fundamentum opinioni suæ ex interpolata Surii passione. *Alibi tamen multis contendit idem Cleus,* futilia *esse* argumenta, quibus evictum cupit *Dubordæus ,* martyrium sanctorum Agaunensium illigari non posse expeditioni contra Bagaudas;

C *ita scilicet in notis marginalibus legitur* (4). *Sane fatentur præfati scriptores et cum ipsis etiam Zaccaria, ex genuino S. Eucherii textu martyrium Agaunensium ad generalem sub Diocletiano persecutionem referendum esse, ac proinde non contigisse ante annum* 303; *ast contendunt in eo S. Eucherium errasse sicut et scriptores nonnullos alios, qui similiter, quæ ante sub Maximiano contigerant, huc pertraxerunt.* Verum, *subdit Cleus* (5), nescio an hæc illius censura non sit paulo iniquior. *Et paulo ante* (6) : Cum pro sinceris habeant, quæcumque Eucherius narrat alia, et tempus martyrii ex iisdem percepisse sanctus scriptor censeri debeat, ex quibus martyrium cum suis adjunctis intellexit, illique non hoc magis ignorare, quam cætera debuerint, credo parem S. Eucherio fidem hic habendam, quam illi alibi non negamus, nisi aliquid absolute suadeat illum deserere, quod nunc inquiro. *Qua ex* D *inquisitione dedicit sane eruditus decessor, S. scriptoris hac in re decretoriam non esse auctoritatem, cum cætera omnia puta martyrium cum aliis adjunctis strenue et præclare contra Dubordæum P. Cleus tueatur, tempus vero passionis in medio relinquat, ab initio has ponens notas marginales :* Sub Maximiano Herculio inter an. CCLXXXV et CCCV.

non vero ut nonnullis placuit anno 305;

13 *Cæterum si Agaunensis carnificina innectenda foret generali persecutioni, quæ suppeteret ratio, ut non similiter et cætera in Galliis eadem tempestate martyria? Proinde contra S. Eucherii assertum militant illa omnia, quæ, ut supra explicavimus, suadent omnino admittere plures in illa regione passos ante edictum contra christianos anno* 303 *promulgatum. Zaccaria ex professo contendit contra P. Graziolum, stragem Thebæorum referendam ad expeditionem contra Bagaudas , hujusque sub initio factam : nam diserte docet S. Eucherius, Maximianum tunc in Gallias venisse ad negotium grave et difficile peragendum, atque propterea accessisse Thebæos, auxilio futuros :* Erat, *inquit S. Eucherius* (7), eodem tempore in exercitu E Legio militum, qui Thebæi appellabantur... Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant, viri in rebus bellicis strenui et virtute nobiles, sed nobiliores fide, erga imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant. *Atqui, subsumit Zaccaria, nullum reperies negotium, præter bellum rusticanum, ab Herculio in Galliis susceptum, cui perficiendo tali opus erat auxilio. Et deinde perstringens Graziolum, subdit : Ostendat iste, Herculium anno* 303 *mense Septembri in Gallias venisse cum exercitu. Et re quidem vera nulla uspiam apud scriptores mentio hujusmodi susceptæ expeditionis illa tempestate reperitur. Nec sane leve hoc judicandum est, quod nec panegyristæ tum Herculii tum Constantii Chlori, nec tot historici coævi, qui prolixe res tunc gestas prosequuntur et diligenter cæteras Maximiani expeditiones enumerant, prorsus sileant de hac, si qua fuisset anno* 303, *quæ tamen momento non caruisset, cum ab Orientis partibus suppetias latura accessisset integra legio. Cæterum ipse Graziolus id fatetur:* Herculium, *inquit* (8) sæviente persecutione sive in Galliis sive in F eorum (earum) finibus fuisse, historiæ non docent. *Reponit vero :* Sed istæ non negant tamen. *Quod responsum judicat Zaccaria dignum Bailleto et Launoyo cæterisque id genus hypercriticis. Adde Gallias jam inde ab anno* 292 *paruisse Constantio Chloro, in christianos admodum benevolo, nec proinde sub tali principe facile locum fuisse tam atroci carnificinæ. Similiter rejicit Zaccaria sententiam Pingonii, martyrium Thebæorum adscribentis anno* 306; *tum quod dicto anno, teste Eusebio, nulla est vis contra Christi sequaces exercita; tum quod tunc temporis Herculius, qui anno præcedenti* 305 *purpuram una cum Diocletiano deposuerat, in Galliis non esset, cui proinde Thebæi auxilio venire non potuerunt. Haud abs re fuerit hic brevem summam rerum ad Herculium, deposita purpura, pertinentium oculis subjicere : abdicat*

(1) Tillemont, Hist. des Empereurs, tom. III, p. 320 et 309. Item, tom. IV, p. 3. — (2) Ibid., tom. IV, p. 2 et 3. Conf. Art de vérifier les dates, p. 347 et seq. — (3) Tom. VI Sept., p. 336, n. 174. — (4) Ibid., p. 334, n. 162 et seqq. — (5) Ibid., p. 337, n. 177. — (6) Ibid., p. 336, n. 174. — (7) Tom. VI Sept., p. 342, n. 3. — (8) Apud Zaccariam, p. 260.

Herculius

A *Herculius imperium Mediolani* 1 *Maii* 305 (1). *Restituitur Herculio purpura a Maxentio anno* 306, *idque Romæ contigit post mensem Octobris* (2). *Anno* 307 *convenit Herculius in Galliis Constantinum triumphantem, eique uxorem dat filiam suam Faustam, atque Augustum nuncupat* (3); *eodem anno ex Galliis Romam redit, atque hinc rursus in Gallias, unde iterum discedens in Illyricum transit conventurus Diocletianum* (4). *Anno* 308 *ex Illyrico pulsus Gallias repetit, contra Constantinum insurgit, a quo captus cogitur altera vice deponere purpuram* (5). *Denique anno* 310 *tentat Herculius Constantino eripere vitam et imperium; convictus de perversa hac voluntate, strangulatur; forsitan Massiliæ vita exutus fuit* (6). *Non itaque post annum* 306 *locus videtur martyrio Thebæorum, imperante Herculio.*

nec etiam anno, ut tenet Baronius, 297 *vel præcedenti,*

14 *Baronius, quem et alii nonnulli secuti sunt, sanctos Agaunenses milites passos existimavit anno* 297 (7), *Ast, ut recte notat Pagius* (8), acta martyrum Agaunensium, quæ Baronius ex Surio mutuatus est, quæque ab Eucherio Lugdunensi episcopo in litteras relata credi-
B dit, spuria sunt. In iis enim Pseudo-Eucherius Thebæorum militum mortem ad Marcellini pontificatum et ad Maximiani Herculii profectionem in Galliam adversus Bagaudas refert. Et tamen ea profectio initio imperii Diocletiani contigit, Caio Ecclesiam Romanam administrante, cui Marcellinus anno tantum præcedenti (*id est anno* 296) successit. Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino Illustrato (*et post eum iterum Ruinartius et Cleus noster*) genuinam Eucherii lucubrationem in lucem dedit, in qua nulla neque Bagaudarum, neque Marcellini papæ, nec denique Æliani et Amandi mentio, sed tantum Maximiani cum Diocletiano collega imperium tenentis. *Præterea* ut, *inquit Zaccaria* (9), alia omittam, contra hanc (*Baronii*) sententiam pugnat... quod certum omnino sit, ab anno 292, quo creatus Cæsar fuit, cuncta, quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa fuisse; ac proinde christianos pace gavisos; nec tantam earum stragem tunc editam. *Attamen negari non potest Herculium anno* 296 *Rheno copias admovisse, ut, proficiscente in Angliam Chloro,*
C *barbaros contineret, quando, ut loquitur Eumenius in Panegyrico*, omnem illum limitem, non equestribus neque pedestribus copiis, sed præsentiæ suæ terrore tutatus est; *quæ verba innuere satis videntur Herculium in interiora Galliæ non penetrasse, sed ad Rhenum se continuisse, imperiique administrationem his in partibus penes Chlorum mansisse, qui, ut jam dictum, in Christianos valde benevolum se exhibebat. Haud igitur credibile est, tunc Herculium in eos sæviise, variisque in urbibus, prout in actis plurimis legitur, pro tribunali sedisse. Fatetur quoque Cleus* (10), *historiam non satis explicare, quid tunc* ibidem speciatim fecerit Maximianus, quamdiuque moratus sit. *Et addit contra Dubordæum :* Id interim certum est, patere rursum tempus locando sanctorum Agaunensium martyrio. *Quæ verba, ex mente scriptoris, id solum indicant*, potuisse *illa tempestate martyrium contingere, quod et nos concedimus; sed simul existimamus, illud decennio ante locandum, sub bellum nempe rusticanum, et quidem probabilius, ut jam diximus, anno* 285.

nec denique anno 286.

15 *Verum quidem est, plerosque scriptores stare pro anno* 286; *sed ideo quod non respexerint vel non admiserint cæsaream Herculii dignitatem, proinde expeditionem contra Bagaudas susceptam censuerint, cum jam Augustus nuncupatus Herculius esset. Hoc autem posito, clarum est cædem Thebæorum edi non potuisse ante dictum annum. Anno* 286, *inquit Bueus* (11), ad reprimendos Bagaudarum motus arma arripuit (*Herculius*), et Gallias Romanis legibus reddidit. Anno 287 Alemannos, Burgundiones. Herulos, Francos et Saxones habuit hostes; sequenti arma ultra Rhenum barbaris intulit. Biennio circiter post e Galliis Mediolanum abiit, sed tempore hiemis, et paucis comitatus; rediit inde in Gallias, contracto fortasse in Italia majori militum numero. Anno 293 vel 297 in Africam copias duxit. Anno denique 296, proficiscente in Angliam Constantio (*Chloro*), Rheno copias admovit, ut ab inva- E
dendis Galliis, absente Constantio, barbaros deterreret. Quæ omnia fusius explicata tum apud Tillemontium tomo IV Historiæ imperatorum, tum præcipue tomo VI Septembris pag. 332 et seqq. (*scilicet in actis SS. Mauritii et sociorum*) lector inveniet. *Addit Bueus*, eo fere temporis spatio, quod ab anno 286 ad annum 297 effluxit, martyrum Agaunensium cædem contigisse; plerisque priorem arridere; *quod etiam Bueo* probabilius *videtur. Aliud vero est, si Herculius* cæsar *vel saltem ante acceptam purpuram movit contra factionem rusticanam, idque, ut supra declaravimus, nobis longe probabilius est, tum quod cæsarea Maximiani dignitas haud spernendis probetur testimoniis, tum quod ipse Aurelius, cæteroquin nostræ sententiæ non nihil adversus, diserte tradat Diocletianum, Augustum* XVII *Septembris anno* 284 *salutatum*, statim *Maximianum imperatorem jusisse in Gallias transire. Quod si is mandatum hoc tantum accepisset post Kalendas Aprilis anno* 286, *quo Augustus factus est, non omnino verum, obvio saltem vocis sensu, esset,*
F *eum* statim *contra Bugaudas processisse, quos novimus ab eo* levibus prælüis, facile, brevi *domitos. Ad annos intermedios, a Bueo notatos, quod attinet, sane* potuit *illis edi strages Agaunensis, sed an probabile est tunc editam? Non equidem putem. Diximus supra de annis* 296 *et sequenti. Certum præterea est Gallias ab anno* 292 *Constantio Chloro obtigisse, huncque ibidem præsto fuisse usque ad annum* 296, *quo in Britanniam transfretavit, et cujus sub finem redux in Gallias erat, cum tunc ei in urbe Augustodunensi panegyricus ab Eumenio dictus legatur* (12). *Quid anno* 289 *Herculius*, et ubi plerumque egerit, *ait Cleus* (13), fere incompertum. *Et iterum, paucis interpositis :* Reliqua Herculii gesta obscura sunt usque ad iter in Italiam, quod anno 290 vel 291 suscepit. *Certe illis annis nulli noscuntur in Galliis motus quibus compescendis, opus fuisset ab Orien-*

(1) Tillemont, Hist. des Empereurs, tom. 4, p. 22. Bruxellis 1732, in-fol. — (2) Ibid., p. 255. — (3) Ibid., p. 41 et seq. — (4) Ubi supra, et p. 302. — (5) Ibid., p. 45 et seq. Item, p. 302. — (6) Ibid. — (7) Annales, tom. III, p. 277. — (8) Ibid., n. II. — (9) Pag. 269. — (10) Tom. VI Sept., p. 334, n. 160. — (11) Acta SS. tom. II Octob. p. 356. — (12) Tillemont, Histoire des Empereurs, tom. IV, p. 13 et 301. — (13) Tom. VI Sept p. 333.

tis

AUCTORE B. B.

tis partibus milites accersere. Ad posteriorem hunc annum refert Tillemontius (1) *translationem multorum millium Francorum intra fines Romani imperii factam jussu Maximiani Herculii. Denique, ut est apud R. D. Philippum Schmitt* (2), *hæc opinio communiter obtinuit, fundaturque in actis omnium illius temporis martyrum, Herculii sævitiam præcipue prodiisse, primis, quibus in Galliis fuit, annis. Adque hinc est, quod probabilius critici nobiliores coronam Thebææ legionis adscripserint anno* 286, *quo primum Alpes Herculium transcendisse existimabant. Verum, cum nostra quidem opinione, probabile valde sit illum anno præcedenti contra Bagaudas movisse, pariter probabilius putamus Agaunenses martyres anno eodem* 285 *passos.*

Eodem probabilius anno 285, *passi quoque sunt* SS. Crispinus *et* Crispiniamus.

16 *Cum itaque ex communi scriptorum sententia martyrum SS.* Crispini *et* Crispiniani *aliorumque in Galliis ejusdem ætatis Sanctorum sub eadem a Maximiano Herculio excitata persecutione ponatur, nec diu post mactatos milites Thebæos; et prædictorum amborum Pugilum certamen ab omni retro antiquitate signetur die* B XXV *Octobris, pronum satis est ex his inferre eos eodem anno* 285 *coronatos. Nec video quid magnopere obstet, quominus ita statuatur. Certe supponamus oportet, Herculium, edita strage Agaunensi, continuo iter suum in Gallias prosecutum, quo Bagaudarum (quos forte christianos saltem partim, credebat) factionem dissiparet destrueretque. Hos autem scimus ex Aurelio Victore,* plerasque urbium tentasse. *Speciatim Augustodunum ab iis* obsessum et gravissima clade perculsum *tradit in panegyrico Eumenius. Castrum quoque Bagaudarum memoratur in S. Babileni vita, situmque refertur ad Matronam, Parisios inter et Meldos, ubi postea Fossatense S. Mauri monasterium cernebatur* (3). *Porro nihil etiam serio videtur obstare, quominus, intra unius mensis spatium, potuerit Romanus exercitus cum duce suo fines Parisiorum, Meldorum et Suessionum attingere. Quod si ita se habeat, ipsa rerum adjuncta suadebunt mensi Octobri anni* 285 *SS.* Crispini *et* Crispiniani *passionem adscribere, sive quia Maximianus, sanguine Thebæorum recens inescatus, promptior ad illius effusionem fuerit, sive quia mortale, quo in* C *christianos ferebatur, odium ardentius ferociusque flagrarit, ex quo integra legio ejus imperio ad internecionem usque restiterat. Fatemur aliam esse sententiam, quæ hactenus invaluit: unanimes fere sunt critici, ut martyrium SS.* Crispini *et* Crispiniani *adscribant anno* 287 *vel sequenti.* Si, *inquit Tillemontius* (4), prout in actis legitur, mors violenta Rictiivari acciderit ante consummatum illorum martyrium, narrationis series suadet, hoc ponendum anno 288. *Similiter Baillet* (5) : Palma refertur ad annum 287 aut sequentem, quibus Maximianus et Rictiusvarus præcipue fuderunt christianorum sanguinem in utraque Belgica. *Et Longuevallius* (6) : Potuit contingere martyrium illud anno 288, quo Maximianus adhuc in Galliis morabatur. *Castellanus* (7) *margini apposuit :* circa annum 287. *Denique in actis Sanctorum Belgii* (8) : Passio SS. Crispini et Crispiniani, *inquit Ghesquierus* D *ex commentario Joannis Perieri*, annectitur anno 287 vel 288; quia in eorum actis... Rictius Varus, qui eis sub imperio Diocletiani et Maximiani mortem intulit, etiam sub idem tempus e vivis ereptus scribitur. Certe haud diu ante dictos annos eam contigisse, patet ex nominatis imperatoribus, qui nominantur etiam cum Rictio Varo in actis SS. Sixti et Sinicii ac alibi semper. *Quæ tamen non omni ex parte accurata sunt : nam stando actis nostris, Rictius Varus mortem quidem sibi adscivit sub passione, sed ante coronam SS.* Crispini *et* Crispiniani. *Sed leve hoc est, nec aliquid confert ad elucidandam quæstionem, quam hic tractamus. Id autem rite notandum est, laudatos scriptores inductos ut ad annum* 278 *vel* 288 *removerent SS. Pugilum martyrium, fere unica hac ratione quod sub eorum passione Rictius Varus violenta morte interierit. Sed an acta tum SS.* Crispini *et* Crispiniani *tum aliorum SS. martyrum tanta sinceritatis nota præfulgent, ut eis sine mora aut dubio præstanda sit fides? Nemo sane sic statuerit. Adde Rictiovarum ex solis hujusmodi innotuisse martyrum* E *actis, non ante sæculum* VI *conscriptis, ex quibus ejus deinde nomen in fastos ecclesiasticos illatum est. Certe Rictiovari nulla est mentio apud antiquiores cœvosque scriptores sive sacros sive profanos. Nihil itaque certi de ortu vel obitu statui potest. Quinimo sunt qui dubitarunt an umquam exstiterit, existimantes vocem* Rictiovarus *deducendam a* Rix Var *quod celtice significat* virum potentem *nec nomen esse viri, sed officii vel dignitatis, etc. Confer Schmitt* (9) *et Annotata nostra, litt.* h *et* i. *Insuper illi omnes scriptores laudati hos annos martyrio assignant, qui censebant passionem Legionis Thebææ contigisse anno* 286, *non attendentes ad Cæsaream Herculii dignitatem, sed assumentes hunc in Gallias tantum venisse post acceptam Kalendis Aprilis an.* 286 *purpuram; et præterea opinantes non ita exiguo temporis spatio opus fuisse, quo Herculius, Agauno contra Bagaudas movens, Parisios, Meldos, Veromanduos, Suessiones usque pertingeret. Nec ego multopere repugnaverim, si quis ob rationem ultimo loco redditam, martyrium SS.* Crispini *et* Crispiniani *censuerit in annum* 286 *differendum,* F *quod non facile admittendum videatur unius mensis decursu ab Alpium radicibus seu ex Veragris Romanas turmas ad præfatorum populorum limites pervenisse. Dixi anno* 286, *quia in nostra sententia profectio Herculii in annum incidit* 285.

Recapitulatio.

17 *Itaque, ut paucis contrahamus hactenus disputata, probabilius nostra opinione est, Herculium, priusquam Augustus Kalendis Aprilis an.* 286 *nuncuparetur, Cæsarem fuisse dictum, idque vel exeunte anno* 284 *vel inchoato sequenti; Cæsarem contra Bagaudas movisse, atque mense Septembri anni* 285 *Agaunum pervenisse, ibique circa* XXII *ejusdem mensis et anni mactasse legionem Thebæam; exinde Gallias ingressum, inclinante Octobri attigisse Parisios, Meldos, Suessiones aliasque vicinas civitates; pluresque christianos tunc in his*

(1) Hist. des Empereurs, tom. IV, pag. 8. Conf. Bucherium, Belgium Roman. p. 225. — (2) Die Kirche des H. Paulinus, p. 25. — (3) Bucherius, p. 221. Confer Art de vérifier les dates, p. 347. — (4) Mémoires, tom. IV, p. 461. — (5) Vies des Saints, 25 Octob. — (6) Histoire de l'Eglise gallicane, tom. I, p. 131. Paris. 1825 in-12. — (7) Martyrologe universel, 25 Oct. — (8) Tom. I, p. 47. — (9) Die Kirche des H. Paulinus, p. 404 et seqq.

tractibus

A *tractibus martyrio coronatos, quos inter SS.* Crispinus *et* Crispinianus *numerandi, die* 25 *Octobris Suessione passi.*

Quo tempore in Gallias venerint SS. Martyres nostri.

18 *In actis SS. Fusciani et Victorici primum a Bosqueto deinde a Ghesquiero nostro editis, ita habetur* (1) : Sancti ergo viri Dei Fuscianus et Victoricus cum duodenario numero sociorum (*ex quo numero ipsi duo erant*) per ordinem glomerati, una cum venerabili Dionysio præsule, comitibus cæteris Piatone, Ruffino, Crispino, Crispiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino et Regulo (Eugenio) ab urbe Roma progredientes... intra Galliæ fines urbe Parisiis, duce Christo itineris pervenerunt. *Similia leguntur in actis S. Piatonis* (2), *S. Chrysolii* (3) *etc. Existimat Ghesquierus* (4), missionis eorum epocham citra errorem statui quidem posse circa medium sæculi tertii ; annum autem ipsum indubie assignari non posse... *attamen* satis probabile esse Sanctos illos a Fabiano papa (*qui pontifex fuit ab anno* 236 *ad annum* 250 (5)) in Gallias missos fuisse et quidem mense Junio Juliove anni 249. *Quæ tam accurata temporis definitio si admittenda cen-*
B *seatur, sancti Martyres nostri annos circiter triginta sex vel septem in Galliis exegissent, passique fuissent sexagenarii, posito eos vigesimum suæ ætatis prætergressos cum Roma excesserint. Nec equidem video cur retardandus eorum in Gallias adventus esset, ob id solum, quod sub Maximiano Herculio palmam consecuti sint. Nihil enim repugnat ut sexagenarius imo septuagenarius eoque major pro Christo fortiter decertet* (6). *Ast aliunde gravior occurrit difficultas. Scilicet Bueus noster qui in commentario prævio de SS. Dionysio, Rustico etc. quæstionem hanc ex professo tractavit ;* nec certum est, *inquit* (7), an Dionysius, cum Roma in Gallias perrexit, Socios sibi in via, præter aliquot e superioris ordinis sacerdotibus seu episcopis, quos cum eo missos Gregorius Turonensis... scribit, adjunctos habuerit SS. Rusticum et Eleutherium, aliosque insuper Sanctos... quos SS. Fusciani et Victorici acta commemorant. *Verba Gregorii, cujus auctoritatem vindicat contra Franciscum Pagium et Petrum de Marca idem Bueus* (8), *hæc sunt* (9) : hujus (*Decii*) tempore septem viri episcopi ordinati ad prædicandum
C in Gallias missi sunt, sicut historia Passionis sancti martyris Saturnini denarrat. Ait enim : Sub Decio et Grato consulibus (*seu anno Christi* 250 (10)), sicut fideli recordatione tenetur... Hi ergo missi sunt : Turonicis Gratianus episcopus, Arelatensibus Trophimus episcopus, Narbonæ Paulus episcopus, Tolosæ Saturninus episcopus, Parisiacis Dionysius episcopus, Arvernis Stremonius episcopus, Lemovicinis Martialis destinatus est episcopus. *Verum non video quam ex hoc loco eruere Bueus queat probationem. Loquitur quidem Gregorius de episcopis, de aliis autem tacet ; quos tamen nullo modo negat venisse. Addit Bueus* (11), reperiri *actorum* exemplaria, quæ vel socios, quos Dionysio adjungunt... sub Domitiano passos memorant, vel nullam plane Dionysii faciunt mentionem; *ac denique propendet in hanc sententiam, quam* D *etiam tenet Tillemontius* (12), *nempe voces* comites, socios *latiori sensu accipiendas, ut illi cum Dionysio venisse dicantur, quod eodem circiter tempore eamdemque ob causam in Gallias appullerint. Ghesquierus nititur, nec omnino perperam, actis SS. Fusciani et Victorici, quæ conscripta existimat sæculo* VI, *quibusque pondus tribuit et meritum haud vulgare* (13). *Nolim quæstionem ego nec ausim dirimere : deficiunt argumenta ad hoc idonea. Rationes a Bueo allatæ, si singillatim sumuntur, haud difficulter divelluntur ; aliunde vero contraria sententia certis destituitur momentis. Quo circa non facile admiserim omnes illos socios eodem prorsus tempore seu anno Roma simul profectos. Quod autem spectat ad SS.* Crispinum *et* Crispinianum, *eorum Passio, edenda infra, favet Bueo. Sic enim orditur :* Sub Diocletiano et Maximiano... Quintianus (Quintinus), Lucius (Lucianus), Valerius et Eugenius, Romæ claris natalibus orti in Gallias prædicare venerunt, quique sancti laboris cursum martyrio consummantes, triumphatores insignes migrarunt ad Dominum. Quos secuti eadem E fidei devotione parique natalium habilitate Crispinus et Crispinianus, Suessionis civitatem hospitam suæ peregrinationis elegerunt. *Verumtamen socii S. Dionysii habentur a Patribus concilii Suessionensis secundi anno* 866, *in* Privilegio a Synodo concesso monasterio Sollemniacensi. *Sic enim scribunt* (14) : *Innotuit synodo* qualiter vir venerabilis atque beatissimus Elegius, Viromandensis ecclesiæ episcopus... cœnobium ipsum in Limovicino rure, quod Sollemniacus vocatur, in honore omnipotentis Dei et veneratione beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac martyrum Dionysii et sociorum ejus Crispini et Crispiniani, *etc. Confer chartam S. Eligii de fundatione Sollemniaci* (15).

Actorum ætas et meritum.

19 *Autumat Baillet* (16) *scripta fuisse acta SS.* Crispini *et* Crispiniani *ad finem sæculi* VIII. *Id certum lecta fuisse a Floro, quod ex hujus verbis manifeste liquet. Sic habet Beda ad hunc diem* XXV *Octobris* (17) : Suessiones natale sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani ; *addidit vero Florus :* Quos Rictiovarus præfectus jussu Maximiani imperatoris comprehendens, F cum idolis sacrificare nollent, fecit a trochleis extendi et fustibus cædi ; deinde in ungulis eorum sudes mitti, et de dorso singulorum singulis corrigiis ablatis, eorum colla molis suspensis in fluvium demergi ; ac plumbo ignito et pice ferventi et oleo concremari. Qui in cunctis dextera Christi protecti, et Rictiovaro præfecto in his ultione divina interempto, præcipiente Maximiano imperatore gladio sunt trucidati. Quorum corpora angelo monente quidam senex nocte in navicula contra undam fluminis leviter vehens, clam sepelivit. *Hæc qui contulerit cum actis ad calcem commentarii nostri excusis, nullum habebit dubium illa a Floro in compendium fuisse redacta. Videntur itaque sæculo nono antiquiora:*

(1) Acta SS. Belgii, tom. I, p. 158. — (2) Ibid., p. 127. — (3) Ibid., p. 145. — (4) Ibid., p. 158 et seq. — (5) Art de vérifier les dates, p. 242. — (6) Conf. Acta SS. Belgii, tom. I, p. 159, n. 13. — (7) Acta SS., tom. IV Octobris, p. 897. — (8) Ibid., p. 892. — (9) Gregorius Tur., Historia Francorum, l. I, c. 28. — (10) Art de vérifier les dates, p. 330. — (11) Acta SS., tom. IV Oct., p. 897. — (12) Mémoires, tom. IV, p. 443. — (13) Acta SS. Belgii, tom. I, p. 157. — (14) Sirmondus, Concilia antiqua Galliæ, tom. III, p. 501. — (15) Gallia christ., tom. II. Instrumenta, col. 185. — (16) Vie des Saints, Octob. ***Tabula*** critica, p. XXVII. — (17) Acta SS., tom. II Martii, p. 55 et seq.

scripsit

A *scripsit enim Florus contra Joannem Scotum anno* 852. Fatetur autem Caveus ignorare se quamdiu post scriptum in Erigenam superfuerit auctor noster. *Matthæus Westmonasteriensis de eo mentionem adhuc facit ad an.* 883. *Ita Gallandus* (1). *Inferre utique ex his licet acta fuisse medio sæculo nono et nota et adhibita. Unde Bailletus ratus conscripta exeunte sæculo* VIII, *non videtur nimium præsumere; alii forte multo antiquiora censebunt, cum iis fidat Florus, vir gravis et eruditus; quod sane non fecisset si recentiori ævo judicasset scripta. Ad pondus et meritum quod attinet, more suo Tillemontius flocci illa facit* (2) *propter immixta, ut ait, prodigia et alia nonnulla adjuncta, quæ verisimilia non sunt. Longuevallius* (3) *dubitat an artem sutoriam exercuerint, et an quæ de nece Rictiovari traduntur possint admitti, quia, inquit, acta non videntur satis sincera. Utut tamen est, ipsum martyrium omnibus certum. Vide Annotata, ubi in specie de nonnullis hujusmodi dicam. Edita primum fuere acta a Petro de Natalibus, lib.* IX, *cap.* CVI, *sed contracta, omissis sententiis et verbis, quibus*
B *facta commendantur seu legentium animi ad pietatem excitantur. Idem præstitit Mombritius* (4), *non tamen iisdem plane verbis; prætermittit præterea nonnulla a Petro servata. Mombritii compendium dedimus supra n.* 2. *Integra sunt apud Surium, qui, ut consuevit,* stylum mutavit *et insuper* nonnihil historiam contraxit, salva rerum fide et integritate. *Nos primigeniam phrasim exhibemus ex pluribus mss. quorum apographa decessoribus nostris submissa : unum* ex ms. Accincti monasterii et Caritatis *a P. Chiffletio procuratum; alterum ex ms. Marchianensi* membranaceo satis vetusto; *tertium denique* sicut habetur et exstat in antiquissimis mss. codicibus. *Atque hoc quod prælo subjecimus collatum est cum ms. sancti Maximini Trevirensis et etiam cum altero Sanctaudomarensi. Continetur etiam in magno codice nostro ms. membranaceo, olim ad abbatiam Grimbergensem prope Bruxellas, spectante, quo plurimæ SS. vitæ exhibentur; estque majoris formæ et splendide exaratus. Parum ab invicem discedunt. Variantes lectiones alicujus momenti ad margines scriptas invenies vel inter Anno-*
C *tata. Stylus prolixus est, videturque scriptor mirum in modum delectatus transpositionibus verborum.*

§ II. De ecclesiis Suessione SS. Martyrum nomine dicatis; de horum ibidem sepultura, translationibus, et reliquiis.

Situs urbis Suession. et variæ ædes sacræ :

Q*uo magis perspicua fiant, quæ de prima sepultura et translationibus SS. Martyrum dicentur, juverit nonnulla prælibasse de monumentis locisque, partim intra partim extra præsentem urbis Suessionensis ambitum sitis, quæ cum passione et reliquiarum veneratione connectun-*
D *tur. Quam in rem adhibemus plura documenta eaque valde pretiosa, quæ nobiscum communicavit R. D. Can. Henricus Congnet nomine venerandi Capituli Suessionensis. Atque imprimis notandum, latus urbis Orientale allui majorem partem Axona* (Aisne), *minorem Crisia* (Crise) *fluviolo, qui ibidem exoneratur in Axonam. Hæc autem, quatenus urbem alluit, prolabitur ex Meridie in Septemtrionem, et dein post unum alterumve milliarium flectitur in Occidentem, idque linea fere recta et quasi in perpendiculum, sicque exinde profluens, in Isaram* (Oise) *incurrit prope Compendium. Itaque ad Orientem alluitur, ad Boream cingitur Axona civitas prout nostris spectatur diebus* (5). *Vide tabulam topographicam cl. de Vuillefroy, in qua notantur diversi diversis temporibus urbis Suessionensis ambitus, sicut et loci, quibus exsurgebant antiqua civitatis monumenta* (6).

locus passionis et carceris etc.

21 *Ex antiqua traditione* locus passionis, *si-*
E *gnatur juxta ipam sinistram Axonæ, qua parte ex Ortu in Occasum decurrit, ac proinde situs est ad Septemtrionem urbis; atque ibidem ad rei memoriam erecta quondam crux fuit. Accedendo paululum ad urbem invenitur* locus carceris, *quo primum ante certamen SS. Martyres detenti perhibentur; quorum in honorem ædificata ecclesia seu capella est, quæ originem dedit Abbatiæ S. Crispini in Cavea* (St Crépin-en-Chaie). *Haud procul inde situm erat palatium in quo Romanorum tempore provinciæ rectores degebant et ipsi nonnumquam imperatores morati sunt* (7); *quodque ab aliquot jam sæculis* Castrum Alabastri (Chateau d'Albâtre) *vocari cœpit, hodie funditus eversum; cujus vero, nostra præsertim ætate plurima rudera haud parum spectanda fuerunt effossa* (8) *Nonnulli volunt hoc in palatio incarceratos SS. Martyres. Cæterum haud multum ab invicem discedunt ambæ sententiæ, cum altera carcerem statuat quærendum juxta, altera intra palatium : est enim verisimile totum illud spatium, quod inter Axonam et ædes jacebat, ad palatium plus minus spectasse. Intra civitatis ambitum, qualis jam censetur exstitisse sub Romanis, reperiebatur domus seu tugurium senis, qui una cum sorore sua legitur postridie passionis corpora SS. Martyrum, per Axonam navicula et adverso flumine transvecta sepulturæ*
F *mandasse. Utriusque nomina in actis desiderantur; apud scriptores Suessionenses vocantur Rogerius et Pavia. Eo loci postea condita fuit ecclesia S. Crispini minoris seu parvi* (St Crépin-le-Petit). *Exeunte sæculo* III, *paucisque elapsis annis post SS. Pugilum passionem translata fuere sacra pignora ex præfato tugurio atque iterum adverso flumine per Axonam ad locum ubi postmodum exurrexit celeberrima abbatia S. Crispini majoris* (St Crépin-le-Grand). *Hæc spectato urbis medullitio sita erat Austrum inter et Ortum, separabaturque ab urbis præsenti ambitu per Crisiam, quæ prope abbatiam effunditur in Axonam. Signatur ibidem Castrum, hodie quidem solo æquatum, sed apud historiographos regionis illius frequenter commemoratum dictumque* Château de Crise *Castrum Crisiæ. Quod tamen ubi, imo an umquam exstiterit, dubi-*

(1) Migne, Patrol., tom. CXIX, col. 9. — (2) Mémoires, tom. IV, p. 461. — (3) Histoire de l'Eglise gall, tom. I, p. 130. — (4) Tom. I, fol. 198. — (5) Conf. Notice sur le Château d'Albâtre ou Palais Gallo-Romain de Soissons par M. Jul. de Laprairie. Laon, 1854. Gallia Christ. tom. IX. *Mappa provinciæ Remensis*. Cassini, Carte générale de la France. Paris 1808. Mappa 44. Signata P. J. — (6) Plan de Soissons indiquant ses enceintes successives et l'emplacement de ses anciens monuments. — (7) Notice, p. 30 et seqq. — (8) Ibid. p. 7, 32, 38, et seq.

tant

A *tant multi* (1). *Denique, ut nihil omittamus, signatur ad ripam Axonæ locus, quo sacra corpora, cum ineunte sæculo* IV *transferrentur, primum appulerunt fere e regione basilicæ S. Crispini majoris. Clarius singula oculis subjecta dignosces, ex tabula topographica supra laudata, quam partim atque minorem in formam redactam, duximus exhibendam.* AUCTORE B. B.



INDICULUS. — *a*. Ambitus oppidi Gallorum ætate. — *b*. Ambitus oppidi tempore Romanorum. — *c*. Murus initio medii ævi exstructus. — *d*. Novi muri durante medio ævo. — *e*. Murus anno 1552 erectus. — *f*. Nova mœnia anno 1826. — *g*. Axona flumen. — *h*. Crisia fluvius. — *i*. Via hodierna Ambianum versus. — *j*. Via hodierna Rhemensis. — *l*. Via hodierna, quæ a Matrona (Marne) vocatur.

1. Locus martyrii SS. Crispini et Crispiniani. — 2. Carcer SS. Crispini et Crispiniani. — 3. Abbatia S Crispini in Cavea. — 4. Locus ubi primum appulere Sanctorum corpora. — 5. Tugurium Rogerii. — 6. S. Crispinus parvus. — 7. Locus ubi Sanctorum reliquiæ appulere cum transferrentur ex tugurio Rogerii. — 8. S. Crispinus major. — 9. Castrum crisiæ. — 10. Castrum alabastri. — 11. Ecclesia cathedralis. — 12. Ecclesia B. V. — 13. Abbatia B. V. — 14. Turris comitum.

Basilica S. Crispini in cavea;

22 *Atque hæc summatim dicta sint de monumentis ad memoriam et venerationem SS. Martyrum spectantibus. Sed latius agendum de basilicis, quarum frequens mentio recurret hoc paragrapho, quo de sepultura et translationibus sermonem facimus. Tres scilicet sunt basilicæ seu ecclesiæ vel oratoria, vulgo capellæ, ab antiquo in honorem SS.* Crispini et Crispiniani *a Suessionensibus conditæ; una S.* Crispini in Cavea (*St Crépin-en-Chaie*) *dicta, de qua hæc habet Gallia Christiana* (2) : Florente Romano imperio, Augusta Suessionum suum habuit amphi-
C theatrum ad ripam Axonæ extra muros urbis : nam extra urbes pleraque olim erant amphitheatra. Romanos autem amphitheatrum sæpe ut Arenam sic et Caveam vocavisse constat, ab inferiore parte cava, profunda et capaci. Inibi sanctos Crispinum et Crispinianum inclusos a tyranno fuisse fert traditio, quorum in honorem erecta postea ibidem fuit capella, seu ecclesia, quæ abbatiæ originem dedit. *In quæ verba notabo primum non mihi certum* pleraque *amphitheatra extra urbium mœnia fuisse posita. Lipsius in duplici sua de Amphitheatris scriptione* (3) *ne uno quidem verbo tangit vel innuit an intra vel extra urbes* plerumque *ponerentur; ut satis exinde appareat nihil notatu dignum hac de re ei occurrisse. Deinde constat* caveæ *nomen apud antiquos, id est* libera repu-
blica, *ut loquitur idem Lipsius* (4), in theatris fere hæsisse; sed sub principibus, cum gratia et usus amphitheatrorum increbuisset, bono jure migrasse ad ista. *Unde Tertullianus contra Marcionem* (5) : Non frequentas tam solemnes voluptates circi furentis, et Caveæ sævientis et scenæ lascivientis? *Et Salvianus* (6) : Quidquid immoderationis in circo * ; quidquid furoris in Caveis. *Dicebatur autem* Cavea, *a parte amphitheatri interiore concava. Cavea erat etiam locus, in amphitheatro, in quo feræ detinebantur* (7). *Nihilominus dubito valde an umquam Suessiones habuerint amphitheatrum, de quo apud veteres altum servatur silentium : nec*
F *uspiam video certas vel repertas vel defossas reliquias. An forte opinio de amphitheatro Suessionensi orta ex voce* cavea, *sub qua innotuit abbatia, qua de agimus? Nec enim necesse omnino est caveam idem dicere ac amphitheatrum. Cavea, ut est apud Robertum Stephanum, proprie significat locum sub terra vacuum et obscurum. Nihil itaque obest quominus SS. Martyres in istiusmodi loco, et in ipso palatio incarcerati fuerint. Longe quidem communior traditio est, illos in amphitheatro detentos; sed an etiam verior? Equidem non putem. Comperi insuper viros nostris diebus archeologiæ peritiores, quos inter honoris causa nomino D. Julium de Laprairie, supposititium existimare prætensum Suessionense amphitheatrum. Dicuntur Monachi S. Crispini in Cavea, cum anno* 1706 *novas exstruerent ædes, dejecisse antiquam turrim, SS. Martyrum, ut ferebatur, carcerem, positam*

* Al. *circis*.

(1) De Laprairie, Notice, p. 47 et seqq. — (2) Tom. IX, c. 464. Dormay, t. II, p. 108. — (3) De Amphitheatro liber. Opera, t. III, p. 553-582. De Amphitheatris quæ extra Romam libellus. Ibid., p. 583-596. Conf. Pitiscum, Lexicon Antiq. Romanar. V° *Amphitheatrum*. — (4) Pag. 558. — (5) Migne, Patrologia, t. II, col. 279. — (6) Ibid. t. LIII, col. 120. — (7) Pitiscus, V° *Cavea*.

AUCTORE B. B.

haud longe a scalis præclari operis, quibus ascendebatur ad dormitorium, et quæ hodie adhuc visuntur in parte ædium superstite. Ast turrim illam sæculo III *jam exstitisse quis serio dixerit? Id solum admitti posset, nempe erectam fuisse in loco, ubi carcere detenti fuerant; quod pari jure, per se, tam ad palatium quam ad amphitheatrum retuleris. Cæterum capellæ, quæ originem abbatiæ dedit, mentio occurrit sæculo undecimo, si fides instrumento apud Dormayum laudato* (1) : *anno scilicet* 1073 *officialis Suessionensis tulisse sententiam legitur, qua constat, incolas vici Froidmantel* (Fromentel), *fassos, accessum se habere ad Fontem Vallis, ex libera concessione ecclesiæ S. Crispini, ad quam fons ille pertinebat. Ipsa autem abbatia auctores habuit Guiardum seu Wiardum quemdam, qui restaurato oratorio circa an.* 431, *dedit domum suam ad ædificandum monasterium, et alium nomine Jacobum, qui concessit ad sustentandos canonicos prædium suum apud* Pasly, *vicum fere e regione abbatiæ situm in altera id est dextra Axonæ ripa : uterque dicitur illic vitam amplexatus regularem* (2). *Annum fundationi,*

B *ut habet Gallia Christiana* (3), assignant 24 Ludovici VI et 5 Josleni episcopi; hic est annus Christi 1131. Fundator quoque audit Reinaldus leprosus, comes Suessionensis, seu quod nonnulla donavit an. 1141, seu quod fundatam jam confirmarit canoniam. Florebat tum Arroasiensis ordinis S. Augustini fundatio, unde assumpti canonici ad formandam S. Crispini abbatiam : quæ sic Arraosiæ filia, peperit ipsa paulo post S. Johannem de Valencenis. *Anno autem* 1660 *canonici S. Crispini gallicanæ canonicorum regularium Congregationi nomen dederunt;* qui non tantum ædes sed et mores reformarunt. *Exeunte sæculo* XVIII *per tumultus civiles destructa abbatia est ; pars ædium superstes hodie in privatam conversa domum est, quam possidet et incolit D. marchio de Roualle.*

basilica S. Crispini parvi, *ubi prima SS. MM. sepultura;*

23 *Altera basilica SS. Martyrum memoriæ consecrata, vocatur S.* Crispini parvi, *erecta in loco primæ eorum sepulturæ. Scilicet post consummatum capitis abscissione martyrium, SS.* Crispini *et* Crispiniani, *ut legitur in actis,* corpora a carnificibus, bestiis canibusque ac avibus improbis voranda sunt derelicta, quæ,

C Christo custodiente, a morsibus eorum remanserunt intacta. *Nocte autem insequente,* senex quidam (*ita Petrus de Natalibus summatim ex iisdem actis* (4)) cum germana sua vetula (*seni nomen traditur fuisse* Rogerius, *vetulæ* Pavia) ab angelo monitus corpora inde tulerunt. Venientesque ad fluvium Axona in navicula, divinitus ibidem præparata, ea posuerunt; et contra ictum fluminis sine remo vel remige, Deo duce, ad locum sibi ostensum pervenerunt; et Sanctorum corpora sine ullo pondere portantes, ita ut magis ipsi a corporibus portari viderentur, in quodam eorum tugurio secreto sepelierunt. *Subdunt acta frequentem huc exinde accurrisse populum,* qua frequentia vile egenorum tugurium effectum oratorium, etiam regis palatio præeminere honore cœpit. *Ex his habemus primam SS.* Crispini *et* Crispiniani *sepulturam seu depositionem in tugurio postridie quam passi erant. Actis concordat* D *communis traditio scriptorum perpetuo sibi constans, nec a quopiam, quod sciam, in dubium serio vocata. Unde Saussaius in encomio* (5) : Corpora eorum relicta canibus avibusque devoranda, sed Christo custode nil læsa, a pio quodam sene ejusque sorore sepulturæ tradita sunt. *De qua sepultura dicitur in Nova Gallia Christiana* (6) : Sepulta primum creduntur ubi postea ædificata capella de S. Crispino parvo, nunc que morantur moniales de Congregatione B. M. V., *a Petro Furiero* (*Fourier*) *canonico regulari fundata, probata a Paulo papa V* (7). *Sacræ virgines illæ Suessionem advenerunt anno* 1622 ; *quibus ejusdem anni die* XXV *Aprilis Ludovicus XIII, Galliæ rex, concessit capellam S. Crispini* (8). *Addo sequentia ex mss. a R. D. Congnet transmissis. Exstabat ecclesia illa prope Turrim seu palatium comitum,* (*hæc diruta sæculo* XVIII *locum dedit alteri ædificio, in quo nunc magistratus urbanus sedem habet*) *atque erecta fuerat anno* 1184 *a Rodulpho de Nigella* (*Raoul de Nesle*) *in honorem S. Dionysii. A calvinistis dejecta, dein renovata balistariis, ac tandem anno* 1622 *concessa monialibus* E *B. M. V., quæ coemptis horto et nonnullis ædibus monasterii sui fundamenta ibidem posuerant. Atque ita res se habuerunt usque ad finem sæculi præterlapsi, quo tempore, ut fere per universam Galliam, pulsis monialibus, solo æquata ecclesia fuit et aliæ ædes in privatas domos conversæ, quarum uni area destructæ ecclesiæ hortum præbet. Murus vero, quo hortus iste separatur a vicino fundo, fert vestigia* (*arcum nempe unum decussatum*) *portæ, qua introitus in templum patebat. Qua* (*id est ante domum cui retro adjacet præfatus hortus*) *dum per majores litanias, Rogationum feriis transitur, canitur nostra tempestate antiphona cum oratione SS.* Crispini *et* Crispiniani. *Crypta, ubi recondita ab initio sacra fuerant corpora, frequens visitabatur a peregrinis et infirmis. Hodie vero nullum illius signatur imo nec noscitur vestigium. Denique discimus ex charta Albuini, abbatis S. Crispini majoris, data anno* 1236, *monachos hujus monasterii habuisse ædes, quas vocabant* domum de S. Crispino parvo (9). *An forte exinde factum, ut ecclesia prius S. Dionysio dicata postea a S.* Crispino parvo *sit nuncupata?* F

basilica S. Crispini majoris,

24 *Tertia denique capella origo fuit* abbatiæ S. Crispini majoris, *exstructa super cryptam, ad quam primum sacra pignora sub SS. Sixto et Sinicio delata fuerunt; qua de translatione latius dicendum erit. Atque hæc celebris est illa basilica, cujus frequentissima apud antiquos mentio occurrit, ædificari cœpta, ut est in actis, haud diu post prædictam translationem. Concordat antiquarius Suessionensis Le Moine :* Inter antiquissimas urbis ecclesias, *inquit* (10), numeranda basilica S. Crispini majoris. Initio parvum erat oratorium, erectum, ut fertur, circa annum 310, ubi servabantur corpora SS. martyrum Crispini et Crispiniani, eo delata ex tugurio Rogerii (*hoc, ut dixi, nomen Seni, de quo in actis, datur; quo jure equidem ignoro* (11)). *Postea magnis expensis reædificatum a Suessio-*

(1) Histoire de Soissons, tom. II, p. 108. — (2) Gall. Christ. tom. IX, col. 464. Item R. D. Pécheur, in Mss. — (3) Ibid. — (4) Lib. IX, cap. CVI. — (5) Martyrol. Gallic., 25 Octobris. — (6) Tom. IX, col. 394. — (7) Expilly, Dictionnaire géographique des Gaules et de la France. V° *Soissons.* — (8) Ibid., Conf. Dormay, tom. I, p. 105. — (9) Pécheur, mss. — (10) Hist. des antiq. de la ville de Soissons, t. I, p. 173. Soissons 1663. — (11) Vide Dormayum, tom. I, p. 105 et 109.

nensibus

A *nensibus est oratorium; ast non constat quo tempore. Certe Gregorius Turonensis tradit ibidem sepultum* Chlodobertum, filium Chilperici et Fredegundis. *Diserta sunt Gregorii verba :* Chlodobertum vero, *inquit* (1), componentes in feretro, Suessiones ad basilicam sancti Medardi duxerunt, projicientesque eum ad sanctum sepulcrum voverunt pro eo; sed media nocte, anhelus jam et tenuis, spiritum exhalavit; quem in basilica sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum sepelierunt. *Scilicet anno* 580 (2). *Antiquarius Suessionensis solidis, ut existimat, nixus documentis, asserit basilicam diu ante Chilperici I imo etiam Clotarii I (qui regnavit ab anno* 511 *ad annum* 561 (3)) *ætatem exstitisse, erectamque sub Constantino, paulo ante medium sæculum quartum* (4). *Id ergo certum, tempore translationis, cui interfuit S. Eligius, basilicam jam dudum ædificatam; sed an eadem sit, an vero renovata sub translationis tempus incompertum manet. Rem quoque in medio relinquit Dormayus* (5) : Jam ædificata, *inquit*, erat in eorum honorem ecclesia; quid supererat, nisi ut ibidem reponerentur reli-
B quiæ? *Dicant alii qua Cointius fide scripserit Ansaricum corpora transtulisse ex loco ubi diu abdita post agonem jacuerant*, ad basilicam a se eorum nomine dicatam. *Nihil tale reperire est in Annalibus S. Crispini Majoris, cujus historia ad annum usque* 862 *fere ignota. Unde Gallia Christiana* (6); nunc de abbatibus abbatiæque historia dicturi, observare operæ pretium duximus, hanc primo abbatiam dici in annalibus Bertinianis ad annum 862, quo data est a Carolo Calvo filio ejus Ludovico Balbo. Non dubium quin ante Ludovicum plures exstiterint abbates, sed in tanta rerum obscuritate et temporum distantia ignotos esse non mirum (7). *Sequentibus sæculis hæc solum de variis ecclesiæ fatis ibidem traduntur.* Hugo Magnus anno 948. Sub cujus regimine omnes monasterii S. Crispini ædes ignis consumpsit (8). *Et infra:* Ansellus... transtulit reliquias S. Felicis martyris anno 1054 « Idibus Maii septimo anno restaurationis post incensionem istius monasterii a prædicto abbate restaurati, ejus primum tempore incensi, » ut habet schedula vetustissima in capsa
C inclusa (9); *quibus alterum post Hugonem magnum indicatur incendium. Anno* 1118 Odo venerabilis... qui illud Monasterium a fundamentis instauravit et disciplina monastica egregie illustravit (10). *Albuinus :* vix abbas factus opus novæ fabricæ ecclesiæ aggressus est, ad quam cooperiendam a Ludovico IX obtinuit ligna e Sylva Cotiæ (*Compendiensi*) anno 1235 (11). *Guillelmus I, sub cujus regimine*, annis *nempe* 1358 et 1359, Anglis totam late regionem vastantibus, monasterium munivit, quod paulo post ab iisdem incensum destructumque fuit (12). *Ludovico II* sedente ecclesia dedicata est a Jacobo de Russie suffraganeo episcopi Suessionensis anno 1548 (13). *Nicolaus Dany commendatarius anno* 1566, qua potuit abbatiam ab hæreticis immunem fecit; at impedire non potuit quin ecclesia et monasterium funditus ab eis eversa sint (14). *Denique* anno 1617 ædes et ecclesia a militibus ducis Meduanæ dirutæ sunt (15). *Deinceps usque ad annum* 1727, *quo desinit catalogus abbatum in Gallia Christiana, nihil de ecclesia invenio. Ex quibus, licet unius tantum reædificationis circa annum* 1235, *sicut et dedicationis anno* 1548 *mentio diserte fiat, concludere licet basilicam pluries seu restauratam seu renovatam, attamen eodem fere loco, quo primum condita sæculo* IV *aut* V *fuerat, perstitisse.*

AUCTORE B. B.

quam nonnulli tradunt olim fuisse cathedralem.

25 *Atque hæc dicta sint de ecclesia S. Crispini majoris, quam clerici ne an monachi primum tenuerint, quæstio est acriter sæculo elapso agitata, de qua videsis Galliam Christianam quæ monachis favet.* Nonnulli, *inquit Ruinartius in Notis ad Gregorii Turonensis historiam* (16), existimant ibi olim exstitisse sedem episcopalem. *Unde rursus Gallia Christiana* (17) : Cathedralis templum B. Mariæ et SS. Gervasio et Prothasio a multis sæculis dicatum est. Illud cum basilica SS. Crispini et Crispiniani confundunt nonnulli ad sæculum decimum. Sed plura huic refragantur opinioni, *inter* E *alia quod* Gregorius Turonensis, qui ubique per basilicam intelligit monachorum ecclesiam, basilicam SS. Crispini et Crispiniani memorat, sicut et basilicam S. Medardi sub annum 587. *Cætera, si lubet, lege ibidem loco citato. Unum addo ex actis seu vita S. Ansarici, ubi* basilica *SS.* Crispini *et* Crispiniani *plane distinguitur a* matrice *seu cathedrali. Dixi supra sub secunda translatione liberatam fuisse energumenam. Factum sic narratur* (18) : Parisina mulier, quam ob sua facinora tam atrociter dæmon agitabat, ut dentibus se discerperet, ignis et aquæ pericula minime perhorresceret, ac sæpe ex capitis vertigine caderet epileptica passione. Ducitur ob id misera ferreis manicis vincta ad almæ Dei Genitricis MATRICEM IN URBE SUESSIONICA ECCLESIAM; ubi per novem dies stans cum matre, nihil obtinuit, quia Christus almaque Mater ejus, ut patuit, curam ejus translationi martyrum reservavit. Nam cum translationis die instante mater ejus videret omnes instar apum conglobatos ad deificam MARTYRUM BASILICAM confluere, juvantibus clientulis, dæmo-
F niacam ad locum deduxit, ut saltem experiretur, si Christus Martyrum gratia conferret salutem. Quæ dum chorum ingreditur, crudelius a dæmone fatigata tetros emittit clamores, et cruentas ab ore et naribus vomit spumas, lumina contorquens, membra circumflectens. Attoniti super ea præsules et populi orant Martyres, ut ægram salvent. O melliflua pietas Dei nostri! Sicut illa quæ tetigit fimbriam vestis Domini, a fluxu sanata fuit; sic ista, ut Martyrum attigit (feretrum), a dæmone liberata sanam omnino se sensit, denuoque confessionis in fonte sua crimina delevit. *Additur pium epiphonema. Quis præsens celebris abbatiæ sit status et alia ad eam pertinentia videbimus infra.*

(1) Historia Francorum, lib. V, cap. XXXV. Migne, Patrologia, tom. LXXI, col. 350. — (2) Art de vérifier les dates, pag. 526. — (3) Ibid., pag. 522 et 524. — (4) Hist. des antiquités de Soissons, tom. I, p. 174. — (5) Histoire de la ville de Soissons, tom. I, p. 263. — (6) Tom. IX, col. 395. — (7) Ibid., col. 396. — (8) Ibid. — (9) Ibid., c. 397. — (10) Ibid., c. 400. — (11) Ibid., col. 401. — (12) Ibid., col. 403. — (13) Ibid., col. 404. — (14) Ibid. — (15) Tom. IX, col. 394 et seq. — (16) Migne, Patrol. tom. LXXI col. 350. — (17) Tom. IX, pag. 533. — (18) Tom. II Sept., pag. 546.

Ad

AUCTORE B. B. *Prima translatio sub finem sæculi* III.

26 *Ab his gradum facimus ad Translationes, quæ ex dictis facilius explicabuntur. Prima facta est ex loco sepulturæ seu tugurio Rogerii ad locum ubi postea ædificata est abbatia sancti Crispini majoris. Translatio hæc probabiliter contigit sæculo* III, *cum obitum SS. Sixti et Sinicii ponat Stiltingus circiter anno* 300 (*Acta SS., tom. I Septembris*). *Concordat Gallia Christiana* (1) : Inde (*ex tugurio*) supra urbem ad Axonam translata sunt III Idus Maii, tertio, ut videtur, sæculo, a SS. Sixto et Sinicio, in locum in quo deinceps magnam ædificaverunt basilicam *puta S. Crispini majoris. Hujus translationis memoria habetur in Saussaii Martyrologio Gallicano die VI Martii :* Suessione inventio (*in Indice* Reseratio) corporum sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum facta ex revelatione divina; in qua ipsa sacratissima corpora suavissimos odores efflaverunt, gloriæque, quam apud Christum nobilissimo agone promeriti sunt, perspicua prodidere magnificaque indicia. *Hæc deprompta sunt ex vita S. Ansarici, episcopi Suessionensis, quam illustratam typis subjecit Stiltingus ad*
B *diem V Septembris, ubi ita n.* 5. (2) : Præsul Ansaricus pontificum associatus cohorte quarto Idibus Junii cryptam, sub qua pausabant ossa martyrum (Crispini *et* Crispiniani), ubi olim per Sixtum et Sinicium posita, cum tremore et lacrymis reseravit... Dempto cæmento bina eorum sepulchra discooperuit, et maximus statim inde suavitatis odor fragravit. *Quæ apprime consonant actis SS. Martyrum nostrorum, in quibus tamen non fit mentio SS. Sixti et Sinicii; in horum insuper propria vita, quam idem Stiltingus commentatus est ad diem I Septembris* (3), *hæc translatio ne uno quidem indicatur verbo. Attamen cum acta S. Ansarici, quod ad priorem eorum partem spectat, licet mendis conspersa, haud spernendæ sint auctoritatis; judice Stiltingo* (4), Translatio *illorum corporum ad* cryptam per sanctos Sixtum et Sinicium valde est verisimilis, cum SS. Crispinus et Crispinianus passi sint sub initium imperii Diocletiani, et paulo post, *cum Galliis præsset Constantinus Chlorus*, Sixtus et Sinicius Suessionem pervenerint, ut suo loco
C probatum est (5). *Dormayus* (6) *certam habet Translationem, censetque corpora deposita in castro seu foro* Crisis *dicto, ubi parata fuerat crypta, supra quam deinde erecta ecclesia est,* dudum jam *destructa irruente bello vel collapsa vetustate; dubitat autem an SS. Sixtus et Sinicius translationi interfuerint; ideo putem, quod acta S. Ansarici non viderat Dormayus.*

Altera 27 *Secunda Translatio facta est medio sæc.* VII, *de qua ut longe celeberrima, fusius agendum est.* Ansericus, *inquit Cointius* (7), Suessionnensis episcopus, hoc anno (649) corpora sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, evocatis sanctissimis præsulibus Audoëno Rothomagensi, Farone Meldensi et Eligio Noviomensi, ex loco ubi diu abdita post agonem jacuerant, ad basilicam a se eorum nomine dicatam, magna cum veneratione transtulit octavo Idus Martii, quo die celebris est hujus translationis memoria. *Unde Saussaius præfato die, nempe* VIII *Martii :* Suessione Triumphus sanctorum martyrum Crispini et Crispi- D
niani quando e loco certaminis, ubi aliquamdiu condita latuerant illorum corpora divina manifestatione reperta, atque micantibus miraculis solemni cum fidelium ovatione et jubilo in basilicam, eorum in honorem extructam, hierothecis pretiosis inclusa, ad perpetuam venerationem delata sunt. *Manifeste labitur Saussaius, cum dicit corpora tunc translata* e loco certaminis; *id enim nullo modo convenit rebus sub Anserico gestis; Cointius quoque videtur indicare, sacras exuvias ex loco ubi abdita manserant, ad alium, priori non ita propinquum, delatas; quod tamen non confirmatur ex actis S. Ansarici, ubi contrarium potius declaratur in Translationis prolixa descriptione, cujus summam transcribimus* (8) : *Dominus* hanc ei (*S. Ansarico*) confert gratiam, ut cum sanctis Eligio Noviomensi, Audoëno Rothomagensi, Farone Meldensi cæterisque laude dignis episcopis beatorum fratrum martyrum Crispini et Crispiniani Suessionicorum apostolorum sacratissima corpora transferre mereretur... Cum igitur tanto thesauro dignum
E vas circa aureum et argenteum factum fuisset... dicti almi pontifices divino igne succensi populum Suessionicum, Ansarico suadente, convocarunt, et pro sancta Martyrum translatione triduanum jejunium indixerunt. Quo completo, emissis super corpora Martyrum per præsules actis, clero orante cum plebe, præsul Ansaricus, pontificum associatus cohorte quartis idibus (*quarto Idus*) Junii cryptam, sub qua pausabant ossa martyrum, ubi olim per Sixtum et Sinicium posita, cum tremore et lacrymis reseravit, purissimisque manibus, episcopis juvantibus, Eligio præsertim, qui præcipuus actor erat, dempto cæmento, bina eorum sepulchra discooperuit, et maximus statim inde suavitatis odor fragravit, ad declaranda (ut remur) Martyrum et pontificum adstantium merita... Tunc sancti pontifices sanctos Martyrum artus, cum lacrymabili gaudio exosculatos, in præparatam capsam transtulerunt, et pallio holoserico obvolutos honorifice condiderunt; caput dumtaxat sancti Crispini a populis deosculandum in archivis ecclesiæ reservantes. Elevatur itaque hu-
F meris episcoporum vas admirabile, vas manna continens, vas, inquam, auri solidum, pretiosis virtutum lapillis ornatum, et super altare sursum in eminenti ponitur; ut instar ænei serpentis erectum, omnium devote in se prospicientium languoribus mederetur. Nec id frustra sane. Siquidem in hac translatione reorum vincula solvuntur, effugantur dæmonia, sanantur morbi, peccatorum confertur indulgentia. *Sequitur narratio sat explicata de energumena, sub Translatione liberata, cujus supra n.* 25 *meminimus. Ex recitato loco apparet translatas reliquias non ex uno loco ad alterum procul dissitum, sed ex crypta* in præparatam capsam, *quæ* elevata humeris episcoporum super altare sursum in eminenti ponitur. *Unde Stiltingus* elevatas *potius quam* translatas *ab Ansarico dicit* (9). *Manet tamen dubium, an basilica S. Crispini majoris exurgat eo omnino loci, quo sacra corpora post primam translatio-*

(1) Tom. IX, col. 394. — (2) Acta SS. Tom. II Septembris, p. 546. — (3) Ibid. tom. I, Septemb., p. 118-129. — (4) Tom. II Sept., p. 547. — (5) Tom. I Sept., p. 122. — (6) Histoire de Soissons tom. I, p. 108. — (7) Annales ecclest. Francorum, tom. III, p. 240. Conf. Gall. Christ. Ubi supra col. 337. — (8) Tom. II Sept., p. 546. — (9) Ibid., p. 545.

nem

A *nem fuere deposita, an vero haud procul inde, cintra ambitum nempe Castri Crisiæ, quod tradunt christianis a Constantino concessum, cum Augustam Trevirorum petens hac transiret. Conf. n.* 21. *Hoc posterius si obtineret, recte dixisset Cointius, reliquias ex loco ubi abditæ translatas ad basilicam. Confer Dormayum in Historia urbis Suessionensis* (1).

paulo ante medium sæc. VII, 28 *De anno hujus Translationis non clare constat.* Conjectura sumi potest, *inquit Stiltingus* (2), ex S. Eligii vita cum aliis rationibus collata; attamen non video, annum certo ex ea determinari posse, etiamsi existimare velimus SS. Audoënum et Eligium certo episcopos consecratos anno 640, ut volunt Cointius et Pagius, quorum sententiam, ut probabiliorem interim secutus est Cuperus noster in S. Audoëno ad diem XXIV Augusti : nuspiam enim habetur, quot annis hæc translatio posterior sit suscepta ab Audoëno et Eligio dignitate episcopali. Præterea opinantur aliqui Eligium et Audoënum anno 646 consecratos. Dies Translationis æque dubius est, cum acta notent diem x Junii; Dormayus vero aliique
B velint peractam esse Translationem die VI Martii, uti notavit in martyrologio suo Saussayus. Quapropter nihil de tempore hujusce Translationis certi statuere possum, nisi eam contigisse non diu ante medium sæculi VII : nam alii annum 647, alii 648, ac demum alii 649 assignant; neque pro ullo ex hisce annis meliores invenio rationes quam pro alio; seu potius nulla alicujus momenti ratio pro uno magis quam pro alio allata est. *Quibus etiam ego, nullam clariorem nactus lucem, subscribendum duxi.*

auctore præcipuo S. Eligio. 29 *Ex Actis Translationis n.* 27 *recitatis, liquet S. Eligium præcipuum illius auctorem fuisse nec non etiam adjutorem. Idque apprime congruit S. pontificis vitæ, conscriptæ ab æquali seu coævo ejus, S. Audoëno, episcopo Rothomagensi. Sic enim is orditur lib.* II, *cap.* VI (3) : Huic itaque viro sanctissimo (*Eligio*) inter cætera virtutum miracula, id etiam a Domino concessum erat, ut sanctorum martyrum corpora, quæ per tot sæcula abdita populis hactenus habebantur, eo investigante ac nimio labore fidei indagante patefacta proderentur : si-
C quidem nonnulla venerabantur prius a populo in locis quibus non erant, et tamen quo in loco certius tegerentur, prorsus ignorabatur. Ex eo ergo tempore quo Eligius pontifex consecratus et ecclesiæ pastor est datus, ab eo nonnulla inventa populis sunt declarata; ex quibus primum ac summum sanctum martyrem Quintinum in principio episcopatus sui grandi instantia quæsitum, olim quoque celatum, promovit palam in publicum. *Reliquo capite describitur inventio et translatio. Dein pergit cap.* VII : Post hæc simili modo grandi labore atque instantia invenit in territorio Medenantense, vico Sacilinio, sanctum martyrem Piatonem... corpus denique, sicut martyrem decuit, eleganter composuit, atque mausoleum urbane desuper fabricavit. Suessionis quoque civitate, sanctos martyres et germanos Crispinum et Crispinianum ex quadam crypta prolatos mirifice composuit, eorumque Memoriam insigni ornamento decoravit. Nec non et Belvacus municipio beatum martyrem Lucianum... inventum similiter fabricavit atque composuit; sed et alias quam multas memoriis sanctorum impendit diligentias, quæ nunc non sufficit narrantis evolvere lingua. *Nonne ex hac tanta S. Eligii diligentia, sicut et ex ipsis S. Audoëni verbis inferre cum Stiltingo licet, illum S. Ansarico auctorem fuisse, ut quæreret thecaque pretiosa reconderet SS.* Crispini *et* Crispiniani *reliquias? Quod autem dicatur in vita* Memoriam insigni ornamento decorasse, *innuitur thecam, quæ supra n.* 27 *latius describitur, ab Eligio, ut erat aurifaber peritissimus, si non propriis manibus saltem eo ordinante ac dirigente, fabricatam* (4). *Hactenus de secunda Translatione, quæ longe, ut monui jam, celeberrima est.* AUCTORE B. B.

Tertia translatio sub an. 1141. 30 *Tertiam quamdam memorat Gallia Christiana Translationem sequentibus verbis* (5) : Ernaldus *abbas* corpora SS. Crispini et Crispiniani transferri in aliam capsam procuravit die Lunæ post Pentecosten, anno 1141, *proinde die* XIX *Maii, quum anno illo littera sit dominicalis* E, *et Pascha resurrectionis cadat in diem* XXX *Martii, festum vero Pentecostes in* XVIII *Maii, ut ex Tabula chronologica et Calendario perpetuo Benedictinorum probatur* (6). *Labitur itaque Dormayus* (7), *diem* XXI *Maii translationi assignans, et asserens Pentecosten incidisse in diem* XX *ejusdem mensis. Scribit idem Dormayus, loco cit., novam capsam, quæ operæ et pretio antiquam, industria S. Eligii fabricatam* (*vide supra n.* 29) *superabat, factam expensis monachorum abbatiæ, qui hunc in finem argenteam suppellectilem adhibuerunt; contulit quoque magnam pecuniæ summam Joslenus, Suessionensis episcopus ab anno* 1126 *ad annum* 1152 (8); *ipsi etiam cives ditiores partem boni operis sibi assumpserunt. Atque ex his omnibus collatis* confecta est magnifica illa theca, quæ in hunc usque diem cernitur, *ut scribebat Dormayus medio sæculo* XVII. *Eademque permansit usque ad postremos sæculi* XVIII *annos, ut infra, ubi de reliquiarum præsenti statu, dicemus. Dormayus pluribus ibidem translationis solemnitatem describit, cui adfuit Samson, archiepiscopus Remensis* (*ab anno* 1140 *ad annum* 1161 (9)) *cum* F *abbatibus S. Remigii et S. Joannis. Frequentissimus accurrit populus non solum ex vicinis sed remotioribus etiam ex locis. Prout, assolet in hujusmodi festivis cæremoniis, instituta publica est supplicatio, sub qua dum æs campanum indesinenter pulsatur, ictu clavæ rupta est major campana, ita ut hujus fragmentum magna vi præceps extra turrim ageretur terræque infigeretur ad altitudinem duorum pedum, haud procul a Comite Suessionensi Reginaldo, qui denso nobilium ministrorumque globo stipatus solemnem condecorabat præsentia sua pompam. Quo viso, omnes clamabant miraculum, potentique SS. Martyrum patrocinio agnoscebant factum, ut nemo occisus, nemo vel levissime læsus esset. Quovis anno, die Lunæ infra octa-*
E *vam Ascensionis Dominicæ celebratur memoria hujus translationis, fitque supplicatio solemnis,*

(1) Tom: I, p. 263. — (2) Tom. II, Sept., p. 545. — (3) Migne, Patrologia, tom. LXXXVII, col. 515. — (4) Tom. II, Sept., p. 545. — (5) Tom. IX, col. 401. — (6) Art de vérifier les dates, p. 23 et 112. — (7) Histoire de la ville de Soissons, tom. II, p. 115. — (8) Gall. Christ., tom. IX, col. 557-560. — (9) Richard, Évêchés de France. Gall. Christian., ibid., col. 84-88.

AUCTORE B. B.

monachis S. Crispini majoris deferentibus Thecam ad ædem cathedralem, insequentibus magistratu (scabinis) et populo. Atque hæc ita Dormayus loc. cit. Repertus fuit in feretro S. Bandaridi Suessionensis episcopi (cujus acta apud nos tom. I Augusti, p. 61) cartallus translationis hujus testis, gallico idiomate conscriptus. Verba latine reddita hæc sunt : Corpora S. Crispini et S. Crispiniani translata fuerunt in hanc thecam anno Incarnationis Verbi Dei 1141, die lunæ post Pentecosten, quæ est dies 14 Calendas Junii. *Qui factum sit, ut cartallus in feretrum S. Bandarici fuerit introductus, nuspiam reperi. Sane ex errore vel negligentia id contigerit. Testatur autem auctor rerum memorabilium S. Crispini Majoris, cartallum prædictum in feretro S. Bandarici exstitisse adhuc circa annum* 1664, *eratque involutus sacculo serico, qui ipse aliis duobus includebatur una cum quibusdam SS.* Crispini *et* Crispiniani *reliquiis* (1).

Reliquiæ SS. Martyrum, ad tempus Montibus in Hannonia servatæ dicuntur.

31 *In mss. Suessionensibus sicut etiam apud Dormayum* (2) *signatur translatio SS.* Crispini *et* Crispiniani *ad urbem Montensem in Belgio nostro.* Irruentibus *scilicet* Normannis et Hungaris, monachi exeunte sæculo IX vel initio sequentis reliquias SS. Crispini et Crispiniani transtulerunt Montes in Hannonia ; quas comes civitatis fertur multa cum veneratione suscepisse et nudipes portasse ad ecclesiam S. Waldetrudis. *Aliud nihil additur. Latet ergo quomodo vel quando relatæ fuerint ad S. Crispini Majoris. Suspecta mihi est tota narratio. Nec enim bene video qui magis in tuto sacra pignora fuissent Montibus quam Suessione; cum utrobique barbari videantur grassati. Num forte subest aliqua confusio, et transvectio illa reliquiarum respicit translationem Osnabrugensem, ineunte sæculo* IX *habitam, vel Romanam sæculo eodem, de quibus sequenti paragrapho fusius erit tractandum? Videat lector ; equidem nec asseveraverim nec negaverim. Conf. infra n.* 35 *et* 39.

Anno 1592 delatæ fuerunt ad basilicam S. Mariæ,

32 *Post hæc, nullam quæ proprie talis sit, reperio apud Suessionenses factam translationem. In Annalibus S. Crispini Majoris hæc tantum sequentibus sæculis notantur. Johannes II, Abbas ab anno* 1362, *capsam SS. Martyrum refecit defunctusque est ineunte Augusto* 1373 (3).

C *Et sub Francisco I, qui S.* Crispini possessionem iniit XI Nov. 1558 per procuratorem, *fuit* delata *ab episcopo Suessionensi Carolo I* (4) ad ecclesiam *abbatialem* B. Mariæ capsa SS. Crispini et Crispiniani 29 Junii 1562 *et* ab ea numquam potuit extrahi (5). *Quo autem modo quaque opportunitate factum hoc sit, latius est explicandum. Scilicet dum ob inductam in Gallias pestiferam Calvini doctrinam, sæviebat atrociter bellum civile, timor erat ne hæretici spoliarent vastarentque ecclesias* (6). *Id circo Suessionensibus visum est, SS. Patronorum suorum sacra pignora, quo tutius servarentur, intra urbis mœnia deferenda. Præfato itaque die* XXIX *Junii* 1562, *solemni ritu magnaque cum veneratione, publica quoque indicta supplicatione, itum est ex æde cathedrali SS. Gervasii et Protasii ad basilicam S. Crispini Majoris, ibique celebratum solemniter sacrum, dictumque* D *pro concione de laudibus sanctorum Martyrum deque præsenti necessitate. Posthæc delata SS.* Crispini *et* Crispiniani *est theca ad B. Mariæ abbatiam, cui tunc præerat Catharina Burbonia, principis Condæi, hugonottorum ducis, consanguinea* (7). *Unde Gallia Christiana ubi de Carolo I episcopo Suessionensi* (8) : Horum (*hæreticorum*) timore transtulit 29 Junii 1562 capsam SS. Martyrum Crispini et Crispiniani in cœnobium B. Mariæ. *Nec incassum adhibita cautela. Paulo namque post pestis invasit urbem* (9) ; *et deinde anno* 1567 *longe pejor lues prævaluit* (10), *quo tempore nefanda patrata in Deum hominesque facinora. Ad unum omnia christianorum templa violata, expilata, tam intra quam extra urbis mœnia, solo excepto monasterio B. Mariæ : fidem enim dederat, hancque servavit, sorori suæ Catharinæ abbatissæ princeps Condæus nihil mali a suis nec ecclesiæ nec reliquis ædibus timendum* (11). *Hoc pacto intactum remansit SS.* Crispini *et* Crispiniani *sacrum pignus. Ast, pacatis rebus, moniales B. Mariæ reliquias illas restituere noluerunt; quas cum monachi S. Crispini Majoris singulis annis circumferre in publica supplicatione solerent, primum ad B. Mariæ tendebant, hierothecam humeris suis imponebant, sed ea lege ut urbis prætor omnisque magistratus, instrumento coram notario ad hoc rogato, sponderent illam, finita supplicatione, monasterio B. Mariæ restitutum iri* (12). E

nec unquam posteu restitutæ S. Crispino Majori.

33 *Addo ex Mss. Suessionensibus nonnulla accuratius et enucleatius descripta, ut quæ reddita fuere a testibus oculatis vel desumpta ex instrumentis publicis. Carolus de Roucy episcopus, qui supplicationi una cum clero præibat, fidem dedit de restituendis monachis S. Crispini Majoris reliquiis SS. Martyrum quando id requirerent. Similiter spoponderunt cives se reddituros sacra pignora simul ac præsens cessaret periculum. Insuper ad majorem cautelam ipsa capsa a pluribus aurifabris, in conspectu duorum notariorum, recognita accuratissime fuit atque descripta; erat autem ex argento deaurato, lata duos pedes, alta duos pedes cum quadrante, circum aderant effigies duodecim apostolorum, integræ omnes, nisi quod deessent sex manus etc. Septennio fere post urbs ab hugonottis* captа est et septem circiter mensibus occupata ; templa ejus sacra ab eisdem spoliata, diruta, combusta ; monasterium S. Crispini redactum miserabiles in ruinas (13). *Prior monasterii D. Lepaulart sub hæc curavit ad eamdem B. Mariæ abbatiam transferendas cæteras reliquias Sanctorum cum supellectili argentea et chartis instrumentisque publicis, quæ omnia doliis vacuis incluserat. Pace conciliata die* 23 *Martii* 1568, *renuit abbatissa capsam SS.* Crispini *et* Crispiniani *restituere, iniquitatem causata temporum. Petitionem iterarunt monachi anno* 1578, *cum chorum suæ basilicæ restaurassent; sed abbatissa facile quidem reddidit alias reliquias; non vero ita capsam SS. Martyrum, quam penes se cupiebat servare usque ad belli civici omnimodum finem. Recla-* F

(1) Pécheur, Mss. — (2) Hist. de Soissons, tom. I, p. 375. — (3) Gall. Christ., tom. IX, col. 401. — (4) Ib., col. 378. — (5) Ib., col. 403. — (6) Dormay, tom. II, p. 462 et seqq. — (7) Ibid. et Gall. Christ., tom. IX, col. 447. — (8) Gall. Christ., tom. IX, col. 378. — (9) Dormay, p. 465. — (10) Ibid., p. 466-480. Item, Histoire de l'abbaye de N. D. de Soissons par D. Michel Germain, p. 263. — (11) Ibid. et Expilly, Dictionnaire géographique. V. *Soissons*. Martène, Voyage littéraire, t. II, p. 19. — (12) Martène, ib., p. 20. — (13) Gall. Christ., tom. IX, col. 378.

marunt

A *marunt monachi; sed frustra; cum abbatissæ faverent episcopus et ipse Nicolaus Dany, abbas S. Crispini cum priore Francisco Mosnier. Defunctæ anno* 1594 *Catharinæ Burboniæ successit Ludovica a Lotharingia, filia Claudii Albæ Marlæ ducis, annos nata fere* 33; *nec ipsa adduci potuit ut votis Crispinianorum satisfaceret. Pluries tamen sub ejus regimine cogitatum est de tollenda capsa; quinimo die quadam res jamjam perficienda credebatur; ast cives tumultuarie concurrentes occluserunt urbis portam (hodie a S. Martino dictam) qua iter ad S. Crispini Majoris basilicam erat. Prætendebat autem Ludovica se retinere sacrum pignus easdem ob rationes, quibus mota fuerat Catharina; quod scilicet civiles discordiæ non minus quam antea ferverent. Nec tamen manus victas dederunt monachi; quinimo gravius quid susceptum anno* 1614, *turbato tunc regno ex nece Henrici IV, infando scelere interempti die* 14 *Maii* 1610. *Cum enim pro consueta supplicatione adductæ ad ædem cathedralem fuissent reliquiæ, post decantatum sacrum occluduntur, favente capitulo, portæ, eo fine ut facultas Crispinianis daretur tollendi et*
B *clanculo abducendi sui thesauri. Ast subito commovetur populus; postes effringuntur cogunturque canonici dimittere reliquias, quæ continuo ad S. Mariæ reportantur. Deinceps noluit abbatissa permittere ut in publica supplicatione circumducerentur, sed ut solum in sua basilica ante cancellos claustri monialium exponerentur. Verum anno* 1617, *ne seditioni ansa daretur, concessit ut solito more deferrentur, dummodo præsidio triginta militum armatorum ad cautelam circumdarentur. Quod cum videretur nimis violentum, mitius adhibitum consilium est, ut scilicet ab earum egressu usque ad reditum unus ex scabinis obses in monasterio B. Mariæ teneretur. Atque ita quidem processum anno* 1617. *Exin, usque ad exitum sæc.* XVIII, *alia cautio adhibita non fuit præter fidem ab urbis magistratu datam* (*n.* 32).

Præsens Reliquiarum Suess. status,

34 *Quid deinceps Suessione cum reliquiis SS.* Crispini *et* Crispiniani *actum sit, et quis earum præsens status, indicabit Instrumentum, ipso, quo hæc scribebamus, anno* 1860 *datum. Scilicet R. D. Can. Bartholomæus. Delaplace, ad*
C *hoc speciatim delegatus (absens erat episcopus qui haud diu post obiit), capsam præsente capitulo, reseravit et recognovit reliquias : deinde confecit præfatum instrumentum, quod unanimi capitularium consensu probatum, subsignavit, nomine ordinarii, R. D. Hurillon, vic. gen., et nos in extenso subjungimus. Cum vero recognitio suscepta fuerit eo fine ut postulatis nostris accuratius satisfieret; liceat hic pro merito reddere grates ven. capitulo Suessionensi universo, et nominatim RR. DD. canonicis Bartholomæo Delaplace et Henrico Congnet; qui præcipuam promovendæ et peragendæ recognitioni operam præstiterunt. Denique hac utimur opportunitate, ut gratos quoque nos exhibeamus R. D. Pécheur, parocho in Fontenoy, scriptori diligenti et erudito, qui cum præfato D. Henrico Congnet (viro pariter de re litteraria et historica optime merito) plurima nobis documenta submiserunt valde pretiosa.*

ex instrumento RR. DD. de Garsignies epi Suession.

35 Paulus Armandus Anacletus Ignatius de Garsignies, miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Suessionensis et Laudunensis, Provinciæ Remensis Decanus et Primus Suffraganeus : Universis et singulis præsentes litteras inspecturis notum facimus et testamur quod Nos, ad majorem Dei omnipotentis gloriam, sacrarum reliquiarum beatorum martyrum Crispini et Crispiniani, civitatis Suessionensis apostolorum, quæ adhuc in ecclesia nostra Cathedrali supersunt, conservationi nec non authenticitati providentes, maturius expensis monumentis historicis a primævis temporibus usque ad præsentem ætatem, hæc nobis imprimis comperta fuerunt. SS. Martyrum Corpora, Suessione, ab initio in pia domo abscondita et sepulta, inde postea translata sunt extra urbem, ad plagam quasi Orientalem, in crypta ecclesiæ celeberrimi cœnobii ipsorum nomine gloriantis, ubi magno cum honore conservata fuerunt usque ad tempora recentiora, Hac in ecclesia, mediante sæculo septimo, a S. Ansarico, episcopo Suessionensi, maximo cum apparatu primum elevata fuere. 1° Ipsum S. Crispini caput tunc reconditum fuit in capsa argentea a S. Eligio, episcopo Noviomensi adornata, qua dein obsolescente, circa annum 1300, ab abbate Wermonte in nova E theca deaurata, sed cuprea et angustiori, ideoque plures in partes confractum, translatum fuit; ex qua duo fragmenta ejusdem S. Capitis extraxit Carolus de Roucy, episcopus Suessionensis, versus annum 1578; quibus ecclesiam suam Cathedralem ditavit. 2° Corpora autem sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, separatim a capitibus, mediante sæculo septimo, in ingentiori capsa argentea, quam similiter adornaverat S. Eligius, elevavit inclusitque idem S. Ansaricus, quacum capsa translata fuisse creduntur, desinente seculo nono, Romam, ubi pars non minima, testante martyrologio Romano, retenta fuit. Longe autem post relationem, cum pristina illa capsa vix sibi cohæreret, anno 1141, 19 Maii, quod supererat e sacris Corporibus translatum fuit, solemni pompa, a Josleno, episcopo Suessionensi, in aliam capsam argenteam, postea anno 1370, sub abbate Joanne, denuo refectam, quæ, anno 1792, sicut et capsa deaurata sacri Capitis, ab impio hujus temporis gubernio deprædata est. Inde autem extracta pars maxima femoris, nec non quædam minora F fragmenta, a piis personis, post redditam ecclesiæ pacem, RR. DD. Joanni Claudio de Beaulieu, episcopo Suessionensi. sedulo restituta sunt, sicut et duo prælaudata fragmenta Capitis S. Crispini. Quæ singula, identitatem testantibus viris coetaneis fide dignissimis, anno 1804, 25 Octobris, idem DD. de Beaulieu, in præsenti capsa lignea et passim deaurata recondidit, solemni Decreto, authentica fideliumque venerationi exponenda declaravit et statuit. Hujus ultimæ translationis instrumentum quod, aperta capsa, temporis injuria pene obliteratum deteximus, præsenti Rescripto supplemus et renovamus. Prælaudata igitur sacra pignora a nobis canonice recognita, scilicet duo fragmenta ipsiusmet capitis sancti Crispini, partem maximam femoris aliaque fragmenta minora tribus sacculis sericis, coloris rubri inclusa reponi curavimus super pulvinari serico, coloris rubri, in prædicta theca lignea, passim deaurata, formæ oblongæ, a lateribus duplici cristallo

AUCTORE B. B.

AUCTORE B. B.

stallo immobili munita, a superiori parte omnino clausa tegumento ligneo ipsi cochleis ferreis adhærente, sigillo nostro in cera rubra hispanica impresso undequaque coopertis. In quorum fidem præsentes expediri jussimus cum facultate dictas reliquias fidelium veneration̄i in Diœcesi Nostra exponendi. Datum Suessione, in Palatio Nostro Episcopali, sub signo Vicarii Nostri Generalis, sigilloque nostro ac Secretarii Generalis Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini Millesimo Octingentesimo Sexagesimo, die vero mensis Martii Sexta. Hurillon, vic. gen. De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Episcopi Suessionensis et Laudunensis: Delaplace, can. sec. gen. *De translatione Romana, cujus mentio fit in Instrumento, sicut et de altera Osnabrugensi, dicemus § sequenti. Hic addam nonnulla de præcipuis quibusdam ossium partibus; et primum de sacris capitibus SS. Martyrum.*

Caput S. Crispini;

36 *Vidimus supra nn.* 27 *et* 35 *Caput S.* Crispini *medio sæc.* VII *seorsum a reliquo corpore depositum per S. Ansaricum in propria theca; anno* 1141 *Ernaldum abbatem ossa in alteram capsam transtulisse, Caput S.* Crispini *loco motum non fuisse. Notat vero Gallia christiana* (1), *Wermundum itidem Abbatem* anno 1303 Caput S. Crispini in pyramide inclusisse. *Scilicet, ut est apud Dormayum* (2), *Wermundus creatus abbas anno* 1303 *aures præbendo imprudens aurifabro cuidam aliisque, quorum utebatur consuetudine, inductus fuit ut S.* Crispini *Caput ex theca, in qua a medio sæc.* VII *reconditum erat, transferret in alteram formæ quidem elegantioris sed minoris pretii. Itaque dictus aurifaber fecit thecam ex cupro inaurato, pigmentis metallicis variisque ornatam figuris. Qua conspecta adeo lætatus abbas est, ut solemne voluerit celebrari sacrum, sub quo, adstantibus monachis, caput S. Patroni ex veteri tulit theca, novæ illud impositurus; quod incassum tamen tentavit: erat enim apertura thecæ angustior, quam ut sacrum pignus intromitti posset. Quare aurifaber, pudore confusus, reliquias percutere cœpit, unde in tres partes seu fragmenta divisum Caput S. Martyris est, quæ sic facile in paratam urnam repositæ fuere. Ex antiqua theca, quæ pondo erat decem librarum, con-*
C *fectum est Wermundo pedum abbatiale. Ast brevi subsecuta est cœlestis vindicta. Pedo vix confecto, aurifaber membris captus, talis quoad vixit permansit; abbas vero in amentiam incidit; paulo tamen antequam rationis usu penitus privaretur, agnovit culpam, eamque coram congregatis monachis nonnullisque canonicis confessus est, indignum se dicens qui deinceps præesset. Quare enixe fratres suos deprecatus est, ut alterum eligerent abbatem. In ejus itaque locum suffectus fuit Walterus de Bouclanoy; Wermundus vero aliquamdiu amens in eodem monasterio S. Crispini Majoris vixit; postea rationis compos redditus, prioratui Belliloci præfuit usque ad mortem. Non videtur hanc narrationem valde sinceram habere Dormayus, monens se illam non alias reperisse quam in ms. Michaelis Bertini. Pariter in mss. Suessione nuper nobiscum communicatis notatur, rem quidem recitari a D. Lepaulart in Ephemeridibus, sed absque ulla fontium, unde hausta sit, indicatione* (3). *Insuper D. Elie, in sua Historia ms. monasterii S. Crispini Majoris illam suspectam censet. De Wermundo hæc solum tradit Gallia Christiana* (4): Wermundus petita a monachis anno 1303 licentia electus, convenit mense Maio cum abbate S. Medardi pro juribus ripæ fluminis Cesiæ circa villam de *Pernant*. Caput S. Crispini in pyramide inclusit. Ex amentia in quam inciderat revocatum ferunt abdicasse et secessisse in cellam Belli-loci, ubi sanctissime finiit. *Apud Dormayum dicitur Wermundus dignitatem resignasse antequam mente captus esset. Cæterum ex præfatis efficitur, Wermundum exiguo tempore præfuisse, cum ejus electio et resignatio uno eidemque anno* 1303 *adscribantur. Nec prætermittendum, præfatam hierothecam perstitisse usque ad tumultus in Gallia civiles sub finem sæculi præterlapsi. Quæ enim tunc visebatur, erat ex cupro inaurato et variis deornata icunculis. Circum pedem inscripta litteris vermiculatis legebantur verba*: Hic loci sacra- E
tum in vase ad Domini decus hoc Caput locatum est, Vuermonte abbate. *Denique constat ex instrumento* (*supra n.* 35), *circa annum* 1578 *a Carolo de Roucy duo extracta fuisse Capitis fragmenta, quibus cathedralem ecclesiam ditavit; atque hæc in hunc usque diem servata, cætera periisse.* D

caput S. Crispiniani.

37 *Caput S.* Crispiniani, *fertur S. Ansaricus tradidisse S. Eligio circa medium sæculi* VII. *Cf. n.* 27 *et seqq. Sanctus autem Eligius dicitur vicissim illud donasse abbatiæ Sollemniacensi*, quæ sex circiter millibus ab urbe Lemovica distat *et* B. Eligio, patria Lemovice, qui postmodum fuit episcopus Noviomensis, auctore gloriatur... Ecclesiæ dedicatio facta est anno Christi 631 die 9 maii, cui viginti duo episcopi adfuerunt, ex veteri Necrologio. Cæterum in hac dedicatione, præcipuis patronis, scilicet Petro et Paulo apostolis, alii plurimi additi sunt, Pancratius et Dionysius martyres cum sociis, Martinus, Medardus et Germanus confessores (5). *Mirum non est his haud annumerari S.* Crispinianum, *cum Suessionicæ, qui multis post annis contigit, translationi nondum* F
interfuerat S. Eligius. Ast hoc sane mirandum esset, si abbatia Sollemniacensis tam pretioso pignore, Capite scilicet S. Crispiniani, *aucta fuisset, nullam hac de re in toto Annalium decursu fieri mentionem. Certe in Serie Abbatum, apud Galliæ Christianæ collectores, nec nomen S. Martyris signatur, licet plura hinc inde de Sanctorum reliquiis ad monasterium allatis notentur. Quaprorter dubito an aliud præter conjecturam sit, quo Caput S. Martyris Sollemniacensi basilicæ vindicetur in Mss. Suessionensibus. Conjectura autem ex eo facile oriri potuit, quod cum caput S.* Crispini *ab Ansarico, separatum a reliquo corpore, in propria theca repositum fuerit, haud absonum videatur pari modo actum cum Capite S.* Crispiniani; *ut scilicet sejunctum sub eadem translatione a cæteris ossibus sit, concessumque S. antistiti Noviomensi, in remunerationem præstitæ operæ et industriæ*

(1) Tom. IX, col, 401. — (2) Histoire de Soissons, t II, p. 295 et seq. Item Pécheur, mss. — (3) Journal de ce qui est arrivé à S. Crépin lors de la prise de Soissons par les Huguenots, ms. — (3) Tom. IX, col. 401. — (5) Gallia Christ. t. II, col. 566. Conf. S. Audoënum in vita S. Eligii, Lib. I, cap. XV et seq. Migne, Patrologia, tom. LXXXVII, col. 492.

A *industriæ. Quæ quidem conjectura ex eo fit probabilior quod saltem a medio sæculo* VII *capitis S.* Crispiniani *quævis deperdita sint vestigia. Id mihi certum, nec Suessione nec Osnabrugi sacrum illud pignus esse inveniendum. Scribit quidem Mazzolari, Romæ in ecclesia S. Laurentii in Pane et Perna, corpora SS.* Crispini *et* Crispiniani *recondita et* Capita fidelium venerationi exponi. *Ast alibi diximus non satis fidam hanc esse relationem, quæ in pluribus manifeste peccat. Idem dicendum de duobus Calvariis, quæ Osnabrugi hodiedum asservantur in ecclesia cathedrali cum annexis duabus schedulis, nomine SS.* Crispini *et* Crispiniani *signatis, ut infra dicemus n.* 45 *et seqq.*

Partes reliquiarum variis in locis servatæ.

38 *Legitur apud nos inter* Prætermissos *ad diem* V *Aprilis* (1) : S. Crispini et S. Crispiniani translatio, aliqua reliquiarum facta est anno MDCXXI in monasterio Lezatensi diœcesis Rivensis prope Tolosam. Consule Saussaii supplementum XXVII Augusti ; *quo die loc. cit. ita* : In monasterio Lezatensi... natales sanctorum Calixti et Cypriani martyrum,.. Horum sacra corpora ex duabus capsis perantiquis,
B in quibus dudum requieverant anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo 5 Aprilis a Priore loci, cœnobitis præsentibus, in novam thecam ornatioremque fuerunt translata, et intra capellam sancti Antonii honorifice reclusa, cum aliis venerandis cælitum lipsanis : nempe corpore sancti Albini episcopi ; sacris aliquot pignoribus sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, qui Suessione (ubi martyrium suum patravere) in propria ecclesia, magno Dei beneficio præservata ab impiorum hagiomachorum, qui illic tot Sanctorum corpora cremaverunt, sacrilegis manibus, religiosissime collocata sunt. *Conf. n.* 32 *et seq. Non ergo recte intellexit vel legit Saussayum Bailletus* (2), *cum supponere videatur agi in recitato textu de SS.* corporum *translatione ; imo diserte* aliquot pignora *tantum indicantur. Nihil est sane quod his vel minimum refragetur. Nec dubitandum a Crispinianis monachis hinc inde reliquias sive minores sive insigniores dono datas. Sic, teste Mabillonio* (3) *sub annum* 886, *basilicæ S. Crispini Majoris Ericius comes mansa duo cum*
C *aliquot mancipiis in villa Montiniaco tradit atque legat* pro dente, quem ex reliquiis sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani acceperat. *Video præterea in Mss., Suessione nuper nobis transmissis, RR. Carolum de Roucy, qui fragmenta duo capitis S.* Crispini *minori ex theca desumpserat, pariter os aliquod parvum ex majori capsa tulisse atque deposuisse apud PP. Minimos Suessionenses. Anno* 1619 *aliæ particulæ concessæ fuere canonico D'Orleans* (*hoc ei nomen*). *Denique Carolus II* (*de Hacqueville*) *anno* 1622 dominica in octava Ascensionis aperuit capsam SS. Crispini et Crispiniani, duasque inde extractas costas cathedrali donavit. *Ita Gallia Christiana* (4). *Additur in Mss. nostris eadem occasione extractum etiam talum, traditumque ejusdem præsulis secretario nomine de Courtonne, qui postea factus est canonicus et cantor S. Gervasii id est cathedralis Suessionensis. Hujus in officio cantoris successor partem illam sacri thesauri, a decessore acceptam, servabat adhuc anno* 1664. *Attamen processus Visitationis præfatæ non faciunt mentionem de talo, nec pariter de aliis quibusdam fragmentis quæ sub hac Visitatione videntur decerpta. Quod quidem indicio esset particulas tantum fuisse minutas.*

AUCTORE B. B.

§ III. De translatione Romana et Osnabrugensi.

Translatio Romana,

D*e Romana translatione pluries jam in præcedentibus incidit mentio, hic autem ex professo agemus. Illam Baronius in Annalibus prætermittit, asserit vero in Martyrologio ad hunc diem* XXV *Octobris :* Quorum, *inquit*, corpora postea Romam delata fuerunt, atque in ecclesia sancti Laurentii in Pane et Perna honorifice tumulata. *Verum enim vero hoc prorsus negat Saussayus :* Nec enim, *ait* (5), Romam
E umquam pretiosæ illorum exuviæ traductæ fuerunt, quæ per tot sæcula conservatæ, etiam furentibus Suessione hagiomachis, ab illorum profanis unguibus divina ope subductæ sunt, sed in basilica sanctissimæ Virginis depositæ ad tutelam, suis in thecis (*imo sua in theca*) illibatæ hactenus, ut visuntur, perseveravere. *Saussayo subscribit Baillet* (6). *Certe antequam editum, jussu Gregorii XIII, Romanum martyrologium, nemo Translationis SS.* Crispini *et* Crispiniani *Romæ meminerat ; nec Florus, nec Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus, sicut nec Maurolycus, Galesinius, Bellinus, Molanus, nec denique alii sive notiores sive obscuriores martyrologi. Quapropter accurata haud omni ex parte est Notatio Baronii ad annuntiationem SS. Martyrum nostrorum. Sic nempe scribit :* Beda, Usuardus, Ado ac cæteri ; *qui quidem omnes Suessione martyrium celebrant, de translatione silent. Difficile tamen non est fontem Baronianæ assertionis detegere. In summo scilicet montis Viminalis umbilico assurgit ecclesia et monasterium S. Laurentii in* Pane et Perna, *vulgo* Panisperna (*cujus vocis origo varia a variis redditur*), *eo loci, ut fertur, quo balnea Olympiæ antiquitus inveniebantur, in quibus beatissimus Levita martyrii palmam creditur adeptus* (7). *Incolunt monasterium sanctimoniales a S. Clara nuncupatæ, inter quas sunt plures generis nobilitate insignes, eratque olim hæc abbatia e numero viginti privilegiatarum Urbis. Quo tempore exstructa ecclesia, incompertum* (8). *Sub anno* 1300 *reædificata a Bonifacio VIII, titulo cardinalitio condecorata a Leone X, restaurata et denuo consecrata fuit sub pontificatu Gregorii XIII* (9). Hic *vero, ut testatur P. Josephus Mazzolari S. J., in Diario Sacro ad diem* XXV *Octobris* (10), Corpora *SS.* Crispini et Crispiniani recondita sunt sub altari eorum nomine dicato, et capita fidelium venerationi exponuntur. *Similiter Rossii, Pancirolus, Piazza*
F

(1) Tom. I, Aprilis, p. 397. — (2) Vies des Saints, 25 Oct. — (3) Annales Benedictini, tom III, p. 258. — (4) Tom. IX, col. 379. — (5) Martyrologium Gallic., XXV Oct. — (6) Vies des Saints, 25 Oct. — (7) Beschreibung der stadt Rom, von Platner etc. tom. III, part. II, pag. 348. Edit 1838. — Descrizione di Roma moderna per Mich. et Vinc. Rossi, p. 655. Romæ 1697. — Tesori nascosti dell' alma citta de Roma, da Ottavio Panciroli, p. 271 et seqq. Romæ 1625. — Eorterologio overo le sacre Stationi Romane, dell' abbate Carlo Piazza p. 119 et seqq. Romæ 1702. — (8) Beschreibung, p. 348. — (9) Descrizione, ubi supra, p. 655. — (10) Tom. IV, p. 117. Romæ 1819.

AUCTORE B. B.

aliique. Quando autem, quave occasione, quoque modo Romam transvecta fuerint, nuspiam reperi. Asserit quoque Pancirolus (1), se ex monialibus quæsiisse *de tempore Translationis*, sed nihil omnino didicisse, licet multa valde accurata circa res ecclesiæ suæ proferrent, *additque* se hactenus nihil invenisse in quovis scriptore. *Suspicatur Dormayus forte partem sacri thesauri olim in Urbem delatam; atque occasione* hujus Translationis (*tertiæ*), *necesse existimat* (2) *inquirere an bina corpora sint apud* nos *integra, et num nulla desint ossa in hierotheca. Ratio dubitandi est, quod Baronius translata asserat in Martyrologio. Addit deinde Dormayus quæ infra n.* 50 *in extenso recitamus, utrumque caput in capsa desiderari, atque unum tantum esse penes monachos S. Crispini Majoris. Insuper non tot reperiri ossa quot sufficiant duobus integris corporibus componendis. Unde probabile efficitur, quod nonnulli volunt, Romanos scilicet, quando Suessionem miserunt corpus S. Sebastiani* (*circiter annum* 826 (3)), *in remunerationem accepisse partem reliquiarum SS.* Crispini *et* Crispiniani. *Atque hæc Dormayus ex conje-*

B *ctura. Concordant Rossii in Descriptione* (4) : Inter alias reliquias reperitur (*in S. Laurentii in Pane et Perna*) brachium S. Levitæ et pars corporum SS. Crispini et Crispiniani. *Piazza in Hierarchia Cardinalitia, Romæ edita anno* 1703, *hæc habet, Titulo S. Laurentii in Panisperna* (5) : Gloriatur hæc ecclesia adhuc ibidem asservari corpora duorum nobilissimorum Romanorum Crispini et Crispiniani, Domino permittente ut eorum corpora Urbi restituta, tanto majori colerentur veneratione. *Denique R. D. Lequeux, hodie canonicus Parisiensis, olim superior majoris seminarii Suessione, interrogatus de reliquiis Romanis, respondit die* 5 *Decembris* 1859 *in hunc modum :* Certum est, a longo jam tempore Romæ esse quasdam SS. Martyrum illorum reliquias, in ecclesia S. Laurentii in Pane et Perna, *ut probatur ex martyrologio Romano.* Has ego, una cum R. D. Legrand collega vestro (*epistola data putem est R. D. Congnet vel saltem alteri ex capitulo Suessionensi*) visitavi anno 1831 in præfata ecclesia celebri valde ob martyrium S. Laurentii. Ibi invenimus capsam exiguam (*tres-restreinte*)

C quæ manifeste continere numquam potuit nisi valde parvam partem SS. Corporum. Unde pignora hæc Romana nihil probant contra sinceritatem reliquiarum Suessionensium. Exigua enim hæc sacrorum ossium pars Romam potuit deferre ab Hilduino abbate, qui vicissim Sanctorum reliquias cupiebat Roma secum Suessionem adducere et reapse asserebat attulisse ad basilicam S. Medardi exuvias S. Sebastiani et S. Gregorii; quod utique intelligendum non de integris corporibus, sed fragmentis solum. Hoc modo omnia inter se facile componi videntur. *Equidem huic, sane prudenti, lubens assentior conjecturæ* (*nec enim deficientibus idoneis documentis, aliud verbum ursupare licet*); *nec tamen bene omnino video qui Hilduinus, cum abbas esset S. Medardi, reliquias ad S. Crispini Majoris spectantes, easque præ cæteris omnibus in pretio ibidem habitas, obtinuisset Romam deportandas. Hæc cum ita sint, fortassis non nemini in mentem venerit,* D *alterius S. Crispini* (*plures enim hujus nominis celebrantur*) *pignora in Urbe quiescere quæ lapsu temporis, ut fit, nostro sancto Martyri adscripta fuerint, cui deinde conjunctus ob passionis consortium S.* Crispinianus. *Ast longe probabilior mihi est sententia Reverendi D. Lequeux.*

prout annuntiatur in martyrologio Romano,

40 *Cæterum ex dictis hactenus, efficitur translationem Romanam duobus his niti fundamentis : Traditione ecclesiæ S. Laurentii, in qua publica veneratione coluntur; quæ tamen traditio nullatenus referri potest ad integra SS. Martyrum corpora, sed ad partem tantum nec eam valde notabilem. Quod vero spectat ad caput S.* Crispini, *certum mihi est, hoc perpetuo Suessione asservatum, nec proinde Romæ umquam potuisse exhiberi; perperam ergo tradi a Mazzolario utriusque Martyris* capita venerationi exponi; *nec etiam puto id probatum esse de capite S.* Crispiniani; *tum quod præter Mazzolarium, nemo alius, qui rem penitius examinarunt, tale quid asserat, imo contrarium potius affirment; ut ex supra recitatis testimoniis constat; tum quod, licet pars illa S. Corporis ab immemorabili tempore Suessione exulaverit, attamen nulla* E *satis idonea ratione Romam fuisse allata demonstretur. Alterum translationis Romanæ fundamentum est auctoritas martyrologii jussu Gregorii XIII aliorumque Pontificum editi et correcti. Ast hæc tanta non est, ut non liceat ab ea recedere. Audiamus Benedictum XIV* (6). *Notat imprimis Usuardi martyrologium ita prævaluisse, ut in fine sæculi* XV *passim in omnibus ecclesiis etiam Urbis,* excepta tamen Vaticana basilica, *legeretur; plures illius sub id tempus factas editiones; nempe anno* 1498 *Venetiis a Bellino; circa medium sæc.* XVI *a Maurolyco,* sed eruditiores putant ab eo fuisse deturpatum Usuardum; *quare Molanus, doctor Lovaniensis,* labores non omisit, ut Usuardum ad suum verum statum reduceret, *cujus operis ultima editio facta est Lovanii anno* 1583. Eodem tempore Petrus Galesinius apostolicus protonotarius suum composuit et edidit martyrologium. *Multiplicatis idcirco martyrologiis, quæ erroribus vacua non erant, summi pontifices necessarium duxerunt, ut* fieret editio martyrologii correcti, in omnibus ecclesiis legendi. *Cura* F *hæc a Gregorio XIII demandata fuit Silvio Antoniano tunc canonico sancti Petri, postea cardinali; Roberto Bellarmino tunc presbytero Societatis Jesu, Cæsari Baronio, tunc presbytero Oratorii, deinde cardinalibus; Ludovico de Torres tunc archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia, deinde cardinali sub Paulo V; Joanni R. Bandino canonico S. Petri, Michaeli Ghislerio Theatino et Bartholomæo Gavanto Barnabitæ. Correctores adhibuerunt præcipue Usuardum.* In corrigendis autem erroribus, qui irrepserant, usi sunt Martyrologio quod tunc Bedæ credebatur, item Martyrologio antiquæ ecclesiæ sancti Cyriaci in Via Lata; item uno ex Menologiis Græcis latinitate donatis a cardinali Sirleto. Habuerunt etiam præ oculis Martyrologia Bellini et Maurolici, nec non Molani et Galesinii; sed Bellino et Molano plus, uti fieri debebat, detulerunt quam Maurolico et Galesinio. Denique, hortante Baronio, additi sunt

(1) Tesori nascosti, pag. 594. — (2) Histoire de la ville de Soissons, tom. II, p. 116. — (3) Gall. Christ. tom. IX col. 411. — Dormay, tom. I, p. 338 et seqq. — (4) Pag. 655. — (5) La Gerarchia cardinalizia, pag. 594. — (6) De Servorum Dei beatificatione, lib. IV, cap. XVII.

Sancti

A Sancti ex Menologio desumpti, qui ante schisma a græcis colebantur, aliique nonnulli ex latinis, quorum fiebat laudabilis a Patribus commemoratio, et signanter a sancto Gregorio in Dialogis. *Triplex prodiit martyrologii correcti editio; quarum* tertia, *teste Baronio*, purior est atque sincerior facta anno Domini 1584 : illi enim tantum, ut legitimæ atque germanæ accesserunt litteræ apostolicæ, datæ die 14 Januarii eodem anno.

an et quomodo admitti possit?

41 *Biennio post in lucem venit altera editio cum notationibus Baronii anno scilicet* 1586, *de qua scribit Carolus de Aste archiepiscopus Hydruntinus :* Nullum dubium est quin martyrologia sæpenumero variata fuerint, cum illud, quod a Gregorio XIII approbatum litterisque ejus apostolicis obvallatum est, occasione postea notationum Baronii (qui suggesserat nonnullos se in eo errores reperisse) aliqua ex parte commutatum, non variatis modo quibusdam, sed nonnullis etiam adjectis atque detractis, ut utramque editionem antiquam et novam conferenti Gregorianam scilicet cum Sixtina, liquido constabit. Quamquam hæc posterior non appelletur Sixtina, licet sub
B Sixto V facta; visum est enim, quod non tanta esset facta mutatio, relinqui bullam et nomen Gregorii XIII. Jam autem usus fere obtinuit, ut postrema illa editio sub Sixto V facta et Baronii notationibus illustrata, Baronii Martyrologium vocitetur. *Cæterum in omnium prima editione correcti martyrologii (quam præ manibus habeo estque anno* 1583 *Romæ typis Dominici Basæ excusa) eadem, quæ in hodierno, legitur de SS.* Crispino *et* Crispiniano *annuntiatio seu elogium. Quod utique nemini mirum videbitur, qui sibi in mentem revocaverit, quæ supra monuimus, ecclesiam S. Laurentii in Pane et Perna restauratam et denuo consecratam fuisse sub pontificatu Gvegorii XIII, qui corrigendi martyrologii auctor fuit. Cæterum ex prælibata martyrologii novi velut genesi satis apparet non esse ejus decretoriam sive in nominibus sive in rebus auctoritatem. Nam, ut recte animadvertit Papebrochius* (1) : Necesse fuit remanere etiam in hodierno novoque Martyrologio antiquos, si qui obrepserant Usuardo, errores; deinde et novos obrepere
C in iis, qui novi adderentur, Sanctis; qui hi sumendi erant partim ex Menologio Græcorum, levi valde manu per Guillelmum Sirletum latine reddito, partim ex Joannis Molani ad Usuardum additionibus, partim ex aliis undequaque submissis, adminiculis recentioribus; quæ sigillatim omnia examinare et corrigere, majoris longe moliminis erat, quam confici posset brevi illo tempore, quod permittebatur a cupidis quamprimum videndi Martyrologii novi, quo deinceps ecclesia uteretur, veteris pertæsa, ob vulgo jactatam illius imperfectionem. *Unde Benedictus XIV diserte habet* (2) : Postremo asserimus, apostolicam sedem non judicare, inconcussæ et certissimæ veritatis esse quæcumque in Martyrologium Romanum inserta sunt... Quod et optime colligitur ex mutationibus et correctionibus a sancta ipsa Sede demandatis. Enim verò, præter supra exposita, scimus cardinalem Leandrum Colloredum multa parasse pro nova expurgatione Martyrologii Romani; at morte præreptum opus absolvere et typis edere non potuisse. *Severior utique, ac nimia est imo et invericunda crisis D. J. Bouillart, monachi Sangermanensis.* Scatet, *inquit* (3), erratis Baronii Martyrologium. Ea videt quisquis vel primoribus labris fastos ecclesiasticos attigit. *Atque hæc dicta sint de Romana translatione, quam non habeo probatam. Nec tamen negavero, imo ut certum assumo partes aliquas SS. Corporum eo delatas, quocumque demum modo et tempore id contigerit. Conf. Acta SS. Chrysanthi et Dariæ, hoc tomo nn.* 26 *et* 74.

AUCTORE B. B.

De reliquiis quæ Roma Fuldam dicuntur translatæ;

42 *Scribit Henseler* (4) : Constat ex actis B. Rabani, descriptis a Rudolpho presbytero Fuldensi, partem horum SS. Corporum (Crispini *et* Crispiniani) Roma Fuldam translatam et in ecclesia S. Bonifacii conditam fuisse. *Acta illa edidit Christophus Browerus noster lib. III capite* XIV *Fuldensium Antiquitatum. Tradit vero Rudolphus* (5) : Sequenti autem die (*id est III Kal. Octobris* 838) per manum prædicti corepiscopi *nempe Reginbaldi corepiscopi Moguntini,* collocavit *Rabanus* reli- E
quias sanctorum episcoporum Cornelii, Calisti, Sixti, Sinisii, Nicasii et Felicis; Stactei quoque et Pamphili presbyterorum; et sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, Nerei et Achillei; Sebastiani quoque, Castuli et Romani; Papiæ et Mauri atque Valeriani, sanctarumque virginum Cæciliæ, Eugeniæ atque Anastasiæ martyrum Christi, in ecclesia S. Bonifacii, in loco quo prius sanctum corpus illius quiescebat. Ædificavit enim ibi turrim lapideam post altare, in cujus turris summitate media condidit prædictorum ossa Sanctorum, arca saxea diligenter inclusa; super quam culmen ligneum, columnis quatuor sustentatum erigens, auro ornavit et argento. Intra quod arcam oblongam quadrangulo schemate factam posuit; quam etiam auro et argento atque lapidibus ornans, singulorum Sanctorum imaginibus decenter expressis decoravit; versusque quasi ex persona ejusdem arcæ prolatos, in circuitu conscripsit hoc modo :

Nomine quos noto, locus hic et imagine signat
Præclaros Christi ecce Dei famulos, F
Qui corde impavido rubuerunt sanguine sacro,
Pro Christo jam animas exposuere suas.

Ex his clarum omnino est agi tantum de partibus nonnullis SS. corporum, quas utique nihil repugnat desumptas dicere ex aliis item partibus, olim Suessione Romam translatis. Quod si obtineat, sequeretur ab initio sæculi IX *reliquias SS.* Crispini *et* Crispiniani *in Urbem delatas, ac proin perperam a plerisque assumi, id contigisse* desinente sæculo nono. *Conf. n.* 31.

non satis constat, an omnino sinceræ sint, tum ob modum, quo Fuldam allatæ,

43 *Verum enim vero dubitare licet an sacra pignora Fuldensia, de quibus quæstio est, sincera omnino sint. Sane acta B. Rabani, a Browero in lucem data, minime spernendæ sunt auctoritatis, utpote conscripta a Rudolfo, viro gravi et coætaneo (vocat enim Rudolfus Rabanum,* abbatem et præceptorem suum (6)); *ast ipsa illius narratio veritatem translationis non*

(1) Responsio ad exhibitionem errorum, art. XVIII, n. 47. — (2) Ubi supra, n. 9 ad finem. — (3) Usuardi, Martyrologium ad autographi fidem editum et ab observationibus R. P. Sollerii vindicatum. Pag. XXIII *in Epistola ad Sollerium*. Paris, 1718. — (4) Dissertatio critico-historica de diplomate Caroli M., p. 66. Monasterii Westphaliæ, 1721. — (5) Fuldensium Antiquitatum, p. 248. — (6) Fuldenses Antt., p. 225.

nemini

AUCTORE B. B.

nemini suspectam facere poterit : modus enim non semper is fuisse invenitur, qui fraudi aditus omnes præcluderet. Temporibus, *inquit* (1), Hludowici imperatoris, qui post genitorem suum Karolum Magnum imperatorem per annos septem et viginti Francorum tenuit imperium, multorum reliquiæ Sanctorum ab urbe Roma in Franciam delatæ sunt; quorum aliæ quidem ab eis adductæ sunt, qui jussu dominorum suorum, ut id efficerent, Romam profecti sunt (*et his sane pignoribus favet omnimodæ sinceritatis præsumptio*); alia vero per clericos sanctæ Sedis apostolicæ et cives Romanæ urbis allatæ (*et his minor tribuenda fides*). *Jamvero posterioris generis sunt præfatæ reliquiæ SS. Martyrum Suessionensium : ait enim Rudolfus* (2) : Post hæc allatæ sunt ei (*Rabano*) reliquiæ sanctorum episcoporum Cornelii atque Calisti; et sanctorum martyrum Agapiti, Georgii, Vincentii et Maximi; sanctorum quoque virginum Cæciliæ et Eugeniæ, Dignæ et Emeritæ atque Columbanæ. Attulit autem eas quidam clericus italicus, nomine Felix, anno ab incarnatione Domini DCCCXXXVIII,
B die quinto mensis Aprilis; post cujus reditum, non multis diebus interpositis, Theodorus, frater Deusdonæ, cujus supra mentio facta est, cum quodam socio suo Sabbatino, ab urbe Roma profectus Alamaniam venit, et sicut dudum promiserat abbati, Sanctorum reliquias secum detulit : ossa videlicet S. Quirini... reliquias Urbani, pápæ et confessoris... ossa quoque S. Cæciliæ... SS. Tiburtii et Valeriani atque Maximi... SS. Agapiti, Januarii et Magni, diaconorum, B. Xisti papæ... Zenonis quoque et Hippolyti... Aquilæ etiam atque Priscillæ. *Atque hoc loco illa quidem enumerantur; sed ex narrationis decursu constat alia aliorum sanctorum, quos inter* Crispinus *et* Crispinianus, *pignora eadem occasione Fuldam adducta. Sinceritas itaque illarum reliquiarum sola nititur fide amborum virorum, Theodori scilicet et Sabbatini, qui Rabano eas tradiderunt. Sabbatinus ignotus est ; Theodorus frater erat Deusdonæ, qui reliquias S. Alexandri martyris Fuldam transtulerat, et de quo alibi ita Rudolphus* (3) : Contigit, ut quidam diaconus Romanæ ecclesiæ, nomine Deusdona, veniret in Franciam,
C specie quidem, quasi pro quibusdam suis necessitatibus regis opem imploraturus, re autem vera, Sanctorum quas secum habebat reliquias alicui religiosorum in Francia virorum *donaturus*, cujus adjutorio posset inopiæ suæ aliquod capere supplementum; *ut proinde omnis species faciendi quæstus a Deusdona non videatur fuisse aliena. Insuper an Theodorus, illius frater, clericus an laicus esset, non dicit Rudolfus.*

tum ob fraudes, quæ sæc. IX in hujusmodi SS. Corporum partibus transferendis haud raro adhibebantur.

44 *Legenda hoc super argumento dissertatio Muratorii in antiquitatibus medii ævi* (4). Et sane, *inquit* (5), *tanta sacrarum reliquiarum adipiscendarum libido* (*quam* ferreis illis sæculis *præsertim apud Germanos invaluisse, paulo ante notaverat* (6)) eo etiam declinavit, ut olim incertæ, immo et falsæ interdum offerrentur, atque a piis sed parum cautis amatoribus sine ulla hæsitatione arriperentur. *Et infra* (7) : Profecto quin fraus interdum et nimia credulitas in tantam sacrorum pignorum
D rapinam, translationem clandestinam et multiplicationem sese ingesserit, neminem esse puto, qui per se non intelligat. *Denique addit Muratorius* (8) : Quæ tamen non eo animo commemoro, quasi ritus pietatis aut sacrorum corporum possessores sim turbaturus; sed ut veterum aut oscitantiam aut improbitatem innuam, a quibus nos abhorrere æquum est. Nam et in his bona fides, diuturna possessio atque præscriptio locum habet; neque ex his quidquam detrimenti in sanctam religionem defluit, cum illa in reliquiis credendis nullam a nobis exigat fidem divinam; et nos non terream earum materiem, non incertam illarum originem colamus; sed quidem veros Sanctos regnantes in cælis, sive ut rectius loquar, dona Dei ipsumque Deum communem regem nostrum veneremur in sanctis. At boni veteres plerumque sine ullo examine, sine ulla dubitatione, ambabus, ut aiunt, ulnis excipiebant, quidquid sacri speciem præferebat. Quod sane neque laudandum neque ferendum quisque disciplinæ ecclesiasticæ peritus fatebitur, uti
E etiam Amulo archiepiscopus Lugdunensis sæculo Christi nono in epistola prima animadvertit. *Rabanus certe vir erat sanctus et prudens æque ac doctus atque in paucis eruditus, ut in eum non cadant quæ a Muratorio tam acriter et tamen vere reprehenduntur; sed in tanta reliquiarum copia, quanta a Rudolfo signatur, fieri non potuit ut de singulis rite perquireret; quod præcipue valet pro minoribus pignoribus, qualia erant SS.* Crispini *et* Crispiniani. *Unde non videtur mihi translationi Romanæ* (*quæ, non de integris corporibus, sed horum tantum partibus intelligi potest*) *magnum accedere pondus ex libello Rudolfi.*

Translatio Osnabrugensis

45 *Aliud est de Translatione Osnabrugensi, quam validis monumentis innixam diffiteri non licet. Quare de illa hic diligenter nobis est inquirendum. Convenit inter omnes, conditum episcopatum Osnabrugensem labente sæculo* VIII *sub Carolo Magno, devictis pluries jam Saxonibus; quo vero anno non liquet; aliis annum* 774, *aliis alios annos nempe* 775, 776, 777, 780, 781, 788 *imo et* 803 *assignantibus.* In ea scriptorum contentione, *inquit Joannes Itelius Sandhoff* (9), episcopatus initia ad annum 777, meliori plu- F
rium auctorum judicio, nempe Krantzii, Schatenii, Henseleri, Lodtmanni, Möseri aliorumque non incongrue referas. *Porro ipse Carolus in duobus diplomatis, Wihoni primo Osnabrugensi antistiti inscriptis, profitetur se hanc primam omnium in Saxonia ecclesiarum condidisse in honorem S. Petri apostoli et SS. martyrum* Crispini *et* Crispiniani; *eorumque corpora eo transtulisse.* Reliquias *Carolus*, quas ex Palæstina, ex Oriente, quas Roma, ex Italia, Hispania atque aliunde congesserat, iis basilicam Aquisgranensem, ecclesias et cœnobia dotavit. Ex eo sacro thesauro quoque Osnabrugensi ecclesiæ, primæ a se fundatæ, ad majus cœleste præsidium, horum titularium divorum (Crispini *et* Crispiniani) pignora seu corpora dilargitus est. *Ita Sandhoffius* (10). *Compendiose dein subdit sanctorum* Crispini *et* Crispiniani *passionem ; additque* (11) : Præter S. Petrum

(1) Fuldenses Autt., p. 224. — (2) Ibid., p. 240. — (3) Ib , p. 226. — (4) Tom. V, col. 2 et seqq. — (5) Ibid., col. 9. — (6) Ibid , col. 8. — (7) Ibid., col. 11. — (8) Ibid., col. 12. — (9) Antistitum Osnabrug. ecclesiæ res gestæ, tom. I, p. 24. Monasterii Westphaliæ, 1785. — (10) Ib., p. 25. — (11) Ib., p. 27.

apostolorum

A apostolorum principem, hos exinde SS. Martyres summum templum et diœcesis veneratur. Et licet quidem non integra horum Sanctorum corpora Osnabrugum translata sint; et hodiedum apud Suessiones, Romæ et alibi aliquæ horum partes reperiantur; potiorem seu majorem tamen partem ad Osnabrugensem ecclesiam translatam esse scimus. Quippe in summo templo, in sacello, ut vocant, pastorali, reperiuntur duæ cistæ seu lipsanothecæ, quæ hunc sacrum thesaurum includunt. Duæ quas nominavi cistæ lamina argentea tectæ, anno 1721 ea, qua decet, reverentia apertæ et inspectæ fuerunt, repertumque fuit, præter variorum divorum reliquias, SS. horum Martyrum corporum insigniores partes in eis contineri. Non solum hucusque ecclesia Osnabrugensis diem 25 Octobris SS. horum Patronorum honoribus in choro festum agere, sed et Translationis sacrarum reliquiarum duodecimo Kalendas Julii (20 *Junii*) celebrare consuevit. Porro ab Adolpho episcopo 12 Kalendas Junii 1218 consecratum est in summa æde altare in honorem SS. martyrum Crispini et Crispi-
B niani, quod reformatum et denuo consecratum anno 1401 ætate Theodorici ab Horne, ab ejus vicario in Pontificalibus Antonio, prout testes hac de re litteræ cum horum SS. Martyrum reliquiis in ara principe asservantur. Denique summum capitulum, quamvis in rebus, quæ diœcesim contingunt, sigillo, quod D. Petrum exhibet, utatur, in aliis tamen rebus capituli Sigillum ad causas, cui SS. Crispinus et Crispinianus insculpti, adhibet. *Hactenus Sandhoffius, in quibus summa perpetuæ traditionis declaratur et adstruitur, quam per partes in sequentibus explicaturi sumus.*

probatur ex diplomate Caroli Magni, anno 803

46 *Huc vero spectant præcipue duo Caroli Magni diplomata; de quibus acerrima inter eruditos exstitit contentio; alterum datum anno* 803, *alterum anno sequenti. De priori, quod nobis longe præcipuum est, ita scribit Cointius* (1) : Imperator *Carolus* mense Decembri *anni* 803 reversus est Aquisgranum. Ibi decimo quarto Kalendas Januarii (XIX *Decembris*), pro ecclesia Osnabrugensi, cui Wiho præerat episcopus, hoc emisit præceptum : « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Karolus
C serenissimus Augustus a Deo coronatus, Magnus, Pacificus imperator, Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei Rex Francorum et Langobardorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem Domini nostri Jesu Christi et reverentiam sanctorum cedimus vel condonamus, hoc ad mercedis augmentum et stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, qualiter donamus ad basilicam sancti Petri principis apostolorum et sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, quam nos construximus in loco Osnabrugki, et corporum illorum illuc transtulimus, ubi præest vir venerabilis Wiho episcopus, omne regale vel sæculare judicium. » *Reliqua prætermittimus utpote ad nostram quæstionem nihil facientia.*

AUCTORE B. B. *et altero anni* 804;

47 *Sane si sincerum sit hoc præceptum, magnum exinde Translationi Osnabrugensi accedit pondus; nec video quid ei jam refragaretur, admissa Sandhoffii interpretatione, nimirum agi tantum de maxima seu præcipua SS. corporum parte. Sed antequam ulterius progrediamur, juverit alterius diplomatis, in quo agitur de Scholis Græcis et Latinis ecclesiæ Osnabrugensis, initium recitasse ex ejusdem Cointii Annalibus* (2): In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Karolus imperator Augustus, Romanum gubernans imperium, qui et Rex Francorum et Langobardorum, nec non modo dominator et Saxonum. Notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus nostrisque, præsentibus scilicet et futuris, qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum, Wihoni Osnabrukgensi episcopo suæque ecclesiæ, quam nos primam omnium in Saxonia in honore sancti Petri principis apostolorum et sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani construximus *etc.*

quorum prius certo sincerum est;
E

48 *Priorem chartam Cointius sinceram, posteriorem habet potius spuriam.* De priore *præcepto, inquit* (3), jam convenimus; de posteriore manet difficultas;... hoc præceptum, si non commentitium, saltem depravatum. *Nec omnino aliter sensit primum Papebrochius in Propylæio Antiquario* (4) : Ad calcem, *inquit*, Monumentorum Paderbornensium, unum Monumentum ponitur datum ecclesiæ Osnabrugensi, sub sigillo vetustate detrito et « data XIV Kal. Jan. anno III christo propitio imperii... Actum Aquis palatio... » Ast aliud, quod ibidem subjungitur, sub data anni sequentis « Aquisgrani palatio » præmissa « Sanctæ et individuæ Trinitatis » invocatione, si cum priori conferatur multis modis stylum præfert ætatis posterioris et insignes complectitur nugas; *sed postea mutavit Papebrochius sententiam inspecto scilicet autographo, quando Neuhusium, a Fernando Furstembergio episcopo Paderbornensi vocatus, adiit una cum Conrardo Janningo, non autem, ut falso scribit Eccardus* (5), *cum Henschenio* (6). *Nec minus labitur Eccardus, dum asserit Papebrochium sententiam mutasse quidem*, publice tamen se non revocasse; ut quidquid postremo statuerit, in gratiam principis statuisse videatur. *Verum enim vero diserte se* F *errasse confitetur Papebrochius in commentario prævio ad acta S. Bonifacii* (7) : Errasse, *inquit*, item me (*patet*) cum suppositionis damnavi Osnabrugense quoddam diploma, inter Monumenta Paderbornensia editum : quod justificari cupiens illorum auctor ut Mecænas noster (*Furstembergius*), ipsum ejus originale videre me fecit, et testimonium veritatis priori meo judicio contrarium sine cunctatione accepit; idque his etiam non illubenter facio publicum, datam viventi fidem etiam mortuo servatam cupiens. *Quid quod ipse Eccardus, qui pluribus in scriptionibus fidem utriusque diplomatis per fas et nefas impugnaverat, sententiam quoque mutaverit, postquam ecclesiæ catholicæ reconciliatus erat, ut asserunt Baringius* (8) *et Heumannus* (9). *Mabillonius priorem chartam recital integram et sine asterisco* (10); *posterio-*

(1) Annales ecclesiastici Francorum, tom. VI, p. 824. — (2) Tom. VI, p. 826. — (3) Ibidem, p. 826 et 827. — (4) Acta SS. tom. II Aprilis pag. VII, n. 28. — (5) Diploma Caroli M. de Scholis Osnabrugensis ecclesiæ critice expensum, p. 4. — (6) Acta SS. tom. VII Maii, p. IX. — (7) Ibid. tom. I, Junii, p. 460. — (8) Clavis diplomatica, p. 19. — (9) Commentarii de re diplomatica, p. 155. — (10) De re diplomatica, p. 390.

ris,

AUCTORE B. B.

ris, quam cum Cointio suspectam habet, initium exscribit tantum (1). *Henselerus, qui eruditam valde concinnavit Dissertationem, qua contra Eccardum vindicaret præceptum de scholis Osnabrugensibus, de priori præcepto sic loquitur* (2) : Quod quia non tam antiquitate sua venerandum, quam omnium doctorum calculo pro legitimo approbatum est, illud ex archetypo emendatum hic subjicio. *De hac Henseleri S.J. præclarissima scriptione frequens recurret nobis mentio. Schateno item nostro utraque charta genuina est :* Id, (*diploma prius*) quia tamquam ex naufragio ceterorum servatum accepimus, ac Ferdinandi *Furstembergii* principis et episcopi Paderbornensis studio ex tabularii Osnabrugensis autographo integre, uti Carolus M. sua manu consignavit est redditum, et mihi simul inspicere concessum, exigit hic annus (803) et multorum desideria ut hic adscribatur. *Ita Schatenus* (3). *Alterum pariter laudat ut* Antiquitatis Gemmam, *ab eodem Furstembergio in Monumentis Paderbornensibus* ex ipso archetypo Caroli *vulgatum* (4). *Ut alios prætermittam Justus Möser in egregia sua Historia*
B *Osnabrugensi, germanice scripta, bina præcepta adhibet recitatque ut sincera* (5).

posterius ab eruditis nonnullis vehementer impugnatum.

49 *Ex hactenus dictis efficitur diplomata illa non æqualiter fuisse impugnata; et prius, criticorum judicio, melioris esse notæ quam posterius; hocque a pluribus rejectum, illud potius probantibus. Perperam itaque dixit Sandhoffius* (6) : Contra utrumque diploma *Carolinum plures scriptores* (*et in ima pagina citat Cointium, Papebrochium, Henschenium etc.*) tamquam adulterinum et suppositicium censuram graviorem exercuerunt. *Id utique falsum. Addit dein Sandhoffius :* Quidam criticus qui se A. J. scripsit (*hic autem alius non est quam Joannes Georgius Eccardus supradictus*), acerba dicacitate et inanibus conjecturis illud (*utrumque nempe diploma*) convellere molitus est, sed hunc P. Henseler refutavit et manifestis rationibus ita conclusum constrictumque tenuit, ut criticorum nemo deinceps longo tempore diplomatis utriusque fidem atque auctoritatem in dubium vocare aut ad suum tribunal sistere ausus sit. *Verum nuper admodum bellum hoc litterarium resuscitavit Grupius, vir quidem*
C *eruditus* at nimis morosus, *qui* (per) hæc utrumque diploma momenta suspectum reddere aut destruere existimavit : Initium diplomatis Carolo prorsus insolitum; titulum dominatoris Saxonum pariter insolentissimum esse; scholas græcas et latinas a Carolo *Osnabrugi* haud fundatas, denique hunc eo tempore, quo diploma Osnabrugense datum est, anno 804 die XIII Kalend. Januarii Aquisgrani haud esse potuisse. *Ast nihil horum spectat ad prius Caroli præceptum : in hoc enim invocatio diversa est, nec mentio fit de titulo dominatoris Saxonum, nec de scholis græcis aut latinis; annus denique alius, nempe* 803. *Unde si ex his suspecta redditur secunda charta* (*quod ego hic, utpote ad propositum nostrum nihil faciens, in medio relinquo*), *firma tamen perstaret fides primæ, cujus invocatio ipsissima est, quam Carolus post adeptum imperium adhibere solebat :* In ejus diplomatibus, *ait Mabillonius* (7), tria D consideranda sunt tempora. Primum ab inito regno Francorum ad regnum Longobardicum, scilicet ab anno DCCLXVIII ad DCCLXXIV excurrente. Alterum ab eodem anno ad annum DCCC, quo coronatus est imperator. Tertium inde ad finem vitæ. Primo illo tempore hanc formulam adhibuit : « Carolus, gratia Dei rex Francorum, vir inluster, » qualem etiam usurpavit Carolomannus ejus frater. Secundo intervallo hac formula usus est : « Carolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanus, » addendo sæpissime « vir inluster. » Tertio « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Carolus serenissimus Augustus, a Deo coronatus magnus et pacificus imperator, Romanorum gubernans imperium, qui et » (aliis « quin et ») « per misericordiam Dei rex Francorum et Langobardorum. » *Notat præterea Sandhoffius,* Grupii probationes seu dubia tam longe petita *esse, ut si subsisterent,* sero nimis aut numquam Carolus episcopatum Osnabrugensem et cathedralem ædem condidisse videretur; *quod universæ sane repugnat historiæ. Deinque concludit* E *Sandhoffius :* Nobis sufficiat diploma utrumque tot imperatorum et regum auctoritate confirmatum, et illud, quando successores episcopi Egbertus, Egilmarus ac Benno cum tabulis primis deperditis coram imperatoribus in synodis, in causa decimarum contra adversarios suos abbatem Corbeiensem *Saxoniæ* et antistitem Hervordiensem id exhibuere, acerrimis hisce quæstionibus omnino haud impugnatum. Accessit celsissimi ac eruditissimi principis Ferdinandi *Furstembergii*, episcopi Paderbornensis et Monasteriensis aliorumque virorum litteratorum (videlicet Schatenii, Turckii, Nunningii, Lodtmanni atque Möseri) sanius judicium, quo illud genuinum et authenticum pronunciarunt. Denique Papebrochium una cum Eccardo, ea quæ contra Carolinum diploma scripserant, retractasse probe cognitum est.

Probatur non fuisse integra corpora Osnabrugum delata,

50 *Utut est de posteriore præcepto, ubi agitur de scholis latinis et græcis, nihil mihi esse videtur quod nos cogat vel serio inducat ad prius illud falsitatis vel interpolationis arguendum. Nec facile concipitur qui factum sit, ut a multis utrumque simul eadem animadversione sit impetitum, cum pleraque imo vix non omnia quæ uni opponuntur, alterum prorsus non afficiant. Admissa autem diplomatis sinceritate, extra omne dubium ponitur Reliquiarum SS.* Crispini *et* Crispiniani *translatio ad ecclesiam Osnabrugensem : ait enim ibidem Carolus :* Donamus ad basilicam sancti Petri principis apostolorum et sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, quam nos construximus in loco Osnabrugki, et Corpora illorum transtulimus. *Sed quæ sunt reliquiæ tunc translatæ? An integra corpora, an horum tantum partes notabiles? Nullus dubito agi de partibus insignioribus : etenim vox* illorum *obvio et naturali sensu æque refertur ad S. Petrum ac ad SS. martyres* Crispinum *et* Crispinianum : *ast clarum est corpus integrum S. Petri non fuisse Osnabrugum*

(1) De re diplomatica, p. 74. — (2) Dissertatio critico-historica de diplomate Caroli M. p. 54. — (3) Historia Westphaliæ, p. 412. Edit. 1773. — (4) Ibid. p. 416. — (5) Osnabrückische Geschichte, tom. I, p. 405. Edit. 1819. — (6) Tom. I, p. 23. — (7) De re diplomatica, p. 72.

A *a Carolo delatum. Quidni idem dixeris de reliquiis SS. Martyrum? Usu hic venit quod notat Baronius ad an.* 841, *n.* VII, *ubi loquens de reliquiis abbatiæ S. Medardi Suessionensis :* Ex iis, *inquit* (1), rursum usitatum morem inspicis, ut Corpora Sanctorum nominentur, quæ illic essent Martyrum collocatæ reliquiæ. Certe quidem (ut de aliis dicere omittamus) numeratorum ibi martyrum Romanorum non integra illic fuisse corpora, quæ sunt superius dicta de eisdem Sanctis, satis ostendunt. *Atque hoc quidem confirmatur tum ex recognitione facta Osnabrugi anno* 1721 (*de qua num. sequenti*), *tum ex visitatione instituta hoc ipso anno, quo hæc scribimus* 1860, *a RR. DD. episcopo Suessionensi Paulo Armando de Garsignies; ex utraque enim efficitur partes tantum insigniores sive Osnabrugi sive Suessione reperiendas; supponit quidem RR. DD. episcopus Suessionensis, capsam SS.* Crispini *et* Crispiniani, *sæculo nono, Romam fuisse transvectam, nec inde Augustam Suessionum reductam nisi* parte non minima retenta. *Verum Romana hæc translatio haud satis idoneis nititur, ut su-*
B *pra monuimus, testimoniis, et insuper ex testinio R. D. canonici Lequeux novimus* exiguam tantum SS. corporum partem Romæ *existere et exstitisse. Dormayus quoque in historia Suessionensi, ubi disserit de tertia translatione* (*confer supra n.* 30), *diserte edicit, dubium esse an integra utriusque corporis ossa in theca reperiantur.* Ratio, *inquit* (2), dubitandi est, quod, referente Baronio, corpora fuerint Romam translata ad ecclesiam S. Laurentii in Pane et Perna. Facile esset dubium solvere si liceret inspicere instrumenta thecæ inserta. Ast cum id sperandum mihi non sit, candide reddam quæ audivi. Aiunt capita in theca desiderari, alterumque eorum esse in basilica S. Crispini Majoris. Præterea didici, in theca illa, non tot esse ossa quot sufficiant duobus corporibus componendis. Unde probabile fit, ut nonnulli opinantur, Romanos, cum Suessionensibus concesserunt corpus S. Sebastiani, sibi vicissim partem reliquiarum SS. Crispini et Crispiniani reservasse. *Denique viri ætate provecti et fide digni, qui adfuerant visitationi reliquiarum, factæ anno* 1622 *a Ca-*
C *rolo de Hacqueville testati sunt auctori libri ms. de rebus memorabilibus S. Crispini Majoris* (3), omnes reliquias quæ in capsa continebantur, involutas panno serico subrubei coloris atque impositas arculæ ex velluto viridi, ornatæ clavis argentatis, et instructæ clavi argentea, quæ seræ inhærebat; ossa vero simul collecta vix sufficere ad componendam quartam partem humani corporis, capite carentis. Erant insuper hæc ita inter se commixta, ut ægre discerni posset quæ ad alterutrum S. Martyrem pertinerent. *Ita R. D. Pécheur in documentis mss.*

ex instrumento recognitionis an. 1721;

51 *Dixi supra, reliquias Osnabrugenses sæculo præterito recognitas seu visitatas fuisse: hac autem opportunitate conditum instrumentum est, de quo Henselerus qui, ut videbitur, præsens visitationi adfuit* (4) : Quænam vero horum SS. Corporum partes a Carolo M. Osnabrugum translatæ sint, ibidemque adhuc in ecclesia cathedrali asserventur, constat ex sequenti instrumento notariali, quod uti mihi recenter communicatum est, ita illud hic integre exhibeo, *Et nos ex illo :* In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis. Amen. Universis et singulis, quorum interest, per præsens publicum instrumentum, notum sit et pateat evidenter, quod anno reparatæ salutis millesimo septingentesimo vigesimo primo, Indictione decima quarta, sancta Sede per obitum sanctissimi Domini nostri Clementis XI Vacante, jovis octava die mensis Maii circa horam decimam matutinam, præsente reverendissimo et perillustri domino Hugone Godefrido Adamo de Korff, ecclesiæ cathedralis Osnabrugensis canonico et collegiatæ ad S. Joannem præposito, coram me notario apostolico infra scripto, præsentibus ibidem pariter R. D. Alberto Mathia Pielsticker, ejusdem ecclesiæ cathedralis vicario, R. P. Ludovico Henseler S. J., domino Francisco Philippo Arnoldo Hesselmeier reverendissimi capituli secretario, D. Rabano Heisterman ejusdem capituli œconomo, D. Francisco Henrico Hesselmeier et aliquot aliis honestis E viris, coram testibus specialiter ad id requisitis, Bernardo Wieman cive et aurifabro, Ferdinando Niewedde et Joanne Georgio Albers, in ecclesia cathedrali Osnabrugensi in capella, ut vocant, Pastorali inspectæ sunt binæ capsæ in quibus reliquiæ sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani repositæ sunt; et inventum est, quod adactis undique per laminas cupreas ferreis clavis ita firmatæ fuerint, ut non nisi remotis illis aperiri potuerint. Sublatis itaque per præfatum aurifabrum laminis illis, utraque capsa supra altare ejusdem capellæ collocata est, et facta inspectione, in prima capsa, in cujus extima superficie hi versus leguntur insculpti :

AUCTORE B. B.

CRISPINUM. CAPSA. TENET. HEC. ET. CRISPINIANUM. QUORUM. SCIR⋖. MANUS. MEREANTUR. CRIMIME. LA**

inventæ sunt sequentes reliquiæ mundo linteo involutæ. Primo quatuor integra ossa brachiorum vel tibiarum, secundo scapula una; tertio os sacrum; quarto duo minores ossiculi; quinto aliquot aliorum ossium fragmenta minora. In altera capsula, in qua legitur hoc F dystichon :

✠ LAUREET HOC OB OPUS HERMANNUM GRATIA XPI.
UT FIERET SUMPTUS CAPSE QUI CONTULIT ISTI.

repertæ sunt hæ reliquiæ. Primo in linteo involuta decem majora fragmenta variorum ossium, una vertebra spinæ dorsi, duæ coxæ, et unum integrum os tibiæ vel femoris, cum quibusdam fragmentis minoribus et frusto plumbi. Secundo in serico figurato duo ossiculi involuti cum hac schedula : Relq. Scor̃. confessor̃. Sixti et Sinncii. Tertio quædam reliquiæ S. Reginæ virginis. Quarto variæ reliquiæ linteo involutæ cum hac schedula : Rel. S. Marcellini. Rel. S. Tedulfi cf. de proprio corpore et vestimento. Rel. S. Lamberti mar. de vestimento. Rel. de vestimento Tpore memoriæ S. Victori mar. de pprio corp. Inspectis diligenter supradictis reliquiis, eædem in suam quæque capsam reverenter repositæ

(1) Baron., Annal., tom. XIV, p. 257. Lucæ, 1743. — (2) Histoire de Soissons, tom. II, p. 116. — (3) Recueil des choses mémorables sur S. Crépin-le-Grand, p. 84. — (4) Dissertatio, p. 149.

sunt

AUCTORE B. B.

sunt. Quibus sic repositis et inclusis, eædem capsæ, impresso per me infrascriptum notarium signato, occlusæ, et postea per dictum aurifabrum novis laminis cupreis clavisque ferreis bene et secure firmatæ sunt. In quorum omnium fidem et veritatis testimonium, ego Andreas Hubertus Loyer sacra authoritate apostolica notarius publicus præsens instrumentum desuper confeci, manu propria scripsi et subscripsi, signoque meo solito communivi desuper specialiter requisitus. Andreas Hubertus Loyer Notarius qui supra.

sed partes insigniores.

52 *Quo ex instrumento et ex dictis numero præcedenti tum etiam ex iis quæ supra disputavimus de Romana translatione, efficitur tum in Urbe, tum Osnabrugi et Suessione partes tantum SS. Corporum asservari, easque esse insigniores quæ Osnabrugi quam quæ Suessione* (*non loquor de capite* S. Crispini) *reperiendæ erant, ut liquet ex collatione præfati instrumenti cum litteris RR. DD. Armandi de Garsignies supra recitatis n.* 35. *Unde subscribimus verbis, quæ sapienter P. Henselerus subjunxit* (1): Ex hac fide dignissima relatione certum est, non B integra horum SS. Corpora Osnabrugum translata esse; sed notabilem duntaxat illorum partem. Quare licet hodiedum aliæ eorumdem corporum partes Romæ, apud Suessiones et alibi reperiantur; non ideo tamen negari potest, sacra hæc lipsana a Carolo M. Osnabrugum transportata esse. Ceterum aliquas horum lipsanorum particulas a Bennone II Iburgum ad templum S. Clementis ab ipso constructum translatas esse constat ex vita Ms. ejusdem Bennonis a Nortberto abbate conscripta cap. 24. Præter eas partes, quæ in memoratis duabus capsis majoribus repositæ sunt, nonnullæ etiam particulæ sunt in speciali theca reliquiaria, quæ est in tabernaculo summi altaris, uti docent schedulæ affixæ: Sti Sinnitii, Crispini et Crispiniani... In eodem tabernaculo asservatur capsula plumbea, qua inclusa est membrana scripta anno 1218 (quo S. Adolphus epus. Osnabr. altare in honorem SS. Crispini et Crispiniani dedicavit) hoc tenore : « Reliquiæ scor̃. marm̃. Crispini et Crispiniani... Anno incarnationis dn̄i n̄ri Jhu X. M° CC° XVIII. consecratum est C altare hoc in honore beator̃ mr̃m Cs̄pini Cs̄piniani, ab ep̄o Adolfo, Hermanno sacdote et vicario p̄movente, et tunc altari deservienti. XII° Kl, Junii fr̃ uu. (21 *Maii feria secunda*) acta st hec. In Translatione mr̃m Cs̄pini et Cs̄piniani. » In eadem membrana recentiori manu hæc subscripta sunt : « Anno Incarnationis Dn̄i MCCCC primo consecratum et reformatum est hoc altare in honore sce Marie Virg. et Scor̃ Crispini et Crispiniani ut prius ab ep̄o Anthonio tunc vicario in pontificalibus reverendi in Xp̄o pr̄is dn̄i Theodorici de Horne ep̄i Osnab. *Atque hæc dicta sint de partibus SS. Corporum Osnabrugi asservatis, eoque a Carolo imperatore allatis. Nunc cætera, quæ ad hanc translationem stabiliendam faciunt, prosequemur.*

Nec obest Acta Translationis desiderari.

53 *Acta translationis desunt. Ast habemus Caroli diplomata, et insuper alia plura suppetunt testimonia eadem de re valde idonea. Novimus namque pium imperatorem, cum ad* D *bellum proficisceretur, solitum fuisse secum ducere Sanctorum reliquias. In lib. I. Miraculorum S. Dionysii cap.* 21, *de Carolo contra Saxones movente legitur :* Hic pignora beatorum Martyrum secum ferri fecerat, et custodes clericos qui secum proficiscebantur, delegaverat, uti vicissim sibi succedentibus, debita exhiberetur religio (2). *Et ipse Carolus in capitulari anni* 769 : Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere omnino prohibemus; nisi illis tantummodo, qui propter divinum ministerium, missarum scilicet solemnia adimplenda, et Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt (3). *Nihil ergo mirum si Carolus in bello Saxonico, Sanctorum reliquiis se suosque munitos voluerit, atque inter alias secum habuerit* SS. Crispini *et* Crispiniani *exuviarum partem haud spernendam. Cæterum notum est quanto desiderio quantaque aviditate illis temporibus sacra hujusmodi pignora a principibus et regibus conquirerentur, imo si opus esset vel occasio ferret vel vi tollerentur* E *vel clanculo surriperentur. Confer Acta S. Miniatis, supra p.* 421 *n.* 13 *Atque hinc fit, ut sæpius acta translationum deficiant et nonnumquam vel ulla earum memoria supersit in locis unde reliquiæ in dissitas terræ plagas fuerunt deportatæ. Quod etiam hic obtinere videtur. Certe nihil ego in scripsoribus Suessionensibus reperi uspiam, quo vel levissime indicetur pignora sanctorum Martyrum nostrorum Osnabrugi partim saltem requiescere. Unum adhuc addam ex* Mabillonio (4) *qui contra Conringium scribens in simili causa, declarat ex hujusmodi actorum defectu nihil concludi posse. Conringius supposititiam volebat esse inventionem capitis sancti Joannis Baptistæ apud Angeriacenses monachos.* Incertum, *inquiebat Conringius*, omnino est, teste Aimaro, quomodo caput illud huc venerit, etsi omnino fuisset præcursoris. Ergo abbas Alduinus ejus inventor non est extra omnem suspicionem. *Reponit autem Mabillonius :* Nec sane extra maledicentiæ suspicionem est is, qui hoc modo argumentatur, non solum in Alduinum, sed et in totum ordinem. Incertum quomodo in plerasque ec- F clesias devenerint complures reliquiæ. An ideo falsarii, qui eas exhibent?

Vindicatur translatio ab Eccardi dictetis,

54 *Cæterum tot ac tanta sunt sequentibus sæculis testimonia, translationem Osnabrugensem confirmantia, ut frustra quis niteretur illam supposititiam probare. Unde etiam Eccardus in suo Diplomate critice expenso* (5) *licet neget, futiles utique ut mox videbimus ob rationes, id sub Carolo Magno contigisse, fatetur tamen non ita multo post factum.* Nec, *inquit*, Carolus M. reliquias illas vel ideo transferre potuit, quia numquam in Suessionum civitate commoratus est, sed eam solummodo pertransiit una vice, cum in fine anni 804, Leonem papam comitaretur, ut ex Annalista Metensi intelligimus. *Sit: nec enim vacat diligentius hæc investigare; sed an opus omnino erat, ut imperator propriis manibus sepulcrum aperiret, vel saltem, cum hoc fieret, præsens adstaret? nonne absens ministris suis negotium illud potuit committere?*

(1) Dissertatio, p. 151. (2) Ducange, Glossarium, V° *Capellani*.—(3) Ibid. Conf. Patrologiam Mignianam, tom. XCVII, col. 123. — (4) De re diplomatica, lib. III, cap. 3, num. XVII, p. 230. — (5) Pag. 34. —

Subdit

A *Subdit Eccardus :* Minorum sanctorum Viti, Pusinnæ, Liborii translationes in Saxoniam, primis istis temporibus, descriptores suos peculiares nactæ sunt; nec defuissent Crispino et Crispiniano, si a maximo imperatore illi transportati fuissent. *Nemo non videt id genus argumentum, quod negativum dici solet, cuivis facto historico, aliunde optime probato, posse opponi, imo et ipsi Eccardo, qui prosequitur in hunc modum :* Nec post Carolum M. occasio se obtulit illos Suessione transferendi, præter illam, quam Gosbertus (*qui ordine quartus venit inter episcopos Osnabrugenses, licet proprie talis non fuisse videatur, et propterea* episcopus vicarius *nominetur a Sandhoffio, ac floruit usque ad annum fere* 860 *vel* 864 (1)) nactus est, ubi exauctorationi Ludovici Pii interfuit cum Ebbone suo propinquo. Captivum tunc imperatorem istum in monasterio S. Medardi, ut jam monuimus, apud Suessiones destinebant et Crispini et Crispiniani corpora pro more seculi istius superstitiosi furari et in locum ipsorum alia quæcumque sceleta supponere commode
B potuit Gosbertus ibidem tunc præsens. Furata enim esse, vel inde conjicio, quod translationis illorum historia nulla habeatur, atque ita clam Osnabrugam perlata videantur. Et credidere ac fortasse etiam nunc credunt Suessionenses, veras Crispini et Crispiniani reliquias apud se esse. *Insulsæ utique conjecturæ, quas subjecisse, refutasse est. Eo scilicet animus, præjudicatis opinionibus constrictus, abripitur, ut rejectis cum supercilio validis testimoniis, in vana delirantis mentis impingat somnia. Cæterum Henselerus multis Gosbertum vindicat contra Eccardum ; illumque asserit alienum prorsus a conjuratione in Ludovicum pium fuisse, nec omnino sub hujus exauctoratione Suessione versatum, cum ab anno* 831 *ad annum* 845 *in Suecia manserit propagandæ evangelicæ doctrinæ intentus* (2). *Ex hoc diverticulo ad seria magis redeamus, scilicet facta et scripta varia quibus translatio Osnabrugensis, haud parum confirmatur.*

et confirmatur ex variis diplomatis, et Thietmari testimonio;

55 *Anno* 864 *Ludovicus Germanicus rex Egiberto, episcopo Osnabrugensi, dedit privilegium seu diploma de decimis et immunitate. Porro hoc in privilegio ita habetur inter alia :* In nostra ceterorumque nostrorum fidelium præsentia præfatus episcopus litteras magni et admirabilis Karoli avi nostri imperatoris augusti ipsius sigillo assignatas in palam proferebat... Qua de causa ob amorem Dni nostri Jesu Christi et S. Petri principis apostolorum et preciosissimorum martyrum Crispini et Crispiniani, quorum corpora illuc translata sunt, *etc.* (3). *Simile quid occurrit in præcepto Arnulfi regis dato an.* 895 *Egilmaro episcopo Osnabrugensi* super decimis et de beneficio Allonis comitis. *Utrumque diploma recitat P. Henseler in extenso* (4). *Thietmarus vulgo Dithmarus, qui anno* 1018 *defunctus est, refert in suo Chronico sanctos* Crispinum *et* Crispinianum *exeunte sæculo* x, *sub Dodone Osnabrugensi episcopo apparuisse Gunterio cuidam, interrogantes* si suum vellet accipere episcopatum? *Vocant* suum, *utique quia eorum nomini dicata erat cathedralis ecclesia, et reliquiæ in illa repositæ. Integrum Thietmari locum reperies infra, ubi de cultu SS. Martyrum extra fines Suessionenses agemus.*

AUCTORE B. B.

item ex delatione SS. Reliquiarum ad Iburgense cœnobium,

56 *Scribit sæpius laudatus Sandhoffius in episcopis Osnabrugensibus* (5) : Longe autem funestius malum Widonem (*qui sedit ab anno* 1092 *ad* 1101) perculit; quippe basilica cathedralis et curia episcopi anno 1100 miserabili incendio conflagrarunt. Abditæ SS. Crispini et Crispiniani reliquiæ diu haud reperiri potuerunt; demum sub ara principe, quæ in rudera consederat, inventæ sunt in parva fornice, quas tunc Wido in tuto collocaturus, ad Iburgense cœnobium transvehi, ibique in templo S. Clementis, et cavo, quod Benno (*alter Osnabrugensium præsul*) fieri curaverat, includi et asservari fecit; ubi sex annorum spatio latuere, donec nova cathedrali æde exstructa, Osnabrugum summa cum solemnitate reportatæ et pristino cultui restitutæ sunt. *Et rursus in Joanne, qui in locum Widonis delectus est anno* 1101 (6) : Inter opera ejus prima seu præcipua venit basilicæ novæ constructio, quam verisimilius alio in loco, quam combusta fuit, ea, qua nunc conspicitur forma, a E
fundamentis excitari curavit. Ea nunc ad fastigium tectumque ita perducta perfectaque, ut sacra in illa peragi potuerint, SS. martyrum Crispini et Crispiniani lipsana ex cœnobii Iburgensis templo ad cathedralem ædem transferri curavit; prius tamen aliquam partem reliquiarum abbati donavit. *Horum omnium fidem facit charta cœnobii Iburgensis, quam Möser edidit inter* Documenta, *primo tomo suæ historiæ Osnabrugensis annexa. Est autem documentum hoc anni* 1110 *et sequentis tenoris* (7) :

de qua præclarum exstat documentum.

57 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quam et futuris Christi fidelibus. Quod cum peccatis exigentibus Osnaburgensis ecclesia anno dominicæ incarnat. MC penitus esset combusta, et maxima cura esset episcopo Widoni, qui ibidem tunc præfuit, de martyribus Crispino et Crispiniano, quos illuc magnus imperator Carolus cum episcopatum conderet adduxerat, cum diu quæsiti minime reperirentur; ab omnibus enim ibidem commorantibus indubitanter ibi esse sciebantur, sed ubi tam pretiosus thesaurus absconditus, penitus ignora- F
batur. Tandem sub principali altari, quod ex parte igne corruptum ceciderat, invento brevi muro cum fornice firmissima, reperta sunt cum aliis multis reliquiis corpora Sanctorum. Sed idem episcopus propter vastitatem loci ibidem eos servare formidans, in hoc nostrum Iburgense castrum propter servitium Dei, quod hic tunc a militantibus Deo strenue fiebat, transferendos putavit, et in altari S. Clementis, quod retro concavum, diligenter includens omni studio abbati et fratribus custodiendos reliquit. Quo cum per sex aut eo amplius annos, donec in Osenbrugge reformaretur ecclesia, usi essent hospitio, Joannes episcopus, qui Widoni successerat, eos Osnabrugum reduxit. Sed in ipso die reductionis eorum, cum obnixe ab abbate aliquid de illorum peteretur reliquiis, costa una et alio ossiculo relicto, episcopus idem libram unam

(1) Antistites Osn., t. I, p. 30 et seqq. (2) Henseler. Dissertatio p. 60 et et seqq. item p. 67. — (3) Henseler. Dissertatio, p. 107. — (4) Ibid., p. 117. — (5) Tom. I, p. 92 et 93. — (6) Ibid., p. 95. — (7) Osnabrücksche Geschichte, t. II, p. 276.

AUCTORE B. B.

decimationis in villa quæ vocatur Zwiveltem, ob reverentiam Martyrum et honorem B. Clementis et memoriam animæ suæ monasterio nostro contradidit, quam hoc pacto dispensandam constituit, ut videlicet libræ ejusdem pars quarta in anniversario suo quotannis fratribus distribueretur et egenis. Item quini solidi in anniversario Domini Bennonis, qui illum primitus provexerat, partirentur. Item quini in anniversario episcopi Widonis haberentur, reliqui autem quini ad vinum quotidiani sacrificii comparandum fideliter insumerentur. Et sic consecrata Osnabruggensi ecclesia, sanctis reliquiis in principali altari debito honore reconditis, in urbem reversus episcopus, S. Clementi Vorwerkum in Line, quod a Rothwardo nobili viro per precariam acquisierat, per manum Norberti abbatis pro sepultura sua, cum vita defunctus foret, donavit. Verum post ejus mortem cum in urbe ei sepulcrum parari debuisset, metuentes urbis custodes, ut multitudo populi ad sepeliendum episcopum confluens, aliquas loco per infidelitatem et fraudem moliretur insidias, consilio
B inito Osenbrugum cum licentia abbatis sepeliendum sui episcopi transtulere cadaver, qui tamen sempiternam nominis sui memoriam supra dictis et aliis plurimis caritatis officiis urbi cum benedictione reliquit. Actum hoc dominicæ Incarnat. anno MCX. Indict. III. *Alia ad reliquias istas spectantia reperies infra, ubi de cultu sanctis nostris Martyribus exhibito tum in civitate tum in tractu Osnabrugensi dicemus. Id unum hic addam, nempe rem esse sane miram et prorsus insuetam, quod apud Suessiones omnis hujus translationis, tot tantisque probatæ documentis, memoria penitus interciderit : nulla uspiam de illa mentio fit a scriptoribus illius patriæ, et fatentur RR. DD. Henricus Congnet, Delaplace, Gobaille, canonici ven. capituli Suessionensis, et cum ipsis R. D. Pécheur, omnes viri eruditi, se nihil de translatione Osnabrugensi antehac vel legisse vel audivisse. Cum tamen, ut vidimus § II, a Dormayo aliisque reliquiæ SS.* Crispini *et* Crispiniani *sive Romam sive alio delatæ referantur; nonne conjicere fas est, id partim ortum ex vaga confusaque reminiscentia translationis Saxonicæ?*

Præsens reliquiarum Osnab. status

58 *Ex litteris R. D. Doctoris Heuser, lectoris theologiæ in Seminario Coloniensi, discimus, veterem thecam argenteam, qua continentur reliquiæ SS.* Crispini *et* Crispiniani, *existere adhuc in cathedrali Osnabrugensi, eamque quotannis exponi supra altare majus solemnioribus diebus. Ex utraque parte ejusdem altaris plurimæ etiam depositæ sunt SS. reliquiæ, quas videre est per vitreum repagulum; inter has vero inveniuntur duo calvaria SS. nempe* Crispini *et* Crispiniani, *si fides inscriptioni est. Atque hæc ita nobiscum communicavit mense Julio hujus anni* 1860 *præfatus D. Heuser ex rescripto RR. DD. episcopi Osnabrugensis. Mense sequenti, scilicet* 27 *Augusti, alteras accepimus litteras, quibus monet idem D. Heuser, se denuo ad RR. Præsulem recurrisse, quo clariora super his nanciscetur indicia. Solita sua benevolentia respondere RR. DD. Episcopus dignatus est in hunc modum:* Nomina utriusque sancti Martyris scripta sunt in binis eisque exiguis schedulis, uni alterique calvario annexis; utraque schedula concinne D est exarata, sed non ante sæculum elapsum (*decimum octavum*). Ambo calvaria cum pluribus aliis inclusa sunt duabus hierothecis pellucidis, quæ cernuntur in majori altari. Id singulare, duo prædicta calvaria fere nuda esse, dum cætera in iisdem hierothecis conclusa pretioso decorata sunt ornatu. Denique majori altari inscriptus est annus 1752; unde sequitur sacrorum pignorum præsentem dispositionem fieri potuisse post laudatam ab Henselero recognitionem anno 1721. *Conf. n.* 51. *Cum itaque in hac recognitione mentio non fiat capitum, et recenti manu scedulæ sint exaratæ, atque aliunde validissimis firmetur testimoniis factisque traditio Suessionensis de perpetua ibidem capitis S.* Crispini *asservatione; neminem fore putem, qui facile admiserit, calvaria in majori altari ecclesiæ Osnabrugensis reposita, ad sanctos nostros* Crispinum *et* Crispinianum *spectare.*

§ IV. Cultus SS. Crispini et Crispiniani apud Suessionenses perpetuus probatur. Sodalitia. Fratres sutores. E

de cultu SS. Martyribus Suessione exhibito : sæc. IX *locus Paschasii Radberti.*

Ex *hactenus dictis et probatis, nemini dubium erit, summo in honore apud Suessionenses perpetuo fuisse SS. martyres* Crispinum *et* Crispinianum, *magnaque eos cum fiducia ad illorum præsidium confugisse in publicis præcipue necessitatibus. Nonnulla venerationis et pii cultus juverit adscripsisse testimonia, servato sæculorum ordine. Exordiamur ab insigni loco B. Paschasii Radberti, quo simul etiam probatur reliquiarum suo tempore asservatio in S. Crispini Majoris monasterio. Composuit ille Expositionem in Psalmum XLIV :* Eructavit cor meum verbum bonum, *quam direxit ad sacras virgines Suessione in S. Mariæ monasterio degentes; unde plurimus ibidem singulis libris* (*tres sunt numero*) *tum de præfato monasterio sermo, tum de urbe, quam Vesonam nonnumquam vocat. Libro tertio, circa medium ita habet* (1) : Vesona, quam incolitis,... tota ecclesiis repleta fulget et facta est possessio piissimi Salvatoris, quæ fuerat filia perditionis et præda F vastatoris. Habet namque ad Orientem sui nunc castra Monachorum cum suis sanctis confessoribus atque martyribus (*nempe cœnobium S. Medardi multis Sanctorum reliquiis locupletatum*); ad Occidentem vero ac si post tergum vestrum, tuba resultat sancti Evangelii in voce monentis *id est in cathedrali Sancti Gervasii ecclesia.* Vos autem quasi in medio constitutæ unum elegistis angulum tantum Suessionis Augustæ..... Habetis ergo etiam ad Meridiem in prospectu Orientis SANCTOS MARTYRES DEI PATRONOS VESTROS, CRISPINUM SCILICET ET CRISPINIANUM, rubricatos suo et dealbatos sanguine Christi, qui hanc fundarunt civitatem in fide et eruerunt eam de præcipitio mortis. *Præclarum utique, si uspiam alibi, testimonium. Ex quo discimus quanta in veneratione essent SS. Martyres nostri sæculo nono, cum urbis et omnium asceteriorum patroni haberentur. Eoque magis fide dignum quod a viro sancto et in paucis doctissimo atque Suessione*

(1) Migne, Patrologia. tom. CXX, col. 1047 et seq.

oriundo

A *oriundo et educato sit scriptum* : cum enim, *ait Mabillonius* (1), in monasterio B. Mariæ ejus urbis Deo puer consecratus sit, id argumento est, eum indigenam Suessionensem fuisse. *Adhuc* puerulus *corona clericali insignitus est; sed deinde, ut ipse de se testatur* (2) *monasterio egressus* diu exsulatus in sæculo perdidit eam, coinquinatus multis mundanis actibus. *Postea vitæ sæcularis pertæsus secessit in Corbeiense monasterium, in quod admissus a S. Adalhardo abbate,* quem in Saxoniam pergentem anno 822, novæ Corbeiæ condendæ gratia, comitatus est (3). *Cum ætatis esset jam provectæ abbas veteris Corbeiæ electus est anno* 844. *Sexennio post, ortis inter monachos turbis in Centulense cœnobium se recepit, ac denique anno* 851, *abdicato regimine, ad intermissa sacrarum litterarum studia rediit, atque sanctissime obiit circa annum* 865, *ut habet Gallia Christiana* (4); *Mabillonio incertus est mortis ejus annus, sed certe non contigit ante annum* 860 (5). *Dixi supra Paschasium pro* Suessona *nonnumquam scribere* Vesona, *prout obtinet in recitato supra ejus loco. Quam in rem notat Ma-*
B *billonius* (6) : Vesonæ vocabulum non est proprium nomen parthenonis Suessionici, sed urbis ipsius, quæ Vesona et Suessio promiscue appellatur a Radberto. Neque verisimile est amanuensis errore scriptum esse Vesona pro Suessona. Nam præterquam quod Vesona legitur in duobus codicibus mss. in quibus ista lucubratio (*nempe inscripta* de Partu B. Mariæ virginis *atque iisdem Sanctimonialibus*) continetur; idem etiam vocabulum tribus in locis reperitur in Expositione Psalmi 44, et quidem conjunctum cum vocabulo Suessionis. Ex ipso autem contextu manifeste liquet eo nomine significari civitatem Suessionicam non monasterium virginum. *Quam vere hæc ab erudito viro notata sint neino non agnoscet ex recitatis a nobis Paschasii verbis. Quod vero addit Mabillonius :* Certe Ptolemæus *Vesones* et Strabo *Vesiones* appellant Suessionenses; *minus probatur. Strabo, Oxonii editus græce et latine ineunte sæculo nostro* XIX, *habet :* Σουεσιῶνες Suessiones *et quidem binis in locis* (7); *posteriori loco additur infra varia hæc lectio :* Οὐεσίωνας *et* Οὐεσσίωναξ, *quæ latine potuerunt reddi*
C Vesiones *et Vessiones; sed lectio hæc minus accurata videtur nec in textu Oxionensi admittitur.* Strabonis, *ait Cellarius* (8), editiones variant; *nullam tamen citat quæ sibilum seu litteram* σ *omittit.* Ptolemæus sine sibillo Οὐέσσονες *Suessones,* correpta media. *Si sibilus latine supprimatur, legendum erit* Uessones, *quod ita habet revera Conradus Mannert* (9). *At de his satis.*

Præceptum Carlomanni an. 884;

60 *Sub finem anni* 884 *Carlomannus, Ludovici Balbi filius, altero die quam ab apro percussus, quarto vero die ante suum obitum Præceptum dedit, quo Suessionensi sancti Crispini Majoris basilicæ duos mansos apud Vermeriam donavit* (10). Notum, *inquit* (11), esse volumus... quia adiens genua serenitatis nostræ illuster fidelis noster Erifonnus, coram frequentia procerum primatumque nostrorum humiliter petiit, ut pro relaxandis nostrorum facinorum culpis sanctis Crispino et Crispiniano aliquid ex rebus nostræ proprietatis omni tempore habendum sub ditione et potestate Hermoini sacerdotis fidelis nostri concederemus. Placuit itaque nostræ celsitudini ejus saluberrimis aquiescere postulatibus et jam dictis Dei martyribus Crispino et Crispiniano in suburbio Suessionico sistentibus, sub potestate, munime, ditione et tuitione Hermoini jam dicti fidelis nostri, mansos duos ex Vermeria, ubi Richoldus et Gerardus commanere videbantur, cum vineis et terris omnibus ac mancipiis ad eosdem pertinentibus... ea videlicet ratione, ut annuatim die obitus nostri ecclesia ipsa luminaria et fratres ejusdem loci caritatem accipiant fraternam, qualiter illis delectet pro nobis Domini misericordiam implorare *etc. Integra charta habetur apud Mabillonium l. c.* ex Authentico, *hac addita notatione :* Hæc charta secunda manu vitiata fuit, quantum ad diem mensis quo data dicitur (IV *Idus Decembris*), ut cuilibet eam inspicienti facile erit advertere : anno enim DCCCLXXXIV ante IV Idus, id est ante diem decimam Decembris e vivis excesserat Carlomannus, *qui mortem* E *obiit die sexta Decembris præfato anno* (12).

item donatio Herici.

61 *Eodem anno occurrit altera donatio duorum mansorum in villa Montiniaco facta ab Herico comite* pro dente; *item alterius mansi in villa Saviaco etc. Chartam integram ex Authentico recitat quoque Mabillonius* (13), *ubi inter alia hæc legimus :* Opto ergo misericordiam Dei et omnium Sanctorum ac venerabilissimis martyribus Crispino et Crispiniano... Ego Ericus comes tradidi atque delegavi partibus supradictorum sanctorum Martyrum... in pago Suessonico, in fine villæ Motiniaco, mansa duo cum omnibus appendiciis eorum, una cum mancipia quattuor his nominibus, Ragenero, Angelberto, Teutbergane et Edelsidis, in honorem jam dictis Martyribus, et pro dente, quam indignus accepi, ad illorum luminaria et ornamenta tradidi atque delegavi perpetualiter in Dei nomine habendum. Simili modo in ipso pago vel villa quæ vocatur Saviacus, mansum unum, una cum mancipia duo, pro remedio animæ meæ et conjugis meæ Bertanæ, ad altare, quod est constructum in ipsorum basilica in honore Domini et sancti Salvatoris. F Ipsum mansum tradidi ad nostras rationes faciendas vel ornamenta construenda; ut ipse sacerdos die quotidie ministerium pro salute animæ meæ ad ipsum altare ministret..... Proinde nunc etiam scitote ad partem ipsorum fratrum ibi Deo militantium in jam ante dicto loco, tribui atque delegavi in ipso pago et in villa Alta-Fontana, terra arabile bunuaria II, vinea ad modia XX, seu etiam et in alio pago Ormense, in villa quæ vocatur Vincella, dimidium mansum cum suis appendiciis, una cum mancipiis de jure nostro in jus dominationis ipsorum fratrum concedemus, ut VII Kal. Novembris ad refectionem vel commemorationem firmiter habeant... libero in omnibus ad illorum usus vel profectum potiantur arbitrio faciendi quidquid elegerint; ita ut ab

AUCTORE B. B.

(1) Acta SS. Ord. S. Ben. sæc. IV, part. II, p. 122. — (2) Migne, ubi supra, col. 1040. — (3) Gall. Christiana, tom. X, col. 1269. — (4) Ibid. — (5) Acta SS. Ord. S. Ben. Ubi supra p. 128. — (6) Ibid. p. 131. — (7) Strabonis rerum Geographicarum libri XVII, p. 270 et 273. Oxonii, 1808. — (8) Notitia orbis antiqui p. 315. Lipsiæ 1773. — (9) Geographie der Griechen und Römer, tom. II, p. 181. Nürnberg 1789. — (10) Annales Bened., tom. III, p. 230. — (11) Ibid., p. 637. — (12) Art de vérifier les dates, p. 540. — (13) Annal. Benedict. tom. III p. 637.

hodierno

AUCTORE B. B.

hodierno die et tempore custos ipsius ecclesiæ ad luminaria ipsas res et mancipia recipiat, sicuti divisum, decretum et roboratum habemus; et quicquid ad profectum ipsis sanctis Martyribus facere decreverint et ipsis fratribus liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem. *Sequuntur anathemata solita.* Actum Suessionis in atrium beatorum Martyrum sub die VIII Kl. Novemb. (25 *Oct.*) anno secundo regnante domno imperatore *Carolo Crasso, id est anno J. C.* 886 (1). *Porro Hericus comes venit secundo loco circa annum* 877 *inter abbates S. Crispini Majoris in catalogo Galliæ christianæ* (2), *ubi adduntur sequentia :* Monasterio terram dedit infra castellum Suessionis, ut colligitur ex charta Caroli Simplicis an. 898. Idem forte est ac Eiricus comes qui amplam fecit monasterio donationem 25 Oct. anni 2 imperii Caroli Crassi 886. Herici temporibus Carolomannus dedit mense Decembri 884 SS. Crispino et Crispiniano duos mansos *etc. Et iterum de successore Herici :* Heribertus I

B comes Veromanduensis hanc quoque tenuit abbatiam, quam hujus temporibus jam recuperaverant monachi in locum canonicorum restituti, forte sub Herico decessore. *Obiit Heribertus circa annum* 902. *Minus distincte loquitur Mabillonius ad annum* 886 : Apud Suessionas, *inquit* (3), monasterium sancti Crispini, quod a multis sæculis nostrorum est, tunc a clericis sæcularibus occupatum erat. *Obscuræ valde sunt res illius ætatis turbatissimæ. Heribertus I comes Veromanduorum ponitur eodem tempore in catalogo abbatum S. Medardi* (4). *Et notat Dormayus* (5) *ab anno circiter* 866 *usque ad annum* 976, *seu* spatio annorum omnino centum et decem sæculares viros vel principes abbatiam S. Medardi obtinuisse. *Quidni idem fuerit de S. Crispini monasterio? Alibi Gallia christiana hæc habet* (6) : Maneat ergo si non pro comperto, saltem pro verisimiliori, basilicam SS. martyrum Crispini et Crispiniani primo a monachis inhabitatam... ; monachis in remissionem prolapsis successisse canonicos abbatibusque comites. *Certe in diplomate Caroli Calvi an.* 864, *diserte dicuntur* canonici. *Extat diploma apud D. Bou-*

C *quet, tom.* VIII, *p.* 594 *et seq. Et supra vidimus in charta Carolomanni, anno* 884, *tunc ecclesiam S. Crispini fuisse* sub potestate, munime, ditione et tuitione Hermoini sacerdotis. *qua voce excludi videntur monachi, ut probabile censet collectores Galliæ christianæ; qui deinde addunt :* at paulo post, an. scilicet 898, grex monachalis ordinis monasterii SS. martyrum Crispini et Crispiniani memoratur in instrumento Caroli Simplicis, sicque deinceps ad nostram usque ætatem perseveravit, abbatesque sequenti saltem sæculo, comitum locum exceperunt. *Quod sit illud Caroli Simplicis Instrumentum equidem ignoro; nec enim in diplomatis hujus regis tum a Bosqueto tum a Mabillonio aliisque, quos videre potui, editis reperitur; nec etiam indicatur in Indice Brequigniano. Sufficiat hæc breviter incidenterque tetigisse de monasterii fatis, quæ hujus loci non est diligentius indagare.*

62 *Sæculis* X *et* XI *depopulatum incensumque non semel memoratur monasterium. Nempe circiter an.* 945 *vastatum traditur in mss. R. D. Pécheur per factionem Heriberti III comitis Veromanduorum; et iterum anno* 948 *per Hugonem Magnum. Paulo aliter hæc exhibentur in Gallia christiana* (7) : Heribertus II Heriberti I filius et heres tam comitatum quam abbatiam obtinuit... obiit 943. Ragenoldus comes post defunctum Heribertum restitutamque a filiis ejus S. Crispini abbatiam, a Ludovico rege renuntiatus est abbas, qui abbatiam S. Medardi deprædatus est, eo quod filii Heriberti abbatiam S. Crispini deprædati fuissent. At Hugo Magnus an. 948 omnes monasterii S. Crispini ædes igne consumpsit. *Anno* 1047 *alterius incendii mentio occurrit : nam, ut habetur in Gallia christiana loc. cit.* Ansellus *abbas*, corpus B. Bandaridi episcopi in theca inclusit an. 1044. Decennio post transtulit reliquias S. Felicis martyris an. 1054 « idibus Maii, septimo anno restaurationis post incensionem istius monasterii, a prædicto abbate restaurati, ejus primum tempore incensi » ut habet schedula vetustissima in capsa inclusa. *Mel-* E *chior vero Reginaldus* (*Regnault*) *scriptor historiæ Suessionensis profert fragmentum veteris Calendarii S. Crispini Majoris, ex quo videretur concrematum monasterium anno* 1057 *et restauratum a Ludovico Crasso, qui regnavit ab anno* 1108 *ad* 1137. *An de duplici diversoque agatur incendio dubium est. Id porro certum apparet ab Ansello basilicam, licet forte non omni ex parte absolutam, anno* 1044 *dedicatam et tunc juxta reliquias SS.* Crispini *et* Crispiniani *collocatum feretrum S. Bandaridi, utpote patroni secundarii* (8). *Quod si ita se habeat, consequens erit triennio post dedicationem, ecclesiam incendio conflagrasse; nisi* incensio monasterii *de qua in præfata schedula sermo est, intelligenda sit de reliquis ædibus, non autem de basilica. Aliud in re tam obscura non habeo quod dicam, ne tenebræ addantur tenebris.*

Sæc. X *et* XI *incensum et restauratum monasterium.*

63 *Sæculo* XII *locupletiora de cultu SS. Martyribus exhibito suppetunt testimonia. Lisiardus de Crespi episcopus Suessionensis ab anno, ut videtur* 1108 *ad annum* 1126 (9), *testatur circa annum* 1123, *ob amorem SS. martyrum* Crispini *et* Crispiniani, qui plantaverunt ecclesiam in hac urbe (*Suessione*) et omnibus vicinis regionibus, quam et suo sanguine irrorarunt, *reges et populos plura contulisse abbatiæ latifundia. Hæc reperit R. D. Pécheur in rebus memorabilibus S. Crispini Majoris* (10). *Re quidem vera signatur hoc anno apud Brequigny* (11), Charta, qua Lysiander Suessionensis episcopus, ecclesiæ S. Martini de Campis donat ecclesiam de Lerniaco, quam diu laica manus tenuerat. « Actum Suessionis anno Incarn. Dominicæ MCXXIII, indict. I, regnante rege Francorum Ludovico, anno regni sui XVI, episcopatus Domni Lysiardi episcopi XV. » *Integre recitatur documentum a Marriero in historia S. Martini de Campis, p.* 530. *Putem verba prælaudata ibidem reperiunda, nec tamen ausim affirmare, cum Marrieri opus mihi præ manibus non sit. Ejusdem chartæ meminit Gallia*

Sæc. XII : *an.* 1123, *testimonium Lisiardi episc. Suession.;*

F

(1) Art de vérifier les dates, p. 434. — (2) Tom. IX, col. 396. — (3) Annal. Ben., tom. III, p. 238. — (4) Gallia christ., ubi supra, col. 413. — (5) Hist. de Soissons, t. I, p. 369. — (6) Tom. IX, col. 395. — (7) Ibidem col. 396. — (8) R. D. Pécheur. — (9) Gall. Christ., tom. IX, col. 355-57. — (10) Recueil de choses mémorables sur S. Crépin-le-Grand, p. 95, ms. — (11) Table chronologique des diplomes et chartes, tom. II, p. 517.

Christiana

A *Christiana ubi de Lisiardo, his verbis* (1) : An. 1123, episcopatus 15, ecclesiam de Lerniaco liberam monachis S. Martini a Campis concessit.

sæviente lue pestifera, SS. Martt. præsidium expetitur;

64 *Joslenus de Vierzi, episcopus Suessionensis legitur anno* 1133, *qui episcopatus ejus erat octavus*, in ecclesia S. Crispini altaria SS. Crispini et Crispiniani, SS. Simonis et Judæ, *etc.* dedicasse (2). *Sæviebat illis temporibus pestis inguinaria, quam scriptores passim* ignem sacrum *vel* divinum *dicunt*. Hoc anno (1129, *inquit Anselmus in continuatione Sigeberti Gemblacensis* (3)) plaga ignis divini Carnotum, Parisius, Suessionem, Cameracum, Atrebatum et alia multa loca mirabiliter pervadit, sed mirabilius per sanctam Dei genitricem Mariam extinguitur. Juvenes etenim, senes cum junioribus, virgines etiam teneræ in pedibus, in manibus, in mamillis, et quod gravius est, in genis exuruntur, et celeriter extinguuntur. *Subdit Anselmus sanationes variis in locis obtentas. Posthæc ita prosequitur :* Transeamus ad Suessionum civitatem. Ibi specialius pre omnibus locis per miracula innoB tescit gentibus Dei Genitrix. Ibi muti, ceci, claudi, paralatici curati sunt, mortuus resuscitatus. Vidimus horrendum quiddam. Ignis divinus nasum, labia, mentum cujusdam paupericulæ mulieris exusserat, fetor, horror sentientes et videntes repleverat. Expulsa de domo (*abbatia*) virginis Matris rediit ad propriam domum... Oravit, exaudita est; nocte quæ incrastinavit in Sabbatum, recepit sanitatem. *Alia id genus adduntur; ast solum de his quæ in basilica B. Mariæ contigerunt, mentionem facit auctor. Aliunde vero discimus, invocatum quoque a Suessionensibus fuisse aliorum Sanctorum patrocinium, præcipue S. Gregorii papæ et SS.* Crispini *et* Crispiniani. *Scribit enim anonymus in miraculis S. Gregorii* (4) : Quando episcopabatur in hac urbe (*Suessione*) Joslenus, divino judicio percussa est civitas ab ira Dei desuper. Pestis enim illa quam inguinariam vocant et subita pestis tota desæviens urbe metu astrixit universos. *Confugerunt ad S. Gregorium.* Postulatus Sanctus conceditur a fratribus, *id est monachis S. Medardi*, per urbis mœnia deferendus. Miracula protinus fiunt, C actumque est, ut quocumque delatus fuisset Sanctus, pestis illico fugata quiesceret. *Et infra* (5) : Exibat aliquando corpus hujus Sancti secundum consuetudinem exigente necessitate, et circa eum corona fratrum tam clericorum quam monachorum et multitudo copiosa plebis : episcopus autem civitatis, Joslenus prædictus accurrere non valuit quod infirmaretur ex tibiis (*forte igne sacro correptus*); misitque ad ecclesiam sanctorum Crispini et Crispiniani nuntium qui diceret, ut fratres, Martyribus secum assumptis, Sancto ad pontem occurrerent, ubi et ipse erat pariter occursurus. Qui indignabundi, se quidem ad urbem delaturos Martyrum corpora responderunt, sed nequaquam Martyres tantos debere Confessori occurrere. At ille zelum quandoque habentium non secundum scientiam frangere volens, accessit ad eos et rationem ita reddidit eis : Dum vos Martyres vestros creditis honorare, D agitis utique quod eis non placet, nec vobis proderit in futurum, *etc.* His et talibus lingua sapientis ornabat scientiam. Nec tamen potuit vir prudens, litteratus et verbum habens sufficienter ad manum, flectere tam sapientes non in sapientia. Perstant igitur illi in eo quod cœperant, seorsum incedentes, singulariterque transeuntes in comitatu aliorum. Rediens vero episcopus ab eis, ivit prout voluit obviam Sancto, circumducens corpus sanctissimum et reducens ad locum, votis humiliter et devote cum omni populo lætatus. Eunt denique omnes voto adepto et impetrato, pro quo rogaverant. Sed ecce post paucos dies sagittæ Domini missæ sunt in contradictores, quarum indignatio prius ebibens spiritum Prioris, eum subito primum extinxit; consequenterque abbate mulctato rei auctore, decem ex fratribus cita et inopina morte percussit. Stupefacti ergo et pavidi, quotquot de eis cladem evaserunt, sese in his omnibus peccasse confitentes, usque hodie mandant memoriale hoc in generationes sempiternas. *Auctor hujus narrationis, qui monachus erat S. Medardi Suessionen-* E *sis, facto coævus exstitisse probatur ex verbis, quibus orditur :* Jam, *inquit*, taceamus antiquiora... quid vero nostris in temporibus in hac urbe contigerit describamus. *Abbas autem qui hic* mulctatus *dicitur, videtur fuisse Teulfus, qui præfuit S. Crispino Majori ab an.* 1118 *ad annum saltem* 1136; *vir cæteroquin a rebus gestis laudatus* (6). *Quod autem corpus spectat S. Gregorii Magni, ad S. Medardi monasterium, ut traditur, Roma sæculo* IX, *una cum corpore S. Sebastiani delatum, vide apud decessores nostros ad diem* XII *Martii in Actis sancti illius Pontificis.*

contentio quædam canonicos inter et monachos Crispinienses.

65 *Anno* 1141 *contigit tertia translatio SS. Reliquiarum, de qua supra diximus n.* 30. *Ast eodem sæculo* XII *aliud venerationis suppetit testimonium* (7). *Scilicet moris erat ut canonici ecclesiæ cathedralis in pervigilio SS. Patronorum se conferrent ad S. Crispini Majoris, ibique primas vesperas festi celebrarent, sequenti vero die solemni assisterent sacro; qua occasione illis triclinium ingressis apponebantur vinum et liba. Hoc autem cum monachis oneri esset, et præterea nonnulla foret contentio hos inter et canonicos,* F *utri utros in choro præcederent; Leonius abbas* (*ab anno* 1181 *ad initia usque sæculi* XIII) *dissidium componere tentavit, diciturque confugisse ad S. Sedem, imo et binas anno* 1188 *obtinuisse bullas ab Innocentio III; quod utique secus omnino est : Innocentius enim solium pontificale conscendit primum mense Januario anni* 1198. *Itaque si* (*quod me latet*) *quæ bullæ decennio ante signatæ fuerint, Clementi III adscribendæ sunt. Cæterum pax tunc firmata non fuit, nisi forte quod* vinum *et* liba *spectat : nam ut docet Gallia Christiana* (8), *anno* 1196 *Leonius* convenit cum capitulo Suessionensi, ut canonici venientes ad festum S. Crispini ad vesperas in vigilia et die sequenti ad missam tenerent latus dextrum, monachi vero sinistrum.

Sæc. XIII, *altera similis contentio.*

67 *Sæculo* XIII *legimus de Albuino, quod* vix abbas factus opus novæ fabricæ ecclesiæ ag-

(1) Tom. IX, col. 356.— (2) Ibidem, col. 357 — (3) Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. VI, p. 381. — (4) Acta SS., t. II Martii, p. 750 et seq. *Inter Addenda.* — (5) Ibid., p. 751.— (6) Conf. Dormay, tom. II, p. 103 et seq. — (7) R. D. Pécheur. — (8) Tom. IX, col. 399.

gressus

AUCTORE B. B.

gressus est, quam ad cooperiendam a Ludovico IX obtinuit ligna e Silva Cotiæ (*hodie Compendiensis dicta*) an. 1235 (1). *Idem* destinata ad ornandas capsas tam sua quam decessoris (*Rainoldi*) argentea supellectile legatisque monasterio 160 libris ad emendum fundum, obiit anno 1239 aut sequenti ineunte (2). *Successit Crispinus de quo nihil ad propositum nostrum spectans reperio in Gallia Christiana. Alibi vero traditur anno* 1242 *statutum fuisse ut deinceps cerei duo in perpetuum ante reliquias SS. Martyrum diu noctuque arderent* (3). *Denique sub abbate Simone* anno 1298 controversiæ inter monasteria sancti Medardi et sancti Crispini sic ab arbitris sedatæ sunt, ut quotannis monachi S. Medardi in vigilia festi S. Crispini, ecclesiæ ejusdem in hora canonica solvere tenerentur duos cereos trium librarum ceræ, unam acerram thuris et dimidium sextarium olei (4).

Sæc. XIV *caput S. Crispini translatum, et restaurata capsa.*

67 *Sæculo* XIV *circiter annum* 1303 *Wermundus abbas* caput S. Crispini in pyramide inclusit. *De hoc latius egimus supra n.* 36. *Guillelmus I abbas* annis 1358 et 1359 Anglis totam
B late regionem late vastantibus, monasterium munivit, quod paulo post ab iisdem incensum destructumque fuit (5), *nec umquam posthac plane restitutum* (6). *Joannes II abbas* Capsam SS. Martyrum refecit, defunctusque ineunte Augusto 1373, sepultusque est in sacello S. Crispini (7).

Sæc. XV : *an.* 1414 *fœda monasterii et urbis vastatio;*

68 *Sæculo* XV *Victor de Camerino episcopus Suessionensis* confirmavit 26 Februarii 1407 sodalitatem in honorem SS. Crispini et Crispiniani in ecclesia SS. Martyrum et statuta sodalium condidit (8). *Sodales isti diversi sunt a fratribus sutoribus, qui duo post sæcula tantum innotuere. Ast anno* 1414 *impia accidit clades monasterii, expugnata urbe Suessionensi per Armaniacos* (Armagnacs), *quo nomine dicebantur qui regi Carolo VI adhærebant, Burgundii* (Bourguignons) *qui Joanni Burgundiæ duci. De hac expugnatione sicut et de clade Azincurtiana anno sequenti, paulo latius dicam ex Jacobi Meyeri et Caroli Spondani Annalibus, quod eximium in his de SS.* Crispini *et* Crispiniani *apud Suessionenses cultu contineatur testimonium. Scribit itaque Meyerus* (9) : Dedito Com-
C pendio, itum est ad Augustam Suessionum, ubi præfectus præsidii erat Engerrannus Bornovilla vir bello maxime insignis. Dissidebant inter se cives et præsidium. Cives dedere, præsidium resistere volebat. Oppugnatur acriter oppidum. Tormentis et ballistis fracti prostratique muri. Maxima omnium oppugnatio die vigesimo primo Maii, hoc est duodecimo Calend. Junias. Erant in civitate cum nostris Angli aliquot. Horum præfectus effracta porta quæ proxima fluvio est, Armeniacos intromittit, seque cum illis conjungit. Sic civitas capta. Civites militesque præsidiarii promiscue interfecti; a nemine temperatum, nec templis parcitum. Quicquid in illis preciosum erat, direptum. Sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, aliorumque Divorum pheretris aurum argentumque detractum, stupratæ D matronæ... Post homines natos nulli umquam tam enormiter turpiterque se victores habuere... Nec satis hæc omnia nisi et miseram civitatem convasatam et direptam incenderent. *Subdit dein verba cujusdam historici latini anonymi :* nam, *inquit* (10), quod vidi manu scriptum exemplar nomine caruit. Testatur tamen suo in libro familiarem se fuisse regi Carolo septimo. *Anonymus autem ille narrationem de capta urbe, ita concludit* (11) : Et talem quidem plagam illa nobilis et antiqua Suessionum civitas accepit anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto, die sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, quorum corpora ibi in solemni cœnobio, sub eo titulo conscripto, et a Deo (*sic*) dicato quiescunt. Cujus siquidem plaga prodigium satis manifestum per annos quadraginta retro præcesserat, eadem civitate tum maximarum divitiarum, lasciviarum et luxus exuberantia affluente, cum ab uno puerorum civitatis (qui cum aliis loci pueris a magistro scholarum solatii et remissionis gratia adductus ad campos fuerat) tabula quædam ex metallo fuisset E inventa in fundo amnis decurrentis, in qua antiquis Romanorum characteribus ac literis hoc inventum fuit scriptum : Væ tibi Suessio; peribis ut Sodoma; quod tunc quidem omnes illius civitatis accolas deterruit et ad agendam pœnitentiam induxit. Sed modico post tempore, illius prodigii obducta memoria, in luxum et pristinos mores relapsi sunt. Nec tamen absque digna pro tantis excessibus mercede authores hujusmodi immanitatum et sacrilegiorum divina justitia dereliquit. Magna enim eorum pars revoluto anno, ipso sanctorum Martyrum die, meritis pœnas exolvit, ut statim suo loco opportunius referemus. *Atque hæc anonymus, perperam urbis expugnationem SS. Martyrum festo adscribens, recte autem cladem Azincurtianam, ut mox videbitur. De prodigio nihil est quod dicam; ejus penes auctorem sit fides. Nec etiam illud Meyerus vel laudat vel vituperat. Confer Dormayum* (12).

1415 *victoria Azincurtiana SS. MM. intercessioni tributa ;*

69 *De pugna Azincurtiana scribit Spondanus ad annum* 1415 (13) : Henricus (*Angliæ rex, hujus nominis V*) mare transmittens... exscensione facta ad urbem Auriflorium (*Harfleur*) Normanniæ, eam obsedit, et post validam obsessorum quadraginta ferme dierum propugnationem deditione cepit. Post quæ cum tam armis quam morbo, qui castra invasit, aliquot Anglorum millibus desideratis, reditum per Picardiam versus Caletum maturaret, magna rerum omnium penuria, ob insequentes et commeatum impedientes Francos, *qui numero et viribus longe Anglorum exercitum vincebant* (14). *Opperiuntur Galli Anglos inter Tarvannam Morinorum et oppidum Hisdinum juxta Azincuriam, haud procul a vico Blangio, qua postero die transitus illis erat Caletum versus* (15). In tanto periculo jubet rex Anglus totam noctem in pervigiliis, orationibus et mutua peccatorum exomologesi transigere, atque

(1) Gall. Christ., tom. IX, col. 400. — (2) Ibid. — (3) R. D. Pécheur, mss. — (4) Gall. Christ., tom. IX, col. 400. — (5) Gall. Christ., tom. IX, col. 401. — (6) R. D. Pécheur, mss. — (7) Gall. Christ., ubi supra. — (8) Ibid., col. 374. — (9) Annales Flandriæ, lib. XV, ad an. 1414, pag. 277. Editio Francofurt. Cura Sigismundi Feyrabendii, 1580 et seq. — (10) Ib., p. 278. — (11) Ib. — (12) Hist. de Soissons, tom. II, p. 377 et seqq. — (13) Annales eccl. tom. I, p. 755. — (14) Confer. Histoire de Bourgogne. — (15) Meyer, p. 281. Conf. Lingard, tom. V, p. 19-29. Louvain 1828.

etiam

A etiam (ut ex Ænea Silvio (1) Nauclerus narrat) pusillum terræ ob memoriam Sacramenti Eucharistiæ alterum alteri porrigere (cujus moris observationem jam alias vidimus); inita pugna 25 Octobris, Franci (*qui longe aliter, de viribus præfisi, noctem traduxerant, quosque Meyerus, illis passim non sat æquus, vult occæcatos superbia rebusque omnibus malis, quid esset a Deo petere victoriam ignorasse* (2)) pœnas exigente divino Numine de multiplicibus nobilitatis ac plebis Franciæ vitiis, turpissime victi sunt. Inde rex Henricus Caletum repetens in Angliam rediit... magnas ubique Deo gratias agens de victoria pene miraculo de hostibus parta; adeo ut, quod ea contigerit die festo SS. Crispini et Crispiniani martyrum, qui in iis partibus coluntur, eorum memoriam, quamdiu vixit in singulis missis fieri jusserit (3). *Posterius hoc desumpsit Spondanus ex Nicolao Harpsfeldio, archidiacono Cantuariensi, qui ad sæculum* XV, *cap.* III *in sua Historia ecclesiastica Anglicana his scribit verbis* (4) : Et quoniam victoria hæc in diem martyribus Crispino et Crispiniano sacrum inciderat,
B eorum memoriam in singulis, quibus postea interfuit missis, quotidie quamdiu vivebat, aspergi curabat. *Amplius aliquid sed an etiam verius refert Meyerus :* Hæc pugna, *inquit* (5), Azincuriæ seu Blangiana a pagis vicinis ita dicta, in feriis sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, hoc est VIII Cal. Novembres profligata die Veneris; quas feriæ Martyrum Angli dehinc quotannis celebratissimas habuerunt. *Denique addit Spondanus :* Putatur a plerisque clades ista Francis illata in vindictam fœdissimæ violationis sacrarum reliquiarum illorum Sanctorum in occupatione anno præterito facta urbis Suessionensis, quæ partes rebellis Burgundi sequebatur. *Similiter Meyerus, at more suo, magis acerbe* (6) : Hæc accepta clades in feriis sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani; ut debita supplicia impii luerent, qui eorumdem Martyrum vetusta loca, antiqua monasteria, verenda monumenta sanctaque ossa manibus sacrilegis tam turpiter superiore anno violarant. *Video etiam in mss., populum Suessionensem, cognita strage Azincurtiana, dixisse :* Carnifices sanctis Pa-
C tronis pœnas dedisse, *Francos nempe seu Armeniacos, qui anno præcedente, urbem, ejectis Burgundiis, vastaverant. An forte ex hac Henrici regis in SS. Martyres pietate orta est inter Anglos traditio, cujus meminit Camdenus in descriptione Cantii? Versus Galliam, inquit* (7), prope Runney in extremo promontorio, quod *Denge-Nesse* vocant, ubi nihil nisi glarea et scrupi... inter scrupos autem illos prope Ston-end, cumulus majorum lapidum conspicitur, quem vicini tumulum sanctorum Crispini et Crispiniani esse volunt, quos in hoc littus naufragio ejectos et in cœlestem patriam hic evocatos perhibent. *Unde et quando popularis hæc traditio nata sit dicendo non sum, nisi, ut monui, referatur ad tempora pugnæ Azincurtianæ.*

anno 1421 *supplicatio pro rege et pace ;*

70 *Anno* 1421 *memoratur Suessione facta supplicatio publica pro recuperanda regis sanitate, pro pace et bonis terræ. Rogavit proinde urbis magistratus monachos S. Crispini, ut capsam SS. Patronorum ad ædes cathedrales deferrent, quo pariter venturi erant Sanmedardenses cum suis reliquiis plurimorum Sanctorum. Petitioni annuit abbas S. Crispini hac tamen lege, ut scripto constaret nullum umquam ex hac liberali concessione præjudicium juribus monasterii inferendum* (8). *De rege Carolo VI sermo hic est, qui perpetua fere laborabat amentia, et* 20 *Maii* 1420 *pactum inierat cum Henrico V Angliæ rege, vi cujus huic regni Franciæ procuratio, superstite Carolo, jus vero regium et authoritas, illo mortuo, deferebatur. Ambo reges biennio post diem obiere supremum; Carolus die* 22 *Octobris anno* 1422, *annos natus* 54; *Henricus* 31 *Augusti ejusdem anni et ætatis* 36 (9). AUCTORE B. B.

anno 1466 *Reliquiæ Lutetiam delatæ.*

71 *Anno* 1466 Lutetiæ tanta pestilentia (*fuit*), ut cœmiterium sanctorum Innocentium sepeliendis mortuis non sufficeret (10). *Orta videtur lues ex ardentiori cœlo, quo perusta fuerant omnia mensibus Augusto et Septembri. Quare indictæ per urbem publicæ supplicationes cum reliquiis SS. Patronorum videlicet S. Marcelli et S. Genovevæ. Advexerunt quoque Suessionenses capsam SS.* Crispini *et* Crispiniani *ad quorum præsidium confugerunt fidenter Parisienses; atque hinc dona et eleemosynæ haud modica monachis tributa, quibus licuit tectum basilicæ suæ, vento dejectum, restaurare* (11). *Addunt alii* (12), *tunc erectum sub invocatione SS.* Crispini *et* Crispiniani *sodalitium in metropoli Parisina; et sacras easdem reliquias in præcipuis civitatibus Picardiæ et Insulæ Francicæ, quas etiam peste infectas apparet, expositas fuisse.* E

Sæc. XVI *et* XVII *invalescente Calvini doctrina, supplicationes etc.*

72 *Anno* 1561 *die* 22 *Junii Carolus I episcopus Suessionensis* generalem ad ecclesiam S. Crispini Majoris supplicationem indixit pro conservanda adversus hæreticos fide. Horum timore transtulit 29 Junii 1562 capsam SS. martyrum Crispini et Crispiniani in cœnobium B. Mariæ, *ut nos supra n.* 32 *pluribus diximus.* Et certe anno 1567 dolens vidit ab iisdem captam urbem et septem circiter mensibus occupatam, templa ejus sacra ab iisdem spoliata, diruta, combusta; monasterium S. Crispini redactum in miserabiles ruinas, F resque ipse ex suo restituere sategit. *Cætera ad hoc sæculum sicut et ad sequens sæc.* XVII *spectantia reddidimus maximam partem n.* 33 *ubi de variis seu conatibus seu artibus loquebamur, quibus monachi S. Crispini Majoris tentarunt SS. Patronorum pignora ad basilicam suam reducere. Pauca hæc solum addemus ex Mss. Suessione nobis submissis a R. D. canonico Congnet. Quamvis sacræ reliquiæ in B. Mariæ servabantur, earum tamen propria sedes ab omnibus censebatur esse in S. Crispini Majoris. Quapropter eo nonnumquam deferebantur exponendæ, adhibitis cautelis, quarum supra mentio facta; vel si quando alias solemni pompa circumducebantur, priori loco eas sequebantur præfatæ abbatiæ sodales, ut contigit anno* 1611, *quo, siquidem ob necem Henrici IV. regis uni-*

(1) De dictis et factis Alphonsi regis, lib. III ad finem. Opera Æneæ Sylvii, p. 491. Basileæ, 1551. — (2) Meyer, ubi supra. — (3) Spondanus, ubi supra. — (4) Pag. 589. Edit. Duaci 1622. — (5) Annales Flandriæ, p. 282. — (6) Ibid. — (7) Britannia (anglice), tom. I, p. 223; item (latine) in Joannis Blaeu Theatro orbis terrarum, part. IV, pag. 164. — (8) R. D. Pécheur, mss. — (9) Art de vérifier les dates, p. 561. — (10) Meyer, p. 388. — (11) Histoire de Paris par DD. Félibien et Lobinau, tom. II. p. 857 *in-fol.* Conf. Dormay tom. II. p. 398 et sqq. — (12) R. D. Pécheur Mss

AUCTORE B. B.

versa Gallia susdeque vertenda videbatur, instituta publica supplicatio est : præcedebat episcopus, pone sequebantur Crispinienses una cum canonicis, singuli singulas manu gestantes thecas reliquiarias. Cum vero sæculo XVIII, *anno scilicet* 1765, *indictæ essent preces pro Delphino, Ludovici XV filio, graviter decumbenti, diebus* 21 *Novembris et* 1 *Decembris exposita fuit SS.* Crispini *et* Crispiniani *capsa in basilica B. Mariæ; quo accedens episcopus, illam ad S. Gervasii (quæ cathedralis ecclesia est) detulit; atque tum præter morem Crispinienses non interfuerunt supplicationi, a qua numquam ante hac abfuisse leguntur* (1).

Annuæ supplicationis descriptio.

73 *Juverit adscripsisse ordinem supplicationis fieri ab immemorabili tempore solitæ quotannis die dominica et sequenti feria secunda post octavam Ascensionis. Ad hanc supplicationem innumerus confluebat populus. Aliquot diebus antequam instituenda illa erat mittebantur, nomine civitatis, ad S. Crispini Majoris duo cerei et totidem funalia, quibus addebantur libræ ceræ viginti quinque; quo significaretur urbem universam SS. Martyrum patrocinio com-*
B *mendatam. Die dominica circumferebantur omnes reliquiæ, ibaturque ad prata juxta ripam Axonæ (atque hinc supplicatio hæc* a pratis *dicta est) in memoriam primæ translationis, sub qua SS. Sixti et Sinicius susceperunt sacra pignora, quæ adverso flumine vecta eo loci appulisse traduntur. Sequenti feria II seu die Lunæ præpositi civitatis et abbatiæ se conferebant ad basilicam S. Crispini ; atque inde monachi tum Crispinienses tum Medardenses simul cum clericis sæcularibus, magno numero accurrere solitis, per modum supplicationis accedebant cum reliquiis ad S. Gervasii. Capsa SS. Martyrum duorum gestabatur ab artis sutoriæ opificibus, quibus conjunctim incedebant adolescentes quatuor, candida induti veste, et caput floribus cincti. Post hos veniebat pulchro ordine clerus planetis seu pluvialibus ornati; quos excipiebant duo monachi S. Crispini, dalmatica vestiti, caput S. Martyris portantes, medii hinc inde inter duos ceriferos totidemque thuriferos. Pone sequebatur abbas cum diacono et subdiacono, manu reliquias ferentes. Pompam claudebat*
C *magistratus et densa populi multitudo. Urbem ingredientibus obviam aderant, explicatis vexillis, varia sodalitia, deinceps pium agmen comitaturi. Qua transitus erat, movebantur æra ecclesiarum campana, earumque rectores thura dabant. Hinc inde per plateas cernebantur reclinatoria, aulæis et florum sertis decora. Quando perventum ad ecclesiam cathedralem erat, inter pulsum campanarum accedebat capitulum cum reliquo clero ut pompam deduceret. Sub sacro quod ritu maxime solemni celebrabatur ab abbate, monachis S. Crispini concedebantur, honoris causa, prima subsellia. Cantato sacro, reditus fiebat per majorem urbis plateam, eo fine ut ad S. Crispini parvi subsisterent apud moniales congregationis, quæ ad harmoniam canebant in honorem SS. Martyrum, quorum corpora eo loci per annos aliquot requieverant. Conf. n.* 23.

Ecclesiæ SS. Crispino et Crispiniano dicatæ.

74 *Præclarum etiam argumentum suppeditant cultus et venerationis perpetuæ erga SS.* D *Patronos martyres plures ecclesiæ in diœcesi Suessionensi eorum nomine dicatæ. De tribus basilicis intra vel juxta urbis ambitum alibi ex professo egimus : S. Crispino Majore, S. Crispino Parvo, et S. Crispino in Cavea, hodie destructis. Præter has aliæ novem numerantur, scilicet : in Castro Theodorici* (Château Thierry), *oppido, quod septem fere leucis Suessione distat estque inter alias paræciales ecclesias una S.* Crispino *consecrata; item in Sancti Crispini-in-Bosco* (St Crépin-aux-Bois, *hodie diœcesos Bellovacensis in districtu Compendiensi* (2)) *magna et pulchra habetur ecclesia, sæculo* XV *ædificata. Similiter in vicis Algusiacum* (Aiguisy), *Buxeria* (Bussiares), *Cugniacum* (Cugny), *Vici-Cella* (Vichelles), *Serchia* (Serches), *Venisella* (Veniselles), *quæ sex ecclesiæ ad diœcesim Suessionensem pertinent. Est et altera in Verdeloto* (Verdelot) *hodie episcopo Meldensi subdita. Non dubitem alias alibi sacras hujusmodi ædes exstitisse.*

Sodalitia;

75 *Nemo ignorat, nec etiam mirabitur, SS.* E *Martyres in patronos opificum artis sutoriæ assumptos : antiquissima enim traditio est, ipsis eorum actis innixa, illos arti huic operam dedisse, ut victum sibi manuum labore quærerent, nec ulli essent oneri. Memorantur vix non ubique terrarum in orbe Christiano sodalitia, vulgo piæ confraternitates sutorum, sub illorum invocatione olim instituta, quorum nonnulla ad nostra usque tempora sine dubio perdurarunt. Refert Pancirolus* (3), *ubi de ecclesiis in regione* VIII, *seu Transtiberina,* anno 1549 sodalitio sutorum Romanorum concessam a Canonicis B. Mariæ Transtiberinæ *ecclesiam,* primum nomine S. Blasii *tum vero SS.* Crispini *et* Crispiniani dedicatam; hanc a sodalibus postea restauratam in usum fidelium, ad latus autem extructum oratorium propriis suis conventibus paratum. Festo SS. Patronorum puellas quasdam sui ordinis dotant unumque libertate donant captivum. Induuntur toga alba. *Dubito an hodie supersit hæc ecclesia, cujus nulla occurrit mentio in Itinerario Marchionis Josephi Melchiorri, ubi accurate ædes sacræ Urbis omnino omnes enumerantur et describuntur* (4).

Fratrum Sutorum ortus et institutum;

76 *Celebrior est sodalitas Parisiensis, de qua multis agitur apud Helyot* (5), *quorum summam hic exhibuisse sufficiat. Scilicet Michael Henricus Buch, vulgo dictus bonus Henricus* (le bon Henri) *oriundus ex vico Erlon in ducatu Luceburgensi adolescens artem sutoriam didicerat. Cum esset admodum pius cœpit cogitare de procuranda salute opificum æqualium suorum, quos videbat deflenda laborantes ignorantia, cœnoque vitiorum ut plurimum immersos. Multos brevi sibi addictos habuit. Parisios deinde petiit, eumdem vitæ perpetuo adhibens modum. Annos natus quadraginta quinque innotuit baroni de Renty, viro religiossimo, cujus vitam scripsit noster J. B. de St Jure. Hujus ope, licuit Henrico propriam condere officinam, nec paucos sibi subditos habere operarios, quos ante omnia sollicitus fuit ad virtutem sanctamque disciplinam informare. Ab his originem duxit sodalitas seu, ut aiunt, Communitas Fratrum Sutorum* (Communauté

(1) R. D. Pécheur, Mss. — (2) Almanach du Clergé de France, p. 145. Edit. 1854. — (3) Tesori Nascosti, p. 594. — (4) Guide méthodique de Rome, (ex italico). Romæ, 1837-38. — (5) Migne, Dictionnaire des Ordres Religieux, tom. I, col. 1139 et seqq. — Item Butler ad XXV Oct. Lugduni, 1818.

A nauté des Frères-Cordonniers) *viventium secundum regulam a parocho S. Pauli traditam, et paulo post probatam ab archiepiscopo Parisino, Joanne Francisco de Gondi; inaugurata vero fuit festo Purificationis B. M. V. anno* 1645, *electo in præpositum Henrico. Fratres surgebant hora quinta; conveniebant ad primam precationem; orationi per diem vacabant separatim singuli statutis horis; quotidie intererant sacro; silentium servabant, piis tamen identidem interrumpendum canticis; ante prandium instituebant meditationem; diebus dominicis et festis mane et vespere aderant divino officio, visitabant ægrotos, carceres etc. Obiit Henricus Parisiis* IX *Junii* 1666, *et sepultus fuit in cœmiterio S. Gervasii. Ejus vitam edidit Vachetus.*

eorum Suessione sedes.

77 *Celeriter propagata sodalitas est, ipseque bonus Henricus Suessionem se contulit, ut eam hac in urbe fundaret. Constituta autem fuit de consensu Caroli Burlonii episcopi anno* 1661, *et sub invocatione SS.* Crispini *et* Crispiniani. *Præside* magistro, *cælibes vivebant, nullo tamen*
B *obstricti voto; eamdem incolentes domum, communiter opificio èt orationi secundum sibi præstitutam regulam vacabant. Magister singulis pensum præscribebat, atque ex fructu laboris providebat omnium sustentationi; quod superat pecuniæ in pauperes distribuebatur. Erat tamen communi suffragio electus vir primarius, cui quotannis rationem dati et accepti reddere tenebantur, et proinde huic in rebus temporalibus subditi erant; pro spiritualibus rebus suberant rectori parochiæ in qua residebant. Suessionenses fratres nihil possidebant præter laboris sui proventum. Eorum certus erat numerus, quem prætergredi haud licitum. Suessionensis communitas, Parisiensi unita, dissoluta edicto regio fuit anno* 1778. *Atque hæc dicta breviter sint: plura namque de his fratribus habentur passim apud Suessionenses scriptores* (1).

Præsens SS. MM. in præfata urbe cultus.

78 *Superest ut indicemus quis sit hodiedum apud Suessionenses cultus SS. Martyrum. Eorum memoria (ita ex litteris R. D. canon. Congnet) et hodie in magna veneratione fidelibus est. Capsa circumfertur per modum supplicationis die eorum festo et iterum in generali SS. Reliquiarum*
C *pompa, dominica post Ascensionem. Die quoque lunæ sequenti festum, celebratur sacrum pro sodalitio (confrérie) sutorum, sub quo jus ex privilegio competit artis sutoriæ magistris gestare humeris capsam SS. Martyrum, quæ intra septa ecclesiæ cathedralis circumducitur. Moris etiam in populo est, ut sub sacris reliquiis devotionis gratia transeant.*

§ V. Officium SS. Crispini et Crispiniani ex breviariis ecclesiæ Suessionensis.

Officium ex antiquioribus breviariis.

Addo *duplex officium de SS.* Crispino *et* Crispiniano : *alterum ex breviario Suessionensi,* ad normam breviarii Romani redactum *jussu Caroli Burlonii, episcopi Suess. ab anno* 1655 *ad annum* 1685. *Ast, ut recte notat R. D. Congnet qui illud nobiscum communicavit, breviarium a Carolo editum, pluribus sæculis antiquius illo præsule est saltem pro majore sua parte; quod cæterum aliquatenus efficitur ex officii, quod subjicimus forma : sunt namque antiphonæ et responsoria fere ex actis et legendis deprompta. Alterum officium recentioris est ævi, ejusque forma longe diversa. Reperitur in breviario sub auspiciis Francisci de Fitzjames episcopi, excuso anno* 1742. *His prænotatis, adscribimus in extenso prius officium.* AUCTORE B. B.

80 Die XXV Octobris. In festo SS. Crispini *Vesperæ primæ* et Crispiniani martyrum. Duplex majus. AD VESPERAS. *Antiphona.* Gaudentes sancti Martyres dixerunt, *cum reliquis de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi. Psalmus* Laudate Dominum omnes gentes. *Capitulum.* Justorum animæ. *Hymnus.* Sanctorum meritis. ℣ Lætamini in Domino, *de communi plurimorum martyrum. Ad Magnificat. Antiph.* Astiterunt justi ante Dominum, et ab invicem non sunt separati : calicem Domini biberunt, et amici Dei
E appellati sunt. *Oratio.* Quæsumus omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum martyrum tuorum Crispini et Crispiniani glorificatione procedit : quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. Per Dominum.

81 AD MATUTINUM. *Invitatorium.* Laudemus *Matutinum* Dominum : * Qui sanctis suis post labores et certamina coronas dedit victoriæ. *Psalmus.* Venite, exultemus. *Hymnus.* Sanctorum meritis.

82 IN PRIMO NOCTURNO. *Ant.* Orti sunt Romæ *I Noct.* sancti Dei Crispinus et Crispinianus, in Gallias pro Christo venerunt, et sub crudeli Maximiano certamen forte certaverunt. *Psalm.* Beatus vir. *Ant.* Intrepide regi impio respondentes, dixerunt : pro Christi amore nos venisse Roma fatemur, qui cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus, cui servimus in spiritu et veritate. *Psalm.* Quare fremuerunt gentes. *Ant.* Honores quos polliceris nobis dare, tuis dona : nobis vivere Christus est, et mori lucrum. *Psalm.* Cum invocarem exaudivit. ℣ Lætamini in Domino. *Lectiones :* Fratres, debitores sumus. ℟ I. Orti sunt Romæ sancti Dei F Crispinus et Crispinianus, in Gallias pro Christo venerunt, * Et sub crudeli Maximiano certamen forte certaverunt. ℣ Isti sunt duo Viri misericordiæ, qui Roma pro Christi nomine ad prædicandum venerunt. Et sub. ℟ II. Beatissimi Martyres respondentes Maximiano dixerunt : Minis tuis non terrebis nos, * Quibus vivere Christus est, et mori lucrum. ℣ Pecuniam vero tuam et honores quos polliceris, tuis dona : ista olim pro amore Christi nos gaudentes fatemur reliquisse. Quibus. ℟ III. Vidi conjunctos Viros habentes splendidas vestes, et angelus Domini locutus est ad me, dicens : * Isti sunt Viri sancti, facti amici Dei. ℣ Vidi angelum Dei volantem per medium cœlum, voce magna clamantem et dicentem. Isti sunt. Gloria Patri. Isti sunt.

83 IN SECUNDO NOCTURNO. *Ant.* Cum essent in *II Noct.* tormentis Martyres Christi, cœlestia contemplantes dixerunt: Adjuva nos Domine, ut per-

(1) Pécheur, Mss.

AUCTORE B. B.

ficiamus opus tuum sine macula. *Psalm.* Verba mea. *Ant.* Martyres sancti inter acerrimos dolores spe gaudentes, in tribulatione orabant Dominum, et dicebant : Judica Domine judicium nostrum, et libera nos ab homine iniquo et doloso. *Psalm.* Domine Dominus noster. *Ant.* Quibus hæc orantibus, exiliens gutta plumbi ferventis in oculum Rictiovari, gravi illum dolore crucians excœcavit. *Psalm.* Domine quis habitabit· ℣ Exultent justi... Lectio IV. Crispinus et Crispinianus fratres, nobiles Romani, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, propagandæ religionis christianæ studio cum decem sociis Roma in Gallias profecti, aliis alio ex convento euntibus, Suessionem venerunt. Ubi ut more apostoli, manuum labore victum quærerent, sutoriam artem exercentes, tum operis elegantia, qua cæteris artificibus præstabant, tum exiguitate mercedis, qua contenti erant quantulacumque offerretur, tum mira morum facilitate frequentem ad se populum alliciebant : cui pro re nata Christum prædicantes plurimos ad eum converterunt. Quo cognito Maximianus compre-
B hensos ad se jubet adduci. Deinde varie tentatos ut a Christi fide desciscerent, cum se nihil proficere intelligeret, ira incensus Rictiovaro tradit exquisitis suppliciis cruciandos. ℟ Cum essent in tormentis martyres Christi Crispinus et Crispinianus, cœlestia contemplantes, dicebant : adjuva nos Domine, * Ut perficiamus opus tuum sine macula. ℣ Respice in servos tuos, et in opera tua, Domine, et adjuva nos. Ut perficiamus. Lectio V. Quo mandatum imperatoris accuratius exequente, ad trochleam extensi primum fustibus cæduntur; mox corrigiis e pelle dorsi detractis, inter digitorum ungues et carnem acutis sudibus configuntur, quæ divinitus exilientes, e carnificibus alios occiderunt, alios vulnerarunt. Tum mola ad collum suspensa, in Axonam præcipitati eo loco, ubi nunc est sancti Lamberti ædicula, ad alteram fluminis ripam enatant facillime. Postea in liquatum igne plumbum conjecti, cum nil læsi, divinas laudes canerent, in sartaginem pice, adipe, et oleo ferventem immittuntur; unde etiam evadunt incolumes. ℟ Judica, Domine judicium
C nostrum, et libera nos ab homine iniquo : * Tunc illis orantibus exilierunt sudes de unguibus eorum et ministros percutientes interfecerunt. ℣ Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos. Tunc. Lectio VI. Tunc actus furore Rictiovarus, cui jam exiliens gutta plumbi bullientis alterum oculum occæcarat, in ignem se injiciens infelicissima morte interiit. Quod ubi Maximianus resciit, Fratres securi percuti imperat ad ripam Axonæ in loco, qui nunc sanctus Crispinus in Cavea nuncupatur. Horum corpora feris avibusque projecta, sed ab iis nihil tacta, senex quidam, cui Rogerio nomen erat, ejusqus soror vetula nomine Pavia, admonente angelo, et Deo mirabiliter opitulante, noctu sublata domi suæ sepelierunt, ubi jam extat urbana eorum ecclesia. Deinde cum diu latuissent, divinitus inventa a sancto Ansarico in basilicam eorum suburbanam translata sunt. Postea in æde beatæ Mariæ deposita, honorificentissime condita sunt, ubi magna populi veneratione coluntur. ℟ Sancti Martyres in oratione dixerunt : * Po- D
tens es, Domine, ab impiis nos liberare tormentis, et ab hoc igne illæsos educere. ℣ Mox oratione finita eduxit quos pariter angelus Domini sine dolore ab igne*. Potens. Gloria Patri. Potens. * *Servavit?*

84 In tertio Nocturno. *Ant.* Sancti Martyres in oratione dixerunt : Potens es, Domine, ab impiis nos liberare tormentis, et ab hoc igne illæsos educere. *Psalm.* Conserva me Domine. *Ant.* Mox oratione finita eduxit quos pariter angelus Domini sine dolore ab igne. *Psalm.* Domini est terra. *Ant.* Impius Maximianus jussit amborum capita truncari. *Psalm.* Deus venerunt gentes. ℣ Justi autem. *Homilia in Evangelium :* Cum audieritis prælia. ℟ VII. Projecta sancta corpora Crispini et Crispiniani, * Christo custodiente a morsu bestiarum permanserunt intacta. ℣ Quorum animæ in cœlum ab angelis translatæ, corpora vero a carnificibus, bestiis avibusque sunt derelicta. Christo. ℟ VIII. Hæc est vera.... *III Noct.*

85 Ad Laudes et per Horas. *Ant.* Gaudentes sancti Martyres dixerunt : Gratias tibi agimus, Domine, qui nos de hoc sæculo eripiens, ad te E
venire præcipis. *Psalm.* Dominus regnavit. *Cum reliquis. Ant.* Jussu regis amputata sunt capita amborum. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. *Ant.* Sancti Dei Crispinus et Crispinianus submissa colla percussoribus tradiderunt, animas sanctas creatori Domino reddiderunt; ideo coronati sunt, accipientes palmas, et vivunt in æternum. *Ant.* Projecta sancta corpora Crispini et Crispiniani, Christo custodiente permanserunt intacta. *Ant.* Ad locum properant senes, ubi sancti Martyres decollati jacebant. *Capitulum.* Justorum animæ. *Hymnus.* Rex gloriose martyrum. ℣ Exultabunt. *Ad Benedictus. Ant.* Divina inspiratione sepelierunt corpora Sanctorum cum gaudio, ubi populus hodie adorat majestatem Dei. Alleluia. *Oratio.* Quæsumus. Ad II^as^ Vesperas. *Ad Magnificat. Ant.* Isti sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum : habent potestatem claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus : quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt. Alleluia. *Oratio.* Quæsumus... *Vide ad* 1 *Vesperas.* *Laudes etc.*

F

86 *Alterius officii titulus est :* Die xxv (*Oct.*) in festo SS. Crispini et Crispiniani martyrum Suessionensium. Triplex secundæ classis. *Propriæ sunt Antiphonæ ad Vesperas, Laudes et ad Nocturnos; propria pariter sunt Capitula et Responsoria. Constant fere verbis seu textibus sacris utriusque testamenti. Lectiones I Nocturni desumptæ sunt ex I Thessal., cap.* I. Gratias agimus Deo; *III Nocturni ex homilia S. Gregorii M.:* Potest omnis creaturæ nomine, *etc. In Evangelium :* Euntes in mundum universum, *etc. Adscribimus Lectiones II Nocturni et hymnos tres, quia proprii sunt. Notat vero idem R. D. Congnet in novo Proprio Suessionensi, Romæ probato, eamdem esse officii formam, quæ in breviario anni* 1742. *item ex recentiori.*

87 Quæ mortis umbris exitialibus
Olim jacebas; nunc tibi, Gallia,
Aurora surgit, mox diei
Conspicuum paritura lumen.
Crispine, nostris tu regionibus
Noctem fugasti : vox tua præferens
Facem *Ad* 1 *Vesp. Hymnus.*

A Facem salutarem, profundas
Luce nova pepulit tenebras.

Par ille tanto par operi comes,
Fratri nec impar Frater; ubi pedem
Tulere terris, cedit error,
Impietas furiosa cedit.

Ubi parabant assiduo sibi
Labore victum, plebs humilem casam
Adibat : ædes prima Christo
Artificum fuit officina.

Huc ardet omnis currere civitas,
Interque fletus, grandiloquo pii
Ab ore pendentes Magistri,
Aure bibunt avida salutem.

Christo docebant vivere; jam docent
Christo fideles discipulos mori :
Et morte spreta, victimarum
Primitiæ remeant olympum.

Cruore fuso qua præeunt Patres,
Da, Christe, natos sponte viam sequi :
Si morte non fas, ah! litemus
Innocua tibi, Christe, vita.

Laus summa Patri, summaque Filio,
B Sanctoque compar Spiritui decus,
Quo flante, fecundatur orbis,
Christe, tibi nova gens creatur. Amen.

Lectiones II Noct.

88 Lectio IV. Crispinus et Crispinianus fratres, propagandæ fidei studio una cum beato Quintino et sociis in Gallias advenerunt. Dum alii alias in regiones disperguntur, Crispinus et Crispinianus cum Valerio et Rufino ad Suessionum fines venere, salutemque a Christo Jesu hominibus allatam illic prædicaverunt. Urbem postea ingressi; ne cuiquam forent oneri, labore manuum victum sibi parare, perinde ac Paulus apostolus, constituerunt. Itaque sutoriam artem, quam quidem, utpote humilem et quietam, suo aptiorem esse ministerio putabant, statim didicere; ac cum in ea ceteris antecelluissent artificibus, levique mercede contenti essent, frequentem ad se paulatim populum allexere; venientique pro occasione verbum Dei annuntiabant. Erat ergo eorum domus non modo officina laboris, sed et schola doctrinæ et salutis. Deo dante voci eorum virtutem et benedictionem, plurimis persuasere, ut, relicto idolorum cultu,
C Deo vero servirent. Rufinus interea et Valerius, qui sexto ab urbe lapide, recepta horreorum regalium cura, consederant, ad eumdem finem cum Crispino et Crispiniano conspirantes, opus strenue promovebant. Itaque augebatur in dies credentium numerus; et dum pax et tranquillitas a principibus erat, in fide neophyti confirmabantur. Lectio V. Dudum jam erat ex quo Crispinus et Crispinianus erroris tenebras, sparsa Evangelii luce depellebant, cum pacem qua simul cum nova sobole ab ipsis Christo parta perfruebantur, Maximiani Herculis (*sic*) adventus perturbavit. Crudelis hic Imperator, qui quacumque transiret, sui in Christum Christianosque odii cruenta vestigia relinquebat, commoratus in Galliis, Suessionem venit. Ibi dum bellum adversus barbaros parat, jubet more suo diligenter conquiri Christianos, quorum interitum et internecionem magis quam hostium imperio Romano infensissimorum cupiebat. Insito ejus animis furori ignem facesque admovebat mira quam Thebæi milites præ se tulerant in profitenda Christiana fide libertas. Ad eum delati sunt Crispinus et Crispinianus tanquam Christiani; quos statim comprehensos jussit ad se adduci. Ubi ad tribunal perducti sunt, eos ille tam promissis quam minis et pœnarum metu ab eorum proposito deterrere tentavit. Sed cum sancti Fratres Christum intrepide confiterentur, et profana sacrificia constanter respuerent, eos efficaciori ratione aggredi ac superare constituit. Aderat tunc temporis Rictiovarus, nimium fidelis imperatoriæ crudelitatis minister, Christiano sanguine quem in Galliis passim effuderat, adhuc cruentatus : huic Crispinum et Crispinianum tradi imperat, sævissimis quibusque suppliciis excruciandos, ac teterrima morte mactandos. Lectio VI. Itaque Rictiovarus ingenium longo jam usu ad inhumanitatem exercitatum in omnes versavit partes, ut in Crispinum et Crispinianum nova tormenta inveniret. Eos trochleis extendi, ac fustibus cædi, subulas etiam carnem inter et ungues intromitti, pellemque e dorso detrahi jubet. Quamvis autem Martyrum corpora jam non essent nisi vulnus, nihil tamen de sua in confitendo Christo E
libertate remittebant. Ad alios igitur cruciatus confugit devicta præsidis rabies; sed ab ipsis cruciatibus novos animos novasque vires ducebant qui torquebantur; adeo ut eorum cedere patientiæ coacta fuerit omnis judicis tortorumque immanitas. Quapropter cum ii omne suppliciorum genus frustra consumpsissent, tandem fortissimis Christi Pugilibus caput amputarunt. Sub invocatione sanctorum Crispini et Crispiniani tres Suessione consecratæ sunt ecclesiæ : altera, ad ripam Axonæ juxta locum ubi passi sunt; quæ duodecimo seculo in abbatiam, vulgo Sancti Crispini in Cavea nuncupatam, erecta est : altera, quæ nunc est sanctimonialium Congregationis beatæ Mariæ Virginis, ubi primum abscondita fuerunt et sepulta Martyrum corpora : postrema demum, quæ nunc titulo abbatiæ sancti Crispini Majoris gaudet, et quæ jam seculo sexto extabat; siquidem Chilpericus Clodobertum filium suum natu majorem in ea humari voluit. Beatorum autem Martyrum reliquiæ in hanc basilicam translatæ, et in
crypta conditæ, seculo septimo solemni pompa F
eductæ sunt ab Ansarico, una cum quibusdam aliis Episcopis. Eorum memoriam, teste Audoëno, insigni ornamento decoravit Eligius Noviomensis. ¶ Eodem die in castro diœcesis Suessionensis, quod Negoliacum nuncupatur, celebris est memoria sancti Frontonis, qui, cum rari illic essent Christiani, Evangelium prædicasse fertur. In ejus honorem consecrata est ibidem parochialis ecclesia, quæ magno populorum concursu frequentatur; unde Castrum Negoliacum a sancto Frontone cognomen accepit.

Ad Laudes Hymnus.

89 Ad sanctos cinere (pignora Martyrum
Sunt hæc plena Deo) currite, civitas :
Hic cunæ fidei : funeris in sinu
Vitam plenius hausimus.
Hic quot prodigiis se Deus asserit!
Hic surdi patulis auribus audiunt :
Cæcis hic sua lux redditur, et suus
Contractis vigor artubus.
Hic supplex gemat urbs : seu calamo se-
Arescente perit, seu madido natat; [ges
Imbres

AUCTORE B. B.

Imbres mox docilis sol dabit uberes,
Aut pellet nocuos procul.
Ultor nempe Deus, non meritæ necis
Sacris opprobrium pensat honoribus :
Claros prodigiis ac venerabiles
Ipsos vel tumulos facit.
Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque sacro maxima Flamini,
Fulti cujus ope prælia sustinent,
Contempta nece, Martyres. Amen.

Ad 2 Vesp. Hymnus.

90 Ex quo Magister pendulus in cruce
Terris salutem parturiit Deus,
Verbo potentes efficaci
Discipuli domuere terras.
Fundata Christi sanguine, Martyrum
Fecunda crevit suppliciis Fides;
Et mors Parentum germinavit
Multiplicem generosa prolem.
Sic vos opimas dum segetes metit
Impura sævi carnificis manus,
Cruore vestro mille natas
Religio videt aucta fruges.
Antiqua divum fana ruunt; frequens
B Jam turba lymphis abluitur sacris;
Et plebs adoratas tot annos
Igne pio cremat ipsa quercus.
Tyranne, demens quo recidit furor?
Quot ense mactas, impie, victimas,
Cœlo receptos tot faventes
Suppeditas Fidei patronos.
Vos ergo lecti primitiæ gregis,
Vos ergo nostræ gentis Apostoli,
Adeste, fratres, ferte vestræ,
Ferte Deo pia vota prolis.
Laus summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar Spiritui decus,
Quo flante, fecundatur orbis,
Christe, tibi nova gens creatur. Amen.

§ VI. De cultu SS. martyrum Crispini et Crispiniani apud Saxones. Officium ex ecclesiæ Osnabrugensis monumentis.

C *Sæc. x. Testimonium Thietmari unum*

Præclarum *de reverentia SS.* Crispino *et* Crispiniano *exhibenda testimonium reperitur in chronico Thietmari episcopi Merseburgensis, qui ineunte sæculo* XI *scripsit et vita functus est anno* 1018 (1). *Sic habet libro IV. n.* 47 (2): Prædictorum vero reverenciam martyrum (SS. Crispini *et* Crispiniani) in libris antiquioribus satis lucentem, lector ut a me agnoscas, unam rem profero, quam frater meus Brun, in nova educatus Corbeia et ejusdem altaris servus, de priorum relatu suorum mihi indicavit. Tempore prædicti abbatis Liudulfi, in omnibus bonis admodum memorandi, erat quidam juvenis confrater suus et regularis monachus; qui cum in sibi commisso tunc morabatur officio, supranominatorum reliquias Martirum solito more secum veheret incurioseque tractaret, persensit in pœna celeriter subsequenti, quod peccavit in Martires Christi. Namque moritur carnaliter, qui Sanctis Dei servire neglexit spiritualiter. Et ut hoc prædicto abbati innotesceret ante januas ecclesiæ exeunti illo nocte obviaverunt. Quos ut primum aspexit, timore magno perculsus substitit silentiumque servavit. Cui protinus talia dicunt : Cur non interrogas, pater, qui simus vel ob quam rem huc venissemus? Qui cum retulisset eis, quod non auderet, audivit mox ab illis nomen eorum et causam, et quod hoc inultum non relinqueretur. Discedentibus autem hiis, abbas confratribus suis hæc indicavit dicens : Mortuus est ille juvenis, qui in nostra nunc erat obedientia, de incustodita Sanctorum, quos secum habuit reverentia. Heu mihi talia umquam consentienti! Et non longe post venit nuncius, qui hæc vera esse affirmaret, et corpus ejusdem adduci intimaret. Venerabilis autem vir nec huic obviam exire voluit, nec fratres suos more solito illud suscipere sinit; sed iratus ad truncum talia fatur : Quare tu, proterve, eos qui cum unigenito Dei vivi Filio cum honore habentur magno, neglegenter tecum ducere vel post tale facinus huc ausus E es absque supplici interventu ullatenus venire? Decanus autem defunctum fratrem pro possibilitate sua excusans, tale a patre suo responsum accepit : Mi frater amate, scis quæ servus ad oculum in tuo conspectu is (*hic*) egerit; quid vero absentialiter fecerit ignoras; ego autem optime perpendo, qui hunc in tormentis gravibus nunc intellego. Et modo nostrorum intercessionem Patronorum supplex peto, ut per hos divina pietas mihi innotescat, quando ei a se laxato mihi liceat peccatori absolutionem facere et communionem dare. Asperum nimis est eculeo (*aculeo*) recalcitrare, et hominibus indecens, irata majestate indulgentiam exhibere. Post hanc vocem pius abba ad oratorium, speciale suimet in rebus anxiis asilum, nudis pedibus venit, et more solito in se aliis humanam fragilitatem deflens, placavit Deum et solvit reum; et protinus cum multis gratiarum accionibus exsurgens, divina potestate coram fratribus cunctis defuncto crimen remisit, et corpori ecclesiæ communionem ac sepulturæ F dedit. *Præfuit novæ Corbeiæ, in Westphalia monasterio, Liudulfus ab anno* 965 *usque ad annum* 983, *imperantibus Ottone I atque Ottone II* (3); *proinde, cum res a Thietmaro narratæ sub illius* (*Liudulfi*) *regimine contigerunt, adscribenda sunt labenti sæculo* x. *Itaque haud procul ab illa ætate abfuit Thietmarus, de quo hæc tradit Fabricius* (4) : Scripsit Dithmarus (*sic enim communiter licet minus recte vocatur*) insigne Chronicon libris octo de gestis quinque imperatorum per annos CVII, *ab Henrico I ad Henricum II.* Primus edidit Henricus Reinecius sed mancum et hiulcum, in Scriptoribus rerum germanicarum; deinde separatim Maderus; denique Leibnitzius Dithmarum restitutum, toto pœne ejus contextu ex Ms., quod Papebrochius cum illo communicaverat, emendato. *Tandem hisce diebus prodiit Thietmari Chronicon ex codice authographo Dresdensi inter* Monumenta Germaniæ *a Perzio collecta. Lo-*

(1) Pertz tom III. p. 727. — (2) Ibid. p. 787 et seq. — (3) Codex traditionum Corbeiensium. p. 643. Lipsiæ 1752. — (4) Fab. bibliotheca med. et inf. latinitatis tom. II. p. 37 et seq.

cum

A *cum hunc Thietmari inseruit paulisper mutatis verbis libro suo Annalista Saxo* (1) *ad annum Christi* 990; *perperam utique, cum Liudolfus abbas, sub quo res gesta est, vitam non protaxerit ultra annum* 983.

et alterum. 92 *Haud absimile quid refert idem Thietmarus contigisse non ita multo post.* Regnante, *inquit* (2), tertio Ottone (*coronato an.* 983, *defuncto an.* 1002 (3)), Albi *filius* Guncelini, a satellite suo in quadam silva ob inutilem causam occisus est. Cujus comitatum cum beneficio, juxta Mildam (*Muldam, fluvium in superiori Saxonia*) jacenti, Gisilerus archipresul accepit. Hujus camerarius et confrater meus Gunterius, mortuo Dodone, Asanbrunensis ecclesiæ episcopo, carus imperatori et sepe fideliter serviens, Italiam venit. Cumque ibidem clementer susciperetur et in omnibus exaudiretur, in sequenti nocte vidit Christi martires Crispinum atque Crispinianum ad se venientes et si suum vellet accipere episcopatum interrogantes. Quibus cum responderet : Si Deus vult et vobis placet; perfixus est ab hiis duabus hastis et mox evigilans
B nullatenus per semet ipsum potuit exurgere. Crastino autem cæsar ut ejus infirmitatem comperit, fidele promissum complevit. Post hæc idem convalescens domum rediit, acceptaque consecratione, cum magno dolore vixit pene 4 annos, 8 Kalendas Decembris hæc mutans temporalia in æternaliter manentia. Nescio, si quid Deo vel sanctis Martiribus suis in eo displicebat. Hoc vidi et de cæteris audivi, quod vir justus et bene timoratus fuit, mitis et castus, et sicut hii, cum quibus modo requiescit, asserunt, plurimum nunc valere aput Deum, ut signis probatur in multis. Ego hoc veraciter scio, quod reum non bis vindicat Deus in id ipsum. *Obiisse notatur Dodo episcopus anno* 996 *Aprilis* 12; *erat autem hujus nominis secundus episcopus Osnabrugensis* (4), *quæ vox corrupte hic redditur* Asanbrunensis. *Dicitur autem, SS.* Crispinum *et* Crispinianum *episcopatum hunc* suum *vocasse, quod in cathedrali Osnabrugensi eorum colerentur reliquiæ, imo corpora magnam partem requiescerent. Vide supra n.* 55. *Gisilerus archipræsul erat Magdeburgensis, defunctus anni* 1004 (5).

Officium ex proprio Osnabrug. an. 1652. 93 *Addimus officium sanctorum Martyrum secundum ritum ecclesiæ Osnabrugensis, in qua agitur eorum festum die* XXV *Octobris, die vero* XX *Junii celebratur memoria Translationis. Reperitur in Proprio illius diœcesis typis mandato anno* 1652 *sequenti sub titulo :* Officia propria sanctorum ecclesiæ et diœcesis Osnabrugensis ad formam breviarii Romani redacta, auctoritate et jussu R^mi et III^mi Principis ac Domini D. Francisci Guilelmi, ecclesiarum Osnabrugensis, Ratisbonensis, Mindensis ac Verdensis episcopi, typis mandata Coloniæ Agripinæ apud Cornelium ab Egmond 1652. *Ibi itaque pag.* 48 *et seqq. sic habetur :* Die XXV Octobris. In festo sanctorum patronorum Crispini et Crispiniani martyrum. Duplex. Celebratur hoc festum in diœcesi Osnabrugensi ut ejusdem principalium Patronorum sub ritu duplici primæ classis cum octava. *Notandum, quæ prætermissa sunt, supplenda esse ex communi plurimornm martyrum.* AUCTORE B. B.

94 AD VESPERAS. *Antiph.* Impii Maximiani *cum reliq. de Laudibus. Ad Magnificat. Antiph.* O Rex gloriæ qui Crispinum et Crispinianum per martyrii triumphum magnificasti, miserere nobis et per SS. suffragia, da nobis sempiterna gaudia. *Oratio.* Quæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Crispini et Crispiniani glorificatione procedit, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. Per Dominum. *Vesperæ*

95 AD MATUTINUM. *Invitatorium.* Adoremus Dominum, qui Crispino et Crispiniano per martyrium contulit æternæ vitæ bravium IN I NOCT. *Antiph.* Oriundi Roma sancti Crispinus et Crispinianus in Gallias devoti venerunt, qui sub Maximiano crudeli examine certaverunt. *Antiph.* Sancti vero martyres Crispinus et Crispinianus regi impio audacter responderunt, dicentes : Pro ejus amore nos venisse fatemur, qui est Deus verus, in Trinitate unus, cui servimus in fide ac dilectione devoti. *Antiph.* Beatissimi Martyres, respondentes Maximiano dixerunt : Honores, quos polliceris nobis dare, tuis dona; nobis vivere Christus est, et mori lucrum. ℣ Lætamini in Domino et exultate justi ℟ Et gloriamini omnes recti corde. — Lectiones I, Noct. *Fratres debitores* de Communi. ℟ I. Beatissimi Martyres respon- *Matutinum*
E dentes Maximiano, dixerunt : Honores, quos polliceris, tuis dona. * Nobis vivere Christus est, et mori lucrum. ℣ Pecuniam vero tuam, et honores quos polliceris, tuis dona : nam ista olim pro amore Christi nos gaudentes fatemur reliquisse. Nobis. — ℟ II. Isti sunt viri, pretiosi martyres; quia Roma pro Christi nomine ad prædicandum venerunt. * Et sub Maximiano, crudeli principe, mortem gloriosam decreverunt suscipere. ℣ Romæ nobili orti progenie, in Gallias pro Dei amore ad prædicandum venerunt. Et sub. — ℟ III. Oriundi Roma sancti Dei Crispinus et Crispinianus in Gallias devoti venerunt, * qui sub Maximiano crudeli examinatione certaverunt. ℟ Egressi Roma sancti Dei, in Gallias ad prædicandum venerunt. Qui.

96 IN II NOCT. *Antiph.* Cum essent in tormentis Martyres Christi, cœlestia contemplantes dicebant : Adjuva nos, Domine, ut perficiamus opus. *Antiph.* Sancti Martyres in oratione dixerunt : Potens es, Domine, ab impiis nos liberare tormentis et ab igne illæsos educere. *Antiph.* Quibus hæc orantibus, exiliens gutta plumbi ferventis in oculum Rictiovari, gravi illum dolore crucians, excæcavit. ℣ Exultent justi in conspectu ℟ Et delectentur in lætitia. (*Lectiones desumptæ sunt ex Surio paucis verbis immutatis*). *Lectio IV.* Sub Diocletiano — humanitatis officia eis erant interdicta (*Surius edit.* 1580, *tom. V, pag.* 1057, *lin.* 12 *a fine*). ℟ Cum essent in tormentis martyres Christi, Crispinus et Crispinianus, cœlestia contemplantes dicebant : Adjuva nos Domine * ut perficiamus opus tuum sine macula. ℣ Respice in servos tuos et in opera tua, Domine, et ad- *II Nocturnus*

(1) Pertz, tom. VI, p. 635. — (2) Ibid., tom. III, p. 787. — (3) Art de vérifier les dates, p. 439. — (4) Sandhoff, Antistitum Osnabrugensis ecclesiæ res gestæ, tom. I, p. 54. Monasterii Westphaliæ, 1785. — (5) Chronicon Magdeburgense, apud Meibomium, rerum Germanicarum tom. II, p. 281. Richard, Bibliothèque sacrée. V° *Osnabruck.*

juva

AUCTORE B. B.

juva nos. Ut perficiamus. *Lectio V.* Volentes autem — concupiscerent (*l. c. lin.* 12). ℟ Sancti Martyres Christi in oratione dixerunt * Potens es, Domine, a tormentis nos liberare, et ab igne illæsos reducere. ℣ Mox oratione finita dixit eis angelus Domini: Surgite sine dolore. Potens es Domine. *Lectio VI.* Id ubi percepit — et famulatu permanere (*l. c. a lin*, 3 *in fine pag.* 1057 — *lin.* 8 *ibid. pag.* 1058). ℟ Judica, Domine, judicium nostrum et libera nos ab homine impio. * Tunc illis orantibus, exilierunt sudes de unguibus eorum et ministros percutientes interfecerunt. ℣ Martyres sancti, inter acerrimos pœnarum dolores, spe gaudentes, in tribulatione patientes. Tunc.

III *Nocturnus*

97 In III Noct. *Antiph.* Martyres sancti, inter acerrimos dolores, spe gaudentes in tribulatione orabant Dominum, et dicebant : Judica, Domine, judicium nostrum et libera nos ab homine iniquo et doloso. *Antiph.* Relicta corpora sanctorum Crispini et Crispiniani, Christo custodiente, permanserunt intacta. *Antiph.* Ad locum properant senes, ubi sancti Martyres decollati jacebant. ℣ Justi autem in perpe-
B tuum vivent. ℟ Et apud Dominum est merces eorum. *Lectiones* homiliæ in Evangel. : *Cum audieritis* de Communi. ℟ VII. O quam justum mirumque divinæ æquitatis judicium. * Ut, qui multos Christi Martyres, ad cœlorum regna properantes, igne interemerat, ipse in igne vitam finiret et ad ignem æterni cruciatus perveniret. ℣ Hæc videntes Christi Martyres devoti, Domino preces fuderunt, ut eos de colluctatione sui certaminis ereptos, ad se venire juberet propitius. Ut. — ℟ VIII. Hi sunt duo viri pretiosi Martyres, qui stant ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte. * Et qui sedet in throno, habitat super eos. ℣ Non esurient, neque sitient amplius, quoniam Agnus Dei reget illos. Et.

Laudes etc.

98 Ad Laudes *et per Horas. Antiph.* Impii Maximiani jussu regis, amputata sunt capita amborum ; pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. *Antiph.* Orabant sancti Martyres, dicentes : Gratias tibi agimus, Domine, qui nos de hoc sæculo præcipis exire. *Antiph.* O quam justum mirumque divinæ æquitatis
C judicium, ut, qui multos Christi martyres, ad cœlorum regna properantes, igne interemerat, ipse in igne vitam finiret, et ad ignem æterni cruciatus perveniret. *Antiph.* Beatissimi autem Martyres hymnum imitabantur trium inter Chaldaicas flammas puerorum, dicentes : Adjuva nos Deus, salutaris noster. *Antiph.* Hodie duo luminaria pro Sole justitiæ Christo occubuerunt, ut in splendoribus Sanctorum in fine lucerent. *Ad Benedictus Antiph.* Sancti Dei Crispinus et Crispinianus submissa colla percussoribus tradiderunt : modo coronati accipiunt palmam ; vivunt in æternum cum Christo ; benedictus Dominus, qui erexit super sidera cornu suorum Martyrum. In II Vesp. *ad Magnificat. Antiph.* A progenie in progenies fecit misericordiam Dominus : qui eduxit Abraham de Ur Chaldæorum, et de ultimis finibus terræ vocavit Crispinum et Crispinianum ut in hac terra nostra peregrini essent et advenæ, in illa vero patria cœlesti cives Sanctorum ac domestici Dei : ibi nobis dati a Deo Patroni jugiter intercedant pro hac sancta plebe et universis fidelibus. Alleluia.

99 *Per octavam diebus, quibus non occurrit festum impediens, nempe, ut communiter obtinet,* XXVI, XXVII, XXIX *et* XXX *Octobris, idem recitatur officium, nisi quod Lectiones II Nocturni singulis diebus partem reddant ex reliqua Passione, prout est apud Surium. Præterea die* XXX *Oct. in Lectione VI, post pauca verba ad passionem spectantia, additur mentio translationis. Juverit integram adscripsisse. Lectio VI.* Deinde condita sunt Martyrum corpora in duobus tumulis ; quo in loco postea christiani magnam ædificarunt ecclesiam. Partem sat magnam horum corporum Carolus Magnus imperator ad ecclesiam cathedralem Osnabrugensem transtulit, cum eam in honorem sancti Petri apostoli et horum sanctorum Martyrum anno Christi septingentesimo septuagesimo secundo fundaret et dedicare faceret : ubi etiamnum magna populi frequentia coluntur. D

Officium per octavam

100 Die XX Junii. In festo Translationis SS. Crispini et Crispiniani martyrum. Duplex. Omnia ut in ipso festo, quod celebratur XXV Octobris, præter ea quæ hic sunt propria. (*Oratio eadem est ; sed loco* festivitatis, *ponitur* translationis). *Lectio IV.* Divus Carolus, Francorum rex et imperator, inter plurimas insignes ecclesias, tam cathedrales quam conventuales, quas in provincia Saxonum fundavit, et reliquiis, prædiis ac redditibus copiose so-
E lidavit : in honorem etiam principis apostolorum, nec non sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum, anno Dni septingentesimo septuagesimo secundo ecclesiam construxit Osnabrugensem, omnium in Saxonia primam, ad quam prædictorum Martyrum corpora, cum multis aliis sanctorum reliquiis, pretiosisque donis devoto munere transtulit. Cum porro post multorum annorum curricula fervor charitatis apud personas ecclesiæ in dies tepesceret, et templo Dni honor et custodia segnius impenderetur, contigit ipsam ecclesiam in testudinibus et officinis conflagrare. *Lectio V.* Cujus tempestate incendii dicta corpora in quadam capsa, summo sub altari, existente, tali turbulentia cum aliis plurimis sanctorum reliquiis sunt abscondita ; ubi multo post tempore, sive recondentium
F improvida morte, aut negligentia, hostiumve incursu, (incertum est,) latuerunt incognita : donec tandem divina bonitas tantum thesaurum iterum fidelibus suis duceret manifestandum. *Lectio VI.* Tunc itaque in quadam solemnitate decanus ecclesiæ mirabili visione in somno monitus, communi desuper habito totius capituli consilio, et cum episcopi sui authoritate, dictum locum longa negligentia clausum aperientes, invenerunt in eodem prædictorum Martyrum corpora, in thecis distinctis, cum multis aliis SS. Reliquiis recondita, cum laminis plumbeis quibus singulorum nomina fuerunt exarata. Unde devotis suffusi lachrymis tam clero quam utriusque sexus populo, solemniter ad tam devotum spectaculum convocato, campanis ex more compulsatis, in Dei laudibus concentu devoto humiliter perstrepentes, dictorum corpora, propriis thecis argenteis inclusa, celebriori loco perpetuo conservanda locaverunt. *Brevius hæc in bréviario ecclesiæ Osnabrugensis, de consensu D. Erici, Osnabrugensis et Padeburnensis*

In festo Translationis.

A *Padeburnensis ecclesiarum episcopi ducisque Brunsvicensis, dictæque ecclesiæ venerabilis capituli consensu, apud Joannem Schöffer Moguntiæ impresso ann.* 1516. *In hoc etiam signatur ad præfatum diem* xx *Junii Officium* Translationis SS. Crispini et Crispiniani, *in cujus secunda lectione ita habetur :* Carolus M. in provincia Saxonum multas ecclesias insignes tam cathedrales quam conventuales erexit, et reliquiis, prædiis et redditibus copiose solidavit. Inter quas in honorem Principis apostolorum et sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum, de anno Domini septingentesimo septuagesimo secundo ecclesiam construxit Osnabrugensem, omnium in Saxonia primam, ad quam sanctorum Martyrum corpora prædictorum, cum multis aliis Martyrum et sanctarum Virginum reliquiis devoto munere transduxit; prout ejusdem litteris aureo ejus sigillo dependente, signatoque et manus propriæ impressione et inscriptione roboratis, apud ecclesiam antedictam conservatis, ostenditur luculenter (1).

Officium in proprio hodierno;

101 *Atque hæc ita inveniuntur in Proprio anno* 1652 *edito. Monet insuper laudatus D. Heuser se Osnabrugo accepisse Proprium hodiernum una cum breviariis, anno* 1489 *et anno* 1516 *impressis. Proprium typis mandatum fuit anno* 1768 *sub titulo :* Officia propria ecclesiæ et diœcesis Osnabrugensis... jussu Redmi et Illmi capituli cathedralis ecclesiæ noviter impressum anno 1768 Osnabrugi. *Cæterum tum festi tum translationis officium idem omnino est quod in Proprio anni* 1652. *Nec etiam multum abludunt bina breviaria, quorum supra meminimus, præterquam quod habeant ad Laudes hymnum proprium, quem adscribimus :*

hymnus proprius

Avete nobiles martyrum flores
Crispine cum sancto Crispiniano,
Audite supplicum preces servorum.
Qui vitæ speculum Patremque rerum
Videntes, animo fortes, duello
Contra multimodas stetistis pugnas.
Hoste superato, heu! bis mortuo,
Et pugnæ stadio jam transmeato
Sumpsistis bravium dominum Christum
In choro martyrum est lumen vestrum,
Ut sydus splendidum quod implet mundum
C Illud quod poscitur, dabitur nobis.
Precamur cernui, o vos Patroni,
Subvenite clero vobis devoto
In regno Judicis pro quo certastis.
Laus æterno Patri, vitæ datori,
Una cum filio, Domino nostro,
Atque paracleto Spiritui sancto Amen.

Hymnus, ut liquet, versibus seu lineis constat undecim syllabarnm; ast multum abest a carmine Hendecasyllabo, quod certis pedibus et mensura procedit, nec præcitatus hymnus cum hoc commune habet quidquam, nisi syllabarum numerum. De festo Translationis videsis paulo superius n. 98.

(1) Conf. Henscler, p. 68.

MARTYRIUM EX MSS.

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI,

sicut habetur in pluribus iisque antiquissimis mss. codicibus a. *a*

CAPUT UNICUM.

Roma Suessionem advecti, artem sutoriam exercent, multosque convertunt ad fidem. Agente Rictiovaro, sistuntur coram Maximiano Herculio qui eos immaniter torqueri jubet. Rictiovarus SS. Martyrum constantia in furorem concitatus in ignem se præcipitat. Tum illi gladio cæduntur. Eorum sepultura et translatio.

E

Quum sub Diocletiano et Maximiano *b*, qui simul potiti imperii potestate, eadem militia * Christi nisi sunt expugnare ecclesiam, persecutio sæva in universo pœne orbe *c* perstreperet; Quintianus *, Lucius *, Valerius et Eugenius, Romæ claris natalibus orti, in Gallias prædicare * venerunt; quique sancti laboris cursum martyrio consummantes, triumphatores insignes migraverunt ad Dominum. Quos secuti eadem fidei devotione parique * natalium nobilitate Crispinus et Crispinianus *d*, Suessionis *e* civitatem hospitam suæ peregrinationis elegerunt; in qua ita prævaluerat error gentilium, ut hospitium eis, eo quod essent christiani, et humanitas vetaretur. At hi comperta crudelitate gentilium, ut, sequentes Doctoris gentium magisterium, labore manuum sibi præsentis vitæ necessaria providerent, sutoriam artem *f*, quæ quiete exerceri solet * didicerunt; in quo opere ita cunctos artis hujus artifices divina gratia prævenerunt, ut multi videlicet eorum opera mirarentur pariter ac diligerent *g*, qui * cum omnibus pœne elegantius operarentur artificibus, a nullo mercedem peracti operis exigerent coactione * qua videlicet admiratione permoti, ita eorum mox sunt amore devincti *, ut nonnulli eorum non tam necessitate artificii quam amore verbi Dei, ad sanctos Martyres frequentius venirent; et ita, superna per eos operante gratia, multi relicto gentilitatis errore abdicatisque idolis manufactis, Deum verum, quem Sanctorum prædicatione cognoverunt, sequi, toto corde diligentes cœperunt.

SS. Martyres artem sutoriam exercent et multos convertunt.

b c

* *malitia*
* *Quintinus*
* *Lucianus*
* *prædicaturi*
* *paresque*
d
e
f
* *potest*
* *ut cum*
g
* *licet coacti*
* *devicti*

2 Audiens autem hæc Maximianus impius, concite ad perquirendum eos Rictiovarum *h* suæ impietatis direxit administrum; a quo et quæsiti, calceamenta sunt in prædicta urbe pauperum sarcientes reperti. Quibus accersitis propriisque compellans nominibus ait : Crispine et Crispiniane, cujus dei cultores, cujusque religionis vos veneratores fatemini? Utrum Jovem an Dianam, Apollinem colitis aut Mercurium vel Saturnum? Sancti vero Crispinus et Crispinianus, quibus erat fidei immobile

Sistuntur coram Maximiano

h

ex mss. bile supra petram solidissimam positum fundamentum, unius se verique Dei constantissime profitentes cultores, dixerunt : Jovem et Apollinem, Mercurium aut Saturnum, aut quemlibet eorum, quos gentiles (vos) deos creditis, errore decepti, nec colimus nec adoramus. His auditis Rictiovarus, catenis eos vinctos, Maximiano, impio duci, præcepit præsentandos *. Qui (Rictiovarus) adveniens, interrogatusque cur * præceptorum contemptores imperialium Crispinum et Crispinianum sibi præsentandos non adduxerit; respondit adesse utrosque *. Quibus, cum introducti fuissent, Maximianus dixit : Ex quo genere estis, aut cui deorum famulatum impenditis? Sancti vero Martyres, fulti supremi Regis præsidio, impio audacter regi responderunt : Romæ nobili progenie (nati), in Gallias autem pro Christi nomine et amore fatemur nos venisse; qui est verus Deus, Creator omnium, cum Patre sanctoque regnans in Trinitate Spiritu; cui servivimus in fide ac dilectione devote; in cujus etiam usque in finem perseverare cupimus servitio sancto. Quibus dictis ira repletus
B Maximianus dixit : Per virtutes deorum! Quia si in hac stultitia perseveraveritis, multis vos afflictos male perdam tormentis, ut sitis cæteris in exemplum, mala * morte consumpti. Nam si * resipiscentes diis meis sacrificaveritis, ditare vos opibus multis et honore sublimi vos jubeo insigniri. Sancti quoque Martyres respondentes dixerunt Maximiano : Non potes nos illatis minis terrere, quibus vivere Christus est et mori lucrum. Pecuniam vero tuam et honores quos polliceris, tuis dona : nam ista olim pro Christi amore nos gaudentes fatemur reliquisse; quem et si ipse cognoscens, ista relinqueres; non solum divitiis et imperio, verum etiam vanæ dæmonum renuntiares culturæ; et illi te subderes devotissime, a quo, remunerante te, præmium vitæ perciperes sempiternæ : nam si in istis vanis perstiteris, similis simulacrorum cum diabolo cruciandus in infernum demergeris. Maximianus dixit : Sufficiat hactenus vestris plures periisse maleficiis. Inclyti sancti Martyres dixerunt : Misericordem, impie, ignoras Deum, qui te regnare impium permisit indebite, cujus regnum
C vane in terris decertans conaris destruere.

3 His auditis Maximianus cum indignatione * Rictiovaro eos sub conjurationis duro vinculo tradidit dire cruciandos, dicens : Per virtutem Dianæ, quæ orbem terræ suæ subdidit ditioni, te conjuro, ut hos furciferos diversis pœnis affligens, pessima morte consumas. *i* Tunc impii principis minister impius *i*, impietatis obtemperans jussis, præclaros Martyres, *k* extensos ad trochleam *k*, cœdi fustibus jussit. At hi in tormentis constituti, munera cælestia contemplantes orabant : Respice in servos tuos, Domine, et in opera tua, et adjuva nos, ut perficiamus opus tuum sine macula. Audiens autem Rictiovarus in tormentis, quos præ dolore ejulare credebat, orantes, indigne tulit vehementer, et jussit sudes in ungulis eorum mitti et lora singula * de dorso tolli *l*. Quam jussionem dum ministri efficaciter conarentur implere, Martyres sancti inter acerrimos pœnarum dolores spe gaudentes, in tribulatione patientes orabant Dominum et dicebant : Judica, Domine, judicium nostrum, et libera nos ab homine impio et doloso. D Sed Sanctis orantibus exilierunt sudes de ungulis eorum, et ministros quosdam percutientes interfecerunt, quosdam autem vulneratos cruciaverunt. Tum Rictiovarus furore insaniens, molares * ad singulorum colla * *molas* suspendi jussit, et hiemis tempore *m*, in flu- *m* vium, cui vocabulum est Axona *n*, velut sub *n* glacie demergi. At illi scuto divinæ virtutis protecti, læti Domino dicebant : Super aquam refectionis educabis nos, Domine. Sed creatura suo famulante creatori Deo, Martyres ejus non aqua mergere, non petra premere, non frigus potuit constringere; sed potius quasi æstivis quibusdam lavacris recreati ac delectati, projecto molari onere, ad alteram natantes pervenerunt fluminis ripam. Hoc viso Rictiovarus miraculo, instigante diabolo, exagerataque ira, jussit eos vinctos custodiri *o*, donec plum- *o* bum liquefieret, in quo sanctos Dei martyres consumendos demergeret. Sed eos quia dextera Domini protegebat, illæsos reddidit ignis. Qui etiam Martyres sancti electos pueros inter Caldaicas flammas hymnum imitabantur cantantes, orabantque et dicebant : Adjuva nos, E Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum, ne forte dicant gentes : Ubi est Deus eorum? Quibus hæc orantibus, exiliens gutta plumbi frementis * in oculum Rictiovari, gravi eum * *ferventis* dolore crucians exercuit * afflictum *p*. * *reliquit*

p *qui constantia Martyrum in furorem actus se ipse in flammas projicit.*

4 At is fremens insania, dum medelam corporis animæque debuit implorare, mortem sibi applicavit insaniens. Nam picem, adipem oleumque simul jussit fervere, et sanctos Dei Martyres denuo in ea præcipitari, quasi consumendos pœna præcepit. At ubi ministri obtemperantes perfecerunt cuncta, quæ sibi ab impio Rictiovaro fuerant imperata, sancti Martyres spei suæ immobiliter incumbentes, alacres fiducialiter Deo in oratione dixerunt : Potens es, Domine Deus noster, de illatis nos ab impio liberare tormentis; et sicut voluisti nos pro confessione sancti nominis tui pati, ita ad confusionem diaboli et satellitis ejus, ab hac pœna digneris illæsos revocare. Mox oratione finita, eduxit eos angelus sine dolore ab igne. Tunc se videns Rictiovarus, nihil F illatis adversus Christi Milites prævaluisse suppliciis, sese concite furens iniquus præcipitavit in ignem *q*, et ita morte pessima, vitam finivit indignam. O quam justum mirumque æquitatis divinæ judicium, ut qui multos Christi martyres ad regnum cœlorum properantes, igne interemerat cruciatos, ipse ad æterni ignis perpetuos cruciatus igni præcipitaretur consumptus *r*. *q* *r*

Jussu Maximiani gladio cæduntur

5 Quod videntes victores sancti Martyres Christi, devote Deo precem fuderunt, ut eos de colluctatione sui certaminis ereptos ad se venire juberet propitius. Quibus nocte eadem pro revelatione ostensum est, quod illucescente die, percepturi laboris * ac confessionis præ- * *laborum* mium, triumphatores inclyti exciperentur a Domino. Quæ statim visio rei gestæ exhibitione impleta est. Nam Maximianus audita satellitis sui Rictiovari perditione, utrumque, videlicet Crispinum et Crispinianum, gladio puniri præcepit. Qui jam imminente cervicibus eorum gladio, gratiarum actionem Domino dicebant :

* *præsentari*
* *an*
utrumque
* *pessima*
* *Si vero*
et cruciantur a Rictiovaro,
* *furens*
* *corrigias singulas*
l

A dicebant : Gratias tibi agimus, Domine, qui nos de hoc sæculo eripiens, ad te venire præcipis clementissime. Et his dictis amputatis capitibus, pretiosa in conspectu Domini morte, inspirati et confortati Christi præsidio, octavo Calendas Novembris felices consummarunt
r martyrium *r*. Quorum animæ ab angelis in cœlum delatæ, corpora vero a carnificibus bestiis canibusque ac avibus improbis voranda sunt derelicta; quæ, Christo custodiente, a morsibus eorum manserunt intacta.

corpora sepulturæ mandantur
6 Nocte itaque repente post cædem sanctorum Martyrum, sancto fertur ab angelo seni *s* cuidam pauperi præceptum, cui erat germana cohabitatrix cellulæ vetula, ut diligenti colligeret cura humanda eorum corpora. Qui senex nulla dubitatione remoratus, quin imo de angelica revelatione securus, assumpta jam
* *solatium* dicta in solatio * sibi sancti laboris germana,
* *locum* ad loca* properant, ubi sancti Martyres decollati jacebant. Et quoniam prope ripam fluminis Axionæ (*sic*) capitalem pro Christi nomine susceperant sententiam, navigio ad cellulam præfatorum pauperum eorumdem Martyrum
t corpora duci facillime poterant *t*. Sed quid agerent pauperes et infirmi, quibus navis nec erat inpromptu, nec navigandi ingenium, nec
* *fluminis impetum* virium ætate fessis contra flumen * nulla suppetebat fiducia? Quid plura loquens moror? Tandem nocte pervenientes ad locum a san-
* *repertis, repererunt* cto angelo sibi ostensum, reperta * in terra
* *cadaveribus.* decollatorum, intacta a bestiis et avibus, cadavera *, inspirante divina clementia, etiam inanem naviculam repererunt. Tunc sublevati fiducia de trepidationis suæ infirmitate, singuli singulorum levantes corpora Martyrum, quasi liberi oneribus, gradiebantur ita inoffenso vestigio, ut putares eos non ferre onera, sed ab oneribus ferri. Ingressi itaque in repertam naviculam pergebant contra undam fluminis, inviso gubernatore ac remige, velociter cum corporibus Martyrum alacres senes. Et
* *de* ut pervenerunt, ex * hoc miraculo exultantes,
* *jam* ad vicinam cellulæ suæ, scilicet * dicti vetuli, ripam deportata sanctorum Martyrum membra sepelierunt in tugurio suo cum gaudio. Quis dubitet Christum talem in clarificatione Martyrum suorum senibus præstitisse virtu-
C tem, qui eis exstitit causa mortis in mundo? Quis servandos futuris fidelibus populis ad patrocinium, senum ministerio occultari voluit paululum? Sed ut, ipso imperante, persecutionis procella cessavit, eorum honor devo-
* *sæpe* tis plebibus mox patuit. Nam sic * præfati senes thesauros, quos occultaverant, piæ fidei populis devotissime prodiderunt, dicentes, Crispini et Crispiniani martyrum corpora se
* *recondita* habere in tugurio suo abscondita *

et dein in locum decentiorem transferuntur.
7 His auditis fidelis populus concursu piæ devotionis frequentare cellulam pauperum cœpit. Qua frequentia vile egenorum tugurium effectum oratorium, etiam regis palatio præeminere honore cœpit. Deinde consilio inito sacerdotes, clerus ac populus eadem conspi-
* *una eademque conspiratione devote inmulanda* ratione devotus voti, tumulanda * præfatorum transferre decreverunt corpora Martyrum. Quæ, collecto ingentis populi cœtu, imposita navibus honorifice, psallentes maxima cum exultatione, ad jam dudum præparata duce- EX MSS.
bant (remigabant) sepulcra. Et ut devotæ plebis firmaretur fides gaudiumque augeretur lætantium, ut terram impulsu remigum navis, quæ sancta corpora ferebat, tetigit, oblatus est a parentibus puer variis infirmitatibus afflictus, cæcus videlicet surdus, mutus et claudus. Cum igitur levarent feretrum, qui sancta ossa gestabant, contingens unus fideliter opertorio feretri infirmum, (hic) continuo visum, auditum, sermonem gressumque, largiente Christo, Martyrum recepit precibus; et junctus collegio fidelium laudabat sanus gradiens Deum. Sicque tripudians plebs devota pertulit membra Sanctorum quo decreverat tumulanda, et sepelierunt ea ibi in duobus, ut postea inquisita patuit veritate, sepulcris *u*. In quo (loco) postea Christiani magnam ædi- *u*
ficaverunt ecclesiam; in qua Christus Dominus, Dei Filius, suorum Martyrum precibus invocatus fideliter, vota suscipit supplicum, salutem largitur infirmis ; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA. E

a *Vide Comm. Præv.*, § 1, *n.* 19.

b *Cod. Grimberghensis noster primo loco nominat Maximianum. Dixi in Comm. Præv.* § 1, *ubi prolixe egimus de passionis tempore, recte poni persecutionem sub Diocletiano, quum hic imperaret, quando passi sunt SS.* Crispinus *et* Crispinianus, *licet jussu solius Maximiani interfecti sint.*

c *Martyrium contigit ante Diocletiani generale editum contra Christianos. Vide Comm. Præv.* § 1.

d *Dictum fuit Comm. Præv., n.* 18 *de sociis SS. Martyrum nostrorum. Hic videntur post aliorum mortem in Gallias venisse. Cæterum examinavimus loc. cit. an et quibus cum sociis Roma discesserint. Passim* fratres *dicuntur SS.* Crispinus *et* Crispinianus; *id tamen in actis nostris non exprimitur. Gregorius Turonensis meminit* basilicæ SS. Crispini et Crispiniani (1); *S. Audoënus in vita S. Eligii lib. II, cap.* VII, *diserte habet* (2) : Sanctos martyres et germanos Crispinum et Crispinianum; *atque pronum est, ita tum ex nominum similitudine* F
tum ex natalium paritate statuere. Subdubius hæret Butler : Additur, *inquit,* fratres fuisse.

e Suessionis civitatem, *celeberrimam utique et antiquam valde, cujus initia densis involuta tenebris, atque hinc fabulatoribus ampla materia. Reginaldus quidam, vir cæteroquin gravis, fundatam vult circa annum a diluvio tercentesimum, proinde annis fere bis mille ante Christum natum* (3); *alii ad Priami descendunt tempora; quamsententiam sequitur et propugnat Dormayus* (4), *adeoque sæculo* XI *vel* XII *ante æram nostram jacta* opinatur *urbis fundamenta. Alii rursus a Suevis conditam volunt annis fere sexties centum ante Christum* (5), *qui capti amœnitate loci ibidem residerunt, oppidumque inchoatum dixere* Suessio *quasi* Suavis sessio *forte* Sueva (*Suevorum*) sessio. *Unde Guillelmus Brito* (6) :

Urbs antiqua sedet gremio tulluris opimæ

(1) Migne, Patrologia, tom. LXXI, col. 350 et 488. — (2) Ib., tom. LXXXVII, col. 517. — (3) Antiquités de la ville de Soissons, tom. I, pag. 5 et seq. — (4) Histoire de Soissons, tom. I, p. 19 et seqq. — (5) Antiquités, tom. I, p. 11 et seq. — (6) Gallia christ., tom. IX, col. 333.

ex mss. Belligeris populosa viris fecundaque vitibus arvis....
Indice quæ fama cum sit fundata Suevis
Exsulibus, merito sortita est Suessio nomen :
Lenifluis piscosis aquis, quam ditat et ornat Auxona.

Sed ab istiusmodi quisquiliis ad seria veniamus. Non est dubium Suessionicam urbem antiquissimis Galliarum annumerandam (1). *Ab Augusto dicta est* Augusta Suessionum ; quod nomen antea et Julii temporibus fuerit, non plane certum. *Nec tamen improbabilis eorum est sententia, qui* Noviodunum vetus nomen Augustæ Suessionum fuisse persuasi sunt (2). *Ita etiam nostris diebus Walkenaer in egregio opere suo de Galliarum antiqua Geographia* (3). *Quibus manifeste favere videtur Cæsar. Comment. lib. II, cap.* XII : Postridie, *ait*, Cæsar in fines Suessionum, qui proximi Remis erant, exercitum duxit, et magno itinere confecto ad opidum Noviodunum contendit. Id ex itinere oppugnare conatus, quod vacuum a defensoribus esse audiebat, propter latitudinem fossæ murique altitudinem, paucis defendentibus, expugnare non potuit. Interim omnis ex fuga Suessionum multitudo in oppidum proxima nocte convenit. Celeriter vineis ad oppidum actis, aggere jacto, turribusque constitutis, magnitudine operum, quæ neque viderant antea Galli neque audierant, et celeritate Romanorum permoti legatos ad Cæsarem de deditione mittunt, et, petentibus Remis ut conservarentur, impetrant. *Ex quibus, ut recte animadvertit Cellarius et cum eo Walkenaer locc. citt., declaratur* in Suessionibus oppidum fuisse valide munitum, ut primæ urbes et capita gentium solebant; tandem conservatum Remorum precibus, *quos alibi Cæsar, lib. II, cap.* III *illorum* fratres consanguineosque *vocat;* ut dubitari facile non possit *hoc esse oppidum, quod Augustus a suo nomine postea volueri appellari.* Neque enim aliud in tractu illo oppidum habetur, cui vel situs, vel amplitudo et munimenta a Cæsare descripta competant, præter Augustam Suessionum, *cujus in Itinerariis antiquis disèrta invenitur mentio, vulgo* Soissons *dictam*, quod novum nomen ex *Suessiones* est, communi gentis et oppidi, ut mos ferebat, adpellatione. *Idem sentit Conradus Mannert :* Cæsaris Noviodunum, *inquit* (4), « Oppidum satis munitum, » sane idem est ac Augusta Suessionum. *Attamen Marlianus, Browerus multique alii contendunt* Noviodunum *Cæsaris, finitimum quidem Suessionibus fuisse, non autèm in ipsis Suessionibus: idque* Noviomum (*Noyon*) *interpretantur.* Verum, *ut habet iterum Cellarius,* Noviomum illud, non Noviodunum, sed *Noviomagum* veteres dixerunt, situm inter Durocortorum (*Rheims*) et ambianos... Nec Noviomum, si inspicias recte, cum Cæsaris itinere convenit, ut qui ex Remis in fines Suessionum progressus, magno itinere ad Noviodunum venit : Noviomum vero sive *Noyon* non in Suessionibus sed in Veromanduis censetur. *Confer Walkenaer l. c., Dormayum* (5), *Le Moine* (6), *Galliam christianam* (7), *ubi hæc deinde adduntur :* Fuit aliquando regia sedes, in qua palatium et amphitheatrum ; fuere etenim Suessionum reges, Galli quidem Divitiacus et Galba ; Romani vero Ægidius et Siagrius ; Franci autem stirpis Merovingicæ principes ibi regiam et palatium habuerunt, puta Chlodovæum, antequam Luteciam regiam elegisset, Chlotarium majorem et Chilpericum ejus filium. Pippinus post et Carlomannus ejus filius ibi regni insignia receperunt, sicut et Rudolfus rex est pro Carolo constitutus. Regibus successere comites ante annos circiter 740, sicque Augusta Suessionum caput veteris comitatus fuit, qui tandem sæculo XV, saltem ex parte regibus nostris cessit. Insignis hodie est civitas balliviatu, financiarum generalitate, præpositura regali et electione, nec non Academia Scientiarum erecta anno 1674. *Nostra ætate urbs a pristino suo decore decidit, ut vel ex solo incolarum numero licet inferre, qui, teste Guibert* (8), *anno* 1846 *ad undecim præter propter millia tantum pertingebat. Sedes ejus episcopalis, cujus initia ad finem sæculi* III *referuntur* (9), *substitit post concordatum anni* 1801.

f *Antiquissima, eaque sat universalis traditio est SS. Martyres artem sutoriam exercuisse. Non video quid obstet quominus id admittatur. Dubitarunt tamen nonnulli, quos inter Longuevallius :* Licet, *inquit* (10), claris orti natalibus, artem sutoriam, si actis fidamus, exercuerunt. Equidem scio, nullum opificium despiciendum, quod Dei amore et caritatis causa suscipitur; sed acta, quibus id asseritur, non satis sincera sunt, ut omnimodam fidem faciant. *Facetum dixerim quod serio tamen scripsit Eccardus* (11) : Crispinus et Crispinianus, *inquit,* sutores, dum viverent, post mortem sutorum patroni geminas (*imo ternas*) ecclesias apud Suessiones habent... Quod tamen sutores sive calceolarii fuisse perhibeantur, inde ortum credo, quod nomen ipsorum Gallico more pronunciatum *Crêpin* et *Crêpinien*, cum voce latina *Crepida,* quod priores duas syllabas attinet, consonaret. Id quod ante me jam Henricum Stephanum.... observasse video. *Miror equidem simile quid legi in recenti Mülleri martyrologio germanice conscripto :* Eos (*SS. Martyres nostros*) corium, quo indigebant, furatos esse, proverbium quidem est, sed commentitium vanumque (12). *Fateor me de insulso hoc adagio nihil uspiam audivisse antehac. Et quoniam de hujusmodi næniis incidit mentio, liceat addere, dici solere Gallice:* Perdre son saint Crépin, *perdere suum S. Crispinum,* porter tout son saint Crépin, *secum ferre totum suum S. Crispinum id est* perdere, secum ferre omnia sua. *Nempe* saccus, *in quo sutores ambulatorii portant instrumenta opificii sui, Gallice vocatur* un saint Crépin (13).

g *Cod Grimberg. :* Nam et illud stupendum impiis valde erat miraculum, ut cum omnibus *etc.*

(1) Antiquités, tom. I, p. 13. — (2) Cellarius, Geographia antiqua, tom. I, p. 316. Lipsiæ, 1773. — (3) Géographie ancienne, historique et comparée des Gaules cisalpine et transalpine, tom. I, p. 485. Paris, 1839. — (4) Geographie der Griechen und Römer, tom. II, p. 181. Nürnberg, 1789. — (5) Hist. de Soissons, tom. I, p. 25 et seqq. — (6) Antiquités, tom. I, p. 31. — (7) Tom. IX, col. 333. — (8) Dictionnaire géographique, V° *Soissons.* — (9) Gall. ch., tom. IX, col. 334. — (10) Hist. de l'Église gall., tom. I, p. 130. — (11) Diploma Karoli M. critice expensum, p. 32 et 33. — (12) Allgemeines Martyrologium der katholischen Kirche, 25 Oct. Regensburg, 1860.— Diction. de Trévoux ; item. Ménage, V° *Crépin.*

h *Famosum*

A h *Famosum est viri istius nomen in actis Martyrum et hinc in annalibus ecclesiasticis, aliunde vero ignoratum, utpote cujus nullam mentionem faciunt scriptores Romani, nec etiam Sulpitius Severus nec Gregorius Turonensis; pariter non occurrit in Inscriptionibus Gruteri, Orellii etc, nec in quovis recens apud Treviros detecto vel exhumato monumento* (1). *Ast ex horum silentio haud minus perperam argueretur esse fictitius, quam ex eorumdum scriptorum silentio inficias ire voluerunt Legionis Thebææ internecionem non solum Dubordæus, a Cleo nostro egregie conventus, sed et viri longe graviores, inter quos clarissimus Fridericus Leopoldus comes a Stolberg, in sua historia Ecclesiæ seu Religionis Jesu Christi, item Rettberg (hic reformatæ confessionis) in sua ecclesiastica historia Germaniæ, tom. I,* § XVI (2). *Comitis a Stolberg objectiones solide diluuntur in hist. ecclesiæ S. Paulini* (3). *Rictiovarus prodit primum in actis quibusdam martyrum ad sæculum* VI *pertinentibus, deinde in Romano Parvo Rosweydi, ubi* VI *Januarii :* Sanctæ Macræ virginis sub
B Rictiovaro præside, *nec uspiam alibi in eodem martyrologio; ejusdem meminere etiam Ado et Usuardus* (4). *Nomen vario modo redditur, plerumque* Rictiovarus, *una vel altera vice* Riciovarus, *semel tantum in antiquis monumentis* Rictius Varus; *qui posterior modus a Browero adhibitus, deinceps vix non apud omnes usuvenit, puta Tillemontium, Calmetum, Hontheimium, Hagiographos decessores nostros etc. Nomen non nemini videtur celticæ seu gothicæ originis, compositumque ex vocibus* wr, fer, *gothice* wair (*vir*), *et* rix *goth.* reiks (*potens*), *et hinc* Reiksvar (*forma latina* Rictiovarus) *seu* vir potens *etc. Quod si ita esset, sequeretur infamem illum Maximiani Herculii ministrum, Galliarum indigenam fuisse, tantoque magis detestandum, quod in populares suos tam atrociter sævierit* (5).

i *In actis nostris Rictiovarus solum dicitur* minister, satelles principis (*Maximiani*) *qui etiam n.* 2 dux impius *vocatur. In aliis Passionibus Rictiovarus appellatur* præfectus *vel* Præses *quibus vocibus passim in gestis martyrum designari solent judices vel magistratus, qui contra Christianos pro tribunali se-*
C *debant, sive* prætores *essent sive* præfecti provinciarum *vel* tribuni. *Sunt, pauci tamen numero, qui velint Rictiovarum ab Herculio* præfectura Galliarum *donatum* (6). *Ast qua proprie is dignitate insignitus fuerit, neminem dicendo putem; ignoratus namque fuit vel saltem prætermissus a scriptoribus Romanis aliisque coævis et supparibus. Innotuit tantum ex Actis, iisque duo imo tria post sæcula scriptis, atque a viris, qui in rebus Romanæ administrationis parum versatos se produnt. Unde apud illos voces* minister, præfectus, præses *etc. promiscue usurpantur, nec aliud significant nisi magistratum vel officialem, imperatoris nomine agentem vel pro tribunali sedentem in causis martyrum. Lactantius de Mort. persecut. cap. XXII scribit : Sub Galerio* licentia rerum omnium, solutis legibus, assumpta est et judicibus data. Judices militares, humanitatis litterarum rudes, sine assessoribus in provincias immissi. Nec est, cur idem jam non obtinuerit sub Herculio. *Quæcumque proinde de Rictiovari præfectura circumferuntur, jure dixeris conjecturas, et qua tales, plus minus probandas. Cl. Schmitt. l. c. opinatur illum haud absimilem proconsularibus* (agents du peuple), *quorum ministerio tot infanda patrata leguntur tempore et nomine prioris in Galliis reipublicæ sub finem sæculi elapsi. Conf. acta S. Albercii* (7), *ubi ex Eckhelio docuimus voce* præses, *quemvis sæpius designari magistratus gradum.* EX MSS.

k *Cod. Grimberg.* : extensos troclea. *Est* etiam Trochlea, *ait Samuel Pitiscus in Lexico Antiquitatum Romanarum,* instrumentum tortoris, per quod funis tortorius immissus ligatum brachiis revinctum reum sursum trahit, vel demissum deorsum relaxat. Hoc instrumento olim ita torquebantur. Defigebantur primum humi tot stipites, quot erant hoc supplicio afficiendi : deinde a constitutis ministris rei manibus quandoque, quandoque pedibus, hinc funibus trochlearum, hinc stipitibus alligabantur, quo facto tractis jussu judicum funiculis misere ipsorum corpora E extendebantur. Interim fustibus cædebantur, aut denique sulphure, resina oleoque ferventibus perfundebantur. Postremo sublimes iidem elevabantur, eo modo, quo nunc rei mortis, revinctis post terga manibus, extorquendæ causa veritatis, fune elevari solent; aliquando ita elevati ictu celeri super silices pondere corporis dimissi et lapidibus acutissimis animam efflabant. *Distinguit Baronius* (8) elevationem *ab* extensione *ad trochleas.* Trochlea enim, *inquit,* proprie rota est rotam continens volubilem, per quam funis tractorius immissus ligatum, brachiis revinctum, reum sursum trahit, vel remissus deorsum relaxat. Ejusmodi itaque tormentum dictum reperitur Elevatio ad trochleas. Diversum tamen est illud quod dicitur Extensio ad trochleas, cujus mentio habetur in actis sanctæ Symphorosæ apud Adonem 17 Junii; de quo genere torquendi Greg. Tur. hist. Franc. lib. 4. cap. 49. hæc ait: « Extensus ad trochleas cædebatur fustibus, virgis ac loris duplicibus etc. » *quæ distinctio tanta non est, ut non facile confundantur Elevatio et Extensio. Locus Greg.* F *Turon. non bene citatur.*

e *Putem intelligi cutem vel integram ab utriusque S. Martyris dorso detractam, vel partim per modum corrigiarum.*

m hiemis tempore *verba hæc mitiori sensu sumenda. Fieri sane potuit ut sub finem Octobris frigus fuerit; attamen proprie hyems non erat : nec enim in tractu Suessionico solet tam cito ingruere.*

n *Gallice* Aisne, *de quo poeta quidam Suessionensis* (9) :

Urbs extructa polo penitus convalle virenti,
Ex omni cererem parte merumque videt;
Hanc Axona cavo liquidus perlabitur alveo,
Pisce potens vario, navigiique capax;
Non procul a Rhemis montano fonte scaturit,
Pontisaræque immissus Sequanicoque fretro.

o *Vide Comm. Præv.*, § II, *n.* 20 *et* 21, *ubi*

(1) Ph. Schmitt, Die Kirche des H. Paulinus bey Trier, p. 404. Treviris, 1853. (2) Conf. Dr. Rraun, Zur Geschichte der Thebaischen Legion, p. 37. — (3) Schmitt, p. 333 et seq. — Conf. Braun, ubi sup., p. 15. — (4) Conf. Schmitt, ibid. — (5) Ibid. — (6) Schmitt, p. 405. — (7) Tom. IX Oct., p. 487. — (8) Mart. Rom., 7 Dec., not. *e*. — (9) Dormay, t. I, p. 32. Conf. J. E. G. Roulez, Mémoire sur les magistrats romains de la Belgique, p. 34. Nouveaux mémoires de l'Académie royale de Bruxelles, tom. XVII.

quædam

EX MSS. *quædam protulimus de loco carceris et passionis.*

p *Cod. Grimberg.* : excecavit afflictum.

q *Conf. Comm. Præv.*, § I, *n.* 16. *Legitur in actis SS. Fusciani et Victorici* (1), *Rictiovarus* (*post amputata ejus jussu SS. martyrum capita*) sceleratissimus persecutor, quasi de quadam plaudens victoria, Ambianensium urbem effero corde ingressus; moxque ultione divina percussus et insano repletus spiritu per totam civitatem cœpit clamare et dicere : Heu me! Quid agam, aut quid faciam, quia per sanctos Dei Fuscianum et Victoricum, quibus dira intuli supplicia, intolerabili crucior pœna! *In hunc locum notat ex Malbrancquio Ghesquierus* (2) : Rictium Varum discruciatum quidem aliquamdiu summis doloribus tunc fuisse, at servatum in sequentem annum ad majorem lanienam. *Porro SS. Fusciani et Victorici passionem refert Ghesquierus ad an. circiter* 287. *Vide Comm. Præv.*, § I, *ubi de ætate SS. Martyrum nostrorum.*

r *Passi dicuntur cum SS. Martyribus nostris alii quinque ab illis ad fidem conversi : Claudianus, Papirius, Mercurius, Carisius et Rogatianus; addunt horum corpora a SS. Sixto et Sinicio fuisse translata una cum SS. exuviis SS.* Crispini *et* Crispiniani, *atque in eadem deposita crypta, ubi postea ædificata abbatia S. Crispini Majoris. Videntur autem reliquiæ martyrum, sociorum SS.* Crispini *et* Crispiniani, *suis in loculis sub altaribus, vel forte partim in crypta, permansisse usque ad annum* M, *quo reædificari cœpit, post primam ruinam, basilica, illasque tum levatas atque decenter interim depositas fuisse, ac postea in thecis publicæ venerationi expositas. Nec tamen hoc prætermittendum est, nempe sæculo* XVII *nullam inventam capsam propriam, quæ reliquias sociorum SS.* Crispini *et* Crispiniani *contineret, quod quidem indicio esset illas numquam elevatas fuisse, ut pro certe tenetur de ossibus S. Edibii episcopi Suessionensis et S. Godefridi episcopi Ambianensis, sæculo* XII *defuncti in monasterio S. Crispini Majoris. Hæc ita rescripsit nobis R. D. Pécheur ex libro ms. cui titulus :* Recueil de choses mémorables sur St-Crépin-le-Grand. *Alio in loco nominantur SS.* Quadratus, Claudianus, Rogatus, Carisius *et* Mercurius (*excepto* Quadrato *sunt iidem qui supra*) *una cum* Rogerio, *de quo pluries in Comm. Præv. sermo fuit. Hi omnes, cum aliis multis a SS.* Crispino *et* Crispiniano *conversi, horumque fortitudine in perferendo martyrio animati, suum etiam pro Christo fudisse sanguinem feruntur. Sufficiat hæc obiter indicasse, utpote non satis idoneis nixa testimoniis.*

s *Seni apud Dormayum* (3) *nomen est* Rogerius, *sorori ejus* Pavia. *Utrumque sane ex vulgari fama vel traditione, sed haud parum antiqua.*

t *De sepultura dixi Comm. Præv., n.* 2 *et* 21.

u *Vid. Comm. Præv.*, § II, *ubi de hac sicut et de aliis actum translationibus.*

(1) Acta SS. Belgii, tom. I, p. 169. — (2) Ibid., p. 172. — (3) Tom. I, p. 105.

DE SS. VALERINO, SABINO, VALERIO ET CHRYSAPHO,

MARTYRIBUS,

V. D. B.

COMMEMORATIO.

§ unicus. Notitia horum martyrum ex græcis fontibus.

SS. Valerinus, Sabinus, Valerius *et* Chrysaphus *noti duntaxat*

Quod hos martyres conjungimus, non est quod (ut passim Hieronymiani) ad unam turmam pertineant aut quidpiam aliud inter se commune habeant quam quod eadem die veniant in fastis sacris; sed quod omnium nobis scribentibus eadem est eorum conditio. Qui enim sancti martyres in Menæis nudo duntaxat districho honestantur, sed quo mortis eorum genus designetur, eorum Acta olim scripta fuisse et deinceps deperdita decessoribus nostris fere visa sunt; et merito; adeoque non dubitamus quin olim exstiterit Passio S. Valerini, *item Passio S.* Sabini, *et tertio Passio SS.* Valerii *et* Chrysaphi : *hi enim postremi conjunctim veniunt. Verum monumenta illa jam pridem amissa sunt; nec quidquam uspiam apparet quo vel loci indicentur ubi passi sint, vel tempora quando ex his terris in cælum avolarint : ita ut ambiguum nonnihil fuerit an quatuor hæc nomina inter prætermissos ablegaremus. Præplacuit tamen meliorem eis dare locum; ita tamen ut unus titulus eis præscriptus sit.*

ex fastis græcis.

2 *Porro S.* Valerini *seu* Valerini *memoria celebratur hac die in solis Menæis excusis, addito versiculo, ex quo constet eum, capite amputato, coronam gloriæ meruisse :*

Οὐαλλερῖνος τὴν κάραν τμηθεὶς ξίφει
Τομῆς βραχείας ὢ πόσα στέφη λάβοι!

id est, ut vertit Siberus :

Ferro caput jam Valerino cæditur :
O quanta sectio brevis fert præmia!

Item memoria S. Sabini martyris, *qui igne consumptus periit, ut patet ex his versiculis :*

Εἰσδὺς τὸ πῦρ χόρευε, μάρτυς Σαβῖνε,
Θείαν χορείαν, πρόξενον Θείου στέφους!

Projectus es, Sabine martyr, in rogum :
Tripudia, corona cinctus cælica!

Itemque memoria SS. Valerii *et* Chrysaphi martyrum, *quos gladio confessionem consummasse indicat sequens distichum :*

Λίττοις ἀθληταῖς ἡ τιμωρία ξίφος
Ἡγουμένοις τρύφημα τὴν τιμωρίαν.

Cæduntur ense martyres duo, quibus
Fuit voluptas summa sic mori.

Qui postremi in Menologio ms. græco, quod in Actis nostris aliquando Claromontanum, aliquando Sirmundianum appellatur, Valerianus *et* Chrysaphius *dicuntur. Plura nescimus.*

DE

A D

DE SS. SATURNINO, CLAUDIANO, PRIMO, FLAVIANO, ZOTICO, ASTERIO, CHARO ET SATURO,

MM. IN AFRICA.

§ unicus. Notitia SS. Martyrum ex Hieronymianis.

B. B.

SÆC. II VEL III. *Memoria in antiquis martyrologiis.*

Recensentur sancti Martyres illi in antiquis martyrologiis vel simul omnes, vel nonnulli ex illis, omissis aliis. Nomina quoque variant apud varios, ut assolet in codicibus Hieronymianis. Aliud proinde quod dicamus, haud habemus, nisi ut oculis subjiciamus quæ in præfatis leguntur codicibus, hosque, quoad fieri possit, inter se componamus. Epternacense seu Antverpiense annuntiat : In Sardinia in Turribus Gavini. Item Romæ CXX Militum. In Africa Saturnini, Claudiani, Primi, Flaviani, Asteri, Chari. *Corbeiense majus* : In Africa Saturnini, Claudiani, Primini, Flaviani, Zotici. In Sardinia Savini, Saturi, Asteri, Chari. *Vetustius martyrologium Florentinii :* In Africa sanctorum Saturnini, Claudeani, Primi, Flaviani. In Sardinia Savini, Saturi, Asthentari. *Ad hæc apposite notat Florentinius* (1) *:* Sancti Africani Pugiles, quorum ubique antesignanus est Saturninus, quatuor tantum sunt in libris nostris, quinque in M. Corbeiensi, addito nimirum Zotico, cujus Antverpiense non meminit. In hoc potius Asterius et Charus, a libris nostris et Corbeiensi Sardiniæ tributi, inter Africanos recensentur; *idque magis probatur Florentinio: addit enim paulo infra :* Aptius in M. Antverpiensi unus ex Sardis martyribus explicatur, nempe Turribus urbe olim Sardiniæ florentissima, S. Gavini, non Savini, *de quo nos agimus hac die, et passus est una cum S. Proto presbytero et Januario. Quare subdit idem Florentinius* : Unde alii hic S. Gavino socii addantur, nempe Saturus, Astherius et Charus, sive, ut in libris nostris librarii errore, Saturus et, ex Asterio et Charo in unum conflatus, Asthentarius, suspicionem addunt, hos cum Zotico et Saturo Africanis jungi debere, ut innuit M. Antverpiense, in quo Turribus in Sardinia tantum S. Gavinus recolitur. *Atque hæc, ut ipse habet Florentinius, est* conjectura cui magis adhærere libuit. *Confer S. Gavini et sociorum acta infra. In Hieronymianis minoris notæ, similes leguntur ad eumdem diem annuntiationes. Sic in Richenoviensi :* In Sardinia, Gavini. Et in Affrica, Saturini, Claudiani, Primi. *Id satis singulare in martyrologiis antiquissimis aliquot a Martenio editis* (1), *nullam sanctorum Martyrum nostrorum fieri memoriam.*

B E

(1) Vetustius Martyrologium, p. 934. — (2) Thesaurus novus Anecdotorum tom. III col. 1547-1603.

DE SS. GAVINO MILITE, PROTO PRESBYTERO, ET JANUARIO DIACONO, MARTYRIBUS

TURRIBUS IN SARDINIA.

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

§ I. An S. Gavinus diversus sit a S. Gabino, cujus mentio fit die xxx Maii; SS. Martyrum memoria in fastis sacris, et passionis compendium. Urbis et ecclesiæ Turritanæ notitia; hujus episcopis non sunt annumerandi SS. Gavinus et Protus. Acta.

ANNO CCCIV VEL SEQUENTI. S. Gavinus *an diversus a S. Gabino, qui* XXX *Maii colitur?*

Brevem Henschenius ad diem XXX *Maii Sylloge edidit de SS. Gabino et Crispulo martyribus itidem Turritanis* (1). *De S. Crispulo peculiare nihil profert; sancti vero Gabini corpus asservari tradit Romæ in ecclesia S. Petri in Vaticano,* ibique esse ejus altare; *beatum etiam Martyrem coli officio ecclesiastico*, eo quod istic sit corpus, omnia *autem* dici de Communi unius Martyris. *Deinde subdit :* Est ab hoc Gabino alius S. Gabinius presbyter et martyr Romæ (*de quo* XIX *Februarii,*) pater S. Susannæ virginis et martyris, et frater S. Caii papæ et martyris, *cujus corpus asservatur pariter Romæ in ecclesia S. Susannæ. An vero S.* Gavinus, *de quo hodie agitur, diversus sit a priori illo, cujus mentio ad diem* XXX *Maii, controvertitur. Baronius in Notis, eumdem censet :* Putatur, *inquit* (2), hæc esse dies Translationis : nam dies natalis agitur 25 Octobris. *Contrarium tenet Henschenius, qui citatis Baronii verbis subjungit :* Verum is (*qui hac die colitur*) in antiquis martyrologii Hieronymiani apographis Gavinus et sæpius Savinus appellatur (*alter vero Gabinus*) eique in Blumiano

(1) Acta SS., tom. VII Maii, p. 235 et seq. — (2) Martyrol. Rom., xxx Maii.

AUCTORE B. B.

et Corbeiensi, Parisiis excuso (*ita etiam fere in Vetustiori Florentinii ad* xxv *Oct.*), junguntur socii Saturus, Asturus, Charus etc.; *alteri autem socius datur Crispulus. Denique* Gavinus *vel* Savinus *memoratur in actis SS.* Proti *et* Januarii, *qui passi sunt sub* Diocletiano; *Gabinus et Crispulus sub* Hadriano. *Triplici itaque ex ratione arguit Henschenius diversos esse; primum quod differunt nomina; alter* Gabinus *alter* Gavinus *vocatur; ast hoc levis imo nullius momenti dixerim, cum promiscue usurpentur litteræ* v *et* b; *tum quod alii alteri dantur socii;* Gabino *Crispulus,* Gavino *Saturus etc., et hoc gravioris est ponderis; denique quod* differunt vehementer inter se tempora; *quippe prior sub Hadriano, posterior sub Diocletiano passus. Atque id sane decretorium foret, si de utriusque passionis tempore constaret; verum abest multum ut ita sit. Certe paucissima ad nos de S. Gabino Henschenii pervenerunt.* Alii multi Sancti, *ait Arca* (1) fuere martyrio coronati, quorum vitæ series et martyrii non nisi brevissimo est comperta compendio. SS. Gabinus et Chrispulus passi martyrium in Tur-
B rium civitate 3 Kale. Junii, auctoribus Beda, Adone, Usuardo. *Aliud nihil. Eodem fere modo Fara* (2): Gabinus et Chrispulus sanctitate insignes in Turribus Sardiniæ martyrium passi, 3 Kal. Junii decenter honorantur, eodem referente Usuardo. *Annum passionis non signat Fara, quam tamen contigisse innuit haud brevi temporis spatio ante annum Christi* 125, *quo passum scribit S. Antiochum; atque hic omnium primus est, cujus Fara definit martyrii tempus. Faram sequitur Salvator Vitalis in* Annalibus Sardiniæ, *ubi ad operis sui finem* primos *Sardiniæ martyres enumerans :* Primum igitur, *ait* (3), locum sancto Æmiliano ejusque commilitonibus Fara tribuit; secundum vero S. Sallustiano; tertium sanctis Gabino et Crispulo; quartum sancto Crescentiano; quintum sanctis Justæ, Justinæ et Henedinæ; sextum S. Antiocho Sulcitano. *Horum itaque scriptorum nullus S. Gabini certamen imperio Hadriani adscribit; sicut nec Ado nec Usuardus, apud quos eadem est annuntiatio :* Turribus Sardiniæ sanctorum martyrum Gabini et Crispoli (*Ado :* Gabinii et Crispuli); *concordat*
C *Romanum :* Turribus in Sardinia *etc.*

Rationes dubitandi.

2 *Quo ergo nixus fundamento asserit Henschenius SS. Gabinum et Crispulum passos sub Hadriano? Nempe testimoniis Dymæ Serpi et Ferrarii, quorum ille* lib. I Chronici Sanctorum Sardiniæ, pag. 29 asserit eos in « passione S. Antiochi conversos... » Ferrarius vero hoc eos encomio celebrat in Catalogo Sanctorum Italiæ : « Gabinus et Crispulus, cives Turritani, post S. Antiochum sub Hadriano imperatore passi sunt. » *Equidem non negavero illum sub hoc Augusto coronatum; ast* in ejus passione conversos *SS. Martyres nostros non reperio apud Arcam, qui prolixe agonem describit* (4). *Insuper Pinius noster ad* I *Septembris, ubi de SS. Rosa ac Platano Sulci in Sardinia, de actis S. Antiochi, a Baronio in notationibus ad* XIII *Decembris, quo ille annuntiatur, laudatis, dicit eadem acta se præ manibus habere,* sed in quibus, *ait* (5), characteristicas melioris historiæ notas desiderarem, *quod et ego quoque desidero in Passione apud præfatum Joannem Arcam; quæ tamen accuratius examinanda erunt ad* XIII *Decembris. Interim moneo nec in his actis, quæ diligenter, ut in mss. hagiographicis bibliothecæ regiæ Bruxellensis exstant, perlegi, ullam fieri de S. Gabino mentionem; nec me acta illa melioris notæ habere, quam Pinius. Cæterum, ut jam diximus, Fara et Vitalis diserte tradunt SS. Gabinum et Crispulum passos satis diu ante S. Antiochum. Nihil itaque in hujus actis est, quo probentur sancti Martyres sub Hadriano coronati. Ad Ferrarium quod attinet, non ea utique, præstat auctoritate, ut ejus solius testimoniuum hic prævaleat. Denique Dionysius Bonfans Calaritanus, licet utrumque S. Martyrem sub Diocletiano ponat, non tamen eodem tempore id contigisse declarat, unumque ab altero, certo saltem dierum vel mensium intervallo separat* (6). *Cæterum scriptio hæc Dionysii haud magno in pretio habetur; imo incredibiliter vapulat apud Muratorium, qui referens, librum Bonfanti ex decreto inquisitionis hispanicæ an.* 1641 *expurgatum fuisse, addit :* Quam vellem censores isti tantam potius confictorum martyrum copiam delevissent, hoc est librum totum una litura purgassent (7). *Quid ergo? An idem* Gabinus *ille et* Gavinus *hac die cultus? Non ausim tantum asserere: nam licet rationes ab Henschenio adhibitæ, non omnino firmæ mihi videantur; aliunde tamen ex dictis apparet, scriptores Sardos diverso tempore passos dicere, primum quidem SS. Gabinum et Crispulum, tum vero S.* Gavinum *una cum SS.* Proto *et* Januario, *vel certe interposito paucorum dierum spatio. Deinde festum seorsum celebratur, illorum* XXX *Maii, horum* XXV *Octobris, et insuper ineunte Maio* Dedicatio ecclesiæ SS. Gavini, Prothi et Januarii, *ac rursus* Translatio corporum SS. Gavini, Prothi et Januarii, Dominica prima Octobris, *ut habet Arca in Calendario sanctorum Sardiniæ propriorum jam supra memorato. Denique cum de prioribus sanctis Martyribus duobus nihil ad nos pervenerit præter ea quæ cultum spectant, traditio vero diserte unum Gabinum ab altero cognomine distinguat, hæcque distinctio nitatur etiam Hieronymianis martyrologiis, standum putem hujusmodi traditioni ecclesiarum Sardiniæ, donec clarior oriatur dies. Unde Petrus Martini :* Perperam, *ait* (8), a nonnullis confunduntur S. Gabinus cum altero insigni martyre S. Gavino; *additque rationes easdem quas nos supra adduximus. Confer Tillemontium* (9), *Matthejum qui in Sardinia sacra rem in medio fere relinquit, paulo tamen propensior in sententiam, quæ diversas esse horum SS. Martyrum personas statuit* (10). *Ast labitur Matthejus ubi S.* Gavino, *cui dedicatum est templum Turritanum, socium dat S. Crispolum* (11).

D

E

F

3 *Mentio occurrit SS. Martyrum nostrorum*

Memoria in martyrologiis.

(1) Joannis Arca Sardi, de Sanctis Sardiniæ libri tres. Lib. II, p. 39 et 40. Calari 1598. — (2) De rebus Sardois. Apud Grævium, tom. X, vol. xv, col. 23. — (3) Grævius, ibid., col. 262. — (4) De Sanctis Sardiniæ, lib. I, p. 9-31. — (5) Acta SS., tom. I Septembris, p. 236. — (6) Triumpho de los Santos del regno de Cerdeña, p. 529 et 425. Calari 1635. — (7) Antiquitates medii ævi, tom. V, col. 17. — (8) Storia ecclesiastica di Sardegna, tom. I, p. 18. Cagliari, 1839. — (9) Mémoires, tom. V, p. 143 et seq. — (10) Sardinia sacra, p. 43, not. 3; p. 44, not. 6 et p. 139. Romæ, 1761. — (11) Ibid., p. 139.

in

A *in antiquissimis martyrologiis Hieronymianis, scilicet* Corbeiensi *majori, quod in Spicilegio edidit Dacherius* (1); Lucensi *Florentinii, et* Antverpiensi *seu* Epternacensi *Rosweydi, cujus Sollerius meminit his verbis :* Vetustissimi illius Antverpiensis seu Epternacensis, sub initium sæculi octavi scripti (2). *At in tribus his non omnes SS. Martyres eodem die simul ponuntur, sed die* XXV *Octobris solus signatur S.* Gavinus, *die vero* XXVII *SS.* Protus *et* Januarius. *Quam in rem apposite notat Florentinius* (3) : Quamquam vero coronati ibi (*in actis, quæ infra etiam nos edimus*) dicantur 8 Cal. Novembris (25 *Oct.*), difficile est tamen eodem die cum Gavino fuisse consummatos, ut attente acta illa legentibus patere potest; sed quia corpora in mare projecta eodem littore inventa sunt et simul cum Gavino tumulata, eumdem natalem diem sortitos esse apparet. *Porro laudata tria martyrologia, seu potius ejusdem martyrologii tria diversa apographa de S.* Gavino *hæc habent, ad diem* XXV *Octobris; Corbeiense :* In Sardinia Savini, Saturi, Asteri, Chari; *Lucense :* In Sardinia
B Savini, Saturi, Asthentari; *Antverpiense :* In Sardinia in Turribus Gavini. *Et ad diem* XXVII, *Corbeiense et Lucense:* In Sardinia Poti, Januarii *etc.; Antverpiense :* Sardiniæ in Turribus Proti et Januarii. *Varias lectiones sic explicat ibidem laudatus Florentinius* (4): Aptius in M. Antverpiensi unus ex Sardis martyribus explicatur, nempe Turribus urbe olim Sardiniæ florentissima, S. Gavini, non Savini. Hujus historiam ex antiquo ms. ecclesiæ Turritanæ explicat Joannes Arca... Sancti Gavini socii vel potius præceptores ibi narrantur Prothus presbyter et Januarius diaconus... qui eodem loco promontorii Balai gladio consummati sunt, et ut ibi legitur 8 Cal. Nov. Unde cum alii hic S. Gavino socii addantur nempe Saturus, Asterius et Charus, sive ut in libris nostris, librarii errore, Saturus et ex Asterio et Charo in unum conflatus Asthentarius, suspicionem addunt, hos cum Zotico et Saturo Africanis (*qui præcedunt in Corbeiensi*) jungi debere, ut innuit M. Antverpiense, in quo Turribus in Sardinia tantum S. Gavinus recolitur.
C *In altero Hieronymiano, ex codice Richenoviensi idem ferè habetur :* VIII *Kal. Nov.* in Sardinia, Gavini; VI *Kal. Nov.* In Sardinia Proti et Januarii. *Codex ille Sollerio* antiquissimus appellari meretur (5). *Ita etiam Papebrochius in prologo ad martyrologium Bedæ* (6) : Hujusmodi sunt antiquissima duo monasteriorum Richenoviensis prope Constantiam et Rinoviensis in Helvetia martyrologia (*in hoc desunt menses October, November et December.*) *Vide Acta SS. tom. VII Junii. Nulla horum trium SS. Martyrum memoria fit apud Adonem et Usuardum; in hujus Auctariis ex codicibus Florentinis solus annuntiatur* Gavinus : Apud Sardiniam in civitate Turritana, S. Gavini militis et martyris, qui passus est sub præside Barbaro, sub persecutione Diocletiani et Maximiani : *et ex iisdem codicibus haud magnæ apud Sollerium auctoritatis ad diem* XXVII : Apud Sardiniam civitate Turritana sanctorum martyrum et fratrum Proti presbyteri et Januarii diaconi, sub præside Barbaro, tempore Diocletiani et Maximiani. *In Martyrologio Romano omittitur S.* Gavinus, *et hac die* XXV *Oct. agitur memoria :* Turribus in Sardinia sanctorum martyrum Proti presbyteri, et Januarii diaconi, qui a S. Caio papa ad eam insulam missi, tempore Diocletiani sub Barbaro præside consummati sunt. *Trium simul natalis celebratur in ecclesia Turritana hac die; Dominica vero prima Octobris :* Translatio corporum SS. Gavini, Prothi et Januarii, *et denique ineunte Maio :* Dedicatio ecclesiæ SS. Gavini, Prothi et Januarii (7).

AUCTORE B. B.

Martyrii synopsis

4 *Passionis historiam adscribimus, a Ferrario compendiose exhibitam* (8) : Protus, qui Sardis Proptus dicitur, et Januarius cives Turritani, cum christianam religionem amplexi fuissent, Romam profecti a B. Caio papa ordinantur; Protus quidem tamquam senior Presbyter, Januarius vero Diaconus. In Sardiniam reversi, dum Christianam fidem prædicant, ac mira in urbe Turritana sanctitate florerent, in sævissima Diocletiani et Maximiani imperatorum persecutione sub Barbaro, Sardiniæ et E Corsicæ præside, comprehensi, varia pro Christo tormenta constanter perpessi sunt. Proto in Herculis insulam (quam vulgus Linariam vocat) deportato, Januarius tamquam junior blanditiis et donis, ut diis immolaret, tentatur. Quod cum frustra fieret, mox Proto revocato, uterque in equuleo suspenditur ungulisque ferreis excarnificatur. Cum vero immobiles in fide perstarent, Gavini militis custodiæ traduntur. A quo, ab eis ad fidem converso, dimissi, postea cum se ultro tortoribus obtulissent, in eodem loco, in quo S. Gavinus obtruncatus fuerat, gladio animadversi martyrium consummarunt, 8 Kal. Novembris circa an. Sal. 300. *Ita testatur Ferrarius* ex Monumentis ecclesiæ Turritanæ seu Sassarensis, ac ex Francisco Fara lib. de Reb. Sard. I. *Quæ omnia longe enucleatius, utinam et verius in actis infra editis traduntur. Et iterum laudatus Ferrarius de S.* Gavino, *martyre et patrono Turritano* (9) : Gavinus miles Romanus (quem ex Savella familia fuisse ferunt) cum Turribus in Sardinia SS. Protum et Januarium, F jussu Barbari præsidis, comprehensos ob fidem christianam custodiret, ab ipsis ad Christum conversus et unda salutari lustratus, illos dimisit liberos, quod insontes eos et sine causa vinctos diceret. Quod cum præsidi innotuisset, protinus illum teneri, atque in fidei confessione constantissimum repertum, in portu, qui Balagii dicitur, capite truncari jussit; quo in loco etiam Protus et Januarius, qui in suburbano Turrium loco latentes, ab ipso Gavino in visu ad martyrii palmam invitati fuerant, decollati sunt.

et tempus.

5 *Porro annotat Ferrarius*, annum (*scilicet* 300) quo Martyres hi passi a Fara referuntur, corrigendum esse: nam persecutio sub Diocletiano et Maximiano in Christianos excitata est anno Domini 302 (*imo anno* 303,) *duravitque fere decennio* (10). *Est itaque certum passionem* (*cum hæc ex actis communique scriptorum as-*

(1) Tom. II, in initio. — (2) Martyrol. Usuardi. præf., pag. VI, n. 20. — (3) Vetustius occidentalis ecclesiæ martyrologium, pag. 937. — (4) Ibid., pag. 934. — (5) Usuardi Martyrol. Præf., pag. IV. — (6) Acta SS., tom. II Martii, pag. V. — (7) Arca, lib. III, pag. 72 et 73. — (8) Catalogus SS. Italiæ, 25 Oct., pag. 671. — (9) Ibid. pag. 672 et seq. — (10) Tillemont, Mémoires, tom. V, p. 815 et seq.

sumpta

AUCTORE B. B.

sumpta potius quam probata sententia, præfatæ persecutioni adscribatur) *non contigisse ante hunc annum; nec etiam probabilius hoc ipso anno; quod priora Diocletiani et Maximiani edicta capitales non facerent Christianos, sed præcipue demoliendas ecclesias et sacros libros tradendos comburendosque decernerent, quibus de rebus nulla omnino fit nec in actis nostris nec alibi mentio* (1). *Sequenti autem anno* 304 *atrocius in Christianos tulere imperatores, unde et per universam Romanorum dominationem ingens facta strages est* (2). *Nihil sane obest quominus illo vel sequenti anno sanctos Martyres nostros Turritanos palmam adeptos dicamus; tanto magis, quod, auctore Eusebio Cæsariensi, persecutio in Occidente non ultra biennium grassata sit* (3). *Operæ pretium est illius verba subjicere ex libro de Martyribus Palæstinæ cap.* XIII (4) : Atque hæc sunt martyria, quæ octo annorum spatio in Palæstina perpetrata sunt. Hujusmodi nostri temporis persecutio fuit ; quæ cum ab ecclesiarum eversione sumpsisset initium, postmodum subsecutis vario tempore rectorum infestationibus, longe ulterius progressa est.
B In quibus varia omnis generis certamina eorum, qui pro pietate fortiter pugnaverunt, innumerabiles in singulis provinciis martyres præstiterunt ; in Libya scilicet et per universam Ægyptum ac Syriam omnesque provincias, quæ ab Oriente usque ad tractum Illyrici quaquaversum protenduntur. Nam quæ ulterius sitæ sunt regiones, Italia videlicet tota et Sicilia, Gallia quoque et quæcumque ad occasum solis porriguntur, Hispania, Mauritania et Africa, cum vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli expertæ essent, divini Numinis præsentissimum auxilium et pacem brevi sunt consecutæ, Dei scilicet providentia simplicitati illorum hominum ac fidei prospiciente. Porro quod numquam antea imperio Romano accidisse memoratur, id tunc primum præter omnium opinionem evenit : in hac enim persecutione, quæ nostris temporibus grassata est, imperium orbis Romani in duas divisum est partes. Harum alteram, quam paulo ante designavimus, quicumque incolebant fratres, pace fruebantur. Quotquot vero in altera orbis Romani parte
C degebant, innumera subinde certamina subierunt. *Et re quidem vera inter sanctos hujus tempestatis Martyres, quorum natales celebrantur in fastis ecclesiasticis, vix unum repereris, qui post annum* 305, *nisi in Oriente sit passus. Confer tabulam Chronologicam Tillemontii* (5).

Civitatis Turritanæ notitia.

6 Celeberrima Sardiniæ civitas, quæ a Ptolemæo Turris Byssonis, a Plinio Turris Lybissonis, ab anonymo Ravennate Turris Libisonis, ab Antonino Vero nec non ab auctore Tabulæ vulgo Peutingerianæ Turris tantum dicitur, sita erat in ora maritima et, habita insulæ ratione, ad Septem triones vergebat. Colonia appellatur a Plinio, (*quæ, ut habet Fara, sub Pompeio M.* creditur *in Sardiniam deducta*), a Mela autem ac Strabone ne memoratur quidem. Olim D fuit satis copiosa, unde inter decem et septem celebriora Sardiniæ oppida numeratur ab eodem Plinio : nunc autem diruta est, nihilque aliud superstes existit, quam ecclesia, portus et nomen (6). *Observandum tamen est Plinium octodecim numerare oppida.* Oppidorum, *inquit* (7), *XVIII; notatque Harduinus* (8) : Ita Mss. omnes ; subintellige, celeberrima. *Scriptores Sardi alii alia multa congessere de urbe Turritana, nec commentis fabulisque pepercere, inter quos non postremum locum tenet Jacobus Pinto; de quo ita Salvator Vitalis* (9) : Æquat cœlo, patriæ ductus amore, Jacobus Pinto jesuita, Turritanam urbem, uti primariam, velutque auream regionem Lugodoro. Ecquid mirum? Pugnandum pro patria. *Deinde Vitalis Calaritanæ urbis extollit laudes simulque dicta Pinti impugnat ex professo refutatque* (10). *Unde Matthejus loc. cit.:* De iis, qui primum hanc (*urbem*) incoluerunt, legibusque fundarunt, nomenque indiderunt, plura disputant Sardi, sed mea sententia nulla suffulti ratione. *Quæ propius ad veritatem accedere videntur, compendiose concludit his verbis Cantelius* (11): E Turritanæ provinciæ, si Sardis auctoribus credimus, a Turribus nomen inditum, quod Tyrrheni regionis incolæ domos in turrium formam et morem ædificarent. Dicitur etiam Logudoro, quasi locus aureus : (*nominis hujus origo varia a variis profertur, sed hactenus manet obscura* (12)) tractus enim ille et amœnus est et fertilis. Provinciæ caput Turris vel Bissonis vel Libissonis olim fuit ; Turris vero Libissonis, ut Pinto placet, idem sonat quod Herculis Libyi Augusta sive « Regia ». Calari et dignitate et magnitudine alias longe inferior, post annum M. illi utraque laude prope par. Tandem ob bellorum incommoda cives sensim dilabi cœperunt, et Sassarim (vicinum oppidum erat) se recepere. Unde factum ut paulo post Archiepiscopus, Canonici, Magistratus eo etiam migrarint, juraque sedis Turritanæ anno 1444 Eugenius IV transtulerit Sassarim, quæ ex Turrium ruinis ita crevit, ut Calaritanæ urbis æmula parem cum illa honoris gradum ambiat. *Ex dictis corrigendus Harduinus, qui innuit Sassarim eo loci quærendam, quo olim Turres:* nunc, *inquit* (13), ibi F creditur esse Sassari ; *cum hinc* distet in meridiem duodecim circiter millia passuum (14), *alii, putem minus recte, habent octo millia* (15). *Nec etiam recte Cantelius annum translatæ sedis notavit. Conf. num. seq. Juverit nonnulla addidisse ex magno Dictionnario geographico regni Sardiniæ. De rebus populi Turritani sub imperatoribus nihil scimus, quia nulla illarum mentio occurrit in monumentis historicis fide dignis. Occupata urbs a Saracenis, in eorum potestate permansit usque ad initia sæculi* XI ; *tunc erepta eis fuit a rege seu judice Logudorensi, qui exinde sæpius ibidem morari solitus est, et insuper episcopo Turritano, metropolitæ dignitatem procuravit. Ex his ortum est, ut*

(1) Tillemont, Mémoires, tom. V, p. 20 et seqq. Art de vérifier les dates, p. 244. — (2) Tillemont, p. 49 et seqq. — (3) Ibid., p. 119. — (4) Migne, Patrologia Græca, tom. XX, col. 1518. — (5) Ubi supra p. 809-811. — (6) Sardinia sacra, p. 138 et seq. — (7) Hist. Nat. lib. III, cap. VII, Tom. I. p. 161. Parisiis 1741. In-fol. — (8) Ibid. — (9) Annales Sardiniæ, apud Grævium tom. ult. col. 160. — (10) Ibid., col. 160-164. — (11) Metropolitanarum urbium historia civilis et ecclesiastica, p. 486. Parisiis 1685. — (12) Dizionario geog. di Sardegna tom. 9, p. 5 seq. — (13) Plinius, Hist. Nat., tom. I, p. 161. Not. 8. — (14) Sardinia sacra, p. 140. — (15) Orlendius, Orbis sacer. et profanus, p. 2649.

Judicatus

A *Judicatus* Logudorensis *dici cœperit communius* Turritanus. *Finem habet historia urbis Turritanæ circa medium sæculi* XV : *tunc enim, Sassarim transgressis, paucis qui post annum* 1438 *remanserant, incolis, vix non penitus derelicta fuit* (1). *Præsens vici municipii status sic describitur* (2) : Turris seu Turres (Portotorre) oppidum (*borgo*) Sardiniæ, situm in ora insulæ boreali, in provincia Sassaritana, lat. 40° 91′ 50″, Long. occident. (spectato meridiano Calaritano) 0, 43′ *Duas veluti in partes dividitur : alteram maritimam, in qua invenitur portus; alteram a S.* Gavino *dictam, quæ semi fere milliario distat a portu, et sita est in parvo colle. Cætera, si libet, vide in laudato Dictionnario, voce* Portotorre. *Atque hæc sunt quæ partim probabiliter partim certo proferre licuit de urbis, quondam populosæ et præclaræ nunc autem fere dirutæ, initiis et vicissitudinibus. Sed agendum paulo latius de ejus sede primum episcopali postea vero metropolitica et primatiali, deque primis ejus præsulibus, quos inter numerantur a nonnullis SS.* Gavinus *et* Protus:

De ecclesiis in Sardinia episcopalibus

7 *Plerique originem christianæ religionis in Sardinia repetunt ab apostolorum ætate, quorum unus et alter ibidem prædicasse fertur. Passim etiam in catalogis tum Calaritanis tum Turritanis inter episcopos primo loco venit S. Clemens, Romanus deinde pontifex. Ast nullo idoneo hæc nixa sunt testimonio, imo apud cordatos fabulis accensentur* (3). *Verum certis documentis constat exstitisse in Sardinia ineunte sæculo* IV *binas ecclesias, scilicet Calaritanam et Phausianensem seu Forotrajanensem. Explorata quoque res est sæculo* V. *quatuor numerari , nempe præter ambas prædictas, Turritanam et Sulcitanam, quarum antistites Carthaginem convenerunt jussu Hunerici regis Wandalorum* (4). *Ætate S. Gregorii Magni* (*sedit ab anno* 590 *ad annum* 604) *videntur fuisse omnino septem. Scribit enim ille ad* sex *Sardiniæ episcopos, quos singulos nomine suo vocat, et hortatur ut sine archiepiscopi Calaritani bona venia Insula non egrediantur. Suspicatur quidem Cointius quosdam ex illis sedem suam in Corsica habuisse;* verum, *subdit Matthæjus,* hoc falsum esse pluribus demonstrabo. *Circa finem sæculi* IX *rursus quatuor tantum reperiuntur,*
C *eædem quæ sæculo* V. *Sardinia quippe jam inde ab exitu sæculi* VII *Saracenorum infestis patuit incursionibus, quibus perpetuo fere in prædam cessit usque ad iniens sæculum* XI ; *ita ut dubitet Matthæjus* (5), utrum sæculo decimo ullæ fuerint episcopales sedes in Sardinia. *Moronius tradit Saracenos in Sardinia dominatos ab anno* 833 *ad annum* 1051 ; *tum victos a Pisanis et Januensibus insula expulsos* (6). *Ejectis post sæculi* XI *initium Saracenis, auctus est ecclesiarum numerus, adeo ut sæculo sequenti tres metropolitanæ* (*Calaritana, Turritana et Arborensis*) *et quindecim episcopales sedes existerent* (7); *quæ perstiterunt usque ad finem sæculi* XV *vel principium sæc.* XVI. *Postea valde imminutus numerus est : deficientibus namque idoneis proventibus, plures ecclesiæ sive metropolitanis sive viciniori sedi unitæ fuere. Addit Matthæjus* (8): Per hæc tempora, *id est medio sæculo* XVIII, septem sunt in Sardinia ecclesiæ, nimirum Calaritana, Turritana, Arborensis Metropoles; Rosanensis, Ampuriensis, Algheriensis et Alensis seu Usellensis suffraganeæ. *Nostris diebus eædem tres supersunt metropoles nempe Calaritana et Turritana quæ ambæ primatiales, et Arborensis, cujus antistes residet Oristani. Calaritanæ tres sunt suffraganeæ, Turritanæ quatuor, Arborensi una ex unitis Uxellensi et Terralbensi* (9).

AUCTORE B. B.

et speciatim de sede Turritana suffraganea,

8 *Quod autem speciatim attinet ad ecclesiam Turritanam, de hac* Sede, *ait Cantelius* (10), vix quidquam certi habeo, quod scribam : adeo varia sunt et incerta, quæ a Sardis autoribus produntur. Dionysius Bonfans illam sub Symmacho institutam scribit quinto sæculo : Franciscus de Vico et Jacobus Pinto (*parum fideles, ut vidimus, scriptores*) aliique, qui Turritanæ sedi præ Calaritana primas deferunt, ab apostolis erectam, illique præfuisse Clementem volunt. Qui opinione sua quam falsi sint, *liquet ex epistola S. Gregorii Magni, qua diserte constat Marinianum Turritanum non minus quam cæteros Sardiniæ episcopos Januario Calaritano paruisse. Hinc subdit Cantelius :* Nec Turris igitur Sardiniæ caput, nec Turritanus præsul Sardiniæ Primas umquam fuit; sed merus episcopus; *quod tamen intelligendum de Primate proprie dicto; nam, ut infra dicemus, hodiedum Turritanus archiepiscopus titulum Primatis habet æque ac Calaritanus. Unde præterea efficitur verba :* sed merus episcopus, *ut vera sint, referenda esse ad ætatem Gregorio VII priorem, cum ab hoc pontifice, ni paulo etiam citius, sedes Turritana ad Metropoleos dignitatem evecta sit. Judice Matthæjo* (11), primus Turritanus antistes de quo jure dubitari nequit est Felix. Hic inter eos recensetur episcopos, qui anno CDLXXXIV a Vandalorum rege (*Hunerico*) Carthaginem vocati, postea in exilium pulsi sunt. *Hæsit paulisper Cantelius, ait enim* (12) : Quem (*Felicem*) tamen, nisi obstaret Sirmondi auctoritas, Africanum dicerem. *Id vero secus omnino, reponit Matthæjus* (13), *cum a Victore Vitensi* Felix de Turribus non inter Afros sed inter Sardos episcopos numeratur. *Observandum tamen est, Victorem nullam facere de Felice mentionem; ast hujus nomen reperitur inter* episcopos insulæ Sardiniæ *in* Notitia *Provinciarum et civitatum Africæ, quam primum in lucem dedit Sirmundus, et deinde Chiffletius subnexuit libro* IV. *Persecutionis Vandalicæ. Sane notitia hæc, omnium consensu, pretiosissimum est antiquitatis monumentum, attamen non constat illam a Victore scriptam. Conf. Patrologiam Mignianam* (14). *Cæterum ante Felicem laudantur in Catalogis S. Clemens; S.* Gavinus *circa annum* 98, *sed hunc Rota Romana definivit, martyrem duntaxat exstitisse, ut infra pluribus reddam; S.* Protus, *quem presbyterum fuisse tantum vidimus; Protagenes, quem Calaritanæ sedi adscribit Matthæjus; Gaudentius, sed Afris annumerandus; idem est de Samsucio, cui successor scribitur Felix* (15).

E

F

(1) Dizionario geogr. di Sardegna, tomo XV, p. 659 et seq. — (2) Ibid., p. 644 et seq. — (3) Matthæjus, p. 142. — (4) Ibid., p. 51. — (5) Ibid., p. 52. — (6) Dizionario, V° *Sassari*. confer. Orlendium, p 2602. — (7) Sard. sacr., p. 54 et seq. — (8) Ibidem. p. 55. — (9) Gerarchia della Santa Chiesa esposta per cura del cav. Gerolamo Petro. Roma 1851. — (10) Pag. 486. — (11) Sardinia sacra, p. 144. — (12) Metropolitanarum etc., p. 144. — (13) Sardinia sacr , p. 144. — (14) Tom. LVIII, col. 267 et col. 276. — (15) Sardinia sacr., p. 142-144.

AUCTORE B. B.

dein metropolitica,

9 *Facta aliquot post sæcula Turris metropolis est :* a quo *vero Pontifice, ait Cantelius* (1), affirmare non ausim : ante Gregorii VII ætatem id contigisse certum est. *Cujus quidem asserti nullam subdit rationem. Matthæjus aliud sentit, ubi de Constantino, post Felicem VI ordine episcopo Turritano :* Gregorius VII summus pontifex an. MLXXIII Capuæ moram trahens, eum (*Constantinum*) hujus sedis (*Turritanæ*) archiepiscopum renuntiavit, primusque est, de quo certo sciatur Metropolitæ titulo decoratum fuisse (2). *Canonicus Bima,* in sua Serie Chronologica *archiepiscoporum et episcoporum regni Sardiniæ, a Moronio laudata, id contigisse asserit illo quidem anno sed sub Simone, Constantini decessore, huncque proinde secundum Archiepiscopum Turritanum habet, teste præfato Moronio* (3). *Hoc igitur extra controversiam videtur, sedem Turritanam sæculo* XI *Metropolitico auctam honore, quæ denique medio sæculo* XV *Sassarim translata fuit.*

et sæc. XV *Sassarim translata.*

10 Cum Turritani cives, *ut est apud Cantelium* (4), et illius tractus incolæ, bellorum fessi incommodis, alio alii dilaberentur, multique Sassarim se reciperent, Dorgodorus, Turritanus archiepiscopus (*obiit circa finem sæculi* XIII) palatium ibi extruere ac sæpius habitare cœpit. Eo etiam sensim migrarunt et clerici et magistratus, donec anno MCCCCXLII Petrus Spanus (*archiepiscopus*) ab Eugenio IV impetravit, ut Turritana sedes illiusque jura omnia Sassarim transferrentur. Duplex tamen adjecta conditio est : una, ut metropolita Turritani nomen retineat; altera, ut statis diebus Turrim una cum clero se conferat sacraque peragat, ut illius basilicæ dignitati quoquomodo consulatur. *Anno uno aberrat Cantelius. Factus episcopus anno* 1422 *Spanus quidem est; verum Translatio sedis incidit in annum* 1441, *ut diserte habent Matthæjus* (5), *Salvator Vitalis, qui litteras Eugenii IV partim adscribit* (6), *Orlendius* (7), *Moroni* (8) *et Casalis in Dictionnario geographico* (9). *Hodie Turritanæ Metropoli subditæ sunt ecclesiæ suffraganeæ quatuor : Algariensis, Ampuriensis cum Templensi unita, Bisarchiensis et Bosanensis* (10).

Turritanis episcopis non sunt annumerandi nec S. Gavinus,

11 *Diximus Felicem primum esse antistitem, qui certo testimonio probatur Turribus sedisse; plures vero alios ante illum in Catalogis memorari, quos inter* S. Gavinum *et* S. Protum. *Et ille quidem venit ordine secundus, seu primus post S. Clementem;* S. Protus *proxime post* S. Gavinum, *ita tamen ut inter utrumque intercedat plus quam sesqui sæculum : cum hic signetur circa annum* CXVIII, *ille circa annum* CCXC (11); *intermedius nullus citatur nec apud Matthæjum nec apud Moronium. Unde efficitur manifeste alter alterius in passione Socius nec esse nec esse potuisse. An autem ex mente scriptorum, qui Catalogos texuerunt, intelligatur* S. Gavinus, *quo de agitur hac die, an alter, cujus fit memoria die* XXX *Maii, equidem non dixero. Sed parvi refert, cum neutrius episcopatus probetur ex antiquis documentis, imo contrarium efficiatur. Et primum quidem generatim notat Orlendius* (12) : Quamquam sedes episcopalis Turritana vetustissimæ sit originis... priscorum tamen ejus antistitum et nomina et monumenta sincera desiderantur. *Insuper* contra martyrologii Romani fidem, *ait Cantelius* (13), SS. Gabinum et Protum inter episcopos Turritanos numerant, quorum neuter episcopus fuisse perhibetur; ille ne sacerdos quidem. *Vidimus supra n.* 3 *in Martyrologio Rom. S.* Protum *diserte* presbyterum *et S.* Januarium *vocari* diaconum. *Et certe in actis nostris dicitur :* Miles Gavinus nobilissimus. Is cum deorum cultu probatissimus esset, commissos habuit a Barbaro præside sanctos Proptum et Januarium, ut arctissimis servaret custodiis. *Denique ab sanctis Martyribus, sub eorum passione conversus, proprio sanguine baptizatus est. Idem eruitur ex* Martyrio *S. Saturnini apud Mombritium, quod nostris actis antiquius censet Tillemontius* (14) *meliorisque notæ, nec tamen valde sincerum. Certavit S. Saturninus imperantibus Diocletiano et Maximiano, sub eodem Barbaro præside, qui* dum Christianos districte requireret, et repertos a suis ministris sibi præsentari præciperet; non defuerunt duo viri Christiano nomini inimici ac profanis idolis servientes, qui dicerent, Protum, Januarium et Gavinium in eodem municipio Christianos; quos sibi idem præses Barbarus ab officio jussit adduci. Cumque Protus, Januarius et Gavinus sancti martyres in conspectu ejus consisterent, ab eo requisiti, Jesu Christi filii Dei confessione deposita, martyrium consummarunt (15). *In his sane nihil est quod vel minimum indicet, quemquam illorum fuisse episcopum.*

prout etiam decrevit Rota Romana,

12 *Quo circa expunctum voluit* S. Gavinum (*de hoc solum agebatur*) *Rota Romana,* definiens, martyrem duntaxat fuisse (16). *Scilicet* postquam Rota coram bon. mem. Montmanno firmavit sub die 27 Novembris præteriti (*an.* 1637) in causa vertente super primatu insulæ et regni Sardiniæ inter archiepiscopum Calaritanum, Turritanum et Arborensem, sedem Calaritanam probari antiquiorem ex eo præcipuo fundamento, quod in concilio Arelatensi, celebrato de anno 314, intervenerit Quintius seu Quintianus præsul ecclesiæ Calaritanæ; archiepiscopus Turritanus ad elidendam hanc inevitabilem dicti concilii veritatem dedit articulos ad probandum per testes de publica voce et fama : primo, quod civitas Turritana, tamquam proxima Italiæ et urbi Romæ inter cæteras Sardiniæ, in ipso fere primordio nascentis ecclesiæ fuerit aspersa sanguine martyrum sub imperatoribus Trajano et Adriano, ac postea sub Diocletiano et aliis, eodemque tempore et antea habuerit episcopos; secundo, quod S. Gabinus, qui passus est martyrium sub Adriano fuerit episcopus Turritanus de anno 120 a Nativitate Domini, et sic quod de eo tempore ecclesia Turritana jam esset erecta in cathedralem; tertio, quod inter alios episcopos Turritanos de anno 300 fuerit unus nuncupatus Gaudentius.

(1) Metropolitanarum etc. p. 488. — (2) Matthæjus, Sardinia sacr., p. 146. — (3) Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica; verbo *Sassari*. Tom. LXI, p. 230. — (4) Metropolitanarum etc., p. 489—(5) Sardinia sacr., p. 162.—(6) Grævius, tom. ult., col. 33. — (7) Orbis sacer et profanus, p. 2653. — (8) Dizionario, ubi supra, p. 231. — (9) Dizionario tom. XV, p. 660. — (10) Gerarchia etc., p. XXII. — (11) Sardinia sacr., p. 142 et seq. — (12) Orbis sacer et profanus, tom. V, p. 2650. — (13) Metropolitanarum urbium historia, p. 488. — (14) Mémoires, tom. V. — (15) Mombritius, tom. II, fol. 248. — (16) Sard. sac. d. 143.

tius.

A tius. Quibus articulis per DD. consideratis, cum ageretur de probando facto supra annum millesimum quingentesimum ultra hominum memoriam et extra omnes terminos memorabiles, illos dixerunt non esse admittendos. Quia cum in omnibus martyrologiis SS. Gabinus et Crispulus inscribantur simpliciter martyres, et martyrologia sint satis exacta in ponendo qui fuerint episcopi et martyres, et qui martyres simpliciter; et scriptores gravissimi, qui collegerunt Vitas Sanctorum, non ausi sint scribere Vitas SS. Gabini et Crispuli (*Conf. n.* 1 *et* 2.); est signum evidens, quod nihil canonicum invenerunt, ultra id quod dicunt martyrologia antiqua (1). *Sequitur prolixa satis dissertatio de Martyrologiis antiquioribus classicisque, in quibus nuspiam præsul nominatur S. Gabinus. Et additur :* Ad hanc veritatem confirmandam plurimum facit, quod in martyrologiis modernioribus sub eadem die 3 Kal. Junii hoc est 30 Maii inscribitur S. Gabinus per eadem met verba de quibus supra, videlicet : Turribus in Sardinia, sanctorum martyrum Gabini et Crispuli. Sic in martyrologio
B ordinis Prædicatorum, sic in martyrologio Francisci Maurolyci, sic in martyrologio Galesinii *etc. Huc proinde recidit S. Rotæ sententia, nullatenus admittendam probationem ex fama petitam; sed standum claris Martyrologorum testimoniis. Atque ita causa cecidit Turritanus. Decisio data notatur :* Lunæ 14 Junii 1638.

nec probabilius etiam S. Protus.

13 *Nec multo validiora militant argumenta pro episcopali dignitate S.* Proto *tributa, qui in actis a Joanne Arca anno* 1598 *editis diserte* presbyter, *sicut et in martyrologio Romano appellatur. Certum præterea est sub secunda SS. Patronorum inventione* (*de qua dicemus* § *sequenti*) *facta anno* 1614 *a RR. DD. Manca de Cedrelles, archipræsule Turritano, hanc tantum repertam inscriptionem, haud parum quidem corrosam, sed ab hujusmodi rerum peritis sedulo et sollicite, petente archiepiscopo, restitutam :* Ossa beati Gavini et sociorum sancti Proti et sancti Januarii martyrum; *ita ut existimandum sit, viris illis nullum prorsus apparuisse sive apicis sive sigli vestigium, quo censeri posset indicari sanctum martyrem* Protum *episcopum fuisse.*
C *Teste Petro Martini* (2), refert Machinus, *archiepiscopus Calaritanus ab anno* 1621 *ad an.* 1640, *in sua Defensione Primatus archiep. Calarit., cap.* 18, egisse se contra archiepiscopum Sassarensem in sacra Congregatione Inquisitionis Romanæ de episcopatu S. Proti; sanctam vero Congregationem dedisse 12 Julii 1637 decretum, quo sancitur S. Martyrem depingendum cum insignibus presbyteratus tantum, standumque martyrologio Rom. *Nihilominus sub tertia inventione anno* 1848 (*de qua rursus infra*) *reperta est capsula reliquiarum sancti Martyris illius, his signata verbis :* S. PROTVS M. EPˢ, *quæ verisimilius mihi videtur, fuisse apposita post secundam inventionem anno* 1614. *Aliunde vero in Relatione facta de hac inventione a præfato archiepiscopo, dicitur* (3) : Intra cineres S. martyris et episcopi Proti, repertam ejus crucem pectoralem, quam gestare solebat. Erat autem crux cuprea; ex una parte ferens incisas effigies D. N. Jesu Christi, SS. Petri et Pauli et quatuor Evangelistarum; atque horum nomina græcis litteris inscripta; *ex altera parte cernebatur imago beatissimæ* Virginis hoc cum titulo : Mater Dei. Interius rubigini cupreæ immixti pulveres erant, ut videbatur, ex ligno S. Crucis et ex reliquiis SS. Apostolorum et Evangelistarum, quorum nomina Cruci cupreæ legebantur insculpta. *Non tamen putem, opinionem de præsulatu S.* Proti *tunc primum natam, quam sæculo* XVII *antiquiorem existimo, quamvis non satis fundatam, imo falsam : cæterum, ut liquide constabit ex processu tertiæ Inventionis, hodie S.* Protus *in ecclesia Turritana episcopus et martyr habetur, atque ut talis colitur.*

AUCTORE B. B.

14 *Acta SS.* Gavini, Proti *et* Januarii, *sicut et Historia* primæ Inventionis *SS. Corporum, quæ, decessorum nostrorum vestigiis insistentes, infra damus ex Joanne Arca, non videntur sæculis* XV *et* XVI *multo antiquiora, quibus floruerunt Antonius Cano et Salvator Alexius Salepusius, ambo archiepiscopi Turritani, quem utrumque testantur Fara et idem Joannes Arca scripsisse de SS. Martyribus nostris; et nos* E *quoque ad calcem Historiæ primæ Inventionis aliquid decerpemus ex Salepusii Homilia de ecclesiæ dedicatione et SS. Patronorum translatione. Alii fontes, ex quibus se hausisse significat Arca, sunt* Codex ms. ecclesiæ Turritanæ (*eumdem notat quoque Fara*) *et* magister Gribaldus (*Gazano scribit* Grimaldus); *hunc haud putem præfatos episcopos multum ætate præcedere; imo forte post eos vixit. Confer Gazanum* (4). *Utut est, ex hujusmodi fontibus, vago incertoque modo indicatis, non satis solide probata existimamus martyrii adjuncta, illa præsertim, quæ, ut in apocryphis assolet, prodigiosam eamque perpetuam divini Numinis exhibent præsentiam. Responsa et orationes Martyrum ad præsidem valde longa sunt, ut ex penu scriptoris deprompta, non vero ab ore sanctorum processisse appareant. Ast ipsum martyrium non facile quispiam in dubium vocaverit, spectata constanti et antiquissima ecclesiæ Turritanæ traditione, egregie firmata testimonio plurium Hieronymianorum martyrologiorum* (*de quibus n.* 3) *præsertim Antverpiensis, quod, ut supra loc. cit. monuimus, judice Sollerio* Scriptum F *fuit sub initium sæculi octavi. Sane antiquissimum omnium calculo est. Illud Rosweydus reperit in Carthusia Trevirensi; vocatur autem promiscue* Antverpiense, *quod in hac urbe magnam partem in laminis opera et industria Moreti incisum fuerit;* Epternacense, *quod eo loci scriptum; S.* Willebrordi, *quod sancto huic viro in usu* (5). *Quod si Epternaci ineunte sæculo* VIII *sit* scriptum, *per se patet ab antiquiori exemplari transsumptum fuisse. Unde efficitur quam alte ascendat certissimum illud de sanctorum Martyrum Turritanorum passione testimonium. Nec prætermittendum non nullam actis auctoritatem conciliari ex eo quod satis manifeste innuant non eodem die SS.* Protum *et* Januarium *consummasse martyrium, quo S.* Gavinus : *hoc enim diserte docent Hieronymiana n.* 3 *laudata, in quibus S.* Gavinus *signatur die* XXV, *ambo Socii die* XXVII *Octobris.*

Acta.

(1) Sac. Rotæ Romanæ Decisiones a Paulo Rubeo selectæ. Part. VIII, Decisio LX, p. 112. Venetiis, 1716. — (2) Storia eccles. di Sardegna, tom. I, p. 31. — (3) Il mese di Octobre, p. 83 et seq. — (4) Tom. I, p. 133 et seq. Conf. — (5) Conf. Florentinium, p. 32.

§ II.

AUCTORE B. B.

§ II. De prima et secunda Inventione reliquiarum SS. Gavini, Proti et Januarii. Prioris Inventionis historia multiplici ex capite suspecta; secunda Inventio facta est sæc. XVII sub episcopatu RR. DD. Mancæ de Cedrelles.

Primæ Inventionis historia

Celebres sunt apud Sardiniæ populos trinæ SS. martyrum Gavini, Proti *et* Januarii *seu inventiones seu recognitiones. Prima refertur ad iniens sæculum* VI, *sed perperam ut videbimus; altera sæculo* XVII *contigit, anno scilicet* 1614; *tertia denique nostris diebus, anno* 1848. *De singulis in specie dicendum, non ideo quod omnes eisdem veritatis et sinceritatis notis præfulgeant, sed quod a Sardis antiquioribus scriptoribus referantur et describantur atque longæva venerabilis ecclesiæ Turritanæ nitantur traditione, vel ea peractæ fuerint solemnitate, ut per se locum non infimum teneant in historia ecclesiastica illius insulæ. Primam edemus ad calcem hujus Commentarii ex Joannis Arcæ libello de* Sanctis Sardiniæ *qui scripsit sæculo* XVI, *testaturque se narrationem suam fideliter hausisse ex* Antiquis monumentis ipsius Turritanæ ecclesiæ manu scriptis atque impressis (1). *Satis proinde erit rem, prout gesta fertur, hic breviter seu per compendium exhibuisse. Circa annum æræ nostræ* 474 *Comita Judex, gravi et incurabili decumbebat morbo in Castro suo Ardara, novem leucis a Turribus dissito. Ad Sanctum confugit* Gavinum. *In somnis apparuit illi beatus Martyr, monens eum ut ocius surgens Portum Turritanum peteret, ibique in Monte, Agellus dicto, templum in sui sociorumque suorum* Proti *et* Januarii *memoriam ædificaret, quod ibi eorum reconditæ ignotæque jacerent reliquiæ. Dictis audiens pius princeps fuit, subitoque operi manum admovit; paucisque post annis exstructa cernebatur magnifica illa basilica, quam hodie adhuc videmus et admiramur, elapsis ab ædificatione sæculis omnino tredecim, quibus Sardinia non semel vastata fœdissime est a Vandalis, Sarracenis aliisque christiani nominis hostibus* (2. Hoc opere completo, de Sanctorum reliquiis sollicitatur Judex... Balai promontorium petit, *ingenti sacerdotum et populi stipatis multitudine. Post triduum orationi datum, cœlesti omine revelatur SS. Martyrum sepultura. Thure enim in ignem misso,* fumus non ad sublime fertur, ut solet levitate, sed in eam partem advolat recto cursu, qua Martyrum monumentum latebat. *Illuc itaque* hilares animo currunt; adhibiti fabri lapidem omnem versant, locusque nullus relinquitur intactus, donec antiquum reperiunt sepulchrum. Quod ubi primum patuit, trium corpora Martyrum odore suavissimo sese effundunt... Nullum corpore membrum, non unguis digitis, nec pilum capite excidisse videres... Tenebat medium locum Gavinus inter Socios duos; ex quo invaluit consuetudo, ut inter Prothum et Januarium armati equitis forma perpetuo depingatur (3). *Denique in novo templo reconduntur. Haud ita diu post mortuo Comitæ Judici, successit filius* Orgodorius, *seu* Torquitorius Gumnale, *paternæ virtutis et pietatis hæres, qui templum a patre extructum dedicari solemni pompa curavit* (4). Consecrata fuit die quarta Maii anni DXVII uti ex epigraphe super portam ecclesiæ posita apparet (5). *A Pontifice illius ævi* Cardinalis in Sardiniam est delegatus. *Venit cum eo Pisanus archiepiscopus.* Sanctorum corpora canonizata sunt publice in ea porta templi, quæ Orientem spectat. Ex quo nata est inde religio, ut semper occlusa manens, quibusdam solum annis pateat reserata, tali fere Sardorum concursu, qualis ad urbem Romam fieri solet, sacris expositis foribus (6). *Petierunt etiam a Cardinali legato,* ut ea usus facultate, quam a summo trahebat pontifice ad consecrationem ecclesiæ, ipsum idem templum indulgentiarum munere cumularet. *Petitioni lubens et copiose satisfecit legatus.* Aderant ad hanc consecrationem episcopi quindecim (7).

parum fida est;

16 *Atque hæc summa est narrationis de celeberrima apud Turritanos et* Sassaritanos *Inventione SS. corporum. Sed an fide digna? Audiamus ante omnia Gazanum. Duobus testimoniis præcipue nititur Arca et cum eo Vicus, ut sæculo VI ineunti adscribat basilicæ consecrationem; nempe codice manuscripto ecclesiæ Turritanæ, qui Sardis* condague *dicitur (qua voce communiter designantur codices Mss. antiqui ecclesiarum etc. lingua Sardoa scripti* (8)) *et inscriptione, quæ secundum unos in fronte basilicæ, secundum alios in interiori ejus parte legebatur,* hodie autem jam non apparet nec in uno in altero loco (9): Consecrata fuit ecclesia sancti Gavini de Turribus die 4 Maii. Anno Domini 517. *Porro hanc inscriptionem ipso anno consecrationis appositam fuisse, nemini sane in mentem venerit; nec aliunde antiqua probatur. Opinatur Gazano eam referendam ad annum* 1517, *ac proinde siglum Millesimum fuisse prætermissum,* ut etiam, *inquit* (10), hodie apud nonnullos assolet. *Non opus putem his diutius immorari. Quod codicem ms. seu* condagum *attinet, ipsum idioma Sardoum, quo conscriptus est, satis declarat, judice eodem Gazano, fœtum esse ætatis longe posterioris.* Lingua *inquit,* Sardoa, quæ in codice adhibetur, constat vocibus nonnullis antiquis sardicis, latinis, hispanicis et italicis; judicent hujus patriæ incolæ *quo tempore istiusmodi in usu cœperit esse idioma. Supponit præterea autor condagi insulam, dum ædificata ecclesia est, Romanis paruisse, dum certissime constat Vandalos eam ineunte sæculo* VI *occupasse. Hæc multis explicat ibidem Gazano, quem si libet, lege. Muratorius quoque asserit generatim* (11), nullam sibi ad manus esse historiam Sardiniæ et Corsicæ ab erudito quopiam scriptore concinnatam, quæ res antiquas earum insularum tabulis et vetustis monumentis egregie ut opus esset persequatur. *Sane post Muratorii obitum viri plures de historica re in Sardinia præclare meriti sunt; quos inter eminent P. Matthæjus, Gazano, Cambiagi, Manno, Petrus Martini, Alber-*

(1) Lib. II, p. 27. — (2) Ibidem. Conf. Il mese di Ottobre, p. 43 et 44. — (3) Arca, Ib., p. 23. — (4) Ibid. — (5) Sardinia sacra, p. 139. — (6) Arca, p. 26. — (7) Ibid. — (8) Grævius, vol. XV, col. 246. — Gazano, tom. I, p. 361, 365, 395. — (9) Gazano, ibid., p. 364. — (10) Ib., p. 365. — (11) Antiquitates medii ævi. Diss. 32, tom. II, col. 1076.

tus

A *tus de la Marmora, Goffredus Casalis, Victorius Angius; ast hi omnes vel silent de monumentis ab Arca et Vico laudatis, vel illa ut parum idonea ad fidem faciendam habent vel ut prorsus spuria et fictitia rejiciunt. Nec dissimulandum plura in utriusque narratione esse, quæ cum reliqua historia minime componi queant.*

nam Wandalis dominantibus, non potuit esse locus tali solemnitati;

17 *Atque imprimis saltem dubitare licet an ineunte sæculo* VI, *solemni adeo seu translationi seu consecrationi locus esse potuerit, cum illa tempestate Sardinia universa Wandalis, ariano infectis veneno, subdita gemeret. Nam inter omnes convenit Sardiniam sæculo* V *a Wandalis expugnatam devastatamque. Certant tantum scriptores de annis tum primæ irruptionis, tum omnimodæ occupationis; alii volunt eos irrupisse paulo post annum* 429, *quo barbari isti Africam obtinuerunt; alii primam invasionem annectunt anno* 462; *occupationem vero anno* 471; *alii denique alios ponunt numeros sed parum a præfatis diversos. Id certum anno* 484 *Sardiniam regni Wandalici septimam numerari provinciam. Dominatio hæc seu tyrannis perstitit integro fere sæculo, scilicet usque ad an-*

B *num* 534, *quo Belisarius, devictis prostratisque barbaris, insulam, regnante Justiniano, imperatoribus Orientis restituit. Quæ brevi compendio, pro re nostra, reddita, explicatissime traduntur in magno Dictionario geographico regni Sardiniæ* (1) *item in Moronio* (2) *aliisque tum vetustioribus tum recentioribus* (3). *Cum itaque cathedralis Turritana ædificari cœpit, si qua fides prolatis ab Arca et Vico monumentis est, circa annum* 474 *a Comita Judice Logudorensi, in quiete admonito ad id patrandum a S.* Gavino, *perfecta autem est a Dorgodorio, qui Comitæ successit, solemniter autem consecrata anno* 517 (4); *liquet hæc omnia adscribenda Wandalorum ætati, et quidem sub Trasamundo qui regnavit ab anno* 496 *ad an.* 523 *orthodoxis longe infensissimo* (5), *quem et* scelestissimum *jure merito dicit Matthæjus* (6). *Et Victor Tununensis in Chronico ad annum* 497 (7) : Guntamundo Vandalorum rege Carthagine mortuo, Thrasamundus regnat ann. 27 menses 4. Et hic, ariana insania plenus catholicos insectatur. Catholicorum ecclesias claudit, et in Sardiniam exsilio ex omni Africana ec-

C clesia 120 (*alii plures alii pauciores habent*) episcopos mittit. *Floruit Victor circa medium sæculi* VI. *Ejus chronicon magni fit apud eruditos omnes quod ad rerum gestarum veritatem spectat; ast in notis chronologicis deturpatum fuit, mendis probabilius amanuensium* (8). *De persecutione sub Transamundo mota confer Ruinartii commentarium in historiam Persecutionis Vandalicæ* (9). *Nemo sane facile sibi persuaserit tali sub tyrannide locum fuisse ædificandæ ecclesiæ adeo magnificæ ejusque tam solemni consecrationi.*

falsa insuper sunt quæ traduntur de Comita et Orgodorio Judicibus :

18 *Adde non probari quæ de Comita Judice ejusque successore Orgodorio Gumnali asseruntur.* Ante sæculum decimum, *inquit P. Mat-*

thæjus (10), fuisse in Sardinia Judices (*id est principes seu reges*) ex sancto Gregorio Magno et Anastasio Bibliothecario certissime constat. *Et re quidem vera ita ille lib. V. Ep.* 41. (11) *scribit ad Constantiam Augustam :* Dum in Sardinia insula multos esse gentilium cognovissem, eosque adhuc pravo gentilitatis more idolorum sacrificiis deservire .... unum illuc ex Italiæ episcopis misi *qui* rem mihi sacrilegam nuntiavit, quia hi, qui in ea idolis immolant JUDICI præmium persolvunt, ut eis hoc facere liceat. Quorum dum quidam baptizati essent et immolare jam idolis desivissent, adhuc ab eodem insulæ JUDICE etiam post baptismum, præmium illud exigitur, quod dare prius pro idolorum immolatione consueverant. *Hæc Gregorius, qui Romæ sedit ab anno* 590 *ad an.* 604. *Exstant etiam binæ epistolæ Leonis papæ IV* ad Judicem Sardiniæ *inscriptæ* (12). *Sedit Leo IV ab anno* 847 *ad annum* 855. *Anastasius pariter, in Nicolao I* (*papa ab an.* 858 *ad* 867) *ait* (13), *circiter an.* 865 *relatum illi fuisse de Sardinia,* quod Judices ipsius insulæ cum populo gubernationibus suis subjecto in proximis ac sanguinis sui propin- E quis incestas et illicitas contraherent copulas, velut temporibus domni Gregorii quarti papæ (*ab an.* 827 *vel* 828 *ad an.* 843 *vel* 844) facere consueverant. *Quapropter misit Nicolaus* strenuos *viros*, ut eamdem Sardorum gentem a tanto revocarent errore *etc. Unde Muratorius* : Quæ verba, *inquit* (14), evincunt vel tunc in Sardinia principes populi eosque christianos floruisse et eadem « Judicum » appellatione distinctos, quam in subsequentibus sæculis conservatam (*nempe sub Pisanorum et Arragonensium dominatione*) videmus; *ex quo concludere pronum est, Saracenos vivente Nicolao I, nondum Sardinia universa potitos* (15). *Sæculis itaque* VI *et* IX *fuerunt Judices qui Sardis præsessent. Sed putem ne vel unum nomine suo notum ex antiquo probabilique documento. Sunt mihi itaque valde suspecti ambo illi supra nominati, Comita et Orgodorius, qui longe recentiorem ætatem redolere videntur. Quam in rem est notandum, Pisanos, una cum Januensibus pulsis Saracenis, ante medium sæculum* XI *insulam sub suam redegisse potestatem.* (16) Expugnata Sardinia, illiusque nefario rege (*Saracenorum Mugeto*) Pisani tota insula potiti sunt, relicta Januensibus (*quibuscum postea non una vice bellum fuit*) præda, juxta id quod ex pacto inter se convenerant. Tum iidem Pisani hanc diviserunt in Dynastias, (quæ plerumque Judicatus *dicuntur*) : Calaritanam, Arborensem, Turritanam (*sive Logodurensem* (17)) et Galluriensem; et unicuique peculiaris datus est Judex, quem regem quoque vocatum fuisse, non est quamobrem in controversiam vertatur. *Hæc ita P. Matthæjus* (18), *qui alio loco illorum catalogos texit, hac tamen prævia cum monitione* (19) : Ego tantum non mihi assumo neque arrogo, ut existimem hanc Judicum

AUCTORE B. B.

F

(1) Dizonnario degli stati del re di Sardegna t. XIX bis p. 595 et seq. Torino, 1849. — (2) Moroni t. LXI, p. 119. Venetiis, 1853. — (3) Orlendius, Orbis sacer et profanus t. V, p. 2600 et seqq. — Matthæjus, Sardinia sacr., p. 3 et seqq. — Art de vérifier les dates p. 359 etc. *ubi* de regibus Wandalorum — Gazano, Storia di Sardegna, t. I, p. 229 et seqq. — Albert de la Marmora, Voyage en Sardaigne, t. I, p. 28. Paris et Turin, 1839. Etc. — (4) Conf. Sardinia sacr., p. 139. — (5) Art de vérifier les dates p. 359. — (6) Sardinia sacr., p. 46. — (7) Migne, Patr., t. LXVIII, col. 948. — (8) Ibid., col. 939. — (9) Ibid., t. LVII, col. 420 et seqq. — (10) Sardinia sacr., p. 24. — (11) Migne, Patr., t. LXXVII, col. 768. — (12) Ibid., tom. CXV, col. 673. — (13) Ibidem, tom. CXXVIII. col. 1383. — (14) Antiquitates medii ævi t. II, col. 1077. — (15) Conf. Moroni, Dizionario, t. LXI, p. 121. — (16) Ibid. Cfr. Orlendium, t. V, p. 2604. — (17) Moroni, p. 122. — (18) Sardinia sacr., p. 8. — (19) Ibid., p. 24.

seriem

AUCTORE B. B.

seriem integram omnibusque numeris absolutam futuram esse. Nam antiqua præfatæ insulæ historia (*illam intelligit quæ ad res sæculo* XI *gestas pertinet, multo itaque potiore jure id valet pro antiquioribus sæculis*) adeo implicata est, ut vel ispe Muratorius fassus sit sibi parum perspectam fuisse. *Certe quæ ad originem et initia Judicatuum spectant, intricatissima sunt; unde magna iter scriptores discordia, præsertim antiquiores. Nostris diebus quæstio magis elucidata est studiis virorum quos supra laudavimus. Hos inter Godefridus Casalis et Victorius Angius, opera usi prædecessorum suorum, præcipue eruditi Manni, multis de hoc argumento egerunt in Dictionario geographico-historico regni Sardiniæ; quod opus publicari cœptum anno* 1833, *absolutum fuit anno* 1856 *et constat tomis in* 8° *omnino viginti octo. Quæ ad insulam Sardiniæ generatim sumptam pertinent edita duobus integris sunt voluminibus, annis* 1851 *et* 1853.

licet enim obscura sit Judicatuum origo,

19 *De Judicatibus tractaturi, his ordiuntur verbis :* Paucæ notitiæ eæque obscuræ nec raro etiam incertæ ad nos pervenerunt in historiis vicinarum regionum, quibuscum Sardis aliquid rationis erat; item in diplomatis nonnullis seu chartis ecclesiarum et monasteriorum, atque in archivis Pisanorum et Januensium, ac denique in quibusdam Traditionibus, quas tamen promiscue posterioribus ævis sine sufficienti delectu scriptores adhibuerunt. Præcipua vera monumenta, quæ sane multa erant, sub barbarorum incursionibus perierunt; ita ut, si eruditus vir Bar. Manno facem tantis tenebris non intulisset, nobis de illa Sardoæ historiæ periodo vix quidquam licuisset discernere (1). *Et subjungit ibidem Casalis :* Historici Pisani, et post eos alii plures, prætenderunt, hanc regiminis formam primum a suis fuisse introductam, postquam insulam Saracenis erepuissent; et primos Judices viros patritios Pisis profectos. Sed haud ita pridem Bar. Mannus lib. VIII sub annis 847-54 solide demonstravit Judices in Sardinia exstitisse jam inde a sæculo IX; *imo etiam citius. Nam Angius, qui res ad historiam insulæ generalem spectantes scripsit, tradit, Sardiniam sui juris factam circa finem sæculi* VII, *probabilius paulo ante annum* 690, *opera Jaleti* (*Gialeto* (2)); *hunc autem Sardiniam quadrifariam partitum nempe in provincias vel Judicatus Pluminensem seu Calaritanum, Arboreensem, Logudorensem postea Turritanum, et Gallurensem; primum sibi reservasse, tribus aliis totidem suos præfecisse fratres* (3). *Ast quæritur an Jaletus primus Judicatuum illorum sit auctor reputandus ? Respondet Victorius Angius* (4) : Equidem existimo divisionem hanc priorem esse ætate Jaleti; arbitrorque sub Byzantinis imperatoribus præfatas provincias, tamquam partes præcipuas ditionis Sardicæ exstitisse, et earum singulas proprium suum habuisse administrum seu rectorem vel Judicem, dependentem tamen a præside totius SARDINIÆ, imperatoris vices gerente; hancque divisionem, utpote populo jam in more positam, a Jaleto conservatam. *Ex hac sententia Angii, Judicatuum institutio repetenda esset a tempore, quo Sardinia, ejectis Vandalis, in potestatem venit Orientis imperatorum; exinde tamen non, ut liquet, probatur Judices fuisse, dum Vandali insula potirentur; imo contrarium tenendum. Sane opinioni Angii favent loci, supra recitati ex Gregorio Magno et Anastasio Bibliothecario, sicut et epistolæ Leonis IV. Haud multum ab hac opinione recedit Albertus de la Marmora, cujus aliqua verba adscribimus :* Attente, *inquit* (5) consideratis Sardiniæ vicissitudinibus politicis ab ætate Justiniani usque ad Saracenicam invasionem, pronum est judicare insulam sæpe sæpius relictam fuisse rectorum seu præsidum arbitrio; hosque paulatim dominium obtinuisse in suam quosque regionem *seu Judicatum.*

recentior tamen est dominatione Wandalorum in Sardinia.

20 *Paulo minus concedit Gazano, originem judicatuum repetens a sæculo circiter* IX (6). *Et primum quidem ex diplomate Gonnarii regis seu judicis Turritani, dato anno* 1147 *atque recitato primum a Muratorio in Antiquitatibus medii ævi* (7), *infert Gazano* (8), *judices certo regnasse in Sardinia ineunte sæc.* XI : *dicitur enim in diplomate :* Ego Gonnarius divina dispensatione Turritanorum rex et dominus, vicesimo anno regni nostri Jerosolymam pergens ad loca sancta visenda *etc. Et infra confirmare se ait Gonnarius* quidquid gloriosæ memoriæ atavus meus Baraso rex, et Marianus avus noster, Constantinus etiam genitor noster *monasterio Cassinensi donarunt. Ex his efficitur, Gonnarium regnare cœpisse anno* 1127; *ejus atavum eadem dignitate fuisse insignitum; unde, judice Gazano, sequitur quatuor reges seu judices Gonnario præivisse nempe atavum Barasonem, abavum* (*hic prætermittitur in diplomate probabiliter, ait laudatus scriptor, quia nullam ille Cassinensibus fecerat donationem; at nonne pari ex conjectura dicere liceret eum, superstite patre suo Barasone, e vivis sublatum ?*) *Marianum et Constantinum, qui quatuor ex ordine unius sæculi spatio præesse potuerunt. Infra idem Gazano ex Anastasio,* scriptore, *inquit,* antiquo et coævo, *censet probatum comites seu judices exstitisse sæculo* IX. *Ex his satis eruitur, Comitam illum, cui ædificatio antiquæ basilicæ Turritanæ adscribitur, ejusque successorem Orgodorium longe probabilius fictitios esse; tum quod, ut supra monui, eorum nomina in nullo antiquitatis monumento satis idoneo reperiantur; tum quod tempore, quo contigit reliquiarum inventio et ecclesiæ consecratio, Sardinia Wandalico jugo oppressa et contrita jaceret.*

Sæculo XI *Judex nomine Comita reperitur,*

21 *In Catalogis P. Matthæji, de quibus supra mentionem fecimus, inter Turritanos* Judices *seu* reges, *ordine quartus recensetur* Comita I, designatus Judex anno MC, biennio post obiit sine filiis, inquit Vicus (9). *Anno MCCV alter occurrit Comita* (10). *Pariter reperio Catalogum in laudato Dictionario regni Sardiniæ* (11), *ubi sequentes ex antiquis documentis notantur Judices Turritani :* Marianus, 740? Petrus, 800? *Additum signum interrogationis satis indicat*

(1) Dizionario geog. tom. VIII. p. 66. verbo. *Giudicati.* — (2) Ibid., tom. XIX *bis,* p. 610. — (3) Ibid., p. 611. — (4) Ibid., vol. XVIII *ter,* pag. 33. — (5) Voyage en Sardaigne, p. 36. Paris et Turin, 1839. — (6) Storia della Sardegna, tom. I, p. 375. Cagliari, 1777. — (7) Tom. II, col. 1061. — (8) Tom. I, p. 366 et seq. — (9) Sardinia Sacra, p. 33. — (10) Ibid. p. 34. — (11) Tom. XVIII *ter*, p. 81, et seqq.

non

A *non constare de annis istis; sequuntur* Comita *et* Gulielmus XXIII, *forte circa et post annum* 990; *tum* Gonnarius *et* Comita I *ab anno* 1022, *et denique alter* Comita *post annum* 1205. *Supervacaneum foret ulterius hæc prosequi, cum liqueat, nullius Judicis, qui ineunte sæculo VI floruerit, nomen innotuisse. Cæterum in eodem Dictionario, legitur* (1) Comita post annum 1036 Gonnario successisse, qui, prout traditur ab antiquo scriptore Sardo, erexit et dotavit regia cum munificentia basilicam S. Gavini, hodie adhuc superstitem et reliquias in subterraneo sanctuario deposuisse. Crediderim potius ego Comitam hunc restaurasse ædem et ampliores contulisse census. Erectio namque basilicæ forte multum Comitæ regimen præcessit. *Dubitat itaque hoc loco compilator Dictionarii an sæculo* XI *ædificata ecclesia Turritana sit, quod tamen alibi diserte asseruerat paragrapho de* Portotorre (2) : Antiqua et primitiva Cathedralis ecclesia probabiliter assurgebat intra urbis Turritanæ ambitum; altera vero, ædificata post pulsos Sardinia Saracenos et in hunc usque diem spectanda, fundata dicitur a Comita
B Judice Logoduræ et Arboreæ, circa medium sæculi XI, stabat extra murorum ambitum, et vérosimiliter ipso in loco, quo corpus S. Gavini post passionem fuerat depositum. *Licet hæc, ut fit in hujusmodi compilationibus, non apprime sibi constent, tamen declarant ecclesiæ ædificationem nullo modo, ex mente scriptorum illorum, sæculo* V *et* VI *adscribi posse. Cæterum Papebrochius incidenter quæstionem hanc attingens in Actis S. Georgii episcopi Suellensis* (3), *monet esse, qui dicant ecclesiam, de qua agitur, annis octingentis post obitum sancti Martyris (Gavini) primum exstructam sæculo scilicet* XII. *Et Matthæjus verba eruditi decessoris nostri non videtur improbare, cum absque asterisco illa recitet* (4) *et aliunde historiam inventionis flocci faciat.*

cui adscribenda videtur basilicæ ædificatio.

22 *Cæterum idem ex professo tradit Petrus Martini* (5), *Vicum ignorantiæ insimulans, quod Turritanis proprios assignet judices sub dominatione Wandalica, et Romæ cardinales inveniat sæculo* VI. *Deinde Vico opponit Faram, quem merito historiæ Sardicæ parentem dixeris. Hic*
C *anno* 1580 *in lucem dedit librum primum* de rebus Sardois; *sed præterea alios tres conscripserat, anno demum* 1835 *typis mandatos cura et diligentia March. Augustini Lascaris di Ventimiglia et Ludovici Cibrarii* (6). *Scribit autem Fara lib.* II, *art. judic. Turrit., basilicam S.* Gavini *erectam magnifice a Comita Judice Turritano coætaneo Baldi judicis Gallurensis, hunc que bello captum fuisse a Georgia sorore Comitæ, femina masculæ virtutis. Aliunde docet idem Fara ibid, art. Jud. Galluræ, Baldum Manfredo successisse post medium sæculum* XI. *Liquet ex his Comitam judicatui Turritano præfuisse atque basilicam ædificasse præfatam eodem sæculo cadente. Concludit Martinius omne hodie hac de quæstione tolli dubium ex nuper editis Faræ libris, qui, ut habet Manno, vel meliora ad manus habuit documenta; vel si iisdem usus est, quibus Vicus, certe saniorem adhibuit crisim. Addit in ima pagina Martinius, tribus his niti Vicum : nempe inscriptione, qua ecclesiæ consecratio signatur anno* 517; *et altera rursus inscriptione in altaris lapide reperta :* Hoc altare consecratum est die 4 Maii 517; *denique Phiala vitrea, detecta sub eodem majori altari cum epigrammate : S.* Gavinus Turrensis in Ampulla Alba 517. *Est autem animadversione dignum, ut prosequitur Martinius, Mancum Cedrellium archiepiscopum, et Franciscum Bustelgam in sua utrumque relatione de inventione SS. Martyrum, impressa an.* 1615 (*Matriti et Barcinone*), *prorsus silere de utraque inscriptione, solum declarantes antiquitatem basilicæ probari ex traditione, et ex vetusto Codice. Phialæ Bastelga facit mentionem, non ita Cedrellius.*

AUCTORE B. B.

Num falsi arguenda historia inventionis,

23 *Sed alio ex capite historiam Inventionis oppugnat sæpius laudatus Matthæjus. Certe absque stomacho non potuit legere verba hæc :* Consistorio illis decreto, ut in rebus gravioribus Romana curia solet, cardinalis temporibus illis insignis, qui de primis seu Italiæ dicebatur, in Sardiniam est delegatus. *Nam exclamat* (7) : Quorsum tandem, Deus bone, cardinalis missus est ad Turritanam ecclesiam E
consecrandam? Numquid solemnitatem illam æque splendidam reddere nequibat aut Calaritanus archiepiscopus aut alter Sardiniæ præsul? Neminem natum id inficias iturum reor; quippe exploratæ fidei est, per ea tempora cardinales longe inferiores episcopis fuisse gradu... Pagius noster Præfat. in Breviarium pontif. num. 11 et seq. demonstrat sæc. VIII cardinalium dignitatem magnam fuisse et medio sæc. nono etiam superiorem episcopali. *Miror hæc a viro erudito et prudenti, qualem absque controversia sese in* Sardinia Sacra *generatim præbet P. Matthæjus, prolata. Sane alio modo de Cardinalibus loquuntur et digniora simulque veriora de illis sentiunt scriptores in ecclesia nobilissimi. Instar omnium sit Bellarminus :* De comparatione cardinalis cum episcopis, *ait* (8), fuse tractant... auctores, sed in hoc tamen omnes fere conveniunt, quod si consideremus potestatem ordinis, major sit episcopus presbytero vel diacono cardinali... Pari ratione si consideremus jurisdictionem in propriam ecclesiam, id est, episcopi in
F suam diœcesim et cardinalis in suum titulum aut diaconiam, major est episcopus cardinali presbytero vel diacono... At si consideremus regimen ecclesiæ universalis, major est cardinalis presbyter vel diaconus episcopo non cardinali. Nam episcopi simplices numquam adhibentur ad regimen universalis Ecclesiæ nisi rarissime... At cardinales fere quotidie præsto sunt Pontifici, neque ullum negotium majoris momenti sine eorum consilio peragitur. Et quia hinc fit, ut episcopi a cardinalibus, ut summi Pontificis cooperatoribus, judicentur, creentur, deponantur; non autem contra cardinales ab episcopis; propterea absolute cardinalis episcopum non cardinalem præcedit. *Cumque talis cardinalium seu presbyterii Romani jam inde ab Ecclesiæ incunabilis conditio fuerit, sequitur illos radicitus hac ratione episcopis dignitate superiores exsti-*

(1) Dizionario tom. XIX *bis*, p. 679. — (2) Tom. XV, p. 650. — (3) Acta SS. tom. III, Aprilis, p. 214. — (4) Sardinia sacra, p. 140. Nota. — (5) Storia eccl. di Sardegna, tom. I, p. 112. — (6) Ibid. præfatio, p. VIII (2). — (7) Sardinia sac., p. 139 (5). — (8) De Clericis, lib. I, cap. XVI.

tisse.

AUCTORE B. B.

tisse. Quocirca notat idem Bellarminus : In concilio Nicæno, in Ephesino, in Chalcedonensi, in sexta, septima et octava synodo generali, Romani presbyteri sederunt ante episcopos : *quod si objiciatur id factum, quia legati erant summorum pontificum ; respondemus, in causa nostra* cardinalem *seu* presbyterum Romanum *pariter* in Sardiniam *fuisse* delegatum; *ac proinde dignitatem mutuasse ab eo, cujus nomine et delegatione aderat.*

quod facta traditur a cardinali consecratio basilicæ?

24 *Addit autem Bellarminus de jure seu more ordinario primis sexcentis vel octingentis a fundata Ecclesia annis episcopos præcessisse cardinales :* Fateor tamen, *inquit,* olim episcopos quoscumque prælatos fuisse cardinalibus, imo etiam cardinalatum gradum fuisse ad episcopatum... Postea tamen mutatus est ordo et cœpti sunt cardinales episcopis præponi et episcopatus gradus esse ad cardinalatum. Cujus mutationis duplex ratio assignari potest. Una quod ad solos cardinales devoluta sit electio summi Pontificis... Altera caussa est, quod soli cardinales cœperint adesse summo Pontifici in consiliis : nam antea cardinales
B neque soli neque primarii consiliarii Pontificis erant; siquidem primis sexcentis vel octingentis annis, summi Pontifices ad graviora negotia Ecclesiæ dijudicanda cogebant concilia nationalia episcoporum Italiæ, quibus conciliis intererant quidem cardinales presbyteri, sed tamen primus locus episcoporum erat. Id cognosci potest ex tomis conciliorum, ubi plurima inveniuntur concilia Romana sive Lateranensia, celebrata ab anno Domini 300 ad 800. *Nec alterius opinionis fuit Pagius a P. Matthæjo in testem supra adhibitus. Ille enim cum retulisset, Anastasium cardinalem in concilio Romano anni* 853 fuisse per tres vocatum episcopos *ut responderet de criminibus quorum reus dicebatur, subdit* (1): Ex quo deduci posse mihi videtur, cardinales tunc patriarchis æquales extitisse; ideoque et eorum dignitatem ita fuisse sublimem et eminentem, ut licet episcopalis ordo sive gradus, uti sacramentalis est, superioritatem potestatis supra alios ordines sacerdotales habeat, administratione tamen, qua cardinales summo Pontifici in universa ecclesia regenda et in
C majoribus causis definiendis assistunt, eorum dignitas episcopali jam tunc fuerit superior et dignior, cum Anastasius licet tantum presbyter cardinalis, per tres tamen ad synodum fuerit vocatus episcopos, ut fieri solitum erat in judiciis patriarcharum... Dicendum igitur sæculo nono cardinales episcopis ad minus pares extitisse (2). *Atque ex his sufficienter liquet nihil obstare quominus sæculo* VI *missus a Pontifice sit in Sardiniam cardinalis, qui Turritanæ præesset consecrationi. Sed hæc cum, ex supra disputatis, non ad sæculum* VI *sed probabiliter ad sæculum* XI *vel* XII *referatur; funditus ruit difficultas a P. Matthæjo mota. Cæterum loquendi modus ab Arca adhibitus ætatem sæculo* VI *multo recentiorem utique prodit.*

Quid de indulgentiis sub

25 *Additur in historia Inventionis :* Præcibus legatus copiose satisfacit, concedens in omne futurum tempus ab Ecclesiæ thesauro, singulis anni diebus VI mil. CCCLX indulgentiarum annos et VI. mil. CCCLX quarantenas, quas duplicari voluit a Kal. Maii usque ad Kal. Junii, quo tempore recolitur illius dedicatio et consecratio templi; et a die 28 Octobris usque ad diem Omnium Sanctorum octavum, quibus diebus præcipue sanctorum Gavini, Prothi et Januarii memoria ac natalis tanta pietate recolitur, ut mensis Octobris Gavini nomine appelletur. *Animadvertit autem in hanc locum P. Matthæjus* (3) : Indulgentias vero quas vir bonus ait concessas fuisse occasione consecrationis ecclesiæ, cæcus est qui commentitias esse minime sentit. *Et re quidem vera tales indulgentiæ (non loquor de incredibili prorsus annorum numero) quales in dedicatione ecclesiæ supra memorantur, concessæ non ante sæculum* XI *vel* XII *probantur.* Indulgentiæ, *ait Eusebius Amort* (4), a sæculo I usque ad XII, consistebant in relaxatione cujusdam excommunicationis, aut certe solum in aliquali moderatione pœnitentiæ per confessarium et sacros canones injunctæ. *Et Papebrochius in Conatu chronico-historico* (5) : Hoc E quidem nemo dubitat... quin eas (*pœnas peccatis debitas*) ex thesauro meritorum Christi atque Sanctorum solvendi potestatem habuerit variisque modis exercuerit Ecclesia; sed quod eam potestatem sub ista exercuerit forma, in favorem quorumdam locorum piorum, a fidelibus juvandorum aut visitandorum, negamus exemplis ullis stabiliri posse, quæ sint sæculo XI antiquiora. *Et in notationibus marginalibus, ubi argumentationis summa proponitur* (6) : Indulgentiarum, quales ibi (*in tabula ecclesiæ SS. Silvestri et Martini*) notantur, usum esse sub ista formula, sæculo XI vetustiorem, nemo probabit; ipsam vero formulam vix ante sæculum XII. *Similiter etiam Mabillonius in præfatione ad sæculum* V *Benedictinum* (7). *Concordat Muratorius* (8) : Post annum quoque vulgaris æræ millesimum (fortassis et antea) cœperunt summi pontifices et episcopi, quoties solemnis aliqua templorum dedicatio fiebat, populis confluentibus pœnarum pœnitentialium partem, modicam tamen, remittere. *Et subjungit bullam Alexandri III, anni* 1177, *qua* omnibus, qui in F anniversario dedicationis (*ecclesiæ S. Mariæ de Caritate Venetiis*), vel tribus diebus ante, vel tribus post, eamdem... visitaverint, de pœnitentia sibi injuncta viginti dies... duximus indulgendos. *Denique audiamus Benedictum XIV de Syn. diæc. lib. XIII, cap.* XVIII, *n.* 8: *Cardinalis Thomasius, inquit,* postquam multa eruditione... demonstravit, quanta moderatione usi sint Romani pontifices in indulgentiis concedendis, quas scilicet paucorum plerumque annorum largiri solebant, sapienter concludit, incredibiles ac plane improbabiles esse concessiones indulgentiarum millenorum annorum; eoque magis quod assertæ concessiones plerumque ad ea tempora referantur, quibus maxime viguit præmemorata moderatio.

consecratione concessis?

(1) Breviarium Pontificum Rom., tom. I, p. XIV. Venetiis, 1730. — (2) Conf. Moroni, Dizionario, tom. IX, p. 278. Item Macri Hierolexicon, tom. I, p. 200. Bononiæ, 1765. — (3) Sardinia sac., p. 139 (5). — (4) Historia Indulgentiarum, p. 25. Venetiis, 1738. — (5) Acta SS. Propylæium Maii p.* 133. — (6) Ibid., p.* 132. — (7) Acta SS. Ord. S. Ben., tom. VII, Præf., n. 107 et seq. — (8) Antiquitates medii ævi, tom. V, col. 762.

26 Post

AUCTORE B. B.

Quatenus admitti possit historia primæ Inventionis.

26 *Post hæc omnia nemo non assentietur sequentibus P. Matthæji verbis :* Hæc cum ita se habeant, vehementer suspicor, falsum esse, sancti Gavini ecclesiam constructam sæculo æræ vulgaris quinto et anno DXVII consecratam fuisse; tametsi, referente Vico, sequens super ipsius portam legatur inscriptio : Consecrata fuit ecclesia sancti Gavini de Turribus die IV Maii anno Domini DXVII. *Quod si admittamus ecclesiam præfatam sæculo* XI *exeunte constructam, ineunte vero sequenti consecratam (quod mihi haud improbabile sane est); consequens erit, hac ex parte historiam primæ inventionis gravi errore maculari; cumque ejus fides aliunde etiam infringatur haud leviter, puta ex concessis indulgentiis; et denique tota narratio documentis nitatur sive recentioris ætatis, sive nullius vel suspectæ saltem fidei; concludamus oportet, illam multiplices præ se ferre notas suppositionis. Nec tamen negaverim Inventionem reliquiarum contigisse sæculo* XI *circiter, atque tunc temporis ædificatam consecratamque Turribus ecclesiam S.* Gavini, *et eatenus admitti posse Arcæ narrationem;*
B *ast quo ad varia rerum adjuncta attinet, non ausim fidere. Hactenus de prima Inventione.*

Secunda Inventio

27 *Secunda Inventio contigit anno* 1614 *sub episcopatu Gavini I Mancæ de Cedrelles, qui postea typis edidit* relationem, *qua rerum gestarum sub hac Inventione series exhibetur et explicatur. Hujus relationis meminit titulumque adscribit Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana nova* (1) *et excusam asserit relationem anno* 1615, *quem eumdem ponit P. Matthæjus* (2). *Ast annus præcedens scilicet* 1614 *assignatur tum Inventioni tum editæ Relationi in processu tertiæ recognitionis, de qua pluribus erit infra quæstio. Libellum reverendissimi præsulis Mancæ ad manus non habeo. Sed pars ejus præcipua reperitur in opusculo italico, ante septennium typis Taurinensibus vulgato, cui titulus :* Mensis Octobris SS. MM. Turritanis Gavino, Proto et Januario sacer (3). *Aliunde, nempe ex processu tertiæ Inventionis seu recognitionis, novimus relationem DD. Mancæ ex hispanico in italicum fuisse versum a R. D. canonico Turritano Joanne Scarpa, præloque Sassaritano subjectum anno* 1846, *quando RR. DD. Alexander*
C *Varesini archiepiscopus sese accingebat investigandis SS. Patronorum ecclesiæ suæ reliquiis. Quare nullus dubito quin ex hac versione desumpta sint, quæ in præfato opusculo spectant ad secundam Inventionem. Nec prætermittendum R. D. canonicum Scarpam, utpote delegatum RR. DD. Archipræsulis, plurimam contulisse operam recognoscendis anno* 1848 *iisdem sacris pignoribus. Haud itaque minor adhibenda fides laudato opusculo quam ipsi DD. Mancæ relationi. His præmissis, secundam Inventionem explicemus.*

facta anno 1614.

28 *Ineunte sæculo* XVII (4) *dignatus Dominus est multis prodigiis sepulcrum SS. Martyrum Turritanorum illustrare. Unde populi reverentia et fiducia in SS. Patronos mirifice crevere. Innumera ferebantur beneficia eorum pia intercessione cœlitus collata. Viri fide digni nec vanis facile deludendi imaginibus, asserebant se plures per noctes ecclesiam magna luce coruscantem vidisse, dulcisonos audivisse concentus, suavissimi odoris percepisse fragrantiam. Insuper ferebatur S.* Gavinus, *in habitu militari, vultuque blando pluries apparuisse, præsentem conferens opem, majoraque in futurum promittens. His omnibus animatus RR. DD. Mança de Cedrelles archiepiscopus Turritanus, perpensisque tot ac tantis prodigiis, maturam post deliberationem statuit anno* 1614 *reliquias recognescere atque solemniter elevare.* Feci (*verba sunt R. præsulis Mancæ* (5)) effodere terram circum altare majus, ubi ab immemorabili tempore stabant tres columnæ marmoreæ, altitudinem hominis habentes, quas venerari solebant fideles piis osculis. Eratque fama eo loci reconditum latere sacrum thesaurum, cujus indicium præberent dictæ columnæ. Moto paululum solo, apparuere vestigia capellæ seu oratorii subterranei, quales in antiquitatibus christianis describuntur Confessiones seu Memoriæ martyrum. Erat porro præfatum oratorium terra grandibusque lapidibus obrutum, quæ ante omnia fuere semo- E
venda. Supra assurgebat altare majus, instructum marmorea tabula, decem palmorum in quadro, alta uno palmo. Hac sublata, paulo profundius inventum est primum sepulchrum quod altari cryptæ seu ecclesiæ subterraneæ incumbens, suppositum jacebat majori altari. Erat sepulchrum illud speciosum et magnificum, forma semicirculata, longum palmos novem, latum tres; intus opere mussivo haud spernendo exhibebantur flores aliique id genus ornatus, quos inter columbæ duæ totidemque agni, atque in medio juvenis pulchro aspectu humeris gestans agnum. Quo visu, omnes suavi lætitiæ perfundebantur sensu idque multo magis quando reperta est capsula marmorea præclari operis, longa duos palmos lata circiter unum. Capsulæ ornatus iidem fere erant, qui in tribus prioribus basilicæ columnis, in quibus columbæ et cruces cernuntur. In media fronte capsulæ legebatur sequens inscriptio : O. B. GAII... S. ROTI... S. IAIV. Quos apices, habita etiam ratione aliorum non satis distincte jam apparentium, viri nonnulli ex societate Jesu, antiquitatum christianarum F
periti, sic legendos censuerunt : OSSA BEATI GAVINI ET SOCIORUM SANCTI PROTI ET S. JANUARII MARTYRUM. Suscepta capsula cum sanctis reliquiis est ea, qua decebat, reverentia et veneratione. Dein, prout cœperant, purgarunt ruderibus cryptam, cujus stratum seu pavementum pretioso porphyreticoque marmore nitebat. *Hactenus verba RR. præsulis Mancæ de Cedrelles. Addit auctor opusculi* (6), *spatium altari majori subjacens duodecim habuisse sepulchra, ita inter se disposita et ordinata, ut loculamenta diceres unius ejusdemque reliquiarii vel potius sepulturæ. Deinde signantur præcipua SS. pignora ibi reperta; ac denique memorantur* (7) *multa beneficia sanationum etc. cœlitus nec sine prodigio collata, quorum nonnulla in specie redduntur. Plura non dicam de*

(1) Tom. II, p. 359 : Relacion de la Invencion de los Cuerpos de los SS. MM. Gabino, Proto y Januario, patrones de la Iglesia Turritana de Sacer (Sassari) en Sardeña, y de otros que se hallaron en el año de MDCXIV. Matriti apud Ludovicum Sanchez, 1615. — (2) Sardinia Sacr., p. 168. — (3) Il mese di ottobre consecrato alle glorie dei santi Gavino, Proto e Gianuario, martiri Torritani. Torino, 1853. — (4) Ibid., p. 57 et seq. — (5) Ibid., p. 62. — (6) Ibid., p. 68. — (7) Ibid., p. 88, 93, 97 etc.

AUCTORE B. B.

hac inventione, tum quia, ut monui, deest mihi Relatio RR. DD. Mancæ; tum quia ex paragrapho seq., ubi de tertia Inventione agemus, multa ad secundam pertinentia elucidabuntur. Cæterum quæ supra recitavimus, præcipuam hujus partem exhibent, ipsam nempe SS. Corporum Inventionem, locique, quo recondita quiescebant, descriptionem. Non putem ullas repertas in sepulcro chartas vel schedulas seu cartellos, quibus declaretur quando et a quo prima ibidem sacrorum pignorum facta sit depositio. Equidem nihil tale in documentis nostris reperio. Infra n. 34 *recitantur inscriptiones, certo a RR. Mança appositæ, ut liquet ex hispanico idiomate. Idem puto dicendum de latinis, saltem pluribus. Conf. n.* 13.

§ III. De tertia Inventione seu recognitione facta anno 1848. Quo ordine res gestæ sint describitur ex Processu, a S. Congregatione Rom. probato. De cultu SS. Gavini, Proti et Januarii in Sardinia.

B

Tertia Inventio ex Processu, probato a S. Congregatione.

Anno currentis sæculi quadragesimo octavo, inventæ seu recognitæ tertia vice fuerunt reliquiæ SS. Martyrum a RR. DD. Alexandro Dominico Varesini, archiepiscopo Turritano, primate Sardiniæ, qui ipse dignatus est anno 1856 *instrumentum seu processum cum hagiographis communicare. Quem priusquam exhibeamus, adscribendum hic est decretum S. Congregationis Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum hac super re datum, atque ab eodem RR. Præsule nobis submissum, estque hujusmodi :* Turritanum Decretum. Quamvis in tota Sardiniæ ditione ac præsertim in Turritana provincia singularis semper effulserit Christi fidelium devotio erga patronos suos, sanctos scilicet Gavinum, Prothum, ac Januarium, quorum corpora, sicut ecclesiastica monumenta testantur, a Christianis incolis in ecclesia eorum nomine consecrata, collocata fuerunt; id unum tantum supererat ad

C

eamdem fidelium in ipsos Martyres religionem augendam, quod nempe ex incerto ejusdem ecclesiæ loco præfatorum sanctorum Martyrum sacra lipsana invenirentur. Modernus itaque Turritanus antistes R. P. D. Alexander Dominicus Varesini, quod erat in votis feliciter absolvit; vertente enim anno salutis millesimo octingentesimo quadragesimo octavo, effossis loculis sub inferioris sacelli altare, quod exstat in insigni ac pervetusta Turritana basilica eisdem sanctis Martyribus dicata, ac servatis omnibus rite servandis juxta præscripta tum a Sacra Tridentina synodo, tum a Decretis hujus Sacræ Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregationis, eorumdem Sanctorum Corpora proprio uniuscujusque nomine distincta invenit, eaque inventa authentice recognovit, prout ex authentico Processu huic Sacræ Congregationi exhibito satis superque colligitur. Quapropter eadem Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita præmemoratum Processum approbavit, atque in Actis ejusdem Sacræ Congregationis referri mandavit. Datum Romæ ex Secretaria præfatæ Sacræ Congregationis die 28 Novembris anno 1855. J. Card. Asquinius Præfectus. A. Archipr. Primivalli Substitutus.

D

Die XXIV *Martii* 1848 *R. D. Joan. Scarpa delegatus invisit et recognoscit ecclesiam subterraneam;*

30 *Processus conscriptus lingua italica est, atque diligentissime accuratissimeque confectus, quo non solum quid singulis diebus, per quos facta et celebrata recognitio, sed etiam quid certis cujusque diei horis sit actum minutatim notatur. Quoniam vero prolixus valde est, partes tantum præcipuas in extenso recitabimus, cætera summatim reddituri. Incipit Processus ab iis quæ gesta sunt* die XXIV Martii anni 1848, in S. Gavini basilica Turritana. Cum infrascripti R. D. Joannes Scarpa canonicus primatialis ecclesiæ Turritanæ, una cum Cancellario, de mandato voce eis dato per RR. DD. Alexandrum Dominicum Varesini, archiepiscopum Turritanum, Metropolitanum ac primatem Sardiniæ et Corsicæ etc. se contulissent in basilicam SS. martyrum Turritanorum Gavini, Proti et Januarii, ut aperirent portam ligneorum cancellorum, in oratorio subterraneo ejusdem ecclesiæ existentium;

E

quæ porta fuerat die VII Maii 1847 a præfato canonico Scarpa, tamquam delegato a supradicto Prælato, clausa, adhibita hunc in finem nova clave, quam fecerat faber Gavinus Dessena, qui etiam ipse præfato die obseravit dictam portam coram ambobus viceparochis DD. Joanne Sanna et Paulo Pinto, et sacrista majore D. Ludovico Arru nec non et beneficiariis DD. Joanne Contini, Gavino Sechi, Antonio Mundula, Joanne Loriga et Josepho Piana; quam statim clavim, præsentibus omnibus supradictis viris, recepit idem D. canonicus Scarpa; qui hac die (24 *Mart.*) mane, præsentibus supra laudatis Cancellario, beneficiariis, duobus viceparochis, sacrista majore et fabro, Gavino Dessena, cui, videntibus omnibus præfatis, idem D. canonicus Scarpa, antequam aperiret portam, de qua supra, obtulit clavim ab illo factam, cujusque ope obseraverat dictam portam, rogans eum, an agnosceret clavim oblatam; qui considerata recognitaque clavi, respondit : eam indubie esse clavim ipsam, quam fecerat ad finem

F

prædictum et jussu præfati D. can. Scarpa; quamque nuspiam deinceps viderat; quæ proinde non alias umquam a quovis illi fuerat exhibita, sicut nec ulli alteri ex præsentibus supradictis beneficiariis, viceparochis, et sacrista majore. Itaque idem D. can. Scarpa illam, spectantibus omnibus supramemoratis viris, tradidit fabro, ut aperiret portam præfatam, quam et reapse aperuit. Quum itaque processissent ambo illi simul cum omnibus prænominatis, primum inspexerunt omnia sigilla cum ligaminibus suis albis apposita cancellis ferreis sanctuarii, ceræ hispanicæ rubri coloris impressa cum signo gentilitio ejusdem RR. DD. Archiepiscopi; quæ sigilla cum attente considerassent et recognovissent adhibito quatuor candelarum cerearum lumine, et præterea contulissent cum ipso signo quod manu tenebat cancellarius infrascriptus, compererunt eadem omnino esse sigilla, quæ dicto die apposita fuerant, atque ita conservata, ut a die quo impressio facta fuerat, ne vel minimam subiissent mutationem vel

A vel deformationem. Atque de his fidem certam indubitatamque faciunt omnes viri, quorum supra habetur mentio. Quia vero consueverant ex urbe Sassaritana singulis per quadragesimam hebdommadis ad hanc basilicam venire terna sodalitia, nempe Philippinorum, Bainginorum (*id est S. Gavini. conf. infra n.* 46 *ad finem*) et Servorum B. Mariæ, ut unaquæque ibi de noctu oraret; assignatum eis hoc anno fuit oratorium, non vero sanctuarium, quod, ut dictum est, sigillis munitum fuerat. Atque ut omnis vel levissimæ suspicionis tolleretur occasio, idem Cancellarius, de mandato D. Delegati et coram omnibus supra nominatis viris, apposuit cancellato ferreo portæque mediæ sigilla tria ex cera hispanica rubra cum ligamine item rubro, adhibito eodem signo minori ejusdem præfati Archiepiscopi. Quo facto, protinus et in conspectu omnium occlusa a prædicto fabro Dassena fuit porta cancellati lignei, per quam ingressus patet ad oratorium subterraneum; clavem vero de manu fabri recepit idem canonicus Scarpa delegatus, quam dein ipse, cunctis
B infrascriptis adstantibus, tradidit præfatis duobus viceparochis et sacristæ majori, hac certa lege, ut, cum præsto ad orationem, nullam vero alteram ob causam, adesset congregatio Philippinorum et confraternitas Bainginorum sicut et Servorum B. Mariæ, porta ista aperiretur, et facta oratione obseraretur ab iisdem viceparochis et sacrista majore. Quod quidem onus isti libenter suscipientes, spoponderunt reos se futuros, si quid præter hæc fieret. Quare rogatus præsens actus est omnium præfatorum manu firmatus. (*Erat signatum*) : Can. Scarpa delegatus. Benef^us^ Josephus Piana. Ben. Gavinus Sechi. Ben. Joannes Contini. Ben. Joannes Loriga. Ben. Antonius Mundula. Sac. Joannes Maria Sanna viceparoch. Paulus Pintus pro parocho maj. Sac. Ludovicus Arru. Gavinus Dessena. Didacus Casu Serra. Cancel. Archiep.

die XII *Maii fit relatio tum eorum quæ ante hunc diem ad præparandam inventionem*

31 *Atque his initium datum est SS. Reliquiarum recognitioni. Die* XII *Maii ejusdem anni* 1848 *confecta et signata fuit Relatio, quam partim adscribimus, latinitate pariter a nobis donatam. Primum dicitur RR. DD. archiepiscopus Alex.*
C *Dom. Varesini jam pridem cogitasse serio de suscipienda tertia recognitione seu inventione SS. Reliquiarum; atque idcirco sollicite conquisiisse notitias et documenta tam typis edita quam manuscripta, quibus antiqua declarabatur traditio, præcipue vero Relationem de secunda inventione facta anno* 1614 *sub archiepiscopo Turritano Gavino Mança de Cedrelles, quam Relationem hispanico idiomate impressam Matriti præfato anno, (alii dicunt sequenti anno, conf. n.* 27), *italice reddiderat D. canonicus Joannes Scarpa et prælo subjecerat Sassari anno* 1846. *Auditis præterea senioribus probisque viris circumjectæ regionis, invocato lumine cœlesti et confisus patrocinio SS. Martyrum, delegavit eumdem D. Can. Scarpa, qui ad basilicam Turritanam se conferret et de reliquiarum sede inquireret. Cœpit itaque ille subterraneam ecclesiam explorare. Et vero primum comperit nullas uspiam exstare Inscriptiones. Tum dimovit tegulas sive marmoreas sive lapideas pavimenti; ac tandem pervenit ad quamdam fornicem. Quæ omnia peracta fuerunt antemeridianis ejusdem diei horis, præsentibus D. viceparocho Joanne Maria Sanna et sacrista majore Ludovico Arru. His de rebus monitus RR. DD. Archiepiscopus venit ad basilicam, ubi* visis diligenterque examinatis, quæ a suo Delegato facta hactenus fuerant, attentaque ipsius loci natura, facile percepit altare, ad instar primævarum ecclesiarum et præsertim omnium matris Ecclesiæ, erectum esse supra sepulchrum SS. Martyrum. Jussit itaque altaris demoveri tabulam seu lapidem sacrum, rogavitque D. Paulum Duce, constructionum operumque publicorum præfectum (*ingegnere nel genio civile*), ut ad basilicam veniret una cum R. D. Aloysio Sclavo RR. DD. Archiepiscopi secretario (*segretario di confidenza*), atque inspectis operibus et loco, suam de præfata fornice proferret sententiam. Asseruit D. Paulus adesse revera fornicem, in quantnm nempe fas esset judicare ex inspecta parte exteriori (*quæ sola patebat oculis*); nec proinde se dicendo esse, quid intus lateret, cum illud explorare non daretur. *Tum rursus delegavit RR. DD. Archiepiscopus eumdem D. Can. Scarpa, ut intacta remanente fornice nec amoto altari* (*altarino*) tolleret sup- E
pedaneum, *ut scilicet cerneretur quousque fornix sese extenderet. Quod tamen dilatum fuit in sequentis anni* 1847 *diem* 5 *Martii;* responditque labor votis tum delegantis tum delegati. Hic vero, jussu RR. DD. Archiepiscopi, clavi obseravit portam cancellati ferrei, quæ est ad dexteram ingredientis sanctuarium. Cum tamen existat ad latus sinistrum altera porta (hæc clausa erat nec poterat clavis inveniri), ad majorem cautelam *novem in totidem distinctis cancellati ferrei locis addita sunt sigilla et insuper alia duo foraminibus utriusque seræ.* Continuo D. Can. Scarpa vocavit Gavinum Dassena, fabrum Sassaritanum, quem jusserat conficere clavim ad obserandum cancellos ligneos, quibus clauditur Area seu Oratorium quod est ante Sanctuarium; mandavitque ut illos occluderet. Quod cum ille fecissit, confestim clavem tradidit eidem canonico Delegato, qui eam apud se servavit usque ad diem vigesimam quartam Martii proxime elapsi. Quo die acta sunt quæ memorantur in Instrumento recitato supra.

tum quæ ipso hoc die suscepta fuerant;

32 *Die* XII *Maii* 1848 *RR. DD. Archiepiscopus cum D. Baron. Camossi urbis Sassaritanæ prætore* (*Governatore della citta capo di Sassari e Logoduro*), *Vincentio Achenza aliisque viris primariis plurimis, qui omnes nominantur, convenerunt in vico Porto Torres, et ingressi basilicam, accensis duodecim luminaribus cereis, descenderunt in ecclesiam subterraneam. Et primum recognita diligenter est clavis, de qua in Instrumento* 24 *Martii* 1848. *Fidem dein dederunt ambo DD. viceparochi, se nemini reserasse portam cancellati lignei, nisi advenientibus prædictis Sodalitatibus ad orationem nocturnam, prout fuerat cautum. Patefacto ligneo cancellato processerunt omnes ad ferreum, quo præcluditur sanctuarium; inspecta et integra reperta sunt sigilla. Aperta tunc porta, ingressi sunt sanctuarium; quæsitumque fuit a præfato Paulo Duce operum publicorum præfecto, et ab Angelo Maria Pirotto architecto, an fornix, quatenus ex parte externa, quæ sola detecta erat, liceret conjicere, esset opus antiquum; an terra eo loci fuisset aliquando mota, et an ab uno alterove*

AUCTORE B. B.

alterove anno pars illa fabricæ videretur innovata aut restaurata. Dixerunt illi se scripto ad quæsita responsuros et quidem seorsum alterum ab altero. Posthæc mandavit, RR. DD. Archiepiscopus D. canonico Scarpa, ut denuo foderet circum fornicem, ita tamen ut intactus relinqueretur murus; ad se autem referret de suscepti laboris successu. Et obseratis utriusque cancellati portis, discessum ab omnibus est. Atque hæc sunt capita Relationis datæ die 12 *Maii* 1848 *et signatæ a RR. DD. Archiepiscopo, a Bar. Camossi prætore, Vincentio Achenza syndico et Joan. Rugiu decano. Sequenti die id est* 13 *Maii, præfatus Paulus Duce scripto, ut promiserat, testatur, descendisse se una cum Bar. Camossi aliisque viris primariis in* Capellam, quæ est sub *altari majori basilicæ; et declarat,* post accuratam diligentemque investigationem, comperisse, partem fornicis patefactam, certas præ se ferre aliqualis antiquitatis notas, (*attesta una qualche antichità*) nec ullum extare indicium suscepti recenter cujusvis operis aut restaurationis, *excepta effossione de qua supra fuit mentio. Die vero* 17 *ejusdem*

B *mensis Maii, eadem, verbis non nihil mutatis, declaravit Joannes Maria Pirotto, architectus.*

die VIII *Junii aperitur sepulchrum;*

33 *Die* 8 *Junii* 1848. *Rediit RR. DD. Archiepiscopus ad basilicam, auditoque sacro et ingressus cum aliis ecclesiam subterraneam, comperit solum, prout mandaverat D. canonico delegato Scarpa, eruderatum fuisse circum fornicem, ita ut hujus fundamenta paterent, quin muri vel alia pars ulla fuisset læsa, ut constaret nec manum nec instrumentum quodvis in fornicis penetrale potuisse intromitti. Posthæc jussit Archipræsul perrumpere muros; amotisque ruderibus purgatoque loco, sub fornice deprehensa est urna seu sepulcrum, de quo plura numero sequenti. Præterea nihil hac die susceptum; sed clausis obsignatisque diligenter cancellis ferreis sanctuarii ad sua quisque rediit.*

die X *Junii extractæ et recognitæ reliquiæ SS. Patronornm*

34 *Die* 10 *Junii* 1848. *RR. DD. Varesini archiepiscopus una cum RR. DD. Raphaele Arduino, episcopo Algherensi adierunt basilicam SS. Martyrum, in qua uterque primum sacris sunt operati. Dein hora octava matutina archiepiscopus in pontificali ornatu inchoavit hymnum* Veni Creator; *quo absoluto, sub Litaniarum*

C *majorum cantu ad oratorium subterraneum, quod est ante sanctuarium, processit, comitantibus RR. DD. Arduino episcopo, Capitulo Turritano etc., sequentibus Bar. Joanne Camossi aliisque viris primariis haud paucis. Mandavit Archipræsul assessori et cancellario ut attente considerarent sigilla ferreis cancellis impressa; quæ cum tam ab his duobus quam ab aliis omnibus circumstantibus reperta fuissent integra atque intacta, cancellati porta est aperta, et accensis magno numero faculis cereisque ingressi sunt sanctuarium; ac inspecto fornicis penetrali compererunt adesse ibi revera confessionem seu sepulcrum SS. Martyrum. Sublevari itaque jussit Archiepiscopus lapidem ex marmore albo sepulcri seu* Urnæ, *qui spectanti primus erat et in cujus medio signata erat littera S. Urna vero* (*ut illico apparuit*) *quindecim*

* *id est ex hispanico latine* reliquiæ primæ ampullæ vitreæ.

** Redoma *non* Rodoma

continebat capsulas plumbeas laminis item plumbeis instructas, quarum singulæ singulas propriasque ferebant inscriptiones. In lamina primæ capsulæ legebatur sequens inscriptio : *RELIQVIAS DE LA 2ª RODOMA**; in lamina secundæ capsulæ: *RELIQVIAS DE LA Pª RODOMA DONDE SE ALLO LA ESPINOLA DE PLATA.; in tertia : S. INCOGNIT'.; in quarta pariter : S. INCOGNIT'. Hæ quatuor capsulæ erant ad cornu Epistolæ. Ad cornu vero Evangelii, in prima lamina et capsula legebatur : S. INCOGNIT'. ; in secunda : B'. COMITA REX; tertiæ et quartæ capsulæ erat una tantum lamina, cujus inscriptio duobus constabat versiculis; prioris initium erat : *RELIQVIAS, quæ quidem vox clare exarata legebatur; cætera deleta vel corrasa. In memorata sacra Urna erant et aliæ quatuor capsulæ, positæ ante capsulas SS. Patronorum nostrorum. Prima ad cornu Epistolæ erat cum lamina plumbea et inscriptione: S. GAVDENTI' EPS; secundæ in eadem linea erat inscriptum : S. IVSTINVS EPS.; tertiæ : S. FLORENTI' EPS.; quartæ denique : S. LVXORI' EPS. In medio Urnæ reperta est capsula quadrata, magnitudinis unius palmi cum dimidio, altitudinis duorum palmorum; eratque instructa lamina, et fimbriis circum circa ornata; præterea cernebatur in anteriori facie stella, et sequentem ferebat inscriptionem dupplicatis exaratam litteris : S. GAVINVS M. E Ad latus sinistrum in cornu Epistolæ, erat altera capsula lata duodecim centimetris, longa quadraginta cum lamina inscripta : S. JANVARIVS M.; ad latus dextrum in cornu Evangelii tertia ponebatur capsula, eadem qua prædicta magnitudine, cum lamina : S. PROTVS M. EP'... Propria manu RR. DD. Archiepiscopus extraxit reliquias tribus illis capsulis inclusas; et primum quidem reliquias S. Gavini, tum S. Proti, tandem S. Januarii. Præsens aderat Josephus Rosso, medicus et chirurgus idemque lector anatomiæ in regia academia Sassaritana, qui singula ossa, prout ab Archiepiscopo levabantur, recognoscebat proprioque designabat nomine. Tum RR. DD. Archipræsul, assistente RR. DD. Arduino episcopo, sanctas illas reliquias tribus interim capsulis ligneis recondidit, quas singulas eleganti panno serico obduxit, quibus etiam RR. DD. Arduinus inscripsit sanctorum nomina, suum nempe cuique capsulæ.

* reliquiæ ampullæ vitreæ (*Redoma*) ubi reperta est spinula? ex argento.

lat. Reliquiæ.

atque delatæ in basilicam.

35 *Appositis deinde sigillis, sustulit propriis manibus Archiepiscopus capsulam, qua S.* Gavini *pignora continebantur; alteram vero reliquiarum S.* Proti *tradidit RR. DD. Arduino, alteram S.* Januarii *RR. DD. canonicis Joanni Rugiu, decano capituli atque vicario generali, et Salvatori Agnesa parocho Turritano. Tum sub cantu Majorum Litaniarum redierunt, ferentes singuli prædicti singulas capsulas, ad ecclesiam; quam ubi circumivissent, dictus est hymnus Ambrosianus; et repositæ capsulæ sub peripetasmate magnifice ornato, insertæque simul urnæ majori ex cristallo, venerationi fidelium patuerunt. Posthæc accurate sigillis muniti fuerunt cancelli ferrei et porta clausa. Adfuit continuo densa populi, undequaque congressi, multitudo, pio affectu commota; nec aliud audiebatur per ecclesiam nisi singultus et suspiria, lætitiæ testes. Peractis autem prædictis, RR. DD. Archipræsul, comitantibus RR. DD. Arduino, episcopo Algherensi, et capitulo Turritano, accessit ad altare majus, ubi exposito SS. Sacramento, impertita fidelibus qui maximo numero festivoque in ornatu ad inventionis solemnia*

AUCTORE B. B.

A *solemnia concurrerant, benedictio est. De his omnibus conditum est instrumentum, cui subscripserunt ambo præsules, urbis præfectus D. Bar. Camossi aliique omnes viri primarii, qui præsentes adstiterant. Eadem die* 10 *Junii, hora sexta pomeridiana, ritu solemnissimo decantatæ sunt vesperæ, præsidente Archiepiscopo, assistente capitulo Turritano. Aderant etiam episcopus Algherensis, clerus Sassaritanus et vici Porto Torres, fidelesque ingenti copia, quibus omnibus impertita ab eodem Archipræsule est benedictio. Denique extraxit Archiepiscopus ex majori urna cristallina tres ligneas capsulas, quibus ut dictum est, SS. Patronorum reliquiæ inclusæ fuerant. Pignora S.* Gavini *ipse Antistes, S.* Proti *D. Joannes Riugu, S.* Januarii *D. canonicus pœnitentiarius Dessanti detulerunt, accensis duodecim faculis, in armarium, quod erat in veteri sacristia. Quo observato obsignatoque, ac tradita Archiepiscopo clavi, discesserunt omnes. Per totam vero noctem arserunt lampas una et duo cerei.*

Die XI *Junii coram reliquiis Archiepus solemni ritu sacris operatur; concio, supplicatio etc.;*

36 *Die* XI *Junii hora sexta matutina, sodales vulgo Baingini dicti, solemniter decantarunt divinum officium; quo expleto, eorum presbyter seu capellanus celebravit sacrum in altari majori basilicæ. Circa horam vero nonam processit Archipræsul ad veterem sacristiam, reseratoque armario, de quo supra, et recognitis sigillis, hierothecam S,* Proti *commisit episcopo Algherensi, alteram S.* Januarii *canonico decano Riugu; tertiam S.* Gavini *sibi deferendam retinuit. Quo facto processerunt ad tabulatum, ubi pridie relicta fuerat urna major. Tum idem Archiepiscopus, adstantibus RR. Arduino, capitulo Turritano, pluribusque aliis clericis, rupit sigilla lignearum trium capsularum, suaque manu extraxit primum reliquias S.* Gavini, *quas continuo tradidit episcopo Algherensi; hic autem illas inclusit urna minori chrystallina, cui statim, ne confusio oriretur, inscripsit verba:* S. GAVINUS MARTYR. *Ita deinde reliquiæ duorum aliorum Sanctorum pariter translatæ sunt ex ligneis capsulis in chrystallinas, et alteri ab eodem episcopo inscriptum:* S. PROTUS EPISCOPUS ET MARTYR; *alteri:* S. JANUARIUS MARTYR. *Posthæc conferruminatis tribus hisce capsulis seu urnis apposita fuere sigilla, easque Archi-*
C *præsul, præsente episcopo aliisque, collocavit in majori urna, cujus supra mentio fit. Cumque pellucidæ essent tum major tum minores urnæ, licuit populo numerosissimo, qui solemnitati ab initio præsens aderat, sancta Patronorum pignora oculis conspicere, quod avidissime optaverat; quapropter voluerat etiam optimus Antistes reliquias ex aliis in alias transferri thecas. His peractis, de mandato Archiepiscopi (erat hora fere decima), assessor D. Tanda et cancellarius D. Didacus Casu Serra, capsulas ligneas, quibus prius reliquiæ fuerant impositæ, detulerunt in prædictum armarium veteris sacrarii, clavemque Antistiti tradiderunt. Tum hora decima cum dimidia pontificali ritu sacris operatus est Archipræsul, præsente episcopo Algherensi, assistente capitulo Turritano. Post decantatum Evangelium, orationem de laudibus SS. Martyrum habuit ad populum frequentissimum D. Antonius Sanna Tolu archipresbyter ecclesiæ collegiatæ in Osilo; qua finita nuntiavit indulgentias octoginta dierum ab Archiepiscopo et quadraginta dierum ab episcopo concedi per totam octavam omnibus et singulis basilicam visitaturis. Hora sexta pomeridiana decantatæ solemniter vesperæ sunt ab episcopo Algherensi, præsentibus Primate et capitulo Turritano. Hora autem septima ambo antistites una cum capitulo et sodalitiis Sassaritanis Bainginorum, Servorum et S. Crucis, item sodalitio Consolationis (della Consolata) quod est in municipio Porto Torres, se contulerunt per modum supplicationis ad ecclesiam ruralem dictam a S.* Gavino decollato (*San Baingio decapitato*), *ex qua tria simulacra SS. patronorum* Gavini, Proti *et* Januarii *deportarunt ad basilicam Turritanam. Denique hora nona vespertina RR. DD. Varesini ad ecclesiam rediit et ex majori urna sustulit tres minores, tradiditque alteram cum reliquiis S.* Januarii *Angelo Delrio, præposito Philippinorum, alteram cum reliquiis S.* Proti *canonico Dassanti, tertiam qua continebantur S.* Gavini *ossa, ipse suscepit; atque comitantibus aliis clericis accensisque duodecim cereis, processerunt ad memoratum jam armarium in qua tres urnas deposuerunt: dein clauso obsignatoque armario discessum est. — Atque hæc ita gesta et peracta sunt die* XI *Junii horis suprascriptis, et de* E *singulis singula confecta instrumenta, quæ in extenso communicare nobiscum dignatus est idem RR. DD. Varesini, et ex quibus (quoniam integra adscribere opus non erat) præfata omnia fideliter ac fere ad verbum descripsimus.*

die XII *Jun. Missam celebrat eppus Algherensis, etc.*

37 *Die* XII *Junii hora septima matutina, relatæ eodem fere ordine, quo pridie repositæ, ex armario sunt ab Archiepiscopo tres urnæ ad suggestum seu tabulatum, atque in majori urna reconditæ. Hora septima cum dimidia dictum solemniter divinum officium est a sodalibus Bainginis, eorumque presbyter celebravit in majori altari. Hora decima sacris operatus est pontificaliter RR. DD. Arduinus, præsente Primate et Turritano capitulo assistente. Pro concione dixit D. Josephus Gambella ad populum frequentiorem adhuc quam hesterna die. Finito sacro, itum est per modum supplicationis solemnis usque ad portum. Venerabile Sacramentum deferebat episcopus Algherensis, comitante Archipræsule, assistentibus capitularibus Turritanis, clero, sodalitiis. In portu data universis benedictio, sub qua æra bellica ex vicinis navibus intonuerunt. Hora sexta pomeridiana decantatæ* F *solemniter vesperæ, præsentibus utroque antistite. Denique hora nona Archiepiscopus tres capsulas recondidit in armario sicut die præcedenti.*

die XIII *Jun. gesta;*

38 *Die* XIII *Junii hora septima mane, relatæ ad suggestum hierothecæ majorique in urna depositæ. Hora octava cum dimidia officium decantatum a sodalibus Bainginis, missa dicta ab eorum sacellano. Hora decima solemne celebravit sacrum D. decanus capituli Turritani Joannes Riugu; concionem habuit D. Joannes Baptista Casula, rector collegii S. Apollinaris in civitate Sassari. Hora nona vespertina solito more sunt hierothecæ ad armarium veteris sacristiæ reportatæ.*

die XIV *Jun. recognitæ reliquiæ aliorum SS. in ecclesia subterranea reconditæ.*

39 *Die* XIV *Junii eadem peracta quæ die præcedenti. Id autem speciali dignum mentione contigit. Scilicet mane hora nona cum dimidia ambo RR. DD. antistites, sequentibus viris primariis pluribus, qui omnes in instrumento nominantur, accesserunt ad cancellos ferreos, quibus sanctuarium ecclesiæ subterraneæ præcluditur;*

AUCTORE B. B.

cluditur; et recognitis sigillis apertaque janua introierunt atque progressi sunt usque ad fornicem seu sepulcrum; jussitque continuo RR. DD. Archiepiscopus primum tolli lapidem, in cujus medullitio scripta, ut diximus, erat littera S., et qui jam die 10 *Junii amotus fuerat ad recognoscendas et extrahendas reliquias SS.* Gavini, Proti *et* Januarii (*n.* 34.). *Denuo inspectæ laminæ plumbeæ examinatæque earum inscriptiones. Dein compertum est retro hanc priorem urnam seu loculum adesse et alteram; unde mandato ejusdem Pontificis, omnibusque cernentibus, loco motus est secundus lapis, patuitque altera urna seu loculus, in quo rursus decem recondebantur capsulæ plumbeæ, in prima legebatur scriptum : S.* EDESI'. PRÆSBITER; *in secunda : S.* GABINVS CRISPVL' ET CRESCENTIAN' M.; *in tertia : S.* PETRONIA V. M.; *in quarta :* ✠ *S.* COM. ℣. *S.* CILI.; *in quinta : S.* AMANTI'; *in sexta : S.* MARCELL' M.; *in septima : S.* PISANA V. M.; *in octava :* B. M. MARTIN'; *in nona : S.* FELIX DIACON' M.; *in decima :* SANCT' FORTVNAT' M... INVENT' A. D. MDCXIIII, ET HIC RECONDIT' A. D.
B MDCXXII. (*Apertus igitur locus fuit anno octavo post secundam inventionem, quæ contigit anno* 1614 *sub episcopo Mança de Cedrelles. Vide n.* 27 *et* 28). *Quibus omnibus suis locis restitutis, ac tertio sublevato lapide, tertius detectus est loculus, innumera continens Sanctorum pignora quorum nomina ignorantur, ut patet ex unico hoc laminæ plumbeæ inciso titulo :* S^ti INCOGNITI. *Denique sublato quarto lapide, repertus est quartus item loculus, Sanctorum reliquiarum plenus et pariter unica eademque signatus inscriptione:* S^ti INCOGNITI. *Quem tam copiosum thesaurum cœlestium margaritarum, non sine intimo et religionis et gratitudinis motu, omnes quotquot aderant conspexerunt recognoveruntque. Hora denique nona vespertina eodem quo heri et nudius tertius modo relatæ sunt reliquiæ SS.* Gavini, Proti *et* Januarii *ad armarium veteris sacristiæ, ut ibidem noctu servarentur.*

Acta tribus seqq. diebus;

40 *Tribus sequentibus diebus nihil peculiari mentione dignum notatur; mane relatæ ex armario sunt tres hierothecæ ad consuetum locum et vespere rursus ad sacristiam. Hora nona ma-*
C *tutina solemne est celebratum sacrum ab uno ex primariis canonicis.*

die XVIII *Jun. finis impositus solemnitati,*

41 *Denique Junii* XVIII *die festo SS. Trinitatis, finis impositus est celebritati hujus Recognitionis seu tertiæ Inventionis, et præterea in ecclesia metropolitana Sassaritanæ urbis solemni ritu gratiæ actæ. Juverit rerum gestarum seriem, ordine quo sibi successerunt, exponere. Hora septima mane D. can. Scarpa delegatus ex armario veteris sacristiæ detulit tres urnas cristallinas sæpius memoratas ad tabulatum quo deponi per diem consueverant. Quo tempore convenerant fideles jam maximo numero, pietate ac devotione fervidi SS. Reliquias venerantes. Hora decima sacris solemniter operatus est R. D. can. decanus Rugiu. Nihil præterea actum in basilica Turritana usque ad horam sextam vespertinam. Ast Sassari in metropoli, eodem die, ut supra innuimus, voluit RR. DD. Archiepiscopus solemnes referri grates de obtentis per totum Recognitionis decursum beneficiis. Itaque missa capitularis celebrata est assistente RR. DD. Arduino episcopo, et præsente Archipræsule. Inde ipse idem Archipræsul habitu pontificali præcinuit hymnum Ambrosianum, quo absoluto more festivo et adhibito musices concentu, impertivit densissimæ fidelium multitudini benedictionem SS. Sacramenti. Aderant urbis et provinciæ prætor D. bar. Camossi aliique omnium ordinum viri spectatissimi, una cum familiis cunctis regularium, omnibus sodalitiis et artificum collegiis; uno verbo, convenerant ad hanc solemnitatem quotquot erant in urbe viri dignitate præstantes. Post hæc redierunt, (nam a die* 15 *Junii inde discesserant) ambo antistites ad municipium* Porto Torres, *ut finem facerent octiduanæ celebritati.** D

et reliquiæ in ecclesia subterranea repositæ.

42 *Scilicet Archipræsul, præsentibus RR. DD. Arduino aliisque tum ex clero tum ex laicis primariis viris, tulit ex urna majori tres sæpe dictas capsulas cristallinas; quarum alteram S.* Proti *tradidit episcopo, alteram S.* Januarii *decano, tertiam S.* Gavini *sibi deferendam retinuit, atque ita omnes sub cantu Majorum Litaniarum circumierunt basilicam redieruntque ad sanctuarium subterraneum. Absolutis Litaniis cum subjunctis orationibus, aperiri,* E *cunctis spectantibus, jussit Archiepiscopus tres capsulas, unam post aliam, ex quibus episcopus Algherensis singulas levavit reliquias et continuo in manus dedit RR. DD. primatis Varesini, qui eas collocavit in alias urnas tres plumbeas, hunc in finem paratas et benedictas; quæ deinde bene clausæ et obsignatæ, inscriptæque suo unaquæque S. Martyris nomine, sunt reconditæ in eodem, quo ante cœptam recognitionem quiescebant, loculo sub fornice. In aliis autem tribus sub eadem fornice loculis, de quibus supra n.* 34 *et* 49 *reliquiæ manserunt, prout antea erant, depositæ, et denique singulis quatuor loculis, impositi singuli ex quatuor lapidibus, quorum item supra facta mentio est. His confectis dedit Archipræsul in mandatis suo delegato D. Joanni Scarpa, ut quam accuratissime recluderet fornicem, ita ut in interiora confessionis ne vel minimus pateret aditus. Atque sic conclusa est solemnis octava, celebrata in basilica Turritana occasione tertiæ Inventionis.*

Per octavam plura cælitus collata memorantur beneficia.

43 *Festivitas hæc sane dignissima fuit, sive spectetur zelus utriusque antistitis, qui summa cum vigilantia, industria et pietate cuncta perfecerunt, sive spectetur concursus fidelium, indies crescente numero non solum ex urbe Sassaritana et vicinis locis, sed ex dissitis etiam oppidis et pagis advenientium.* Plurimi enim huc se contulerunt pedibus non calceatis crinibusque passis; erantque omnis ætatis, sexus, conditionis; et quamvis essent inter illos, qui pedestri itinere sex, septem, octo quin et decem leucas emetiendas haberent idque calente æstu et urente sole, nihilominus omnes aderant bene valentes, hilares et pacifici; id unum animo præferentes, ut scilicet conspicerent et venerarentur quam citissime SS. Patronorum pignora, ex quibus nonnulli, quod palam profitebantur, suavem percipiebant fragrantiam; nec a sanctuario quispiam discedebat sine multa consolatione piisque motibus. Cæterum per omne id tempus nulla sive in sanctuario, sive in oratorio, basilica et atriis audita querela est, nullum lamentum; nec quodvis commissum delictum; nihilque prorsus patratum quo vel minime quis posset

vel

A vel intenderet turbare solemnem hanc Inventionem BB. patronorum Gavini, Proti et Januarii, pluriumque aliorum SS. Martyrum Turritanorum... Ferebantur quoque contigisse nonnulla, vires mentemque humanas excedentia, quæ, quia ulteriorem exquirunt indaginem, RR. DD. pontifex Varesini diligentiori cœpit subjicere examini. *Ita processus.*

Cultus SS. Martyrum

44 *Ex his satis superque elucet quo cultu qua veneratione prosecuti SS. Patronos Sardi suos sint. Editus nuper typis Taurinensibus est et idiomate italico egregius libellus cui titulus :* Mensis October etc. (*titulum opusculi integrum adscripsimus latine et italice n.* 27 (1)). *Hoc in libello ad singulos dicti mensis dies, inter alias pias exercitationes, habetur lectio de vita vel cultu SS. Patronorum perpetuo in ecclesia Turritana. Dicatus libellus RR. DD. Alexandro Dominico Varesini, archiepiscopo,* qui tertiam SS. Martyrum recognitionem suscepit et executus est cum pia sollicitudine et regali munificentia; atque insigni capitulo et clero Turritano, qui egregiam operam præstiterunt, *optimo Pastori suo. Pleraque desumpsit scriptor*

B *ex actis passionis et prioribus duabus sacrorum corporum inventionibus. Cum autem de his nos supra copiose diximus, sufficerit hic nonnulla adjicere, quæ ad cultum proprie pertinent. Et primum quidem a multo retro jam invaluit tempore, ut mensis Octobris in regione a S.* Gavino *nuncupetur* (il mese di S. Gavino). *Variæ quoque describuntur supplicationes, magna peractæ cum pompa, ad quas innumera confluebat omni ex parte populi multitudo* (2), *sub quibus contigisse feruntur mirabiles sanationes, auditi aërii concentus et tympanorum strepitus; campanæ sponte sua absque ullo impulsu sonum edentes, quem percipere fuit locis aliquot leucarum spatio inde dissitis, aliaque id genus* (3). *Cæterum ipse libellus, de quo agimus, plane demonstrat populi Sardoi pietatem in SS. Patronos ad nostros usque dies perseverare.*

testimonia

45 *Plurima devoti animi specimina exhibentur etiam in sæpius dicto Dictionnario regni Sardiniæ, quorum nonnulla adscribemus, præmissa tamen monitione, scriptorem, dando jocos et scommatis indulgendo atque ludibrio vertendo ritus a*

C *tot jam retro sæculis in more positos, nec ab ecclesiæ moderatoribus sive improbatos sive proscriptos* (*licet forte nimios et pro nostra ætate nonnihil exaggeratos*), *non satis æquum imo infensiorem se præbere in dijudicandis rebus sacris. et acerbius carpendo candidiores populi religiosi motus. Et sane dolendum est viros cæteroquin doctrina et eruditione insignes, istiusmodi præjudicatis opinionibus parere; quod* (*nec enim diffiteri potest*) *nostris diebus plus nimium invaluit apud multos, qui res divinas non, ut operteret, ex altioris sapientiæ regulis æstimant, sed modulo mere sæcularis prudentiæ metiuntur. His prænotatis, ad testimonia et signa cultus perpetui redeamus. Primo sane loco ponenda ipsa ecclesia est, saltem sæculo* XI *erecta, quam videtur præcessisse altera longe vetustior. Conf. n.* 21. *Extat juxta mare interposita quarta parte unius leucæ a vico Portotorre, in rupe fluctibus tunsa sacellum cum parvo altari, in cujus muro sinistro patet in-*

AUCTORE B. B.

gressus ad specum, ubi traduntur inventa SS. martyrum Gavini, Proti *et* Januarii (4). *In specu cernitur caverna parva et depressa, ex qua transitur in alteram similem; utraque munita est cancellis; in una duæ reperiuntur effigies, in altera, una tantum. Indicio sunt simulacra illa, quo loco uniuscujusque S. Martyris sacræ exuviæ detectæ fuerint* (5). *Si fides scriptori nostro, sqalebat circa annum* 1849 *locus neglectus et horridus; addit deinde :* Mihi pro certo stat Comitam ibidem reperisse corpora, seu potius transtulisse ex loco, quo conservata et celata erant, in alium digniorem, nempe in ecclesiam sanctorum Martyrum nomine dicatam; ast non possum adduci ut fidem adhibeam historiæ Inventionis, prout habetur in antiqua Legenda; nec mihi rite probatum est, specum præfatam, SS. Martyrum revera fuisse sepulchrum.

nonnulla.

46 *Sub navi media* (*ternæ enim sunt*) *basilicæ protenditur ecclesia subterranea, ejusdem fere longitudinis ac ipsa navis; sub ara majori, quæ valde elevata est, habetur locus cancellis conclusus, ubi ardent continue lampades et multa cum religione colitur S.* Gavinus (6). *Ibi quoque* E *tempore quadragesimæ, de nocte atque extinctis lampadibus, pii peregrinantes, Sassari profecti, flagellis se cædunt sub cantu Psalmi* Miserere (7). *Die festo S.* Gavini *præcipuo, mense Octobri, maximus est populi concursus ex omnibus provinciis Sardiniæ borealis; solent peregrini circumire et exosculari basilicæ columnas : est enim fama earum unam* (*quæ deficiebat ut numero viginti quatuor essent*) *allatam a S.* Gavino, *qui eam ex profundo maris sublatam equo sedens transvexit* (8). *Circuitum hunc plerique faciunt genibus incedentes seu repentes. Liceat hac occasione animadvertere, hujusmodi morem fere ubique terrarum a pio simplicique populo usurpatum et usque in hunc diem pariter a nonnullis adhiberi. Nec video cur ritus ille, sincero devotionis affectu susceptus multitudinique carus, risum vel supercilium cordatis moveret. Cæterum invigilant prælati ut modus iis, ubi ædificationi fidelium,* (*de aliis non tantum curandum*) *esse cessarunt, paulatim et prudenter ponatur, vel etiam penitus, si fas est, supprimantur. Solet etiam hac tempestate institui supplicatio pu-*

F *blica, qua deferuntur ad basilicam imagines SS. Patronorum, in memoriam, ut creditur, translationis eorum Reliquiarum a Comita judice factæ. Hanc supplicationem, præter aliam innumeram turbam, sequuntur denso ordine bina sodalitia : alterum* Bainginorum, *id est S.* Gavini, *qui vulgari idiomate* Baingiu *pro* Gavingiu *dicitur, mutata, ut Sardis frequens, littera* g *in* b; *alterum* Servitorum *seu* servorum B. Mariæ. *Quanta autem sit confluentis undique ad solemnitatem multitudo, vel ex eo æstimare licet, quod per hosce dies in collibus circumjacentibus facile tria millia equorum pascentia spectentur* (9).

—

(1) Il mese di Ottobre consecrato alle glorie dei santi Gavino etc. — (2) Ibid., p. 124, 129, 133 etc. — (3) Ibid. — (4) Dizionario geogr., di Sardegna, tom. XV, p. 651. — (5) Ibid., p. 652. — (6) Ibid., p. 651. — (7) Ibid., p. 653. — (8) Ibid. (9) Ibid., p. 654.

EX JOAN. ARCA.

DE SANCTO GAVINO,

MARTYRE TURRITANO.

a (*Ex Joanne Arca* a, *lib.* II de Sanctis Sardiniæ Martyribus.)

CAPUT UNICUM.

S. Gavinus, inclytus Christi martyr, constantiam SS. Proti et Januarii admiratus, convertitur, nec minis a suscepta fide deterreri potest. Denique capite truncatus projicitur in mare. Apparet primum Calpurnio cuidam; deinde SS. Proto et Januario, quos hortatur ut ad consummandum martyrium festinent.

B

Præfatio. *Laus S. Gavini, gloriose pro Christo occumbentis.*

Laudes persequi si vellemus, claram nobis aperiret viam gloriosus Gavinus, qui dira gavisus morte ad eligendum Christum, sempiterna nunc gaudet vita apud quem secutus

b est ducem, collocatus in cœlis. Vere Gavinus *b*, qui ex dæmonum tristitia vocatus ad Christi gaudium, tam perfunditur illo, ut Barbari furorem prosterneret gavisus. Nam adhuc neophitus, adhuc divinis legibus peregrinus et alienus, fidei mandata subito cumulatissime complet. Ad dura neophitus certamina progressus, insignem de hostibus tamquam veteranus victoriam reportat. Non aspersus fonte, ablutus est sparso sanguine; quam non hausit vitam e baptismatis fonte, traxit a sæva morte; ut, qui ostentare non possit: Consepultus sum Christo per baptismum aquæ in mortem, dicere posset: Adjutus * sum illi in baptismo per mortem. Quantum agit humano pectore accensus divinus amor! Neophitus sine baptismo aquæ æternam comperit vitam trucidatus per mortem. Nondum ad Christi militiam profectus, dignus est habitus ad amicitiam; nondum aditum * tenens ecclesiæ, triumpho victus penetrat regiam; nondum Christi miles effectus, cohæres factus est gloriæ; nondum domesticus in domo Dei, susceptus est filius in regno Dei. Quamnam enim gloriam merebatur Gavini virtus illa et inconcussa fidei magnitudo, interno Christi amore nutrita, et subitis documentis probata? Non aliam quidem quam ipsam cœlestem gloriam, miraculorum insignium magnitudine celebratam; qui cum ad ipsum Christianæ fidei limen accederet, adstitit ante paganum præsidem, agens pro illis causam, quos viderat ad Christi fidem destinatos ad mortem. Imminebant oculis sævissima tormenta, et se Christi servum clarissima voce clamat; tamquam si Christianus factus non ad supplicia, sed ad solatia duceretur jocunda. Christianus sum, ait, et ut Christianus occumbam: me ipsum offero, ut probatissimos Dei servos Proptum et Januarium tuis manibus protraham. Æstuat furore præses, nec quo se inferat videt. At quo magis æstuat ira, magis accenditur Sanctus amoris divini flamma. Ad mortem ille, ad vitam jucundissimam iste; ille ut perpetuis sit consumendus pœnis, iste ut gaudiis perfruatur æternis; densissimis ille obruatur tenebris, iste ut clarissima splendescat apud Dominum luce, ad quam nos per divinum hunc Sanctum liceat pervenire *c*.

* *additus?*

C

* *adytum?*

D

c

2 Cum Turribus *d* præclara quondam Sardiniæ civitate Proptus et Januarius *e* exercerentur tormentis pro Christi fide tutanda, miles Gavinus nobilissimus *f*, qui remotus a vera religione cruciatibus martyrum delectabatur in omnibus, conversus ad fidem coronatur martyrio. Is cum deorum cultu probatissimus esset, commissos habuit a Barbaro præside sanctos Proptum et Januarium, ut arctissimis servaret custodiis. Sed quia dictum a Domino, qui in re fallitur nulla: Cum sancto sanctus eris, Martyrum sanctitas promanat in Gavinum. Agentes de rebus divinis talia ac tanta de Deo potentissimo canunt, ut jam monente Domino ad Deum amplexandum flecteretur Gavinus. Obsecro vos, ait, mihi demonstretis quisnam sit iste Deus, quem vos spretis sequimini tormentis, et quam speretis gloriam de prælio suscepto. Is Deus noster, respondent, quem nec homo, nec angelus sufficit commendare; immensus potentia, æternus et invisibilis, qui ex nihilo cuncta solo verbo formavit, factumque regit mundum et moderatur sua virtute semper atque potentia gaudens. Nec iis contentus, factus homo venit in hunc mundum, passus est mortem a præside Pilato, cruciatus tormentis et crucifixus, ut nos dæmonum potestati eriperet, qui dominantur cunctis post casum parentis Adæ; tertia die ab inferis excitatus, in cœlum ascendit triumphans, sedetque ad dexteram æterni Patris cœlestis. Quapropter in lucris nos ponimus hæc et majora pro tali Deo tormenta.

S. Gavinus miles, sub passione SS. Proti et Jan. convertitur ad Christum,

d e f

E

3 Non requirit Gavinus alia, ut Christum verbo profiteretur et opere. Dimissit Sanctos vinculis solutos, quos præcatur maxime, ut apud Dominum suis præcibus meminissent. Hinc ardere cœpit martyrii desiderio; posteroque die mane ad præsidem vocatus Barbarum, pro Sanctis causam dixit. Affer, ait præses, nequissimos illos, quos heri tibi custodiendos commisi. Quos vocas nequissimos, respondet, sanctos et justos, si cognosceres, appellares. Arcere non licuit, quos novi cœlestes et Deo deditos potentissimo. Qua de re tibi notum velim ad Christum me traductum, pro quo, si oportuerit, alacris mortem ipsam adibo. Nam non video qua ratione ducaris, ut sanctos hos Viros pro mutis vanisque idolis a verissimo semoveas Deo. Quis tam desipiens tamque delirus mente, ut suo creatore contempto, statuas illas de quibus dicitur: Aures habent et non audient, adorandas sibi suscipiant. Non audisti Prophetam: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis? Iis oculos si claudas, æterni peribis cruciatus incendio. Tunc præses ira furoreque accensus in Sanctum invehitur rapacissimus veluti lupus, multis contumeliis et opprobriis onerans. A me istum rapite, dicebat, satellites; qui mente confusus et excors viscera mihi mentis et corporis conturbavit, invictissimorum præcepta principum contemnens.

quem, coram præside Barbaro, intrepide confitetur;

F

A contemnens. Quam elegit mortem accipiat, secutus Crucifixum morte turpissima condemnatum.

quare capitalis in eum fertur sententia.

4 Nec mora; capitis est lata sententia. Et ne christiani Martyris beatissimi corpus repertum tollerent, juxta littus maris ut jugularetur præcipit atque in pelagus projici de locis saxosis. Opere diligentes ministri latam sententiam citissime complere student, Gavinumque apprehensum in præfinitum deferunt locum. Cumque stipatus milite duceretur, occurrit obviam mulier christianis eloquiis delibata, quæ fusis amaris lachrimis, capitis velamen porrigit dicens : Fidelissime Dei Serve, hoc te deprecor linteolo operias tuis oculis (*sic*) cum detruncaberis gladio. Quo Gavinus accepto, reddit fæminæ grates. Tenensque decollationis locum, qui Portus dici-
g tur Balagai *g*, flexis genibus supplex orat : Gratias (ago) tibi, clementissime Deus, qui me in tuorum numerum cooptasti, non meis meritis quidem, sed tua sola misericordia; qui mortem renuis peccatorum, expectans conversionem ut vivant. Te deprecor humanissime
B Deus, ut me quemadmodum terris in tuis adscripsisti fidelibus, ita cœlis accipias collocandum; istumque locum idolorum cultorem ad veram perducas fidem, ut te semper cognoscens, relictis idolis, festinet ad æterna. Hoc breviter dicto, oculisque linteolo velatis, inclinatus capite, præ se ferens illud : In manus tuas commendo spiritum meum, detruncatus est capite et in mare projectus ex asperrima rupe.

Capite truncatus progreditur ad speluncam,

5 Exutus corpore, Sanctus non obliviscitur Sociorum cupidus habendorum in gloria. Speluncam petit visibilis in qua sancti Prothus et Januarius latitant. Et ut omni rñderet officio, occurrit primum Calpurnio, viro prædictæ fæminæ, qui pressus, quas ferebat bestias, onere, itinere detinebatur anxius. Illas Gavinus sublevat, et reddit faciolum, quod ab uxore acceperat, actisque gratibus abit. Veniens Calpurnius domum uxorem reperit flentem. Gavinus noster, inquit, a crudeli Barbaro interfectus est hodie. Tace mulier; dicit Calpurnius, et a lachrimis abstine; quia quod dicis, falsum : nam modo veniens habui
C adjutorem, ut mea jumenta erigerentur jacentia. Quod ut comperias clarius, en tibi reddit cum gratiis faciolum. Illud accipiens uxor complicatum, explicat totum, et sanguine sparso invenit madefactum. Credit Calpurnius, amboque præ gaudio Illi dant grates, qui mirabilis in suis sanctis mirabilia facit solus.

In qua latebant SS. Protus *et* Januar.

6 Beatus vero Gavinus ad antrum illud accedit, quod latitantes Socios continebat. Locus hic vulgo dicitur suburbanus, passuum millia quatuor ab urbe Turritana. Clamansque Gavinus animo magis quam voce : O Christi Sacerdotes et illustres mei martyrii principes, quare tantum differtis æternam vestram coronam? Discendite in civitatem, ut deportetis paratam vobis palmam. Si quis est timor excutite. Gavinus ille sum, quem vos ad Christum habuistis discipulum, gloriæ vestræ consortem. Properate ergo (nam vos expecto) ad quod præcessi martyrium. Surgunt audientes ex Joan. Arc. v. hoc Sancti et exoptatam accipiunt coronam *h*. *h* Hæc Deus mira effecit, ut illum gloria illustraret, qui se tam fortem, Christi fidem amplexus, præbuit ante præsidem. Interfectus est autem beatissimus is Sanctus ad octavum Kalen. Novembris loco jam memorato, anno trecentesimo post Christum natum, impiissimis regnantibus Diocletiano atque Maximiano.

ANNOTATA.

a *Ducem sequimur Papebrochium in Actis S. Georgii, episcopi Suellensis in Sardinia defuncti an.* 1117 (1), *ubi hæc habentur:* S. Georgium miraculis clarissimum insulæ istius scriptores celebrant; ex quibus Joannes Arca, in libello de Sanctis Sardiniæ, quem Calari impressum anno MDXCVII (*imo sequenti ut fert exemplar libelli quod sub oculos habeo*) Vaticana bibliotheca nobis exhibuit, vitam dabit, qualem « Auctore Paulo ex antiqno codice ms. » accepit, ut habet Prologus ab eodem (*Arca*) præfixus. Hunc nos prologum retinemus; sed quas idem scriptor de suo addidit notationes, E. eas contextui ipsius historiæ exemptas, ad calcem seorsim dabimus inter annotationes. *Et nos vestigiis eruditi decessoris inhærentes vitam S.* Gavini *subjicimus ex eodem Arca cum prologo præfixo, relatis nonnullis ab illo additis ad* Annotata.

b *Quam feliciter* Gavinus *deducatur a verbo* gaudere, *judicet lector.*

c *Hic inserit Arca quibus ex fontibus sequentem narrationem de S.* Gavino *hauserit :* Martirii, *inquit*, historia ex antiquo M. § 1, habetur apud ecclesiam Turritanam et ab Antonio Cano et Salvatore Alepusio Turritanis archiepiscopis, atque ex magistro Gribaldo. *Et Fara, loquens de S.* Gavino *ejusque sociis SS.* Proto *et* Januario, *tradit eorum corpora magna totius insulæ populorum frequentia coli,* ut ex antiquo M. S. ejusdem ecclesiæ (*Turritanæ*) codice, et in historia ab Antonio Cano et Salvatore Salepusio, archiepiscopis Turritanis constat (2) *Fara Arcam ætate præcedit. Ille, ut ex libri approbatione constat* (3) *typis editus fuit anno* 1580. *Arcæ libello præmittitur approbatio Alphonsi, archiepiscopi Calaritani, data anno* 1598. *Se-* F *dem Turritanam tenuit Cano circa medium sæculum* XV, *anno* 1463 Concilium celebravit provinciale (4); *Salvator Alexius Salepusius electus est circiter annum* 1539; *interfuit concilio Tridentino, ubi anno* 1551 *orationem coram patribus habuit. Composuit* officium SS. Gavini, Prothi et Januarii (5).

d Πύργος Βίσσωνος « Turris Bissonis, » in vaticano exemplari legitur Πύργος Λιβίσσονος « Turris Libissonis, » et ita fere apud Plinium : « Colonia una, quæ vocatur ad Turrim Libyssonis. » Ejus ruinæ etiam nunc contra memoratas « Herculis » Insulas (*hodie* Asinara) et « Gorditanum » promontorium (*nunc* Capo di Monte Falcone) extant, sub nomine vulgari « Porto di Torres » id est « Portus Turris. » *Ita Philippus Cluverius in* Sardinia antiqua *apud Grævium* (6). *Vide Tabulas geographicas*

(1) Tom. III Aprilis, ad diem XXIII, p. 214. — (2) Grævius, Thesaurus antiquitatum Italiæ, vol. XV, col. 25. Lugduni Batav, 1725. — (3) Ibid. initio. — (4) Sardinia sacra, p. 165. — (5) Ibid., p. 165 et seq. — (6) Thesaurus antiquitatum Italiæ, vol: XV, p. 24.

EX JOAN. ARCA. *Sardiniæ ad Septemtrionem in Occidentali latere. Conf. Comm. Præv., n.* 6. *Item Valery, qui asserit, vicum Porto-Torres, olim ex insalubritate infamem adeoque desertum, nostris diebus incrementa cepisse, ita ut anno quo scribebat præfatus auctor, incolæ numerarentur fere mille trecenti* (1). *Labitur autem Valerius, ubi tradit corpus S.* Gavini Romam fuisse translatum sub Gregorio III, *qui summum pontificatum tenuit ab anno* 731 *ad an.* 741, *additque Sardos longo temporis spatio Romanis persolvisse tributum pro celebranda S.* Gavini *festivitate; donec tandem ejus sacrum corpus anno* 1614 *restitutum Turritanis fuit ab episcopo Mança de Cedrellles* (2). *Quod quam absonum sit, liquet ex dictis hoc Comm. Præv. de reliquiis SS. Patronorum, præsertim nn.* 27 *et* 28, *ubi de secunda Inventione disseruimus.*

e *Horum Sanctorum passionem infra damus ex eodem Joanne Arca.*

f *Ex his verbis confirmantur dicta nostra n.* 11 *et* 12 *ubi ostendimus S.* Gavinum *Turritanis præsulibus non esse annumerandum, nec tali umquam dignitate ornatum. Additur in lectio-*
B *nibus breviarii Turritani* (3), *sanctum* Gavinum *ex antiqua Sabelliorum familia ortum. Idem Fara habet sed subdubitans :* In Turribus. *inquit* (4), floruit Gavinus Romanus miles, ex præclara Sabelliorum, ut fertur, familia. *Ita quoque Ferrarius :* Quem ex Savella familia fuisse ferunt. *Dionysius Bonfans* (5) *tradit opinionem hanc apud non nullos invaluisse ex eo quod in basilica Turritana conspiciantur parmæ seu scuta gentilitia in quorum medio depictæ sunt geminæ columbæ, rostrum in calicem demittentes : cum autem nobilis familia Savelli binas quoque hujusmodi columbas in scuto suo ferat, et illius domus insignia in templo sint appensa; voluerunt S.* Gavinum *ex hac stirpe oriundum, et insuper Romanum esse, cum gens Savellica Roma in Sardiniam transmigrarit. Quæ conjectura, quam sit levis, ne plus dicam, nemo non videt. Cæterum* gens Sabellia *signatur apud Onuphrium Pavinium* (6) *inter* gentes Romanas plebeias ante tempora Augusti Cæsaris.

g Portus Balagai, *locus haud procul a Turritana quondam civitate dissitus, qui* porto di
C Balay *dicitur in libello* Il mese di Ottobre *etc.* (7), *cujus in Comm. Præv. sæpius facta est mentio. Ejusdem loci meminit Fara de rebus Sardois* (8). *Ibi etiam passi sunt SS.* Protus *et* Januarius, *in quorum actis apud Arcam dicitur non* portus Balagai, *sed* promontorium Balai; *additque idem scriptor :* Est Balai promontorium altissima rupe prærupta et asperitate horribili formidandum. Hinc trium Sanctorum (Gavini, Proti *et* Januarii) corpora præcipitantur in mare *etc. In magno Dictionnario regni Sardiniæ, notatur* la Punta (*id est parvum promontorium*) di Balagai (*S.* Gavino Scapezzato *id est S. Gavinus decollatus*) *M.* 12 *a promontorio Falconis* (9).

h *Conf. Comm. Præv. n.* 3, *ubi docuimus ex Florentinio verisimilius esse, SS.* Protum *et* Januarium *non eodem die, quo S.* Gavinus *interfectos; et quamobrem eorum festivitas tamen eodem die celebretur.*

(1) Voyages en Corse, à l'île d'Elbe et en Sardaigne, tom. II, p. 76-79. Paris, 1838.— (2) Ibid. p. 54. — (3) Il mese etc., p. 18. — (4) Grævius, vol. XV, col. 25. — (5) Triumpho de los Santos de regno de Cerdeña, p. 329. — (6) De nominibus Romanorum. Grævius, tom. II, col. 2017. — (7) Pag. 19. — (8) Col. 25. — (9) Tom. XIX *bis*, p. 21.

DE SS. MARTYRIBUS TURRITANIS D

PROPTO ET JANUARIO.

(*Ex Joanne Arca* de Sanctis Sardiniæ, *lib.* II.)

CAPUT UNICUM.

Exorditur Actorum scriptor extollendo SS. Martyrum pretiosam mortem. Comparent SS. Protus et Januarius coram Barbaro præside, variisque modis tentantur; tum diris afficiuntur cruciatibus atque S. Gavino custodiendi traduntur; hic vero convertitur, et ambo SS Pugiles, jussu Barbari, gladio cæduntur. Corpora divinitus servantur. E

Præfatio. Mors Sanctorum longe gloriosior nativitate.

Merito commendandi Prothus et Januarius, quando non ad mortalem et caducam hanc vitam utero effusi materno, sed vero conceptu fidei martyriique partu ad supremam atque cœlestem generati sunt gloriam. Vivunt victores, quia mortem militiæ cœlestis nova mactarunt (*sic*) nativitate. Secuti Dominum moriendo æstuantes animo, hiatu spiritus anhelantes, atque omni conatu, dominicis inhærendo præceptis, mortem commutarunt cum vita. Nullo retardantur labore tormentorumve proposito metu, quin illum lætissimi secuti qui vocabat ad gloriam, novam ac permanentem sibi vitam induerent. Ad vocem Domini patriam, parentes seque ipsos obliviscuntur; ut laboribus atque tormentis libentissime susceptis, in veram per hanc victoriam susciperentur patriam. Ita victus in omnibus Prothus victoriam sibi comparavit illustrem. Nec levis animo junior Januarius, qui expugnatus a præside debellari non potuit. Draco veluti F
cauda deceptoria, præses Barbarus de juventute blanditus, magnum sermonem ingerit, aulæ regiæ pollicitus privilegia. At juvenis Dei Servus majorem natu secutus, elegit cum propheta abjectus esse magis in domo Dei, quam infelici decore in tabernaculis vivere peccatorum. A blandis pervenitur ad dura; ad verbera duriora, ad durissima vulnera. Sed qui Christum olfecerat vero thure, tamquam elephas recenti gustato sanguine ad pugnam duram incenditur, ut nec verbere flexus terreretur cruore, nec ultimo terribilium, morte. Atque Prothi revocato exilio, inito certamine vincunt ambo præsidem, vincunt carnifices, vincunt tandem seipsos, exuentes se mundo, exuendo se carne, ut induti æterna, nati tali die dicerentur ad vitam; ut quos mors humana visa fuerat sempiternis oblivionis obruere tenebris, ipsa sæculorum posteritas clarissimis commendaret encomiis.

SS. Martyres sistuntur coram Barbaro. *a b c*

2 Prothus et Januarius in civitate Turritana *a* nutriti Romam profecti a Caio papa *b* ordinantur, præsbyter *c* Prothus et Januarius, diaconus. Cumque divinis essent litteris instituti, in Sardiniam reversi divinum verbum disseminarunt Turribus. Mittitur hoc tempore ab imperatoribus Diocletiano et Maximiano in Sardiniam provinciam Barbarus *d*, ut principatum administrationis teneret. Qui ut Turres advehitur, accepit, Sanctos hos die noctuque in monte, qui dictus est Agellus *e*, sedulam operam divinis navare. Ad se jubet Servos Dei adduci (hoc enim sibi primum in administratione faciendum putavit); quos apud se cum haberet nomine et opere Barbarus, barbario percunctatus est vultu : Cujus vos sitis velim scire, et quam sequamini fidem. Ad hæc hilari vultu fidelissimi Servi : Nationem si quæris, in Sardinia nati sumus et in hac Turritana civitate nutriti. Si vero religionem, christiani sumus, et Christum in Sardinia prædicamus. Tunc illis sæverus præses : Ignoratis Romanorum imperatorum edictum, ut qui Christiani dicuntur, aut idolis se voveant, aut acuto conficiantur gladio? Audivimus, aiunt Fratres; sed contemnimus illa; quia Deo magis quam hominibus obedire oportet. Sacrificium nostrum soli Deo perpetuum, non lapidibus, quos est venerari dementia; in quo tuam admiramur prudentiam tanto stultitiæ velamine involutam, ut lapides et ligna, quæ manibus fabricata sunt hominum, veneretur ut deum vel inclusum potius dæmonem.

In exilium misso S. Proto, *tentat præses* S. Januarium *blanditiis emolliri;*

3 Accensus iis ferus Barbarus presbyterum Prothum in insulam Cornicularium *f*, Linariam vulgo, projicit exulandum, retinens secum juvenem Januarium. Studet juvenis animum Januarii fide suscepta exuere, usus blandiciis et pollicitationibus falsis, ratus consecuturum, quia junior Protho. Sed fallitur : tam enim firmus et fortis reperitur, ut nullis flecteretur a Christi fide promissis. Revocat ab exilio Prothum, si forte laboribus exilii fatigatum ad suam posset allicere sententiam. Cui præsenti dixit : Disce noscere invictissimorum imperatorum potentiam et obedire submissus. Jam te exilium docuit, quæ liceat apud nostros exequi deos; sed iis omnibus prætermissis, libens tibi polliceor in diis te nostris pontificem statuendum, si munera diis nostris demisso præbeas animo. Imo nos, dicit Prothus, quia te vero diligimus amore, ab isto cæcitatis errore ad fidem veram confidimus traducendum, si nostro fideli parueris consilio : dictum est enim per prophetam : Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei. Et quasi rationem adjungens : Quia liberavit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adjutor. Qui ut nos participes suæ divinitatis efficeret, de utero virginali factus homo processit, et voluntarie pro nostra salute passus, inferos spoliavit; ac tertia die resurgens illuxit discipulis, immortalitatem præbendo, cœlos ascendit, sedensque ad dexteram Patris, cuncta quæ fiunt in orbe prospectat; atque venturus in judicium vivos judicabit et mortuos, reddens unicuique secundum opera sua, sanctis æternæ vitæ præmia, sequacibus dæmonis incendium sempiternum. Quare pro certo habe, fidem nostram firmo fundamento fundatam, nec ulla vi dimovendam. De iis autem propositis idolis, in opprobrium vestrum dictum : Similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis. Os habent et non loquentur etc. EX JOAN. ARCA.

sed incassum.

4 Iis præses respondere non audens projicit foras Prothum, ut Januarium alloqueretur solum, quem juxta se positum amplexatus, dulcibus iterum aggreditur verbis : Amantissime juvenis, tuam ne pulchritudinem fœdes, flore juventutis excusso. Nostris acquiesce consiliis, quia magno decoratus honore ex intimis eris imperatoris domesticis. Et subdit : Quodsi mihi nolueris assentire, diversis te pœnis cum socio tuo finiam. Honores despiciens Januarius atque tormenta, magno respondet animo : Parvi tuos æstimo cruciatus, quia coronam illam, quam mihi Dominus accipiendam proposuit, expecto. Tuam omnem brachii potentiam excute, nihil movebor : nec aliud a te promanaturum expecto, qui felle dilinitus, amaritudinis diabolicæ lethale virus in bonos evomis semper.

Ambo torquentur et S. Gavino *custodiendi traduntur;*

5 Efferatus tunc ira suspendit ambos equuleo, et ungulis ferreis excarnificat corpora; ut quod amore nolebant, tormento victi annuerent. Sed quo magis cruciati sunt corpore, magis sunt animo ad divinum amorem aucti lætissimi canendo : Levemus oculos nostros in montes, unde veniet auxilium nobis; auxilium nostrum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Quos tam fortes ut vidit, deposuit equuleo, non miseratus laborem, sed ut majorem excogitaret dolorem. Tradit illos Gavino *g* militi, ut arctissima conservaret custodia. Ductique ad carcerem, tanta de Christo Jesu prædicarunt Gavino, ut illum ad Christum per cruciatus adducerent. Nam statim conversus et præsidi præsentatus, martyrii palmam acquisivit truncatus. *g*

et reversi ad præsidem gladio feriuntur.

6 Excedunt urbe Sancti, Gavino permittente soluti, et in spelunca occultant (se), rerum exitum expectantes. Nec multo post habent nuncium certum, iter sibi factum ad cœlum, quia Gavinus, accepta martyrii palma, quos habuerat magistros ad fidem, ad suam invitat martyrii gloriam. Latentes hilaris vocat, omnem metus difficultatem excludens : Festinate, inquit, per martyrium ad cœlum, quia janua patens; anteivi martyrio, ut nuncius vobis essem. Hoc accepto, visoque Gavino, exeunt spelunca Sancti, et Deo grates agendo in civitatem descendunt. Advolat præsidi nuncius, ultro perfugas adventare; qui gaudio affectus ad tribunal expectat, illosque ubi aspexit, fugæ causam quærit. Sed ab illo Sancti : Cedo fidei jussorem Gavinum, ut ubi nos fuerimus manifestet. Gavinum magum factum, dicit, ad quem secutus est, Christum misi, ut apud illum vos præstoletur. Magis hilares Sancti quam esset ipse præses accensus : Læti (aiunt) Gavinum nostrum sequemur. Tunc præses lata mortis sententia, in Balai *h* promontorio, quo Gavinum cæciderat, præcipit (ut) occidantur. Iratusque tribunali descendens : Tollantur hinc, vociferatur, amentes. Ad mortem dum trahuntur, Dei laudes concinebant continuo : Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Balai ut appelluntur, oratione facta, datisque mutuis osculis, gladio consummantur *i*, ut sibi invicem cum Gavino congratulentur de gloria, ad Octavum Kalend. Novembris. *h* *i*

7 Est

EX JOAN. ARCA. *Corpora divinitus servata.*

7 Est Balai promontorium altissima rupes prærupta et asperitate horribili formidandum. Hinc trium Sanctorum corpora præcipitantur in mare, ut gurgitibus mersa nusquam amplius apparerent. Verum piissimus Deus, qui et divum Clementem in profundum mare dejectum, ad collum anchora subligata, mari adnatantem ædicula marmorea perduxit ad littus, effecit sua dextera ne intacta fluctibus illa submergerentur corpora, quæ templum Spiritus sancti fuerant honestissimum. Nam Christiani quidam advenientes noctu reperta corpora sepeliunt honorifice in ripa maris, non longe a Balai promontorio distans, ubi multa Christus Dominus in horum Sanctorum gloriam est operatus miracula *k*.

k

ANNOTATA.

a Civitate Turritana. *Vide Comm. Præv., n.* 6 *et Annotatum* d *in Passionem præcedentem.*

b Caio papa, *qui sedem Romanam tenuit ab anno* 283 *ad annum* 296 (1). *Cum SS. Martyres*
B in civitate Turritana nutriti Romam profecti, *et a Caio* ordinati, *alter* presbyter *alter* diaconus *asserantur, pronum est inferre eos, dum ad ordines sacros promoti sunt, ætate minime provecta exstitisse; et aliunde cum passio, ut nobis probabilius est, sit adscribenda anno* 304 *vel sequenti, verisimile fit mortem eos obiisse nondum quadragenarios.*

c Presbyter. *Vide Comm. Præv., n.* 13, *ubi diximus nullo modo probari, S.* Protum *episcopali ornatum dignitate; imo contrarium opinionem veram esse. Notandum tamen a multo jam tempore S. Martyrem ut episcopum coli ab ecclesia Turritana. Ita incipiunt Lectiones de SS.* Gavino, Proto *et* Januario *in breviario, quo utuntur hodie Sassaritani :* Gloriosi martyres Protus et Januarius nati sunt Turribus in Sardinia. Cœpta Diocletiani persecutione, Romam se consulerunt, ibique a summo pontifice Caio ordinati sunt alter episcopus, alter diaconus; dein in patriam redierunt ad prædicandum Evangelium. *Cum breviarium ad manus mihi non sit, locum hunc latine reddidi ex Italica versione, quæ habetur in libello*
C Il mese *etc.* (2).

d Barbarus, *quem nominat etiam Michaël Antonius Gazano, lib. I, cap.* VII, *in Catalogo prætorum, præsidum et aliorum magistratuum, qui Sardiniæ præfuerunt usque ad finem persecutionum sub imperatoribus ethnicis :* Barbarus, *inquit* (3), successit Delfio, sub iisdem Augustis *Diocletiano et Maximiano.* Aquis suffocatus est cum Romam repeteret. *Addit in margine annum* 303; *notatque in infima pagina desumpta hæc esse* ex Actis divi Simplicii, Gavini et Sociorum martyrum.

e Agellus. *Hoc nomine nullum invenio circum Turres signatum locum.*

f Cornicularium vulgo Linariam. *Nulla insula his nominibus recensetur in Dictionnario geog. Sardiniæ. Putem designari hic Insulam quæ* Piana (Isola Piana) *vocatur et jacet inter caput Falconis et Lupi* (*punta del Lupo*) *promontorium, in insula* Asinaria *olim ab* Hercule *nuncupata* (4). *Scribit Ferrarius* (5), Herculis insulam, quam vulgus Linariam vocat. *Ita etiam in lectionibus breviarii :* Insulæ Herculis, quæ Linaria nuncupatur (6). D

g Gavinus. *Vide supra ejus Acta ex eodem Joanne Arca. Conf. Comm. Præv., n.* 3. *ubi diximus Hieronymiana martyrium S.* Gavini *signare die* XXV; *SS.* Proti *et* Januarii, *die* XXVII, *quod sane non abludit ab Actis. Unde etiam Ferrarius* (7) : Licet Gavinus paulo ante Protum et Januarium passus fuerit, eadem tamen die ejus natalis recolitur.

h Balai promontorium. *Vide Annotatum* g *in passionem S.* Gavini.

i Consummantur. *Id factum dicitur, in breviario ecclesiæ Sassaritanæ* (8), *die* 25 *Octobris, eodem proin, quo S.* Gavinus *capite plexus fuit. Vide Comm. Præv., n.* 3.

k Est operatus miracula. *Subduntur verba sequentia :* Iidem hujus historiæ scriptores, qui de beato Gavino; suntque in Romano martyrologio numerati *SS. ambo Martyres, et quidem soli, omisso S.* Gavino. *Conf. Comm. Præv., n.* 1 *et seq.* E

INVENTIO CORPORUM

SS. GAVINI, PROTHI ET JANUARII.

(*Ex Joanne Arca,* de Sanctis Sardiniæ, *lib.* II.)

CAPUT UNICUM.

Comitæ, viro admodum religioso et Judici in parte Sardiniæ, cum graviter decumberet, mandat S. Gavinus, una et altera vice illi apparens, ut tum suas tum SS. Proti et Januarii reliquias exquirat. Comita, restituta valetudine, templum ædificat, SS. Corpora transfert et paulo post moritur. Ejus in judicatu successor F **ædem sacram curat solemniter dedicari.**

Nonnulla præmittuntur de Comita ejusque sororibus.

Cum annos multos latuissent post civitatem Turritanam eversam *a*, tandem divino facto miraculo reperta sunt a Judice Comita *b*, de quo non abs re fuerit pauca quædam narrationi præmittere, ut clarius brevis hujus lectionis aperiatur iter. Vir iste Comita fuit nobili natus genere, duorum Judicatuum Loci Aurei *c* et Arborensis dominus; et si danda fides Hieronymo Curitæ *d*, fuit hic primus, qui Arborensi Judicatui præfuit. Erat vir singulari prudentia, moribus honestus, in pauperes largus, pius in omnes, et quod præsidis interest, judicio rectissimus. Tres habebat sorores : Georgiam, Præciosam et Catherinam *e*, insignes omnes et factorum memoria

a *b* *c* *d* *e*

celebres.

(1) Art de vérifier les dates, p. 243. — (2) Pag. 17 et seq. — (3) Istoria di Sardegna, tom. I, p. 163. Cagliari, 1777. — (4) Dizionario geog., tom. I, p. 412. — (5) Catalogus SS. Italiæ, 25 Oct., p. 671. — (6) Il mese di Ottobre, p. 18. — (7) Catalogus, ubi supra, p. 673. — (8) Il mese di Ottobre, p. 19.

celebres. Georgia quidem inter multa præclara gesta, regiam ædificavit apparatu magnifico, quæ regia in oppido sedet Ardari *f*, ubi Judices Lugudori regni versati sunt longo tempore, et ex illis multi eo loci sepulti. Annuos recuperavit redditus et oppidum Ardarim condidit firmisque mœnibus cinxit. Denique templum a fundamentis erexit apud idem Ardarim castrum virgini Mariæ dicatum, cujus celebritas usque ad hæc nostra recolitur tempora, magno ex vicinis locis concursu, Septembris mense ad Nativitatis diem. Nec minori laude digna soror altera Præciosa, quæ non muliebri quidem sed virili virtute prædita, arma tractare non verita, Baldum Galluræ provinciæ Judicem vicit, victumque perduxit in Ardaris castrum, a sorore fundamentis extructum. De tertia sorore Catherina nihil simile reperimus gestum, præterquam quod pietate sibi promeruerit laudem, quia se virtutum operibus exercebat assidue. Hæc breviter de sororibus.

Comitæ graviter decumbenti

2 Judex frater, Deo sic permittente, moderatus provincias singulari prudentia atque integritate, tam pestilenti lepra inficitur in Ardarensi castro, ut nec oculos ad cœlum tollere nec aperire liceret: cunctis enim contractis nervis, assiduis torquetur doloribus, atque in strato recubans, veluti quibusdam affixus clavis, nullam se in partem versandi vim nec facultatem habebat. Cumque nulla prodesset opera medicorum, jacet desperatus salute. Quo in morbo tali se patientia præstitit, ut divina consolatione mereretur levari. Id quemadmodum gestum, quia narrationis est caput, distincto feremus ordine.

apparet S. Gavinus, mandans ut reliquias tum suas tum Sociorum MM. quærat,

3 Tali morbo confectus, in somnis divum Gavinum habet, a quo verbis iis compellatus, ad corporis invitatur et animi salutem : Age, surge, Comita, et pete Turritanum portum, ibique explora ubi mons emineat, qui dicitur Agellus, quia templum in mei memoriam, comitumque Prothi et Januarii ædifices oportet; ibi reconditas atque ignotas reliquias nostras reperies. Iis vocibus excitatus Comita, atque ut licuit oculis in illum sublevatis, ante se beatum Gavinum vidit. Ibat vestibus indutus albis Gavinus, alboque utens equo vexillum ferebat insigne. Insolita re perterritus Comita respondere non audet. At rursus compellatus Gavino, apertis oculis animi magis quam corporis, annuit libentissime, et matri quæ acciderant sororibusque narrat; et addit se numquam pulchriorem vidisse mortalem hominem. Tunc grates unanimes Deo redditæ, quod tantum esset dignatus manifestare thesaurum. Utque imperata divinitus exequerentur cito, per utramque provinciam quæ latissime patebat, edicitur, ut ad Turrium portum vel ad oppidum Kerqui *g* statuto quodam die convenirent frequentes. Fit primum ad aulam regiam, in qua Judex ægrotabat, concursus. Hinc ille deportatur in villam Octavensem, quæ medio tunc sedebat ad portum Turritanum itinere, et solo nunc æquata conspicitur. Ibi commoratus dies quindecim, ab ejus oculis de monte perquirit Agello, cujus perierat memoria, civitate Turritana deleta.

quod jussum cum sollicite

4 Tandem post longam disquisitionem, senex assurgit Guantinus Querquius : Petamus (inquit) Turrium locum, quia, ni fallat memoria, dum juvenis essem, mente situm Agelli montis et nomen habui. Tunc judex frequentissimo illo, quo cœperat iter, comitatu, eo tandem defertur, ubi loci suspicio imminebat. Cumque somnum itinere fatigatus cepisset, vidit hominem venientem mari, equo insidentem candenti, non secus ac si firmo et stabili solo excurreret. Hic ubi propius accedit, ut fieri consuevit per somnium, hunc in modum dormientem alloquitur : En locus in quo tibi templum est construendum; ejus ipse longitudinem latitudinemque præfinies; primusque dando ad fundamentum ictum recuperabis salutem. Firmum ac ratum habet divinum illud consilium judex, ejusdem interpretem recognoscendo Gavinum. Statim in locum ipse delatus, qui ægre deportabatur lectica, factus est jam valentior. Ligone suis manibus ter quatit humum, primis templi fundamentis auspicium dando. Inde composito, ut per tempus licuit, tuguriolo, quia ut diximus, locus ille jacebat desertus ob Turrium a fundamentis eversionem, cum nocte tota arctissimo pressus sommo quievisset, mane experrectus tam se incolumi sensit restitutum saluti, ac si numquam lepra aliove morbo laborasset in vita.

EX JOAN. ARCA. *exequeretur, rursus adest S. Gavinus, docetque quo sacra pignora sint invenienda loco.*

Comita gratus ob recuperatam valetudinem ædificat templum;

5 Quamobrem provinciæ primates incredibili fusi gaudio, una cum matre atque sororibus Deo statim gratias ingentes reddiderunt. Inde nocte postera iterum visus est seni Gavinus, quasi gratulabundus de restituta salute. Cui præostensa templi ædificandi forma, longitudinem et latitudinem præscribit diligenter. Quapropter iis omnibus divinitus constitutis, de fabris optimis cogitare cœpit Comita. Erat ea tempestate Pisarum civitas *h* fabris optimis celeberrima. Nulli tunc parcuit * impensæ, quin inde, quos essent opus vocaret in hanc fabricam. Quare duodecim, quos Pisæ maxime celebrabant in lapidicina reque ædificatoria ingeniosissimos in Sardiniam trahit, qui operi parato incumbant. Fervet opus judicis diligentia atque industria, in quo totus est complicatus, donec ad finem usque perduceret, acceptum beneficium præ oculis ferendo. Stat templum hoc hodierno tempore integrum insigneque provinciæ Lugudorii frequentia, miro fabricatum opere, plumbeo tecto, territis marmoreis columnis atque striatis, subterraneoque ut vulgo fertur sacello, in quo jacent sanctorum Gavini, Prothi et Januarii corpora.

h

* *parcuit pro pepercit?*

dein locum a S. Gavino indicatum adit,

6 Hoc igitur opere completo, de Sanctorum reliquiis sollicitatur judex, quæ incognitis locis abditæ perhonorificis suis sedibus claroque sepulchro reponerentur. Qua de re convocato clero ac vicinarum ecclesiarum prælatis cum universo populi cœtu, quasi agmine facto Balai promontorium petit. Locum illum diebus tribus occupat tam celebris multitudo. Datur illud triduum magno consensu animi orationi assiduæ. Alii hymnos psalmosque decantant ecclesiæ Romanæ more; alii vero attentissima contemplatione ad Deum fusi precantur, ut locum illum ostenderet, in quo sanctissima corpora consepulta jacerent. Inter omnes autem Catherina *i* judicis soror gratissima Deum precata, ubi se in secretiorem recipit partem, humi strata fusisque lachrimis, nullum finem facit

EX JOAN. ARCA. facit orandi. Aderat jam quartus dies, cum illa divino numine inspirata : Ecce, inquit, thuribulum ardet; igne opposito injiciatur thus. Quo facto divinum miraculum sequitur. Fumus enim non ad sublime fertur, ut solet levitate, sed in eam potius partem advolat recto cursu, qua Martyrum monumentum latebat; ut quem locum prius attigerant Catherinæ preces, eumdem thus sequeretur effusum.

et invenit reliquias, 7 Hoc viso portento, hilares animo currunt, adhibiti fabri lapidem omnem versant, locusque nullus relinquitur intactus, donec antiquum reperiunt sepulchrum. Quod ubi primum patuit, trium corpora Martyrum *k* odore suavissimo sese effundunt, quæ non mortua quidem sed viva videbantur, suavissimum complexa somnum. Nullum corpore membrum; non ungues digitis, nec pilum capite excidisse videres; ut quæ Deo promissa erant, non fide certissima modo, verum etiam in ipsismet Sanctis apud nos stare cerneremus firmissima. Tenebat medium locum sanctus Gavinus inter Socios duos; ex quo invaluit consuetudo, ut inter Prothum et Januarium armati equitis forma perpetuo depingatur.

k

B

repertasque transfert ad novum templum; 8 Deferuntur inde solemni pompa, locis undique lætitia gestientibus. Collucebant enim accensis facibus viæ; ipsa divino cantu nemora vallesque personabant vicinæ, dum clerus progreditur longo compositus ordine usque ad templi limina. Illuc fit ingens perpetuusque concursus, quia crescebat devotio miraculorum celebritate, quæ multa sunt facta in ægrotis et cæcis. Ac tandem quo erant reperta modo, decenti veneratione recondita sunt in templo, ubi esse dicuntur adhuc, Patroni facti provinciæ, qui nostri memores esse dignentur apud Deum.

et moritur; 9 Interim non longo post tempore, dum hac felicitate usus esset Comita, rebus ejusmodi sapienter compositis, ut Christianum decuit hominem, ad vitam tutiorem decedit. Corpus ejus in medio templo conditur, in ipso altari D. Gavino sacro, ut qui collectas ejus reliquias templo magnifico condidisset, in ejusdem esset patrocinio tutus.

ejus in judicatu successor, 10 Superstes Catherina cum duabus sororibus, cum apud regiam esset, convocatis utriusque provinciæ *l* consiliariis, decernit in primis, quis esset legendus in demortui locum. Relictus erat Orgodorius seu Torquitorius *m* Gummale, Comitæ filius, qui quamvis adolescens virilem tamen hauserat a parente prudentiam. Is una voce communique consensu utrique præficitur provinciæ judex; qui inter alia parentem imitatus templum sancti Antiochi Bisarchense *n* construxit et donis amplissimis * Cassinati *o* monasteria exornavit.

l

m

n

* *Cassinatense monasterium.*

o

missa in Urbem legatione, 11 Sic stabilito statu regnorum, Catharina soror et ipse Orgodorius filius, non auro inhiantes neque argento, operæ pretium ducunt, ut quam repererant margaritam, quibus possent titulis a summo pontifice exornarent. Ex consiliariis viros graves sex eligunt ex tota nobilitate, qui Romam hujus rei gratia peterent : Gonnalem Cabrinum et Guantinum fratrem ex oppido Puzu majore; Georgium Pinna et Gonnalem de Serra ex oppido Thaylo *p*; Guantinum de Martis et Joannem fratrem ex oppido Turralba. In oppidum ii Ker-

p

qui conveniunt, et inde Romam missi ingenti D numerata pecunia, ut a pontifice maximo sanctorum Martyrum canonizationem et templi consecrationem per cardinalem *q* contenderent. Visa tunc tanta pecunia Orgodorius, quamvis ante consenserat amitæ, ægre tamen visus est ferre, tantum illo itinere pecuniarum insumi. Sed statim a Catherina monitus est, nihil iis defuturum qui se pro Deo sanctorumque gloria liberales præstarent : Cum ad pontis, inquit, Turritani radices, aut in flumine Aristanensis *r* pontis decurrens aqua defuerit, tunc scito, fili mi, in regnis tuis pecuniam defecturam. Fluvius hic Turritanus *s* juxta Turrium civitatem olim florentissimam labitur in fauces piscosas et pelagus se exonerans, ponsque maximns stat adhuc, quo semper trajicitur. Ad hujus imminentis pontis radices est aquarum vorago profundissima, quæ fieri solet in locis saxosis maxime quibus aqua decurrens illidit.

q

r

s

solemnem basilicæ procurat dedicationem; 12 Hoc prudentis fæminæ dicto, nepos in proposito confirmatur, et legatos Romam ire permittit. Consistorio illis decreto *t*, ut in rebus gravioribus Romana curia solet, cardinalis temporibus illis insignis, qui de primis seu Italiæ dicebatur, in Sardiniam est delegatus. Venit cum eo Pisanus archiepiscopus, atque in Turritanum portum appulsi, excepti sunt maxima sacerdotum lætitia. Conveniunt illuc ex insula multi, partim visendi studio rei novitate permoti, partim pietate accensi, quia legati adventus fama tota diffunditur regione. Ac primum Sanctorum corpora canonizata sunt publice in ea porta templi quæ Orientem spectat. Ex quo nata est inde religio, ut semper occlusa manens, quibusdam solum annis pateat reserata, tali fere Sardorum concursu, qualis ad urbem Romam fieri solet sacris expositis foribus.

t

qua occasione legatus pontificius plurimas concedit indulgentias. 13 Iis peractis orat legatum Catherina una cum primoribus provinciæ Loci Aurei, ut ea usus facultate, quam a summo trahebat pontifice ad consecrationem ecclesiæ ipsum idem templum indulgentiarum munere cumularet. Tam honestis præcibus legatus copiose satisfacit, concedens in omne futurum tempus ab ecclesiæ thesauro, singulis anni diebus VI mil. CCCLX indulgentiarum *u* annos et VI mil. CCCLX quarantenas, quas duplicari voluit a Kal. Maii usque ad Kal. Junii, quo tempore recolitur illius dedicatio et consecratio templi; et a die 28 Octobris usque ad diem omnium Sanctorum octavum, quibus diebus præcipue sanctorum Gavini, Prothi et Januarii memoria ac natalis dies tanta pietate recolitur, ut mensis Octobris Gavini nomine appelletur. Numerum illum indulgentiarum voluit duplicari singulis sabbatis Quadragesimæ atque in Hebdomada sancta. Deinde Pisani archiepiscopi postulatu, quibuscumque diebus anni concessit dies LXXX indulgentiæ. Aderant ad hanc consecrationem episcopi quindecim. Tandem eo ipso die est sedes archiepiscopalis statutum hoc ipsum templum, a Turribus sumpto nomine, ut Turritanus archiepiscopus diceretur *v*.

u

v

Dies et annus quibus hæc gesta. 14 Facta est autem hæc consecratio die quarta Maii anno Domini CCCCXVII (*imo* DXVII) *x* quæ inscriptio stat pro porta insigniori templi, quæ ab ortu ingredientibus patet *z*.

x

z

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a Post civitatem Turritanam eversam. *Ex his jam verbis liquet Inventionem, de qua agitur, nullo modo posse referri ad initium sæculi* VI. *Confer Comm. Præv., n.* 15 *et seqq.*

b De Comita, judice *videquæ diximus Comm. Præv.* § II, *n.* 18 *et seqq. ubi ostendimus judices sæculis* V *et* VI *in Sardinia non fuisse.*

c Loci Aurei *id est ex mente scriptoris*, Logudori; *ast, teste Casali* (1), *vocis hujus origo valde incerta est. Alii eam deducunt a nomine gentilitio* Doria, *quæ familia plurimos olim agros in hac provincia possedit, multumque exinde in ea valuit; alii ab soli fertilitate et aurifodinis ditissimis, quibus regionem abundare crediderunt. Sed neutra opinio fundata est. Vox enim* Logudorum *diu in usu erat antequam gens Doria in insulam appulisset; et aurifodinæ in Sardinia nullæ uspiam vel notæ vel repertæ. Alii proinde dixerunt* Logudoro *ortum ex* Logu de ore. *Scilicet ab initio pars seu provincia judicatus Logudorensis vocabatur* Dori, *alias* Dore *et* d'Ore, *quod deinde nomen*
B *toti judicatui inhæserit. Ast, inquit Casalis, feliciori forsan uteretur conjectura, qui paucis immutatis litteris*, Logudorum *et* Logudorenses *a* Luguidone *et* Luguidonensibus, *deduceret.* Ptolemæo, *ut habet Cluverius* (2), populi Sardiniæ recensentur inter alios Λουκουιδωνήνσιοι Luquidonenses, quorum opidum fuit Λουκουίδων Luquido, sive, ut Antonini præscripta itinera habent per *g* Luguido... in media fere insula *signatur locus* Loconi *dictus* (3), ubi, *addit Cluverius*, ipsum haud dubie fuit opidum Luquido sive Luguido.

d Hieronymo Çuritæ, *egregio annalium Aragonensium scriptori, qui ad annum* 1313 *hæc habet* (4) : Insula Sardiniæ divisa erat in quatuor provincias, quæ antiquitus judicatus vel regna vocabantur, et erant Arborea, Gallura, Calaris, Turres. Primus judicum illorum qui mihi innotuit, Comita est, judex vel dominus Arboreæ. *Plura in rem nostram non dicit, quamquam sat multis, at tamen incidenter, tractet de occupatione Sardiniæ et Corsicæ sub Jacobo II rege Arragoniæ. Et paulo infra narrat, Fredericum I cognomine Barbarossam imperatorem*
C *Occidentis* (*ab anno* 1152 *ad* 1191) *concessisse Barisoni, judici et domino Arboreæ, titulum regis, eumque toti insulæ præfecisse. Cæterum satis apparet ex Zuritæ universo contextu, ejus opinione, Comitam haud multum distasse a Barasone. Conf. Comm. Præv.*, § II, *n.* 20.

e Georgiam, Præciosam et Catherinam... *Notat quoque Fara Comitæ fuisse tres sorores;* Helenam (*loco Catharinæ*) Præciosam *et* Georgiam; *hanc, præclara virtute et excelso animo feminam, fratri infirmæ valetudinis auxilium tulisse in rebus administrandis; nec a bellico tumultu abhoruisse; quinimo in aciem processisse contra Baldum, Galluræ judicem, quem victum captivumque fratri suo Comitæ adduxit. Ecclesiam B. Mariæ et Arcem seu Castellum ædificavit in Ardara. Dubitat Martinius an Fara non confuderit tres* sorores *Comitæ cum tribus* filiabus *Gonnarii, judicis Arboreensis. Ast censet Angius, Faram hac in re non facile* EX JOAN. ARCA.
erroris arguendum; imo nec deserendum (5).

f Oppido Ardari. *Erat Ardari seu* Ardara, *antiqua Sardiniæ civitas, metropolis judicatus Logudorensis. Dicitur ecclesia et castrum exstructa a Georgia, celeberrima Comitæ sorore.* Ardara *hodie vicus est exiguus, focos numerans septuaginta. Ecclesia parochialis B. V. Mariæ dicata, eadem est, quæ ædificata fertur a Georgia* (6).

g Kerqui, *cujus nuspiam alias reperi mentionem. Infra signatur quidam Guantinus* querquius, *probabiliter ex oppido* querqui *seu kerqui oriundus.*

h Pisarum civitas. *Ex hoc loco pronum forte non nemini videbitur inferre eo tempore Sardiniam Pisanis subditam fuisse; atque proinde inventionem Reliquiarum et ecclesiæ ædificationem spectare revera ad sæculum* XI, *quamvis ex mente auctoris adscribenda sit ineunti sæculo* VI. *Vide Comm. Præv. n.* 21 *et seq.*

i Catherina judicis soror. *Conf. supra lit.* e, *ubi vidimus alios scriptores cum Fara, sororem hanc judicis vocare* Helenam, *de qua sicut et de Præciosa apud illos nihil memoratu dignum* E
occurrit.

k Trium corpora Martyrum. *Usu venit hic quod habet Casalis* (7) : Certum mihi est, reperta a Comita (*sæculo* XI) SS. Martyrum corpora, seu, ut rectius loquar, translata ex loco, ubi conservata et celata erant, ad sedem digniorem, ecclesiam nempe eorum nomine dicatam ; ast variis adjunctis, in antiqua legenda relatis, non putem adhibendam fidem. *Conf. Comm. Præv.*, § II. *n.* 26.

l Utriusque provinciæ *id est ex mente scriptoris, Logudorensis seu Turritanæ et Arboreensis. Confer n.* 1 *in Prologo hujus* Inventionis.

m Orgodorius seu Torquitorius. *Hujus nominis nullus judex Logudorensis signatur ab Angio, qui sequentem exhibet seriem :* Comita, Marianus, Barison *etc. Arborenses judices numerat :* Comitam (*an idem qui supra?*) Petrum, Torchitorium, *huncque coævum Barisoni Turritano seu Logudorensi. Hi omnes sæculo* XI *præfuerunt. Unde rursus efficitur quam supine labatur auctor noster.*

n Templum S. Antiochi Bisarchense. *Erat* F
Bisarchium civitas episcopalis medio ævo. Matthæjus (8) *multis agit de* ecclesia Giraclensi, *quam notat variis nominibus appellatam fuisse, nimirum* Biraclensem, Bisargensem, Bisarchiensem, Buisarchensem, Bisarensem, Bipharelensem, Bisacensem, Bravellensem et Bisardensem (9). *In Dictionnario geographico Sardiniæ urbs dicitur* Bisarcio, et antiquitus Buisarchium, Bisarclum, Brisarda. *De situ nonnihil, teste Matthæjo, dubitatum. In præfato Dictionnario asseritur exstare media inter Pluvium* (*Ploaghe*) *et. Castrum, utramque sedem quondam episcopalem, nec procul ab utraque dissita, et insuper proxima metropoli antiqui judicatus Logudorensis, Arderæ. Quocirca Matthæjus :* Inter alia oppida quæ Bisarchiensem diœcesim constituebant, erat Ardera ; ibi consuevit episcopus morari; unde hujus eccle-

(1) Dizionario geogr., tom. IX, p. 529. — (2) Sardinia antiqua. Grævius, vol XV, p. 22. — (3) Conf. Sprünners Atlas, Italia, n. IV. — (4) Anales de la Corona de Aragon, tom. I, fol. 416, pag. 2 et seq. Cæsaraugustæ, 1610. — (5) Dizionario geog., tom. XIX *bis*, p. 680. — (6) Ibidem tom. I, voce *Ardari*. — (7) Ibid., tom. XV, p. 652, voce *Portotorre*. — (8) Sardinia sacra, p. 215 et seqq. — (9) Ibid., p. 214.

siæ

EX JOAN. ARCA. siæ antistes, Arderensis quoque vocatus est. *Nihil jam superest præter ecclesiam, olim cathedralem, S. martyri Sulcitano Antiocho dicatam;* ejus ædificatio ponitur circiter annum 1153, opera Dorgodorii II, quem quidam annumeratum volunt regulis seu judicibus illius provinciæ (1). *Aberrat itaque more suo aliquot sæculis Arca.*

o Cassinati monasteria. *Duas recitat Gastola* (2) *chartas donationum, a judicibus Sardiniæ concessas Cassinensi monasterio : alteram Gonnarii an.* 1147 ; *alteram Baresonis an.* 1182. *Matthæjus* (3) *successorem dat Comitæ judici Constantinum an.* 1112, *addens hunc* quædam largitum monachis Cassinensibus, *ut liquet ex charta Gonnarii. Conf. Comm. Præv.*, § II, *n.* 20. *Ex his rursus patet, quam absurde Arca hæc omnia sæculo* VI *adscribat.*

p Puzu... thaylo, *Horum aut similium nominum nuspiam in Dictionnario geogr. Sardiniæ reperi mentionem.*

q Cardinalem. *Vide Comm. Præv.*, § II, *n.* 23 *et seq.*

r Oristanensis. Ptolemæo, *ait Cluverius* (4),
B post Thyrsi ostium ponuntur Ὀυσελλις πόλις κολώνια *Usellis urbs colonia et* Ἱερὸς ποταμὸς *sacer fluvius.* Hic nullus alius esse poterit, quam qui, inter Thyrsum et promontorium cui vulgare vocabulum *Capo di Frasca,* in sinum Neapolitanum effunditur. Ipsa vero urbs sive Colonia Usellis erit ea quæ... vulgo nunc dicitur *Oristagni,* intus paullum recedens. *Cluverium, teste P. Matthæjo* (5), *sequuntur Brietius, Baudrandus, Hofmannus atque Cantelius.* Verum, *subdit idem Matthæjus,* hos hallucinari nullus dubito; *adhæret nempe sententiæ Christophori Cellarii, qui diserte* Oristanum *ab* Usellis *distinguit* (6). Urbs Usellis nunc pagus in diœcesi Alensi est (7). *In novo Dictionnario geog. Sardiniæ multis agitur* (8) *de* Oristano, vulgo Aristani, *quæ antiqua et celebris Insulæ civitas dicitur, sedes judicum Arborensium post medium sæc.* XI, *nunc caput provinciæ et diœcesis.* Sita est in magna Arborensi planitie, uno milliari distans a sinistra ripa Thirsi, et tribus fere a littore sinus Oristani.

s Fluvius Turritanus *vulgo* fiume di Porto
C Torres, *quamvis exiguus sit, mentione tamen dignus est, judice Alberto de lá Marmora* (9), *tum ob pontem Romanum, quo trajicitur haud procul a ruderibus antiquæ Turris Libissonis; tum quod venam aquæ perpetuam habeat, plerisque aliis fluviis insulæ quotannis ad tempus exsiccatis.*

t Consistorio illis decreto. *Vide Com. Præv.* § II. *ubi multis probavimus omnia quæ pertinent sive ad ædificationem sive ad consecrationem ecclesiæ nullo modo posse adscribi sæculo* VI, *prout tradunt Arca aliique scriptores antiquiores.*

u *Has indulgentias sæculo* VI *concessas, diximus Comm. Præv., n.* 25, *fictitias esse.*

v *Quam absona hæc sint, patet ex dictis Comm. Præv. n.* 9.

x *Satis superque vidimus, annum imo et sæculum ab Arca perperam signari.*

z *Subdit Arca :* Habentur hæc omnia ex antiquis monumentis ipsius Turritanæ ecclesiæ manuscriptis atque impressis. *Quæ quam fida sint tum ex Annotatis nostris tum ex Commentario prævio judicet lector.* — *Notavi alicubi extare homiliam Salvatoris Salespusii, qui Turritanæ ecclesiæ præsedit ab anno circiter* 1539 *ad annum* 1568, *et interfuit concilio Tridentino non sine doctrinæ et eloquentiæ fama* (10). *Homilia fere tota consistit in comparanda dedicatione templi Turritani cum consecratione ecclesiæ Lateranensis sub S. Silvestro papa, agente Constantino Magno.* Piis, *inquit,* ille humeris imponit cophinos Augustus ; hic sanctus rex (*Comita*) divertens ab oneribus dorsum, mundandas manus extendit in sarculum, *et his similia.* D

RESCRIPTUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPA IX,

quo visitantibus Turritanam basilicam indulgentiæ conceduntur.

Monitum RR. DD. Archiepiscopi.

Beatorum Martyrum Turitanorum devotionem, et gloriam inter oves nobis commissas, et in universali ecclesia impensius promovere cupientes, sanctissimo domino nostro Pio IX Pontifici Maximo humillimas præces porreximus efflagitantes ut omnes Christi fideles, qui basilicam Portus Turritani, seu sanctuarium patronorum nostrorum Gavini, Proti et Jannarii devote visitaverint, et opera ab apostolica sede injuncta præstiterint, plenariam peccatorum indulgentiam consequi possent. Cum hujusmodi præces Sanctitas Sua benigne exceperit, religioni ac pietati vestræ, venerabiles fratres, et cooperatores nostri, apostolicum Rescriptum proponimus.

Rescriptum.

2 Pius PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem cœlestibus ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confesssis, ac S. communione refectis, qui ecclesiam seu sanctuarium in honorem SS. Gavini, Proti, et Januarii MM. civitatis Turritan. feria secunda dominicam Pentecostes immediate sequenti, et diebus quarta Maii et vigesima quinta Octo- F
bris mensium a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, item uno quolibet singulorum mensium die uniuscujusque Christi fidelis arbitrio eligendo, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem Christi fidelibus, qui dictam ecclesiam corde saltem contriti quocumque anni die visitaverint, ac ut supra oraverint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma ecclesiæ consueta relaxamus. Quæ indulgentiæ, peccatorum remissiones, et pœnitentiarum relaxiones, ut etiam animabus

(1) Dizionario geog., tom. II, p. 336. — (2) Historia abbatiæ Cassin. (Accessiones), tom. II, pag. 255 et 266. — (3) Sardinia sacr., p. 33. — (4) Sardinia antiqua, p. 16, apud Grævium Burmanni, vol. XV. — (5) Sardinia sacr., p. 263. — (6) Geographia antiqua, tom. I, p. 773. Lipsiæ, 1773. — (7) Sardinia sacr., p. 264. — (8) Tom. XIII, pag. 243 et seqq. — (9) Voyage en Sardaigne, pag. 107. — (10) Sardinia sacr., p. 165 et seq.

Christi

A Christi fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum ad S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII Septembris MDCCCLVIII Pontificatus nostri anno decimotertio. Pro Domino CARDINALI MACCHI Io. B. BRANCALEONI CASTELLANI

Adhortatio ejusdem RR. DD. Archiepiscopi ad cærum.

3 Virtutes Sanctorum Martyrum nostrorum quas in hereditatem nobis ipsi quasi transmiserunt in moribus, in actibus, in omni vita nostra exprimere assidue studeamus. Honorificemus, venerabiles Fratres, quantum possumus, ipsos amicos Dei, et laudemus Dominum in sanctis ejus, invocemur, expetiamur ipsorum intercessionem, illorumque auxilium, quod D in precibus, quas pro nobis magna efficacia fundunt, consistit, experiemur. Parochi, accepta occasione supradicti Apostolici Rescripti, fideles suæ curæ commissos instruant, potestatem conferendi indulgentias ab ipsomet Christo Ecclesiæ fuisse concessam earumque usum maxime esse salutarem (1), hocque esse catholicum dogma. Propterea notiones ipsi attente expendant de requisitis ad lucrandas indulgentias, doceant quinam Ecclesiæ finis in eis concedendis, quæ dispositiones in fidelibus requirantur, quem effectum producant. Et abusus, si qui fortasse populi inscitia irrepserint, emendent et corrigant. † AL. DOMINICUS Archiep. SCLAVO Secret,

(1) Concil. Trid. Sess. 25 de Indulg.

DE SS. MARTYRIO ET MARCIANO NOTARIIS,

B

MARTYRIBUS CONSTANTINOPOLI.

E

B. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. De ecclesiæ Constantinopolitanæ misero statu, mortuo S. Paulo patriarcha, cujus notarii erant SS. Martyrius et Marcianus. Horum passio ex Sozomeno et menologiis; et memoria in aliis fastis sacris. Quo in gradu ecclesiastico SS. Viri constituti erant, et an cum sociis passi. Martyrii tempus. Eorum sepulcrum, ecclesia, acta.

ANNO 351. *SS. Martyres erant notarii S. Pauli patriarchæ CP.,*

Ut dicenda de duobus SS. Martyribus planius et facilius intelligantur, breviter agendum prius de S. Paulo, patriarcha Constantinopolitano, cujus SS. Martyrius *et* Marcianus *notarii vocantur apud Sozomenum.* Quo tempore, *ut est apud Cabassutium* (1), Arius virus suum in Ægypto et finitimis oris spargebat, Alexander Constantinopolitanæ ecclesiæ gubernacula regebat, Alexandro Alexan-
C driæ episcopo, et studio religionis et morum similitudine conjunctissimus... Alexander Constantinopolis episcopus, quanta valuit sedulitate curavit, ne tanta lues in regiam urbem propagaretur; eamdemque postmodum in Nicæna synodo hæresin cum aliis patribus condemnavit... Demum anno 340 Alexander Constantinopolis episcopus instante suæ mortis die, ne arianorum factio successorem sibi arianum provideret, sedulam dedit operam, ut sibi defuncto Paulus sacerdos meritissimus subrogaretur : quod et factum est, obsistentibus licet arianis. *Sed turbatissimum habuit S. Paulus episcopatum. Audiamus Spondanum* (2) : Hoc eodem anno (340). S. Alexander episcopus Constantinopolitanus, magnus pietatis athleta et catholicæ fidei defensor acerrimus, plenus dierum ex hac vita migravit, cum sedisset annos viginti tres, vixisset nonaginta octo; et in ejus locum, ex ipsius prænonitione, suffectus est ab orthodoxis Paulus ejusdem ecclesiæ presbyter, insignis pietate et doctrina vir, cum ariani pro eligendo Macedonio satagerent. Sed cum eodem tempore Constantius imperator in eam urbem advenisset, coacto arianorum episcoporum concilio, Paulum abdicavit, et eorum antesignanum Eusebium Nicomedia Constantinopolim transtulit. *Et infra ad annum* 342 (3) : *Eusebio* defuncto cum populus Constantinopolitanus Paulum, Eusebii olim occasione ejectum, in ecclesiam F denuo introduxisset, ariani autem Macedonium delegissent episcopum, indeque crebris exortis seditionibus quam plurimi utrimque periissent, sed et dux Hermogenes a Constantio imperatore, tunc Antiochiæ existente, jussus Paulum ecclesia expellere, populo adversus eum pro Paulo insurgente interemptus esset; tunc Constantius ipse Constantinopolim properans, et Paulum ejecit e civitate; et ipsam civitatem supra quadragies centena millia medimnorum frumenti, nempe dimidia parte congiarii, quod illi a Constantino Magno in dies singulos ex vectigalibus Ægypti suppeditari jussum fuerat, mulctavit. Macedonio vero etiam succensens, tum quod ejus occasione tot cædes commissæ fuissent, tum quod minime expectato ipsius imperatoris consensu pro episcopo se gessisset; re adhuc in dubio relicta Antiochiam rediit. *Paulus Romam confugit, jussusque est a Julio pontifice sedi suæ*

(1) Notitia Conciliorum, p. 103. Edit. Lovanii, 1776. — (3) Ibid. p. 405.
(2) Annales Baronii in Epitomen redacti, tom. I, p. 398. —

AUCTORE B. B.

restitui, quod tamen executioni mandatum non videtur ante annum 348: *dubium enim valde est, an S. Paulus anno præcedenti adfuerit concilio Sardicensi, licet id asserant Socrates et Sozomenus* (1). *Anno autem* 348, *agente Constante imperatore, Constantinopolim rediit S. Paulus de consensu Constantii* (2).

ab arianis crudeliter necati.

2 *Necato autem Constante imperatore die* XXVII *Februarii anno* 350, *crudelius cum S. Paulo est actum. Eodem anno labente, vel ut aliis præplacet, sequenti anno* antequam Constantius Antiochia recederet... idem imperator Paulum Constantinopolitanum episcopum, quem Constans frater restituendum curaverat, solutus jam ejus metu a sede pellendum, et Macedonium in ejus locum subrogandum esse decrevit, litteris ea de re scriptis ad Philippum præfectum, qui secundus ab imperatore dicebatur et erat. Paulus igitur dolose a Philippo, tumultum populi in Paulum propensissimi verito, ad domum publicam alio prætextu evocatus, ac per fenestram in navigium dimissus, magna festinatione ad locum exilii abductus est. Porro diversa ejus exilia in unum colli- B gens Athanasius, ait eum primo in Pontum ab Eusebianis relegatum fuisse; postea a Constantio ferro vinctum, in Singra Mesopotamiæ deportatum; rursusque inde Emesam; denique hinc Cucusum Armeniæ oppidum circa deserta Tauri abreptum, ibi laqueo per eosdem arianos strangulatum vitam finivisse... Pauli autem corpus Theodosius senior imperator postea magnifica translatione Constantinopolim deferri curavit et collocari in ecclesia, quam Macedonius ejus persecutor extruxerat; quæ postea Pauli nomine vocata est (3). *Hactenus Spondanus. Atque hæc pro scopo nostro sufficiant de S. Paulo. Qui plura de illo deque procellis adversus orthodoxos, imperante Constantio et prævalente arianorum factione, excitatis scire voluerit, adeat Commentarium in opere nostro ad diem* VII *Junii, quo celebratur S. Pauli memoria, item consulat Janningum in Appendice ad tomum VI præfati mensis p.* 71. *Confer etiam Cuperum in historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum* (4) *Tillemontium* (5) *aliosque.*

Eorum passio ex Sozomeno,

3 *His præmissis ad SS.* Martyrium *et* Marcianum *veniamus, atque exordiamur a verbis Sozomeni sequentibus :* Malum, *inquit* (6), ad cædes usque progressum fuerat. Nam ut alii interfecti sunt, et Martyrius ac Marcianus : quos utpote Pauli domesticos et contubernales, aiunt forti animo mortem pertulisse, cum eos Macedonius præfecto tradidisset, tamquam auctores necis Hermogenis et seditionis adversus ipsum, ac postremo depositionis ipsius Macedonii, tunc cum Constantinopolitana ecclesia expulsus est. Erat autem Martyrius quidem subdiaconus; Marcianus vero cantor et lector sacrarum scripturarum. Eorum sepulchrum est ante muros urbis regiæ, admodum insigne, ecclesiæ ambitu circumdatum, tamquam martyrum monumentum. Quam quidem extruere cœpit Joannes, absolvit autem Sisinnius; qui postea, ecclesiæ Constantinopolitanæ fuerunt antistites. Indignum enim censuerunt præmiis atque honoribus martyrii eos fraudari, quos Deus ipse honore afficeret. Quippe locus ille, ubi olim noxii qui ad mortem ducebantur, capite truncari solebant, cum antea propter spectra inaccessus esset, deinceps purgatus est; multaque alia miracula ad illorum tumulum contigerunt. Et hæc quidem de Martyrio et Marciano dicta sint a nobis. Quæ si cui minus credibilia videbuntur, facile est res istas ex iis qui has norunt, accuratius perdiscere : nam fortasse adhuc mirabiliora iis quæ dixi, narraturi sunt. *Atque hæc ita Sozomenus, scriptor sæculi* V, *qui creditur libros suos de Historia ecclesiastica inchoasse circa annum* 443 (7). *Caput tertium, quo prædicta continentur, hunc fert titulum :* Περὶ τοῦ μαρτυρίου τῶν ἁγίων νοταρίων, de martyrio sanctorum notariorum. *Quod autem scribat Sozomenus :* aiunt forti animo, *etc., id molliori quidem manu; quippe qui, ut notum est, arianis minime infensus.* D

Menologio Basilii imp.,

4 *Sozomeno concordat Menologium, quod Basilii imperatoris, nempe Porphyrogenetæ dici solet et scriptum est, ut diximus alibi* (8), *circa an.* 984. *Sic porro habet ad hunc diem* XXV *Octobris :* Certamen sanctorum martyrum et notariorum Marciani et Martyrii. Hi discipuli et notarii fuere sancti Pauli confessoris (*ab aliis martyr vocatur nec immerito sane*) et patriarchæ Constantinopolitani, temporibus Constantii imperatoris. Postquam autem sanctus Paulus ab eodem imperatore, quod ab arianorum hæresi abhorrens, nullam cum iis communionem jungere voluisset, in Armeniam relegatus fuit, ibique beatum vitæ finem accepit, ab arianis ob orthodoxam fidem strangulatus; Marcianus et Martyrius vestigiis magistri inhærentes, quod arianos objurgarent, a Philippo præfecto ariano comprehensi diuque torti, in tenebricosum carcerem includuntur, ut fame ac tenebris conficerentur. Inde eductos compellebant arianam hæresim amplecti : in proposito autem persistentes, ad muri summitatem adductos, gladiis jugularunt; ubi et eorum reliquiæ depositæ sunt. *Tabella depicta in fronte hujus encomii exhibet utrumque sanctum Virum; alterum stantem, alterum sub ictu gladii. Ad dexteram cernitur ecclesia; ab hac sinistram versus procurrit murus* (*putem urbem cingens*) *in quo binæ fere juxta invicem positæ, portæ. An forte indicio hæc sint, ecclesiam sæculo* X, *adhuc exstitisse? Vide infra ubi paulo latius de templo SS. Notariorum tractamus.* E F

item ex Menæis et Synaxario Sirmondi.

5 *In Menæis impressis, Venetiis anno* 1843 *ad hunc diem legitur :* Memoria sanctorum martyrum et notariorum Marciani et Martyrii. Cum post obitum Alexandri, Paulus confessor, patriarchatum Constantinopolitanum teneret *sub* imperio Constantii ariani, et in Armeniam missus exul fuisset, beatumque assecutus finem, ab arianis strangulatus; ipsi quoque duo sancti Viri pro orthodoxa fide gladio cæsi sunt, et sepulti in Melandesia porta, in ipsa Constantinopolitana urbe, in Deutero τοποθεσία τοῦ Δευτέρου; quibus templum a fundamentis erexit sanctus pater noster Joannes Chrysostomus. *Hactenus synaxa-*

(1) Annales Baronii in Epitomen redacti, p. 410. — (2) Ibid., p. 414. — (3) Ibid., p. 419 et seq. — (4) Acta SS., tom. I. Augusti, p. 14 et seqq. — (5) Mémoires, tom. VII, p. 251-260. Paris, 1706. In-4°. — (6) Lib. IV, c. III. — (7) Biographie universelle. V° *Sozomène.* — (8) Tom. IX Oct., p. 520.

synaxa-

A *rium, cui, pro more, præmittuntur versiculi*

Χριστοῦ καλάμους τοὺς Νοταρίους νόει,
Εἰς αἷμα τὸ σφῶν, ἐκ ξίφους βεβαμμένους.
Hos calamos Christi scias esse Notarios,
Tinctos suo fuso per ensem sanguine.
Πέμπτῃ Μαρκιανὸν τάμον εἰκάδι Μαρτυριόντε

Vigesima quinta cæsi sunt Marcianus Martyriusque

vel, ut vertit Siberus (1) :

Martyrium et Socium vigesima quinta cecidit. *Synaxarium habet Sirletus* (2), *sed paulo decurtatum, nec accurate omnino redditum. Sæpius in opere nostro recurrit mentio de Synaxario quodam P. Sirmondi, quod habemus inter mss. hagiographica, manu Papebrochii exaratum, cum hoc titulo:* Supplementum ad Menæa græca excusa, ex ms. Synaxario P. Sirmondi in pergameno, unum alterumve et sæpe plures Sanctos singulis diebus per totum annum referente absque versibus, et ms. P. Chiffletii in charta sex menses continente a Martio ad Septembrem. *Die quidem* 25 *Octobris in præfato Synaxario nullus notatur Sanctus præter SS.* Martyrium *et* Marcianum, *sed horum elo-*
B *gium haud parum differt a Menæis excusis; quocirca integrum illud adscribimus ex versione latina item ms. quæ præ manibus est:* Certamen sanctorum martyrum Marciani et Martyrii, lectorum et notariorum τῶν ἀναγνώστων καὶ νοταρίων. Hi erant discipuli et a commentariis Pauli confessoris (φοιτηταὶ καὶ ὑπογραφεῖς Παύλου τοῦ ὁμολογητοῦ *sequaces et amanuenses seu a commentariis, notarii*) patriarchæ Constantinopolitani a morte Alexandri creati, sub imperio Constantini * ariani (*imo Constantii*). Postquam igitur sanctus Paulus ab ipso imperatore, eo quod cum arianis de fide non communicaret, sed illos palam vulgo faceret, in exilium missus fuit in Armeniam, ubi beatum finem accepit, propter rectæ fidei confessionem ab arianis suffocatus sub Philippo præside; qui cum ipse arianus esset, hac de causa rectæ fidei alumnos exagitabat. Hi sancti Martyres gladio necati, ad portam Melandesiam, in ipsa urbe Constantinopoli sepulti sunt in Deutero, quorum vitam et templum sanctus Joannes Chrysostomus ab elementis instauravit, ubi et agitur eorum conventus.

* Κωνσταντίνου *pro* Κωνσταντίου

C *Græce locus iste sic habet :* ὧν καὶ τὸν βίον καὶ τὸν ναὸν μετὰ ταῦτα ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Χρυσόστομος ἐκ βαθρων ανήγειρεν · ἔντα καὶ τελεῖται ἡ αὐτῶν σύναξις. *In Menæis excusis pro* ανηγεῖρεν *legitur* ἤγειρεν, *et vertitur* exstruxit. *Nuspiam alias scribitur S. Chrysostomus SS. Martyrum nostrorum vitam scripsisse, ut putem vocem* βίον *perperam irrepsisse.*

Memoria in aliis fastis sacris.

6 *Post hæc nemo mirabitur memoriam* SS. Martyrii *et* Marciani *haud infrequens in aliis quoque occurrere fastis sacris. Suffecerit præcipua hic recensuisse. Et sane primo loco venit* menologium evangeliorum festivorum *seu* Kalendarium ecclesiæ Constantinopolitanæ, *a Morcello typis anno* 1788 *in lucem datum ex codice bibliothecæ romanæ Albanorum, atque, ut ipse notat editor in Titulo,* mille annorum vetustate insigne; *alibi autem probat Morcellus, codicem, quo usus est, scriptum fuisse sæculo* VIII (3), *et post annum* 740 (4). *In hoc itaque* Kalendario *legimus* (5) : Eodem mense (*Oct.*) die XXV ob (εἰς) memoriam sanctorum notariorum Marciani et Martyrii ac reliquorum Sanctorum, ex Evang. Lucæ caput CXXXXV (*in Vulgata cap.* XII) *etc. Ex quo videmus cur græce adhibeatur titulus* Μηνολόγιον τῶν Εὐαγγελίων ἑορταστικων; *quamobrem vero suum latine posuerit titulum, ipse nos docet Morcellus* (6) *:* Kalendarium appellavimus quod Μηνολόγιον ἑορταστικόν dicitur, in uno illo vocabulo duorum scilicet horum inesse vim rati *etc. Eodem die in Typico S. Sabæ signantur* Marcianus et Martyrius MM.; *et in Menæis excusis, quibus decessores nostri hagiographi utebantur, primo loco venit :* Marciani et Martyrii MM.; *sequuntur autem memoriæ:* Anastasii M., Valerini M., Sabini M., Valerii et Chrysaphi MM. *Quæ scilicet ita leguntur in* Indice in Menæa excusa, *manu Papebrochii scripto. Memorantur pariter in ejusdem decessoris nostri Ephemeridibus Græco-Moscis :* Marcianus, Martyrius ✠ Martyres *et additur* Abrahamus. *Sic etiam apud Assemanium* (7) *in* Tabulis Græco-Moschis Capponianis *ad eumdem diem repe-* E *riuntur, sed soli:* Marcianus, Martyrius, *et notat Assemanius :* Vacant hac die codices vaticani; vacat et Possevini Calendarium, unde habet : « Deest. » *In Anno ecclesiastico Græco-Slavico P. Joannis Martinof, initio hujus tomi p.* 260, *legitur* (25 *Oct.*) : Passio SS. Martyrum Marciani et Martyrii Notariorum et Soc. Ita pene omnes... *Atque observat auctor :* In Ostromirano legitur ita : « SS. Martyrum Marciani et Marturii et sancti Nutarii. » Ubi errore manifesto, notarii dignitas in personam mutata est... Cl. Kopitarius... mendo mendum substituit; nempe pro « Nutarii » legit « Cutarii... » et subdit... : Quid si hic Cutarius exstiterit e notariis Kal. Basiliani. *Equidem nullus dubitem hic sicut et non ita raro alibi hallucinatum librarium Ostromirani. Angelus Maius in* scriptorum veterum Nova Collectione *ex codicibus Arabicis bibliothecæ Vaticanæ, publici juris fecit* (8) Synaxarium anni, *sive, ut ipse subjungit,* Kalendarium Sanctorum, pro quibus evangelicæ lectiones assignantur, a Kalendis Mensis Septembris, a quibus anni ecclesiastici initium Græci Melchitæ accersunt, F ad Augustum inclusive. Quæ per extensum descripta sunt evangelia, eorum initia in gratiam Sacrorum Rituum studiosorum proferimus. *In hoc Synaxario ad diem* 25 mensis Tesrin prioris, *qui nostro respondet Octobri, notatur* (9) : Commemoratio sanctorum notariorum Marciani et Martyrii. *Et in altero* Synaxario seu Martyrologio ecclesiæ Alexandrinæ Coptitarum, *ab eodem Maio per compendium exhibitum* (10), *legitur Octobris* (*Coptis* Babeh *seu* Paophi) die 28, Martyrium sanctorum Marciani et Mercurii (*imo* Martyrii), discipulorum sancti Pauli, patriarchæ Constantinopolitani (11). *De hoc posteriore Synaxario latius diximus tomo præcedenti* (12), *monuimusque annum copticum inchoari a die* 28 *Augusti; proinde dies* 28 *Octobris supra notatus incidit in nostrum* 25 *ejusdem mensis. Atque hæc in*

AUCTORE B. B.

(1) Ecclesiæ græcæ martyrologium metricum, p. 471. Lipsiæ, 1727. — (2) Canisius, Thesaurus monumentorum, tom. III, p. 481.— (3) Kalendarium Eccl CP., tom. II, p. 244. — (4) Ibid., p. 230. — (5) Ibid., p. 28. — (6) Ibid., tom. I, p. 8. — (7) Kalendaria ecclesiæ universæ, tom. V, p. 318. — (8) Tom. V, p. 46 et seqq. — (9) Ibid., p. 48. — (10) Ibid., pag. 93 et seqq. — (11) Ibid., p. 89 et seq. — (12) Acta SS., tom. IX Oct., p. 575 n. 1.

fastis

AUCTORE B. B.

fastis græcorum et orientalium. In latinis parcior occurrit mentio. Silent Beda, Ado, Rabanus et Usuardus; in hujus unico auctario, nempe ex Molani editione, apud Sollerium habetur : Die vigesima quinta, sanctorum martyrum et notariorum Marciani et Martyrii. *In Romano annuntiantur his verbis :* Constantinopoli passio sanctorum Martyrii subdiaconi et Marciani cantoris, qui ab hæreticis sub Constantio necati sunt. *Singulare est in Romano* Martyrium *præponi* Marciano, *cum alibi perpetuo hic illi anteponatur, excepto tamen in Sozomeno, quem secuti sumus. Conf. n.* 1.

Subdiaconus erat S. Martyrius; *S.* Marcianus *lector et cantor;*

7 Porro, *inquit Morcellus* (1), Martyres hi nostri aliquo etiam gradu in ecclesia erant. *Teste Sozomeno, erat S.* Martyrius *subdiaconus; sanctus* Marcianus *cantor et lector sacrarum scripturarum :* Ὁ μὲν ὑποδιάκονος, ὁ δὲ Μαρκιανὸς ψάλτης καὶ ἀναγνώστης τῶν θείων γραφῶν. *In menologio Basilii et menæis nostris excusis sicut et in synaxario Græcorum Melchitarum solum* notarii *dicuntur; in synaxario Sirmondi:* Lectores *et* notarii ; *in Synaxario Coptico :* Discipuli sancti Pauli, patriarchæ *CP; in Martyro-*
B *logio Rom. :* Martyrii, subdiaconi; Marciani cantoris. *Nicephorus Callistus Sozomenum sequitur, sed aliis utens verbis :* Ἦν δὲ ὁ ἕτερος μὲν ὑποδιάκονος, ψάλτης δὲ ὁ Μαρτύριος καί τὰς θείας ἀναγινώσκειν τεταγμένος γραφάς horum Marcianus subdiaconus fuit; Martyrius autem psaltes seu cantor divinarumque scripturarum lector (2). *In actis infra edendis nihil memoratur nisi quod* notarii *seu* scribæ *essent S. Pauli. Baillet, nescio quo nixus fundamento, S.* Martyrium *dicit diaconum, notans tamen in margine ab aliis illum vocari subdiaconum tantum* (3). *Putem adhærendum Sozomeno, utpote scriptori omnium antiquiori et SS. nostris Martyribus suppari. Observat Assemanius* (4) : Tam in nostris quam in Papebrochianis fastis, Marcianus depingitur ut senex barbatus, Martyrius ut juvenis; uterque tamen habitu laico, quamquam Martyrius subdiaconus fuerit et Marcianus cantor. *Eodem fere habitu exibentur in tabella menologii Basilii* (*conf. n.* 4); *inde probabilius quod in tribus nominatis fastis nulla fiat mentio de subdiaconatu nec de gradu lectoris vel cantoris. Porro canon XXIII concilii*
C *Laodiceni lectores et cantores vetat ferre orarium :* non oportet lectores aut cantores orarium ferre, et sic legere vel canere. *Et notat Suicerus* (5) *:* Optime vero quid sit Orarium, declarant ecclesiastici scriptores, qui in habitu sacerdotali Orarium appellarunt pannum oblongum, brachio sacerdotis imponi solitum. In Græciis liturgiis sæpe hujus mentio fit; et vocant Græci istam manualem laciniam modo ὡράριον modo λῶρον. *Quamquam alii* ὡράριον *et* ὠμοφόριον *pro eodem accipiunt, quod non sacerdotum sed diaconorum gestamen fuit. Cæterum plurimum certant archeologiæ periti de vocis* ὁράριον, (*sic enim scribendum asserit Suicerus, non* ὡράριον) *origine et significatione. Plerumque sumitur pro* Stola, *quandoque etiam pro* manipulo; *canon Laodicenus, posteriore* D *assumpta significatione commodius explicari videtur. Præter Suicerum, consule, si libet, Macrum in Hierolexico, Politiam tomo I ubi de sacris Vestibus, Augusti* (6), *Meratum* (7), *Thomassinum* (8), *Lebrun* (9), *aliosque. Denique licet distinctus Lectorum a Cantorum ordine sit; attamen plerumque idem qui legebat etiam et canebat, ut tradit Suicerus* (10) : quamvis, *inquit*, ut ipsa vox satis docet, eorum (*lectorum*) officium fuerit ἀναγινωσκειν legere, successu tamen temporis raro legebant, ut plurimum vero canebant. *Et Binterim universim asserit* (11) *:* Lectores haud raro etiam erant cantores, Psalmistæ, Notarii.

ambo notarii.

8 *Hoc autem apud omnes in confesso est, beatos Pugiles fuisse Sancti Pauli patriarchæ CP notarios. Teste Morcello* (12), *erant* notarii sive Ὑπογραμματεῖς, ut eosdem appellat Nicephorus, scribæ librarii, qui acta excipiebant, quæ in ecclesia fierent; eaque de causa suos episcopus quisque notarios habebat e cleri numero; ut, qui Paullum in pontificatu Constantinopolitano antecessit, Alexander, in cujus subscriptione sic memoratur Σὺν Παύλῳ E ἔτι τοτε ἀναγνωστῃ ὀντι καὶ Νοταρίῳ *cum Paulo* (*is ipse est de quo mox diximus*) *tunc ejus* (*Alexandri*) *lectore et notario.* Hi nempe etiam in concilio aderant. Itaque in concilio Chalcedonensi, Theodorus episcopus Claudiopolis Isauriæ de Dioscoro questus Ἀγάγῃ, *inquit*, τοὺς νοταρίους αὐτοῦ · ἐκβαλὼν γὰρ τοὺς πάντων νοταρίους, τοὺς ἑαυτοῦ ἐποίησε γράφειν *i. e. deducat notarios suos : ejiciens enim omnium notarios, suos fecit scribere* (13). *Et distinctius scribit Suicerus* (14): Notariorum primo duo genera fuisse observat Cl. Meursius : hi ipsam artem factitabant; illi profitebantur et adolescentes docebant atque νοτάριοι παιδοδιδάσκαλοι dicebantur. (*De istis redibit sermo., ubi de sepulcro SS. Martyrum dicemus*). Eorum vero qui artem factitabant tria rursus erant genera : hi palatio inserviebant; isti militiæ; illi ecclesiæ et πατριαρχικοί nuncupabantur, fitque eorum mentio in Synodico Alexii Patriarchæ: « Quod si etiam oportebit referre ad mediocritatem nostram vel etiam ad religiosissimum chartophylacem (*id est tabularum ecclesiæ custodem* (15)) et pientissimos ejus diaconos et pa- F triarchales notarios. » Et hi chartophylacibus operam dabant : constat ex verbis proxime prolatis. Erantque numero duodecim.

An cum aliis passi?

9 *Denique observat Morcellus* (16) : At non solos martyrio defunctos esse, declarat Kalendarium (*CP*) additamento illo καὶ τῶν λοιπων Ἁγίων. Quæ iis plane respondent, quæ Sozomenus attigit : insanis enim Macedonii furoribus commemoratis, cujus caussa multi vexati fuerant, aut in exilium acti, aut inustis in fronte notis compuncti; adjecit demum : Προῆλθε γὰρ τὸ κακὸν καὶ μέχρι φόνων · καὶ γὰρ δὴ ἄλλοι τινὲς ἀνῃρέθησαν, καὶ Μαρτύριος καὶ Μαρκιανός (*Malum enim ad cædes quoque pervenit, sublatique cum alii quidam, tum Martyrius atque Marcianus*).

(1) Kalendarium, CP. tom. I p. 203. — (2) Nicephorus Callistus ecclesiasticæ historiæ lib. IX. cap. XXX. tom. I. p. 748. Paris. 1630. — (3) Kalendaria ecclesiæ universæ tom. V. p. 318. — (4) Thesaurus. V° Ὁραριον. — (5) Vies des Saints, 25 Oct. — (6) Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archälogie, tom. VIII p. 215 et seq. — (7) Novæ observationes in Gavantum, tom. I, p. 183-185 Augustæ Vindel., 1740. — (8) Discipline, tom. I, col. 776. Paris 1725. — (9) Tom. I, p. 46,et seqq, Paris, 1716. — (10) Thesaurus V° ἀναγνωστης. — (11) Denkwürdigkeiten der Christ-Katholischen Kirche, tom. I, vol. I, p. 293. — (12) Kalendarium ecclesiæ CP, tom. I, p. 22. — (13) Labbe, Conc., tom. IV, col. 128. — (14) Thesaurus ecclesiasticus ex Patribus Græcis V° Νοτάριος. — (15) Vide ibidem V° Χαρτοφύλαξ. — (16) Kalend. CP, tom. I, p. 203.

Nomine

A Nomina vero ipsa Martyrum illorum non recensuit ; quæ tamen consignata videntur in codice slavico Assemani, qui cum sanctis Notariis jungit Paullum confessorem, Nestorem Thessalonicensem martyrem, Varum martyrem et septem Socios. *Et re quidem vera ita habet Assemanius, sed subjungit* (1) : Et Vari quidem memoria a Græcis colitur in Menolog. ad 19 hujus (*Octob.*) *quo etiam die nos de S. Varo egimus ;* Nestoris autem ad 27, uti mox dicam. De Paulo vero confessore, dixi supra ad 2 Septembris, *ubi hæc leguntur* (2) *:* De S. Paulo confessore et patriarcha Constantinopolitano *agitur in martyrologio Romano, item et in opere nostro,* ad diem VII Junii. Græci Paulos quatuor Constantinopolitanos colunt , Confessorem scilicet, qui sub Constantio imperatore passus est, die 2 Septembris ut supra et 6 Novembris : et juniorem seu novum Paulum, die 2 Septembris, de quo latini silent ; et jure quidem merito : nam hic Paulus junior, qui Constantinopoli sedit ab an. 641 ad 651, quum aliquamdiu hæresim monothelicam occultasset ob Typum, seu formulam fidei, ipsius opera
B a Constante imp. promulgatam, a Theodoro papa damnatus fuit. Vide Pagium ad annum 648 num 15. Duo alii cognomines Pauli sedem Byzantinam tenuerunt : alter scilicet ex laico a secretis, patriarcha inauguratus anno 686, sub quo concilium quini-sextum Trullanum est celebratum ; alter Tarasii proximus decessor, qui ab anno 780 ad 784 sedit, de cujus obitu hæc Pagius ex Theophane ad ann. 784, num, 1. « Theophanes refert, mensis Augusti die XXXI Ind. VII. Paulum virum religiosum et patriarcham sanctissimum ecclesiæ Constantinopolitanæ, quum in morbum incidisset, monasticum habitum assumpsisse , et non multo post ad Deum migrasse. » Hujus, ut puto, memoriam celebrant Græci ad diem XXX Augusti : μνήμη τῶν ἁγίων πατριαρχῶν Ἀλεξάνδρου, Ἰωάννου καὶ Παύλου τοῦ νέου Memoria sanctorum patriarcharum Alexandri , Joannis et Pauli novi. Prioris Pauli, qui sub Justiniano anno 686 sedebat, memoriam agunt die 20 Augusti his verbis : τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ἀρχιεπ. Κωνσταντινοπολέως Παύλου τοῦ νέου eadem die memoria S. P. N. Archiepiscopi
C Constant. Pauli novi. *De Paulo Tarasii proximo decessore, egerunt nostri, sed brevissime, ad* XX *Augusti ; die vero* XXXI *ejusdem mensis* prætermittitur. *Vide etiam Cuperum de Patriarchis Constantinop. initio tom. I. Augusti. Cæterum liquet Sanctos ex Codice Slavico ab Assemanio memoratos, socios in Passione non fuisse* SS. Martyrii *et* Marciani *nec de illis hoc die a nobis dicendum. Idem est de S. Abrahamo.* Addunt, *inquit Assemanius* (3), Papebrochianæ ephemerides Abraham monachum, cum cucullo ad humeros reducto et habitu presbyterali. De quo hæc Papebrochius : « Dum quis aut cujas sit ignoratur, poterit usque ad distinctiorem notitiam inter indigenas collocari, et interim illa aliunde submittenda sperari. » Culcinius silet, quamquam in Inscriptionibus pag. 92 ad diem 25 Octobris disertum Abrahæ nomen apposuit. Sic : « Marcianus. Martyrius. Abramius. » Fortasse in Anthologio Ruthenio nihil reperit hac die de Abramio. Et nulla quidem de Abramio mentio hac die in menologiis Græcis ; sed ad diem 29 hujus mensis expresse commemoratur « sanctus pater noster Abramius, » presbyter ordinatus, de quo infra sermo erit. Itaque existimo pictorem Moschum oscitanter hic obtrusisse Abramium illum, quem Græci ac Russi colunt die 29 Octobris. Quamquam enim idem pictor ad eamdem diem 29 Octobris iterum Abrahamium depinxit ; erravit tamen secundo, dum eum episcopali habitu repræsentavit, uti postea dicam. *Cæterum de sanctis istis conf.* Anum ecclesiast.-Slavicum *initio hujus tomi. Liquet itaque* socios, *qui in plerisque fastis sacris dantur SS.* Martyrio *et* Marciano, *nomine ignotos nobis esse.* AUCTORE B. B.

10 *Mortem SS. Martyrum ponendam esse post gloriosum S. Pauli, patriarchæ CP., cujus discipuli et notarii erant, liquido fluit ex contextu tum Socratis tum Sozomeni :* Ea tempestate, *inquit ille* (4), Macedonius apud Constantinopolim ecclesiis potitus est, Paulo, ut diximus, e medio sublato. *Sequitur descriptio motæ a Macedonio in orthodoxos procellæ.* Et initio quidem id unum agebant (*Macedonius ejusque satellites*), ut eos expellerent ; postea vero progrediente ulterius malo, ad id se converterunt, ut communicare sibi etiam invitos cogerent... Eratque ea vis nihilo minor illa, quam olim adhibuerant hi, qui christianos ad simulacrorum cultum adigebant : quippe verbera ac tormenta et omnis generis cruciatus admovebantur. Alii bonorum proscriptione, alii exilio multati sunt : et hi quidem in ipsis cruciatibus interierunt ; illi vero, dum ad exilium abducerentur, necati sunt. Et hæc quidem per omnes urbes orientalis imperii gerebantur ; maxime vero Constantinopoli. Hanc intestinam persecutionem , cum antehac modica esset, Macedonius, episcopatum adeptus, auxit plurimum. *Hæc Socrates. Ita etiam, sed pressius, Sozomenus* (5) : Eo (*S. Paulo*) autem in exilium ejecto, Macedonius ecclesiam occupavit. Qui cum permultis monasteriis, quæ Constantinopoli constituerat, pactisque fœderibus cum finitimis episcopis sese communiisset, fautores Pauli variis modis vexasse dicitur (*molliori rursus manu scribit Sozomenus, conf. n.* 3.) Ac primo quidem ecclesiis eos F expulit. Posthæc communicare secum coegit, ita ut multi verberibus cæsi interierint ; alii bonis mulctati, alii civitatis jure spoliati sint ; quidam notis in fronte inustis compuncti, quo deinceps ab omnibus dignoscerentur... Malum enim ad cædes usque progressum fuerat : Nam et alii interfecti sunt, et Martyrius et Marcianus, *etc. Ex quibus efficitur primum procellam, qua abrepti SS.* Martyrius *et* Marcianus *sunt, sæviisse post mortem S. Pauli, quam labenti anno* 350 *communiter adscribunt* (6); *deinde excitatam a Macedonio persecutionem gradatim efferbuisse, nec ab initio ad internecionem usque ventum. Unde longe probabilius coronam martyrii SS. nostri Pugiles anno* 351 *obtinuerunt. Nec differre passionem licet in annum sequentem, quoniam, teste S. Athanasio, uno a morte S. Pauli* anno nondum elapso, cum multo dedecore, Philippus a præfectura deturbatus est (7). *Martyrii tempus.* E

(1) Kalendaria eccles. univ., tom. V, p. 319. — (2) Ibidem pag. 221 et seq. — (3) Ibid., p. 218 et seq. — (4) Lib. II, cap. 27. — (5) Lib. IV, cap. 2 et 3. — (6) Conf. Cuperum : Historia chronol. Patriarcharum CP., p. * 19. Tillemontium. Mémoires, tom. VII, p. 259. Art de vérifier les dates, p. 248. — (7) Cuper., loco cit.

AUCTORE B. B. *Sepulcrum*

11 *Quæ supra sparsim de sepulcro SS. Martyrum diximus tum ex Sozomeno tum ex aliis historicis et fastis sacris, breviter resumit Morcellus* : Sepulcrum, *ait* (1), sanctorum Notariorum Constantinopoli illustre diu fuit, ac templum illi impositum, ipsis etiam conditorum nominibus clarum : inchoatum est enim a sancto Joanne Chrysostomo, absolutum a Sisinnio, sancto ejusdem item urbis patriarcha. Locum præterea sic designat Sozomenus : « Eorum sepulcrum est ante muros urbis regiæ. » Addunt Synaxaria, *sicut etiam Menæa excusa :* ἐν τῇ Μελανδεσίᾳ πύλῃ (πορτῃ) ἐν αὐτῇ τῇ Κωνσταντινουπόλει τοποθεσίᾳ τοῦ Δευτέρου *ad Melandesiam portam, in ipsa Constantinopoli, in Deutero;* id est, *ut prosequitur Morcellus ex Cangio*, in regione XII ad portam, unde iter erat Melantiada oppidum CL stadiis ab urbe dissitum in Thracia vel stadiis CII, ut tradit Suidas, prope Athyram fluvium. *Denique addit Morcellus :* Sollemnitati autem hodiernæ, quæ initio tota, opinor, religiosa erat, ætas pejor avis nonnihil adspersit popularis levitatis ; ac mos paulatim invectus est, ut hoc die notarii, quicumque
B pueros scribere docebant, larvati per forum cursitarent ; quam demum consuetudinem sæculo XII Lucas patriarcha sustulit, ut a Theodoro Balsamone traditum memoriæ fuit. *Quod explicatius et distinctius reddit Suicerus, inquiens* (2) : Notariorum, primo duo genera fuisse observat cl. Meursius. Hi ipsam artem factitabant, illi profitebantur et adolescentes docebant atque νοτάριοι παιδοδιδάσκαλοι dicebantur. Et hi festum sanctorum Notariorum celebrabant, cum larvis per forum cursitantes, quod postea Lucas patriarcha sustulit. Balsamon ad canonem LXII concilii in Trullo, *ait :* Quæ autem aliquando fiebant indecora à notariis puerorum informatoribus in festo sanctorum Notariorum, cum larvis per forum cursitantibus, ante aliquot annos abrogata sunt, sanctissimi illius patriarchæ domini Lucæ decreto. *Sedit Lucas ab anno* 1155 *ad annum* 1169. *Balsamon creatus est patriarcha Antiochenus* 1186, *obiit vero anno* 1204 (3).

et ecclesia eorum nomine dicata.

12 *Ecclesiam, quam vidimus sanctorum Martyrum nostrorum nomine dicatam Constantinopoli, S. Chrysostomus cœpit ædificare, perfecit*
C *autem Sisinnius, qui, si Bailleto fides, illam dedicavit anno* 427 (4). *Scribit Ducangius* (5) : SS. Notariorum templum ædificavit Theodosius et multis ditavit possessionibus, inquit Codinus... Sed quod Theodosio adscribit, alii S. Joanni Chrysostomo et Sisinnio patriarchis CP. tribuunt. Nam idem fuit, quod Marciani et Martyrii vocant, qui ab arianis sub Constantio imp, cæsi sunt. *Sequuntur verba Sozomeni, a nobis supra recitata. Dein pergit Ducangius :* Eadem habet Nicephorus Callisti lib. IX, cap. XXX. Locum designant synaxaria ad diem XXV Octobris... « Et sepeliuntur in Melandesia porta, in ipsa Constantinopoli, in tractu, qui secundum appellatur, quorum templum post hæc sanctus pater noster Joannes Chrysostomus a fundamentis excitavit. » His consona habet menologium Sirleti. Dicti autem Marcianus et Martyrius « Notarii, » quod Pauli patriarchæ CP. γραμματείς extitissent. *Et*
D *alio loco dixerat laudatus scriptor* (6) : Portam Melandesiam in Deutero statuunt synaxaria ad XXV Octobris : καὶ ταπτόνται ἐν τῇ Μελανδησίᾳ πορτῃ, ἐν αὐτῇ τῇ Κωνσταντινουπόλει τοποθεσιᾷ τοῦ Δευτέρου... Extitit autem Deuterum, ut suo loco docemus in regione duodecima, ad Portam Auream : unde conficitur Melandesiam portam vicinam perinde fuisse Aureæ portæ, appellatamque a Melantiade oppido, quo per hanc ibatur, quod non longius CL stadiis ab urbe dissitum et ad Athyram fluvium ædificatum tradit Agathias, lib. V, *vel stadiis* CII, *ut tradit Suidas* (7). *Consonat fere Bandurius in Imperio Orientali. Et primum quidem ex anonymo recitat locum sequentem* (8) : De ecclesia SS. Notariorum. Ecclesiam SS. Notariorum extruxit Theodosius Magnus, ibidemque eorum corpora deposuit. *Addit Bandurius* (9) : Horum (*Notariorum*) meminit Sozomenus, qui structuram hujus templi, quod ad muros urbis stetisse ait, non Theodosio, sed S. Joanni Chrysostomo et Sisinnio patriarchis CP. attribuit ; secus vero Originum scriptores et Codinus, qui unanimi consensu id Theodosio Ma- E
gno adscribunt. At Sozomenus fide magis dignus ; græculi vero isti recentiores sæpe res ac personas confundere solent, ut passim observamus... Joanni item Chrysostomo tribuunt hujus templi structuram synaxaria ad XXV Octobris, prædictis Martyribus sacrum ; ubi etiam hujus ædis situs expresse designatur, nimirum in porta Melandesia, in ipsa urbe Constantinopolitana, in tractu Deutero nuncupato ; qui quidem tractus, uti supra cum de æde sanctæ Annæ monuimus, in duodecima regione stetit, ad Portam Auream. *Et alibi idem scriptor de Deutero prolixius agens :* De Deutero, *ait* (10), crebra occurrit mentio apud scriptores Byzantinos : nam in eo præter ædem sanctæ Annæ extiterunt et aliæ ecclesiæ, nimirum sancti Gregorii, S. Pauli et SS. Notariorum. Deuterum vero inde dictum, ut ait et Ducangius, quod secundo milliari seu duobus stadiis a veteri Byzantio dissitum esset, ut Hebdomum apud Socratem et Idacium, quod septimo milliari remotum esset ; et Decimum apud Annam Comnenam, quod decem stadiis a Constantinopoli distaret... F
Portam autem Melandesiam portæ Aureæ vicinam fuisse, et consequenter in duodecima Regione extitisse scribit Ducangius ex Gyllio, qui de ea lib. IV, cap. IV Topographiæ CP. agit. At ipse Deuterum in undecima Regione extitisse conjicio ex anonymo nostro. *Atque hæc quidem Bandurius pag.* 656 ; *sed conjecturæ suæ, paulo infra oblitus videtur Bandurius, cum plane asserat ibidem, tractum, qui Deuterum dicitur,* in Duodecima Regione stetisse. *Quamdiu templum SS. Notariorum substiterit, dicendo non sum.* In delineatione urbis Constantinopolitanæ, *tomo II Bandurii inserta*, qualis ab auctore anonymo, qui Alexii Comneni tempore vivebat, describitur, *ad portam Auream nec SS. Notariorum, nec S. Annæ signatur templum ; sane quia tunc jam collapsæ essent ædes illæ sacræ. Quis sit Alexius ille, silet Bandu-*

(1) Morcelli, p. 203 et seq. — (2) Thesaurus ecclesiasticus ex Patribus Græcis. V° Νοταρίος. — (3) Biographie universelle. (4) Constantinopolis Christiana, lib. IV, parag. LXXI, p. 90. Edit. Venetiis. — (5) Vie des Saints, 25 Oct. — (6) Ibid., lib. I, p. 47. — (7) Morcelli, p. 203. — (8) Imperium Orientale, tom. I, lib. III, p. 52. Paris, 1711. — (9) Ibid., tom. II, p. 713 et seq. — (10) Ibid., p. 656.

rius,

A *rius; an hujus nominis primus, qui imperium tenuit ab anno* 1081 *ad annum* 1118? *An unus aliquis ex tribus sequentibus : quatuor enim cognomines recensentur. Putem de Alexio I agi, vel forte de Alexio II, qui præfuit ab an.* 1180 *ad an.* 1183. *Confer n.* 4, *ubi nonnulla protulimus, ex quibus forte conjicere liceret, ecclesiam SS.* Martyrii *et* Marciani *sæculo* x *labente superstitem adhuc fuisse.*

Acta. 13 *Acta, quæ, teste Allatio, a Metaphraste conscripta sunt* (1), *damus ex codice græco regio Parisiensi* 1480, *collato cum codice* 1484 *et nostro item quodam apographo Medicæo. Exstant pariter in Coisliniana bibliotheca, et quidem duplici exemplari : altero, in partis primæ codice* 145, *quem sæculo* x *vel* xi *adscribit Montfalconius* (2); *altero, partis secundæ in codice* 306, *medio sæc.* xvi (3). *Unde recte Morcellus :* Eorum Acta a Metaphraste habemus, quæ Lipomanus et Surius latine edidere. *Sed minus recte subdit :* Et alia (Acta) item in bibliotheca Coisliniana servantur quorum initium est : Ἀγώνων ἱερῶν ἀθλητάι. *Nam in præfata bibliotheca recensetur ex codice* 110, *sæculi circiter* xi (4), encomium, *non vero* Acta, *eorumdem sanctorum Martyrum valde diffusum atque verbosum (decem et eo amplius habet paginas in fol. majoris formæ). Incipit :* Ἀγώνων ἱερῶν ἀθλητάι καὶ λαμπρᾶς πιστεως κήρυκες τὴν παροῦσαν ἡμέραν ἀιδέσιμον διατίθενται Sacrorum certaminum pugiles et præclaræ fidei præcones præsentem diem venerabilem constituunt; *titulus vero est :* Ἐνκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους ἱερομαρτυρες Μακριανὸν καὶ Μαρτύριον. *Notavit aliquis decessor in ima pagina apographi nostri :* Extat et in codice 13 Reginæ Sueciæ. *Cæterum in his omnibus dies signatur* xxv *Octobris. Eodem die reperiuntur latine apud Surium, cujus versionem textui græco jungimus.*

AUCTORE B. B.

(1) De Symeonum scriptis, n. 126. — (2) Bibliotheca Coislin., p. 211. — (3) Ibid., p. 420 et seq. — (4) Ibid., p. 185.

B

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ

ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΙΟΥ

ΤΩΝ ΝΟΤΑΡΙΩΝ.

MARTYRIUM

E

SANCTORUM MARTYRUM

MARCIANI ET MARTYRII

NOTARIORUM *a*.

a

Auctore Simeone Metaphrasta.

(*Ex cod. regio, græc. signato* 1480 *in biblioth. Paris. collato cum cod.* 1484 *ibid. et altero apographo Medicæo.*)

Cap. unicum. Sub Constantio imperatore prævalent ariani, atque in orthodoxos incredibiliter sæviunt. Hac tempestate, cum sanam doctrinam intrepide profiterentur SS. Notarii, comprehenduntur et capitis damnati martyrio coronantur, atque insigni cum honore tumulantur.

Ἐπεχωρίαζε μὲν καὶ πρότερον ἤδη τὸ τῶν ἀρειανῶν δόγμα τῇ Ῥωμαίων ἐπικρατείᾳ, μέρη τὲ αὐτῆς ἐμμαίνετο * · καὶ τοῖς πολλοῖς τὸ ὁμοούσιον καθαρῶς πρεσβεύειν οὐκ εἰᾶ. Ἀλλ' ὕπω τοσαῦτα C ἐπαῤῥησιάσατο τὸ κακόν, οὐδὲ τοσούτους εἶχε τοὺς αὐτῷ προσκειμένους. Ἄρτι δὲ τῆς βασιλείας ἐπὶ Κωνστάντιον τὸν τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τρίτον υἱον * ἐλθούσης · ὃν ἀι πράξεις μέγαν ἐκάλουν · ὁ τοῦ φθόνου πατὴρ καὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἄνωθεν βασκαίνων ἐχθρὸς ἐπεὶ μὴ πείθειν ὅΐος τε ἦν τα χριστιανῶν ἀποθεῖσθαι χριστιανοὺς · δια τινων ὀυ πρὸς ἀξίαν ὀίμοι τοῦ τῆς ἱερωσύνης ἀξιώματος ἠξιωμενῶν τὸν Κωνστάντιον ὑπελθὼν εἰς τὰ τῶν ἀρειανῶν ὁλόν ὑπαγέται. Ἐντεῦθην τὸ ἄθεον τοῦτο τῶν ἀρειάνων δόγμα, ὥσπερ ὅπλον τὴν τοῦ κρατοῦντος περιθέμενος δυναμείαν ἐπλατύνετο τε καὶ ἠύξετο · καὶ πᾶσαν ὅσην ἡ Ῥωμαίων εἶσχεν ἀρχὴ, παραστήσασθαι πρὸς βίαν ἐφιλονείκει.

* Al. ἐλυμαίνετο

* Al. παιδα

Versabatur quidem jam quoque prius dogma arianum in ditione Romanorum, et vastabat ejus partes, nec sinebat vulgus orthodoxos pure tueri Homousion. Sed nondum id malum tanta utebatur libertate, nec habebat tam F multos, qui ei adhærerent. Cum autem jam venisset imperium ad Constantium *b*, filium Magni Constantini, quem etiam ex rebus gestis Magnum vocarunt; invidiæ pater, et bonis ab initio invidens inimicus, non valens persuadere Christianis, ut ea repellerent quæ erant Christianorum, per quosdam, qui fuerant indigne (eheu*) adepti dignitatem sacerdotii, se Constantio insinuans, eum totum quantum inducit ad arianismum. Hinc illud impium dogma arianorum, tamquam arma aliqua, impositum potentiæ imperatoris, dilatabatur et augebatur, et quantamcumque regionem Romanorum tenebat imperium, per vim contendebat ad suam adducere opinionem.

Constantio imperante, prævaluerunt ariani,

b

* *ὀίμοι interjectio :* heu mihi.

2 Καὶ διὰ τοῦτο μυρίοις ὁι τὸ ὁμοούσιον δοξαζοντες καὶ τὰ χριστιανῶν ὡς Θέμις χριστιανοῖς μετιόντες, περιεβάλλοντο τοῖς κακοῖς · Εὐσεβίου μάλιστα καὶ Φιλίππου · ὧν ὁ μὲν τῇ τοῦ πραιποσίτου τετίμητο ὀόξῃ, ὁ δὲ τὰ τῆς ἐπαρχίας διεῖπεν ὁ Φίλιππος · ὑπόκαυμα Κωνσταντίῳ τοῦ τῶν ἀρειανῶν ἔρωτος γενομένων. Οὗτοι καὶ τὸν μακάριον ἀπελαθῆναι Παῦλον

2 Id *c* igitur, qui Homousii tenebant opinionem, et quæ sunt Christianorum exercebant, ut Christianos decet, afficiebantur malis innumerabilibus, maxime cum Eusebius et Philippus (quorum alter *d* quidem ornatus fuerat honore præpositi, Philippus autem erat præfectus prætorio) fuissent Constantio fomes amoris

nec jam fas erat sanam profiteri doctrinam;

c

d

EX METAPHRASTE.

amoris arianorum. Isti *e* et beatum Paulum expelli ab ecclesia, et impium ejus loco introduci Macedonium volebant et omnia faciebant. A quibus quidem verbis, a quibus autem factis, a quonam denique damno abstinentes adversus eos, qui tuentur Homousion? Nam alios quidem effecerunt relinquere civitatem, alios autem damnarunt perpetuo eoque injusto exilio, aliis vero procurarunt etiam a vita decessum. Hinc frontibus inscriptæ turpes notæ, tacite fidem significantes orthodoxam et alia mala *f* innumerabilia excogitata fuerunt adversus Christianos: etiamsi parva videbantur piis omnia propter Christum, et cum spe futurorum non conferenda. Hinc secundus *g* quidem hic Paulus, qui cognomen habuit a confessione, expellitur *h* a sede pontificatus. Illotis autem, ut dicitur, pedibus *i* sacra profanabantur.

e

f

g

h

i

τῆς ἐκκλησίας · εισαχθῆναι δὲ τὸν ὁυσεβῆ Μακεδόνιον · ἐβουλοντό τε καὶ πάντα ἐποίουν · Τίνος μὲν λόγου, τίνος δὲ ἔργου · ποίας δὲ βλάβης κατὰ των πρεσβευόντων τὸ ὁμοούσιον ἀποσχόμενοι; τοὺς μὲν γὰρ την πόλιν ἐκλιπεῖν παρεσκεύασαν · τῶν δε ἄδικον ἀει φυγίαν κατέκειναν · τοῖς δὲ καὶ ἀπαλλαγὴν τῆς ζωης προεξένησαν. Ἐντεῦθεν ἄτιμοι κατὰ μετώπον γραφαὶ ὑποσημαίνουσαι τὸ ὀρθοδόξον · ἀλλὰ τὲ μυρία κατὰ χριστιανῶν ἐπενοήτο καινά · ἐι καὶ μικρα πάντὰ διὰ Χριστὸν ἐδόκει τοῖς ἐυσεβέσι · καὶ τῶν ἐλπίδων οὐκ ἄξιαι. Ἐντεῦθεν ὁ δεύτερος μὲν οὗτος Παῦλος · ὁ τῆς ὁμολογίας ἐπώνομος τουτῆς ἀρχιερωσύνης Θρόνου, νόμοις χειρὸς, ὀυ δικαιοσύνης, ἀποδιώκεται · ἀνίπτοις δὲ χερσὶ τὸ τοῦ λόγου βεβηλοῦται τα ἁγία.

D

hoc cum facerent Marcianus *et* Martyrius

3 Horum ergo Constantii temporum opus est et Marcianus et Martyrius; quibus patria quidem urbs magna regia, educatio autem et eruditio, qualem vir pius habere optaverit. Mores, benignitas et moderatio, est accuratum, quo illi cognoscuntur, indicium. Si autem oportet breviter et vere dicere, id erant inter cæteros virtute, quod esse imperio cognoscebatur eorum patria inter urbes. Nam quomodo ipsa omnibus aliis præsidet civitatibus, et, eo quod regia sit et nominetur, primum habet honorem; eodem modo hi quoque in omnibus bonis obtinebant dominatum; nec erat præclarum aliquid omnino, in quo non isti haberent primas. Apud divinum ergo Paulum commorantes, cum scribæ essent eorum, quæ ab illo fiebant et populo divinos libros legerent; tam vehementem in Christum amorem alebant, ut nihili ducentes insaniam imperatoris, vehementi impetu contenderent adversus Christi hostes; nec omnino tolerandum putarent Dei verbum eo deducere, ut censeatur res creata; sed esse quidem cum Patre principii expertem et ejusdem essentiæ ostenderent; arianorum autem profanas novitates ad nihilum redigere.

B

3 Τῶν γοῦν Κωνσταντίου τούτων καιρῶν ἔργον καὶ Μαρκιανὸς καὶ Μαρτύριος · οἷς πατρὶς μὲν ἄστυ τὸ μέγα τὲ καὶ βασίλειον · ἀγωγὴ * δὲ καὶ παιδεία οἵας ἄν τὶς Θεοφιλὴς ἀνὴρ τυχεῖν ἔυξαιτο · τρόποι, χρηστότητος καὶ ἐπιείκεια τὸ ἐκείνων ἀκριβὲς γνώρισμα · ἐι δὲ δεῖ συντόμως καὶ ἀληθῶς ἐιπεῖν · τοῦτο τοῖς πᾶσιν ὄντες ἐις ἀρετὴν, ὅπερ ἡ πατρὶς ταῖς πόλεσιν ἐγνωρίζετο · καὶ ὥσπερ ἄυτη τῶν ἀλλων τὲ πασων προκάθηται πόλεων καὶ τὸ βασιλικὴ καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι τὴν πρώτην ἔχει τιμὴν · τὸν ἀυτον δὴ καὶ οὗτοι τρόπον πάντων ἐν πᾶσιν ἐπαινετοῖς · καὶ ζηλωτὸν ἦν τὸ παράπαν οὐδὲν ἐφ' ᾧ μὴ οὗτοι τὸ πρωτεῖον εἶχον. Τῷ Θείῳ τοιγαροῦν Παύλῳ συνόντες καὶ τῶν ὑπ' ἐκείνου πραττομένων ὀντες ὑπογραφεῖς τῷ λαῷ τὲ τὰς Θείας ὑπαναγινώσκοντες βίβλους · ὅυτω Θερμὸν ἐις Χριστὸν ὑπέτρεφον ἔρωτα · ὡς οὐδὲν ὑπολογισαμένους τὴν τοῦ κρατοῦντος μανίαν · ὀξείαις χωρῆσαι κατὰ τῶν χριστομάχων ὁρμαις · καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ λογον εἰς κτίσμα κατάγεσθαι μηδολως ἀνεκτὸν ποιῆσαι · ἀλλὰ συνάναρχον μὴν τῷ πατρι καὶ ὁμοούσιον * ἀποδεῖξαι · τὰς δὲ τῶν ἀρειανιζόντων βεβήλους κενοφωνίας ἐις τὸ μηδὲν εἶναι περιστῆσαι.

* Al. ἀναγωγὴ

* Al. ὁμοούσιον αὐτὸν

C

comprehenduntur

4 Illorum igitur verbis, non secus ac telis, sauciati infelices, cum nec possent eis resistere, nec eos sustinere in disputatione; non secus ac ignem cinere, animo suo fraudem celantes, primum quidem blandis verborum illecebris eos aggrediuntur; deinde se etiam pecunias daturos stulti sunt polliciti illis, qui ægre ferebant quod non animæ statim auferentur propter Christum. Ii ergo non illecti blanditiis, non victi pecuniis *k*, sed pietatis et recti dogmatis volentes esse accurati custodes, contendebant ad bravium supernæ vocationis, quod etiam solum ab eis desiderabatur et quod omnino cupiebant assequi. Cum ergo et minæ arianorum et adulationes, et bonorum omnium promissiones nihil haberent virium, et esse viderent inexpugnabilem martyrum constantiam, eos condemnant morte, quam propter Christum desiderabant.

k

4 Τοῖς ἐκείνων τοιγαροῦν ῥήμασιν ὁι κακοδαίμονες οἷα βέλεσιν βληθέντες · καὶ μὴ δὲ ἀντιτείνειν, μὴ δὲ ἐις λόγους ἀυτοῦς * χωρεῖν ὅλως ἔχοντες · ὥσπερ εν σποδιᾷ πῦρ ταῖς αὐτῶν διανοίαις τὸ δολερὸν ὑποκρύψαντές, πρῶτα μὲν τοῖς ἐπαγωγοῖς τῶν λόγων τοὺς ἄνδρας ὑπήρχοντο · εἶτα καὶ χρήματα δώσειν ὑπισχνοῦντο ὁι ἄφρονες ἐκεινοις, ὁί γε τὰς ψυχὰς ὅτι μὴ ἀφηροῦντο διὰ Χριστον ἐδυσχέραινον. Οὗτοι γοῦν ὁυ κολακείαις ἠττώμενοι · οὐ χρήμασι κλεπτόμενοι · ἀλλὰ τῆς ἐυσεβείας καὶ τοῦ ὀρθοῦ δόγματος φύλακες ἀκριβεις εἶναι βουλὸμενοι, πρὸς τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως ἐπεύδον * · ὃ δὲ καὶ μόνον ἀυτοῖς ἐποθεῖτο · καὶ οὗ τυχεῖν ὅλως ἐπεθύμουν. Ὡς οὖν ἀπειλαὶ τὲ καὶ κολακείαι καὶ ἀγαθῶν πάντων ἐπαγγελίαι τοῖς ἀρειανοῖς ἐξηθένουν · καὶ ἄμαχόν τὶ πράγμα τὴν καλὴν ἐκείνην ἔυστασιν τῶν μαρτύρων ἑώρων · Θανατον αὐτῶν, ὅν ἐπόθουν διὰ Χριστον, κατακρίνουσιν.

* Al. ἐσπεύδον

E

F

atque capite plectuntur

l

5 Cum autem jam pervenissent ad locum *l* consummationis, tempus petunt ad orationem. Quod cum accepissent, oculos et manus simul tollunt in cœlum, et dicunt: Domine Deus, qui singulatim finxisti corda nostra, qui intelligis in omnia opera nostra; suscipe in pace animas tuorum famulorum; quoniam propter

5 Ἐπειδὲ καὶ πρὸς τὸν ἐυρημένον ἤδη γεγόνασι τόπον, καιρὸν ἀιτοῦσιν ἐις προσευχὴν · καὶ λαβόντες, τὰ ὄμματα ὁμοῦ καὶ τὰς χεῖρας ἀίρουσιν ἐις τὸν ὀυρανον · καὶ Κυριε ὁ Θέος ὁ πλάσας καταμόνας τὰς καρδίας ἡμῶν, λέγουσιν · ὁ συνιεὶς ἐις πάντα τὰ ἔργα ἡμῶν · ἐν ἐιρήνῃ τὰς τῶν σῶν δούλων δόξαί * ψυχάς · ὅτι ἕνεκα σου Θανατόυμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν, καὶ ὡς πρόβατα

* Al. δὴξαι

A πρόβατα σφαγῆς λογιζόμεθα · καὶ χαιρομεν οὕτω τῆς παρούσης ζωῆς ἀπαλλαττόμενοι διὰ σὲ · καὶ πρὸς τὴν παρὰ σοὶ ζωὴν προθύμῳ ποδὶ ἐπειγόμεθα. Ταῦτα τῷ Θεῷ τῶν ὁλῶν ἐυξάμενοι · καὶ τὸ Ἀμὴν ἐπειπόντες · τὴν διὰ τοῦ ξίφους πληγὴν ὑφίστανται καὶ τὸ μαρτύρικον ὁ Μαρτύριος σὺν Μαρκιανῷ δέχονται τελος · πέμπτην ἐπὶ ταὶς ἔικοσι τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς ἄγοντος.

te mortificamur * et reputamus tamquam oves occisionis; et gaudemus sic a vita præsenti discedere propter nomen tuum, et ad eam, quæ est apud te, pede alacri properamus. Has cum preces fudissent ad Deum universorum et Amen subjunxissent, gladio plagam accipiunt, et Marcianns ac Martyrius finem accipiunt, martyrium vigesimo quinto mensis Octobris.

EX METAPHRASTE. * *tota die*

6 Τὰ δὲ τούτων τίμια λείψανα τῶν ὀρθοδόξων τινες καὶ πιστῶν ἀνελόμενοι καὶ λαμπρῶς περιστείλαντες · ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις παρὰ τῷ τῆς πόλεως τείχει ἐντίμως ἐν επισήμῳ λόφῳ κατέθεντο · ἔνθα καὶ τὴν ματυρικὴν ἐκείνην τελείωσιν καὶ μακαρίαν ὑπέστησαν · εἰς δόξαν Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος · νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνον. Ἀμὴν.

6 Preciosas autem eorum reliquias cum sustulissent quidam orthodoxi et fideles et præclare composuissent, in psalmis et hymnis ad mœnia civitatis honorifice deposuerunt in insigni tumulo *m*, ubi etiam subierunt illam martyricam et beatam consummationem : Ad gloriam Patris et Filii Sanctique Spiritus nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Eorum sepultura

m

ANNOTATA.

a *In apographo nostro Medicæo desunt voces :* τῶν νοταριὼν.

b Τρίτον tertium. *Re quidem vera, Constantinus Magnus tres reliquit filios inter quos adhuc in vivis partitus imperium est. Porro a patris nomine suum mutuati vocabantur, primogenitus* Con-
B stantinus, *secundo natus* Constantius, *natu minimus* Constans. *Certum est nec Constantem nec* E
Constantinum arianis favisse. Cum ergo de horum acerrimo fautore in actis nostris evidenter sermo est, minus recte imperator iste, tertius *dicitur filius; est nempe, spectato ætatis ordine,* secundus (1). *In nostro codice omittitur* τρίτον.

c Id igitur. *Notat in margine Surius :* Legendum videtur : « Ob id. » *Et quidem recte : nam* id igitur, qui Homousii *etc. vix sensum habet intelligibilem. Græce :* διὰ τοῦτο propterea, ob id.

d Quorum alter *nempe Eusebius, primum Beryti episcopus, tum Nicomediæ, denique* episcopatum quoque Constantinopoleos... tyrannica quadam violentia occupavit, *ut loquitur Theodoretus* (2). *Putem consulto adhiberi hic a Metaphrasta vocem* πραιποσίτου præpositi, *quod nomen genericum est, ne Eusebium hæreticum et intrusum, diceret* patriarcham *vel* episcopum. *De Eusebio et Philippo vide Comm. Præv. n.* 1 *et* 2.

e Isti *id est ariani.*

f alia mala : *Græce :* ἀλλὰ τε μυρία... ἐπενοεῖτο καινά aliaque innumerabilia... excogitata fuerunt nova. Καινά *id est* nova, incognita, peregrina, inusitata *etc. Confer Commentar. Præv. n.* 1 *et* 2.

g Secundus δεύτερος *ita in omnibus codd. ms. nostris. Quo tamen vox respiciat, non facile dixerim. S. Paulus qui ante episcopatum jam in Pontum relegatus fuerat, factus anno* 340 *patriarcha CP. mox iterum exulare cogitur, sede sua pulsus ab Eusebio Nicomediensi; post hujus obitum, cathedræ restitutus, semel atque iterum cogitur locum cedere Macedonio; cumque in Italiam navigasset, et causam suam in concilio judicari petiisset, ad ecclesiam suam rediit ope Constantis imperatoris; quo* XVII *Feb.* 350 *mortuo, rursus in exilium mittitur, ac tandem ab arianis circa finem præfati anni interficitur* (3). *An itaque* δεύτερος *refertur ad strenuam S. Pauli confessionem post adeptum episcopatum? An potius eo sumenda est vox sensu, ut gloria confessionis* alter *a Doctore Gentium prædicetur S. patriarcha noster. Equidem posterius hoc mihi longe*
C *præplacet.* F

h Expellitur *in Græco additur :* νόμοις χειρὸς οὐ δικαιοσὺνης legibus manus (*violentæ*) non justitiæ. *Voces desunt in cod.* 1484.

i Pedibus, *Græce* χερσί manibus,

k Pecuniis. *In cod.* 1484, *cui consonat hic sicut et fere ubique ad amussim apographum nostrum Medicæum, sic habetur :* οὐ κολακείαις κλεπτόμενοι οὐ χρημάτων ηττώμενοι.

l locum consummationis εὐρημένον... τόπον, *ab* εὑρισκω *perf. pass.* εὕρημαι. *Porro* εὑρίσκω *significat :* invenio, casu reperio, offendo; *item* invenio investigando et inquirendo, exquiro, excogito *etc. In aliis duobus codd. nostris legitur* εἰρημένον. *Forte legendum :* ἡρημένον, præfixum, electum *ab* αἱρέω.

m Insigni tumulo *Conf. Comm. Præv. n.* 11.

(1) Conf. Art de vérifier les dates, p. 350. — (2) Cuperus in patriarchis CP. Act. SS. tom. I, Augusti, p. 16 *. — (3) Vide Cuper. Ubi supra, pag. 16 * et seqq.

A D

DE SS. SPANO, LUPO, BENIGNO, BEATO, MESSAPIO,

MARCELLIANO, GENITORE, PRINCIPINO ET TRIDORIO,

PRO MARTYRIBUS CULTIS IN AGRIS TURONENSI ET BITURICENSI,

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS ET CRITICUS.

§ I. Memoriæ in martyrologiis. Eadem passio fabulosa applicata diversis sanctis.

SÆCULO FORTE IV AUT V. *Memoria S.* Spani *aliorumque, qui ejus dicuntur fratres, in martyrologiis.*

Ut gesta S. Spani *et sociorum obscura sunt, sic celeberrimum olim fuit eorum nomen; atque hæc ipsa forte celebritas in causa fuit ut fabulæ eis affigerentur. In codice Aquicinctino Usuardi Martyrologii, qui cæterum ex purissimis est, in Altempsiano, qui olim in templo cathedrali Wintoniensi usurpatus fuit, similiterque in Cluniacensi* (1), *in S. Lupi Trecensi et in alio Monasterii Cellensis* (2) *hæc ad præsentem diem legitur commemoratio :* In pago Turonico sancti Spani martyris. *In editione Belini et Molani :* Eodem die, Beati et Benigni cum sociis eorum. In territorio Turonico [sancti] Spani [martyris]; *quam posteriorem memoriam omiserunt Grevenus, Felicius et Maurolycus scribentes solum :* Beati et Benigni martyrum aliorumque cum ipsis. *Ferrarius in Catalogo generali sanctorum proxime ad Belinum et Molanum accedit, nisi quod priori loco S.* Spanum *posuerit. Explicatius vero vetus Martyrologium ms. Turonense seu Usuardus cum additionibus localibus* : Mauræ, martyris, cum novem filiis; inter quos Benignus et Beatus in ecclesia Turonensi, Spanus vero in vico sui nominis requiescit. *Singula nomina eloquitur Castellanus in Martyrologio universali, hoc modo :* In agro Turonensi S. Hispadii (*Épain*), culti in burgo, quod ejus habet nomen, quasi martyrium passus esset a Gothis, tempore S. Martini, simul cum matre sua Maura et octo fratribus Lupo (*Lou*), C Benigno (*Bereng*), Beato (*Bié*), Messapio (*Messange*), Principino (*Principin*), Genitore (*Genitou*), Theodorio (*Tridoire*) et Marcelliano (*Marcellien*). In agro Turonensi sancti Spani martyris *solummodo meminit cardinalis de Noaliis in Martyrologio Parisiensi; itemque Petrus de Roche-Chouart in Martyrologio Ebroïcensi, his verbis :* In agro Turonensi sancti Spani martyris, a barbaris ob Christi nomen gladio perempti, cujus memoria etiam ad Ebroicensem ecclesiam transivit. *Hoc solo nomine etiam contentus fuit vetus martyrologus Autissiodorensis, scribens* (3) : In territorio Turonico natale S. Spani martyris; *et recentior, qui auctoritate Caroli de Caylus in lucem prodivit:* In agro Turonensi sancti Spani martyris, cujus reliquiæ apud Cablejas in finibus Lingonensium et Autissiodorensium servantur. *Cablejæ autem, vulgo* Chablis, *parvum oppidum est pristinæ diœcesis Lingonensis, quatuor leucis distans ad orientem ab Autissiodoro, in cujus pago nunc continetur. Atque his, ni fallor, satis manifestum factum est horum martyrum memoriam, maxime S.* Spani, *valde olim fuisse celebrem.*

2 *Sed quidni antiquos bonosque de iisdem habemus commentarios? Non quidem desunt S.* Spani *et sociorum Acta; verum hæc non aliud habent pondus quam ut indicio nobis sint pristinæ venerationis, quæ beatis illis viris olim habebatur. Integra numquam edita fuerunt, et vix digna sunt quæ edantur; sed versiones gallicæ, typis expressæ, exstant aut latinæ excerptiones. Tribus autem modis Acta illa concepta sunt; quorum unum Silviniacensem dixerim, secundum Oblincensem, tertium Turonensem. Habes autem ea, saltem compendio, juxta formam Silviniacensem in Antiquitatibus Silviniacensibus, ineunte sæculo* XVII *secundum monasterii sui codices gallice conscriptis a Sebastiano Marcallio* (4). *Agitur in his maxime de S.* Principino, *cujus corpus illic servabatur; adeoque ex iisdem Antiquitatibus deprompsit Gononus* (5) *et latine edidit Vitam S.* Principini; *idemque, sed brevius, fecit Labbeus* (6); *contra Jacobus Branche Gononum gallice vertit et Vitæ S.* Principini *locum dedit inter Vitas sanctorum Arverniæ* (7). *Hæc omnia originem ducunt ex codicibus mss. Silviniacensibus. Verum eadem Acta, sed nonnihil aliter concepta, exstabant similiter mss. in diœcesi Trecensi et in archivo templi cathedralis Turonensis, cum titulo Vitæ S.* Spani; *atque ex Trecensi exemplari desumpsit Nicolaus des Guerrois* (8) *S.* Spani *et sociorum Vitam eamque inseruit libro suo gallico de sanctitate christiana seu de Vitis sanctorum Trecensium. Ex archivo autem Turonensi mutuata est epitome, quæ apud Joannem Maan* (9) *legitur*; *item quæ inserta est Breviario diœcesano Turonensi anni* 1612 *et Breviario ecclesiæ S. Martini Turonensi anni* 1635. *Oblincense exemplar ex vetere regesto descripsit misitque ad nos ven. vir Mahaut, parochus Oblincensis. Dixere autem de his Actis ut ea plane abjicerent Tillemontius* (10) *et Gervasius, S. Martini præpositus* (11). *Alios*

E

Eadem Passio applicata diversa forma duabus Sanctorum turmis.

F

(1) Ap. Sollerium, Martyrologium Usuardi, ad 25 Octobris. — (2) Ap. Desguerrois, la Saincteté chrestienne ou les vie, mort etc. des saints de Troies, p. 73. — (3) Martene, Amplissima collectio, tom. VI, col. 727. — (4) Antiquités du prieuré de Souvigny en Bourbonnais de l'ordre de Clugni. Moulins, 1610. — (5) Vitæ patrum Occidentis, pag. 223. — (6) Bibliotheca manuscript. tom. II, pag. 438 et 439. — (7) La Vie des saincts et sainctes d'Auvergne, pag. 665. — (8) La Saincteté chrestienne, contenant les vie, mort etc. pag. 97 et suiv. — (9) Sancta et metrop. ecclesia Turonensis, pag. 18. — (10) Mémoires ecclésiastiques, S. Martin, not. 18, tom. X, pag. 783. — (11) La Vie de S. Martin, évêque de Tours, p. 235.

pro

AUCTORE V. D. B. *ac lectionum Turonensium, passio SS.* Marcelliani, Messapii, Genitoris, Principini *et* Tridorii, *necnon mors S. Mauræ.*

A *pro re nata indicabimus scriptores. Nunc autem exhibendum est summarium primi et tertii generis. Exordium ducemus a forma Turonensi aut Trecensi, cujus priorem partem desumemus ex præcitato Breviario S. Martini Turonensis, posteriorem ex Nicolao Desguerrois et Joanne Maan.*

Secundum Breviarium Turonense S. Martini explicatur S. Mauræ et novem filiorum conversio,

3 LECTIO IV. His temporibus, quibus beatus Martinus, egregius Christi præsul, ecclesiæ Turonicæ præsidens, universum orbem virtutum radiis illustrabat, Maura, inter Gotthos illustris prosapiæ, christianæ religionis amore succensa, necnon audita beatissimi Martini fama, relictis patria, parentibus bonisque omnibus, una cum filiis in urbem venit Turonicam, ut a sanctissimo præsule christianæ fidei præceptis instituta, ab eodem sacro baptismate tingeretur. Novem autem filios habebat Lupum scilicet, Benignum, Beatum, Spanum, Marcellianum, Messarium, Genitorem, Principinum atque Tridorium. Quibus indicto septem dierum jejunio, fusisque ad Deum precibus cum lacrymis continuis eos in fide instructos atque roboratos beatus Martinus baptizavit.

ejusdem sanctæ, filios adhortantis, constantia,

4 LECTIO V. Sed cum in cœlo lux immensa apparuisset, gratias agentes Deo atque deprecantes ut se in suo sancto nomine confirmare dignaretur, vocem audierunt, quæ eos ad sequenda sancti Martini præcepta hortabatur et futuram cum illo sine fine lætitiam pollicebatur. Quod cum impiissimus rex Gotthorum rescivisset, quinquaginta viros misit, qui matrem et filios dolose salutantes, a cœtu christianorum semotos, ad fidem abnegandam cogerent, renuentes occiderent. Sed virili animo mater ad fidei constantiam et martyrii palmam filios verbis dominicis hortabatur : Nolite filii, aiebat, timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere : sed potius, eum timete, qui potest corpus et animam in gehennam ignis mittere.

et martyrium SS. Lupi, Benigni, Beati *et* Spani.

5 LECTIO VI. Barbari, his auditis, primogenitum nitentes subvertere, se Lupum nomine, agnum vero pro amore Christi paratum ad victimam respondentem, decollantes; alios metu christianorum in remotam silvam abducentes, Benignum et Beatum in sententia fratris permanentes, in silva, ab incolis Tilleto
C nuncupata, trucidarunt. Hos prætergressi persecutores, reliquos festinanter discerpturi, repererunt unum ex sanctis fratribus, virtutum insignibus inter reliquos præcipuum, nomine Spanum, e fuga et itinere fessum, super putei marginem residentem; quem de professione inquirentes, sicut et priores, ad mortem pro fide christiana subeundam paratissimum invenerunt. Itaque impii adolescenti mortem minitari cœperunt, nisi sectæ, a Martino nuper traditæ, abrenuntiaret. Sed vir ille, illatis sibi minis constantior, felicem se ajebat, si pro Martini fide ac confessione corporeæ molis macerie mereretur spoliari; inde enim se gloriosius cum Christo lætaturum. Quem tandem et postea cæteros una cum matre, nec minis nec promissis flectere valentes, crudeliter occiderunt.

Secundum alia vero documenta, quorum idem fons est

6 *Verum quod ad finem harum lectionum dicitur, scilicet S. Mauram cum reliquis filiis occisam fuisse non convenit cum ipsis Actis, ut ex sequentibus, quæ Nicolaus des Guerrois et Joannis Maan subministrant et quibus horum filiorum fata explicantur, satis patebit. Quum itaque milites Agrippini, Auripini seu Aripini (id nomen datur in Actis Gotthorum regi), S.* Spanum *gladio obtruncassent, novo furore conciti, reliquos fratres prosecuti sunt et in vico, nomine* Barrou, *super Crosam fluvium posito, attigerunt S.* Marcellianum; *quem quum ad abjiciendam fidem christianam deducere nequivissent, capite etiam minuerunt.* S. Messapium, *quem et* Messarium *et* Messanum *appellatum reperio, ceperunt prope Turromaïcum; quem pro invicta sua constantia similiter capitis amputatione mulctarunt. Interea fugam suam continuabant S. Maura, S.* Genitor, *ætate major et cæteris validior viribus, sanctique adolescentuli* Principinus, *a Maano* Præcipinus *dictus, et S.* Tridorius, *quem Castellanus in Martyrologio appellat* Theodorium *et in Vocabulario hagiologico* (1) Theodorum; *verum instabant cruenti milites et passibus non sat properis pergere poterant natu minores. Consuluit itaque S.* Genitor *matri ut ipsa humeris suis ferret S.* Principinum, *dum ille se S.* Tridorio *oneraret. Quod* E *et factum est. Sed frustra. Brevi enim captus est S.* Genitor *et capite amputatus; quod ipse detulit usque ad templum, titulo B. Mariæ virginis dicatum. Quo quum pervenisset, pulsavit januam petiitque a Sebastiano, custode cæco, ut sibi aperiret; quod quum hic fecisset, oculorum lumen recepit. Similem sibi timentes sortem, projecerunt se sancti* Principinus *et* Tridorius *in Crosam; quod flumen transierunt eodem prodigio quo Israelitæ mare Rubrum. Absconderunt se dein in vicino; sed brevi detecti sunt et gladio animadversi. Accurrit dein mater ad filiorum cadavera, eaque sedulo observabat, hinc discedere non valens. Noctu autem, dum custos Sebastianus ad S.* Genitoris *funus vigilaret, suavissimos audivit angelorum cantus et mirabilia lumina vidit super collem, in quo jacebant SS.* Principinus *et* Tridorius. *Quare quum mane sepelivisset S.* Genitorem, *transivit flumen petiitque prodigiosum collem; unde post colloquium cum S. Maura translulit sacra beatorum martyrum corpora ad templum S. Stephani. Mater porro, carissimis orbata pignoribus, sola vixit in recessu seorsim ab hominum* F *conspectu et consuetudine et, gloriosa tandem confessione perfecta, sepulta est ad Arciacum seu Aciacum oppidum. Sed quum Gotthia jam menses quadraginta duos siccitate affligeretur atque incolæ aliquid de S. Maura audivissent, quæsierunt ejus corpus, confisi ejus præsentia factum iri ut eo malo liberarentur. Perfecerunt id consilium; et quidem, ut ad patriam accedebant, cecidit copiosus imber : quo viso miraculo, idola abdicarunt et Christi fidem amplexi fuere.*

Eadem historia in Silviniacensibus Actis aliis partim sanctis applicata est.

7 *Silviniacensia Acta non omnino convenire cum Trecensibus seu Turonensibus jam docuimus; accipe præcipuas discrepantias. In primo S. Maura dicitur in Silviniacensibus non novem habuisse filios, sed duodecim; deinde ii filii enecti non fuere in agro Turonensi, sed per plures Galliæ provincias. En ut rem paucis complectitur Gononus, cui consentit Labbeus :* Interea, *inquit ille,* rex Gothorum Agrippinus, audiens

(1) Ménage, Dictionnaire étymologique, edit. de Jault, t. I, p. LXXXIII.

novam

AUCTORE V. D. B.

novam hanc et admirabilem *S. Mauræ ejusque filiorum* conversionem, valde iratus, statim satellitibus suis præcepit, ut insequerentur prædictos deorum suorum contemptores, et ubicumque invenirentur, absque misericordia crudeliter necarentur. Multi igitur multas regiones peragrantes, tandem diversis in locis primo decem occiderunt, partim apud Bituri-gas, Lemovicas et Pictavos; beatus vero Principinus, qui solitariam vitam fuerat amplexus, prope fluvium Oculi * in territorio Borboniensi, non longe ab urbe Ericia *, ab impiis satellitibus repertus est. Interrogatus vero quisnam esset, audacter respondit se christianum esse, natione Gothum, baptizatumque fuisse cum matre et fratribus a beato Martino, archiepiscopo Turonensi. Tunc unus ex satellitibus, acrioris iracundiæ motibus stimulatus, amputavit impia securi caput ejus; quod decidens terræ, et inchoatæ laudi volens finem imponere, illud canticum reddidit quod post BENEDICAMUS DOMINO omnis fidelis homo dicit, scilicet DEO GRATIAS. *Narratur dein S.* Principinus *caput detulisse* ad ecclesiam nomini Dei sanctique Petri * consecratam, ubi quidam cæcus nomine Macarius solito residebat; *qui Macarius deinde dicitur erga S.* Principinum *ea omnia fecisse, quæ supra a Sebastiano in S.* Genitorem *peracta legimus. Oblincensem formam vide in fine.*

* *OEil*

* *Hérisson*

* Saint-Pierre de Chasteloy *juxta* Hérisson.

§ II. Origo fabulosæ illius historiæ. Quibus in locis novem illi sancti colantur.

Actis illis, certissime fabulosis, in unum congregatæ sunt laudes sanctorum, quos inter nil fuit commune.

C *Jam vero, ut sine ambagibus sententiam meam aperiam de Silviniacensibus Actis et Turonensibus, nullus dubito imprimis bina prorsus fabulosa esse; deinde exemplar seu prototypum prius confectum fuisse in agro Turonensi, eoque non repræsentari martyrium alicujus familiæ christianæ, sed potius cyclum quemdam esse poeticum, quo laudentur sancti aliquot Turonenses, nil inter se commune habentes præter sanctitatis gloriam et gestorum oblivionem; et demum hanc Passionem, paucis mutatis, applicatam fuisse aliis nonnullis sanctis Bituricensibus, Lemovicensibus, Pictaviensibus, Arvernis, Carcassonensibus, etc. Quod autem primo dixi ea Acta esse fabulosa, equidem ambigo an id demonstrandum sit; scatent enim eo prodigiorum genere (capitum gestationem dicere volo), quod nemini cordato non potest non esse suspectum et de cujus origine alibi* (1) *plura jam dixi. Sed positum esto severius id esse judicium; remanet temporum omnimoda perturbatio. Imprimis certum esse videtur S. Martinum vita functum esse anno* 396 *aut* 397; *et qui ejus mortis tempus tardissimum faciunt, revocant id ad annum* 402 (2). *Jam vero Gothi, duce Ataulpho, irruerunt primum in Gallias, novas sedes acquisituri, anno solum* 412 (3); *ita ut dudum S. Martinus diem obiverit, priusquam ex Septimania Gothi venire potuerint ad eum in agrum Turonensem. Deinde Agrippinus, qui et Auri-* D
pinus et Aripinus, idem videtur esse ac comes Agrippinus, cujus se vadem fecit S. Lupicinus, abbas Jurensis (4), *et qui deinde anno* 460 *Narbonem Visigothis tradidit, jussu* (*ut nonnulli* (5) *volunt*) *Severi imperatoris; verum hic id pactum iniit cum Visigothorum gente plus medio sæculo post S. Martini funus. Alia prosequi nolim, quum jam nemini dubium esse possit quin hæc Acta fabulis scateant.*

S. Maura, quæ tot filiorum dicitur fuisse mater, virgo fuit et monialis;

9 *Cæterum origo magnæ partis fictionum facile detegi potest. Dicitur in eis S. Maura post filiorum truculentam necem degisse, mortua et* sepulta esse ad ARCIACUM *seu* ACIACUM oppidum; *unde constat eamdem esse S. Mauram virginem, de qua S. Gregorius Turonensis meminit cap.* XVIII *libri de Gloria confessorum* (6). *Scilicet* infra ipsum terminum Turonicum erat mons parvulus, sentibus, rubis, vitibusque repletus agrestibus, et tanta densitate labruscæ contextus ut vix aliquis intro posset irrumpere. Ferebat enim fama duas Deo sacratas virgines in illo loco quiescere. *Ab his itaque virginibus in visione admonitus incola, ut* oratorium superædificaret, *et* beatus Euphronius, qui tunc, E
nempe ab anno 555 *ad* 572 (7), Turonicam regebat ecclesiam, *ut id consecraret, perfecerunt ambo post tergiversationes aliquot hæc jussa. Porro S. Euphronius, qui eas in somno loquentes audiverat,* unam Mauram, alteram Brittam vocitabat, dicens se ab earum ore hæc nomina cognovisse. *Extremo sæculo* XVII *sub his nominibus colebantur apud Turonenses die* 28 *januarii; in oppido autem, quod ab illis nomen* sanctæ Mauræ *habet jacetque inter Turones et Castellum Heraldi* *, *die præcedenti* (8). *Ne autem quidquam desit huic argumento, constat aliunde præsens S. Mauræ oppidum olim dictum fuisse* Arciacum (9). *Plura de S. Maura omitto, quoniam de ea jam dixit Bollandus ad diem* 15 *januarii. Nolim etiam hoc loco quærere an SS. Maura et Britta Turonenses eædem sint ac SS. Maura et Brigitta Bellovacenses. Licet in aientium partem inclinem, melius id examinabitur sub die* 12 *novembris, ad quem eas Martyrologio suo universali inscripsit Castellanus.*

* *Chatellerault*

S. Benignus episcopus peregrinus fuisse videtur,

10 *Si itaque in illis Actis virgo Deo sacrata seu monialis in matrem novem aut duodecim filiorum conversa fuerit, dabimusne tantam auctoritatem iisdem Actis ut per ea nos impediri sinamus, ne, qui in his martyr non pontifex dicitur, episcopum et confessorem fuisse arbitremur? Equidem plane non dabo, licet aliter sentiat Ruinartius* (10). *Nullus itaque dubito quin S.* Benignus, *qui sancti* Spani *frater dicitur et filius S. Mauræ, et qui hac die etiam colitur, idem habendus sit ac S.* Benignus, *episcopus, cujus retectionem his verbis explicat S. Gregorius Turonensis:* In alio autem pago Turonico, *inquit* (11), erat inter vepres et rubos sepulcrum positum, in quo ferebatur episcopum quemdam fuisse sepultum. Nomen ignorabant. Contigit vero ut cujusdam pauperis filius moreretur. Quo sepulto, cum pater operto-

(1) Acta SS., t. VII Octobris, p. 819. — (2) Cfr Gervaise, Vie de S. Martin de Tours, p. 355 et seqq. — (3) D. Vaissette, Hist. du Languedoc, t. I, p. 164. — (4) Acta SS., t. III Martii, p. 266 et 267. — (5) D. Vaissette, t. I, p. 206. — (6) S. Gregorii Turonensis opp., col. 906 et seqq. — (7) Hauréau, Gallia christiana, t. XIV. col. 21 et 22. — (8) Ruinartius, S. Gregorii Turonensis opp., col. 908. — (9) Cfr Guide pittor. du voyageur en Touraine, p. 194, et Lafosse-Touchard, La Loire historique, t. IV, p. 297. — (10) S. Gregorii Turonensis opp., col. 906. — (11) Liber de Gloria confess., cap. XVII, col. 906.

rium

A rium sarcophagi non inveniret, ad hunc locum accessit; ablatoque de hoc sepulcro cooperculo, quod tam immane erat ut tribus duceretur paribus boum, texit corpusculum filii furto alterius sepulcri. Quod cum fecisset, surdus, mutus, cæcus ac debilis est effectus; mansitque in hoc supplicio integrum fere annum. Dehinc apparuit ei quidam sacerdos per visum dicens : Quid, inquit, tibi tuisque vim intuli, o vir, quia detexisti me, auferendo opertorium tumuli mei? Vade nunc, si vis sanus fieri, jube ipsum velociter revocari; quod si nolueris, protinus morieris. Ego enim sum Benignus episcopus, qui in hanc urbem peregrinus adveni. At ille suis innuens, accessit ad monumentum filii sui, elevatumque lapidem plaustro imposuit, reportatumque sarcophago reddidit, illico sanus effectus est. Nam in redeundo ita lapis levis erat, ut quem tria paria boum evexerant, boves deinceps duo revocarent.

quem alii confundunt cum episcopo Ultrajectum translato, alii cum S. Benigno Divionensi.

11 *Hunc* Benignum *putat Baronius eumdem esse ac homonymum, qui die* 28 *junii in Martyrologio Romano memoratur et cujus reliquiæ aliquando Trajectum ad Rhenum translatæ fuerunt; at vetus Trajectensis traditio habet suum Benignum Carnotensem fuisse episcopum; nec quidquam est, ut ad dictam diem* 28 *junii in brevi Sylloge animadverterunt decessores nostri, cur ab hac traditione discedatur, licet Carnotenses catalogi hujus episcopi nomen non contineant; quum nemo tuto affirmarit plenos esse illos catalogos. Nihil itaque suadet ut S.* Benignum, *in pago Turonico retectum, ad Rhenum usque ablegemus; sed potius error, in S. Maura revelatus, eo vergit ut audacter dicamus ejus corpus apud Turones remansisse; locum vero, ubi repertum fuit, Tilletum esse, ubi eum martyrium fecisse fabulatur auctor Passionis S.* Spani; *Tilletum autem repræsentari aut loco* Teillé *in oppido S. Spani, aut vico* Thilay, *olim parœcia in pristino archipresbyteratu Insulæ Buccardi** (1); *qua in re si errem, errorem facile detegere poterunt Turonenses, quandoquidem ille idem S.* Benignus, *ut ex kalendariis intelligo, patronus sit parochialis in diœcesi Turonensi; quo indicio ad Tilleti situm facile devenire poterunt. Re quidem vera qui Breviarium et Missale Turonense olim reformarunt, noluerunt hunc S.* Benignum *diœcesi Turonensi esse proprium. Quare in Ordinibus Turonensibus recitandi divini officii annorum* 1830, 1839 *et* 1844, *quos coram habeo, omisso S.* Beato, *jubetur ritu simplici memoria fieri* S. Benigni, presbyteri et martyris; *quibus verbis procul dubio indicare voluerunt S. Benignum, presbyterum et martyrem Divionensem, qui die* 1 *novembris passim colitur : verum hæc certissime arbitraria substitutio est, nulla suffulta verisimilitudine. Siquis tamen eam retinendam esse arbitretur, remanet nihilominus quod dixi, scilicet per notitiam loci, ubi S.* Benignus *patronus est, fieri posse ut in accuratiorem Tilleti notitiam deveniatur.*

* L'Ile-Bouchard

SS. Benigni *et* Beati *cultus et reliquiarum fata in templo cathedrali Turonensi et in diœcesi Rhedonensi.*

12 *Ex eodem veteri Tilletano cœmeterio effossum fuisse S.* Beati *corpus suadet illa eadem S.* Spani *Passio; nam, simul ac certo detexímus quæ ejus sit ratio, non facile id filum e manibus dimittendum est. Porro S.* Beatum *et S.* Benignum *deinceps quievisse in Turonensi cathedrali ecclesia intelleximus supra ex ejus Martyrologio. Agebatur quotannis hujus translationis memoria ritu simplici, ut mihi constat ex Breviario diœcesano Turonensi anni* 1612, *atque etiam ex vetusto Turonensi Martyrologio : sed nihil omnino, ne oratio quidem erat propria. Contra in eodem Breviario hæc ad diem* 25 *octobris legebantur :* Sanctorum Benigni et Beati martyrum; *nulla facta mentione de S.* Spano *aut aliis.* Duplex. ORATIO. Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per horum sanctorum martyrum tuorum Benigni et Beati, qui in (præsenti *vel* Turonensi) requiescunt ecclesia merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum. *Verum anno* 1612 *antiquitati potius quam veritati conformis erat hæc oratio; nam die* 1 *aprilis anni* 1562, *quum Huguenotti jam omnia auderent Turonibus, expilarunt cathedrale templum; qua populatione perierunt SS.* Benigni *et* Beati *reliquiæ. Audi Joannem Maan* (2) *de hoc facinore :* Quanti præda fuerit nemo æstimet. Quod enim eorum E quisque rapiebat, id clam tollebat sibi. Solas sanctorum statuas, lipsanothecas, cruces, altiora candelabra et quæ occulere non poterant, ea, crematis ossibus, in ærarium sancti Martini congerebant : iique mox Joannæ Albretiæ, Navarrorum reginæ ac sectariorum facile principi, Vindocino redeunti, facta prædarum collatione, numeraverunt argenti selibras octoginta millia; quæ ipsa suo nomine retulit. Rapuerunt autem et exportarunt e principis ecclesiæ sacrario reliquiarum thecas quatuor argenteas Gatiani protoprœsulis, Lidorii episcopi, cui inerant et ossa SS. Benigni et Beati martyrum; Candidi martyris et Arnulphi; *et pergit dein Maanus alia sacrilegia enarrare. Rhedonibus etiam singularem cultum obtinuit S.* Benignus. *Verumtamen in Kalendario diœcesano anni* 1627 (3) *ejus nomen non legitur. Contra in Kalendario anni* 1831 *die* 25 *Octobris fieri jubetur ejus memoria, tamquam martyris ritu simplici. Sed quum anno* 1848 *ad ritus Romanos postliminio redierunt Rhedonenses, denuo S.* Benigni *nomen expunctum est. Equidem arbitror olim S.* Benigni *cultum viguisse Rhedonibus; eosque, qui Kalendarium adornarunt, quum novos propriosque ritus admiserunt, ejus nomen non alia de causa adscripsisse quam quod ex vetustis libris intellexerant ante annum* 1627 *celebrem apud se fuisse S.* Benigni *venerationem.*

AUCTORE V. D. B. *ronensi et in diœcesi Rhedonensi.*

F

13 *Post SS.* Benignum *et* Beatum *venit S.* Spanus, *quem et* Hispanum, Hispadium *et* Spathum *dictum fuisse reperio. Is omnium longe celeberrimus est. Corpus ejus in S. Martini basilica fuisse servatum jam vidimus. Capsa, qua claudebatur, videtur fuisse perquam superba, quemadmodum reliqua hujus templi cimelia. Quum autem anno* 1453 *S. Martini aureum feretrum super sepulcrum in suggestu argenteo, collocatum est, circumposita sunt reliquæ aureæ et argentæ lipsanothecæ, quibus continebantur ejusdem S. Martini caput et corpora sanctorum præsulum Turonensium Brictii, Per-*

S. Spani *cultus in templo S. Martini Turonensi et in vico, quod suum nomen gerit.*

(1) Cfr Pouillé, de Tours, p. 60. Paris, 1648. — (2) Sancta et metrop. ecclesia Turonensis, p. 199. — (3) Ap. Tresvaux, Vies des Saints de Bretagne, tom. I, p. XXXVII.

petui,

AUCTORE V. D. B.

petui, Gregorii, Eustochii et Euphronii; quin etiam aliorum cælitum adeoque ipsius S. Spani(1). *Sed hæc omnia anno* 1562 *dissipata sunt. Huguenottorum enim duces, probe conscii quantum sibi honestissimi cujusque contemptum conciliassent cathedralis templi violatione, viam specie minus probrosam inierunt ad S. Martini templum thesauro suo spoliandum. Efflagitarunt itaque a Condatensi principe, rebellium primipilo, decretum, quo jubebatur ut thesaurus ille custodiendus traderetur equiti de Rupefulcaldi, marchioni de Genlis et domino de Vigento, ne* (*hæc causa honesta prætendebatur*) *malesanæ plebeculæ præda fieret. Repertorium seu indiculus cœptus est die* 15 *maii; et tanta erat pretiosa supellex, ut absolutus non fuerit ante diem* 7 *mensis sequentis. Verum hæc mera ludibria. Igne consumptæ vestes aureæ et argenteæ; imagines et lipsanothecæ ex auro et argento fractæ et fusæ; et, quod omnium dolendum maxime, sacra Eucharistia violata, et reliquiæ sanctorum combustæ* (2); *atque ea ratione deletum est S.* Spani *corpus* (3). *Perrexere tamen postea S. Martini canonici beatum virum colere*

B *ritu* duplici trium candelabrorum, *ut in Breviario anni* 1635 *legitur. Ritus autem ille æquivalebat ritui Romano duplici minori. Sed quum extremo sæculo* XVIII *ejecti fuere canonici et basilica ad usus profanos traducta, non potuit ibidem non cessare S.* Spani *cultus; aut postea restitui, quandoquidem die* 2 *novembris anni* 1797 *augustissimum templum corruit* (4). *Verumtamen anno* 1562 *igne consumptæ non fuerant omnes omnino S.* Spani *reliquiæ; ita ut anno* 1833, *die dominica* II *octobris, fieri potuerit solemnis ejusdem reliquiarum translatio in templum beatissimi viri nomine decoratum; ex quo tempore in eo templo agitur ejus natalis dicta dominica die, non autem* 25 *octobris. Positum est autem id templum in ipso oppido, quod ejus nomen gerit vulgo S.* Épain, *et aliquot milliariis a Turonibus distat meridiem versus inter oppidum S. Mauræ et Chinonium. Ostenditur in S.* Spani *parochia puteus, in loco Teillé nuncupato, ubi occisus dicitur sanctus martyr et qui ea de causa multa adhuc veneratione visitatur. Nescio autem alibi in diœcesi Turonensi S.* Spani *festum celebrari. Inferius dicemus de*

C *cultu olim ei præstito in diœcesi Trecensi.*

S. Marcelliani *cultus prope Crosam, S.* Messapii *Barrai et SS.* Genitoris, Principini *et* Tridorii *Oblinci;* * Barrou

14 *S.* Marcellianus *occisus fuisse dicitur Barrai* *, *ubi S. Perpetuus, Turonensis archiepiscopus, ecclesiam condidisse legitur* (5) *et qui locus in dextra Crosæ ripa positus est nomenque dedit antiquissimo pago Berravensi. In Ordinibus Turonensibus divini officii annorum* 1830, 1835 *et* 1844 *S.* Marcelliani *nomen non apparet, nisi tamen in postremo, ubi inter parochiales patronos recensetur, festa ejus die constituta* 25 *octobris; singulari autem veneratione habetur in parochia Guerche super Crosam. Turromaïcum, ubi S.* Messapius *occisus dicitur, potest longe non distare a Barrao et situm etiam fuerit oportet super Crosam : et quidem monet V. V. Damourette Turromaicum nunc dici* Tournon *seu* Saint-Pierre-de-Tournon, *situm super Crosam, quatuor leucis ab Oblinco, de quo mox dicemus. Licet autem Turromaicum diœcesi Turonensi contineatur, non tamen inter patro-* D *nos parochiales illius diœcesis recensetur S.* Messapius. *Facile etiam reperire est ubi passi seu potius culti fuerint atque etiamnum colantur SS.* Genitor, Tridorius *et* Principinus. *In Actis S.* Spani *hæc habemus indicia : in una Crosæ ripa stabat ecclesia S. Mariæ, ex altera S. Stephani; collis etiam aderat; et potissimum non negligenda ipsa sanctorum nomina. Jam vero in Polyptycho Bituricensi anni* 1648 (6) *hæc leguntur :* Capellania seu ecclesia parochialis sancti Genitoris de Oblinco, *sainct Genitour proche le Blanc.* Abbas Dolensis *patronus seu beneficii collator. Et inferius* (7) : S. Stephani de Oblinco ; *quæ parœciæ dein iterum inter prioratus archipresbyteratus de Oblinco referuntur* (8). *Et quidem oppidum de Oblinco, quod nunc caput majoris et minoris pagi* (arrondissement *et* canton) *in provincia* (département) *de Ingeri seu Angeri* (Indre) *est, divisum olim erat in quatuor communitates, quarum prima dicebatur villa; secunda castellum de Naliaco* *, *in quo* (*ni fallor*) *erat ædicula* * Naillac *B. M. Virginis; tertia continebat parochiam S. Sigiranni, annexam ædi B. M. de Arce* *, *et* * du Donjon *alteram S. Stephani, utramque positam in ripa sinistra Crosæ; quarta demum dicebatur S.* Genitoris *et sita erat in ripa dextra, in inferiori oppidi parte* (9). *Nunc etiam S.* Genitor *oppidi Oblinci et templi præcipui patronus est et colitur magno populi concursu in festo Corporis Domini. De qua re id unum monebo me ad diem* 24 *octobris in Commentario de S. Montana pluribus disseruisse de consuetudine instituendi pias peregrinationes circa festa Pentecostalia. Alii tres sancti, vulgari nomine* Bons Saints, *singulari veneratione coluntur in templo S. Stephani prima die dominica Septembris. Atque hoc quidem anno* (1860) *affuerunt quinquies circiter mille homines, facientes* (*ut loquuntur*) *iter suum,* leur voyage ; *qui omnes multa pietate sacrificio missæ et solemni supplicationi interfuerunt : plurimi imprimis afferuntur pueri ægroti et vestes lipsanothecæ applicari solent; ita ut cura et sollicitudine præsentis parochi S. Stephani V. V. Mahaut, pristina pietas paulatim restituatur. Eo autem conferunt veteres traditiones, quibus ea omnia, quæ supra retulimus num.* 6, *suis adhuc assignentur locis.* (*De* F *reliquiarum fatis dicam ad finem.*) *Verum, licet olim atque etiam nunc Oblincum diœcesis Bituricensis pars sit, nomina tamen illorum sanctorum inscripta non sunt kalendariis liturgicis Bituricensibus antiquis et recentioribus; quin ipse Labbeus, qui tot documenta de sanctis diœcesis Bituricensis in Bibliothecam suam manuscriptorum congessit, nil omnino de his sanctis habet.*

15 *Loquitur quidem de S. Principino, qui in abbatia Silvaniacensi potissimum colebatur; sed is puer non erat, verum eremita; Oblinci super Crosam diem non obiit, sed in vicinia Ericiæ* * *in agro Borboniensi; præterea Silviniaci ejus remansit corpus, dum S.* Principini *Oblincensis in viciniam Biturigum delatum fuit simul cum corpore S.* Tridorii. *In antiquo enim Martyrologio S. Laurentii Bituricensi* (10) *ad* XV *kalendas*

duo posteriores translati Bariacum prope Bituriges. * Hérisson

(1) D. Gervaise, Vie de S. Martin de Tours, p. 328. — (2) Ibid., p. 340 et seqq. — (3) Ibid., p. 234. — (4) Guide pittoresque du voyageur en Touraine, p. 51 et 52. — (5) S. Gregorius Turon., Hist. Franc., lib. X, cap. XXXI, num. 6. Opp. p. 532. — (6) Pouillé, général de Bourges, p. 51. — (7) Ibid., p. 52. — (8) Ibid., p. 53. — (9) Cfr d'Expilly, Dictionnaire géographique des Gaules, tom. I, p. 647. — (10) Ap. Labbe, Bibliotheca mss., tom. II, p. 698.

aprilis

A *apriles seu diem* 18 *martii hæc legimus.* Bituricas civitate apud Bariacum fundum dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ virginis et sancti Symphoriani, et exceptio corporum sanctorum Principini et Tridorii martyris. *Bariacum autem, ut ex diplomate constat, quo Hugo, archiepiscopus Bituricensis, Herberto, abbati S. Sulpicii, multa bona olim ablata anno* 983 *restituit,* curtis *erat* cum ecclesia in honore S. Aniani, quæ est super fluvios Averæ et Dadonnæ (1). *Averæ vulgare nomen est* l'Èvre; *estque rivus per Bituricas transiens, multos recipiens affluentes; sed nullum ex his in mappis Cassinii video, cujus nomen ad* Dadonnam *appropinquet. Utut id est, Bariacum est* Béry *seu* Berry *ad septentrionem Biturigum, in dextra ripa Averæ positum; quo loco quum Avera in duos alvos dividatur, verisimiliter alter Averæ nomen retinet, alter Dadonnæ recipit. Hujus loci meminit Polyptychus Bituricensis* (2) *his verbis :* De Beriaco aut Bariaco, *Bery :* abbas S. Sulpitii *collator seu patronus.*

S. Lupi, *distinguendi a S. Lupo Andegavensi, cultus prope Turones.*

16 *Hactenus nil dixi de S.* Lupo *qui frater natu maximus fuisse dicitur : quamobrem in agrum Turonensem redeundum est. Ut ex S.* Spani *Passione liquet, oportet ut S.* Lupus *occubuerit et cultus fuerit inter Turones et oppidum S.* Spani, *de quo supra; neque ulla ratione confundendus videtur cum S.* Lupo, *episcopo Andegavensi, cujus gesta ad diem* 17 *in opere nostro illustrata sunt. Id tamen fecisse videntur, qui olim Turonense Breviarium et Missale mutarunt. Nam quum S. Lupus Andegavensis apud Turonenses numquam celeber fuerit* (*etenim neque olim, neque nunc in kalendario diœcesano scriptum est ejus nomen*) *et quum contra ex Passione S.* Spani *appareat persuasum Turonensibus pridem fuisse aliquem S.* Lupum *fecisse in Turonensi territorio martyrium, quis dubitet quin is, qui inter diœcesis parochiales patronos locum habet, posterior S.* Lupus *sit? Verumtamen huic substituerunt illum alterum; atque ea de causa, ut ex sæpe citatis kalendariis intelligo, nunc, ubi apud Turonenses S.* Lupus *patronus est, festum agitur non die* 25, *sed* 17 *octobris, aut potius proxima die dominica.*

S. Spani *cultus in diœcesi Lingonensi.*

* Meix-St-Epain
* Dép. de la Marne

17 *Postquam autem ea omnia expedivimus quæ ad explicandam S.* Spani *Passionem facere videbantur, pauca colligenda sunt de ejus cultu, extra diœcesim Turonensem propagato. Floruit is olim imprimis in Manso S.* Spani *, *in provincia de Matrona* *, *sesquileucam a Sezanna distante. Servatæ illic partes ejus reliquiarum in tribus lipsanothecis, quarum uni forma erat hermæ, secundæ brachii et tertiæ crucis. Sub initium sæculi* XVII, *ut testis est Nicolaus Desguerrois* (3), *maxima illuc concurrebat multitudo; ita ut offerrentur præter alios nummos octies mille dublones Turonenses, æquivalentes* 66 *libris, tredecim solidis et quatuor denariis; quæ pecunia inter parochum et ecclesiam dividenda erat. Hanc rem summa admiratione narrat Desguerrois. In legenda autem anonyma S.* Spani *ejusque fratrum, quam anno* 1850 *societas S. Victoris juxta Desguerroisii narrationem conscribendam curavit, dicuntur eædem adhuc servari reliquiæ; atque aliæ in sacello S. Lucæ prope Trecas. Patronus quoque erat S.* Spanus *simul cum S. Martino Turonensi templi abbatiæ sub Plancejo* *, *similiter in diœcesi Trecensi. Sub die* 12 *novembris, qua Silviniacenses colebant suum S. Principinum, quæri poterit quinam sancti lateant sub larva duodecim filiorum, qui in S.* Spani *Passione Silviniacensi S. Mauræ adscripti sunt.*

AUCTORE V. D. B.

* Abbaye sous Plancy

Fata reliquiarum SS. Messapii, Tridorii *et* Principini.

18 *Atque hoc loco explicanda videntur reliquiarum Bonorum Sanctorum fata :* Quum ante quinquennium in hanc parœciam *veni, sic gallice ad me scripsit Ven. vir Mahaut die* 19 *octobris anni* 1860, duas reperi lipsanothecas, in utroque altaris cornu collocatas, in formam pyxidis quadraginta centimetris longæ et viginti largæ : imposita erant magna ossa, sed detracta sigilla cerea. Inerat charta continens nomina eorum, qui anno 1689 die 28 aprilis Pictavis de suo emerant tres thecas trium sanctorum pignoribus servandis. Inerat et alia charta, signata die 25 augusti anni 1795 a parocho et vicario, atque etiam ab iis qui reliquias extremo sæculo superiori servatas presbytero alicui tradiderant; et demum vicarii generalis Bituricensis commentarius E publicus, quo testabatur se reliquias visitasse et apposuisse alias certas reliquias, sigillo cereo notatas, quod trium patronorum exuviæ a viris impiis turbatæ fuissent. Alteri lipsanothecæ inscripta erant SS. Messarii et Tridorii nomina, alteri S. Principini. Inveni præterea alia ossa, vittis ligata, cum epigraphe : *ces ossements sont ceux de saint Principin.* Quas autem adhuc habemus reliquias, fortibus aliquot debemus feminis. Quum enim viri impii venissent ad spoliandum S. Stephani templum et præclara hac functi essent provincia; dum prandio assiderent, templum ingressæ sunt aliquot mulieres et brevissimo temporis spatio collegerunt omnia ossa illa et scripta; quin etiam, quum illi iidem in foro publico combussissent res, venale non habentes pretium, collegerunt alia semiusta ossa cum carbonibus; quorum magna pars in unam delata sunt domum, quæ quasi oratorium factum est. Aliæ particulæ in aliis erant domibus et singulari reverentia cum reliqua hæreditate transmittebantur; ut ultimis etiam temporibus aliquot templo redditæ sint. Quas omnes reliquias includendas curavi pyxidi, anno superiori Parisiis confectæ, cum appicta sanctorum martyrum passione. Ut Bonorum Sanctorum sic quoque S. Genitoris reliquiæ in suo templo servatæ sunt simili fortitudine et industria aliquot fidelium. *Superest ut ad finem gratias habeamus Ven. Viris Domourette, Mahaut et Bourassé, qui suam in nobis juvandis operam desiderari passi non sunt.* F

—

(1) Patriarchium Bituricense, cap. 55. Ibid., tom. II, p. 84. — (2) Pouillé de Bourges, 1648, p. II. — (3) La saincteté chrétienne etc., pag. 73.

EX MSS.

PASSIO

SS. LUPI, GENITORIS ET FRATRUM.

Ex regesto Oblincensi a.

S. Maura cum novem filiis a S. Martino Turonensi baptizata, *b*

His igitur temporibus Martini egregii Christi præsulis ecclesiæ Turonicæ, præsidentia Constantii et Agrippini *b*, Gothorum regis impiissimi, erat quædam matrona nomine Maura, generis nobilitate, excellentissima morum lenitate ornata, non tamen ortu paganismi purificata. Novem habuit filios, specie et habitu decoros; quorum hæc sunt nomina : Lupus, Benignus, Beatus, Spanus, Marcellianus, Messarius, Genitor, Principinus et Tridorius. Maura igitur, quamvis paganorum errore et Gothorum persecutione retenta, una cum filiis suis, desiderio baptizari manibus S. Martini, cujus fama longe lateque valebat et qui radiis prædicationis aliarumque virtutum totum orbem tunc temporis illustrabat, succendebatur. Quare profecti sunt mater et filii, Turonem perveniendi animo et a pio præsule gratiam baptismi suscipiendi causa. Maura igitur toto itinere filios indesinenter hortabatur ut sæpius secum reputarent gratiam characteris *c*, quo insigniendi et initiandi erant.

c *incidit in Gothorum manus : occiditur* S. Lupus ;

2 Redeuntibus postea Maura et filjis in locum, unde oriundi, durante tamen infestatione Gothorum ; qui suum audientes reditum squallide conati sunt ex fratribus primogenitum subvertere, adhibitis metu et minis, ipsumque sic allocuti : Tu quidem, Lupe, qui etiam primogenitus es, quomodo mandat rex, fac propere, ut felix et quietus deinde evadere queas, utque fratribus, vestigia calcantibus, salutem conferas. Lupus, spretis suorum persecutorum minis et blanditiis, sic fatus est : Ego Lupus nomine quidem ; sed quasi agnum amore Christi mansuetissimum invenietis me. Tandem prolata voce, factaque intima confessione coram militibus, necem jam spirantibus, decollatus est, adstantibus matre et fratribus.

item S. Genitor, *qui amputatum caput manibus templo intulisse traditur.*

3 Quos etiam primum blanditiis, deinde terroribus allicere conati sunt ; ideoque ad Genitorem se convertunt, quem sic alloquuntur : Tu Genitor, matri dilectissime, ad regem nobiscum propera, valde inclytum. Sed hæc promissa aspernans Genitor, certoque sciens jam coronam martyrii adesse, munivit se Domini confessione, atque sic cœpit cum lacrymis orare : Jesu pie, spiritum meum accipe et sanctis tuis martyribus me sociare digneris. Hac prece fusa, decollatus est Oblinci Castelli pro nomine Christi. Caput namque proprium manibus suis post decollationem accepit et deferebat ; et sic ad templum sanctæ Dei genitricis Mariæ lætus perrexit, januasque sibi illico aperire præcepit. Erat autem ibi vir quidam, a nativitate cæcus, nomine Sebastianus hujus ecclesiæ ostiarius ; qui ut audivit Genitoris vocem januam ipsam ultro aperuit ; lumenque, quod postea recuperavit, concedi supplex efflagitavit. Idcirco hujus miraculi beneficio ejusdem ecclesiæ foribus quoddam foramen advertitur *d*,

d *Itemque alii fratres. S. Maura in pace moritur.*

4 Cæteri vero fratres ex piis Mauræ matris adhortationibus et monitis hanc hauserunt constantiam, quæ nec gratia, nec minis flecti potuit. Igitur in fidei confessione, quam etiam a pio præsule Martino exhaustam habuerunt, perseverantes, varie necati sunt : Spanus gladio truncatus ; Tridor et Principinus, quorum corpora in ecclesia S. Stephani sepulta sunt et deposita, eodem genere necis percussi sunt. Sed decrescente *e* cæteros in fratres furore, nempe Marcellianum, Beatum, Benignum, ob generosum et constantem animum in eadem professione immaniter trucidante. Denique Maura, mater digna tot filiis, secessit quemdam in locum nomine Aciacum *f* ; ubi postquam digne Deo servire studuisset, placuit Domino ad se vocare et filiis suis consociare.

e

f

ANNOTATA.

a *Hæc Acta, quæ ad nos destinavit Ven. Vir. Mahaut, proxime sequuntur formam Turonensem ; de qua dixi in Commentario prævio, num.* 2 *et* 3.

b *Intelligitur Constantius imperator, qui medio sæculo* IV *tantopere Arianis favit et S. Athanasio aliisque catholicis tam gravis exstitit. Agrippinus intelligitur ille comes, qui anno* 460 *Narbonem Visigothis tradidit. Quam parum hæc inter se conveniant et cum ætate S. Martini patet. Vide Commentarium prævium, num.* 8.

c *Ex hoc aliisque locis manifestum est scripta hæc fuisse, quum theologia scholastica invaluisset.*

d *Hæc nunc adhuc vulgo traduntur et quidem facta esse ad ostium ecclesiæ B. Mariæ, quæ illic steterit, ubi nunc exsurgit templum S.* Genitoris.

e *Id est* transeunte.

f *In aliis omnibus libris legitur* Arciacum ; *quod nunc oppidum S. Mauræ dici tradidi supra secundum Turonensis agri topographos.* Aciacum *vulgo nunc nuncupari* Azay *monet me Ven. Vir Mahaut ; cujus nominis vici sunt in provinciis seu partitionibus* Loir-et-Cher, Deux-Sèvres, Indre-et-Loire *et* Indre ; *in quarum postrema Azay-le-Feron jacet in ipso pago Oblincensi* (arr. de Leblanc.) *Quod si quæ illic S. Mauræ memoria superesset, vacillarent Turonenses traditiones et quæ de Arciaco ex aliorum fide perhibui.*

A

DE S. CELSINO, PRESB. ET CONF.

REMIS IN GALLIA

SYLLOGE.

V. D. B.

§ unicus. Fasti sacri. S. Celsini cum S. Remigio commercium. Ædes sacra sub ejus patrocinio. Reliquiæ. Cultus.

CIRCA ANNUM DCCCII. S. Celsinus, *memoratus in fastis sacris*

Quicumque in re hagiographica plane hospes non est, cognoverit oportet codicem Usuardinum, dictum a decessoribus Heriniensem. Hic quidem codex valde antiquus non est, siquidem scriptus sit extremo sæculo XI; *sed hoc sibi proprium habet ut repræsentet priorem editionem Martyrologii, quam publicam fecit Usuardus, et multis careat additamentis, quæ codici autographo Pratensi seu*
B *posteriori ejusdem sui Martyrologii editioni adjecit ipse martyrologus Parisiensis. Herinien-sis tamen ille codex omnino purus non est, sed auctaria nonnulla habet, pertinentia ad provinciam et maxime ad civitatem Remensem. Hæc inter venit hodie sequens annuntiatio :* Ipso die, depositio Sancti Celsini, presbyteri et confessoris; *quam annuntiationem etiam habet Galesinius in Martyrologio* S. *R. Ecclesiæ, nisi quod verbis* ipso die *substituerit* Rhemis; *in codice vero Usuardi Remensi SS. Timothei et Apollinaris et in editione Belini hæc leguntur :* Remis, sancti Celsini, discipuli sancti Remigii; *in editione Molani :* Remis, sancti Celsini, confessoris et presbyteri, discipuli sancti Remigii (1); *in antiquissimo Dervensi Usuardi codice* (2) *:* Remis metropoli sancti Celsini confessoris; *in Catalogo generali sanctorum Ferrarii* : Rhemis in Gallia S. Celsini presbyteri; *in Martyrologio Parisiensi cardinalis de Noaliis :* Eodem die, sancti Celsini, presbyteri Laudunensis, cujus reliquiæ Remis asservantur; *et demum in Martyrologio universali Castellani :* Lauduni S. Celsini (*vulgo S. Soussin*),
C presbyteri, cujus reliquiæ servantur Remis in sacello subterraneo S. Mauri, secus templum S. Balsamiæ.

et copiosius, sed minus sincere laudatus a Saussayo, optime vero in Breviario recentiori Remensi,

2 *Multo copiosior pro more est Saussayus in Martyrologio Gallicano* : Lauduni, *inquit*, S. Celsini confessoris et presbyteri; qui beatæ Balsamiæ, nutricis sancti Remigii, filius, ejusque factus ex collactaneo discipulus, brevi coævis quin et natu majoribus morum maturitate, divini timoris spiritu, charitate, pietate, omnique religionis spiritu præcelluit. Turbas autem populares fastidiens, desiderio divinæ contemplationis, Lauduni de sancti ipsius pontificis licentia cellulæ se includens, Christo Jesu in omni spiritus puritate extremum usque ad halitum militavit. Deinde quieto fine consummatus ad exoptatæ Domini visionis properavit fruitionem. Corpus ejus, micans divinæ virtutis fulgoribus, Remos allatum, propria in ædicula repositum fuit congrua honorificatione; in qua beata Balsamia, ejus mater, deinde sepulta, per sanctitatis quæ edidit lumina, patrocinium sibi illius ecclesiæ, quæ nunc Sanctæ Nutricis appellatur, vendicavit. *Quum vero plura in his difficilia sint, in Breviario metropolitanæ ecclesiæ Remensis, quod anno* 1630 *excudendum curavit Ludovicus a Lotharingia, archiepiscopus, jussum quidem est ut memoria ritu simplici fieret* de S. Celsino confessore; *sed nulla lectio, nil*
D *quod proprium sit fuit propositum. Anno* 1759 *paulo liberalius erga beatum virum egit Armandus Julius de Rohan, archiepiscopus. In Breviario enim, quod hoc anno edidit, ut sequentia adderentur in fine nonæ lectionis voluit :* Hodie re-
E colitur memoria sancti Celsini presbyteri, sanctæ Balsamiæ filii, et sancti Remigii discipuli. Ejus reliquiæ asservantur in ecclesia collegiata sanctæ Balsamiæ seu Nutricis, quæ olim propter prædictas sancti Celsini reliquias ecclesia sancti Celsini dicebatur. *Atque his habes quæ Remis de S.* Celsino *circumferuntur.*

a Flodoardo jam pridem celebratus fuit. Non videtur fuisse S. Remigii collactaneus,

3 *Nituntur autem fere sequentibus Flodoardi, sæculi* X *celeberrimi Remensis historici, verbis* (3) *:* Hujus beatissimi Remigii nutrix beata Balsamia fuisse traditur, quæ mater exstitisse Sancti Celsini memoratur; qui et ipse beati Remigii discipulus fuisse familiaris asseritur, miraculis quoque postmodum claruisse dignoscitur, et æquorum maxime votis adhuc insignis habetur : in cujus et ipsa beata genitrix ejusdem requiescit ecclesia. *S.* Celsinum *discipulum fuisse S. Remigii libenter dabo; sed*
F *collactaneum ejusdem fuisse seu matrem S. Balsamiam nutricem fuisse S. Remigii nemo prudens admittet. Ut enim jam animadvertit Suyskenus noster in Commentario de S. Remigio* (4), nihil simile tradidit Hincmarus, imo longe diversum, in Vita numm. 4 et 5 ad instar prodigii referens, quod Cilinia mater, prout Montanus prædixerat, jam vetula filium suum lactaverit, et postquam hunc ablactasset, lacte suo oculos ejusdem Montani obliniens, visum ei restituerit. Eadem fere narrat Flodoardus lib. I, cap. 10, non satis ad dicta de S. Balsamia consequenter. An forte NUTRICIS vocabulum latius acceptum pro gerula sive pro ea a Flodoardo usurpatur, cui infantis cura et cetera educatio amandatur? Ita quidem una objectarum difficultatum pars cessabit, sed non omnes; quia propter Hincmari silentium mihi dubium inhærebit ne ista opi-

(1) Martyrologium Usuardi, edit. Sollerii, pag. 627 et 628. — (2) D. Bouillart, Usuardi Sangermanensis monachi martyrologium sincerum, pag. 175. — (3) Hist. Ecclesiæ Remensis, lib. I, cap. 10, ap. Migne, Patrologia lat. tom. CXXXV, col. 44. — (4) Acta SS. tom. I, Octobris, pag. 68.

AUCTORE V. D. B.

nio, leviter nata, omne pondus suum a Flodoardo acceperit, quo antiquiorem auctorem pro eadem a nemine laudatum legi, quique non nisi quinto post S. Remigium sæculo, caute addito verbo TRADITUR, eam scriptis mandavit. *Quid autem prudentissimæ huic censuræ addi aut demi possit equidem non video.*

neque eremita Laudunensis, sed discipulus S. Remigii et presbyter Remensis.

4 *Ast ubi nutant quæ de lactis communione cum S. Remigio feruntur, nutent simul oportet quæ de S.* Celsini *patria dicuntur. Certe quum in Laudunensi pago S. Remigius natus sit et adoleverit* (1), *nutrix quoque, si quam habuisset, et frater collactaneus ibidem habitasse dicendi forent : sed quam primum hæc amplius firma non sunt, nil est quo niti tuto possimus; nisi alia suppetant proba documenta, quæ hic frustra desiderantur. Contra presbyterum fuisse S.* Celsinum *ex Usuardino codice Heriniensi innotescit; neque est quod ea de re dubitetur. Laudanensisne an Remensis, difficilis quæstio. Quum S. Remigii discipulus fuerit et beato viro manserit familiaris, quumque Remis fuerit sepultus vix intelligitur fieri posse ut Remensis non fuerit presbyter. At diœcesim Laudunensem, tempore S. Remigii a Remensi divisam, petiit, turbas civitatis Remorum fugiens, illicque vitam degit in cellula, mortuusque est, et postea ejus corpus Remos translatum : ita Saussayus, cui consentire videntur Castellanus et cardinalis de Noaliis. At quibus vetustis hæc nixa testimoniis? equidem nulla video; contra hæc ex singulari quadam rerum confusione orta esse mihi manifeste apparet. Post verba scilicet, quæ num.* 3 *recitavi, sic pergit Flodoardus :* Traditus a parentibus scholæ beatus Remigius litteris imbuendus, brevi coævis, sed et natu majoribus doctrina eminentior est effectus. Cunctos superans condiscipulos, morum maturitate ac benevolentiæ charitate, populorum studens turbas vitare, atque solitarius Domino deservire, quod et obtinuit, habitaque, sanctæ conversationis studiis adolescens pius, inclusione, Lauduni Christo militavit. Ast ubi vicesimum secundum ætatis subiit annum, defuncto præfato venerabili Bennadio, archiepiscopo in hac urbe Remensi, omnium generaliter votis ad apicem pontificatus non tam electus quam raptus fuisse dignoscitur. *Atque illa, quæ tam aperte de S. Remigio dixit Flodoardus, retulit Saussayus ad S.* Celsinum. *Multo itaque melius Lelong* (2), *qui post Saussayum, Castellanum et Noalium historiam diœcesis Laudunensis scripsit, plane omisit S.* Celsini *Laudunensem inclusionem.*

B

C

Fusiori S. Remigii testamento subscripsisse legitur et sub annum 532 Remis non Lauduni diem obiisse videtur.

5 *Sitne S.* Celsinus *ille idem qui longiori S. Remigii testamento* (*quod Hincmaro videtur fuisse incognitum atque ob hanc aliasque causas a decessoribus nostris* (3) *reprobatum est, sed a Flodoardo suæ insertum Historiæ*), *his subscripsit verbis* (4) : † Celsinus presbyter. Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, et cui benedixit, benedixi : interfui quoque atque subscripsi, *frustra quæriter ab iis qui sublestæ fidei esse id monumentum censent. Qui vero aliter sentiunt et sincerum hoc testamentum habent nihil quidem definire queunt, quum alii Celsini potuerint esse presbyteri; sed temeritatis tamen arguendi non esse videntur, si in ajentium partem inclinent. Quin etiam sive S. Remigius id condiderit testamentum, sive alii id ei supposuerint, Celsinus ille certe presbyter præclarus fuit, quemadmodum Agricola presbyter, qui ibidem proxime aut intermedio Teodonio* (5) *præcedit, videtur alter esse sanctus, scilicet S. Agricola, qui die* 20 *octobris Suessionibus cultum ecclesiasticum obtinuit* (6). *Valeat præterea id monumentum ad indicandum modo qualicumque S.* Celsinum *ad ultima S. Remigii tempora vixisse : quamobrem, quum S. Remigius circa annum* 532 *ex hac vita recesserit, signavimus in capite hujus sylloges idem tempus; qua in re nobis fere jam præivit Castellanus, annum circiter* 533 *adscribens S. Remigii nomini et* 530 *nomini S.* Celsini. *Quum vero S.* Celsini *apud Laudunenses inclusionem non probemus, non licet nobis etiam probare eum illic esse mortuum, ut volunt Saussayus, Castellanus et Noalius, eumque isthinc Remos aliquando fuisse translatum. Satis nobis est cum Flodoardo affirmare eum requievisse in ecclesia Remensi, sæculo* IX *S.* Celsini *dicta.*

D

E

In crypta ædiculæ cœmeterialis, quæ forte prius S. Mauri dicta est, et sæculo X *S.* Celsini, *sæculo autem* XII *S. Balsamiæ seu Nutricis dicebatur, sepultus est et dein cultus fuit.*

6 *Referunt communiter scriptores, qui de hac ecclesia dixerunt, eam primum conditam fuisse sæculo* VI; *quibus innuunt eam suam debere originem sepulturæ S.* Celsini. *Certe hæc basilica videtur fuisse cœmeterialis, extra pristina urbis mœnia, non procul a templis S. Nicasii et S. Remigii, ex parte qua Catalaunum itur, constructa. Volunt tamen ante ibidem fuisse cryptam cœmeterialem, de qua ita disserit Marlotus* (7) : Visitur quoque secus ecclesiam capella subterranea, cryptis martyrum haud absimilis, ubi B. Maurum quidam volunt latuisse tempore persecutionis, ac immaculatam Deo hostiam obtulisse; hac itur in cryptulam, quam B. Mauri cameram vulgus nuncupat, pieque ab eo feria quinta et sexta majoris hebdomadæ præsertim visitatur : sed de hac cum siluerit Flodoardus, licet vetustatis aliquod sit monumentum, plura referre operæ pretium non existimo. *Facile tamen divinare est quid veri huic populari narrationi subsit, nempe in illa crypta diu servatas fuisse reliquias S. Mauri martyris, quem Remenses die* 22 *augusti venerantur. Et quidem tempore Flodoardi, ut ipse testis est* (8), *S. Mauri* ossa in ecclesia S. Celsini servabantur deposita; caput autem infra civitatem intra beatæ Dei genitricis Mariæ basilicam in arca secus altare venerabatur reconditum. *Quin etiam non damnabo eum qui conjecerit prius hanc cœmeterialem ædiculam S. Mauri nomine fuisse honestatam; deinde vero S.* Celsini, *quum scilicet ibidem conditus est et miraculis coruscare cœpit. Utut autem id est, quemadmodum ex modo dictis liquet, sæculo* X *certissime dicebatur ecclesia S.* Celsini. *Vult Marlotus* (9) *eodem tempore* S. Balsamiæ *aut* S. Nutricis *fuisse dictam; sed, ut jam in Commentario de S. Remigio animadvertit Suyskenus* (10), ex instrumentis, a Marloto adductis,

F

(1) Acta SS., tom. I Octobris, pag. 67. — (2) Histoire du diocèse de Laon et du pays renfermé entre l'Oise et la Meuse etc., pag. 38. — (3) Acta SS., tom. I Octobris, pag. 106 et seqq. — (4) Hist. eccles. Remensis, lib. I, cap. XVIII, ap. Migne, tom. CXXXV, col. 68. — (5) Testam. S. Remigii, ap. Varin, Archives admin. de Reims, tom. I, part. I, pag. 23. — (6) Acta SS. tom. VIII Octobris, pag. 885 et seqq. — (7) Metropolis Remensis historia, lib. III, cap. 9, tom. II, pag. 416. — (8) Historia eccl. Remensis, lib. I, cap. 4, apud Migne, tom. CXXXV, col. 35. — (9) Metrop. Remensis Hist., tom. II, pag. 414. — (10) Act. SS., tom. I Octobris, pag. 68.

in

A in quibus *sanctæ Nutricis* ecclesia expresse appellatur, vetustissima sunt duæ Romanorum pontificum litteræ, Alexandri III et Lucii III, qui post medium sæculum XII pontificatum gesserunt : quo propterea tempore jam vigebat, *aut saltem vigere incipiebat* ista ecclesiæ appellatio.

Sæculo XII *illa ædicula collegiata facta est et ejus loco dein extructa major ecclesia;*

7 *Pertinent autem hæ litteræ ad institutionem novi collegii canonicorum in hoc ipso loco et ad novam templi constructionem; atque hæc earum est summa. Circa annum* 1170, *probi aliquot viri, (verisimiliter duodecim, qui numerus legitimus erat collegiorum et qui postmodum, additis duobus capellanis, in hoc capitulo obtinuisse invenitur* (1),) *inspirante Domino de bonis suis et aliorum eleemosynis præbendas instituerant, quæ anno* 1344 *valebant singulæ libris decem* (2), *nunc fere francis* 881 (3); *et precibus Alexandri III papæ a præposito et canonicis ecclesiæ cathedralis Remensis obtinuerant* ecclesiam sanctæ Nutricis, in exterioribus ab antiquo vastatam, sed propter reliquias, quæ ibidem habebantur, omni honore dignam; *ea lege ut post eorum mortem* donatio præbendarum ejusdem ecclesiæ ad Remense capitulum pertineret, præposito et decano investituram facientibus (4). *Hæc quum confirmata essent et Romano pontifici capituloque Remensi probata, manum operi admoverunt novi canonici ut loco collabentis ædiculæ aliam exstruerent: atque id, si quid video, non in pristina area, sed juxta moliti sunt; unde factum fuerit ut crypta, qua prius sanctorum corpora condita fuerant, non sub novo templo, sed secus esset. Verum suis viribus perficere non potuerunt canonici illi hanc fabricam, licet nec ampla esset, neque elegans. Quamobrem prius a Lucio papa III, deinde ab Innocentio IV, ab archiepiscopo Thoma de Bellomeso seu de Beaumets ejusque suffraganeis indulgentias, a capitulo Remensi communicationem bonorum operum et ab vicinis abbatibus aliquot missas pro iis obtinuerunt, qui adjutrices manus, id est pecuniarium auxilium conferrent. Atque his spiritualibus subsidiis nixi collegerunt nummos, inceptis perficiendis necessarios* (5). *Stetit novum templum usque ad extremum sæculum* XVIII, *quo furente impietate destructum est* (6); *neque aliud amplius de ea superest indicium, quam plateola impervia, dicta* Impasse Sainte-Balsamie (7).

AUCTORE V. D. B.

quæ extremo sæculo XVIII *non secus ac S.* Celsini *reliquiæ periit. Parcus hujus apud Remenses cultus.*

8 *Marlotus, cujus posterius volumen anno* 1697 *Remis editum fuit, recensens reliquias, quas S. Nutricis canonici tempore suo retinebant :* Habent quoque, *inquit* (8), sancti Celsini, beati Remigii discipuli, sat notabiles particulas, in arculis reconditas; *adeoque si hæc pignora in arculis composita servarentur, credibile non est eos ineunte sæculo* XVIII *adhuc in S. Mauri crypta servatas fuisse, quemadmodum dixit Castellanus. Verum hæc periisse videntur anno* 1792, *quo thesauri templorum Remensium auro argentoque spoliati sunt et innumeræ perditæ sanctorum exuviæ. Saltem de S.* Celsini *exuviis nihil invenit cl. v. Prosper Tarbé* (9). *Cæterum non meliori fortuna usa sunt hujus capituli diplomata aliique libri,* E *de quibus (quod vix credes) superest unus tantum fasciculus, titulos aliquot proprietatis continens* (10). *Non tamen periit omnino S.* Celsini *cultus in diœcesi Remensi. In Kalendariis ecclesiasticis (Brevia et Ordines illic vocant) annorum* 1812, 1829, 1838 *et* 1846 *jubetur fieri commemoratio S.* Celsini; *contra in Kalendariis ecclesiasticis Laudunensibus seu Suessionensibus pro pristina diœcesi Laudunensi nil omnino præcipitur. Ex quibus appareat S.* Celsini *cultum numquam propagatum fuisse. Quin etiam, si excipias ædiculam cœmeterialem S.* Celsini, *postea mutatam in templum collegiale S. Balsamiæ seu Nutricis, nulla umquam in diœcesi Remensi fuit ecclesia, quæ sanctum nostrum tamquam patronum coluit* (11).

(1) Codex triennalis decimæ anno 1344 concessæ, ap. Varin, Archives de la ville de Rheims, tom. II, part. II, p. 1041 et seq. Cfr Marlot, Metropolis, tom. II, p. 414. — (2) Ibid., loc. cit. — (3) Mémoire sur la fortune, etc. in Mémoires étrangers, Académie des inscriptions, tom. I, p. 274. — (4) Marlot, pag. supra cit. — (5) Ibid., pag. cit. et seq. — (6) Tarbé, Trésor des églises de Rheims, p. 242. — (7) Brissart-Binet, Guide du voyageur à Rheims, p. 165. — (8) Metrop. Remensis historia, tom. II, p. 416. — (9) Trésor des églises de Rheims, p. 241. — (10) Varin, Archives adm. de Reims, tom. I, part. I, p. CCXVIII. — (11) Ibid., tom. II, part. II, p. 1033 et seqq. Liste des Saints sous l'invocation desquels sont toutes les paroisses du diocèse.

C F

DE SANCTO GAUDENTIO,

EPISCOPO BRIXIENSI IN ITALIA,

COMMENTARIUS CRITICO-HISTORICUS.

B. B.

§ I. S. Gaudentii, cujus nomen in fastis sacris fere desideratur, patria, et peregrinatio in Orientem, sub qua Brixiensis electus episcopus est, incertum quo anno. Doctrina et sanctitate fulgens, legatus mittitur in causa S. Chrysostomi, a quo et consolatorias accipit litteras.

PROBABILIUS CIRCITER AN. 410.

S. Gaudentii, *cujus nomen in fastis sacris fere desideratur,*

Gaudentius, *licet præclarissimis sanctissimisque Brixiensis ecclesiæ annumeretur pontificibus, tamen in fastis sacris vix non omnibus ejus nomen desideratur; ita quidem ut Castellanus, cujus nota diligentia et accuratio est, hæc de illo annuntiet* (1): Brixiæ natale *S.* Gaudentii episcopi, eruditione et sanctitate conspicui. *Atque ita ibi; sed infra in Supplemento* (2) : Margini S. Gaudentii, *inquit*, adscribe : Sine cultu veteri, etiam in propria ecclesia, ut videtur in Ramperto episcopo Brixiensi VII (*imo IX*) sæculi, qui etiamsi de eo loquatur, ne semel quidem vocat Sanctum sive Beatum, cum alioquin

(1) Chastelain, Martyrologe universel, 25 Oct. p. 541. — (2) Ibid. p. 717.

Sanctos

AUCTORE B. B.

Sanctos non negligat eos nominare, qui cultum hunc habebant, uti S. Philastrius. Gaudentius iste consecratus fuit a S. Ambrosio. *Quam tamen perperam hæc scripserit Castellanus, videbimus ubi de cultu S.* Gaudentii *sermo erit. Id manet interim certum ejus memoriam in martyrologiis antiquis prætermitti. Exemplo sit Usuardus Sollerii, in quo nec in textu nec in auctariis ulla mentio S. Episcopi occurrit. Ast insertus est Romano hac die iisdem verbis, quæ supra recitavi ex Castellano :* Brixiæ Natale S. Gaudentii episcopi, eruditione et sanctitate conspicui. *Et notat Baronius :* Hic, defuncto S. Philastrio, in ejus locum invitus renitensque subrogatus est opera S. Ambrosii ep. Mediolanensis, ut ipsemet Gaudentius testatur in sermone habito in Ordinatione sua. De suscepta a se in Orientem peregrinatione idem in sermone de Dedicatione ecclesiæ Concilii Sancti pertractat. *Hæc clariora ex dicendis fient.*

gestorum compendiosa narratio.

2 *Quæ ad nos de S.* Gaudentio *pervenerunt, sic compendiose reddit Schœnemannus* (1) : Patria Gaudentii incerta est. Nisi Brixianus fuit,
B certe diu Brixiæ, Philastrii jam temporibus vixit, alumnus ejus atque ecclesiastica disciplina ab eo imbutus, quo tempore magnum sibi apud populum et clericos favorem conciliavit. Quippe qui dum in Orientem religionis causa peregre profectus esset, Philastrio interim mortuo, populo flagitante et suffragio aliorum episcoporum, cui magnum pondus ex Ambrosii Mediolanensis auctoritate accedebat, Brixiæ episcopus electus est. Ac Gaudentius quidem nuntio hoc accepto, nihil intentatum reliquit, quo onus istud declinaret. Sed Ambrosius cæterique antistites sacramento, quo fortasse Brixiani cives se obligaverant, nullum alium episcopum se accepturos, adstricti, tales ad ipsum epistolas cum legatione civium miserunt, ut diutius resistere religioni sibi duceret, præsertim cum ab ipsis episcopis orientalibus, nisi reditum ad Brixianos polliceretur, communio negata esset. Initium episcopatus ejus pariter ac dies emortualis prædecessoris ejus latet. Nulla in episcopatu re gesta magis inclaruit, quam suscepta pro Joanne Chrysostomo legatione
C ad Arcadium imperatorem anno 405 (*rectius an.* 406) Æmilio et Cythegio comitibus. Quæ quamvis eventu fuerit destituta, constantiæ tamen et magnanimitatis laude eum nobilitavit, atque disertissimum hac de re præconium ipsius Chrysostomi testimonia præbent. Quando obierit Gaudentius æque incertum est, aliis ad annum 427, aliis, in quibus Tillemontius, majori probabilitate ad annum 410 obitum ejus referentibus. *Atque hæc summa eaque probata vitæ S.* Gaudentii *sunt lineamenta, ut plurimum ex ipsis sancti Viri scriptis desumpta, quæ nobis per partes et singillatim explananda veniunt.*

patria;

3 *Ad patriam S.* Gaudentii *quod spectat, deficiunt monumenta et testimonia idonea, quibus constet qua in urbe, quo in agro lucem accepe-*
rit. Cujas is esset, *ait Gradonicus* (2), incertum; domicilium tamen in hac urbe (*Brixia*) habuisse, videtur non dubitandum; tum quia D eamdem vocat « urbem nostram. » Ita in præfatione ad Benevolum : « Sicut honoratorum nostræ urbis, ita etiam dominicæ plebis, Domino annuente, dignissimum caput est. » *Sed ista ratio parum solida : nam hæc* Gaudentius, *jam episcopus Brixiensis, scripsit ad Benevolum; est autem in more universim positum, ut episcopi* suam *vocent urbem, in qua sedem habent, sive illa oriundi sint sive non, sive antea ibidem morati sint, sive eo primum advenerint, cum pontificali aucti essent dignitate. Melius probant aliæ duæ rationes a Gradonico adhibitæ :* Tum, *subdit,* quia enumeratis Philastrii, quibus christianam excoluerat ecclesiam, laboribus, se quoque appellat : « partem ejus operis minimam, » *quæ verba leguntur in sermone* XXI, *ubi* de vita *et* obitu *B. Philastrii* (3). Tum denique, *prosequitur Gradonicus,* quia longa cum illo (Gaudentio) consuetudine, Brixianis cognitæ probabiliter fuere atque perspectæ singulares dotes, quibus promeruit, ut adeo vehementissime ab iis ad episcopatum expeteretur. *Manet itaque incertum ubi natus*
S. Gaudentius *sit; sed probabile valde est, eum* E *haud parvo tempore ante suam electionem moratum Brixiæ, ibique S. Philastrio, quem* patrem suum *passim appellat, adhæsisse ejusque extitisse discipulum. Confer Galeardum in Prologomenis ad opera S.* Gaudentii (4). De patria Gaudentii, *ait,* quid certi affirmem non habeo. Mansisse eum Brixiæ, antequam in Orientem proficisceretur, compertum est : ait enim in sermone de Ordinatione sui : « Ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem, cui ab orientalibus quoque episcopis, nisi meum ad vos reditum pollicerer, salutaris communio negaretur. » Reditus porro aut patriam aut saltem domicilium designat (5). *Et re quidem vera quis* reditus *esset, nisi prius ibidem fuisset moratus?*

peregrinatio in Orientem,

4 *Suæ ante episcopatum in Orientem peregrinationis S.* Gaudentius *pluribus ipse meminit, sermone* XVI *in die Ordinationis suæ habito, et in sermone* XVII *in Dedicatione Basilicæ.* Cum, *inquit* (6), per urbes Cappadociæ Jerusalem pergerem,... in ipsa maxima Cappadociæ civitate, quæ appellatur Cæsarea, ubi
habent iidem Beatissimi (XXXX *martyres Sebasteni*) F insigne martyrium, reperimus quasdam Dei famulas, monasterii sanctarum virginum dignissimas matres, prorsus Mariæ et Marthæ consimiles, quas merito diligat Jesus; natura, fide et studio, et castitatis integritate germanas. Quibus ab avunculo suo summo sacerdote ac beato confessore Basilio, olim traditæ fuerant horum Martyrum venerandæ reliquiæ, quas desiderio nostro incunctanter ac fideliter tribuerunt, idoneos veneratores tanti nos esse muneris approbantes, simulque sub testificatione Domini confitentes, se semper orasse Deum nostrum, ut hæc tam pretiosa possessio in tales transfunderetur hæredes, qui eam consimili fide diligentiaque percolerent; qui studii ac venerationis ipsarum et successores et augmentatores existerent; quoniam essent ipsæ in annis senilibus constitutæ et transmi-

(1) Bibliotheca historico-litteraria Patrum latinorum, tom. I, p. 560.. Lipsiæ 1792. — (2) Brixia sacra seu Pontificum Brixianorum series, p. 51. Brixiæ, 1755. — (3) Migne, Patrologia, tom. XX, col. 1000. — (4) Ibid., col. 799. — (5) Conf. Tillemontium, Mémoires, tom. X, p. 581. — (6) Serm. XVII. Migne, ubi supra, col. 964 et seq.

grationem

A grationem de hoc mundo suam quotidie expectarent. Exaudita est ecce fidelis oratio *etc. Addit se hos SS. Martyres comites habuisse sui itineris, cum ex Cappadocia Hierosolymam pergeret* (1). *Ex eadem verisimiliter peregrinatione retulit S.* Gaudentius *reliquias SS. Joannis Baptistæ, Sebaste in Palæstina conditi; S. Thomæ, Edessæ in Mesopotamia culti; SS. Andreæ et Lucæ, quorum pignora Constantinopoli, sepulchra vero in Achaia erant* (2). *De his omnibus redibit sermo, ubi agemus de dedicatione ecclesiæ Brixianæ, Existimat Tillemontius* Gaudentium *sub hac peregrinatione convenisse S.* Chrysostomum, *ita opinatus ex hujus epistola S.* Gaudentio *inscripta et data circa an.* 406 : Consolationem, *verba sunt sancti doctoris* (3), haurimus ex tuæ caritatis ardore ac sinceritate : cujus dum hic periculum fecimus, istic (*Brixiæ*) quoque integram vigere cognovimus; nec ullo modo aut temporis diuturnitate aut itineris longitudine *debilitatam* fuisse. *Autumat Tillemontius verba hæc referenda ad priorem S.* Gaudentii *peregrinationem : rediit enim in Orientem factus jam episcopus circa vernum*
B *tempus præfati anni* 406, *sancto Chrysostomo opem laturus, ut postea videbimus. Consentit Tillemontio Gradonicus sic statuens* (4) : Ex quibus *verbis epistolæ* nemo non videt, Chrysostomum longe ante istam legationem (*anni* 406) aliquod in Oriente de Gaudentii charitate atque sinceritate specimen habuisse. Porro alium Gaudentium præter nostrum in Oriente, Chrysostomi tempore, versatum fuisse, mihi ex nullis quæ legi monumentis ecclesiasticis compertum fit. *Ita quoque Justus Fontaninus, archiepiscopus Ancyranus* (5) : Ibidem *in Oriente* Joanni Chrysostomo stricta necessitudine adhæsit (Gaudentius), proque eo, postmodum episcopatu dejecto, legatus ecclesiæ Romanæ Constantinopolim missus est. Adi ejusdem Gaudentii sermonem XVI, Chrysostomi epistolam CLXXXIV. *Atque sic quidem illi recitatum Chrysostomi locum interpretantur. Alterius sententiæ Galeardus fuisse videtur, qui conventi S. Doctoris illa tempestate a* Gaudentio *non facit mentionem. Ut dicam quod sentio, commode potest S. Chrysostomi epistola tota intelligi de posteriore in Orientem profectione,*
C *jussu Innocentii I, ineunte sæculo* V, *in causa S. Patriarchæ CP. a B. Gaudentio suscepta; tum quod hujus legationis occasione scripta epistola fuerit; tum quod voces :* Hic periculum fecimus *obvio sensu referantur ad innumeras difficultates et labores, quibus Constantinopoli S.* Gaudentius *pressus fuerit; tum quod aliæ illæ voces :* Aut temporis diuturnitate *per se non indicent plurium annorum spatium, præsertim si sequentia, quibus cohærent, spectentur verba :* Aut itineris longitudine, *quæ sane aliud non significant nisi reditum ex Græcia in Italiam. Ut ut est, si* Gaudentius *in hac peregrinatione* (*in legatione eum non vidit*) *Chrysostomum convenerit, id Antiochiæ contigisse oportet : nam factus est is episcopus CP. anno* 398; *ille vero Brixiensis saltem ante* IV *Aprilis* 397, *cum tali die et anno obierit S. Ambrosius, qui præsens adfuit consecrationi S.* Gaudentii. *Cæterum, nt planius explicabimus, hæc consecratio ponenda est vel anno* 384 *vel initio anni* 397 *vel uno horum intermedio; unde claret tempus peregrinationis nulli posse certo anno adscribi; pariter ignoramus quamdiu S. Vir in Oriente moratus sit, licet appareat eum non cursim Cappadociam Syriamque peragrasse, ac proinde facile unum alterumve annum et forte diutius Brixia abfuisse. Id certum, absentem ad infulas vocatum.* AUCTORE B. B.

5 Peragrabat Orientem Gaudentius, quando mors S. Philastrii *Brixiensis* incidit. Mœstis de præclarissimi episcopi obitu clero et populo, ac valde de alterius subrogatione solicitis, cum nemo fortasse ex Brixiano clero haberetur dignior, qui Philastrio sufficeretur, eorum oculis absens obversatur Gaudentius. Quocirca votis invicem collatis, episcoporum vicinorum accedente suffragio, et imprimis Ambrosii præsulis Mediolanensis et metropolitæ, jurejurando statuerunt, nullum alium se accepturos episcopum præter Gaudentium (6). *Sed ipsum audiamus S. Præsulem, his sermonem de Consecratione sua exordientem verbis* (7): Imperitiæ meæ conscius et ætatis ipsius im- E maturæ ad sacerdotii dignitatem pudore deterritus, merito silendi licentiam a summis sacerdotibus postulabam. Metuo enim primum ne virtus verborum cœlestium exiguitatis meæ sermone tenuetur; deinde erubesco, quod tantæ expectationi optatum doctrinæ fructum præstare non valeo. Unde imparem me vestro desiderio per omnia sentiens, onus istud totis viribus conatus sum declinare. Sed beatus pater Ambrosius cæterique venerandi antistites, sacramento, quo temere vos ipsos obligastis, astricti, tales ad me epistolas cum vestra legatione miserunt, ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem; cui ab orientalibus quoque episcopis, nisi meum ad vos reditum pollicerer, salutaris communio negaretur. Tali igitur conclusus articulo, et auctoritate Sanctorum præsentium subjugatus, suscepi hoc summi sacerdotii munus, nec merito dignus, nec ætate aptabilis, nec doctrina maturus. Intuemini igitur quid patiar, qui cum loqui nesciam, tacere non possum. *Sermonem hunc habuit Gaudentius* die F suæ consecrationis primo, *ideoque inscriptus :* De Ordinatione sua... coram multis episcopis, sed imprimis coram Ambrosio Mediolanensium præsule (8). *Ex recitato loco discimus primo*, sanctum Gaudentium *haud provecta ætate fuisse electum, cum ipse se dicat* immaturæ ætatis, nec ætate aptabilem. *Notat autem hanc in rem Galeardus* (9) : Disciplina eorum temporum ferebat ut episcopi non nisi matura et provecta jam ætate fierent, quam annorum quinque et quadraginta esse voluit Siricius (*pontifex Rom. ab anno* 384 *ad an.* 398, *S.* Gaudentio *proinde synchronus*) in epistola Decretali ad Himerium, episcopum Tarraconensem, cap. 9. Plura nihilominus sunt exempla summorum virorum, qui venia annorum accepta, immatura ætate ad episcopatum provecti sunt; idque eorum virtuti datum est, ut legibus solverentur. *Sic, teste Eusebio* (10), *Electus episcopus absens.*

(1) Migne, ubi supra. (2) Conf. Tillemont, Mémoires, tom. X, p. 582. — (3) Migne, col. 804. — (4) Brixia sacra, p. 56. — (5) Historia litteraria Aquileiensis, p. 327. — (6) Gradonicus, p. 51 et seq. — (7) Migne, tom. XX, col. 955. — (8) Gradonicus, in Proæmio, p. xxv. — (9) Migne, ubi supra, col. 955. — (10) Hist. eccl., lib. VI, c. 30.

Gregorius

AUCTORE B. B.

Gregorius Thaumaturgus et Athenodorus tantopere in divinis eloquiis profecerunt, ut ambo adhuc admodum juvenes, ecclesiarum in Ponto episcopi fuerint constituti. *Remigius ad Remensem ecclesiam electus est annos natus non amplius quam viginti duos* (1). *Alios prætermitto. Itaque videtur S.* Gaudentius *saltem annis quadraginta quinque minor episcopus et electus et consecratus; sed quo plane ætatis anno, nemo dixerit, deficientibus idoneis monumentis.*

Brixiam redire cogitur.

6 *Secundo discimus eum repugnantem reluctantemque valde conscendisse cathedram Brixiensem; idque prævisum a clero et populo; quocirca* sacramento se obligarunt, *nullum alium se accepturos præter* Gaudentium. *Atqui hoc sacramentum civium, non vero episcoporum fuisse, patet ex contextu :* Sed beatus pater Ambrosius cæterique venerandi antistites, sacramento, quo temere vos obligastis, astricti *etc. Quod ideo observamus, ut Baronii lapsum notemus, episcopis æque ac civibus jusjurandum attribuentis :* Omnes, *inquit* (2), sacerdotes ejus provinciæ atque potissimum S. Ambrosius, in ipsum Gaudentium, absentem licet,
B in electione pari consensione conspirant, firmant decretum atque stabiliunt jurejurando, *nisi forte intelligat Baronius sacramentum hoc ab episcopis nullatenus fuisse improbatum. Discimus tertio, S. Virum coactum fuisse oneri humeros submittere.* Onus ergo illud, *ita Gradonicus* (3), statim per legationem et epistolas ei offerunt; at cum Brixiæ degens, eximiæ animi moderationis præclara prætulisset exempla, rati sunt Brixiani fore ut ipse obluctaretur. Quamobrem occurrere cuicumque impedimento volentes, episcopis orientalibus supplices dederunt libellos, ut Gaudentio reluctanti communionem denegarent. Neque conceptus timor eos fefellit : nam primo strenue renuit; ecclesiasticis deinceps minis perculsus, episcoporum tandem voluntati obtemperavit, ac opportuno tempore Brixiam venit, ubi effusa omnium ætatum atque ordinum gratulantis urbis multitudine, ut credere par est, exceptus, in hujus urbis episcopum, florenti adhuc ætate, a S. Ambrosio consecratur.

Consecratur a S. Ambrosio,

7 *Præsentem adfuisse sanctum Mediolanensem antistitem, jam satis efficitur ex verbis S.* Gaudentii, *numero præcedenti allatis. Sed et clarius adhuc elucet ex alio loco ejusdem sermonis :* Obsecro, *ait S. Gaudentius* (4), communem patrem Ambrosium, ut post exiguum rorem sermonis meum, ipse irriget corda vestra divinarum mysteriis litterarum. Loquetur enim Spiritu sancto, quo plenus est, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, et tamquam Petri apostoli successor ipse erit os universorum circumstantium sacerdotum. Nam cum Dominus Jesus interrogaret apostolos : « Vos autem quem me esse dicitis? » Solus Petrus omnium credentium ore respondit : « Tu es Christus, filius Dei vivi. » *Verisimile utique est, S. Ambrosium invitanti obsecutum; hoc tamen nuspiam scriptum reperitur. Ex hac invitatione atque ex eo quod S. Ambrosius* pater *dicitur, infert Gradonicus* (5), *sedem Brixiensem illa tempestate suffraganeam Mediolanensis, non, ut postea obtinuit, Aquileiensis ecclesiæ exstitisse, ipsumque Ambrosium jure metropolitico gavisum :* Enim vero, *ait,* quis inficiari potest, Brixianos putasse suam ecclesiam subjectam fuisse Mediolanensi, dum videt eosdem pastore destitutos, ad Ambrosium, non vero ad Valerium, Aquileiensem cathedram tenentem, confugientes? Accedit etiam inter metropolitarum jura, jam inde ab eorum ortu ad VIII usque seculum, illud potissimum fuisse, quod metropolita in episcopi electione et consecratione primas habebat : « Ut episcopi judicio Metropolitanorum, et eorum episcoporum, qui circum circa sunt, promoveantur ad ecclesiasticam potestatem; » ita fuit decretum can. 12. conc. I Laodiceni, habiti anno CCCXX, Silvestro summo pontifice. Quapropter prima œcumenica Synodus, Niceæ habita anno CCCXXV can. 6 definierat : « Si quis præter sententiam Metropolitani factus fuerit episcopus, hunc magna Synodus definit, episcopum esse non oportere. » Factum hinc esse arbitrior, ut Metropolita ab aliis « Pater » appellaretur. *Alio deinde loco addit Gradonicus* (6), *in dissertatione proœmiali :* Ostendimus ab Ambrosio, utpote metropolita, Gaudentium fuisse consecratum episcopum. Hoc præstitum fuisse statim ac Brixiam pervenit Gaudentius, licet conjicere ex illius temporis usu, quo episcopatus diu vacans non permittebatur, quod postea generale Chalcedonense concilium, celebratum anno 451 decrevit can. 25, scilicet intra tres menses ordinationes episcoporum debere celebrari. *Quæ Gradonici placita equidem non improbaverim.*

D

E

incertum quo anno; forte an. 387.

8 *Sed quo anno hæc consecratio facta? Intricata quidem et insolubilis, ut jam monuimus, quæstio. Juverit audire Galeardum :* Quo anno, *inquit* (7), Gaudentius episcopatum susceperit non satis liquet. Videtur id factum fuisse circa annum 387, quam sententiam recentiores fere omnes probant. Vossius sane ac Labbeus, Caveus item et Natalis Alexander *sicut et Cuperus noster in actis S. Philastrii ad diem* XVIII *Julii* (8) in hunc annum initium episcopatus Gaudentii conferunt. Vossii verba hæc sunt lib. III de hist. lat : « Gaudentius Brixiensis episcopus memoriæ prodidit vitam
F S. Philastrii, cui successerat in episcopatu. Obiit autem Philastrius anno 387, unde Gaudentii ætas satis patet. » Profecto si de anno obitus Philastrii constaret, nulla de initio episcopatus Gaudentii esset quæstio. Quod autem conjectura saltem assequi possumus, hoc est, Philastrium post annum 384 diem suum obiisse. Nam Augustinus, qui Roma Mediolanum venit anno 384, scribit, se Mediolani Philastrium Brixiensem episcopum apud Ambrosium vidisse. *Subdo S. Augustini verba, desumpta ex epistola CCXXII, hanc ferente inscriptionem* : Dilectissimo filio et condiacono Augustinus episcopus... Philastrius quidam Brixiensis episcopus, quem cum sancto Ambrosio Mediolani ipse vidi, scripsit *etc.* (9). *Redeamus ad Galeardum, qui sic prosequitur :* Itaque fieri potest, aliquem, ac fortasse

(1) Flodoardus, lib. I, c. XI. — (2) Annal. ad an. 386. n. VII. — (3) Pag. 52. — (4) Migne, col. 958. — (5) In proœmio p. XXV. — (6) Pag. 52. not. (5). — (7) Migne, col. 798. — (8) Acta SS. tom. IX, Julii p. 386. — (9) Migne, tom. XLII, col. 17 et 18.

A tasse postremum ex his tribus annis (*imo quatuor nempe* 384, 385, 386 *et* 387) fuisse Philastrio emortualem, cum certe ante Ambrosii obitum (qui anno 397 *die* IV *Aprilis* assignatur) Gaudentius factus fuerit Brixiæ episcopus. Hoc autem videtur accidisse plures ante annos quam Ambrosius ipse discederet : nam sæpius de eo verba facit, ac præsentem quandoque compellat, sermone de ordinatione sui et sermone de Petro et Paulo, quorum prior Brixiæ, alter vero Mediolani a Gaudentio est habitus. *Quod tamen spectat ad sermonem de Ordinatione, nihil ex eo inferre licet, cum id plane sit, quod in quæstionem venit, quo nempe anno hæc ordinatio contigerit. Posteriorem sermonem de Petro et Paulo genuinum esse S.* Gaudentii *opus, probat quidem Galeardus* (1), *sed quo tempore dictus fuerit omnino silet; habitum Mediolani efficitur, judice eodem Galeardo, ex primis exordii verbis :* Venerabilis antistes Christi, communis autem pater, affectu quo me proficiscentem detinuit, nunc etiam compulit excusantem, ut iterum dilectionem vestram tractatu mei sermonis alloquerer. *Pro-*
B *inde nec isto sermone multum juvamur; aliunde tamen nihil est quod nos inducat, ut statuamus illum primo ordinationis S.* Gaudentii *anno prolatum; imo pronum est aliter judicare. Nec illud prætermittendum, sermonem de Petro et Paulo non laudari apud Gradonicum, ubi recenset scripta S.* Gaudentii (2), *qui proinde dubius saltem hæsisse putandus est de illius sinceri-*
tate, quæ tamen mihi ex rationibus a Galeardo allatis in tuto posita videtur. Utut vero est, liquet solum deficere, quo pedem secure figamus, quando quæstio est de initio episcopatus S. Præsulis nostri. Universim desunt certæ in actis S. Gaudentii *notæ chronologicæ, præter unicam istam, quæ pertinet ad legationem pro S. Chrysostomo, jussu Innocentii susceptam : hæc enim spectat ad annum* 406, *ut alibi dicemus. Quapropter licet, ut monui, haud improbabile existimem, aliquot annis ante S. Ambrosii decessum cœpisse præsulatum S.* Gaudentii, *certo tamen ejus initium poni non potest nisi post obitum S. Philastrii, quem S. Augustinus testatur se vidisse Mediolani, quo S. Doctor*
C *advenit anno* 384, *discessit vero anno* 387; *et ante obitum S. Ambrosii, quem communiter adscribunt eruditi* 4 *Aprilis* 397; *Henschenius autem noster in speciali tractatu* (3), *removendum putavit in diem* 17 *ejusdem mensis anni sequentis seu* 398. *His itaque extremis annis et cuivis eorum intermedio innecti haud absurde poterit S.* Gaudentii *consecratio.*

S. Gaudentius prestans virtute

9 *Ex dictis plane elucet, quanta S. Pontifex præstiterit modestia et humilitate. De præclara S. Viri administratione, deque ejus virtutibus et excellenti doctrina agens Gradonicus :* In ornanda, *inquit* (4), ac provehenda provincia solicite statim incumbit. Primum doctrina atque exemplis cives instruere atque paganorum aliorumque pravorum hominum reliquias, antecessoris vestigia premens, funditus extirpare, et fidem rectam et castos mores inserere instat. Feliciter ei cessisse labores dubitari nequit: nemo enim avertere oculos poterat a sanctissimis novi Episcopi exemplis; nemo eloquentiæ vi atque argumentorum copiæ resistere. Unde factum, ut ipso etiam invito atque repugnante sermones illius a notariis exciperentur (quæ tunc temporis laus summa erat), qui deinde in omnes disseminati, eam auctori suo pepererunt laudem, ut illius ævi doctorum decus a sapientissimis viris appellaretur; quocirca illis omnino comparandi, qui habiti sunt per illos præsules, quos nihil antiquius habuisse constat inquisitione earum rerum, quæ sunt Jesu Christi.

AUCTORE B. B.

et doctrina,

10 *De doctrina et eloquentia S.* Gaudentii *enucleatius tractat Galeardus in hunc modum* (5) *:* Jam vero quanta doctrinæ atque eloquentiæ laude floreret Gaudentius noster, ex eo luculenter colligitur, quod ejus sermones passim a notariis excipi solerent, dum ipse ad populum verba faceret. Solemnis enim ea tempestate mos fuit, ut si quis ecclesiasticorum tractatorum dicendo excelleret, ejus conciones appositis notariis, scripto celeriter exciperentur. *De notariis eorumque notis*
E *vide Lipsii epistolam ad Leonardum Lessium S. J.* (6), *ubi pro more viri multa erudite collecta et acute atque concise dicta reperies de origine notarum ac notariorum officio et industria. Unum adscribo locum* (7) *:* Quis usus? Duplex : publicus et privatus. Isidorus suggerit : « Notarum usus erat, ut quidquid pro concione aut in judiciis diceretur, librarii scriberent adstantes (audientes) divisis inter se partibus, quot quisque verba et quo ordine exciperet »... Ac plurimum ita fuerit, certiusque ita fuerit; arte tamen adaucta, nihil ambigam vel unum suffecisse. Igitur publice hic usus, orationes et dicta excipere ac provulgare. Ita Asconius tradidit, orationem Ciceronis pro Milone, ipsam quam dixerat (nam hodierna hæc scripta modo est) « exceptam fuisse, quæ suo tempore extaret »... Publice igitur hic usus : at privatim, plurimus sive in epistolis, orationibus, scriptis aliis subito dictandis *etc. Exceptos autem fuisse non raro sermones* S. Gaudentii, *constat tum ex titulis non semel præfixis :* Incipiunt excepti tractatus de diversis capitulis (8); Tractatus ejusdem exceptus die Dedi-
F cationis basilicæ (9) *et :* Incipit tractatus quem prima die ordinationis ipsius, quorumdam civium notarii exceperunt (10); *tum ex diserta S. Episcopi querela in Præfatione ad Benevolum :* De illis vero tractatibus, *ait* (11), quos notariis (ut comperi) latenter appositis, procul dubio interruptos et semiplenos, otiosa quorumdam studia colligere præsumpserunt, nihil ad me attinet. Mea jam non sunt, quæ constat præcipiti *notariorum* festinatione esse conscripta : vereor tamen ni aliqua sub sermonis mei titulo sanæ fidei inimica alieni errores involvant, et efficiantur sempiterni criminis rei, qui fuerint incautæ præsumptionis auctores. *De notariis tam manifestis quam occultis videtur agere etiam S. Gregorius Nazianzenus in Oratione ad* 150 *episcopos, et* Supremum Vale *inscribi solita :* Valete, *inquit* (12), sermonum meorum amatores,

(1) Migne, tom. XX. col. 808. — (2) Brixia sacra p. 58. — (4) Tom. I. April. pag. XXXVIII et seqq. Conf. Tillemont. Mémoires, tom. X. p. 761 et seq. — (4) P. 52 et 53. — (5) Migne, tom. XX. col. 798. — (6) Centuria I ad Belgas ep. 27. Opera tom. II, p. 381 et seqq. Antverpiæ, 1637. — (7) Ibid. p. 382. — (8) Migne, tom. XX, col. 920. — (9) Ibid., col. 959. — (10) Ibid. col. 955. — (11) Ibid. col. 831 et seq. — (12) Migne, Patrologia Græca, tom. XXXVI, col. 491 et 492.

AUCTORE B. B.

amatores, et cursus et concursiones, et styli (calami) tam perspicui quam occulti *etc.* Χαίρετε τῶν ἐμῶν λόγων ἐρασταὶ, καὶ δρόμοι καὶ συνδρομαὶ, καὶ γραφίδες φανεραὶ καὶ λανθάνουσαι. *Notant editores Maurini :* « Styli, Graphia, » non « Calami, » ut vertit Billius, qui hisce temporibus nondum erant in usu (*id non omni ex partem verum*) ; sed in cereis tabulis Styli vel Graphii ope scribebant. *Et Galeardus, qui Billii utitur versione :* Hic obiter annotaverim locum Nazianzeni male a Birkeimero fuisse acceptum : nam ubi in Græcis habetur καὶ γραφίδες φανεραὶ καὶ λανθάνουσαι « et calami tam perspicui quam occulti » ipse inter pretatus est « nec non calumniatores manifesti et occulti; » qua inepta versione totam Gregorii sententiam labefactavit (1). *Atque hæc de doctrina S.* Gaudentii. *De ejus scriptis infra redibit amplior sermo. Unum tamen addimus scilicet linguæ Græcæ peritum S. Episcopum fuisse, ut clare efficitur ex præfatione Rufini in versionem Recognitionum Clementinarum :* Æquum, *inquit* (2), sane est, tibi (*nempe* Gaudenti, *ut infra probabimus*) qui hæc etiam Græce legeris, ne forte in aliquibus minus a nobis servatum translationis ordinem putes, interpretationis nostræ indicare consilium. *Quæ profecto produnt, judice Rufino, haud vulgarem fuisse* Gaudentio *linguæ Græcæ peritiam.*

B

legatus mittitur in causa S. Chrysostomi,

11 Præter has sanctimoniæ, doctrinæ eloquentiæque dotes, (*verba sunt Gradonici* (3)), exquisita rerum gerendarum fulgebat in eo dexteritas, quod præcipue fuit in caussa, cur salebrosa ei imposita fuerit legatio. Rem paucis expono. S. Joannes Chrysostomus ad Constantinopolitanam sedem evectus, suum esse merito reputans, commissum gregem a maculis emundare, invehere cœpit in corruptos clericorum maxime virorumque principum mores, unde multorum in se (quæ est pravorum hominum perfidia) concitavit odia. In his emicuit imperatoris uxor Eudoxia, cujus opera sede pulsus in exiliumque amandatus fuit, sententiam ferente imperatore Arcadio. Hac de re a bonis viris vehementissimæ in Oriente excitatæ turbæ, quæ florentissimam Orientis ecclesiam magnum in discrimen adduxerunt.

C

Istis ad summum pontificem Innocentium I delatis, opem ferre S. P. cogitavit. Quamobrem congregatis Italiæ episcopis anno CCCCV ; in id ventum est consilii, ut ad Orientis imperatorem splendidissima legatio mitteretur. *Quæ spectant ad hoc* concilium Italicum forte Romanum, *ut scribit Mansi* (4), *necesse paulo enucleatius hic reddere :* Duplicis, *ait laudatus Mansi,* conciliabuli, ad Quercum et Constantinopolitani, sententia damnatus S. Joannes Chrysostomus, post primam ab exilio restitutionem solum iterum verterat, nec restitutionis illius spes restabat alia, nisi sequester pacis vir aliquis potens Arcadium imperatorem pacaret. Id ut tentaret Innocentius I ex Italis episcopis concilium coegit, ut de re tota in communi deliberarent. *Qui episcopi convenerint, nuspiam memoriæ traditum invenimus. Pronum utique est judicare S.* Gaudentium *aliosque legatos præsentes fuisse. Quid vero Patres decreverint discimus ex Palladio, in Dialogo de vita S. Chrysostomi* (5) : Qui quidem episcopi Italiæ congregati, orant imperatorem (*Honorium*), scribat fratri suo et consorti imperii Arcadio, ut jubeat Thessalonicæ synodum fieri, quo facilius utraque pars Orientis et Occidentis in unum accurrere possit et synodus non in episcoporum numero, sed in pondere sententiæ perfecta, certum et indubitatum ferat judicium. Quibus accensa ejus pietas, episcopo quidem Romanæ ecclesiæ scribit, mittat quinque episcopos, presbyteros autem Romanæ ecclesiæ duos et diaconum unum, qui ferant suam ad fratrem suum epistolam, cujus hac erat sententia *hoc loco a nobis in extenso recitanda :*

D

cum epistola Honorii imp. Occidentis ad Arcadium;

12 « Tertio jam scribo ad mansuetudinem tuam, rogans ut quæ ex compacto contra Joannem episcopum gesta sunt, emendentur. Et ut videtur nondum perfectum est. Quare denuo scripsi per hosce episcopos et presbyteros, multum sollicitus de pace ecclesiastica, per quam et nostrum imperium pacem obtinet, ut jubere digneris Orientis episcopos Thessalonicæ convenire. Etenim Occidentis nostri episcopi, lectis viris adversus malum ac mendacium firmissimis, miserunt episcopos quinque, presbyteros vero duos et diaconum unum magnæ ecclesiæ Romanæ. Quos velim omni honore digneris : ut si persuasi fuerint quod jure expulsus sit Joannes, doceant me ab ejus communione recedere : aut si coarguerint sponte malignos esse Orientis episcopos, ab eorum te communione avertant. Quænam enim sit Occidentalium de Joanne episcopo sententia, ex omnibus epistolis quæ ad me scriptæ sunt, duas subjunxi, ejusdem cum cæteris sententiæ, unam Romani, alteram Aquileiensis episcopi. Porro hoc ante omnia obsecro clementiam tuam, Theophilum, Alexandriæ episcopum, etiam nolentem sistere jubeas, qui omnium malorum maxime auctor dicitur, ut episcoporum qui adfuerint synodus minime impedita, convenientem temporibus nostris pacem sanciat. » *Ex hac epistola evidenter efficitur quinque omnino episcopos occidentales in Orientem missos; unde mirum videtur, ab ipso Palladio tres solum nominari, imo tres tantum missos indicari. Hinc etiam Gradonicus, loc. cit. :* Delecti tres viri omnino sanctissimi ; Emilius, Cethegus et Gaudentius noster. *Et eodem modo Tillemontius, ubi de S.* Gaudentio *tractat ex professo* (6) ; *in vita autem S. Chrysostomi* (7) *addit alios duos, nempe Marianum, eumdem fortassis ac Maurianum qui sedem habebat in Apulia et ad quem extat epistola Innocentii I; et alterum ignoti nominis. Qui factum sit, ut duo isti prætermittantur, non facile dixerim, præsertim Marianus, cujus aperta fit mentio in decursu reliquæ narrationis apud ipsum Palladium, ut mox videbitur.*

E

F

multisque in itinere et Oriente ærumnis afficitur.

13 Cum igitur (*verba sunt Palladii*) sanctus Emilius Beneventi episcopus, et Cethegus (*hujus sedes ignoratur*) et Gaudentius, una cum Valentiniano et Bonifacio presbyteris, accepissent litteras imperatoris Honorii, Innocentii et Italorum episcoporum, Chromatii Aquilleiensis et Venerii Mediolanensis atque

(1) Migne, Patr. Lat., t. XIX, col. 832. Nota *f.* — (2) Migne, Patr. græc. t. I, col. 1205. — (3) P. 53. — (4) Tom. I. col. 285 et 286. — (5) S. Chrysost. opera, tom. XIII, p. 12. — (6) Mémoires. tom. X, p. 587. — (7) Ibid., t. XI, p. 313.

aliorum,

A aliorum, necnon Commonitorium synodi totius Occidentis, publica evectione Constantinopolim profecti sunt cum Cyriaco, Demetrio, Palladio et Eulysio episcopis (*orientalibus*). Commonitorium autem continebat, Joannem judicium ingredi non debere, nisi ipsi prius restituta fuisset et ecclesia et communio; ut sublata causa detrectandi judicii, sua sponte consessum iniret. Profecti igitur Constantinopolim, post quatuor menses redierunt, narrantes facinora Babylonica. Cum præter Græciam Athenas navigaremus (*Palladii scriptio de vita S. Chrysostomi per modum dialogi redacta est. Qui hic loquitur socius itineris vel fuit vel certe supponitur* (1)), detenti sumus ab infesto quodam tribuno militum, qui statim centurionem unum nobis adjunxit, non sinens nos Thessalonicam accedere. Illic enim propositum nobis erat literas primum dare Anysio episcopo. Conjectos igitur nos, aiunt, in duo navigia dimisit. Ingruente postea austro vehementi, tribus diebus Ægæum mare et freta sine cibo trajecimus; circa duodecimam tertii diei horam appulimus ante urbem
B regiam juxta suburbana Victoris. Ubi retenti ab exactoribus portuum, retro discessimus; cujus autem jussu ignoramus; et conclusi sumus maritimo Thraciæ castello, Athyra dicto; Romani (*legati ac proinde S.* Gaudentius) in una domuncula, in pluribus vero qui cum Cyriaco erant; illicque vexati, ita ne famulus quidem præsto esset, qui ministraret. Cum literas petiissent, non dedimus; dicentes: Qui fieri potest, ut qui legati sumus, literas imperatoris (*Honorii*) et episcoporum ipsi imperatori (*Arcadio*) non reddamus? Cum autem eas non dare persisteremus, primus venit ad nos Patricius notarius, deinde quidam alii; postremum vero venit quidam Valerianus nomine e Cappadocia, præpositus unius militaris numeri, et rupto Mariani episcopi pollice, signatam imperatoris (*Honorii*) epistolam cum reliquis abstulit. Postridie igitur miserunt ad nos, an Aulici imperatoris (*Arcadii*), an Atticus (*græce habetur* εἴ τε οἱ περι Ἀττικον *id est qui cum Attico erant*) nescimus (ipse enim dicebatur ecclesiæ thronum invasisse), qui nobistria millia numismatum dabant, orantes
C ut persuasi cum Attico communicaremus et de Joannis judicio taceremus. Quibus non assentientes, persistimus orare, cum nihil pacificum perageretur, ut sine periculo ad nostras ecclesias rediremus, visa tali inhumanitate. *Subdit Palladius episcopos de his machinationibus per visum monitos fuisse. Post hæc sic pergit :* Instans igitur ipse tribunus Valerianus, conjecit nos in deterrimam navem, mercede, ut rumor erat, nauclero data ut perderet episcopos navigantes cum viginti militibus variorum officiorum, et statim nos Athyris expulit. Cum navigassemus stadia plurima et jamjam perituri essemus, appulimus Lampsacum; et inde mutata nave, vicesimo die applicuimus Hydruntem Calabriæ. Neque amplius nobis dicere potuerunt quo in statu esset beatus Joannes episcopus, neque ubi sint Demetrius, Cyriacus, Eulysius atque Palladius (*diversus utique a scriptore Dialogi*), episcopi, qui cum nostris episcopis (*occidentalibus nempe*) legati profecti erant. *Alia deinde conscensa navi, quatuor mensibus elapsis, Romam pervenere, ubi Innocentio papæ, quæ ipsis eo in itinere acciderant mala, renuntiarunt* (2). *Confer vitam S. Chrysostomi ab editoribus Maurinis adornatam* (3), *Tillemontium* (4), *Baronium* (5), *Acta nostra* (6). AUCTORI. B. B.

14 *Utique optatum hæc legatio exitum sortita non est, attamen sua laus episcopis jure meritissimo tribuitur apud Palladium in vita S. Chrysostomi, cap.* IV. *Et ipsius Chrysostomi plures exstant epistolæ, quas communiter sentiunt eruditi hac occasione datas. Inscribuntur scilicet apud Montfalconium* episcopis qui ab Occidente venerant. *Harum, unam* (*cum similes omnino sint*) *recitasse sufficiet. Sic habet epistola ordine* CLIX (7) : Non exiguam malorum eorum, quæ has regiones invaserunt, consolationem ex studii vestri ac diligentiæ magnitudine capimus. Ac profecto ea quoque quæ prius a vobis facta sunt, vestraque vigilantia et studium, tantaque cura et sollicitudo, ad ingens solatium nobis afferendum abunde E sufficiebat. Quod autem nunc adjecistis, ut pro ecclesiæ commodis tam longum iter susciperetis, nos omnes majorem in modum recreavit. Itaque communibus animis ingentes pro tot laboribus ac sudoribus, præclarisque his certaminibus gratias vobis agimus, nec pro egregio hoc animi studio beatos vos prædicare desinimus. Ideoque dominum meum reverendissimum et religiosissimum presbyterum (*Evethum*), ut ad vos usque excurreret, obsecravimus. Eo igitur, ut comitas vestra poscit, excepto, velim operam detis, ut finem principiis dignum imponatis. Nam cum incurabili adhuc morbo laborent, qui tot tempestates et bella ecclesiis attulerunt, eos quidem hoc nomine miseros existimare, lacrymisque prosequi par est; vos autem admirari ac prædicare, quod etiam ingravescentibus malis, majus semper ad depellenda studium majoremque diligentiam progressu temporis adhibetis. *Margini hujus epistolæ et aliarum trium ad eosdem, sicut et alterius* Romanis presbyteris qui cum episcopis venerant, *adscribit Montfalconius :* Anno ut putatur 406. F *Legatis S. Chrysostomus consolatorias scribit*

15 *Subdit Gradonicus* (8) : Sed hisce laudibus, quibus tres (*imo quinque*) episcopos ad cœlum extulerat, haud contentus, singulare præconium de Gaudentio litteris consignare voluit Chrysostomus in epistola ad eum data *eodem anno* 406, *ut* putat *Montfalconius, sed post S. Præsulis, ut mihi quidem videtur, reditum in Italiam. Sic autem habet, estque ordine* CLXXXIV (9) : Gaudentio episcopo Brixiano Γαυδεντιῳ ἐπισκοπῳ Βριξης. Nihil nos latet rerum tuarum, sed tamquam præsentes probe novimus studium tuum, vigilantiam, curas, labores, quos pro veritate suscepisti, tibique ingentes gratias agimus. Neque mediocrem in tanta degentes solitudine consolationem haurimus ex tuæ caritatis ardore ac sinceritate, cujus dum hic periculum fecimus, istic quoque integram illam vigere cognovimus, nec *et alteras separatas*

(1) Vide Domn. Ceillier : Auteurs ecclésiastiques, tom. X, p. 77 et seqq. — (2) Gradonicus, p. 54. — (3) S. Chrys. Opera, tom. XIII, p. 173 et seq. — (4) Mémoires, tom. XI, p. 312 et p. 322 et seqq. — (5) Ad annum 406, n. XII. — (6) Tom. IV, Sept. p. 646 et seqq. — (7) S. Chrysostomi opera, tom. III, p. 691 et seq. — (8) Pag. 55. — (9) S. Chrysost. opera, tom. III, p. 703 et seq.

AUCTORE B. B.

ullo aut temporis diuturnitate aut itineris longitudine debilitatam fuisse. Quo nomine multam tibi gratiam habemus, teque hortamur, ut in instituto pergas, et idem semper studium præ te feras. Non enim ignoras, quot ecclesiarum nunc salus agatur, et quam eximium futurum sit hoc opus. Hæc igitur cogitans, Domine mi reverendissime ac religiosissime, in eodem studio perseverare dignare : sic enim fiet, ut exiguis laboribus exantlatis, immortalia vobis pro his præclaris certaminibus in cœlo præmia recolatis.

S. Gaudentio.

16 *Hanc epistolam S.* Gaudentio *nostro datam, communi consensu opinantur critici recentiores omnes. Certe Montfalconius illam diserte inscribit :* Γαυδεντιῳ επισκοπῳ Βριξης Gaudentio episcopo Brixiano *et notat ex nonnullis codicibus varias lectiones :* Βριξης, Βρυξης(1). *Attamen plerumque nomen sedis in Mss. desideratur, et inscriptio fert solum :* Gaudentio episcopo. *Unde Gradonicus* (2) : Quamquam sedis titulus, cui Gaudentius iste fuerat addictus, hic desideretur, nihilo tamen minus hunc, Gaudentium nostrum fuisse, in dubium, quem ego sciam, B vocavit nemo; quod illo hujus nominis ea tempestate non celebrior alter, neque aptior ad legationem hanc suscipiendam, propterea quod magnum sibi, in Oriente versanti, pietatis religionisque nomen peperisse dicendus sit apud orientales episcopos, qui eidem non nisi terrore excommunicationis injecto..., suadere potuerunt, ut ad episcopatum veniret. *Conf. n.* 4, *ubi diximus S.* Gaudentium *forte convenisse S. Chrysostomum Antiochiæ sub primo suo in Orientem itinere. Cæterum* plures, *ut habet Galeardus* (3), fuere Gaudentii a nostro ætate non multum dissiti, episcopatus munere pares, ac proinde cum eo non temere confundendi. Fuit nempe, Constantio imperante, Gaudentius Ariminensis præsul, qui acta Ariminensis concilii soluta synodo rescidit, propterea a proconsulis militibus gladio confossus; fuit et Gaudentius Donatistarum Tamugadensis in Africa episcopus, *quem* confutavit Augustinus. Fuit eodem fere tempore quo noster, Gaudentius Novariensis episcopus Eporidiæ ortus, Eusebii Vercellensis discipu- C lus atque exilii comes. *Et alio loco idem Galeardus* (4) : Quamvis autem apud veteres ecclesiasticarum rerum scriptores, excepto Æmilio quem Beneventanum vocant, cæteris episcopis qui legationi huic præfuerunt, minime sedis titulus apponatur; nemo tamem Gaudentium hunc Brixianum esse jure in dubium revocet, ubi tam luculentum extat Chrysostomi testimonium... Itaque recentiores fere omnes, qui post Baronium scripsere quique rem totam magis perspectam habuerunt, Gaudentio Brixiano legationis hujus laudem deferunt, inter quos numerantur Morerius, Caveus, Dupinius ac præ cæteris solertissimus Tillemontius. *Quinimo propendet in hanc opinionem Galeardus*, S. Gaudentium *legationis caput fuisse; quod illi effici videtur ex memoratis S. Chrysostomi litteris :* Sed, *inquit,* cæteris laudibus præclarius omnino est testimonium ejusdem Chrysostomi de Gaudentio nostro, quem fortasse dignitate præcipuum inter episcopos qui legatione illa fungebantur, indicare D videtur, dum ejus solius nomine aliam epistolam inscribit.

§ II. S. Gaudentius ædificat basilicam, quam Concilium Sanctorum nuncupatam vult, et sub hujus consecratione præclarum habet ad populum tractatum, probabiliter circa an. 400. De obitu sancti Viri et annis episcopatus.

Ædificat dedicatque novam basilicam,

Inter res sancti Gaudentii *memoratu dignas, locum non infimum obtinet dedicatio* Basilicæ Concilii Sanctorum, *quam ipse in honorem SS. Martyrum ædificarat, sub qua etiam sanctus Pontifex habuit tractatum qui adhuc exstat, ex quo quæ et quomodo solemnitas peracta sit luculenter edocemur. Inscribitur Tractatus :* De dedicationis Concilii Sanctorum (5). *Incipit vero* : Divinis muneribus et cœlestibus beneficiis condignas referre gratias pusillitas nostra non prævalet, fratres charissimi. Nam ut venerandas sanctorum reliquias haberemus Deus noster tribuit; deinde ut honori eorum fundare basilicam valeremus ipse largitus est; et hodie ut adepti summorum sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur ipse concessit. Convenerunt enim sancti antistites et apostolici viri ad persolvendum beatissimis patribus et præceptoribus suis debitæ devotionis obsequium, ut ubertate plenissima benedictionum spiritualium ditaremur; licet importunitas Barbarorum maximam partem celebritatis diei hodierno subtraxerit, ne cæteri sancti antistites, quos interfuturos credidimus advenirent. Jam qui sunt isti, quorum beatis reliquiis illustramur, hinc incipiam numerare. Primo in loco Joannes Baptista est, ultimus quidem sed maximus prophetarum... Post hunc habemus Andream beatissimum, primum Joannis ipsius discipulum, deinde Salvatoris... Tertius beatus Thomas, qui post resurrectionem Christi solus desideravit so- F lusque obtinuit, ut membra Christi curiosis quidem sed utique dignis manibus contrectaret... Quartus Lucas est evangelista... Horum quatuor beatas habemus in præsenti reliquias, qui regnum Dei et justitiam prædicantes, ab incredulis et iniquis occisi, Deo semper vivere operationum suarum virtutibus demonstrantur. Joannes in Sebastena urbe provinciæ Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas et Lucas apud Patras Achaiæ civitatem consummati referuntur (*non asserit itaque S.* Gaudentius *tali in loco singulos passos; et certe non omnino convenit inter eruditos hac de re* (6)). Post istos habemus Gervasium, Protasium atque Nazarium, beatissimos martyres, qui se ante paucos annos apud urbem Mediolanensem sancto sacerdoti Ambrosio revelare dignati sunt, quorum sanguinem tenemus gypso collectum; nihil amplius requirentes : tenemus enim sanguinem qui testis est pas-

(1) Chrysost. opp, tom. III, p. 703. — (2) Brixia sacra, p. 53. — (3) Migne, tom. XIX, col. 800. — (4) Ibid. col. 804. — (5) Ibid. col. 959. — (6) Conf. Galeardum. Patrol. Migne, tom. XIX, col. 963, not. *a* et *b*.

sionis.

A sionis. Recepimus etiam sanctos cineres Sisinnii, Martyrii et Alexandri, quos nuper in Anaunia venerandæ religionis cultui attentius inhærentes gens interfecit sacrilega, flammisque adhibitis concremavit, ut holocaustum ipsi fierent, qui christianos suos victimas dæmoniis ministrare, increpatione justissima vetuissent. Jam quid post istos decem de quadraginta Martyribus dignum loquar, qui se itineri nostro *etc. conf. n.* 4, *ubi locum hunc adscripsimus, ex quo discimus S. Gaudentium has reliquias accepisse a sacris virginibus, S. Basilii Magni consanguineis.* Venerabiles ipsas martyrum quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus percolendas, licet ex illo jam tempore celebritas debita numquam defuisse nostri cognoscatur officii, præclaris eorum beneficiis mancipata. *Sequitur longa de SS. quadraginta Martyribus digressio. Post quam sic concluditur sermo :* Portionem reliquiarum sumpsimus, et nihil nos minus possidere confidimus, dum totos quadraginta in suis favillis honorantes amplectimur; sicut
* *Matth., IX. Luc., VIII.* illa in Evangelio * fidelis mulier, quæ per fimbriam Christi salvata est, oram tenuit vestimenti et virtutem divinitatis exegit : attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, et salutem quam præsumpserat acquisivit. Itaque pars ipsa quam meruimus plenitudo est; dividi enim quadraginta isti Martyres ab invicem nullo modo possunt, quorum sunt inseparabiles et indiscretæ reliquiæ. Nam sicut animas eorum igneus ille Spiritus Dei salutaris fidei unitate conjunxit (« erat » enim « omnium credentium cor unum et anima una* ») ita etiam membra eorum concremans ignis in unum favillæ corpus redegit. Habemus ergo et hos quadraginta et prædictos decem Sanctos, ex diversis terrarum partibus congregatos; unde hanc ipsam basilicam eorum meritis dedicatam CONCILIUM SANCTORUM nuncupari oportere decernimus. Dignum est enim, ut tantorum martyrum ad venerandas reliquias processuri, ad CONCILIUM SANCTORUM nos procedere fateamur. Tot igitur justorum patrocinio adjuvandi, tota fide omnique desiderio supplices secundum eorum vestigia curramus, ut ipsis
C intercedentibus, universa quæ poscimus adipisci mereamur, magnificantes Christum dominum tanti muneris largitorem; cui omnis honor, virtus et gloria cum Patre et Spiritu sancto, ante omnia et nunc et semper et in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

habito ad populum tractatu, 18 *Ex præclarissimo hoc exeuntis sæculi quarti monumento discimus: primum a S.* Gaudentio, fundatam basilicam, honori *Sanctorum, quorum* venerandas reliquias habebat; *erant autem illi omnino quinquaginta numero; hancque* basilicam eorum meritis dedicatam *Congregationem seu* Concilium Sanctorum *nuncupatam;* quam ita appellavit, *ut scribit Gradonicus* (1), ex illorum temporum more, quod in ea sanctorum Martyrum reliquias recondiderat. *Unde Galeardus* (2) *merito reprehendit Octavium Rubeum, qui in vita SS. Faustini et Jovitæ ecclesiam* Concilii Sanctorum *hoc nomine appellatam existimavit, quia in ea fidelium conventus agerentur :* cujus profecto appellationis originem, si hunc Gaudentii tractatum legisset, ignorare neutiquam potuisset. *Notat quoque paulo ante laudatus Gradonicus ex Carolo Bascopeo* (*a Basilica Petri*) *Novariæ sacræ, lib.* II, evenisse tunc temporis in multis urbibus, ut præcipuus episcopus ecclesiam fundaret aliam a cathedrali, ibique sibi sepulturam eligeret, haberetve. Id præstitit Gaudentius alius, Novariensis episcopus, qui videtur obiisse circiter annum 417; ea ecclesia erat ut plurimum extra urbis pomœria, uti Novariæ (3). *Basilica a S.* Gaudentio *Brixiano fundata, et in qua sanctus Vir sepultus fuit, postea* de foris *plerumque est dicta. Deinde discimus ex eodem sermone seu tractatu, dedicationem illius basilicæ, solemniter quidem peractam, sed non tanto, quanto optasset et sperasset S. Præsul splendore :* Licet, *inquit,* importunitas barbarorum maximam partem celebritatis diei hodierno subtraxerit, ne cæteri sancti antistites, quos interfuturos credidimus, advenirent. *De barbaris istis recurret mentio numero sequenti, ubi in annum consecrationis hujus inquiremus. Discimus tertio, qui sunt Martyres, quorum reliquiæ reconditæ, et unde venerint; quarto denique discimus S.* Gaudentium, *quamvis* portionem *SS. reliquiarum tantum collegisset, loqui ita ut* Corpora *adeptus videatur :* Itaque, *ait,* pars ipsa quam meruimus, plenitudo est; *quod et variis rationibus stabilire nititur. Unde Galeardus* (4) : Præclarum hunc Gaudentii locum laudat Joannes Ferrandus Disquisit. reliquiar. lib. I, cap. 4, art. 2, ex quo, aliisque tum ipsius Gaudentii, tum aliorum Patrum testimoniis, factum esse contendit, ut hoc pacto ecclesiæ nonnullæ totum alicujus martyris corpus possidere se asserant, cujus exiguam forte portionem dumtaxat altaribus, memoriis aut loculis conditam haberent.

AUCTORE B. B.

E

probabilius circiter an. 400, *ut conjicere licet tum ex verbis nonnullis S.* Gaudentii,

19 *Ad definiendum tempus Consecrationis illius, nota aliqua occurrit in his verbis :* Recepimus etiam sanctos cineres Sisinnii, Martyrii et Alexandri, quos NUPER in Anaunia venerandæ religionis cultui attentius inhærentes gens interfecit sacrilega. *De his agunt ad* XXIX *Maii Beda, Usuardus, Ado aliique. Item Romanum :* Eodem die natalis sanctorum martyrum Sisinnii, Martyrii et Alexandri, qui tempore Honorii imperatoris in Anauniæ partibus (ut
F scribit beatus Paulinus) persequentibus gentilibus, martyrii coronam adepti sunt. *Acta illustravit Papebrochius præsertim ex duabus S. Vigilii, episcopi Tridentini coævi epistolis; inserta quoque fuerunt operi suo a Ruinartio* (5). *Notat autem Baronius ad præfatum diem :* In... actis quæ Mombritius recitat, passi hi habentur hoc mense et die, Stilicone consule; numeratur is annus (secundum fastos Onuphrii) quadringentesimus... Quo etiam consulatu S. Vigilium ab iisdem gentilibus occisum esse, Usuardus auctor est die 26 Junii. *At enim, ut observat Ruinartius* (6), Hos martyres anno CCCXCVII passos fuisse probant viri eruditi ex his sancti Vigilii verbis : « Dies passionis IV Kal. Junias, feria 6. » Hæc enim epocha cum alio anno concurrere non valet. Hinc colligunt addititiam esse notam consularem in actis vulgatis eorumdem Martyrum appositam,

(1) Pag. 63 — (2) Migne, tom. XX, col. 959. — (3) Gradonicus, p. 64. — (4) Migne, ubi supra, col. 970. — (5) Acta sincera Martyrum, p. 607. Amstelædami, 1713. — (6) Ibid., p. 608.

ubi

AUCTORE B. B.

ubi « Stilicone consule, » id est anno 400, illi martyres passi dicuntur. Locum passionis altera sancti Vigilii epistola designat, Anagniam » scilicet, seu Anauniam (*vulgo* Val d'Anagna, *seu* di Nonu), viginti quinque stadiis ab urbe Tridento distantem, unde « Martyres Anaunenses » a nonnullis appellantur. Eos sic vocat Augustinus in epistola 139 ad Marcellum. *Itaque consecratio* basilicæ Concilii Sanctorum *non contigit ante annum* 397; *sed facta est vel labente hoc anno vel annis sequentibus. Galeardus ex voce* nuper, *qua utitur S.* Gaudentius, *infert* tractatum hunc a Gaudentio conscriptum paulo post annum 397... Ait namque Gaudentius « quos nuper in Anaunia. » *Quo usque se extendat illud* nuper *et* paulo post, *non facile quis dixerit.*

tum ex barbarorum incursionibus, quæ splendidiori celebritati obstetisse memorantur.

20 *Aliquid luminis accedit ex altero loco ejusdem Tractatus, ubi nos docet S.* Gaudentius *pauciores, quam sperasset, episcopos solemnitati præsto fuisse, propter* importunitatem barbarorum. *Auctore Tillemontio, nulla barbarorum in Italiam irruptio noscitur ante annum Christi quadringentesimum* (1). *Galeardus autem in alium*

B *ejusdem S.* Gaudentii *sermonem, nempe* XIII^m^, *ita habet* (2) : Quam vero barbarorum potissimum designet, an illam Eugenii et Arbogastis, qua extincto Valentiniano in Italiam invaserunt circa annum 392; an vero aliam Radogaisi et Alarici post annum 400, mihi incertum est. *Et sane aliquo sensu Barbari dici possunt, quos Eugenius et Arbogastes trans alpes traduxerant anno* 393, *secundum Tillemontii chronotaxim : ait enim iste* (3) : Eugenius fœdus init cum Alemanis et Francis, et postea in Italiam transit. *Ita sub præfato anno* 393. *Nihil utique repugnat, quominus S.* Gaudentius *potuerit Eugenii asseclas vocare barbaros; nec inde infirmaretur Tillemontii assertio, primam barbarorum irruptionem in Italiam adscribentis anno* 400; *cum populos intelligat illos, qui propriis sub ducibus seu regibus fatiscens imperium Romanum adorti sunt ac tandem pessumdederunt; de quibus S. Hieronymus* (4) : Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Ro-

C manus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. *Attamen quominus diserte asseramus, Barbarorum nomine designari a* Gaudentio *Alemannos Francosque, inter alia obstat, quod hi, illa tempestate, non proprie Barbari dicebantur; deinde quod annis* 392 *et* 393 *in vivis adhuc erat S. Ambrosius, quem sane conceptis verbis doluisset absentem* Gaudentius. *Itaque incertum est an mox positis annis facta consecratio sit. Quod vero spectat ad Gothos, qui ducibus Radagaiso et Alarico, Italiam circa annum* 400 *devastarunt; hi quidem proprio Barbarorum nomine veniunt, et defuncto jam Ambrosio irruperunt, ac proinde binæ, quas supra notavimus difficultates,* 292 *et* 293 *annis adversantes, non obtinent; sed altera prodit, scilicet ex anno passionis SS. Anaunensium martyrum, quem diximus esse an.* 397, *unde Galeardus opinatur ecclesiam* paulo post *hunc annum consecratam, cum asserat ipse S.* Gaudentius *eos* nuper *palma donatos; at si id trennio vel quadriennio ante consecrationem contigisse dixerimus, haud sane magnam vim intulerimus voci* nuper. *Favet S. Prosperi chronicon ubi :* Stilicone, *inquit,* et Aureliano Coss., *id est anno* 400, Gothi Italiam Alarico et Rhadagaiso ducibus ingressi. *Ita in* chronico integro, *prout editum est inter ejus opera* (5). *In appendice autem ad Eusebio-Hieronymianum chronicon ex codem S. Prospero inter opera S. Hieronymi, eadem habentur quæ supra, sed adscripto anno* 403 (6). *Quare notat in hunc posteriorem ex S. Prospero locum Basnagius:* Errat Prosper: quippe Alaricus, *Gothorum,* et Rhadagaisus, *Hunnorum rex,* alternis vicibus Italiam sunt ingressi; alterque jam fugerat, a Stilicone profligatus, cum eamdem iterato impetu tentavit Rhadagaisus. Advenerat in Italiam Alaricus anno 400, ut bene Prosper; et biennio post deletus est a Stilicone. *Confer Tillemon-* E *tium* (7), *Pagium,* (8), *ex quibus emendandus Baronius est, sicut et Baynaldus. Constat itaque quomodo illa tempestate* importunitas barbarorum maximam partem celebritati subtrahere *potuerit. Unde communis, nobisque probabilior, sententia est consecrationem* basilicæ Concilii Sanctorum *a S.* Gaudentio *factam circiter annum* 400.

Obitus S. Gaudentii

21 *Sicut initium episcopatus S.* Gaudentii, *ita etiam finis incertus est.* Rejiciunt id, *ait Galeardus* (9), nonnulli in annum 410; alii vero, inter quos Cl. Labbeus, in annum 427. *Id porro certum, S. Præsulem diem protraxisse usque in annum* 406, *ut ex legatione in causa S. Chrysostomi clarum est. An autem supervixerit usque ad annum ejusdem sæculi decimum, dubitatur quidem, sed affirmans sententia multo probabilior censetur, ex eo quod Tyrannius Rufinus Recognitiones S. Clementis, a se latinitate donatas, S.* Gaudentio *miserit, addita ad hunc præfatione; quæ versio missa apparet circa annum* 410, *quo Rufinus obiit, nisi forte sequenti. Profecto, si liquidum esset, quo anno Rufinus Recognitiones S.* Gaudentio *dedicarit,* F *notam exinde claram haberemus. Sed non ita est. Unde Schœnemannus, diligens accuratusque scriptor, nec tamen (quod haud infrequens est apud reformatæ, ut aiunt, religionis sectatores) satis æquus in S. Hieronymum, ubi de interiori hominis sinceritate seu sanctitate quæstio venit, tempus, quo Recognitiones sive latine verterit sive S.* Gaudentio *miserit, in medio relinquit.* Totus, *ait* (10), scribendis aut de græco traducendis libris vacavit, plurimamque partem scriptorum intra septennium, quod Aquileiæ transegit, confecit. Aquileia anno 408 relicta, in monasterium Pineti iterum concessit, ibique alterum « de benedictionibus Patriarcharum »... absolvit, Romam deinde perrecturus. Ingruentibus autem Romæ barbaris, profugo Piniani cœtui adjunctus eodem anno

(1) Mémoires, tom. X, p. 586. — (2) Migne, tom. XX, col. 539. — (3) Histoire des Empereurs, tom. V, p. 93. *Notes.* Bruxellis 1740. — (4) Epitaph. Nepot. Epist. LX ad Heliodorum. Migne, tom. XXII, col. 600. — (5) Ibid., tom. LI, col. 589. — (6) Ibid. tom. XXVII, col. 707 et 708. — (7) Histoire des Empereurs tom. V, p. 75. *Notes.* — (8) Ad annum Baronii 403, n. VI. — (9) Migne, tom. XX, col. 805. — (10) Bibliotheca historico-litteraria Patrum latinorum, tom. I, p. 580. et seq.

in

A in Siciliam transfretavit. Ibi in conspectu vastatæ cum cæteris regionibus ab Alarico Calabriæ aliquot Originis libris, « homiliis » scilicet « in Numeros, » quas Donato alicui inscripsit, et « Cantico Canticorum » in Piniani gratiam extremas vires insumpsit, tandemque animam in amicorum complexibus anno 410 reddidit, ejusque ossibus hæc superinlatravit (*odiosa vox*) Hieronymus; » Scorpius inter Enceladum et Porphyrium Trinacriæ humo premitur. » *Cæterum profitetur Schœnemannus se in ordinandis Rufini rebus secutum esse Fontaninum, qui in historia litteraria Aquileiensi* optime et copiosissime de Rufini rebus gestis, scriptis eorumque codicibus mss. et editis disseruit; *et Mariam de Rubeis,* accuratioris doctrinæ laude insignem *in Dissertatione de Rufino.* Utrumque, *verba sunt Schœnemanni,* invicem non sine molestia contulimus, quæque Rubæus certius vel verisimilius explicasset, aut adoptavimus statim, aut adnotare non negleximus (1). *Nihil dixit Schœnemannus de actis S. Hieronymi, a Stiltingo ad diem* XXX *Septembris illustratis editisque in opere nostro, tomo* VIII *Septembris, anno* 1762 *: nec mirum : favet enim Stiltingus D. Hieronymo, cui justo acerbius infensum se ostendit auctor bibliothecæ Patrum latinorum.*

B

probabiliter a quibusdam ponitur circa an. 410,

22 *Habetur itaque annorum series haud exigua, quorum uni vel alteri annecti potest susceptа a Rufino Recognitionum versio, nec certo statui datur, num ante, an vero post suam legationem in causa S. Chrysostomi* Gaudentius *illam acceperit; nec tamen ante annum* 402, *ad quem usque durarunt notissimæ eæque acerrimæ contentiones S. Hieronymum inter et Rufinum; ille enim contra hunc præfato anno scripsit tertium librum suum. Exinde, ut ait Schœnemannus,* reducta cœli serenitate, *Rufinus* totus scribendis *etc. Unde satis apparet Recognitiones, dicatas S.* Gaudentio *non prius quam anno* 403, *nec tardius quam anno* 410, *quo diem obiit Rufinus supremum. Sed ipsum juverit audire Rufinum.* Nos, *inquit in Prologo* (2), quos et ingenii tenuitas minus promptos, et senectus jam tardos reddit ac segnes, opus, quod olim venerandæ memoriæ Silvia injunxerat, ut Clementem nostræ linguæ redderemus, et tu (*Gaudenti*) deinceps jure hæreditario poscebas, licet multas post moras tamen aliquando restituimus. *Itaque Rufinus jam* senex *rogatus a* Gaudentio, *laborem hunc suscepit* longas post moras. *Unde si* Gaudentii *petitio facta fuit post sopitas anno* 402 *contentiones cum S. Hieronymo* (*idque mihi certum videtur*) *et Rufinus* longas post moras *tantum manum operi admovit, facile aliquot anni effluxerint inter* Gaudentii *preces et operis absolutionem. Imo ex his probabilius effici judicant Ceillerius* (3) *et Tillemontius* (4), *S.* Gaudentium *superstitem fuisse usque ad annum* 410, *quod eo solum tempore potuerit Rufinus illi Recognitionum versionem submittere. Non equidem ausim tantum assumere; quod mihi nulla solida suppetat ratio, qua cogamur versionis istius dedicationem ultimo Rufinianæ vitæ anno innectere : eo magis, quod ipse Rufinus satis clare innuat, se post hæc alia nonnulla scripsisse:* quod si, *inquit* (5), me Dominus implere (*de libris Recognitionum loquitur*) permiserit, redibimus ad illos et ad tua desideria, ut in Numerorum et in Deuteronomii libros, Deo permittente, aliqua dicamus. *Unde Schœnemannus :* Aliquot Origenis libris, « Homiliis » scilicet « in Numeros... et Cantico Canticorum »... extremas vires insumsit. *Quamvis ergo non satis probatum sit, S.* Gaudentii *episcopatum ad annum usque* 410 *protendendum, facile tamen darem effici ex Prologo Rufini illum fere biennio vel forte triennio legationi pro S. Chrysostomo supervexisse, ac proinde saltem usque ad annum* 408 *infulas Brixianas tenuisse. An autem protraxerit Vir sanctus diem ad annum usque* 427, *ut videtur præplacere Labbeo* (6) *et Ughello* (7), *dubitem valde. Cæterum Labbeus solo nititur Ughelliano catalogo:* Gaudentius, *inquit,* Philastrii in Brixiano episcopatu ab anno 387 successor usque ad initia sæculi quinti, et annum vel 410, ut quidam, vel 427, quantum quidem ex ejus successoris Pauli initiis datur intelligi, quem Ferdinandus Ughellus tom IV Italiæ sacræ docet episcopalem dignitatem adeptum anno 427. *Nec Ughellus ullam rationem addit qua suam firmet chronotaxim, unde id* minus probabile nobis, *inquit Gradonicus* (8), cum Tillemontio videtur; propterea quod spatio nimis brevi quatuor et viginti annorum, quatuor fuissent Brixiæ episcopi : Optatianum enim concilio Mediolanensi, anno CCCCLI. celebrato interfuisse videmus. Plane post S. Gaudentium usque ad Optatianum Paulus, Theophilus, Silvinus et Gaudiosus I Brixiæ episcopi sederunt (9).

C

AUCTORE B. B.

D

E

quo tempore nuncupata S. Gaudentio *videtur a Rufino versio Recognitionum.*

23 *Nec prætermittendum, a nonnemine dubitatum an Rufinus Recognitiones Gaudentio, absque addita sedis indicatione, nuncupans, Episcopum respexerit Brixianum, an vero alium sanctum præsulem cognominem. Ast dubium hoc facile evanescit ex attenta textus Rufiniani consideratione :* Tibi quidem Gaudenti (*verba sunt Rufini in præfatione* (10)), nosterorum decus insigne doctorum, tantus ingenii vigor, imo tanta spiritus gratia est, ut si quid a te cotidiani eloquii more dicitur, si quid in ecclesia declaratur, id in libris haberi et ad instructionem tradi posteris debeat. *Atqui, ut recte notat Gradonicus* (11), tantum elogium uni Gaudentio Brixiano aptari potest; is enim fuit, consentientibus omnibus ecclesiasticæ historiæ scriptoribus « doctor insignis, » cujus sermones, Tractatus olim nuncupati, a notariis excipiebantur, avideque legebantur, *ut supra jam vidimus, et infra clarius liquebit. Est et alter locus quo idem denuo efficitur. Ait Rufinus sub finem perorationis Commentariorum Origenis in Epistolam ad. Rom.:* Post hoc sane vocat nos opus, quod olim quidem injunctum est *a Silvia,* sed nunc *post Silviæ mortem,* a B. Gaudentio episcopo vehementius perurgetur, Clementis scilicet Romani episcopi, Apostolorum comitis (*id secus est; auctorem Recognitionum sæculo* III *floruisse probat Fontaninus* (12)), quo-

F

(1) Bibliotheca historico-litteraria Patrum Latinorum, tom. I, p. 572. *Nota.* Lipsiæ 1792. — (2) Migne Patr. græc. t. I, col. 1205. — (3) Autheurs ecclésiastiques, t. X, p. 518. — (4) Mémoires t. X, p. 588 et seq. — (5) Fontaninus, p. 295. — (6) De script. eccles , t. I, p. 337. — (7) Italia sac. t. IV, col. 528. — (8) Brixia sacra, p. 61. — (9) Conf. Tillemont. Mémoires t. X, p 588. — (10) Migne. Ubi supra. — (11) Brixia sacra, p. 57. — (12) Historia literaria Aquileiensis, p. 330 et seq.

rum

AUCTORE B. B.

rum ut successoribus darem cognitionem, libri a nobis in latinum vertuntur. *Supra vidimus Rufinum in ipso Prologo operis Clementini dicere :* Opus quod olim Silvia injunxerat, et tu (Gaudenti) deinceps jure hæreditario poscebas. *In his quis alter nisi* Gaudentius *Brixianus posset designari* ? Sane, *inquit Gradonicus* (1), Gaudentius noster eam translationem Silviæ promissam, hæriditario sibi jure poscebat. Eam enim sæculo (IV) jam labente, in Italiam ex Oriente redeuntem Brixiæ demortuam fuisse, peritiores ecclesiasticarum rerum scriptores consentiunt. Reipsa die XV Decembris S. Silviæ memoria Brixiæ recolitur, in ecclesia S. Joannis de foris appellata, sacrumque ejus corpus in eodem loco eademque ara, ubi et S. Gaudentius tumulari voluit, veneratur ; quod ostendit hanc Silviam Gaudentio nostro charitate, fortasse etiam sanguine conjunctam. Hæc autem fusius, quam alias oportuisset, prosequutus sum, ut hinc pateat, Eriberto Rosvveydo in notis ad epistolam XLVI S. Paulini Nolani, et Jacobo Cottelerio in notis ad Præfationem Rufini, æquam non fuisse
B rationem suspicandi, Brixianus ne an Novariensis esset episcopus Gaudentius hic ; consilioque præpostero Jacobum Fabrum Stapulensem, Clementinarum Recognitionum editorem eumdem vocasse, teste Fontanino « Gloriosum Christi martyrem et Ariminensem episcopum. » Neque moramur eorum scrupulos, quibus fictitia visa fuit laudata Rufini præfatio : satis enim superque confutati sunt illi a Fontanino pag, 327. *Ex his mihi valde probabile efficitur, inscriptam S.* Gaudentio *Brixiano Rufini versionem. Est tamen notandum non constare de persona laudatæ Silviæ, de qua in opere nostro tractandum erit ad præfatum diem* XV *Decembris. Sufficiat hic adscripsisse, quæ breviter tradit Galeardus* (2) : Quænam hæc virgo Silvia fuerit, implexa admodum est quæstio. Brixiæ in ecclesia B. Joannis evangelistæ, olim « deforis Brixiam » nuncupata, extat corpus beatæ Silviæ virginis, cujus memoria recolitur die 15 Decembris. Hanc nonnulli ex Brixianis scriptoribus matrem, nonnulli sororem Gregorii Magni appellantes, vehementer decepti sunt : nam quomodo ad
C Gregorii Magni familiam pertinere possit non video. Profecto ex illius genere claras feminas, præter Silviam ejus matrem, quam Romæ jacere compertum est, atque ipsius amitas Tarsillam et Æmilianam, ab iisque degenerem valde Gorgoniam, nullas alias invenio. Quare nominis similitudine factum puto ut vulgari errore, cujus nec patria satis nec genus compertum foret, in urbem Romam atque in ipsam Gregorii Magni familiam traducta fuerit. Eamdem esse Silviam hanc quæ Brixiæ jacet cum ea quæ a Rufino memoratur in Præfatione ad Gaudentium, videtur indicare tum id quod Rufinus ait, nempe versionem sibi a Silvia imperatam « hæreditario jure » a Gaudentio expeti ; tum locus sepulturæ in eadem ecclesia atque ara, et Silviæ et Gaudentio communis..... Cotelerius Silviam a Rufino memoratam eamdem esse existimat cum Salvia, de qua Palladius historiæ Lausiacæ cap. 143. Tillemontius autumat fortasse esse posse Silviam, Rufini Orientis præfecti sororem, quæ ex Oriente in Occidentem regressa Brixiæ obierit. Ego in tanta rerum obscuritate nihil certi affirmare ausim. D

24 *Incertum ergo est, quo anno cœperit epi-* *Incertum quamdiu S. Præsul Brixiæ præfuerit.*
scopatus S. Gaudentii, *ut dictum fuit supra n.* 8; *et pariter dubium manet, quo desierit. Ipse autem S.* Gaudentius *nos docet, se annos saltem quatuordecim infulas Brixianas tenuisse : ait enim in Sermone de vita et obitu S. Philastrii prædecessoris sui* (3) : Nam cum multa meritorum ejus præconia, quatuordecim jam per annos solemnitatis hujus cultum renovans, auditui vestro intulerim, plura quæ prædicari adhuc possunt, intacta perspicio. *Ex his tamen nullo modo sequitur eum plures in annos posthac non produxisse vitam. Cum autem probabile sit, Rufinianas Recognitiones S.* Gaudentio *nuncupatas fuisse circiter annum* 408 ; *probabile quoque est eum saltem circa annum* 394 *pontificalem accepisse consecrationem. Si cum Tillemontio aliisque nuncupationem præfatam extremo Rufini anno, scilicet* 410, *innectimus, episcopatus S.* Gaudentii *cœpit anno saltem* 396. E *Proinde incertum remanet, quanto temporis spatio Vir sanctus Brixiæ sederit. Initium plerique, nulla tamen nixi certa ratione, conferunt in annum* 387, *finem vero adscribunt anno* 410; *quibus positis, annos omnino viginti septem præfuisset.*

§ III. S. Gaudentii scripta, cultus, reliquiæ.

Scripta, De *scriptis S.* Gaudentii *tum* genuinis *tum* deperditis *atque* suppositiis, *ita uno obtutu breviter et accurate Schœnemannus* (4) : Ad genuina Gaudentii scripta *quod attinet;* præter Paschales decem Sermones cum Præfatione ad Benivolum, quatuor de diversis capitulis Evangelii et quintus de Machabæis martyribus ex ipsius Gaudentii verbis in eadem Præfatione ad Benivolum, pro veris agnoscuntur. Quatuor alii, nempe de Ordinatione sui, de Dedicatione basilicæ, itemque ad Serminium et Paulum diaconum; qui poste- F riores Epistolæ potius quam Sermones sunt, cum argumenti tum orationis similitudine, Gaudentii esse probantur. His insuper in Galeardi editione addi vides duo ; de Petro et Paulo alterum, alterum de vita et obitu Philastrii prædecessoris sui. *Quamvis de his duobus non adeo diserte loqui videatur Schœnemannus, non est tamen, cur genuinis non annumerentur. Certe Paulus Galeardus, canonicus Brixianus, cujus studium et diligentia atque accuratio plurimum apud præfatum scriptorem laudantur, ad unum omnes sermones atque eo, quo supra veniunt, ordine tamquam genuinos* recensuit denuo, ac notas secundis curis auctas adjecit, *in* collectione veterum Patrum Brixianæ ecclesiæ, *typis Rizzardianis anno* 1738 (5). *Atque ex hac collectione opera S.* Gaudentii *recusa nuper fuere in Patrologia Migniana* (6). *Ad* deperdita *veniens scripta, prosequitur Schœnemannus his verbis :* Intercidisse

(1) Ubi supra, p. 57. — (2) Migne, tom. XX, col. 806. — (3) Ibidem, col. 1002. — (4) Biblioth., p. 561. — (5) Pag. 185-379. — (6) Tom. XX, col. 791-1006.

nonnullos

A nonnullos Gaudentii tractatus, ex ipsis, qui supersunt discimus, ut Galeardus ad Tract. XIV, annotavit, ubi etiam locum ex sermone VIII affert. *Sed præstiterit ipsum audire Galeardum. Sermone* XIV *seu de diversis capitulis quarto, inscripto* de promissione adventus Paracleti, *sanctus* Gaudentius *dicit* (1) : Jam de unitate divinitatis suæ cum Patre plurima in superioribus dictis docuerat, sicut proximo tractatu exposui. *Notat autem Galeardus :* Nonnullos Gaudentii tractatus intercidisse, apertum fit ex hoc loco non solum, sed etiam initio tractatus 11 et 12 : nam in quibus ibi innuit, se explanare aliquid promisisse aut proxime disseruisse, non extant; quemadmodum etiam illud, quod ait sermone 2, « de præcinctione lumborum » frequenter a se « latius dictum » fuisse, nusquam occurrit. Item sermone 13 hæc commemorat : « Disseruimus (ut meministis) omnem textum lectionis ejus, quæ cœnantem describit in Bethania Dominum, explanantes discubitum Lazari, rationem loci et temporis, Marthæ ministerium, sororis ejus obsequium, unguenti virtutem rationem-
B que crinium, quibus Maria pretioso myro unctos Christi tersit pedes. » Cuncta hæc pariter in præsens a nobis desiderantur, prout etiam quæ tract. 8 explicasse indicat his verbis : « His cohærent ea quæ suo in loco, ut meminit dilectio vestra, minutatim disserui, ubi confestim Dominus legatos gentium gratulanter amplectens et in paucis credentibus fidem prævidens innumerabilium populorum, dixit apostolis : Venit hora ut glorificetur Filius hominis. » *Hactenus Galeardus. Denique concludit Schœnemannus :* Nec supposititia desunt, « Rhythmus de Philastrio, liber de singularitate clericorum » alioquin modo Origeni, modo Cypriano aut Augustino tributus, ab Oxoniensi autem Cypriani editore Gaudentio adscriptus, quam in Notis ad Bedæ tempora revocat. Præterea « Commentarii ad Symbolum » quod vulgo Athanasii appellatur, auctorem Gaudentium facit Elias Capreolus lib. III, Hist. Brix. et ex Capreolo Ughellus. Quod cum errore manifesto factum sit, tum nihil etiam ejusmodi Commentarii existit;
C nisi forte quod commode Galeardo succurrit, pro « Commentario in Symbolum Athanasii » intelligenda sit Expositio Rufini in Symbolum, quæ a multis Hieronymo et Cypriano temere adscripta, aliquando etiam Gaudentio tributa fuerit. *Confer Galeardum* (2) *et Gradonicum* (3).

quorum ipse S. Gaudentius *nonnullam mentionem facit*

26 *Atque hæc dicta in genere sint de scriptis sancti Præsulis. Sed speciali attentione digna est* Præfatio *ad Benivolum, in qua S.* Gaudentius *ipse nonnullam rationem de operibus suis reddit. Quapropter convenit ejus verba hoc loco adscribere.* Communis, *sic orditur præfationem* (4), voti fuerat, ut ea quæ de divinis eloquiis per paschales dies proxime præteritos explanavi, coram valuisses audire. Cum enim semper, tum præcipue diebus festis præsentia tua nobis merito grata est in ecclesiæ Brixianæ conventu *etc. Sequitur digressio in laudes Benivoli. Dein ita pergit S. Antistes :* Sed ut ad propositam causationem redeam, ex ingenti ægritudine tuum tunc adhuc corpus invalidum, ne supradictæ festivitati interesses inhibuit; unde vehementer dolebas, omnino fraudem tibi spiritualium bonorum reputans peccatis urgentibus irrogatam; ac propterea singulare quoddam dispendii memorati remedium magnopere exegisti, ut scriberem quid unaquaque die illius sacratissimæ hebdommadis, sanctæ fraternitati a me expositum meminissem. Quod plane ego mediocritatis meæ conscius litteris credere non auderem, nisi tu religiosa instantia compulisses; satis est enim mihi, si instruere commissam plebem viva saltem voce sufficiam. Sciens itaque verum divinæ sapientiæ amatorem non super assertione inutilium rerum inanis eloquentiæ pompam quærere, sed salutarem de Scripturis sanctis explanationum congruentium desiderare doctrinam, scribere tibi aggrediar omnino iisdem sensibus et fortasse etiam verbis, quibus me in ecclesia locutum esse reminiscor, ut loquelam meam, qualiscumque sit, facile cum legeris recognoscas. Quatuor præterea breviores tractatus, quos de diversis capitulis Evangelii apud te olim fuisse me
E locutum prodidisti, et quintum de Machabæis martyribus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam, ut eos, si ulla utili memoria dignos arbitraris, in postrema parte schedulæ hujus simul transcribendos adjungas. De illis vero tractatibus, quos notariis (ut comperi) latenter appositis, procul dubio interruptos et semiplenos otiosa quorumdum studia colligere præsumpserunt, nihil ad me attinet. Mea jam non sunt, quæ constat præcipiti excipientium festinatione esse conscripta : vereor tamen ne aliqua sub sermonis mei titulo sanæ fidei inimica alieni errores involvant, et efficiantur sempiterni criminis rei, qui fuerint incautæ præsumptionis auctores. Ergo quoniam desiderio tuo negare operam non potui postulatam, breviter tibi prius ostendam, non semper ægritudinum plagas pro peccatorum cumulo nostris corporibus irrogari. *Unde animadvertit recte Gradonicus* (5). Est autem hæc potior ac major Gaudentianorum sermonum pars (*nempe decem illi paschales et quinque alii, addita Præfatione*) quæ Benivoli studio ac industria ad nos pervenit. *Cæterum*
F Paschales *vocantur, quod habiti fuerunt per solemnitatem Resurrectionis; et primus quidem nocte, præcedente festum; item secundus; sed hic post collatum baptisma, et præsentibus tantum neophytis, non autem catechumenis; tertius die ipso festo; sex sequentes singulis Octavæ diebus; decimus denique dominica, quæ in Albis dici solet* (6). *Subdit Gradonicus,* Scripta *illa* merito sæpius recusa, *utpote* christianæ pietatis præclaram imaginem exhibentia.

in Præfatione ad Benivolum, virum præclarissimum,

27 *Hæc quidem perspicua satis sunt, nec commentario indigent. Sufficiet compendiosam de Benivolo, quo tam familiariter tamque frequenter usum S.* Gaudentium *videmus, addidisse notitiam.* Mediolani, *ut habet Gradonicus* (2), fidei rudimentis per Philastrium, adversus Arianos ea in urbe pugnantem, instructus fuit; sed adhuc catechumenus præclaram animi sui erga catholicam fidem ostendendi nactus est occasionem. Valentinianus II, imperator,

(1) Migne, tom. XX, col. 944. — (2) Ibid., col. 807 et seqq. — (3) Brixia sacra, p. 58 et 59. — (4) Migne, tom. XX, col. 827. — (5) Brixia sacra, p. 58. — (6) D. Ceillier, Autheurs eccles., tom. X, p. 519. — (7) Brixia sacra, p, 60.

Justinæ

AUCTORE B. B.

AUCTORE B. B.

Justinæ matris impulsu statuerat legem ferre, qua arianis conveniendi et ecclesias habendi non minus quam et ipsis catholicis potestatem faceret; aliquid contra molientibus, veluti seditionis auctoribus pacisque turbatæ ac læsæ majestatis reis pœna capitis indicta. Benivoli nostri erat eam legem conscribere, utpote qui apud eumdem imperatorem munere fungebatur Magistri memoriæ seu præsidis scriniis memoriæ, cui leges scribere incumbebat. *Enimvero tale facinus abhorruit vir excelsi animi constantisque pectoris. Audiamus Rufinum Aquileiensem, scriptorem Benivolo æqualem* (1) : Sed ille, cui ab incunabilis sacra fides et venerabilis fuit, abnegat se impia verba posse proferre et contra Deum loqui. Tum vero ne incœptum reginæ frustrari videretur, celsior ei honor promittitur, si impleret injuncta. Ille qui nobilior in fide esse quam in honoribus cuperet : Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? Hunc ipsum, quem habeo tollite : tantum mihi conscientia fidei duret illæsa. Hæc dicens, ante pedes impia præcipientium cingu-
B lum jecit. *Brixiam, ex qua oriundus erat, redux summo apud concives in honore fuit, ut tum ex recitatis supra verbis* S. Gaudentii, *tum ex aliis quæ ex eadem præfatione addimus :* Nam, *inquit S. Præsul* (2), sicut honoratorum nostræ urbis, ita etiam dominicæ plebis, Domino annuente, dignissimum caput es, quia non minore diligentia servare studes Dei præcepta quam discere; robustam catholicæ fidei professionem præclaræ vitæ meritis æquiparare contendens, ut habeat sincera fides opera, suæ puritatis nitore condigna... Nec mirum si hodie taliter in timore Domini converseris, qui, necdum percepta baptismi gratia, ita pro fidei cœlestis veritate pugnasti, ut imbutum te admirabilibus doctrinis apostolici per omnia viri, patris nostri Philastrii, tantæ constantiæ testimonium approbarit. Nostri namque temporis regina Jezabel (*Justina*) arianæ perfidiæ patrona simul et socia, cum beatissimum persequeretur Ambrosium, ecclesiæ Mediolanensis antistitem, te quoque, ea tempestate Magistrum memoriæ, oblitum salutaris fidei arbitrata, contra catholicas dictare ecclesias com-
C pellebat; quod ne faceres, ultro et promotionis politicæ dignitatem, et ambitionem sæculi, gloriamque mundanam pro Dei gloria contempsisti, magis eligens privatus vivere, quam mortuus militare. Vere enim moritur apud Deum, qui ab apostolicæ fidei veritate discedit, cui Christus Deus, qui vita est, amputatur, dum æternæ Trinitatis homoousion deneganti subtrahitur.

sed de quibus non satis æquam Dupinium tulisse sententiam,

28 *Cæterum ex his veluti speciminibus dictionis et facundiæ Gaudentianæ, judicare licet, quam inique Dupinius de operibus S. Antistitis sententiam tulerit.* Stylus, *inquit* (3), ejus simplex est atque incultus. Scatet allegoriis coactis, sententiis inusitatis; frequenter alludit ad res nimium alienas. Sermones exsangues sunt, steriles; parum apti ad docendum, nullatenus vero ad movendum; denique carent vi, eloquentia, virtutibus, accurataque diligentia; quibus dotibus excellent conciones D scriptorum Græcorum, de quibus modo diximus. *Certe qui ex his opinionem sibi faceret de* S. Gaudentii *operibus atque merito, is quam longissime a vero aberraret. Equidem potius vitio darem, quod S. Præsul nimium sit sollicitus de verbis, quæ plerumque congerit, sua nominibus amans jungere adjectiva, nec ea qualiacumque, sed haud raro diligenter selecta. Exemplo sit locus sequens ex Præfatione ad Benivolum* (4) : Nonnulli enim prudentium sæculi, sapientiæ cœlestis ignari, dum volunt fortuita adstruere universa, quæ creator omnium Deus justo moderamine providenter exercet, ita loquuntur : Si Dei providentia gubernaretur hic mundus, numquam promiscue bonos et malos tribulationum, ærumnarum atque ægritudinum plagæ conficerent, quia divinæ æquitatis non esset, disparibus meritis plagas irrogare consimiles : sed problematis hujus invidia facile evacuatur usitato veritatis exemplo. Notum namque est omnibus quod et ferri acies et ignis ustio vel ad interitum irrogantur, quando pœnam exigit criminis puniendi qualitas; vel ad curam pro- E ficiunt, cum sanandi gratia medicinaliter adhibentur. Ita igitur Deus omnipotens easdem plagarum species pro qualitatibus temperat meritorum : quosdam quidem puniens, quosdam vero vel emendans a vitiis vel emundans, vel certe ad ampliorem gloriam promovens. *Et Sermone* IV. *neophytos alloquens* (5) : Vos igitur, neophyti, qui estis ad beatæ hujus ac spiritualis paschæ epulas invitati, videte quomodo ab omni pollutione escarum, quas superstitio gentilis infecerit, vestras animas conservetis. *Et, nonnullis interpositis, rursum* (6) : Servate, neophyti, ornamentum gratiæ salutaris : sobrii estote per omnia, ne illud inebriati perdatis; solliciti convenite ad ecclesiam; orationibus, hymnis, psalmis et canticis spiritualibus nobiscum vigilanter incumbite. Hæc sint otii vestri opera, quibus debitum reddentes Christo domino famulatum mercedem vitæ æternæ consequi ab ipso possitis. Sint igitur convivia vestra sobria, casta cubilia; sit modestus animus, sermo placidus, mitis incessus. Orate ut beneficia gratiæ suæ Deus conservet in vobis; et fides vestra magis F magisque proficiat, largiente Christo Domino salvatore, cui una virtus eademque divinitas cum Patre et Spiritu sancto, ante omnia, et nunc et semper et in cuncta sæcula. Amen. *Quis non hæc recte appositeque imo et satis eleganter dicta fateatur? Unde etiam Galeardus contra Dupinium* (7) : Hoccine illud est aridum et inane dicendi genus, doctrinæ prorsus atque ornamenti totius expers?... Num sane Gaudentii oratio omnibus ornamentis ac luminibus caret? An vero e contra splendore, succo, ubertate redundat? Atque hæc omnia etiam Dupinio obvia erant, ex quibus cum Gaudentii doctrinam, tum eloquentiam et ingenium perspicere poterat, nisi pravum animum et infensum ad eum legendum attulisset. *Id certum paucos sibi consentientes nactum esse Dupinium. Tillemontius ab eo toto, ut ita dicam,*

(1) Historiæ eccles., lib. II, cap. XVI. Migne, tom. XXI, col. 524. — (2) Migne, tom. XX, col. 829 et seq. — (3) Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclésiast., tom. III, p. 86. Paris, 1693. — (4) Migne, tom. XX, col. 840. — (5) Ibid. col. 870. — (6) Col. 871. — (7) Ibidem, col. 815.

cælo

A *cœlo abest* : Gaudentii, *inquit* (1), stylus quamvis simplex satis videatur, non tamen caret nitore, proditque ingenium suave admodum atque jucundum. Quod vero ad ipsas res spectat, doctrina excellet præceptisque. *Eadem fere iisdem verbis tradit Ceillerius* (2). *Solus, saltem inter mihi notos scriptores, Schœnemannus est, qui mollius cum Dupinio egit : ad verba* Disseruimus, ut meministis *etc. supra a nobis n.* 24 *recitata, sic habet* (3) : Qui (*locus*), si quis alius ingenio hominis declarando inservit Dupiniumque a temeritatis crimine vindicare potest. *Et alibi* (4) : Qua occasione *Galeardus.* graviter etiam in Dupinium, iniquius, ut ipsi visum est, de Gaudentio statuentem, invehitur.

probatur. 29 *Liceat his, quæ de scriptis S.* Gaudentii *disseruimus, coronidis loco addere judicium sæpius laudati Galeardi, quo sancti Viri sermones apposite atque præclare commendat :* Cæterum, *ait* (5), Gaudentiani sermones pietatem non minus quam eruditionem spirant, quantoque usui sint ad muniendam et illustrandam ecclesiæ doctrinam ex eorum lectione facile patet. Nam et serm. 2 expresse designatur
B disciplina Arcani; et Eucharistiæ mysterium tam apte, tam copiose, tam perspicue exponitur, ut plane videam paucos ex antiquis qui apposite magis ad dirimendas nostrorum temporum controversias in hujusmodi argumento versati fuerint. Usi sunt testimoniis ex hoc sermone depromptis, ad asserendas catholicæ ecclesiæ veritates Joannes Stephanus Durantus in libris de Ritibus ecclesiæ, Romæ excusis in typographia Vaticana 1591 ; Ludovicus Bail Abavillæus in Bibliotheca concionatorum, edita Parisiis apud Joannem de la Caille 1666; Ferrarius de Ritu Sacrarum ecclesiæ Concionum, Joannes cardinalis Bona, aliique non pauci ex nostris, quibus Gaudentiana scripta evolvere operæ pretium fuit. Præclarum est præterea Gaudentii testimonium de Reliquiis et Invocatione Sanctorum, quam luculenter astruit in sermone de Dedicatione basilicæ, in sermone de Petro et Paulo, et in sermone de Vita et Obitu Philastrii prædecessoris sui. Hunc sermonem afferens Alanus Anglus adversus historiæ ecclesiasticæ oppugnatores, Dial. 3, cap. 4, pag. 319, edit. Plan-
C tinianæ 1566, Gaudentium nostrum recenset inter illos Patres quos Magdeburgenses prætermisere, quique intra primos quingentos a Christo nato annos scripsere de fide primæ ecclesiæ in causa de Reliquiis et Invocatione Sanctorum. Tractatu nono incorruptam Matris Dei virginitatem eloquenter et studiose propugnat; et Tractatu octavo, quamvis parentes imperare filiis perpetuam continentiam vetet, attamen virginitatem nuptiis docet esse meliorem. Tractatu quinto circa finem notabilis valde locus est « de baculo, » ubi baculum apostolicis sacerdotibus, id est episcopis, ad subditorum correptionem tributum esse significat. Hinc videtur parari posse subsidium antiquo usui baculi, de quo Isidorus, lib. II, de off. eccl., c. 5. Sane antiqui Ægypti monachi baculum ferebant, ut ex Cassiano patet lib. I de Instit. cœnobiorum cap. 9. « Cujus gestatio, » inquit, « spiritualiter monet, num-

(1)Mémoires, tom. X, p. 586. — (2) Auteurs ecclésiastiques, tom. X, p. 532. — (3) Bibliotheca Patrum lat. p. 561.

quam debere eos, inter tot oblatrantes vitiorum canes et invisibiles nequitiarum spiritualium bestias, inermes incedere. » At longum esset ire per singula : quare suffecerit summa quædam rerum capita delibasse, quibus perspectis lector de utilitate ac momento Gaudentianorum sermonum facile judicare possit. *Qui plura voluerit de hac quæstione, adeat laudatos auctores, Galeardum in Præfatione, Gradonicum, Ceillerium, Tillemontium, Schœnemannum etc. loc. citt.* AUCTORE B. B.

30 *Ast hic adjicere visum est, quæ laudatus Schœnemannus de Editionibus operum S.* Gaudentii *breviter et luculenter recensuit* (6) : Gaudentianorum scriptorum specimen, ut pridem observavit Galeardus, primus edidit Capreolus, lib. III, Hist. Brix., excerpta nempe sermonis de Philastrio, circa annum 1500 aut paulo serius. Deinde circa annum 1554, Aloysius Lipomanus, Veronensis episcopus, protulit sermonem integrum de Philastrio, sermonem de dedicatione Basilicæ, itemque excerpta ex Præfatione ad Benivolum, in Vitis SS., tom. IV, a p. 52-4 editionis Venetæ, ubi p. 1 et p. 15, opera *Gaudentii* nondum E
excusa dicuntur. Collecta primum sunt in Orthodoxographis Grynæi anno 1569, eodemque ordine ac numero sæpius deinde in Bibliothecis PP. repetita, mendis tamen adspersa quamplurimis et duobus carentia sermonibus (*de Petro et Paulo, atque de Vita et Obitu S. Philastrii*), qui in novissima demum eaque prima, quæ seorsim prodiit et accurata dici possit, Galeardi editione an. 1720 additi inveniuntur. Eamdem postea ab editore retractatam Quiriniana Operum Brixianorum episcoporum Collectio accepit. De singulis singulatim. *Mitto quæ ad priores spectant, utpote non tanti momenti, ut ad editiones sæculi* XVIII *transeam. Anno* 1720, Patavii excudebat (*ita nempe pergit Schœnemannus*) Jos. Cominus 4 S. Gaudentii Brixiæ episcopi sermones qui exstant, nunc primum ad fidem mss. codd. recogniti et emendati. Accesserunt Ramperti et Adelmanni venerabil. Brixiæ episcoporum opuscula. Recensuit ac notis illustravit Paulus Galeardus canon. Brixian. Suscepit Galeardus Gaudentii edendi consilium suasu ac impulsu præsulis Jo. Franc. Barbadici, recens tunc a Veronensi F
episcopatu ad Brixianum translati, qui et opibus et nulla non opera eum juvit, meritoque nomini suo inscriptum vidit. Nactus vero editor præclara ex codd. mss. Vaticanis, Florentino, Urbinate et Brixianis subsidia assiduo studio emendationi auctoris depravatissimi vacavit, ita tamen ut, ubicumque aliquid innovatum esset, de eo lectorem admoneret. In variantibus lectionibus apponendis et recensendis religiosior pœne fuit : Maluisse enim, inquit, sedulitatem suam delicatis hominibus nimiam aut morosam videri, quam apud studiosos et doctos lectores periclitari. Animadversiones rariores adjecit, in quibus ea, quæ locutionibus illustrandis inserviunt, comparatione locorum fere similium apud alios scriptores occurrentium constant, nonnullæ res ecclesiasticas attingunt, utrumque genus haud magnæ lectionis eruditionem prodit. *Editiones operum S.* Gaudentii.

— (4) Ibid. p. 565. — (5) Migne, tom. XX, col. 802. — (6) Bibliotheca PP. latt., p. 562 et seqq.

AUCTORE B. B.

Tanto vero insigniora sunt, quæ in præfatione de vita, virtutibus et laude, qua apud æquales et posteros claruerit Gaudentius; de scriptis ejus genuinis et suppositiis, eorumque indole disseruit. Qua occasione (§ II) graviter etiam in Dupinium, iniquius, ut ipsi visum est, statuentem invehitur. Postremo de consilio et ordine hujus editionis, superiores breviter perstringens, lectores admonet. His omnibus insuper testimonia de Gaudentio, nec non index locorum SS. addita sunt. *Meminit dein paucis Schœnemannus editæ Hamburgi in*-8°, *anno* 1721, Vitæ S. Philastrii *per* S. Gaudentium, *et denique addit : An.* 1738 Brixiæ ex typogr. Jo. Mariæ Rizzardi folio S. Gaudentii Brixiæ ep. sermones qui extant ad fidem mss. codd. recogniti et emendati, in collectione vet. PP. Brix. ecclesiæ Quiriniana, a pag. 185 usque ad 379. Recensuit denuo et notas secundis curis auctas adjecit Paulus Galeardus Can. Brix. Quid novæ hujus editionis occasione a Galeardo præstitum est, ipse quidem, modestia in Italis scriptorum ecclesiasticorum editoribus sequentium raro obvia

B (*quod nemo non æquus rerum æstimator invidiosius dictum reperiet*) indicat, inspersas esse novas huc illuc textui Gaudentiano notationes, non nullas etiam ex prioribus in melius reformatas dicens. Sed primo statim obtutu unusquisque facile animadvertet, quam sæpe illud et quam præclare factum sit. Imprimis autem de codice non magnæ quidem antiquitatis, sed egregiæ lectionis et emendationibus Octavii Pantagathi Brix. manu adscriptis repente sibi oblato lætatus, ex quo innumera sibi restituta esse affirmat.

Rhythmus de S. Philastrio, quondam S. Gaudentio *tributus.*

31 *Idem Galeardus operibus S.* Gaudentii *subnexuit Rhythmum de S. Philastrio, quod a nonnullis quondam sancto Præsuli tributus fuerit. Reperitur in opere nostro ad diem* XVIII *Julii, quo Cuperus acta S. Philastrii illustravit. Profecto Rhythmus ille sæculo* IX *est antiquior; cum diserte ejus meminerit Rampertus; addens tamen sibi non constare de auctore:* Sed et Rhythmicum, quem ergo auctoritatis Gaudentium episcopum fecisse ferunt... Gaudentium autem ipsum composuisse nuto *etc. Alii alias proposuere conjecturas;* verum, *inquit Galeardus* (1), aperte profiteor, omnia mihi hoc loci

C obscura et incerta esse, nihilque aliud ad promtum videri, nisi pium aliquem virum, Gaudentio juniorem, Rhythmum hunc in laudem Philastrii ex Gaudentiani sermonis sententiis consarcinasse. *Et hinc Cuperus,* (2) : Cum ipsemet (*Galeardus*) fateatur omnia... obscura et incerta esse; sine ulteriori ratiocinio istud carmen antiquum (a quocumque demum sit compositum) cum Ms. nostro collatum subjicio.

Cultus S. Gaudentii *vindicatur*

32 *Restat dicendum de cultu et reliquiis* S. Gaudentii. *Monuimus nomen S. Episcopi in fastis et martyrologiis vix non omnibus* (*Romano excepto*) *desiderari. Atque hinc præcipue est, quod Castellanus ad diem* XXV *Octobris* Margini *adscriptum voluerit hujusmodi Monitum quod hoc loco juverit rursus adscribere :* Sine cultu veteri, *ait* (3), etiam in propria ecclesia, ut videtur in Ramperto episcopo Brixiensi VII sæculi, qui etiamsi de eo loquatur, ne semel quidem vocat Sanctum sive Beatum, cum alioquin Sanctos non negligat eos nominare, qui cultum hunc habebant, uti S. Philastrius. *Deficit hic solita, et ut ita dicam innàta Castellano diligentia et accuratio. Nam primum floruit Rambertus non sæculo* VII *bene vero sæculo* IX, *quippe qui* anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo octavo corpus beati Philastrii, septimi Brixiæ episcopi, in æde sancti Andreæ olim sepultum, transtulit ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam ipse « matrem ecclesiam hiemalem » vocat (4); *qua occasione sermonem, cujus meminit Castellanus, habuit. Deinde falsum est alios, præter Philastrium,* Sanctos *a Ramperto vocari. Incipit sermo de Translatione* (5) : Triginta Brixienses sunt episcopi, quos meminimus, qui in altari nomini beati Philastrii dicato et super caput ejusdem posito, preces missarum celebraverunt, et diem transitus ejus venerantes ab omni terreno opere Brixiensem populum abstinere jubentes, reverenter honoraverunt. Hi sunt tertius ab eo et secundus a Gaudentio, Paulus; deinde Theophilus et Sylvinus et Gaudiosus; Optatianus et Vigilius et Ticianus; Paulus, Cyprianus, Herculanus, Honorius, Rusticianus et Dominator; itemque Paulus, Paterius, Anastasius et Dominicus; Felix et Deusdedit... Amfridús et Petrus; venerabilis memoriæ episcopi. Quorum ordine et meritis novissimus ego Rampertus indignus episcopus Brixiensis sanctæ ecclesiæ *etc. Solus itaque Philastrius* beatus *dicitur, alii omnes* venerabilis memoriæ episcopi. *Quod si ex his jure inferrat Castellanus, S.* Gaudentium sine cultu veteri etiam in propria ecclesia *fuisse; id pari ratione statuendum erit et de aliis, qui tamen omnes usque ad Deusdedit, Sanctis annumerantur, atque ut tales coluntur. Gradonicus, ubi de isto præsule :* Hic (*Deusdedit*), *inquit* (6), postremus est ex Brixianorum episcopis, qui inter Sanctos numeretur, estque vicesimus post Philastrium. *Eorum plerique nostro jam operi inserti leguntur.*

contra Castellanum.

33 *Unde præfatus Gradonicus subiratus et nonnihil indignabundus refutat Castellanum :* At, *ait* (7), ægre non ferat hic criticus, si nimiam illius confidentiam miremur; sane videre non possumus qua ratione ex Ramperti sermone inferri possit, nullum Gaudentio tributum fuisse honorem; quandoquidem id unum spectat Rampertus eo loci, ut S. Philastrii vitam honoresque illi præstitos ob suorum auditorum oculos exponeret; alios vero episcopos enumerat, ut constantem episcoporum seriem quodammodo recenseat. Nihil igitur mirum si Philastrium appellet Sanctum, quo nomine vocari et cæteros ibidem commemoratos aperte negamus, uti experiundo cognoscere quisque poterit. Unicus honoris titulus, quo a Ramperto insignitos legimus episcopos, est hic : « venerabilis memoriæ, » quo Gaudentium quoque insignitum fuisse a Ramperto, vel luculentissimo argumento est locus, ubi duo illa verba jacent... Concluden-

(1) Collectio PP. Brixian. p. 375 et seq. — (2) Acta SS. tom. IV, Julii p. 384. — (3) Martyrologi universel, p. 717. — (4) Veterum Brixiæ epporum opera et opuscula, p. 383. Brixiæ, 1738. — (5) Ibid. p. 387. — (6) Brixia Sacra, p. 93. — (7) Ibid., p. 62.

dum

A dum igitur est, tanti non esse Castellani objectum, ut in dubium vocare queat honorem, quem sua hæc ecclesia « ab immemorabili, » ut vulgari voce utar, illi exhibet. Festivitas autem recolitur VIII Cal. Novembris. *Eodem modo aliis tribus in locis meminit S.* Gaudentii *Rampertus, ubi recenset miracula nonnulla sub translatione S. Philastrii patrata. Sic habet numero V* (1) : Veluti etenim in edito sermone a præsule Gaudentio, vitæ scilicet beatissimi Philastrii pontificis, legitur *etc. Et numero IX* (2) : Qualem eum (*Philastrium*) in arianorum nefandæ procellæ temporibus sanctissimæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis episcopus esse intellexit, qui sibi eum collegam habebat? Quantique meriti vicini episcopi eumdem esse existimabant, si quartus Pergamensis episcopus... meminisse studuit, quod Ambrosius ipsum episcopum, Philastrius consecravit diaconum? Cujus vitæ sanctitatisque eum sapuit episcopus Gaudentius successor suus, qui per quatuordecim annos, forsan et plus, diem transitus ejus feriatum ducebat, populo siquidem de eo sermonem faciens? *Et*
B *iterum numero X* (3) : Præcessor namque noster, hoc est venerabilis memoriæ Petrus episcopus, tantæ venerationis eum esse monstrabat, ut anhelus mœroris sui, testaretur sese tempore presbyterii sui ita fuisse febribus anctum, ut nulla potio nullumque unguentum eripere eum a febri quiverit, cum etiam ipse peritus fuerit artis ipsius. Sed cum post aliquod tempus ad sepulcrum beatissimi Philastrii venisset et ibidem Deum efflagitasset, ut meritis ipsius intercedentibus sibi sanitas tribueretur, sic de oratione sanum se profitebatur erexisse, ut nullus rigor accessionis eum ultra tetigerit. Sed et rhythmicum hymnum, quem ergo auctoritatis Gaudentium episcopum fecisse ferunt, cantare de ipso sedule consueverat. Gaudentium autem ipsum composuisse nuto *etc. Id itaque certum, nuspiam* Gaudentium *apud Rampertum vocari* sanctum *vel* beatum. *Addo, alios tres* (*præter Philastrium*) *nomine suo designatos, nempe apostolos Petrum et Joannem, item Ambrosium, a Ramperto sanctitatis titulo insigniri. De duobus prioribus legi-*
C *tur* (4); Qui ab introeuntibus in templum gratia orationis beatissimis Petro apostolorum principe et Johanne eleemosynam petiverant. *Ambrosium, ut vidimus,* sanctissimæ memoriæ *episcopum dicit Rampertus, et paulo post ejusdem repetit nomen, absque honoris vocabulo. Anne ergo ex hoc legitime inferre licet S.* Gaudentium sine cultu veteri in propria ecclesia *fuisse? Ast primum pari modo statuendum foret de sanctis Brixianis episcopis omnino viginti numero; tum pro more illius ætatis, viri præsertim autem antistites, rebus gestis meritisque populo venerabiles, solebant post mortem fere continuo in album sanctorum referri et ut tales coli. Nec profecto apparet, cultum S.* Gaudentii *et aliorum illorum* Sanctorum (*tales enim certo a sæculis jam celebrantur*) *episcoporum Brixianorum cœpisse tantum post Ramperti tempora, ac proinde labente sæculo nono haud esse antiquiorem; quod tamen, stante Castellani sententia, foret admittendum. Alia in hanc rem venient numeris sequentibus, ubi de S.* Gaudentii *reliquiis fiet sermo,* AUCTORE B. B.

34 *Scribit Gradonicus* (5) : Corpus (*S.* Gaudentii) requiescit in ecclesia S. Joannis. *Et Galeardus* (6) : Jacet autem Gaudentii corpus Brixiæ in ecclesia S. Joannis evangelistæ, olim « deforis Brixiam » nuncupata, in eodem sacello una cum Theophilo, ejus post Paulum episcopum in sede Brixiana successore, et Silvia virgine... Horum corpora in eum locum translata ac deposita fuere anno 1595. *Neuter itaque de prima sancti Antistitis sepultura loquitur. Observat tamen Gradonicus de præfata ecclesia :* Hæc est ecclesia illa in nostro Ms. « de foris » appellata, atque in Nota ad S. Theophilum « ad Concilia Sanctorum; » quamque possident hodie (*scribebat Gradonicus circa medium sæculum* XVIII) canonici regulares S. Salvatoris; quæ non illa eadem est a Gaudentio excitata, igne olim combusta, sed quæ in ejus loco fuit ex integro ædificata anno MCLI.; unde vetustus « de Concilio Sanctorum » titulus jamdiu obliteratus est... Quonam tempore ab hac appellatione « deforis » cessatum sit, non equidem scio; E fortasse postquam prolato urbis pomœrio circiter annum MCCXC, locus ille in sinum urbis receptus fuit. Sæculo namque duodecimo appellationem illam perseverasse certo constat ex manuscripto Privilegio, a Callixto II anno MCXXXIII huic ecclesiæ concesso, in cujus tabulario adhuc asservatur, (ubi) ista leguntur verba : « Præposito et canonicis in ecclesia S. Joannis evangelistæ, quæ de foris dicitur » *etc.* Porro in hujus ecclesiæ consecratione habuit sermonem Gaudentius, *in quo narrat* ecclesiam illam a se fuisse excitatam, nomenque impositum basilicæ « Concilii Sanctorum » quam ita appellavit ex illorum temporum more quod in ea sanctorum Martyrum reliquias recondiderat, *inter alias SS. quadraginta Martyrum Sebastenorum. Denique addit Gradonicus:* Coluntur ipsa (*lipsana*) in præsentiarum a Brixianis in eadem S. Joannis ecclesia, in qua consentaneum fuit, ut sepulturæ mandaretur ejus corpus, propterea quod ab illis separandum non erat SS. Martyribus, qui itineri suo, cum per urbes Capadociæ Hierusalem pergeret, fideles comites se præbere dignati F fuerant, eamdemque ipse ecclesiam suis sumptibus condiderat sacroque cultui dicaverat. *Confer supra n. 4. Hinc sane liquet S.* Gaudentium, *ex mente Gradonici, prima sepultura donatum in ecclesia Concilii Sanctorum. Nec apparet corpus ejus translatum, quamdiu basilica hæc substitit; hac autem igne consumpta, ædificataque medio sæculo* XII *ejus loco ecclesia S. Joannis de foris, pronum est inferre ibi sacras S.* Gaudentii *exuvias fuisse repositas, quo certe loco exinde ad nostra usque tempora coluntur.* Reliquiæ,

35 *Papebrochius, ad diem* XXVII *Aprilis, in actis S. Theophili, Brixiani episcopi, meminit translationis factæ anno* 1595, *atque hac usus opportunitate nonnulla refert ad præfatam basilicam pertinentia, quæ summatim a nobis suffecerit exhibuisse. Imprimis recitat ex Catalogo episcoporum ms. Joan. Francisci Florentini se-* translatæ

(1) Veterum Brixian. p. 393. — (2) Ibid. p. 399. — (3) Ibidem, p. 399. — (4) Ibid. p. 395. — (5) Brixia sacra, p. 62. — (6) Migne, tom. XX, col. 807.

quentia

AUCTORE B. B.

quentia (1) : Meminerunt antiquissimi sanctorum episcoporum fasti, ejus (*S. Theophili*) ossa quondam jacuisse ad Concilium Sanctorum; eadem forte basilica, quam S. Gaudentius, sanctorum XL Martyrum illatis lipsanis, dedicavit et Concilium Sanctorum nuncupavit, licet nulla omnino ejus vestigia nec reliquiarum memoria supersit. *Attamen, ut vidimus numero præcedenti, testatur Gradonicus reliquias illas coli* in præsentiarum *in ecclesia S. Joannis. Subdit Florentinus :* Neque temere tamen opinari quis possit, diversam ab illa ejusdem nominis ecclesiam ante S. Gaudentium hic extitisse, ubi tot Martyrum cædes olim patratæ; cum præsertim Baronius in martyrologio Romano ad XXIII Junii, Molanum secutus, affirmet Concilii Martyrum nomine locum illum intelligi, ubi sanctorum Martyrum corpora sepulta sunt, qualia loca etiam Cœmeteria seu Dormitoria sunt appellata. *Sed reponit Papebrochius :* Neutri, *Baronio scilicet et Molano,* in mentem venit, ea (*Concilia Martyrum*) confundere cum Cœmeteriis aut Basilicis. Quid igitur? Non ecclesiam seu basilicam, sed
B locum intra eas certum ac peculiari ritu dedicatum intelligimus, ad plurium sanctorum ossa, ex cœmiteriorum communium cavernis educta, seorsim a vulgo christianorum aliorum in iisdem cœmeteriis sepultorum, honestius locanda et commodius veneranda; qualem locum utrum primus dedicaverit Brixiæ Gaudentius, et intra quam ecclesiam, non possumus divinare, antiquo testimonio destituti. *Mihi tamen ex dictis* § II *clarum videtur, basilicam, quam* Concilium Sanctorum *nuncupavit, a S.* Gaudentio *conditam et consecratam. Nec omnino obtinet hic ratio Papebrochii : non enim* plurium sanctorum ossa ex cœmeteriorum communium cavernis educta, *etc.; sed certas nominatorum sanctorum reliquias* (*non integra corpora ut diximus*), *plerasque ex Oriente allatas, collegit atque in novam transtulit basilicam. Id quoque probe notemus; quo tempore edidit Papebrochius acta S. Theophili,* (*typis mandatus fuit tomus III Aprilis an.* 1675), *nondum accurate prodierant Opera S.* Gaudentii. *Quinimo mihi videtur sermonem de Dedicatione basilicæ non fuisse lectum ab erudito meo*
C *decessore. Ait S. Præsul :* Habemus ergo et hos quadraginta et prædictos decem sanctos, ex diversis terrarum partibus congregatos, unde hanc ipsam basilicam eorum meritis dedicatam Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus. Dignum est enim, ut ad tantorum Martyrum venerandas reliquias processuri, ad concilium sanctorum nos procedere fateamur. *Vide n.* 17.

36 Ubi ubi (*sic prosequitur Papebrochius*) istud Sanctorum Concilium fuerit, nunc certe (ut idem Florentinus et ceteri asserunt) sacrum S. Theophili corpus in æde S. Joannis evangelistæ servatur... De corporibus, in hac ecclesia quiescentibus, tale extat in libro Provisionum civitatis decretum diei XXII Aprilis anni MDXXV. « In ecclesia S. Joannis existunt corpora SS. Gaudentii et Theophili episcoporum et S. Silviæ, virginis : a quibus separentur capita et ponantur in statuis vel vasis argenteis, fabricandis expensis reverendorum Patrum et Parochianorum, ut honorifice congruis temporibus cum veneratione per civitatem deferri possint. » *Quod quidem decretum,* nisi in numero error est, *ut ait Papebrochius, effectum tunc non habuit, sed solum post annos* LXX; *ita enim legitur in eodem Provisionum libro :* SS. Theophili, Gaudentii et Silviæ corpora, quæ hactenus fuerant recondita in singulis arcis marmoreis, in capella a monte altaris majoris ecclesiæ S. Joannis, pro illuminanda dicta capella ablatæ fuerunt dictæ arcæ, corporibus prius ablatis. Quæ deinde corpora die dominico IX Julii, hoc anno MDXCV, E
cum solemni processione circumcirca parochiam S. Joannis delata, reposita fuerunt in altari nuper reformato in dicta capella, habita prius licentia per reverendos canonicos regulares dictæ ecclesiæ a reverendissimo episcopo et deputatis civitatis. In qua processione affuerunt dicti canonici *et reliqua, quæ si libet, vide tom. III Aprilis loc. cit., ubi etiam reperitur altera eaque plenior ejusdem Translationis historia, ex qua suffecerit hoc loco adscripsisse, quæ ad statuas pertinent, quibus S.* Gaudentii *et aliorum duorum sanctorum capita reclusa fuerunt :* Hisce magnis honoribus per civitatem perducta sanctorum corpora sunt, quibus per eam fere totam diem applicata fuere rosaria innumera. Postremo per eumdem D. Masinum præpositum in hujus sacelli ara honestissime recondita; ipsorum cranea in suis quæque statuis, auro argentoque superinductis, a vertice ad pectus usque sanctorum imagines referentibus, et ipsius D. Floriani Canalis (*Brixiensis canonici regularis*) sumptu confectis, inclusa fuere. *Atque hæc sunt quæ de Reliquiis*
F *S.* Gaudentii *colligere licuit; incompleta imo et satis jejuna. Optandum utique foret, ut certis documentis constaret, non quidem de prima sepultura* (*hæc enim mihi sufficienter probata videtur*), *sed de sacri corporis perpetua in eadem basilica, donec illa substitit, asservatione, sicut et de ejusdem translatione, post exustum Concilium Sanctorum, in novam, medio sæculo* XII *a fundamentis exstructam, ecclesiam S. Joannis.*

D *anno* 1595.

(1) Acta SS., tom. III Aprilis, p. 494.

A

DE S. BONIFACIO I

PAPA ET CONFESSORE

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Sanctus sub contentione cum Eulalio pontifex electus, favente Honorio imperatore, pacifice sedem apostolicam occupat.

ANNO CDXXII. S. Bonifacii *laudes in Fastis sacris :*

Martyrologium Romanum hodierna die habet : Romæ sancti Bonifacii Papæ et Confessoris. *Hieronymianum Florentinii omisso die natali, ejus ordinationem celebrat ad diem* IV *Kal. Januarii* (XXIX *Decembris*) : Romæ, *inquit,* Felicis et Bonifacii episcopi de Ordinatione. *Quæ verba commentatus Florentinius, dicit, se quidem non repugnare, si quis affirmaverit Felicis I, Papæ et Martyris diem depositionis hic adnotari* (1) : *Verum, inquit,* clarius

B constat, Bonifacium esse primum hujus nominis Pontificem Romanum, qui in schismate Eulalii electus et ordinatus fuit hac ipsa die, ut evidentissime constat ex epistola Symmachi præfecti Urbis ad Honorium augustum, data eadem die IV Kal. Januarii, quam ex Vaticano codice exhibuit Baronius ad annum 418 § LXXV. *Ultimus fuit Pontificum, cujus nomen in Hieronymianis fastis recensetur. S.* Bonifacii *nomen omiserunt in Martyrologiis suis Ado et Usuardus. Sed Auctaria Usuardina eumdem laudant. In Bruxellensi quidem ad diem* IV *Kal. Januarii scribitur :* Romæ ordinatio sanctorum Felicis et Bonifacii : *Vaticanum prid. non. Septembris:* Romæ, via Salaria, depositio sancti Bonifacii episcopi : *ad eamdem diem Rosweydianum habet :* Romæ Bonifacii episcopi, qui fanum Pantheon ecclesiam Christi fecit; *quibus verbis* Bonifacius *Primus cum hujus nominis Quarto confunditur, initio sæculi septimi florente, qui templum Pantheon in honorem B. Dei Genitricis et SS. Martyrum dedicavit. Tandem plurima Auctaria, quæ apud Solerium videre est, recensent Sancti nostri nomen ad diem* VIII *Octobris*

C *hoc fere tenore :* Roma, via Salaria, B. Bonifacii I Papæ : hic constituit, servum clericum non fieri, nec obnoxium curiæ vel cujuslibet rei.

brevior ejus Vita

2 *Breviorem S.* Bonifacii *Vitam habemus in Libro pontificali Anastasii bibliothecarii, quam hic exhibemus* (2) : Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo presbytero, sedit annos tres, menses quatuor, dies tredecim. Hic sub contentione cum Eulalio ordinatur una die et fuit dissensio in clero mensibus septem et per dies XV. Eulalius vero ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius autem in basilica Juliæ. Eodem tempore audiens hoc Placidia augusta cum filio suo Valentiniano augusto, dum sederent Ravennæ, retulit Honorio augusto, Mediolani sedenti. Eodem tempore ambo augusti, missa auctoritate præceperunt, ut ambo exirent civitate. Qui dum compulsi exissent, habitavit Bonifacius in cœmeterio sanctæ Felicitatis Martyris via Salaria. Eulalius vero in civitate Antii ad sanctum Hermen. Veniente autem proximo die paschæ, præsumpsit Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiniana, et introivit in Urbem et baptizavit et celebravit pascha in basilica Constantiniana. Bonifacius vero, sicut consuetudo erat, celebravit baptismum paschæ in basilica sanctæ Martyris Agnetis. Hoc audito, augusti utrique miserunt et ejecerunt Eulalium, et missa auctoritate, revocaverunt Bonifacium in Urbem et constituerunt episcopum. Eulalium vero miserunt foras in Campaniam. E
Post annos tres et menses octo defunctus est Bonifacius. Clerus autem et plebs petierunt Eulalium revocari, quod tamen non consensit Eulalius, Romam reversi. Qui etiam in eodem loco Campaniæ post annum mortis Bonifacii, defunctus est. Hic Bonifacius constituit, ut nulla mulier vel monacha pallia sacrata contingeret, aut lavaret, aut incensum poneret in ecclesia, nisi minister : nec servum clericum fieri, nec obnoxium curiæ, vel cujuslibet rei.

3 Hic fecit oratorium in cœmeterio Sanctæ *ex Anastasio et Flodoardo :* Felicitatis juxta corpus ejus, et ornavit sepulcrum Sanctæ martyris Felicitatis et Sancti Silvani, ubi et posuit hæc : Patenam argenteam, pensantem libras viginti, scyphum argenteum, pensantem libras X, amam argenteam, pensantem libras XIII; calices minores argenteos duos, pensantes libras IV. Coronas argenteas tres, pensantes libras XV. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, presbyteros XIII, diaconos III, episcopos per diversa loca XXXVI. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Sanctæ Felicitatis martyris, via Salaria, F
VIII Kalendas Novembris; et cessavit episcopatus per dies IX. *Quæ ad hunc textum annotanda essent, in decursu hujus Commentarii attingemus : quapropter variantes lectiones, præsertim circa notas numerales, non apposuimus : unam numerorum diversitatem signabo in ipso textu; nempe in initio scribitur, S.* Bonifacius *sedisse* annos tres, menses quatuor, dies tredecim *et paulo infra, obiisse* post annos tres et menses octo. *Hæc et similia ad trutinam revocabimus. Præter Vitam Anastasianam, aliam antiquam non novimus : quapropter ad calcem Commentarii dabimus Legendam S.* Bonifacii, *prout ad diem* XXVII *Octobris in Proprio Lateranensi habetur. Recensetur quidem a Beda in suis Collectaneis liber* miraculorum S. Bonifacii papæ (3): *sed hoc opus hactenus deperditum videtur, neque ullatenus constat, cui ex Pontificibus, Bonifacii nomen gerentibus, miracula adscribenda sint. Ante tandem quam ipsas res gestas referamus, operæ pretium fuerit pauculos ver-*

(1) Cfr Acta SS., t. VIII Maii, p. 236. — (2) Migne, Patrol., t. CXXVIII, col. 186. — (3) Ibid., t. XCIV, col. 557.

sus

AUCTORE J. V. H.

sus Flodoardi in medium afferre de Christi triumphis per Italiam lib. x, *cap.* 4 (1) :

Bonifacius post (*Zozimum*) lite scandens dissona
Tum mansueto dum recedit spiritus
Nec insolenter vindicat fastigia,
Pulso receptus roboratur æmulo :
Certatque sedes nec hinc petatur ambitu;
Sacra censet aræ nulla tractet fœmina
Decreta celsis nec ministris appetat :
Nullum dicare jure pressum clericum.
Felicitatis hic beatæ pignora
Templo decorat, quo residit sarcina.

In contentione electus cum Eulalio.

4 *Nunc vero res, a S.* Bonifacio *gestas examinemus. Atque imprimis occurrit quæstio de anno et die, quo S.* Bonifacius *electus et ordinatus fuit. Certum mihi est, Sanctum electum fuisse* XXVIII *et ordinatum die sequenti* XXIX *Decembris, seu* IV *Kal. Januarii anni vulgaris* 418. *Circa annum electionis, is indubie est* 418, *Prospero in suo Chronico dicente* (2) : Honorio XII et Theodosio VIII coss. *id est anno Christi* 418,... Romanæ Ecclesiæ episcopatum agit Bonifacius annis III, mensibus octo, diebus VI.

B *Enimvero ab hoc anno electionem S.* Bonifacii *dimovere non licet, quum ex una parte exstet epistola Zozimi,* Bonifacii *decessoris signata* XVI *Kal. Decembris* iisdem consulibus (3); *ex altera ipse* Bonifacius *ad episcopos Galliæ scribit* idibus Junii Monaxio viro clarissimo consule, *seu anno* 419 (4). *Electio itaque inter* XIV *Kal. Decembris* 418 *et idus Junii* 419 *facta est. Sed diem ipsum notum habemus ex epistola Symmachi, Urbis præfecti ad Honorium augustum data* IV *Kal. Januarii seu* XXIX *Decembris, qua scribit* (5), secundo die post ingressum suum vita decessisse *Zozimum;* statim populum commonuisse, ut cum quieto clericorum tractatu omnia finirentur, nec se rebus disponendis misceret turbatio popularis... Verum, *ait,* quum vir sanctus Eulalius (*Bonifacii competitor*) ad ecclesiam Lateranensem de exsequiis prioris episcopi a populo et a clericis fuisset adductus, ibi per biduum cum maxima multitudine et cum pluribus sacerdotibus remoratus est, ut exspectaretur dies consuetus, quo posset solemniter ordinari. Quum hic ita essent, subito aliquanti presbyteri cum Bonifacio ejusdem ordinis ad Theodoræ ecclesiam,

C collecto populo, ipsum ordinare velle cœperunt. *Huic consilio obstitit quidem Symmachus,* sed, *inquit,* tanta pertinacia restiterunt, ut quidquid minatum fuerit, facere minime dubitarent. Nam presbyterum Bonifacium in ecclesia Marcelli ordinandum esse duxerunt, atque cum eo ad S. Petri basilicam processerunt. *Dies ordinationis episcoporum consuetus, erat, sicut et hodie, dominicus, qui in* IV *Kal. Januarii anni* 418, *littera dominicali F signati, incidebat. Isto igitur die ordinatus fuit S.* Bonifacius; *sed pridie electus, quoniam intervallo temporis quo* ipsum ordinare velle cœperunt, *seu elegerunt et vere ordinarunt* in ecclesia Marcelli, *intercurrit tractatus præfecti cum clero, fautore* Bonifacii, *qui facile diem integrum insumpsit. Confirmatur etiam annus et dies electionis S.* Bonifacii *ex die obitus Zozimi, defuncti* XXVI *Decembris* 418, *et ex emendatiori* D *Libro Pontificali, dicitur sedes vacasse dies* II. *Aliqui legunt, episcopatum cessasse diebus* XI; *numerum scilicet romanum* II *pro arabico* 11 *sumentes* (6).

cui Symmachus, urbis præfectus,

5 *Funestum igitur exortum erat in Ecclesia Romana schisma, aliis* Bonifacio, *Eulalio faventibus aliis. Partes Eulalii tuebatur Symmachus præfectus, ut satis ostendit fragmentum epistolæ mox allatum. Nam dicit,* virum sanctum Eulalium a populo et a clericis adductum ad ecclesiam Lateranensem, *ut* solemniter ordinaretur, *nempe quasi a clero et populo legitime electus fuisset; dum Bonifacius tumultuarie ab* aliquantis presbyteris *et* collecto populo *assumptus fuerit. Et quoniam, inquit Symmachus in eadem epistola,* pietatis vestræ est, de hac parte referre judicium, statim pro competenti sollicitudine vestram majestatem credidi consulendam, ut quod de hac parte pietas vestra decernat, præcepto vestri numinis evidenter informet. *Erat scilicet officii imperatorii, quum constaret de legitime electo Pontifice Romano, eum qui se postea intrusisset,* E *expellere, sicque paci, unitati, tranquillitati Urbis et ecclesiasticæ disciplinæ consulere. Nec suo, quod falso existimabat, officio defuit Honorius imperator. Veram habens relationem Symmachi, statim,* III *non.* (III *mensis*) *januarii* 419, *Ravenna litteras dedit ad Symmachum, quibus, laudato ejus pro pace studio, legitimam ratamque habet electionem Eulalii, utpote* cui, *ait* (7), competens numerus ordinantium legitimus, solemnitas temporis, locique qualitas recte venerandum nominis apicem contulerunt. Quum autem Bonifacio constet omnia defuisse, superflue exspectatam sententiam nostram esse sensimus : quum factum suum ipsi, qui præsumpserant, admotis damnasse precibus videantur. Absoluta itaque decernimus jussione, extraordinaria præsumptione submota, Bonifacium interdicta confestim Urbe, prohiberi... pertinacius resistentem, invitum præcipimus expelli. *Tandem* plebejæ seditionis auctores cum sociis suis, *jubet* attineri atque in eos congrue vindicari.

datis ad Honorium Augustum litteris.

6 *His Romam allatis litteris,* Bonifacium, *in basilica S. Pauli extra urbem commorantem, continuo accersendum curat Symmachus, ut principis jussa ei intimet. At præfecti minister, ad id missus, a* Bonifacii *fautoribus verberatus et ejectus fuit. Veritus autem Symmachus populi tumultum portas Urbis accuratissime custodiri jussit, ne* Bonifacius *in eam se intromitteret. Hæc ipse ex ordine refert Symmachus ad Honorium, dicens* (8) : Quum eo tempore ad me sacra perlata esset auctoritas, quo sancti erat celebranda solemnitas (*diei Epiphaniæ*). Statim, ut oportebat, misso primiscrinio, Bonifacium ad me venire admonui, quod præceptum fuerat, agiturum, ac se a processione, quam sibi inhibitam didicerat, abstineret : qui conventione contempta, processit, atque eum, quem direxeram, dedit populo verberandum. Quod ubi nuntiatum est, habito cum vicario tribuno Sereniano tractatu, ad S. Pau-

(1) Migne, Patrol., t. CXXXV, col. 766. — (2) Ibid., t. LI, col. 592. — (3) Ibid., t. XX, col. 686. — (4) Ibid., col. 758. — (5) Baron. Annal. ad 418, § LXXIX. — (6) Pagius crit., Baron, an. 418, § LXXII. — (7) Baron., an. 419, §II. — (8) Ibid., § v. sexto Id. Januar. seu die VIII mensis.

lum,

A lum, quo convenerat, et sacra exemplaria pro cautela direxi, ne quid in injuriam publicam de præceptis immissa multitudo tentaret, et partem officii pariter destinavi. Sed neutrum fieri passus, quum ab Urbem vellet pariter cum populo remeare, statim ad portas tam conturbernales quam apparitores occurrerunt, qui eum, ut statutum fuerat, Urbem vestram ingredi prohiberent. Verum ipsos quoque contemnendos credidit, atque violenter ingressus, a certa Urbis parte, pluribus occurrentibus, est repulsus, nec permissus, quod cogitabat, implere. Quod ubi turba, quæ comitabatur, aspexit, sine aliquo tumultu dispersa est... Circa partem vero Eulalii episcopi, venerabilis viri, qui eo die pene cum omni multitudine ad sancti Apostoli Petri basilicam solemnia celebrabat, ubi primum pietatis vestræ præcepta sunt publicata, fuit totius lætitia civitatis. *Igitur quidquid turbarum aut erat aut timebatur in Urbe*, Bonifacio *adscribebatur : ast apud Eulalium omnia sancta, legitima, læta.*

quæ recitantur, 7 *Quum igitur eo res esset, ut Eulalii ordinatio confirmanda videretur, suas esse partes crediderunt Romanæ Ecclesiæ presbyteri, qui* Bonifacii *ordinationi consenserant, supplici libello imperatorem adire, ut utrius causa et ordinatio potior essent, dijudicare posset. Integram epistolam exhibemus, quæ omnimodo refellit, quidquid falsitatis hactenus ad imperatorem relatum fuerat* (3) Petimus clementiam vestram, piissimi et clementissimi imperatores Honori et Theodosi semper Augusti. Post abscessum S. Zozimi Papæ Ecclesiæ catholicæ Urbis Romæ (ut fieri mos volebat. atque ipsa religionis disciplina dictabat) plures in unum convenimus sacerdotes, ut de constituendo successore communi judicio tractaremus. Sed quoniam Lateranensem ecclesiam, obstructis pene omnibus ingressibus, archidiaconus Eulalius, contemptis impie summi sacerdotis exsequiis, diaconibus et paucissimis presbyteris ac multitudine turbatæ plebis obsederat; altero die ad eamdem ecclesiam, ubi prius ab omnibus fuerat constitutum; habita omnium collatione properavimus; ibique participato cum christiana plebe consilio, quem Deus
C jusserat elegimus. Nam venerabilem virum Bonifacium veterem presbyterum, in lege doctissimum, ac bonis moribus comprobatum, et, quod eum magis ornabat, invitum, acclamatione totius populi ac consensu meliorum adscivimus, divinæ institutionis ordine consecratum. Nam subscribentibus plus minus septuaginta presbyteris, adstantibus novem diversarum provinciarum episcopis, benedictionem competenti tempore constat fuisse celebratam : ac prius omnia, quæ solemnitas exigebat, celebrata sunt.

impense favebat; 8 Sed quum prædictus Eulalius, qui antea per tres consacerdotes nostra fuerat ex multorum auctoritate conventus, ne quid sibi temere præter conscientiam cleri majoris assumeret, circumventis paucissimis presbyteris, male acceptis his ac diversæ custodiæ mancipatis, qui ad prohibendum cum litteris venerant, exhibito etiam cum aliis Ostiensi episcopo, quem prope mortuum constat acci-

(1) Baron., an. 419, § VIII. Cfr. Migne, Patr., t. XX, col. 750.

AUCTORE J. V. H.

tum (nam tractum esse nolentem senis ægritudo testatur) in locum, sibi non debitum, incustodito religionis ordine, per ambitum proruisset. Cœpit factum suum per homines, disciplinæ inscios ac religionis ignaros indecenter tueri; æstimans, humanis perturbationibus se confundere sententiam posse divinam. Et quoniam clementiam vestram constat falsidica relatione deceptam, ut nescio quid in injuriam divini numinis sanciretis (nam divinum est quidquid tantorum firmat electio) petimus pietatem vestram, ut removeri priora constituta jubeatis; atque Eulalium, qui in locum subrepsit alienum, ad comitatum perennitatis vestræ cum auctoribus suis debere adduci. Nos enim profitemur, sanctum Papam Bonifacium nostris cum sacerdotibus affuturum : relictis enim singulis titulis, presbyteri omnes aderunt, qui voluntatem suam, hoc est, Dei judicium, proloquantur. Jubeat etiam vestra clementia, omnes adesse, quos causa constringit; ejici etiam civitate nolentes, qui se non patientur adduci. Invenietis, quum cœperit agitari interna discussio, quod omnibus divinis legibus abhor- E
reat, verum etiam displicere possit humanis. Quo hoc consecuti, agamus æterno imperio vestro maximas atque uberes gratias. *Ex hactenus dictis et iis, quæ sequuntur, manifestum fit in ecclesiasticis electionibus præcipuam fuisse cleri partem, plebi relicta ratihabitione* (2).

vicit tandem causam suam Bonifacius, 9 Prudenter, *quidem, ait Baronius* (3), quod viderent *presbyteri Romani*, Symmachum præfectum studere Eulalio, ipsumque Bonifacium ab eo pulsum ex Urbe, causam ipsam rogant ad ipsum imperatorem perferri, quod aliter non liceret in libertatem vindicare Bonifacium, oppressum favore potentium; fore sperantes, ut jussu imperatoris quod postea factum est, delecti episcopi causam electionis cognoscerent. *Rescripsit itaque Honorius Augustus ad Symmachum sub die* XVIII *Kal. Februarii* (XV *Januari*), *propter* presbyterorum allegationem, decere, ambiguitate seposita, fidelem rerum ordinem cominus experiri; quamque partem prætermissus gestæ rei ordo arguat, quamque servatus adjuvet, multis coram censentibus approbari. *Jubet proin ut tam* F
Bonifacius *quam Eulalius* infra diem VI id. februarii (VIII *mensis*) in Ravennatum civitatem præsentiam suam maturare non differant : omnibus æque admonitis, qui auctores utriusque ordinationis exsistunt, *tamquam testes rei gestæ. Ipse vero imperator* ex diversis provinciis competentem numerum sacerdotum *convocabit*, ut rem deductam in dubium absolvat disceptatio plurimorum. Quum autem omnia futuro integra sunt judicio reservata, de transactis sibi blandiri neminem decet. *Irrita itaque declarantur acta Symmachi in favorem Eulalii. Mandatum imperatoris exsecutum se fuisse, respondet præfectus die* VII *Kal. Februarii* (4). *Inter convocatos Ravennam episcopos Honorius sedere noluit illos,* quos interfuisse *alterutrius* ordinationibus constabat, ne non tam novam prolaturi sententiam, quam servaturi factum præteritum viderentur (5).

præsertim quia, Eulalio decreta imperatoris violante, 10 *Ipsi dein convocati episcopi de valore alterutrius electionis disceptabant, diuturnaque controversia*

—(2) Ib., § XII.—(3) Ib., ad an. 254 § XLIV.—(4) Ib., an. 419, § IX.

J. V. II. *controversia enascitura videbatur : quapropter Honorius ad Kalendas Maias differendum negotium decrevit, et propter dies, qui imminebant, sancti paschatis (scilicet* III *Kal. Aprilis) utrumque, scilicet* Bonifacium *et Eulalium ab Urbe jussit abscedere, et Spoletinum episcopum Achilleum Romæ sacra mysteria celebrare. Quam in rem exstant quaternæ ejusdem Honorii epistolæ, ad Symmachum præfectum, ad Achilleum Spoletinum, ad senatum et ad populum Romanum datæ idibus Martii* (XV *mensis*), *quibus omnes hortatur ad pacem servandam* (1). *Dum hæc agerentur, Honorius prævidens, implicatam controversiam difficile componendam, multo plures episcopos, etiam longe dissitos*, intra diem iduum Juniarum (XIII *Junii*) *ad Spoletinam civitatem invitat. Exstant etiamnum epistolæ, ad Africanos episcopos missæ* (2) : *similes litteræ episcopi Galliarum acceperant* (3) *tanti scilicet momenti erat orbi universo cognoscere, quis Romæ sederet verus ac legitimus pontifex!*

ipse, donec episcopi definirent controversiam,

11 *Verum Eulalii temeritas in causa fuit, ut ante Synodum Spoletinam controversia definiretur. Quomodo id acciderit, Symmachi relatio* B *declarat, quam* X *Kal. Aprilis* (XXIII *Martii*) *scripsit* (4). Quæcumque, *inquit*, subito, nullo opinante, proveniunt, nec ad culpam judicis referri possunt, et populum rationis ignarum insperata novitate perturbant. Vir namque religiosus Eulalius quintodecimo Kalend. Aprilis Urbem, me nesciente, meridianis horis ingressus est; quem credidi, aliquod secum pertulisse præceptum. Verum eodem die, circa vesperum Spoletinus episcopus, missis litteris, me credidit admonendum, quod sacra ad se manantia in Urbe die sancto paschæ jussus sit celebrare. Quod præceptum ante penitus ignoravi. (*Præcepti istiusmodi certiorem fecerat Symmachum Honorius, ut paulo supra docuimus, sed fautor Eulalii erat Symmachus.*) Quod quum mihi prius sancti Eulalii innotuisset adventus, statim parendum credidi invictissimi principis imperatis. Verum quum interdicto die Urbem sanctus Achilleus esset ingressus, commotio exstitit populorum : ut ab una parte multitudo, armata ferro et telis ad forum militari habitu conveniret. Et quum, convocatis proceribus, processissem, C ut habito tractatu pro quiete Urbis, populum alloquendo compescerem, primo ad conventum venerunt, deinde quum exspectaretur sancti Achillei præsentia, ut, quæ jussa fuerant, publicaret, multitudine resistente, venire non potuit. Et quum ad forum Vespasiani tam ego quam vir spectabilis vicarius, perurgente populo, fuissemus ingressi, ut quietem utriusque parti multitudinis suaderemus; subito armati servi telis et saxis, aliquanti etiam ferro, populum partis Eulalii aggressi sunt, qui inermes convenerant, ut, quod præceptum de episcopo Spoletino esset, agnoscerent : quosque ita sauciaverunt, qui parati adversus imparatos advenerant, ut me, quoque et virum spectabilem vicarium crederent appetendos, dum seditioso furore nullam admittunt penitus rationem.

Urbe abstinens,

12 Nisi ad liberandum nos divinitas affuisset, egressique per secretiorem partem, ictum saxorum et impetum conspirantis multitudinis vitaremus, minime potuissemus evadere. Quorum majorem partem in servis constat fuisse, ex quibus aliquanti agniti atque tenti sunt audiendi. Unde quid partium mearum fuit, excellentiæ vestræ suggerere properavi; ut certum finem, rebus cognitis, quæ gesta sunt, magnitudo vestra decernat. Quum ita sanctus Eulalius fuisset ingressus, et tertia die secutus esset episcopus Spoletinus, nec aliqua ad me data virtutum vestrarum, quæ sequerer, præcepta venissent, perturbatio totius plebis, quæ in se et in periculum judicum sæviret, exorta est. Et in celeri responso ante diem venerabilem paschæ, quid fieri debeat, jusseritis : minantes se populi, invicem pugnaturos, dum de Lateranensi basilica alterutrum se existimant excludendos. *Ex his satis manifestum est, Symmachum præcipuam seditionis culpam in Bonifacianos devolvere voluisse; tum quia excusat Eulalium, quasi imperatorii præcepti ignarum, tum quia Eulalianos, quietos, inermes, imparatos, testatur. Mirum certe, præceptum imperatoris,* XV *Martii missum, Symmachum* X *Kal. Aprilis* (XXIII *Martii*) *latuisse,* E *ac dein armatos advenisse Eulalii adversarios, quorum caput*, Bonifacius; *qui Roma abstinuit, sanctum pascha in ecclesia S. Agnetis extra muros juxta viam Numentanam celebraturus. Nihil itaque ejus fautores incitabat, ut armati inermes aggrederentur. Sed Symmachi interat, clientem suum Eulalium tamquam injuste oppressum imperatori exhiberi. Sciebat nempe vim illatam perniciosam fore.*

verum postea rem

13 *Quidquid sit, biduo post missam relationem, seu* VIII *Kal. Aprilis* (XXV *Martii*) *Ravenna sequens rescriptum Honorii recepit Symmachus* (5) : Quum ad sanandum, primæ perturbationis errorem, hoc genus consilii clementia nostra, reparandæ pacis cupida, reperisset, ut donec de confirmatione Urbani sacerdotii sententia procederet absoluta, uterque eorum, quorum causa tumultus antea concrevisset, a sacratissima Urbe conversatione sejunctus, futuri judicii exspectatione penderet, et spatio, quo contineretur alteruter evidenter expresso; æquo animo dissimulare non possumus, præceptis clementiæ nostræ publicum pene bellum, quo calcarentur, indictum : F movendi ejus caput Eulalium, qui jussa transcendit, exstitisse, secundum ordinem præceptorum paulisper abesse non passum, Symmache, parens carissime. Unde sublimitas tua hoc nos statuisse cognoscat, ut et salubris superior ordo præcepti et moderata synodi ordinatio deberet custodiri : quod aliter fieri non posse censemus, nisi Eulalius omnimode urgeatur, ut omni celeritate ab Urbe discedens, insolenti populo præsens incitamenta non præbeat, nec innocentibus causa mortis existat. Cui esse dubium non debebat, si in hac præsumptionis obstinatione duraverit, non solum de statu suo judicium jam prolatum, verum etiam de salutis discrimine proferendum : culpæ enim nullam veniam jam meretur, quam, quum prædicitur, non cavetur : nihil ex hoc excusationis habiturum, quod, eo invito, a plebe asserat, retentari. Si qui autem ex numero clericorum communicandum Eulalio, judicio pendente, censuerit,

(1) Baron, an. 419, § XV et seqq. — (2) Ibid., § XXI. — (3) Cfr ibid., § XXXVI. — (4) Ibid. § XXV. — (5) Ibid., § XXX.

pari

A pari se sciat sententia esse damnandum : laicos vero, qui post interdictam mansuetudinis nostræ communionem, Eulalium putaverint expetendum, honestioris loci pœnam proscriptionis, servos vero capitis esse subituros... primates vero regionum, nisi spiritum plebis inconditæ domuerint ac frenaverint, sciant se raptos, ultimo judicio esse subdendos.

se probavit. 14 *Obfirmato animo Eulalius præceptis imperatoris restitit, et, ut ait Symmachus* (2), Lateranensem basilicam ausu temerario credidit invadendam. *Tandem* de eadem ecclesia fugatus Eulalius, de Urbe expulsus fuit ; atque adjunctis apparitoribus, illuc directus, ubi jussus fuerat residere. *His auditis, Honorius imperator, ratus supervacaneum esse episcoporum conventum, Eulalium sua se temeritate damnasse, ad Symmachum rescripsit* (3) ; *quoniam id antea definitum erat,* ut sciret se specialiter esse damnatum, quicumque ad incitandum populum Urbem fuisset ingressus. *Eulalius itaque, qui id attentaverat;* oblitus sui, probavit ex præsenti facto, quale videretur habuisse principium. Quoniam ergo recte B hunc, post tot admissa, Urbe constat esse depulsum, ad quam eum accedere non debere, clementiæ nostræ et episcoporum videretur statuisse judicium. Bonifacium, venerabilem virum, episcopum, ad cujus moderationem auctoritatem nostram recte censuimus adjungendam, Symmache, parens carissime et amantissime, sublimitas tua Urbem ingredi debere, nos statuisse cognoscat : ut sub ejus gubernaculis religiosa legis reverentia moderatione solita compleatur. Data III nonas Aprilis : accepta VI id. Aprilis (III *et* VI *Aprilis*). *Interjecto biduo, id est die* X *Aprilis*, Bonifacius *Urbem, omni accurrente populo, ingressus est,* tantusque, *referente Symmacho* (8), fervor et lætitia totius exstitit civitatis, ut et religionem redditam et præstitam quietis securitatem omnes gratulatione congrua testarentur. *Eulalius in Campaniam relegatus, Nepesinam, quæ media fere jacet Romam inter et et Viterbium, Ecclesiam obtinuisse dicitur, in qua anno post* S. Bonifacii *obitum, vita functus est.*

C § II. Sanctus lege lata ambitiosos a pontificatu repellit; appellationes Afrorum admittit; Maximum, Valentinum episcopum, episcoporum judicio subjicit; jura Sedis apostolicæ adversus Atticum CP. defendit; jura episcoporum servanda decernit; sancte obit.

Sedem apostolicam S. Bonifacius *adeptus, imprimis*

P*ontificatum pacifice adeptus* S. Bonifacius, *præcidere studuit ambitionem eorum, qui sedem Romanam ex contentione usurpare aliquando tentarent. Quapropter ad Honorium augustum, missis legatis, scripsit, ut servata electionis libertate, imperator constitueret, ne quis umquam per ambitum Romanus ordinaretur episcopus. Hanc epistolam suo Decreto inseruerunt Gratianus distinct.* XCVII, *c.* I *et reliqui canonum collectores. Epistolam refert Baronius ad annum* 419 (1), *quasi datam paucis post expulsionem Eulalii mensibus; verisimilius tamen ad annum* 420 *pertinet, ut monstrat Petrus Coustant in Epistolis RR. Pontificum. Plerique igitur recentiores eruditi legationem istam in annum sequentem seu* 420 *procrastinant. Præcipua eorum ratio est, quod in ipsa sua epistola* S. Bonifacius *conqueratur, se* adhuc corporis infirmitate detineri, *quam imperator in suo responso* longam incommoditatem *appellat. Hæc autem infirmitas non statim post aditum pontificatum seu anno* 419, *sed potius sequenti* 420 *accidisse dicenda est, alioquin in epistola, ad episcopos Galliarum data idibus Junii, Monaxio consule, seu anno* 419, *ejusdem infirmitatis, de qua epistola ad Honorium kalendarum juliarum mentionem facit, meminisset : unde deducunt, epistolam ad Honorium ad sequentem annum* 420 *pertinere. Equidem non arbitror, valde stringens esse argumentum : quoniam in epistola ad Gallicanos episcopos nulla erat ratio agendi de valetudine; judicium enim de Maximo Valentino episcopis committebatur. Ast vero ad Honorium srcibens, ut ambitus in electione Pontificis tolleretur, necessarium, aut saltem opportunum erat, exponere incertam valetudinis conditionem, siquidem erat interpontificium ex obitu* Bonifacii *brevi forsan secuturum. Non igitur tam certum monstravit Coustantius in Notis ad epistolas Rom. Pontificum epistolam et legationem ad annum Christi* 420 *pertinere* (2), *ut vult Mansius in animadversiones ad Annales Baronii* (3). *Cæterum, quatenus electionem* S. Bonifacii *attingat, ante reliquas res gestas ponendam epistolam censuimus.* E

curat præcludi ambitiosis

16 *Est igitur sequens* (4) : Bonifacius episcopus Honorio imperatori Ecclesiæ meæ, cui Deus noster meum sacerdotium, vobis res humanas regentibus, deputavit, cura constringit, ne causis ejus, quamvis adhuc corporis incommoditate detinear, conventus, a sacerdotibus universis et clericis et christianæ plebis perturbationibus agitatus, apud aures christianissimi principis desim. Si quid enim secus, quam oportet, eveniat, non vos id facere, qui cuncta æqua moderatione componitis, sed nos, per nostram tacentes desidiam, F videbimur, quod civitatis quietem et Ecclesiæ pacem pervertere valeat, admisisse. Quum enim humanis rebus divinæ cultor religionis, Domino favente, præsideas, nostra culpa erit, si non id sub vestra gloria, quam certum est, divinis semper rebus animo promptiore favisse, firmo et stabili jure custodiatur, quod per tot annorum seriem et sub illis etiam principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit, id est, ethnicis, et sub vestræ imperio clementiæ minime, quæ sunt illicita, formidentur. Ipsa enim Ecclesia devotionem tuam, christianissime imperator, meo quidem sermone, sed suo venerabilis appellat affectu, quam Christus Deus noster, vestri fidus rector et gubernator imperii, uni desponsatam sibi et intactam virginem servat *, ne in eam aliquos patiamini insidiantium pro-

* *II Cor.*, XI, 2.

(1) Baron., an. 409, § XXXII. — (2) Ibid , § XXXIII. — (3) Ibid., § XXIV. — (3) Ann. 419, § XXXVIII. — (4) Migne, Patrol., t. XX, col. 765. — (5) Ad an. 420, § XXXVIII. — (6) Baron. an. 420, § XXXVIII. Migne, Patrol., t. XX, col. 766.

AUCTORE J. V. H.

cellarum fluctus illidi, et quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari, gloriosissime et tranquillissime imperator auguste. Ipsa ergo, quæ uni desponsata, vestra tamen mater est, Ecclesia hac pietatem vestram legatione, quam suis sacerdotibus commisit, appellat, præterita præsentiaque repetit. Vobis, inquit, religiose imperantibus, modo tutus est populus, tam fidus Deo quam tibi, principi christiano. Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit imperii, teste apud quem et de cujus sede agitur, sancto Petro, sollicitis pro religionis observantia vocibus clamat : cum sollicita petitione miscetur oratio, ne has in varias res semel evulsa distrahat a cultu solito, tentatore sollicitante, discordia. Ageret pluribus, princeps christianissime, nisi apud te suarum esset secura causarum, et in oppressionibus idolorum, in hæreticorum correctionibus, fide tua, divino cultu pariter cum imperio semper florente, vicisset. Habet refugium, tuæ mansuetudinis animum cum suæ religionis, veneratione conjunctum; quum quidquid huic pro-
B ficiat, vos agatis, conferatis fratribus et consacerdotibus meis, probatissimis viris, a me et ab omnibus, qui Ecclesiam faciunt istam, ad te legatis. Quibus, precamur sacræ causam religionis prosequentibus, in urbe vestræ mansuetudinis hoc animo, quo postulatis annuitis, in perpetuum statui universalis Ecclesiæ consulatis. Data kal. Julii.

omnem aditum ad supremum pontificatum :

17. *Benigne Honorius augustus legationem admisit, et quæ Bonifacius Pontifex petebat, concessit, ut si denuo duo Romæ episcopi ordinati fuissent, ambo urbe pellerentur. Recte animadvertit Coustantius, epistolarum pontificiarum editor, Honorii legem idoneam quidem fuisse ad ambitiosos deterrendos, sed eadem etiam abuti ad excludendos bonos potuisse inimicos pacis.* Sane, *pergit*, si antea valuisset, Bonifacium ipsum ac Damasum inter Pontifices suos Roma non recenseret. Sed quædam interdum exigit temporum iniquitas, quæ, hac sublata, removentur (5). *Honorii constitutionem in suum Decretum intulit Gratianus distinct.* XCVII, *c.* II. *En verba :* Victor Honorius,
C inclytus triumphator, semper augustus sancto ac venerabili Bonifacio, Papæ Urbis æternæ. Scripta Beatitudinis Tuæ debita reverentiæ gratulatione suscepimus, quibus recensitis, egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati. Et ideo revertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, ut quotidianis orationibus apostolatus tuus studium ac votum suum circa salutem atque imperium nostrum dignetur impendere. Illud autem pietati nostræ satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de Ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est. Quæ, ne aliqua ratione possit evenire, satis clementia nostra credidit esse provisum. Denique, prædicante Beatitudine tua, id ad cunctorum clericorum notitiam volumus pervenire, ut si quid forte religioni tuæ, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes, ab ambitione esse D cessandum. Quod si duo (2) forte contra fas temeritate certantum fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem; sed illum solum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum judicium et universitatis consensus elegerit. Unde id observandum est, ut omnes tranquillam mentem et pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirationibus tentare conentur; quum certum sit, nulli partium sua studia profutura. *Hactenus ipsam electionem S.* Bonifacii *et quæ eamdem consecuta sunt exposuimus. Nunc res ab eo gestas, quantum eas cognoscimus, ex aliorum testimoniis et præsertim ex ipsius scriptis evolvemus.*

appellationes Afrorum ad Sedem apostolicam

18 *Jam sub S. Zozimo papa exorta erat cum episcopis Africanis circa jus appellationum ad sedem apostolicam controversia, quam S.* Bonifacius *in ipso initio pontificatus sui tractandam habuit. Scilicet patres Africani in Concilio Milevitano II anni* 416 *can.* XXII *statuerant* (3), ut presbyteri, diaconi vel cæteri inferiores cle-
E rici, in causis, quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant; et inter eos quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur. *Pœna igitur excommunicationis interminabatur iis, qui infra episcopatus gradum consistentes, ad transmarina seu ad Romanam sedem appellabant. Hoc tamen canone non obstante, Apiarius, presbyter Ecclesiæ Siccensis in provincia Consulari, ab Urbano episcopo suo gradu dejectus et communione privatus, ad sedem apostolicam confugerat. Eum benigne Zozimus papa excepit, ac communioni ecclesiasticæ restituit. Episcopi Afri, aliquantisper repugnantes, morem gesserunt Zozimo* (4) *: quapropter* Aurelius Valentinus, primæ sedis provinciæ Numidiæ et cæteri, qui præsentes adfuerunt, numero CCXVII ex omni concilio Africæ *ad* Bonifacium *Papam, S. Zozimo jam vita functo, scripserunt, quæ acta sunt* salva
F quidem caritate, non tamen sine parvo altercationis labore. *Igitur* Apiarius presbyter, de cujus et ordinatione et excommunicatione fuerat exortum non solum Siccensi, verum etiam totius Africæ Ecclesiæ non leve scandalum, de omnibus erratis veniam petens, communioni est restitutus. *Ut tamen paci Ecclesiæ consuleretur, cautum fuit, ut,* retento honore gradus sui et accepto epistolio, ubicumque alibi vellet et posset, presbyterii munere fungeretur.

citato canone Nicæno pro Sardicensi

19 *Quia tamen Africani episcopi non noverant canones circa appellationes, a Zozimo tamquam Nicænos citatos, petierunt ut* inquisitio statutorum Nicæni concilii *permitteretur : videlicet* quia in nullo codice græco ea potuerunt inveniri, ex orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse authentica reperiri, afferri desiderant. *Rogarunt tandem, ut Ponti-*

(1) Migne, Patrol., t. XX, col. 768. — (2) Distinct. LXXIX, c. 8. — (3) Labbe, t. II, conc. col. 1542. Cfr Ibid. col. 1591 et Mansi, suppl. conc. t. I, col. 302. — (4) Migne, Patrol. t. XX, col. 752.

fex

A *fex ipse scriberet ad episcopos præcipuos, Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum. Ignorabant Africani præsules canones, a Zozimo et* Bonifacio *allegatos, ex Sardicensi concilio desumptos, a Romanis passim tamquam Nicænos citari. Atque hinc acatholici non pauci ansam sumpserunt, ut Romanos Pontifices tamquam falsarios traducerent, qui jurisdictionis suæ amplificandæ causa Sardicenses canones pro Nicænis consulto venditabant. Certe hoc fulcro non indigebat Romanorum Pontificum primatus, multiplici argumentorum genere confirmatus, neque minor erat Sardicensium, quam Nicænorum auctoritas. Synodo Sardicensi cum Grato Carthaginensi adfuerant Africani episcopi quam plurimi. Quare quum nulla impostura causa fuerit Zozimo et* Bonifacio, *alia causa inquirenda est, cur Sardicenses canones sub Nicæni concilii titulo citati fuerint. Quam ne longe petamus, adnotare sufficiet, non semel id etiam sequentibus sæculis accidisse, ut unius concilii canones sub alterius titulo citarentur; idque ex collectionibus canonum eruditi viri ostendunt* (1). *Atque in hoc de quo agimus, casu quo*

B *Zozimus et* Bonifacius *Nicænum Concilium pro Sardicensi citarunt, Romanæ Ecclesiæ veterem canonum codicem causam fuisse animadvertunt; in quo quum Nicæni canones primi inscripti essent, deinde sequerentur cæteri absque ullo titulo aut distinctione aliqua, facillimum fuit, eos etiam, qui Nicænos sequebantur, pro Nicænis adhibere. Male igitur acatholici propter istiusmodi confusionem falsitatis notam sanctissimis viris, SS. Zozimo et* Bonifacio *inurunt. Qui plura de Appellationibus ad Romanam sedem videre cupierit, adeant Ballerinos l. c. et Franc. Zaccaria in Antifebronio tom. III, lib. III.*

admittendas decernit :

20 *Cæterum quamvis* Bonifacium *inter et Afros fuerit* aliquis altercationis labor, *ut loquuntur patres Carthaginensis*, salva *tamen mansit* caritas; *quam confirmat etiam ipsius* Bonifacii *epistola, data* IV *Kal. Maii*, Monasio v. c. cous. *seu anno* 419 ad Faustinum episcopum et Philippum et Asellum presbyteros, *in qua dicitur Christus* in unum revocasse divisa et scissa sarsisse (2). *Quanta porro esset apud Africanos præsules de doctrina et sanctimonia*

C Bonifacii *nostri opinio testatum facit S. Augustinus in libris contra duas epistolas Pelagianorum, quos eidem nuncupavit; dicit enim* (3) : Noveram te quidem, fama celeberrima prædicante, et frequentissimis atque veracissimis nuntiis, quanta esses Dei gratia plenus, acceperam, beatissime atque venerande Papa Bonifaci. Sed posteaquam te etiam præsentia corporali frater meus vidit Alypius, acceptusque a te benignissime ac sincerissime, mutua miscuit, dictante dilectione, colloquia; tecumque convivens, et parvo licet tempore, magno tibi junctus affectu, se simul et me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in suo; tanto major in me tuæ sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia. Neque enim dedignaris, qui non alta sapis, quamvis altius præsideas, esse amicus humilium, et amorem rependere impensum... Unde et accepta per eum fratrem, per quem te familiarius didici, majore fiducia ausus sum aliquid ad tuam beatitudinem scribere de his rebus, quæ hoc tempore episcopalem curam, si qua in nobis est, ad vigilantiam pro grege dominico stimulo recentiore sollicitant... Hæc ergo quæ istis duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum sanctitatem, non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui... Ago autem gratias sincerissimæ in nos benevolentiæ tuæ, quod eas me latere noluisti litteras inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniose atque evidenter expressum. *Certe talibus verbis non scripserit S. Augustinus viro, quem falsarium, ut volunt acatholici, suspicatus fuisset.*

AUCTORE J. V. H.

Maximum, Valentiæ in Gallia episcopum multis criminibus

21 *Pendebat jam a tempore Pontificum Innocentii et Zozimi lis, quam clerici Ecclesiæ Valentinæ in Gallia adversus Maximum episcopum suum susceperant. Jam ante mensem junium* 419 *clerici convenerunt S.* Bonifacium, *eique porrexerunt libellum adversus episcopum suum, in quo varia ejus crimina exponebant : speciatim vero eum manichæorum hæresi involutum accusabant, inque probationem objecti criminis gesta synodalia proferebant: etiam furore suo et* E *insana temeritate ad sæcularium quoque judicum tribunalia subditum quæstioni, gestis probatis in medium, eum objecerunt homicidii damnatum : interea autem episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vindicare in propriæ civitatis infamiam. Tandem Maximus sæpius vocatus ad tribunal episcoporum provincialium, judicium constanter subterfugerat. Itaque S.* Bonifacius *litteras apostolicas, quibus recitatæ accusationes indicabantur, direxit ad Patroclum Arelatensem, Remigium, Hilarium Narbonensem, Severum, Valerium, Julianum, Castorium Aptensem, Leontium Forojuliensem, Constantinum, Joannem, Montanum, Maurinum, Mauritium et cæteros episcopos, per Gallias et septem provincias constitutos. Horum episcoporum sedes hactenus ignotæ sunt, si excipiantur ii, quorum sedes nomini subnexuimus* (4).

accusatum, i. judicio stare compellit :

22 *Hos igitur S.* Bonifacius, *expositis criminibus, Maximo objectis, jubet sententiam ferre,* Ideo, *ait* (5), fratres carissimi, quia audiendus hic præsentare se noluit, ne convictus forsitan ab accusantibus se clericis, posset digna tandem aliquando, præsentatus episcopali judicio F pronuntiationis congruæ feriri sententia... Dilationem tamen dedimus, et decrevimus vestrum debere intra provinciam esse judicium et congregari synodum ante diem kalendarum Novembrium : ut si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad objecta respondeat : si vero adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est, confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsenti examine omnia, quæ dicta sunt, comprobentur, quum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes provincias litteras dirigimus, ne excusationem sibi ignorationis prætendat, ut ad provinciam venire cogatur, et illic se constituto præsentare judicio. Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit decernen-

(1) Cfr Ballerini, de Antiq. collect. canonum. Part. II, cap. I, § 3. Migne, Patrol. t. LVI, col. 70. — (2) Ibid. t. XX, col. 742. — (3) Ibid. t. XLIV, col. 550. — (4) Longueval, Hist. de l'Egl. Gall. t. II, p. 100. Edit. Paris 1825. — (5) Migne, Patrol. t. XX, col. 757.

dum,

AUCTORE J. V. H.

dum, quum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur. Data sub die idus junias, Monaxio viro clarissimo consule : *id est* XIII *Junii anni* 419. *Nescitur, quis porro fuerit exitus negotii Valentini : nam inter Maximum et ejus successorem S. Apolinarem hiatus est in Catalogo episcoporum Valentinorum* (1).

Attici CP. ambitionem,

23 *Aliud negotium S.* Bonifacio *facessivit ambitio antistitum CPolitanorum. Scilicet Concilium CPolitanum I anno* 381 *ex episcopis Orientalibus coactum, in quo Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus et Cyrillus Hierosolymitanus præsidebant statuerat canone III, secundum Gentiani Herveti interpretationem* (2), ut CPolitanus episcopus haberet priores honoris partes post Romanum episcopum, eo quod ipsa sit Nova Roma. *Scimus etiam hunc ipsum canonem in Concilio Chalcedonensi non solum renovatum, sed extensum fuisse, quatenus vago modo canone* XXVIII (3) *loquatur de* privilegiis Ecclesiæ CPolitanæ. *Hujus igitur Ecclesiæ antistites nudis honoribus non contenti, terminos etiam suæ jurisdictionis dilatare studuerunt.*

B *Hinc nata lex Theodosii Junioris*, data prid. id. julii Eustachio et Agricola coss. *seu* XIV *Julii annivulgaris* 421, *et Codici Theodosiano inserta l.* 45 *de episcopis* (XVI, 2), *quæ sanciebat :* Omni innovatione cessante, vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt, per omnes Illyrici provincias servari præcipimus. Tum si quid dubietatis emerserit, id oporteat, non absque scientia viri reverentissimi sanctæ legis antistitis Urbis Constantinopolitanæ (quæ Romæ Veteris prærogativa lætatur) conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari. *Hanc legem, quatenus a Romana ad Constantinopolitanam sedem Illyricas provincias traducebat, rejecit S.* Bonifacius *scriptisque litteris ad episcopos per Thessaliam constitutos,* audio, *inquit* (4), episcoporum quosdam, apostolico jure contempto, novum quippiam contra Christi proprie præcepta tentare, quum se ab apostolica sedis communione et ut dicam verius, potestate separare nituntur; eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. Leguntur etenim præcepta

C majorum, et quibus in Ecclesias juris aliquid dederint, invenimus. Jam temerator est ecclesiasticæ disciplinæ, quisquis in ejus leges, quum sibi nihil debeatur, inrepit; ea sibimet vindicando, quæ sibi a patribus negare videantur... Cesset novella præsumptio : nemo audeat sperare, quod non licet : nullus ea, quæ sunt a patribus gesta et per tantum temporum custodita, temerare contendat : ordinationi nostræ pareat, quisquis se episcopum recognoscit. Episcopos per Illyricum citra conscientiam coepiscopi nostri Rufi nullus ordinare præsumat. Data V idus martias, Honorio XIII, Theodosio X augustis coss. (XI *Martii* 422).

arrogantis sibi jurisdictionem in Illyricum,

24 *Atticus, CPolitanus antistes Theodosianæ legis instigator creditur a Baronio ad an.* 421 § III. *Viri sanctitatem adversus Tillemontium vindicarunt nostri in Dissertatione de Patriarchis CPolitanis* (5) *: sed episcoporum istius urbis animis alte insederat opinio parilitatis inter Veterem et Novam Romam : ita ut, dum provincias Orientalis imperii usucapere tentabant, jus suum defendere cogitarent. Sic ad diem* XXIII *Octobris vidimus, S. Ignatium, cætera virum sanctissimum, pertinaciter et sub ipso fere fulmine, quam putabat, jurisdictionem in Ecclesias Bulgariæ defensantem. Atque hinc frequentes nascebantur controversiæ, quæ portam aperiebant potestati laicæ, ut rebus ecclesiasticæ se plus nimio immisceret. S.* Bonifacius *pro tuendo jus suæ sedis ad Honorium augustum recurrit, ut Romanæ apostolicæ sedis jurisdictio sarta tecta servaretur. Id quidem aperte significat Honorius, ad nepotem suum Theodosium Juniorem scribens.* Omnibus, *inquit* (6), quidem causis, in quibus nostrum postulatur auxilium, intercessionem apud aures tuæ clementiæ negare non possumus; sed his majorem necessario curam studiumque debemus, quibus sanctæ sedis apostolicæ desideria continentur. *Petit igitur, ut Theodosius,* recensitis, *inquit,* nostræ pietatis affatibus, christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia cœlestis infudit, universis remotis, quæ diversorum episcoporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præcipiat custodiri; ne sub principibus christianis perdat Ecclesia, quod aliis imperatoribus non amisit. *In hisce epistolis tum* Bonifacii *tum Honorii, oblique solum Attici CPolitani ambitio perstringitur.*

D

E

datis ad imperatores litteris,

25 *Petitioni isti aures accomodavit Theodosius et ad Honorium inter alia rescripsit* (7) : Omni supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione remota, statuimus observari, quod prisca apostolica disciplina et canones veteres eloquuntur. Super qua re secundum formam oraculi perennitatis tuæ, ad viros illustres præfectos prætorii Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus episcoporum subreptionibus, antiquum ordinem specialiter faciant custodiri; ne venerabilis Ecclesia sanctissima Urbis privilegia, a veteribus constituta, amittat, quæ perenne nobis sui nominis consecravit imperium. *Nihilominis prior lex Theodosiana, præsulibus CPolitanis favens, ita prævaluit, ut Codici Theodosiano, sub annum* 438 *confecto, inserta fuerit, dum altera, priorem abrogans, omitteretur. Controversiæ expositæ originem dedit causa Perigenis, Corinthi episcopi, quæ nunc explicanda est.*

F

retundit et jura Romanæ Ecclesiæ vindicat :

26 *Fuerat Perigenes Patrarum in Achaja episcopus ordinatus : sed ordinatum Patrenses admittere recusarant. Dein a synodo Achajæ seu Helladis ad sedem Corinthi promotum, dicit S.* Bonifacius *epistola ad Rufum, Thessalonicensem episcopum, apostolicæ sedis vicarium.* Quem Corinthii, *inquit* (8), sanctum et optimi instituti qualitate pollentem, civitati suæ non tam accipere, quam retinere desiderarunt sacerdotem. *Quibus verbis innuit, Perigenem Corinthiorum Ecclesiæ alumnum fuisse. Quod apertius etiam manifestat Pontifex in alia epistola :* Quanto, *ait* (9) inclinatus fuit, quum eum ordinatum nemo suscepit, tanto

(1) Gall. Christ. Antiq. t. III, p. — 2) Labbe t. II, Conc. col. 948. — (3) Labbe, t. IV, Conc. col. 769. — (4) Ibid. col. 1706. — (5) Act. SS., t. I Aug., pag. *33. — (6) Labbe, t. IV, Conc., col. 1709. — (7) Ibid., col. 1710. — (8) Migne, Patrol., t. XX, col. 780. — (9) Ibid. col. 763.

sublimior

A sublimior nunc est, quum a suis poscitur, qui ab externis fuerat refutatus. Evidens enim Dei manifestumque judicium, qui eum id temporis voluit præstolari, qui mereretur huic Ecclesiæ præsidere, in qua natus asseritur et renatus. *Nihilominus non vult prius S.* Bonifacius, *ratam habere electionem Perigenis, quam acceperit epistolas Rufi vicarii sui; quæ quum pervenissent Romam, declaravit, validam esse Perigenis electionem, neminique licere contradicere electo*, quem *inquit* (1), in sede Ecclesiæ supradictæ (*Corinthiacæ*) nostra sententia collocavit. *Proinde sancit :* Ne quis volens in nostra communione durare, fratris et consacerdotis nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat, cujus sacerdotium Apostolus Petrus semel jam Spiritus Sancti suggestione firmavit, cui nempe dum constitueretur a nobis, per ejus temporis spatium, quo vacavit, nihil omnino constet objectum. *Interea Atticus CPolitanus per legem Theodosii supra allegatam, Illyricum Orientale sedi suæ subigere moliebatur : atque causam*
B *Perigenis, qui contra canonem* XVI *Concilii Antiocheni anni* 341 (2), *Patris Corinthum translatus fuerat, cogitabat retractare. Usurpationi obnisus est S.* Bonifacius, *et Perigenem in sua sede Corinthi retinuit. Sed ipse paulatim ad partes CPolitanas declinavit : quod gravibus verbis Xystus III exponit scribens ad Synodum, Thessalonicæ congregandam* : Noverit, *ait* (3), Corinthius episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minime tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ (*Thessalonicensi*) resultare, quam sibi noverit profuisse : cui necesse est, nos quoque, si quid tentare voluerit, obviare : qui præteritorum, quæ illi per nos præstita sunt, memores sumus et illicitis semper usurpationibus obviamus (4).

Patrocli Arelatensis episcopi audaciam reprimit :

27 *Aliam controversiam circa ecclesiasticam jurisdictionem componere sategit S.* Bonifacius. *Patroclus, Arelatensis episcopus, ordinaverat episcopum civitatis Lutevensium* (Lodève), *sub metropoli Narbonensi, quam ordinationem improbavit* Bonifacius *Papa. Pro jure Patrocli stare videbatur decretum S. Zozimi, qui Honorio XI et Constantio II coss. seu anno Christi* 417, *sanciverat, ut,* pro S. Trophimi reverentia, *Arelatensis metropolitanus in provincia Viennensi*
C *et in utraque Narbonensi ordinandorum episcoporum haberet potestatem* (5). *Decreto non facile obtemperarunt quidam Gallicani episcopi, rati probabiliter obreptitium fuisse. Enimvero Patroclus* Bonifacium *nostrum tam propitium expertus non est. Quum enim apud Pontificem conquestus fuisset Hilarius, episcopus Narbonensis, quod Patroclus in locum decedentis episcopi Lutevensis, alium* in aliena provincia, prætermisso metropolitano contra patrum regulas ordinasset, *rescribit S.* Bonifacius *Hilario, ut Lutevam profectus, metropolitani jure arbitrioque utatur, et peractis omnibus, sedi apostolicæ renuntiet, quid statuerit. Data epistola* V id. februarii Honorio XIII et Theodosio X augg. coss. (6), *id est anno Christi* 422. *Rescindit itaque S.* Bonifacius, *quod S. Zozimus decreverat, Primæque Narbonensis ordinationem non ad Arelatensem, sed ad Narbonensem episcopum, velut metropolitanum, pertinere declarat. S.* Bonifacii *sententiam sequentes Pontifices et nominatim S. Leo I epist.* XI *num.* 7 *confirmarunt* (7). *Partem hujus epistolæ intulit Gratianus in suum decretum can.* 10 *caus.* III *quæst.* 9.

epistola ad cœnobitas Calaritanos S. Bonifacio *abjudicatur.*

28 *Gratianus tribuit quoque S.* Bonifacio *epistolam* ad omnes Calaritanæ ecclesiæ cœnobitas *can.* 2, *caus.* I, *quæst.* 2, *quam propter varias rationes Sancto nostro abjudicat Car. Berardi in suis canonibus Gratiani emendati* (8). *Valida certe est ratio, quod hoc epistolæ fragmentum alibi non reperiatur, quod scriptor anxium se, ineptum et quasi solvendo non parem profiteatur. Minus autem probandum videtur, quod laudatus Berardi dicat, tunc quidem* nomen ecclesiæ pro nomine monasterii usurpari *non potuisse* (9). *Etenim scimus quadraginta ante annis jam in ecclesia Vercellensi a S. Eusebio eosdem fuisse clericos, quos monachos : quæ institutio facile propagari potuit ad vicinam Sardiniam, adeoque ad Calaritanam Ecclesiam. Quod si cœnobitæ, ad quos directa est epistola,* E *simul etiam clerici fuerint, nihil mirum, vocem ecclesiæ pro monasterio usurpari. Hæc tamen non dicimus, ut epistola S.* Bonifacio *tribuatur : nam gravissima sunt momenta, ut eadem illi abjudicetur, sed solum ut opinionem Berardi refellamus; qui dum recentiores dat instituto monastico origines, suadere videtur, nihil nisi humanum in vita perfectiori, qualem monachi profitentur, inesse. S. Thomas* 22, *quæst.* C, *art.* 3 *ad* 4 *citat hunc canonem, ac, ut censet Berardi, pro ejus reverentia a correctione abstinuerunt Romani correctores* (10). *Hæc tamen conjectura probabilis nobis non est : nam a censura immunem non relinquerunt correctores Romani alios canones, a S. Thoma citatos : sic, ut unum proferamus exemplum : S. Doctor* 22, *quæst.* CLIX, *art.* 2 *recitat canonem* 17, *causæ* XXII, *quæst.* I *Eutychiano Papæ tributum, quem tamen correctores Theodulfo Aurelianensi recte adscribunt* (11). *Nihil dicam de causa Antonii, Fussalensis episcopi, qui fraude S.* Bonifacium, *ad quem provocaverat, decepit, quoniam de ea late actum fuit in Commentario de S. Augustino,* F § XXIX (12).

Hymnum Angelicum in Cœna Domini recitari jubet.

29 *Constituit quoque S.* Bonifacius, *ut in feria V in Cœna Domini cantaretur in Missarum solemniis Hymnus Angelicus* Gloria in excelsis, *in signum, ut videtur, publici gaudii propter peccatores, ista die ad reconciliationem receptos, Hymnus ille a solis fere episcopis cantabatur : nam S. Gregorii Magni Sacramentarium habet :* Dicitur Gloria in excelsis Deo; si episcopus fuerit, tantummodo die dominico, sive diebus festis. A presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in pascha (13). *Hæc disciplina usque ad medium sæculum* XI *videtur viguisse, quando etiam presbyteris permissa Hymni Angelici recitatio, forsan a S. Gregorio VII, qui libros liturgicos recognoscendos susceperat* (14). *Solebat etiam, Gregorio Turonensi teste* (15), *pro gratiarum actione cantari in eventibus, speciali Dei bene-*

(1) Migne Patrol. tom XX col. 780. — (2) Labbe tom. II conc. éol. 567. — (3) Migne Patrol. tom. L col 611. — (4) Migne Patrol. tom. XX col. 665. — (5) Ibid. col. 772. — (6) Ibid., col. 772. — (7) Ibid. t. LIV col. 632. — (8) Ibid., t. II, p. 241. — (9) Ibid., p. 242. — (10) Ibid., p. 241. — (11) Cfr Ibid., p. 128. — (12) Act. SS., t. VI Aug., p. 342. — (13) Migne, Patrol., t. LXXVIII, col. 25. — (14) Zaccaria, Biblioth. Rit., t. II, part. II, p. LXIV. — (15) De Glor. Mart., cap. 63.

ficio

AUCTORE J. V. H.

ficio ordinatis (1). *Hodie, ut satis novimus, in similibus circumstantiis cantatur hymnus, vulgo Ambrosianus vocatus*, Te Deum. *Atque hæc de gestis, quæ de S.* Bonifacio *nobis innotuerunt.*

Dies et annus obitus :

30 *Quo anno et die S.* Bonifacius *obierit, veteres dissident. Prosper Aquitanus in suo chronico electionem S. Cœlestini successoris, adeoque et mortem S.* Bonifacii *nostri ad consulatum Mariniani et Asclepiodoti seu ad annum Christi* 423 *refert* (2). *Quam opinionem eruditi plurimi secuti sunt. Verum nobis verisimilior videtur sententia, obitum Sancti nostri anno* 422 *innectens. Etenim, ut supra retulimus num.* 4, *S.* Bonifacius *pontificatum suum auspicatus est* IV *Kal. Januarii* (XXIX *Decembris*) *anni* 418 *et ecclesiam rexit annis tribus et mensibus aliquot; unde conficitur, annum Sancti emortualem cum anno* 422, *quem in limine hujus commentarii signavimus, esse jungendum. Multi supersunt catalogi antiqui Romanorum Pontificum, quorum non paucos collegere monachi Benedictini Solesmenses, qui omnes numero viginti et unus, si unum, eumque recentiorem, excipias* (3),
B *conspirant in tres annos et menses aliquot pontificatus. Triennium etiam tribuit Liber Pontificalis* (4) : *ita ut solidum triennium, tribus solum diebus auctum tempus obitus ad annum usque* 422 *deducat. Sed quantus est consensus in annis, tantus in mensibus et diebus dissensus. Plerique tamen menses octo addunt annis tribus, qua ratione ad* XXIX *Augusti devenimus : quibus si addantur dies septem attingimus diem* IV *Septembris, quo in Martyrologio Hieronymiano, ut Pontificis omnium recentissimi* (5), *notatur :* Via Salaria depositio Bonifacii episcopi. *Ex his omnibus liquet Sanctum nostrum sedem Romanam occupasse* annos tres, menses octo et dies septem.

locus sepulturæ

31 *Franciscus Florentinius ad id, quod mox citavimus, elogium, ex Hieronymiano Martyrologio desumptum, aliqua animadvertit. Scilicet annuntiatio Hieronymiana hæc est ad verbum :* Pridie nonas Septembris, Via Salaria depositio Bonifatii episcopi ad sanctam Felicitatem natalis sanctorum Magni, Casti, Saturnini. In Gallia civitate Cavallonentium, *etc...* Anceps, *inquit*, fui, an verba : « Ad sanctam Felicita-
C tem » ad Bonifacium Pontificem referenda essent, an vero ad sequentes Martyres, Magnum, Castum et Saturninum. Illud suadebat, quod aliqui ex adductis scriptoribus historiæ pontificalis Bonifacium sepultum narrent : « Via Salaria juxta corpus S. Felicitatis » et Damasus sive Anastasius tempore schismatis docet, illum incoluisse cœmeterium S. Felicitatis Via Salaria, ibique deinde fecisse Oratorium, ac muneribus ditavisse sepulcrum Sanctæ Martyris Felicitatis et S. Silvani. At e contra vetustiori Martyrologio insuetum videbam, locum venerati Martyris postponi, nec improbabile ducebam, Magnum, Castum et Saturninum in cœmeterio S. Felicitatis Via Salaria fuisse sepultos. *Hæc Florentinius, qui post verba* Bonifacii episcopi *interpungit et deinponit :* Ad sanctam Felicitatem natalis Sanctorum Magni, *etc.*

32 *Hæc dicta nemo existimet, quasi Florentinius negare vellet locum depositionis S.* Bonifacii *fuisse ad S. Felicitatem; id enim testatur Liber Pontificalis :* Sepultus est in cœmeterio Sanctæ Felicitatis Via Salutaria * VII Kalendas Novembris (6). *Ciaconius in Vitis Pontificum Romanorum negat, cœmeterium S. Felicitatis Via Salaria situm esse, sed Via Appia* (7). *Verum Blanchinius in suo Anastasio Biblothecario Ciaconium refutat, dicens* (8) : Veniam indulgebit illustris auctor, si vindicandum assumam Bibliothecarium certis ex documentis, quæ demonstrant, cœmeterium S. Felicitatis Via Salaria constitutum... Cœmeterium S. Felicitatis situm esse Via Salaria, eique adjacentes fuisse ecclesias S. Silvani, martyris et S. Bonifacii, papæ et confessoris non modo hic docet biographus, sed etiam monet in Vita S. Hadriani papæ. Cœmeterium S. Felicitatis Via Salaria, una cum ecclesiis S. Silvani, martyris et S. Bonifacii, Confessoris atque Pontificis, uno cohærentes solo, miræ restauravit magnitudinis (9). *Addit porro Blanchinius, non repugnare translationem ejusdem Sancti posteriorem ad cœmeterium Callisti Via Appia, divi-* E *sis etiam Reliquiarum partibus inter diversas ecclesias Urbis, ubi custodiuntur et coluntur. De cœmeterio S. Felicitatis agit Bosius in sua Roma Subterranea, lib.* III, *cap.* 53.

D *via Salaria.*

Salaria

VITA

S. BONIFACII PAPÆ ET CONFESSORIS.

Ex proprio ecclesiæ Lateranensis ad diem XXVII *Octobris* a.

a

Eliminato Eulalio pseudopontifice,

Bonifacius Romanus, patre Jocundo presbytero, post beatum Zozimum, humanis rebus exemptum, Romanæ Ecclesiæ episcopatum adeptus est. Is annosus presbyter ac in lege doctissimus, bonisque moribus comprobatus, invitus ac reluctans, totius populi acclamatione, ac Urbis optimatum consensu, ac se- F ptuaginta presbyteris novemque diversarum provinciarum episcopis, divinæ institutionis ordine servato, consecratus est in basilica Julii *b;* quo tempore Eulalius archidiaconus, *b* diaconibus circumventis, paucissimisque de clero ac multitudine turbatæ plebis, in locum, sibi non debitum, per ambitum proruens, ordinatur in nostra Constantiniana basilica *c*. *c* Eo in schismate Bonifacius, legitimus Pontifex, vehementer depressus, coactus est Beati Petri basilicam deserere, et una cum suis ad Beati Pauli secedere *d*. Delata mox causa ad episcoporum concilium, quum Patres inter se dissiderent, pleniori synodo res tota servatur, jussis interea Honorii augusti opera, tum Bonifacio tumEulalio, ab urbe excedere. Quare hic Antium *e*, sanctæ Felicitatis basilicam *f* ille *e f* petiit.

(1) Zaccaria, Biblioth. Rit., t. II, part. II,p. LXV. — (2) D. Bouquet, Rec. des Hist. de Fr., t. I, p. 629. — (3) Origines de l'Egl. Rom. Pièces justific., p. LXXXIV. — (4) Ibid., p. 235. — (5) Papebrock., Conatus chronolog. RR. Pont. Propylacum maii, p. 62 *. — (6) Orig. de l'Egl. Rom., p. 235. — (7) T. I, col. 289. — (8) Anastas., t. III, d. 87. — (9) Migne, Patrol., t. CXXVII, col. 1194.

2 Sed

A *S. Bonifacius papa eligitur*

2 Sed quum Eulalius se in Urbem intrusisset, occasionemque præbuisset publicæ seditionis, Honorius, ea re commotus, Eulalium Urbe pellendum, Bonifacium vero in eam inducendum, rescripsit, quod frequenti episcoporum synodo confirmatum fuit. Itaque Bonifacius regressus, sollicita cura conatus est cunctos in mutuam restituere concordiam; cui et in futurum consuluit, ne post obitum suum graviori scissura distraheretur Ecclesia *g*. Piissimorum autem imperatorum devotione gaudebat, et contra inimicos gratiæ Dei, non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis; et licet ipse doctissimus esset, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poscebat; cui Augustinus tantum detulit, ut ei sua scripta non tam ediscenda qnam examinanda et emendanda direxerit *h*.

et Ecclesiam sancte gubernat.

3 Patroclum, Arelatensem episcopum, alienæ metropolis jura invadentem, repressit, datisque litteris ad Hilarium Narbonensem episcopum, jussit, ut jure metropolitani et B apostolicæ sedis præceptione ad pervasum locum accederet, agendaque videret et apostolicæ sedi cuncta referret *i*. Constituit, ne mulier vel monacha sacrata pallia contingeret aut lavaret, ne quis incensum in ecclesia poneret, nisi minister esset *k*. Servum vel curiæ vel rei cujuslibet obnoxium, clericum fieri vetuit *l*. Fecit oratorium in cœmeterio Sanctæ Felicitatis Martyris juxta corpus ejus, cujus itemque Sancti Silvani Martyris sepulcrum ornavit, pluribus donis oblatis *m*. Denique fama celeberrimus et gratia Dei plenus, ejusdem gloriam adeptus est, Honorio et Theodosio principibus, sepultusque in cœmeterio sanctæ Felicitatis via Salaria, octavo Kalendas Decembris *n*. Semel mense Decembri creavit presbyteros tresdecim, diaconos tres, episcopos per diversa loca sex supra triginta. Pontificatum tenuit annos quinque minus duobus mensibus et tribus diebus *o*.

ANNOTATA.

a *Uti præmonuimus num.* 3 *Commentarii,* C *damus, deficientibus antiquioribus documentis, lectiones secundi nocturni ex Proprio ecclesiæ Lateranensis. Varia certe in iis occurrunt, quæ emendatione indigent, quæque aut jam correximus, aut deinceps corrigenda indicabimus. Ideo autem lectiones hasce exhibebimus, quia compendiose gesta S.* Bonifacii *referunt.*

b *In basilica Julii vel Julia habet quoque, quem supra num.* 2 *Commentarii citavimus, Anastasius S.* Bonifacium *ordinatum fuisse. Hic confusionem aliquam inesse inter Bonifacium I et II vix non potest. Etenim* Bonifacius I, *teste Symmacho, Urbis præfecto, electus fuit, ut supra num.* 4 *retulimus,* ad Theodoræ ecclesiam, *die sequenti ordinatus* in ecclesia Marcelli. *In hisce locis assignandis errare non potuit Symmachus, eadem die, qua ordinatio facta fuit, scribens ad Honorium Augustum. Utraque ecclesia exstat etiamnum, nempe S. Theodori; nam perperam scriptum existimo Theodoræ, in Monte Palatino juxta Forum Romanum aut Boarium; et S. Marcelli in Via majori* (il Corso). *Ast Bonifacius II, ut ait idem Anastasius, ordinatus fuit* in basilica Julia, *et quidem etiam sub contentione, pontificatum appetente Dioscoro* (1): *Unde tanto facilior erat confusio, quod uterque Bonifacius sub contentione electus fuerit. Basilica Julii hodie non exstat; sed in urbanarum ecclesiarum magno Catalogo, quem ex Panvinio edidit Angelus Cardinalis Majus in suo Specilegio Romano, memoratur basilica Julia* (2), *eratque juxta magnam basilicam Constantinianam Sanctissimi Salvatoris* (3). *Porro in basilica Julia electum non fuisse S.* Bonifacium, *etiam ostenditur ex eo, quod S. Cœlestinus I, ejus successor,* dedicasse *dicitur ab Anastasio* basilicam Juliam (4).

c *Commentarii prævii num.* 4 *et seqq. retulimus variam, quam expertus est, fortunam, S.* Bonifacius *in sua electione et in initio pontificatus sui.*

d *Favente Symmacho, Urbis præfecto, tota civitate potitus est Eulalius antipapa; cedendum igitur tempori fuit S.* Bonifacio, *qui ad basilicam S. Pauli via Ostiensi tertio ab Urbe lapide* E *secessit.*

e *Antium, hodie* Nettuno, *viginti quatuor circiter milliaribus Italicis meridiem versus ad mare Mediterraneum situm : olim civitas episcopalis, nunc ad diœcesim Albanensem pertinet.*

f *Hujus basilicæ* nullum prorsus, *ait Arringhius in sua Roma subterranea, lib.* IV, *cap.* 29 (5), hac nostra ætate vestigium suspicitur. *Hanc ædificasse refert Anastasius S.* Bonifacium *dicens* (6) : Hic fecit oratorium in cœmeterio S. Felicitatis juxta corpus ejus : *quod dein fere collapsum instauravit Symmachus papa* (7). *Plura de hoc cœmeterio habent nostri ad diem* X *Julii in Commentario de SS.* VII *Fratribus* (8), *quemadmodum de cœmeteriis in Via Salaria hac ipsa die* XXV *Octobris in Actis SS. Chrysanthi et Dariæ actum fuit.*

g *De hac S.* Bonifacii *constitutione egimus Commentarii prævii, num.* 15 *et seqq.*

h *In causa Pelagiana S.* Bonifacius *quam proxime antecessorum suorum Innocentii I et Zozimi pressit vestigia, ut satis monstrat testimonium S. Augustini, offerentis eidem libros* F *suos contra duas epistolas Petiliani, quod Commentarii prævii num.* 20 *allegavimus. S. Prosper in Libro contra Collatorem, cap.* 21, *olim* 41 (9), *testatur,* Papam Bonifacium contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis usum edictis; et eumdem, quum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poposcisse. *Constitutionem imperatorum, adversus Pelagianos latam, in provincia Byzacena promulgat Aurelius Carthaginensis* (10), *quæ forsan eadem est, ac ea quæ anno* 418 *pridie kalendas majas, adeoque sub pontificatu S. Zozimi, apud Baronium ad hunc annum* § XXVIII *reperitur.*

i *Controversiam inter Patroclum Arelatensem et Hilarium Narbonensem indicavimus Commentarii Prævii num.* 27.

(1) Migne, Patrol., t. CXXVIII, col. 534. — (2) T. IX, p. 411. — (3) Cfr, ibid., p. 184. — (4) Migne, Patrol., t. CXXVIII, col. 199. — (5) Tom. II, p. 98. — (6) Migne, Patrol, t. CXXVIII, col. 187. — (7) Ibid., col. 454. — (8) Acta SS., t. III Julii, p. 10. — (9) Migne, Patrol., t. LI col. 271. — (10) Ibid., t. XX, col. 101.

k *Renovavi*

AUCTORE J. V. H.

k *Renovavit potius quam constituit S.* Bonifacius *legem hanc ecclesiasticam, jam latam a S. Sotere papa : qui, quoniam hæretici fœminas in partem ministerii ecclesiastici vocabant, easdem omni istiusmodi officio interdixit* (1). *Postquam porro virgines sacræ matriculæ ecclesiarum adscriptæ fuere, plusculum sibi adscribendum ratæ, supellectilem sacram contingere cœperunt : abusui occurrit S.* Bonifacius, *et ut plane constaret, nullum officium ecclesiasticum a fœminis usurpari posse, constitutionem S. Soteris innovavit, et monachas quoque a contactu sacratorum palliorum arcuit* (2).

l *Jam caverat S. Innocentius I, ne curiales clero adscriberentur : nam, ut scribit episcopis synodi Toletanæ, epist.* III (3), cavendum est, ne clerici, qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, reposcantur. *Idem reperitur in ejusdem epistola ad Victricium Rotomagensem cap.* XII (4), *quod etiam leges civiles sanxerunt l.* 4 *et* 12 *C. de episc. et cler.* [I, 3]. *Eadem ratio militat, ut servi a ministerio sacro arceantur, quoniam alieno arbitrio obnoxii sunt.*

B m *Donaria, a S.* Bonifacio *ecclesiis facta, latius explicat Anastasius Bibliothecarius.* Hic, *ait* (5), fecit oratorium in cœmeterio S. Felicitatis juxta corpus ejus, et ornavit sepulcrum Sanctæ Martyris Felicitatis et Sancti D Livanii (*Silvani*), ubi et posuit hæc : Patenam argenteam, pensantem libras viginti ; scyphum argenteum pensantem libras decem; amam argenteam, pensantem libras tredecim; calices minores argenteos duos, pensantes libras quatuor; coronas argenteas tres, pensantes libros quindecim... Amam, *de qua hic sermo, interpretatur Cangius h. v.*, vas in quo sacra oblatio continetur. Coronæ, *sunt* candelabra in modum coronæ seu circuli, variis lucernis instructa, ab ecclesiarum laquearibus dependentia. *Cfr Glossarium Cangii h. v.*

n *Mirum satis, Proprium tum Lateranense, tum Vaticanum intrudere hic Decembrem, dum Anastasius aperte dicat* (6), *Sanctum* sepultum in cœmeterio S. Felicitatis martyris, Via Salaria, octavo Kalendas Novembris. *Quoniam porro monstravimus, num.* 30, *S. Bonifacium probabilius, diem suum obiisse* IV *Septembris, consequitur, sepulcrum ejus in oratorio S. Felicitatis esse secundum, quum bimestri fere spatio alibi quiescere debuerit.*

o *Monstravimus supra Commentarii prævii, num.* 30, *Sanctum apostolicam sedem verisimiliter tenuisse* annis tribus, mensibus octo et diebus septem. E

(1) Migne, Patrol., t. CXXVII, col. 1239 et 1246. — (2) Ibid., t. CXXVIII, col. 187 et 191. — (3) Ibid., t. XX, col. 492. — (4) Ibid., col. 477. — (5) Ibid, col. 187. — (6) Ibid., l. c.

DE SS. CANNA, SADWREN SEU SATURNINO, CRALLONE ET ELIAN GEIMIAD SEU HILARIO,

CONFF. NON PONTT. IN WALLIA.

V. D. B.

SYLLOGE.

§ unicus. Sanctorum genus et cultus in principatu Walliæ, præcipue S. Elian.

C

SÆCULO VI.

Inter sanctos Walliæ tres classes constituendæ videntur;

Ad superiores dies non semel dixi de sanctis Walliæ, de quibus non alia memoria superest, nisi quod templa eorum titulo religiose Deo dedicata fuisse ferantur; neque a communi illo tramite discedere velim, licet fatendum mihi sit me eadem fere de iis dubitatione æstuare, quæ jam pridem mihi injecta est de viris, qui martyrologiis hibernicis Tamlactensi, Dungallensi, Casselensi et Mariani Gormani inscripti sunt, sed quorum neque natales leguntur in Festilogio S. Ængussii, neque nomina in Genealogiis sanctorum Hiberniæ. Ut scilicet in his non sancti dumtaxat, verum etiam præcipui monasteriorum abbates et veterum ecclesiarum fundatores, qui numquam ecclesiastico cultu honestati fuerunt, conscripti esse videantur; adeo ut hæc martyrologia partim obituaria censenda sint; sic subit in animum scrupulus an ii omnes, qui in Wallia sancti dicuntur, quod nomine eorum ecclesiæ insigniuntur, vere sancti dicendi sint. Quum enim iidem ædium illarum, quæ in prædiis eorum erectæ sint, fundatores fuisse tradantur, nonne fieri potuit ut hæc templa, siquidem in illorum essent dominio, etiam eorum nomine appellarentur, quum adhuc in vivis essent, atque hæc deinde appellatio perseveraret, quin etiam causa esset ut, paulatim vera nominis origine evanescente, templa eorum titulo dedicata dicerentur, quorum nomen præ se ferrent? Cavendum tamen ne ampliori hæc significatione accipiantur : imprimis multi templorum Walliæ patroni probe innotescunt; eorum vita et gesta literis sunt tradita; et pares omnino sunt aliarum gentium tutelaribus sanctis : atque de his nullum potest esse dubium quin locus iis dandus sit in opere nostro. Alii deinde, quorum plerumque sola genealogia nota est, certos tamen habent dies festos, qui, licet forte initio propter animarum refrigerium et anniversariam obitus aut depositionis memoriam celebrati fuerint, postmodum tamen eodem ordine sunt habiti quo aliorum cælitum natales : neque ii mihi excludendi videntur, quum vere cultu ecclesiastico decorati fuerint isque F

A *isque legitimus habendus sit, quandoquidem centum annis Urbanianis decretis antiquior est. Sunt demum alii, qui quidem patroni aut fundatores templorum fuisse dicantur et nomen suum iis reliquisse, sed quorum nulla assignetur festivitas et quibus in Genealogia sanctorum Britanniæ seu Walliæ locus non est : de his non nisi caute dicere velim, priusquam nova lux affulgeat. Neque diu exspectandum fore videtur, quoniam quum nunc in Anglia, in Wallia, in Scotia et Hibernia plurimi, maxime protestantes, versentur in eruderandis sacræ antiquitatis monumentis, pedetentim pristinæ res religiosæ illarum gentium in tanto lumine collocantur quanto affusæ sunt origines christianæ in Italia, Hispania, Gallia, Belgio et Germania. Et quidem quæ hactenus diximus valent etiam pro Cornubia.* *.

* Cornouailles *ad quarum secundam referenda est S.* Canna, *utpote templa suo nomine dicata et diem festum habens; cujus stemma exponitur.*

2 *Porro ad secundum sanctorum Walliæ genus pertinet S.* Canna, *uxor S.* Sadwrni, *quæ a Willisio, si fides sit auctori Martyrologii anglici* (1), S. Gan *dicitur et* confessor, *cujus* natalis agatur hac die (25 *Oct.*) in Llangan in diœcesi Landaviensi et cujus nomine etiam honestatur templum in diœcesi S. Davidis. *Nil est quare æstimemus eum in die festo errasse; quem vero in nomine et proinde in sexu admisit errorem, is facile explicatur, quum planum sit non advertisse Willisium litteram* c *post* llan, *id est* templum, *in* g *mutari a Wallicis. De S.* Canna *autem qui loquantur duos dumtaxat novi scriptores, Carlislium et Rice Rees. Ille in Glossario, quod Lexico topographico Walliæ* (2) *præmisit, vocat eam* sanctam et matrem S. Crallonis, qui sæculo v vixerit; *cui subjunxit* sanctum Cannen, qui medio circiter sæculo vii floruit; *Rees autem, multo diligentior, ita ut quingentos fere sanctos Walliæ collegerit, unam tantum S.* Cannam *agnoscit, quæ priori sæculi* vi *parte vitam duxerit. De ea pauca hoc loco dicemus, et simul de altero ejus marito et duobus filiis, qui etiam inter sanctos Walliæ recensentur. Avus itaque S.* Cannæ *erat Emyr Llydaw, matruelis S. Germani, episcopi Autissiodorensis, et regiunculæ in Britannia Armoricana princeps. Ex genealogiis Wallicis, de quarum auctoritate in superiori tomo aliquid diximus* (3), *hoc stemma protulit Reesius* (4); *cui inserui natales, quos mihi contigit reperire, et initio et ad finem pauca nomina.* E

AUCTORE V. D. B.



3 *Apparet ex illo stemmate quam sanctum esset id genus; et quidem plerique, etiam ii qui prius in matrimonio vixerant atque arma tractarant, ea fuerunt religione ut, abjectis sæculi honoribus, vitam monasticam, quæ inter Britones severissima tum erat, amplexi fuerint. S.* Canna *tamen alium omnino ordinem tenuit, bis matrimonio juncta. Prius nuptui collocata est S.* Saturnino, *wallice* Sadwrn *et* Sadwrn Farchog, *filio Bicanys Armoricani, et, ut tradit Joannes Tinmuthensis* (5) *Rieniguillidæ, filiæ Rhedyw, et proinde fratri S. Iltuti celeberrimi abbatis et matrueli Emyr Llydaw; ita ut consanguinei essent S.* Canna *et S.* Saturninus. *Ambo, in Britannia Armorica nati, venerunt in Walliam ineunte sæculo* vi *cum S. Cadfano aliisque pluribus, sanctitate conspicuis, plerisque ex eorum genere. Nominibus designat Rees* (6) *sanctos Cynon, Padarn, Tydecho, Trinio, Gwyndaf, Dochdwy, Mael, Sulien, Tanwg, Eithras,* Sadwrn,

S. Canna, *ejus maritus S.* Sadwrn *seu* Saturninus *et S.* Crallo, *eorum filius, templorum in Wallia patroni;*

(1) A Memorial of ancient british piety or a British martyrology, supplement, pag. 27. — (2) Topographical Dictionary of Ireland, pag. xxxi et xxxii. — (3) Cfr Acta SS., tom. X Octobris, p. 763. — (4) Essay on the Welsh saints, or the primitive christians, usually considered to have been the founders of churches, pag. 165. — (5) Ibid., p. 179. — (6) Ibid., p. 213. Cfr Bonedd y saint, in the Myvyrian archæology of Wales, tom. II, p. 31, not. 1.

AUCTORE V. D. B.

Lleuddad, Tecwyn et Maelrys: Quum hi fere omnes nobilissimo essent sanguine et Cadfano proximi, visum est non immerito Wallensi hagiographo unam omnibus fuisse causam ut patriæ valedicerent et vitæ monasticæ aut certe pientissimæ se consecrarent; eamque non aliam esse posse nisi, quod Franci tunc temporis Britanniam Armoricam invaderent et pristinorum principum everterent auctoritatem. Tum vero ætate provectus jam erat S. Saturninus, *et non multo post sæculi* VI *exordia diem obiit, nomen suum relinquens ecclesiæ de* Llansadwrn *in comitatu Carmarthensi, quæ olim capella parœciæ de* Cynwyl Gaio *erat, et alteri cognomini in insula Mona, vulgo Anglesey, cujus forte fundator exstitit. Initio hujus sæculi ex muro interiori prominebat adhuc virile caput, minus affabre sculptum, quod S.* Saturnini *habebatur imago* (1); *exstat forte etiam præsenti tempore. Uxor autem ejus S.* Canna *censetur fundasse aut certe nomen et tutelam communicasse* Llanganna *seu* Llangan *in comitatu Glamorganensi et* Llangan *in comitatu Carmarthensi. Eorum filius S.* Crallo, *qui verisimiliter simul cum*
B *parentibus ex Armorica in Walliam appulit,* Llangrallo, *anglice* Cogchurch, *in comitatu Glamorganensi aut fundavit aut nomine suo honestavit.*

S. Elian, filius ejusdem S. Cannæ et Gallgu Rieddog, etiamnum a protestantibus Walliæ colitur, depravatis antiquis ritibus et honoribus.

4 *Post S.* Saturnini *mortem alias nuptias admisit S.* Canna, *scilicet cum Gallgu Rieddog, filio Carcludwys de stirpe Cadrod Calchfynydd* (2), *ex quo concepit et in lucem edidit S.* Elian Geimiad; *quod nomen, quum Wallenses soleant S.* Hilarium, *episcopum Pictaviensem, appellare* Elian Esgob (esgob *scilicet episcopus eis est*), *latine et anglice in* Hilarium *convertunt* (3). *Cognomen ei est* Ceimiad (4) *seu* peregrinus, sanctorum locorum visitator; *quod auctor Historiæ insulæ Monæ in* Cannaid, splendidum *mutavit : qui error etiam suggestus fuit Carlislio* (5) *a ministro parœciæ* Llanelian *in insula Mona, cujus templum fundasse dicitur aut certe nomen suum reliquit. Perseverat illic adhuc S.* Eliani *cultus; quod minus mireris, si recogites centum abhinc fere annis religioni catholicæ multos adhuc in Wallia fuisse asseclas; qui quidem propter presbyterorum penuriam paulatim defecerunt, pergentes tamen*
C *ecclesiæ Anglicanæ ministros odio habere, et, si quos audiunt, aurem potius præbentes dissidentibus : quo vocabulo omne genus erronum comprehenditur. Initio itaque hujus sæculi* (*edidit Carlislius suum Lexicum Walliæ anno* 1811) *scripsit loci illius minister ad Carlislium* (6) : Est hic fonticulus, cui nomen *Ffynnon Elian*, fons S. Eliani, cujus olim maxima erat fama, licet aqua insipida sit et omni curandi vi careat. Paucos ante annos quatuor virgis * dista-

yr ds

bat a templo ædicula, quod ambulacro dein D
conjunctum fuit cum choro. Videtur exstructum fuisse ut S. *Eliano* monasterium esset. Campanulam procul dubio habuit, cum locus supersit. Ei nomen *Myfyr*, id est Meditationis sedes seu Asceterium. Olim templum multis pictis imaginibus S. Eliani ornatum erat : atque etiam apostolorum (7) : hæ postremæ ferme deletæ, non ita S. Eliani. In Myfyr seu monasterio superest vetus superstitionis monumentum (*protestantis non satis æqui verba sunt*), scilicet arca ex robore, muro affixa, formæ semicircularis, sex pedes longa, tres lata et quatuor alta, cum foramine pedem lato et tres fere alto ; *quod procul dubio pristinum S.* Eliani *sepulcrum est.* In solennitate dedicationis, *quæ mense augusto celebratur,* omnis populus eam ingreditur et persuasum habet (*hæc persuasio superstitiosa est*) quod si facile ingrediantur et, postquam se ter in eo volverint, item facile egrediantur, se intra annum non morituros; quodsi secus, se anni finem non visuros. In templo autem pyxis est, dicta *Cuff Elian,* trunci formam habens, in superiore parte rotunda et ferreis clavis muro adhærens, E
cum foramine qua immittantur eleemosynæ. Hæ necessario ab iis faciendæ, qui se in fonte S. Elian lavent, secus nil inde emolumenti capturi. Olim magna hinc colligebatur pecunia, quum advenirent peregrini ex universis Walliæ septentrionalis comitatibus; *ita ut ferantur tria inde coempta fuisse prædia* (8). Nunc semel quotannis in festo S. Thomæ apostoli aperitur arcula. Caswallon Llaw Hir, cognomine *longe armatus*, multis privilegiis donavit id templum atque etiam agris, qui ab ingenuis colonis nomine S. Eliani occupabantur; nunc autem sanctus vir (*nova ironia protestantica est*) omnibus illis bonis spoliatus est, nisi quod ex prædio quotannis adhuc recipit viginti libras. *Rice Rees, alter minister ecclesiæ Anglicanæ, qui anno* 1836 *Tentamen suum de sanctis Walliæ edidit, similiter auctor est S.* Eliani *cultum adhuc persistere* (9); *ejus nomen in principatus superstitionibus esse celebre; nuper temere admissas fuisse miraculosas curationes, ad ejus feretrum* (*est arca ex robore, de qua modo*) *impetratas; et fontem, Ffynnon Elian, qui prope ecclesiam sit, etiam nunc a* F
vicinis ruricolis haberi miraculosa vi præditum. Carlisle in Glossario, a quo exorditur Lexicon ejus topographicum Walliæ, statuit floruisse S. Elianum *ad finem sæculi* VI; *in Lexico autem, ad verbum* Llanelian, *circa annum* 450. *Ex his quæ adduximus, patet vixisse sanctum virum integro sæculo post. Reliquorum ætas item satis manifesta est.*

(1) Carlisle, Topograph. Dictionary of Wales, V° *Llansadwrn.* — (2) Rice Rees, Essay on the Welsh saints, p. 267. — (3) Ibid., loc. cit. Cfr Bonedd y saint, in Myvyrian arch. of Wales, tom. II, p. 45. — (4) Ibid., p. 41. — (5) Topog. Dict. of Wales, V° *Llan Elian.* — (6) Ibid., loc. cit. — (7) Cfr Camden, Britannia, edit. Gough, tom. II, p. 572. — (8) Ibid., p. 570. — (9) Essay on the Welsh saints, p. 268.

DE

A D

DE S. HILARO SEU ILERO, EPISCOPO GABALLORUM,

IN DIOECESI MIMATENSI IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

§ I. Corpus S. Hilari anno 636 delatum in monasterium S. Dionysii in Francia eoque relatum, postquam aliquot annos quievisset in Salonensi novo monasterio. Reliquiæ Mimatensibus donatæ.

CIRCA ANNUM DXL. *Quum anno* 631 *Dagobertus I fratris Chariberti provincias occupasset, missus est Barontus, qui thesauros hinc efferret;*

B

Quandoquidem res S. Hilari, *episcopi Gaballitani, pluribus ambagibus involutæ sunt et obscuratæ, recedendum aliquantisper videtur a consueto ordine et initium faciendum ab ejus corporis translatione; unde nomen ejus proculdubio per universas Gallias inclaruit. Certissimis documentis, quæ continuo in medium afferemus, manifestum est beati episcopi exuvias jam sæculo* VIII *penes S. Dionysii in Francia monachos fuisse. Eæ autem in eorum manus venisse traduntur sub annum Christi* 636. *Quum enim anno* 628, *mortuo Clotario II, Dagobertus universam Francorum monarchiam in suam ditionem accepisset, fregit brevi vires fratres sui Chariberti II, qui paternam hæreditatem captabat; at anno* 630, *quum jam nemo ei resisteret, utile duxit Dagobertus fratri in beneficium concedere Novempopulaniam seu Wasconiam, in Aquitania tractus Tolosanum, Cadurcensem, Aginnensem, Petrocoricensem, Sanctonicum, Pictonicum, Encolismensem, Arelatensem et eam partem Provinciæ, quæ ex Neustriæ regno pendebat; sibi reservans in Aquitania pagos Bituricensem, Lemovicensem, Arvernicum, Albigensem, Rutenensem, Vellavum, Gaballitanum et Ucetiensem* (1). Anno IX Dagoberti, *Christi* 631, *verbis Fredegarii utor* (2), Charibertus rex moritur, relinquens filium parvulum, nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est; fertur factione Dagoberti fuisse interfectus. Omne regnum Chariberti, una cum Wasconia, Dagobertus protinus suæ ditioni redigit : thesauros quoque

Ç Chariberti Baronto duci adducendum sibi et sibi præsentandum direxit. Unde Barontus grave dispendium fecisse dignoscitur, una cum thesaurariis faciens, nimium exinde fraudulenter subtraxit.

atque ea occasione in S. Dionysii monasterium Tolosa translatum est S. Saturnini corpus; quod postea redditum est pro aliis, quæ inter corpus erat S. Hilari *Gaballitani :*

2 *Jam vero quum Dagobertus maximam erga S. Dionysii templum religionem cum infandis sceleribus conjungeret, et amaret id cœnobium non latefundiis tantum, verum etiam sanctorum reliquiis ditare, jussit S. Saturnini, episcopi Tolosani, corpus eo devehi a Baronto, quemadmodum in antiquis S. Dionysii Chronicis et Legendariis legit Dubletus* (3). *Atque hic, ubi illa narravit, sequens fragmentum ex vetusto codice latine recitat* (4) : Corpus sancti Saturnini in ecclesiam beati Dionysii Areopagitæ delatum; in ejus absentia Tolosana provincia occulto Dei judicio, justo tamen, adeo gravi plaga percussa est, ut nec feminæ eorum parere possent, nec animalia. Unde Tolosani, necessitate compulsi, cœnobium B. Dionysii humiliter adierunt, suppliciter obsecrantes, ut ad mitigandum tantæ plagæ infortunium corpus eis sui primi pontificis restituere non retardarent, pro eo tum habita recompensatione justissima. Abbas vero et conventus, moti misericordia, eorum petitionibus assensum benignissimi præbuerunt. Ipsi autem, accepto corpore sanctissimi sui pontificis, ad propria E cum gaudio remearunt. Quo in sua sede restituto, Deo miserante, sanata est plaga illa, et cœperunt parere mulieres eorum et animalia. Tolosani vero, suæ promissionis non immemores et vicium ingratitudinis detestantes, vice recompensationis ad præfatum cœnobium transtulisse dicuntur corpus B. Patrocli, martyris et episcopi, S. Romani de Blavia, presbyteri et monachi, necnon et corpus sanctissimi Hylari, Gavalitanæ urbis episcopi et confessoris. *Quibus additur in ecgrapho, quod Catello* (5) *præluxit, hæc verba :* Facta autem est translatio sanctissima regni Dagoberti anno XIV, *seu Christi* 636.

Frustra conatus est Cointius hanc translationem, monumentis Sandionysianis, Tolosanis et Mimatensibus stabilitam,

3 *Re quidem vera non cœva est hæc scriptio, quippe quæ posterior sit anno* 835, *quo Hilduinus, S. Dionysii abbas, Areopagitica sua scribere cœpit* (6). *Nil itaque valet ad persuadendum impeditæ parturitionis miraculum; sed certissime suum pondus habet ad indicandum quomodo tria illa sanctorum corpora in S. Dionysii ædem devenerint. Inclamat quidem Cointius* (7) : Dagobertus rex ecclesiam Dionysianam et ditavit latifundiis et sanctorum exuviis plurimum illustravit; sed aliis Galliarum basilicis sceleste nihil abstulit. *Sed vere non intelligo quare tanta clementia prosequatur Cointius Dagobertum; cujus pietas, si magna fuit, certe neque sapiens fuit, neque immanium vitiorum frenum. Conveniunt deinde cum his quæ de Dagoberti jussis et Baronti in Chariberti ditione gestis generatim perhibet Fredegarius. Præterea non in monumentis tantum Sandionysianis, verum etiam Tolosanis atque etiam Mimatensibus illa historia reperta est. Tolosana dabit Catellus* (8); *Mimatensia destinavit ad nos ven. vir Baldit, Luzeranæ provinciæ tabulario præfectus et ob singularem diligentiam plurimum a nobis commendandus. Accipe veterem hanc scriptionem :* De sancto confessore episcopo Ilario ad laudem ipsius et beati Saturnini episcopi et martiris. Sanctissimum Saturninum missum

F

(1) D. Vaissette, Histoire du Languedoc, tom. I, pag. 682 et seqq.—(2) D. Bouquet, Recueil des Hist. de France, tom. II, pag. 439. — (3) Histoire de l'abbaye de S. Denis, liv. I, chap. 42, pag. 305. — (4) Ibid. pag. 306. — (5) Histoire des Comtes de Tholose, pag. 174. — (6) Gallia Christiana, tom. VII, col. 354. — (7) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 638, num. 13. — (8) Cfr Catel, Histoire des comtes de Tholose, pag. 17.

fuisse

AUCTORE V. D. B.

fuisse in Aquitaniam predicare verbum Dei a beato Dionisio Gallorum apostolo : testatur historia vite et passionis ejusdem. Qui in Tolosa, que caput Aquitanie esse dignoscitur, et gloriosum consummavit martirium. Cujus corpus longo post tempore in ecclesiam beati Dionisii in Francia translatum fuisse dicitur. In cujus absencia Tolosana provincia occulto quidem Dei judicio, justo tamen, adeo gravi plaga percussa est : ut nec femine eorum parere possent nec animalia. Unde Tolosani necessitate compulsi cenobium beati Dionisii humiliter adierunt, suppliciter obsecrantes ut ad mitigandum tante plage infortunium corpus eis sui primi pontificis restituere non tardarent: pro eo tamen habita recompensatione justissima. Abbas vero et conventus moti una eorum petitionibus assensum benignissime prebuerunt. Ipsi autem, accepto corpore sanctisimi sui pontificis, ad propria cum gaudio remearunt. Quo in sua sede restituto, Deo miserante, sanata est plaga illa, et ceperunt parere mulieres eorum et animalia. Tolosani vero, sue promissionis non immemores et vi-
B cium ingratitudinis detestantes, vice recompensationis ad prefatum cenobium transtulisse dicuntur corpus beati Patrocli, martyris et episcopi, et corpus sancti Romani de Rama presbiteri et monachi, nec non et corpus sanctissimi Ilarii Gavalitaneurbis episcopi et confessoris. Quod totum factum fuisse creditur, quando, mortuo Sadrosilo, quem rex Clotarius ducatui totius Aquitanie prefecerat, Dagobertus rex totum ducatum in sua ditione retinuit. Ipse vero Dagobertus in tanta veneratione corpus beati Ilarii habuisse dicitur ut, quociens et bellandi necessitas immineret, secum in expeditione ipsum cum honore deferri preciperet, sperans se ipsius suffragio victoriam de hostibus obtinere. Tot etiam et tantas sanctorum reliquias non solum ex illis partibus sed etiam ex aliis in dilectam sibi ecclesiam Dagobertus transtulisse dicitur, ut a sui temporis hominibus latro sive predo sanctarum reliquiarum sanctorumque corporum vocaretur. Non enim se delinquere estimabat, siquidem aliis ecclesiis subriperet, quod in ista cum honore debito collocaret. *Adde illo ævo*
C *similia facinora furtorum loco non fuisse habita, sed potius obsequia præstita sanctis, qui censebantur malle in superbis templis quiescere quam in vulgaribus.*

in dubium revocare, allegans Vitam S. Hilarii, *sæculo* XIV *a Guidone de Castris scriptam.*

4 *Opponit etiam Cointius nil de hac translatione memorare Guidonem, S. Dionysii abbatem. Scilicet Guido de Castris, qui ab anno* 1326 *ad* 1350 *regium asceterium rexit,* grandia satis volumina, *ut Bucelinus in Annalibus Benedictinis sub anno* 1302 *tradit,* secuturis transmisit de gestis sanctorum, quorum ipse Vitas quam diligentissime conscripsit ; *quæ volumina olim in bibliotheca S. Victoris Parisiensi servabantur, dicta* Sanctilogium Guidonis abbatis (1). *Sed revera numquam cogitavit Guido enarrare quomodo in S. Dionysii devenerint* S. Hilari *reliquiæ ; sed solum brevissime dicere eas istuc asportatas fuisse. Ecce locus a Cointio exhibitus, qui etiam legitur in codice Mimatensi, cujus apographum ad nos misit ven. vir Baldit,* D *sæpius laudandus* : VIII Kalendas Novembris humana deseruit (S. Hilarus) atque ad æterna migravit. Cujus sacro corpore Gavalitana civitas insignita multis annorum curriculis, ejus gavisa est præsentia et consolata miraculorum frequentia. Multo autem evoluto tempore, sacrata ejusdem beati pontificis membra translata fuerunt in basilicam beatissimi Dionysii Areopagitæ, ipsa die videlicet, qua XI kalendas septembris (*die* 22 *augusti*) celebratur octava Assumptionis beatæ et gloriosæ semperque virginis Mariæ. Denique locata sunt in una absidarum prædictæ basilicæ, ubi beati Hilarii a fidelibus venerantur merita et expetuntur suffragia, necnon probantur beneficia, auxiliante sancto sanctorum Domino nostro Jesu Christo. *Multa in his omisit Guido, quæ aliunde manifestissima sunt ; ita ut, quum asseverari nequeat Guidonem potuisse, debuisse et voluisse omnia S.* Hilari *corporis fata explicare, argumentum negativum, quo utitur Cointius, plane inerme sit. Traxit tamen in suam sententiam Cointius scriptores Historiæ Occitaniæ* (2) ; *verum alii non tam facile recesserunt* E *a priscis Sandionysianis et Tolosanis traditionibus ; quo loco nuncupabo solum de Rozoi* (3) *et Cayla cum Perrin-Paviot* (4).

Anno 777 *B. Fulradus, abbas S. Dionysii, transtulit S.* Hilari *et S. Privati corpora*

5 *Verum quum anno* 775 *Carolus Magnus* donarat ad casa sancti Dionysii et sancti Privati, ubi ipsi pretiosi in corpore requiescebant, Eadallogo et Salona in pago Salminseres proprietatis suæ in Wastingas, quos Adalbaldus genitori suo tradiderat (5), *continuo B. Fulradus, S. Dionysii abbas, cellam seu prioratum cum ecclesia ibidem ædificavit eoque transtulit anno* 777 *S. Privati corpus, quod biennio ante adhuc in Sandionysiano monasterio jacuisse continuo docuit Carolus Magnus, atque etiam corpus S.* Hilari ; *eo sane consilio ut venerationem novo templo conciliaret et populum ad id concieret. Audi ipsum B. Fulradum in testamento, quod anno* 777 *condidit* (6) : Ad ecclesiarum et ad loca sanctorum martyrum Dionysio, Rustico et Eleutherio, ubi ipsi domni corpore requiescunt..., dono donatumque in perpetuum esse volo..., Salona, ubi ædificavi ecclesiam in honore sanctæ Mariæ, ubi requiescunt sanctus Privatus, martyr, S. Ila- F
rus, confessor, quidquid ibidem datum fuit de conlata populi et ipse populus mihi tradidit ; omnia et ex omnibus, sicut per testamentum meum confirmavi, a partibus sancti Dionysii ipsa cella debeat aspicere, tam illas commutationes, quæ cum Angalramo episcopo feci, quamque et reliquas commutationes. *Quum itaque ex Caroli Magni et Fulradi diplomatibus sole clarius constet S. Privati corpus ex S. Dionysii æde in Salonensem fuisse translatum, mirum est non vidisse Felibianum, S. Dionysii monasterii historicum, occasione illuc devectum esse S.* Hilari *corpus ; quin etiam hinc collegisse S.* Hilari *exuvias non prius in S. Dionysii monasterium advenisse quam Normanni Galliarum vastationem cessassent* (7) ; *quasi postea quam Salonensis prioratus penes alios factus est vel alia etiam occasione, ad S. Dionysii*

(1) Gallia Christ., tom. VII, col. 399. — (2) Hist. du Languedoc, tom. I, pag. 336. — (3) Annales de la ville de Toulouse, tom. I, pag. 74 et 75. — (4) Hist. de la ville de Toulouse, pag. 112 et 113. — (5) Diploma autographum ap. Félibien, Hist. de l'abbaye de Saint Denys, preuv. num. LIV, pag. XXXVII. — (6) Autogr. ibid. num. LVI, pag. XXXVIII. — (7) Ibid. pag. 19 et 20.

monasterium

A *monasterium reportari non potuerint S.* Hilari *beatissima ossa.*

in novum Salonense monasterium, ubi tamen diu mansisse non videtur.

6 *Ut autem hæc clariora fiant, accipe breviter Salonensis monasterioli historiam. Jacebat id ad confluentem Saliæ* * *et Braliæ* * *leucam infra Vicum* (1), *olim in diœcesi Mettensi, nunc in Nancejensi seu Mortæ provincia* *. *Ejus originem jam vidimus et aliquid de commutatione seu potius compositione cum Angelramo, episcopo Mettensi, facta, audivimus. Plura ea de re retulit Carolus Magnus in diplomate, dato mense decembri anni Christi* 777, *regni sui decimo.* Folradus, *inquit* (2), capellanus palatii nostri et abba sancti Dionysii, nobis retulit privilegium a partibus sancti Dionysii, quam senodalis consilius anno nono (*Christi* 776) ad Patris-Brunna * ex promisso Angalramno episcopo et Wilhario, archiepiscopo (*Senonensi*), constituerunt de res proprietatis suæ, in loco qui dicitur Salona, quæ est constructus in honore sanctæ Dei genetricis et beatorum martyrum et confessorum et virginum : ubi sanctus Privatus martyr et sanctus Illarius confessor requiescere videntur : et meo in privilegio insertum invenimus, ut neque Angalramnus episcopus, neque successores sui, neque archidiaconus, neque missus ecclesiæ suæ Mediomatricus ibi in ipso cœnobio pontificium habere non debeant, nisi si abbas sancti Dionysii expetierit ordinationes faciendi, chrismetandi et tabulas benedicendi. *Quæ quum ita synodali constitutione ordinata esse non denegaret Angelramus, confirmavit eadem Carolus rex, jussitque ut sub regia tuitione et* defensione sancti Dionysii omnique tempore permanere deberet, ut melius delectaret ipsam congregationem sancti Dionysii, et sancti Privati, et sancti Illarii pro se uxoreque sua Domini misericordiam attentius deprecari.

* la Seille
* la Petite Seille
* dép. de la Meurthe

* Paderborn

B

Quum anno 815 Salonense monasterium S. Michaelis monachis datum est, varia dein experturum fata, videtur ibi sanctum corpus non amplius quievisse,

7 *Postea nulla illic amplius mentio fit de* S. Hilaro ; *et Salonæ prioratus dictus est* cella S. Privati ; *quo nomine venit in diplomate, quo Ludovicus Pius anni* 822 *confirmavit commutationem quamdam bonorum, quam* vir venerabilis Hilduinus, abba ex monasterio sancti Dionysii martyris Christi, sacrique palatii *ejus* summus cappellanus seu cellæ sancti Privati, *fecerat cum* quodam homine, nomine Hildulfo (3). *Verumtamen tunc temporis non amplius erat penes S. Dionysii monachos Salonæ cella; superest enim adhuc diploma, quo idem Ludovicus Pius anno* 815 *monasterio S. Michaelis super Mosam* donarat cellam de Sallone... quam quidem cellam Sallonæ genitor *ejus* Carolus Magnus fundarat, *data scilicet tellure*, in honore sanctorum Dionysii et Privati (4). *Hanc injuriam reparavit anno* 896 *Zuentiboldus, rex Lotharingiæ, monachorum S. Dionysii* reclamationem obaudiens, ob interventum fidelium *suorum* Odoacri et Reginharii, reddidit eis quamdam abbatiolam, sitam in Saliensi pago, Salonam nomine (5). *Ast rediit postea Salonæ prioratus sub ditionem S. Michaelis monasterii, ea lege ut quotannis Sandionysianis penderentur quinque marcæ argenti* (6). *Ineunte sæculo* XII *pendebant ab hoc prioratu ingentia bona; quæ recensita vide in bulla, qua B. Paschalis papa II confirmavit S. Michaelis monasterio suas possessiones* (7); *licet Sandionysiani sæpius reclamassent et postea reclamaturi essent injuriam sibi factam fuisse* (8). *Ast anno* 1602 *cardinalis Carolus de Lotharingia, S. Michaelis abbas et per Lotharingiam apostolicus legatus, univit mensæ primatiali Nancejensi, postquam scilicet ultimus prior Petrus a S. Vincentio, theologiæ doctor, anno* 1598 *diem obiverat* (9). *Atque ex his plane manifestum factum esse arbitramur S.* Hilari *corpus post annum* 777 *et verisimillime anno* 815, *quum primum Salonensis cella S.. Michaelis monachis data est, relatum fuisse ad ædem S. Dionysii; ita ut, etiamsi non constaret id postmodum in Francia exstitisse, ex solis recitatis diplomatibus concludi posset id post hunc annum non amplius fuisse in Lotharingia.*

AUCTORE V. D. B.

utpote relatum in basilicam S. Dionysii ; ubi anno 1540 *repositum est in oratorio, ejus nomini dicato.*

8 *Quoniam autem de S.* Hilari *corporis fatis plura jam disseruimus, placet id argumentum ad finem usque prosequi. Supra num.* 3 *ex Guidone abbate rescivimus ineunte sæculo* XIV membra S. Hilari locata fuisse in una absidarum prædictæ *S. Dionysii* basilicæ. *Summum scilicet illius ædis altare seu chorus super cryptam ædificatus est et cingitur atrio, ex quo introitus patebat ad decem capellas seu absides, nunc ad septem tantum, quindecim pedes largas et sedecim longas. Exstructa fuerat hæc fabrica a Sugero anno* 1140 *et absoluta intra quadriennium : quare apposuit hunc titulum seu, ut ipse loquitur* (10), *epitaphium* :

Annus millenus et centenus quadragenus
Quartus erat Verbi, quando sacrata fuit.

Maxima celebritate peracta tum fuit dedicatio die 11 *junii a pluribus episcopis, quorum singuli singula altaria consecrarunt*; *ita ut S.* Hilari *altare obtigerit Rotrodo seu Rotroco, episcopo Ebroïcensi* (11); *qui paulo post cum Himerio, episcopo Tusculano et Lucii II legato, in Angliam profectus est. Jacebant ibi sacræ B.* Hilari *reliquiæ, quum Aldebertus III, qui ab anno* 1151 *ad* 1181 *Mimatensem sedem occupavit, S. Dionysii monasterium invisit, ut ipse testis est in opere, quod nuper detexit ven. vir Charbonnel. Verum neque in hoc loco quietem nacta sunt beati viri ossa. Sugeri enim fabrica uno sæculo post renovanda erat. Hinc in Minori Chronico S. Dionysii* (12) *legitur* : MCCXXXI. Hoc anno cœpit Odo abbas renovare capitulum (*le chevet*) ecclesiæ B. Dionysii areopagitæ et perfecit illud usque ad finem chori. *Absoluta S.* Hilari *capella anno* 1239 *aut sequenti, et sequens titulus appositus in consecrationis memoriam* (13) : Consecratum est hoc altare a venerabili patre Hemerico, Tyberiadis episcopo, in honore beatæ et gloriosæ Dei genitricis Mariæ et beati Hilari, Gavalitanæ urbis episcopi et confessoris, cujus corpus in hoc oratorio quiescit, et

F

(1) DD. François et Tabouillot, Hist. de Metz, tom. I, pag. 534. — (2) Mabillonius, de Re diplomatica, pag. 499 et 500. — (3) Félibien, Hist. de l'abb. de saint Denis, preuv. num. LXIX, pag. XLVII. — (4) In Chronico S. Michaelis, ap. Mabillonium, Analecta, edit. de la Barre, pag. 356. — (5) D. Calmet, Hist. de Lorraine, tom. II, preuv. col. CLXII. — (6) Félibien, Hist. de S. Denis, pag. 101. — (7) Ap. D. Calmet, Hist de Lorraine, tom. III, preuv. col. LVIII. (8) Sugerus, de Administratione sua, cap. 21, ap. Félibien, preuv. pag. CLXXX. — (9) François et Tabouillot, Hist. de Metz, tom. I, pag. 535. — (10) Sugerus de Administratione sua, ap. Félibien, preuv. pag. CLXXXII. — (11) Ibid. Dedicatio ecclesiæ. S. Dionysii, pag. CXCIV. — (12) Ibid., preuv., pag. CCV. — (13) Ibid., pag. 535.

B. Marci

AUCTORE V. D. B.

B. Marci evangelistæ et sanctorum martyrum Demetrii et Leodegarii, Apollinaris, Gervasii et Protasii, Gorgonii et sanctorum confessorum Nicolaï, Juliani, Maglorii, Mamerti et Majoli, Benedicti, Mauri, Bernardi, Maximini et sanctarum virginum Scholasticæ, Julianæ, Priscæ et omnium SS. Dei. Anno Domini M.CC.XL.VII kal. januarii. *Ita in singulis reliquis capellis unum aut plura reposita fuerunt sacra corpora et altaria dedicata nominibus sanctorum, quorum exuviæ ibi erant reconditæ. Obtigit S.* Hilaro *secunda capella a dextris (nunc S. Gregorii dicitur); ubi ejus corpus, cista lignea picta et deaurata clausum, super altare servatum est* (1), *donec noctu inter dies* 11 *et* 12 *novembris anni* 1793 *cum aliis sanctorum reliquiis ablatum est et postridie ad conventionis palatium devectum; ubi innumera intra tot sæcula collecta pietatis monumenta perierunt. Sed ad anteriora redeamus. Anno* 1625, *quum Dubletus Historiam seu antiquitates suas S. Dionysii publico communicavit, legebantur super capellæ portam (clatris enim et portis claudebantur istæ capellæ) sequentia carmina;* B *quæ, quandoquidem plerisque aliis capellis similia affixa non erant, indicium esse videtur singularis venerationis S.* Hilaro *adhibitæ :*

Passant, ce petit lieu comprend très-grande chose,
Le corps de sainct Hylare sainctement y repose,
Qui fut de Gevodan iadis pasteur eslen.
Par le temps change tout de siecles revolu :
Ce tiltre maintenant à Mande on atribuë.
Donc viateur Chrestien, si ton ame est imbuë
De celeste liqueur, et si ton cœur non feint
Croit qu'il y a ceans quelque chose de sainct,
Prosterne-toy devot, et de louange belle
Honore ce corps sainct, dont noicy la chappelle;
Invoque sa faveur humblement en ce lieu.
Qui fait honeur aux Saincts, il fait honeur à Dieu.

In S. Dionysii monasterio reliquiæ S. Hilari *Gaballitani servabantur omnino distinctæ a reliquiis S. Hilarii Pictaviensis.*

9 *In his quæ hactenus retulimus habet lector unde judicium ferat de his V. V: Pasculis verbis* (2): In aliquot libris leguntur S. Hilari, Mimatensis seu Gaballi episcopi, reliquiæ translatæ fuisse in celebre S. Dionysii monasterium prope Parisios. Sub oculis habemus indicem seu inventarium reliquiarum thesauri S. Dionysii atque in eo legimus : C « Herma ex argento deaurato, quo continetur « caput S. Hilarii Pictavensis, patris et do- « ctoris ecclesiæ... In hac lipsanotheca est os « brachii ejusdem sancti Hilarii, quod ex an- « tica parte per crystallum cernitur. Facta « est hæc lipsanotheca a Sandionysianis mo- « nachis post tumultus fœderatorum. * » In reliquo inventario nulla mentio fit de ullis S. Hilari, episcopi Mimatensis, reliquiis. Secundum id itaque documentum videretur certum esse penes S. Dionysii monasterium numquam fuisse reliquias alius S. Hilarii quam Pictaviensis. *Sed non attendit venerandus vir thesaurum S. Dionysii distinctum fuisse a capellis, et aliud fuisse inventarium thesauri, aliud capellarum. D. Germanus Millet* (3) *inter thesauri reliquias recenset hermam S. Hilarii Pictaviensis; sed in capellarum recensione* (4) D *pluribus loquitur de capella B. Mariæ virginis et SS. Patrocli, episcopi et martyris Gratianopolitani, sanctique Hilarii episcopi Pictaviensis; quæ sexta erat seu a dorso altaris summi, atque nunc etiam capella B. V. Mariæ dicitur. In ea autem super altare jacebant intra cistam ligneam deauratam SS. Patrocli et Hilarii Pictaviensis corpora. Sed ille idem Milletus* (5), *qui hæc refert, meminit corporis et capellæ S.* Hilari, *episcopi Gaballitani, quam ipse nonam appellat, itinere instituto, a sinistris ad dextram. Similiter in Felibiani descriptione templi S. Dionysii* (6) *et in brevi libello de rebus pretiosis Sandionysianis, anno* 1783 *edito* (7), *probe distinguuntur corpora SS.* Hilari *Gaballitani et S. Hilarii Pictaviensis, capellæ in quibus jacebant, et reliquiæ singulares S. Hilarii Pictaviensis, quæ in thesauro custodiebantur. Atque hæc animadvertenda duximus, quoniam tam debili argumento in dubium vocavit Mimatensis ecclesiæ historicus an reliquiæ, quas anno* 1608 *canonici Mimatenses accceperunt a Sandionysianis monachis, vere S.* Hilari *Gaballitani essent; addens in donationis diplomate,* E *quod in tabulario provinciæ Luseræ* reperit, nil *occurrere quo constet potius Gaballitani episcopi quam Pictaviensis præsulis fuisse exuvias.*

* de la Ligue

* dép. de la Lozère

adeoque anno 1608 *receperunt inde Mimatenses veras S.* Hilari, *episcopi sui, reliquias.*

10 *Verum neque hæc recta sunt. Summarium hujus diplomatis dedit Milletus* (8), *integrum Dubletus* (9); *et luculente in eo declaratur missas fuisse S.* Hilari, *episcopi Mimatensis, reliquias. Accipe fragmenta aliquot instrumentorum ex gallico latine a me versa. Quum ineunte anno* 1608 *Carolus de Rousseau, episcopus Matropolitanus in partibus infidelium et coadjutor avunculi sui Adami de Hurtelou, episcopi Mimatensis, rogasset Sandionysianos monachos aliquid reliquiarum S.* Hilari, *episcopi Gaballitani, actu capitulari de die* 23 *martii responsum ei ab illis monachis est se polliceri ejus votis satisfactum iri et* daturos traditurosque reliquias de venerabili corpore gloriosi confessoris S. Hylari, olim episcopi Mimatensis, et requiescentis in una capellarum celebris ecclesiæ S. Dionysii in Francia ; sed necesse esse ut solemnis petitio fiat, scripta in charta pergamena, nomine episcopi et canonicorum Mimatensium eorumque sigillis obsignata, quæ ad posteritatis memoriam servetur. *Has conditiones implerunt die* 12 *septembris ejusdem anni Carolus episcopus, qui, avunculo die* 26 *junii defuncto, Mimatensis episcopus factus erat, ejusque canonici, qui noveni numero nomen suum petitioni apposuerunt. Quum hæc charta ad S. Dionysii delata est*, venerabiles religiosi, magnus prior et conventus S. Dionysii in Francia, sabbato die 11 mensis octobris post Vesperas ex altari dimiserunt capsam, in qua requiescit corpus S. Hylari; atque inde per venerabiles viros fratres Nicolaum de Hesselin, theologiæ doctorem et magnum priorem, R. P. in Deo Adamum Brisset, abbatem S. Mariæ de Brignone, sub- F

(1) Doublet, Histoire de l'abbaye de S. Denis en France, pag. 306; Millet, le trésor sacré... de l'abbaye royale de S. Denis en France, pag. 59. — (2) Gabalum Christianum, ou recherches sur l'Église de Mende, pag. 169. — (3) Le trésor sacré de S. Denis, pag 99. — (4) Ibid. pag. 53 et 54. — (5) Ibid. pag. 59. — (6) Hist. de l'abb. de S. Denis, pag. 430, 531, 532, 535, 536, 538, etc. — (7) Le trésor de l'abbaye royale de S. Denis en France, qui comprend les corps saints et autres reliques précieuses qui se voient tant dans l'église que dans la salle du trésor, pag. 4, 9, etc. — (8) Le trésor sacré de S. Denis, pag. 59 et 60. — (9) Hist. de l'abbaye de S. Denis, p. 307.

priorem,

priorem, Augustinum de Valles, cantorem, Jacobum Disque, tertium priorem et magnum pannetarium, Jacobum Doublet, quartum priorem, cœnatorem et custodem chartarum, Jacobum Colletet, quintum priorem et officialem, extractum fuit magnum os cruris, dictum minor tibia, vulgo *l'esperon*, et traditum venerabilibus et scientificis viris A. de Rousseau, canonico præposito Mimatensi, et Pilot, archidiacono et canonico dicti loci, ut deferatur, omni reverentia servandum, in templum cathedrale Mimatense; quod, ab Huguenottis dirutum, de novo ædificatum est. *Non itaque ambigendum est quin Mimatenses anno* 1608 *acceperint lipsanon beatissimi sui præsulis. Olim videntur Mimatenses alias possedisse S.* Hilari *reliquias, quas forte ex S. Dionysii monasterio secum tulerat sub medium sæculum* XII *Aldebertus III seu venerabilis episcopus et anno* 1562 *dissiparant Calviniani, templum cathedrale Mimatense spoliantes. Certe missale sæculi* XVI *in festo SS. Reliquiarum Mimatensium continet Missam, in qua Deus oratur* per intercessionem beatorum Privati,
B Firmini, Fredaldi, Ileri, Severiani, Hilarii et Lupi, hujus ecclesiæ pontificum (1).

§ II. Memoria S. Hilari in martyrologiis. Festa. Vita brevi post mortem scripta, dein applicata S. Ilero, quem Mimatenses die 1 decembris colunt.

Vita S. Hilari *omnes notas habet Vitæ coævæ;*

Priusquam autem Tolosates S. Hilarii *corpus, furto verisimiliter, adepti sunt idque cum SS. Romani et Patrocli exuviis pro S. Saturnini ossibus in Franciam miserunt, scripta jam erat ejus Vita et literis vulgata; neque hæc diversa est ab ea, quam inferius dabimus ex codicibus Rubeæ Vallis in Brabantia et Reginæ Sueciæ ignotæ originis et quam distinguere oportet ab ea, quam, ex codice Mimatensi descriptam, ad nos misit Ven. V. Baldit. Hæc enim eadem est ac quam sæculo* XIV *Guido de Castris, Dionysianus abbas, scripsit, ut num.* 4 *hujus Commentarii*
C *traditum est. Habet enim ad finem totum illum locum, quem ex Cointio eodem illo numero dedimus, quemadmodum videbis, si hunc cum annotato* X, *inferius Vitæ subjecto, conferas. Cave tamen ne inter Vitam primigeniam et Guidonis lucubrationem ingens discrimen esse arbitreris. Ita non est. Guido enim plerumque mere descripsit antiquam Vitam, paucis locis breviavit, aliis aliquanto fusius explicuit, passim autem paulo melioribus nexibus phrases inter se colligavit; verbo eam operam præstitit, quam tribus sæculis post Surius, antiquarum Vitarum stylum aliquantum corrigens. Cæterum nil demsit, nil addidit nisi illum de translatione reliquiarum locum; quem (ut monui) num.* 4 *hujus Commentarii ex codice Parisiensi juxta Cointium habes, et annotato* X *ex codice Mimatensi. Sed hæc in transcursu. Vitam anonymam antiquam esse et coævam ut demonstrem, mihi nunc usus facto est. Inspice scilicet eam: neque in fine, neque* AUCTORE V. D. B.

uspiam alibi ulla mentio fit de translato corpore. Deinde manifesto confecta est in agro Gaballitano a viro locorum scientissimo. Præterea rerum adjuncta non negligit biographus, nuspiam declamatoriis aut rhetoricis formis inscitiam suam tegens. Insuper nil immiscet quod recentiora tempora sapiat. Sed quod præcipuum est, ita passim loquitur acsi noti adhuc essent homines, quibuscum egit S. Hilarus; *adeoque quæ de Martianilla virgine et Leone tribuno tradit, non potuerunt non scribi, nisi quum virginis et tribuni nomina adhuc in omnium essent ore. Adversum hæc id unum opponi posse videtur, miracula iis Actis contineri non probanda. Et quidem ipse non diffitebor illa mihi omnia non placere prodigia, imprimis istud quod in depulsa partim tempestate positum est. Verum hæc si sufficiat ratio ad negandum illam Vitam paucis post S.* Hilari *mortem annis literis fuisse mandatam, innumeras habebis ad inficiandum a S. Gregorio Turonensi scriptos fuisse libros de Historia ecclesiastica Francorum deque Gloria confessorum et martyrum; innumeras ad omnes antiquiores Vitas adjudicandas recentiori tempori; innumeras ad subvertendam universam* E *historiam literariam. Hoc enim commune olim fuit vitium ut rebus, quæ miræ videbantur, majorem splendorem phantasia adjiceret; donec tandem veri miraculi speciem haberent; a quo nævo ipse S. Hieronymus, scientiæ et eruditionis prodigium, immunis non fuit. Recole quæ de camelo in Vita S. Hilarionis, quæ de satyris in Vita S. Pauli chartæ tradidit. Profecto ut hæc falsa miracula secernantur a veris probeque examinatis necesse est; sed nil hinc confici potest adversus veterum librorum antiquitatem.*

per hanc et per corporis translationes factum est ut ejus nomen inscriptum fuerit Wandelberti, Usuardi aliisque veteribus

12 *Quum itaque remotissimis temporibus exstaret S.* Hilari *Vita, quumque ejus corpus prius ex Gaballitanis montibus Tolosam, hinc in Franciam, inde in provinciam ecclesiasticam Trevirensem, atque ex hac denuo in Franciam ante medium sæculum* IX *delatum fuerit; equidem miror viros doctissimos animo laborare quomodo jam pridem in martyrologia penetrarit S.* Hilari *nomen. Promptum utique erat ut id fieret. Primus autem omnium martyrologorum classicorum meminit S.* Hilarii *Wandelbertus, diaconus et monachus monasterii Prumiensis in diœcesi Trevirensi; quem Martyrologium* F *suum metricum sub diem* 5 *Aprilis anni* 847 *absolvisse alibi* (2) *ostendimus. Ad diem* 25 *octobris hæc cecinit* (3) :

Hilarus hic etiam nitet amplo præsul honore;

cujus nomen non potuit in Trevirensi diœcesi non innotescere, quum sub annum 775 *ejus corpus in vicinam diœcesim Mettensem illatum est atque inde elatum initio sæculi* IX. *Quum duodecim annis post Wandelbertum Usuardus priorem Martyrologii sui editionem in lucem misit* (4), *memoravit ad eamdem diem beatum virum his verbis* (5) : Item civitate Gavalis, sancti Hilarii episcopi et confessoris. *Suspicatus est Sollerius Usuardum, dum hæc scriberet, præ oculis habuisse aliquem codicem Hieronymianum, qualis est Corbejensis sæculi* XI, *editus a Dacherio* (6), *in quo sub præsenti die legitur :* In Gavalis, depositio beati Hilarii, episcopi et

(1) Charbonnel, Origine et Hist. de l'Église de Mende, pag. 94. — (2) Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 271 et 272. — (3) Ap. Sollerium, Martyrologium Usuardi, pag. 627. — (4) Cfr Acta SS. tom. VIII Octobris, pag. 85 et 86. — (5) Ap. Sollerium, pag. 626. — (6) Spicilegium, edit. de la Barre, tom. II, pag. 20.

confessoris,

AUCTORE V. D. B.

confessoris. *Non negarim; quamquam fieri potuit ut penes se habuerit Usuardus S.* Hilari *Vitam, et certe nil obstat quin aliunde noverit beati viri nomen; quippe qui in vicino S. Dionysii monasterio tum quietem et venerationem haberet. In tribus suis Adoniani Martyrologii exemplaribus Coloniensi, Averbodiensi et Scriveriano nil de S.* Hilaro *reperit Rosweydus; sed in codicibus Reginæ Sueciæ seu Vaticanis, signatis numm.* 511 *et* 512, *illo sæculo* XI, *hoc sæculo* XII *scriptis, reperit Georgius ad hanc diem* (1): Civitate Gavalis, depositio sancti Hylari*, episcopi, vita et miraculis præclari; *verum hæc, quæ etiam leguntur, præmissa particula* in, *in Martyrologio Autissidorensi, ad finem sæculi* XI *conscripto* (2), *ad geuuinam Adonis textum non spectant et procul dubio adjecta sunt a viro qui* Vitam et miracula *S.* Hilari *noverat.*

* *Cod.* 512 Hilarii

et recentioribus martyrologiis.

13 *Galesinius et Maurolycus resciverunt etiam hac die* Gavalis *seu* civitate Gavalis S. Hilari *seu* Hilarii episcopi *natalem actum fuisse. Baronius in prima Martyrologii Romani editione, quæ anno* 1583 *prodiit, scripsit:* Gavalis S. Hilarii episcopi et confessoris; *quæ*

B *postrema verba* et confessoris *in sequentibus editionibus immerito sustulit. Atque in his omnibus libris mentio nulla fit de S. Ilero, episcopo Gaballitano, de quo inferius plura animadvertenda erunt. Saussayus sub die* 25 *octobris explicuit in Martyrologio Gallicano aliquot S.* Hilari *gesta. Cardinalis de Noaliis jure merito ad eamdem diem servavit in Martyrologio Parisiensi S.* Hilari *memoriam, cujus quippe ossa in sua diœcesi quiescebant. Quod in antiquis Autissiodorensibus fastis nomen S.* Hilari *celebrabatur, servavit Carolus de Caylus in novo diœcesano Martyrologio S.* Hilari *laudes, atque his utique verbis:* In territorio Gabalitano seu Mimatensi, sancti Hilarii episcopi, vita et miraculis præclari, qui sedit in concilio Arvernensi primo.

Errore videtur Castellanus inscripsisse ejus memoriam ad diem 25 *septembris, qua nulla erat ratio ejus agendi festi.*

* Chelirs
* Javouls
* Hilare

14 *Vexat autem me plurimum quod Castellanus, vir tam prudens et accuratus, non contentus ad diem* 25 *octobris cum Martyrologio Romano S.* Hilarum *laudare, ad diem* 25 *septembris eumdem his commendavit verbis:* In pago Gaballitano, obitus S. Cheliri*, episcopi Gaballorum*, cujus reliquiæ quiescunt in majori templo S. Dionysii in Francia, ubi vocatur S. Hilarus *. *Quid ergo? In antiqua Vita indicatus non est dies obitus; sed in codice Rubeæ Vallis repererunt decessores nostri hanc vitam sub diem* 25 *octobris et similiter in codice Reginæ Sueciæ; qui nunc Romæ servatur in bibliotheca Vaticana, signatus num.* 528 (3). *In Vita autem, quam sub initium sæculi* XIV *scripsit Guido de Castro, abbas S. Dionysii, et cujus supra meminimus num.* 3, *dicitur S.* Hilarus VIII kalendas novembris humana deseruisse atque ad æterna migrasse. *An itaque præter natalem, die* 25 *octobris celebratum, aliud festum agebatur in ejus honorem a Sandionysianis? Non apparet. Eo asportata fuerant sacra ejus ossa, eodem illo Guidone teste,* ipsa die videlicet, qua XI kalendas septembris *seu* 22 *augusti* celebratur octava Assumptionis beatæ et gloriosæ semperque Virginis Mariæ;

verum hæc multo distat a die 25 *septembris.*

D

In S. Dionysii monasterio die anniversaria ejus translationis, id est 22 *augusti, nil fiebat in ejus honorem; sed die* 25 *octobris magna erat celebritas.*

15 *Præterea non reperio die* 22 *augusti a Sandionysianis aliquid actum fuisse ad S.* Hilari *memoriam. Martenius, qui in conscribendo Tractatu de antiqua ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis usus est, ut ipse in Syllabo auctorum perhibet, Dionysiani monasterii prope Parisios Sacramentorum libro, circa tempora Caroli Magni manu exarato et in inclito ejusdem monasterii thesauro asservato, nil de S.* Hilaro *habet, neque sub die* 22 *augusti, neque sub die* 25 *septembris, sed tantum sequentia* (4): VIII kalendas novembris in pervetusto Dionysiano sacramentario: DEPOSITIO HILARI EPISCOPI ET CONFESSORIS; *quæ singulari celebritate non in choro solum, verum etiam ad mensam agebatur. Hinc in diplomate, quo Carolus Calvus anno* 862 *confirmavit distributionem bonorum, ab Hilduino abbate et recentius a Ludovico abbate factam, hæc legimus* (5): Refectiones item annales, quas de rebus thesauri bonæ memoriæ Hilduinus abba ordinavit, hoc est Purificatione sanctæ Mariæ, anniversario Domni Hludouuici imperatoris genitoris nostri, Missa sancti Petri apostoli, Assumptione sanctæ Mariæ et Nativitatis ejusdem, festivitate Omnium Sanctorum, dieque depositionis suæ fratribus ministrandas decernimus; necnon etiam de Superioricurte * in anniversariis divæ memoriæ Karoli, imperatoris, avi nostri, et Bertæ, amitæ nostræ, atque Hildejardis, reginæ, avæ nostræ, a parte fratrum festivitatibus sancti Hilari atque sancti Sebastiani, de rebus eorum similiter. *In choro autem, translata SS. Crispini et Crispiniani celebritate ad diem sequentem, faciebant* officium proprium solemne in cappis de S. Hilaro, sicut in festo SS. XI millium virginum, *id est* cum ℟ in primis Vesperis et Invitatorio in Nocturnis a quatuor in cappis ℟ is a duobus, IV a duobus, VIII a quatuor, XII a quinque et cum tribus cantoribus et IV procedentibus ad missam. *Hæc reperit Martenius* (6) *in codice Colbertino, olim Sandionysiano, sub annum* 1300 *scripto* (7). *Quod autem hic iterum notabo, nil idem ex eodem aut ex aliis Sandionysianis codicibus mss. collegit, sive ad diem* 22 *augusti, sive ad* 25 *septembris, quæ spectarent ad S.* Hilarum. *Neque reperio a Mimatensibus ullam umquam so-* F *lemnitatem actam fuisse in ejusdem honorem mense augusto aut septembri. Quamobrem oscitantiæ, a qua nemo semper immunis est, adscribendum videtur quod Castellanus, verisimiliter ex libris Guidonis abbatis excerpta faciens, scripsit S.* Hilarum *obiisse die* 25 *septembris, loco* 25 *octobris, atque id dein secure in Martyrologium suum universale intulit.*

E

* Consevreux

Frustra inficiantur aliqui Mimatenses S. Hilari, *qui die* 25 *octobris colitur, Vitam*

16 *Venio jam ad aliam controversiam multo graviorem. In Officio sanctorum peculiarium insignis ecclesiæ Mimatensis, anno* 1619 *auctoritate Caroli de Rousseau, episcopi, typis Lugdunensibus edito, reperio ad diem* 25 *octobris officium S.* Hilarii, *episcopi Mimatensis et confessoris, ritu fieri duplici cum oratione qualitercumque propria, sed reliquis omnibus de communi. Ast die* 1 *decembris in festo duplici sancti Ileri, episcopi Mimatensis et confessoris,*

(1) Martyrologium Adonis, pag. 545 et 546. — (2) Martene, Amplissima collectio, tom. VI, col. 727. — (3) Georgius, Martyrologium Adonis, pag. 546. — (4) De antiqua ecclesiæ discipl. in divinis officiis, pag. 586. — (5) Félibien, Hist. de l'abbaye de S. Denis, preuv. pag LXXI. — (6) De antiquis monachorum ritibus, lib. IV, cap. 8, pag. 634. — (7) Ibid. præf. pag. V.

jubentur

A *jubentur recitari lectiones, quæ nil aliud sunt quam summarium Vitæ S.* Hilari. *Monuerunt id jam decessores nostri in commentario de S. Enymia* (1); *sed quum eorum asserta in dubium vocare placuerit V. V. Pascali* (2), *curabo eas infra excudendas ad finem Vitæ S.* Hilari : *ita ut nemo amplius ambigere possit. His positis, exsurgit duplex quæstio, scilicet utrius gesta contineantur illis documentis, an S.* Hilari, *qui die 25 octobris, an S. Ileri, qui 1 decembris colitur; dein an S. Ilerus vere distinctus sit a S.* Hilaro. *Quid de priori quæsito sentiam, non est quod dicam; passim enim superius de S.* Hilari *Vita locutus sum tamquam de monumento vere genuino. Idem senserunt decessores nostri, statuentes S.* Hilari *gesta afficta fuisse S. Ilero* (3). *Sed quum reclamet V. V. Pascal* (4) *pergantque Mimatenses S.* Hilarum *suis spoliare laudibus easque S. Ilero adscribere, operæ pretium fuerit totum id argumentum ad incudem revocare.*

applicatam fuisse S. Ilero, quem colunt die 1 decembris.

17 *Ut autem appareat S.* Hilari *Acta translata fuisse ad S. Ilerum, animadvertendum imprimis est S.* Hilarum *fuisse celebrem atque in multis iisque antiquissimis fastis sacris laudatum; S. Ilerum vero plane fuisse ignotum, quippe qui in nullis editis martyrologiis ante Saussayi Gallicanum locum invenerit. Quæ res gravissimi momenti est; adeo ut vulgare indicium sit olim exstitisse alicujus sancti Vitam, si nomen ejus legatur in classicis martyrologiis. Unde confice Vitam esse ejus, cujus memoria a Wandelberto, Usuardo et tot aliis agatur, nequaquam vero ejus, quem exstitisse ignorarint. Deinde locus ex Vita S.* Hilari *in lectiones de S. Ilero translatus est cum manifesta corruptela : quod ut penitius intelligatur, monebo in antecessum S. Ileri nomen immixtum esse S. Enymiæ rebus. Ecce autem hunc locum :*

VITA S. HILARI.	LECTIONES DE S. ILERO.
In villa Martianillæ virginis, profluа manans unda, repente fons aruit per septem annos, omni prorsus humore sublato. Quem in locum, socia virgine, pater advenit et preces Domino exoratus effudit : recepto mox cursu, unda rediit atque usibus hominum ubere largitate servivit.	Hujus (*S. Hilari*) precibus, virgine comitante Enymia, arido per septennium Margavillæo fonti uberes aquas Deus restituit.

C *Nemini enim unquam, a præstitutis opinionibus vacuo, in mentem veniet Vitæ verba textum genuinum non esse, sed contra verba lectionum de S. Ilero. Alia supersunt argumenta, immixta historiæ generali et laboriosa magis; quæ quum simul pendeant ab aliquot S.* Hilari *gestis, quorum tempus bene notum est, placet hæc singulari paragrapho exponere. Res paulo altius repetam, quo simul facilius intelligatur quibus in adjunctis versatus fuerit S.* Hilarus.

§III. Fata politica et ecclesiastica pagi Gabalitani, dum viveret S. Hilarus. Interest concilio Arvernensi anno 535. Excipit S. Leobinum.

AUCTORE V. D. B.

Sub imperio Visigothorum, qui potissimum tempore Eurici dominationem suam in Galliis propagarunt,

Anno 412 *Visigothi, rege Ataulpho, transgressi Rhodanum, occuparant primam Narbonensem; sed biennio post transierant in Hispaniam. Verum anno* 418 *redierunt in Gallias, ubi ab Honorio imperatore acceperunt agros Tolosanum, Agennensem, Burdigalensem, Petrocoricensem, Sanctonicum, Alnetensem, Engolismensem et Pictaviensem, aula regia constituta Tolosæ. Variam postmodum fortunam experti sunt; faustam tamen plerumque. Sic anno* 472 *subdidit sibi Euricus pagos Velavum, Gabalitanum, Albigensem, Ruthenensem, Cadurcinum et Lemovicensem; annoque sequenti, occupatis Bituricensi et Turonico pagis, propagavit imperium suum usque ad Rhodanum et Ligerim; cui sub annum* 475 *adjecit pagum Arvernicum. Anno* 477 *universa Hispania, excepta tamen Galecia et Navarra, auctoritatem ejus agnoscere coacta* E *est. Atque anno demum* 480 *Arelate et Massilia et universa Provincia potitus est. Princeps utique magnus et multis nominibus laudandus; sed in hoc culpandus, quod, Arianis placitis omnino deditus, episcopos catholicos novos in suo regno creari vetabat atque aliquot etiam in exilium ejiciebat.*

misera facies ecclesiæ Gabalitanæ, pontifice et partim clericis viduatæ.

19 *Audi ea de re, quæ proxime ad ecclesiam Gabalitanam pertinet, S. Sidonium Apollinarium, Arvernorum episcopum, ad Basilium. Aquarum Sextiarum (ut videtur) præsulem, sub annum* 477 *scribentem* (5) : Quod fatendum est, præfatum regem Gothorum, quamquam sit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus quam legibus Christianis insidiaturum pavesco. Tantum (ut ferunt) ori, tantum pectori suo catholici mentio nominis acet, ut ambigas ampliusne suæ gentis, an suæ sectæ teneat principatum. Ad hoc, armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solum patitur errorem, quod putat sibi tractatum consiliorumque successum tribui pro religione legitima, quam potius assequitur pro felicitate terrena. Propter quod discite cito catholici F status valetudinem occultam, ut apertam festinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Convenæ, Auscenses multoque jam major numerus civitatum, summis sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec ullis deinceps episcopis in defunctorum officia suffectis (per quos utique minorum ordinum ministeria subrogabantur), latum spiritualis ruinæ tramitem traxit. Quam fere constat sic per singulos dies morientum patrum proficere defecta, ut non solum quoslibet hæreticos præsentum, verum etiam hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere : ita populos excessu pontificum orbatos tristis intercisæ fidei desperatio premit. Nulla in desolatis cura diœcesibus parochiisque. Videas in ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut valvarum cardi-

(1) Acta SS., tom. III Octobris, p. 409. — (2) Gabalum Christianum, p. 173 et seqq. — (3) Acta SS., tom. III Octobris, p. 410. — (4) Gabalum Christianum, p. 173 et seqq. — (5) Epistolarum, lib. VII, epist. 6, ap. Migne, Patrologia latina, tom. LVIII, col. 570 et 571.

AUCTORE V. D. B.

nibus avulsis, basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos. Ipsa, proh dolor! videas armenta, non modo semipatentibus jacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed jam nec per rusticas solum solitudo parochias; ipsa insuper urbanarum ecclesiarum conventicula rarescunt. Quid enim fidelibus solatii superest, quando clericalis non modo disciplina, verum etiam memoria perit? Equidem cum clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis hæredem, in illa ecclesia sacerdotium moritur, non sacerdos. Atque ita quid spei restare pronunties, ubi facit terminus hominis finem religionis?

et similiter res temporalis in pago Gabalitano.

20 *Quinquennium tantum parebat regi Eurico Gabalitanus pagus, quum tam tristis esset spiritualis ejus conditio; sed non melior status ejus temporalis. Armis scilicet non tantum utebatur Euricus ut sibi provincias subjiceret; verum etiam operam adhibebat Romanorum seu Gallorum quorumdam, qui auctoritatem, quam ab imperatore acceperant, imperii hosti prostituere non dubitabant. Hos inter eminebat Seronatus, qui Galliarum præfectus fuisse videtur. Intellige iterum ex S. Sidonio quomodo circa annum* 471 *viam pararit Eurico in Gaballitanos montes :* Seronatum, *scribit* (1) *ad Pannychium, virum illustrem Bituricensem,* Seronatum Tolosa, *Eurici sede,* nosti redire... Ille sic iræ celer, quod piger mole, seu draco e specu vix evolutus, jam metu exsanguibus Gabalitanis e proximo infertur : quos singulos sparsos, inoppidatos, nunc inauditis indictionum generibus exhaurit, nunc flexuosa calumniarum fraude circumretit; ne tum quidem domum laboriosos redire permittens, quum tributum annuum datavere. Signum et hoc certum est imminentis adventus, quod catervatim, quo se cunque converterit, vincti trahuntur vincula trahentes : quorum dolore lætatur, pascitur fame : præcipue pulchrum arbitratus ante turpare quam punire damnandos : crinem viris nutrit, mulieribus incidit : e quibus tamen rara quosdam venia respexerit, hos venalitas solvit, vanitas illos, nullos misericordia. *Quæ mala quum miseri experirentur populi, pronum erat ut in Eurici brachia ruerent, melius sperantes de rege barbaro quam de magistratu Romano.*

Sub Alarico II res ecclesiasticæ resti tuuntur; anno 506 *concilium a* 36 *episcopis celebratur; anno* 507 *imperium evertitur; et* 508 *omnes fere provinciæ occupantur a Clodovæo.*

21 *Ut ad finem anni* 484 *diem obiit Euricus et successit Alarius II, meliora tempora illuxerunt Aquitaniæ et vicinis ecclesiis : novi quippe viduatis cathedris dari potuere præsules, qui triginta quatuor numero, sive ipsimet præsentes, sive missis legatis anno* 506 *concilium Agathense celebrarunt. Ecce sedium nomina, ex quibus Alarici regni in Galliis amplitudinem agnoscas : Arelas, Burdigala, Elusa, Biturica, Tolosa, Agatha, Nemausum, Rutenæ, Albiga, Cadurci, Aquæ, Auscii, Convenæ, Benarnum, Oloro, Lactora, Luteva, Palatium, Consoranica, Petrocorica, Ucetia, Antipolis, Sanetium, Dinia, Narbona, Forumjulii, Bigorra, Arverna, Avennica, Vasata, Vicusjulii, ignota sedes episcopi Pappoli, Gavalli et Turones* (2). *Verum anno sequenti cecidit quod adeo robustum videbatur imperium. Clodovæus enim victor excessit ex pugna Vocladensi, ad Clanum rivum decem milliaribus a Pictavis pugnata, vitamque cum regno amisit Alaricus. Plures continuo provincias sibi subjecit Francorum rex et vere anni* 508 *Tolosam usque penetravit, relinquens solum Visigothis provinciam Narbonensem seu potius præcipuas ejus partes.*

22 *Francis tum paruit pagus Gabalitanus. Sed quum Clodovæus anno* 511 *diem obiit, videtur a Theodorico Magno, qui Visigothorum pristinas ditiones regno Ostrogothorum adjicere meditabatur, receptus esse.* Quæ loca, *inquit D. Bouquet,* (3), post Chlodovei mortem acquisierit Theodoricus, rex Italiæ, certo definiri non potest. Illud dumtaxat certum est, illum Rutenos, Gabalos, Vellavos et fortassis Albigenses suo adjecisse imperio; *neque aliter sensit D. Vaissette* (4). *Sed hæc omnia recuperavit Theodebertus I, Theodorici I filius, anno* 533; *neque postea amplius a Francorum imperio immunis exstitit Gabalitanus pagus. Horum omnium testis fuit B.* Hilarus *et ut ex paucis indiciis, quæ in ejus Vita apparent, colligere fas est, inter medias calamitates populi Gabalitani robur fuit et columen. Et quidem operæ pretium esset ex Vitis sanctorum episcoporum et abbatum loca seligere, quibus pateat Deum passim per sanctos viros fidelibus providisse, ne, dum barbari terras eorum invaderent et occuparent, aut alii alios inde expellerent, omnino perirent. Nuspiam id magis manifestum est quam in S. Severino abbate; quem Norici apostolum dicere solent, sed potiori jure dicerent patrem : quam laudem debet beatus ille vir discipulo suo Eugippio* (5), *qui maxima accuratione magistri sui gesta persecutus est, et multo forte magis cl. v. Amædeo Thierry* (6), *qui ope topographiæ, historiæ coævæ et archæologiæ ita explicuit Eugippii dicta, ut nunc primum ex tumulo revixisse videatur colonorum Danubianorum sospitator : ita nunc omnia plana et luculenta sunt. Felici nomine appellavit cl. academicus auctoritatem, qua S. Severinus in Noricis coloniis aut municipiis patiebatur,* regnum Dei; *et reapse non humanam originem habebat ejus potentia, neque humanis regebatur rationibus aut consiliis; sed vitæ sanctitate nitebatur et passim juvabatur miraculorum gloria et spiritu prophetico : adeo ut imago quædam esset Moysiacæ dominationis super populum Israëliticum. Sed, ut scite animadvertit idem recens historicus, unicum id tum non fuit regnum Dei, sed potius præclarum divini illius instituti exemplar; de quo nunc, maxime postquam prodierunt Narrationes ex Annalibus Romani sæculi* v, *dicere fas est quod olim egregie scripsit de rebus Atheniensium Sallustius Crispus* (7) : Quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eo potuere extollere præclara ingenia! At populo Romano (*idem senti de S.* Hilaro, *si eum cum S. Severino comparare velis*) numquam ea copia fuit. *Quum autem*

Anno 511 *Clodovæo mortuo, pagus Gabalitanus cum pluribus vicinis provinciis videtur sub ditionem Visigothorum rediisse, donec anno* 533 *eas recuperavit Theodebertus I. Concilio, anno* 535 *Arvernis celebrato, interfuit S.* Hilarus.

(1) Epistolarum lib. V, epist. 13, ap. Migne, Patrologia latina, tom. LVIII, col. 543. — (2) Sirmundus, Concilia Galliæ, t. I, p. 173 et 174; D. Bouquet, Historiens de France, t. IV, p. 102 et 103. — (3) Tom. II, p. 198. — (4) Hist. du Languedoc, t. I, p. 669 col. 2. — (5) Acta SS., t. I Januarii, p. 484 et seqq. — (6) Récits de l'histoire romaine au Ve siècle, p. 141 et seqq. — (7) Bellum Catilinarium, c. IV.

catholici

A *catholici principes Gabalitanum aliosque pagos tandem aliquando perpetuæ suæ ditioni supposuissent, cogitandum fuit de componendis rebus publicis et privatis; et quidem B.* Hilarus *deinceps non minimam habuit partem in restaurandis malis, quæ ex tot bellis et tam diuturna Visigothorum occupatione non potuerant non exoriri. Beatissimo viro ejusque collegis remedium nullum opportunius visum est quam concilii celebratio. Id habitum est* Theodeberti regis consensu in Arverna urbe VI idus novembris, post consulatum Paulini Junioris V. C. id est anno Christi 535, Agapeti papæ I, Childeberti regis XXIV, Theodeberti ejusdem II; *hic enim anno* 534 *patri Theodorico I in regno Austrasiæ successerat. Ei interfuere* (*atque inde discimus quos pagos regeret Theodebertus*) *Honoratus, episcopus Bituricensis, Gallus Arvernicus, Gregorius Lingonicus,* Hilarius *Gabalitanus, Ruricius Lemovicus, Flavius Remensis, Nicetius Treverorum, Deuterius Leutevensis, Dalmatius Rutenensis, Lupus Catalaunicus, Domitianus Coloniensis, Venantius Vivariensis, Hesperius Mettensis, Desideratus*
B *Veredunensis et Gramatius Vindonissæ.*

Optima consilia ibi data regi et optimi canones conditi.

23 *Spiritu vere apostolico res in hoc cœtu peractæ sunt. Lege præfationem* (1) : Cum in nomine Domini, congregante sancto Spiritu, consentiente domno nostro gloriosissimo piissimoque rege Theodeberto, in Arverna urbe sancta synodus convenisset, ibique flexis in terram genibus, pro regno ejus, pro longævitate, pro populo Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis tribuerat potestatem, regnum ejus Dominus noster felicitate attolleret, imperio regeret, justitia gubernaret, in ecclesia ex more consedimus; inspectisque canonibus, id nobis rationabile visum est, ut quamvis ecclesiasticæ regulæ pene omnia comprehendant, tamen quædam vel adderentur nova, vel repeterentur antiqua. *Et quidem loco primi canonis proposuerunt patres decretum sapientissimum, quo cavebatur ut in conciliis potissimum tempus impenderetur negotiorum tractationi et disciplinæ ecclesiasticæ ultimus daretur locus. Quamobrem* in primis placuit ut, quoties secundum statuta patrum
C sancta synodus congregatur, nullus episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quam ea, quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur. *Summaria sequentium canonum, ex quibus præcipuas illius ævi calamitates cognoscas, hæc sunt :* II Pontificii honorem non votis, sed meritis quærendum. III Cadavera mortuorum non obvolvenda pallis sacratis. IV Ut clerici a sæcularibus contra episcopos non erigantur. V Res ecclesiasticas a regibus obtinere desiderantes excommunicandos. VI Neque christianum Judææ, neque Judæum christianæ conjugari licere. VII Ne opertorio corporis dominici defuncti sacerdotis corpus obtegatur. VIII Supellex ecclesiæ sacra ad nuptiarum ornatum non usurpanda. IX Judæos non præficiendos christianis judices. X Parochiam alienam nulli episcopo invadendam. XI Alienum clericum episcopus ne suscipiat aut promoveat. XII De incestis conjunctioni-

AUCTORE V. D. B.

bus. XIII Presbyteris et diaconis continentia ab uxoribus servanda. XIV Munera, ecclesiæ collata, nulla ratione fraudanda. XV Festivitates præcipuæ cum episcopo in civitate peragendæ. XVI Ut episcopi, presbyteri et diaconi exstraneas secum mulieres non habeant. *Quæ in his singularia sunt, explicuit jam meus collega in commentario de duobus SS. Ruriciis, episcopis Lemovicensibus* (2).

Monent episcopi regem ne fisco adjudicari patiatur res externorum, sitas in sua ditione.

24 *Quæ causæ in hoc concilio diremptæ fuerint, memoriæ proditum non est, aut saltem literis servatum. Verum superest epistola synodalis, quam episcopi detulerunt ad Theodebertum; ex qua quum lux aliqua affundi videatur itineri, quod beatus* Hilarus *ad Theodebertum instituisse in Vita legitur, placet eam integram recitare* (3) : Domino inlustri atque præcellentissimo domno et filio Theodeberto regi Honoratus, Hilarius, Gregorius, Ruricius, Nicetius, Flavius, Domitianus, Deuterius, Gallus, Dalmatius, Venantius, Gramatius, Lupus, Hesperius et Desideratus, episcopi. Dum in Arverna urbe ad replicanda canonum instituta, vel studio elucidandæ legis
E ecclesiasticæ his, qui dubitatione regendæ vitæ propriæ forsitan premebantur, cultores vestri, ecclesiarum vestrarum episcopi, pariter sederent; plurimorum ad nos suæ desperationis remedium flagitantium turba confluxit, sperantes ut non minus pro regni vestri felicitate, quam pro sua consolatione pietatem vestram nostra humilitas exoraret, et per suggestionem nostram justitiæ et pietatis vestræ auribus intimaretur, ut nullum de rebus vel possessiunculis propriis alienum pietas vestra permitteret, et dum unius regis quisque potestati et dominio subjacet, in alterius sorte positam cujuscumque (ut adsolet) impetitione non amitteret facultatem. Quod nos de vestri culminis justitia et pietate fidentes, non credimus denegandum : ut dum plurimorum necessitatibus justa (ut credimus) et Deo placente suggestione consulimus, prosperitatem regno vestro et repræsentationem cælestis Domini per indultam pietatis gratiam augeatis. Unde reverentissime (ut dignum est) supplicantes quæsumus ut hoc nostræ petitioni divino intuitu pietas vestra non deneget, ut tam rectoF res ecclesiarum, quam universi clerici atque etiam sæculares, sub regni vestri conditione manentes, necnon ad domnorum regum patrum vestrorum dominium pertinentes, de quod in sorte vestra est extraneos, de quod habere proprium semper visi sunt, non permittatis existere; ut securus quicumque proprietatem suam possidens, debita tributa dissolvat domino, in cujus sortem possessio sua pervenit. Quod et thesauris vestris omnino utilius esse censemus, si per pietatem vestram salvata possessio consuetudinariam intulerit functionem; et nos peculiarius vestra clementia consolatur, si obtentu hujuscemodi petitionis nos quoque celsitudo vestra fecerit gratulari.

Recensetur ibidem S. Hilarus *inter antiquiores episcopos ;*

25 *In episcoporum serie non utrobique eumdem servatum fuisse ordinem animadverterit proculdubio lector. Hinc sequitur rationem etiam vix haberi potuisse temporis, quo quisque ad episcopatum pervenerat; et reapse* (*si quæ habita*

(1) Sirmundus, Concilia Galliæ, t. I, p. 241 et seqq. — (2) Acta SS., t. VIII Octobris, p. 71. — (3) Sirmundus, Concilia Galliæ, t I, p. 245.

sit

AUCTORE V. D. B.

sit) ea neque accurata est, neque continua. Honoratus Bituricensis venit primus, utpote præses; Gallus Arvernicus, licet anno solum 527 *consecratus, habet secundum locum, quod in ejus ecclesia celebraretur concilium. Gregorius factus est Lingonensis episcopus anno* 506; *Ruricius Junior Lemovicensis circa annum* 507; *Flavius Remensis ipso forte anno* 535 *aut præcedenti; Nicetius Trevirensis anno* 627; *Dalmatius Rutenensis anno* 524; *Venantius Vivariensis ante annum* 517; *et Hesperius Mettensis et Desideratus Virodunensis circa annum* 525 : *reliquorum ordinationis tempus valde obscurum est. Metropolitani promiscue etiam ibidem veniunt cum suffraganeis, si tamen unus Bituricensis præsul metropolitanus habitus non fuerit : nam tunc vigebat hæc in Galliis consuetudo, ut universus status ecclesiasticus ad politicum redigeretur; adeo ut nil minus fixum esset quam provinciarum ecclesiasticarum ambitus. Cæterum tunc in conciliis nullus fere sedendi ordo erat. Diligenter pro more suo quæsivit in hanc rem Binterimius* (1) *et sibi deprehendisse visus est usque ad sæculum* IX *consecrationis tempora*
B *observata fuisse; dein usque ad sæculum* XI *primo loco venisse archiepiscopos, dein episcopos, antiquitatis ordine neglecto; postea autem singulis provinciis suum assignatum fuisse scammum, ita ut primus locus esset metropolitæ, dein episcopis juxta transactos in episcopatu annos. Verumtamen neque his nimium fidere licet, quum qui secundus hic indicatur ordo et ante sæculum* IX *non cœpisse traditur, jam in concilio Cabillonensi, anno circiter* 650 *celebrato, observatus fuisse deprehendatur* (2). *Utut autem hæc sunt, quum B.* Hilarus *tum inter concilii subscriptores, tum inter epistolæ datores (qui paulo melius ordine antiquitatis dispositi sunt) locum insignem occupet, temerus is non videbitur qui inde colliget eum ex antiquioribus fuisse episcopis.*

et certe anno 520 *episcopus jam erat, quum eo circiter tempore visitatus et consultus fuerit a S. Leobino. Ei anno* 541 *jam successerat S. Evanthius.*

26 *Certe anno* 520 *episcopus jam erat, ut constat ex Vita S. Leobini, tum monachi, postea vero episcopi Carnotensis.* Hic enim, *quemadmodum in ejus Vita legitur* (4), volens Lirinum pervenire, invenit quemdam fratrem Lirinensem, dicentem se non posse illic temperiei incommoditatem ferre; quo dicto, ab itinere, quod cœperat, revocatur. Deinde Gevalensem repetens urbem, cum a beatissimo Hilario, ejusdem urbis antistite, sacerdotaliter fuisset susceptus et aliquantisper cum eo commoratus; cœpit conqueri frater non aptum sibi locum videri ad habitandum. Unde, cum inter se eosdem fratres altercantes beatus Hilarius animadvertisset, cœpit hortari illum vagum fratrem ne a comitatu B. Leobini discederet; ne forte obedientiæ gratiam recedendo perderet, quam hactenus illum sequendo adeptus fuisset. Inde vero recedentes audientesque B. Lupi, *in Insula Barbaræ anachoretæ posteaque ad archiepiscopatum Lugdunensem assumpti et die* 25 *septembris annua culti veneratione,* famam longe lateque crebrescere, ad eum se humiliter contulerunt. *Quæ acta sint oportet anno* 520 *et sequenti, ut manifestum fecit Coin-*

tius (1). *Ad quotum usque annum Gabalitanam* D *ecclesiam rexerit S.* Hilarus *nuspiam proditum est. Id tantum novimus eum anno* 541 *jam e vita recessisse; quandoquidem, qui ei successit S. Evanthius, concilio Aurelianensi* IV *subscripsit* (2). *Passim video historicos affirmare ad nostrum S.* Hilarum *a B. Venantio Fortunato missum fuisse brevissimum salutatorium carmen, quod lib. III, cap.* 21, *illius operum legitur; a qua opinione decessores nostros* (3) *non recessisse vehementer miror; nam B. Venantius, in agro Tarvisino circa annum* 530 (4) *natus, ante annum* 565 *in Gallias non venit* (5), *multo itaque post S.* Hilari *mortem.*

§ IV. An S. Ilerus idem sit ac S. Hilarus. An orta ejus festivitas ex confusione cum S. Eligio. Antiquissimus cultus S. Hilarii Pictaviensis in diœcesi Mimatensi.

S. Ilero ex lectionibus de S. Enimia noto, applicata fuere S. Hilari *Acta; sed neque S. Ileri, neque S.* Hilari *nomen apparet in antiquioribus S. Enimiæ Actis.*

N*unc convertamus nos oportet ad S. Ilerum; de quo, si ad eum non pertineat S.* Hilari *Vita, nil omnino noscitur, nisi quod in Vitis seu lectionibus S. Enymiæ traditur hanc virginem abbatissam sacrasse. Quid itaque ea de re sentiendum sit expendamus. Imprimis animadvertendum est nullius episcopi nomen in antiqua Mimatensi S. Enymiæ Vita patere; modo integrum sit exemplar, quod ad nos misit ven. v. Baldit. Quæ Vita quum lucem nondum viderit et satis brevis sit, hic dabo.* Incipit vita sancte Enimie, virginis. — Sancta igitur Enimia virgo, provincia Germania, que Francia dicitur, orta, et in eadem nutrita, patrem regem Clodoveum, filium Dagoberti, habuit. Cujus attamen ejusdem nominis Clodoveus, primus ex regibus Francorum, fidei christiane consensit. Regine vero matris ejus nomine * Eustorgia fuit. In hujus virginis conversatione, secundum corporum incrementa, congrua etatibus, spiritualis gracie aucta prefulgebant insignia; ut grata simplicitas pueritiam, mitis innocentia adolescentiam, fervens devotio juventutem decorarent, ac totius primeve etatis exemplaria venture virtutum glorie mirabiliter consonarent. In
F suo quippe agro, antecedente florum jocunditate, futuram sanctorum fructuum ubertatem Spiritus presignavit. Non enim se, ut sepe fit, de iniquitate ad justiciam, de luxu ad continentiam, de mundo ad Deum convertit; sed de innocentia ad puritatem, de sobrietate ad perfectionem, de excelsis ad summa, Deo ducente, conscendit. Adhuc corpore adolescentula, grandevam matrone maturitatem moribus exequabat. Accedebat virtus cum tempore et inflammantes juventutis vultum, largitas manum, motum gravitas, animum pietas condiebat. Erat in sermonibus cauta, inter lascivos severa, inter turbatos tranquilla, verecunda in publico, studiosa in abdito. Nimirum, regie dignitatis oblita et inter aulicos mediocri indumento contecta, pauperum ser-

* nomen

(1) Geschichte der deutschen Concilien, tom I, pag. 174 et 175. — (2) Labbe, collect. concil. tom. VI, col. 391. — (3) Acta SS, tom. II Martii, pag. 350. — (4) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 520, num. 18 et 521, num. 2, tom. I, pag. 324 et 326. — (5) Sirmundus, Concil. Galliæ, tom. I, pag. 269. — (6) Acta SS. tom. III Octobris, pag. 407. — (7) Luchi, Vita Venantii Fortunati ante ejus Opp. ap. Migne, Patrologia latina, tom. LXXXVIII, col. 25. — (8) Ibid., col. 28.

vicio

A vicio se subdebat; quibus non solum alimentorum subsidia benigna largitate dependeret, sed, (et) pedes eorum lavans et lectisternia preparans, ulceribus quoque variisque ipsorum infirmitatibus sublevamina ministraret. Viris tantum illis familiaris erat, ad quos castitas non erubesceret, aut quibus digne mira condoleret. Mirentur alii cecorum illuminationem, paraliticorum curationem et hujusmodi cetera: tu plus mirare in diviciis pauperem, in superbis honoribus humilem, et ad licitos sub juvenilibus annis destinatam amplexus virginem perpetuo permanere; mirare, inquam, inter circumfluentes deliciarum dulcedines continentiam, inter dissimiles mores formasque illitas * juvenum castimoniam, carnis incentiva et etatis lasciviam dissimulare.

illicitas

quæ hic recitantur,

28 Virginis itaque fama de morum elegantia, de pulchritudinis gratia per totam discurrente Germaniam, comites et magnates legatos mittunt, munera cum precibus afferunt, opum copias honoresque promittunt, illius copulam expetentes. Tandem uni nuptura proponitur; regiisque famulis expensas paranti nuptiarum, dies cum gaudio a populis expectatur. Interim, ab utroque parente matrimonii petita consensum confidenter abnegat; sponsum Christum, cui se ab infancia devovisset, pretendens urget; vix parentum nec patet liber exitus evadendi. Sed virgo sapiens ad celeste auxilium confugit; ac, quiescentibus aliis, pervigil integritatis sue defensatrices preces effundit; nec parve fidei ac sinceritatis preces illas fuisse rei eventus ostendit. Nam corpus ejus lepra percutitur et elefancie morbo appetibilis carnis decor fuscatur. Itar * tristibus nimis amicis, medici exquisiti conveniunt; phisice artis remedia egrotanti impendunt; ac Dei medicine medicinam humanam incassum apponunt. Quis enim infirmare Dei consilium possit? Sic frustrato medicorum conamine, grates agit felix Enimia, non solum a corruptione integritatis, sed a timore corruptionis erepta. Verum, post aliquantos evoluti temporis cursus, visione admonetur angelica, ut, ad Gabalitanas tendens partes, Fontem nomine Burlam disquireret; cujus aquis abluta, pristine sanitatis decorem reciperet. Audientes hec parentes exultant; itineri tanto sufficientes impensas apparant ac sodales annumerant. Egressa igitur patria, post longa terrarum spacia Gabalitanos fines ingreditur; fontem requirit; loca circuit diversa sanitatis. Tunc cujusdam loci matrona, requisita de fonte, se nescire respondet. Non tamen procul esse balnea morbidis salutifera, perhibetque illa. An deberet subire dum dubitat, angelus in nocte ne ibi remoretur denunciat. In loco angelice visionis post ejus transitum in ipsius nomine ecclesia fabricata usque in presens consistit. Regina denique cum sociis, dum per prerupta locorum devia lustrando tenderet, confinia Tarni ac Burle contingens, Dei nutu pastores de Burla loquentes audit; quorum unus, conductu virginis previus, diu desideratas aquas ostendit. Premissa ergo orans, membra intingit et sanitas redit.

B

C

Itaque

dummodo hæc

29 Post actas Deo grates, ortantibus sociis, ad patriam remeans jam vallem exierat, et ecce recidiva lepra carnem paulo ante dimissam ex integro occupat. Proinde fluenta repetit, lavatur et munda fit. Secundo etiam repedare volens, eadem infirmitate deprimitur. Simili medicamento sanatur. Considerat felix Enimia consilium Dei totamque spem abjicit redeundi. Nec ideo, ut opinor, Omnipotentis censura regrediendi obstitit quin templum suum inviolatum ubique conservare vellet et posset, sed ut terram, precipiciis ac parva fructuositate pene inviam et inhabitabilem, habitabilem faceret; intrantibus quoque in ea virginitatis exemplum formans et patrocinium donans. Interea Dei famula, convocatas sodales dulciter alloquens, propositum sue voluntatis evolvit ac liberam illis remeandi vel abeundi optionem in commune concedit. Quorum alii, ejus amore et exortatione firmati, remanere consentiunt, divine sese religioni dedentes; alii autem redire proponunt, rerum eventus ac mandata domine ad patriam deferentes. Remeantibus igitur manendi loca designat; vivendi modum ordinat; congruis monitis ac preceptis informat; ipsa vero, arctius Deo sitiens inherere mortificatamque vigiliis et abstinencia carnem spiritui funditus subdere, retenta secum filiola virgine sola, in superioribus angustam sedem elegit, ut ea ipsa asperitate habitationis perpendi possit asperitas conversationis, cum vite puritate conveniente mansionis mundicia, que est a communi sordium contaminatione seposita, sublimitate quoque rupis cum eminentia contemplationis : quam asper enim, quam arduus, quamque ascensu aut descensu locus ille difficilis sit non facile nisi ab experto cognoscitur. Vere virgo prudens, que in petre soliditate domum suam constituit, cujus fundamenta nec flatus ventorum, nec inundatio aquarum movere possit. Meditabatur ibi in lege Domini, verbi celestis dulcedinem captans, ad adventum sponsi parata accurrere, luce et oleo lampadem suam ornans. Nam ad unum se colligens, ne turbaretur ad plurima, sedebat ad pedes Christi in scola virtutum, sub Spiritus Sancti custodia, crebris jejuniorum laboribus se macerabat, herbarum vilitate ac modico pane contenta; reprimebat quicquid in se titillabat, oculis, lingua, opere et animo casta.

AUCTORE V. D. B.

E

30 Videres virginem ita sibimet in omnibus esse concordem, ut in gestu et habitu corporis apparerent munde vestigia mentis. Domus quippe Dei interius ornamentum per ipsam foras translucebat vestibulum. Intendebatur in anteriora quotidie, et in dies superna alite roborata, semetipsa melior incedebat, voluptati renuncians, lasciviam penitus abdicans, pitanciam calcans, in amore superno nimium dilatabat. Erat in cogitationibus munda, in operibus seria, in meditatione compuncta; vivebat ad animi discernendos motus intenta, ad Dei laudem assidua, devota in silentio, doctrinosa in verbo, solida in adversis, non elata in prosperis, in gaudio timorata, in timore secura; roborabat ratiocinando spiritum, affectus superfluos allidebat ad Christum, nuda dimicans cum diabolo, verum mundi contemptum predicabat exemplo; celi anxia desiderio, mundi deplorabat exilium; et indignata ad culpam, patiens stabat ad culpe flagellum; nec impatientie manus dabat, tentatione vallata, motibus iracundie imperans, tedio non cedens, in omnibus circumspecta; habebat

integra sint. In Vita S. Enimiæ, sæculo XIII *lingua Provinciali a Bertrando Massiliensi scripta, reperitur S.* Yles *seu* Ylis *nomen;*

AUCTORE V. D. B.

habebat in se ecclesie ubera, compasssionis et congratulationis amica; ardebat magis ac magis, castis sponsi amplexibus astricta, sinistra sub capite superposita, dextra abscondita in timentibus; degustabat in cellarium regis inducta; cibabatur pane lacrimarum, sub abscondita divine faciei ab hominum conturbatione protecta. *In hac itaque Vita mentio non fit de ullo Gabalitano episcopo; neque scio* S. Hilari *seu Ileri nomen reperiri in aliqua S. Enymiæ Vita, quæ antiquior sit carminibus de ea sancta, sæculo* (*ut videtur*) XIII *lingua provinciali a Bertrando Massiliensi conscriptis et a cl. V. Raynouard primum editis* (1). *In hac autem poetica lucubratione, anachronismis plena, multus fit sermo de* Sanz Yles, Sainz Yles, Sainchz Ylis, Sanhz Yles (*variis enim illis modis nomen scribitur*); *qui S.* Yles *seu* Ylis *non potius* Ilerus *quam* Hilarus *latine dicendus est. Expulsum occisumque ab eo serpentem, S. Enymiæ speluncæ infestum, pluribus ibidem narratur: quod miraculum* (*ut id breviter notem*) *meliori utique auctoritate niti posset.*

sed sive S Enimia dicatur filia Clodovæi I, sive Clodovæi II.

31 *In eadem scriptione provinciali mater S. Enymiæ* Astorga *dicitur; quæ in Vita illa latina et alibi nomen* Eustorgiam *habet. Atque hæc quidem mulier, uti ipsamet S. Enymia, in censu regii Merovingiorum generis non venit; ast parum inde movendus est lector, quum passim reges regiique filii, etiam adolescentes, concubinas haberent aut furtivas nuptias facerent; ut prima illa regum Francorum stirps per luxuriam interiisse videatur. Sed jam de patre; quem nosse multo magis nostra interest, quum hinc pendeat temporum ratio. Porro in Usuardinis Molani additionibus dicitur sancta Enymia* Clodovæi regis filia; *quod si placeret Mimatensibus facilis foret temporum ratio et plane manifestum esset S. Ilerum certissime eumdem esse ac S.* Hilarum; *sed negant id plane. In Vita autem, quam manibus tractavit Mabillonius* (2), *dicitur* progenita de patre rege, nomine Chlodoveo, filio Dagoberti, cujus atavus, eodem nomine Chlodovæus, inter Francorum reges primus fidem suscepit; *quibuscum conveniunt Vita latina, superius recitata, et provincialis Bertrandi Massiliensis* (3). *Sed Clodovæus II*
C *(qui filius Dagoberti I, qui filius Clotarii II, qui filius Chilperici I, qui filius Clotarii I, qui filius Clodovei I), natus est anno* 633, *rex Neustriæ et Burgundiæ constitutus anno* 635, *patri in utroque regno successit anno* 638, *rex Austrasiæ factus est anno* 653 *et diem obiit anno* 656; *ita ut si S. Enymia ejus filia fuerit, hæc non potuerit nasci ante annum* 648 *et abbatiali consecratione a S. Ilero donari nisi post patris mortem, licet in Vita provinciali dicatur pater tunc temporis adhuc vixisse. Ast id si teneatur, quomodo S. Ilerus adire potuit Theodebertum I, regem Austrasiæ, qui diem obiit anno* 548, *aut Theodebertum II, qui idem regnum obtinuit anno* 596 *et anno* 612 *truculenta morte amisit? Jure merito hæc non placent Mimatensibus.*

sive Clotarii II, S. Hilari *Acta non possunt*

32 *In Officio itaque S. Enimiæ, anno* 1619 *excuso, dicta est pia virgo* filia Clotarii Junioris *et* frater virginis Dagobertus *et eamdem sententiam tuetur Modestus a S. Amabili, interpres seu auctor Monarchiæ sanctæ, qua Vitæ sanctorum stirpis Merovingicæ continentur et Rev. V. Hieronymus Charbonnel, qui nuper originem et historiam ecclesiæ Mimatensis non sine laude edidit* (4). *Jam vero quum Clotarius II seu Junior natus sit medio anno* 584, *nata non fuerit S. Enimia ante annum* 600. *Sed audi: postquam nuptias respuisset S. Enimia et lepra, quam contraxerat, liberata esset, et aliquandiu, immo plures forte annos eremiticam vitam egisset, a patre Clotario et fratre Dagoberto* emitur tota in orbem *in pago Gabalitano* regio et Deo per virginem mancipatur monasterium virginum. Duo templa, alterum Deiparæ, sancto Petro alterum, Enymiam abbatissam et virgines discipulas evocatus Mimatensis præsul beatus Ilerus consecrat ritu solemni. *Novi olim juvenculas creatas fuisse abbatissas; sed certe nemo exspectabit a S. Enimia duo absoluta fuisse templa et monasterium conditum, nisi quum annos nata esset saltem viginti quinque; maxime quod in antiquioribus Vitis dicatur aliquandiu vitam eremiticam cum filiola egisse, priusquam de cœnobio*
E *exstruendo actum fuerit. Verum hic ad alium scopulum offendimus. Anno enim* 625 *S. Ilerus Mimatensis seu Gabalitanus episcopus esse non potuit, quoniam tum eam cathedram occupabat Agricola, quippe qui interfuit concilio Remensi, quod illo anno celebratum fuisse luculente ostendit Cointius* (5). *Frustra itaque reclamat V. V. Pascal* (6) *adversus hunc historiographum, frustra adversus Galliam Christianam, frustra adversus decessores nostros, quibus persuasum est quod, si exstiterit S. Ilerus a S.* Hilaro *nostro diversus, is sedere debuit in Mimatensi cathedra post Agricolam. Ast ita si sit, non potuit S. Ilerus, post adeptum episcopatum, Theodebertum II, Austrasiæ regem, adire; quandoquidem hic, ut jam monuimus, occisus est anno* 612. *Manifestum itaque est S.* Hilari *Vitam, in qua hic traditur* ad Theodobertum, Francorum regem, pro remediis commissæ sibi provinciæ festinase, *primitus fuisse scriptam de nostro S.* Hilaro, *nequaquam autem de alio S. Ilero, qui templa B. Mariæ et S. Petri dedicarit et abbatissam sacrarit S. Enimiam,*
F *sive hæc dicatur Clodovæi Magni filia, sive Clodovæi II, sive demum Clotarii Junioris seu II.*

Multa suadent numquam exstitisse episcopum Gabalitanum, nomine Ilerum, diversum a nostro S. Hilaro.

33 *Sed quum passim S. Enimiæ Acta, quæ terna numero diversaque versavit Mabillonius,* mendis et erroribus referta sint (7); *quum aliunde non noscatur S. Ilerus quam ex similibus Vitis; quum in agro Gabalitano præter oppidum* Saint-Chely-d'Apcher, *ad septentrionem, situs sit alter vicus* Saint-Chely-de-Tarn, *ad meridiem, non procul ab oppido S. Enimiæ, quumque omni tempore vulgus pronum fuerit ad miscenda sanctorum acta, qui in vicinia colebantur, (licet cæterum longo spatio eorum ætates discretæ fuissent,) et proinde facile invaluerit opinio S. Enimiam a S.* Hilaro *sacratam fuisse; quo commento recepto, necesse fuerit S. Hilarum sæculo* VII *constituere, diversum a S.* Hilaro

convenire S. Ilero, diverso a S. Hilaro.

(1) Raynouard, Lexique roman, tom. I, p. 549 et seqq. — (2) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæc. II, pag. IX. — (3) Partem edidit Raynouard, Lexique roman, tom. I, p. 549 et seqq.; integram Sachs, La vie de sainte Enimie, von Bertram von Marseille, in provenzalischer Sprache zum ersten Male vollständig herausgegeben, Berlin, Weidmann, 1857; et correctius Bartsch, Denkmäler der provenzalischer Literatur, pag. 215 et seqq. — (4) Origine et histoire abrégée de l'église de Mende, p. 108 et 109. — (5) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 625, num. 14, tom. II, p. 751. — (6) Gabalum Christianum, p. 176. — (7) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæculum II, p. IX et X.

laro

A Ilaro *sæculi* VI; *dubitare subit an ita reapse hoc loco sit; seu etiam an qui S. Enimiæ Acta consarcinarunt æstimarint se virginis hujus gloriam aucturos esse, si dicerent eam abbatialem benedictionem accepisse a celeberrimo sanctissimoque viro S.* Hilaro,, *qui in propinquo colebatur. In hanc sententiam propenderunt decessores nostri* (1) : *quamobrem a V. V. Pascale* (2) *male mulctati sunt; sed bona venia amicorum pientissimi scriptoris* (*hunc enim diem obiisse legisse mihi videor*), *ne umbram quidem argumenti protulit, quo eorum dicta imprudentia esse ostenderet. Quid? quod in dubium revocavit an lectiones de S. Ilero summarium essent Vitæ S.* Hilari, *consilio sane mirabili, quandoquidem hanc Vitam numquam viderat, graves scriptores id noverat affirmasse et locuu valde conspicuum ab iis productum legerat? Nomina etiam* Hilarum *et* Ilerum *eadem esse ei omnino non placuit. Imprimis tamen indubium est episcopum Gabalitanum, qui die* 25 *octobris colitur, in aliis monumentis vocari* Hilarum, *in aliis* Hilarium; *quemadmodum deprehendere potuit lector, qui quæ sparsim adduximus ocu-*
B *lis perlustrarit. Quæ vera nominis forma sit, quum utraque Romanis usitata esset, difficile scitu est. Quum tamen* Hilarii *inter christianos* (*quantum ex superstitibus lapidibus, conciliorum subscriptionibus aliisque id genus monumentis colligitur*) *frequentiores fuisse videantur quam* Hilari, *magis pronum erat ut librarii* Hilaros *mutarent in* Hilarios *quam ut Hilaros substituerent* Hilariis; *quamobrem quo minus commune est* Hilari *nomen, tanto sincerius videtur. Dein in antiquissimis diplomatibus Sandionysianis, quæ supra numm.* 6 *et seqq. ex Felibiano secundum exemplaria autographa recitavimus, constanter* Ilarus *vocatur et* Hilarus; *in solo diplomate Caroli Magni, procul a S. Dionysii asceterio conscripto,* Illarius *appellatur. Ecgrapha sunt documenta reliqua, in quibus* Hilarius *dicitur; proinde habenda minoris momenti, utpote quæ librariorum vitio facile corrupta sint.*

An Ilerus *et* Hilarus *sint duæ ejusdem nominis formæ.*

C 34 *In officio proprio Mimatensi anni* 1691 *in lectionibus tum S. Enimiæ ad diem* 6 *octobris, tum S. Ileri ad* 1 *decembris S.* Ilerus *constanter dicitur; in Vitis S. Enimiæ, quas vidit Mabillonius,* Hilerus *et* Ilerus; *in Gallia Christiana Claudii Roberti* (3), *manifesto typothetarum vitio,* Iserus; *itemque in Martyrologio Gallicano Saussayi, qui nil præter Robertum legerat. Unum Saussayum secutus est Cointius, scripsitque etiam* Iserum (4). *Fratres Sammarthani, qui Robertum viderant et Officium, anno* 1619 *excusum, S.* Ilerum *vel* Iserum *scripserunt* (5); *idemque fecit auctor Catalogi episcoporum Mimatensium; quem quidem antiquum nuncupat V. V. Pascal* (6), *sed qui reapse editione typographica operum Flodoardi Remensi recentior est, verisimiliter non diversus a scriptore catalogi, sæculo* XVIII *conscripti, cujus apographum ad me misit toties laudatus Ven. V. Baldit, et qui luculente a Roberto sibi imponi passus est. Alibi etiam quam in Vitis lectis a Mabillonio* Hilarum *dici et* Hilarem *testis mihi est laudatus V. V. Pascal* (7). *Neque ego dubitare possum quin hæc sit vera nominis forma. Aperi libros, veteres continentes titulos : passim videbis scriptum seu potius sculptum in marmoribus* Ilarum, Ilarium; Ilaritatem. *etc loco.* Hilari, Hilarii, Hilaritatis; *sed nil communius quam ut aspirationes omittantur. Quod autem latinum* a, *maxime si in vocabulis gallicis ultimarum aut penultimarum syllabarum pars fiat, mutatur in* è *aut* ai, *quis ignorat?. Id imprimis obtinet in omnibus pene vocabulis gallicis, quæ desinunt in* aire, aile, ain, *etc.; dein* carus, *fit* cher; amarus, amer; mare, mer; alacer, alègre; acer, aigre; macer, maigre; clarus, clair; par, pair; caro, chair *etc. Promptum itaque erat ut* Hilarus *mutaretur a vulgo in* Ilair *seu* Iler; *neque mirum est postea ex vulgari nomine* Iler *effictum esse nomen latinum* Ilerum. *Similium conversionum nominum millena exempla passim obvia sunt, tum recentis, tum medii ævi. Aliquot dabo infra in Commentario de S. Fructo; et supra monui quod S.* Spanus, *cujus genuinum nomen videtur fuisse* Hispanus, *ex vulgari* Saint Spain *effictus sit. Continuo talia nobis obvia fiunt. At, ut nil vetat quin* Ilerus *idem nomen sit quod* Hilarus, *ita reapse esse suadet lex et*
D *conditio nominum; quæ vel prius gesta sunt a* E *sanctis orientalibus* (*raro utique tum in Galliis exemplo*), *vel originem habent græcam, latinam aut germanicam. At sanctus Ilerus inter orientales numquam fuit; et tale vocabulum neque græca, neque latina, neque germanicæ linguæ noverunt: superest itaque ut ab* Hilaro *detortum sit.*

AUCTORE V. D. B.

An obstet quod S. Hilarus *et S.* Ilerus *diversis diebus colantur.*

35 *Hactenus nil offendimus quo vetamur quin S.* Hilarum *et S.* Ilerum *unum eumdemque habeamus virum. At quod alter alterum habet festum, distinctionis videtur esse indicium. Ut jam docuimus, S.* Hilari *natalis celebrari jubetur in Officio proprio anni* 1619, *die* 25 *octobris; item in editione anni* 1720; *similiter in Breviario et Missali Mimatensibus secundum ritum Parisiensem; quod jussum anno* 1853 *adhuc servabatur, ut testis est V. V. Pascal* (8); *neque mutatio facta est in novo Proprio Mimatensi, die* 29 *aprilis anni* 1858 *a S. R. C. approbato. Guilielmus Catellus* (9), *qui Comites suos Tolosanos edidit anno* 1623, *tradit a Mimatensibus S.* Hilari *festum agi et in Martyrologio eorum notari die* 26 *octobris; sed licet mihi non constet Catellum usum fuisse Officio proprio*
F *anni* 1619 *et licet in codice Usuardino Hagenoyensi revera S.* Hilari *festum annuntietur die* 26 *octobris, non mihi persuadere possum S.* Hilari *festum non omni tempore celebratum fuisse die* 25 *octobris, qua in genuino Usuardi Martyrologio annuntiatur; et certe in calendario ms. Mimatensi anni* 1323 *et in altero sæculi* XV, *quod nunc illic in publica bibliotheca servatur, indicatur S.* Ylarii *festum die* 25 *octobris; et sub eadem die in Necrologio sæculi* XVI, *in archivo provinciæ Luzeranæ deposito, legitur :* Ylarii, episcopi Mimatensis, festum fundatum per D. Gilibertum de Cenareto; *quod scilicet suppeditarat pecuniam, in annua festivitate procuranda necessariam. Difficilior est S. Ilerus. Scripserat Claudius Robertus in catalogo episcoporum Mimatensium, brevitatem forte nimiam prosecutus* (10): S. Iserus * 1 Decembris
* Ilerus et 6 octobris; *quibus indicare voluerat in Offi-*

(1) Acta SS. tom. III Octobris, p. 410. — (2) Gabalum Christianum, p. 173 et seqq. — (3) P. 443. — (4) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 628, num. 11, tom II, p. 794. — (5) Gallia Christiana, edit. 1656, tom. III, p. 727. — (6) Gabalum Christianum, p. 177. — (7) Ibid. p. 175. — (8) Gabalum christianum, p. 297. — (9) Histoire des comtes de Tolose, p. 174. — (10) Gallia christiana, edit. 1626, p. 425.

cio

AUCTORE V. D. B.

cio anni 1619, *quod ad finem illius catalogi laudat, ejus mentionem fieri ad utramque diem; ad diem scilicet* 1 *decembris, qua ejus festum agitur, et ad diem* 6 *octobris, qua laudatur in lectionibus de S. Enimia, illa die honorifice celebrata. Hæc non intellexit Saussayus, carens illo Officio, atque ita vertit :* Non hac modo die 1 decembris ejus beata memoria illic celebratur, at iterum die sexta octobris; *addiditque, more suo conjecturas pro rebus certis vendens :* Quarum una est depositionis, altera translationis. *Hæc sine scrupulo recepit Cointius* (4); *similiter Dionysius Sammarthanus* (3). *Atque ea ratione factus est Claudius Robertus innocua causa, ut non tantum S. Iserus dicatur, verum etiam feratur olim duo habuisse festa. S. Ilerus itaque apud Mimatenses* (*ut etiam ad me rescripsit ven. v. Baldit*) *unum tantum olim habuit festum diem et adhuc habet, diem utique* 1 *decembris; qui eis habetur dies obitus seu depositionis, ita ut in fine lectionum additum sit :* Kalendis decembris humana deserens ad æterna migravit. *Qua de re si constaret, utique duos S.* Hilaros *episcopos habuissent Gabalitani,*
B *aut si malint unum S.* Hilarum *et alterum S. Ilerum. Sed priusquam id dandum videatur lectori, certe scire volet ex quo tempore S. Ilerus, martyrologis plane ignotus, die* 1 *decembris ab eis colatur; quæ hujus cultus fuerit origo; unde sciverint eum die* 1 *decembris vita functum fuisse: cujus cæterum gesta ita ignorabant ut S.* Hilarum *sua spoliarint Vita eaque ornarint S. Ilerum. Hac de re literas dedi in illas partes; ad quas respondit ven. v. Baldit ad diem* 1 *decembris in Kalendario Mimatensi sæculi* XV, *superius indicato, neque S.* Hilari, *neque S. Ileri nomen aut aliud simile apparere; in Libro fundationum pro mortuis sæculi* XVI, *in bibliotheca civitatis nunc custodito, legi :* Calendas decembris S^tus^ Ilerus Mimatensis; *et in Necrologio ejusdem sæculi, item supra memorato :* Decembris I Ileri episcopi festum fundatum per Dalphine Parlieyro. *Multo copiosius neque minus erudite scripsit ad me de eodem argumento ven. v. H. Charbonnel, Mimatensis seminarii tunc sodalis, multosque annos literas humaniores cum Societatis nostræ patribus professus in collegio nostro Mimatensi. Docet scilicet jam sæculo* XIV
C *celebratam fuisse S.* Hilari *memoriam die* 25 *octobris et S. Ileri die* 1 *decembris; utramque indicatam reperiri in Calendario Mimatensi anni* 1323; *in Directorio chori, quod lucem vidit, episcopo Guilielmo Durando, nepote celeberrimi Guilielmi Durandi Speculatoris, in Missali ms. Mimatensi sæculi* XIV; *in altero Missali, literis gothicis impresso et usitato usque ad iniens sæculum* XVII; *in Obituario seu Necrologio capituli, cui inscriptus est annus* 1528; *et in reliquis omnibus subsequentibus liturgicis Mimatensibus libris; ita ut dubitandum non videatur quin initio sæculi* XIV *S. Ileri festum, distinctum a S.* Hilari, *antiquius sit et deinceps semper perseverarit. Verum hujus rei auctoritas multum inde minuitur, quod jam tum non alia censeretur S. Ileri Vita quam S.* Hilari. *Ut enim me monet idem Ven. V. Charbonnel, in rubricis Directorii chori sæculi* XIV *jubentur recitari lectiones propriæ de S. Ilero, fieri vero de communi confessoris pontificis in festo S.* Hilari. *Neque mirum cniquam videri potest S. Ilerum illo ævo* D *diversum habitum fuisse a S.* Hilaro, *quum multo ante in provinciali Bertrandi Massiliensis S. Enimiæ Vita celebraretur S.* Hilarus *seu* Ylis *et* Yles, *qui* (*si recte id nomen in illa Vita venisset*) *non poterat non esse alius ac S.* Hilarus *die* 25 *octobris honoratus. Origo itaque festi huc forte referenda est; unde non potest non difficilis videri S. Ilerus. Quod si jam rogor ut apertius meam dicam sententiam, plane profitebor me dolere quod nullus mihi Mimatensis præivit; interim mihi videri Gabalitanos unum S.* Hilarum *habuisse episcopum, et S. Ilerum, vulgo* Saint Chely, *quem die* 1 *decembris celebrant, alium non esse, quam S. Eligium; qui passim in Galliis die* 1 *decembris colitur et quem* Saint Chely *in illis partibus etiam appellari continuo lector intelliget.*

Quonium S. Hilarus *et S. Eligius ambo vulgari nomine dicuntur* Saint Chely, *hinc ortum esse videtur ut S. Ilerus cultum obtinuerit die* 1 *decembris,*

36 *Castellanus in Onomastico hagiologico, edito ante Menagii Lexicon etymologicum gallicum, atque etiam in Martyrologio universali ad dies* 25 *septembris et octobris, docet S.* Hilari *gallicum nomen esse* Saint Chelirs; *verum etiam a Mimatensibus dici* Saint Gely; *neutroque in opere nosse voluit S. Ilerum, a S.* Hilaro *distinctum. Verum* Saint Gely *seu potius* Saint Chely *Mimatensium Simoni de Peyronet habetur S. Ilerus; ita ut ad hunc referat insignem cultum, quem* Saint Chely *in pago Gabalitano obtinuit olim, et adhuc obtinet. Lege ejus commentarium* (1); *in quo simul observa quæ de S. Eligii nominis immutatione immiscet :* CHELY, *inquit,* ILERUS, alias ISERUS, episcopus et confessor, vernacule S. CHELY dictus. Quæ vox gallica cum latina tam parum respondeat, suppositiam esse suspicati sunt nonnulli; ut genuinam tamen agnoscamus oportet. Nam ita vocatur S. Ilerus apud Gabalos, quorum olim fuit episcopus, ut videre est in vulgatis episcoporum Mimatensium catalogis; et nunc etiam in tractu Gabalitano oppidum est, quatuor ab episcopali S. Flori urbe leucis dissitum, a S. Ilero S. CHELY nuncupatum; cujus incolæ se propterea Ilerienses dicunt. Itaque, cum de re constet, causa tantæ mutationis investiganda. Ego ita factum puto : primo vulgus Gabalorum sua dilecto Ilerum appellabat ILER; deinde ultima consonante (ut passim inter Gallos fit) omissa, pronunciatum est ILÉ; quæ vox longo usu tra-
F jectione vocalium (ut in sexcentis aliis manifestum videmus) transiit in ELY. At quomodo literæ duæ c *et* H initio additæ sunt? Ratio petenda est ex gentis Gaballitanæ atque viciniæ propria dialecto; nam etiam nunc multis in locis in voce SANCTUS literæ T substituunt H suoque idiomate pro SANCT vel SONCT, SANCH vel SONCH dicunt; ut me docuit vir eruditus P. Portalier, Societatis Jesu theologus, et ipse Gabalitanus. Unde factum tandem ignorantia vulgi, ut ultimæ literæ adjectivi antecedentis principio substantivi sequentis adjicerentur : sic apud eosdem Gabalos pro S. AMANTIO alicubi dicitur SAN CHAMANS vel SON CHOMONS; et apud Ruthenos S. Eligius S. CHELY; cujus nomine dictum habent oppidum, vulgo S. CHELY nuncupatum; et in Sebusianis seu Foresiensibus oppidum S. Annemundi vocatur S. CHAMOND. Idem dicendum de S. Aniano, vulgo S. CHINAN. *Quibus adde* S. Chimas *seu* Chamas

(1) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 628, num. 11, tom. I, p. 794. — (2) Gallia christiana nova, tom. I col. 88. — (3) Catalogus Sanctorum ac Sanctarum, p. 280 et 281.

ex

A *ex S. Amando effictum;* S. Chapte *ex S. Agatha;* S. Chipar *ex S. Eparchio; et detracta prima syllaba,* S. Châfre *ex S. Theofredo et* S. Cherf *ex S. Theuderio. Alia vide infra, pag.* 643; *et in Commentario de S. Fructo, quem jam indicavi, aliquid simile apud Hispanos exsistere significabo.*

qua passim S. Eligius colitur.

37 *Ex his concludamus oportet nil omnino obstare quin* Saint Chely, *die* 1 *decembris a Gabalis cultus, sit celeberrimus S. Eligius. Verum ven. v. Hieronymus Charbonnel, in rebus Mimatensibus diligenter versatus, ut ab hac me opinione revocaret, monuit re quidem vera homines, literas gallicas doctos, solitos esse pronuntiare* Sain-Tchély, *sed plebem rusticam dicere* Sen-Tchâguè, *quibus verba gallica* Saint Hilar, *repræsententur, litera* l *pro more mutata in durissimam aspirationem* gh; *sic* S. Eulaliam *dici* Sento Ougâjo, candelabrum tchandagabre, palam pago, *et vulgari proverbio :* Per sent Agari tous mulatiers dison pa plus arri, *id est :* Post S. Hilarii festum *seu* 14 *januarii* mularii non amplius dicunt : Perge porro. *Hæc plane inficias non ibo; sed nemo non con-*

B *senserit nomen vici seu oppiduli* Saint-Chely *vetus rusticum vocabulum esse; item* Sainch Ylis, *S. Hilari nomen quod in Vita poetica provinciali S. Enimiæ obvium habuimus : unde collige olim rusticos liquidam* l *in nomine* S. Hilari *nondum mutasse in aspiratam* gh, *sed serius id fecisse; quod cæterum mutationum succedanearum genus passim in omnibus idiomatibus deprehenditur. Audio præterea qui mihi occinant a Mimatensibus die* 1 *decembris coli S. Ilerum et simul S. Eligium, eosque proinde distinctos esse. Revera ex quo tempore ritus Parisienses ritibus Romanis illic substituti sunt, S. Ileri cultu redacto ad ritum semiduplicem, addita est commemoratio S. Eligii; sed ante ita non erat. In Officio anni* 1619 *fieri jubetur festum S. Ileri ritu duplici et nil de S. Eligio. Audio alios me monentes quod Peyronetius non affirmat S. Eligium a Gabalis, sed a vicinis Ruthenis dici* Saint Chely ; *verum quum in corrumpendo vocabulo* sanct *eamdem legem sequantur Gabali quam Rutheni, non potuit S. Eligii nomen ab illis etiam non verti in* Saint Chely ; *et quam primum sub uno nomine vulgari* Saint

C Chely *latebant S.* Hilarus *et S. Eligius, pronum erat ut confunderentur et ut aliquando S.* Hilarus *duo haberet festa, alterum genuinum die* 25 *octobris, alterum adulterinum die* 1 *decembris. Hæc si placeant Gabalis, definire poterunt utrum oppidum* Saint-Chely-d'Apcher *et parochia* Saint-Chely-du-Tarn *S.* Hilarum *vere patronum habeant an S. Eligium. Si die* 1 *decembris potissimum incolæ agant (idque ab antiquissimis temporibus) patroni sui festum, S. Eligium patronum esse erit pronuntiandum; si die* 25 *octobris, S.* Hilarum. *Vix tamen dubito quin hic patronus sit paræciæ* Saint-Chely-du-Tarn.

S. Hilarius Pictaviensis etiam colitur in agro Gabalitano occasione suppressæ superstitionis,

38 *Cavendum etiam ne S.* Hilarus *confundatur cum S. Hilario, episcopo Pictaviensi, qui jam annos mille trecentos singulari veneratione in agro Gabalitano colitur. Certe ante annum* 588, *quo S. Gregorius Turonensis librum suum de Gloria confessorum scripsit, templum ibidem in ejus honorem exstructum fuit : cujus origo narranda est, tum quod volunt nonnulli S.* Hilarum *Gabalitanum scribendum fuisse a S. Gregorio, non autem S. Hilarium Pictaviensem; tum quod species superstitionis eo loco declaratur, quam non procul a Massilia impugnavit etiam S.* Hilarus *Gabalitanus; ita ut mutua lux illis narratibus affundatur* (1). Mons enim erat in Gabalitano territorio, cognomento Helanus *, lacum habens magnum : ad quem certo tempore multitudo rusticorum, quasi libamina lacui illi exhibens, linteamina projiciebat ac pannos, qui ad usum vestimenti virilis præbentur; nonnulli lanæ vellera; plurimi etiam formas casei ac ceræ, vel panis, diversasque species, unusquisque juxta vires suas, quæ dinumerare per longum puto. Veniebant autem cum plaustris potum cibumque deferentes, mactantes animalia et per triduum epulantes. Quarta autem die, cum discedere deberent, anticipabat eos tempestas cum tonitruo et coruscatione valida; et in tantum imber ingens cum lapidum violentia descendebat, ut vix se quisquam eorum putaret evadere. Sic fiebat per singulos annos et involvebatur insipiens populus in errore. Post multa vero tempora, quidam sacerdos ex urbe ipsa, episcopatu assumpto, accessit ad locum, prædi-* E *cavitque turbis ut absisterent ab his, ne cælesti ira consumerentur : sed nequaquam ejus prædicatio a cruda rusticitate recipiebatur.*

AUCTORE V. D. B.

* *alias* Helanus, Elarus, Hilarius.

quam prope Massiliam S. Hilarus *etiam destruxit.*

39 Tunc inspirante divinitate, sacerdos Dei basilicam in honore B. Hilarii Pictaviensis eminus ab ora stagni ædificavit, in qua reliquias ejus locavit, dicens populo : Nolite, filioli, nolite peccare ante Dominum ; nulla est enim religio in stagno. Nolite maculare animas vestras in his ritibus vanis; sed potius cognoscite Deum et amicis ejus venerationem impendite : adorate autem sanctum Hilarium, Dei antistitem, cujus hic reliquiæ sunt conditæ; ipse enim potest pro vobis apud Dei misericordiam intercessor assistere. Tunc homines compuncti corde, conversi sunt : et relinquentes lacum, omnia, quæ ibidem projicere erant soliti, ad sanctam basilicam proferebant; et sic ab errore, quo vincti fuerant, relaxati sunt. Sed et tempestas deinceps a loco illo prohibita est; nec ultra in hac solemnitate, quæ Dei erat, nocuit, postquam beati confessoris ibidem sunt reliquiæ collocatæ. *Quod* Hilarus *et* Hilarius *eadem fere nomina* F *sunt et non facile intelligitur Pictaviensis episcopi reliquias in mediis Gabalitanis montibus exstitisse, censuere nonnulli lapsum fuisse S. Gregorium et in S.* Hilari *Gabalitani memoriam basilicam fuisse consecratam. Sed ex priore ratione sequitur quidem confusionem fuisse possibilem, sed nequaquam factam. Alterum vero argumentum plane nullum est, quum reliquiæ tunc panni essent, tumuli contactu consecrati, oleum ex lampadibus ante altaria ardentibus, et alia id genus, quæ passim circumferebantur. Helanus mons, qui et Helarus seu Elarus, quis sit jam pridem ignoratur; in parte autem meridionali pagi Gabalitani, quæ maxime montuosa est, in districtu utique Floriacensi, jacent duæ parochiæ, S. Hilarium patronum habentes, altera ad orientem Floriaci* Saint-Hilaire-de-la-Parade, *olim prioratus, altera* Saint-Hilaire-de-Lavit; *de alterutra agi volunt scriptores historiæ Occitaniæ* (2). *Contra*

(1) De gloria conff. cap. 2. — (2) Cfr D. Vaissette, Hist. du Languedoc, tom. I, pag. 281.

AUCTORE V. D. B.

cl. V. Cayx (1) *æstimat montem Helanum in ripa occidentali rivi Bessæ fuisse et lacum sacrum eo fere positum fuisse loco, quo in mappis Cassinii inter vicos Marcastel et S. Salvatoris aquarum congeries cernitur. Sed hæc mirum in modum incerta sunt.*

§ V. De pristina amplitudine pagi Gabalitani et civitatis Gabalorum situ.

In vita S. Hilari *quatuor distincta tempora.*

P*ostquam omnia illa impedimenta e via amota sunt, pauca observanda supersunt de his, quæ in* B. Hilari *Vita traduntur. Quatuor tempora distinguenda sunt : primum quod in sæculo egit; secundum, quod in* cella, duobus ferme millibus passuum a Mimatensi vico, tribus conjunctis fratribus ; *tertium, quod in* monasterio, prope flumen Tarnæ miro opere ac sumptuoso labore constructo ; *quartum demum, quod* episcopus urbis Gabalitanæ. *De primo nil est quod dicam. De secundo id unum animadvertam Gallias tum plenas fuisse cellis, tres aut quatuor conjunctos habentibus fratres : quod institutum perquam lugendum erat. Quamobrem S. Carileffus, seu quisquis Nileffus diaconus in Vitis mss. S. Leobini dicitur, monuit beatum hunc virum* ne parvæ se sociaret cellæ, quia dum singuli præponere se cupiebant, nulli obedientiæ ministrabatur (2). *Expertusne sit S.* Hilarus *easdem difficultates quis dixerit? Maluit tamen hanc cellam relinquere, quæ nullam sui reliquit memoriam, et magnum monasterium in ripa Tarni fluvii condere; quod (ni fallor) fecerit in vico, qui adhuc appellatur* Saint-Chely-de-Tarn. *Licet miro opere et sumptuoso labore exstructum fuerit id asceterium et multitudinem fratrum ceperit, ne memoratur quidem in catalogo destructorum monasteriorum diœcesis Mimatensis, qui in Gallia Christiana nova et in Gabalo Christiano V. V. Pascalis legitur ; neque alibi puto ejus memoria reperitur : ita perierunt omnia vestigia!*

Cll. vv. Walckenaer et Cayx sententiæ de pristini pagi et diœcesis Gabalitanæ finibus et urbe præcipua.

41 *Quum* S. Hilarus *sub initium sæculi* VI Gabalitanæ urbis episcopus *factus est, ubi cathedram suam constituerit jam inquirendum est; quandoquidem omittere non possumus argumentum, tam prope ad* S. Hilarum *spectans et sæpius hoc sæculo multa diligentia versatum; quocum connexa est controversia de amplitudine pagi Gabalitani. Ptolemæus, qui sub Hadriano et Marco Aurelio Antonio Geographica sua scripsit, hæc litteris consignavit* (3) : Sub iis (*Vasariis*) Gabali et civitas Anderidum; *unde apparet hanc caput fuisse pagi Gabalitani. Ejus situs indicatur in tabulis Pentingerianis, in quibus hæc legimus* (4) : Sigod[un]um. XXIV. Ad Silanum. XVIII. Anderitum. XXII. Condate. XII. Revessione. *Ast quum certo tantum sciatur Sigoduno Ruthenorum civitatem * repræsentari et Revessione oppidum S. Pauliani *, et quum hæsitatio, quæ ex intermediorum locorum ignorantia oritur, tolli nequeat una mil-*

* Rodès

* Saint-Paulhien

liariorum notitia (montuosa enim pagi conditio non sivit ut viæ rectæ essent) hinc alii in alias abierunt sententias de Anderiti positu; et quum Gabalorum episcopi proculdubio cathedram suam habuerint in urbe pagi capite, hinc de Anderito nil quæri potest quin simul quæratur de sede episcopali Gabalitana; et quum aliqui præterea voluerint Anderitum extra diœcesim Gabalitanam, qualis sæculo proxime superiori erat, fuisse sitam, in quæstionem quoque veniunt diœcesis seu pagi Gabalitani fines. De quibus omnibus rebus scripsere plures, quos inter Cll. VV. Walckenaer, Cayx et Ven. V. Pascal (5) *mihi potissimum innotuerunt. Horum postremus id unum fere cogitavit ex Propemptico S. Sidonii Apollinaris ostendere sæculo* V *Mimatem fuisse caput pagi Gabalitani; sed tam levis est hæc scriptio ut necesse non sit ejus instituere examen. Ambo alii dissertationem ediderunt de magnitudine finibusque pagi Gabalitani et de ejus urbe præcipua, alter inter Commentarios instituti academici Gallici* (1), *alter inter Commentarios archæologorum Galliæ. Aestimavit cl. V. Walckenaer, magnam diœcesis S. Flori partem, nempe pagum minorem Planitiam *, pagi Gabalitani finibus olim clausum fuisse et urbem Gabalorum Anderitum fuisse positam in hac parte inter fluvios Bessam * et Triobrim *, repræsentari hodierno vico* Anterrieux *seu* Antérieux *et proin extra fines pristinæ diœcesis Mimatensis seu pagi Gabalitani fuisse sitam. Cl. V. Cayx pristinum pagum Gabalitanum nequaquam tantopere amplificat; vult tamen angulum ad confluentem Bessæ et Triobris, S. Flori diœcesi contentum, et quatuor communitates capientem, ante erectam S. Flori cathedram pagi Gabalitani partem fuisse; vici* Antérieux *vetus nomen non* Anteritum *fuisse, sed* Ante rivum, *Bessam utique; Anteritum in medio pago Gabalitano jacuisse eique successisse vicum* Mont-Rodat, *semileuca a* Marvejols *orientem versus positum super pristinam viam Lugdunensem* (6). *Idem argumentum retractavit postea Cl. V. Walckenaer* (7), *a pristinis placitis eatenus discedens ut dixerit, sæculo* III *destructum fuisse Anteritum et tum locum, nunc* Javouls, Javous *et* Gavous *dictum, factum esse caput pagi Gabalitani et diœcesis, jam pridem Mimatensis nuncupatæ. Verum multum abest ut illæ solæ propugnatæ fuerint sententiæ ; alii alias habent suas : ita ut Gabali facile passuri sint a me quoque meam proponi.*

Pagus Planetia olim pars diœcesis Mimatensis non fuit, neque constat ad eamdem pertinuisse angulum inter Bessam et Triobrem.

42 *Imprimis dari non potest Cl. viro Walckenaer minorem pagum Planętiam, qui totus (ni fallor) diœcesi S. Flori absorptus est, a Joanne papa XXII, qui hanc novam sedem episcopalem anno* 1317 *constituit, ablatam fuisse a diœcesi Mimatensi et pago Gabalitano. Ut enim omittam partes remotiores, continebo me intra pauca aliquot loca. Imprimis Piperacum *, ubi S. Petrus de Chavanon sub medium sæculum* XI *abbatiam canonicorum regularium constituit, certissime de diœcesi Claromontana erat, quemadmodum liquet ex Durandi, episcopi Claromontani, in*

* Pibrac

(1) Cfr Mappa juncta ejus commentario de pago Gabalitano. —(2) D. Bouquet, Recueil des historiens, etc , tom. I, p. 71. — (3) Ibid., p. 113. — (4) Étude de géographie ancienne du pays de Gabalum ou Gévaudan, in Mémoires de la soc. d'agriculture du dép. de la Lozère, juillet et août 1852, p. 122 et seqq. — (5) Walckenaer, Mémoire sur l'étendue et les limites du territoire des Gabali et sur la position de leur capitale Anderitum in Mémoires de l'Institut, nouvelle série, tom. V, p. 398 et seqq. — (6) Cayx, Nouvelles recherches sur l'étendue du pays des Gabali et sur la position de leurs villes antiques, Mémoires de la société des antiq. de France, tom. VI, p 80 et suiv. — (7) Géographie ancienne des Gaules tom. I, p. 345 et seqq.

erigendo

A *erigendo hoc instituto gestis* (1). *Monasterium S. Petri de Casis* *, *quod idem S. Petrus aliquandiu rexit, similiter intra diœcesim Claromontanam erat; ita ut in diplomate anni* 1277 Margarita, humilis abbatissa de Casis, diœcesis Claromontanæ, *notum facit* se tenere a R^do^ in Christo patre domno Claromontensi episcopo monasterium et villam de Casis (2). *Ecclesia S. Flori, quæ* conjacebat in comitatu, in patria quæ vocatur Planetia, in monte Judiciaco, *æque intra ambitum diœcesis Claromontanæ erat; quare, quum exeunte sæculo* XI *data est Cluniacensibus, donationem signo suo firmavit* Stephanus, episcopus Claromontensis (3). *Sed quid hæc persequor? Vidit Dionysius Sammarthanus diplama pontificium, quo S. Flori diœcesis creata est, eamque nuncupat* bullam divisionis sedis novæ episcopalis a Claromontana (4). *Certum itaque esto Planetiam diœcesis Gabalitanæ seu Mimatensis partem non fuisse. An pars seu angulus pristinæ diœcesis S. Flori, inter Bessam et Triobrim jacens, ante Joannis XXII de dividenda Claromontana diœcesi decretum de diœcesi Mimatensi et pago*

B *Gabalitano esset, ut vult Cl. V. Cayx difficilior quæstio est. Ut id suadeat, allegat chartam* (5), *qua* Pontius, comes Gabalitanensis telluris necne Forensis patriæ, *anno* 1010 reddidit Domino et martyri Juliano ecclesiæ Brivatensis ecclesiam Langat et in comitatu Gabalitanense alteram ecclesiam, quæ vocatur Favairolas. *Manifestum itaque est vicum Favairolas, in illo angulo situm, de* comitatu Gabalitanensi *fuisse; verum quum comitatus comitum jurisdictione fixirentur* (6) *et hæc sæpe mutaretur, comitatus et pagus non semper conveniebant inter se : ita ut minus firmum sit id argumentum quam prima specie videatur, nec quidquam forsan prudentius sit quum ut fines pristinæ diœcesis Mimatensis, quæ proculdubio primævo pago Gabalitano respondebat, immotos fuisse censeamus.*

Argumenta, quibus cl. V. Walckenaer sententiam suam stabilire conatus est,

43 *Quum vero* Antérieux *diœcesi S. Flori caperetur, hinc sequitur hunc vicum vetus Anderitum non esse pagi Gabalitani caput et primam Mimatensium episcoporum sedem, quemadmodum eruditissimus vir Walckenaer, quem sine laude memorare non possum, persuadere*

C *conatus est. Operæ pretium fuerit breviter expendere rationes, quas affert tum ad ampliandos pagi Gabalitani fines, tum ad confundendum Anderitum cum* Antérieux. *S. Sidonius Apollinaris in Propemptico ad librum seu Carmine* XXIV, *per decem stativa mansionesque librum suum mittens, has inter designat sequentes* (7) :

Hinc te suscipiet benigna Brivas *,
Sancti quæ fovet ossa Juliani...
Hinc jam dexteriora carpis arva,
Emensusque jugum * die sub uno,
Flavum crastinus aspicis Triobrem *.
Tum terram Gabalum satis nivosam,
Et quantum indegenæ volunt putari,
Sublimem in puteo videbis urbem.

* Brioude-glise

* le Mont-Margéride
* la Truyère

Hæc qui legerit, nil præmeditatus, interpretabitur procul dubio quasi terra Gabalorum inciperet prope Triobrem rivum; sed aliter omnino Cl. V. Walckenaer, arbitratus hujus terræ fines ad ortum brumalem esse montes Margaridas; qua interpretatione nixus magnam diœcesis S. Flori partem pago Gabalitano se adscribere posse æstimavit et proinde nil obstare quin Antérieux *sit caput Gabalorum seu* urbs, *quam joco* sublimem in puteo *vocat B. Sidonius; favere formam vici* Antérieux, *ædificati in monticulo, consurgente in profundissima valle, atque etiam locorum distantias, tabula Peutingeriana indicatas; ea designari leucas gallicas, quarum duæ æquivalent tribus miliariis romanis; distantiam tamen Segodunum inter et Ad Silanum indicari milliariis romanis; eundum esse Sigoduno Ad Silanum, quem Castrumnovum* * *esse dicit, per vicos S. Boniti* * *et S. Cosmi; ex Castronovo ad* Antérieux *per oppida seu vicos S. Hilari* *, *S. Ursitii* * *et vallem Bessæ* * *rivi; ex* Antérieux *ad S. Arcontii* *; *atque hinc per viam de* Costaros *Revessionem* *.

* Castelnau
* S. Bonniac
*S. Chely
* Ureise
* la Bèse
* S. Arcons
* S. Paulhien

AUCTORE V. D. B.

44 *His positis, ope mapparum topographicarum Cassinii cogitata sua manifesta fecit sequenti schemate :*

TABULA PEUTINGERI.	LEUCÆ.	MILLIARIA.	MAPPÆ CASSINII.	TESÆ. (*Toises.*)	MILLIARIA.
Sigod[un]um	...	...	Rodès		
Ad Silanum	(24)	24?	Castelnau	18,500?	24 1/2?
Anderitum	18	27	Antérieux	20,100	26 1/2
Condate	22	33	Saint-Arcons	25,600	33 1/2
Revessione	12	18	Saint-Paulhien	15,800	18
		120			102 1/2

perquam incerta sunt.

E

Sed quæ in his certa sunt, parum ad Anderiti situm detegendum faciunt. Certum est, ut diximus, Sigodunum esse Ruthenorum civitatem et Revessionem S. Pauliani oppidum; haud scio an Condate, quo nomine oppidum in cuneo ad confluentem duorum rivorum designatur (8), *recte repræsentetur Cantogilo* * *ad occidentem S. Arcontii, quamquam alii malint S. Privati* (9), *alii S. Desiderii vicum* (10), *alii Monasteriolum ad Elaverum* * (11), *alii Conat* (12) *aliquot milliariis longius Condatæ locum occupare. Verum his nil omnino determinari potest, quum vicus* Javols, *quem multo verisimilius in Anderiti sede collocatum esse dicemus, eodem fere spatio distet a Cantogilo et a S. Pauliani oppidulo, quo* Antérieux. *Incertum autem plane est quæ sit mutatio Ad Silanum; quo nomine quum taberna aliqua significari videatur, credidit d'Anville* (13) *esse Stabula* *; *Vaissette* (14) *stativum prope* Treslans; *Joannes Astruc* (15) *locum prope oppidum S. Cosmi; et demum cl. V. Cayx* (16) *vicum* Auxillac; *quod nomen deductum sit ex* Ad Silanum *per* Aou-Sillac, *mutata ultima litera* n *in* c. *Quod*

* Chantenge

F

* Monistrol d'Allier

* Étables

(1) Acta SS., tom. III Septembris, p. 464 et seqq.—(2) Gallia christiana, tom. II, instrum., col. 158. — (3) Ibid., instr., col. 127 et 128. — (4) Ibid., col. 421 et 422. — (5) Baluze, Histoire généalogique de la maison d'Auvergne, tom. II, p. 50. — (6) Guérard, Essai sur le système des divisions territoriales de la France, p. 55. — (7) Ap. Migne, Patrologia latina, tom. LVIII, col. 745 et 746. — (8) Du Cange, Glossarium latinum, V° *Condate;* Ménage, Dictionnaire étymologique, V° *Condé;* Valesius, Notitia Galliarum, V° *Condate;* D'Anville, Notice de l'ancienne Gaule, p. 235 et seqq. — (9) D. Vaissette, Histoire du Languedoc, t. I, p. 16. — (10) Astruc, Mémoires pour l'hist. nat. du Languedoc, part. I, p. 125. — (11) D'Anville, Notice de l'ancienne Gaule, p. 258. — (12) Cayx, Mém. des antiq. de France, t. VII, p. 104. — (13) Notice, p. 607. — (14) Hist. du Languedoc, p. 62. — (15) Mémoires pour l'hist. nat. du Languedoc, part. I, p. 125. — (16) Mém. des antiq. de France, t. VII, p. 102 et 103.

vero

AUCTORE V. D. B.

vero multo magis incertum videtur, assumptum istud est cl. v. Walckenaer milliaria cum leucis illo loco mixta fuisse; neque proin admittendum est Sigodunum seu Ruthenos a statione Ad Silanum milliaria tantum 24 *distitisse, quum in Tabula Peutingeriana totidem leucæ legantur. Quæ postrema animadversio si conjugatur cum situ* Antérieux, *positi extra diœcesim et pagum Gabalitanum, certe sufficit ad diruendum universum systema celeberrimi geographi. Adde secum non constare doctissimum virum, quum ex una parte vult S. Sidonium Apollinarem exeunte sæculo* V *librum suum misisse in* Antérieux, *quasi urbs seu caput fuisset Gabalorum; ex altera vero exeunte sæculo* IV *aut ineunte* V *sedem episcopalem jam translatam fuisse Mimatem* (1). *Non arbitror necesse esse ut ostendam nil solidi esse in sententia cl. v. Cayx, Anderiti sedem in monte Rodato ponentis: mera conjectura est, nullo nixa fundamento: fundamentum enim non vocarim quod vetera rudera ibi fuere reperta : similia enim in sexcentis pagi Gabalitani locis fuere retecta.*

vico Javols
v Javous *Anritum seu*
gi caput
isse positum
udet nomen,
gularia ru-
ra retecta,
scriptio

45 *Cæterum aliunde satis constat viculum* Javols, *veterem Anderiti sedem esse. Jam docuimus hujus loci situm tam bene convenire cum tabula Peutingeriana, quam positionem vici* Antérieux: *quin etiam melius; ut enim cl. v. Walckenaer suam tueatur sententiam, duodecim milliaria detrahat necesse est a via, strata Segodunum inter et Anderitum; quod, quum* Javols *tanto spatio longius distet a Segoduno, nobis nequaquam faciendum est. Deinde considerandum est nomen* Javols *seu* Javous *tale esse ut eo repræsentetur urbs princeps seu caput Gabalorum; qua in re cum Anderito convenit. Littera scilicet* g, *ubi sequitur vocalis, mutatur frequenter in* j *in nominibus gallicis, ex latinis derivatis : sic* Gamba *fit* Jambe; Gaudium, Joie; Gemelli, Jumeaux; Genæ, Joues; Gemeticum, Jumiéges ; Gargolium, Jargeau ; Gaudiosa, Joyeuse; Mons Gaudii, Montjoie; *atque hæc sponte occurrunt. Ubi vero aperio Cangii Glossarium ad litteram* i *incido in innumera verba, quæ jam ab* g *seu* c, *jam ab* j *incipiunt :* Gardinum *fit* Jardinum; Gaola, Jaola; Chable, Cable, Jaable; Jacca, Cocca; Jactus, Gettus ; Jarria, Joria, Gerria; Jarrigia, Garrigia, *etc.; sed hæc*
C *luce meridiana clariora sunt; adeoque cl. v. Cayx* (2) *monet in pago Gabalitano passim* g *mutari in* j; *quod vel ex nomine vici* saint Jueri, *super Bessam siti, intelligas, quum* S. Georgius *sub insueta illa forma lateat. Nil itaque dubitandum quin nomen* Javols *idem sit ac* Gabalum; *quod tantum valere ac civitatem Gabalorum mox videbimus. Retecta singularia rudera non minus favent. Jam olim reperta fuerant; et ferebatur passim terram illic moveri non posse quin antiqua monumenta apparerent; sed quum a doctis viris examen nullum umquam institutum fuisset, licebat profecto credere non plura ibi exstare veterum monumentorum reliquias quam in aliis multis agri Gabalitani. Atque ea erant res conditione, quum anno* 1815 *cl. v. Walckenaer commentarium suum publice legit de illo pago ejusque urbe Anderito. Verum postea, maxime ab anno* 1829, *infinitæ effossæ* D *sunt antiquorum ædificiorum parietinæ et alia id genus pristinæ amplitudinis testimonia. Designabo tantum muros, in orbem constructos, qui circus fuisse visus est et in cujus meditullio columna erat lapidea, dicata Postumo a* civitate Gabalorum (3). *Integram inscriptionem misit ad me ven. v. Baldit, passim a me memoratus. Brevitatis gratia suppressas literas minoribus typis inseram :*

IMPeratori. Cæsari. Marco. CASSi
ANIO. LATINIO. PO
STVMO. INVICTO
Pio. Felici. AVGusto. PONtifici. MA
XIMO. Tribunitia. Potestate. Patri. Patriæ. COnSuli. IIII
CIVitas. GABalorum

Hæc itaque erat civitatis Gabalorum sedes, quum anno 265 *quartum consul in Galliis processit Postumus, qui, a Valeriano Galliæ præfectus ejusque limitis adversus Germanos custos constitutus, anno* 257 (*ut brevi videbimus*), *non sine perfidia dignitatem imperatoriam in Galliis assumpserat. Eo itaque titulo nihil clarius excogitari potest ad adstruendum ibi revera Anderitum seu caput Gabalorum fuisse situm.* E

et lex de mutatione nominum civitatum præcipuarum in Galliis.

46 *Civitas scilicet, stante republica, integram gentem significabat; quo sensu passim Cæsar appellat* civitatem Remorum, Bellovacorum, Nerviorum *etc.; verumtamen ille ipse inter primos, quamvis rarius,* civitatem *pro* urbe principe *in Commentariis dixit* (4), *prægresso tamen jam pridem Ennio, cujus hoc est carmen* (5) :

Et civitatem video Argivum incendier;

sequentibus Valerio Flacco, Petronio, Seneca, Quintilliano, Suetonio et Aurelio Victore, recensitis a Forcellinio (6). *Similiter Ptolemæus in Geographicis loco* ἀστεως, *quod* oppidum *seu* urbs *est,* πολιν, *cujus significatus idem est ac* civitatis, *sæpissime scripsit; et passim quoque in Antonini Itinerario oppida et urbes* civitates *dictæ sunt* (7). *Verumtamen non promiscue usurpabatur id vocabulum; sed eæ tantum urbes et oppida* civitates *nuncupabantur, quæ suos habebant magistratus, jura et instituta civilia, uno verbo pagorum capita, quæ reipublicæ romanæ formam referebant* (8). *Unde manifestum est* civitatem Gabalorum *pagi caput fuisse et*
F *urbem præcipuam. Postea vero, quum Romanum imperium in Galliis inclinatum est, passim vocabulum* civitas *suppressum fuit, et vetus* Durocortorum, *quæ prius facta erat* civitas Remorum, *nudum* Remorum *nomen accepit; similiter* Lutetia, civitas Parisiorum, Parisii *et* Parisium *dicta est; non aliter* Avaricum, civitas Biturigum, Bituriges *et* Bituricum *appellata reperitur; neque alia ratione* Anderitum, civitas Gabalorum, Gabali *et* Gabalum: *verum videndus potius est Belleyus* (9), *qui exhausit argumentum de fatis nominum urbium Gallicarum. Nedum itaque similitudo nominum* Anderiti *et* Antérieux *suadeat eis eumdem locum designari, valet potius in contrariam partem, quum* Anderitum *prius* civitas Gabalorum *et dein* Gabali *et* Gabalum *dici debuerit, amisso pristino nomine; et reapse initio sæculi* V *in No-*

(1) Mémoires de l'Institut, nouv. sér., t. V, p. 409 et 410. — (2) Mém. des antiq. de France, t. VII, p. 105. — (3) Ph. Lebas, France, Dictionnaire encyclopédique, tom. IX, p. 696; A. Hugo, France pittoresque, tom. II, p. 198. — (4) Nic. Bergierius, De publicis et militaribus imperii romani viis, lib. IV, sect. VII, num. 5. — (5) Ap. Nonium, cap. V, num. 27. — (6) Lexicon totius latinitatis, V° *Civitas*. — (7) Bergierius, sect. cit. et sect. VIII. — (8) Ibid., loc. cit. — (9) Mémoires de l'Académie des inscript., tom. XIX, p. 495 et seqq. —

titia

A titia provinciarum et civitatum Galliæ (1) non amplius Anderitum, sed civitas Gabalum vocata est; quin etiam anno 314 concilio Arelatensi I interfuit Genialis diaconus de civitate Gabalum, provincia Aquitanica.

In id postea partim consensit cl. v. Walckenaer;

47 Atque hæc adeo manifesta sunt, ut cl. V. academicus Walckenaer partim anno 1839, quo Geographiam suam antiquam Galliarum Parisiis edidit, priorem sententiam suam mutarit, æstimans post medium sæculum III Anderitum ab Alemannis destructam fuisse et tum præsentem vicum Javols factam esse civitatem Gabalorum seu Gabalum (2); sed quum ne ostenderit quidem eruditissimus vir Antérieux intra pagi Gabalitani fines fuisse situm, multo minus umquam hujus regionis caput fuisse, neque ullo testimonio docuerit genuinum Anderitum sub medium sæculum III fuisse eversum, nil est quare credamus sæculo III honorem præcipuæ civitatis ex uno loco translatum fuisse ad alium.

pars novæ hujus sententiæ conciliari nequit cum columna milliari, posita, imperante in Galliis Postumo.

48 Sed directo impugnari potest nova illa cl. Walckenaer sententia. Demus scilicet sub tempora Valeriani et Gallieni, irruentibus Alamannis in Gallias, sanctum Privatum, Gabalitanæ urbis episcopum, fustibus cæsum, spiritum exhalasse (3); eaque occasione eversam fuisse civitatem præcipuam. Sed nemo id factum fuisse dixerit quamdiu vixit imperator Postumus, quippe cujus unius virtute servatas Gallias, ne Germanorum invasione perinde ac pleræque aliæ imperii provinciæ perirent, omnium scriptorum est sententia. Ast initio ejus regni caput pagi Gabalitani, posito primævo nomine Anderito, jam dictum fuisse Gabalos seu Gabalum constat ex titulo, quem supra retuli, et ex altero, quem ab illis fere omnibus, quos de veteri sede Anderiti seu civitatis Gabalorum positu disputantes vidi, miror negligi. Is autem est columna milliaris rotunda, in agro reperta, alta pedes VIII, quæ adhuc exstat, inquit Bergier (4), in loco, qui dicitur Fligei, ubi limites sunt Arvernorum et Gabalorum, sive ut nostra utar dialecto d'Auvergne et du Gévaudan. Inscriptio vero est hæc :

C

IMP. CAES
M. CAS. LAT.
POSTVMO
P. F. AUG. COS
M. P. GABALL. V

Re quidem vera neque in mappis Cassinii, neque in censu pagi Gabalitani locum reperio, Fligei dictum; et nullum se similem locum in illis partibus detexisse testatur cl. V. Ignon in Commentario de antiquitatibus provinciæ Luzeranæ (5); et illustrissimus episcopus Mimatensis, cujus benevolentissima commendatio valuit ut Ven. V. Baldit tam egregiam mihi præstaret operam, dignatus est ad me scribere sibi in percurrendis diœcesis suæ montibus nullum similem vicum umquam fuisse obvium; ita ut dubitandum non esse videatur quin error cubet in nomine. Suggerit itaque mihi laudatus dux meus Ven. V. Baldit verisimillime agi de columna milliari, quam (ut testis est cl. V. Ignon) vidit Cl. V. de Belviala in via romana non procul a veteri ponte paræciæ S. Abundii super Alevarum *; qui locus in finibus Arvernorum et Gabalorum situs est; aliam columnam exstare in silva de Acher prope rupem, dictam Banc de Mazieu; sed hanc, ad meridiem magis positam, nimium distare ab utriusque pagi finibus. Atque idem etiam sentio. Re quidem vera S. Abundii pons longius quam quinque passuum millibus distat a Gabalis seu Javols; sed legendum videtur M. P. GABAL. LV, non autem M. P. GABALL. V, quum nuspiam scriptum reperiatur Gaballi, Gaballum, Gaballitanus etc.; sed ubique Gabali, Gabalum, Gabalitanus. Atque ut id obiter animadvertam, solvi potest ex hoc lapide quæstio utrum Postumus anno 257 an 258 imperator processerit; quod non liquere affirmat Eckhelius (6). Ex hoc enim monumento, in quo primus ejus consulatus cum imperatorio honore conjungitur, statuendum videtur eum reapse anno 257, quo primum consul substitutus est, ad imperium evectum fuisse. Quod vero potissimum hoc loco est, colligimus ex hoc lapide tum E pagi caput dictum fuisse Gabalum seu Gabalos, quandoquidem milliaria computari solebant ab urbe præcipua (7) : quod unum nobis hic sufficit. Maneat itaque Anderitum idem oppidum esse ac Gabalum seu civitatem Gabalorum; hunc vero locum nunc dici Javols.

AUCTORE V. D. B.

* St Abondsur-Allier.

Cathedram suam habuit S. Hilarus in loco, nunc dicto Javols.

49 Civitatis Gabalitanæ episcopus fuisse in Vita sua traditur S. Hilarus; unde concludendum videatur eum in Javols suam habuisse sedem. At certa hæc conclusio non est omnibus : ut enim patrio exemplo utor, usque ad finem sæculi XI Tungrenses episcopi dicti sunt, qui a sæculo VII suam Leodii habebant sedem (8); similiterque quæri potest et reapse quæritur an S. Hilarus, civitatis Gabalitanæ episcopus, Mimate non substiterit. Docent enim VV. VV. Pascal (9) et Charbonnel (10) jam medio sæculo III Gavalitanam cathedram Mimatem translatam fuisse, adeoque S. Privatum sedisse Mimate, atque ea de causa mulierem, a dæmone vexatam, ad exsequias B. Aredii, anno 591 vita functi, exclamasse (11): Ecce adest Julianus a Brivate, Privatus ex Mimate, Martinus a Turonis, Martialisque ab urbe propria. Adest Saturninus a Tolosa, Dionysius ab urbe Parisiaca et nonnulli alii, quos cœlum retinet : sed ludicrum id est argumentum, quum aperte de locis ibi agatur, ubi sanctorum reliquiæ servabantur, nec quisquam dubitet tunc S. Privati reliquias servatas fuisse Mimate. Tantum autem abest ut inde statui possit S. Privatum cathedram suam habuisse Mimate, ut potius contrarium hinc colligendum sit, quum in basilicis cœmeterialibus aut monasticis (nam brevi S. Privati cœmeterialis basilica monastica facta est) non solerent tunc temporis episcopi sedere. Neque magis moveor quod S. Gregorius Turonensis, qui etiam illius mulieris verba retulit, dixit S. Lupentium abbatem basilicæ sancti Privati, martyris ur- F

(1) Ap. D. Bouquet, Recueil des historiens de France, tom. I, p. 123. — (2) Géographie ancienne des Gaules, tom. I, p. 347 et 348. — (3) S. Gregorius Turonensis, Hist. eccl. Franc., lib. I, cap. 30 et 32, p. 25 et 26. — (4) De publ. et milit. imperii romani viis, lib. IV, sect. 39, num. 10, ap. Grævium, Thesaur. antiq. roman., tom. X, col. 505. — (5) Mémoires de la société d'agriculture du département de la Lozère, t. XII, 1840-1841. — (6) Eckhel, Doctrina numorum, tom. VII, p. 446 et 447. — (7) Bergier, De publicis etc. viis, lib. IV, sect. 40, num. 9, ap. Grævium, Thesaurus antiquit., t. X, col. 511. — (8) Acta SS. Belgii, tom. I, p. 348. — (9) Gabalum Christianum, pag. 35 et seqq. — (10) Origine et histoire de l'église de Mende, pag. 97. — (11) S. Gregorius Turonensis, Hist. eccles. Franc. lib. X, cap. 29, col. 525.

bis

AUCTORE V. D. B.

bis Gabalitanæ (1); *quum hæc dicta non ita interpretanda sint quasi Mimas* urbs Gabalitana *facta esset* (*certo enim* vicus (2) *sæculo* IX *adhuc erat*), *sed quod S. Privatus martyr et episcopus urbis Gabalitanæ fuerat. Nulla itaque est ratio ob quam S.* Hilarus *non habeatur cathedram suam posuisse Gabalis. Multo tardius, sæculo scilicet* IX *et deinceps, crevit paulatim Mimas, adeoque anno* 951 *Stephanus* ecclesiæ Mimatensis episcopum *se nuncupat* (3); *ita ut ambigendum non sit quin ante hunc annum eo translata fuerit cathedra Gabalitana. Plus spatii huic argumento dandum non videtur, quum id jam versarint decessores nostri ad diem* 21 *augusti in Commentario de S. Privato et ad* 4 *septembris in Commentario de S. Fredaldo, episcopo et martyre Gabalitano seu Mimatensi. Sequitur Vita, de qua in* § II *præsentis Commentarii quæ videbantur monui.* [*In Commentario prævio,* 27 *primis numeris, scripsi* Gaballi, Gaballitanus, *etc.; legatur ubique* Gabali, *etc.*]

VITA B. HILARI EPISCOPI

B

GAVALITANI SEU MIMATENSIS.

Ex mss. codicibus Rubeæ Vallis, et Reginæ Sueciæ collata cum Vita Guidonis de Castris ex codice ms. Mimatensi sæculi XV, *et cum eadem, distributa in novem Lectiones de S. Ilario ex codice sæculi* XVI *archivi præfecturæ Luzerensis, et lectione de S. Ilero ex Officio sanctorum peculiarium ecclesiæ Mimatensis anni* 1619.

S. Hilarus, *adhuc laïcus, magi tempestarii opus, adhibita Christi ad Abgarum epistola, dissolvit.*

Beatus itaque Hilarus *, Gavalitanæ urbis episcopus, parentibus secundum seculi dignitatem non ignobiliter natus, in primævis infantiæ suavissimæ jucunditatis lætitia Hilarus nuncupatus est : quod nomen etiam ut in sacro baptismate accepit *a*, illico religionis professione suscepit *. Macerabat quippe corpus incredibilibus jejuniis et anhelæ sitis æstibus affligebat *. Interea * cum incredibili cruciatu corpus afficeret, et anhelæ sitis æstibus turbaretur, linteum aqua madens * pectori apponebat, ut hoc allatum refrigerium deficiens corpus foveret *, abstinentiæ jejuniis maceratum. Quantis autem in sæculo * claruerit meritis, sequens pagina * demonstrabit. Quidam * minister dæmonum *b*, viritim universa percurrens, dari sibi frumenta poscebat *c*; et, nisi accepisset pretia sceleris, adfutura minabatur discrimina * potestatis. Hunc * Hilarus ultrici coercuit verbere * pepulitque rigore virtutis *. Horrenda etenim proturbandaque esse dæmonia serviendumque Domino soli testabatur. Scelestus ille * crudelia minitans et sæva * fremens abscessit. Itaque duos ferme post menses Hilarus sexta diei hora cum fessa cruce * membra dulci sopore laxasset, vidit se in somnis irato dente serpentis percussum et benedicti tactu olei sanitatis remedia consecutum. Mox somno excutitur, dies repente * nubibus tegitur, furensque late tempestas exoritur. Hilarus epistolam Redemptoris, ad Abagarum directam *, perscribit *d*; benedictam ceram capit, messes psallens circuit, vicino * discrimini eripit; exiguam tamen segetem, unius ferme satam in spatio aripennis *e*, quam circuire non voluit cura solertiæ, vis abstulit tempestatis. Vicinæ etenim circumjectæque messes horribili clade deletæ sunt. Ita gemina virtute reum coercuit vis * rigoris et servavit sata meritum sanctitatis.

2 Interea Hilarus duobus ferme millibus passuum a Mimatensi vico, tribus sibi * conjunctis fratribus, cellam collocat *f*. Per noctem sæpe ad basilicam beatissimi * Privati martyris *g* properanti ignis objectus est : effundebatur in stagni spatio flamma volubilis, præsensque discrimen minabatur incendium : quod Hilarus, impresso beatæ crucis signo, in nomine Christi *, transivit. Quondam dum intempesta nocte a basilica martyris ad cellulam remearet, elevatus in aerem est, et in silvam, dumis horrendam ac densis sentibus circumjectam, depositus, post triduum psallens * reperitur a fratribus : et ut liber exitus pateat, iter securibus aperitur. Itaque fidei ardore fervens monasterium prope * flumen Tarnæ * miro opere ac sumptuoso labore construxit, in quo copiosam fratrum multitudinem collocavit *h*. In colonia quadam advenienti patri inopinatus * canis * suram morsu constrinxit : ultionem pater petit a Domino. Imminenti nocte in multitudine canum unus, qui inflixisse injuriam * videbatur, a lupis in frustra discerptus est. Dum per ripam Tarnæ * fluminis per locum declivem iter carperet, lapso repente pede, in miræ profunditatis gurgitem devolutus est : et duarum ferme horarum spatio *, dum navigium deducitur, stetit in flumine, aqua vix poplitem * contingente. In villa Martianillæ virginis *i* profluа manans unda repente fons aruit per septem annos, omni prorsus humore sublato. Quem in locum *, socia virgine, pater advenit et preces * Domino exoratus effudit : recepto mox cursu unda rediit atque usibus hominum ubere largitate servivit. Cum more solito mense, quem gentiles a Jano rege januarium vocitavere, vulgus ignobile ludis, cantibus * exerceretur vel epulis, antiquus ille serpens per speciem lætitiæ mortis venena diffudit; ludum simulat ut sacrilegio corda subvertat. Præfixo quidem cervi capite, ad imitandum feræ formam conditionem humanam persuasionis diabolicæ scelus inclinat. Mala hæc geri haud procul a monasterio suo pater agnovit : et duobus adscitis fratribus, infelicem plebem sanctaque correcturus exortatione * progressus est. Igitur properante sancto Hilaro rustici irruentes in se numerosi * populi agmen adspiciunt. Turbato igitur projectoque quo bacchabantur ludo, per diversa diffugiunt atque in ecclesiæ matris gremio collocantur. Ita vicinum morti cœtum Hilari sui precibus divina potentia terruit *, compescuit, revocavit.

Construit cellam prope Mimatem, ubi S. Privati sepulcrum noctu sæpe visitat, nil territus ignibus fatuis; dein alterum magnum monasterium condit prope Tarnum. Præter alia prodigia, fontem, diu siccum, in villa Martianillæ reddit aquosum. Januarii superstitiones dissipat.

* ylarius *L.*
* monstravit *M. L.*
* turbabat *R. S.*
* vero *supp. L.*
* madidum *M. L.*

a

* refoveret *M. L.*
* B. Conf. Ylarius sanctitate et magnificentia insignis ad *M. L.*

b c

* subsequentium ejus signorum pariterque virtutum series
* itaque *R. V.*
* certamina *R V.*
* autem impium *ad. M. L.*
* rig. vir. *omit. R. V. et R. S.*
* Et sic. i. s. quamvis c. minaretur *M. L.*
* tandem *ad. M. L.*
* cruce *om. M. L.*
* ld *om. R. V.*
* datam *R. V.*

d

* maximo *R. V.*

e

* jus *R. V.*
* om. *R. S. et R. V.*
* beati *R. V.*
* *R. V. om.* i. n. C.
* *R. V. om.*
* propter *R. S.*
* Tarni *M. et Of. M.* Tarne *R. S.*
* inopis *R. V*
* quidam *ad M.*
* inj. *R. V. om*
* Tarnis *R. V.*
* aqua submergitur. Sed *ad. M.*
* pollicem *M.*

f g h i

* quo in loco *R. V.*
* precem *R. S.*
* ludificantibus *R. V.*
* sanctamque concionaturus exortationem *R. V.*
* innumerosi *R. V.*
* trivit *R. V.*

(1) S. Gregorius Turonensis, Hist. eccles. Franc., lib. VI, cap. 37, col. 314. — (2) Ado, Martyrologium ad 21 augusti. Cfr Acta SS. tom. II Septembris, pag. 253. — (3) Mabillonius, De re diplomatica, pag. 569.

3 Cum

A *Lerinum frequenter petit; prope Massiliam superstitionem erga aquam tollit, et cappa sua morbum inguinarium sanat.*

3 Cum semper sanctis viris maneat indivulsa concordia, et illuc quisque vocetur votis, quo meritis *, ad Lirinensem sæpe pater insulam *k* veniebat, ut laboriosæ æquitatis silentiis, charitatis bono et crucis exercitiis frueretur. Dum pater ab insula remearet ad cellulam, in finibus Massiliensis urbis prope * villam cujusdam viri sublimis advenit : qui eum ad domum amplissimam beata visitatione sanctificandam invitat. Quo pergens, juxta fanum quoddam conspicit infelicium manum sacrilego ludo bacchantem atque angui * sævissimo perditionis suæ vota solventem. Pater loci increpat possessorem, cur in præsentia tanti tamque fidelis * viri atrocibus dæmoniis gentilium * mortibus litaretur, cum ei et auctoritas * monendi sacrilegos et coercendi potestas exstaret. Ille facilius eos morte * prosterni quam ab immani scelere revocari posse testatur. Pater, comitatu conjuncto viris paucisque * sequentibus monachis, fanum petit. Divino protinus munere [in universa multitudine fortitudo effugit] *. Epulæ autem vinaque parata sacrilegis proturbantur. Monet ne quis anathemata damnata contingat; et ut in veritate monita pateant, panes caseos canibus projicit *l*; comprimit hiantes rictus rabies, famis oblita; contagiisque polluta dæmonia etiam immunda diffugiunt. Quodam igitur die ad Massiliensem cum perveniset urbem, atque inibi paucorum dierum spatio charitatis detentus studiis moraretur, gravissimam urbi imminere luem, Spiritu sancto pandente, testatus est. Cumque ab urbe discederet, cappa (ut dici moris est), qua caput pro necessitate algoris tegere senior videbatur, in cubiculo mox dimittitur monachorum. Interea non longo post tempore Massiliensium urbs inguinum pustularumque morbo vexatur *m*, nec aliquid aut exquiri aut adhiberi * remedii celeritas patitur pereuntium. Nam, vix triduo interjecto, exitiabili lue diram in cædem agmina corruebant. Hospes beatissimi Hilari fidei ardore succenditur cappam profert e cellula; uni e famulis jamjamque ruenti in mortem membris adjunxit. Protinus sancti tegminis medente tactu, reddita sanitate, surrexit. Dein cuncta familia, hac medela ingruente, erepta discrimini, redditur sanitati. Germanus etiam hospitis beneficium poposcit tegminis atque meruit : germanamque domum virtus una sanavit. Tegmen dein qui dederat petiit : causatur ille hoc sibi beneficium commune esse debere cum fratre,

Incunte sæculo VI *multos captivos ex Francorum servitute liberat et viro pessimo eulogias negat.*

4 Cum Sycambrorum * gens Gavalitanam provinciam belli nube texisset *n*, Melena castellum *o*, in quo beatus inclusus obsidioni diutinæ * subjacebat pater, sese fessosque cives cognovit in spiritu maturo hostium discessu laxandos. Actutum * egreditur, ut ingenuos, quos jugum servitutis oppresserat, redemptione data, redderet libertati. Hostili quidam erat in agmine, professione christianus, atrocitate sacrilegis longe immanior. Assidue namque innocentium sanguine ferali rabie pascebatur. Pater *, ab hostibus facultate concessa, dato pretio, natura liberos nexu servitutis absolvit. A fideli quodam primario viro ad tentoria ducitur, ad refectionem humanissime * invitatur. Itaque scelestus ille vice ex debito succidua prandium sociis * parat, mensæ adjungitur, atque a patre eulogias * exposcit *p*. Negat pater se perditis * communionis participatione conjungi. Vesanus ille furore succenditur; ad præsens minatur exitium, jurisjurandi se vinculo constringens nequaquam eum incolumem domum rediturum. Dum furit ac lignum focis ingerit, cæptoque operi pronus insistit, commotum repente vas æneum vertitur, hostis aqua ferventi perfunditur *, præceps in medio flammarum corruit, nefasque, mente conceptum, mortis pœna persolvit. Ita divino examine sternitur ille supplicio, hic periculo liberatur.

Sub annum 555 *Theodebertum, expulsis Visigothis, in pago Cabalitano dominantem, adit et postulata impetrat. Episcopus, jam pridem factus, noctu fratres prodigioso lumine ad officium vocat. Pie moritur.*

5 Cum beatissimus Hilarus * ad Theodobertum, Francorum regem, pro remediis commissæ sibi provinciæ festinaret *q*, et in locum, cui Arisencus * nomen est *r*, advenisset, intempesta nocte Leo tribunus * *s*, dum prope ejus tentorium cum puero cubitaret, globum immensæ lucis a thoro ejus consurgere, aera dissecare et ad cœlos porrigi stupenti admiratione conspexit : viros etiam quosdam cum beato * patre loquentes audivit. Post aliquantulam moram beatus Hilarus Leonem monet uti visa reticeat; prosperitatem futuri itineris secundique reditus celeritatem denuntiat. Interea ad regem pervenit; summa cum veneratione susceptus est *; sperata præstantur *; ad patriam voti compos * regreditur. Ita gloriosus Hilarus quæ futura præviderat, maturo effectu expleta sunt. Quodam tempore surgente propemodum noctis mediæ, beatus pater jam pontifex, vigiliis semper intentus *t*, somno excutitur; fratres ciet *; neque ullus omnino respondet *u* : primo quidem laxata sopore membra dulcis altaque quies oppresserat. Strato consurgit, cereum rapit; mox divina virtute lumine cereis * injecto, claro splendore cellula radiatur. Ita lux fidei micans ceris lumen infundit, meritumque patris potentia divina monstravit *x*. His fulgens gloriosus Hilarus meritis, his clarus miraculis, humana deseruit atque ad æterna * migravit; ipso adjuvante Domino nostro Jesu Christo, [cujus regnum est per] * æterna secula seculorum. Amen.

ex mss.

* restitutionem immanissimam *R. V.*
* benedictionem
* prædictis *R. V.*

p

* infunditur *R. V.*

m

* adhibere *R. S. et R. V.*

* multis *R V.*
* propter *R. S.*

k

* igni *M.*

* felicis *R. V.*
* gentilibus *R. V.*
* auc. *om. R. V.*
* monte *R. V.*

* virisque *R. V.*

* immensa multitudo diffugit *R. S.* universa populi m. d. *M.*

l

n o

* Sigambrorum *R. S.*
* diurnæ *R. V.* divina *M.*
* Tunc tutus *R. V.*
* Pastor *R. V.*

* Hilarus *om. R. V.*
* Animi sensus *R. V.* Arzencus *M.* Aresenti *Of. M.*
* trib. Leo *R. S. et M.*
* beato *om. R. V.*
* est. *om. R. V.*
* parantur *R. V.*
* v. c. a. p. *R. V.* v. c. in p. *Of. M.*
* suscitat
* ceris *R. S.*
* a terra *R. V.*
* qui cum Patre et Spiritu dominatur ac regnat in *R. S.*

ANNOTATA.

a *Videtur indicari S.* Hilarum *non statim post nativitatem baptizatum fuisse. Exemplum id minime singulare est; imo medio sæculo V, quo fere natus est S.* Hilarus, *solebant adhuc homines baptismum differre etiam ad adultam usque ætatem. Sesquisæculo post Clotharius II, natus anno* 584 (1), *baptizatus solum fuit anno* 591 (2).

b *Agitur hoc loco de mago, dicto tempestario; quod hominum genus græcis et latinis notissimum erat atque etiamnum in Africa exstat. Ejus meminit* (*ut alios* (3) *omittam*) *Ovidius* (4) :

Cum voluit, toto glomerantur nubila cælo,
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.

(1) S. Gregorius Turon., lib. VI, cap. 41, col. 319. — (2) Ibid., lib. X, cap. 28, col. 522. — (3) Cangius, Glossarium latinum, V° *Tempestarius*. — (4) Lib. I, Amor. Eleg. 8.

Multæ

AUCTORE V. D. B.

Multæ adversos eos latæ leges civiles et ecclesiasticæ, non quod reapse tempestarii pro libitu imbres et grandines adducerent cælumve serenarent, sed quod minis (ut hoc ipso loco habetur) aut promissis a credulis hominibus pecunias emungerent. S. Agobardus, episcopus Lugdunensis, egregium tractatum conscripsit contra insulsam vulgi opinionem de grandine et tonitruis (1)*; quo quid melius nunc dicere possemus equidem non video. Quam communis autem esset illa credulitas aperit ab initio libri :* In his regionibus, *inquit,* pene omnes homines, nobiles et ignobiles, urbani et rustici, senes et juvenes, putant grandines et tonitrua hominum libitu posse fieri. *Hunc errorem ut convelleret, rationes theologicas et philosophicas adhibuit beatus vir atque etiam experientiam :* Frequenter, *ait,* certe audivimus a multis

* Certis

dici quod talia nossent certe * in locis facta; sed necdum audivimus ut aliquis se hæc vidisse testaretur. *Non minori sapientia eumdem illum errorem aggressus est scriptor ille græcus, cujus homilias prius cardinalis Majus, dein Rev. Vir Mignius sub nomine Eusebii Alexan-*

B *drini edidit.* Quis, *ait ille* (2), Dei jussum potest præstigiis ullis avertere? Nunc quia nubes Dei jussu pluvias in tellurem effundunt, quomodo poterit homo mandatum Dei impedire? *et pergit dein ostendere tributam illam magis potestatem cum Dei in res creatas dominio pugnare. Fidem tamen huic magorum potestati adhibuisse S.* Hilarum, *quum adhuc in sæculo esset, nil utique mirum; et qui rei exitus hic refertur et casu forte explicandus est, eum prodigiosum visum esse biographo, non mirum est magis.*

c *S. Agobardus tributum, exactum a tempestariis, his explicat verbis* (3)*:* In tantum magis malum istud jam adolevit ut in plerisque locis sint homines miserrimi, qui dicant se non equidem nosse immittere tempestates, sed nosse tamen defendere a tempestate habitatores loci. His habent statutum quantum de frugibus suis donent, et appellant hoc canonicum.

d *De olei ceræque benedicti usu passim agunt theologi et archæologi; non item de Epistola Christi Domini, datam ad Abgarum regem, quam Eusebius in tabulario Edesseno reperit.*

C *Sitne genuina an falsa non est hujus loci inquirere; unde autem factum sit ut adversus dæmonum præstigias adhibita fuerit, accipe :* Constantinus Porphyrogenneta, *ait Joannes Albertus Fabricius* (4), in Narratione de Edessena Christi imagine, edita a Combefisio (5), Cedrenus (6), Ms. Bodlejanum Grabio et aliud Vindobonense Lambecio (7) inspectum, addunt hæc verba : Καὶ τῃ πολει σου γενησεται το ἱκανον προς το μηδενα των ἐχθρων κατισχυσαι αὐτης. In Epistola Christi ad Abgarum, qualem ex bibliotheca D. Joh. Elichmanni arabice et latine, ab Eusebiana in multis discrepantem et plurimum interpolatam, edidit Lud. de Dieu ad Xaverianam historiam Christi (8), additamentum illud ita exprimitur : « Et ubi-« cumque collocaveris hanc epistolam meam, « non valebit potestas hostium adversantium D « et oppugnantium accedere ad |te, et erit civi-« tas tua benedicta propter te in æternum. » Hoc epistolæ ἀκροτελευτιον, antiquis ignotum et sibi suspectum esse profitetur Procopius; videtur tamen respicere Ephræm Syrus in testamento. Aperte laudat Darius comes in epistola ad Augustinum, quæ inter Augustinianas edit. Lovan. est CCLXII ; Benedict. CCXXX; in Basilcensibus et aliis antiquioribus desideratur. Procopius addit Edessenos constanter hoc Christi literis annexum asseverare et epistolam eo modo descriptam in vicem φυλακτηριου sive amuleti in portis urbis suæ posuisse. Ab eventu etiam comprobatum affirmat Evagrius (9); quamquam non diu post Evagrii mortem, imperante Phoca, Edessam a Persis captam esse constat. *Propter adventitiam itaque clausulam, S. Augustini ævo in Occidente jam notam, cœpit hæc epistola adversus hostes quoscumque adhiberi.*

e Aripennis *seu* Arapennis, *vulgo* arpent, *vox celtica* (10), *Romanis fuit usitata, et dein barbaris, apud quos non semper et ubique ejusdemspatii*

E *fuit, agri magnitudinem indicavit. Non dubitandum quin hic mensuram romanam coram habeamus, de qua in Glossa ms. ad Caji Institutiones in cod. Bibl. regiæ* 1197 *legitur :* Aripennis est semijugerum, in longitudine pedum 120, in latitudine 170. Duo aripennes jugerum faciunt qui est centuria (11).

f *Vide Commentarium Prævium, n.* 40.

g *Mimate basilica erat S. Privati martyris. Ex vocabulo* basilica *collige tunc temporis ibi sedem episcopalem non fuisse, ut monui n.* 49 *Commentarii Prævii. Etenim* optime, *inquit Mabillonius* (12), a D. Valesio in sua contra D. De Launoy de Basilicis dissertatione demonstratum est basilicam sexto et septimo sæculo apud Gallos semper significasse monachorum ecclesias; cathedrales et parochiales ecclesias appellatas fuisse ecclesias. *Verumtamen ædiculæ cœmeteriales etiam dictæ fuerunt basilicæ.*

h *Vide Commentarium Prævium, n.* 40.

i *Decessores nostri* (13) *loco* Martianillæ *legerunt in eodem apographo, quo utimur,* Martravillæ; *sed certissime* Martianillæ *scriptum fuit, ut ex collatione literarum cum aliis ejusdem* F *apographi literis liquet. Similiter in exemplari, quod ex codice Mimatensi descripsit Ven. V. Baldit, legitur :* In villa Marcianillæ virginis per septem annos, *etc. Neque dubium quin* Martianillæ (*nomen utique inter Romanos usitatum*) *retinendum sit. Verisimillime virgo consecrata erat, patrimonium suum sibi reservans, quemadmodum S. Genovefa, virgo et patrona Parisiensis* (14). *In Commentario Prævio, n.* 17, *monui hunc locum in Lectionibus de S. Ilero ita corruptas fuisse ut Deus S. Ileri* precibus, virgine comitante Enymia, arido per septennium Margavillæo fonti uberes aquas restituisse *dicatur; adeoque ut ex literis, illinc ad me datis, intelligo, putatitia illa Margavilla, quod prædium seu vicus in rerum natura numquam exstitit, habetur nunc idem esse*

(1) Ap. Migne, Patrologia latina, tom. CIV, col. 147 et seqq. — (2) Ap. Migne, Patrologia græca, tom. LXXXVI, col. 455. — (3) Ibid. col 156 et 157. — (4) Codex apocryphus novi testamenti, edit. II, tom. I, pag. 319. — (5) Manipulus rerum Constantinop. pag. 81. — (6) Pag. 145. — (7) Commentariorum lib. V, pag. 9. — (8) Pag 612. — (9) Hist. IV, 27; cfr Acta SS. tom. X Octobris, p. 687, num. 86. — (10) Columella, lib. V. — (11) Cfr. Cangius, Glossarium latinum, V° *Arapennis*. — (12) De antiquitatibus S. Dionysii, opp. posth., t. II, p. 355. — (13) Acta SS., t. III Octobris, p. 409. — (14) Cfr ibid., t. IX Octobris p 307.

ac

A *ac oppidum* Marvejols, *licet probe sciant Gabalitani vetus hujus nomen esse* Marologium, Mareugium, Maruecum *seu* Meriolacum (1). *Alii* (2) *tamen, quoniam vulgo circumfertur S. Enimiam ivisse cum S. Ilero ad locum, situm in parœcia S. Præjecti ad Tarnum, constantem ex maxima rupium mole, angustum Tarni alvum impedientium, dictumque* Pas-de-Soucis, *conantur sibi persuadere hanc Martravillam esse. Atque in his exemplum habes quomodo fabulæ nascantur et paulatim confirmentur.*

* Antibes
* Fréjus

k *Insula Lerinensis, sita inter Antipolim * et Forumjulii *, primum hujus civitatis episcopo, dein illius, postmodum Grassensi atque nunc Forojuliensi fuit subdita. Non est quod hanc nutricem sanctorum, episcoporum scholam et sanctimoniæ speculum laudibus efferam. Ut S.* Hilarus *eo sæpe se conferebat perfectionis studio, sic alii plurimi sanctissimi viri : atque in ipso Commentario, huic præmisso Vitæ, num.* 26, *S. Leobinum, eodem pergentem, offendimus.*

l *Vide in Commentario Prævio, nn.* 38 *et* 39, *similem superstitionem suppressam in ipsa* B *diœcesi Gabalitana.*

m *Agi hic non potest de lue inguinaria seu syphili, de qua multa refert S. Gregorius Turonensis pluribus locis; quippe quæ sævierit per Gallias et maxime in provincia Arelatensi circa annum* 546 (3), *quum aliquanto ante jam obiisset S.* Hilarus. *Sed alio sæpe tempore sæviit ille morbus.*

n *Videntur hæc referenda ad annum* 508, *quo Clodovæus I pagum Gabalitanum occupavit. Suadet id* Sicambrorum *vocabulum et multo magis quod plerique nondum erant christiani, ut sequitur ex his verbis :* Hostili quidem erat in agmine, professione christianus, atrocitate sacrilegis longe immanior.

o *Melena castellum, vulgo* la Malène, *jacet ad ripam sinistram Tarni non procul a* Saint-Chely, *ubi S.* Hilari *monasterium verisimiliter exstitisse diximus, et paucis aliquot leucis ab oppido S. Enimiæ ad occidentem. Regio hæc valde montuosa est et difficilis accessu. Quum ad loca, tam propinqua monasterio, confugerit S.* Hilarus, *videtur hinc colligi posse hæc facta esse quando adhuc esset abbas.*

C p *De eulogiis tot tantique viri dixere et de iisdem tanta veterum scriptorum multitudo meminit, (ut in Glossario latino Cangii ad hoc verbum videre est,) ut plane abstinuissem hoc loco ab omni animadversione, nisi in codice Mimatensi ita corruptus fuisset locus quasi S.* Hilarus *meram* benedictionem *rogatus fuisset. Eulogiæ itaque duplicis generis erant, aliæ publicæ aut in templo consecratæ et distributæ, et aliæ privatæ. Hæ etiam in duas distributæ classes : alias in communionis et amicitiæ tesseram mittebant sibi invicem episcopi aliique pii viri; aliæ panes erant benedicti initio mensæ ab episcopis, presbyteris aut abbatibus. De postremis his eulogiis hoc loco dicitur.*

q *Hæc facta sint oportet sub annum* 533; *quum jam pridem episcopus esset S.* Hilarus. *Vide Commentarium Prævium, n.* 22. *Verbis* commissæ provinciæ *nititur ven. v. Charbonnel* (4), *ut ostendat jam tum, imo a S. Severiani, qui* I *æræ christianæ sæculo vixerit, temporibus, potestatem sæcularem penes episcopos Gabalitanos seu Mimatenses fuisse. Certissime ante medium sæculum* XII *jam credebatur episcopos utroque gladio semper usos fuisse; neque dubitandum est quin Visigothorum ævo et dum pagus pateret barbarorum invasionibus, consiliis suis populum rexerit S.* Hilarus ; *quæ voluntaria ditio confirmari deinceps facile potuit; sed non sine temeritate plus affirmari posset.*

r *Sunt duo loca in pago Gabalitano, hoc nomine appellata* Arzenc de Randon *et* Arzenc d'Apcher. *Ex viarum antiquarum reliquiis intelligere forte poterunt Gabali uter locus indicetur.*

s Tribuni dignitas, *inquit Cangius* (5), quæ fuerit in Francia sub primis regibus omnino non constat... Comitibus postponuntur in lege Wisigothorum... Penes tribunos fuisse castrorum et carcerum custodiam observare est ex Fortunato. *Tribunum Leonem natione fuisse Gallum seu Romanum indicat ipsum nomen : minus commune illo ævo exemplum. An pessimo crimine Leonem incuset biographus, non plane* E *manifestum. Jam ante Romanorum adventum ei dediti Galli* (6). *Postea tamen, quum per christianam religionem novi mores inducti sunt, videtur minus vulgare factum esse id vitium : Salvianus enim, licet Gallorum, maxime Aquitanorum, impudicitiam tantopere exagitet* (7), *infandæ tamen luxuriæ reos non agit Gallos, sed Afros tantum* (8). Puer *forte pro* filio *scriptus est, ut omnis mala suscipio absit.*

t *Passim illo ævo noctu surgebant episcopi ut vigilias nocturnas explerent : de qua re videatur Ruinartius in Præfatione ad S. Gregorii Turonensis opera, nn.* 38 *et seqq.*

u *Liquet ex hoc loco presbyteros seu canonicos Gabalitanos tum vitam communem vixisse, exemplo Vercellensium, Hipponensium et aliorum.*

x *In Guidonis de Castris lucubratione seu codice Mimatensi traditur id miraculum proximæ mortis indicium fuisse. Accipe integrum finem Vitæ, ut legitur in illo codice :* Nam qui vere fidei lumine plenus erat quique infidelium mentes radiis sancte prædicationis illuminaverat, merito hoc miraculo donari dignus F erat, ut scilicet, imminente obitus sui die, cereum divinitus illuminaret igne, non accepto ex sopito cinere vel excusso ex silice, sed quadam invisibili virtute visibiliter injecto visibili cere. Qui enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum quique servum suum fidelem beatum Ylarium luce celestis gracie fecerat dignum, ipse per hunc eumdem illuminavit et cereum sua gracia per hoc palam faciens illum proximo carnis obitu caritati perpetue admittendum ac supernis civibus dignis pro meritis sociandum. Hiis ergo fulgens gloriosus confessor Ylarius meritis, hiis clarus miraculis, octavo kalendas novembris humana deseruit atque ad eterna migravit. Cujus sacro corpore Gavalitana civitas insignita multis annorum curriculis ejus gavisa est præsencia et consolata miraculo-

(1) Pascal, Recherches historiques sur S. Enimie, p. 27. — (2) Ipse ven. v. Pascal. — (3) Cfr Cointius, Annales eccles. Francorum, ad an. 546, num. 2, tom. I, p. 701 et 702. — (4) Origine et hist. de l'église de Mende, p. 74 et seqq. — (5) Glossarium latinum, V° *Tribunus*. — (6) Diodorus Siculus, lib. XIII, ap. D. Bouquet, t. I, p. 310. — (7) De gubernatione Dei, lib. VII, ap. Migne, t. LIII, col. 129 et seqq. — (8) Ibid.,col. 140 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

rum frequentia. Multo autem evoluto tempore sacrata ejusdem beati pontificis membra translata fuerunt in basilicam beati Dionysii areopagite, ipsa die videlicet, qua undecimo kalendas septembris celebrantur octave Assumptionis beate et gloriose semperque virginis Marie. Denique locata sunt eadem membra, angelica visitatione digna, ad dexteram manum in una absidarum predicte basilice. Ubi beati Ylarii a fidelibus venerantur merita et expetuntur suffragia, necnon probantur beneficia, auxiliante sancto sanctorum Domino Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in seculorum secula. Amen.

LECTIONES

DE S. ILERO EPISCOPO GABALORUM,

ex Officio proprio Mimatensi anni 1619 a.

a

B

Lectio quarta. Ilerus, Mimatensis episcopus, nobili genere natus, maceratum corpus incredibilibus jejuniis et anhelæ sitis æstibus afflictum pectus linteo aqua madido recreabat. Magus insignis, totam percurrens diœcesim, dari sibi frumenta poscebat; et, nisi accepisset pretia sceleris, ad futura minabatur discrimina potestatis. Hunc Ilerus ultrici verbere coercuit ac rigore virtutis pepulit. Post duos menses cum fessa membra sopori dedisset, vidit se sibilantis serpentis dente percussum et benedicti tactu olei sanitatis remedium consecutum. Evigilato Ilero, dies repente nubibus tegitur, furensque late tempestas exoritur. Tunc vir sanctus epistolam, ad Abgarum regem a Christo directam, deferens, benedictam ceram accepit, messesque psallendo circuiens a vicino discrimine eas eripuit. Exiguam tamen segetem, quam circuire non valuit, vis abstulit tempestatis; et vicinæ messes horribili clade deletæ sunt.

C Lectio quinta. Ilerus duobus ferme passuum millibus a Mimato, tribus sibi conjunctis fratribus, cellulam collocavit. Noctu ad basilicam beatissimi Privati de more suo properanti ignis, præsentis discriminis prænuncius, objectus est : quem intrepidus salutiferæ crucis signo munitus pertransiit. Intempesta nocte ex eodem loco remeans, in aera elevatus est; in sylvam, dumis horridam ac densis sentibus circumseptam, delatus, post triduum psallens reperitur a fratribus : et ut liber pateret aditus, iter securibus aperitur. Fervens ardore fidei, monasterium prope flumen Tarni miro opere construendo plurimum invigilavit. Hunc Deus, aquis Tarneis duas horas immersum, incolumen littori restituit. Hujus precibus, virgine comitante Enymia, arido per septennium Margavillæo fonti uberes aquas Deus restituit. Cum non longe a suo monasterio populum mense januario debacchantem more pagano audivisset, duobus tantum comitantibus fratribus, accurrit festinus, illum sacra exhortatione correcturus : tantumque insanientibus populis timorem incussit, ut confestim in ecclesiam confugerint. Videbant enim a latere Ileri numerosa hominum agmina, ipsis mortem intentantia. D

Lectio sexta. Sic a Lirinensium insula remeans, in vicinia Massiliæ, gentiles, diis panes, caseos et alia facientes, fugavit. Qui cum idolis oblata canibus obtulisset, famis obliti, ab immolatis, imperante Ilero, abstinuerunt. E Massiliensis civitas, morbo inguinum ac pustularum devastata, sancti pontificis cappa sanitati reddita est. Ad Theodobertum, Francorum regem, pro quibusdam negotiis commissæ sibi provinciæ festinante, Arcsenti intempesta nocte Leo tribunus globum immensæ lucis thoro ejus consurgere et ad cœlos ascendere stupenti admiratione conspexit : quosdam quoque viros cum eodem patre sanctissimo colloquentes audivit. Quod beatus pontifex, prophetico spiritu prænoscens, tribunum admonet ut visa reticeat, sibique futuri prosperitatem itineris denunciat. Brevi pervenit ad regem; summa veneratione suscipitur et voti compos in patriam revertitur. Ubi, multis exantlatis laboribus, meritis illustris et miraculis clarus, kalendis decembris humana deserens, ad æterna migravit.

ANNOTATUM.

Quoniam in dubium revocant an hæ lectiones summarium sint Vitæ S. Hilari, *opportunum duximus eas integras edere. Eis locus est ad diem* 1 *decembris, ad quam repositæ fuisse videntur, quia hac die colitur S. Eligius, non secus ac S.* Hilarus, saint Chely *a Gabalis dictus. Vide ea de re Commentarium Prævium, numm.* 35 *et seqq.* F

DE

A D

DE S. DULCARDO, EREMITA ET CONFESSORE

IN AGRO BITURICENSI IN GALLIIS,

SYLLOGE.

V. D. B.

§ unicus. Sancti nomen in fastis sacris. Vita S. Læti partim ei applicata. Ejus monachatus Miciaci apud Aurelianenses et sancti socii. Discessus in agrum Bituricensem. Cultus.

SUB ANNUM DLXXXIV. S. Dulcardo, *cujus memoria celebratur in multis fastis sacris,*

* Èvre

* Moulon

*Ad occidentem æstivum Biturigum, uno aut altero milliario a civitate, inter Averam * et Mulonem * rivos, jacet vicus seu parochia, quæ, a sancto* Dulcardo *nomen suum mutuata, vulgo* Saint-Douchard *seu* Saint-Ouchard *dicitur; quæ duplex nominis forma nil singulare habet. Quum enim* sancti *titulus cum ipso nomine in unum verbum inter loquendum coalescat, sæpe non novit vulgus quomodo separatio facienda sit, quum nomen littera vocali aut dentali incipit. Sic S. Erasmus, factus est* Santermus *et* Santelmus *et a Gallis dividitur in* Saint Elme *ab Hispanis in* San Telmo; *S. Jacobus factus est* Santiago, *et dein divisus in* San Tiago, San Diego; *unde ortus* Diego, *latine* Didacus. *S. Auditus, inventus a fabulatoribus hispanis, versus est in* Sant Oid, *qui mutatus in* San Tuy : *sed hæc digito indicasse sufficit. Quum autem in prædictum vicum venit beatus vir, Victoria huic loco erat vocabulum. Ibidem aliquando ædificatum fuisse volunt* (1) *monasterium, quod Ambiliacum seu etiam Ambiliacum monasterium nuncupabatur, cujus mihi non occurrit memoria extra martyrologia. Viguit ibidem omnium maxime S.* Dulcardi *cultus; atque ea de causa in vetusto Martyrologio S. Laurentii Bituricensi, edito a Labbeo* (2), *leguntur sequentia sub hodierna die :* Bituricas civitate, Ambiliaco monasterio, depositio sancti Dulcardi confessoris : *atque eadem annuntiatio repetita est in pluribus auctariis Usuardinis, editis a Sollerio, puta in Bruxellensi, ubi correctius scriptum est:* Apud Bituricas civitatem; *in editionibus Molani, ubi solum* Biturigæ *legitur; et in Aquicinctino et Greveniano, ubi etiam* Ambiliaco monasterio *omittitur; quod etiam fit in codice Altempsiano, olim in templo cathedrali Wintoniensi usitato, in quo errore unius diei ad* 24 *octobris occurrit :* In pago Bituricensi S. Dulcardi confessoris. *Meminerunt etiam S.* Dulcardi *ad diem* 25 *octobris Wion in Ligno Vitæ, Ferrarius in Catalogo generali sanctorum, Menardus in Menologio Benedictino, Saussayus in Martyrologio Gallicano, Labbeus in Diario historico, Castellanus in Martyrologio universali, cardinalis de Noaliis in Martyrologio Parisiensi, episcopus Petrus de Rochechouart in Martyrologio Ebroïcensi, et alii in aliis fastis, maxime in Menologiis Benedictinis. Nomen itaque ejus satis celebre fuit; verumtamen id maxime illustratum est, postquam ea martyrologia, quæ vulgo classica dicuntur, fuissent conscripta : ignotum enim fuit Adoni, Rabano, Notkero et Usuardo.*

B C

2 *Ejus Vitam cum titulo* Elogii historici S. Dulcardi, monachi et confessoris, *partim edidit Labbeus* (3), *secutus Breviarium Bituricense, anno* 1587 *excusum, et mss. codices abbatiæ S. Sulpitii. Fidelius idem fecit, minus de suo adjiciens, Gononus, Breviario quodam Bituricensi similiter usus. Novis typis in lucem dedit Cointius* (4) *Labbei scriptionem, et ad ejus marginem excudi voluit Vitam S. Læti, eo consilio ut ostenderet unam ex altera fuisse desumptam. Integram autem, qualis in mss. codicibus reperitur, umquam in lucem datam fuisse mihi non constat. Descripsit eam olim P. Joannes Dardes ex codice S. Sulpitii Bituricensi, et Rothomago ad Bollandum nostrum exemplar misit; quod mihi jam ad manum est. Sed operæ pretium esse non videtur hanc Vitam hoc loco edere, quum nil aliud sit quam summarium Vitæ S. Læti, Miciacensis in Aurelianensi agro monachi, quam ex codice Floriacensi edidit Joannes a Bosco* (5) *et quam nos quoque ex pluribus codicibus ad diem* 5 *novembris, qua sanctus hic vir colitur, dabimus in lucem. Id tamen summarium non tale est ut ejus auctor omnia vestigia biographi S. Læti relegerit; sed contra paucissima quædam addidit, multa detraxit et alia ita mutavit ut cum locis, a S.* Dulcardo *habitatis, convenirent. S. Viatori, de quo breviter dixit Sollerius noster ad diem* 5 *augusti, eadem Acta aptata fuerunt.*

partim applicata fuit S. Læti Vita, ut jam pridem Cointius

E

3 *Audi ea de re Mabillonium breviter dicentem* (6) : Sanctorum Læti, Dulcardi et Viatoris Vitæ non minus (*quam S. Aviti, de quo modo dixerat,*) tenebris involvuntur. Quippe in vulgatis Actis S. Læti apud Joannem Boscium in Bibliotheca Floriacensi, Dulcardi apud Philippum Labbeum in tomo II Bibliothecæ, Viatoris in mss. codicibus, cuique eorum patria Bituricensis, ovium cura, professio monastica sub Triecio abbate, fuga ad monasterium Miciacense, inde in eremum cum Avito secessus tribuitur : ut quid cui conveniat ignores. Secessum in solitudinem cum Avito soli Carilefo tribuit Siviardus antiquus et gravis auctor. *In his plane pleraque probo, quæ Mabillonius de eisdem rebus tribus beatis viris attributis tradidit; atque eadem multo fusius et accuratius declarata videre est apud Cointium. Sed inde*

F

et Mabillonius ostenderunt.

(1) Cathérinot, Sanctuaire du Berry, pag. 15 ; Gallia Christiana, tom. II, col. 121. — (2) Bibliotheca mss. tom. II, pag. 704. — (3) Ibid. pag. 370 et 371. — (4) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 533, num. 61, tom. I, pag. 413 et seqq. — (5) Floriacensis vetus bibliotheca, part. II, pag. 254 et seqq. — (6) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæculi I pag. 614.

nequaquam

AUCTORE V. D. B.

nequaquam sequitnr ignorari quid cui conveniat, *quum satis manifestum sit ea omnia prius dicta fuisse de S. Læto. Neque est cur huic S. Læti Vitæ nulla tribuatur auctoritas, quod B. Siviardus in Vita S. Carilefi de hoc uno S. Aviti in solitudine socio meminit, quum nil eum cogeret ad loquendum de pluribus. Sed hæc ad diem* 5 *novembris latius examinanda erunt.*

Nonnulla tamen innotescunt de S. Dulcardo *ex hac Vita, imprimis ejus professio monastica Miciaci.*

4 *Cautissime itaque utendum nobis est S.* Dulcardi *Vita, atque ea fere tantum ex ea delibanda quæ in S. Læti Vita non reperiantur. Imprimis traditur religiosam vitam professus esse non in S. Triecii monasterio, sed in cœnobio Miciacensi ibique aliquandiu vixisse, abbate S. Maximino seniore; quæ res negari non posse videtur. Etenim ejus nomen inseritur sanctis Miciacensibus in carminibus, quæ ad commendandum Carolo Calvo (ut videtur) Miciacum olim conscripta fuere et a Mabillonio edita ante S. Maximini senioris Vitam* (1). *Quod siquis objiciat non omnia quæ illic recensentur nomina aliquid cum S. Maximino commune habere, audiat Letaldum, monachum Miciacensem et sæculi* x *exeuntis scriptorem, hæc in introductione ad miracula S. Maximini senioris perhibentem* (2): Mirabilis pater per omnia, cui collatum divino sit munere tales habere discipulos (*qualem S. Carilefum*) talesque ministros (*qualem S. Avitum, monasterii cellerarium.*) Nam ejus sanctæ clientelæ non solum hi duo, sed et alii multi sancti adhærebant viri, mundo olim exspectabiles, sed nunc merito virtutis cunctis imitabiles. Ex ejus namque disciplina hi virtutum culmine erecti, plurimi eorum anachoreticam expetierunt vitam et in ea constanter philosophati sunt: ut non solum communes humanæ habitationis sedes, sed deserta et invia et inaquosa rivis suæ beatitudinis, Christi fulti adjutorio, et colerent et irrigarent. Testatur hoc Perticus *, beatis viris Avito et Carilefo magnis duobus radiata luminibus. Testatur Secalonia *, bonum Viatorem servans in Viatoria; et Dulchardus, vicinus Bituricensibus; silva etiam, quæ Longinqua dicitur, quam beatus Leonardus spiritualibus suis exercitiis et corporis hospitio et celebrem reddidit et propinquam. Nam B. Launomarum et S. Lifardum ex hac ipsius floruisse disciplina nulli ambigendum est. *Convenit cum his locus Vitæ S.* Dulcardi, *qui in S. Læti Vita non occurrit :* Degebant autem cum eo (S. Dulcardo) multi virtute præstantes: Maximinus abbas, Avitus, monasterii œconomus, Carilefius, Launomarus, Leobinus, postea Carnotensis episcopus, Liphardus, Leonardus, Viator, Eusitius, Lætus, Frambaldus; quorum conversatione et exemplis sic profecit Dulcardus ut illorum impar meritis nequaquam esse videretur. *Similia leguntur in aliqua Vita S. Leonardi Vendoperensis* (3); *cui lucubrationi licet minor insit auctoritas* (4), *qualecumque tamen argumentum est ad confirmandum hanc sanctorum exstitisse societatem.*

B

* Le Perche

* La Sologne

ejusque abbas S. Maximinus senior et socii SS. Avitus, Carilefus, Launomarus,

5 *Porro Miciacense monasterium, a S. Euspicio circa annum Christi* 500 *prope Aureliam* * *constructum, duos sæculo sexto abbates sanctos protulit cognomines, Maximinum seniorem, qui primus eidem cœnobio præfuit; et Maximinum juniorem, qui post S. Avitum, Maximini senioris successorem, et S. Theodemirum avunculum suum, pastoris curam gessit* (5). *Obiit autem S. Maximiuus senior circa annum* 520; *nam S. Avitus jam ipsi successerat, dum mortem prædixit Chlodomiro, adversus Sigismundo profecturo, ut legitur apud S. Gregorium Turonensem, lib.* III, *cap.* 6; *quod anno* 523 *contigit* (6). *De quibus plura disserenda erunt sub die* 15 *decembris, qua S. Maximinus potioribus fastis sacris inscriptus est. S. Aviti Acta jam illustravit Henschenius ad diem* 17 *junii* (7); *ubi discere est S. Avitum prius cum S. Carilefo in Menatensi Arverniæ monasterio monachum fuisse; hinc cum eodem transmigrasse Miciacum; neque ambos hic diu substitisse, sed se in abditissima Segaloniæ contulisse; mortuo autem S. Maximino, revocatum S. Avitum cum socio, ut abbatis officio fungeretur; sed brevi post id onus posuisse beatum virum et noctu cum S. Carilefo fugisse Piciacum * in Pertico; unde S. Carilefum abiisse in partes Cenomannicas. S. Launomarum, cujus Acta edidit Bollandus sub die* 19 *januarii* (8), *numquam Miciaci vixisse sensit Mabillonius* (9); *sed inde forsan solum sua accepisse instituta : et sane in duabus Vitis, quas ipse edidit* (10), *non traditur S. Launomarus Miciacum incoluisse, sed, Carnotibus relictis, petiisse Perticum; ubi monasterium* Bellomer *condidisse et postea in loco secretiori ad Curbionem * amnem sex leucis a Carnotibus aliud monasterium, a suo nomine* S. Lomer-le-Moutier *dictum. Verum nemo dixerit omnia S. Launomari gesta his Vitis contineri et non aliquam auctoritatem inesse carminibus, quæ supra indicavimus, scriptioni Letaldi de S. Maximini miraculis, atque etiam S.* Dulchardi *Vitæ : in quibus omnibus traditur S. Launomarus vitam monasticam aliquandiu coluisse Miciaci : quæ res eo credibilior est, quo inconstantiores plerique illius ævi videantur fuisse celeberrimi monachi et abbates.*

D

* Saint-Avy

E

Corbion

Leobinus, Viator, Lifardus, Eusicius, Lætus, Frambaldus et Leonardus.

6 *S. Leobinus, cujus Acta dederunt decessores sub die* 14 *martii* (11), *prius octo annos degit in Noidgalensi monasterio, Pictavis vicino; dein, verbis habitis cum S. Carilefo, ivit in Perticum ad S. Avitum; quocum an iverit Miciacum, cum abbas creatus est, non patet. Perrexit dein S. Leobinus ad insulam Lirinensem, aliaque multa egit quæ huc non spectant. De S. Viatore, qui Tremulivici * in Segalonia colitur, jam diximus. Nescitur ubi vestem monasticam induerit S. Lifardus, priusquam Magdunum * cum discipulo suo Urbicio secessit. Arbitratur Mabillonius* (12) *id ab eo reapse fuisse factum in Miciacensi cœnobio: et certe nil obstat; quin etiam postea cum hoc asceterio consuetudinem aliquam habuit* (13). *Vitam B. Eusicii, abbatis Prisciniaci in diœcesi Bituricensi, ms. habemus et anno* 1649 *Parisiensibus typis impressam post Officia propria abbatiæ regiæ B. Mariæ Cellensis. In ea iterum non traditur sanctus vir aliquando Miciaci vixisse; sed id adstruitur in lectionibus, in ejus natali recitatis. Contra S. Lætus in Vita, sua a Joanne Boscio edita,*

* Tremblevif

* Melun-sur-Loire

* Orléans

(1) Acta SS. Ord. S. Ben., sæc. I, p. 581. — (2) Ibid., p. 599. — (3) Acta SS., t. I Junii, p. 299. — (4) Ibid., t. VII Octobris, p. 49. — (5) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæc. I, p. 580. — (6) Ibid., p. 589. — (7) Acta SS., t. III Junii, p. 350 et seqq. — (8) Ibid, t. II Januarii, p. 229 et seqq. — (9) Acta SS. Ord. S. Bened., sæc. I, p. 581. — (10) Ibid., p. 335. — (11) Acta SS., tom. II Martii, p. 349 et seqq. — (12) Acta SS. Ord. S. Ben., sæc. I, p. 154, not. *c.* — (13) Ibid., p. 156.

luculente

A *luculente dicitur versatus esse Miciaci et S. Avitum secutus. In Vita S. Frambaldi, cujus Vitæ Summarium ediderunt decessores nostri ex Labbei Bibliotheca ad diem* 16 *augusti, sermo non est de Miciaco* (1); *sed alicubi reperit Menardus hunc sanctum Miciaci fuisse versatum. S. Leonardum Vendeporensem in aliqua sua Vita dici ascesim coluisse Miciaci jam innuimus; quæ Vita quum communis sit S. Leonardo Lemovicensi, intelligitur quare in carminibus, jam laudatis, Leonardi duo ferantur Miciaci monasticam vitam servasse. Ex quibus sequitur in plerisque sanctorum Actis, qui in S.* Dulcardi *Vita laudantur, mentionem non fieri de eorum inter Miciacenses incolatu; sed ideo tamen hunc non plane a vero abhorrere.*

Cum S. Avito et quinque aliis pergit S. Dulcardus in Secaloniæ solitudinem; unde, quum S. Avitus creatus esset Miciacensis abbas et reliqui socii in varias partes abiissent, pergit Victoriam prope Biturigas.

7 *Ad S.* Dulcardi *Vitam redeamus.* Similitudo amoris, *inquit biographus*, vinculum est et amor sincerus ordinum et monasteriorum parens. Vivebant cum eo familiarissime Avitus, Viator et Eusicius. Hi, arctioris vitæ desiderio inflammati, fratrum vitare contubernia statuunt et in secretiora se loca abdere. Nocte igitur intempesta in abruptos Secaloniæ saltus se propipiunt : atque illic extructo, quod commode quatuor (*imo sex propter S. Carilefum et S. Lætum*) caperet, tuguriolo, non paucos annos sancta æmulatione Deo strenue militarunt, dum beatus Maximinus extremum clausit diem. Posteaquam enim felicem animam cælo reddidit, quæsitus est Avitus, ut in defuncti locum sufficeretur. Quem cum post sedulam per devia omnia perquisitionem inter senticosa hujus eremi diverticula reperissent, eum nolentem ac invitum in monasterium reduxerunt. Tres alii (*imo quatuor; nam, S. Carilefo S. Avitum comitato, S. Lætus petiit Logium, locum in Aureliansi silva, postea S. Læti dictum;*) fuga iterum arrepta, abstrusiores silvarum latebras iniverunt : in quibus postquam de sodalis sui amissione diu inter se conquesti sunt, communi animorum consensione sese ab invicem separarunt, utilius fore judicantes, si corporibus et habitatione sejuncti, solis inter se animis cohærerent. Igitur sanctissimi Christi milites, mutuis datis osculis et amplexibus, in lacrymas profusi divelluntur et in
C diversas deflectunt vias. Viator Tremulum (is vicus apud Secaloniam) sibi delegit; Eusicius ad Cari crepidinem domunculam suam struit; Dulcardus denique locum, Victoriam nominatum, duobus ab urbe Bituricensi milliaribus distantem, adit, ibique inter vepres et genistas, robur et dumeta, exiguum e cespitibus et contextis ramalibus tugurium ædificat adversus insanos ventorum impetus, rigorem hiemis, cælique intemperiem.

Quantus independentiæ et libertatis spiritus inter eos vigeret. Non fuit S. Dulcardus *proprie abbas.*

8 *Procul dubio omnes illi itus et discessus non parum miri videbuntur iis, qui de pristinis rebus monasticis secundum præsentes consuetudines judicare velint. Sed audi quid S. Carilefus S. Leobinum docuerit.* Quidam, *ait accuratissimus S. Leobini biographus* (2), quidam diaconus illustris, nomine Carileffus, cognoscens velle eum adire S. Avitum, qui tunc temporis morabatur eremita in Pertico, dulci affatu illum alloquitur, dicens : Agnosco, frater, de minimis ad majora te velle conscendere, sed quæ tibi in incepto scientiæ institutionis proposito proficiant, tribus verbis te instruere curabo. Id est, nulli episcoporum te obsequiis obliges, quia inter bonos bonus multos invenies detrectatores. Aliud moneo, ne quorumcumque hominum basilicam regere aut petitor ambias, aut expetitus acquiescas; aut, si blandimentis non consentias, detrahentes tamen vix sufferas. Tertium propono ne parvæ te socies cellulæ, qui dum singuli præponere se cupiunt, nulli obedientiæ ministratur. *Quandoquidem ita res compositæ erant et a S. Aviti discipulis intelligebantur, utique nil opportunius facere poterant quam ut suam quisque sequeretur viam. Ex iis tamen plerique habuerunt discipulos; sed nil suadet ut idem de S.* Dulcardo *admittatur. Re quidem vera* abbas *a nonnullis dicitur et ejus officium liturgicum hactenus desumitur ex communi abbatum : verum olim illud nomen longe latius patebat quam nunc et facile dabatur, quemadmodum jam pridem animadvertit Cangius V°* Abbas, *eremitis et monachis omnibus, maxime si senio conspicui essent et vitæ sanctimonia; ita ut venerationis potius quam officii monastici indicium foret.*

AUCTORE V. D. B.

E *Victoriæ visitatur sæpius S.* Dulcardus *a S. Sulpicio I, Bituricensi episcopo, et pie obit.*

9 *Dum Victoriæ, qui postmodum S.* Dulcardi *vicus dictus est, versaretur beatus eremita,* sic animis D. Sulpitii, Biturigum præsulis, insedit ut ad eum, quantus erat episcopus, accedere frequentissime dignaretur, cum eo de cælesti gloria sermones habiturus. *Quibus verbis intelligitur S. Sulpicius I, distinguendus a Sulpicio Severo, presbytero et S. Martini discipulo. Quum autem ille ab anno* 584 *usque ad annum* 591 *Bituricensem cathedram conscenderit* (3), *oportet ut S.* Dulcardus, *siquidem sub S. Maximino Miciacensi vixit, octogenarius factus sit : quæ ætas in eremitis nequaquam miranda est. In Breviariis et Missalibus Bituricensibus, sæculo* XVIII *reformatis, adscribitur ejus mors anno* 630, *quoniam eorum auctores arbitrati sunt S.* Dulcardum *diem obiisse S. Sulpicio II aut Pio archiepiscopo. Sed nil suadet ut id admittatur. Quod autem in Vita legitur S.* Dulcardus *paulo ante mortem a S. Avito visitatus fuisse et ab eodem ejus funus curatum, id secure inter fabulas refer. Totus enim ille locus ex S. Læti Vita depromptus est, nisi quod*
F *S. Troecio, qui in hac legitur, S. Avitus in illa substitutus fuit. Sed hic minimus nævus. Obierat enim S. Avitus circa annum* 527, *ut ostendit Henschenius* (4); *qui et palam fecit non duos admittendos esse S. Avitos, abbates Miciacenses, ut voluerat Mabillonius* (5). *Post S.* Dulcardi *mortem* fidelis Dominus Jesus, *verbis utor biographi*, non est passus famulum suum longo tempore in tenebris delitescere, sed eum illico innumeris propemodum miraculis illustravit. Quotquot enim sacrum corpus supplices venerabantur, orationis suæ effectum, ut fit etiamnum, consequebantur. Quæ cum sanctus Biturigum præsul usu et ratione vera esse comperisset, sacellum inibi ædificatum est, eo procurante; in quo tot tantaque patrata sunt miracula, ut qui esset antea locus inaccessus, nunc sit pagus colonorum non infrequens. *Verumtamen ineunte sæculo* XVIII *recensebantur incolæ tantum* 250 ; *nunc autem paulo plures quam*

(1) Acta SS., tom. III Augusti, p. 301. — (2) Ibid., tom. II Martii, p. 350. — (3) Gallia Christiana, t. II, col. 14 et 15. — (4) Acta SS., t. III Junii, p. 351. — (5) Acta SS. ord. S. Bened., sæc. I, p. 613.

sexcenti

AUCTORE V. D. B.

sexcenti. Videntur illa scripta fuisse ante sæculum XIII, *quum nondum exstaret Ambiliacum monasterium, quandoquidem hujus monasterii mentio fit in codice Usuardi Aquicinctino, ea ætate aut etiam ante exarato. Jam monui convenire omnes illic reapse exstitisse id asceterium; quamvis nulla amplius appareant veteris nominis vestigia. Ea de causa me non parum dubium fuisse et anxium non diffitebor. Litteras itaque dedi ad V. V. Delarue,* S. Dulcardi *parochum, sciscitatus num quid certi illic sciretur. Humanissime respondit populari traditione ferri sanctum eremitam vixisse in loco, Valle appellato, ducentis metris a præsenti templo; illic scaturire fontem, cujus aquis eum usum esse; visum sibi fuisse id pingi posse in nova templi fenestra; templum sæculo* XI *fuisse constructum, nec singularis pulcritudinis esse; tot in eo lapides projectitios eminere, tot in portis et fenestris mutationes fuisse factas, et maxime tot veterum ædificiorum fundamenta circumcirca reperiri, ut appareat ibi alias olim exstitisse fabricas quam quæ in rurali parœcia exspectandæ sint; quapropter perquam verisimile esse*
B *ibi reapse exstitisse monasterium. Addit demum V. parochus nullas amplius in suo templo esse* S. Dulcardi *reliquias; neque se scire alibi in diœcesi Bituricensi servari.*

Ejus cultus vicissitudines apud Bituricenses.

10 *In Breviario Bituricensi, quod anno* 1625 *venit in lucem auctoritate archiepiscopi Rolandi Heberti, statuitur ut in matrice ecclesia* S. Dulcardi *festum fiat ritu duplici; alibi autem SS. Crispini et Crispiniani. Postmodum crevit paululum cultus. In Missis enim propriis sanctorum ad usum insignis ecclesiæ et diœcesis Bituricensis, quas anno* 1631 *archiepiscopus Anna de Lévy de Ventadour excudi jussit, præ-* D *cipitur ut intra civitatem* S. Dulcardi *festum celebretur ritu duplici, in reliqua diœcesi ritu simplici. Sublata fuit hæc varietas in Breviario Bituricensi secundum ritum Romanum, anno* 1676 *curis archiepiscopi Michaelis Poucet excuso, in quo per universam diœcesim* S. Dulcardi *festum fieri jubetur ritu duplici minori; adest oratio propria et tres lectiones, quibus continetur Vita, superius a me repudiata. Lectiones illæ stylo diversæ sunt ab iis, quas Labbeus ex Breviario anni* 1587 *publico communicavit. Quum autem anno* 1734, *priscis abjectis consuetudinibus, novum Breviarium prodiit, deletæ sunt de* S. Dulcardo *lectiones et simplex commemoratio fieri jussa. Remansit inter hos modos* S. Dulcardi *cultus, donec anno* 1852 *boni consuluit Em. Card. Dupont ad ritus Romanos redire; tunc autem in novo Proprio sanctorum, S. R. C. approbato, omnis omnino suppressa* S. Dulcardi *memoria; ita ut nunc in sola* S. Dulcardi *parochia patroni titulo ecclesiasticos honores recipiat et festive colatur per integram octavam, servato antiquo officio, quod in Breviario archiepiscopi Michaelis Poucet legitur. Atque illa om-* E *nia ad diem* 25 *octobris spectant. Verum in excerptis mss. quæ Papebrochius noster ex Breviario anni* 1625 *collegit, annotatum reperio extra calendarium in eo Breviario indictum fuisse festum aliquod* S. Dulcardi, *die* 8 *junii peragendum. Sed cujus rei causa id institutum fuerit et in quo templo ageretur, Bituricensibus ulterius inquirendum relinquo. Invenio item in Peristromatibus Raissii* (3) *locum ex Breviario ecclesiæ Bituricensis recitatum, cum indicio marginali X novembris.*

(1) Pag. 362.

DE S. LASRIO SEU LASRIANO, CONFESSORE,

IN DRUM-LIAG IN HIBERNIA,

V. D. B.

SYLLOGE.

C

F

§ unicus. S. Lasrii laus et conversatio cum S. Ita virgine. Ætas et domicilium.

ANTE A. NUM DC. S. Lasrius *seu* Lasrianus *visitat S. Idam et ab ea egregie laudatur. Quo tempore*

Lasriu mac Coluim, *id est* Lasrius filius Columbæ, *legitur hac die in Martyrologio Tamlactensi; ubi in Dungallensi additur* de Druim-liag. *De eo similiter meminerunt Marianus Gormanus et Ængussius auctus* (1). *Porro in Vita S. Itæ seu Midæ, virginis et abbatissæ, quam Bollandus et post eum Colganus ad diem* 15 *januarii edidit, hæc leguntur* (2) : Alio tempore S. Luchtigernus et S. Lasreanus abbates dixerunt ad invicem : Eamus visitare famulam Dei S. Itam. Tunc quidam adolescens stulte et insipienter dixit eis : Quid est vobis sapientibus et sanctis viris ire ad anum illam vetustam? Increpantes eum sancti dixerunt ei : Male locutus es, frater. Jam enim prophetissa Domini noverit quod tu dixisti. Deinde perrexerunt sancti ad S. Itam, ducentes illum juvenem secum. Venientes autem ad ostium monasterii virgines S. Luchtigernum agnoverunt; quia ipse frequenter visitabat B. Itham, et intrantes nuntiaverunt Christi sponsæ, dicentes : Bona est nobis dies hodie, quia S. Luchtigernus hodie visitat te. Respondit eis mater sancta : Non minor est apud Deum, qui cum eo venit, id est S. Lasareanus, filius Colmanni, quem non salutastis, quia non cognovistis eum. Per Spiritum enim S. Ita novit eum nomine et merito, quem numquam vidit. Et venientes ad B. Itham, ut benediceret eos, illico famula Dei illi juveni prædicto ait : Cur tu venisti ad anum vetustam, cum dixisti quid prodesset sanctis venire ad me? Tunc ille egit pœnitentiam; rogantes sancti pro eo, manentesque ibi feliciter triduo, accepta licentia et benedictione

(1) Cfr. Colganus, Acta SS. pag. 72, n. 26. — (2) Ibid. pag. 70, cap. 28.

A benedictione a sanctissima Ita, ad sua redierunt. *Ad quæ animadvertit Colganus* (1) de S. Lazareno, abbate de Druimliag, hic esse sermonem; de quo Marianus et Ængussius auctus ad 25 octobris. A quibus vocatur filius Columbi, hic vero filius Colmanni, quod perinde est : nam Colmannus est diminutivum a Columba, et idem quod Columbinus vel Columbanus. *His nil addere velim, nisi quod S. Ita ad cælos abiit anno* 570 (2) *ejusque biographus cum ea conversatus est* (3)*; ita ut, quum circa annum* 600 *ejus Vitam scriberet, (non enim videtur tardius id fecisse,) S.* Lasrianus *diem jam obivisset et* sanctus *diceretur*

et quo loco vixerit.

2 *Porro S. Idam convenit S.* Lasrius *seu* Lasrianus *in parte occidentali Hy-Conaill, qua nunc fere baronia de Connello seu de Connillo in comitatu Limericensi repræsentatur; ubi ad pedes montium Luachra sanctissima virgo monasterium suum habebat, Cluain-Credhuil nuncupatum. Illic tamen non videtur solitus fuisse vivere S.* Lasrius, *sed, si Lanigan audiatur, paulo magis ad occidentem, scilicet in comitatu Kerriensi, prope rivum Feal, qui Listowellum in baronia de Iraghticonnor præterlabitur.* Druimliag *enim ei videtur idem esse quod* Drumlegagh; *ubi olim magna erat silva, per quam ille idem currebat rivus* (4). *Verum Guilielmus Reeves, cujus diligentiam sæpe jam laudavi, suggerit mihi potius esse* Drumaleague, *eamdem, ni fallor, parœciam quæ* Dromdaleague *seu* Drimoleague (5) *in baronia de Carbery occidentali, in comitatu Corcagiensi, in provincia Momoniensi. Aliæ nullæ de S.* Lasrio *seu* Lasriano *Drumliagensi superesse videntur memoriæ. De S. Luchtigerno dixerunt decessores in prætermissis ad diem* 28 *aprilis. Nil quod operæ pretium sit habemus quod illic addamus.*

(1) Cfr Colganus, Acta SS., p. 72, n. 26. — (2) Cfr. Lanigan, Eccles. hist. of Ireland, tom. II, pag. 89. — (3) Ap. Colganum, pag. 68, cap. 17. — (4) Lanigan, tom. cit. pag. 89, n. 20. — (5) Cfr. Lewis, topograph. Dictionary of Ireland.

AUCTORE V. D. B.

B

DE S. CAIDEO SEU CAIDOCO, CONFESSORE,

E

IN HIBERNIA,

SYLLOGE.

V. D. B.

§ unicus. S. Caidei memoria in Martyrologio Dungallensi; cultus in Ultonia; templum et oppidum; campanula et baculus. Alius S. Caideus, episcopus Hiensis.

SÆCULO FORTE VI.

A pluribus cognominibus S. Caideus *seu* Caidocus *distinctus, innotuit ex Calendario Dungallensi.*

In his Actis nostris sanctorum celebratus est ad diem 24 *januarii* (1) *S. Sophias sive Cadocus; qui, B. Gundlei regis Wallici et Gladusæ filius, S. Iltuti magister, sanctorum locorum frequens visitator, et demum, Beneventanus episcopus factus, lanceæ ictu martyr occubuit; cujus aliam Vitam, a Bollandiana plane diversam et meliorem, inspersam tamen fabulis, non multis abhinc annis edidit vir eruditus W. J. Rees, minister anglicanus in Wallia* (2).

C *Ad diem autem* 30 *maii dictum est ibidem* (3) *de S. Caidoco, natione Hiberno; qui, in Pontivo tentata christianæ fidei prædicatione, a rusticis impetitus et ab obvio S. Richario servatus, deinde in Centulensi monasterio quietem invenit et sepulturam. Rice Rees, alter minister anglicanus, inter sanctos Walliæ recenset sanctum Cado seu Cataw, filium Geraint, cui tamen nullæ in Wallia dicata sint templa* (4) : *deinde S. Cadog, filium Brychani, sepultum in Gallia, et in Cornubia nomine Cadoci notum; unde idem videatur ac Rheidiog* (5) : *et tertio S. Cattwg, abbatem de Llancarfan, nepotem aut abnepotem Brychani* (6), *qui idem sit ac S. Gundlei filius* (7). *In Martyrologio O'Clery hibernico dungallensi, quod nuperrime doctissimi viri Toddius et Reevius, ex mss. codice Bruxellensi in lucem dederunt cum versione anglica, recentiores manus quatuor locis inseruerunt S.* Caidei *nomen et quinto inter memorabilia miscellanea ad finem voluminis. Scilicet ad diem* 25 *octobris in margine legitur* (8) : Festivitas Caidei (*Fail Caoide*), abbatis, patroni de... chaidh; *atque iterum post alios sanctos :* Caideus seu Caidocus (*latina forma*), de Domhnach Caoide, ad pedem Dannaid. *In indice autem ms. ejusdem Martyrologii ad vocabulum* Caoide *hæc leguntur, nisi quod ea ex hibernico latina feci :* Caoide, abbas, de Domhnach Caoide, in Tir-Eoghain, diœcesis Derrensis, 25 octobris, VIII Kal. novembris, Caidinus latine. Ibi est ejus templum, et campanula baculusque servantur. Vide Caeti ad ad 24 octobris. Pro quo Marianus habet Caete, id est Caoide correcte. *In eodem indice ad vocabulum* Caete *veniunt hæc etiam :* Caette, id est Caoide, ad Dionaid pedem in Tir Eoghan. *Et demum in adjectis memorabilibus :* Domhnach Caoide, vulgo parœcia S. Cadini. Tempal-Ui-Buidhe in territorio de O'Cathain, cujus festivitas...

F

Ejus nominis formæ et cultus in parœcia Ultoniæ, quæ ab eo nomen accepit, explicantur.

2 *Hinc* Caideum *seu* Caidocum *et* Caidinum *seu* Cadinum *latine idem nomen esse quod hibernice* Caoide, Caeti, Caete *et* Caette *patet. Et quidem* an, en *seu* in *et* oc *atque* og *diminutivorum formæ sunt : ita ut* Caidoc *et* Caidin *hibernice* Caidulus *sit latine. Atqui venerationis causa amant hiberni sanctorum nomina per diminutiva referre; quod aliis etiam gentibus*

(1) Acta SS., tom. II Januarii, p. 602 et seqq. — (2) Lives of Cambro-British Saints, p. 22 et seqq. — (3) Acta SS., tom. VII Maii, p. 262 et 263. — (4) Essay on the Welsh Saints, p. 232. — (5) Ibid., p. 142. — (6) Ibid., pag. cit. — (7) Cfr Lanigan, Ecclesiastical history of Ireland, tom. I, p. 489 et seqq. — (8) Calendar of the Saints of Ireland, p. 285.

v. g. theotiscæ

AUCTORE V. D. B.

v. g. theotisɔæ seu flandricæ commune est (1); *quin etiam hiberni præponunt frequenter* mo, *id est* meum; *et aliquando præfixa* mo *ornant nomina et simul diminutionis forma* oc *aut* in : *quemadmodum inferius in S. Mernoco, id est* Mo-Ern-Oc, *apparebit* (2). *Similiter idem nunc* Enan, *nunc* Enoc *vocatur;* Aodhan, Aodhoc *et* Maodhoc (3); *et* Caideus, Cadocus *et* Mochatocus (4). *Jam vero* Donaghedy *seu* Donagheady, quæ illis notitiis designatur, jacet in angulo septentrionali comitatus de Tyrone, et finitima est comitatui de Londonderry; a qua civitate non multum distat : ita ut ad regionem pertineat, bene notam Franciscanis septentrionalibus (5), *ex quibus erat O'Clery. Carlisle* (6) *et Lewis* (7) *nil referunt, quod ad S.* Caidei *cultum certo spectet. Verumtamen in ipso hujus oppidi nomine latet S.* Caidei *nomen.* Domhnach *scilicet, quod vocabulum ex latino* Dominico *effecerunt Hiberni et quo* diem dominicam *designare solent, significat etiam istic* ecclesiam *seu* templum (8); *quod primis sæculis* dominicum *dictum fuisse a christianis latinis latet neminem, ut a græcis* κυρτακον : *quod posterius*
B *probabiliter per Gothos in omnes gentes germanicæ stirpis atque ipsos Polonos et Wendos penetravit. Hinc* Domhnach Caoide, *quod in* Domnachcaoide, Domnachaoide, Domnachaede *et* Donaghedy *transivit, nil aliud est quam Templum S. Caidei; hinc supra in indice Martyrologii Dungallensis legimus S.* Caidei *templum illic exstitisse.*

Ejus campanula et baculus reliquiarum loco asservata.

3 *In eo autem sanctum virum cultum fuisse die* 28 *octobris tradit Colganus* (9); *sed errore, ni fallor, typothetæ; equidem ad hanc diem in nullis fastis hibernicis occurrit mihi ejus nomen. Quod vero campanula ejus illic servabatur et baculus, abbatum hibernorum, etiam quum solitarii viverent, insignia quasi sunt; ut nunc superiorum in aliquot monasteriis, maxime virginum, claves. Hæ campanulæ sæpe ferreæ et quadratæ erant, manuque gerebantur et movebantur, rarius in turribus appensæ aut ad muros; et* Clocc *seu* Clog *dicebantur; atque his convocabantur fratres, si qui essent; sin autem essent nulli, eas tamen initio orationum suarum pulsasse videntur sancti abbates : quid secus etiam solitarii habuissent? Baculos gestarunt*
C *monachi ab initio, aliquando sustentaculum inter orandum, aliquando arma adversus animantia* D *in media solitudine, semper signum pugnæ faciendæ adversus dæmones. His nomen* Cambuta, *et corrupte apud Hibernos* Cambata, *atque etiam* Cambo. *Sanctorum vero hibernorum campanulæ et cambutæ reliquiarum loco servatæ passim et summa reverentiæ habitæ; ita ut earum tactu juramenta præstita sanctissima essent. Sed tam immensum est exile hoc argumentum, ut occasione sancti pene ignoti versandum non videatur*

S. Caeti, qui et Ceti, Caideus et Caidinus, episcopus Hiensis, plane diversus.

4 *In indice Martyrologii Dungallensis, quemadmodum supra intelleximus, monetur lector* videndum esse ad diem 24 octobris S. Caeti episcopum. *Et quidem ad eam diem legimus* (10): Caeti episcopus. Cain Adamnain statuit Ceti episcopum unum e sanctis fuisse, quorum literæ formatæ * valerent ut a mulieribus averteretur omnis captivitas et servitus; et verisimile est de eo hic agi. *Atqui* Cain Adamnain *seu* Lex Adamnani *seu* Tributum Adamnani *sunt canones synodi Tarensis, anno* 697 *celebratæ; quibus hoc nomen datum, tum quod S. Adamnanus, S. Columbæ biographus, ei congregandæ auctor fuit, tam quod illi sanctissimo* E *abbati ejusque successoribus privilegium illic datum est certæ colligendæ pecuniæ. Ex exemplari Rath-bothensi seu Raphoensi descripsit has leges Michael O'Clery, Dungallensis Martyrologii collector; quod apographum in Bruxellensi regia bibliotheca servatur num.* 2324 (11). *At Coeddi, episcopus Hiæ seu Ionæ, juxta Annales Ultoniæ, obiit anno* 711, *et anno præcedenti, juxta Quatuor Magistros : quod mortis tempus cum tempore celebratæ synodi S. Adamnani bene convenit* (12); *ita, ut admitti possit episcopum Ceti eumdem esse ac Coeddi, Hiensem episcopum. An vero idem sit qui colitur die* 24 *octobris, obscurius est. Affirmat Colganus* (13), *qui eum inter illustres monachos Hienses recenset vocatque latine* Caideum *et* Caidinum; *quin etiam in parte secunda indicis historici tertii Actorum Sanctorum* episcopum Hiensem in Hebridibus *facit; id est ex insula Hia in Hebrides missum. Nil habeo quod opponam; id unum subjiciens eum aperte diversum esse a S.* Caideo *seu* Caidoco *abbate; quem unum ab oblivione vindicare cogitavimus. Mochatocos omitto, licet idem sit nomen quod Caideus.* F

* Passeport

(1) Cfr Acta SS., tom. VII Octobris, p. 1102. — (2) Cfr Reeves, Life of St Columba, p. 26. — (3) Colganus, Acta SS. Hiberniæ, p. 162. — (4) Colganus, Trias thaumaturga, p. 185. — (5) Todd et Reeves, Calendar of the Saints of Ireland, p. 285. — (6) Topographical dictionary of Ireland, V° *Donagheady*. — (7) Topographical dictionary of Ireland, V° *Donagheady*. — (8) O'Brien, Focalòir Gaoidhilge-Sax-Bhéaria, p. 192. — (9) Acta SS. Hiberniæ, p. 162. — (10) Todd et Reeves, Calendar of the Saints of Ireland, p. 283. — (11) Cfr Reeves, Life of St Columba, p. L et LI. — (12) Todd et Reeves, Calendar, p. 282. Cfr Colganus, Trias thaumaturga, p. 499. — (13) Trias thaum., pag. cit.

DE

A

DE S. MERNOCO, EPISCOPO ET CONFESSORE,

PATRONO DE KILMERNOCK IN SCOTIA,

SYLLOGE.

V. D. B.

§ unicus. S. Mernoci memoria in calendariis et martyrologiis scoticis. Loca ejus nomine designata. Nomen idem quod Ernanus. An S. Mernocus idem qui S. Ernanus, Craseni filius.

TEMPORE INCERTO. *S.* Mernocus *in fastis sacris, maxime scoticis, ad hanc diem laudatur.*

B *Carthusianos Colonienses, imo potius Grevenum, eorum collegam et contubernalem, quum annis* 1515 *et* 1521 *Usuardini Martyrologii editionem procuraret, usum fuisse calendario aut aliis libris liturgicis Scoticis non semel observavimus. Nil itaque mirum, si in additamentis ejus ad Usuardi genuinum textum memoret S.* Marnocum episcopum confessorem. *Etenim in calendario ms. Edimburgensi, quod Spaldingi societas ab ante annos septemdecim edidit* (1), *legitur :* VIII kl. nov. Kilmernoch, S. Mernocus; *et in alio Aberdonensi* (2) : VIII kal. Marnoci episcopi et confessoris. Mediæ lectiones de S. Crispino et Crispiniano; *in calendario autem præfixo Breviario Aberdonensi, quod Londini anno* 1854, *secundum exemplar Edimburgense anni* 1509, *summa diligentia excusum est :* Mernoci episcopi confessoris. Mediæ lectiones de SS. Crispino et Crispiniano martyribus. IX lectiones; *in Martyrologio autem Usuardi secundum usum ecclesiæ Aberdonensis, quod sæculo* XVI *ineunte pro choro ecclesiæ cathedralis Moraviensis* * *in Scotia scriptum est et Commentariis societatis archeologorum Scotiæ a Davide Laing partim insertum, hæc paulo longiora* (3) : VIII kl. novembris... Eodem die in Scocia apud Kilmernoch S. Mernoci episcopi et confessoris; *deinde in calendario Scotico, quod præmissum est Catechismo Adami Regii seu Kings :* S. Marnocus, episcopus et confessor in Scotia, mortuus est in Cuninghame sub rege Crathlintho, anno 322. *Ex quo fonte desumpsit Ferrarius hanc memoriam, quam Catalogo suo generali sanctorum ad hanc diem intexuit :* In Kuningamia S. Marnoci, episcopi culdei; *addens in notis :* Vixit circa annum Domini 322. Ex eo locus Kilmarnoc nominatur. Kuningamia vero est regio Scotiæ ad occidentem inter Argadiam et limites Angliæ pertingens, a Lismora ad XV. M. P. *Præterea in calendario, ex Kingiano breviato inserloque Keithii Historiæ episcoporum Scotiæ* (4), *atque hinc translato ad finem Vitæ S. Palladii, quæ Butlerianis Vitis Sanctorum, sive anglicis, sive gallicis, ad diem* 6 *julii continetur, hæc ad diem* 15 *octobris veniunt :* S. Marnocus, episcopus et confessor, mortuus est in Kilmarnock; *in Martyrologio autem anglico, typis excuso Londinensibus anno* 1761, *hæc alia* (5) : In Scotia festivitas S. Marnoci, episcopi patroni in Kilmarnock, memorati hac die in calendariis Scoticis. *Demum ejus nomen reperitur in indice sanctorum, quem Harris Nicolas chronologicæ suæ historicæ inseruit* (6).

Oratio in ejus honorem et loca de ejus nomine dicta.

2 *Lectiones propriæ de S.* Mernoco *in Breviario Aberdonensi nullæ sunt; sed, post præmissum titulum :* S. Mernoci, epyscopi et confessoris, patroni de Kilmernoch, *hæc sola venit oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui beato Mernoco confessore tuo atque pontifice [intercedente] in tui nominis virtute infirmitatibus variis sanitatem largiris, concede propicius ut, qui ejus petimus auxilium, mentis et corporis dono graciæ tu[æ] nobis tribuas puritatem. *Qua oratione apparet infirmos solitos fuisse S.* Mernoci *patrocinium implorare, atque ita quidem ut censendum sit Kilmarnock a peregrinantibus plurimum fuisse visitatum. Jacet autem id oppidum, cujus nomen* templum S. Mernoci *significat, in districtu de Cuninghame, in comitatu de Ayr, ejusque templum etiam nunc collegiatum dicitur; quod pristinæ dignitatis vestigium sit; de quibus plura vide in relationibus statisticis Scotiæ* (7). *In comitatu de Dumbarton alia est parœcia, nomine Kill-Maronock, quæ S.* Maronochum *seu* Marnocum *patronum habere legitur* (8). *Ad latus insulæ et comitatus de Bute, quod occasum hibernum respicit, insula jacet, quæ, quod illic* F *olim ædes sacra erat, nunc prolapsa, atque etiam monachorum domicilium, S.* Mernoci *titulum habens,* Inchmarnok *dicta est, id est* insula S. Marnoci (9). *In parœcia de Glen-Muick, in districtu de Kincardine O'Neil et comitatu Aberdonensi, in lacu Muick, inter Binchchinenses montes et Deam fluvium, similis nominis erat ecclesia, scilicet* Inchmarnach (10). *Demum in parœcia Kilfinan, tribus milliariis a parœciali templo proxime ad mare, districtu de Cowal et comitatu Argyliæ, locus et capellæ rudera supersunt, quibus nomen* Ard-Marnoch, *seu S.* Marnoci collis (11). *Ex quibus facile colligitur magnam aliquando apud Scotos S.* Mernoci *fuisse venerationem.*

Murray

(1) Registrum episcopatus Aberdoniensis, tom. I, p. LXXXVII. — (2) Ibid. tom. II, p. 21. — (3) Proceedings of antiquarians in Scotland, p. 269, — (4) Schcttish bishops, p. 378, edit. 1824. — (5) A memorial af ancient British piety, or a British Martyrology, p. 149. — (6) The Chronology of History, p. 160, edit. 1838. — (7) Old statistical account of Scotland, tom. II, p. 84; Neu statistical account, tom. V, *Ayr.* p. 534. — (8) Carlisle, topogr. dictionary of Scotland, Vo *Kill-Maronock.* — (9) Cfr. New statistical account, tom. V, part. II, p. 104; Origines parochiales Scotiæ, tom. II, p. 237 et 238; Fordun, Scotichronicum I, 6 et II, 10. — (10) Old statistical account, tom. XIX, p. 296; Histor. Collections of Aberdeen, tom. II, p. 80. — (11) Origines parochiales Scotiæ, tom. II, p. 51 et 53; Old statistical account, tom. XIV, p. 258 et 259.

AUCTORE V. D. B.

Nomen idem est ac S. Ernanus, præfixa et affixa particulis amoris.

3 *Verumtamen gesta ejus latent omnino, ita ut nemo sciat quo loco aut quo tempore vixerit; nam quod a Regio seu Kingio in Cuninghamia mortuus esse dicitur et quidem circa annum* 322, *Crathlintho rege, nulla auctoritate nititur, quum omnibus jam manifestum sit, quæ de eo ævo olim a Scotis fuere tradita, pleraque fabulas esse et commenta. Censet eruditus vir Guilielmus Reeves* (1) *eumdem esse ac Erneneum, filium Craseni, qui in Vita S. Columbæ eximie laudatur; certe nomen idem est, ut jam pridem observavit Colganus* (2), *et singulariter de hoc ipso sancto ostendit Reevius* (3), *recitans Mariani Gormani et Martyrologii Dungallensis ad diem* 18 *augusti hibernica verba; scilicet latine :* Ernin, id est Mernocc, de Rath-Naoi, in Ui Garrchon, id est in Fotharta Lageniæ; *Festilogii S. Ængussii :* Filius Cresine, Mernocc; *et alia id genus.* Mernoc *enim contractum est ex* Mo-Erninn-occ *pro Scotorum seu Hibernorum more.* Mo, *quod latine* meus *est, ex affectu quodam animi nominibus olim ab hibernis præponebatur; quod a Latinis etiam factum, ut in Lexicis videre est; item a Gallis, ab Hispanis, ab Italis et similiter* B *ab omnibus germanicæ stirpis gentibus in vocabulis* Messire, Monsieur, Monseigneur, Monsignore, Meinherr, *etc.; et pronomen* mon, mein *cum sequenti voce in unam coalescit. Neque aliter utitur plebs vocabulis* Mon père, Ma mère, Mon oncle, Ma tante; *ita ut audiatur aliquando* Son monpère, *etc.* Occ *diminutiva forma est, nil singulare in sanctorum nominibus habens. Etenim omnes fere Europæ gentes diminutivis utuntur ad declarandum amorem; verum id quotidie apud plebem observatur, venerationem facile mutari in amorem; et quidem Flandri seu Theutones, qui Belgium incolunt, similiter sanctorum nomina, etiam quæ maxima veneratione prosequuntur, ut Jesu et Mariæ, sæpe per diminutiva proferunt : adeo ut ipse P. Poirters, poeta olim popularis, carmen scripserit, in quo divini Salvatoris et S. Joannis Baptistæ nomina non nisi diminutiva forma leguntur. Atque hujus rei etiam in Italia et Gallia exempla occurrunt; ut videre est in hoc opere nostro ad diem* D 16 *octobris in Commentario de S. Gurdanio seu Gurdinello. Apud Hibernos tamen seu Scotos id multo magis in usu erat; ita ut locis prope infinitis ea de re dicendum fuerit hagiographo hiberno Colgano. Et quoniam ad etymologiam aliquantum deflexeimus, id coronidis loco addamus quod, quum prisca voce* iern, *et recentiori* iarann ferrum *significetur, ab ipso S. Adamnano, S. Columbæ biographo, animadversum est* nomen etiam posse dici Ferreolum, scotice vero Ernene (4).

Dubium est an S. Mernocus, *hodie cultus, idem sit ac S. Ernanus, Craseni filius, cultus die* 18 *augusti.*

4 *Ex hoc itaque capite nulla exsurgit difficultas; neque etiam ex eo quod S.* Mernocus *in Scotia hodierna colitur et Scotus fuisse habetur. Jam pridem enim Ferrarius* (5) *jure merito appellavit ἁγιοκλεπτους Scotos; qui et alios plures hibernos pro popularibus colunt. Verum S. Ernanus, Craseni filius, non die* 25 *octobris, sed* 18 *augusti laudatur in Martyrologiis hibernicis, ut, quemadmodum supra videre fuit, ipsemet præstantissimus Reevius* (6) *solita sua diligentia et doctrina demonstravit. Re quidem vera certum et firmum id argumentum non est, quoniam iidem sæpe sancti aliis coluntur die-* E *bus, non solum in diversis regionibus, sed aliquando in iisdem. At licet ita sit, habet tamen vim aliquam, maxime quum plures alii sint cælites, Ernani seu Mernoci dicti, qui eodem jure, quo S. Ernanus seu Mernocus, filius Craseni, aut etiam meliori, quum constet eos fuisse episcopos, dici possent die* 25 *octobris a Scotis olim culti fuisse : præterito utor, quoniam nunc S.* Mernoci *cultum omittunt omnem, etiam catholici. Quod si tamen alicui placeat conjectura illa, quam præcellentissimi viri auctoritas omnium maxime commendat, adeat is S. Columbæ Vitam, ubi summas S. Mernoci, Craseni filii, laudes offendet. Equidem eam neque improbo, neque probo; dolens quod quum pleraque, quæ huic Syllogæ inserta sunt, debeo benevolentiæ laudatissimi S. Columbæ biographi, in hac re ei firmiter consentire non possum.*

(1) Life of S^{t}. Columba, p. 26. — (2) Acta SS. Hiberniæ, p. 8, n. 1 et 3. — (3) Life of St Columba, p. 26. — (4) Ap. Reeves, ibid., p. 237. — (5) Catalogus generalis sanctorum, *Admonitio.* — (6) Life of St Columba, p. 25 et 26.

C

DE S. ARDUINO SEU ARDOVINO, CONF. NON PONT. F

CEPERANI IN DITIONE PONTIFICIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. Ceperani laudes. Cultus S. Arduini. Antiquum officium proprium. Scriptiones Vitaliani.

ANNO UT FERTUR DCXXVII.

Ceperani, quod, quamvis obscurum oppidum, decora aliquot habet,

In dextra ripa Liris, quo flumine ditio pontificia a regno Neapolitano dividitur, paulo supra confluentem cum Sacco, consurgit oppidulum Ceperanum, ter mille et aliquanto pluribus incolis frequens, quinque ecclesiis instructum, quorum pleræque canonicales aut conventuales, olim perquam obscurum, nunc autem (quod Pedemontani milites sæpe molesti fuerunt Romanis) ex actis diurnis satis notum. Ejus origines sine controversia antiquissimæ sunt, ut patet ex inscriptionibus, illic collectis, et ex ponte, ab imperatore Antonino Pio restaurato et a Paulo papa V refecto, redemptore Alexandro Bernardi architecto Ceperanensi. Sed quum pristinum civitatulæ nomen lateat, (non secus ac tot aliorum oppidorum, quæ olim in fertilissimo, nunc autem deserto solo inter Tîbrim et Lirim exstabant,) hinc fit ut quæ eo referenda sint nesciatur. Videtur

A *Videtur circa annum* 730 *primum sub potestatem Romanorum pontificum venisse, S. Gregorio papa II universam ecclesiam moderante. In templo S. Paterniani, cui tum adjectum erat insigne canonicorum monasterium, celebravit anno* 1114 *B. Paschalis II papa concilium, cujus acta dabunt quum Annales Baronii, tum conciliorum collectiones Labbei et Harduini. Veniam ibidem concessit anno* 1080 *S. Gregorius papa VII Roberto Guiscardo, quod Beneventum obsidione cinxerat, et Lucius papa II anno* 1144 *tentavit pacem concludere cum Rogero, rege Siciliæ. Quod Liri flumini insideret et castrum non haberet invalidum, bello multa sæpe damna passum est; quibus tamen enarrandis, quod ad rem ecclesiasticam non satis pertineant, supersedeo, id unum addere contentus velle Ceperanenses intra mœnia sua natum esse Honorium I, qui anno* 625 *S. Petri cathedram conscenderit* (1).

in templo S. Mariæ Majoris servatur corpus S. Arduini, *qui jam pridem illic colitur cum miraculorum memoria.*

2 *Præcipuum nunc templum S. Mariæ Majoris est; quod amplitudine quidem, decore architectonico atque etiam antiquitatis fama insigne est, multo autem magis cælesti quem possidet thesauro, corpore scilicet S.* Arduini, *cujus gesta exponenda nobis sunt: quare voluit Gregorius papa XVI, data quarto nonas maii anni* 1841 *bulla* In eminenti apostolicæ dignitatis solio, *ut illic instauraretur pristinum canonicorum collegium, constans ex archipresbytero, primicerio et octo canonicis; quibus facultatem fecit vestes splendidiores induendi. Quum anno* 1728 *decessores nostri inquisiverunt in sanctissimi viri res, corpus ejus, ut ad eos rescriptum est, custodiebatur in capsa lapidea sub altari sacelli, ejus nomine dicati; nisi quod os servabatur in* * Rocca d'Arci *Rocca Arcis *, diœcesis Aquinatis loco. In ipso autem S. Mariæ templo cernebatur sancti viri simulacrum ligneum et caput argenteum; atque insuper antiqua tabula picta, ubi repræsentabatur peregrinantis habitu, miraculis aliquot circumcirca exhibitis, cum inscriptis his titulis:* I Ignito ferro locum signat. II In tumulo lux magna apparet pluendo. III Lethaliter læsum statim sanat. IV Agonizantes mox sanat. V Suffocatum suscitat. VI Cepranum ab incendio liberat. VII Puerum a satan et a flammis
C eruit. VIII Mare tranquillat. IX Equos mortuos vivificat. X Tumulus ab angelis custoditur. XI Cæcos, claudos, obsessos, ægrosque alios sanat. *Quæ pleraque miracula explicantur in* Historia S. Ardovini Angligenæ de Ceperano, per modum allegationis in jure descripta ab Antonio Vitagliano Ceperanensi, philosophiæ ac medecinæ doctore. Urbini, 1645. *Quam Historiam inferius dabimus, eam (quod non potuimus in præsenti non indicare) hoc loco paucis declarantes.*

Vitalianus, medicus Ceperanensis, hujus sancti res explicuit in duobus opusculis,

3 *Vitalianus scilicet, quum cum Petro Muto, sacræ cardinalium congregationis consistorialis secretario, verba miscuerat de S.* Ardovino, *sibi vindicandam ratus est patroni præclaram sanctimoniam et legitimam venerationem: unde appareat eam tum in dubium revocatam fuisse, quoniam a multis severius et perperam intelligerentur Urbani VIII de cultu sanctorum leges. Scriptum autem opusculum hoc fuit anno* 1642, *quippe quod desinat in hæc verba:* Vale, Ceprani, die 1 decembris 1642; *oblatum* Muto III Kal. februarii 1644; *correctum et* impressum Urbini 1645; *designatumque a Moronio* (2) *titulo:* Memorie di S. Arduino, 1645. *Verum quo tempore illa lucubratio diem aspexit, jam publico dederat ille idem Vitalianus* Antiquum Cepranum, *ad quod lectorem remittit num.* 12 *Historiæ S.* Ardovini. *Sed non parum hoc me vexat. In Bibliographia enim historica ditionis pontificiæ* (3) *ad Ceperani nomen hic unus indicatur liber:* Vitaliani Antonio. Il Ceprano ravvivato nel Lazio. Roma per Francesco Moneta, 1653, in-4°; *quod opus penes paucos sit: quæ iisdem verbis in Lexicum suum invexit Moronius. Diversa itaque sint oportet* Antiquum Cepranum *et* Il Ceprano ravvivato: *titulus non idem; annus non idem. Verum, quum decessores nostri anno* 1728 *enixe postularant, auctoritate R. A. P. Generalis societatis nostræ moderatoris interposita, ut* Antiquum Ceperanum *ad se mitteretur, ad eos Ceperano responsum est* Renovatum Ceperanum in universa illa regione non reperiri, etiamsi diligenter inquisitum sit, etiam extra oppidi mœnia; qui vero legerint, eos affirmare caput, quo S. Ardovini res explicentur, dissimile non esse Historiæ S. Ardovini: ubi (*ut vides*) Antiquum Ceperanum *appellatur* Renovatum Ceperanum (il Rinovato Ceprano in tutto questo paese non vi si trova;) *et ante in eodem responso, ubi decessorum postulata recensebantur, simili nomine significabatur:* Si desidera l'opera del Vitagliano, intitolato Il renovato Ceprano. *Quod proxime accedit ad* Il Ceprano ravvivato nel Latio; *cujus verus titulus latinus sit* Antiquum Ceperanum renovatum in Latio, *et quod non anno* 1653, *sed ante annum* 1645 *in lucem venerit.*

AUCTORE V. D. B.

E

secutus maxime veterem legendam, vitam et miracula capientem, cum hymnis et orationibus propriis.

4 *In* Historia *itaque S.* Ardovini (*nam si frustra expetierunt decessores nostri* Antiquum Ceperanum, *minor utique nobis spes fuit ob temporum distantiam*) *multa congeruntur indicia, quibus manifestum sit ejus cultum et magnum esse et ante omnium hominum memoriam exortum. Hæc inter imprimis venit quod medio sæculo* XVII, *ut illinc patet, in usu erat legenda, divisa in novem aut plures lectiones; quibus accedebant peculiares hymni et orationes; ita ut paginæ saltem quindecim implerentur; licet lectio*
F *nona pagina quinta legeretur. Frustra expetierunt hoc officium decessores; sed exemplar nullum amplius reperiebatur, adeoque anno* 1728 *de communi confessoris non pontificis recitabatur, superstite tamen memoria pristini officii proprii quod superiori sæculo in usu erat. Cujus desiderium nonnihil levatur quod Vitalianus inde in suam S.* Ardovini Historiam *transtulisse videatur quidquid non vanæ seu vulgares laudes essent. Peragebatur autem in S.* Arduini *honorem officium atque etiam nunc peragitur ritu duplici primæ classis cum octava, quoniam patronus præcipuus est oppidi (secundus patronus est S. Rocchus), non quidem præsenti die, sed* 28 *julii; quæ festivitas præcepta est, interdictis operibus servilibus et strepitu forensi; quæ certa mihi sunt partim ex literis olim datis ad decessores nostros, partim ex Or-*

(1) Cfr Moroni, Dizionario di erudizione ecclesiastica, V° *Ceprano;* Castellano, Specchio geografico-storico-politico, tom. VI, p. 220; Indice alfabetico di tutti i luoghi dello Stato Pontificio, 1831, p. 66. — (2) Op. et loc. citt. — (3) Bibliografia storica delle città e luoghi dello Stato Pontificio, p. 54.

dine

AUCTORE V. D. B.

dine divini officii recitandi, ab episcopo Verulano, in cujus diœcesi Ceperanum jacet, in annum 1847 *edito; ubi animadverte non in universa diœcesi, sed Ceperani dumtaxat coli beatum virum. Atque hac quidem die de eo dixissent decessores nostri, nisi ampliora (sed frustra) expectassent documenta.*

Licet festum agatur die 28 *julii, a Wilsono, Ferrario, Challonerio aliisque laudatur ad diem* 25 *octobris.*

5 *Quod si ad præsentem remiserunt diem, id in causa est quod in secunda editione Martyrologii Anglicani atque inde in Catalogo universali sanctorum Ferrarii hodie ejus memoria celebratur.* Ceprani, *inquit Wilsonus, ad marginem citans Regesta ecclesiæ Cepranensis et epigraphen in sancti viri sepulcro sculptam,* Ceprani in regno Neapolitano, *imo in ditione pontificia,* commemoratio sancti Ardwini, presbyteri et confessoris; qui, nobilibus in Anglia parentibus natus, atque Jerosolymam profectus ad visitandum sanctum Salvatoris nostri sepulchrum, cum inde rediret in Italiam, ibi, quo tempore pestis sævissima per regnum Neapolitanum grassaretur, in magna vitæ sanctitate animam Deo in pace reddidit. Corpus ejus solemni pompa in prædicta civitate sepultum
B est, ubi usque in hunc diem cum magno civium honore ac veneratione servatur, propter quotidiana miracula, quæ Deus ad ejus tumulum dignatur operari in testimonium sanctitatis ejusdem, ac incrementum devotionis in populo erga eum locum. *Unde Ferrarius, nescio qua mentis avocatione, conflavit hanc annuntiationem* : Ceperani in Anglia S. Arduini presbyteri; *monens in Annotatis* Ceperanum locum esse in Anglia et in Latio ad Lirim fluvium inter Frusinonem et Aquinum ad X. M. P. : *quum manifestum sit S.* Arduinum *Anglicano Martyrologio non adscribi quod Ceperanum in Anglia sit, sed quod ipsemet domo Anglus fuisse perhibeatur. Crassum hunc errorem vitavit Richardus Challoner in Martyrologio Britannico, a Wilsono tamen deceptus ut Ceperanum regno Neapolitano concluserit et S.* Arduini *memoriam fecerit ad diem* 25 *octobris :* Ceperani, *inquit,* in regno Neapolitano commemoratio S. Ardwyni, presbyteri Angli, cujus sepulcrum miraculis glorificatum est. *Errore decem dierum,* XVIII *loco* XXVIII *exarato,* S. Arduini confessoris in Anglia *commemoratio facta est* 18 *julii in*
C *additionibus Usuardinis mss. Carthusiæ Bruxellensis : quocirca hac quoque die, uti etiam* 28 *julii, mentio de eo jam facta est in opere nostro in Prætermissis.*

In vicinia colunlur S. Fulcus et S. Bernardus, item Angli, et S. Gerardus, natione Arvernensis, qui omnes peregrini Hierosolymitani dicuntur;

6 *Jam si ad ipsas res gestas S.* Arduini *deveniendum est, nil in his occurrit quod fidem superet. Esse tamen aliquid, quo anxius sim, nolim occultare. Ceperano scilicet vicinæ sunt tres parœciæ, quarum unaquæque sancto patrono gaudet peregrino Hierosolymitano et fere Anglo. Et quidem die* 22 *maii colit oppidum sancti Patris in diœcesi Aquinate beatum Fulcum seu Fulconem;* qui, in Anglia paternis maternisque bonis Domini pauperibus erogatis, ob corporis macerationem terrarum orbem peregrinare cœpit : primumque Hierosolymam, Jesu Christi sepulcrum visitatum, petiit : inde rediens postea totam peregrinavit Apuliam, nonnulla pie visitando loca... Denique, ut Domini fuit voluntas, post diuturnos animi corporisque labores, ad sancti Patris terram pervenit; ubi D ut reliquum vitæ suæ spatium spirituales exercendo misericordiæ operas terminaret, in ipsius terræ hospitale, extra mœnia positum, se contulit : in quo dum vixit, tale fuit suum exercitium, ut Deo et infirmis semper operam daret... In tali se exercens officio, obdormivit in Domino, atque extra hospitale, ut incognitus peregrinus, fuit sepultus (1). *Die autem* 14 *octobris Rocca Arcis seu d'Arce in eadem illa diœcesi Aquinate festive veneratur S. Bernardum, qui natione Anglus fuisse traditur* seque loca, quibus sancti Dei adorabant, *visitando*, prolixitatem itineris non metuens, alacriter exercebat; *et de quo* palam est, quod, cum per multam partem hujus mundi ambulasset, templa Dei frequentando, labore suo ac fatigatione corporis requiem animæ in cælestibus a Domino cupiens impetrare, rediens autem circa partes Apuliæ, tandem, prout casu huc gradiendo agitabat, Arpinum pervenit. Hic... infirmus accubuit; cumque alibi diu ægrotasset, ampliori infirmitate... oppressus, in paucis diebus, gratias agens Domino, migravit a sæculo. Defuncto beato viro sanctis- E simum ejus corpus extra Arpinum ac tamen in ejus territorio, prope capellam beati Joannis in via Roccæ Arcis sepelitur (2). *Demum die* 11 *augusti Castrum Gallinarium in diœcesi Sorana festive celebrat S. Gerardum confessorem, qui* tertio anno, postquam omnis spiritualis potentia, spiritu Dei afflata, ad liberationem sancti sepulcri sumpserat arma, Campanis applicuit oris,... tempore jam ephebus, Arvernensi provincia genitus, gravi ex itineris incommoditate languore confectus; cumque a quodam illustri viro in Castro, cui Gallinarium nomen est, fuisset susceptus hospitio, quintodecimo die, languore ingravescente, devotum Deo spiritum reddidit (3).

quæ res, utut singularis, nil officit gestorum S. Arduini *fidei.*

7 *Nil itaque est quod Ceperanum, pagus Sancti Patris, Rocca Arcis et Castrum Gallinarium sibi invideant : unumquodque enim oppidum non solum corpus sui patroni possidet, sed patronum habet peregrinum, qui sepulcrum Domini visitaverit; qui casu eo deflexerit; qui illic mortuus sit; et quorum tres in Anglia nati fuerint, unus dumtaxat in pago Arvernensi Galliarum. Nil utique mirum, quod iidem omnes quaterni* socii F *aliquando dicuntur* (4), *aut certe SS. Bernardus et Gerardus* (5); *et quod unus cum alio confunditur, ita ut S. Fulcus a Ferrario dictus sit Ceperani coli, quum omnium illic votis honoretur S.* Arduinus *cum S. Roccho, qui etiam peregrinus sit. Verum id quoque confitendum est pronum esse inde suspicari, quod, quum patronorum suorum gesta ignorarent incolæ, omnibus communia fecerint quæ unius essent. Hæc procul dubio mera suspicio est, hominum potius natura et inclinatione nixa quam ullis monumentis; atque idcirco non magni facienda. Quod si tamen aliquis eam amplecti et tueri velit, is statuat necesse est unum ex quatuor vere peregrinum fuisse et Locorum Sanctorum visitatorem; quem habendum esse eum qui remotioribus temporibus vixerit et ad cujus proinde exemplar posteriorum gesta efficta fuerint. Verum favent hæc omnino S.* Arduino, *quippe qui in pristina*

(1) Acta SS. tom. V Maii, pag. 393. — (2) Ibid., tom. VI Octobris, pag. 631. — (3) Ibid., tom. II Augusti, pag. 694. — (4) Cfr Ibid., tom. V Maii, p. 192. — (5) Ibid., tom. VI Octobris, p. 630.

legenda

A *legenda diceretur anno* 627 *vita functus, quum SS. Bernardus et Gerardus vixisse videantur ad finem sæculi* XI *et non multo post S. Fulcus. Attamen nolim haberi hujus conjecturæ propugnator; probe sciens inter peregrinos multos olim fuisse præstantissima pietate, et christianam plebem proclivem semper fuisse ad magni faciendam hujus generis hominum sanctimoniam : hinc in omnibus fere Italiæ provinciis aliquot sanctos exteros coli; similiterque in Gallia, Belgio et Germania; nil itaque supra fidem esse quod in brevissimo spatio quatuor peregrini eximia sanctitatis fama mortem obiverint et ab accolis colantur. Superest ut Vitaliani de S.* Arduino *scriptionem rarissimam typis iterum excudendam curem; non præmissis capitum aut potius numerorum titulis, seu (ut ipse loquitur) rubrica, sed ad latus singulorum numerorum apposita.*

HISTORIA

B # S. ARDOVINI ANGLIGENÆ,

DE CEPERANO,

Per modum allegationis in jure descripta ab Antonio Vitagliano Ceperanensi, philosophiæ ac medicinæ doctore.

a

PROLOGUS *a*.

Auctor se commendat Muto.

Illustrissimo et reverendissimo Domino Petro Muto, sacræ card. congreg. secretario et basilicæ S. Petri canonico dignissimo *b*. Pollicitus sum tibi superioribus diebus, quod humanitate tua profectum esset, * primo quoque tempore Historiam S. Ardovini Angligenæ nostræ terræ Ceprani breviter ad te mittere : Quod quidem etiam mea facturus fueram sponte, tum ut animum tibi aperirem meum, tum ut studium, benevolentiam ac observantiam (quam debeo) et absens præstarem *. Quodsi, quando per te perspicue non possis C (quod absit, neque dubito,) homines adhibens in consilium viros probos et amantes illustrissimæ domus tuæ *c* : ad meam namque existimationem id magnopere pertinere arbitror ut hisce in rebus (o utinam!) gravioribus me memorem intelligas ac noscas. Opus autem, qualecumque est, tibi dicatum sic recipias, foveas ac protegas rogo; ut, ejectis improborum obtrectationibus, sub tuæ tutelæ patrocinio acerrime tuearis. Vale. Ceprani, III Kal. februarii 1644. Dominationis tuæ illustrissimæ obsequentissimus Antonius Vitalianus.

b *in impr.* id *abundat*

* *in impr.* præsto

c

ANNOTATA.

a *Titulus hic deest in exemplari Urbinate.*

b *Inter tredecim canonicos basilicæ S. Petri, qui die* 8 *octobris anni* 1645 *camerarios majores aliosque procuratores constituerunt, qui cum Olympia Maldacchina Pamphilia contractum de permutando Castro S. Martini inirent* (1), *venit Prosper Mutus, non autem Petrus Mutus. An itaque duo Muti fuerunt tum canonici? An Vitalianus loco Prosperi Petrum scripsit? — Sacra cardinalium congregatio est congregatio consistorialis, instituta a Sixto V per bullam* Immensa æterni Dei (2). *Secretarius insignis prælatus est, ab ipso summo pontifice electus; qui quod a cardinalibus sacri collegii secretarius designatur, cum eis, sede vacante, conclave ingreditur et officio secretarii status fungitur : quocirca* secretarius sacri collegii *etiam dicitur* (3).

c *Primus hanc domum in curia Romana illustrasse legitur Tiberius Mutus, cardinalis de titulo S. Priscæ, patricius Romanus, de domo ducum Vallismutiæ * et affinis Paulo V, a quo ad eximiam dignitatem promotus est* (4); *mortuus anno* 1636. *Recenset Ughellus in cognominum indice Carolum Mutum, episcopum Civitatis Plebis, Jacobum Spoletanum, Joannem Imolensem et Reatinum, cardinalem Tiberium Assisiensem, Hieraciensem et Viterbiensem, et demum Valerium Bitectensem et Tiphernatem. Permanet adhucdum Mutorum domus.* E

(1) Bullarium basilicæ Vaticanæ, t. III, p. 261. — (2) Moroni, Dizionario di erudizione ecclesiastica, V° *Congregazione consistoriale.* — (3) Moroni, loc. cit. et v^is *Segretario della Consistoriale* et *Segretario del sacro Collegio.* — (4) Ibid. V° *Muti* (*Tiberio*).

AUCTORE VITALIANO.

* Vallemuzia

JURIS ALLEGANTIA

PRO SANCTIMONIA B. ARDOVINI,

ANGLIGENÆ, DE CEPARANO *a*.

a

Vita compendiosa S. Ardovini *describitur.*

Inter cæteros viros beatissimos, (ut verbis legendæ utar [*fol.* 2, *lect.* 1, *et seqq.*],) illustrissime Domine, quos pia mater ecclesia celeberrime veneratur dignisque jugiter extollit laudibus, is sane erit quidam vitæ venerabilis, satisque devotus ab ipsis crepundiis, nomine Ardovinus, ex Anglia oriundus; qui spernens infantia, mundum et cuncta vitia, habitu peregrinationis suscepto, suam dimisit patriam, parentes derelinquens; petiit Jerosolimam, Jordanem, Montem Oliveti, ac universa loca, in quibus Redemptor noster Jesus Christus vel natus fuerit, vel miracula fecerit, vel prædicaverit, vel passus, mortuus aut sepultus fuerit, et tandem resurrexerit, vel ad cælum ascenderit. [*Loco citat. fol.* 3, *lect.* 6, *patet.*] F

Vita usque ad ejus obitum proficiscitur.

2 Qui tandem, velut peregrinus humillimus Cæperanum adveniens, mox ut hospitii sui limen intravit, tanta subito languoris gravitate correptus fuit, ut in pacis et vitæ viam beatum emiserit spiritum; quem Abrahæ sinus lætissime in patria beatitudinis æternæ suscepit, [*prout fol.* 5, *lect.* 9 *clarissimis verbis ostenditur*].

S. Ardovini *animi et corporis dotes explicantur.*

3 Unde, ut ab ejus sancta ac exemplari vita sumamus exordium, non controvertitur, quin omnibus virtutibus ac sanctitate plenus usque in finem fuerit. Et, magno sui ipsius exemplo relicto, confirmavit, et plenissime in ejus fœlicissimo obitu; quandoquidem, licet in Angliæ partibus natus et educatus ab ipsis pueritiæ annis, bonæ existens indolis, pueros omnes innocentia, senes quoque morum gravitate superabat, die nocteque cœpit in lege Domini meditari : et animam non solum opere,

verum

AUCTORE VITALIANO.

verum etiam verbotenus quomodolibet offendere cavebat; [*ut d. legend. fol.* 2, *lectione* 2 *habetur.*]

Opera S. Ardovini *recensentur.*

4. Præterea; sacerdotii dignitate postmodum sublimatus, quibuscumque poterat, cibi spiritualis annonam, quotidie ministrabat, [*ut ibid. fol.* 2, *lect.* 3,] bonisque operibus vigilantius inhærebat, [*fol.* 4, *lect.* 7.] Rursus, ad sanctam civitatem Jerusalem cum profectus esset, quanta mentis devotione, quantaque corporis mansuetudine ad Redemptoris monumentum accessserit, explicari nec literis posset, nec verbis quoque plenarie significari [*fol* 3, *lect.* 5.] Ex operibus autem eorum, cognoscetis eos, inquit Matth. [*cap.* 7.]. Ex dictis igitur Ardovini operibus quid cogitandum sit, reverentiæ tuæ decernendum relinquo. Opera enim illorum sequuntur illos. [*Joannis Apocalyps.* 14].

Arduini *constantia et fiducia in adversis tolerandis.*

5 De ejus admirabili fiducia vero satis superque constat, cum vitæ incommoda et pericula pro Dei honore non timebat, substinendo illa cum patientia et perseverantia usque in finem. Actus autem substinendi patientiam
B et perseverantiam includit, [*ut S. Thomas* 2. 2. *q.* 123 *et* 128.] Fugacia mundi hujus et prospera contempsit, adversa quoque et aspera pro Deo ferre minime formidavit, [*ut fol.* 2, *lect.* 3. *constat, et subdit lect.* 4.] Languores diutissimos et discrimina tolevarit creberrima, et quanto durioribus periculis angebatur, tanto constantius in Dei convalescebat servitio; imo adjungitur [*fol.* 3, *lect.* 6,] quod in locis singulis præmissis innumera fundebat lacrymarum profluvia, ardens de Christi visione, ac si illum in veritate cerneret, quem credebat per fidem. Permansit igitur Ardovinus in bona fiducia, et ideo coronam meruit triumphalem : qui enim perseveraverit usque in finem, salvus erit [*ex Mattheo, cap.* 10.] Servi autem facti Deo, inquit Apostolus, [6 *ad Roman.*] habetis fructrum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam; gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

Tolerantia, sobrietas et castitas simul in Ardovino *fuerunt.*

6 Quod spectat ad temperantiam, quæ *ab Aristotele* [3 *Ethic.*] dicitur mediocritas circa actus voluptatis, seu moderatio aut temperies a ratione facta, [*ut S. Thom.* 2. 2 *q.* 141, *art, I,*] includit subjective abstinentiam, sobrietatem, castitatem et pudicitiam, quibus omnibus Dei servum Ardovinum decoratum fuisse traditur in dicta ejus legenda [*fol.* 3, *lect.* 6,] his verbis : Nec sic simpliciter putandus est illic brevi tempore demoratus, sed plurium annorum curriculis ibi vacasse fletibus, orationibus et jejuniis; et [*fol.* 4, *lect* 7,] subdens : Jugiter, inquit, vigiliis et orationibus desudans, suumque corpus jejuniis, et ciborum abstinentia macerans.

Jejunium quotuplex ejusque effectus.

7 Duplex igitur est jejunium; et abstinere a peccatis [*cap. Jejunium, de Consecrat. dist.* 5;] et abstinere a ciborum luxu per singulos dies [*cap. Non dico, de Consecrat. dist.* 3;] et utroque fuit decoratus Ardovinus, dum jejuniis et ciborum abstinentia corpus suum maceravit. Quid enim aliud indicat illa pluralitas jejuniorum, nisi illam jejunii duplicitatem? Geminat pluralitas duas singularitates, [*l. qui* §§ Stichus *ff. de legat.* 3;] et sic jejunium, generice sumptum, mentes purgat, sensum sublevat, carnem spiritui supponit, cor contritum humiliat, concupi- D
scentiæ nebulas dissolvit, libidinem extinguit, castitati lumen portat, verbositatem non amat, humilitatem commendat, hominibus denique præstat vitam beatam ac sanctam; ut de sententia Augustini dicit Ripa in suo tractatu de peste, [*tit. de remed. ad curandum pestem, circa finem, num.* 151;] ubi ore hiante exclamat : O sacrum jejunium, o abstinentia, virtutum triumphatrix et regina, tu dæmones comprimis, tyrannos confundis, fortissimos ferarum ungues excludis, leonum ora coutundis! Ex quibus effectibus judicanda venit Ardovini sanctimonia, cum et jejunium fuerit suæ virtutis actus; [*ut dicunt Apost.* 6 *ad Corinthios, et S. Thom.* 2. 2. *q.* 147 *art.* 2.]

Miracula, in vita operata, sanctitatis sunt signa in Ardovino.

8 Adde et tu miracula, se vivo operata, ut maris tranquillitatem, et providentiam ad nautarum inopiam [*ex fol.* 4, *lect.* 7;] quæ quidem miracula in vita signa sunt sanctitatis; [*Augustinus Triumph. de Potest, eccles. q.* 15, *art.* 4, *vers secundo* illis, *et q.* 16, *art.* 3, *ad* 2; *Bellarmin. in cap.* Nec mirum, *n.* 10, 26, *q.* 5; *Molphes. cons.* 46, *num.* 42 *et* 43.]

Dies mortis illorum, qui gloriose moriuntur, dicuntur natalitia.

9 At morti proximus Ardovinus summopere lætatus fuit, confirmans ejus animum totum divina voluntate, ut jam evidentissime mortis sibi tramitem cognosceret fore vicinum; cujus avide satis et jubilanter præpostulans adventum, humillime cum Propheta [*Psal.* 115] psallebat, dicens : Dirupisti, Domine, vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis; et dum sic voce jucundissima jubilaret, in pacis et vitæ viam suum obiit diem; [*ut d. leg. fol.* 5, *lect.* 9.] In cujus morte universalis fletus omnis status personarum factus fuit; et concurrebat populus clamans, vocibus ad cælum elatis. Id autem ut Ceperanensibus accolis est compertum, convenerunt omnes in unum; et, ejus venerabile corpus sumentes, in ecclesiam beatissimæ Dei genitricis Mariæ Virginis bajularunt; et, celebratis exequiis, sepelierunt; [*ut fol.* 5, *lect.* 9.] Dies mortis dicitur nostra dies : quod clare procedit in morientibus gloriose, quia ea die nasci dicuntur, numquam morituri; [§ . *Sed in bello. instit. de excusat. tut.*;] prout in Ardovino contingit. Hinc natalitia dicuntur dies mortis illorum, quorum ad vitæ melioris exemplum merita solemni trophæo recoluntur * *b.* [*Cap. licet, et ibi no. Panor. extra de fe. et not. per Glos. in § fin. in verbis natalibus instit. de ing. quod refert, et sequitur Ripa in l. heredes, § cum ita. n.* 1 *ff. ad Senat. consult. Trebbellian.*] Natalitia nostri protectoris Ardovini celebrantur die 28 mensis julii.

* in impr. *recolunt.*

b

Angelorum cantus in tumulo Ardovini *ejus sanctitatis fuit indicium.*

10 Accessit in ejus sepulcro Angelorum custodia et cantus; [*prout fol.* 6, *d. legen. miraculo primo.*] Noctibus namque plurimis ante ejus corporis inventionem viris spiritualibus revelatum est, circa tumulum ejus, angelorum assistentium cuneum, accensos tenentium cereos, ac ibidem concinentium dulcisonos cantilenas, (*adesse;*) qui angelorum canticus sanctitatis est signum. [*Rota in Relatione B. Bertrandi, Miraculo* 5; *Castellin. de Certitudine gloriæ sanctorum, de Sign. sanct. canonizand. num.* 11 *vers.* Armonia quoque cælestis.]

Splendor demonstrat corpora gloriosa.

11 Insuper splendor illius insignis, dum quidam homo [*ut fol.* 11, *mirac.* 20] vidit tunc de ipsa ecclesia, quasi egredientem columnam lucidam, circumvolitantem ecclesiam et vere suo

A suo lumine illustrantem, deinde ad cælum velociter ascendentem, juxta illud Matthæi [14] : Justi fulgebunt sicut sol, in conspectu tuo. Splendorem autem demonstrare corpora gloriosa plene probat Antonius de Litteratis [*in Summa, par.* 5, *c.* 8, *n.* 10;] et quod est majori admiratione pensandum , [*ut fol.* 6, *mirac.* 2,] solam terram, qua Christi famulus tegebatur, solis radius magno illustrabat fulgore; juxta illud Malachiæ [*cap.* 4] : Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ.

Tempore immemorabili pictus est cum diademate, radiis et sancti descriptione.

12 In ejus autem altari, sub quo sanctum ejus corpus in capsa lapidea requiescit, fuit continuo veneratus ut sanctus, et usque ad præsens veneratur magno concursu et devotione populi; ubi ab immemorabili tempore, superioribus ordinariis permittentibus, fuerunt celebratæ et in dies celebrantur missæ dicti sancti , cum propriis et peculiaribus hymnis et orationibus, [*prout in ejus legen. fol.* 14 *et* 15.] Concurrit etiam, quod ab antiquissimo tempore, et forsan immemorabili, fuit tanquam sanctus publice depictus et
B sculptus, cum diademate et radiorum splendore, similiter cum titulo et descriptione sancti *c*, et ut sanctus adoratus *d*, non solum ab utriusque sexus Christi fidelibus, verum et ab ipsis summis Romanis pontificibus, præcipue a Paschale II, nono kal. novembris 1114, post concilii Ceperanensis celebrationem, [*quam refert Baronius tom.* XII *Annalium*] *e*, ab Innocentio III, die 23 junii 1207; dum, Roma hac transiens missamve in dicto sacello celebrans, ad montem Cassinum se contulit *f*, [*Riccardo in Cronicon referente*]; et denique a Clemente VII multoties, sed præcipue die 16 januarii 1531, per ejus fere continuam Ceprani commorantiam, [*ut apud Jo. Tarcagnotam* g *videre est, quod nos latius explicavimus in nostro Antiquo Ceprano per totum.*] Per immagines igitur, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoramus et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt; [*ut in concilio Nicæno per totum, et notatur in concilio Tridentino, sessione* 25 *de invoc. et venerat. sanctorum; ubi apertis notis scriptum reperitur, quod sanctorum martyrum et aliorum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur.*]

c d e f g

C

Constitutio Urbani VIII non obstat Ardovini *sanctitati.*

13 Nec obstat Urbani VIII conservandæ memoriæ pontificis constitutio, edita Romæ die 2 octobris 1625, [*tom. IV Bullar. N.* 37; *incipit :* Sanctissimus Dominus noster sollicite animadvertens;] ubi præcipitur, ne imagines sanctorum, nondum a sede apostolica canonizatorum aut beatificatorum, pingantur cum radiis, splendoribus aut laureolis; et, si quæ appositæ sunt, amoveantur; et inhibuit apponi tabellas et immagines ex cera vel argento; quod idem confirmavit et decrevit in generali congregatione sanctæ inquisitionis die 4 aprilis 1625 : quia dicta constitutio vel decretum non præjudicat iis, qui aut per communem ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum aut per patrum, virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia sedis apostolicæ vel ordinarii colantur; [*ut ex bulla docet Lezana in Summario, tom. I, cap.* 12, *n.* 39; *et Bonaccina, tom. II, disput.* 3, *q.* 1, *puncto* 2, *n.* 2; *modo scientia, et tolerantiq sit longissimi temporis, quod ipsemet declarat esse spatium* 30 *vel* 40 *annorum* h *ex C. de longo tempore scripto, et ex Prateio in suo Lexico, verbo* Longissimum et aliis;] quod in Ardovino concurrit qui ab immemorabili tempore, et post hominum memoriam, fuit ut talis pictus, reputatus et in catalogo sanctorum habitus.

h

Odor corporis suavis sanctitatis nota extitit in Ardovino.

14 Præterea additur suavis fragrantia atque bonus odor; qui non solum ex capite continuo emanat, defecto argento, quo est involutum; sed etiam ex universo corpore, quod mire redoluit, tempore apertionis capsæ, qua claditur, ad præsentiam reverendissimi D. Eugenii Fucii, episcopi Verularum *i*; qui odor sanctitatis etiam est signum : [*ut Rota in Relatione beati Paschalis Baylon in* III *miraculo in fine; in Relatione S. Theresiæ in* III *miraculo post mortem; et in Relatione S. Isidori in primo miraculo post mortem, ubi referuntur exempla; et probatur ex S. Gregorio Homil.* 38; *et ratio* E *est ex S. Thoma, part.* 3, *q.* 83, *art.* 5, *ad* 2, *quia bonus odor pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ : nam, sicut Christus plenus fuit bono odore, ut Genes.* 17 : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni; ita a Christo derivatur ad suos amicos, juxta illud* 2 *ad Corinth. : Odorem notitiæ suæ spargit per vos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo; prout videre est in Relatione beati Bertrandi miraculo* VI; *in Relatione S. Francisci Xaverii, miraculo* II *post mortem; et ideo canit sancta mater ecclesia : Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te.*]

i

Incorruptio partium corporis Ardovini *sanctitatem significat.*

15 Rursus concurrit ossium dicti sancti incorruptio supra omnem naturæ potentiam, spatio fere mille et octodecim annorum, ab anno videlicet 627 Dominicæ Nativitatis usque ad præsens 1645; quæ quidem incorruptio, dicitur miraculosa et sanctitatis est signum *k*, [*ut dicit Rota in Relatione B. Paschalis Baylon, in* III *miraculo; in Relatione S. Isidori, in* I *miraculo post mortem; plura afferens exempla in Relatione S. Theresiæ de miraculis, in titulo de exhumatione corporis prope finem; et in Relatione S. Francisci Xaverii in* I *miraculo post mortem; et ratio est ex S. Thoma* 3, *part.*, *q.* 51, *art.* 3 *et* 4, *in c.* 3. *Sentent. distin.* 21, *q.* 1, *art.* 2 *et* 4, *et Opuscul.* 2, *c.* 154; *quia corpus post mortem est corruptioni et putrifactioni obnoxium. Vide plene Castellinum, de Certitud. glor. sanctor., de Signis sanctitatis canonizandorum, cap.* 6, *n.* 3, *fol.* 544 I.]

k

F

Miracula item post mortem hoc idem ostendunt.

16 Deniqne ejus sanctitatis formam et innocentiæ vitam rex cælestis, cui militaverat, tantis declaravit signis et miraculis extulit, quantis ex succedentibus apparebit, [*ut d. leg. fol.* 5;] ita et taliter quod [*a fol.* 6 *ad* 14] plus quam 25 miracula, antiquitus operata, enumerentur; licet homines in dies ejus intercessiones implorent in eorum laboribus et necessitatibus, prout multi gratias obtinuerunt, et in dies obtinent. Ad cujus sacrum tumulum cupitum quisque præmium capescit et uberrimis potitur beneficiis, ut [*fol.* 1, *d. legendæ*] habetur in hymno; quæ quidem miracula post mortem similiter sunt signum sanctitatis;

l

AUCTORE VITALIANO.

tis; [*ut Rota in Relatione S. Hyacinthi de miraculis, versic.* quibus addimus, *fol.* 35; *et in Relatione B. Paschalis Baylon, miraculo* II; *S. Thom. part.* 1, *q.* 110, *art.* 4, *ad.* 1; *et* 2. 2. *q.* 128, *art.* 2, *in corpore*; *Bellarmin. in c.* venerabili, *num.* 5, *et ibidem Anchar. de testibus.*]

Excusatio auctoris.

17 Hæc sunt, Illustrissime Domine, quæ in præsentia citra verborum lenocinium de vita sancti Ardovini Angligenæ de Ceperano, tibi referenda putavi, tum pro ratione temporis, quod mihi in hocactu perexiguum conceditur, tum pro brevitate, qua auribus tuis fore consultum censui: quæ ita tandem probata satis et commendata intelligam, ubi judicio tuo, non longe acerrimo, minime displicuerint. Vale Ceprani, die 1 decemb. 1642. LAUS DEO.

ANNOTATA.

a *In hac ipsa scriptione* Ceparanum, Cepranum, Ceperanum, Cœperanum *etc. venit. Mediis temporibus* Cipperanum *dicebatur ut in Chronicis, editis a Muratorio, videre licet.* Cy-
B peranum *dicere maluit Pagius in Critice Annalium Baronii.*

b *Reapse ab initio mos et consuetudo fuit ut sanctorum festa (quantum fieri posset) in anniversia depositionis aut obitus die celebrarentur; ita ut in hanc diligenter inquirerent veteres qua possent annuam eorum memoriam legitime facere: de qua re præ cæteris eximie tractavit Muratorius in Commentariis ad S. Paulini Nolani aliquot carmina. Hinc, quum a græcis multoque magis a latinis omnis festus dies per catachresim* natalis *diceretur, factum est ut nonnulli, etiam inter veteres scriptores ecclesiasticos, quæsiverint (nil de verborum figuris cogitantes) quare sanctorum dies mortis* natalis *dictus sit; et perpulcrum responsum repererunt. Verumtamen is errarit, qui ubicumque natalem sancti cujusdam legerit, crediderit eum certo diem emortualem esse; suspicari licet, non affirmare.*

c Descriptio sancti *est titulus sancti; ita ut sub ejus imaginibus scriberetur :* Sanctus Ardo-
vinus *seu* Arduinus. *Et quoniam ejus nomen singulariter hic occurrit, animadvertere placet ejus originem vere germanicam esse; quo an-*
C *glica et saxonica nomina referas. Constat enim pro more ex duobus vocabulis :* Ard *seu* Art, *quod venit etiam in* Ardo, Artmannus, Artaldus *etc. et videtur* laborem *significare; et* Win, *quo omnes norunt* amicum *indicari. Sed, ut alibi sæpe monui, noli ex* Ard-Win *sensum extundere : apposita sunt nomina ut* Tullius Cicero, *non autem compositum ut* Demosthenes. *Alii sancti dicti fuerunt Arduini, puta S. Arduinus Ariminensis, cujus gesta in Actis nostris illustrata sunt ad diem* 15 *augusti.*

d *Itali et Hispani, quoniam vocabulo* adorare *nil nisi venerationem quamcumque intelligunt, non horrent id de cultu sanctorum adhibere. In Gallia, Belgio, Anglia et alibi de uno latriæ cultu dicitur. Probandum sane aliis verbis res* D *diversissimas exprimi, ut sunt divinus cultus et veneratio sanctorum; verum nimii sunt qui, quod ubique id non fiat, hostili vehementia declament. Secum enim si constarent, exterminare deberent* Dei et proximi amorem.

e *Baronius* (1) *sane meminit concilii Ceperanensis, itemque Pagius* (2) *in Critice ad initium anni* 1114 : *neque quæstio est de hoc concilio, cujus res Falco Beneventanus* (3) *et Romualdus Salernitanus* (4), *scriptores coævi, explicuerunt; sed an B. Paschalis papa II tum S.* Ardovini *reliquias veneratus fuerit. Cujus asserti nuspiam extra Vitalianum vestigium apparet.*

f *Innocentius reapse Ceperanum transiit non anno* 1207, *sed* 1208; *neque referente Riccardo de S. Germano* (5), *neque anonymo Cassinensi* (6), *sed anonymo Fossæ Novæ, quem sub nomine Joannis de Ceccano primus vulgavit Ughellus. Hoc itaque teste* (7), celebrato festo Ascensionis Domini, Innocentius papa III, egressus Roma, venit Anagniam XVI kal. julii... Feria tertia, alio die dominus papa ivit Pipernum... Ad auram post meridiem dominus papa cum omnibus ivit ad monasterium Fossæ Novæ... E Feria quarta, clarente die, dominus papa dedicavit altare majus. ecclesiæ novæ... Et per totum diem ibi dominus papa commoratus est... Ivit ad castrum S. Laurentii; die et nocte permansit ibi. Feria IV (*imo* VI) adveniente ivit castrum (*cujus?*); et die et nocte ibi pernoctavit. Sabbato transivit ad Ceperanum; die et nocte permansit ibi. Dominico die proximante, a clero totius abbatiæ solemniter in S. Germanum dominus papa receptus est; et ibi permansit usque in VII kal. augusti. *Inde rediit Romam per Soram, Casammarii et Ferentinum. Nulla illic mentio, neque uspiam alibi Innocentium III visitasse S.* Ardovini *reliquias : quod nonnisi ex improbabili conjectura adderc potuit Vitalianus.*

g *Tarcagnotæ Historiis mundi nunc careo; ita ut dicere non possim fallatne hoc loco Vitalianus ut alibi.*

h *Tempus debet esse centum annorum, qui computantur non a primis, sed ab ultimis Urbani VIII decretis; ita ut cultus publicus incepisse debeat ante annum* 1536.

i *Eugenius Fuccius diœcesis Verulanæ, qua* F *Ceperanum capitur, episcopus fuit ab anno* 1594 *ad* 1608 (8).

k *Odor, de quo hic sermo est, oriri potest, ut ad diem* 21 *octobris* (9) *jam animadvertimus, ex herbis odoriferis, quæ olim sepulcris includi solebant. Ut itaque miraculi loco habeatur, necesse est constare odoris illius nullam adesse naturalem causam; quemadmodum in citatis miraculis id observatum est.*

l *Ossium conservationem etiam inter miracula non facile referendam esse ostendimus eodem, quem modo indicavimus, loco; neque in allatis exemplis de ossium, sed de corporis conservatione agitur.*

(1) Annales eccles. ad an. 1114, num. 1. — (2) Ibid., loc. cit. — (3) Walterich, Pontificum Romanorum usque ad finem sæculi XIII Vitæ, tom. II, p. 79 et 80. — (4) Ibid., p. 80, not. 1. — (5) Muratori, Script. rer. italic., tom. VII, col. 982. — (6) Gattula, Hist. abbatiæ Cassinensis, part. I, pag. 474. — (7) Ap. Muratori, tom. cit., col. 887. — (8) Ughellus, Italia sacra, tom. I, col. 1398. — (9) Acta SS., tom. IX Octobris, p. 420.

DE

A D

DE S. LASRIANO, CONFESSORE,

IN HIBERNIA,

SYLLOGE.

V. D. B.

§ unicus. Familia S. Lasriani. Vita sanctissima in monasterio Rathenensi sub S. Carthago et in insula Pioch sub S. Domangeno. Mors in Ultonia.

CIRCA ANNUM DCL.
S. Lasrianus, *hoc die Martyrologiis hibernicis inscriptus,*

Ad diem 18 *aprilis egerunt decessores nostri in hoc opere nostro de S. Lasreano (sive præfixa honoris ergo particula* Mo, meus) *Molassio, abbate Leghlinensi in Hibernia, deinde episcopo et legato apostolico, qui sæculo* VII *virtutibus suis inclaruit; ad diem vero* 16 *septembris omiserunt Lasrianum, nullo alio indicio inscriptum Martyrologio Tamlactensi; in* B *quo etiam ad* 26 *decembris alius occurrit Lasrianus, abbatis titulo adjecto. Sunt et alii plures SS. Lasriani seu Molassii, quos nemo facile distinxerit; universos tamen undecim ad minus fuisse affirmat Colganus. Hos inter venit hac die in Martyrologio Tamlactensi* Lasrianus filius Nasci; *et in Dungallensi :* Lasrenus, filius Nascani, de Ard-mac-Nasca juxta lacum Lochlaigh in Ultonia: *quem non dubito ecclesiastico olim cultu honestatum fuisse, siquidem S. Ængussius de ejus festivitate* (Feil) *præsenti die luculente sermonem faciat; ubi etiam eum* Magnum *nuncupat, laudatque quod Christum novit seu sapuit; in annotatis autem ibidem dicitur* Laisrenus, filius Nascæ, de Ard-mic-Nascai *seu de colle filiorum Nasci* ad lacum Loch-Laig in Ultonia; *quæ Dungallensis martyrologus descripsisse videtur. Atque hæc sufficere videntur quibus ille S.* Lasrianus *ab aliis distinguatur et locum in opere nostro mereri censeatur. Porro, licet repugnet Laniganus* (1), *discipulus fuisse videtur (suadet enim et temporis et nominum conformitas) S. Carthagi, qui et Mochuda, episcopi et abbatis Lismorensis in Hibernia; cujus* C *duplicia Acta edidit Henschenius noster ad diem, qua colitur,* 14 *maji.*

ex primis discipulis fuit S. Carthagi in monasterio Rathenensi, quo innumeri alii dein accesserunt;

2 *In his posterioribus leguntur sequentia* (2)*:* Habuit duodecim discipulos S. Mochuda seu Carthacus in suo monasterio Raithin valde humiles, id est Mochua, filius Mellain, et ipse primus monachus in monasterio Raithin factus est; Mochemoc, filius Vairt; et tres filii Nascain, quorum nomina Gobbanus, et Straphanus et Lasceranus; atque Molua et Lughayr; et Mochoemhog, filius Cuaith; et Ædanus et Fiachna; et Mochoemhog, postea episcopus; et Fynlughie : et hi omnes incredibiliter obedientes erant. Et S. Carthagus, volens onus eorum alleviare, ante obitum suum constituit eis cellas, ut aliquod in senectute haberent solatium, ob nimiam obedientiam in juventute sua : et prophetavit multa bona de illis. Cum *autem, ex priori Vita* (3) *hæc excerpo, episcopalis* dignitatis honorem adeptus esset *S. Carthagus,* tanta bonorum virorum multitudo ad eum confluebat, ut nisi divina largitas illis necessaria sufficienter ministraret, numerositate sua vix simul possent habitare. Exceptis enim parvulis remissiorisque vitæ hominibus, qui sanctis Dei veri servis in suis necessitatibus subministrabant, sanctorum monachorum numerus erat octingentorum E quadraginta septem; qui omnes, unius pastoris exempla secuti, unanimiter Deo serviebant. Labor quidem illorum (*non enim manibus solummodo laborabant, sed pro veteri instituto colebant agros aliisque gravissimis operibus victum sibi comparabant*) servitus erat difficilis; sed vim hujus laboris flamma minuebat caritatis, ut nemini eorum onus suum grave videretur. Erat autem monasterium illorum in finibus Mediæ, in plebe Ferkel, in loco qui Rathin dicitur constitutum : in quo labore manuum suarum victum sibi ac pauperibus comparabant; *quæ plebs seu pagus minor nunc* Fircall *dicitur; Rathin autem* Rahan, Rahen *seu* Raghan *in baronia Ballycowan, in comitatu regis; non autem* Rathyne *in baronia de Fertullagh in comitatu Midiæ occidentalis, ut post Archdallium* (4) *et Alemandium* (5) *volunt Lanigan* (6), *Carlislius* (7) *et alii.*

dein ab eo missus est in insulam Puinc; ubi, novo condito monasterio, vixit sub S. Domangeno episcopo, qui eum inter alios Rathenenses monachos selegerat; perrexit demum in Ultoniam, ubi diem obiit.

3 *Inde transibat non numquam ad alia loca S. Carthagus pro more monachorum et maxime episcoporum Hiberniæ.* Veniens *itaque in regnum Momoniæ, ut posterioris Vitæ auctor tradit* (8), sanctus episcopus Carthagus, rogavit eum rex regionis *Kiarraigh Chuyrthe, Cathal filius Ædæ,* cum amicis suis, ut in Christi nomine se sanaret; et, orans sanctus Dei pro rege, sanavit eum; et oculi et aures ejus convaluerunt. Tunc rex arcem suam, id est Hyleam Cnharch, et Rosbeargh, et Rosmor, et insulam Pioch (*nunc Inis Pict, Inis Puinc seu Inis Pick, prope Inisharkan seu Inishirkan in baronia de Carbery, in comitatu Corcagiensi, in Momonia*), in freto Cogam positam, Domino et S. Carthago obtulit in æternum. Illo jam in loco, id est Rosbeargh, sanctus Dei quosdam fratres posuit, ut ibi Domino cellam ædificarent, qui locus est clarus satis. In insula autem Pioch ipse S. Carthagus cœpit ædificare et mansit ibi annum integrum. Post finem anni tres de supradictis discipulis, id est tres filios Nascain, Gobbanum episcopum, et Straphanum

(1) Ecclesiastical history of Ireland, tom. II, pag 365. — (2) Acta SS. tom. III, Maji, pag. 382. — (3) Ibid. pag. 377, n 11. — (4) Monasticum Hibernicum, pag. 727. — (5) Histoire monastique d'Irlande, pag. 358. — (6) Eccles. history of Ireland, tom. II, pag. 353, n. 186. —(7) Topog. Dict. of Ireland, V° *Rathyne.* — (8) Ibid. pag. 383, n. 27.

AUCTORE V. D. B.

presbyterum et B. Lasceranum, et sanctissimum episcopum Domangenum nutrivit ad eos conservandos : quia ipse ordinavit eos in conspectu sancti Carthagi episcopi in monasterio Raithin, et duodecim fratres cum eis reliquit ibi, et postea reversus est sanctus pater Mochuda *seu Carthagus* ad suam civitatem Raithin. In illa jam insula locus est beatissimus, et viri religiosi ibi semper erant. *Facta hæc sint oportet ante annum* 630 *aut* 632, *quo S. Carthagus ex Rathenensi cœnobio expulsus est* (1); *quin etiam pluribus ante annis et verisimiliter ante annum* 620, *ut existimat Laniganus* (2), *quoniam Cathalus seu Cathaldus, Momoniæ rex atque harum donationum auctor, eo anno diem obiisse in Annalibus Hiberniæ traditur* (3). *Non videtur illic reliquum vitæ tempus egisse S.* Lasrianus, *sed ex Momonia, quæ ad meridiem Hiberniæ spectat, perrexisse ad partes septentrionales, scilicet in Ultoniam, ibique degisse in colle, cui nomen communicavit, nempe* Ard-mic-nasca, *id est Collis filii Nascæ.*

Ard-mic-Nasca, *ubi obiit, est præsens* Holywood.

4 *Situs autem is locus fuit ad lacum* Loch-Laig; *quod nomen Colganus* (4) *in libris suis invenit scriptum* Loch Laodh *seu* Loch Luodh. *Ubi hæc loca sita essent reperit diligentissimus Guilielmus Reeves* (5) *in Itinerario ms. P. Mac Canna, quod in bibliotheca regia Bruxellensi servatur :* Inter Commer (*Comber*), *inquit,* et æstuarium Loch Laodh, quod Carrick-Fergusium et Belfastum alluit, est ecclesia divo Columbæ sacra. *Unde sequitur sinum* Loch Laodh *nunc vocari* Belfast-lough; *et recedendum esse ab Archdallio, qui arbitratus est lacum* Lough Neagh *indicari. Locum vero* Ard-mic-Nascai *eumdem esse, ubi nunc Holywood, in dextra ripa ejusdem æstuarii super viam, qua Belfasto Banchoram itur, conspicitur, sequitur ex sequentibus ejusdem Mac Cannæ verbis, quæ ex ipso codice descripsi :* Non procul hinc ad ortum dissitum est monasterium tertii ordinis D. Francisci ejusdem *Nialli O'Nelli* principis *Tren-congalliæ*, munificentia erectum, satis commode agris dotatum. Hibernice monasterium Aird-Macnissi, latine Collis S. Macnissi vocatur; est ad ripam lacus Laodh, Karrick-Fergussio ad austrum oppositam, situm. Omnia illa quæ commemoravi sacra loca a Commor usque ad monasterium hoc tertii ordinis sunt in superiori Clan-boia, seu Airdia majori. Duæ enim sunt Airdiæ in illo tractu; major quæ superior Clannaboia;... minor vero quinque milliaria in longitudine complectitur; major multa milliaria ac satis ampla et deliciosa territoria... Lacus vituli, seu Loch-loadh hibernice, utramque Clannboiam interluit et dividit. *Ubi notandum hæc initio sæculi* XVII *fuisse scripta; tunc itaque adhuc exstitisse S.* Lasriani *memoriam, sed nomine S.* Macnissii *pro* Mac-Nascai *fuisse notum. Edidit illa eadem, anglice versa et eruditissimo illustrata commentario, sæpe a nobis laudatus Guilielmus Reeves in Ultoniæ Diario archæologico; unde id unum depromo, jam ante sæculum* XIII *illum locum dictum fuisse* Sanctum Boscum; *quod nonnisi a veneratione S.* Lasriani *profectum esse videtur.*

S. Lasrianus *videtur idem est qui Laistranus, de quo Ven. Beda.*

5 *Credidit Colganus* (6) *hunc eumdem esse ac Laistranum, cui cum aliis abbatibus et episcopis inscripta est cleri Romani epistola, anno* 640 *ad Hibernos data de recto Paschatis celebrandi ordine et de vitanda hæresi Pelagiana. Nil dubitans eamdem sententiam admisit Lanigan* (7); *et Guilielmus Reeves* (8) *eam quoque suo calculo probavit. Re quidem vera in omnibus editionibus, quas vidi, Historiæ ecclesiasticæ Venerabilis Bedæ, ubi libri II cap.* 19 *hæc epistola legitur,* Laistranus, *non autem* Laisreanus *seu* Lasrianus, *occurrit; verum, ut* Lasrianus *commune est apud Hibernos nomen, ita* Laistranus *inauditum; quod proinde vitiose scriptum sit. Tanto autem magis placet illa conjectura quod S.* Lasrianus *vir certe fuit eximiæ auctoritatis, quippe qui a S. Ængussio* Magnus *nuncupatur. Floruisse usque ad annum circiter* 650 *arbitratus est Colganus* (9): *placet hæc quoque sententia.*

(1) Cfr Lanigan, Eccl. hist. of Ireland, t. II, p. 354, n. 192. — (2) Ibid. p. 358. — (3) Ap. Colganum, Act. SS. Hib., p. 631, col. 2. — (4) Ibid., p. cit., n. 7 — (5) Live of St. Columba, p. 214 et 281. — (6) Acta SS. Hiberniæ, pag. 17. — (7) Ecclesiast. hist. of Ireland, tom. II, pag. 414. — (8) Irish itinerary of father Edmund Mac Cana, pag. 15. — (9) Acta SS. Hiberniæ, pag. 17.

C F

DE SS. RUFINIANO ET LUPO, EPISCOPIS,

ET S. AUSIACO, PRESBYTERO,

BAJOCIS IN GALLIIS.

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. SS. Rufiniani et Lupi memoria in fastis sacris aliisque monumentis. Tempus vitæ, ordinationis et mortis. Consecratio episcopalis per saltum.

CIRCA ANNUM CDLX.

S. Lupus, *in aliis martyrologiis Corbolio ratione cultus, in aliis ob episcopatum Bajocis tributus,*

Inter auctaria, quæ ad præsentem diem Martyrologio Usuardi accesserunt et a Sollerio nostro incredibili labore et patientia edita fuere, plura exhibent S. Lupi *nomen. Verumtamen divorsum abeunt, quum in aliis Corbolii, in aliis Bajocis ejus festivitas potissime celebrari perhibeatur. Neque mirum : Bajocis enim in Normannia vixit; sed Corbolium in diœcesi Parisiensi ejus reliquiæ delatæ fuerunt ibique permanserunt : unde cognoscere liceat quæ codicum Usuardinorum origo sit. Porro in editione Usuardi, quam anno* 1490 *Parisiis Joannes le Munerat,*

A *Munerat, cantor et scholasticus atque theologus Parisiensis, procuravit* (1), *legitur sub hoc die:* Corboilo *, S. Lupi, episcopi et confessoris; *itemque in codice reginæ Sueciæ, signato num.* 428, *quem olim scriptum fuisse ad usum ecclesiæ cathedralis Parisiensis constat ex his ad diem* 17 *octobris verbis* (2) : Eodem die, S. Cerbonii, Populoniensis episcopi, cujus nobis (*ecclesiæ cathedrali Parisiensi*) reliquias attulit Fr. noster Robertus Pisanus, *teste Breviario Parisiensi anni* 1736, *canonicus Parisiensis. Molanus in prima editione plane consensit cum Munerato; sed in posterioribus addidit S.* Lupum Bajocensem fuisse episcopum. *Walasser autem, Canisiani seu Germanici Martyrologii auctor, qui se fere in vertendo Usuardo ampliato continet, Parisiensem seu Corboliensem origine codicem hic etiam secutus est. Contra in codice prioratus Benedictini de Daverone in diœcesi Carnotensi, non Corbolium, sed Bajocas designatas habes hoc modo :* Bajocas, S. Lupi, episcopi et confessoris; *et in editione Greveniana :* In Normannia, S. Lupi, episcopi Bajocensis et confessoris. *Ut autem ad recentiores martyrogos deveniam, Saussayus longum hac die encomium S.* Lupi *texuit, proxime secutus Vitam S.* Lupi, *quæ Corbolii usurpabatur et in qua S. Regnobertus substituebatur S.* Rufiniano, *dum reliqua convenirent cum Vita priore, quam inferius dabimus. Castellanus in Martyrologio universali ita celebrat sanctum præsulem :* Bajocis, S. Lupi episcopi, cujus corpus requiescit Corbolii, in diœcesi Parisiensi, in templo S. Exsuperii, ubi *Saint Leu* vocatur. *Brevius Martyrologium Parisiense cardinalis de Noaliis:* Bajocis, S. Lupi episcopi, cujus corpus Corbolii apud S. Exuperium asservatur; *a qua annuntiatione uno aut altero tantum verbo discrepat Martyrologium Ebroïcense episcopi de Roche-Chouart.*

* Corbolii

decessorem habuit S. Rufinianum, *de quo hic etiam agetur;*

2 *Ambigendum itaque non est quin hac die agendum sit de S.* Lupo *Bajocensi episcopo. Quod vero ei addidimus S.* Rufinianum, *ejus in cathedra Bajocensi decessorem, id a nobis factum est ut fidem faceremus promissis decessorum nostrorum; qui quum ad diem* 1 *augusti in Rufinianum quemdam incidissent, cujus fabulosa Acta ex Italia acceperant, in fine brevissimi sui de Rufiniano illo sermonis scripserunt* (3) :

C Alius est verus Rufinianus, secundus Bajocensis post S. Exuperium episcopus; sed certum cultus diem necdum reperire licuit : offeret se occasio de ipso agendi cum successore S. Lupo ad diem 25 octobris. *Verumtamen quum hæc anno* 1733 *typis mandarunt, jam ab anno* 1688 *assignatum sibi pro natali diem habebat S.* Rufinianus *quintam septembris. Eo enim anno permiserat Franciscus de Nesmond, Bajocensis episcopus, parocho S. Exsuperii ut ejus officium illa die in suo templo celebraret sub ritu semiduplici* (4). *Neque immerito id fecisse censendus est. Corpus enim B.* Rufiniani *servabatur in illo templo post majus altare prope pristinum S. Exsuperii sepulcrum; eoque convenire solebat plebs, ejus patrocinium postulans* (5). *Deinde in antiquissima Vita, inferius edenda, vocatur bis* beatus Rufinianus; *in vetustis item lectionibus, ex Elnonensi S. Amandi monasterio acceptis,* sanctus Rufinianus; *similiter in Breviario Bajocensi, circa annum* 1627 *curis Jacobi d'Angennes, Bajocensis episcopi, in lectionibus de S.* Lupo beatus *appellatur; in majoribus litaniis diœcesanis dicebatur et forte etiamnum dicitur :* S. Rufiniane, ora pro nobis; *demum ejus imago cum sancti titulo cernitur in fornice chori templi cathedralis Bajocensis, quem Odo I episcopus sub medium sæculum* XI *exstruxit et qui ineunte sæculo* XIV *imaginibus ornatus est* (6); *cerniturque altera imago in fenestra navis ejusdem templi* (7). *Quibus adde consentire scriptores in nuncupando eo* sancto *seu* beato Rufiniano : *satis fuerit nomine designasse Democharem in indice sui operis, Robertum* (8), *Severtium* (9), *Saussayum* (10), *fratres Sammarthanos* (11), *Hermant* (12), *Maurinos Galliæ christianæ novæ auctores* (13) *et alios. Cæterum de eo nil scitur quod in Actis S.* Lupi *non contineatur. Quamobrem id tantum addam templum S. Exsuperii Bajocense, quo conditæ fuerunt ejus exuviæ, cœptum esse destrui, dum* E *extremo sæculo* XVIII *libertas impietatis sacra omnia sus deque verteret in Galliis. Media seu anterior pars jam dejecta erat, quum Napoleo I imperator, concordato cum Pio papa VII inito, cultum divinum publice restituit; noluere parœciani ut quod de æde illa superesset solo æquaretur; quin imo pecuniam contulerunt, qua deruta pars iterum ædificaretur. Quod et factum est, addita turre parum eleganti* (14).

AUCTORE V. D. B.

presbyterum et sepulturæ honorumque ecclesiasticorum socium S. Ausiacum; *omittitur vero Stephanus presbyter, non legitime sanctis accensitus.*

3 *Addidi etiam S.* Ausiacum *presbyterum, quem Hermantius* (15), *res veteres ex recentiori norma intelligens et explicans, S.* Lupi vicarium generalem *appellat. Nil enim certius quam quod aliquando cultus fuit. Ut enim suo loco videbitur, translata fuerunt sacra ejus ossa a Bajocensi præsule ex S. Exsuperii templo in novam S.* Lupi *ædiculam seu basilicam; quæ ejus translatio non minus celebrata fuit quam S.* Lupi. *Nam ad hujus translationis historiæ finem hæc leguntur :* Eorum quoque translatio (*scilicet SS.* Lupi *et* Ausiaci) VIII kalendas novembris celebratur. *Verum, quum Normannorum prædatione ejus periit corpus, periisse simul videtur ejus cultus : nuspiam saltem de eo mentionem fieri video, neque ullis fastis sacris ejus nomen inscriptum legitur. Quod nomen multis formis mihi occurrit, scilicet* Ausiacus, Ausiocus, Ausiochus, Ansiacus, Ansiocus, Antiochus. *Nullum ex his, si* Antiochum *excipias, aliis viris impositum fuisse inveni; et quidem arbitror* Antiochum *genuinum nomen esse : verumtamen quum apud Bajocenses vulgari nomine* saint Ausiac *notus sit* (16), *non visum est hinc recedere; adde* Ausiacum *celticum nomen proprium esse, loci quidem, sed tamen nomen proprium* (17). *Cogitaveram hic quoque cum* sancti *titulo adscribere nomen Stephani presbyteri; de quo in S.* Lupi *Vita agitur. Hermantius* (18) *enim apertis verbis eum accenset Bajocensibus*

F

(1) Sollerius, Martyrologium Usuardi, p. XLVI. — (2) Ibid., P. 607. — (3) Acta SS. Augusti, tom. I, p. 3. — (4) Hermant, Histoire du diocèse de Bayeux, p. 21. — (5) Ibid., pag. cit. — (6) Pluquet, Essai historique sur la ville de Bayeux, p. 70. — (7) Ibid., pag. cit. — (8) Gallia christiana, in qua regni Franciæ etc., p. 256. — (9) Chronologia historica, t. III, p. 23. — (10) Martyrologium Gallicanum, p. 1241. — (11) Gallia christiana, tom. II, p. 332. — (12) Hist. du diocèse de Bayeux, p. 21. — (13) Gallia christ. nova, tom. XI, col. 347. — (14) Pluquet, Essai sur Bayeux, p. 130. — (15) Histoire du diocèse de Bayeux, p. 32 et 546. — (16) Ibid., pp. citt. — (17) Vita S. Lietberti, episc. Cameracensis, in Actis SS., tom. IV Junii, p. 602. — (18) Histoire du diocèse de Bayeux, pag. 24.

sanctis,

AUCTORE V. D. B.

sanctis, laudans in margine Breviarium diœcesanum et Saussayi Martyrologium. Atque in hoc reapse libro refertur ejus nomen in Catalogo sanctorum, beatorum et piorum (1), *sed absque* sancti *aut* beati *titulo : ita ut inter pios tantum census sit. Similiter, ubi S.* Lupus *laudatur, Stephanus presbyter sine sanctitatis laurea prodit. Quid in recentioribus suis Breviariis aut Propriis egerint Bajocenses me latet; sed in Breviario Jacobid'Angennes* Stephanus quidam *vocatur : qua dictione nemo umquam in libris liturgicis sanctos aut beatos, quorum memoria in singulari benedictione sit, nuncupavit. Quod si postea Bajocenses Stephanum presbyterum sanctum fecerint, et Castellanus, vir cæterum cautissimus, Martyrologio suo inseruerit ad hanc diem cum sanctitatis laude Stephani presbyteri nomen, parvi id ponderis est; quippe quod celebribus Urbani VIII papæ decretis adversetur. Cæterum diœcesis Bajocensis satis fertilis genuinorum cælitum ager fuit, ut severa esse possit et difficilis.*

Ex temporibus Ægidii, dicti regis Romani, et Childerici, regis Francorum, stabilitur S. Lupi ætas;

4 *Nolim hoc loco quærere quando ibidem christiana religio primum annuntiata fuerit; quum id ad SS.* Rufinianum *et* Lupum, *qui sæculo* V *vixere, nequaquam pertineat. Scilicet eorum ætatem dant S. Lupi Acta et Lectiones Amandinæ seu Vita Andegavensis. In Actis enim traditur* B. Rufinianus tertius a B. Exuperio Bajocensis episcopus fuisse; *illique successisse S.* Lupus, *a Silvestro, archiepiscopo Rothomagensi, episcopus consecratus; in Lectionibus autem dicitur pie educatus fuisse et diaconus creatus a S.* Rufiniano, qui etiam tertius a B. Exuperio, primo ipsius urbis episcopo, clarum pontificalis apicem dignitatis regendum susceperat; *et initio memoratur S.* Lupus *floruisse* tempore, quo Ægidius, rex Romanus, regnabat in Galliis. *Nil certius quam postremum hoc temporis indicium. Si enim intelligitur (ut reapse intelligendum esse arbitror) more francico hic* regem *dici Ægidium, quod nempe supremam in Galliis potestatem haberet* (2); *(quo titulo etiam ornatur in Actis S. Romuli* (3);*) designatur temporis spatium, quod ab anno circiter* 458 *decurrit usque ad* 466. *Sed si velis alludi ad auctoritatem regiam, quam supra Francos, in Belgio adhuc constitutos, aliquando*
C *Ægidius habuit, in obscuram quæstionem devenis. Ecce tibi. Teste S. Gregorio Turonensi* (4), Childericus cum esset nimia in luxuria dissolutus et regnaret super Francorum gentem, cœpit filias eorum stuprose detrahere. Illi quoque, ob hoc indignantes, de regno eum ejiciunt... Franci, hoc ejecto, Ægidium sibi, quem superius magistrum militum a Republica (*Romana*) missum diximus, unanimiter regem adsciscunt. Qui cum VIII anno super eos regnaret, (*Wiomadus,*) amicus ille fidelis (*ejecti regis*), pacatis occulte Francis, nuntios ad Childericum... mittit. Ille vero, certe cognoscens indicia quod a Francis desideraretur,... in reguo suo est restitutus. *Libuit P. Danieli nostro* (5) *totum hunc locum et plura alia Childerici gesta inter fabulas referre; sed tam violenta in hac parte usus est crisi ut vix unum inter eruditos sequacem nactus sit. Multa eruditione ei respondit Dubos* (6), *ipse quidem in quibusdam adjunctis longius progressus, sed generatim feliciter functus suo officio. Postea academia regia Suessionensis, proposita victori corona, edidit programma de vero tempore, quo Franci stabilem in Gallia nacti essent sedem, quærens imprimis de Childerici I et Ægidii gestis. Vicit Biet, S. Leodegarii Suessionensis abbas, fecitque manifestum nil esse quo S. Gregorii testimonium debilitetur* (7). *Et certe si id rejiciatur, quid de antiqua historia Francorum superfuturum sit ego plane non video. Sane adjuncta quædam accedere potuere; sed ipsa res non ideo vocanda est in dubium, neque de ea dubitarunt severiores S. Gregorii Turonensis censores, puta Simonde de Sismondis* (8), *Lœbell* (9) *aliique.* D

tricæ chronologicæ nil huc faciunt.

5 *Porro S. Gregorius adstruere videtur Ægidium magistrum militum factum esse sub ipsum tempus, quo Majorianus imperator processit, nempe* 1 *augusti anni* 457; *et quum extremo tantum anno* 458 *Galli se Majoriani potestati* E *subjecerint, Dubossio non videtur Ægidius ante id tempus supremo in Galliis magistratu fungi potuisse, neque ante initium anni* 459 *a Francis rex eligi. Ex altera vero parte regno restitutum fuisse Childericum ante Ægidii mortem luculente tradere mihi videtur Gregorius. Porro sub anno nono Leonis et quarto Severi, Christi* 465, *scripsit Idacius :* Ægidius moritur, alii dicunt insidiis, alii veneno deceptus : quo desinente, mox Gothi regiones invadunt, quas Romano nomine tuebatur. *Quæ si ita sint, quomodo potuit Childericus usque ad annum octavum in exilio versari? Hunc nodum ut solvant aut secent, alii cum Biet monent quod Idacius circa hoc tempus (ut complures volunt) chronologicum ordinem nonnihil perturbaverit* (10), *omittens biennium (imo unum annum et quatuor menses* (11)), *quos post mortem Severi imperium occidentale vacavit; alii potius cum Garzonio, quod res ab anno octavo Leonis annotarit quidem, sed non in certos digesserit annos* (12); *alii contra cum Dubossio statuunt apud S. Gregorium non legendum esse annum* VIII, *sed* IIII; *alii iterum cum Garzonio ita interpretandum esse S. Gregorium ut conveniat cum Chronico Virdunensi, in quo legitur :* Childericus, filius Merovei, expulso Ægidio, duce Romanorum, de regno atque interfecto, regnum invadit anno ab incarnatione 466. *Hinc plura systemata : secundum Dubossium exsul factus est Childericus ab anno tantum* 459 *ad* 463; *secundum Garzonium ab* 459 *usque ad* 466, *et Ægidium mortuum anno* 465; *et demum, ut alia omittam, secundum Bietum Ægidium fuisse magistrum militum ab anno* 458 *usque ad* 466 *et Childericum ab anno* 458 *usque ad* 465 *fuisse extorrem. At quum nil aliud quæramus quam qualemcumque notam temporis vitæ S.* Lupi, *hæc sufficere videntur; nil enim nostra* F

(1) Martyrologium Gallic., pag. 1242. — (2) Cangii, Glossarium latinum, V° *Rex*. — (3) Ap. D. Bouquet, tom. I, pag. 821 et 822. — (4) Hist. Francorum, lib. II, cap. 12, ap. D. Bouquet, tom. II, pag. 168. — (5) Histoire de France, préf. histor., tom. I, pag. LXXIX et seqq. édit. 1742. — (6) Hist. critique de la monarchie française, lib. III, cap. 4 et seqq. Tom. II, pag. 242 et seqq. edit. 1742. — (7) Dissertation sur la véritable époque de l'établissement fixe des Francs dans les Gaules etc. ap. Leber, Collection des meilleures dissertations etc. tom. II, pag. 1 et seqq — (8) Histoire des Français, part. I, cap. 4, tom. I, pag. 112. Bruxelles, 1846. — (9) Gregor von Tours und seine Zeit, pag. 537. — (10) Biet, ap. Leber, tom. II, pag. 15 et seqq. — (11) Aug. Thierry, Récits de l'histoire romaine au Ve siècle, pag. 10. — (12) Garzonius, Præf. ad Chronicum Idacii, num. 34 et nota 96, ap. Migne, Patrologia latina, tom. LXXIV, col. 697 et 816.

refert

A *refert, sive anno* 465 *sive* 466 (*alteruter enim eligendus videtur*) *Ægidius obierit; idemque habeto de abitu et reditu Childerici. Opportunum multo magis animadvertere erit passim mortis tempus indicari in veteribus historiis, ubi aliquis dicitur sub principe quodam aut certo anno vixisse aut floruisse; ita ut statuere nobis liceat S.* Lupi *obitum circa annum* 460.

A Silvestro, archiepiscopo Rothomagensi, non multo ante annum 442 episcopus consecratus est S. Lupus;

6 *Aliud temporis indicium in ejus ordinatione episcopali, quam a Silvestro, Rhotomagensi archiepiscopo, accepit, positum. In Actis archiepiscoporum Rothomagensium, scriptis exeunte sæculo* XI *sub pontificatu S. Gregorii* VII *et a Mabillonio aliisque editis, sequens ordo proponitur* (1) : Cui (*Victricio*) successit S. Innocentius, S. Innocentio sanctus Evodus, Evodo Silvester, Silvestro Malsonus, Malsono Germanus, *etc. Atque idem ordo servatur in Catalogo, scripto ante finem sæculi* IX *atque olim in S. Wandregisili servato; in vetusto autem Gemeticensi S. Innocentius postponitur S. Evodio* (2) : *sed parvi id nostra refert. Porro vita functus esse videtur S. Victricius inter annum* 404 *et* 409 (3) *et Germanus interfuit anno* 461
B *concilio Turonensi primo* (4) : *ita ut in medio spatio S. Innocentius, S. Evodius, Silvester et Malsonus episcopatum Rothomagensem rexerint. A vero itaque non multum aberrare possunt Annales Uticenses, non ita pridem editi, in quibus S. Victricius floruisse seu obiisse traditur anno* 405, *S. Innocentius anno* 417, *S. Evodius anno* 426, *Silvester anno* 434 *et Malsonus anno* 442; *sed, ut ex concilii Turonensis ætate constat, male in iisdem annalibus Germani nomen illigatur anno* 451 *ejusque successoris Crescentii anno* 459 (5); *neque plurimum devius esse potest Ordericus Vitalis; quo auctore,* Silvester octo annis tempore Leonis papæ, *qui ab anno* 440 *ad* 461 *sedit,* Clodione et Meroveo regnantibus in Francia (*ab anno* 427 *ad* 458), *claruit* (6); *neque carpendus est Guilielmus Bessinus, qui, ut loquitur* (7), chronicorum (*aliorum*) veterum auctoritate fretus, *Silvestri* administrationem ad annos sedecim protraxit, *id est ab anno* 426 *ad* 442. *Unde sequitur S.* Rufinianum *ex hac vita decessisse et S.* Lupum *a Silvestro Rothomagensi episcopum consecratum fuisse sub annum* 426; *neque culpari posse cl. V. Julium*
C *Lair* (8), *referentem S.* Lupi *episcopatus initia inter annos* 434 *et* 442 ; *et quum censendus sit hoc tempore annos natus fuisse circiter triginta* (*triginta enim aut saltem viginti quinque anni incohati requirebantur in diacono* (9), *et aliquandiu jam hoc officio functus erat*) *natus fuisse videtur extremo sæculo* IV.

et quidem per saltum, omisso presbyteratu.

7 *Et quoniam ad ejus episcopalem ordinationem venimus, placet quæ de ea dicenda videntur prosequi. Imprimis ante oculos habendum est caput III epistolæ I S. Zosimi papæ ad Hesychium Salonitanum, quod passim tamquam lex certa in fronte sacrarum ordinationum in antiquis sacramentariis legitur* (10) : Hæc autem in singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit (*quemadmodum fecit S.* Lupus), inter lectores usque vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret... Exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis. Et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat; in quo ordine quinque annis si inculpate se gesserit, hærere debebit ; exinde, suffragantibus stipendiis, per tot gradus, datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium promereri. De quo loco, si eo illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum pontificatum sperare licebit *anno ætatis quadragesimo quinto aut saltem presbyterii decimo juxta Siricii papæ primam epistolam ad Himerium Tarraconensem* (11). *Verum ab hac lege facile recedebatur, quum signo aliquo, quod divinum habebatur,* (*qualiter in ordinatione S.* Lupi *contigit,*) *alia videretur Dei esse voluntas* (12). *Quod vero deinde S.* Lupus, *quum adhuc diaconus esset,* protinus apicem adeptus esse episcopalem *traditur, ita ut presbyter numquam fuerit, plane mirum non est, quum, ut verbis utar Æneæ Parisiensis* (13), in sublimitate majoris pontificis consistat E etiam honor minoris sacerdotis. *Ordinationum per saltum exempla plura profert Martenius* (14); *sed hoc minime exhausit argumentum. Plura sæpius de eodem postea quæsivit Novaës in Elementis historiæ pontificiæ; et quidem ritus adhuc superest quo hæc fierent. Vide enim num.* 8 9 *Ordinis Romani* VIII *ex editis a Mabillonio, ubi traditur quomodo diaconus aut presbyter episcopus consecretur* (15); *et num.* 5 *Ordinis Romani* IX, *quo continetur modus creandi ex diacono aut presbytero summi pontificis* (16). *Quod demum Silvester, Rothomagensis episcopus, aderat, id secundum caput I epistolæ S. Innocentii ad S. Victricium Rhotomagensem factum est, quum ibi præcipiatur* primum ut extra conscientiam metropolitani episcopus nullus audeat ordinare (17); *adeoque petenda erat eligendi licentia a metropolitano; qui, quo celerius dein fieret consecratio, ipsi sæpe electioni præsidebat : unde paulatim multis in locis lex facta est ut nemo episcopus eligeretur sine visitatoris aut vicini episcopi præsentia.*

S. Lupus *non scripsit S. Regnoberti Bajocensis Acta, quæ lucubratio fabulosa et suppositia est.*

8 *Circumfertur sub S.* Lupi *nomine Vita S. Regnoberti, episcopi Bajocensis, plane fabulosa : ea de re quum jam dixerit Papebrochius in commentario de S. Regnoberto* (18), *ejusque sententia omnibus approbata fuerit* (19), *denuo mihi ostendendum non est S.* Lupum *illius Vitæ non esse auctorem, sed recentiorem eum esse partum. Aliam nuper S. Regnoberti Vitam, S.* Lupi *etiam nomine inscriptam, in medium protulit ven. vir Do* (20), *canonicus honorarius Bajocensis et monialium Visitationis Bajocensium rector; sed licet in hac paulo pauciora absurda insint, suppositius etiam fœtus habendus est, sive illius breviarium aut exemplar seu protypum sit. Nolim itaque probare novum illum librum, absque ulla modestia et verecundia scri-*

(1) Mabillonius, Analecta, pag. 222, edit. la Barre. — (2) Gallia christ. nova, tom. XI, col. 9. — (3) Ibid. col. 8. — (4) Ibid. col. 9. — (5) Le Prevost, append. ad Orderici Vitalis Hist. eccles. tom. V, pag. 144 et 145. — (6) Ibid. tom. II, pag. 340. — (7) Concilia provinciæ Rothomagensis, tom II, pag. 1. — (8) Biblioth. de l'école des Chartes, tom XXIII, p. 100. (9) Cfr Martene, de antiquis eccles. ritibus, lib. I, part. II, cap. 8, art. III, num. 4, tom. II, pag. 274. — (10) Ibid. pag. 277. — (11) Ibid. pag. 276. — (12) Cfr Acta SS. tom. I Octobris, pag. 71. — (13) Martene, tom. II, pag. 279. — (14) Ibid. p. cit. — (15) Museum Italicum, tom. II, pag. 88 et 89. — (16) Ibid. pag. 92. — (17) Ap. Bessin, Concilia Rothomagensia, tom. I, pag. 4. — (18) Act. SS. tom. III Maji, p. 618 et 619. — (19) Cfr Hermant, Hist. eccl. de Bayeux, p. 34 ; D. Rivet, Hist. littér. de France, tom. II, pag. 418; Baillet, Vies des saints, 16 mai, tom. V, pag. 286 et seqq. — (20) Recherches historiques et critiques sur S. Regnobert, second évêque de Bayeux, pag. 12 et 13.

ptum

AUCTORE V. D. B.

ptum et merito castigatum a cl. V. Lair (1); *sed simul vix consentire audeo Papebrochio, Riveto, Maurinis* (2) *et cl. V. Julio Lair* (3), *qui eum in hac re secuti sunt, scilicet S. Regnobertum ante S.* Lupum *non vixisse; S. Exsuperium primum fuisse Bajocensem episcopum, S.* Rufinianum *secundum et S.* Lupum *tertium; S. Regnobertum vero sæculo tantum venire* VII. *Certe sæculo* VII *vixit aliquis Regnobertus episcopus; sed alter forte vixit sæculo* IV, *aut, si lubet, etiam ante. In hoc certe erravit Papebrochius, quod, licet initio Vitæ S.* Lupi *tam aperte legatur* B. Rufinianus, tertius a B. Exuperio Bajocensis episcopus, *et in Lectionibus Amandinis* S. Rufinianus, ejusdem civitatis præsul, qui etiam tertius a B. Exuperio, primo ipsius urbis episcopo, clarum pontificalis apicem dignitatis regendum suscepisse, *nescio qua mentis avocatione viderit ibidem S.* Lupum *tertium fuisse Bajocensem episcopum et S.* Rufinianum *secundum; sed ita non est: Exuperius dicitur primus fuisse,* Rufinianus *tertius et* Lupus *ejus successor; ita ut secundus locus vacuus sit et secundum veterem traditionem, quæ in ipso chori fornice re-*
B *præsentata est* (4), *dandus S. Regnoberto. Quod jam fecit Henschenius noster, errorem Papebrochii corrigens in Commentario Prævio ad Acta S. Manvæi, S.* Lupi *successoris, ad diem* 28 *maji. Displicet tamen mihi magnopere Regnoberti, qui sæculo* IV *episcopus fuerit, francicum seu germanicum nomen; ut forte secundi episcopi locus prudenter anonymo reliquendus sit. In fabulosa S. Regnoberti Vita* Lupus Bajocensis ecclesiæ tertius a S. Exuperio, secundus a beato Regnoberto onus adeptus pastorale *dicitur, omisso S.* Rufiniano; *sed id morari neminem debet.*

Vita functus fuisse videtur S. Lupus *sub annum* 460.

9 Pervenisse *S.* Lupum ad annum 465 ex ejus Vita *tradidit Bessinus* (5); *sed nulla ei præluxit Vita, qua id contineatur, verum Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum. Hermant nil definivit, dicens ab aliis statui ejus mortem die* 25 *octobris anni* 461. *Caute etiam procedunt Maurini in Gallia Christiana nova, sententiam referentes Sammarthanorum et quod in Papebrochii de S: Regnoberto Commentario legerant; S.* Lupum *episcopum fuisse, dum Ægidius esset magister militum aut rex Roma-*
C *nus in Galliis. Et quidem hoc unum tenendum est, beatum virum obiisse inter annum* 458 *et* 465, *ut jam annotavimus in fine num.* 5. *In Vita, danda inferius, uti etiam in Martyrologio Saussayi et in Breviario anni* 1627 *dicitur in episcopatu explevisse annos triginta; quod facile credi potest; Bocquetius* (6) *tamen et alius anonymus auctor Vitæ SS. Exuperii et* Lupi (7), (*quem constat Stephanum Pepingue esse,*) *annos dicunt triginta duos. Iidem volunt S.* Lupum *sepultum fuisse in hoc ipso loco, ubi lupum cepisse et occidisse in Vita, infra edenda, traditur; et septuaginta annis post episcopum, ejus successorem, templum super sepulcro ædificasse: sed in aliam abit sententiam Hermantius* (8), *arbitratus S.* Lupi *corpus in templo S. Exsuperii fuisse conditum. Et sane quum illo ævo pas-*
D *sim sepelirentur episcopi et magnates in ædiculis cœmeterialibus, parum credibile est beatum virum sub dio fuisse humatum; dein S. Exsuperii templum episcoporum Bajocensium cœmeterium fuit, donec sæculo* XI *Odo I prælegerit S. Vigoris ædem* (9); *ad hæc in historia translationis, quæ venit post priorem Vitam dicitur S.* Lupus *in ecclesia sepultum fuisse; quid enim aliud hæc sibi volunt verba :* Quadam nocte apparuit beatus Lupus cuidam fratri, IN ECCLESIA quiescenti; cui et noticiam sui nominis indicavit, et locum, in quo ipse et reverendus vir Ansiochus sepulti jacebant, notavit; ET DUM EI BINA OSTENDERET SEPULCRA *etc.? quæ aperte omnia in ecclesia facta sunt. Animadvertit præterea Hermantius* (10) *in translationibus semper sociata fuisse SS. Exsuperii et* Lupi *corpora ita ut censenda sint primum in eodem fuisse*
E *loco; sed id verum non esse infra apparebit, quemadmodum etiam quod in antiquis Corboliensibus libris aperte dicuntur SS. Exsuperii et* Lupi *corpora* ex cœnobio *Bajocensi* S. Exsuperii *primum delata fuisse Paludellam. Sed de hac translatione paulo infra : prius absolvenda sunt quæ Bajocis acta fuerunt.*

§ II. Cultus S. Lupi Bajocis et in Elnonensi S. Amandi monasterio. Reliquiæ S. Exsuperii translatæ prius verisimiliter Rhedones, et S. Lupi Cormaricum; dein Paludellam metu Normannorum, et postea Corbolium. Fata capituli Corboliensis.

Cultus annuus, reliquiæ et monumenta S. Lupi *Bajocis;*

Ut mihi constat ex kalendariis liturgicis annorum 1840 *et* 1850, *celebrant Bajocenses die* 14 *julii ritu duplici majori translationem SS. Exuperii,* Lupi *et Vigoris; ritu duplici cum lectionibus ex homilia* LIX *S. Maximi de S. Eusebio idem festum reperio in Breviario anni* 1629; *sed in multo antiquioribus etiam exstare non est dubium. Vult Hermantius* (11) *hac festivitate recoli memoriam translationis, quæ facta esset*
F *die* 14 *julii anni* 466 : *tunc enim beata corpora ex S. Exuperii templo solemniter vecta fuisse in cathedrale. Sed id non cohæret, quum S. Vigor integro sæculo post diem obierit. Hinc ut se extricet Hermantius, detrahit S. Vigoris nomen; verum ubi dein pedem figat plane non novit* (12). *Sane in cathedrale templum venisse videntur aliquando S. Vigoris exuviæ, atque etiam capita SS. Exuperii et* Lupi (13). *Et quidem de corpore S. Vigoris certum testimonium dabit Chronicum Centulense* (14); *de capitibus SS. Exuperii et* Lupi *indices reliquiarum templi cathedralis, confecti annis* 1369, 1476 *et* 1563 (15); *ex quo postremo constat hæc capita et pleraque alia pia pignora anno ante, scilicet* 1562, *a furentibus Calvinistis fuisse destructa* (16). *Quare, si quid video, dicendum potius est illam translationem*

(1) Bibliothèque de l'école des Chartes, tom. XXIII, p. 90 et seqq. — (2) Gallia Christ. nova, tom. XI, col 347 et 348. — (3) Bibl. de l'école des Chartes, tom. XXIII, p. 94 et seqq. — (4) Hermant, Hist. du diocèse de Bayeux, pag. 19. — (5) Concilia Rothomagensia, tom. II, pag. 233. — (6) Les Vies des S. Exupère et S. Loup. Paris, 1627, pag. 26. — (7) Les Vies et Miracles de S. Spire et S. Leu. Paris 1677, p. 23 et 24. — (8) Hermant, Hist. eccl. de Bayeux, pag. 33. — (9) Ibid. pag. 9. — (10) Ibid. pag. 33. — (11) Ibid. pag. cit. — (12) Cfr. ibid. pag. 50. — (13) Ibid. pag. 35 et 50. — (14) In Dacherii Spicilegio, tom. II, pag. 332 et 342. — (15) Hermant, pag. 34. — (16) Ibid. pag. cit.

nil

AUCTORE V. D. B.

A *nil aliud esse quam exaltationem reliquiarum intra S. Exuperii ædem olim factam; qua forte occasione ad cathedrale templum delatum est corpus S. Vigoris cum SS. Exuperii et* Lupi *capitibus. Alterum in honorem S.* Lupi *celebratur festum die* 25 *octobris, ritu duplici secundum Breviarium anni* 1629 *et duplici majori juxta kalendaria superius memorata. Lectiones illius Breviarii nil singulare habent, sed eadem tantum, quæ leguntur in Vita, nitidius paulo exposita. Cujus festi origo et causa est translatio corporum SS.* Lupi *et* Ausiaci, *quæ septuaginta annis post illius obitum in ædiculam S.* Lupi *solemniter translata fuerunt; cujus translationis historiam inferius post Vitam dabimus. Imago S.* Lupi *picta cernitur in fenestra templi cathedralis atque etiam in chori fornice. Has imagines affirmat Hermantius ab Odone I episcopo circa annum* 1067 *fieri jussas fuisse; sed jam monui id opus ducentis minimum annis recentius esse. In suburbio, qua iter ad oppidum S. Laudi est, leucæ quadrante a pristinis mœniis exstructa fuit parva illa ecclesia cum S.* Lupi *titulo; unde ipsa vicinia dicta est S.* Lupi (1),
B *vulgo* Saint-Loup-Hors. *Sæpius reædificata fuerit oportet: certe præsens turris sæculi* XI *est, reliquæ partes sæculi* XII *et* XIII. *Super portam præcipuam exstant anaglypha, quibus exhibetur beatus vir lupum in Dromum fluvium projiciens* (2). *Ad extremam partem septentrionalem altaris maximi inerat olim magnus lapis, cui pedem suum impressisse dicebatur S.* Lupus, *quum lupum occiderat* (3), *et quem plebecula superstitiose venerabatur. Ut hic lapis scandali amoveretur, destructa fuit anno* 1687 *et iterum ædificata illa templi pars* (4).

Item in Elnonensi S. Amandi monasterio.

11 *Quum in lectionibus, quas* 23 *octobris anni* 1659 *ex Elnonensi S. Amandi monasterio ad decessores nostros misit Bavo Pollet, asceterii illius alumnus, errores non sint qui in hagiographiis Corboliensibus deprehenduntur, pronum est suspicari Bajocis illuc devenisse quidquid de S.* Lupo *habebant. Accipe ea de re Polleti verba:* Habemus, *inquit*, in thesauraria nostra inter alias sanctorum reliquias valde magnum et notabile os ejusdem sancti, nec quidquam de ejus vita vel morte aliud reperire umquam potuimus quam quæ his adjuncta
C R^tiæ V^ræ transmitto. *Lectiones missæ pars sunt Vitæ Andegavensis, quam inferius dabimus; hic vero orationem placet describere:* Propitiare quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per sancti Lupi, confessoris tui atque pontificis, qui in hac requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum Nostrum etc.

Quo anno Bajocis ablatæ fuerint S. Exsuperii et S. Lupi *reliquiæ, difficilis quæstio.*

12 *Verum longe præcellebat S.* Lupi *cultus Corbolii seu Corboili, quo ejus reliquiæ devenerant sæculo* IX *aut potius proxime sequenti. Ea de re egerunt jam decessores nostri in Commentario de S. Exsuperio ad diem* 1 *augusti* (5); *sed parce valde, ita ut operæ pretium fuerit paulo distinctius hanc historiæ partem exsequi. Quo porro tempore Bajocis in interiores Galliæ partes devectæ fuerint SS.* Lupi *et Exsuperii reliquiæ, non plane manifestum est. In Breviario Bajocensi ms., quod olim in S. Victoris Parisiis servabatur, legit Hermantius* (6) *ad diem* 14 *julii, quo agebatur Bajocis SS. Exsuperii,* Lupi *et Vigoris translatio, id factum esse anno* 843; *contra Joannes a S. Victore, qui anno* 1315 *Annales suos conscripsit, id ad annum* 863 *retulit:* Anno Domini, *inquit* (7), DCCCLXIII dicitur esse translatum corpus S. Exuperii apud Corbolium de urbe Bajocensi, et primo apud Paludellum villam super Exonam et post apud Corbolium; *atque alii demum annum* 862 *substituunt* (8). *Quæ omnia ex uno fonte hausta videntur, mutato numerorum ordine aut unitate rescissa. Sed parum his fidendum videtur. Quid quod illic unius S. Exsuperii mentio fit, omisso S.* Lupo? *An itaque non uno tempore amborum cælitum exuviæ illuc devenerunt? An non timore Normannorum, quemadmodum in antiquo S. Exsuperii Corboliensis legendario traditur? Ubi hæc leguntur* (9): Post multa annorum curricula, quidam fideles, in cœnobio S. Exuperii famulantes, venerabiles tam ipsius quam beati Luponis reliquias ob tyrannidem infestantium Normannorum inde E
adsportantes, in quoddam castrum, nomine Paludellum, transferentes, reposuerunt. *Et quidem anno* 857, *ut Ermentarius, abbas S. Filiberti, testis coævus est* (10), *Normanni* Ebroïcas populati sunt atque Bajocas, reliquasque undique secus civitates invaserunt; *quin etiam Baltfridum, Bajocensem episcopum, interfecerunt; quæ tamen cædes in Annalibus Bertinianis* (11) *anno sequenti annectitur. Dum autem hæc fierent, et* nullus pene locus, nullum intactum remaneret monasterium, *atque* omnes fugam arriperent, *quomodo servata fuerint pia Bajocensium patronorum pignora? Res difficilis, non tamen incredibilis. Quod autem magis mireris, dum ferro et igne provinciam ecclesiasticam Rothomagensem vastarent Normanni, Constantienses Bajocas tulerunt, quasi tutius illic perfugium esset, SS. Laudi, Rumpharii et Fromundi reliquias easque ante templi cathedralis fores, pellibus involutas, in terra absconderunt* (12). *Illa itaque plane omnia difficilia esse concedimus; licet nil tum actum fuerit ratione, quod nemo sciret quo confugeret aut ubi securus consisteret.*

F

Videntur anno 846 *a Britannis ex Monte ecclesiæ seu S. Exsuperii Bajocensi templo sublatæ fuisse hujus Sancti reliquiæ et Rhedones devectæ;*

13 *Equidem non diffitebor me propendere in eam sententiam ut jam ante Normannorum adventum ablatæ fuerint SS. Exsuperii reliquiæ et Rhedones devectæ; atque inde, quum instarent Normanni, devenerint Paludellam et postmodum Corbolium. Ex Historia scilicet translationis corporum SS. Regnoberti et Zenonis, quæ Bajocensibus non placere videtur, sed coævum optimumque monumentum est, prius a Dacherio* (13), *dein ex aliis mss. codicibus a Papebrochio* (14) *editum et a cl. v. Lair* (15) *bene defensum, constat* anno dominicæ incarnationis octingentesimo quadragesimo septimo, indictione decima, domino Sergio papa præsidente, Balfrido Bajocensem ecclesiam regente, in loco, qui vocabatur Mons-Ecclesiæ, ubi quondam

(1) Bocquet, Vies de S. Exupère etc. pag. 27. — (2) Pluquet, Essai sur Bayeux, pag. 72. — (3) Bocquet, Vies de S. Exupère etc. pag. 24. — (4) Hermant, pag. 34. — (5) Acta SS., tom. I Augusti, p. 53 et seq. — (6) Hist. de Bayeux, pag. 7. — (7) Cfr Acta SS., tom. I Augusti, p. 54. — (8) Hermant, Histoire de Bayeux, p. 7. — (9) Lair, Biblioth. de l'École des Chartes, tom. XXIII, p. 297. — (10) Hist. translat. S. Filiberti, ap. D. Bouquet, tom. VII, p. 343. — (11) Ibid, p. 75. — (12) Cfr Acta SS., tom. X Octobris, p. 844 et 845. — (13) Spicilegium, edit. La Barre, tom. II, p. 127. — (14) Acta SS., tom. III Maii, p. 620. — (15) Bibliothèque de l'École des Chartes, tom. XXIII, p. 101 et seqq.

sepeliebantur

AUCTORE V. D. B.

sepeliebantur episcopi civitatis, inventam esse basilicam in honorem Dei et Exuperii, primi ejusdem urbis episcopi, constructam, sed jam ornatibus suis nudatam, derelictam et solitariam, et in qua nullum persolvebatur divinum officium; unde etiam casus sui ruinam prætenderet : *quæ occasio fuit Hervæo viro nobili, ut duorum presbyterorum ministerio inde clanculo tolleret SS. Regnoberti et Zenonis corpora et in diœcesim Lexoviensem deferret, scilicet in templum S. Victoris, nunc* (1) Notre-Dame-d'Épines (département de l'Eure.). *Hæc ut facerent, cavendum eis fuit a* Britonum insidiis, qui eo tempore eamdem terram occupaverant et multa cæde regionem deprimebant. *Quidni Britones illi tum S. Exsuperii rapuerunt corpus et Rhedones tulerunt? Certe in antiquissimis monumentis, quæ de Corboliensi translatione supersunt, non dicuntur sanctorum exuviæ Bajocis, sed Rhedonibus allatæ fuisse. Scilicet in Martyrologio Usuardi Tornacensi, quod sub annum* 1220 *ex Altovillariensi in diœcesi Rhemensi exemplari descriptum esse videtur* (2), *et similiter in Parisiensi medii sæculi* XIII (3), *atque itidem in codice, qui Molano præluxit, hæc* B *ad diem* 1 *augusti leguntur* : Castro Corboilo, sancti Exuperii episcopi et confessoris, cujus corpus, persecutione Danorum a Rhedonis civitate fugatum atque a Galliarum incolis honorifice receptum, in prædicto loco affectu magnæ devotionis colitur. *At* Rhedones *errore* Bajocis *substitutæ fuerunt! Sed quid in tribus codicibus* Rhedones *occurrunt, nuspiam* Bajocæ? *Verum hæc non conveniunt cum Bajocensium libris! Sed cum iisdem etiam non conveniunt, quæ ex memorata Historia Translationis SS. Regnoberti et Zenonis comperta sunt. Ast nil de his hactenus norunt Rhedonenses! Sed nil etiam norunt de suis illius ævi episcopis : adeo turbata tum fuit Britannia Armoricana tum intestinis tumultibus, tum Normannorum vastatione! Quare, donec meliora afferantur, censeo prius S. Exsuperii corpus Rhedonibus jacuisse quam Paludellam devenerit.*

Ante extremum sæculum IX *S.* Lupi *reliquiæ furtim devectæ Cormaricum;*

14 *De S.* Lupo *multo accuratiora habemus. Reperit scilicet cl. V. Julius Lair narratiunculam antiquam plane, qua constet ejus benedicta ossa prius delata fuisse in diœcesim Turonensem, ultra nempe Turones, in abbatiam Cormaricensem super Angerim. Audi veterem scriptorem* (4) : Qui autem nosse desiderat qualiter sanctissimum corpus beati præsulis Lupi ad Cormaricense monasterium olim fuerit deportatum, certissime sciat, quod quidam reverendus abbas, Ivo nomine, crescente paganorum ferocitate, cogente etiam necessitatis impellamine, proprium relinquens locum, Turonense adiit territorium, sancti præsulis Lupi venerabile corpus deferens secum; pervenit tandem Cormaricense cœnobium, sancti Pauli apostoli honore sollempniter dicatum. Qui etiam ab ejusdem loci incolis honorifice exceptus, gratissimo fratrum amore illectus, tradidit eis D munus preciosum, immo etiam cælestem thesaurum, corpus scilicet gloriosi antistitis Lupi; qui, annuente Domino, in æternis sæculis æterna perpetualiter possidet gaudia. Explicit. *Quocum convenit quod testimonio Perionis, Cormaricensis historiographi, illic exstabat altare dicatum titulo SS. Trinitatis et SS.* Lupi *et Columbani* (5). *Quæ facta sint oportet priusquam extremo sæculo* IX monasterium Cormaricenum pene ad solum dirutum est (6) *a Danis, persequentibus Turonenses, qui illuc cum S. Martini reliquiis confugerant* (7) : *non enim in desolatum locum venit Ivo abbas. Atque hic,* ab ejusdem loci incolis honorifice exceptus *et* gratissimo fratrum amore illectus, *videtur illic post mortem Audachri, qui anno* 865 *adhuc tenebat abbatiale pedum* (8), *abbas electus esse. Certe Ivoni, abbati Cormaricensi, tradidit Odo rex V calendas junii, anno regni sexto, Christi* 893, *villam Moliensem cum adjacentibus vineis et silvis in Pictaviensi pago* (9).

unde Paludellum, tribus leucis a Corbolio, metu Normannorum advenerunt. Inde ante annum 937 *Corbolium translatæ sunt.*

15 *Quemadmodum nescimus quomodo Rhedonibus S. Exsuperii reliquiæ Paludellam devenerint, sic etiam nos latet quomodo S.* Lupi *ossa eodem fuerint delata; nisi quod conjectura assequi possimus utraque illuc fuisse deportata, quum extremo sæculo* IX *provinciæ Turonensi incumberent Normanni. Utut id est, Paludella, quo certissime devecta sunt, a cognominibus locis distinguenda est. Jacet enim Paludella quædam, vulgo* Paluel, *in Normandia Superiori, in pago Caletensi, non procul ab Oceano, in ripa dextra Durdantis fluvioli* (10); *jacet et alia vocata item* Paluel, *seu potius S. Vincentii de Paludella, in agro Petrocoricensi; tertia dicta* Palluau, *in pristino pago Engolismensi; quarta, eodem vulgari nomine, in Campania pagoque Trecensi; quinta in Bituricensi; et sexta in Pictaviensi* (11). *Sed in harum nullam asportata sunt sacra pignora, verum, ut in veteri legendario Corboliensi legitur* (12), in quoddam castrum, nomine Paludellum, scilicet lutosis Ixoniæ fluentis obsitum. *Ixonia autem, quod alius potius rivi nomen est,* l'Essone, *designatur hoc loco* la Juisne, *latine* Junna; *verum, quum prope Paludellam castrum confluant, sæpe sibi invicem sua communicant nomina* (13). *Porro tribus leucis a Corbolio, meridiem versus, in parœcia Ballancourt, apparent* F *adhuc castri illius vestigia* (14). *Inde, inquiunt Galliæ Christianæ novæ scriptores* (15), reliquiæ sanctorum Exuperii et Lupi, Bajocensium episcoporum, translatæ *fuerunt* circa annum 950 ad Corboilense castrum ab Aimone comite. *Id anno* 963 *factum fuisse volunt Lebeuf* (16) *et Pinard* (17), *quoniam Joannes a S. Victore annum* 863 *scripserit, loco anni* 963. *Intolerabilis conjectura: erravit sane Joannes a S. Victore, sed errarunt etiam ejus castigatores.* Anno *nempe* 957 contigit, Dei disponente judicio, ut comes Corboili castri, nomine Haimo, ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli orationis gra-

(1) Bibliothèque de l'École des Chartes, tom. XXIII, p. 102. — (2) Martyrologium Usuardi, edit. Sollerii, p. LVI. — (3) Saint-Edme, Paris et ses environs, tom. I, p. 913. — (4) Biblioth. de l'École des Chartes, tom. XXIII, p. 321 et 322 — (5) Ibid, p. 299 ex Salmon, Chronique de la Touraine, suppl., p. 36. — (6) Ibid., indidem. — (7) Ibid., ex Bourassé, Cartulaire de Cormery, préf. — (8) Gallia christ., tom. XIV, col. 257. — (9) Ibid., col. cit. Cfr D. Bouquet, tom. IX, p. 461. — (10) Cfr Du Plessis, Description de la Haute-Normandie, tom. I, p. 647; Cochet, les Églises de l'arrondissement d'Yvetot, tom. I, p. 200. — (11) Expilly, Dictionnaire de la France, tom. V, p. 391. — (12) Acta SS., tom. I Augusti, p. 53. — (13) Valesius, Notitia Galliarum, p. 257. — (14) Pinard, Monographie de l'église de Saint-Spire de Corbeil, p. 52. — (15) Gallia christiana nova, tom. VII, col. 961. — (16) Histoire du diocèse de Paris, tom. XI, pag. 164 et 170. — (17) Monographie etc., pag. 4.

tia

A tia Rômam pergeret ibique in eodem itinere finem vitæ acciperet (1). *Quæ non in solis scriptis Corboliensibus leguntur, verum etiam in Vita venerabilis comitis Burchardi, qui Haimoni et in Corboliensi comitatu et in nuptiali thalamo, vidua ejus Elisabetha in matrimonium ducta, successit* (2). *Vi capta Paludella castro, Haimoni in prædum cesserant piæ reliquiæ; quas* in suburbium castri sui Corbolii, *nunc* Nouveau-Corbeil *dictum, in ripa sinistra Sequanæ*, magno cum gaudio et laudibus altisonis transtulit; cujus etiam dimidium bonorum in eadem hora sanctis Dei confessoribus censualiter et perenniter assignavit; in quo videlicet suburbio ad conservandas sanctorum reliquias exstruxit ecclesiam sub nomine eorum, deputans ibi duodecim canonicos juxta venerabilem et imitabilem numerum apostolorum, qui scilicet principes populorum et domestici Dei una cum sanctis Exuperio et Lupone eidem Haimoni et omnibus, templum vel suffragia ipsorum fideliter et devote requirentibus, tam veniam delictorum quam gloriam impetrent beatorum (3) : *quod testimonium præstat eruditissimis conjecturis cl. V. Julii Lair* (4), *arbitrati S.* Lupi *reliquias Paludellam translatas non fuisse, sed remansisse penes Cormaricenses profugos; ab iisdem, quum recessissent Normanni, in suum asceterium reportatas fuisse; datas autem fuisse S. Exsuperii Corboliensi templo a Theobaldo, filio illius Haimonis atque ab anno* 997 *usque ad annum* 1004 *aut* 1006 *Cormaricense abbate; quod ab eo patratum fuerit, quum, relicto Cormarico, abbas S. Mauri Fossatensis Parisiis factus est.*

Corboliensis SS. Exsuperii et Lupi *capituli ultimi abbates et misera fata.*

16 *De historia asceterii Corboliensis aliquid jam dedit Sollerius in Actis S. Exsuperii* (5); *multo autem plura Galliæ Christianæ novæ scriptores* (6); *et demum accuratiora cl. V. Pinard* (7). *Verum, quum hæc magis ad S. Exsuperium quam ad S.* Lupum *pertineant, nolim his immorari, contentus ultimos abbates, quorum nomina a Gallia Christiana absunt, hoc loco recensere.* Joannes *itaque* Franciscus Beaupied, *quo vivente atque allaborante catalogus Galliæ Christianæ editus est, vita functus est Corbolii die* 18 *novembris anni* 1753 *et in choro S. Exsuperii sepultus. Successit* Guilielmus Giffard, *filius Harisii, domo Hibernus, parochus in Mennecy, abbas designatus die* 8 *aprilis anni* 1754. *Diem obiit die* 15 *maji anni* 1778 *et juxta decessorem humatus est. Pone venit* Nicolaus Testu, *diœcesi Parisiensi, item parochus in Mennecy, curis ducis Villaregii, cui comitatus Corboliensis obnoxius erat, in abbatiali sede S. Exsuperii institutus die* 17 *septembris anni* 1778 : *qui, ut e vivis recessit die* 8 *martii anni* 1786, *etiam in choro humatus est. Ultimum demum locum occupat* Joannes Seguin de Montrosier, *ante vicarius generalis S. Claudii et institutus S. Exsuperii abbas die* 13 *julii* 1786. *Plurimum jam tum decreverat capituli illius splendor atque etiam divitiæ. Quum enim die* 30 *decembris anni* 1790 *auctoritate sæculari exstinctum est, licet anno* 1601 *capitulum B. Mariæ ei unitum fuisset, reditus ascendebant ad francos dumtaxat* 15,000, *divisas in præbendas sedecim; quarum duas habebat abbas, unam cantor et singuli novem canonici, aliæ vero quatuor cedebant fabricæ, pueris chori et solvendis S. Victoris et B. Mariæ de Campis ad Exonam præbendis. Ineunte anno* 1792, *suppressis sacrilege omnibus parœciis, una S. Exsuperii ædes parochialis habita est : sed brevi ipsis schismaticis libertas sublata. Quibus expulsis, mense novembri anni* 1793 *cultus deæ Rationis illic celebrari cœpit* (8). *Quum autem anno* 1795 *dies paulo minus obscuri illucescerent, Franciscus Josephus Andreas Guiot, natione Rothomagensis, olim S. Victoris Parisiis canonicus et S. Guinaili Corbolii prior, cum aliquot pristinis S. Exsuperii canonicis cultum divinum restauravit, donec anno* 1802 *Carolus Antonius Mariette, quondam S. Exsuperii canonicus, primus parochus designatus est a Versaliensi episcopo, cujus diœcesi Corbolium inclusum fuerat.. Quarum omnium rerum testis fuit Joannes Seguin de Montrosier, quippe qui ad meliorem vitam abiverit die* 13 *martii anni* 1818 *Parisiis capellanus militaris.*

AUCTORE V. D. B.

§ III. Annua supplicatio Corboliensis in honorem SS. Exsuperii et Lupi.

Quum anno 1317 *maxima solemnitate et non sine miraculis facta fuisset SS. Exsuperii et* Lupi *reliquiarum translatio,*

M*axima semper Corbolii fuit S.* Lupi *veneratio, major tamen S. Exsuperii : sed ambæ plerumque conjunctæ. Superest itaque ut quæ ad utrumque aut ad solum S.* Lupum *spectant, omissis quæ de uno S. Exsuperio sunt, lectoribus hoc loco sistamus. Venit itaque primo loco origo annuæ supplicationis, quæ nunc etiam obtinet, et quæ a loco, ubi præcipua solemnitas fieri erat solita,* du Tremblay *nuncupata est. Anno scilicet* 1317, *rege Philippo Longo, quum regina Clementia, Ludovici X, qui et Hutinus, vidua, pecuniam cum canonicis ad novas lipsanothecas contulisset, abbas, cantor, canonici et capellani capitulariter statuerunt reliquias SS. Exsuperii et* Lupi *loculis suis mutare. Prima itaque feria* VI *quadragesimæ, die* 25 *februarii, in honorem eorumdem sanctorum missa celebrata, et veteribus thecis apertis, ossa repererunt linteis albis et telis sericis involuta pellique cervinæ inclusa; dein petierunt licentiam faciendæ translationis ab episcopo Parisiensi, qui Suessionum in Gallia et Sagonnæ in insula Corsica episcopos et abbatem S. Maglorii Parisiensem rogavit ut hoc munere fungerentur. Qui die* 14 *maji, pridie Pentecostes, in templo S. Exsuperii convenerunt; et, missa celebrata de Spiritu Sancto, cum clero Corboliensi supplicationem generalem cum sanctorum corporibus instituerunt. Venerunt itaque in apertum locum, Corbolio vicinum, nomine* le Tremblay; *ubi Suessionensis præsul multa doctrina sanctos laudavit. In templum reduces ostensæ fuerunt populo sacræ reliquiæ, et brachium, costa et dens S. Exsuperii seposita; item brachium S.* Lupi; *quæ pretiosis thecis inclusæ fuerunt. Facta sunt eadem die duo miracula. Puero in fovea aquis submerso, clamore trium parvulorum accurrit ingens populi multitudo; qua spectante, misellus ex undis extractus est,*

(1) Acta SS., t. I Aug., p. 54. — (2) Ap. D. Bouquet, t. X, p. 350. — (3) Acta SS., tom. I Aug., p. 54. — (4) Biblioth. de l'École des Chartes, t. XXIII, p. 300 et 301. — (5) Acta SS. t. I Augusti, p. 54. — (6) Tom. VII, p. 961 et seqq. — (7) Monographie de l'église de Saint-Spire de Corbeil, 1857. — (8) Pluquet, Contes populaires etc. de l'arrondissem. de Bayeux, p. 153. Rouen, 1834.

AUCTORE V. D. B.

vita orbatus. Verum quum circumstantes eum devovissent Deo et S. Exsuperii patrocinio commendassent, continuo revixit et lætis parentibus redditus est. Tum quoque trimus puer, ex parœcia S. Clementis Carnotensi in Monthléry, a nativitate epilepsia laborans, quum a parentibus in Corboliensi templo S. Lupo *votus fuisset, prodigiose sanatus est atque etiam brachii paralytici usum recepit.*

quotannis deinceps hujus rei renovata memoria est, celeberrima supplicatione instituta; quæ nunc etiam obtinet.

18 *Quum tanta hæc fuisset solemnitas, quotannis deinceps ejus memoria celebrata est die dominica* V *post Pentecosten. Quare tum ex summo altari dimittebantur lipsanothecæ, quæ a confratribus S. Exsuperii, alba sacerdotali vestitis et floribus caput coronatis nudisque pedibus cum ingenti supplicantium et cantantium agmine in locum* le Tremblay *deferebantur; unde post orationem de sanctorum laudibus reportabantur ad templum, ubi solemne sacrum celebrabatur. Lipsanothecæ decem dies cominus expositæ, convenientibus vicinis parochiis singulis suo die ad celebrandum missæ sacrificium; et tanta tum illic erat populi multitudo, ex ultimis etiam Galliæ partibus accurrentis, ut canonici, nonnisi lictorum agmine stipati, ad*
B *chorum, ubi divina celebrarent officia, pertingere possent. Usque ad annum* 1789, *præmissis matutinis, viris fœminisque pro veteri more divisis, media nocte inter sabbatum et diem dominicam incohabatur solemne missæ sacrificium, non sine magno strepitu peragendum : non secus enim ac leprosi et cæci qui Christum olim non sine clamoribus invocabant, attollebant peregrini vocem, sanctorum patrocinium implorantes; qua in re quod decoro deerat, supplebatur adstantium fide et religione; neque tum ea patrabantur facinora, quæ jactabant ii, quibus placuisset si archiepiscopi Parisiensis auctoritate universum institutum fuisset sublatum* (1). *Verumtamen, postquam religioni catholicæ honor redditus est et anno* 1804 *translationis celebritas postliminio reducta, omissum fuit nocturnum id officium; nihilominus non pauciores nunc conveniunt peregrini quam optimis olim temporibus. Vendito loco* le Tremblay, *mutata fuit supplicationis statio : quæ nunc fit coram pristino S. Jacobi templo, ubi crux quotannis erigitur : qua de causa nunc negligatur concio de sanctorum laudibus, non reperi.*

Ordo supplicationis seu carmina cantata,

19 *Franciscus Josephus Andreas Guiot, natione Rothomagensis, aliquando canonicus S. Victoris Parisiis, prior et parochus S. Guinaili Corbolii et post restituta in Galliis sacra parochus Burgi Reginæ, vulgo* Bourg-la-Reine, *ubi die* 21 *septembris anni* 1807 *mortem obiit, multus semper fuit in commendandis rebus Corboliensibus. Paulo itaque ante turbas et tumultus, quibus Gallicanum regnum subversum est, imitatus Huetium, episcopum Abrincensem et carminis pro supplicatione B. M. V. de Delivranda auctorem, scripsit Ordinem instituendæ processionis Corboliensis; qui quum in sola Monographia ecclesiæ S. Exsuperii, anno* 1857 *a cl. V. Pinard edita, reperiatur, hic dandus visus est.*

dum in humeros levarentur reliquiæ,

20 Incipite in Domino in tympanis : cantate Domino in organis (Judith. XVI, 2.). Qui revelat profunda de tenebris et producit in lucem umbram mortis (Job. XII, 22.).

Vos o sancta quibus tollere pignora D
Ferventesque datur ducere per vias,
Hic et jungite dextras,
Hic et jungite pectora.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus; date gloriam laudi ejus (Ps. LXV, 2.). Qui vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis (Rom. VIII, 11.).

Concurrunt : dociles en humeros sacro
Supponunt oneri : sarcina fit levis :
Divo fortis amore
Hanc ultro pietas fugat.

Benedicite gentes Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus (Ps. LXV, 8.). Qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina imponit (Ps. CXLVI, 4.).

Florum dum capiti stant diademata,
Tractant sceptra rudes gemmea dum ma-
Quam lætûm premit arcam [nus,
Albens turba sodalium !

Collaudate canticum et benedicite Dominum in operibus suis (Eccli. XXXIX, 19.). Qui dat lasso virtutem et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat (Is. XL, 29.).

21 Pro Jordane sitim qui levat Exona E
Tu, Baptista, caput saltibus exsere : *prope templa bina S. Joannis Baptistæ et B. Mariæ Virginis;*
Agnum sicut eumdem
Monstrant quos gerimus patres.

Omnes gentes, plaudite manibus; jubilate Deo in voce exultationis (Ps. XLVI, 1.). Qui tollit peccatum mundi et redemit nos ab inimicis nostris (Joan. V, 24.).

Jam vocare graves desiit æs sonos;
Succedunt proprii carmina cantici;
His accensa calescunt
Mentes cordaque cantibus !

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (Ps. XCVII, 1.). Qui immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro (Ps. XXXIX, 4.).

In templo colitur quæ bona proxima,
Matri prima salus debita Virgini :
Id natos docuere
Cultus reddere præsules.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi (Ps. XCVII, 9.). Qui narrabit in scripturis populorum et principum : horum qui F
fuerunt in ea (Ps. LXXXVI, 6.).

Horum signa sequi quos dolor impotens
Affligi miseros liminibus jubet,
Umbra (credite) sola
Morbi causa fugabitur.

Venite, audite; et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ (Ps. LXV, 16.). Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas (Ps. CII, 3.).

Non quæ dura tulit vulnera Bethsames,
Hic mortem nec Ozæ, quisquis ades, time,
Aurum si pius arcæ
Puro lumine conspicis.

Diligite Dominum omnes sancti ejus; quoniam veritatem requiret Dominus facientibus superbiam (Ps. XXX, 39.). Qui glorificatur in concilio sanctorum magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt (Ps. LXXXVIII, 8.).

22 Arcus en famulos flectere pons amat; *item ad pontem super Sequanam;*
Nullos ora modos pangere cogitant :

(1) Colin de Plancy, Dictionnaire critique des reliques et images miraculeuses, tom. III, pag. 95. Cfr Pinard, Monographie, pag. 37 et 59.

Sola

A Sola nunc decet unda
Sanctis plaudere Sequanam.
Laudate Dominum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo (Ps. CL, 5.). Qui statuit procellam ejus in auram et siluerunt fluctus ejus (Ps. CVI, 29.).
Fluctu qui premitur fluctus ab altero,
Velox Neustriacas edoceat plagas,
Nobis cara suorum
Quam sint corpora præsulum.
Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara (Ps. CXLVI, 7.). Qui custodit omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur (Ps. XXXII, 21.).
Riparum geminant verba loquacium
Colles lætitiæ participes sacræ,
Florentisque tributum
Census (qua licet) offerunt.
Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob (Ps. LXXX, 1.). Qui emittit fontes in convallibus; inter medium montium pertransibunt aquæ (Ps. CIII, 10.).

item ad turrium vestigia et ad trina templa S. Guinaili, S. Leonardi et S. Jacobi Majoris;

23 Turres nunc ubi sunt sideribus pares?
Terræ saxa sinu vel fluvio latent :
His divina triumphas,
Arx urbis melior, fides.
Sumite psalmum et date tympanum : psalterium jucundum cum cithara (Ps. LXXX, 3.). Qui confregit ibi potentias arcuum, scutum, gladium et bellum (Ps. LXXV, 24,).
Abbates facili, par grave, qui jugo
Spectantur, solitas despiciunt preces :
Thus nostris et uterque
Ultro miscet amoribus.
Buccinate in neomenia tuba : in insigni die solennitatis vestræ (Ps. LXXX, 4.). Qui eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exsuperant, qui habitant in sepulcris (Ps. LXVII, 7.).
Gratas Hesperiæ gentis apostolo,
Cum prætergredimur, qua colitur, domos,
Poscamus det ut agrum
Det contingere prosperum.
Benedicite Domino omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum ejus (Ps. CII, 21.). Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem (Ps. CIII, 4.).

item ad locum le Tremblay, *et ante concionem, atque in reditu.*

24 En apparet ager, terminus et viæ;
Illic et statio relliquias monet ;
Illic esca paratur
Justi quæ satiet famem.
Sperate in Domino omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra (Ps. LXI, 8.). Qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te (Ps. CXLVII, 3.).
Sentit gramineus quos recreet viror;
Triplex inde lapis quos gerat appetit;
Vicinisque superbit
Jam præclarus honoribus.
Venite et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera (Ps. LXXV, 12.). Qui statuit super petram pedes meos et direxit gressus meos (Ps. XXXIX, 3.).
Sublimis media quæ stat in area,
Crux regina suos optima milites,
Ceu circumdata natis
Acclines genibus vocat.
Confitemini Domino, filii Israël; in conspectu gentium laudate eum (Tob. XIII, 3.). Qui exaltavit lignum humile et frondere fecit lignum aridum (Ezech. XVII, 24.).
Campestri populum qui cathedra doces, AUCTORE V. D. B.
Narra flexanimi voce, paraverit
Numen quanta patronis,
Servet quanta clientibus.
Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus (Ps. XXVIII, 2.). Qui annuntiat verbum suum Jacob; justitias et judicia sua Israël (Ps. CXLVII, 8.).
Quorum sub pedibus terra latet silens,
Hæc vos pectoribus semina condite;
Hoc et rore madentes
Fructus edite debitos.
Lætamini justi in Domino : et confitemini memoriæ sanctificationis (Ps. XXXVI, 13.). Qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua (Ps. CII, 5.).
Transibat faciens qui populis bene,
Per sanctos eadem qui renovat bona,
Nobis hic via factus,
Det Christus patria frui.
Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus (Ps. XCVIII, 12.). Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero (Job. V, 9.). Amen.

Hymnus ad Vesperas et Matutinum in festivitate translationis;

25 *Quum pleraque templa et ædes, ad quas in hoc carmine alluditur, temporibus perturbationis Gallicanæ et deinceps dirutæ fuerint, non licuit id amplius hoc sæculo adhibere, licet plane festivum esset et pietate plenum. Alia autem carmina, nonnihilo antiquiora, (quippe quæ, a Simone Gourdan, canonico S. Victoris Parisiensi, scripta, anno* 1715 *primum edita fuerint atque anno* 1773 *Vitæ SS. Exsuperii et* Lupi, *exaratæ a Joanne Francisco Beaupied, abbate S. Exsuperii, subjecta,) hac die adhuc in usu sunt; quæ hoc loco exprimenda videntur. Is itaque hymnus ad Vesperas et Matutinum canitur :*

Ad te, summe Deus, pectore subditi
Nunc, Exuperio præside, currimus,
Conspirante Lupo, sollicitas preces
Aris fundimus et tuis.

En sacri cineres ossaque præsulum
Ornant templa tuo condita nomini,
Haimo munifica dum, super astruens
Fundamenta, dedit manu.

Flectunt magnanimi regia principes F
His coram spoliis et diademata,
Et per vota sui fervida supplicant
Morbo corporis exui.

Hic et pontifices multa micantibus
Una concelebrant sacra sub infulis,
Monstrantesque piis pignora cœtibus
Arca divite collocant.

Qui divina piis jura laboribus
Invictus statuit, subdidit et tuo
Gentes imperio, munera gratiæ
Per hunc cum socio fluant.

Supremis moderans omnia nutibus,
Sacris exuviis hæc loca recreas;
Sis et propitio spes nova lumine
Et rebus dubiis salus.

Sit laus summa Patri, summaque Filio,
Sit par sancte tibi laus quoque Spiritus,
Qui spectanda patrum pignora publicis
Templi laudibus evehis.
Amen.

AUCTORE V. D. B. *et hymnus ad Laudes.*

26 AD LAUDES :

Quot retulit procerum memorabilis arca triumphos
Corbolii columen præsidiumque potens!
Præcones fidei super æthera, Christe, coronas,
Terra prodigiis imperitare jubes.
Contractos reparant artus, dant lumina cæcis,
Aure simul surdos ac redeunte beant.
Jussa sub exuviis febrium fugit horrida pestis,
Gaudet hydrops membris pellere pondus iners.
Nixa fide, quocumque gemat plebs saucia morbo,
Protinus ad festam stat recreata diem.
Gloria summa Patri sit et æmula gloria Nato,
Sit par Spiritui, quo fluit omne bonum.
Amen.

In festivitate S. Lupi *hymnus ad primas Vesperas;*

27 *Et quoniam in recitandis hymnis versamur, placet hic quoque adducere, quos idem Simon Gourdan in unius S.* Lupi *honorem condidit et qui festa ejus die* 25 *octobris in usu fuerunt, donec stetit Corboliense capitulum; nunc autem omnino negliguntur, quod ipse S.* Lupi *natalis illic amplius non agitur.* AD PRIMAS *itaque* VESPERAS *hæc canebantur :*

B

Cui Deus crescit, peritura vani
Cuncta decrescunt simulacra mundi;
More torrentis fugitivus illi
Præterit orbis.

Nil domus splendor, nec opes avitæ,
Blanda nec flexit juvenem voluptas,
Quos fides monstrat superos antistes
Ambit honores.

Ne quid in dulci patria retardet,
Nec satis cautum illecebris inescet
Blandiens aulæ favor, in remotas
Clam fugit oras.

Quam salutaris fuga! quam profundo
Jussa decreto! Reget ille cives;
Sub jugo Christi fera corda subdi
Nescia mittet.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
Et tibi compar, utriusque nexus,
Qui sacerdotes Deus intus ungis,
Spiritus alme.

ad Matutinum;

28 AD MATUTINUM :

Sidus Bajoci splendidum,
Vocante Christo, pontifex,
Assurgit intactæ Lupus
Virtutis ad fastigium.

Templi minister præviis
In muniis præluserat,
Promptus Deo solemnibus
Offerre votis hostias.

Noctes diesque pervigil
Hostes Dei cælestibus
Insudat armis vincere
Mentemque cælo tollere.

Non inquinatus crimine,
Sese fidelem Numinis
Monstrat sequacem, traditam
Ardens sequi legis viam.

Levita, jamjam noscitur
Præsul superno lumine;
Ceu nube rupta fulgurans
Flammas amoris suscitat.

Sit laus Patri, laus Filio, D
Sit par tibi laus, Spiritus,
Qui lucidas præbens faces,
Expellis umbras mentium. Amen.

ad Laudes et secundas Vesperas;

29 AD LAUDES ET AD SECUNDAS VESPERAS :

Alter a prima procerum columna
Dum petit claras Renobertus arces,
Huic Lupus cælo datur imperante
Rector ovili.

Ducit illustrem sine labe vitam,
Gaudet antiquæ pietatis hæres
Fervido Christi populos fideles
Pascere verbo.

Nulla prædator leo visus ore
Tam gregis cari lacerare membra;
Pastor occurrens valido Tonantis
Fulmine terret.

Sævit immani feritate monstrum;
Mandit infantes, vorat et puellas;
Sternis, antistes, cruce fretus, alto
Mergis et amne.

Semper attollens oculos in amplam
Regis æternum radiantis aulam E
Præscius mortis, grege convocato,
Exuis artus.

Summa laus Patri, genitoque Verbo
Et tibi manans ab utroque Flamen,
Quo fugit terras patriumque justus
Ambit olympum. Amen.

prosa in Missa.

30 PROSA IN MISSA.

Præmium regiminis,
Diadema luminis
Lupi cingat verticem.

Venerandum ordine
Sacro plenum Flamine
Gessit hic pontificem.

Abluit cælestibus
Renobertus fontibus,
Totum Christo reddidit.

Hoc duce, progrediens
Et in alta transiens
Infulis se subdidit.

Fundis fovet indigos;
Pietas in prodigos
Sumptus et effunditur. F

Per sermones sedulos
Perque facta populos
Astris adipiscitur.

Quam viget eximia
Legum observantia!
Quam viæ laudabiles!

Prava quæque jugulans,
Patres sanctos æmulans,
Annos egit nobiles.

Micat vaticiniis,
Floret ac prodigiis,
Urbem monstris liberat.

Mutis os restituit,
Claudis gressum statuit,
Visum cæcis reserat.

Qui nos sacris ossibus
Decoras, aspectibus,
Præsul, almis subleva.

Mille nos discrimina
Obsident et crimina,
Sursum mentes eleva. Amen.

A

§ IV. S. Lupi aliorumque sanctorum Corboliensium reliquiarum fata. Miracula S. Lupi. Ejus Vitæ.

S. Lupi reliquiæ, minus honoratæ quam S. Exsuperii, anno tamen 1619 recognitæ,

Referuntur a Corboliensibus plura, quæ a familia regia in honorem SS. Exsuperii et Lupi *facta fuerunt; verumtamen in his multo magis cogitatus fuisse videtur prior sanctus quam posterior; ita ut hic enumeranda non videantur. Atque id passim observatur; adeo ut quum anno* 1619, *die dominica post Ascensionem, consentiente Henrico cardinali Gondio, archiepiscopo Parisiensi, S. Exsuperii corpus a Paulo Hurault de l'Hospital, in vicino paterno prædio de Juvisy tum degente, in novam capsam argenteam, auro gemmisque ornatam, solemniter translatum est, idem honor habitus non sit S.* Lupi *exuviis; hæ quidem recognitæ et populo ostensæ, atque tum in solita supplicatione circumductæ, sed nequaquam in novam thecam repositæ. Et quidem mansisse videntur in veteri*

B *capsa usque ad annum* 1794, *quo simul cum SS. Exsuperii, Regnoberti aliorumque cælitum pignoribus maximo sacrilegio perierunt : quæ res in Galliis celeberrima est; sed falso fertur a Corboliensibus demagogis venditam fuisse S. Exsuperii lipsanothecam ut inde funestam machinam, vulgo* Guillotine, *sibi comparavent* (1). *Ecce quid acciderit.*

anno 1793 *summa impietate cum aliis multis combustæ.*

32 *Mense novembri anni* 1793, *quum christianæ religioni cultus Rationis substitutus fuisset in S. Exsuperii templo, hujus ex argento deaurato thecam et alia vasa sacra impietatis antesignani ad conventionem nationalem Parisiensem miserant; reliquiæ vero S. Exsuperii aliorumque sanctorum projectæ fuerant inter sordes sub tecto domus ecclesiasticæ et paulatim in oblivionem abivisse videbantur. Verum societas Corboliensis popularis, timens ne sacris illis ossibus iterum aliquando adhiberetur veneratio, statuit ea publica festivitate in medio foro ita delere ut vestigium non relinqueretur. Indicto itaque id flagitio in diem* 8 *februarii anni* 1794 (décadi vingt pluviôse l'an deux de la République française), *venerunt ad*

C *templum S. Exsuperii, a viris armatis circumdatum, Happey, Corboliensis major* (maire), *Gorsat, municipalis magistratus* (officier municipal), *Brunos, agens nationalis communiæ, (aberant autem reliqui municipii præpositi, alio missi,) Dancourt, præses societatis popularis, et Bertrand, municipii secretarius; quorum jussu ex superiori illa contignatione delatæ sunt reliquiæ S. Exsuperii, S. Guinaili, S. Quirini, S.* Lupi, *S. Regnoberti, S. Yonis pluriumque aliorum et in plaustro, quo sordes viarum colligi solebant, depositæ et ad forum Revolutionis, pœnarum capitalium locum, devectæ; ubi præstructo busto fuerunt impositæ et simul cum involucris et thecis incendio deletæ, clamante adstante plebe : Vivat respublica, vivat natio! et alia hujusmodi. Dein cineres collectæ et eodem illo plaustro ductæ ad majorem arcum pontis, super Sequanam projecti; unde inter vesanos clamores in aquas præcipitatæ fuerunt.*

(1) Guilhermy, Hist. de l'église de Saint-Denis, pag. 201, not. 2; cfr Pinard, Monographie, etc., p. 56. — (2) Contes populaires etc. de l'arrondissement de Bayeux, deuxième édition, p. 152 et seqq. — (3) Pinard, Monographie, etc., p. 56. — (4) Bibliothèque de l'Ecole des Chartes, 1863. — (5) Fonds lat., n. 9576.

AUCTORE V. D. B.

Id festum expiatorium sacerdotalium fraudum et avitæ stultitiæ dictum est atque absolutum ordinaria societatis popularis sessione. Itum demum ad municipalem domum, atque ibi commentarii summo contemptu et impietate scripti, quibus egregium id facinus memoriæ commendaretur. Hi editi fuerunt a Frederico Pluquet (2); *unde excerpsimus quæ modo retulimus, eas dumtaxat omittentes irreligiosas sententias, quibus incredibilem animi sui perversitatem testatam voluerunt vesani illi homines. Inde nil amplius superest de S.* Lupi *reliquiis; sed os maxillæ S. Exsuperii subtractum, die* 20 *novembris anni* 1803 *primo expositum et die* 2 *maii anni* 1809 *ab episcopo Versaliensi, Charrier-Laroche, recognitum* (3) : *quod nunc in annua supplicatione circumfertur, nullis S.* Lupi *reliquiis præsentibus.*

Pauca miracula S. Lupo *adscripta.*

33 *Ut autem jam ad S.* Lupi *miracula veniamus, ea perpauca sunt atque olim partim latine, partim gallice conscripta fuerunt una cum miraculis S. Exsuperii. Scriptionem latinam frustra petierunt olim decessores nostri; neque eam nancisci potuimus, quod, disperso capitulo ejusque tabulario, nondum inventa fuerit. Superest* E *itaque ut ex libellis Joannis Bocquet, Stephani Pepingue et Joannis Francisci Beaupied de SS. Exsuperii et* Lupi *Vita et miraculis gallice vertamus quæ ad posterioris hujus sancti gloriam faciunt. Omnia enim ita mixta sunt ut pleraque ad S. Exsuperium, unum aut aliud ad S.* Lupum, *aut ad ambos pertineant. Supra, ubi de prima translatione solemni diximus, duo ex his retulimus; ita ut unum ex antiquioribus supersit, nullo tamen adscripto anno. Hoc autem in eo positum est quod Guilielmus, filius Joannæ Fervie, molitricis a Firmitate Imberti, amens et epilepticus, quum a matre sua S.* Lupo *devotus fuisset et in Corboliense templum ductus, post novendiales illic fusas preces plane curatus est. Refert etiam Beaupied exundantes Sequanæ aquas, supra pontem allatis SS. Exsuperii et* Lupi *lipsanothecis, in alveum suum rediisse. Sed alii de uno S. Exsuperio meminerunt; quod, quoniam alias extra ordinem supplicantium ratione et ritu solum S. Exsuperii corpus circumduci solebat, credibilius est.*

Vita edenda.

34 *Jam pridem hæc absolveram, quum cl. v. Julius Lair cœpit in origines christianas diœcesis Bajocensis non præstitutis opinionibus, sed veritatis amore inquirere, veteresque fabulas, quas improvidi aliquot homines denuo in lucem vocare nuperrimis temporibus tentarunt, iterum evertere. Studiorum fructum edidit in Bibliotheca scholæ diplomaticæ* (4), *suoque labori adjecit ad finem Vitam S. Regnoberti, episcopi II Bajocensis, Vitam S. Reverentii, confessoris, Vitam sanctissimi Exsuperii, Neustriæ inferioris apostoli et primi Bajocensis episcopi, Vitam S.* Lupi, *Bajocassinæ civitatis episcopi, Translationem ejusdem, et demum fragmentum Vitæ S.* Lupi *ex pristino codice Corboliensi. Quum autem passim inter me et diligentissimum virum conveniat, non visus est Commentarius meus mutandus; sed paucis dumtaxat augendus locis. Hic itaque id unum notabo Vitam S.* Lupi, *quam cl. vir edidit, desumptam esse ex bibliotheca imperiali Parisiensi* (5); *quo de-*

lata

AUCTORE V. D. B.

lata fuerit, ut ex impresso sigillo constat, ex bibliotheca monasterii S. Sergii Andegavensis. Est autem eadem ac ea unde Elnonenses, quas supra memoravi, lectiones desumptæ sunt. Illius quidem scriptura sæculi XII *est; sed ipsa Vita multo ante composita fuit, non tamen* antequam locus idem *seu Bajocensis civitas* desolaretur lamentabili paganorum sævitia *seu Normannorum incursionibus. Quod autem non continet Cormaricensem translationem, conjecit cl. v. Lair eam extremo sæculo* IX *antiquiorem esse; ita ut sub annum* 857 *scripta fuerit : neque repugnare velim, neque consentire; certo sæculo* X *non videtur recentior. Verumenimvero scriptionis multo antiquioris videtur esse paraphrasis. Exhibetur enim in ea num.* 6 S. Lupus *ex diacono factus episcopus seu ordinatus per saltum; quod ordinationum genus ita in Galliis sæculo* IX *obsoleverant, ut Ratramnus Corbejensis, singulari libro scribens contra Photium, qui ea de re latinos accusaverat, plane negarit id fieri; sed Æneas Parisiensis, doctus id Romæ et alibi fuisse factum, melius respondit* (7). *Similiter antiquitatis indicium esse videtur quod num.* 12
B *dicitur*, quamvis sanguinem lictatoris officio non effudit, tamen crucifigendo carnem cum vitiis et concupiscentiis sollempne martyrium venerabiliter celebrasse. *Quibuscum compone quæ in ecclesiasticis officiis de S. Martino Turonensi leguntur; qui quum ex primis confessoribus fuerit, qui ecclesiasticum cultum adepti sint, excusatio quasi fit quod colitur, licet martyr non fuerit. Illa itaque ad tempus referenda esse videntur, quo parcissimus adhuc esset confessorum cultus. Quæ sequitur* Translatio *non continuatio illius Vitæ est, sed finis Vitæ vetustioris, neque solius S.* Lupi, *sed SS.* Lupi *et* Ausiaci; *dicitur enim :* Incipit translatio eorum. *Scripta hæc fuit ante finem sæculi* X, *ut liquet ex his verbis :* Gloriosa sanctorum corpora transtulerunt et eorum in honore ecclesiam construxerunt, in qua Dei magnalia prædicantur; prædictorum quoque sanctorum mirifica ammodum patrocinia venerantur. *De altera Vita dicam in Annotatis.*

INCIPIT PROLOGUS

C

IN VITA SANCTI LUPI

BAJOCASSINÆ URBIS EPISCOPI.

Quantum mereatur S. Lupus *laudibus celebrari.*

Laudabilem vitam atque inimitabilem beatissimi Lupi, Bajocassinæ urbis episcopi, impolito licet themate, pistica tamen cordis prosecuturi sinceritate, mirifica omnipotentis Dei veneremur magnalia, qui suos glorificat sanctos inenarrabili claritate. Quos, in præsenti etiam mundo, ita supernæ munivit protectionis clipeo ut, ipsis agonizantibus adversus spiritalis hostilia jaculationis temptamenta, nullatenus lætaretur hostis eosdem superasse imbelles, sed potius doleret dum repperisset eos in olimpico certamine athletas Christi inexpugnabiles. Gaudet igitur sancta mater ecclesia talium procreatione filiorum, quæ semper ad sublimiora provehitur salutiferæ actionis fastigia continua illorum affluentia D meritorum. Gratulatur et jam almificus uranicæ chorus sublimitatis de eorum gratissima societate, dum contemplatur eos sibimet adscitos, Jesu Christi Domini nostri largiflua miseratione. Exornat quippe eos choruscus virtutum splendor; emanat passim illorum inimitabilibus exemplis Christi bonus odor : quo accenditur in sinceris fidelium pectoribus desiderabilis fervor saluberrimæ exercitationis, ac perspicuæ intentionis lampabilis amor, affectus theoricæ contemplationis gratiosior, instantia in sacræ fidei puritate devotior, patientia in spe divinæ remunerationis constantior, perseverantia in dilectione Dei et proximi splendidior; facit namque eos Dominus regnare secum in cælestibus et polosis perfrui dignitatibus, quia eorum haut delusit animos suasibilis hujus labentis sæculi voluptas ineptis oblectationibus. Illustravit quoque eos divinæ claritas majestatis claro pneumalis decoramine irradiationis; quique, juxta veridicam apostoli Petri sententiam, finem fidei suæ reportantes, salutem videlicet animarum, superæ gloriosi perennitatis effecti sunt hæredes. E Inter victrices itaque syderei cœtus laureas, rutilantia sanctorum refulgent serta confessorum, sacrarum niveis virtutum floribus cælitus redimita, quis mirifice decoratur devotissima fidelium populorum caterva. Inter quos beatissimum Lupi * magnifica divinæ dignationis mirificavit potestas, rutilo sollempnis candore jocunditatis, ac sydereo perhennis fulgore felicitatis. Qualiter enim ab ineunte ætate divinis sit mancipatus obsequiis, et muniis venustatus ecclesiasticis, et rutilantibus almorum emicuerit documentorum faleramentis, et triumphalis politicam promeruit lauream æternitatis, Domino misericorditer ipsius meritis annuente, aggrediemur membranarum paginis inserere. Explicit præfatio.

* Lupum

INCIPIT VITA

SANCTI LUPI EPISCOPI,

Quæ celebratur VIII *kalendas novembris.*

F

Fuit igitur, tempore quo Ægidius, rex Romanorum *a* regnabat in Galliis, vir ammirandæ sanctitatis, Lupus nomine, Bajocassinæ urbis territorio oriundus, prædiù * inclitorùm generositate parentum nobilitatus. Qui, dum pueribilibus adhuc frueretur annis, sancto Rufiniano ejusdem civitatis præsuli, qui etiam tertius a beato Exuperio, primo ipsius urbis episcopo, clarum pontificalis apicem dignitatis regendum susceperat, sollertia traditur parentelæ gratiositatis edocendus. Quem eximius vir salutari gurgite vitalis lavacri purificans, spiritalem sibi filium fecit, moxque collatis ei ex more almi spiraminis karismatibus, studiis mancipavit litteralibus. Inspirante vero divinæ clementia majestatis, tanta in eo intellectualis scientiæ et prudentis ingenii sagacitas exercuit *, ut præceptorem, qui eum suscepe-

S. Lupus, *natione Bajocensis, a* S. Rufiniano *educatus,*
* abest *Eln.*
a

* exercevit *Eln.*

(1) Cfr Martene, De antiquis ecclesiæ ritibus, t. II, p. 279.

rat

A rat erudiendum, perspicuo mentis acumine mirabiliter præcelleret, et minus edoctum rudimentis spiritalibus magistrum discipulus, haustu superni fontis repletus, sapienter edoceret. Æterna siquidem summi sapientia Patris, apud quem est fons vitæ et cujus lucido lumine splendidum conspicitur lumen, mentem illius perspicaci illuminatione cælitus clarificaverat, de qua legitur : « Sapientiam « filiis suis inspirat, et suscipit exquirentes « se, et præibit in via justitiæ, et quo introi- « bit benedicet Deus. »

dum ab eodem diaconus ordinaretur,

2 Eleganter igitur divinis eruditus eloquiis, religiosis cœpit pollere actionibus et catholicis studere dogmatibus. Videns itaque sanctus Rufinianus antistes beatissimum Lupum, splendido vitæ cælibis nitore laudabiliter fulgescere, ac rutilo gratiæ spiritalis jubare evidenter candescere, ad sacri ordinis dignitatem, divino admonitus instinctu, censuit promovere, ut munus, quod ei omnipotentis Dei contulerat largitio, universali quoque prodesset ecclesiæ. Cumque reverendus antistes infulam diaconii, uranicis insertam gemmis,
B ejus capiti cum divina imponeret benedictione, salutarem etiam illi cælicæ curam doctrinæ, utpote supernæ scientia illustrationis micanti et ignito omnipotentis Dei amore ferventi, securus injunxit. Quo enim æterni propitiatio moderatoris pio nitu * indicaret, quanti apud se meriti beatus Lupus fuisset in ipsa consecratione, mirificum ostensum est, ac laudabile cælitus præsagium.

* nutu?

a Stephano presbytero dictus est ejus successor futurus;

3 Quidam namque cum eo leviticæ gratiam ordinationis suscipiens, nomine Stephanus, inter sacros ordines Spiritu Sancto (ut creditur) afflatus, excelsa repente cœpit voce præconari, dicens : « Domine papa, Rufiniane, hunc quem consecras diaconem, tuum fore cognoscas probum substitutorem, ac venerabilem gregis Domini pastorem. » Tunc beatus Rufinianus cum universo clero adstantique populo magnificas Deo omnipotenti reddidit gratias, et beatissimum Lupum diaconem, quem divinitus sibi intellexerat successorem, digna postmodum honoravit reverentia. Sanctus vero Lupus, levitali subnixus ordine, cælica divini munia sacramenti efficaciter cœpit
C venerari, ac velut strenuus minister officiosissime studuit vices exequi pontificis in conspectu Domini, omnimodis remunerari gestiens illi * videlicet honore, quem in Evangelio pollicetur Dominus Jesus sibi ministrantibus, dicens : « Si quis mihi ministraverit, « honorificabit eum Pater meus, qui est in « cælis. »

* *lege* illo

et quidem biennio post, quum de dando S. Rufiniano *mortuo successore ageretur,*

b

4 Post biennium autem sui diaconatus, prælibatus antistes coici gravedine somatis exonerandus, ab hac est luce substractus, cælesti vitæ reddendus. Tunc clerus omnis, universaque concio plebis, provincialium quoque præclarus antistitum conventus *b*, quos superna instigaverat ammonitio, ad tanti viri properare exequias, sanctum eximii præsulis spiritum summo opifici reverenter commendare studuerunt, atque cum hymnica clarifici exhibitione modulatus, et cælestis dulcisona psalterii jubilatione, ejus corpus mausoleo commiserunt. His rite peractis, unanimis ejusdem sedis clericorum societas et concors populi voluntas, sicut doxali vaticinatum fuerat inspiratione, beatissimum Lupum pontificali honore asseverat fore dignissimum, et ecclesiasticæ electioni aptissimum, quia omnium animos bonæ vitæ exemplo, ac sanæ doctrinæ prædicamento, ad almificum theoricæ studium institutionis gratanter provocabat. Gratissimo siquidem vultus lepore, ac clarissimo verosæ sagacitatis nobilitatus decoramine, typica cælestium dogmata sacramentorum mira universis dispositione pandebat. D

et Silvester Rothomagensis archiepiscopus, preces indixisset, hic noctu monitus est S. Lupum *creare episcopum;*

5 Erat ergo in eodem conventu reverentissimus vir, claredine pollens egregiæ nobilitatis, ac præcipuæ sanctitatis miræque virtutis, Rotomagensium archiepiscopus Silvester nomine. Qui prudenti alloquens affatu coepiscopos, hortatus est eos, ut secum æternæ majestatis clementiam, totis flagitarent nisibus, quatenus eis innotescere dignaretur quis dignus tanti fastigio culminis haberetur. Quo enim magis magisque ammirabilis beati Lupi sanctitas, Deo dispensante, divulgaretur, nocte sequenti eidem archiepiscopo vir senex, placido satis vultu, decoraque canitie, vestibusque rutilantibus, in somnis apparuit, taliterque affatus est eum : « Tu, qui archipræ- E sulatus fungeris officio, ac summa sacræ ordinationis frueris archontia, virum inlustrem, agnumque, cognomento Lupum, quem sibi omnipotens Deus elegit sacerdotem eximium, absque ulla dilatione studeto constituere plebi suæ rectorem. » Hac ergo visione prælibatus antistes edoctus, a somno surrexit expergefactus; inlucescente die dominica *c*, convocatisque coepiscopis, dyasypticam aggressus visionem illis plausibiliter exposuit. Qua episcopi revelatione gavisi, Dominum universorum rectorem, intimis pariter laudibus extulerunt, et cum interna animi alacritate ecclesiam adierunt.

alii vero episcopi et plebs in ipso templo a puero, S. Lupum *designante; qui et statim episcopus factus est.*

6 In qua cum universi conglobarentur populi, venerabilis vir, Silvester, monarchico pontificum sublimatus culmine, persuasit eis, ut pari affectu et mentali desiderio Domini misericordiam deprecarentur, quo eis communiter panderet quis illius sedis pontificatu dignus haberetur. Porro subjectione archipræsulis assencientibus populis ac sinceris cordibus omnipotentis Dei significantiam præ- F stolantibus, surgens extemplo parvissimus puer, apprehendit beatum Lupum diaconem per vestimenti fimbriam, fecitque eum venire, et ante conspectum antistitis assistere. Tum his prorumpens vocibus puerulus infit : « O Domine episcope, istum diaconem episcopali sanctifica benedictione, qui communi desiderio est electus a Dei populo, ac magnificus pastor prædestinatus a Domino, ut impleretur quod psalmographus ait Deum mirabilem ex ore lactantis in sancto suo perfecisse laudem. » Tunc omnes episcopi, qui præsentes erant, ac clerus omnisque plebs, ad vocem parvuli clamantis, quem divina illustraverat suggestio, concordi acclamatione insonuere dicentes : « Dignus est iste pontificali honore quem Deus cælica mirificavit electione. » Protinus ergo, circumstantia vallatus episcoporum, apicem indeptus est episcopalem. Pontifices autem et turbæ, quæ hujus ordinationis expectaverant proventum, gratias Deo omnipotenti in sublime tulerunt, ac sic ad propria rediere domicilia.

7 Postquam

Crevit deinde sanctus vir, divina gratia adjutus,

7 Postquam enim pontificalis monarchiam obtinuit dignitatis, saluberrimum almificæ propositum religionis lampabile decoravit studio mirificæ exercitationis. Claruit vero glorioso segmentatus affamine, demulcens corda populorum nectarea almiflui prædicaminis dulcedine. Parsimonialibus siquidem juveniles cohibens artus abenis, salutari imbrificatione superni roris incentiva extinxit fomenta carneæ oblectationis. Viriliter etiam hostem superavit dulcem christianæ professionis, amicum quoque amarum humanæ propaginis sagaciter delusit, crebro fultus suffragamine Altitonantis. Dignum profecto erat ut strophosum deificæ potestatis inimicum amicus Dei invincibilibus telis expugnando triumphaliter devinceret, ac vincendo mirabiliter expugnaret; sicque mirificus athleta summi regis, clarissimum cælestis miliciæ exercens tyrocinium, incliti causa certaminis, infularem mereretur triumphum, et fulgidus adipisceretur spiritalium diadema virtutum. Denique, in antisticio sui præsulatus, universa pomposæ illectionis paludamenta floccipendens, excel-
B lentiam veræ humilitatis sedula provectione almificæ fastigavit in se sublimiter exercitationis, quo examusim prosequeretur desiderabilem apostolicæ indaginem sublimitatis.

omnigenis episcopalibus virtutibus.

8 Erat nanque et pontificatus principalitate humilior, ex humilitatis devotione gloriosior, ex glorificationis jocunditate devotior, et devotionis puritate gratiosior. Desiderium utique illius in Christi ardebat lampabiliter dilectione, quod cælitus animabat vivificum indesinenter pneumalis fomentum gratiæ. Itaque nanque jugiter Dei famulatu erat occupatus ut, sopitis divino juvamine viciorum igniculis, ancillationi subderet insolentiam carnis et rationi attribueret prærogativam dominationis. Exclusit quoque ab eo impatiens amor Christi cœnosas luridi voluptates flagitii, et solidavit in eo salutiferi perseverentiam propositi. O ammirabilem Domini sacerdotem, splendidatum rutilo spiritalium candore gemmarum! O venerabilem per omnia antistitem, quem æternus stelliferi patrator orbis candidissimo flore decoravit splendidissimæ castitatis, et renitenti fulgore perornavit venustis-
C simæ simplicitatis, ac favorabili ignivit zelo glorificæ æquitatis! Quem etiam nobilitavit sagax sapientiæ sollercia, ne quemquam aliqua ratione falleret, munivitque prudentiæ strenuitas, ne subdola a quoquam machinatione falli potuisset. Ecclesiasticæ siquidem observantiæ laudabilis provector, sibique subjectorum mirandus eruditor, canonicæ religionis strenuus institutor, egregius egentum consolator, imitabilis peregrinorum receptor, potens infirmorum curator, mirabilis dæmonum fugator, officiosissimus afflictorum corroborator. Fuitque ejus studium, ceu Jacobus ait apostolus, visitare pupillos et viduas in tribulatione earum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Lupum, quem frustra milites aggressierant,

9 Kategorizanda ergo laudabilis viri præconia inscripta legentibus pandat pagina, atque elucidet miraculorum insignia, quæ per eum mirifice divina gessit potentia. Illo igitur in ipso tempore, quo sanctus Lupus, eximius pastor gregis Domini, pontificalem Bajocassinæ sedis dignitatem gubernabat, erat, quoddam nemus e regione portæ civitatis, quod D
vocabatur Arboreta *d*, in quo sævissimus erat *d*
lupus, qui non modicam in populo exercebat stragem. Oportuno etiam sibi tempore, eadem belua crudelissima, utpote versipellis, a suis exiliens latebris, multos famelica obpetebat voracitate homines, adeo ut inter pueros et puellas, in modico devoraret feraliter intervallo decem et octo. In tantum quoque ipsius est lamentabilis crassata ferocitas, exigentibus plebis peccaminibus, ut etiam illam in partem, qua prædicta videbatur consistere silva, non modo callem arripere quispiam non audebat, alicubi gratia pergendi, verum etiam ipse aditus egregiendi prædictæ negabatur urbis et exeundi. Tunc populus, tali metu perculsus et in fra civitatis mœnia conclusus, militare deposcit auxilium quod ei defensionis conferat præsidium. Moxque armata manus ad indagandam ipsius beluæ conversationem unanimiter properat, prædictum nemus, more venatorum, cum canibus lustrat. Sed ejus insecutionem impetumque lupus vafrica devitans calliditate, suæ discrimen internitionis evasit, ut liquido co-
E gnosceret plebs, quæ humanum expetiverat confugium, non esse in armis bellicis tutelam protectionis, et impleretur quod cecinit inclitus veridicæ citharœda vaticinationis, talibus modulando verbis : « Nec enim in gladio suo » possederunt terram et brachium eorum non » salvavit eos. » Illi autem, qui in urbe remanserant, quorum filios et filias ferina rapacitas morti destinaverat, præstolantes de captione tripudium hostis, cum ejus evasionem pro dolor! cognovissent, gemino mœstificati sunt angore; metuentes ne, cum filiorum amissione, etiam ipsi letale paterentur institutum Dei permissione. Pociori itaque consilio, tandem beatissimum Lupum episcopum communiter expetunt; submissis humiliter vultibus, ejus solamen auxilii flagitant, ut eos divinis orando protegat armis, et precibus sacris liberet tanti feralitate hostis. Preciosus ergo sacerdos Domini Lupus, gravi eorum infortunio compassus, utpote pietatis amator, mansuetudinis dilector, consolatoria illis intulit affamina dictis : « In misericordia Dei sperate, fratres dilecti, quum non derelinquit
F Dominus sperantes in se, et nolite contristari, neque metuere, quia subveniet nobis ocius larga Dei miseratio. Ubi enim humana desunt desolatia *, divina sunt postulanda præsidia. * solatia
Nunc ergo ad propria revertimini habitacula, et ad me regrediemini, die crastina, Domini percepturi suffragia. » His vero recreati solaminibus, sicut eis a venerabili præsule injunctum fuerat, implere studuerunt. Ipsis autem secedentibus, sanctus Lupus in noctis interstitio supernæ clementiam majestatis mentali obsecratione invocat, quo plebem sibi commissam, cælesti muniat protectione, et consolidet in fidei stabilitate, liberetque a bestiali misericorditer infestatione.

10 Linquente igitur croceum aurora cubile, *mirabiliter occidit.*
gelidas lux solverat umbras, cum fit popularis iterum concursus ad ecclesiam, quatenus ibi, juxta prælibati pollicitationem antistitis, Domini desiderabilem impetrare gratularetur misericordiam. Sanctus itaque Lupus, congloba tam cernens plebis multitudinem, salubria cælestis munia sacramenti, pro populi peccaminibus

A minibus, summæ Deitati, cum prædicabili reverentia, studuit celebrare, et inter cælica missarum officia, dissertissimo plebem more solito favorabiliter alloquitur sermone, quo paterno solatus est affectu mœrentium populorum corda, pollicens tuitionis emolumenta. Qui sermo cælestium plenus sacramentorum, fidelibus pandens obtabile salutis gremium, gloriosum manifestabat iter ad præclaram æthereæ jocunditatis pergendi hæreditatem, divinis declarans præconiis polosæ habitationis gloriositatem. Suadebat etiam nec perfunctoria tranquillitate insolescendum, nec jacturarum infortuniis esse deficiendum, ut in omnibus infestantis callosas lavernæ inficias, mens theoricis intenta famuliciis, æquo devitaret moderamine, totoque studeret conamine superna efficaciter gaudia quærere. Igitur, post elucubrati exhibitionem sermonis, divinique completionem offitii sanctus Lupus, tunica indutus in qua fuit ordinatus episcopus, inexpugnabili quoque sacræ fidei clipeo munitus, silvam, in qua sævissima delitescebat bestia, solus adire non timuit. Tunc clericoB rum splendidata contio, universa itidem populi multitudo, viri Dei constantissimam fidem ammirantes, fastigia murorum conscenderunt, his vocibus proclamantes : « Domine Deus, cæli terræque fabricator ac totius creaturæ formator, cui omnis fortitudo subditur et omne genu flectitur, qui es gloriosus in sanctis tuis, qui magnificentiam tuam mirabilemque potentiam in eis et per eos triumphaliter ostendis, intende nunc misericorditer in auxilium servi tui, et perfice in eo gratiam tuæ miserationis, et plebi tuæ per eum subsidium confer supernæ tuitionis. Prædictus itaque præsul, jam dictum ingrediens nemus, repperit beluam, prædam præstolantem humanam, quæ mox, ut eum minacibus conspexit visibus, arbitrans, more solito, suam humanis carnibus saciare voracitatem, feraliter in sanctum virum prosiluit. Cui vir Dei dexteram vestimenti sui manicam exposuit; quæ ejusdem bestiæ collo divinitus circumducta, fauces ipsius, ac si catena ferrea, cœpit artius stringere, ne pestiferis dentibus venerabilem adtrectare quivisset antistitem. Cujus prædicabiC lem mansuetudinem ferocitas dum didicisset, inmanis suæ protinus deposuit sævitionem pervasionis, efficiturque nutu Dei mansuetissima, quæ erat antea crudelis et dira. Cumque cœpisset ab homine viriliter trahi, quæ solebat homines trahere ac beluinis hyatibus lacerare, non reluctatur viro Dei, neque ullo modo resistit trahenti; sed virtute Domini edomita, trahentis insequitur vestigia. Sicque illaqueata ducitur ad interitum; quæ multis obstiterat ad internecionis laqueum. Currit namque super præfatam urbem fluviolus, no* La Dromme mine Dromus *, in quo erat gurges impenetrabilis altitudine, in quo etiam honorabilis pontifex deductum lupum sua volvens de mancia, cernentibus populis, demisit, et, cum doxifico ammirandæ virtutis tripudio, ad urbem regrediens, ipse universusque populus, divinæ majestati magnificas persolvere laudes studuerunt, ejusque omnipotentiam, pro liberatione sua, plausibiliter extulerunt.

Duos senes, a nativitate cæcos, illuminat;

11 Eodem vero tempore, dum more solito sanctus Lupus antistes præcipuus missam solempniter celebraret, aliud per eum, Deo favente, patratum est miraculum. Nam in eadem ecclesia, ubi divina exequebantur mysteria, erant duo senes, quibus ab ipsa nativitate comitata fuerat continua cœcitas. Quos utique molestabatur tædiosissima hujus labilis vitæ cenositas, nisi esto otius eis succurreret per venerabilem virum deificæ pietatis mira celeritas. Desiderantes ergo hujus luminis cernere claritatem, turbam quæ hymnica missæ audiebat modulamina, alterna pertranseuntes compressione, usque ad chorum, in quo splendida clericorum katerva dulci reboatu laudes Domino personabat, quanquam difficillime pervenerunt. Cupientes siquidem eundem pertransire chorum, ut pervenire quivissent ad sancta sanctorum, quo egregius pontifex implere satagebat almifica cælestium munia sacramentorum; sed clerus, hanc ammirando intentionem, eos arcere tali volens conamine, more illius evangelicæ turbæ, quæ cœcos ad Dominum clamantes ut silerent moliebatur increpando compellere; et nullo modo tamen prælibatos senes ab optentu affectatæ salutis potuit revocare, quod divinus eos urE gebat instinctus, ut liquido panderet cælestis dignatio quam floridis meritorum ornatibus beatus splendesceret Lupus. Perveniunt vero tandem in præsentiam gloriosi præsulis, his clamoribus intonantes : « O gloriose pastor, beatissime Lupus, amoveat a nobis infelicitatem nostram beatitudo et felix sanctitas tua, ut præclaris intercessionibus tuis gloriosisque meritis impetres a Domino optabile nobis lumen oculorum, quo fraudati sumus a tempore nativitatis nostræ. » Reverendus vero antistes in ipsa missa orationem recitabat Dominicam. Qua expleta, paululum substitit, eorumque compassus calamitati, cum gemitu et lacrimis, oculos ad cælum levavit, palmasque tetendit et Christum, qui est super omnia dictus benedictus, humiliter invocavit, et oratione præmissa, dexteram manum super eorum oculos imposuit, signumque eis sanctæ crucis, cum summa devotione, impressit. Illico autem, largiente Dei gratia, panditur ipsorum visibus luminis aditus, aperiunturque ocelli, quas primordialis clauserat ortus, micantesque solis radios mirantur, ac sine alicujus F prævii amminiculo per plateas discurrunt civitatis, præconialibus laudantes affatibus Dei magnalia, qui per sanctum antistitem suum desiderata eis contulerat lumina.

splendet aliis miraculis, sanctitatis decoribus

12 His vero et aliis miraculorum prodigiis, signipotens eximiusque pontifex Lupus, æternæ majestatis concedente potentia, sublimiter pollens, in orationum deinde studiis perdius, in vigiliarum continuationibus extitit pernox, in jejuniorum quoque sedulitate ferventior, in eleemosinarum distributione frequentior, et in cæteris quibusque sacrarum exhibitionibus actionum studiosior, atque, ut ita dicam, si persecutionis tempus affuisset, quo triumphalem martyrum lauream adipisceretur, pro Christi nomine, periculorum jacturis se sponte præceps ingereret; et quamvis sanguinem lictatoris offitio non effudit, tamen, juxta apostolum, crucifigendo carnem cum vitiis et concupiscentiis sollempne martyrium venerabiliter celebravit *e.* Fulgebat enim, ac si cæleste sydus, in mundo splen-

 dentes

dentes choruscantium spargens ubique radios exemplorum. Imitabilia quoque clarificæ exercitia religionis mirabili voto gloriosæ perennitatis incessanter augmentabat, ut, secundum apostoli assertionem, ejus conversatio in cælis esse incunctanter crederetur. Sicque ejus almiflua opinio nectaream salutiferæ exhortationis refundebat flagrantiam, ut Christi bonus odor Deo redoleret in omni loco. Nam almificum decus pontificale, pernobili stemate cælestium venustabat ornamentorum, præbens lampabili munere meritorum cæcis visum, surdis auditum, mutis solutionem linguarum, languidis curationem membrorum, cæterarum necnon exercuit virtutum insignia, quæ in pontificalibus gestis ejusdem sedis habebantur inserta, antequam locus idem desolaretur lamentabili paganorum sævitia.

et spiritu prophetiæ; et instantis mortis divinitus admonetur.

13 Inter cætera spiritalium denique gratiarum karismata, superna concedente moderatoris clementia, spiritu prophetiæ laudabiliter claruit, atque evidenti præsagio multis multa antequam forent prædixit. Unde affectabili intimæ sinceritatis amore ab universis venerabatur, et honorabili glorificæ honestatis reverentia magnificabatur; verum in his omnibus nequaquam extollebatur humani gloria favoris; imo alma virtute subnixus veræ humilitatis æterni jugiter collaudabat misericordiam atque omnipotentiam largitoris, cujus ab imperio præceptum vitæ confertur, facultas quoque exequendi conceditur, perpetuæ remuneratio felicitatis rependitur. Sanctus itaque Lupus, omnimodis pervenire desiderans ad claritatem cælestis paradysi, cupiebat dissolvi et Christo perhenniter gratulari. Sancto namque Spiritu revelante, terminum præsciens resolutionis suæ, præteritorum immemor laborum, ac si modernus miles, cælestis cupidus miliciæ, senilia corporis membra studebat exercere, imitabili molimine sanctitatis et justiciæ, quo evidenter conveniret perspicua ammonitio prophetæ dicentis : « Qui sanctus est sanctificetur et qui justus » est justificetur adhuc. »

Sanctissime moritur.

14 Divino quidem septus munimine, flocci pendebat dilasteria labentis vitæ. Evolutis enim in episcopatu triginta annorum circulis, gloriosus adlætha Dei, Lupus, fratribus sibi familiariter adhærentibus diem, qua de hac vita erat migraturus, innotuit, tale etiam eis præceptum humilitatis ac sinceritatis plenum indixit : « Nolite, fratres dilecti, corpus meum, mox cadaver futurum, in lapideo mittere sepulcro, Domini mei Jesu Christi exemplo, qui excisum de petra novum voluit habere monumentum, utpote qui sicut nil peccati, ita etiam nil corruptionis habere potuit. Unde et psalmographus æterno Patri : « Non dabis, inquit, sanctum tuum videre « corruptionem; » sed potius in lignea sepelite theca, matri materna reddentes viscera. Et, inter narrandum, cuidam presbitero, nomine Ansioco, qui præ cæteris, sanctitatis gratia, sui privilegio amoris fruebatur Dei Christi : « Dilectissime frater, jube tibi eadem similitudine sepulcrum parare, quoniam una mecum consummabis cursum hujus vitæ, percepturus a Domino perpetuæ coronam gloriæ : » O virum ecclesiasticæ dignitatis sublimitate venerandum! O episcopum almificæ principalitatis venecratione sublimandum! Qui veram humilitatem, quam vivens indesinenter tenebat, etiam moriens deserere nullatenus volebat! Optabat siquidem ut eadem virtus appareret in suo corpore mortuo, quam vivens tenuerat corde sincero. Legerat enim quod, « sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. » Reminiscebatur denique beatum Petrum, apostolorum principem, olim humilitatis gratia dixisse : « Non sum dignus ita in cruce [mori] sicut Dominus meus Jesus Christus, qui de Spiritu Sancto conceptus est : » Laudabiliter itaque illum ardebat imitari clarifica humilitate, cujus vices exequebatur pontificali celsitudine. Dominica igitur die, qua etiam beatus Lupus episcopatus dignitatem suscepit, tempore * suæ resolutionis, ut prædixerat, advenit. Migrat ergo venerabilis vir Lupus, antistes egregius, agonista magnificus, adest etiam mirabilis angelorum exercitus, qui in ejus transitu canoros cælestis melodiæ psaltat concentus. Angelorum quippe officio ad tronum deificæ majestatis cum tripudio ymnicæ exaltationis sustollitur, fulgida gloriosæ remunerationis laurea coronatus, splendido apostolorum collegio laureatus sociatur. Gaudet itaque beatus Lupus, et in æternum gaudebit de gratissima eorum societate in cælis, quorum doctrinis instructus et exemplis, cælestem vitam duxit in terris. Prælibatum itidem presbiterum, eodem die, uti sanctus antistes Lupus prædixerat, carnea exemptum trabea, aurea suscepit stellantis regia cæli. Ad quorum etiam transitum clerus undique concurrit ac populus. Perstrepunt tunc inde psallentium voces, jaculantur olimpo omnes fidelium preces. Ecclesiastico siquidem more, sacras celebrantes exequias, sancta sanctorum committunt terræ corpora, et in sanctis suis glorificant mirabilem Deum, qui in trinitate perfecta vivit et gloriatur per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

* tempus

ANNOTATA.

a *Ad marginem annotatum erat* romanus; romanus *item legitur in lectionibus Elnonensibus. De Ægidio et quare* rex Romanorum *seu* romanus *dictus sit explicuimus in Commentario Prævio, num.* 4 *et* 5.

b *Hæc explicata vide in Commentario Prævio, num* 6 *et* 7.

c *Pro ecclesiasticis canonibus celebrata est die dominica S.* Lupi *consecratio episcopalis.*

d *Arboretum illud seu nemus nomen dedit portæ Bajocensi, qua illuc ibatur et quæ nunc etiam* porte d'aubrée *dicitur. Fabulator, qui sub persona S.* Lupi *S. Regnoberti Vitam finxit, aliter id narrat :* Lupus Magnus, *inquit,* præsul Bajocensis, ab incarnatione Domini tertius, rexit ecclesiam, sub disciplina eruditionis beati Regnoberti, et ab ipso ordinatus diaconus. Post vocationem illius sancti adeptus est sedem pastoralem; cui Dominus dedit victoriam super serpentem, et conclusit illum in archa plumbea et demersit illum in alto gurgite alvei Aureæ *, *rivi Bajocas et Arboretum translabentis;* ovesque sibi creditas, Domino opitulante, a devoratione sepentis liberavit. *Quoniam apostolici viri, ut significetur victoria, relata*

* l'Aure

A *relata de dæmone, jam pridem pinguntur cum domitis serpentibus et belluis, videtur hoc fabularum genus exortum. Quod autem S.* Lupus *tertius episcopus dicitur et ordinatus a S. Regnoberto, non autem a S.* Rufiniano, *id inde provenit quod S.* Rufinianum *ex Bajocensium episcoporum catalogo expunxit. Volunt nunc complures ipsum S. Regnobertum, qui S. Exsuperio successerit, excludere, ita ut unum tantum Regnobertum admittere velint, qui sæculo* VII *vixerit. Cui sententiæ, meo judicio, hoc maxime favere dixi Comm. n.* 8 *quod* Regnoberti *nomen origine francicum seu germanicum est, sæculo* IV *aut* V *in episcopo gallo singulariter mirum.*

e *De hoc antiquitatis indicio vide Commentarium Prævium, num.* 34.

INCIPIT TRANSLATIO

SS. LUPI ET AUSIACI.

Monetur sacerdos SS. Lupi *et* Ausiaci *corpora transferenda esse;*

Expletis nanque post eorum transitum annis ferme LXX, quadam nocte apparuit beatus Lupus cuidam fratri, in ecclesia quiescenti; cui et noticiam sui nominis indicavit, et locum, in quo ipse et reverendus vir Ansiocus sepulti jacebant, notavit; et, dum ei bina ostenderet sepulcra : « Ego, inquit, die dominica, materno prorsus utero, lucem subii temporalem; eadem etiam die, cohibente Altitonantis moderamine, cathedram sum sortitus episcopalem; ipsa quoque carneo solutus ergastulo, Dominum Jesum videre merui, quem semper dilexi et sincera mentis intentione desideravi. Consacerdos denique meus scilicet Ansiocus, soluto mortis debito mecum, jubente Domino, aurea cæli regna petivit. Quocirca, annuente Domini Jesu multiplici clementia, ipsa die erit et translatio nostra. Vade ergo, et antistiti, cujus regimine hæc ordinatur ecclesia, innotesce, quod apparuerit tibi Lupus, cognomento agnus, hujusce sedis quondam episcopus, et quod voluntas omnipotentis Dei est ut de loco, in quo sepulti sumus, suis temporibus pariter transferamur. Et his dictis, abcessit. C Ille vero evigilans surrexit, et, inlucescente diluculo, episcopum adiit, præfatam quoque visionem fideli protestatione illi retulit.

quæ episcopus in nova S. Lupi *ædicula collocat.*

2 Episcopus vero, magno repletus gaudio, divinæ majestatem potentiæ, cernua veneratione glorificavit, qui suis temporibus, sanctorum corpora clementissimæ pietatis gratia revelare voluit. Subsequenti namque dominica die, arcessita cleri plebisque multitudine, ad locum * quem indicaverat ille qui in visione viderat; ipse itaque episcopus dux perspicui agminis; prævius quoque fuit relator visionis. Ipse locum notavit, episcopus vero fodere infit. Ac sicut ipse prædixerat bina repererunt sepulcra; venerandi scilicet præsulis Lupi, atque eximii sacerdotis Ansioci. Quæ cum aperta fuissent, tanta ex eis suavissimi odoris flagrantia exivit, ut merito qui aderant cum reverendissimo patriarcha Jacob possent dicere : « Ecce odor agri pleni, cui benedixit « Deus. » Cum excellenti itaque sacræ venerationis tripudio et lætitia magna, gloriosa sanctorum corpora transtulerunt, et eorum in honore ecclesiam construxerunt; in qua Dei magnalia constanter prædicantur; prædictorum quoque sanctorum mirifica ammodum patrocinia venerantur; eorum quoque translatio VIII kalendas novembris celebratur, præstante Domino nostro Jesu Christo; cui est honor et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen. Explicit Vita sive translatio sancti Lupi, episcopi Baiocanensis; quæ est VIII kalendas novembris.

* ivit

VITA

SANCTI LUPI, EPISCOPI BAJOCENSIS,

Partim ex mss. Carthusiarum Confluentinæ et Coloniensis, partim ex ms. codice Corboliensi a.

a

B. Ruffinianus, tertius a B. Exuperio Bajocensis episcopus, S. Lupum, Bajocasinæ urbis territorio oriundum, quem baptizatum studiis liberalibus mancipaverat, cum ad ordinem diaconatus promoveret, quidam cum eo ordinationis leviticæ gratiam suscipiens, nomine Stephanus, excelsa voce cœpit præconari dicens : « Domine Ruffiniane, hunc quem consecras diaconum *, tuum cognoscas futurum successorem. » Beato igitur Ruffiniano ab hac luce subtracto, totius cleri et populi voluntas pontificali honore B. Lupum fore dignissimum asseverat. Inter quos Silvestro Rothomagensi archiepiscopo nocte senex quidam apparuit *, dicens virum illustrem Lupum, quem si[bi] Deus elegit, absque dilatione gregis Dei pastorem constituere. Cum autem jam ecclesiam introisset, surgens parvissimus puer apprehendit B. Lupum per fimbriam vestimenti, dicens : « Domine episcope, istum diaconum * episcopali benedictione sanctifica. » Tunc omnes acclamavere dicentes : « Dignus est iste quem Deus multiplici mirificavit electione. » Protinusque ergo apicem adeptus est episcopalem.

S. Rufinianus *educat et diaconum creat S.* Lupum; *qui per saltum episcopus consecratur a Silvestro Rothomagensi.*

* diaconem *Ms. Col.*

* appulit *Ms. Confl.*

* diaconem *Ms. Col.*

2 Erat nemus e regione portæ civitatis, quæ vocabatur Arboreta *b*, in qua sævissimus lupus erat; adeo ut inter pueros et puellas in modico tempore devorasset decem et octo. Cum autem armatorum manus nullo modo eum attingere potuisset, vir sanctus, populi compassus infortunio, silvam intravit, collumque et fauces bestiæ repente manica *c*, ac si catena ferrea, eum constringens in gurgite Dromi fluvii dimisit. Quadam die beatus Lupus, recitata in Missa oratione dominica, duos cæcos a nativitate, fusa pro ipsis oratione, illuminavit, Inter cætera spiritu prophetico claruit; multaque antequam evenirent prædixit. Sancto quoque Spiritu revelante, resolutionis suæ terminum præscivit; quem, evolutis in episcopatu triginta annis, fratribus indicavit. Cuidam etiam presbytero, nomine Ausiocho * *d*, quem præ cæteris diligebat, dixit : « Perpetuæ a Domino coronam gloriæ percepturus, una mecum post vitæ hujus cursum consummabis : » quod et factum est.

Lupum mirabili modo necat, cæcos illuminat, prophetiæ donum habet et moritus S. Lupus,

b

c

d

* Antiocho *Ms. Col.*

3 [Tum demum vocatum ad se Ansiocum, suum presbyterum, virum Deo plenum, ait Lupus ad eum : « Hodie de hoc miserrimo sæculo, fili dilectissime, migrationem nostram et

postquam monuisset S. Ausiacum *ut se ad simul moriendum para-*

vet; quocum sepultus est.

et ad perennem visionem felicitatis æternæ vocationem, monente Deo, præscivi. Quapropter corpus tuum ablue, et vestimentis tuis nitidis iuduere; sarcophagium vero lapideum noli tibi præparare, sed, sicuti ego, ligneum, et in eo corpusculum jubeto recondere tuum. » Sicque, sumpto æternæ redemptionis viatico, muniti sanctæ crucis virtute et auxilio atque bonorum operum multiplici incremento, feliciter felices ambo obdormiverunt in Domino, sicque jucundissime benignissimi Jesu Christi vocatione beataque angelorum invitatione, felici patriarcharum societate, gratulabunda prophetarum coadunatione, concordi apostolorum benignitate, patientissima martyrum unanimitate, desiderabili confessorum expectatione, perseverantissima virginum integritate, et omnium electorum justissima susceptione, introducti sunt in vivorum regione. Congrua itaque cleri ac populi devotione, in eodem quo præceperat loco condignæ datus est sepulturæ. Sed et felicissimus sacerdos prænominatus Ansiocus, sociatus Deum videntibus, mundis corde, ad pedes magistri
B sui conditus est honorifice.

Clericus Bajocensis monetur cælitus semel

4 Post hæc, transactis a gloriosissima Deoque acceptissima illustrissimi sacerdotis Lupi dormitione septuaginta annis, cuidam ex fratribus Deo dilecto, tamen, ut reor, ex his qui communi stipendio sanctissimæ famulabantur ecclesiæ, una noctium quiescenti, apparens isdem gratissimus Deo, iis eum affatus est verbis : « Perge, inquiens, quantocius ad epi-
e scopum *e* civitatis istius et dicito illi : « Dei « famulus Lupus rogat te ut properes ad lo- « cum in quo humatus requiescit, et, aperta « septem pedum fovea, invenies arcam ligneam « ferreis nexibus adstrictam, illicque ossa ejus « reperies, et tolles ea de loco illo quo jacent « ex septuaginta annis; et denuo decentiori « loco decentius tumulabis ea. »

et iterum ut indicato loco curet per episcopum effodi SS. Lupi *et* Ausiaci *lignea sepulcra;*

5 Postque rursus is, qui apparuerat, dixit illi : « Et hæc, inquit, ne negligas iterare ei : « Hæc iterum mandat tibi Lupus, Jesu Christi « servus. Die dominico, inquit, ordinatus fuit « episcopus, atque dominico migravit de sæ- « culo, crastinoque die dominico ostendet tibi « Dominus ejus ossa. Dum igitur inveneris
C « illa, iterum penes pedes ejus humum ejicies, « ibique invenies septem pedum longitudinis « foveam totidemque latitudinis, ibique posita « est arca lignea, in qua requiescit Ansiocus « presbyter, qui fuit vir sanctitate plenus; « dumque illic sustuleris, denuo sepelies nos « ambos. » Expergefactus itaque clericus, orto die, veniens ad episcopum, narravit ei cuncta, sicut jussum erat.

quæ jussio impletur et basilica ædificatur,

6 Mox præscriptus episcopus, cum psallentium choro et cuncto populo accedens ad locum, septem pedum facta fovea, exiit odor suavitatis nimius, qui vinceret totius generis pigmenti incensi quoque flagrantis odorem; inventaque ossa et gloriosa corpora iterum sepelivit ea cum gloria et gaudio magno; ædificavitque super eos basilicam *f*, ubi quotidie D
infirmi sanitatem recipiunt et innumeræ vir- /
tutes patrantur, meritisque in illis completur Scriptura quæ ait : « Cum consummaverit » homo, tunc incipiet; et cum quieverit, tunc » bona operari initiabit. » Transitus *g* vero et *g*
translatio corporis sancti Lupi ad unam diem evenerunt, octavo scilicet calendarum novembris, sicque ab omnibus christianis celebratur.

ANNOTATA.

a *Reperit Gamansius noster Vitam, duobus primis numeris contentam, in mss. codicibus Carthusiarum Confluentinæ et Coloniensis, cum titulo :* De sancto Lupo, episcopo Bajocensi, octava kalendas novembris in Normannia; *eamque ad decessores nostros misit. Eamdem anno* 1638 *in antiquis Bajocensibus Breviariis reperisse videtur cl. v. Julius Lair; qui et in pristino Corboliensi codice reperit et in Bibliotheca scholæ diplomaticæ edidit partem, quam sub nn.* 3, 4 *et* 5 *annexui : non quod ejusdem scriptionis continuatio sit, sed quod res, post mortem secutas, comprehendit adeoque corporis elevationem; quæ tantum valebat, quantum nunc beatificatio.* E

b *Bocquet vocat gallice* Aubrée *seu* Arborée. *Sæculo* XVII *hoc arboretum seu nemus jam conversum erat in vicum S.* Lupi; *sed porta, qua istuc ibatur, dicebatur adhuc sæculo* XVIII porte Arborée (1). *Cfr supra annotatum* d.

c *Loco* manicæ manum *legit Bocquetius; Hermantius vertit in* stolam *et Saussayus in* nexum invisibilem. *Retinenda est* manica, *qua hoc loco non significatur brachii tegumen, sed manus, seu chirotheca, vulgo* un gant : *vide de hoc significatu Cangium* (2). *Manum itaque texerat B.* Lupus *chirotheca, sine qua episcopi non solebant procedere. Superioris tamen Vitæ auctor vestis brachium intellexit. Repræsentata est universa illa res sculptoris arte in porta templi S.* Lupi *Bajocis et in tabula picta, quæ in eodem templo servatur* (3); *vulgo dicitur* la bête-Saint-Loup. *Quam historiam alii volunt reapse contigisse; alii ea significari victoriam de diabolo seu de gentilium erroribus, aliquando draconibus aut serpentibus, aliquando leonibus, lupis* F
aliisve belluis ad vivum exhibitis; alii demum eam natam esse ex nomine S. Lupi : *quæ posteriores sententiæ similibus exemplis defendi possunt, maxime quod Vita, utut antiqua, nequaquam coæva videatur. Cfr quæ eadem de re in annotato* d *ad priorem Vitam dicta fuerunt.*

d *Vide de eo Commentarium Prævium, num.* 3.

e *Is episcopus aut S. Vigor fuerit oportet, aut Leucadius.*

f *Basilica hæc seu ædicula cœmeterialis, sæpius renovata, adhuc exstat nomine vulgari* Saint-Loup-hors. *Cfr Commentarius prævius, num.* 9, *et Historia translationis.*

g *In Historia translationis omittitur transitus.*

(1) Hermant, Hist. eccles. de Bayeux, pag. 32 in margine. — (2) Glossarium latinum, V° *Manica.* — (3) Pluquet, Essai historique sur la ville de Bayeux, pag. 333. Cfr Commentarius Prævius, num. 10.

DE

A D

DE S. MAURO, CONFESSORE,

IN BURGUNDIA JURANA ET PRISTINA DIOECESI VESONTIONENSI,

SYLLOGE CRITICA.

V. D. B.

§ unicus. S. Mauri memoria in Martyrologio S. Claudii. Vicus ab ejus nomine dictus. Confusus cum S. Mauro abbate. Reliquiæ. Societas presbyterorum. Indulgentiæ. Beneficia recentia.

TEMPORE INCERTO. *S.* Maurus, *pristinæ diœcesis Vesontionensis confessor, perperam confusus fuit cum S. Mauro abbate, ut liquet ex Martyrologii S. Claudii verbis*

In provincia Maxima Sequanorum, quæ Rheno, Belgica I, Lugdunensi I, Viennensi et Alpibus Penninis terminabatur, dein regni Burgundiæ pars facta est, postea vero mutata in comitatum Burgundiæ et demum in Francum comitatum, floruerunt innumeri sancti, magnam partem monachi et eremitæ; quorum Vitas pie, eleganter, sobrie et accurate non ita pridem in lucem dederunt collegii S. Francisci Xaverii Vesontionensis professores. Omiserunt tamen complures; (quod miretur nemo sapiens;) quos inter S. Maurus; *cujus memoria in antiquo S. Eugendi Jurensis seu S. Claudii Martyrologio ad præsentem diem his verbis celebratur:* In territorio Vesontionensi, natale S. Mauri confessoris. *Ubi animadverte celebrari ejus natalem in territorio Vesontionensi, qua dictione ipsa diœcesis Vesontionensis intelligitur* (1); *et licet vox* natalis *seu* natale *aliquando pro omni festivitate sumatur, ut alibi luculente ostendimus* (2), *ejus tamen obvia vis in kalendariis et martyrologiis ea est ut* diem obitus *fere designet : nec quidquam suadet ut translatio aut alia solemnitas hoc loco intelligatur.* Confessoris *titulus valet ad beatum virum secernendum a sanctis Mauris martyribus, a cognominibus episcopis atque etiam a S. Mauro abbate, celeberrimo S. Benedicti discipulo. Et quidem cum hoc solo confundi posset, quoniam Normannorum metu anno* 863 sancti viri corpus citra fluvium Ararim * reconditum ac collocatum in fundo Aldonis comitis est; ubi per tres semis annis custoditum, sedecim notissimarum personarum sanitate celebre nomen ejus circumquaque divulgatum, assidua populorum frequentatione venerari cœpit et excoli (3). *Sed quum citra Ararim, quo ad occidentem fere terminatur Vesontionensis diœcesis, constiterint sanctissimi abbatis reliquiæ, patet eum cogitandum hoc loco non esse.*

* Saône

C

et maxime ex ejus reliquiis, quæ in vico sui nominis conservantur.

2 *Quod vero multo firmius est, extremo sæculo* XVII *servabantur adhuc in diœcesi Vesontionensi omnia fere illius S.* Mauri *ossa, apprime diversa ab sacris S. Mauri abbatis exuviis, quæ a sæculo* IX *usque ad extremum* XVIII *Parisiis in S. Mauri Fossatensi cœnobio quieverunt. Hanc memoriam debemus nostro Petro Francisco Chifletio, cujus olim* Sacrarium monasterii Jurensis Condatescensis, *fere ad prelum paratum, in manus decessorum nostrorum venit, nunc autem in Bibliotheca Bruxellensi regia* (4) *partim servatur, partim a Papebrochio olim editum fuit* (5). *In inedita autem parte secunda, qua* illustrationes Jurenses *continentur, caput* VIII *hanc inscriptionem habet:* Quænam Sequanorum monasteria a Jurensibus prisco ævo derivata videantur. Obiter de sanctis Lautheno, Ymiterio et Mauro; *ex quibus S. Lauthenum ad diem 1 novembris illustrabimus; cultus vero S. Ymiterii, qui et Hymiterius et Imiterius, aliquantum in Actis declaratus fuit ad diem* 31 *julii* (6) *et plenius declarari posset ex Severtii* (7), *Joannis Mariæ de la Mure* (8) *et professorum collegii Xaveriani Vesontionensis* (9) *libris; de S.* Mauro *autem hæc tradit Chiffletius :* A S. Mauro nomen habet vicus in decanatu Ledonensi diœcesis Bisuntinæ : in cujus ecclesia vidi alias capsam, sancti hujus Mauri ossa omnia seu fere omnia continentem. Ibi cum quæsiissem num de ejus vita aut festo die aliquid in scriptis haberetur, ostensæ sunt mihi chartæ quædam seu membranæ, ex quibus excerpsi quæ sequuntur.

E

et olim ope societatis presbyterorum et indulgentiarum propositione multo in honore erant.

3 Anno Domini 1447, IV januarii, Joannes de Fruino (10), decanus Bisuntinus et vicarius generalis illustrissimi et reverendissimi domini Quintini, archiepiscopi Bisuntini, commisit duos presbyteros Johannem Mailleti de Geningeyo et Antonium Boisseleti de Chilleyo parochos, ad commodius et decentius disponenda ossa sancti Mauri in capsa, recens fabricata expensis Nicolai Aymonini, parochi S. Mauri; in quam paucis ante diebus translata fuerant ex alia minori minusque ornata lipsanotheca. Anno 1517 in honorem sancti hujus Mauri instituta est sodalitas tredecim presbyterorum, qui convenire tenentur in ejus ecclesia ad missas et officia divina sollemnius celebranda festo ejus die XV januarii; quo et Romana ecclesia S. Maurum, S. Benedicti discipulum, colit; variæque ad eam diem illo confluentibus concessæ sunt indulgentiæ, primum ab Antonio Vergeyo, archiepiscopo Bisuntino, tum deinde a Leone X et Hadriano VI, et a nonnullis cardinalibus. Translatio porro quædam ejusdem sancti ibidem agitur ritu sollemni in pervigilio S. Martini hyemalis, decima die novembris. Diversum esse constat sanctum hunc Maurum, diœcesis Bisuntinæ confessorem, ab illo S. Benedicto nominatissimo discipulo, qui ejus Regulam cis Alpes

F

(1) Cfr Du Cange, Glossarium latinum, V° *Territorium.* — (2) Acta SS., tom. IX Octobris, p. 9 et 10.— (3) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæc. IV, part. II, p. 182. — (4) Inventarii generalis, numm. 8287 et seqq. — (5) Acta SS., tom. I Junii, p. 646 et seqq. — (6) Ibid., tom. VII Julii, p. 306. — (7) Chronologia historica Matisconensis, p. 39. — (8) Histoire ecclésiastique du diocèse de Lyon, p. 268. — (9) Vie des Saints de la Franche-Comté, tom. III, p. 219 et seqq. — (10) Cfr Gallia Christiana, tom. XV, col. 127 et 128.

primus

AUCTORE V. D. B.

primus intulisse dicitur. Ille in Martyrologio S. Eugendi absque abbatis titulo commemoratur, hac forma: « VIII kalendas novembris, in territorio Vesuntionensi natale S. Mauri confessoris. » Istius ejus natalis ignoratione compulsus est in 15 januarii : similia non raro observare est : *seu potius, quoniam ignorabantur sanctissimi patroni Acta, ad eum translata est S. Mauri Vita, atque inde ipsa festivitas loco mota est. Cujus rei præclarum exemplum ad diem sequentem occurret in sanctis Amandis Argentoratensi et Wormatiensi episcopis ; quorum loco substitutus fuit S. Amandus Trajectensis.*

Confundi etiam non potest cum S. Mauro, episcopo Virdunensi, die 10 novembris culto.

4 *Quod vero die* 10 *novembris ejus translatio celebrari solebat, subit dubitare num forte idem S. Maurus sit, qui ad eam diem in Luxoviensi Usuardi Martyrologio his annuntiatur verbis* (1): Virduni, sancti Mauri, episcopi et confessoris; *et in Burdegalensi* (2) : Ipso die, sancti Mauri episcopi et confessoris; *et quem ex Molani auctariis* (3) *præpostere ad diem* VIII *novembris in Martyrologium Romanum intulit Baronius. Verum hic, ut patet, in martyrologiis constanter*
B episcopus *dicitur, atque ejus ossa non in diœcesi Vesontionensi, sed Virodunensi, quam episcopali jure rexerat, reconditæ erant : in puellari scilicet S. Mauri Virodunensi cœnobio, una cum ossibus SS. Salvini et Aratoris, itidem Virodunensium episcoporum, servabantur* (4); *sed facile fieri potuit ut, quemadmodum ejus natalis ad diem* 15 *januarii propter S. Maurum abbatem transpositus est, sic ejus translatio facta sit atque deinceps quotannis celebrata die* 10 *novembris, alteri S. Mauro sacra.*

In paræcia S. Mauri *prope Ledonem Salinarium*

5 *Vicus autem ille, qui a* S. Mauro *patrono suo nomen accepit, nude* Saint-Maur (5) *aut* Saint-Maur-des-Buissons (6) *vulgo appellatur, duobus fere leucis ad occasum hiemalem distans a Leodomo, seu Ledone Salinario, seu etiam Leodone, vulgo* Lons-le-Saunier, *nunc in provincia seu partitione Jurana et diœcesi S. Claudii. Initio hujus sæculi incolis frequens erat* 240 *dum taxat* (7); *et licet tam exiguus esset, erant olim in templo paræciali septem fundatæ capellaniæ, patronis laïcis* (8); *quod pristinæ celebritatis et eximiæ S.* Mauri *venerationis præclarum indicium est. Hic tamen cultus numquam late extensus*
C *fuit : nedum enim ejus nomen veteribus Bisuntinis litaniis* (9) *insertus fuerit, ne locum quidem invenit in ejusdem antiquo Martyrologio seu potius Calendario* (10), *aut in ullo posteriori. An in Balmensi virili monasterio, penes quod S.* Mauri *paræciæ patronatus erat, ei post annum* 1157 *collatus* (11), *festum ejus quotannis celebraretur dicendo non sum; quippe qui caream hujus asceterii libris liturgicis.*

videtur S. Maurus *eremiticam vitam duxisse; sed incertum est an Juranis seu S. Claudii primævis monachis accensendus sit.*

6 *Quum autem hæc paræcia numquam penes Juranos seu S. Claudii monachos fuisse videatur* (12), *hinc nonnihil concutitur Chiffletii conjectura, arbitrati S.* Maurum *inter Juranos alumnos referendum esse; quum passim videre sit templa, in quibus sancti cujusdam monachi ossa asservarentur, ejus ex quo prodiisset monasterii fuisse, sive donatione accepta, sive titulo exstructæ supra sepulcrum ædis sacræ. Accedit quod, quum beatus vir martyr non fuerit, neve* D *abbas, presbyter aut episcopus dicatur, longe verisimilius est eum olim solitariam seu eremiticam vitam illic duxisse, ubi mortis et sepulcri quietem nactus est; at inter Juranos a temporibus S. Eugendi plane sublata fuit vita eremitica. Nam in exemplari Bisuntino Vitarum patrum Jurensium, in quo capitibus* XV, XVI *et* XVII *Vitæ S. Eugendi statuta et consuetudines monasterii sancti viri ita illigantur, ut facile ad certos canones reduci queant; quorum summam, a Chiffletio conceptam, libenter hoc loco daremus, quoniam hactenus frustra in Jurana instituta inquisitum est. Porro a S.* Mauro *nostro adeo hæc aliena sunt, ut ne primam quidem legem observasse videatur; scilicet* ut, destructis mansionum ædiculis, in quibus velut anachoretæ hactenus vixerant, omnes in medium uniti vitam ducerent cœnobiticam; *ita ut, si umquam inter Juranos vixerit, ante hujus abbatis tempora illic degisse censendus sit. Quod autem ejus nomen in S. Claudii Martyrologio legebatur, hoc parum valet ad persuadendum beatum virum olim ex hoc asceterio prodiisse;*
E *quum vicinitas loci, ubi ejus servabantur sacra lipsana, sufficiens causa fuerit ut ejus nomine Usuardinum illius cœnobii Martyrologium augeretur. Quod vicus S.* Mauri *ab eo nomen accepit, plane liquidum est inter sanctos Galliæ antiquiores eum referendum esse; quod tamen sæculum virtutibus illustrarit, nemo non nisi divinando assequetur. Omnia itaque perquam dubia sunt; nec quidquam sapientius de S.* Mauro *tradi potest quam quod olim ad decessores nostros ille idem Chiffletius, sanctos diœcesis Vesontionensis recensens, scripserat :* Habemus locum, diem, reliquias; præterea nihil.

Nunc adhuc censetur illic S. Maurus *fuisse S. Benedicti discipulus:*

7 *Quæ præmissa sunt, jam in manibus typographorum erant, quum delatæ ad me fuerunt Ven. viri C. Constantini, parochi S.* Mauri, *literæ, quibus ad quæsita mea diligentissime respondit et quarum hæc est summa : celebrari ritu solemni S.* Mauri, *patroni paræciæ, utpote abbatis et S. Benedicti discipuli, festum die* 15 *januarii, imo pro more gallicano die dominica proxime sequenti; verumtamen S. Trinitatis titulo consecratam censeri ecclesiam, quod hoc die circa annum* 840 *eo allatæ fuisse dicantur*
F *sanctissimi viri reliquiæ; quamobrem anno* 1840, *præsente vicario generali et ingenti presbyterorum corona, celebratum fuisse annum millenarium, et quotannis hac die fieri per paræciam supplicationem publicam cum S.* Mauri *reliquiis; indicium superesse nullum quod umquam ejus festum actum fuerit die* 25 *octobris, neque uspiam ostendi locum, ubi eremiticam duxerit vitam; et quidem eum certissime esse S. Benedicti discipulum, cujus reliquiæ metu Normannorum Balmam Dominorum delatæ fuerint, atque hinc in villam comitis Aldonis ad ortum hiemalem Ledonis, quæ sit præsens S.* Mauri *paræcia; hic in exstructo monasterio partem reliquiarum remansisse, cæteras delatas fuisse in Fossatense S. Mauri cœnobium, ubi perierint omnino extremo sæculo superiori; ossa, quæ Parisios non detulerint sæculo* IX *Glannafolien-*

(1) Ap. Sollerium, Martyrologium Usuardi, pag. 665. — (2) Ibid., p. cit. — (3) Ibid., p. 661. — (4) Acta SS., t. II Septembris, p. 221 et seqq. — (5) Dunod, Histoire de l'église, ville et diocèse de Besançon, tom. II, p. 434. — (6) Dictionnaire universel de la France, tom. IV, p. 606. — (7) Ibid., p. cit. — (8) Dunod, Histoire de l'église, etc. tom. II, p. 434. — (9) Dunod, Histoire des Séquanois; Histoire de l'église de Besançon, pr. pag. LIV et seqq. — (10) Ibid., p. VI et seqq. — (11) Ibid., cfr. pag. 131 et XCV.—(12) Ancien pouillé des bénéfices de l'abbaye de Saint-Claude, ap. Dunod, op. cit., p. LXXIII.

ses

A *ses monachi, eadem esse quæ illic asserventur et fere convenire; ex quibus unum non ita pridem a decessore suo datum fuisse monachis Solesmensibus, alterum a semetipso ecclesiæ monasteriali S. Pauli extra muros; nullam antiquam adesse statuam, sed recentem dumtaxat, a se procuratam.*

sed perperam. 8 *Ex quibus apparet (quod nequaquam mirandum est) veterem persuasionem illic adhuc durare, licet nequaquam cum rerum veritate consistere possit. Ut enim ex historia translationis S. Mauri constat, citra Ararim, id est in sinistra ripa, erat comitis Aldonis villa; neque Glannafolienses monachi leguntur ibidem monasterium excitasse, multo minus reliquiarum partem reliquisse; et certissime ultra Ararim progressi non sunt. Deinde, quum S.* Mauri *parœciam visitavit Chiffletius, aderant adhuc ossa fere omnia; quæ facile potuerunt olim, ut recentiori tempore, dono dari aliisve distrahi modis; atqui ubi eodem tempore essent ossa fere omnia S. Mauri abbatis bene perspectum erat. Audi Mabillonium :* Tametsi, *inquit* (1), maxima pars reliquiarum sancti Mauri post superiorem

B translationem remanserit penes Fossatenses, nonnihil tamen relictum est monachis Glannafoliensibus nempe brachiorum uterque radius : quorum alter in eodem monasterio hactenus adservatur, alter per S. Odilonem, abbatem Cluniacensem, delatus Cassinum est. *Alias reliquias S. Mauri abbatis, alibi repositas, recensuerunt decessores nostri in Actis S. Mauri* (2)*; ita ut ossa, in parœcia S.* Mauri *servata, certo certius alius S. Mauri sint quam S. Benedicti discipuli. Quod vero celebritas quædam nunc agitur in festo SS. Trinitatis, eo id translatam videtur a* 10 *mensis novembris, quo die sæculo* XVII *adhuc fiebat.*

AUCTORE V. D. B.

Recentiora aliquot beneficia, ejus ope obtenta.

9 *De miraculis interrogatus, respondit optimus parochus sequentia :* Die 19 martii anni 1833, quum excitatum incendium universo vico ruinam minaretur, parochus sanctissimi patroni reliquias in templi vestibulum deportanda curavit et adversus flagrantem domum exposuit. Illico stetit incendium; ita ut una tantum domus perierit et ignis duarum horarum spatio fuerit extinctus. Quare per aliquot annos missa celebrata est in gratiarum actionem. Novi insuper mulierem, singulari decumbentem morbo, cœpisse convalescere, ut primum maritus omnisque familia S. Mauri opem implorassent; in cujus rei memoriam dona non numquam affert maritus super S. Mauri altare. Demum nulla umquam calamitas, potissimum grando, vastavit parœciam; quod beneficium unanimi consensu E
S. Mauri auxilio adscribitur. *Atque hæc de S.* Mauro, *olim Vesontionensis, nunc S. Claudii diœcesis confessore, colligere licuit. Utinam vici illius incolis persuaserim se sub patrocinio esse et ossa possidere sancti indigenæ, non autem extranei, forte fortuna ad se delati!*

(1) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæc. IV, part. II, pag. 183. — (2) Acta SS. tom. I Januarii, pag. 1051.

DE S. CHILDEMARA SEU CHILDEMARCHA,

ABBATISSA FISCANNENSI IN NORMANNIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. Vetus S. Childemaræ cultus. Vita deperdita. Burdegalis abbatissa; dein Fiscanni. Hujus monasterii exordia; laus perennis et instituta. S. Leodegarius a S. Childemara custoditus.

C

ALIQUANTO POST ANNUM DCLXXVIII.

S. Childemara, *tribus antiquissimis martyrologiis inscripta,*

Licet S. Childemara *seu* Hildemara, *quæ et* Childemarcha *seu* Hildemarcha, *minus pure* Ildemerca *et* Hildemarga, *nunc nullos amplius cælitum honores ab hominibus accipere videatur, in opere tamen nostro locum sibi jure merito postulat, quod olim ecclesiastica auctoritas ejus vindicavit nomen et sanctorum albo inscripsit. Etenim in altero exemplari Lucensi Martyrologii Hieronymiani, quod sæculo* VIII *Fontanellæ scriptum fuit aut certe plurimis additamentis auctum, atque dein, in Italiam delatum, aliquandiu ad usum vetustissimæ basilicæ S. Donati Lucensis fuit* (1)*, legitur ad diem* 19 *junii* (2) : Et in Fiscamno monasterio depositio S. Childeomaree abbatissæ; *similiter in exemplari Blumiano, quod anno Christi* 772 *aut a Fontanellensi monacho aut Augustodunensi clerico exaratum est, dein in monasterio S. Petri Weissenburgensi inter Argentoratum et Spiram usurpatum fuit et demum in Blumii manus Viennam venit* (3)*, ad eamdem* 19 *junii diem hæc occurrunt* (4) : In Fiscamo monasthirio Childomaræ. *Demum, ut testis est Mabillonius* (5) *et Dionysius Sammarthanus* (6)*, in pervetusto Patriciacensi calendario nomen legitur* XII *calendas julii, id est* 20 *junii :* Childomargæ virginis; *fortassis, addit idem ven. vir, Fiscannensis, et prius S. Eulaliæ Burdigalensis abbatissæ: quæ quidem res plane certa est; sed ambigo sitne* XII calendas julii *scriptus loco* XIII. *Patriciacus autem, non vero Patriarcus, vulgo* Percy *seu* Précy, *locus in diœcesi Augustodunensi erat, prioratu insignis ad Floriacense monasterium pertinente* (7) *: unde appareat, uti etiam ex Blumiano codice, S.* Childemaræ *cultum ex Fontanella, a Fiscanno non multum distante, propagatum fuisse in diœcesim Augustodunensem; nam licet alius Patriciacus seu*

F

(1) Florentinius, Vetustius ecclesiæ occidentalis martyrologium, p. 31 et 32. — (2) Ibid., p. 602. — (3) Ibid , p. 1045 et 1055. — (4) Ibid., p. 1065. — (5) Annales Benedictini, lib. XIV, n. 61. — (6) Gallia christiana nova, t. II, col. 857. — (7) Valesius, Notitia Galliarum, verbo *Patriciacus*. —

Priniciacus

AUCTORE V. D. B.

Princiacus sit in diœcesi Burdigalensi, quam diœcesim S. Childemara *aliquando incoluit, atque illic olim monasterium fuerit, id tamen jam ita pridem cessavit* (1), *ut sæculo* XVIII *calendarium designari non potuerit nomine Patriciacensis. Quod si mireris nuspiam in illis fastis* sanctæ *aut* beatæ *titulum nomini præpositum esse, hanc scito veterem fuisse calendariorum et martyrologiorum formam; adeo ut, secus si esset, interpolationis foret indicium.*

jam pridem cultu ecclesiastico non amplius honorari videtur; licet minime perierit ejus sanctimoniæ memoria.

2 *Medio fere sæculo* XVIII *perhibebat D. Tussanus Plessæus* (2) S. Childemaram *adhuc cultu publico a Christi fidelibus honorari; verum apprime hoc mihi dubium est : certe nil tale deprehendes in Gallia christiana* (3), *in Neustria pia Arturi a Monasterio* (4), *in Actis sanctorum ordinis S. Benedicti* (5) *et in Annalibus Benedictinis Mabillonii* (6) : *non quasi sanctimoniæ laudem ei denegent,* (*contra passim S.* Childemarcam *seu S.* Hildemarcam *appellant;*) *sed quod aut vetus dumtaxat Patriciacense calendarium testimonio invocant aut recentiores solummodo martyrologos seu menologos producunt, quibus nulla inest auctoritas ecclesiastica aut*
B *liturgica et qui pro arbitrio suo* (*ut fieri assolet*) *S.* Childemaræ *nomen, quod in SS. Waningi et Wandregisili Vitis repererant, diei* 25 *octobris assignarunt; quo die culta numquam fuit beata abbatissa. Quin etiam Mabillonius* (7), *qui Fiscannensia officia propria ad manus habuit, testatur eam nullo intra annum peculiari festo suis temporibus cultam fuisse in monasterio Fiscannensi. Cæteris præivit Arnoldus Wion, ad* 25 *octobris hæc nuntians* (8) : Eodem die sanctæ Hildemarchæ abbatissæ, miraculis claræ; *et in annotatis addens in Vita S. Wandregisili, quæ in Actis Sanctorum, tomo IV, ad diem* 22 *julii, a Surio edita est, referri hanc sanctam hac die obiisse; verum in editione Surii anni* 1618, *qua utor, nil hujusmodi legitur; neque in editione quæ in Actis nostris est aut in Actis sanctorum ordinis S. Benedicti; ita ut caligasse videatur Wionus. Pone venit Ferrarius; qui quum novisset S. Wandregisilum Fontanellensem abbatem fuisse, in Catalogo generali sanctorum, quem anno* 1625 *dedit in lucem, ad diem* 25 *octobris* in monasterio Fontanellæ sanctæ Hildemarchæ abbatissæ *memoriam*
C *constituit; allegatis pro more Fontanellensibus tabulis seu Kalendario; quod numquam viderat. Menardus, quum quatuor annis post Martyrologium sanctorum ordinis divi Benedicti edidit, proxime adhæsit Wiono :* Eodem die (25 *octobris*), *inquiens,* sanctæ Hildemarchæ, abbatissæ Fiscannensis primæ.

Corpus non videtur delatum fuisse Fontanellam.

3 *Quæ sobrietas non placuit Saussayo, cujus Martyrologium gallicanum lucem vidit anno* 1637. *Hic enim post laudatam in supplemento S.* Hildemarcham, *ut vocat, continenter subjicit :* Corpus ejus, in Fontanellæ cœnobio depositum, magna emicuit divinarum operationum gloria : quæ cultum ejus ibidem celebrem reddiderunt; *quæ inde transierunt in Gynecæum Arturi a Monasterio. Verum hic postea voluit eadem exsulare ex Neustria sua pia* (9), *procul dubio quod per conjecturam ab* D *Saussayo dicta viderentur : similiter Mabillonius in Actis sanctorum ordinis S. Benedicti et in Annalibus, Galliæ christianæ novæ scriptores et Plessæus in Descriptione Normanniæ superioris plane nil habent de corpore S.* Childemaræ *Fontanellam delato. Neque uspiam alibi reperio quando aut qua occasione sacra lipsana Fiscanno, ubi certe deposita fuit pia mulier, Fontanellam avecta fuissent : Normannorum enim invadentium ævo eadem ambarum abbatiarum fuit misera conditio. Abest itaque merito illa translatio a menologiis benedictinis Bucelini, Herediæ et ven. vir Petri Lechner; qui omnes ad diem* 25 *octobris S.* Hildemaram *laudarunt, nil tamen dixerunt de ejus corpore Fontanellæ servato. Neque etiam Fiscanni id exstitisse videtur. Certe in Historico conatu de Fiscannensi abbatia* (10), *quem Leroux de Lincy anno* 1840 *edidit et in quo plures reliquiarum catalogi interspersi sunt, numquam de S.* Childomaræ *exuviis mentio incidit : quas quidem ego puto inter Normannorum incursiones periisse.*

Quum S. Childemaræ *gesta jam pridem perierint, ea colligenda ex aliis fontibus.*

4 *Ad finem sæculi* X (*tum enim scriptum fuit secundum fragmentum Vitæ S. Waningi,* (*quod, Bollando ignotum* (11), *Mabillonius* (12) *primus edidit,*) *exstitisse adhuc diceres* libellum, *qui* de ejus scribitur actibus *et qui* vitam ac laudabilem conversationem liquido narrat, *quandoquidem illic his verbis annuntiari videatur; verum, quum hæc ex secunda Vita S. Wandregisili* (13), *sæculo* VII *exeunte conscripta, verbatim desumpta sint, testimonium illud non tam rei visæ, quam lectæ habendum est. Quid, quod in S. Wandregisili Vita non agitur de S.* Childemaræ *actibus, vita et laudabili conversatione, sed S. Waningi? Certe ita intellexit hunc locum Mabillonius, ut ad marginem notavit* (14); *et quidem ita suadere videtur orationis series, ut lector ipse inferius perspiciet. Nullane scripta fuit S.* Childemaræ *Vita? Negare non ausim, quod alio S. Wandregisili Vitæ loco ita biographus loqui videatur ut nonnisi violenter possint ejus verba ad S. Waningum trahi. Ecce enim :* Cui illa, *id est Sindardo diacono S.* Childemara, intimavit in visu se esse commonitam ut, *Burdigalensi civitate relicta,* tellurem adiret Rotomagensem, virumque Domini Wandregisi- F
lum inviseret atque sub illius regimine divinis pareret edictis. Quæ, SICUT SCRIBITUR IN EJUS GESTIS, ad Christi famulum perveniens, ad præfatum illustrissimum virum Waningum perduxit. *Quæ si recta sint, perierunt jam pridem illa Gesta, verisimillime* (*sic mihi persuadeo*) *quum Normanni res omnes sacras et profanas vi, gladio et igne vastarunt. Quamobrem nil aliud superest quam ut quæ pauca de S.* Childemara *cognita sint colligamus ex laudata S. Wandregisili secunda Vita; ex quatuor fragmentis Vitarum S. Waningi, ita a Bollando et Mabillonio editis, ut primum Bollandi hic omiserit et secundo loco aliud ediderit, quod Bollandum latuerat; tertio, ex Vita secunda S. Audoeni, Rothomagensis archiepiscopi, quæ Fridigodo tribui solet et partim ex S. Wandregisili*

(1) Gallia christiana, t. II, col. 120. — (2) Description de la Haute Normandie, t. I, Discours, p. 90. — (3) T. II, col. 857 et t. XI, col. 205. — (4) Pag. 201. — (5) Sæculum II, p. 542. — (6) Lib. XIV, n. 61; lib. XVI, n. 62. — (7) Acta SS. ord. S. Benedicti, sæc. II, p. 974, not. *c.* — (8) Lignum Vitæ, t. II, lib. III, p. 350. — (9) Cfr p. 200. — (10) Essai historique et littéraire sur l'abbaye de Fécamp, Rouen, 1840. — (11) Cfr Acta SS. ad IX Januarii, pag. 591 et seqq. — (12) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæc. II, p. 974. — (13) Ibid., p. 542, et Acta SS., t. V Julii, p. 577. — (14) Sæculum II benedictinum, p. 542.

Actis

A *Actis sumpta est; quarto ex Vitis S. Leodegarii, quæ ad diem* 2 *octobris in Actis nostris datæ sunt et in sæculo* II *Benedictino: hic enim fortissimus martyr aliquandiu in Fiscannensi cœnobio custoditus fuit,* S. Childemara *abbatissa: quinto ex Libello de revelatione et authoritate Fiscanensis monasterii : quod opusculum, sæculo* XII *ab anonymo ex illis Vitis collectum, primus in lucem dedit Arturus a Monasterio* (1).

Ejus patria, genus et nomen Childemara

5 *Porro* S. Childemaram *natione fuisse Burdigalensem constat ex S. Waningi Vitæ fragmento Bollandiano primo* (2) *seu Mabilloniano secundo* (3), *ubi* Burdigalensis virgo *dicitur. Genere francam fuisse indicio est ipsum nomen* Childemara *seu* Hildemara, *vel* (*ut aliis placet*) Childemarca *seu* Hildemarca. *Utra autem forma magis placere debeat, haud scio, quoniam ambæ bonæ sunt. Constat enim id nomen ex* Child *seu cum mitiori aspiratione* Hild, *quo* puer *significabatur apud francos, uti etiamnum apud Anglos ; Germanis et Teutonibus* Chindh, Kint, *nunc vero* Kind *malentibus: et ex* Mara *seu* Marach, *quæ vox* equum *et* equam *indicat. Non enim sola forma* Mara, *satis superque nota,*

B *olim in usu fuit; verum etiam* Marc, Mark *seu* Marach, *ut recitatis exemplis Cangius et Schilterus in Glossariis suis ad verbum* Marach *et Adelung ad verbum* Mähre *demonstrarunt. Quid, quod forma* Mark *longe antiquissima est? Certe traditur Pausanias docuisse a Celtis equum* μαρκαν *appellatum esse. Verumtamen in polyglossis nominibus, ut pleraque vetera germanica et francica sunt,* marc *ad finem nuspiam reperio, sed semper* mar. *Recensui scilicet universum Catalogum nominum propriorum, quæ Alamanni et Burgundiones olim usurparunt; quem Catalogum Senckenbergius ex Goldasti bibliotheca secundum antiquum Sangallensem codicem edidit* (4)*; atque hæc illic reperi :* Acmarus; Adalmarus; Altmar, Audomarus; Andemarius; Angelmarus; Cuthmar; Deodemarius, Téodemarius, Thietmarus, Thiomar; Ermenmarus, Hirminmarus; Filemarus, Folmar, Volcmar, Vulmarus, Willimarus; Gauzmarus; Gisemarius; Hamarus; Hiltimarus, Hildomarus; Ismar; Kummar, Gummarus; Ludemar; Ostmarus; Otelmarus; Otmar, Othmar; Peretmar; Ratamar; Richamar; Roadmar, Ruadmar; Sige-

C marus; Tagamar; Thancmar; Ursemarius; Walmarius; Wantalmar; Wimar; Winemar; Wolfmar : *quæ omnia nomina masculina sunt; atque inter ea, quæ post illa leguntur feminina, nullum est quod in* mar *seu* marc *desinat.*

seu Childemarca : *quæ duæ formæ unius nominis sunt.*

6 *Verum ubi* mar *initio vocabulorum stat, formam* marc *nonnumquam induit : ut in* Marward, *quod fit* Marchwart, Marhcwart, Maracwart, Marcwart: *quod etiam observatur in* Marcrat *et* Marcherat; Marchire; Marcholf; Marcfredus; Marquinus. *Inter feminina nomina nonnisi dubia exempla sunt; quæ selige inter sequentia :* Margund ; Marhgund; Maracholt; Marahsind; Merabind; Meridrud, Merithrud; Merigard; Merisind; Meriswith *et* Merihilt *seu* Merehilt : *quod idem est ac* Childomara, *nisi quod radices loco mutatæ sint. Ex hoc itaque capite præplacet forma* Childomara *seu* Hildomara; *quam etiam* (*ut vidimus*) *vetustissima kalendaria Lucense et Blumianum habent, et quam Arturus a Monasterio, degens in Normannia, sibi etiam notam fuisse demonstrat in Gynecæo. Verum in aliis omnibus monumentis aliter nomen scribitur : scilicet* Childemarcha, Childomarcha, Childemarca, Hildemarcha, Hildomarcha, Hildemarca *et* Hildomarca *in iis omnibus monumentis, unde gesta* S. Childemaræ *desumenda esse supra docui, nisi quod in editione Mabilloniana Vitæ S. Leodegarii, auctore Ursino,* c *aut* ch *in* g *mutatur et* Childomerga *dicitur, in Bollandiana editione* Childomarga; *quam formam in Patriciacensi calendario jam deprehendimus. Atque hæc ea tantum de causa disseruimus ut manifestum esset utramque scribendi normam esse bonam. Id unum cave ne, quia id nomen ex duobus vocabulis constet, id compositum fuisse credas et significatum unum habere; non ita est. Apposita sunt* Child *et* Mar, *ut si duo nomina baptismalia scribas* Carolus-Ludovicus. *Atque hæc omnium nominum germanicorum et francicorum est ratio, quippe quæ fere ex duobus vocabulis appositis constent, non ut hinc sensus aliquis exoriatur, sed distinctionis gratia. Et* E *quidem pars aliquando pro toto nomine scribebatur; sic* (*promptissimo exemplo utor*) Bruna *loco* Brunechildis, *celeberrimæ reginæ, in scriptis coævis occurrit : aliquando autem ultima pars quasi duplex erat, uti videre licet in celeberrimo majori-domus Ebroino, qui et* Eber-Winus (*Aper-Amicus*) *et* Eber-Merus (*Aper-Equus*) *dictus est. Sed memini me jam alibi hoc argumentum, passim parum notum et perspectum, versare.*

AUCTORE V. D. B.

S. Childemara, *Burdigalensis virgo et in suburbio abbatissa fuit ignoti monasterii;*

7 *In suburbio Burdigalensi abbatissam fuisse* S. Childemaram *certum plane est. Lege enim Theodosii vetitum erat ne monachi intra urbium mœnia versarentur; quæ licet paulo post abrogata fuerit, perrexit tamen in Galliis vim habere : non itaque de ipso oppido, sed de vicinia intelligenda sunt hæc secundi fragmenti Bollandiani Vitæ S. Waningi verba :* Childemarcha, Burdigalensis virgo, ibique multarum virginum mater; *et hæc alia secundi fragmenti Mabilloniani et simul Vitæ S. Wandrigisili atque etiam Libelli de revelatione monasterii Fiscannensis :* Erat enim tunc temporis apud Burdigalam urbem virgo Christi, nomine Hildemar- F cha, in quodam monasterio sanctimonialium sanctissima gubernatrix. *Quod Burdigalense monasterium nomine et patrocinio S. Eulaliæ, virginis et martyris, insigne fuisse voluit Dionysius Sammarthanus* (5) *et qui eum in augenda Gallia christiana secuti sunt* (6). *Verum nuspiam id traditur; sed solum S. Eulaliam monuisse S. Waningum ut Burdigala Fiscannum evocaret* S. Childemaram, *quæ novo SS. Trinitatis parthenoni præsset. Nec quidquam est quare S. Eulalia censeatur illic potius fuisse patrona quam alii sexcenti martyres; nisi velis eam non potuisse abbatissam designare extra monasterium, quod suum nomen non haberet. Expungant itaque Burdigalenses S. Eulaliæ monasterium, quod eis attribuit Sammarthanus, contenti ignorare nomen situmque parthenonis, quem inter eos rexit* S. Childemara.

(1) Neustria pia, pag. 191 et seqq. — (2) Acta SS., tom. I Januarii, pag. 592. — (3) Sæc. II Benedict., pag. 975. — (4) Rerum Alemannicarum scriptores, tom. II, pag. 95. — (5) Gallia christiana, t. II, col. 857, et instr. col. 326. — (6) Ib., t. XI, col. 205.

AUCTORE V. D. B. *evocatur Fiscannum, ubi Ansegisus dux (ut volunt) debuisset monasterium excitare.*

8 *Mansit illic pientissima virgo usque post medium sæculum* VII, *quando nempe cælitus jussa est in diœcesim Rothomagensem pergere. Quæ res quomodo facta sit in fragmentis Vitæ S. Waningi, in SS. Wandregisili et Audoeni Vitis et in Libello revelationis Fiscannensis explicatur. Porro in secundo fragmento Bollandiano Vitæ S. Waningi* (1), *quod primo loco edidit Mabillonius* (2), *aperte declaratur prius Fiscannensem vallem* designatam *fuisse, ut in ea monasterium conderetur,* ducis Ansegisi revelatione; *quæ revelatio in deperdita parte fusius explicabatur et in Libello revelationis servatur adhucdum. Quum scilicet Ansegisus ille in partibus Calceatensis pagi* * *aliquando venaretur, apparuit cervus candidus nil timens a canibus et lento passu ad vallem pergens. Quo cum pervenisset, venatores, equi et canes obriguerunt. Miraculo obstupefactus, jussit Ausegisus homines in terram descendere, et supplex a Deo voluntatis suæ significationem efflagitavit : tum cervus circuitu quodam quasi ædificium designavit et disparuit. Intellexit dux templum illic Deo uno et trino ædificandum esse; et continuo ex arbustis ramisque ædiculam construxit, grandem fabricam postea moliturus : sed morte præventus non potuit* (3). *Quare, quum ante conditum Fiscannensem parthenonem diem obierit, alius sit oportet ab Ansegiso seu Ansegisilo, S. Arnulfi filio, marito S. Beggæ et Pippini Heristallensis patre, utpote recentiore : nisi præplaceat totum hunc narratum, (quem miror non improbari Mabillonio* (4)), *inter fabulas amandare, quoniam omissus sit in primo fragmento Bollandiano, in Vita S. Wandregisili et in aliis melioris notæ documentis.*

* Pays de Caux

B

S. Waningus, dux Calceatensis pagi, bis admonetur a S. Eulalia ut illic cœnobium excitet, cui præsit S. Childemara;

9 *His itaque sepositis,* fuit vir quidam, *ut in primo fragmento legitur* (5), in territorio Rotomagensi, nomine Waningus, ex illustri Francorum prosapia ortus, armis strenuus, divitiis locuples, prædiorumque amplitudine pollens. Hic itaque inter primos palatii, temporibus Lotharii [*III seu*] Junioris, *qui, quadriennium vix natus, ab exeunte anno* 656 *in Neustria et Burgundia, S. Bathilde tutrice, regnare cœpit;* cum consilio cujus rex Lotharius regum Francorum fortiter gubernabat. Nam hic vir sanctus oratoria sanctorum frequenter visitabat, suffragiaque eorum sedulis precibus postulabat; monasteria plurima in et de suis possessionibus ædificabat. Piis officiis illustris Waningus insignis adjutor locorum sanctorum *Fontanellensis monasterii* extitit et eidem plurima prædia felici munere ad usus servorum Christi devotissime contulit... Venerabatur virgines sanctas, quæ de hoc mundo transierant; maximeque sanctam virginem et Christi martyrem Eulaliam : itaque in ejus nomine plurima loca Deo sacraverat... Est in Rotomagensi archiepiscopio super mare pagus, qui vocatur Calcegius *; quo in loco habebat vir memoratus possessiones non modicas; quarum una dicitur Fiscampnus... Quadam igitur nocte ei virgo [*Eulalia*] apparens, dixit : Waninge..., ad cumulum bonorum operum tuorum in prædio tuo Fiscampno construe monasterium in

C

* Pays de Caux

(1) Acta SS., t. I Januarii, p. 592. — (2) Sæculum Benedictinum II, p. 972. — (3) Arturus a Monasterio, Neustria pia, p. 196 et 197. — (4) Annales ordinis S. Benedicti, lib. XIV, n. 61. — (5) Acta SS., t. I Januarii, p. 591. — (6) Ex Vita S. Wandregisili. — (7) Acta SS., tom. V Julii, p. 277. — (8) Cfr Chronicum Fontanellense, ap. Dacherium, t. II, p. 266, edit. in-fol. et Mabillonius, Annales Benedictini, lib. XIV, num. 61. — (9) Frag. Vitæ S. Waningi Mabillonii II, Sæculum Benedictinum II, p. 974.

nomine sanctæ Trinitatis; collectaque congregatione sanctimonialium virginum, mittes legationem ad Burdegalensem [*civitatem atque inde accerses* Childomarcham, *multarum virginum matrem, quæ novo monasterio abbatissæ titulo præsit.*] Quo facto, continget tibi, per quod cælesti hæreditati restitueris. Tunc vir sanctus, a somno excitatus, cœpit cogitare qualiter compleret quæ virgo sancta jussisset. Festinato igitur beatos Audoenum et Wandregisilum adiit eisque ordinem visionis exposuit. Tunc viri sancti, Spiritu sancto revelante, dixerunt : Visionem, quam vidisti, si quantocyus impleveris, aditum cæli reserabis. Festina itaque et regis præsentiæ te exhibe... Tunc sancti sacerdotes B. Waningi humilibus precibus regis præsentiam adierunt, et... a rege Lothario Juniore, qui cum matre sua sancta Baltilde Franciam regebat, petierunt secretum, ut proderent pro quo venerant consilium. Quod rex annuit; corque eis accommodans, quod postulant dat; et, quæ non poscunt, largitur regia dona. Hinc beatus Waningus ad propria lætus rediit..., et in Fiscampno monasterium celeriter ædificavit. Quo in loco febre valida corripitur, ac in extasi mentis rapitur, pavore simul ac frigore fit mortuo simillimus...; et exsequiæ (ut mos est) celebrantur : tuncque vidit pœnas damnatorum et præmia electorum; [audivitque divinitus (6)] viginti annis [ipsum] supervicturum, et hoc B. Eulaliam, cujus precibus se commendaverat impetrasse. Tunc a visione tam acerba et a superis reverso B. Waningo incolumitati reddito, sancti confessores Audoenus et Wandregisillus, rex Lotharius, ejusque cuncti proceres, cum tota populi multitudine, cernentes factum miraculum, gratias Deo egerunt.

D

E

S. Childemara *similiter monetur et visionem aperit Sindardo, diacono Fontanellensi : atque hæc omnia implentur interventu SS. Wandregisili et Audoëni.*

F

10 Erat *autem, pergimus cum S. Wandregisili secundo biographo* (7), tunc temporis apud Burdegalim urbem virgo Christi, nomine Hildemarcha, in quodam monasterio sanctimonalium sanctissima gubernatrix : ad quam quidam vir Dei, monachus (*Fontanellensis* (8)) et diaconus, nomine Sindardus, cum propter utilitatem servorum Dei [*Fontanellensium* (9)] in illas partes mitteretur, causa hospitii declinare solitus erat. Cui illa intimavit in visu se esse commonitam, ut tellurem adiret Rotomagensem, virumque Domini Wandregisilum inviseret atque sub illius regimine divinis pareret edictis. Quæ, sicut scribitur in ejus gestis, ad Christi famulum perveniens, ad præfatum illustrissimum virum Waningum perduxit; prædictumque cœnobium Fiscamnum per testamenta beato Wandregisilo isdem Waningus tradens, ejus consulto eidem religiosissimæ virgini tradidit ad regendum. Cujus vitam ac laudabilem conversationem libellus, qui de ejus scribitur actibus, liquido narrat. Quod idcirco adscribendum putavi, ut posteris intimaretur sub jure et regimine præfati patris prædictum cœnobium nuperrime *seu ab initio* fuisse. *Neque hæc fieri poterant sine auctoritate S. Audoëni, Rotomagensis*

archiepiscopi;

AUCTORE V. D. B.

A *archiepiscopi; quæ omnibus rebus intercessisse traditur in ejus Vita altera seu posteriore. At vero hæc dumtaxat inde excerpo verba* (1) : Itaque in jam dicto prædio (*Fiscanno*) cœnobium construentes, Waningus scilicet atque venerabilis Audoenus, multitudinem ibi sanctimonialium, monastico cultu degentium, sub Childemarcha constituit, sanctumque virum *Wandregisilum*... ibi ex consulto præficiunt. *Quæ conveniunt cum primo fragmento Bollandiano; ubi etiam indicatur quantus esset monacharum numerus :* Tunc demum (*ultima fragmenti illius* (2) *verba sunt*) per B. Waningum consummato Fiscampni monasterio, necnon ab episcopis Galliarum (*id est provinciæ Lugdunensis II*) consecrato; congregatis trecentis sexaginta sex virginibus, B. Waningus monasterium commisit viris sanctis prænominatis Audoeno et Wandregisilo, ut sedulius sanctas virgines regularibus disciplinis informarent.

Moniales 366 *laudem perennem illic celebrant, abbatissa S.* Childemara. *An Regulam Benedictinam servarint. Conditum fuit monasterium circa annum* 660

11 *Idem numerus in secundo fragmento legitur; ex quo etiam intelligimus tum Fiscanni celebratam fuisse laudem perennem, quæ illo fere ævo Agauni, Divione in S. Benigni, Lauduni, in Majori monasterio, inter Romaricenses, aliquandiu in S. Dionysii, et Luxovii, atque etiam alibi in usu fuit, et ad quam acœmetarum græcorum instituta proxime accedebant. Ecce verba* (3) : Congratulatur beata Trinitas, incommutabilis Deus, et completo templo et convenientium virginum famulatui casto : quarum trecentarum sexaginta sex diurnas nocturnasque et continuas contemplans laudes, et mortis liberatione et in mansura civitate promittit et præparat beatæ retributionis immarcessibilem coronam. *In primo fragmento Bollandiano* (4) *dicitur Regula S. Benedicti ab initio usurpata fuisse Fontanellæ; unde, quum in secundo fragmento Mabilloniano hæc verba occurrunt :* Monasterium (*Fiscannense*) dedicatur, numerus sacrarum virginum colligitur, regula vivendi disponitur; *subit cogitare an Fiscanni tum etiam eadem Benedictina Regula loco legis esset : tanto magis quod S. Wandregisilo, Fontanellensi abbati, subditum fuisse Fiscannum modo vidimus. Equidem me non credere candide profitebor, non quod hoc loco*

C *versare velim grandem quæstionem de propagatione Regulæ Benedictinæ, sed quod autumo non rececendum esse a decessorum placitis, qui in commentario de S. Aurea ad diem 4 octobris singulari doctrina ostendere conati sunt sæculo* VII *Regulam S. Columbani aut Sanctorum Patrum instituta maxime in usu fuisse inter Gallos, minus vero Regulam S. Benedicti. Neque enim tantæ antiquitatis est illud fragmentum, quam ut fidem facturum sit, quum in aliis omnibus monumentis altum ea de re sit silentium. Quoniam vero Fiscannensis fundatio facta est, dum S. Balthildis regni habenas qua tutrix teneret, manifestum est eam inter annum* 656, *quo tantam auctoritatem adepta est, et annum* 665, *quo Kalense monasterium intravit, excussis sæcularibus sollicitudinibus, consignandam. Quibuscum si hæc conjungamus S. Waningum secundum S. Eulaliæ promissionem viginti annos adhuc victurum eumque* (*ut modo videbimus*) *vitam duxisse usque post martyrium S. Leodegarii, Augustodunensis episcopi, qui anno* 678 *cruentis Ebroini machinationibus occubuit* (5), *fieri non potuit Fiscannensis monasterii ædificatio ante annum* 658, *ad quem eam enarrat Mabillonius* (6). *Neque a vero multum aberrare potest Cointius* (7), *qui circa annum* 661 *prima illius asceterii fundamenta jacta esse scripsit.*

Ebroino, majoridomus et S. Leodegarii occisori, faverunt multi sancti viri; quos inter S. Waningus. S. Leodegarius, jam multa passus,

12 *Immixta autem fuit simul cum S. Waningo* B. Childemara *postremis* (*quas continuo memorabam*) *S. Leodegarii calamitatibus. Nolim ego retexere longam illam tragœdiam, quam Byeus noster summa diligentia in his Actis nostris sanctorum ad diem* 2 *octobris explicuit. Id unum animadversum velim exordia simultatis, quæ inter Ebroinum et S. Leodegarium exstitit, non in una illius ambitione et protervia constituta fuisse; sed præcipuam forte mali labem fuisse studia partium, quæ, regibus pueris et imbecillibus, inter primates orta erant, maxime inter Austrasios, quibus fere adhærebat S. Leodegarius, et Neustrasios, quibus potissime nitebatur Ebroinus. Hinc videre est viros vere probos etiam ab Ebroino stare, verbi gratia alterum S. Præjecti, episcopi Alvernensis seu Claromon-* E *tani, btographum; item biographum S. Balthildis reginæ et S. Reolum, archiepiscopum Remensem, aliosque sanctissimos præsules, qui arctissimam cum homine illo coluerunt amicitiam. Quid ergo mirum, si S. Audoënus, archiepiscopus Rotomagensis, et S. Waningus, Calciatensis pagi dux, in media Neustria versati, Ebroino ita faverint ut nil ab eorum fidelitate timeret? Quid, quod in fragmento Passionis, ex codice Moisiacensi ab Em. Viro J. B. Pitra* (8) *edito, S. Waningus S. Leodegarii martyrii non minus reus constituitur quam ipse Ebroinus? Quod tamen assertum, ex quo infamiæ aliquid in ipsam S.* Childemaram *redundaret, non omni ex parte verum est. Anno scilicet* 674, *autumnali* (*ut videtur*) *tempore, S. Leodegarius spontanea deditione* (*obsidebatur nempe Augustoduni*) *in Ebroïnianorum manus venerat; a quibus excæcatus fuit, Waimiro in custodiam datus, ab eo missus in Campaniam, et dein ab ipso Ebroino prius in silvam, post in monasterium trusus. Interea vaferille vir Theoderici regis amicitiam et majoratum domus recuperavit; qua potestate* F *continuo usus est ut adversarios rapina, exilio et cæde perderet. In aulam quoque accersivit anno* 676 *S. Leodegarium ejusque fratrem S. Guerinum; quorum hunc lapidibus interfici jussit; Leodegarium vero, ut lento supplicio ad desperationem impelleret, laceratis plantis, abscissa lingua, labiisque mutilatis S. Waningo tradi; veritus ne, si eum* (*uti vir sanctus optabat*) *simul conficeret, omnes eum pro martyre haberent.*

custodiendus traditur S. Waningo; qui, intellecto sermonis recuperati miraculo, eum in Fiscannensi cœnobio collocat et melius habet. Concionatur ibi sanctus martyr sine lingua. Moritur S. Childemara *aliquanto post.*

13 *Postquam autem, verba sunt anonymi coævi, qui primam S. Leodegarii Passionem scripsit* (9), Waningus eum perduxit ad propria, Dei comitante gratia, cœperunt velocius ejus contra naturam recrescere labia una cum lingua, necnon et verba ultra solitum ab ejus ore indesinenter effluere. Cum hoc miraculum cognovisset Waningus, non obturat animum ei impendere malum, ut a tyranno fuerat jus-

(1) Acta SS., tom. IV Augusti, pag. 815. — (2) Ibid., tom. I Januarii, p. 592. — (3) Ibid., p. 594. — (4) Ibid., p. 592. — (5) Ibid., tom. I Octobris, p. 420. — (6) Annales Benedictini, lib. IV, num. 61. — (7) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 661, num. 13. — (8) Histoire de saint Léger, évêque d'Autun, p. 504. — (9) Acta SS. tom. I Octobris, pag. 475.

sum;

AUCTORE V. D. B.

sum; sed versa vice, jam Dei martyrem cognoscens, eum acceptum ad suum perduxit cœnobium, quod vocatur Fiscamnum, ubi erat congregatio sanctimonialium ac virginum, quibus præerat Hildomarcha, famula Christi; in quo multis diebus habitator stetit sub custodia. Nam et lingua præcisa solitum recepit officium et magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo : quandoque inter virginum accedere contigerat catervam, tantum (ut fertur) dulcia sua fulgebant eloquia ut mirarentur quicumque audientes quanta Dei operaretur clementia, et, conversi a pravis operibus, velociter peterent pœnitentiæ fructum. Ubi, dum intra parvum spatium oris, faciei vel linguæ recepisset officium, eo quod oblatus fuerat ipse, jam quotidianum immolare studuit sacrificium; ut dum intrinsecus eum lux spiritualis impleverat, de corporis oculis nil curaret. Nam diebus ac noctibus in Dei cultura pervigil astabat, ut vel paululum ad necessaria corporis aliquando ab ecclesia procederet, ut vel quippiam somni ciborumque perceptionem capere potuisset. Igitur post
B tot flagella, ut decebat martyrem, fideles populi ei famulatum exhibebant venerabilem. *Atque omnium harum rerum testis et pars biennium fuit S.* Childemara. Adhuc enim, *verba sunt ejusdem illius biographi,* vir Dei Leodegarius in eodem monasterio sanctimonialium, in quo ad custodiendum positus fuerat, commorabatur, *quum anno* 678 *ad synodum seu conventum optimatum, a Theodorico rege convocatum, deductus est, et Ebroïni artibus exauctoratus, continuo post Chrodoberto traditus et demum jussu Ebroïni in mediis silvis pagi Atrebatensis occisus. Quæ non solum in omnibus S. Leodegarii Vitis leguntur, verum etiam in duobus fragmentis Vitæ S. Waningi et in Libello revelationis Fiscannensis. Ex hoc autem disce quam utilis fuerit S.* Childemaræ *ejusque sanctis virginibus S. Leodegarii inter eas conversatio :* Cum gloriosus martyr episcopus, *inquit anonymus scriptor* (1), summi et omnipotentis Dei sacras ingrederetur ædes et psallentium virginum audiret angelicas voces, ablatæ officium linguæ recepit : et per annorum verriginem duorum cum sanctis virgini-
C bus conversatus, humilitatis et patientiæ formam exhibuit, et audientium corda rore cælestis doctrinæ irrigavit et fœcundavit. Cernens igitur B. Waningus inopinatam templi gloriam, sanctæque congregationis religionem et multitudinem cælestem, cunctas suæ proprietatis divitias recensuit, sanctarumque in usus virginum delegavit : et toto vitæ suæ cursu totius famulatus humilitatem et obedientiam in eadem ecclesia ratione et consuetudine servientium exhibuit. *Aliquanto post annum* 678 *obierit oportet S.* Childemara. *Quum secundum fragmentum Mabillonianum Vitæ S. Waningi in Actis nostris nondum prodierit, quumque multo magis ad S.* Childemaram *quam ad S. Waningum spectet* (*re autem vera brevis historia est cœnobii Fiscannensis, donec ex puellari virile factum est,*) *dabimus id hic in lucem : nulla enim spes est ut vetus S.* Childemaræ *Vita umquam uspiam reperiatur.*

(1) Arturus a Monasterio, Neustria pia, pag. 199.

D

VITA S. CHILDEMARÆ,

CUM ORIGINIBUS FISCANNENSIBUS,

Ex sæculo II *Benedictino, pag.* 974 *et* 975.

S. Waningus cœlitus correptus, Fiscamnum molitur,

In diebus Lotharii *a* regis Francorum fuit quidam vir illustris prudentia eminens, bonitate valde clarus, Deoque obediens, nomine Wauingus *b*, qui multimoda cœnobiorum habitacula in possessionibus propriis construxit *c*, ex quibus unum est quod vocatur Fiscamnum : quæ res hac ratione processit. Hic, in eodem loco valetudine correptus acerrima, pæne fuerat ad extrema deductus. Raptus autem in ecstasi, ostensa sunt ei pœnæ damnatorum, et felicitates justorum, audivitque oraculo cælesti datione ostenso viginti annorum spatia se victurum fore, et hoc impetravisse a Domino sanctam Christi martyrem Eulaliam, E
cujus precibus se sedulis commendare solitus erat *d*. Sed et ipsa martyr ei apparens commonuit, ut in prædicto prædio quo morabatur monasterium construeret, et de sua stirpe nulli ad regendum committeret. Qui reversus ad superos *e*, sacerdotem Christi Audoënum, Rotomagensem archiepiscopum, simulque virum Dei Wandregisillum, abbatem Fontanellensis cœnobii, ad se accersivit, et ejus ordinem visionis exposuit, simulque a febre, qua premebatur, eorum precibus curatus, optatam recepit sospitatem, præfatumque cœnobium, ut monitus erat, illico construere cœpit *f*.

a *b* *c* *d* *e* *f*

Chlothario annuente, Hildemarcha *abbatissa constituta.*

2 In eodem conventu rex adfuit Hlotharius, Chlodovei Junioris filius, illius miraculi famoso stupore vel maxime accitus, quod Waningo fuerat actum : quod videlicet precibus sacerdotis et abbatis de limine mortis fuerat ad vitæ januam restitutus : et quod ei, per excessum rapto, tartareum chaos fuerat reseratum; et in morem Ezechiæ regis, per cælestem visionem, vitæ illius viginti anni sunt superadditi. Unde ad hoc cæleste spectaculum F.
rumor ingens primates Francorum universos, et ingentem populi multitudinem commoverat. Igitur opus propter quod pontifex et abbas convenerant adimpletur, monasterium dedicatur, numerus sacrarum virginum colligitur, regula vivendi disponitur. Erat enim tunc temporis apud Burdigalam urbem virgo Christi, nomine Hildemarcha, in quodam monasterio sanctimonialium sanctissima gubernatrix; ad quam quidam vir Dei monachus ac diaconus *g*, nomine Sindardus, cum propter utilitatem servorum Dei Fontanellensium in illas partes mitteretur, causa hospitii declinare solitus erat. Cui illa intimavit in visu se esse monitam ut tellurem adiret Rotomagensem, virumque Domini Wandregisilum inviseret, atque sub illius regimine divinis pareret edictis. Quæ, sicut in ejus scribitur Gestis *h*, ad Christi famulum perveniens, ad præfatum illustrissimum Waningum perduxit *i*; prædictumque cœnobium Fiscamnum per testamenta B. Wandre-

g *h* *i*

gisilo

A gisilo isdem Waningus contradens, ejus consultu eidem religiosissimæ virgini tradidit ad regendum; cujus vitam ac laudabilem conversationem libellus *k*, qui de ejus scribitur actibus, liquido narrat.

k

Leodegarium Fiscamni excipit.

3 Defuncto igitur rege Chlotario, Childericus regnum Francorum suscepit : sed et iste, non plene quatuor annos regnum tenens, vita decesssit; cui successit Theodoricus, suus germanus *l*. Hujus tempore Ebroinus, major domus regiæ, Leodegarium, Augustodunensem episcopum, vinculis tenebat *m*. Qui convocans præfatum Waningum : « Accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidisti virum superbum; erit enim tempus suæ mortis, recipiens quod meretur a suis inimicis. » Tunc acceptum ad præfatum perduxit cœnobium; in quo multis diebus conversatus stetit sub custodia. Nam et lingua præcisa solitum recepit officium, et magnum doctrinæ semen ostendit in populo, ut, quando posset, virgines accederet ; et ita (ut fertur) dulcia sua fulgebant eloquia, ut mirarentur quicumque audierant * audirent, quanta Dei operabatur B clementia, et conversi a pravis operibus velociter peterent pœnitentiæ fructus *n*.

l

m

* audierent

n

Cœnobium a Nortmannis diripitur.

4 Floruit autem idem locus a tempore præfatorum regum usque ad tempora Ludovici imperatoris *o*, filii Caroli Magni. Tempore istius sævissima Danorum gens, Franciam irrumpens, in oram maritimam non minimam christianorum populorum stragem dedit. Unde factum est, ut idem locus ad solitudinem redigeretur, ita ut fieret ferarum habitatio, qui fuerat prius christicolarum ornamentum.

o

Normannorum duces.

5 Anno igitur dominicæ incarnationis 876, regnum Francorum gubernante rege Carolo, Rollo quidam natione Danus, ritu gentilis, ordine miles, cum suis navigio Franciam intravit : quam terram multum devastans, a prædicto rege regnique proceribus quamdam partem dono recipiens, ac baptismi gratiam consecutus, de reliquo fidelis permansit. Ipsam autem terram quoad vixit optime regens, legesque et jura paterna ipsis habitatoribus componens, anno 917 ab incarnatione Domini migravit a sæculo. Cui successit in regnum C Willelmus filius suus, qui palatium sibi Fiscamni mirifico opere construxit. Quo in loco dum moraretur, genuit ibi filium, Richardum nomine, eleganti forma infantem; quem præcepit a principibus suæ terræ liberalibus imbui disciplinis. Hoc in tempore in præfato monasterio destructo jam non habitabatur; quia, destructa maceria, ibi grandis silva creverat. In ipso autem loco coloni ipsius villæ repertum altare ex virgultis quantum valuerunt ad præsens cooperuerunt; ex cujus initio, sicut ab antiquis audivimus, ipse auctor et redemptor humani generis, præscius sibi in ipso loco futuri servitii, grande miraculum ostendere dignatus in forma cujusdem speciosissimi cervi *p*.

p

ANNOTATA

a *Intelligitur Chlotarius III : de quo vide Commentarium prævium, num.* 9.

b *Ejus Acta dederunt decessores nostri ad* IX *januarii et Mabillonius in Sæculo* II *Benedictino. Ejus festum cum officio* XII *lectionum legebatur in Breviario Fiscannensi, anno* 1627 *jussu Henrici a Lotharingia edito et recognito. Corpus ejus religiose servabatur in monasterio Hamensi, diœcesi Noviomensi; ita ut quidam frustra dubitare olim voluerint de ejus cultu.*

c *Cfr Commentarius prævius, num.* 9.

d *In primo fragmento Bollandiano duplex raptus narratur. Cfr Commentarius prævius, num.* 9.

e *Supponitur mente ad inferos descendisse; unde, quum ad se seu homines redit, censetur ad superos revertere.*

f *Cfr Commentarius prævius, num.* 9 *et* 10.

g *Sindardus Fontanellensis diaconus erat. Cfr Commentarius prævius, num.* 10.

h *Cfr Commentarius prævius, num.* 4.

i Perduxit *sensu neutro, ut abstinere, festinare, declinare, vertere et composita, et bene multa alia, quæ recensent grammatici.*

k *Cfr Commentarius prævius, num.* 4.

l *Mortuus est Clotharius III, rex Neustriæ et Burgundiæ, post medium annum* 670; *cui successit frater Theodoricus III, brevi Ebroini machinationibus dejectus. Ei substitutus alter fra-* E *ter Childericus II, ab anno* 660 (*erat tum septem aut octo annos natus*) *rex Austrasiæ. Universam monarchiam tenuit usque ad mensem septembrem anni* 673; *quando occisus fuit et denuo sceptrum adeptus est Theodoricus III.*

m *Vide ea de re Commentarium prævium, num.* 12 *et* 13.

n *Hæc ad verbum fere desumpta sunt ex anonymi Vita S. Leodegarii; quæ exstat in Actis nostris ad diem* 2 *octobris. Cfr Commentarius prævius, num.* 13.

o *Regnavit Ludovicus Pius ab anno* 814 *ad* 840. *Exstabat certe adhuc Fiscannensis parthenon anno* 831, *quo Ansegisus, Fontanellensis abbas, testamento* (*quod Chronico Fontanellensi in Dacherii Spicilegio insertum est*) *legavit* ad Fiscannum libram unam. *Neque ante Ludovici Pii mortem a Normannis tentatum fuisse volunt; sed anno* 841, *quo Gemmeticense pessime habitum est et Fontanellense vexam redemit, statuunt ejus vestationem Maurini tomi XI Galliæ Christianæ scriptores, et circa annum* 842 *Arturus a Monasterio in Neustria Pia. Tum* Dani, *ut in fine secundi fragmenti Bollandiani Vitæ* F *S. Waningi legitur*, hoc monasterium destruxerunt, sanctas virgines expulerunt et effugarunt. Multæ sanctæ virgines, quas gloriosi templi amor retinuerat, (*amputatis sibi labiis et naribus ne turpiter corpora temerarentur*), hostili gladio ante ipsam sacram aram corruerunt. Succensum est templum; demolita omnia. *Arturus a Monasterio tum in Gynecæo ad* 28 *julii, tum in Neustria Pia monet a Menardo ex Fiscannensibus codicibus mss. in* II *appendice ad Martyrologium Benedictinum memoriam fieri harum virginum; sed in trinis quæ habemus illius Martyrologii exemplaribus appendix* II *non adest. Pergit autem deinde Arturus in Neustria Pia his verbis :* Pace autem reddita ecclesiæ et regno, anno 912 Rollone Normanorum duce Christo Deo per baptismum colla subdente, locus præfatus Fiscannensis denuo excultus fuit et inhabitatus a nonnullis sanctimonialibus usque ad annum circiter 989, non vero 990, 996 et 999, quo exinde virgines translatæ et collocatæ apud cœnobium Montisvillare,

tisvillare, jam ab anno 675 illic extructum in eadem diœcesi et Calceatensi regione. *Unde hæc desumpta sint non possum assequi; et certe parum conveniunt cum his quæ hic sequuntur; ea ignorare voluerunt Mabillonius et Galliæ Christianæ scriptores.*

p *De historia hujus cervi diximus in Commentario prævio, num.* 8. *Quod dein Richardus I construxit illic templum,* XVII *julii anni* 990 *in honorem sanctissimæ Trinitatis dicatum est. Introducti tum canonici; qui quum sancte non viverent, iis substituere visum est Cluniacenses. De conditionibus tamen non convenit inter Richardum et S. Majolum. Quare ineunte sæculo* XI *ecclesia commissa Gulielmo, Divionensi abbati, qui Benedictinos induxit.* D

DE SS. GUESNOVEO, TUGDONIO, MAJANO ET TUGDONIA,

EREMITIS IN BRITANNIA ARMORICA,

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. Fontes historici. Sanctorum adventus in Britanniam Armoricam; vita monastica, prodigiis non carens.

B E

SÆCULO VI ADULTO. *Fontes, quibus continentur S.* Guesnovei *et sociorum gesta, tum antiqui,* * St-Yougay

Britannia Armorica, *quæ et Minor, ferax sanctorum tellus, nullos fere præterire sinit dies, quibus non proponat fidelium venerationi aliquem ex suis popularibus. Hodie vero exhibet S.* Guesnoveum, *ab Ingomaro* (1) *dictum* Goednonum, *a chronographo S. Brioci* (2) Goneznonum, *in Litaniis parœciæ S. Bechei** (3) Guednovum, *in kalendario veteris Breviarii Leonensis* (4) Goeznoveum, *et in Breviario Dolensi* (5), *anno* 1770 *edito,* Goeznovæum; *vulgo autem* saint Gouéno *et* saint Goueznou. *Licet sæculo* VII *seu potius* VI *adulto floruerit, nescitur tamen ejus Vitam a quopiam fuisse scriptam, ante iniens sæculum* XI, *quo Guilielmus, presbyter et capellanus Eudonis, episcopi Leonensis, eam conscripsit in novem lectiones divisam; quibus addidit rythmos aliaque, ex quibus solemne officium ecclesiasticum constare solet. Id antistiti suo dicavit anno* 1019, *vigesimo quarto ejus episcopatus* (6); *unde intelligitur Eudonem ad cathedram Leonensem promotum fuisse anno* 995. *Ejus nomen præterivit V. V.*

C *Tresvaux* (7) *in episcoporum Leonensium catalogo; sed id imprudentia factum est, quum alibi* (8) *aperte tradat eum initio sæculi* XI *Leone sedisse. Cl. V. Hauréau* (9) *expunctum vult Eudonem e Leonensium episcoporum serie, quod in eam* e sublesto testimonio *introductus sit; sed severior est hæc censura, quum Albertus Le Grand, (quem justo creduliorem vocare licet, nequaquam mendacem,) certissime Vitam S.* Guesnovei, *anno* 1019 *Eudoni episcopo dicatam, manibus se versasse pluribus locis tradat. Eamdem decurtatam, sed in novem etiam lectiones distributam, reperit in veteri Breviario Leonensi ille idem Albertus; itemque in Legendariis mss. templi cathedralis Leonensis et parœciæ B. Mariæ de Foll-coat, in eadem pristinæ diœcesi sitæ* (10). *Deperditam esse Guilielmi scriptionem docent Lobinavius et V. V. Tresvaux* (11); *quare ut saltem ecgraphum veterum lectionum nanciscerer procuravi; quas Parisiis demum in bibliotheca imperiali inveni, in codice signato Blancs-Manteaux, num.* 38; *quo nil nisi lectiones aut Vitæ sanctorum Britanniæ Armoricanæ continentur, sæculo abhinc descriptæ. Sed licet manifestis literis signetur veteres lectiones Leonenses esse, omnino tamen diversæ sunt a particulis, quas recitat Miorcec de Kerdanet. Quare quum ita raræ sint, ut frustra tentarim eas ex Britannia Minori recipere, eas ad finem hujus commentarii excudi curabo; ipsi vero commentario eas inseram partes, quas Miorcecus jam usurpavit.*

2 *Qui vero præterea potissimi mihi duces futuri sint, simul accipe. Primo loco venit Albertus Legrand et qui ab eo amplius avelli nequit Daniel Ludovicus Miorcec de Kerdanet. Vitam beati viri dedit Albertus, secutus scripta Guilielmi capellani, quem paulo ante indicavi; et ad calcem addidit recentiora cultus fata. Sed Alberti lucubrationem multo meliorem fecit cl. v.* F *Miorcec, addens, ut modo monebam, in annotatis præcipua loca lectionum Leonensium et plura diligentissime illustrans. Venit secundo Lobinavius seu, qui iteratis curis ejus Vitas sanctorum Armoricorum edidit, V. V. Tresvaux, canonicus Parisiensis. Præluxit eis Alberti scriptio, quæ contrahenda eis visa est et paucis aliquot locis corrigenda. Tertius mihi est Ægidius Deric, qui Historiam ecclesiasticam Britanniæ Minoris a sæculo primo usque ad decimum deduxit. Quarto loco usus sum Vitis sanctorum Britanniæ, quas anno* 1839 *Brioci edidit V. V. de Garaby. In Vitis sanctorum Brestensium, quas sæculo superiori in lucem prodiisse arbitror, exstat etiam S.* Guesnovei *Vita: verum hac me caruisse profiteor. Quum anno* 1736 *Officia pro-* *tum recentiores, aperiuntur.*

(1) Ap. Miorcec de Kerdanet, Vies des Saints de la Bretagne-Armorique, par Alb. Le grand, p. 659, not. 1. — (2) Ap. D. Morice, Mémoires pour servir de preuves à l'Histoire de Bretagne, tom. I, col. 16. — (3) Ap. Miorcec, Vies etc., p. 300. — (4) Ap. Tresvaux, Vies des Saints de Bretagne, tom. I, p. XXXI. — (5) Ap. Miorcec, Vies etc., p. 659. — (6) Ibid., p. 664. — (7) L'Église de Bretagne depuis ses commencements jusqu'à nos jours, p. 196. — (8) Vies des Saints de Bretagne, tom. I, p. 143. — (9) Gallia Christiana, tom. XIV, col. 975. — (10) Le Grand, Vies des Saints etc., p. 664, edit. Miorcec. — (11) Vie des Saints de Bretagne, tom. I, p. 143.

pria

AUCTORE V. D. B.

A *pria Leonensia renovata sunt, mutatæ etiam sunt sanctissimi viri lectiones; novæ etiam factæ, quum anno* 1770 *officium S.* Guesnovei *in Dolense Proprium sanctorum introductum est; idemque factum quum inter Briocensia festa natalis S.* Guesnovei *admissus est. Sæculo proxime præterito insertæ etiam sunt lectiones in novo Breviario Corisopitensi* * *et servatæ in novis Officiis propriis sanctorum ejusdem diœcesis, quæ anno* 1852 *edenda curavit RR. DD. J. M. Graveran. Ex his omnibus hæc solum postrema coram habeo, frustra exspectans ex Britannia Minori hagiologica aliqua subsidia.*

* Quimper

Eorum bonum summarium in nuperis lectionibus Corisopitensibus.

3 *Ut autem lector paucis intelligat potiora S.* Guesnovei *gesta, juverit oculis lustrasse novissimas lectiones Corisopitenses.* Lectio IV. Guesnoveus, ingenuis parentibus in Majori Britannia natus, relicta patria, demum in quodam nemore ad quartum Bresti milliarium consederat, quo liberius, omnibus ignotus, in pœnitentiæ labores insisteret. Verumtamen non diu nimium hæc ardens lucerna sub modio latuit. Conomorus enim, oræ Leonensis comes, cum inter venandum ad oratorium
B Guesnovei pertigisset, ejus nomen, patriam, vitæ institutum diligenter sciscitatus, viri sanctitatem, quam perspectam habebat, ad suos reversus, cito palam fecit. Lectio V. Cum postea multi sub Guesnovei disciplina Deo sese addicere ambirent, ipse votis ejusdem obsecutus, locum et latifundia sufficientia dedit cœnobio condendo et discipulis cum magistro sustentandis. Quibus dum præesset Guesnoveus, nihil antiquius habebat, quam ut ab eorum castimonia omnem suspicionem amoveret. Unde ne accessus quidem ad amplissima monasterii septa feminis ullo modo permittebatur. Lectio VI. Omnium subinde votis in episcopum electus, ut fert antiqua Leonensium traditio, Domini gregem summa vigilantia tenerrimaque sollicitudine in pascua salutis induxit; usque dum profectus ad Quimperellensem agrum, ut sanctum abbatem nomine Corbasium inviseret, infausto casu lethaliter læsus, ibidem octavo kalendas novembris piissime obiit. Ubi beati præsulis cœnobium exstabat, nunc visitur parochialis ecclesia, ipsius nomine celebris et patrocinio,
C quæ reliquiarum ejus portiunculam adhuc possidere gloriatur.

S. Guesnoveus, cum patre S. Tugdonio *et cum germanis SS.* Majano *et* Tugdonia *ex Britannia insulari in Armoricam transgressus, sedem sibi eligit in diœcesi Leonensi;*

4 *Conveniunt illa satis cum Alberti Le Grand narratu et Proprio antiquo Leonensi, atque ea omnia capiunt quæ probari posse videantur. Porro Britannia Majore domo fuisse beatum virum, quod omittendum duxit Lobinavius, asseritur in illo Proprio his verbis :* Goeznovæus piis in Majore Britannia parentibus ortus. *Parentes mediocris fuisse fortunæ tradit Albertus; contra nobilitate conspicuos Lobinavius, quoniam in Proprio Dolensi et vetere Leonensi dicitur* ex liberiore genere Britonum exortus; *Dolense itaque Proprium, nixum vetere Leonensi, ab antiquioribus monumentis nequaquam recedit.* Matre puer orbatus, *sic pergit vetus Leonense Proprium,* patrem Tugdonium in Minorem (*Britanniam*) usque secutus est, una cum Majano fratre et sorore Tugdonia : *unde collige male affirmari a Lobinavio nullo antiquo monumento hanc S.* Guesnovei *parentelam adstrui et sola traditione niti, quandoquidem inter antiqua documenta certe referendum est vetus Leonense Officium. Sanctissima familia ad civitatem Ossimorensem appulisse traditur. Quæ appellatio cui loco conveniat perquam ambiguum est. Universus scilicet tractus septentrionalis Britanniæ Armoricæ videtur ab Osismiis olim occupatus fuisse et ab advenis Britannis Ocismor dictus; adeoque plura oppida atque etiam vici civitates Ossimorenses nuncupatæ fuisse : certe in medii ævi monumentis ubicumque civitas Ossimorensis legitur, de eadem sede nequaquam intelligi posse videtur* (1). *Fas itaque hic sibi arbitrati sunt Albertus et Lobinavius propter quatuor milliariorum a S.* Guesnovei *parochia distantiam Brestum interpretari; qui locus omni ævo optimus portus fuit, sed multo tamen tardius castellum et dein civitas facta est.* Facultatibus in pauperes primum erogatis, *ita legitur in vetere Officio Leonensi,* in varias solitudinis partes ab invicem distracti sunt, quo liberius Christo inservirent; *tractum, qui inter Brestum, Landernau et Lesneven in provincia Finisterræ jacet, virtutum suarum fama illu-* E *strantes. Et quidem S.* Majanus *secessit in locum, qui ab ejus nomine* Loc-Majan, *id est* Majani locus *seu* sedes *dictus est, situs in paræcia* Plouguin *ad maris littus; ubi cernitur pulcrum oratorium, ei pridem dicatum* (2). *S.* Tugdonia *autem puellare ingressa est monasterium in pago Leonensi inferiori, quod S. Paulus, Leonensis episcopus, in oppido* Loc-Ronan ar Fanq, *nunc* St-Ronan *dicto, olim condidisse dicitur. S.* Tugdonius *autem obiit in Guypavas, ubi cellulam et oratorium adeptus est* (3). Non procul inde Goeznovæus, *iterum Officii Leonensis verba sunt,* in quodam nemore oratorium ædificavit, quod ejus etiam pœnititium nuncupatur. *Superest etiamnum in vicinia parochiæ S.* Guesnovei *ager,* nemus * *dictum, et ultra* * le bois *hunc agrum prope rivum locus, cui vulgare nomen* Peniti; *ut alibi in ejusdem Leonensis diœcesis finibus cernebatur olim Penity S. Pauli, Leonensis episcopi* (4). *Destructa nunc est S.* Guesnovei *Pœnititii ædicula, neque vestigium superest nisi rupes plana et fere rotunda, in qua, quum supplici ritu fit processio, cantatur antiphona :* Sacerdos et pontifex (5). Land *pristi-* F *num hujus loci nomen fuisse affirmat Legrand; sed* Lan *seu* Llan *est ædes sacra. Quod S.* Guesnovei *cella prope rivulum in nemore staret et* Goed *Britannis sit nemus et* ow *rivus, hinc collegit Ægidius Deric* (6) *præsentem paræciam S.* Guesnovei *venerabili viro suum non debere nomen, sed potius a domicilii loco ita agnominatum fuisse ipsummet sanctum; adeoque per* Langoueznou *prius significatum fuisse* monasterium in nemore prope rivum, *quod dein intellectum fuerit* monasterium abbatis in nemore prope rivum : *quod etymologiæ genus, quo Dericii libri abundant, quum non probetur ipsis Britannis, ne examinandum quidem est. Nemus autem id valde latum fuisse contendit idem historicus, et quidem extensum usque ad Coatmel, Guiprouvel, Millisac, Guyler, Coetodon, Guipavas et Beuzic, quoniam* Coat *seu* Coet *et* Guï *significent silvam,* Beu *betulam et* Lis *ri-*

vum :

(1) Cfr Valesius, Notitia Galliarum, p. 395; Valckenaer, Géographie ancienne des Gaules, tom. I, p. 379 et suivv. — (2) Miorcec, Vies etc., p. 659, not. 5. — (3) Ibid., not. 1. — (4) Lobineau et Tresvaux, Vies des Saints etc., tom. I, p. 287. — (5) Miorcec, p. 659, not. 2. — (6) Histoire ecclésiastique de Bretagne, tom. I, p. 427 et 428.

AUCTORE V. D. B.

vum : *sed quis talibus, nisi alia adsint indicia, nitatur geographus? Id unum scire nobis sufficit Lan-Gouznou situm esse quatuor milliaribus a Bresto ad sinum maritimum portus* * *de Abbrevrak.*

* hâvre

ubi discipulos admittit, a Comoro Maledicto agros,

5 *Dum autem ibi degeret beatus vir, corpus jejuniis macerans et mentem oratione ad Deum nutriens, visitatus fuit a magnate Britanno.* Factum tamen postmodum, *verba sunt Officii Leonensis*, ut Comorus comes, in illo eodem nemore ferarum pleno exercens aliquando venationem, ad cellulam ejus anachoreticam pertingens, nomenque ejus, patriam et institutum diligenter sciscitatus, eum impense coluerit. *Ut scite animadvertit Miorcec* (1), *Comorus seu Conomorus non nomen proprium est, sed commune* con-mawr, *id est* comes magnus : *plurimum enim placuit Britannis epitheton* mawr, *quod hominibus extollendis et amplificandis, etiam quum nulla esset ratio nisi vani nominis splendor, passim adhibuerunt; nil autem communius quam* con-mawr *titulus, maxime quod reges vocari a rege Francorum vetarentur. Verumtamen qui hic prodit Comorus* B *aliunde etiam notus est et apud hagiographos Britannos summopere famosus, et* pestis, maledictus *aliisque scommatibus agnominatus. Vixit scilicet sæculo* VI *atque anno* 560 *funesta morte periit. Re quidem vera contendere licet, quod, quum longe celeberrimus esset et in populi ore continuo versaretur, ad eum traducta fuisse quæcumque de comoro,* S. Gueznoveum *visitante et liberalibus donis cumulante, ferrentur, licet jam pridem diem obiisset, quum in illas partes primum venit* S. Guesnoveus : *chronologiæ enim non multum curiosam esse plebem; eam opinionem transivisse sæculo* XIV *in Chronicum S. Brioci, ubi hoc sermone conveniatur ille* (2) : Quamvis homo pessimæ conditionis esset, plurimas tamen possessiones et franchisas religioso viro sancto Goueznono et ejus ecclesiæ, in territorio Ossimorensi sitæ, concessit et donavit. *Quam conjecturam secutus Albertus Le Grand statuit non Comorum Pestem intelligendum esse, sed ejus filium; verum, ut in fine dicemus, nisi velimus omnia turbare, ita ut ubi pedem figamus locus amplius nullus sit, dicenda est hæc sententia pugnare cum temporum ordine.*

modo parum credibili designatos, recipit et fontem mirabiliter detegit;

6 *Verum, quiscumque demum comes ille fuerit, quum ex* S. Guesnoveo *vitæ suæ instituta et accurrentium discipulorum vota intellexisset,* obtulit quantum scilicet stata hora adjecto aggere circumvallaret, *ut illic monasterium excitaret.* Ad dictam diem, *sic pergunt Leonenses lectiones, accito fratre Majano, ut vult Albertus Le Grand,* furca terram signat; quæ in duplicem hinc inde aggerem mirabiliter excrescit; quo donatus ager a reliquo usque in hodiernum diem dividitur. *Sed vereor ne hæc ejusdem sint generis ac quæ in aliis monumentis minus probatis de separandis et custodiendis monasteriorium possessionibus leguntur et ex sola veneratione orta videntur : cujusmodi sunt quæ de fundatione Thanetensis in Anglia monasterii, cervæ cursu designata, referun-* D *tur* (3); *item quæ de Fontanellensibus exordiis hoc ipso tomo in commentario de S. Childemarca explicantur; et similiter quæ habes in Vita S. Golvini, episcopi Leonensis, de* Menehi Sant Goulven *seu S. Golvini sacro ambitu* (4). *Quatuor stadia in longitudinem et totidem in latitudinem extensus fuisse ille* S. Guesnovei *ager tradebatur* (5), *ita ut universus circuitus stadiorum sedecim fuerit seu metrorum* 2880 : *verum sesquileucæ esse seu metrorum* 6674 *nunc communis est accolarum opinio* (6). *Quæ ita inter se conciliat Miorcec ut brevius spatium, cujus vestigia ad templi meridiem adhuc apparent, monasterii septum sit, amplius vero agrorum terminus, nullis indiciis distinctus. Atque illius septi tanta olim erat reverentia ut jure asyli frui haberetur, violatoribus sæpius morte subita interemptis* (7). Ipsius Comori sumptibus *constructa ædificia claustralia juxta* S. Majani *designationem, ut in antiquo carmine britannico legitur* (8). *Interea autem, ut lectionibus Leonensibus docemur,* vir sanctus Guesnoveus adolescentes non paucos, qui christianæ virtutis studio sese ejus subjecerant disciplinæ, E sanctissimis imbuebat disciplinis. Cum autem aquæ, tum ad monasterii, tum ad opificum usum necessariæ, penuria laboraret, indicatum sibi divinitus locum ad binos pedes effodit : ibi nactus scaturiginem aquis copiosam; cujus deinceps beneficio usus est. *Excipiebatur olim ille latex pulcherrimo ex lapide cratere, quem a* S. Majano *procuratum fuisse canitur in carmine britannico : de cratere hoc nil nunc exsistit, sed aquas effundere pergit fons* (9). *Ebenus quoque illic steterit oportet, quum referat Le Grand eam arborem a* S. Guesnoveo *plantatam fuisse et deductis fontis aquis irrigatam.*

monasterium consecrasse traditur S. Hoarzonus;

7 Perfecto porro monasterio, *sic pergunt Leonenses lectiones*, ecclesiam ejus, quæ nunc parochialis est, sanctus Hoarzonus, Leonensis tunc episcopus, rite dedicavit. *Ubi primum incidimus in intricatissimam de veteribus episcopis Leonensibus controversiam. Hoc nomen ex eorum albo expunctum vult Hauréau* (10), *quoniam nimium sit dubium; contra hunc sanctum in illa cathedra sedisse ab anno* 633 *ad* 650 *perhibet de Garaby* (11). *Quocum vix non convenit v. v. Tresvaux* (12). *Quod negarenolim, neque præ-* F *fracte affirmare, probabilium documentorum subsidio non satis instructus : id unum scio in Chartulario de Landevenech, initio sæculi* XI *conscripto, venire* claustrum sancti Huardon (13); *quo nomine proculdubio ille idem S. Hoarzonus designatur; et in Proprio Leonensi in lectionibus de S. Hervæo exorcista legi* (14) : Cum secessum meditaretur, a sancto Hoardono episcopo ob clara divinæ gratiæ insignia in clerum cooptatus, atque, quod affectu humilitatis sublimiorem gradum recusaret, exorcista ordinatus est. *Quod testimonium omni exceptione majus esset, nisi niteretur monumento extremi sæculi* XIII (15), *scilicet S. Hervæi Actis nequaquam probatis* (16); *verumtamen vim aliquam*

(1) Lobineau et Tresvaux, Vies des Saints etc., t. I, p. 287, not. 3. (2)—D. Morice, Mémoires de Bretagne, tom. I, col. 16. — (3) Acta SS., t. VIII Octobris, p. 93. — (4) Ap. Legrand, Vie des saints de la Bretagne-Armorique, p. 347. — (5) Lobineau et Tresvaux, Vie des saints de Bretagne, t. II, p 144. — (6) Miorcec, ap. Le Grand., p. 660, not. 2. — (7) Le Grand, p. 660. — (8) Ib., not. 5. — (9) Ib., p. 661, not. 1. — (10) Gallia Christiana, t. XIV, col 975. — (11) Vie des bienheureux et des saints de Bretagne, p. 314. — (12) L'Eglise de Bretagne, p. 194. — (13) D. Morice, Mémoires, etc., t. I, col. 179. — (14) Miorcec, ap. Le Grand, p. 317, n. 2. — (15) Ib.. p. 322, not. 2. — (16) Lobineau, Vie des saints de Bretagne, t. I, p. 264.

ines se

AUCTORE V. D. B.

A *inesse ut persuadeatur S. Huardonem seu Hoarzonum episcopum fuisse nemo prudens negabit.*

a quo Legionem seu Leonem accersitus dicitur S. Guesnoveus. *Sed hic redit ad monasterium, a quo feminas omnino abarcet. Mulier mendax punita caseorum amissione.*

8 *Quodsi cum S.* Guesnoveo *versatus sit S. Hoarzonus, nil mirum quod, ut in lectionibus Leonensibus iterum legitur,* eum meritorum intuitu non multo post in canonicorum, *imo presbyterorum,* suæ cathedralis numerum cooptavit, ejus ut consilio uteretur. Verum, vehementi pristinæ solitudinis captus desiderio, in suum monasterium remigrandi licentiam iteratis flagitationibus exoravit. *Ubi suæ discipulorumque castimoniæ vigilantissimus custos fuit, ut iisdem illis lectionibus continenter traditur. Etenim* fæminarum imprimis contubernium familiaritatemque sic abhorrebat, ut ne accessum quidem ad sui cœnobii septa iis ullo modo permitteret, præfixo utique termino *seu ingenti lapide,* quem ultra progredi fas non esset. Quam legem cum irrideret mulier quædam procacior, nec præstitutum suo sexui repagulum revereretur, morte corruit repentina. Nec mitius sane actum cum altera, quæ pedem ultra figere non est ausa quidem, sed sociam eo ridens impulit nil cogitantem. *Alius*

B *mulieris castigatio, sed ad diversum rerum genus spectans, refertur dein in carmine britannico atque etiam ab Alberto Le Grand : solitum scilicet fuisse sanctum virum, quum monasterium exstrueretur, circumire vicinas villas, ut operarum cibum emendicaret; aliquando autem a villica postulasse caseum, (seu potius lac coagulatum, quum Britanni olim in insula atque nunc in Armorica caseum, butyrum putridum eis dictum, aversentur* (1)); *respondisse mulierem se non habere; ad quæ sanctum virum :* « *Præter mentem recte locuta es : non habes;* » *et quidem, quum paulo post arcam inspiceret, reperisse omnes lactis formas in lapides conversos, quales in litore maris passim cernantur; perterrefactam eos ad beatum abbatem detulisse, veniam rogantem, neque prius domum rediisse quam ejus accepisset benedictionem. In templo S.* Guesnovei *diu servati fuerunt lapides; quorum origo quum incerta esset, hæc de illis narrabantur* (2). *Iidem etiam aliquot annos jacuerunt in manso de Kergroas; ultra quod etiam cernebatur alveus * dictus* Gouélé-San-Gouënou *seu* lectus S. Guesnovei (3) : *putem pristinum sepulcrum fuisse. Sex enim alius lapidis fragmenta, pavimento templi S.* Guesnovei *inserta, quæ sanctissimi viri sarcophagi reliquias arbitratus est de Fréminville* (4), *desumpta sunt ex monumento Guilielmi de Touronce, olim illic rectoris seu parochi* (5).

* auge

C

Episcopus Leonensis factus esse dicitur S. Guesnoveus;

9 *Dum autem virtutum fama floreret sanctissimus abbas, volunt diem obiisse, de quo supra diximus, S. Hoarzonum seu Huardonum atque in hujus locum eum electum fuisse. Unde in lectionibus Leonensibus hæc occurrunt :* De solitudine dilectissima abstractus heremita electusque pontifex mores dehinc episcopales ita induit, ut singulari solertia, doctrina, vigilantia, integritate, pietate, gregem multos annos rexerit commissum; *ubi denuo redit quæstio de primis Leonensibus episcopis. Recentior Galliæ christianæ continuator, consentiens Moricio, sanctum virum in eorum album recipere renuit, quod firmum desit argumentum; et certe nulla sunt acta quibus fides imperetur; adeoque perhibet Albertus Le Grand* (6) *se S.* Guesnovei *nomen in nullis catalogis episcoporum Leonensium reperisse, nisi in catalogo ms. prioratus de Loc Christi an Iselvez et in altero Rolandi Poullpiguet, canonici Leonensis. Verumtamen profitebor, ut ad admittendum S. Hoarzonum in episcopalem ordinem promptam ostendi voluntatem, non aliter me sentire de S.* Guesnoveo. *Nam imprimis nemo non consentit ante S.* Guesnovei *tempora illic episcopos sedisse; quid dein sedes vacaverit? Quodsi non vacavit, ubi successorum nomina? Quidni ea recipiantur, quæ licet ex coævis hausta non sint fontibus, ab antiquis tamen temporibus cum episcopali laude celebrantur? Sed recentiora documenta sunt, quippe quæ ad sæculum* XI *vix pertingant. Verum nonne plane probabile est antiquos episcoporum catalogos aut saltem ea episcoporum nomina, quæ cultu publico honestarentur, probe tum fuisse nota? Et quidem si eadem severitate excutiantur aliarum ecclesiarum diptycha, passim hiatus et lacunæ inducenda erunt. Verumtamen intercedit discrimen aliquod, quod occultandum non videatur. Britanni enim veteres in singulis* E *diœcesibus non unum dumtaxat habebant episcopum; sed, more apostolico in creandis episcopis regionariis amplificato, passim fiebant episcopi sine sede, sæpe pendentes ab abbate, ita ut (quemadmodum nunc in uno monasterio complures presbyteri præposito subsunt) tum multi aliquando episcopi subessent; aut ipse abbas episcopali charactere insigniebatur; quin etiam, ut ex Actis S. Samsonis collegit Lobinavius* (7), *non solebant inter Britannos episcopi titulares consecrari, nisi simul duo assistentes sine titulo aut sede ordinarentur : unde appareat quanta episcoporum copia illic fuerit. Quare fieri potest ut episcopus fuerit S.* Guesnoveus, *neque tamen Leonensem cathedram occcuparit aut aliam quamcumque. Ita est : verumtamen pristinæ traditioni Leonensi ea saltem auctoritas tribuenda est, quæ solis conjecturis et suspicionibus non evertatur; neque in re obscura pluribus opus est.*

qui martuli invidioso casu occiditur in S. Corbasii monasterio. Reliquiæ partim Leonem partim in Lan-Goeznou delatæ.

10 *Porro, ut Le Grand (Guilielmum veterem biographum secutus) narrat, et consentit Carmen britannicum atque etiam Lobinavius, quum, comite fratre suo S.* Majano, *S. Corbasium abbatem, qui Quemperellæ monasterium erigebat, visitaret, paulatim devenit ad laudes sui asceterii, maxime chori templi; quæ a S.* Majano *designata fuisse monuimus. Hanc suam contumeliam esse interpretatus S. Corbasii architecton, ab alto culmine martulum, quasi imprudens, sed de proposito dimisit; ita ut in S.* Guesnovei *caput lapsus cervicem et cerebrum contriverit. Humi procubuit sanctus vir, mortemque instare intelligens, ne in occisorem inquireretur monuit; ultimisque sacramentis munitus, animam Deo reddidit die* 25 *octobris. Tumulatus fuit solemniter a S. Corbasio ejusque monachis, timentibus ne Leonenses clerici obsisterent. Sed, quum brevi miraculorum gloria sepulcrum honestaretur, exhumatum est sanctum corpus et in sacrarium delatum. Cui translationi S.* Majanus *præsens ossa aliquot in Leonensium gratiam petiit; quæ preces inutiles fuisse dicuntur, do-*

(1) Miorcec, ap. Le Grand, p. 661, not. 2. — (2) Le Grand, Vie, etc., p. 661 et 662. — (3) Miorcec, ib., p. 662, not 1. — (4) Antiq. du Finisterre, part. II, p. 248. — (5) Le Grand, p. 663, not. 2. — (6) Ib., p. 664. — (7) Vie des saints, t. I, p. 219.

AUCTORE V. D. B.

nec S. Corbasius dixerit se consentire, dummodo ipse postulator ea ossa inter alias thesauri reliquias distingueret : tum orationi se dedisse S. Majanum ; *cui sub mediam noctem apparuisse beatum fratrem, monentem sibi placere ut reliquiæ in diœcesim suam reportarentur; postridie, celebratis missæ mysteriis, in sacrarium secessisse* S. Majanum ; *quo orante coram multiplicibus reliquiis, sponte prosiluisse omnia sancti viri ossa, etiam caput, in linteum, quod colligendis reliquiis secum asportasset; ab eo partem repositam fuisse in* Lan-Goeznou *seu* S. Guesnovei *monasterio, reliqua vero ossa in templo cathedrali Leonensi. Si miraculum, quod non satis bona auctoritate consistat, omittatur, cætera facile recipi possunt. Ex alio nullo monumento innotuerunt S. Corbasii gesta, quem nihilominus in supplemento Vitarum sanctorum Britanniæ Armoricæ celebrat Garaby ad diem* 19 *martii : qua tamen cultu publico caret.*

In duabus paræciis, ejus nomine nuncupatis, iisdem ritibus colitur in festo Ascensionis.

11 *Duo autem paræciæ sunt in illis partibus, quibus a S.* Guesnoveo *nomen est : altera in diœcesi S. Brioci, duabus leucis a Moncontour, dicta* S. Gouéno, *altera in diœcesi Leonensi et satis jam celebrata nomine* Gouesnou *seu* Gouez-nou, *omisso epitheto* saint : *quæ omissio in nominibus locorum britannicis nequaquam rara est. Paræciæ autem illæ ea de causa maxime distinguendæ sunt, quod quæ ad unam pertinent ad aliam transferri videantur. Imprimis utraque habebat de S.* Guesnovei *reliquiis. Nam, ut in Proprio Dolensi legitur,* illius reliquiarum pars in ecclesia parochiali diœcesis Briocensis, ejus nomine et patrocinio nunc famosa, continentur. *In parochia vero S.* Guesnovei *Leonensi, quæ pristino monasterio successit, servabatur in pyxide argentea caput et seorsim brachium, argento. quoque ornatum. Ast initio conversionis reipublicæ Gallicanæ argentum fusum est et in usus profanos mutatum; caput repositum inter alia crania amphitheatri anatomici Brestensis, ubi se id vidisse et vulnus animadvertisse complures adhuc anno* 1837 *narrabant, ut Miorcec* (1) *testis est; ita ut nunc illic digitus tantum supersit, argento clausus. Verum duabus illis paræciis non id solum commune erat, quod eodem nomine dicerentur et patroni reliquias haberent; sed id quoque quod, ut verbis lectionum Leonensium fere utar, utrobique pium reliquiarum pignus* triumphali quotannis pompa die ipsa Ascensionis Domini humili nobilium evectione et populi devotione honorabatur. *Utrobiqne scilicet duo nobiles, superpelliceis vestiti, nudo capite, perpulcro feretro circumferebant sancti viri reliquias; cruces vexillaque explicabant pii viri, et ingens multitudo sequebatur* (2). *Quæ supplicatio quum in festo Ascensionis Domini fieret, atque etiamnum fiat, primis exordiis processio bannalis fuisse videtur : de qua institutione memini me alibi* (3) *dicere. Atque in paræcia S.* Guesnovei *diœcesis Leonensis, ubi hæc ipsa via tenetur, quæ mirabilis possessionum terminus fuisse perhibetur, tantus olim semper fuit ardor, ut, quæcumque esset tempestas, supplicatio facienda esset : ita ut, quum aliquando clerus se aeris inclementia impeditum omnino affirmaret, incolæ tamen solitum circuitum fecerint : unde arbor patula, sub qua steterunt, servat adhuc nomen* ar Vezen Voulous (4). *Porro inter nobiles, qui humeros supposuernt sacro oneri, recensetur ab Alberto Le Grand Carolus Blesensis anno* 1342, *Joannes V anno* 1417 *et princeps Petrus anno* 1455 *cum patruo Arturo, comite stabuli Franciæ. Hæc egregia pietatis testimonia in diœcesi Leonensi data affirmat Le Grand, neque dissentiunt Lobineau et Tresvaux; sed errore illum lapsum esse, atque hæc in pàrœcia S.* Guesnovei *diœcesis Briocensis patrata esse innuit Miorcec; non repugnarim, maxime quod hanc parœciam novisse non videatur Albertus eoque facilius ad priorem retulerit quæ de hac erant. Adjiciam demum in oppido S. Brioci plateam et fontem publicum esse, ab ejus nomine dicta* S. Gouénou (5); *verisimiliter quod illic olim surgeret ædicula in ejus honorem* (6).

Cultus SS. Tugdonii, Majani *et* Tugdoniæ.

12 *Quoniam autem nullus amplius in opere nostro opportunus erit locus dicendi de* S. Tugdonio, *qui* S. Guesnovei *pater fuisse traditur, et de SS.* Majano *et* Tugdonia, *quorum ille ejus frater, hæc ejus soror habetur, visum est de eorum cultu pauca quædam hic explicare. In silva Guypavas seu Guipavas etiamnum cernuntur rudera et parietinæ, quæ in mappis topographicis Cassinii* S. Tudon *appellantur et* S. Tugdonii *cellæ et oratorii reliquiæ fuisse perhibentur; quod spatium, fossa circumdatum, triginta fere passuum quadratorum est. Huc quotannis venit in festo Ascensionis supplicantium ordo, ex parochia* S. Guesnovei *egressus; eodem tum ferunt ex parochia de Guypavas alternatim S. Petri et S. Pauli reliquias; fit ibidem statio et solemnis oratio* (7). *Paulo plura de* S. Majano, *quem Britanni, omisso* mo *dilectionis britannico et hibernico signo,* Vajan *appellant* (8), *innotuerunt. Nolim tamen repetere, quæ supra de ejus architectonica scientia aliisque laudibus breviter diximus latiusque explicant Le Grand et Miorcec; neque etiam quæ de eo in S. Hervæi Vita leguntur : quam videre licet in opere nostro ad diem* 17 *junii* (9); *sed in solo cultu me continere statui. Imprimis servat ejus nomen ædes de Loc-Majan; dein in Plouguin* (canton de Ploudalmezeau) *ante hominum memoriam sub ejus patrocinio exstat ædicula, quæ divendita fuit, dum extremo superiori sæculo impietas in Gallia baccharetur; neglecta deinde fuit, ita ut anno* 1823 *ruinam traheret : sed postea, quum scilicet redempta est, diligenter renovata fuit. Quæ priusquam fierent, vicinæ sibi erant in parœciæ cœmeterio duæ ædiculæ, altera S. Annæ, altera S.* Majani *nomini sacra; quæ tum in unam redactæ sunt communi titulo SS. Annæ et* Majani. *Abbatiali veste illic exhibetur sanctus vir et festum celebratur in festo SS. Trinitatis exemplo plurium processionum bannalium. Ab infirmis, capite dolentibus, invocatur plurimum et quotidiana obtinentur beneficia : quare innumeri, qui illuc conveniunt peregrini, caput lavare solent deductis ex fonte in lapideum canalem aquis* (10). *Nil reperio de* S. Tugdoniæ *veneratione publica.*

(1) Ap. Le Grand, p. 664. — (2) Le Grand et Miorcec, p. 664. — (3) Acta SS., t. X Octobris, p. 861. — (4) Miorcec, ap. Le Grand, p. 664, not. 4. — (5) Ib., not. 2. — (6) Cfr. Lobineau et Tresvaux, t. II, p. 146. — (7) Garaby, Vies des bienheureux etc. pag. 453 et seqq. — (8) Vide Carmen britannicum ap. Le Grand et Miorcec, p. 659 et seqq. — (9) Acta SS. t. III Junii, p. 369. — (10) Cfr Garaby, pag. 464.

12 *Verum*

A *Videntur omnes vixisse sæculo* VI *adulto.*

13 *Verum quid initio significavimus beatum* Guesnoveum *et socios sæculo* VI *adulto vixisse? Nam et illic aqua hæret. Si audis Le Grand, venerit S.* Guesnoveus, *annos natus octodecim, in Britanniam Armoricanam sub annum* 630; *ejus monasterium dicarit S. Hoarzonus anno* 642, *qui et eum triennio post clero Leonensi associarit; demum anno* 650 *episcopus Leonensis creatus fuerit S.* Guesnoveus, *anno* 675 *miserabiliter trucidatus. A quo temporum rerumque ordine non recessit Garaby; nec quidquam habuerunt melius Lobinavius et Tresvaux quod substituerent. Contra sensit Deric* (1) *integro sæculo ante vixisse sanctum virum. Sibi enim visus est videre annos adscriptos fuisse ab Alberto Le Grand non ex codicum mss. auctoritate, sed ex ingenio suo et qualicumque conjectura; dein plures, quibuscum conversatus fuisse perhibetur S.* Guesnoveus, *sæculo* VI *vixisse. Venit imprimis inter eos S. Hervæus, cujus Actis S.* Majanus, *tamquam abbas coævus illustris, immiscetur plurimum* (2), *atque etiam S.* Guesnoveus (3), *nomine paulisper detorto in* Grednou *et* Gredeou (4), *sed recentius in* Geduinum B *seu* Gedovinum *perperam mutato* (5); *quod alterius sancti nomen est* (6) : *atque S. Hervæum die* 22 *junii anni* 568 *ad meliorem vitam abivisse* (7); *deinde Comorum, a quo tanta munificentia S.* Guesnoveus *habitus sit, filium non esse celebrioris Comori, ut pro genio suo statuisse Le Grand jam vidimus, sed ipsum Comorum Maledictum ex Actis S. Samsonis notissimum; hunc autem circa medium sæculum* VI, *funesta morte occubuisse; et favere præterea S. Hoarzoni seu Huardoni ætatem, quippe qui exorcistæ ordine et munere auxerit S. Hervæum; ita ut ad sæculum* VII *trahi non possit S.* Guesnoveus, *quin sequatur S. Hervæus; atque etiam S. Samson, qui tamen anno* 557 *concilio Parisiensi III subscripsit : duos enim fuisse sanctos Sampsones nova Dericii conjectura est, nullis plane antiquis documentis munita. Videntur itaque omnia adjuncta in id conspirare ut adulto sæculo* VI, *non autem* VII, *floruisse censeatur S.* Guesnoveus. *Quæ singula minus quidem pondus habent, utpote ex scriptis non omnino bonis desumpta; sed non ex singulorum vi, sed* C *ex omnium convenientia argumentum depromptum est. Omisi S.* Guesnoveum *a ven. viro Garaby* (8) *patrinum et præceptorem dici S. Judicaëlis, regis Britanniæ, qui circa annum* 590 *natus sit* (9); *quoniam nullius hujus rei fundamentum est, nisi quod in suis Actis* (10) *S. Judicaël a presbytero, nomine Guodenone, baptizatus fuisse traditur.*

ACTA S. GUESNOVEI

Ex veteribus lectionibus Leonensibus.

S. Guesnoveus, *solitariam agens vitam in diœcesi Leonensi, visitatur a Comoro;*

a

b

Lectio I. B. Goeznoveus, ex liberiori genere Britonum exortus, post mortem patris sui ædificavit oratorium in quodam nemore juxta rivulum quemdam in loco qui Landa *a* tunc temporis dicebatur, quatuor mille passuum a civitate Occismorum *b* distante; quod oratorium hodie dicitur Penilitium * S. Goeznovei *c*. Lectio II. Erat autem tunc temporis Commorus *d* comes, temporale habens dominium in finibus Occismorum, qui venandi studio Landam et nemus, in quo sanctus latebat, propter ferarum copiam quæ ibidem habebatur, frequentare gaudebat. Comorus igitur comes, audita viri sancti fama, ejus orationis particeps pia supplicatione et beneficio effectus est. Lectio III. Nam quum vir Dei Goeznoveus, Spiritu Sancto afflatus, monasterium Deo et ministris ejus, quos in eo instituere proponebat, ædificare desideraret, idem Comorus et locum monasterio satis aptum et amplum concessit, et expensas structuræ monasterii pro parte maxima erogavit; sed et totam terram, quæ erat in circuitu, ei ad sustentationem ministrorum Dei, quam scilicet ipse sanctus posset continuato itinere circuire, assignata ad hoc certa temporis quantitate.

EX MSS. * Pœnititium.

c d

2 Lectio IV. Beatus igitur Goeznoveus, divinis operibus viriliter insistens, in omni actione humilis et modestus, in temporalium defectu longanimis, caritatis visceribus semper abundans, sibi parcus, aliis largus et in omni morum honestate præclarus, siti, fame, labore continuo et vigiliis continuis carnem domans, orationibus devotis Deum sibi et aliis concilians, ab omnibus qui eum visu vel auditu noverant amabatur. Lectio V. Sed non illud debet sileri miraculum quod Dominus ad declarandum servi sui meritum operari dignatus est. Assignata est dies, qua sanctus debuit terram circuire; et hora præfixa, ultra quam nihil terræ suo monasterio acquirere posset. Egreditur ergo vir Dei de claustro, baculum manu tenens bifurcum, cujus capite bifurcato ipsa terra post sancti viri vestigia signabatur. Lectio VI. Et quum processisset quasi ad aquilonem unius stadii spatio, reflexit gressum ad orientem, et processit, non declinans ad dexteram neque ad sinistram, usque ad locum, qui Caputnemoris appellatur, et ibi quasi angulum faciens ad meridiem recto itinere se direxit.

qui, admiratus ejus sanctimoniam, ei concedit magnum agrorum ambitum, mirabili ratione

3 Lectio VII. Quumque peragrasset circiter quatuor stadia, secundum angulum faciens, in dexteram declinavit et processit ad occidentem stadiis fere quatuor; ibique tertium angulum signans ad partes revertitur aquilonis, stadiorum fere quatuor iter agens, ibique fixit quartum angulum, et reversus est iterum ad orientem, volens pervenire ad locum unde cœperat suum circuitum inchoare. Lectio VII. Ecce res omni humana credulitate et ratione major, nisi fides et * divino miraculo, omnem excedens rationem. Ubicumque servus Dei postquam de claustro pedem moverat gradiebatur, terra a dextris ipsius et a sinistris elevabatur. Et duplex agger terreus assurgebat; in tanta eminentia ut urbibus aut castellis vallum esse posset et defensio contra hostes *e*. Lectio IX. Beatus igitur Goeznoveus, tempore quo operarii instabant operi, per vicinas domos in propria persona petebat elemosynam ad refectionem operariorum, qui ultra facultatem sancti viri more suo refici multotiens exigebant *f*.

designatum Quomodo b tus vir ope riis provid rit.

* sit ?

e

f

(1) Histoire ecclésiastique de Bretagne, t. I, p. 427 et 428. — (2) Ap. Le Grand, p. 319. — (3) Ib. pag. cit. — (4) Cfr Lobineau et Tresvaux, t. I, p. 267. — (5) Acta SS., t. III, p. 369, ex Le Grand, p. 219. — (6) Miorcec, ap. Le Grand, p. 319, not. 1. — (7) Lobineau et Tresvaux, t. I, p. 267. — (8) Vie des bienheureux, etc., p. 454. — (9) Lobineau et Tresvaux, t. II, p. 95. — (10) Ib. pag. cit.

ANNOTATA.

ANNOTATA.

a *Quum locus ille deinde dictus est* Langouesnou, *id est* ecclesia S. Goesnovei, *deduxerunt id nomen a Landa, vocabulo germanico, quo terra, ager etc. significatur, sed non recte.*
b *Vide Commentarium prævium, num.* 4.
c *Vide eumdem Commentarii prævii locum.*
d *Vide Commentarium prævium num.* 5.
e *De designatione agrorum monasterii dictum est in commentario prævio, num.* 6.
f *Reliquum hujus rei narravi in Commentario prævio, num.* 8. *Quod oratio hic abrumpitur, signum manifestum est has lectiones laciniam dumtaxat esse longioris Vitæ, de qua initio Commentarii prævii dixi.*

DE S. FRUCTO, CONFESSORE,

ET DE SS. VALENTINO ET ENGRATIA, MARTYRIBUS,

SEGOVIÆ IN HISPANIA,

V. D. B. **COMMENTARIUS PRÆVIUS.**

§ I. Præcipui scriptores de illis Sanctis. Horum patria. Vivendi genus. B Adventus Maurorum in Hispaniam et ad partes Segovienses. S. Fructi E controversia de Eucharistia. Martyrium SS. Valentini et Engratiæ. Singularis pietas erga eorum abscissa capita.

ANNO DCCXV ET SEQUENTIBUS. *De gestis S.* Fructi, *cujus natalem male celebrat Tamayus die* 24 *octobris, nulla coæva et pauca alia documenta supersunt.*

Ad diem proxime præcedentem inter Prætermissos et ad alios dies relatos indicavimus S. Fructi, *eremitæ et patroni Segoviensis, natalem immerito repositum esse a Tamajo de Salazar in suo Martyrologio Hispanico sub die* 24 *octobris, nosque de eo dicturos die sequenti, qua ejus nomen in Catalogo generali sanctorum Ferrarii, in Martyrologio universali Castellani, in Clavi Hispaniæ sacræ Petri Sainz de Baranda et in aliis multis libris inscriptum est et qua reapse ejus festum jam pridem Segoviæ et recentius in universa Hispania celebratur. Quibus promissis fidem jam facimus. Dixere de hoc sancto viro scriptores complures; sed, quantum video, nemo in enarranda vita usus est documentis historicis, quibus tuto credi possit; neque videntur umquam similia monumenta exstitisse. Re quidem vera laudatos video antiquos codices mss. ecclesiæ* C *Segoviensis; sed quæ inde proferuntur, non eam spirant antiquitatem, neque ea continent veritatis indicia, quibus animus ad fidem habendam facile flectatur; adeoque vereor ne omnia, quæ de S.* Fructo *perhibentur, collecta sint multis post ejus mortem sæculis et sola populari traditione nitantur : neque aliter sentiunt eruditissimi Hispani, atque ipsimet Segovienses, aperte statuentes nulla de S.* Fructo *exstare scripta, sæculo* XII *antiquiora* (1). *Quæ autem de ejus gestis circumferuntur tam suspecta visa sunt Antonio de Yepes* (2), *ut ea in sua Historia ordinis S. Benedicti inserere noluerit.*

Recensentur præcipui,

2 Pinciæ anno 1610 *prodiit singulari volumine S.* Fructi *et sociorum Vita, scripta hispanice* (3). *Auctor hujus libri fertur et inscribitur Laurentius Calvete, in Orche, oppido Alcarriæ, hoc est partis septemtrionalis Castellæ Novæ, ortus, ducumque Infantatus a sacris minister; sed ejus verus artifex est Hieronymianus quidam monarchus, Laurentii frater, Joannes de Orche cognominatus;* quod notum faciunt, *ait Nicolaus Antonius* (4), acrostichi versus, eidem libro adfixi, Hieronymi Valeræ Arcæi, Segoviensis, confirmatque in Historia hujus urbis Didacus Colmenares; *cui consentit Antonius de Yepes* (5). *Hic ipse Colmenares sancti* Fructi *gesta fuse prosecutus est in hac eadem Segoviensi Historia, neque passus est aliquid, sive ad beati viri vitam, sive ad ejus cultum spectaret, abire, quin prius in opus suum inferret. Joannes de Castro, monachus S. Dominici de Silos, in Historia hujus sancti et monasterii de Silos antiquitatum* (6), *similiter Vitas dedit SS.* Fructi, Valentini *et* Engratiæ; *magnifice præfatus se dolere quod non posset fuse de eis disserere, res singulares* F *sibi de eis innotescere et alia id genus; sed reapse hæ phaleræ ad populum. Licet enim late in eorum gesta diffundatur, nil tamen novi profert; quin etiam, quamquam librum suum edidit anno* 1688, *quum pseudepigraphorum librorum mendacia erudito cuique patefacta essent, ad eos continuo recurrit, affirmans neminem præter Hispanorum gloriæ invidos de eorum fide dubitare posse; tolerabilis utcumque erat hæc persuasio in Colmenares, qui quadraginta octo annis ante scripsit; sed quis eam ferat tot annis post? Porro licet S.* Fructi *res obscuræ satis essent, reddiderunt tamen eas obscuriores exeuntis illi ipsi sæculi* XVI *fabulatores Hispani, nova figmenta eis admiscentes, et fabricantes sanctum quemdam Hierotheum, episcopum Segoviensem, loco S.* Fructi *patronum futurum.*

(1) Cfr Gaspar Ibañez, Dissertaciones eclesiasticas, diss. I, cap. 3, pag. 21 et 22. — (2) Coronica general de S. Benito, tom. VI, fol. V° 320. — (3) Historia de la vida del glorioso S. Frutos, patron de la ciudad de Segovia y de sus hermanos san Valentin y santa Engracia : contiene la destruicion de España por los Moros, grandezas y antiguedades de la ciudad de Segovia con un compendio de los regnos de España despues de su restauracion. — (4) Bibliotheca scriptorum Hispaniæ, tom. II, pag. 2.—(5) Coronica general de S. Benito, tom. VI, fol. V° 320. —(6) Vida, virtudes y milagros de S^to Domingo de Silos. Noticia del real monasterio de Silos y sus prioratos, p. 368 et seqq.

Quare

A *Quare Gaspar Ibañez de Segovia, vir literis excultissimus, qui primus forte scriptis libris traducere non erubuit persuasionem, genti Hispanæ fere communem, et Dextro similibusque, Toleti et alibi confictis et pro legitimis antiquorum fœtibus in publicum emissis, faventem; conscripsit et anno* 1666 *typis Cæsaraugustanis edidit Discursum historicum de patronatu* S. Fructi *adversus suppositum episcopatum S. Hierothei et prætensam auctoritatem Flavii Lucii Dextri* (1). *Sed quum adversus hanc veritatis apologiam nonnulli, putantes se per fabulas obsequium præstare patriæ Segoviensi, insurrexissent, anno* 1671 *typis iterum Cæsaraugustanis dedit in publicum primam partem Dissertationum ecclesiasticorum pro honore veterum sanctorum tutelarium adversus recentiores fictiones* (2); *in quibus multus est in* S. Fructi *enucleandis rebus. Diligenter quoque de* S. Fructo *locutus est Henricus Florez* (3), *decessorum tamen vestigia nimis prope secutus adeoque solito facilior in probandis popularibus narratiunculis.*

qui de S. Fructo *scripserunt. Quare simul dicatur de SS.* Valentino *et* Engratia, *qui coluntur die* 26 *octobris.*

3 *Multi quoque alii de* S. Fructo *dixerunt. Lucius Marineus Siculus, qui viginti duobus libris res Hispaniæ complexus est historiamque suam Carolo V imperatori dicavit, libro V* (4), *qui totus fere de sanctis Hispanis est, breviter prosecutus est* S. Fructi *laudes, veteribus lectionibus liturgicis Segoviensibus in auxilium adhibitis seu potius delibatis. Aliud breve encomium, auctore incerto, edidit Gononus* (5), *oblitus indicare unde id acceperit; contra valde longum Tamayus de Salazar* (6), *scribens se id accepisse ex sanctoralibus seu Officiis propriis Segoviensibus et Toletanis: ast Tamaji commentum est illo ævo aliquid de* S. Fructo *in Sanctorali Toletano scriptum fuisse; neque ipsas pristinas lectiones Segovienses inviolatas reliquit, sed Dextri, Luitprandi aliorumque id genus corruptis mercibus deturpavit. Anno* 1651 *Antonius de Quintanadueñas, societatis nostræ presbyter, in libro de Sanctis Toletanis* (7) *laudavit etiam SS.* Fructum, Valentinum *et* Encratidem, *universa sua narratione similiter adornata secundum Higueræ aliorumque fabulosas historias. Alfonsus de Villegas* (8) *vix aliud fecit quam* S. Fructi *memorare Segoviense*

C *patrocinium et eremiticam vitam; neque plura reperio apud Joannem Marietam in ea ejus operis parte quæ mihi ad manus est* (9). *Antonius de Yepes* (10) *sanctum* Fructum *etiam memorat, maxime quod ad ejus cultum attinet. Ægidius Gonzalez Davila* (11) *agit de solo* S. Fructi *prioratu. Alios laudatos vide apud Tamayum de Salazar. Quum autem jam pridem SS.* Valentinus *et* Engratia *germani fuisse dicantur* S. Fructi, *hinc fit ut, qui fusius de hoc sancto dixere, simul egerint de duobus prioribus. Quamobrem placet nobis idem hoc loco facere; maxime quod die sequenti seu* 26 *octobris Segoviæ colantur. Ita mihi suadent non solum Tamayus de Salazar, verum etiam Petrus Sainz de Baranda in Clavi Hispaniæ sacræ et Joannes de Castro in sua S. Dominici de Silos Vita.*

AUCTORE V. D. B.

4 *Porro quotquot de* S. Fructi *patria locutos fuisse intellexi, perhibent ii omnes eum natione fuisse Segoviensem. Sita est hæc civitas inter Matritum et Vallisoletum super ingentem rupem inter duas profundas valles, quarum altera secatur rivo, cui nomen* Clamores, *altera fluvio Areva* *, *qui Arevacis, pristinis incolis, suum communicavit nomen et Clamoris aquas infra civitatem recipit* (12). *Recensetur inter anquissima Hispaniæ oppida; et certe septuaginta novem ante Christum annis jam insignis erat locus, quandoquidem Lucius Florus* (13) *res bello Sertoriano* apud Segoviam *gestas referat. Vetustum aquæductum habet, pedes prope ter mille longum; quo opere an uspiam alibi ejusdem generis fabrica magnificentior erecta fuerit equidem dubito* (14). *Sed licet locus is insignis esset et antiquissimus, anno tamen* 527 *nondum videtur proprium habuisse episcopum; sed Palentina diœcesi capiebatur: aliquanto tantum ante annum* 589 *suum adepta sacrorum præsidem* (15).

S. Fructus *traditur natus fuisse anno* 642 *Segoviæ*

* Eresma

E *Regnante in Hispania Chindasuinto, provinciæ Carthaginensi præfecto, Eugenio II Toletano metropolita, et Segoviensem cathedram occupante episcopo Anserico, annoque* 642 *primo lucem vidisse* S. Fructum *collegit Flores* (16) *ex ejus Officio; in quo traditur juxta sæculi* XII *monumentum seu epitaphium et titulum altaris prioratus* S. Fructi (17) *anno Christi* 715 *et ætatis* 75 *diem obiisse.*

5 *Fratrem habuisse* S. Valentinum *et sororem* S. Encratidem *seu* Engratiam *narrant recentiores; sed quantum intelligo, parentelam hanc primus induxit Pseudojulianus; qui quo melius mendacia sua tegeret,* S. Engratiam *appellavit* Susannam: *quo nomine nonnulli Hispani* (18) gratiam *significari contendebant, licet verus sensus* lilium *sit. Quodsi jam ante productum Pseudojulianum dictus fuerit* S. Fructus *SS.* Valentini *et* Engratiæ *frater, non tamen sublatum erit omne dubium; nam certe hæc traditio sæculo* XII *antiquior non est, et promptum fuit vulgus omni tempore ad fraternitatem quamdam excogitandam inter vicinos sanctos; quemadmodum supra ad diem* 24 *in Commentario de S. Felice et ad hanc ipsam diem in Commentario de S. Spano ostendimus, illic de duodecim fratribus, hic de novem aut etiam duodecim.*

et frater fuisse SS. Valentini *et* Engratiæ.

F

6 *Quare non ausim pro veris admittere quæ a tribus sanctis simul acta fuisse nunc circumferuntur; neque etiam quæ de pia* S. Fructi *institutione secum meditatus est Calvete* (19). *Me itaque ad brevem Vitam, quam edidit Gononus et quæ his vacua est, converto.* S. Fructus *aut, ut ibi scribitur,* Fructuosus moribus valde inculpatus vixit, plenus columbina simplicitate. Et quidem cum esset dicti oppidi ditissimus civis, omnia caduca et vana esse conspiciens, simulque valde anhelans ad vitam solitariam,

Hæc et alia multa absunt a Vita, edita a Gonono.

(1) Discurso historico del patronato de S. Frutos contra la supuesta cathedra de san Hierotheo en Segovia y pretendida autoridad de Dextro. — (2) Dissertaciones eclesiasticas por el honor de los antiguos tutelares contra las ficciones modernas. — (3) España sagrada, tom. VIII, pag. 89 et seqq. — (4) Ap. And. Schottum, Hispania illustrata, tom. I, pag. 345. — (5) Vitæ Patrum Occidentis, lib. IV, pag. 276. — (6) Martyrologium Hispan. tom. V, pag. 626 et seqq. — (7) Santos de la imperial ciudad de Toledo, pag. 451 et seqq. — (8) Flos sanctorum, Çaragoça, 1583, fol. 408. — (9) Tratado de las fundaciones de las ciudades etc. fol. 38. — (10) Historia general de la orden de san Benito, tom. VI, fol. 320. — (11) Teatro eclesiastico de las dos Castillas, tom. I, pag. 520 et 521. — (12) Alex. de la Borde, Itinéraire descriptif de l'Espagne, edit. III, tom. I, p. 365. — (13) Lib. III, cap. 22. — (14) Cfr Florez, España sagrada, tom. VIII, p. 63 et seqq.; de la Borde, tom. I, p. 369 et seqq.; Miñano, Diccionario geografico de España y Portugal, tom. VIII, p. 192. — (15) Cfr Florez, España sagrada, tom. VIII, p. 73 et seqq. — (16) Ibid., p. 90. — (17) Calvete, Historia de la vida etc., fol. 4 et 6. — (18) Colmenares, Historia de Segovia, p. 73. — (19) Historia de la vida etc., fol. 7 et seqq.

omnes

AUCTORE V. D. B.

omnes divitias et thesauros suos pauperibus distribuit, et unica tantum contentus tunica, in altissimi montis speluncam se contulit : ubi usque ad finem vitæ in jejuniis, vigiliis et corporis afflictionibus permansit ; multasque passus est dæmonum tam visibiles quam invisibiles pugnas, ventorum impetus, inclementias imbrium, algores nivium et plures id genus labores, non solum amore Christi tolerabiliter, sed etiam libenter desideranterque suscipiebat. *Adduntur ibidem sequentia, quæ coævis testimoniis fulta esse vellem :* Veniebant autem ad eum feræ sylvestres, a quibus nihil mali patiebatur ; sed e contra ad pedes ejus recumbebant cum magna mansuetudine, eisque quasi rationabilibus imperabat : cujus voci continuo obediebant. Postquam igitur per multos annos ab omni hominum tumultu segregatus vixisset, tandem præscius mortis suæ, ad illam se præparavit, obiitque in spelunca sua ; cujus animam angeli cum hymnis et canticis ad cælos evexerunt. Cujus corpus Segoviensis ecclesia possidet et festum ejus solemniter quotannis celebrat, eumque tamquam ecclesiæ et civitatis patronum veneratur.

B

Accurate describuntur loca, quæ incoluisse dicuntur tres sancti.

7 *Locum, in quo tam sancte vixit S.* Fructus, *accurate describunt Calvete seu potius Joannes de Orche* (1), *Colmenares* (2), *Castrius* (3) *et Florez* (4). *Ad septentrionem immo potius ad orientem æstivum jacet, decem leucas distans a Segovia et tres a Septempublica* * *in ripa dextra Duratonis fluvii. Hic scilicet, e montibus descendens et initio a meridie ad septentrionem currens, prope Septempublicam falcis formam habet ; unde proximo Franciscanorum cœnobio, quod olim S. Mariæ de Angelis dicebatur, indidit nomen S. Mariæ de Falce* * ; *quamquam alii* (5) *velint id nomen venire ab equitibus Hozes. E regione hujus asceterii asperi consurgunt montes, ita ut inaccessi videantur. In inferiori parte, ad meridiem, prope copiosum fontem, cujus aquis mola vertitur, S.* Engratia *dicitur suum habuisse habitaculum, et in spelunca clivi septentrionalis S.* Valentinus ; *in culmine autem seu quinquaginta pedibus altius tugurium suum construxit S.* Fructus, *et fontem ibidem, etiamnum scaturientem, quo irrigaret hortulum suum, baculo excitasse traditur* (6) : *sed tot sanctis simile miraculum adscribitur ejusque persuasio tam facile nasci potuit ex consuetudine benedicendi fontes in honorem sanctorum eosque inde sanctorum nominibus appellandi, ut sine optimis testimoniis, quæ hic plane desunt, non videatur admittendum.*

* Sepulveda

* de la Hoz

C

Anno 711 ab Arabibus occupatur Hispania meridionalis, partim vi, partim deditione ;

8 *Usque ad tempora, quibus Mauri et Arabes Hispaniam occuparunt, vixisse traditur S.* Fructus. *Duce Taric, potiti sunt arabes Calpæ vicino monte, dein* Djebal *seu Montibus* Taric, *vulgo* Gibraltar *dicto, die lunæ quinta mensis regeb, anno hegiræ* 92, *id est extremo mense aprili anni christiani* 711 ; *alias continuo post Hispaniæ partes invaserunt* (7) ; *et ut Isidori Pacensis* (8), *verbis utar, Muza, dux supremus, immo potius Taric, dux inferior, quo nemo tum inter arabes magis eminuit,* Toletum, urbem regiam, usque in-

rumpendo, adjacentes regiones pace fraudifica male diverberans, nonnullos seniores nobiles viros, qui utcumque remanserant, per Oppam, filium Egicæ regis, *archiepiscopum intrusum Hispalensem, fratrem Juliani comitis ejusque in accersendis arabibus complicem,* a Toleto fugam arripientem *, gladio patibuli jugulat et per ejus occasionem cunctos ense detruncat. Sicque non solum ulteriorem Hispaniam, sed etiam citeriorem usque ultra Cæsaraugustam, antiquissimam et florentissimam civitatem, dudum jam judicio Dei patenter apertam, gladio, fame et captivitate depopulatur : civitates decoras igne cremando præcipitat, seniores et potentes sæculi cruci adjudicat, juvenes atque lactentes pugionibus trucidat ; sicque dum tali terrore cunctos stimulat, pacem nonnullæ civitates, quæ residuæ erant, jam coactæ proclamitant, atque suadendo et irridendo astu quodam fallit. Nec mora, petita condonant : sed ubi, impetrata pace, territi metu recalcitrant, ad montana tempti iterum effugientes, fame et diversa morte periclitantur : atque in eadem infelici Hispania Cordobæ in sede dudum patricia, quæ semper extitit præ cæteris adjacentibus civitatibus opulentissima et regno Wisegothorum primitivas inferebat delicias, regnum efferum collocant. *Atque his paucis complectitur Isidorus prima Arabum in Hispania gesta.*

D

* arripientes

E

9 *Ex his autem liquet alias civitates vi, alias deditione captas fuisse ab Arabibus. Ubi dederent se Hispani seu potius Gothi (Hispani enim seu pristini Romani excludebantur reipublicæ administratione et duram satis dominationem experiebantur), hæ passim erant conditiones* (9) : *equos et arma tradunto ; quibus libitum, liberi civitate excedunto, sed bona omnia amittunto ; qui remanserint, servanto facultates suas domosque inviolatas, sed quotannis solvunto denarium aureum, pendentem septuaginta duobus granis hordeaceis *, alii tamen plus, alii minus, et quatuor modios tritici, hordei, mulsi, mellis, vini acidi et olei ; servi aliique vectigales mediam partem ; feminæ et pueri ne abducuntor in servitutem ; templa christiana manento et divinus cultus intra eorum ambitum liber esto, extra interdictus ; nulla templa nova sine venia eriguntor ; leges suas sequuntor dediti suosque habento judices* (1). *Aliquando bene, aliquando pessime servarunt hæc fœdera Arabes, quomodo in Asia et Europa orientali quoque fecisse leguntur. Ab eis certissime occupata fuit Segovia ; cujus rei, etiamsi nulla exstarent literaria monumenta, certissimum testimonium foret castellum arabicum, nunc etiam* Alcazar *appellatum, et aliæ similes reliquiæ. Verum nuspiam forte benignius habiti fuere incolæ ; adeo ut non constet ullum ab eis destructum fuisse templum. Quo autem tempore eo penetrarint mahumeti asseclæ a nemine vetere historico traditur : verisimile est id contigisse anno* 712, *quum scilicet Taric, Toletanis rebus compositis, ad fluvium Guadalaxaram* * *perrexit,* Djebal *seu montes* Sjarrat * *per ignotam vallem, Arabibus dictam*

F

paulo post Segovia, sed neque diu, neque multum passa est ab illis barbaris.

* seu quindecim francis aureis

* Henarez
* Sierra de Guadarama

(1) Historia de la vida, etc., fol. 16. — (2) Historia de Segovia, p. 73. — (3) Vida de S. Domingo de Sylos, p. 361 et seqq. — (4) España sagrada, tom. VIII, p. 90. — (5) De Castro, Vida de S. Domingo, p. 376. — (6) Ibid. et apud Calvete, Historia de la vida etc., fol. 25 et 26. — (7) Conde et de Marlès, Histoire de la domination des Arabes et des Maures en Espagne et en Portugal, tom. I, p. 69 ; Dozy, Histoire des Musulmans d'Espagne, tom. II, p. 31 et seqq. — (8) Chronicum, ap. Florez, España sagrada, tom. VIII, p. 291. — (9) Conde et Marlès, tom. I, p. 81, 85, 86, 102, 103, etc. — (10) Cfr Dozy, Histoire des Musulmans d'Espagne, tom. II, p. 38.

Feg-Taric *,

AUCTORE V. D. B.

A Feg-Taric *, *transiit et in declivitate septentrionali eorumdem montium Medinam Almeida seu Mensæ civitatem, (ubi ditissima et celeberrima mensa reperta est, sed cujus situs hactenus latet,) cepit* (1).

* *Forte* Valdepegnas

Quum hi in illis partibus versarentur, vivebat adhuc S. Fructus,

10 *Quum apud Marineum Siculum et Gononum, qui Vitis usi sunt a fabulatorum figmentis certe immunibus, nil de Arabibus, Mauris aut Mahumetanis legatur; quumque simul nullæ aliæ ibidem appareant temporum notæ; quum Ibanez* (2), *conatus* S. Fructi *tempora stabilire, nil proferat antiquius quam Officium liturgicum, anno* 1609 *concessum; et quum demum Colmenares* (3) *nil eadem de re repererit præter idem Officium et auctores recentes* (nuestros escritores modernos y el rezo deste obispado aprovado por la sede apostolica): *pronum est timere ne Segovienses, viri utique non severi, quippe qui ambabus ulnis commentitium Hierotheum pro primo suo episcopo amplexati fuerint, primum cognoverint ex pseudepigraphis libris quo ævo vixerit* S. Fructus. *Verumtamen vanus est ille timor; nam in Officio illo traditur sanctus vir diem obiisse anno* 715; *et contra* B *Pseudojulianus in mendacibus suis Adversariis scripsit* (4) : Prope Litabrum (nunc Butracum) obiit xxv octobris sanctus Fructuosus, Segoviensis civis, vivus mortuusque clarus miraculis, anno Domini DCCXXV. Sunt qui dicunt passum a Sarracenis cum sorore et fratre. Muzarabes Segovienses anno Domini DCCXXX corpora transtulerunt Segoviam, nondum dirutam a Mauris : *adeoque Officium* S. Fructi *et Pseudojulianus decem annorum spatio inter se differunt; ita ut inter conscribendum illud Officium non præluxerit Pseudojulianus; et quidem in rotulo altaris, quod ineunte sæculo* XII *exstruendum curasse traditur abbas Fortunius, leguntur sequentia* (5) : HÆC PICTURA FIERI JUSSA EST A D. FORTUNIO, ABBATE S. SEBASTIANI DE SYLOS, AD HONOREM S. FRUCTI, QUI MORTUUS EST ÆRA DCCLIII, VIII KAL. NOVEMBRIS, ANNO ÆTATIS LXXIII. *Equidem asserere non ausim illum rotulum Fortunio coævum fuisse; sed certe cum scriptoribus pseudepigraphis nil commune habet.*

et traditur miraculo finivisse controversiam, quam de sacra Eucharistia cum Mauro habebat.

11 *Quamobrem nemo jure merito adstruxerit ante productos pseudepigraphos libros auditum non fuisse floruisse* S. Fructum *sub Arabum irruptionem. Profertur præterea ex Alphonso Venero, natione Burgensi, professione Fratre Prædicatore, prodigium, quod innotuerit antequam Higuera ejusque socii fallaces suas merces vendere cœpissent: nam Venerus ille an.* 1488 *natus est et diem obiit circa an.* 1560 (6). *Hic scilicet in Hagiographia hispanica, quæ in Escurialensi S. Laurentii bibliotheca latet* (7), *sequentia narrat* (8) : *Maurus quidam, Corani doctrinis instructus et sectæ suæ propugnator acerrimus, colloquens cum beato viro de sacra Eucharistia, dixit christianos adorare rem impossibilem, credentes panem in Deum converti, eumque a bestiis æque ac ab hominibus manducari posse. Qua audita blasphemia, dolore summo affectus est* S. Fructus *et obstupuere præsentes christiani; Mauri autem, qui item adstabant, gloriabantur de parta victoria. Mente itaque considerans bonus eremita fidem prodigia operari, ubi sermones non sufficiant, et divinarum promissionum fiducia plenus, consensit ut ad experimentum deveniretur. Quamobrem super vas, hordeo plenum, posita est consecrata hostia et asellus adduci jussus. Concurrerant ad hoc spectaculum innumeri christiani et Mauri; sanctus autem* Fructus *fervidis precibus Deum exorabat ut veritatem cælestem ab improborum vindicaret dicteriis. Ut autem advenit brutum animal et sacram hostiam vidit, caput inclinavit et in genua procubuit. Quo miraculo viso, christiani corda et voces sursum ad Deum levaverunt, quippe qui non tantum mirabilis in sanctis sit, verum etiam pro æterno creatore agnoscatur a jumentis. Præclarum utique prodigium, si Venerus melior testis esset et proprior* S. Fructi *temporibus; verum id nunc non agitur, sed tantum eo in narratu certum indicium esse ante Higueræ in publicum producta mendacia jam creditum fuisse* S. Fructum *non prius vita esse functum quam Mauri imo potius Arabes advenerint in Hispaniam. Hinc quoque probabile fit* SS. Valentinum *et* Engratiam, *qui in literis Sixti papæ IV martyres dicuntur, cruentam mortem perpessos esse sub mahumetanorum tyrannide. Mitto alias rationes, a Joanne de Orche et Alphonso Vasquesio, parocho vicino, excogitatas; in quibus nil inest nisi quod sæculo* XVII *ineunte martyres vulgo haberentur.* E

12 *De professione trinorum sanctorum alia ab aliis fuere proposita. Tempore Antonii de Yepes* (9) *ferebatur in conventu* S. Fructi, *de quo inferius, eos regulam S. Benedicti observasse et obnoxios fuisse abbati S. Mariæ de Angelis seu de Falce *, adeoque olim eremitas sæpe de ordine Benedictino fuisse. Quod posterius assertum reapse verum est; sed parum facit ad demonstrandum* S. Fructum *et adscriptitios germanos reapse de Benedictina fuisse familia. Fatetur Yepesius* (10) *nil simile reperiri in antiquo Officio, in quo solum perhibetur fuisse solitarius; verbi gratia in sequenti carmine, cantando ad Vesperas :*

SS. Fructus, Valentinus *et* Engratia *videntur simpliciter eremitæ fuisse, nulli cœnobio aut regulæ adscripti.*
* de la Hoz

Almi patris solemnia
Concelebrat ecclesia
Famosi solitarii
Fructi, viri egregii. F

De S. Valentino *nonnulli multo superbiora commenta protulerunt in medium. Joannes de Orche* (11) *eique consentiens Yepesius* (12) : Alii, *inquiunt*, affirmant eum fuisse Segoviensem episcopum, antequam Mauri devastarent Hispaniam; alii faciunt eum monachum Benedictinum, alii abbatem S. Mariæ de Angelis; uno verbo quot capita, tot sententiæ. *Quam opinionum varietatem jure merito ortam fuisse dicit Yepesius ex eo quod tam pauca supersunt documenta. Tutius itaque est iis consentire, qui malunt ignari videri quam temeri. Verumtamen popularis est sententia eum episcopum fuisse; quocirca in prioratu* S. Fructi, *in spelunca, ubi pœnitentem duxisse vitam fertur, atque alibi pingitur habitu episcopali, mitram capite gerens;*

(1) Conde et Marlès, tom. I, p. 94 et 95. — (2) Disertaciones eclesiasticas, etc. p. 29. — (3) Historia de Segovia, p. 75. — (4) Ibid., p. cit. — (5) De Castro, Vida de S. Domingo de Sylos, p. 374 et 375. — (6) Nicolaus Antonius, Bibliotheca scriptorum Hispaniæ, tom. I, p. 53. — (7) Colmenares, p. 74. — (8) Ibid., p. cit.; ap. Tamayum, Martyrologium Hispanicum, tom. V, p. 629; ap. Calvete seu J. de Orche, Historia de la vida, etc. fol. 61 et seqq. — (9) Coronica general de S. Benito, tom. VI, fol. 320. — (10) Ibid., fol. 320 v°. — (11) Historia de la vida, etc. fol. 41. — (12) Coronica general de S. Benito, tom. VI, fol. 320 v°.

sancti

AUCTORE V. D. B.

S. Fructi *sepultura. Quæ de SS.* Valentino *et* Engratia *ferantur. Consuetudo aquis mergendi eorum capita.*

et in monasterio S. Dominici de Silos dextra sancti viri, annulo episcopali instructa, ostenditur (1).

13 *Ibañez* (2) *et Florez* (3) *perhibent* S. Fructum *sepultum fuisse in cavo pariete sui eremitorii a* SS. Valentino *et* Engratia; *quos dein secessisse ad ædiculam S. Zoili, oppido Cuellar proximam et sitam ad orientem æstivum quinque leucis a Segovia; ubi et martyrium fecerint; capita eorum a Mauris projecta fuisse in fontem, adhucdum* Fontem sanctum *appellatum; ea de causa suis temporibus solitas adhuc fuisse vicinas plebes rogationum more ad hunc fontem cum sanctorum capitibus accedere; testem esse Colmenaresium, qui simili supplicationi interfuit, mirabilis pluviæ, quam per intercessionem sanctorum martyrum Deus concesserit; capita itaque in Cuellar remansisse, trunca autem corpora delata fuisse ad S.* Fructi *eremitorium, ubi juxta hujus beati viri corpus fuisse composita : et certe, licet ego contendere nolim cum iis, qui æstimarint non corpora sanctorum martyrum ex Cuellar sepulturæ causa vecta fuisse ad S.* Fructi *eremitorium, sed potius hinc aliquando accepta fuisse et in Cuellar translata, firmiter*
B *tamen teneo capita et corpora eorumdem sanctorum esse : convenit enim cum traditione ipsa rerum conditio. Ne autem postea redeundum sit ad res Cuellarenses, placet absolvere quæ ad SS.* Valentini *et* Engratiæ *cultum spectant. Quum, pluviæ impetrandæ causa, capita deferebantur ad fontem, mergebantur aquis et ibi relinquebantur usque ad præsignatam diem, aut donec votis satisfactum esset. Is enim vetus mos fuit, maxime ad Hispanis usitatus. De eo jam diximus ad diem* 16 *octobris in Commentario de S. Gauderico Occitano* (4); *ubi monuimus S. R. C. anno* 1619 *statuisse* nullo modo licere sub prætextu cujusvis consuetudinis, imo verius abusus, lignum SS. Crucis et sanctorum reliquias ad impetrandam a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere aut madefacere. *Sed quum facilius leges condantur quam exsecutioni mandentur, perseverabat adhuc vetus consuetudo anno* 1688, *quum Vitam suam S. Dominici de Silos edidit Castrius; nisi quod tum jam pridem in fonte mersa non relinquerentur sacra capita, sed post mersionem et absolutas preces ad templum solemniter referrentur. Cu-*
C *jus mutationis hæc fuit causa. Nigrita, equitis de Muñoveros* (*adjacet hic locus Cuellari*) *servus, quum sciret capita aquis mersa jacere, eo se contulit irrisurus potius sanctos quam veneraturus. Secum habebat cuspidem ferream; quam multis locis capiti S.* Engratiæ *infigere conatus est; sed frustra. Verumtamen particulam tandem calvariæ, ferro affixam, abstulit; ast proxime secuta est pœna. Ut se somno dederat super arcam, in qua pium pignus clauserat, crepuit medius, corpus perdens et animam. Quod ubi rescitum est, ne postea denuo violarentur sacra capita, edictum fuit ne sola amplius relinquerentur in fonte* (5). *Quo tempore hæc peracta fuerint et a quibus testibus literis consignata omisit Castrius, ex quo hæc hausta sunt.*

§ II. Reliquiarum translationes. Officia liturgica. Cultus in prioratu S. Fructi, Segoviæ, in monasterio Escurialensi. Indulgentiæ.

D

Anno 730 *Segoviam, quæ tunc Arabibus adhuc parebat, translatæ non fuere SS.* Fructi, Valentini *et* Engratiæ *reliquiæ.*

De cultu multo certiora habemus. Imprimis inter fabulas referendum est Pseudojuliani assertum, terna sanctorum corpora Segoviam translata fuisse anno 730. *Occupabatur tunc adhuc hæc civitas ab Arabibus aut Mauris, quippe quæ sub annum* 746, *quum Jusuf, emirus supremus, universam arabicam in Hispania et Lusitania ditionem in quinque provincias divisit, pars censeretur provinciæ Toletanæ* (6). *Paulo tamen post eam recepit Alphonsus I, rex Asturiarum; qui, antequam æra* 795 *seu anno Christi* 757 *fortissimum animum in manus Domini tradidit, regno, quod Pelagius I ab Arabum tyrannide vindicaverat, adjecerat partem Galleciæ et Lusitaniæ, plures regni Legionensis civitates, mediam Castellam, totam fere Viscajam et aliquot Navarræ pagos* (7). *Sigillatim recensentur civitates, quas magnanimus ille vir ditioni suæ ad-* E
dit, in Chronico Sebastiani, Salmanticensis episcopi, passim dicto Chronico Alphonsi III regis (8); *atque inter eas venit* Secobia *et* Septempublica, *in cujus vicinia fuisse S.* Fructi *eremitorium jam docui. Profecto ante Alphonsi III victorias cogitandum non erat de transferendis Segoviam sanctorum reliquiis; Neque statim postea. Etenim penes Christianos non mansit civitas, licet plane obscurum sit quomodo iterum perdita fuerit* (9). *Quum autem denuo Arabum jugum ferret, episcopalem cathedram non amisit ab initio : anno certe* 940 *recensetur Ilderedus, episcopus Segoviensis* (10); *quod episcoporum genus simile plane erat hodiernis Byzantinis episcopis, a mahumetanis multo nimium pendens* (11). *Verum, quantacumque hæc esset miseria, venerunt dies calamitosi magis; ita ut ineunte sæculo* XII *haberetur sedes trecentos annos vacasse, ut constat ex Callisti papæ II literis, anno* 1123 *ad Petrum, ante annum* 1115 *ad Segoviensem cathedram promotum, sed anno* 1120 *a consecratum, datis:* Cunctis, *inquit* (12), sanctorum decretales
F scientibus liquet, quod Segoviensis ecclesia magnæ olim nobilitatis et potentiæ in partibus Hispaniarum extitit. Sed, peccatorum populi multitudine procreante, a Sarracenis eadem civitas capta et ad nihilum christianæ religionis illic libertas redacta est : adeo ut per trecentos et eo amplius annos nulla illic viguerit christiani pontificii dignitas. *Ad finem sæculi* XI *eam jam receptam fuisse civitatem ab Alphonso VI et circa annum* 1088 *christianis civibus instructam communis sententia est, auctoritate Pelagii Ovietani, Lucæ Tudensis et Annalium Toletanorum nixa* (13): *maxime tamen Callisti papæ II, cujus hæc in literis illis sunt verba* (14) : Nostris autem temporibus divina [providentia], populum suum respiciens, me-

(1) Calvete seu J. de Orche, Historia de la vida, etc. fol. 44. — (2) Dissertaciones eclesiasticas, p. 54. — (3) España sagrada, tom. VIII, p. 92. — (4) Acta SS., tom. VII Octobris, p. 1117. — (5) De Castro, Vida de S. Domingo de Sylos, p. 378 et 379. — (6) Marlès et Conde, Domination des arabes en Espagne, t. I, pag. 168 et 169, — (7) Ibid. pag. 148. — (8) Ap. Florez, España Sagrada, t. XIII, p. 481 et 482. — (9) Florez, España Sagrada, tom. VIII, p. 81 et seqq. 65; Madoz, Diccionario geographico, tom. XIV, p. 140. (10) Florez, tom. cit. p. 84 et 85; Madoz, tom. cit. p. 148. — (11) Cfr Dozy, Histoire des Musulmans d'Espagne, tom. II, p. 47. — (12) Calvete, Historia etc. fol. 125; Colmenares, Historia de Segovia fol. 110. — (13) Florez, tom. cit. p. 88; Madoz, tom. cit. p. 140. — (14) Calvete, fol. 125; Colmenares, fol. 110.

diante

A diante studio gloriosæ memoriæ regis Illefonsi, Secopiensis civitas reædificata est et restituta christianæ religioni. *Quod non ita intelligendum est quasi omnia fuissent diruta ædificia et nulli adfuissent amplius christiani (nam castrum arabicum Alcazar, aquæ ductus et plures superstites ecclesiæ aliud suadent), sed quod muri restituti sunt et plurimum auctus christianorum numerus, qui deinceps civitatem defenderent* (1). *Sed hæc pro consilio nostro sufficiunt. Quid præterea Pseudojuliani aliorumque commenta prosequor, toties jam ab eruditis patefacta? Missa itaque hæc facio et venio ad meliora.*

Sub medium sæculum IX *exstabat prioratus S.* Fructi, *quem Alphonsus III et VI donarunt monasterio de Silos. Anno* 1100 *de novo ædificatur;*

15 *Prioratum seu monachorum aliquot cellam fundatam fuisse ad S.* Fructi *eremitorium res certa est; sed quo tempore plane non liquet. Sub medium tamen sæculum* IX *exstitisse videtur. Nam Joannes Calvetus, immo Joannes de Orche* (2) *protulit diploma Alphonsi VI, quo renovavit et confirmavit chartam, qua Alphonsus III seu Magnus, ejus bisavus, contulit circa annum* 864 *monasterio de Silos hunc ipsum prioratum. Sed versionem hispanicam edidit dumtaxat Calvetus; neque ipsa verba latina novisse videtur*
B *Castrius* (3). *Non itaque integrum dabo diploma, sed pauca tantum Alphonsi III verba, latine reddita:* Offero, *inquit* (4), prædictis sanctis altaribus SS. Dominici confessoris, S. Martini episcopi, Sebastiani et Fabiani valde parvum donum, videlicet antiquum locum, qui dicitur S. Fructi, in quo ejus est corpus et qui est prope villam, dictam Sepulvedam, ad Durantonem fluvium. *Ipse Alphonsus VI, quum anno* 1076 *nova bona eidem monasterio contulit, vetera recensuit, inter ea non oblitus S.* Fructi *prioratum; qua occasione concessit abbati de Silos et priori S.* Fructi *jus admitendi in viciniam incolas eosque vasallorum numero habendi: unde burgum S.* Fructi *ortum est* (5). *Atque huic licentiæ plura nova dona addidit. Quibus auxiliis instructus, ædificavit abbas Fortunius novam domum et templum. Absoluta hæc fuit fabrica et a Bernardo, archiepiscopo Toletano, consecrata anno* 1100. *Cujus rei sequens titulus, lapidi insculptus, perennem servat memoriam* (6) *:* HÆC EST DOMUS DOMINI IN HONOREM SANCTI FRUCTI ÆDIFICATA AB ABBATE FORTUNIO EX SANCTI SEBASTIANI SILENSIS RELIGIONE
C ET IN HOC COENOBIO DOMINANTE, AB ARCHIEPISCOPO BERNARDO SEDIS TOLETANÆ DEDICATA. SUB ERA MILLESIMA CENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA ET ANNO MILLESIMO CENTESIMO EST FABRICATA.

qua occasione loco moventur reliquiæ. Harum pars paulo post donatur ecclesiæ cathedrali Segoviensi, ubi patroni fiunt et officio honorantur.

16 *Quum hæc celebritas peracta est, translatæ fuere trinorum sanctorum corpora in novum monumentum seu potius in cavitatem supra portam meridionalem; ubi ineunte sæculo* XVII *cernebatur parva fenestra, clathris ferreis munita* (7). *Sed non diu quieverunt ibidem integra. Quum enim Petrus, quem ex Galliis ad promovendam disciplinam monasticam in Hispania accersiverat archiepiscopus Toletanus Bernardus, conscendisset anno* 1120 *cathedram Segoviensem, triennio post a Callisto papa II juribus suis restitutam* (8), *sategit hic præsul ut templo suo cathedrali nancisceretur SS.* Fructi, Valentini *et* Engratiæ *corpora. Negarunt primum Silenses monachi; sed operam suam interposuit Bernardus et perfecit ut, intercedente rege Alfonso VIII, insignes partes Segoviensi præsuli concederent. Extractæ itaque ex suo monumento sacræ exuviæ et locus notatus ab abbate Fortunio sequentibus litteris F. L. A. V. O. A. N. L. A. S. P. R. O. AN. XXV. Quas siglas nullus sane OEdipus explicabit umquam; sed meliores fuere interpretes Segovienses clerici et monachi Silenses, qui his significari dixerunt* (9) : Fuit locus antiquus venerandorum ossium : asportaverunt non longe : asportavere Segovienses partem rationabilem omnium anno XXV. *Ut autem Segoviam venit pium onus, synodum congregavisse episcopus Petrus traditur a Calveto* (10) *et a Joanne de Castro* (11) *auctoritate martyrologii abbatis Mesanenso et jussisse ut deinceps S.* Fructi *festum ageretur die 25 octobris et postera die memoria fieret SS.* Valentini *et* Engratiæ: *quod institutum duravit, donec anno* 1566 *S. Pius papa V vetuit ne deinceps SS.* Valentini *et* Engratiæ E *officium fieret; quod quare vetuerit ignorare se fatetur Calvetus* (12), *maxime quod juxta Missalis rubricas Missam celebrare licet in honorem sanctorum, quorum insignes possidentur reliquiæ. Hujus translationis longam narrationem texuit Laurentius Calvetus, immo Joannes de Orche* (13); *quam nonnihil breviavit Castrius* (14). *Hæc licet verbis abundet, tot tamen singularia capit et tantopere accurationem prosequi videtur, ut proculdubio juxta optima monumenta confecta sit. Verum quum hæc ipsa monumenta prodeant nuspiam, neque ubi nunc lateant sciatur, dolemus quod hoc loco ea edere non possumus: non enim operæ pretium est versionem latinam ex hispanico Calvetii seu Orchii parare et prelo subjicere. Propter inscriptionem, paulo ante memoratam, retulit Orchius* (15) *translationem illam ad annum* 1125; *eique consentit Colmenares* (16) *et Castrius* (17), *neque dissentit Florezius* (18). *Sed præplacet mihi Yepesii* (19) *prudentia, qui maluit abstinere ab indicando accuratius tempore: Recte autem animadvertit Orchius* (20) *Joannem de Castañiza, benedictinum monachum, in libro de Viris illustribus* F *ordinis sui, (ubi et recenset singularum domorum potissimas reliquias sacras,) errare quum in monasterio S. Dominici de Silos solam S.* Valentini *manum esse, corpus vero S.* Fructi *in prioratu, qui habet hujus nomen: corpora enim SS.* Fructi, Valentini *et* Engratiæ *partim esse Segoviæ, partim in prioratu S.* Fructi; *capita vero SS.* Valentini *et* Engratiæ *in villa Cavallar; in monasterio vero de Silos digitum S.* Fructi *et manum dextram S.* Valentini.

AUCTORE V. D. B.

Reliquiæ, quæ in oblivionem abiverant, reperiuntur sub annum 1461 *et novum officium instituitur.*

17 *Quem autem tanto studio sibi acquisierant Segovienses thesaurum, valde negligenter observarunt; ita ut aliquando id unum scirent eum exstare in templo cathedrali, sed quo loco*

(1) Cfr Florez, tom. cit. p. 88. — (2) Historia de la vida etc. fol. 117 et seqq. — (3) Vida de S. Domingo de Sylos, p. 362. —(4) Historia de la vida etc. fol 118.—(5) De Castro, p. 363 et 397. — (6) Yepez, Coronica de S. Benito, t. VI, fol. V° 321; Colmenares, p. 102; de Castro, p. 363 et 364; Gonzalez Davila, Teatro eclesiastico de las dos Castillas t. I, p. 521; Calvete seu J. de Orche, fol. 120. — (7) Calvete seu J. de Orche, f. 121. — (8) Cfr Bulla Callisti II ap. Calvete, f. 125 et seq. — (9) Cfr Calvete seu J. de Orche, f. 148; Colmenares, p. 114; de Castro, p. 382; Florez, t. VIII, p. 95. — (10) Historia de la Vida etc. f. 140. — (11) Vida de S. Domingo de Sylos, p. 382. — (12) Historia de la Vida etc. f. 140.—(13) Historia, fol. 131 et seqq. — (14) Vida de S. Domingo, p. 379 et seqq. — (15) Historia, fol. 141. — (16) Historia de segovia, p. 115. — (17) Vida de S. Domingo, p. 382. — (18) España Sagrada, tom. VIII, p. 95. — (19) Coronica de S. Benito, t. VI, f. 321.— (20) Historia etc. f. 135.

 ignorarent

AUCTORE V. D. B.

ignorarent penitus. Quocirca, postquam Joannes Arias de Avila die 23 *maii anni* 1461 *ad cathedram Segoviensem promotus fuisset, nil potius habuit quam ut perditas sanctorum reliquias recuperaret. Indixit itaque jejunia et preces seque statuto die cum dignitariis et præbendariis aliquot capituli et pluribus operariis se templo inclusit, sancta corpora quæsiturus. Concusserunt frustra opifices multos parietes, donec tandem Joannes quidam de Toro lapidicida, concusso S. Jacobi altari, intellexit id esse vacuum. Continenter malleo aut ferro acuto foramen aperuit et immissam manum ardere exclamavit. Ut eam extraxit, aliis locum facturus, vidit digitum, quem antea contrahere non poterat, plane mobilem neque minus quam reliquos utilem. Exibat simul suavissimus odor, quo totum templum replebatur. Totus itaque loculus apertus est et apparuerunt sacræ reliquiæ cum indiciis, quibus satis constabat eas esse de corporibus SS.* Fructi, Valentini *et* Engratiæ. *Tum jussit episcopus portas aperiri populo, qui inventi thesauri testis esset. Felici sparso nuntio, lætitia affecta est universa civitas et campanæ*
B *in gaudii indicium pulsatæ. Plebs itaque concurrit, et custodia est apposita. Interea procuravit episcopus ut ex ligno et laminis ferreis deauratis arca fieret, et indicta translatio in diem* 21 *novembris. Quæ solemnissima pompa pro more gentis religiosis choreis aliisque piis ludis instituta est per universam civitatem; et quum in templum reductæ sunt reliquiæ, lipsanotheca alto loco in altari maximo posita est, ut populari pietati fieret satis* (1); *atque illic aliquandiu quieverunt. Officium ecclesiasticum deinceps recitari jussisse Joannes Arias perhibetur, quæ ubi narravit Colmenares:* Errat, *inquit* (2), Calvete, *seu Joannes de Orche*, ubi perhibet id officium liturgicum legi in Breviario Segoviensi, anno 1493 typis impresso; sed reperitur sub die 21 novembris in Breviario, quod episcopus Didacus de Ribera anno 1527 excudendum curavit. Annus non omnino certus; indubium tamen est anno 1466 eas reliquias jam fuisse retectas, ut constat ex inquisitione facta hoc anno de multis miraculis, quæ Deus operatus erat et adhucdum operabatur per sanctorum intercessionem in gratiam eorum,
C qui reliquias venerarentur. Originalem hanc inquisitionem vidimus in tabulario templi cathedralis, ubi adhuc exstat, et multa, quæ in eis enarrantur, miracula recensentur in laudato Breviario.

annesArias, piscopus Segoviensis, orat capellam, qua quiescent SS. Fructi *et sociorum reliquiæ.*

18 *Hæc quoque scripta manibus suis tractavit Joannes de Orche; atque inde præcipua excerpsit. Eo itaque teste* (3), *jussit Joannes Arias ut in S.* Fructi *honorem capella ædificaretur; interea autem clathris cingeretur S. Jacobi altare, quo reliquiæ delatæ erant, ut a presbytero per foramina populo ostendi et osculandæ porrigi possent particulæ aliquæ: tanta enim concurrebat populi multitudo ut alius nullus esset ostensionis modus. Emit etiam deditque templi fabricæ et in sacros ornatus quater mille annuos marabatinos de vectigalibus in Robledo et Chavela, quæ de ditione civitatis erant. Reapse aliquot annis post capella splendidissimo opere confecta est hoc ipso loco, ubi sancti Jacobi altare steterat. Clathris ferreis deauratis circumdata erat; in loculamento supra altare reposita* D *erat cista, clavi obserrata continensque ossa SS.* Fructi, Valentini *et* Engratiæ; *et post alios clathros deauratos atque in alio loculamento pyxis, qua claudebantur scapula et mandibula S.* Fructi, *quæ seorsim venerandæ ostenderentur. Circumquaque appensa erant omnis generis anathemata, in memoriam beneficiorum oblata, scilicet fulcra et bacula debilium, claudorum et mutilorum, qui sanati fuerant; capita, brachia, crura, corda aliæque corporis partes, quarum dolore unusquisque aut liberatus fuerat aut petierat liberari.*

Inter secuta miracula venit sanatio unius contracti et alterius claudi.

19 *Sigillatim autem hæc refert miracula Orchius. In suburbio Pontis Castellani* * *Joannes de Rivo maximis febribus laborabat et capite plurimum dolebat; corpore insuper contracto erat et nonnisi incredibili dolore moveri poterat. Auditis itaque beneficiis, quæ alii a Deo obtinuissent per intercessionem S.* Fructi, *fide et pietate plenus, lecto surrexit et baculo nixus summo labore reliquias S.* Fructi *visitare statuit. Quum in templum venisset ibique oraret, presbyter, cui reliquiarum cura commendata*
E *erat, accessit ferens de aqua, qua post inventionem lotæ fuerant reliquiæ. Qua ut compages membrorum et partes quibus doluerat lavit, continuo sanatus est et sine difficultate progredi instituit. Quod quum populus, qui eum contractum noverat, intellexit, benedixit Dominum de tanto miraculo. Quum autem hujusmodi prodigiorum fama quaquaversum manasset, non soli Segovienses incolæ et vicini venerunt ad reliquias, auxilium S.* Fructi *in suis necessitatibus postulantes, sed etiam exteri. Joannes Sanchez de Arienza, a loco de Riaza, jam sesquiannum crure sinistro infirmabatur, ita ut claudicaret, neque eo sistere posset, neque incedere sine baculo et maximo dolore. Auditis S.* Fructi *miraculis, asino venit Segoviam et in templo cathedrali supplex rogavit Deum ut se per merita S.* Fructi *sanaret. Et quum summa defatigatione ad reliquias venisset, attulerunt de aqua, qua alter infirmus usus erat. Crus quoque suum infirmum lavit, et continuo sanus factus est et cœpit incedere nulla difficultate. Interea autem non minus fervebat pietas in prioratu S.* Fructi, ita ut finis non esset, *ait Orchius* (4), si omnes
F cæci, surdi, muti, paralytici et omnis generis infirmi recensendi fuerint qui illius interventu fuerint curati. *Sed nil sigillatim refert; posteriora autem miracula dabimus in fine.*

Henricus IV, rex Castellæ, tres capellanias Segoviæ instituit et alia donat.

20 *Quorum miraculorum fama quum ad aures Henrici IV, Castellæ regis, pervenisset, in honorem trium germanorum, ad altare et in capella S.* Fructi *Segoviæ tres capellanias instituit, cum onere ut singulis hebdomadis tres missas beneficiati celebrarent. Dedit etiam duodecim cappas attalico textili* *, *totidemque ex serico, regiis insignibus ornatas; item organa majora, quæ in regno non sine laude erant, et alias multas res, multaque privilegia ecclesiæ et beneficiatis. Quapropter præter missas, quotannis celebratas, cantantur, ait Orchius, duo responsoria solemnissima, a cantoribus et ab omnibus præbendariis; alterum in vigilia S.* Fructi, *alterum in vigilia Conceptionis B.M. Virginis: quam in rem in pegmate exstruitur immensum cœnotaphium, duobus monumen-*

* brocart

(1) Historia, fol. 172 et seqq. — (2) Historia de Segovia, pag. 372. — (3) Historia, fol. 176 seq. — (4) Ibid. fol. 177.

tis

AUCTORE V. D. B.

A *tis superpositis, coopertum panno attalico, corona argentea deaurata in culmine et insignibus regiis circumcirca rutilantibus.*

Fatiscente templo cathedrali tum vetustate tum civilibus armis;

21 *Idem ille rex animo conceperat cathedrale templum, in quo jacebant S.* Fructi *et sociorum reliquiæ, quoniam castro arabico adhæreret, ad meliorem locum transferre; sed, obsistentibus episcopo et canonicis, quorum ædes vicinæ essent, tum nil fieri potuit* (1). *Verum anno* 1510, *quum viderent id fatiscereet bombardarum strepitu quotidie interturbata audirent divina officia, adierunt regem Ferdinandum, pristinam sedem monialium S. Claræ postulantes* (2). *Verumtamen neque tum aliquid perfectum est; sed necesse fuit ut prius ab armis bellicis plurimum pateretur ædes sacra. Anno scilicet* 1520 *die* 29 *maji, quum non ita pridem Toleti tumultus excitati fuissent adversus vectigalium collectores, Segoviæ quoque sermo factus est de patriæ malis et in* communerorum *partes itum. Quæ dein secuta sunt, dabunt passim historici hispani. Hoc vero unum ad nos pertinet, a regiis militibus occupatum fuisse castrum arabicum et templum cathedrale, dimissis canonicis ad*
B *ædem S. Claræ; eadem obsidione cincta a popularibus, qui tentarunt muros capellæ S.* Fructi *evertere; frustra postulasse canonicos ut reliquiæ sibi darentur; eas cum reliqua supellectile ditiore delatas in castrum atque ibi custodi-*
tas (3). *Ut vero finis impositus est illis turbis, sperabatur brevi post futurum esse ut iterum possent fidelium pietati et venerationi exponi. Sed hæc spes fefellit Segovienses; apparuit enim templum restaurari non posse. Petierunt itaque canonici a comite de Chinon ut sibi redderet reliquias et imagines prodigiosas, quæ ex templo in castrum translatæ fuerunt. Ast hic, quo consilio nescio, studuit id differre, interposita auctoritate absentis episcopi, Didaci de Ribera.*

ex castello arabico feruntur die 24 octobris S. Fructi *reliquiæ in templum S. Claræ;*

22 *Interea mortuus est comes aliique qui obstabant* (4). *Quamobrem anno* 1522 *in pervigilio festi S.* Fructi *obtinuit thesaurarius D. Balthasar de Monguia ab episcopo licentiam procurandæ postridie optatæ translationis : qui et quadraginta dies indulgentiæ concessit et ad triduum suspendit omnes sententias excommunicationis. Brevissimum tempus supererat ad*
C *adornandam splendidam solemnitatem; sed id quam optime impensum. Natali itaque S.* Fructi *prodiit ex templo S. Claræ ingens pompa, quæ ex confraternitatibus, religiosis ordinibus et civitatis clericis coaluerat et perrexit ad castellum arabicum. Ingressi sunt decanus D. Petrus Vaca, D. Didacus de Hierro cantor, laudatus D. Balthasar de Monguia, licentiatus Andreas de Camargo, provisor, cum aliquot præbendariis; dein corrector* * *Joannes Alvarez Maldonado, locumtenens Cristophorus Perez de Toro et licentiatus Andreas Lopez del Espinar cum aliquot rectoribus* * *et equitibus. Ubi venerunt in sacellum regium, repererunt arcam deauratam, S.* Fructi *et sociorum reliquias continentem et positam in feretro; in altero feretro iconem Deiparæ prodigiosam et sub baldachino magnam Christi cruci affixi imaginem, quæ dein in parœciali templo servata est. Tum bacalaureus*

* corregidor

* regidores

Joannes de Carboneras et Bernardinus de Berrio, canonici œconomi, rogarunt provisorem ut de sanctorum pignorum integritate inquireret. Juramento itaque affirmarunt nil in eis fuisse mutatum clericus Alphonsus Ximenez, comitis capellanus, Franciscus de Villareal, monetæ thesaurarius, et Rodericus de Luna, turris ecclesiæ custos. Tum decanus, rogatus ut clavem ostenderet, paruit et sui sacramenti religione asseruit eam semper penes se mansisse. Dein apertæ reliquiæ, quas omnes fuere venerati; et de peractis rebus scripti commentarii. In viam tum se dedit pia pompa; reliquiæ et imagines deferebantur inter canonicorum ordines; decanus portabat S. Fructi *scapulam, pretiosissima tela contectam* (5); *et ita ventum est ad castri portam, ubi exspectabat gubernator Alphonsus Sanchez de Toleto; qui coram notario Joanne de Pantigoso protestatus est nomine matronæ de Chinchon ea ipsa pia cimelia reddi, quæ ex templo cathedrali in capellam castri delata fuissent; toto obsidionis tempore, quotidie fere Missam, Vesperas et* Salve *recitata coram iisdem fuisse a duobus clericis; mirabiliter adjutos fuisse milites in ferendis obsidionis laboribus;* E *se vero magno miraculo servatum esse; quum scilicet paulo ante obsidionem a scalis decidisset et humerum brachii sinistri summo dolore rupisset, scapulam S.* Fructi, *seorsim servatam, a capellano Alphonso Ximenez impositam fuisse fracto humero et statim omnem dolorem recessisse; exinde, etiam quum tempestas mutatur, nil se fracto brachio dolere, sed aliquando altero; præterea quum osculandæ sibi præberentur S.* Fructi *reliquiæ suavem se odorem percepisse* (6). *Atque ut hæc etiam in actis conscripta sunt, processit pia pompa ad Mercenariorum templum atque hinc in templum S. Claræ; ubi feretra in tribus posita sunt altaribus, dum missæ sacrificium solemniter celebraret decanus, orationem panegyricam haberet Didacus de Truxillo, prior S. Crucis, et portionarius Joannes de Pantigoso legeret relationem authenticam plurium miraculorum, quæ Deus, intercedentibus SS.* Fructo *et sociis, operatus erat. Summa lætitia absoluta fuit hæc celebritas et eadem die cessavit pestilens infirmitas, quam* modorrillam *vocabant et qua tota æstate civitas laboraverat. Hæc denuo ex Colmenaresio* (7); *qui* F *plura volet, adeat Calvetum seu de Orche, omnes hujus translationis partes sigillatim explicantem; ex quo id unum desumam ante hanc translationem singulis fere hebdomadibus viginti quinque aut triginta civitatis et suburbiorum incolas periisse peste seu marcore* *; *postea vero cessasse mirabiliter luem; unde adversus hanc labem patronus factus sit.*

* modorrilla *

anno 1558, *absoluto novo templo et sacello, in id feruntur.*

23 *Anno sequenti dedit imperator Carolus V unde emerentur centum domus pro novi templi area. Die* 24 *maji anni* 1525 *primis rastri ictibus terra solemnitcr effossa est; die* 8 *junii primus lapis positus; die* 16 *ejusdem mensis eleemosynæ colligi cœptæ, quæ intra paucos dies ad* 1,623,385 *morabatinos ascenderunt: quæ civium liberalitas se numquam exhauriri passa est. Interea viri et feminæ, divites et pauperes operam suam impenderunt, alii suffodientes terram, alii*

(1) Calvete seu d'Orche, Historia, fol. 178 et 179. — (2) Madoz, Diccionario geografico, tom. XIV, pag. 121. — (3) Calvete seu d'Orche, Historia, fol. 180 et seqq. — (4) Cfr Ibid. fol. 181 et seqq. — (5) Colmenares, Historia de Segovia, pag. 485 et 486. — (6) Calvete seu de Orche, fol. 194 et 195. — (7) Historia de Segovia, p. 485 et 486.

asportantes

AUCTORE V. D. B.

usportantes lapides, alii fungentes aliis laboribus. Visum autem erat novam ecclesiam et claustrum magnam partem ex pristinæ ecclesiæ lapidibus exstruere. Porro die 15 *augusti anni* 1558 *hæc fabrica, quæ inter splendidissimas Hispaniæ recensetur, satis absoluta erat ut eo inferri posset sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, trium sanctorum reliquiæ aliaque pia pignora.*

Hoc sacellum et aliæ partes templi in honorem S. Fructi *quam pulcra sint.*

24 *Quum tectum arsisset anno* 1614, *brevi post restitutum est, et circa annum* 1626 *additum pulcherrimum frontispicium, dictum S.* Fructi *cum imposita ejus statua; neque deinde cessatum fere ab adornanda hac æde sacra, quæ anno* 1768, *die* 16 *julii, in honorem S.* Fructi *aliorumque patronorum a Joanne Josepho Martinez Escabro, episcopo Segoviensi, Deo dicata est* (1). *Quum anno* 1752 *de hoc templo disserebat Florez* (2), *affirmabat sacellum seu capellam S.* Fructi *et sociorum, licet valde præclarum foret, suis temporibus visum non esse satis splendidum pro dignitate patronorum diœcesis eaque de causa novæ ædis constructionem curatam esse, sed errore architectonis multa contigisse*
B *damna. Hæc aliquot annis post refecta. Accipe ut Madosius hoc describat : In choro posteriori, inquit* (3), *surgit altare marmoreum, cujus pars media olim in palatio de Rivofrigido* Riofrio *exstitit et a rege Carolo III dono datum est. Constat ex quatuor columnis cum capitellis æneis, quibus loculamentum reliquiarum S. Fructi efficitur, quæ illic positæ sunt die* 25 *octobris anni* 1793 ; *in parte superiori cernitur S. Trinitas, et in uno latere S. Petrus, in altero S. Paulus, supra autem duo angeli : quæ omnes statuæ ex marmore albo sunt, juxta delineationem, anno* 1784 *a Ventura Rodriguez Matriti subscriptam. Ne vero vacuus videretur ille chorus voluit capitulum duas structuras erigi ex jaspide hispanico cum statuis SS. Philippi et Elisabethæ ex marmore genuensi, brevibus clathris circum universum altare positis. Hoc sacellum distinguatur oportet ab alio, in quo etiam S.* Fructi *imago cernitur et de quo verba fecit Antonius Ponz, quum anno* 1785 *secundo edidit Iter suum Hispanicum. Hoc itaque auctore, Carolus III, rex Hispaniæ, in eodem templo jusserat sumptibus suis erigi magnificum altare marmoreum,*
C *in quo cernuntur statuæ S.* Fructi, *S. Hierothei, pseudo-episcopi Segoviensis*, SS. Valentini *et* Engratiæ, *et in loculamento medio imago B. Mariæ Virginis ex argento, olim dono data a rege Henrico IV* (4). *Cœpta hæc fabrica anno* 1770, *ut pluribus exponit Madosius* (5) ; *quem vide.*

Abrogatur officium propter bullam S. Pii V; sed anno 1610 *novum conceditur a Paulo V; quod anno* 1729 *extenditur ad universam Hispaniam.*

25 *Dum autem illa in templo cathedrali Segoviensi ad honorem sanctorum tutelarium peragerentur, cura quoque posita est in concinnando novo officio liturgico. Quum bulla S. Pii V de novo Breviario romano anno* 1568 *prodiit, intermiserant Segovienses vetus officium recitare. Quare initio sæculi* XVII *D. Petrus Arias de Virues, canonicus Segoviensis et Septempublicæ archidiaconus, novum composuit quod die festo et per octavam recitaretur. Id missum ad Paulum papam V, ad quem scripserunt episcopus Antonius Idiaquez Manrique, capitulum et rex catholicus Philippus III; qui et literas de-*
derunt ad S. Rituum congregationem. Relatio- D
nem fecit cardinalis Bellarminus et Segoviensium vota exaudivit pontifex. Die itaque dominica, 24 *octobris anni* 1610, *primæ Vesperæ, ex hoc officio in honorem S.* Fructi *cantatæ sunt in universa diœcesi Segoviensi* (6) ; *et idem officium ritu duplici extensum est ad universam Hispaniam anno* 1729 (7). *In hoc officio versus, antiphonæ, responsoria, hymni et lectiones sunt propriæ. Lectiones dabimus in fine; hic autem hymnos; reliqua nil singulare habent præter lusus aliquot de S.* Fructi *nomine.*

Hymni ad Vesperas,

26 HYMNUS AD I ET II VESPERAS :

Superba tecta civium,
Vulgi coronas mobilis,
Et detrahentes circulos
Vitare, Fructe, cogitas.

Occulta eremi penetras;
Lates cavernis abditus,
Mundi ut nocentes oculos
Ut basilisci fugias.

Te solitudo recreat,
Tranquillitatis socia,
Vita mundanis horrida, E
Cælestibus gratissima.

Montis cacumen ardui
Per semitas difficiles
Ascendis, ut pervenias
Virtutis ad fastigium.

Gloria tibi, Domine,
Fœcundæ fructus Virginis,
Qui ligni vitæ fructibus
Beatum Fructum reficis. Amen.

ad Matutinum

27 HYMNUS AD MATUTINUM :

Ut montis alti verticem
Calcare Fructus * contigit, * Fructo
Atque inde tamquam e speculo
Videre terræ incommoda,

Totum se Deo devovet :
Virtutis armis cingitur,
Corpus premit jejunio
Cor pane cæli reficit.

Munitus his præsidiis,
Retundit arma dæmonis,
Mauros furentes territat
Vir inclytus miraculo.

Excelsa montis percutit, F
Divisit rupem baculo,
Profundum vallis cernitur,
Terrore victis hostibus.

Gloria tibi, Domine, etc.

et ad Laudes

28 HYMNUS AD LAUDES :

Jam plenus annis, proximus
Vitæ fugacis ultimo,
Solvi catenis corporis
Et esse cum Christo cupit.

Maturus ævo præcoces
Offerre fructus appetit,
Deoque grates reddere
Ut terra cultori suo.

O Fructe, flos et arboris
Propago fœcundissima!
Cujus sub umbra civitas
Segoviensis recubat.

(1) Madoz, Diccionario, tom. XIV, p. 121. — (2) España sagrada, tom. VII, p. 96. — (3) Diccionario, etc. tom. XIV, p. 123. — (4) Ponz, Viage de España, tom. X, cart. 8, num. 9, p. 231 et 232. — (5) Diccionario, etc. tom. XIV, p. 122. — (6) Colmenares, Historia de Segovia, p. 605. — (7) España sagrada, tom. VIII, p. 90.

Tuis

A Tuis obumbra civibus,
Ut absit æstus criminis,
Illisque ut afflet impetra
Cælestis aura pneumatis.
Gloria tibi, Domine, etc.

Anno 1681 Segovienses Carolo II regi

29 *Licet juremerito Segovienses sæculo* XVII *addictissimi essent suo patrono S.* Fructo *et maximo in pretio haberent ejus reliquias, communicarunt tamen eas aliquando cum aliis, quemadmodum constat ex sequentibus documentis, quæ unus ex decessoribus nostris* (*Cuperus, ni fallor*), *reperit die* 28 *februarii anni* 1722 *partim descripta in Lipsanologio S. Laurentii Escorialensi, proxime ante historiam consecrationis ecclesiæ Laurentianæ, anno* 1595 *celebratæ, partim inter diplomata autographa. Ea ex hispanico latina facio, exordium ducens a Lipsanologio. Legitur ibi :* Die 23 mensis octobris anni 1681 dono dedit huic regio S. Laurentii monasterio magister et dominus rex D. Carolus II lipsanothecam ex argento albo

* canilla pyramidatam, continentem os * brachii S. Fructi, patroni civitatis Segoviensis et confessoris, cujus natalis celebratur die 25 dicti mensis et

B qui obiit anno 715; quod lipsanon oblatum est a dicta civitate Segoviensi regiæ majestati dictis die et mense, quibus dono datum est huic monasterio, ut constat ex documento, asservato in scriptorio cimelarchii et confecto a Michaele Gonzalez de Tejada notario apostolico et secretario decani et capituli dictæ civitatis.

dono dant reliquias S. Fructi,

30 *Hoc documentum similiter latinum facio :* Ego Michael Gonzales de Tejada, capellanus regius unius ex capellaniis, quas in hac sancta ecclesia cathedrali civitatis Segoviensis fundavit rex D. Henricus IV (Deo fruatur!), notarius apostolicus auctoritate apostolica et ordinaria, portionarius et secretarius decani et capituli dictæ sanctæ ecclesiæ, certum facio et fidem do quod, quum die hesterna, feria sexta, 17 præsentis mensis et anni capitulariter congregatum esset capitulum, sciens regi domino nostro Carolo II (quem Deus conservet!), consistenti in regia sua residentia et palatio de Balsabin, placuisse ut ad hanc civitatem accederet et templum et fabricam dictæ sanctæ ecclesiæ ejusque reliquias visitaret; cu-

C piensque singulare aliquod obsequium suæ majestati præstare, conventum est ut ei daretur aliquod ex sacris lipsanis. Quum itaque juxta dicti capituli vota rex dignatus esset hac die, qua hoc ipsum diploma confectum est, dictam sanctam ecclesiam ingredi, prodiit D. Franciscus de Bustamante decanus et

canilla dedit sacræ suæ majestati os * brachii, extractum ex urna, in qua servatur corpus gloriosi S. Fructi, qui obiit anno 715 et quem papa Callistus anno 1123 elegit in patronum Segoviæ ejusque diœcesis; quod os inclusum erat columnæ ex argento albo pyramidatæ, suffultæ basi quadrata; in cujus una parte insculptum est vas liliis plenum, insignia dictæ sanctæ ecclesiæ Segoviensis, et in altera opposita hæc verba : Reliquiæ S. Fructi, patroni sanctæ ecclesiæ Segoviensis, cum duabus prominentiis super duas conchas et duo seraphim, et in culmine duobus angelis, similiter ex argento, cum coronide constante ex capitello, circulo et cruce. De quibus reliquiis, ad petitionem serenissimi regis Philippi III, Paulus papa V die 25 martii anni 1610, tertio sui pontificatus, concessit ut ritu duplici primæ classis cum octava officium fieret in hac civitate et diœcesi; quemadmodum constat ex pluribus bullis et instrumentis dictæ sanctæ ecclesiæ. Quum autem huic donationi præsens sit D. Mathias de Morratinos, gratia Dei et sanctæ sedis apostolicæ episcopus dictæ civitatis et diœcesis, certum et firmum facit dictis reliquiis, tamquam veris dicti patroni S. Fructi exuviis, exhibenda esse cultum et venerationem, eis debita; eaque de causa præsens instrumentum munit sigillo insignium suorum; et quum ipse dictus notarius et secretarius obtulissem meam testificationem simul cum testificatione D. Antonii marchionis de Prado, scholastici, canonici et œconomi majoris dictæ ecclesiæ, D. Didaci Hieronymi de las Peñas, canonici, et D. Michaelis Martinez, præfecti operæ, ut omni ævo de iis constet, confeci præsens instrumentum in civitate Segovia die 18 mensis octobris anni 1681. Mathias, episcopus Segoviensis. Et ego dictus Michael Gonzalez de Tejada, qui præsens fui iis, de quibus facta est mentio, in fide eorum signavi in testimonium E veritatis. Michael de Tejada, protonotarius secretarius. *Apposita hoc loco erant insignia.*

AUCTORE V. D. B.

quæ in Escurialensi reconduntur sacrario.

31 Ego frater Andreas de Villa Castin, professus regii conventus S. Laurentii, auctoritate apostolica, notarius apostolicus regnorum Hispaniæ, secretarius R^mi nostri patris Francisci de los Santos, historiographi generalis ordinis S. P. N. Hieronymi, prior dicti regii conventus S. Laurentii, prior S. Thomæ del Puerte et abbas de Parrazes nullius diœcesis, etc., certifico et fidem facio quod die mercurii, 22 octobris præsentis anni 1681, D. Sebastianus de Vivanco, eques ordinis S. Jacobi, adjutor cubicularius regiæ majestatis et secretarius ejus cubicularius, necnon Petrus Martinez, tonsor regiæ majestatis, tradiderunt dicto R^mo patri priori lipsanon S. Fructi, patroni Segoviensis, cum theca et monumento, de quo supra, ex mandato regis nostri D. Caroli II (quem Deus conservet!); qui ingenito suo zelo et diligentia, regem catholicum decentibus, atque etiam solita sua in res sacras religione, jussit id reponi inter alias sacras reliquias hujus sanctuaF rii, ut ibidem debitum cultum et venerationem recipiat. Asportarunt hoc sacrum lipsanon ex parte sanctæ ecclesiæ Segoviensis ad regiam majestatem in hanc regiam S. Laurentii domum D. Joannes Franciscus Hidalgo, portionarius, et D. Michael Martinez, capellanus de numero et præfectus sanctæ ecclesiæ. Noster R^mus pater prior collocavit id super altare sui oratorii. Verum in pervigilio gloriosi sancti, hora prima, quum omnia disposuisset ut in die ejus natali summa solemnitate fieret translatio, cecidit fulmen in cuspidem tholi, eam evertit et multa damna intulit. Sabbato igitur, die 25 dicti mensis et anni, in festo S. Fructi missam celebravit R^mus pater prior, et dein processionem instituit, sub qua cantatus est hymnus : Te Deum laudamus. His omnibus atque etiam processioni interfuit rex; et quatuor religiosi, induti ditissimis cappis, reliquias portabant manibus, dum R^mus prior lipsanothecam S. Fructi ferret. Absoluta autem processione, steterunt ad altare S. Hieronymi, quemadmodum fieri solet in processionibus solemnibus.

AUCTORE V. D. B.

nibus. Ut autem de his omni constet tempore, jussit R^mus pater prior ut hoc conficerem instrumentum, quod signo et sigillo officii sui firmari voluit idem R^mus prior. De quibus omnibus fidem facio et testimonium do, qui his præsens fui. In regio S. Laurentii monasterio, die 27 octobris anni 1681. Fr. Franciscus de los Santos. Et ego dictus notarius secretarius præsens fui omnibus memoratis et in fide eorum signavi et firmavi de more. In testimonium veritatis Andreas de V^a Castin, notarius apostolicus secretarius.

Bulla Sixti IV concedentis indulgentias iis, qui manus auxiliatrices porrigunt prioratui S. Fructi.

32 *Redeundum porro nobis est ad S.* Fructi *prioratum. Hic autem anno* 1476 *auctus est a Sixto papa IV sequentibus literis apostolicis, datis in forma bullæ* (1) : Sixtus, episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, præsentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Gloriosus in sanctis suis Deus per ineffabilem suæ pietatis clementiam supernæ patriæ cives, qui extra hujus procellosi sæculi fluctus per constantiam fidei feliciter emergentes ad æternam beatitudinem pervenerunt, inæstimabilis decorat
B gloria claritatis. Sic nos illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, cujus imitatione sanctorum quorumlibet ecclesias ad honorem altissimi et sub illorum nominibus pie dicatas devota Christi fidelium veneratione celebrari lætamur. Et ut hoc ferventius valeat adimpleri, visitantibus illas spiritualis thesauri munera libenter elargimur; ut quorum animæ lætantur in cælis, eorum nomina celebrentur in terris : et per hoc ipsis demum pro nobis intercedentibus, cælestis aulæ præmia una cum illis valeamus feliciter adipisci. Cupientes igitur ut ecclesia monasterii sancti Fructi confessoris ac sancti Valentini et sanctæ Engratiæ martyrum corpora recondita sunt, congruis honoribus frequentetur et in suis structuris et ædificiis reparetur et manuteneatur, ac Christi fideles utriusque sexus eo libentius devotionis causa ad illam confluant et ad hujusmodi reparationem et manutentionem manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem dono cælestis gratiæ uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac
C beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in singulis ejusdem sancti Fructi et sanctissimæ Trinitatis festivitatibus, videlicet a primis usque ad secundas vesperas singularum festivitatum earumdem devote visitaverint annuatim et ad hujusmodi reparationem et manutentionem manus porrexerint adjutrices, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus : præsentibus perpetuis temporibus duraturis. Volumus autem quod, si alias visitantibus ecclesiam ipsam vel ad structuram, reparationem aut ipsius ecclesiæ fabricam manus adjutrices porrigentibus vel alias inibi pias eleemosynas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, præsentes litteræ nullius existant roboris vel momenti. Dat. Narniæ anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, idibus augusti, pontificatus nostri anno quinto. *Jubilæum et indulgentiam plenariam vocat Castrius* (2) *concessionem a Sixto IV factam; sed error evidens est. Neque minus manifestus est error, quo illa indulgentia anno* 1596, *ut similiter narrat Castrius* (3), *atque etiam extremo sæculo* XVII *adhuc habebatur valida : abolitas enim voluit, et, sane laudabilissime, concilium Tridentinum omnes indulgentias concessas adjutrices porrigentibus manus. Sed licet hæc ita sint, tantus concurrebat hominum numerus ad lucrandum istum jubilæum ut in festo SS. Trinitatis nundinæ liberæ illic fierent. Alia pauca quæ supersunt indicabo in annotatis ad lectiones secundi nocturni, de quibus sæpe jam dixi, et quæ in capite desumptæ dicuntur* ex manuscriptis ecclesiæ Segoviensis. D

In miraculis in prioratu S. Fructi *collectis, veniunt anno* 1588

33 *Prius tamen ex hispanico latine hic referam necesse est miracula aliquot, quæ Orchius* (4) *in prioratu S.* Fructi *descripta reperit in singulari codice et manu priorum aliorumque testium confirmata.* Die *itaque* 25 octobris anni 1588, priore hujus domus et monasterii reve- E rendissimo patre fratre Joanne de Heredia, in festo gloriosi S. Fructi venerunt ad hanc domum Martinus Gonçalez, Septempublicæ incola, ejusque filius, Martinus Gonçalez, qui testificati sunt et jurejurando confirmarunt hunc filium ex una parte herniosum fuisse; patrem eum commendasse glorioso S. Fructo, pollicitum se, si sanaretur, tantum tritici oblaturum quantum infirmus penderet; nunc autem filium esse sanum. Pater et filius subscripserunt. Testes sunt Joannes de Lucas et Joannes Gil. Actum coram me, fratre Joanne de Heredia, priore hujus domus; quare nomen suum subscripsit. Subligamen suspensum est in capella S. Fructi.

duo herniosi

34 Dicto die, mense et anno comparuerunt coram me, dicto priore, Petrus Mate et Catharina de Charidade, ejus uxor, incolæ Septempublicæ, et dixerunt se adduxisse filiam ex parte herniosam et obtulisse eam S. Fructo, nullo alio in ejus honorem facto officio; eam sanatam esse intercessione gloriosi illius sancti et se eam ad capellam ejus ducere. Testes sunt pater frater Didacus Juarez et Martinus Gonçalez prædictus. Actum coram me, fratre F Joanne de Heredia, priore dictæ domus. In cujus rei fidem omnes nomina nostra subscripsimus.

et unus gutture tumidus :

35 Dicto die, mense et anno comparuerunt coram me, dicto priore, Alfonsus Rojo et Eulalia *, ejus uxor, incolæ vici Calabazas, ducentes secum filiam, quæ tumore in gutture laboraverat. Eam commendaverant glorioso sancto Fructo, qui eam sanaverat; et erat omnino sana. Quam ob rem eam duxerant ad dictam domum promissionis implendæ gratia. Testes sunt Joannes de Oliva et Martinus Gonçalez, incolæ Septempublicæ, et pater frater Didacus Juarez. Actum coram me, Joanne de Heredia, priore dictæ domus. In cujus rei fidem subscripsimus omnes nostra nomina.

* Olalla

accedit paralytica;

36 Maria Regidora, ex Fuente el Soto, venit ad prioratum S. Fructi, ut novendiali pietatis exercitio fungeretur, quoniam, quum quatuor

(1) Ap. Yepez, Coronica general de S. Benito, t. VI, app. monum. XXXIV. fol. V° 479; Colmenares, Historia de Segovia, p. 76; Calvete seu J. de Orche, Historia de la Vida, fol. 95 et seqq. — (2) Vida de S. Domingo de Sylos, p. 387. — (3) Ib., p. cit. — (4) Historia, etc. fol. 199 et seqq.

menses

menses paralytica fuerat, statim sanatam se sensit ut commendavit se S. Fructo et promisit se eam novem dies veneraturum.

anno 1607 venit puer ægrotus, qui jam habebatur mortuus;

37 In festo SS. Trinitatis anno 1607, priore patre fratre Joanne de Santaren *, venit ad prioratum S. Fructi Elisabetha de Pascual, uxor Petri Andres, ex vico Cogezes, et dixit sese, quum filium suum jam haberet mortuum, promisisse eum a se ductum iri ad dominum sanctum Fructum, eumque continuo convaluisse et venire ut promissa peregrinatione fungeretur. Actum coram me, fratre Joanne de Santaren. In cujus rei fidem nomen meum subscribo.

* Sancta Irene

et anno 1608 puer duplice hernia laborans,

38 Die 25 octobris anni 1608, priore dicto patre fratre Joanne de Santaren, venit ad hanc domum domini sancti Fructi Michael de Fuentenebro, ex Ureñas, et dixit filium suum ex utraque parte herniosum fuisse; se eum obtulisse domino sancto Fructo et promisisse se, quantum penderet, triticum daturum et mediam libram ceræ; porro Deo Domino nostro placuisse ut intercessione gloriosi illius sancti puerum sanaret: et quidem eum sanum esse et valere ac si numquam infirmus fuisset.

B Viderunt eum duplici magnaque hernia laborantem Joannes de Esteban *, Fructus de sancto Marco et Michael Pastor; et viderunt eum hac die sanum et validum Joannes Arquero, Fructus Gomez et Martinus de la Fuente, incolæ de Calabazas, et Christophorus de Morales ex Carrascal. Actum coram me, fratre Joanne de Santaren, priore dictæ domus. In cujus rei fidem subscripsimus omnes nostra nomina.

* Stephanus

et filius natus ex conjugio sterili.

39 Die 16 mensis augusti anni 1608, priore dicto patre fratre Joanne Santaren, venit ad hanc domum et monasterium S. Fructi Bertrandus Casas, civis Segobiensis, et dixit se ante quatuor annos, id est anno 1604, venisse cum sua uxore ad dictum monasterium; se tum jam quatuor annos conjugatos fuisse quin prolem haberent ullam; se petiisse a glorioso illo sancto ut sibi a Deo filium obtineret: se in mercedem et agnitionem hujus beneficii eum Fructum appellaturos et quotannis semel ducturos ad hanc domum, ad reddendas Domino nostro ejusque sancto gratias: atque hanc ob causam venit huc anno et die prædicto, secum ducens filium, quem Deus sibi

C interventu gloriosi illius sancti largitus erat; et dixit se duobus aliis annis venisse ut huc filium suum duceret. Testes præsentes erant Bernardus Castan et Dominicus de Prate, cives Segobienses, et Fructus Garcia et Franciscus Baquerizo, ex Aldiguelas; qui omnes nomina sua subscripserunt. *Ut patet, hæc omnia recentia erant, quum Calvete seu Orchius ea in Historia vitæ S. Fructi anno* 1610 *typis Vallisoletanis excudi curavit.*

LECTIONES EX OFFICIO

S. FRUCTI, CONFESSORIS,

Approbatæ a Paulo papa V juxta relationem factam a V. S. D. Cardinali Bellarmino.

S. Fructus cum fratribus SS. Valentino et Engratia vitam monasti-

Fructus, civis Segoviensis, mundi fugiens illecebras, peccata, quibus implicata erat Hispania *a*, perhorrescens, amplissimo patrimonio pauperibus distributo, in vastam eremum territorii Septempublicensis *b* secessit. Ubi a sæculi curis abstractus, angelicam vitam duxit, duobusque fratribus Valentino et Engratia comitibus adhibitis, monasticam vitam mirifice excoluit. Vix dici potest quæ et quanta sit loci asperitas: solum enim accipitribus pervia, juniperis referta, Oasim magnam vel Libyæ solitudinem redolet. Ibi vigiliis, jejuniis et orationibus intentus, pro suis et totius populi peccatis assidue Dominum deprecabatur. Corporeque longa inedia, cilicio et cameunia in servitutem spiritus redacto, in maximam cælestium pervenit contemplationem.

cam prope Septempublicam agit; *a* *b*

montis hiatu defenditur a Mauris.

2 Quibus et aliis præclaris virtutibus auctus, Deo dilectus, hominibus charus, Saracenis fidei inimicis infensus esse cœpit; quos ille, zelo fidei accensus, a nefaria Mahometi secta opere et sermone avertere conabatur. At illi, universa jam australi Hispania vastata, reliquas civitates, templa, ipsam religionem populabundi *c*, immenso eum occidendi flagrantes desiderio, ad pauperem ejus cellam accesserunt. Ille autem divina fultus virtute, E martyrii cupidissimus, illis obviam factus (Deo sic volente) non solum ictus impiorum evasit, sed rupis interruptione (quæ adhuc integra perseverat *d*) elusit; jureque cum propheta occinuit: Non timebo millia populi circumdantis me, quia Dominus susceptor meus.

c

d

Mortuus fulget miraculis. Callistus papa II instituit eum patronum Segoviæ.

3 Multis ergo pro Christo exactis laboribus, tandem plenus dierum, provectaque ætate, annum agens septuagesimum tertium, octavo kalendas novembris, anno salutis septingentesimo decimo quinto obdormivit in Domino. Cujus mors quam plurimis est nobilitata miraculis. Multi enim a variis languoribus detenti, ejus intercessione pristinam salutem adepti sunt. Inter quæ illud est mirabile, quod mulier, quæ devotionis ergo monachis monasterii (quod ex cellula sancti viri munificentia regia *e* erectum est) inserviebat, ob zelotypiam viri ex altissimo loco præceps data incolumis et illæsa evaserit *f*, magnificans Deum, qui gloriosus est in sanctis suis. Unde factum est ut recepta ex Mauris inclyta civitas Segoviensis, et post multa temporum F curricula quasi jure postliminii in cathedralem restituta, sub Callisto secundo anno Domini millesimo centesimo vigesimo tertio, eum titularem sibi adsciverit *g*, de tantoque patrono glorietur. Cujus auspiciis ingentia a Domino quotidie percepit beneficia: quem decet gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

e

f

g

ANNOTATA.

a *Consentiunt historici in describenda lugubri Hispaniæ conditione ante Arabum irruptionem. Illius potissima causa Witiza, de quo Sebastianus, Salmanticensis episcopus, in Alphonsi III Chronico sequentia perhibet* (1): Iste quidem probrosus et moribus flagitiosus fuit, et sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, cum uxoribus et concubinis plurimis se inquinavit: et ne adversus eum censura ecclesia-

(1) Ap. Florez, España sagrada, tom. XIII, p. 477 et 478.

stica

stica consurgeret, concilia dissolvit; canones obseravit; omnemque religionis ordinem depravavit; episcopis, presbyteris et diaconibus uxores habere præcepit. Istud quidem scelus Hispaniæ causa pereundi fuit : et quia reges et sacerdotes legem Domini dereliquerunt, omnia agmina Gothorum Sarracenorum gladio perierunt. *Regnavit proxime ante Arabum adventum annos quadraginta.*

b *Septempublica, vulgo* Sepulveda, *antiquissima civitas est; jacet in declivitate montis Orospedæ inter rivos Duratonem et Castellum. Anno* 1827 *incolas tantum habebat* 1,677; *sed olim multo populosior fuit. Quoniam tugurium et dein ædicula S.* Fructi, *tres tantum leucas a Septempublica distans, hujus oppidi fata non potuit non participare, (quamquam montes rei christianæ passim satis tutum fuere refugium); addere juverit civitatem illam, e manibus Maurorum ereptam, primum receptam fuisse circa annum* 750; *dein restitutam circa annum* 913 *a comite Castellæ Ferdinando Gonzalez; anno* 984, *devictis ejus filio et rege Navarræ, rediisse sub Maurorum ditionem; eamque a Mauris circa* B *annum* 1013 *Sancio, item Castellæ comiti, redditam, ab eodem fuisse renovatam et nova plebe repletam* (1).

c *Impiissime sane habuerunt Hispaniam Saraceni; verumtamen non ubique templa et religionem sustulerunt. Certe Segovia satis benigne habita fuit. Vide Commentarium prævium, numm.* 8 *et* 9.

d *Videtur hæc saxi apertura valde celebris esse in illis partibus et vocatur* la Cuchillada de san Frutos (2). *Viginti quatuor pedes lata est et valde profunda; ita ut, quum super eam transeundum sit ut deveniatur ad sancti viri habitaculum, ponte ligneo utendum sit* (3). D

e *Ab Alphonso III et Alphonso VI multa bona collata fuisse diximus in Commentario prævio, num.* 15.

f *Valde late narrat id prodigium Yepesius* (4), *sed multo latius Orchius* (5) *et Castrius* (6), *qui quot potuerunt floribus id insperserunt. Accidit autem anno* 1360 *et vulgo vocatur* Milagro de la dispeñada. *Corpus mulieris, quæ omnes facultates suas tradiderat conventui, diu ibidem jacuerat ad portam meridionalem; sed anno* 1596 *in festo SS. Trinitatis, quo innumerus convenerat populus ad antiquatam indulgentiam lucrandam et celebrandas nundinas, Franciscus de Valdivia y Mendoça, prior S.* Fructi, *consentientibus Andrea Pacheco, episcopo Segoviensi, et Petro Barba, generali præposito ordinis S. Benedicti, præsentibus sex fratribus Minoribus, duobus Cisterciensibus et tribus Benedictinis, aperto tumulo, reperit corpus integrum, sed exsiccatum et suavissime olentem; cujus rei causa forte fuerunt thus et plantæ odoriferæ, quibuscum olim, ut alibi* (4) *jam ostendimus, cadavera sepeliri solebant. Ea occasione omnino sanata est* E *Catharina Calva, sexto mense amens; pro cujus salute frater sacram Eucharistiam participaverat* (5).

g *In bulla Callisti III, quam (ut alibi monuimus) Orchius et Colmenares integram ediderunt, de sancto* Fructo *nulla plane fit mentio; neque ante finem sæculi* XV *cogitatum fuisse videtur de adsciscendo S.* Fructo *in patronum. Crescente paulatim populari pietate, paulatim patronus factus esse videtur.*

(1) De Miñano, Diccionario geografico de España, tom. VIII, p. 215. — (2) Calvete seu J. de Orche, Historia de la vida, etc. fol. 60 et seqq.; Colmenares, p. 74; Florez, tom. VIII, p. 92. — (3) De Castro, Vida de santo Domingo de Sylos, p. 361 et 373. — (4) Coronica general de S. Benito, tom. VI, fol. 321 v°. — (5) Historia de la vida, etc. fol. 162 et seqq. — (6) Vida de santo Domingo de Sylos, p. 383 et seqq. — (7) Acta SS., tom. VIII Octobris, p. 250 et 420. — (8) Yepez, Coronica de S. Benito, tom. VI, fol. 322; De Castro, Vida de S. Domingo de Sylos, p. 385 et 386.

DE S. NICIO, CONF. NON PONT.,

C IN MONASTERIO GRÆCO S. PAULI DE FORESTA PROPE PONTEMCURVUM IN TERRA LABORIS, F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

§ I. S. Nicius diversus a S. Clino. Monachi, diversis linguis aut ritibus utentes in sacris, sub una regula. Hujus rei origo apud orientales et occidentales. S. Nicii incolatus Casini et in monasterio S. Nicolai de Ciconia.

SUB ANNUM M.

S. Nicius *græcus, aliquando monachus Casinensis, dein abbas prope Pontemcurvum et ex fragmento Vitæ et Ferrarii indicio notus,*

Inter reliquias, quæ ex decessorum nostrorum musæo transierunt in bibliothecam abbatiæ Tungerloënsis atque hinc in bibliothecam regiam Bruxellensem, reperimus fragmentum Vitæ S. Nicii, *in lectiones divisæ, cum hac inscriptione :* Festivitas celebratur die 25 octobris. Exemplata ex proprio originali, quod est ad modum quinterii totius folii in charta membranea scriptum. Ex collectaneis P. Manni. *Dum in Italiam versaretur, id exemplar confi-ciendum procuravit Papebrochius atque ipse manu sua correxit. Verumtamen initio non parum sollicitos nos fecit hæc Vita seu Vitæ particula. Continentur enim res gestæ monachi græci, qui prius Casini aliquandiu habitavit, dein in vicino S. Nicolai de Ciconia abbatia, ubi discipulos etiam congregavit, et demum Pontemcurvum transiit et in ejus vicinia monasterium S. Pauli de Foresta excitavit. Alibi enim nuspiam occurrebat nobis hujus beati viri memoria: non*

A *non in kalendariis ecclesiasticis diœcesis Aquinatis seu Pontiscurvi; non in Hagiologio Italico; non in Catalogo generali sanctorum Ferrarii; non in Casinensibus fastis; non in Petri Pompilii Rodotæ catalogo monachorum Græcorum, qui vitæ sanctimonia provincias regni Neapolitani et Siciliæ illustrarunt; nuspiam denique, nisi in indice Catalogi Sanctorum Italiæ Ferrarii, ubi hæc habes :* Nicus alter (*præcedit enim Nicus quidam a territorio Mediolanensi*) monachus in diœcesi Aquinate; *sed nil præterea de eo additur et nulla fit mentio in ipso corpore libri. Verumtamen, quamvis valde tenue id esset indicium, hinc tamen constabat ineunte sæculo* XVII *aliqualem S.* Nicii *tunc illic adhuc superfuisse notitiam, quæ postea perierit.*

diversus est a S. Clino, cujus cæterum vita simillima est.

2 *Quærendum deinde erat an sub S.* Nicii *nomine alius non lateret sanctus. Sub die enim* 30 *martii dixere brevissime decessores nostri de S. Clino, qui itidem Casini monachus fuisse dicitur et dein in vicinia Pontiscurvi monasterium S. Petri de Foresta exstruxisse. Sed fieri non potest ut S. Clinus idem sic ac S.* Nicius. *Imprimis nomina diversa sunt, quin tamen*
B *umquam corrupta aut immutata fuerint. In Vita enim S.* Nicii *legitur :* Nicius attice latine dicitur Victor; *dein supersunt duo diplomata, in quibus S.* Clini *nomen legitur; et in altero quidem anni* 1047 *ipse suum nomen literis græcis apposuit :* Ἐγω Κληνυς ἡγουμενος; *quam subscriptionem, scalpro imitatam, repræsentandam curavit Erasmus Gattola* (1); *nonnulla addens de beati hujus viri cultu, quæ in opere nostro desiderantur. Præterea monasteria S. Petri de Foresta et S. Pauli de Foresta, circa idem tempus prope Pontemcurvum condita, duo plane diversa asceteria sunt; quemadmodum mox explicabimus.*

S. Sabas videtur primus constituisse monachos, varia lingua in sacris utentes, sub una regula et in eodem monasterio,

3 *Dubitandum itaque non est quin S.* Nicius *exstiterit, isque diversus sit a S. Clino. Ejus ætas probe cognita est. Venit enim Pontemcurvum dum ibidem dominaretur Guido, id est extremo sæculo* X. *Quamobrem hoc loco aliquantisper explanandum foret quæ tunc temporis in illis partibus esset monachorum conditio et quis Pontiscurvi status. At utraque quæstio jam pridem præoccupata est. Anno enim* 1758 *et sequentibus Petrus Pompilius Rodota, quem supra*
C *nomine suo jam designavi, dedit publico tria volumina de historia ecclesiastica græcorum in Italia, maxime in regno Neapolitano et in Sicilia* (2). *In primo fere agitur de origine et fatis ecclesiarum ritus græci in illis regionibus; secundum fere totum monasticum est; tertio demum capiuntur res recentiores maxime Albanensium. De Pontiscurvi originibus et fatis multo plures dixere : omnium vero optime Tostius in Historia sua abbatiæ Casinensis. Hæc ituque retractare nolim, animo ducens satius fore ut de singulari quadam quæstione disseram, quæ hucusque integra fere est et proxime ad S.* Nicium *pertinet; quum hic Casini ritus græcos conjungere voluerit cum regula S. Benedicti. Primis itaque temporibus inter christianos variæ linguæ et nationis magnum commercium fuisse, quin ulla in ritus et linguas diversitas induceretur, res patentissima est. Latini, si irent ad orientales, orientalium mores et consuetudines ecclesiasticas sequebantur; græci aliique orientales si venirent ad latinos, latinorum usus usurpabant; similiter Syri, Copti, Arabes, Armenii, Græci aliique promiscue iisdem sacris communicabant; neque umquam cogitabatur alias ecclesias et monasteria aperire his, alias illis. Primum (quod sciam) exemplum contrarium dedit S. Sabas ad finem sæculi* V; *ita tamen rem temperans ut communio quædam inter suos variarum linguarum monachos servaretur. Ecce hujus rei initium. Anno* 491 *in Magnam Lauram, quam super torrentem Cedron exstruxerat, admiserat beatus vir Hieremiam, genere Armenium, cum sociis Petro et Paulo.* Super his valde gavisus est pater Sabas, utpote religiosis hominibus, deditque illis speluncam cum parva cella ad borealem speluncæ suæ partem, ubi primum manserat, cum solus torrentem incoleret; atque iis permisit demandavitque ut in parvo oratorio canonem psalmodiæ sabbato et dominica armenica lingua peragerent. Ad eum modum, *quum longe plurimi pristini monachi rudes essent et patriam* E *tantum nossent linguam,* sensim Armenii in Laura numero amplificati sunt (3).

AUCTORE V. D. B.

admissis Armeniis in suam Lauram; sed vitavit omnimodam separationem. Sæculo XI *similia monasteria adhuc exstabat Hierosolymis et Antiochiæ; in quo posteriori S. Macarius, Gandæ cultus, archiepiscopus erat Armeniorum.*

4 *Triennio post, quum communis Lauræ ædicula, quæ a Deo constructa dicebatur,* congregationem amplificatam coarctaret multiplicatique essent Armenii et in parvo oratorio, quod eis prius assignatum fuerat, angustiarentur, ædificavit magnam ecclesiam celebratissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ. In medio autem ambarum ecclesiarum atrium fecit... Tunc ergo Armenios a parvo oratorio transtulit, ut psalmodiæ regulam dialecto Armeniorum in ecclesia *communi priore seu* a Deo constructa exsequerentur, mandavitque iis megalium seu evangelium et reliquam officii seriem in synaxibus armenica lingua inter se recitare; tempore autem divinæ oblationis cum hellenistariis, hoc est qui græca lingua utebantur, convenire ac divina sumere sacramenta. Quoniam vero eorum nonnulli aggressi fuerant ter sanctum hymnum seu trisagium dicere, cum illo additamento, per Petrum cognomento Cnapheum aut Fullonem excogitato : Qui crucifixus es pro nobis; succensens merito divinus senex jussit ut hunc F hymnum ipsi græce canerent juxta antiquam catholicæ ecclesiæ traditionem.... Sanxit etiam ut sabbatho quidem seu synaxis seu collecta in ecclesia, a Deo condita *et jam Armeniorum usibus deputata,* dominica vero in Deiparæ templo, *quo quotidie Græci solebant convenire,* celebraretur, necnon sine intermissione a vespera usque ad mane vigiliæ in utraque ecclesia diebus ac festis dominicis fierent (4). *Propagatum est id institutum et diu perseveravit, quemadmodum liquet ex Nicone, monacho græcomelchita, qui circa annum* 1060 *in Syria floruit* (5). *Hic enim in epistola* 36 *ad Gerasimum abbatem testatur* (6) Armenios quosdam monachos *sæculo* XI in græcorum monasteriis Antiochiæ et Hierosolymis commoratos *esse, eosque*

(1) Historia abbatiæ Casinensis, part. I, pag. 270. — (2) Dell' origine, progresso e stato presente del rito greco in Italia, osservato dai Greci, monaci Basiliani e Albanesi libri tre, Roma, 1758 et seqq. — (3) Cyrillus Scythopolit. Vita S. Sabæ, num. 20, ap. Cotelerium, Eccles. græc. monumenta, tom. III, pag. 247. — (4) Ibid. num. 32, tom. III, pag. 264 et 265. — (5) Cfr Mai, Scriptorum veterum nova collectio, tom. IV, part. II, pag. 159. — (6) Ibid. pag. 166.

AUCTORE V. D. B.

fuisse orthodoxos et ab omni hæreseos *Eutychianæ* suspicione remotos. Illos autem ostendit a tempore sancti Sabæ et Theodosii cœnobiarchæ monasticam vitam inter Græcos egisse, sermone vero armenio, permissu ejusdem Sabæ, rem sacram facere consuevisse, præter hymnum trisagium, quem græce proferre jubebantur ;... episcopum insuper Edessenum Armenios habere, qui ab Antiocheno Græcorum patriarcha impositionem manus acciperet. *Ast antea habebant etiam archiepiscopum, qui in monasterio mixto S. Simeonis de Montemirabili prope Antiochiam ad Orontem sedem suam habebat. Sed desiisse videtur hæc cathedra, quum ineunte sæculo* XI *eam reliquit S. Macarius archiepiscopus, Armenius simul dictus et Antiochenus, anno* 1011 *in Gandavense S. Bavonis monasterium transgressus* (1) *ibique brevi post mortuus.*

Sub medium sæculum XIV *Carolus IV erigit Pragæ, ubi jam exstabant instituta Benedictina ritus latini, monasterium benedictinum S. Hieronymi seu Emmauntis ritus slavici,*

5 *Sed dum hæc Græcorum et Armeniorum qualiscumque conjunctio perstaret, invaluit paulatim multo major divisio, ita ut orientales, in partibus latinorum versantes, regulas monasticas, ritus et linguas orientales unice observarent, et vicissim latini inter orientales omnino latinizarent. Quæ distinctio, initio certe non exorta ex spiritu Christi, postea jussa est integra custodiri, ne majora orirentur mala. Fuere tamen qui Benedictinam regulam cum ritibus orientalibus conjungerent. Cujus rei insigne specimen est, quod Carolus IV imperator et rex Bohemiæ circa medium sæculum* XIV *instituit. Bohemi quidem ritus latinos sequebantur, et Pragæ jam pridem degebant Benedictini monachi, ritus latinos linguamque latinam observantes. Sed placuit principi, ad fundanda nova cœnobia satis propenso, Pragæ habere benedictina monasteria omnium rituum, quos noverat. Hinc Benessius de Weitmil, canonicus Pragensis, circa annum* 1390 *mortuus :* Anno Domini, *inquit* (2), 1348 die beati Marci dominus Karolus, Romanorum et Bohemiæ rex, posuit primarium lapidem et fundavit Novamcivitatem Pragensem.... Eodem anno fundavit monasterium ordinis sancti Benedicti in eadem Civitatenova, et instituit in eo fratres Sclavos, qui literis Sclavonicis missas celebrarent et horas psallerent. *Et inferius sub anno* 1372 (3) : Eo-
C dem anno feria secunda post Pascha reverendus in Christo pater dominus Johannes, sanctæ Pragensis ecclesiæ archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, consecravit monasterium Sclavorum ordinis S. Benedicti in Novacivitate Pragensi per præfatum dominum imperatorem fundatum, de miro quoque opere consummatum atque magnifice dotatum; *ita ut Pragenses quum pontem, ab eodem imperatore constructum, extollere vellent, solerent dicere* pontem Pragensem uno obolo plus quam hoc cœnobium et ecclesiam Slovanensem Carolo fundatori constitisse (4). Cui dedicationi, *ita pergit Benessius* (5), interfuerunt ipse dominus imperator et principes. *S. Hieronymi, quem Slavi utpote Dalmatum genti suæ accensent, titulus impositus; sed postea mutatus in* Emmauntem (6).

6 *Nondum absolutum erat S. Hieronymi seu Emmauntis asceterium, quum* anno 1354, *ut Benessius* (7) *iterum testis est,* dominus Karolus, Romanorum et Bohemiæ rex, fundavit monasterium sub titulo sancti Ambrosii in Novacivitate Pragensi, et posuit in eo abbatem infulatum et conventum monachorum ordinis sancti Benedicti; quibus providit de bonis et reditibus sufficienter. Obtinuit autem a sede apostolica (*a qua pro monasterio Slavonico id jam ante obtinuisse a Balbino* (8) *traditur*), ut ipsius monasterii abbas et fratres tenere debeant et habere officium missæ et aliarum horarum ad modum et consuetudinem ecclesiæ Mediolanensis secundum rubricam et ritum S. Ambrosii. *Verum quum circa annum* 1420 *Hussitarum hæresis impune baccharetur, hoc delevit templum et monasterium cum tot aliis* (9). *Meliorem sortem habuit Slovanense asceterium, quod sæculo* XVII *extremo, ut passim ex Balbini libris liquet, adhuc exstabat; verum utrum tunc adhuc ritus et lingua slavica observarentur, non potui invenire.*

D *et alterum ritus Ambrosiani.*

Ex slavico Pragensi cœnobio colonia ducitur et juxta Cracoviam sedem obtinet.

7 *Propaginem etiam habuit id institutum. Hinc apud Dlugossium, canonicum Cracoviensem* (10), *sub anno* 1389 *legimus :* Wladislaus secundus, Poloniæ rex, cum consorte sua Hedwigi..., excitati exemplari simili, quod in civitate Pragensi habetur, monasterium Slavorum ordinis S. Benedicti, et sub ejus regulari observantia duraturum, sub honore et titulo sanctæ Crucis extra muros Cracovienses in oppido Cleparz, non longe a flumine Rudawa, sub pontificatu Petri Visz, episcopi Cracoviensis, feria quinta post festum S. Jacobi apostoli, condunt et dotant et pulcherrimo muro latericio circuitum ecclesiæ, tam chori quam corporis, opere sumptuoso et magnifico designant chorumque ejusdem ecclesiæ cum sacristia perficiunt et consummant; corporis vero fundamenta solum jaciunt; quemadmodum usque in præsentem diem (*seu medio sæculo* XVI) id coram cernere licet. Et domum pro monasterio ligneam cum horto construunt fratresque ex monasterio Pragensi sumptos ad illam introducunt : dantes eis pro dote, quamvis tenui, viginti marcas singulis annis de censibus et proventibus thelonei Cracoviensis. A quibus usque ad mea tempora et sub oculis meis F ecclesia illa sanctæ Crucis, et in re divina, et in matutinis, horisque canonicis, cæterisque cerimoniis ecclesiasticis, sonoro cantu et lectione in idiomate Slavonico per monachos fratresque sancti Benedicti officiabatur et administrabatur. *Matthæus Miechovita* (11), *qui pluribus post Dlugossium annis scripsit, testatur* in diebus pueritiæ suæ presbyterum Slavum idiomate Slavonico continuasse *sacra facere; sed sæculo* XVII *videntur hæc cessasse* (12). *Volunt illos monachos veste rubra indutos fuisse, sed ejusdem formæ ac reliquos Benedictinos. Alii quoque regulares Poloni amavere rubrum colorem; sed non putem Pragæ eum fuisse admissum. Basiliani plerique itali miscent jam pridem missas latinas cum regula S. Basilii aliisque orientalibus institutis; sed*

(1) Acta SS. tom. I Aprilis, pag. 873 et seqq. — (2) Ap. Pelzel, Scriptores rerum Bohemicarum, t. II, p. 346. — (3) Ib., p. 416. — (4) Balbinus, Miscellanea historica regni Bohemiæ, Decas I, lib. III, c. X, § 3, p. 133. — (5) Pelzel, t. II, p. 417. — (6) Balbinus, Epitome rerum Bohemicarum, lib III, c. 21, p. 359 et 360. — (7) Pelzel, t. III, p. 359. — (8) Epitome rerum Bohemicarum, p. 360. — (9) Ib., lib. IV, c. 3, p. 433. — (10) Hist. Polon., lib. X, c. 127, edit. 1711. — (11) Chronic. Polonor., lib. X, c. 49. — (12) Cfr Hélyot, Hist. des ordres religieux, t. I, p. 229.

hæc

A *hæc plena corruptelis, de quibus videatur Rodotà.*

Alia instituta, in quibus linguæ, ritus et regulæ diversarum gentium sunt.

8 *Ex hactenus dictis, ut id obiter notem, apparet nihilum novi fuisse propositum ab egregio Thoma de Jesu, quum in libro suo de Conversione schismaticorum aliorumque censuit utile fore si in ordinibus religiosis, origine latinis, aliquot viri forent qui ritus et linguas orientales in ministerio sacro usurparent, cæterum fratrum suorum leges et regulas secuti. Huc autem non pertinent Dominicani seu Fratres Prædicatores Armenii, qui lingua quidem Armenia in sacris utebantur, sed ritus servabant latinos; sed potius similes erant iis Illyricis, qui Missale et Breviarium Romanum in linguam Slavicam versa habent. Neque etiam ad Armenios illos et Illyricos accessit S.* Nicius, *sed potius ad modum et rationem Armeniorum, qui S. Sabæ instituta sequebantur, et maxime ad Slavos Pragenses et Cracovienses, qui regulam S. Benedicti sociabant cum ritibus et lingua Slavonica. Quod hoc loco latius explicandum non est, quum in ipso fragmento Vitæ satis declaretur.*

Casini prius, dein in monasterio Casinensi S. Nicolaï de Ciconia regulam Benedictinam servasse censendus est S. Nicius.

9 *Casini tamen non mansit beatus vir; sed prius consensu monachorum cellam S. Nicolaï, non procul a monasterio dissitam, incoluit ibique discipulos admisit. Ignoravere ad hanc usque diem ipsimetque Casinenses antiquiora hujus loci fata. Audi Erasmum Gattolam* (1) : Cœnobium S. Nicolai Ciconiæ, quod uno et sesqui lapide a monasterio Cassinensi distat in valle, a qua cognomentum sumsit, primum nominatum reperi in bulla Victoris II, anno 1057 data, ubi hæc leguntur : « Cella » Albaneta, Ciconia, etc. » Incoluere hoc cœnobium SS. Guinizzo et Januarius ejus discipulus, ut refert Victor III, lib. 1 Dialogorum, cap. 20 et seqq.; atque Petrus diaconus in fine eorum Vitæ hæc habet : « Sepultus vero est » (*S. Guinizzo*) in ecclesia sancti confessoris » Christi Nicolaï in loculo plumbeo ad dexte- » ram partem altaris in loco, qui dicitur Cy- » conia, in quo et S. Januarius discipulus » ejus defunctus una cum magistro suo posi- » tus est : ad quorum merita declaranda mira » in diem usque hodiernum patrare non cessat » Deus. » *Plura dein indicat Gattola diplomata, in quibus hujus asceterii mentio fit; quæ con-*
C *cludit his verbis :* Cœnobium istud ad tempora usque Urbani VI perdurasse conjicimus ex membrana, quæ in capsula, ubi corpora SS. Guinizzonis et Januarii exstabant, posita, hæc verba referebat : « Reliquiæ SS. Guiniz- » zonis et Januarii a S. Nicolao de Ciconia ad » monasterium Cassinense translatæ tempore » Urbani sexti; » ut juramento testatur D. Antonius a Neapoli, archivista Cassinensis, qui bis diversis temporibus hæc verba legerat. Hoc deinde, *imo plus septuaginta annis ante,* cœnobium officio decanatus unitum esse voluit Thomas abbas, *qui circa annum* 1304 *Casino præfuit* (2); *donec sub medium sæculum* XIV *Urbanus papa V hoc officium extinxit et loco decani priorem esse jussit. Verum hæc jam nimium nos avocaverunt a S.* Nicio.

§ II. Constructio monasterii græci prope Pontemcurvum. Hujus loci origo. Diploma Guidonis comitis.

AUCTORE V. D. B.

Quum S. Nicius *S. Pauli de Foresta monasterium prope Pontemcurvum condidit, ritus græcos plane admisit.*

Quamdiu autem *S.* Nicius *ibidem versatus est, servavit proculdubio Benedictinam regulam; quandoquidem suberat abbati Casinensi, sponte sane non cessuro extraneis cellam sui monasterii. Sed quum Pontemcurvum perrexit et in vicina silva novum erexit asceterium, aliam omnino mentem induit. Græcam enim assumpsit regulam; et diræ imprecationes factæ adversus eos, qui eam in linguam latinam vertere auderent, ut constat ex fundationis diplomate. Exstat enim adhuc hoc diploma et ab Erasmo Gattola* (3) *editum est, atque infra a nobis edetur. Neque mirum : solis enim Græcis servare volebat id cœnobium; timens verisimiliter* (*multis aliis adjunctis indicatur hic timor*) *ne, si latini admitterentur, paulatim pars eorum fieret major atque ea ratione sui populares excluderentur. Cæterum parum æqui videntur fuisse erga latinos etiam sanctissimi inter Græcos viri. Solas* E *enim suas consuetudines et disciplinam amare noverant. Unde prodigii fere loco est, quod S. Nilus, Cryptæferratæ abbas, digressus aliquando ad Montem Casinum ibique a monachis de jejunio sabbati, quod Græci omittunt, interrogatus, respondit* (4) : Qui manducat non manducantem non spernat; et qui non manducat manducantem non judicet : Deus enim utrosque assumpsit... Nos igitur bene facimus, sabbato non jejunantes in detestationem abominabilium Manichæorum, eo die lugentium et calumniantium vetus Testamentum... Et vos necessario jejunatis, præpurgantes vos ad sanctum resurrectionis diem *seu dominicam. Rarissime simile responsum apud græcos reperies : neque tunc temporis minus acres erant adversus Græcorum usus plurimi e latinis. Ast hi jam pridem omiserunt hanc calumniandi pruriginem, dum ea adhuc est omnium fere orientalium supina oscitantia ut in barba, omnimoda carnis abstinentia, vestium forma et aliis hujusmodi religiosam vitam præcipue sitam esse arbitrentur. Quamobrem paucissimis abhinc annis episcopus Russus, vir cæteroquin non indo-* F *ctus, in acerrimo adversus catholicos libro, Jesuitas sibi jugulasse visus est, quum, quid hi homines sint definiens, dixisset eos esse religiosos officium ecclesiasticum non cantantes, vinum bibentes et carnem manducantes, quasi tales homines ridenda ludibria forent et certum argumentum de ecclesiæ catholicæ apostasi.*

In diplomate, tunc conscripto, videtur dici Jacobus. *De nominum mutatione a monachis græcis usurpata*

11 *In diplomate autem illo gravissima cubat difficultas. Omnia, quæ in eo dicuntur, conveniunt cum Vitæ fragmento; sed loco* Nicii abbatis *legitur* Jacobus abbas : *quod, quamdiu integra S.* Nicii *non prodibit Vita, aliter explicari non poterit quam dicendo eum fuisse binominem. Sed ea tunc temporis jam erat omnium prope orientalium monachorum conditio, ut quum sæcularem vestem deponerent et induerent angelicam, objecto sæculari nomine, accipierent novum. Valde late patebat, ille nominum mutandorum usus. In annotatis ad Passionem S. Crescii* (5) *de mutato in baptismate nomine*

(1) Historia Cassinensis, part. 1, p. 218 et seq. — (2) Ibid., p. 503 et 504. — (3) Ibid. p. 293 et 294. — (4) Acta SS., t. VII Septembris, p. 329. — (5) Acta SS. tom. X Octobris, p. 594.

aliquid

AUCTORE V. D. B.

aliquid jam diximus. De Romanorum pontificum, episcoporum atque etiam aliquando abbatum mutato nomine dixere complures. Singularem etiam dissertationem edidit Krebsius de eadem a monachis usurpata consuetudine; verum quum ea caream, id unum dixerim ignota mihi esse exempla, antiquiora sæculo VI *: sub cujus initium S. Dorotheus discipulum* secum habuit in valetudinario atque Dositheum appellavit(1). *Tamquam lex certa prævaluit id deinceps paulatim. Sic in Vita S. Leonis Lucæ Corilionensis, qui usque ad iniens sæculum* X *abbas Mulensis in Calabria fuit, traditur abbas Christophorus* festinasse *B. Leonem* sanctæ conversationis habitu induere et juxta ejusdem conversationis ritum imposuisse nomen LUCAM et dixisse : « Ecce fili, ascendisti crucem Domini tui; vide ergo cui te sociasti, vel cum quo te crucifixisti (2). » *Similiter Pancratius in Panegyrico S. Nili de beato hoc Cryptoferratensi abbate scripsit* (3) : Cum principium dedisset monasterio Cryptæ Ferratæ magnus NICOLAUS, qui et NILUS. *Et Sciommarius, antiquum codicem græcum secutus, de illius discipulo et quarto*
B *Cryptæferratæ hegumeno seu abbate* (4): Brachiis apertis exceptus est S. BASILIUS a S. Nilo; qui, præsagiens quantus accedente ætate fieret aliquando ille adolescens, subito monastica et angelica veste induit nomenque BARTHOLEMÆI imposuit. *Et Pancratius in S. Bartholomæi illius Panegyrico* (5) : BASILIUS in baptismo nominatus et BARTHOLOMÆUS cum angelicum suscepit habitam.

ejusque varietatibus.

12 *Ad quæ loca animadvertit Sciommarius, ipse Basilianus* (6), *usum istum adhuc suo tempore perseverasse, ea adjecta lege ut novum nomen inchoetur eadem litera ac vetus et ut novum nomen sancti sit ordinis Basiliani. Ast ea olim mutatio duobus illis modis circumscripta non erat. Sane consuetudo erat ut primum elementum utrique nomini commune esset, quemadmodum in* Leone *et* Luca, Nicolao *et* Nilo, Basilio *et* Bartholomæo *facile deprehenditur; sed hæc non certa, neque stabilis erat, quemadmodum nunc apud græcos est. Sic celeberrimus S. Sabas, archiepiscopus Serblorum, in monte Atho, vitæ monasticæ apud orientales exemplari, sæculo* XII *nomen novum accepit, quod ab alia*
C *litera incipit :* Rastko *enim sæculare ejus nomen erat, quod in* Sabam *seu* Sabbam *mutavit* (7). *Quum itaque sæculo* XII *hæc adhuc fierent, multo minus mirum erit sæculo* X *S.* Nicium *prius dictum fuisse* Jacobnm, *seu, quum vitam monasticam iniit, nomen assumpsisse non eadem litera incipiens qua prius. Imo, quum tunc temporis inter Benedictinos nominis mutandi usus nondum invaluisset (quem usus an umquam admiserint Casinenses dubito,) facile fieri potest ut, quum diploma id scriptum est, pristinum adhuc suum nomen servaret S.* Nicius : *ad hoc enim usque tempus non orientalia instituta eum secutum fuisse jam innuimus, sed Benedictina.*

13 *Concessit hoc diplomate Guido comes locum* D *in foresta seu silva, Ponticurvo proxima, qui locus jam* Fergile, *jam* Sergile *dicitur; sed forte ubique legenda est* Fregella *seu* Fregellæ : *quæ res ad origines Pontiscurvi pertinet. Arbitratur Paschalis Cayrus* (8) *in illa plaga in ripa Liris seu Cariliani a Volscis conditam fuisse civitatem, nomine Lirium, in cujus dirutæ area Romani constituerint deinde coloniam, quam Fregellas appellarunt; eam dein Pyrrhum depopulatum fuisse, ita ut Strabonis ævo vicus tantum esset. Et quidem in civitate Pontiscurvi nunc adhuc plures inscriptiones servantur, quæ ad Fregellas spectant; et in vicinia, ultra pontem, ad ripam Liris, veteris civitatis detecta sunt rudera, passus* 750 *extensa. Medio sæculo* IX *solitudo ibi erat et saltus; quorum locorum conditio quum mœniis exstruendis videretur aptissima, sub annum* 870 Rodoaldus, Castaldius in Aquinensi villa, secus Pontemcurbum castellum construxit, quod videlicet ab ejusdem pontis situ et nuncupatione Ponscurvus nomen retinuit; *quibus Leonis Ostiensis* (9) *verbis innuitur pontem ante exstitisse :* E *quare, quod imperator Ludovicus II, ex Italia Saracenos expulsurus, anno* 866 venit ad Pontemcurbum, *profecto necesse non est illius castelli initia ante hunc annum consignare; sed simul valde verisimile est ibi prope pontem plures jam ante exstitisse domos, quemadmodum placuit egregio historico Casinensi* (10). *Quo animo id fecerit Rodoaldus narrat Ignotus Casinensis, qui in illis Leoni præluxit.* Hoc facto, *inquit* (11), subduxit se a jure Capuanorum, qui vehementer ob hoc affligebatur a Capuanis. *Et reapse ut se a Pandone, domino suo, tueretur, coactus fuit cum Magenolfo, affini Engelbergæ imperatricis, pactum inire, quo ambo simul novo castro potirentur. Sed discordia brevi inter eos orta est. Rodoaldum cum filiis carcere conclusit Magenolfus, neque prius emisit pristinum socium quam Casini monasticam vestem indueret* (12).

Pontiscurvi initia

et fata.

14 *Anno* 946 *Beneventani principatus feudum censebatur Ponscurvus* (13); *verum tunc temporis Landulfus principatibus Beneventano et Capuano simul potiebatur; adeoque extremo sæculo* X, *postquam anno* 982 *Capua a Benevento separata fuerat, pendebat Ponscurvus a Capua,* F *ut ex initio constat diplomatis, ubi Guido comes Landulfum, principem Capuanum,* dominum suum *nuncupat. Ante Adinolfum, Guidonis patrem, nulli noscuntur comites Pontiscurvi præter Rodoaldum et Magenolfum; sequentes dabunt Joannes Baptista Federici* (14), *Laurentius Justinianus* (15) *et Cajetanus Moroni* (16). *Verum ineunte sæculo* XII *factus est ille comitatus penes Richardum II, principem Capuanum, qui eum quingentis libris, minimo utique pretio, Casinensibus vendidit. Meum non est varia ejus dein explicare fata; neque unus ignorat anno* 1815 *articulo* 103 *fœderis Viennensis restitutum fuisse sanctæ sedi hunc comitatum, quem ab ineunte sæculo* XV *di-*

(1) Vita S. Dosithei, num. 6, Act. SS. tom. III Februarii, p. 382. — (2) Acta SS. tom. I Martii, p. 99. — (3) Ibid. tom. VII Sept., p. 281. — (4) Breve notizia della vita di S. Bartolomæo, p. 14. — (5) Ibid., p. 78. — (6) Ibid., p. 78 et 79. — (7) Cfr A. Chodzko, Légendes slaves. Les Némania, p. 9. — (8) Lorenzo Giustiniani, Dizionario del regno di Napoli, tom. VII, p. 239 et seqq. — (9) Chronicum Ostiense, lib. I, cap 38, ap. Muratori, Scriptt. rer. Ital. t. IV, p. 314. — (10) Tosti, Storia della badia di Monte-Cassino, tom. I, p. 49 et 50. — (11) Ap. Grævium, Thesaurus antiq. et hist. Italiæ, tom. IX, part. I, col. 73. — (12) Ibid. col. 73 et 74. Cfr. Tosti, tom. I, pag. 49 et 50. — (13) Cfr diploma Agapeti papæ II, cit. a Moroni, Dizionario di erudizione, t. V, p. 100, et t. LIV, p. 97. — (14) Degli antichi duchi e consoli o ipati de Gaeta, p. 56. — (15) Dizionario del regno di Napoli, t. VII, p. 244 et 245. — (16) Dizionario di erudizione, t. LIX, p. 98.

versissima

A *versissima fortuna possederat* (1). *Anno* 1725 *Benedictus papa XIII civitatem cathedralem eam fecit, unitam Aquino; cujus episcopus jam pridem solebat illic residere.*

Primi comites admirabili studio id oppidum promoverunt; et eodem animo forte tam faciles fuerunt in admittendis monachis græcis;

15 *Qui primum condiderunt Pontemcurvum, maxime Magenolfus, admirabili procurarunt solertia ut ad novum oppidum incolæ advenirent iique belli et domi strenui essent et industrii; quæ res tam feliciter eis cessit, ut miraculum, quod olim Romulus et Remus in ripa Tiberis ediderant, luctuosissimis medii ævi temporibus super Garilianum renovari videretur. Ignotus Casinensis monachus, qui sub annum* 884 *scribebat, certe probare non poterat facinora, per quæ ad hæc prodigia via strata fuerat; verumtamen non potest quin cum admiratione de Magenolfo adjiciat* (2) : Rudem populumque indisciplinatum, quem invenit, docuit more palatii esse prudentissimum; et qui prius non noverant nisi cæpe et allia, nunc ab eis centum principales exquiruntur solidi; etiam et hostili armati proficiscuntur exercitu ; *ita ut manu valerent et divitiis, quandoquidem, ingruente aliqua necessitate, principi seu comiti suo vectigal*

B *solvere poterant centum solidorum, tantumdem pendentium quantum nunc pendent franci* 435, *et tantumdem valentium quantum franci* 3,480 (3). *Post Magenolfum perrexit Ponscurvus civibus crescere et opibus; atque haud scio an oppidi illius comitum mens fuerit in admittendis græcis monachis ut vicinarum silvarum pars mutaretur in agros et ruricolæ circum nova monasteria sedes suas figerent.*

qui cæterum semper magna veneratione a latinis habiti sunt.

16 *Cæterum res valde notabilis est : dum Italiæ meridionalis principes bellum gererent cum græcis ut eos inde expellerent, favebant simul plurimum græcis monachis. Sic* cum *S. Nilus circa annum* 981 venisset Capuam acceptusque esset honorifice a Pandulfo, tunc temporis principe, qui magnam vitæ partem exturbandis ex Italia græcis impenderat et adhuc impendebat, et nobilibus viris; ita ut de eo in episcopum sibi eligendo cepissent consilium; (quod etiam successisset, nisi princeps morte præventus esset;) tunc vocato illi ad sese S. Benedicti præposito Montis Cassini (sanctissimus hic erat Haligernus) injunxerunt ut beato viro concederet monasterium, quodcum-

C que ipse vellet, e monasteriolis sancti patris nostri Benedicti. *Quod præceptum exsecuti, concesserunt Casinenses S. Nilo ejusque sociis monasterium S. Michaelis, nomine Vallelucium* (4). *Quum autem Normanni magna parte Magnæ Græciæ et dein Sicilia potiti sunt et græcos nobiles militesque inde expulerunt, idem videre fuit. Plura nempe maximo splendore excitarunt græcorum cœnobia* (5). *Cujus rei causam puto esse quod græci monachi, longa spissaque barba conspicui , vestium amplitudine et singularitate omnium oculos in se trahentes, et gravitate quadam habitus, quam orientales facillime ostendunt, venerationem animis ingerentes, specie religiosores videbantur monachis latinis. Atque inde (ni fallor) omni ævo et nuperis etiam temporibus proclivis visus est populus ad eximiam quamdam habendam reverentiam monachis et episcopis orientalibus, qui in occidentales partes venirent. Quod forte etiam aliquantum valuit ad cælitum honores deferendos pluribus ex eis, quorum nomina alibi retulimus* (6). *Contra Orientales moderati ingenii, probe conscii quæ in suis asceteriis agerentur, sentiebant plane aliter. Certe S. Nilus, dum inter Casinenses degeret,* admirabatur egregiam illorum disciplinam et bene ordinatam vivendi normam, collaudabatque instituta eorum plusquam nostra, *ait ejus biographus* (7); *et tamen viginti quinque annis ante disciplina monastica prorsus illic pessumiverat* (8).

AUCTORE V. D. B.

Paulo post ibidem fundatur item a monacho græco S. Clino monasterium S. Petri de Foresta. Utriusque fata.

17 *His tamen innuere nolim fas esse ambigere an in S.* Nicii *monasterio disciplina floruerit. Contra floruisse omnino persuasum habeo; atque inde forte paulo post facile obtinuit S. Clinus ut sibi in eadem silva aliud construere liceret : ita ut paulo ante iniens sæculum* XI *ibidem surrexerit S. Pauli monasterium, auctore S.* Nicio, *et paulo post S. Petri, fundatore S. Clino. Circa utrumque crevit deinde vicus* (9). *Verum anno* 1093 *Rainaldus, comes Pontiscurvi, opportunum æstimavit græcos monachos dimittere;* ideoque, *quum tunc moris esset in Italia* E *ut principes pro libitu auferrent et donarent monasteria*, divina inspiracione compulsus, pro mercede et salvacione animæ suæ, et suprascripti genitoris *Guffridi* et genitricis suæ, ut apud altissimum Domnum de suis facinoribus misericordiam et requiem invenire valeret, obtulit in sancta ecclesia et monasterio beati Benedicti, quæ sita est in castro Casini Montis, unde rector esse videbatur domnus Oderisius, abbas venerabilis, unam ecclesiam et monasterium, vocabulo S. Pauli apostoli, quæ est sita infra fines de jam dicta civitate *Pontiscurvi*, in loco ab ipsa Furesta (10); *et quum in diplomatibus monasterii S. Petri de Foresta abbates græci non appareant post annum* 1072 (11), *valde verisimile est id sub idem tempus donatum fuisse abbati Oderisio. In utroque perseverarunt Casinenses monachi usque ad sæculum* XV. *Utrumque similiter præpositura erat; et S. Pauli parochialis ecclesia facta est, sæculo* XVII *adhuc exsistens. Sed nolim his diutius inhærere; quum qui plura volet, facile adire potest Gattolam, jurisdictionem ecclesiasticam et civilem in utrumque locum fuse explican-* F *tem.*

Diploma, quo Guido comes, divinitus monitus pro peccatis monasterium condere et occasionem nactus Jacobi, qui et S. Nicius,

18 *Sequitur jam ipsum diploma, de quo hactenus præfati sumus et quo Guido, Pontiscurvi comes, concessit Jacobo abbati, (quem diximus eumdem videri ac S.* Nicium,) *quæcumque necessaria essent ad fundandum S. Pauli de Foresta cœnobium.* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Sexto anno principatus domini nostri Laydolfi, gloriosi principis, mense november, duodecima indiccio. Et ideo ego Guido, Domini providentia comes hujus civitatis Pontecurbu, et filius quoddam bonæ memoriæ domini Adenolfi comitis, animatverto, quia oppressus multis facinoribus cœpi cogitare quid et qualiter agere, ut de meis peccatis deberet esse consultum; et ut misericors et omnipotens mihi subveniret et ut ab ejus ira fugere vale-

(1) Dizionario di erudizione, tom. LIV, p. 99 et seqq. — (2) Ap. Grævium, t. IX, part. I, col. 74. — (3) Cfr Léber, Mémoires sur la fortune, etc. Académie des inscriptions, Mémoires étrangers, t. I, p. 269. — (4) Acta SS., t. VII Septembris, p. 325 et seqq. — (5) Rodotà, del Rito greco in Italia, t. II, p. 81 et seqq. — (6) Acta SS., t. IX Octobris, p. 623. — (7) Ib., t. VII Septembris, p. 326. — (8) Agapeti papæ II epist. XVII, ap. Migne, Patrol. latina, t. CXXXIII, col. 913. — (9) Gattola, Hist. Cassin., part. I, p. 270 et 294. — (10) Ib., p. 294. — (11) Ib., p. 270.

ret *

AUCTORE V. D. B.

ret *. Talia cogitando cum suspicor, ipse mihi affuit et in corde mihi posuit, ut pro tantis meis nequiciis monasterium construere; et quia placuit ei, spiritalem mihi direxit ante faciem hominem, videlicet te, domne Jacobe; in cujus providencia, in deserto et vasto loco, ubi dicitur ab ipsa Furesta ab ipsi Fergili *, quæ mihi pertinet, pro meis racionibus, sub tua dicione et potestate proposui pro anima mea, et anima domini Adenolfi genitoris mei, et pro anima domnæ Mariæ genitrice meæ, et pro anima Dofelgarde uxoris meæ facere ibi in eodem loco in ipsa jam dicta furesta ab ipsi Sergilibus* monasterium q. locum vastum et desertum sub potestate mea cum ea permissione Deoque Domino nostro Jesu Christo faciendo, sub presentia et potestate tua jam dicti domini Jacobi, venerabilis abbas et monachus de genere Grecorum; ut, Deo volente, per te ibidem monasterium debeat amodo esse.

* valerem

* Fregella?

* Fregella?

concedit terras, in quibus id condatur.

19 Et cum in eodem deserto et heremitario loco ecclesia construitur, cum hac promissione per scriptum alium et offersione omnia, quæ hic continet, confirmare promitto, et in eadem ecclesia super ipso sancto altario ponere absque omni retractatione vel malo ingenio cum his fines et cum his discurrentiis, ut presentialiter declaramus; ut per has fines circumvallatum prædictum locum ad utilitatem ipsius sancti monasterii commaneat, et in tua potestate consistat, qui super, domne Jacobe, et de tuis monachis et de vestris successoribus, per nos ad defensionem et utilitatem ipsius sancti monasterii pertinentia; promobenda autem omnem dubitacionem de corde nostro; et ut a presenti habeatis licentiam et potestatem in eodem loco introeundi, et laborandi, atque edificandi, eumdem locum et sanctum monasterium pro hac nostra prommissione, fines et pertinencias declaramus, quas a die presenti in ipso jam nominato loco et sancto monasterio damus; videlicet prima parte per has fines.

Limites designat,

20 Quomodo incipit per cacumine de monte S. Martini, et mergit de ipsum monte in ipsa valle, et quomodo traversa ipso ribio de ipse cuti, et directe vadit in ipsa macera, et qualiter directe vadit supra monticellu de Calilana, et desuper ipsu jamdictu monticellu et directe vadit in ipsa via, quæ venit de Cajeta, et qualiter traversa ipsa via, et directe vadit in ipsum fossatu Petrusu, qui mergit de ipso puczo daversa. Alia parte ipsu predict. fossatu quomodo pergit in pede de toro de Giguanu et traversa ipsu fossatu directe in ipsa cosa. Tercia parte jam dicta cosa, quomodo mergit et conjungit se in ipsu Sergile * de Vitri. Quarta parte ipsu jam dict. Sergile et quomodo sursum vadit in serra de monte de Vitri, et directe vadit in capite de monte S. Martini. Hæc autem predicta pecia de terra per indicate fines, et aquas, montes, et colles, et valles una cum arbores, et cum omnia ibique intro habentes subter, vel super et cum vie suæ ibidem intrandi, et exiendi cum ambobus ripis, quæ vobis concessum habemus ad molas faciendum, et ad episcacionem et cum omnia edificia, quæ eorum meruerint.

C

* Fregella?

libertatem eligendi abbatis

21 Has fines et discurrencias per nos in suprascripto loco traditas cupimus ut presencialiter vos teneatis, et dominetis solito more, ut unus et alius abbas cum suos monachos dominare suum monasterium : unde et vobis nobis obbligamus, ut neque nos, neque nostris heredibus non habeamus licenciam de suprascripto monasterio, vel de suprascripto loco foras eicere, aut de vestra potestate subtrahere, vel extraneum ibidem abbatem per quamvis daccione mittere omnibus diebus vitæ vestræ; sed tu moriente, de ipsis qui remanserint, et tecum sunt eligant ipsi fratres quale ipsi voluerint, et faciant abbatem. Sed hæc nostra promissio permanente; et omnia quæ superius legitur in vestra et de vestris monachis, et de vestris successoribus, qui de ipsa vestra congregacio fuerit, maneat in dicione et potestate; et ipsum S. monasterium de vestris grecis monachis sint amodo, et usque in sempiternum.

D

dat; statuit ut soli græci ibi habitent;

adimit sibi licentiam revocandæ donationis;

22 Et si, quod absit, et divina avertat potencia, ut sibe vos nos, aut nostris heredibus, vel nostris successoribus de hanc nostra promissio seu dacio aliquid diminuare tembtaverimus absque undecim modia, quæ nos venditum habemus in ipsa junctura de ipso Surgile *, de ipsa cosa componere, et dare in suprascripto sancto monasterio, vel ad ejus rectoribus, seu custodibus, pænæ nominis auri obrizi libre mille. Et post soluta pena, hæc nostra dacio et promissio firma vel stabilis permaneat in perpetuum. Interdum autem et hæc promittimus, ut si, quod non optamus, eveniat, ut sibe vos aut de vestris monachis exire cum omne vestra mobile, absque omni nostra contrarietate, vel de nostris heredibus.

E

* Fregella?

retat ne regula ex græco latine vertatur;

23 Nam si ego Guido comes, vel meas heredes, vel in eos successores hanc nostra dacio, seu promisio pro qualibet ingenio dirumpere seu removere quesierimus, aut de suprascripto sancto monasterio aliquit diminuare voluerimus, vel quicumque exinde hanc regulam quod dicitur Atticam in latinam convertere voluerit, maledictus et excommunicatus fiat a Deo Patre omnipotente, et a vivifico Filio ejus, Domno nostro, Jesu Christo, fiat condemnatus, et a Spiritu Sancto fiat confusus in ima tetri profunda inferni; sub anathema fiat a trecentis decem et octo patres sanctos *; partem habeat cum Juda traditore; compar efficiatur impiissimorum Annæ et Caiphæ, Pontiique Pilati, atque Herodi, et maranatha fiat hic et in futuro. Amen.

F

* (Concilii Nicæni primi)

demum solemnitates juris servari curat.

24 Et hæc cartula de omnibus, quæ continet, firma et stabilis permaneat in perpetuum. Et taliter ego, qui supra, Guido comes, pro redemptione animæ meæ et pro anima domni Adenolfi genitoris mei, et pro anima domnæ Mariæ genetricis meæ, et pro anima Dafelgardæ uxori meæ feci, et tibi Magiperti notarii scribere jussi in aptu Pontecurbu. † Ego qui supra Guido comes. † Ego Rado judex. † Ego Bernardus. † Ego Radelgisi.

—

A

LECTIONES

DE S. NICIO,

Ex collectaneis mss. P. Manni.

S. Nicii ortus. Adventus Casinum. Habitatio in monasterio S. Nicolai de Ciconia. Constructio monasterii græci apud Pontemcurvum.

S. Nicius, ex insula Chalcia ortus, auditis verbis evangelii,

LECTIO PRIMA. Postquam Salvatoris nostri divinitas, per totum mundum vulgata, atque omnis hæretica pravitas simul depressa est, et sol justitiæ liqueret per partes orbis ubique terrarum per suos apostolos suorumque successorum *, dum multi essent ad catholicam fidem conversi, quidam eorum pro ejusdem fidei integritate viriliter dimicantes, per diversa tormentorum genera, eis a tirannis seculi arrogata *, spernendo mundi gloriam adepti sunt sempiternam; alii autem licet in sanguinis effusione martirium non pertulerint, voluntarie tamen voluptatem corporis proterentes, munditiam cordis et carnis vigiliis, jejuniis, orationibus assiduis et cæteris observationibus mandatorum Dei redimiti et fulti pariter regna mercarunt æterna. Ex quorum * itaque collegio extans, vir beatus Nicius a pueritia totum se Deo commisit; et nullis sæcularibus delectatus, omnibus modis studuit suo pectore condere divina præcepta, per quæ valeret vincere mundum et fieri mereretur membrum illius qui dixit discipulis suis : Gaudete, ego vici mundum. Sic est enim interpretatio nominis ejus. Nicius attice latine dicitur Victor. Hic autem genere Calche *a*, cum parentibus esset orbatus et ecclesiarum limina frequenter visitaret, audivit in illis in evangelio Dominum dicentem: « Si vis esse perfectus, » vende omnia quæ habes, et veni, sequere » me. » Quo audito, divinum præceptum trahens ad se, vendidit omnia et pauperibus erogavit.

* eorum successores

* irrogata

* eorum

a

victis multis tentationibus, venit Casinum; sed paulo post pergit ad vicinum monasterium S. Nicolai de Ciconia;

2 LECTIO SECUNDA. Post hæc iter accipiens, Dominum precabatur, ut eum ad locum talem dirigeret, uti * posset complere quæ conceperat mente; et sic per longa itinera fatigatus * antiquus hostis multa ingerebat ludibria, cupiens illum a suo proposito revocare. Sanctus vero pater, armans se ipsum signo salutis, dicebat: « Dominus defensor vitæ meæ; a quo » trepidabo? Si insurgerent inimici mei adversum me, in Domino ego sperabo. Unam » petii a Domino, hanc requiram, ut omnibus diebus vitæ meæ habitem in domo » Domini mei. » Et sic omnis illa fantasia sicut fumus deficiebat. Igitur ad destinatum sibi ab omnium locorum domino locum magno cum voto cordis et animi tendens, pervenit in ecclesiam beatissimi Benedicti, sita * in monte Casino. A fratribus benigne susceptus, sanctæ congregationi aggregatus est, orationi et contemplationi sedulo vacans. Non multis deinde evolutis diebus, consilio nutu * dicebat, nulla posse ratione latinis et græcis orationibus et officiis convenire. Idque desiderium suum in lucem deducens, cunctis fratribus humiliter exposuit, inquiens : « Peto, si huic congregationi non displicet, ut cellulam aliquam, sub monasterio nostro positam, concedere mihi dignemini, in qua valeam Domino famulando proficere. » Accepto itaque consilio, fratres præbuerunt ei quamdam cellulam, non longe a monasterio, vocabulo beati Nicolaï; quæ vulgo Ciconia nuncupatur *b;* in qua pater sanctissimus degens, sedulum Domino semetipsum exhibebat. Cum autem fama sanctitatis ejus cresceret, plurimi accedentes ad eum postulabant se sibi adjungi, quatenus perfrui possent tanti patris benedictione.

* sitam

* divino?

EX MSS.

b

3 LECTIO TERTIA. Tunc ipse, pius ut erat pater, incepit intra se reprehendere seipsum, dicens: « Veh mihi! Quomodo vivo, manibus non laborans? Secundum regulam suscepi, nec cuiquam juvamen *? Decet me vocem recolere Pauli dicentis: « Qui non laborat, non » manducet. » Et sic intra se, ut dictum est, ait : « Vadam, et circumeam provinciam, et quæram in nomine ejus, qui dixit: « Quærite » et invenietis, » locum, ubi oratorium ad quotidianum ministerium fratrum construere queam. » Aliquantisper itaque transactis diebus, iter arripiens, venit Aquinum *c;* et, cognita fama sanctitatis ejus, plurimi cum precibus roganta suis finibus ne se absentaret, volentes ei nobiles cives, ut dictum est, providere. Inde locis singulis peragratis, nec aliquo reperto congruo suæ indeprecationi, referens ei * humiliter grates, migrans profectus est inde Pontemcurvum, ibique a Guidone, tunc comite urbis illius *d,* et a civibus ejus quasi pater suscipitur, veneratur; et ejus voto benigne parentes, tam comes ipse quam cives imperant illi: « Peragratis et exquisitis finibus nostris, ubicumque aptum et congruum ad tua vota complenda locum inveneris, ibi suffragantibus nobis juxta tuum mandatum liberam habeas potestatem implere quod quæris. » Aperuerat enim eis voluntatem suam de oratorio, sicut præmissum est, statuendo. Vir autem Domini post gratiarum plurimas actiones, signans se signo unitatis, cœpit huc et illuc loca diligenter perinvestigare; et sic venit ad locum, qui vulgo nuncupatur Foresta *e.* Ibi fixo gradu, dum considerat amplitudinem loci, ait: « Ut video, hic locus est aptus aquis, lignis, lapidibus, pascuis, montaneis, planitiis, ruribus, hortis colendis; et satis hic omnem fratrum valemus, Deo ordinante, officinam perficere. » Reversus autem ad civitatem, quidquid rei invenerat comiti et civibus enarrat; qui gaudio et exultatione repleti, in crastinum valde mane omnes simul pergunt ad locum, apta ferramenta portantes ad incisionem lignorum. Nec operi finem dedere, quam tantum in nemore ab arboribus, vepribus, sentibus et scopulis emundarent, quantum eis almificus pater præcepit. Emundato igitur et purgato loco, eo suffragante per quem turris David erecta est contra faciem inimicorum, construxit ibi beatus Nicius, verus monachus, monasterium ad honorem Dei et beati Pauli apostoli; in quo, regulariter sub habitu sanctæ monasticæ religionis, aggregatus * locum * fratribus, regi cælico militavit.

hinc Aquinum; ubi non invento loco apto monasticis usibus, pergit Pontemcurvum. Hic a Guidone comite et ab incolis plurimum juvatur in construendo monasterio S. Pauli de Foresta.

* *supple* præbeo

c

* eis

d

F

e

* aggregatis

* *dele*

Punitur comitis subulcus

4 LECTIO QUARTA. Interea subulcus prædicti comitis damnum sæpissime monasterio ingerebat;

EX MSS. *quod eum vexarat.*

rebat; et, multoties correctus a fratribus, acrior et deterior in suis pravis actibus per dies singulos insistebat. Quod cum patri fratres denuntiassent, admonens eos blande : « Cavete, inquit, ne saltem verbo aliquo eum quis præsumat offendere. Potest enim Deus et illum a nostro damno compescere, et nos, ab ejus inspirationibus excitos, suo famulatui puris mentibus reddere liberiores. » Quod puta* juxta oraculum viri Dei. Cum se iniquus ille cubitum * sopori dedisset, et post aliquantulum tentaret assurgere, justo judicio judicis summi, tortis calcibus, cruribus plicatis (?), poplitibus attractis, de agili tardum, humilem de superbo, de præstigioso deprehenderat miserabilem et miserum se. LECTIO QUINTA. Non longe a monasterio, quod ipse venerandus pater erexerat, sed quasi duobus millibus, est quoddam.... *Reliqua desiderantur.*

* factum

* *supple* iens

ANNOTATA.

a *Indicatur scilicet insula Chalcia, græcis dicta* Χαλκια, *medio ævo atque nunc etiam* Χαλκη D *seu* Chalci *et* Caravi, *jacens ad occidentem insulæ Rhodi, cujus fere fata semper obtinuit. Olim ibi erat civitas, portus et templum Apollinis, cujus vestigia adhuc apparent. Mire erat fertilis frugum et ficorum. Ferebatur istuc advenisse S. Nicolaus et aliæ fabulæ.* Eapropter, *inquit Christophorus Bondelmontius, sæculi* XV *viator Florentinus* (1), ecclesiam ad laudem ipsius ditissimam argenti aurique constituere, quam corde et animo gubernare laborant. *Bellis Turcarum et Venetorum et secuta Turcica tyrannide nunc diruta et exhausta jacet* (2).

b *Vide de hoc monasterio Commentarium prævium, n.* 9.

c *Aquinum jacet inter Casinum et Pontemcurvum.*

d *Cfr Commentarius prævius,* § 2.

e *Ipsius oppidi Pontiscurvi censebatur pars: Nunc dicitur* Marrone *et* Vallis de Gitu.

B (1) Liber insularum Archipelagi, pag. 75. Edit. Sinner. — (2) Louis Lacroix, Iles de la Grèce, p. 194. E

DE S. CLETO, CONF. NON PONT.

TIBURE IN LATIO,

V. D. B.

SYLLOGE.

§ unicus. Aliis diebus aliis temporibus fuit cultus. Pauca gesta nota ex Vita S. Petri Trebani. Reliquiæ et hospitale, ejus nomine insignitum.

SUB MEDIUM SÆCULUM XI. S. Cletus *fuit cultus die* 24 *septembris, dein die* 24 *octobris, nunc autem die* 25 *octobris.*

Tiburis, vulgo Tivoli, *civitatis suburbicariæ, laudes prosequi nolim : passim in libris de agro Romano aut Latio obviæ sunt. Sanctos inquilinos veneratur plurimos, quorum nomina dabit cl. v. Cajetanus Moronius* (1), *plenius autem Josephus Roccus Vulpius noster* (2). *Hos inter venit S.* Cletus, *cujus mentio jam bis occurrit in opere nostro in prætermissis. Quum enim olim ejus festum ageretur die* 24 *septembris,* C *meminerat de eo ad hanc diem Ferrarius tum in Catalogo sanctorum Italiæ, tum in Catalogo generali sanctorum, monens tamen jam ineunte sæculo* XVII *ejus festum translatum fuisse ad diem* 24 *octobris. Quare ad diem* 24 *septembris memorarunt decessores nostri ejus nomen, enixe postulantes ut, antequam ad sanctos diei* 24 *octobris pertigissent, opportuna sibi communicarentur documenta; sed surdis cecinerunt. Neque nos gloriari possumus quod felicior nobis obtigit sors, quippe qui promissa quidem accepimus, sed monumenta literaria nulla. Cæterum de S.* Cleti *gestis nil novisse Tiburtinos testis est Ferrarius. Quod autem hac die, non vero præcedenti, de S.* Cleto *dicere instituimus, causam attulimus in prætermissis ad diem* 24 *octobris, ubi docuimus nunc festum S.* Cleti *uno die remotum fuisse atque die* 25 *octobris celebrari. Qui autem inter martyrologos aut alios id genus scriptores S.* Cletum *laudarit, alium non novimus nisi Ferrarium, quem modo designavimus: Hagiologium enim Italicum, quod anno* 1773 *Bassani prodiit et sub die* 24 *septembris S.* Cleti *memoriam refert, habendum est potius Catalogi sanctorum Italiæ Ferrarii nova editio quam novus liber.*

2 *Aliquid de S.* Cleto *innotuit nobis ex Actis seu lectionibus antiquis S. Petri confessoris, Trebis in Latio culti die* 30 *augusti. Hæc enim in iis legimus* (3) : Beatus igitur Petrus de patria, quæ vulgo Carzoli dicitur, *in diœcesi Marsorum,* in castro Arcisvegetis natus et nutritus, a pueritiæ suæ tempore bonus et innocens fuit. Cum vero ad adolescentiam pervenisset, compulsus est a matre et patre conjugem accipere; qui renuens, patriam occulte dimisit ac Tiburtum adiit, ibique cuidam honestissimo viro, Cleto nomine, adhæsit : cum quo per duos annos permansit : in quibus totam ejus doctrinam didicit : ita ut prædicto Cleto plurima bona magis ab illo viderentur fieri quam a se. Quamobrem detulit prædictus Cletus ad Gregorium, ejusdem civitatis episcopum, rogans eum ut aliquid boni faceret. Audiens autem hoc episcopus, gaudens totondit eum et aptavit quasi clericum, acsi literas, quas numquam noverat, sciret. Prædictus vero magister mox ei ferream crucem attulit *longitudinis unius palmi et etiamnum Trebæ in distincto reliquiario servatam;* et in illius manibus eam tradidit dicens : « Ite per universum

Magister fuit S. Petri Trebani eumque ad prædicandum emisit cum cruce ferrea,

(1) Dizionario di erudizione ecclesiastica, tom. LXXVI, p. 82 et 83. — (2) Vetus Latium profanum, lib. XVIII, cap. 16, tom. X, p. 537 et seqq. — (3) Acta SS., tom. VI Augusti, p. 641.

mundum,

A mundum, et nihil aliud, nisi quod Deus nobis docuerit, prædicate : Sed patriam vestram primum requirite ; ejusque habitatores ad bonum opus impellite et ut a malis recedant, illos instruite. » *Magistri jussum implere sategit dein S. Petrus, et vicinas plebes apostolico more visitavit.*

An S. Cletus *fuerit diaconus aut presbyter. Vixisse videtur sub annum* 1049.

3 *Porro* honestissimum *illum* virum, nomine Cletum, *eumdem esse ac sanctum* Cletum, *de quo agimus, Trebanorum traditio est* (1). *Pierantonius noster, qui annotata in S. Petri Vitam scripsit* (2), *Ferrarius in utroque Catalogo suo et similiter Vulpius* (3) ecclesiæ Tiburtinæ diaconum *eum vocant; Moronius* (4) *vero* presbyterum. *Imprudens forte non fuerit parum his titulis fidere, et nude eum* honestissimum virum *appellare; maxime quod ne literas quidem intra biennium docuit S. Petrum : quæ negligentia vix in diacono aut presbytero intelligeretur. Ex ætate autem Gregorii episcopi discere aliquatenus licet quo tempore vixerit S.* Cletus. *In Catalogo enim episcoporum Tiburtinorum Ughellii, correcto a Coletio* (5), *et in altero edito a Moronio* (6), *unus tantum priscis temporibus Gregorius occurrit, qui sedit inter annum* 1049 *et* 1054 : *unde apparet S.* Cletum *circa medium sæculum* XI *floruisse.*

AUCTORE V. D. B.

Reliquiæ et hospitale Tiburæ.

4 *Anno* 1700 *scribebat Pierantonius ad nostros decessores* (7) : In platea prope cathedralem extabat olim hospitale S. Cleti, civis Tiburtini, cujus sacrum caput servatur in sacrario prædictæ ecclesiæ *cathedralis, S. Laurentio martyri dicatæ; non caput, sed corpus servari tradit Ferrarius in utroque Catalogo et juxta eum in Hagiologio Italico anonymus editor seu auctor. Neque caput, neque corpus ibidem custodiri perhibet Moronius* (8), *sed portionem corporis; quod cum accuratione dictum videtur. Sermonem etiam habet Moronius de hospitali S.* Cleti ; *quod non secus ac S. Angeli interiisse refert : ita ut nunc unum S. Joannis exstet, infirmis apertum. Alia caritatis instituta non moror. Valde parcus itaque est S.* Cleti *cultus, annua solum festivitate intra unam angustissimam diœcesim et reliquiarum aliquot conservatione propagatus.*

B (1) Acta SS., tom. VI Augusti, p. 634. — (2) Ibid., p. 633. — (3) Vetus Latium profanum, p. 539. — (4) Dizionario di erudizione ecclesiastica, tom. LXXVI, p. 82. — (5) Italia sacra, tom. I, col. 1308. — (6) Dizionario etc., tom. LXXVI, p. 190 et 191. — (7) Acta SS., tom. VI Augusti, p. 634 et 635. — (8) Dizionario etc., tom. LXXVI, p. 82. E

DE S. MARGARETA, MARTYRE,

ROSKILDIÆ IN DANIA,

COMMENTARIUS HISTORICUS.

V. D. B.

§ Unicus. Roskildiæ pristinæ laudes, ubi olim S. Margaretæ corpus pie servabatur. S. Margaretæ splendidum genus; maritus; dies et annus mortis; causa martyrii; translatio; cultus legitimus.

ANNO MCLXXVI. *Roskildiæ, quæ, dum res catholica in Dania staret, multis laudibus florebat,*

Salve, vas reliquiarum,
Mons, quo surgit Fons Rosarum,
Fons aquarum, flumen charum,
Regnum Roe reficiens.

C *Priusquam res catholica in Daniæ regno subverteretur, usitabatur illic vetustissimum in honorem B. Mariæ Virginis conscriptum poema, in quo verbis illis salutabatur Roskildia; quod nomen suum traxisse haberetur ex* Kilde, *quod Danis fontem significat, et* Rosa, *omnium florum notissimo; licet alii id vocabulum a* Roes, *gloria seu laude, alii verisimilius a* Roe, *antiquo rege Sialandiæ, (quæ inde* regnum Roe, *dictum sit) deducant* (1). *Neque immerito tantis encomiis prosequebantur eam civitatem,* Romam septentrionalem *nuncupatam, atque* olim unicam imperii Balthici et Danici metropolim, quæ, cum starent vires, viginti et septem exhibuit templa augustiora et alias opes multas (2), *viginti quinque millia incolarum complexa. Opportunissimus ejus situs : jacet enim in media fere insula Sialandia, ad caput sinus Isici* (Isefiord), *ab occidente terras incurrentis. Pertingebat olim ad littora usque æquoris, ut ex vestigiis veterum ædificiorum deprehenditur; nunc autem quartam milliarii partem distat, solitudine interjacente. Decrescere cœpit ejus splendor, quum ad finem sæculi* XII *Absalon episcopus castellum Hafniæ condidit; quo paulatim mercatores abiverunt et medio sæculo* XV *rex Christophorus Bavaricus, castrum commutatione adeptus, regiam sedem transtulit. Occidit autem plane, fatentibus heterodoxis, quum Christianus III, Lutheri placita secutus, monasteria omnia aliaque pia instituta suppressa voluit eorumque incolas exsulare jussit. Bis mille dumtaxat aut paulo plures illic nunc degunt homines; quot fere in pagis rusticis. Circa annum millesimum S. Adaldagus, Hamburgensis archiepiscopus, constituerat illic episcopalem sedem, cui primum imposuerat Gerbrandum, natione Anglum. Successere Avoco seu Avo, S. Guilielmus, S. Sueno, Arnoldus, Petrus I, Eskillus, Richo, Hermannus, Ascerus et, quum martyrium fecit S. Margareta, Absalon; quo nullus forte major inter episcopos Danos visus est : sed plura de eo inferius. Præterea, dum res catholica staret, abundabat Roskildia sanctorum reliquiis; quarum catalogi jam pridem editi sunt* (3) : *jure hinc appellata* vas reliquiarum. F

2 *Hæc inter cælestia pignora recensebatur corpus S.* Margaretæ; *de qua quæ supersunt hoc loco*

servabatur corpus S. Margaretæ; *cujus cultus ex mul-*

(1) Pontoppidanus, Theatrum Daniæ veteris et modernæ, pag. 95. — (2) Joh. Lyscander, Sermo de antiquitatibus Daniæ, editus ab Olao Tormio, pag. 17. — (3) Dänische Bibliothek, tom. II, pag. 120. Cfr Münter, Kirchengeschichte von Dänemark und Nordwegen, tom. II, pag. 887. Catalogi reliquiarum conventus Fratrum Minorum Roskildensium, ap. Langebek et Suhm, Scriptores rerum Danicarum, tom. VIII, pag. 269 et 295.

AUCTORE V. D. B. *tis monumentis historicis manifestus est.*

loco colligenda sunt. Imprimis nulla exstat antiqua ejus Vita aut Passio : licet enim Langebekius in annotatis ad Chronologiam rerum memorabilium ab anno 1020 *ad* 1323 *scripserit* (1): Historia passionis S. Margaretæ coæva inferius in hoc opere comparebit, *paulo inferius tamen, in annotatis scilicet ad Chronica Danorum, præcipue Sialandiæ, eamdem scriptionem* Relationem de hujus sanctæ translatione *appellat* (2); *qui titulus melior est, quamquam inde maxime habeamus quomodo beata mulier vitam injusta nece finiverit. Reliqua monumenta chronica sunt seu annales, ex quibus id unum fere discitur sanctam fœminam a Danis aliisque septentrionalibus gentibus inter cælites populares habitam fuisse : quæ quum maxime valeant ad cultus publici demonstrationem, diligenter suo loco referemus. Licet enim quidam adstruant eam canonizatam fuisse, id plane rectum non est. Nullum quippe exstat indicium aliquid umquam de S.* Margareta *ad sedem apostolicam fuisse perscriptum; sed cœpit publica veneratio, quum brevi post mortem Absalon, episcopus Roskildensis, sacrum cadaver multo honore transtulit; succedentibus miraculis, ea deinceps aucta; quin etiam excitatum in ejus honorem templum et alia multa peracta, quæ cultus privati fines excedant. Quæ quum non annis centum, sed pluribus ante Urbani VIII celeberrima de cultu sanctorum decreta sæculis gesta fuerint, legitime inter cælites habenda est sancta martyr, atque etiam* sancta, *non autem* beata *dicenda, quoniam eo titulo legitimo tempore honestata fuit.*

D

3 *Plane dubium non est quin S.* Margareta *nobilissimo inter Danos genere orta sit. In Relatione enim de ejus translatione, quod documentum paulo supra indigitavi et inferius integre recitabo,* Absalonis, archiepiscopi Lundensis, ut ipse fatebatur, cognata, et Petri, episcopi Roskildensis, et fratrum ejus consanguinea *dicitur. Hujus familiæ stemma genealogicum ex optimis monumentis confecit Langebekius, idque post mortem eruditissimi viri edidit Suhmius ad finem tomi* IV *Scriptorum rerum Danicarum : unde pauca decerpemus, quibus S.* Margaretæ *nobilitas aliquantisper declaretur :*

Orta est S. Margareta *in insula Sialandia potentissimo genere;*

B

E

SLAG sive ASLACUS,
fundator Slaglosiæ,
vixit circa 990.

TOCKO seu TYCHO, primus
in sua cognatione christianus,
mortuus ante 1050 aut 1056.

SKIALMO CANDIDUS seu HVIDE, Sialandiæ et
Rugiæ præfectus sub Suenone Estritho, post
nutritius S. Canuti ducis. Vivebat adhuc 1102.

EBBO, præfectus Roskildiæ
sub rege Suenone Grathe,
mortuus post 1161.

ASCERUS HIRSUTUS seu RIIG,
regem Suenonem in Suecia
secutus, mortuus 1151.

SUNO DE KNARDORP, consiliarius
Waldemari I et Canuti VI,
mortuus 1186.

ABSALON, episcopus Roskildensis
ab anno 1152 et simul archiepiscopus
Lundensis ab 1178, mortuus 1201.

PETRUS, episcopus Roskildensis, ab anno 1192 ad 1215.

patruelis erat Petri, episcopi dein Roskildensis, et sobrina Absalonis, archiepiscopi aliquando Lundensis.

4 *Quum itaque Absalonis cognata et Petri consanguinea fuerit S.* Margareta, *necesse est ut a Slago, Tockone seu Skialmo Hvide descendat; qua familia nulla post regiam in Sialandia potentior erat. Sed propius etiam ejus parentes indicare licet. Advertendum scilicet est vocabula* cognata *et* consanguinea, *quæ sæpe synonyma sunt, hoc loco sibi invicem opponi; at vero, ubi id fit, eam significationem habere videntur ut* consanguinei *sint patrueles, vulgo* cousins-germains ; cognati *vero uno aut pluribus gradibus remotiores. Quod facile intelligas ex his chartæ communiæ Peronensis, anno* 1207 *concessæ, verbis* (3) : Consanguinei, qui vulgo cognati germani appellantur. *Petrus itaque, episcopus Roskildensis, et S.* Margareta *eumdem habuerunt avum Ebbonem, filium Skialmi Candidi; atque illius Ebbonis hoc est stemma.*

F

EBBO, filius Skialmi Hvide seu Candidi, qui duxit
Regnildem, et mortuus est circa 1150, liberos habuit :

1° SUNONEM de Knardorp, mortuum 1186. *Vide* A.
2° TOCKONEM seu TYCHONEM, mortuum post 1161. *Vide* B.
3° PETRUM, qui duxit Ingerdem.
4° GYTHAM, quæ duxit Olavum Glug, obsidem regis Suecorum 1147, adhuc in vivis 1170. *Vide* C.
5° FINUM, sepultum in templo Biernede.

A. SUNO DE KNARDORP liberos habuit :

1° PETRUM, episcopum Roskildensem ab 1192 ad 1215;
2° ANDREAM, archiepiscopum Sundensem ab 1201 ad 1228;
3° THORBERNUM, cæsum in bello 1195;
4° LAURENTIUM cæsum in Suecia 1208;
5° JOANNEM, mortuum 1202;
6° JACOBUM, qui duxit Estridem; qui ambo mortui 1246;
7° EBBONEM, qui duxit Arinam et cæsus est in bello Suecico 1208;
8° MARGARETAM, cujus maritus ignoratur.

B. TOCKO seu TYCHO filium habuit :

STYG GALLEN, qui duxit Christinam.

C. GYTHA liberos habuit :

1° NICOLAUM GLUG;
2° GUMMONEM seu GUNNARUM;
3° ASCERUM GLUG;
4° EBBONEM GLUG DE HASLEDORP;
5° JACOBUM GLUG;
6° INGUARUM GLUG;
7° MARGARETAM DE BAVELSE, quæ duxit Boetium et Tockonem.

(1) Scriptores rerum Danicarum, tom. II, pag. 523, not *s*. — (2) Ibid. pag. 619, not. *a*. — (3) Ap. Ducange, Glossarium latinum auctum, V° *Cognatus Germanus*.

In

AUCTORE V. D. B.

A *In hoc stemmate occurrit Margaretha de Bavelse, quæ Petri Roskildensis ejusque fratrum patruelis seu consanguinea sit; sed ea Boetium duxit et dein Tockonem; quum S.* Margaretæ *vir Herlogh dictus fuerit ut deinceps apparebit. Tockonis itaque filia fuerit sancta martyr, aut Petri seu etiam Fini; nam horum posteri aut ignorantur aut partim dumtaxat innotuerunt. Quid quod forte Ebbo alios liberos habuit? Animadverte insuper Margaretæ nomen in hac domo valde usitatum fuisse, ut jam pridem ad Absalonis testamentum annotavit Sperlingius* (1) *et ut multo melius apparet ex genealogicis tabulis, quas tomo IV scriptorum rerum Danicarum subjecit Langebekius.*

Maritum habuit Herlogum, non vero Herlonem;

5 *Maritus sanctæ martyris ab auctore, imo potius a librario Relationis de translatione vocatur* Herlo *seu* Herlon; Herlogus *autem a Petro Olao, et a scriptore incerto, sed multo antiquiore, qui priorem partem Chronici Danorum et præcipue Sialandiæ sæculo* XIII *collegit. Amborum verba inferius dabimus. Posterior nominis forma retinenda videtur.* Herl *enim,* Herlo, *seu* Herlon *alibi nuspiam mihi occurrit; contra*

B *in Historia regum septentrionalium, a Snorrone, Sturlonis filio, sæculo* XIII *islandice conscripta, legitur Haraldus Pulchricomus expeditionem bellicam fecisse in boreali seu Norwegica provincia Romdalensi, in qua* bini fratres et reguli imperium tenebant, quorum unus Herlagus (*islandice* Herlaugur, *suecice* Hærlœger) vocabatur, alter Rollagus (2), *et prope Mauriam insulamque Solskel ad occasum hiemalem Nidarosiæ seu Drontheim in Norwegia manus conseruisse cum Solvone Klova et Arnvido regulis, eoque prælio piratico occubuisse bini regio sanguine juvenes* Griotgardus et Herlagus (Herlaugur *islandice*), Haconis Hlada filii (3); *præterea in antiquissimo libro Originum seu occupationis Islandiæ venit Herlogus, islandice* Herlógr, *maritus Steinunnæ, frater Skalla-Grimmi, quorum filii Neall et Arnor* (4). *Inauditum itaque id nomen non est; neque erat cur Münterus* (5) *id in* Herluf *commutaret. Porro pro communi fere germanicæ stirpis more ex duobus vocabulis constat id nomen, ex* Her *et* Log *seu* Laug; *quin tamen ex his confiat significatio aliqua : solius enim distinctionis gratia sibi invicem appositæ*

C *sunt voces, quemadmodum nunc nomini cognomen adjicere solemus, aut plura nomina baptismalia conjungimus.* Her *in innumeris nominibus propriis occurrit, et volunt eo significari* honorem, altum, exercitum *seu* agmen (6). Log *seu* Laug *rarius est; obvium tamen est in* Aslaug (7), Eylaugr (8), Geirlaug (9), Gudlaug (10), Gudlaugr (11), Gunnlaugr (12), Oddlaug (13), Snœlaug (14), Svanlaug (15), Velaug (16), Thorlaug (17) *et* Thraslaug (18); *ubi nomina, litera* r *desinentia, masculina sunt, reliqua feminina. An autem illic* Log *seu* Laug imum *significet,* legem, portam, cooperculum *etc. aliis inquirendum relinquo, iis destitutus auxiliis, quibus in similium rerum notitiam deveniatur. Licet autem ea omnia nomina, quibus syllaba* laug *inest, ex libro Originum Islandiæ desumpta sint, cave tamen ne Islandis aborigenis hæc nomina propria existimes : non ita est; externa sunt, pleraque (ni fallor) Norwegica : unde si Herlogum, S.* Margaretæ *virum, Norwegum facere velis, per me stat; quamvis (quum in Sialandia habitaverit et uxores sequi soleant viros, non autem viri uxores) verisimilius videatur Herlogum ex opulenta domo Sialandiæ prognatum fuisse.*

habitavit et martyrium subiit in OElishœve *prop.* Kjöge *ad litus orientale Sialandiæ;*

6 *Sedem scilicet habebat prope Coagium, vulgo* Kjöge, *olim in pago seu territorio* Ramsjö-Haeret, *nunc in ultimis finibus provinciæ Hafniensis, ad littus occidentale insulæ Sialandiæ, prope sinum* Kjöge-Bught, *super via militari qua Wordinburgo Hafniam itur.* Kjöge *nomen, quo paludes, objectis adversus maris æstum aggeribus, in agros mutatæ (Belgæ* Polders *vocant), apud Danos significantur, loci conditionem satis indicat; atque olim quidem magis ad occasum hiemalem vergebat oppidum; unde* Gamle-Kjöge *seu Vetus Coagium, anno* 1370 *a Coagio jam diversum* (19), *semileucam a mari seu a sinu Coagiensi distat. Porro ad septentrionem Coagii habes nunc vicum seu parœciam, OElishagam seu OElishavam nuncupatam, sæculo* XIV *divisam in duas, majorem et minorem, dictasque* OElsyamagla *et* OElsyalitla (20); *atque illic vixisse et pientissime crudelem mortem subiisse jam pridem vidit Langebekius* (21). *In multis quidem monumentis* Roskildensis *dicitur sancta mulier, aut* Roskildiæ martyrium fecisse; *sed nil hæc curanda, quum pateat id ab eis fuisse dictum, quod in hanc civitatem corpus ejus translatum fuerat et colebatur. Quod exemplari quodam in Annalium Esromensium sancta martyr* Kœcæ *interfecta dicitur, nil mirum magis; locus is multo notior quam OElsya seu OElishöga : verum, ut infra videbitur, in aliis exemplaribus* prope Kœcam *legitur : atque hinc quidem, sive* in Kœca, *sive* prope Kœcam *primitus scriptum fuerit, filum accipimus, quo inter diversas nominis formas, quibus vicus, ubi sancta martyr obiit, designatur, gressus nostros regamus. Scilicet in optimo incerti auctoris Chronico Danorum et præcipue Sialandiæ* martyrizata *dicitur S.* Margareta in OElyæ; *et paulo post* in OElishæve, in extremo littore orientali ubi adhuc (*sæculo scilicet* XIII *ad finem vergente*) ecclesia antiqua cernitur; *item in scriptis Petri Olai, Minoritæ Roskildensis,* in extremo littore orientali OElishæve circa Kœgis, ubi adhuc antiqua ecclesia cernitur. *Manifestum itaque est in medio vocabula* OEliæ *literam* s *omissam esse; et* OElishæve *recentiorem formam esse quam* OElsyæ; *his vero nominibus unum indicari locum. Unde liquet errorem esse quod sancta mulier in Chronologia rerum memorabilium ab anno* 1030 *ad* 1323 *dicitur* Holstathæ, *immo OErstethæ* (22), *nunc OErsted,* martyrisata;

E

F

(1) Ap. Langebek, Scriptores rerum Danicarum, tom. V, pag. 439. — (2) Peringskiöld, Heims Kringla eller Snorre Sturlusøne Nordlændske Konunga Sagar, pag. 79, edit. 1697. — (3) Ibid. pag. 84. — (4) Jo. Finnæus, Islands Landnamabok, pag. 376, Havniæ 1774. — (5) Kirchengeschichte von Dänemark und Norwegen, tom. II, pag. 885. — (6) Wiarda Ueber deutsche Vornamen, pag. 46. — (7) Jo. Finnæus, Islands Landnamabok, pag. 383 et 385. — (8) Ibid. pag. 20. — (9) Ibid. pag. 30, 45, 69, 182 et 273. — (10) Ibid. pag. 205, 220, 251, 255 et 304. — (11) Ibid. pag. 43, 70, 71, 82, 115, 203, 204, 308 et 372. — (12) Ibid. p. 26, 39, 54, 55, 56, 87 et 183. — (13) Ibid. 319 et seqq. et 367. — (14) Ibid. pag. 69 et 182. — (15) Ibid. pag. 48. — (16) Ibid. pag. 20, 54, 56, 60, 113, 171 et 269. — (17) Ibid. pag. 23, 50, 138, 205, 216, 220, 333, 342 et 350. — (18) Ibid. pag. 309, 313, 314 et 320. — (19) Registrum redituum etc. ad episcopum Roskildensem pertinentium circa 1370, ap. Langebek et Suhm, Scriptt. rerum Danicarum, tom. VII, p. 113. — (20) Ibid. pag. cit. — (21) Ibid. tom. II, p. 523, not. s. — (22) Cfr Registrum redituum Roskildensium, ap. Langebek. tom. VII pag. 113.

AUCTORE V. D. B.

jacet enim OErsted longius a maris littore propiusque ad Roskildiam, ab OElishæve vico Skenswith divisum (1).

non pro justitia aut pietate, sed cum pietate videtur injustam passa esse necem, ideoque martyr esse sensu lato;

7 *Quam vero ob causam Herlogus cruentas uxori suæ intulerit manus, plane omittitur in Relatione de translatione S.* Margaretæ, *licet inquisitionis ratio et rei confessio illic declarentur. Petrus Olaus, ubi S.* Margaretæ *perhibet martyrium, virum* fornicarium *appellat; quo significare videtur eum trucidasse uxorem, quod, ipse illicitis amoribus implicitus, alias nuptias ambiret aut certe ægre ferret uxoris consortium. Münter* (2) *vero id ab eo patratum fuisse facinus statuit quod propter egregiam pietatem oneri ei esset optima conjux. Et certe vix fieri potest ut vir, dives et potens, legisque divinæ negligens et legitimam uxorem perosus, adulter non sit; et ut ea, quæ ecclesiasticorum præsulum judicio populique plausu cælestium honorum digna fuit habita, non ea excelluerit pietate, quæ pessimo marito gravis fuerit. Quod vero sancta mulier martyribus accensita est, noli propterea existimare Herlogum aliquid ab ea flagitasse quod divinis præceptis contrarium*
B *esset, eamque vitam posuisse propter justitiam; quæ res a genuinis martyribus nunc requiritur. Non ita est; nequaquam enim apparet sanctæ* Margaretæ *eligendum fuisse inter mortem aut peccatum aut eam virtutis causa occubuisse; neque olim necessarium id erat ut martyrii palma cuiquam attribueretur, sed sufficiebat ut pie injustam sustinuisset necem. Quod argumentum in omnibus fere immensi operis nostri voluminibus attingendum fuit; quoniam ad plerosque anni dies obvii sunt sancti, qui martyrum numero recenseantur, licet non pro pietate aut justitia violentas manus senserint, sed, solummodo cum pietate lethales ictus experti sint. Multa hujus instituti exempla apud ipsos Danos et vicinas gentes reperire est. Sic S. Canutus Lavardus, dux Jutiæ Sleswicique et rex Obetritorum, martyrium fecit, occisus a Magno, consobrino suo, regisque Daniæ Nicolaï filio, timente ne regnum Daniæ aliquando ad eum deferretur* (3); *non aliter S. Ericus, rex Sueciæ, ab altero Magno, regis Daniæ item filio, regnumque Sueciæ affectante* (4); *similiter S. Sunnefa et socii, qui* sancti in Selio martyres *dicuntur, ad*
C *necem quæsiti sunt, quod latrocinii rei haberentur* (5); *item S. Magnus, filius Orcadarum reguli, insidiis consobrini sui Haconis, quocum lites habebat, interemptus est* (6). *Sed quid singularia hæc memoro? Plerique martyres, qui apud Suecos, Danos, Norwegos aliosque Normannos crudelem mortem passi fuerunt, ad eum ordinem referendi sunt qui* martyres sensu lato, martyres improprie dicti *aliisque id genus scholasticis vocabulis significantur. Verum vide quæ pauca de his in commentario de S. Ursula ad diem* 21 *octobris disseruimus* (7).

mortua est die 25 octobris,

8 *De die, qua S.* Margareta *e mariti potestate seu potius tyrannide ad Deum, qui omnium piorum merces est magna nimis, evolavit, dubitari non potest, quandoquidem integris verbis in Relatione de translatione traditur pia mulier* D
die solemnitatis sanctorum Crispini et Crispiniani *a marito interfecta fuisse; quæ dies præsens est,* VIII *scilicet kalendas novembris seu dies* 25 *octobris. Verumtamen Petrus Olaus uno loco scripsit beatam* Margaretam *interemptam fuisse* quinto nonas novembris, *alio* quinto kalendas novembris; *sed quintus nonas novembris aperte mendosus est, quum nullus sit in anno hujusmodi dies; et quintus kalendas novembris, quo festum SS. Simonis et Judæ, apostolorum Christi, agitur, videri posset inde in Petri Olaï scripta irrepsisse, quod tum celebrata fuerit sanctæ martyris translatio: certa enim fere lex tum erat ut id solemnitatum genus, non secus ac episcoporum consecrationes et ecclesiarum dedicationes, non aliis fierent diebus quam dominicis aut celebrioribus festivitatibus, maxime sanctorum apostolorum. Verum, ut inferius patebit, multo plures quam tres dies elapsi sunt post S.* Margaretæ *funus, priusquam solemnitate maxima corpus, e terra effossum, Roskildiam delatum est. Superest itaque ut etiam* quintus kalendas novembris *inter amanuensium errores referatur; quamvis vocabulum* E
quintus, *integris literis scriptum sit et bis diversis locis veniat, semel ubi* quinto nonas, *semel ubi* quinto kalendas *occurrit.*

non ut in Chronicis Danicis, maxime Lundensibus

9 *De anno mortis insignis in Chronicis deprehenditur diversitas; alibi annus* 1175 *scriptus est, alibi* 1176, *alibi* 1177, *et alibi demum* 1178. *Atque hoc loco referenda videntur quæ in eo monumentorum genere de S.* Margareta *invenire est. Omnium forte chronicorum aut annalium, in quibus S.* Margaretæ *fit mentio, antiquissimum habendum est Breve chronicum Danicum ab anno* 1095 *ad* 1194, *quod in codice ms. Hafniensi inscribitur* de origine et gestis Danorum ad annum 1194. *Illic ad annum* 1177 *hæc habes* (8) : Quædam Margareta Roschildis passa. *Qua dictione patescit chronologum res S.* Margaretæ *parum compertas habuisse aut forte nondum ita celebrem fuisse sanctam mulierem ut sanctæ titulus ejus nomini adhæreret.* Passa *tamen dicitur; quo jam inter martyres relatam fuisse novimus. Annales Danici, ab anno* 1101 *ad* 1313 *a pluribus* (*ut videtur*) *Lundensibus ordinis Prædicatorum viris producti, ad annum* 1177 *hæc referunt* (9) : Sancta Mar- F
gareta Roscild passa est. *Qui Langebekio* (10) *videntur præluxisse scriptoribus Chronici Erici regis seu Regum et gentis Danorum historiæ a Dano usque ad annum* 1288, *in quo legitur* (11): Anno Domini 1177 sancta Margareta Roskildis passa est. *Iisdem fere verbis usus est incertus auctor Chronici Danorum ab anno* 936 *ad* 1317, *qui Langebekio Annales Lundenses dici posse visi sunt; hæc illic habes* (12) : Anno Domini 1177 sancta Margareta Roskildis passa est.

atque etiam Islandicis, Jutiensibus aliisque anno 1177, *aut* 1178, *multo minus anno* 1175,

10 *Neque omisit S.* Margaretæ *memoriam ignotus ordinis Prædicatorum vir, qui Chronico Danorum res ab anno* 980 *ad* 1286 *gestas complexus est. Hæc ad annum* 1177 *ejus sunt verba* (13) : Passio sanctæ Margaretæ Roschildiæ.

(1) Cfr mappa Sialandiæ ad finem ejusdem tomi VII. — (2) Kirchengeschichte von Dänemark and Norwegen, tom. II, pag. 886. — (3) Historia S. Canuti ducis, apud Langebek, tom. IV, p. 245. — (4) De S. Erico, ap. Langebek, tom. cit., p. 596 et seqq. — (5) Historia sanctorum in Selio, ap. Langebek, tom. cit., p. 1 et seqq. — (6) Cfr Münter, Kirchengeschichte von Dänemark, tom. II, p. 899 et 900. — (7) Acta SS, tom. IX Octobris, p. 141 et 142. Cfr ibid., p. 602 et 668. — (8) Ap. Langebek, tom. III, p. 629. — (9) Ibid., tom. IV, p. 23. — (10) Ibid., p. 22. — (11) Ibid., tom. I, p. 163. — (12) Ibid., tom. II, p. 171. — (13) Ap. Langebek, t. II, p. 435.

AUCTORE V. D. B.

A diæ. *Ad Islandos quoque penetravit S.* Margaretæ *memoria. Certe in Annalibus Islandorum regiis, circa medium sæculum* XIV *concinnatis, textui islandico ad annum* 1177 *latina inserta sunt illa eadem fere verba* (1) : Passio sanctæ Margaretæ ; *et in duobus codicibus, quos in edendis similibus annalibus, ab anno* 803 *ad* 1430 *porrectis, adhibuit Werlauff, additum est* i Róiskeldu *vel* Roschildis (2). *Annales Fratrum Minorum Wisbyenses, quibus ab anno* 67 *ad* 1525 *res præcipue Daniæ, Norwegiæ et Sueciæ declarantur, ad annum* 1177 *illa eadem habent* (3) : Passio sanctæ Margaretæ Roskildis. *Ineunte sæculo* XVI *Laurentius Stralius, monachus forte Rye-Kloster in Jutia australi, scripsit aut descripsit Annales Danicos ab anno* 1084 *ad annum usque* 1314 ; *in quibus ad annum* 1177 *hæc veniunt* (4) : S. Margarita Roscildiæ martyrisata. *Ante oculos forte habuit Chronologiam rerum mirabilium ab anno* 1020 *usque ad annum* 1323, *quæ monachi Eskinbekensis in Jutlandia lucubratio Langebekio visa est, et ubi hæc obvia sunt* (5) : Anno Domini 1177 sancta Margaretha martyrizata est in Holstathæ. *In*

B *Annalibus autem Esromensibus* (*quod Cisterciense cœnobium Eskillus, episcopus Roskildensis, intra annum* 1148 *et* 1150 *prope Helsingœer condidit* (6), *ad annum* 1177 *legitur* (7) : Eodem anno sancta Margaretha interfecta est in (*imo* prope, *ut in Wormii et Ludewigii editionibus scriptum est,*) Kœca. *Desinunt autem illi annales in anno* 1307, *sub quem conscripti videntur.*

anno 1177, *aut* 1178, *multo minus anno* 1175

11 *Petrus Olaus, Minorita Roskildensis, qui sæculo* XVI *in investigandis rebus Danicis egregiam operam posuit, quum in Chronicis regum Daniæ ad Waldemarum I, S. Canuti regis filium, et ad Absalonis, episcopi Roskildensis et Lundensis, laudes venit :* Ipse etiam, *inquit* (8), Absalon scilicet, beatam Margaretam, a viro suo Herlog interemptam anno Domini 1177, quinto nonas novembris, et in extremo littore orientali OElishœve (ubi ecclesia adhuc antiqua cernitur) defossam, ad ecclesiam S. Mariæ Roskildis transtulit. *Similiter in Annalibus Daniæ, quos ille idem ex vetustis chronicis collegit* (9) : 1177 (al. 1178) beata Margareta vel

C Margareta Roskildensis martirizatur, quinto kal. novembris a viro suo Herlogo fornicario, et circa Kœgis, ubi adhuc antiqua ecclesia cernitur, sepelitur ; sed Absalon eam transtulit ad ecclesiam S. Mariæ Roskildis. *Quod parenthesi inseritur ab aliis referri id martyrium ad annum* 1178, *eo forte respicitur ad Chronologiam rerum Danicarum et Suecicarum veterem ab anno* 916 *ad* 1263, *quam prius Benzelius et dein Langebekius publici juris fecerunt, et in qua ad annum* 1178 *legitur* (10) : Moritur Margareta Roskildis. *Apud solum Messenium* (11), *qui id sumpsit ex Erico Upsaliensi, reperio :* Anno 1175 Margareta quædam, insignis sanctimoniæ fœmina, Roschildiæ passa esse martyrium memoratur.

sed anno 1176, *licet pauciores scriptores hunc annum indicent.*

12 *Contra aliam init viam Bartholinus Junior, qui sæculo* XVII *in res Danicas plurima diligentia inquisivit et qui multis documentis, deinceps deperditis, usus, ab anno* 777 *ad finem sæculi* XII *Annales congessit, qui a suo nomine Bartholiniani nuncupantur. In his ad annum* 1176 *hæc signavit* (12) : S. Margaretæ passio. *Atque is verus videtur esse annus sanctæ martyris passionis; licet alii plerique aliter statuant. Non tamen hæc Bartholini singularis est sententia, aut sine testimonio proposita. Ei enim præivit auctor anonymus Veteris rerum Danicarum et Suecicarum chronologiæ ab anno* 826 *ad* 1415, *quam Benzelius inter Monumenta vetera ecclesiæ Sueogothanæ et Langebekius inter Scriptores rerum Danicarum ediderunt. In ea ad annum* 1176 *legitur* (13) : Passa est beata Margareta Roskildiæ. *Usus est certe Bartholinus, ut Arnas Marnæus testis est* (14), *incerti auctoris Chronico Danorum et præcipue Sialandiæ; quod, ab anno* 1028 *ad* 1282 *productum et dein ad annum* 1307 *continuatum, prius Marnæus et dein Langebekius typis excudi jusserunt, quodque inter optima Daniæ historica documenta recensetur. In eo autem ad eumdem annum* 1176 *hæc occurrunt* (15) : Martyrizata est sancta Margareta in OElyæ a viro suo Herlogh ; *et paulo infra* (16) *locus* OElishœve *appellatur. Qui enim* E *hæc scripsit multo melius, quam reliqui omnes, quos hactenus adduximus, S.* Margaretæ *res novit, quippe qui locum cædis et interfectorem nomine designet. Verum, quod præcipuum est, annus* 1176 *scriptus est in monumento coævo et omnium longe optimo, scilicet in Relatione de translatione S.* Margaretæ. *Non enim curandus est Chronicorum numerus; sed quanti valeat eorum testimonium expendendum. Plerorumque enim scriptores rem neque viderunt, neque ab oculatis testibus acceperunt; sed quod ab aliis scriptum repererunt, id nil dubitantes iterum chartæ mandarunt. Merito itaque sæpius monuit Baronius aliique eundum esse ad fontem, unde reliqui omnes proxime aut remote sua hauserint. Scriptor de origine et gesta Danorum omnium primus annum* 1177 *proposuit; qui inde ab aliis multis admissus est; verum quam parum de rebus S.* Margaretæ *novisset, ipsa sua dicendi ratione* (*ut jam monuimus*) *plane manifestavit; contra qui primi annum* 1176, *res præclare habuerunt compertas. In anno* 1178 *nil morandum, quippe qui omni auctoritate careat.*

F

13 *Superest ut quæ reliqua de S.* Margareta *dicenda sunt ab optimis illis testibus accipiamus. Prodeat prior Relatio de translatione S.* Margaretæ *Roskildensis; quam lucubrationem, toties jam a nobis designatam, primus edidit Suhmius tomo V Scriptorum rerum Danicarum Langebekii* (17), *quod hic, qui se eam daturum promiserat tomo III, morte præventus, verbis fidem non fecerat. Accipe itaque egregium, sed justo brevius, monumentum :* Anno Domini 1176, die solemnitatis sanctorum Crispini et Crispiani *, Margareta, Absalonis archiepiscopi Lundensis, ut ipse fatebatur, cognata, et Petri, episcopi Roschildensis, et fratrum ejus consanguinea, ab Herlone marito interfecta, de trabe, quasi sibi ipsi manus intulisset, intra clausas januas de nocte suspenditur; ac

Putatur S. Margareta *suicida esse; sepelitur in agro profano; a viro Herlogo interfecta esse detegitur; summa solemnitate transfertur in Roskildense S. Mariæ templum.*

* *lege* Crispiniani

(1) Ib., t. III, p. 64. — (2) Islenzkir Annàlar, p. 72, Hafniæ, 1847. — (3) Ap. Langebek, t. I, p. 253. — (4) Ibid., t. III, p. 306. — (5) Ib., t. II, p. 523. — (6) Münter, Kirchengeschichte von Dänemark und Norwegen, t. II, p. 645. — (7) Langebek, t. I, p. 242. — (8) Ib., t. I, p. 121. — (9) Ib., p. 178. — (10) Ib., t. II, p. 167. — (11) Scondia illustrata, t. II, p. 10 ; t. IX, p. 36. — (12) Langebek, t. I, p. 341. — (13) Ib., p. 389. — (14) Ib., t. II, p. 602. — (15) Ib., p. 619. — (16) Ib., p. 623. — (17) Ib., t. V, p. 303.

postea,

AUCTORE V. D. B.

postea, jussu officialis cemeterio eliminata, in campo sepelitur : ubi misso cælitus igne, postquam nocturna luminis coruscatione innocentia ejus probaretur, defertur res ad Absalonem episcopum. Ille, verbis non statim fidem adhibens, donec rerum, de quibus sermo esset, veritas fieret explorata, dictis non facile credidit. Postquam autem fama magis magisque increbresceret, iuvestigatores Roschildia fidelissimos mittit; qui, comperta hujus rei veritate, illi audita renunciant. Mox, ut vera esse quæ audierat cognovit, spiritu exultans quod talia fierent in suæ civitatis territorio, Simone, abbate Sorensi, et Richardo, quondam abbate Ringstadiensi, aliisque prudentibus advocatis, cum eis sedulo deliberabat quid in hac causa agendum foret. Deinde Herlonem, in suæ malitiæ pertinacia perdurantem, advocat et an objecti flagitii reus sit interrogat : confitetur ille, nec negat flagitium, crebrescentibus miraculis cognoscens se proditum. Insistunt parentes martyris, Herloni vicem sui operis volentes rependere; quos compescens episcopus eidem reconciliat citissime. Hinc stipatus
B populi frequentia, proficiscitur ad tumulum matronæ nobilis cum ingenti lætitia. Eruitur ergo corpus a sepulcro; abluitur ac, feretro superimpositum, ad civitatem reverenter reducitur. Ruit obviam sacro funeri cum summo

* *supple* omnis

tripudio * ordo, sexus, ætas, conditio; præcedebant feretrum cerei cum lampadibus; subsequebatur clerus et pontifex cum hymnis et concentibus. Introducitur ergo corpus in sacræ virginis Mariæ basilicam, ubi mausoleum ingens honeste construitur, ubi postea multis claruit miraculis.

Absalon, episcopus tum Roskildensis, dein Lundensis, Simon, abbas Soranus, Richardus, olim abbas Ringstadiensis, huic negotio operam impendunt.

14 *Ad quæ pauca animadvertenda videntur. Imprimis Absalon, quem sæpius jam memoravimus, tunc nondum archiepiscopalem Lundensem sedem ascenderat; quam anno solum* 1178, *jussu Alexandri papæ III coactus, adiit, retinens Roskildensem episcopatum, donec cognatus ejus Petrus ea esset ætate, qua tanto officio fungi posset. Vir summus erat; et res ecclesiasticas, politicas atque etiam bellicas singulari fortitudine, prudentia atque auctoritate procurabat; cujus laudes passim celebrant Dani, neque immerito. Vitam scripserunt complures;*
C *quarum lucubrationum epitomen dabit Münterus* (1). *Quum itaque Lundensem cathedram nondum occuparet Absalon et Roskildiæ habitaret, hinc fit ut universo huic negotio præfuerit. Sequitur hinc etiam Petrum hoc loco non dici Roskildensem episcopum, quod tum hac dignitate fulgeret, sed quod ea honestatus erat, quum scriberet Relationis auctor aut certe quod eam aliquando, scilicet ab anno* 1191 *ad* 1214, *obtinuerat. Hinc quoque manifestum fit commentarium illum de S.* Margaretæ *translatione non simul factum esse ac corpus summa celebritate translatum est; sed aliquot annis post, ut ex fine, ubi* postea multis miraculis claruisse *traditur, etiam apparet. Simon, abbas Sorensis* (*vulgo* Soroë), *qui cum aliis viris prudentibus consilio adhibitus fuit ab Absalone, natione Anglus erat;* D *atque ille idem, de quo Radulfus de Coggheshale in Chronico Anglicano ad annum* 1191 *hæc perhibet* (2) : Ante istud septennium extitit quidam abbas ordinis Cisterciensis in quadam abbatia, quæ dicitur Sor in Dacia, qui ante conversionem suam ex quadam ægritudine surripiente defunctus est, atque per beatam Dei genitricem Mariam pristinæ vitæ est redditus. *Viginti tres annos fuisse abbas traditur in Serie abbatum monasterii Sorensis* (3). *Ejus certe nomen deprehenditur in monumentis anni* 1170; *verum anno* 1189 *successorem habebat Gaufredum nomine. Absaloni carus fuisse videtur eumque diplomatum suorum testem sæpius adhibuit* (4). *Carum item Sorense cœnobium, cujus fere fundator aut instructor fuerat. Skialmus quidem Candidus, Absalonis avus, id monasterium molitus erat; sed omnem dein curam transtulerat in nepotem, qui grande id opus anno* 1161 *perfecerat. Plurimum semper hoc asceterium dilexit Absalon, qui et illic, ut omnis ejus cognatio, cum multis proceribus sepultus est* (5). *Non minore loco habebatur Ringstadiense ordinis item Cisteriensis monasterium, ubi complures* E *reges, reginæ, principesque sepulcri quietem adepti sunt* (6), *et quod multo etiam amore et largitate prosecutus est Absalon* (7); *maxime postquam S. Canutus Lavardus, cujus illic servabantur reliquiæ, anno* 1170 *ab Alexandro III sanctis adscriptus est. Quare vero Richardus, qui* quondam Rigstadiensis abbas *dicitur, muneri suo nuntium remisisset, aliis investigandum relinquo, nisi id argumentum prosecutus jam fuerit Mœnsterus, episcopus Lutheranus Aarhusanus, olim viginti annos in templo Ringstadiensi concionator.*

Quare S. Margaretæ *corpus in agro profano sepultum fuerit. De confessione Herlogi et ejus cum S.* Margaretæ *consanguineis reconciliatione.*

15 *Nolim contra id intactum præterire quod S.* Margaretæ *corpus, donec innotuit eam sibi manus non intulisse, amotum fuisse a cœmeterio et in agro communi sepultum. Sepulturæ ecclesiasticæ privatio vetus suicidarum pœna est, a concilio Braccarensi statuta et in Gratiani Decretum* (8) *recepta.* Placuit, *hæc sunt legis verba,* ut qui sibi ipsis voluntarie, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, aut quolibet alio modo violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum F psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpant. *Quod præceptum ita dein intellectum est ut suicidarum cadavera in sacrum cœmeterium non inferrentur. In his autem valde insigne exemplum est, quanta tum cura, licet non multo plus quam sesquisæculum religio in Dania vigeret, disciplina ecclesiastica illic observaretur. Et quidem in universa tunc Dania eo spectabant episcopi ut res ecclesiasticæ ad communes leges componerentur. Qua in re nemo magis operam suam impendit quam Absalon, olim in universitate Parisiensi eruditus* (9). *Adjuvit scilicet Eskillum, Lundensem archiepiscopum, in condendo jure Scaniæ* (10), *atque ipse*

(1) Kirchengeschichte von Dänemark, tom. II, pag. 319 et seqq. — (2) Ap. Martène, Anecdota, tom. V, col. 820. — (3) Ap. Langebek, tom. IV, p. 534. Cfr tamen ibid. p. 555 et 557. — (4) Thorkelin, Diplomatarium Arna-Magnæanum, tom. I, p. 23 et 43. — (5) Cfr Liber Donationum monasterii Sorensis ap. Langebek, tom. IV, p. 463 et seqq. Monumenta Sorensia, item ap. Langebek, tom. IV, p. 531 et seqq. ; — (6) Tabula Ringstadiensis, ap. Langebek, tom. IV, p. 278. — (7) Thorkelin, Diplomatarium Arna-Magnæanum, tom. I, p. 29 et 30. — Cfr Münter, Kirchengeschichte von Dänemark, tom. II, p. 643. — (8) Cap. *Placuit*, part. II, caus. XXIII, quæst. V, cap. 12. — (9) Cfr Münter, Kirchengeschichte von Dänemark, tom. II, p. 323 et seqq. — (10) Ibid. p. 164 et 238 et seqq.

anno

A *anno* 1171 *in conventu Ringstadiensi jus Sialandicum promulgandum curavit* (1). *Quum itaque Absalon totus in eo esset ut ad certas leges alios fingeret, jure merito voluit ut, licet S.* Margareta *clarissimo genere esset suaque cognata, statuta pœna plecteretur, quum suicidii haberetur rea. Quando autem rumor increbuit a Deo fieri prodigia, quibus is error tolleretur, nil dedit sanguinis aut familiæ honori; sed aliorum exploravit consilia, quibus ipse prudenter hoc negotio defungeretur. Quod autem ad tribunal excitus Herlogus facinus suum confessus est, id ex veteribus Daniæ institutis, quæ multa etiam dein sæcula valuerunt, repetendum venit. Statutum enim erat ut reus vel scelus fateri deberet, vel jurejurando sese purgare; amicis aut cognatis simul jurantibus se verbis illius credere* (2). *At novum id flagitium, cælestibus prodigiis cognitis, priori addere ausus non est Herlogus. Olim quidem omnia delicta pecunia aut pecoribus redimi illic potuerant; sed multa deinceps a Canuto Magno excepta fuisse atque hæc inter homididium, constans sententia est* (3). *Et quidem S.* Margaretæ *parentes, quo vocabulo*
B *consanguinei forte intelligendi sunt, voluere Herlogo* vicem sui operis rependere *seu eum occidere; verum, quod a Canuti decretis omnino recedit,* eidem *illos* citissime reconciliavit *Absalon; quod sine pecuniæ solutione factum non fuerit: nil enim inhonestius habebatur quam cognati necem inultam sinere. De pompa, qua beatæ martyris corpus Roskildiam perlatum est, id unum animadvertendum, eam non communem fuisse, sed quæ martyrem cælique incolam deceret: ita ut solemnis reliquiarum translationis specimen sit.*

De cultu S. Margaretæ *in templo S. Mariæ Roskildensi*

16 *Roskildensis* sacræ virginis Mariæ basilica, *quo illatæ fuere B. Margaretæ exuviæ, templum, monasteriale erat virginum Cisterciensium. Quarum* convictum, *anno* 1165, magno rei familiaris impendio in ea æde instituerat Isaacus, ruralis sacerdotii præpositus, *quod, violato S. Guilielmi, Roskildensis episcopi, sepulcro, sibi male timeret* (4). Pauperes *hæ erant* sorores (5); *neque a vero aberrare videtur, quod illuc S.* Margaretæ *corpus translatum voluerit Absalon, ut ex populi concursu et largitionibus levamen aliquod earum egestati accederet. Certe ipse postea, quam jam*
C *Lundenses infulas gereret,* paterna sollicitudine *illis* Christi pauperibus condoluit *et* eaprópter ecclesias duas non procul a civitate Roskyldensi, videlicet Siœngelöse et Gadstorp prædictis sororibus tradidit (6). Ingens mausolæum honeste *tum* constructum *fuisse et S.* Margaretæ *corpus, illic repositum,* postea multis claruisse miraculis *ex Relatione de translatione intelleximus; sed hæc latius declarantur in priori parte Chronicorum Danorum præcipue Sialandiæ, quam circa annum* 1282 *conscriptam fuisse jam docuimus. Ejus scriptor, rerum Roskildensium peritissimus, ubi ad demortui Absalonis laudes devenit:* Ipse etiam, *inquit* (7), beatam Margaretam, a viro suo Herlogh in OElishove interemptam, et in extremo littore orientali, ubi adhuc ecclesia antiqua cernitur, defossam, ad ecclesiam sanctæ Mariæ Roskildis transtulit et cum debita reverentia sepelivit. De miraculis illius sanctæ, quæ per illam Dominus operatus est, paucis (ut opinor) constat; non quia non sunt per virtutem Domini facta, sed magis quia non sunt scripto (ut dignum erat) ad laudem salvatoris nostri Dei commendata et in auribus fidelium publicata. *Ferebat enim olim usus ut, quum miracula fierent, campanarum pulsu ad templum convocatus populus continuo res gestas coram infirmis prodigiose sanatis doceretur, aut saltem ut paulo post inter missæ solemnia publice legeretur narratio.*

AUCTORE V. D. B.

17 *Hic stare noluisse Absalonem perhibet Pontoppidanus* (8), *ex codice ms. Hafniensis bibliothecæ academicæ referens eum Roskildiæ erigi curasse monasterium titulo S.* Margaretæ *ordinis Cisterciensis; cui dedisse cum consensu capituli decimas quasdam episcopales et terras, itemque tertiam partem oblationum, ad prius ejus sepulcrum prope maris littus factarum; quam donationem a Romano pontifice confirmatam fuisse. Arbitratur Münterus* (9) *loco S.* Mar- E
garetæ *substituendum esse S.* Mariæ; *neque aliud id esse cœnobium, quam id ipsum Roskildense S. Mariæ, in quo quietem et maximos honores adepta est sanctissima mulier: quæ sententia vix mihi non certa esse videtur, maxime quum aliud non sit hujus S.* Margaretæ *cœnobii vestigium aut memoria. Id autem hinc compertum habemus ante Absalonis obitum super priori sepulcro in S.* Margaretæ *honorem fundatum fuisse templum, de quo meminisse supra vidimus Danorum seu potius Sialandorum chronologum et secundum eum Petrum Olaum; et tot illic collatas fuisse pecunias ut in certas partes distribuendæ viderentur et inter cœnobia dividendæ.* Ab antiquis nostris scriptoribus, *inquit Suhmius* (10), vocatur *hoc templum seu parœcia* S. Margareta de OElsie, quod nomen in Atlante Daniæ *Pontoppidani* (11) putatur hodie in OElse-Magle mutatum esse. *Interim non pauciores fiebant oblationes ad S.* Margaretæ *sepulcrum in templo S. Mariæ Roskildensi; quas etiam dividendas judicavit Absalon. Hinc in Libro donationum monasterii Sorensis legi-*
F *tur* (12): Inter cætera beneficia, quæ venerabilis pater Absalon fecit monasterio Soræ tempore episcopatus sui, multum memorabile est, quod tertiam partem oblationis, quæ cadit in monasterio beatæ Mariæ Roskildiæ apud memoriam beatæ Margaretæ, atque multas episcopales decimas dedit in usum monasterii ad possessionem perpetuam.

et in templo S. Margaretæ, *super priori ejus sepulcro constructo, et de oblationibus illic factis.*

18 *Atque ex his omnibus mirum in modum elucet Roskildiæ brevi post mortem in summa celebritate S.* Margaretæ *nomen fuisse et cælitum honores publice ei collatos, non modo permittente, verum etiam approbante et promovente Absalone, Roskildensiet dein Lundensi præsule. Quibus accedit non solum eam vulgo* sanctam *appellatam fuisse, ut ex chronicis aliisque id genus monumentis jam collegimus, sed populare ejus fuisse nomen* Beatam *seu* Sanctam Mar-

S. Margaretæ *cultus legitimus est simulque* sanctæ *titulus, licet numquam canonizata fuerit.*

(1) Münter, Kirchengeschichte von Dänemark, tom. II, p. 241 et seqq. — (2) Cfr Allen, Geschichte des Königreiches Dänemark. p. 32, Kiel, 1846. — (3) Ibid p. cit. et Dahlman, Geschichte von Dänemark, tom. I, p. 158 et 159, Hamburg, 1840. — (4) Saxo Grammaticus, Hist. Dan., lib II, p. 215 et 216, edit. 1646. — (5) Cfr diploma Absalonis in Diplomatario Arna-Magnæano, tom. I, p. 42. — (6) Ibid., p. cit. et 43. — (7) Ap. Langebek, tom. II, p. 623 et 624. — (8) Annales ecclesiæ Danicæ, tom. I, p. 443. — (9) Kirchengeschichte von Dänemark, tom. II, p. 886 et 887. — (10) Ap. Langebek, tom. V, pag. 303. — (11) Tom. VI, p. 110. — (12) Ap. Langebek, t. IV, p. 470.

garetam

AUCTORE V. D. B.

garetam *seu etiam, ut Petrus Olaüs annotavit,* Margareta Roskildensis. *Anxii videntur esse Dani, utut protestantes, an sancta mulier umquam canonizata fuerit; affirmavit aliquando Langebekius* (1), *quod corporis translatio, tanta celebritate facta, canonizatio sibi videretur. Negavit contra Suhmius* (2), *voluitque ut* beata Margareta, *non autem* sancta *diceretur. Münterus* (3) *demum incertum reputat an vere umquam canonizata fuerit. Equidem nil dubitans jam asserui sanctam martyrem a nullo Romano pontifice sanctorum albo solemni sententia adscriptam fuisse; nullum enim hujus rei uspiam vestigium superest, et, quod potissimum est, nulli omnino kalendario ejus nomen insertum reperitur; quod certe ita non esset, si tantos aliquando assecuta fuisset honores. An vero ab Absalone decreto publico sanctis martyribus annumerata fuerit omnino perspicuum non est; videtur tamen : quod si ita non sit, æquipollenter (ut ajunt) beatificata fuerit sancta martyr. Errare tamen Suhmium, cum titulo* sanctæ *eam interdicit, alibi jam monuimus: quum enim, consentientibus aut certe tolerantibus Roskildensibus episcopis, is ei honor publice et constanter exhibitus fuerit centum annis ante Urbani VIII decreta, legitimus est et nequaquam abrogandus. Periit S.* Margaretæ *cultus, quum religio catholica et monasteria in Dania deleta sunt* (4). *Non putem post annum* 1536 *Roskildense S. Mariæ asceterium exstitisse; et jam pridem nullæ amplius superesse videntur reliquiæ templi, in quo sanctæ martyris corpus tanta olim diligentia et veneratione servabatur. Det Deus aliquando meliora tempora regioni, tot sanctorum virtutibus illustratæ!* D

(1) Scriptores rerum Danicarum, tom. IV, p. 534; ubi remittit lectorem ad Danske Magazin, tom. I, p. 75. — (2) Ibid., tom. V, p. 302. — (3) Kirchengeschichte von Dänemark, tom. II, p. 886. — (4) Cfr Karup, Hist. de l'Eglise catholique en Danemark, p. 283 et seqq.

B

DE B. LUDOVICO, CONF. NON PONT., E

ARNSTEINII IN PRISTINA DIOECESI TREVIRENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

Prolegomenon de cultu sanctorum et beatorum Præmonstratensium in ordine Præmonstratensi.

Licet sub sanctissimis S. Norberti institutis,

Quidam vir justus et timoratus, verus Dei cultor et permanens in innocentia sua, dictus Norbertus, cum prædicatione sua velut cælestis fistula et tuba argentea multos docuisset, et ad Dominum convertens ad frugem melioris vitæ divinitus inspiratos incitasset, tandem in loco, qui Præmonstratum dicitur, ad opus sui et discipulorum suorum pacificum constituit habitaculum. Sumpto autem regulari habitu, ut secundum regulam B. Augustini Domino militaret, consuetum vivendi modum, quem prædicti regulares canonici usque ad tempora illa laxius observaverant, in se et in discipulis suis coarctavit, quasdam novas institutiones addendo, quasdam etiam veteres immutando. Carnes siquidem Præmonstratensis ordinis canonici et fratres laïci numquam nisi in infirmitate manducant. A festo sanctæ Crucis usque ad Pascha jejunant; duobus pulmentis more Cisterciensium in refectorio vescuntur. Camisiis non induuntur : pellibus ovinis utuntur. Vestiti tunicis albis et caligis calceati dormiunt. Cappis laneis albis absque tinctura aliqua vestiuntur. Diebus festis more aliorum canonicorum novem lectiones, aliis autem tres tantum, in matutinis legunt. Post officium nocturnum ad dormitorium revertuntur, ut dormiant et quiescant temporibus determinatis; et horis certis ad labores manuum egrediuntur. Parochiales ecclesias et animarum sæcularium curas in propriis personis suscipiunt. C

etiam ad feminas et in

2 Omnia hujus institutionis et religionis monasteria sub uno capite Præmonstratensis monasterii continentur; ad quod annis singulis ad generale capitulum omnes hujus ordinis abbates congregantur. Habent autem curias et prioratus non solum hominum, sed et feminarum; in quibus tam clerici, quam laici, secundum quod eis a superioribus suis injungitur, commorantur. A principio autem ordinis et novellæ plantationis, cum adhuc pretioso paupertatis thesauro abundarent, quasi musto novæ religionis inebriati et ferventes igne illo, quem misit Dominus in terra ut arderet, adeo succensi sunt, quod non solum vicinas regiones, sed remotas per universum fere mundum provincias accendebant, illuminabant et exemplo conversationis suæ provocabant. Unde parvo tempore multa ubique hujus ordinis et professionis, tam clericorum, quam sanctimonialium, constructa sunt monasteria largitione principum et eleemosinis fidelium, copiosis redditibus et latis possessionibus in immensum ampliata et sufficienter ditata. *Licet autem postea per rerum vetustatem et humanæ naturæ defectum pristinus fervor neque semper, neque ubique servatus fuerit; a temporum tamen calamitate et pravorum exemplorum corruptela numquam ita passi sunt Præmonstratenses canonici ut desierint stellæ esse in nocte caliginosa : quod luculentissimis testimoniis facile esset ostendere.* F

multis regionibus propagatis, multi sanctimoniæ laude floruerint,

3 *Abundavit itaque magnopere, primis maxime temporibus, viris sanctis atque præclaris Præmonstratensis ordo : sed quod mireris, etiam eos, quorum nomina in veneratione erant et quos beatos sanctosque privatim publiceque vocabant, nullis afficiebant liturgicis honoribus : quod*

nil fere curatum est ut ecclesiastico cultu donarentur : ne sanctus quidem Norbertus; cu-

jus commemoratio funebris usque ad extremum sæculum XVI facta est, quum, promovendis Parcensibus, cælitum honores accepit.

A *quod alii adscripserunt negligentiæ, alii factum dixerunt ne cœnobiorum quies templorumque honestas turbaretur concursu hominum ad sepulcra sanctorum pie studioseque accedentium. Quidquid id est, hoc eorum singulare peccatum esse cave ne dicas. Camaldulenses enim, Carthusiani, Cistercienses aliique castigatioris instituti monachi plurimis sæculis non multo diligentiores fuerunt in promovendo sanctorum suorum cultu. Ad finem itaque sæculi* XVI *neminem omnino ex suis religiosa cælitum veneratione prosequebantur Præmonstratenses, ne sanctum quidem Norbertum, licet processus canonizationis olim incohatus fuisset. In musæo scilicet nostro exstant Missale Magdeburgense, anno* 1503 *Nurembergensibus typis editum, et Præmonstratense, quod singulari diligentia Jacobus Kerver anno* 1578 *Parisiis dedit in lucem; atqui in neutro nulla plane S. Norberti festivitas apparet: immo in Kerveriano ad diem* 6 *junii jubetur fieri* commemoratio domini Norberti, primi patris Præmonstratensium et archiepiscopi Magdeburgensis ecclesiæ. *Atque hæc ritu funebri in omnibus Præmonstratensium templis*

B *quotannis peracta est, donec anno* 1582, *stimulos addentibus Molano et Antonio Rhodio a Grasen, opusque promovente Ambrosio Loots, optimo Parcensi prope Lovanium abbate XXVIII* (1), *Gregorius XIII concessit ut officio duplici, immo triplici, cum octava ejus natalis ab eis celebraretur* (2). *Inde in Breviariis Præmonstratensibus anni* 1598, 1608 *et* 1621, *quæ coram habemus, venit die* 6 *junii S. Norberti festum; sed alibi uspiam alius sancti ex ordine nullum.*

Antonius Rhodius, Parcensis canonicus, stimulos addit, ut in sanctorum Præmonstratensium gesta inquiratur.

4 *Quem autem paulo supra memoravi Antonium Rhodium, is canonicus Parcensis erat, natus anno* 1538, *professus anno* 1578, *presbyter ordinatus ad Pentecosten anni* 1584 *et paulo post,* 26 *julii, vita functus. Hic, utut juvenis, totus erat in illustrandis ordinis Præmonstratensis sanctis viris: quemadmodum constat ex literis, quas anno* 1583 *dedit ad abbatem Præmonstratensem, Joannem des Pruetis, totius ordinis generalem. In quibus postquam suo aliorumque nomine gratias egisset de cultu S. Norberti ecclesiastico invecto, et narrasset se Vitam S. Norberti habere prelo paratam probatamque Molano, sic deinde pergit:* Quia magnum splen-

C dorem ordini nostro adferret, si reliquorum virorum sanctorum nostri ordinis Vitæ ederentur, multique earum lectione ad meliorem vitam accenderentur; utilem certe operam reverenda paternitas tua navaverit, si singulos superiores monasteriorum nostri ordinis suos thesauros in medium proferre jusserit, ut tandem per aliquem in publicum edantur. Ego certe, ex quo me Deo in Norbertino ordine consecravi, avidissime patrum nostrorum gesta conquirere cœpi, et siquid memoria dignum invenissem, notare. Et cum prius ne unus quidem occurreret sanctus, tandem, post sanctum Norbertum, qui miraculis claruere, occurrerunt SS. Evermodus, Isfridus et Ludolphus in Germania; sed et S. Joseph Steynveldensis; SS. Fredericus et Syardus, abbates in monasterio Horti S. Mariæ, quod (heu lachrimæ) in seculares canonicos com-

mutatum est; unus præterea abbas Viconiensis, Radulphus nomine, et in eodem vir meritis clarus, Walterus, etiam abbas; et alius sacræ Theologiæ doctor, F. Eustachius de Lens, qui erudicionis suæ multa reliquit monumenta: quæ, etsi non viderim, utiliter tamen imprimi posse intelligo. De aliis etiam sanctis quædam intellexi, paulatim plus cognoscere sperans. Si ibi aliquorum sanctorum essent memoriæ, certiores reddi cuperemus. Tam certe sunt insignes historiæ quorumdam sanctorum supradictorum, ut indignum sit eas sic ignorari, quamvis mutilas eas habeam. Fundationes quoque multorum monasteriorum describere cœperam cum superioribus omnibus, in quibus plerumque notabile aliquid reperi; sed non ulterius nostra progredi valet sagacitas, quam authorum contulit diligentia. Quocirca, si studium hoc commendaverit reverenda paternitas tua, per omnes circarias fundationes, catalogum abbatum singulorum monasteriorum, et siquid aliud ibi peculiare sit, describi curabit: sed et pastoratus singulorum monasteriorum, cum reliquiis sanctorum, siquæ peculiarem in aliqui- E bus ecclesiis venerationem habeant; indicibile quantum voluptatis et utilitatis plurimis hæc accurate descripta allatura sint. *Quæ meditata, matura morte interrupta, postea perfecit Joannes Lepaige, ut paulo inferius dicemus.*

AUCTORE V. D. B.

5 *Interea tamen S. Norberto accessit B. Godefridus, ante comes Cappenbergensis, trium monasteriorum fundator, atque ipse canonicus: anno enim* 1614 *Ilbenstadienses, quorum auctor fuerat et in quorum corona diem obierat, efflagitarant a Paulo papa V facultatem celebrandi ejus festi* (3); *quod propter concurrentem* 13 *januarii Epiphaniæ octavam deinceps actum est die* 16 *januarii, concessis a Benedicto papa XIII in hanc diem indulgentiis* (4).

B. Godefridus permittitur coli.

6 *Verum, licet tam parci essent in colendis suis sanctis Præmonstratenses, non est quod multo plures in hoc censu non haberent. Scilicet Joannes Baptista Wils Antverpiensis Lovanii apud Joannem Masium, sub Viridi Cruce, anno* 1615 *edidit et mecænati Adriano Stalpaerts, abbati Tungerloensi, dicavit* « *Epigrammata de* » *viris vitæ sanctimonia illustribus ex ordine* » *Præmonstratensi, juxta ea quæ e variis au-* F » *ctoribus collecta sunt per R. D. Aubertum* » *Miræum, Antverpiensem canonicum.* » *Et quidem Miræus* (5) *biennio ante inter sanctos recensuerat et debitis cumularat encomiis* S. Norbertum, Præmonstratensis ordinis conditorem, Hugonem Cameracensem, beatum Evermodum, episcopum Raseburgensem, beatum Milonem Morinensem, beatum Alberonem Virdunensem, beatum Isfridum Raseburgensem, B. Godefridum comitem Cappenbergensem, beatos item abbates Garembertum, Rainerum, Gilbertum, Radulfum, Fredericum, Siardum et alios, quibus injuria temporum pæne tenebras affuderat. *Quos omnes Wilsius epigrammatibus celebravit, et præterea* Gerlacum, eremitam et ovium tutelarem; S. Ludolphum, Raseburgensem antistitem et martyrem; divum Hermannum; beatum Jacobum,

Miræus et Wilsius alios laudant, sumptu faciente abbate Tungerloensi.

(1) Cfr Miræus, Chronicum Præmonstratense. — (2) Cfr. Acta SS. tom. I Junii, p. 810 et seqq. — (3) Annales Præmonstratenses, tom. I, part. I, col. 869. — (4) Georgius Roggenburgensis, Ephemerides hagiologicæ ordinis Præmonstratensis, p. 19. — (5) De ordine Præmonstratensi, epist. dedic. p. III.

AUCTORE V. D. B.

novitium Viconiensem; sanctam Roznatam, nobilem Bohemiæ et martyrem; B. Walterum, circa cujus feretrum copiosa lux resplenduit; B. Richardum, scriptorem celeberrimum; B. Arnoldum a Sualma, pastorem monasterii Ninivensis; B. Haytonem, e rege Armeniæ canonicum Præmonstratensem factum; Divum Rabodonem, religiosum Parcensem; B. Ulricum *eleemosynarium;* B. Simonem, in nemore Mariano abbatem; Divos Jacobum Lacopium et Adrianum, *martyres Gorcomienses;* B. Arenistiam, sextam Hærentalensium monialium præfectam; *et quatuor alios, quos neque divos, neque sanctos, neque beatos nuncupat. Hæc extranei, sumptus faciente literarum amantissimo abbate Adriano Stalpaerts.*

Parcenses et Ninovienses edunt Arborem spiritualem Præmonstratensem.

7 *Neque in aliis abbatiis quiescere voluerunt. Videlicet Joannes Masius, quem Wichmans* (1) virum *appellat* ab omni fictione et levitate in credendo remotissimum, *et qui anno* 1621 *suprior Parcensis et anno* 1630 *parochus in Lubbeek factus est, narrat in Parcensi Chronico ms. se die* 19 *junii anni* 1617 *Antverpiam abiisse,* ut curaret fieri aliquas imagines de ordine, B inter cæteras Arborem ordinis sui, cujus prototypum conceperat ipsemet. *Anno post confecta imago fuit a cælatore Carolo de Mallery, ut ex abbatis Drusii Manuali constat. Eodem fere tempore Ninovienses alteram Arborem cælari voluerunt suis impensis ab eodem cælatore; ita tamen ut pauca quædam mutarent. Arbor videlicet Ninoviensis exsurgit ex S. Norberto tamquam ex stipite; contra in Parcensi ad radices stant patroni præcipui, sancta Maria, S. Joannes Baptista et S. Augustinus; dein in Ninoviensi B. Jacobus Ninoviensis substitutus fuit cognonimi Viconiensi et B. Ludovicus ab Arnstein B. Elisabethæ Herenthaliensi. Id utrobique omnibus commune ut aureola, cælestis gloriæ indicio, cincti exhibeantur. Sed ecce ambarum Arborum nomina :*

ARBOR PARCENSIS.	ARBOR NINOVIENSIS.
S. Maria.	*Deest.*
S. Joannes Baptista.	*Deest.*
S. Augustinus.	*Deest.*
S. Norbertus.	S. Norbertus.
B. Jacobus (*Gorcom.*).	B. Jacobus (*Gorcom.*)
C B. Adrianus.	B. Adrianus.
B. Macharius.	B. Macharius.
B. Arnoldus.	B. Arnoldus.
B. Rainerus.	B. Rainerus.
B. Elco.	B. Elco.
B. Radulphus.	B. Radulphus.
B. Ludolphus.	B. Ludolphus.
B. Gilbertus.	B. Gilbertus.
B. Garembertus.	B. Garembertus.
B. Isfridus.	B. Isfridus.
B. Evermodus.	B. Evermodus.
B. Hugo.	B. Hugo.
B. Jacobus (*Vicon.*).	B. Jacobus (*Ninov.*).
B. Gertrudis.	B. Gertrudis.
B. Rabodo.	B. Rabodo.
B. Elisabetha.	B. Ludovicus.
B. Gerlacus.	B. Walterus.
B. Josephus-Hermannus.	B. Josephus-Hermannus.
B. Hroznata.	B. Hroznata.
B. Fredericus.	B. Fredericus.
B. Siardus.	B. Siardus.
B. Godefridus.	B. Godefridus.
B. Milo.	B. Milo.

(1) Brabantia Mariana, lib. II, cap. IV, pag. 271.

8 *Aliquanto post, anno scilicet* 1633, *Joannes* D *Le Paige, vir doctus, diligens et universi ordinis syndicus, edidit in lucem Bibliothecam ordinis Præmonstratensis, qua non clauduntur scriptorum nomina (hæc postea in Spiritu literario Norbertino collegit Georgius Lienhart, abbas Roggenburgensis,) sed ad normam Bibliothecæ Cluniacensis, Cisterciensis, Floriacensis et aliarum, vetera scripta aliaque documenta continentium, quæ Præmonstratensibus maxime essent utilia. In hoc itaque opere Vitas aut breves Memorias dedit plus centum Præmonstratensium; ex quibus* sanctos *vocavit Norbertum, Garembertum, Gilbertum, Gerlacum, Fridericum, septem martyres sub Saladino, Isfridum, Siardum, Ludolphum, martyres Anglicanos, atque Adrianum et Jacobum Gorcomienses; reliquos* beatos *et unum* reverendum. *Octennio ante, anno videlicet* 1625, *Chrysostomus Vander Sterre, prior in S. Michaelis Antverpiæ, quem alio loco laudabo, emiserat in lucem Natales sanctorum ordinis Præmonstratensis; in quibus* sanctos *vocavit Norbertum, Gerlacum, Gilbertum et Ludolphum;* beatos *septuaginta novem,* beatæ memoriæ *quatuor,* sanctæ memoriæ E *quinque: quod vero notandum, Waltmannus, S. Michaelis primus abbas, qui* beatus *dumtaxat dicitur, repræsentatur in libri titulo e regione S. Norberti, radiis cælestis gloriæ capite circumdatus, sed minoribus quam ordinis auctor: quibus tamen significetur eum jam in cælis regnare.*

Le Paige et Vander Sterre Vitas et Natales sanctorum Præmonstratensium in lucem emittunt.

9 *Verum, qui eo censu inter sanctos aut beatos habebantur, an ab ecclesia ita vindicati erant ut liceret in eorum honorem missæ sacrificium offerre et ecclesiasticum recitare officium? Credidit Henricus Cuyckius, doctissimus Ruræmundanus episcopus, qui B. Gerlaci, Falkenburgensis eremitæ, quem vestem Præmonstratensem gessisse volunt, Officium et Missam composuit et anno* 1604 *inter alia Ruræmundana Officia typis Coloniensibus imprimi curavit. Crediderunt etiam Præmonstratenses Hispani, a reliquo ordine plane divisi (id procurarat Philippus II, qui ipsam Societatem nostram in partes distrahere tentavit) : hi scilicet anno* 1620 *kalendarium suum liturgicum multis nominibus jam auxerant et deinde augere perrexerunt. Quæ quo magis manifesta sint, sibi invicem apponam laterculos sanctorum, qui anno* 1620 *et* 1718 *colebantur in cœnobiis Hispanis Præmonstratensis instituti. Priores sumpsi ex apographo* Kalendarii sanctorum Hispanorum specialium et ordinum, impressi Matriti apud Thomam Suntam, typographum regium, anno 1620; *posteriores ex* Ordine recitandi officium divinum missasque celebrandi juxta Breviarii ritum atque Romani Missalis, Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recogniti, cum festis quæ generaliter in Hispania celebrantur, pro anno Domini 1718. Dispositus et ordinatus a Fr. Francisco de Consuegra ordinis S. Hieronymi, in regio D. Laurentii monasterio (vulgo del Escoriai) religionem professo et sacr. cærem. mag. Matriti ex typographia viduæ Joannis Garcia Infançon anno Domini 1718. *Duo alia exemplaria in musæo nostro habemus, alterum in annum* 1641, *alterum in annum* 1647; *in quibus festorum dies ordine nonnihil*

Auctoritate episcopi Ruræmundensis officium fit de B. Gerlaco; et de multo pluribus in Hispania auctoritate judicum apostolicorum et regiorum.

mutati

A *mutati sunt, sed cæterum conveniunt cum kalendario anni* 1718, *nisi quod S. Dudonis, eremitæ et confessoris, natalem continent, qui ab hoc postremo abest. Et quoniam decessores nostri sæpius convulserunt horum kalendariorum auctoritatem, id ab eis factum esse noveris, quod præter jus omnia hæc festa celebrari arbitrarentur. Verum annis* 1641 *et* 1646 *Antonius Soto Mayor, archiepiscopus Damasci, multisque regiis et apostolicis officiis in Hispania fungens, et anno* 1718 *Antonius Franciscus Ramirez de la Piscina, multis item ornatus muneribus, amboque judices speciales et privativi de his omnibus quæ ad Officia liturgica pertinerent vi bullarum apostolicarum et regiorum privilegiorum, aliter omnino judicabant; quin etiam auctoritate sua approbarunt Kalendaria quæ coram habeo. Sed quid hæc refero? Quotannis per duo fere sæcula prodierunt uno volumine, simili auctoritate munita, kalendaria, omnium dioceseon et monasteriorum regnorum Legionis et utriusque Castellæ : quis tam diuturnum usum illegitimum dicat? Nequaquam profecto Papebrochius;*

B *qui non semel, verbi gratia ubi agit de B. Isfrido, episcopo Raceburgensi* (1), *Præmonstratenses Belgas Gallosque ad sanctos ordinis sui colendos stimulavit, proposito* procul dissitorum Hispanorum *exemplo. Verum quid factum sit, non autem an jure factum hoc loco anquirimus. Prodeant itaque utriusque kalendarii nomina; ubi* C. Confessor; Ep. Episcopus; Er. Eremita; A. Abbas; V. Virgo; M. Martyr; D. Duplex; S. Semiduplex; O. Octava *designantur.*

Kalendaria Hispanica annorum 1620 *et* 1718 *proferuntur.*

10 KALENDARIUM PRÆMONSTRATENSE HISPANICUM

ANNI 1620	ANNI 1718
	JANUARIUS.
	3 Gerlaci, C. *D.*
13 Godefridi, C. *D.*	
	16 Radegundis, V. *S.*
	FEBRUARIUS.
4 Gilberti, A. *D.*	4 Simonis, C. *S.*
	6 Hildegundis, Comit. *D.*
	9 Alderici, C. *D.*
	16 Milonis, Ep., C. *D.*
	MARTIUS.
	2 Frederici, C. *D.*
Ludolphi	3 Rodulphi *, Ep., C. *D.*
7 Frederici, C. *D.*	
13 Anniv. parentum Ord.	
	14 et 30 Dudonis, Er. et C. *D.*
	20 Ludovici, Er., C. *D.*
	APRILIS.
	4 Josephi, Pr., C. *D.*
7 Joseph.-Herm., C. *D.*	
	15 Ded. cc. Ord. *D. 1 cl. cum O.*
	MAJUS.
	2 Transl. S. Norb. *D.*
4 Monicæ, Vid. *D.*	4 Monicæ, Vid. *D.*
	JUNIUS.
6 Norberti, Fund. *D. 1 cl. cum O.*	6 Norberti, E. C. *D. 1 cl. cum O.*
	11 Anniv. parentum Ord.
	13 Vulperti, Ep., C. *D.*
	JULIUS.
	2 Pontia, V. *S.*
	3 Isfredus, Ep., C. *D.*
	9 Adriani et Jacobi, MM. *D.*
15 Milonis, Ep., C. *D.*	
	AUGUSTUS.
28 Augustini, Ep., C. *D. 1 cl. O.*	28 Augustini, Ep. et D. *D. 1 cl.*

AUCTORE V. D. B.

SEPTEMBER.
12 Jacobi et Adriani, MM. *D.*
21 Danielis, C. *S.*
25 Godefridi, C. *S.*
26 Rogerii et Theodori, CC. *D.*
30 Gilberti, C. *D.*

OCTOBER.
5 Gualteri, A. *S.*
11 Transl. S. Augustini, *D.*
12 Transl. S. Augustini.
21 Ursulæ et soc., MM. *D.*

NOVEMBER.
12 Anniv. parentum Ord. N.
13 Siardi, A. *D.*
15 Anniv. parentum Or.
16 S. Siardi, A. *S.*
20 Rodulphi, A. *D.*

DECEMBER.
7 Leopoldi, C. *D.*
22 Anastasiæ *D.*
25 Macarii, C. *D.*

Cogitatur in Belgio de colendis BB. Frederico, Josepho, Evermodo, Isfrido, etc.

11 *Interea in Belgio videntur etiam aliquid ausi esse Præmonstratenses et aliquot virorum sui ordinis celebrare natales. Verum brevi injectos fuisse scrupulos apparet propter Urbani VIII decreta de cohibenda nova sanctorum veneratione. Certe in capitulo provinciali, quod a die* 11 *julii ad* 21 *anni* 1643 *habuerunt circariæ Brabantinæ alumni, proposuit coadjutor Tungerloensis, Augustinus Wichmans, a pluribus scriptis notissimus, hanc dubitationem :* « An in festis sanctorum ordinis nostri, qui aliquando publice ab antiquo culti sunt a populo, ut BB. Frederici, Josephi, Evermodi, Isfridi, etc. an saltem non possit legi Missa de Trinitate. » *Ad quod quæsitum responderunt capitulares :* R. D. Vicarius intendat et examinet quid fieri possit. *Vicarius tum erat, quem jam appellavi et quem sine venerationis significatione nominare non solebant decessores, Joannes Chrysostomus Van der Sterre, Natalium ordinis Præmonstratensis aliorumque hujus generis librorum diligentissimus scriptor. Qui quid præstiterit non invenio; sed (si divinare liceat) Romam scripsit, certiora inde petiturus. Et quidem, quum in capitulo generali, quod anno* 1717, *præside Claudio Honorato Lucas, celebratum est et cujus decreta Parisiis eodem anno fuerunt typis impressa* (2), sessione sexta, die 28 aprilis, amplissimus D. Rothensis proposuit nomine amplissimi D. abbatis canoniæ Steingadensis in Bavaria, 1°, *etc.*, 2°, *etc.*, 3° an non liceat celebrare festa beatorum sancti ordinis Præmonstratensis, et qua authoritate id fieri debeat; et respondit capitulum licere celebrare, idque secundum litteras D. procuratoris generalis ordinis *Præmonstratensis* in curia Romana; qui, sæpius requisitus super hoc, respondit bullas pontificias, in contrarium allatas, non respicere ordinem *Præmonstratensem; non quod Præmonstratenses exleges essent, sed quia breviarium proprium habuerunt ducentis ante S. Pii papæ V bullam annis; eos propterea Pianis decretis non obligari et posse* (*ut tum plurimorum* (3) *erat sententia*) *pro pristina libertate aliquid libris suis liturgicis addere et demere. Quid, quod non illi tantum, qui Breviario singulari legitime utebantur, sed etiam ii, qui Romanum correctum*

F

(1) Acta SS. tom. II junii, pag. 1090. — (2) Cfr p. 11. — num. 6.
(3) Benedictus XIV, de Canonizatione, t. IV, part. II, cap. 13,

Breviarium

Breviarium admiserant, tum episcopi, tum superiores regulares, fas sibi esse æstimabant auctoritate sua nova Officia, quæ Propria dici solent, approbare, inconsulta sancta sede apostolica? Cujusmodi Propriorum exemplaria sunt in Musæo nostro bene multa. Quæ quidem non refero, quasi legitime facta esse vellem, (id enim huc non pertinet,) sed ut intelligatur quæ tum proborum doctorumque virorum esset sententia, et quo jure illa niteretur responsio.

Introducitur officium S. Gilberti et dein BB. Godefridi, Frederici, Hermanni, Gerlaci, Gertrudis et Siardi.

12 *Hac itaque doctrina fretum, capitulum generale anni* 1657, *sessione* XIII, *Officium* S. Gilberti Breviario inserendum *edixit* (3). *Anno* 1675 *latius expansa fuerunt vela. Ad finem enim Breviarii, Michaelis Colberti, totius ordinis præpositi, et capituli generalis auctoritate illo anno Parisiis impressi, septem exstant, continuata paginarum serie, Officia cum lectionibus* II *Nocturni propriis*, juxta provinciarum consuetudinem celebranda per modum majoris duplicis, *scilicet BB. Godefridi, Frederici, Hermanni Josephi, Gerlaci, Gertrudis, Gilberti et Siardi; quæ Officia eodem ritu celebrari posse* ad libitum *indicatur in tabula Breviarii, eodem*
B *anno* 1675 *Antverpiæ editi, adjectis ad finem Breviarii septem illis beatorum Officiis : ubi notandum est BB. Evermodi, Ludolfi et Isfridi nomina et Officia abesse. Neque martyrum Gorcomiensium, quos Clemens papa X solemni ritu beatorum martyrum albo adscripserat, celebrabatur ubique festum. Ut enim ex monitis, Missali anni* 1697 *præviis, constat, anno* 1686 *capitulum generale sessione* XI decretum capituli cujusdam provincialis de celebrando festo beatorum martyrum Gorcomiensium ex ordine *Præmonstratensi*, Adriani scilicet et Jacobi, extendit ad omnes omnino circarias, statuitque ut hoc festum quotannis celebraretur more majoris duplicis, die nona julii, anticipata die præcedenti octava Visitationis beatissimæ Virginis.

Abrogatur cultus sex beatorum a Colberto abbate et restringitur S. Gilberti cultus;

13 *Verum, quum die* 19 *octobris anni* 1691 *sacra rituum congregatio declarasset, probante Innocentio papa XI*, Officia sanctorum, ratione corporis seu insignis reliquiæ recitanda, intelligi debere de sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis,... de cæteris autem sanctis in prædicto Martyrologio non descri-
C ptis, aut quibus a sancta sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari et Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum corpora vel insignes reliquiæ in ecclesiis asserventur ; *hanc ob causam vetuit Michael Colbert, Præmonstratensis abbas et ordinis generalis præpositus, ne deinceps septem superiora illa Officia recitarentur; concedens tamen ut in Missali anni* 1697, quia festum S. Gilberti abbatis in integra provincia Galliæ solemni cultu ab omnibus celebrabatur die 4 februarii, ipso die per modum festi duplicis pro devotione cujusque ejus Missa, prout in dicta provincia cantabatur, adderetur. *Quod quam parum conveniat, non dicam cum Innocentiano decreto (de sensu enim ejus disputarunt), sed cum ipso Colbertino jussu intelligent omnes. Adeoque initio Breviarii Colbertini, anno* 1698 *excusi, ad finem rubricarum generalium addita est hæc monitio :* Hinc est, *scilicet propter Innocentii papæ decretum*, quod Officia quædam D nonnullorum ordinis nostri beatorum, apposita postremo Breviario, celebranda juxta consuetudinem provinciarum, nunc relinquantur observanda non toti ordini, sed iis tantum ecclesiis, in quibus ab antiquo viget in illos devotio et immemorialis consuetudo eorum festa celebrandi.

circaria Brabantica aliam viam init.

14 *Non placuit omnibus hæc ordinatio, neque universum Breviarium, nimium a vetere consuetudine recedens, et attentato jure editum; quam ob causam, quum ab die* 17 *junii anni* 1695 *per regem fas amplius non esset libros liturgicos in Belgium importare et proinde anno* 1698 *Antverpiæ typis Mulleri prodiret novum Breviarium, auctoritate abbatum S. Michaelis Antverpiensis, Parcensis, Heylissemensis, Averbodiensis, Tungerloensis et Diligemensis, corpori inserta fuerunt septem beatorum Officia. Gravissime id excepit Colbertus; ita ut, cum eodem anno visitationem institueret Parcensis monasterii, sub pœna excommunicationis proscripserit Breviarium Antverpiense : quam tamen proscriptionem ante discessum sustulit ipsemet, eademque manu, quæ decretum visitationis libro inscripse-* E *rat, id delevit. Ut tamen Brabantini Præmonstratensi abbati aliquantisper morem gererent, ediderunt anno* 1700 *typis ejusdem Mulleri ingens supplementum, partim ex Parisiensi anni* 1698 *editione, partim ex Antverpiensi desumptum, quod, ut ait editor in Præfatione,* hæc ipsa Breviaria ab invicem in multis discrepant, *iisque utile fore videbatur hoc supplementum, qui alterutra aut utraque editione carebant. Quod vero etiam propius ad nos spectat, idem editor in Observationibus suis generalibus circa divinum officium :* Officia, *ait*, sanctorum ordinis nostri celebranda sunt ut reliqua in corpore Breviarii et non ad libitum ; prout conclusum est et ordinatum inter amplissimos dominos hujus circariæ prælatos, Bruxellis 11 novembris 1699 congregatos. Nec obstare videtur, ut quidam putarunt, decretum sacræ congregationis rituum, ab Innocentio XI approbatum : cum illud solummodo loquatur de sanctis, quorum Officia et Missæ celebrantur præcise ex eo quod eorum corpora aut reliquiæ insignes in ecclesiis asserventur : non vero de iis, in quos ab antiquo viget devotio F et consuetudo eorum festa celebrandi. *Quæ animadversio in fronte ejusdem Supplementi, anno* 1720 *Bruxellis recusi, legitur. Verumtamen in Supplemento Missalis, anno* 1718 *Lovanii excuso, Missarum novarum sanctorum titulo veniunt BB. Godefridus et Gerlacus, propriam habentes orationem dumtaxat; B. Gilbertus, orationem, secretam et postcommunionem; B. Josephus Hermannus, totam Missam. Omissi BB. Fredericus, Gertrudis et Siardus.*

in Gallia etiam recedit-tur a Colbertina ordinatione. Stivagienses et Hohenburgenses obtinent a S. Sede facultatem celebrandi festa BB. Evermodi, Is-

15 *Interim in ipsa Gallia nuntius remittitur Colbertinæ liturgiæ, adeoque anno* 1709 *auctoritate Claudii Honorati Lucas, ordinis generalis præpositi, prodiit in lucem Præmonstratense Breviarium, pristinæ integritati restitutum ; atque iterum Virduni anno* 1725 *auctoritate capituli generalis; continetque corpori inserta septem beatorum Officia. Sed hic stare noluerunt Stivagienses in Lotharingia : quippe qui adie-*

(1) Dion. Albrecht, supprior residentiæ S. Odiliæ, Manuale canonicorum Præmonstratensium, cum facultate superiorum, Argentorati, 1742, p. 107, lit. F.

runt

fridi et Ludolfi; et cogitant de B. Ludovico Arnsteinia-no :

A *runt sedem apostolicam, postulantes ut sibi et Hohenburgensibus liceret quotannis celebrare BB. Evermodi, Isfridi et Ludolfi, episcoporum Raceburgensium, festivitatem; quin etiam cogitarunt de B.* Ludovico *Arnsteinio, ut inferius patebit.* Nos... Stavigienses, *inquit Hugo, Stavigiensis ipse abbas* (1),... SS. Evermodi et Isfridi, necnon S. Ludolphi... celebramus festa in ecclesia nostra Stivagiensi et filiali ejus Hohenburgensi, vulgo *S.* Odiliæ, ex concessione SS. D. N. Benedicti papæ XIII, de die 18 octobris 1725. Cujus concessionis en tibi subjicimus decretum; quod ad totum postea ordinem extendi impetravit R. P. Norbertus Mattens, (*religiosus Tungerloënsis, collegii Romani ordinis Præmonstratensis anniş* 1726, 1727 *et* 1728 *præses* (2),) procurator generalis et abbas S. Andreæ : « Sanctissimus dominus « noster Benedictus papa XIII benigne indul- « sit atque concessit, ut in monasterio Stiva- « giensi et in ejus filiali ecclesia Hohembur- « gensi a canonicis Præmonstratensibus, ibi « degentibus, officium cum suprascriptis le- « ctionibus II Nocturni (lectiones II Nocturni

B propriæ, ut moris est, decreto erant præmissæ) sancti Evermodi in ejus festivitate « in posterum recitari et Missa respective « celebrari possint et valeant. Die 18 octobris, « 1725. (Sic signatum :) Cardinalis Paulutius, « præses. (Et infra :) H. M. Tedeschi, archie- « piscopus Apamensis, S. R. C. secretarius. » Pro festis SS. Isfridi et Ludolphi eadem omnino sunt decreta, mutatis dumtaxat, propriis sanctorum nominibus.

anno 1728 illa facultas communis fit universo ordini.

16 *Anno* 1728 *universo ordini communis facta est hæc licentia; ut sequenti explicatur diplomate:* BENEDICTUS PAPA XIII AD FUTURAM REI MEMORIAM. Emanavit nuper ad supplicationem dilecti Filii Norberti Mattens, procuratoris generalis canonicorum regularium ordinis Præmonstratensis, a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. Romanæ ecclesiæ cardinalium, sacris ritibus præposita, decretum tenoris, qui sequitur, videlicet : « Ad « humillimas preces D. Norberti Mattens, pro- « curatoris generalis ordinis Præmonstraten- « sis, sacræ rituum congregationi porrectas « pro extensione Officiorum sanctorum EVER-

C « MODI, ISFRIDI episcoporum, ac LUDOLPHI epi- « scopi et martyris ejusdem ordinis, ad uni- « versum suum ordinem; illasque relatas; « sacra eadem rituum congregatio, inhærendo « concessioni, sub die 18 octobris 1725 a « sanctissimo D. N. BENEDICTO XIII mona- « sterio Stivagiensi ejusdemque ecclesiæ fi- « liali Hohemburgensi factæ, prædictorum « sanctorum Officia cum lectionibus II No- « cturni propriis in universo præfato ordine « in posterum recitari posse benigne indulsit « atque concessit. Die 20 martii 1728. N. car- « dinalis Coscia. N. M. Tedeschi, archiepi- « scopus Apamenus, sac. rit. congregationis « secretarius. Loco † sigilli. » Cum autem sicut dictus Norbertus, procurator generalis, nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nos ipsum Norbertum, procuratorem generalem, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, (siquibus quomodolibet innodatus existit,) ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine super hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum præinsertum authoritate apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis authoritate memoratæ congregationis cardinalium; decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus E super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12 aprilis 1728, pontificatus nostri anno IV. F. Card. OLIVERIUS.

AUCTORE V. D. B.

Quod decretum die 23 *julii anni sequentis simul cum novis Officiis publicari jussit Claudius. Honoratus Lucas, Præmonstratensis abbas et ordinis caput.*

Benedictus XIII universo ordini concedit facultatem celebrandi festa septem beatorum;

17 *Celebrabantur tum itaque a Præmonstratensibus præter S. Norbertum et duos martyres Gorcomienses beati decem, tres auctoritate apostolica, septem auctoritate propria. Ne vero hæc denuo convellerentur, ut ab abbate Colberto patratum erat, boni consultum est sanctam sedem adire, quam modo tam benignam experti erant Præmonstratenses. Accipe porro alterum Benedicti papæ XIII decretum:* BENEDICTUS PAPA XIII AD FUTURAM REI MEMORIAM. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, sacris ritibus præpositorum, ad supplicationem dilecti filii Norberti F Mattens, procuratoris generalis ordinis canonicorum regularium Præmonstratensium, decretum tenoris qui sequitur, videlicet : « Cum « ex parte Patris Norberti Mattens, ordinis « canonicorum regularium Præmonstraten- « sium procuratoris generalis, pro continua- « tione imposterum recitandi in universo suo « ordine Officia sanctorum, seu beatorum « ejusdem ordinis, scilicet B. Godefridi confes- « soris, S. Gilberti abbatis, B. Frederici ab- « batis, B. Hermanni Joseph confessoris, « S. Gerlaci eremitæ et confessoris, beatæ « Gertrudis virginis, et S. Siardi confessoris, « quæ a multo tempore in communi et anti- « quo dicti ordinis Breviario, prout asseritur, « inserta reperiuntur, necnon pro sanatione « omnium et singulorum defectuum in præ- « dicta insertione forsan incursorum sanctis- « simo D. N. Benedicto P. P. XIII humillime

(1) Annales Præmonstratenses, tom. II, col. 601. — (2) Heylen, Historische verhandeling over de Kempen, pag. 203 et seqq, edit. 1837.

supplicatum

AUCTORE V. D. B.

« supplicatum fuerit, Sanctitas Sua, quibus-
« cumque constitutionibus, ordinationibus et
« decretis, in contrarium quomodolibet dispo-
« nentibus, minime obstantibus, oratoris
« instantiis juxta petita benigne annuit. Die
« XXII januarii MDCCXXVIII. N. cardinalis Coscia.
« N. M. Tedeschi, archiepiscopus Apamenus,
« sacræ rituum congregationis secretarius.
« Loco † sigilli. »

quam publico decreto confirmat.

18 Cum autem, sicut dictus Norbertus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret : Nos, specialem ipsi Norberto gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum præ
B insertum auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus : salva tamen semper in præmissis authoritate prædictæ congregationis cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari ; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII martii MDCCXXVIII. Pontificatus nostri anno quarto. (*Et erat subsignatum*) : « F. card. Oliverius. » Romæ, typis Rev. Cameræ Apostolicæ 1728.

Nulla tamen intercessit singularis confirmatio cultus :

19 *Ubi probe considerandum est judicium intercessisse nullum de cultus antiquitate, neque formam, quæ in approbando cultu immemorabili observari solet, fuisse usurpatam; sed priori decreto concessum fuisse ut Officium in SS. Evermodi, Isfridi et Ludolfi recitari posset, et altero ut posset idem honor* continuari *in gratiam septem aliorum beatorum, quorum* Officia a multo tempore (*scilicet ab anno* 1675) in communi et antiquo (*primo nempe Colbertino*) dicti ordinis Breviario (prout asseritur) inserta reperiebantur. *Similem veniam fecit idem Benedictus XIII Cisterciensibus, ut in Commentario de S. Bernardo Calvonio, in hoc ipso tomo ad diem sequentem edito, apparebit; atque id quidem ab aliis quoque pontificibus aliquando factum esse pluribus ostendit Benedictus papa XIV* (1). *Verum considerandum est secundo loco Officia divina, concessa auctoritate Romani pontificis, sufficere pro casu excepto ab Urbanianis decretis, adeoque rationem aliquam habere beatificationis æquipollentis* (2). *Tertio consi-* D
derandum est plerumque, quum, omisso processu de approbando cultu immemorabili, licentia petitur recitandi Officium in honorem beatorum, qui hactenus tantam non habuerunt celebritatem, hanc fere semper initam fuisse viam, non quod manifestum esset eos centum annis ante Urbani papæ VIII decreta cultos fuisse, sed quod ad eos pertinebat alia exceptio, ab Urbano papa etiam stabilita et quæ per patrum virorumque sanctorum scripta *dicitur* (3) : *quæ ut exsistat,* oportet, *ait cardinalis Casanate* (4), patres de servo Dei mentionem fecisse ut de viro insignito speciali nota et gloria sanctitatis, referendo heroïcas servi Dei virtutes et (quod potius est) decessum in pace seu in gratia finalis perseverantiæ; *nequaquam tamen necesse est, ut Patres, quales SS. Athanasius, Augustinus, Basilius, Gregorii, Hieronymus, Joannes Chrysostomus et Leo, Dei servos a virtutibus deprædicent; sed, ut in causa B. Agnetis de Montepolitiano, probante Benedicto XIII, admissum est, sufficiunt testimonia, multo minoris auctoritatis, ut S. Catharinæ Senensis et S. Antonini* (5). *Et quidem, suadente Baronio,* E
multa in Martyrologium Romanum admissa sunt nomina, non quia ante diptychis sacris inserta essent aut annua festivitate aliisve ritibus sacris celebrarentur, sed quoniam eorum, ut loquitur Benedictus XIV (6), fiebat laudabilis a Patribus commemoratio, et signanter a S. Gregorio in Dialogis. *Porro, si æqui esse velimus, concedamus necesse est documenta, quibus nititur æstimatio sanctimoniæ eorum beatorum, quos Clemens XI a Cisterciensibus et Benedictus XIII a Præmonstratensibus, nullo instituto processu, passus est publice honorari, tantæ esse auctoritatis historicæ, quantæ libri S. Catharinæ Senensis, S. Antonini Florentini, Vitarum Patrum, Dialogorum S. Gregorii Magni et alii similes.*

quantum pateat quidve significet concessa facultas:

20 *Quarto demum consideranda sunt hæc utriusque decreti verba :* Salva tamen semper in præmissis authoritate memoratæ congregationis cardinalium. *Etenim, ut Benedictus XIV, agens de casibus exceptis ab Urbanianis decretis, monet* (7), ejusmodi brevibus... semper apponitur clausula : « Salva tamen etc. » ut ostendatur per novam confirmationem in forma brevis nihil rei additum fuisse pertinens F
ad ejus substantiam ; quæ idcirco semper, novis advenientibus circumstantiis, potest ab eadem sacra congregatione ad novum examen revocari ; verum additam tantum fuisse externam solemnitatem. *Et alibi de auctoritate beatificationum, quæ æquipollentes dici solent, disserens* : Servatio hæc, *ait* (8), auctoritatis congregationis sacrorum rituum ostendere videtur eosdem pontifices re vera cognovisse judicium, cultum permittens, nec esse infallibile, nec ad fidem pertinens ; cum sacræ congregationi liberum relinquant, nihil obstante approbatione indulgente ac permittente, novis supervenientibus fundamentis, ab eodem recedere. Uno verbo judicium, in beatificatione æquipollenti intercedens, innititur famæ, innititur antiquitati, innititur ut plurimum fundamentis seu indultis cultus, quidem non sine magna ratione, attamen causa judiciali

(1) De Canonizatione SS., lib. IV, part. II, cap. V, *per totum*. — (2) Ibid., lib. II, cap. XX, num. 13. — (3) Ibid., lib. II, cap. XIX, *per totum*. — (4) Ibid., cap. XIX, num. 10 *ex mss. card. Casanate*. — (5) Ibid., num. 5. — (6) Ibid., lib. IV, part. II, cap. XVII, num. 5. — (7) Ibid., lib. II, cap. XVII, num. 2. — (8) Ibid., lib. I, cap. XLII, num. 10.

jure

A jure non cognita factis; præterea non est præcipiens, sed permittens; non extremum, sed tamquam ad finem conducens. *Quæverba multo magis valent, quando processus nullus factus est, quo casus exceptus ab Urbanianis decretis demonstraretur. Verum in Belgium redeundum nobis est.*

quæ interea acta sint in circaria Brabantina.

21 *Abbates Brabantinos noluisse omnino cedere Colbertinis jussis dixi supra; quid deinde egerint, postquam Claudius Honoratus Lucas, universi ordinis gubernaculo appositus, Colbertinas novitates valere jussit et decreta pontificia de decem beatorum Officiis publice proposuit, fas est discere ex monito typographi ad candidum lectorem, quod est in capite libri, cujus titulus :* Officia sanctorum seu beatorum sacri et canonici ordinis Præmonstratensis nova et antiqua; item tria Officia ex novissimis Breviariis ordinis; item Officia propria circariæ Brabantiæ; superiorum permissu edita Antverpiæ apud Hieronymum Verdussen, 1730. *Ecce illud monitum :* TYPOGRAPHUS CANDIDO LECTORI. Ex præambulo ad Directoria de annis 1727 et 1728 vidisti, benevole lector, Supplementa Breviarii Præmonstratensis, quæ ab anno 1700 usque
B tunc in manibus fuerant, cum novis suis Officiis novisque rubricis, per illa in circariam Brabantiæ invectis, esse abrogata, atque Breviarium Præmonstratense pure et simpliciter quoad Officia omnesque rubricas suæ integritati esse restitutum, ac in circaria Brabantiæ observandum; adeoque etiam rejecto Breviario, quod titulum præfert reverendissimi domini Michaelis Colbert generalis de anno 1698, retinendum et sequendum esse Breviarium moderni ordinis generalis reverendissimi domini Claudii Honorati Lucas, editum anno 1709, quod non solum conforme est omnibus antiquis ordinis Breviariis, sed etiam cum authoritate capituli generalis habiti anno 1717 reimpressum est anno 1725 : sed quia incommodum tibi est, imo pene impossibile, magnum istud Breviarium itinerando, aut forte etiam ad partes acatholicas vicinas divertendo circumferre, optasti plurimum, ut nova Officia, dicto Breviario inserta, SS. Clotildis, Claudii et Leopoldi, atque similiter tria
C nova Officia SS. Evermodi, Ludolphi et Isfridi, quæ ex mandato reverendissimi domini generalis, annuente summo pontifice Benedicto XIII, jam ab aliquot mensibus prodierunt, ac omnibus ad horas canonicas rite legendas necessaria sunt, optasti, inquam, ut in minori forma vellem prædicta Officia typis edere; neque hoc solum, sed ulterius desiderasti, ut ob easdem rationes supradictas etiam Officium Conversionis S. Patris Augustini, BB. Adriani et Jacobi, sociorumque eorum, martyrum Gorcomiensium, et similiter Officia aliorum sanctorum seu beatorum ordinis Præmonstratensis, scilicet Godefridi, Gilberti, Frederici, Hermanni Joseph, Gerlaci, Gertrudis et Siardi, vellem in minori forma typis communicare, attento, quod sua sanctitas Benedictus XIII prædictorum sanctorum seu beatorum cultum Officiorumque lectionem jam nuperrime ad totum ordinem Præmonstratensem extendere dignatus sit. Verum cum ab antiquo circaria Brabantiæ, erga B. M. V. ordinis patronam pie affecta, specialiter coluerit, et etiamnum colat quatuor illius festa, nimirum Desponsationis, septem Dolorum, Rosarii et Patrocinii; atque etiam præterea Festum Triumphi S. Norberti de hæresi Tanchelini, hinc est quod prioribus istis Officiis hic etiam in eadem forma junxerim præfata quinque Officia, etiamsi non paris omnino sint obligationis cum prioribus; adeoque habes hic etiam, quidquid in supramemoratis crassæ molis supplementis non est abrogatum, ita ut pro debita, simul et commoda officii canonici persolutione nil ultra desiderari valeat. Nota autem, quod omnia festa, quorum Officia hic habes impressa, suis respective locis inserta sint Directorio horarum ad usum circariæ Brabantiæ.

AUCTORE V. D. B.

Fata Breviarii Præmonstratensis sæculo XVIII.

22 *Certa itaque lege inscripta sunt kalendario Præmonstratensi decem illa beatorum nomina; veruntamen singulis suis certa non mansit sedes. Libris liturgicis, ab abbate Præmonstratensi ordinisque generali, Claudio Honorato Lucas, illatæ quidem fuerunt immutationes aliquot, sed non gravissimæ, quibus veteres ritus turbarentur: ut colligo ex Missali,* E *quod anno* 1735 *excudi jussit, et ex Breviario, quod auctoritate capituli generalis anni* 1741 *editum est, atque dein Bruxellis jussu vicariorum generalium per circarias tum Brabantiæ et Frisiæ, tum Flandriæ et Floreffiæ anno* 1768 *prodiit et nunc etiam a Præmonstratensibus Belgis usurpatur. Ut enim ex literis, Missali illi præmissis, liquet, multi (ni fallor, Galli) adeoque omnes fere circariæ tunc temporis jam votis ardentibus expetebant ut* nova editio *Breviarii Præmonstratensis* modernorum Breviariorum dispositioni conformaretur; *sed prudentissimus Lucas, qui oculis perspexerat quanta labes ordinis unitati per inductos a Colberto novos ritus inserta esset, non siverat* immutari *nisi* pauca et sine notabili alteratione. *Verum, quum Joannes Baptista L'Écuy Præmonstratense abbatiale pedum accepit, alia plane via tentata est, consentientibus capitulis nationalibus annorum* 1779 *et* 1782; *et negotium commissum Remaclo Lissoir, abbati Vallis Dei, commendato a rerum liturgicarum peritia* (1), *sed viro ingenii parum stabilis, quippe qui paulo post epitomen gallicam librorum Febronii ediderit, et* F *schismati gallicano ita adhæserit ut sacramento se obligaverit constitutioni civili cleri, in Sedanensem parochiam se intrudi passus sit et conciliabulo Parisiensi anni* 1796 *interfuerit* (2). *Verumtamen, ut verbis utar Joannis Baptistæ L'Écuy in literis præliminaribus,* nec fas nobis est prætermittere virum quemdam insignem, curiæ Romanæ prælatum, rituum congregationi adscriptum et ordini Præmonstratensi addictissimum, illustrissimum DD. comitem Castracane, qui calendarium et rubricas attente perlegit eaque manu censoria retractavit; *ita ut tum non videantur novi ritus Gallicani vehementer displicuisse S. R. C. alumnis. Atque id etiam concedendum est novum hoc Breviarium, maxime ad exemplar Breviarii SS. Vitoni et Hidulphi dispositum, laude non carere, sive pietatem cum doctrina conjunctam quæras, sive symmetriam cum varietate. Verum iis, qui*

(1) Cfr Literæ L'Écuy ante partem vernam. — (2) Bouillot, Biographie ardennaise, t. II, p. 106, ap. D. Guéranger, Institutions liturgiques, 1841, t. II, p. 582.

hanc

AUCTORE V. D. B.

hanc promovebant molem, plane perspectum erat numquam fore ut exteræ circariæ in hanc omnium consuetudinum eversionem consentirent; quare in capitulis nationalibus negotium id perfecerant : quibus imprudentissimis ausis id assecuti sunt ut deinceps in capitulo generali de rebus liturgicis (de quibus ante fere semper aliquid quærebatur) neque agi, neque definiri quidquam amplius posset; ut circariæ gallicæ singulare corpus conficerent; et ut exteræ domus sibi singulæ providere deinceps deberent : quo omne ordinis vinculum solutum est.

Kalendaria C. H. Lucas et J. B. L'Ecuy, ordinis generalium.

23 *Sed utriusque kalendarii pars danda est quæ ad argumentum nostrum pertineat.* A. Abbas; C. Confessor; D. Duplex; D. Ma. Duplex majus; D. Mi. Duplex minus; Ep. Episcopus; Er. Eremita; J. Justus; M. Martyr; S. Ma. Solemne majus; S. Mi. Solemne minus; P. Presbyter; Tr. Triplex; V. Virgo.

EX KALENDARIIS

C. H. LUCAS	J. B. L'ÉCUY
JANUARIUS.	
B 16 Godefridi, C., *D. Ma.*	16 Godefridi, J., *D. Mi.*
FEBRUARIUS.	
4 Gilberti, A., *D. Ma.*	
17 Evermodi, Ep., *D.*	17 Evermodi, Ep., *D. Ma.*
MARTIUS.	
3 Frederici, A., *D. Ma.*	
29 Ludolphi, Ep., *M. D.*	
APRILIS.	
	5 Hermanni-Jos., P., *D. Mi.*
7 Hermanni-Jos., C., *D. Ma.*	
	22 Gerlaci, Er., *S. D.*
MAJUS.	
2 Transl. S. Norb., *Tr.*	
Fer. II *Asc.* Gerlaci, C., *D. Ma.*	
	25 Frederici, A., *D. Ma.*
JUNIUS.	
	6 Transl. S. Norb., *S. Mi.*
	7 Gilberti, A., *D. Ma.*
15 Isfridi, Ep., *D.*	15 Isfridi, Ep., *D. Ma.*
JULIUS.	
9 Adriani et Jacobi MM. *D. Ma.*	9 Adriani et Jacobi MM. *D Ma.*
11 Norberti, Archiep., *Tr.*	11 Norberti, Ep., *S. Ma.*
AUGUSTUS.	
15 Gertrudis, V., *D. Ma.*	15 Gertrudis, V., *D. Ma.*
OCTOBER.	
	15 Ludolphi, Ep et M., *D Ma.*
NOVEMBER.	
C	15 Siardi, A., *D. Ma.*
17 Siardi, A., *D. Ma.*	

S. Gilberti festi mutatio; B. Bronislaviæ cultus approbatio novissima.

24 *Quare S. Gilberti natalis adscriptus fuerit diei 4 februarii dictum est supra num.* 13. *Eum celebrabat ecclesia Claromontana die* 6 *junii, qua e vivis recessit beatus vir et ad quam de eo dixerunt in opere nostro decessores. Saussayus et Christophorus Vander Sterre laudarant eum ad diem* 3 *octobris. Contra monasterium Novemfontium in agro Claromontano, ubi beatus vir primus abbas fuerat, agebat ejus festivitatem die* 24 *octobris, qua ejus corpus anno* 1615 *inventum et honorificentissime translatum fuerat. Quas varietates ut de medio tolleret, capitulum generale anni* 1738 *decrevit sessione* VIII Officium S. Gilberti transferendum et celebrandum in posterum esse die 24 octobris, quo sacræ ejus exuviæ sunt elevatæ : *quam legem adhuc servant Præmonstratenses Belgæ, Germani et Hungari; L'Écuy contra et novi Breviarii auctores eam plane non curarunt.—Omnibus autem illis cælitibus, a sede apostolica agnitis, accessit anno* 1839 *B. Bronislavia, quæ die* 29 *augusti anni* 1259 *in Cracoviensi ordinis* D *Præmonstratensis parthenone quietem perpetuam invenit et cujus immemorabilem cultum S. R. C. illo anno probavit et confirmavit, permittens ut in diœcesi Cracoviensi et ibidem a monialibus Præmonstratensibus ejus festum cum Missa et lectionibus II Nocturni propriis ageretur : verum alii Præmonstratenses nondum petierunt ut hæc gratia sibi communis esset. Atque hæc est origo et incrementum cultus liturgici sanctorum et beatorum ordinis Præmonstratensis; quæ partim collegi ex supellectile nostra liturgica, maxime vero ex monumentis, quæ mecum communicavit ven. vir J. M. Dillen, bibliothecarius Parcensis, et diligentissimus rerum Præmonstratensium indagator.*

§ I. Continuo post mortem B. Ludovicum cælitibus accensitum fuisse.

Inter beatos Præmonstratenses recensendus est B. Ludovicus,

E*x his autem, quæ hactenus enarravimus, facile intelliget lector quantis difficultatibus implicita sit quæstio utrum ii præclari viri, qui ante omnem hominum memoriam a Præmonstratensibus* sancti *aut* beati *vocantur, sed cultu liturgico (differt enim his ab ecclesiastico, multo latius patente,) careni, a nobis, qui jubemur in hac parte diligentes et accurati esse, censeri possint* æquipollenter beatificati *et* sancti *aut* beati *appellari. Affirmanter respondendum visum est Papebrochio; aliter iis, qui post eum venerunt, adeo ut noluerint etiam eis, qui ab Hispanis colebantur, locum dare in Actis nostris, nisi sedes apostolica confirmasset eorum cultum. Equidem putem Papebrochium propius accessisse ad Romanorum pontificum mentem, quantum hæc ex Clementis XI, Benedicti XIII aliorumque decretis colligi potest; et proinde antiquiores et celebriores omnes legitime posse* beatos *nuncupari; quos inter profecto venire* Ludovicum *Arnsteinium. Ut autem judicare possit ipse lector an sæculorum judicio jam pridem in sanctorum et beatorum album relatus fuerit comes* Ludovicus, *quæ in utramque partem valere videantur, hoc paragrapho referam.*

quoniam ejus Vita tamquam viri sancti scripta est,

26 *Considerandum imprimis est ejus Vitam, non secus ac sancti viri, brevi post mortem conscriptam fuisse. In prologo profitetur auctor se* comitis Ludewici, viri per omnia virtuosi, parentes, ortum, in sancta professione progressum et felicem in Christo transitum, etsi non aureis, tetris tamen literis exoraturum. *Ubi vero mortem ejus describit :* Totus, *ait,* cælestium flagrans desiderio, valedicens omnibus, octavo kalendas novembris, lætantibus angelis, plenam felicibus meritis animam transmisit ad Christum. *Lege quæ dein de ejus sepultura narrat, tam præclara utique et solemni, ut plerorumque sanctorum tam splendida non fuerit. Epilogus etiam observandus est :* Accipe jam, lector, *inquit biographus,* brevem et simplicem paginam, tanti viri virtutibus imparem... Date, fratres et domini, date, precor, veniam; et quid tantis cineribus debeatis vigilanter advertite. Ne, quæso, pro nihilo terram desiderabilem habeatis, ne, unde gratiam et meritum, inde teneamini pœnas et supplicia reportare... Non ergo simus ingrati de tanto beneficio, ut ejus nobis patrocinetur oratio.

A oratio. *Demum in epitaphio dicitur venerandus vir* rosa vernalis, quæ sub alis seraphin plena est majestate Dei. *Quod vero beati* Ludovici *Vita eo plane modo conscripta est, quo reliquæ legendariis seu libris choralibus insertæ, res adeo manifesta est ut non fugerit sagacissimum Helfricum Bernhardum Wenckium, professione protestantem et domus Hassiæ historicum :* Ludovicus, *inquit* (1), magna pietatis fama diem obiit. Quæ res, juncta cum solita monasteriorum veneratione in fundatores suos, causa fuit ut initio sæculi XIII Arnsteinianus religiosus Vitam sancti scripserit : Dieses, und die gewönhliche Ehrfurcht der Klöster gegen ihre Stifter, erweckte im Anfang des dreizehnten Jahrhunderts einen Mönch des nemlichen Klösters, das Leben des Heiligen zu schreiben. *Nil itaque mirum, si in altero codice Musæi Britannici Vitis sanctorum adjuncta sit. Quo quum Gamansius usus fuisse videatur, se hanc Vitam editurum esse scripsit,* prout eam repererat in antiquissimo ms. post Vitas sanctorum.

licet pro more germanico hæc appellatio in titulo omissa sit;

27 *Re quidem vera* beati *appellatio in lucubrationis titulo venerabili viro non tribuitur : In codice enim illo Gamansii primario hæc præmissa erant verba :* Incipit prologus gestorum comitis Ludovici, fundatoris nostri. *In alio exemplari reperit Blanpinius et Kremerus hoc initium :* Incipit Opusculum seu Vita Ludovici, quondam comitis in Arnstein et fundatoris nostri. Prologus... Vita præfati comitis Ludovici in Arnstein... In fine : Epitaphium Ludovici comitis et fundatoris in Arnstein. *In codice autem, quo usus est Browerus, is erat titulus :* Incipit Opusculum gestorum comitis Lodewici, fundatoris;. *finis vero :* Explicit opusculum gestorum comitis Ludewici, fundatoris nostri. *Demum inscriptio libri ms., quo usus est Böhmerus, hæc erat:* Incipit opusculum gestorum comitis Lodewici, fundatoris nostri. *Quibus adde in versione germanica sæculi* XV *(ut mihi ex illustrissimi Limburgensis episcopi literis constat) sancti titulum abesse, et similiter in Vitis sanctorum et virorum sanctitate insignium ordinis Præmonstratensis, quas anno* 1753 *Varsoviæ in folio polonice edidit Antonius Josephus Daniel Kraszewski, abbas Vitoviensis* (2). *Verum animadvertendum est in Germaniæ partibus a priscis librariis sanctitatis laudem non aliis adscribi consuevisse ac sanctis antiquioribus aut a sancta sede solemniter canonizatis; aliis vero, licet plane in sanctorum numero haberentur, nequaquam hanc laudem datam fuisse; quin etiam in nonnullis codicibus legi* Vitam Oudalrici *etc., licet brevi post mortem a romano pontifice legitimo decreto inter sanctos relatus fuerit. Sed quid his immoror? Percurre Pertzii Monumenta Germaniæ, in quibus veteres codices accurate repræsentantur : multas ibi obvias habebis sanctorum Vitas sæculi* X *et sequentium; raro* sanctos *aut* beatos *eos dictos reperies.*

C

sed quum sæculo XVIII *et deinceps edita est, honestatus fuit beatus vir hac appellatione.*

28 *Quum autem sæculo* XVII *alii prorsus essent mores, pronum erat ut Browerus in Sideribus suis, quemadmodum illic S. Meinwercum, episcopum Paderbornensem, et S. Eigilem, quartum abbatem Fuldensem,* beatæ memoriæ *et* sanctos *appellavit (licet in antiquis Vitarum exemplaribus hæ appellationes abessent), sic quoque venerabilem comitem* Ludovicum *eisdem laudibus ornaret. In elencho itaque eorum, quæ Sideribus illis continentur, illos trinos dixit* b. m. *seu* beatæ memoriæ; *similiter in singulari B.* Ludovici *Vitæ titulo, licet simili loco nude Meinwercum et Eigilem, omni sanctitatis laude omissa, dixisset,* Vitam et conversionem B. M. comitis Ludewici *scripsit; demum, ut in supremo margine* S. Meinwercum *scripsit et* S. Eigilem, *sic quoque* S. comitem Ludewicum Arnsteinium. *Omnes itaque tres eodem ordine habuit et conditione; et quum tunc temporis SS. Meinwerci et Eigilis cultus certus esset, proculdubio favet maximopere B.* Ludovico *ille scribendi modus Broweri, viri doctissimi, prudentissimi, sanctissimique. Non aliter Joannes Lepaige, qui in Præmonstratensis ordinis bibliotheca B.* Ludovici *actis pro titulo inscripsit.* Vitam beati Ludewici, comitis Arnsteinii, fundatoris abbatiæ Arnstein, Præmonstratensis ordinis, Trevirensis diœcesis, et in ea fratris (ut vocant) conversi; necnon beatæ Gudæ, E beati Ludewici conjugis clarissimæ, in ea sanctimonialis, et beati Godefridi, ejusdem Arnsteinii cœnobii primi abbatis, ex ejusdem monasterii et ordinis ms. codicibus et ex Sideribus illustrium et sanctorum virorum R. P. Browerii, societatis Jesu presbyteri, eruta et prolata; *neque contentus fuit Pagius B.* Ludovicum *in Vitæ titulo* beatum *appellare, sed in margine ubique eadem laude eum ornavit; quin etiam Vitæ textum pluribus locis mutavit ut venerabilem virum* beatum Ludovicum *diceret. Gamansius autem noster, qui in sanctorum gestis eruderandis plurimum sudavit, operamque suam elucidandæ B.* Ludovici *Vitæ solerter impendit, passim in scriptis suis eum B.* Ludovicum *nuncupavit; et similiter Arnsteinienses, qui ad eum de fundatore suo dederunt literas, semper eum* beatum Ludovicum *appellant. Hunc autem titulum Vitæ paraverat :* Conversio et fundatio beatorum Ludovici generosi et Gudæ comitum, conjugum, conversorum et fundatorum insignis ecclesiæ canonicalis ordinis Præmonstratensis in Arenstein, prout eam reperi in antiquissimo ms. post Vitas F sanctorum a quodam illius et ipsi coætaneo in conversione filio, vel ad minus non longe post converso, qui beati patris sui exemplo humilis latere nomenque supprimere voluit : hanc verbotenus, ut sequitur, accipe.

Paratur ejus Vita ut obtineatur licentia recitandi officii in ejus honorem.

29 *Carolus Ludovicus Hugo, a quo beati comitis Vitam etiam editam fuisse dixi, eam tum in titulo universi libri, tum in fronte ipsius lucubratiunculæ* (3) *appellavit* Vitam beati Ludovici, comitis de Arnstein. *Similiter in Annalibus ordinis Præmonstratensis* (4) *septies ven. virum nuncupavit* beatum Ludovicum. *Multo autem magis consideranda sunt, quæ in præfatione de B.* Ludovici *Vita ab Hugone dicuntur :* Vitam, *ait editor,* beati Ludovici, comitis Arnstenii, a Pagio * nostro in Bibliotheca Præmonstratensi jejune olim editam et nævis lacunisque mendosam, restituimus ex

* Le Paige

(1) Katzenelenbogische Geschichte, pag. 224. — (2) Zycie SS. y w nadziei zesslych Slug Boskich Zakonu Premonstratenskiego, Pazdziernik, pag. 178 et seqq. — (3) Sacræ antiquitatis monumenta, t. II, p. 34. — (4) Annales, t. I, p. 202 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

autographo,

AUCTORE V. D. B.

authographo, et notis instructam evulgamus, qualem paraverat P. Blanpinius, ad instantiam reverendissimi domini Norberti Mattensii, abbatis Fontis-Andreæ et totius ordinis nostri procuratoris generalis in curia Romana, offerendam sanctæ memoriæ Benedicto XIII, summo pontifici, quo tutius, inspectis tabulis, procederet ad conscriptionem comitis in beatorum numerum. *Ex quibus liquet sub initio sæculi* XVIII *serio cogitatum fuisse de impetrandis ab auctoritate apostolica B.* Ludovico *cælitum honoribus : quod fieri poterat, ut supra diximus, vel concessione officii, vel confirmatione cultus immemorabilis, vel processu beatificationis ordinario. Sed contendissent procul dubio Stivagienses B.* Ludovici *nomen conjungere cum BB. Evermodi, Isfridi et Ludolphi, et ut in horum laudem, sic etiam in ejus honorem officii recitandi potestatem impetrare; quæ via omnium erat brevissima et illo tempore, ut vidimus, certissime usitata, etiamsi non alia aliquando exsisterent cultus indicia, quam quod venerabilis eorum memoria religiose per Vitas eorum, jam pridem conscriptas, ad hanc diem* B *propogata esset. Verumtamen Vita, a Blanpinio parata, Romam numquam missa est, neque Mattensius consilia sua duxit ad exitum; quod forte ocius in Belgium revocatus est.*

Antiquissima venerationis testimonia.

30 *Quamcumque autem iniissent viam, spem non fefellisset eventus, quoniam non ex Vita tantum, sed etiam ex aliis monumentis ostendi poterat eum semper et multo plus centum annis ante Urbani papæ VIII decreta publice habitum fuisse in cælis regnare. Etenim in diplomate Gummersheimensi anni* 1263, *quod inferius integrum recitabo, appellatur beatus vir* sanctæ memoriæ Ludovicus comes; *et in Necrologio abbatiæ Arnsteinianæ, in quo nulli scripti sunt post annum* 1426, *leguntur ad diem* 28 (25?) *octobris sequentia* (1) : Anno gratiæ 1185 beatæ memoriæ venerabilis Lodowicus, comes et conversus, fundator ecclesiæ hujus in Arnstein, necnon ecclesiarum videlicet monasterii Beselich, Enckenbach et Vallis S. Mariæ feliciter migravit ad Christum : *ubi animadverte neminem alium illic dici* beatæ memoriæ, venerabilem, feliciter migrasse ad Christum. *Similiter in Chronico Arnsteiniano, quod Luwandus canonicus ante mortem B.* Ludovici *incohavit, ubi* C *venit ad annum* 1185 : Ludewicus comes, *inquit* (2), et conversus, fundator hujus ecclesiæ aliarumque monialium, feliciter obiit; *quum omisso vocabulo* feliciter *ad annum* 1080 *scribat* : Eustachius, abbas secundus, obiit; *et ad annum* 1196 : Richolfus abbas obiit. *Similiter in diplomate anni* 1235 (3) felicis memoriæ comes Ludewicus *legitur*.

Inscriptum est B. Ludovici *nomen fastis sacris ordinis Præmonstratensis et Coloniæ.*

31 *Strata itaque via erat ut, quum Præmonstratenses cœperunt beatos suos certis inscribere diebus, B.* Ludovici *nomini locus fieret. Porro in menologio seu Natalibus sanctorum candidissimi ordinis Præmonstratensis, quos anno* 1625 *publicabat Joannes Baptista Van der Sterre, abbatiæ S. Michaelis jam laudatus prior, legitur ad hanc diem :* In cœnobio Gummerscheym natalis B. comitis Ludwici, conversi ordinis Præmonstratensis et fundatoris cœnobii Arnsteinii, juxta Loganam in Westerwaldia siti. Qui, postpositis sæculi pompis ignominiæ D crucis Christi, cum in regulari vita complures insigni pietate transegisset annos, totus cœlestium flagrans desiderio, omnibus valedicens, lætantibus angelis, plenam felicibus meritis animam transmisit ad Christum. *Non aliter Georgius Lienhart, abbas Roggenburgensis in Suevia, qui anno* 1764 *decreto capitulari Circariæ Suevicæ in lucem dedit Ephemerides hagiologicas ordinis Præmonstratensis, ad diem* 25 *octobris his verbis venerabilem Ludovicum prosecutus est :* In monasterio Arnsteiniano natalis B. Ludewici, comitis de Arnstein. Ut sanguine ita sanctitate B. Ottoni diacono, prædiis ditissimo, nobili ac generosa Saxonum prosapia descendenti, propinquo suo consanguineo B. Ludewicus suam conversionem, ordo noster novum gratus adscribit surculum. *Præcipua dein B.* Ludovici *gesta compendio referuntur; scilicet :* Istius, amore Jesu Christi larga prædia amplissimasque abdicantis facultates, ac monasterium, Gratia Dei nuncupatum, fundantis provocatus exemplo, et potentissimis persuasus hortatibus, E generoso ausu se quoque Deo per vitam religiosam ac castrum suum divino cultui consecrat. Memor promissi, a Salvatore facti, quod qui uxorem propter nomen ejus reliquerit, centuplum sit recepturus, amatæ conjugi Gudæ vale, et religioni dixit ave. Ut nudus nudum Christum sequeretur, sæculi divitias, fumosos majorum titulos honoresque abjecit. Omnibus renunciatis ac semetipso abnegato, ex summa et vere stupenda humilitate elegit abjectus esse in domo Dei sui, humilis factus conversus. Quo in statu lectioni, orationi et divinarum rerum contemplationi, eleemosynis aliisque caritatis, misericordiæ ac compassionis erga pauperes et viduas, (quibus et victum sæpe latenter et amictum per humeros quasi furtive dimisit) jugiter intentus operibus, complures egit annos. Cum vero de licentia abbatis pro more suo ecclesias, a se fundatas, sollicite visitasset, et ad cœnobium virginum Gummersheim devenisset, in febrim incidit. Morbo ingravescente et viribus corporis deficientibus, mature omnibus morituri entium sacramentis probe munitus, totus F cælestium flagrans desiderio, omnibus vale dicens lætantibus angelis, plenam felicibus meritis animam hac die transmisit ad Christum. *Quin etiam in fastis Coloniensibus Gelenii, qui anno* 1645 *cum reliquis laudibus seu Magnitudine Coloniæ in publicum iverunt, ad præsentem diem hæc veniunt* (4) : B. Lodvici, ordinis Præmonstratensis canonici, ex comitibus de Arnstein, cujus mater erat burgravia sive castrensis comes de Odenkircha, ministerialis archiepiscoporum Coloniensium.

Imagines B. Ludovici; *cujus tamen cultus parcissimus erat Arnsteinii,*

32 *Nec quidquam in ordine Præmonstratensi a pluribus sæculis firmius fuit quam ut Arnsteinianum fundatorem beatis accenserent : quam obrem imago etiam ejus apparet in arbore Ninoviensi, quam antea n.* 7 *explicui et ubi* beatus *dicitur et caput gloriosis radiis circumdatum gerit. Contra (nam nihil occultare velim) in imaginibus B.* Ludovici *ejusque uxoris Gudæ, quæ alteri codici Idsteiniano insertæ sunt, absunt*

(1) Ap. Kremer, Origines Nassavicæ, t. II, p. 411. — (2) Ap. Böhmer, Fontes rerum Germanicarum, t. III, p. LI. — (3) Gudenus, Codex diplomaticus, t. II, p. 69. — (4) De Coloniæ magnitudine, p. 734.

(*ut*

A (*ut ad me rescribendum curavit Ill. Episcopus Limburgensis*) *radii et aureola a capitibus. Verumtamen sunt et alia nonnulla, quæ in aliam partem omnino vergere videntur: scilicet, quum Gamansius ineunte anno* 1672 *ad abbatem Arnsteinianum literas dedisset, quibus inter alia multa interrogabat de sepulcro B.* Ludovici, *quem ex Vita ante aram S. Nicolaï humatum fuisse noverat, deque imaginibns aliisque id genus, respondit Wilhelmus Priester, professus in Arnstein, nomine abbatis sui :* In lapide excisa hujusmodi scriptura apparet : ANNO DNI MCCCLIX WALBURGIS CEPIT DOMINUS WILHELMUS ABBAS REEDIFICARE ECCLESIAM. CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. AMEN... Wilhelmus a Staffel, abbas ante nominatus, in reædificatione ecclesiæ formam mutavit structuramque adauxit in longitudine binis altis turribus cum sanctuario ex fundamento quidem. A latere aquilonis turris aram habet, scilicet apostolorum Petri et Pauli. Ante hanc aram epitaphium prædicti Wilhelmi abbatis cernitur. Neque fundatoris aut conjugis, neque primorum aut posteriorum abbatum aliud epita-
B phium; nullæ fabricæ, sculpturæ, picturæ, descriptiones, inscriptiones, insignia nulla... Cæterum obiter significamus R. A. P. Jacobum Masenium Societatis Jesu annis abhinc tribus circiter apud nos in Arnstein coram inspexisse et annotasse memorabilia quæcumque pro exornanda sua Trevirensi historia. *Verumtamen, qui has literas scripsit,* beatum Ludovicum *vocat pientissimum fundatorem; unde videatur, quod diximus, is titulus nomini ejus apud Arnsteinianos adhæsisse.*

neque nunc ad Rhenum viget. 33 *Nihilominus fatendum est Masenium ex his, quæ coram illic vidit, nequaquam inductum fuisse ad eamdem laudem dandam B.* Ludovico, *adeoque eum nude appellare* Ludovicum comitem Arensteinium (1); *et in Annalibus Trevirensibus* (2) (*nam hic quoque locus Masenii est*) *abstinere similiter a sancti aut beati appellatione, contentum eum magnifice laudare :* Inter hæc, *inquit, Ludovicus*, comes Arensteinius octavo kalend. novembris decessit, vir cum ob incredibilem ac summam in Deum pietatem et religionem, tum egregium pudicitiæ et rerum cælestium studium, quo conjuge flo-
C renti ætate, opibus atque eximiis honorum titulis in Christi gratiam spretis, æternum sibi decus peperit, cælo terraque memorandus. *Quæ tamen verba appellationibus* beati *et* sancti *æquivalent. Deinde qui in sanctos Trevirenses quam solertissime inquisiverunt, Hontheimius, auctor Brevis historiæ cultus sanctorum Trevirensium domesticis monumentis stabilitæ* (3), *et anonymus presbyter Trevirensis, qui anno* 1837 *Vitas et acta sanctorum Trevirensium* (4) *vernacule edidit, omittunt omnino B.* Ludovici *nomen; verumtamen, quum eis solum propositum fuerit de iis sanctis agere, qui officio liturgico culti fuere aut coluntur, non magni momenti est eorum silentium. Præterea Franciscus Xaverius Remling, parochus in Hambach, qui eximia diligentia historiam monasteriorum Bavariæ Rhenanæ conscripsit, passim quidem laudat comitem* Ludovicum, *quod* sanctimoniæ fama floruit (5) *et* in odore sanctitatis mortuus est (6), *sed neque* beatum *nuncupat, neque* sanctum. *Ven. vir J. Marx, historiæ ecclesiasticæ in seminario Trevirensi lector, eamdem inivit viam; plurimum laudans comitem* Ludovicum, *nuspiam tamen* sanctum *vocans aut* beatum (7). *Accedit quod ille idem Hontheimius, repetens Broweri editionem Vitæ B.* Ludovici *solosque locos communes omittens, consilio abstinuit ab adornando pientissimo viro sanctitatis laude, et in ipso fronte scripsit :* Ex Vita Ludovici, comitis et fundatoris in Arnstein, a scriptore prope æquali sæculi XII. AUCTORE V. D. B.

Quod tamen non impedit quin beatis accenseri possit ven. vir. 34 *Recentiores itaque minime consentiunt in referendo inter sanctos aut beatos B.* Ludovicum ; *sed hoc passim observatur quod, quando beati aut sancti officio liturgico non coluntur, complures abstinent a beatitudinis aut sanctitatis titulo : ut in positionibus de approbatione cultus immemorabilis frequenter occurrit, quin quidpiam inde exsurgat adversum beatorum jura, aliis nixa testimoniis : et quidem, si ea memoria teneantur quæ sparsim hoc paragrapho retulimus, non potest non esse manifestum continuo* E *post mortem B.* Ludovicum *a pientissimis suis sodalibus in sanctorum consortio habitum fuisse; quæ de ejus sanctimonia opinio ita ad hanc usque diem perseveravit ut casus exceptus adesse videatur, qui, ut supra explicuimus,* per Patrum scripta *dici solet et ut nil obstare censendum sit quin officii ejus annua recitatio, eodem jure, quo reliquorum beatorum Præmonstratensium, a sancta sede impetretur; multoque minus nobis liceat locum denegare beatissimo viro in his nostris Actis sanctorum. Accedunt instrumenta publica, ante et post decreta Urbani VIII edita, quibus laudibus effertur, quas non nisi sanctis et beatis tribui sinit ecclesia. Quodsi quid tamen desit, exemplo Papebrochii, B. Eberhardi præpositi Marchtallensis gesta inter Acta sanctorum edituri* (8), *profitebimur* dandum aliquid summæ ac pene nimiæ antiquorum Præmonstratensium hac in parte modestiæ; ne paucis illis, quos accepta a majoribus traditio constanter beatos prædicat, subtrahamus titulum beati. *Dicemus itaque de beato* Ludovico, *postquam ejus Vitæ, præcipui ejus gestorum fontis, merita, codices* F *et editiones recensuerimus.*

§ II. B. Ludovici Vita, codices, editiones.

Scripta fuit B. Ludovici *Vita non multo post mortem a canonico Arnsteiniano, qui videtur fuisse Luwandus;* Scripta *ejus Vita fuit non multo post mortem, id est inter diem* 1 *februarii anni* 1198, *qua die Valeramus, comes Nassaviensis, e vivis recessit* (9), *et annum* 1235, *quo circiter filius ejus Rubertus ad aliam item migravit vitam* (10). *Id enim colligitur ex capite* I, *ubi hæc occurrunt :* Rubertus, frater Arnoldi, pater exstitit comitis Valerami; cujus filii sunt Henricus et Rubertus, NUNC comites. *Scriptorem fuisse canonicum Arnsteinianum consentiunt omnes et universi opusculi clamat indoles. Ad novum cœnobium non accessit nisi post annum* 1151,

(1) Epitome annalium Trevirensium, pag. 396 et 397. — (2) Lib. XIV, num. 180, tom. I, pag. 81. — (3) Prodromus Hist. Trevir. part. I, pag. 357 et seqq. — (4)Leben und Thaten der Heiligen, deren Andenken besonders im Bisthum Trier gefeiert wird, Trier 1837. — (5) Geschichte der Abteien in Rheinbayern, tom. II, p. 105. — (6) Ibid. pag. 139. (7) Geschichte des Erzstifts Trier, tom. II, part. II, pag. 186. — (8) Acta SS. tom. II Aprilis, pag. 502. — (9) Kremer, Origines Nassavicæ, tom. I, p. 382. — (10) Ibid., p. 429.

utpote

AUCTORE V. D. B.

utpote qui non noverit Godefridum I abbatem, qui anno XII, quo super Domini familiam fuerat ordinatus (*ordinatus autem fuerat anno* 1148 *aut* 1149), ingravescente carnis molestia, IV idus octobris feliciter obierat : *hæc enim Godefridi laus :* Erat consilio providus, opere strenuus, doctrina dulcifluus, miræque humilitatis et abstinentiæ, SICUT A CONTEMPORANEIS IPSIUS VERACI AD NOS RELATIONE PERVENIT, *fieri non potuit nisi a viro qui tempore aliquanto posterior sit. Arbitrantur nonnulli se ejus deprehendisse nomen; adeoque Fredericus Hirsching* (1) *vocat eum* Lunardum ; *alii* (2) *contra* Luwandum : *profecto melius. Consiliarius scilicet Nassoviensis Eberhardus in Marburgicis Memoriis* (3) *descripsit codicem Arnsteinianum sæculi* XII, *Vitam B.* Ludovici *continentem : qui codex eadem manu exaratus erat qua Annales a canonico Luwando certissime confecti. Horum enim annalium initio hæc exstabant:* Hoc anno a Christo MCLXXII scriptus est iste liber a quodam fratre nostro, nomine Luwando. Qui ergo legit, dicat : Anima ejus requiescat in pace. *Qui vixit usque ad annum* 1215, *in quo*
B *prior manus cessat et alia scribere exorditur; ita ut tum diem obiisse censendus sit. Convenit itaque etiam ætas, quippe qui multis annis scribere potuerit :* Henricus et Rubertus NUNC comites, *neque tamen* contemporaneus *fuerit abbati Godefrido. Quod si B.* Ludovici *biographus et Luwandus non iidem fuisse dicantur, necesse est tum in uno Arnsteiniano cœnobio duos fuisse canonicos, qui rebus historicis colligendis vacarent : quæ res procul dubio fieri potuit; sed, ut illo ævo, nequaquam verisimilis censenda est. Atque inde fit ut multo probabilius sit canonicum Luwandum reapse B.* Ludovici *Vitæ auctorem esse quam velle videatur Joh. Fredericus Böhmerus* (4).

fidelis est et accurata.

36 *Consentiunt autem omnes scriptorem, quiscumque is demum sit, virum fuisse sagacem et diligentem.* Vitæ scriptor, *ait Browerus in annotatis* (5), prope ætate æqualis, etsi more scholastico alicubi diffluens luxuriet, graviter tamen nec indocte narrationem absolvit et nostris quoque lucubratiunculis lumen alicubi non exiguum accendit. *Non aliter Kremer :* Scriptor coævus est, *inquit* (6), et plena
C fide digni sunt ejus narratus ; tantoque pluris fieri debet, quod quæ oculato testimonio non novit id se tradere profitetur sicut a contemporaneis veraci ad se relatione pervenit. Breves ejus sunt memoriæ genealogicæ et ad domorum capita dumtaxat spectantes ; ita ut multis supplementis indigeant : ab initio autem sæculi XII incipiunt et ad medium sæculum sequens pertingunt. *Stylum etiam laudat Hugo, abbas Stivagiensis :* Synchronus pæne auctor, *ait* (7), Arnstenii canonicus, puram satis et integram latinitatem callens, hanc Vitam elucubravit. *Cui judicio præfero ipsius scriptoris confessionem :* Dicent enim, *hæc ejus sunt verba*, quod materiam tam honestam sermo deformaverit impolitus : quibus non ego, sed poeta respondet :

Est quodam prodire tenus, si non detur ultra.

Solet tamen in fragili calamo et in vase fictili D
dulcedo mellis includi, et ignis duro in silice reperiri ; nec solaris cerei derogat claritati circumfusa sæpius et objecta nubium crassitudo. *Libros tamen classicos legerat, maxime poetas, Horatium, Persium, Ovidium, Claudianum aliosque; sed is non erat cui pulcra placerent, sed cui potius mira dumtaxat et artificiosi verborum ambages saperent : ita ut nil simpliciter dicere posset.*

Codices manuscripti

37 *Codicem vere autographum seu scriptum ab ipso Luwando a consiliario Everhardo recensitum fuisse jam monui; qui ubinam nunc sit ignorari videtur* (8) ; *minimo tamen damno; quum secundus fuisse videatur ex iis qui olim collati fuerint in gratiam Gamansii, ut continuo declarabo. Alius est codex, qui Gamansio præferendus visus fuit scriptusque est sæculo* XIII, *atque olim Arnsteinii, nunc autem (ni fallor) in Musæo Britannico numm.* 2801, 233 *servatur* (9) ; *atque id habet proprium quod B.* Ludovici *Vita illic inter aliorum sanctorum Vitas inserta est : omnium codicum, nunc adhuc exsistentium, habetur optimus* (10). *Tertium insu-* E
per adhibuit Gamansius, multo minus bonum. Alii duo codices, sæculo XV *scripti, in Idstein custodiuntur : quorum alter continet imagines comitis Ludovici ejusque uxoris Gudæ, perperam multis habitus autographus atque ipse fons editionis Kremeri. Exstat insuper in bibliotheca publica Trevirensi, num.* 1396 (1337) *signatum, apographum scriptum sæculo* XVII ; *in bibliotheca autem Bruxellensi regia, quæ vulgo Burgundica dicitur, aliud servatur apographum, diligentia summa prelo paratum partim Gamansii opera, partim Guilielmi Priester, canonici Arnsteiniani. Descripsit scilicet verbotenus Gamansius B.* Ludovici *Vitam* ex antiquissimo, *ut loquitur,* ms. post Vitas sanctorum a quodam illius et ipsi coætaneo in conversione filio, vel ad minus non longe post converso, qui beati patris sui exemplo humilis latere nomenque supprimere voluit ; *qui codex, quem primum Gamansianum dicam, idem forte est (ut monui) qui nunc Londini in Musæo Britannico est. Contulit autem Priester incredibili (ut illo ævo) studio Gamansii apographum cum duobus mss. Arnsteinianis; quorum prior vere autographus erat,* F
ut supra innui; alter autem, qui aliquando ad lectiones Kremeri, aliquando ad Broweri accedit. Neque ego dissentire velim a Gamansio, qui primarium suum exemplar autographo prætulerit; quum, quotquot scribimus, correcta, non primum in chartam jacta, pro genuinis agnoscamus.

et editiones recensentur.

38 *Hanc Vitam primus edidit Christophorus Browerus noster inter Sidera illustrium et sanctorum virorum, qui Germaniam gestis suis ornarunt; quæ Sidera prelo excudi curavit Moguntiæ anno* 1616. *Inde Joannes Pagius, seu Lepaige, canonicus Præmonstratensis et ordinis syndicus, eadem desumpsit atque anno* 1633 *in Bibliotheca ordinis Præmonstratensis inseri fecit; similiter Carolus Ludovicus Hugo, Stivagiensis abbas et episcopus Ptolemaïdis, ex labore Blanpinii in Sacræ antiquitatis monumentorum tomo* II, *anno* 1731 *in Oppido S. Deodati*

(1) Stifts- und Klöster-Lexicon, tom. I, p. 170. — (2) Cfr Böhmer, Fontes rerum Germanicarum, tom. III, p. LI. — (3) Marburgische Anzeigen, 1766, num. 4-6. — (4) Fontes rerum Germanicarum, tom. III, p. LI. — (5) Sidera Germaniæ, p. 17. — (6) Origines Nassavicæ, tom. I, p. 12 et 13. — (7) Sacræ antiquitatis monumenta, tom. II, præf., num. II. — (8) Fontes rerum Germanicarum, tom. III, p. LI. — (9) Potthast, Bibliotheca historica medii ævi, p. 789. — (10) Archiv der Gesellschaft, tom. VII, p. 80 ; ap. Böhmer, Fontes, t. III, p. LI.

excuso

A *excuso : qui tomus ita rarus est ut plures bibliographi existiment eum nuspiam exsistere, sed dumtaxat priorem tomum, dolose præfixo tomi II titulo, adeoque in pluribus bibliothecis exstare bis eumdem tomum. Quam fraudem, ab Herberto indicatam, equidem aliquando in exemplari quodam vidi; sed in hoc errat Herbertus, quod nulla vera tomi II exemplaria servata esse scripsit. Post Hugonem venit Joannes Martinus Kremer, qui anno* 1779 *Wisbadæ Originum Nassoicarum partem alteram diplomaticam in lucem dedit atque in ea B.* Ludovici *Vitam; cujus partis longe optimum monumentum est. Demum Joannes Fredericus Böhmer in egregia collectione, cui* Fontes rerum Germanicarum *titulum indidit, eamdem anno* 1853 *in tomo III prelo descriptam edidit. Quibus omnibus subsidiis adjutus, novam ipse editionem adornabo. Scilicet fundamenti loco adhibebo primarium Gamansii codicem, qui videtur ab ipso auctore profectus esse; auxilii loco secundum Gamansii, quocum fere ubique convenit editio Böhmeri, minus prope accedit Kremeri, ex codice tamen sæculi* XV *confecta, multoque minus Blanpinii; et demum*
B *tertium Gamansii, quo aliquando usum diceres Browerum, nisi huic præluxerit depravatum ecgraphum. At nolim hunc locum relinquere quin moneam sæculo* XV *paratam fuisse versionem germanicam eamque editam fuisse in Annalibus societatis historicæ Nassaviensis* (1).

§ III. Castrum B. Ludovici, genus, uxor, jurisdictio et comitatus ante conversionem.

Describitur Arnsteinium,

In septentrionali pristinæ diœcesis Trevirensis parte, quæ, in Rheni ripa dextra jacens et inter diœceses Coloniensem et Moguntinam conclusa, Logana rivo, in Rhenum supra Confluentes incurrenti, in duas secatur partes et ex qua præsens ducatus Nassaviensis fere constat; exsurgit ad rivi sinistram in alto frondosoque monte vicus Arnstein; prius castro, quod inhabitavit B. Ludovicus, *dein cœnobio ordinis Præmonstratensis, quod ipse condidit, insignis. Ad occasum spectat ad Nassau, ad orientem ad Dietz, dis-*
C *tans utrinque itinere sesqui horæ, si navigio utaris; a Rheno autem passuum millibus duodecim. Ad pedem per amœnam pratis convallem ex parte orientis fluit Dursta, rivus exilis, sed piscosus, illic in Loganam influens. Quæ castri species esset, in ipsa Vita declaratum est. Id destruxerunt monachi ut ejus loco monasterium exstruerent.* Alii *enim, ut in Vita legitur,* frangendis muris castrensibus, alii complanandis areis insistebant; alii trabes et ædificiorum ligna ducebant; alii rupis eminentiam præcidebant, cujus (ut fertur) altitudo adæquabat, quod nunc est, monasterii summitatem. *Verumtamen hæc non ita intelligenda videntur quasi in ipsa castri sede ædificatum fuerit asceterium; sed potius ut in excisa rupe exstructum fuerit, fragminibus murorum adhibitis. Si Friderico Hirsching* (2) *credas, in sinistra Loganæ ripa exstiterit castrum; cujus parietinas latissimas anno* 1792, *quo scriberet, adhuc super-*

AUCTORE V. D. B.

fuisse; non procul inde lautam domum erectam esse a nobili familia Stein : verum in hujus regionis mappis topographicis, superiori sæculo pictis, quas in musæo nostro habemus, nullum horum ruderum vestigium cernitur, licet domus etiam rusticæ indicentur : quod tamen argumentum non magni esse ponderis fatebor, quoniam negligi potuerint inutiles reliquiæ. Pulcherrimus e longinquo monasterii conspectus; ad cælum scilicet tollit inter montes saxosos viridesque fagos alas suas et quataor templi vastas turres. Circumcirca jacebant agri cultissimi, vineæ festissimique horti. Sed periit horum locorum gloria, quum brevi post hinc expulsi fuerunt canonici regulares, quos illuc primus olim induxerat B. Ludovicus.

ubi natus est B. Ludovicus *genere (ut volunt) salico, id est curiali.*

40 *Hoc autem castellum olim paterna hæreditate ei obvenerat cum amplissima ditione : genus enim ejus nobile et potens erat. Volunt eum de domo Salica fuisse; quæ res tenebris plena est.* Salicum *idem valere ac* aulicum, dominicale, principale *extra controversiam est positum; abundant quippe documenta. Ubi vero viri et mulieres* Salici *dicuntur, certum etiam est de prima nobilitate sermonem fieri;* E *quum Ottonis Frisingensis hoc apertissimum testimonium sit* (3) : Nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur. *De origine multæ circumferuntur fabulæ; quibus missis, alii cum Struvio* (4) : Potius, *inquiunt,* Salici nomen e terra salica, quæ pars erat Franciæ Teutonicæ ducimus, a qua Conradus II imperator Salicus fuit adpellatus, quod nomen etiam Pharamundo tribuitur. Licet autem Salici primitus ii saltim dicerentur, qui in terra Salica nati, ita ut ad distinguendum ab aliis Francorum populis diceretur Salicus Francus, sensim tamen ad omnes Francos Salicorum perducta fuit adpellatio; et quidem, postquam Franci Gallias sibi subjecissent atque Gallis intermiscerentur, aulici erant, et Salici nobilissimi Francorum dicebantur. *Quin etiam statuit A. Fr. Gfrörer* (5) *Salici laudem tantumdem valere quantum de sanguine regio esse, ita saltem ut per feminas is sanguis acceptus sit; et certe Conradum Salicum materna cognatione de stirpe Karolingica fuisse atque habitum proinde de Merovingorum domo. Verum hæc cognatio, ut jam pridem animadvertit Leibnitzius* (6), F *efficere quidem potuit ut ejus electioni minor invidia adhæreret; sed nequaquam in causa fuisse videtur cur Salicus diceretur. Hoc ei potius cognomen datum, quo indicaretur eum in purpura (ut Orientales loqui amabant) genitum non esse, neque ullum proin ei a nativitate jus ad regiam coronam fuisse : (succedendi enim eligendique jura contemperabant Franci, principes ex eadem stirpe, sed ætatis graduumque ordine sæpius neglecto, admittentes.) Salicus ergo dictus non fuerit ad natalium, regiis longe inferiorum, laudem, sed potius ad significandum eum imperatoria corona cinctum fuisse, licet de aulica tantum esset nobilitate, non vero de familia regia. Multo post inde confinxerunt chronographi novam domum, Salicam nomine, quæ Merovingicæ et Karolingicæ par esset et ex qua multi surculi seu principales familiæ ortæ*

(1) Annalen des Nass. hist. Vereins, tom. II, p. 123 et seqq. Cfr Böhmer, Fontes, tom. III, p. L. — (2) Stifts- und Kloster-Lexicon, p. 172. — (3) Chronicum, lib. IV, cap. 32, ap. Tissier, Bibl. Cist., tom. VIII, pag. 58. — (4) Corpus historiæ Germaniæ, par. III, §. 14, pag. 92. — (5) Pabst Gregorius VII und seine Zeitalter, tom. I, pag. 270 et seqq. — (6) Annales imperii, ad n. 911, num. 21, tom. II, pag. 246.

haberentur

AUCTORE V. D. B.

haberentur in Germania. Sed ut in his multa certa sunt, firmissimis fundamentis nixa, sic alia perquam dubia videntur aut saltem nonnisi verisimilia. Quæ omnia prosequi hujus loci non est : satis quippe erit gentis salicæ, quam vocant, stemma exhibere, quod labore maxime arduo construxit Kremerus et optimis (quantum potuit) firmavit documentis. Hoc unum opus nostrum ut quæ B. Ludovicum *attingant proxime explicemus.*

Stemma genealogicum B. Ludovici

41 *Pater ejus etiam Ludovicus dicebatur, qui* ab avorum suorum, *ut loquitur biographus,* longa prosapia clarus erat. *Ex his noti sunt alius Ludovicus et Arnoldus : unde sequens stemma plane certum est :*

ARNOLDUS,
comes in Einriche et de Arnstein
annis 1034, 1050 et 1052.
|
LUDOVICUS I,
comes pagi Einriche anno 1067.
|
LUDOVICUS II,
B comes de Arnstein annis 1107 et 1108,
maritus Adelheidis de Odenkirchen.
|
B. LUDOVICUS III,
comes de Arnstein, fundator monasterii
de Arnstein, maritus Gudæ seu Judithæ,
filiæ Sigefridi II, comitis de Bomeneburg.

ex diplomatibus

42 *Innotuit autem imprimis ille Arnoldus ex contractu precariæ, anno* 1052 *inito inter Eberhardum, archiepiscopum Trevirensem, et comitem Waldramum de Arlo; cui subscripsit ille his verbis* (1) : Arnoldus de Arnstein*; ita ut hic sedem suam habuerit in castro de Arnstein, a quo cognominatus erat. Quum autem Ludovici II* avorum longa prosapia *tam* clara *esset ut in uno comitatu non facile plures essent ejusdem nobilitatis; quum dein Nassavia et Arnstein sibi fere adjaceant in pago de Logana, non potest idem Arnoldus non idem esse, qui venit in charta, qua anno* 1034 *Azecho, episcopus Wormatiensis, ecclesiæ suæ concessit* prædium quodcumque visus erat habere Nassouwa... situm in pago Longanehe, in comitatu Wig-
C geri et Arnoldi comitum (2); *qui quum unum simul comitatum haberent, fratres habendi sunt, paterna hæreditate nondum divisa* (3). *Solius deinde Arnoldi comitatus ille dictus est, ut apparet ex diplomate, quo Henricus III imperator anno* 1050 *ecclesiæ S. Swiberti in Werda Cæsaris* ob interventum thori et regni consortis, scilicet Agnetis, imperatricis augustæ, unam aream simul cum ædificiis et cum una vinea in villa, quæ dicitur Cambo, sitam et in COMITATU ARNOLDI et in pago Enriche (4). *Arnsteiniani autem generis auctorem fuisse Arnoldum illum suadere tentat Kremerus* (5) *adeoque castri de Arnstein constructorem; id nomine* Arnstein *significari, quippe quod idem esse videatur ac* Arnoldi castrum. *Verum id non ita accipi potest, quasi Arnoldus vir novus fuisset; neque hæc Kremeri mens umquam fuit, siquidem contendat eum a Conrado Salico originem ducere;* D *sed quod nobilissima ex gente ortus surculus, non secus ac talea, in Arnstein plantatus, novæ quasi familiæ stipes exstitit, nomine novo accepto ab novo castro. Aliter prima specie B.* Ludovici *biographus, sentiens* castrum, quod Arinstein (Ariinstein, Arenstein) vulgariter LAPIS AQUILÆ latino posse idiomate nuncupari. *Quæ tamen originatio cum Kremeri eatenus conciliari potest, quod reapse Germani, quando nomen ex duobus appositis vocabulis haberent, aliquando prius dumtaxat in designando viro usurpabant (sic* Cuno *pro* Conrado), *atque* Arn, *ab Arnoldo detractum, æque* aquilam *significat ac si nil cum hoc nomine commune haberet. Quæ certe sententia probabilior est quam Estoris* (6) *et Hirschingi* (7), *derivantium Arnstein ab* Are *seu* Arde*; ex quo totius pagi* Einriche *seu* Enrich *nomen derivatum esse statuunt. Quod autem plures dicunt rivum Arde in Loganam influere e regione Arnsteinii, rectum non est; aliquot milliaribus altius aquas suas in flumen effundit.*

demonstratum. Pater

43 *Post annum* 1052 *Arnoldi nomen in diplomatibus non amplius apparet, quod proculdubio non multo post diem obierit; sed Ludovicus I easdem, quas Arnoldus, comitis titulo tenens terras, perspicuo loco deinceps obvius fit. Anno scilicet* 1067 *Henricus IV, rex et dein imperator, ecclesiæ S. Swiberti, in quam pater beneficus jam fuerat,* ob interventum Berthæ, reginæ regni thorique consortis dilectissimæ, necnon Annonis, Coloniensis archiepiscopi, et Sigefridi, ejusdem ecclesiæ præpositi..., quinque vineas in villa Cambo, in pago Enriche, IN COMITATU LUDOVICI COMITIS sitas..., in proprium dedit (8). *Qui Ludovicus diversus sit oportet a Ludovico, patre B.* Ludovici, *nisi in immensum extendere velis ejus ætatem; ut supputanti non potest non esse manifestum. Adde patrem B.* Ludovici, *testimonio biographi,* ex hoc mundi naufragio BREVEM HOSPITEM *seu in juvenili ætate evasisse;* matrem vero longo post conversionem filii tempore *seu post annum* 1139 *vixisse. Pater itaque B.* Ludovici *censendus est qui ad annum* 1107 *inter testes chartæ fundationis abbatiæ Springirsbacensis, auctore Brunone, archiepiscopo Trevirensi, legitur* Ludovi-
F cus de Arenstein (9); *et in altera ejusdem anni, qua Ruthardus, archiepiscopus Moguntinus, die* 10 *maii, in S. Disibodi asceterio canonicis substituit monachos, et ubi iterum inter testes, venit nomine* Ludovicus, comes de Arnestein (10).

et mater B. Ludovici;

44 Erat *autem* præfato comiti, *verba biographi recito,* secundum sæculi clari et alti sanguinis uxor Udilhildis nomine, quæ non solum tanti viri non degeneraret amplexus, sed et in futuræ sobolis diesceret claritate, quicquid morum, quicquid gratiæ in progenitoribus, in natis probitatis cereus præmisisset. *Quæ B.* Ludovici *mater visa est Kremero* (11) *domo fuisse de Odenkirchen in Coloniensi agro; hanc domum jam pridem floruisse, siquidem in diplomate, quo comes palatinus Ezo seu Ehren-*

(1) Hontheim, Historia Trevirensis diplomatica, t. I, p. 393. — (2) Schannat, Historia Wormatiensis, Probat. n. LV, p. 51. — (3) Cfr Kremer, Origines Nassovicæ, tom. I, pag. 288. — (4) Pez, Thesaurus Anecdotorum. tom, VI, part. I, col. 243. — (5) Origines Nassovicæ, tom. I, pag. 318. — (6) Origines juris publici Hassiæ, pag. 64 et seqq. — (7) Stifts-und-Kloster-Lexicon, tom. I, pag. 171. — (8) Pez, Thesaurus, tom. VI, part. I, p. 253. — (9) Hontheim, Hist. Trevir. diplom., t. I, p. 484. — (10) Beyer, Urkundenbuch zur Geschichte der Regierungsbezirke Coblentz und Trier, t. I, pag. 474. — (11) Origines Nassovicæ, t. I, p. 325.

fridus

GENTIS SALICÆ TABULA GENEALOGICA GENERALIS,

QUÆ SIMUL INDICAT FAMILIAS EX HAC GENTE ORTAS,

PRÆCIPUE LURENBURGENSIUM SIVE NASSOICORUM COMITUM SERIEM

USQUE AD EORUM DIVISIONEM ANNO MCCLV CELEBRATAM.

Bero sive Wernherus,
Comes et domesticus Dagoberti I, regis, vixit sub fin. sæc. VI et initio sæc. VII.

Otto,
Bajulus sive nutricius regis Sigeberti, filii Dagoberti I, Major domus Austrasiæ, occisus a Leuthario duce Alemannorum, A. 642.

Bercharius, Bertharius sive Wernherus,
post Waradonem, secundo Majorem domus, sub Theodorico, rege, Major domus Austrasiæ, occisus instigante socru sua Ansfleda, anno 688. Uxor Adeldrudis, filia dicti Waradonis et Ansfledæ conjugum.

Adeldrudis,
uxor Drogonis, filii Pipini Heristallii, Major domus.

Hatto sive Otto,
comes pagi Wormat. † 756.

Voto sive Otto,
comes pagi Wormatiensis, anno 756, 757.

Cheto, Hatto sive Otto,
comes pagi Wormatiensis, anno 765, 772, 777, 785, 788, 790, 793, 796, 797, 798, 800, 802.

Voto sive Otto,
comes pagorum Wormatiensis, Loganensis atque Trechirc, anno 821.

Gerhardus,
comes pagi Loganensis A. 852, fundator ecclesiæ in Kettenbach A. 845 et præposituræ in Gemunden an. 879. Uxor N. Ernesti ducis filia, Ernesti Bavariæ ducis soror. † A. 880.

Udo sive Otto,
comes pagi Loganensis, uxor Rotrudis Lotharii I, imp. filia. † mense Nov. an. 890.

Bertholfus
anno 879 probabiliter comes pagi Trechire et sator comitum Cattimelibocensium. † ante patrem.

Hatto I,
archiepiscopus Moguntinus.

Berengarius sive Wernherus,
procurator Alsatiæ, una cum fratre Udone, fundator ecclesiæ Wetzflariensis, † mense Aprili an. 890. Uxor N. probabiliter Werinheri IV, Blisgoviæ comitis filia.

Waldo,
abbas S. Maximini.

Werinherus,
comes Spirensis atque pagorum Wormatiensis et Navensis.

Conradus,
dictus Rufus, dux Lotharingiæ, uxor Luitgarda, filia Ottonis I, imp., ex Editha Anglica, † in prælio ad Lycum, anno 955.

Otto,
dux Carentanorum et comes Veronensis, uxor Juditha, filia Gothofredi, comitis Verduuensis, anno 977.

Conradus,
Hassiæ atque Angrariæ, etc. comes, dux Thuringiæ, uxor Glismuda. † 26 Febr. A. 906.

Eberhardus,
comes pagi Loganensis, uxor Amalrada, filia Theodorici, comitis Westphaliæ et Reinhildis Danicæ, soror Mechtildis, Heinrici I, Germ. regis, uxoris, † 1 Maji an. 902.

Gerhardus,
Wetteraviæ et Rhingoviæ sup. comes, uxor Oda, filia Ottonis, ducis Saxoniæ, Zwenteboldi, Lotharingiæ regis vidua, † an. 910.

Rudolphus,
episcopus Wurzeburgensis, † 3 Maji 908.

Oda,
uxor Arnulphi, imp.

Conradus,
Germaniæ rex, uxor Kunigunda, filia Erchangeri, comitis, vidua Luitpoldi Bavar., ducis, † 25 Dec. an. 918.

Eberhardus,
dux Francorum, uxor N., † anno 939.

Udo,
comes pagi Loganensis superioris, an. 912, 915.

Conradus,
Curcipoldus et Sapiens, comes pagi Loganensis inferioris, fundator ecclesiæ Limburgensis, † 30 Julii anno 948.

Eberhardus,
comes pagi Megingensis et post fratrem Loganensis inferioris, † a. 966.

Theodoricus I,
episcopus Metensis, † 7 Sept. anno 985.

Udo,
comes Rhingoviæ et Wetteraviæ, uxor N., filia comitis Pipini, soror Heriberti, comitis Campaniæ et Viromandiæ, † 12 Dec. an. 949.

Hermannus,
dux Alemanniæ, uxor Reginlinda, vidua Burchardi, ducis Alemanniæ, † 10 Dec. an. 949.

Conradus,
an. 966 probabiliter comitum Ebersteinensium sator.

Eberhardus,
an. 966 pater probabiliter domus Hohenloicæ.

Conradus,
cæsus in prælio ad Mosam, anno 955.

Otto,
ob conjurationem cum Adelberto, Berengarii II, Italiæ regis filio, anno 966 ab Ottone I, imp., exilio mulctatus, † post annum 990.

Udo,
episc. Argentin. † 26 Aug. 965.

Gebhardus,
cæsus in obsidione Badeliki, anno 938.

Conradus,
Sueviæ dux et comes Rhingoviæ, † 19 Aug. an. 997.

Udo,
dux Francorum, † 15 Jul. anno 982 in prælio Tarentano.

Heribertus,
comes Wetteraviæ, † anno 997.

Judith a,
uxor Heinrici, comitis de Staden.

Ida,
uxor Ludolphi, Alemanniæ ducis, filii Ottonis I, imp., † anno 986.

Emerhardus,
† mense Septembri an. 978, puer vixdum decennis.

Gerlacus qui et Giso,
comes pagi Loganensis atque Hassiæ, anno 995—1008.

Otto,
comes, uxor Adelheidis, Wichardi II, Gelriæ comitis, filia, † circa annum 1034.

Willibirgis,
uxor Liuthonis sive Leutholdi comitis de Wulfelingen.

Hermannus,
Dux Alemanniæ et Alsatiæ, uxor Gepa, sive Gerberga, filia Conradi, regis Burgundiæ ex Mathilde, Ludovici Ultramarini, Franciæ regis, filia, † 4 Maji anno 1004.

Adelbertus.

Gebhardus,
pater probabiliter comitum de Rinecke primæ gentis, † 1016.

Otto,
de Hamerstein, uxor Irmengardis.

Gerburgis,
uxor Heinrici, marchionis Franciæ Orientalis,

Heinricus sive Hetzil,
dux Francor.. uxor Adelheidis, filia Eberhardi, com. de Egesheim, † an. 989.

Bruno,
pontifex maximus sub nomine Gregorii V, † 18 Febr. anno 999.

Conradus,
dux Carentanorum, uxor 1° Jutta, 2° Mechtildis, Hermanni, Alemanniæ ducis, filia.

Wilhelmus,
episcopus Argentinensis. † 7 Nov. 1047.

Wernherus,
comes pagi Loganensis sup. et Hassiæ, A. 1013, 1035.

Godeboldus,
comes pagi Loganensis infer., an. 1033.

Otto,
comes Gelriæ, hujus nominis primus.

Wichardus,
comes, sator probabiliter dominorum de Molsberg, an. 1054.

Arnoldus,
comes in Einriche et de Arnstein, A. 1034, 1050, 1052.

Gisela,
cujus mariti: 1° Bruno, comes Brunsuicensis. 2° Ernestus, dux Alemanniæ. 3° Conradus Salicus, Imperator.

Mechtildis,
uxor 1° Conradi, Carentanorum ducis. 2° Friderici, ducis Lotharingiæ.

Hermannus,
puer, dux Alemanniæ, † 28 Jul. 1012.

Bardo I,
archiepiscopus Moguntinus.

Hetzil,
sator comitum de Nuringes.

Harderath,
sator comitum de Gleiberg et dominorum de Mercuberg.

Udo,
† an. 1054, juvenis.

Conradus,
imp. Salicus dictus, uxor Gisela, filia Hermanni, ducis Alemanniæ, † 4 Jun. 1039.

Judith a.

Uda,
filia ex primo matrimonio † ante parentes.

Cuno sive Conradus junior,
dux Wormatiensis et Carentan. † 20 Aug. anno 1039.

Bruno,
episcopus Wurzeburgens. † 27 Maji anno 1045.

Wernherus,
comes pagi Loganensis sup. et Hassiæ, † Ingelheimii an. 1066.

Gerlacus sive Giso,
comes de Gudensberg.

Dudo,
comes de Lurenburg, † circa A. 1114 improlis.

Emericus,
sator comitum de Dietz.

N. filius.

Ludovicus I,
comes pagi Einriche, † anno 1067.

Heinricus III, imp.,
cujus uxores: 1° Gunilda, sive Kunigunda, Knutonis M. Angliæ, Daniæ et Norwegiæ regis filia. 2° Agnes, filia Wilhelmi, principis Pictavicnsis, † 5 Oct. an. 1056.

Beatrix.

Mathildis
desponsata Heinrico I, regi Franciæ, † anno 1034.

Udalricus
sive Ulricus, comes de Etechenstein, uxor Mechtildis Ludovici I, comes Arnsteinensis filia, † ante an. 1124.

Gothofredus,
comes de Gudensberg.

Giso,
comes de Gudensberg.

Ludovicus II,
comes de Arnstein, an. 1107, 1108, uxor Adelheidis, comitissa de Odenkirchen.

Mechtildis,
uxor Udalrici, comitis de Etechenstein.

Beatrix,
abbatissa Quedlinburgensis.

Mathildis,
uxor Rudolphi de Rinfelden, ducis Sueviæ, anticæsaris.

Mechtildis.

Heinricus, IV, imp.,
cujus uxores: 1° Bertha, filia Ottonis, marchionis Italiæ, 2° Adelheidis item Praxedis, filia regis Ruzorum, † 12 Aug. an. 1106.

Conradus,
dux Bavariæ, † an. 1056.

Judith a sive Sophia,
uxor 1° Salomonis, regis Hungariæ, 2° Wenceslai, ducis Polon.

Adelheidis,
abbatissa Quedlinburgensis eadem forte, quæ Aserla sive Adelheidis, nupta Wolframo Creichoviæ comiti, mater Joannis Spir. episcopi.

Rupertus,
comes de Lurenburg, fundator monasterii Schœnaugiensis, uxor Beatrix, filia Walrami pagani, ducis Lotharingiæ Inf. et comitis Limburgensis, † ante an. 1151.

Arnoldus,
com. de Lurenburg, an. 1124—1158.

Demudis,
uxor Embriconis, comitis de Dietz.

Hedwigis,
uxor Ludovici III, primi Landgravii Thuringiæ.

B. Ludovicus III,
comes de Arnstein, uxor Juditha, filia Sigefridi II, comitis de Bomeneburg ex comitibus de Northeim, fundator monasterii Arnsteinensis, † 25 Oct. 1185.

Adelheidis.

Filius anonymus
post baptismum mortuus.

Conradus,
dux Lotharingiæ, † mens. Jul. 1101.

Heinricus V, imp.
uxor Mathildis, filia Heinrici I, Angliæ regis, † 23 Maji an. 1125.

Agnes,
cujus mariti: 1° Fridericus I, dux Sueviæ, 2° Leopoldus IV, marchio orientalis.

Ida,
uxor Baldnini Hierosolymitani, Hannoniæ comitis.

Arnoldus,
c. de Lurenburg, an. 1151, 1158.

Waleramus,
comes de Nassau, uxor Kunigunda, filia Ruperti bellicosi, comitis de Nassau, † an. 1198 1 Febr.

Rupertus,
Bellicosus, comes de Nassau, uxor Elisabetha, filia Emichonis, comitis de Liningen, † circa an. 1194.

Heinricus,
comes de Nassau.

Henricus,
comes de Nassau, uxor Mechtildis, filia Ottonis III, Gelriæ comitis, † ante an. 1250.

Rupertus,
comes de Nassau, uxor Gertrudis, filia Friderici, comitis de Cleberg, fundator monasterii Affolderbach, anno 1206 — 1255.

Beatrix.

Kunigunda,
uxor Walrami, comitis de Nassau.

Hermannus,
canonicus S. Petri Mogunt.

Rupertus,
frater Hospitalis S. Mariæ domus Teutonicæ Hierosolymit.

Walramus,
comes de Nassau, uxor Adelheidis, filia Theodorici, comitis Cattimelibocensis, sator Lineæ Walramicæ.

Otto,
comes de Nassau, uxor Agnes, filia Emichonis I, comitis de Liningen, ex gente Saraeponlana, pater Lineæ Ottonianæ.

Henricus,
an. 1247.

Gerhardus,
an. 1247.

Joannes,
episcopus Ultrajectinus.

Elisabetha,
uxor Gothofredi, domini de Epstein.

Catharina,
magistra monasterii Altenburg.

Margaretha.

A *fridus anno* 1028 *bona sua in Lovenich monasterio Brauweilerensi contulit, inter testes designetur* comes christianus de Huodenkirchen (1); *atque a biographo satis indicari ejus genus, ubi de ejus morte disserens :* Mater vero, *inquit,* longo post conversionem filii tempore vivens, cum originariam terræ particulam mundi curvaret ad vesperam, in prædio suo, quod Udenkirchen dicitur, infirmata, tertio nonas julii diem clausit extremum et in ecclesia majori Coloniæ requiescit. *Verum hæc minus certa sunt quam videantur : prædium enim de Udenkirchen habere potuit quin inde orta sit; neque verisimile est feminæ obtigisse comitatus sedem; Quid, quod castellum de Udenkirchen hoc tempore erat penes archiepiscopos Colonienses? In diplomate enim, quo anno* 1153, *die* 14 *junii, rex Fredericus I declaravit ex judicio curiæ regiæ nulli archiepiscopo Coloniensi licitum fore mensæ suæ bona in feodum seu pignus dare, retrahendaque ea esse quæ ab archiepiscopo Frederico I data essent, atque etiam confirmavit Arnoldo II quæ recuperarat :* Nichilominus enim, *inquit* (2), sancimus et in perpetuum
B confirmamus quatenus quascumque possessiones idem Coloniensis archiepiscopus data pecunia ecclesiæ conquisivit vel requisivit, ipse suique successores sempiterna pace possideant, castellum videlicet Udenkirchen cum ministerialibus, cum servis et ancillis et omnibus appenditiis. *Neque dici potest eam fuisse de ordine ministerialium, quum summæ nobilitatis fuisse videatur. Nam materna cognatione* (*ut apparet*) *B.* Ludovicus consanguineus fuit Friderici, ducis Sueviæ patrisque Friderici, Romanorum postea imperatoris; *ut ex biographo cognovimus. Quare censet Gebhardius* (3) *B.* Ludovici *matrem Adelhaïdum fuisse, filiam ducis Frederici I et Hildegardis; cujus filiæ mentio fit in diplomate anni* 1094 (4), *quo tempore nondum videtur fuisse nupta.* AUCTORE V. D. B.

45 *B.* Ludovicus, *qui solus ex hoc conjugio ortus est,* mediantibus, *ait biographus,* amicorum consiliis et negotiosis super hoc comitis de Bomneburg legationibus filiam ipsius, Gudam nomine, virginem cum magno (sicut debuit) exhibitam apparatu, duxit uxorem. *Quam vero nobile hoc matrimonium fuerit cognoscere licet ex stemmate, quod ex Scheidii Originibus Guelficis excitavit Kremerus* (5), *sed ex quo particulam tantum huc transfero.* E *ejus uxor.*

Otto, comes de Northeim,
dux Bavariæ † 1083.

Henricus Crassus, C. Northeimensis † 1101.	Sigefridus I, C. de Bomeneburg, † 1109.	Conradus, C. de Bichelingen.
Richenza, Ux. Lotharii, imperatoris.	Sigefridus II, C. de Bomeneburg, † 1144.	Mechtildis, Ux. Guilielmi, C. de Luxemburg.
Gertrudis, Ux. Henrici, D. Bavariæ.	GUDA, Ux. B. Ludovici, C. de Arnstein.	

Omisi Ottonem, Henrici Crassi filium et successorem, ejusque sororem Gertrudim, nuptam Godefrido, comiti Palatino ad Rhenum; et tres filias Conradi : N. uxorem Henrici, comitis Zutphaniæ; Athelam, prius conjugem Theodorici de Catelenberg, dein Helperici, comitis de Ploceke; et Cunigundim, uxorem Wicberti, filii
C *Wicberti, comitis Groicensis. Sufficiebant enim pauca schemati inserta nomina. Neque explicui nobillissimas nuptias septem amitarum beati* Ludovici, *quas perquam diligenter indicavit biographus; malo de his in annotatis aliquid indicare, ne Commentarius in tabellas genealogicas abeat.*

Patronatum habebat 72 *ecclesiarum, immo ædicularum;*

46 *Cum nobilitate par ibat B.* Ludovici *auctoritas.* Habebat comes, *ait biographus,* jus patronatus in LXXII ecclesiis; quæ omnes ad ecclesiam B. Margaretæ filiali jure spectabant. Erat etiam sub ipsius jurisdictione Bobardia, Wesela, Villa S. Goaris, Loginstein utrumque, Confluentia et aliæ plures villæ Rhenenses, et tota provincia, quæ dicitur Einriche. *Ubi animadverte quanto numero essent septuaginta duæ ecclesiæ in modico spatio, quod quippe parœcia S. Margaretæ* (*matrix enim erat*) *olim occupaverat; sed, ut animadvertit Hirsching* (6), *cogitandæ non sunt totidem parœciæ; verum, quod constat ex monasterii pristinis titulis et chartis, pleræque capellæ erant, sparsæ in villulis pagi Einriche, quarum altaria conferendi jus penes comites Arnsteinianos erat. Quæ si advertisset Browerus, minus forte acer fuisset in damnanda hujus patronatus origine :* Telum
F hoc quoddam, *inquit* (7), fuit amentatum, ad jugum servitutis imponendum ecclesiis, quando patronatus non dotis, aut novæ constructionis, vel causæ similis argumento nitebatur; sed vel ab imperatoribus, vel ab imperatore, vel archiepiscopis, belli vel obsequii intuitu, dynastis beneficii loco velut in manus traditi, vel ab iisdem vi et armis aliove non justo titulo usurpati. De Ludovico comite non habeo dicere quo colore juris vim tantam patronatuum adeptus sit. Non negat Vitæ scriptor magnas ex arce gentilitia olim prædas actas et insessores comitisque clientes parum de proprio, totum de alieno possedisse. Observatum mihi in Lutzeburgiis, et Namurii comitibus, et antiquis Lotharinensium palatinis, præcipuum eis patrimonii fundum ab ecclesiarum et monasteriorum decimis et dotibus, et jure advocationis et patronatus extitisse.

(1) Acta Palatina, t. III, p. 132. — (2) Ennen et Eckertz, Quellen zur Geschichte der Stadt Köln, t. I, p. 542. — (3) Ap. Kremer, Origines Nassoviæ, t. I, p. 324. — (4) Schœpflin, Alsatia illustrata, t. I, p. 177. — (5) Origines Guelficæ, tom. IV, pag. 484. — (6) Stifts- und-Kloster-Lexicon, tom. I, pag. 170. — (7) Sidera Germaniæ, Vita S. Ludovici, p. 18.

47 Jurisdictio

AUCTORE V. D. B. *præfectus imperialis erat in pago Einriche et vicinis locis.*

47 *Jurisdictio ejus ad occasum Rheno fluvio ita finiebatur, ut oppida et villæ, in ripa sinistra posita, ejus imperio subessent; etenim Weselia Superior, S. Goaris oppidum, Boppardia et Confluentes ad citerius fluminis latus consurgunt. Verum cavendum est ne hanc in oppida Rhenana jurisdictionem cum ditione aut possessione, quæ fere penes archiepiscopum Trivirensem erat, confundas; etenim, ut jam monuit Hontheimius* (1), *intelligendum est officium imperialis præfecti, seu advocati provincialis, B.* Ludovico *per pagum Einriche et fines orientales Wetteraviæ, cui illa loca accensebantur, commissum. Sed cave similiter ne beatum virum (quod multis placuit) advocatum provincialem universæ Wetteraviæ dicas; neque a biographo id traditur, neque cum rerum veritate consistit* (2). *Advocati autem provincialis officium invaluerat in Germania, postquam sæculo* XI, XII *et* XIII *paulatim pagi cessassent et pristinorum comitum ducumque munera obsoleta essent; et superabat comitis dignitatem. Qui enim eo ornati erant, pacem procurabant vi etiam atque armis; neque a jure dicundo erant alieni, vica-*
B *riosque habebant, assessores et scabinos* (3); *verbo, imperatorum vice fungebantur in procuranda supremi dominii administratione : adeo ut eamdem fere haberent potestatem, quam pristini missi dominici, nisi quod horum temporanea, illorum perpetua esset; quæ et hæreditaria facta est.*

Quæ esset pagi Einriche extensio;

48 *Extendebatur etiam beati viri jurisdictio seu advocatia* tota provincia quæ dicitur Einriche. *Erat hic pagus minor, pars pagi Loganensis, ut jam convenit inter omnes et manifestum est* (4). *Perstat ejus nomen, ita ut multa loca jacere dicantur* auf den Errich *seu* Herrich (5); *de cujus nominis origine multi fabulari maluerunt quam ignorantiam fateri. Occurrit jam in diplomate Prumiensi anni* 790 *Caroli Magni* (6), *et continebat* Gambrikero marco (7), Bruibach (8), Prichina (9), comitatum Marivelis (10), Walmichi in comitatu Bertholdi (11), Drinspringen et Dorenbach (12), Overdieffenbach (13), villam quamdam Urefo vocatam (14) *et* Logenstein (15). *Atque ex his locis, quæ omnia collegi ex ipsis diplomatibus, manifestum est pagum Einriche ad occasum per-*
C *tigisse usque ad Rhenum : nam Walmichi, nunc* Welmich, *viculus est parœciæ* St-Goars-hausen; *Bruibach, nunc* Braubach, *paulo inferius in ripa dextra Rheni jacet; Logenstein autem, nunc* Lahnstein, *ad Loganæ et Rheni confluentem surgit;* Drinspringen *et* Dorenbach *villæ sunt vici Kemel, ad septentrionem oppidi* Langenschwalbach, *super via, qua ex Wiesbaden Confluentes itur. Et quidem vult Besselius* (16), *neque dissentit Hontheimius* (17), *Wiesbaden pago Einriche conclusum fuisse; quo a Moguntia non multo abfuerit spatio. Unde Besselius id compertum habuerit, non indicat; sed ideo non* D *abnuerim, quoniam verisimile est fines pristinæ diœcesis Trevirensis et pagi Einriche in illis partibus easdem fuisse.* Overdieffenbach, *nunc* Oberdiffenbach, *et comitatus Marivelis, nunc Marienfels, prope Nastälten, et* Gambrikero marcu, *dein* Gembrica *et* Gembrighe, *nunc autem* Gemmerich, *ad occasum æstivum Idsteinii* (18), *in medio fere sunt telluris, quam hactenus definivimus. Ubi autem sit Urefo, non novi. Ad orientem porrectus fuit idem ille pagus ultra rivum Emisam* (Ems), *quum Prichina, quam* Nieder-Brechen *et* Ober-Brechen, *super viam Francofurtum inter et Limburgum positæ, repræsentant, in dextra ripa sita sit; in qua orientali ripa infra Prichinam apparet in Vogleri Nassaviensi medii ævi mappa vicus* Aendricke; *a quo pagus nomen suum accepisse aut communicasse videtur. Utut id est, angustiores fines Wenckius* (19) *assignavit pago Einriche, quum ei ad orientem limites fuisse innuit villas seu parœcias rusticas* Kalten-Holzhausen, Hanstätten, Heringen *et* Niederneisen (*Nazinam*), *ad ripam dextram rivi Aar seu Arde; ex quibus incolæ constare volunt pagum Einriche* E *seu Hairich, strictiori significatione acceptum : multoque minus consentiendum est Voglero* (20), *cui etiam ille tractus tollendus visus est et concludendus pagus Einriche terminis decanatus seu capituli ruralis in Marienfels, quo ante Lutheranam reformationem continerentur sequentes parœciæ* (21) : Marienfels sedes, *quæ etiam caput pagi Einriche et comitis sedes Wenckio* (22) *visa est;* Didrot, Weiler, Nieweren, Larscheid, Lipporne et Waldrode; Braubach, Burnich et Cube; Inferior Diffenbach, Superior Diffenbach, Singhoben, Zurne, Lauffensel, Meilingen, Bachheim, Didrot in Valle, Holzhausen, Ascherbach, Rettrode, Osterspey, Oberwallmelach, Schweikhausen, Weissel, Robershoven, Oberlanstein, Hynicgoben, Frücht, Diedenthal, Obernhoff, Esten (*nunc Holzappel in dextra ripa Loganæ*), Habenscheid, Nastätten, Schönau. *Sed ad orientem multo latius patuit, quum utramque Emisæ continuerit ripam. Quod jam de septentrione est, volunt Besselius* (23) *et Hontheimius* (24) *in ripa septentrionali Loganæ fluvii usque ad Dillenburg pa-*
F *gum Einrich porrectum fuisse, eoque occupatum omnem eum tractum, quem superiori sæculo tenerent Nassavii Dillenburgenses, Diezenses, Catimelibocenses et Idsteinenses; neque eum proinde multo minorem fuisse quam præsentem ducatum Nassaviensem : verum in documentis, quæ afferunt aut indicant et quæ omnia in ipsis fontibus diligenter examinavi, nil hujusmodi traditur; adeoque tutius est pagum Einrich ad septentrionem fluvio Logana fere finire.*

et comitatus Arnsteiniani.

49 *Multo autem breviori spatio continebatur comitatus de Arnstein, quippe qui medius jace-*

(1) Hist. diplom. Trevir., tom. I, p. 375. — (2) Wenck, Katzenelenbogische Geschichte, p. 502 et seqq. — (3) Cfr Bernhard, Antiquitates Wetteraviæ, lib. III, cap. II, p. 229 et seqq. — (4) Cfr Wenck, Katzelenbogische Geschichte, p. 26, not. *c.* — (5) Cfr Browerus, Sidera Germaniæ, Vita S. Ludovici, p. 17, et Mappa diœcesis Trevirensis in tomo I Historiæ Lotharingiæ Calmeti. — (6) Beyer, Urkundenbuch zur Geschichte der Mittelrheinische Territorien, tom. I, p. 39. — (7) Ibid, p. 122. — (8) Ibid., p. 125. — (9) Ibid., p. 350, 387 et 388. — (10) Ibid., p. 356 et 366. — (11) Ibid., p. 373. — (12) Ibid., p. 473. — (13) Ibid., p. 697. — (14) Joannis, Rerum Moguntinarum, tomi II, p. 646. — (15) Gudenus, Codex diplomaticus, t. I, p. 358. — (16) Chronicum Gotwicense, Prodromus, part. III, p. 587. — (17) Historia Trevirensis diplomatica, tom. I, p. 73. — (18) Historische Topographie des Herzogsthums Nassau, p. 92. — (19) Katzenelenbogische Geschichte, p. 27, not. *b.* — (20) Historische etc., p. 68 et 69; Cfr Mappa Nassaviensis, ibid. — (21) Corden, Dictiones geminæ cum deductione originis etc., archidiaconorum Trevirensium, in specie Dikirchensis; ap. Wenck, Katzenelenbogische etc., p. 149. — (22) Katzenelenbogische etc., p. 88 et 89. — (23) Chronicum Gotwicense, part. III, p. 586 et 587. — (24) Historia Trevirensis diplomatica, tom. I, p. 72 et 73.

ret

A *ret inter vicinos comitatus de Nassawen ad ortum æstivum et Catimelibocensem seu Katzenelenbogen ad occasum hiemalem; quorum capita duo solum milliaria geographica a se invicem distant. Quod autem hi comitatus illo ævo jam exstabant, testimonium est biographus :* Comitiam suam, *inquiens*, dominis de Isenburg resignavit, quam ipsi dominis de Nassawen et de Catzenellenbogen postea vendiderunt. *Sensit Kremerus* (1) *eo pertinuisse ditiones de* Limburg, Schaumburg, Runckel *et* Westerburg; *quas resignasse B.* Ludovicum *dominis de Isenburg, hos autem vendidisse Nassavicis et Catzenelenbogensibus; sed nulla verisimilitudine* (2). *Si in sinistra Loganæ ripa constiterit,* Arnstein *cepisse dumtaxat,* Hollerstein, Salscheid, Selbach *et* Polseich *dicendus est; si ad dextram ripam extensus fuerit, insuper* Langenau, Weinder, Winnen *et* Dies. *Alia enim loca non video attributa comitatui Arnsteiniano in Mappa Hoffmanniana et Wenckiana comitatus inferioris Catzenelenbogensis.*

B § IV. B. Ludovici ejusque uxoris Gudæ conversio. Instituta et fata fratrum conversorum et monialium Præmonstratensium.

B. Ludovicus, *sterili uxore, facinora sua recogitans, motusque exemplo consanguinei, qui in monasterio a se fundato canonicus Præmonstratensis factus erat, atque hujus sociorum sanctitate,*

Vixit in sæculo B. Ludovicus *facile usque ad ætatis annum quadragesimum; nam quum* ministerialium suorum consilio super conjugalis copulæ matrimonio perurgeretur, primo manum misit ad fortia; *quo intelligatur festinatas non fuisse ejus nuptias. Ducta uxore,* diuque sterili permanente et spem prolis infœcunda negante, cœperunt pro successore tantæ hæreditatis misericordiam Domini votis omnibus implorare; *quæ nonnisi de matrimonio aliquot ab annis celebrato dici queunt. Hæc ipsa conjugis sterilitas maxime valuit ad convertendum B.* Ludovici *animum ad orationem; quo factum est ut paulatim cum Deo agere cœperit et recogitare sua facinora, potissime quod castrum suum speluncam latronum fieri siverat : non tamen singulari exemplo, ut Historiæ occidentalis Jacobi a Vitriaco caput* III de rapinis et exactionibus potentum per se et per satellites suos, et de variis eorum criminibus *manifestum facit. Quum itaque ad divinæ gratiæ operationem paratum esset ejus cor, venit ad ejus aures exemplum Ottonis, comitis de Reveninge, qui et de Crudorp, qui S. Norberti* admonitione et instinctu sæculum reliquerat et hæreditatis suæ prædia Deo et S. Mauritio tradiderat; ex quibus in loco competenti *B. Magdeburgensis præsul* juxta Salam fluvium, *prope oppidum Kalbe, quatuor leucis geographicis a Magdeburgo ad orientem hiemalem* (quem *locum* Gratiam Dei appellavit, in honore B. Victoris, prioris patroni sui *scilicet in Xanten ad Rhenum*, cujus et reliquias de Xanto adduxerat,) monasterium construere inceperat (3) *anno* 1131 (4),

C eumdemque virum, sæculo renuntiantem, in ecclesia, cujus fundator extitit, canonicum fecerat et in diaconatus ordinem promoverat (5). *Tanto majoris auctoritatis erat apud B.* Ludovicum *exemplum, quod, teste biographo, ejus erat* consanguineus : *sed neque Leuckfeldius, qui singulari libro* (6) *historiam monasterii Gratiæ Dei prosecutus est et in natales fundatoris inquirere tentavit; neque Blanpinius, qui in annotatis ad Vitam B.* Ludovici (7) *idem argumentum non neglexit; neque Hugo, qui solito melius de Gratia Dei disseruit* (8); *neque demum Georgius Lienhart, qui in Ephemeridibus hagiologicis ordinis Præmonstratensis Ottonem laudavit ad diem 2 augusti; neque alius quisquam (quem norim) reperit quomodo Otto de Reveninge sanguinis communitatem cum* B. Ludovico *habuerit. Accedebat ad Ottonis exemplum castigatissima primorum Gratiæ Dei canonicorum Vita sub regimine sanctissimorum præpositorum.* Primus *enim* ecclesiæ illius præpositus exstitit Emelricus; *qui, liberandæ terræ sanctæ studio inflammatus,* post breve transmarinavit, *ut loquitur Montissereni chronographus* (9). Post quem, *sic pergit ille idem,* E Evermodus, postmodum Ratesburgensis episcopus, provisor loci ordinatur. *Eratque hic beatissimus vir, quem nunc ad diem 17 februarii officio liturgico colunt Præmonstratenses, Gratiæ Dei præpositus, quum tantopere hoc institutum adamavit B.* Ludovicus, *ut statuerit castrum suum in canoniam immutare et se in eadem consecrare Deo.*

AUCTORE V. D. B.

statuit monasterium condere in suo castro Arnsteiniano; ubi ipse frater conversus fit :

51 *Id factum anno* 1139. *Ivit scilicet ad Gratiam Dei beatus vir; ubi aliquandiu moratus est, donec ei facta est promissio brevi post ejus reditum integram canonicorum coloniam, quæ pro more ad exemplum collegii apostolici ex abbate et duodecim canonicis constare debebat, secuturam. Mox verbis fides addita est et duodecim canonicis adjuncti fuere fratres conversi totidem, duce Godefrido, Magdeburgensi olim scholastico atque ab ipso S. Norberto ad novam religionem traducto; cujus laudes satis celebrat biographus. Interea consensit Guda, B.* Ludovici *uxor, in sui consilia viri, qui statuerat conversorum habitum expetere et Deo soli vivere. Licet enim jam pridem conversos in Belgio atque alibi non admittant Præmonstratenses, initio tamen aliis* F *utebantur moribus, imitatione Camaldulensium aliorumque eremitarum, qui regulam S. Benedicti sequebantur , Cisterciensium , Grandismontensium et aliarum novarum congregationum : et quidem medio sæculo* XII *passim erant conversi etiam in antiquis Benedictinorum monasteriis. De qua re egregiam disputationem instituit Joannes Benedictus Mittarelli* (10); *atque ipse aliquid tentavi in Commentario de B. Bertholdo, converso in Parmensi S. Alexandri parthenone* (11), *qui forte ex hoc hominum genere primus cælitum honores initio sæculi* XII *promeritus est. Licet autem hæc omnia ad monachos pertineant, a canonicis tamen aliena non sunt; adeoque ad exemplum monachorum conversos suos instituit S. Norbertus.*

(1) Origines Nassavicæ, tom. I, § 72, not. 9 et § 87 et 88. — (2) Katzenelenbogische Geschichte, p. 244, not. *e.* — (3) Chronicum Magdeburgense, ap. Meibomium, Rerum Germanicarum, t. II, p. 327. — (4) Chronicum Montissereni, ap. Hoffmannum, Rerum Lusaticarum t. IV, p. 35. — (5) Ib. pag. cit. — (6) Historische Nachricht von dem Prämonstratenser Kloster Gottes-Gnade bey Calbe an der Saale, Magdebourg, 1720. — (7) Ap. Hugonem, Antiquitatis sacræ monumenta, t. II, p. 38. — (8) Annales Præmonstratenses, t. I, col. 763 et seqq. — (9) Ap. Hoffmannum, Rerum Lusaticarum t. IV, p. 35. — (10) Annales Camaldulenses, t. I, app., p. 336 et seqq. — (11) Acta SS., t. IX Octobris, p. 410.

AUCTORE V. D. B. *quæ singularia huic hominum generi servanda essent;*

52 *Hi autem a canonicis omnino diversi erant, et in famulorum potius conditione habiti quam sodalium. Vestitus eorum plane distinctus aut forma aut colore : et quidem cappæ eorum, non albæ, sed griseæ* (1); *scapularis forma angularis, ad modum scuti ante et retro decisa; insuper barba non rasa, ut alibi fratrum barbatorum : quæ constant ex decreto capituli generalis anni* 1306, *quo decernitur, quoniam* propter indistinctionem habitus candidi et rasuram seu tonsuram conversorum multa scandala jam dudum per ordinem universalem provenerant, quatenus de cætero sub pœna carceris, (monitione prius habita, ut decet,) deferrent scapularia angulariter ad modum scuti decisa, ante et retro, usque ad cingulum, et etiam barbas suas deferrent sine tonsura et rasura, prout in antiquis ordinis statutis plenius continetur; quatenus appareret distinctio inter canonicos et conversos (2). *De officio divino, quod recitare tenentur, hæc præscribebantur in mss. statutis ordinis, dist.* IV, *cap.* 11 (3) : Fratres, ut vocant, conversi seu laïci eodem
B tempore surgant et eadem hora ad Matutinum veniant et eodem modo inclinent, quo conventus. In Matutinis dicto *Pater noster*, *Ave Maria, Credo in Deum* et *Credo in Spiritum sanctum*, erigant se dicendo sub silentio : *Domine, labia mea aperies, etc.* Deinde dicent pro Matutinis viginti quinque *Pater noster*. In festis duplicibus et dominicis diebus maneant usque ad finem Matutinarum : in aliis vero diebus exeant ad Laudes, si velint. In Vesperis dicant quindecim *Pater noster*. In aliis vero quibuslibet horis, scilicet Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio dicent septem *Pater noster*, et post Completorium dicant semel *Pater noster*, *Ave Maria* et utrumque *Credo*. Singulis septimanis pro fratribus, sororibus et benefactoribus nostris centum *Pater noster*. Pro proprio abbate, canonico vel alio mortuo, pro quo debentur tres Missæ, infra triginta dies dicant quinquies centum *Pater noster*. Pro parentibus vero nostris, pro quibus venia petitur in capitulo, dicant quinquaginta *Pater noster*. Alias horas, sive canonicas, sive beatæ Virginis, recitare non tenentur; quia, quamvis sint professi et ex bonis monasterii vivant, tamen pro
C temporalibus et corporalibus exercitiis assumuntur, ut in sudore vultus sui vescantur pane suo : proinde sufficit eis quotidie dicere prædicta *Pater noster* et audire Missam et Completorium, si fieri possit et nisi magna necessitas excuset. [Quoties autem dicunt *Pater noster* pro horis, toties etiam *Ave Maria* dicere debent.] *Quæ his uncinis inclusi, æstimo postea addita, tum quoniam tunc temporis Salutatio angelica multo minus in usu esset quam nunc; tum quod loco suo fuissent scripta, si ab initio inserta essent : certe tunc non dicebantur postrema verba :* Sancta Maria, *etc.* (4). *Postea non multum immutatæ orationes, a fratribus conversis Præmonstratensibus recitari jussæ* (5).

c veram vitutem fessus est

53 *Passim illo ævo in monasteriis benedictinis habebantur conversi servorum loco, et servili cibo vescebantur, ubique a monachis separati; adeoque servitutem potius profitebantur propter Deum quam vitam communem. Non dubito quin eadem fuerit conditio converserum inter Præmonstratenses, licet professionis formula, quæ in statutis recentioribus* (6) *reperitur, a canonicorum diversa non sit, nisi quod conversi inserant pauca verba, uncinis conclusa :* Ego Frater N. [ad statum conversorum assumptus] offerens trado meipsum ecclesiæ N. *etc. Sed putem initio aliam fuisse formulam : et quidem in iisdem illis statutis pristini servitii servata est memoria; ubi jubentur conversi* (7), evoluto probationis anno, facere coram notario et testibus, et in præsentia prioris et supprioris, vel aliorum a prælato deputandorum, suam traditionem et donationem, qua se ipsos et omnia (si quæ habent) temporalia bona Deo et ecclesiæ N. IN PERPETUUM SERVITIUM et usum tradant et donent, abdicata a se ad sæculum redeundi et bona repetendi omni potestate, ea tamen conditione ut ab ecclesia, cui se suaque tradunt, alantur aliaque necessaria ab eadem recipiant. *De bonis suis ante susceptum hoc vitæ genus disposuit B.* Ludovicus, *cæterum se omnino subdens voluntariæ illi, sed perpetuæ servituti. Præclarum humilitatis, pœnitentiæ et pietatis exemplum, non tamen inter Præmonstratenses singulare. Excitantur a Joanne Lepaige* (8) *B. Guido, Branensis comes, beatæ Agnetis filius, conversus Præmonstrati; Godefridus, Namurcensis comes, Floreffiæ; Roardus, Scotiæ regis filius, Buciliaci; Gerardus, Ninoviensis princeps et comes stabuli, Ninovæ; B. Folcoldus, Teisterbandiæ comes, Bernæ; B. Aldericus, princeps Franciæ, in cœnobio Wossenich; B. Henricus, Arnesbergensis comes, in monasterio Wedinghausensi; et demum Beringerus, baro a Schusseriet, Sorethi. Eodem illo tempore passim in Cisterciensium cœnobiis similia divina gratiæ miracula cernebantur. Prædicantibus enim BB. Norberto et Bernardo eorumque primis discipulis aut sola earum vitæ sanctitate cognita, ubique fere inter omnes ordines virorum, militum æque ac clericorum, assurgebant* violenti *qui* regnum cælorum raperent. *Sensit Hermannus Laudunensis* (9), *qui et Tornacensis, scriptor coævus, plurimis suffragantibus*, nullius post apostolos conversationem in sancta ecclesia tantum fructum in tam
F brevi spatio temporis fecisse *quantum S. Norbertum;* licet enim, *sic pergit*, aliqui dicant domnum Bernardum, abbatem Clarævallensem, eodem tempore non minus fructificasse, tamen si quis diligentius attendat, puto quod Norbertum præcellere non negabit. *Sed nil juvat de sanctorum meritis disputare, nobisque sufficit ambo illa cælestis misericordiæ instrumenta admirari.*

administrandis tamen rebus maxime occupatus fuit.

54 *Quamvis autem conversorum professio id ferret ut sub servitutis jugo in sudore vultus pane suo vescerentur, quum tamen laudata a S. Gregorio Magno Regulæ benedictinæ discretio a superiorum oculis numquam abesset, non imponebant omnibus eadem rustica et gravissima servitia; sed pristinæ conditionis et status plu-*

B. Ludovicus, *ut complures alii magnates;*

(1) Le Paige, Bibliotheca Præmonstratensis, p. 219. — (2) Ibid., p. 23. — (3) Ibid., p. 226. — (4) Acta SS. tom. VI Octobris, pag. 1108 et seqq. — (5) Cfr Statuta canonici ordinis Præmonstratensis, renovata anno 1630, dist. II, cap. 24, p. 141 et seqq. — (6) Ibid. Dist. I, cap. 17, pag. 56. — (7) Ibid. Dist. II, cap. 24, pag. 147. — (8) Bibliotheca Præmonstratensis, pag. 311. — (9) De Miraculis S. Mariæ Laudunensis, lib. III, cap. VII, ap. Dacherium, Opp. Guiberti de Novigento, app. pag. 547; et ap. Migne, Patrologia latina, tom. CLVI, col. 996.

rimam

A *rimam habebant rationem. Nobilibus itaque et sæpe aliis committebatur bonorum administratio, atque etiam, maxime fundatoribus, fiebat facultas ut monasteria visitarent, in novis ordinandis domibus magnam partem haberent, obices et difficultates externas tollerent, verbo multa agerent quæ prima specie a conversorum sorte plane videantur aliena. Nequaquam itaque mirum videri debet si B.* Ludovicus *post conversionem in comitatu Friderici, ducis Sueviæ, versatus fuit; si ab eo monasterium Munstre accepit; si moniales de Bethlenrode in Vallem S. Mariæ transtulit; si ad allodium suum de Bubenheim iverit; in Moguntina diœcesi apud Otternheim inter ministeriales B. Stephani Metensis frequenter fuit illicque accepit villam Gumersheim et puellare cœnobium condidit, atque alia multa ejusdem generis egit; et si demum* sæpe solebat per abbatis licentiam ecclesias quas fundaverat et ipsarum prædia visitandi gratia circuire.

Monialium Præmonstratensium, quarum instituta ven. Guda, B. Ludovici *uxor, amplexa est,*

55 *Singularis S. Norberti aliquandiu gloria habita fuit quod, ut loquitur Hermannus Laudunensis* (1), cum sexu virili etiam femineum ad conversionem suscipi constituit; *tantoque successu ut paulo post ejus mortem* plusquam decem millia feminarum in monasteriis crederentur contineri. *Et quidem, quoniam accurante B.* Ludovico, *non solum Arnsteinii, ubi uxorem suam Gudam inclusit, sed aliis etiam in locis erecta fuerint puellaria ordinis Præmonstratensis monasteria, operæ pretium erit etiam hoc argumentum explicare; eo magis quod illo ipso tempore grandis mutatio in illud institutum invecta est. Initio scilicet monasteria duplicia fuerant, ita ut eodem ambitu, ædibus tamen omnino diversis, viri degerent et mulieres : quæ res illo ævo in aliis plurimis castigatissimis cœnobiis seu novis congregationibus tentata est.* Castis siquidem, *Jacobi de Vitriaco, sæculo* XIII *ineunte scriptoris* (2), *verba sunt*, matronis et viduis sanctis et Deo devotis virginibus, velut lapidibus pretiosis, ad ornatum et pulchritudinem tam sanctæ et honestæ religionis convenientibus, quasi ex duobus virorum et mulierum perietibus, uno angulari lapide conjunctis, jucundum Deo constructum est habitaculum... Moniales si-
C quidem adeo inclusæ infra septa monasterii tenebantur, quod ad eas nullus hominum patebat ingressus. Et quoniam in choro et ecclesia non cantabant, sed tantum in silentio orationi vacabant, psalteria sua legentes, et horas canonicas vel beatæ virginis Mariæ, secreto, cum omni humilitate et devotione dicentes, commorabantur seorsum ejusdem ordinis sacerdotes et clerici, viri probati et religiosi; qui, eis in divinis officiis servientes, confessiones earum per fenestras audiebant, et eas certis temporibus verbis divinarum Scripturarum instruere et informare studebant. *Iisdem fere laudibus easdem feminas prosequitur Hermannus Laudunensis, his usus verbis* (3) : Feminis, mox ut conversæ fuerint, perpetua dein lex manet, semper intra domus ambitum clausas retineri; nusquam ulterius progredi; nulli viro, non modo extraneo, sed nec germano aut propinquo loqui, nisi ad fenestram in ecclesia, duobus viris conversis cum viro exterius, et duabus feminis cum illa interius residentibus et quidquid dicitur audientibus. In ipso etiam conversionis initio, mox ut suscipiuntur, ad resecandam omnem superbiam et carnalem voluptatem, etiam capilli earum usque ad aures tonduntur; utque magis Christo cælesti sponso placeant, pro ejus amore in fragili et illecebrosa carne omnino deturpantur. Nulli deinceps pretiosam vestem nisi ex lana vel ovinis pellibus licet habere, nulli velum sericum more quarumdam monialium, sed vilissimum panniculum nigrum super caput portare. Et cum in tanta districtione et vilitate cum silentio sciantur esse reclusæ, miro tamen modo, Christi operante virtute, quotidie videmus feminas non modo rusticas, vel pauperes, sed potius nobilissimas et ditissimas, tam viduas juvenculas quam etiam puellulas, ita conversionis gratia spretis mundi voluptatibus, ad illius institutionis monasteria festinantes.

AUCTORE V. D. B.

fata et continua cessatio.

56 *Verumtamen ex hac canonicorum et canonicarum vicinia orta sunt ab initio fere gravia incommoda; ita ut B. Hugo, primus S. Norberti discipulus et in regendo Præmonstrato successor, paucissimis post fundatoris mortem annis, anno nempe* 1137, *boni consuluerit in capitulo generali procurare ut firmo decreto monasteria duplicia vetarentur* (4), *et ut secundum id anno* 1141 *moniales, sibi proxime subditæ, Fontenellam, semotum una leuca a Præmonstrato locum, ablegare* (5). *Sed id universim factum non est, et paulatim inolevit pluribus locis nimia confabulandi facilitas.* Postquam *itaque, Jacobum de Vitriaco denuo narrantem induco*, fenestræ, *per quas initio tanta modestia et cautela sermones necessarii miscebantur*, in ostia converterunt, et, primo fervore tepescente, improvida securitas torporem et negligentiam inducere cœpit, dormiente ostiaria in fervore diei, Isboseth percussus est in inguine; et, dum archæ sentinam perforavit inimicus, aquis a parte inferiori subintrantibus, multi utriusque sexus in limo submersi perierunt.... Prudenter igitur, licet sero, in generali capitulo Præmonstratenses unanimiter firmaverunt, quod
F fœminas de cætero in ordine suo non essent recepturi. *Quæ merito ita interpretanda esse statuit Pagius* (6) *ac si decretum fuisset duplicia monasteria cessatura et moniales in singularibus sedibus longe a canonicorum consortio esse locandas; hisque parthenonibus suos assignandos esse reditus. Recte; sed id certum est plerosque abbates, maxime in Galliis, expensis novorum asceteriorum deterritos, abstinuisse a semovendis monialibus, et maluisse nullas novas admittere, donec omnes mortuæ essent et puellaris congregatio exstincta : ita ut capitulare decretum valuerit ad delendum partim in Galliis Præmonstratensium monialium nomen quum integrum sæculum nondum mortuus esset S. Norbertus. Hujus enim exstinctionis irrefragabilis testis est Jacobus de Vitriaco, quippequi alio loco, docens principio vix moniales Cistercienses fuisse, easque deinde plurimum au-*

(1) De Miraculis etc., loc. cit. — (2) Historia occidentalis, cap. XXII, p. 323 et 324, Duaci, 1596. — (3) De Miraculis S. Mariæ Laudunensis, lib. III, cap. VII, post Guiberti Opp. p. 548; ap. Migne, tom. CLVI, col. 996. — (4) Cfr. Remling, Geschichte der Abteien und Klöster in Rheinbayern, tom. II, p. 138. — (5) Le Paige, Bibliotheca Præmonstratensis, p. 422. — (6) Ibid. p. 352.

ctas

AUCTORE V. D. B.

ctas numero, incrementum id deducit ex Præmonstratensium abolitione: Postquam, *inquit* (1) Præmonstratensis ordinis viri timorati et religiosi, sapienter attendentes et familiari exemplo experti quam grave sit et periculosum ipsos custodes custodire, in domibus ordinis sui feminas jam de cætero non recipere decreverunt : multiplicata est sicut stellæ cæli et excrevit in immensum Cisterciensis ordinis religio sanctimonialium. *Cave tamen ne credas ubique cessasse Præmonstratenses moniales; ad hoc negotium reditum est anno* 1270, *quum in capitulo generali Walterus de Obbais, Floreffiæ abbas, pro virili promovit suppressionem monialium in universo ordine et decerni procuravit ut nullæ amplius admitterentur ad habitum, sed admissæ in cœnobiis suis mori sinerentur* (2): *quod tamen decretum non ubique in Belgio, Germania aliisque plagis servatum est. Sed hæc posterioris sunt ævi. Secundum primæva itaque instituta* paratur, *ut loquitur B.* Ludovici *biographus,* primo omnium dominæ Gudæ comitissæ in sinistro montis latere mansio specialis; ubi, mutato habitu, clausa semper,
B nusquam progrediens, strictioris cibi parcitate ante habitas delicias et numerosa quondam fercula redimebat : per fenestram modicam divina frequenter auscultabat officia, psalmis et orationibus intenta. *Verum* nobilium militum filiæ de Einriche, servitio Domini per exemplum dominæ Gudæ comitissæ mancipatæ, *non permissæ sunt pro novis statutis illic sedem suam figere, sed* (*ut suo loco videbimus*) in vallem S. Mariæ translatæ sunt. *Quare errasse videtur Browerus, dum illic monialium congregationem aliquandiu exstitisse innuit* (3); *ædicula tantum Gudæ, templo adstructa, illic fuit.*

§ V. Fundatio abbatiæ Arnsteinianæ.

Fundatio et dotatio monasterii Arnsteiniani

C **P***ostquam itaque instituta, quantum sufficere visum est, explicuimus, veniendum jam est ad monasteria, in quibus fundandis partem maximam habuit B.* Ludovicus. *Venit primo loco Arnsteinium, cujus exordia anno* 1139 *a biographo consignata sunt; atque hoc* ipso tempore pater in Christo, jam dictus Godefridus, a venerabili Adalberone, Trevirorum archiepiscopo *et ab anno* 1135 (4) apostolicæ sedis in Teutonico regno, *id est per provincias seu diœceses Trevirensem, Moguntinam, Coloniensem, Saltzburgensem, Bremensem et Magdeburgensem* (5) *legato,* in generali *seu totius diœcesis Trevirensis* synodo solemniter est ordinatus *præpositus. Tunc enim rarius dicebantur abbates Præmonstratensium prælati* (6). *Videtur hæc synodus festis pentecostalibus anni* 1140 *celebrata esse. Certe Browerus aut Masenius, cui præter B.* Ludovici *Vitam alia scripta Arnsteiniana in manibus fuerunt, alio anno novi monasterii fundationem, alio Godefridi benedictionem constituit : re quidem vera illam* D *anno* 1138, *hanc anno sequenti annectit* (7); *sed hæc imprudenti calamo elapsa. Constat enim manifeste ex biographo B.* Ludovicum *se suaque anno* 1139 *in manus Godefridi tradidisse; et in Conspectu synodorum Germaniæ* (8), *quas Binterimius et Flossius anno* 1851 *meditabantur in lucem dare, ad annum* 1139. *nulla Trevirensis synodus cernitur, sed ad annum dumtaxat sequentem. Aliquid de ejus actis novisse videtur Browerus* (9), *siquidem ad hunc cœtum convenisse narret cum ordinis utriusque principes, tum viros religione et doctrina præcipuos, atque in ea actum de rescindendis vitiis, prævalidis jam, ac pæne adultis et passim erumpentibus. Valde verisimile est quod eadem occasione* (*nam in aliis synodis id genus diplomatum concessit*) venerabilis dominus Albero, Treverensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, comiti et fratribus de Arinstein pro salute animæ suæ et suorum successorum perpetua donatione contradidit et privilegiis confirmavit *ea omnia quæ B.* Ludovicus *ejusque uxor Guda in novi asceterii dotem dederant. Verum nemo ad hanc diem hoc diploma edidit, quod* E *tamen exstitisse certum est, tam ex illo biographi loco, quam ex Innocentii papæ II literis, anno* 1142 *datis. Accipe solemniores has literas, jam ab Hugone* (10), *ab Hontheimio* (11), *Kremero* (12) *et nuperius ex autographo exemplari a Beyero* (13) *cum publico communicatis.*

confirmata ab Innocentio papa II

58 Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Godefrido abbati Arnesteinensi eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc universalis ecclesiæ cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, et beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Oportet igitur omnes christianæ fidei amatores religionem diligere, et loca venerabilia cum ipsis personis divino officio mancipatis attentius confovere, ut nullis pravorum hominum inquietentur molestiis, vel importunis angariis fatigentur. Proinde, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus cle- F
menter annuimus, et Arnesteinensem B. Dei genitricis semperque virginis Mariæ et gloriosi confessoris Christi Nykolai ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus : inprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus secundum B. Augustini regulam et institutionem fratrum Præmonstratensium perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Nullus etiam fratrum post factam professionem alicujus levitatis instinctu vel districtioris religionis optentu ex eodem claustro audeat sine abbatis totiusque congregationis permissione discedere. Discedentem vero nullus abbatum vel episcoporum nullus monachorum

(1) Hist. occidentalis, cap. xv, p. 305. — (2) Hugo, Annales Præmonstratenses, tom. I, p. 7. — (3) Annales Trevir. lib. xiv, num. 34, tom. II, pag. 41. — (4) Browerus, Annales Trevirenses, tom. II, p. 33. — (5) Ibid., pag. cit. — (6) Le Paige, Bibliotheca Præmonstratensis, p. 547. — (7) Annales Trevirenses, tom. II, p. 41. — (8) Prospectus, Supplementum Conciliorum Germaniæ, p. 8. — (9) Annales Trevirenses, t. II, p. 41. — (10) Annales Præmonstr., tom. I, prol., col. cxix. — (11) Hist. Trevir. diplom., tom. I, p. 548. — (12) Origines Nassavicæ, tom. II, p. 164. — (13) Urkundenbuch zur Mittelrheinischen Territorien, tom. I, p. 581.

vel

A vel clericorum sine communium litterarum cautione suscipiat. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona tam ex dono vel concessione illustris viri Lodewici et Godæ uxoris suæ quam aliorum Dei fidelium in præsentiarum juste et canonice possidetis aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus in perpetuum et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam s. Margaretæ cum decima; ecclesiam Kirechdorp cum decima et ceteris suis pertinentiis sicut a fratre nostro Alberone Treverense archiepiscopo vobis rationaliter concessa esse dinoscitur; Selebach cum omni possessione sua, sicut a præfato archiepiscopo vobis concessa est; Hatenhusen; Welterodhe; Gozemerodhe; Holdenroich; cum omnibus earum pertinentiis; vineas et silvas in Neven; et Brunme cum omni jure et dominio, sicut præfatus Lodewicus vobis concessisse dinoscitur; Bovenheim cum ecclesia et omnibus
B possessionibus suis; Wize et Becherheim. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere præsumat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur; sed liceat vobis communi consilio, vel parti consilii sanioris secundum Dei timorem et B. Augustini regulam absque ullius contradictionc abbatem eligere. Porro loci vestri advocatiam nullus invadere vel usurpare præsumat, nisi quem abbas et fratres secundum Deum et ipsius loci utilitatem proviserint eligendum. Decernimus ergo..... præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Bene valete. Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Stephanus Prænestinus episc. Ego Stantius presb. card. tituli s. Savinæ, Ego Guido cardin. presb. tt. s. Grisogoni. Ego Rainèrius presb. card. tt. s. Priscæ. Ego Gregorius diac. card. ss. Sergii et Bachi. Ego
C Otto diac. card. s. Georgii ad Velum aureum. Ego Guido diac. card. ss. Cosmæ et Damiani. Ego Petrus diac. card. s. Mariæ in Porticu. Datum Laterani per manum Gerardi, S. Rom. ecclesiæ presbiteri cardinalis ac bibliothecarii. II Kal. octobris. Indictione VI. Incarnationis dominicæ anno MCXLII. Pontificatus vero domni Innocentii II papæ anno XIII.

et Conrado rege.

59 *Quo hæc firmiora essent voluerunt B.* Ludovicus *et Guda ut hæc ab Conrado rege etiam confirmarentur; prout manifestum est ex sequenti diplomate, anno* 1146 *Spiræ solemniter dato atque in lucem jam edito a Blanpinio seu Hugone* (1), *ab Hontheimio* (2), *Gudeno* (3), *Kremero* (4), *atque etiam Beyero* (5). *Quum id quoque ad* B. Ludovici *gesta singulariter pertineat, omittendum visum non fuit.* I. N. S. E. I. T. Conradus divina favente clemencia rex romanorum secundus. Notum sit cunctis Dei fideli-

AUCTORE V. D. B.

bus tam futuris quam præsentibus, quod comes Ludewicus de Arenstein et Guda comitissa uxor sua, Spiritu sancto inspirante, miro modo operante ubi vult, prædia sua libera, hereditarie ab eis possessa, S. Petro in Treverensi ecclesia obtulerunt: hoc tantum jure, ut abbas, quem cænobio, ex possessionibus suis pro remedio animarum suarum in honore S. Mariæ et S. Nicolai et S. Margaretæ constituto, præfecerunt, locum et dignitatem suam in Treverensi synodo obtineat; et conventus fratrum suorum liberam electionem abbatum habeat; et quemcunque velit advocatum sibi præstituat. Decreverunt etiam ex castello suo nomine Arenstein tabernaculum militiæ Dei cum fratribus Deo ibidem ad imitationem canonicorum Præmonstratensium sub regula B. Augustini continue servientibus constituere; et reliqua sua prædia, tam invia quam pervia, tam saltuosa quam plana, prata, pascua, decursusque aquarum, saltus nemorum, piscationes, venationes, ad hoc cænobium pertinere, et ejusdem loci homines, ad eandem curiam pertinentes, virum videlicet IIII denarios, mulieres vero II persolvere. Hæc autem sunt E
nomina locorum ad ecclesiam prædictæ cellæ suo jure pertinencium: Selbach, Kirchtorf ecclesia scilicet cum omni decima, Gozmirod ac Kebirlo, Weltrod, Hattinhusen, Salscheit, Holdenrucke, tres hubæ de Syngobin, Brunenbach, duæ hubæ de Pissenhophen, Neiven cum vineis et silvis, Wezhe, Bubinheim cum ecclesia et omni ejusdem villæ populo, una huba alterius villæ etiam nomine Bubinheim, quæ singulis annis X solidos persolvit. Nos itaque voluntati eorum consentiendo petitioni suæ satisfecimus, et dispositionem et statutum de omnibus suis possessionibus cum præsignato jure regali nostra auctoritate confirmavimus; cujus confirmationis testes subscriptos adhibuimus. Sigefridum Spirensis ecclesiæ episc. Bucconem Wormatiensem episc. Wolnandum Lorsamensem abbatem; Benedictum abbatem Hirzinburchensem; Fridericum ducem, Hermannum palatinum comitem; Heberhardum, Emichonem, Eckebertum, Udalricum, Heinricum de Catzinelenbogin, Bobbonem de Hennenberch, Adelbertum de Lewinstein, comites omnes; Udalricum de F
Thurningen, Godefridum de Spaneim, Gerlacum de Isinburch, et reliquos plures ejusdem conditionis. Signum domni Conradi regis romanorum secundi. Ego Arnoldus cancellarius vice Heinrici Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi. Acta anno domin. incarn. M.C.XLVI. ind. VII. regnante Cunrado romanorum rege secundo, anno vero regni ejus VII. Data Spiræ. Feliciter. Amen.

Advocatia, prius libera, dein concessa archiepiscopis Trevirensibus,

60 *Singularis beneficii loco putaverant hactenus Arnsteiniani, quod nullus comes aut princeps hæreditario jure aut certa lege eorum esset advocatus et quod quem vellent eligendi facultatem haberent. Verum hæc initio omnium fere monasteriorum fuerat conditio; sed quum tunc temporis in hominum moribus esset et (ut ita loquar) natura, ut omnia officia in beneficia converterentur et hæreditaria fierent, hinc peri-*

(1) Sacræ antiquitatis monumenta, tom. II, p. 44; Annales Præmonstr., tom. I, prol., col. CXXI. — (2) Hist. Trev. diplom., tom. I, p. 552. — (3) Codex diplomaticus, tom. II, p. 10. — (4) Origines Nassovicæ, tom. II, p. 167. — (5) Urkundenbuch, tom. I, p. 599.

culum

AUCTORE V. D. B.

culum erat ne suos quoque hæreditarios advocatos nanciscerétur Arnsteinium : quæ plaga plerumque erat maxima. Nedum enim multi pro muneris sui nomine ecclesias Deique servos tuerentur, quasi harpyiæ inhiabant eorum bonis, prius plerumque mercedem, dein quidquid sibi lubitum esset exigentes aut vi rapientes; neque ulla diœcesis magis ab hac peste passa erat quam Trevirensis (1). *Ab hac itaque tyrannide ut liberum esset Arnsteinium, prudenter consultum est advocatiam conferre uni archiepiscopo Trevirensi, a quo cæterum pendebat monasterium, utpote a lege diœcesana nondum exemptum; atque etiam ab initio ea ratione datum Trevirensi præsuli, ut penes hunc dominium directum esset, et dominium dumtaxat utile penes canonicos. Verumtamen hi postea nixi sunt se illis impedimentis liberare, contendentes* monasterium ad imperium immediate respicere, gladii plenario jure gaudens (2); *sed in id non consenserunt Trevirenses archiepiscopi : unde diutinus processus exortus est. Cui anno* 1756 *finem imposuit amica compositio, qua Arnsteiniani confessi sunt se supremæ auctori-*
B *tati electorali subesse* (3). *Atque hæc evidenter fuit primæva eorum conditio, ut jam in aliis literis videre fuit, multo autem clarius in Hillini, Adalberonis in Trevirensi sede successoris. Has licet jam ediderint Blanpinius et Hugo* (4), *Hontheimius* (5), *Gudenus* (6), *Kremerus* (7) *et Beyerus* (8), *hic quoque damus quoniam nuspiam majori in luce collocantur Arnsteinianæ origines.*

ut patet ex Hillini archiepiscopi literis.

61 I. N. S. E. I. T. Hillinus, Trevirorum archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus. Si in sacrosanctis evangeliorum libris mulier vidua, in gazofilacium duo mittens minuta, a Domino, eo quod nichil sibi retinuerit, plus aliis, qui etsi maiora non tamen omnia sua obtulere, laudata est; multo magis nos eos, qui se suaque fideli devotione relinquentes divinis per omnia mancipaverunt obsequiis, honorare et diligere, atque ex injuncto nobis divinitus pontificatus ac legacionis officio manutenere debemus; et contra omnes injuriosorum incursus defensare et communire quantum possumus; ut nos quoque, bonis eorum operibus studio nostro cooperantes, remunerationis perpetuæ cum ipsis participare queamus. Qua-
C propter notum facimus tam futuris quam præsentibus, quod illustris comes Lodewicus una cum præclara conjuge sua Guda, temporibus venerandæ memoriæ prædecessoris nostri domini Alberonis, castrum suum quod dicitur Arenstein una cum omni allodio suo pro cælestis regni amore abdicantes, B. Dei genetrici Mariæ sanctoque Nicholao, prompta voluntate obtulerunt, et ut ibidem vita canonica secundum regulam B. Augustini et ordinem Præmonstratæ domus, in perpetuum servetur, disposuerunt. Procedente vero tempore, ordinatis jam inibi fratribus, locum ipsum cum omnibus pertinentiis suis ecclesiæ B. Petri, cui nos Deo auctore præsidemus, hortatu ejusdem prædecessoris nostri absque omni census pensione contradiderunt, et ab eo pro recompensatione tantæ devotionis quædam bona, quæ prius ipse Lodewicus ab archiepiscopatu D
Trevirensi in feodum habuerat, jure proprietatis perpetuo possidenda receperunt. Nos igitur justis eorum petitionibus annuentes, sub nostra tuicione et sedis apostolicæ, cui legationis gratia in Teutonico regno subministramus, defensione eundem locum cum omnibus prædiis, et possessionibus vel quibuslibet bonis, hactenus sibi contraditis vel deinceps justa ratione tradendis defensandum suscipimus. Has itaque possessiones præfatæ ecclesiæ in Arenstein privilegii nostri auctoritate communimus: videlicet Bovenheim quod est in pago Wormaciensi cum ecclesia, decimis et hominibus, cunctisque reditibus ejus, ita quod nulli seculari potestati subjaceat; in archiepiscopatu Moguntino in villa Wisze XXX mansus, et claustrum in Gomersheim. cum omnibus appendiciis ejus; item in archiepiscopatu nostro, in villa Hattenhusen VIII mansus; in Weltrode IIII mansus; et villam Gozmerode cum omni jure præter duos mansus; in Brunenbach unum mansum; et curtim Holdenrucke cum omni jure; et Salscheid cum omni decima; in Singoven tres mansus; in villa E
Neve et Breme vineas, agros, silvas, et decimam selectæ terræ; in Campe curiam et vineas; item ecclesiam s. Margaretæ in Arenstein legitima donatione contradidit. Præterea curtim Selebach, et ecclesiam de Kirchtorph, quæ præfatus prædecessor noster piæ mem. Albero eidem ecclesiæ in Arenstein contulit, nos quoque pro remissione peccatorum nostrorum et omnium successorum nostrorum archiepiscoporum ad usus fratrum inibi Deo servientium contradimus, cum omni jure et integritate, cum hominibus scilicet ac decimis universis ad ecclesiam Kirchtorph pertinentibus; ipsamque ecclesiam sicut et illam B. Margaretæ in Arenstein a jure synodali, et ab omni servicio archiepiscopi, archidiaconi, vel decani penitus emancipamus; et omnem decimam utriusque parrochiæ ex integro concedimus; et sicut ab antecessore nostro indultum esse cognoscimus. Si qua bona fratrum infra nostrum episcopatum de loco ad locum transferri contigerit, ab omni thelonei vel vectigalis onere esse absoluta statuimus. Hoc quoque confirmamus, ut nullus aliquo tem- F
pore supra prædicta bona constituatur advocatus; sed solummodo sub nostræ protectionis munimine sive successorum nostrorum tuta consistant. De cetero sanccimus, ut nullus unquam abbas ibi constituatur, nisi quem communiter libero consensu fratrum conventus elegerit. Si quis igitur (quod absit!) contra hujus nostræ constitutionis paginam temerario ausu venire temptaverit, severissimam divinæ indignationis ultionem persenciat, et timendi anathematis sentenciæ subjaceat, donec condigna satisfactione resipiscat. Conservatoribus autem hujus nostræ confirmationis vita, salus, pax et gaudium sine fine permaneat. Amen. Testes hujus rei sunt : Godefridus maioris domus præpositus et archidiaconus. Rudolfus decanus. et archidiac. Alexan-

(1) Cfr Würdtwein, De advocatis monasteriorum meditationes diplomaticæ, in tomo IV Monastici Palatini. — (2) Hugo, Annales Præmonstrat., tom. I, p. 202. — (3) Marx, Geschichte des Erzstifts Trier, part. II, tom. II, p. 187, not. 3. — (4) Annales Præmonstr., tom. I, prob. CXXII; Sacræ antiquitatis monumenta, tom. II, p. 46. — (5) Hist. Trevir. diplom., tom. I, p. 572.—(6) Cod. diplom., tom. II, p. 12.—(7) Orig. Nassov., tom. II, p. 176. — (8) Urkundenbuch etc., tom. I, p. 653.

der

A der archidiac. Bruno archidiac. et s. Florini in Confluentia præpos. Iohannes archidiac. Cunradus præpos. s. Paulini. Baldricus majoris domus scolasticus et s. Symeonis præpos. Bovo s. Castoris in Confluentia præpos. Robertus de Palaciolo præpos. Eustachius abbas de Arenstein. Sigerus abbas de s. Maximino. Bertolfus abbas s. Eucharii. Lodewicus de s. Maria veteri abbas. Godefridus abbas s. Martini. Richardus abbas de Sprinkirbach. Wichmannus abbas de Luneche. Wolframus abbas de Wadengocinge. Heinricus abbas de Rumerstorph. Hildelinus abbas de Sconaugia. Wichmannus abbas de Grunowe. Heinricus comes de Luzcelenburg. Albertus comes de Chisnei. Sifridus comes de Vianna. Arnoldus de Sercha. Cuno de Malberg. Willelmus Marscalcus. Gerhardus de Hasch. Hermannus de Palacio. Fridericus de Marceto. Fridericus Aureus. Acta sunt hæc Treveris, IIII Kal. Novembris, anno dominicæ incarnationis M.C.L.VI. Indict. quarta. Epacta VII. Concurrente VII. Anno pontificatus venerabilis domini Hillini Trevirorum archiepiscopi et apostolicæ sedis legati IIII. Feliciter. Amen.

B

Abbas Arnsteinianus et B. Ludovicus *bona vendunt sororibus de Insula et allodium de Offerdieffenbach aliaque accipiunt.*

62 *Anno* 1160, *ut Hillinus in diplomate testis est* (1), *Confluentiæ aliqua immutatio facta est in Arnsteinianis bonis; scilicet* abbas Richardus Sprinchirbacensis abbatem Harnestein et capitulum ejus convenit et allodium de Neive et de Bremme, ab eo et a fratre Lodvico, quondam comite, qui idem allodium ecclesiæ de Harnestein contulit, et toto capitulo, justa et legitima emptione, ad opus sororum de Insula, precio videlicet octaginta marcarum in nostra præsentia, *ait Hillinus*, comparavit; *ubi notabile est B.* Ludovicum, *licet hæc prædia jam pridem donasset, ut venditorem prodire: sed id decentiæ potius quam necessitatis causa factum. Octoginta autem marcæ pendebant (quum illic pondera Coloniensia in usu essent) grammatibus* 18704, *valebantque quantum* 57973 *franci; quorum potestas tanta hodie esset quanta francorum* 347,838. *Parthenon autem de Insula ab homonymo apud Treviros et Confluentes distinguendus est. Situs hic in diœcesi Moguntina prope Breimptam, dein cœnobium Stubense dictum et a B. Gisela secundum instituta canonica S. Augustini curis Richardi, abbatis Springirbacensis, incohatum* (2). *Triennio post, anno nempe* 1163, Hartradus de Merenberck et uxor ejus Ermengardis, consensu liberorum et heredum suorum, allodium de Overdieffenbach in Eynricha, cum ecclesia et viris ad ecclesiam pertinentibus, cum integritate decimæ ejusdem villæ omnibusque ad eam spectantibus appendiciis tam in agris quam in pratis, totamque decimam de Bettendorf et mediam partem decimæ de Schara, et quandam foresten (quæ dicitur Kamervorst) quæ spectat ad eamdem villam, et silvam totam quæ Burstenbach dicitur, præter quintam arborem quæ pertinet ad Kazeneleboge, ecclesiæ de Arenstein pro salute animæ suæ contulit et ad majorem facti firmitatem prædicta

C

omnia in manus *Hillini archiepiscopi* resignavit; eo scilicet tenore ne aliquis deinceps advocatus prædictæ villæ præter archiepiscopum Trevirensem proponeretur (3). *Cui dono adjecta ecclesia de Beslich in parochia de Dietkirchen, cum onere solvendi quotannis Trevirensibus archiepiscopis unum aureum seu duodecim argenteos Confluentinos. Vult Hontheimius* (4) *atque ante eum alii* (5) *Irmengardem B.* Ludovici *amitam fuisse, adeoque communitatem sanguinis et affinitatem aliquid ad hanc donationem valuisse; sed hæc propinquitas divinatione potius quam ullo argumento nititur* (6).

AUCTORE V. D. B.

Quæ tempore Innocentii II jam possiderent Arnsteinani.

63 *Hæc si recolligamus, manifestum est omnino ea omnia bona, quæ recenset biographus, ab initio data non fuisse Arnsteiniano asceterio, sed paulatim accessisse; quin etiam, quum scriberet, aliquot ex eis jam in alienas venisse manus. In Innocentii II diplomate B.* Ludovici *dono venit imprimis ecclesia S. Margaretæ cum decima, quæ ad pedem stat collis, in quo Arnsteinianum cœnobium consurgit atque nunc ab aliquot annis vecordia gubernii Nassavici ruinam trahit: dein in* Hatenhusen, *nunc* Attenhausen *prope Dietz in districtu Nassaviensi octo mansi; tertio in* Welterodhe, Welteroid, Weltrod, *non procul a Shönau in ducatu Nassavico, quatuor mansi; quarto villa* Gozemerode, Gozmirod, Gesmerod, *vulgo* Roth *seu* Grosroth *prope Kirdorf, in districtu Nassaviensi, cum omni jure* [*præter duos mansos* (7)] *et* [*cum curia seu prædio rustico* Keberlo, Kebirlo, Köberle, *item prope Kirdorf* (8)]; *quinto curtis* Holdenrike, Holdenroich, Holdenrucke, *nunc villa seu prædium* Hollerich *prope Selbach in districtu Nassaviensi; sexto agri vineæ et silvæ et aliqua decima in* Neive, Neven, *nunc* Neef, *ad Mosellam inter Kochem et Zell, non autem Neithof prope Arnstein, ut vult Wenckius* (9); *septimo item in* Brunme, Breme, Bremme, *item ad Mosellam, paulo infra Neef, propius ad Kochem: quæ ambæ possessiones anno* 1160 *devenerunt in manus sororum de Insula pretio* (*ut vidimus*) 80 *marcarum; octavo* Bovenheim, Bubenheim, Boumhain, Bubinheim, *prope Kirberg in ducatu Nassaviensi et in pristino pago Wormatiensi, cum ecclesia, decimis, hominibus, reditibus; nono in villa* Wizze, Witzen, Wisze, Weshe, *nunc* Ober *et* Nieder Wiesen, *in archiepiscopatu Moguntino trans Rhenum mansi triginta; decimo* Becherheim, *quod in uno Innocentii II diplomate occurrit. Hæc ex donatione B.* Ludovici. *Quibus accedebant dono Adalberonis archiepiscopi ecclesia de* Kirechdorp, Kirchtorff *seu* Kirdorf *in ducatu Nassaviensi, non procul ab Arnstein et Runkel. In diplomate Conradi regis venit quatuor annis post* Salscheit, *prædium prope Selbach, cum omni decima; tres hubæ seu mansi de* Syngobin, Singhovin, Singoven, *nunc* Singhoven, *prope Nassavium; unum mansum in* Brunenbach, *nunc* Hof zum Haus, *in tractu Nassaviensi; duæ hubæ de* Pissenhoven, Pissinhophen, *nunc* Pissighoven *prope Nastätten, quæ postea non amplius redeunt; in* Campe *ad Rhenum curia et vineæ:*

E

F

(1) Gunther, Cod. dipl. Rheno-Mosellanus, tom. I, p. 370; Beyer, Urkundenbuch etc., tom. I, p. 681. — (2) Zunggo, Hist. ord. canon. regular. prodromus, tom. II, p. 600 et 601. — (3) Hontheim, Hist. dipl. Trev., tom. I, p. 599; Beyer, Urkundenbuch, tom. I, p. 697. — (4) Ibid., loc. cit. — (5) Nachricht von der Commende Schiffenberg in der Merenbergischen Geslechtstafel; Fischer, Isenburg-Wiedische Geslechtsregister, p. 44 et seqq. App., p. 28, not. *b*. — (6) Cfr Kremer, Origines Nassavicæ, tom. II, p. 327. — (7) Diploma Hillini. — (8) Diploma Conradi et biographus. — (9) Katzenelenbogische Geschichte, p. 111, not. *b*.

quam

AUCTORE V. D. B.

quem vicum ante Arnoldi et Ludovici comitatui accensitum vidimus; et demum una huba alterius villæ etiam nomine Bubinheim, quæ singulis annis x solidos persolvit: *quæ mihi alibi obvia facta non est. Allodium de* Overdiefenbach, *quod Hartardi de Merenberg dono anno* 1163 *Arnsteinianis obvenit, prope Nastätten* (*ut alibi jam monuimus*) *situm erat; similiter* Bettendorf, *cujus decimam ille idem donavit.* Schura *autem seu* Scura, *nunc* Scheuern, *cujus mediam decimam Hartardus etiam contulit, in ducatu Nassaviensi; forestum de* Kamervorst *item apud Nastätten; neque inde procul silva de* Brustenbach, *nisi quod* quinta arbor (*biographus* octo arbores *habet*) pertineret ad Kazenelenboge *prope Nastätten. Ad quam recensionem hæc Broweri* (1) *verba addenda videntur :* Monent me periti talium tractu Loganæ quemque mansum, vetera cum novis componendo, arvi culti vel soli arabilis triginta jugera complecti, præter piscinas, pascua, silvas, quæ mansis includi solent; evariare tamen fructum pro loci et temporis natura. Albertus Crantzius lib. IV Wandaliæ, capp. xxv et xxix mensu-
B ram appendit cuique manso Holsaticæ ditionis modios (*seu maldra*) octonos siliginis et totidem avenæ, alibi denos tantum siliginis aut tritici tollunt. *Juger, in Germania pro locis valde diversum, continet aras seu pedes quadratos circiter* 40,000; *maldrum vero, non minus varium, hectolitris duobus fere æquivalet. Pleraque tamen mansa ex viginti hectaris constitisse censentur. Olim vero ex elocatis terris non multo plus uno pro centum de emptionis pretio perceptum fuisse demonstravi alibi* (2).

§ VI. Fundationes monasteriorum ad Dreisam, Vallis S. Mariæ et Enckenbacensis.

Quas partes habuerit B. Ludovicus *in fundatione seu ordinatione Münster-Dreisen,*

C In *Conradi regis diplomate recensetur etiam, sed alio omnino nomine*, claustrum de Gomersheim cum omnibus appenditiis ejus; *et in altero Hillini ecclesia de* Beslich in parochia de Dietkirchen; *in quibus ambabus moniales Præmonstratenses collocari curavit B.* Ludovicus. *Quæ res nos revocat ad aliorum monasteriorum fundationes, in quibus venerabilis vir insignem partem habuit, et quas ordine chronologico jam explicare tentabo. Venit itaque primo loco cœnobium virile, haud procul a Bolanden ad Montemjovis seu Tonitrui* (Donnersberg) *ad rivum Primmam* (Primmbach) *in pago Nachgowe positum, cui vulgare nomen* Münster-Dreisen *seu* Münster-Treisen (3). *Condiderant illud primitus anno* 863 *Nantharius comes ejusque uxor Cunegundis sub patrocinio S. Saturnini martyris, et S. Benedicti regulam servandam indixerant; quod incoluerant sanctimoniales, donec Hungari in has irruissent partes, atque, omnia cædibus rapinisque funestantes, Christi sponsas ad fugam adegissent* (4). Locus *deinde* secundo jam et sanctimonialibus et viris canonicis, videlicet regularibus, ad divinum servitium deputatus fuerat, *ut traditur a biographo; sed* ab omni penitus exciderat disciplina, ita ut canes venatici in sanctuario ecclesiæ discurrerent. *Cujus rei testis fuit anno* 1144 *Fredericus de Hohenstaufen, dux Sueviæ et Alsatiæ, frater Conradi III, paterque Friderici Barbarossæ, Romanorum imperatorum; qui quum illius tractus advocatia fungeretur seu comes provincialis esset* (*quod munus postea penes Theodoricum, inferioris Alsatiæ comitem, factum est*), *commiseratione commotus, pro ea quæ tum vigebat spiritualis et civilis auctoritatis conjunctione ac confusione, B.* Ludovicum, *consanguineum suum, quem in comitatu suo habebat, rogavit ut* ibidem monasticæ religionis observantiam ordinaret; *qui quum annuisset*, dilecto comiti et converso locum eumdem cum omni proprietate bonorum contradidit : *quemadmodum narrat biographus. Operam quoque suam contulit novi fundatoris filius, Fridericus Barbarossa, atque etiam qui ibi residebat Anselmus præpositus, ut aliquantisper cresceret restaurati asceterii dos. Eorum itaque suasu Beatrix et Mathildis, comitissæ seu marchionissæ Tusciæ, dono dederunt, præter alia bona* E *in Waleswilre, octodecim mansos, simul cum decimis et ecclesia de Stetten* (5); *cujus patronatum cesserunt anno* 1231 *canonici Wormatienses* (6).

ei interventu Conradi imperatoris a Frederico de Hohenstaufen commendati :

65 *Atque hæc omnia diplomate confirmavit Conradus imperator; quod quum ad B.* Ludovici *laudem nonnihil conferat, id hoc loco excudendum visum est* (7). In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Cuonradus divina favente clemencia Romanorum rex secundus. Religiosorum petitionibus aurem pietatis accommodare et quæ ad Dei cultum pertinent summo benivolenciæ studio promovere regiæ liberalitatis est, cujus honor judicium diligit. Unde in æterna vita condignam bonæ mercedis retributionem et in temporalis regni administratione gloriam nobis accrescere confidimus. Eapropter omnium tam futurorum quam præsentium noverit industria, quod vir illustris Fridericus, noster germanus, dux Sueviæ et Alsaciæ, nostram celsitudinem adiens, petiit quatenus ecclesiam quandam, a Nanthario quondam duce et uxore ipsius Chunigunt in
F honorem Dei et Domini nostri Jesu Christi et sancti Saturnini martyris ædificatam, congruisque sanctimonialium et Deo devotarum feminarum disciplinis ordinatam, sed jam longis retro temporibus ab omni cultu divino et Deo servientium frequentia destitutam, tandemque ad suæ dominationis provintialisque comitis Theoderici potestatem devolutam, in pristinum suæ dignitatis et religionis robur per nostram regiam auctoritatem revocaremus. Itaque ex ejus petitione et consensu eamdem ecclesiam sancti Saturnini in pago Wormaciensi tunc, in episcopatu Moguntino sitam nunc, commisimus regendam et ordinandam Luodewico comiti de Arnestein, et fratribus apud Arnestein, qui sub canonica beati Augustini regula et ordine Præmonstratensi congregati sunt : ea ratione ut deinceps

(1) Sidera Germaniæ, Vita B. M. Ludwici Arnsteinii, p. 28 et 29. — (2) Acta SS., tom. IX Octobris, p. 217. — (3) Cfr Würdtwein, Monasticum Palatinum, tom. V, p. 441; Remling, Abteien in Rheinbayern, tom. II, p. 103. — (4) Remling, t. II, p. 104. — (5) Ibid., p. 105. — (6) Schannat, Hist. Wormatiensis, tom. I, p. 52. — (7) Acta academiæ Palatinæ, t. I, pag. 297.

ullius

A in omni cura et ordine præfato loco absque ullius personæ contradictione provideant. Possessiones vero et prædia, quas præfatus Nantharius et uxor ejus prædicto venerabili loco tradiderunt, ad usum et sustentationem Deo ibidem servientium per præsentis paginæ auctoritatem prænominatæ ecclesiæ et ipsius provisoribus omni cum integritate restituimus, ac perpetua stabilitate confirmamus : videlicet in villa et in marca, quæ dicitur Dreisa, mansos XVIII cum omnibus ædificiis et utriusque sexus mancipiis ; in villa Albesheim mansos II ; in villa Dakenheim mansos III ; in ville Bizzrihesheim quicquit possederunt ; in villa Elmuotesheim mansos II ; in villa Enslitheim mansos III ; in villa Munnesheim mansum I ; in villa sancti Albini solvens solidos X ; in villa Muterstat mansum I ; in villa Munzenheim mansum I ; similiter in villa Seleza curtem dominicalem cum omnibus ædificiis et mancipiis et mansos XX ; villam quoque Gibinezbach cum mancipiis utriusque sexus ; et monasterium, quod in civitate Mo-
B guntia est, cum omnibus suis appendiciis quæ subscripta sunt, mansi XXII, et vineæ ad carratas vini XXX ; similiter villam Neutriswilre et nemus ejusdem villæ ; et Tilentkiriche cum omnibus appendiciis suis ; Alsenzbrunne mansos II ; ea etiam bona, quæ Beatrix et Mathildis, marcionissæ Tusciæ, pro animabus suis et maritorum suorum Godefridi et Bonifacii, admonente comite Friderico nepote nostro, atque præposito præfatæ ecclesiæ Anshelmo, ad idem monasterium contulerunt. Nos quoque petitione et consensu sæpe dicti ducis ad eundem locum restituimus et confirmamus omnia videlicet quæ præfatæ nobilissimæ feminæ possiderunt ; in loco qui dicitur Steten scilicet XV mansos ; persolventes quotannis V solidos minus quam IIII libras, et tres mansos dominicales ; insuper ecclesiam et omnem decimam, familiam scilicet utriusque sexus, reditus, et vectigalia, et granum quod persolvitur de silva, cum omni justicia et compositione sua, et ea omnia quæ habuerunt in loco Waleswilre tam in silva et pratis et plaustro ; quod persolvitur de montanis quam in omni-
C bus pertinentiis. Hæc omnia quæ a prænominatis personis ad sæpe dictum venerabile monasterium collata tradita sunt, sub ea rationis firmitate renovando confirmamus, quatenus eadem possessionis ab omni tam præfati germani nostri ducis Friderici provintialisque comitis Theodorici de inferiori parte Alsaciæ, quam aliarum potestatum, comitum videlicet et vice comitum, atque advocatorum ditione et potestate sint liberæ, et a cuncta exactione seu vexatione immunes, eis tantum debitæ pensionis summam exhibentes et de omni legum compositione subjacentes, qui pro tempore ipsi monasterio ordine canonico præfuerint. Concedimus autem tam præscriptas possessiones quam eas quæ in futurum ibidem fratres Deo servientes justis modis acquisierint proprium suæ libertatis jus obtinere : nullo eos prohibente, uti et frui quæsitis et acquirendis, viis et inviis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, molendinis, et omni fructu, qui ex eisdem possessionibus in omne tam futurum quam præsens tempus capi poterit. Si quis vero (quod absit!) hanc nostram confirmationem infringere temptaverit ; centum libras auri purissimi componat : quarum partem dimidiam cameræ nostræ, reliquam vero præfatæ ecclesiæ Monasteriensi persolvat. Ut autem hæc pagina firma et inconvulsa omni deinceps tempore permaneat, quam juxta tenorem privilegii Luodewici regis secundi, qui temporibus Nantharii ducis in orientali Francia XXXII annis regnaverat, conscribi mandavimus ; sigilli nostri impressione eam insigniri jussimus ; manuque propria, ut infra videtur, corroborantes. Qui præsentes aderant testes subternotari fecimus. Quorum nomina hæc sunt : Fridericus Magdburg. archieps ; Bucco Wormatiensis eps ; Sigefridus Spirens. eps ; Imbrico Wirzb. eps ; Egilbertus Babenbergensis eps ; Heinricus Marerensis eps ; Utto Cicensis eps ; Otto Frisingens. eps ; Wicgerus Brandeburg. eps ; Heinricus Ratispon. eps ; abbas Stabulinensis ; Cuonradus præpositus sereniss. regis ; Adelbertus, marchio de Saxo- E nia ; marchio Cuonrad de Witin ; marchio Dioboldus de Bawaria ; Godefridus provintialis comes de Thuringia ; Rapoto comes de Abinberc ; Boppo comes de Loufe ; Adolfus comes de Berge et filius ejus Eberhardus ; Otto comes de Rincke ; Otto palatinus comes de Witlingesbach ; et alii tam clerici quam laici qui interfuerunt. Signum domini Cuonradi, Romanorum regis secundi. Ego Arnoldus, cancellarius vice Heinrici Monguntini archiepisc. et archicancellarii, recognovi. Anno Dominicæ incarn. M. C. XLIIII, indict. VI, regnante Cuonrado Romanorum rege II, anno vero regni ejus VII, data apud Babenberg in Cristo feliciter.

AUCTORE V. D. B.

66 *Præpositus itaque Anselmus amotus est ; et quum B.* Ludovici *gesta Arnsteinianis canonicis probata fuissent, non tamen visum est novos colonos omnes Arnsteinio educere : hæc enim ipsa domus recentior erat.* Habito *itaque* fratrum suorum concilio, *denuo in Saxoniam perrexit beatus vir et* sex canonicos de Gratia Dei probatæ conversationis elegit ; *quibus adjunxit* F *pater Godefridus alias personas idoneas*, præficiens eis Marquardum, capellanum comitis, *qui cum pristino hero suo ad summam virtutum enitebatur. Inde conflatus est justus canonicorum numerus, duodecim nempe cum abbate ; et introducti fuerunt anno* 1145. *Marquardo successit Burchardus, qui sanctissimum virum in Gummersheimensi parthenone ultimis sacramentis ad mortis agonem munivit. Exstitit illa abbatia, filiali jure Arnsteinianæ obnoxia, usque ad annum* 1553. *Biennio scilicet ante Julius papa III Friderico II, comiti Palatino, potestatem fecerat supprimendi duodecim religiosas domos earumque bona academiæ Heidelbergensi et cultus divini in capella castrali augmento attribuendi ; quas inter Münsterdreisen* (1). *Id exsecutioni datum die* 6 *septembris anni* 1553, *clavibus a cellerario Valentino Weissbrod in manus rectoris Joannis Wagenmann et decani S. Spiritus Wendelini Sprenger traditis. Sed*

illius monasterii fata.

(1) Vide instrumentum ap. Remling, Klöster in Rhein-Bayern, tom. I, p. 319. Cfr. Acta Academiæ Palatinæ, tom. I, p. 387 et 388.

AUCTORE V. D. B.

brevi post dedit Fredericus III religiosam domum bonaque fratri suo, Georgio von Simmeren, qui ea dein ministerialibus in feodum concessit. Bello tricenario recuperare tentarunt Monasterium Arnsteiniani; sed irrito conatu. Postea emerunt principes Nassavienses, qui et ad finem proximi sæculi superioris possederunt (1).

Ordinat beatus vir parthenonem

67 *Monasterio, ad Dreisam condito, successerunt brevi aliæ fundationes : quarum una faciem quasi habet multiplicem.* Et sanctimoniales, *ait biographus*, quæ prius apud Bethlenrode, tunc Steden commorantes, in quarum collegio erant nobilium militum filiæ de Eynriche, servitio Domini per exemplum dominæ Gudæ comitissæ mancipatæ, in Vallem sanctæ Mariæ transtulit; de quibus postea cœnobium dominarum, quod dicitur Enckenbach, transplantavit. *Quibus continetur duorum cœnobiorum fundatio : quorum alterum primo in Betlenrode, dein in Steden et demum in Valle sanctæ Mariæ constitutum est; alterum vero, prioris colonia, in Enckenbach ab initio constitit. Paulo uberius hæc explicemus. Quum* B. Ludovicus *omnino ad Deum conversus est,*
B *mirabiles excitati fuerunt animorum motus; ita ut plures ex ejus ministerialibus, qui ante prædonum more viverent, ejus exemplum secuti fuerint. Non minus valuit apud fœmininum sexum Gudæ, ejus uxoris, mutatio; pluresque idem vitæ institutum amplecti statuerunt. Verum, quum monasteria duplicia (ut supra declaratum fuit) decreto capituli Præmonstratensis vetita essent, non licebat eas Arnsteinii admittere; quamobrem congregatæ sunt in Betlenrode, quæ prima Vallis Mariæ seu Marienthalensis cœnobii sedes dicenda est et quam in pago Einriche sitam esse scripsit Remlingus* (2), *quoniam in hoc* collegio, essent nobilium militum filiæ de Eynriche; *sed nullus illic locus est (quem sciam), cujus nomen aliquantisper cum Betlenrode conveniat : verumtamen ab hac sententia recedendum non est, quum* Steten, *nunc* Steden, *secunda hujus parthenonis sedes, in illis partibus sit.* Steden *enim, quemadmodum ex accuratissimis hujus regionis mappis topographicis mihi constat, jacet in ducatu Nassaviensi in ripa dextra Loganæ fluvii, paulo infra Runkel* (3), *aliquot leucis a Limburgo ad ortum*
C *brumalem; hinc in Hugonis Annalibus Præmonstratensibus* (4) *dicitur Steden* comitatus Runcaliæ villa. *Errat autem plurimum Remlingus mansum* Steten *in viciniam Kircheim-Bolanden, in pristinam diœcesim Wormatiensem, transferens, quod illic Marienthalensibus multa bona essent.*

Vallis S. Mariæ; cujus fata indicantur :

68 *Porro dubitandum non est, quin utrobique præpositus ab Arnsteinio res spirituales et temporales monialium procurarit. Sed mutavit hanc legem B.* Ludovicus, *quum parthenonem in viciniam Monasterii ad Dreisam transtulit novoque eum nomine Vallem S. Mariæ nuncupavit. Ab hoc enim tempore ex Monasterio ad Dreisam assumpti fuere præpositi. Id jam sub annum* 1145 *factum fuisse tradit Remlingus* (5), *quo vade nescio; Hugo* (6) *autem, nitens proculdubio circariarum catalogis, ejus initia anno*
D 1140 *illigat, quoniam ea a prima sede computat. Sed quidquid est, apparet paucissimo tempore moniales illas versatas esse in Betlenrode et Steden. De tertia sede seu Valle S. Mariæ solum superest pulcherrimum B. Mariæ templum, anno* 1478 (*si bene legitur inscriptio chori*) *consummatum. Jacet autem ad septentrionale Montistonitrui latus, infra fontes rivi Appelbach, medios inter colles et in trium vallium (si dicere liceat) trivio. Archiepiscopo Moguntino obnoxium erat cœnobium, quod in ejus diœcesi jacebat, et comitibus Sponheimensibus, qui sæculo* XIV *materna hæreditate advocatorum officium nacti fuerant : quam advocatiam in feodum dederunt comitibus de Dhaun ratione comitatus de Falckenstein, cujus simul pars erat. Postquam autem initio floruisset, paulatim dein bona sua amisit, donec, sæculo* XVI *hæresi prævalente, bello rustico, quæ supererant moniales aufugerunt. Die* 7 *septembris anni* 1553 *universitas Heidelbergensis templum parœciale occupavit, quoniam Julii III diplomate in Monasterii ad Dreisam jura successerat. Hinc orta lis inter Palatinum seu universitatem, nitentes pontificiis*
E *literis, et comitem de Falckenstein, advocatiæ jura allegantem; quam die* 14 *januarii diremit Caroli V imperatoris auctoritas, ea lege ut Falckensteiniana domus possessionem cœnobii et omnium bonorum, sexcentis florenis adversæ partis solutis, inire posset : atque ex eo tempore Falckensteiniani hac præda locupletati sunt* (7).

similiter Enckenbacensem;

69 *De monialibus Vallis S. Mariæ* postmodum cœnobium dominarum, quod Eynkenbach dicitur, transplantavit *B.* Ludovicus, *ut traditur a biographo; id est ex congregatione Vallis S. Mariæ selegit moniales, quas in* Enckenbach *destinavit, quum cœnobium dominarum illic instituit. Neque multum a se invicem distabant Vallis S. Mariæ et* Enkenbach, *quum hic locus etiam situs sit ad radices Montistonitrui, in Palatinatu inferiori, in diœcesi Moguntina; et quidem in vicinia Monasterii ad Dreisam, unde præpositum et omne auxilium spirituale accipiebat; duabus leucis a Lutracæsarea seu* Kaiserslautern *ad ortum æstivum; in valle, collibus arenosis, sed fertilibus, circumdata* (8). *Ejus fundationem ad annum* 1148 *consignat Hugo, Præmonstratensis annalista* (9); *quam rem ex*
F *Circariarum catalogis facile nosse potuit. Præcipuam dotem dedit vir quidam illustris nomine Hunfridus; qui, grandi excitato ædificio, locum cum circumjacentibus agris Monasterio ad Dreisam contulit, ea lege ut illic moniales Præmonstratenses instituerentur. Procuravit itaque B.* Ludovicus *ut illuc ex Valle S. Mariæ introducerentur, accitis ex Dreisensi monasterio canonicis qui rem earum spiritualem et temporalem procurarent* (10). *Voluisse autem dicitur ut nonnisi nobiles admitterentur; unde* cœnobium dominarum *appellari.*

cujus causa excitata jurgia,

70 *Verum non multo post orta sunt jurgia inter Otterbergenses, qui, Stephano abbate, egregio viro omnibusque acceptissimo, Cisterciensium instituta observabant, et Enckelbacenses, S. Norberti leges sequentes. Quorum origo ex sequenti ipsius Stephani narratione facile co-*

(1) Remling, tom. II, p. 111 et 112. — (2) Klöster von Rhein-Bayern, tom. II, p. 165. — (3) Cfr Vogel, Historische Topographie des Herzogthums Nassau, p. 227. — (4) Tom. II, p. 1033. — (5) Klöster von Rhein-Bayern, tom. II, p. 165. — (6) Annales Præmonstratenses, tom. I, ad fin. Præf. *Circaria Vadegotiæ.* — (7) Remling, tom. II, p. 164 et seqq. — (8) Ibid. tom. II, pag. 138; Hugo, Annales Præmonstratenses, tom. I, col. 647. — (9) Tom. I, col. cit. — (10) Historia episcopatus Wormatiensis, tom. I, pag. 163.

gnoscitur.

A *gnoscitur*. Notum esse cupio, *inquit* (1), quibusque fidelibus, quod dominus Degenhardus, ministerialis imperatoris, amitæ meæ filius, qualiter ecclesiæ nostræ prædium, sibi a parentibus suis jure hæreditario derelictum, in Erlenbach donaverit. Hic itaque, monachus apud nos factus, semetipsum atque idem prædium sanctæ Mariæ et nobis donavit legitima traditione et in eadem voluntate et opere mansit annis quinque; postea vero, instabilitatem animi sui secutus et regularis disciplinæ rigorem abhorrens, a nobis discessit et Enckenbach se contulit : prædium, quod jam non suum sed nostrum, illi loco secundo tradidit. Habebat autem quondam fratrem, Arnoldum nomine; qui, seductus a Brunichone, avunculo suo, præfatum prædium pro isto illis tradidit. Cumque tali occasione prædium nostrum niteretur sibi vendicare, coacti sumus justitiam de eo interpellare; et tam ipse quam dominus [*Cuno de*] Genther, [*gener ejus*], anathemate eliminati sunt ab ecclesiastica communione. *Sed postea lis ita composita est ut decem talenta argenti acciperet Arnoldus; Cuno*
B *de Genther et Eckebertus de Lutra, ejus generi, decem solidos; tantumdem filius Joannes; Wernherus, alter filius, caballum; et Otterbergenses prædium recuperarent.*

nonnisi post mortem beati viri sopita, et reliqua fata breviter declarantur;

71 *Dum autem hæc lis agitaretur, nobiles in diversas partes abierunt. Et quidem, quum Hunfridus, quem Remlingus* (2) *nil dubitans cognomine de Falckenstein designat, (nixus forte diplomate anni* 1185 *de finibus Otterbergensibus constituendis* (3), *ubi inter testes venit* Hunfridus de Falckenstein), *sed quum Hunfridus faveret Otterbergensibus, cœnobium Enckenbacense Monasteriensibus abstulit et ad Otterbergenses transtulit. Quo coactus est Degenhardus discedere aut Otterbergensium imperio subesse. Sed quum jurgium de prædio Erlenbach cessavit, Hunfridus,* communicato consilio et assensu parentum suorum, ab Odderburg possessionem per alterius donationis recompensationem amicabiliter exemit et Monasteriensibus legitima donatione contulit; *qui deinde* illam proprietatem per quinque annos quieta possessione conservarunt. *Sed quum B.* Ludovicus
C *viam omnis carnis iniisset, opportunum visum est Otterbergensibus denuo Enckenbacensem parthenonem sibi vindicare. Hinc lis inter utriusque cœtus abbates orta est; quam demum anno* 1190 *Conradus II, Wormatiensis antistes, supremus ab Henrico rege ad hoc judex constitutus, partes ad se vocavit; ubi* in præsentia cleri Wormatiensis et burgensium, sub numero legitimorum testium per sententiam exquisito, sufficienter probantes *quæ modo attulimus,* in causa obtinuerunt, *ut in literis publicis Conradi episcopi,* Dudoni, venerabili abbati Monasterii et Enkenbach, *inscriptis, legitur* (4). *Atque ita factum est ut hæc fundatio B.* Ludovici *non interierit, dum ipse adhuc in vivis esset. Verum licet deinde plura bona acceperit, conflictavit tamen fere semper cum ære alieno et paupertate, donec anno* 1557 *præpositus Michael Reyhold, Lutheri dogmatibus infectus perditisque moribus homo, certa sibi constituta pecunia, monasterium omniaque jura in potestatem palatini permisit. Post eum tamen venit alius præpositus, nomine Joannes; qui anno* 1564 *præpositura excedere coactus fuit, non secus ac quæ supererant moniales ex parthenone, electore Frederico III omnia bona sibi vindicante. Nulla hujus asceterii vestigia nunc supersunt, nisi antiquissimum templum cœnobiale.*

AUCTORE V. D. B.

§ VIII. Fundationes et fata monasteriorum in Gummersheim et Beselich.

Gummersheimensis parthenonis fundatio

Sequitur *post hæc Gummersheimensis parthenonis fundatio, quam in Indice circariarum et monasteriorum Præmonstratensium, ab Hugone Annalibus suis præmisso, ad annum* 1148 *referri video. Explicat satis luculente hoc negotium biographus. Olim habuerat beatus vir in pago Wormatiensi villam Bubenheim cum ecclesia, decimis, hominibus aliisque juribus : quæ Arnsteinio dono dederat : Verum, ut jam semel ex biographo monuimus,* sæpe solebat per abE batis licentiam ecclesias, quas fundaverat, et ipsarum prædia visitandi gratia circuire. *Quum itaque* ad allodium suum Bubenheim transitum faceret, frequenter ad Oternheim, in diœcesi Moguntina, *in Palatinatu, ad orientem Landaviæ,* diverterat apud quosdam ministeriales beati Stephani Metensis ecclesiæ, *quibus* fama celebris et conversatione dignissimus habebatur. *Hi itaque, pietate et religione sanctissimi comitis ad res divinas bonaque opera moti,* domos, agros et prata in *vicina* villa Gummersheim in laudem Dei pro remissione peccatorum suorum sæpius dicto comiti votis liberalibus obtulerunt. Ipse vero, habita ipsorum benevolentia ad laudem Domini non abusus, ibidem super Selsam rivulum in honorem Dei genitricis et beati Joannis evangelistæ oratorium construxit sanctimonialibus adunatis. *Fundationis diploma in lucem nondum venit, neque in libris quibus utor fundatorum nomina mihi occurrerunt. Quid, quod in diplomate anni* 1263 *B.* Ludovicus *ecclesiam* in fundo proprietatis suæ fundasse *dicitur? Sed, licet*
F *nævus ille sit, hoc tamen diploma partim primorum benefactorum nomina continet et testimonio est octoginta post mortem annis B.* Ludovicum *in ea fuisse existimatione ut* sanctæ memoriæ Ludovicus comes *in instrumentis publicis diceretur. Quare visum est hoc loco id denuo in lucem revocare* (5).

et diploma, in quo B. Ludovicus sanctæ memoriæ *dicitur.*

73 In nomine Domini. Amen. Philippus et Wernerus fratres, dicti de Falckenstein, omnibus Christi fidelibus has litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Cum piæ recordationis Wernerus avus noster de Bolandia, imperialis aulæ dapifer, et Philippus pater noster de Falckenstein ecclesiam sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ sanctique Joannis evangelistæ in Gummersheim, quam olim fundaverat sanctæ memoriæ Ludewicus comes et postea in Arnstein conversus in fundo proprietatis suæ, ipsam ecclesiam et omnes curtes et

(1) Würdtwein, Monasticum Palatinum, tom. I, pag. 254. — (2) Klöster in Rhein-Bayern, tom. II, pag. 139. — (3) Würdtwein, Monasticum Palatinum, tom. I, pag. 257. — (4) Schannat, Historia episc. Wormat. Probat. num. XCIII, pag. 87. — (5) Würdtwein, Monasticum Palatinum, t. V, p. 203 et seqq.

prædia

AUCTORE V. D. B.

prædia ejusdem, quæ sub eorum sita fuerant jurisdictione, ab omni exactione, petitione seu qualibet ingeniosa molestatione liberali clementia absolverint, quæ sita sunt in villulis suprascriptis : quorum nos clementiæ indulgentiam attendentes ac a nostris progenitoribus indignum ducentes aliquatenus degenerare, eandem gratiam ipsorum, quam præfatæ ecclesiæ indulserunt, ex parte nostra et omnium successorum nostrorum ratam habentes et acceptam, ab omni petitionum vel exactionum molestia, præsentis paginæ attestatione, unanimi consensu, libera ac liberali voluntate, pro Dei amore ac nostrarum remedio animarum, absolvimus, cum possessionibus eorum in nostro districtu constitutis, ac in perpetuum absoluta præsentium tenore ac vivæ vocis suffragio protestamur; accedente super hoc consensu et favore Philippi, dilectissimi patris nostri. Hæ sunt autem villæ, in quibus possessiones illæ sitæ sunt, quas ab exactionibus seu petitionibus decernimus absolutas : Gummersheim, Vreimersheim, Dalheim et Gimmenheim. Ut igitur hanc nostræ
B largitionis paginam nullus successorum nostrorum valeat aliquatenus violare, ipsam sigillo Philippi patris nostri de Falckenstein ac nostrorum munimine sigillorum decrevimus roborari. Actum et datum Valckinovæ anno Domini MCCLXIII. *Simile diploma dedit eorum consobrinus germanus Wernerus de Bolanden, imperialis aulæ dapifer; nisi quod loco villæ Vreimersheim scripsit Winoldesheim.*

fata hujus asceterii.

74 *Non sine gaudio intellexit etiam B.* Ludovicus, *quod Henricus, abbas Laurishamensis, anno* 1166 fundum ecclesiæ *suæ*, in vico Frenckenveldt, in termino villæ Gernesheim situm, sustentationi ancillarum Christi, in Gomersheim commanentium, sub annua pensione quinque unciarum, *cellerario Laurishamensi solvenda, dedit* (1). *Alia quoque bona deinceps adeptus est hic parthenon, qui sub abbate Arnsteiniano floruit usque ad annum* 1565. *In manuscripto enim codice, quem penes se habuit Würdtwein* (2), *hæc legebantur :* Hoc monasterium occupatum est anno 1565 a Palatino. Eodem anno abbatissa Apollonia de Bibelheim, priorissa Margaretha de Rheskeim*, duæ
* Zeiskeim ?
C conventuales Elisabetha de Hohenstein et Anna Jettia de Montzenberg omnibus bonis monasterii cesserunt; et singulis annis ad dies vitæ aliquot florenos, et omas aliquot vini, et siliginis aliquot maltra acceperunt. *Consentit Hugo* (3) *ab electore Palatino adhuc occupatum fuisse medio sæculo* XVIII. *Unde nescio quid sibi velit Georgius Christianus Joannis, Rerum Moguntinarum Serrarii nostri continuator, qui in Anselmo Casimiro hæc tradit* (4) : Parthenonis Gummersheim, prope oppidum Odernheim siti, eodem hoc anno (1644) habuit rationem *Anselmus Casimirus, Moguntinus archiepiscopus.* Cum enim cœnobii Wormatiensis, Marien-Münster vulgo appellati, et Cisterciensi regula devincti, moderatrix pluribus exposuisset quam prolapso res claustri illius essent statu, ostendebat, ni alii cuidam monasterio attribueretur, futurum ut possessiones illius contra piam fundatorum voluntatem profanos in usus converterentur. Quod ne fieret, haud cunctanter præcavendum esse censuit, ac dicto parthenoni Marien-Münster tabulis 13 augusti die confectis, cum omnis accessione proventus, in perpetuum adunavit. *Similia tradidit Oliverius Legipontius* (5). *Sed forte significare ambo voluerunt Gummersheimensis cœnobii bona, quæ ab hæreticis occupata non fuissent, Mariæmonasteriensibus ab Anselmo Casimiro fuisse concessa. Magna certe pars ab illis detinebatur :* namque, *ait Blanpinius apud Hugonem* (6), ab anno 1574 Gummersheimiani parthenonis facultates in usus prophanos conversæ erant, atque a vorace hæretico penitus absorptæ. Quin et hodiedum ibi sedet nonnemo curator, qui de monasterii proventibus in Creuzenach religionis præsidenti rationem quotannis exhibet. *Quid, quod Acta Academiæ Palatinæ omnino cum Würdtweinio conveniunt, testantia postremam cœnobii abbatissam, violatis religionis juribus,* cum conventualibus suis, in Frederici III electoris manibus illud reliquisse (7)?

D

F. *Fundatio et fata parthenonis in Beselich ;*

75 *Quinta demum B.* Ludovici *fundatio, quæ tertia est monialium, facta est Beselichi post Godefridi, primi abbatis, obitum; qui quidem abbas* 12 *octobris anni* 1151 *e vivis recessit* (8) : *facta ex altera parte ante finem anni* 1163, *quo dedit Hillinus, Trevirensis archiepiscopus, diploma de ea confirmanda. Porro ex hoc diplomate, quod supra num.* 62 *indicavimus, et ex biographo investigari facile possunt hujus asceterii origines. In parochia scilicet Dietkirchen, quæ ad dextram Loganæ fluvii, paulo supra Limburgum, neque longe ab Hadamaria ad orientem brumalem, consurgit, presbyter quidam, nomine Godefridus, ecclesiam construxerat, Beselich dictam. Qui quum novorum canonicorum et monialium pietatis et sanctimoniæ testis esset, cogitavit hanc suam fabricam ad Arnsteinianos transferre, ea lege ut sanctimonialium conventus illic institueretur, cum præpositura canonicorum, qui rebus spiritualibus et temporalibus præessent. Verum, ut alibi etiam videre fuit, libertatem amabant Præmonstratenses. Rogatus est itaque Alexander, Trevirensis archidiaconus,* in cujus archidiaconatu prædicta ecclesia F
constructa erat, *ut jura sua omnia cederet; quæ tanta erant quanta nunc vicarii generalis, præterquam quod ab arbitrio episcopi non pendebant. Sese exaudiri sivit Alexander archidiaconus. Advocatiæ jure, quod quam grave plerumque esset jam diximus, fruebantur domini de Katzenelebogen : atque hi hoc jus abdicarunt. Ecclesiam itaque,* ab omni jure liberatam, eo jure quo *Godefridus* eam possidebat, cum omni decima totius curiæ, tam animalium quam cæterorum fructuum infra curiam existentium, consensu domini Alexandri archidiaconi, ecclesiæ in Arenstein contulit. Rogatu *dein* et petitione Ludovici comitis in Arenstein, qui ejusdem loci ecclesiam a fundamento construxit et se ab hujus sæculi illecebris ad eandem ecclesiam ad serviendum Deo viventi transtulit, *quemadmodum ad finem diplomatis legitur, confirmavit hæc omnia archiepiscopus*

(1) Würdtwein, Monasterium Palatinum, t. V, p. 400 et seqq. — (2) Ib., p. 441. — (3) Annales Præmonstratenses, t. I, col. 107. — (4) Rerum Moguntinarum t. I, lib. v, p. 955. — (5) Monasticum Moguntiacum, p. 45. — (6) Sacræ antiquitatis monumenta, t. II, p. 49; Annales Præmonstratenses, t. I, col. 789 et 790. — (7) Acta Academiæ Palatinæ, t. I, p. 26. — (8) Hugo, Annales Præmonstratenses, t. I, col. 203.

Hillinus :

A *Hillinus : sed supra num.* 62 *jam partim dedimus instrumentum. Ineunte sæculo* XV *ab hostili manu tantum detrimentum passus est parthenon ut duæ dumtaxat superfuerint inter rudera et parietinas moniales. Sed, Deo favente, accesserunt aliæ virgines et refloruit asceterium, donec principes Nassavici protestantium placitis adhæserunt. Katzenelenbogenses itaque et Diezenses bona occuparunt anno* 1612, *idemque tentarunt Runkelienses de iis agris, qui in suo districtu jacebant. Unde orta est lis, quæ anno* 1615 *composita fuit, sed anno* 1624 *referbuit. Hæc dum agitaretur et quum nosocomium in pristinis ædibus erectum esset, venit ab imperatore Ferdinando II edictum, quo cassa facta est illa divisio et bona Arnsteinianis restitui jussa. Quod anno* 1628 *patratum est. Quæ dein consecuta sunt, placet paulo latius explicare, quoniam graves inde et diuturnæ simultates adversus societatem nostram ortæ sunt.*

cujus bona post conversionem principis Nassavii Hadamariensis et ditionis suæ, a Societatis Jesu viris peractam,

76 *Anno itaque sequenti* Joannes Ludovicus Nassavius, Hadamariæ princeps, qui, falsis Calvinianorum argumentis captiosisque tendiculis probe (ut sibi videbatur) armatus, ita sibi et causæ præfidebat, nullius ut catholici disputationis congressum pertimesceret, tamen, Viennæ cum esset, contracta cum nostris hominibus consuetudine, ab iisque protractus ad disputandum, manus dedit veritati, tanto virorum principum gratulatione ac potissimum Ferdinandi cæsaris, ut ipsemet cæsar sacramento ecclesiæ obligatum sacro chrismate muniendum et confirmandum obtulerit cardinali Cleselio urbis episcopo, eidemque frontem, rite (ut fert consuetudo) inunctam, suis ipse manibus vitta velaverit, præsentibus augustis liberis ac principe Neoburgico (1). Ut a populo quoque suo pestiferam propulsaret luem, consulto Hadamariam ab urbe Vienna venit. Tunc alia rerum facies oppido inducta, *in quo octoginta annos sola hæresis admissa fuerat.* Secum agebat princeps eductos e collegio Confluentino patres duos. Ut affuit, vocatos magistratus et optimates egregia oratione est allocutus. Se quidem, inquit, summo Dei O. M. beneficio exitiale Calvini toxicum, quod misere hausisset puer, aliquando evomuisse.
C Viderent ipsi quid agerent. Si salvi tamen esse vellent, hos deinceps audirent patres, veros divini verbi præcones scilicet, ad eosque siquid inciderit dubii referrent. Gratissimum id fore sibi, nec aliam esse rem, quam a carissimo ipse populo magis vellet. Ita loquenti assenserunt vehementer omnes. Erat enim propter singularem prudentiam et humanitatem populo acceptissimus. Ac secundum hæc, haberi conciones a patribus, a civibus frequentari cœptæ. Dicebant illi in præcipuo urbis templo; ac, paratiores opinione auditores nacti, semina futuræ messis jaciebant, quæ deinde in pulcherrimas fruges adoleverunt. Movebantur eo præsertim oppidani, quod concionatorum dictis facta respondere cernerent. Tum parsimoniam et frugalitatem ministrorum catholicorum cum aliorum avaritia et ingluvie comparantes, illorum sollicitudinem in juvandis ægris, egentibus et calamitosis, cum istorum superbia inertiaque, magnum enimvero esse inter veros mercenariosque pastores discrimen conficiebant. Quare rogarunt enixe principem ut, amotis calvinianæ sectæ ministris, curiis omnibus Jesuitas imponeret. Ille, qui nihil mallet, alios duos ad se mitti curavit patres ac sedem iis stabilem in urbe constituit. Qui ut curias administrare cœperunt, nihil fuit moræ quin cætera perficerentur ad votum. Continuo oppidani turmatim et agrestes ad ecclesiæ auctoritatem redierunt. Silentium novitatis buccinatoribus in templis et scholis impositum. Aræ, sacella, ædes sacræ, deterso squallore ac situ, reparatæ (2). *Passim videre erat homines, qui amorem religionis catholicæ numquam exuerant, efferentes ex angulis et latibulis vestes sacras, calices, ornamenta reliquumque ministerium, quod ante annos octoginta parentes absconderant, sperantes tempus aliquando fore quo, omnium gaudio religione catholica restituta, hæc iterum usui essent* (3).

AUCTORE V. D. B.

cesserunt Societati Jesu,

77 *Ibi itaque* stationem paucorum capitum de suo sustentabat loci dominus, Joannes Ludovicus Nassavius, neque tantum pecunia, E sed (quod magis est) opera et exemplo patrum incepta adjutabat. Cunctis religionis officiis præsens aderat pari assiduitate ac modestia, sacras orationes, quæ sæpe ad populum habebantur, non audiebat solum, sed iis audientiam auctoritate et imperio faciebat. Si restaurandæ ecclesiæ, si ornandæ aræ, si divini cultus instrumenta comparanda, sumptum præcipuum ipse faciebat, multum supellectilis et vasarii conferebat. Nec vero tanti pro religione studii fructum cepit exiguum aut nimis serum. Hoc anno (1631) receptos in sinum ecclesiæ vidit ex circumpositis pagis ad tria hominum millia : sacella, quæ hæreticorum furor dejecerat aut conspurcaverat, ad nitorem pristinum revocata viginti tria : altaria de novo erecta octo supra triginta (4). *Hæc, ex Historia societatis nostræ universæ excepta, plane conveniunt cum iis, quæ Masenius nonnihilo explicatius refert* (5), *atque etiam cum diplomate principis Hadamariensis de fundanda illic patrum societatis nostræ residentia :* Quorum indefesso labore, *sic ipse loquitur* (6), effectum est ut intra breve spatium subditos F nostros prope omnes, qua concionando, qua catechizando, fidei orthodoxæ rudimentis imbuerint et sectas contrarias e ditione nostra universa eliminaverint. *Hæc in oppido Hadamaria et quindecim paræciis consistebat.*

consensu imperatoris et Romani pontificis;

78 *Ut itaque mirabilem hanc mutationem medios inter fidei hostes conservaret princeps, statuerat collegium excitare cum adjuncto seminario,* ex quo opportuno tempore pastores idonei dominici gregi educerentur. *Sed quum angustissimis finibus contineretur ejus principatus, (pater enim in sex particulas, ut singulis filiis esset unde viverent, ditionem suam diviserat), non alia aperta erat via nisi ut bona ecclesiastica, quæ olim antecessores inique occupaverant, abdicaret, eaque scholarum institutioni impenderet. Die* 26 *augusti anni* 1630 *consensit imperator Ferdinandus, cæsareo dato diplomate, et*

(1) Cordara, Historiæ Societatis Jesu pars sexta, tom. II, pag. 291. — (2) Ibid. pag. 375. — (3) Rhein. Antiquar. tom. II. — (4) Reiffenberg, pag. 477. — (5) Annales Trevirenses, tom. II, pag. 497 et 498. — (6) Ap. de Hontheim, Historia Trevirensis diplomatica, tom. III, pag 685.

die

AUCTORE V. D. B.

die 12 *aprilis anni sequentis, Urbanus papa VIII. Quæ inter bona monasterium de Beselich erat; sed maxima pars in partibus acatholicis jacebant; quæ per pacem Westphalicam reddita non fuere* (1) *: reliqua societati attributa die* 12 *februarii anno* 1637*; accedente die* 4 *augusti nova confirmatione pontificia* (2). *Sed quum non esset unde collegii magistri et seminarii alumni sustinerentur; die* 3 *julii anni* 1638 *capta possessione, residentia dumtaxat patrum erecta est, qui ministeria sacra facerent et juventutem literas humaniores docerent. Hi villam rusticam in superfluis ædificiis crearunt; quam anno* 1656 *cesserunt principi Mauritio Henrico Nassaviensi de Hadamar annua pensione thalerorum* 325 (3). *Quæ universa nullis omnino placuerunt religiosis, certatim quæ olim ordinum suorum fuissent repetentibus. Hæc lis pertinuit etiam ad collegium Sigenense, quod imperatoris quoque et romani pontificis auctoritate Joannes Nassavius, Joannis Ludovici frater princepsque Sigenensis, aliquot annis ante ad fidem a nostris in Belgio conversus, de similibus bonis fundaverat. Nulli autem novis institutis acrius bel-*
B *lum indixerunt quam canonici Arnsteiniani; sed causa plane ceciderunt in curia Romana die* 29 *maji* 1651. *Idcirco non desponderunt animum, flocci hanc sententiam facientes. Unde Hugo, de Beselich agens :* Super hac invasione, *inquit* (4), lis pendebat adhuc in curia Romana anno 1665. *Pendebat etiam anno* 1754, *quum Annales suos scriberet; et quidem pepenpit donec anno* 1773 *societas nostra suppressa est* (5) *et bona erigendo collegio Hadamariensi catholico adjudicata sunt. Quod mireris, licet hæc postrema mutatio sine venia pontificis facta esset, quieverunt tunc demum adversarii.*

unde diuturna lis secuta est.

79 *Qui quidem, quod afferrent, nil umquam habuerunt quod aliqua specie veri niteretur, nisi quod imperator Ferdinandus, secum non satis constans, die* 18 *septembris anni* 1630, *non integro mense post concessum diploma, scripserat* (6) *:* Nobis quidem semper ea stetit sententia et jam tum repetitis decretis sancivimus unicuique ex justitiæ præcepto sua reddenda; neque temere, conquisitis licet coloribus, immutandas esse supremas fundatorum
C voluntates, præsertim ubi supersunt ejusdem professionis religiosi, qui in hereditates simul operasque succedant : prout intelligimus jam tum authoritate nostra incolere patres Præmonstratenses, qui in ecclesia Dei operæ pretium faciunt; *et legatum suum in Romana curia monuerat operam daret ne abbatia Beselich periret* (7). *Sed quum res præprimis ecclesiastica esset et a Romani pontificis arbitrio pendens, parum juvabant hæc imperatoria rescripta, maxime post primum diploma, plane diversum : beneficium enim principum decet esse mansurum. Quare ad nil valuit ista canonicorum pertinacia nisi ut ingentes sumptus utrinque fierent, procurantibus id unum causidicis ut æternum duraret lis. Neque minus manifestum erat multo utilius esse ut in mediis fidei hostibus statio esset operariorum eorumdem, qui regiunculam ad fidem reduxerant, et magistrorum manipulus, qui adolescentes, quibus secus non aliæ quam hæreticorum apertæ fuissent scholæ, literas humaniores docerent, quam ut piæ aliquot moniales, duce præposito Arnsteiniano, intra claustra viverent, sibi vacantes. Quod tum maxime apparuit, quum, hæredibus catholicis deficientibus, dominos iterum hæreticos Hadamariensis principatus nactus est. Brevi enim pristina fides tam altas radices egerat ut hac mutatione concussa non fuerit. Verum quantum utilis fuit Hadamariensibus atque accolis Beselichensis abbatiæ ad nostros translatio, tantum detrimentosa fuit ipsi societati nostræ; quæ in Germania nimium hoc genere donorum cumulata est. Quantavis enim imperatoris et Romani pontificis auctoritas esset et utut gravia ad mutandas complures fundationes impellerent rationum momenta, offendebatur tamen sensus justitiæ populorum, quibus mirum videbatur res ab unis ad alios transferri suprema potestate* (8). *Multo autem acerbior fuit simultas monachorum, etiam quum deserta monasteria de quorum bonis dispositum fuerat, singularia essent et de nulla congregatione, quæ*
E *hereditario jure niteretur : ita ut numquam hujus rei venia data sit et querelæ adhuc audirentur sesquisæculo post, quando societas nostra de medio sublata est. Potuerat autem universum istud negotium alia iniri et perfici ratione : sed bello tricenario multæ ecclesiasticæ res bellico fere more actæ sunt.*

§ VIII. Ultimi labores B. Ludovici. Templi Arnsteiniani constructio. Solemnes exsequiæ. Sepulcrum.

Ad finem vitæ usque promovet B. Ludovicum *rem temporalem sui monasterii.*

Ad finem vitæ usque laboravit B. Ludovicus *tum ut Præmonstratensem ordinem propagaret, tum ut Arnsteiniano cœnobio de rebus necessariis provideret. Cujus rei testimonium est diploma, quod quinque fere mensibus ante suam mortem editum est, atque hic, ut reliqua, recitandum videtur* (9): In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Richolfus, abbas in Arenstein tercius, licet indignus, quæ meis acta sunt temporibus, posteris meis transcribo,
F quatinus falsitatem pro veritate non recipiant. Terram, quam comes Lodewicus in Holdenrucke jure hereditario possederat, ecclesiæ in Arenstein tradidit. Sed quia comes universalis Turingiæ, Ludewicus nomine, quicquid supererat terræ, ipsum videlicet Montemparvum et quicquid terræ circumjacet, prata et quicquid ab Altomonte descendit in Logenam ex utraque parte rivi, ipsum etiam Montem descendentem Logenam, cum superficie ejus usque ad rivum qui fluit in fine Montis inter campos Nassowen, et juger unum trans Logenam; quod totum jure hereditario possedit : ammonitus per abbatem Richolfum et comitem Lodewicum, sanctæ Mariæ sanctoque Nicolao in Arenstein pro remedio animæ suæ ac patris sui et heredum suorum in perpetuum tradidit. Nos vero, de manu ejus suscipientes,

(1) Cfr ap. de Hontheim, diploma Joannis Ludovici Nassavii. — (2) Marx, Geschichte des Erzstifts Trier, part. II, tom. II, pag. 203. — (3) Vogler, Historische Topographie, des Herzogsthums Nassau, 197 et 198. — (4) Annales Præmonstrat. tom. I, col. 308. — (5) Marx, Geschichte des Erfstifts Trier, part. II, tom. II, pag. 204. — (6) Ibid. pag. 203. — (7) Ibid. pag. cit. — (8) Cfr Reiffenberg, Hist. provinc. Societ. Jesu ad Rhenum inferiorem, tom. I, pag. 614. — (9) Gudenus, Codex diplomaticus, tom. II, p. 20.

A vinculo anathematis rogatu suo prædictæ ecclesiæ firmavimus. Acta sunt hæc Maguntiæ in vigilia Ascensionis, anno dominicæ incarnationis M. C. LXXX. V, indictione III, epacta XVII, concurrente prima. *Ne autem quidquam omittamus, placet addere anno* 1235 Karolum, militem de Sinsinbach, cum a progenitoribus suis bona quædam jure feodi possideret a felicis memoriæ comite Ludewico prædicti cœnobii fundatore, duas videlicet partes decimæ in Gudinackir, et infra curtim Keberlo circa eandem; etiam quicquid juris habebat in Bethelintrod; nichilominus omnem justitiam, cum his quæ ibidem feodi titulo possidebat, cambivisse cum memorata ecclesia, recepta in beneficium curti in Ketiche (1): *quod feodum quo tempore concesserit beatus vir nuspiam apparet, verisimiliter aliquanto ante suam conversionem, aut quum se ipsum Arnsteiniano cœnobio tradidit; sed huc retulimus, quoniam tempus ignorabamus.*

Construitur et absolvitur templum Arnsteinianum.

B 81 *Dum autem B.* Ludovicus *rem temporalem monasterii Arnsteiniani summa diligentia procuraret*, fervebat interim (*biographi verba sunt*) in ædificio domus Domini quotidianis exercitiis et laboribus fratrum de Arenstein socialis ac beata communio, et in opere manuum, quod omnes generaliter et singuli specialiter promovebant... Alii frangendis muris castrensibus, alii complanandis areis insistebant, alii trabes et ædificiorum ligna ducebant, alli rupis eminentiam præcidebant, cujus (ut fertur) altitudo adæquabat quod * nunc est monasterii summitatem. *Atque tunc quidem inter Præmonstratenses non fratres solum conversi, verum etiam canonici, qui fere de nobilitate essent, chori officia celebrarent et literarum studia non omnino negligere possent, vacuo tempore laboribus corporalibus, sæpe gravissimis, occupabantur. Quæ res explicatur a Pagio* (2) *multoque luculentius præsenti exemplo repræsentatur. Verum licet tanto studio ferveret fabrica, quum tamen templum maximum designatum fuisset, non potuit id ante B.* Ludovici *obitum consummari; sed, ut in antiquo instrumento* (3) *legitur*, anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo octavo, indictione XI, concurrente II, epacta XII, est hæc

C basilica a venerabili Trevirorum archiepiscopo Johanne, in honore perpetuæ virginis Mariæ et pii pontificis Nicolaï, quinto decimo kalendas octobris dedicata. *Recensentur dein altari insertæ reliquiæ : quas inter primo venit loco* Dominici corporis sacramentum, *ultimo* de oleo sanctæ Catharinæ virginis, Ursulæ virginis Undecim millium virginum; Irminæ, Mauriæ virginum : *id est de oleo, desumpto ex lampadibus ante earum altare aut reliquias ardentibus. Quomodo hoc templum anno* 1352 *renovatum omnino fuerit, dixi supra num.* 32.

Moritur B. Ludovicus *et honorificentissime sepelitur.*

82 *Sed quum prius templum absolutum est, jam annis viginti tribus ad superos abiverat sanctissimus fundator : cujus mortem perquam accurate narrat biographus. Pro more prædia et cœnobia, quæ de Arnsteiniano jure erant, visitabat et versabatur Gummersheimii, dum febris accessu vires suas deficere sensit. Accurrit Burchardus, Monasterii ad Dreisam abbas; accurrit Werenboldus, præpositus monasterii seu canoniæ regularis S. Augustini, quæ titulo B. M. V. Flonheimii erat* (4), *Hessia Rhenana; accurrerant multi ex vicinia sacerdotes; aderat imprimis Gummersheimiensis prior Godefridus : atque hi omnes secundum illius ævi consuetudinem* (5) *inunxerunt eum oleo infirmorum; accepit etiam Corpus Domini pro viatico : quæ omnia significat biograpus dicens eum ab illis* sacerdotibus sacramentis ecclesiasticis imbutum fuisse. *Pientissime dein mortuus est die* 25 *octobris anni* 1185. *Mirum in modum solemnia fuerunt ejus funera, duos dies cadaver servatum in Gummersheim, et duabus noctibus celebratum Officium mortuorum cum Missa pro defuncto; hinc delatum in Eberbach seu Eversbach, quod repræsentatur (ni fallor) oppido Erbach, in Moeni ripa dextra, duabus leucis a Moguntia, occidentem versus. Erat ibi ordinis Cisterciensis cœnobium; cujus abbates recensitos vide in Gallia Christiana* (6). *Præerat autem tunc Arnoldus, Clarævallis alumnus, a sanctimonia vitæ commendatus; qui voluit ut* E *etiam in suo templo* multo precum aromate cum missarum solemniis repropitiaretur *Deus. Hinc itum ad Kirdorf, cujus loci situm jam indicavimus, quando docuimus hanc ecclesiam a B.* Ludovico *dono datam fuisse Arnsteinianis; atque hic quoque funera beati viri celebrata sunt; quod officium quinta etiam nocte in S. Margaretæ parœciali templo, ad pedem Arnsteinii peractum est. Sexta die aderant comites de Nassau : quo intelligi videntur Rupertus Bellicosus ejusque frater Henricus* (7); *comites de Catzenelenbogen, Bertholdus I verisimiliter et Dieterius I* (8); *comites de Dietz, id est Henricus II, Gerardus I et Henricus III* (9); *et domini de Isenburg, Gerlacus et Reimboldus II* (10) : *qui, humeros feretro supponentes, venerabile corpus in ecclesiam de Arnstein detulerunt; ubi die* 2 *novembris terræ mandatum est ante altare S. Nicolaï patroni.*

Ejus epitaphium et sepulcrum.

83 *Sepulcro inscriptum fuit (quemadmodum ex veteribus membranis constat) sequens epitaphium :*

MESSVIT HVNC FLOREM NON MORS, SED VITA. DOLOREM
PERFERT * TVMBA BREVIS; SPEM VITÆ, NON GLEBA QVÆVIS;
SED ROSA VERNALIS, SERAPHIN QVÆ PLENA SVB ALIS
MAIESTATE DEI TENET ECCE LOCVM REQVIEI
ANNVS VT M CVM C ROTAT OCTOGINTAQVE V *.
VITA MAGNIFICVS METIT ASTRA COMES LVDOVICVS.

* Præfert *Bl.K.*

* *lege* quinque

Id est : Hunc florem non mors, sed vita messuit; *quum in cælis nunc vivat B.* Ludovicus. Sepulcrum doloris causa est; neque omne cadaver habet spem gloriosæ resurrectionis, sed hoc tantum quod tamquam rosa vernalis, plenum majestate Dei sub alis Seraphim locum quietis obtinet. Anno 1185 Ludovicus comes, virtutum præclarus, in cælos abiit. *Medio sæculo* XVII, *quando Masenius diligentissime visitavit Arnsteinium, jam tum* locus sepulturæ vel hominum ac temporum oblivione contritus, vel novis structuræ operibus obrutus *erat* (11); *de qua re vide supra num.* 32. *Sed*

(1) Gudenus, Codex diplomaticus, p. 69. — (2) Bibliotheca Præmonstratensis, p. 230. — (3) Consecratio ecclesiæ in Arnstein, ap. Hugonem, S. Antiq. Monum. tom. II, p. 51 et 52. — (4) Cfr Serrarius et Joannis, Rerum Moguntinarum, t. I, p. 765. — (5) Cfr Martene, De antiquis ecclesiæ ritibus, lib. I, cap. VII, art. III, num. 3. — (6) Tom. V, col. 654 et seqq. — (7) Kremer, Origines Nassavicæ, t. I, § 100. — (8) Wenck, Katzenelenbogische Geschichte, p. 252 et seqq. — (9) Ibid., p. 584. — (10) Kremer, t. I, § 88. Cfr Hontheim, Hist. diplom. Trevir., t. I, index personarum, comites, Isenburg. — (11) Annales Trevirenses, t. II, p. 81.

in

AUCTORE V. D. B.

in manibus Dei conscriptum erat venerabilis viri nomen; quod tamen eo tempore jam aliquot annis in hominum memoriam revocaverat Browerus. Superest ut ejus Vitam, paucis annotatis declaratam, iterum in lucem demus secundum exemplaria supra num. 38 *recensita. His autem siglis utar:* 1, 2, 3 *sunt codices primarius seu tographus, secundus et tertius Gamansii;* Br. *editio Broweri;* Bl. *editio Blanpinii seu Hugonis;* K. *editio Kremeri;* Bo. *editio Böhmeri;* Bol. *lectiones collectæ a decessoribus nostris ex ignoto codice;* ad. addit *seu* addunt; om. omittit *seu* omittunt; al. *codices indefinite ab aliis designati.*

VITA
B. LUDOVICI DE ARNSTEIN,
CONVERSI PRÆMONSTRATENSIS,

Ex tribus manuscriptis codicibus et quatuor editionibus.

CAPUT PRIMUM.

B **Prologus. B. Ludovici castrum, genus, potentia, divitiæ et vita in sæculo.**

Auctor excusat suam imperitiam.

Incipit prologus (1) gestorum comitis Lodewici (2) fundatoris nostri. Inter diversas mundialium (3) rerum varietates et multiformis ingenii studia curiosa, quibus humana necessitas ambiguis vitæ suæ passibus circumfertur, nichil preciosius est (4) tempore; quod, qualicumque processu vel ordine semel elapsum, nec argenti nec auri precio, nec ulla valet industria rehaberi. Hoc perpendentes plurimi temporum exactorum viri, ingenio subtiles, scientia pollentes, vita moribusque (5) sublimes, illustrium facta virorum sermone lucifluo nostris sæculis invexerunt, doctrinæ suæ monimenta memoriis posterorum, quasi speciale quoddam speculum, relinquentes. Hac ego confidentia, ego, inquam, dejectus vita, nullus in gracia, incultus verbo, pauper ingenio, comitis Ludewici (6) nostri (7), per omnia
C virtuosi, parentes, ortum, in sancta professione progressum, et felicem in Christo transitum, etsi non aureis, tetris tamen litteris exarabo. Non curans jacula detractorum, quia

a Felix a tergo quem nulla ciconia pinsit (8) *a*.

Dicent enim, quod materiam tam honestam sermo deformaverit impolitus. Quibus non ego, sed poeta respondet :

Est quadam (9) prodire tenus, si non datur
b ultra *b*.

Solet tamen in fragili calamo et in vase fictili dulcedo mellis includi, et ignis duro in silice reperiri, nec solaris cerei derogat claritati circumfusa (10) sæpius et objecta nubium crassitudo.

2 Fuit in castro, quod Arinstein (11) ab antiquis temporibus nuncupatum, adhuc hodie nomen obtinuit, comes quidam nomine Lodewicus; qui, sicut ab avorum suorum longa prosapia clarus, ita (12) probitatis et virtutum extitit titulis gloriosus. Hic septem habebat sorores, virgines vultus elegantia gratiosas, in quibus quasi quodam in speculo universa morum habilitas resultabat. Distat autem locus idem tribus a (13) Rheno miliariis (14) versus orientem (15), super Loganam fluvium in quodam montis supercilio constitutus, præruptis et arduis undique montibus circumseptus, habens ex alio latere Durstam fluviolum, piscosum satis, molendinisque et aliis usibus adoptivo quodam munere deputatum. Erat autem (16) memoratus locus eo tempore tam inaccessibilis et munitus, ut ex uno tantum latere montis via sola et admodum stricta difficilem præberet accessum, et idem pro tempore ferreis vectibus claudebatur. D *Ludovicus, pater B.* Ludovici, *castri de Arnstein dominus,*

3 Jam dictus itaque comes, in rerum negociis circumspectus et prudens, super omnia de sororum honestate et posteritatis successione sollicitus (17), æstuabat ut generosæ lampadis claritatem et puellaris formæ graciam decenti natalium copula maritaret. Honestis ejus desideriis divina bonitas salutarem aspiravit effectum. Nam duæ ipsarum duobus junctæ (18) sunt inclitis baronibus Ungarorum, non minus sollemniter quam nobiliter desponsatæ. Tertia palatini comitis de Thuyngin *c* transiit in amplexus (19), quam ipsi comiti frater ejus apud sanctum Goarem honorifice præsentavit, ipseque cum ducentis ipsam (20) militibus et apparatu plurimo ambiciose recepit. Quarta Nassauwen (21) desponsata *d*, Rubertum (22) genuit et Arnoldum et Demudim (23) filiam. Arnoldus comes pater extitit Ruberti (24) comitis, viri bellicosi, qui in expeditione imperatoris Frederici peregrinus obiit in partibus transmarinis *e*. Rubertus (25), frater Arnoldi, pater extitit comitis Walerami (26), cujus filii sunt (27) Henricus et Rubertus (28), nunc comites, quorum mater erat nomine (29) Cunegundis (30) *f*. Demudis (31) soror ipsorum nupsit Embriconi, qui pater fuit comitis Henrici, patris Gerhardi (32), comitis de Dithse (33) *g*. Quinta fuit desponsata comiti de Loufo (34) *h*, mater comitis Bopponis et sororis ejus Adelheidis, de qua (35) Bertholdus et Dietherus comites de Catzennellenbogen processerunt. Sexta Ysinburgensem (36) prosapiam generavit *i*. Septima in Sutphaniensem (37) transiit comitiam *k*. *honestissimis matrimoniis collocat septem suas sorores;*

c *d* *e* *f* *g* *h* *i* *k*

4 Erat præfato comiti secundum sæculum clari et alti sanguinis uxor Udilhildis nomine *l*. Quæ non solum tanti viri non degeneraret amplexus, sed et in futuræ sobolis diesceret claritate, quicquid morum, quicquid graciæ in progenitoribus innatæ probitatis cereus (38) promisisset (39). Quid plura? Nascitur eis elegantis *ipse uxorem habens Udilhildem, et filium Ludovicum, optime in infantia educatum. Mors utriusque parentis.*

(1) Opusculum *Bo.* 3. — (2) Opusculum seu Vita L. quondam c. in Arnstein et *K.* — (3) Mundanarum *Br.* — (4) *Om. Bl.* — (5) Moribus quoque 3. — (6) Lodewici *Bo.* Ludowici 2. Ludovici 3. — (7) Viri *Bo. Br.* 3. — (8) Pinxit *Bl.* — (9) Quodam *Bol. Bl. K.* — (10) Circumferri solita 3. — (11) Arenstein *Bl.* — (12) Et *ad Bl.* — (13) *Om. K.* — (14) Milliaribus 2, 3, *Böh. Bl.* — (15) Occidentem *Bl. K.* — (16) Vero *Bol. Bl. K.* — (17) Solliciter *K.* 2. Sollicite *Bl.* — (18) Vinctæ *Bl.* — (19) C. t. i. a. d. T. *Bol.* Thuyngen *Br.* Thuwingia 2. — (20) Eam *Br.* illam *Bl.* — (21) Nassowen *Bol.* Nassawen 2. — (22) Rupertum *Br. Bl.* — (23) Demoidem *Bl. K.* — (24) Ruperti *Br. Bl.* — (25) Rupertus *Br. Bl.* — (26) Valerami *Bol.* Valeriani 3. Walmerani *Bl.* — (27) Fuerunt 3. — (28) Rupertus *Br. Bl. K.* — (29) *Om. Bl.* — (30) Cunigundis 3. — (31) Demoides *Bl. K.* — (32) Eberhardi 3 *et Br.* — (33) Diethse *Bol.* Dieze *Bl.* — (34) Loyse *Br.* — (35) Quibus *Bol.* — (36) Isinburgensem 2, 3, *Bl.* — (37) Sutpheniensem 1, 2, *Bl.* — (38) Primogenitoribus *Br.* — (39) Hæres *Bl.* — (40) Permisisset *Br.* Præmisisset *Bol.* 1.

formæ

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

A formæ filius, et hic divina providentia unicus, in quem et patris nomen et totius comiciæ re-
m funderetur hæreditas *m*. Jam enim per partes rescindi non poterat, quod Christus ante tempora sæcularia servientium sibi præviderat (1) unitati. Traditur ergo nutrici parvulus educandus, et quasi margaritum cæleste commendatur attentius, et qui futurus erat vas electionis, quotidianis successibus augebatur. Nutrix etiam sollicita plurimum (2) omnem diligentiam adhibebat. Sed et infantia primo virtutem cum lacte bibit, et ut breviter percurram, teneros annos quædam futuræ probitatis venustabat imago, ut jam facile posset adverti, quid in virili sponderet ætate, qui sic (3) puerili ludebat in flore. Evolutis interim diebus, cum jam annos intraret adolescentiæ, quia finis venit, venit finis universæ carnis. Pater ipsius, completis vitæ suæ diebus, quinto kal. junii pulveri pulverem accomodans, ex hoc mundi naufragio brevis hospes evasit, et in ecclesia beatæ Margaretæ virginis
n est sepultus *n*. Mater vero longo post conversionem filii tempore vivens, cum originariam
B terra particulam mundi curvaret (4) ad vesperam, in prædio suo quod Udinkirchin (5) dicitur infirmata, tertio nonas julii diem clausit extremum, et in ecclesia majori Coloniæ requiescit.

B Ludovicus *miles creatur et torneamentis exercetur, priusquam nuptias init cum Guda de de Boinenburg;*

5 Filius ergo Lodewicus, tantorum genitorum successor et hæres (6), domesticæ rei (7) curam novus dispensator ingreditur, et mente virum induens, agenda et ordinanda mentis (8) ratione metitur, sagax ingenio, blandus alloquio, largus beneficio, profusus honestatis exemplo, omnium in se et suorum precipue declinabat affectum. Ministeriales suos velut socios sic amabat, quorum consilio (9) super conjugalis copulæ matrimonio perurgetur (10), quia rei sic poscebat utilitas. Sed ille primo (11) manum misit ad fortia, et multis amicorum sumptibus et honore succinctus est (12) baltheo
o militari *o*, consuetisque sæcularium tiroci-
p niis *p* contubernii legalis anticipavit accessum. Mediantibus post hæc amicorum consiliis, et negociosis super hoc comitis de Bomneburch (13) legationibus, filiam ipsius, Gudam (14)
q nomine *q*, virginem cum magno, sicut decuit, exhibitam apparatu, duxit uxorem.

cujus sterilitas locum dedit melioribus cogitationibus.

6 Qua diu sterili permanente, et spem prolis infecunda negante, cœperunt ardentissima spiritus contritione (15) dolere, et pro successore tantæ hereditatis misericordiam Domini votis omnibus implorare. Sed eorum desideriis infinitis divina jam olim providentia contraibat; utpote qui per servos suos jure propinquitatis accedere disponebat. Sed quid? Fraudati sunt a desiderio suo? Minime! Quomodo non? Audi: « Lætare sterilis, quæ non « paris, erumpe et clama, quæ non parturis, « quia (16) filii tui certe de longe venient, et « filiæ tuæ de latere surgent. Leva in circuitu « oculos tuos et vide : omnes isti congre- « gati sunt, venerunt tibi. » Venient dies in quibus tantorum filiorum mater gratulabunda cantabis : « Ecce ego et pueri mei, quos mi- « chi dedit Deus! »

ANNOTATA.

a *Est versus Persii, sat.* I, *v.* 58, *aliquantum mutatus; in exemplari quippe legitur :*

O jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit.

Cujus intelligentiam facillimam faciunt hæc S. Hieronymi in Prologo in Sophoniam verba : Incurvare manum in ciconiam post tergum alterius; *et hæc alia in epistola* IV *ad Rusticum monachum :* Si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. Est *enim, ut loquitur Forcellinius V°* Ciconia, genus irrisionis, quod fit digitis in modum rostri ciconiæ compressis, curvatis et crebro motis in aliquem; *quod usurpant adhuc Itali, sed alio nomine, scilicet* dare il pepe. *Tantum valebat quantum hæc exprobratio : Es stupidus ut ciconia.* Pinxit *Blan-* E
pinii certo non valet. Sed an pinsit *bonum sit, ambiguum. Priscianus* (1) pisat *an* pisit *legengum sit erat dubius.* Pinsere *et* pinsare *pistorum verbum erat; adhibitum tamen ad omne tunsionis genus indicandum* (2).

b *Est versus Horatii, lib.* I, *ep.* 1, *v.* 32.

c *Videtur indicari Hugo, Tubingensis comes, cui uxor fuit Gertrudis; quæ ex domo Arnsteiniana ad Tubingensem transtulerit quartam partem Giesensis ditionis* (3).

d *Intelligitur Mechtildis, quæ nupsit Ulrico seu Adelrico, comiti de Etechenstein, filio Wernheri, comitis pagi Loganensis superioris et Hassiæ, ante annum* 1124 *vita functo. Quum hæ nuptiæ factæ sunt, an jam tum Ulricus diceretur* de Nassauwe, *valde obscurum est. Certe castrum de Nassauwe tum penes ecclesiam Wormatiensem erat; quæ brevi post archiepiscopo Trevirensi id cessit; atque hic, scilicet Hillinus, anno* 1158 *in feudum ligium et aperibile id dedit comitibus Lurenburgensibus* (4). *Multæ deinde fuerunt lites* (5), *quas hujus loci non est prosequi. Satius est observare in diplomate anni* 1159 *propterea venire* Ruberdum, comitem de Nas- F
sowen (6); *in alio diplomate anni* 1160 Henricum, comitem de Nassowe (7); *et sic deinceps* (8) : *sed hi Ulrici nepotes per Arnoldum filium. Quare si B.* Ludovici *amita dicta est nupsisse comiti de Nassawen, anticipatus videtur esse titulus; marito datus, quoniam, quum Vita scripta est, eo utebatur ejus domus. Neque in hac sola Vita id usuvenit, sed etiam in Necrologio Moguntino, ubi legitur* (9) : IV non. aprilis obiit Ulricus, comes in Nassawe, qui contulit nobis villam Birgestat.

e *Rupertus cum Frederico I imperatore anno* 1189 *ad bellum sacrum profectns est; qui quum*

(1) Providerat *Br. Böh.* — (2) *Om. Bl.* — (3) Ita *Br.* — (4) C. ad o. terram partiendam mundi curvaretur 3. terræ *Br.* — (5) Udenkirchen *Br.* — (6) Habens *Br.* — (7) r. d. *Bl.* — (8) intus 3. — (9) consiliis 3. (10) Perurgeretur *Bl.* — (11) Primus *Bl.* — (12) *Deest* 1, 2. — (13) Bonneburg *Br. Bl.* Bonneberga 3. — (14) Guedam 2. *K.* — (15) oratione 3. — (16) Quoniam *Br. ex Is. C. LX.*

(1) Lib. I, p. 370, Putsch. — (2) Cfr Forcellini, V° *Pinso.* — (3) Cfr Kremer, Origines Nassavicæ, t. I, p. 328 et 329. — (4) Ibid., t. II, p. 186 et seqq. — (5) Ibid., t. I, p. 370 et seqq. — (6) Senckenberg, Medit. fascic. III, p. 626. — (7) Hontheim, Diplomata, t. I, p. 590. — (8) Cfr Kremer, Origines, t. I, p. 375, not. 5. — (9) Gudenus, Codex dipl. Moguntinus, t. I, p. 76.

in Bulgariam venisset, ad imperatorem Constantinopolitanum Isaacum Angelum, cum aliis magnatibus missus est, qui iter exercitui expeditum obtineret; sed in carcerem conjectus est, neque dimissus, nisi quum vastatione hanc perfidiam ultus esset Fridericus. Tum in Germaniam rediit, ubi annis 1190 *et* 1191 *certe versatus est. Sed dein Asiaticum iter denuo iniverit oportet; atque ipse videtur esse ille Rupertus, qui in dissidio, quod inter reges Franciæ et Galliæ anno* 1194 *in Syria exarserat,* cum rege Franciæ fautor erat, *ut loquitur Conradus Urspergensis* (1). *Præterivit autem biographus Henricum, qui anno* 1167 *Fridericum imperatorem in Italiam hostili adversus Alexandrum papam animo secutus, peste cum aliis multis obiit; quam divinam vindictam fuisse interpretatus est cardinalis Aragoniæ Nicolaus* (2). D

f *Contendit Kremerus hanc Cunegundim Ruperti Bellicosi filiam fuisse; ita ut Walerami mariti sui consanguinea fuisset in tertio gradu inæquali. Sed hæc sententia nonnisi infirmis nititur conjecturis* (3) *et plane improbabilis est.*

g *Wenckius* (4) *multa cura dedit historiam et stemma domus Dietsensis. Recensebo dumtaxat nomina eorum qui vixerunt tempore B.* Ludovici.

EMMERICUS seu EMBRICO
et frater N. Dietsenses,
vivi annis 1057, 1062, 1073.

HENRICUS I
1101—1107.

GERARDUS
1107.

EMMERICUS, cui nupsit
DEMUDIS, comitissa
Lurenburgensis.

HENRICUS II
1145—1189.

B E

GERARDUS I
1187—1207 etc.

HENRICUS III
1188—1207 etc.

PHILIPPUS
canonicus
Moguntinus,
præpositus
Francofurti
† 1222.

BERTHOLDUS
1192.

h *Quintæ hujus B.* Ludovici *amitæ nomen ignoratur. Satuit Kremerus* (5) *eam nupsisse Bopponi, comiti de Laufen, Wenckius* (6) *Conrado : quod multo verisimilius est. Hic itaque sequens proposuit stemma :*

BOPPO
1011.

BOPPO I
1057.

ARNOLDUS, cui
nupsit Adelhaidis.

HENRICUS I, cui
nupsit Ida,
fil. C. Werlensis.

BOPPO II
† 1122—1127.

BRUNO, archiep.
Trevirensis
1102—1124.

ADELHAIDIS,
nupta 1) Adolpho
Huvilensi, 2) Frederico,
C. P. Somerseburgensi.

CONRADUS,
1127—1159,
maritus N.
quintæ amitæ B. Ludovici.

C F

BOPPO III
1139—1174.

ADELHAIDIS, nupta
Henrico III Katzenelenbogensi.

HENRICUS II
1174.

BOPPO IV
1181 † 1213—1219.

CONRADUS
C. forte Eberback
1196.

i *Fischerus* (7) *contendit hanc sextam B.* Ludovici *amitam Gerlaco Isenburgensi nupsisse; sed hanc juniorem esse ostendit Kremerus* (8), *consentiente Wenckio* (9). *Quibus genealogis hoc fere stemma conficiendum visum est.*

REINBOLDUS I,
maritus sextæ
amitæ B. Ludovici.
1093—1119.

GERLACUS.

REINBOLDUS II.

SIGEFRIDUS.

(1) Cfr Kremer, Origines, t. I, p. 386 et seqq. — (2) Vitæ nonnullorum pontificum, ap. Muratori, Rer. italic., t. III, part. 1, col. 459. — (3) Cfr Kremer, t. I, p. 378 et seqq. — 4) Katzenelenbogische Geschichte, p. 584. — (5) Origines, etc., t. I, p. 332. — (6) Katzenelenbogische, etc., p. 252 et seqq. — (7) Isenburg-Wiedische Geschlechtsregister, § CCCXXI, ap. Kremer, t. I, p. 338. — (8) Origines, etc., t. I, p. 338 et 339. — (9) Katzenelenbogische, etc., p. 245.

k *Ingenti*

A k *Ingenti studio inquisivit canonicus regularis Ernst in comites Zutphanienses : ex quibus Ottonem I fuisse initio sæculi* XI *demonstravit; Godescalcum cum uxore Adelaide anno* 1059; *cujus locum (quod Gebbenardus, filius natu maximus, diem prius obiisset) anno* 1074 *ab Ottone II, altero ejus filio,* comite de Zutphen et de Gelria, *jam occupatum fuisse; qui* Otto, locupletissimus comes de Sutvene, *ut loquitur Chronicum S. Pantaleonis,* obiit *anno* 1113, *relictis ex Juditha uxore quatuor liberis : Theodorico, episcopo Monasteriensi; Gerardo et Henrico; atque Ermengarde, nupta Gerardo Wassenbergensi. Multo ante mortem Otto II traditur ditionem suam divisisse inter Gerardum et Henricum; quorum prior annis* 1096 *et* 1099 *nomine* Gerardus comes de Gelria *in diplomatibus prodit et ante annum* 1108 *extinctus est; alter vero, ut ex diplomate Henrici V imperatoris constat, anno* 1108 *Zutphaniensis comes erat atque anno* 1138 *nondum recesserat e vivis. Qui posterior anno* 1103 *ab Annalista Saxone dicitur uxorem duxisse filiam Cononis, comitis de Bichling. Sed aut ante aut post uxorem duxerit*
B *oportet amitam B.* Ludovici : *probabilius ante. Alii post eum nondum reperti sunt Zutphanienses comites et certe ad finem sæculi* XII *ambo comitatus denuo in unum coaluerant. Sed hæc omnia luculente alibi* (1) *explicata et demonstrata vide.*

l *Cujus generis esset disputavi aliquantum in Commentario Prævio, n.* 44.

m *De comitatus finibus aliquid quæsivi in Commentario Prævio, n.* 49.

n *De hoc templo recurret inferius sermo; nupera ejus fata explicata vide in Commentario Prævio,* § III.

o *De hac celebritate, cujus Ordinem tum ex Pontificali Bisuntino, tum ex Pontificali Guilielmi Durandi edidit Martenius* (2), *me quidpiam alibi* (3) *scribere memini; ubi dixi non nisi anno circiter ætatis vigesimo primo milites creari fuisse solitos. Duobus commentariis universam institutionem militarem prosecutus est de la Curne de S*te *Palaye* (4), *ostenditque ordinarie nobiles septem annos sub ductu feminarum fuisse; (adeoque nutricis B.* Ludovici *singularis fit mentio;) eos dein septem annos pueros honorarios* (pages) *fuisse, annosque totidem armigeros* (écuyers) (5); *atque tunc demum eos admissos fuisse ad militiam et ad publicam armorum*
C *tractationem. Non negligenda biographi animadversio de* multis amicorum sumptibus et honore; *et quidem omnia videntur ab Arnsteinianis magnifice facta esse. Recole quæ supra retulit biographus de tertiæ B.* Ludovici *amitæ nuptiis cum comite Tubingensi.*

p *Tirocinia hoc loco sunt torneamenta, in quibus novi milites,* tirones *dicti, armorum exercitio et tractationi assuefiebant et expeditum alacremque acquirebant usum. Aliquot annis huic rei operam dedisse videtur beatus vir, priusquam uxorem ducere voluit.*

q *De B.* Ludovici *uxoris genere dictum est in Commentario Prævio, n.* 45. AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

CAPUT II.

Conversio B. Ludovici et fundatio Arnsteinii.

Hactenus, o Musæ flabris torpentibus usæ, Aspirate, precor, velis (1) intrantibus æquor, *Ante B.* Ludovici *conversionem Arnsteinium latronum castrum erat;*
ut in fundamento, quod utcumque (2) locatum est, subsequentis ædificii structura meridiet, et pennam scriptoris inculti tam celebris materiæ præconandus semper effectus (3) inauret. Prædicti comitis castrum *a*, quod Arinstein (4) *a*
vulgariter (5), Lapis-Aquilæ latino poterit idiomate nuncupari, locus horroris et vastæ solitudinis, aptus ad prædam, habilis ad rapinam, habitatoribus (6) lapis erat offensionis et petra scandali. Utpote qui stipendiis suis minime contenti, totum de alieno, parum de suo proprio possidebant *b*; quorum miseræ necessitati pauper (7) et inops terra marique desudat, et *b*

Impiger extremos currit mercator ad Indos. E

Ad hunc ergo locum et navalis viæ precium et totius provinciæ spolium veri Pharaonis milites convectabant. Vere juxta litteram : « Petra refugium herinatiis; » obsiti enim erant et aculeis horridi (8) peccatorum. Sicut autem languor capitis decurrit in artus; sic nimirum sordes ac vicia membrorum virtutem capitis sæpe disturbant. Comes enim quamvis hujusmodi spoliis non indigeret, reus tamen efficitur ex consensu, et severi (9) vindicis iram, licet æquaminiter sufferentis, iste tacendo, illi pauperes opprimendo, graviter (10) offenderunt. Sed quo fine? « Ver« bum Domini ad te, o princeps. Si exaltatus « fueris sicut aquila et super astra cæli posue« ris nidum tuum; inde detraham te, dicit « Dominus. » Quando? nescit tarda molimina Sancti Spiritus gracia *c*. *c*

8 Misit ergo Deus (11) spiritum (12) Filii sui in *beatus vir, repente mutatus,*
cor ejus, et repente mutatus in virum alterum, cogitatum suum jactabat in Domino, dicens cum psalmista : « Quis dabit mihi pennas si» cut columbæ, et volabo et requiescam. Ecce » elongavi fugiens; » factusque est sicut aquila F
miro Dei munere, qui « vocat ea quæ non » sunt, tamquam ea quæ sunt. » Provocans jam ad volandum pullos suos et verbo pariter (13) et exemplo, ut qui consentiendo malis erat odor mortis in mortem, vitæ etiam (14) odor esset in vitam. Cogitabat domum orationis ibi facere, ubi « Struthiones habitabant » prius et (15) pilosi saltabant prius, et syrenæ » respondebant in delubris voluptatum. » Sed quia contectalis (16) suæ super hoc requirendus erat assensus, juxta Salomonem discurrebat, festinabat, suscitabat amicam; ut sicut duo erant in carne una, sic unus eos spiritus uniret in Deo. « Mulierem fortem quis

(1) *Om. Bl.* — (2) Quodcumque *Bol.* — (3) Affectus *Br.* 3. — (4) Arenstein *Bl.* 3, *Br.* Arynstein 2. — (5) Vulgo *Bl.* — (6) Suis *ad. Bl. K.* — (7) Parvus 3. — (8) Horridis *Bl.* — (9) Veri *Bl.* — (10) *Om. Br.* 3. — (11) Dominus *Br.* — (12) Cor. *Br.* — (13) Præit 3. — (14) Et 3. — (15) S. h. p. e. *om. Bl. K.* 1, 2. — (16) Conthoralis 2, 3.

(1) Art de vérifier les dates, t. III, p. 164 et seqq. — (2) De antiquis ecclesiæ ritibus, lib. II, cap. 12, t. III, p. 230 et seqq. — (3) Acta SS., t. VII Octobris, d. 1149. — (4) Mémoires de l'académie des inscriptions, t. XX, p. 579 et seqq. — (5) Ibid., p. 712

« Inveniet?

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

» inveniet? Procul et de ultimis finibus pre- » tium ejus. » Obnititur et reclamat, salutaribusque consiliis aures obturat ut aspis. Quia vero per virum fidelem sanctificatur plerumque mulier infidelis et e converso (1), tandem monitis evicta frequentibus, ad supernæ vocationis bravium promptissima se obtulit voluntate. Vere (2) :

Ludit in humanis divina potentia rebus.

salubria consilia mente agitabat,

9 Agens ergo gracias Deo, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, tradidit cor suum ad vigilandum diluculo, ut anchoram suæ spei tuta Dominus in statione locaret, ne teneras adhuc primitias aut humani cordis instabilitas alteraret, aut serpentis antiqui venenata calliditas enervaret. Timebat enim hoc, quod olim propheta deplorans ajebat : « Facti sunt, » inquit, « ini- » mici ejus in capite. » Et Salomon : « Fili, » accedens ad servitutem Dei, præpara ani- » mam tuam ad temptationem. » Accedens, inquit, quia principiis obstat, et capiti bellatorum se semper opponit versutia tentatoris. Dum in hoc rerum cardine inter spem et me-
B tum positus, novus Domini fluctuaret athleta, fundans Syon in saphiris, qui novit omnia antequam fiant, quod præscivit ab æterno, tempore quo (3) voluit, spiritus sui graciam consummavit.

quum intellexit Ottonem, consanguineum suum, fundasse Gratiam Dei ibique vivere juxta sanctissimas S. Norberti leges :

10 Erat eo tempore Otto quidam *d* ordine diaconus, prædiis ditissimus, nobili ac generosa Saxonum prosapia descendens (4), consanguineus comitis memorati, qui et ipse pro amore Jhesu Christi larga prædia et amplissimas abdicans facultates, ecclesiam, quæ Gracia-Dei *e* dicitur, fundaverat hiis diebus secundum regulam beati Augustini et ecclesiæ primitivæ *f*, formamque et habitum domini Norberti Magdeburgensis archiepiscopi. Cujus quia memoria incidit, digressoriam facientes, præsenti opusculo, quod necessarium viderimus (5), inseremus (6). Anno Domini
g M.C.X.VIIII (7) *g* beatæ memoriæ Norbertus de-
h cimus tertius Magdeburgensis archiepiscopus (8) venit Præmonstratum, et habitum *h*, quem (9) non ab homine neque per hominem accepit, apostolicis sanctionibus confirmatum, fratribus observandum tradidit, sicut in ejus-
C dem professionis ecclesiis uniformiter custoditur. In quo et ipse in sede pontificatus sui irreprehensibiliter vivens, anno gratiæ
i M.C.XXX (10) *i* certus de corona justiciæ, cursum vitæ suæ feliciter consummavit, et debito cum honore sepultus, in ecclesia beatæ
k Mariæ Magdeburgi (11) requiescit *k*. Nunc ad cœpta redeamus. Præfatus Otto, quia ditissimus erat, ecclesiam beati Victoris martyris de legione Thebæorum, quam super Salam fluvium construxerat, tantis dotibus ampliavit ut tam pro larga earum rerum quæ fratrum debentur usibus copia, quam etiam pro loci amænitate graciosa, ipsam ecclesiam digne dixeris Graciam-Dei appellari *l*.

l

eo pergit, et tam bene afficitur ut efflagitet coloniam,

11 Auditis hujusmodi comes de Ottone rumoribus, quasi divino quodam oraculo commonitus, ad ipsum sine mora profectus, honorifice suscipitur, et cordis (12) thesaurum denudat amico, totumque pectoris revelat archanum. Nec sine fructu. Nam ad exequendum quod mente (13) conceperat, novella congregationis suæ missurum se plantaria pollicetur. Quanta (14) reverentia, cum apud ipsos moraretur, quantave diligentia sit habitus, penna sileat, ubi mentalis (15) affectionis tota loquitur officina. Sequuntur e vestigio reditum ipsius canonici duodecim de Gracia-Dei et fratres conversi totidem, ex lumbis spiritualibus sanctæ professionis egressi, in ipso summo angulari lapide Christo Jhesu fundamenta jacturi, in curribus et carpentis bibliothecam librosque ecclesiasticos *m* et non modicam *m*
secum supellectilem deferentes. Veniunt, inquam, cives sanctorum et domestici Dei, portantes pacem, et angelico quodam cultu illuminantes patriam, candorem mentis habitu prætendebant. Erat inter eos (16) recolendæ memoriæ Godefridus ecclesiæ beati Mauricii in Magdeburg scolasticus, vir graciæ singularis et meriti, quem (17) cæteri fratres velut cælestem quendamradium sequebantur. Jam voluntas et propositum Deo dilecti comitis E
celebri sermone vulgatur, jam apotheca Sancti Spiritus, quod hactenus erat inclusum, omnium naribus aspirabat, totamque inbalsamabat viciniam fracti pectoris alabastrum, ita ut multi dicerent : « Trahe me post te, « curremus in odore (18) unguentorum tuo- « rum! »

D *Arnsteinium deducendam.*

Diplomate publico Arnsteinium eis transcribit, et se ipsum ut conversum donat;

12 Anno dominicæ Incarnationis M.C.XXX.IX. comes Lodewicus, cum venerabili conjuge sua Guda (19), castrum suum Arinstein, in Trevirensi diœcesi constitutum, ad laudem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, in honorem gloriosæ et intemeratæ virginis Mariæ et magnifici confessoris Nicolai, in manus domini (20) Godefridi scolastici et fratrum de Gracia-Dei, seque et omnia sua libera contradidit voluntate. Marquardus etiam capellanus et notarius ipsius, Swikerus (21) quoque dapifer, et alii milites quinque, sæculum abdicantes, cum ipso sanctæ professionis habitum induerunt. Quorum pater in Christo jam dictus (22) Godefridus ipso tempore a venerabili (23) Adelberone, Trevirorum archiepiscopo et apostolicæ Sedis in Teutonico regno legato, F
in generali synodo solemniter est ordinatus (24) *n*. Felix dies, qui et angelis Dei super *n*
conversis peccatoribus gaudium, et hominibus de contemptu mundi tam imitabile invexit exemplum! Felix, inquam, et multa felicitate donatus ille dies, qui toties illucescit, quocies ipsorum exemplo desideriis cælestibus peccator ignescit, dum foris claret in opere, quod unctio Sancti Spiritus docet in corde. « Nisi « conversi fueritis, ait Salvator, et efficiamini « sicut parvuli, non intrabitis in regnum cæ- « lorum. » Non statura parvulos sed humilitate requirit, quibus regnum cælorum Dei Filius in nostra natura parvulus et humilis repromisit.

ven. Guda juxta templum inclusa.

13 Paratur primo omnium dominæ Gudæ comitissæ in sinistro montis latere mansio

(1) Contra *al.* — (2) Hæc mutatio dexteræ Excelsi ; vere *Bl.* — (3) Quando 3. — (4) D. p. *Bl.* — (5) Indicavimus 3. — (6) Inserimus 3. — (7) VIII *K.* — (8) Episcopus *Bl.* — (9) Qualem *K.* — (10) Quarto *ad. Bl.* sexto *Br.*— (11) Magdeburgensis 3. — (12) Sui *ad.* 3. — (13) Ante 3. — (14) Cum *ad. Bl.* — (15) Mortalis 3. — (16) Eodem tempore 3. —(17) Quemque *Br.* — (18) Odorem *Bo. K.* 1, 2. — (19) Gueda *Bl. K.* — (20) *Om. Br.* — (21) Schwykerus *Bl.* — (22) Dominus *Br.* — (23) Domino *ad.* 3. — (24) Ordinatur 3.

specialis,

A specialis, ubi mutato habitu clausa semper, nusquam progrediens, strictioris cibi parcitate ante habitas delicias et numerosa quondam (1) fercula redimebat. Per fenestram modicam *o* divina frequenter auscultabat officia, psalmis et orationibus intenta. Sicque rota nativitatis suæ feliciter evoluta, XVI kal. septembris migravit a sæculo, et ante altare beati Nicolai *p* in sanctuario basilicæ venerabiliter est sepulta.

o

p

Res suas partim dat Arnsteinio, partim inter consanguineos distribuit.

14 Habebat comes jus patronatus in LXXII ecclesiis *q*, quæ omnes ad ecclesiam beatæ Margaretæ filiali jure spectabant. Erat etiam (2) sub ipsius jurisdictione *r* Bobardia, Wesela, Villa sancti Goaris, Loginstein (3) utrumque, Confluentia et aliæ plures villæ Renenses, et tota provincia quæ dicitur Einriche *s*. Quæ omnia velut (4) stercora reputans, meliorem in cælo substantiam præelegit. Comiciam suam dominis de Ysenburg (5) resignavit, quam ipsi dominis de Nassawen et de Catzenellenbogen (6) postea vendiderunt *t*. Hæc sunt autem allodia quæ Deo servientium fratrum usibus assignavit : Bubenheim quod est B in pago Wormaciensi cum ecclesia, decimis et hominibus, ceterisque (7) reditibus ejus, cum omnimoda et integra libertate. In villa Wizzen (8) trans Rhenum triginta mansos. In villa Hattinhusen (9) octo mansos. In Weltrod (10) quatuor mansos. Villam Gozmerod (11) cum omni jure, et curiam Keberlo (12). In Bruninbach (13) unum mansum. Curtim Holdenruke (14) cum omni jure. Salseid (15) etiam cum omni decima. In Singovin (16) tres mansos. Neve et Breme vineas, agros et silvas cum decimis. In Campe curiam et vineas. Loginstein curiam et vineas (17). Ecclesiam sanctæ Margaretæ. Præterea curtim (18) Selebach (19) et ecclesiam Kirchtorph (20), cum omni juri et integritate, cum hominibus scilicet (21) et decimis universis. Quæ venerabilis dominus Albero Treverensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus comiti et fratribus de (22) Arinstein pro salute animæ suæ et suorum successorum perpetua donatione contradidit (23) et privilegiis confirmavit. Ecclesiam quoque in Oberen Diffenbach in Einriche (24), quem Hartradus (25) de Merinberg (26) et uxor ejus Irmengardis, consensu liberorum et heredum C suorum (27), ecclesiæ beati Nicolai in Arinstein ob spem vitæ æternæ perpetuo delegavit, cum hominibus et tota villæ decima et appendiciis omnibus tam in agris, quam in pratis, totam eciam decimam in Bettendorf (28), et mediam partem decimæ in Schura, et forestem quæ dicitur Kamerforst (29), et silvam totam quæ dicitur Brustingesbach (30) præter octo arbores. Quæ omnia in privilegiis ecclesiæ plenius exprimuntur.

q *r*

s

t

Archiepiscopus Trevirensis fit advocatus, exclusis laicis.

15 In præfatis autem ecclesiis, beatæ scilicet Margaretæ, Kirchtorf, Diffenbach, nulla ecclesiastica persona, sed solus abbas de (31) Arinstein spiritalia (32) jura tenebit, et synodo quando voluerit, et sicut ipsi visum fuerit, præsidebit. Nullus advocatus sæcularisve persona juris aliquid obtinebit; sed quicunque Treverensis ecclesiæ erit archiepiscopus, perpetua tuitione ab injuriosorum molestia pro salute animæ (33) defensabit. In prædicto autem archiepiscopatu quicquid rerum mobilium ad usus fratrum de loco ad locum transferri contigerit, ab omni vectigalis exactione et omni erunt libera (34) pensione *u*.

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

u

ANNOTATA.

a *De hoc castro dictum est in Commentario prævio, num.* 39 *et seqq.*

b *Vulgaria erant illo tempore hæc facta; ut in Commentario prævio, num.* 50, *ex Jacobo de Vitriaco declaravimus.*

c *Notissima S. Ambrosii verba.*

d *De Ottone illo vide Commentarium prævium, num.* 48.

e *Gratiæ Dei fundationis historiam delibatam vide in Commentario prævio, num.* 48. E

f Regula B. Augustini et ecclesiæ primitivæ *est lex de observanda vita communi et de vivendo sine proprio; quum per Regulam Aquisgranensem seu sanctorum Patrum omne proprium non excluderetur. Cfr de his Amortus in libris suis de vita canonica, ubi multus est de renuntiantibus et non renuntiatibus; quorum primi solum habebantur vivere secundum Regulam S. Augustini et primitivæ ecclesiæ.*

g *Passim* (1) *traditur S. Norbertus primum Præmonstratum venisse anno* 1120; *sed videtur error esse et servandus annus* 1119, *qui hic scriptus est. Ut enim in ejus Vita* (2) *et apud Hermannum monachum* (3) *legitur, statim fere post concilium Remense, a die* 19 *ad* 30 *octobris anni* 1119 *habitum, a Bartholomæo Laudunensi episcopo per suam diœcesim ductus est, et quidem ante hiemem Præmonstratum pervenit.*

h *Vocabulum* habitus, *quod bis hoc loco occurrit* (formamque et habitum domini Norberti;... habitum, quem non ab homine neque per hominem accepit), *jam pridem divorsum intellectum est; aliis* (4) *contendentibus hinc demonstrari vestem candidam, qua utantur Præmonstratenses, S. Norberto cælitus indicatam fuisse; aliis contra non* habitum corporis *interpretantibus, sed* mentis. *Quæ posterior sententia, licet decessori meo eruditissimo* (5) manifesta *visa sit, mihi* (*ut candide loquar*) *probari non potest. Quid enim hoc sibi vult :* Secundum... formam et habitum *mentis* domini Norberti? *Et hæc alia :* Habitum *mentis* non ab homine, neque per hominem accepit? *Præterea in rebus monasticis vocabulis* formæ *et* habitus *certissima significatio inest. Sic in Capitulari Caroli Magni primo seu Aquisgranensi corrigi jubentur* cle-

(1) *Om. Bl.* — (2) enim *Br.* — (3) Logenstein *Bl.* — (4) Quædam *ad. Bo.* — (5) Isenburg *Bl.* — (6) Choigen *Bo.* — (7) Certisque *Bl. Bo.* 2. Cunctis *Br.* — (8) Witzen *K. Bo. Bl.* 2. — (9) Nattenhausen *Bl. Br.* Hattinhusen, 2, *Bo. K.* Hattinhausen 3. — (10) Weltroid *K. Bo.* 2 — (11) Gosmerod *Bl.* Gesmerod *K. Bo.* 2. — (12) Keberloe *Bl.* — (13) Brunbach *Bl.* — (14) Holdericke *Bl.* Holdenricke *K. Bo.* 2. — (15) Saelscheidt *Bl.* Salscheid 2 *Bo. K.* — (16) Gingoben *Bl.* Singoben 2, *Bo. K.* — (17) In L. c. e. v. J. C. c. e. v. *Bl.* — (18) Curiam *Br.* — (19) Selbach *Bl.* — (20) Kirchtorff 2, *Bo. K.* — (21) Videlicet *Br.* Facultatibus 3. — (22) In *Bl.* — (23) Tradidit 3. — (24) Aeynriche, *Bl.* — (25) Hartardus *Bl.* Bertrandus 3. — (26) Mermberc 3. — (27) Suarum *Bl.* — (28) Battendorpff 3. — (29) Kamforst 3. — (30) Brustenbach *Bl.* — (31) In *Bl.* — (32) Spiritualia *Bl.* — (33) Suæ *ad. Br.* — (34) Liberrima 3.

(1) Hugo, Annales Præmonstratenses, tom. I, col. 4; Acta SS., tom. I Junii, p. 833. — (2) Ibid., p. 832. — (3) Ibid., p. 862. — (4) Van Herdegom, Diva Virgo Candida, p. 63. — (5) Papebrochius, Acta SS., tom. I Junii, p. 860 et seq.

rici

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

rici qui se fingunt HABITU vel nomine monachos esse (1); *non aliter in Capitularium libro VII* (2) *prævaricatæ* viduæ et puellæ, quæ sibi in HABITU RELIGIONIS in domibus propriis tam a parentibus quam per se vestem mutaverint; *similiterque in additione quarta* (3) *ex epistola Gregorii papæ II ad S. Bonifacium* viduæ, quæ velari se permiserunt HABITUMQUE RELIGIONIS assumpserunt et demum apostaverunt; *aliisque multis Capitularium locis* (4). *Similiter* forma *vestitus est, a vulgari distinctus, ut in hoc Chronici Siciliæ loco* (5) : Forma militaris apparatus est cum spalleriis de cindato et manto de cindato *etc. Quod S. Norbertus dicitur hanc* formam et habitum non ab homine neque per hominem accepisse, *significatur ea divinitus sanctissimo fundatori fuisse indicata. Et quidem Hermannus monachus, scriptor coævus, refert libro III Miraculorum S. Mariæ Laudunensis, quamdam S. Norberti, quum primum Præmonstratum venit, visionem, quam ipse sanctus his deinceps verbis narraverit* (6) : Vidi enim hac nocte in visu quasi maximam
B multitudinem albatorum virorum, cruces argenteas, et candelabra, atque thuribula gestantium, eumdemque locum circumeuntium; *quibus utique novi instituti sodales præsignabantur. Quod autem volunt sanctissimam Virginem Mariam in demonstranda veste partem habuisse, sancti fundatoris ætate videtur recentior traditio esse.*

i *Anno* 1134 *mortuus est S. Norbertus, ut in Blanpiniana editione legitur; sed ipse Blanpinius biographi errorem correxisse, non autem mss. Arnsteinianos codices secutos esse videtur.*

k *Requievit Magdeburgi usque ad annum* 1626, *quo auctoritate Ferdinandi II imperatoris Pragam delatum est. Cujus rei historiam, singulari rerum vicissitudine distinctam, ediderunt decessores nostri ad diem* 6 *junii post S. Norberti Vitam.*

l *Hanc fundationem aliquantum explicui in Commentario prævio, num.* 50.

m *Bibliotheca non est librorum congeries, sed libri novi et veteris Testamenti; ut innumeris exemplis demonstravit Cangius in Glossario latino V°* Bibliotheca. *Libri vero ecclesiastici*
C *sunt libri chorales seu liturgici; quorum elenchum dabit Zaccaria in Bibliotheca sua liturgica.*

n *Hæc explicata vide in Commentario prævio, num.* 57.

o *Hinc patet venerabilis Gudæ clusam seu eremitorium templo fuisse appositum. De hac disciplina vide Commentarium prævium, num.* 55.

p *S. Nicolaus, cujus cultus a medio sæculo in Occidente invaluerat, patronus præcipuus erat; adeoque videtur altare præcipuum designari : quod etiam indicatur verbis* sanctuario basilicæ.

q *Erant pleræque ædiculæ, sparsæ per pagum Einriche, non autem justæ parochiæ.*

r *Hæc* jurisdictio *erat advocatia provincialis, quæ proxime accedebat ad auctoritatem præsentium gubernatorum, qui regis aut imperatoris nomine provinciis præsunt. De hoc officio vide* D *Commentarium prævium, num.* 47.

s *De hoc pago vide Commentarium prævium, num.* 48.

t *Aliqui hunc locum vehementer adorti sunt; sed egregie eum defendit Kremerus* (7), *nisi quod ex pago Einriche comitatum effinxerit. Porro mente imprimis retinendum est Nassau in comitatu Arnoldi seu Arnsteinianæ domus fuisse sæculo* XI, *quemadmodum supra num.* 42 *demonstravimus; deinde considerandum est Remboldum de Isenburg comitatum illum occupasse, ut ex diplomate anni* 1158, *quod edidit Hontheimius* (8), *manifestissimum est :* Quod per duorum liberorum hominum... judicio parium suorum in ipso comitatu, in quo idem castrum (Nassauwa) situm est, mediante etiam Remboldo de Isenburch, qui tunc temporis eumdem comitatum tenebat, factum fuisse sciatis : *quibus rebus asserta biographi plane confirmantur. Extra controversiam etiam esse scribit Kremerus ditionem Limburgensem, quæ ad sæculum* XV *penes Isenburgenses fuit, prius de comitatu Arnsteiniano fuisse; similiter ditionem Runkelianam, exceptis tamen partibus ali-* E *quot, quæ eo ex Dietziana accesserunt, necnon ditiones Westerburg et Schaumburg a B.* Ludovico *devenisse ad Isenburgenses. Censet itaque Kremerus B.* Ludovicum *cessisse comitatum suum Remboldo I; quem divisisse ditionem suam inter tres filios, ita ut Gerlacus Limburgensem tractum acceperit, Remboldus II comitatum in Einriche, immo Arnsteinianum, et Sigefridus Runkeliam, Schaumburgum et Westerburg cum circumjacente vicinia; et demum Remboldum II partem suam vendidisse comitibus de Nassau et Catzenelenbogen; atque ab hoc tempore comitatum de Einriche, immo pagum, qui ante imperii feodum esset, factum esse feodum electoris palatini : sed hæc examinari nolim, quum minus ad B.* Ludovici *gesta spectent.*

u *Omnes huc usque recensitas donationes explicuimus in Commentario prævio,* § V.

CAPUT III.

Fundationes in Munster-Dreisen, Bethlenrode, Enkenbach, Gummersheim et Beselich. Ædificatio monasterii in Arnstein. F

B. Ludovicus, *virtutibus auctus, ordinat Munster-Dreisen asceterium;*

Venerabilis pater Godefridus super custodia gregis dominici officiosa charitate sedulus excubabat, creditum sibi talentum in reditu patris familias duplicato cum fenore reportare contendens : hinc in fundamento, quod Christus est, aurum, argentum, lapidesque superædificans (1) pretiosos, inde (2) in structura materialis ædificii ingressum domus et atrii amplificans, excelsos templi parietes erigebat. Erat enim consilio providus, opere strenuus, doctrina dulcifluus, miræque humilitatis et abstinenciæ, sicut a contemporaneis ipsius veraci ad nos relatione pervenit (3).

(1) Ædificans *Bl.* — (2) Maxime *ad* 3. — (3) A. n. r. devenit veracissima 3.

(1) Cap. LXXV, ap. Baluze, Capitularia, tom. I, col. 239. — (2) Cap. CCCXXXVIII, ibid., col. 1098. — (3) Cap. LXXXVIII, ibid., col. 1211. — (4) Cfr Baluze, Capitularia, tom. I, col. 843, 1126, 1259; tom. II, 3, 37, 110 et seq., 211 etc. — (5) Martene, Anecdota, tom. III, col. 89. — (6) Acta SS., tom. I Junii, p. 863. — (7) Origines Nassavicæ, tom. I, p. 334 et seqq. — (8) Hist. diplomatica Trevirensis, tom. I, p. 587.

Dum

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

A Dum in hac perfectionis specula staret immotus, contigit Fridericum ducem Sueviæ, patrem Friderici Romanorum postea imperatoris, secus ecclesiam, quæ Munstre (1) dicitur, juxta rivulum Primma cum suis quodam tempore transire. In cujus comitatu comes etiam erat Lodewicus, quia consanguineus ipsius ducis (2) et amicissimus existebat. Intuensque præfatus dux locum, qui secundo jam, et sanctimonialibus et viris canonicis videlicet regularibus, ad divinum servitium (3) deputatus (4), ab omni penitus exciderat disciplina, ita ut canes venatici in sanctuario ecclesiæ discurrerent, et secundum prophetam dicentem : « Propter « montem Syon quia disperiit, vulpes, » hoc est dolosi, « ambulaverunt (5) in eo, » ex intimo cordis commotus est, et amoris Dei zelo succensus dilecto comiti et converso locum eundem cum omnium bonorum proprietate contradidit, deprecans pariter et cóntestans, ut ibidem ob spem cælestium præmiorum (6) monasticæ religionis observantiam ordinaret. Quem ille gratanter et cum omni alacritate suscipiens, habito fratrum suorum consilio,
B sex canonicos de Gracia-Dei probatæ conversationis elegit, adjunctis aliis personis idoneis, quos ad hoc opus pater Godefridus assignavit, præficiens eis Marquardum, capellanum comitis, qui jam de valle plorationis ascenderat (7), et in domo domini virtutum profectibus (8) innitens, cantica graduum mentis jubilo personabat. Hic anno gratiæ m.c.xl.v. (9) venit (10) monasterium cum fratribus delegatis
a ad vineam Domini Sabaoth excolendam *a*. Qualis autem in Christo vite (11), quamque fructuosus palmes extiterit, et qualiter in (12) diebus suis et sibi vixerit et Domini familiæ, ne materiam nostram varius sermo diffibulet, successorum ipsius efferendum laudibus relinquamus (13).

fundat parthenones in Bethlentrode et Enkenbach;

17 Subsequenti tempore memorandus comes, qui totus jam vivebat in Christo, secundum apostolum quæ retro sunt oblitus (14), in anteriora se divinæ repromissionis munera per virtutum gradus extendit, et sanctimoniales, quæ prius apud Bethlentrode, tunc Steden commorantes, in quarum collegio erant nobilium militum filiæ de Einriche, servitio Domini
C per exemplum dominæ Gudæ comitissæ mancipatæ, in Vallem sanctæ Mariæ transtulit, de quibus postmodum (15) cœnobium dominarum quod Einkenbach dicitur (16) transplantavit *b*.

b *item parthenonem Gummersheimensem :*

18 Post circulum dierum istorum, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in Moguntina diœcesi apud Oternheim (17) quidam (18) ministeriales beati Stephani Metensis (19) ecclesiæ *c* domos, agros et prata in villa Gummirscheim (20) in laudem Dei pro remissione peccatorum suorum sæpius dicto comiti votis liberalibus obtulerunt, eo quod frequenter apud ipsos ad allodium suum Bubenheim transitum faciens, fama celebris et conversatione dignissimus haberetur. Ipse vero, habita ipsorum (21) circa Deum reverentia non abusus, ibidem super Selsam rivulum (22) in honorem Dei genitricis et beati Johannis evangelistæ oratorium construxit sanctimonialibus adunatis. Locum autem eundem ab omni advocato sæculari et omni jure parochiæ de (23) Oternheim, præter decimam quam dominis Metensibus (24) solvere tenetur, qui hoc opusculum legerit, sciat penitus emancipatum.

c

Ipsi Arnsteiniani canonici summo labore ædificant suum monasterium. Mors primi præpositi seu abbatis.

19 Fervebat interim in ædificio domus Domini quotidianis exercitiis et laboribus fratrum de Arinstein socialis ac beata communio et in opere manuum *d*, quod omnes generaliter et singuli specialiter promovebant, qualis esset mentalis concordiæ disciplina facillime poterat conjectari. Nullus ibi torpebat otio, nullus laborem fingebat in præcepto, quia finis præcepti charitatis mutuæ vinculo cohærebat. Vere humiliatum est in laboribus cor eorum (25), quibus quotidianum martirium et humilitas mentis et carnis afflictio fuit in frequenti sufferentia paupertatis. Alii frangendis muris castrensibus, alii complanandis areis insistebant, alii trabes et ædificiorum E
ligna ducebant, alii rupis eminentiam præcidebant (26), cujus (ut fertur (27)) altitudo adæquabat quod (28) nunc est monasterii summitatem. Quis excogitare sufficit tot servorum Dei labores? Quis æstimare sudores? Novit solus retributor præmiorum, qui remuneravit plurimos ipsorum, quibus amodo jam dixit (29) spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Eo tempore vivæ memoriæ pater Godefridus anno duodecimo, quo super Domini familiam fuerat ordinatus, ingravescente carnis molestia, III idus octobris in itinere Præmonstratensi feliciter obiit *e*, sepultusque apud Wadegozin (30) *f*. *e* *f*
Cujus ossa postmodum in ecclesiam suam (31) honorifice delata, ante altare beatorum apostolorum Petri et Pauli debito cum honore sunt posita *g*.

d

g

Præposito Eustachio, procurat B. Ludovicus *fundationem et libertatem parthenonis in Beselich.*

20 Post cujus transitum ad prælationis officium successit Eustachius, et ipse vir virtutis et graciæ singularis, ut merito (32) ipsi et cura dominici (33) crederetur (34) ovilis, et rei gubernatio temporalis. Hujus (35) temporibus quidam sacerdos nomine Godefridus ecclesiam, quæ Besleich (36) nuncupatur, quam in parochia F
Diet-Kirchen consensu domini Alexandri Treverensis archidiaconi construxerat, cum omnibus attinentiis animalium scilicet et fructuum infra (37) curiam constitutis, fratribus de Arinstein contulit ob spem salutis æternæ, ut iidem fratres ibidem missarum solempnia perpetuo procurarent. Qui etiam conventum sanctimonialium ilico dirigentes, primicias Domino sabaoth dedicarunt bonorum operum ex proventu. Erant ejusdem loci domini de Catzenellenbogen (38) tunc temporis advocati; sed ipsam advocatiam pro amore Jhesu Christi et intemeratæ matris ejus cum omni jure totaliter abdicantes, in manus fratrum prædicto-

(1) Munster *Br.* 3. — (2) Erat *ad Br.* — (3) Officium *Br.* — (4) Deputatur *K.* — (5) Ambularunt *Bl. K.* — (6) Bonorum *Bl.* — (7) *Om. Bl.* — (8) Et gradibus *ad. Br.* Profectionibus *K.* — (9) III *Br.* — (10) Ad *ad. Bo. K.* 2. — (11) Vitis *Br.* 3. — (12) *Om. Bl.* — (13) Relinquimus *Bl.* — (14) Obliviscens *Bl.* — (15) Postea *Br.* — (16) D. Enkenbach. *Bl.* Nuhrenbach *Br.* — (17) Odernheim *Bo. Br.* 2, 3. — (18) Quod *Bl.* — (19) Moguntinensis 3. — (20) Gommerscheim. 3. — (21) Cura *ad.* 2, *Bo;* benevolentia ad laudem Domini non 3. — (22) Salsam fluviolum *Bl.* — (23) In *Bl.* — (24) Moguntinensibus 3. — (25) Nostrum *Br.* — (26) Præscindebant *Br.* — (27) Fertur *Br.* — (28) Quæ 3. — (29) Dedit *K.* — (30) Wadegodiam 3. — (31) Arnstein *ad. Bl.* — (32) Tuto 3. — (33) Domini *Bl.* — (34) concr. 3. — (35) His. *K.* — (36) Beselich *Bl.* 3. — (37) Intra *Br.* — (38) Cazenelenbogen *Bl.*

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

rum et conversi comitis (1) cum integritate omnium infra (2) curiam existentium libertate perpetua tradiderunt (3). Quem locum Hillinus eo tempore (4) Trevirorum archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, sub tuitione sua suorumque (5) successorum suscepit speciali gracia defensandum, jam dicto Alexandro archidiacono jus suum in ea (6) penitus resignante. Et ad majorem et (7) perpetuam facti hujus firmitatem statutum est et privilegiis confirmatum, ut ecclesia memorata Treverensis ecclesiæ archiepiscopo aureum denarium, vel duodecim Confluentinæ monetæ denarios argenteos, annuatim persolvere teneatur *h*.

ANNOTATA.

a *Explicuimus hanc fundationem in Commentario prævio num.* 64 *et seqq.*

b *Hanc quoque fundationem explicuimus in Commentario prævio num.* 67 *et seqq.*

c *Totus hic locus plurimum illustratur memoriis, quæ in Itinere, quod anno* 1764 *academici Palatini instituerunt, leguntur* (1). *Tum scilicet Odernhemium præfecturæ Alcejanæ, quæ Palatini juris erat, oppidulum, castro imperiali olim munitum, censebatur; nunc in Magno ducatu Hassiæ jacet* (2). *In æde parochiali hujus loci S. Rufi, sæculo* III *episcopi Metensis, ossa antehac servabantur: conscio Drogone præsule, temporibus Lotharii imperatoris et Ludovici regis huc translata; sed bello tricennali, dum Hispani has regiones occupabant, Brugas Flandrorum devecta; et quidem sæculo superiori, licet plane Odernhemii dominarentur Protestantes, ad murum chori supererat lapis cum imagine sancti episcopi. Nexum cum Metensi ecclesia probant præter hunc B.* Ludovici *Vitæ locum literæ Wernheri de Bolanden, qui capitulo ejus majori jus suum in ecclesia Odernhemiensi, præsente Philippo rege, anno* 1208 *resignavit* (3). *De fatis autem monasterii Gundershemiensis vide Commentarium prævium, num.* 72 *et seqq.*

d *Initio Commentarii prævii locum Jacobi de Vitriaco excitavimus, quo constat tunc temporis laborem manualem in multo honore et usu fuisse inter canonicos Præmonstratenses. Et quidem Bartholomæus, episcopus Laudunensis et abbatiæ Præmonstratensis fundator, in diplomate, dato anno* 1125, *testis est* novum ordinem institutum esse, qui in clericali habitu secundum regulam S. Augustini Domino famulantes, eremiticam vitam ducerent et de labore manuum sibi necessaria providerent (4); *adeoque, quum in primario Ordinario seu Consuetudinario B. Hugonis, primi Præmonstratensis præpositi, præceptum esset ut omnibus diebus per annum duæ missæ in conventu celebrarentur,* excepti *sunt* tres dies ante Pascha, quando sola missa post nonam cantaretur, et tempus secationis fœni, messis et vindemiæ, vel etiam si quando forte cujuslicet operis faciendi necessitas institerit (5). *Laborem spiritualem corporali successisse tradit Pagius* (6), *quando monasteriorum dos aucta sit, quoniam spiritualia opera præstent corporalibus: ratio utique optima; verumtamen ego putem laborem manuum paulatim cessasse, quum clerici omnes aut fere omnes ad ordines sacros atque ipsum presbyteratum promoti sunt et in dies rariores fierent qui aliquando non promoverentur ad curam parochialem: quæ sine singulari literarum studio fieri non potuere.*

e *Præmonstratum pergebat anno* 1151 *Godefridus abbas, ut capitulo generali interesset, quum morte præoccupatus est. S. Norbertus enim, statim ubi B. Hugonem sibi Præmonstrati substituerat,* irrefragabiliter observari præceperat ut ex omnibus ecclesiis, quæ vel in vita sua vel post obitum institutionis ac regulæ suæ normam sequerentur, singuli abbates ac præpositi singulis annis in festo S. Dionysii *seu die* 9 *octobris* ad Præmonstratensem ecclesiam, quasi ad fontem et caput ordinis, convenirent, simulque congregati capitulum generale in eodem loco celebrarent (7).

f Vadegotia, *inquit Blanpinius, vulgo Wadgassen,* celebris et potens ordinis Præmonstratensis abbatia, ad Saravi fluvii ripas, in archidiœcesi Trevirensi. Fundata est a Gisela, relicta Friderici comitis Saræpontis, anno 1135. Una hora distat a Saravo-Ludovici (*Sar-Louis.*) *Ejus historiam, donec anno* 1790 *ab impio gubernio Gallico suppressa est, scripsit ven. vir J. Marx* (8).

g *Ejus epitaphium dedit Hugo* (9); *quod et reperi in adversariis nostri Gamansii, his conceptum verbis:*

Aspice flos ubi sit, flos quem Saxonia misit:
Non homo, sed sidus, pater hic pausat Godefridus.
Quem tuba nectareæ vitæ, claustralis ideæ
Annis bis senis templi præfecit habenis.
Amen. Requiescat.

h *Quæ ad fundationem in Beselich seu Besselich pertinent, explicuimus in Commentario prævio, num.* 75 *et seqq. Pauca addam de denariis aureo et argenteo Confluentinis, qui hic ad finem memorantur. Imprimis liquet ex hoc loco sæculo* XII *adulto aurum duodecies pretiosius fuisse quam argentum, quum nunc deciesquinquies pretiosius sit; dein, quum vetus libra Confluentina pendat grammatibus* 466,3, *adeoque marca grammatibus* 233,15; *marca autem in illis partibus denarios contineat* 256; *hinc fit ut singuli denarii Confluentini paulo minus grammate penderent, seu* 0,91. *Duodecim itaque denarii argentei Confluentini pendebant grammatibus* 10,92, *tantumdem quantum franci duo et centesimæ* 18 *: sed potentia sexies saltem major erat quam nunc.*

—

(1) Ludovici *ad. Bl.* — (2) Intra *Bl.* — (3) Contrad. 3. — (4) Tunc temporis 3. — (5) Que *om. K.* — (6) Re *ad. Br.* — (7) Ac *Bl.*

(1) Acta academiæ Palatinæ, tom. I, pag. 25 et 26. — (2) Wagner, Beschreibung des Grossherzogthums Hessen t. II, Rheinhessen, pag. 33. — (3) Gudenus, Codex diplomaticus, tom. I, pag. 409. — (4) Ap. Le Paige, Biblioth. Præmonstrat. pag. 230. — (5) Ibid. pag. 893. — (6) Ibid. pag. 231 et 232. — (7) Ibid. pag. 251 et 252. — (8) Geschichte des Erzstifts Trier, part. II, tom. II, 176 et seqq. — (9) Annales Præmonstratenses, tom. I, col. 205.

CAPUT IV.

A

CAPUT IV.

Virtutes B. Ludovici, mors et exsequiæ.

Merita B. Ludovici, ut comitis, ut fundatoris, ut conversi;

Sed jam nunc ad ipsum, pro quo (1) materia tota sumpsit inicium (2), revertamur, quod lectori de conversatione ipsius et transitu spopondimus exolventes. Audisti, lector, in superioribus, si non excidit a memoria (3), de progenitoribus viri, de ingressu pauca pariter et progressu. Audi nunc et mirare nobiscum, ut miremur ea saltem quæ non possumus imitari. Nondum enim tornatiles, nondum plenas iacinctis (4) manus habemus, ut sint ad eleemosinam porrectæ (5) cum lucis exemplo, et ad modum torni (6) promtissimæ (7) ad opera quantumlibet subtilia pro amore Domini facienda. Audi comitem, audi fundatorem, audi pariter et conversum. Miror ego in unum hominem tria hæc (8) adjectiva nomina convenisse. « Certe, » juxta Salomonem, « funi- » culus triplex difficile rumpitur. » Cum
B audieris comitem, non attende prosapiam, quia stulta mundi et ignobilia Deus elegit, sed mirare triumphalem (9) rerum temporalium contemptorem.

ejus rerum mundanarum contemptus et religio;

22 Contempsit enim nomen et genus, sæculi divitias et honores, ut nudus nudum Christum sequeretur; quatenus pœnas evaderet divitis purpurati, abnegavit post omnia, quod est dificillimum, se ipsum. Numquid pro Christo non plura reliquit ? Eciam. Sed quid? In uxoris corpore molle femur (10). « Qui reliqueː » rit, » inquit Salvator, « inter cætera uxoː » rem et filios, centuplum accipiet. » Jam centuplum hoc surgit (11) in infinitum, quia surgit et crescit infinitas præmiorum. Sed fortassis dicet (12) aliquis : quod hoc non obesse poterat (13) ad salutem. Audiat quod evangelicus dixerit excusator : « Uxorem » duxi, et ideo non possum venire. » Cum audieris fundatorem, futurorum bonorum considera provisorem, ubi Christus assistens (14) pontifex semel in sancta per proprium sanguinem introivit. Qui dormit æstate, mendicabit hyeme. Providit ergo in posterum (15),
C donec hodie cognominatur divini cultus officium, providit iisdem cultoribus præsentis vitæ subsidium. Providit ergo in posterum, quia tot salutis suæ reliquit obsides, quot patrimonii sui futuros habebit hæredes. Fundavit se ipsum, imo fecundavit sanctæ professionis studio. Fundavit alios virtutis (16) exemplo, ideoque superædificari meruit in ecclesiæ fundamento.

ejus humilitas, caritas et paupertas;

23 Cum audieris conversum, bonorum operum intellige sectatorem. Nam sponso qui in cælis est, perhenni mente actu et habitu maluit applicari (17), non jam conformis huic sæculo, sed reformatus spiritu mentis suæ. Conversus enim et (18) effectus ut (19) parvulus, elegit abjectus esse in domo Dei per viam militatis signifer et prævius antecedens, quia ut ait quidam :

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO.

Componitur orbis
Regis ad exemplum;

et vita quis melius quam verbo docetur (20). Quid de charitate, quid de ipsius compassione dicturus sum, qui totus semper misericordiæ visceribus affluebat? Ibat sæpius in glaciali frigore pelliciis nudatus ac tunicis (21) *a*, quibus calefacta sunt algentia membra viduarum. Testantur hæc (22) voces pauperum, quæ ad aures Incircumscripti sæpius (23) pervenerunt, quibus et victum sæpe latenter et amictum per humeros furtive dimisit *b* : non inferior in (24) hac virtute (25) Martino, qui dimidiam clamidem, cum iste totum frequenter dederit indumentum. *a* *b*

mors Eustachii abbatis et B. Ludovici;

24 Hoc tempore *c* felicis memoriæ Eustachius abbas, cum vigentinovem annis in castris Domini strenue militasset, solutus carnis ergastulo, Deo, apud quem mortuorum spiritus vivunt (26), reddidit (27) animam, successitque ipsi Ricolphus, cujus multa in procuratione domus Dei inveniuntur insignia probitatis. Hujus anno sexto venerabilis co- E
mes et conversus, sicut sæpe solebat, per abbatis licentiam ecclesias, quas fundaverat, et ipsarum prædia visitandi gracia circuibat. Et dum ad cœnobium dominarum Gummersheim devenisset, viribus corporis destitutus, sensit mortis adesse discrimen, securusque de præmio cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Aliquantis ergo (28) diebus febriens, ab abbate monasteriensi Burchardo, et præposito de Flanheim Weremboldo, et præfati loci priore Godefrido *d*, multisque qui confluxerant sacerdotibus, sacramentis (29) ecclesiasticis sollempniter (30) est imbutus. Et totus cælestium flagrans desiderio, valedicens omnibus VIII kal. novembris, lætantibus angelis, plenam felicibus meritis animam transmisit ad Christum. *c* *d*

solemnes ejus exsequiæ.

25 Ad cujus exequias tota (31) vicinia confluebat: flevere (32) quem noverant, non minus ab ipso apud Dominum precantes commendari, quam felicem studentes Deo ipsi (33) spiritum commendare (34). Conditus ergo (35) pro tempore duabus noctibus apud Gummersheim, tercia apud Everbach, quarta apud ecclesiam Kirtorff, quinta apud ecclesiam beatæ Marga- F
retæ, patri spirituum multo precum aromate cum missarum sollempniis repropiciatus, sexto demum die, comitibus de Nassauwe (36), de Catzenellenbogen, de Dithse et dominis de Ysenburg feretrum portantibus, apud ecclesiam suam Arinstein cum maximo deponitur ejulatu *e*. Quantæ ibi lacrimæ (37), quanta suspiria et quantus fuerit sexus utriusque concursus, longe facilius æstimabitur quam scribetur. Sepultus est autem ante altare beati pontificis Nicolai, ejusdem ecclesiæ patroni, in die commemorationis omnium fidelium animarum anno graciæ M.C.LXXX.V., anno autem a fundatione dictæ ecclesiæ XL.VII., sub abbate Ricolpho. *e*

(1) Per quem. — (2) Exordium 3.— (3) Exiderit memoria 3. — (4) Hyacinthis *Bl.* — (5) Porrigere *K.* — (6) Tomi *Bl.* — (7) Voluntàtis *ad. al.* — (8) Tàm diversa *ad.* 3. — (9) Triumphantem 3. — (10) Quanta non reliquit? *ad.* 3. — (11) Surget *Bl.* 3. — (12) Dicat 3. — (13) Q. h. o. n. p. *Bl.* — (14) Exsistens *Br. Bo.* 3. — (15) Constituens ex suis præsentibus bonis 3. — (16) Virtutum 3. — (17) Computari 3. — (18) Est *Br.* — (19) At *Br.* — (20) Docet 3, *K.* — (21) T. que *Bl.* — (22) Hanc charitatem 3. Hoc *K. Bo.* — (23) Spiritus *Bl.* — (24) *Om. Br.* — (25) S. *ad. Br.* — (26) Requiescunt *Br.* — (27) Tradidit *Br.* — (28) Autem *Br.* — (29) Cælestibus et *ad. Br.* — (30) *Om. Bl.* — (31) Fere *ad. Br.* — (32) Flens *K. Bo.* 2. — (33) Q. f. s. D. i. s. c. *Om. Bl.* — (34) Ipsius *K. Bo.* 2. — (35) Est *Br.* — (36) Nassawe *Bl.* — (37) Quanta lamenta 3.

AUCTORE, UT VIDETUR, LUWANDO. *Adhortatio ad Arnsteinianos ut sancte vivant.*

26 Accipe jam, lector, brevem et simplicem paginam quam descripsi, tanti viri virtutibus imparem, quam nullam jactanciæ vicium teste conscientia fermentavit (1), sed sola sepultæ materiæ negligentia ad id quod videtur eduxit. Innovent et corrigant de charitate (2) qui voluerint (3); non enim (4) reclamabit (5) ad limam, qui doctioris ingenii calamum jam (6) expectat (7). Date, (8) fratres et domini, date, precor, veniam, et quid tantis cineribus debeatur vigilantes advertite, ne quæso pro nichilo terram desiderabilem habeatis, ne undę graciam et meritum, inde teneamini pœnas et supplicia reportare. Sequitur vos et insequitur ac per omnes locorum angustias ingreditur oculus pii pontificis Nicolai, penetrat abdita (9), rimatur (10) occulta (11), videt etsi videri non velit a vobis. Non ergo simus ingrati de (12) beneficio, ut ejus nobis patrocinetur oratio, sed finem loquendi omnes pariter audiamus : « Deum time et mandata « ejus observa, hoc est omnis homo (13). *Hoc* id est *per hoc; est* id est *erit; omnis homo* subaudi *perfectus* (14). Ad hanc perfectionem
B et coronam regni qui nos invitavit post mortem carnis inducat Jhesus Christus Dominus noster. Amen *f*.

(1) Fermentant *K.* — (2) D. c. *Om. Bl.* — (3) Volunt *Bl.* — (4) Etiam *Br.* — (5) Reclamabunt *Bl.* — (6) *Om. Bl.* — (7) Expectant *Bl.* — (8) Peccatori *ad.* 3. — (9) Adita *Bl.* — (10) Ruminat. — (11) Oculo videt et considerat. — (12) Tanto *ad.* 3. — (13) Timeamus e. m. e. observemus, simusque perfecti ut Pater noster in cælis perfectus est. *Bl.* — (14) H. i. e. p. h. e. i. e. e. o. h. s. p. *Om.* 2, *Bo. Bl.*

ANNOTATA. D

a *In antiquis ordinis statutis, quæ Pagius appellat passim primaria, licet alia antiquiora cxstitisse videantur, hæc, quæ huc pertineant, leguntur* (1) : Cuilibet liceat habere tres tunicas, cappam unam, pelliceum unum, scapulare unum, coopertorium seu pallium, sive pelles. Pellibus de culinis, vulpinis et leporinis possunt uti fratres ordinis nostri, sed alias pelles silvestres non habeant..... Pelliceum numquam portetur, nisi opertum tunica, præterquam in matutinis, et cum superpelliceo vel alba induitur..... Pelliceum brevius sit tunica ut non appareat. *De differentia vestium conversorum pauca animadvertimus in Commentario prævio, n.* 52.

b *Ex licentia præsumpta, quod in fundatorem faciles essent præpositi, hæc facere potuit beatus vir, nequaquam communi lege.*

c *Quum Eustachius abbas seu præpositus creatus sit anno* 1151; *si addas annos* 29 *regiminis, incidis in annum* 1180.

d *In Commentario prævio, n.* 82, *indicavimus* E *qui essent hi viri.*

e *In Commentario prævio, n.* 82, *hic quoque locus explicatus fuit.*

f *Epitaphium, quod in pluribus codicibus ad finem legitur, dedimus in Commentario prævio, n.* 83.

(1) Le Paige, Bibliotheca Præmonstratensis, p. 218.

DE BB. ALBERTO ET GERARDO, CONFF. NON PONTT.,

MONACHIS SAXOFERRATI IN PICENO,

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Saxoferratensis monasterii descriptio. Documenta deperdita. Diversæ sententiæ de ætate B. Alberti, nixæ variis Vitis B. Gerardi.

ANNIS MCCCL ET MCCCLXVII. *Saxoferrati, cujus sancti recensentur et monasterium describitur,*

In Martyrologio totius ordinis Camaldulensis, quod simul appendix est Martyrologii Romani, legitur hac die jussu Gregorii papæ XVI, qui ipsemet Camaldulensium vestem doctrina, sapientia et virtutibus illustravit, sequens commemoratio : Saxoferrati depositio beati Alberti confessoris, qui collapsam regularem disciplinam in monasterio sanctæ Crucis de Tripudio mirifice reparavit; cujus sacrum corpus in ecclesia ejusdem monasterii quiescit et veneratur. *Saxoferratum, quod etiam (quoniam ex vicini Sentini ruderibus ædificatum est* (1)) *Sentinum vocant, jacet in diœcesi Nucerina, in districtu Fabrianensi et in delegatione Maceratensi, et circa annum* 1836 *incolas habebat* 2060 (2). *Plures sanctos dedit hic locus ecclesiæ Dei; quos inter recensentur B. Ugo, dictus vulgo* degli Atti, *cujus festum agitur die* 27 *julii et de quo inferius recurret sermo; B. Alexander Vincioli, Minorita et episcopus Nucerinus, cujus cultus an legitimus sit examinabitur sub die* 17 *novembris; S. Nicolaus, unus ex septem Minoritis, qui anno* 1221 F *Ceutæ in Africa a Mauris occisi sunt et de quibus dictum fuit in opere nostro sub die* 13 *octobris; et præterea B. Petrus de Saxoferrato, laïcus Minorita, anno* 1230 *Valentiæ in Hispania martyrio coronatus, et cujus festivitas licentia Benedicti papæ XIII agitur die* 3 *septembris.* Quarta milliarii parte ab oppido *exstat, ut Lubinus* (3) *testis est,* abbatia titulo S. Crucis de Comitibus, dicta vulgo *de' Conti*, Saxoferratensis; fuit anno circiter 1215 condita et dotata, ex ruderibus Sentinæ civitatis per dominos familiæ *de' Atti,* comites *de Tripozzo* et Saxoferrati etc.; unde nomen monasterium adeptum fuit de Comitibus. *De hoc cœnobio, quod incoluit B.* Albertus *atque etiam B.* Gerardus, (*de quo ob causas inferius declarandas simul agere placuit,*) *dedit Vincentius Patritius ad Franciscum Bossium, protonotarium apostolicum et S. Pii V referendarium, præclaram epistolam;*

(1) Nicolai Peranzoni de laudibus Piceni, ap. Colucci, Antichità Picene, t. XXV, p. 144 et seqq. — (2) Indice alfabet. dello stato pontificio, p. 297. — (3) Abbatiarum Italiæ brevis notitia, p. 358.

ita

A *ita ut operæ pretium videatur pauca aliqua inde excerpere :* Inter tot templa, *inquit* (1), quæ Sentinum ornant, primum fortasse locum obtinent ædes sanctæ Crucis comitum de Triputio, idque nedum antiquitate et sancta quadam religione, verum etiam situ, ædificio, ceterisque rebus omnibus. Hoc templum extra oppidum situm est, non longius ab ipsis mœnibus quam circiter trecentis passibus. Locus, ubi situs est, non adeo est eminens, ut venti illius habitatoribus magno esse possint nocumento ; non adeo demissus, ut nebulis semper plenus. A dextris montem habet undequaque amœnissimum, limpidis gelidisque fontibus abundantem ; a sinistris Sentini flumen jucundissimum; et ipsum oppidum circumdant paululum eminentes ædes, hinc inde virentia prata, quæ ibi spatiantibus æstivo tempore, præsertim ipso sole oriente, tantam afferunt delectationem, quantam forsan animi nostri capere possunt... Ædificium sanctarum ædium et monasterii, quadratis structum lapidibus, antiquissimum profecto est, erectum anno salutis nostræ 1200 et ultra a nobilissimis comi-
B tibus de Triputio, quorum castra hac in regione erant, et munitissima quidem, quamvis hodie nuda tantum appareant vestigia...

vixit B. Albertus ; *sed quum perierint hujus asceterii pleraque monumenta,*

2 Nomina autem eorum, qui tantum templum ædificari curarunt, amplasque dotes, illi tributas, facile rependeremus, nisi dira impiorum rabies effecisset, ut scripturæ talia continentes igne consumptæ essent. Inter illas aderant innumerabiles immunitates, dona, privilegia, prærogativæ, indulta, indulgentiæ, concessæ variis temporibus a diversis pontificibus monachis, ibi existentibus, illisque omnibus, qui sacras ædes illas visitarent; ibi privilegia quædam aderant, tributa a quodam imperatore; qui, hac transiliens, ut Romæ Christi vicarii pedes deoscularetur, reliquit in hoc templo multa munera, maxima privilegia, una cum cadavere dilectissimæ filiæ, quæ hoc in loco infirmitate præventa vitam cum morte commutavit. Hæc omnia incremata fuere in
* Jesi civitate Æsina *, capta infelicissimis temporibus Alexandri VI a Valentino Borgia; qui tam avide tot occisionibus Italiæ imperium usurpare visus est, donec mors et dies et de-
C sideria abstulit. Ea omnia abbatiæ privilegia, indulta una cum pretiosissimis rebus asportarunt monachi; qui quum cernerent Borgiam adversus regionem illam arma parare, arbitrabantur, et male quidem, ut experientia docuit, melius tutiusque hæc omnia in civitate munita servari posse quam in loco quibusvis jactationibus aperto... Hoc monasterium incolunt monachi divi Benedicti, vestibus albis induti... Hic commodissima adsunt claustra, porticus, refectorium, dormitorium additum
* capitulum ? capitolatum *..... Templum vero in oppido [non] est, ut continuo hominum concursu illius habitatores ab orationibus distrahantur et rumoribus semper refertum sit; non adeo ab oppidis et civitatibus distat, ut illi ipsi remoti ab omni penitus hominum societate in heremo vitam ducere videantur. *Verum hæ hujus asceterii laudes nequaquam exstinguere queunt desiderium combustarum chartarum; tanto magis quo certius esse videatur illa combustione factum esse ut plura perierint documenta de B.* Alberti *gestis.*

AUCTORE V. D. B.

3 *Hæc enim tam obscura sunt ut de tempore, quo beatus vir vixerit, non conveniat. Audi ea de re Joannem Rosatini et Franciscum Mercurelli, qui anno* 1837 *coram sacra rituum congregatione dixerunt causam cultus immemorabilis B.* Alberti : Non equidem, *inquiunt* (2), satis constat quo anno ad Deum transierit vir iste beatus ; et perplexiorem etiam effecerunt quæstionem Jacobillus, Dorius, Perottus, qui temere ad annum 1350 ejus obitum consignarunt; quorum deinde auctoritatem imprudenter sequuti fuerunt auctor Annalium ordinis Camaldulensium (3) et auctor Synopsis Vitæ S. Romualdi (4). Ceterum multa sunt quæ dubitari non sinunt quin beatus Albertus ex hac vita migraverit ante dimidium sæculi decimi tertii. Primo enim auctor Vitæ B. Gherardi, Paulo V exhibitæ, qui auctor accuratissime singulas actorum sancti illius viri epochas investigavit, narrat ipsum suscepisse religiosum habitum e manibus B. Alberti, et rerum E seriem deinde prosecutus ait « che nel 1232 era abbate Compagno; » quod certe satis demonstrat tunc temporis eum jam provectioris fuisse ætatis, et propterea multo seniorem (ni forte jam vita functum) esse debuisse B. Albertum, a quo tamquam prælato monasticam vitam susceperat. Deinde, cum omnes auctores fateantur B. Albertum fundasse vel saltem primum reformasse cœnobium S. Crucis Saxoferrati, et hujus reformationis epocha ad exitum sæculi duodecimi communiter revocetur; impossibile omnino est ipsum, qui jam tunc natu grandis esse debebat, ultra dimidium sæculi insequentis vitam protraxisse. Eique validissimo argumento id præcipue suffragatur, quod Gregorius X anno 1275 ad idem S. Crucis cœnobium miserit Rolandum Avellanitam, ut regularem disciplinam, quæ jam inter eos monachos exciderat, restitueret. Scitum est enim regularis observantiæ studium repente frigescere ac dissolvi non solere, sed tepescere veluti per gradus et sensim; idque eo diuturnius temporis spatium poscere, quo religiosæ familiæ propius absunt F a sua fundatione vel reformatione, et quo sanctiores fuerunt fundatores vel reformatores : quamobrem cum anno 1275 adeo lapsa fuisset illius cœnobii disciplina, ut novus illic reformator pontificia auctoritate fuerit mittendus, credere oportet multis jam annis priorem reformatorem e vivis fuisse sublatum.

valde pauca de eo noscuntur. Volunt nonnulli eum vixisse initio sæculi XII *cum S.* Gerardo, *propter hujus Vitam quamdam, oblatam Paulo V,*

4 *Desumpta est universa ista argumentatio ex Commentariis, quos Alexander Morosi, de monasterio S. Crucis, cujus erat rector, ex ejus tabulario collegit et anno* 1770 *absolvit* (5). *In his certum est anno circiter* 1232 *Compagnum fuisse abbatem, quandoquidem Mittarelli* (6) *ediderit expostulationem, qua hic abbas coram Philippo, Camerinensi episcopo* (7), *injuria aut certe frustra conquestus est adversus Raynaldum, abbatem S. Victoris de Clusis, quod hic,*

et seriem abbatum Saxoferratensium: ex qua tamen nil concludere licet.

(1) Mittarelli, Annales Camaldulenses, t. V, p. 8 et 9. — (2) Informatio, p. 2. — (3) Tom. V, p. 401. — (4) Summarium super dubio de cultu, p. 8.— (5) Ibid., p. 4 et seqq. — (6) Annales Camaldulenses, t. IV, p. 323 et app. n. 316, col. 509 et 510. — (7) Cfr Ughellius, Italia sacra, t. I, col. 555.

superhabitis

AUCTORE V. D. B.

superhabitis S. Crucis juribus, ecclesiam S. Blasii in burgo Fabriano construxerat. Quæ de Rolando traduntur, ex Jacobillio deprompta sunt; qui hoc loco optima secutus esse videtur documenta (1); *adeoque conveniunt tempora Gregorii X, qui ab anno* 1271 *ad* 1276 *S. Petri cathedram occupavit. Addere potuisset* (*nam hoc quoque ad præsentem quæstionem facit*) *postmodum Joannem quemdam abbatem fuisse S. Crucis de Triputio usque ad annum* 1322, *quo creatus hic ipse est abbas Classensis, ut constat ex regesto anni* VI *pontificatus Joannis papæ XXII, epistolis* 764 *et* 770, *idibus januarii intrantis hujus anni* (2). *Atque ex his probe liquet B.* Albertum, *cujus regimen diuturnum fuisse volunt, abbatiale pedum non gessisse ab anno* 1232 *usque ad annum* 1322; *verum hinc nequaquam concludere licet beatum virum non obiisse anno* 1350, *sed ante annum* 1232. *Quamobrem invocant auctoritatem Vitæ B.* Gerardi, *qua tradi volunt B.* Albertum *abbatem fuisse ante iniens sæculum* XIII *et magistrum superioremque B.* Gerardi *quadraginta annorum spatio : ita ut totus cardo vertatur in B.* Gerardi *Vita;* B *eaque de causa ambos conjungendos esse arbitrati fuimus.*

Aliæ exstant B. Gerardi *Vitæ, plane diversæ et melioris* (*ut videtur*) *notæ.*

5 *Sunt autem plures B.* Gerardi *Vitæ. Habes imprimis illam ipsam, quæ Paulo papæ V initio sæculi* XVII *oblata fuisse dicitur. Causidici Rosatinius et Mercurellius eam multis laudibus ornarunt; sed numquam eam legisse videntur, sed novisse tantum ex Moreschio, altero B.* Gerardi *biographo, seu potius ex Morosio, qui non ipsam illam Vitam, sed Moreschium, qui eam viderat, sibi auxilio invocavit* (3). *Verum nullam apud Morosium illius Vitæ reperio commendationem, nisi quod eam tutum ducem æstimavit, eo verisimiliter titulo quod Paulo papæ V oblata fuerat, qua probaretur pontifici beati viri cultus : hæc enim plurimorum mens est et persuasio singularem quamdam auctoritatem inesse iis omnibus, quæ modo qualicumque Romanorum pontificum nomen præferunt. Verumtamen ante et postquam illa Vita Paulo papæ V oblata fuit, scripserunt alii omnino aliter et tot indicia temporum et locorum proferunt, ut mihi persuadere non possim eos hæc omnia somniasse aut sibi sponte imaginatos esse. Si Rosatinium et* C *Mercurellium audias, Jacobillius unus videtur esse auctor et aliorum dux; sed ita non est. Audi Mittarellium, de B.* Gerardo *agentem :* Hæc descripsimus, *inquit* (4), ex Vitis manu exaratis beati Gerardi, ex monumentis Saxiferrati et Serræcomitum, ex Petro Rodulpho Tossinianensi, quorum excerpta in medium profert Jacobillius tomo III sanctorum et beatorum Umbriæ, pagg. 49 et sequentibus. *Alibi* (5) *quoque meminit Mittarellius Vitæ ms., qua ipsemet usus est et quam antea in compendium redegerat Jacobillius. Petrus Rodulphus Tossinianensis similiter antiquior est Jacobillio, quippe qui, postquam diu inter fratres Minores theologica et historica doctrina claruisset, prius Venusinus, dein Senogalliensis episcopus factus est et demum obiit anno* 1602 (6). *Torquatus* D *Perotti et Dorius traduntur similiter dixisse B.* Albertum *circa annum* 1350 *obiisse. Torquatus autem ille Perioctus, domo Saxoferrato, anno* 1642 *episcopus Amerinus obiit, præter alia opera relictis Vitis et elogiis virorum illustrium Saxoferratensium, quæ numquam edita fuere* (7). *Durante Dorius, qui edidit anno* 1638 *typis Fulginatibus Historiam familiæ Trincorum, cum adjectis commentariis de Fulgino, Nucera et Gualdo* (8), *reliquit præterea Commentarium de Umbria ms.; atque hoc usus est Jacobillius* (9). *Hi itaque similiter anteriores sunt Jacobillio, qui anno tantum* 1661 *tertium tomum Vitarum sanctorum Umbriæ in lucem dedit. Post Jacobillium venit Germanus Botta, qui in Synopsi vitæ S. Romualdi ejusque assectatorum tradidit etiam B.* Albertum *mortem oppetiisse die* 7 *augusti anni* 1350. *Non aliter anonymus, qui anno* 1773 *Hagiologium Italicum in lucem dedit: similiter Colucci, qui anno* 1795 *edidit Descriptionem chorographicam et historicam terrarum Barbaræ et Serræcomitum* (10), *in qua S.* Gerardum *anno solum* 1367 *diem obiisse statuit. Unde constat quam parum ratio habita* E *fuerit Vitæ B.* Gerardi, *quæ sub initium sæculi* XVII *Paulo V oblata fuisse dicitur.*

§ II. Chronotaxis vitæ B. Gerardi. Monachatus Saxoferrati. Nativitas, parochiale munus, miracula et cultus Serræcomitum.

Secundum has natus est B. Gerardus *anno* 1280 *Serræcomitum, quod oppidum describitur.*

Verum *S.* Gerardi *res gestas jam expediamus.* Rusticis, *inquit Mittarellius* (11), sed piis genitoribus natus est hoc anno 1280 sanctus Gherardus, protector oppidi Serræcomitum, Morazzani in Saxoferratensi territorio juxta aliquos, juxta vero alios in castro Montisveteris diœcesis Forosemproniensis; sed ex vetustissimis mss. codicibus et statutis exploratum est ipsum ortum habuisse in eodem Serræcomitum oppido, quod in diœcesi Senogalliensi decem millibus passuum distat a Saxoferrato. *Quum autem nunc continuo sermo futurus sit de hac villa seu oppidulo, juverit id paulo magis innotescere.* Et Serracomitum, *inquit Petrus Rodulphus Tossinianensis* (12), exiguus assurgens monticulus, nitidus et virens, sic dictus, quia comites quidam sub fide et ditione habebant multa alia castra; quibus a barbaris nationibus eversis, ut ipsi Gothorum rabiem declinarent, pulsi, se fuga in eum locum quasi in munitissimam arcem receperunt; cinctoque castris muro, tuto se illic continebant; quia vero ea pars, quæ nunc est, erat vicus et quarta pars castri, dicebatur quarterium S. Stephani. *Olim itaque multo amplius erat id oppidum quam nunc est et quam etiam erat sub finem sæculi* XVI, *ut collegit Civallius* (13) *ex veterum murorum ambitu atque etiam Coluccius* (14) *exeunte sæculo* XVIII. *Adjacet fluviolo*

(1) Annales Camaldulenses, t. V, p. 130. — (2) Ibid., t. V, p. 322. — (3) Summarium super dubio an constet de cultu, etc. pag. 5. — (4) Annales Camaldulenses, tom. VI, p. 95. — (5) Ibid., p. 94 et tom. V, p. 147. — (6) Ughellius, Italia sacra, tom. II, col. 878 et 879. — (7) Ibid , tom. I, col. 257; Augustin. Oldoinus, Athæneum augustum Perusinorum, tom. II, pag. 320; Annales Camaldul., tom. V, pag. 402. — (8) Bibliografia storica della città e luoghi delle stato pontificio, pag. 89. — (9) Cfr Annales Camaldulenses, tom. V, pag. 402. — (10) Antichità Picene, tom. XXIV, pag. 88 et 89. — (11) Annales Camaldulenses, tom. V, pag. 147. — (12) In Chronico Minorum, ap. Colucci, Antichità Picene, tom. XXIV, p. 80. — (13) Visita triennale, ap. Colucci, tom. XXV, pag. 113. — (14) Tom. XXIV, pag. 80.

Nebulæ

AUCTORE V. D. B.

A *Nebulæ* (*vulgo* Nevola), *qui, Misæ aquis receptis, Senogalliæ se in mare infundit; et pristinæ viæ Romanæ, quæ a Fabriano usque ad Senogalliam recta fere deducta est; neque procul a diruta Ostra* (1), *ex cujus ruderibus partim id ædificatum fuisse volunt. Licet circa annum* 1836 *incolas tantum haberet* 1855 (2), *multis tamen templis, atque olim etiam pluribus, instructum est. Venit primo loco templum S. Stephani, quod, olim parochiale, anno* 1213 *aut, ut alii volunt, anno* 1263 *in conventum fratrum Minorum mutatum est. Tum translata fuisse dicuntur parochialia jura ad suburbanum S. Luciæ templum, quod secundum est. Id dum ruinam minaretur, (quamquam ruinam non traxerit; exstabat enim adhuc ad finem præteriti sæculi;) conjuncta est parochia cum parochia S. Mariæ de Abbatissis; de qua quum inferius redibit sermo, monebimus hic tantum hanc ædem prius prioratum Saxoferratensem fuisse, deinde transiisse ad sæculares; et Pium papam VI anno* 1783 *bulla apostolica effecisse ut deinceps collegiata insignis esset, dignitatibus aliisque id genus instructa et simul*
B *parochialia retinens jura. Quarta ecclesia est parochialis S. Michaelis; quinta monialium Clarissarum S. Mariæ Magdalenæ; sexta itidem Clarissarum titulo S. Caroli Borromæi; septima confraternitatis SS. Sacramenti; octava S. Crucis seu confraternitatis Mortis. Veniunt dein undecim rurales seu suburbanæ ædes : S. Luciæ jam memini. S. Antonii de casa Palatii, S. Sebastiani et S. Josephi templa paulo ante finem sæculi* XVIII *destructa fuerant. Verum his supererant ædes S. Mariæ de Plano; S. Partiniani; B. M. Virginis de Flumine; S. Fortunati; SS. Cosmæ et Damiani; B. Mariæ de Misericordia et S. Joanni de Burgo* (3). *Quæ quidem omnia templa non exstabant, quum natus est B.* Gerardus; *verumtamen tum jam plura fuerant exstructa quam necesse esset. In duobus ex his parochus fuit B.* Gerardus; *sed ante ejus pueritia enarranda nobis est.*

Anno 1289 *fit monachus in Saxoferratensi monasterio, quod anno tantum* 1353 *ordini Camaldulensi accessit.*

7 Nonum annum agens, *sic pergit Mittarellius*, anno 1289 monachum induit in cœnobio sanctæ Crucis extra Saxoferratense oppidum; anno autem 1305 sacerdotio initiatus, sacrorum librorum et præsertim divinæ Scripturæ lectioni totum se addixit, et jugi regulæ
C sancti Benedicti observatione, tum etiam assiduæ orationis et pœnitentiæ laude effulsit in eodem cœnobio. Vivebat facile adhuc Rolandus, monachus olim Avellanensis, abbas inde Saxoferratensis, sub quo reformatum fuerat cœnobium sanctæ Crucis; *sed minus bona est hæc Annalium Camaldulensium scriptoris conjectura; quum ipse postea repererit* (4) *Rolandum, qui anno* 1275 *Saxiferratensis cœnobii regimen susceperat, anno* 1285 *diem obiisse.* Post Rolandi mortem Saxoferratenses monachos expetiisse communionem, societatem et instituta monachorum Vallecastrensium, qui non longe ab eorum monasterio Deo inserviebant, haud abhorrere a veri specie *addit idem Mittarellius; et reapse S. Crucis asceterium, quod hactenus liberum fuerat, anno* 1285 *unitum fuisse cum abbatia Valliscastri tradit Lubinus* (5). *Atque hinc intelligere licet quæ instituta secutus fuerit B.* Gerardus. *Valliscastri enim monasterium, quod et S. Salvatoris et S. Romualdi dicebatur, usque ad annum* 1406 *propriis legibus et usibus vixit; ac licet ipsum a fundamentis excitasset S. Romualdus, qui in eo etiam sepeliri voluerat, numquam ad hoc usque tempus se subdiderat disciplinæ eremi Camaldulensis, quam tot congregationes et monasteria primis statim sæculis susceperant. Anno quidem* 1369 *et iterum anno* 1394 *tentata fuerat unio, sed anno tantum* 1406 *peracta est* (6); *verum tunc jam pridem, anno scilicet* 1353, *accesserat Saxoferratense monasterium universo corpori ordinis Camaldulensis* (7); *ita ut B.* Albertus, *qui anno* 1350 *obiit, non nisi improprie huic ordini accenseri possit; contra S.* Gerardus, *qui aliquot annis post vita functus est. Ingens tamen discrimen non erat inter modos, qui in omnibus illis monasteriis observabantur. Regula S. Benedicti ubique prima lex erat; cui additæ fuerant institutiones quædam, per quas licebat vitam eremiticam conjungere cum cœnobitica.*

E

Tunc temporis monachi, etiam ordinum eremiticorum, emittebantur cum socio ad administrandas parochias : diu obivit B. Gerardus *hoc munus Serræcomitum,*

8 *In capitulo generali, anno* 1328 *Bononiæ celebrato, statuerant Camaldulenses ut* prælati, in ecclesiis et oratoriis suorum monasteriorum monachos pro capellanis et pro rectoribus statuentes, assignare deberent ipsis socium, ne soli commorarentur (8) : *prudens utique decretum, sed quo apparet quantum a prima sua institutione paulatim recessissent illi eremitæ. Aliter res non agebantur in Vallecastri et in dependentibus monasteriis : monachi etiam extra claustra et eremitoria cum socio fratre laïco seu converso degebant et ecclesiasticum exercebant ministerium in parochiis, quæ penes eorum erant monasteria. Serræcomitum tunc tres saltem parochiales ecclesiæ erant, quas supra indicavi, sed de quibus hoc loco pauca addenda sunt. Prima erat ecclesia S. Michaelis, anno* 1240 *ædificata et possessa a Sitriensi monasterio; secunda S. Stephani; quæ quum anno* 1263, *aut, ut aliis placet, anno* 1213 *a Benedictinis translata fuisset jussu Innocentii III ad fratres Minores, parochialia jura transierant ad templum S. Luciæ, non procul distans ab oppido. Hæc Colluccius* (9). *Sed animadvertendum est tradi a Waddingo* (10), *non anno* 1213 *aut* 1263, *sed anno* 1314 *curam animarum ab ecclesia S. Stephani, qua fratres potiebantur, ad S. Luciæ translatam fuisse, immo cum parochia S. Luciæ unitam fuisse : ita ut caute hoc loco procedendum videatur. Sed quocumque modo hæc se habeant, post annum* 1314 *ex pristinis parochiis S. Luciæ et S. Stephani una conflata erat parochia S. Luciæ. Aderat præterea parochia S. Mariæ de Abbatissis. Porro, ut liquet ex bulla, quam* VIII *idus februarii anni* 1252 *dedit Innocentius IV ad confirmanda Saxoferratensi cœnobio sua bona, habebat id temporis hoc monasterium præter alias parœcias multas* in episcopatu Senogalliensi *ecclesiam* sanctæ Mariæ de Abbatissis cum capella S. Laurentii,

F

(1) Colucci, tom. VI, pag. 39. — (2) Indice alfabet. di tutti i luoghi, p. 304. — (3) Colucci, tom. XXIV, pag. 82 et seqq. — (4) Tom. VI, pag. 32. — (5) Abbatiarum Italiæ brevis notitia, pag. 358. — (6) Annales Camaldulenses, tom. VI, pag. 103. — (7) Lubinus, Abbat. Italiæ notit., pag. 358.— (8) Annales Camaldulenses, tom. V, pag. 337. — (9) Collucci, Descriz. di due terre Barbara e Serradeconti, Antichità Picene, tom. XXIV, pag. 82. — (10) Annales Minorum, ad an. 1314, num. 46, et ad an. 1399, num. 16, tom. IX, pag. 183.

dependente

AUCTORE V. D. B.

dependente ab ipsa, *et* sanctæ Luciæ de Serra, et in episcopatu Nucerino sancti Stephani de Bosseto ecclesiam (1). *Quum itaque mos esset ut monachi parœcias suorum monasteriorum occuparent, accipe quæ egerit B.* Gerardus. Exactis, *inquit Mittarellius* (2), in monasterio triginta annis, et quadragesimum decurrens ætatis suæ annum, sibi consulere non contentus et providere proximorum saluti exoptans, rector missus fuit hoc anno (1320) ab abbate sui monasterii ad parœcialem ecclesiam sanctæ Mariæ de Abbatissis, parum distantem ab oppido Serræcomitum et subjectam monasterio Saxoferratensi; ubi admirabilis caritatis exemplo commissam sibi animarum curam exequutus est. Sed, invidorum persecutiones subiens, ad aliam sanctæ Luciæ parœciam transiit ex opposita parte castri Serræ; inde ad tertiam sancti Stephani de Bosseto; demum ad primam sanctæ Mariæ de Abbatissis regressus est; ubi præter pietatis officia illustris miraculorum gratia energumenis et infirmis salutem obtinuit.

ubi mulierem vulneratam sanat et divinitus liberatur a calumnia, sibi imminente propter depositi furtum, patratum a socio fratre converso.

9 *Beneficia deinde aliquot, quæ beatus vir hominibus contulit aut impetravit, recitat Mittarellius, versionem secutus quam ex Jacobillio paraverat Grandius.* Inter cætera, *ait,* hæc narrantur. Femina quædam, cui super fusum, quo nebat, cadenti manus ex ligno intromisso fistulam duxerat, eoque perducta erat, ut jam manum præcidendam medici annuntiassent, ad beatum Gerardum veniens opem ab eo dolens quæsivit; qui, præmissa oratione, manum tangens ac fascia involvens, domum remisit, præcipiens ne cui diceret se ad eum venisse. Quæ revertens imminutum dolorem sensit et fascia revolutam manum ut prius integram sanamque reperit. Aliquando in hospitio sui monasterii, quod in ipso Serræ oppido, in via quæ Geronis dicitur, situm fuerat, habitabat. Dæmon conversum famulum (*intellige fratrem conversum seu laïcum, B.* Gerardi *socium*) impulit ut, furatis nonnullis pecuniis, quas apud Gerardum quidam nobilis ejus loci deposuerat, dum iter faceret, in arca a beato Gerardo (ne dominum contristaret) acceptis et clausis, inde aufugeret; quod cum factum esset, ipso
C sequenti die dominus rediit et reddi sibi pecunias postulavit. Gerardus, illas non inveniens, conversum, qui præcedenti nocte jam fugerat, ad se vocavit; qui statim respondens accessit; atque errorem fassus, manifestavit se tota nocte laborasse ut longius ambularet, nec umquam hortum domus ejus exire potuisse; ceterum veniam deprecatus est; quam statim vir Dei ipsi obtulit et Dominum exoravit ut in pristinam gratiam eum reciperet. Sic diabolus, qui ejus famæ violandæ gratia id curaverat, confusus est.

Ibidem in gratiam pauperum panem producit et oppidum servat a Nicolao de Buscareto.

10 Aliquando ibidem ægrotabat; cumque nec mica panis in domo remansisset, præfatus ejus conversus panem componere aggressus est. Ecce autem duo interea egeni ad januam pulsant, stipem quærentes : quibus vir Dei panem tribui imperavit. Cumque conversus se tunc panem componere diceret, nec micam ullam residuam in arca, a se tunc purgata, reliquisse assereret, jussus est ut eamdem arcam denuo adiret. Qui obediens arcam D
recenti, candido et calido pane refectam * offendit, sicque attonitus rem beato Gerardo enuntiavit; qui gratias agens jussit, ut quatuor panes singulis egenis, qui ad portam exspectabant distribuerentur; et reliquos etiam pauperum usibus divideret, dicens non pro se, sed pro egenis a Domino eum panem sibi datum; quod et factum est; unde ex farina domestica panem pro domesticis usibus facere conversum imperavit, qui nimirum sibi a divina providentia laborem imminutum putabat. Nicolaus a Buscareto sæpe cum seditiosis hominibus noctu Serram furtivo ingressu penetrare tentavit; sed, Gerardo patriæ suæ protectionem agente, ipsius orationum vi armatorum virorum super muros manus apparuit, qui proditores ex scalis, quas mœnibus admoverant, deturbatos effugarunt. Alias etiam suis orationibus patriam ac cives a variis infortuniis novis semper miraculis liberavit. *Quæ autem de mœniis Serræcomitum hoc loco dicta sunt explicari possunt his, quæ supra ex Petro Rodulpho Tossinianensi retulimus.* E

* refertam?

Anno 1367 *moritur, solemniter sepelitur ab episcopo Senogalliensi et brevi post mortem miracula patrat.*

11 *De B.* Gerardi *obitu scriptor ejus Vitæ, ut mihi testis est Mittarellius* (3), *hæc refert:* Post multos, *inquit,* suæ infirmitatis annos, in qua dolores patientissime toleraverat, ingravescente magis magisque morbo, sui obitus diem imminere intellexit; quare ultimis omnium sacramentis munitus annum octuagesimum septimum agens, animam quietissime Creatori suo reddidit die 16 novembris anni 1367, in hospitio monachorum Saxoferrati, in oppido Serræcomitum, in via Gerronis dicta. Interfuit ejus morti Joannes Pananeus, ex Minorum ordine, *ab anno* 1357 *usque ad* 1368 (4) Senogalliensis episcopus, una cum multis ecclesiæ suæ clericis, qui purissimam Gerardi animam in magno gloriæ splendore in cælum ab angelis deferri videre meruerunt. Peractis igitur per dictum episcopum solemnibus sancto viro exequiis, quibus magna virorum multitudo, ex Marchiæ et Umbriæ provinciis perveniens, præsens fuit, novis etiam miraculis sancti viri merita comprobantibus, venerabili sepulturæ ejus corpus datum est in ecclesia S. Mariæ de Abbatissis extra Serramcomitum, cui F
ipse præsederat, in nobili ac devoto marmoreo sepulcro reconditum; ubi innumerabili populorum, sed maxime Serræcomitum incolarum concursu venerationem obtinet, irremissis aliis prodigiis coruscans; adeo ut loci ipsius, Serræcomitum nimirum, protector habeatur; ubi ab immemorabili ejus festivitas celebratur in die XVI novembris. Anno 1380 quidam infirmus ex Forosemproniensi urbe ad visitandum ejus sacrum corpus deductus est, qui integra nocte apud sepulcrum quiescens, mane facto sanum se invenit; quare promisit se in proximo ejus sollemnitatis die cum divite dono ad ipsius solemnitatem pro gratiis referendis reditum facturum. *Hactenus vetus biographus. Ad quæ subdit Mittarellius* jure merito ex mox narrato miraculo inferre Jacobillium, apud quem per compendium extat memorata Gerardi Vita, tredecim post

(1) Annales Camaldulenses, tom. V, app. col. 33. — (2) Tom. cit., pag. 313. — (3) Annales Camaldulenses, tom. VI, p. 94. — (4) Ughellius, Italia sacra, tom. II, col. 873.

ejus

A ejus mortem annis ibidem agi solitum fuisse festum ipsius; totidem enim excurrunt ab anno 1367, emortuali sancti viri, ad annum 1380, quo miraculum contigit. *Pergit dein Mittarellius B.* Gerardi *cultum prosequi; sed ante exæminanda sunt quæ de B.* Alberto *feruntur; et imprimis hoc ipso loco quærendum a lectore an Vita B.* Gerardi, *quam modo legit, inter fabulas referri queat. Pauca aliqua in ea obvia sunt miracula, sed nulla quæ in bonis Vitis non occurrant. Cæterum omnia digesta sunt per annos certos; loca accurate designata; qui indicantur viri, vixere illa ætate; nil insuper abhorret ab illorum temporum moribus; verbo omnia suadent, nil dissuadet hanc Vitam sinceram esse et genuinam. Quamobrem ab ea discedere plane non audemus, ut viam a Morosio et Moreschio indicatam ineamus, exemplo Rosatinii et Mercurellii.*

§ III. B. Albertus non fuit auctor, abbas aut reformator monasterii Saxoferrati.

B *B.* Albertus *non videtur fuisse abbas, neque reformator monasterii,*

Porro in B. Gerardi *Vita, quam modo dedimus, nuspiam dicitur ille vestem monasticam suscepisse e manibus B.* Alberti, *sui prælati; quemadmodum illi volunt qui B.* Albertum *et B.* Gerardum *in Saxoferrati monasterio vixisse tradunt ante initium sæculi* XIII. *Et quidem nulla ratione videtur B.* Albertus *umquam fuisse Saxoferrati abbas, et multo minus ejus asceterii institutor aut reformator. Re quidem vera in Martyrologio Camaldulensi imperfecto et numquam edito D. Guidonis Grandi* (1) *appellatur* B. Albertus auctor congregationis Camaldulensis, quæ dicitur de Saxoferrato; *quæ se cum reliquis, quæ subdit, ex Catalogo sanctorum Dominici Portesani Cremonensis accepisse testatur. In lectionibus autem, approbationi S. R. C. propositis, hæc alia leguntur* (2) : Superior ex obedientia factus, collapsam propter temporum acerbitatem et sæculi asperas vicissitudines in eodem monasterio regularem disciplinam prisco fervori restituit. Beatum Gerardum et beatum Petrum, ejusdem cœnobii Saxoferratensis monachos, discipulos habuit, eosque

C reformationis suæ coadjutores et socios habere voluit : *quæ ibidem in margine accepta dicuntur ex* auctore Vitæ B. Gerardi, Paulo II (*immo V*), pontifici maximo oblatæ, ex monumentis in archivo monasterii S. Crucis de Saxoferrato extantibus. *Sed monumenta illa non proferuntur; neque alia videntur esse quam commentarii Alexandri Morosii de Saxoferratensi monasterio, anno* 1770 *absoluti, et a nobis jam supra indicati; qui quum nitantur sola Vita B.* Gerardi, *oblata Paulo papæ V, clarum est omnia ad hunc unicum fontem reduci. Ast vincere hæc Vita non potest, quippe quæ recens sit et pugnet omnino cum antiqua B.* Gerardi *Vita, cujus accurationem in designandis locis, temporibus et hominibus non potuit non suspicere lector. Deinde in antiquis imaginibus exhibetur B.* Albertus *absque pedo abbatiali aut ullo signo quo appareat eum fuisse abbatem; neque cum ecclesia, manu sustenta : quo indicio fundatores designantur. Insuper imaginibus ejus nudum nomen,* B. Albertus *aut* B. Albertus monachus *adscriptum est; qua ratione abbates designari nequaquam solent.*

AUCTORE V. D. B.

13 *Unde vero orta sit novella traditio B.* Gerardum *et B. Petrum* (*id posterius nomen in Annalibus Camaldulensibus Mittarellii hactenus incognitum erat*) *socios fuisse B.* Alberti *in reformando monasterio, non difficile reperire est. In una ex imaginibus, de quibus paulo post, repræsentatur ejus figura,* sub qua duo monachi genuflexi orant, *ut loquitur Mittarellius* (3); *atque hos duos monachos, quibus* (*ut passim fit*) *pictor certissime indicare voluit Saxoferratenses monachos venerationis gratia hanc tabulam pingendam curasse, convertit Morosius in* ambos *beati viri in reformando monasterio* socios (4). *At non abbas tantum Saxoferrati, verum etiam auctor congregationis Camaldulensis, quæ dicitur de Saxoferrato, exstitit. Miror virum, tam accuratum quam Grandium et tantopere in historia Camaldulensi versatum, hæc dixisse. Invenit et excogitavit hanc congregationem Lubinus; quocum quum communicatum fuisset di-* E *ploma,* datum Perusii per manum Guilielmi, magistri scholarum Parmensis, S. R. E. vicecancellarii, VIII idus februarii, indictione X, Incarnationis dominicæ anno M.CC.LII., pontificatus vero domni Innocentii papæ IV anno IX, *quo, ut supra retulimus, sub sedis apostolicæ protectionem suscepit pontifex Saxoferratense monasterium cum omnibus suis bonis, quæ inter plures erant ecclesiæ parochiales et capellæ, has omnes ille interpretatus est monasteria fuisse; unde dixit* (5) *Saxoferratense monasterium fuisse* caput congregationis particularis, ab ordine S. Benedicti diversæ, dictæ sanctæ Crucis de Comitibus Saxferrati, plura sub se habens monasteria in Umbria et Marchia Anconitana, quæ ab Innocentio IV papa confirmata est anno 1251 *

multo minus auctor congregationis Saxoferratensis, quæ ne quidem exstitit.

* *lege* 1252.

14 *Quum in tomis V et VI Annalium Camaldulensium de B.* Alberto *scriberet Mittarellius seu ejus socius Costadonius, nil exploratum habebant de beati viri gestis. Sed quum anno* 1764 *tomum VIII ederent, visi sibi sunt venisse in notitiam amicitiæ B.* Alberti *cum B. Ugone seu Hugone, monacho congregationis Silvestrinæ. Accipe eorum verba* (6) : Plura diximus de beatis Gherardo et Alberto monachis sanctissimis Saxoferratensibus; de hoc postremo illud addimus ipsum familiarissimum fuisse beati Ugi sive Ugonis, monachi congregationis sancti Silvestri; et quotiescumque hi duo beati viri colloqui (*vertit id Morosius* (7) *in* psallere) simul volebant, licet monasterium unius distaret ab illo alterius per dimidium milliarii, prostrabant * se humi in ipsorum cellulis, et alter ad alterum verba dabat et referebat. *Hæc quidem, ut parum verisimilia sunt, vellem solito melioribus confirmata videre testimoniis; sed ita non est. Imprimis nulla de mirabili hoc commercio mentio fit in Vita B. Hugonis, quam Stacciolius scripsit, postquam anno* 1757 *sacræ rituum congregationi cultus probatus est, et in qua se in miraculis admittendis nequaquam dif-*

Miraculosa ejus colloquia cum B. Hugone de Attis non videntur fuisse possibilia propter temporum diversitatem.

* prosternebant

(1) Citat. in Summario super dubio, etc., p. 7. — (2) Summarium in festo, p. 3. — (3) Annales Camaldulenses, t. V, p. 401. — (4) Summarium super dubio, etc., p. 4. — (5) Abbatiarum Italiæ brevis notitia, p. 358. — (6) Annales Camaldulenses, t. VIII, p. 239. — (7) Summarium super dubio, etc., pag. 5.

ficilem

AUCTORE V. D. B.

ficilem ostendit. Deinde non videntur potuisse cœvi esse beati Hugo et Albertus, *sive dicas hunc obiisse ante annum* 1232, *sive anno* 1350. *Si enim prius dixeris, offendis ad ætatem, ante quam B. Hugo, prius scholaris studii generalis Bononiensis, vestem monasticam certissime non induit. Etenim S. Silvester anno tantum* 1231 *cœnobium S. Joannis de Saxoferrato seu de Montefano prope Fabrianum, in quo vixit B. Hugo, condidit seu potius incohavit* (1); *et ad id non prius venit B. Hugo, quam quum aliquantum jam esset exstructum* (2) : *ita ut clarum sit B.* Albertum *non potuisse mori ante annum* 1232 *et simul conversari cum B. Hugone. Similiter non convenit ut B.* Albertus *cœvus fuerit B. Hugoni et anno* 1350 *obierit. Ambo enim non videntur ad magnam venisse senectutem; quandoquidem B. Hugo paulo ante mortem adhuc concionaretur* (3), *adeoque non videatur sæculi* XIII *finem attigisse, et B.* Albertus *annos solum quadraginta vestem monasticam tradatur gessisse, ut mox videbimus. Quum itaque neutrum et maxime prius constare non possit, miror Rosatinium et Mercurellium,* (*qui, quum de*
B *cultus antiquitate agebatur, produxerant* (4) *Morosii locum, quo ostendebatur B.* Albertum *non potuisse ullum cum B. Hugone commercium habere, si ante annum* 1232 (*ut affirmabant et reapse persuaserunt S. R. C.* (5)) *mortuus fuerit,*) *deinceps hæc in lectione V seu I secundi Nocturni proposuisse probanda :* Fertur eum beati Ugonis, congregationis S. Silvestri monachi, familiarissimum fuisse, et quotiescumque hi duo beati viri colloqui sibi volebant, licet monasterium unius per dimidium milliarii ab alio distaret, in propriis cellulis humi se prostrabant, et alter ad alterum verba dabat et referebat. *Sane jure merito dixit Pescellius, fidei promotor,* locum futurum esse lectionum et in Martyrologio encomii disquisitioni atque examini, ut cognosceretur quæ variationes et correctiones et alia hujusmodi in his, quæ exhibita fuerant, acienda essent; *sed id dolendum quod fidei promotores aliquando in deserto prædicare videantur.*

Mortuus est B. Albertus *anno* 1350 *et plures ei positæ imagines.*

15 *Sane, licet sequentia parum magnifica sint et stupenda, fas fuisset illis causidicis iis stare absque veritatis detrimento :* Ad Deum transiit hoc anno (1350), *verba sunt Mittarellii seu Costadonii* (6), beatus Albertus, monachus Saxoferratensis, in cœnobio S. Crucis, comitum de Tripudio, qui circa annum 1310 vestem monasticam acceperat in eodem monasterio. Quadraginta annis expletis sanctæ conversationis, quos in assiduis orationibus et jugi pœnitentia transegit, obiit die septima augusti ad fidem Jacobillii (7). Ejus sacrum corpus venerabiliter in ecclesia cœnobii sepultum sub ara laterali jacere per cratem ferream, ante oculos positam, conspicitur et a confluentibus populis cultum numquam interruptum obtinet. Ad lævam pariter ejusdem altaris partem super parietem legitur BEATUS ALBERTUS, et exhibetur imago monachi, antiquo albo habitu amicti. In alia prælonga tabula coloribus expressa altera prægrandis D imago visitur, sub qua duo monachi genuflexi orant, cum hac epigraphe :

HUJUS. PICTURA. ASSERITUR. ALBERTI. FIGURA
MIRATUR. HIC. ALBERTUS. MONACHUS. ELECTUS
IN. SANCTA. CRUCE. MORTUUS. ET. IBI. EST. SEPULTUS.

Et hæc est antiquior beati viri imago una cum tertia ad aram majorem ecclesiæ depicta, subjectis literis : BEATUS ALBERTUS. Aureolæ pictæ circum caput in illis imaginibus.

Vestium diversitas in Saxoferratensi monasterio.

16 *Pergunt dein Annalium Camaldulensium scriptores :* Antiquioris imaginis, *quam periti, in processu de cultu immemorabili auditi* (8), *æstimarunt sub medium sæculum* XIV *pictam,* ectypon, ære incisum, ob oculos ponimus, (*quod apud eos vide;*) illud unum animadvertentes in ea imagine vestem superiorem beati Alberti esse amplam cappam, clausam usque ad pectus, inde ad terram apertam; ita ut interius scapulare conspici queat; latera autem cappæ descendere e brachiis et grandes apertasque deorsum quasi manicas efformare. Similibus ferme cappis indutæ visuntur sanctæ Parasceve, Barbara et Marina in vetusta ta-
E bula græcanica, quæ exstat in museo sanctæ Genovefæ Parisiorum et procusa est in CP. Christiana, p. 104. Ea vestis species parum tamen viguit in abbatia Saxoferratensi; nam eadem ætate in pariete dictæ ecclesiæ coloribus exprimitur idem beatus Albertus cuculla indutus; cucullam etiam gestat tertia imago recentior, super tabulam quadratam aræ majoris depicta una cum beato Gerardo monacho itidem Saxoferratensi (*et pluribus aliis sanctis* (9)); vel certe dicendum utramque et apertam ad formam cappæ et clausam ad formam cucullæ, vestem in eo monasterio in usu fuisse sæculo XIV. *Quam posteriorem sententiam probaverunt postea iidem scriptores* (10), *animadvertentes* in codicibus liturgicis monasterii Avellanensis ad literas initiales conspici monachos cucullis, casulis et cappis indutos; quod argumento esse promiscue usurpatas fuisse eas vestes. *Sæpius alibi ad formam et colorem vestium monachorum, qui eremiticam in Italia vitam partim servabant, redeunt iidem auctores; sed ex illorum disquisitionibus id unum sequitur monachos istos in hac re parum severos*
F *fuisse. Verum nimis jam a B.* Alberti *cultu recessimus.*

Cultus ejus, de quo multa exstabant argumenta, probatus fuit anno 1837 *S. R. C.*

17 *Jam pridem lampades accendi consueverunt et candelæ a fidelibus afferri; ut plures in processu testati sunt* (11). *Huc pertinet testamentum, rogatum* 25 *julii anni* 1490, *quo Anella, filia quondam Balignani de castro Montissicci et uxor olim spectabilis viri Johanpetri de Humanis de Saxoferrato, Saxoferrati in domo sua* reliquit ecclesiæ sanctæ Crucis Comitum pro fabrica et concimine suæ capellæ sancti Alberti florenos quatuor cum dimidio (12). *Huc quoque facit testimonium Alexandri Romagnoli; qui, annos natus* 97, *die* 16 *septembris anni* 1836 *Saxoferrati deposuit* (13) se semper intellexisse ex traditione seniorum constantem fuisse venerationem. qua fideles colebant B. Alber-

(1) Compagnoni, Memorie della chiesa e dei vescovi di Osimo, t. II, p. 235. — (2) Staccioli, Breve compendio della vita e dei miracoli del B. Ugo degli Atti, p. 4. — (3) Ibid., p. 25. — (4) Summarium super dubio, etc., p. 5. — (5) Cfr Decretum de casu excepto, in Summario in festo, p. 6. — (6) Annales Camaldulenses, t. V, p. 401. — (7) SS. Umbriæ, etc., t. III, p. 368. — (8) Summarium super dubio, etc., p. 2. — (9) Ibid., p. 1. — (10) Annales Camaldulenses, t. VI, p. 95. — (11) Summarium super dubio, etc., p. 8 et seqq. — (12) Ibid., p. 3. — (13) Ibid., p. 10.

tum

A tum tamquam patronum adversus dolores capitis (*et intestinorum* (1)); quare eos caput transmittere per fenestellam, quæ est super crates ante corpus positos; se testem fuisse et participem festivitatis, quæ quotannis die 3 februarii ad ejus altare in ejus honorem cum magno populi concursu agitur; se præterea in festivitate sanctæ Crucis in mense majo (*seu die 3, qua Inventio recolitur,*) et diebus veneris mensis martii magnam hominum multitudinem in templo sanctæ Crucis vidisse, et accensas candelas, a fidelibus ad sepulcrum oblatas, et lampades ardentes ante crates ejusdem sepulcri : *quæ alii suo quoque testimonio confirmarunt* (2). *Verum licet* altare B. Alberti *dicatur, noli putare id ei fuisse dicatum; genuinus ejus titulus B. Mariæ Virginis est* (3); *habetque B.* Alberti *nomen propter corporis præsentiam. Ambigendum itaque non erat quin B.* Alberti *cultus referendus esset inter casus exceptos a decretis Urbani VIII. Quamobrem multa fiducia collegerunt Camaldulenses anno* 1836 *documenta, quibus id constans fieret et S. R. C. deinde adierunt. Votis eorum satisfactum est die* 23 *septem-*
B *bris anni* 1837. *Anno sequenti convenerunt iterum Camaldulenses S. R. C. de obtinenda licentia celebrandi officii ecclesiastici in beati viri honorem; atque hæc quoque licentia eis facta est, et statutum ut natalis celebraretur die* 25 *octobris. Dabimus infra decretum approbationis cultus, quo, quæ de ejus Vita deque immemorabili ejus veneratione noscuntur, compendio conclusa sunt. Sed antea expediemus quæ de B.* Gerardo *supersunt dicenda.*

§ IV. Cultus, translatio, dedicatio altaris, miraculorum fama B. Gerardi.

Serræcomitum et Senogalliæ B. Gerardi *cultus multo fuit solemnior;*

C *Vidimus num.* 15 *B.* Gerardi *imaginem in monasterio Saxoferratensi pictam esse in tabula altaris majoris una cum imagine B.* Alberti *et aliorum plurium sanctorum, videlicet B. Mariæ Virginis cum puero Jesu, Christi cruci affixi cum duabus Mariis, SS. Petri et Pauli, quatuor Evangelistarum, S. Stephani, S. Petri Damiani et S. Helenæ* (4); *quam tabulam sæculo* XV *pictam fuisse æstimavit Bartolinius pictor* (5). *Alio modo B.* Gerardum *olim cultum fuisse Saxoferrati non invenio. Sed Serræcomitum, ubi natus est et plurimos annos parochiale obivit ministerium, multo splendidiores nactus erat publicos honores. Mittarellius et Costadonius, postquam animadvertissent* (*ut supra relatum est*) *anno* 1380, *seu decimo tertio post mortem, jam inceptam fuisse beati viri religiosam venerationem, in hæc verba pergunt* (6) : In antiquo Serræcomitum statuto, quod renovatum fuit anno 1524, sanctus Gerardus protector, gubernator, intercessor et defensor communis et populi terræ ejusdem loci et gloriosissimus confessor quatuor vicibus appellatur; ubi etiam decernitur ipsius solemnitatem esse de præcepto observandam; ac injungitur loci prætori et prioribus, ut publicis sumptibus pallium pulcherrimum ipsius ecclesiæ donent ac solemnissimum officium cum processione populi celebrandum ibidem curent. In antiquis Senogallensis ecclesiæ kalendariis adnotatur ad diem 16 novembris : « Sancti Gerardi « confessoris non pontificis duplex. Apud nos « habetur ecclesia in diœcesi; cujus corpus in « propria ecclesia requiescit. Lectiones primi « Nocturni de feria; reliqua omnia de com- « muni. Vesperæ de eodem. Commemoratio « sequentis diei. » In vetustiore Breviario ms. ecclesiæ sanctæ Mariæ de Abbatissis, postea Venetiis recuso anno 1495 et iterum cum aliquibus additionibus anno 1501, legitur : « Die 16 novembris obitus beatissimi « Ghirardi de Serracomitis. » Erat vir sanctus altæ staturæ, carnis olivigeræ exsiccatæ, barbæ longioris; tunicam gerebat ex albo crassiore panno Camaldulensium eremitarum more confectam. Ejus cappa usque ad hodiernam diem in eadem ecclesia, ubi ejus corpus requiescit, asservatur. In veteri icona ipsius ecclesiæ de Abbatissis ad altare, dicatum sanctæ Agathæ, lignea imago sancti Gerardi cum habitu Camaldulensi, sed cucullo strictiore et tunicæ affixo, necnon cum pileolo invisitur, et E ad ejus pedes antiquis characteribus scriptum est : Sanctus Gherardus.

AUCTORE V. D. B.

de ejus miraculis testatur anno 1451 *cardinalis Oliva; anno* 1659 *transfertur ejus corpus et multa sequuntur miracula.*

19 Cardinalis Alexander Oliva, ex Saxoferrato oriundus, presbyter tituli sanctæ Susannæ, episcopus Camerinensis et olim Augustiniensis ordinis sui præfectus generalis, sanctimonia et doctrina celeberrimus, ac theologorum sui temporis princeps appellatus, cum legatum ageret in ducatu Spoletino et in Marchia Anconitana, die duodecima martii anni 1451, ex conventu sanctæ Mariæ de Saxoferrato ordinis sancti Augustini, indulgentiam perpetuam centum dierum visitantibus præfatam ecclesiam sanctæ Mariæ de Abbatissis in festivitatibus sanctæ Mariæ Virginis impertivit, atque in ipso diplomate utitur his verbis : « Ubi corpus gloriosissimum beati « Gerardi dicitur esse reconditum; cujus me- « ritis inclyta ibidem miracula extiterunt ac « quotidie plura fieri videntur. » Novissime, *subdit Jacobillius,* anno 1659, die 19 maji, de superiorum licentia translatio beati Gerardi facta est, Francisco Maria de Honoratis, nobili Serræ municipe, protonotario apostolico, F vicario sancti officii et episcopali Serræcomitum, magnificentius ex sua devotione sacellum beati Gerardi exornante, interventu Honorati, episcopi Urbaniensis, ejus fratris, ac circiter quatuor millibus hominum ex vicinis populis, cum multis confraternitatibus non invitatis concurrentibus, in arcam cupressinam, intra aliam nuceam perbelle ornatam, sacrum Gerardi corpus est repositum, veteri marmoreo tumulo subter altare condito, ad quem infirmos deferunt populi, qui sospitatem recipiunt. Post dictam etiam translationem innumeris Deus miraculis servum suum illustravit; unde fama divulgata, tota pene Marchia et Umbria commota est, ita ut plus quam milleni in dies ad eum visitandum recurrant. *Hæc Jacobillius, qui librum suum scripsit anno proximo post illam translationem; addit ab hujus translationis tempore usque ad*

(1) Annales Camaldulenses, t. V, pag. 402. — (2) Summarium super dubio, etc., p. 8 et seqq. — (3) Ibid., p. 4. — (4) Ibid., p. 1. — (5) Ibid., p. 1 et 2. — (6) Annales Camaldulenses, t. VI, p. 94.

AUCTORE V. D. B.

Altare ejus titulo dicatur, quod simul cum sepulcro describitur.

id ipsum, quo scribebat, plusquam triginta hominum millia eo convenisse.

20 *Dum tot prodigiorum serperet rumor et tantus hominum concursus fieret, consecravit prædictus Urbaniensis præsul die* 18 *septembris anni* 1659 *altare B.* Gerardi *in templo de Abbatissis. Hæc Colluccius* (1), *qui et sequentia addit:* Altare, in quo requiescunt reliquiæ, situm est in media navi ad cornu epistolæ et formam habet loculamenti marmorei. Magnis et validis cratibus, pecunia publica factis, circumdatur. In zophoro seu in ea parte quæ currit inter coronidem et epistylium hæc breviata leguntur verba :

GHID. HVC TVMV DIVO SAC PERENE
PFECT STATVT PLEBSQ. PRESQ. SIM.
DEFESOR PRIÆ CVM SIT PTECTOR ET OES
DEMONIB. PSSOS LIBERET IPE MALIS

Quibus significari videntur sequentia :

Ghirardo hunc tumulum divo sacravere perennem;
Perfectum statuunt plebsque patresque simul:
B Defensor patriæ cum sit, protector et omnes
Dæmonibus pressos liberet ipse malis.

Ipsa ara seu inferior altaris pars recentior est, ex sculpto marmore, et hæc verba circumscripta exhibet : ALTARE HOC POST CLVI. ANNOS IN DEI HONOREM ERECTVM ET B. GHIRARDO DICATVM FVIT PER ILLMVM HONORATVM EPISCOPVM CONSECRATVM DIE XIIX SEPT. MDCLIX. In antiqua altaris parte exstat lapis, antependio coopertus atque his inscriptus verbis : NOVA BEATISSIMO GHIRARDO SVFFECTA ARCA, VETVS HÆC MARMOREA, VT AB OBSESSIS ET INFIRMIS SANITAS APTIVS IMPETRETVR, HIC DIE VI IVNII MDCLIX TRANSLATA FVIT.

Anno 1777 *cultus probatur S. R. C. et ejus festum ab aliis agitur die* 1 *aprilis, ab aliis die* 16 *novembris.*

21 *Ex hactenus recitatis sole clarius est B.* Gerardi *cultum non solum centum sed multo pluribus annis ante Urbani VIII decreta incohatum fuisse; eum semper perseverasse et proin locum fuisse ut inter casus exceptos referretur. Sensit id S. R. C. anno* 1777 *concessitque clero sæculari et regulari illius regionis licentiam celebrandi die* 16 *novembris, qua beatus vir mortuus est, missam et officium in ejus honorem. Hinc in Ordinibus divini officii Senogalliensibus* C *pro annis* 1841 *et* 1846 *ad diem* 16 *novembris agi jubetur ejus festum ritu duplici minori. Postea eadem facultas facta est ordini Camaldulensi; sed quoniam dies* 16 *novembris impedita erat festo SS. Joannis et Benedicti, martyrum ordinis Camaldulensis in Polonia, relatus est pro eis ad diem* 1 *aprilis S.* Gerardi *natalis. Quamobrem ad hanc diem in eorum Martyrologio legitur:* In oppido Serræcomitum Senogalliensis diœcesis beati Gerardi confessoris, qui jugi monasticæ regulæ observatione, assiduis orationibus, omnium virtutum laude insignis, quartodecimo kalendas decembris in cælum evolavit. *Jam pridem ejus memoriam fecerat Ferrarius ad diem* 16 *novembris in Catalogo generali sanctorum; sed ejus encomium omiserat in Catalogo sanctorum Italiæ : quam lacunam implevit ad diem* 16 *novembris auctor Hagiologii Italici; qui quadriennio antequam B.* Gerardi *cultus probatus esset S. R. C. monuit* officium ipsius in kalendariis celebrari sub ritu duplici. *Fieri potest ut aliquando nanciscamur veterem S.* Gerardi *Vitam, hactenus latentem; id si fiat,* D *poterit dari sub die* 16 *novembris.*

(1) Descrizione della terra di Serra de' Conti, in Antichità Picene, tom. XXIV, p. 91 et seqq.

DECRETUM

ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CAMALDULENSIUM SUPER CONFIRMATIONE CULTUS, AB IMMEMORABILI PRÆSTITI S. D. ALBERTO MONACHO S. CRUCIS SAXIFERRATI EJUSDEM CONGREGATIONIS, BEATO NUNCUPATO.

B. Alberti, *de quo fere nihil scitur, cultus immemorabilis*

Ordo ille, a sancto patriarcha *a* in ecclesiam ad ejus splendorem et munimen invectus, inter frequentissimos *b*, quos protulit, heroas vertente sæculo duodecimo ac tertiodecimo ineunte *c* Saxiferrati exhibuit servum Dei Albertum, monachum congregationis Camaldulensium *d*, qui quum sodalibus præluxisset quadraginta annorum spatio, ante dimidium ejusdem sæculi decimitertii *e* ex hac vita in osculo Domini feliciter migravit. Virtutibus siquidem omnibus *f* instructus apparuit, assidua præsertim prece ac jugi pœnitentia, ex qua bonus ille spiritus prodiit, ut si censeri nolit institutor *g* cœnobii sanctæ Crucis de Saxoferrato, collabentem tamen ejus regularem E disciplinam in pristinum fervorem restituisse nullus est qui inficietur *h*. Peculiaris hujus sanctitatis fama, quæ in dies magis magisque augebatur ob virtutum odorem, singularem quamdam consequuta est coronam, dum inter cælites cooptatus Albertus amplissimo miraculorum testimonio, uti fertur *i*, fuit a Deo clarificatus. Eapropter statim *k* ab ejus obitu a fidelibus altarium honoribus coli cœpit; sacræ exuviæ, sub altari humatæ, summo fuerunt honore veneratæ ad præsentem usque diem; ac eidem demum fuere dicata ædicula et altare *l*.

a b c

d

e

f

g

h

i

k

l

probatur anno 1837 *S. R. C.*

2 Quæ omnia immemorabilis cultus specimina animo reputans R. D. Albertus Marini, recensitæ Camaldulensium congregationis procurator generalis, sacrorum rituum congregationem humiliter rogavit, ut juxta sancitas a generalibus decretis leges ab hac sancta apostolica sede cultus ille formiter confirmaretur. Quæ in ordinario cœtu ad S. Mariam supra Minervam loco sacri palatii apostolici Quirinalis de mandato SSmi subscripta die coadunata, ad relationem ab Em̄o et Rm̄o F domino cardinali Carolo Maria Pedicini, episcopo Prænestino, sanctæ Romanæ ecclesiæ vice-cancellario et eidem sacræ congregationi præfecto hujusque causæ ponente, factam, audito R. P. D. Virgilio Pescetelli, sanctæ fidei promotore, qui scripto et voce suam sententiam exposuit, omnibus rite accurateque rationum momentis discussis et examinatis, visisque responsionibus per defensores ad animadversiones datis, rescribendum censuit: « Constare de casu excepto a decretis sa. me. « Urbani papæ VIII. Die 23 septembris 1837. » Super quibus omnibus facta postmodum sanctissimo domino nostro Gregorio papæ XVI per me subscriptum secretarium fideli relatione, sanctitas sua rescriptum sacræ congregationis adprobavit, confirmavitque cultum ab immemorabili præstitum beato Alberto, monacho congregationis Camaldulensium. Die 30 recensiti mensis et anni. C. M. episcopus Prænest. card. Pedicinius, S. R. E. vicecancellarius

A larius S. R. C. præfect. Loco † sigilli J. G. Fatati S. R. C. secretarius.

ANNOTATA.

a *Intelligitur S. Benedictus, non autem S. Romualdus, siquidem hoc loco distinguatur ordo ab congregatione.*

b *Paucos aliquot sanctos, qui fastis sacris incripti sint, protulit illo tempore ordo Benedictinus; sed frequentissimos, maxime in eremis, qui, ut omni tempore, sanctimoniæ laude claruerunt, quin cælestes honores eis decreti sint: qui posteriores intelliguntur.*

c *Cfr Commentarius prævius, num.* 15.

d *Saxoferratense monasterium accessit tantum Camaldulensibus post mortem B.* Alberti, *scilicet anno* 1353. *Vide Commentarium prævium, num.* 7. *Hæc itaque per prolepsim quamdam dicta sunt.*

e *Immo anno* 1350 ; *italicismus itaque sæculum* XIII *est.*

f *Ex cultu, B.* Alberto *post mortem præstito, defectu veterum testimoniorum, concludi potest eum reapse virum sanctum fuisse.*

g *Hæc plane probabilia sunt, quum credibile non sit eum fuisse institutorem illius cœnobii.*

h *Quibus recentioribus scriptoribus hæc nitantur colligi potest ex Commentario prævio. Et quidem quum S.* Albertus *simplex fuerit monachus Saxoferrati, ut vetustis imaginibus appictum est atque in hoc ipso decreto dicitur, reformasse hoc cœnobium censendus est, collegis suis præiens sanctitatis exemplo.*

i *Nil singulare de ejus miraculis traditur in monumentis, quæ vidimus.*

k *Quum anno* 1350 *fuerit mortuus eique posita fuisse videatur imago sub medium sæculum* XIV, *profecto dici potest eum brevi post mortem coli cœpisse.*

l *Vulgus scilicet appellavit altare S. Mariæ Virginis nomine altaris B.* Alberti *propter corporis ejus præsentiam.*

B

DE B. FRANCISCO DE CALDARIOLA, CONF.

E

ORDINIS FF. MINORUM,

COLFANI, IN DIOECESI CAMERINENSI, IN ITALIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

§ I. Qui de B. Francisco scripsere. Patria ejus et ministerium sacrum. Institutio montis pietatis. Mors.

ANNO MDVII. *In conventu Colfanensi, qui fertur a S. Francisco Assisiate conditus, vixit et quiescit B.* Franciscus *a Caldariola;*

C *Franciscus Gonzaga, Fratrum Minorum Observantum generalis minister, originem conventuum sui ordinis anno* 1587 *explicans, ubi venit ad conventum S. Francisci Colfani in provincia Marchiæ, hæc de eo tradit* (1): Quod hic conventus, beatissimo patri Francisco sacer, qui in pagorum Campirotundi atque Cessapalumbi Camerinensis diœcesis finibus constructus est, seraphicum ipsum patrem sui fundatorem atque auctorem habuerit, tum ipsa structura, quæ humilis incuriosaque est, tum fons sibi propinquus, qui divi Francisci dicitur, ab eoque fossus inventusque asseritur, tum quoque seniorum traditio, quæ intrepide hoc ipsum asseverat, simul testantur. Ejus vero situs Colphanum appellatur, amœnaque sylva in gyro vestitur, quæ hunc locum elegantissimum commendatissimumque reddit. Accedunt quoque ad ejus decorem præfatus divi patris Francisci fonticulus, in media sylva situatus; et Fiastra placidus fluvius, qui ejusdem sylvæ oram dilabentibus lymphis alluit; et corpus beati patris Francisci a Caldariola, in ejus ecclesia sepultum, quod apud convicinos paganos ob frequentia miracula, quæ Deus opt. max. ob ejus merita in eorum favorem in dies operari dignatur, in maxima veneratione est, suavissimamque quandam fragrantiam ex se emittit. Hoc igitur in monasterio, licet solitario campestrique in loco constituto, duodecim fratres commorantur; quibus adjacentes pagi necessaria ad victum atque amictum satis liberaliter subministrant. *Hæc eadem in compendium redegit Waddingus* (2) *sub annum* 1215, *quasi tunc temporis fundatus fuisset ille conventus. In præsenti autem commentario agendum est de S.* Francisco *a Caldariola, qui præcipuum illius loci decus et robur dicitur, quod ibidem anno* 1507 F *diem obierit et hactenus requiescat.*

2 *Porro priusquam die* 1 *septembris anni* 1843 *immemorabilis cultus sacræ congregationi rituum probatus est, confectus fuit pro more processus, quinque continens partes; quarum prima Informatio est super dubio an constet de cultu ab immemorabili tempore, secunda Summarium super eodem dubio, tertia Adnotationes R. P. D. promotoris fidei super eodem dubio, quarta Responsio ad adnotationes; quinta Summarium additionale. Postquam autem favens decretum obtentum est, concessio officii et missæ propriæ cum elogio in martyrologio postulanda visa fuit, eaque de causa alius processus incohatus est, ex quatuor constans monumentis, scilicet Libello supplice, Summario, Adnotationibus promotoris fidei et Responsione ad eas. Utrumque autem processum dicendorum fontem fore vix est quod moneam : eo enim capiuntur fere omnia*

cujus cultus anno 1845 *approbatus fuit. Multi de eo scripserunt.*

(1) De origine seraphicæ religionis, part. II, prov. Marchiæ, conv. XXVII, pag. 205. — (2) Annales Minorum, ad an. 1215, num. XXVII, tom. I, pag. 236, edit. 1731.

AUCTORE V. D. B.

omnia, quæ ordinis seraphici scriptores de B. Francisco *memoriæ tradiderunt. Primus autem omnium, qui ejus gesta prosecutus fuisse videtur, nomen habet P. Marianum de Florentia, ex Observantum numero, qui ante annum* 1537, *quo vita functus est, Fasciculum chronicorum ordinis Minorum scripsit. Servabatur olim ille liber in archivo conventus S. Isidori de Urbe; sed malo fato periit. Exstabat adhuc anno* 1618, *quo pater Bartholomæus Cimarelli, Minor Observans, Venetiis edidit ordinis sui historiam, et margini inscripsit se sua dicta desumpsisse ex Mariano de Florentia, ex Marco Ulyssiponensi et ex Francisco Gonzaga* (1). *Qui hic secundo loco apellatur Marcus Ulyssiponensis, is anno* 1570 *Salmanticæ Chronica ordinis Minorum edidit; quod opus ante annum* 1606 *de Sousa hispanice, Blancone gallice et de Diola italice reddiderunt. De Gonzaga initio meminimus. Bartholomæus Cimarelli, qui deinde venit, Chronica item ordinis Minorum edidit Venetiis anno* 1618. *Arturi a Monasterii Martyrologium Franciscanum, in quo etiam celebratur B.* Franciscus *ad diem* 12 *septembris, lucem vidit Pariisiis anno* 1638; *et Ludovici Jacobilli Vitæ sanctorum et beatorum Fulginiæ anno* 1656. *Hueberi Menologio, in quo cum laude quoque prodit S. D. nomen, editum est Monachii anno* 1698. *Spiritualis Palma seu Legenda universalis ordinis Minorum, in qua item sub die* 12 *septembris brevis B.* Francisci *laudatio continetur, ab auctore Benigno Fremaut flandrice publico data est Gandæ anno* 1708. *Benedictus Mazzara Sulmonensis in Legendario Franciscano, quod anno* 1722 *Venetis typis excudi jussit, laudavit similiter B.* Franciscum. *Plures alios omitto; et breviari quidem potuisset, quem modo dedi, scriptorum catalogus, quum soli Marianus de Florentia, Marcus Ulyssiponensis et Franciscus Gonzaga ex propria scientia testimonia dederint, reliqui omnes nil egerint quam illorum repetere dicta. Et quidem Gonzaga hæc pauca tantum refert, quæ superius ex eo dedimus; Cimarellius, qui Mariani de Florentia scriptis usus est, nil habet quin legatur apud Marcum Ulyssiponensem; adeo ut hic omnium dicendorum, si pauca recentius detecta excipias, unicus testis sit.*

B

C

sed pauca memoriæ tradiderunt. Natus est Caldariolæ, ubi eo vivente conditus est domus conventualium.

3 *Cæterum valde pauca de B.* Francisco *noscuntur. Ex agnomine* de Caldariola *intelligitur natus fuisse in hoc loco. Oppidum id est parvum quidem, quippe quod incolas tantum continet* 1673 (2); *sed amœnum valde, utpote in collis clivo positum inter Fiastram et Chienti rivos, et a tergo habens Apenninos montes et coram planitiem fertilissimam. Olim aquis calidis celebre erat; atque inde nomen suum assumpserat; sed sæculo* XVI *rupti sunt in monte Carufo canales, neque deinceps fuere restituti* (3). *In vicinia, in loco ubi ante erat capella S. Petri de Antiquis, oppidani Minoribus Conventualibus anno* 1473 *construxerunt conventum, dictum de Caldariola* (4); *quod utrum factum sit ante an post B.* Francisci *professionem nemo dixerit, quum plane nesciatur quoto ætatis aut quoto religiosæ vitæ anno diem obierit. Cæterum poterat beatus vir tam facile Colfani induere S. Francisci habitum quam Caldariolæ, quum Colfanensis conventus territorio Caldariolæ proximus sit. Colfanum scilicet neque parochia neque civilis communitas est; sed vicus tantum, in finibus (ut recte dixit Gonzaga) Campirotundi et Cessæpalumbi situs; quæ ambæ parœciæ, quarum prior* 750 *incolas* (5) *et altera* 599 (6) *continet, Caldariolensi senatui subjacent et hujus oppidi fere partes sunt, positæ ad meridiem. Nescio qua animi avocatione Marcus Ulyssiponensis (quem alii plures secuti sunt) confuderit Colfanensem conventum cum Cingulano, volueritque beatum virum in hoc vixisse et e vivis recessisse. Cingulanus quidem conventus concludebatur etiam in provincia Marchiæ* (7); *sed alius omnino est ac Colfanensis et situs est in civitate episcopali Cingulo, annexa diœcesi Auximanæ.*

D

Colfani, non Cinguli, ut quidam voluere, vixit et ministerium sacrum exercuit.

4 *Licet autem tam grave piaculum admiserit Marcus, ipse tamen unus sanctimoniam B.* Francisci *aliquantisper explicavit. Waddingus ad annum* 1507 *ejus verba latine refert* (8); *sed non satis fideliter; quare malim ea ex italico, quum primaria editione caream, vertere. Ait itaque* (9) : Anno sequenti, *scilicet* 1507, vitæ cursum absolvit frater Franciscus de Caldariola in conventu Cingulano, *immo Colfanensi*, provincia Marchiæ. Fuit concionator, zelo, pietate et literarum scientia insignis; verumtamen prædicabat semper res simplices et pias cum exemplis sanctorum morum; ita ut magnus animarum fructus exsisteret. Tantus erat ejus in Deum amor et pietas, ut noctu officium divinum et orationes recitaret, et interdiu concionaretur et pœnitentes audiret, adjuvans animas. Hæc caritas magno ei auxilio erat ad tollenda ex cordibus obduratis odia et ad pacem inter multos restituendam; qua in re gratia speciali præditus erat. In hora ejus obitus homini cuidam, in oratione posito, magnus apparuit splendor, qui diu perstitit. Qui homo quum postridie mane ad conventum ivisset, intellexit eadem hora servum Dei ad suum abivisse Dominum. Fuit sepultus a populo cum magna pietate, et multi qui se ei commendarunt petitas gratias et beneficia consecuti sunt.

E

Montem pietatis, cujus instituti in Italia media origo

5 *Omisit vero Marcus Ulyssiponensis dicere de egregio instituto, quod Caldariolæ B.* Franciscus *exemplo tot aliorum fratrum Minorum promovit. Sed res paulo altius repetenda est. Post medium sæculum* XV, *bellis civilibus et exteris tantopere exhausta erat Italia, ut major familiarum pars, frustra cum penuria luctata, pecunias ab hebræis aliisque usurariis acciperet, statuto fenore septuaginta aut octoginta pro centum* (10). *Quis primus huic malo remedium attulerit non omnino constat, quamquam omnes consentiant hanc fratrum Minorum esse laudem. Contendit Mariotti* (11) *B. Jacobum Picenum, insignem omni ex parte virum, primum instituisse montem anno* 1458 *Asculi, quæ ejus patria erat; deinde Michaelem de Mediolano alium fundasse Perusii anno* 1462; *adeoque Barna-*

(1) Cfr Summarium super dubio, pag. 7 et 11. — (2) Indice alfabetico di tutti i luoghi del stato pontificio, pag. 33. Romæ, 1836. — (3) P. Castellano, Specchio geografico-storico-politico di tutte le nazioni del globo, tom. VI, pag. 380 et seqq. — (4) Waddingus, Annales Minorum, ad an. 1473, num. 16, tom. XIV, pag. 81. — (5) Indice alfabetico, etc. pag. 37. — (6) Ibid., pag. 69. — (7) Gonzaga, de Origine, etc. p. 209. — (8) Annales ad an. 1507, num. 30, tom. XV, pag. 375. — (9) Summarium de dubio, etc. p. 8. — (10) Moroni, Dizionario di erudizione ecclesiastica, V° *Monti di pietà.* — (11) De' Perugini auditori di rota, p. 207.

bam

A bam Interamnensem *, quem primum hujus inventi auctorem facit Waddingus (1), promovisse solummodo montem, a Michaele de Mediolano fundatum. Uti assolet, inquit Waddingus (2), res hæc nova visa est, statimque suos habuit contradictores non paucos, præsertim ex ordine Prædicatorum; qui, contractum judicantes usurarium, vehementer obstiterunt. Re ad publicam concertationem coram magistris et scholasticis universitatis *Perusinæ*, coram prioribus civitatis, coram clero et religiosis ordinibus deducta, acriter disputatum est. Sed tandem lata pro Minoribus (quorum præcipui defensores erant Barnabas *Interamnensis* et Fortunatus *de Capolis qui, amissa uxore, ex doctore celeberrimo cæsarei juris factus erat Minorita*) sententia, confestim cives, præmissa solemni supplicatione et pingui oblatione, opus stabilierunt et exercendo ministros præfecerunt. Elapso anno, detractis expensis et ministrorum stipendiis, tot superfuerunt pecuniæ, ut iterum discutiendum fuerit in quos usus deberent converti. Ea tandem fuit opinio cujusdam doctoris, viri eruditissimi et propter
B doctrinæ excellentiam *doctor veridicus* appellati, ut, nulla præcedente cum ministris pactione circa stipendia, illud anni residuum inter illos distribueretur. Ita illic tunc factum, sed aliis in locis, pro personarum discrimine rerumque exigentia, aliter excrescentes pecuniæ distrahuntur.

et propagatio declarantur, instituit Caldariolæ opera confraternitatis flagellantium, cui, mutato titulo Annuntiatæ *in* B. M. de Monte, * Orvieto

6 Ad instar hujus montis Perusini cœperunt alii multis in urbibus Italiæ salubriter institui; sed ubique contradictum. Eo vero processit contradictio ut sermonibus publicis et conscriptis libris fuerit respondendum, et demum decretis apostolicis controversia decernenda. *Montem Urbisveteris* * *confirmavit Pius II anno* 1464; *Perusinum Paulus II anno* 1467; *Viterbiensem Sixtus IV anno* 1472; *Savonensem anno* 1479; *Mantuanum Innocentius VIII anno* 1486; *Consenatem anno* 1488; *Parmensem eodem anno; Patavinum Alexander VI anno* 1493 *et demum Leo X in sessione* x *concilii Lateranensis per bullam* Inter multiplices *probavit id institutum et adversarios pœnis ecclesiasticis compescuit* (3). *Præter Barnabam Interamnensem recenset Waddingus inter præcipuos promotores Marcum Bononiensem, Michaelem a Carcano, Antonium*
C *Vercellensem, B. Angelum a Clavasio et B. Bernardinum Feltrensem; omittit vero B. Jacobum Picenum et B.* Franciscum *de Caldariola, quibus hæc quoque laus debita est. Ut de hoc tantum dicam, quum Caldariolæ in templo B. Mariæ de Monte sub titulo Virginis Annuntiatæ exstaret* disciplinantium *seu flagellantium confraternitas, persuasit B.* Franciscus *anno* 1491 *sodalibus, ut copiosas, quæ illic fiebant, oblationes converterent ad erigendum montem pietatis ad sublevandas pauperum ærumnas, usuris pereuntium; unde* Annuntiationis *titulus in agnomen* de Monte *mutatus est. Narrantur hæc a Petro Castellano* (4) *et confirmantur imagine, paulo infra enarranda, atque etiam stemmatibus, quibus ornata est vetustior capsa reliquiaria, qua anno* 1511 *beati viri ossa condita fuerunt. In*
* Gonfalone *antica enim parte cernitur vexillum* * *et duæ claves, in modum crucis dispositæ, quod insigne tamquam fidelitatis tesseram concessit oppido Eugenius papa IV anno* 1434 (5); *cacabus impositus igni, quo ipsa Caldariola propius significatur; et demum tres montes, stemma confraternitatis S. Mariæ de Monte* (6).

AUCTORE V. D. B.

7 *Hanc ipsam confraternitatem instituisse, regulis instruxisse et direxisse B.* Franciscum *dixere anno* 1833 *viginti novem testes ex Caldariola aut vicinia; et similiter in lectionibus, sacræ rituum congregationis approbationi propositis, legitur beatus* Franciscus *id sodalitium instituisse:* Deiparam quoque Virginem, *sic illic dicitur,* tenerrima devotione est prosecutus, cujus imaginem sodalitati Montis, a se institutæ, dono dedit : quam miraculis insignem Pius VII ab exilio redux Tolentini in basilica S. Nicolaï aurea corona suis manibus decoravit, compluribusque, *ut in Vitæ synopsi additur,* indulgentiis auxit. *Castellanus* (7), *qui egregios de Caldariola videtur habuisse commentarios, perhibet antiquius hoc esse sodalitium; et sane pleræque flagellantium confraternitates ante sæculum* 1400 *natæ sunt. Multo itaque verisimilius est beatum virum usum esse confra-*
E *trum opera in stabiliendo monte pietatis, eorumque auctorem tantum fuisse, quatenus ex flagellantibus fecit beneficos. Sed consentit Castellanus imaginem B. M. V. a beato viro dono fuisse datam sodalitati de Monte. Perhibet præterea eam pictam esse angelicis formis in tabulis oleaginis; anno* 1770 *fuisse positam in magnificentissima æde, exstructa ab egregio architectone Augustoni, et in Tolentinate S. Nicolaï templo fuisse coronatam a Pio VII die* 17 *maji anni* 1814. *Et quidem aliunde* (8) *constat Pium VII, in ditiones suas reducem, ex Recanate advenisse Tolentinum die* 17 *maji anni* 1814; *vespere ejus reditum maxima festivitate fuisse celebratum; in palatio comitum Silveri pernoctasse pontificem et postridie recessisse Fulginiam. Dubitandum itaque non est quin reapse Pius VII imaginem illam coronaverit, quamquam id passim prætereatur, quia forte corona comparata non fuit ex legato comitis Alexandri Sfortiæ Pallavicini, quem nemo non novit testamento suo anno* 1636 *cavisse ut quotannis celebriores aliquot statuæ ex sua hæreditate a capitulo S. Petri Romano coronarentur.*

tabulam pictam, anno 1814 *Tolentini a Pio VII coronatam,*

F 8 *Sed lubet de hujus imaginis forma audire Æmigdium Pallotam, unum ex peritis, qui die* 17 *maji anni* 1842 *judicium tulit de antiquitate rerum aliquot, ex quibus videbatur demonstrari posse immemorabilis cultus B.* Francisci. Alta est, *inquit* (9), hæc imago palmos sex, uncias duas; larga palmos tres, uncias quinque..... Picta est bono stylo, prope juxta modum Perusini. Caput Sanctissimæ Virginis, quæ partem superiorem et potiorem tabulæ occupat, inclinatur dextrorsum, circumdatum his verbis : AVE, MARIS STELLA, literis aureis lævigatis. Circa sinum cernitur expansus rotulus coloris ignei, cui literis item aureis lævigatis, sed vetustate difficilibus lectu inscriptum est : HÆC VERBA OMITTUNTUR. Manibus ad terram versis sustinet ipsa B. Virgo rotulum, obscuris illis verbis inscriptum. Utrique digito an-

et in qua multa repræsentantur, dono dedit.

(1) Annales Minorum ad an. 1474, num. 11, tom. XIV, p. 93. — (2) Ibid., num. 12, p. 94. — (3) Ibid., num. 13, p. 94 et 95. — (4) Specchio geografico, tom. VI, p. 381. — (5) Castellano, Specchio geografico, tom. VI, p. 683. — (6) Summarium de dubio, etc. p. 3. Cfr ibid., p. 24. — (7) Specchio geografico, tom. VI, p. 381. — (8) Cfr Moroni, Dizionario, V° *Tolentino,* p. 325. — (9) Summarium super dubio, etc. p. 6 et 7.

nulari

AUCTORE V. D. B.

nulari impositus est annulus usque ad primam juncturam. Actio Mariæ incerta; ita ut an pedibus stet non appareat. A dextris pictus est puerulus Jesus, brachio Virginis non sustentus; ipse vero manu sinistra collum matris amplectitur. Minori forma ibidem præterea picti sunt sancti aliquot, scilicet S. Martinus Turonensis, patronus, S. Gregorius, martyr Spoletinus; et post eos dux Verani, qui illo tempore Julius Cæsar erat; ex altera parte S. Franciscus Assisias, S. Antonius Patavinus et duo sodales flagellantes. Pari libella cum capite Sanctissimæ Virginis symmetrice dispositi sunt octo alii sancti, ex quibus distinguuntur soli SS. Petrus et Sebastianus, cum pontifice Romano tunc regnante. In media tabula picta est Caldariola, qualis olim erat... Picti ibidem etiam sunt supplicantium habitu multi sodales, vestiti sacco, et capitibus opertis capuccio. In extremo margine inferiori legitur : SUB ANNO DOMINI MCCCCLXXXXI LAURENTIUS S. PIST*. Ut tabula illa vocatur Sanctissima Domina de Monte, sic pictæ in ea sunt duæ thecæ nummariæ cum superpositis libris et
B pluribus clavibus, et ante thecas scriptum est : CONSERVA, CONSERVA, CONSERVA. MONS VIRGINIS; et a dextris cernitur lanx, plena nummis aureis, quibus significetur mons pietatis.

* PICT.?

Mortuus est B. Franciscus anno 1507, sed nescitur qua die.

9 *De anno obitus B.* Francisci *inter omnes constat; sed dies tenebris obvoluta jacet. Die* 25 *julii seu* VIII *kalendas augusti anni* 1507 *vita functus esse beatus vir in decreto approbationis cultus asseritur; sed in concessis lectionibus prudenter omittitur dies. Marcus Ulyssiponensis, Gonzaga, Cimarellius, Waddingus aliique, quorum libri non in singulos anni dies distributi sunt, nil de die dicunt; qui vero kalendarii ordinem sequuntur, ii non potuere sanctissimi viri natalem sub certo non consignare die. Ludovicus Jacobillius* (1) *itaque in libro de sanctis et beatis Umbriæ posuit B.* Francisci *nomen sub die* 25 *julii, qua eum obiisse aperte tradit. Contra Arturus a Monasterio in Martyrologio Minorum* (2), *Hueberus in Menologio* (3), *Benedictus Mazzara in Legendario* (4) *et Benignus Fremaut in Palma spirituali* (5) *die* 12 *septembris B.* Francisci *memoriam celebrant, caventes ne dicant hac eum ad superos abivisse.*
C *In Summario de dubio super cultu immemorabili* (6) *exstat programma, modum habens orationis ad B.* Franciscum, *quo invitatur populus ad celebrandum* triduum prævium diei mortis beati civis. *Annus et dies omittitur; sed hoc documentum recens est et pertinet ad annuum triduum, mense septembri celebratum et institutum in memoriam solemnis corporis translationis, die* 19 *augusti anni* 1810 *peractæ* (7), *quum, suppresso conventu, reliquiæ in ædem B. Mariæ de Monte devectæ sunt : aliud triduum non norunt viginti novem testes Caldariolani, qui die* 28 *augusti anni* 1833 *de B.* Francisci *cultu deposuerunt* (8) : *ita ut ii, qui anno* 1810 *hoc institutum promoverunt, crediderint beatum virum die* 12 *septembris ex hac terra recessisse. Inferius videbimus Caldariolanam curiam consuevisse jam pridem ceram votivam quotannis Colfanum ferre ad B.* Francisci *sepulcrum; ast nil* D *hinc concludere licet, quum id stato non fiat tempore, sed aliqua mensis maji die* (9), *imo vere aut æstate* (10).

§ II. B. Francisci cultus, initio valde tenuis, dein aliquantisper auctus et demum probatus sacræ rituum congregationi.

Anno 1509 ejus imago cum radiis picta et in domo privata posita;

C*um sanctimoniæ fama mortuum esse B.* Franciscum *manifestum est; a populo sepultum fuisse cum multa pietate, et qui se ejus commendarunt precibus petitas gratias et beneficia adeptum esse narrat Marcus Ulyssiponensis : ita ut statim post obitum videatur fuisse honoratus, cultu tamen potius populari quam ecclesiastico. Sed biennio post cœperunt ei majores deferri honores. Anno enim* 1509 *Venantius Pallotta, bisavus cardinalis Evangelistæ Pallottæ, coævus B.* Francisco, *quippe qui natus videatur anno* 1474 (11), *in tela pingendam curavit parvam imaginem, qua exhibetur dimidia* E *effigies beati viri, dextra pectus prementis, sinistra ad humum extensa librum tenentis, et capite radiis aurei coloris circumdato; in cujus margine inferiore hæc verba scripta :* Vera effigies B. Francisci a Caldarola anno 1509 (12). *Res tamen hæc aliquantum difficilis est. Civallius, provincialis Minorum Conventualium, qui, dum Evangelista Pallotta viveret et sacra purpura esset indutus, Caldariolam visitavit et in res hujus cardinalis nonnihil inquisivit, aliam texuit genealogiam. Eo enim teste* (13), *Vincentius Pallotta, medicus expertissimus, genuit Parisium et Joannem Antonium; Parisius genuit Desiderium et Desiderius genuit cardinalem. Sed sive Vincentius, sive Venantius Pallotta cardinalis bisavus fuerit, dubitandum non est quin aliquis ex hac domo imaginem illam procuraverit, quandoquidem in ea familia servata fuerit, donec Joannes Josephus Amici, consiliarius et doctor U. J., qui, prope octogenarius, ea de re testimonium dedit anno* 1833, *eam, consentiente comite Desiderio Pallotta, ex hujus ædibus detulerit in templum B. Mariæ de Monte* (14). *Non itaque primitus imago illa cultui publico destinata erat, sed privato.* F

cor statim post mortem videtur fuisse positum in reliquiaria capsa et corpus supra terram levatum anno 1511; dein incerto tempore facta imago et in templo exposita.

11 *Si auctorem vitæ Synopseos* (15) *audias, humi sepultum numquam fuisset B.* Francisci *corpus, sed continuo post mortem* in ecclesia conventus super altare muro interclusum honorifice conditum fuisset. *Verum multo verisimilius mihi est corporis elevationem factam esse anno* 1511, *qui veteri arcæ inscriptus est in hunc modum :* Corpus beati Francisci a Caldarola an. salutis 1511 (16). *Jam antea cor ex corpore extractum fuerat et vetusto stylobatæ cupreo inaurato, sæculo* XIV *aut ineunte* XV *confecto, in quo imagines Salvatoris, Deiparæ et apostolorum aliquot cælatæ sunt, impositum clausumque quatuor crystallis, argento inter se connexis. Verisimillimum videtur id factum esse statim post mortem, quum tardius ex siccato aut dis-*

(1) Summarium de dubio, etc., p. 8. — (2) Ibid., p. 12. — (3) Ibid., p. 9. — (4) Ibid., p. 10. — (5) Den geestelycken Palmboom, September, p. 218. — (6) Pag. 24. — (7) Summarium de dubio, etc. p. 17 et seqq. — (8) Ibid., p. 28. — (9) Ibid., p. 22. — (10) Ibid., p. 28. — (11) Ibid., p. 30. — (12) Ibid., p. 2, 6 et 30. — (13) Visita triennale nella Marca Anconitana, ap. Colucci, Antichità Picene, tom. XXV, p. 159. — (14) Summarium super dubio, etc. p. 30. — (15) Informatio, p. 3. — (16) Summarium super dubio, p. 5. —

soluto

A *soluto corpore ægre exscindi potuisset musculus* (1) : *quæ cordis exsectio, sive consilium fuerit id publico exponendi, sivè clam reverenter servandi, indicium manifestum est quanta veneratione a suis fratribus B.* Franciscus *haberetur. Aliquanto post picta est imago, quæ super loculum, in altari locatum, exposita est. In parte superiori exhibetur B Virgo et e regione Salvator, crucem manu tenens. Coram Virgine a sinistris spectantium pictus est B.* Franciscus, *capite radiis flavis circumdato. Veste coloris cinericii et formæ, ab Observantibus usitatæ, indutus est et genibus flexis videtur orare pro sua patria Caldariola, quæ inferius picta est. Ambo periti, qui primum anno* 1842 *hanc imaginem examinarunt, æstimarunt eam primis sæculi* XVI *annis pictam fuisse; sed prior, secum parum constans, declaravit simul delineationem scholam Frederici Baroccii sapere* (2), *qui anno tantum* 1528 *natus est* (3). *Postea itaque missi fuere duo alii peritiores , qui declararunt* hanc imaginem modum et stylum sapere scholarum, quæ exeunte sæculo XVI exstabant (4). *Nulla alia argumenta allata sunt , quibus ostenderetur*

B *B.* Franciscum *de Caldariola publice cultum fuisse centum annis ante Urbani VIII decreta, seu ecclesiasticos ei delatos fuisse honores ante annum* 1534. *Ex his autem id unum certe validum esse, quod ex corporis elevatione repetitum fuit, vix est quod moneam.*

Extremo sæculo XVI *certissime passim dicebatur* Beatus Franciscus. *Exeunte sæculo* XVIII *minus curabatur ejus corpus;*

12 *Quamvis itaque valde tenuia habuerit B.* Francisci *veneratio initia, crevit tamen paulatim et exeunte sæculo* XVI *Caldariolæ passim appellabatur B.* Franciscus. *Cujus rei testem adhibere volo unum Horatium Civalli, Minoritam Conventualem, quem jam alibi nomine designavi. Hic enim, quum anno* 1594 *minister provincialis Marchiæ creatus esset et pro suo officio deberet intra triennium omnes provinciæ conventus visitare, sic quoque Caldariolanum illo tempore lustravit; et quum laudabili consilio annotaret quæcumque digna viderentur memoria, non prætermisit, quum Caldariolæ constitutus esset, de B.* Francisco *verba facere. Contrahit prius quæ Marcus Ulyssiponensis de B.* Francisco *tradit eumque nuncupat* Un F. Francesco de Calderola ; *sed continuo post loquens ex auditis et nescius de eodem agi viro,*

C *subdit:* Colfani, qui est locus PP. Observantum paululum distans a Caldariola, quiescit corpus B. Francisci de Caldariola (5) : *quod testimonium eo magis insigne est quo minus conveniebat illo ævo inter Conventuales et Observantes. Quum itaque sanctitatis famam et* beati *nomen passim apud Caldariolanos B.* Franciscus *haberet ejusque corpus super altare esset positum in duobus cistis, quarum interior crystallinis parietibus erat composita, ita ut, dum certis diebus exterior aperiretur, ipsum corpus videri posset; non poterat non excitari populi pietas et religio. Sed exeunte sæculo* XVIII *videtur refrixisse ipsorum Colfanensium Minorum cura, ita ut frater Ludovicus Antonius de Cotignola, commissarius visitator, domum illam lustrans, ordinaverit circa initium anni* 1794 quod induatur habitu seu veste decenti ac propria habitus Observantum meliusque collocetur. *Quare ipse visitator et Joannes* Antonius *de Morrovalle, guardianus Colfanensis, rogarunt Caldariolanos ut pecunias conferrent, quibus expensæ fierent ad tutius et reverentius servandum corpus et maxime cor, quod negligenter servabatur* (6). *Sed aliquot annis post multo graviora fata imminuerunt sacris exuviis.*

AUCTORE V. D. B.

quod, suppresso Colfanensi conventu et dein restituto, bis translatum est.

13 *Quum enim die* 25 *aprilis anni* 1810 *decrevisset Napoleo I imperator Colfanensem conventum non secus ac alios innumeros suppriмendum esse, domus, templum et omnia quæ inerant adjudicata sunt fisco. In eo itaque res erat ut B.* Francisci *cultus plane periret. Verum Caldariolana curia postulavit ab archiepiscopo Camertium de Benincosa, ut sibi liceret beati civis sui corpus in ædem B. Mariæ de Monte transferre. Quare petiit præsul a barone Cavalier, præfecto provinciæ* (prefetto del dipartimento del Tronto), *B.* Francisci *corpus. Per literas de die* 26 *junii annuit præfectus. Itaque die* 19 *augusti Petrus Croci, a Cosmo Cesare, fiscalium possessionum administratore, tradidit Antonio Mariotti, præposito templi parœcialis S. Martini, et syndico Petro Lucarelli, pium*

E *pignus, quod auctoritate archiepiscopi, quinque diebus ante concessa, ex veteri capsa in novam translatum fuit et sigillo archiepiscopali clausum; cor autem repositum fuit in veteri capsa. Deinde, comitantibus pluribus presbyteris, por-*

tatæ fuerunt omnes hæ reliquiæ in ædem S. Mariæ de Monte et positæ super altare S. Petri ad cornu epistolæ in armario , duabus clavibus clauso, altera servanda a præposito, altera a magistratu oppidano (7). *Verum quum Colfani restituti sunt Observantes, petierunt sibi reddi sodalis sui exuvias; quas tandem die* 10 *octobris anni* 1826 *Nicolaus ex comitibus Matthæis , archiepiscopus Camertium, jussit eis reddi per præpositum Antonium Mariotti et sub altari, jam pridem B.* Francisci *dicto, in templo Colfanensi reponi. Hæc peracta solemnissima pompa, comitante clero regulari et sæculari, curiaque oppidi et magna populi multitudine, die* 13 *julii anni* 1828. *Et quidem post missæ sacrificium, coram expositis reliquiis celebratum, loculus, quo corpus continetur, et pyxis crystallina, qua cor clauditur, (stylobate seu pede dempto et delato in sacristiam) sub mensa altaris collocata sunt;*

F *et quum illa pyxis et loculus, non secus ac pristina arca, crystallo sint clausa, lignea custodia circumducta est, pluribus clavibus obserata. Cautum etiam fuit ne vetus vacua arca periret; quare reposita est super altare, quod B.* Francisci *dicitur.*

Quomodo cultus confirmatus et officium concessum.

14 *Hinc plurimum aucta est beati viri veneratio et tandem aliquando cogitatum de postulanda approbatione cultus. Anno itaque* 1833, *die* 28 *augusti, confectus est brevis commentarius de veneratione publica, qua ante hominum memoriam servus Dei habebatur; cui subscripserunt testes viginti novem* (8). *Anno dein* 1841 *et* 1842 *collecta sunt in forma authentica documenta, quibus constaret venerationem illam centum annis ante Urbaniana decreta incohatam fuisse et deinceps numquam intermissam; quibus fretus, frater Aloysius a Luca, Observantum Romanæ provinciæ præpositus et postulator ge-*

(1) Informatio, p. 7. — (2) Summarium super dubio, etc. p. 4. — (3) Annotationes promotoris super dubio, etc. p. 4. — (4) Summarium additionale, p. 3. — (5) Collucci, Antichità Picene, tom. XXV, p. 159. — (6) Summarium super dubio, etc. p. 16. — (7) Ibid., p. 18 et 19. — (8) Ibid., p. 28 et seqq.

neralis

AUCTORE V. D. B.

neralis ordinis, rogavit sacram rituum congregationem ut declarare vellet constare de casu excepto ab Urbano VIII (1). *Causa dicta est in comitiis diei* 17 *junii anni* 1843 *et albo calculo probata die* 1 *septembris. Quare die* 31 *octobris sequentis, Cajetanus, archiepiscopus Camerinensis, postulavit a sancta sede ut in sua diœcesi liceret quotannis ritu duplici celebrare B.* Francisci *festum; et ut idem in ordine Observantum liceret die* 25 *octobris, quæ prima erat non impedita et in ordinis calendario vacua, petiit Josephus ab Alexandria, minister Observantum generalis. Quæ vota etiam exaudita fuerunt; atque inde in Martyrologio seraphico seu supplemento ad Martyrologium Romanum sequens encomium sub prædicta die legitur :* Colfani in Piceno intra fines Camerinensis diœcesis depositio beati Francisci de Calderola, confessarii et concionatoris egregii ex nostro seraphico ordine, qui pietate, doctrina ac zelo salutis animarum sese præbuit admirandum, et gloria miraculorum post mortem claruit. *Lectiones proprias omittimus; præplacet decretum de approbando cultu recitare, quoniam hoc monumentorum genus non omnibus est obvium.*

B

DECRETUM

QUO B. FRANCISCI DE CALDARIOLA CULTUS AUCTORITATE GREGORII XVI CONFIRMATUS EST.

B. Francisci *sanctimonia et pius in animabus lucrandis zelus et caritas.*

Inter venerabiles viros, qui sæculo xv Picenam provinciam veluti fideles Evangelii præcones et illustrarunt *a*, et fidelium ad sanctiores mores vitam composuerunt verbo et exemplis, merito est accensendus Fr. Franciscus a Calderola, humili quidem loco natus intra fines Camerinensis diœcesis, sed honestis parentibus progenitus *b*, qui a primis annis bonam sortitus indolem, divina aspirante gratia, ordini seraphico inter Observantes *c* nomen dedit; ubi vota solemnia nuncupavit, et tam in humanis, quam in sacris scientiis maxime profecit. Sacerdotio insignitus, precibus assiduus, singulari pietate eluxit : et licet eximia polleret eruditione, in concionibus tamen, ut uberrimum animarum lucrum exciperet, humilia et pietati consona C consulto proponebat : maxima propterea multitudo ad eum audiendum confluebat *d*, multique ad pœnitentiam ejus opera convertebantur. Quamvis vero assidua hujusmodi ad populum instructio ac sacramentorum pœnitentiæ præsertim administratio diurnum ejus tempus sibi penitus vindicarent, noctu tamen solitus erat piis precationibus ac meditatione animum reficere, atque ad Deum propius accedere : itaque in vera charitate erga Deum ipsum et proximum procedens, firmam sanctitatis famam est assequutus; et peculari dono cumulatus privatas componendi lites, civium jurgia conciliandi, odia penitus extirpandi; atque adeo in his totus fuit toto vitæ suæ tempore, ut nulli industriæ, nullis omnino laboribus pepercerit, et omnibus omnia factus, simplex, rectus, humilis, innumeros pene filios Christo pepererit. Solum Deum semper in omnibus quum intendisset, corporis macerazione ac operibus attritus, octavo kalendas augusti anno 1507 meritis plenus, in cœnobio D Colfani, quod est oppidum prope Calderolam, ab seraphico patriarcha exstructo, lætus ultimum diem aspexit, ac placidissime in Domino obdormivit.

Cultus immemorabilis a S. R. C. anno 1843 *approbatus.*

2 Corpus ejus magna cum populorum frequentia in adnexa ecclesia super altare et urna muro interclusa honorifice conditum fuit *e*, omnibusque, qui aderant, gratiæ, quas petierunt, beati Francisci meritis, a Deo concessæ fuerunt, et continuo, uti fertur *f*, ad ejus sepulcrum conceduntur, ac frequentia patrantur miracula. Ideo apud omnes maxima in veneratione haberi cœpit : tabulæ depictæ cum sanctitatis indiciis *g*, lampades accensæ *h*, cerei oblati *i*, supplicationes publicæ ad ejus tumulum bis in anno *k* cum magistratus interventu institutæ fuerunt, festum quotannis celebratum *l*, non semel corporis translatio de consensu antistium Camertium effecta *m*, et cor seorsim in hyerotheca affabre elaborata iterum occlusum et expositum fuit *n* : hinc apud scriptores vel coævos vel posteriores *o* Beati titulo decoratus, et nomen in ordinis menologio *p* recensitum. Hæc et similia *q* publici et ecclesiastici cultus, a die obitus Ven. Francisci ad hæc usque tempora exhibiti, animo reputans R. P. Fr. Joseph ab Alexandria, universi ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia et Reformatorum generalis minister, causæque postulator ab sacrorum rituum congregatione humillime postulavit, ut cultus ille formiter de more probaretur. Quæ ordinariis in comitiis apud vaticanas ædes subscripta die coadunata, audita relatione ab Emo et Rmo domino cardinali Aloysio Lambruschini, episcopo Sabinorum, ponente, facta, omnibus mature diligenterque libratis et attente consideratis, visisque responsionibus ad animadversiones per defensores datis, auditoque R. P. D. Andrea Maria Frattini, sanctæ fidei promotore, qui scripto et voce suam sententiam aperuit, scribendum censuit constare de casu excepto a decretis sa. me. Urbani papæ VIII. Die 17 junii 1843. Super quibus omnibus facta postmodum sanctissimo domino nostro Gregorio papæ XVI per me subscriptum secretarium fideli relatione, sanctitas sua rescriptum sacræ congregationis approbavit, confirmavitque cultum publicum et immemorabili tempore præstitum beato Francisco a Calderola, sacerdoti professo ordinis Minorum S. Francisci de Observantia. Die 1 mense septembri, anno eodem. C. M. Episc. Portuen. Card. Pedicinus. S. R. E. V. Cancell. et S. R. C. Præfectus. Loco † Sigilli. J. G. Fatati S. R. C. secretarius.

e *f* *g* *h* *i* *k* *l* *m* *n* *o* *p* *q*

F

ANNOTATA.

a *Reapse claruerunt illo ævo in provincia Observantum Marchiæ plures sancti viri. Sub anno* 1506 *edidit Waddingus seriem provinciarum et vicariatuum, quam capitulo generali, quod illo anno in conventu Romano Arœcæli convenit, vicarius generalis exhibuit. Adscripsit postea Italus singulis conventibus sua decora. Errore, quem alibi jam aperuimus, legitur ibidem :* S. Jacobi apud Cingulum, ubi requiescit

(1) Informatio, p. 2.

A scit Franciscus de Calderola, miraculis illustris ; *et sic de multis conventibus ,. passim omisso sancti aut beati titulo: At qui ex provincia Marchiæ ibidem recensentur et sæculo* XV *floruerunt, numero vere magno sunt* (1).

b *Quæ de parentum conditione dicuntur, probabili nituntur conjectura.*

c *De origine Observantum vide in tomo X Octobris Commentarium de S. Joanne Capistrano. Intra breve tempus adepti sunt innumeras domos.*

d *Maximam auditorum multitudinem nemo ante memoravit; et certe in loco abdito, quale Colfanum est, difficilis collectu fuit ea turba; sed maxima hæc multitudo intelligenda est pro loci magnitudine.*

e *Corpus sepultum fuit anno* 1507, *et quadriennio tantum post urnæ, positæ super altare, inclusum fuisse videtur. Cfr Commentarius Prævius, n.* 11.

f *In Processu de nullis miraculis specialis instituta est disquisitio; sed auctoritate Marci Ulyssiponensis dictum solum est ejus meritis ad*
B *sepulcrum orantibus varia Deum præstitisse beneficia; et, si apparitionem post mortem excipias, nil a quoquam singulare traditum fuit; neque de ullis recentibus mentio facta est. Cor quidem mirabiliter conservatum fuisse assertum fuit; sed id tueri ausus non est ipse causæ advocatus. Scripsit Gonzaga* suavissimam fragrantiam *ex corpore* emitti ; *verum, etiamsi de ea re certo constaret, non facile tamen id miraculum dicendum foret.*

g *In Commentario Prævio, n.* 11, *ostendimus alteram tabulam privati fuisse usus, alteram non certo pictam fuisse ante annum* 1534.

h *In Summario aut alibi non reperio lampades accensas fuisse ad sepulcrum B.* Francisci; *ex ignoto mihi fonte hæ additæ sunt.*

i *In libro expensarum oppidi Caldariolæ sub die* 30 *julii anni* 1694 *primum reperitur ceram oblatam fuisse B.* Francisco; *quod dein continuatum est* (2). *Ceram similiter offerebat sodalitas B. M. de Monte* (3). *Quum anno* 1828 *beati viri corpus in ædem Colfanensem reportatum, est statuerunt curia oppidana et prædicta sodalitas se pro veteri more deinceps ceram oblaturas*
C *esse* (4); *quod statutum exsecutioni mandatum est* (5). *Oblata etiam candelabra et anathemata, appensa ambabus tabulis pictis, in templo Colfanensi expositis* (6).

k *Reperio tantum in Summario* (7) *magistratum pergere ad Colfanense templum verno aut æstivo tempore* (nei mesi di primavera od estate), *quum votivam ceram defert. Aliæ interdum factæ fuerunt supplicationes, ut aut imbres nimii aut siccitas cessaret* (8). *Exhibita fuit in Processu licentia, quam die* 7 *maji anni* 1830 *Josephus Maurizi, vicarius generalis Camerinensis, populo Caldariolano concessit ut proxima die dominica institueret ad B.* Franciscum *supplicationem, qua necessariam pluviam obtineret* (9).

l *De institutione festi vide Commentarium Prævium, n.* 9.

m *Translationes duas memoravimus in Commentario Prævio, n.* 13. *Antiquior est* translatio corporis beati Francisci de suo ad aliud D altare anno 1741 facta Camerinensis archiepiscopi potestate; qui, quum ecclesia Colfani a patribus Minoribus restauranda erat, necessariam translationem, adhibitis sigillis, vicarius foraneus ex commissione delegata ut scrupulosissime exsequeretur expresse imperavit. *Ita causæ advocati* (10); *et recte. Instrumenta hujus translationis edita sunt in Summario super dubio de cultu immemorabili* (11). *In episcopi literis altare non vocatur* altare B. Francisci; *sed hæc dictio reperitur in commentario vicarii foranei de translatione facta. Sane promptum erat ut altare, super quod repositum erat B.* Francisci *corpus, vulgari hoc nomine appellaretur; atque hoc sensu interpretanda sunt quæ in lectione* VI, *sacræ rituum congregationi probata, leguntur :* Corpus super altare composuerunt, altare eidem dicarunt; *nuspiam enim dicitur, neque credibile est solemni ritu beato viro dicatum fuisse altare.*

n *Cordis fata vide in Commentario Prævio, nn.* 11 *et* 13.

o *Recte dictum* scriptores vel coævos vel posteriores; *nam unus coævus tantum reperitur de B.* Francisco *scripsisse, scilicet Marianus de Florentia; sed ignoratur utrum ei dederit* Beati *titulum. Fidei promotor proposuit sequens* Summarium objectionale, *quod frustra convellere tentarunt advocati causæ.* E

AUCTORES QUI SCRIPSERE.	ANNO.	VOCANT S. D.
Marcus Ulyssiponensis	1570	Fra Francesco.
Ludovicus Jacobilli	1656	Fra Francesco.
Franciscus Haroldi	1662	Franciscus.
Fortunatus Hueberus	1698	Franciscus.
P. Leonardo da Napoli	1680	Fra Francesco.
Franciscus Gonzaga	1587	Corpus B. Francisci.
Barthol. Cimarelli	1621	Beato Francisco.
Arturus (a Monast.)	1638	Beati Francisci.
Lucas Waddingus	1654	Beatus Franciscus. F
Bened. Mazzara	1722	Beato Francisco.
Octavius Turchi	1762	Beatus Franciscus.

Addere potuisset fidei promotor Civallium, quem produxit postulator causæ in Summario additionali et cujus meminimus n. 12 *Commentarii nostri Prævii.*

p *In Menologio ordinis* beatus *non vocatur servus Dei; sed studiose ab hoc titulo, quem ei in Martyrologio Franciscano solita liberalitate tribuit Arturus, abstinuit Menologii auctor Hueberus; sed hic hoc loco justo severior fuerit.*

q *Viginti novem testes Caldariolani, qui anno* 1833 *de cultu immemorabili deposuerunt, dixerunt quotidie pro veteri consuetudine in templo B. M. de Monte a sodalibus recitari in ejus honorem quinquies* Pater *et* Ave. *Alia cultus indicia me latent.*

(1) Annales Minorum, an. 1506, n. 10, t. XV, p. 321. — (2) Summarium super dubio, p. 13. — (3) Ibid., p. 29. — (4) Ibid., p. 22. — (5) Ibid , p. 28. — (6) Ibid., pag. cit. — (7) Ibid., pag. cit. — (8) Ibid., pag. cit. — (9) Ibid., p. 27. — (10) Informatio, p. 10. — (11) Pag. 14 et 15.

A D

DE SS. CAPUANO, FLORENTIO ET ALITHIO,

EPISCOPIS CADURCENSIBUS IN GALLIA,

R. D. B. ## COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Civitas, pagus et diœcesis Cadurcensis. S. Capuanus, episcopus Cadurcensis. Tempus ejus episcopatus deductum ex ævo quo vixit ejus discipulus S. Sacerdos episcopus Lemovicensis.

S. ÆCULO VI. VET. VI. *Civitatis Cadurcorum origo;*

Divona, Divona Cadurcorum, Civitas Cadurcorum, Cadurci *et demum* Cadurcum *succedanea ejusdem urbis nomina sunt, ita ut primum dicta sit* Divona, *dein* Divona Cadurcorum, *postea* Civitas Cadurcorum, *denique* Cadurci *et tandem* Cadurcum: *quemadmodum superius de Anderito* (1), *Anderito Gabalorum, Civitate Gabalorum, Gabalis et Gabalo multisque aliis Galliarum pagorum majorum* B *capitibus explicatum fuit. Divonæ nomen fontem, divis sacrum, significat, ut constat ex his Ausonii de fonte Burdigalensi versiculis* (2):

Salve, urbis genius, medico potabilis haustu,
DIVONA, Celtarum lingua FONS addite DIVIS!

Et quidem Duw, Deu, Doué, Dia *in linguis neocelticis adhuc Deum significat, sub forma* Div *occurrens in pluribus antiquis nominibus locorum Galliarum* (3). Ona, *quæ in nominibus fluviorum* Matronæ *et* Salmonæ, *civitatum* Veronæ, Salonæ, Cremonæ, Anconæ *et* Ortonæ, *dearumque* Eponæ, Nemetonæ, Damonæ *et* Sironæ *apparet* (4), *aquam aut fontem indicare debet, ut Ausonio sua fides stet* (5). *Quas initio proposui nominis formas, eæ quasi legitimæ sunt; sed aliæ deinde accesserunt, ita ut sæculo* IX *occurrat* Cadurx; *sæculo* XIII Caours, *litera* d *inter duas vocales pro more suppressa; unde postea* Caors, *ac tandem* Cahors (6): *quod vulgare nomen perseverat. Ut Romano imperio civitas erat seu parvæ reipublicæ urbs, sic Francis dominantibus majoris pagi caput esse perrexit. Quare a sæculo* V *et deinceps non raro agunt rerum gallicarum scriptores de ejus* territorio, C finibus, pago *et* terminis: *at et legimus* rus, orbem, urbem, partes, agrum, terram *et* provinciam Cadurcorum (7); *quibus omnibus nominibus fere pagus indicabatur* (8); *quin etiam sæculo* XIII *cæperunt uno verbo* Cahorsin, Kaoursin *dicere; atque,* a *in* e *transeunte ut in tot aliis verbis, sæculo* XIV Quercin; *unde tandem* Querci.

pagi extensio. 2 *Quantum vero patuerit pagus Cadurcensis minutatim perpendit Cl. V. Maximinus Deloche* (9); *ex antiquis probatisque documentis, summa collectis diligentia, demonstrans hoc pago comprehensam fuisse partitionem Loti* (Département du Lot), *cum fragmento partitionis Garumnæ et Tarni* (Département de Tarne et Garonne), *scilicet cum regione septentrionali* (canton nord) *minoris pagi Moisiacensis* (arrondissement de Moissac), *et præterea urbem Montisalbani cum adjacente ad septentrionem et orientem æstivum territorio. Quæ etiam diœceseos Cadurcensis circumscriptio fuit, usquedum Joannes papa XXII anno* 1317 *diœcesim Montisalbani erigens, eam ita ex diœcesi Tolosana decidit, ut ex pago Cadurcensi nonnisi urbem et suburbium Montisalbani adjecerit* (10). *Ferax hæc sanctorum tellus fuit; quam, ex quo tempore Acta Sanctorum continuanda curamus, pluries* E *jam mente visitavimus, ut Sanctos, qui ibidem floruerunt aut ossibus suis quietem nacti sunt, in opus nostrum introduceremus. Et quidem ad diem* 16 *octobris unus ex collegis meis illustravit S. Ambrosii, episcopi Cadurcensis, Acta; alter ad diem* 21 *S. Anatolii, ibidem olim similiter episcopi; itemque SS. Hilarionis et Agathonis abbatum, quorum ossa illic servari dicuntur. Nunc autem celebrandus est S.* Capuanus; *cui adjiciendi visi SS.* Florentius *et* Alithius, *qui non secus ac SS. Ambrosius, Anatolius et* Capuanus *olim rexerunt Cadurcensem diœcesim, locis vero suis immerito præteriti fuerunt.*

S. Capuanus *episcopus fuit Cadurcensis; de cujus ætate controvertitur.*

3 *Quin autem S.* Capuanus *inter Cadurcenses episcopos recensendus sit nemo unquam dubitavit; nam, ut omittam generalem illius ecclesiæ traditionem, testantur id Hugo Floriacensis, monachus Benedictinus, scriptor sæculi* XII *in Vita S. Sacerdotis, episcopi Lemovicensis* (11), *Bernardus Guidonis Ordinis FF. Prædicatorum, scriptor sæculi* XIV, *in Vita abbreviata ejusdem Sancti* (12): *dein* S. Capuani *nomen occurrit in indicibus episcoporum Cadurcensium, quos texuerunt Guilielmus de la Croix* (13), *Claudius Robertus* (14), *Fratres Sammarthani* (15) *multique alii: neque ea de re controversia esse potest. Quo vero tempore ac proin quis ei locus inter episcopos assignandus sit, minus convenit. Guilielmus de la Croix, cujus opus posthumum « Seriem et acta episcoporum Cadurcensium » edidit frater, primus hunc episcoporum Cadurcensium ordinem ex Democharis tabulis, aliisque instrumentis historicis proponit: S. Genulphus, Exsuperius,* S. Florentius, S. Alithius, S. Capuanus, *Boethius, Sustratius, Leucadius seu Maximus, S. Maurillo, S. Ursicinus, Eusebius, Rusticus, S. Desiderius et S. Ambrosius; ita tamen ut fateatur sedem vacasse post S. Desiderium; quem indicem Sammarthani, Maurini scriptores Galliæ Christianæ, simul ac Richard et Giraud* (16) F

(1) Vide supra, p. 634 et seqq. — (2) De Claris Urbibus, XIV, v. 31 et 32. — (3) Cfr Diefenbach, Origines Europeæ, p. 312. — (4) Ibid., pag. cit. et Pott, Die Personennamen, p. 435. — (5) D. Martin, La Religion des Gaulois, tom. I, p. 334. — (6) Deloche, Cartulaire de l'abbaye de Beaulieu, p. CLXXXIX. — (7) Ibid., p. CXCII. — (8) Guérard, Essai sur la division territoriale de la France, p. 47 et 48. — (9) Deloche, p. CXCIII. — (10) Gallia Christiana, tom. XIII, col. 203. — (11) Henschenius, Acta SS. Maii, tom. II, p. 14. — (12) Labbe, Bibliotheca Mss., tom. II, pag. 662. — (13) Series et Acta episcoporum Cadurcensium. Cadurci, in-4°, anno MDCVII. — (14) Gallia Christiana I, p. 284. — (15) Gallia Christiana II, t. II, p. 468. — (16) Bibliothèque sacrée, tom. 28, p. 199. Edit. Paris, 1827.

atque

A *atque alii admittunt, nisi quod S.* Capuanum *inter S. Desiderium et S. Ambrosium ponunt. Neque recens est controversia de tempore et ordine, quo S.* Capuanus *Cadurcensium rexerit ecclesiam; quum ea de re jam disseruerint Baluzius, Alteserra* (1), *Le Cointe* (2), *Henschenius* (3) *noster, Mabillonius* (4) *et alii.*

Ex vita S. Sacerdotis,

4 *Verum cum documentum, maxime antiquum, ad tantas dirimendas lites, sit excerptum quoddam ex Vita S. Sacerdotis, Lemovicensium episcopi, quum proinde necesse sit illud continuo præ oculis habere, videtur id primo sistendum esse. En verba biographi :* Traditus est Sacerdos, puer venerabilis, S. Capuano, Caturcensi episcopo, ut eum litteris et disciplina christiana institueret : qui Capuanus in illis diebus erat præcellentissimus inter religiosos Aquitaniæ præsules. Hoc vero contigerat omnipotentis Dei dispensatione, quatenus puer sanctissimus a catholico perfectoque sanctitatis magistro purissima fluenta doctrinæ biberet, unde demum mentes fidelium, doctor factus egregius, irrigaret : et ne aliquando ab hæretica pravitate circumventus,
B quorum in illa regione ea tempestate maxima copia inerat, a recto fidei tramite deviaret. Sic igitur jam nominis dignitate, parentum nobilitate, dono regio, sanctique præsulis magisterio dilectus Domino Sacerdos decorabatur in infantia; quatenus ex hoc mortalibus claresceret, quanta reverentia excolendus existeret, quem tot et tantis muneribus divina largitas præveniendo sublimaret.

qui S. Capuani *discipulus fuit,*

5 Sanctus denique Sacerdos, transactis annis puerilibus, dum doctrinis salutaribus insisteret, et pubescentes annos maturitate vitæ transscenderet; cœpit cunctos coætaneos suos virtutum laudibus præcellere. Unde venerabili Capuano, sub cujus degebat magisterio, admodum carus erat, et ei semper assistebat; et ea, quæ ab ejus ore sitiens hauriebat, in sui cordis armariolo recondebat. Astutiam ejus simplicitas commendabat, et urbanum eloquium modestia temperabat : nec corporis gloriabatur decore, neque extollebatur mundiali favore. Verumtamen cum jam metas juventutis attingeret, in ipsa ferventi ætate cœpit mox castitatis amator existere, mundi-
C que delectamenta spernere. Nam quotiescumque tentator ad eum veniens tentationis aditum quærebat, clausum semper adversum se ejus pectoris ostium inveniebat. Quid multa? cum jam intrinsecus vas sincerum sancti Spiritus existeret, et in ara mentis holocaustum piæ devotionis quotidie Deo sacrificaret; memoratus Capuanus episcopus per angelicam admonitionem ordinavit eum levitam.

et qui vixit sub Ecdicio, duce Aquitaniæ,

6 *Ex quibus liquet S.* Capuani *ætatem ex temporibus, quibus vixerit S. Sacerdos, definiendam esse. Verum cum hæc tenebris obvoluta sint, eruditi alii aliam inierunt viam. Sententia enim Henschenii* (5), *cui omnino adhæreo, S. Sacerdotis episcopatus ad priorem sæculi* VI *partem referendus est : quod eruitur ex scriptoribus magis antiquis, qui acta S. Sacerdotis poste-*

AUCTORE R. D. B.

ris tradiderunt. Ita Hugo Floriacensis, vir eximius, qui anno circiter 1107 *juxta Rivetum* (6), *vel* 1130 *juxta Henschenium* (7) *floruit, occasione Ecdicii, filii Aviti imperatoris, hæc de illis actis a se diligenter collectis scribit :* Ecdicius, Aviti quondam imperatoris filius, in libro vitæ cujusdam sancti confessoris, nomine et officio Sacerdotis, Lemovicinæ civitatis, corrupto nomine (sicut opinor) nominatur Altitius, et hic illum creditur a baptismatis lavacro suscepisse. Cujus pretiosissimi confessoris vitæ seriem, partim in occulto sermone compositam (*lingua scilicet vulgari*), partim vero scriptorum indicio depravatam conspiciens, nuper corrigere statui, et tempore quo floruit, post multorum annorum curricula moderno tempore designavi. Et de ipsius quidem sancti virtutibus in eadem serie apertissimo sermone expressi : de hoc autem Altitio illud plane diffinire nolui, quod evidenti testimonio probare non possum : melius esse credens, quod me latet, seu de quibus ambigo, Deo totum relinquere, quam dubia pro certis proterve defendere. Hoc tamen antiquus ille liber, qui præfati confessoris actus continet, mihi E videtur innuere, quod circa hoc tempus, de quo nunc loquimur, memoratus Sacerdos esse potuit infantulus (8).

sub Justiniano et Clodoveo,

7 *Idem Hugo Floriacensis in Vita S. Sacerdotis refert hunc sanctum in Aquitania natum esse dum* regnabat eodem tempore in Aquitania provincia rex christianismus, Anticius nomine (9); *dein inferius :* Floruit autem S. Sacerdos, reverendus episcopus, Augustorum Anastasii et Justini Senioris Justinianique temporibus, sibi ab invicem succedentibus : Chlodovæo filio Childerici Francorum et Aquitanorum tenente monarchiam. Hunc Chlodovæum S. Remigius baptizavit. Hoc etiam tempore eximius monachorum legifer Benedictus, et B. Amandus et S. Vedastus episcopi, et alii plures viri sanctissimi floruerunt (10) : *quam narrationem et suam fecit Bernardus Guidonis, abbreviator Hugonis Floriacensis, ajens in Vita S. Sacerdotis :* Defuncto Lemovicensi episcopo beatæ memoriæ Aggerico, vir Dei Sacerdos electione cleri et favore populi in cathedra ejusdem ecclesiæ episcopus sublimatur, regnante Clodoveo rege, quem Beatus F Remigius baptizavit; *atque etiam texens catalogum episcoporum Lemovicensium :* Sanctus Sacerdos, *inquit,* natione Burdigalensis, qui veneratur et quiescit apud Sarlatum Petragoricæ diœcesis, qui etiam florebat circa annum domini 517 (11).

et proinde sæculis V *et* VI,

8 *Jam quæ modo ex Hugone Floriacensi et Bernardo Guidonis transcripsimus, his paucis accipe : S. Sacerdos Burdigalensis natus est, dum Ecdicius tamquam rex (quæ appellatio medio ævo dabatur ducibus* (12)) *Aquitaniæ præerat; atque puer educandus traditus fuit S.* Capuano, *antistiti Cadurcensi, hæreseos acerrimo hosti, qui eum dignitate levitæ* (13) *seu diaconi decoravit. Floruit insuper S. Sacerdos eodem tempore quo sancti Benedictus, Vedastus et Amandus,*

(1) Alteserra, Opera Omnia, tom. IV, vol. II, lib. VI, cap. II. Edit. Neapolitana, 1777. — (2) Annales Ecclesiastici Francorum, tom. III, ad annum 682. — (3) Henschenius, Acta SS., tom. II Maii, p. 13. — (4) Annales Benedictini, tom. I ad annum 700. — (5) Acta SS., tom. II Maii, p. 13. — (6) Histoire littéraire de la France, tom. X, p. 285. — (7) Acta SS., l. c. — (8) Ibid., p. 12. — (9) Ibid., p. 14. — (10) Ibid., p. 17. — (11) Labbe, Bibliotheca Mss., tom. II, p. 267. — (12) Ducange, Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis. Edit. Paris, 1733. V° *rex*. — (13) Ducange, op. c. V° *levitæ*.

Anastasio,

AUCTORE R. D. B.

Anastasio scilicet, Justino et Justiniano imperatoribus, atque Clodoveo I rege Francorum. Quæ narratio omnibus veritatis characteribus splendet, utpote sibimetipsi per totum constans et cum nullis rebus quæ historice certæ sint pugnans. Regnavit enim Anastasius ab anno 491 *ad* 518, *Justinus ab anno* 518 *ad* 527, *Justinianus ab anno* 527 *ad* 565, *Clodoveus ab anno* 481 *ad annum vel* 509 *vel* 511 (1); *dein Ecdicius, qui idem est ac Actisius vel Altitius, saltem ab anno* 473 *ad* 475 *gubernavit Aquitaniam, uti Maurini ex Sidonio Apollinari et Jornande deducunt* (2). *Adde quod S. Benedictus natus circa annum* 480 *mortuus est anno* 543, *eique coævi fuere SS. Vedastus et Amandus : quorum prior, creatus episcopus circa annum* 500, *obiit circa annum* 540; *et posterior, ortus circa annum* 494, *vita functus est circa annum* 584 : *neque prætereundum est Visigothos, quibus non raro, ut probat Franciscus Chifflet, cui adhæret Henschenius* (3), *nomen Vandalorum dabatur, Ariana labe infectos ab anno* 475 *ad annum* 507 *occupasse hanc Aquitaniæ partem* (4), *nihilque intentatum reliquisse ut sua impia dogmata*
B *inter Gallo-Romanos spargerent* (5); *atque ita intelligi quomodo S.* Capuanus *multos hæreticos ecclesiæ catholicæ reconciliaverit; sanctamque Mundanam a Vandalis ad sepulcrum filii sui S. Sacerdotis fuisse trucidatam. Quæ quidem omnia inter se prorsus concordant, modo admittatur S. Sacerdotem vitam protraxisse circiter ab anno* 474 *ad annum* 530. *Et quidem eo libentius huic sententiæ, quam, innixus Hugoni Floriacensi, noster Henschenius propugnavit, calculum meum adjicio, quod Hugo, inter doctos et eruditos sui ævi non ultimus* (6), *quemadmodum testantur Maurini scriptores Historiæ litterariæ Galliæ, ita veritati historicæ studuerit, ut agens de facto propemodum indubio, scripserit* plane definiri nolui, quod evidenti testimonio non possum : melius esse credens quod me latet, seu de quibus ambigo, Deo totum relinquere, quam dubia pro certis proterve defendere.

Alteserræ aorumque ntentia

9 *Quæ hucusque disputavimus, sufficienter evincunt quam modica fides adhibenda sit sententiæ Alteserræ, Mabillonii et Baluzii, quibuscum consentiunt Labbe, Lecointe, Fratres Sammarthani, atque auctores Maurini novæ Galliæ Christianæ : hi omnes autumant sanctum Sacerdotem circa annum* 700 *ecclesiam Lemovicensem rexisse; atque ad hanc ineundam viam eos præsertim movit auctoritas Bernardi Guidonis, qui* fuit, *ut ait ejus biographus coævus,* vir magni consilii, magnæ experientiæ, expertæ prudentiæ (7). *Is indicem episcoporum Lemovicensium hunc in modum recenset : S. Martialis, B. Aurelianus, Evolius, Atricius, Emericus, Hermogenianus, Adelphicius I, Dativus, Adelphicius II, Exsuperius, Astidius, Rusticus, Rusticus II, Exochius, Ferreolus, Asclepiades, S. Asclepius, Simplicius, Felicius, Adelphicius III, Lupus, Hertenobertus, Cæsarius, Roricus, Rusticus III, Ermenardus, Salutaris, Agericus, S. Sacerdos;* D *cujus nomini addit Bernardus Guidonis, hæc jam recitata verba :* Natione Burdigalensis, qui veneratur et quiescit apud Sarlatum Petragoricæ diœcesis, qui etiam florebat circa annum Domini 517. Huic successit beatus Cessator (8).

10 *Quam recensionem præ oculis habens Alteserra ait :* Hunc (*Sacerdotem*) tamen in remotiora rejiciendum non leves conjecturæ adsunt : ex Guidone enim, Sacerdos successit Aggerio, Aggerius Salutari, Salutaris Ermenoni, Ermeno Exmennario, Exmennarius Ruricio Juniori, quem interfuisse Concilio Arvernensi anno DXLI, et Aurelianensi IV anno DXLV patet ex subscriptionibus horum conciliorum (9). *Item Mabillonius :* Superius actum de Ermeno episcopo, qui sanctum Tillonem Solemniacensem monachum (*obiit circa annum* 702 (10)) sepulturæ mandavit. Ejus successores memorantur Salutaris, Agericus, ac tertio loco Sacerdos (11). *Verum quicumque ad trutinam catalogum Bernardi Guidonis vocaverit, non poterit non in eo plures nævos deprehendere : ita Maurini* (12) *et Sammarthani* (13) E *geminos Rusticos non recensent, atque ordinem Bernardi Guidonis in multis susdeque vertunt; neque, uti legitur apud Henschenium* (14), *et in Manuscriptis presbyteri de Fouillac* (15) *de Pago Cadurcensi, defuit qui Agericum a Rurico Seniore distinguendum neget, quia sicut a* rure *latinis dicebatur* rusticus *aut* ruricus, *ita a Petragoricis in sua vulgari lingua, quæ istis vocibus carebat, appellari debuit* agre *vel* agry *atque inde Agericus : dein Bernardus Guidonis, sibimetipsi repugnans, hinc S. Sacerdotem florentem circa annum* 517, *et inde pæne coævum exhibet S. Cessatori, qui Caroli Martelli tempore ecclesiæ Lemovicensis habenas tenebat. Quapropter, cum Bernardi Guidonis series, quod spectat ad episcopos primorum sæculorum a vero deflectat, ruunt argumenta, quæ inde Mabillonius, Alteserra aliique desumpserunt; adeoque hæc series in his tantum admittenda est, in quibus cum monumentis sinceris concordat : verbi gratia S. Sacerdotem floruisse anno* 517, *vel imperatoribus Anastasio, Justino, Justiniano atque Clodoveo I rege.* *rejecta*,)

F *colligitur S.* Capuanum *ad finem sæculi* V *vixisse.*

11 *Ast cum ex dictis satis probatum sit S. Sacerdotem, antistitem Lemovicensium, circa annum* 474 *esse natum, affirmare licet S.* Capuanum, *qui dum esset episcopus S. Sacerdotem puerum efformavit ad virtutem, ecclesiæ Cadurcensis circa annum* 480 *exstitisse moderatorem; dein, cum ex Actis S. Sacerdotis intelligamus S.* Capuanum per angelicam admonitionem ordinasse eum levitam *seu diaconum, atque apertum sit sæculo* V *usum vel etiam in nonnullis locis legem ecclesiasticam exstitisse* ut ante viginti quinque annos ætatis nec diaconi ordinarentur, nec virgines consecrarentur (16), (*ita ut doctissimus Binterim* (17), *re bene examinata, non nisi pauca exempla diaconorum qui*

(1) Art de vérifier les dates, t. II, p. 480 et 532; Acta SS., t. II Maii, p. 17. — (2) Don Vaissette, t. I, p. 223 et 247. — (5) Cfr Acta SS., t. IX Octobris, p. 313. — (6) Histoire littéraire de la France, t. X, p. 285. — (7) Scriptores Ordinis Prædicatorum, auctoribus Quetif et Echart, t. I, p. 578. — (8) Labbe, Bibliotheca Manuscriptorum, t. II, p. 267. — (9) Alteserræ Opera Omnia, t. IV, vol. II, lib. VI, cap. II. — (10) Mabillon, Acta SS. Ord. S. Ben. t. II, p. 994. Bollandus, Acta SS., t. I Januar., p. 376. Ghesquière, Acta SS. Belgii, t. V, p. 393. — (11) Mabillon, Annales Benedictini, t. I ad annum 700. — (12) Gallia Christiana nova, tom. II, col. 1167. — (13) Gallia Christiana, t. II, p. 630 et 631. — (14) Acta SS., t. II Maii, p. 13. — (15) Manuscripta servata Cadurci a sæculo XVII extremo. — (16) Concilium Carthagin. III, cap. IV, Labbe, Conc., tom. II, col. 1167. — (17) Denkwürdigkeiten der Christ Katolischen Kirche, tom. I, part. I, p. 351.

ad

A *ad hunc ordinem ante ætatem a synodo Carthaginensi præscriptam fuerint assumpti ex octo prioribus ecclesiæ sæculis delegere potuerit); fluit inde S.* Capuanum *suum episcopatum saltem usque ad annum circiter* 500 *protraxisse.*

§ II. Chronotaxis antecessorum S. Capuani in episcopatu. Sylloge de SS. Florentio et Alithio.

Primus Cadurcentium episcopus S. Genulphus. Ei successit Exuperius;

Jam quærendum est quosnam in sede Cadurcensi S. Capuanus *antecessores habuerit; et quidem de SS.* Florentio *et* Alithio, *quia eorum gesta fuere omissa, nonnihil fusius disseretur. S. Genulphum itaque primum fuisse Cadurcensium episcopum, istuc medio sæculo* III *a S. Sixto missum, ferunt plura martyrologia vel breviaria antiqua et recentiora; ejus Acta ad diem* 17 *januarii, quo ejus festum agitur, commentario ornavit Bollandus* (1). *Defunctus Genulphus successorem in episcopatu Cadurcensi, qui*
B *nobis notus sit, non nisi post multos annos nactus est. Quod si Dionysius Sammarthanus* (2) *præ manibus habuit quasdam schedulas, in quibus affirmabatur episcopum nomine Gausbertum ecclesiam Cadurcensem anno circiter* 301 *rexisse, atque id quoque in veteribus inscriptionibus arcuatæ structuræ olim fuisse lectum, hæ, inquam, schedulæ minime attendendæ esse videntur, cum nomen Gausberti, utpote teutonicum, a Gallo-Romanis non usurparetur, neque verisimile sit Cadurcum ineunte sæculo* IV *advenisse ex gente barbara episcopum. Multo itaque verisimilius est in tempore episcopatus Gausberti assignando fuisse erratum, cum colligamus ex Chartulario Cadurcensi quemdam Gausbertum inter Cadurcenses sæculi* X *episcopos esse recensendum* (3). *Proximus post S. Genulphum occurrit inter Cadurcenses episcopos Exsuperius; cujus laudes prosecutus est Ausonius in* Commemoratione professorum Burdigalensium (4). *Hinc intelligimus eum priori sæculi* IV *parte floruisse; unde et patet eum diversum esse ab Exsuperio Tolosano, qui ineunte sæculo* V
C *clarus exstitit* (5).

tertius S. Florentius;

13 *Tertius in catalogis de la Croix aliorumque rite occurrit S.* Florentius, *notus potissime ex epistola, quam S. Paulinus Nolanus ad eum dedit, inscriptam :* Beatissimo ac merito venerabili Patri Paulinus (6). *Qui* Florentius, *ait Rosweydus,* fuit Cadurcensis episcopus, ut colligitur ex omnibus titulis codicum mss. et editorum ad hanc epistolam : Ms. Reg. INCIPIT AD FLORENTIUM EPISCOPUM DE CIVITATE CADURCENSIUM. Ms. Vien. ad FLORENTIUM EPISCOPUM CADURCENSEM. Ed. Bad. ut ms. Reg., sed addit EPISTOLA. Grav. item DIVI PAULINI... EPISTOLA, sicut et Schot. SANCTI, etc. In omnibus legitur DE CIVITATE CADURCENSIUM; sed in edit. Grin. PATRI FLORENTIO CADURCENSIUM EPISCOPO (7). *Scripta autem fuit, ut ex* Patris *appellatione* (8) *appa-*
D *ret, quum nondum episcopus esset Paulinus* (9); *qua dignitate nonnisi anno* 409 *auctus est* (10) : *quin et probabilia adsunt indicia, quibus hæc epistola ad annum circiter* 405 *referatur. Prior ad eum dederat* Florentius, *quamvis ad id tempus ignotus, literas officii et humanitatis plenas, perinde ac si antiqua inter eos præcessisset necessitudo et familiaritas. Perquam liberaliter respondit Paulinus :* Lætamur, *inquit,* in Domino visitatos nos literis sanctitatis tuæ et provocatos, ut qui neque notitiæ tuæ prius gratiam gesseramus, nunc repentino Dei munere plenam tuæ tamquam veteris amicitiæ fiduciam sumeremus. *Deprædicat dein hanc novam amicitiam, maxime quod divina pietas,* ignorantibus, *ut loquitur,* in carne faciem tuam, hanc potius, qua pulcrius in Christo formatus es, speciem tuæ mentis ostendit. « Sermo enim, inquit, viri indicat de illo, et ex abundantia cordis os loquitur; » sermo itaque tuus nobis apostolico sale conditus expressit saporem gratiæ, quæ tibi data est et de stillicidiis labiorum tuorum gustavimus quam suavis sit in te Dominus; *et pergit in eo laudare* E *virtutes, quæ episcopum deceant* (11). *Sunt qui S.* Florentium *existiment* (12) *interfuisse Concilio Valentino anni* 374; *sed eum pro Florentio Viennensi acceperunt, uti videre est ex actis illius concilii, editis a Sirmundo* (13), *Labbeo* (14) *et Maurinis* (15). *S.* Florentii *festum fiebat die 4 julii, et quidem ritu simplici, ut constat mihi ex Breviario Cadurcensi anni* 1742 : *sed ab anno* 1845, *uti colligo ex ordine ecclesiastico hujus anni et ex Proprio Sanctorum diœceseos anni* 1853, *Ill. Dom. Joannes Bardou illud in perpetuum ritu duplici celebrari præcepit.*

quartus S. Alithius;

14 *Quartum episcopum exhibent ecclesiæ Cadurcensis diptycha S.* Alithium : *de quo, non secus ac de S. Venerando, Arvernensi episcopo, dicere poterat S. Gregorius Turonensis* (16) : Qualis autem fuerit hic Pontifex testatur Paulinus dicens : « Si enim hos videas dignos Domino sacerdotes, vel Exuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdigalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecolismæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrocoriis, utcumque
F habent sæculi mala, videbis profecto dignissimos totius sanctitatis, ac fidei, religionisque custodes. » Alithium *primo matrimonio fuisse junctum cum Ruffina, filia S. Paulæ et sorore S. Eustochii, arbitrati fuerunt nonnulli* (17); *id perperam deducentes ex epistola S. Hieronymi ad Pammachium, quam errore ad* Alithium *scriptam fuisse autumabant. Sed melius ad eum referuntur Alithii, presbyteri Aquitanici, laudes, quæ leguntur apud S. Hieronymum, et epistola, quam* beato et merito venerabili ac dilectissimo fratri Alethio Paulinus *inscripsit. Scilicet, ut ab hac posteriori incipiam, Victor quidam, olim miles et S. Martini Turonensis discipulus, in solitudine B. Sulpitii Severi comes,*

(1) Acta SS., tom. II Januarii, p. 81. — (2) Gallia Christiana, tom. I, col. 118. — (3) Ibid.. col. 125 et in Instrum. u. III, p. 29. — (4) Patrologia, Migne, tom. XIX, Opera Ausonii, col. 858. — (5) Acta SS., tom. VII Sept., p. 629. — (6) Patrologia Migne, tom. LXI, Opera S. Paulini, col. 893. — (7) Ibid., col. 895. — (8) Buse, Paulin, Bischoff von Nola, tom. II, p. 331 et seqq. Opera S. Paulini, col. 895. — (9) Cfr ibid., col. 379, not. *c*. — (10) Cfr ibid., col. 112. — (11) Opera S. Paulini, col. 380. — (12) De la Croix, op. cit. — (13) Sirmundus, Concilia antiqua Gallia, tom. I, p. 19. — (14) Labbeus, Sacrosancta Concilia, tom. I, p. 904. — (15) Maurini, Conciliorum Galliæ tam editorum quam ineditorum collectio, tom. I, col. 229 etc. — (16) Patrologia Migne, tom. LXX, Hist. Francorum, lib. II, cap. 13, col. 210. — (17) De la Croix, Series et Acta episcoporum Cadurcensium.

dein

AUCTORE R. D. B.

dein S. Paulini coquus et amicus, atque etiam impiger annuis discursibus tabellarius, peragrarat Gallias et in Alithium presbyterum, S. Florentii, *episcopi Cadurcensis, fratrem inciderat. Qui, motus S. Paulini fama, atque accipiendæ de ejus manu epistolæ (æque ac suus frater et tot alii summi viri) cupidus, literas dedit Victori, ad Nolanum presbyterum deferendas. Ad quas pro humanitate sua in hæc verba respondit* (1) : « Deo gratias, qui odorem gratiæ in te suæ per eloquia litterarum tuarum manifestavit mihi. Per fratrem enim carissimum in Deo Victorem meum, hoc munere militantem Deo, ut fraternæ serviat caritati, seque nobis per longinqua terrarum intervalla discretis impigrum annuis discursibus tabellarium præbeat, et religiosissimis officiis mutuo visitantium corporalem laborem spiritali impendat affectu : per hunc ergo fratrem et conservum in Domino, qui communis et unanimus ; nam et vobis ea se, qua nobis insitus est, acceptissimum gratia gloriatur, per hunc, inquam, mihi sancte venerabilis frater, tam dulce quam insperatum mihi munus accepi,
B epistolam tuam ; in qua nobis bonus cordis tui thesaurus apparuit, ut merito percepta officii tui benedictione gauderem, cum faciem interioris tui castissimo speculatus eloquio, quantum in te mihi a Domino adjutorium conferat, agnoscerem.

quem laudasse S. Paulinus Nolanus et S. Hierodymus

15 *Scriptiunculam etiam quamdam a S. Paulino de divinis rebus postularat* Alithius ; *cui petitioni ut satisfaceret, inopiam suam excusans, misit sanctus vir egregium suum de* Gazophylocio (2) *seu de cura pauperum sermonem. Hoc literarium commercium ad annum* 403 *referri solet ; sed ea inter epistolam, datam ad Alithium, et illam alteram, inscriptam Florentio, intercedit cogitationum atque etiam verborum similitudo, ut eodem tempore missæ fuisse dicendæ sint. Audi jam beatissimum Hieronymum ex Bethleem ad Algasiam, præclaram Aquitaniæ feminam, sub annum* 406 *de Alithio presbytero scribentem* (3). Satis miratus sum, *inquit,* cur, purissimo fonte vicino relicto, nostri tam procul rivuli fluenta quæsieris. Habes istic sanctum virum Alethium presbyterum,
C qui viva, ut aiunt, voce et prudenti disertoque sermone possit solvere quæ requiris. Nostram igitur amaritudinem illius nectareo melle curato, senilemque pituitam juvenili ætate compesce. *Jam vero et S. Paulinum et S. Hieronymum eum Alithium laudare presbyterum, qui deinde episcopus Cadurcensis fuerit, communis est eruditorum sententia* (4).

probantur.

16 *Atque hæc valde probabilis est. Rosweydus quidem, quoniam non aliud noverat argumentum, quo suaderetur* Alithium *Cadurcensem fuisse episcopum, quam quod in editione prima S. Paulini operum epistola* XXXIII *inscripta legitur ad* Alithium episcopum, fratrem suprascripti, *scilicet Florentii, dubius animi fuit, quoniam ille preli partus neque correctus satis est, neque castigatus. Sed, omissa hac editione, in codicibus manuscriptis, Cluniacensi scilicet, regio et Viennensi, reperit Le Brun* (5) *eum-*
D *dem* Alithium *dictum fratrem* Florentii, *Cadurcensis episcopi. Sane in his* episcopus *non appellatur ; neque enim tunc temporis erat insignitus hac dignitate ; quum inscripta sit epistola* beato et merito venerabili ac dilectissimo fratri Alethio, *fratri, id est, presbytero Alethio a presbytero Paulino. Quæ manifeste conveniunt cum S. Hieronymi epistola ad Algasiam ; neque minus cum S. Gregorii Turonensis testimonio, quum non nisi post S.* Florentium *Cadurcensem cathedram occupare potuerit S.* Alithius. *Hæc itaque omnia simul consideranda sunt : scilicet post S.* Florentium *in Cadurcensi episcopali throno sedisse S.* Alithium, *ut constat ex catalogis ; S.* Florentio, *episcopo Cadurcensi, fratrem fuisse presbyterum nomine* Alithium, *multumque venerabilem virum ; eodem tempore S. Hieronymo in Aquitania notum fuisse* Alithium *presbyterum, a doctrina plurimum commendabilem ; deinde nobilitate et divitiis præfulsisse* Alithium, *episcopum Cadurcensem, (ex hoc enim fere ordine assumebantur tum in Galliis episcopi), item* Alithium *Paulinianum, (nobi-*
E *les nempe et divites christiani passim ambiebant ejus literas), et similiter* Alithium *Hieronymianum, quum Algasiam, præclarissimam feminam, ad virum ignobilem remissurus non esset ; et demum* Alithii *nomen, utpote græcæ originis, non vulgare fuisse in Galliis, maxime inter nobiliores. Quæ plane sufficere videntur ut unus* Alithius *fuisse videatur, isque sanctus episcopus Cadurcensis. S.* Alithii *officium ecclesiasticum ritu simplici referunt ad diem* 8 *julii Breviaria Cadurcense, Albiense et Mimatense, ad normam Parisiensis Breviarii sæculo* XVIII *redacta ; sed anno* 1845, *et dein* 1853 *episcopus Cadurcensis, modo laudatus, illud, concedente Romano Pontifice, ritus duplicis esse jussit* (6).

§ III. Antiquitas cultus S. Capuani. Festum S. Capuani in diœcesibus Cadurcensi, Albiensi, Mimatensi.

S. Capuani sanctitatis memoria

N*omen S.* Capuani *neque in Martyrologio Romano, neque in ullo Martyrologio Gallicano legitur : et si excipias indicem a Ven. V. Migne editum* (7), *frustra illud in catalogis sanctorum Galliæ quæres. Attamen a remotissimis temporibus famam sanctimoniæ sortitus est, ita ut Hugo Floriacensis, in S. Sacerdotis Vita, quam sæculo* XI *juxta aliam valde antiquam scripsit, et Henschenius noster* (8) *juris publici fecit, eum non tantum* præcellentissimum inter religiosos *istius temporis* Aquitaniæ præsules, *sed etiam* præsulem sanctum *nuncupavit. Quid quod illic aperte* sanctus Capuanus *dicitur, sanctimoniæ laude, non moribus, sed personæ inhærente? Et quidem cum eadem appellatione in Vita abbreviata, quam a Bernardo Guidonis concinnatam fuisse docuimus et quam post Stephanum Baluzium edidit Philippus Labbe* (9), *occurrit. Dein Guilielmus de la Croix in opere de episco-*
F

(1) S. Paulini opera, tom. LXI, col. 343. — (2) Ibid. col. 344. — (3) Patrologia Migne, t. XXII, Opera S. Hieronymi, epist. CXXI, al. CLI, col. 1007 ; cfr ibid., col. LXXXII. — (4) Cfr Tillemont, Mémoires ecclésiast., t. XIV, p. 112 ; Lebrun des Marettes, Opp. S. Paulini, Vita, cap. XLV, col. 103 et 104 ; D. Gervaise, Vie de S. Paulin, p. 232 ; Buse, Paulin, Bischoff von Nola, t. II, p. 137. — (5) Patrologia Migne, t. LXI ; Opp. S. Paulini, diss. III, n. 2, col. 760. — (6) Proprium Cadurcense, Pars Æstiva. — (7) Dictionnaire Hagiographique t. II, col. 1382. — (8) Acta SS., t. II Maii, p. 14. — (9) Bibliotheca Mss., t. II, p. 662.

pis

AUCTORE R. D. B.

A *pis Cadurcensibus, impresso anno* 1617, *ejusque abbreviator Joannes Vidal in Epitome historiæ episcoporum, baronum et comitum Cadurcensium* (1), *anno* 1664 *edito, itemque Saussayus* (2) *in Vita S. Sacerdotis anno* 1637, Capuano *cognomen* sancti *tribuunt : quorum vestigiis institit presbyter de Fouillac in memorialibus suis de pago Cadurcensi, quæ et hodiedum religiose servantur Cadurci : consonant Breviarium Petrocoricense* (3) *anni* 1640 *et Proprium sanctorum diœceseos Sarlatensis, mandato Francisci de Salignac de la Mothe Fénelon, antistitis hujus ecclesiæ, anno* 1677 *promulgatum, in lectione* IV *ad festum S. Sacerdotis.*

ab antiquissimo tempore servata;

18 *Quamvis autem appellatio* sancti Capuani *non esset ubique recepta, (nam enumerantes seriem episcoporum Cadurcensium Claudius Robertus* (4), *Fratres Sammarthani* (5), *Dionysius Sammarthanus* (6) *eum nulla peculiari laudatione ab aliis ejusdem ecclesiæ præsulibus discernunt,) in nonnullis tamen Galliæ meridionalis diœcesibus ab immemoriali tempore famam sanctimoniæ consecutus erat. Hinc Breviarii*
B *Lemovicensis, quod Raymundus de la Martonie, hujus sedis episcopus, diligentissimis adhibitis curis, anno* 1626 *edidit* (7), *lectio* IV *in honorem S. Sacerdotis, die* 5 *maii, hisce verbis incipit :* Sacerdos Calabri, in finibus Cadurcorum et Petrocoriensium, claris ortus parentibus a Capuano, notæ sanctitatis episcopo Caturcensi, litteris et christianis moribus informatus, ab eodem diaconus ordinatus est. *Quibus omnibus perpensis, nemo non affirmabit* Capuano *elogium* sancti *fuisse datum, ita ut non ceciderit tantum super ejus mores, sed etiam super ejus personam, ac proin mirum non esse si saltem sæculo decimo octavo, (nam recentius monumentum quod id ostendat non novimus,) presbyteri Cadurcensis diœceseos ad ejus memoriam in horis canonicis et in liturgia celebrandam die* 24 *octobris ritu duplici minore, mandante Henrico de Briqueville de la Luzerne, episcopo Cadurcensi, anno* 1734 *fuerint adstricti. Verum brevi tempore post, anno scilicet* 1742, *Bertrandus de Guesclin, Henrici successor, romanæ liturgiæ Cadurcensem, et in festo S.* Capuani *ritui du-*
C *plici simplicem subrogans, orationem de communi et lectionem, ex ejus Vita desumptam, per totam diœcesim recitari præcepit : quæ cum inter multorum sit manus atque nihil novi contineat, hic describenda non videtur.*

ejus festum Albiæ, Mimate et Cadurcis;

19 *Neque hunc in modum mutatum officium S.* Capuani *mansit intra limites Cadurcenses : illud Leopoldus de Choiseul de Stainville, archiepiscopus Albiensis* (8), *et ejus suffraganeus, Gabriel de Choiseul-Beaupré, episcopus Mimatensis* (9), *quando a suis ecclesiis, anno* 1763 *liturgiam romanam, ut ei novam Parisiensi non dissimilem sufficerent, exsulare jussissent, in Breviariis suarum diœcesium inseruerunt; unde, nisi forsan a paucis annis, expunctum non fuit. Ast non eadem ratione res sese habuit apud Cadurcenses; ubi Ill. Dominus Joannes Jacobus David Bardou episcopus, quo omnes monitum Apostoli:* Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem : (ad Hebr. XII, 1, 7); *continuo mente versarent, festum S.* Capuani *aliorumque SS. episcoporum Cadurcensium a ritu simplici ad duplicem minorem anno* 1845 *evexit et anno* 1853 *kalendarium perpetuum juxta ritum romanum, sede Apostolica approbante, apud suos restituens, festum S.* Capuani *a die* 24 *ad diem* 25 *octobris transtulit, et omnia de communi confessorum pontificum fieri jussit, præter lectiones secundi nocturni, fere ex opere Guilielmi de la Croix desumptas, cum sequenti oratione:* Deus, qui ad profligandas ex finibus nostris hæresis arianæ reliquias, beatum Capuanum pontificem suscitasti : præsta, ut ejus meritis et precibus a cunctis muniamur erro- E
ribus, et Filii tui Domini nostri Jesu Christi, pro cujus divinitate pugnavit, gratiam consequamur. Qui tecum. *Aliæ erant oratio et lectio in honorem* S. Capuani, *quando clerus Cadurcensis sæculo præterito liturgiæ romanæ adhærebat : earum exemplar, quod mecum ven. vir Poulin, professor in Seminario majori Cadurcensi, simul ac plura alia ad cultum S.* Capuani *spectantia, amicissime communicavit, hic subjicitur : cum lectio sit magis antiqua, et breviter vitam S.* Capuani, *in quantum noscitur, referat.*

Oratio et Lectio antiquior de S. Capuano.

20 ORATIO. Tribue nobis quæsumus, Domine, misericordiam tuam intercedente beato Capuano confessore tuo atque pontifice, et quæcumque præcipis ut agamus, ipse adjuva, ut implere possimus. Per Dominum. LECTIO IV. Capuanus Cadurcensis episcopus, præsules totius Aquitaniæ suo tempore virtutibus et sanctitate summopere præcellebat : huic Sacerdos adhuc infans (qui postea Lemovicensis episcopus fuit) præceptis, exemplisque, litteris, et christiana instituendus disciplina traditus fuit. Unde doctrinis salutaribus insi-
F stens, et cunctos coætanos suos virtutum præconiis superans, nostro venerabili Capuano, sub cujus degebat ministerio, admodum charus erat, et ei semper assistens, doctrinam quam ab eo hauriebat, in suo pectore recondebat. Tandem Capuanus eum per angelicam admonitionem ordinavit levitam. Vixit in episcopatu quinquaginta circiter annos, et virtutibus plenus migravit ad Dominum.

(1) Abrégé de l'histoire des évêques, barons et comtes de Cahors. — (2) Martyrologium Gallicanum, p. 260. — (3) Mémoire des anciens comtes du pays de Cahors, par Marc Antoine Dominicy. — (4) Gallia Christiana, p. 284.—(5) Gall. Christ. II, t. II, p. 468 — (6) Gall. Christ. III, t. I, col. 122. — (7) Limousin historique, t. I, p. 72. — (8) Breviarium Albiense, Pars Autumnalis, Parisiis, 1764. — (9) Ibid., p. VII.

OCTOBRIS.

DIES VIGESIMA SEXTA.

SANCTI QUI VII KALENDAS COLUNTUR.

S. Demetrius, mart. episc. Vapinci in Galliis.
S. Evaristus, papa et martyr.
SS. Lucianus, Marcianus et socii, martyres Nicomediæ in Bithynia.
SS. Rogatianus et Felicissimus, confessores Carthagine in Africa.
SS. Artemidorus, Basilius, Glycon et Leptina, martyres ecclesiæ Orientalis.
S. Amandus, conf. pont. Argentorati.
S. Quodvultdeus, episc. conf. } Carthagine.
S. Aurelius, episc. conf. }
S. Rusticus, conf. pont. Narbone in Galliis.
S. Alorus, conf. pont. Corisopiti in Britannia Minori.
S. Aptonius, conf. pont. Encolismæ.
S. Quadragesimus, subdiaconus conf. in Italia.
SS. Daria et Derbilia, virgines in Cornacia, Hiberniæ provincia.
SS. Nasadius, Beoanus, episc. et Mellanus, conff. in comitatu Dunensi Hiberniæ.
S. Gwinocus, pont., } conff. in Wallia, germani.
S. Aneurin seu Gildas, et
S. Cennydd,
S. Madog,
S. Dolgan et
S. Dolgar,
S. Tudyr, } conff. in Wallia, non pontt.
S. Arwystli Gloff,
S. Twrnog seu Teyrnog,
S. Dier seu Deifer,
S. Tyfrydog,
S. Marcella,
S. Gwynodl, } conff. non pont. in Wallia
S. Merin,
S. Senefyr,
S. Tuglyd,
S. Tudno et
S Tyneio,
S. Gaudiosus, conf. pont. Salernæ in Italia.
S. Amandus, conf. pont. Wormatiæ et Salisburgi.
S. Ceddus, conf. pont in Northumbria.
S. Eata, conf. pont. Lindisfarnæ et Hagustaldii.
S. Sigebaldus, conf. pont. Metis in Gallia.
S. Meliavus seu Eliavus, martyr in Britannia Armorica.
SS. Albinus et Megingaudus, conff. pontt. Buriburgi in Hassia, et S. Humbertus, conf. non pont. Fritislariæ.
B. Athanasius, œconomus monasterii Mediciensis.
S. Bernwardus, conf. pont. Hildesiæ.
S. Beanus, conf. pont. Murthlaci in Scotia.
B. Fulcus, conf. pont. in agro Bononiensi.
B. Fulcus, conf. pont. Placentiæ et Papiæ.
S. Bernardus Calvonius, conf. pont. Vici in Hispania.
S. Damianus Finariensis, qui et Furcherius, conf. non pont. Ord. FF. Prædic. Regii Lepidi in Italia.
B. Bonaventura de Potentia, conf. Ord. FF. Min. Conv.

PRÆTERMISSI

A D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

S. Andreæ Corsini, episcopi Fesulani ex ordine Carmelitarum, corporis translationem *celebrant hodie hi eremitæ. Non est hæc furtiva Fesulis Florentiam corporis asportatio, quam breviter narratam dederunt decessores nostri in ejus Actis ad diem* 30 *januarii; sed, ut in Breviario Carmelitarum præsenti die fuse explicatur, solemnitas anno* 1683 *Florentiæ celebrata; quam illic videat lector: Acta autem ad dictam diem* xxx Januarii.

S. Amandi, episcopi Trajectensis, ordinatio episcopalis, translatio seu potius elevatio, atque etiam Elnonensis templi dedicatio, *agebatur olim præsenti die, ut multis explicat Milo Elnonensis in Sermone de hac celebritate. Quod festum, (quoniam verus natalis, item ac S. Benedicti, in quadragesimam aliquando incidens, celebrari semper non poterat,) multa solemnitate observabatur, atque per Gallias, Belgium, Germaniam aliasque regiones late propagatum est, et multis martyrologiis et kalendariis inscriptum fuit. Sed de eo vide Acta S. Amandi ad diem* vi Februarii.

S. Vedastum, episcopum Atrebatensem, *conjungunt hac die cum S. Amando Trajectensi Ado, Notkerus et Wandelbertus, quemadmodum eosdem sociant ad diem* 6 *februarii Florus, Rabanus et Usuardus. Licet ambo illi sancti toto fere sesquisæculo disjuncti sint, quum eadem die obiverint, hinc fere individui comites in fastis sacris facti sunt. Hinc, quum S. Amandi celebritas propter quadragesimæ impedimentum, utut rarissime occurrens, ad diem* 26 *octobris, ejus ordinationis, elevationis et dedicationis memoria claram, dilata est, secutus est S. Vedastus. Ejus Acta vide ad diem* vi Februarii.

BB. Haimonis et Veremundi conversorum, genere et virtute illustrium, *memoriam hodie recolit Bucelinus in Menologio Benedictino, quasi natalis ageretur Medæ* in territorio Mediolanensi; *et sequaces habet Antonium ab Heredia in Vitis hispanicis sanctorum et beatorum ordinis S. Benedicti, et Benedictum Cherle in Martyrologio Benedictino germanico. Sed nulla prorsus est ratio cur ad hanc diem hos beatos viros, quos perperam* conversos *vocat, (non enim sæculo* viii, *quo vixisse traduntur, in usu erat domnorum et conversorum distinctio,) sed nil erat cur eos hodie nuntiaret, quippe qui colantur, ut in Opere nostro videre licet,* xiii Februarii.

S. Ermini, episcopi et abbatis Lobiensis in Belgio, elevationis *seu* translationis *memoria, agebatur olim quotannis Lobiis et Binchii, quo aliquando devenerunt, ut in locum tutiorem, ejus reliquiæ; atque hinc recolitur in Molani auctariis ad Usuardi Martyrologium, in Catalogo generali sanctorum Ferrarii, in Martyrologio Saussayi et in Benedictinorum menologiis. Ejus gesta, ab Ansone, abbate Lobiensi, quadraginta annis post illius mortem scripta, edidit cum Commentario prævio*

in Actis nostris Henschenius ad diem ejus natalem, xxv Aprilis.

S. Odranus de Letrechaibh-Odrain in Muscrige-Tire *annuntiatur hac die in Martyrologio hibernico Dungallensi, in aliis vero die* 2 *hujus mensis. De eo et simul de fratre S. Medrano ex Actis S. Kierani dictum fuit die, quo fratris olim recolebatur memoria,* vii Julii.

S. Pelagiæ virginis *festum annuntiatur hac die in editione Lubeco-Coloniensi.* Quæ cum peteretur a quodam nobili adolescente in conjugem, ipsa tonsis crinibus et habitu virili clam aufugit et monasterium probatissimorum monachorum intravit et in eo omnibus incognita usque ad mortem Deo devota servivit et tandem feliciter obiit. *Quæ ob oculos habuisse videtur Grevenus; qui in sua Usuardi editione scripsit:* Item secundum aliquos hic, E Margaritæ virginis; quæ et Pelagia. Alii habent eam idibus octobris; *et quidem idem Grevenus ad diem* 15 *octobris paucis complectitur hanc in vetere historia monastica celeberrimam actionem:* Antiochiæ, *inquit,* sanctæ Margaritæ virginis. Quæ, ut sæculi hujus pelagus evaderet, relicto sponso carnali, monasterium virorum ingressa, Pelagii sibi nomen assumpsit. *Implicatissima hæc res est, quam placet paucis expedire. Imprimis hanc sanctam ex monumentis græcis innotuisse latinis planum est; deinde, licet nunc passim in libris græcis* Marinus *dicatur, quidni primum* Thalassius *nomine græco appellata fuit? quod alii latine verterint per* Marinum, *alii per* Pelagium: *nam latine utroque nomine nuncupatam fuisse continuo demonstrabimus: et demum facile fieri potuit ut eam postmodum græci a latinis receperint, latino* Marini *nomine vestitam; quamquam fatendum sit a græcis etiam usitata fuisse latina* Marini *et* Pelagii *nomina. Quidquid id est, S. Pelagius seu Pelagia illa diversa habenda non est, ut gestorum summa similitudo suadet, a S. Marina, quam græci colunt die* 12 *februarii et decessores nostri illustrarunt ad diem* 17 *julii, appendice addita de Reparata seu Margarita, Pelagii nomine dicta; quæ hæc nostra Margarita seu Pelagius est. Quod autem Græcorum* Marina *a Greveno duobus locis atque etiam a Petro de Natalibus (ad diem* 8 *octobris propter S. Pelagiam peccatricem, cujus natalis tum agitur,) et in ms. codice reginæ Sueciæ* Margarita *dicitur, ratio manifesta est. Ut enim ex ipso Greveno liquet, confusa fuit cum S. Marina græcorum Antiochena in Pisidia, quam jam sæculo* vii *Margaritam a latinis plerumque dictam fuisse ostenderunt decessores nostri ad diem* 20 *julii, licet hæc martyr fuerit, nequaquam monacha: unde fieri non poterat ut Margaritæ nomen ei non accederet. Quibus declaratis, manifestum est singularia hujus virginis gesta in opere nostro quærenda esse ad diem* xvii Julii.

S. Afræ, *meretricis Augustanæ, a S. Narcisso ad fidem et meliorem vitam traductæ et dein*

A *fortissimæ Christi martyris, conversio celebratur hac die in Greveniano Usuardi Martyrologio : de ea dictum est ad diem, qua festive colitur,* v Augusti.

SS. Justum seu Justinum, Maximinum, Valentinum et Solarium, episcopos Argentoratenses, *quoniam a quibusdam* sancti *vocantur , ad hanc diem , qua de S. Amando , Argentoratensi episcopo, dicendum esset, remisit Henschenius ex Prætermissis diei 6 februarii. De SS. Maximino, Valentino et Solario, qui olim cum radiis pingebantur in sanctitatis testimonium, paucissima retulimus initio Actorum S. Amandi Argentoratensis, neque plura innotuerunt; de S. Justo aut Justino dictum est in opere nostro ad diem* I Septembris.

S. Agiæ, viduæ matrisque B. Lupi, Senonensis archiepiscopi, translationem Aurelianis *celebrat hodie Arturus in Gynecæo; de ea, quæ et Austregisilis dicitur, actum est in Actis nostris ad diem, qua ejus filii gesta etiam illustrata fuerunt,* I Septembris.

S. Mauritii et sociorum revelationem seu inB ventionem Viennæ Allobrogum *commemorant hodie Castellanus et Saussayus. Joannes Cleus noster explicuit hanc celebritatem* § XV *Gloriæ posthumæ SS. Mauritii et Thebæorum martyrum ad diem* XXII Septembris.

Eodem die, Florentii confessoris *natalis totidem his verbis annuntiatur in codice Usuardino reginæ Sueciæ, notato* 428; *qui codex, ut ex his liquet, quæ ad diem* 17 *octobris de canonico templi cathedralis Parisiensis dicuntur,* (qui illic vocatur Fr. noster Robertus Pisanus,) *ad usum capituli Parisiensis fuit. Alibi nuspiam hac die obvius factus est S. Florentius confessor; nisi in uno Wilfordi Martyrologio anglico, ubi* episcopus *perperam dicitur. Idem enim esse videtur ac qui in aliis codicibus ad diem sequentem prodit, titulo* S. Florentii, presbyteri et monachi, in pago Pictaviensi; *qui in opere nostro illustratus fuit ad diem* XXII Septembris.

S. Ceolfridi, abbatis et confessoris, depositionem in Glasconia, *immo* Glastonia, *celebrat hodie Molanus in auctariis ad Martyrologium Usuardi. Errorem, qui illic cubat, jam pri*C *dem castigavit Suyskenus noster in Commentario de S. Ceolfrido, abbate Girwensi et Wiremuthensi, num.* 8, 9, 10 *et* 11, *ad diem* 25 *septembris. Ut ad præsentem diem melius tradit Saussayus , agitur festiva memoria translationis ejus reliquiarum Lingonibus Glastoniam. Sed hæc explicata vide ad dictam diem* XXV Septembris.

S. Demetrius, martyr Thessalonicensis, *quo vix ullus inter orientales celebrior sit, annuntiatur hodie in codicibus Usuardinis Pulsanensi et Vaticano, desumptus ex libris græcis ; in quibus quippe omnibus, ut in Anno ecclesiastico græco-slavico, quem initio hujus tomi habes, ostenditur, præsenti die memoratur. De eo dixerunt decessores nostri ad diem, quo fastis latinis adscriptus est,* VIII Octobris.

B. Seraphinum a Montegranario, Capuccinum *memorat hac die Arturus in Menologio Franciscano. De eo ad diem, qua ejus festum agitur, dixerunt decessores nostri* D XII Octobris.

S. Trogeni, *immo* Trojecii, confessoris depositio civitate Nivernis *celebratur hac die in Usuardini codice D. Le Mare, signato* A. *Ejus Acta in opere nostro vide ad diem* XVII Octobris.

S. Frontonem, episcopum Petragoricensem, *multis hac die laudat liber Usuardinus Hagenoyensis; ejus Acta, non obscura minus quam incerta, data sunt ad diem præcedentem, seu* XXV Octobris.

B. Mineatem, sub Decio civitate Florentia *martyrem , sistit hodie codex Usuardinus Centulensis, a Sollerio adhibitus; uno die a veritate aberrans, quum ejus natalis agatur die* XXV Octobris.

Coloniæ Agrippinæ, in ecclesia S. Mariæ ad gradus, festum adventus sanctæ Crucis *annuntiatur hodie in editione Usuardi Lubeco-Coloniensi et in Martyrologio Germanico Walasseri, vulgo Canisii; contra in Martyrologio Universali Castellani* prope Romam apparitio sanctæ Crucis Constantino; *de his dici poterit in singulari volumine de festis Chri*E *sti.*

Commemoratio jucundissima serenissimæ dominæ Matris Admirabilis, a filiis suis benedictæ; sive memoria obsequiorum, eidem a sanctissimi et admirabilis patris Benedicti ordinis institutione tanto decursu sæculorum in hanc usque diem præstitorum, *celebratur hodie a Bucelino ejusque sequacibus, Antonio ab Heredia et Benedicto Cherlio, in Vitis hispanicis et Martyrologio germanico; de quo festo agere ajunt Gerardum Belgam, cujus libro titulus est* Mancipatus Deiparæ. *Qui* Mancipatus *primum prodiit in lucem seorsim anno* 1649 *typis Pataviensibus, et eodem anno curis illius Gabrielis Bucelini et diligentia Mauri Marchesii in prima parte Opusculorum sacrorum typis Venetis Lenianis; et annis* 1721 *Frisingæ et* 1726 *Ingolstadii in Cultu Mariano Schaumbergeri. Sed quis ille sit Gerardus Belga, quo loco, aut qua ætate vixerit nemo hactenus reperire potuit; et quidem hoc ipsum cognomen* Belga *indicare videtur eum in extraneo monasterio* F *vitam religiosam coluisse, verisimiliter in Italia, ubi ejus liber primum inventus est* (1). *Utut id est, singulare videtur id fuisse festum, nequaquam commune universo S. Benedicti ordini.*

Floriaci, dedicatio basilicæ S. Mariæ Virginis et sanctissimi patris Benedicti *annuntiatur hoc die juxta Martyrologium Floriacense a Colvenerio in Kalendario sacratissimæ Virginis Mariæ novissimo.*

Dedicationis ecclesiæ de Salseda in diœcesi Lusitaniæ Lamensi (*vulgo* Lamego) anniversarium *annuntiatur hodie in Martyrologio Cisterciensi.*

Commemoratio terræ motus *in multis græcis atque etiam slavicis synaxariis, menæis et menologiis præsenti die celebratur; ut videre licet in Anno ecclesiastico græco-slavico, huic volumini præmisso : unde etiam transiit in Molani editionem Martyrologii Usuardi. Hæc calamitas* contigisse in regia urbe *Constantinopoli*

(1) Cfr Ziegelbauer et Legipontius, Hist. litter. ordinis S. Benedicti, tom. IV, p. 178 et 179.

tinopoli, anno 758, Leonis Isauri vigesimo
A quarto *traditur in Horologio slavico Počajeviensi; sed annus ejus vigesimus quartus concurrit cum anno* 740; *ad quem in Menæis græcorum infortunium illud refertur : et quidem recte, ut ex Cedreno et Nicephori Breviario, late de hac novæ Romæ ruina dicentibus, manifestum est. In Sirmundi Synaxario additum est anno* 649, *eadem die* 26 *octobris, hora tertia noctis, alium terræ motum accidisse, quo Magna Deiparæ ecclesia conciderit. Plura de similibus rebus disserere non solemus.*

S. Polycratis, episcopi egregii et nobilissimi viri, apud Ephesum *natalis memoratur hodie in codice Usuardino Centulensi, a Sollerio usurpato; et in tribus Adonis Martyrologii codicibus Gallicanis reginæ Sueciæ, nunc in bibliotheca Vaticana signatis numeris* 511, 512 *et* 514; *ubi adduntur hæc verba :* Floruit autem Severi principis temporibus eadem ætate, qua et Narcissus Hierosolymæ. *Quibuscum convenit annuntiatio quæ in Greveniana Usuardi Martyrologii editione hac die*
B *occurrit:* Apud Ephesum, Polycarpi, episcopi et confessoris : *nam* Polycarpus, *ut nomen magis notum, locum* Polycratis *occupat; et quidem alibi quoque error ille deprehenditur* (1), *neque in serie episcoporum Ephesinorum* (2) *ullus inter antiquos occurrit Polycarpus. At Polycrates ille parum modeste se gessit adversus S. Victorem papam et ecclesiam Romanam in controversia de paschate; et cum Asianis, quos in pervicaciæ suæ societatem compulerat, aut excommunicatus fuit, aut* (*ut aliis placet*) *excommunicationis minas sustinuit* (3). *Nolim itaque affirmare eum extra ecclesiæ communionem vixisse, multoque minus mortuum esse : sed nullus dubito quin imprudenter* (*ut tot aliis locis accidit*) *ejus nomen, quod in ecclesiastica historia repererit librarius, intruserit in Adonianum codicem, unde transierit in Usuardinos; licet cultus ecclesiastici indicia essent nulla. Certe ipsi græci, qui celebrium nominum amore schismaticos etiam et hæreticos fastis suis intulerunt, numquam in officiis sacris Polycratis Ephesini memoriam honorificam fecerunt.*

C S. Veranum, episcopum et martyrem, Pisis in Etruria *hoc die celebrari perhibet Ferrarius in Catalogo generali sanctorum, nixus Ordine divini officii Pisano addensque eum hujus ecclesiæ non fuisse episcopum. Et quidem anno adhuc* 1842 *in Ordine liturgico illius diœcesis fieri jubebatur festivitas* S. Verani episcopi et confessoris (*non autem martyris*) *ritu semiduplici, cum Missa* statuit *et officio de communi. Sed quum anno* 1843 *septima prodiit editio Officiorum propriorum sanctorum pro ecclesia primatiali, civitate ac diœcesi Pisana, in qua S. Philumenæ, virginis et martyris cœmeterialis, festum ex assignata die* 11 *augusti in* 26 *octobris tamquam in sedem fixam transferendum visum est, ad ritum simplicem seu potius ad nudam commemorationem redacta est vetustissima S. Verani solemnitas. Quum itaque cultus extra controversiam positus esset, pro officio nostro* D *rescire cnravimus quis esset. Literas itaque dedit frater meus Victor ad egregium virum Augustinum Morini, ordinis Servorum B. M. V. sodalem Florentinum, qui ab amicis suis Pisanis documenta certa postularet. Neque operam suam desiderari passi sunt Reverendissimus Vir Fanterius, eminentissimi cardinalis Pisani Vicarius, canonicus Sainati, Vitarum sanctorum et beatorum Pisanorum scriptor, canonicus Benassai et Josephus Bardelli, sanscriticæ linguæ in universitate Pisana professor : qui etiam in Peccioli, vicinæ Volterranæ diœcesis locum, cujus patronus est S. Veranus, literas dedit. Atque hinc demum mihi innotuit S. Veranum, Pisis cultum, non alium nunc haberi ac episcopum Cavellicensem, cujus Acta in opere nostro edita sunt ad diem* 19 *octobris. Et quidem non celebrabatur olim S. Verani festum Pisis die* 26 *octobris, sed die* 19 *octobris; ad quam in antiquo ecclesiæ primatialis martyrologio membranaceo legitur:* In territorio Aurelianensi [depositio] S. Verani episcopi et confessoris; *qui, ut in opere nostro ad diem* 19 *octobris demon-* E *stratum fuit, idem censetur ac Cavellicensis episcopus, cujus corpus Jargalium in pago Aurelianensi translatum fuisse dicitur; quæ translatio die* 19 *octobris quotannis potissima festivitate recolebatur; licet alii Albengam corpus delatum fuisse, alii Cavellione adhuc quiescere velint. Neque a Pisanorum traditione diversa est Peccioliensium persuasio. Præpositus enim, Josephus Menciassi Lupi, respondit patronum titularem esse Cavellicensem episcopum, cujus totum officium dicatur de communi confessoris pontificis; unum apud se superesse brevis Vitæ exemplar, in quo tradatur Pecciolium, dum in peregrinatione Romana versaretur, transiisse plebemque a peste liberasse. Hinc ille idem præpositus anno* 1863 *æri incidendam curavit S.* Verani *imaginem, circumpositis tabellis quibus exprimuntur beati viri gesta Ravennæ, Albingauni, Taurini, Arelate, Romæ, Valleclausa, Mediolani, Brigantii, Ebreduni et Cavellione. Verum enim vero vehementer dubito utrum unus tantum S. Veranus sit, an tres, cui unius eadem Acta fabulosa, quibus etiam ve-* F *stitus est S. Florentius Arausicanus, attributa fuerint. Certe corpus S. Verani Aurelianensis aliud esse videtur ac* S. *Verani Cavellicensis; et in antiquis martyrologiis non translatio, sed* depositio *S. Verani* in agro Aurelianensi *celebratur; ita ut illic etiam diem obiisse videatur. S. Veranus Pisanus secundum antiquiores traditiones etiam diversus videtur fuisse habitus; nam colebatur ut martyr et Passionem sibi habebat propriam. Scilicet S. Verani Acta exstabant olim in bibliotheca Strozziana, unde sæculo præterlapso ad bibliothecam Leopoldino-Laurentianam Florentiæ transierunt* (4) : *quæ transcripta ab ipso Papebrochio in suo itinere Romano nunc servantur in bibliotheca publica Bruxellensi, num.* 8922. *Quod autem hæc Acta ad S. Veranum Pisanum pertinent, constat tum ex Pa-*

(1) Cfr Lequien, Oriens christianus, tom. I, col. 673. — (2) Ibid., col. 671 et seqq. — (3) Cfr Observationes Valesii ad Historiæ Eusebii lib. v, cap. 24, not. *d;* Pagii Critice ad annum 196, n. 2 et seqq., etc. — (4) Bandinus, Bibliotheca Leopoldina-Laurentiana , Supplementum tom. I et tom. II, col. 281.

pebrochii

A *pebrochii inscriptione, tum ex Bandini testimonio, qui hæc inde exscripsit :* Est ecclesiæ S. Verani Kinsiche de Pisis; cujus rector Nicholaus Berghus Canonicus Pisanus die 27 Febr. 1467. *Sed sæculo* XV *ipse codex est multo antiquior; atque ante, sæculo saltem* XIV, *in Kinsicha, quæ Pisanæ civitatis vicus seu regio est, a Muratorio* (1) *descripta, ecclesia exstabat S. Verano dicata* (2). *Passio autem, ut ait Papebrochius in annotatione ad apographum,* erat scripta in maximis pergamenis grandulis litteris cum tribus delineationibus pro totidem ut videtur lectionibus ad usum chori. Ad calcem insuper duplo et minimum recentiori charactere hæc erant : ORATIO : Deus qui gentes Turonum B. Verani, martyris tui, doctrina illustrasti, concede propitius ut cujus solennia recolimus, ejus apud te intercessione et auxilio æternis gaudiis consolemur. *Atqui hæc Acta plane diversa sunt a S. Verani Cabellicensis Vita; ut ex summario (quum enim fabulis nimis mixta sint, nolo ea in lucem dare integra,) lectori, qui ea cum documentis, ad diem* 19
B *octobris editis, compararit, apparebit.* « *Tempore Neronis Imperatoris Veranus juvenis nobili domo Romæ natus a S. Petro, ad cujus prædicationem inter Christianos adscribi enixe petierat, in baptismatis lavacro ablutus fuit, ac dein inter presbyteros cooptatus. Brevi post idem S. Petrus eum cum socio Apollinari, postquam utrumque eodem die episcopali dignitate auxerat, ad Christiana dogmata propaganda, et idolorum cultum evertendum a se dimisit.* Cumque pervenissent, *ita legitur in Actis,* non longe ab Urbe Ravenna, osculati sunt ad invicem. *B. autem Veranus cum* peragraret in regnum Francorum... et intraret civitatem Turonum *multa patravit miracula, quin et mortuum in nomine Jesu Christi ad vitam redire jussit. Quibus visis, plura millia paganorum religionem Christianam amplexi sunt; quos inter erat* vir quidam Geraldus nomine de quodam Castello Airaldo... Cumque cresceret opinio B. Verani deprecatione Jesu Christi per regnum Francorum et multitudo populi crevisset in fide Christi, jam præ multitudine non poterant
C latere, nuntiatum est de eo cuidam mago nomine Scirpo, discipulo Simonis magi. *Qui Scirpus omnem lapidem, ut falsorum deorum cultores in B. Veranum rabie exardescerent, movit, eumque ad genuflectendum coram Jovis primum, dein Apollinis, statuis cogerent. Ast* cum introisset in templum, ubi plures ædiculæ cum simulacris erant, et maxime deus Apollo, et deus Solis et Lunæ atque Dianæ, B. Veranus psallebat his verbis dicens : Dii qui non fecerunt cœlum et terram pereant: et ad introeuntes in templum B. Veranus dixit : Confundantur omnes qui adorant sculptilia et qui gloriantur in simulacris suis : et continuo commotus est deus Apollinis, et comminutus cum aliis in terram cecidit velut pulvis. Tunc territa omnis paganorum turba refugit; et egressus diabolus de statua Apollinis, omnes infideles flagellabat et dicebat magna voce : Per vos D dejicimur, quia Christus prævalet; et Scirpus mortuus est et quingenti viri absque parvulis et mulieribus in flagello illo. *Quo spectaculo ira commoti* Riccus et Astulphus, nefandissimi idolorum cultores, arreptis gladiis eadem hora decollaverunt B. Veranum. Christiani itaque undique circumfluentes manus in Riccum et Astulfum injecerunt et eos cum omni domo sua et familia et progenie pariter exusserunt præter illos qui fidem jam acceperant. Illi autem qui in circuitu corporis Beatissimi Verani stabant credideruntin Christo. Christiani itaque venerunt et cum omni diligentia corpus ejus condiderunt, et eum honorifice sepelierunt : in eodem namque beneficia ejus ac virtutes florent usque in hodiernum diem ad laudem et gloriam domini N. J. C. Passus est autem B. Veranus in civitate Turonum sub Nerone Imperatore VII kal. novemb. regnante Domino N. J. C.; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. » *Hæc acta nequaquam sincera sunt; nam nuspiam vestigium prædicationis S. Verani apud Turonenses reperitur,* E *quamvis, si fides S. Verani biographo adhibetur, fuerit valde præclara: neque verbum de ea miscent Sulpitius Severus et Gregorius Turonensis, originum præsertim Turonensium egregie periti, utpote illius ecclesiæ antistites : adde quod duobus viris, S. Verano maxime infensis, nomen fuit gothicum, nempe Ricci et Astulfi, ac proin tunc temporis apud Romanos et Gallos omnino peregrinum. Quid, quod* Riccus *non alius esse videtur, quam* Rictus *seu* Rictius Varrus, *cujus nomen in Passionibus sanctorum martyrum, qui in Gallia septentrionali ad finem sæculi* III *sanguinem pro Christo fuderunt, tam celebre est* (*ut ex dictis in Commentario de SS. Crispino et Crispiniano, hoc ipso tomo, videre fuit*)*? Similiter Astulfus non alius esse videtur quam exosus ille Langobardorum rex, qui anno* 752, *capta Ravenna, exarchatum extinxit et bis dein Romam tentavit, a Pippino tandem domitus. Quæ, utut ad diversissima tempora spectent et a S. Petri apostoli ævo plurimum distent, omnia tamen in unum confusa sunt*
F *a scriptore, nonnisi odiosorum nominum curioso. Haud minus absonum videtur Simonem magum habuisse discipulos in ipsa Turonensi civitate. Præterea quis non existimabit verba supra allata:* Christiani... undique circumfluentes manus in Riccum et Astulfum injecerunt et eos cum omni domo sua et familia et progenie pariter exusserunt præter illos qui fidem jam acceperant, *ex Actis S. Apollinaris episcopi Ravennatensis fuisse mutuata, ubi et legitur :* Videntes Christiani tantam impietatem (*necem S. Apollinaris*), commoti sunt, et irruentes super paganos, tanta allisio fuit, ut subito amplius quam ducentos homines impiissimos Christiani interfecerint (3). « *Quæ sane, ut ait Pinius noster* (4), *a primorum Christianorum man suetudine, quam S. Apollinaris,* (*ac proin etiam S. Veranus*) *ab apostolorum principe aliisque*

(1) Antiquitates italicæ medii ævi, tom. II, p. 885. — (2) Matthæjus, Ecclesia Pisana, tom. I, p. 101. — (3) Acta SS., tom. V Julii, p. 347. — (4) Ibid., p. 343.

verbo

A *verbo et exemplo edoctus, suos item neophytos docuerat, nimium quantum abhorrent. » Sed et plura alia cum eisdem S. Apollinaris Actis, quæ laudato Pinio minus sincera visa sunt, habent Acta S. Verani communia. Quibus omnibus rite perpensis, certum est Acta S. Verani nullius esse fidei atque scripta ad normam Vitæ S. Apollinaris, cujus traditur fuisse per aliquod tempus socius sub disciplina S. Petri apostoli, qui eos eodem die, sed nescitur quo anno* (1), *consecrasset episcopos. Nequaquam itaque probo illa Acta; sed ea tantum de causa retuli, ut appareat S. Veranum suum martyrem habitum fuisse Pisanis; quos ei attribuisse alia omnino gesta, quam quæ de S. Verano Cabellicensi circumferuntur. Attamen, quantumvis insincera sint et improbabilia, nemo tamen eis nil veri subesse demonstrabit; et præter adjuncta, quorum falsitatem argui, vix aliquid fide indignum in eis occurrit : forsan etiam,* (*ut intelligatur unde orta sit illa traditio eum Turonibus in Galliis prædicasse,*) *non omnino rejicienda est hæc conjectura, S. Veranum nempe in loco Etruriæ, cui nomen erat Turroni, martyrium esse*

B *passum, cum plura loca hujus vocabuli, nunc deleta vel in alia mutata, in Etruria extitisse ex Antonio Augustino, Dempstero* (2), *Baudrand, Ortelio aliisque certum sit : quin et sæculo* XIII *in diœcesi Aretina* (3), *ubi et olim ad ripas Tibridis erat urbs nomine Turrena, legitur floruisse monasterium Turonense; atque huic conjecturæ nonnihil forte ponderis addit, quod ille locus non multum distabat a via militari, quæ duxerit Roma Ravennam S. Apollinarem; quocum S. Veranus,* (*ut supra dictum fuit,*) *iter fecerat, usquedum* pervenissent non longe ab urbe Ravennæ. *Quæ omnia me movent ut S. Veranum martyrem ab episcopo Cavellicensi diversum censeam; nil tamen audens de ejus gestis statuere. Et quidem, quum nil satis exploratum sit, atque etiam gravissimæ res nudis conjecturis nitantur, præplacuit hæc omnia inter Prætermissos referre.*

S. Quodvultdeus, abbas monasterii in Vati-
C cano, *qui anno* 586 *obierit, annuntiatur hodie a Schindelio in Supplemento Menologii Benedictini. Legitime cultum fuisse nuspiam apparet; neque alia ratio est ut hac die memoretur, quam quod S. Quodvultdeus, episcopus Carthaginensis, hodie celebratur in fastis sacris.*

Ernanus Mioluachra de Kill-na-saccart, Rectanus de Eatar Ghabhail *et* Cruadius Longipes de Balana } *recensentur hodie in Martyrologio hibernico Dungallensi; sed donec certius nobis constet cultu ecclesiastico eos honestatos fuisse placet eos præterire. De S. Cruadio hæc in illo Martyrologio hibernice addita sunt :* Cruadius est ille idem quem Molingus auxilio advocavit simul cum aliis sanctis Hibernis, quum domestici Fionnachtæ, regis Hiberniæ, veniebant ad se occidendum. Ægre enim ferebant quod Fionnachta postulatione Molingi Langeniensibus tradiderat Borumha, ita ut Molingus diceret : O Brigitta, benedic nostræ D viæ. *Videntur hæc desumpta ex Vita aliqua S. Molingi, episcopi Fernensis, cujus Acta dederunt decessores nostri ad diem* 17 *junii et qui rebus politicis Lageniensibus plurimum immixtus fuit : sed hæc illic non leguntur.*

B. Werdini abbatis, *prophetiæ spiritu clari, obitus in monasterio Hydruntino, annuntiatur hodie a Wione in Ligno vitæ; ubi et prophetia, plane incredibilis, legitur. Verum quum Werdinus ille ante extremum sæculum* XVI *non innotuerit, patet eum ratione cultus immemorabilis in opere nostro locum habere non posse.*

Sanctæ memoriæ Sigehardi, primi Abdinkhofensis abbatis, *anno* 1048 *vita functi, laudes prosequitur hac die Robertus Schindelius in Supplemento Menologii Benedictini. Cultus argumenta desiderantur.*

B. Bernardum, episcopum Maurianensem atque ordinis Cisterciensis (*ut volunt*) præclarum decus, *pluribus laudant ad hanc diem Henriquezius et Buzelinus, ille in Menologio Cisterciensi, hic in Menologio Benedictino;* E *quod scilicet oves sibi creditas verbo et exemplo sanctissime pavit animique lenitatem et meditandi studium cum episcopali sollicitudine diligentissime conjunxit. Et quidem in Vita coæva S. Petri, archiepiscopi Tarentasiensis, de eo legitur* (4) : Præsidebat vero (*sub medium sæculum* XII) Maurianensi ecclesiæ magni meriti Bernardus episcopus, sicut in ea potissimum regione fœcunda virorum paupertas plures sibi pene contemporaneos insignes edidit sacerdotes, sanctum videlicet Hugonem Gratianopolitanum *etc.* Accedens sane prædictus Bernardus, Maurianensis episcopus, ad Bitumen, suæ diœcesis monasterium, confitenti sibi suas offensiones, ut sæpius aditabat, genitrici venerabilis Petri, Tarentasiensis episcopi, (*quæ illic abbatissæ titulo aderat,*) injunxit hujusmodi pœnitentiæ formam ut supra memoratos B. Augustini (*super Psalmos*) libros suis donari sororibus (*a S. Petro, qui eos diligenter transcribi curaverat,*) impetraret. Post breve tempus archiepiscopus af-
F fuit; et accedens ad eum mater interrogabat eum an necesse sit peccatoribus sibi injunctam pœnitentiam adimplere. Respondenti : Utique, supplicat ut misereatur animæ matris suæ; cui suus hujusmodi pœnitentiam præsul injunxit. Sic eosdem sibi collatos codices ejusdem cœnobii virgines et memoriam largitoris carius amplectuntur. *Quos super Psalmos libros sæculo* XVII *adhuc servasse et veneratas esse sorores Bituminis* (*qui parthenon tertius a Cisterciensibus erectus aut admissus fuisse traditur*) *perhibet Manrique* (5). *Barnabas de Montalbo seu Montalvi, qui anno* 1602 *Matriti Chronicorum ordinis Cisterciensis primam partem edidit, lib.* IV, *cap.* 47, *eum nuncupat* sanctum Bernardum, episcopum Mauriennæ, monachum Cisterciensem; *et dein coævos episcopos, sanctimoniæ laude illustres, recensens :* Inter hos,

(1) Acta SS., tom. V. Junii, p. 329. — (2) Thomæ Dempsteri de Etruria regali libri, tom. II, p. 114. Edit. Florentiæ, 1724. — (3) Acta SS., tom. I Januarii, p. 979. — (4) Ibid., t. II Maii, p. 329. — (5) Annales ord. Cisterciensis, ad an. 1138, cap. XII, n. 8 et 9.

inquit,

A *inquit*, præclarissimos viros non infimum obtinebat locum Bernardus (quem etiam asserunt fuisse nostri ordinis) episcopus Mauriennæ. *Et Philippus Seguinus, Caroliloci in Burgundia prior, vir diligens et veterum rerum scrutator, qui sæculo* XVI *permulta de Cisterciensium laudibus in mss. codices congessit* (1), *in libro de episcopis, ex ordine Cisterciensi postulatis, hæc tradit :* Beatus Bernardus Cisterciensis monachus, ad episcopatum Maurianensem evocatus, ordinem, quem professus fuit, non deseruit, sed eum multis sanctitatis titulis decoravit. *Verum enimvero hæc non sufficere videntur ut constet* Bernardum *centum annis cultu ecclesiastico ante Urbaniana decreta honestatum fuisse; et quidem ejus memoria penitus obliterata fuisse videtur Mauriennæ. Certe in Catalogo episcoporum Mauriennensium, quem fratres Sammarthani publicum fecerunt* (2), *nudum ejus nomen apparet post Airardum, qui anno* 1167 *diem obiisse dicitur; et Franciscus Augustinus ab Ecclesia* (3) *addit id solum quod a S. Petro Tarentasiensi libros*
B *super Psalmos accepit. Abstinet Manrique a* beati *et* sancti *vocabulis; et ne nomen quidem ejus habet Gaufredus in Historia Alpium maritimarum, in qua plures alii episcopi Mauriennenses veniunt. Quid, quod Gaufredus Casalis, ubi viros illustres Mauriennenses recenset, omittit Bernardum episcopum* (4)? *Quod vero multo magis singulare est, Petrus Hyacinthus Gallizia, qui non minori facilitate quam studio innumeros viros cum sanctorum et beatorum titulis intulit in septem tomos, quibus conclusit Acta sanctorum, qui in terris domus Sabaudicæ virtutibus et sanctimoniæ fama inclaruerunt, ne attigit quidem Bernardum, Mauriennensem præsulem; licet alios plures Mauriennenses viros fuse prosequatur : quod profecto non fecisset, si vel minimum cultus ecclesiastici vestigium reperisset. Neque videtur Bernardus professione Cisterciensis fuisse; certe a nemine inter veteres id traditur; et Gaufredi, abbatis Altæcumbiæ, silentium plurimum ponderis habet, quippe qui ex ordine illo fuerit et passim Cisterciensium laudes misceat cum S. Petri*
C *Tarentasiensis, cujus Vitam duobus libris scripsit. Cæterum non putem plura de S. Bernardo Mauriennensi alibi repertum iri quam quæ hic inter Prætermissos collegimus; nolentes eum ab opere nostro abesse, quoniam magnæ utique sanctitatis vir fuit; neque volentes eum inter sanctos prodire, quum publica auctoritate cælitum honores ei numquam delati fuisse censendi sint.*

B. Joannes, abbas Alnensis in territorio Leodiensi; qui, simul cum alio ejusdem instituti et monasterii monacho trucidatus ad æternam patriam transivit, *annuntiatur hac die ab Henriquezio in Menologio Cisterciensi, quoniam in tabula Alnensi legebatur :* Joannes de Meffia. Hic cum monacho sacellano a nocentibus innocens occisus est anno 1338, VII kal. novembris. Sepultus est cum eodem sacellano in capitulo. *Ubi ejus sepulcro hæc* D *inscripta erant :*

Alnenses horum probitatem corde dolere
Debetis, quorum virtutum facta fuere
Tanta, quod ipsorum nequivit corda movere
Ensis iniquorum, per quem simul interiere.
Præmia sanctorum valeant hi semper habere,
Qui perfectorum præcepta sequi studuere.

Atque hæc eadem pluribus prosequitur Henriquezius in Fasciculo sanctorum ordinis Cisterciensis (5). *Quæ etiam leguntur in Gallia Christiana nova* (6). *Hinc transierunt in Martyrologium Benedictinum Menardi, in Menologium Benedictinum Bucelini, in Vitas sanctorum ordinis S. Benedicti hispanicas Antonii de Heredia, et in Martyrologia Benedictina germanica Cherlii et Lechneri. Sed Molanus in Natalibus sanctorum Belgii et Raissius in Auctario ad eosdem dies plane eos omiserunt, quod nulla cultus exstarent vestigia. Et quidem Raissius, qui Alnense monasterium visitavit, refert in Gazophylacio belgico* (7) *ævo suo Alnæ ostensa fuisse, præter alias multas reliquias corpora B. Walteri, primi prioris,*
E *B. Werrici, etiam prioris, B. Simonis conversi et beati cujusdam novitii anonymi; sed ubi venit ad Joannem de Meffia ejusque socium Ægidium de Binchio (hoc nomen marmoreo sepulcro inscriptum erat) nequaquam sanctos appellat, sed solo designat nomine : ita ut plane certum sit neutrum umquam ecclesiasticos honores nactum esse. Periit Alnensis abbatia cum tot aliis bonis institutis extremo sæculo superiori. Sita erat prope Thudinium, vulgo Thuin, quod tum diœcesi Leodiensi capiebatur, nunc vero Tornacensis pars est.*

B. Alexander Macchiavelli, Bononiensis, confessor, eremita ordinis FF. B. M. V. de Monte Carmelo tertiarius, morum innocentia insignis, solitudinis cultor eximius, austeritate vitæ admirandus, divinæ voluntati perfectissime adstrictus, virginitatis custos præclarus, divini amoris æstibus mirabilis, mortis suæ præscius, sancte obiit 26 octobris, 1300, in Palæstina, miraculis clarus, ætatis 81. *Hæc ad verbum descripsi ex imagine papyracea beati viri, quam* ex sacro nu-
F mismate æneo antiquissimo apud clarissimum virum Alexandrum Macchiavelli, Bononiensem, ejusdem beati agnatum, Jo. Canossa incidit Bononiæ, 1732. *In ea autem exhibetur beatus vir oculis ad cæleste lumen intentis, nimbo glorioso caput circumdatus, manibus junctis, barba cana, baculo peregrinantis jacente ad brachium sinistrum, veste lanea largis brevibusque manicis amictus, scapulari cum assuta antrorsum cruce tectus, pellemque ovinam, quæ sinistrorsum pendeat, humero dextro gerens. Verum, licet tria singularia opera de sanctis Bononiensibus in Musæo nostro sint, multoque plura de historia ecclesiastica Bononiensi, atque insuper Menologia, Calendaria, Annales et Vitæ sanctorum ordinis Carmelitarum, nuspiam tamen quidquam legere contigit de B. Alexandro*

(1) Henriquez, Menologium, p. XLI et XLII. — (2) Gallia Christiana, t. III, p. 692. — (3) Regionis Pedemontanæ historia chronologica, p. 338. — (4) Dizionario degli stati del re di Sardegna, t. XVIII, p. 398. — (5) Lib. II, dist. 39, cap. 6, p. 426 et seqq. — (6) Tom. III, col. 1118, immo 1018. — (7) Pag. 23 et 24.

Macchiavelli;

A *Macchiavelli; ita ut cultus beati hujus viri, quem antiquum fuisse libenter concedimus, omnino domesticus fuisse videatur : quæ res non sufficit ut secundum Urbani VIII decreta liceat eum in opus nostrum inferre.*

B. Ivo Britannus, socius B. Radulphi, *qui in Angliam Carmelitarum conventus plurimum propagavit, laudatur hac die in aliquot Carmelitarum menologiis; sed legitimi cultus indicia apparent nulla.*

Vincentius Cangianus, ex ordine FF. Prædicatorum, *qui sæculo* XVII *in regno Neapolitano multis virtutibus effulsit, plenissimo encomio laudatur hac die a Marchesio in Diario Dominicano. Inter sanctos ecclesiastico decreto relatus non est.*

Benedictus a S. Torquato ex ordine Minorum, *qui Compluti in Castella anno* 1519 *sanctissimo fine quievit, in vita et post mortem a populo multa veneratione habitus fuit atque hac die ab Huebero et Arturo in Menologiis Franciscanis* beati *titulo honoratur. Verumtamen hæc veneratio numquam cultus ecclesiastici rationem habuisse videtur; et, licet*

B *Waddingus eum in Annalibus ad annum emortualem deprædicet, abstinet tamen a* beati *nuncupatione.*

BB. MM. Francisci et Jacobi, *qui anno* 1566 *ab hæreticis apud Montemregalem in Aquitania occisi sunt; et*

B. Emmanuelem Lomadas, *qui extremo sæculo* XVI *Canarias insulas virtutum odore implevit, celebrat hac die Arturus a Monasterio in Menologio Franciscano. Neque centum annis decretis Urbanianis antiquiores sunt, neque hactenus vindicati.*

Franciscus a S. Maria, ex ordine Minorum congregationis Alcantarianæ S. Josephi, *mense octobri anni* 1578 *a Mauris in insulis Philippinis occisus, celebratur hac die in egregio libro theotisco seu menologio Franciscano, nomine Palmeto spirituali. Sed de eo vindicando numquam videtur fuisse actum.*

Guilielmus Stravus et Christianus Soius, ordinis Minorum, *anno* 1579 *ab hæreticis non procul a Treviris occisi;*

Angelus Ostrovizius et Chrysostomus Ponietus, ordinis Minorum, *de provinciis Poloniæ et Bohemiæ extremo sæculo* XV *optime meriti;*

C

Ludovicus de Turra, ordinis Minorum, *Veronensis, vir multæ doctrinæ, qui anno* 1480 *Romæ obiit;*

Marianus de Bosco, ordinis Minorum, *qui anno* 1496 *e vivis recessit apud Montem Alverniæ in Thuscia;*

Michael laicus, *qui in India Occidentali venerabilis viri Francisci Laurerii comes exstitit et circa annum* 1570 *vita functus est, celebratur hac die ab Huebero; sed perseverantis cultus ecclesiastici testimonia desiderantur.*

B. Dulcina *seu* Dulcelina, *hodie in fastis Ordinis Minorum laudata, ad exemplum et cohortationem fratris sui Hugonis de Dina inter virgines sodales tertii Ordinis S. Francisci Massiliæ adscribi petiit et obtinuit. Ejus vestigiis plurimæ adolescentulæ, gravesque matronæ insistentes, ad omnimodam perfectionem ascenderunt. B. Dulcinæ frequentes mentis excessus, et familiaria cum cælitibus colloquia laudant Waddingus* (1), *Gonzaga* (2), *Hueberus* (3), *Arturus* (4), *Fremault* (5), *Guesnay* (6) *aliique. Circa annum* 1282 *vivere desiit, atque Massilliæ juxta fratrem suum Hugonem honorabiliter sepulta miraculis claruit. Cum vero laudati scriptores de cultu publico B. Dulcinæ ejusque fratris Hugonis, prout et antecessores* (7) *nostri de eo animadverterunt, omnino sileant, B. Dulcinam inter prætermissos reponendam existimamus.* D

B. Bona, *quæ in fastis Franciscanis hodie celebratur, regulam S. Claræ professa est in monasterio S. Annæ Lerigniani prope Narbonam. Agens de hoc cœnobio Gonzaga :* Plurimum honorantur, *inquit*, hoc in loco ossa summo odore fragrantia, beatæ sororis Bonæ ex prosapia de Arminiaco : quæ tanta fuit vitæ austeritate, tantaque prædita elevatione mentis in Deum, ut dono prophetiæ, aliquando fuerit illustrata, potissimum super obitum patris sui, prout legenda ejus testatur. Fertur quoque ad sepulcrum dictæ sororis Bonæ quidem mortuus olim resuscitatus. *Neque ex Gonzaga* (8), *neque ex Waddingo* (9), *aut Arturo* (10) *quo tempore floruerit colligere possumus : neque meliori successu genealogiam nobilissimæ familiæ Arminiacensis* (Armagnac), *ab Anselmo Augustiniano* (11) *textam, adivimus. Barezzi* (12) *vero innuit B. Bonam circa annum* 1565 *floruisse; sed minus absonum videtur, admittere cum Huebero* (13) *eam anno circiter* 1431 *sub Regula S. Francisci militasse. Verum cum non sufficienter constet ei fuisse cultum publicum delatum, B. Bonam inter prætermissos recensemus.* E

Agnes a Deo ordinis Minorum, *quæ circa annum* 1528 *mirabiliter Ulyssipone sepulta esse dicitur; laudatur hac die ab Huebero in Menologio Franciscano; sed legitimi cultus indicia adsunt nulla.*

F

Leonardum Kesselium, *domo Lovaniensem, professione sodalem Societatis Jesu, die* 26 *octobris anni* 1574 *violenta morte Coloniæ e vivis excessisse memorant nostri annales. Is a Petro Fabro inter S. Ignatii sodales cooptatus incredibiles in vinea Domini labores Coloniæ Agrippinæ exantlavit, atque miraculorum gloria et prophetiæ spiritu exstitit illustris. Leonardi Vitam non sine cura scripsit nuper noster Prosper Van der Speeten* (14).

Antonius de Souza, ex Societate Jesu, *anno* 1633 *hac die martyrium fecit Nagazakii. Nondum ab ecclesia inter cælites vindicatus est.*

(1) Annales Minorum, an. 1282, t. V, § XI, p. 113.—(2) De Origine Seraph. relig. part. I, p. 822.— (3) Menologium Franciscanum ad 26 Octobris. — (4) Martyrologium Franciscanum ad 29 Octobris. Item sacrum Gynecæum 29 Octobris. — (5) De geestelyke Palmboom, t. II ad 21 Februarii. — (6) Annales provinciæ Massiliensis an. 1278, 1282. — (7) Acta SS., t. V Augusti, p. 752. — (8) De Origine Seraphicæ religionis Franciscanæ, tertia pars, p. 842. — (9) Annales Minorum ad an. 1431, § XXII. Edit. rec., t. X, p. 184. — (10) Martyrologium Franciscanum, 26 Oct. Item sacrum Gynecæum, 26 Oct. — (11) Histoire généalogique et chronologique de la maison royale de France, t. III, p. 411. Edit. Trois. — (12) Pars IV Chronic. Minor., lib. IV, cap. 40. — (13) Menologium S. Francisci, 26 Oct. — (14) Collection des Précis historiques, année 1863, p. 344, 370, 390, 423 et 443.

Joasaphum

A Joasaphum Athonitem, *qui cum patriarcha Niphonte ineunte sæculo* XVI *a Turcis crudeliter occisus est. Licet autem Niphon concilio Florentino faverit neque legatur renovato schismati consensisse, (quæ laus ad mortis suæ socios etiam transferenda videtur,) non tamen audemus Joasapho Athonitæ extra Prætermissos locum dare, quum ecclesia catholica eum nondum inter sanctos martyres vindicaverit: cæterum vide Annum ecclesiasticum græco-slavicum ad præsentem diem.*

S. Juliana, insignis femina Constantinopolitana *et neptis Justini imperatoris, occurrit hodie in Gynecæo Arturi. Magnæ sane ejus laudes; sed quidni item de ejus cultu constet?*

B. Constantia, Friderici imperatoris neptis, atque Petri Aragonum regis uxor. *Ita Gonzaga* (1), *ubi enumerat beatas mulieres secundi atque tertii ordinis S. Francisci. Narrat Zurita* (2) *Constantiam in habitu Clarissarum, quam post mariti sui obitum assumpserat, sepultam fuisse apud Fratres Minores Barcinone, licet sint qui eam in Sicilia defunctam et tumulatam fuisse dicant.* Erat ecclesiæ
B obsequentissima; adeo usque, *ait Waddingus* (3), ut Fredericum filium, pro Siculo rege se gerentem, nullatenus nomine in suo testamento donarit, nec quidquam ei legaverit, præter jura sua in Cellarum et Ponzari oppidula, idque adhibita cautione, ut prius ad obedientiam summi pontificis reverteretur, Siculis rebus abdicando. *Obiisse videtur anno* 1302, *nescitur quo die. Ejus memoriam facit ad diem* 26 *octobris, quin aliquid de ejus cultu innuat, Ludovicus Schönlebius* (4).

B. Hertwinus, episcopus et abbas Laubiensis, *laudatur in mss. nostro Martyrologio S. Salvatoris Antverpiensis; sed in rerum natura nemo sanctus Laubiensis præsul hoc nomine exstitit: intelligitur S. Erminus, qui die* 25 *aprilis colitur, et cujus translationis memoriam præsenti die olim actam fuisse supra monui.*

Commemoratio sanctorum et beatorum abbatum et monachorum monasterii S. Bertini seu de Sithiu *annuntiatur hodie a Bucelino in Menologio Benedictino; cui accedunt pro*
C *more Antonius de Heredia in Vitis benedictinis hispanicis et Benedictus Cherle in Martyrologio benedictino germanico. Porro Joannes Yperius, qui sub annum* 1350 *Chronicum Sithivense sancti Bertini scripsit, in præfatione monet, quod Deus* in hoc sacratissimum beato Petro dicatum ovile congregavit tot, tantos ac tales, ut de viginti duobus sanctis hujus ecclesiæ monachis solemniset ecclesia Dei (5). *Quin etiam viginti quinque inscripti sunt Arbori Bertinianæ, quam Henricus Costerus, ecclesiæ S. Mariæ Antverpiæ parochus, eleganter æneis tabulis sculpi curavit a Julio Golzio et in publicum edi; cujus imaginis exemplar anno* 1594 *a Michaele Buzelino, Sithivensi monacho, Arnoldus Wion, in monasterio S. Benedicti de Padua consistens, obtinuit: atque inde nomina recitavit idem* D
Wion (6) *et post eum Bucelinus* (7). *Similiter Raissius* (8), *sed omisso S. Bertino, quasi aliorum patre, viginti quatuor recenset. Contra Carolus de Witte, Sithivensis olim bibliothecarius, licet aliquot ex Arbore Bertiniana negligat, viginti septem exhibet; viginti tria numerasse Malbrancus traditur* (9); *et demum Ven. Viri Van Drival et Parenty* (10), *antiquo usi catalogo, viginti duo; quibus septem facile addi possunt. Quum autem numquam ea de re in opere nostro actum fuerit, juverit omnia nomina percurrere, ita ut simul indicemus de quibus et qua die in opere nostro dictum sit aut disputandum esse videatur et quinam et quas ob causas prætermissi fuerint. Venit itaque*

1° S. Bertinus, *monasterii fundator, de quo actum est a decessoribus nostris ad diem* V Septembris.

2° S. Bertramnus *seu* Ebertramnus, *qui socius olim fuit S. Bertini in prædicatione, dein filius in Sithivensi asceterio et demum S. Quintini abbas. Ejus cultum ecclesiasticum alibi* (11) *vindicavimus; gesta autem breviter explicuit Bollandus ad diem* XXIV Januarii. E

3° S. Walbertus *seu* Waldebertus, *comes Arquensis, quem male confundunt cum S. Walberto abbate Luxoviensi, ut ostendit Henschenius, in Commentario prævio de sanctissimo hoc abbate ad diem* 2 *maji; sed de ipso S. Walberto Sithivensi in Actis seorsim disputatum non fuit. Verumtamen ejus gesta, immixta Vitis S. Bertini, legi possunt in opere nostro ad diem* V Septembris.

4° S. Bertinus *minor, S. Walberti et Ragentrudis filius, qui patris exemplo in Sithivensi monasterio cucullum monasticum induit. Eatenus cultum publicum habuit ut ejus ossa condita fuerint in capsa S. Erkenbodonis* (12): *de qua consuetudine ex proposito disputavit Ven. Vir Pallu du Parc, dein ad episcopalem dignitatem promotus, in egregia dissertatione de inventis S. Eutropii, episcopi Sanctonensis, reliquiis. Neque de hoc S. Bertino in Actis singulariter dictum fuit.*

5° S. Mommolenus, *socius SS. Bertini, Bertramni et Audomari, deinde vero Noviomensis et Tornacensis episcopus, a me illustratus fuit ad diem* XVI Octobris. F

6° S. Winnoci, *fundatoris et primi abbatis Wormholtani, gesta declarabuntur in Actis nostris ad diem, qua jam pridem colitur,* VI Novembris.

7° 8° *et* 9° S. Quadanocus *seu* Quadavocus, S. Ingenocus *et* S. Madocus, *tres S. Winnoci socii, inscriptique Arbori Bertinianæ, Raissii Gazophylacio et Caroli de Witte Catalogo, simul cum S. Winnoco, si tamen demonstretur cultus, celebrari poterunt ad dictam diem* VI Novembris.

10° S. Erkenbodo, *prius Sithivensis abbas et dein Teruanensis Morinorum episcopus, laudatus fuit in opere nostro ad diem* XII Aprilis.

(1) De Origine Seraphicæ religionis Franciscanæ, pars. I, p. 100. — (2) Annales de la corona de Aragon, lib V, cap. 55. t. I, p. 406. — (3) Annales Minorum ad an. 1302, § VI, t. VI, p. 10. — (4) Annus sanctus Habspurgo-Austriacus, p. 685 et 686. — (5) Ap. Martene et Durand, Thesaurus novus anecdotorum, tom. III, col. 446. — (6) Lignum Vitæ, tom. II, p. 730 et 731. — (7) Menologium Benedictinum, ad 26 Octobris. — (8) Gazophylacium Belgicum, p. 98. — (9) Van Drival et Parenty, Légendaire de la Morinie, pag. 216 et 386. — (10) Ibid., locc. citt. — (11) Acta SS., tom. VIII Octobris, p. 984. — (12) Van Drival et Parenty, Légendaire de la Morinie, p. 224.

11° S. Hunfridus,

A 11° S. Hunfridus, *prius Prumiæ monachus, dein Sithivi abbas et demum Morinorum Teruanæ episcopus, in opere nostro cum commentario de ejus gestis prodivit ad diem* VIII Martii.

12° S. Fulcus, *ex canonico S. Audomari Bertinianus abbas, atque inde Remensis archiepiscopus, et demum pro defensione ecclesiasticæ libertatis occisus, licet a Reginone et ab aliis martyr appelletur, quod cultu ecclesiastico aut vindicatione legitima carere sibi videretur, a decessoribus prætermissus est ad diem* XVII Junii.

13° S. Grimbaldus, *præpositus S. Bertini et eruditionis doctrinæque gratia ab Alfredo Magno, qui se ejus discipulum fecit, in Angliam vocatus, universitatis Oxoniensis quasi fundator, spretoque (ut volunt) Dorovernensi episcopatu, Wintoniensis abbas creatus, in opere nostro Commentarium de suis gestis habet ad diem, qua colitur,* IX Julii.

14° et 15° Joannes *et* Asserus *certissime S. Grimbaldi socii in aula Alfredi Magni fuerunt* (1); *et perperam ex illis duobus unum*
B *conflare, qui binomen fuerit, conatus est Wion* (2). *Ambos Menevensis cœnobii alumnos fuisse contendit Spelmannus* (3); *et quidem Joannem* ex antiqua Saxonia *seu transrhenana* oriundum *fuisse*, quem Alfredus constituerit abbatem in monasterio suo Ethlingensi, *auctor est Guilielmus Malmesburiensis* (4); *sed vestigium aliquod apparet nuspiam quasi Joannes ille prius inter Sithivenses versatus fuerit quam in Angliam abiverit; neque memoria est ulla quod Asserus, (etiamsi statuatur duos tum vixisse, alterum episcopum Shirburnensem, alterum archiepiscopum Menevensem,) quidquam cum Bertinianis commune habuit, nisi quod novit S. Grimbaldum eumque laudavit. Sed, quod maxime ad nos spectat, neque Joannes, neque Asserus, licet in Arbore Bertiniana atque inde a Wione, Bucelino et Antonio de Heredia* beati *vocentur, in Angliam cultum ecclesiasticum habuerunt; neque etiam (ut ex Legendario Morinensi constat) inter viginti duos sanctos Sithivenses numerabantur, quos ab ecclesia solemnisatos fuisse scripsit Iperius.*

C 16°, 17°, 18° *et* 19° SS. Wocardus *seu* Worardus *et* Winedbaldus, *sacerdotes, et* SS. Gerwaldus *et* Regenardus, *diaconi, anno* 860 *aut* 861 *a Normannis, cœnobium vastantibus, miserabiliter occisi, recensentur in Arbore Bertiniana atque etiam a Ven. Viris Van Drival et Parenty, antiquiori Catalogo adhærentibus. De eis plura vide in Miraculis S. Bertini ad diem, quo hic colitur et quo simul decessores nostri, cultus ecclesiastici signa desiderantes, quatuor hos martyres inter prætermissos collocarunt*, V Septembris.

20° S. Gerardus, *abbas Broniensis, et duodecim monasteriorum reformator, vir (siquis alius sæculo* X) *magnus et æterna dignus memoria, fuse a decessoribus nostris celebratus est ad diem suum natalem* III Octobris.

21° B. Lambertus, *Sithivensis abbas, suique monasterii et plurium aliarum ecclesiarum reformator, a Menardo, Saussayo, Bucelino aliisque in martyrologiis seu menologiis monasticis inscriptus fuit ad diem, quo anno* 1125 *obiit et quo decessores, quod cultus indicia deessent, eum inter prætermissos annuntiarunt,* XII Junii.

22° B. Simon, *magnæ pietatis abbas, qui cælestis otii studio munus abdicavit et anno* 1148 *vita functus est die, quo decessores nostri consignarunt ejus nomen propter cultus ecclesiastici defectum inter prætermissos,* IV Februarii.

23° B. Leo, *prius monachus Aquicinctinus, dein abbas Lobiensis et demum Sithivensis, Christi sanguinem Hierosolymis Brugas transtulit et ex hac vita abiit anno* 1163 *die, quo decessores eum ne memorarunt quidem cum aliis, de quorum cultu non constet,* XXVI Februarii.

24° B. Joscio, *miræ sanctitatis summusque cultor B. Virginis Mariæ, et miraculo quinque rosarum illustris, obiit anno* 1163. *Cultum obtinuit ecclesiasticum festumque proprium anno* 1619. *De eo dicemus ad diem ejus natalem* XXX Novembris. E

25° S. Bernardinus *seu* Bernardus *Pœnitens, qui anno* 1183 *ex hac miseriarum valle ad Deum migravit die, quo decessores nostri, quoniam tenue cultus indicium aderat, ejus Vitam ediderunt,* XIX Aprilis.

Quos hactenus recensuimus, inscripti erant Arbori Bertinianæ; quibus Carolus de Witte addendos censet alios quatuor, nempe BB. Dodonem, Rigobertum, Erlefridum et Agilonem, et quintum adjeci ipsemet ex Legendario sanctorum pagi Morinensis.

26° *Itaque loco prodeat* B. Dodo *seu* Duodo, discipulus amabilis *nuncupatus, qui in Vitis S. Bertini, ubi de Waltberto agitur, sæpius prodit; verum, quum cultu ecclesiastico semper caruisse videatur, vide quæ de eo memoriæ servata sunt in Vitis illis S. Bertini ad diem* V Septembris.

27° *et* 28° BB. Rigobertus *et* Erlefridus, *quibus S. Bertinus, senio fractus, cœnobii Sithivensis regimen commisit, laudantur ambo a Folquino et ab Iperio et in Vitis S. Bertini, sed sine cultus ecclesiastici indiciis, ad diem* V Septembris. F

29° B. Agilo, *prius monachus S. Apri Tullensis, a S. Gerardo abbate rector, non vero abbas, Sithivensis constitutus est et summa laude reformatum monasterium rexit. Nomen ejus etiam inscriptum repererunt Ven. Viri Van Drival et Parenty* (5) *antiquiori Catalogo sanctorum Sithivensium; et vocatur ab Iperio* (6) venerabilis vir Agilo, beatus Agilo *et* sanctus Agilo; *unde tanto magis appareat eum extremo sæculo* XIV, *quum scriberet Iperius, publice sanctis annumeratum fuisse, quod studio hos titulos inseruit Iperius, quippe quos apud Folquinum* (7), *cujus vestigia hoc loco relegit, nequaquam obvios habuit. Sed ne scitur quidem præsenti tempore quid olim in ejus honorem fieret.*

30° S. Agilum, *abbatem Resbacensem, quem Luxovii socium habuerant SS. Bertinus, Mom-*

(1) Cfr Spelman, Ælfredi Magni Vita, lib. II, num. 53 et 54, p. 101, et lib. III, num. 38, p. 145. — (2) Lignum Vitæ, tom. II, p. 731. — (3) Loc. supra cit. — (4) Regum lib. II, cap. 4, ap. Smith, Flores ecclesiæ Anglicanæ, p. 186. — (5) Le Légendaire de la Morinie, p. 228. — (6) Chronicum S. Bertini, ap. Martene, Thesaurus, tom. III, col. 552 et 553. — (7) Guérard, Cartulaire de S. Bertin, p. 145.

molinus et Ebertramnus, singulariter coluerunt Sithivenses; ita ut eum inscriptum invenerint Ven. Viri Van Drival et Parenty (1), *antiquiori sanctorum Sithivensium catalogo, quem secuti sunt. Ejus laudes in opere nostro celebratæ fuerunt ad diem* xxx Augusti.

Porro viginti duo, quos ab ecclesia solemnisatos fuisse scripsit Iperius, videntur iidem esse qui Arbori Bertinianæ inscripti erant, si tamen demantur S. Erkenbodo, antiquiori catalogo non inscriptus, et Joannes atque Asserus, plane inconsulte intrusi. Qua vero ratione solemnisaret illos ecclesia universos, non liquet. Sane SS. Bertini, Mummolini, Winoci, Erkenbodonis, Hunfridi, Grimbaldi et Gerardi annua festa cum officio chorali et liturgico celebrabantur; sed quid ad colendam reliquorum memoriam fieret nuspiam reperio: nisi quod natali S. Bernardini seu Bernardi Pœnitentis officium fieret anniversarium pro omnibus defunctis, et post missam iretur processionaliter ad ejus monumentum, canendo responsorium: Justorum animæ in manu Dei sunt, *cum oratione seu collecta, in qua generatim memorabantur omnes sancti, quorum reliquiæ in ecclesia requiescebant. Qui cultus modus in Belgio usitatus erat in honorem eorum beatorum quorum causa alibi missa de Trinitate celebrata fuisset* (2). *Fierentne similia in aliorum natalibus aut pertinerent hæc ad omnes viginti duos dicendo non sum.*

B

SS. Mariadri, Lucii et Vieti, martyrum Romanorum, natalis *hodie nuntiatur in Greveniana editione Martyrologii Usuardi. Intelliguntur SS. Marianus seu Marcianus, Lucius et Vietus, qui et Vivetus seu Victus, Hieronymianis fastis inscripti ad proximum diem* xxvii Octobris.

SS. Tharsus, Polycarpus, Gajus, Metrobius, Eumenia, Januarius, Terreus et Corminius, *qui in Phrygia martyrium fecerunt, laudantur hodie errore unius diei in editione Greveniana Usuardi Martyrologii; quum eadem fere recurrant nomina, in alias tamen turmas distributa, in Hieronymianis laterculis ad proximam, qua de eis dicemus, diem* xxvii Octobris.

C SS. Marci, Soterichi et Valentinæ martyrum *laudes celebrantur in Menologio Basiliano; pertinent ad diem sequentem seu* xxvii Octobris.

SS. Vincentium, Sabinum et Christetem, in civitate Alehela, *immo* Abula, *passos, exhibet hac die codex Divionensis, quo in edendis ante tomum II Martii Bedæ et Flori martyrologiis decessores nostri usi sunt; errore unius diei, quum pertineant ad diem* xxvii Octobris.

Nestorem, *qui in Actis S. Demetrii Lyæum in amphitheatro gladiatorem interfecisse legitur, propter S. Demetrii natalem hodie celebratur in Menologio Basilii et in Synaxariis Sirmundiano et Medicæo. Sed in multo pluribus idem prodit ad proximam diem, qua alium S. Nestorem annuntiari contendit Cornelius Byeus* (3), *sentiens illum S. Demetrii comitem nequaquam cultum fuisse. Disputari itaque poterit an Nestor hic ecclesiasticos honores adeptus sit et an diversus sit ab alio S. Nestore martyre ad diem* xxvii Octobris. D

S. Florentium, martyrem Hispali in Hispania, *nuntiat hac die juxta tabulas seu ordinem divini officii illius ecclesiæ Ferrarius in Catalogo generali sanctorum; monens eumdem esse ac S. Florentium, confessorem, qui sæculo* v *floruit, et quem decessores nostri ad normam Martyrologii Romani illustrarunt ad diem* xxiii *februarii. Sed errat martyrologus italus; siquidem, ut ex Hispalensibus martyrologiis et lectionariis* (4) *constat, agatur de S. Florentio martyre, qui in Martyrologio Romano et in aliis antiquioribus ad castrum Tyle dicitur coli proxima die* xxvii Octobris.

S. Frumentium, episcopum in India, *errore unius diei hodie annuntiat Galesinius. De eo sermo erit ad diem* xxvii Octobris.

S. Odranus, abbas et confessor in Hibernia, *venit hodie in supplemento Schendelii ad Menologium Benedictinum. De S. Odrano sermo fiet ad diem sequentem, id est* xxvii Octobris.

S. Angelramnus, episcopus Metensis, vii *kal. novembris seu die* 26 *octobris ad superos abiisse traditur in antiquissimis episcoporum Metensium catalogis. Verumtamen de die* E *ejus supremo non convenit; adeoque majori parti ac martyrologio templi cathedralis inscriptus erat ejus natalis ad* vi *calendas novembris: quare, quum olim inter sanctos coleretur in monasterio S. Naboris, placet de eo dicere ad* xxvii Octobris.

S. Marcelli, martyris Tiingitani, qui passus est sub Manilio Fortunato vii kalendas novembris, *Passionem repererunt decessores nostri in codice pergameno ecclesiæ cathedralis Toletanæ. Verum* iii kalendas novembres *legendum erat, ut ex ipsa Passione constat atque ex multis martyrologiis. De eo itaque dicemus ad diem* xxx Octobris.

B. Benevenutam, virginem tertiariam Dominicanam, *commemorat hodie Arturus in Gynecæo. Si indicia cultus legitimi sufficere videantur, poterit de ea dici ad diem, qua in cælos abiit,* xxx Octobris.

S. Aniani, episcopi Aurelianensis, secundam translationem *commemorat hac die in Martyrologio Gallicano Saussayus; de ea, uti de actis sanctissimi illius episcopi, disseremus ad diem, qua potissime colitur,* xvii Novembris. F

S. Maurini martyris in territorio Aginnensi *natalem celebrat hac die Castellanus in Martyrologio universali; quem dein secuti sunt cardinalis de Noaliis in Martyrologio Parisiensi, Petrus de Rochechouart in Martyrologio Ebroïcensi, de Saint-Allais in Martyrologio universali et Ven. Vir Pétin in Dictionario Hagiologico V°* Morin. *Verum olim agebatur ejus festum in abbatia, quæ eum patronum titularem habebat,* vii *kal. decembris seu* 25 *novembris, atque nunc aut saltem, non ita pridem, (ut mihi ex kalendario liturgico Aginnensi anni* 1831 *constat,) dilatum est in hac diœcesi, quoniam die* 25 *novembris S. Catharinæ natalis celebrabatur cum ecclesia Romana, ad diem sequentem; et die* 26 *octobris natalis statutus est plurimorum martyrum Agīnnensium: de quibus simul dicemus ad memoratam diem* xxvi Novembris.

(1) Le Légendaire de la Morinie, p. 222 et seqq. — (2) Acta SS., tom. III Aprilis, p. 675. — (3) Ibid., tom. IV Septembris, p. 62. — (4) Cfr Florez, España sagrada, tom. IX, p. 301.

S. Faræ

A S. Faræ abrenuntiatio militiæ sæcularis *agebatur olim hac die in Faræmonasterio; ut et* incapsatio *seu translatio die* 10 *maji et exaltatio per operationem miraculorum die* 3 *augusti* (1). *Quæ hoc loco memoramus, plura reservantes ad diem, quo ejus natalis Martyrologio Romano insertus est,* VII Decembris.

S. Gibitrudis, *una ex primis cœnobii Brigensis seu Faræmonasterii in diœcesi Meldensi monialibus, colebatur olim illic hac die. Verum quum omnia, quæ de ea innotuere, contineantur S. Burgundofaræ Vita, præstat de ea dicere (quod etiam de aliquot aliis ejus sodalibus decessoribus nostris visum est) ad diem, quo S. Burgundofaræ gesta explicanda erunt,* VII Decembris.

S. Lazari, discipuli Christi Domini, susceptionem Augustoduni *breviter ad hanc diem explicat Saussayus in Martyrologio Gallicano. De ea dicemus ad diem, qua ejus dabimus Acta,* XVII Decembris.

Jacobi patriarchæ, *ex quo duodecim tribus Israel ortæ sunt, natalem celebrat hodie Grevenus in sua Usuardi Martyrologii editione; itemque Walasser in Martyrologio germanico, quod plures Canisii vocant. In prætermissis ad diem* 5 *februarii monuerunt jam pridem decessores nostri commodius de eo actum iri, ad diem, quo alii ex ejus genere illustrandi erunt,* XIX Decembris.

(1) Chastelain, Martyrologe universel, p. 993.

DE S. DEMETRIO, MARTYRE,

PRIMO EPISCOPO VAPINCENSI IN GALLIIS,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B V. D. B. E

§ unicus. S. Demetrii cultus abrogatus et restitutus. Reliquiarum fata. An discipulus Apostolorum. Ejus martyrium. Ædes sacræ. Monumentorum penuria.

INITIO FORTE SÆCULI II. *S.* Demetrii, *primi episcopi Vapincensis, aliquot fastis perperam ad diem* 25 *octobris inscripti, cultus octoginta annos suppressus fuit Vapinci,*

Ad diem 25 *octobris Martyrologium Parisiense cardinalis de Noaliis, vestigiis insistens Martyrologii universalis Claudii Castellani,* Vapinci, S. Demetrii, primi hujus civitatis episcopi, *natalem celebrat : qua in re unius diei errorem cubare monuimus supra in Prætermissis. Ante omnem enim hominum memoriam festum ejus agitur die* 26 *octobris; non quod hac die vitam pro Christo posuerit, aut depositus seu translatus fuerit, sed quod hæc dies in kalendariis græcis et in paucis aliquot latinis celebris esset S. Demetrii, martyris Thessalonicensis, nomine; cujus Acta dederunt decessores nostri ad diem* 8 *octobris, qua in Martyrologio Romano ejus festivitas annuntiatur. Nam, licet pronum sit ut aliquando in unum confundantur sancti diversissimi, qui ratione ejusdem nominis eadem recensentur die, nil*

C *tamen apud latinos æque ac apud orientales communius deprehenditur quam ut sancti, quorum gesta latent, diebus inscribantur ad quas cognomines sancti inscripti jam sint. Et quidem in Breviario Vapincensi anni* 1499, *quod in bibliotheca imperiali Parisiensi custoditur, et in Missali ejusdem ævi, quod undeviginti abhinc annis penes cl. v. Amat, jurisconsultum Vapincensem, erat* (1), *et similiter in Ordine divini officii recitandi missæque celebrandæ juxta ritum Breviarii et Missalis Romani, quod pro anno bissextili* 1676 *Franciscus Hellies ad usum ecclesiarum Delphinatus et Provinciæ collegit conscripsitque, venit ad diem* 26 *octobris pro diœcesi Vapincensi* festum S. Demetrii, episcopi et martyris, ritu duplici, cum novem lectionibus et commemoratione S. Evaristi. *Qui ritus deinde auctus est seu in duplicem majorem mutatus, ut apparet in Ordinibus annorum* 1761 *et* 1763; *sed anno sequenti, quum jussu Francisci de Narbonne, vix episcopi Vapincensis creati, novum Breviarium Vapincense secundum ritum Parisiensem in lucem prodiit, deletus est S.* Demetrius *episcopus eique substitutus S. Demetrius martyr, Thessalonicensis scilicet, ritu simplici celebrandus : quæ ratio duravit, donec anno* 1823 *Vapincensis diœcesis restituta est. Neque tum mutationes inductæ fuerunt : certe in kalendario liturgico anni* 1831, *quod ob oculos mihi est, legitur ad diem* 26 *octobris natalis* S. Demetrii martyris simplex; *sed, quod non intelligas, in eodem feria* II *Rogationum jubetur* statio *fieri* in ecclesia hospitii ad honorem S. Demetrii, EPISCOPI et martyris, ac hujus ecclesiæ titularis. *Sed inferius ad hanc ecclesiam redibit sermo.*

2 *Neque hic steterant reformatores improvidi; sed ipsarum reliquiarum cultum intermitti voluerant. Quam rem ita explicabo ut deinceps de reliquiis amplius agendum non sit. Catholicorum partes diligenter secuti fuerant Vapincenses, et, ad fœderatorum * partes transgressi, protestantes mœniis expulerant* (2) : *ne, latius hac labe serpente, ipsi aliquando (ut alibi passim fiebat) expellerentur. Sed non multo post, anno scilicet* 1577 (3), *protestantium militum turma, capto oppido, civium partem trucidavit, templum cathedrale vastavit, aliasque multas ædes sacras diruit : quas inter S. Joannis Rotundi, exstructa, ubi dein surrexit capella pœnitentium alborum. Eam volunt olim pantheon fuisse et certe formam referebat panthei Romani; et veterum episcoporum sepulcra continebat* (4). *Receperunt tamen brevi post civitatem catholici, ita ut anno* 1580, *erepto castro Le Mure, universus Delphinatus a protestantibus liber esset* (5); *et Vapincum anno* 1587 *adhuc occuparent fœderati, quum Lesdiguières, prote-*

atque ipsæ reliquiæ bellis civilibus sæculi XVI

* la ligue

(1) Depéry, Mandement à l'occasion du rétablissement du culte de S. Démétrius, p. 14. — (2) Le Bas, France, Dictionnaire encyclopédique, tom. VIII. — (3) Depéry, Histoire hagiologique du diocèse de Gap, p. 245. — (4) Ibid., p. 13, 243 et 245. — (5) De Thou, Histoire universelle, lib. LXXXII, tom. VI, p. 11 et seqq., edit. 1740.

stantium

AUCTORE V. D. B.

stantium in Delphinatu et vicinis regionibus militaris dux, ejus mœnia die 17 *aprilis frustra tentavit* (1). *Sed paulo post, oppido potiti denuo protestantes, omnem auctoritatem nacti fuerunt; adeoque anno* 1603 *Vapinci celebrarunt famosam synodum, in qua in hoc fere uno convenerunt Romanum pontificem, S. Petri successorem, aperte antichristum esse* (2). *Verum non multo ante hæc bella civilia in templo S. Joannis Rotundo retectæ fuerant S.* Demetrii *reliquiæ* (3), *eædemque ibidem pie servabantur, quum procella illa ingruit; in qua maxima pars periit; pars autem mature delata fuit simul cum reliquiis S. Arnulfi, episcopi item Vapincensis, in suburbium Sistaricense, vulgo* Baume-lez-Sisteron *seu Balmam prope Sistaricum; quam anno* 1248 *Beatrix, comitissa Provinciæ ac Forcalquerii, dederat ordini fratrum Prædicatorum* (4). *Eo scilicet etiam se contulit Petrus de Paparin de Calvomonte, episcopus Vapincensis, qui et synodum ibidem celebravit anno* 1587, *et sexennio post exstruxit sibi ædes, etiam nunc dictas* l'évescat (5). *Verumtamen sedem suam repetere potuit Paparinus ante mortem, quam obiit Vapinci die* 1 *augusti anni* 1600 (6). *Aliquanto deinde melior facta est catholicorum in civitate conditio, maxime postquam Carolus Salomon du Serre, ante Paparini coadjutor, jam ejus successor, inivit cum protestantibus pacta, quibus securitas in mœnia reduceretur. Anno itaque* 1616 *Balma Vapincum referenda curavit SS.* Demetrii *et Arnulfi ossa; quæ in templo cathedrali veneratione publica habita sunt, feretris argenteis inclusa, usque ad annum* 1692, *quo simul cum civitate novo affecta sunt dedecore* (7).

et vastatione Sabaudica anni 1692 *servatæ*

3 *Quum enim Victor Amedeus II, dux Sabaudiæ, in Austriacorum partes propendere videretur, ab eo copias efflagitarat Ludovicus XIV, rex Galliæ, quo eum inermem faceret: hinc ortum anno* 1690 *bellum, quod non nisi sexennio post cessavit; ita pace inita ut Sabaudus socios prodidisse videretur. Dum autem hoc bellum ferveret, anno* 1692 *Delphinatum intravit Sabaudus per Guillestre, Ebredunum et Vapincum, multos in exercitu habens Germanos et Valdenses, quibus persuasum erat protestantes Gallos sibi auxilio futuros. Quâ spe quum se delusos esse cernerent, crudelissime habuerunt loca omnia, quo accesserint* (8). *Horrendam cladem imprimis experta est Vapincensis civitas. Spoliata et nudata sunt omnia; et ab abeuntibus ignis injectus, quo deletum est cathedrale templum, omnesque pene domus; paucis dumtaxat superstitibus* (9). *Non tamen perierunt in hac strage S.* Demetrii *reliquiæ. Opportune extractæ fuerant ex thecis et simul cum SS. Arnulfi, Aregii aliorumque sanctorum in sanctuario post altare summum humo absconditæ fuerant ab Alexandro de Vélènes, abbate de Ronseray et vicario generali episcopi, opitulante Joanne Thomé, beneficiato; unde anno sequenti, adstantibus decanis, canonicis, beneficiatis reliquoque clero et præcipuis ex civitate laïcis, eductæ fuerunt ab episcopo Carolo Benigno d'Hervé* (10). *A Sabaudi militibus sublatum fuerat argenteum feretrum, ut et reliquæ lipsanothecæ ex argento: quare nucea facta est arca, tessellato opere distincta et auratura: in cujus culmine hæc inscripta sunt verba:* HIC RECONDUNTUR RELIQUIÆ S. DEMETRII, PONTIFICIS VAPINCENSIS. MCLXXXXII. *Atque ea conditione populari venerationi denuo propositæ fuerunt usque ad annum* 1764.

sepositæ fuerunt, donec eas invenit ill. vir Depéry et venerationi publicæ restituit, anno ante ejus festivitate restituta.

4 *Quo anno (quod vix crederes, nisi passim hoc hominum genus similia patrassent) Vapincensis Breviarii reformatores, ut Officium S.* Demetrii *episcopi amoverant, sic etiam templo interdixerunt sanctissimi viri exuvias, quas in armorio supra sacristiæ portam absconditas esse voluerunt* (11). *Latuerunt illic, omnibus ignoratæ, usque ad annum* 1845. *Tum enim, quum Joannes Irenæus Depéry, nuper ad sedem Vapincensem promotus, totus esset in investigandis rei hagiologicæ Vapincensis monumentis, intellexerat S.* Demetrii *reliquias olim in templo cathedrali fuisse servatas. Præmissis itaque novendialibus in ejus honorem precibus, inquisitionem instituit cum ven. viro Templier, templi cathedralis vicario: neque frustra: die enim* 20 *aprilis* 1845 *cistam reperit, partim putridam, sed sigillis integris, continentem os femoris sinistri, vitta sericea involutum, cum apposita inscriptione:* RELIQUIÆ SANCTI DEMETRII. *Novæ capsæ in tumbæ formam eos inclusit episcopus, præsentibus vicariis generalibus venn. viris Borel et Chabrand, secretariis James et Lépines, et designato jam vicario Templier: qui omnes una cum episcopo nomina sua inscripserunt instrumento publico* (12). *Deinde die* 29 *subsequentis mensis septembris mandato publico restituit pius antistes ad diem* 26 *octobris ritu duplici majori S.* Demetrii primi episcopi Vapincensis festivitatem (13); *quæ illo anno acta est solemni instituta supplicatione, qua pium pignus in templum cathedrale delatum est et in tumba altaris summi depositum* (14): *ubi et hodie requiescit. Quæ cultus restitutio die* 16 *martii anni* 1854 *S. R. Congregationi probata est, simul cum novo kalendario novisque Officiis Vapincensibus, biennio post ab ill. viro Joanne Irenæo Depéry editis.*

Novæ lectiones S. Demetrii, *quibus ejus laudes*

5 *Atque ille ipse episcopus hymnos, lectiones aliaque conscripsit; ex quibus solas lectiones secundi Nocturni producendas esse arbitramur, ut inde, quæ de S.* Demetrio *tradantur, cognoscere liceat. Prodeat itaque primum lectio IV:* Demetrius, primus Vapincensis episcopus, hujus regionis incolas ab infidelitatis tenebris ad evangelii lumen, et a vano idolorum cultu ad cultum Dei viventis adduxit. Sanctum præsulem apostolorum Domini fuisse discipulum non constat quidem monumentis historicis, sed antiquissima est ecclesiæ Vapincensis traditio. Imo etiam vulgo traditur eumdem esse Demetrium, cui a S. Joanne in epistola ad Gajum tam illustre et verum testimonium perhibetur. Demetrius, velut operarius inconfusibilis, evangelium regni prædicans, multos ad fidem convertit et Vapinci ecclesiam con-

(1) De Thou, Histoire universelle, lib. LXXXVIII, tom. VII, p. 51 et seqq. — (2) Ibid., lib. CXXIX, tom. IX, p. 592 et seqq. — (3) Juvénis, ap. Depéry, p. 243. — (4) Gallia Christiana, tom. I, col. 433. — (5) De Laplane, Histoire de Sisteron, tom. II, p. 141. — (6) Depéry, p. 13. — (7) Ibid., p. 14 et 243. — (8) Bertolotti, Storia della R. casa di Savoia, tom. II, p. 150 et seqq.; Muratori, Annali d'Italia, an. 1690, tom. XI, p. 337 et seqq.; Sismondi et Beauchamp, ap. Michaud, Biographie, tom. XLVIII, p. 384 et seqq. — (9) Depéry, p. 245. — (10) Ibid., p. 14, 245 et 246. — (11) Ibid., p. 14. — (12) Procès-verbal du recouvrement de la châsse, etc. — (13) Mandement à l'occasion du rétablissement du culte de saint Démétrius, etc. — (14) Depéry, p. 15.

stituit

A stituit. Tandem fidem, quam verbo docuerat martyrio signavit; et ecclesiam, sudoribus partam, fuso sanguine fœcundavit: non longe ab urbe, præfecti jussu, capite truncatus est.

et antiquus novusque cultus declaratur.

6 Lectio V. Quam præclaram reliquerit laborum memoriam, necnon sanctitatis famam, satis demonstrat subsequentium temporum erga sanctum pontificem veneratio. Illius enim festivitatem, summo honore habitam, præcepto etiam ab omni servili opere cessandi fidelibus imposito, monumenta perantiqua testantur. In veteribus nomini suo dicatis hymnis celebratur ut munditiæ speculum, custos innocentiæ, radix almæ ecclesiæ Vapincensis, stupor dæmonum et languentium medela. Exstant huc usque ædes sacræ in ejus honore consecratæ. Lectio VI. Beati pontificis corpus in ecclesia sancti Joannis Rotunda olim asservabatur. Luctuosis autem prætensæ reformationis perturbationibus, quibus non semel concussa Vapincensium civitas, tam pretiosum pignus majori ex parte periit. Quædam tamen insignes reliquiæ, impiis hæreticorum
B ausibus subtractæ, honorifice in ecclesia cathedrali servatæ sunt usque medium versus decimi octavi sæculi; quo tempore cœperunt in oblivionem dari. Anno autem 1845 Joannes Irenæus, tunc episcopus Vapincensis, ecclesiasticæ antiquitatis amantissimus, cum audisset sancti Demetrii reliquias, in ecclesiæ cathedralis sacrario posthabitas, remanere, adjunctis sibi viris ecclesiasticis, eas diligentissime examinavit; quarum authenticitate recte probata, illas denuo fidelium venerationi exponi et in altari majori cathedralis ecclesiæ asservari præcepit.

Traditur S. Demetrius *secundum veterem traditionem episcopus fuisse temporibus apostolicis:*

7 *Atque in his primo loco asseritur* S. Demetrium *primum Vapincensem fuisse episcopum et propagatæ in illis partibus fidei auctorem. De qua re ante annum* 1764 *dubia nulla suscitata fuisse supra vidimus. Re quidem vera Claudius Robertus in Gallia christiana, quam anno* 1626 *dedit in lucem, omisit* S. Demetrium: *sed in contexendo catalogo episcoporum Vapincensium tam pauper fuit documentorum, ut nomina dumtaxat quatuordecim comperta habuerit* (1). *Fratres Sammarthani, qui triginta annis*
C *post venerunt multoque copiosiores sunt, in fronte Vapincensium episcoporum recensent* S. Demetrium (2); *eamdem viam tenuit Dionysius Sammarthanus, quum anno* 1715 *primum tomum Galliæ christianæ novæ* (3) *edidit. Quibuscum convenit vetus prosa, quæ olim in ecclesia Vapincensi recitabatur et in qua* felix radix ecclesiæ Vapincensis *dicitur. Est autem hoc ipsum carmen, quod in novis lectionibus laudatur. Audi scilicet* (4):

Speculum munditiæ,
Custos innocentiæ,
Et sancti flos pudoris,
Stupor dæmonum,
Medela languentium,
Felix sydus aureum,
Jubar mundo lucidum,
Felix radix
Ecclesiæ Vapincensis
Robur ecclesiasticum.

AUCTORE V. D. B.

Convenit et vetus oratio, quæ in Missali Vapincensi ms. legitur (5): Splendor lucis æternæ, exordium et vera salus omnium, Jesu Christe, omnipotens Deus, largire nobis, quæsumus, ut precibus et meritis gloriosi martyris tui Demetrii, apostolorum discipuli et almæ ecclesiæ tuæ Vapincensis primi præsulis, a catena commissorum soluti, hujus vitæ contagia viriliter effugere et eum imitari cujus, corona purpurea triumphante, intercessorem præcipuum habere apud te mereamur in cælis. Qui vivis et regnas etc. *Neque quidpiam est cur negetur* S. Demetrium *primum fuisse episcopum Vapincensem.*

quæ, si cogitetur per Vapincum tum eundum fuisse ex superiori Italia, Lugdunum, Viennam et Arelatem,

8 *Quod vero* apostolorum discipulus *fuisse traditur, difficilius argumentum est, quoniam communis fere ecclesiarum olim fuit propensio ut apostolicis temporibus natæ crederentur. Equidem asseveranter affirmare nolim ex sanctorum apostolorum discipulis fuisse* S. Demetrium; *multo tamen minus id negare. Vapincum scilicet, sive Caturigum fuerit oppidum, ut senserunt Samson, d'Anville* (6), *Millin* (7) *et Walckenaer* (8), *sive Vocontiorum, ut placuit Salvangio* (9), *seu demum Tricoriorum, ut sibi ex Livio de itinere Annibalis colligere visus est Valesius* (10), *consentiente Ukerto* (11), *hoc certum est illac transeundum fuisse ut ex Italia superiori, v. g. Augusta Taurinorum veniretur ad civitates positas super Rhodanum, Valentiam, Arausionem, Avenionem et Arelatem, atque hinc Massiliam aliaque vicina loca; et ex duabus viis, quibus ex Italia ibatur Viennam et Lugdunum, alteram per Vapincum stratam fuisse. Et quidem nunc in mediis Delphinatus Alpibus itinera difficillima sunt: quanto autem magis olim unæ sequendæ stratæ viæ? Vapinci autem duæ sese intersecabant viæ; quod nuspiam alibi inter Italiam et Rhodanum fiebat. Ut itaque ex Itinerariis Antonini et Burdigalensi et ex Tabula Theodosiana seu Peutingeriana liquet* (12), *ibatur*

Vapinco (mansione)	Gap.	
Ictodurum	La Bastide Vielle.	VI. M. P.
Caturigomagum (mansionem.)	Chorges.	VI. M. P.
Eburodunum (mansionem.)	Embrun,	XIV. M. D. P.
Rome (mutationem)	La Casse Rome.	XVI. M. D. P.
Brigantionem	Briançon.	XV. M. D. P.

F

atque hinc Segusionem (Sion) *et Augustam Taurinorum* (Turin) *etc.*

Ex opposita autem parte (13)

Vapinco	Gap.	
Alamontem	Monestier d'Allemont.	XVI. M. D. P.
Segusteronem	Sisteron.	XVI. M. P.
Alaunionem	Passage de la Lauzun à Mont Laurs.	XXIV. M. P.
Catviacam	Opedette sur le Calavon.	XVI. M. P.

(1) Gallia christiana, in qua regni Franciæ, etc. p. 502. — (2) Gallia christiana, qua series, etc. tom. III, p. 1123. — (3) Gallia christiana in provincias, etc. tom. I, col. 452. — (4) Depéry, Histoire hagiologique du diocèse de Gap, p. 10. — (5) Ibid., p. 16. — (6) Géographie ancienne, tom. I, p. 62 et seqq. — (7) Voyages dans les départements du Midi de la France, tom. IV, p. 170. — (8) Géographie ancienne des Gaules, tom. I, p. 540. — (9) Ap. Valesium, Notitia, p. 585; et in Gallia christ. nova, tom. I, col. 452. — (10) Notitia Galliarum, p. 584 et 585. — (11) Geographie der Griechen und Römer, tom. II, part. II, p. 449. — (12) Walckenaer, Analyse géographique des itinéraires anciens des Gaules, p. 42 et 44. — (13) Ibid., p. 42 et 43.

Aptam

AUCTORE V. D. B.

Aptam Julian	Apt.	XXVIII. M. P.
Fines	Jonction de la Limerque et du Calavon.	X. M. P.
Cabillionem	Cavaillon.	XXII. M. P.
Clanum	St Remy.	XVI. M. P.
Ernaginum	St Gabriel.	VIII. M. P.
Arelatem	Arles.	VII. M. D. P.

Lugdunum autem pergebatur per duas vias, quæ tamen Luci conjungebantur atque iterum in diversum abibant; scilicet (1)

Vapinco	Gap.	
Montem Seleucum	La Bastie Mont Saléou.	XXIV. M. P.
Lucum	Luc.	XXVI. M. P.
Deam Vocontiorum	Die.	XII. M. P.
Augustam	Aoust.	XXIII. M. P.
Viennam	Vienne.	XLVIII. M. P.
Lugdunum	Lyon.	XVI. M. P.

aut (2) :

Vapinco	Gap.	
Geminas(XIV*leg.*)	Le Clos dans le val de Goldemard.	XXVIII. M. P.
Geminas(XIV*leg.*)	Collet de Gras Villars.	XXVIII. M. P.
Lucum	Luc.	XVIII. M. P.

ubi antiquissimæ exstiterunt ecclesiæ Galliarum, nequaquam videtur improbabilis, maxime quoniam primis sæculis

9 *Quum itaque per Vapincum iretur ex Italia Lugdunum, Viennam et Arelatem, ubi sine controversia omnium antiquissimæ Galliarum ecclesiæ et episcopales cathedræ erectæ sunt, equidem capere non possum ab apostolicis viris (episcopos intelligo et presbyteros atque etiam laicos), illac transeuntibus, sparsum non fuisse evangelicum semen. Non enim cogitandi sunt primorum temporum christiani quasi se solos curarent suisque tantum rebus animum applicarent : passim, ut ex sacris fontibus exiverant, pleni erant admirabili ardore ut felicitatem suam cum aliis communicarent. Adeoque sæculo* IV *cælestis ille internusque ardor, qui inter* primitias spiritus *recensendus est, tam communis adhuc erat ut Hieronymus Græcus seu Hierosolymitanus in Dialogo de effectu baptismi doceat hac nota unumquemque rescire posse utrum baptizatus sit necne:* Quotquot, *inquit* (2), divinum spiritum in ventre acceperunt in sancto baptismate, intus in intimis præcordiis, ex agitationibus, motionibus et punctionibus, exsultationibus et operationibus, atque, ut ita dicam, saltationibus gratiæ Spiritus, certissime noverunt in imo cordis sui quod baptizati sunt ; nullus enim homo, non tinctus baptismo in terra, ejusmodi gratia aut effectu abundat, aut plane perfruitur, licet omnia mandata et justitiæ præcepta perficiat. Soli id assequuntur qui per aquam et Spiritum regenerati sunt, et Spiritus sancti gratiam in ventre acceperunt, eamque puram atque impollutam conservant; *carent autem* infideles et hæretici, *quamvis hi* fortasse sacrorum participes fiant (3), *et* tametsi Scripturas, et ecclesias, et sacrificia, et doctores, et libros, et Dei notitiam ex parte, et quasdam actiones bonas, et festos dies, et permutationes vestimentorum, et preces, et pervigilia, et sacerdotes, et alia quam plurima habeant (4).

C

incredibili ardore fidem christiani propagabant.

10 *Quinam autem spiritualium harum motionum essent effectus passim declarant prisci scriptores ecclesiastici. Audi Origenem redarguentem Celsum quod dixisset Christianos recusaturos, si omnes homines Christi fidem amplecti vellent :* Hoc, *inquit* (5), verum non esse indeliquet, quod Christiani, quantum in se est, curent ut quo terrarum cumque sua doctrina dispergatur. Quo fit ut quidam id sibi negotium desumpserint, ut non solum urbes, sed etiam vicos et villas obambularent, quo alios ad pium Dei cultum adducerent : *quam rem dein explicare pergit. Quid, quod Lucianus, aut quisquis ad finem sæculi* I *Philopatrida scripsit, irridet christianos, quod opportune importune gentiles ad sua sacra traducere conarentur* (6)? *Quæ irrisiones in altero dialogo de morte Peregrini etiam recurrunt. Accedunt historica testimonia, quibus constat carceres, ergastula, palatia, villas, officinas, castra, vias, a christianorum evangelizandi ardore non fuisse libera. Quæ quum ita sint, quomodo fieri potuisset ut christiani Lugdunenses, Viennenses et Arelatenses, euntes in Italiam, et vicissim Itali, venientes ad has civitates, toties Vapincum transierint atque in ea mansione commorati fuerint, quin fidem suam cum incolis aliquot communicarint? Quod si parvulus illic grex exstiterit, ferebant horum temporum mores ut, etiamsi exigua fuisset civitas, episcopus illic constitueretur : tanto magis quod in Notitia imperii* civitas Vapincensium *censeatur quinta civitas provinciæ Narbonensis secundæ, metropoli civitate Aquensium* (7). *Quamobrem nil ego video in pristina Vapincensi de S.* Demetrio *traditione, quod fidem superet.*

D

E

Non videtur S. Demetrius idem esse qui laudatur a S. Joanne in epistola ad Gajum. Quæ de ejus referantur martyrio.

11 *Quod vero is idem ille fuerit, de quo S. Joannes evangelista in epistola ad Gajum scripsit :* Demetrio testimonium redditur ab omnibus et ab ipsa veritate, sed et nos testimonium perhibemus : et nosti quoniam testimonium nostrum verum est; *recentior conjectura est, sola nominum similitudine nixa, quam non magni faciunt ipsi Vapincenses. Quod autem martyr fuisse perhibetur, hac traditur passus occasione : quum in dies Vapinci cresceret christianorum numerus, conati sunt prius dæmones terriculamentis formidinem injicere sancto episcopo; quæ quum inutilia esse sensissent, idolorum sacerdotes commoverunt ut Simoni, civitatis decurioni, suaderent veteri religionem nullam salutem esse, nisi de medio tolleretur* Demetrius. *Porro, quamvis animi anxius esset Simon, quoniam vehementer a neophytis diligeretur beatus vir, jussit tamen eum in vincula conjici et crudeliter torqueri. Sed nihil his motus Christi athleta in ipso carcere fidem prædicavit. Quapropter jussu decurionis ad solitam carnificinam, ad monticulum scilicet suburbanum, (ubi deinceps S. Andreæ cœmeterium ad septentrionem civitatis fuit,) ductus est et capite truncatus. Quoniam autem olim more martyrum gallicanorum caput manu gestans pictus erat in tabula, quæ in cathedrali templo adhuc cernitur, dictus fuit humo surrexisse et coram mirantibus turbis verticem portasse; sed difficilius nunc huic rerum generi fides additur : de quo cæterum ad diem* 16 *octobris, ubi multitudinem martyrum cephalophororum indicavimus* (8), *satis digressi sumus.*

F

(1) Walckenaer, Analyse géographique etc., p. 45. — (2) Ap. Migne, Patrologia græca, tom. XI, col. 862. — (3) Ibid., col. 866. — (4) Ibid., col. 863. — (5) Lib. III, contra Celsum, cap. 3, col. 931, edit. Migne. — (6) Opp. Luciani, edit. Basil., an. 1563, tom. III, p. 466 et 467. — (7) D. Bouquet, Hist. de France, tom. I, p. 124. — (8) Acta SS., tom. VII Octobris, p. 819.

12 *Quod*

A *Ædes sacræ ejus titulo dicatæ. Unde proveniat memoriarum penuria.*

12 *Quod initio dixi feria II Rogationum stationem fieri ad sacellum nosocomii seu hospitii illicque cantari antiphonam in S.* Demetrii *honorem, id fit quoniam hoc sacellum, quæ vetus capuccinorum ædicula est, titulum S.* Demetrii *habet. Ex quo autem tempore ill. vir Depéry beati episcopi cultum restituit, consecravit ipsemet eodem titulo anno* 1846 *capellam pœnitentium alborum et altare in venerabili sanctuario B. M. V. de Laus, leucam distante a Vapinco. Dum his autem finem impono, video satis me passim non nisi probabilia afferre potuisse. Verum nemo umquam resarciet historiæ ecclesiasticæ Vapincensis lacunas. In ea enim diœcesi vix una fuit virorum abbatia, scilicet de Closso; quæ celebris numquam fuit aut frequens, et initio sæculi* XVIII *carebat incolis* (1) : *ita ut Vapincensis diœcesis ea numquam habuerit literaria subsidia, quibus abundarunt aliæ ecclesiæ. Deinde a Saracenis tentatum fuit Vapincum anno* 968 (2) *et plurima passum damna. Ad finem sæculi* XVI (*ut supra explicuimus*) *a protestantibus sæpius capta fuit civitas et a catholicis recepta : quas inter clades quæ supererant monumenta pleraque perierunt. Calamitatis tamen cumulus accessit, quum* (*ut suo etiam declaravimus loco*) *Sabaudiæ ducis exercitus civitatem fere delevit. Unde id unum concludere placet momentum nullum inesse argumento, quod negativum vocare solent; quum de Vapincensibus rebus incidit disputatio. Quæ ea maxima de causa moneo, quod S.* Demetrii *successores usque ad S. Constantinum, qui sæculo* V *floruit, ignorantur.* AUCTORE V. D. B.

(1) Gallia Christiana, t. I, col. 452. — (2) Chorier, Hist. du Dauphiné, p. 740.

DE S. EVARISTO,

B

PAPA ET MARTYRE,

E

SYLLOGE HISTORICA.

J. V. H.

§ unicus. Sancti memoria minus frequens in fastis eeclesiasticis; inquiritur, an S. Anacleto, an S. Clementi successerit; an distinguendus sit Cletus ab Anacleto; tempus et diuturnitas pontificatus; distributio titulorum Urbis; varia ejus decreta; suppositiae ejus Reliquiæ.

ANNO CVIII. *S.* Evaristus, *omissus in antiquioribus Fastis,*

Parca valde sunt, quæ nobis servavit antiquitas circa res gestas a S. Evaristo *papa et Martyre. Imprimis de eo silere videtur Martyrologium Hieronymianum : nam qui ad diem* XXIII *decembris recensetur Martyr romanus Evaristus, alius mihi est, quam pontifex noster. Ista quidem die habetur sequens annuntiatio :* Romæ natalis sanctorum Egeni, Eleutheri, Urbani, Corneli, Trajani, Evaristi, Metelli, Victoris, Titiani, Cleti, Siriani, Bassilini, Niceti, Flaviani, Felicis, Pullii, Ancleti, Sopatri, Saturnini, Eufrosini, Castulæ et aliorum DCC. *Non facile quis sibi persuadebit, in media hac Martyrum turma delitescere S.* Evaristum *Papam et Martyrem. Quinimmo ipse Florentinius in suo Commentario ad hunc locum, dicit codices quosdam omittere nomen Evaristi, alios aliam palæstram assignare, tandem jam monuisse Rabanum, codices hoc loco esse mutilos et luxatos. Quapropter Sollerius in suo Usuardo ad diem* XXIII *decembris sine ambagibus, pronuntiat hunc Evaristum* alium esse *a Papa et Martyre nostro. Cæterum fasti Hieronymiani, si editionem Florentinii consulas, non recensent Linum, Hyginum, Telesphorum, Pium, Soterem, quamvis nemo dubitet de eorumdem sanctitate et cultu.*

C

in recentioribus recolitur.

2 *Primus igitur, quem novimus, Martyrologus, qui suis fastis nomen S.* Evaristi *pontificis inscripsit, est Ado ad diem* XXVII *octobris his verbis :* Romæ, Evaristi Papæ, qui sedit in episcopatu annos novem et sub Trajano martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano. *Additur autem in multis codicibus :* Hic titulos in Urbe divisit presbyteris : et septem diaconos ordinavit, qui custodirent episcopum prædicantem. *Usuardus nomen S.* Evaristi *omnino præteriit; ejus tamen Auctaria pleraque hoc silentium suppleverunt. Hagenoyense omnium copiosissime ad diem* XXVI *octobris habet :* Romæ natale Sancti Evaristi Papæ et Martyris, qui quartus post beatum Petrum Romanam rexit Ecclesiam annis decem, mensibus septem. Hic natione erat græcus ex patre judæo, nomine Juda, de civitate Bethlehem. Hic titulos in Urbe Roma divisit cardinalibus presbyteris et diaconibus. Hic constituit, ut conjugium publice a præsentibus sponderetur et a sacerdote postmodum benediceretur. Hic martyrio coronatur sub persecutione Trajani imperatoris et sepelitur juxta Sanctum Petrum. *Tandem romanum hodiernum laudes Sancti hisce verbis complectitur :* Romæ, Sancti Evaristi Papæ et Martyris, qui Dei Ecclesiam sub Hadriano imperatore suo sanguine purpuravit. F

S. Anacleto,

3 *Dicta Martyrologiorum hactenus recitata satis monstrant varias esse quæstiones examinandas circa S.* Evaristum. *Imprimis videmus illum frequenter vocari* quartum pontificem post S. Petrum : *quod eatenus verum est, quatenus aut Cletus aut Anacletus ex Catalogo pontificum expungatur. Hac ratione habemus post S. Petrum, primum Linum, secundum Clementem, tertium Cletum seu Anacletum, quartum* Evaristum, *cui Alexander Papa successit. Quod si Cletus et Anacletus sint distincti pontifices, jam quintum locum occupat S.* Evaristus. *Nam certum est, hos, si bini fuerint,* Evaristum *præcessisse, quum omnes catalogi deinceps Alexandrum et posteriores pontifices sine ulla controversia*

AUCTORE J. V. H.

versia ponunt. Non est hujus loci operosius inquirere in hanc sive distinctionem sive confusionem Cleti et Anacleti. Distinguendos existimarunt majores nostri tum ad diem XXVI *aprilis, ubi de S. Cleto* (1), *tum ad* XIII *julii, ubi de S. Anacleto tractarunt* (2). *Joannes Bapt. Sollerius, posterioris Commentarii scriptor, quamvis distinctionem inter Cletum et Anacletum defendat, fatetur tamen eam esse vim argumenti contrarii, ut quæstio omnino incerta pendeat. Et profecto S. Irenæus, circa medium sæculum* II *scribens sub Sotere papa, adeoque ab Anacleto quinquaginta annis divisus, vix ignorare potuit successionem Romanorum Pontificum : ita autem evolvit hanc successionem lib.* III *Adversus Hæreses cap.* 3 (3), *ut post S. Petrum primus sedem occupet Linus, secundus Anacletus, tertius Clemens, quartus* Evaristus. *Sunt quidem alii antiqui, Clementem Anacleto præponentes : sed hæc quæstio examinari poterit ad diem* XXIII *novembris, quo de S. Clemente fusius agetur. Quartus igitur aut quintus a S. Petro S.* Evaristus *fuerit, prout Cletus et Anacletus aut distinguantur aut confundantur.*

qui a S. Cleto distinguendus est, succedit,

4 *Scribit Eusebius in suo Chronico* (4) : Romanæ Ecclesiæ episcopatum quartus suscepit Evaristus annis novem : *in sua autem Historia ecclesiastica lib.* IV, *cap.* 1 (6) : Eodem tempore (*id est circa annum duodecimum imperii Trajani*) quum Evaristus annos octo in pontificatu exegisset, Romæ episcopatum suscepit Alexander, quintum a Petro et Paulo successionis obtinens locum. *Hinc videmus, Eusebium, utpote qui sibi non constet, non undequaque tutum esse ducem, in assignandis annis pontificum. Catalogus, ab Henschenio nostro in limine tomi I Actorum Aprilis editus et in Liberio, papa anno* 352 *desinens, tribuit S.* Evaristo *annos tredecim, menses* VII, *dies* II (5) ; *dum alter catalogus usque ad Felicem papam IV, qui anno* 427 *sedit, excurrens, pontificatum Sancti intra annos novem, menses decem et dies duos limitat, quamvis eum dicat* fuisse a consulatu Valentis et Veri *seu* Veteris, usque Gallo et Bradua (7), *id est secundum fastos consulares ab anno Christi* 96 *ad* 108. *Sed quoniam ultra annos tredecim sederit S.* Evaristus : *initium pontificatus in annum præcedentem seu Christi* 95, *quo vivere desiit S. Anacletus, defunctus nempe Domitiano XVII et Flavio Clemente consulibus potest reponi. Hac ratione habemus pontificatum annorum tredecim et aliquot mensium. Catalogi, qui multi a Benedictinis Solesmensibus referuntur, omnino varii sunt, plerique quidem novem, sed alii decem aut tredecim et quatuordecim annos pontificatui S.* Evaristi *assignantes* (8) : *adeo ut vix quidpiam lucis ex eorum auctoritate elicere liceat.*

C

tempus pontificatus

5 *Anastasius Bibliothecarius S.* Evaristo *assignat* annos tredecim, menses sex, dies duos, *nempe* a consulatu Valentis et Veteris usque ad Gallum et Braduam consules (9). *Rite animadvertit Joan. Stiltingus noster ad diem* XXII *septembris in Sylloge de S. Lino* (10), *agens de variis annis, pontificatibus assignatis, scribit* de diebus et mensibus, qui annis adjiciuntur, minus certos nos esse posse, quam de annis, quum hi ex consulibus innotescant. Neque enim tam facile alios consules aliis substituunt librarii, quam numeros annorum, mensium et dierum corrumpunt. *Sed enim hoc argumentum omnino validum est, in casu nostro, quum, ut supra notavimus, Catalogus qui novem solum annos pontificatui tribuit, nihilominus simul signat, S.* Evaristum *a consulatu Veteris usque ad Braduam, id est ab anno Christi* 96 *ad* 108, *Romanam rexisse Ecclesiam seu per annos tredecim et aliquot menses et dies.* D

monstratur ex Fastis consularibus;

6 *Omnes antiquiores Catalogi consentiunt, teste Francisco Bianchini* (11), *in assignandis iisdem consulibus ætati singulorum pontificum : verum Binius in Notis ad Anastasium, mutata pontificum chronotaxi, consulum nomina annis ab ipso indicatis accomodavit. Sic initium pontificatus* Evaristi *nostri sub Pisonie et Hasta, anno Christi* 111, *finem vero sub Aviola et Pansa coss., anno* 122 *statuit. Nihil dicamus de consulatu Hastæ, qui secundum Fastos consulares ad annum Christi* 57 *aut* 175 *pertinet, adeoque nullatenus potest cum temporibus S.* Evaristi *quadrare : esto error, qui Binio, accuratiores fastos consulares ignoranti; obrepere potuit. Sed præter Fastos chronologia suam texens Binius, a Lino usque ad Alexandrum Papam a Catalogis antiquissimis Liberii et Felicis recessit et consulatus pro arbitrio intervertere coactus fuit. Ut vero pateat, quæ sit diversitas inter antiquos Catalogos et Binium, in duplici columna utramque chronotaxim consularem apponimus.* E

SECUNDUM CATALOGOS ANTIQUOS.		SECUNDUM BINIUM.	
	LINUS.		
Incepit		*Incepit*	
Consulibus,	*anno Christi,*	*Consulibus,*	*anno Christi,*
Scipione Saturnino (12)	56	Fontejo Rufo	67
Cessavit		*Cessavit*	
Capitone Rufo	67	Commodo Prisco	78
	CLETUS.		
Incepit		*Incepit*	
Vespasiano VII Domitiano V(13)	76	Vespasiano IX Tito VII	79
Cessavit		*Cessavit*	
Domitiano IX Rufo	83	Trajano Glabrione	91
	CLEMENS.		
Incepit		*Incepit*	
Trachalo Italico (14)	68	Trajano Glabrione	91
Cessavit		*Cessavit*	
Vespasiano IX Tito	79	Trajano III Frontone	100
	ANACLETUS.		
Incepit		*Incepit*	
Domitiano X Sabino (15)	84	Trajano IV Articulejo	101
Cessavit		*Cessavit*	
Domitiano XVII Clemente	95	Pisone Hasta	111
	EVARISTUS.		
Incepit		*Incepit*	
Valente Veteri (16)	96	Pisone Hasta	111
Cessavit		*Cessavit*	
Gallo Bradua	108	Aviola Pansa	122

F

(1) Acta SS., t. III Apr., p. 409. — (2) Ibid., t. III Jul., p. 479. — (3) Migne, Patrol. Gr., t. VI, col. 850 et seq. — (4) Ibid., t. XIX, col. 552. — (5) Ibid., t XX, col. 304. — (6) Acta SS., t. I Apr., p. xx. — (7) Ibid., l. c. — (8) Orig. de l'Egl. Rom., pièces just., p. 111 et seqq. — (9) Migne, Patrol., t. CXXVII, col. 1135. — (10) Acta SS., t. VI Sept., p. 539. — (11) Migne, Patrol., t. CXXVII, col. 286. — (12) Ibid., col. 1047. — (13) Ibid., col. 1059. — (14) Ibid., col. 1078. — (15) Ibid., col. 1115. — (16) Ibid., col. 1135.

Unum

A *Unum annotabo, consulatus, Cleto attributos, esse assignandos Clementi, aut Clementem esse anteponendum Cleto. Quæ inquisitio in diem* XXIII *novembris, quo de Actis S. Clementis agendum erit, proraganda nobis videtur.*

videtur tamen ordinatus episcopus vicarius, vivente S. Anacleto.

7 *Franciscus Bianchini in Notis chronologicis ad Anastasium Bibliothecarium* (1) *censet,* S. Evaristum *episcopum ordinatum fuisse, vivente antecessore, sive is Anacletus sive Clemens fuerit, anno Christi* 95 *die* XXV *martii: alioquin tredecim anni cum mensibus septem et duobus diebus difficile reperiuntur. Quod vero ejus ordinatio ad consulatum Valentis et Veteris referatur, inde provenit, ait Bianchinius, quod, qui eum in Catalogo præcedit, Anacletus sub consulatu Domitiani XVII et Clementis, seu anno Christi* 95, *desiisse dicitur: sed tunc quidem ordinatio S.* Evaristi *facta* XXV *martii obitum S. Anacleti,* XIII *julii defuncti, tribus mensibus et diebus novemdecim præcessit. Quapropter dicendum erit, S.* Evaristum, *vivente S. Anacleto, fuisse Romæ episcopum vicarium, citra jus tamen successionis, quod studiose semper vitavit Romana Ecclesia. Atque istiusmodi vicariorum* B *institutio initio Ecclesiæ sat frequens Romæ fuit. Nam, teste S. Epiphanio Hær.* XXVII, *cap.* 6 (2), poterant viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet et Paulo, episcopi alii subrogari; quod iidem illi prædicandi evangelii gratia in alias urbes regionesque profectionem susciperent, carere autem episcopo Roma non posset: siquidem Paulus in Hispaniam pervenit, Petrus vero Pontum ac Bithyniam sæpenumero peragravit. Ac fieri sane potuit, ut primum Clemente constituto, cum is defugeret (si ita tamen contigit, quod ego opinando potius quam asseverando dixerim) postea Lino Cletoque mortuis, qui XII annorum spatio singulatim episcopatum obtinuerint, post Apostolorum Petri Paulique necem, quæ in annum Neronis XII incurrit, tum demum pontificatum capessere sit coactus. *Similis porro ratio esse potuit, ut Anacleto, aut alibi agente aut carceribus detento,* Evaristus *episcopus sufficeretur. Licet igitur S.* Evaristus *episcopus factus sit die* XXV *martii anni vulgaris* 95, *summum tamen pontificatum adeptus non est ante obitum* C *S. Anacleti: atque ex consulatu Galli et Braduæ scimus illum obiisse anno Christi* 108, *quem in capite hujus Commentarii signavimus.*

Tempus pontificatus.

8 *Chronographos in hos S.* Evaristi *annos non conspirare, satis scio. Cardinalis Baronius in suis Annalibus initium pontificatus in annum Christi* CXII, *finem vero in annum* CXXI *reponit, adeo ut S.* Evaristus *annis omnino novem et mensibus aliquot sederit. Quam sententiam etiam amplectitur Joan. Laur. Berti in suis Dissertationibus historicis: vult tamen* abrasum biennium *ita ut pontificatus incœperit anno* CX *et anno* CXIX *desierit* (3). *Chronologi Benedictini* (4) *statuunt illum Romanam cathedram occupasse ab anno* C *ad* CIX, *adeoque eitam annis novem. Istiusmodi diversitatis afferri possunt variæ rationes. Imprimis attribuunt S. Lino pontficatum undecim aut duodecim annorum, qui a martyrio S. Petri apostoli incœperit, quum tamen nonnisi biennio duraverit, nempe S. Petro circa annum Christi* 66 *martyri, successit S. Linus usque ad consulatum Capitonis et Rufi seu ad annum* 67 (5). *Dein in numero annorum sequentium pontificum varii sunt, quia numerorum signa librariorum oscitantia facile vitiantur. Quum autem per consulatus annos computamus, vix est erroris periculum; duo enim nomina sunt proferenda, proinde si in uno lapsus calami fuerit, corrigetur in altero. Tandem chronataxis consularis est coæva pontificibus, de quibus scribitur. Nulla igitur est ratio ut ab hac recedamus. Unum addam: a card. Baronio consulatum Galli et Braduæ ad annum Christi* 110 *referri, sed ipse errorem suum agnovit et correxit, ut late explicat Joan. Laur. Berti, nempe chronologiam consularem biennio esse mutilandam* (6).

AUCTORE J. V. H.

Presbyteriis Romanis titulos

9 *Præter Ordinationes, quas S.* Evaristus *fecit mense decembri, quibus ordinavit* presbyteros sex, diaconos duos, episcopos per diversa loca quinque (*alii tamen legunt presbyteros XVII, episcopos XV*), *nihil aliud referunt antiquiores, quam quod* titulos in Urbe Roma divisit presbyteris, et septem diaconos constituit, qui custodirent episcopum prædicantem E propter stylum veritatis. *Tituli isti sunt loca, Deo sacra, quorum curam presbyteris suis commisit S.* Evaristus. *Vox tamen* Titulus *varias habet significationes apud scriptores tum sacros tum profanos. In Scriptura sacra sumitur pro monumento, imo et pro altari: Sic Genes. XXVIII,* 18, Surgens Jacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in TITULUM fundens oleum desuper; *quem dein lapidem in altare erexit, ut legitur Genes. XXXV,* 7. *Ad memoriam fœderis, cum Laban socero suo initi Genes. XXXI,* 45, tulit *Jacob* lapidem et erexit eum in TITULUM *appellatusque fuit locus,* tumulus testis *et* acervus testimonii. *Eadem vox etiam inscriptionem aliquam significat; sic Joan. XIX,* 20 : Scripsit autem et TITULUM Pilatus : et posuit super crucem. Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. Hunc ergo TITULUM multi Judæorum legerunt. *Jure autem Romano vox hæc sumitur pro ipsa causa possessionis, v. g. l.* 24 C. de Rei vindic. (III, 32) : Nullo justo titulo præeedente possidentes, ratio juris quærere dominium prohi- F bet. *Aliquando etiam titulus dicebatur in prædiis, quando dominorum nomina in fronte scribebantur : hinc prohibebatur falsa inscriptio l.* 1 C. de his qui potentiorum (II, 15) : Animadvertimus, plurimos injustarum desperatione causarum, potentium titulos et clarissimæ privilegia dignitatis, his, a quibus in jus vocantur, opponere; *variæ dein infliguntur pœnæ in abutentes alieno titulo aut nomine.*

quorum origo et significatio explicatur

10 *Hanc consuetudinem indigitat S. Augustinus Enarr.* II *in Ps. XXI, num.* 31 (7) : Nonne, *inquit,* hoc faciunt nonnulli in domo sua? Ne domum ipsius invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces. Ipse vult esse possessor, et frontem domus suæ vult de titulo alieno muniri; ut cum titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia

(1) Migne, Patrol., t. CXXVII, col. 1142. — (2) Ibid. Gr., t. XLI, col. 374. — (3) Berti, Dissert. hist., t. II, p. 76. — (4) L'art de vérifier les dates. — (5) Cfr Acta SS., t. VI Sept., p. 539. — (6) Dissert. hist., t. I, p. 130. — (7) Migne, Patrol., t. XXXVI, col. 181.

AUCTORE J. V. H.

nominis, abstineat se ab invasione... Et videte, fratres, quando potens aliquis invenerit titulos suos, nonne jure rem sibi vindicat, et dicit : Non poneret titulos meos, nisi res mea esset. Titulos meos posuit, res mea est. *Atque hoc crediderim sensu loca sacra Romæ Tituli nomine venerunt, quatenus locum, sacro ministerio deputatum, designarent. Baronius ad an.* 112, § VI *existimat, titulum fuisse vexillum crucis, dum alii potius ipsum altare, seu columnam, aram sustinentem, titulum fuisse malunt. Quam posteriorem sententiam tuetur Joan. Laurentius Berti, ordinis S. Augustini, in Dissertatione speciali* de Titulis a S. Evaristo distributis, *quam Franc. Antonius Zaccaria in sua Collectione Dissertationum circa Historiam Ecclesiasticam recensuit* (1). *Imprimis, ait, altaria erant passim in ædibus privatis paganorum, unde nulla christianitatis crèabatur suspicio, si ara aliqua in domo christiani reperiretur; ex altera vero parte aram titulum vocari, patet ex sacra scriptura supra citata Gen. XXVIII,* 18. *Dein periculosum fuisset, grassante persecutione, signum crucis, paganis*
B *notissimum, loco alicui præfigere; nisi forsan aut imago piscis aut vox ἰχθύς, in titulum datæ fuissent; tali certe sigla res Ecclesiæ dignosci poterant.*

distribuit. 11 *Utraque porro sententia eatenus conciliari potest, quatenus diversis temporibus diversi fuerint tituli. Tribus prioribus sæculis periculosa erat sanctæ Crucis expositio, sed, firmato christianismo, hoc signum publice et passim usurpari consuevit. Sic l.* 25 *cod. Theod. de Paganis* (XVI, 10) *dicuntur templa paganorum* conlocatione venerandæ Religionis christianæ signi expiari. *Istiusmodi porro tituli jam exsistebant ante S.* Evaristum, *qui solum dicitur, eosdem* presbyteris divisisse. *Talis videtur fuisse* domestica ecclesia Priscæ et Aquilæ, adjutorum Pauli, *ut habet ejus epistola ad Romanos XVI,* 3 : *tales etiam domus, in quibus Jerosolymis congregabantur fideles : nam ut habent Actus Apostolorum II,* 41 *et seqq. postquam prædicatione S. Petri* appositæ *fuissent* in illa die animæ circiter tria millia, vendebant *neophyti* possessiones et substantias *suas et* frangebant circa domos panem, *scilicet, ut interpretantur plures apud Corn. a Lapide ad hunc*
C *locum, Missæ sacrificio participabant : Simile quid legitur Act. V,* 42 : Omni autem die non cessabant, in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum. *Atque hinc forsan ratio derivanda est cur solis presbyteris cardinalibus tituli attribuuntur, dum e contrario cardinales diaconi, omissa voce Tituli, simpliciter ab aliqua ecclesia nuncupantur. Sic scribitur :* N. presbyter cardinalis tituli S. Cæciliæ *et* N. sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis. *Merito igitur reprehendit Cajet. Moroni illos scriptores, maxime notarios, qui cardinalibus diaconis aliquem titulum affingunt, quum eorum ecclesiæ simpliciter diaconiæ vocantur* (2). *Variorum titulorum origines explicat Florentinius in suo Martyrologio Hieronymiano initio mensis augusti* (3).

Diaconos testes episcoporum constituit : 12 *Suas quoque partes tribuit S.* Evaristus *diaconis Ecclesiæ Romanæ, quum constituit* septem diaconos, qui custodirent episcopum D prædicantem propter stylum veritatis. *In Ecclesiis singulis septenos fuisse cum episcopo diaconos, ab ipsa hujus ministerii institutione habemus ex Actibus Apostolorum* VI, 3. Duplicari tamen, *ait Franc. Bianchini in Notis historicis ad Anastasium* (4), placuit in hac primaria Novi Fœderis Ecclesia, quando novis accessionibus, et quidem maximis aucta est, tam presbyteros Cardinales ac titulos Romanos, et viginti quinque, qui prius fuerant, amplificatos ad quinquaginta ; quam diaconos Cardinales, septenario eorum numero ad bis septem adaucto, qui Ecclesiæ Romanæ sacrum collegium constituit una cum sex episcopis Suburbicariis. *Quod vero addit biographus, septem diaconos custodes fuisse episcopi prædicantis* propter stylum veritatis *variam patitur interpretationem. Altaserra dicit, id constitutum fuisse,* ut *episcopus* custodes habeat adversus insidiantes, et testes veritatis prædicatæ adversus detractores. *Bianchini* præter causas, *ait,* decreti expositas ab Altaserra, hanc videtur contextus indicare, ut episcopo præ-
E dicanti adesse teneantur diaconi septem, id est, quotquot in Ecclesia tunc temporis numerabantur : et quidem « propter stylum veritatis (interpretor » addiscendum in ministerio prædicationis) in quo scilicet ministerio etiam diaconos exerceri ex officio non semel oportebat. *Adducit dein diaconorum prædicantium ex Actibus Apostolorum exempla SS. Stephani Act.* VI, 9 *et* 10 *et Philippi* VIII, 5.

epistola ad episcopos 13 *Varii apud Gratianum sunt canones, quæ S.* Evaristo *tribuuntur, quique maxima ex parte extracti sunt ex binis epistolis, sub ejus nomine celebratis. Prior epistola, directa ad episcopos Africanos, data dicitur* IX kal. aprilis, Valente et Vetere viris clarissimis coss. *Seu die* XXIV *martii anni vulgaris* 96. *Imprimis suspicionem aliquam ingerit titulus* clarissimorum virorum *nominibus consulum affixus, quum, ut censet Petiscus in Lexico Antiquitatum Roman. V°* Clarissimus, *tali appellatione uti primum cœperint consules sub Antoninis sæculo secundo jam ad medium inclinato. Dein, quod gravius est, exordium Evaristi ad verbum fere desumptum est ex ex epistola Innocentii I ad Exuperium Tolo-*
F *sanum. En uterque textus : prior* Evaristi, *posterior columna exordium Innocentii continet.*

Consulentibus vobis, fratres carissimi, quid super his, quæ in vestris continebantur scriptis, visum nobis esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid a Beatis Apostolis nobis traditum aut custoditum permaneret; optantes ut retulistis, nostris institui documentis, hæc vero rescribimus. Siquidem dilectio vestra, normam secuta prudentium, ad sedem referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire potius, quam usurpatione præsumere (5).

Consulenti tibi, frater carissime, quid de propssita specie unaquaque sentirem pro captu intelligentiæ meæ, quæ sunt visa, respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Et quidem dilectio tua institutum secuta prudentium, ad sedem apostolicam referre maluit, quid deberet de rebus dubiis custodire potius, quam usurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur, de singulis obtinere (6).

(1) Raccolta di Dissert., t. VI, p. 1. — (2) Cfr Dizionn. di Erudiz. Eccles., t. LXXV, p. 207. V° *Tituli Cardinal.* — (3) Pag. 697. — (4) Migne, Patrol., t. CXXVII, col. 1145. — (5) Labbe, t. I, Conc., col. 533. — (6) Ibid., t. II, col. 1254.

14 *Porro*

AUCTORE J. V. H.

A S. Evaristo *abjudicatur :*

14 *Porro S.* Evaristi *rescriptum responsionem continet ad triplicem Afrorum interrogationem, quæ apud Gratianum reperitur sub tribus canonibus, quos ordine, quo inserti fuerunt Decreto, enumerabimus. Primus est de diaconis can.* 11, *distinct.* XCIII; *habet autem :* Diaconi, qui quasi oculi videntur esse episcopi, in unaquaque civitate, juxta Apostolorum constituta, septem debent esse, qui custodiant episcopum prædicantem, ne aut ipse episcopus ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur a suis, aut verba divina detrahendo aut insidiando polluantur vel despiciantur, sed veritas spirituali redoleat fervore, et pax, prædicata labiis, animi cum voluntate concordet. *Non temerarie hunc canonem* Evaristo *abjudicat, post multos alios, Sebast. Berardi* (1). *Recte monstrat posteriora verba canonis ad literam desumpta fuisse ex epistola Innocentii papa I ad Victricium Rotomagensem dicentis cap.* 14 (2) : Hæc regula, si plena vigilantia fuerit observata... pax prædicata labiis cum voluntate animæ concordabit. *Sic quoque quod diaconi sint oculi episcopi jam eadem di-*

B *stinctione can.* 6 *legitur in epistola pseudo-Clementis. Minus probo, quod laudatus Berardi ideo falsitatis arguat* Evaristi *decretalem, quia jubet, ut singulis episcopis septenis adstarent diaconi; quod, ait, non quadrat cum Sozomeno Hist. Eccles. lib. VII, cap.* 19 (3) *testante, in variis Ecclesiis* haudquaquam definitum fuisse numerum diaconorum. *Quod in aliquibus Ecclesiis, præsertim Orientalibus, lex aliqua ecclesiastica in usu non fuerit, argumentum mihi non videtur, legem istam editam non fuisse. Idem dixerim de alio argumento ejusdem scriptoris, nempe diaconos* excubiarum instar ordinatos non fuisse et numquam armis instructos quasi milites ad custodiam episcopi vel ecclesiæ vigilasse. *Certe excubiæ, licet inermes, ad custodiam episcopi utiles sunt, diaconorum officium est episcopum suum defendere, licet id in institutione apostolica non legatur.*

similiter ritus nuptialis, licet conformis moribus istius ætatis, S. Evaristo *tribuendus non est :*

C 15 *Altera interrogatio, ex qua canon* 1, *caus.* XXX, *q.* 5 *excrevit, agit de nuptiis christianorum, quæ consensu parentum et propinquorum et cum benedictione sacerdotis contrahendæ sunt. Quod porro ritus sacer adhibeatur in conciliandis nuptiis, undequaque convenit cum moribus primorum christianorum. Certe S. Ignatius, Antiochenus episcopus, S.* Evaristo *coævus, in epistola ad Polycarpum cap.* 5 (4) *docet,* decere *ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi* conjugium faciant, ut nuptiæ secundum Dominum sint, non secundum cupiditatem. *Hæc clarius explicat Tertullianus lib. II, cap.* 9 *ad Uxorem* (5). Unde, *ait,* sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet? Nam nec in terris filiis sine consensu patrum recte et jure nubunt. *Ex hac igitur parte nihil est in S.* Evaristi *decretali, quod non undequaque conveniat cum moribus primorum sæculorum. Sed aliud est, quod recentiora tempora designat, omissum quidem in Decreto, sed in epistola ad Africanos episcopos recensitum* (6), *nempe sponsos, secundum ritum ecclesiasticum conjunctos,* et Domino placere et filios non spurios, sed legitimos atque hereditabiles generare. *Atqui prioribus sæculis æræ christianæ nullatenus competebat aut competere potuit Ecclesiæ ordinatio hereditatum, quæ sunt res mere civiles, tunc maxime quum omnes christianæ religionis ritus superstitiosi, imo exsecrandi habebantur. Tertia tandem interrogatione quæritur, an solus Pater dicendus sit Deus, an etiam Filius : quæstio magis pertinet ad sæculum quartum, quo Ariani acerrime de divinitate Verbi disceptarunt : et reipsa tota responsio,* Evaristo *afficta, ad verbum exscripta est ex Vigilio Tapsensi, sæculi quinti scriptore, in opere adversus Varimadum lib. I, cap.* 66 (7) : *ex quo patet, epistolam ex fragmentis posterioris ævi coagmentatam fuisse.*

altera quoque epistola ad episcopos Ægypti

16 *Secunda epistola, S.* Evaristo *adscripta ad episcopos Ægypti, data legitur* kalendis novembris Gallo et Braduaviris clarissimis coss. *id est anno Christi* 108. *Si quidem die* XXVI *octobris depositus fuerit Sanctus, satis liquet epistolam datam non fuisse septimo post obitum die. Dein exordium epistolæ* Evaristi *desumptum* E *est ex epistola S. Leonis I ad Dioscorum Alexandrinum*

EXORDIUM EVARISTI.	VERBA LEONIS MAGNI.
Unum nos, fratres, sentire oportet et agere, ut sicut legimus, in nobis unum cor et una anima esse probetur (8).	Unum enim nos sentire oportet et agere, ut, sicut legimus, in nobis quoque unum esse cor et una anima comprobetur (9).

Ex hac porro epistola desumptus est canon 11 *caus.* VII, *quæst.* I, *quo prohibentur translationes episcoporum, quæque ut adulteria traducuntur, quasi episcopus, repudiata priore sponsa seu Ecclesia, et alteri ditiori aut ampliori conjunctus primam fidem frangeret : imo eo procedit Pseudo-Evaristus, ut textum Matthæi* V, 28 *alleget, quo adulterii reus habetur, quatenus* qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. *Certe circa initium sæculi secundi nulla esse poterat ambitio, ut ad alteram Ecclesiam transferret se episcopus : nam quo opulentior civitas, eo frequentior erat martyrii faciendi occasio.*

ex Herardo Turonensi desumpta videtur.

17 *Procedit dein eadem epistola reprobando illos, qui episcopos* infamant et dilacerant; *ut legitur can.* 1, *caus.* III, *q.* 2. *Et certe istiusmodi decretum nequaquam abhorret a moribus istius ævi : nam S. Paulus Timotheum discipulum suum monet* 1 *Tim., v.* 10 : Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. *Sunt quidem interpretes dicentes, vocem presbyteri esse* nomen ætatis non vero ordinis, *ut videre est apud Corn. a Lapide ad hunc textum. Verum plerique de presbytero legitime ordinato agi merito existimant, quoniam paulo ante, nempe* v. 17 *dixit Apostolus :* Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo et doctrina. *Igitur ab ipso Ecclesiæ initio fuere aliqui, de sacerdotibus et male sentientes et eos calumniose accusantes. Eadem fere præscribuntur can.* 1 *et* 17, *caus.* II, *q.* 7 S. Evaristo *tributis. Tandem can.* 4,

(1) Gratiani, Canones, t. I, p. 41. — (2) Migne, Patrol., t. XX, col. 481. — (3) Ibid., Gr., t. LXVII, col. 1475. — (4) Ibid., t. V, col. 723. — (5) Ibid. Lat., t. I, col. 1302. — (6) Labbe, t. I, Conc., col. 534. — (7) Migne, Patrol., t. LXII, col. 594. — (8) Labbe, t. I, Conc., col. 536. — (9) Ibid., t. III, col. 1374.

caus.

AUCTORE J. V. H.

caus. XXVI, *q.* 6 *quo sanctitur, ut* presbyteri de occultis jussione episcopi pœnitentes reconcilient et infirmantes absolvant et communicent, *quæ sunt ipsa verba capituli* LIX *Herardi, sæculo nono episcopi Turonensis, qui istiusmodi canones deprompsit ex Capitularibus* (1). *Suspicatur Sebast. Berardi, Burchardum Wormatiensem, a quo canonem mutuatus est Gratianus, pro Herardo Evaristum scripsisse et dein quia Germanis tunc maxime invisi erant Galli, dissimulata origine canonis, Romano Pontifici tribuisse* (2).

Locus sepulturæ et Reliquiæ.

18 *Aliud, quod scimus, de S.* Evaristo *ejusve gestis dicendum non habemus. Unum superest, nempe quæ fuerit sors ejus corporis post mortem. Anastasius Bibliothecarius docet nos, sanctum Pontificem* sepultum fuisse juxta corpus beati Petri in Vaticano (3), *et Ordinarium basilicæ Vaticanæ habet, in ea quiescere corpus Pontificis* (4). *Refert Oldoinus noster in sua Historia Pontificum Romanorum* (5), *S.* Evaristi *corpus* Neapoli in basilica S. Mariæ Majoris asservari maximo cultu; *cujus rei testes adducit sacros illius civitatis historicos : sed, inquit,* partem B tantummodo corporis ejus habere Neapolitanos existimo, quum in basilica Vaticana Romæ, in qua primo conditi sunt hujusce Martyris cineres ad hæc usque tempora fideles venerantur; neque scriptores ullos, qui verbum de hac translatione fecerint, invenire umquam potuerim, et ipsi, qui hoc narrant nec tempus, nec quo duce vel auctore id factum sit indicent. *Et revera Franciscus de Magistris, qui anno* 1678 *justum volumen majoris formæ scripsit de statu Ecclesiæ Neapolitanæ, dum describit omnes regiæ civitatis ædes sacras, de S. Maria Majore agens, dicit* (6) : In ipsa ecclesia inter alias infra scriptæ servantur et venerantur sacræ Reliquiæ videlicet : Spinæ quinque coronæ Domini : frusta Sanctæ Crucis et pars veli Matris Dei. *Quod si corpus S.* Evaristi *aut integrum aut maxima ex parte in dicta ecclesiæ servatum fuisset, procul dubio id, quod pro aliis Neapolitanis ecclesiis præstitit, recensuisset. Esto itaque in ecclesia S. Mariæ Majoris, quæ est aut fuit Clericorum Minorum, aliqua pars cinerum S.* Evaristi, *dum aut corpus integrum aut ossa præcipua non habeantur, repugnandum non videtur. Idem dixerim de Reliquiis ejusdem Sancti, qui Romæ in ecclesia S. Annæ Restiariorum* (S. Anna de' Funari), *in* D *qua, teste Octavio Panciroli* (7), *dicitur asservari quasdam exuvias sancti Pontificis.* E

(1) Migne, Patrol., t. CXXI, col. 768. — (2) Gratiani, can. t. I, d. 45. — (3) Migne, Patrol., t. CXXVII, col. 1158. — (4) Mazzolari, Diario sagr. ad diem XXVI Octob. (5) Tom. I, col. 99. — (6) Pag. 279. Cfr Beyerlinck, Theatr., t. VI, p. 305. V° *Reliquiæ*. — (7) Tesori nascosti di Roma. Indice delle Reliquie.

DE SS. LUCIANO, MARCIANO ET SOCIIS,

MARTYRIBUS NICOMEDIÆ IN BITHYNIA,

B. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Acta et Memoria in antiquioribus ecclesiæ Fastis. An et qui fuerint in passione Socii. SS. Lucianus et Marcianus igne consumpti sunt Nicomediæ jussu Sabini, tempore Decianæ persecutionis.

ANNO CCLI VEL CCL. *Acta.*

Acta, in quibus solum sermo est de SS. Luciano *et* Marciano, *damus, prout edita sunt a Ruinartio* (1), *ex duobus codicibus mss., nempe Colbertinæ bibliothecæ altero, altero insignis monasterii Benedictini Silvæ-Majoris in diœcesi Burdigalensi, collatis cum Mombritio, qui primus publici juris illa fecit. Adhibebimus etiam Tamayi textum, signantes quæ ab eo primigeniæ narrationi addita; item si qua occurrat varia lectio, mentione digna. Acta haud vulgaris esse meriti, vel ex eo patet, quod digna Ruinartio visa sint, ut operi suo insererentur, nec proinde inter* Sincera et Selecta *prætermittenda. Stylus simplex est, sed satis barbarus, et hinc inde obscurus. Judice Tillemontio* (2), *non optimæ quidem sunt notæ, sed nihil continent, quo vere suspecta reddantur; quare ipsi* mediæ *fidei et auctoritatis habentur. Non sunt originalia; his tamen satis propinque accedunt. Cætera, quæ difficultatem pariunt, indicabimus in Annotatis vel discutiemus in decursu hujus Commentarii.*

Memoria in Hieronymianis F

2 *Putem non esse serio dubitandum, quin SS.* Lucianus *et* Marcianus *hac die colendi veniant, et vere sint martyres passique Nicomediæ in Bithynia, sæviente Deciana persecutione. Non ita liquet de Sociis, ubi plura obscura, nec parum confusa aut intricata. Hæc generatim dicta, priusquam singula et per partes expendamus. Inter martyrologia Hieronymiana, notum est existere tria, quæ propter antiquitatem, præcipua gaudent auctoritate. Primum est* Antverpiense *seu* Epternacense, *sub initium sæculi octavi exaratum; hoc exemplari, quod in Carthusia Trevirensi reperit atque in lucem protulit Rosweydus, usus S. Willebrordus, Frisiorum apostolus, est. Alterum edidit Florentinius, præfixo titulo :* Vetustius occidentalis ecclesiæ Martyrologium, *monetque in hunc modum* (3) : Hoc quidem Antverpiense (*quod operi suo* universum *inseruit idem Florentinius*), quoad librarium, esse nostro vetustius non negaverim; nostrum tamen minus a librario corruptum, et uberius, quam illud agnosco, ut ingenue

(Acta primorum Martyrum sincera et selecta, pag. 165 et seqq. Amstelædami 1713. — (2) Mémoires, tom. III, pag. 338 et 708. — (3) Admonitiones præviæ, pag. 33.

etiam

A etiam fassus est Henschenius. *Tertium denique publici juris fecit Dacherius in Spicilegio, diciturque a loco, ubi repertum et adhibitum, Corbeiense. De hoc ita præfatur laudatus Dacherius* (1) : Vetustissimum martyrologium, S. Hieronymo tributum reperi in codice monasterii Corbeiensis, scripto abhinc circiter annos 600. (*Spicilegium suum concinnavit auctor ante medium sæculum* XVII). *Porro in tribus istis martyrologiis sequentia ad hunc diem notantur. Antverpiense habet* : VII kal. Novembr. Nicomediæ, Luciani, Marciani, Flori et Heraclidæ, Titi, item Flori. *Vetustius Florentinii eodem die* : In Nicomedia sanctorum Luciani, Fori, Eracli, Tuti et Flori. *Denique Corbeiense* : In Nicomedia sanctorum Luciani, Mardiani, Florii, Eraclii, Tuti. *In Florentiniano itaque desideratur* Marcianus, *qui in duobus aliis* (*una mutata littera*) *jungitur* Luciano. *Tribus præfatis Hieronymianis pondere suo proxime accedit* Gellonense, ineunte sæculo nono, anno circiter 804 conscriptum, *ut asserit in* Monito *Dacherius* (2), *illius primus editor. Non in tantam quidem consentit*
B *Sollerius antiquitatem; attamen* pro indubitato habet, non posse non esse non antiquum (3). *In hoc rursus ad diem* VII *kal. Nov. notatur :* Nicomedia, Luciani, Marciani, Florii, Eraclii, Tuti. *Similiter, sed paulo copiosius, annuntiat* Rhinoviense : In Nicomedia, Luciani, Marciani, Flori. Et Eracliæ, Tuti et Flori, *de quo asserit Sollerius*, optimæ notæ esse; *et, inquit* (4), nisi multum fallar, Gellonensi... longe purius et præstantius. *Pariter* Augustanum, *teste iterum Sollerio* (5), Gellonensi simillimum... sed in multis deformatum, *habet :* In Nicia, Luciani, Marciani, Flori, Heraclii, Tuti. Amandi, episc. et conf. *Sequitur* Labbeanum, *quod, judice eodem Sollerio* (6), cum Gellonensi *non* minus quam Augustanum, imo magis integre consonat; in signandis positionibus seu locis martyrii æque deficiens, *et signat ad præsentem diem :* Nicomediæ, Luciani, Marciani, Flori, Heracli, Tuti. *Denique* Corbeiense Minus *duos solum priores sanctos Martyres recenset :* In Nicomedia sanctorum Luciani, Martiani. *Justo antiquius habuerat Dacherius martyrologium hoc;* ætatem *codicis*
C annorum, ut summum septingentorum *esse censebat Sollerius* (7), *ac proinde scriptum sæculo decimo* fortasse adulto, *et integro sæculo post* Corbeiense Majus, *ab eodem Dacherio vulgatum*. Ex isto, Brevius hoc studiose contractum videtur, ad usum chori, opinor; ne longiores nudorum fere nominum quotidianæ recitationes tædium parerent, *ait Sollerius. Id ergo ex laudatis Hieronymianis efficitur, sanctos* Lucianum *et* Marcianum, *in omnibus, uno excepto vetustiori Florentinii, hac die celebrari. De Sociis infra fiet sermo.*

et aliis sacris fastis 3 *Dicta confirmantur ex martyrologiis aliis, quorum ordine temporis princeps venit Bedanum* studio Flori *auctum, editumque diligentissimis curis decessorum nostrorum Henschenii et Papebrochii initio tomi II mensis Martii. Scripsit autem Florus circa annum sæculi noni trigesimum* (8); *atque hæc habet* VII *kalendas Novembris, quo die vacat Beda :* Nicomediæ natalis sanctorum martyrum Martiani, Flori, Luciani, qui tempore Decii imperatoris igni traditi sunt sub Sabino proconsule. *In auctariis adduntur Socii, fere ut in Hieronymianis. Sequitur Rabanus Maurus, qui probabilius scripsit suum martyrologium circiter anno* 845 (9), *inhæretque generatim vestigiis Bedæ et Flori, et annuntiat præfato die :* In Nicomedia natale Luciani, Flori (*al.* Florii), Heraclidæ et Martiani (10). *Post hunc habemus Notkerum Balbulum, monachum Sangallensem, qui* puer *oblatus anno* 840 *defunctus est an.* 912 (11). *Hic de sanctis nostris Martyribus omnino silet; sicut etiam Ado Viennensis et Usuardus purus : nam in hujus auctariis plurimis illorum recurrit mentio. Recensentur autem apud Maurolycum in* martyrologio secundum morem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, edito Venetiis 1576, *ubi ad diem* 26 *octobris, inter alia notatur primum sic :* Ipso die : S. Amandi præsulis, Luciani et Flori; *dein, paucis interpositis :* Nicomediæ sanctorum Luciani, Martiani, Floriani, Heraclii, Flori et Tutii martyrum et Ursæ virginis. *Illi itaque absque positione, isti* E *cum indicatione loci, quo passi sunt. Non multum abest a Maurolyco Galesinius in* martyrologio S. Romanæ ecclesiæ *item Venetiis edito* 1578. *Hic primo loco annuntiat :* In Africa sanctorum martyrum Rogatiani et Felicissimi, qui Decio et Valeriano imperatoribus... ad martyrii coronam pervenerunt. *Et subjungit :* In Africa item, beatorum martyrum Luciani et Martiani, qui in ipso etiam Decianæ persecutionis impetu, pro fide dimicando, invicta pietatis defensione coronantur ; *deinde post alia nonnulla, addit :* Nicomediæ, sanctorum martyrum Luciani, Marciani, Floriani, Heraclii, Flori et Ursæ virginis. *Itaque ambo, Maurolycus et Galesinius, duas distinguunt turmas: in utraque apud hunc tum in Africa tum Nicomediæ signantur* Lucianus *et* Marcianus; *ille priori in classe prætermistit* Marcianum, *nec quo loco celebrentur docet. Baronius ab utroque partim recedit, partim utrique adhæret. In ipso martyrologio Romano unicam signat turmam, locum passionis constituit Nicomediæ,* Marcianum *omittit ut Maurolycus in priori sua turma,* F *et cum eodem unum tantummodo nominatim dat S.* Luciano *socium,* Florium *nempe :* Nicomediæ, *inquit*, sanctorum martyrum Luciani, Florii et Sociorum. *Ast notat in ima pagina :* Beda (*imo Florus*) de his agit, qui etiam addit Heraclium et Marcianum. Luciani autem et Marciani Acta exstant apud Mombritium... passique feruntur temporibus Decii imperatoris sub Sabino proconsule. *Habemus igitur hac die SS.* Lucianum *et* Marcianum *ex vetustioribus pluribus iisque præstantioribus Hieronymianis; item ex Floro et Rabano, sicut et ex Maurolyco et Galesinio, antesignanis Baronii; et illi quidem bina paria Sanctorum cognominum signant. Baronius vero* (*explicavimus modo qua ratione*) Luciani *tantum meminit.*

4 *Atque hæc sane sufficiunt ut beatos Martyres ambo non prætermittamus in opere nostro.* *hac die celebratur.* *Consentientem habemus Ruinartium, qui pri-*

(1) Spicilegium, tom. II in *Monito*. Edit. 1723. — (2) Ibidem p. 25. — (3) Martyrologg. Hieron. contracta, Præfatio, pag. III. — (4) Præfatio ad Usuardum, pag. IX. — (5) Martyrologg. contracta, pag. V. — (6) Ibid., p. VI. — (7) Ibid. — (8) Sollerii præfatio in Usuardum, p. XIX. — (9) Ibid. — (10) Canisius, tom. II, part. II, p. 545. — (11) Ibid., tom. II, part. III, p. 87.

dem

AUCTORE B. B.

dem eorum Acta, castigatius quam apud Mombritium leguntur, excudi curavit; in quorum Admonitione, *hæc inter alia præfatur* (1) : Omnia fere martyrologia excusa die 26 Octobris sanctorum Luciani, Marciani..., qui Nicomediæ passi dicuntur, memoriam celebrant... Lucianum et Marcianum, illos esse eosdem existimat cardinalis Baronius in Notis ad ipsum diem, quorum hic Acta a nobis proferuntur, ob id maxime, quod eodem die 26 Octobris in ipsis Actis passi referantur. Favet Baronii sententiæ Flori Lugdunensis ecclesiæ diaconi martyrologium... Hos tamen martyres Nicomedienses a nostris Luciano et Marciano distinguere videtur martyrologium Romanum a Petro Galesinio editum : ibi enim præter illos martyres, quos cum cæteris martyrologiis Nicomediæ passos refert, eadem die post aliquorum martyrum Africanorum commemorationem hæc de aliis subduntur. « In Africa beatorum martyrum Luciani et Marciani, qui in ipso etiam Decianæ persecutionis impetu *etc.* » *Ut supra. Diserte tradit Galesinius in Notationibus* (2) : Eorum martyrium Boninius (*Mombritius*) retulit in volumen II de Sanctis; *ac proinde existimavit Martyres nostros duos in Africa mortem obiisse; sed, mea opinione, perperam omnino. Nec sane, ut jam innuebat Tillemontius* (3), *potest prævalere auctoritas Galesinii, recentiori ævo scribentis, testimoniis tot antiquiorum martyrologiorum, quæ supra laudavimus. Præterea fieri potuit ut in codicibus pro* Nicomedia *mendose scriberetur* Numidia; *hinc forte lapsus Galesinii ortum habuit, idque eo facilius, quod, licet Nicomedia parum absit a Constantinopoli et Acta SS.* Luciani *et* Marciani *sat conspicua sint, videret Galesinius beatos illos Athletas Christi Græcis esse ignotos.*

B

Socii.

5 *Ad* Socios *quod spectat, omnes simul sumpti, qui a variis memorantur, ad numerum quinarium pertingunt. Solus Maurolycus est, qui omnium et singulorum mentionem faciat, scilicet* Floriani, Heraclii, Flori et Tutii martyrum et Ursæ virginis. *Antverpiense, Florentinianum et Rhinoviense quatuor recensent,* Florum, Heraclium (*al.* Heraclidam), Titum *seu* Tutum *et alterum* Florum. *Item Galesinius; ast* Titum *omittit et ejus loco signat* Ursam. *Plerique trium meminere :* Flori *seu* Florii, Eraclii et Tuti : *ita Corbeïense majus, Gellonense, Labbeanum, Augustanum : nam quod in hoc postremo addatur* S. Amandus episcopus et confessor, *non putem quemquam esse, qui dubitet hunc aliunde accersitum. Id quoque notandum, apud alios omnes palæstram poni Nicomediæ, in Augustano autem* in Nicia, *probabiliter vitio amanuensis. Rabanus duorum tantum adscribit nomina,* Flori *alias* Florii, Heraclidæ. *Beda seu potius Florus unum recenset* Florum. *Ad hunc accedit Romanum Baronii, ubi mentio fit* Florii et sociorum. *Denique Corbeiense minus omnes prætermittit, quod item obtinet in Actis infra excudendis, ubi similiter de solis sermo est* Luciano *et* Marciano, *quin ullus eis assignetur socius. Standō itaque pluribus iisque præclarioribus fastis, SS.* Luciano *et* Marciano *socii sin in passion, esaltem ab antiquo in martyrii commoratione fuere* Florus, Heraclius, Titus *seu* Tutus, *item alter* Florus *seu* Florius *vel* Florianus. *Apud vetustiores omnes, si Augustanum excipias, desideratur S.* Ursa; *ejus primum mentio habetur apud Maurolycum et Galesinium; ac proinde non facile est admittenda. Verosimiliter in Augustano aliunde accersita fuit, sicut supra notavimus de S. Amando.*

C

D

Locus martyrii.

6 *Ex iisdem sacris monumentis efficitur, sanctos martyres* Lucianum *et* Marcianum *Nicomediæ interemptos. Sed rursus Acta, sicut de Sociis, ita et de loco passionis mentionem facere prætermittunt. Putem fidendum Hieronymianis et Floro, qui ex his certaminis palæstram, ex Actis vero encomium desumpsit.* Nicomediæ, *inquit,* natalis sanctorum martyrum Flori et Luciani, qui tempore Decii imperatoris igni traditi sunt sub Sabino proconsule; *quæ apprime conveniunt cum Actis, sive quod ad genus pertinet martyrii, sive ad nomina principis et proconsulis. Galesinius illos in Africa vult passos : nec enim dubium est quin de nostris sanctis Pugilibus loquatur, cum de iis agat, quorum* martyrium Boninius (*Mombritius*) retulit in volumen II de Sanctis. *Ast quo fundamento innixus ita statuat, non perspicio. Recens, ut jam innui, scriptor Galesinius est, nec propria auctoritate prævalere potest notissimis sacræ antiquitatis fastis. Forte alicubi legit* Numidia *pro* Nicomedia, *quæ voces haud ita raro ab amanuensibus ob litterarum similitudinem permutatæ reperiuntur. Fortassis sciens alteram vocem substituit alteri; ratus quod si Nicomediæ morte adeo gloriosa occubuissent, eorum memoriam ecclesia Constantinopolitana servasset imo et celebrasset, cum ambæ urbes parum ab invicem dissitæ sint. Nec tamen ita est: nam Græci SS.* Luciani *et* Marciani *non meminere* (4). *Verum ex horum silentio nullatenus efficitur, falsa vel vitiata esse, quæ in præclarioribus Hieronymianis aliisque antiquis martyrologiis annuntiantur, ni argumento, ut dici solet, negativo vis tribuatur, quam profecto eruditorum nemo umquam agnovit nec agnoscet.*

E

De proconsule *Bithyniæ.*

7 *Insuper in sententia Galesinii tolleretur alia difficultas, orta ex eo quod in Actis SS. Martyres referuntur passi* sub Sabino proconsule. *Constat autem Africam perpetuo a* proconsule *administratam; non item Bithyniam, cujus metropolis erat Nicomedia; id quidem, ut asserit Tillemontius* (5), *primo æræ nostræ sæculo obtinuit, ast sequenti jam provinciam hanc gubernabat proprætor. Audiamus Eckhelium hac de re plane disserentem, nec multum ab assertis recedentem Tillemontianis.* Quod, *inquit* (6), ad regimen politicum Romanorum in hoc tractu attinet, docent... numi,... Pontum et Paphlagoniæ partem jam exeunte sæculo VII Urbis conditæ (*fere dimidio sæculo ante Christum, cujus nativitas incidit in annum urbis* 754 (7)) Bithyniæ prætori fuisse attributam, fugato nempe a Pompeio Mithridate, et Pharnace filio intra Bosphorum concluso... Altera pars Paphlagoniæ tum huc non pertinuit, quæ proprios habuit reges. His extinctis Augustus eorum ditionem cum Amasia conjunxit, ac tum vocabatur ἐπαρχια Ποντικη, ut docet

F

(1) Acta sincera Martyrum, pag. 164 et seq. Amstelædami, 1713. — (2) Fol. 176 verso. — (3) Mémoires, tom. III, pag. 708. Paris, 1701. — (4) Conf. Tillemont, Mémoires, ibidem. — (5) Ibid. — (6) Doctrina Numorum, tom. II, pag. 399. — (7) Art de vérifier les dates, pag. 325. — Vide Petavium : Rationarum temporum, pag. 175. Lugduni Bat., 1710.

A Strabo... Idem Augustus partem Ponti Polemoni I cessit qui ob hoc dictus est « Polemiacus. » At Polemo II totum eum tractum Neroni restituit, qui eum cum reliquo Ponto conjunxit U. C. 815 vel 816 (*Christi* 62 *vel* 63), ex quo memorabili eventu Ponti urbes Neocæsarea, Trapezus et Zela epocham inchoarunt, ducto principio ab anno U. C. 816. Exinde Pontum subjectum fuisse Bithyniæ proconsulibus, numi affatim comprobant signati Nicomediæ, in quibus ea urbs dicitur Μητροπολις και πρωτη Βιθυνιας και Ποντου, atque istud circum tempora Domitiani et Trajani. Non multo post mutatus provinciæ status. Nam cum ex prima sub Augusto divisione U. C. 727 esset provincia Senatus (1)..., Augustis subinde fuit attributa, ac tum vice proconsulum missi in hanc provinciam legati Augusti pro prætore, marmoribus passim id docentibus. Factum istud sub Trajano vel adhuc antea, putat Norisius, quia in marmore Gruteri, C. Plinius legatus pro prætore consulari potestate huc a Trajano missus dicitur. Verum negat istud Spanheimius, cum propter alias causas, tum
B etiam quia, teste Dione, Bithynia ab Hadriano (*qui Trajano successit anno Christi* 117 *et obiit anno* 138) demum Cæsaris provincia facta est. Ad marmor vero Gruteri quod attinet, ait, Plinium non ordinaria sed extraordinaria potestate in Bithyniam ad inspiciendum civitatum statum missum. De varia hac Bithyniæ et Ponti conditione lege copiose disserentem Belleyum. *Hæc eruditus Eckhel. Cum itaque, ut mox dicemus, passio SS.* Luciani *et* Marciani *adscribenda videatur Decianæ persecutioni, consequens est, id contigisse integro et eo amplius sæculo, postquam Bithynia cessasset a* Proconsulibus *regi. Nihilominus exinde non efficitur, falsitatis arguenda esse Acta, quod statuant SS. Martyres flammis addictos a* Sabino proconsule; *tum quod vox illa facile adhiberi potuerit a scriptore ad designandum simpliciter magistratum, qui his in locis præerat; tum quod dignitas, quamvis dudum suppressa nec in nummis seu marmoribus et actis publicis signanda, haud raro tamen apud vulgus diu perseveret et hinc a privatis scriptoribus usurpetur.*
C *Cæterum laudatus supra Josephus Eckhel, acturus* de Proconsulibus, Proprætoribus, Legatis, Præsidibus, *in hunc modum exorditur* (2) : En tibi amplam disputandi materiem, eamque confusam admodum atque incertam, cum hæc, quæ præfiximus, magistratuum vocabula differre quidem inter se videantur, ut differunt etiam, non tamen sic, ut non sæpe unum pro altero sive arbitrarie sive ex causa incerta poneretur.

Tempus passionis. 8 *Tempus martyrii habemus tum ex Actis tum ex Floro :* Passi sunt autem beatissimi martyres Lucianus et Marcianus VII kalendas Novembris sub Decio imperatore; *sic Acta. Et Florus* Tempore Decii imperatoris. *Unde Ruinartius* (3): Porro etsi hos sanctos Martyres sub Decii persecutione consummatos fuisse inficiari non possumus; quo tamen id anno contigerit, incompertum nobis est. Paullo certiores de eorum mortis die essemus, si codex ms. Silvæ majoris cum codice Colbertino et Mombritio concordaret. At iste codex, cum in Actorum capite tum in fine, eosdem Martyres VIII kalendas Novembris passos fuisse diserte refert; quorum tamen martyrium codex Colbertinus et Mombritius cum martyrologiis supra laudatis ad diem sequentem referunt. Codici Silvensi martyrologium Barbarinum supra laudatum suffragari videtur. *Barbarinum hoc martyrologium aliud non est quam codex ms. quo usi sunt decessores nostri in edendo ad initium tomi II Martii* Martyrologio Bedæ cum Auctario Flori et aliorum. *Sed primum codex iste non est eximiæ notæ; dein utroque die meminit SS. Martyrum illorum; scilicet* VIII *kal. Nov. :* Passio SS. Luciani et Marciani martyrum; VII *kal. Nov. :* In Nicomedia, Luciani, Marciani, Flori, Eraclii, Tutti, Florini, *ut potius codex Barberinianus militet pro communi sententia, quæ passionem posteriori hoc die celebrandum statuit cum Actis, Rabano, Floro præstantioribusque Hieronymianis. Subdit Ruinartius loco cit. :* Ceterum Græci in Menæis et aliquot martyrologia latina cum Romano, Marcianum martyrem die VIII kalendas Novembris, id est 25 Octobris celebrant; sed hunc a E
nostro Marciano alium esse nemo dubitat. *Ille nempe S. Marcianus est, qui cum S. Martyrio Constantinopoli agonem suum consummarunt; de his, qui passim* sancti Notarii *dicuntur, egimus die præcedenti,* XXV *octobris. Num forte hoc ex fonte manavit annuntiatio Baberiniana ad* VIII *kal. Nov.? Denique cum Decius solium conscenderit mense octobri anni* 249, *et in pugna contra Gothos una cum Herennio et Trajano filiis suis occubuerit exeunte Novembri anni* 251; *aliunde vero constet persecutionem ab eo motam, cœpisse anno* 250; *consequens est, passionem SS.* Luciani *et* Marciani *annectendam esse anno Christi* 251 *vel præcedenti, ut probe dici queant consummati* sub Decio imperatore, tempore Decii imperatoris, *quemadmodum diserte tradunt Acta et Florus.*

AUCTORE B. B.

§ II Tamayus de Salazar perperam contendit, SS. Lucianum et Marcianum natos passosque in urbe Vicensi seu Ausonensi. De Inventione SS. Corporum, quam factam perhibent in præfata urbe sæculo XI. F

Tamayus SS. MM. in Hispania vult natos et passos,

Atque hæc sunt, quæ de sanctis Martyribus Nicomediensibus colligere et statuere licuit, inhærendo antiquis ecclesiæ monumentis. Alios, pro more suo, Tamayus de Salazar fontes consuluit et adhibuit, nec illos semper limpidos sincerosque. Scilicet asserit, ne vel minimum hæsitans, sanctos Lucianum *et* Marcianum *in Hispania et natos et passos. Annuntiat proinde in prolixo suo Martyrologio hac die :* Ausæ in Cathalonia Hispaniæ, SS. Luciani et Martiani martyrum vivida memoria perseverat; qui pro catholica fide coram Sabino, judice Decii imperatoris, oblati, et Christi se esse asseclas confessi, post varia tormenta novissime in

(1) Confer Pitisci Lexicon Antiq., verbo : *Provincia.* — (2) Tomo IV, p. 229. Confer Acta S. Abercii, tom. IX Octobris, p. 487. — (3) Acta sincera, p. 165.

ignem

AUCTORE B. B.

ignem injecti, martyrii palmas promeruerunt strenui. *Hæc utique ad solum cultum spectare viderentur; sed addit Tamayus in Commentario*, constare, SS. Martyres Lucianum et Martianum, quorum corpora possidet S. ecclesia Viccensis (*Ausæ celebri quondam urbi, Vicus successit*), in eadem urbe natos, alitos et martyrio coronatos fuisse, absque aliqua sacerdotii seu infulæ qualitate. Hinc Philippus Ferrarius in Catalogo generali sequens elogium adnectit : « Vicci in Hispania SS. Martyrum Luciani et Marciani sub Decio. » Ubi in « Notula, » passos in Africa ex Galesinio subscribit, corporaque apud Viccum quiescere. Sed fallitur cum constet, Galesinium bigam horum SS. Martyrum assignare, quorum unam in Africa, alteram in Nicomedia reponit; sed illos a nostris esse diversos, Actorum series manifestat, quam ex Breviario antiquo Viccensi et Vetustissimo Flore Sanctorum Ms., atque Scriptura in archivo illius sanctæ ecclesiæ reperta, extraxit Antonius Vincentius Domenec (histor. SS. Cathalon. hac die lib. 1.) Ieronymus Pujades (Histor. Cathalon. lib. 4, c. 55). et D. Thomas
B Tamayo (in Notis ad Luitprandum in Chron. Ann. 902) quam et nos subjungimus. *Porro Actorum series, quam subjunxit Tamayus eadem est, quam exhibent Mombritius et Ruinartius, mutata non nihil dictione. Addit autem Tamayus in initio quæ ad originem pertinent, his verbis :* Lucianus et Marcianus, origine Hispani, natione Cathalani, apud urbem Vicensem antiquissimam exorti, qui cum errore gentilium *etc. In decursu Actorum, Sabinum dicit* præsidem urbis Vicensis; *et in fine hæc habet :* sic complentes venerabiles Martyres agonem suum, passi sunt VII kalendas Novembris anno Domini CCLII, sub Decio imperatore, agente Sabino proconsule. Quorum corpora cæteri fideles inter cineres colligentes, illa in duobus amphoris lateritiis secreto condiderunt ob gentilium insidias, et postmodum data ecclesiis pace, in S. Saturnini urbis Viccensis basilica, sub ara ad hoc composita, et marmoreo sarcophago munita, recondita fuere. *Quæ superaddit Tamayus ad cultum et Translationem spectant, de quibus alibi tractandum nobis veniet. Denique concludit :* Hæc sunt acta, quæ
C hispano sermone descripsit Antonius Vincentius Domenec, quæque idiomate Cathalonico Hieronymus Pujades coagulavit et latina refert Mombritius, qui nullatenus situm palæstræ descripsit, nec locum agonis consignavit. At cum immemorialis traditio, et illius ecclesiæ Viccensis a sexcentis retro et amplius annis monumenta testentur, hos SS. Martyres origine et martyrio Viccenses fuisse, non est cur de hac veritate ambigamus. *Notior est eruditis Tamayus, quam ut ejus assertis facilem adhibeant fidem.*

nec tamen probat,

10 *Certe Henricus Florez, qui multis de SS.* Luciano *et* Marciano *disputat* (1), *quamvis existimet Tamayum Acta eorum correctius et integrius edidisse quam Mombritius* (*quod equidem non admiserim*), *diserte tamen affirmat, illum* addidisse, quæ ad locum passionis et patriam spectant. *Deinde fontes examinat Florezius, ex quibus profitetur Tamayus sua se hausisse; nempe* Antiquum Breviarium Vicense *et* D
Vetustissimum Florem Sanctorum. *Nititur præterea Tamayus* Scriptura in Archivo illius S. ecclesiæ (*Vicensis*) reperta; *sed quæ et qualis illa sit non explicat; et aliunde notum est quam frequenter imo et audacter auctor ejusque asseclæ abusi sint hujusmodi documentis manuscriptis latentibusque, ut per fas et nefas patriam historiam adornarent. Quare non dubitavit cardinalis Aguirrius eos omnes et dicere et existimare* veteratores (2).

sive ex Breviario antiquo Vicensi,

11 *Porro* Breviarium, *de quo sermo, membranaceum est, scriptumque videtur sæculo duodecimo*, prout, *ait Florez* (3), opinatur notarius seu amanuensis, qui transumptum mihi submisit. *Hoc autem ita habet* (4) : VII *K.* Novembris. Passio SS. Martyrum Lutiani et Martiani. *Lectio prima.* Martyrium vobis fratres enarrabo Lutiani et Martiani, quod audientes hedificationem accipiatis. *Responsorium :* Absterget Deus omnem. *Lect. secunda.* Hii cum errore gentilitatis tenerentur, ita dæmonibus tunc erant dediti, ut pene omnem animam ad suam sectam sacrilegam adducerent. Nam et magi-
E cis artibus et malefitiis omnes quoinquinabant in adulteriis. *Respons.* Viri sancti. *Lect. tertia.* Erant primi in subversione auctores, in magicis subversores, ita ut omnes quærentes voluptates suas perficere, vel quosdam nocere ad eos concurrerent. *Respons.* Laverunt stolas suas. *In his, quæ de cætero Actis Mombritianis aprime consonant, nihil de patria et loco martyrii. Laudat ibidem Florez* Missale *ejusdem ecclesiæ, anno* 1547 *editum, de quo copiosior recurret mentio; hic sufficiat recitasse prima* Orationis *verba, ex quibus arguit Florez* corpora *aliunde fuisse allata :* Deus qui nobis beatorum martyrum Lutiani et Martiani pretiosa pignora concessisti. *Hæc quidem, judice Florezio, indicant urbem Vicensem possidere sacras reliquias SS. Martyrum, minime vero eos ibidem natos et passos; imo potius extraneos, quos voluit Deus Vici honoratos : nam omnis ecclesia, quæ proprios sibi Sanctos colit, non ut singularem cælitus concessum habere favorem solet, quod eorum possideat pignora, bene vero quod illos genuerit cælisque transmiserit*; *ast recte gloriatur de reliquiis aliunde translatis.*

F
sive ex ms. Flore *Sanctorum.*

12 *Ad* Florem Sanctorum ecclesiæ Vicensis *quod attinet, quem* vetustissimum *dicit Tamayus; constat non fuisse scriptum ante medium sæculum* XIII (*imo ineunte sæculo* XIV, *ut videbitur paulo infra ex Villanueva*), *utpote qui sanctum nullum recenseat, qui post annum* 1243 *floruit* (5). *Atque hoc primum monumentum est, in quo SS. Martyres feruntur indigenæ urbis Vicensis, in eaque flammis consumpti. Utitur auctor idiomate Catalano vel Occitano* (lengua Catalana ò Limosina) *et folio* 497 *incipit :* De Vita SS. Luciani et Marciani et inventione corporum eorum. *Deinde subdit:* Lucianus et Marcianus fuere gentiles, et erant ex civitate Vico... Et illos adduxerunt ad prætorem nomine Sabinum, qui locum tenebat imperatoris Decii in civitate Vicensi. *Cætera conveniunt cum Mombritio et Ruinartio, nonnullis hinc inde paulisper mutatis, ut Annotata docebunt. Exstat etiam charta Berengarii epi-*

(1) España Sagrada, tom. XXVIII, pag. 209-227.— (2) Conf. Acta S. Melloni Tom. IX Octobris p. 554 et seq. — (3) Ubi supra, p. 217 — (4) Ibid. — (5) Ibidem p. 219.

scopi

A *scopi Vicensis, data* XIII *kalendas Martias anni* 1326, *qua conceduntur indulgentiæ, lucrandæ variis diebus per diœcesim festis, et nominatim die SS.* Luciani *et* Marciani, qui in civitate prædicta fuerunt palma martyrii coronati. *Unde sæpius dictus Henricus Florez :* Constat itaque tam supralaudatum Floris scriptorem quam illustrissimum antistitem persuasos fuisse, sanctos martyres Vici passos; admittereque debemus, hanc eos traditionem a majoribus accepisse, cum nihil sit quo probetur eam tunc primum ortam.

Frustra reprehendit Vilanova Florezium,

13 *Atque hæc sane demonstrant, Florezio minime probari sententiam, quæ SS.* Lucianum *et* Marcianum *Vico oriundos ibique concrematos statuit. Ut quid ergo Villanueva asserit* (1), *hunc eumdem Florezium non contradixisse opinioni communiter Vici receptæ ; quin imo pondus aliquod tribuisse momentis, quibus traditio ista inititur. Esto Florezium illa benigniori forma impugnasse; sed multum abest, ut probaverit. Cæterum laudatus Villanueva, nec immerito sane, præfata momenta pronuntiat,* levia prorsus *esse.* Primum, *inquit,* est Missale anno
B 1547 excusum, *in quo legitur :* Deus qui nobis... pignora concessisse, *ut supra.* Verum, *subsumit Villanueva,* hæc solum probant reliquias illic servatas; imo et aliunde receptas; *quod ipsissimum est Florezii assertum.*

sed solide refutat Tamayum;

14 *Nec dici potest eruditum Hispaniæ sacræ compilatorem,* Flori Sanctorum, *fidem adhibuisse nedum plenam, sed nec qualemcumque; hoc solum concedit, nempe traditionem de loco martyrii jam obtinuisse, cum opus illud scriberetur. Attamen non est negandum Villanuevam clarius et melius quam Florez demonstrasse exigui meriti hanc esse scriptionem.* Compositum, *inquit* (2), opus fuit *ineunte* sæculo XIV, ut efficitur tum ex forma litterarum, tum ex idiomate. Probatur præterea ex eo quod contineat vitam S. Ludovici episcopi Tolosani, et prætermittat secundam translationem S. Eulaliæ Barcinonensis. Sunt et alia multa hujusmodi indicia. Denique vitæ Sanctorum describuntur absque censura ; præcipuus locus datur prodigiis; unde exiguam merentur fidem. *Tertium momentum reperitur in litteris seu charta Berengarii (quam in extenso reperies in Appendice ad tomum VI*
C *apud Villanueva* (3)) *ubi diserte traduntur SS.* Lucianus *et* Marcianus Vici martyrii palma coronati. *Reponit Villanueva :* Sed clarum est, antistitem, cum studio duceretur excitandi fideles, ut liberaliter eleemosynas conferrent ad ædificandum claustrum ecclesiæ cathedralis, noluisse in dubium vocare, id quod tunc, quamvis minime probatum, communiter fidem obtinebat; sicut certe probatum, cum manifestus sit error, non erat aliud istud, quod iisdem litteris continetur; scilicet ecclesiam Vicensem per annos 392 jure metropolitico in Taracone fuisse insignitam. *Confer Petrum de Marca, qui tradit actum quidem serio fuisse de transferendo jure metropolitico ad Ausonensem; sed rem effectu caruisse* (4). *Confer item dicenda ad finem hujus commentarii in Notitia sedis Ausonensis. Addit Villanueva, sanctos Martyres pariter vocari* cives Vicenses *in Breviario circa finem sæculi* XV *edito. Sed* quid, *ait,* valeant istius-

AUCTORE B. B.

modi documenta recentioris ævi contra antiquâ omnia martyrologia, quæ sanctos Pugiles Nicomediæ vel in Africa passos memorant? *Denique consonant libri manuscripti ecclesiæ Vicensis, qui sæculum* XIII *superant, in quibus omnibus* ad marginem posteriori manu *notatur :* Quorum corpora jacent in villa Vici in capella S. Saturnini. *Unus est codex (sed is sæculi* XIII), *ubi verba illa diserte inserta leguntur; sed simul margini adscribitur :* Inventio *corporum Sanctorum eorumdem die 1 Aprilis. Nuspiam vero codices præfati docent urbem Vicensem fuisse patriam vel martyrii palæstram. Silent pariter hac de re Missalia, quamvis in istis (idem obtinet in martyrologiis) plures celebrentur Sancti hac ex patria oriundi; ut proinde ante sæculum* XII *ignorarint Vicenses, sanctos* Lucianum *et* Marcianum *in sua civitate natos vel passos. Unde recte conjicit Villanueva, hæc primum invaluisse diu post inventionem corporum, quæ traditur contigisse medio sæculo* XI, *ut infra videbimus.*

quamvis in nonnullis corrigendus.

15 *Quæ posteriori loco scribit Vilanueva, castigatione indigent, ut liquet ex opella D. Jacobi Ripoll, canonici Vicensis, quam nobis submisit RR. DD. Episcopus ejusdem urbis. Asserit Villanueva (ut vult R. D. Canonicus; de quo equidem dubitem multum) codices mss. Vicenses, sæculo* XIII *vetustiores ferre, SS.* Lucianum *et* Marcianum in Africa passos. *Animadvertit autem laudatus D. Ripoll, qui anno* 1828 (*quo edita est præfata opella*) *archivo Vicensi præerat, et anno* 1803 (*quo Villanueva eo loci morabatur*) *ejusdem archivi tunc præsidi a secretis erat, quatuor solum ibidem reperiri martyrologia mss.; quorum unum sæculum* XI *superat; alterum præfati sæculi est; tertium ad annum spectat* 1192; *quartum denique exaratum fuit ineunte sæculo* XIII. *In primo, quod cæteris ætate præstat, legitur :* VII Kal. novembris. Apud Africam natalis *SS. MM.* Rogatiani presbyteri et Felicissimi, qui persecutione Decii et Valeriani sunt martyrio coronati. (*Additur locus ex S. Cypriani epistola ad confessores* (5)). Commemoratio agitur ipsa die SS. episcoporum Vedasti et Amandi, quorum vita et mors multis existit miraculis gloriosa. Eodem die SS. Luciani et Marciani. *Præterea nihil, nec in opere nec in margine.* Ecce tibi, *exclamat* F
D. Ripoll, unum ex martyrologiis, sæculo XIII antiquioribus, quæ omnia, si fides Villanuevæ, tradunt SS. Lucianum et Marcianum Nicomediæ vel in Africa martyrio coronatos. *Profecto recitatis laudati martyrologii verbis locus passionis ne vel minimum indicatur. Porro idem, teste Ripollio, observatur in aliis duobus, quorum unum, ut diximus, sæculi est* XI, *alterum sæculi* XII. *Unde recte infert D. canonicus, nec ex his probari placita (si tamen placita sint)* Viatoris *id est Villanuevæ. Dixi :* si tamen placita; *nam id unum intendit Villanueva, scilicet ex antiquis illis codicibus, nullatenus probari SS. Martyres Vici vel ortos vel crematos. Notandum insuper, in codice sæculi* XI *adscripta ad marginem esse* caractere multo recentiori (*non* ejusdem antiquitatis, *ut habet Florez tom.* XXVIII *pag.* 318) *verba sequentia.* Quorum corpora jacent in villa Vici in capella

(1) Viage literario a las iglesias de España tom. VI p. 113. — (2) Ibid. p. 113 et seq. — (3) Viage, tom. VII, p. 261 et seqq. — (4) De Marca Hispanica col. 403 et seq. — (5) Vide infra in actis SS. Rogatiani et Felicissimi.

AUCTORE B. B.

S. Saturnini in caxia quæ est retro altare. *Subdit vero D. Ripoll:* Quæ nota marginalis in solo codice sæculi XI additur; adeoque non in omnibus sæculo XIII vetustioribus, ut falso affirmat Villanueva. *Ex his, quæ latius evoluta reperies in opella Ripolliana, efficitur, utique in nonnullis emendandum esse eruditum Villanuevam; sed questio princeps manet integra; scilicet ex antiquis ecclesiæ Vicensis monumentis nullatenus constare sanctos Martyres, de quibus agimus, in hac civitate passos; imo contrarium potius demonstratur. Atque hæc de natalibus et loco martyrii. Restat præsenti paragrapho dicendum de inventione SS. Corporum.*

Inventionis SS. Corporum factæ sæculo XI Relatio :

16 *Habemus* (1) *Relationem de inventione ex* Flore Sanctorum, *idiomate catalanico scriptam, et in castellanum versam a Domenecco; et hic a nobis latine redditam. Titulus est :* Inventio Reliquiarum et ossium dictorum SS. Martyrum, qui fuerunt conbusti in civitate Vicensi, hic prout contigit descripta est. *Sequitur narratio hunc in modum :*

Angeli monitu. pius sacerdos locum sepulturæ investigat;

17 Erat Vici bonus clericus, nomine Ramon Ferrer, vir valde sanctus, et sacerdos (*cura*) seu hebdomadarius (*domer*) ecclesiæ cathedralis, qui solebat de nocte visitare ecclesiam S. Saturnini. Quadam vice, media jam transacta nocte cum e lecto surgens, dictam ecclesiam ingressus esset ad orandum, et civitas tota alto silentio et quiete premeretur; subito descendit de cælo lux magna, et apparuit vir veste alba indutus, ætate provectus, longo spectandus capilitio et corona, more monachorum; quem non dubitavit angelum esse Dei. Hic accessit ad sacerdotem, apprehensaque ejus manu : Quid, inquit, hic agis? Veni mecum, ut patefaciam tibi secretum magni momenti. Protinus accesserunt simul ad altare, et illico resplenduit ecclesia ingenti fulgore, quo tota illuminabatur. Tum senior veluti in omnes partes se vertens, ut videret an alius quisquam præsens adesset, jussit sacerdotem sollicite circumspicere si a nemine videri possent. Qui cum negasset : Oremus, subdidit angelus; et da mihi digitum pugilarem manus dexteræ, et videbis id quod multoties tibi promisi. Attende; fac sis diligens et vigilans: C magnam enim capies lætitiam ex his quæ tibi monstravero; leva lapides istos, et fode terram ad altitudinem unius palmi. His dictis senior cælum versus ascendit. Continuo campanæ cathedralis sonuerunt ad Matutinum, quo se contulit sacerdos, ut, pro more suo, preces illas funderet; stupebat autem super visione, quam et cum altero sacerdote, cui nomen Ramon, communicavit, convenerùntque inter se ut post dictum matutinum, irent cum religione simul ad locum ab Angelo monstratum; quo cum se contulissent, fusa primum prece, cæperunt fodere terram, inveneruntque parietem vetustam, ad instar cameræ solidissimæ; hac, quo meliore potuere modo, perrupta, et luce magna eos collustrante, invenerunt fossam parvam et quadratam atque per medium divisam in duas partes. Boni sacerdotes recitarunt ibidem plures psalmos et orationes, solliciti valde de futuro successu. Sed videntes diem jam illuscessere, veriti ne ab aliquo conspicerentur, locum effossum cooperuerunt, omnia in statum pristinum restituentes. D

novis dein monitis et prodigiis ejus zelus acuitur;

18 Elapsis tribus mensibus, accidit ut, cum parata esset parva campana ad usum ecclesiæ S. Saturnini, adessent qui illam idoneo in loco suspenderent; cum vero pedibus offendissent in lapides, quos presbyteri effoderant et viderent illos recens motos, mussitare cœperunt contra clericos; imo suspicati sunt eo loci absconditam jacere rem pretii haud vulgaris. Quod cum pervenisset ad aures dynastæ Vicensis (del Señor de Vique); hic malam fidem subesse ratus, vehementer excanduit. Post hæc voluit Dominus nova visione revelare thesaurum eo loci latentem, alterumque ad præfatum sacerdotem de cælo misit nuntium. Ille vero audiens vocem angeli, multum obstupuit. Sed cælestis spiritus, apprehenso brachio dextero, eum duxit ad ecclesiam S. Saturnini; et: Non recte, inquit, quæsivisti, quod altera vice tibi indicaveram, quando tecum hic fui. Fode duplo altius et vide quid sis reperturus. Continuo experrectus sacerdos, et signo crucis se muniens, atque secum reputans omnia quæ viderat, stabat magno terrore E perculsus et Domino se commendans. Cui angelus : Frater mi, ait, noli timere: nec enim malus ego dæmon sum, qui venerim ut te decipiam. His dictis reliquit sacellum S. Saturnini (aviendo medido la capella) atque in cælum rediit. Post tres dies, scilicet in vigilia Cathedræ S. Petri, Deum precatur sacerdos, ut dignaretur plene sibi manifestare, quo præfatæ visiones spectarent; et media nocte petiit ecclesiam S. Saturnini; ubi apparuerunt ei viri numero saltem triginta, venerabiles omnes, candelas candidas et ardentes manibus gestantes; erant illi speciosi valde et coruscantes, binos divisi in ordines, prout assolet in supplicationibus seu litaniis, dulcia præcinentes cantica; locus vero collucebat veluti in meridie. Paulo post (a cabo de un rato) accessit mulier valde devota, et sacerdoti dixit: Secede ab hoc sepulchro, quod non es dignus tangere, quia sanctum Martyrem recondit. Volebat interrogare, quis sanctus ille esset, qui sepultus illic erat; sed luce subito de cælo illapsa, prohibitus fuit: hac namque apparente, viri illi triginta et eo amplius, qui F ibidem erant, omnes in cælum ascenderunt. Plures alias visiones habuit dictus sacerdos, quas hic, ne prolixior sim, non attingo.

denique reperiuntur corpora,

19 Postmodum die Martis, scilicet festo S. Dionysii, (*id est nona Octobris, festo S. Dionysii Parisiensis, quod anno* 1050 *incidit in diem Martis*) ad galli cantum, aderat idem sacerdos Ramon Ferrer in ecclesia S. Saturnini ubi frequens contingebat, fideles habere visiones, et vidit sacerdotem cantantem sacrum multa cum reverentia, alii vero omnes, qui intererant, respondebant voce suavi et amoris plena. Dum hæc sacerdos noster multum miraretur, ecce tibi unus ex numero illorum qui cantabant, indicavit fossam, ubi altius erat fodiendum; arreptoque fuste terram percussit, statimque patuit ex ictibus locum ibidem esse concavum. Post hæc boni sacerdotes nempe Ramon Ferrer et Rev. (Mosen, *quæ vox idem fere sonat ac gallice verba:* Monsieur *vel* l'abbé) Ra-

(1) España sagr., tom. XXVIII p. 220 et seqq.

mon

A mon fodere aggressi, invenerunt vas marmoreum, inscriptum litteris per circuitum; quod cum sustulissent, patuit caverna (crypta) valde pulchra, in qua stabat parvulum altare, pannis coopertum; erant quoque ex parte quæ meridiem spectat, accensæ candelæ et urnæ tres in quibus videbantur veluti fictiles cadi, subtus rite obserati et sigillati, positique ex ordine juxta invicem, ac similes vitreis ampullis seu lagenis. Tum D. Ramon Ferrer, gaudio exultans, socio dixit: Vera utique sunt quæ tibi narravi, ut et nunc videmus. Denique ambo sacerdotes, quorum uni, ut dictum est, nomen D. Ramon Ferrer, alteri D. Ramon, aperuerunt urnas seu ampullas, in quibus erant Reliquiæ SS. Marciani et Luciani, inscriptasque repererunt sequentes voces: « Marcianus, martyr Jesu Christi crematus fuit et sepultus jacet in hoc loco. Lucianus juxta hunc eodem modo crematus est. Sancti isti mortem subierunt pro fide Jesu Christi tempore Decii imperatoris et Sabini ejus locum tenentis. »

anno 1050. 20 Hæc inventio contigit anno Domini millesimo quinquagesimo, ut constat ex episcopilogio, quod exstat in archivo capituli Vicensis, regnante in Catalaunia celebri et fortissimo principe D. Raymondo Berengario (*Berenguel*) hujus nominis primo, cujus facinora tanta tamque præclara extiterunt, ut Maurorum reges omnino duodecim sibi tributarios fecerit.

Hæc relatio, summarie a Tamayo reddita,

21 *Narrationem hanc brevibus ita complectitur Tamayus: Sanctorum* Luciani *et* Marciani corpora cæteri fideles inter cineres colligentes, illa in duobus amphoris lateritiis secreto condiderunt, ob gentilium insidias, et postmodum data ecclesiis pace, in S. Saturnini, urbis Viccensis basilica, sub ara ad hoc composita et marmoreo sarcophago munita, recondita fuere. Quæ postmodum ad annum Domini ML, regnante in Cathalonia famigerato et bellicosissimo principe Raymundo Berengario hujus nominis I Barcinonensium comite, per venerabiles presbyteros Raymundo Ferrer et Mosem (*Conf. num.* 19) Raymundo, præcedentibus angelicis visionibus et assiduis revelationibus, in eadem S. Saturnini ecclesia Viccensi reperta
C sunt et honorifice collocata, constito de SS. Martyrum reliquiis, una cum eorum nominibus, origine, tempore et loco passionis.

nititur monumentis non satis probatis.

22 *Certe si omni ex parte fide digna esset recitata narratio, nulla foret ratio dubitandi de loco ubi SS.* Lucianus *et* Marcianus *passi sunt. Cum autem ex supradictis non solum disputetur de loco martyrii, sed insuper conveniat fere inter eruditos certaminis palæstram procul ab Hispania quærendam; patet vel ex hoc haud parum convelli narrationis præfatæ fidem. Præterea series tot visionum valentioribus firmanda esset argumentis, quam per se præbet* Flos Sanctorum, *quod opus, ut docuimus, ineunte sæculo* XIV *scriptum, proinde trecentis fere annis ab eventu, plurima continet haud facile a cordatis admittenda. Teste Villanova* (1), *in ecclesia Pietatis* (*de la Piedad*) *olim S. Saturnini, in sacello, quod primum occurrit ad manum dexteram, videre est cavum, unde fertur arca lapidea, cujus meminit Relatio, educta, in qua, secundum traditionem, repertæ non sine miraculo SS. Reliquiæ. At, prosequitur Villanova, si inventio, prout dicitur, contigit anno* 1050, *arca quæ hodie in præfato cavo asservatur, alia sit oportet ab arca primitus detecta: quæ enim hodie visitur, manifeste præfert formam, ut aiunt, Gothicam, nec sæculo* XIV *antiquior est; præterea in anaglypho cernitur papa cinctus tiara,* triplici *insignita corona; quod omnes norunt recentius sæculo* XI *sapere ævum. Passim tenent, tertiam coronam a Benedicto XII primum adhibitam* (2). *Sedit autem ille Avenione; electus* 20 *Decembris* 1334, *coronatus* 8 *Januarii* 1335, *defunctus* 25 *Aprilis* 1342 (3). *Sed asserit Ripollius hallucinatum hic Villanovam: nam quæ eo loci nunc spectatur, non est arca, de qua in Inventione sermo, sed altera* viridi colore depicta, *et sæculo* XIV *posterior, ut dicetur in Translationibus. Cæterum Inventionem qualemcumque* olim *contigisse, non facile quis negaverit; sed a quo, quando et quibus in adjunctis, non satis constat. Dixi* olim. *Quia hæc sola vox est, quæ in Instrumento primæ Translationis infra recitando, adhibetur ad* E *designandum tempus: Domeneccus de suo addidit:* nempe anno Domini 1050. *Vide Florez, tomo XXVIII, pag.* 224. *Verum alia manet difficultas. Scilicet posito corpora SS. Martyrum aliunde Vicum, quocumque demum tempore, allata; quæritur, quo ex loco, quave ex regione?*

AUCTORE B. B.

Reliquiæ unde Vicum allatæ?

23 Ferrarius, *inquit Florez* (4), existimat ex Africa Vicum venisse quoniam ibi passi sint, teste Galesinio. *Sed vidimus n.* 6 *hanc Galesinii sententiam levi imo nulla ratione probari. In Chronico Luitprandi legitur ad annum Christi* 902, *æræ Hispanicæ* 940: Sancti Luciani, pontificis et martyris, comitis sancti Dionysii Areopagitæ ossa Bellovaco (*Galliarum civitate*) ad urbem Vicensem translata sunt. Alii putant Leuciani, reguli Carpetanorum, corpus, passi cum Quiteria, cum corpore S. Marci (*al.* Martiani *vel* Martiæ) allatum (5). *Observat Florez:* Acta Vici asservata S. Lucianum nec Episcopum nec Regulum dicunt, cum eadem sint quæ Mombritius edidit. *Et paulo inferius addit:* Quod si aliunde huc translati sunt, Martyres Nicomedienses agnoscamus oportet, a Sabino igni traditos, imperante Decio; *tum* F *quod soli illi in martyrologiis antiquis celebrentur, et eorum Acta manifeste respexerit Florus, qui* Nicomediæ, Sabini, Decii *et* concremationis *diserte meminit; tum quod ecclesia Vicensis SS.* Luciani *et* Marciani *festum agat die Nicomediensibus proprio,* 26 *Octobris; tum denique quod* (*ut ex Lectionibus demonstratur*) *Acta adhibeat Mombritiana, quæ non nisi de Sanctis in præfata urbe passis interpretare fas est. Tandem, judice rursus Florezio, admissa historia Inventionis, supponere debemus Translationem factam ante Maurorum circa initia sæculi* VIII *invasionem: nam opera illa subterranea, altare et cætera id genus, de quibus mentio in Relatione, ætatem indigitant barbarorum istorum irruptione priorem.*

—

(1) Viage, tom. VI, d. 117 et seq. — (2) Dictionnaire de Trévoux, V° : *tiare*. — (3) Art de vérifier les dates, pag. 303. — (4) España sagr., tom. XXVIII, p. 226. — (5) Luitprandi opera, p. 435. Antverpiæ, 1740.

AUCTORE B. B.

§ III. De reliquiis SS. Luciani et Marciani, earumque translationibus et cultu in ecclesia Ausonensi. Additur ejusdem urbis et sedis notitia.

1ª *Translationis Vicensis an.* 1342, *Instrumentum;*

P*lures memorantur translationes. Prima eaque omnium longe celeberrima adscribitur anno* 1342, *ut diserte notatur in Instrumento, nuper* (*an.* 1826) *edito per Ripollium, quodque nos hic subjungimus.*

ex quo discimus per canonicos ad hoc deputatos

25 Anno Domini MCCCXL secundo, die Veneris intitulata, nono kal. Junii (*id est* 24 *Maii*) cum in generali capitulo, quod celebratum extitit in claustro novo sedis Vicensis in sancto festo Pentecostes proxime præterito, (*id est* 19 *Maii, Paschate resurrectionis incidente in diem* 31 *Martii*) fuisset per hon. capitulum ejusdem ordinatum, quod Ven. Petrus de Surigueriis canonicus, et Berengarius de Columbario canonicus et officialis, ac Petrus Joannes de Avencho canonicus et tesaurarius Vicen. B ad laudem et honorem Dei et totius cœlestis curiæ, et ob venerationem SS. Luciani et Marciani, qui in civitate Vicensi martirium propter dominum nostrum Jesum Christum suscipere voluerunt et passi fuisse leguntur, et quorum ossa aliqua non combusta, et combustorum cineres aliqui fuerunt divina revelatione inventi et translati ab olim (*addit de suo hic Domeneccus* : scilicet anno Domini 1050) et posita in quadam theca fustis (ligni) duplicis cooperturæ intus capellam S. Saturnini constructam in platea Montiscateni civitatis Vicensis, cum illa majori reverentia et devotione qua possent, adhibitis secum personis religiosis et aliis devotis clericis et honestis accederent ad dictam capellam S. Saturnini et ossa et cineres translatarent et devote ponerent in quadam pulchra theca facta et operata ad illud, ac deputata et data per ven. Andream Barati, civem Vicensem, ut devotissime et magis honorifice possent.

sacras reliquias ex antiqua in novam thecam depositas,

26 Idcirco prænominati canonici die Veneris supra dicta circa auroram, missa S. Spiritus celebrata et emissis ad Deum orationibus, ut qui de indignis dignos facit, talia tractandi et faciendi sua misericordia faceret eos dignos, adhibitisque secum viris religiosis, videlicet Fr. Petro Martino et Fr. Francisco Colltellerii de ordine FF. Minorum, et discretis; G. de Paradiso presbytero rectore anniversariorum sedis Vicensis, et Jacobo Serra beneficiato in capella S. Mariæ Rotundæ Vicensis, et Laurentio de Manso, beneficiato in altari infra scripto, et Bernardo de Columbario, scriptore jurato curiæ officialatus Vicensis, accesserunt ad dictam capellam S. Saturnini, et ibidem constituti, cum illa majori reverentia, devotione et humilitate, quibus potuerunt, aperuerunt thecam prædictam, qua aperta, odore aromatico insurgente invenerunt dicta ossa et pulveres odoriferantes mirifice, et statim genibus flexis, ut magis devote, humiliter ac reverenter potuerunt, mutarunt et translatarunt ossa prædicta in theca deaurata prædicta, (*argenteam dicit Villanova* (1), *ignoro quo fundamento*) ad id, ut præmittitur, deputata cum D quadam tavaijola * cirica (serica), quæ cum dictis ossibus et cineribus fuit inventa absque corruptione aliqua, quæ theca mirabili casu fortunæ, ac si ad illud mensurata fuisset, fuit repleta SS. ossibus supradictis, ut neque magis vel minus ibi recipi potuisset, et cum ideo cineres prædicti in dicta theca recipi non possent, fuerunt ipsi cineres positi in quodam sacco sigillato sigillo ven. officialis prædicti et desuper in aliquo alio sacco panni cerei, qui saccus et theca etiam sic clausi miraculose odoriferabant odoribus aromaticis et multum mirabilibus aliis. Deinde dicta theca, ubi ossa prædicta fuerunt recondita, fuit clausa cum clave lautonis, quæ clavis fuit tradita custodienda cum omni diligentia in sacristia sedis Vicensis tesaurario supradicto, qui postea eam posuit pro tunc in quadam theca magna, quæ extitit coram altari B. Mariæ de Choro. Quibus peractis dicta theca, ubi dicta ossa sancta fueruut recondita et dictus saccus fuerunt positi cum dictis cineribus, et missi in quadam alia theca majori, et intus clausa cum duabus clavaturis, quarum una clavis fuit E commissa dicto tesaurario et alia rectori altaris et beneficii, institutorum in dicta capella per dictum ven. Andream Barrati sub invocatione BB. Martyrum prædictorum cum auctoritate et licentia Rev. Dom. Gaucerandi divina providentia Vicensis episcopi, quod beneficium presbiterale idem Andreas in commemorationem et ob honorem et venerationem Martyrum prædictorum instituit in capella S. Saturnini prædicti, ipsumque dotavit ob reverentiam Dei et devotionem SS. Martirum prædictorum.

* *hispanice* toalla *idem quod* cervicale operculum, pannus.

ac solemni pompa ad S. Saturnini relatas,

27 Postea sequenti die dominica intitulata 14 Kal. Junii anno prædicto, fuit dicta theca deaurata, ubi dicta sancta ossa recondita sunt, devote ac reverenter ad sedem B. Petri portata per canonicos et alios superius nominatos, et supra altare B. Petri posita honorifice in aspectum cleri et populi, ibidem ob dictas devotionem et reverentiam congregatorum; et multitudine cleri et populi ibidem congregata, et facto ibi solemni sermone, et expositis vita et passione SS. Martyrum prædictorum, cum solemni processione fuit dicta theca F deaurata cum dictis sanctis ossibus ibidem reconditis cum immensibus cantis * reportata ad dictam capellam S. Saturnini, et ibidem cum orationibus debitis posita et inclusa in quadam alia theca magna colore viridi depicta, in qua etiam fuerunt missi cineres supradicti, in dicto sacco, ut præmittitur, sigillato positi, et in alio sacco cineres qui fuerunt tracti de theca, ubi prius dicta ossa fuerant recondita et translata, ne amodo postea ad humanos usus servire possent; quæ theca viridis fuit posita supra altare SS. Martyrum prædictorum. Quibus adimpletis fuit dicta theca major clausa duabus clavaturis, quarum una clavis fuit tradita tesaurario supra dicto et alia rectori Stabilimenti beneficii supra dicti diligenter custodienda; fuit etiam ibidem excommunicationis sententia promulgata per dictum officialem contra quoscumque, qui dictam thecam viridem a modo aperirent absque

* *lege* immensis cantibus

(1) Viage, tom. pag. 116.

licentia

A licentia Reverend. Dom. Vicensis episcopi aut ejus Officialis. Placuit tamen capitulo Vicensi et dicto Officiali Vice Dom. episcopi supradicti tunc in remotis agentis. (*Videtur esse formula consensus.*)

deinceps certis diebus exponendas

28 Et ibidem etiam fuit per eos concorditer ordinatum et constitutum, quod in die Veneris sancta, Paschæ et in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi et in die festivitatis BB. Martyrum prædictorum possit ob majorem devotionem et reverentiam eorumdem, et ad laudem omnipotentis Dei, B. Virginis Mariæ et totius cælestis curiæ, dicta theca major aperiri, et inde clausa ostendi, sed non extrahi de theca prædicta deaurata, ubi dicta sancta ossa sunt recondita, ut est dictum; sed quod ipsa nullatenus per aliquem, cujuscumque gradus aut conditionis existat, amodo aperiatur absque deliberate concessa licentia supradicta, et tunc præsente dicto Dom. episcopo aut ejus Officiali. De quibus omnibus ad laudem Dei et ad memoriam in futurum fuit facta et ordinata præsens scriptura, quæ fuit adjuncta et posita in fine vitæ BB. Martyrum prædicto-
B rum, qui pro prædictis canonicis et pro aliis Christi fidelibus intercedant apud Dominum Jesum Christum. Amen.

et etiam per modum supplicationis circumducendas.

29 Fuit etiam concorditer ordinatum et constitutum, quod si oportebit processiones fieri in civitate Vicensi et extra pro pluvia a Dei misericordia obtinenda tempore siccitatis, possit dicta theca deaurata extrahi reverenter de theca majori viridi supradicta et cum omni devotione et humilitate ad dictas processiones portari honorifice, sicut decet, ut ipsi Martyres sancti, qui pluries intercedendo ad Dominum obtinuerunt nobis concedi et dari pluviam affluentem et bonum tempus, intercedendo pro nobis obtineant illud et salutem animarum et corporum, præcipue habitantium in civitate Vicensi. Amen.

Unde desumptum sit præfatum instrumentum,

30 *Monet Ripollius historiam hanc Translationis adscriptam esse margini ad diem* 26 *Maii in martyrologio ecclesiæ Vicensis proprio, quod asservatur in ejus archivo, et exaratum præsumitur ineunte sæculo* XIII*; addit, hoc probabiliter esse manuscriptum magis antiquum, quod viderint Vici Domeneccus et Villanova; quorum*
C *prior illud in castellanum vertit et publici juris fecit in* historia Sanctorum Catalauniæ *atque ex hac Florez inseruit* Hispaniæ sacræ*; et compendiose exhibuit Villanova.* Nos autem, *subdit Ripollius,* curavimus latinam editionem, ante plenam codicis destructionem, adeo jam obliterati, ut vix legi queat; sic enim corrigentur errores, emendabuntur loci minus accurate redditi, et supplebuntur quæ ab illis omissa fuerunt. *Quod sane consilium viri diligentis et pii nemo non laudaverit.*

et nonnulla circa illud notanda.

31 *Notandum præterea est primo, Translationis hujus tempore obtinuisse opinionem de loco passionis :* qui in civitate Vicensi martyrium... suscipere voluerunt et passi fuisse leguntur; *secundo memorari quidem in instrumento nostro Inventionem, sed nec annum nec sæculum, quo contigit signari;* quorum ossa et cineres antiqui fuerunt divina revelatione inventi et translati ab olim; *præterea nihil; de suo ergo vel ex Flore Sanctorum addidit Domeneccus (et ex eo Florez* (1)) : Scilicet anno Domini 1050; *tertio, ex verbis :* quæ theca mirabili casu fortunæ, ac si ad illud mensurata fuisset, fuit repleta SS. ossibus, ut neque magis vel minus ibi recipi potuisset, *ortum, ut pie credant Vicenses, SS. Reliquias sub hanc translatione mirabiliter auctas; quarto* thecam viridem, *illam* certissime *esse, ut habet Ripollius, quam adhuc videre est in cavo sacelli, quod ad manum dexteram est ecclesiæ Pietatis, olim S. Saturnini, cum etiam nunc remaneant vestigia coloris viridis, quo obducta fuit. Fert quoque inscripta latine verba :* Perantiqua urna de novo reparata. *Hujus inscriptionis non meminit Villanova. Caracteres sæculo* XIV *sunt multo recentiores; proinde vocari recte potuit* perantiqua, *licet dicto sæculo primum fabricata. Nihil itaque mirum, si tiara pontificia triplici insigniatur corona, cum, ut dixi n.* 22, *communiter tertia addita teneatur a Benedicto XII, defuncto* 25 *Aprilis anno* 1342*; et translatio, qua de agimus, spectet ad annum* 1340. *Quinto patet quam antiqua sit pietas Vicensium in sanctos Martyres, sicut et usus supplicationum eorum nomini institutarum :* fuit etiam concorditer ordinatum E et constitutum, quod si oportebit processiones fieri in civitate Vicensi et extra pro pluvia obtinenda tempore siccitatis. *Observat Ripollius in vocem* extra, *alludere Instrumentum ad supplicationem, quæ haud ita pridem, scilicet anno* 1337, *præscripta fuerat ab episcopo Galcerano Çacosta in gratiarum actionem pro obtenta pluvia itumque est usque ad* Sanctuarium de Gleba. *Quæ deinceps supplicatio singulis annis repetenda fuit, donec anno* 1614 *episcopus et capitulum aliud statuerunt. Nec hujusmodi supplicationes* extra (*deducendo nempe sacra Pignora ad loca Vico dissita*) *fiebant solum tempore siccitatis; verum etiam, aliis impendentibus calamitatibus; prout contigit die* 12 *Julii* 1687, *quo processum cum reliquiis est usque ad oratorium S. Laurentii* (*de S. Lorenzo Çaboada ó de Comalada*), *ad impetrandum liberationem a locustis. Hactenus propriis fere verbis Ripollius. Tamayus hanc translationem sic describit :* Denique anno Domini MCCCXLII, regnante in Cathalonia serenissimo Petro hujus nominis IV Aragoniæ rege et Cathaloniæ III, instantibus
F venerabilibus Petro Surigueres, Berengario Colomer, et Joanne de Avendo thesaurario et canonicis S. E. Viccensis, sacra beatorum Martyrum lipsana ex theca illa vetusta, ad aliam affabre factam et deauratam solemni processionis pompa et circumjacentium oppidanorum frequentia, D. Galcerano ejusdem sedis episcopo facultatem concedente, translata et ad aram majorem condita, adhuc miraculorum continuatione venerantur. *Quæ in his minus accurate reddita occurrunt, ex dictis facile erit corrigere.*

Binæ aliæ Translationes:

32 *Binas alias idem scriptor memorat translationes; unam anno* 1657, *quando SS. ossa deposita fuerunt in thecam argenteam, alteram anno* 1664, *quando hæc ex antiquo sacello delata est ad altare majus. Utramque translationem confudit Villanova, cum asserat præsentem thecam primum posteriori anno confectam; quod secus est, ut ex dicendis manifestum fiet. Monet quoque Ripollius actum jam fuisse anno* 1615

(1) Tom. XXVIII, p. 224.

de

AUCTORE B. B.

de paranda theca argentea, in quam SS. reliquiæ reponerentur; sed, inquit, res moram traxit. Deinde hoc notat: quamvis acta capitularia loquantur de solo canonico Ramis, patet tamen ex sequenti inscriptione, arcæ præsenti addita, alterum ei adjungendum : Præsentis arcæ donum obtulerunt Petrus Ramis canonicus Vicen. et Jacobus Brunells civis 1657. *Denique recenset Ripollius Acta, in quibus de priori translatione sermo factus.*

una an. 1657, ut probatur ex actis capitularibus;

33 Die sabbati 17 mensis Februari annii 1657. Capitulum in quo præses Dou archidiaconus, Codina, Damians, Roca, H. Colldelram, Sala, Sayz, Ramis, Mas, M. Colldelram, Estevanell et Riera (*hæc latine, sequentia vernacule quod et infra quoque obtinet*). *Canonicus Ramis significavit propositum sibi esse, si placeat capitulo, procurare argenteam thecam recondendis SS. Martyrum reliquiis, cum autem sibi deficiat (saltem partim) materia idonea, rogat ut thesaurarii monetam, deinceps recipiendam, seponant in thecæ confectionem, se vero aureis compensaturum, nummos argenteos hac via collectos. Placuit capitulo propositio.* — Die Veneris
B 23 *mensis Februarii* 1657. Capitulum in quo Dou archidiaconus et præsidens, H. Colldelram, Sala, Saiz, Ramis, Mas, M. Colldelram, Estevanell, Bosch et Riera. *Significavit canonicus Ramis cœptum jam esse opus thecæ; artificesque asserere deesse sufficientem copiam argenti; esse vero apud thesaurarium nummos argenteos trecentos; seque paratum, si ita placeat, numerare aureos, quantum satis ad valorem argenteorum. Probavere rem capitulares.* — Die Veneris 11 Maii 1657. Capitulum in quo Dou arch. et præsidens, H. Colldelram, Sala, Saiz, Ramis, Mas, M. Colldelram, Estevanell et Riera. *Significat canonicus Ramis perfectam esse arcam argenteam, rogatque ut deliberatio fiat de modo translationis faciendæ : scilicet an fieri debeat in cathedrali an in ecclesia Pietatis; et quo die. Proponitur ut dominicia Trinitatis (quæ an.* 1657 *incidebat in* 27 *Maii) post Matutinum solemniter deferantur Reliquiæ ab æde Pietatis ad cathedralem, atque per totum officium maneant repositæ in summo altari; ad Vesperas autem Dñus episcopus illas ex una in alteram transferat arcam, et insuper rogentur*
C *consiliarii civitatis ut velint in cathedrali præsentes adesse sub translatione; deinde instituatur supplicatio per urbem, comitantibus omnium ordinum regularibus; ac denique reliquiæ, theca argentea clausæ, reportentur ad ædes Pietatis. Missi itaque ad episcopum canonici Ramis et Mas, qui hæc proponerent, et insuper eum rogarent ut dignaretur pontificali in ornatu solemnitatem peragere. Respondit pontifex se paratum ad faciendam translationem, et post hanc se, pontificalibus indutum supplicationi adfuturum.* — Die Jovis 24 Maii 1657. Capitulum in quo Dou arch. et præsidens, Damians, Roca, Bronsal, H. Colldelram, Sala, Saiz, Ramis, Mas, M. Colldelram, Estevanell, Bosch, Puig, Riera, Morera et Franciscus Morera. *Ante omnia canonicus Ramis retulit se una cum canonico Mas convenisse dominum Episcopum gratiasque ei egisse nomine capituli, quod dignaretur, vestitus pontificalibus facere translationem reliquiarum gloriosorum martyrum SS.* Luciani *et* Marciani *in thecam argenteam,* D *dominica Trinitatis in ecclesia cathedrali post Completorium; atque deinde præsesse supplicationi generali per civitatem, comitantibus omnibus regularibus sicut et consiliariis civitatis; et hac absoluta, reliquias referre ad ecclesiam Pietatis. Magna cum benevolentia dictos canonicos excepit ac dimisit antistes* — Die Veneris 15 mensis Junii 1857. Capitulum in quo Dou arch. et præsidens, Roca, Bronsal, H. Colldelram, Sala, Saiz, Ramis, Mas, M. Colldelram, Bosch, Nadal, Reart, Puig, Riera, Morera et Franciscus Morera. *Canonicus Bronsal exposuit, administratores ecclesiæ Pietatis, petere, ut sibi restituantur thecæ, quibus antehac reconditæ servabantur reliquiæ gloriosorum Martyrum; statutumque fuit ut antiquæ thecæ eis restituerentur, in loco convenienti custodiendæ. Atque hæc ex actis capitularibus. Porro episcopo, de quo in prædictis sermo, nomen erat D. Fr. Franciscus Crespi de Valdaura. Cæterum accurate notantur dies et annus, ut primo intuitu perspicipiet quisquis consulere voluerit* calendaria *vulgo* perpetua *dicta* (1).

altera an. 1664.

34 *Constat etiam die* 24 *Augusti* 1664, *alteram contigisse translationem, qua theca argentea, SS. Reliquias continens, ex sacello et altari pristinis delata fuit ad altare majus ejusdem ecclesiæ Pietatis, quondam S. Saturnini;* ubi, *addit Ripollius scribens anno* 1826, ad hunc usque diem permanserunt; *et reprehendit, nec immerito Villanovam, quod is ad posteriorem transtulerit, quæ in priori gesta erant; ait nempe, ossa deposita anno* 1664 *in recens fabricatam thecam argenteam; quod factum vidimus anno* 1657. *Ast eodem loco* (2) *accurate describit thecam, quam testatur attente a se inspectam. Longa inquit,* ulnæ (*vara*) duas quartas partes cum dimidia (*dos cuartas y media*) alta paulo plus quam unam ; *ac proinde duplo fere longior quam altior, continet parvam ossium quantitatem, ferentium vestigia temporis rerum edacis, vel ignis. Habetur simul quoddam veluti mantile seu operculum cervicale* (*como toallo*) *albi coloris, partim acu pictum, partim panno serico et versicolore obductum, simile velo humerali quod adhiberi solet pro benedictione SS. Sacramenti* (*paño de humbros*). *In altera arcula assservantur carbones et concretiones nonnullæ ex terra et sanguine, nigræ ad instar humi; quæ similiter reperiuntur in alia tela seu mantili, haud absimili prioris, de quo diximus. Ita Villanova loc. cit.* F

Cultus.

35 *Manifestum itaque est, cultum* SS. Luciani *et* Marciani *a pluribus saltem sæculis apud Vicenses cœpisse, et ad nostra usque tempora perseverasse solemnem. Martyrologia antiqua illius ecclesiæ, per decursum nostri commentarii laudata, id magno consensu testantur. Similiter in Calendario Hispanico, nuperrime composito et edito cura et diligentia Petri Sainz de Baranda, duobus in locis mentio fit de SS. Martyribus. Primum Kalendis Aprilis :* Inventio corporum sanctorum Luciani et Marciani martyrum, facta Vici anno 1050; et celebratur in tota diœcesi. *Item* 26 *Octobris:* SS. Luciani et Marciani, martyrum, quos ut sibi proprios colit sancta ecclesia Vicensis(3). *Prætermitto dicere de ecclesia S. Saturnini nunc Pietatis, ubi repo-*

(1) Art. de verifier les dates p. 100 etc. — (2) Viage tom. VI, p. 117. — (3) Coleccion de documentos ineditos, tom. XXII., Clave de la España Sagrada, p. 315 et 429. Matriti, 1853.

sita

sita et a multis retro sæculis venerata SS. pi-
A *gnora; de supplicationibus etc.; cum de his supra satis prolixa sit facta mentio. Sed haud abs re fuerit adscribere hymnos proprios, quos non ita pridem (an. 1824) excudi curavit sæpius laudatus Jacobus Ripoll, et testatur transsumptos ex antiquo breviario Vicensi, in quibus cæterum desideratur virtus poetica; dictio plerumque barbara est, et vix aliud occurrit indicium ligatæ orationis, quam syllabarum numerus (nec hic accurate ubique servatur), nulla quantitatis vel metri habita ratione.*

Hymni ad Vesperas, 36 In festo SS. Luciani et Marciani ad Vesperas, Hymnus :

Fulgent membra gloriosi
Luciani martyris
Intra urbem Vici sacram
Jam Deo placibilem;
Fulgent et miranda
Sancti Marciani pignora.

Qui Sabini contemnentes
Olim jussa consulis,
Derelictis ydolorum
Demonumque cultibus,
B Libros execrandæ legis
Consumpserunt ignibus.

Claritate perlustrati
Post baptismum nimia,
Confitentes Christi nomen
Tota cum fiduccia,
Ab iniquis in obscurum
Mersi sunt incendium.

O beati vere Christi
Pretiosi Martyres,
Qui probati velut aurum,
Post datam sententiam,
Passionis partem nostri
Meruistis Domini.

Salutarem ab excelsis
Delegastis angelum,
Preco quam* ostendit tumbam
Fratribus et titulum,
Quo purgati mereantur
Habere remedium.

Jam cives ad astra poli
Pervolastis aurea,
C Ubi celibes effecti
Postulamus affatim
Nos ut illuc simul vestris
Sublevetis precibus.
Gloria et honor.

* qui?

ad Matutinum, 37 Super Noct. Hymnus :

Ut quid in Christum truculente, nequam
Sabine, furis dente cruento?
Nam tua ira, noxia pœna,
Premit insontes.

Adpellens Vicum Lucianus magnus
Et Marcianus, fide confirmati
In igne missi simul sunt combusti,
Te seviente.

Hi relinquentes publicum errorem
Christum sequuntur nullo deviantes,
Menteque pura mori cupientes
Corpora parant.

Cum retorqueri nolint a te isti
Sancti Sodales, primus atque nequis;
Sed sunt tormenta tua que his donas
Despicientes. AUCTORE B. B.

Omnium rerum Principis ardore
Jamque relinquunt hominum naturam,
Ipsique Christo, animas commendant,
Jam inhiantes.

Gloriam prestant summo Conditori,
Ejusque Nato, Flaminique sancto,
Unus qui trinus omnia sub certo
Fine gubernat. Amen.

38 Jam sol olympo aureis quadrigis *ad Laudes.*
Spargere lucem cepit, et illustrat
Hunc tantum diem Martyrum tuorum,
O alme Christe.

Quo ferox hydra plurimis occisis
Veloci cursu infelix Sabinus
Perscrutans mundum missus est ut mactet
In te credentes.

Inter quos sanctos teque disponente
Martyres istos in urbe Vicense
Ut eam servent gravibus tormentis, E
Torqueri fecit.

Rabie sua odiis acerbis
Ad te remisit camino purgatos
Quos coronasti ut veros athletas
Splendido vultu.

Precamur ergo, qui nobis custodes
Illos dedisti, precibus eorum,
Cum sera dies venerit, cum illis
Tecum regnemus.

Presta hoc sancte Jesu nobis pie,
Qui summo Patre cum Spiritu Sancto
In Trinitate regis et gubernas
Secula cuncta. Amen.

De duobus Breviariis Vicensibus. 39 *Monet Ripollius, breviarium, ex quo descripti sunt Hymni, nec annum præ se ferre nec locum, quibus excusum fuit. Desunt insuper nonnulla folia. Servatur autem Vici in archivo ædis prætoriæ. Errat Villanova* (1), *ubi asserit, in Lectionibus hujus Breviarii,* (*quod* est in archivo ædis prætoriæ) *sanctos Martyres dici* Cives Vicenses; *lapsus exinde, quod aliud viderit* F *breviarium apud Patres Oratorii ejusdem civitatis, impressum anno* 1557; *cujus Lectiones propriæ incipiunt :* Lucianus et Marcianus, cives Vicenses. *Novus ritus, quem de licentia sedis apostolicæ introduxit Vicensis episcopus D. Moya de Contreras, adhibetur in hoc brèviario, Lugduni Galliarum edito typis Theobaldi Pagani, præfato anno* 1557. *Hymni, paucis mutatis, eidem sunt qui in priori. Cæterum ambo breviaria festum SS. Martyrum nostrorum notant Dominica prima post octavam S. Michaelis, qui mense Septembri* (*nempe die* XXIX) *celebratur.*

Notitia urbis 40 *De* Ausetanis *eorumque* urbe *mentio occurrit apud Livium ad annum, ut passim notatur, Urbis conditæ* 534 *ante Christum* 218 (*Sigonius annum sequentum habet* (2)). *Annibal ex Hispania in Italiam progressurus,* nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Iberum traduxit. Ilegertes inde Bargusiosque et

(1) Tom. VI, p. 114. — (2) In fastos commentarius. Operum tom. I, col. 281 et 82. Mediolani, 1732.

Ausetanos

AUCTORE B. B.

Ausetanos et Lacetaniam, quæ subjecta pyrenæis montibus est, subegit; oræque huic omni præfecit Hannonem. *Ita Livius* (1). *Cnæus Cornelius Scipio, rebus in Italia vehementer laborantibus, ut hostiles impetus distineret,* in Hispaniam cum classe et exercitu missus... Orsus a Lacetanis, omnem oram usque ad Iberum flumen... Romanæ ditionis fecit (2). *Post hæc rediit Emporias.* Vix dum digresso eo, Asdrubal (*cui Annibal provinciam trans Iberum commiserat*), aderat, et Ilergetum populo... ad defectionem impulso..., agros fidelium Romanis vastat. *Scipio paucis post diebus Ilergetes denuo compressos* in jus ditionemque recepit. Inde in Ausetanos prope Iberum, socios et ipsos Pœnorum, procedit; atque URBE eorum obsessa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes nocte, haud procul jam urbe, quum intrare vellent, excepit insidiis... Postremo quum Amusitus, princeps eorum, profugisset ad Asdrubalem, viginti talentis argenti pacti deduntur (3). *Similiter Plinius* Ausetanorum *meminit:* Post eos (*Indigetes*), quo dicetur ordine, intus recedentes radice Pyrenæi,
B Ausetani, Lacetani (4). *Expunxit Harduinus* (*et mea opinione recte, quamvis nonnihil repugnet Florezius* (5)) *vocem* Itani *quæ ante ipsum media legebatur inter* Ausetani *et* Lacetani (6). *Notat insuper Harduinus* (7) : Harum (*Ausetanorum*) Livius meminit. Αὐθηταvοι Ptolemæo. Oppidum Ausa et Vicus Ausæ « Vic d'Osona » et frequentius « Vich » inter Gerundam et Manresam. *Petrus autem de Marca* (8), *ex eo quod Livius Ausetanos* prope Iberum, *collocet, autumat* Ausetanos apud Livium diversos et longe semotos esse ab Ausetanis Plinii; *et alibi asserit* (9), Ausetanos Plinii duorum dierum itinere remotos ab Ibero. *Quæ sententia minime placet Florezio, qui contendit* (10), *ex verbis* Prope Iberum *perperam inferri, duos populos cognomines unam eamdemque incoluisse provinciam. Imo, ait, contrarium docet ipse Livius, cum diserte Ausetanos ponat* Ilergetes *inter et* Lacetanos; *qui* (*Ausetani*) *proinde iidem sunt quos signant Plinius et Ptolomæus. Cæterum auctores solent definire regionum limites, prout sua ætate obtinent; fit autem ut territorium quod olim ad unam spectabat regionem, postea ad alteram pertineat. Et Livius* Baragusios *memorat, quorum apud posteriores scriptores nulla est mentio, quod jam genti finitimæ cessissent. Atque hæc generatim de Ausetanis et urbe eorum Ausæ*. Ausa, ut habet Petrus de Marca* (11), dicta deinde est Ausona productione unius syllabæ, (*ex* Ausa *scilicet* Ausona). Obtinuisse istud stante Gothorum regno, ostendunt subscriptiones conciliorum Hispaniæ, inter quas reperiuntur nomina plurimorum episcoporum Ausonensium... Eversa civitas a Mauris sive Sarracenis, a Ludovico pio imperatore restaurata, quoniam a pristina amplitudine multum illi decesserat, Vici Ausonensis nomen indepta est. Id fuit eversarum urbium cognomen, ut patet in oppido Illiberi, quod ob eam causam deinde dictum est Vicus Illiberi a Mela et D
Plinio *etc. Hinc, cum Ausa sæpius eversa legatur, nonnulli opinati sunt, nomen Vici jam ei tributum, stante Romanorum republica; perperam tamen: nam, ut recte observat Florez* (12), *Plinius et Ptolemæus non numquam loquuntur de* Ausa *vel* Ausetanis; *nec etiam Gothi Vicum dixere, quoniam eorum tempore civitas erat spectanda et sede episcopali insignita. Restat ergo, ut post ruinam a Sarracenis illatam* Vici *nomen invaluerit. Attamen antiqua appellatio permansit* in agro suburbano, quem hodie «Osona» vulgo vocant, imo et in se ipso, cum Vicus Ausonensis dicatur in veteribus membranis et hodie quoque vocetur vulgo « Vic de Osona. » *Ita Petrus de Marca loc. cit. Deinde addit:* Urbs est partim elementi colliculo insidens, partim per devexa pendens in rus suburbanum, tritici ferax *etc. Hodie incolarum habet duodecim millia* (13).

et sedis Ausonensis

41 *Sedes Ausonensis antiqua est. Primus ejus, qui innotuit episcopus, subscriptus legitur concilio Tarraconensi, celebrato* 6 *Novembris* 516 (14). *Subscriptionem refert Aguirrius his verbis* (15) : Camidius (al. Cinidius) in Christi E
nomine episcopus Ausonitanitæ (*al.* Ausonensis) civitatis subscripsi. *Notat autem Florez, episcopi nomen, quod diversimode scriptum reperitur, communiter dici* Cinidius; *sedes vero vocatur* Ausonitana, Ausonensis, Ausona, *quæ voces indicant ex* Ausa *jam tum ortam* Ausonam, *productione seu additione unius syllabæ, ut loquitur Petrus de Marca. Post* Cinidium, *quem sedisse constat saltem annis* 516 *et sequenti, laudant Florez* (16) *et Villanova* (17) Aquilinum, *qui annis* 589 *et* 599 *præfuisse probatur ex conciliis;* Stephanum, *annis* 614 *et* 633; Domninum, *anno* 638; Guericum, *annis* 643 *et* 653; Wisefridum, *cujus loco asserit Florez subscripsisse Toletano XIII* (*an,* 683) *vicarium nomine Ciexam, Cixillam seu Cixam; dissentire videtur Villanova, cum annos tantum signet* 688, *quo celebratum est Toletanum XV, et* 693, *quo habitum Toletanum XVI. Utrumque hunc annum memorat pariter Florez. Putem ideo Villanovam expunxisse annum* 883, *quod nomen Wisefridi desideretur in Toletano XIV, anni* 684. *Exinde per Hispanias grassata est lues Sarracenica,* F
sub qua urbs Ausonensis, vix non prorsus solo æquata. Itaque diœcesi Narbonensi adjecta diœcesis Ausonensis, quamvis longo intervallo disjuncta, donec proprium episcopum habere posset; cujus instituendi, cum opportunitas veniret, delegata cura est archiepiscopo Narbonensi. Acta hæc circa annum DCXC (18). *Res eodem in statu fere permansit usque ad annum circiter* 886, *quo* Theodardus Narbonensis archiepiscopus Gotmarum Ausonensem episcopum consecravit (19). *Consentiunt Florez* (20) *et Villanova* (21); *apud utrumque sedit Gotmarus ab anno* 886 *ad annum* 898. *Juverit unum adhuc addidisse: scilicet in litteris hortatoriis Berengarii episcopi, datis anno* 1326, *asseritur, ecclesiam Ausonensem* trescentorum nonaginta

annorum

* Ausæ, *hodie* Vici.

(1) Lib. XXI, cap. 23. Tom. III, p. 32. Paris. Barbou, 1775. — (2) Ibid, cap. 60, p. 83. — (3) Ibid., cap. 61, p. 86. — (4) Hist. nat., lib. III, cap. 3. Harduin. tom. I, p. 141 infol. — (5) España Sagrada, tom. XXVIII, p. 10 et 11. — (6) Plinius, tom. I, p. 183. — (7) Ibid., p. 141. — (8) De Marca Hispanica, col. 190. — (9) Ibid., col. 132. — (10) España Sag., tom. XXVIII, p. 3. — (11) Marca Hisp., col. 191 et seq. — (12) España Sag., tom. XXVIII, p. 12. — (13) De Rienzi, Dictionnaire de géographie. — (14) Florez, ubi supra, p. 53. — (15) Concilia Hispan., tom. III, p. 125. — (16) Ubi supra, p. 60. — (17) Viage, tom. VI, p. 120. — (18) Marca Hisp., col. 343. — (19) Ibid., col. 344. — (20) España Sag., tom. XXVIII, p. 70. — (21) Viage, tom. VI, p. 121.

A annorum spatio... metropolim extitisse, et Terrachonensis ecclesiæ tenuisse principatum (1); *id autem manifesti erroris arguit Villanova, ut vidimus supra n.* 14 ; *nec immerito. Audiamus iterum Petrum de Marca :* anno, *inquit* (2), eodem 970, Borellus comes Barcinonensis... ad apostolorum Petri et Pauli limina profectus cum Hattone episcopo Ausonensi et Gerberto monacho Auriliacensi, a Joanne XIII impetravit, ut quoniam Tarraco provinciæ metropolis in potestate erat Sarracenorum, nullaque spes affulgebat ejus recuperandæ, jus illius metropoliticum transferretur ad Ausonensem, et ut episcopi suffraganei ecclesiæ Tarraconensis Ausonensem colerent ut metropolitanum... Hatto itaque Ausonensis episcopus iisdem litteris *pontificiis* evectus est ad dignitatem archiepiscopi. Ceterum.... ambitio illa sive Borrelli comitis sive Hattonis episcopi caruit effectu. Nam neque Hatto se umquam vocavit archiepiscopum neque Fruianus ejus successor; et Cæsarius abbas sanctæ Cæciliæ, qui se per eas tempestates procuravit ordinari ad titulum Tarraconensis ecclesiæ, ausus non fuisset id tentare, in damnum B ejus ecclesiæ, quæ privilegio metropolitico ornata fuisset illius principis commendatione, qui provinciam tenebat. *Eadem, sed multo latius evoluta tradit Florez* (3), *diserte etiam asserens*, Ausonenses non percepisse fructum concessionis obtentæ (4). *Confer Villanovam in Hattone* (5). *Atque hæ sunt præcipuæ vicissitudines antiquæ Sedis illius, quæ in hunc usque diem perseverat, estque suffragenea metropolis Tarraconensis. Anno* 1848, *episcopus Vicensis creatus est RR. DD. Lucianus Casadevall, natus Vici anno* 1785 (6).

ACTA SANCTORUM
LUCIANI ET MARCIANI,
MARTYRUM,

Ex 2 *Codd. mss. et Mombritio, apud Ruinartium, atque hic collata cum martyrologio Hispano Tamayi* a.

C

a

Martyrium *b* vobis, fratres, enarrabo Luciani et Marciani, quod audientes, ædificationem accipiatis. Hi enim cum in errore gentilitatis tenerentur, ita dæmonibus tunc erant dediti, ut pœne omnem animam ad suam sectam sacrilegam persuadentes adducerent. Nam et magicis artibus *c* et maleficiis omnes coinquinabant adulteriis. Erant primi in subversione auctores, in magicis veneficiis subversores; ita ut omnes quærentes voluntates suas perficere, vel quibusdam * nocere, ad eos concurrerent. Sed Deus qui ingratis tribuit gratiam, et non cognoscentes eum ad cognitionem nominis sui perducere dignatus est, in istis ostendit esse conversus *d*.

Lucianus *et* Marcianus *magi*,

b

c

* *Codd. mss.* quosdam ; *Mombritius :* quosquam

d

2 Famula quædam erat Dei casta et fidelis, nuptias contemnens, virginitatem custodiens; forma speciosa et anima tamen pulcrior, non aliud nisi Deum diligebat. Petebat autem nullo persuadente, sed perseverante,* ut eam custodire dignaretur *e*. Lucianus et Marcianus hanc concupierunt; et cum non haberent quo genere cupiditatis suæ impudicitiam obtinerent; conversi *f* non aliter se nisi magicis dæmonicis superantes hanc judicaverunt et maleficiis obtinere. Cum ergo omnia artibus suis ostendissent, nihilque sibi prodesse viderent; conversi in furias, fremebant quod in nullo poterant prævalere. Illa vero serviens Deo, pernoctabat in vigiliis et oratione. At illi quædam * magica phantasmata facientes affligebant Deos suos, ut eis responderent *g*. Et dæmones eis responderunt : Quascumque animas non cognoscentes Deum, qui est in cœlo, voluistis subvertere, invocantes nos, facillimum nobis fuit præstare. Sed quia ad hanc castissimam animam certamen nobis est; multa quidem fecimus, sed nihil potuimus proficere adversus eam. Hæc vero virginitatem illibatam servat Jesu Christo, domino suo et Deo omnium; qui *h* crucifixus est pro salute omnium; ipse eam custodit et nos affligit. Ideo nihil contra eam facere possumus nec in aliquo superare. Cum hæc publice gererentur *, stupore et timore percussi cecideruntin faciem velut mortui *i*.

EX RUINARTIO.

animam seducere, *peseveranter?

e

f

* *Cod. Silv. :* quæcumque magica et phantasmata

g

h

E

* *Cod. Colb. :* gerentur

i

3 Post paululum reversi ad se, facientes alia magica, a se dæmones dimiserunt *k*. Conquerebantur vero ad invicem dicentes : Quoniam multum potest hic Jesus Christus crucifixus, qui omnium dominatur, et dæmones et omnes artes nostras magicas et veneficia nostra superat. Ad ipsum ergo nos oportet converti, et ipsum timere et colere, quoniam plus nobis poterit præstare, quam illi quos sine causa coluimus. Sed ubi abundavit peccatum superabundavit et gratia. Sic statim codices suos publice in media deferentes civitate, igni combusserunt. Stupebant vero hæc videntes omnes. At illi dicebant ad turbas : Quoniam aperuit Dominus sensum nostrum, ut de tenebris et umbra mortis, quibus nunc usque detinebamur, nos liberatos ad salutem veram perduceret. Hæc autem vana et inania sunt et a dæmonibus inventa quæ gessimus. Nos autem illum cognoscimus verum Deum esse, et in illo spem nostram ponimus. Sic quoque euntes ad ecclesiam confessi sunt omnia quæ gesserant.

convertuntur; k

F

4 Cumque facti fuissent Christiani et postea baptizati, perfusi lumine, omnibus derelictis loca secreta petierunt. Qui per omne tempus macerantes se et castigantes corpus suum, confitebantur Domino omnia quæ gesserant. Ita se jejuniis et orationibus affligebant, ut tertio quoque die nihil aliud quam panem et aquam accipiebant. Post hæc autem prædicabant verbum Dei cum fiducia et objurgabant omnes gentes, quod inanibus erroribus detinerentur. Audiens vero eos turba mirabatur dicens : Ecce qui nos docebant et suis artibus desideria nostra implebant, nunc illum Crucifixum prædicant, quem antea expugnabant. At illi dicebant : Credite nobis, fratres; quod

baptizati Christum prædicant.

(1) Viage, tom. VII, p. 262. — (2) Marca Hisp., col. 403. — (3) Ubi sup., p. 92 et seqq. — (4) Ibid., p. 98, num. 19. — (5) Ubi sup., p. 152 et seqq. — (6) Gerarchia della santa Chiesa cattolica apostolica Romana in tutto l'orbe ed in ogni rito. Romæ, 1851.

ER RUINARTIO. si hoc melius non cognovissemus, numquam conversi fuissemus ad eum; unde et vos convertimini ad eum, ut salvemini.

Sistuntur coram proconsule;

5 At illi repleti furore, comprohensos adduxerunt eos ad proconsulem Sabinum *l:* nam in ipso tempore persecutiones Christianorum fuerant datæ a Decio imperatore. Cumque oblati fuissent proconsuli, dixerunt : Ecce quæ ante prædicabant, nunc impugnant; et quæ impugnabant, prædicant.

l

interrogantur,

6 Sabinus proconsul ad Lucianum dixit : Quis diceris? Respondit : Lucianus. At proconsul dixit : Quid genus es? Lucianus dixit: Aliquando persecutor venerandæ legis; nunc autem, licet indignus, ejus tamen sum prædicator. Proconsul dixit : Quo autem officio fungeris, ut sis prædicator? Lucianus dixit : Omni animæ consuetudo est lucrare fratrem suum de errore, quo et sibi conferat gratiam, et illum liberet de laqueis diabolicis. Proconsul Sabinus dixit ad Marcianum : Quis vocaris? Marcianus dixit : Ingenuus et cultor sacramentorum Dei. Proconsul Sabinus dixit ad Marcianum : Quis vobis persuasit, ut relin-
B quentes venerandos et veros deos, a quibus multa estis consecuti, atque amorem in populo habebatis, ad mortuum et crucifixum vos transferretis, qui nec se ipsum salvum facere potuit? Marcianus respondit : Ille nobis donavit, qui et sancto Paulo; qui cum esset ecclesiarum persecutor, postea ejus gratia factus est prædicator.

viriliter Christum confitentur,

7 Proconsul Sabinus dixit : Consulite vobis, et redite ad pristina, ut et venerandos deos et invictissimos principes habeatis propitios et vitam lucremini. Lucianus dixit : Loqueris *m* quasi unus de insipientibus; nos autem insuf-

m

ficienter *n* Deo gratias agimus, qui nos erutos de tenebris et umbra mortis ad hanc gloriam perducere dignatus est. Proconsul Sabinus dixit : Quomodo vos defendit, ut modo in meas manus traderet vos? Quare vobis non adest ne mortem incurratis? Præterea scio vos, cum recte intelligeretis, multis plurima præstitisse. Sanctus Marcianus dixit : Christianorum gloria hæc est, ut hac, quam putas esse vitam, carentes, veram et perpetuam, perse-
C verantes in finem, consequamur. Nam optamus ut talem gratiam et intellectum tibi dare dignetur, quo cognoscas eum qualis sit vel quantus et quantum præstet credentibus in se. Sabinus proconsul dixit : Sic apparet quantum vobis præstitit, ut nunc, sicut dixi, in manus meas vos traderet. Sanctus Lucianus respondit : Jam diximus quia gloria Christianorum talis est et Domini promissio, ut qui fideliter certaverit cum diabolo *, minas et quæ sunt præsentia caduca contemserit, perpetuam et futuram vitam consequatur. Sabinus proconsul dixit : Anilia sunt quæ loquimini. Audite me et sacrificate diis, implentes regalia præcepta; ne excitatus furore, novis vos et exquisitis pœnis impendam. Sanctus Marcianus respondit : In hoc parati sumus, ut quibus volueris nos impendas tormentis; quam denegantes vivum et verum Deum, in tenebras exteriores et ignem inexstinguibilem, quem paravit Deus diabolo et ejus ministris, ingrediamur.

* *Cod. Silv et Mombrit. :* contra diaboli minas

8 Tunc videns eorum perseverantiam Sabinus proconsul, dedit adversus eos sententiam dicens : Quoniam Lucianus et Marcianus, transgressores divinarum nostrarum legum, qui se ad christianam vanissimam legem transtulerunt, hortati a nobis atque conventi, ut implentes invictissimorum principum præcepta, sacrificarent et salvarentur, et contemnentes audire noluerunt; flammis exuri præcipio. D

condemnantur ad rogum,

9 Cumque perducti essent ad locum, tamquam ex uno ore gratias Deo agentes, dixerunt : Tibi, Domine Jesu, insufficientes laudes dicimus, qui nos miseros et indignos de errore gentilitatis erutos, ad hanc summam et venerabilem passionem propter nomen tuum perducere dignatus es, atque omnium sanctorum tuorum participes efficere. Tibi laus, tibi gloria; tibi etiam animam et spiritum nostrum commendamus. Et cum complevissent orationem, statim quæstionarii *o* subposuerunt ignem *. Sic quoque venerabiles Martyres complentes agonem suum, passionis Domini participare meruerunt.

fortiter mortem obeunt.

o

* *Mombritius :* in suppositum ignem eos jactaverunt.

10 Passi sunt autem beatissimi martyres Lucianus et Marcianus VII *p* kalendas Novembris, sub Decio imperatore et Sabino proconsule *q*, regnante domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Tempus martyrii.

p

q

ANNOTATA.

a *Existimavit Florez Acta emendatius a Tamayo edita. Sed diximus Comm. præv. n.* 10 *perperam id ab erudito Hispaniæ Sacræ scriptore asseri. Et re quidem vera, si excipias quæ manifeste spuria imo falsa de patria SS. Martyrum, de loco, ac tempore passionis inseruit Tamayus, nihil habet quod in Actis Mombritii et Ruinartii non reperiatur, nisi quod stylo utatur diffusiori et verba hinc inde mutet. An forte ideo solum Acta Tamayi dixit emendatiora Florez, quod melius sint latina? Si ita, non equidem repugnarem.*

b *Juverit prologum ut est apud Tamayum, adscribere, ut videat lector hoc exemplo qui et quantum differant acta illius a nostris.* Lucianus et Marcianus origine Hispani, natione Cathalani, apud urbem Viccensem antiquissimam exorti (*vide Comm. præv.* §. II), qui cum errore gentilium tenerentur, et dæmonibus quibus tunc serviebant, fuissent dediti, ut pene omnem animam ad suam sectam perseverantes, magicis artibus et maleficis inquinamentis adducerent, adeo huic se tradiderunt studio, ut omnes quærentes voluptates suas proficere vel aliis nocere, ad eos tamquam ad magistros iniquitatis concurrerent. Sed Deus, qui ingratis tribuit gratiam, et non cognoscentibus eum, ad agnitionem nominis sui perducere dignatur, in istis sic ostendit eos esse conversos. Famula quædam erat Dei in eadem urbe, casta et fidelis, nuptum contemnens, virginitatem custodiens, forma speciosa, animo tamen melior *etc. Ita Tamayus.* F

c *Objicit Tillemontius* (1) *non esse credibile, fuisse illa tempestate viros, qui tam aperte*

(1) Mémoires, tom. III, pag. 708.

artem

A *artem magicam profiterentur. Equidem non video quid obstet, quominus hac de re fidem adhibeamus Actis, cum similia recurrant in plerisque sanctorum vitis. Certe artis magicæ professio antiqua est, teste Simone Mago. Vide infra annot.* g.

d Sic codex Colbertinus. In codice Silvæ Majoris « conversos. » At Mombritius : « in istis. Sic ostendit eos esse conversos » *Ruinartius. Confer lit.* b.

e Petebat autem, nullo persuadente, a Domino, ut ejus integritatem custodire dignaretur. *Tamayus.*

f Ad magicas dæmonum artes conversi, illam maleficiis vincere judicarunt. *Idem.*

g *Notat Ruinartius :* Hunc locum ex codd. inter sese et cum Mombritio collatis sic restituimus. Porro occurrerunt passim apud veteres exempla eorum, qui ejusmodi magicis artibus dæmones evocabant. Celebre est id quod ea occasione a Sozomeno lib. 5. Hist. eccles. cap. 2. et a Theodoreto Hist. etiam eccles. lib. 3 cap. 3 de Juliano apostata refertur. Cum enim ejusmodi incantationibus operam
B daret, spectris quæ ad magorum voces apparuerant deterritus, quasi in magno discrimine esset, pro christianorum consuetudine, quam didicerat, se ipsum signo crucis consignavit, cujus virtute spectra evanuerunt. Vide et Gregorium Nazianz. invect. in Julianum et Euseb. lib. 7. Hist. cap. 10. — *confer Annot.* c.

h Hæc verba usque ad « ipse eam » desunt in cod. Silv. *Nota Ruinartii.*

i *Hujusmodi dæmonis confessiones frequenter occurrunt primis ecclesiæ sæculis, nec desunt exempla evangelica. Totum hunc locum habet Tamayus amplificatum (ut frequenter alibi) et tersiore stylo elaboratum, proprio (vix dubitem) marte.*

k *Pericope hæc, quibus concepta verbis est, vix et ne vix quidem intelligitur. Tamayus eam sic reddit :* cum hæc publice faterentur invocati dæmones, protinus Lucianus et Marcianus stupore et timore perculsi, velut mortui in faciem suam ceciderunt; et post paululum reversi ad se, respuentes illas magicas artes, dæmones dimiserunt. EX RUINARTIO.

l *De Sabino et Decio vide Comm. præv. nn. 7 et 8. Tamayus inserit, pro scopo suo, nonnulla :* Comprehensos eos duxerunt ad præsidem urbis Viccensis, nomine Sabinum, Decii imperatoris munificentia. *Commentia hæc esse probavimus Comm. præv. § II; cum ex antiquis monumentis efficiatur, SS. Martyres Nicomediæ passos. Conf. n.* 6.

m *Tillemontio phrasis ista* olet *stylum Metaphrasticum* (4). *Esto quid inde? Nec enim proconsularia sunt Acta nostra. Non itaque putandum, singula verba, quæ recitantur, a SS. Martyribus fuisse prolata. Cæterum nihil officit, quominus hæc et similia, Tillemontio minus grata, reapse S. Lucianus dixerit pro tribunali. Nonne jam multis ante sæculis Job uxorem pariter objurgaverat?* Quasi una de stultis mulieribus locuta es (2). E

n *Vox hæc reperitur in solo codice Colbertino. Mombritius habet :* Nos autem Deo gratias *etc. Tamayus :* Nos Deo gratias agimus; *codex Silviæ Majoris :* Suscipiente nos Deo.

o *Id est carnifices.* Quæstionarius, carnifex, qui reos cruciat, examinat, ut ab eis veritatem extorqueat. *Ita Cangius in Glossario. A græcis non numquam dicuntur* κουεστιονάριοι.

p *In cod. Silv. Maj. signatur VIII. Vide Comm. præv. n.* 8 *de die et anno martyrii.*

q *Clausulam Tamayus transposuit. Prius addit quæ ad sepulturam, inventionem et translationem corporum pertinent, et a nobis recitata sunt Comm. præv. n.* 9. *Addit deinde :* Præstante domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Filio vivit et regnat in sæcula. Amen.

(1) Ubi supra. — (2) Job, II, 10.

C F

DE

D

DE SS. ROGATIANO, PRESBYTERO,

ET FELICISSIMO, VIRO LAICO,

CONFESSORIBUS, CARTHAGINE IN AFRICA,

B. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ unicus. Quæ de SS. Rogatiano et Felicissimo innotuerunt, habemus ex epistolis S. Cypriani, quarum binæ S. Rogatiano inscriptæ. In his non una occurrit difficultas sive explicanda sive solvenda. In aliis item epistolis ejusdem S. præsulis Carthaginensis præclare commendatur S. Rogatianus, quem etiam S. Cypriani vicarium fuisse constat in causa Felicissimi schismatici. A Martyrologis utrique sancti, martyres perperam dicuntur.

B E

POST MEDIUM SEC. III. *Memoria et vitæ compendium.*

SS. Rogatianus *et* Felicissimus *non aliunde nobis innotescunt, quam ex epistolis S. Cypriani, Carthaginensis episcopi, et paucis quibusdam martyrologis, qui manifeste ex S. Doctore hauserunt, additis de suo nonnullis. Quæ vero S. Cyprianus tradit, longe probabilius ad annos pertinent* 250 *et* 251; *illum a mense Februario vel Martio, hunc usque ad Aprilem, quo scilicet S. Martyr, post secessum quatuordecim fere mensium, Carthaginem rediit, unde discesserat circa finem Februarii an.* 250.

2 *Juverit, antequam ad particularia veniamus, res Sanctorum gestas summatim exhibuisse.* Rogatianus *presbyter erat ecclesiæ Carthaginensis;* Felicissimus *laicus, de quo paucissima novimus. Cum ineunte anno* 250 *cœpisset Carthagine persecutio, jussu magistratuum urbanorum* (*aberat Fortunatianus proconsul*), *SS.* Rogatianus *et* Felicissimus *capti fuere atque in carcerem detrusi. Ambo viriliter confessi sunt Christum, cæteris concaptivis exemplo præeuntes. Quapropter S. Cyprianus* Rogatianum gloriosum *vocat* senem; *cui etiam binas nominatim inscriptas habemus illius epistolas. Ex aliis vero ejusdem S. Doctoris litteris discimus ei non semel a S. Episcopo pecunias datas vel missas, in pauperes erogandas;* Rogatianum *una cum S. Numidico* (*de quo apud nos* IX *Augusti*) et Virtio, fidelissimo atque integerrimo presbytero *invigilasse ne pastoris absentia graviora grex pateretur detrimenta, indesinenter monitis suis confirmantes fideles et prudenti consilio temperantes præpostera pœnitentium et præcipue Lapsorum vota, pacem ecclesiæ petentium, nondum satis probata pro futuro constantia. Eosdem simul cum duobus episcopis constituit Cyprianus adhuc absens suos vicarios, quibus incumbebat pauperum necessitatibus providere, examinare promovendos ad ordines. Nec intermittebant sollicite S. Præsulem monere de omnibus quæ fiebant. Itaque machinationes Felicissimi* (*longe diversi a Sancto nostro cognomine*) *viri potentis et inquieti patefecerunt, in quem jussit Cyprianus fulminari excommunicationis sententiam; quod ab eis intrepide executioni mandatum est, antequam sanctus Doctor, relictis latebris ecclesiæ suæ mense Aprili an.* 251 *redderetur, quo tempore quieverat penitus in Africa persecutio. Probabile valde est, SS.* Rogatianum *et* Felicissimum *Decianæ procellæ supervixisse atque in pace diem clausisse; nec proinde proprie Martyres dicendos* (1). *Hæc generatim dicta sint. Singula discutiamus vel prout opus erit explicatius reddamus.*

C

An S. Rogatianus *diversus sit a Sergio, cujus mentio fit apud S. Cyprianum?*

3 *S.* Rogatianum *diximus presbyterum ecclesiæ Carthaginensis; estque proin alius ab ejusdem nominis episcopo Novensi in Mauritania, ad quem exstat epistola S. Cypriani* (2). *Cum ex Baluzii recensione epistola* LXXXI *ferat inscriptionem:* Cyprianus Sergio et Rogatiano et cæteris confessoribus in Domino perpetuam salutem (3), *ortum est apud plures dubium* (4), *an Sergii nomen diversam spectet personam, an vero sit tantum prænomen* Rogatiani. *Certum est vocem* Sergius *desiderari pluribus in codicibus haud spernendæ notæ.* Non habetur, *inquit Baluzius* (5), in codice Vaticano 195, neque in Gratianopolitano, neque demum in Lamoniano. Non exstitisse etiam in veteri codice optimo liquet ex annotatione Nicolai Fabri, posita in exemplari editionis Pamelianæ, ubi vir doctissimus monuit in eo codice legi simpliciter « Rogatiano et cæteris confessoribus, » uti etiam habetur in codice sancti Arnulphi. *In totius epistolæ decursu nulla prorsus occurrit Sergii mentio, dum* Rogatianus *præclare commendatur et cæteris confessoribus in eodem carcere detentis exemplo proponitur, ut in agone fortiter perseverent:* ut sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum, etc. *Ex his pronum sane est inferre S.* Rogatianum *cæteris antesignanum ex mente S. Cypriani exstitisse; quidni et illi primarie suam inscripserit epistolam? Unde haud absurda mihi videtur conjectura,* Sergium *prænomen esse* Rogatiani *et*

F

(1) Conf. Baillet, Vies des Saints, 26 Oct. — (2) Migne, Patrologia lat., tom. IV, col. 393-397. — (3) Ibid., col. 424. — (4) Conf. Baillet, ubi supra in margine. Tillemontium, Mémoires, tom. IV, p. 604 et seq. — (5) Migne, col. 425.

delendam

A *delendam copulativam* et. *Nihilominus, edita accuratioribus studiis S. Episcopi opera, epistolæ initium faciunt:* Sergio et Rogatiano *etc.* Ita, *notat Baluzius* (1), edidit Pamelius et alii post eum; eamque lectionem exhibent tria vetera exemplaria. Alia habent « Seagrio » vel « Seugeio. » In Remigiano vetere : « Cyprianus Sergio et Rogatiano et Victori et Felicissimo et cæteris confessoribus. » Quod autem nonnulli veteres libri et editiones habent « ad Rogatianum juniorem, » id male positum esse recte censuerunt Angli, qui hanc suam sententiam multis rationibus ostenderunt esse veram. *Itaque stando editis S. Cypriani scriptis, diversus est Sergius a* Rogatiano, *quamquam aliis ex rationibus, quas supra notavi, sententia contraria non sit omnino spernenda. Nonne etiam dici posset, vocem* Sergii *irrepsisse, cum tanta sit lectionum hoc loco varietas? Miratur Tillemontius, difficultatem hanc fuisse prætermissam a Pearsonio, diligentissimo scriptore* Annalium Cyprianicorum (2).

Duæ epistolæ S. Cypriani inscriptæ S. Rogatiano;

4 *Binas habemus S. Cypriani epistolas S.* Rogatiano *cæterisque confessoribus inscriptas; nec ulla hac de re controversia; sed quo tempore missæ, disputant. Cæterum nemini non notum est, quantum eruditi inter se discesserint in ordinandis per seriem chronologicam S. Doctoris epistolis. Sic quod attinet ad duas illas, de quibus nobis quæstio, mire discrepant editores. Altera, quæ venit ordine sexta apud Fellum episcopum ecclesiæ Anglicanæ Oxonii, octogesima prima est apud Pamelium et Baluzium; altera rursus apud Fellum, ordine decima tertia, apud Pamelium venit septima, apud Rigaltium et Baluzium sexta, (quod hi expungant omnium primam.) Ita ut quæ prior apud alios est, apud alios posterior sit, idque aliquot annorum intervallo. Hujus loci non est fusius disputare de ordine, quo S. Præsulis litteræ universæ collocandæ sint. Sufficiat indicasse quas ob causas Fello et Pearsonio potius quam Pamelio, hujusque sequaci Baluzio, assentiamur, et ambas epistolas eodem fere tempore, scilicet primis a mota persecutione Deciana mensibus, scriptas opinemur. Cæterum consentientes habemus D. Ceillerium* (3), *Schœnemannum* (4), *et ad priorem quod spectat, etiam Morcellum* (5); *qui posteriorem adscribit ineunti anno* 251 (6). *Nec omnino dissentit Tillemontius* (7), *statuens epistolam* 81 *referri posse ad annum Christi* 250, *dum illam Pamelius rejicit ad tempora Valeriani, sub quo S. Cyprianus anno Domini* 258 *passus est.*

C

earum alteram scriptam post reditum S. Præsulis contendunt

5 *Inter omnes convenit epistolam, quæ ex recensione Pearsonii decima tertia est, Pamelio septima, Rigaltio et Baluzio sexta, scriptam fuisse tempore quo, Decii sæviente persecutione, secesserat S. episcopus Carthaginensis. Totus difficultatis cardo vertitur in altera epistola. Audiamus D. Maranum, cui ut loquitur Schœnemannus* (8), *contigit* inchoata *a Baluzio, sed ejus morte intercepta, opera S. Cypriani* perficiendi provincia, viro nequaquam Baluzio, sive ingenium sive doctrinam ecclesiasticam spectes, inferiori. *Is itaque in vita S. Cypriani, quam operum novæ editioni præfixit, sic dissecundum omnino: nam nec Beda, nec Florus, nec auctaria ulla Sanctorum illorum meminere* (10)), Usuardus, Ado et alii sine examine sequuntur. Pearsonii sententia arridet Tillemontio; sed tamen multis rebus perspicitur, hanc epistolam non in secessu scriptam esse, sed Carthagine, cum jam obiisset Rogatianus, non tamen sub Valeriano, sed sub Gallo et Volusiano, *anno scilicet* 252, *ut alibi tradit idem Maranus* (11). *En trina sententia. Prima cum Pearsonio epistolam adscribit inchoato anno* 250; *secunda, cum Pamelio et Baluzio, anno* 257 *vel sequenti; tertia post annum* 252, *cum Marano, quem paucos omnino asseclas nactum putem.*

AUCTORE B. B.

6 *Mihi, ut jam monui, præplacet Pearsonii opinio; tum quod longe communior sit, tum quod validioribus nixa reperiatur rationibus. Prima desumitur ex comparatione trium locorum, quos supra laudabat Maranus. Ex his ita infert Pearsonius* (12) : Eandem certe occasionem sive rationem absentiæ eadem ubique excusandi formula satis indicat; ut eodem fere tempore et sub iisdem circumstantiis tres has epistolas haud immerito scripsisse videatur. *Alteram suæ sententiæ rationem explicat ibidem Pearsonius :* Fatetur Pamelius, *ex ipsis verbis* patere hanc epistolam aut in secessu aut in exilio scriptam esse, quæ (*verba*) etiam per se considerata potius secessum voluntarium quam exilium coactum et violentum indicant. Cum Curubi exul erat (*a mense Septembri anni* 257), sententia proconsulis ut Carthagine præsens esset non permisit; at in secessu suo nihil præter conditionem loci, hoc est Carthaginis, quo minus illic tunc præsens

frustra

F

E

irrepsisse, dum Bedam, qui has Cypriani litteras laudat, et ex illis docet Rogatianum et Felicissimum martyrio coronatos esse, (*id se-*

(1) Migne, t. IV. col. 424.—(2) Mémoires, t. IV, p. 604.—(3) Auteurs ecclésiastiques, tom. III, p. 66. — (4) Bibliotheca patrum latin., tom. I, p. 81 et seqq. — (5) Africa Christiana, tom. II, p. 102. —(6) Ibid., p. 110. —(7) Mémoires, tom. IV, p. 604. — (8) Biblioth., tom. I, p. 105. —(9) Migne, tom. IV, col. 143. — (10) Vide Acta SS., tom. II Martii, p. xxxvi. — (11) Migne, t. IV. col. 189 et 190. — (12) Annales Cyprianici pag. 19. Bremæ 1690.

esset

AUCTORE B. B.

esset impedivit. Perperam enim Pamelius in istis ad clerum literis « locum » interpretatur secessum, de quo queri non potuit debuitve. Intelligit certe Cyprianus locum in quo præsens esse et iis interesse et conspectu eorum frui maxime concupivit; sed « loci », hoc est Carthaginis, ubi persecutio jam fervebat, et « gradus », hoc est episcopatus, qui si ipse adesset gentilium invidiam magis indies provocaret, conditio non permisit... Aliter plane se excusat ad confessores in metallo constitutos, cum Curubi in exilio esset, *epistola nempe* LXXVI (*Pamelio et Baluzio* 77) : Gloria quidem, *inquit*, vestra poscebat, beatissimi ac dilectissimi fratres, ut ad conspectum atque ad complexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoque ob confessionem nominis (*Christiani*) relegatum præfiniti loci termini coercerent. *Subdit Pearsonius* : Tertio narratio ipsa de Rogatiano presbytero, quam sententiæ nostræ adversari putant, initio hujus persecutionis optime convenit : nam primus hujusce turbationis impetus a plebe profectus est, quo tempore ipsum Cyprianum clamore
B violento frequenter flagitavit (1); et eodem modo in hac epistola Rogatianus cum Felicissimo « ferocientis populi impetum excepisse » dicitur. His rationibus permotus epistolam hanc ab extremo exilio Cypriani ad initium secessus revocandum putavi.

Pamelius 7 *Postea progreditur Pearsonius ad diluenda Pamelianæ sententiæ fundamenta, quorum præcipuum* (*unicum dixerim*) *consistit in sequentibus Baronii verbis* (2): Cyprianus... dum Rogatiani tunc passi meminit, plane indicat non præteritæ persecutionis tempore, sed præsentis has se a scriptas fuisse litteras. Nam Rogatianum superstitem fuisse aliis persecutionibus, ex aliis tunc datis litteris satis manifeste appareret, sicut et Felicissimum. *Vult ergo eruditus Cardinalis, et cum eo Pamelius, ex hac S. Doctoris epistola effici omnino, SS.* Rogatianum et Felicissimum *martyrio proprie dicto coronatos; et insuper ex aliis S. Cypriani locis probari utrumque persecutionibus tum sub Decio tum sub Gallo superstites vixisse. Reponit Pearsonius :* Illud quidem de Felicissimo addidit Baronius gratis, de quo nihil in aliis Cypriani litteris legitur.
C *Aliud est de* Rogatiano, *quem ex plurimis S. Doctoris testimoniis constat in vivis fuisse, cum sedata jam Carthagine esset Deciana procella, ut ex infra dicendis manifestum fiet. Si itaque, ut contendunt Baronius et Pamelius, ex epistola* LXXXI *revera probatur martyrio coronatus* Rogatianus, *consequens est illam non fuisse scriptam inchoato anno* 250, *ac proinde deserendum Pearsonium. Ast mea opinione res aliter se habet. En verba S. Doctoris, ex quibus et nata et dirimenda controversia est* (3) : Quam fidem, (*feminarum et puerorum eodem carcere detentorum, quos summis ob constantiam laudibus extollit numero præcedenti*) vos quoque retinentes... futura tantum cogitatis, ut ad fructum regni æterni et ad complexum et osculum Domini et conspectum venire possitis; ut sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum, gloriosum senem, viam vobis ad gloriam temporis nostri religiosa virtute et divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre D nostro quieto semper et sobrio excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparavit, et metator quodammodo vester, nunc quoque vos antecedit. Quod ut consummetur in vobis, assiduis orationibus Dominum deprecamur, ut, initiis ad summa pergentibus, quos confiteri fecit, faciat et coronari. *Fateor nihil me in his reperire quod vel minimum suadeat, S. Cyprianum aliud loqui de* Rogatiano, *aliud de* Felicissimo *cæterisque confessoribus eo loci custodiæ mandatis. Ait S.* Rogatianum *una cum S.* Felicissimo *cæteris quodammodo* metatorem *extitisse. Sunt autem, teste Stephano,* metatores in castris, qui præcedentes locum eligunt ipsis castris. *Carceres, in quibus confessores ad supremum se disponebant agonem, aptissime comparantur sane castris. Ut proinde similitudo, a Cypriano, scriptore terso et accurato, sententiæ nostræ aperte faveat. Cangius in Glossario minus fideliter hunc locum reddit, ubi absque dubitatione et asterisco notat :* Cyprianus Epist. 81. Rogatianum metatorem vocat eorum, quos martyrio antecesserat. *Utique vox* martyrium E *vel alia ejusdem significationis nuspiam ibidem occurrit. Unde Pearsonius* (4) : Ex quibus verbis nemo certe colligere potest, Felicissimum tunc martyrem fuisse, quem tantum fratrem vocat Cyprianus, laicum fuisse indicans, quietum quidem et sobrium, ac præterea nihil. Quod si martyrium passus tum fuisset Felicissimus, numquam sine laude et insigni titulo eum nominasset. Imo vero neque Rogatianum ipsum tunc martyrem aut defunctum fuisse indicat. Nihil enim aliud dicit, quam Presbyterum illum cum Fratre primum cæteris confessoribus hospitium præparasse, atque adeo metatorem quodammodo eorum fuisse; eundem etiam, eo ipso tempore quo scripsit, « viam eis ad gloriam temporis facere religiosa virtute et divina dignatione » atque iisdem eos adhuc « antecedere. » Clare igitur ostendit eum adhuc vivere optimumque exemplum cæteris confessoribus præbere, adeoque eum in omnibus sequendum docet.

8 *Nihilominus Maranus præcitata S. Cypriani* *et Maranus;* *verba in sensum prorsus oppositum trahit, idque tanta confidentia, ut pronuntiare non dubitet :* Nulla fere vox, hoc in loco, quæ non Rogatianum pro Christo passum indicet (5). *Verum, pace eruditi scriptoris dixerim, levia valde sunt, quæ in probationem profert.* Vocat, *inquit*, eum Cyprianus « gloriosum senem, » quod eum argumento est ad gloriam pervenisse. *Quasi vero gloria confessionis et constantia in carcere non sufficerent ut ita a S. Doctore vocaretur.* Confessores, *ait*, laudat, quod futura tantum cogitant, ut ad complexum Domini perveniant, ut sequantur in omnibus Rogatianum, quem jam in multis rebus imitati fuerant. Jam ergo pervenerat ad conspectum Domini Rogatianus, siquidem pervenire ad conspectum Domini, idem est ac Rogatianum in omnibus sequi. *Quidni idem etiam sit, sequi* Rogatianum viam eis ad gloriam facientem religiosa virtute? *Scilicet supponit Maranus, quod in quæstione est, nempe* Rogatianum

(1) Conf. Acta SS., t. IV. Sept., die XIV, p. 212 d. — (2) Ad an. 260 num. LX, t. III, p. 89. — (3) Migne, t. IV, col. 428. — (4) Annal. Cyp., p. 19. — (5) Migne, tom. IV, col. 144.

victoriæ

A *victoriæ palmam jam adeptum. Quo supposito, necesse utique est ut et ipsi eamdem adipiscantur, ut vere dici possint illum in omnibus sequi. Addit Maranus :* Paraverat illis Rogatianus primum hospitium in carcere. Ubi secundum parabat, nisi in cælo, antecedens eos veluti metator quidam? *Opus non est secundo isto hospitio, ut metator habeatur* Rogatianus. *Recolantur quæ diximus supra.* Denique (*ita prosequitur Maranus*) Deum precatur Cyprianus, ut id in quo eos antecedebat Rogatianus, in ipsis consummetur et ad coronam perveniant. Ergo jam ad hanc coronam Rogatianus pervenerat. *Negatur consequentia. Sufficit enim ut illi cum* Rogatiano *constanter in confessione pergant, atque ita cum eo cælestem rapiant palmam. Præterea ut placita sua tueatur, Maranus asserit* (1), *ubi dicitur Cyprianus impeditus* loci conditione, *quominus cum confessoribus præsens agat, vocem* loci *non Carthaginem nec quamcumque aliam urbem vel terram significare, sed* episcopalem auctoritatem, *prout in aliis nonnullis vox ista sumitur. Non est opus multis eruditi Benedictini opinionem*
B *refellere; cum in istiusmodi interpretatione, quantum mihi compertum, nec ducem nec sequacem habueret. Est itaque multo verisimilius SS.* Rogatianum *et* Felicissimum *in carcere una cum cæteris confessoribus vixisse, quando hanc B. Cyprianus scripsit epistolam. Lubens quoque subscribo Pearsonii sententiæ, existimantis has, ex duabus* Rogatiano *inscriptas, litteras priori loco ponendas : sic enim quæ de sancto Confessore traduntur, aptius meliusque cohærent. Eodem ordine laudantur apud Morcellum* (2).

hujus epistolæ summarium,

9 *Cæterum cum in priori ista epistola, nihil, præter jam dicta, reperiatur, quod non sit omnibus propter Christum ibidem incarceratis, commune; ejus tantum adscribemus summarium. Primum eis gratulatur vir sanctus de gloriosa confessione; deinde hortatur ut generosi pergant via qua cœperunt, futurorum spe gaudiorum præsentia supplicia calcantes; tum magnis extollit laudibus feminarum et puerorum constantiam :* Beatas etiam, *exclamat,* feminas, quæ vobiscum sunt in eadem confessionis gloria
C constitutæ... Ac ne quid deesset ad gloriam numeri vestri, ut omnis vobiscum sexus et ætas esset in honore, pueros etiam vobis gloriosa confessione sociavit divina dignatio, repræsentans nobis tale aliquid quale Ananias, Azarias, *etc. Denique finem imponit verbis supra relatis :* quam fidem vos quoque retinentes *etc. Notandum, Surium, qui hac die* 26 *octobris SS.* Rogatianum *et* Felicissimum *laudat, hanc S. Doctoris epistolam in extenso recitare; nihilque addit aliud.*

item et alterius

10 *In altera seu posteriori epistola, ad* Rogatianum *directa, quæ, ut omnes concedunt, a S. antistite Carthaginensi scripta ex secessu suo fuit, et Pearsonio decima tertia, Pamelio septima, Baluzio sexta est,* Rogatianum et cæteros confessores exhortatur ad disciplinam observandam, ne qui Christum voce confessi fuerant, operibus abnegare viderentur; obiter increpans quosdam eorum, qui extorres facti ob fidem, in patriam tamen reverti non verebantur; atque hoc est quod Cyprianus infra dicit, Epist. xv (*Pearson.* xxxvii) extorribus quando oportuit, objurgationem non defuisse : nam in secessu scriptam hanc epistolam patet. *Ita Baluzius argumentum exponit, at nonnihil, ut assolet, jejune : nam graves ibidem Cyprianus non-nullorum confessorum reprehendit culpas, imo crimina :* Cognovimus, *ait,* non deesse, qui Dei templa, et post confessionem sanctificata, et illustrata prius membra, turpi et infami concubitu suo maculent, cubilia sua cum feminis promiscua jungentes, quando, et si stuprum conscientiæ eorum desit, hoc ipso grande crimen est, quod illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascuntur. Contentiones quoque et æmulationes inter vos nullas esse oportet *etc. Atque hinc mihi nova ratio est, hanc epistolam alteri, ordine temporis, postponendi. Ea enim humanæ infirmitatis conditio est, ut ægre in bene cœptis perseveret; unde qui initio gloriosa confessione adunati caste et sancte fuerant, haud ita multo post a summis ad ima deflectebant.* Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit
E sensum multa cogitantem *.

11 *Est et aliud in hanc epistolam observandum. Apud Baluzium additur clausula, quæ apud alios desideratur, et ex qua sequeretur confessores jam carcere exiisse, cum hæc ad eos scriberet Cyprianus.* Et quamquam, *inquit,* clero nostro, et nuper cum adhuc essetis in carcere constituti, sed nunc quoque denuo, plenissime scripserim, ut si quid vel ad vestitum vestrum vel ad victum necessarium fuerit, suggeratur, tamen etiam ipse de sumpticulis propriis quos mecum ferebam, misi vobis CCL, sed et alia CCL proxime miseram. Victor quoque ex lectore diaconus, qui mecum est, misit vobis CLXXV. Gaudeo autem quando cognosco plurimos fratres nostros pro sua dilectione certatim concurrere et necessitates vestras suis collectionibus adjuvare. *Ast primum, quæ præcedunt in epistola, proprio et obvio sensu longe commodius referuntur ad confessores in carcere constitutos; illa præcipue quæ tam graviter reprehendit Cyprianus. Quod si præfatam clausulam sinceram dixeris, nescio qui epistolæ contextus sibi cohæreat; qui initio respondeat*
F *finis, ni vis inferatur verbis, ut a naturali sensu detorqueantur. Præterea certum est, clausulam in uno tantum reperiri codice Remensi. In aliis codicibus,* quos videre contigit, hæc nusquam occurrunt, *ut diserte habet Fellus* (3). *Et ipse Baluzius monet* (4) : Tametsi Regaltius, qui primus hoc segmentum reperit in codice sancti Remigii, illud cum ipsa epistola non ediderit, sed retulerit inter observationes; tametsi Angli (*Fellus*) secuti sint exemplum Rigaltii; ego illud attexui epistolæ, non dubitans quin sit Cypriani, quamvis in uno tantum veteri libro repertum sit. Reinhartius non attexuit epistolæ, sed addidit in calce, admonens Regaltium edidisse ex codice Remensi. *Utique fide unius codicis, nemo facile discesserit a communi sententia.*

Dicta breviter recapitulantur.

12 *Itaque, ut paucis hactenus dicta comprehendam, videntur mihi ambæ epistolæ S.* Rogatiano *nostro scriptæ; ordine prior est, quæ Pa-*

AUCTORE B. B.

* Sap. IX, 15. *cujus clausula, a Baluzio addita, non videtur genuina.*

(1) Migne, tom. IV, col. 145. — (2) Tom. II, p. 102 et 110. — (3) S. Cydriani opera. Epistolæ, p. 31. Bremæ, 1690. — (4) Migne, tom. IV, col. 239.

melio

AUCTORE B. B.

melio et Baluzio posterior; missa vero mense Martio vel Aprili anno 250; *alteram dedit Cyprianus sequenti Maio, ut tradit ex Pearsonio Schœnemannus; quod si ita sit, probabilius est confessores tunc adhuc in carcere fuisse; aliud foret in sententia Morcelli, rejicientis epistolam ad initium anni* 251. *Clausulam a Baluzio adjunctam, demonstravimus dubiæ saltem fidei esse. Porro ex priori epistola discimus, SS.* Rogatianum *presbyterum et* Felicissimum *principio persecutionis Decianæ circa finem mensis Februarii* 250 *comprehensos atque ob præclaram confessionem in vincula conjectos.* His paullo post alii accesserunt, inter quos et feminæ quædam et pueri aliquot inventi sunt, quos tum Cyprianus per epistolam gratulatus, auctor quoque fuit, ut Rogatianum et Felicissimum in omnibus sequerentur (1). *In posteriori epistola nihil est quod speciatim ad S.* Rogatianum (*de S.* Felicissimo *in priori solum mentio fit, nec uspiam alibi*) *pertineat, nisi quod ejus nomine inscripta sit :* Cyprianus Rogatiano presbytero confessoribus fratribus salutem. *Quod sane ex mente S. Doctoris signum*
B *est non modo singularis benevolentiæ sed et æstimationis minime vulgaris.*

S. Cyprianus Rogatiano *pecunias in pios usus erogandas mittit.*

13 *S.* Rogatiano *pecunias a B. Cypriano datas et missas in pios usus distribuendas patet ex aliis litteris* (*incipiunt* Cyprianus presbyteris et diaconibus, fratribus charissimis salutem) *quibus commendat ut curam habeant viduarum, infirmorum et pauperum nec peregrinos negligant :* Sumptus, *inquit* (2), suggeratis de quantitate mea propria quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi. Quæ quantitas ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Narcissum acolythum aliam portionem, ut largius et promptius circa laborantes fiat operatio. *Videtur hæc epistola eodem fere tempore quo aliæ binæ, de quibus egimus, scripta. Sed hic, quod in aliis plerisque obtinet, disputant eruditi. Alii cum Fello et Pearsonio illam ponunt ordine octavam et referunt ad mensem Martium vel Aprilem anni* 250; *ac proinde media veniret inter ambas S.* Rogatiano *nomine proprio missas; alii cum Pamelio et Baluzio, apud quos est ordine trigesima sexta, tardius scriptam censent; forte ideo quod significet sanctus præsul, persecutionem tum deferbuisse; timet enim Carthaginem redire, ne sit*
C auctor rumpendæ pacis; *hæc tamen integra non erat, cum addat :* Quando ergo vos scripseritis rebus compositis, me venire debere..: tunc ad vos veniam (3). *Sed aliunde nihil mihi obstare videtur, quominus dicamus hujusmodi mitigationem seu intermissionem severitatis primo, postquam secesserat Cyprianus, tempore obvenisse. Morcellus epistolam rejicit ad finem circiter anni* 250 (4).

Eumdem alibi præclare commendat.

14 *Præclarum rursus de S.* Rogatiano *habemus testimonium in Epistola* 40ª *ex Baluzii recensione, Felli* 43ª. *Ita nempe* Plebi universæ *scribit Cyprianus* (5) : Quamquam, fratres charissimi, Virtius, fidelissimus atque integerrimus presbyter, item Rogatianus et Numidicus presbyteri confessores et gloria divinæ dignationis illustres, sed et diaconi, boni viri et ecclesiasticæ administrationi per omnia obsc- D
quia devoti, cum cæteris ministris plenam vobis præsentiæ suæ diligentiam præbeant, et exhortationibus assiduis singulos corroborare, sed et lapsorum mentes consiliis salubribus regere et reformare non desinant, tamen ego quantum possum admoneo et quomodo possum visito vos litteris meis. Litteris, inquam, fratres charissimi : hoc enim quorumdam presbyterorum malignitas et perfidia perfecit, ne ad vos ante diem paschæ venire licuisset *etc. Ex postremis verbis intelligitur epistola scripta haud diu ante festa paschalia* (*probabiliter circa finem Februarii, vel initio Martii* (6)) *quæ, ut notat Pearsonius* (7), secundum canonem Hippolyti hoc anno Domini Cyclo Solis VIII litera Dominicali E, in vicesimum tertium Martii *inciderunt* (8). *Constat præterea ex contextu datam epistolam paulo post abstentos Felicissimum hujusque asseclas, de quibus agam numero sequenti. Nihilominus præsumere licet, quæ de S.* Rogatiano *hic prædicantur, non solum spectare ad præsentis temporis adjuncta, sed ad omne fere illud spatium, quo duravit S. Cypriani secessus. Quare in vitæ compendio* E
(*supra n.* 2.) *diximus : S.* Rogatianum una cum S. Numidico et Virtio invigilasse ne pastoris absentia graviora grex pateretur detrimenta.

Epistola ad schisma Felicissimi spectans;

15 *Restat Paulo uberius dicendum de gestis S.* Rogatiani *in causa Felicissimi, cujus artibus schisma eruperat in ecclesia Carthaginensi. Schismatis initium adscribit Pearsonius anno* 250; *plerique, quos inter decessores nostri in Actis S. Cypriani* (9) *meliori ut nobis videtur nixi fundamento, ineunti anno sequenti* (10). *Inter epistolas S. Cypriani superstites atque de Felicissimo agentes, tres sunt in quibus expressa fit de S.* Rogatiano *mentio, quem docent una cum duobus episcopis et altero presbytero* Vicarios *a S. Doctore constitutos. Ex quo sane liquet quanti* Rogatianum *faceret beatus præsul Carthaginensis. Laudatæ epistolæ apud Baluzium ordine veniunt* 38ª, 39ª *et* 40ª; *apud Oxonienses* 40ª, 41ª *et* 42ª. *Prima est responsoria ad litteras nobis deperditas, quibus monebatur a vicariis suis S. Cyprianus de prorumpente Felicissimi schismate. Inscribitur autem* Caldonio et Herculano collegis item Rogatiano et Numidico F
compresbyteris; *monetque S. Cyprianus*, eos pro se Vicarios missos, *cum mandatis ut Felicissimum ejusque insigniores asseclas declararent abstentos, id est communione privatos.*

item altera et tertia;

16 *Per secundam docemur jussa, superioribus litteris contenta, fuisse executioni mandata. Juverit illam, de cætero brevissimam, in extenso adscribere :* Caldonio cum Herculano et Victore collegis item Rogatiano cum Numidico presbyteris. Abstinuimus a communicatione Felicissimum et Augendum ; item Repostum de extorribus et Irenem Rutilarum et Paulum Sarcinatricem ; quod ex annotatione mea scire debuisti. Item abstinuimus Sophronium et ipsum de extorribus, Soliassum budinarium. *Notandum est autem primum, duobus supra nominatis episcopis addi tertium, nempe* Victo-

(1) Morcelli, Africa Christiana, t. II, p. 102. — (2) Migne, t. IV, col. 327. — (3) Ibid., p. 326. — (4) Africa Christiana, t. II, p. 109. — (5) Migne, ubi supra, col. 332. — (6) Vide Schœnemann, tom. I, p. 86. — (7) Annales Cyprianici ad an. 251 n. III. — (8) Confer. Art de vérifier les dates, p. 6. — (9) Tom. IV Sept. p. 247. — (10) Confer. Tillemont, tom. IV, pag. 611 et 613.

rem,

A rem, *quem suspicatur Morcellius proximæ profuisse ecclesiæ, atque propterea advocatum; deinde hisce in litteris haud pauca esse obscura et propter varias lectiones incerta. Sic non facile capimus quo tendat pericope :* Quod ex annotatione mea scire debuisti ; *ubi alii loco* mea *ponendum volunt* nostra; *et pro* debuisti, *Morellius, Pamelius et Fellus legunt plurali numero* debuistis : *Fellus quoque in titulo addit* salutem, *quæ vox apud alios desideratur. Nec mihi absurda est conjectura, scriptionem istam ad nos pervenisse mendosam, luxatam imo et mutilam. Nihil itaque mirum non convenire inter eruditos a quo, cui vel quibus hæc missa sit epistola, imo an vocari proprie epistola possit.* Ego, *ait Baluzius* (1), non dubito quin sit Caldonii reddentis Cypriano rationem eorum quæ ab eo et aliis Vicariis collegis suis gesta fuerant adversus Felicissimum et socios ejus. Itaque optima est lectio librorum qui habent « debuisti » : solus enim Caldonius scribit nomine suo et collegarum. *Confer Tillemontium* (2) *qui non unam movet contra hanc sententiam difficultatem, ac tandem concludit,*
B *non esse epistolam, sed potius tabellam seu excommunicatonis sententiam publice affigendam; atque ita existimat tum ob rationes supra tactas, tum ideo præsertim quod non satis dignum videatur, ut de re tanti momenti summatim et jejune rescriberent ad episcopum suum vicarii. Morcellio* (3) edictum *est*, quod ad Cyprianum et alios episcopos mitteretur. *Balluzius Tillemontio* assentiri non potest : est enim certo, *inquit*, epistola Caldonii ; *quod utique in quæstione manet. Non opus est pluribus prosequi hoc argumentum : sufficit enim pro scopo nostro quod constet ex ista sive epistola sive edicto vel tabella, obtemperatum fuisse a S.* Rogatiano *aliisque vicariis mandato, prioribus litteris S. Doctoris imposito de abstinendis Felicissimo ejusque sequacibus. Qui plura voluerit, adeat acta S. Cypriani* (4). *Tertia epistola ad* plebem universam *directa est, qua nuntiat Cyprianus vitandum Felicissimum cum suæ factionis quinque presbyteris, qui tum lapsis sine discrimine pacem dabant, tum seditionem et schisma adversum se concitabant. Exorditur a præclaro*
C *S.* Rogatiani *et aliorum quorumdam encomio, quod descripsimus supra n.* 14.

ex quibus discimus Rogatianum *constitutum S. Cypriani vicarium.*

17 *His explicatis brevem subdo ex Morcellii opere narrationem de origine et progressu schismatis, ut clarius et uno veluti conspectu perspiciatur quæ fuerint infausta tempestate illa, S.* Rogatiani *partes.* Dum, *inquit Morcelli* (5), his populi, *partim a recto tramite declinantis*, moribus Cyprianus dolebat, gravius jam malum instabat a Felicissimo, cive Carthaginiensi opulento, eodemque christiano, *laico* (*perperam a Baronio presbyter habetur* (6)), at vitiis notato, et animo in Cyprianum infenso. *Nec tamen videtur addendus quinque presbyteris illis qui electioni S. Cypriani obstiterant, quamvis non desint, qui ita sentiunt* (7), *inter alios Pearsonius ejusque abbreviator Schœnemannus* (8). Forte anno (251) ineunte Carthaginem Cyprianus cum pecunia miserat episcopos duos Caldonium et Herculanum, cumque his presbyteros suos spectatissimos Rogatianum et Numidicum, qui « necessitates fratrum » sumptibus ipsius « expungerent, simul etiam et ætates eorum et conditiones et merita discernerent » quo de illis certior ipse fieret « et dignos » quosque ac virtutibus maxime commendatos in ecclesiæ usum atque solatium legere posset (9). Jam vero cum illi mandata, quæ receperant, diligenter persequerentur, ecce tibi improborum stipatus manu Felicissimus episcopos atque presbyteros coercere nititur, ausus intercedere « ne quis posset expungi, » neve census ullus institueretur; iis etiam qui ad stipem accipiendam accesserant « secum in monte non communicaturos, qui Cypriano obtemperare voluissent, » comminatur. Hæc in agro Carthaginiensi contigisse videntur, et « Montem » ille appellasse creditur prædium et domum suam in colle sitam, quæ tum fortasse christianis patebat, eo tutius convenientibus, quod in urbe sine periculo conventus tunc haberi non possent. *Atque hæc interpretatio multo est communior verisimiliorque. Fellus ait, nec tamen pro-* E
bat, agi de oppido, cui nomen Mons, quod supponit haud procul Carthagine situm. Alii, paucissimi numero legunt in morte (10). *Pergit Morcelli :* Ea porro ut Cyprianus rescivit, non ille, audacia hominis deterritus... auctoritatem suam impune contemni et pacem ecclesiæ inulto scelere turbari passus est ; verum ad episcopos et presbyteros eosdem, quos illic vicaria potestate fungi jusserat, gravissimas litteras (*est epistola* 38ª *apud Baluzium*) misit, quibus litteris et Felicissimo sacris interdicebat, et qui ejus adseclæ essent eidem pœnæ obnoxios minitabatur, nisi illum deseruissent... Nec vero mora interposita ulla est. Episcopi (*Caldonius et Herculanus*) convenere cum presbyteris (*S.* Rogatiano *et Numidico*) Victore quoque collega advocato, qui proximæ, ut arbitrior, ecclesiæ præesset, edictumque hujusmodi proposuerunt, cujus exemplum et ad Cyprianum et ad alios episcopos mitteretur. *Recitatur edictum seu epistola a nobis supra n.* 16. *Subdit Morcellius :* Hactenus edictum quale ad nos pervenit. Cui plura tum nomina
F subscripta fuisse, facile admiserim. Eo autem promulgato, statim apparuit, quid Felicissimus moliretur : quinque enim presbyteri Carthaginienses, qui antea pontificatum Cypriano eripere conati fuerant, ii se Felicissimo ejus secessionis antesignanos præbuerunt... Horum suffragiis, ut gratiam referre viderentur, Felicissimus creatus est diaconus. *Tradunt Pearsonius* (11) *et Schœnemannus* (12) *Felicissimum ad diaconatum a Novato elevatum fuisse citius, scilicet labente anno* 250 ; *auctumque hac dignitate cœpisse plebem a Cypriano avertere, auspicatumque suum esse schisma : ast hæc perperam, ut recte monet Tillemontius* (13). *Mensibus quatuordecim in secessu transactis rediit sanctus Cyprianus Carthaginem, post pascha anni* 251, *quod incidit in diem* 23 *Mart. Cumque ad eum plures convenissent episcopi*

AUCTORE B. B.

(1) Migne, tom. IV, col. 331. — (2) Ubi supra p. 612 nota xxii. — (3) Africa Christiana, tom. II, pag. 111 n. iv. Brixiæ, 1817. — (4) Tom. IV Sept. p. 250. — (5) Africa Christianə, pag. 110 — (6) Tillemont Mém. tom. IV, pag. 611. Conf. Acta S. Cypriani pag. 247 et seqq. — (7) Ibid pag. 56. — (8) Tom. I, p. 85. — (9) Migne t. IV. cl. 329. Cyp. Epist. 38ª ; apud Fellum 41. — (10) Conf. Acta SS. tom. IV. Sept. p. 249. — (11) Annales Cyprianici pag. 25. — (12) Bibliotheca historico litteraria tom. 1. pag. 85. — (13) Mémoires, tom. IV, pag. 614.

AUCTORE B. B.

cum eis habuit concilium Carthaginense I, in quo communi omnium sententia Felicissimus ejusque asseclæ iterato percussus anathemate est.

Memoria in fastis sacris,

18 *Superest ut referamus, quæ in fastis sacris de SS.* Rogatiano *et* Felicissimo *habentur. Notemus primum eorum nomina præteriri in martyrologio ecclesiæ Africanæ, quod concinnavit Morcellius* ex veterum tabulis *et ad calcem tomi secundi operis sui edidit in lucem, monens se id præcipue spectare, ut* eorum in primis, qui olim ecclesiam Africanam sanguine suo nobilitassent nomina.,. recognosci... facile possent (1). *Vacant autem dies* XXVI *et* XXVII *octobris. Et observat Sollerius in Usuardum ad hunc diem :* Rogatianus et Felicissimus apographis Hieronymianis, Bedæ, Floro, Rabano, Wandelberto præteriti, ab auctore Romani parvi (*quod Rosweydus noster edidit*) primum consignantur his verbis : « In Africa, Rogatiani presbyteri et Felicissimi martyris. *Fusius eosdem annuntiat Ado Viennensis :* Apud Africam natalis sanctorum martyrum Rogatiani presbyteri et Felicissimi, qui persecutione
B Decii et Valeriani, illustri sunt martyrio coronati. De quibus etiam scribit beatus Cyprianus in epistola ad Confessores his verbis : « Ut sequamini » inquit, « in omnibus Rogatianum presbyterum gloriosum senem, viam vobis ad gloriam, nostri temporis religiosa virtute et divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper et sobrio excipiens ferocientis populi impetum, primum vobis hospitium in carcere præparavit, et metator quodammodo vester nunc quoque vos antecedit. » *Usuardus Adonem ad amussim sequitur, nisi quod verba S. Cypriani non adscribat. Ita etiam Notkerus, sed phrasi diversa* (1) : Apud Africam sanctorum martyrum Rogatiani presbyteri et Felicissimi, qui passi sunt sub Decio et Valeriano. *In Romano omittitur* Decius *cujus loco, ponitur Gallienus :* In Africa sanctorum martyrum Rogatiani presbyteri et Felicissimi, qui in persecutione Valeriani et Gallieni illustri martyrio coronati sunt; de quibus etiam scribit sanctus Cypria-
D nus in epistola ad Confessores. *Notat vero Baronius in hunc locum :* De his item Beda (*id perperam : silet namque Beda de Sanctis nostris*) Usuardus, Ado et alii... Vixit iisdem temporibus alius ejusdem nominis Felicissimus, sed meritis infelicissimus; qui signifer schismaticæ factionis, cum suis sociis a S. Cypriano abstentus est... Fuit insuper alius Rogatianus, qui cum Donato passus est in Galliis, de quo Gregorius Turonen.

ubi perperam Martyres dicuntur.

19 *In memoratis hactenus martyrologiis SS.* Rogatianus *et* Felicissimus *diserte prædicantur* martyres, *an autem revera tales sint, non una dubitandi suppetit ratio.* Ex Cypriani epistola 81, *ait Sollerius,* potissimum eruisse videntur martyrologi nostri, quod de « illustri martyrii corona » prædicant; an satis certo, non ausim asserere : nam si vera sunt quæ accurate observat Tillemontius; passos quidem constat Rogatianum et Felicissimum primo ipso « ferocientis populi impetu, » at in tormentis vitam posuisse, non item.., Castellanus contra, nullum ejus rei fundamentum se reperisse rotunde testatur. *Quibus ex verbis satis apparet in quam Sollerius inclinet* E *sententiam. Ex dictis per decursum hujus Commentarii constat utique SS.* Rogatianum *et* Felicissimum *præclare decertasse pro Christi nomine; ærumnas carceresque passos; non autem mortem obiisse. Nec proinde proprio sensu martyres dicendi sunt, bene vero confessores, prout moris ea tempestate erat vocare illos, qui fidem strenue in persecutione confessi erant, non tamen usque ad internecionem : nam supervixisse sanctos Pugiles nostros Decianæ procellæ, vix non mihi certum est : nec ulla suppetit ratio satis idonea, quæ suadeat sequenti aliquo turbine violenter abreptos. Ubi autem et quando diem clauserint, incompertum prorsus est. Perperam itaque a recensitis supra martyrologis passio adscribitur Decianæ vel Valerianæ et Galenianæ persecutioni. Nec opus est nobis disputare an in una potius quam in alia coronati fuerint; cum valde probabile nobis sit eos ærumnis et carceribus fortiter sub Decio toleratis superstites, in pace postea obiisse.*

(1) Africa Christiana, tom. II, p. 337. — (2) Apud Canisium, tom. III, p. 183.

C F

DE SS. ARTEMIDORO, BASILIO, GLYCONE

ET LEPTINA,

MARTYRIBUS ECCLESIÆ ORIENTALIS,

V. D. B.

SYLLOGE.

Ex Menæis græcorum aliisque fastis Constantinopolitanis, Hierosolymitanis et Slavicis.

TEMPORE INCERTO. SS. Artemidorus *et* Basilius, ***simul gladio occisi,***

In Actis hisce nostris sanctorum breviter ex fastis sacris græcis dictum est ad diem 9 *septembris de S. Artemidoro, qui igne consummavit martyrium* (1) *et ad diem* 20 *ejusdem mensis de SS. Artemidoro et Thalelæo, seu Thalo, qui, quod Dianam adorare nollent, gladio interfecti sunt* (2). *Ab his diversus est* S. Artemidorus, *qui hodie in fastis patriarcha-*

(1) Acta SS., tom. III Septembris, p. 366. — (2) Ibid., tom. VI Septembris, p. 148 et 149.

tus

A *tus Constantinopolitani celebratur; quum non ut primus igne, sed ense occisus sit; neque ut secundus socium habuerit S. Thalelæum, sed* S. Basilium : *quo accedit natales plus integro mense distare ab se invicem. Porro in Menæis græcorum impressis legitur ad hanc diem :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ οἱ ἅγιοι μάρτυρες Ἀρτεμίδωρος καὶ Βασίλειος ξίφει τελειοῦνται.

Στίχ. Ἀρτεμίδωρος, ᾧ τέλους ψῆφος ξίφος
Σύναθλον εἶχε Βασίλειον πρὸς ξίφος.

Quod est : Eadem die sancti martyres Artemidorus et Basilius ense consummantur. *Sequentes autem versiculos ita vertit Siberus* (1) :

Artemidorum sectio ferri necat :
Commilitonem nactus est Basilium.

Iidem ambo referuntur in codice slavico Ostromirano sæculi XI *et in Menæis mss. Mazarinianis; sed et in Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, signatis O. n.* 148 *et T. n.* 346, *eis sociantur SS.* Glycon *et Nestor his verbis :* Ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Βασιλείου, Ἀρτεμιδώρου, καὶ Γλύκωνος, καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Νέστορος; *quod est :* Passio sanctorum martyrum Basilii, Artemidori et Glyconis et sancti
B martyris Nestoris. *Quæ eadem verba in Menæis Sirmundianis leguntur, nisi quod Nestor absit. Præterea in codice Naniano græco* CLXVI, *quem Mingharellius* (2) *recensuit, et in Menologio Hierosolymitano sæculi* X, *quem edidit Scholzius* (3), *proxima die,* 27 *octobris, occurrit memoria* τοῦ ἁγίου μάρτυρος Νέστορος καὶ Ἀρτεμιδώρου; *qui ambo sancti, sed interpositis SS. Capitolina et Eroteide distincti, occurrunt etiam in Menæis mss. græcis monasterii S. Marci patrum Prædicatorum Florentiæ. De Nestore, quem in prætermissis ad præsentem diem jam memoravi, nil est quod dicam.*

2 *Neque S.* Glycon *ad SS.* Artemidori *et* Basilii *societatem spectat, sed singularis est martyr, qui in Menæis græcorum singulari honestatur disticho :*

Στίχ. Ξίφει προτείνας μάρτυς αὐχένα Γλύκων,
Σπονδὴν γλυκεῖαν αἵμα σου Χριστῷ χέεις.

Quos versiculos sic latine vertit idem ille Siberus (4) :

Ferro caput læte scindendum das, Glycon :
Fusus cruor libamen est gratum Deo.

Qui S. Glycon *cum alio nullo confundi potest, siquidem alius nullus in synaxariis aut menæis homonymus occurrat. Quibus addere placet S.* Leptinam, *quæ in solis Menæis græcorum impressis nobis obvia facta est, cum hac laude quod eadem die sancta martyr* Leptina, *per teram protracta, vitam finivit :* τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἡ ἁγία μάρτυρ Λεπτίνα κατὰ γῆς συρομένη τελειοῦται; *cum hoc disticho, latine verso a Sibero* (5) :

Στίχ. Ἐν γῇ συρεῖσα χερσὶ δυσσεφρόνων
Ἀφῆκεν εἰς γῆν Λεπτίνα σάρκος πάχος.

Raptatur in terra lacertis impiis,
Linquens humo Leptina molem corporis.

Quæ quidem, ut alia pleraque, parum salis habent; sed eo tamen valent ut quo mortis genere E *martyrium suum perfecerit sancta femina cognoscamus : quod de SS.* Artemidoro, Basilio *et* Glycone *etiam observandum est. Verum quo loco aut quo tempore singuli Christo victimæ ceciderint, hactenus latet; sed quum quotidie novi prodeant orientales libri, non omnis evanuit spes ut aliquando deveniamus in notitiam gestorum plurium cælitum, qui primitus Constantinopoli non colebantur, sed a sæculo* IX *paulatim extrinsecus accesserunt, nomen in fastis sacris regiæ urbis obtinentes.*

AUCTORE V. D. B.

et S. Glycon, *capite amputato, sanctaque* Leptina, *humi tracta, hac die coluntur ob orientalibus.*

(1) Martyrologium metricum ecclesiæ græcæ, p. 349. — (2) Græci codices mss.. apud Nanios Venetiis, p. 369. — (3) De menologiis duorum codicum græcorum, p. 8. — (4) Martyrologium metricum, p. 349. — (5) Ibid., p. cit.

DE S. AMANDO, CONF. PONT.,

PRIMO EPISCOPO ARGENTORATENSI,

C

COMMENTARIUS HISTORICUS ET CRITICUS.

F V. D. B.

§ I. S. Amandus, primus Argentoratensis episcopus, an diversus a S. Amando Trajectensi.

POST ANNUM CCCXLVI. *S.* Amandus, *qui sæculo* X *Argentoratensis apostolus habebatur,*

Quum circa annum Christi 980 (1) *anonymus Lutrensis monachus S. Deicolæ, Lutrensis haud procul a Luxovio in comitatu Burgundiæ olim abbatis, antea vero S. Columbani discipuli, Vitam a se conscriptam publici juris faciebat, fidei christianæ apud se satores et civitatis suæ patronos reputabant colebantque Argentoratenses SS.* Amandum, *Justinum, Arbogastum, Florentium et alios nonnullos. Biographus enim ille, recensens capite primo potiores sanctos, qui in variis Galliarum locis honores ecclesiasticos tunc temporis accipiebant, videlicet Parisiis, Turonibus, Pictavis, Lemovicis, Bituricis, Aurelianis, Floriaci, Lugduni, Remis, Suessione, Tulli, Metis et Treviris, priusquam Vesontionem deveniat, hæc de Argentoratensibus apostolis et patronis effatur* (2) : Nec incuriose prætereundum videtur cis Vosagicas Alsatiæ partes, quarum caput atque decus omne civitas Argentina dignoscitur, quæ vulgarico vocabulo Strazburch vocatur; quæ, exceptis reliquiis principalibus, proprios se gaudet possidere patronos, quos a Domino suscepit veræ fidei fundatores et divini verbi prodigos seminatores, id est Amandum, Justinum, Arbogastum, Florentium et alios nonnullos, quorum nomina in beati ordinis albo superna illa regia

(1) Cfr Grandidier, Hist. de l'Église de Strasbourg, tom. I, pag. 140. — (2) Acta SS. tom. II Januarii, pag. 201.

sine

AUCTORE V. D. B.

sine fine tenet caraxata *seu scripta. Planum itaque est illos quatuor beatissimos viros sæculo* x *inter sanctos recensitos fuisse; eorum corpora in diœcesi Argentoratensi præter alias reliquias principales servata fuisse; eosque demum episcopos Argentoratenses fuisse habitos et quasi apostolos.*

et in capite catalogorum illius sedis antistitum collocabatur,

2 *Conveniunt hæc cùm iis, quæ Erckenbaldus, Argentoratensis ab anno* 965 *ad* 991 *episcopus, paulo ante mortem de decessoribus suis ligata oratione scripsit, in hæc verba exorsus* (1) *:*

Alpha nitet dignus pater hujus sedis AMANDUS;
JUSTUS justitiæ post additur assecla summæ :
Hinc MAXIMINUS baculatur in ordine tritus* :
Et VALENTINUS pastori tunc benedictus :
SOLARIUS tandem cathedram possedit eamdem.

* trinus

In Catalogo autem episcoporum Argentoratensium, scripto (ut videtur) sæculo XII, *veniunt* (2) *hæc prima* nomina Argentoratensium episcoporum. Sanctus Amandus. Justus. Maximinus. Valentinus. Solarius. Arbogastus. Florentius. *Et in alio, qui desinit ad annum* 1299 (3) *:* Hic incipiunt omnia nomina episcoporum Argentinensium : Sanctus Amandus primus. Sanctus
B Justus, secundus episcopus. Maximus tertius, et sic per ordinem usque ad finem. Valentinus. Solarius. Sanctus Arbogastus. Sanctus Florentius; *atque in tertio* (4) Maximinus *etiam*, Valentinus *et* Solarius sancti *appellantur. Convenit itaque S.* Amandum *primum fuisse Argentoratensem episcopum. Quibus accedit ipsa corporis præsentia : cujus fata inferius explicabimus.*

falso a multis, maxime a Schœpflino, qui diu aliter sensit,

3 *Quæ si sola essent, sufficerent plane ad demonstrandum* S. Amandum, *Argentoratensem episcopum, diversum esse a S. Amando, antistite Trajectensi. Verumtamen ambo olim confusi fuerunt, donec medio sæculo* XVII *Henschenius in Vita hujus S. Amandi ad diem* 6 *februarii ambos a se invicem discrevit, tanta auctoritate ut mirum sit postmodum exstitisse viros graves, qui Trajectensem præsulem episcopatus Argentoratensis auctorem esse voluerint. Fuerunt tamen; quos inter nullus majorem doctrinæ laudem nactus est quam Schœpflinus. Non tamen semper hanc sententiam secutus est eruditus vir. In Illustribus ex Clodovei historia controversiis, quam dissertationem anno* 1725 *publici*
C *juris fecit* (5) *et in Commentationibus historicis et criticis anno* 1741 *denuo edidit* (6), *aperte docuerat* episcopatus Argentoratensis jam in quarto sæculo reperiri vestigia; *similiter in Dissertatione de monumento Tribocorum, quam anno* 1738, *die* 21 *februarii, Parisiis publice legit, quum memorasset Nolitiam imperii, circa annum* 400 *conscriptam, addiderat* (7) paulo post Argentoratum, quum ibidem prævaluisset christiana fides, sedem episcopalem inferioris Alsatiæ seu veterum Tribocorum factam esse; *et demum, quum anno* 1748 *rogatu cardinalis de Rohan, Argentoratensium episcoporum catalogum, novo Rituali præfigendum, conscripsit, sæculo* IV *et cathedræ episcopalis Argentoratensis natalem et S.* Amandi, *primi præsulis, ordinationem consignavit* (8).

D *confunditur cum S. Amando, episcopo Trajectensi.*

4 *Sed tricennio post, quum Colmariæ prius Alsatiæ illustratæ volumen in lucem dedit, alia omnino placita tuitus est, scilicet sæculo* IV *nullum fuisse* Amandum, *Argentoratensem episcopum, et* Erckenbaldum carmine suo non putatitium illum sæculi IV, sed Aquitanicum sæculi VII intellexisse Amandum, qui Trajecto-Mosanus episcopus a Dagoberto in Alsatiam vocatus est. Duabus hoc, *inquit* (9), ex rationibus statuo : 1 Nonnisi unum Amandum quum memoret Erckenbaldus, ille sane intelligendus, qui miraculis apud Alsatas claruit, qui in catalogo celebratur sanctorum, quem Alsatici mediæ ætatis annales certatim loquuntur; alter enim sæculi IV nec sanctis adscriptus, nec ulla re gesta celebris est. II Amandum inter et Arbogastum nonnisi quatuor episcopos Erckenbaldus posuit : qui vero possibile est ut tribus integris sæculis nonnisi quatuor antistites episcopale solium Argentoratense occupaverint? *Quod posterius argumentum plane ludicrum est, quum omnium fere sedium antiqui episcoporum catalogi, atque*
E *etiam Liberianus Romanorum pontificum, hiulci sint, quod veterum præsulum nomina, maxime si cultu ecclesiastico carerent, oblivione et socordia obliterata fuerunt. Quid, quod (ut loco suo dicemus) Argentoratus, quum sæculo* V *Germanorum incursionibus periit, non potuit suam non amittere episcopalem cathedram? ita ut integer forte sit Argentoratensium præsulum laterculus; licet inter SS* Amandum *et Arbogastum tria tantum sint nomina, quorum memoria ad nos pervenerit.*

Ut testimonio Erckenbaldi, silentio biographorum S. Amandi Tr., scriptione Vitæ S. Amandi *Arg., per Uthonem, duorum corporum exsistentia*

5 *Neque prior ratio ullius ponderis est. Primo enim S. Amandus Trajectensis numquam fuit Argentoratensis episcopus; adeoque, quum Erckenbaldus hoc versu :*

Alpha nitet dignus pater hujus sedis Amandus,

aperte de primo Argentoratensi episcopo loquatur, non temere ei affigendus foret putidus error. Secundo in pluribus S. Amandi Trajectensis Vitis, in quibus res ejus accuratissime explicantur, nedum narretur eum Argentoratum abivisse ibique episcopali munere functus esse, ne vestigio quidem indicatur eum aliquando ad has partes iter deflexisse. Tertio quum S. Amandi Trajectensis exsisterent Vitæ plures, nil erat
F *quod Utho, qui ante Erckenbaldum Argentoratenses infulas gessit, ejus Vitam conscriberet; atqui Guilielmus Eisengrinus, qui medio sæculo* XVI *bibliothecam quam vocant ecclesiasticam molitus est, meminit ab illo Uthone præter Vitam S. Arbogasti, quam decessores ad diem* 21 *julii ediderunt* (10), *scriptam fuisse Vitam S.* Amandi, *episcopi utique Argentoratensis. Et licet hæc non obvia sit in appendice ad Historiam Lombardicam seu Legendam auream, quæ annis* 1491, 1492 *et* 1496 *Argentorati et anno* 1516 *Hagenawi* (11) *excusa est, et licet Henschenius noster* (12), *Galliæ Christianæ scriptores* (13), *et Philippus Grandidier* (14), *frustra in hanc Vitam quæsierint, neque melior nostra fuerit fortuna,*

(1) Boecler, Kulpis et Schilter, Scriptores rerum germanicarum, part. III, pag. 120; J. F. Bochmer, Fontes rerum Germanicarum, tom. III pag. XIII et 1. — (2) Ap. Bochmer, tom. cit. pag. XIII. — (3) Ibid. pag 5. — (4) Ibid. pag. XVI. — (5) Num. XIV, pag. 17. — (6) Num. XIV, pag. 381. — (7) Mémoires de l'académie des inscriptions, tom. XV, pag. 458. — (8) Ap. Grandidier, Histoire de l'Église de Strasbourg, t. I, pag. 75 et 76. — (9) Alsatia illustrata, tom. I, pag. 337. — (10) Acta SS. tom. V Julii, pag. 168 et seqq. — (11) Exemplaria sunt in Musæo nostro. — (12) Acta SS. tom. I Februarii, pag. 829. — (13) Tom. V, col. 777 et 789. — (14) Hist. de l'Église de Strasbourg, tom. I, pag. 74 et 75, 126 et 127.

nemo

A *nemo tamen fidem Eisengrino denegat; quin etiam ejus auctoritate Possevinus* (1), *Vossius* (2), *Fabricius* (3), *Cangius* (4) *et Rivetus* (5) *Uthoni, medio sæculo* X *Argentoratensi præsuli, adscribunt* S. Amandi *Vitam; censentes eam nunc esse deperditam. Quarto S. Amandi Trajectensis corpus servabatur Elnone in finibus Belgii, sancti vero* Amandi *Argentoratensis in hac ipsa sua diœcesi : neque de reliquiis aliquot hic cogitare licet, quæ alibi sæpe corpus dicuntur; sed integrum corpus, ut nil nisi os brachii deesset, apud Argentoratenses fuisse atque etiamnum esse suo loco apparebit.*

et novitate illius opinionis, quæ sæculo XV *antiquior non est :*

6 *Quinto Alsatici medii ævi annales nequaquam certatim loquuntur de S. Amando Trajectensi; recentior ille error est, neque sæculo* XV *antiquior. In Kalendario enim, (quod titulo Martyrologii Germanici edidit Beckius, sed quod kalendarium monasterii virilis diœcesis Argentoratensis esse ex una parte nomina presbyterorum et monachorum, inscripta Necrologio, ex altera festa S. Aureliæ, virginis Argentoratensis,* SS. *Arbogasti et Florentii, episcoporum Argentoratensium, S. Attalæ, abbatissæ S. Stephani*
B *Argentoratensis, et S. Othiliæ, abbatissæ Hohenburgensis, in diœcesi Argentoratensi, manifestum faciunt), ad diem* 6 *februarii occurrit quidem S. Vedasti nomen, sed nequaquam S. Amandi* (6); *quod et secundo loco apparet in Rhenaugiensi diœcesis Argentoratensis kalendario* (7); *neque alibi uspiam idem recurrit. Abest quidem etiam* S. Amandi *Argentoratensis nomen; sed quum illud semper obscurum fuerit, S. Amandi vero Trajectensis memoria semper celebris exstiterit, alia utriusque est conditio. Quod argumentum vel solum sufficeret ad persuadendum S. Amandum Trajectensem Argentorati numquam versatum esse, nedum episcopus illic fuerit. Quod vero error, qui in ambobus in unum confundendis positus est, sæculo* XV *antiquior non est, testem habemus ipsum Schœpflinum* (8); *qui, ubi eos quibus nitatur recenset, primum producit Kœnigshovium, sæculi* XV *chronographum, qui in Chronico Argentoratensi latino ms. (Germanicum enim edidit Schilterus) ad primum Erckenbaldini carminis versum hoc adjecit scholium :* « Hic Amandus erat primus
C episcopus Argentinensis. Obiit anno Domini DCXX, ut legitur in Lombartica, (*immo Lombardica,*) historia. Sed in legendis aliis legitur quod fuerit temporibus Dagoberti, regis Francorum, qui incepit regnare anno Domini DCXXXI (*immo* 622 *in Austrasia, et* 628 *in monarchia*) et regnavit annis XXXIV (*immo usque ad annum* 638); cujus filium Amandus baptizavit (*anno* 635 *Aurelianis*), ei nomen Sigeberti imponens. Quem S. Arbogastus postea a morte suscitavit. » Ejusdem sententiæ est, *sic pergit Schœpflinus*, Jacobus Wimphelingius (9), centum fere annis post Kœnigshovium vivens. Consentientes denique sunt Gaspar Bruschius (10), Franciscus Guillimannus (11) et Gabriel Bucelinus (12). *Quidni addidit Schœpflinus in Breviariis Argentinensibus, annis 1478 et 1489 excusis, ad diem* 26 *octobris exstare lectiones, desumptas ex Vita S. Amandi Trajectensis, sed translatas ad S.* Amandum *Argentoratensem* (13)*? quasi scilicet Dagobertus Trajecto evocatum novæ Argentoratensi cathedræ imposuerit.*

AUCTORE V. D. B.

7 *Sed neque ex hoc loco, neque ex recensitis a Schœpflino scriptoribus quidquam aliud colligi potest, nisi quod sæculo* XV *ambo sanctissimi viri inter se confunderentur et ut unius Acta alteri attributa fuerint. Quæ res nequaquam rara est : certe ex quo tempore Acta sanctorum illustranda denuo assumpsimus, occurrit nobis ad diem* 16 *octobris Passio S. Symphoriani, martyris Augustodunensis, mutato nomine, traducta ad S. Silvanum, martyrem Agedunensem* (14), *et biduo post ad S. Caprasium, episcopum Agennensem* (15). *Sed nullum forte splendidius exemplum est quam quod Acta S. Othiliæ, Hohenburgensis abbatissæ in Alsatia, afficta sunt S. Adelæ, quæ in Orp-le-Grand, diœcesis Mechliniensis vico, festive colitur die* 30 *mensis junii* (16); *et quidem nunc in illa parochia ostenduntur septem ecclesiarum loca, in Vita S. Othiliæ designata, monasterii sedes et reliqua omnia, quæ numquam extra Alsatiam visa sint. Hinc pronum erat ut ii sancti, quibus eadem adscriberentur gesta, maxime si homonymi essent, in unum conflarentur; sane ad diem* 12 *februarii hujus rei specimen habes in S. Eulalia Barcinonensi et in S. Eulalia Emeritensi : quarum quum Acta confusa essent, confusæ etiam fuerunt personæ* (17). *Sed nil in hac nostra palæstra solemnius est, ut jam pridem animadvertit Henschenius* (18). *Ex illis itaque nil prorsus colligi potest ut statuatur S. Amandum Trajectensem auctorem fuisse cathedræ episcopalis Argentoratensis aut eum umquam in ea sedisse; ita ut integra omnino sint argumenta, quibus initio indicavimus Argentoratensem præsulem singularem virum esse, a Trajectensi episcopo plane diversum.*

Sæpius factum est ut unius sancti Vita alteri applicita fuerit.

8 *Quæ res multo etiam luculentius ostendi potest ex ejus præsentia in Coloniensi synodo, anno* 346 *adversus Euphratem, Coloniensem antistitem, habita. Sed de Coloniensi concilio tot exstiterunt controversiæ ut sigillatim de eo disserendum videatur; tanto magis quod non ita pridem gravissima emerserunt documenta, quibus difficultas, quæ adversus conventus illius Acta movebatur, de medio plane tollitur.*

Distinguuntur maxime ambo SS. Amandi, quod Argentinensis anno 346 *concilio Coloniensi interfuit.*
F

§ II. Interfuit S. Amandus concilio Agrippinensi, a quo damnatus fuit Euphrates episcopus. Oppositæ de hoc concilio sententiæ.

Concilio Coloniensi anno 346 *interfuit* S. Amandus *et consensit in depositionem Euphratæ, qui*

Post consulatum *itaque* Amantii et Albini, *id est anno* 346, IV idus majas, cum consedissent episcopi in Agrippinensium civitate, id est Maximinus Trevirorum, Valentinus ab Arelato, Donatianus Cabillonorum, Severinus Seno-

(1) Apparatus sacer, tom. II, pag. 546. — (2) De scriptoribus historicis latinis, edit. alt., pag. 346. — (3) Biblioth. med. et inf. latinitatis, v° *Utho*. — (4) Index auctorum, v° *Utho*. — (5) Hist. litt. de France, tom. VI, pag. 304. — (6) Martyrologium Ecclesiæ germanicæ, pag. III et seqq. — (7) Gerbert, Monumenta veteris liturgiæ allemanicæ, part. I, pag. 457. — (8) Alsatia illustrata, tom. I, pag. 337. — (9) Catalogus episcoporum Argentinensium, pag. 7 et seqq. — (10) De episcopatibus Germaniæ, p. 55. — (11) De episcopis Argent., p. 69. — (12) Germania sacra, part. I, p. 7. — (13) Cfr Acta Sanctorum, tom. I Februarii, p. 829. — (14) Ibid., tom. VII Octobris, p. 823 et seqq. — (15) Ibid., tom. VIII Octobris, p. 816. — (16) Ibid., tom. V Junii, p. 587. — (17) Ibid., tom. II Februarii, p. 576. — (18) Ibid., p. 742. Cfr t. VIII Oct., p. 323.

num,

AUCTORE V. D. B. *Christi divinam naturam coram pluribus et ipso S. Athanasio negaverat.*

num, Optatianus Tricassium, Jesses Nemetum, Victor Vangionum, Valerianus Autisiodorensium, Simplicius Augustodunensium, AMANDUS ARGENTINENSIUM, Justinianus Rauracorum, Eulogius Ambianorum, Servatius Tungrorum, Dyscolius Rhemorum : consentientibus et mandantibus Martino, episcopo Moguntiacensium, Victore Mediomatricorum, Desiderio Lingonicæ, Panchario Vesontiensium, Sanctino Articlavorum, Victorino Parisiorum, Superiore Nerviorum, Mercurio Suessionum, Diopeto Aurelianorum, Eusebio Rothomagensium; cumque recitata fuisset epistola plebis Agrippinensium, sed et omnium castrorum Germaniæ secundæ, de nomine Euphratæ, qui Christum Deum negavit (1); *episcopi illi singuli ordine suo sententiam adversus Euphratem dixerunt; quos inter* Amandus episcopus dixit : Siquidem in præsenti, quando Euphrata a quinque episcopis sententiam accepit, me inter ipsos fateor esse consentaneum; qui epistolis meis ad eumdem deponendum consensi, secundum falsam doctrinam ipsius, qui Christum Dominum Deum
B negat, merito in ipsum sententiam collatam esse constat : ad cujus damnationem consentio. *Reliqui similia dixerunt. Quædam tamen singularia Jesses, episcopus Nemetum seu Spirensium, protulit.* Non solum, *inquiens*, epistolis omnium ecclesiarum, quæ audierunt Euphratam negare Deum Christum, sed quod ego ipse auribus meis audivi sub præsentia Martini, consenioris nostri, et Metropii presbyteri, et Quintini presbyteri, et Victoris diaconi, ideo consensi illum jure esse depositum. *Et Servatius, episcopus Tungrensis, dixit :* Quid fecerit, quidve docuerit Euphrata pseudoepiscopus, non opinione, sed veritate cognovi, pro finitimi loci conjuncta civitate : cuique publice et domestice obstiti sæpe, cum ille Christum Deum negaret, audiente (*in Vita S. Servatii* cognoscente) Athanasio, episcopo Alexandrino, et presbyteris et diaconibus plurimis. Et idcirco censeo christianis episcopum eum esse non posse, quia Deum Christum sacrilega voce negavit : neque illum Christianum esse judicandum, qui ejusdem confinitimus fuerit inventus.

C *Acta illius concilii jam pridem nota et merito optimis criticis probata.*

10 *Qui voluerunt olim nullam hujus synodi Actis fidem adhibendam esse, non potuerunt tamen eis antiquitatis laudem denegare, quippe quæ lecta fuerint ab antiquo S. Servatii biographo* (2), *a biographo S. Severini, Euphratæ successoris, qui biographus sæculo* VIII *vixit* (3), *atque etiam ab anonymo, qui sæculo* VIII *S. Maximini, Acta a Bollandianis edita* (4), *conscripsit ; quibus accedunt alii recentiores, illis monumentis usi* (5). *Quibus manifestum est Acta illius synodi in episcopalibus tabulariis servata esse, priusquam Normanni aliique barbari Rheni et Mosæ ripas vastarunt. Sed et forma ejus talis est ut etiam acerrimi sinceritatis horum Actorum oppugnatores, Hedderichium intelligo et Molkenbuhrium* (6), *consentiant ea sæculo* IV *ab Arianis scripta et conficta esse, quo Euphratæ, fortissimi eorum adversarii, memoriam perderent; non secus ac Liberii papæ,* D *Hosii Cordubensis, Potamii Ulyssiponensis, Phœbadii atque etiam S. Servatii Tungrensis; a quibus tamen recedit Binterimius* (7), *ea sæculo* VIII *aut* IX *ficta fuisse volens. Verum qui in colligendis et tractandis conciliorum actis omnium fuerunt diligentissimi, ii unanimi fere ore, licet nodum insolubilem faceret assignatum synodo Sardicensi tempus, receperunt Acta concilii Coloniensis uti pura et sincera, quod eorum forma ita medium sæculum* IV *sapit atque omnia adeo sint accurata, ut nil simile umquam fecisse censeri possit falsarius. Quos inter recenset Grandidier* (8) *Petrum de Marca, Dionysium Petavium, Joannem Launoyum, Petrum Pithœum, Godefridum Henschenium, Ægidium Bucherium, Balthazarem Bebelium, Christophorum Browerum, Hermannum Conringium, Davidem Blondellum, Antonium Pagium, Renatum Franciscum Slusam, Carolum Cointium, Ulricum Obrechtum, Ludovicum Laguille, Jacobum Longuevallium, Augustinum Calmetum et Dominicum Mansium.*

Alii aliter ea conciliare tentarunt cum synodo Sardicensi, quam falso anno 347 *habitam putarunt.*

11 *Et quidem Actorum forma eorumque antiquitas, monumentis sæculi* VIII *et* IX *nixa, tanti sunt ponderis ut nemo umquam de eorum sinceritate plus dubitasset quam de Actis collationis Carthaginensis cum Donatistis ; nisi cum synodo Sardicensi, quæ anno* 347, *non multo post Colo-*
niensem conventum, habita censebatur et a cujus patribus honorifico munere auctus fuerat ille idem Euphrates Coloniensis, pugnare visa essent : quem offensionis lapidem alii tollere studuerunt, statuentes contra Actorum S. Severini fidem in cathedra Coloniensi duos Euphratas, nempe Ephriatam, qui et Euphraxius et Euphrasius, a patribus Coloniensibus damnatum, et Euphratam, maximo honore habitum a synodo Sardicensi; alii errorem esse contendentes in consulibus, præfixis concili Coloniensis Actis ; alii legendum arbitrati : Post consulatum Amantii et Albini [*anno*] quarto, idus majas (*idibus majis*); *Mansius demum, nixus chronico Alexandrino, de quo plura dicemus inferius, synodum Sardicensem alligans extremo anno* 344, *aliquot mensibus post in hæresim lapsum esse Euphratem et anno* 346 *in concilio Coloniensi depositum : sed quum hoc Chronicum passim erroribus inspersum sit, minus valebat* F *ad fidem faciendam. Quæ quamvis ita essent, præstantissimi quique scriptores persuadere sibi non poterant concilii Coloniensis Acta spuria esse. Sed postquam Curetonus anno* 1848 *Londini syriace, et cardinalis Majus* (9) *anno* 1853 *Romæ syriace et latine atque etiam Mignius* (10) *anno* 1857 *Parisiis latine edidit epistolas Heortasticas seu festivales S. Athanasii viginti septem, cum præmisso Chronico item festivali, in quo S. Athanasii annua gesta accuratissime designantur, plane evanuit illa difficultas; quum nunc certum sit Sardicensem synodum, quæ tantam fiduciam demonstravit Euphratæ Coloniensi, habitam fuisse anno* 343, *triennio ante Coloniense concilium : quod intervallum amplum satis est ut Euphrates, quemadmodum tot alii, seduci se siverit ab Arianis et*

(1) Labbe, Collectio conciliorum, tom. II, col. 615 et seqq. — (2) Ibid. col. 618. — (3) Grandidier, Hist. de l'Église de Strasbourg, tom. I, p. 66. — (4) Acta SS. tom. VI Maii, p. 873. — (5) Bertharius, Jucundus, Ægidius, scriptor Historiæ Trevirensis etc. ap. Binterim, Geschichte der deutsche Concilien, tom. I, p. 359. — (6) Ap. eumdem, tom. cit. p. 364. — (7) Ibid. p. 376.— (8) Hist. de l'Église de Strasbourg, tom. I, p. 66 et seqq. — (9) Patrum nova bibliotheca, tom. VI, p. 1 et seqq. — (10) Patrologia græca, tom. XXVI, col. 1339 et seqq.

in

A *in eorum placita consenserit. Quod argumentum jam explicabimus necessaria diligentia : decessoribus scilicet nostris semper persuasum fuerat sincera esse Agrippinensis concilii Acta ; sed quum Binterimius eo impetu et rationum pondere illa aggressus esset, quo nil validius excogitari posse videretur, in sententiam suam traxit collegam meum, Josephum Van Hecke; qui pro veritatis amore, quam ab hac parte stare arbitrabatur (nondum enim nova documenta in manus nostras devenerant), a decessorum placitis recessit* (1).

§ III Præcipuæ res S. Athanasii ab anno 339 ad 347 ex epistolis ejus heortasticis. Ætas synodi Sardicensis.

Literæ heortasticæ sub Epiphaniam publicabantur, sed multo ante scribi et mitti solebant.

Ut autem ope Chronici et Epistolarum festalium S. Athanasii demonstremus synodum Sardicensem non anno 347, *sed quadriennio ante celebratam fuisse, satis non est unum locum excitare quo hæc tradantur; ea enim ratione nil magis perfecerimus quam Mansius, adducto Chronico Alexandrino seu anonymo Maffejano. Integra S. Athanasii gestorum intra septennium series (quoniam, qui eorum chronologiam texuerunt, omnia ita inter se implicuerunt ut singillatim facile solvi nequeant) percurrenda est : et quidem, quum non solum Chronicum heorstaticum, sed etiam Epistolæ nonnulla contineant sanctissimi præsulis acta, ante omnia inquirendum est quo anni tempore Epistolæ illæ, quibus futuri paschatis dies indicabatur, scriberentur et mitterentur. Cassianum si audire placeat, in errorem labemur facile. Hic enim :* Intra Ægypti regionem, *inquit* (2), mos iste antiqua traditione servatur, ut, peracto Epiphaniorum die, epistolæ pontificis Alexandrini per universas dirigantur Ægypti ecclesias, quibus initium quadragesimæ et dies paschæ, non solum per civitates omnes, sed etiam per universa monasteria designentur. *Sed quum non ad solum Ægyptum hæc patriarchæ Alexandrini cura spectaret, sed ei* delegatum *esset, quemadmodum loquitur venerabilis Beda* (3), ut officiose
C operam curamque investigationi computi paschalis impenderet, quatenus, pontifici apostolicæ sedis adnuncians, per eum paschæ diem sollemnem ceteros ecclesiarum principes agnoscere faceret, *necesse erat ut multo ante literæ scriberentur et quaquaversum destinarentur : adeoque quum cessaverant Alexandrini patriarchæ extra Ægyptum pascha nuntiare, atque hoc annuum officium ad singulos archiepiscopos devenisset, conditus fuit anno* 633 *in concilio Toletano* IV *canon, ex quo vetus consuetudo innotescat :* Solet in Hispaniis, *verba sunt canonis* (4), de solemnitate paschali varietas exsistere prædicationis : diversa enim observantia laterculorum paschalis festivitatis interdum errorem parturit : proinde placuit, ut ante tres menses Epiphaniorum metropolitani sacerdotes litteris se invicem inquirant, et communi scientia edocti diem resurrectionis Christi et comprovincialibus suis insinuent et uno tempore celebrandum annuntient. *Et jam pridem constituerat concilium Africanum ut episcopi* de ecclesia semper Carthaginensi de die paschæ instruerentur, non sub angusto temporis spatio, *sed* quum in unum convenirent *et autumnale concilium celebrarent* (5). *Quare ita interpretanda sunt Cassiani verba, quasi patriarchales literæ, multo tempore antæ Epiphaniam quaquaversum missæ, sub Epiphaniæ festum publice legerentur; non secus ac mandata quadragesimalia, quæ nunc in capite jejunii publice proponuntur et ad quæ (si argumenta seu materia spectetur) proxime accedunt epistolæ illæ heortasticæ. Quod tanto magis necesse erat, quod complures christiani jejunium omitterent, nisi tempestive indictum esset. Ipse enim Athanasius ad Serapionem, Thmueos episcopum, extremo anno* 339 *hæc scripsit* (6) : Scripsi autem singulis fore ut tu quadragesimam indiceres fratribus eisque jejunium suaderes ;... ne hac excusatione quisquam utatur, quod epistola [non] sit lecta, quominus jejunii debitum agnoscamus : hunc E oportet obtentum de medio auferre, dareque operam ut ante quadragesimam omnino legatur, ne, aliqua ansa capta, jejunium omnino omittatur. *Cæterum passim apparent indicia, ex quibus pateat aliquot mensibus, immo integro fere aliquando anno, ante indicendum pascha scriptas fuisse illas literas : adeoque scriptionis tempus plerumque propius definiri potest.*

AUCTORE V. D. B.

Anno 339 *Alexandriam advenit Gregorius et fugit S. Athanasius Romam; ubi etiam annis sequentibus residet.*

13 *Difficultatum exordia in anno fere* 339 *ponenda sunt : quas ego ita prosequar, ut omnes res præcipuas, de quibus digladiati sunt inter se Mansius* (7) *et Mamachius* (8), *ambo tabulam chronologicam conficientes, ad certos annos revocem, Chronico et Epistolis heortasticis usus; quarum auctoritatem aliqui frustra infringere conati sunt.* Anno 339. Hoc anno multis concitatis tumultibus, quæsitus fuit [Athanasius] a persecutoribus noctu XXII phamenoth (18 *martii*); sed crastina die fugit ex Theonæ ecclesia, postquam multos ibi baptizaverat. Exin quarta die Gregorius Cappadox ingressus est urbem tamquam episcopus. *Ita Chronicum; in quo quum additur tum Philagrium primo anno Ægypti præfectum fuisse, convenit cum S. Athanasii historia Arianorum ad monachos; ubi num.* 10 *Philagrius a Constantio imperatore et Gregorius cum militari manu Alexandriam uno fere tempore missi traduntur* (9). *Neque literas heortasticas hoc anno dedit S. Athanasius in annum* 340 ; *sed e latebris scripsit ad Serapionem, ut supra dixi, ei injungens ut* quadragesimam indiceret fratribus (10). *Quod tamen non fecit Serapion.* Anno 340. Cum Gregorius oppressionis suæ actus augeret, ideo non fuit scripta festivalis epistola. Quamobrem cum Ariani [pascha] in diem XXVII phamenoth (23 *martii*) indixissent, multo risui ob hunc errorem fuerunt; qui tamen, media in Quadragesima mutata sententia, pascha nobiscum egerunt die XIV pharmuthi (6 *aprilis*); quem solemnitatis diem significavit Athanasius pre-
F

(1) Acta SS., auctarium, tomi V Octobris, pag. 47. — (2) Collatio X, cap. 2. — (3) De ratione temporum, cap. 42. — (4) Collectio canonum ecclesiæ Hispanæ, p. 367. — (5) Cod. can. eccl. Afric., num. 51, ap. Labbe, Conc., tom. II, col. 1073. — (6) Ap. Mai, Bibliotheca nova, tom. VI, p. 114. — (7) Supplementum conciliorum Labbei, tom. I, p. 203 et seqq. — (8) De ratione temporum Athanasianorum, p. 380 et seqq. — (9) Migne, Patrolog. græca, tom. XXV, col. 706. — (10) Epist. ad Serapionem, ap. Mai, Bibliotheca nova, tom. VI, p. 114 et seqq.

sbyteris

AUCTORE V. D. B.

sbyteris Alexandriæ per brevem epistolam; quia non potuit consueti moris mittere epistolam propter fugam et proditionem; (*ex Chronico;*) *advenerit hæc epistola Alexandriam ad finem februarii anni* 340. *Atque hæc tam singularia sunt, maxime Arianorum error et ludicra erroris correctio, (licet ipsi catholici integra hebdomade a veritate aberraverint, quum pascha legitime celebrandum esset die* 30 *martii,) ut ex phantasia chronologi oriri non potuerint; atque ita inter se cohærent ut mutua conjunctione validissima sint. Cave tamen ne anno* 339 *solum vertisse credas S. Athanasium aut Romam abiisse; anno duntaxat post mare transmeavit, ut ex dicendis apparebit. Tum quidem civitate excedere coactus fuit: sed, quum populus ei faveret impensissime, latitavit aliquandiu in vicinia, timens* proditionem, *ut in Chronico ad annum* 340 *dicitur; quæ proditio timenda non fuisset, nisi tum in Ægypto adhuc versatus esset beatissimus vir. Quæ explicatio (nisi me mea fallat opinio) multo simplicior est et facilior, quam conjecturæ, quibus ex illis salebris expedire se tentarunt præstantissimi sagacissimique*

B *viri Carolus Josephus Hefele* (1) *et Albertus de Broglie* (2); *qui soli hactenus historici Chronico et Epistolis festalibus usi sunt. Non multo itaque post mensem februarium anni* 340 *navim conscendit S. Athanasius et præter Eusebianorum exspectationem Romam advenit* (3). *Eodem anno in annum sequentem epistolam festalem scripsit, usus his verbis* (4) : En ex urbe Roma ad vos scribo; in qua cum fratribus festum exigens, vobiscum etiam spiritu ac voluntate id celebrabo, qui nobis concessit non solum in ipsum credere, sed etiam pro ipso nunc pati.

Anno 341 *celebratur Antiochiæ concilium dedicationis, a quo ordinari non potuit Gregorius; et anno* 343 *convenit synodus Sardicensis, ut constat ex Chronico festali*

14 ANNO 341. Schisma fuit in Augustamnica propter morantem in urbe (*Alexandria*) Gregorium, quam opprimebat, donec conflictari morbo cœpit; proptereaque papa (*Athanasius*) festalem epistolam non scripsit. *Ex Chronico. Verumtamen ineunte anno sequenti, quum* proximum *jam esset festum, dedit literas, quas vide apud Majum* (5). *Eodem anno* 341, *coss. Marcellino et Probino, quemadmodum tradidit ipse S. Athanasius* (6), *celebratum est post mensis maji exordia et quidem circa augustum mensem concilium Antiochenum, dictum dedi-*

C *cationis. Unde liquet fieri non posse ut post ejus finem Gregorius Cappadox creatus fuerit episcopus Alexandrinus, ut Socrates* (7) *et secundum eum Sozomenus* (8) *tradiderunt; quippe qui hanc sedem jam pridem occuparet, eo missus ab anteriori Arianorum Antiocheno conventu; quem quidem multi volunt eumdem esse quod concilium Antiochenum dedicationis seu in encæniis; sed in epistola S. Julii papæ* (9), *in qua sola ejus memoria servata est, nullum exstat indicium, quo persuadeatur Gregorium in concilio dedicationis potius creatum fuisse pseudoepiscopum Alexandrinum, quam in alio quocumque Arianorum cœtu. Porro eodem fere tempore, quo concilium dedicationis haberetur, celebravit S. Julius papa Romæ concilium in causa S. Athanasii; quippe quod S. Athanasius* (10) D *habitum fuisse affirmat sesquianno post ejus in urbem adventum.* ANNO 342. Cum graviter ægrotaret in urbe Gregorius, idcirco papa (*Athanasius*) mittere [*epistolam*] non potuit. ANNO 343. Hoc anno dominica paschatis erat die 1 pharmuthi (27 *martii*), lunæ XV, VI kal. aprilis, epacta XI, deorum V, indictione I, consulibus Placido et Romulo, gubernante eodem Longino Nicæno, Ægypti præfecto. Hoc anno habita fuit synodus Sardicæ : qua re cognita, Ariani Philippopolim se contulerunt. Cumque Philagrius eis auctor esset ut in hac urbe synodum cogerent, ipsi quolibet in loco vituperabantur, excommunicatique fuerunt etiam ab ecclesia Romana. Et cum de sua pœnitentia ad papam Athanasium scripsissent, puduit Arsacium atque Valentem Sardicæ de conventione, circa pascha facta; et decretum ad annos quinquaginta duraturum ediderunt, quemadmodum ubique Romani atque Alexandrini proponere solebant. Athanasius quoque festivalem epistolam scripsit; *quæ intercidit. Ex Chronico, cujus omnia verba ad hunc annum describere libuit, ut tum ex consulibus, tum ex paschate* E *manifestum esset annum* 343 *apertissime designari, quo celebratum fuerit Sardicense concilium. Quod nedum pugnet cum aliis temporis notis plane omnino convenire paucis demonstrabimus.*

15 *S. Athanasius, in Historia Arianorum ad monachos narrans num.* 16 *quomodo Eusebiani renuerint synodum Sardicensum intrare :* Cum absurdiorem, *inquit* (11), quam dudum Antiochiæ, attulissent excusationem : quod scilicet ipsis imperator literis suis victoriam, de Persis reportatam, significasset, fugam fecerunt; *quæ victoria non ea est, quæ anno* 345 *ad Syngaram, dubiis tamen armis, relata est, sed quam ad annum* 343 *a Constantio triumpho celebratam fuisse tradidit Theophanes* (12). *Idem S. Athanasius in Apologia ad Constantium num.* 4 *narrat Sardicensem synodum congregatam fuisse quarto anno postquam Alexandria Romam profugus venerat :* Alexandria, *inquit* (13), profectus sum.., ut Romam peterem... Triennio exacto, quarto anno missis literis me accivit *Constans*, quo tempore ille Mediolani versabatur;... didicique quosdam episcopos, F qui eo concesserant, rogasse illum ut tuæ pietati pro synodo cogenda scriberet... Me autem postea in prædicta urbe degentem iterum misit in Gallias : eo enim pater quoque Hosius concesserat : ut una inde Sardicam peteremus. Post peractam vero synodum literas mihi tum Naïssi degenti misit. *Atqui quum ineunte anno* 340 *Romam confugerit, annus quartus ab hac fuga cum anno* 343 *convenit. An Mediolani eodem hoc anno synodus, cujus Acta perierint aut quæ nunc prima dicitur, habita fuerit, non attinet quærere. De Gregorii, pseudoepiscopi Alexandrini, morte et S. Athanasii reditu, ex quibus etiam pendet Sardicensis synodi ætas, dicetur infra.*

et aliis pluribus adjunctis.

(1) Conciliengeschichte, tom. I, p. 568 et seqq. — (2) L'Église et l'Empire romain au IVe siècle, tom. III, p. 32 et seqq., edit. 1862.—(3) Apologia contra Arianos, num 20, ap. Migne, tom. XXV, col. 279. — (4) Bibliot. Maji, tom. VI, p. 116. — (5) Ibid., p. 124. — (6) Epistola de synodis, num. 25, ap. Migne, Patrologia græca, tom. XXVI, col. 726, — (7) Histor. eccl., lib. II, cap. 10. — (8) Hist. eccl., lib. III, cap. 6. — (9) S. Athanasii apologia contra Arianos, num. 29, ap. Migne, Patrologia græca, tom. XXV, p. 298. —(10) Cfr. Mamachi, De ratione temporum Athanasianorum, p. 219 et 225. — (11) Migne, Patrologia græca, tom. XXV, col. 711. — (12) Editio Bonnensis, t. I, p. 55. — (13) Migne, Patrologia græca, tom. XXV, col. 599.

ubi

AUCTORE V. D. B.

A *Anno 334 Euphrates venit Antiochiam, missus a synodo Sardicensi.* * celebravit

16 Anno 344. Quum rediisset [Athanasius] a synodo, Naissi habita, ubi et pascha celebraverat *, significavit accurate Alexandriæ presbyteris diem paschatis; cæteris tamen locis non potuit. (*Ex Chronico.*) *Ut autem ad Constantium scripsit ipse S. Athanasius* (1), *Naïsso* profectus, Aquilejæ postea commoratus est, ubi redditæ ei sunt *Constantii* literæ. *Dum autem Naïssi esset sanctus vir, Euphrates, Coloniensis, et Vincentius, episcopus Capuanus, hospitabantur Antiochiæ, eo missi a synodo Sardicensi. Quam rem explicuit iterum S. Athanasius* (2) *et nonnihilo copiosius Theodoretus* (3); *brevius autem et nitidius narravit Mansius* (4): Cum *scilicet* Athanasii innocentia in Sardicensi concilio perspicua apparuisset, visum est Constanti imperatori et patribus legationem ad Constantium, fratrem suum, Orientis imperatorem, decernere, ut reditum Athanasii apud illum suo nomine urgerent. Delectus est in eam rem Euphrates, Coloniensis episcopus, socio Vincentio Capuano, qui se itineri committentes Antiochiam venerunt. Cathedram illam occupabat tunc arianus quidam episcopus Stephanus, qui calumniam hanc legatis struere molitus est per insidias. Meretricem ipso noctis silentio in ædem episcoporum clam submittendam curavit, meditans, simul ac illa cubiculum introiisset, ministros cum satellitibus palam ad ædes illas mittere; a quibus meretrice in ædibus sacerdotalibus noctu deprehensa, episcopi comperti criminis rei tenerentur. Res pro voto non cessit : Euphrates enim, gradientis mulieris sonitu excitatus, edito strepitu domesticos excivit; qui, statim occlusis ædium foribus, mulierem cum aliis nonnullis insidiarum comitibus comprehenderunt; ex quibus totum molitionis arcanum revelatum est. Hæc omnia accidisse notat S. Athanasius « ipsis sanctissimæ paschæ « diebus. »

B

Anno 345 convenit jam perversus S. Athanasium Treviris, * significaverat

17 Anno 345. Quum [Athanasius] Aquilejam profectus esset, pascha illic exegit; significavitque * accurate diem paschatis presbyteris Alexandriæ, cæteris vero locis non potuit. (*Ex Chronico.*) *Superest adhuc epistola illa festivalis; atque alia de paschate anni sequentis, quam non multo post illam ad presbyteros et diaconos Alexandrinos destinavit. Dum autem Aquilejæ versaretur sanctissimus vir, aut potius quum hinc Constantis rogatu perrexisset in Gallias* (5) *et venisset Treviros, videtur ad eum accessisse Euphrates, ab Arianis jam perversus, atque in ejus et S. Servatii præsentia impia de Christi divinitate protulisse verba. Et quoniam ven. vir Hefele* (6) *ex hoc capite abjicit Coloniensem synodum quod in ea legitur S. Servatius Trajectensis dixisse* (7) : Publice et domestice obstiti sæpe, cum ille Christum Deum negaret, audiente Athanasio, episcopo Alexandrino, et presbyteris et diaconibus plurimis; *quasi post synodum Sardicensem S. Athanasium videre non potuit Euphrates, placet ipsa S. Athanasii de novo suo itinere Gallicano adducere verba* (8): Post peractam synodum (*Sardicensem*) literas mihi, tum Naissi degenti, misit (*Constans*); atque hinc profectus, Aquilejæ postea commoratus sum; ubi redditæ mihi sunt tuæ (*Constantii*) literæ. Accitus inde rursus a beatæ memoriæ viro, in Gallias iter institui : hincque demum tuam adii pietatem. *Quod autem S. Servatius* sæpe *Euphratæ restitit, longum nequaquam requirunt tempus, quum zelo rectæ fidei arderet S. Servatius et Trajectum Coloniæ pene adjaceat. Euphratæ autem perversio nemini mira accidat, quum tot alii turbatis illis temporibus se in devia abripi siverint; ita ut, testibus S. Athanasio et S. Hilario Pictaviensi, plurimum remittendum fuerit de disciplinæ severitate in recipiendis lapsis episcopis, qui ab errore resipiscerent.*

C

et anno 346 a concilio Coloniensi damnatur; ipse vero S. Athanasius redit Alexandriam.

18 Anno 346. *Quum itaque blasphemum os non contineret Euphrates*, post consulatum Amantii et Albini, IV idus majas *convenerunt Coloniæ qui supra designati sunt episcopi et miserum apostatam deposuerunt.* Quumque obiisset, *Athanasiani seu Heortastici Chronici verbis utor*, Gregorius, *pseudoepiscopus Alexandrinus*, die II epihi, *seu* 25 *aut* 26 *junii*, reversus est Roma ex Italia [Athanasius] et in civitatem ecclesiamque ingressus. Mirabili autem occursu dignus fuit; etenim die XXIV paophi *seu* 21 *septembris* populus cunctique magistratus ei obviam iverunt usque ad centesimum lapidem; atque ita honoratus quievit. Festalem vero epistolam hujus anni *jam integro anno ante* breviter, *ut diximus*, ad presbyteros *et diaconos* miserat. *Cum illis plane consonat Chronicum acephalum Maffeianum, in quo hæc leguntur* (9) : Et factum est post Gregorii mortem, Athanasius reversus est ex Urbe et partibus Italiæ; et ingressus est Alexandriam paphi XXIV, consulibus Constantio IV et Constante III, *quod est anno* 346, hoc est post annos VI; et remansit quietus apud Alexandriam annis XVI et mensibus VI. *Consonat fere Theodoretus, quippe qui narret* (10) Gregorium, cum per sex * annos instar feræ belluæ gregem omni crudelitate vastasset, pœnas tandem improbitatis suæ dedisse, ab ipsis ovibus misere discerptum. *Consonat ipse S. Athanasius, qui in epistola heortastica, qua pascha anni proxime venturi significavit, se Alexandriæ versari profitetur :* Ego pariter, *inquiens* (11), Deo gratias ago ob hæc nova miracula atque adjumenta nobis suppeditata : quamvis enim nos castigavit, neci tamen non tradidit, sed a remotissimis terræ finibus nos revocavit, vobisque festi causa celebrandi copulavit.

* septem

D

E

F

Mamachius non felicius quam contumeliosius Mansium in hac controversia aggressus est :

19 Anno 347. Residens Alexandriæ [Athanasius] consuetam significationis paschalis epistolam misit, quam antea non potuerat; *miserat scilicet post* 21 *septembris anni superioris, quum Alexandriam redierat; tardius tamen solito. At hic sistere lubet; quum reliqua minus cum concilii Sardicensis temporibus cohæreant. Mansius quidem et Mamachius, de iisdem disputantes, multa alia miscent; sed ita ut non ex his Sardicensis conventus ævum definiatur, sed ut ex hoc ævo quando hæc acta sint deducere*

(1) Apologia ad Constantium, num. 4, Migne, Patrologia græca, tom. XXV, col. 602. — (2) Historia Arianorum ad monachos, num. 20 et 21, ibid., col. 715 et seqq., et Fragmentum historicum, ibid., tom. XXVI, col. 1293. — (3) Hist. eccles., lib. II, cap. 9. — (4) Supplementum conciliorum, tom. I, col. 174. — (5) Apologia ad Constantium, num. 4, ap. Migne, Patrologia græca, tom. XXV, col. 602. — (6) Conciliengeschichte, tom. I, p. 729 et 730. — (7) Labbe, Collect. concil., tom. II, col. 617. — (8) Apologia ad Constantium, num. 4, loc. sup. cit. — (9) Ap. Mai, Bibliotheca nova, tom. VI, p. 161. — (10) Historia ecclesiastica, lib. II, cap. 4. — (11) Mai, Bibliotheca nova, tom. VI, p. 145.

AUCTORE V. D. B.

conentur. Hoc autem inter Mansium et Mamachium intercedit discrimen, ut ille, licet optimis nostris documentis (quippe quæ in Scetensi Deiparæ monasterio adhuc laterent) destitutus esset, Sardicensis tamen concilii annum probe detexerit, et alibi passim veritatem viderit aut proxime accesserit; hic autem, ubique in Mansium contumeliosus, inconditis clamoribus et incredibili jactantia consilia sua prosequatur, incidens continuo in errores manifestos et nusquam fere christiana sinceritate procedens. Cujus rei specimen, quod ad argumentum nostrum faciat, placet indicare. Quum vidisset Mansius Socratis et, qui eum sequi solet, Sozomeni chronologiam cum inventis suis plane non convenire, elevanda ei fuerat eorum in ordinandis temporibus auctoritas. Scripserat itaque (1) : Nec sane mihi primo succurrit ut celebres istos scriptores erroris arguerem, cum et sæpe alias offendisse illos doceant scriptores magni nominis, Tillemontius in Vita S. Athanasii, nota 44, Valesius in notis passim, et quoad signandos per consules annos Baronius ad annum 357, num. 1, et Sirmondus in Dissertatione de synodo Sirmiensi. Quin et raro contingere quin errent in consulatibus ex iis quæ inferius disseremus facile resultabit; *atque alibi* (2) *alios producit, quos inter Pagium* (3), *dicentem* : Socrates, dum hujusmodi notas temporarias usurpat, non raro in errorem labitur. *Atqui passim Mamachius omnis hujus censuræ invidiam in unum Mansium confert.*

B

quam recte dixerit Mansius Socratem et Sozomenum errare solitos esse in temporum ordinatione.

20 *Verumtamen ita manifestum est Socratem passim omnia miscere, tempora, loca, homines, aliosque qui post eum venerunt duxisse in devia ut cum S. Athanasii scriptis historicis nequaquam componi possint. Audi quæ in Monito ad Apologiam beatissimi Alexandrini episcopi contra Arianos præfati sint Maurini editores* (4) : Ex hac igitur Apologia velut ex purissimo fonte vera sæculi quarti historia ecclesiastica ab anno 300 ad 350 est haurienda. Siquidem Athanasius omnibus aliis hujus historiæ scriptoribus longe præcellit; tum quod ipse oculatus plerumque testis fuerit, tum quod accuratissime res gestas enarret, et ipsa monumenta, quibus nil tutius, sæpe afferat. E contra vero alii auctores, Rufinus nempe, Socrates, Sozomenus et Theodoretus, cautissime sunt adhibendi, nisi cum ipsi quoque rerum gestarum monumenta afferunt; quod rarius contingit. Nam præterquam quod interdum historias minus certas enarrant, res sæpissime confundunt, tempora autem præpostere ordinant : exemplum hujus rei luculentissimum suppeditat Socrates, qui res in prima hujus Apologiæ parte comprehensas ita refert. *Et dein integram seriem incredibilium in rebus gravissimis errorum exhibent; quam claudunt his verbis* : Neque vero solus Socrates, sed etiam Theodoretus, multoque magis Rufinus et Sozomenus, res frequentissime vel secus quam gestæ sunt, vel præpostere enarrant. Quod tamen absit ut ad horum auctorum contumeliam vergat. Vitium namque ætati potius quam scriptoribus est adscribendum : quippe non solebant illo ævo res tam intricatas tanto studio indagare, ac in primis temporum rationes negligebant. *Quæ ea maxime de causa recitavimus, ne quis, quoniam a chronotaxi Socratis et Sozomeni recessimus, anceps hæreat.*

C

D

§ IV. Argumenta Binterimii adversus sinceritatem concilii Coloniensis petita ex silentio historicorum, ex postconsulatu Amantii et Albini et vocabulo Castri confutantur.

Perperam opponit Binterim actis concilii Coloniensis silentium coævorum,

Ex his itaque, quæ supra secundum certam annorum rationem deduximus, prorsus manifestum est neque ex Sardicensis synodi tempore, neque ex S. Athanasii gestis quidquam colligi posse quod cum concilio Coloniensi anni 346 *minus conveniat; contra omnia optime inter se cohærere. Quod autem objicit Binterimius* (5) *silentium SS. Hilarii, Sulpicii Severi, Gregorii Turonensis et hæresiologorum SS. Epiphanii, Philastrii, Augustini, Joannis Damasceni et Prædestinati, nullum pondus habet; quum S. Hilarius in doctrina potius versatus sit quam in historia, et Sulpicius Severus et Gregorius Turonensis, licet præteritorum temporum res gestas narraverint, jejuniores sint, quam ut videantur sedulam operam posuisse ut integram rerum ecclesiasticarum Galliæ narrationem conficerent. Neque est quod hæresiologi Euphratæ meminissent, quum novæ sectæ auctor non fuerit.*

E

et postconsulatum Amantii et Albini : quæ nota sinceritatis est :

22 *Urget deinde mense majo anni* 346 *Coloniæ non potuisse ignorari novos consules Constantium IV et Constantem III augustos; et proinde formam :* Post consulatum Amantii et Albini *suppositionis indicium esse. Sed tantum abest, ut hinc appareat falsarii manus, ut manifestissimum sinceritatis argumentum inde deprehendatur. Hoc enim anno* 346 *proprium fuit, ut in universo Occidente, etiam Romæ, saltem usque ad mensem septembrem, non novis consulibus designaretur, sed Amantii et Albini postconsulatu, dum interea in Ægypto et in toto Oriente in monumentis publicis et fastis novi consules Constantius IV et Constans III inscriberentur. Cujus rei testimonio monumentum profanum lapideum, quod olim in ædibus Porcariorum erat, excitavit Baronius* (6), *inscriptum* POST. AMANTI. ET ALBINI CONS. ; *alterum, iisdem inscriptum verbis et ex Gruteriana Collectione haustum, Mansius* (7); *tertiam Lucensem epigraphen, suppositam L. Turcii Aproniani statuæ, refert Muratorius* (8), *cum hac clausula:* DECRETA EST AVTEM POST CONSVLATVM AMANTII ET ALBINI. *Christiana exempla, quibus menses adscripti sunt, exhibet meritissimus eques Rossius; scilicet Arinianense, in quo hæc fere verba supersunt* (9)... [dep.]... IVNIAS QVI VISIT (*l.* VIXIT) ANNOS VII [me]N V DIES OCTO [post. cons. a]MANTII ET ALBINI; *et hoc aliud mensis julii ex museo Rusconio* (10) : [eut]RO.PIVS. FLORE. COIVG. I. FEC.

F

(1) Supplementum conciliorum Labbei, tom. I, col. 175 et 176. — (2) Apologia Joh. D. Mansii, num. 26, post Mamachii Epistolas de ratione temporum Athanasianorum p. 371. — (3) Critice in Annales Baronii, ad an. 365, num. 2. — (4) Migne, Patrologia græca, tom. XXV, col. 246. — (5) Geschichte der deutschen Concilien, tom. I, p. 373. — (6) Annales eccles. ad an. 346, num. I. — (7) In Annales Baronii, ad an. 345, num. 1. — (8) Inscriptiones, tom. I, p. CCCLXXIX, num. 1. — (9) Inscriptiones christianæ, tom. I, p. 59, num. 90. — (10) Ibid., p. 60, num. 93.

ET

A ET. SI. BI. QVE. VIX[it *annos...*] DP. DI. E XIIII KAL. AVG. POS. AMAN. ET ALBINI [consulatum]; *et hoc tertium mensis augusti ex bibliotheca Vaticana* (1) : B. M. IN P CHERETIO QV ANN. V. M V D XV CHERETIUS ET SEVERA PARENTIS DP. VI. KAL. SEPTEMBRES POS. CONSVLATVM AMANTI ET ALBINI; *atque hoc demum quartum Veliternum mensis septembris* (2) : ☧ BONOSO BENE. MERENTI IN PACE QVI VIXIT ANNIS. II. M. III. D. XX DEP. PRID. IDVS. SEPT. POST CONSS. AMANTI ET ALBINI ☧. *Quibus accedit, ut animadvertit Mansius* (3), *quod in fastis Vindobonensibus seu consularibus notatur hic annus :* Post Amantio et Albino; *in Libello de præfectis urbis et in Paschali laterculo apud Bucherium :* Post consulatum Amantii et Albini; *ita ut tabulæ Philocalianæ omnes, quemadmodum animadvertit Rossius* (4), *ubique inter se consentiant. Quibus adde Cassiodorum, qui in Chronico seu potius consulum elencho in errorem quidem lapsus est, sed non ita ut veritati viam occluserit; scripsit enim* (5) :

Constantius IV et Constans III.
Amantius et Albinus.
P. C. Amantii et Albini.
B Rufinus et Eusebius.

Ubi præmittendi non erant Constantius IV et Constans III *consules, sed eodem scribendi versu, quo* P. C. Amantii et Albini.

postconsulatus origo.

23 *Quæ autem hujus formulæ origo fuerit, hactenus plane incompertum : prius in provinciis ea ratio aliquando servata est, quod novi consules ignorarentur, ut apparet in Cirtensi concilio, anno* 305 *pridie idus februarias* post consulatum Diocletiani VIIII et Maximiani VIII *celebrato; in ipsa urbe anno* 307, *quo consules processerunt M. A. V. Maximianus Herculeus Aug. IX et Flavius Valerius Constantinus Cæsar et qui breviori formula* Novies et Constantino *designabatur* (6) (*ut annus* 308 decies, *id est M. A. Val. Maximiano Herculeo Aug. X et C. Galerio Maximiano Aug. VII conss.*), ex mense aprili, *ut in Libello præfectorum urbis traditur, dici cœpit :* Post sextum consulatum, *scilicet Constantii Aug. VI et Galerii Maximiani Aug. VI, sic volente* (*ut videtur*) *tyranno Maxentio, qui Italiæ dominabatur. Sed quid anno* 346 *similis norma usurpata est? Simultatem exstitisse inter Constantium et Constantem dixerunt*
C *Onuphrius* (7) *et Norisius* (8); *placitum Constantii, bello Persico detenti, opportune Romam et in reliquum Occidentem non venisse Baronius* (9) : *sed neutra ratio placet Tillemontio* (10) *et equiti Rossio* (11); *conveniebat enim tunc adhuc inter ambos augustos, neque per bellum Persicum cessabat cum Urbe commercium : ignota itaque de causa novorum consulum nomina ante septembrem in Occidente proposita non sunt. Sed quidquid id est, ut Coloniense concilium spuriæ originis crimen incurreret, si inscripti fuissent* Constantius IV et Constans III, *sic genuinus ortus ex* postconsulatu Amantii et Albini *elucescit.*

Male culpat Binterim vocabulum castri

24 *Sed in aliis quoque verbis falsarii manum deprehendere sibi visus est Binterimius, nempe in verbis :* Cumque recitata fuisset epistola plebis Agrippinensium; sed et omnium castrorum Germaniæ secundæ; *et in his aliis :* Ex epistola clericorum Agrippinensium, necnon et fratrum per singula castra constitutorum : *in quibus duo latere posterioris temporis indicia; scilicet ibidem supponi Germaniæ provinciam tum jam in Germaniam primam et Germaniam secundam divisam fuisse; atque de hac partitione meminisse neminem, ut statuit Pagius* (12), *ante Festum Rufum, qui Breviarium suum anno* 369 *Valenti dedicaverit; neque eam multo ante factam esse : deinde, vocabulum* castrum, *quo oppidum designetur, teste Cangio* (13), *de media latinitate esse, et primum in Notitia imperii, quæ sub annum* 400 *conscripta sit, fuisse usurpatum. Ut vero ab hoc posteriori asserto ordiamur, quemadmodum* castrum *et* castellum *mediæ latinitatis sunt, sic etiam primæ; ut in Forcellinii Thesauro ad hæc verba videre est, ubi exempla recitantur ex Quinto Curtio, lib.* V, *cap.* 3; *ex Cornelio Nepote in Alcibiade, cap.* 9; *ex Pompejo ad Domitium post epist.* 12 *libri* VIII *ad Atticum; ex Virgilii Æneide, lib.* VI, *v.* 776; *ex Varrone apud Servium ad* E *Æneidis lib.* IX, *v.* 7; *ubi etiam ex Plinio lib.* III *cap.* 1 *indicatur* Castrum Julium *in Hispania, et lib. cit. cap.* 5 Castrum Novum *in Hetruria : quibus ex Tito Livio, epitome libri* XI, *adde* Castrum *in Italia, et lib.* XXXI, *cap.* 2, Castrummutilum, *nunc* Medolo. *Similium deinde nominum plena sunt vetera itineraria et geographi; abundat et Gallia* (14); *quin etiam non ita procul a Colonia Agrippina* Castrum Divitensium, *nunc* Deutz, *e regione Coloniæ, habes; dein* Castravetera, Castraulpia, Castellum Morinorum *seu* Menapiorum; *antiquissima nomina, quorum origo patet.*

AUCTORE V. D. B *pro* Oppido, *utpote jam pridem usitatum*

ad designandas stationes militares.

25 *Militaribus scilicet castris oppidorum forma erat atque in ea vicinos colonos deducere amabant Romani; tum quod insueti erant sparsis per rura villis; (in Italia enim passim coloni in oppida contributi erant ut nunc etiam sunt;) tum quod vix alia erat via ut victi latina lingua loquerentur: quæ res summæ curæ erat Romanis: tum demum quod, si sparsim mansissent Galli, facile conspiratione facta, inexspectato in rebellionem erupissent, dum contra in castra recepti*
F *contubernales militum fierent, connubiale jus communicarent, atque etiam, si hostis ingrueret, munimentis propugnandis operam conferrent, uxores, liberos, domos suamque libertatem ab injuria vindicaturi. Quare, ut Valesius* (15) *accurate animadvertit, Augustus Cæsar Cantabros et Astures montibus deduxit et* (*uti ait Florus*) fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua, sed quæ in plano erant, habitare et incolere eos jussit. *Memini me in Commentario de S. Bertrando, episcopo Convenarum, hujus urbis originem explicare,* latronibus et convenis de Pyrenæi jugis depositis a Pompejo. *Passim inde surrexerunt nova oppida, quæ communi nomine* castra *dicta fuerunt; quod nomen aliquibus proprium factum est. Sed justo*

(1) Inscriptiones christianæ, tom. I, p. 60, num. 91. — (2) Ibid., p. cit., num. 92. — (3) Notæ in Annales Baronii, ad an. 346, num. 1. — (4) Inscriptiones christianæ, tom. I, p. 59. — (5) Migne, Patrologia latina, tom. LXIX, col. 1240. — (6) Fasti Idatiani, ap. Migne, Patrologia latina, tom. LI, col. 907. — (7) Fasti, p. 292. — (8) Cœnotaphia Pisana, p. 433. — (9) Annales, ad an. 346, num. 1. — (10) Empereurs, *l'Empereur Constance*, art. X, edit. Bruxell. in-fol. tom. IV, p. 140. — (11) Inscriptiones christianæ, tom. I, p. XXVI. — (12) Critice in Annales Baronii, ad an. 374, num. 8. — (13) Glossarium latinum, v° *Castrum*. — (14) Cfr Valesius, Notitia Galliæ, p. 132 et seqq. et p. 401 et seqq. — (15) Ibid. p. 402.

longius

AUCTORE V. D. B.

longius nos deduci sivimus, quum id unum demonstrandum esset longe ante confectam Notitiam imperii castri *nomen pro* oppido *usurpatum fuisse. Sed* Castri *nomen non ecclesiasticum est, sed militare. Miror hoc persicum telum; quasi vero aliud plane idioma esset sacerdotum et militum, illis maxime temporibus, quum vix triginta annis libera esset Christi religio et turmatim populi eam amplecterentur; atque illis locis, ubi certe milites et castrorum incolæ primi multoque ante paganos nomina sua Christo dederunt.*

§ V. Argumentum, petitum ex vocabulis Germaniæ secundæ, refellitur. An Germania in duas provincias divisa non fuerit nisi medio sæculo IV. An antiqua divisio militaris dumtaxat fuerit. Refelluntur argumenta, hausta ex historia.

B

Divisio, qua Germania ab exordiis imperii distributa est in superiorem et inferiorem,

M*iror multo magis viros doctos plurimumque eruditos in hanc adhuc ire sententiam ut ante medium sæculum* IV *Germaniam in duas divisam non fuisse partes statuant; quum iidem, ubi demonstrandum venit non multo post Christi mortem evangelicam doctrinam ad Rhenum usque propagatam fuisse S. Irenæi verba* de Germaniis, (*non autem* de Germania,) *afferant; sed redibit is locus inferius. Re quidem vera Sextus Rufus* (1) Germanias duas *et* Belgicas duas *memorat; sed multo ante eum tempore, ut a geographis exordiar, Claudius Ptolemæus, qui sub Hadriano et Marco Aurelio Antonino scripsit :* Pars vero regionis, *inquit* (2), quæ circa Rhenum est, a mari ad Obringam fluvium inferior Germania appellatur;... quæ vero ab Obringa fluvio versus meridiem extenditur regio, Germania superior appellatur; *et utrique suas assignat civitates. In Periplo Marciani Heracleotæ integrum caput est* de Belgica cum Germania superiori et inferiori (3). *Dioni, qui sub Alexandro Severo libros suos edidit, non minus nota utraque Germania* (4) :

C superior, quæ a Rheni fontibus incipit; inferior quæ ad Oceanum Britannicum usque porrigitur. *Tacitus, qui aliquanto antiquior est, meminit ad annum Christi* 69 (5) superioris Germaniæ legiones, rupta sacramenti reverentia, imperatorem alium flagitasse; *et inferius* (6) superioris Germaniæ *et* inferioris Germaniæ; *neque Plinio Secundo omnino ignota hæc divisio* (7).

non tantum pertinebat ad geographiam et rem militarem, sed etiam ad administrationem civilem præsidum et procuratorum;

27 *Sed non multis abhinc annis orta est nova controversia, utrum scilicet ambæ Germaniæ ab initio provinciæ singulares fuerint, an vero diœceses tantum seu tractus militares sub uno præside Belgicæ, quacum unam confecerint provinciam. Quam quidem rem, quantum ad argumentum nostrum pertinet, uno verbo conficere possem, quum ii, qui posteriorem sententiam tueantur, statuant a Diocletiano, a quo (ut Lactantius* (8) *tradit)* provinciæ in frusta concisæ, *Germanias in duas singulares provincias erectas esse, id est medio sæculo ante concilium Coloniense; veruntamen placet breviter eam rem expedire, quoniam divisiones Galliarum politicæ in rite explicandis sedium episcopalium exordiis multum momentum habent. Licet itaque summi viri in alias partes abiverint, plane manifestum videtur Diocletiani temporibus multo antiquiorem hanc fuisse partitionem. Germanias porro, sive singulares fuerint provinciæ, sive pars Belgicæ, imperatori subfuisse in confesso est, quum omnes Galliarum provinciæ, non senatus, sed cæsaris fuerint. In hoc autem provinciarum genus destinabantur* proprætores, *militari, juridica et civili potestate muniti; qui et* legati *appellabantur, et* legati augusti *seu* augustales, *et* legati proprætores *seu* prætorii (9); *quin etiam, ut diversis temporibus,* præfecti provinciæ, præpositi provinciæ, curatores, correctores, rectores, moderatores, præsides, *et sequiori ævo* juridici, judices, cognitores. *Minoribus provinciis* procuratores *præfuisse testatur Tacitus* : Duæ Mauritaniæ, *inquiens* (10), Rhætia, Noricum, Thracia et quæ aliæ procuratoribus cohibentur. *Hoc tamen nomine fiscale officium plerumque indicabatur; quod in provinciis senatus participabant quæstores, in provinciis cæsaris soli exercebant procuratores. Singuli passim in singulis provinciis; aliquando tamen duo; sæpius vero unus procurabat provincias plures : cujus rei exemplis libri pleni sunt. In provinciis cæsaris, quum e vivis recessissent proprætores, penes procuratores fiebat omnis potestas : qui quotiescumque summam in provinciis auctoritatem nanciscebantur,* procuratores vice præsidis *dicebantur,* procuratores cum jure gladii, procuratores et præsides, procuratores et prolegati, *et nude nonnumquam* procuratores. *Proprætorum autem, procuratorum atque aliorum omnium, qui in provinciis administrandis habebant partem, rationes et officia singulari cura post alios bene multos explicuit nobilissimis vir Gottlieb von Ankershoven* (11). *At vero in monumentis, Diocletiano longe vetustioribus, non solum nomine* provinciarum *donantur ambæ Germaniæ, sed* legati *et* proprætores *ad eas* mitti, *eis* præesse *aut eas* gubernare *dicuntur; quibus luculentum sit earum partitionem non in mero imperio militari positam esse. Documenta, quæ ad singulorum cæsarum principatum pertineant, ordine recenseamus.*

D

E

F

ut ostenditur per regna ex historicis

28 Ipsis *porro* Julii Cæsaris temporibus *aliam fuisse jurisdictionem in Germania, aliam in Belgica, ita ut duæ provinciæ essent, constat testimonio Ammiani Marcellini :* Regebantur autem, *inquit* (12), Galliæ omnes, jam inde uti crebritate bellorum urgenti cessere Julio dictatori, potestate in partes divisa quatuor : quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat et Lugdunensem; altera Aquitanis præerat universis; superiorem et infe-

(1) Ap. D. Bouquet, Recueil des historiens, tom. I, pag. 564. — (2) Ibid. p. 78. — (3) Ibid. p. 93. — (4) Ibid. p. 520. — (5) Hist. lib. I, cap. 12, ibidem, p. 427. — (6) cap. 53, p. cit. — (7) Hist. natur. lib. IV, cap. 17, ibid. p. 56. — (8) De morte persecutorum, cap. VII. — (9) Eckhel, Doctrinà numorum, tom. IV, p. 234 et seqq. — (10) Hist. lib. I, cap. 11. — (11) Handbuch der Geschichte des Herzogsthumes Kärnten vor und unter der Römerherrschaft, p. 347 et seqq. — (12) Lib. XV, cap. 11, ap. D. Bouquet, tom. I, p. 546.

riorem Germaniam, Belgasque duæ jurisdi-
A ctiones iisdem rexere temporibus. *Quæ quidem verba multis tentata fuerunt modis; sed incassum. Verum paulatim provinciarum numerus crevit, maxime ad septentrionem, ubi hostiles impetus magis reformandi erant. Sub ipso itaque Augusto videtur Germania in duas divisa fuisse provincias, quibus tum primum superioris et inferioris vocabula accesserint. Et quidem* AD ANNUM CHRISTI 14, *quum vix obierat Augustus et imperii habenas capessivisse Tiberium nondum in Galliis innotuerat :* Duo apud ripam Rheni, *inquit Tacitus*, (1), exercitus erant : cui nomen superiori, sub C. Silio LEGATO ; inferiorem A. Cæcina curabat. Regimen summæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum censum tum intentum : *cujus suprema auctoritate et extraordinaria legatione neque præfecti prætorio Galliarum, neque provinciarum præsidum potestas sublata erat* (2). *Pergens dein Tacitus militum seditionem in finibus Ubiorum seu in Germania inferiore narrare :* Nec LEGATUS, *inquit*, obviam ibat... Septimius cum perfugisset ad tribunal et pedibus Cæcinæ advolveretur *etc.; Cæcina itaque* legatus *inferioris Germaniæ*
B *aperte dicitur, ut Silius superioris.* AD ANNUM CHRISTI 21, *imperatore Tiberio,* Turonii, *ait Tacitus* (3), legionario milite, quem Visellius Varro, INFERIORIS GERMANIÆ LEGATUS, miserat, oppressi. AD ANNUM 28, *eodem imperatore :* Quod ubi L. Apronio, *ait iterum Tacitus* (4), INFERIORIS GERMANIÆ PROPRÆTORI cognitum. AD ANNUM 47, *imperatore Caligula* : CHAUCI, *inquit ille idem* (5),... dum Corbulo adventat, INFERIOREM GERMANIAM incursavere... At Corbulo, PROVINCIAM ingressus, triremes alveo Rheni... adegit. AD ANNUM *demum* 59, *Nerone imperatore :* Quietæ, *ait idem* (6), ad id tempus res in Germania fuerant ingenio ducum.... Paullinus Pompejus et L. Vetus ea tempestate exercitui præerant. Ne tamen segnem militem adtinerent, ille... aggerem coercendo Rheno absolvit : Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter utramque fossa, connectere parabat... Invidit operi Ælius Gracilis Belgicæ legatus... Cæterum continuo exercituum otio fama incessit ereptum jus LEGATIS DUCENDI IN HOSTEM... Dubius Avitus, accepta a Paullino PROVINCIA,...
C perpulit Verritum... preces suscipere. *En itaque tres legati, Pompejus Paullinus Germaniæ inferioris, Vetus superioris, Gracilis Belgicæ; quin et Avitus, qui in provincia Germaniæ inferioris Paullino successit. Præterea quatuor in Historiis* (7) *locis* superiorem Germaniam *Tacitus commemorat, tamquam finibus suis distinctam.* AD ANNUM CHRISTI 69, *Galba imperante* Aulus Vitellius L. filius imperator... a Galba in INFERIOREM GERMANIAM contra opinionem MISSUS *est; verba sunt Suetonii* (8). *Qui idem* SUB ANNUM CHRISTI 69 : *Domitianus* bellum civile, *inquit* (9), motum a L. Antonio, SUPERIORIS GERMANIÆ PRÆSIDE, confecit absens. SUB ANNUM CHRISTI 180, *imperante Commodo, Didius Julianus*, (10) Annal. lib. I, cap. 31. — (2) Cfr Sanclementius, de Æræ christianæ emendatione, p. 444 et seqq. — (3) Annal. lib. III, cap. 41. — (4) Ibid. lib. IV, cap. 73. — (5) Ibid. lib. XI, cap. 18. — (6) Ibid. lib. XIII, cap. 53. — (7) Hist. lib. I, capp. 12, 50 et 53; lib. IV, cap. 70. — (8) Lib. VII, Vitellius, num. 2 et 7. — (9) Lib. VIII, num. 6. — (10) In Didio Juliano, cap. I. — (11) Roulez, Magistrats romains de la Belgique, p. 24. — (12) Masdeu, Historia critica de España, t. V, p. 458. — (13) Zell, Delectus inscriptionum romanarum, num. 1599. — (14) Steiner, Codex inscript. rom. Rheni, num. 446. — (15) Ibid. num. 788. — (16) Gruterus, inscript. p. CCCCLVII, 6. — (17) Muratori, Inscriptiones, p. DCCXIX, 2. — (18) Steiner, Codex inscript. p. 71. — (19) Masdeu, Historia critica, tom. V, p. 493 et seqq. — (20) Muratori, Inscript. p. DCCXCI, 7. — (21) Ibid., p. DCCLXIII.

nus, qui non multo post imperium nactus est, teste Ælio Spartiano (10), post præturam legioni præfuit in Germania XXII primigeniæ. Inde Belgicam sancte ac diu rexit... Inde Dalmatiam regendam accepit... Post, GERMANIAM INFERIOREM rexit. AUCTORE V. D. B.

29 *Quibus accedunt complures tituli; quorum primus positus fuit sub Hadriano circa an.* 130 A. PLATORIO A. F. NEPOTI *consuli* AVGVRI LEGATO AVG*usti* PRO PRÆ*tore* PROVINC*iæ* BRITANNIÆ LEGATO PRO PRÆ*tore* PROVINC*iæ* GERMAN*iæ* INFERIOR*is etc.* (11); *secundus eodem fere erectus tempore* L. DOMITIO GALLICANO PAPINIANO C. V. LEG. AVG. PR. PR. PROVINCIÆ GERMANIÆ INFERIORIS LEG. AVG. PR. PR. *provinciæ Hispaniæ citerioris* LEG. AVG. PR. PR. DALMATIÆ *consuli* DES*ignato* (12); *tertius, medio sæculo* II, *imperante Antonio Pio,* L. DASVMIO... LEGATO PRÆ*torio* PROVINCIARUM GERMANIÆ SVPER*ioris* ET PANNONIÆ (13); *quartus eodem fere tempore* CL. ÆLIO POLLIONI LEG. AVG. PRO PRÆ*tore germaniæ superioris* PRÆSIDI INTEGERRIMO (14); *quintus alteri legato augustali pro prætore* GERMANIÆ INFER*ioris* ITEM HISPANIÆ CITER (15); *sextus* L. POPILIO LEGATO IMP*eratoris* CÆS*aris* ANTONINI AVG*usti* PII PROPRÆTORI GERMANIÆ SVPER*ioris* ET EXERCITVS IN EA TENDENTIS (16). *Septimus* L. MARIO MAXIMO PERPETVO AURELIANO C. V. PRÆSIDI PROVINC*iæ* GERMANIÆ INFER*ioris* (17) *Octavus, quem Æsculapio* L. CALVINIANVS LEG*atus* LEG*ionis* I *Minerviæ piæ fidelis* LEG*atus augusti* PRÆ*torius* PROVINCIÆ *germaniæ inferioris* DEDICAVIT (18); *nonus, positus* C. CÆSONIO C. F. QVIR. MACRO RUFINIANO... COMITI IMP. SEVERI ALEXANDRINI AVG... LEG*ato* AVG*ustali* PRO PRÆ*tore* GERMAN*iæ* SVPERIORIS (19); *et decimus tandem, perperam (ut videtur) descriptus :* COCIAVIO TIDIO... PRISCO LEG*ato* CONSVLARI PROVINC*iæ* GERM*aniæ* SVPERIORIS (20). *Quæ adeo manifesta sunt ut bene multa verba ab eo, qui eis alibi semper inest, sensu detorquenda sint et ut uni vocabulo in eadem pericope duplex significatus tribuendus sit, si velis v. g. Plætorium pro prætore provinciæ Britanniæ fuisse et pro prætore exercitus, ne in provincia quidem, sed in tractu militari, perperam vocato provincia, Germaniæ inferioris; et sic deinceps.* *et ex titulis lapideis :*

30 *Quid autem adversum hæc? Omnibus illis* legatis augustalibus, proprætoribus, prætoriis et præsidibus provinciarum *Germaniæ superioris et inferioris militare dumtaxat fuisse imperium; exstare fragmentum lapidis, positi* AVGVRI. LEG*ato* PRO PRÆ*tore* EXERC*itus* GERM*aniæ* INFER*ioris* LEG*ato* PRO PRÆ*tore* PROVINCIÆ AQVITANICÆ (21); *et superius visum esse L. Popilium,* legatum imperatoris *et* proprætorem Germaniæ superioris et exercitus in ea tendentis. *Verum enim vero res hæc nil difficultatis habere videtur. Utrumvis statueris, ex Belgica et ambabus Germaniis unam provinciam constitisse aut tres discretas fuisse provincias, hoc ex primo lapide liquet aliquando proprætorem exercitus Germaniæ inferioris fuisse, qui non esset præses provinciæ; nec quidquam profecto aliud:* *argumenta contraria breviter diluuntur.*

utrumque

AUCTORE V. D. B.

ex altero autem lapide idem institutum temporibus Antonini Pii obtinuisse, ita tamen ut utrumque officium, proprætoris scilicet Germaniæ superioris et proprætoris exercitus, qui illuc tenderet, penes Popilium esset. Quod plane mirandum non est. Ut enim sæpe turbatis temporibus plurium provinciarum exercitus unius ducis aut præfecti imperio suberant (1) *(quod fieri non poterat quin præsidum militare imperium pene cessaret,) sic quoque in finitimis et irrequietis provinciis nonnumquam aderant causæ ut, civilibus et juridicis negotiis proprætore seu præside distento, singularis assignaretur proprætor exercitui. Quæ tamen auctoritatis partitio non prius perennis facta est, quam Constantinus, sublato præfectis prætorio militari imperio, in provinciis alium* ducem *esse voluit et alium* præsidem (2). *Sed Plinius ita scripsit quasi una tantum esset Germania, nequaquam divisa :* Cum (*Trajanus*) Germaniæ præsideret, *inquiens* (3); *itemque passim Dion Cassius; quippe qui meminit triumphi* Γαιου Σεντιου του της Γερμανιας ἀρχοντος (4); *et Quintilii Vari, qui* μετα την των Συρων ἀρχην, την τε ἡγεμονειαν την Γερ-
B μανιας λαῶν και τα παρ' ἐκεινοις ἐκ της ἀρχης διοικων, *causa rebellionis fuit* (5)*; et suspicionum Tiberii, metuentis* και τον Γερμανικον, τον τοτε Γερμανιας ἀρχοντα (6)*; et vesanæ crudelitatis Caligulæ, qui* Γαιτουλικον Λεντουλον, και της Γερμανιας δεκα ἐτεσιν ἀρξαντα, ἀπεκτεινεν (7)*; et Rufi, qui,* ἀρχων της Γερμανιας, *adversus Vindicem, purpura in Galliis post Neronis mortem indutum, movit copias* (8)*; et Antonii cujusdam, qui,* ἐν Γερμανια ἀρχων, *contra Domitianum insurgere ausus est* (9)*; et M. Ulpii Nervæ Trajani, postea imperatoris, de quo scripsit :* Ἠρξε δε της Γερμανιας ἐκεινος. *Sed quod nude* Germaniam, *non definientes utrum ambas provincias an alterutram significatam vellent, dixerint Plinius et Dion, causa esse videtur quod aut de extraordinaria legatione, ut de Germanico plane constat, scriberent, aut quod negligentius loquerentur, ut apparet in Rufo; nam paulo ante Dion, alterius Rufi et Procli Scriboniorum miseram enarrans sortem, tradit quod* τας Γερμανιας δε ἀμφοτερας ἐπι πολυ ἀμα διωκησαν (10)*; ita certe ut alter inferiorem, alter superiorem gubernaret.*

Sæculo IV *loco Germaniæ* superioris *et* inferioris *dicebatur* prima *et* secunda.

31 *Restat autem id unum quod in concilio Coloniensi Germania* inferior *non dicitur, sed Germania* secunda; *quam vocem hactenus non offendimus. Occurrit in titulo, erecto* TIB. CL. CANDIDO COS.... PROC*uratori* XX^{æ} HEREDI*tatum* PER GALLIAS LVGDVNENSEM ET BELGICAM ET VTRAMQUE GERMANIAM PRÆPOSITO COPIARVM EXPEDITIONIS GERMANIÆ SECVNDÆ; *quem initio sæculi* II *vixisse consentiunt* (11). *Sed in melioribus exemplaribus* (12) *legitur :* Expeditionis germanicæ secundæ; *quo sensus plane mutatur. Quidni fatebor verba :* Germania prima *et* Germania secunda *sæculo* IV *non videri antiquiora? Sed hoc ipso sæculo, ut ex Ammiano Marcellino, qui concilio Coloniensi coævus fuit, liquet, dicebatur* Germania secunda. *Accipe verba* (13) : Indicabat autem, *nuntius scilicet,* Coloniam Agrippinam, ampli nominis urbem in secunda D Germania, pertinaci barbarorum obsidione reseratam. *Mitto titulum libri S. Hilarii de Synodis, in quo* Germania I *et* II *item occurrit : controversia enim est an genuinus sit. Sed Notitiam provinciarum et civitatum, editam a Sirmundo, Libellum provinciarum et Notitiam dignitatum, quæ non multo posteriora sunt, nolim præterire : in quibus omnibus* Germania secunda *legitur* (14). *Manifestissimum itaque est Germaniam in duas sectam fuisse partes, aut Augusto aut Tiberio imperatore, alteram dictam superiorem, alteram inferiorem ; et medio sæculo* IV *vocabulum* Germaniæ secundæ *fuisse in usu.*

Quod concilio Coloniensi interfuisse leguntur Simplicius Augustodunensis, Desiderius Lingonensis, Dyscolius Remensis, Valentinus Arelatensis

32 *Sed cum episcoporum catalogis convenire non possunt quæ concilio Coloniensi adscripta leguntur nomina! Quod argumentum ita adornant : falsario præluxisse exemplar synodi Sardicensis, in quo adhuc legerentur præsentium episcoporum et sedium nomina; ex quo tamen evanuissent aliquot vocabula geographica; hæc a pessimo viro ex ingenio addita fuisse : adeoque Simplicio assignatam ab eo fuisse cathedram Augustodunensem, licet Simplicius Augustodunensis integro sæculo post vixerit; (quasi vero non potuerint duo cognomines in eadem cathedra sedere, centum annorum spatio separati;) neque ei locum esse in serie episcoporum Augustodunensium; (quasi inter S. Cassianum, qui circa annum* 340 *obiverit, et S. Hegemonium, qui ad annum fere* 370 *vixerit* (15)*, spatium triginta annorum non satis pateat ut Simplicii et Hegemonii episcopatus interponatur;) obstare ætatem S. Desiderii Lingonensis, qui sæculo* III *aut* V *obierit; sed nil plane de eo scitur nisi quod episcopus Lingonensis fuit, a barbaris occisus :* cætera omnia, *ajunt Galliæ Christianæ auctores* (16), incerta; *Arelate tum episcopum fuisse Saturninum, non autem Valentinum, qui in concilio Coloniensi legatur; sed in Gallia Christiana* (17) *hoc assertum confutatum vide; Dyscolium, Remorum episcopum, qui in Coloniensis concilii* (18) *Actis legatur, ignotum fuisse Flodoardo et exclusum ab Ebbone, quippe qui dicat S. Donatianum* septimum *fuisse Remorum episcopum, qui, interposito Dyscolio, octavus fuerit : sed nonne, quod jam monui, Liberianus Romanorum pontificum catalogus hiulcus est,* F *annis ita ordinatis ut v. g. S. Zephyrino locus non sit? Nonne diu unus ex Dagobertis regibus Francorum ignoratus? Nonne quotannis in monumentis lapideis novi reperiuntur consules? Quid hoc argumento, maxime quum desint coævi biographi, debilius?*

et Superior, Nerviorum episcopus, absentibus episcopis Novempopulanis et Aquitanis, nihil officit.

33 *Sed et Superior,* Nerviorum *episcopus, difficultatem facessit : in nullis enim antiquis catalogis cathedram Nerviorum venire; eam quidem a Wendelino constitui Bavaci, sed sine vade. Verum quod alii* Nerviorum *episcopi non memorantur, egregium indicium est nullius falsarii manum hic intervenisse, quippe qui diœceseon nomina, suo tempore nota, induxisset. Et quidem, etiamsi concilii Coloniensis auctoritas abesset, plane verisimile foret sæculo* IV, *quum*

(1) Cfr Ankershoven, Handbuch, etc. etc. p. 355, et app., p. 108 et 109. — (2) Ibid., p. cit. — (3) Panegyric., cap. 9. — (4) Lib. LV, Cæsar Augustus, p. 567 et 568, edit. 1606. — (5) Ibid., lib. LVI, p. 582. — (6) Lib. LVII, Tiberius, p. 603. — (7) Lib. LIX, Caligula, p. 657. — (8) Lib. LXIII, Nero, p. 725. — (9) Lib. LXVII, Domitianus, p. 764. — (10) Lib. LXIII, Nero, p. 722. — (11) Masdeu, Historia critica, tom. V, p. 449. — (12) Florez, España Sagrada, tom. XXIV, part, II, p. 448 et seqq. Roulez, Magistrats romains de la Belgique, p. 38. — (13) Amm. Marcellinus, lib. XV, cap. 8. — (14) Cfr D. Bouquet, Recueil, tom. I, p. 123, 124 et 128. — (15) Acta SS., tom. II Augusti, p. 63. — (16) Gallia Christ., tom. IV, col. 510 et seqq. — (17) Ibid., tom. I, col. 523 et 524. — (18) Acta SS., tom. VI Octobris, p. 491.

in

A *in Romanorum terris mirum in modum propagaretur christiana religio, inter Nervios fuisse episcopum : immensum enim extendebatur eorum regio, triplo major hodierna diœcesi Tornacensi ; atque a Romanis plurimum habitata erat, quum etiam nunc in illa plaga, licet Franci seu Theutones illic regnum suum multos annos constituerint, lingua gallica sola usurpetur. Quod autem additur concilio Agrippinensi seu Coloniensi nullos interfuisse episcopos provinciarum Novempopulanæ et Aquitanæ I et II, ludicrum est ; quidni omnes Hispani adfuerunt, omnes Itali, omnes Africani, etc. ? Sed id indicium est confictum fuisse Agrippinense concilium sæculo* VIII, *quum illis provinciis dux præsset : apage ! quis tandem inanium suspicionum et conjecturarum finis ?*

§ VI. Quod concilium Coloniense celebratum est die dominica, an propterea falsum dicendum sit. Qua hebdomadæ die incoharentur concilia.

B *Alii volunt concilia olim de more celebrata fuisse die dominica, alii feria* II ; *sed ambo perperam.*

Superest tandem unum argumentum, quod cæteris firmius non est, sed cujus usus latissime patet ; quin etiam fatebor me olim eo aliquando nixum esse, quum tamen plerumque ei vis insit nulla. Versatur id autem in die hebdomadæ, qua concilia celebrari solerent : aliis universim affirmantibus concilia indicta fuisse in diem dominicam (1) ; *aliis in diem lunæ seu feriam II* (2) ; *aliis demum primis sæculis in feriam II, postea autem in dominicam : quo argumento, (quod in ordinationibus episcoporum et presbyterorum certe valet,) passim utuntur critici, in componendis conciliorum, quibus anni certi adscripti non sunt, temporibus aliisque id genus rebus. Sane si de uno sancto* Amando *Argentoratensi aut Coloniensi concilio disputatio esset, absolvi posset paucis verbis controversia : quum alii concilii hujus sinceritatem tueantur, quoniam die dominica habitum esse legitur ; Binterimius eam neget, quoniam tum nonnisi feria II concilia coire solerent : brevissime enim ostendi posset sæculo* IV *et die dominica ea fuisse congregata, et feria II atque aliis etiam hebdomadæ diebus ;*

C *neque ullam statam fuisse generali lege hebdomadæ diem. Sed norma hæc chronologica aliquando ex historia ecclesiastica penitus excludenda est.*

Legibus conciliaribus aliisque similibus Orientis,

35 *Quod itaque Binterimius* (3) *affirmat in antiquis Ordinibus celebrandi concilium sacros episcoporum conventus juberi fieri feria II, nedum ullis monumentis fulciatur, cum veteribus ecclesiasticis decretis prorsus pugnat. Quæ placet ex canonum collectionibus et liturgicis libris recitare, quippe quæ multo magis in usu fuerint quam singularium conciliorum documenta. In Codice itaque canonum ecclesiasticorum et constitutorum sanctæ sedis apostolicæ, omnium vetustissimo, quem Ballerinii præclaro studio in lucem dederunt, primo capite, quo canones Nicæni concilii I contineri dicuntur, titulus IX de synodo bis in anno per unamquamque provinciam celebranda in hæc desinit verba* (4) : Fiant autem concilia semel quidem ante dies quadragesimæ ;... secundo vero circa tempus autumni ; *capitulo autem LIX, quo concilium Antiochenum concluditur, num.* 20 *legitur* (5) : Sufficere visum est bis in anno per singulas provincias episcoporum concilium fieri : primo quidem post tertiam hebdomadam paschalis festivitatis ; ut in quarta hebdomada quæ consequitur, id est, mediæ Pentecostes *, concilium compleatur... Secundum vero concilium idibus octobris habeatur ; qui dies apud græcos hyperberetæi mensis decimus invenitur : *qui dies cum omnibus hebdomadæ feriis concurrere poterat.*

AUCTORE V. D. B.

* *alii* media Pentecoste

ecclesiæ Romanæ et Carthaginensis,

36 *In Collectione canonum ecclesiæ Hispanæ, quæ anno* 1808 *primum lucem adspexit, reperiuntur canones iidem, nisi quod posterior semel concilio Antiocheno, semel concilio Regiensi, medio sæculo* V *celebrato, adscriptus est* (6). *Ibidem inter Epistolas decretales venit num. LXIII S. Leonis papæ ad episcopos Siciliæ epistola, ubi num.* 7 *hæc habes verba* (7) : Terni semper ex vobis ad diem tertium kalendarum octobrium Romam fraterno concilio sociandi indissimulanter occurrant. *Quum autem propter paupertatem episcoporum et itinerum longitudinem paulatim invaluisset, indulgentibus conciliis, ut episcopales cœtus nonnisi semel quotannis celebrarentur,* placuit *concilio Carthaginensi V* ut dies concilii V calendas novembris servaretur, et scribendum ad singularum quarumque provinciarum primates ut, quando apud se concilium congregarent, istam diem non impedirent (8) ; *in concilio autem Hipponensi X kalendas septembris statutus est* (9).

E

itemque Hispanæ certis mensis diebus et incertis hebdomadæ

37 *Contra concilium Toletanum III* præcepit ut judices locorum vel actores fiscalium patrimoniorum ex decreto gloriosissimi domini *Recaredi* simul cum sacerdotali concilio autumnali tempore die calendarum novembrium in unum convenirent (10). *Similiter concilio Toletano XII* placuit ut juxta priorum canonum instituta episcopi singularum provinciarum annis singulis in quacumque provincia calendis novembribus concilia celebraturi convenirent ; quisquis autem in prædictis calendis novembribus pro celebratione synodi venire distulisset, excommunicatione debitæ subjaceret (11). *Quod* priorum canonum instituta *revocantur in memoriam, ratio est quod ab eis recessum fuerat. Concilium enim Toletanum IV hanc legem tulerat* (12) : Quintodecimo autem calendarum juniarum congreganda est in unaquaque provincia synodus propter vernale tempus, quando herbis terra vestitur et pabula germinum inveniuntur ; *magno enim famulorum et equorum comitatu accedebant ad synodos episcopi et nobiles. Sed neque id diu placuerat, et concilium Toletanum XI statuerat* omni anno peragendam celebritatem concilii in metropolitana sede tempore, quo principis vel metropolitani electio definierit (13) ; *quæ concilii Arelatensis II disciplina erat* (14). *Atque*

F

(1) Mansi, Notæ in Annales Baronii, ad annum 662, not. 1. — (2) Garnerius, Dissert. de synodo V, cap. V, § 2, in Theodoreti Opp., tom. V, part I, p. 543, edit. Hallensis, 1774 ; Pagius, Critice in Annales Baronii, ad an. 374, num. 9 ; Binterim, Deutsche Concilien Geschichte, tom. I, p. 190 ; Van Hecke, Acta SS. tom. V Oct. auctar. p. 47. — (3) Geschichte der Deutsche Concilien, tom. I, p. 380. — (4) Migne, Patrologia latina, tom. LVI, col. 392. — (5) Ibid., col. 711 et 712. — (6) Collectio canonum ecclesiæ Hispanæ, col. 47 et 216. — (7) Ibid. Epist. decret. p. 100. — (8) Ibid. col. 156. — (9) Codex canonum Eccl. Afric. num. 73, ap. Labbe, Concilia, tom. II, col. 1095. — (10) Collectio canonum Eccl. Hispanæ, col. 353. — (11) Ibid. col. 501. — (12) Ibid. col. 366. — (13) Ibid. col. 484. — (14) Ibid. col. 201.

hi

AUCTORE V. D. B.

hi omnes canones continentur antiquissima illa canonum collectione, sed sparsim. Ibidem vero uno titulo, qui est de tempore celebrandi concilii comprehenduntur in altera collectione hispana, quam ad S. Isidori Hispalensis ætatem referunt, sed potius Silvester Pueyo, Barbastrensis canonicus, sæculo superiori ad corporis juris canonici normam disposuit (1).

fieri debebant concilia; aut feria III *aut in natali consecrationis episcoporum.*

38 *Quæ vero recitavi decreta, ex antiquissimis deprompta collectionibus, ea in Gallia, Anglia, Germania et partim etiam in Oriente nota. Atqui quum* idus octobres, tertia kal. octobres, quinta kal. novembres, decima kalendas septembris, kalendæ novembres, quintadecima kal. junias *certæ anni dies sint, quæ in omnes hebdomadum ferias incidant, manifestum est nullam feriarum rationem habitam fuisse. Quin etiam in Ordine celebrandi concilium VII seu Burdegalensi ad finem hæc addita sunt* (2): Synodus hyemalis celebratur et colitur die martis ante festum apostolorum Simonis et Judæ, nisi mutetur. Et synodus paschalis die martis post dominicam in qua cantatur *Jubilate*. Et hæc facta fuerunt in dicto loco (*in* B *monasterio S. Romani seu S. Salvatoris de Blavia, quæ secunda sedes est in diœcesi Burdegalensi*), et præsentibus supradictis, et multis aliis, anno Domini 1003, in synodo paschali. *Quibus adde moris etiam fuisse ut Romanus pontifex atque etiam metropolitæ in die suo natali seu aniversario consecrationis suæ concilia celebrarent. Sic S. Hilarus papa in epistola ad episcopos diversarum provinciæ Galliæ meminit de* numeroso concilio et ex diversis provinciis ad diem natalis *sui* ad honorem beati Petri apostoli per Dei gratiam congregata (3); *et in epistola ad episcopos provinciæ Tarraconensis de* conventu fratrum quos natalis *sui* festivitas congregarat (4); *quem quidem natalem in proximum diem dominicum relatum fuisse deprehendere sibi visus est Augustius* (5) *ex epistola S. Leonius* LXXXI, *apud Quesnellium* XI, *nunc autem* IX; *verum ibi non agitur de natali seu die anniversario consecrationis, sed de ipso consecrationis die. Neque hæc itaque concilia certo hebdomadæ diei annexa erant.*

Quoniam extremo sæculo VII *a concilio Toletano introductum est ut tribus primis synodorum diebus jejunaretur seu litaniæ fierent,*

39 *Plus momenti in jejuniis et litaniis, quæ etiam pœnitentiæ rationem habebant, positum esse primo conspectu videtur; quum nefas esset diebus dominicis et festis jejunare, quibus idcirco, etiam litaniæ fieri non solebant. Atqui in Ordine* II *celebrandi concilium, quem ex vetusto Floriacensi codice edidit Martenius* (6), *exordiendum esse præcipitur a* tribus diebus litaniarum, *quibus nonnisi de rebus divinis episcopi collationem habeant. Quæ nituntur concilii Toletani* XVII *decreto* I, *quod ad finem sæculi* VII, opportune instituendum credidit in initio totius adunationis ut trium dierum spatiis percurrente jejunio de mysterio sanctæ Trinitatis aliisque spiritualibus inter *episcopos* haberetur collatio (7). *Similiter in tertio Ordine, deprompto ex codice S. Martialis Lemovicensis* (8), *litaniæ et psalmi jubentur cantari tribus primis diebus; qui in Ordine* VI *seu Bisuntino* D tres dies litaniarum *dicuntur* (9). *Non aliter in vetere formula celebrandi concilii provincialis in ecclesia Rothomagensi, edita a Mabillonio* (10), *et in formula habendi concilii generalis inserta in Ordine cardinalis Cajetani* (11), *in quibus prima die litaniæ recitari jubentur. Item in Constitutionibus ecclesiæ Claromontensis anni* 1268 districte præcipitur sacerdotibus ut jejuni intrent synodum; *et similiter in Statutis synodalibus Meldensibus,* ut rasi coronam et jejuni intrent synodum, sub pœnis a jure statutis (12). *Non aliter legitur in Ordine quomodo initianda sit synodus, in synodo Bajocensi anni* 1300 *usurpato* (13). *Quod jejunium etiam ultra Rhenum notum; nam in Germania* (14) *hæc occurrunt:* Et admonendi sunt ut nullus ad synodum veniat non jejunus vel a cœtu communi secedat, antequam generalis secessio adveniat. Et sic quoque synodus primi diei solvatur.

et antea aliquando, maxime in Græcia, ante conciliorum initia jejunabatur,

40 *An itaque inde sequitur concilia numquam celebrata fuisse nisi tres primi dies in dominicam non inciderent? Nequaquam. Imprimis triduani illius jejunii origo non ita antiqua est, quum ad extremum sæculum* VII *referenda sit. Antea alia jejunii ratio aliquando observata fuerat etiam in Occidente, ut patet ex synodo nationali Toletana* III, *quæ* die VIII iduum majarum era 627, *id est anno Christi* 589, *die dominica,* habita est. *Quum enim Recaredus rex* omnes regiminis sui pontifices in unum convenire mandasset, *eos* admonuit pariter et exhortatus est jejuniis et vigiliis operam dare, ut ordo canonicus divino *eis* rursus dono patefieret. Ad hæc autem gratias Deo agentes et religiosissimo principi, universo concilio in laudibus acclamante, triduanum est exinde prædicatum jejunium. Sed quum die octava iduum majarum in unum cœtum Dei sacerdotes adessent,... ecce *iterum* in medio eorum adfuit serenissimus princeps (15), *atque tunc* POST *præmissum triduanum jejunium concilium incohatum est. Quod licet sine certa lege, sed pio animi motu susceptum sit, exempli tamen auctoritate non carebat. Quum enim Paulus et Barnabas, ut in Actibus apostolorum, cap.* XIII, 1 *et seqq., legitur, segregati fuere, celebratum est Antiochiæ qualecumque concilium, a qua jejunii religio non abfuit. Quam primis sæculis dili-* F *genter custodierunt Græci. Testis est Tertullianus:* Aguntur, *inquiens* (16), præcepta per Græcias illas certis in locis concilia ex universis ecclesiis; per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quam dignum, fide auspicante, congregari undique ad Christum!... Conventus autem illi, stationibus PRIUS et jejunationibus operati, dolere cum dolentibus et ita demum congaudere gaudentibus norunt. *Sed hæc nequaquam valuerunt ut umquam in ecclesia latina firma lege aut præcepto institutum fuerit, ut triduanum ante concilia jejunium observaretur. Quare lubens fateor hæc a*

(1) Collectio maxima conciliorum Hispaniæ, part. I, p. 520 et seqq. Cfr p. 518 et 519. — (2) De antiquis ecclesiæ ritibus, tom. III, p. 401. (3) Maurini, Conciliorum Galliæ collectio, tom. I, col. 605. — (4) Ibid. not. 3. — (5) Handbuch der christlichen Archäologie, tom. I, p. 589. — (6) De ant. eccl. ritibus, tom. III, p. 401. — (7) Collectio canonum ecclesiæ Hispanæ, col. 590. — (8) De antiquis, etc., tom. III, p. 404. — (9) Ibid., p. 410. — (10) Analecta, p. 227. — (11) Musæum Italicum, t. II, p. 395. — (12) Cfr Benedictus XIV, de Synodo, lib III, cap. 11, num. 1. — (13) Labbe, Concilia, tom. XI, col. 1450. — (14) Hartzheim, Concilia Germaniæ, tom. III, p. 15. — (15) Collectio canonum ecclesiæ Hispanæ, col. 337. — (16) Adversus Psychicos, edit. Pamelii, p. 1181.

me

A *me exempla in Commentario de S. Fromundo, episcopo Constantiensi in Normandia, ad diem* 24 *octobris* (1), *justo latius extensa fuisse et perperam a me fuisse traditum hoc triduanum jejunium in Occidente* ANTE *conciliorum initia servari fuisse solitum : nam, ut patet, licet aliquando præmissum fuerit, mos tamen numquam fuit ut præmitteretur. Valuit autem concilii Toletani* III *exemplum, ut centum annis post communis lex de triduano jejunio in concilio Toletano* XVII *ferretur, quæ paulatim ad alias regiones propagata fuit; qua tamen lege præceptum non fuit ut ante conciliorum celebrationem, sed ut initio eorumdem servaretur triduanum jejunium. Nec quidquam ante posterius hoc concilium, quod anno* 694 *habitum est, uspiam de agendo hoc jejunio præscriptum fuisse reperi : ita ut indictio conciliorum usque ad hunc annum plane libera fuerit ab hac jejunii et litaniarum lege et ecclesiastici conventus incipi potuerint quacumque hebdomadæ die.*

Inde tamen nonnisi rare definiri potest qua hebdomadæ die concilia incohata fuerint.

41 *Verum licet in Occidente conciliorum Toletanorum maxima fuerit auctoritas, quum tamen hæc de triduano jejunio lex in Formula seu Ordine celebrandi concilium, in concilio Toletano* IV *anno* 633 *confecto passimque recepto, non contineretur, nil mirum si illud jejunium ubique curatum non sit; neque in Oriente videtur umquam hæc jejunii ratio innotuisse.*

In nullis Ordinibus præcipitur ut concilia incipiant feria II.

42 *Quod autem affirmant synodos feria secunda more majorum, post rem divinam die dominica rite procuratam, incohatas fuisse : equidem quæsivi, an, quemadmodum ordinationum celebritas die sabbato inciperetur et die dominica absolveretur, sic quoque conciliorum initiandorum solemnitas, vespere diei dominicæ exorsa, in crastinum diem protraheretur; sed nil hujusmodi deprehendi uspiam : contra id passim antiquissimis formulis præcipitur ut primo mane, etiam ante solis ortum, a laicis vacua fiant templa et introducantur episcopi aliique legitime vocati, Missæ sacrificio interfuturi : adeo ut neque ex hoc capite quidpiam statui possit. Quod si quando ĭnde recessum sit, id neque ex lege aut more factum fuerit, sed quod ita placuerit episcopis, imperatori aut regi.*

Conciliorum sæculi III, IV, V, VIII *et* IX *elencho demonstratur omnibus hebdomadæ diebus concilia incohata fuisse.*

43 *Hæc quum ita sint, facile patet canonem chronologicum, ex conciliorum exordiis repetitum, nil plane valere : quod tamen ut extra omnem controversiam sit, opportunum visum est omnia concilia sæculorum* III, IV, V, VIII *et* IX, *recensere, quibus in opere* Art de vérifier les dates *annus et dies appositi sunt. Novi quidem de cunctis indicatis illic temporum notis non interomnes convenire atque ipsemet errores aliquot detexi; receptissimæ tamen sunt, et, quum tanto sint numero, plane sufficiunt ut intelligatur feriarum rationem in incipiendis conciliis nullam pene fuisse habitam : quæ conclusio ab aliquot sphalmatibus nil pati potest.*

ANNUS.	LIT. DOM.	LOCUS.	DIES MENSIS.	FERIA.
256	F E	Carthaginense	1 sept.	II
305	G	Cirtense	5 mart.	II
313	D	Romanum	2 oct.	VI
314	C	Arelatense	1 aug.	Dom.
325	C	Nicænum	19 jun.	Sabb.
330	D	Alexandrinum	27 dec.	Dom.
335	E	Hierosolymitanum	15 sept.	Sabb.
339	C	Seleuciense	27 sept.	II
374	E	Valentinum	12 jul.	Sabb.
386	D	Romanum	6 jan. (Ep.)	III
390	F	Carthaginense	17 maji	VI
390	F	Carthaginense	16 jun.	Dom.
393	B	Hipponense	8 oct.	Sabb.
394	A	Cpltanum	29 sept.	VI
397	D	Carthaginense	28 aug.	VI
398	C	Carthaginense	8 nov.	II
400	A G	Toletanum	7 sept.	VI
401	F	Carthaginense	18 jun.	III
401	F	Carthaginense	13 sept.	VI
401	F	Taurinense	22 sept.	Dom.
402	E	Milevitanum	27 aug.	IV
403	D	Carthaginense	25 aug.	III
404	C B	Carthaginense	26 jun.	Dom.
405	A	Carthaginense	25 aug.	IV
407	F	Carthaginense	15 jul.	II
408	E D	Carthaginense	16 jun.	III
408	E D	Carthaginense	15 oct.	III
409	C	Carthaginense	15 jun.	III
410	B	Carthaginense	14 jun.	III
411	A	Carthaginense	1 jun.	V
415	C	Hierosolymitanum	1 aug.	Dom.
415	C	Diospolitanum	20 dec.	II
418	F	Carthaginense	1 maji	IV
419	E	Carthaginense	25 maji	Dom.
426	C	Cpltanum	28 feb.	Dom.
426	C	Hipponense	26 sept.	Dom.
430	E	Romanum	11 aug.	II
430	E	Alexandrinum	5 nov.	II
431	D	Ephesinum	22 jun.	II
431	D	Ephesinum	27 jun.	Sabb.
435	A	Zeugmatense	31 jul.	II
439	A	Regiense	29 nov.	IV
441	E	Aransicanum	8 nov.	Sabb.
442	D	Vasense	13 nov.	VI
447	E	Romanum	29 sept.	II
448	D C	Cpltanum	8 nov.	II
449	B	Tyrense	25 feb.	VI
449	B	Cpltanum	13 apr.	IV
449	B	Ephesinum	8 aug.	II
450	A	Romanum	22 feb.	V
451	G	Chalcedonense	8 oct.	II
455	D	Andegavense	4 oct.	Dom.
465	C	Romanum	17 nov.	IV
484	A G	Romanum	27 jul.	Sabb.
485	F	Romanum	5 oct.	Sabb.
488	C B	Romanum	13 mart.	Dom.
499	C	Romanum	1 mart.	II
.	.	.	.	.
.	.	.	.	.
.	.	.	.	.
721	E	Romanum	5 apr.	Sabb.
730	A	Cpltanum	7 jan.	Sabb.
732	F E	Romanum	1 nov.	Sabb.
742	G	Germanicum	21 apr.	Sabb.
743	F	Romanum	22 mart.	VI
744	E D	Suessionense	2 mart.	II
745	C	Romanum	25 oct.	II
754	F	Cpltanum	10 feb.	Dom.
755	E	Vernense	11 jul.	VI
756	D C	Compendiense	22 jun.	III
769	A	Romanum	12 apr.	IV
772	E D	Dingolvingense	14 oct.	IV
786	A	Cpltanum	1 aug.	III
787	G	Nicænum II	24 sept.	Dom.
791	B	Narbonense	27 jun.	II
803	A	Cloveshovense	12 oct.	V
807	C	Saltzburgense	26 jan.	III
812	D C	Cpltanum	1 nov.	II
813	B	Arelatense	10 maji	III
813	B	Moguntiacense	9 jun.	V
816	F E	Celichytense	27 jul.	Dom.
826	G	Romanum	15 nov.	II
829	C	Parisiense	6 jun.	Dom.
852	G F	S. Dionysianum	1 feb.	V

AUCTORE V. D. B.

E

F

(1) Acta SS., tom. X Octobris, p. 844, num. 5.

AUCTORE	ANNUS.	LIT. DOM.	LOCUS.	DIES MENSIS.	FERIA.
V. D. B.	855	E	Compendiense	1 oct.	IV
	856	B A	Aquisgranense	30 apr.	Dom.
	858	F	Carisiacense	6 sept.	VI
	840	D C	Engilheim.	25 aug.	IV
	842	A	Cpltanum	19 feb.	Dom.
	845	D	Meldense	17 jun.	IV
	846	C	Parisiense	14 feb.	Dom.
	851	D	Benningonense	27 mart.	VI
	855	A	Suessionense	27 apr.	V
	853	A	Romanum	8 dec.	VI
	855	F	Valentinum	8 jan.	III
	855	F	Bonosigil.	25 aug.	Dom.
	857	C	Carisiacense	25 feb.	V
	859	A	Lingonense	19 apr.	IV
	859	A	Metense	28 maji	Dom.
	859	A	Tullense	14 jun.	III
	860	G F	Aquisgranense	9 jan.	III
	860	G F	Confluentinum	5 jun.	IV
	860	G F	Tusciacense	22 oct.	III
	861	E	Cpltanum	25 maji	Dom.
	861	E	Pistense	25 jun.	Dom.
	862	D	Aquisgranense	8 apr.	IV
	863	C	Vermeriense	25 oct.	II
	864	B A	Pistense	25 jun.	Dom.
	864	B A	Lateranense	1 nov.	IV
B	866	F	Suessionense	18 aug.	Dom.
	867	E	Tricassinum	25 oct.	Sabb.
	868	D C	Wormatiense	16 maji	Dom.
	868	D C	Romanum	4 oct.	II
	869	B	Metense	9 sept.	VI
	869	B	Cpltanum	5 oct.	IV
	870	A	Coloniense	26 sept.	III
	871	G	Duziacense	5 aug.	Dom.
	875	D	Coloniense	26 sept.	Sabb.
	874	C	Duziacense	15 jun.	Dom.
	876	A G	Pontigonense	21 jun.	V
	877	F	Ravennatense	22 jul.	II
	877	F	Compendiense	8 dec.	Dom.
	878	E	Tricassinum	11 aug.	II
	879	D	Romanum	15 oct.	V
	879	D	Montalense	15 oct.	V
	881	A	Ap. S. Macram	2 apr.	Dom.
	888	G F	Metense	1 maji	IV
	883	G	Remense	28 jan.	Dom.
	894	F	Cabilonense	1 maji	IV
	900	F E	Remense	9 jul.	IV

Unde etiam cæcis clarum manifestumque esse debet nullam legem de celebrandis certa hebdomadæ die conciliis observatam fuisse; chronologicum canonem, inde petitum, plane nugatorium esse; verbo omnibus hebdomadæ diebus sine C *ullo fere discrimine conventus episcoporum sacros fuisse habitos; et proinde, quod concilium Coloniense coactum sit die dominica, nil in eo esse positum cur alii id genuinum esse dicant, alii suppositiitium. Nil itaque inde firmitatis demitur inconcussis fundamentis, quibus nituntur hujus synodi Acta, et* S. Amandi, *Argentoratensis episcopi, præsentia.*

Subscripsisse videtur S. Amandus *concilio Sardicensi.*

44 *Porro quum ei adfuerit atque ea proinde ætate vixerit, multum verisimilis est opinio eorum qui tueantur eum etiam concilio Sardicensi subscripsisse. Etenim* S. *Athanasius, recensens* eorum, qui in synodo scripserunt, aliorumque deinde episcoporum nomina *secundum regionum ordinem, ubi venit ad Galliam, loco* XXVII Ἄμαντον *nuncupat* (1); *quo* Amandum *indicari patet. Verum animadvertendum venit, non omnes, qui illic legantur, synodo Sardicensi* D *interfuisse, adeoque nomina* aliorum episcoporum, *qui licet* interesse non poterant, *missa tamen ad eos synodica,* ipsi quoque suis suffragiis decreta synodi approbarunt, *commemorat* S. *Athanasius : quos posteriores esse qui a* S. *Athanasio secundum regionum ordinem recenseantur demonstrarunt Ballerinii fratres* (2); *quorum in numero quum sit* S. Amandus *seu* Ἄμαντος, *profecto censendus est Sardicam non perrexisse, sed ei ante aut post, datis literis, assensisse. Plura de ejus gestis non innotuerunt. Per me tamen licet* S. Amandum *participem facere laudum, quibus* S. *Hilarius ad finem anni* 358 *in libro de Synodis* (3) *cumulavit ob suam in fide constantiam Galliarum episcopos, quorum in capite posuit* dilectissimos et beatissimos fratres et coepiscopos suos Germaniæ primæ.

An S. Amandus *in insula Rheni Honau solitarius vixerit.*

45 *Volunt nonnulli, sic loquitur Grandidier* (4), *nixi scriptis aliquot, in tabulario* S. *Petri Veteris servatis, multa passum esse* S. Amandum, *sæviente Juliani apostatæ persecutione; eumque cum presbyteris suis aliquot et clericis secessisse in insulam Honaugiam seu Honoviam et, exstructa* S. *Michaelis basilica,* E *vitam duxisse solitariam; quin eo referunt quasi illic sancto viro convixisset* S. *Hieronymus, sequentia hujus in epistola ad Rufinum* (5) *verba :* Domine Jesu,... scis ipse,... ut ego et ille (*Bonosus, monasticen amplexus,*) pariter a tenera infantia ad florentem usque adoleverimus ætatem,... et, post Romana studia ad Rheni semibarbaras ripas eodem cibo, pari frueremur hospitio, ut ego primus cœperim velle te colere. *Sed his nulla a vetustate patrocinatur auctoritas; sed hæc comminiscendi fuit occasio, quod ejus corpus penes Honovienses canonicos aliquando factum est. Ad annum* 359 *consignat Grandidier* (6) S. Amandi *mortem; sed et hæc nuda divinatio est. Traditur etiam ad cælum evolasse die* 26 *octobris, quod hac die ejus festum celebratur; ast minus certum est hoc argumentum, maxime quoniam in antiquis martyrologiis, quæ produxit Henschenius* (7), *ejus festum die* 15 *novembris inscriptum est.*

§ VII. Antiqua Argentorati conditio sedi episcopali constituendæ opportuna. F

Argentoratus origine celtica statio fuit legionis VIII *et plurium viarum militarium caput;*

Quum *autem* S. Amandus *primus Argentoratensis episcopus fuerit atque hujus sedis princeps et auctor, de civitatis hujus exordiis pauca monenda videntur. Celtica origine urbem esse ipsum nomen indicare videtur.* Ratum *enim seu* ratus *in quo desinit, hibernice* rath *seu* rat, castrum, stationem militarem *et* custodiam *significat* (8); *quis autem sensus sit vocabuli* argent, *quæ etiam pars nominum est* Argentomagi, Argentogili, Argentaci *et* Argentodupli, *olim definire ausi sunt complures* (9) : *ast nunc, quum veterum linguarum rationes multo melius patent, magis sobrie ea de re philosophantur. Certe Zeussius* (10), *qui multorum gallicorum*

(1) Apologia contra Arianos, num. 50, ap. Migne, Patrologia græca, tom. XXV, col. 337. — (2) Appendix ad Opp. S. Leonis, part. I, cap. 7, ap. Migne, Patrologia latina, tom. LVI, col. 55 et seqq. — (3) Migne, Patrologia latina, tom. X, col. 479 et seqq. Cfr Grandidier, Histoire de l'Église de Strasbourg, tom. I, p. 136 et seq. — (4) Ibid., p. 138 et seqq. — (5) Epist. III, num. 3, ap. Migne, Patrologia latina, tom. XXII, col. 334. — (6) Histoire de l'Église de Strasbourg, tom. I, p. 139. — (7) Acta SS., tom. I Februarii, p. 829; Cfr Usuardi auctaria, Galesinus et Ferrarius ad diem 25 novembris. — (8) O'Brien, Focaloir, p. 397; O'Reilly, Irish-English dictionary, v° *Rat.* — (9) Cfr Schoepflinus, Alsatia illustrata, tom. I, p. 53 et seqq. — (10) Grammatica Celtica, cfr index gallicus, tom. II, p. 1157 et seqq.

nominum

A *nominum significationem indicavit, studiose* Argentoratum *et alias similes formas omisit; et Augustus Fredericus Pott* (1), *audacis felicissimique ingenii philologus, fatetur* Argentiæ *nomini, quod Galliæ Cisalpinæ oppidum est, ignotam significationem inesse. Verum, licet ante Romanorum adventum condita jam esset civitas, quod exigua esset, nemo eam ante Ptolemæum memoravit; qui docuit legionem octavam Augustam ei præsidio fuisse* (2) : *quæ legio, ut ex superstitibus titulis liquet, Rheni ripam in utraque Germania, maxime superiori, diu occupavit. Sæculo* IV, *quum hostis continuo immineret, valuit ejus situs et positio, ut, quum sedulo custodienda esset, viribus cresceret et ambitu. In Rheni enim sinistra ad Ellum flumen condita, plurium viarum militarium quasi caput erat aut umbilicus. Hinc enim ibatur Augustam Trevirorum per Tabernas, Pontem Saravi, Decempagos, Duodecimum, Metas, Coranuscam et Ricciacum; Augustam Rauracorum atque hinc Mediolanum et Novariam, per Hellelum, Argentovariam, Cambate et Artalbinum; Noviomagum seu Spiras per Saletionem et Tabernas et*

B *per Brocomagum et Concordiam; Vesontionem per Hellelum, Montem Brisiacum, Uruncos, Artalbinum, Vindonissam, Cambate et Epamanduadurum, et a Vindonissa Vemaniam per Fines, Arborem Felicem et Bregantiam.*

sæculo IV *insigne municipium erat et secunda civitas Germaniæ primæ, fabricam habens omnium armorum;*

47 Municipium *nuncupat Ammianus Marcellinus; quo intelliguntur oppida suis usa legibus et magistratibus; et inter præcipuas Rhenenses civitates recenset :* Prima Germania, *inquit* (3), ubi præter alia municipia Moguntiacus est, Vangiones (*Worms*), Nemetes (*Spire*) et Argentoratus, barbaricis cladibus nota. *Quin etiam in Galliarum vetere Notitia Sirmundiana, quæ extremi sæculi* IV *est, venit secundo loco inter civitates Germaniæ primæ seu superioris* (4) : Metropolis civitas Mogunciacensium. — Civitas Argentoratensium. — Civitas Nemetum. — Civitas Vangionum. *Quod vel unum indicium satis esset ut intelligeretur tunc temporis Argentorati jam sedisse episcopum. In Notitia autem Imperii, quam sub annum* 400 *omnes conscriptam fuisse consentiunt*, sub dispositione viri illustris magistri officiorum, *inter* fabricas in Galliis VIII, *legitur* Argentoratensis armorum

C omnium, *aliis singulari armorum genere assignato* (5). *Caput autem erat provinciæ militaris, cui nomen* tractus Argentoratensis, sub dispositione viri spectabilis comitis Argentoratensis (6).

non multo post periit, et sedem episcopalem probabiliter amisit :

48 *Sed non multo post, Stiliconis vesania an perfidia Rheni limite præsidiis nudato et mox perrupto a barbaris,* Magontiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est, et in ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, translati in Germaniam (7); *quæ Flori dictio est, significans rura a Germanis occupata fuisse et sola oppida Romanis relicta. Unde, quum Germani intra mœnia considere nollent et gravior in dies fieret oppidanorum, quasi obsessi essent, sors et conditio, quæ Rhenenses civitates deletæ non fuerant, paulatim perierunt : qua ratione, nisi Vandali, rege Gunderico, aut Hunni, duce Attila, Argentoratum everterint, pristinum suum splendorem sæculo* V *amiserit oportet; eum non recuperatura, nisi in vicinia super stratam publicam, Galliam Germaniamque jungentem, diu* Oberstrass *dictam, castrum seu burgum exstruxissent Alemanni; ad cujus latera vicus mox crevit, simul cum burgo* Strassburgum *appellatum : quod nomen S. Gregorio Turonensi jam innotuit* (8). *Interea dum Argentoratus jaceret, omnia fere christianæ religionis indicia paulatim evanuisse censet Schœpflinus* (9); *certe ita passa est ut episcopali sedi idoneus non amplius locus videretur. Quum autem deesset episcopus, ferebant illius temporis disciplinares leges ut episcopi vicini in desertam diœcesim auctoritatem suam extenderent. Quo factum esse potuit ut*

E *hoc intervallo Metensibus episcopis subfuerit : quamquam argumenta, quæ afferantur* (10), *minus certa sint quam prima specie appareant. Sed ordinem nimis invertimus; ad rei christianæ initia prius veniendum est.*

origines Argentoratenses christianæ.

49 *Dum itaque illic dominarentur Romani, christianam doctrinam propagatam fuisse auctor est S. Irenæus* (11), *memorans* ecclesias, quæ in Germania *immo* in Germaniis sunt fundatæ, τας ἐν Γερμανιαις ἱδρυμενας ἐκκλησιας; *et quidem tam conspicuas ut earum doctrina in apostolicarum traditionum recensione negligenda non esset. Non itaque paucorum annorum spatio divinum semen ea incrementa fecit, quibus medio sæculo* IV *pulcherrima appareret christianorum seges, non in Germania dumtaxat prima seu superiori, Italiæ magis et Lugduno vicina, sed (ut in concilio Coloniensi legitur) in* omnibus castris Germaniæ secundæ *seu inferioris. Eo delatam fuisse per milites et colonos religionem christianam senserunt Bebelius* (12), *Schœpflinus* (13), *Grandidier* (14), *Aufschlager* (15) *et Strobel* (16) : *quod generale argumentum nonnihil jam pridem expolivit unus ex collegis meis*

F *ad diem* 17 *octobris* (17), *atque hoc loco magni roboris esse dicerem, si inter titulos et memorias legionis* VIII, *quæ Argentorati consistebat (ut superius dixit Ptolemæus et superstites testantur lapides* (18),) *ullum christianæ professionis indicium occurreret. Sed quidquid id est, ut S. Irenæo sua stet fides, necesse est ut has partes adierint episcopi, in aliis Galliarum civitatibus constituti, ibique presbyteros ordinarint qui rem christianam procurarent, donec Constantini Magni temporibus S.* Amandus *creatus sit primus Argentoratensis antistes. Quid, quod S. Aurelia, cujus Acta dedimus ad diem* 15 *octobris, martyrium illic fecisse videtur ante*

(1) Die Personennamen... under Berücksichtigung der Ortsnamen, p. 434. — (2) Geogr., lib. II, cap. 9; cfr Schœpflinus, Alsat. ill., tom. I, p. 206. — (3) Lib. XV, cap. 2. — (4) Ap. D. Bouquet, Recueil, etc. tom. I, p. 123. — (5) Ibid., p. 126. — (6) Ibid., p. 127. — (7) S. Hieronymus, Epist. XCI ad Ageruchiam, ap. D. Bouquet, tom. I, p. 744. — (8) Cfr Schœpflinus, Alsatia illustrata, tom. I, p. 218 et seqq. — (9) Ibid., p. 329. — (10) Ibid., p. 346. — (11) Antiquitates Germaniæ primæ, p. 14. — (12) Alsatia illustrata, tom. I, p. 326 et 327. — (13) Histoire de l'Église de Strasbourg, tom. I, p. 42. — (14) Das Elsass, neue historische topographische beschreibung, tom. I, p. 51. — (15) Vaterländische Geschichte des Elsasses, tom. I, p. 53. — (16) Acta SS. tom. VIII Octobris, p. 31 et seqq. — (17) Cfr Bebelius, p. 91 ; Schœpflinus, Alsatia ill. tom. I, p. 507 et seqq. ; Strobel, tom. I, p. 53, not. 3. — (18) Cfr Schœpflinus, Alsatia illustrata, tom. I, p. 329.

pacem

AUCTORE V. D. B.

pacem ecclesiæ redditam? Fabula enim certissime est eam de S. Ursulæ comitatu fuisse : sæculo scilicet VI *publice jam colebatur, et S. Ursulæ singulares sociæ nonnisi sæculo* XII *coli cœperunt extra Coloniam. Omitte S. Maternum, qui illic etiam fidem prædicasse legitur; cui et obviam iverit S.* Amandus : *non sat bonis hæc nituntur documentis. Neque plura dicenda videntur de rei christianæ apud Argentoratenses origine, quæ non potuit non esse obscurissima, quum a sæculo* V *omnia illic perierint Romani ævi instituta.*

§ VIII. Corporis S. Amandi fata et cultus.

S. Amandi *prima sepultura ignorata : ejus corpus, quod penes Honaugienses seu Rhinaugienses canonicos factum est, anno* 1371 *visitatur;*

In *æde suburbana sepultum fuisse S.* Amandum *suadent sæculi* IV *mores; cujus tamen rei memoria nulla superest. Tradunt nonnulli, ut Gallia christiana* (1) *et Grandidier* (2) *mihi testes sunt, eum in valle Brusciæ, quæ sæculo* XVIII *vallem Schirmeck et balliviatum de Dachstein continuissse habebatur, conditum fuisse; et quidem Haselaci : ubi eum terræ mandatum fuisse ideo censere videntur, quod S. Florentius, priusquam in Argentoratensi cathedra S. Arbogasto successit, Haselacense monasterium fundavit atque ea occasione S.* Amandi *corpus e terra levasse dicitur et publicæ venerationi reliquias exposuisse. Sed non arridet Grandiderio hæc opinio, magis prono ad æstimandum eum ab initio Rhenaugiæ quietem nactum esse, si satis constaret hanc Rheni insulam et cœnobium sæculo* IV *jam incolas habuisse : sed hæc quoque infirma sententia est. Id unum constat, sæculo* X *magnam fuisse S.* Amandi *famam et venerationem ejusque corpus penes canonicos Honovienses seu Honaugienses fuisse, priusquam anno* 1290 *ex Rheni insula Honovia seu Honaugia duabus infra Argentoratum leucis ob frequentes fluvii inundationes de consensu Conradi III, Argentoratensis præsulis, Rhinoviam sex supra urbem leucis sedem suam transtulissent : tum enim tot miraculis ejus claruisse reliquias ut die* 3 *novembris anni* 1371 *ejus sepulcrum aperiendum visum sit. Caput, repertum* illæsum et integrum, *seorsim repositum* C *in pyxide, cum brevissimis literis, quibus hæc inventio mandaretur memoriæ simul cum* signis et prodigiis, *quibus sacra pignora* ibidem coruscarant. *Propter quam qualemcumque translationem ejus festum notatur in aliquot fastis ad diem* 3 *novembris.*

solemniter transfertur anno 1598 *Argentoratum in templum S. Petri Senioris;*

51 *Sed neque illic stabilem mansionem habuerunt S.* Amandi *exuviæ. Quum enim Rhinaugia non minus incommoda esset quam Honaugia, consensu Guilielmi de Dietsch, Argentoratensis episcopi, die* 22 *maji anni* 1390 *in ipsam urbem sedem suam cum omni sua supellectile transtulerunt; S.* Amandi *ossa in templo S. Catharinæ monialium ordinis Prædicatorum deponentes, donec decorum parassent locum in parochiali S. Petri Senioris templo, quod eis concesserat antistes. Quum autem translationis tempus appropinquavit, voluit episcopus ut primus suus decessor summa honestaretur reverentia. Die itaque* 19 *octobris publicum proposuit edictum, quo jussit ut omnis clerus sæcularis et hortatus est ut similiter clerus regularis solemnitati interesset et indulgentiarum præmio innumeros fideles ad eamdem allexit, eamque in diem ejus festum* 26 *octobris anni* 1398 *indixit : quo mandato dixit episcopus S.* Amandi *corpus* de loco primo quietis suæ ad locum S. Petri prædictum translatum *iri, quasi Rheinaugiæ primum fuisset terræ creditum : sed nisi errare studiose velimus, verba premenda non sunt. Ab hoc tempore multa cura servata fuerunt sancti præsulis ossa in cista ex ligno deaurato; cum inscripto hoc disticho :* D

Accipe sarcophagum, devote viator, Amandi,
Urbis hujus primi præsulis eximii;

caput vero in pyxide argentea.

sæpius visitatur, nil passum ab hæreticis sæculo XVI *et ab impiis extremo sæculo* XIX. *Cultus approbatur Romanis pontificibus.*

52 *Dum Lutherana hæresis dominaretur Argentorati, reposita fuerunt sacra pignora super altare maximum, pluribus clavibus obserata; quas penes se custodiverunt tres aut quatuor canonici, qui (licet omnia genuinæ religionis indicia interdicta essent) numquam civitatem deseruerunt. Sed quum Ludovicus XIV civitatem occupavit et catholica sacra postliminii jure in templum S. Petri Senioris die* 29 *septembris anni* 1682 *reducta sunt, in pristinum loculamentum, quod prope altare maximum supra sacrarii ostium est, relatum fuit S.* Amandi *feretrum. Annis* 1697 *et* 1700 *Franciscus Blouet de Camilly, vicarius generalis Guilielmi Egonis de Furstemberg, Argentoratensis episcopi, recognovit pia pignora; quumque ea sincera reperisset et approbasset, permisit ut populari pietati exponerentur. Circa annum* 1736 *eadem examinavit medicinæ doctor Le Maire, chirurgus major nosocomii militaris Argentoratensis, invenitque omnia ossa adesse, nisi quod unum brachii os desideraretur. Quum vero die* 5 *februarii anni* 1759 *episcopus Arathensis nomine cardinalis Constantini de Rohan S. Petri Senioris ecclesiam visitavit, non omisit S.* Amandi *feretrum ligneum et pyxidem argenteam inspicere. Non perierunt sacræ reliquiæ tempore conversionis reipublicæ gallicanæ; adeoque, ut in Officio legitur, in S. Petri Senioris templo* usque in hodiernam diem publicæ fidelium veneratioui exponuntur; *caput vero quotannis in* F *die ejus festo solemni loco collocatur. Restaurationi cultus S.* Amandi *intervenit etiam Romanorum pontificum auctoritas, Benedicti XIII anno* 1726, *et Benedicti XIV anno* 1748 (3); *atque nunc ritu duplici majore ejus festum agitur in universa diœcesi Argentoratensi, officio a sede apostolica approbato. Orationis hæc est forma :* Domine Jesu, qui beatum Amandum confessorem tuum atque pontificem bonum dedisti pastorem; te supplices exoramus, ut illius intercessione omnes oves errantes nunc ad te pastorem et principem animarum suarum convertantur : qui vivis etc. *Lectiones I Nocturni :* Fidelis, *III Nocturni ex Evang. S. Joannis cap.* 10 : Ego sum bonus pastor, *cum homilia S. Augustini, Serm.* 138 *de Script.* Exponit apertius. *Integras dabo lectiones II Nocturni, quæ S.* Amandi *gesta breviter complectuntur.*

(1) Tom. V, col. 778. — (2) Hist. de l'Église de Strasbourg, tom. I, p. 140. — (3) Cfr de his omnibus Schilterus, Chronicum Alsatiæ Kœnigshovii, p. 1158; La Guille, Hist. de la province d'Alsace, tom. I, p. 318; Grandidier, Hist. de l'Église de Strasbourg, tom. I, p. 140 et seqq.; Hunckler, Hist. des saints d'Alsace, p. 499 et seqq.; Officia propria ecclesiæ Argentinensis anni 1838, p. 281 et 282.

A *Lectiones* II *Nocturni, confirmatæ*
* multo

53 Lectio IV. Sacra Evangelii luce Alsatiam non ita diu * post apostolorum tempora collustratam fuisse vix dubitari potest, Irenæo testante : ecclesias, in Germaniis sitas, eamdem cum aliis ecclesiis credere ac tradere doctrinam. Verum pusillus tunc erat fidelium grex, dispersus, necdum propriis instructus pastoribus. Sacra mysteria clam celebrabantur, et, furentibus idolorum cultoribus, oppressa delitescebat ecclesia. Tandem benigna divinæ providentiæ dispositione, circa finem sæculi tertii, Materno cum sociis in Alsatia prædicante, ad fidem Christi ingens incolarum numerus conversus est, templa exstructa, et prima episcopatus Argentinensis jacta sunt fundamenta; quam ecclesiam paulo post Amandus primus gubernavit episcopus.

a sacra Rituum congregatione,

54 Lectio V. Arduum erat Amandi ministerium : gentilium errores dissipare, mentes illuminare, corda allicere, et sic gregem Christi multiplicare diurnis atque nocturnis studebat curis. Nec minor illius erga fideles sollicitudo : debiles in fide firmabat; segnes stimulabat; in cunctis charitatis ac pietatis
B ardorem accendebat, omnium necessitatibus prospiciebat. Quanto autem zelo fidei custodierit depositum, ex eo elucet quod, cum Euphratas, Coloniensis episcopus, ariana infectus hæresi, Verbi divinitatem negaret, Amandus, impiam exhorrescens doctrinam, cum quatuordecim aliis episcopis, anno 346 in concilio Agrippinensi congregatis, arianam impietatem damnaverit; et anno insequenti (*immo anno* 343) concilio Sardicensi subscribens consubstantialitati Verbi iteratum reddiderit testimonium : qua vigilantia sanctus antistes fidei veritatem in ecclesia sua servavit incontaminatam.

AUCTORE V. D. B.

recitantur.

55 Lectio VI. Immarcessibilem gloriæ coronam a principe pastorum recepit Amandus VII kalendas novembres post medium sæculum IV defunctus. Sacrum ejus corpus diu in ecclesia Rhenaviensi quievit prodigiis clarum. Cum autem anno 1398 collegium canonicorum ex Rhenavia Argentoratum ad ecclesiam sancti Petri vulgo Senioris transferretur, jussit Wilhelmus II, episcopus Argentinensis, transferri simul corpus S. Amandi. Translationi assignata est ipsa dies festiva anniversaria beati præsulis, qua a clero tum sæculari, tum regulari, necnon universo populo obviam procedente, summo lætitiæ ac devotionis sensu exceptæ sunt sacræ reliquiæ, et in dictam ec- E clesiam deductæ in eadem repositæ fuerunt; ubi usque in hodiernam diem publicæ fidelium veneration exponuntur.

DE S. QUODVULTDEO,

EPISCOPO CARTHAGINENSI ET CONFESSORE NEAPOLI IN CAMPANIA,

SYLLOGE HISTORICA.

J. V. H.

§ I. Vindicatur auctoritas Historiæ persecutionis Vandalicæ, a S. Victore Vitensi conscriptæ.

CIRCA MED. SÆC. V. *Varia objiciuntur, quæ fidem historicam Victoris Vitensis elevant :*

Antequam de S. Quodvultdeo *agamus, operæ pretium fuerit in auctoritatem, quam sibi vindicare debet liber de Persecutione Vandalica, a S. Victore, Vitensi episcopo, conscriptus, inquirere, utpote qui paucula, quæ de sancto episcopo Carthaginensi novimus, nobis servavit. Sunt enim, qui dicunt, scriptorem justo iniquiorem fuisse in Vandalos, eorumque sævitiam exaggerasse. Conferantur, inquiunt, Victoris verba lib. I cap.* 4 *cum Possidio, biographo S. Augustini, capp.* 28 *et* 29*; imo quoniam ipse Possidius severior est, adeatur ipse S. Augustinus in epistola* CCXXVIII *ad Honoratum* (1). *Jocosius etiam quam verius statuunt, fidem abjudicandam esse historiæ, a solis sacerdotibus orthodoxis concinnatæ, qui Deum inducunt* Θαυματουργον, *quin umquam catholicos efficaciter adjuvet* (2). *Victorem historicum etiam manifesti erroris arguunt in factis quibusdam specialibus, quatenus eisdem contradicunt alii scriptores, aut de iisdem silent* (3). *Tandem rigor disciplinæ ecclesiasticæ tamquam maximum obstaculum conciliandis animis indigitant* (4). *Hæc omnia ex ordine ad trutinam revocabimus et fidem, S. Victori Vitensi debitam, vindicabimus.*

1° *ejus a Possidio,*

2 *Quandoquidem imprimis opponitur narrationi Victoris Vitensis auctoritas SS. Possidii et Augustini, potest quidem inquiri, utra opinio alteri prævalere debeat. Etenim utrinque eadem est doctrina, idem in Ecclesia gradus, par sanctitas, ecclesiasticis fastis celebrata, qui recensent memoriam S. Augustini ad diem* XXVIII *augusti* (5), *S. Possidii ad diem* XVII *maii* (6), *S. Victoris Vitensis ad diem* XXIII *augusti* (7). *Quod si pares sunt isti viri, ejus videtur præferenda auctoritas, qui specialem historiam adornans, accuratius indagare debuit fontes, ex quibus vera narratio scaturit. Verum consulentibus textum tum Possidii tum Augustini, contracte uterque dicit, quod prolixe evolvit Vitus historicus. Possidius hisce verbis Vandalorum vastationem exponit cap.* 28 *Vitæ S. Augustini* (8) : Brevi consequenti tempore divina voluntate et potestate provenit, ut manus ingens diversis telis armata et bellis exerci-

(1) Lud. Marcus, Hist. des Wandales. Notes p. 1. — (2) Ibid. p. 238 notes p. 44. — (3) Ibid. p. 322. Notes p. 65. — (4) Ibid. p. 342. — (5) Acta SS. t. VI, Aug. p. 441 ; cfr D. Caillius. Hist. des Aut. eccles. t. XI et XII per totum. — (6) Act. SS. tom. IV Maii p. 27 et 799. Ceillier. t. XII p. 261. — (7) Act. SS. t. IV Aug. p 628. Ceillier t. XV p. 206. — (8) Migne Patrol. t. XXXII col. 57.

tata,

AUCTORE J. V. H.

tata, immanium hostium Vandalorum et Alanorum commixtam secum habens Gothorum gentem aliarumque diversarum personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis, navibus Africæ influxisset et irruisset ; universaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens provincias et regiones, omni sæviens crudelitate et atrocitate, cuncta, quæ potuit, exspoliatione, cædibus, diversisque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulata est : nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificiis. *Refert dein cap.* 29 *Possidius epistolam S. Augustini, qui respondens consultationi Honorati, episcopi Thiabensis, non probat, episcopos deserere proprios greges, quatenus tunc maxime indigos solatio et consilio propriorum pastorum.*

et S. Augustini,

3 *In sua epistola paucis verbis supponit magis quam exponit S. Augustinus Africanam calamitatem, utpote utrique notissimam. Nihilominus quum Honoratus fugam excusaret dicens* (1):

B Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi, non video; nisi ut ante oculos nostros viri cadant, fœminæ constuprentur, incendantur ecclesiæ, nos ipsi in tormentis deficiamus. *Hanc objectionem exaggerationis non arguit S. Augustinus, sed simpliciter reponit* (2) : Potens est quidem Deus audire preces familiæ suæ, et hæc, quæ formidantur, avertere : nec ideo tamen propter ista, quæ incerta sunt, debet nostri officii esse certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies non in rebus vitæ hujus, sed alterius incomparabiliter diligentius et sollicitius curandæ. *Quod vero S. Augustinus dicat calamitatem hactenus* incertam, *id ad Africam spectabat : nam Vandalos Hispanias depopulatos fuisse aperte fatetur.* Quidam, *ait* (3), sancti episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis. *Hæc abunde commonstrant, quanta fuerit Hispaniarum vastatio, quæ civitates in solitudinem redigebat, propter quas episcopis, ut ait S. Augustinus,* manendum non erat (4). *Dein*

C *videtur epistola eo tempore, quo Vandali necdum pedem in Africam intulerant, scripta fuisse : nam Possidius docet* (5), cum memorati impenderent hostes, *id est Vandali*, a sancto viro quoque nostro coepiscopo Thiabensis Ecclesiæ Honorato, litteris fuisse consultum (*S. Augustinum*), utrumnam illis adventantibus, ex Ecclesiis episcopis vel clericis recedendum esset necne ; eique rescriptis insinuasse, quid ab illis Romaniæ eversoribus esset metuendum, *Scripta igitur epistola ante adventum Vandalorum, adeoque antequam certo definiri posset, quantæ ruinæ Africæ impenderent. Non itaque miretur quis, S. Augustinum easdem non descripsisse.*

qui vix initia persecutionis videre potuit, dissentit.

4 *Quod si quis tamen velit, tunc scripsisse Honoratum episcopum, quando Vandali Africam occupabant, obtendatque, datam epistolam, ut notant editores Maurini* (6), *anno* 428 *aut* 429, D *respondemus, Vandalos primum mare trajecisse anni* 429 *mense maio, teste Idatio, omni exceptione majori, utpote qui, dum hæc accidebant, jam annis tribus in episcopatu haberet.* Gæsericus, *inquit* (7), rex de Bæticæ provinciæ littore cum Vandalis omnibus eorumque familiis mense majo ad Mauritaniam et Africam, relictis transit Hispaniis. *Jam vero secundum Idatianam chronotaxin mensis iste maius ad annum vulgarem* 429, *ut recte animadvertit Joan. Garzonius noster, qui novam Idatii editionem adornavit* (8) *pertinet. Plerique initium invasionis Vandalicæ in Africam annum Christi* 427 *statuunt, decepti Chronico Prosperi, dicentis Hierio et Ardaburio coss., seu anno* 427 gentem Vandalorum ab Hispania ad Africam transiisse (8). *Porro Prosper in suo Chronico* frequentibus, *ait Garzonius* (9), scatet chronologicis mendis, *et major fides adhibenda Idatio, qui inter Vandalos in Hispania vivens, testis non solum coævus, sed oculatus habendus est. Quæ quum ita sint, scribente S. Augustino ad Honoratum episcopum, vix annus elabi potuit inter migrationem gentis Vandalicæ et epistolæ* E *scriptionem : quapropter datur intelligi, nec potuisse S. Augustinum tanta severitate gesta Vandalorum exponere, si tamen, ut ante diximus, epistola ad Honoratum post irruptionem scripta fuerit, quod minus verisimile est. Ex hactenus dictis liquet, SS. Augustinum et Possidium, dum pauca dicunt de Vandalorum persecutionibus, nullatenus tamen quidpiam fidei, quæ Victori Vitensi debetur, detrahere. Obiter adnotasse juverit, allucinari eruditos, dum scribunt, Victorem absolvisse librum de Persecutione Vandalica anno Christi* 487 (10). *Causa erroris in eo est, quod adventum Vandalorum in Africa anno* 427 *innectunt : atque hinc quoniam Victor dicit* (11) sexagesimum agi annum, ex quo populus ille crudelis ac sævus Vandalicæ gentis Africæ attigit fines, *Vandalis anno Christi* 429 *ingruentibus, consequitur, Victorem librum suum scripsisse anno Christi* 488 *aut* 489.

2° *frequentia miraculorum ;*

5 *Altera dein allegatur causa abrogandæ fidei Victori Vitensi, nempe frequentia miraculorum. Non est hujus loci monstrare Deum, qui ordinem naturalem creavit, posse eumdem pro sua voluntate intervertere : quod multis potentibusque argumentis ostendunt ii, qui pro veritate Christianæ Religionis scripserunt* (12). *Dein si vel unum monstretur miraculum certum, non est quod ex hoc capite auctoritas alicujus scriptoris infringatur. Felicissime autem tale nobis exhibet prodigium Victor Vitensis lib.* v, *cap.* 6 (13). *Quum cives Tipasæ, quæ est civitas Mauritaniæ Cæsariensis, metu Arianorum in Hispaniam fugissent, relicti sunt paucissimi, qui aditum non invenerant navigandi. Hos omni arte episcopus Arianus ad partes suas attrahere tentaverat, sed fortes in fide,* publice mysteria divina in domo una congregati celebrare cœperunt... Quod quum regi innotuisset, comitem quemdam cum iracundia derigens, præcepit, ut in medio foro, congregata illic omni provincia,

(1) Migne Patrol. t. XXXII col. 61. — (2) Ibid. l. c. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. l. c. (5) Ibid. t. XXIII col. 47. — (6) Ibid t. LXXIV col. 718. — (7) Ibid. col. 776. — (8) Ibid. t. LI col. 594. (9) Ibid. t. LXXIV col. 776. -- (10) Migne Patrol. t. LIV col. 181. Cellier. Hist. des Aut. eccles. t. XV. p. 208 etc. (11) Migne t. LIV, col. 187. — (12) Cfr, si lubet, Le Canu, Dict. des Prophet. et des Miracles, t. I, p. 38. — (13) Migne, Patrol., t. LVIII, col. 245.

linguas

A linguas eis et manus dexteras radicitus abscidisset. Quod quum factum fuisset, Spiritu Sancto præstante, ita locuti sunt et loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis, subdiaconem Reparatum, sermones politos sine ulla offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur, et præcipue regina mira eum reverentia veneratur.

qui occasione inquiritur

6 *En factum certissime prodigiosum, quod non in uno aliquo, sed in pluribus accidit* (*Græci in suis Menæis ad diem* VII *decembris habent sexaginta* ἑξακουστα) : *supplicium publice inflictum fuit,* in medio foro, congregata *Tipasæ* omni provincia, *dein dispersi per varias provincias imperii, undequaque excussi et considerati, miraculum palam testatum fecerunt. Neque solum Victorem Vitensem, summæ sinceritatis virum, vadem prodigii habemus, sed et alios etiam coævos et oculatos testes. Quoniam tamen jam sæpe coram producti fuerunt, iis*

B *citandis supersedemus* (1). *Omittimus itaque Æneam Gazæum, in suo Theophrasto, qui miraculum scrutatus est* (2); *Marcellinum comitem, in Chronico qui* religiosissimos viros, præcisis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium integra voce conspexit loquentes (3); *Procopium De Bello Vandalico lib. I, cap.* 8, *testantem, sua ætate superstites Byzantii viros* faucium tenus ἀπ' αὐτης φαρυγγος *lingua truncatos, qui explanate loquebantur* ἀκραιφνει τῃ φωνῃ (4): *Victorem quoque Tunnonensem in Africa episcopum, dicentem, urbem regiam attestari, confessores linguis abscissis perfecte finem adusque locutos fuisse, eorumque corpora CP jacere* (5). *Omittendum quoque censerem legem Justiniani, nisi quædam ibidem occurrerent, quæ explicatione indigent.*

in prodigium Tipasense

7 *Itaque l.* 1 *C. de Officio præfecti prætorio Africæ* (*I*, 27) *sic sonat :* Multas quidem et antea a Deo meruimus largitates et innumerabilia circa nos ejus beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egisse, cognoscimus. Præ omnibus tamen hoc, quod nunc omnipotens Deus per nos pro sua laude, et pro suo

C nomine demonstrare dignatus est, excedit omnia mirabilia opera, quæ in sæculo contigerunt, ut Africa per nos tam brevi tempore reciperet libertatem, antea nonaginta quinque annos a Vandalis captivata, qui animarum fuerant simul hostes et corporum : nam animas quidem diversa tormenta atque supplicia non ferentes, rebaptizando ad suam perfidiam transferebant : corpora vero, liberis natalibus clara, jugo barbarico durissime subjugabant : ipsas quoque Dei sacrosanctas ecclesias suis perfidiis maculabant ; aliquas vero ex eis stabula fecerunt. Vidimus venerabiles viros, qui, abscissis radicitus linguis, suas pœnas miserabiliter loquebantur. *Operæ pretium fuerit, qua ratione hæc postrema verba aliqui miraculorum osores infirmare conati sunt, exponere.*

et refutantur objectiones

8 *In Actis Eruditorum Lipsiensibus anni* 1714 *recensetur Decas Dissertationum Historico-theologicarum Joan. Andreæ Schmidii, qui Lutheranus titulum tamen abbatis Mariævallensis gerebat. In his est Dissertatio* VII, *in qua Schmidius defendit veritatem virorum elinguium, adducitque testimonium scriptorum coævorum. Ast, inquit Eruditus Lipsiensis* (6), pace viri celeberrimi addimus, esse viros cordatissimos, quidquid est istius narratiunculæ in fabellarum censum referentes. Ac videntur sane, quæ afferuntur in hanc rem, testimonia labefactari posse, si quis criticam velit adhibere operam. Certe palmarium illud Justiniani imp. testimonium, ut alienum esse appareat, mediocri mentis attentione opus est. Scilicet imperator, acuto sermonis genere usus, significat, eos, linguæ usu privatos, miserabili voce quasi locutos esse miseriam suam. Unde nec dicit, eos de Trinitate locutos esse, sed locutos esse pœnas suas, nec eos diserte clareque locutos, sed miserabiliter. Pari sermonis figura usus Cicero inquit Orat. pro Milone cap. 20. « Res loquitur ipsa. » Idem alio loco, videlicet Divinatione in Verrem : « Cur nolint, etiamsi taceant, satis dicunt. » Sic et Ovidius E
Trist. II, 453 : « Digitis sæpe est nutuque locutus. » Scilicet eumdem in modum illi a Justiniano memorati, nullo miraculo, sed figura rhetorica. *Hactenus Criticus Lipsiensis, cui respondemus.*

Actorum Lipsiensium,

9 *Imprimis probitatem suam literariam testatam fecisset criticus, si unum alterumve ex* viris cordatissimis, *miraculum* in fabellarum censum referentibus *nominasset : si quidem* cordate *suam protulerint sententiam, non est, quod taceatur nomen forsan magni momenti in re judicanda. Quapropter ex silentio nominis opinantium vehementer suspicor, ipsum criticum sub larva* cordatissimorum virorum *proprium velasse judicium, pro casu quo ab eruditis rejiceretur. Dein dato aliquantisper, verba Justiniani talem pati posse interpretationem, qualem suggerit criticus, ea tunc tantum valeret, si verba, rem explicantia, sola essent : ast considerantibus reliquos testes pariter coævos, pariter oculatos, certum est, verba Justiniani ita esse intelligenda, ut elingues clara voce locuti fuerint. Evagrius scholasticus,* F
coævus Justiniano, utpote natus anno Christi 536 (7), *in Historia ecclesiastica, lib. IV, cap.* 16 (8) *dicit,* linguas quidem eis radicitus excisas fuisse, vocem tamen eos articulatam habuisse, ac distincte locutos esse, novo atque inusitato miraculo. Horum mentio fit etiam in Constitutione Justiniani. *Igitur Evagrius coævus* more cordatissimorum virorum *Justinianum interpretatus non est : nec dicit, Confessores,* quasi locutos, *sed vere locutos, id est* distincte et vocem articulatam habuisse.

quasi Tipasentes nutibus locuti fuissent :

10 *Quæ porro ab antiquis scriptoribus mutuantur exempla, vere ad rem non pertinent. Probarent certe, si Justinianus dixisset,* « *membra mutila crudelitatem Vandalorum loquuntur* » : *tunc enim* res ipsa *seu mutilatio loqueretur; tunc quoque* etiamsi tacerent *vulnera loquerentur; tunc tandem sine ullo miraculo* digitis nutuque *loqui potuissent. Verum cogno-*

(1) Cfr Zaccaria, Raccolta di Dissert., t. XVII, p. 171; Terwecoren, Collect. de Précis Hist., année 1855, p. 37. — (2) Migne, Patrol. græc., t. LXXXV, col. 1002. — (3) Ibid. lat., t. LI, col. 933. — (4) T. I, p. 345. Edit. Bonn. — (5) Migne, Patrol., t. LXVIII, col. 946. — (6) Act. Erudit., anni 1714, p. 338. — (7) Migne, Patr. gr., tom. LXXXVI, col. 2407. — (8) Ibid., col. 2727.

scenti

AUCTORE J. V. H.

scenti historiam, verba Justiniani aliud esse non possunt, quam eligues miraculose clare et distincte locutos fuisse. Ex penu quoque sua depromit Lipsiensis eruditus, confessores esse quasi locutos, *quia nempe* miserabiliter *loquebantur : vult quidem Tillemontius legendum esse* mirabiliter loquebantur (1). *Sed omissa hac lectione, nullo documento firmata, sufficiat animadvertisse, voces* miserabilis, miserabiliter *non significare imperfectionem quamdam, sed quod est commiseratione dignum : Sic T. Livius lib. III, Hist. cap.* 52 *dicit :* Prosequuntur conjuges liberique, cuinam se relinquerent in ea urbe, in qua nec pudicitia nec libertas sancta esset, miserabiliter rogitantes, *id est voce flebili et ad commiserationem excitandam composita. Nec scio ullum lexicographum, ne Cangium quidem in Glossario Mediæ et Infimæ Latinitatis, qui has voces aliter interpretatur, quam in sensu commiserationis. Atque in sensu commiserationis excitatæ clare intelligitur,* qua ratione *Confessores* suas pœnas miserabiliter locuti fuerint. *Nuspiam enim apud antiquos legi,* eos de SS^ma^ Trinitate *ut vult Schmidius,* locutos
B fuisse. *Id tamen verum, doctrinam catholicam de SS^ma^ Trinitate miraculo confirmatam fuisse : nempe acerbissimum tormentum passi propter fidem catholicam, dogma catholicum elingues testimonio suo promulgarunt.*

aut soli catholici,

11 *Quæ quum ita sint, habemus miraculum, cujus veritas denegari non potest, quin omnis fides historica penitus destruatur, et scepticismo latissima aperiatur porta. Ex hoc igitur capite nullatenus labefactatur auctoritas Victoris Vitensis; proindeque quando alia refert miracula eidem fides est iis minime abroganda. Quod autem dicitur, ex solis presbyteris catholicis derivari narrationem persecutionis, ex iis scilicet qui inter Vandalos viventes acerbissima tormenta passi fuerant* (2), *id etiam minus accuratum est. Nam ii merito testes omnium maxime momentosi habentur, qui miserias coram spectarunt, earumque participes fuerunt : esto talis testis Victor, episcopus Vitensis. Sed præter hunc, clero catholico accensendus non est Marcellinus, comes Illyricianus* (3), *qui scribit* (4) : Totam per Africam crudelis Hunerici, Wandalorum regis, in nostros catholicos persecutio
C importata est. Nam exsulatis diffugatisque plusquam CCCXXXIII Orthodoxorum episcopis, ecclesiisque eorum clausis, plebs fidelium, variis subacta suppliciis, beatum consummavit agonem. *Sequitur miraculum elinguium. Certe Marcellinus comes brevibus, sed nervosis verbis adumbrat persecutionem, quam singulatim describit Victor episcopus.*

non etiam ethnici, miraculum testati fuissent.

12 *Idem dicendum est de Procopio, qui, nedum presbyter catholicus fuerit, aliquibus nec Christianus fuisse videtur* (5). *Nihilominus Vandalicam persecutionem talibus coloribus depingit, ut eam exaggerare vix potuerit Victor historicus.* Christianos, *inquit De Bello Vand. l. I, c.* 8 (6), Africæ tam crudeliter, tamque injuste nemo vexavit, quam Honoricus. Quum enim illos ad sectam Arianam compelleret, quoscumque parum ad obsequendum promptos deprehendebat, igne aliisque suppliciis excru- D
ciatos necabat *etc. Presbyter aut clericus nequaquam erat Justinianus imperator, qui tamen lege citata supra num.* 7 *rem affirmat. Falluntur igitur ii, qui in solos catholicos presbyteros omnem atrocitatem Vandalicæ persecutionis refundunt, quum alii sint, ab omni partium studio alieni, qui eadem referunt. Nec tandem fides alicui abroganda est, quia episcopus est, quia aut rem coram inspexit, aut a testibus omni exceptione majoribus didicit, aut demum totam rei seriem enucleatius exponit. Sed scilicet quo tempore hæc scribebantur anno* 1836 *in more erat positum, ut quidquid colore catholico attinctum, aut a clerico fideli conscriptum erat, flocci fieret.*

Miraculi testimonium tum Afris

13 *Eo etiam nomine miracula, a Victore Vitensi relata, impugnantur, quod nihil emolumenti aut subsidii catholicæ religioni attulerint: etenim ex illo tempore periit in istis Africæ provinciis maxima ex parte res christiana* (7). *Sed quis novit consilia Dei, cujus est mirabilia operari. Certe ad utilitatem hominum operatur miracula, quin propterea Afris prodesse debuerint. Nam, inquit S. Augustinus lib.* XXII, *de Civ. Dei cap.* 9 (8). Cui, nisi huic fidei attestantur ista E
miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne et in cœlum ascendisse cum carne? Quia et ipsi Martyres hujus fidei Martyres, id est, hujus fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum et crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando sed moriendo vicerunt. Pro ista fide mortui sunt, qui hæc a Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. *Profuerunt autem miracula, a Vitensi relata, ut magnam partem Afrorum catholicorum in vera fide retinerent et ad mortem atrocissimam subeundam animarent : ipsa dein miraculorum relatio, ad alias provincias transvecta, novum populis christianis argumentum fuit, ut tanto arctius vinculo veræ fidei constringerentur. Quod vero in Africa abolita fuerit deinceps christiana religio; id duplici causæ attribui potest. Imprimis enim exsulare coactus fuit clerus catholicus fere universus, ut satis constat ex Victore historico: deleto autem clero, ut pereat ipsa in populo religio, necesse est. Dein gens Africana, si fides est Salviano, omnium gentium corruptissima fuit. Iste quidem lib.* VII *de Gubern. Dei cap.* 13 (9). In Afris, *inquit,* pene omnibus nihil horum est, quod ad utrumque pertineat, id est, bonum æque ac malum, quia totum admodum malum. Adeo exclusa naturæ originalis sinceritate, aliam quodam modo in his naturam vitia fecerunt. *Nihil igitur miri, tales a religione catholica omnino deflexisse, nempe in Afris isti implentur verba Christi, Matth.* XXI, 43 quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur facienti fructus ejus.

tum reliquis catholicis profuit :

14 *Licet itaque Africæ incolis aut advenis seu Vandalis non profuerint miracula, a Victore relata, suo tamen utilitate non caruerunt. Nam præ cæteris ista miracula in fide confirmarunt non solum fideles, qui et ipsi persecutionem experiebantur, sed illos etiam, per universum im-*

(1) Mém. pour serv. à l'hist. eccles. T. XVI, p. 579. Cfr Notit. de Ænea Gazæo. Migne Patrol. Gr. T. LXXXV, col. 868. — (2) Marcus. Hist. des Wand. p. 238. — (3) Migne, Patrol. t. LI, col. 914. — (4) Ibid. col. 933. — (5) Alemanni Dissertatio in capite tomi III; Procopii t. XX. Edit. Bonn.; cfr Papencordt, Geschichte der Vand., p. 424. — (6) Procop., t. I, p. 344. Edit. Bonn. — (7) Marcus, Hist. des Wand., p. 238. — (8) Migne, Patrol., t. XLI, col. 771. — (9) Ibid., t. LIII, col. 141.

perium

A *perium dispersos, qui testes erant gloriosæ confessionis. Qui vero in Africa remanserunt indigenæ aut Vandali, libere excusserunt religionis jugum et, Arabibus circa finem sæculi* VII *Africam universam occupantibus* (1), *in sectam Mahumetis declinaverunt. Vandali autem, bello cum Romanis et indigenis attriti, quasi omnes, nullo fere sui vestigio relicto, evanuere. Censet tamen Fel. Papencordt in Historia Vandalorum* (2), *reliquias gentis inter Kabailos delitescere, quoniam ad Montes Aurasios* (*hodie* Auress) *est aliquod, teste Procopio lib.* II, *de Bello Vandalico cap.* 13 (3), hominum genus, cui non atra, ut Mauris, sed candida sit cutis ac flava cæsaries. *Quæ forma corporis Vandalorum genti, quatenus est Germanica, apprime convenit. Hanc tamen conjecturam non admittit D. Marcus, quia nullum hodie exstat elementum teutonicum in lingua hodierna istius gentis* (4).

3° *In factis historicis referendis*

15 *Quod tertio videtur auctoritatem Victoris Vitensis infringere illud est, quod facta historica minus accurate aut etiam erronee exponat* (5). *Imprimis falsi arguitur Victoris Vitensis narratio, quia martyrium Læti, episcopi*
B *Neptitani, ponit paucis diebus ante conventum episcoporum catholicorum, indictum in Kalendas februarias, id enim sanciverat Hunericus rex Vandalorum decreto data* XIII *Kal. Jun.* (XX *maj* (6)). *Adeoque Lætus martyrium facere debuit mense Januario. Sed ecce Victor Tunnonensis in suo Chronico docet nos, Lætum episcopum martyrio fuisse coronatum* VIII *Kal.* octobris, XXIV *septembris* (7). *Verum nuspiam dicit Vitensis, Lætum* paucis diebus *ante conventum concrematum fuisse : imo perpendenti textum Vitensis manifestum fit, passionem accidere potuisse inter* XX *Maji et* I *Februarii, ac proinde Tunnonensem et Vitensem nullatenus contrarios esse. En Vitensis verba* (8) : Appropinquabat jam futurus dies ille calumniosus calendarum februariarum, ab eodem statutus: conveniunt non solum universæ Africæ, verum etiam insularum multarum episcopi, afflictione et mœrore confecti. Fit silentium diebus multis, quousque peritos quosque et doctissimos viros interim separaret (*al.* exinde superaret); calumniis appositis enecandos. Nam unum ex
C ipso choro doctorum, nomine Lætum, strenuum atque doctissimum virum, post diuturnos carceris squalores incendio concremavit, æstimans tali exemplo timorem incutiens, reliquos se elisurum.

monstratur Victoris diligentia, in martyrio S. Læti;

16 *Ex hisce verbis nequaquam consequitur, S. Lætum supplicium subiisse* paucis diebus *ante kalendas februarii seu currente januario; quin potius contrarium insinuatur, quando dicitur,* silentium *fuisse* multis diebus, *ut* peritos quosque et doctissimos viros *aut a reliquis* separaret *sive* superaret. *Tunc ad terrorem incutiendum flammis addictus fuit Lætus; quo supplicio, sive inflictum fuerit mense septembris sive januario, sperare poterat Hunericus,* reliquos se elisurum. *Quod si tamen quis ex verbis Victoris Vitensis, sine ullo idoneo argumento, elicere vellet, Lætum paucis ante kalendas februarias diebus martyrium fecisse, remaneret altera quæstio, nempe utri Victori, Vitensi an Tunnonensi, potior fides adhibenda sit. In alterutro esset certe error, illi probabilius attribuendus, qui, quando aliæ non sunt rationes, remotior fuit a temporibus, de quibus scribit. Vitensis autem Victor verisimiliter circa finem sæculi quinti aut initio sexti carnis debitum solvit; dum Tunnonensis, ut constat ex chronico* (9), *etiam post annum primum Justini Junioris seu Christi* 565 *vitam protraxit : adeoque donec melius edocemur, sua staret auctoritas Victori Vitensi.*

AUCTORE J. V. II.

17 *Altera quoque ejusdem Victoris narratio in suspicionem falsitatis vocatur, nempe collationis episcoporum catholicorum cum Arianis, indictæ ad diem kalendarum februariarum ab Hunerico rege* (10). *Mihi quidem videtur narratio omnium candidissima* (11) : *etenim quum vidissent episcopi catholici, Cyrilam Arianum* in loco excelso *occupare* superbissimum thronum, *dixerunt,* gratam esse collationem, ubi superba non dominatur potestatis elatio ; *quæsieruntque,* quis futurus esset cognitor, quis examinator, ut libra justitiæ aut bene prolata confirmaret aut prave assumpta refelleret. E *Respondit notarius regis, Cyrilam patriarcham futurum cognitorem. Catholici patierunt,* quo concedente, istud sibi nomen Cyrila assumpsit: *sed Ariani* strepitum concitantes *eo controversiam deducunt ut* universi filii catholicæ Ecclesiæ, qui aderant, centenis fustibus tundantur. *Quum autem episcopi catholici rogassent Cyrilam, ut exponeret, quod in mente habebat, reposuit iste :* Nescio latine : *Sed catholici dixerunt :* Semper te latine esse locutum, manifesto novimus; modo excusari non debes, præsertim quia tu hujus rei incendium suscitasti. *Noluit tamen Cyrilas præbere audientiam : itaque obtulerunt Hunerico regi professionem fidei catholicæ, quam jam ante kalendas februarias conscripserant. En summarium rei gestæ, cui falsitatis nota inuritur. Verum si quis perpendit fraudes, quas secta Arianorum contestatas habet, exempli gratia in Vita S. Athanasii Alexandrini, in variis conciliis tum catholicorum tum Arianorum, nemo est, qui non videat, easdem artes ab Arianis Vandalis quam ab hæreticis aliarum provinciarum adhibitas fuisse.* F

in epistola episcoporum catholicorum

18 *Suspiciosum etiam videtur, quod episcopi catholici libellum fidei suæ, ante kalendas februarias conscriptum, ut habet Victor Vitensis lib. II, cap.* 18 (12), *primum mense aprili, id est,* XVII (*al.* XII) *kalendas majas Hunerico regi obtulerint* (13). *Sed objectio nullius est ponderis : nam etiamsi nulla dari posset ratio, cur non statim post solutum conventum Carthaginensem libellus oblatus fuerit, non video, quid inde auctoritatis decresceret Victori historico. Nimium sæpe ignoratur, cur aliquid citius aut tardius factum sit, quin propterea sinceritatem scriptoris in controversiam vocemus. Attamen si accurate textum Victoris consideramus, is ipse facilem nobis responsionem præbebit. Decreto suo, dato* VI *Kal. martias seu* XXIV *februarii* (*erat annus* 484 *bissextilis*), *Hunericus nos*

ad Hunericum regem

(1) Morcelli. Afric. Christ., t. I, p. 29 et t. III, p. 393. — (2) Geschichte der Vand. p. 322 et seqq. — (3) Procop., t. I, p. 466. Edit. Bonn. — (4) Hist. des Wand. p. 401. — (5) Marcus. Hist. des Wand. p. 320 et 322, note p. 65. — (6) Migne Patrol., t. LVIII, col. 213. — (7) Ibid., t. LXVIII, col. 946. — (8) Ibid., t. LVIII, col. 217. — (9) Ibid. t. LXVIII, col. 962. — (10) Marcus Hist. des Wand. p. 122, note. p. 65. — (11) Migne Patrol. t. LVIII, col. 218. — (12) Migne, Patrol., tom. LVIII, col. 219. — (13) Ibid., col. 234. Marcus, Hist. des Wand., p. 322.

AUCTORE J. V. H.

docet, episcopis catholicis, ad kalendas februarias Carthagini præsentibus, aliam quoque dilationem aliquantorum dierum dedisse (1) : *ita ut conventus in minorem majoremve partem mensis februarii excurrerit; nulla tamen emolumento. Nam Ariani volebant catholicos ad suas partes simpliciter traducere.*

cujus tempus determinatur:

19 *Porro verisimile est, catholicos episcopos professionem fidei direxisse ad regem Hunericum currente februario mense, adeoque vitio librariorum in textum Victoris irrepsisse* majum *pro* martio, *proinde legendum esse :* Explicit libellus, directus sub die XII (al. XVII) kalendarum martiarum *pro majarum* (2). *Ita censet Felix Papencordt in Historia Vandalorum, lib. II, cap.* 2 (3) : *et merito quidem, quum ex ipso Victore eluceat, oblatam fidei professionem in causa fuisse, ut edictum suum promulgaret Hunericus.* Quum, *inquit* (4), noster libellus legeretur, oblatum veritatis lumen nequaquam sufferre cæcis oculis potuerunt insanientes... Statimque mentientes suggerunt regi... qui... festinavit facere, quod volebat. Et jam conscriptum decretum habens... una die universas Africæ ecclesias clausit *etc. Itaque professio fidei oblata fuit currentis mensis februarii die* XIII *aut* XVIII, *prout quis legerit* XVII *aut* XII *kal. Atque hinc caducum fit argumentum, quo objicitur catholicis episcopis tarditas in offerendo libello suo regi Hunerico.*

B

4° Rigor disciplinæ ecclesiasticæ nullatenus impedit sinceritatem scriptoris.

20 *Non morabor in confutando quarta objectione, qua Victoris auctoritas impetitur, nempe rigorem disciplinæ ecclesiasticæ fuisse maximum obstaculum conciliandis animis* (5). *Ea est enim catholicæ Ecclesiæ indoles, ut ab iis, quæ ad doctrinam fidei pertinent, numquam vel latum unguem declinet. Habet scilicet depositum, quod violare non licet,* id est, *inquit Vincentius Lirinensis in Commonitorio Primo cap.* 22 (6), quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens sed sequens. *Talis certe fuit omni tempore ad hanc usque diem agendi ratio Ecclesiæ Catholicæ, quæ circa doctrinam fidei, numquam subire voluit qualemcumque transactionem. Quando e contrario agebatur de disciplina, quæ ex legibus humanis coalescit, nihil fuit benignius matre Ecclesia. Exstat egregium, domesticum, coævum hujus benignitatis monumentum, quando, ut testatur S. Augustinus in libro de Gestis cum Emerito num.* 6 (7), *episcopi Africanæ Ecclesiæ, ut Schisma Donatistarum aboleretur,* paratos *se exhibebant,* episcopatum pro Christi unitate deponere.

C

—

§ II. Tempus Sancti in episcopatu Carthaginensi; exsilium ex Africa; incolatus Neapolitanus; obitus, cultus et sepultura.

D

S. Quodvultdeus,

H*actenus dicta satis sunto, ut monstremus auctoritatem S. Victoris Vitensis nullatenus labefactari quorumdam animadversionibus, qui ejus scripta sive cum monumentis historicis sive cum coævis scriptoribus non contulerunt. Nunc ad S.* Quodvultdeum *accedamus. Martyrologium Romanum hisce verbis Sanctum exornat :* Eodem die (*scilicet* XXVI *octobris*) Sancti Quodvultdei episcopi Carthaginensis, qui una cum clero a Genserico rego Ariano in navibus fractis absque remigiis et velis impositus, præter spem Neapolim appulit, ibique in exsilio positus, confessor occubuit, *Ado die* XXVIII *novembris, annuntiata crudeli passione sanctorum episcoporum Papinii et Mansueti* tempore Wandalicæ persecutionis, *subjungit :* quo tempore etiam alii sancti episcopi, videlicet QUODVULTDEUS Carthaginensis, Valerianus, Urbanus, Crescens, et qui vocabatur Habetdeum, et Eustachius, Crescentianus et Cresconius et Felix et Hortolanus et Florentianus propter eamdem prædicationis veritatem, gravissimo damnati exsilio, in confessione pietatis, cursum vitæ suæ consummaverunt. Quodvultdeum *omnino omittit Usuardus; sed aliquot ejus Auctaria Sanctum nostrum recensent. Centulense, Greveni et Molani eadem, si substantiam spectas, habent ac Ado.*

E

cujus depositionis dies ad XI *kal. martii referenda est,*

22 *Ex hisce verbis Adonis scribentis* eodem tempore *confessione claros fuisse varios episcopos Africanos, satis liquet diem natalem nequaquam indicatam fuisse. Ast in Kalendario Carthaginensi, edito a Mabillonio* (8), *legitur :* VI idus januarii, depositio Quodvultdeus episcopi; *neque dubium est viro erudito, agi hoc loco de nostro Carthaginensi antistite, qui obiisse dicitur die* VIII *januarii. Et vero diem natalem esse* VIII *januarii omnino certam haberem ex auctoritate Kalendarii Carthaginensis, quatenus domestici, si sua in sede obiisset S.* Quodvultdeus. *Ast exsul, nempe Neapoli, diem suum clausit sanctus antistes : et Kalendaria Neapolitana ejus obitum referunt ad diem* XIX *februarii seu* XI *Kalendas martii. Certe Vetus Marmoreum Ecclesiæ Neapolitanæ Kalendarium, quod erudite commentatus est Alexius Mazocchi, quodque sæculo nono, jam ultra medium progresso, concinnatum fuit* (9), *ad diem* XI *Kal. martias ponit :* DP QUODVULTDEI EPI (10). Habenda est, *inquit laudatus Mazocchi* (11), huic marmori gratia, cujus ope verus depositionis dies S. Quodvultdei, cum aliis Veteribus Kalendariis Neapolitanis consentiens pro comperto habetur. Cum veteribus, inquam, Kalendariis consentiens : nam in posterioribus id festum aut die uno antevertitur (sicut in quibusdam Otterii membranis, a Tutino excerptis, in quibus pridie in festum signatur) aut uno die postponitur (sicuti legitur in Kalendario ms. Ritualis Neapolitani inter Tutini Schedas) ubi

F

(1) Migne, Patrol., t. LVIII, col. 235. — (2) Ibid., col. 234. — (3) Geschichte der Vand., p. 115. Cfr Morcelli, Afric. Christ., tom. III, p. 206. — (4) Migne, Patrol., tom. LVIII, col. 233. — (5) Marcus, Hist. des Wand., p. 342. — (6) Migne, Patrol., tom. L, col. 667. — (7) Ibid., tom. XLIII, col. 702. — (8) Vet. Analect. p. 167. — (9) Mazocchi, In Vetus marmoreum Kalendar. p. XV et seqq. — (10) Ibid. p. 63. Cfr Mai. Scriptt. Vett. Nov. Collect., t. V, p. 60. — (11) Ibid., l. c.

hoc

A hoc quidem die notatur littera rubra : « Barbati episcopi, » vigesimo autem sic scribitur « Quodvultdei episcopi. » Ex quo vides Barbati festum ejecisse loco suo Quodvultdeum in recentioribus Kalendariis.

exsul ex Africa, Neapolim appellit ;

23 *Pauca, quæ de rebus gestis S.* Quodvultdei *habemus, refert Victor Vitensis lib.* I, *cap. 4 et* 6 *his verbis* (1) : Ipsam urbem maximam Carthaginem Geisericus tenuit et intravit, et antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in servitutem redegit. Nam et senatorum urbis non parvam multitudinem captivavit. Et inde proposuit decretum, ut unusquisque auri, argenti, gemmarum, vestimentorumque pretiosorum quodcumque haberet, afferret ; et ita in brevi avitas atque paternas opes tali industria abstulit rapax... Præterea præcipere nequaquam cunctatus est Vandalis, ut episcopos atque laicos nobiles de suis ecclesiis et sedibus nudos penitus effugarent. Quod si, optione proposita, exire tardarent, servi perpetuo remanerent. Quod etiam in pluribus factum est : multos enim episcopos et laicos, claros atque honoratos viros, servos esse novimus Vanda-
B lorum. Tunc vero memoratæ urbis episcopum, id est, Carthaginis, Deo et hominibus manifestum, nomine Quodvultdeum, et maximam turbam clericorum, navibus fractis impositos, nudos atque exspoliatos expelli præcepit. Quos Deus miseratione bonitatis suæ prospera navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus est civitatem.

sedem Carthaginensem

24 *Post hæc, quæ certa sunt, superest, ut conjecturis indulgeamus ; inquirendo imprimis, quo tempore S.* Quodvultdeus *in episcopum electus fuerit et quamdiu ecclesiæ gubernacula tenuerit, et dein qualem apud Neapolitanos, ad quos confugerat, obtinuerit cultum. Prima quæstio de tempore episcopatus est implicatissima. Optime nota est successio episcoporum Carthaginensium istius ævi. Aurelio, S. Augustini amico, successit Capreolus, quem excipit* Quodvultdeus *noster, et ipse successorem nactus episcopum Deogratias. Sed quam certa est horum episcoporum series, tam incertum est, quanto quisque tempore cathedram Carthaginensem occupavit. De Aurelio disputant eruditi, alii annum ejus emortualem, vulgarem* 429 (2), *alii annum* 426 *statuentes* (3). *Verum hæc omittimus, de iis accuratius locuturi ad calcem hujus Commentarii, ubi Acta S. Aurelii dabimus, a majoribus omissa ad diem* XX *julii* (4), *quamvis ejus memoriam celebret antiquissimum Carthaginense Kalendarium a Mabillonio editum* (5). *Capreolum vero sedem Carthaginensem occupasse jam anno* 431 *constat ex ejus epistola, ad Patres Ephesinos directa, in qua absentiam suam excusat propter turbatum per Vandalos universæ Africæ statum* (6).

C

occupat post Capreolum ante annum 439 :

25 *Incertum proinde est, quando pontificatum suum inchoaverit Capreolus, nec minus obscurum, quando eumdem finierit, sedem relinquens vacuam S.* Quodvultdeo. *Capreoli obitum, adeoque S.* Quodvultdei *electionem consignat Morcelli sub anno* 437, *quin ullum suæ chronotaxis alleget vadimonium. Id unum certum est, quod, Genserico* XIV Kal. novembris 439 Carthaginem dolo pacis invadente (7), *S.* Quodvultdeus *sedem jam occupabat : ex qua vel hoc ipso anno aut sequenti pulsus fuit nam, ait Vitensis* (8), *persecutionem episcoporum* præcipere nequaquam cunctatus est. *Sanctum antistitem nostrum eumdem esse ac Quodvultdeum, diaconum Ecclesiæ Carthaginensis, censet Baronius in suo Indice. Erat nempe diaconus iste tantæ auctoritatis, ut S. Augustino suadere valeret scriptionem libri* de Hæresibus, *quem etiam Quodvultdeo inscripsit* (9), *et alludendo ad ejus nomen dicit :* Quoniam fateor nullum mihi, ut te, institisse poscendo ; in ipsa tam molesta instantia tua etiam nomen tuum attendi, et dixi : Aggrediar, et faciam quod vult Deus. *Mirum proinde non sit, diaconum magnæ auctoritatis, utpote ad quem recurrerent multi obtinendi libri causa, ut ipse Quodvultdeus testatur in epistola* CCXXI *inter Augustinianas* (10), *mortuo Capreolo successorem substitutum fuisse : frequentissime ista præsertim ætate, episcopis suis succedebant diaconi Ecclesiarum.*

AUCTORE J. V. H.

et Neapoli agens, vitam solitariam colit,

26 *Eodem, quo exsulavit S.* Quodvultdeus *anno, Neapolim Campaniæ appulit, usus nempe, ait Vitensis* (11), prospera navigatione. *Itaque Sanctus noster* unus fuit, *ut habet Martyrologium Romanum ad diem* I *Septembris,* ex illis sacerdotibus, qui in persecutione Wandalorum ob fidem catholicam varie afflicti et vetustæ navi impositi, ex Africa ad Campaniæ littora pervenerunt, et christianam religionem, in iis locis dispersi, diversisque Ecclesiis præfecti, mirifice propagarunt. *Quid porro Neapoli egerit S.* Quodvultdeus *est nobis omnino ignotum. Id certum est, Sanctum Neapoli dies suos transegisse, sepulturam ibidem nactum, et minime esse accensendum episcopis Neapolitanis, quorum Catalogum, sæculo nono confectum, habemus. In eo autem occurrunt Timasius et Felix, qui toto tempore, quo S.* Quodvultdeus *Neapolim habitare potuerit, sedem occuparunt* (12). *Dies reliquos videtur impendisse Sanctus solitudini colendæ in monasterio a S. Gaudioso, episcopo pariter Afro, exstructo.*

usque ad medium sæculum quintum :

27 *Quamdiu autem S.* Quodvultdeus *ibidem vixerit, nos latet. Anno certe quinti sæculi quinquagesimo quarto ordinatus fuit episcopus Carthaginensis Deogratias. Nempe* supplicante, *inquit Vitensis* (13), Valentiniano Augusto, Carthaginensi Ecclesiæ post longum silentium desolationis episcopus ordinatus est nomine Deogratias. *Porro ordinationem istam ad annum Christi* 454 *referendam esse, constat ex Romana expeditione Genserici, qui,* illo episcopo constituto... quinto decimo regni sui anno cepit Romam (14), *seu, ut inter omnes convenit, anno Christi* 455. *Tandem Prosper Tiro in suo Chronico dicit* (15) : Aetio et Studio Coss. (*id est anno* 454) Carthagine ordinatur episcopus Deogratias in basilica Fausti, die dominico VIII Kal. novembris. *Deest tamen vitio librarii in numero Kalendarum obelus unus : nam anno Christi* 455, *littera dominicali C signato, inci-*

(1) Migne. Patrol., t. LVIII col. 186. — (2) Pagi. Crit. Baron. ad an. 430, § XXVI. Morcelli. Afric. Christ., t. III, p. 129. — (3) Schelstrate, Eccles. Afric. p. 274. — (4) Act. SS., t. V Jul. p. 3. — (5) Vet. Analect. p. 164. — (6) Labbe, t. III, Conc. col. 529. — (7) Migne, Patrol., t. LI, col. 598. — (8) Ibid., t. LVIII, col. 186. — (9) Ibid.,t. XLI, col. 21. — (10) Ibid., tom. XXXI, col. 999 — (11) Ibid., t. LVIII, col. 187. — (12) Mazocchi. De SS. Neapolit. cultu. p. 24. — (13) Migne Patrol. t. LVIII, col. 191. — (14) Ibid. l. c. — (15) Biblioth. Max. Patt. Lugd. t. VIII p. 200.

debat

AUCTORE J. V. H.

debat dies dominica in VIIII Kal. novembris, seu XXIV *octobris. Ex his verisimiliter deducitur, S.* Quodvultdeus *circa medium sæculum quintum diem suum obiisse, quod tempus, quoniam certius et propius nancisci non possumus, in capite hujus commentarii assignavimus. Steph. Morcelli annum Sancto emortualem divinando dicit, fuisse* 444 (1): *Ecclesia, inquit, Carthaginensis* Quodvultdeum suum, quem sexennio ante (*imo quinquennio*) abreptum fleverat, nunc fortasse exstinctum lugebat. *Nullum autem divinationis suæ affert argumentum.*

post ejus obitum cultum

28 *Cultum porro S.* Quodvultdei *apud Neapolitanos antiquissimum fuisse, ostendit Kalendarium marmoreum, quod supra num.* 22 *attulimus : eumdem in Ecclesia perseverasse est verisimillimum ex aliis Kalendariis, ibidem citatis. Certe Decius Carafa, Cardinalis et archiepiscopus Neapolitanus, quum anno* 1619 *Synodum diœcesanum celebraret , in ea decrevit* (2), ut pristinus cultus, Sanctis debitus, multis jam annis ob temporum injuriam intermissus, qua decet devotione redderetur; nam ipse dicit (3), nonnullos Sanctos, quo-
B rum aut integra corpora aut insignes corporum partes Neapoli, nullo sacri officii cultu, uti par est et antiquitus fieri consueverat, honorari, *novum compilavit kalendarium, quod omnes*, qui ad recitationem divini officii tenentur, *sequi deberent. Et quidem S.* Quodvultdeum *nostrum, inter illos fuisse, quorum nomina* ob temporum *injuriam deleta fuerant, verisimile nobis est, quia in Proprio Neapolitano, sub titulo :* Officium Sanctorum *Januarii et reliquorum patronorum, anno* 1425 *edito, nulla est mentio sancti antistitis nostri. Quum proinde Decius archiepiscopus kalendarium suum retractavit ad diem* XXVI *octobris scripsit* (4): Quodvultdeus episcopus Carthaginensis. Semiduplex. Omnia de communi Confess. Pont. Missa de communi sine Credo.

obtinet in Ecclesia Neapolitana,

29 *Verum Decianum Kalendarium ejus successor Cardinalis Franciscus Buoncompagnus intra certos limites coarctavit anno* 1628, *ut liquet ex ejus decreto* (5), *in quo,* quia multi D importunis precibus diversorum Sanctorum Officia extra synodum prædictam (*Decianam*), præter formam Romani Breviarii et bullæ fel. rec. Pii Pp. V recitari obtinuerunt, unde recitatio divini officii de Dominica et psalterii ferialis continuatio multoties interrumpitur *propterea* omnia Officia, addita antiquo Kalendario Neapolitano ab anno 1619 citra ad antiquam et pristinam formam reduxit. *Utrum tunc ex Kalendario Buoncompagni Cardinalis expuncta fuerit Sancti nostri festivitas, non ausim, quoniam mihi desunt kalendaria sequentium annorum, asserere. Verumtamen in directoriis liturgicis præsentis sæculi, nullum universalis per diœcesim Neapolitanam cultus vestigium reperio. Animadvertit autem laudatus Mazocchi* (6), *quæ sustulit Buoncompagnus festa, per universam diœcesim præscripta, non fuisse exstirpata, sed ad eas duntaxat ecclesias restricta, in quibus eorum Reliquiæ asservabantur. Atque ita censemus, cultum S.* Quodvultdei *in ecclesia, ubi ejus corpus reconditum erat, perseverasse.*

E

et corpus in monasterio S. Gaudiosi conditum fuit.

30 *Nam Sancti corpus in ecclesia S. Gaudiosi Neapoli servabatur, quum prius in suburbiis sepultum fuisset : translationem celebravit Stephanus II, Neapolitanus episcopus, ut refert Mazocchi ex monumentis ecclesiæ S. Gaudiosi* (7). *Erat vero Stephanus episcopus, qui ab anno* 764 *ad* 798 *sedit,* sanctarum, *ait Ughellus* (8), Reliquiarum amator. *De isto cœnobio S. Gaudiosi agit Franciscus de Magistris in libro edito* 1678 *sub titulo De Statu civitatis Neapolitanæ* (9). *Monasterium cui olim præfuit S. Agnellus, cujus Acta ad diem* XIV *decembris exponentur, lapsu temporis ad moniales Ordinis S. Benedicti, quæ ibidem erant numero octoginta cum octo sacerdotibus, ecclesiæ inservientibus, devenit. De hoc monasterio agendum nobis erit ad diem* XXVIII *octobris, qua notitiam de S. Gaudioso et monasterio ab ipso fundato dabimus. Hodie conversum est in Collegium chirurgico-medicum.*

(1) Afric. Christ. t. III, p. 152. — (2) Mazocchi. De cultu SS. Neap. p. 51. — (3) Ibid. l. c. — (4) Ibid. p. 67. — (5) Ibid. p. 72. — (6) Ibid. p. 73. — (7) De cultu SS. Neapol. p. 67. — (8) Ital. sacr. t. VI, col. 62 et seqq. — (9) Pag. 329.

C F

APPENDIX

DE S. AURELIO,

EPISCOPO CARTHAGINENSI,

J. V. H.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Sanctus a nostris perperam omissus; ejus in Ecclesia Carthaginensis diaconatus et pontificatus; celebratio conciliorum.

CIRCA ANNUM 429.

S. Aurelius, ad diem XX *julii a nostris omissus,*

Omiserunt olim *majores nostri edere Acta S.* Aurelii, *episcopi Carthaginensis, rati ejusdem memoriam nuspiam celebrari.* Aurelii, *inquiunt ad diem* XX *julii inter præ-*

(1) Act. SS. t. V Jul. p. 3.

termissos (1), Carthaginensis in Africa episcopi, S. Genethlii successoris, S. Augustini synchroni memoriam totidem verbis hoc die Sanctis attexuit Castellanus, nescio, quo duce,

quave

A quave auctoritate, quum ejus in sacris Fastis memoriam nullibi expressam repererim. *Ast unus e sequentibus Hagiographis, in eo, quo utor, exemplari, notam, manu exaratam, addidit.* Aurelius, *ait*, habetur in antiquissimo Kalendario Carthaginensi apud Mabillonium in Analectis (1) ex quo plures prætermissi. *In Annotatis dein ad Vitam S. Augustini, a S. Possidio editam* (2), *promittunt, se ejus Acta daturos* in supplemento Operis. *Nos satius duximus omissorum, prout occurrunt, spicilegium facere. Eumdem Sanctum prætermisit quoque Steph. Morcelli in suo, quod compilavit, Martyrologio Ecclesiæ Africanæ, ad calcem secundi voluminis annexo* (3). *Nihilominus non est, quo S.* Aurelii *cultus in controversiam vocetur, quum ejus nomen in Kalendario Carthaginensi, a Mabillonio edito, reperiatur his verbis sub* XIII *Kal. augusti* (XX julii) (4) : Depositio sancti Aurili episcopi. *In nota, textui subjecta, addit Mabillonius :* Carthaginensis, viri celeberrimi, S. Augustini æqualis, cujus nomen in Martyrologiis, non invenio. *Istud autem Martyrologium antiquissimum esse, vel ex eo manifestum*
B *fit, quod nullam memoriam referat S. Fulgentii Ruspensis, qui anno* 533 *obiit,* neque aliquod festum Deiparæ occurrat, de qua nullus apud S. Augustinum tractatus seu sermo. *Tandem cultum Sanctorum, in Kalendario recensitorum, fuisse vere liturgicum, ostendit titulus eidem præscriptus, nempe* hic continentur dies nataliciorum Martyrum et depositiones episcoporum, quos Ecclesia Carthaginensis anniversaria celebrant (5). *Quandoquidem in eo habetur nomen S.* Aurelii *ad diem* XX *julii, dubium nullum superesse potest de ejus legitimo cultu, ac silentium reliquorum Martyrologorum interpretari nos oportet, ex parca communicatione, quæ deinceps Africam inter et reliquum Occidentem propter Vandalos et deinceps Saracenos intercessit.*

diaconus primum fuit Ecclesiæ Carthaginensis ;

2 *De gestis S.* Aurelii *ante episcopatum unum scimus, illum fuisse diaconum Ecclesiæ Carthaginensis. Id docet nos S. Augustinus in epistola* XXII (*al.* LXIV) *ad illum directa* (6), *in qua ipse adhuc presbyter hortatur episcopum ut comessationes super sepulcris Martyrum auctoritate sua interdicat, quia sicut* videtur audaciæ, mutare conari quod Carthaginensis
C Ecclesia tenet, sic magnæ impudentiæ est, velle servare, quæ Carthaginensis Ecclesia correxit. Ad hanc autem rem quis alius episcopus esset optandus, nisi qui ea diaconus exsecrabatur. *Quamvis autem S.* Aurelius *diaconus Ecclesiæ Carthaginensis fuerit, non constat tamen eum Carthagine ortum habuisse. Erat enim hujus Ecclesiæ singulare privilegium, ut episcopus Carthaginensis, qui, ajunt patres in Concilio anni* 400 (7), cunctarum Ecclesiarum sollicitudinem sustinebat, *clericos* unde vellet, *sibi assumeret. Dein tanta erat per Africam illa tempestate inopia clericorum, ut in eodem concilio Carthaginensi anni* 400 *decreta fuerit legatio ad Romanum Pontificem Anastasium et ad Mediolanensium antistitem Venerium, quatenus ipsi de sua abundantia penuriam Afrorum sublevarent; nam* multæ Ecclesiæ ita desertæ erant, ut ne unum quidem diaconum vel inliteratum (*id est lectorem*) habere reperirentur... *Quod* si ministerium diaconi facile non inveniebatur, multo magis superiorum honorum inveniri non poterant (8). *Ex his omnino manifestum fit clericos undecumque accersitos fuisse; adeoque patriam S.* Aurelii, *licet Carthaginensis diaconi, nos latere.*

AUCTORE J. V. H.

fit episcopus inter annos Christi 390 *et* 393 ;

3 *Non satis constat, quo anno S.* Aurelius *Carthaginensem cathedram conscenderit. Emman. a Schelstrate indicat annum Christi* 390 (9); *Steph. Morcelli, annum* 391 *aut etiam sequentem* (10). *Id certum anno* 390 *Genethlium, Carthaginensem,* XIV *Kal. junii celebrasse in sede sua synodum, vulgo Concilium Carthaginense II dictam* (11); *similiter ejus successorem,* Aurelium *nostrum, præfuisse Concilio, Hippone Regio anno* 393, VIII *Id. octobris coacto* (12) : *initium itaque episcopatus sancti nostri inter annos* 390 *et* 393 *constituendum est; quin propius quidpiam definiri possimus. Erat autem Carthaginensis Ecclesia quasi mater totius Africæ Christianæ.* Ego, *inquit ipse S.* Aurelius *canone* 55 E *in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ* (13), cunctarum Ecclesiarum dignatione Dei, ut scitis fratres, sollicitudinem sustineo. *Quibus verbis, ut ibidem legitur, assensum suum præbuere episcopi. Propterea quoque statuitur canone* 52 *Concilii Carthaginensis anni* 401, *ut* litteræ dictandæ in concilio *a Carthaginensi episcopo* omnium nomine *subscribantur* (14). *Reliquæ autem provinciæ (nam præter Proconsularem, cui Carthago metropolis erat, aliæ quinque erant, nempe Numidia, Byzacena, Mauritania Cæsariensis, Mauritania Sitifensis et Tripolitana* (15)) *licet metropolim haberent, suberant antiquiori provinciæ, qui Primatis titulum gerebat; unde ambulatoria erat primatis jurisdictio. Sic can.* 53 *Concilii vulgo Africani sancitur* (16) : Placuit omnibus episcopis, qui in hoc concilio subscripserunt, ut matricula et archivus Numidiæ et apud primam sedem sit, et in metropoli, id est, Constantina. *De hac re pluribus agit jam sæpe laudatus Emman. a Schelstrate* (17).

quo tempore Carthagini sedit Parmenianus Donatista :

4 S. Aurelius *episcopus competitorem habebat suæ sedis Parmenianum Donatistam, qui ad an.* 394 *vixisse videtur, quo electus fuit Primianus, qui et ipse, novo schismate inter schismaticos exorto, competitorem habuit Maximinum; unde deinceps inter Donastistas fuerunt, qui Primianistæ et Maxiministæ dicebantur, prout alterutrius factionis sectatores fuerunt. Hujus Commentarii non est, operosius conscribere historiam Donatistarum, quam passim exhibent Annales ecclesiastici et adumbravit Gulielmus Cuperus noster in Commentario ad Acta S. Augustini,* § XIX (18). *Ast Primiano demortuo, episcopum Carthaginensem habere desierunt Donatistæ; neque enim alius post illum apparet; in Numidia diutius.*

S. Aurelius *fundat monasterium ;*

5 *Videtur autem S.* Aurelius, *ab initio sui pontificatus, Augustini, quem summopere diligebat, precibus se commendasse et agrum juxta*

(1) Vet. Analect. 164. — (2) Act. SS. t VI Aug. p. 432. — (3) Afric. Christ. t. II p. 459. — (4) Vet. Analect p. 164. — (5) Ibid. p. 163. — (6) Migne, Patrol., tom. XXXIII, col. 90. — (7) Labbe, tom. II, conc. col., 1647. — (8) Ibid., col. 1643. — (9) Eccles. Afric., p. 274. — (10) Afric. Christ., t. I, p. 53; t. II, p. 307. — (11) Labbé, tom. II, Conc. col. 1159. — (12) Ibid., col. 1641. — (13) Ibid , col 1080. Cfr Schelstrate, Eccles. Afric. Dissert. I, cap. 5. — (14) Ibid., col. 1654. — (15) Morcelli, Afric. Christ,, t. I, p. 32 et seqq. — (16) Labbe, tom. II, Conc. col. 1655. — (17) Eccles. Afric., Dissert. I, cap. 4. — (18) Acta SS., tom. VI Aug., p. 262.

Carthaginem

AUCTORE J. V. H.

Carthaginem dedisse, ut ibidem discipuli Augustini, adhuc presbyteri, vitam agerent. Id enim aperte dicit sanctus Doctor epistola XXII, *aliis* LXIV (1). Illud, *inquit*, primum, quod orationibus meis te adjuvari credis, non solum non defugio, verum etiam libenter amplector. Ita enim, etsi non meis, sed tuis, me Dominus noster exaudiet... Omnis itaque fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coalescere, tanta tibi prærogativa obstrictus est, ut locis terrarum tantum longe disjunctis ita nobis consulueris, tamquam præsentissimus spiritu. Quapropter precibus quantum valemus incumbimus, ut gregem tibi commissum tecum Dominus sustinere dignetur, nec te uspiam deserere, sed adesse adjutor in opportunitatibus, faciens cum Ecclesia sua misericordiam per sacerdotium tuum, qualem spirituales viri, ut faciat, lacrymis eum gemitibusque interpellant. *In fine ejusdem epistolæ addit cupere se* videre agrum, quem fratribus suis datum provisione et liberalitate Aurelii didicerat.

S. Augustino amicissimus,

6 *In eadem epistola S. Doctor Aurelium monuerat de tollendo abusu comessationum, quæ ad sepulcra Martyrum fiebant.* Commessationes, B *ait*, et ebrietates ita concessæ et licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum non solum per dies solemnes (quod ipsum non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit) sed etiam quotidie celebrantur. *Proponit dein exemplum Ecclesiarum transmarinarum, in quibus*, partim numquam facta sunt, partim vel orta vel inveterata sanctorum et vere de vita futura cogitantium episcoporum diligentia exstincta atque deleta fuerunt. *Hortatur dein* Aurelium, *ut tanta* pestilentia sanetur prorsus concilii auctoritate. Aut, *pergit*, si ab una Ecclesia inchoanda est medecina; sicut videtur audaciæ mutare conari, quod Carthaginensis Ecclesia tenet, sic magnæ impudentiæ est, velle servare, quæ Carthaginensis Ecclesia correxit. *Monenti S. Augustino presbytero obsecutus est S.* Aurelius *episcopus. Nam in Sermone* CCCXI *de S. Cypriano habet S. Doctor* (2) : Ante annos non valde multos etiam istum locum invaserat pestilentia et petulantia saltatorum. Istum tam sanctum locum, ubi jacet tam sancti Martyris C corpus, sicut meminerunt multi, qui habent ætatem, locum, inquam, tam sanctum invaserat pestilentia et petulentia saltatorum. Per totam noctem cantabantur hic nefaria et cantantibus saltabatur. Quando voluit Dominus per sanctum fratrem nostrum, episcopum vestrum, ex quo hic cœperunt sanctæ vigiliæ celebrari, illa pestis, aliquantulum reluctata, postea cessit diligentiæ, erubuit sapientiæ.

a quo luculenter laudatur :

7 *Laudat etiam S. Augustinus S.* Aurelii *miram abstinentiam et rerum contemptorem animum. Quum enim sermone* CCCLV *dixisset* (3): Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum : imo Deo propitio neminem inveniat; *addit* : Quam laudabile factum sancti et venerandi episcopi Aurelii Carthaginensis ! quomodo implevit omnibus, qui sciunt, os laudibus Dei? Quidam quum filios non haberet neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, et reddidit episcopus nec opinanti quæ ille donaverat. In potestate habebat episcopus non reddere; sed jure fori, non jure poli. Aurelii *factum egregium citatur in Decreto Gratiani can. 43, caus.* XVII, *quæst. 4. Sed dubitari potest, an* in potestate haberet episcopus non reddere *hæreditatem* jure fori *seu legis civilis. Exstat certe in Codice Theodosiano lex, nempe l.* 3 de revocand. donat. (*lib.* VIII, *tit.* 13), *qua sancitur :* Si umquam libertis patronus, filios non habens, bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, et postea susceperit liberos, totum quidquid largitus fuerit, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum. D

maxime propter rerum temporalium abstinentiam :

8 *Jacobus Gothofredus in suo Commentario perpetuo Codicis Theodosiani quærit* (4), *an beneficio hujus legis fruantur quicumque orbi donatores bonorum omnium vel partis eorum, si post donationem liberos susceperint. Aliqui affirmant, eorumque opinio, ait* in communem usum et praxim evasit. *Ipse tamen Gothofredus in sententiam negativam propendet, ejusque rationes varias affert.* 1° *Quia supervenientia* E *liberorum nuspiam adducitur, tamquam causa revocationis.* 2° *Quia personæ, de quibus agitur in lege, arcto necessitudinis nexu conjungebantur, ut liberti patronos suos eorumque liberos de suo alere cogerentur : unde absurdum videbatur, liberos spoliare iis bonis, quæ dein liberti, in quorum gratia donatio facta erat, in liberos expendere deberent.* 3° *In allata lege non solum agitur de* bonis omnibus, *sed etiam de* parte facultatum : *unde si lex extendatur ad omnes donatarios, consequetur qualemcumque donationem esse revocabilem, quod absonum est. Ex his aliisque argumentis concludit Gothofredus, recte dixisse S. Augustinum, quod* in potestate haberet episcopus Aurelius non reddere hereditatem jure fori. *Quod vero Augustinus negat id fieri posse* jure poli, *dicunt canonistæ, id non pertinere ad obligationem justitiæ, sed ad honestatem et caritatem* (5).

varia celebrat concilia: Hipponense,

9 *Jam diximus num.* 3, *S.* Aurelium *concilio Hipponensi, anno* 393 *celebrato præfuisse. Fuit autem hoc concilium non solum frequentia patrum ex omnibus totius Africæ Ecclesiis insigne, sed et cæterorum veluti exemplar, cujus* F *canones pleræque dein synodi secutæ sunt : ut dolendum sit, acta ejus integra ad ætatem usque nostram non pervenisse : propterea qui et quo ordine sanciti canones fuerint, minime exploratum est* (6). *Anno sequenti seu Christi* 394, *concilium Carthagine habuit* Aurelius, *Arcadio III et Honorio II consulibus, in quo* legati directi sunt episcopi proconsulares ad concilium Adrumetinum *provinciæ Byzacenæ* (7) : *quid præterea actum sit, ignoramus. Anno dein* 395 *Augustinus, recenter episcopus ordinatus, et Alypius Tagastensis S.* Aurelio *gratulati sunt epistola* XLII (*al.* LXXVII) (8) *consilium, quo præter consuetudinem in Africa vigentem presbyteris suis,* se præsente *verba ad populum in ecclesia facere permisit, consilium istud vocant* sanctam cogitationem, quam adjuvante Domino, qui eam inspiravit, ad effectum perduxit. *Enimvero varia fuit per varias Ecclesias*

(1) Migne, Patrol., tom. XXXIII, col. 90. — (2) Ibid., tom. XXXVIII, col. 1415. — (3) Ibid., col. 1572. — (4) T. II, p. 658. Edit. Lips. Joannis Ritter, an. 1737. — (5) Cfr Lud. Engel. Collegium univ. juris, tit. D. Donat., num. 18. — (6) Morcelli, Afric. Christ., t. II, p. 312. — (7) Labbe, t. II, Conc. col. 1065. — (8) Migne, Patrol., t. XXXIII, col. 158.

disciplina

A *disciplina circa prædicationem presbyterorum, sic Antiochiæ S. Joannes Chrysostomus, etiam absente episcopo Flaviano, quotidianas fere ad populum conciones habuit, ut constat ex ipsis sermonibus hactenus conservatis.*

Carthaginense, in quo

10 *Causa etiam demandandi istius ministerii fuit forsan frequentia conciliorum, adeoque absentia episcoporum, qui, relictis propriis sedibus, ad urbem, concilio indicatam, conferre se debebant de rebus gravissimis deliberaturi. Anno siquidem* 397 *idibus augusti celebratum fuit Carthagine concilium, in quo canones concilii Hipponensis breviter exponuntur : subjecta est quoque epistola* Aurelii *et Musonii ad episcopos Numidiæ, Mauritaniæ utriusque, Tripolis et provinciæ Proconsularis, in qua urgetur exsecutio canonum Hipponensium* (1). *Sed paulo post, id est kalendis septembris ejusdem anni,* Aurelio *nostro præside, celebrior synodus coacta fuit, quæ vulgo concilium Carthaginense III appellatur* (2). *In ea multa sancita fuerunt ad mores cleri et populi reformandos. Canone* I *statuitur* observatio paschalis, *id est dies, qua pascha quotannis celebranda est, ab*
B *Ecclesia Carthaginensi esse accipienda : qua ordinatione monstratur hujus Ecclesiæ principalis auctoritas. Id etiam speciale habet canon* XXXVIII, *Cresconium, Villæregiensis episcopum*, plebe sua derelicta, Tubuniensem invasisse Ecclesiam ; *sæpius canonice admonitum perseverasse in sua usurpatione. Petunt itaque ut,* necessitate ipsa cogente, liberum sit illis rectorem provinciæ secundum statuta gloriosissimorum principum adversus illum adire. Aurelius *respondit :* Servata forma disciplinæ, non æstimabitur appetitus, si a vestra caritate modeste conventus, recedere detrectaverit, quum fuerit suo contemptu et contumacia faciente, etiam auctoritate judiciarie conventus. *Ab universis episcopis dictum fuit:* Justum est, placet.

tractatur de ordinatione episcoporum

11 *Secundum canonem* XXXIX *querela delata fuerat, quod duo episcopi Numidiæ ordinare pontificem præsumpsissent. Volebant itaque, ut* a duodecim censeretur episcoporum celebrari ordinationes. *Moderator intercessit denuo* Aurelius *noster, dixitque :* Forma antiqua servaC bitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad episcopum ordinandum. *Cur autem duodenarium non requirat numerum ad consecrationem episcopi, ipse exponit rationem, nempe difficultatem congregandi duodecim episcopos, tum quia sunt provinciæ, in quibus tantus non est numerus, citatque provinciam Tripolitanam, in qua* episcopi sunt quinque tantummodo ; *tum quia, etiamsi sint plures, difficile tamen erit, numerum duodenarium, episcopis alias occupatis, complere : unde concludit,* impedimentum esse ecclesiasticæ utilitati, *adeoque* hoc ipsum observari non posse. *Anno* 398 *Carthaginem convenere sub* Aurelio *patres* CCXIV *et celebrarunt* VI *id. novembris concilium Carthaginense IV, quod etiam* universale *appellatur* (3). *Inter canones centum et quatuor, qui omnes collimant ad disciplinam in clero et populo sartam tectam servandam, unus est notatu dignus, quasi germen earum institutionum, quibus sanctimonialibus demandatur educatio fœminea ; est nempe canon* XII (4) : Viduæ vel sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres, tempore quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, et qualiter, accepto baptismate vivant.

et viduarum sanctimonialium.

12 *Viduæ istæ, de quibus in præcedenti canone agitur, quæque diaconissarum officio fungebantur, videntur e numero illarum fuisse, quæ, ut statuunt canones* 101, 102 *et* 103, sumptu Ecclesiæ, cujus viduæ erant, sustentabantur, *adeoque* ad reatum episcopi pertinebat vel presbyteri, qui parochiæ præerat, si sustentandæ vitæ præsentis causa, adolescentiores viduæ vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subjicerentur, *sed propterea quoque* viduæ, quæ stipendio Ecclesiæ sustentabantur, tam assiduæ in Dei opera esse debebant, ut et meritis et orationibus suis Ecclesiam adjuvarent. *De Diaconissis specialem tractatum edidit Joannes Pinius in limine tomi I Septembris. Circa idem tempus S.* Aurelius, *qui totus erat in rebus ecclesiasticis ordinandis, constituit, ut psalmi canerentur in Missæ sacrificio :* Sed Hilarus quidam, *inquit S. Augustinus* (5), vir tribunitius, laicus catholicus, irritatus, morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro sive ante oblationem, sive quum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione ubicumque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere. *Contra hunc,* jubentibus fratribus, *scripsit S. Augustinus, sed liber hic excidit. Nec dubium est, hunc morem ab* Aurelio *nostro fuisse introductum, quoniam toto tempore, quo pontificatum gessit S. Augustinus, Carthagine sedit S.* Aurelius.

§ II. Templum deæ cœlestis dedicatur in ecclesiam; evertuntur templa idolorum; jus azyli; clerici ex Italia vocantur; causa Donatistarum; S. Joannes Chrysostomus ab episcopis Afris defenditur; Pelagiani damnantur; quæstio de Paschate; Leporius presbyter patribus Gallis commendatur; obitus sancti antistitis.

Dedicat ædem cœlestis;

Auctor libri de Promissionibus et Prædictionibus, qui S. Prospero Aquitano olim tribuebatur, oculatioribus vero criticis Afro cuidam anonymo adscribitur, refert sequentia lib. III, cap. 38 (6) : Apud Africam Carthagini Cœlestis inesse ferebant templum nimis amplum, omnium deorum suorum ædibus vallatum. Cujus platea lithostrata pavimento ac pretiosis columnis et mœnibus decorata, prope in duobus fere millibus passuum, protendebatur. Quum diutius clausum incuria, spinosa virgulta circum-

(1) Labbe, tom. II, Conc. col. 1179. — (2) Ibid., col. 1167. — (3) Ibid., col. 1196. — (4) Ibid., col. 1201. — (5) Migne, Patrol., tom. XXXII, col. 634. — (6) Ibid., tom. LI, col. 855.

se[illegible]ta

AUCTORE J. V. H.

septa obruerent, velletque populus christianus usui veræ religionis vindicare, dracones aspidesque illic esse ob custodiam templi, gentilis populus clamitabat. Quo magis Christiani fervore succensi, ea facilitate amoverunt illæsi, qua templum suo vero cœlesti regi et domino consecrarent. Nam quum sancti Paschæ solemnis ageretur festivitas, collecta illic et undique omni curiositate etiam adveniens multitudo sacerdotum multorum, pater et dignæ memoriæ nominandus antistes Aurelius, cœlestis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cœlestis et habuit et sedit. Ipse tunc aderam cum sociis et amicis; atque (ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam et incredibile nostro se ingessit aspectui : titulus æneis grandioribusque litteris in frontispicio templi conscriptus : AURELIUS PONTIFEX DEDICAVIT. Hunc legentes populi mirabantur. Præsago tunc spiritu acta, quæ præscius Dei ordo certo isto fine concluserat. Quumque a quodam pagano falsum vaticinium, velut ejusdem
B Cœlestis, proferretur, quod rursus et via et templa prisco sacrorum ritui redderentur : Ille, ille, inquam, verus Deus, cujus prophetica vaticinia nesciunt mentiri nec fallere, sub Constantino et Augusta Placidia, quorum nunc filius Valentinianus pius et christianus imperat, Urso insistente tribuno, omnia illa templa ad solum usque perducta, agrum reliquit in sepulturam scilicet mortuorum, ipsamque viam sine memoria sui nunc Vandalica manus subvertit. *Destructionem templi deæ Cœlestis refert Morcellius ad annum Christi* 420 (1).

templa idolorum evertuntur,

14 *Sed quidem anno* 399, *quo pascha in* IV *id. aprilis, diem* X *mensis incidebat, hunc triumphum celebrasse christianos, testis nobis est S. Augustinus, qui lib.* XVIII *de Civ. Dei cap.* 54 (2) *docet*, consule Manlio Theodoro, *id est anno Christi* 399, ...in civitate notissima et eminentissima Carthagine Africæ Gaudentium et Sorium, comites imperatoris Honorii, quarto decimo kalendas aprilis falsorum deorum templa evertisse et simulacra fregisse. *Non omnia templa evertisse Gaudentium patet ex dedicatione templi*
C *deæ Cœlestis, facta die* X *aprilis; summa nempe celeritate locus purgatus fuit, a die enim* XIV *kal. aprilis ad* IV *idus, dies solum viginti duo intercurrunt. Cæterum leges imperiales vastationes inhibuerunt : nam* III *kal. septembris anni* 399, *Manlio Theodoro consule, Arcadius et Honorius Apollodoro, procuratori Africæ, l.* 18, *Cod. Theodos. de Paganis* (XVI, 10) : Ædes, inlicitis rebus vacuas, nostrarum beneficio sanctionum, ne quis conetur evertere : decernimus enim, ut ædificiorum quidem sit integer status. *Dein lege* 19 *ejusdem tituli statuitur, ut* ædificia ipsa templorum, quæ in civitatibus vel oppidis vel extra oppida sunt, ad usum publicum vindicentur; aræ locis omnibus destruantur.

et delentur vestigia paganismi;

15 *Nihilominus can.* 58 *codicis canonum Ecclesiæ Africanæ statuit* (3) *ab imperatoribus postulandum*, ut reliquias idolorum per omnem Africam jubeant penitus amputari : nam plerisque in locis maritimis atque possessionibus diversis adhuc erroris istius iniquitas viget; D ut præcipiantur et ipsa deleri, et templa eorum, quæ in agris vel in locis abditis constituta nullo ornamento sunt, jubeantur omni modo destrui. *Certe ad destruenda templa, quæ in agris erant, tria potissimum inducebant. Imprimis, superstitio vix aliter aboleri poterat; quæ in agris et pagis, unde paganorum nomen, diutius perstitit : dein istiusmodi destructione vix quidpiam detrahebatur : tandem nullus aut exiguus erat in agris timor tumultuantis populi, quum in civitatibus rebellio plebis esset magnopere cavenda. Episcoporum postulationem admisere principes : nam l.* 25 *ejusdem tituli* cuncta idolorum fana, templa, delubra, si qua etiam tunc exstabant integra, præcepto magistratuum destruenda erant, conlocationeque venerandæ christianæ religionis signi expianda. *Hanc legem ita interpretor, ut templa vel destruantur, vel signo crucis expiata christiano cultui deputentur.*

jus azyli statuitur;

16 *Occasione dedicationis templi, olim deæ Cœlestis, convenerant Carthaginem multi epi-*
E *scopi, ut habet textus supra citatus libri de Promissionibus. Quæ episcoporum frequentia in causa verisimiliter fuit, ut S.* Aurelius *ante statum diem mensemque concilium celebrandum decerneret. Idcirco sanctus antistes, quum subinde decem et septem dies supersedisset, dum ii venirent, qui in Ecclesiis suis festum illud peregerant,* V *kal. majas synodum inchoavit. Ejus Acta amissa sunt : unum scimus, quod in codice canonum Ecclesiæ Africanæ can.* 56 *legitur, nempe :* Post consulatum gloriosissimi imperatoris Honorii Augusti IV et Eutychiani viri clarissimi, V kal majas *id est anno Christi* 399, Carthagine in secretario basilicæ Restitutæ. In hoc concilio legationem susceperunt Epigonius et Vincentius episcopi, ut pro confugientibus ad ecclesiam, quocumque reatu involutis, legem de gloriosissimis principibus mereantur, ne quis audeat eos abstrahere. *Duobus fere post mensibus data fuit lex* 24 *de episc. et cler. Cod. Theod.* (XVI, 2) : Si Ecclesiæ venerabilis privilegia cujusquam fuerint vel temeritate violata vel dissimulatione neglecta; commissum quinque librarum auri (sicut etiam prius constitutum est) condemnatione
F plectatur. Si quid igitur contra Ecclesias vel clericos per obreptionem vel ab hæreticis vel ab hujusmodi hominibus fuerit contra leges impetratum, hujus sanctionis auctoritate damnetur. Datum VII kal. julii Brixiæ, Theodoro V. C. coss. *Gothofredus in suo Commentario ad hanc legem censet, eam, licet directam ad Sapidianum vicarium Africæ, minime derivandam ex legatione Africana; quippe quæ vix bimestri spatio Brixiam pervenire potuerit. Verum æstivo tempore sufficiebat certe tempus, ut legati ad Honorium pervenire possent. Honorii legem decreto suo inseruit Gratianus Cons.* XXV, *quæst.* 2, *can.* 20.

aliud celebratur Carthaginense concilium,

17 *Disputant autem eruditi, utrum anno Christi* 400 *celebraverit concilium aliquod S.* Aurelius : *nam Africanum Primum videtur in annum sequentem* 401 *prorogandum, siquidem dicatur celebratum* post consulatum Flavii Stiliconis viri clarissimi XVI kal. julias (4).

(1) Afric. Christ., tom. III, p. 101. — (2) Migne, Patrol., tom. XLI, col. 620. — (3) Labbe, tom. II, Conc., col. 1085. — (4) Ibid., col. 1241.

Constat

A *Constat porro concilium Carthaginense, vulgo dictum Africanum Tertium, coactum fuisse idibus septembris eodem anno, nempe* Vincentio et Flavita, *qui consulatum gesserunt anno Christi* 401 (1). *Censet autem Stephanus Morcelli, duo concilia eodem anno Carthagine celebrata non fuisse, quia* gemini Concilii causa episcopi Carthagine ad quatuor menses manere coacti fuissent, relictis Ecclesiis, quibus maxime prodesse vellent et hospitibus longa mora exhaustis, quibus graves non esse, lege jubebantur (2). *Quod autem notetur synodus habita* post consulatum Stiliconis, *id ex eo provenire dicit citatus Morcelli, quod tunc* Stiliconem consul suffectus excepisset, *sed hujus rei nullum, quod sciam, est testimonium. Pagius ad* 398 § XIII *cum Em. Schelstrate in Ecclesia Africana, Dissert.* III, *cap.* 9 *censet verba* post consulatum *etc. esse addititia; adeoque commode concilium* XVI *kal. julias celebratum in annum Christi* 400 *reponitur.*

in quo decernitur, ex Italia clericos accersendos;

18 *Cæterum sive anno* 400 *aut alio quocumque celebratum fuerit istud concilium, ejus Acta omni ex parte genuina nobis non sunt, sed magis ex variis conciliis coagmentata. Nam in Prologo dicitur* (3), *legatio mittenda ad* Anastasium sedis apostolicæ episcopum *et* ad Venerium sacerdotem Mediolanensis Ecclesiæ : *paulo infra can.* 14 (4) *consulendi sunt* consacerdotes Siricius et Simplicianus, *ille quidem apostolicæ sedis, hic Mediolanensis Ecclesiæ episcopi. Siricius autem anno Christi* 398, *Simplicianus vero anno* 400 *obierunt* (5) : *dum Anastasius Papa ab anno* 398 *ad* 401 *sederit; Venerius, S. Simpliciani successor ab anno* 400 *ad* 408 *episcopus Mediolanenses rexerit* (6). *Fieri autem non potest, ut in eadem synodo agatur et de legatione mittenda ad Anastasium et Venerium et consultatione habenda cum Siricio et Simpliciano. Nisi itaque error sit in nominibus, qui nullo argumento monstrari potest, necesse est, ut variorum conciliorum canones in unam coaluerint collectionem, quæ deinde Carthaginense concilium vocata fuerit. Cæterum isti canones præside S.* Aurelio *nostro conditi fuerunt : eorum aliqui ad annum* 400 *pertinent, nisi dicatur, isto anno nullam fuisse synodum, quod a moribus Ecclesiæ Africanæ istius ævi alienum est. Præter ea*
C *autem quæ num.* 2 *de jurisdictione sedis Carthaginensis attulimus, notatu dignus est canon* 11 (7), *quo sancitur*, ut virgines sacræ, quum parentibus, a quibus custodiebantur, privatæ fuerint, episcopi providentia vel presbyteri, ubi episcopus absens est, in monasterio virginum vel gravioribus fœminis commendentur, ut simul habitantes invicem custodiant, ne passim vagando Ecclesiæ lædant existimationem. *Graviores fœminas interpretor illas, quæ officio diaconissarum fungebantur. Dein canon* 14 *statuitur* (8), *ut consultis Siricio et Simpliciano,* solis infantibus *apud Donatistas baptizatis, quia* suo non fecerunt judicio *nec* parentum illos error impedire debet, *aditus ad sacri altaris ministerium patere possit. Nempe jam tum acatholicorum filii a sacris ordinibus arcebantur.*

AUCTORE J. V. H.

anno 401 statuitur benignius agendum cum Donatistis,

19 *In hac synodo plenaria, quam* ex Africanis omnibus provinciis episcopi in ea consedentibus, *coegit,* Aurelius *Carthagine, Vincentio et Flavita consulibus, seu anno Christi* 401, *idibus septembris* (9), *ante omnia recitata est epistola Anastasii Romani Pontificis, qua Afros monet, ut caveant ab* hæreticorum et schismaticorum Donatistarum insidiis et improbitatibus (10). *Nihilominus patres istius synodi can.* 33 *Collectionis canonum censuerunt* (11), *litteras esse mittendas ad coepiscopos* et maxime ad sedem apostolicam, *ut illis innotescat,* habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem et tranquilitatem, ut ex ipsis Donatistis, quicumque clerici, correcto consilio, ad Catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque episcopi catholici voluntatem atque consilium, si hoc prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur. *Monstrant autem hanc agendi rationem traditione Ecclesiæ Africanæ niti, quæ* prioribus temporibus divisionis *seu schismatis ita procedebat. Hinc manifestum est, patres prorogasse indulgentiam, quam, ut numero præcedenti vidimus,* E *impensam volebant pueris, in secta baptizatis, qui non tam* suo judicio, *quam* parentum errore *schismati implicati fuerunt.*

et monachos fugitivos ad clerum non promovendos;

20 *Quæ fuerint origines monasticæ in Ecclesia Africana, non est, quod operose inquiramus : id certum est, initio sæculi quinti institutum monasticum maxime floruisse. Erant et tunc monachi, quos austerioris vitæ tædebat, et qui liberioris vitæ causa adscribi clero ambiebant. Quapropter in eodem concilio canone* 47 *statutum fuerat* (12), *ut episcopus, qui de* alterius monasterio *monachum vel* ad clericatum promoverit vel in suo monasterio majorem constituerit, a communione sejungeretur, *et taliter promotus,* neque clericus neque præpositus perseveraret. *Nihilominus Donatus ejusque frater, monachi Hipponenses, S. Augustino, ut ipse scribit epistola* 60 *ad* Aurelium (13), quantum potuerat, pro eorum salute, renitente, *monasterium sponte deseruerant; et* Aurelius *noster, arbitratus* Augustini voluntate, ut suis corregionalibus utiles essent, *illos de monasterio recessisse, Donatum clero Carthaginensi adscripserat, primatem Carthaginensem excusat* F *etiam S. Augustinus, quia nempe Donatum promoverat;* antequam, *ait,* de hac re quidpiam in concilio (*anni* 401) statueramus.

collatio instituitur in causa Donatistarum;

21 *Carthaginense concilium anni* 401 *excepit anno sequenti, sexto kalendas septembris Milevitanum, præside quoque S.* Aurelio (14). *In eo præcipue actum fuit de ordinandis variis episcopis, quorum nomina hic recensenda non sunt, neque repetendæ eorum controversiæ : alioquin historiam Ecclesiæ Africanæ recoquere nos oporteret. Cæterum S.* Aurelius, *duce forsan et impulsore S. Augustino, in omnibus negotiis ecclesiasticis semper actuosus fuit. In concilio dein Carthaginensi anni* 403, VIII *kal. septembris celebrato* (15), *excusata absentia quorumdam episcoporum provincialium, qui saltem per aliquot collegas, quasi legatos adesse debuerant, actum fuit de Donatistis can.* 59, *qui invitandi*

(1) Labbe, col. 1242. — (2) Afric. Christ, t. II, p. 350. — (3) Labbe, t. II Conc., col. 1641. — (4) Ibid., col. 1644. — (5) Saxius, Archiep. Mediol., t. I, p. 97. — (6) Ibid., p. 108. — (7) Labbe, t. II Conc., col. 1644. — (8) Ibid., l, c. — (9) Labbe, t. II Conc., col. 1651. — (10) Ibid., l. c. — (11) Ibid., l. c. — (12) Ibid., col. 1654. — (13) Migne, Patrol., t. XXXIII, col. 228. — (14) Labbe, t. II Conc., col. 1654. — (15) Ibid., col. 1656.

AUCTORE J. V. H.

erant ad colloquium, in quo quidquid quæstionis erat, quod Donatistas a Catholicorum separabat communione, cum pace discuteretur (1). *Verum toto octennio laborandum fuit, ut collatio illa celebraretur : nempe, quando urgentibus edictis imperatorum, nuper latis, Donatistæ concertationem evadere non potuerunt. Nam quum anno sequenti seu Christi* 404 *denuo Carthaginem convenissent episcopi* XVI *kal. julias* (2), *statutum fuit, ut*, quia impletum est, episcopale et pacificum officium *amicabilis collationis, quam Donatistæ non solum spreverunt, sed* ad immanes violentias conversi, multos episcopos, multosque clericos (ut de laicis taceatur) insidiis oppresserunt, ecclesias etiam aliquas invaserunt, aliquas invadere par tentaverunt (3), *ad imperatores recurrerent patres pro opportuno remedio. Reliqua gesta in causa Donatistarum latius exponenda non censemus, quum enucleate explicata sint in Actis S. Augustini ad diem* XXVIII *augusti* §§ XXX-XXXIII *in quibus suas partes agit egregie S.* Aurelius, *primæ sedis episcopus.*

causa S. Chrysostomi vindicatur,

22 *Neque suis partibus defuit S.* Aurelius, *quando universi fere episcopi Occidentis tum apud Pontificem Innocentium tum apud imperatorem Honorium institerunt, ut Joannes Chrysostomus ab exsilio revocaretur et restitueretur sedi suæ CPolitanæ* (4). *Cujus rei testem habemus epistolam* 149, *a Chrysostomo ad* Aurelium *nostrum datam circa annum, ut refert Bern. de Montfaucon. In ea laudat sanctus confessor* (5) *generosum* Aurelii *animum, utpote qui* tanto itineris intervallo dissitus, tamquam præsens, *inquit*, ac nobiscum degens, nos ceperis sibique devinxeris. Siquidem caritatis tuæ ardor, eaque odoris suavitas, quæ ex tua loquendi libertate et pietate manat, ad nos usque, qui in extremo orbis recessu collocati sumus, penetravit. Propterea, *pergit*, te beatum prædicamus, quod quum magnum laborem ac sudorem pro omnibus terræ Ecclesiis susceperis, maximas tibi apud benignum Deum coronas condidisti... Cogites velim, quantum ipse præmium accepturus sis, qui tot Ecclesias perturbatas per egregium hujusmodi studium ac diligentiam tumultibus ac perturbationibus liberes, atque in tranC quillum pacis portum appellere studeas.

præcipue apud S. Innocentium Pp.;

23 *Ex hisce verbis manifestum fit, S.* Aurelium *egregiam navasse operam, ut Chrysostomo exsulanti opem ferret. Sed dum Ecclesiis alienis diligentiam suam commendabat, minime otiosus erat in avertendis malis, Africæ impendentibus. Furente adhuc Donatistarum tumultu, serpebat gliscebatque novus error, ex ultima Britannia in Africam portatus : scilicet hæresis Pelagiana. Ut virum probum et apprime catholicum Augustinus aliquandiu dilexerat Pelagium, sed ut primum ejus artes malas perspexit, non solum abhorruit hæreticum, sed omni modo voce et scriptis confutare aggressus est. Scribit ad S. Paulinum Nolanum epistola* 186, *alias* 106 (6) : Pelagium, quem credimus, ut ab illo distingueretur, qui Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuisse cognominatum, quod ut servum Dei dilexeris, novimus : nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus. Nam D et nos non solum dileximus, verum etiam diligimus eum : sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando dileximus. Tunc enim quia rectæ fidei videbatur : nunc autem, ut ab iis, quæ inimica et adversa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordia liberetur. *In hoc autem pro vera fide certamine, S. Augustino, divinæ gratiæ vindici, intime, integre et constanter tum in conciliis, tum in epistolis conjunctus fuit S.* Aurelius. *Quod late expositum est in Actis S. Augustini ad diem* XXVIII *augusti* §§ XXXIV — XXXVI (7).

aliquousque a Pelagianis deceptus, S. Aurelius,

24 *Duo tamen animadvertam, quæ propius ad* Aurelium *nostrum spectant. Imprimis aliquandiu artibus Celestii, Pelagianorum antesignani, eatenus decipi visus est, ut hic ad presbyterii honorem obrepserit. Hæc enim scribit S. Augustinus in epistola* CLVII *num.* 22 *ad Hilarium, agens de grassanti Pelagiana hæresi, quam exstirpare conati fuerant patres Africani* (8) : Nec tamen hic deesse aliquos arbitror (*Pelagianos*) maxime apud Carthaginem : sed jam occulte mussitant, timentes Ecclesiæ fundatissimam fidem. Nam unus eorum, no- E mine Celestius, in ejusdem civitatis Ecclesia jam ad presbyterii honorem subrepere cœperat : sed fidelissima libertate fratrum, propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes usque ad judicium episcopale perductus est. *Secreto itaque cauteque venenum suum sparserit Celestius, ut vigilantiam antistitis Carthaginensis decipere potuerit. Sed statim ut patuit error, damnatio secuta est. Ut enim scribunt anno* 416 *patres Africani, inter quos fuit S.* Aurelius, *ad S. Innocentium Pp. I* (9) se recensendum petivisse, *quod ante* ferme quinquennium (*adeoque circa annum Christi* 411) super Celestii nomine apud Ecclesiam Carthaginensem fuerat agitatum. Quo recitato (*ajunt patres*) sicut ex subditis advertere poterit sanctitas tua, quamvis judicatio manifesta constaret, quia illo tempore episcopali judicio excisum hoc tantum vulnus constaret, nihilo minus tamen id communi deliberatione censuimus, hujusmodi persuasionis auctores, quamvis et ad presbyterium idem Celestius postea pervenisse dicatur, F nisi hæc apertissime anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui decepti sunt vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est, sanitas procuretur.

brevi resipuit :

25 *Quamvis autem larvata modestia Celestii* Aurelium *nostrum deceperit, numquam tamen vel stillulam Pelagiani erroris hausit; quem simul ut cognovit, exhorruit. Certe Innocentius Pp I variis epistolis laudat antistitum Africanorum acta in causa Pelagii, at præcipue peculiaribus epistolis extollit solertiam ac vigilantiam* Aurelii, *Augustini, Alypii, Evodii et Possidii, quatenus partes præcipuas in isto certamine habuerint. Imo postquam communes ad hos episcopos litteras dedisset Pontifex, specialem eodem tempore, anno nempe* 417, *sexto kal. februarii direxit ad S.* Aurelium *epistolam videlicet* XXXII (10) : In familiaribus, *ait*, scriptis

(1) Labbe, col. 1658. — (2) Ibid., l. c. — (3) Ibid., t. II Conc. 1659. — (4) Cfr Baron. ad.an. 405. §§ 13 et seqq. — (5) Migne, Patrol. gr. t. LII, col. 700. — (6) Patrol. lat. t. XXXIII, col. 816. — (7) Act. SS. t. VI, Augusti p. 306 et seqq. — (8) Migne, Patrol. t. XXXIII, col. 685. — (9) Labbe t. II, Conc., col. 1554. — (10) Migne, Patrol. t. XX. col. 597.

dilectio

A dilectio vera consistit. Etenim jus firmius caritatis officia melius seorsum mercantur. Quamobrem per fratrem nostrum Julium epistolæ extrinsecus missæ respondere gestivi, ne apud me forsan remaneret peculiaris negatæ salutationis offensa. *Quibus verbis Innocentius Papa abunde manifestat, quanti faceret Carthaginensem episcopum tum propter eminentem vitæ sanctitatem, tum propter egregiam in Catholica fide defendenda constantiam.*

frequentia conciliorum limitatur ;

26 *In concilio Hipponensi, cui, ut diximus n.* 3, *initio pontificatus sui, nempe anno* 393, *præsedit S.* Aurelius, *statutum fuerat,* singulis annis concilium Africæ plenarium, non tantum hic apud Carthaginem, verum etiam per diversas provincias suo ordine... At hoc laboriosum omnibus fratribus visum est (1). *Postrema hæc verba omnino referenda sunt ad annum* 407, *quando verisimiliter querelæ exortæ sunt de multiplici episcoporum absentia, undique ad annuam synodum concurrentium. Igitur* placuit, *ajunt patres* (2), ut non sit ultra fatigandi fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est totius
B Africæ, undecumque ad hanc sedem de hac re datæ litteræ fuerint, congregandam esse synodum in ea provincia, ubi opportunitas persuaserit : causæ autem, quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur.

quæstio paschalis movetur;

27 *Satis notum est, primis post Nicænum concilium sæculis Ecclesiæ Alexandrinæ demandatam fuisse curam indicandi quotannis mensem et diem, quibus celebranda esset paschalis festivitas, ut inter alios nos docet S. Cyrillus Alexandrinus* (3). *Quum vero anno Christi* 414 *dubia videretur dies celebrandi paschatis, Innocentius, omisso Theophilo Alexandrino, censura apostolica perculso,* Aurelium *Carthaginensem consuluit.* Quum, *inquit* (4), ante diem undecimum Kalendarum aprilium pene luna XVI colligatur (nam quidpiam minus est), itemque quum in ante diem quartum Kalendarum earumdem veniat vicesima tertia ; existimavi XI Kalendarum memoratarum die festa paschalia celebranda; quoniam in vicesima tertia luna nullum pascha umquam antehac factum esse cognoscimus. Sententiæ meæ exposui et edixi tenorem. Jam prudentiæ erit
C tuæ, consors mihi frater, cum unanimis et consacerdotibus nostris hanc ipsam rem in synodo religiosissima retractare : ut si nihil dispositioni nostræ resultat, nobis plenissime aperteque rescribas, quo deliberatam paschalem diem jam litteris ante, ut moris est, servandam suo tempore præscribamus. *Ut paschalis solemnitas in diem* XI *kal. aprilis seu in* XXII *martii præscriberetur, oportebat, ut luna* XV *in præcedentem sabbathinum diem incideret; quo casu non una erat opinio, aliis in die* XXII *martii retinentibus pascha, aliis in dominicam sequentem transferentibus, prout reipsa isto anno S. Cyrillus Alexandrinus pascha tota septimana retardavit. Causam istiusmodi diversitatis exposuimus in Commentario ad Acta S. Bercharii sub die* XVI *octobris numm.* 86 *et seqq.* (5). *Ignoramus porro, quid* Aurelius *et reliqui episcopi Innocentio Pp. responderint.*

28 *Anno* 427, *ut habet Morcellius* (6), *in Africam appulerat Leporius presbyter et monachus e Galliis, ubi eum episcopi ob varias hæreses damnaverant. Qui et Augustini scriptis et aliorum episcoporum cohortationibus ad bonam frugem traductus, paratum se S.* Aurelio *professus fuerat, ea, quæ ante docuerat, damnare omnia et confessione errati sui palam Ecclesiæ indulgentiam atque antistitum misericordiam implorare. Plurimi itaque intererat, momentosæ professioni adesse episcopos doctissimos, qui hanc perpenderent, sententias examinarent, verba omnia moderarentur. Exstat vero libellus Leporii* (7), *cui ipse manu sua cum duobus asseclis Domnino et Bono subscripsit, et quem episcopi,* Aurelius *Carthaginensis, Augustinus Hipponensis Regius, Florentius Hipponensis Diarritus et Secundus Aquensis seu Megarmitanus confirmarunt. Adjecerunt insuper dicti episcopi litteras ad consacerdotes suos Proculum (forsan Massiliensem) et Cylinnium seu Quillenium (quibusdam Forojuliensem* (8)) *quibus eorum misericordia imploratur.* Per vos, *inquiunt* (9), percussit (*Deus*) tumentem, per
E nos sanavit dolentem... Non itaque nobis, sed ejus misericordiæ demus gloriam, in cujus manu sumus et nos et sermones nostri. Et sicut in supradicto filio nostro ministerium vestrum humilitas nostra laudavit, sic etiam sanctitas vestra nostro ministerio gratuletur. Paterno igitur et fraterno corde suscipite a nobis misericordi severitate correctum. Etsi enim aliud per nos, aliud per vos, utrumque tamen fraternæ saluti necessarium una caritas fecit. *Quid emolumenti et solatii acceperit Leporius ex episcoporum Afrorum epistola, nescimus; porro vix dubitamus, quin pacem suam lapso et emendato Leporio reddiderint Proculus et Cylinnius.*

AUCTORE J. V. H.

Leporius Gallus monachus, episcopis Afris intercedentibus, cum suo episcopo reconciliatur,

sancte obit S. Aurelius.

28 *Atque hactenus dicta sufficiunt, ut sanctum antistitem Carthaginensem tum propter doctrinam tum propter vitæ sanctitatem inter meritissimos quinti sæculi episcopos recenseamus. Proinde calamum ponere possemus, nisi una superesset quæstio, quo scilicet tempore S.* Aurelius *diem suum supremum clausit. In Actis S. Quodvultdei num.* 24 *dictum fuit duas esse sententias, Emmanuelis Schelstrate qui obitum anno* 426, *et Antonii Pagii ac Stephani* F
Morcelli qui anno 429 *illigant. Nobis quidem horum magis probatur sententia. Imprimis negotium Leporii presbyteri, de quo num. præc. connectitur cum anno* 427 *aut, ut habent alii, anno* 426; *tunc quidem certo Carthaginensem sedem occupabat* Aurelius *noster : dein si anno* 426 *obiisset, ejus successor Capreolus quatuor annis S. Augustini, anno* 430 *defuncti, collega fuisset, quin ullum reperiretur vestigium actionis alicujus communis Capreoli et Augustini, rerum ecclesiasticarum antesignani et ducis. Ex altera vero parte scimus, anno* 430 *aut* 431 *Capreolum vocatum fuisse ad magnum Concilium Ephesinum, ut constat ex ejus epistola, ad Patres Ephesinos directa. Itaque inter annum* 427 *et* 430 *ponendus est obitus S. Aurelii : proinde non temere asseritur Sancti mortem circa annum* 429 *contigisse, quem in capite horum*

(1) Labbe t. II, Conc., col. 1113. — (2) Ibid., l. c. — (3) Cfr Migne. Patrol. gr. t. LXXVII, col. 385. — (4) Patrol. lat. t. XX, col. 517. — (5) Act. SS. t. VII Octobris p. 1005. — (6) Afr. Christ. t. III p. 122. — (7) Labbe t. II, Conc. col. 1678. — (8) Gall. Christ. t. I, col. 420. — (9) Labbe. t. II, Conc. col 1677.

actorum

AUCTORE J. V. H.

actorum consignavimus. Et certe jam senex erat Aurelius, *quum S. Augustinus sermonem suum* CXI (*al* XXXII) *ad populum Carthaginensem habuit, in ejus enim fine dicit* (1) : Quod novit caritas vestra, suggerimus. Dies anniversarius ordinationis domni senis Aurelii crastinus illucescit; rogat et admonet per humilitatem meam caritatem vestram, ut ad basilicam Fausti devotissime convenire dignemini. Deo Gratias.

(1) Migne. Patrol. t XXXVIII, col. 645.

DE S. RUSTICO, CONFESSORE,

EPISCOPO NARBONENSI IN GALLIIS,

B. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. De monumentis ad Acta S. Rustici spectantibus. Et primum de insigni inscriptione Narbonensi. Item de altera minori.

ANNO CHRISTI CCCCLXI. *Documenta ad S.* Rustici *vitam spectantia:*

Nihil de sancto Rustico *notatum reperimus in numerosis codicibus, quos decessores nostri pro Actorum continuatione diligenter et operose collegerunt. Nec, quod sciam, ulla exstat gloriosi Præsulis Narbonensis vita paulo antiquior. Non tamen desunt monumenta, eaque præclara valde, ad ejus res gestas pertinentia. Primo loco venit Inscriptio, sancto Viro coæva, quæ marmori incisa spectabatur olim Narbonæ in palatio episcopali, nunc vero in horto publico musæi; tum epistola S. Hieronymi, quam ad S.* Rusticum *scriptam frustra negare nonnulli vel saltem in dubium vocare voluerunt; deinde hujus exstant partim litteræ ad sanctum Leonem magnum, quibus Romanam consulit sedem de pluribus difficultatibus ea tempestate obortis, cum responsoriis ejusdem summi pontificis. Interfuit quoque S.* Rusticus *concilio Gallicano seu Arelatensi II, ubi episcopi, numero quadraginta quatuor congregati, summo consensu adhæserunt notissimæ S. Leonis epistolæ ad Flavianum. Denique, vocatus specialibus litteris a Ravennio Arelatensi, præsens fuit alteri concilio eadem in civitate celebrato,* in quo sopita est discordia inter sanctum Theodorum episcopum Forojuliensem et alios quosdam antistites ex
C una parte, ac Faustum presbyterum abbatem Lirinensem et monachos ei subjectos ex altera (1). *Huc etiam spectant nonnullæ epistolæ S. Hilari papæ, quibus improbat Romanus pontifex modum, quo Hermes, antea Biterræ episcopus, cathedram Narbonensem, post S.* Rusticum *conscenderat. De singulis documentis hisce ex ordine agemus, initium facientes ab Inscriptione, quam* celeberrimam *vocat vir præclarissimus atque hoc in Commentario non semel a nobis laudandus, J. B. de Rossi; eamdem vero dolebamus non reperiri in volumine hactenus edito operis cui titulus :* Inscriptiones christianæ Galliarum (2), *studio c. v. Edm. Le Blant; ast conventus nomine nostro, declaravit eruditus scriptor in altero tomo qui prælo subjectus partimque jam excusus est, Inscriptionem, quam ipse descripsit in musæo Narbonensi, explicandam; quinimo et pagellas suas manuscriptas,* E *brevi typis dandas, nobiscum communicatas voluit; quod sane pignus tam insignis benevolentiæ gratissimis accepimus animis; fatemurque haud exiguum exinde labori nostro accessisse subsidium.*

2 *Inscriptionem* exhibet Catellus (*De Catel*) libro V commentariorum de Historia Occitaniæ (3). *Eadem reperitur apud Gruterum et Angelum Maium* (4), *ex quo item recitatur in Dictionnario epigraphico collectionis Mignianæ* (5); *laudatur quoque a Benedictinis in Tractatu de diplomatis, qui initium tantum adscribunt* (6). *Integram proferunt et explicant Baluzius in notis ad Salvianum* (7) *et ad Capitularia Regum Francorum* (8); *Quesnellus in notis ad epistolam 167ma Leonis magni* (9); *item Pagius in Dissertatione hypatica* (10) *et in Critica* (11); *D. Vaissette in historia Occitaniæ* (12); *in Nova Gallia Christiana* (13); *quibus addendus Edm. Le Blant, de quo supra. Nec horum ullus est, qui vel minimum super Inscriptionis sinceritate ingerat dubium. Cum tamen non eodem ab omnibus interpretetur modo, quinimo nonnullis in locis scriptores in sententias abeant haud parum di-* F *versas necessarium ducimus eam hic adscribere. Sequemur Baluzium, qui testatur se Inscriptionem* dare ex ipso lapide emendatiorem (14), *et singula verba reddit ordine et collocatione, quibus in prototypo leguntur, indicans etiam hiatus hinc inde occurrentes. Eadem, ut jam monui, habetur inter Probationes historiæ Occitaniæ, ubi simul accurate delineatus visitur lapis cui insculpta epigraphe est. Lapis a parte sinistra nonnihil mutilus existit, adeoque voces aliquot desiderantur; aliæ rursus sive tempore, rerum edace, deletæ, sive incuria forte et imperitia opificum, cum loco moveretur, attritæ vel confractæ sunt. Ait autem Edm. Le Blant* (15): Ignoratur quo in loco latuerit Inscriptio.

Inscriptio Narbonensis,

(1) Gallia Christiana, tom. VI, col. 10. — (2) Inscriptions chrétiennes de la Gaule, par M. Edmond Le Blant, membre de la Société Impériale des Antiquaires de France. — (3) Gall. Christ. t. VI, col. 8. — (4) Veterum Scriptorum nova collectio, t. V, p. 83.— (5) Encyclopédie. Dict. d'épigraphie, col. 966. *verbo:* Narbonne. — (6) Nouveau traité de diplomatique, t. II, p. 564. — (7) Salviani et Vincentii Lirinensis Opera, p. 408. Paris, 1663. — (8) Tom. II, col. 1255. — (9) Opera S. Leonis, M. t. II, col. 1577. Venetiis 1756, curantibus Balleriniis. — (10) Apparatus in Annales Baronii, p. 114 — (11) Ad annum Christi 445. — (12) Histoire de Languedoc, t. I, p. 186 et Probat. p. 4. — (13) Tom. VI, col. 8. — (14) Ubi supra p. 407. — (15) Pagellæ mss.

« Videtur

A « Videtur reperta dum solum effoderetur (*labente sæculo* XIII) ponendis fundamentis novæ ecclesiæ. » Ita in mss. Baluzii, quæ asservantur Parisiis in Bibl. Imperat. *Unde emendanda Gallia Christiana, ubi asserit* inventam Minerbæ (1). *Ortus est error ex eo quod confuderint hanc cum altera inscriptione multo breviori, de qua dicemus* §. v. *Recte autem addunt:* Hodie (*anno* 1739, *quo editus tomus sextus laudati operis*) exstat Narbonæ in palatio episcopali. *Et iterum* (2) : Quæ diu neglecta jacuerat ante fores ædium archiepiscopalium, anno 1681 in ipsis ædibus sublimem in locum reponi jussit *Petrus de Bouzi, archiepiscopus ab anno* 1673 *ad an.* 1703. *Et mihi rescripsit, die* 14 *Novembris hujus anni* 1862, *R. D. Dumay, presbyter et lector in majori seminario Carcassonensi* (*ad hanc sedem ex concordato an.* 1801 *spectat Narbona*) *hodiedum videre esse lapidem in horto Musæi; quod idem efficitur ex pagellis mss. En tibi integram Inscriptionem ex Baluzio, cui paucissimis exceptis, consonat historia Occitaniæ, sicut et Edm. Le Blant, aliique:* AUCTORE B. B.

quam hic exhibemus,

Ō. ET. XPŌ. MISERANTE. LIM. HOC. C̄. L̄. K̄. T̄. Ē. ANNO. IIII. C̄S. VALENTINIANO. AV̄G. VI. III. KL. D̄. XVIIII. ANNO. EPT̄VS. RVSTI.....

RVSTICVS. EP̄S. EPI. BONOSI FILIVS	COEP̄. DEPŌN. PARIET̄. ECCL̄. DV̄D. EXVSTÆ	BIENN̄. ADMINIST̄	EPI VENERi. SOL. C....
EPI. ARATORIS. DE. SORORE NEPVS	XXXVII. D̄. QVAD̄. IN FVNDAM̄. PONI. COEPI.	SVÆ PREBV. ARTIFI. B̄	EPI. DYNAMI. L....
EPI. VENERI SOCI. IN MONASTERIO	✠ ANNO. II. VII. ID̄. OCTB̄. ABSID̄. P. F. MoNTANVS. SVBD.	MERCED̄ SOL. ͡OC	ORESI CC.....
CONPRB̄. ECCLE. MASSILIENS.	MARCELLVS. GALL̄. PREF. DI. CVLTOR. PRECE	AD OPER.E CETER. SOL. I. ͡O	AGROECI. I.....
ANNO. XV. EPT̄VS. SVI. D̄. ANN. V. III. ID̄ OCTB̄	EXEGIT. EPM. HOC. ONS. SVSCIP̄. INPENDIA		ET DECONIÆ.....
C̄. VRSoPRB̄o. HERMETE. DIAC̄o ET EOR. SEQ.TIB	NECESSAR̄. REPROMITENS. QVÆ PER	HINC. OBLAT. SCI	SALVTI.....

B *Id est :* Deo et Christo miserante, limen hoc collocatum est anno quarto, consule Valentiniano Augusto sextum, tertio kalendas Decembris, XIX anno episcopatus Rustici — Rusticus episcopus, episcopi Bonosi filius, episcopi Aratoris de sorore nepus (nepos), episcopi Venerii socius in monasterio, compresbyter ecclesiæ Massiliensis, anno XV episcopatus sui, die anni quinta, tertio Idus octobris, cum (*al.* curantibus) Urso presbytero, Hermete diacono et eorum sequentibus cœpit deponere parietem ecclesiæ dudum exustæ. Trigesima septima die quadratum in fundamento poni cœpit; anno secundo septimo Idus Octobris absidem ponere fecit Montanus subdiaconus. Marcellus Galliarum præfectus, Dei cultor, prece exegit episcopum hoc onus suscipere, impendia necessaria repromittens, quæ per biennium administrationis suæ præbuit artificibus, mercedem solidorum sex centorum, ad operas et cetera solidos mille quingentos. Hinc oblationes sancti episcopi Venerii solidos C... episcopi Dynamii... L... Oresi... CC... Agræcii... mille... et Deconiæ... saluti... *Atque ita eruditi omnes; nisi quod pro* DECONIÆ *legant* DECONIA *historiographi Occitaniæ et Edm. Le Blant; hic præterea supprimit* Ī (*mille*)*post nomen* ACROECI; *non dubitem ideo, quod notas illas, cum nuper inspiceret lapidem, compererit erasas vel confractas. Mendose scribit card. Maius* de conla *pro* deconia, *quod idem reperitur in dictionnario Migniano. Observat præterea Edm. Leblant siglum seu litteram C, quæ habetur in capite lineæ sextæ, columna prima, hactenus ab omnibus redditam præpositione* cum; *ast* mihi, *inquit* (3), potius legendum videtur « curantibus » quæ vox frequens occurrit in inscriptionibus, quæ ædificiis appositæ cernuntur. Nec enim prævia demolitio, cujus mentio fit in marmore nostro, res habebatur parvi momenti. Certe libri pœnitentiales docent qua cum veneratione tractanda esset materia ecclesiarum destructarum. *Existimat itaque vir eruditus vocem* curantibus *hoc ex capite præfe-*

C

rendam. Notas SCI, in fine columnæ tertiæ significare putat scilicet, *dum alii quos vidi, omnes legunt* Sancti. *Denique in litteras singularias C̄. L̄. K̄. T̄. Ē., observat, interpretationem* collocatum est *confirmari ex pluribus ejusdem generis inscriptionibus, adeoque communiter receptam.* E

4 Manet difficultas longe præcipua; quo scilicet anno ad fastigium perduxerit S. Rusticus *ecclesiam suam. Fert inscriptio :* Limen hoc collocatum est anno quarto consule Valentiniano Augusto sextum. *Quæritur quem in annum Christi cadant notæ istæ chronologicæ? Respondet Baluzius, annum esse ab incarnatione* 448 : Anno enim, *ait,* CCCCXLV Valentinianus imperator (*hujus nominis tertius*) iniit sextum consulatum. Annus hic (*nempe* 445) fuit primus sexti consulatus Valentiniani. Annos namque ab ultimo consulatu primum, secundum, tertium etc., *numerabant quousque* rursum capesserent consulatum, ut patet ex antiquis inscriptionibus. Cum ergo inter sextum consulatum Valentiniani, qui in annum CCCCXLV incidit, usque ad septimum ejusdem consulatum, quem in anno CCCCL notatum reperimus, intercedant quinque anni continui, cogimur necessario existimare limen hoc collocatum fuisse anno CCCCXLVIII, qui erat quartus annus sexti consulatus illius imperatoris, *numerando ab anno* 445, *qui ex mente Baluzii primus erat. At enim multum abest ut omnes erudito viro consentiant. Atte alios, in quantum ego quidem comperi, obstitit Paschasius Quesnel* (*idem ille qui tam pervicaciter jansenianos propugnavit errores*) *in notis ad opera S. Leonis magni, quorum novam, eamque pluribus titulis haud vulgaris meriti, adornaverat editionem, quæ paulo post secundis typis auctior et emendatior recusa eodem curante Quesnello fuit. Atque hæc est quam denuo fratres Ballerinii prælo subjecerunt integram, additis notationibus tum in textum S. Doctoris tum in observationes et notas Quesnelli. Hic autem :* Non possum *inquit* (4), mihi persuadere hanc annos numerandi rationem ab uno imperatorum

aliter interpretata a Baluzio,

F

(1) Gall. Christ., t. VI, col. 8. Paris, 1739. — (2) Ibid. col. 123. — (3) Pagellæ mss. — (4) Opera S. Leonis M., tom. II, col. 1578. Venetiis, 1756. *Curantibus Ballerinii.*

AUCTORE B. B.

imperatorum consulatu ad alterum in usu per id temporis fuisse. *Addit ibidem Quesnellus rationes, quibus suam probari existimat sententiam, quas, si libet, vide in operibus S. Leonis loc. cit., nosque ideo prætermittimus, quod solidiora ad manum sint, quæ Baluzio opponamus.*

cujus tamen sententia falsa demonstratur;

5 *Post enim Quesnelli ætatem, plures de fastis consularibus luculenter scripserunt, materiam hanc universam penitius indagantes; ex quo factum est, ut et formulas singulis priscorum temporum periodis adhibitas accuratius determinarint, et regulas fixerint longe certiores clarioresque. Inter omnes vero eminet Joannes Baptista de Rossi, vir sane toto orbe notissimus, cui in scientia epigraphica non dico superiorem sed ne parem facile invenias. Hic porro nuper Romanis subjecit typis volumen primum operis præclarissimi molisque haud parvæ, quod multis jam ab annis meditabatur; atque avidissime expectabant non minus historiæ quam archeologiæ periti; prodiit autem anno* 1861 *sub titulo:* Inscriptiones christianæ urbis Romæ sæculo septimo antiquiores. *In Prolegomenis parte* II, *capite* III *tractat auctor* de le-
B gibus et formulis quibus consulum nomina christianis sunt titulis adscripta, *universam ætatem* (*ab anno Christi* 71 *ad exiens sæculum* V) *in quinque periodos dispertiens, quarum* singulæ proprias quasdam hypaticas formulas et regulas habent (1). *Ait autem in rem nostram* (2) : Postremo loco de numeris annorum formulæ « post consulatum » adjectis regulas ponam. Notatio anni « post consulatum » secundi, anno 310 in fastis primum apparet his verbis : « Anno II post cons. X et septimum. » Sed ea neque urbis Romæ neque Romani imperii propria fuit, verum extra ordinem in ea tantum orbis parte adhibita, in qua Maxentium consulem ciere nefas erat. Inde ad annum usque 411 alterum a cujuspiam consulatu annum ullibi esse numeratum minime reperio. Annum vero 411 in Apulia hac formula esse consignatum : « iterum post cons. Honorii VIII et Theodosii III, » et quænam singularis ejus notationis causa fuerit... declarabo. Ineunte demum anno 478 ea primum formula in Urbem invecta et Januario ac Februario mensibus adhibita : nam præce-
C dens annus consulibus caruerat; ejus vero anni consules primis illis mensibus ignoti Romæ erant... Pro sæculi vero barbarie « post consulatum iterum » scribi placuit, potius quam recta loquendi lege « iterum post consulatum. » Ab hoc igitur tempore quotiescumque idem casus incidit, qui Romæ inciderat anno 478, ea designandi anni ratio usurpata. Cujus rei nonnulli Galliarum tituli luculenta præbent exempla... Tertium a cujuspiam consulatu annum ante Justinianeam ætatem numeratum nuspiam vidi. *Cum igitur Narbonensis Inscriptio præfato anno* 478 *longe antiquior sit, liquet omnino præposteram esse Baluzii interpretationem. Juverit addidisse verba, quibus totam hac de quæstione suam concludit Rossius disputationem* (3) : Ab ea igitur licentia, *inquit,* qua tempora post cujusvis consulatum ultra biennium nonnulli veterum inscriptionum interpretes pro lubitu supputant, docti homines caveant; neve sibi integrum jam esse D existiment in hypaticis quinti et sexti sæculi notis secundos, tertios et deinceps annos a quolibet consule numerare. *Ex his satis superque evertuntur Baluzii placita. Alia igitur explicandæ Inscriptionis ineunda via est.*

aliter a Quesnello,

6 Convenientiorem porro, *inquit Quesnellus loc. cit.*, nullam invenio, quam ut quartum illum annum, de quo agitur, non a consulatu sexto Valentiniani, sed a jactis basilicæ fundamentis numeremus. Familiare enim erat antiquis, ut quo tempore construi ædificium publicum cœptum erat, quove perfectum, hujusmodi inscriptionibus notum posteris vellent : qui ritus semper in usu fuit, et hodie etiam ubique usurpatur (*dubitem postremum hoc esse satis accurate dictum*). Hoc ergo voluit Rusticus significare, per quatuor annos ædificatam esse Narbonensem basilicam, seu quarto anno esse absolutam a quadrato saxo posito, id est a jactis fundamentis, usque ad limen collocatum, seu finem operi impositum. Saxum enim quadratum in fundamento poni solebat : unde Livius lib. 6 scribit : « Capitolium saxo quadrato substructum » : exinde E absolute « quadratum ponere » idem apud antiquos ac fundamenta jacere, primumque lapidem ædificii ponere, ut in hac Inscriptione. Similiter quoniam non nisi absoluta domo limen poni consuevit, idem antiquis fuit absolutum esse ædificium, ac limen collocatum seu finem operi impositum. Unde Institutionum Justiniani lib. I, tit. 12 : « Limina sicut in domo finem quemdam faciunt; sic et imperii finem limen esse veteres voluerunt. Hinc et limen dictum est, quasi finis quidam et terminus. » *Ita Quesnellus. Satis consentit Cangius, cui* limen *idem est ac* ecclesia, *quod probatum existimat ex ipsa, qua de agimus Inscriptione. Juverit locum recitasse ex Glossario:* Limen. Ecclesia. Vetus inscriptio allata a Catello... et Stephano Baluzio : DO ET XPO... LIMEN HOC... Infra, quod hic limen, « ecclesia » appellatur. *Quæ notatio doctissimi viri non mihi omnino accurata est. Vox* ecclesia, *quæ infra legitur, ad antiquam refertur ædem, non ad novam, quam S.* Rusticus *exstruxit :* Cœpit deponere parietem ecclesiæ dudum exustæ. *Generatim, ut est apud R. Stephanum* (4), limen F οὐδος dicitur, quod ex transverso in janua est; *et non solum inferiorem,* sed etiam superiorem ostii partem significat. *Unde* Juvenalis :

Pendentia liquit
Vela domus et adhuc virides in limine ramos.

Frequens occurrit præsertim apud poetas limen superum et inferum. *Sic* Plautus :

Limen superum inferumque salve.

Et Novius Macco exule :

Limen superum, quod mihi misero sæpe confregit caput;
Inferum autem, ubi ego omneis digitos defregi meos.

Simile quid habet Gregorius Turonensis (*Miraculorum lib. I, de Gloria martyrum* (5)), *de viro sacrilego, qui contra monitum sacerdotis,* ascenso in atrio *basilicæ equo,* ubi egredi venit, percusso ad portæ limen superius capite, ad humum testa disrupta corruit *et brevi post*

(1) Inscriptiones christianæ, tom. I, p. XIX. Romæ, 1861. — (2) Ibid., p. LIII. — (3) Ibid., p. LIV. — (4) Thesaurus linguæ lat. *verbo :* Limen. — (5) Migne, tom. LXXI, col. 761.

spiritum

A spiritum exhalavit. *Agi in Narbonensi lapide de superiori limine, clare elucet tum ex illius magnitudine tum ex forma; quem vide delineatum, tom. I, Historiæ Occitaniæ* (1). *An autem, ut asserit Quesnellus,* limen collocatum *idem plane sit ac* absolutum ædificium, *non mihi satis constat; dubitat quoque Edm. Le Blant. Attamen ex universa Inscriptione patet, ecclesiam ad fastigium perductam, quando S.* Rusticus *collocari limen jussit. Unde rursus Quesnellus, ubi supra :* Confirmatur sententia nostra ex eo, quod postquam in ipso Inscriptionis capite, linea oblonga contento, generatim significavit quatuor annos in construenda basilica esse consumptos, consequenter in reliquis, quid quolibet anno, quove progressu præstitum sit, singillatim explicat. Primo scilicet et basilicam veterem depositam et novæ jacta fundamenta. Secundo absidem positam, illudque omne biennii opus Marcelli præfecti impensis esse perfectum; altero denique biennio, residuum operis ex oblationibus sanctorum episcoporum aliorumque esse absolutum. *Hactenus Quesnelli observatio.*

quem, frustra renitente Baluzio,

7 *Ast manus victas non dedit Baluzius: in Notis enim ad Capitularia regum Francorum* (2) *novis firmare placita sua argumentis studuit, quibus respondit Quesnellus in altera sua Leonis magni editione* (3), *contenditque ad rem non pertinere quæ Baluzius operose collegit, ut ostenderet, ante S.* Rustici *Narbonensis ævum usurpatam fuisse formulam P. C.* (*post consulatum*); *cum nemo hoc neget; et* frustra molem exemplorum congeri pro eadem formula « Post Consulatum, » cum nihil tale occurrat in Inscriptione, *quæ ita habet:* Anno IV consule Valentiniano VI *non autem :* Anno IV post consulatum. *Itaque Baluzii interpretatio peccat duplici ex capite : primum quod illa ætate non probentur numerati annus primus, secundus, tertius, quartus consulatus; dein quod formula in Inscriptione adhibita notis seu siglis careat ad annos post consulatum indicandos usitatis. Nam, ut iterum testis est eruditus de Rossi* (4), si non ipse consulatus, verum annus post consulatum notari debuit, a medio circiter sæculo quarto ad medium quintum (*ad quam annorum intercapedinem pertinet Narbonensis Inscriptio*)
C hæ scribi litteræ consueverunt : POST CONS., vel POST CONSS. (quandoque etiam POS); item omnibus litteris POST CONSVLATVM vel POST CONSVLATV; quandoque etiam ipsa vox « consulatum » suppressa et POST vel POS tantum exaratum. Medio vero sæculo quinto notæ P̄C prodire cœperunt, eoque brevi solemnes habitæ *etc. Quod autem solus Valentinianus, tacito collega, nominetur, id ortum ex eo docet Rossius* (5), *quod Nomi* consulatus saltem in plerisque occidentalis imperii provinciis promulgatus omnino non est, et Romæ quoque vel numquam vel exeunte vix anno, ut illius consulis nomen publicis actis inscriberetur, videtur esse præscriptum. *Atque ibidem reprehendit Pagium, qui* Diss. hyp. III, 1, 4 unum tantum consulem his annis « ex mero » unius cujusque « arbitrio... » monumentis inscriptum contendit; ac Narbonensem potissimum titulum suæ sententiæ vadem citat, in quo unius Valentiniani, omisso Nomo collega, exeunte anno consulatus cietur. *Cæterum vide laudati scriptoris, sane diligentissimi atque accuratissimi Prolegomena* (6), *ubi præclare disserit* de hypaticis formulis, quibus dimidiati, ut aiunt, consulatus cientur ab anno 399 ad occidentalis imperii excidium, *statuitque* (7), *haud merito* Pagium aliosque chronologicæ doctrinæ interpretes in hypaticis quinti sæculi notis non minus auctorum arbitrium, quam certas regulas esse quærendas existimasse. Sed, *inquit,* plurimarum inscriptionum concordem auctoritatem nemo sanus parvi faciet *etc.*

AUCTORE B. B.

secuti sunt Pagius, Ballerinii aliique passim;

8 *Recte itaque concludit Quesnellus :* His ita explicatis, clarum evadit ipso sexti consulatus Valentiniani anno, scilicet 445, absolutam esse basilicam Narbonensem, qui genuinus est sensus verborum : « Consule Valentiniano Aug. VI. » *Quesnello adhæserunt eruditi passim; quos inter Pagius tum in Dissertatione hypatica* (8), *tum in Critica ad annum Christi* 445; *Benedictini in historia Occitaniæ* (9) *et fratres Ballerinii in adnotationibus ad Quesnellum* (10), *ubi, cum breviter et dilucide resumant controversiam, eorum verba recitasse juverit.* Per hanc, *aiunt,* Leonis ætatem exempla quidem aliquot inveniuntur computandi primum annum post consulatum hac formula : anno ex gr. 449. « Post consulatum Zenonis et Posthumiani » qui fuerunt consules an. 448, idque etiamsi noti essent consules ordinarii anni currentis... (*Confer de Rossi Prolegomena p.* XXXVI *et seq.*) At per hæc quoque tempora signatum quoque fuisse annum secundum, tertium et (*ut in nostro documento*) quartum post consulatum, nullo exemplo probabitur. Multo autem minus afferetur exemplum, quo probetur adhibitam fuisse formulam ANNO IIII CS. VALENTINIANO AUGUSTO VI id est « anno quarto consule Valentiniano VI. » Si enim hoc ævo usu recepta fuisset laudata formula in notandis annis 2, 3, 5, etc., scriptum legeremus « anno quarto P. C. » id est « post consulatum Valentiniani Augusti VI. » Hinc ergo optime interpretatus est Quesnellus, limen ecclesiæ positum fuisse « anno quarto » post initium fabricæ « Consule Valentiniano Augusto VI. » Interpretatio autem Baluzii, quam dein Quesnellus profert, duplici ex capite corruit, tum quod alienum est a more ejus temporis designare quartum annum post consulatum, tum quod ea formula, « anno quarto Consule » etc. numquam fuit adhibita, ut quartus annus post consulatum designaretur. Hæc pro vindicanda Quesnelli interpretatione sufficiant, ut nihil movere debeant nonnulla, quæ hic in rem suam fusius, sed non admodum accurate prosecutus est : neque enim singula vacat expendere.

E

F

quorum sententia verior est.

9 *Hactenus Fratres Ballerinii quorum asserta egregie confirmantur ex verbis Rossii, quæ supra recitavimus. Gallia Christiana, ubi de S.* Rustico *agitur, non bene sibi cohæret : dicit, enim primum* (11) : Tandemque ad sedem Narbonensem (*S.* Rusticus) as-

(1) Preuves, p. 4. — (2) Tom. II, p. 1252. — (3) Ubi supra, col. 1581 et seqq. — (4) Inscripp., p. LI. — (5) Pag. 581 et seq. Inter *addenda et corrigenda.* — (6) P. XXXI-XXXV. — (7) P. XXXV. — (8) Apparatus in Annal. Baronii. p. 114. — (9) Tom. I, p. 186. In-fol. — (10) Opera S. Leonis, tom. II, col. 1577 et seq. — (11) Tomo VI col. 7.

sumitur,

AUCTORE B. B.

sumitur, quod factum anno 427 quidam (*nempe Quesnellus eique adhærentes*) volunt, *alii vero anno tantum* 430, *quo* Rusticum consecratum episcopum VII Idus octobris contendit Baluzius... in notis ad Capitularia regum Francorum col. 1254, ubi argumenta Quesnelli adversarii sic refellit, ut nullus sit dubitandi locus, quin vera sit ejus opinio. Discrimen istud ortum est ex diversa interpretatione cujusdam inscriptionis. *At infra* (1): Ex prima sententia (*scilicet Baluzii*) S. Rusticus factus est episcopus 9 Octobris, an. 430; ex altera autem sententia, quam sequitur Antonius Pagi, sedere cœpit an. 427; *et annus hic in margine adscribitur, quem proinde censendi sunt veriorem existimasse. Tillemontius hæret dubius inter Baluzii et Quesnelli sententiam, habens quod objiciat utriusque placitis* (2). *Hanc præcipue movet difficultatem, quod ipse fateatur Quesnellus in sua sententia ædificationem templi absolutam fuisse non anno* quarto *a cæpto opere sed* quinto, *siquidem quartus ab aliquot diebus esset elapsus, cum* limen collocatum est. *Reponit Pagius* (3) : Verum quidem est a
B die XVIII novembris anni CDXLI ad diem XXVIII ejusdem mensis anni CDXLV fluxisse annos quatuor ac dies undecim; sed Rusticus dies illos undecim, annos quatuor excedentes, ut plurimum fit, neglexit; qui tamen religiosior fuit in annis sui episcopatus numerandis, cum dicat die quinto anni decimi quinti episcopatus sui parietem ecclesiæ dudum exustæ sese destruere cœpisse. *Certe mihi objectio hæc Tillemontii tanti non est, ut cogat nos recedere ab interpretatione alias maxime accommodata.*

Multa ex hac Inscriptione discimus de S. Rustico.

10 *Cæterum ex hac Inscriptione discimus plura maximi momenti, quæ alibi frustra quæsieris. Primo innotescit quis fuerit S.* Rustico *parens; nempe Bonosus episcopus. Ignoramus quidem cui ecclesiæ hic præfuerit, sed dubitandum non est, quin ante suam electionem imo et ante susceptionem SS. ordinum genuerit filium. Nec infrequens est illis temporibus, ut qui matrimonio primum juncti fuerant, dein sacerdotio initiarentur vel etiam episcopali ornarentur dignitate. Exemplo sit S. Hilarius Pictaviensis. Additur in Inscriptione :* Episcopi Aratoris de
C sorore nepos. *Hujus æque ac Bonosi latet nos sedes* (4). *Discimus secundo* veteris ecclesiæ (*verbis rursus utor Pagii* (5)) ruinas eversas esse anno Christi CDXLI die decima tertia (III *Idus*) mensis Octobris, quæ feria secunda erat, ac quinta dies anni XV episcopatus Rustici, et die XVIII mensis Novembris, dedicationi basilicarum Petri et Pauli sacra (quæ ab eversis tricesima septima erat) novæ basilicæ fundamenta jacta esse, annoque secundo cœptæ ædificationis, anno nempe Christi CDXLII absidem positam die scilicet nona (VI *Idus*) mensis Octobris. Quare Rusticus Narbonensis episcopus ordinatus fuit anno CDXXVII die nona Octobris, in quam dominica cadebat, quibus diebus episcopi consecrari soliti erant. *Atque hoc postremum summi utique momenti est ad Acta S.* Rustici *illustranda. Exinde enim novimus annum et diem ordinationis ejus in*
D *præsulem Narbonensem; quod cæteroquim æternis tenebris involutum latuisset. Perspicuum est, in sententia Baluzii, ordinationem differendam esse in annum* 430. *Discimus tertio,* Hilarium episcopum, cujus meminit Prosper in epistola ad divum Augustinum anno CDXXIX data, non posse esse Hilarium Narbonensem, ideoque hunc male suppositum ab aliquibus fuisse in locum Hilarii Arelatensis; cum Hilarius Rusticum in sede Narbonensi exceperit. *Discimus quarto,* Hilarium, qui præfuit concilio Regiensi anno CDXXXIX habito, fuisse Hilarium Arelatensem, non vero Hilarium Narbonensem, ut perperam existimavit Baronius; cum eo anno non Hilarius sed Rusticus ecclesiam Narbonensem administraret. *Discimus quinto,* Marcellum, virum pietate insignem, hoc tempore Galliarum præfectum fuisse, qui tamen omissus fuit in catalogo præfectorum prætorio Galliæ. *Adde ex sola Inscriptione hac edoceri nos et veterem ecclesiam cathedralem exustam* (*et probabilius ante S.* Rustici *præsulatum, quod vox* dudum *suadet*) *fuisse, et novam ædificatam a S.* Rustico, *idque quadriennii fere*
E *spatio; nominatis etiam iis qui liberalitate sua ad perficiendum opus contulerant. Dolendum sane est ultimam Inscriptionis partem corruptam et mutilam existere; secus nomina nonnullorum episcoporum ad posteritatis notitiam integrius saltem pervenissent. Ex quibus omnibus sane efficitur Inscriptionem Narbonensem præclarissimis ecclesiasticæ historiæ monumentis jure merito annumerari.*

de altera inscriptione brevior.

11 *Sunt et aliæ tres inscriptiones, ast multo breviores, ad S.* Rusticum *spectantes. De una hic dicam; de aliis infra* § V, *ubi de sepultura S. Episcopi. Prior haud parvi momenti, cum ex illa plane confirmentur, quæ disputavimus de annis episcopatus S. Rustici. Sic autem habet :*

ANNO XVII EPISCOPI RVSTICI
ANNI DIE CCLXVI KL IVL

et inscripta legitur in basi columnæ, quæ hodiedum reperitur in Musæo Narbonensi. « Discimus, *inquit, D. Tournal* (6), ex documento ms. fratris Ludovici, ordinis Minimorum, columnam præfatam olim exstitisse in ecclesia
F parœciali Sanctæ Mariæ Majoris (*de la Major*), eique incubuisse altare SS. Petri et Pauli, quod pertinebat ad familiam De Lastours. Et re quidem vera marmor repertum fuit in horto ejusdem familiæ, *huc* procul dubio translatum, quando dicta ecclesia execrata est. *Observat autem Edm. Le Blant* (7), *ex hac sicut et ex majori Inscriptione innotescere diem et annum quibus S.* Rusticus *factus episcopus est. Supra vidimus* (*scil. n.* 10) *id contigisse die* IX *octobris anno* 427; *ab hinc vero si numerentur anni sexdecim et dies biscentum sexaginta sex, incidimus in kalendas* (*diem* 1) *julii* (*an.* 244,) *prout fert inscriptio brevior* (8).

(1) Gall. Ch. t. VI, Col. 9. — (2) Mém. t. XV p, 887 et seq. — (3) Ad. an. Christi 445. Annal. Baronii t. VII, p. 593. Lucæ 1741.— (4) Tillemont. Mém. t. XV, p. 403 et 887. —(5) Annales Baronii ubi supra p. 592. — (6) Description du Musée de Narbonne, p. 85. — (7) Pagellæ, mss. — (8) Conf. Louis Piquet, Minime, Manuscrits à la bibliothèque de Narbonne. *Ita Edm. Le Blant.*

§ II

A

§ II. De epistola S. Hieronymi ad Rusticum monachum; in qua reperiuntur plura de adolescentia S. Præsulis Narbonensis.

Epistola S. Hieronymi ad S. Rusticum,

Exstat *egregia epistola S. Hieronymi inscripta ad* Rusticum Monachum, *venitque apud Vallarsium ordine* CXXV, *in vetustioribus editionibus* IV, *in Benedictina Martianæi* XCV. Hic idem, *inquit Vallarsius* (1) est Rusticus qui postea Narbonensis episcopus fuit, ad quem etiam sanctus Leo papa epistolam scripsit. *Consentiunt passim autores: Baluzius* (2), *Quesnellus cum Ballereniis* (3), *scriptores Galliæ litterariæ* (4), *Baillet* (5), *Longueval* (6). *Id unum objicit Tillemontius* (7), *non fieri in epistola mentionem de patre et avunculo S.* Rustici *episcopis, quos silentio Hieronymus certe non prætermisset. Ast levis, judice ipso Tillemontio, hæc ratio est. Multa enim sunt quæ sanctum Doctorem inducere potuerint, ut de utroque sileret; posito, eum hac de re instructum fuisse. Insuper nonne*

B *patris meminit S. Doctor, ubi sic scribit* (8) : Et Joannes Baptista sanctam matrem habuit (*qualem etiam testatur* Rusticum *habere*) pontificisque filius erat? *Haud absurdum putat Quesnellus* (9), existimare Rusticum, *cum de vita instituenda Hieronymum vellet consulere, litteras dedisse Sisinnio monacho*, quem legavit in Orientem sanctus Exuperius Tolosæ episcopus cum ingenti pecunia, *in monachorum Palæstinæ et Ægypti solatium expendenda; atque tum ex litteris illis tum ex Sisinnii* colloquiis, de Rustici genere, studiis et ejus matris pietate audire ea quæ refert, facile potuit *Hieronymus*. Audiisse *certum est; id enim ipse testatur* : Audio religiosam te habere matrem *etc. An ex litteris* Rustici *didicerit; conjectura est plus minus probabilis, cum id ex epistola S. Hieronymi non constet : in qua nullum reperitur verbum, quo indicet S. Doctor se scripto a S.* Rustico *conventum. An ex relatione Sisinnii? Majus est dubium, cum, ut numero sequenti videbitur, epistola S. Hieronymi certo scripta sit post annum Christi* 410, *non autem anno* 407, *ut vult Quesnellus, addens* constare ex ipso

C Hieronymo, anno Christi 406 *Sisinnium cum pecunia in Orientem a S. Exuperio missum. Unde Ballerinii* (10) : Nulli fundamento incumbunt, quæ Quesnellus conjicit de Sisinnio monacho Tolosate, ac si is sub annum 406 in Orientem missus... Rustici litteras ad Hieronymum primum attulerit, et Hieronymi epistolam eodem anno reddiderit Rustico. *Non itaque in comperto est, qua via et quorum relatu edoctus Hieronymus fuerit de genere, studiis et vita* adolescentis *ad quem scribit. Hoc vero extra controversiam, litteras datas ad* Rusticum, *huncque adolescentem Massiliæ, vel haud procul inde, morantem; epistolam apprime concordare cum inscriptione Narbonensi; nec alium ullum per id tempus in illis Galliarum tractibus reperiundum nomine Rusticum, ad quem epistola directa serio putetur; atque hinc est quod uno fere ore pronuntient eruditi scriptam S. Præsuli nostro Narbonensi, qui tunc in flore juventutis vitam auspicabatur monasticam. D. Ceillier rem in medio relinquit, solum asserens missam ad* juvenem monachum Gallum (11).

AUCTORE B. B.

data circa an. 411.

13 *Datæ litteræ valde probabiliter sunt circa annum Christi* 411. *Hunc diserte ponit Vallarsius* (12), *cujus auctoritatem maximi hac in materia facit Schœnemannus*. Veteres, *ait* (13), editiones *epistolas* non ad temporum ordinem, sed materiæ quandam similitudinem et quasi cognationem exhibent... Benedictina igitur editio, huic vitio ut mederetur, novum earum ordinem instituit sic, ut resectis ab ipso corpore, et distributis per singulos tomos compluribus, quas criticas appellat, reliquas ad temporis leges exigeret, successu tamen non pariter felice, ut Vallarsius indicavit et demonstravit. Relicta igitur erat hæc provincja Vallarsio, ut turbatum ordinem Chronologicum reformaret et ex integro instituëret, id quod egregie ipsi cessisse nemo abs invidia E negaverit. *Ita vir acatholicus. Et re quidem vera S. Hieronymus haud obscure declarat, dum S.* Rustico *scriberet, Ruffinum Aquileiensem fato jam functum, quem sub nomine* Grunnii *suggillat his verbis :* Testudineo Grunnius incedebat (*si in vivis adhuc fuisset, præsens adhiberetur sane tempus*) ad loquendum gradu, et per intervalla quædam, vix pauca verba carpebat, ut eum putares singultire, non proloqui. Et tamen cum mensa posita, librorum exposuisset struem, adducto supercilio contractisque naribus ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans. Tunc nugas meras fundere et adversum singulos declamare : criticum diceres esse Longinum, censoremque Romanæ facundiæ, notare quem vellet et de senatu doctorum excludere (14). *Locum, licet paulo prolixiorem, adscripsi integrum, quo clarius pateat, Hieronymum loqui de defuncto. Recte itaque præcitatis verbis subdit Vallarsius* (15): Quibus tute fatearis, non alium voluisse quam Ruffinum, eumque non ita pridem vita functum

F perstringere. *Confirmatur ex altero loco S. Hieronymi, ubi Ruffinum, certe adhuc vivum, alloquitur:* Tu qui in latinis mussitas, et testudineo gradu moveris potius quam incedis (16). *Hic itaque præsens tempus, quod viveret Ruffinus; illic præteritum, quod mortuus esset. Notat Baronius de S. Hieronymo agens* (17) : Cum disserit adversus Ruffinum... deridet interdum... dicteriis deludit, accomodatisque ad mores hominis nominibus appellat, nominans eum sæpe « Grunnium »; alludens nimirum ad illum Grunnium Caracottam, cujus testamentum Porcelli solerent cachinnantes pueri in scholis ludibrio risuque prosequi; idcirco id ipse, quod Ruffinus scriberet res nullius momenti. *Itaque Ballerinii contra Quesnellum*

(1) Migne, tom. XXII, col. 1072. — (2) In Salvianum, p. 410. — (3) Opera S. Leonis Magni, t. II, col. 1572. — (4) Histoire littéraire de la France, tom. II, p. 362. — (5) Vies des Saints 26 Oct. — (6) Histoire de l'Église Gallicane, t. II, p. 86 et 225. Paris, 1825. — (7) Mémoires, t. XV, p. 887. — (8) Migne ubi supra col. 1076. — (9) Opera S. Leonis loc. cit. — (10) Ibid. — (11) Auteurs ecclésiastiques, tom. X, p. 348. — (12) Migne, t. XXII, col. 1072. — (13) Bibliotheca Patrum Latinorum, tom. I, p. 433. — (14) Migne, col. 1083. — (15) Ibid., col. 167. — (16) Apologia adversus libros Ruffini, n. 17. Migne, t. XXIII, col. 411. — (17) Annal. t. VI, p. 397. Ad an. 402, n. XXXIX.

AUCTORE B. B.

confidenter (1) : Hieronymi epistola certo certius scripta est post Rufini mortem. « Grunius » enim,, qui in ea mortuus memoratur n. 18, non est alius nisi Rufinus Aquileiensis. Is autem obiit anno 410, ac propterea ea epistola commode affigenda est anno 411.

An illo tempore jam monachus esset Rusticus ;

14 *Ad alteram progredimur questionem, scilicet an in monasterio jam esset S.* Rusticus, *dum suas ad eum exarabat Hieronymus litteras. Affirmat Baluzius in Notis ad Salvianum; negat Quesnellus.* Porro, *ait ille* (2), Rusticus hic ille ipse est monachus ad quem scribit Hieronymus... Morabatur enim Rusticus in monasterio Massiliensi. *Postea tamen Baluzius partim mutavit sententiam, opinatusque est S.* Rusticum *in Lirinensi monasterio aliquandiu vixisse. Quesnellus vero :* Patria, *inquit* (3), Massiliensem eum fuisse elicio ex epistola S. Hieronymi jam laudata, ubi Rustico in materna domo adhuc commorantem ad Proculi Massiliensis episcopi disciplinam remittit. *Quesnello contradicunt Ballerinii* (4) *duplici ex ratione : scilicet quod Hieronymus* eum et in inscriptione (*epistolæ*) monachum, et in
B textu apud Massiliam degentem significet. *Et re quidem vera inscriptio fert :* Ad Rusticum monachum ; *nec ullam signat Vallarsius variam lectionem. Nescio tamen an hujusmodi titulis, extra contextum præfixis, plane sit fidendum. Quod autem attinet ad textum, in utramque is trahitur partem. Monachum fuisse suadent obvio primum sensu loci sequentes :* Jam enim, propitio Domino, stivam tenes (5). *Est autem, teste Roberto Stephano* (6), Stiva aratri manica, nempe quæ tenetur manibus cum aratur ; *ut videatur indicare S. Hieronymus,* Rusticum *jam manum ad aratrum misisse. Additur :* Jam tectum atque solarium cum Petro apostolo conscendisti. *Et alibi* (7) : Tu vero si monachus esse vis, non videri, habeto curam non rei familiaris, cui renuntiando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ. *Et iterum* (8) : Ita ergo age et vive in monasterio, ut clericus esse merearis. *Iis, qui putant* Rusticum *de claustrali vita amplectenda cogitasse quidem, non tamen adhuc inter monasterii septa se recepisse, favet præcipue locus, ubi S. Doctor, post vituperatos discolorum quorum-*
C *dam monachorum solutiores mores, ita discipulum suum alloquitur* (9) : Tibi cum in monasterio fueris, hæc facere non licebit, et inolescente paulatim consuetudine, quod primum cogebaris (*seu coactus, vim tibi inferens*) vel (*id est, sponte*) incipies, et delectabit te labor tuus, oblitusque præteritorum semper priora sectaberis. *Futurum adhibetur tempus: itaque facturus hæc erat* Rusticus *in monasterio, sed nondum faciebat, ideo sane quod extra illud viveret. Nisi dicamus hæc proferri per modum generalis sententiæ, et proinde præsens æque spectare tempus ac futurum; vel conjunctionem* cum *poni pro* quamdiu, *ut sensus sit :* Tu quamdiu in monasterio fueris. *Quam tamen interpretationem fatendum est longe magis recedere a naturali sensu, quam si alia illa, quæ pro priori sententia adduximus, de futuro intelexeris. Sic* tenere stivam *poterit significare* D *propositum serio conceptum deliberatumque ingrediendi quam primum monasterium, atque ita* tectum et solarium esse conscensa. *Quod autem* monachus esse cœperit, renuntiando rei familiari, *verum aliquo sensu est, etiamsi domo materna non exierit. Utique si in monasterio viveret, ut quid moneretur rei familiaris* curam non habere ; *ut quid non cohabitare matri?* Volo ergo te, *ait* (10) et propter causas quas supra exposui, non habitare cum matre ; et præcipue ne aut offerentem delicatos cibos, renuendo contristes ; aut si acceperis, oleum igni adjicias ; et inter frequentiam puellarum per diem videas, quod nocte cogites. *Ante dixerat* (11) : Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant... Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis ; quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina. *Utique non facile capitur, quo hujusmodi monita et cautiones spectarent, si* Rusticus *domo sua egressus in religionis portu sedem fixisset. Est ergo ex epistolæ textu probabilior sententia Quesnelli.* E

et quo in monasterio vixerit;

15 *Ast quamvis non probetur, sanctum Adolescentem monachum fuisse, cum ad eum scriberet S. Hieronymus, nemo tamen est qui dubitet illum postea vitam professum claustralem. Clare id constat ex Inscriptione Narbonensi.* Episcopi Veneri socius in monasterio. *Sed ubi? Variant auctores, ut testatur Gallia Christ.:* In Massiliensi ex Baluzii Notis in Salvianum pag. 410 ; Lirinensi vero ex libro de Concordia Sacerdotii et Imperii tom. 2, pag. 680, vel denique Tolosano ex notis Quesnelli in S. Leonem (12). *Et explicatius laudatus Quesnellus* (13) : In Massiliensi illum constituerat vir eruditus Stephanus Baluzius ; sed cum aliquid incommodi in ista opinione occurreret, Lirinensi eum monasterio vindicandum esse postmodum existimavit. Ego nec in hoc nec in illo monachum egisse Rusticum facile probare posse mihi videor ; sed Tolosani potius monasterii alumnum fuisse existimo. *Potissima Quesnelli ratio est, quod epistolam S. Hieronymi datam censeat anno* 407. Nondum autem, *inquit* (14), ea tempestate apud Massiliam sedem constituerat Joannes Cassianus, necdum extruxerat monasterium *sub sancti Victoris nomine celeberrimum. Reponunt Ballerinii* (15) *:* Præterquam quod haud certum est, quod Quesnellus præsumit, nimirum nullum aliud monasterium apud Massiliam extitisse anterius illo, quod Joannes Cassianus post annum 407 Massiliam sese recipiens extruxit ; Hieronymi epistola certo certius scripta est post Rufini mortem... Ac propterea ea epistola commode affigenda est anno 411, cum jam monasterium Massiliense a Joanne Cassiano conditum fuerat. *Postremum hoc confidenter nimium asserunt Ballerinii : non enim certo constat, quo anno fundatio illius Massiliensis monasterii contigerit; Gallia Christiana tenet circiter annum* 413 (16) *illique satis videtur consentire Longuevallius* (17). *Quod si ita se habeat, perperam di-* F

(1) Opera S. Leonis, t. II, col. 1572 et 73. — (2) In Salvianum, p. 410. — (3) Opera S. Leonis, tom. II, col. 1572. — (4) Ibid. — (5) Migne, col. 1073. — (6) Thesaurus linguæ latinæ verbo : *stiva.* — (7) Migne, col. 1075. — (8) Ibid., col. 1082. — (9) Ibid. — (10) Ibid., col. 1078. — (11) Ibid., col. 1075 et 76. — (12) Gallia Christ., tom. VI, col. 7. — (13) Opera S. Leonis, tom. II, col. 1573. — (14) Ibid., col. 1574. — (15) Ib. col. 1571. — (16) Tom. I, col. 681. — (17) Hist. de l'Église Gall., tom. II, p, III.

citur

A *citur conditum jam monasterium, cum anno* 411 *epistolam suam scriberet S. Hieronymus. In hac opinione, ut* Rusticus *vitam cœnobiticam Massiliæ profiteri potuerit, oportet ut aliud ibidem Cassiano antiquius nobisque ignotum extiterit monasterium; vel epistola longius removenda est a Ruffini obitu. Alii Cassianum appulisse volunt Massiliam circiter annum* 405, *idque* probabilius *censent auctores Franciæ litterariæ* (1). *Tillemontius hæret dubius inter utrumque annum* (2). *Causam dubitandi sic breviter exponit Schœnemannus* (3) : Relicto iterum deserto, Cassianus cum sodali suo (*Germano*) Constantinopolim proficiscitur, Joanni Chrysostomo adhæret ab eoque diaconi munere ornatur. Mox ubi ille a perditorum hominum turba de sede sua esset dejectus, ejus causa (a. 405) cum legatione cleri Constantinopolitani ad Innocentium missus est. Ex illo vero tempore ad annum ferme 415, memoria ejus in obscuro est. Sunt qui in Orientem reversum eum dicant, eumdemque existiment cum Cassiano presbytero, qui anno 414 ab Alexandro, Antiochiæ episcopo, Romam mis-
B sus fuit ad pacem inter utramque ecclesiam reconciliandam; alii tamen jam tum Massiliam eum concessisse putant, ubi presbyteri dignitate auctus est, et ab eo ferme, quem modo indicavimus, anno tam vitæ quam doctrinæ existimatione fuit conspicuus. Inclaruit imprimis fundatis duobus, altero virorum, altero virginum monasteriis. *Cardo itaque difficultatis vertitur in* Cassiano presbytero; *qui si idem sit ac Collator, initia monasterii S. Victoris collocanda sunt post annum* 414: *sin diversus* (*quod Tillemontio magis placere videtur loc. cit.*) *circa annum* 405. *In hac vero hypothesi nihil impedit quominus S.* Rusticus *in illo monachus viveret, sive dum ad eum scribebat S. Hieronymus sive paulo tardius;* nec quidquam cogit, *ut est apud Ballerinios*, Tolosano monasterio illum addicere. Ita sane congrue intelliguntur illa ejusdem epistolæ S. Hieronymi de S. Exuperio Tolosano episcopo : « Hujus tu e vicino sectare vestigia; » et illa de Proculo Massiliensi : « Habes isthinc sanctum doctissimumque pontificem Proculum,
C qui viva et præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat. » Videsne discrimen formularum? De episcopo Massiliæ Hieronymus loquitur uti de præsenti, eo quod (Rusticus) in Massiliensi monasterio vitam ageret : S. Exuperium vero « vicinum » indicat, propterea quod Tolosa licet distaret a Massilia, præ Palæstina tamen, ubi erat Hieronymus, illi erat vicina.

probabilius in Massiliensi S. Victoris.

16 *Id porro certum ex epistolæ verbis, S.* Rusticum *tunc Massiliæ, si non in monasterio, saltem in urbe vel haud procul ab ea moratum : secus vero, qui* viva et præsenti voce *cum Proculo egisset? Qui* quotidianos *habuisset* tractatus? *Restat ut de Lirinensi dicamus, in quo, ex posteriore Baluzii sententia*, Rusticus *cœnobiticæ disciplinæ se mancipavit. Repugnat Bailletus* (4), *quod tum* Lirinense asceterium vix exurgeret, *vel, ut addit Quesnellus* (5), non ita saltem celebre evasisset, ut e regione satis dissita Rusticum sua fama exciret. *Sed hæc ratio parum firma.* Nam, *ut habet Gallia Christiana* (6), monasterium Lirinense, fundatorem agnoscit... S. Honoratum (*postmodum Arelatensem episcopum*) aliis anno 375, aliis, inter quos Bailletus 391. *Consonant Longueval* (7) *et Tillemont* (8), *asserentes, ille sæculo quarto exeunte, hic non ante annum* 400. *Rectius tutiusque Baluzio contradicit Quesnellus ex silentio S. Hieronymi et aliorum :* Cum, *inquit* (9), Rusticum monasticam vitam aggredi meditantem ad Proculi Massiliensis doctrinam et monita, et ad Exuperii exemplum remiserit Hieronymus, nemo crediderit ab istorum episcoporum vicinia longius recedere voluisse. *Et iterum paulo inferius :* Si Venerius Massiliensis et Rusticus Narbonensis (*quos* in monasterio socios *fuisse docet Inscriptio, de qua* § *I*) episcopi ex insula Lirinensi ad sacerdotalem infulam evocati fuissent, vix fieri posset, quin aliqua hujus rei vestigia in antiquis monumentis extarent, cum celeberrimi fuerint inter Gallicanos episcopos. De his Hila-
E rius Arelatensis episcopus verba fecisset, qui eodem tempore in Lirino vivebat, sub eademque Honorati disciplina, vel Hilarii vitæ auctor alter Honoratus Massiliensis episcopus. De his Eucherius non siluisset, cum ad Salonium filium instructiones scribens eos commemorat, quorum ille conversatione vel monitis in insula profecerat. Sed Apollinaris præsertim Sidonius in suo ad Faustum Rejensem Eucharistico, ubi huic præcipue insulæ illius incolas in memoriam revocat, Caprasium scilicet, Lupum, Honoratum, Maximum, Eucherium, Hilarium, quorum Faustus socius fuerat, numquam aut Venerium aut Rusticum omisisset recensere... Denique Chronologia Lirinensis, cujus auctor nulli pepercit labori ac diligentiæ in conquirendis iis omnibus, quæ celeberrimi monasterii honori conducebant, eosque præsertim numeravit, qui illud pietate sua ornassent aliquando, nihil prorsus de egregio illo episcoporum pari recensuit; de quo proinde ne apicem quidem reperiisse credendus est in antiquis et bene multis, quæ excussit vel repræsentat, monumentis. *Hæc quidem*
F *negativa, ut dici solet, sunt; pondus tamen suum utique habent. Ut ergo paucis disputationem concludam : non liquido constat, quo anno et cui monasterio se adscripserit S.* Rusticus; *probabilior mihi est sententia, quæ favet Massiliensi S. Victoris; certamque hanc haberem, ni de anno quo Cassianus in Provinciam advenit, subesset dubitatio. Videat eruditus lector, an talis ista sit, ut Tolosano potius sanctum* Rusticum *adjudicet cum Quesnello.*

Plura de adolescentia sancti Rustici *docent nos litteræ S. Hieronymi.*

17 *At si non satis compertum est an, quove in monasterio viveret S.* Rusticus, *dum egregias illas litteras Hieronymus ad eum perferendas curabat; plura ad ejus infantiam adolescentiamque spectantia ex iisdem patefiunt.* Audio, *inquit* (10), religiosam habere te matrem, multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudivit infantem; ac post studia Galliarum, quæ

(1) Histoire littéraire de la France, tom. II, p. 217. — (2) Mémoires, tom. XV, p. 174. — (3) Bibliotheca Patrum Latinor., tom. II. Apud Migne, tom. XLIX, col. 9. — (4) Vies de Saints, 26 oct. — (5) Opera S. Leonis, tom. II, col. 1574. — (6) Tom. III, col. 1188. — (7) Histoire de l'Église Gallicane, tom. II, p. 5. — (8) Mémoires, tom. XV, p. 38. — (9) Opera S. Leonis, tom. II, col. 1574 et seq. — (10) Migne, tom. XXII, col. 1075.

vel

AUCTORE B. B.

AUCTORE B. B.

vel florentissima sunt, misit Romam, non parcens sumptibus, et absentiam filii spe sustinens futurorum; ut ubertatem gallici nitoremque sermonis, gravitas Romana condiret; nec calcaribus in te, sed frœnis uteretur; quod et in disertissimis viris Græciæ legimus, qui Asianum tumorem Attico siccabant sale... Hanc tu suspice ut parentem; ama ut nutricem, venerare ut sanctam. *Erat itaque Bonosus, pater ejus, dudum jam mortuus, siquidem mater* multorum annorum vidua aluit et erudivit infantem. *Pone Rusticum quinquennem sexennemve fuisse, cum moreretur pater : nec enim plus ei dare sinunt verba :* aluit et erudivit infantem; *proinde exiguo temporis spatio, puta quatuor aut quinque ad summum annis, episcopali gavisus Bonosus est dignitate : qua insignitus utique tantum fuit post susceptum filium. Nefas foret aliter statuere. Aliunde liquet,* S. Rusticum *adolescentem exstitisse imo nec multum pubertatis prætergressum annos cum epistola scriberetur : ait enim Hieronymus* (1) : Hæc dicimus, ut prima te, fili Rustice, fronte doceamus, magna cepisse et
B excelsa sectari; et adolescentiæ imo pubertatis incentiva calcantem, perfectæ quidem ætatis gradum scandere. *Pronum ex his concludere est, illum tunc ætatis annum vigesimum vix attigisse vel certe non multum superasse. Alibi dicitur* (2): Ita ergo age et vive in monasterio ut clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules. *Qui locus minorem prodet etiamnum ætatem, si, ut monui n.* 14, *probabilius tunc nondum in monasterio vivebat* S. Rusticus. *Et iterum* (3): Hæc expressius loquor ut adolescentem meum et linguæ et aurium prurigine liberem.

Ubi et quo loco natus S. Præsul.

18 *Ex verbis:* Volo ergo te... non habitare cum matre (4), *plures inferunt* S. Rusticum *patria Massiliensem fuisse. Potuit tamen mater, ordinato vel defuncto Bonoso, ad hanc cum filio (forte unico, cum nulla fratrum aut sororum mentio nec apud Hieronymum nec alibi fiat) accessisse urbem, ibique vel in vicinia sedem fixisse; insuper quoniam, ut diximus, ignota ecclesia sit, cui præfuit Bonosus (sunt qui Trevirensem suspicati sunt, sed perperam omnino* (5),) *plane nos latet an ex loco vel regione dissitis*
C *aut propinquis migrarint, si aliunde advenerint. Putem tamen et patrem et matrem, Aratoris episcopi sororem, patria gallos; id suadent tum ipsa nomina, tum locorum et rerum gestarum adjuncta. Opulentis parentibus ortum* S. Rusticum *haud immerito concludunt ex eodem S. Hieronymo :* Matrem *ait* (6), ita vide, ne per illam alias videre cogaris... Ancillas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis. *Alibi* (7) *fit mentio de* delicatis cibis *a matre offerendis filio, de* frequentia puellarum *cum illa agentium. Rursus* (8): Et Joannes Baptista sanctam habuit matrem, pontificisque filius erat; et tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. *Denique constat egregiis ingenii dotibus ornatum, adolescentemque summæ spei fuisse* Rusticum *utpote qui missus Romam fuerat* ut ubertatem gallici nitoremque sermonis, gravitas Romana condiret. *Monet discipulum magister :* Ita ergo age et vive in monasterio ut clericus esse merearis... Ne ad scribendum cito prosilias et levi ducaris insania *etc. Dignus quoque æstimatur qui cum Proculo episcopo Massiliensi doctissimo sanctissimoque* quotidianos tractatus *habeat. Quæ sane omnia produnt, agi ex mente S. Hieronymi de juvene haud vulgaris loci et meriti. Hactenus de præclarissima illa epistola, cujus summarium adscribimus ex Vallarsio :* Docet quemadmodum oporteat instituere vitam, monachi dignam nomine, monetque imprimis vitandam suspectarum feminarum consuetudinem; tutius autem esse juvenem in cœnobio quam in solitudine vitam agere. Tum sero ad docendum et scribendos libros esse veniendum; obtrectatorum familiaritatem modis omnibus fugiendam (9). D

§ III. Epistola S. Leonis magni ad Rusticum Narbonensem. Item epistolæ S. Hilari papæ de Hermete, quem Narbonenses S. Rustici successorem elegerant. E

Epistola S. Rustici ad S. Leonem.

S. Rustici *litteræ, quibus respondet S. Leo magnus, quasque* Hermes archidiaconus *Narbonensis, in Urbem, ut ipse Romanus pontifex testatur,* detulit (10), *desiderantur. Desunt quoque S. Præsulis nostri* Inquisitiones *in omnibus collectionibus, posterioribus Dionysio Exiguo; qui. ut habent Ballerinii* (11), omissis Inquisitionibus, ipsarum loco titulos præfixit, quibus nonnumquam duas Leonis responsiones in unum minus apte copulavit... Inquisitiones vero, sine quibus plerumque Leonis responsa intelligi nequeunt, Sirmondus primus edidit. *Hunc deinceps editores S. Leonis secuti sunt. Obiter notemus, præfatas* Inquisitiones *seu quæstiones, numero novemdecim, esse sola* S. Rustici *scripta, quæ ad nos pervenerint. Nec enim facile putandum, virum tantis dotibus ornatum, et eloquentiæ haud vulgaris fama celebratum, nihil elucubrasse, præter unam alteramve epistolam, quæ et ipsæ perierunt* (12). *Postulaverat autem in litteris suis ad S. Leonem, primum, quid agendum sibi esset de duobus presbyteris, qui in accusatione defecerant; deinde manifestaverat mentem suam de abdicando episcopatu; tandem proposuerat quæstiones seu Inquisitiones.* F

Responsoriæ S. Leonis: minus agendum cum duobus presbyteris, qui, in accusatione defecerunt;

20 *Respondet S. Leo ad singula capita ex ordine. Primum itaque agit de causa Leonis et Sabiniani presbyterorum, qui reos dixerant quosdam adulteros; convenerunt* episcopi et honorati, *a S.* Rustico *convocati, ut de crimine statuerent; verum accusatores, deficientibus satis idoneis probationibus, comparere ausi non sunt. Rogat igitur* S. Rusticus *quid faciendum. Rescribit S. Doctor* (13) : Totius sermonis tui allegatione concepta, et gestis, quæ in epi-

(1) Migne t. XXII. col 1073. — (2) Col. 1082. — (3) Col. 1084.— (4) Ibid. col. 1075. — (5) Conf. Tillemont, Mémoires t. XV p. 887. — (6) Migne, tom. XXII col. 1075 et seq. — (7) Ibid. col. 1078. — (8) Ib. col. 1076. — (9) Ib. col. 1072. — (10) Opera S. Leonis tom. I, col. 1416. — (11) Ibid. col. 1413 et 14. — (12) France littéraire tom. II, p. 364. — (13) Opera S. Leonis tom. II, col. 1416 et 17.

scoporum

A scoporum honoratorumque examine confecta sunt, recensitis, Sabiniano et Leoni presbyteris, ACTIONIS TUÆ intelleximus fiduciam defuisse, nec eis justam superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint. Circa quos quam formam, quamve mensuram debeas tenere justitiæ, tuo relinquo moderamini; suadens tamen caritatis hortatu, ut sanandis ægris spiritalem adhibere debeas medicinam, et dicente scriptura : « Noli esse nimium justus, » mitius agas cum eis, qui pudicitiæ zelo videntur modum excessisse vindictæ; ne diabolus, qui decepit adulteros, de adulterii exultet ultoribus. *Acta conventus, cujus meminit S. Leo, interciderunt. Est et hoc notandum : ante Quesnellum pro* actionis tuæ *legebatur* actionis suæ; *quod præplacet Tillemontio in notatiuncula ad imam paginam* (1). *Et re quidem vera, hæc lectio, ut observant Ballerinii*, congruentior videri potest, eo quod de actione judiciali sermo sit, quam non Rusticus, sed Sabinianus ac Leo presbyteri... zelo pudicitiæ intentarant. *Nihilominus tenenda est lectio Quesnelliana, utpote ad fidem plurimorum longeque*
B *præstantiorum codicum exacta, quam proinde, ut verbis utar iterum Balleriniorum*, tanta auctoritate suffultam haud deserendam credidimus, licet quæ ei subsit sententia, ex ignorantia facti et circumstantiarum lateat. Forte Rustico æque ac Sabiniano et Leoni privatim perspectum erat adulterii crimen; unde hi sperabant fore ut idem Rusticus, quamvis in episcoporum honoratorumque concessu judicis personam gereret, « actionem » quoque « suam » contra adulteros, seu favorem accusatoribus impenderet. Cum vero satis idoneæ probationes istis deessent, ita ut se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint; Rusticus nedum ipsis favere non potuit, sed eosdem correctione dignos ex legibus censuit; in quo mitius ei agendum S. Pontifex respondet (2). *Hisce verosimiliter ex tenebris ortum est, quod in Lectionibus antiqui Breviarii Narbonensis dicatur :* Sabinianum et Leonem presbyteros, qui se Rustici judicio subduxerant, ejus reliquit (*S. Leo*) moderamini; *quæ*
C *tamen cum universo S. Doctoris textu non putem conciliari posse, ut attentius legenti liquebit.*

permanendum S. Rustico *in opere credito episcopatus;*

21 *Deinde S. Leo rationes, ob quas nata S.* Rustico *erat voluntas dimittendæ sedis enumerat simulque refellit* (3) : Miror autem dilectionem tuam in tantum scandalorum quacumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab episcopatus laboribus præoptare te dicas, et malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his, quæ tibi commissa sunt, permanere. Dicente vero Domino : « Beatus qui perseveraverit usque in finem » : unde erit beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Nam secundum apostolicam prædicationem « omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur. » Quæ non in eo tantum computanda est, quod contra Christianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis; cum persecutionum sævitiam suppleant et dissimilitudines morum et contumaciæ inobedientium et malignarum tela linguarum; quibus conflictationibus cum omnia semper membra pulsentur, et nulla piorum portio a tentatione sit libera, ita ut periculis nec otia careant nec labores; quis inter fluctus maris navim diriget, si gubernator abscedat?.... Permanendum ergo est in opere credito et in labore suscepto. Constanter tenenda est justitia et benigne præstanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi; et quod in peccatis severius castigari necesse est, non sævientis plectatur animo sed medentis. Ac si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expavescamus, quasi illi adversitati propriis viribus resistendo, cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Qui confirmans prædicatores evangelii et sacramentorum ministros; « Ecce ego, » inquit, « vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Et iterum : « Hæc, » inquit, « locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In hoc autem mundo tribulationem habebitis; sed E bono animo estote, quia ego vici mundum. » Quæ pollicitationes quia sine dubio manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia sunt adjutoria, quam vera promissa. *Atque hæc ita sanctissimus sapientissimusque pontifex Leo; quibus confortatus et confirmatus* Rusticus, *deinceps non comperitur de deponendo episcopatus onere cogitasse.*

AUCTORE B. B.

responsiones ad propositas ab eo inquisitiones.

22 *Denique ad* Inquisitiones *progreditur summus Pontifex:* De consultationibus, *ait* (4), dilectionis tuæ, quas separatim conscriptas archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit, inter præsentes opportunius quæreretur de singulis, si nobis tui conspectus copia proveniret. Nam cum quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquiis esse aptiores quam scriptis. Quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli; ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum aut pro necessitate rerum oporteat temperari; illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint F aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum. *Sequuntur Inquisitiones numero novemdecim, singulæ cum subjectis S. Leonis responsionibus; quas videsis in operibus S. Doctoris, epistola apud Quesnellum et Ballerinios ordine centesima sexagesima septima, alias secunda. Cæterum pleraque responsa reperiuntur inserta Decreto Gratiani.*

Quo tempore scriptæ litteræ S. Leonis,

23 *Sed controversia est de tempore quo S. Leo laudatam ad* Rusticum *dederit epistolam. Quesnellus scriptam censet circa annum* 442, 443 *vel* 444; *sed rationes profert, Tillemontii judicio, parum firmas* (5) *Sirmondus et Baluzius annum ponunt* 452, *nullo, quod allegant, nixi documento. Suspicatur Quesnellus, sic eos statuisse*, eo quod existimaverint, in hac epistola, ubi sermo habetur de his, qui ab hostibus in infantia capti fuerant, respici ad eam

(1) Mémoires, tom. XV, p. 404. — (2) Opera S. Leonis tom. I, col. 1416. — (3) Ibid. 1417. — (4) Ibid., 1419. — (5) Mémoires, t. XV, p. 405.

vastitatem

AUCTORE B. B.

vastitatem, quam Hunni in Galliis intulerunt anno 451. Hujus autem epistolæ locum non ad Hunnorum irruptionem referri contendit, sed ad Vandalorum persecutionem, qui Africa potiti sub Genserico, catholicos oppugnarunt : nam Inquisit. 18 hæc præferuntur : « De his qui ex Africa vel de Mauritania venerunt et nesciunt in qua secta sint baptizati. » Tum Vandalica persecutione descripta, quæ Christianis illata fuit in Africa post annum 439, hac occasione nonnullos in Gallias sese recipisse existimat, de quibus in eadem epistola sermo sit, et idcirco eam datam credit circa annos indicatos 442, 443 et 444, in quibus ea persecutio grassata est. *Sic Ballerinii* (1). *Sed primum Quesnelli sententia convellitur ex Inscriptione Narbonensi, quam cum ipso Quesnello diximus pertinere ad annum Christi* 445. *In hac autem memoratur* Hermes diaconus, *qui in epistola S. Leonis dicitur* Archidiaconus; *scripta proinde hæc fuit post annum* 445, *cum jam ex diacono factus erat Hermes Archidiaconus*. Nec tacendum est, *inquit Baluzius* (2), eidem Rustico inscriptam esse celebrem illam
B Leonis I Papæ epistolam, quæ in omnium manibus versatur, missam per Hermetem Archidiaconum, cujus mentio est in Inscriptione, quique dein Narbonensis episcopus fuit post Rusticum. *Nullum reperi scriptorem, qui vel minimum dubitet, Hermetem, qui in Inscriptione nominatur, eumdem esse qui litteras* Rustici *ad Leonem in Urbem detulit. Addunt Ballerinii contra Quesnellum* (3) : Licet Africana Vandalorum persecutio efferbuerit post annum 439, Mauritania tamen in Romanorum potestate perstitit usque ad Valentiniani mortem, quæ incidit in annum 455. Igitur si ii, qui de « Mauritania » in Gallias « venerunt », persecutionis caussa, ut opinatur Quesnellus, transmisere; id post annum 455 statuendum esset.

probabiliter circiter annum 458.

24 *Ast eversa Quesnelli sententia, videndum est an certum epistolæ adscribi tempus queat. Juverit hanc in rem tres posteriores S.* Rustici *Inquisitiones adscripsisse integras. Sic habet Inquisitio* XVII : De his, qui parvuli ab hostibus capti sunt, et non se sapiunt baptizatos; sed sciunt se aliquoties ad ecclesiam a parentibus ductos; utrum possint vel debeant, cum
C ad Romaniam venerint baptizari? *Inquisitio* XVIII : De his, qui ex Africa vel de Mauritania venerunt et nesciunt in qua secta sint baptizati, quid circa eos debeat observari? *Inquisitio* XIX : De his, qui parvuli quidem baptizati, a gentilibus capti sunt et cum illis gentiliter convixerunt; cum ad Romaniam adhuc juvenes venerint, si communionem petierint, quid erit observandum? *Ex his inferunt Ballerinii loc. cit.* : Esto casus Inquisit. 18 ad illos spectet, qui ex Africa in Gallias aliqua de caussa tempore persecutionis Vandalicæ sese receperunt, non tamen eodem pertinere queunt casus Inquisit. 17 et 19. Hic enim indicantur ii, qui « parvuli » ab « hostibus » iisque « gentilibus » capti et extra Romanum imperium adducti, tandem adhuc « juvenes » in « Romaniam » seu in Romanum imperium redierant, ac ex his nonnulli in D Narbonensem provinciam, quorum caussa Inquisitiones a Rustico propositæ fuerunt. Non ergo de Africanis persecutionis caussa exulibus vel profugis agitur, nec de Vandalis, qui non gentiles sed ariani erant. Hunnos itaque aliosque barbaros gentiles eosdemque Romanorum hostes intelligere oportet, qui postquam Gallias depopulati sunt, ex iisdem pueros captivos secum asportarunt. Celebris est autem illorum (*scilicet barbarorum omnis generis* (4)) irruptio in Gallias et in ipsam Narbonensem provinciam, cujus meminit Hieronymus in epistola ad Ageruchiam *disertis verbis* (5) an. 407. Si autem de parvulis hoc tempore captis fuisset quæstio, circa annum 442 haud scripsisset, ut videtur, Rusticus Inquisit. 19, quod, « ad Romaniam adhuc juvenes venerint. » Hunni pariter adversus Gothos pugnarunt in Galliis an. 437 et 439; *in auxilium ab Aetio acciti* (6). Sed tum auxiliares fuerunt Romanorum, non hostes. De « gentilibus » autem « hostibus » Rusticus loquitur et de captivis, qui adhuc juvenes ex hostibus in Romaniam redierunt. Æquius igi- E tur intelligitur Hunnorum irruptio in Gallias anno 451 (7); cum non auxiliares, sed hostes adversus Ætium Romanorum ducem dimicarunt. Si vero de « parvulis » hoc bello captis Inquisitiones Rustici accipiendæ credantur; ut congruum tempus relinquatur, quo iidem parvuli a gentilibus capti, juvenes in patriam remeaverint, hæc epistola affigi nequit anno 452. *Quæ sane a Ballerinis haud absurde prolata, probabilitate sua non carent; in mentem tamen revocandum est, toto medio sæculo* V, *de quo hic agitur, Romaniam barbarorum incursionibus patuisse; ut non facile ex his statui possit, quibus omnino annis S.* Rusticus *dubia sua S. Leoni proposuerit. Pergunt Ballerinii :* Probabilius autem anno circiter 458 collocanda (*S. Leonis*) epistola videtur. In primis enim in duabus epistolis anni 458, altera 159 ad Nicetam Aquileiensem cap. 5, altera 166 ad Neonem Ravennatem cap. 1. mentio occurrit de Romanis ab infidelium captivitate ad sua redeuntibus, quorum alii dubium injecerant de baptismate, de idolotitis alii, æque ac legitur in epistola ad Rusticum Narbonensem F *nempe de baptismate; silet* Rusticus *de idolothytis*. Cum porro omnes hæ epistolæ congruunt captivis, qui sub Attila Italiam et Gallias vastante capti fuerant; tum vero non minus epistola ad Rusticum, quam aliæ duæ, circa eumdem annum 458 scripta æquissime agnoscitur. Dein in epistola ad Neonem c. 1. Leo ait : « Nuper in synodo novum et inauditum antea genus consultationis exortum est. Nam quorumdam fratrum suggestione comperimus, aliquot captivorum ad suas sedes libere redeuntes, qui scilicet in captivitatem illa ætate devenerint, quæ nullius rei ferme poterat habere notitiam, remedium quidem implorare basptismatis; sed utrum ejusdem mysterium baptismatis ac sacramenta perceperint, infantiæ inscientia non posse comminisci. » Hæc

(1) Opera S. Leonis, t. I, col. 1409. — (2) Opera Salviani, p. 411. — (3) Opera S. Leonis, ubi supra. — (4) Conf., Histoire de Languedoc, tom. I, p. 154. — (5) Epist. 123. Vide Migne, tom. XXII, col. 1057 et 58. — (6) Acta SS., tom. IX Octobris, p. 135. Conf., Histoire de Languedoc, tom. I, p. 182 et seq. — (7) Conf.. Hist. de Languedoc, ibid, p. 189. Item, tom. IX Oct., p. 122 et 955.

quæstio

A quæstio eadem est ac illa quam Rusticus Narbonensis proposuit. Quomodo autem Leo anno 458 in epistola 166 ad Neonem hoc « novum et inauditum antea genus consultationis » potuisset affirmare, si eadem quæstio jamdiu a Rustico illi fuisset proposita? Quomodo... addidisset, longiorem in ea solvenda ac diligentiorem discussionem fuisse necessariam, si jamdiu in epistola ad Rusticum illam pari ratione solvisset? Perspicitur itaque prius Neonem... quam Rusticum de hac quæstione ad Leonem scripsisse; ac propterea hæc epistola ad Rusticum exarata cognoscitur post diem IX kal. Nov. an. 458, quo litteræ ad Neonem datæ fuerunt. *Aliunde vero apparet S. Leonem* Rustico *scripsisse ante annum* 459. *Ut enim apposite disserunt Ballerinii,* Hermes, qui in hac epistola appellatnr « archidiaconus, » vivo adhuc Rustico Biterrensibus episcopus datus fuit, a quibus cum non fuerit receptus, Narbonam rediit; et hac de re idem Rusticus et Hermes litteras ad Leonem dedere ut ex Hilari papæ ep. 8 colligere licet. His autem ut congruum tempus tribuatur ante
B Leonis mortem, quæ contigit anno 461, Hermes ad Bitterensem cathedram promotus videtur sub annum 460. Hæc autem epistola, Hermete adhuc archidiacono Romæ agente, scripta serius dicenda est anno 459. *Hactenus de quæstione chronologica. Probabile itaque est litteras tum S.* Rustici *tum S. Leonis ponendas circiter annum* 458.

Binæ epistolæ S. Hilari, papæ in causa Hermetis;

25 *Quoniam de Hermete incidit sermo, subjungam hoc loco quæ ad ejus causam pertinent. Is circa annum* 445 diaconus *S.* Rustici *noscitur ex Inscriptione; ex litteris S. Leonis* archidiaconus *circa annum* 458. *Paulo post* Biterrensibus (*Béziers*) ordinatus episcopus (*utique a S.* Rustico *metropolita*), a suis excluditur et pellitur. Quapropter Rusticus Hermetem, cujus virtutem noverat, successorem designat, et ad summum pontificem scribit, ut ejus electionem sua auctoritate confirmaret. Rei tam insolitæ, ut ipsi videbatur (*nec sane Leo disciplinæ et canonum ignarus erat*), acquiescere noluit Leo. Interim Rustico haud ita multo post defuncto anno 461, Hermes, qui
C se a Biterrensibus susceptum non fuisse querebatur, ad Narbonensem ecclesiam transiit consensu, ut videtur (*ex ipsis S. Hilari litteris mox recitandis, in quibus non prætermississet papa mentionem facere de dissentione, si qua fuisset*) cleri ac populi, comprovincialium et ipsius Leontii Arelatensis. Res tamen ad Hilarum, qui Leoni papæ successerat, defertur, quasi Narbonensem cathedram invasisset Hermes. *Ita Gallia Christiana* (1). *Multum vero abest, ut quæ de* Rustico *in hac causa traduntur, comperta sint. Certe alio prorsus modo loquitur Pagius in Breviario* (2) : Cum Hermes quidam Biterrensibus ordinatus antistes, nec ab iis susceptus, intrusisset se in ecclesiam Narbonensem *etc. Ex his nemo inferet Hermetem secundum juris regulas cathedram hanc conscendisse. Quid igitur? Quæstio dijudicanda est ex duabus epistolis S. Hilari, qui anno* 461 *successit Leoni magno; altera* ad Leontium Arelatensem, *altera* ad episcopos diversarum provinciarum Galliæ.

(1) Tom. VI, col. 296. — (2) Tom. I, p. 160. — (3) Migne, tom. LVIII, col. 24. — (4) Migne, ubi supra.

AUCTORE B. B. *prior epistola,*

26 *Priorem sic orditur S. pontifex* (3) : Dilectissimo fratri Leontio Hilarus papa. Miramur fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem esse, ut quæque iniqua et contra patrum nostrorum statuta in provincia, quæ ad monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere. Siquidem quod et rumore cognovimus, et quantum diligenter a diacono Joanne, qui a magnifico viro filio nostro Friderico (*hic frater erat Theodorici Visigothorum regis*) litteris suis nobis insinuatus est, requisivimus, quod iniquissima usurpatione quidam Hermes episcopatum civitatis Narbonensis exsecrabili temeritate præsumpserit... Qua de re, frater carissime, monemus, ut si fides adhibeatur assertis, seposita excusatione, ad nos... relationem transmittatis... Data III Nonas *id est die tertia* Novembris *anno* 462. *Hæc utique favent apprime Pagio.*

posterior

27 *In altera rescribit Hilarus* (4) : Dilectissimis fratribus episcopis provinciæ Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primæ et secundæ et Alpium Pœninarum (Penninarum) E
Hilarus episcopus... Olim igitur urbium præsides prædictarum (*Narbonensis et Biterrensis*) sanctæ memoriæ decessori meo (*Leoni*) non minus quam nobis etiam tunc attulerunt doloris, illicitis petitionibus audendo prosequi, quod vix apud patientiam nostram sola necessitatum potuit deploratione leniri. Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum constat exemplis, et qua non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum Patrum decretis et ipsis repugnat canonum institutis? Cum ideo se frater jam et coepiscopus noster Hermes a Narbonensi ecclesia credidit jure suscipi, quia indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi. Qui si vere hoc in se factum doleret, et legitimo remedio subvenire propriæ scisset injuriæ, vindictam magis debuit sperare perpessis quam veniam perpetratis. (*Nonne ex verbis* : Si vere hoc in se factum doleret, *saltem conjicere licet Hermeti minus dignam apud Biterrenses susceptionem, potius fuisse speciem quam rationem ut ad Narbonenses transiret?*) Denique si nunc saltem communi omnium Domini sacerdotum F
utatur animo, si imitetur exemplum, si ad hæc quæ ecclesiasticæ quietis contemplatione utcumque sopita sunt, oculis cordis intendat, et pro totius ecclesiæ pace vel fide, quæ sunt multipliciter errata consideret : nihil est profecto quod non etiam ipse reprehendat, et erubescat sibi annui quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim et jamdiu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum, cum anteactæ vitæ ipsius cursum et retro antepositum (*al.* omne propositum) nostro revolventes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurrisse potius quam fecisse æstimamus excessus. De quibus præsidente (*forte legendum esset* præsente) fratrum numeroso concilio et ex diversis provinciis ad diem natalis nostri (*scilicet* 19 *novembris* 462 *in primo anniversario ordinationis S. Hilari*) in honorem beati Petri apostoli per Dei gratiam congregato, præsidentibus (*melius diceretur* præsentibus)

AUCTORE B. B.

præsentibus) fratribus et coepiscopis nostris Fausto et Auxanio, atque agentibus plurimis, quæ vigorem respiciunt auctoritatemque judicii, id a nobis pacis est amore constitutum, ut in sententia, quam sub adversione utriusque legationis inde directæ, Christo Domino inspirante, protulimus, neque caritas evangelicæ indulgentiæ neque apostolicæ virga defuerit disciplinæ. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia nec affectio coercere. *Porro* indulgentia *consistit in eo, quod Hermes in sede confirmatur Narbonensi;* coercitio *quod privatur jure ordinandorum episcoporum comprovincialium.* Ei, *inquit S. Hilarus*, qui nunc ecclesiæ Narbonensi præsidere permittitur, ordinandorum episcoporum, ob hæc quæ prave facta sunt, sustulimus potestatem, quam ita ad... Constantium Uceticæ ecclesiæ antistitem, quia ævo honoris primas esse dicitur, pertinere censuimus, ut si superstite Herme episcopo defunctus fuerit, illum hæc cura respiciat, quem repererit episcopalis ordo primatem *id est ordinatione antiquiorem.* Herme autem episcopo deficiente, faciendorum
B mos antistitum Narbonensi mox reddatur ecclesiæ, quem non civitas sed causa præsumptionis amisit.

num præpostere faverit S. Rusticus *Hermeti?*

28 *Ex his patet, judicio S. Hilari, haud levis culpæ reum se fecisse Hermetem, infulas arripiendo Narbonenses. In quo autem culpa constiterit non facile est accurate definire. Mihi Hermes peccasse præcipue videtur sedem Biterrensem dimittendo, debita deficiente auctoritate, Narbonensemque adeundo, dum ex legum ecclesiasticarum præscripto, priori ecclesiæ adhuc esset legitime copulatus. Minuitur culpa si, ut plures opinantur, Biterra redux vel forte profugus, a sancto* Rustico *benigne susceptus imo et successor est designatus in sede Narbonensi; atque hac de re scriptum ab eodem* S. Rustico *fuit tum ad S. Leonem tum ad S. Hilarum, Romanos antistites. Qui ita sentiunt, his S. Hilari verbis, supra recitatis nituntur:* Olim igitur urbium præsides prædictarum (*Narbonensis et Biterrensis, ut ex initio epistolæ evidenter constat*) sanctæ memoriæ decessori meo (*Leoni*) non minus quam nobis etiam tunc attulerunt
C doloris, illicitis petitionibus audendo prosequi, quod vix apud patientiam nostram sola necessitatum potuit deploratione leniri. *Et re quidem vera, qui alii essent* præsides *illi, nisi* Rusticus *et Hermes? Dubitant nonnulli; Tillemontius in nostram aperte propendit sententiam* (1). *Ubi etiam plura citat exempla, quibus probari existimat, haud ita alienum fuisse a canonum disciplina, ut quis ab una ad alteram episcopus transiret ecclesiam iisdem, quibus Hermes in adjunctis, multo minus ut præsul suum eligeret vel designaret successorem. Utut est, vel ex eo quod sedem consuluerit Romanam, patet* S. Rusticum *nec leviter, nec præpostera mente favisse Hermeti. Cæterum ipse Hilarus ordinationem repenitius examinata et discussa, confirmavit. Quæ acrius dicta in litteris reperiuntur, plurimum ipso rei exitu temperantur. Asserunt Benedictini* (2), *inter Romanos pontifices primum esse S. Hilarum, qui prohibuerit,* D *ne episcopus eligeret successorem suum; eumdemque pontificem districte servatum voluisse canonem Nicænum, quo transitus ad aliam sedem prohibetur. Quod notasse satis est, cum hujus loci non sit diligentius quæstionem examinare. Confer Tillemontium* (3).

§ IV. Adfuit S. Rusticus concilio Gallicano, ubi actum de epistola S. Leonis ad Flavianum; item concilio Arelatensi III, ubi compositum est dissidium de jurisdictione Theodoricum, episcopum Forojuliensem, inter et Faustum, abbatem Lirinensem. Alia Monumenta minus certa vel apocrypha, ad res gestas S. Rustici pertinentia.

Subscribit S. Rusticus *synodicæ epistolæ* 44 epporum *ad* S. *Leonem M.*;

Subscriptus legitur, *et quidem primus post Ravennium Arelatensem,* S. Rusticus *epistolæ synodicæ quadraginta quatuor episcoporum* (4) *ad Leonem magnum, qui celeberrimam suam ad Flavianum epistolam de hæresi Eutychiana in Gallias mittendam curaverat:* Rusticus episcopus Apostolatum vestrum in Domino venerans saluto et ut digneris pro me orare supplex oro (5). *Conventus iste celebratus anno* 451, *passim venit nomine* Concilii Gallicani *vel* Arelatensis II (6). *Confer tamen Sirmondum* (7), *qui concilium hoc prætermittit et solius meminit Synodicæ* (8). *Respondit Leo anno sequenti* (452), *litteras suas inscribens* Episcopis per Gallias constitutis, *singulos nominans quo ordine Synodicam subsignaverant:* Ravennio, Rustico *etc.* (9). *Hanc autem plurimum extollit, dolens tamen sibi redditam post discessum legatorum suorum ad concilium Chalcedonense.* Optassemus quidem, *ait*, fraternitatis vestræ litteras eo tempore, quo promiseratis, accipere, ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur. Sed cum F multa obstacula inopinatam vobis intulerint tarditatem, quamlibet seras et diu expectatas epistolas per fratrem et coepiscopum nostrum Ingenuum (*is sedi præerat metropoliticæ Ebredunensi* (10), *et Synodicæ quam Romam deferebat subscripserat*) gratanter accepimus, easque cum gaudio recensentes probavimus, sicut confidebamus, eruditione Spiritus Sancti cælestem in vobis vigere doctrinam *etc. Nuntiat Patres Chalcedonenses epistolæ ad Flavianum consensisse atque proscripsisse Dioscorum. Concludit in hunc modum:* Reddita igitur Deo, fratres carissimi, digna gratiarum actione, oret nobiscum vestra dilectio, ut fratres nostros (*legatos*), quos expectatio nostra desiderat, incolumes quamprimum rediisse lætemur et de omnibus, quæ Domino adjuvante sunt

(1) Mémoires, t. XVI, p. 39. — (2) Art de vérifier les dates, p. 249. — (3) Mémoires, t. XVI, p. 41. — (4) Opera S. Leonis, t. I, col. 1107. — (5) Ibid., col. 1110. — (6) Tillemont, Memoires, t. XV, p. 406. — Art de vérifier les dates, p. 180. — (7) Concilia antiqua Galliæ, t. I, p. 1, p. 13 et p. 102. — (8) Ibid., p. 93. — (9) Opera S. Leonis, t. I, col. 1136. — (10) Ibid., t. II, col. 1476. — Gallia Christiana, t. III, col. 1058.

gesta,

A gesta, plenius vos possimus instruere. Nam fratrem Ingenuum noluimus hac expectatione tardari; cum ob hoc ipsum properantius remeare deberet, ne diutius vobis esset incognita communium materia gaudiorum, quæ volumus per curam dilectionis vestræ etiam ad fratres nostros Hispaniæ episcopos pervenire; ut quod Deus operatus est, nulli possit esse incognitum. Data VI Kalendas Februarii (27 *Januarii*) Herculano viro clarissimo consule *cum Sporatio, proinde anno* 452 (1). *Itaque Synodica scripta sit oportet circa finem anni præcedentis, seu mensem Decembrem, ut opinantur Ballerinii* (2); *nec video cur Benedictini reprehendant Mansium, quod concilium Gallicanum, cujus Synodicæ respondet S. Leo, adscribat* exeunti *anno* 451 (3). *Reversis a synodo Chalcedonensi legatis* (*Paschasino et Lucentio episcopis atque Bonifacio presbytero*) *alteras Leo dedit, mense Februario vel Martio ejusdem anni* 452, *litteras* Dilectissimis fratribus Rustico, Ravennio, Venerio (*Massiliensi*) et ceteris episcopis per Gallias constitutis, *quos certiores facit de gestis in synodo œcumenica et de sen-*
B *tentia adversus Eutychen et Dioscorum prolata, cujus sententiæ exemplar adjungit* (4). *Notandum est in alteris hisce Leonis litteris* Rusticum *præmitti Ravennio, cum in prioribus postponatur.* Ratio discriminis, *aiunt Ballerinii* (5), facilis est. In antecedenti epistola Leo respondet synodicæ episcoporum epistolæ, in qua cum Ravennius Rustico præcederet, eumdem ordinem sequendum credidit. Rustico autem in ea Synodica præcessit Ravennius eo quod scripta fuerit in synodo Arelatensi. In synodis autem Metropolitanus ejusdem provinciæ primum locum obtinere solet, etiamsi alii aliarum provinciarum metropolitæ antiquiores aut celebriores intersint. Unde in subscriptionibus concilii Aquileiensis an. 381 præcedit Valerianus Aquileiensis provinciæ metropolita, tametsi S. Ambrosius Mediolanensis tot nominibus celebris eamdem synodum rexerit et in aliis documentis Valeriano præponatur. In præsenti autem epistola Leo non respondet ulli Gallorum Synodicæ, ac propterea ætatis ratione habita Rusticum Ravennio
C præmittit.

adfuit Arelatensi III in causa Fausti Lerinensis.

30 *Adfuit denique concilio Arelatensi III, habito in causa Fausti abbatis Lerinensis circa annum* 455 *ut vult Sirmondus* (6) *aliique communiter, quamvis id unum certo constet, celebratum concilium sub Ravennio, qui sedi Arelatensi præfuit, ab anno* 449 *ad annum* 461 (7). *Scilicet mortuo S. Leontio Forojuliensi episcopo successor electus est S. Maximus abbas Lerinensis; ast hic* in silvis se abdidit... humilitate duce, sicque... honorem sacerdotii deprecatus est. Itaque electus est, eo abnuente, Theodorus prius abbas insularum Stœchadum (d'Hières, *ut passim putant, aliud tamen sentiente Valesio* (8)). *Sancto Maximo successit in Lerino Faustus. Verum* Theodorus episcopus decessoris sui Leontii pactis cum Lerinensibus monachis et abbate stare noluit, motus forsan novo concilii Chalcedonensis decreto, quod monachos episcopis omnino subjectos esse jubet. Faustus abbas... ex adverso pro sua suorumque libertate decertabat (9). *Hinc gravis orta et mota contentio, non sine populi offensione; quam ut sedaret componeretque, synodum coegit Arelate, sua in metropoli, Ravennius, missa epistola* generali, *ut loquitur Sirmondus* (10) *ad episcopos, quibus exponit primum exortum dissidium; deinde* ad hoc itaque, *inquit,* remediandum scandalum orationibus vestris tertio Kalendas Januarias (30 *Decembris*) audientiæ dies est constitutus. Rogamus ergo, ut sanctitas vestra se usque Arelate fatigare dignetur *etc. Additur specialis clausula* ad eos qui in ipsa Insula sunt; *ita quidem Sirmondus; ast recte observat Tillemontius* (11) *legendum* ex *ipsa Insula : agitur enim de episcopis, quondam monachis in Lerino, ut ex verbis Ravennii luculenter efficitur :* Beatitudinem vero vestram, *inquit,* præcipue addesse convenit, quos Insula ipsa velut sinu quodam genitricis fovens ad eam gratiam, quæ nunc in vobis est, Domino instigante perduxit. *Et denique specialius et nominatim ad S.* Rusticum : Ac præcipue Beatitudo vestra ut adsit E primum deprecamur, quia gravior infirmitas necessario medicos peritissimos inquirit. *Quæ sane Ravennii verba, quam præclarum de S.* Rustico *præbeant testimonium sanctitatis et meriti, nemo non videt. Quid in hoc concilio definitum fuerit, novimus ex decreto, quod ad nos pervenit. Ita autem inscribitur :* Institutio sanctorum episcoporum Ravennii, Rustici, Nectarii, Flori, Constantii, Asclepii, Maximi, Justi, Salonii, Ingenui, Ynanti, Zotici, Chrysanthi, in causa insulæ Lerinensis. *Incipit :* Cum Arelate in sacrario ecclesiæ convenissemus,... resedimus, de remedio scandali, quod in monasterio in insula Lerinense obortum fuerat pertractantes. Placuit ergo nobis sancto, ut credimus, spiritu gubernante ut... Theodorus episcopus primum exoraretur a nobis, ut scandalum, quod ipse sicut et nos graviter dolebat exortum... manere diutius non pateretur... Nec quicquam deinceps ex his, quæ sibi fratrem Faustum arguebat fecisse, aut verbis repeteret aut animo retineret. *Adeoque in gratiam cum eo plene rediret,* hoc tamen *in posterum* sibi tantummodo vin- F dicaturus, quod decessor suus... Leontius episcopus vindicarat, id est, ut clerici atque altaris ministri a nullo nisi ab ipso vel cui ipse injunxerit, ordinentur; chrisma non nisi ab ipso speretur; neophyti si fuerint ab eodem confirmentur; peregrini clerici absque ipsius præcepto in communionem vel ad ministerium non admittantur. Monasterii vero omnis laica multitudo (*id est monachi sacris ordinibus non initiati*) ad curam abbatis pertineat; neque ex ea sibi episcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex illa clericum, nisi abbate petente, præsumat. *Faustus, de quo hic sermo, idem ille est qui postea factus episcopus Regensis* (*Riez*), *scriptis suis satis magnas controversias excitavit.* In Fausti scriptis duo potissimum reprehenduntur; quod semipelagiano-

AUCTORE B. B.

(1) Art de vérifier les dates, p. 334. — (2) Opera Leonis, t. I, col. 1107, in margine. — (3) Art de vérifier les dates, p. 180. — (4) Opera S. Leonis, t. I, col. 1140-43. — (5) Ibid., col. 1140. *Nota.* — (6) Concilia, t. I, p. 120. — (7) Tillemont, Mémoires, t. XV, p. 406. — (8) Ibid., p. 407. — (9) Gallia Christiana, t. I, col. 422. — (10) Concilia, tom. 1, p. 120. — (11) Mémoires t. XV, p. 888.

AUCTORE B. B.

rum erroribus faverit, et quod animam corpoream esse docere videatur, quam opinionem refellit Claudius Mamertus. Quod spectat ad semipelagianismum venia dignus videtur Faustus, qui scripsit ante concilium Arausicanum II, a quo hæc hæresis est damnata. Ipsius tamen scripta inter apocrypha rejecit Gelasius papa... Obiit *S. Faustus* circa annum 485, coliturque ut sanctus in sua ecclesia; quin etiam sacris ecclesiæ Gallicanæ fastis nomen ejus inscriptum est (1). Vide Act. SS. 16 Jan.

Alia monumenta minus certa :

31 *Atque hæc sunt antiquitatis documenta certa, quæ ad S.* Rusticum *pertinent; ex quibus proinde ejus acta illustrari possunt et debent. Habentur et alia nonnulla, sed vel minus sincera vel dubia aut levioris momenti; quæ tamen negligenda minime sunt, imo et in subsidium vocanda.*

Arnobius fertur Commentarios dedicasse S. Rustico ;

33 *Primo loco veniunt Commentarii in Psalmos, tributi Arnobio juniori, atque ab auctore inscripti* Leontio et Rustico episcopis. *Caveus, nihil dubitans, asserit et Commentarios Arnobii esse et dedicatos S.* Rustico *Narbonensi :* Arnobius « junior, » vulgo dictus, *inquit* (2),
B ut ab Arnobio « Afro » distinguatur, gente ut videtur Gallus, claruit circa annum 460, ut ex inscriptione Commentarii in Psalmos, Leontio Arelatensi et Rustico Narbonensi nuncupati, colligitur. *Minus confidenter Bellarminus in Scriptoribus ecclesiasticis* (3) : Neque est improbabile hujus Arnobii junioris esse Commentarios in Psalmos, qui sub Arnobii nomine circumferuntur. *Rem in medio relinquit Miræus* (4) : Eo fere tempore quo Hadrianus VI creatus est pontifex (*an.* 1522) in Francoladensi cœnobio, inter Wormatiam et Spiram, inventi sunt « Commentarii in omnes Psalmos Davidis, » quos Trithemius, Erasmus, Baræus et alii « Arnobio seniori » (de quo Hieronymus in Catalogo c. 79) non recte attribuunt. Bellarminus suspicatur istos Commentarios esse fetum hujus « Arnobii junioris. » Utut sit, sapiunt Pelagianismum. *Quod si etiam Arnobio juniori tribuantur, non tamen certo constaret dedicatos S.* Rustico *Narbonensi. Incipit Prologus :* Charissimis fratribus Leontio et Rustico episcopis Arnobius (5).
C *Neutrius designatur sedes; et nonne vox* fratribus *indicat auctorem esse quoque episcopum, qualis non erat nec fuisse postea noscitur Arnobius junior* (6). *Præterea scimus quidem Leontium Arelatensem cathedram tenuisse jam anno* 462, *nec tamen ante annum* 461, *quo vivere desiit Ravennius, vel, ut vult Gallia Christiana* (7), *hujus successor Augustalis, quem excepit Leontius. Eodem anno* 461 *jam episcopus Narbonensis erat Hermes, ut n.* 25 *demonstravimus. Obiit itaque S.* Rusticus *ipso fere tempore, quo ad infulas Arelatenses pervenit Leontius. Qui igitur Arnobius suos ambobus simul episcopis inscribere potuit Commentarios? Verumtamen, quamvis plures Rustici nomine, viri sub id tempus reperiantur floruisse* (8), *non video quibus facile aliis conve-*
nirent nomina Leontii et Rustici coadunata, D *quam præfatis duobus præsulibus. Nec omnino repugnat, ut ambo aliquo vitæ spatio in episcopatu convixerint; vel ut Arnobius, si hæc ei mens ab initio fuit, librum suum inscripserit S.* Rustico, *licet nuper defuncto. Manet ergo dubium, an Arnobus (quem Commentariorum auctorem probabilius habeo) respexerit in Prologo ad S. Antistitem, cujus acta illustramus.*

hunc tradunt etiam interfuisse consecrationi Ravennii;

34 *Majus adhuc habetur dubium de Rustico, quem præsentem consecrationi Ravennii Arelatensis commemorat S. Leo* (9), *epistola* ad episcopos per Arelatensem Galliæ provinciam constitutos, *incipiente* : Dilectissimis fratribus Constantino, Audentio, Rustico *etc., quibus gratulatur de bona ac pacifica electione Ravennii.* Data est IX Kalend. Septemb. (21 *Augusti*) Asturio et Protogene coss. *id est an.* 449. *Notat Sirmondus in hanc epistolam* (10) : Scripta est ad duodecim episcopos, qui Ravennium consecrarant, inter quos e vicinis etiam provinciis adsciti fortasse nonnulli. Rusticus enim qui tertio loco nominatur, Narbonensis episcopus videtur; Florus vero Lutevensis, ex eadem
E prima Narbonensi. *Ex adverso vult Quesnellus* (*nec contradicunt Ballerinii* (11)) : Rusticum, qui in hujus epistolæ inscriptione numeratur inter cæteros Ravennii ordinatores, alium esse procul dubio ab illo Narbonensi, ad quem alias scripsit S. Leo. Alterius enim provinciæ metropolitanus, qualem se gerebat Rusticus Narbonensis, numquam se ordinationi episcopali in aliena provincia contra canones immiscuisset, multoque minus in Viennensi, cujus metropolitanus etiam Narbonensem provinciam sibi subjectam esse vel tunc adhuc contendebat, vel certe non ita pridem contenderat. Arelatensium enim votis plurimum suffragatus esset Rusticus, si ad Arelatensis episcopi ordinationem convolasset, velut ejusdem provinciæ episcopus. Deinde Rusticus Narbonensis non tertius scriptus reperiretur in hac epistola, qui alibi vel statim post Ravennium, ut in epistola synodica quadraginta quatuor episcoporum Gallorum ad S. Leonem, et in tertio Arelatensi concilio, vel etiam ante Ravennium nominatus reperitur, ut est in S. Leonis *altera* epistola. (*Confer n.* 29.)
F Satius est ergo existimare alium a Narbonensi Rusticum huic epistola inscribi; quod eo lubentius credimus, quod et commune admodum est hujusmodi Rustici nomen, et plures revera legimus circa illa tempora in Galliis floruisse, quorum nonnullos commemorat Apollinaris Sidonus Epistolarum lib. 2. ep. 11, lib. 5 ep. 9 et lib. 8 epist. 11. *Quesnello accedit Tillemontius* (12). *Cæterum ipse Sirmondus non asserit agi de S.* Rustico ; *in hanc propendet quidem sententiam, sed quas ob rationes, dicere prætermittit. Equidem alias non video, nisi quod nomen et tempora conveniant S. Episcopo Narbonensi.*

perperam S. Rustico *tribuitur quædam epistola*

35 *Subdit Quesnellus ubi supra :* Alius Rusticus ab his omnibus forte distinctus, scripsit ad Eucherium eam epistolam, quam repræ-

(1) Gallia Christ. t. I, col. 393. — (2) Migne, tom. LIII, col. 240. — (3) Ibid. col. 237. — (4) Ibid. col. 238. — (5) Ibid. col. 327. — (6) Histoire de la France littér. tom. II, p. 343. — (7) Tom. I, col. 533. — (8) France littéraire, ubi supra, p. 482 — Migne, tom. LVIII, col. 488. — (9) Opera S. Leonis tom. I, col. 890 et seq. — (10) Notæ postumæ apud Labbe, Conc. tom. III, col. 1503. — (11) Opera S. Leonis, tom. II, col. 1442. — (12) Mémoires, tom. XV, p. 405.

AUCTORE B. B.

ad Eucherium Lugdunensem.

A sentavit J. Sirmondus in Notis ad epistolam 11 lib, 2 Sidonii. *Hunc Rusticum lubens* Tillemontius *diceret Narbonensem; hæret tamen nonnihil, quia Rusticus ille, qui libros S. Eucherii in Scripturam exscribendos petierat, non videtur fuisse episcopus, et quia aliunde non noscitur Eucherius pontificia dignitate ornatus ante S.* Rusticum *Narbonensem* (1). *Et re quidem vera S. Eucherium, cum libros illos componeret, jam episcopum fuisse, liquet ex epistola* VIII *Salviani, quæ exorditur :* Domino et dulcissimo Eucherio episcopo Salvianus presbyter; *finit :* Vale mî Dominus et dulcis meus (2). *Quamvis autem annus, quo in sedem Lugdunensem sublimatus S. Eucherius est, accurate designari non possit, tamen certum apparet hoc non contigisse ante annum* 430; *forte anno* 432, *probabilius anno* 434 (3). *Constat vero ex Inscriptione Narbonensi, S.* Rusticum *saltem anno* 430 (*longe probabilius anno* 427) *infulas adeptum. Merito igitur dubitavit Tillemontius an Eucherius S.* Rusticum *in pontificatu præcesserit* (*res mihi vix non in comperto est*). *Quod si Eucherius libros præfatos jam episcopus scripserit, et*
B *Lugdunensi ecclesiæ præfectus fuerit, postquam* Rusticus *Narbonensem regere cœpisset; sequitur non hunc sed alterum cognominem esse auctorem epistolæ, quam Sirmondus noster publici juris fecit : hæc enim non ab episcopo eoque metropolita, sed ne forte quidem a presbytero, scripta demonstratur ex ipsa inscriptionis et salutationis forma. Inchoatur :* Domino vere sancto papæ Eucherio Rusticus *clauditur :* Ora pro me, vere sancte atque amice Dei, et mihi in Christo omni cultu suscipiende papa (4). *Quapropter auctores Franciæ litter. epistolam tribuunt cuidam Rustico, viro litterato illius ævi et copioso, amico Sidonii Apollinaris* (5); *et observant, Sammarthanos* (6) *item et Baronium confudisse hanc Rusticum cum episcopo Lugdunensi ejusdem nominis, qui dimidio fere sæculo post S. Eucherium ordinatus illius ecclesiæ antistes est. Sed hæc emendantur in Nova Gallia Christiana* (7). *Conf.* § I. *nn.* 10 *et seq.*

§ V. Summarium rerum a S. Rustico gestarum; ejus mors, sepultura, reliquiæ; memoria in fastis sacris, ubi traditur S. Rusticus ordinatus presbyter a S. Venerio Massiliensi; paucis expenditur quo id jure asserant.

C

Compendium vitæ S. Rustici,

E*x hactenus allatis et discussis monumentis deducimus et ordinamus hoc modo vitam et res S.* Rustici *gestas : In Galliis, forte Massiliæ, ortus erat parentibus opulentis et, ut conjicere licet, sat generosis; patre scilicet Bonoso, postmodum episcopo; matre autem, femina religiosa valde, sorore Aratoris itidem episcopi. At tam hujus quam illius ignota nobis est sedes. Egregiis naturæ et gratiæ donis præditus, cura piissimæ matris, quam paucis annis post editum filium viduam fuisse insinuat S. Hieronymus,* Rusticus *in omni sapientia et doctrina educatus, ita in studio litterarum profecit, ut dignus sit æstimatus, qui Romam mitteretur, ut ubertatem Gallici sermonis gravitate Romana conderet. In Gallias redux et Massiliæ vel in vicinia cum matre degens, accepit circa annum* 411 *a S. Hieronymo præclaram valde epistolam, in qua plurima habentur ad laudem S. Adolescentis et claustralis vitæ commendationem. Erat tunc annos circiter viginti natus S.* Rusticus, *ut conjicere licet ex S. Doctoris verbis. Eodem autem tempore vel non multo post, vitam amplexus regularem est, probabilius, ut equidem existimo, in Massiliensi monasterio S. Victoris; atque S. Venerii* (*postea Massiliensium*) episcopi socius in monasterio, *ut est in Inscriptione Narbonensi. Obsecundans monitis S. Hieronymi ita ibidem egit et vixit, ut clericus esse meruerit; unde et in præfata Inscriptione dicitur eidem Venerio* compresbyter ecclesiæ Massiliensis. *Anno Christi* 427, *ætatis suæ circiter* 37 (*stando conjectura quam supra n.* 17 *ex S. Hieronymo fecimus*) *episcopus ordinatus est ecclesiæ Narbonensis. Volunt nonnulli* (*mea opinione perperam*) *S.* Rusticum *interfuisse anno* 439 *ordina-* E
tioni S. Ravennii Arelatensis. Anno Christi 441, *ætatis* 52, *basilicam ædificare cœpit, et circiter quadriennio absolvit, nempe anno Christi* 445, *ætatis* 56. *Exeunte anno Christi* 451, *ætatis* 62 *interfuit concilio seu conventui Gallicano, ibique primus post Ravennium Arelatensem, subscripsit epistolæ synodicæ quadraginta quatuor episcoporum ad Leonem magnum, qua hujus ad Flavianum litteras de mysterio Incarnationis probare se testantur. Anno sequenti binæ a S. Leone scriptæ epistolæ; altera responsaria ad præfatam Synodicam; altera certiores facit Galliarum sacros antistites de prolata in Chalcedonensi concilio contra Eutychen et Dioscorum sententia. In utriusque litteris nominatur S.* Rusticus, *et quidem secundo loco in prioribus, primo in posterioribus. Præsens quoque fuit concilio Arelatensi III* (*probabilius anno* 455), *et quidem specialibus hisce ac perhonorificis a Ravennio vocatus verbis :* Ac præcipue Beatitudo vestra ut adsit primum deprecamur, quia gravior infirmitas necessario medicos peritissimos inquirit. *Agebatur de dissidio,* F
quod non sine populi offensione, ortum erat inter Theodorum episcopum Forojuliensem et Faustum abbatem Lerinensem, de jure quod episcopo competeret in monasterium. Circa annum Christi 458, *ætatis* 69, *cum propter temporum iniquitatem, barbarorum hostiles incursiones et natam exinde morum disciplinæque corruptelam serio cogitasset S.* Rusticus *de deponendo episcopatus onere, ad S. Leonem scripsit tum ut mentem hanc suam aperiret, tum ut disceret quid sibi faciendum esset in causa Leonis et Sabiniani presbyterorum, qui in accusatione adulterii defecerant, tum denique ut plurium aliarum difficultatum a sede Romana expeteret solutionem. Respondit Leo anno* 458, *permanendum esse* in opere (*episcopatus*) credito et labore suscepto; *mitius agendum cum Leone et Sabiniano,* qui pudicitiæ zelo videntur modum excessisse vindictæ; ne diabolus qui decepit

(1) Mémoires, tom. XV. p. 405. — (2) Baluzius, Opera Salviani, p. 214 et seq. — (3) Histoire littéraire de la France, tom. II, p. 277. — (4) Migne, tom. LVIII, col. 489. — (5) Tom. II, p. 428 et 29. — (6) Vetus Gallia Ch., tom. I, p. 295. — (7) Tom. IV, p. 28. Conf. France litt, ubi supra.

adulteros,

AUCTORE B. B.

adulteros, de adulterii exultet ultoribus. *Denique solvit ex ordine difficultates seu* inquisitiones *a S.* Rustico *propositas. Extremo S. Præsulis vitæ tempore* (*anno probabiliter* 459 *vel sequenti*) *ordinatus ab eo fuit Hermes, quondam ejus diaconus et archidiaconus, Biterrensium episcopus; ast male exceptus ad S.* Rusticum *rediit, videturque ab eodem successor designatus in cathedra Narbonensi. Hac de re acriores habemus S. Hilari papæ, qui* (*electus* 10 *mensis Novembris*) *anno* 461 *S. Leonem exceperat, litteras, quibus graviter reprehenditur Hermes, nec omnino inculpatus prætermitti ipse S.* Rusticus *videtur. Utut vero est, nota S. Viri sinceritas non sinit, ut ejus hoc in negotio agendi modus præposteræ tribuatur menti.*

mors

37 *Ex laudatis S. Hilari litteris probatur S.* Rusticus *diem obiisse supremum anno Christi* 461, *et* (*secundum probabiles a nobis supra positos numeros*) *ætatis* 72. *Epistola enim S. Hilari, qua notatur Hermes,* episcopatum civitatis Narbonensis execrabili temeritate præsumpsisse *data est* III Nonas (*id est die tertia*) Novembris (1), *non indicato consule; altera, qua*

B *idem Hermes permittitur, certa sub lege, servare prædictas infulas, data est* III Nonas (*die tertia*) Decembris Cl. P. Severo consule (2) *id est anno* 462; *ex quibus patet utramque scriptam dicto anno* 462, *cum tertia Novembris anni præcedentis S. Hilarus nondum ad supremum pontificatum fuisset assumptus. Nec est etiam, quod impediat, quominus S.* Rustici *transitum annectamus* 26 *Octobris, quo ejus natales a martyrologis celebrantur.*

sepultura

38 *De sepultura S.* Rustici *tradit Gallia Christiana* (3) *:* Visitur haud procul (*mille passuum* (4)) Narbona vetus sacellum sub invocatione sancti Lupi dicatum, in quo unicum est altare, cui impositum est marmor septem pedes longum et quatuor latum, subtusque aram conspicitur lapis antiquus in modum sepulchri concavus, fractus per medium, et alio marmore quadrato quinque pedum coopertus, in cujus antica parte hæc verba exarata sunt :

ORATE PRO ME RUSTICO VESTRO ;

in postica vero, licet ibi multa scripta sint, hæc tantum legi potuere : ALTARE HOC MU... AM.

C HERMETIS PRBI. Inde conjicit Baluzius, quoniam olim defunctorum corpora in urbibus aut in ecclesiis sepelire haud moris erat apud Romanos, Rusticum illic conditum fuisse ; quæ conjectura probabilitate non caret; nam cum an, 1404 id sacellum visitatum fuisset, acta illius visitationis sic habent : « Ibidem etiam quam plurimi veniebant infirmi ad tumulum B. Lupi, qui est cum corpore sancto in medio dictæ capellæ et ante introitum portæ in terra asseverantur esse sepulta corpora SS. Rustici et Eleutherii. » Ita rudi sæculo confundebant Rusticum Narbonensem cum Rustico socio S. Dionysii Paris. et Eleutherii diaconi. *Eadem sed paulo latius evoluta, tradit eruditus Edm. Le Blant, additque ex communi sententia ibidem esse sepulcrum* S. Rustici *quærendum* (5).

et altare.

39 *Est et aliud altare, antiquissimum sane et ad nostra usque subsistens tempora; de quo* D *peculiari in tractatu disseruit idem scriptor* (6). *Scilicet medias inter fauces exurgit editiore loco nec procul ab urbe S. Pontii Tomeriarum, vicus hodie obscurus nomine* Minerba *seu* Minerva, *nobile quondam castrum, sæculo ineunte* XIII *obsessum et expugnatum a Simone Montfortio, rogatu comitis Narbonensis, cujus ditio infestabatur ab excurrente præsidiario arcis milite. Videtur eo loci templum fuisse Palladi seu Minervæ sacrum, atque inde orta appellatio.* Castrum Minervæ, *ait Valesius* (7) a cultu et templo Minervæ nomen accepit; *quod deinceps territorio quoque inditum est. Certe Carolus Calvus in diplomate an.* 843, *meminit* Pagi Minerbensis in suburbio Narbonense (8); *et in altero instrumento an.* 873 : In paco vel territorio Narbonense, suburbio Minerbense (9). *Teste autem Edm. Le Blant* (10), *omnium antiquissimum monumentum, ad Minervam spectans, altare est a S.* Rustico dedicatum *circiter* annum 460 (*imo* 457) ut efficitur ex inscriptione :

RUSTICUS EPS ANNO XXX EPTS SVI FF

id est Rusticus episcopus anno XXX episcopatus sui fieri fecit; *igitur cum demonstraverimus* E *§* 1 *sanctum Virum pontificia auctum dignitate anno fuisse* 427 ; *sequitur dedicationem incidere ut dixi, in annum ejusdem sæculi quinquagesimum septimum. Fertur autem, ut nobis per hosce dies rescriptum Carcassone est, S.* Rusticus *ædem Palladis evertisse, ejusque ruderibus superstruxisse ecclesiam vero Deo sacram, in qua posuit præfatum altare ex marmore albo, sex pedes longum, latum tres. Notat insuper Edm. Le Blant* (11) *altare olim a frequentissimis visitatum peregrinis, qui illius lateribus solebant nomina sua insculpere ; quorum haud pauca* (*tria supra nonaginta*) *diligenti opere collegit idem scriptor doctoque illustravit commentario* (12). *Hodiedum incolas habet Minerva ad summum quadringentos* (13), *pertinetque ad circumscriptionem cui ab Araurio fluvio nomen* (département de l'Hérault).

Reliquiæ.

40 *Ad reliquias quod spectat S. Præsulis, sequentia invenio in rescriptis Narbona nobiscum communicatis. Olim* reliquiæ insignes *S.* Rustici *servabantur in ecclesia metropolitana, eæque die S. Antistitis festo, nempe* XXVI *Octobris, fidelium* F *venerationi exponebantur. Sæviente turbine Gallico sub finem sæculi præterlapsi, thecæ et reliquiaria sacrilege in ecclesia metropolitana S. Justi confracta et disturbata fuerunt, hodieque sacræ S.* Rustici *exuviæ promiscue jacent cum aliis sanctorum ossibus, nec alia ab aliis secerni possunt. Addit sacerdos, qui hæc mihi submisit exeunte anno* 1862 *:* Asserunt, parochum S. Justi, non ita pridem defunctum, alteri curato, qui præest ecclesiæ rurali, dedisse os brachiale S. Rustici. *Cæterum monuit quoque nos R. D. Dumay nullas jam esse S. Viri reliquias de quarum, ut dici solet, authentia constet; nec festum ejus in populo celebrari.*

Officium

41 *Olim ejus dies celebrabatur ritu duplici, ut efficitur ex* Breviario Narbonensi Ill. et RR. DD. Caroli le Goux de la Berchere arch. et princ. Narb. (*Parisiis* 1709), *ubi legitur :* Die

(1) Sirmondus, Conc. Gall., tom. I, p. 128. — (2) Ibid., p. 131. — (3) Tom. VI, col. 10. — (4) Le Blant Pagellæ mss. — (5) Ibid. — (6) Mémoire sur l'autel de l'église de Minerve, par M. Edmond Le Blant. Paris. 1846. *Vide* Inscriptions chrétiennes de la Gaule, tom. II, nº 609. — (5) Notitia Galliarum. — (8) Hist. de Languedoc, t. I, Probationes, col. 78. — (9) Ibid., col. 124. — (10) Mémoire, p. 5. — (11) Ibid., p. 6. — (12) Ibid., p. 8-30. — (13) Mémoire, p. 5.

A xxvi Octobris. In festo S. Rustici, Narbonensis episcopi. Duplex. *Lectiones* ii. *Nocturni integras subjiciemus Commentario nostro; hic adscribimus Orationem :* Da nobis, Domine, beati Rustici pontificis attolli suffragiis; ut qui in ecclesia tua sacerdotalem adeptus est dignitatem, populo tuo, cui præfuit, supernæ lætitiæ jucunditatem obtineat. Per Dominum. *Postquam, suppressa per concordatum an.* 1801 *sede archiepiscopali, Narbona Carcassonensi ecclesiæ subdita fuit, ab initio duplex saltem Ordo divini officii edebatur pro diœcesi Carcassonensi. Præ manibus habeo* Ordinem... juxta ritum ecclesiæ Narbonensis pro anno Domini 1821, de mandato... DD. Arnoldi Ferdinandi de Laporte, episcopi Carcassonen. *Notatur autem :* 26 *Oct.* fer. 6. Rustici episc. Narb. « dupl. » col. « aur. ». *Similiter in* Ordine *DD. Josephi Juliani de S*t *Rome-Gualy ep. Carcassonen. juxta eumdem ritum pro anno Domini* 1826 : 26 *Oct.* fer. 5. Rustici *etc. ut supra. Eodem anno atque de mandato ejusdem præsulis editum est* Breve Carcassonense, *addita in titulo notatione sequenti :* Hoc Breve ordinatum juxta Breviarii
B Carcassonensis ritum, commune tamen erit Breviariis ecclesiarum Mirapicensis, San-Papulensis et Electensis. Quæ in hoc Brevi sine ulla adnotatione adscribuntur, communia erunt; et tunc unusquisque ordinabit officium juxta Breviarii sui ritum. Si quædam sint discrepantia, tunc adnotabuntur prima syllaba cujusque ecclesiæ, hoc modo : Mir. designat Breviarium Mirapicense; S.-P. San-Papulense, El. Electense. *Porro præfatum Breve sic habet ad diem* xxvi *Octobris :* fer. 5. Rustici episc. « Semid. » col. « alb. » oia de cn̄i Pont. — *S-P. Rustici episc.* « *Semid.* » *col.* « *vir.* » — *El.* Rustici « dupl.-min. » col. « vir. » *Ex his constat officium S.* Rustici *celebratum hactenus Narbonæ* ritu duplici, *alibi* ritu semiduplici *vel* duplici minori. *Est mihi pariter ad manum* Ordo divini Officii sacrumque faciendi juxta rubricas Breviarii ac Missalis Carcassonensis, editus anno 1844, auctoritate *rursus DD. Josephi de S*t *Rome-Gualy. In hoc notatur simpliciter :* 26 *Oct.* Sabb. « Virid. » S. Rustici Ep. « Sem. » *Ast ante fere decennium RR. DD. Henricus de Bonnechose episcopus Carcassonen-*
C *sis nunc archiepiscopus Rothomagensis et S. R. E. cardinalis assumpsit pro diœcesi sua Ritum Romanum, quocirca de ejusdem antistitis mandato edita fuere anno* 1855 Officia propria diœcesis Carcassonensis juxta exemplar a S. R. congregatione revisum et correctum, et a SS. DD. NN. Pio PP. IX approbatum. *In capite præmittitur* Kalendarium perpetuum ad usum cleri civitatis atque integræ diœcesis Carcassonensis. *Die* 26 *Octobris notatur :* S. Evaristi, papæ et Mart. « dupl. commem. » S. Rustici episc. conf. *In officio illius diei reperitur nona Lectio sequens :*

Lectio et oratio ex novo Proprio Carcassonensi.

42 Rusticus in Gallia Narbonensi piissimis parentibus ortus est. Vix ad annos pubertatis pervenit, cum solitudinis amore captus, monachorum vitam amplexus est. Postea presbyter a Venerio Massiliensium episcopo ordinatur, tandemque ad sedem Narbonensem assumitur. Rusticus episcopus factus, plebem suam in fide et bonis moribus erudire quam maxime curavit. Summa etiam erga exsules Afros ejus charitas enituit, quos Wandali, Africa devastata, e patriæ finibus excedere et in Gallias transmigrare compulerant. Hos omnes paternis visceribus complexus est, re et consilio juvit salutique eorum prospexit. Nam cum plures ex illis an ab arianis vel catholicis fuissent baptizati dubitarent, plerique etiam se sacro illo fonte lotos aliquando fuisse penitus ignorarent, hac de re pius Pastor anxius consuluit sanctum Leonem, qui ad ejus consulta respondit litteris per ejusdem archidiaconum Hermetem rescriptis; sicque animum ipse quem desponderat erexit. Rusticus unus est e quadraginta quatuor Galliarum episcopis Arelate congregatis, qui approbarunt epistolam sancti Leonis papæ ad Flavianum; ad quos sanctus Leo rescripsit, gratulatus ipsis orthodoxam fidem, et nuntians Eutychen et Dioscorum fuisse damnatos in concilio Chalcedonensi. Si obitus sancti Rustici contigit eo die quo festum ejus notatur in martyrologiis, hac vigesima sexta die Octobris migravit ad Dominum. *Quæ in his,*
E *nostra opinione, vel minus accurata vel dubia occurrunt, dicam in Annotatis ad Lectiones antiqui Breviarii Narbonensis, ad calcem hujus commentarii recitandas. Oratio, quæ in hodierno Proprio Carcassonensi reperitur, sic habet :* Tribue nobis, quæsumus, Domine, misericordiam tuam, intercedente beato Rustico pontifice; et quæcumque præcipis ut agamus, ipse adjuva ut implere possimus. Per Dominum. *Haud parum diversa est ab altera, supra a nobis posita ex Breviario Narbonensi.*

AUCTORE B. B.

Memoria in martyrologiis Usuardino et Romano;

43 *Observat Sollerius* (1) : Rusticus Narbonensis mere Usuardinus est, a nullo antiquiori aut æquali hodie (26 *oct.*) positus *quod mirandum utique est, cum agatur de Præsule, qui suo tempore tanta sanctitatis et doctrinæ laude claruit. Num forte inde ortum silentium, quod extremo vitæ spatio,* Rusticus *nimium faverit Hermeti, cujus transitum a Biterrensi ad Narbonensem cathedram tam atro S. Hilarus papa notavit calculo? Adde Fridericum, quem frater ejus Theodoricus Visigothorum rex civitati Narbonensi, paulo post mortem S.* Rustici *expugnatæ anno scilicet* 462, *gubernatorem dederat, haud parum Hermeti fuisse infensum, sicut*
F *et universim catholicis episcopis, utpote arianum* (2). *Unde facile fieri potuit, ut partim metu tum Friderici tum ipsius Theodorici regis, partim acerrimis S. Hilari papæ litteris ducti vel deterriti, abstinuerint clerus et populus Narbonensis* Rusticum *continuo post obitum (ut moris illa tempestate erat) sacris fastis inscribere; quod deinde lapsu annorum factum comperimus. Utut est; præter Usuardum, nec Ado nec alius antiquiorum Martyrologorum ullus meminit S.* Rustici. *Quinimo in numerosissimis Auctariis Usuardi (a Sollerio nostro tam diligenter compulsis et excussis) ne vel semel S. Præsulis nomen signatur, idque non solum die* 26 *octobris, sed nec in totius anni decursu, rarissimo sane exemplo. Cæterum Usuardus paucis hisce verbis S. Antistitem celebrat :* Civitate Narbona, sancti Rustici episcopi et confessoris. *Atque ex eo Romanum martyrologium :* Narbone sancti Rustici episcopi et confessoris,

(1) Martyrologium Usuardi, 26 oct. — (2) Conf. Hist. de Languedoc, tom. I, p. 209.

AUCTORE B. B.

confessoris, qui claruit temporibus Valentiniani et Leonis imperatorum. *Valentinianus, hujus nominis tertius, imperavit in Occidente ab anno* 424 *ad annum* 455; *Leo, in Oriente successit Marciano, S. Pulcheriæ conjugi, anno* 457; *obiit anno* 474. *Itaque S.* Rusticus *maximam vitæ partem exegit vereque* claruit *sub Valentiniano III; non item sub Leone, cujus sub principatu non ultra quadriennium protraxit diem. Rectius itaque diceretur* claruisse *sub Valentiniano, Theodosio juniore* (*hic imperavit ab anno* 408 *ad an.* 450) *et Marciano* (*ab an.* 450 *ad an.* 457 (1)). *Notat in martyrologium Romanum Baronius hoc loco :* De eodem Usuardus. Ad hunc tunc (*conf. n.* 14) monachum scripsit S. Hieronymus egregiam epistolam de vivendi forma... Factus autem episcopus pervenit usque ad tempora sancti Leonis papæ, qui ad eum dedit epistolam decretalem... itemque ad ipsum aliosque Galliarum episcopos epistolam *alteram. Unde recte Sollerius ubi supra :* Notatio Baronii paucis indicat quæcumque circa vitam ejus aut gesta observari debent ex Hieronymi et
B Leonis epistolis. Nec quidquam ultra memorat Catellus, Inscriptionem adducens, quæ multorum eruditorum ingenia exercuit, alibi a nobis de integro examinandam. *Fidem a decessore datam solvimus in præsenti Commentario* § I.

Catalogo Petri de Natalibus, Saussayo etc ;

44 *Petrus de Natalibus confirmat dicta Sollerii, quod ad silentium antiquorum spectat de S.* Rustico. *Sic enim habet libro XI, capite ultimo* : Rusticus episcopus eodem die (*VII Kal.* Novembris) dormivit in civitate Narbona. *In fronte præfati capitis ultimi, monet auctor plures sanctos* existere, de quorum vita vel gestis nihil penitus potuit invenire, nisi eorum solum nomina et dies festivitatum ; et nihil ultra, nisi de paucis, *inquit*, de quibus etiam loca in quibus passi sunt vel sine martyrio decesserunt conscripta reperi ex martyrologio videlicet Hieronymi, Usuardi vel Adonis. Et idcirco... in fine præsentis operis hoc unico capitulo ea... recolligere curavi. *Ita Petrus de Natalibus. More suo Saussaius longum verbosumque texuit encomium* (2) *:* Nar-
C bonæ S. Rustici episcopi et confessoris. Qui Massiliensis presbyter, ob præclara gratiæ quibus fulgebat testimonia, ad hujus metropoliticæ sedis, orbatæ Hilarii discessu, gubernacula evocatus, præcepta quibus S. Hieronymus ipsum ante sacerdotium, cum monasticen coleret, instruxerat egregia tenens, omni religione et sapientia ecclesiam illam direxit; cujus basilicam exustam antea, insigni fabrica restituit. Nec murorum tantum, sed morum magis sollicitus clerum in disciplina, populum in observantia pietatis et justitiæ continuit. Multoque honore a summo pontifice Leone I salutatus, rescriptis apostolicis ad se directis super consultatione sua, cum congrua responsa recepisset, ipsaque ceu cælestia oracula omni solicitudine usui demandasset, episcopalium virtutum laude nobilis, sancteque actis in omni administratione præclarus, boni pastoris, cujus partes undequaque expleverat, præmium a
D Domino percepit. *Memoratur S.* Rusticus *hac die in martyrologio Parisiensi cardinalis de Noailles; Autissiodorensi RR. DD. Caroli de Caylus; in Ebroicensi RR. DD. Petri de Rochechouart. Hujus verba, utpote præ cæteris accurata et concisa, adscribimus.* : Narbonæ sancti Rustici episcopi, qui ex beati Hieronymi consilio cœnobiticam vitam amplexus et postea ad ecclesiæ Narbonensis regimen assumptus, eximiæ doctrinæ et pietatis argumenta præbuit, cumque de munere abdicando apud Leonem magnum egisset, hoc ab ipso responsum tulit : Permanendum est in opere credito et labore suscepto. *Denique Castellanus in martyrologio universali verba Romani recitat sed in gallicum versa. Adalbertus Müllerus in recenti* kalendario generali *asserit S.* Rusticum *ordinatum fuisse presbyterum a* Proculo Massiliensi episcopo (3).

45 *De ordinatione S.* Rustici *non eadem ab omnibus traduntur. Alii alium ponunt episcopum, qui presbyteratum illi contulerit. Müllerus* Proculum *diserte nominat; in Lectione novi Proprii Carcassonensis* Venerius *designatur :* Presbyter a Venerio, episcopo Massiliensi ordinatur. *n.* 42. *In vetere Breviario Narbonensi* (*cujus Lectiones mox subdam*) *nihil de ordinatore episcopo dicitur. Non est verisimile S.* Rusticum *a Venerio sacerdotii honore fuisse insignitum, sequentes ob rationes :* 1° *Venerius cathedram Massiliensem probabilius tantum conscendit anno* 428 (4) *quo tempore, ut ex dictis* § I *elucet, S.* Rusticus *jam ad episcopatum Narbonensem promotus erat.* 2° *In majori Inscriptione S.* Rusticus *legitur* Episcopi Veneri... compresbyter ecclesiæ Massiliensis, *quod obvio sensu intelligendum videtur, utrumque in eodem sacerdotii gradu aliquamdiu simul constitisse; nec proinde Venerius* Rusticum *ordinare potuit. Nihil vero obstat quominus id præstiterit Proculus, qui sedit Massiliæ saltem ab anno* 381 *ad annum* 418 *et probabilius ad annum usque* 426 (5), *et laudatur a S. Hieronymo in epistola :* Habes istic sanctissimum et doctissimum pontificem Proculum, *etc. Favet huic sententiæ, quod, nostra opinione, S.* Rusticus *monasticæ disciplinæ* F *operam dederit Massiliæ in S. Victoris cœnobio; cum tamen hac de re controversia est, aliis Lerinense aliis Tolosanum præferentibus monasterium; sequitur certo statui non posse, an Massiliæ an alibi ad presbyteratus honorem* Rusticus *fuerit elevatus. Quapropter eruditi passim prætermittunt definire quis episcopus hunc illi ordinem contulerit. Itaque mihi probabile est, fuisse Proculum; vix non certum, esse alium a Venerio.*

a quo eppo S. Rusticus *fuerit ordinatus presbyter.*

E

—

(1) Art. de Vérifier les Dates, p. 354 et seqq. — (2) Martyrologium Gallicanum 26 oct. — (3) Allgemeines Martyrologium, oder vollständiger Heiligenkalender der katholischen Kirche 26 oct. Regensburg. 1860. — (4) Gallia Christ., tom. I, col. 631-35. — (5) Ibid.

§ VI.

A

§ VI. Brevis notitia provinciæ, civitatis et sedis Narbonensis. Lectiones ex antiquo breviario Narbonensi de S. Rustico.

Notitia provinciæ Narbonensis,

Scribit *Hadrianus Valesius* (1) : Galliæ Narbonensi nomen dedit « Narbo, » vulgo « Narbonne, » urbs vetus et illustris Volcarum Tectosagum, quo Porcio Marcioque Coss. deducta est colonia Romana... anno Urbis conditæ DCXXXVI; prima omnium in Gallia, post triennium quam Carthago extra Italiam prima deducta fuerat. *Quapropter quando Gallias primum partitus Julius Cæsar in provincias est, tres tantum nominantur : Lugdunensis, Belgica et Aquitanica*, quæ tunc Galliarum nomine significabantur, exclusa Narbonensi, quia pridem Romanorum erat ac Romanis tributa provinciis (2); *Gallicis accensita fuit ab Augusto* (3). *Circiter annum* 374, *certe non ante annum* 370, *secta bifariam est; scilicet in primam et secundam* (4). Primæ Narbonensis
B metropolis remansit Narbo Martius, secundæ autem Narbonensis metropolitica dignitas transiit ad Aquas Sextias (5). *Postremo antiqua provincia seu Gallia Narbonensis, quæ usque ad medium circiter sæculum quintum una fuerat, in provincias quinque distracta est : Narbonensem primam, cujus caput Narbo, Narbonensem secundam seu Aquisextiensem, Viennensem, Aquas Graias et Alpes Maritimas* (6). *Ex his apparet extensos antiquitus valde fuisse limites Galliæ Braccatæ seu Narbonensis, quam sic describit Plinius* (7) ; Narbonensis provincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Braccata antea dicta, amne Varo ab Italia (*Leguria*) discreta Alpiumque vel saluberrimis Romano imperio jugis; a reliqua vero Gallia latere septemtrionali, montibus Gebenna et Jura. Agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum, nulli provinciarum postferenda; breviterque Italia verius quam provincia... Oppida : Illeberis (*Colioure...*) Narbo Martius, Decummanorum colonia, XII m. pass. a mari distans *etc. Et Pomponius Mela, ubi de* Gallia Narbonensi
C *agit* (8) : Pars nostro mari apposita (fuit aliquando Braccata, nunc Narbonensis) est magis culta et magis consita ideoque etiam lætior. Urbium quas habet opulentissimæ sunt : Vasio Voconciorum, Vienna Allobrogum. Avenio Cavarum *etc.* Sed antestat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia, unde olim his terris auxilium fuit, nunc et nomen et decus est, Narbo Martius. *Labentibus sæculis Narbonensis prima vocata est etiam* Septimania, Gothia, quæ, *ut habet Hadrianus Valesius* (9), et Linguadokium. *Et quidem ab Apollinari Sidonio aliisque sequentibus v. g. Gregorio Turonensi, Carolo Magno etc.* Septimania *dicitur, non* a septem provinciis, *ut opinatur Scaligerus,* sed, *inquit laudatus Valesius,* quod primus animadverti, a numero civitatum Narboni metropoli attributarum atque subjectarum. Erant autem septem : nimirum Tolosa, Biterræ, Nemausus, Agatha, Magalona, Luteva, Ucecia. *Huic sententiæ satis accedunt historiæ Occitaniæ scriptores* (10). *Prosequitur Valesius :* Septimania sæpe et Gothia est appellata, propterea quod jam inde a Theodorico juniore et Eurico principibus, Gothis occiduis per annos circiter CCL seu Visigothorum regibus in Hispania dominantibus paruit. *Addit paulo infra :* Quoniam (*sicut antiquitus Galliæ universæ in Braccatam et Comatam*) olim totum Franciæ regnum in provincias linguæ « ouy » et linguæ « oc » dividebatur (de « langue-d'ouy » et de « langue-d'oc. ») provinciæ Narbonensi I sive Septimaniæ aut Gothiæ, quæ una ex linguæ « oc » provinciis erat, nomen « Linguadokii » remansit, « Languedoc... » Hæc autem divisio Franciæ facta est (*sæculo* XIII *exeunte*) in duas linguas, quod Vasiones, « Gothi » sive « Septimani, » Provinciales, Delfinates aliique linguæ tortæ populi, sed præcipue « Gothi » pro « ita » vel « utique » oc dicere consueverant id est « hoc; » cæteri Franciæ incolæ OUY. *Concor-* E
dant historiographi Occitaniæ (11). *Gothorum regibus diu paruit Septimania, usque ad initia sæculi* VIII. At interempto Roderico (*ultimo Visigothorum rege*) anno 712, Sarracenorum armis Narbona occupatur sub annum 719 usque ad annum 759, quo, faventibus Gothis,.. urbs (*Narbona*) tradita est Pipino regi Francorum, et sic tota Septimaniæ provincia cessit Galliæ coronæ (12).

AUCTORE B. B.

civitatis,

47 *Urbs, provinciæ ab antiquo caput, vario nomine designata legitur.* Narbo, Narbo Martius *sive a Marte cognomine deducto, ut plures existimant, sive potius a martia decima legione :* Narbo enim « Decumanorum colonia » erat; et populi Narbonenses dicti sunt « Decumani » a militibus decimæ legionis, Julii Cæsaris jussu eo deductis; sicut etiam a Julio « Colonia Julia » dicta est Narbona, ut videre est apud Scaligerum et Sirmundum (13). *Vocatur quoque* Civitas Atacinorum, *quod ad Fluvium* Atacem (*vulgo* Aude) *sit posita; hodie communiter dicitur* Narbona, *gallice* Narbonne. *Atque hæc de variis urbis nominibus. Antiquissimam esse civitatem ex dictis hactenus apparet luculenter.* F
Magnitudinem et opes testantur Plinius et Mela. Straboni et Stephano celebre emporium *est. Augusto in tantum devota erat, ut triennio ante ejus mortem, aram imperatori dedicaverit* (14). *Igne consumptam Antoninus Pius suis restituit sumptibus, ut fidem faciunt binæ inscriptiones anni* 145. Tanto Romanis fuit in pretio hæc civitas, ut proconsulum sede illam decoraverint, missis etiam prætoribus, qui toti provinciæ jus dicerent; tanta scholarum ejus celebritas, ut in his duo Constantini imperatoris filii ex fratre nepotes Rhetoricæ studuerint *etc.* (15). *Magnificis extollitur laudibus ab Ausonio, Burdigalis oriundo, sui ævi* (*floruit toto fere sæculo quarto*) *poetarum facile principe,*

(1) Notitia Galliarum, verbo : *Narbo Martius.* — (2) Orlendius. Orbis sacer et profanus, tom. I, p. 405 et 422. Florentiæ, 1728. — (3) Ibid., p. 405 et 425. — (4) Histoire de Languedoc, tom. I, p 147. Walkenaër, Géographie ancienne de la Gaule, tom. II, p. 370. Paris, 1839. — (5) Orlendius, p. 426. — (6) Gallia Christiana, tom. VI, p. 2. — (7) Hist. nat, lib. III. Apud Harduinum, tom. I, p. 145. In-fol. — (8) Lib. II, cap. v, p. 196. Lugduni Batav., 1782. — (9) Notitia Galliarum, verbo : *Septimania.* — (10) Hist. de Languedoc, tom. I, p. 213. — (11) Ibid., p. 584. — (12) Gallia Christiana, tom. VI, p. 2. — (13) Ibid., p. 1. Item Valesius, Notitia Gall. — (14) Expilly, Dictionnaire de géographie. — (15) Gallia Christ., tom. VI. p. 2.

Carmine

AUCTORE B. B.

Carmine XIII *de* claris urbibus *sic canente* (1) :

Nec tu, Martie Narbo, silebere : nomine cujus
Fusa per immensum quondam provincia regnum,
Obtinuit multos dominandi jure colonos.
. . . . . Tu Gallia prima Togati
Nominis attollis latio proconsule fasces.
Quis memoret portusque tuos, montesque lacusque?
Quis populos vario discrimine vestis et oris?.....
Te maris Eoi merces et Iberica ditant
Æquora : te classes Lybici Siculique profundi :
Et quidquid vario per flumina per freta cursu
Advehitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους (*appulsurum*).

Nec minora cecinit sæculo sequenti Sidonius Apollinaris carmine XXIII (*hendecasyllabo*), *quod* Narbo *inscribitur, ubi inter alia plurima* (*longum namque est carmen*) *encomia* (2) :

Salve, Narbo, potens salubritate
B Urbe et rure simul bonus videri,
Muris, civibus, ambitu, tabernis,
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, capitoliis, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto.

Hæc scripta post expugnatam occupatamque a Gothis Narbonam, liquet tum ex ætate Sidonii, qui natus erat Lugduni anno circiter 430, *tum ex his quæ paulo infra subjiciuntur :*

Sed per semirutas superbus arces
Ostendens veteris decus duelli,
Quassatos geris ictibus molares,
Laudandis pretiosior ruinis.
Sint urbes aliæ situ minaces,
Quas vires humiles per alta condunt,
Et per præcipites locata cristas
Nunquam mœnia cæsa glorientur :
Tu pulsate places, fidemque fortem
Oppugnatio passa publicavit.

Unde merito Cluverius (3) : Martius Narbo... magnifica quondam urbs, nunc munimine maxime clara. *Anno* 413 *ab Ataulpho, Visigothorum rege, capta, sed brevi post imperatori*
C *Honorio restituta; a Theodorico, altero Visigothorum principe, anno* 436 *frustra obsessa, tandem in eorum manus venit anno* 462, *paulo proinde post obitum* S. Rustici. *Circa annum* 719 *a Sarracenis expugnata, erepta eis fuit a Pipino brevi, anno Christi* 759, *obsidionis septimo* (4). Exinde lapsu temporis Septimaniæ ducibus seu Gothiæ marchionibus Narbona civitas subjacuit, comitibusque Tolosanis eorum successoribus, qui et ducum Narbonæ titulo gloriabantur, sub quibus Vicecomites longo ordine rectores habuit et urbis dynastas, donec Gasto Fuxensis, Johannis Fuxensis ex Maria Aurelianensi conjuge filius, et Ludovici XII Franciæ regis ex sorore nepos, hanc urbem ejusque dominium regi avunculo cessit pro aliis terris, conventione facta 19 novembris an. 1507. Sicque tandem Gallicæ coronæ perpetuo adD juncta est (5). *Ad nostra propius accedendo tempora, sic describitur Narbona apud Baudrandum* (6) : Urbs est ampla et munita Galliæ, in Occitania provincia, juxta ramum Atacis fluvii, manu ductum alias a Romanis et « la Robine » dictum. *Anno* 1789 *incolas numerabat* 8528; *nunc præter propter* 11,000 (7). Quantum mutatus ab illo *Narbone!*

48 *Origo ecclesiæ Narbonensis, ut et plerumque in aliis Galliarum ecclesiis usu venit, vario a variis tempore constituitur. Primus ejus antistes in catalogis signatur S. Paulus.* Constans vero, *teste Gallia Christiana* (8), hujus ecclesiæ traditio est, quam indubitatam vellemus, eum esse Paulum Sergium proconsulem, qui ad fidem conversus Cypro Romam, indeque Narbonam venerit. Sane Usuardus et Ado Viennensis missionem Pauli ab apostolis, ejusque ad urbem Narbonam appulsum, tamquam rem in Galliis Narbonensi ac Viennensi certam et exploratam martyrologiis suis IX sæculo consignarunt; sed eumdem fuisse ac Sergium Paulum ab Apostolo ad fidem conversum E id tantum probabile scripserunt. *Quæ, utpote non omni ex parte satis accurata, asterisco indigent. Observat ad diem* XII *Dec. in Usuardum* (*quo die iste S. Pauli meminit, Ado vero aliique omnes* XXII *Martii*) *Sollerius :* Licet signatas ab Adone Kalendas deserat, ejus opinionem, quæ IX sæculo obtinebat de primis in Gallia evangelii prædicatoribus ad apostolorum tempora reducendis, omnino amplexus est *Usuardus*, id prudenter omittens, quo Viennensis (*Ado*) Paulum Narbonensem indicat « eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum proconsulem » (9). *Quibus ex verbis videtur Sollerius existimasse, Paulum Narbonensem Adoni eumdem absque dubio fuisse ac Sergium proconsulem. Quod si hæc ejus fuerit mens, ipse etiam Sollerius nonnihil est emendandus. Itaque asserunt tum Usuardus, tum Ado, S. Paulum ab apostolis in Gallias missum; additque in* libello de festivitatibus *Ado :* Tradunt (*nec proinde asserit*) eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum *etc. Revertor ad Galliam Christianam loc. cit. :* Et certe traditio illa, tametsi constans et vetus in ecclesia Narbonensi, conjectura solummodo F niti, verisimilitudine autem carere visa est pluribus, Tillemontio maxime, Bailleto aliisque viris eruditis, quorum sententia est, Paulum et alios viros apostolicos in Gallias missos... medio tantum sæculo tertio advenisse, anno scilicet 251 vel 252 sub Decii consulatu *etc. Opus non est hæc diligentius hoc loco expendere, cum alias a nobis id præstitum sit* (10).

sedis antiquissimæ,

49 *Hoc certum, sedem Narbonensem antiquissimis Galliarum ecclesiis annumerandam, et vix non reliquis omnibus dignitate præcelluisse.* Primæ sedis dignitatem in prima Narbonensi merito sibi Narbo vindicavit, donec ab Arelatensi metropolitano, sua urbe titulis sæcularibus aucta, ipsius jura pervasa sunt, ac brevi sunt eidem restituta (11). *Additur ibidem :* Pa-

et metropoliticæ;

(1) Migne, Patrologia lat. tom. XIX, col. 871. — (2) Ibidem, tom. LVIII, col. 731. — (3) Introductio in universam geographiam, p. 63. Trajecti ad Rhenum, 1701. — (4) Expilly, Dictionnaire des Gaules et de la France. — (5) Gallia Christ., tom. VI, p. 2 et 3. — (6) Novum Lexicon Geographicum, p. 509. Isenaci (*Eysenach* in Thuringia), 1677. — (7) Guibert, Dictionnaire géographique. Paris, 1850. — (8) Tom. VI, col. 5. — (9) Conf. Henschenium, Act. SS., t. III Martii, p. 372 et seq. — (10) Vide Acta S. Florentini Trevirensis, tom. VIII Octob., item Acta S. Salomæ, t. IX Oct. — (11) Gallia Christ., t. VI, p. 3.

ruisse

A ruisse vero sub Gothis regibus ecclesiam Narbonnensem Toletanis archiepiscopis, quidam voluerunt. *Atque ita diserte statuit Orlendius* (1), *asserens* usque ad finem septimi sæculi et initium octavi provinciam Narbonensem I a Gallis avulsam, Hispaniis adscriptam fuisse; *idque probatum censet ex eo quod* metropolitæ Narbonenses conciliis in Hispania celebratis interfuerint, *quod utique ex subscriptionibus liquido efficitur. Reponit Gallia Christiana ubi supra :* Sed contrarium (*scilicet subjectam non fuisse*) evincit concilium Toletanum VI anni 638. Huic enim præsedit Selva Narbonensis archiepiscopus jure antiquitatis, supra Braccarensem, Hispalensem, et ipsum Toletanum, qui eidem interfuerunt. *Consentiunt scriptores historiæ Occitaniæ* (2). *Confirmatur ex epistola Innocentii III ad Petrum Compostellanum :* Nec ex eo probatur, *inquit præfatus pontifex*, ad Braccarensem metropolim pertinere, quia interfuerunt concilio Braccarensi, cum constet Narbonensem per multa tempora venisse ad concilium Toletanum, nec tamen Toletana metropolis aliquid
B juris habet in ecclesia Narbonensi : sed mandato regum illa fiebant, quod magis violentum quam justum præsumitur extitisse. *Nec amplius probatur ex Urbani II rescripto* (*an.* 1088), *quo pontifex Bernardo Toletano primatum totius Hispaniæ et Galliæ Gothicæ seu Occitaniæ concedit : nam continuo reclamarunt metropolitæ Tarraconensis et Narbonensis. Quare idem Urbanus Bernardum constituit suum per Hispaniam et provinciam Narbonensem legatum*, ac siquidem paruerunt archiepiscopi, id certe non ratione primatiæ Bernardi fecerunt, sed ratione legationis (3). *Similiter non putem quemquam adhuc esse, qui admittat Narbonensem ecclesiam Bituricensi sæculo* IX *subditam fuisse. Infirmæ valde et exiles sunt rationes in hanc sententiam adhibitæ a viro cæteroquin docto et erudito, Petro de Marca* (4). Itaque (*verbis denuo utor Galliæ Christianæ*) Narbonensis ecclesia ab omni semper alia jurisdictione libera, suam libere in varias pro varietate temporum ecclesias exercuit, non solum in Septimania, verum et in Hispaniæ Marca, quæ diœceses quatuor complectebatur : Barcino-
C nensem, Gerundensem, Urgellensem et Ausonensem (*de hac vide supra in actis SS. Luciani Marciani et Socc.*). Cum enim post urbem Tarraconam a Sarracenis deletam, pro disciplina eorum temporum, ecclesiæ huic metropoli subjectæ ad metropolitanorum viciniorum transiissent jurisdictionem, Urgellensis cum ceteris in ea parte Tarraconensis provinciæ positis, quam Franci occupaverant, sub potestatem archiepiscopi Narbonensis devenit, permansitque usque ad finem sæculi undecimi. *Denique Narbonensi metropoli, cujus antistes* præses natus *erat comitiorum Occitaniæ, suffraganeæ erant sæculo præterlapso undecim :* S. Pontii Tomeriarum, Electensis, Biterrensis, Agathensis, Nemausensis, Alesiensis, Magalonensis seu Monspeliensis, Carcassonensis, Lutevensis, Uceticensis et Helenensis. *Ultimus sedem illam, tot tantisque nominibus claram, tenuit Arturus de Dillon, Narbonam Tolosa translatus. Nam anno* 1801 *per concordatum suppressa a Pio VII fuit cathedra Narbonensis, titulusque unitus Tolosanæ, cujus metropolita proinde* Tolosanus et Narbonensis *inscribitur. R. D. Arturus ex iis est, qui sedem resignare noluerunt; obiit patria extorris tempore, ut dici solet, emigrationis* (5). AUCTORE B. B.

49 *Ex dictis* § I, *hujus commentarii efficitur* S. Rusticum *exustæ* dudum *novam eodemque in loco substituisse basilicam, cujus hodiedum adhuc dicitur in horto palatii, quondam archiepiscopalis* (*quod nunc prætorium est*) *cerni turris et fragmen columnæ* (*Conf. n.* 11.) *sicut et pars frontis cum Inscriptione. Ædes a S.* Rustico *condita perstitit usque ad exiens sæculum* XIII. *Scilicet jacta fuere fundamenta hodiernæ ecclesiæ S. Justi* (*olim metropolis*) *die* 13 *Aprilis* 1275; *chorus et sacella ambientia absoluta noscuntur anno* 1332; *opus præclaræ utique structuræ. RR. DD. archiepiscopus Le Goux de la Berchere anno* 1708 *quadratum posuit navi ædificandæ; at deficiente pecunia, cœptam fabricam prosequi non licuit; anno* 1772 *rursus de reassumendo ædificio cogitavit serio archiepiscopus RR. DD.* E *de Boveau, verum eodem fato eamdemque ob causam. Parietes ad altitudinem fenestrarum perducti hærent; cæterum nova hæc fabrica alterius omnino structuræ seu styli est ac chorus. Atque hæc est ecclesia passim S. Justi dicta; de qua Gallia Christiana :* Civitatem exornat metropolitanum templum *B. M. et SS. martyribus Justo et Pastori* dicatum, opus stupendæ magnificentiæ, sacellis elegantibus, variisque picturis decoratum (6). *Ad præsentem quod spectat ædificii statum, sic mihi rescriptum Narbona est :* Ipsa ecclesiæ metropolicæ navis (quæ cæteroquin rectius vocaretur chorus templi, ut dici solet, Gothici, haud multum dissimilis ab Ambianensi et Rhemensi) per turbinem exeuntis sæculi XVIII intacta permansit; sed omnia fere monumenta destructa, nempe sepulchra episcoporum, et Philippi III cognomento Audacis, francorum regis, egregii singula operis; sanctorum reliquiæ combustæ, raptis auro lapidibusque pretiosis, quibus ornabantur; altaria eversa, excepto majori, cui insedit meretricia dea rationis; organa
F similiter servata, quod usui forent agendis decadibus (*sic dicebantur, ut notum est, festa novi et impii ritus, substituta sanctis Ecclesiæ festivitatibus*); servata quoque est insignis statua B. Virginis, donum RR. DD. Francisci de Conzie, archiepiscopi Narbonensis (*obiit anno* 1432); item fragmenta nonnulla ossium S. Sergii; duo calices antiqui; evangeliarium, quod dono dederat Carolus Magnus; duo missalia, reliquiarium ex ligno cedrino. Acta capitularia S. Justi, S. Pauli, et S. Sebastiani, Carcassum fuere translata, jussu magistratus civilis. *Ita R. D. Dumaij, addens se hæc didicisse ab egregio presbytero Narbonensi, quem, ut quæsitis nostris aptius satisfaceret, convenit. Laudat. loc. cit. Gallia Christiana* vas sacrum (*vulgo ostensorium*) pro exponendo SS. Sacramento, *quod* tanti, *inquit,* ponderis est, ut a paucioribus nequeat quam ab octo sacerdoti- *ac demum ecclesiæ.*

(1) Orbis sacer. et profanus, t. I, p. 426. — (2) Histoire de Languedoc, t. I, p. 339. — (3) Gallia Christiana, tom. VI, p. 3. — (4) Vide Histoire de Languedoc, tom. I, p. 450 et 731. — (5) Moroni, Dizionario, voce : *Narbona.* — Notizie (*vulgo* Cracas) per l'anno MDCCCXLV. — (6) Tom. VI, p. 4.

AUCTORE B. B.

bus gestari. *Rebus in Gallia turbatis circa finem sæculi præteriti, eadem sors pretiosissimæ huic hierothecæ fuit, quæ aliis innumeris: nempe disparuit, nec hactenus reperta, nec deinceps verosimiliter reperiunda. Contendunt senes, qui illam viderant, tantæ fuisse claritatis, ut ipsum solis jubar obscuraret splendore margaritarum. Altera nunc habetur, sed priori non comparanda. Unde etiam seniores, cum primum novam conspicerent hierothecam, illacrymabantur; ut quondam* plurimi de sacerdotibus et levitis et principes patrum et seniores, qui viderant templum prius (*Salomonis*) cum fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna *.

*I Esd. cap. I, v. 12.

a LECTIONES EX BREVIARIO NARBONENSI *a*.

In II Nocturno. Lectio IV. Rusticus episcopi Bonosi filius, episcopi Aratoris ex sorore nepos, episcopi Venerii socius in monasterio, compresbyter ecclesiæ Massiliensis, is videtur *b* esse cui sanctus Hieronymus egregiam rescripsit epistolam, in qua ait eum habere
B matrem religiosam, multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudivit infantem, ac post studia Galliarum, misit Romam. Eum sanctus Hieronymus hortatur in eadem epistola, ut exemplo sancti Joannis Baptistæ, qui et sanctam habuit matrem, pontificisque filius erat, in domo parentum cum periculo non maneat; subjiciatque se quotidianis monitis sancti doctissimique Massiliensis episcopi Proculi : et sectetur vestigia sancti Exuperii Tolosæ episcopi, cæterorumque huic similium quos sacerdotium et humiliores facit et pauperes *c*. Lectio V. Consiliis Hieronymi morem gerens Rusticus, sic vixit in monasterio *d*, ut clericus esse meruerit, ac postea anno circiter quadringentesimo vigesimo septimo *e* in Narbonensem episcopum fuerit consecratus. Anno episcopatus sui decimo quinto, instaurationem Narbonensis ecclesiæ, dudum exustæ, suscepit, et in ea ædificanda quatuor consumpsit annos *f*. Interfuit concilio Arelatensi tertio, in quo compositum est Fausti Lirinensis abbatis cum Theodoro episcopo Forojuliensi de juridictione dissidium *g*. Epistolæ synodicæ
C ad sanctum Leonem ab episcopis Gallicanis contra Eutychen rescriptæ subscripsit *h*. Primus *i* nominatur inter Gallicanos episcopos ad quos idem summus Pontifex misit exemplar sententiæ adversus Dioscorum et Eutychen in concilio Chalcedonensi prolatæ. Lectio VI. Cum gravia scandala passim emergerent, dubiaque multa ad disciplinam ecclesiæ pertinentia suborta essent, sedem apostolicam consuluit, missis ad sanctum Leonem epistolis *k*, quibus significavit vacationem ab episcopatus laboribus peroptare se et malle in silentio atque otio vitam degere. Cui sanctus Leo per litteras animos addidit, eumque spe cælestis adjutorii communivit, simulque propositis dubiis respondit : Sabinianum vero et Leonem *l* presbyteros qui se Rustici judicio subduxerant, ejus reliquit moderamini. Anno episcopatus sui trigesimo Rusticus altare marmoreum ecclesiæ Minervensis *m* tunc intra Narbonensis, nunc intra San Pontianæ diœcesis fines sitæ, consecravit, ut testatur vetus inscriptio huic altari insculpta. Tandem quadriennio post *n*, meritis plenus, abiit ad Dominum *o*. Lectio sancti Evangelii secundum *Joannem*, cap. 10. In illo tempore, dixit Jesus quibusdam ex Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem et dimittit oves. Et reliqua.

2 *Homilia S. Leonis papæ. Ep.* 2, *al.* 92. *Ad Rusticum Narbonensem episcopum.* Lect. VII. Dicente Domino : Beatus qui perseveraverit usque in finem : unde beata erit perseverantia nisi de virtute patientiæ? Nam secundum apostolicam prædicationem : omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur. Quæ non in eo tantum computanda est, quod contra christianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis : cum persecutionum sævitiam suppleant, et morum dissimilitudines, et contumaciæ inobedientium, et malignarum tela linguarum : quibus conflictationibus cum omnia semper membra pulsentur, et nulla piorum portio a tentatione sit libera, ita ut E periculis nec otia careant, nec labores : quis inter fluctus maris navim diriget, si gubernator abscedat? Quis ab insidiis luporum oves custodiet, si pastoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obsistet et furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum, ab intentione sollicitudinis amor quietis abducat? Lect. VIII. Permanendum est ergo in opere credito, et in labore suscepto. Constanter tenenda est justitia et benigne præstanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi; tollerentur infirmi : et quod in peccatis severius castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis. At si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expavescamus, quasi ulli adversitati propriis viribus resistendo, cum et consilium nostrum, et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Qui confirmans prædicatores Evangelii, et sacramentorum ministros : Ecce ego, inquit, vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et iterum : Hæc, inquit, locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in F hoc tamen mundo tribulationem habebitis : sed bono animo estote, quia ego vici mundum. Quæ pollicitationes quia sine dubio manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia sunt adjutoria, quam vera promissa. Oratio. Da nobis, Domine, beati Rustici pontificis attolli suffragiis : ut qui in Ecclesia tua sacerdotalem adeptus est dignitatem; populo tuo, cui præfuit, supernæ lætitiæ jucunditatem obtineat. Per Dominum.

ANNOTATA.

a *Lectiones istæ desumptæ sunt ex* Breviario Narbonensi illustrissimi et RR. DD. Caroli le Goux de la Berchere, archiepiscopi et principis Narbonensis. *Impressum fuit Parisiis apud J. B. Coignard* MDCCIX. *Notatur officium :* Die XXVI Octobris. In festo S. Rustici, Narbonensis episcopi. Duplex.

b Is videtur. *Diximus n.* 12 *non videri dubium*

A *bium quin epistola S. Hieronymi scripta sit ad S.* Rusticum *postea episcopum Narbonensem.*

c *Conf. n.* 35, *ubi compendiose exhibemus vitam S. Præsulis, ex certis monumentis adornatam.*

d *De Monasterio, in quo regularem disciplinam professus S.* Rusticus *est, multis egimus n.* 14.

e *Hunc eumdem annum consecrationi S.* Rustici *asseruimus ex Inscriptione Narbonensi contra Baluzium.*

f *Confer* § I *ubi enucleate tractamus de annis ædificatæ a S.* Rustico *basilicæ.*

g *Vide n.* 30.

h *Conf. n.* 29.

i *Consule Comm. n.* 29.

k *Concordant hæc cum dictis nostris nn.* 23 *et seq. ubi inquirimus quo tempore S.* Rusticus *ad S. Leonem scripserit ab eoque responsum tulerit ad* inquisitiones *suas. In recenti Proprio Carcassonensi* (*vide n.* 41.) *aliud habetur; scilicet S. Leonis epistola refertur ad annos, quibus vastata a Wandalis Africa fuit an.* 442-444. *Nos probabilius litteras illas innectimus anno circiter* 458.

l *Vide n.* 20.

m *De hoc altari diximus n.* 39.

n *De anno obitus S.* Rustici, *vide n.* 37.

o *Adscribimus has Lectiones quia epistola S. Leonis ad S. Præsulem nostrum data est.*

DE S. ALORO SEU ALLORO,

EPISCOPO CONFESSORE CORISOPITI IN BRITANNIA MINORI,

B

SYLLOGE.

E

V. D. B.

§ unicus. Cultus. Primi episcopi Corisopitenses. Ætas S. Alori.

AD FINEM SÆCULI V.

Præter S. Alorum *memorantur hodie in lectionibus Corisopitensibus SS. Gueneganus, Menulphus et Alanus.*

Licet in Officiis propriis sanctorum Corisopitensis diœcesis, quæ licentia Romani pontificis anno 1852 *edidit Reverendissimus Vir Josephus Maria Graveran, hac die unus S.* Alorus *seu* Allorus, *Corisopitensis episcopus et confessor, celebrari videatur, reapse tamen memoria fit plurium aliorum præsulum, qui Corisopiti sedisse traduntur, nempe* beati Guenegani, cujus proximus successor S. Alorus habetur, *deinde S. Menulphi et maxime S. Alani. De S. Menulfo dictum jam est in Actis ad diem* 12 *julii; ubi lapsum, vix credibilem, Sollerii* (1) *corrige : quod enim Oximorum provincia illic legitur eaque repræsentat partem Normandiæ, vulgo* Hièmes, *negavit bonus scriptor S. Menulfum Corisopitensem episcopum fuisse, non animadvertens* Oximos *vulgari errore scriptos esse loco* Ossismiorum, *qui partem occidentalem Britanniæ Armoricæ olim tenuerunt. S. Alani memoria jam in Ordine divini Officii Corisopitensi pro anno* 1840 *celebrari jubebatur, atque nunc etiam celebratur in universa diœcesi Corisopitensi, ritu simplici hac die, olim vero majori solemnitate die* 27 *novembris : ad quam ejus gesta illustrabunt successores nostri. De B. Guenegano, quantum satis erit, occurret in hac ipsa sylloge mentio. Primum autem accipe recentiores de S.* Aloro *Corisopitenses lectiones, quibus quæ nunc illic vulgo tradantur innotescat :* Lectio IV. Alorus proximus beati Guenegani vel Litharedi successor habetur secundusque aut tertius Cornubiæ post S. Corentinum episcopus. Festum ejus, quod in tota Cornubia simul et Leonia quotannis olim celebrabatur, testatam facit venerationem, qua omni tempore populi eum prosecuti sunt. Priscis etiam temporibus paræciæ nonnullæ sanctum præsulem in patronum sibi elegerunt. Lectio V. Unde vividior in animis (2) ejus memoria, nec vetustate umquam abolita est. Censent docti quidam scriptores aliquanto post S. Alori mortem ecclesiæ Corisopitensi præpositum fuisse Corentinum secundum, egregiæ pietatis virum; cujus locum postea S. Menulphus, ipsius discipulus, occupavit. At inter proximos S. Alori successores annumerandus etiam videtur sanctus Alanus episcopus, Corisopiti quondam, ubi corpus ejus requiescebat, celeberrimus; cujus et in honorem in antiquo breviario insigne officium habebatur.

C

S. Alori *cultus in diœcesibus Leonensi et Corisopitensi.*

2 *Quum quæ de cultu sunt et publica veneratione, longe minus obscura sint quam reliqua, ab his explicandis esto exordium. Quod imprimis* in tota Cornubia olim celebratus fuisse *traditur, id ita intellige quod, quum Cornubiæ et diœcesis Corisopitensis iidem fere essent fines, kalendario hujus diœcesis generali inscriptus erat; neque expunctus fuit anno* 1642 *ex Proprio Corisopitensi* (3), *licet tum multi alii sancti Britanni inde exsulare jussi sint. Quod vero in tota etiam Leonia cultus fuisse similiter proponitur, eadem est ratio, quum Leonia et diœcesis Leonensis, vulgo* saint-Pol de Léon, *iisdem pene limitibus continerentur. Officium autem erat novem lectionum, sed de communi confessoris pontificis. Quum autem præsens diœcesis Corisopitensis non universas Leoniam et et Cornubiam contineat, sed partes dumtaxat occidentales, hinc factum est ut S.* Alori *cultus, diœcesi illa circumscriptus, aliquantum minutus sit. Quod demum paræciæ nonnullæ eum sibi in patronum elegisse traduntur, similiter rectum est. Tréméoc enim* (dépt de Finisterre, arrt de Quimper) *ita eum ut patronum colit, ut simul eum fundatorem paræciæ esse dicat* (4);

F

(1) Acta SS. tom. III Julii, pag. 306. — (2) Ordo div. Officii Corisopit. pro anno 1854, p. 36. — (3) Cfr hoc kalendarium ap. Lobineau et Tresvaux, Vies des saints de Bretagne, tom. I, p. XXXIV. — (4) Garaby, Vies des bienheureux etc. de la Bretagne, p. 273.

Plou-Bazlanec

AUCTORE V. D. B.

Plou-Bazlanec (département des Côtes du Nord, arrondissement de Saint-Brieuc), *ubi olim media leuca a burgo distare tradebatur ædes in S.* Alori *honorem exstructa* (1), *et Treguennec* (département de Finisterre, arrondissement de Quimper) *ejus etiam patrocinio frui feruntur* (2). *Officium quum Leoniæ, tum Corisopiti, olim duplex erat* (3); *atque anno* 1834, *ut ex Kalendario liturgico Corisopitensi illius anni colligo, idem adhuc ritus servabatur. Sed anno* 1836, *quum Rev. Vir Tresvaux Lobinavii Vitas sanctorum iterum edidit, ad ritum semiduplicem jam redactum erat* (4); *de quo illud adhuc fuisse anno* 1840 *constat mihi ex Kalendario liturgico ejusdem anni. Verum quum anno* 1851 *novum Proprium S. R. C. probatum est, reditum fuit ad ritum duplicem. Extra Britanniam eatenus manavit S.* Alori *nomen ut in Castellani Martyrologio universali inscriptum sit ad diem* 27 *octobris hoc modo :* In Britannia Minori S. Alori, episcopi Corisopitensis et successoris S. Guenegani; *simplicius vero in Parisiensi cardinalis de Noaliis et Ebroicensi Petri de Rochechouart ad diem* 26 *octobris :*
B Corisopiti S. Alori episcopi. *Atque hæc de cultu.*

Inter primos Corisopitenses episcopos, de quibus valde variæ sunt sententiæ,

3 *Quod autem de ejus gestis quæritur, intra unam fere de ejus episcopatu controversiam consistit. Ex Historia Britanniæ genealogica Augustini du Pas hunc primorum episcoporum Corisopitensium seriem proposuit anno* 1526 *Claudius Robertus* (5) : 1° *S. Corentinus;* 2° *S. Guenuchus vel Evenus;* 3° *S.* Alorus ; 4° *S. Benedictus vel Bindicus ;* 5° *Gurthebedus;* 6° *Harnietenus;* 7ᵉ *Morguetenus;* 8° *Tremerinus;* 9° *Bagianus;* 10° *Salomon;* 11° *Aluretus;* 12° *Gulhoerus;* 13° *Hugo;* 14°. *Felix, depositus anno* 848. *Quæ omnia nomina præter secundum, licet forma alicubi nonnihil varietur, legebantur in antiquo tabularii cathedralis catalogo* (6). *Ea retinuit anno* 1832 *Freminville in Antiquitatibus Britannicis* (7). *Galletius* (8) *aliam plane seriem texuit, nempe Corentinum, Guennucum, Venerandum , Albinum, Renanum, Corentinum II, Menulfum, Alanum et Davidem. Ven. Vir Tresvaux S. Corentinum admittit et Litharedum, et reliquos omnes ut dubios seponit. Deric* (9) *consentit in SS. Corentinum et Venecanum, qui et Gueneganus et Albinus; sed alios*
C *præterit omnes, quod de catalogorum auctoritate non constet* (10); *verumtamen Litharedum, qui anno* 511 *concilio Aurelianensi subscripsit, Corisopitensibus acriter vindicat* (11). *Demum, ut alios inauditos præteream, Haureau* (12) *duce Moricio, S. Corentinum dumtaxat nuncupat et S. Geunnocum, ante Felicem, anno* 848 D *depositum; exclusis aliis omnibus, aut quod catalogis certa fides non sit, neque etiam hagiographis. Neque ipsi S. Guennoco omnino parcit : ita ut a S. Corentino ad Felicem usque lacuna sit quadringentorum annorum.*

referendi videntur SS. Corentinus, Guennecanus et Alorus, *qui floruerit ad finem sæculi* v.

4 *Profecto hujus loci non est universam hanc controversiam examinare et dirimere. De solis primis episcopis pauca delibabo. Mihi itaque perquam probabile videtur S. Corentinum, qui legitur in diptychis et hagiographicis libris, eumdem esse ac qui in actis provincialibus Turonensibus circa medium sæculum* v *nomine* Charatonis *seu* Chariatonis *venit, ut sentiunt Castellanus in Martyrologio suo universali, Galletius in Catalogo episcoporum Corisopitensium et Ven. Vir Tresvaux* (13), *consentiente Lobinavio* (14) : *quam rem argumento satis bono mihi confirmasse videtur Deric* (15). *Neque S. Gueneganus mihi displicet. Concilio enim, quod anno* 461 *paulo post S. Corentini mortem Perpetuus, Turonensis antistes, Turonibus celebravit, affuit Venerandus episcopus, cujus sedes non indicatur et cujus loco, quod oculis laboraret, subscripsit Jucundinus presbyter. Atqui* E *Venerandi nomen videtur corruptum esse, ita ut pro eo legendus sit* Venecanus; *quod idem est ac* Gueneganus, Conoganus, *et nova distorsione* Guenuchus, *et* Guennucus : *ubi* Gwen, Guen, Ven album (16) *et* can *similiter* album *significat* (17); uch *autem seu* uc *idem est ac hibernicum diminutivum* oc, *sanctorum nominibus venerationis et amoris causa addi solitum. Atqui in concilio Venetensi seu Britannico, quod inter annum* 461 *et* 465 *celebratum est* (18), *occurrit* Albinus *sine indicata sede, qui idem habendus sit ac Venecanus concilii Turonensis* (19) : *nec quidquam admirationis habet quod barbara nomina in actis ecclesiasticis latine efferantur. S.* Alorus *seu* Allorus *successisse traditur in Catalogis; a quibus cur recedatur plane nihil est, maxime quod ante hominum memoriam ut confessor pontifex a Corisopitensibus cultus fuit atque nunc coli pergit; deinde quod (quemadmodum ad præcedentem diem in S. Guesnoveo monuimus) certum est tum episcopos Corisopiti fuisse : quid itaque ii ablegentur, quorum nomina et memoriam servavit perennis*
F *cultus et ecclesiastica traditio? Utique his non imperatur fides; sed prudenter assentitur. Quæ si probes, necesse est ut S.* Alori *ætatem ad finem sæculi* v *referas. Quod Freminville* (20) *eum sedisse tradit ab anno* 456 *ad* 462, *aliena conjectura est, facilitate nimia admissa. Reliqua S.* Alori *merita Deus novit.*

(1) Lobineau et Tresvaux, Vies des saints de Bretagne, t. I, p. 201. — (2) Ibid. p. cit. — (3) Ibid. p. cit. — (4) Ibid., pag. cit. — (5) Gallia Christiana, p. 316. — (6) Tresvaux, l'Église de Bretagne, p. 112. — (7) Antiquités de Bretagne, Finisterre, tom. I, p. 298. — (8) Ap. Tresvaux, l'Église de Bretagne, p. 112, not. 2. — (9) Histoire ecclésiastique de Bretagne, tom. I, p. 260 et 272. — (10) Ibid. p. 277. — (11) Ibid. p. 337 et 338. — (12) Gallia christiana, tom. XIV, col. 873. — (13) L'Église de Bretagne, p. 112. — (14) Lobineau et Tresvaux, Vies des saints de Bretagne, t. I, p. 36. — (15) Histoire ecclesiastique de Bretagne, t. I, p. 245 et 246. — (16) Aurélien de Courson, Histoire des peuples bretons, t. I, p. 443. — (17) Ibid., p. 432. — (18) Ibid., p. 266. — (19) Ibid., p. 272. — (20) Antiquités de Bretagne, Finisterre, t. I, p. 298.

DE

A D

DE S. APTONIO,

EPISCOPO ET CONFESSORE ENGOLISMENSI,

COMMENTARIUS HISTORICUS.

R. D. B.

§ unicus. Engolismæ colitur S. Aptonius, hujus urbis episcopus. Subscribit Concilio Aurelianensi V. Tempus obitus. Unus tantum fuit Aptonius Engolismensis.

SÆCULO VI. *Engolismæ, quæ antiqua Galliæ civitas est,*

Engolisma, vulgo Angoulême, *jacens inter Pictones, Santones, Lemovicenses et Petrocorios fertur antiquitus recensita fuisse in illustriorum Galliæ urbium numero. Occurrit enim tertio loco post Burdigalam metropolim et Agennam ante Santones, Pictavos et Petrocorios inter civitates Aquitaniæ secundæ in pluribus notitiis Galliæ* (1) *vel Imperii* (2), *quarum unam eruditi plerique censent scriptam fuisse Honorio Imperatore : vel etiam inter civitates provinciæ Burdigalensis in chronico Roberti* (3). *Accedit quod Gervasius Tilberiensis* (4) *et recentiores Notitiæ episcopatuum Galliæ* (5) *ejus episcopo tertium assignant locum post Pictaviensem et Santonensem. Cujus oppidi primus ex veteribus scriptoribus Ausonius sæculo quarto meminit, vocatque Iculismam* (6) *: cui appellationi plures aliæ accesserunt,* Ecolisma *scilicet,* Iculisna, Ecolisna, Ecolesma, Ecolesima, Aquelina, Aquilina, Aquilisma, Aqualisina, Ecolisina, Ecolesina, Ecolesena, Egolisma, Ecolesina civitas, Equolisina, Ecolosina, Egolesina Aquitaniæ civitas, Engolisma, Inculisma ; *quas formas et alias collegerunt Adrianus Valesius* (7) *et B. Guérard* (8). *Erat Visigothis subjecta, quando Clodoveus ad eam obsidendam venit : sed facilis fuit expugnatio regi Francorum;* cui, *ut narrat S. Gregorius Turonensis,* Dominus tantam gratiam tribuit ut in ejus contemplatione muri sponte corruerent.

B

colitur S. Aptonius ;

2 *In his nostris Actis sæpius jam sermo fuit de sanctis civitatis illius inquilinis. Etenim decessores nostri, Papebrochius et Sollerius Acta duorum sanctorum Engolismensium, S. Ausonii episcopi* (9), *S. Eparchii inclusi* (10), *atque etiam S. Salvii* (11), *qui et ipse, juxta non paucos, episcopus Engolismensium fuit , commentariis auxerunt : quorum vestigiis collega meus Josephus Van Hecke* (12), *illustrans gesta utriusque Roricii, episcoporum Lemovicensium, institit. Quibus nunc subjungendus est S.* Aptonius, *sæculo* VI *illic episcopus, licet Papebrochius* (13), *nescio qua mentis avocatione, scripserit beatum hunc virum cælitibus numquam fuisse annumeratum, seu veneratione ecclesiastica nuspiam cultum fuisse. Ut enim a martyrologiis exordiar, legitur ejus nomen, recentiori manu additum, in codice Martyrologii Adonis, scripto sæculo* XII (14), *empto dein a regina Sueciæ et in bibliothecam Vaticanam delato; ubi num.* 512 *signatus est. Hæc illic ad præsentem diem venerabilis viri annuntiatio :* Eodem die sancti Abtonii episcopi et confessoris; *similiter in supplemento Martyrologii universalis Castellani:* Engolismæ, S. Aptonus Episcopus ; *non secus* E *in Catalogo sanctorum ac sanctarum Simonis de Peyronnet:* Apto, Aptonus, episcopus Engolismensis, Angoulême, in Gallia, 26 octobris ; *in Martyrologio autem Parisiensi anni* 1752 : Encolismæ sancti Aptonii episcopi, qui quinto concilio Aurelianensi subscripsit ; *atque uno anno ante in Antidissidorensi, edito ab episcopo hujus urbis Carolo de Caylus:* Ecolismæ, sancti Aptonii episcopi, qui concilio Aurelianensi cum beato Eleutherio Antissidorensi interfuit; *quibus præivit Saussayus in Martyrologii Gallicani supplemento :* « Ipso die, *inquiens,* inventio sancti Aptoni, episcopi Engolismensis, fratris et successoris sancti Ausonii, primi illius sedis antistitis. Post quem novo splendore huic populo effulgens, inter infidelitatis tenebras et persecutionis turbines, fidei lumen multorum in cordibus accendit, accensumque admodum dilatavit : ac demum dire ab impiis agitatus præclara concertatione ascendit ad gloriam. Hujus natalis a majoribus digno honore observatus, dudum agebatur solemnis die 22 junii. *Verumtamen in monasterio* F *S. Eparchii Engolismensi, sive quod illic servabantur lipsana S.* Aptonii, *sive propter duorum sanctorum dum viverent commercium et societatem, jam pridem agebatur S.* Aptonii *natalis die* 26 *octobris cum officio duodecim lectionum, ut Simon Peyronnet, qui Eparchianum breviarium ob oculos habuit et quem paulo supra citabam, testis est. Quæ pristina religio non omnino cessavit; constat enim mihi ex pluribus Ordinibus divini recitandi Officii Missæque celebrandæ in diœcesi Engolismensi etiam nostris diebus ibi fieri festum ritu duplici die* 26 *octobris* S. Aptonii episcopi et confessoris. *Ex quibus monumentis historicis facile evincitur Papebrochii assertum imprudenti calamo excidisse.*

cujus nominis multiplex est forma.

3 *Ex his, quæ aliud agentes hactenus contu-*

(1) Sirmundns, Concilia Galliæ, tom. I ; Bouquet, Recueil, etc. tom. I, p. 123; Schelstraete, Antiquitates ecclesiæ, tom. I, p. 640 et 645; Guérard, Essai sur la division territoriale de la Gaule, p. 27. — (2) Schelstraete, op. cit., tom. I, p. 641. — (3) Apud Adrianum Valesium in Notitia Galliarum, p. 250. — (4) Otia imperialia, ap. Leibnitzium, Rer. Brunswicensium tom. I, p. 915. — (5) Gallia Christiana, tom. I, in initio; Description historique et géographique de la France. Paris, 1719, part. I, liv. II, p. 164. — (6) Epist. XV, Patrologia Migne, tom. XIX, col. 924. — (7) Notitia Galliarum, l. c. — (8) Essai sur la division territoriale, l. c. — (9) Acta SS., tom. V Maii, p. 131. — (10) Ibid., tom. I Julii, p. 109. — (11) Ibid., tom. V Junii, p. 196. — (12) Ibid., tom. VIII Oct., p. 59. — (13) Ibid., tom. V Maii, p. 132. — (14) Martyrologium Adonis, edit. Georgii, p. IX et 546.

limus,

AUCTORE R. D. B.

limus, intelligere lector potuit non una forma ad nos pervenisse S. Aptonii *nomen; et quidem alii* (1) *scripserunt* Aphtonium *vel* Abtonium (2); *alii* Aptonium (3) *vel etiam* Aptonum (4); *neque* (5) *defuerunt qui dixerint* Antonium; *quod insolitum plane eis esset* Aptonii *seu* Aphthonii *nomen, seu quasi duplex esset unius nominis species. Ast quantum hi a vero aberrent, ex hoc patet quod* Aphthonius *est nomen græcum,* Antonius *vero latinum : dein quod* Aphthonii *appellatio non fuit adeo rara apud Græcos; a quibus ad Syros et Latinos transiit. Ita Aphthonium sophistam græcum pluribus ante Christum sæculis scripsisse libros referunt ex Suida* (6), *Fabricius* (7) *et Pape* (8); *postmodum Aphthonii nomen fuit episcopo Heracleæ Cariæ* (9), *qui interfuit concilio Ephesino; et lectori, qui a Patribus concilii Constantinopolitani sub Menna in actione* v *auditus fuit contra Petrum Apameensem episcopum* (10); *necnon et abbati monasterii S. Publii in Syria* (11). *Fuerunt et duo Aptonii* (12) *martyres in Hispania. Quod vero* Aptonius, non Aphthonius a me *scriptus est, hæc est ratio. Re quidem vera genuina nominis forma*

B Aphthonius *est, id est* vir sine invidia; *eaque servanda foret, si græce scriberetur. Sed quum consonantium aspirationem lingua latina refugiat adeoque* majores, *teste Cicerone* (13), *ita* locuti sint, *ut* nusquam, nisi in vocali aspiratione uterentur, *præplacuit mihi latine scribenti a communi usu latinorum non recedere.*

Engolismensium creatus episcopus circa annum 542,

4 *Acta* S. Aptonii, *si umquam fuere scripta, quantum scio, deperdita sunt, vel saltem hucusque non venerunt in publicam lucem; quamobrem nil mirum, si officium* S. Aptonii *sit ex integro de communi confessorum Pontificum. Verumtamen melior ejus est conditio quam multorum aliorum cælitum, quorum vita a coævis scriptoribus ad nos usque propagata non est; quin etiam plura ejus gesta nequaquam in dubium revocari possunt, quippe quæ aliunde prorsus manifesta sint. Ex Vita scilicet S. Eparchii constat S.* Aptonium *episcopatum auspicatum non esse ante annum* 441, *quum hocce anno ejus decessor Lupicinus per alium concilio Aurelianensi interfuerit* (14); *neque post annum* 542, *cum eo anno jam episcopus præfuerit S. Eparchii inclusioni, quemadmodum post Ruinartium probat*

C *decessor noster Sollerius* (15). *Atque Deus usus est S.* Aptonio, *tum quo præclariores triumphos referret S. Eparchius in palæstra virtutis, tum quo facilius in diœcesim Engolismensem introduceretur vita monastica, quæ ad hæc usque tempora ibi videtur parum fuisse usurpata. Quanta itaque per Dei misericordiam debuerit venerabili episcopo sanctissimus monachus, jam exponamus. Legitur hic in suis Actis sæculi fugisse illecebras et honores, vitamque monasticam amplexus esse in monasterio Sedaciano in tractu Lemovicensi, unde erat oriundus: postea, ut magis soli Deo viveret, venisse Engolismam.*

includit S. Eparchium,

5 *Quibus declaratis, pergit dein biographus in hæc verba :* Cum igitur (S. Eparchius) loca D singula peragraret, secretius voluit pertransire; agnitus a civibus, indicatus est Aphtonio, ipsius urbis antistiti; de quo jam inter auras fama volitaverat: at ipse, per semetipsum plenius recognoscens, gavisus factus, eum cum magna exultatione suscepit, et cum causam ejus devotionis sollicitus intellexit, ire eum longius non permisit; sed cum magno cordis amore secum adstrinxit atque locum, quem desiderabat, tamquam eremi solitudinem, desertum ostendit: quo viso, vir beatus non tantum loquebatur ex ore, quantum ex corde gaudebat, eo quod remotus locus esset, et civitas procul, et desuper latere montis fons aquæ fluens manaret, et Carantonis fluvius ab alio excluderet latere. Postquam vero exul cœpit esse a solo proprio et valde nimium fuit in civitate detentus, noluit absque nutu sui pontificis vel abbatis debere recludi : sicque vir Domini Apthonius episcopus cum missis suis, id est Frontonium archipresbyterum, qui postea episcopatus meruit dignitatem, Arthemium diaconum, virum per omnia Christi famulum, at item Arthemium defensorem ad E Sebaudem * episcopum vel ad suum abbatem ad pacem percipiendam vel obtinendum quod voverat, destinavit : qui regressi vix tandem optime cuncta nunciant benigne permissa... *Quum ipse S.* Aptonius *inclusus non fuerit, non est hujus loci id institutum describere; de quo cæterum dixerunt complures, ex quibus Holstenius* (16) *et Raderus* (17) *maxime antiqua monumenta publico communicarunt. Id unum monebimus, inclusionis solemnitatem multis precibus, sacris ritibus et religione peragi fuisse solitam; quæ partim postea in leprosorum inclusione etiam fuerunt adhibita. Neque hoc unum beneficium S. Eparchio contulit S.* Aptonius, *ab hoc enim, ut etiam biographus testis est* (18), gradum presbyterii accepit.

* *alias* Sabaudem

subscribit concilio Aurelianensi V, cui interfuerunt multi episcopi, deinceps inter cælites relati;

6 *Non multo postquam hæc facta sunt, celebratum fuit in Gallia concilium Aurelianense V; qui locus electus fuerat, quia, cum hæc urbs in medio triplici regno esset sita, facilior erat ad eam ex variis provinciis accessus. Concilium autem illud convocaverat Childebertus, rex Parisiensis regni, (cujus ex tempore mortis Clodomeri Aurelia pars erat,) ut Marci antistitis Aurelianensis, a viris iniquis gravissimorum criminum accusati et in exilium missi, causam cognoscerent patres* (19), *ac etiam de rebus ad fidem et disciplinam spectantibus statuerent* (20). *Pronunciata de innocentia Marci sententia, patres Aurelianenses damnarunt errores Eutychetis et Nestorii, qui in Galliam irrepsisse videntur, siquidem non ita pridem S. Avitus eos, Gondebaldo rege rogante, in pluribus epistolis refutaverat* (21); *dein plures canones disciplinares ediderunt. Quibus S.* Aptonius *subscripsit hisce verbis :* Aphtonius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Ecolismensis subscripsi. *Cum*

F

(1) Vita S. Eparchii, in Actis SS , tom. I Julii, p. 112. — (2) Cfr Auctarium Martyrologii Adonis, p. 547. — (3) Historia comitum et episcoporum Engolismensium, ap. Labbe, Bibl. mss., t. II, p. 249. — (4) Saussayus, Martyrologii Gallicani supplem. — (5) Collectio Conciliorum, tom. V, col. 400. — (6) Lexicon Græce et Latine, Halis et Brunsvigæ, edit. 1852, tom. I, ad verbum Ἄφθόνιος. — (7) Bibliotheca Græca, Hamburgi, 1798, p. 94. — (8) Wörterbuch der Griechischen Eigennamen. Braunschweig, 1842. — (9) Labbe, Collectio Conciliorum, tom. III, col. 480, 537, 691. — (10) Ibid., tom. V, col. 242. — (11) Acta SS., tom. IV Maii, p. 642 et 649. — (12) Ibid., tom. V Maii, p. 148. — (13) In Orat. cap. XLVIII. — (14) Labbe, Collectio Concil., t. V, col. 389. — (15) Acta SS. t. I Jul., p. 111. — (16) Regula Grimlacii in Codice Regularum, t. II, p. 291. — (17) Bavaria sacra, vol. III, p. 117. — Viridarium sanctorum, pars III. — (18) Acta SS., t. I Julii, p. 112. — (19) Gregorius Turon., Vitæ Patrum, c. 6, n. 5, apud Migne, Patrol., t. LXXI, col. 1032. — (20) Labbe, Collectio Conc., t. V, col. 391. — (21) Gregorius Turon., Historia Francorum, l. II, c. XXXIV, ap. D. Bouquet, t. II, p. 197.

S. Aptonio

AUCTORE R. D. B.

A S. Aptonio *subscripserunt quinquaginta episcopi, atque nomine suorum episcoporum absentium presbyteri decem, archidiaconi sex, diaconi tres, et abbates duo* (1). *Verum hæc hominum Deum timentium pia erat congregatio, ut, præter S.* Aptonium, *plures ex eis deinceps inter sanctos relati fuerint. Quorum hæc sunt nomina : S. Sacerdos Lugdunensis* (2), *S. Aurelianus Arelatensis* (3), *S. Hesychius Viennensis* (4), *S. Nicetus Trevirensis* (5), *S. Desideratus Bituricensis* (6), *S. Aspasius Elusanus* (7), *S. Firminus Usetiensis* (8), *S. Agricola Cabillonensis* (9), *S. Gallus Arvernensis* (10), *S. Eleutherius Antissiodorensis* (11), *S. Nectarius Augustodunensis* (12), *S. Auregius Nivernensis* (13), *S. Domitianus Tungrensis* (14), *S. Leubinus Carnotensis* (15), *S. Lauto Constantiensis* (16), *S. Tetricus Lingonensis* (17); *dein qui per deputatos concilio interfuerunt S. Genebaudus Laudunensis* (18), *S. Leontius Burdigalensis* (19), *et S. Gallicanus Ebredunensis* (20).

quod nationale fuit

7 *Licet hæc nomina minima dumtaxat sint pars, quum tamen ad diversissimas regiones pertineant, non potest lector non suspicari con-*
B *cilium illud nationale fuisse : et quidem hæc ejus erat indoles et natura. Nam Aureliam venerant episcopi ex provinciis Lugdunensibus prima et secunda; ex Belgica prima; ex Sequanica maxima; ex Aquitanicis prima et secunda; ex Alpibus Grajis et Maritimis; ex Novempopulana, Viennensi et Narbonensi secunda; id est, ex omnibus provinciis regnorum Austrasiæ, Parisiensis et Suessionensis; quæ tunc omnes comprehendebant ditiones, Rhenum inter, Alpes, Pyrenæos, Oceanum et mare Mediterraneum jacentes; modo excipias Septimaniam, Visigothis subjectam, et tractum Armoricæ, occupatum a Brittonibus.*

atque anno 549 celebratum est.

8 *Hujus autem loci non est immorari inquisitioni anni celebrationis concilii illius, cui primus, qua præses, subscripsit S. Sacerdos, episcopus Lugdunensis, hacce formula :* In Christi nomine Sacerdos episcopus Lugdunensis constitutionem nostram relegi et subscripsi. Notavi sub die v kalendas novembris, anno xxxviii regni domni nostri Childeberti regis, indictione xiii (21). *Sufficit sibi in memoriam revocare omnes codices, quos manibus versatus est*
C *Sirmundus* (22), *eamdem habere indictionem, quamvis alii ferant annum trigesimum septimum regni Childeberti, alii annum trigesimum octavum; ac diem* v *kalendas novembris, indictione Constantinopolitana* xiii, *incidere in diem* 28 *mensis octobris anni* 549, *uti videre est apud Victorium Aquitanum in Cyclo Paschali* (23), *et apud Maurinos de arte Chronologica* (24). *Plura ad nos non pertinent; nisi vellemus nos duci in labyrinthum chronologicum de morte S. Martini et de parte stirpis Merovingicæ.*

Moritur beatus Aptonius *circa annum* 574.

9 *Quoniam rebus aliis S.* Aptonii *nomen immixtum non invenitur, nil superest nisi ut inquiratur quo anno beatissimus vir e vivis excesserit. Non eadem est omnium sententia : Papebrochius enim in Actis S. Ausonii* (25) *opinatur eum vita functum esse circa annum* 574; *Castellanus in Martyrologio Universali circa annum* 573, *cum contra in Martyrologiis Antissiodorensi et Parisiensi legatur obiisse circa annum* 567. *Verum arridet mihi magis Papebrochii sententia, utpote magis conformis narrationi scriptorum rerum Francicarum, qui nuspiam innuunt fuisse S.* Aptonio *alium successorem immediatum quam Maracharium seu Mererium; præterquam quod Adhemarus Cabannensis* (*cujus tamen, ut modo dicam, suffragium in referendis factis Carolo Martello anterioribus non est magni æstimandum*) *asserit apertis verbis S.* Aptonium *successorem nactum esse Mererium : at ille episcopatum auspicatus sit oportet anno* 575, *siquidem referat S. Gregorius Turonensis eum fuisse dire trucidatum sui sacerdotii anno septimo, qui cum anno quinto Childeberti concurrit et cum anno* 581 *æræ vulgaris* (26).

Non duo fuere Aptonii Engolismenses,

10 *Verum, quæ hucusque disputavimus, non omnium probantur calculo. Et quidem primo offendimus Dionysium Sammarthanum* (27) *et Richardum Ordinis Fratrum Prædicatorum* (28), *qui existimant contra Fratres Sammarthanos* (29), *duos extitisse* Aptonios, *episcopos Engolismenses, alterum tempore Clodovei, alterum tempore Childeberti, ac incertum esse uter fuerit sanctus. Innituntur vero his historiæ Comitum et Episcoporum Engolismensium verbis* (30) : Aptonius episcopus, qui capellanus Clodovei fuerat, assensu quoque ipsius regis episcopus consecratur. Prædictus siquidem rex, Engolismam obsidens, quam nefandissima gens Gothorum occupaverat, [atque] etiam pontificatum ipsius urbis sibi usurpaverat a tempore B. Ausonii, consilio prædicti capellani sacrosanctas reliquias sanguinis et aquæ contra muros extollere fecit, et statim muri corruerunt, captaque civitate, interfectisque Gothis et expulso ariano Gothorum episcopo, venerabilem capellanum suum Aptonium consecrare fecit, et in prædicta civitate constituit episcopum; et sacerdos sacras reliquias sanguinis et aquæ cathedrali ecclesiæ obtulit, in qua usque in
F præsens continentur, et maximo honore venerantur. *Atque dein cap.* iii *subjungit :* Ab isto S. Eparchius, Engolismensis patronus, ordinatur. Sepultus est autem in confinio urbis, in occidentali parte (31). *Atque hinc deducit Dionysius Sammarthanus* (32) *tempore Clodovei* Aptonium *quemdam fuisse episcopum; qui non possit non esse diversus ab* Aptonio *qui anno* 549 *concilio Aurelianensi subscripsit : certum nempe esse Clodoveum mortuum esse vel anno* 509 *vel anno* 511 (33), *ac etiam Eparchium non*

(1) Labbe, Collectio Conc., t. V, col. 397, 398, 399. — (2) Acta SS., t. IV Sept., p. 51. — (3) Ibid., t. III Junii, p. 108. — (4) Saussayus, Martyrologium Gallicanum, 12 Nov. p. 867. — (5) Acta SS. Ord. S. B. Sec. I, p. 191. — (6) Acta SS., t. II Maii, p. 303. — (7) Ibid, t. I Januarii, p. 90. — (8) Ibid., t. V Oct., p. 655. — (9) Ibid., t. I Mart., p. 514. — (10) Ibid., t. I Julii, p. 103. — (11) Ibid., t. IV Aug., p. 299. — (12) Ibid., t. IV Sept., p. 59. — (13) Ibid., t. IV Aug., p. 295. — (14) Ibid., t. II Maii, p. 146; vel Acta SS. Belgii, t. I, p. 249, et t. II, p. 162. — (15) Acta SS., t. II Martii, p. 349. — (16) Ibid., t. VI Sept., p. 458. — (17) Ibid., t. II Martii, p. 655. — (18) Ibid., t. II Sept., p. 557. — (19) Ibid., t. IV Aug., p. 442. — (20) Gallia Christiana, t. III, col. 1061. — Mi-gne, Dictionnaire hagiologique, col. 1154. — (21) Labbe, Collectio Concil., t. V, col. 399. — (22) Ibid., col. 397. — (23) Bucherius, de doctrina Temporum, p. 68, 69. — (24) Art de vérifier les dates, t. I, p. 11. — (25) Acta SS., t. V Maii, p. 132. — (26) Historia Francorum, lib. V, c. 37, ap. D. Bouquet, t. II, p. 254. — (27) Gallia Christiana, tom. II, col. 978. — (28) Bibliothèque sacrée, tom. XXVIII. Paris, 1827. — (29) Gallia Christiana secunda, tom. II, p. 578. — (30) Labbe, Bibliotheca Manuscriptorum, tom. II, p. 249. — (31) Ibid. — (32) Gallia Christiana, l. c. — (33) Acta SS., tom. I Febr., p. 217. — Acta SS. Belgii, tom. I, p. 275 et seqq. — Sulpicii Severi Opera studio Hieronymi de Prato Veronensis, tom. I, dissert. II.

ante

AUCTORE R. D. B.

ante annum 542 (1) *ad presbyteratum a* S. Aptonio *fuisse promotum* (2); *unde evidens esse duos fuisse Aptonios, ab se invicem divisos, interposito Lupicino: accedere auctoritatem Adhemari Cabannensis, scriptoris sæculi* XI, *ex quo locus ille Historiæ comitum et episcoporum Engolismensium desumptus sit. Et quidem Adhemarus in libris suis historicis hæc scripsit:* « In ipsa civitate (*Engolisma*) consecrare fecit (*Clodoveus*) in episcopatu venerabilem virum Aptonium, capellanum suum, expulso primo episcopo ariano Gothorum de eadem civitate.

ut ex Adhemaro Cabannensi, ex historico comitum et episcoporum Engolismensium aliisque argumentis nonnulli ostendere conati sunt.

11 *Sed neque Adhemarus Cabannensis, neque historicus comitum et episcoporum Engolismensium satis auctoritatis habent, ut id evincant. Imprimis inter antiquiores nemo unus, neque etiam Adhemarus et socius ejus Engolismensis duos noverunt Aptonios; dein miraculum, quale Aptonio tribuitur ab historico Comitumet Episcoporum Engolismensium, non narratur a S. Gregorio Turonensi, neque ab ipso Adhemaro dicitur ad ejus preces, vel in talibus adjunctis patratum: demum una est omnium sententia histori-*
B *cum comitum Engolismensium et Adhemarum Cabannensem, qui illi passim præluxit, in rebus antiquis continuo vacillare. Et quidem conqueritur Waitz, editor Historiæ Francorum Adhemari Cabannensis apud Pertz* (3), *hujus scriptoris opera multoties fuisse interpolata, atque aliquando eum ipsum, cum deessent monumenta historica, adjecisse quæ a parentibus vel a senioribus monachis audiverat: atque hac ratione explicatur v. g., quomodo ille scripserit S. Germanum Parisiensem ex mandato regis Cariberti consecrasse, præsente S. Gregorio Turonensi, basilicam S. Eparchii Engolismensis, non attendens Caribertum* (4) *diem obiisse pluribus annis antequam S. Gregorius* (5) *ad regimen ecclesiæ Turonensis evcheretur. Propter hæc aliaque sphalmata graves viri* (6) *non ita magni faciunt hanc partem historiæ Adhemari, quæ tempora Caroli Martelli antecedit.* D

12 *Affirmat Saussayus in Martyrologio Gallicano S.* Aptonium *fuisse martyrem atque fratrem et successorem sancti Ausonii, primi episcopi Engolismensis: ast immerito: obstat ecclesiæ Engolismensis ad hos usque dies continuata traditio, uti testis est Ordo divini recitandi Officii Missæque celebrandæ, ubi S.* Aptonius *inter confessores adscribitur; dein non novi ullum historicum monumentum antiquum, præter Historiam comitum et episcoporum Engolismensium, (cui de hoc ævo fides anhibenda non est,) in quo legatur S.* Aptonius *sanguinem pro veritate christiana fudisse, vel quidquam pro ea in corpore esse passum. Eamdem ob causam rejiciendum est S.* Aptonium *fuisse fratrem et successorem sancti Ausonii, quod videtur desumptum ex legenda apocrypha hujus sancti* (7) *atque caret probabilitate; præterquam quod* E *S.* Aptonius *non ante annum* 541 *episcopus creatus fuit, inter eum et sanctum Ausonium sederunt Dynamius, coætaneus S. Exsuperii Tolosani* (8), *qui floruit sæculo* IV, *et Lupicinus, qui saltem ab anno* 511 *ad annum* 541, *rexit ecclesiam Engolismensem, uti constat ex conciliis Aurelianensibus I et V. Ex quibus quoque liquet dici non posse S.* Aptonium *fuisse fratrem S. Ausonii, etiamsi apud Clodoveum capellani munere functus esset. Atque hæc de S.* Aptonio.

S. Aptonius *non fuit martyr, neque frater et successor S. Ausonii.*

(1) Labbe, Collectio Conc., tom. IV, col. 1410, tom. V, col. 398. — (2) Acta SS., tom. I Julii, p. 111. — (3) Monumenta Germaniæ historica, tom. IV, p. 106. — (4) Gebhardi, Reges Francorum Merovingici, p. 58. — (5) Acta SS., tom. I Aug., p. 573. — Loebell, Gregor von Tours, p. 9. — (6) Rivet, Histoire littéraire de la France, tom VII, p. 303. — Waitz, l. c. — (7) Acta SS., tom. V Maii, p. 132. — (8) Historia Francorum, lib. II, cap. XIII, p. 168.

DE S. QUADRAGESIMO, SUBDIACONO,

CONFESSORE IN ITALIA,

C F

B. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. Non reperitur nomen S. Quadragesimi in fastis sacris ante Baronium. Num ejus corpus asservetur et festum celebretur Papiæ, prout affirmat P. Romualdus a sancta Maria. Tempus quo floruit Vir sanctus.

INCLINANTE SÆC VI.

S. Quadragesimus *martyrologio primum insertus a Baronio.*

Ante correctum, circa finem sæculi XVI, *Romanum martyrologium, nulla in fastis sacris occurrebat S.* Quadragesimi *memoria nec hac die nec quavis altera; ut apparet ex Galesinio et Maurolyco, qui non ita pridem sua concinnaverant martyrologia. Uterque de S.* Quadragesimo *silent; similiter Petrus de Natalibus; sicut et antiquiores: Beda, Florus, Ado, Usuardus non solum purus, sed nec innumeris apud Sollerium auctariis locupletatus; item Rhabanus Maurus. Silent pariter Hieronymiana. Unde autem et qua de causa sanctus Subdiaconus Romano inscriptus fuerit, paucis explicandum. Notum est, jussu Gregorii papæ XIII, octo viros commissos fuisse (passim vocantur correctores Romani) ut martyrologium* ad novam kalendarii rationem et ecclesiasticæ historiæ veritatem restituerent. *Monet vero Castellanus* (1), *eos, suadente Baronio, plures adoptasse sanctos, quibus nullus umquam nec uspiam cultus fuerat,* quales sunt multi solitarii Italiæ, quorum meminit S. Gregorius in libris Dialogorum;

(1) Martyrologe universel. Paris, 1709. *Avertissement.*

quibus

A quibus censuerunt se pro arbitrio posse assignare diem, prout nomina solent affigi sanctorum reliquiis, quæ in Romanis cœmeteriis seu catacumbis reperiuntur. *Horum de numero S.* Quadragesimus *est, ejusque nomen legitur in editione anni* 1583, *cujus exemplar mihi præ manibus; quam deinde suppressam nos docet Baronius in Prolegomenis* (1): Monendum, *ait*, putamus Romani martyrologii triplicem hactenus (*ita scribebat eruditus cardinalis circa annum* 1586) in Urbe esse factam editionem; ejusque primam et secundam esse mendosam, nec satis dignam, quæ iterum prælo tradatur; quod cujus culpa acciderit, libentius silentio præterimus. Tertia editio purior est atque sincerior, facta anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quarto. *Hanc paulo post* notationibus *illustratam recudendam curavit idem Baronius. Atque tum in hac tum in illa, recurrit* XXVI *Octobris S.* Quadragesimus. *Et ne dubium sit, unde assumptus fuerit, subdidit Baronius in Notis :* De ejus sanctitate et miraculis scribit S. Gregorius papa Dialog. lib. 3, c. 17. *Nec alium ullum signat auctorem seu fon-*
B *tem. Quod utique indicium, beatum Subdiaconum ex solis sancti pontificis innotuisse dialogis; non vero ex tabulis cujusvis ecclesiæ, aut alio monumento quocumque. His porro verbis annuntiatio concepta est :* Item sancti Quadragesimi subdiaconi, qui et mortuum resuscitavit. *Cum vero ante S.* Quadragesimum *signetur :* Papiæ *S. Fulcus episcopus, utique videtur voce* item *eadem indicari civitas. Iisdem utitur verbis* (*sed gallice redditis*) *Castellanus, addens in margine* et pastoris ovium, *monensque* nullum ex traditione haberi indicium cultus. *Atque hæc fortassis ratio est, cur Ferrarius in catalogo sanctorum Italiæ, sanctum Subdiaconum prætermiserit. Putem mendum irrepsisse in* catalogum *Simonis de Peyronet, ubi S.* Quadragesimus *adscribitur diei* 27 *octobris* (2).

Traditur ejus corpus quiescere Papiæ;

2 *Dixi S.* Quadragesimum *annuntiare videri* Papiæ *a Baronio. Quo ex fonte, non mihi liquet: an ex fama seu rumore vulgari? Fortassis, sed dicendo non sum. An ex scriptis monumentis? Non equidem putem : recentioris enim ævi est liber P. Romualdi, in quo traditur et corpus*
C *S. Viri Papiæ quiescere et nomen ejus inscriptum tabulis ecclesiæ Ticinensis; nec proinde potuit Baronius præfato ex libro assertum suum, si tamen assertum, depromere. Sed juverit ipsum audire P. Romualdum a S. Maria, de familia Excalceatorum S. Augustini, qui in opere,* Flavia Papia sacra *inscripto et* quatuor in partes discriminato *multis agit de S.* Quadragesimo. *Parte prima continetur* Agiologium Ticinense (*Papia antiquitus Ticinum vocabatur*), sanctorum scilicet, sacra quorum corpora in ecclesiis urbis Papiæ asservantur (3); *et signantur* per singulos menses natalitia occurentia Sanctorum Ticini quiescentium, sub suo quoque die... ubi et ecclesiæ in quibus conduntur, enumerantur (4). *Itaque sub die* XXVI *Octobris annuntiatur :* In ecclesia cathedrali natalis... S. Quadragesimi subdiaconi, qui et mortuum suscitavit. *Additur infra :* De eo Baronius in martyrologio et annotatione hac die. Div. Gregorius PP. lib. 3. Dialog., c. 17. *Rursus Parte secunda, cui titulus :* Breves sanctorum Ticini quiescentium historiæ, *digestæ, sicut in parte prima, per menses et dies. In hac primum, mutatis hinc inde verbis, recitatur locus ex S. Gregorio, quem nos Commentario subjiciemus integrum et accuratum; dein de suo addit P. Romualdus :* Tanti igitur meriti cum esset Quadragesimus, divinis tandem charismatibus cumulatus supremum diem mortalitatis suæ clausit, ad superos evocatus septimo Kal. Novembris (26 *Octobris*), cujus natalis in tabulis ecclesiasticis hac ipsa die Ticini celebrandus adnotatur. *Non dicit P. Romualdus unde diem emortualem, tam distincte assertum, noverit; nec etiam quo ex tempore sit S.* Quadragesimus *in laudatis* tabulis adnotatus.

AUCTORE B. B.

3 *Non dubitem id factum post editum annotatumque a Baronio martyrologium Romanum : nam ipse, ut vidimus numero præc., nullatenus invocat tabulas Ticinenses, sed solum S. Gregorium; cum tamen diserte illas laudet, ubi agit, de S. Fulco, cui proximum subjungit S.* Quadragesimum; *hoc modo :* Papiæ S. Fulci episcopi. Item sancti Quadragesimi *etc. Insuper* E *Jacobus Gualla in* Sanctuario *nullam prorsus mentionem habet de sancto Subdiacono, cum tamen propositum illi esset, sicut postea P. Romualdo fuit, de Sanctis Papiæ quiescentibus et invocatis, accurate tractare... Guallæ Sanctuarium in lucem prodiit Papiæ, prioribus typis* magistri Jacob de Burgofrancho *anno* 1505; *recusum deinde alteris fuit eadem in urbe anno* 1587, *ac proinde paulo post editum a Baronio Romanum. Utriusque editionis exemplar habemus; in utroque altum de S.* Quadragesimo *silentium. Ex quibus, mea opinione, liquido efficitur, Baronium nihil a Ticinensibus mutuatum; sed hos potius ab illo accepisse festum S.* Quadragesimi. *Insuper ex dictis nostris sequitur valde infirma esse, quæ P. Romualdus tradit præter illa, quæ ex S. Gregorii Dialogis una cum Baronio deprompsit. Quod autem P. Romualdus asserat, S.* Quadragesimum *tabulis ecclesiasticis (utique recentioris ævi) inscriptum reperiri; fides penes illum rursus sit; cum hujusmodi tabulæ mihi ad manum non sint; imo nunc saltem suppressum sancti Subdiaconi nomen (si umquam inscriptum) demonstratur, ex* Kalendario sive F ordine divini officii recitandi ad usum civitatis et diœcesis Ticinensis... pro anno MDCCCXLVII *ubi die* XXVI *Octobris legimus :* S. Fulci Ep. Papiæ dup...,. 9 lect. et com. S. Evaristi in L et M. « Sacerdotes » in cathedrali « Credo » quia asservatur corpus. *Ast S.* Quadragesimi *nulla memoria nec hoc nec alio anni die. Solet in hoc Kalendario diligenter annotari, si quæ corpora Sanctorum vel insignes reliquiæ in civitatis una vel alia ecclesia reperiantur. Cum nec de festo nec de reliquiis imo nec de nomine S.* Quadragesimi *in præfato ordine ne vel minimum habeatur verbum; haud parum ex hoc silentio labefactantur placita vel asserta P. Romualdi. Cæterum non putem aliud reperiri in Kalendariis Papiensibus, ante vel post annum* 1847 *editis, quod solum apud nos existit.*

sed, ut videtur, perperam.

4 *Cum scribat S. Gregorius* suis modo temporibus *contigisse quæ de S.* Quadragesimo *narrat*

Tempus quo vixit Vir sanctus.

(1) Martyrologium Romanum, p. xx. Antverpiæ, 1613. — (2) Catalogus Sanctorum et Sanctarum. Tolosæ, 1706. — (3) Papia Sacra, part. I, p. 25. Ticini Regii, 1699. — (4) Ibid., p. 10.

AUCTORE B. B.

narrat et ab ipso sancto Subdiacono audierat, concludere licet sanctum Virum floruisse sæculo sexto : natus enim Gregorius circa annum 540 (1), *obiit anno* 604 (2). *Scriptos Dialogorum libros existimant editores Benedictini anno* 593 *vel* 594 (3). *Castellanus margini aponit sæc.* VI. *In exemplari martyrologii Romani, quod penes nos est, manuque decessoris nostri Heriberti Rosweydi annotatum, signatur annus* 570, *quem unde vir eruditus habuerit ignoramus.*

Acta ex Dialogis S. Gregorii Magni.

5 *Aliud non occurrit quod addamus de S.* Quadragesimo, *nisi ut narrationem S. Gregorii integram subjiciamus. Nec enim alius, quem sciam inter antiquos, imo ante Baronium, auctor est, ex quo sanctus Subdiaconus innotuerit posteritati. Utimur textu Benedictinorum, qui Opera sancti Pontificis ediderunt, et novis typis excusa in Patrologia Migniana. Observant editores Dialogos, statim ac in lucem venerunt,* toto orbe christiano summa gratulatione exceptos, *atque ex latino plures in linguas conversos. Celebrior inter alias est græca versio, quam propterea primævo textui junxerunt; nos autem prætermittimus, soliti a Græcis abstinere, nisi hactenus*
B *inedita sint, vel saltem non facile reperiunda. Cæterum pauca sunt, quæ Gregorius de S.* Quadragesimo *narrat; plura habet de monacho, qui apud sanctum Subdiaconum divertebat, cui etiam longe potiores partes defert in prodigio. Unde, ut in Annotatis fusius reddam, Baronius perperam annuntiat S.* Quadragesimum qui et mortuum resuscitavit, *cum suscitationem hanc S. Gregorius præfato monacho diserte adscribat. Quin imo non deerunt qui dubitent, an vere mortuus vir ille esset,* qui cum diutius fricaretur, animam recepit, oscitavit *etc. Utut est, in memoriam revocemus, quæ Petrus Gussanvillæus in* Vindiciis *generatim proposuit.* De historiis, *inquit* (4), quæ in Dialogis continentur, nihil est quod dicam, nisi quod Gregorius eas referendo prout ab aliis didicerat, fidem suam liberavit. Paucæ enim sunt, quas ipse se vidisse aut quibus interfuisse dixerit. Fecit quod plurimi sanctorum patrum fecerunt in multis historiis, quæ utique incredibiles videbuntur, si ad rationis humanæ trutinam expendantur,... standum putavit rumoribus publicis *etc.*

C

ACTA S. QUADRAGESIMI,

SUBDIACONI,

Ex S. Gregorio Magno. Dialogorum, libro III, *cap.* 17.

Opera S. Gregorii, edit. Benedictin. Paris. tom. II, col. 319-21. *Item Patrol. Migniana, tom. LXXVII, col.* 261-65.

De monacho ex Monte Argentario, qui mortuum suscitavit *a*. Nostris modo temporibus *b* quidam vir, Quadragesimus nomine Buxentinæ *c* ecclesiæ subdiaconus fuit, qui ovium suarum gregem pascere *d* in ejusdem Aureliæ *e* partibus solebat. Cujus valde veracis D Viri *f* narratione res mira innotuit, quæ secreto fuerat gesta. Is namque, ut prædiximus, dum gregis sui in Aurelia curam gereret, in diebus ejusdem vir fuit e Monte, qui Argentarius *g* vocatur, venerabilis vitæ, qui habitum monachi, quem prætendebat specie, moribus explebat. Hic itaque ad ecclesiam beati Petri apostolorum principis ab eodem Monte Argentario annis singulis venire consueverat, atque ad hunc, quem prædixi, Quadragesimum subdiaconum, sicut ipse narravit *h*, hospitalitatis gratia declinabat. Quadam vero die dum ejus hospitium, quod non longe ab ecclesia aberat, intrasset, cujusdam pauperculæ mulieris maritus juxta defunctus est. Quem ex more lotum, vestimentis indutum et sabano *i* constrictum, superveniente vespere sepelire nequiverunt. Igitur juxta defuncti corpus viduata mulier sedit, quæ in magnis fletibus noctem ducens, continuis lamentorum vocibus satisfaciebat dolori. Cumque hoc diutius fieret et flere mulier nullo modo cessaret, vir Dei qui receptus hospitio fuerat, Quadragesimo subdiacono compunctus ait : Dolori hujus mulieris E anima mea compatitur; rogo, surge et oremus. Perrexerunt ergo utrique ad vicinam ecclesiam, seseque pariter in orationem dederunt. Cumque diutius orassent, complere orationem Quadragesimum subdiaconum servus Dei petiit *k*. Qua completa ab altaris crepidine pulverem collegit, atque cum eodem Quadragesimo ad defuncti corpus accessit, seseque ibidem in orationem dedit statimque surrexit. Et quia manu dextera collectum pulverem gestabat, sinistra pallium quo facies defuncti velabatur, abstulit. Quod cum mulier fieri cerneret, contradicere vehementer cœpit et mirari quid vellet facere. Ablato itaque pallio, diu eo quem collegerat pulvere, defuncti faciem fricavit. Qui cum diutius fricaretur *l*, recepit animam, oscitavit, oculos aperuit, seseque elevans resedit, quid erga se ageretur miratus est ac si de gravissimo somno fuisset excitatus. Quod cum mulier lamentis fatigata conspiceret, cœpit ex gaudio magis flere et voces amplius edere. Quam vir Domini modesta prohibitione compescuit dicens : Tace, F tace : sed si quis vos requisiverit qualiter factum sit, hoc solummodo dicite : Quia Dominus Jesus Christus opera sua fecit. Dixit hoc, atque ab ejus hospitio exivit. Quadragesimum subdiaconum protinus reliquit et in loco eodem ultra non apparuit. Temporalem namque honorem fugiens, egit ut ab his a quibus visus in tanta virtute fuerat, numquam jam in hac vita videretur.

a b c d *e f* *g* *h* *i* *k* *l*

ANNOTATA.

a *Ex hoc titulo, patet miraculum suscitati mortui, tribuendum, non* S. Quadragesimo, *sed hospiti suo monacho. Editores Benedictini titulos ipsi S. Gregorio adscribendos censent :* Argumenta, *inquiunt* (5), seu capitum titulos retinuimus, quod in mss. fere omnibus legantur, atque ab ipsomet Gregorio prodiisse jure credantur. *Cæterum idem luculenter efficitur ex*

(1) Acta SS., tom. III Martii, p. 123. — (2) Art de vérifier les Dates, p. 257-59. — (3) Migne, Patrologia lat., t. LXXVII, col. 143. — (4) Ibid., col. 133 et 134. — (5) Migne, tom. LXXVII, col. 143.

narrationis

A *narrationis totius serie. Concordat græca versio, a Zacharia papa adornata:* Περὶ τοῦ ἐλθόντος μοναχοῦ ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ Ἀργενταρίου καὶ νεκρὸν ἐγείραντος. *Idcirco monuimus Comm. præv. n.* 5. *perperam S.* Quadragesimo *tribui prodigium a Baronio aliisque post eum.*

b *Vide Comment. præv., n.* 4, *ubi diximus ex verbis:* Nostris modo temporibus, *probabile esse S.* Quadragesimum *sæculo* VI *inclinante floruisse.*

c *Observant in hunc locum Benedictini : Mss. (codices)* fere omnes « Baxentinæ. » Legendum tamen « Buxentinæ. » Apud Plinium leguntur Buxentini populi. Buxentum olim urbs episcopalis : nunc castrum in Lucania, vulgo « Pisciota ». Aliis tamen est « Polycastrum ». A « Buxo », cujus hic magna copia, nomen habuisse creditur. *Inter omnes convenit, Buxentum, a multis jam sæculis excisum, fuisse oppidum Lucaniæ, cui nostro ævo respondent in regno Neapolitano, Basilicata, pars maxima Principatus citerioris et pars Calabriæ item citerioris. Id quoque certum urbem haud procul a Palinuro promontorio sitam :* Proximum au-
B tem huic (*Palinuro*), flumen Melpes : oppidum Buxentum, græce Pyxus, Laiis amnis. *Verba sunt Plinii* (1), *quæ mihi aptius convenire videntur cum situ urbis Policastri, ruderibus proinde antiqui Buxenti impositæ. Unde etiam Orlendius* (2) : Baudrand satius putat, Buxentum... esse Policastrum, quindecim milliaribus Italicis a « capo Pisciota » in ortum distans: quæ nunc recepta magis videtur sententia. *Et paulo superius* : Policastrum vulgo « Policastro, » quæ nonnullis etiam Palæocastrum, urbecula est Lucaniæ, nunc Principatus citerioris, in ora sinus Lai hodie « Golfo de Policastro » ab ea dicti, sita, a Salerno metropoli 55 mil. pas. in eurum; 17 a promontorio Palinuri in ortum recedens; 8 circiter Basilicatæ confinia versus. Ejus ruinæ amplissimam quondam fuisse civitatem indicant. *Communior itaque sententia est, Policastrum substitutum Buxento, nec solum eo sensu, quod cathedra Buxentina a multis jam sæculis Policastri constituta sit, sed etiam quod ex prioris ruinis posterior civitas emerserit. Hanc diserte tenet opinionem Cellarius* (3); *et Justinianus vix non absurdam dicit sententiam*
C *eorum, qui Pisciotæ quærunt vestigia antiqui Buxenti* (4). *Nec tamen prætermittendum ex Sprunneri tabulis aliud effici* (5); *inter quas quatuor sunt ad Italiam præsertim medii ævi spectantes. Prima regionem illam exhibet sub regibus Langobardorum, seu a sæculo* IX *ad sæculum* XI. *In hac signantur* Buxentum *circa summum promontorium Palinurum, et juxta, paulisper occiduum versus,* Piscinula; *in imo autem sinu ponitur* Policastrum, *in orientem sexdecim præter propter milliaribus Italicis Buxento dissitum. In secunda tabula, qua Italia delineatur sub imperatoribus Saxonicis et Francicis, loco Buxenti reperitur* Melpi; *suppressa* Piscinula *est; servatur* Policastrum, *eodem quo primum situ. In tertia (ubi status Italiæ ab anno* 1270 *ad annum* 1450) *solum recurrit* Policastrum; *sicut et in quarta (ab anno* 1450 *ad annum* 1792.) *Itaque ex Sprunneri mappis evidens est Policastrum procul esse ab exciso Buxento; et insuper utramque civitatem aliquamdiu simul exstitisse. Unde Cellarius, adversæ sententiæ patronus, in tabula Italiæ sub Augusto, Buxentum collocat, non circa summum Palinuri promontorium, sed in imo fere sinu, ubi nunc, omnibus consentientibus, cernitur Policastrum. Cæterum Buxenti sedem fuisse episcopalem tempore S. Gregorii Magni, constat ex subscriptionibus concilii Romani V sub Symmacho papa anno circiter* 503, *et concilii Lateranensis sub Martino I anno* 649; *priori subscripsit* Rusticus Buxentinus (6); *posteriori* Sabbatius episcopus sanctæ Buxensis ecclesiæ (7). *Confer Ughellum in episcopatibus antiquitatis* (8) *et de episcopis Policastrensibus* (9); *item Orlendium loco supra citato.*

AUCTORE B. B.

d *Hinc apud Castellanum annuntiatur* subdiaconus *et* pastor ovium.

e Ejusdem Aureliæ. *Vox* ejusdem *naturali sensu refertur ad præcedens nomen. Ast nec in antecedenti capite nec in alio quovis Dialogorum loco mentio fit* Aureliæ. *Pronum itaque est inferre, Buxentum S. Gregorio in Aurelia situm.* E *Verum nuspiam apud Geographos sive antiquos sive recentes, quos magno numero consului, reperio partem aliquam Lucaniæ appellatam Aureliam. Teste Baudrando,* Aurelia porta et via urbis Romæ et locus est in Etruria. *Lamius in* sanctæ ecclesiæ Florentinæ monumentis, *de* via *agit, de loco silet.* Tres enim, *ait* (10), præ reliquis *celebres* erant in Etruria viæ stratæ : « Aurelia » quæ per maritima Etruriæ Pisas versus, vel ad illas; et ab Urbe per Lorium, Alsium, Pyrgos, Castrum novum, et centum cellas (*nunc Civita Vecchia*) transibat. *Ripetti* (11) *prolixe tractat de Via Aurelia, citatque ex Rutilii Itinerario versum* 39ᵐ : Postquam Tuscus ager, postquamque Aurelius agger; *id est via publica et militaris. Quod si admittatur locus præsertim a Baudrando signatus, huncque a S. Gregorio laudari, sequeretur S.* Quadragesimum *procul ab ecclesia Buxentina recessisse, ut oves suas pasceret. Nam extrema Etruria seu Thusciæ ora, duobus fere gradibus in austrum ab urbe Buxento remota erat. Vide infra lit.* g.

f Viri *scilicet ipsius S.* Quadragesimi, *ut infra apertius significatur.* F

g *Notant Benedictini :* Mons in Thuscia inter portum Herculis et Telamonis excurrens. Unde Rutelius :

« Funditur in medias Mons Argentarius undas. »

Hinc « Aureliam » in Thuscia fuisse conjicimus. *Conf. supra litt.* e. *Subdit Rutilius laudato hexametro pentametrum sequens :*

Ancipitique jugo cærula curva premit (12).

Additur in notis (13) : Mons Argentarius, chersonesus in mare excurrens. Promontorium Argenteum Strabo vocat, angusta cervice continenti adhærens, peninsulæ instar. Cervicis sive isthmi latera tangunt, hinc ab ortu solis Portus Herculis, illinc ab occasu stagnum ma-

(1) Hist. Nat., tom. I, p. 158. Edit. Harduini, in fol. — (2) Orbis sacer et profanus, tom. IV, p. 1733. — (3) Notitia Orbis, tom. I, p, 722. Edit. Schwarz, Lipsiæ, 1773. — (4) Dizionario geografico del regno di Napoli, t. VII. Edit. 1804. — (5) Sprunner's Hand-Atlas. — (6) Labbe, t. IV, col. 1368. — (7) Ibid., tom. VI, col. 363. — (8) Italia Sacra, tom. X, col. 32 et seq. — (9) Ibid., tom. VII, col. 542 et seqq. — (10) Tom. I, p. 22. — (11) Dizionario geog. della Toscana, tom. V, p. 709-713. — (12) Poetæ Latini minores, tom. IV, p. 123. Edit. Lemaire. Paris, 1825. — (13) Ibid.

rinum

AUCTORE B. B.

rinum, λιμνοθαλαττα Straboni. *Confer Cellarium* (1), *item Ripetti* (2). *Confer lit.* e.

h *Ex his liquido constat S. Gregorium ab ipso S.* Quadragesimo *accepisse quæ narrat, ut jam monuimus lit.* f.

i Sabanum *idem est ac* linteum. *Vid. Glossarium Cangii. Conf. notam* 326 *Hugonis Menardi in S. Gregorii Librum Sacramentorum* (3).

k Petiit-accessit *etc. Quæ verba singulari* D *numero posita, demonstrant primas potioresque partes in prodigio* Monacho *tribuendas; ut etiam tribuuntur ex titulo. Vide lit.* a.

l Qui cum diutius fricaretur ac si de gravissimo somno fuisset excitatus. *Hæc utique talia sunt, quæ non nemini dubium injiciant, an vir ille vere mortuus esset.* (*Conf. Comm. præv., n.* 5.)

(1) Notitia Orbis antiqui, tom. I, p. 576. — (2) Dizionario geografico della Toscana, voce *Talamone*, tom. V, p. 496 et seqq. Florentiæ, 1843. — (3) Migne, Patrologia lat., tom. LXXVIII, col. 346.

DE SS. DARIA ET DERBILIA,

VIRGINIBUS IN CONNACIA, HIBERNIÆ PROVINCIA,

V. D. B.

SYLLOGE.

B § unicus. Genus regale Fiachrii; commercium cum SS. Corbmaco et E Columba; loca cultus. S. Derbilia de Irros.

SECULO VI AUT VII. *Ex genere Fiachriorum sunt S.* Daria *et S.* Derbilia:

Sæculo v *atque etiam deinceps floruit in Hibernia, provincia Connacia* (Connaught), *familia nobilissima Hy Fiachriorum, olim potentior etiam et clarior; cujus historiam ex libris hibernicis collegit et in breve redegit compendium Philippus Mac Dermott* (1). Ex stirpe enim Fiachrii, qui fuit Eochadii Moimedonii regis Hiberniæ filius et hujus familiæ pater et conditor, duo universæ Hiberniæ et multi Connaciæ reges, et permulti viri sanctitatis laude conspicui prodierunt (2); *quorum sedecim recensentur in Menologio genealogico et duo alii adduntur ex aliis documentis a Colgano* (3). *Veniunt hos inter* S. Daria, quæ et Soidhealbh, *id est Pulcra*, filia Cathiri, filii Lugadhii, filii Sednæ, filii Amalgadii, filii Fiachrii, *et* S. Derbhilia, filia Cormaci, filii Brecchii, filii Eochadii, filii Davidis, filii Fiachrii; *quæ ambæ præsenti die annuntiantur in fastis Hibernicis.*

quarum prior visitata et benedicta fuit a S. Corbmaco

2 S. Dariæ *nempe nomen hac die signatum esse in Martyrologio Tamlactensi auctor est Colganus* (4); *sed neque in apographis nostris, neque in Matthæi Kelly editione* (5), *hodie occurrit; ita ut quæ in Mariani Gormani Martyrologio legerat immortalis hagiographus hibernus, errore ad Tamlactenses etiam laterculos transtulisse videatur. Neque reperio unde idem noverit S.* Dariam, *quæ hac die colatur, fuisse viduam* (6). *Egregie autem laudatur beata virgo in Vita hibernica S. Corbmaci abbatis, quam ille idem Colganus ex codice Leccanensi latinam fecit. Sanctus itaque ille abbas, clarissima Mumoniæ domo ortus, vitæ severioris studio ad remotiores Connaciæ fines se contulerat, visitans ibidem multos sanctos viros et spiritu prophetiæ passim effulgens. Postquam itaque in regione Kera S. Finanum, abbatem Rathensem, adierat,* inde recedens vir sanctus venit ad locum, postea Magh-gamnach nuncupatum : ubi convenit virginem quandam Deo devotam, illiusque cœnobii matrem, nomine Dariam; quæ fuit ex Catheiro filio neptis Lugadii, viri in istis partibus principis : quæ, et virum sanctum hospitio colligens, in visceribus charitatis humanissime excepit. Unde vir sanctus, beneficio gratus, inde recedens, virgini sanctæ ejusque loco benedixit, apprecans et apprecando prædicens locum illum, verum caritatis domicilium, vaccis, armentis et lacticiniis abundaturum. Quod oraculum, verum postea probatum, loco isti nomen reliquit. Nam *Magh-gamnach,* quod *campum fœtarum* sive *lactescentium vaccarum* interpretatur, exinde appellatur (7). Magh *enim, in quod tot civitatum celticarum nomina* (*ut Neomagus, Caturigomagus etc.*) *terminantur,* campum *significat; et* Gamhnach vaccam enixam vitulum *seu* lactariam, *aut* (*ut O'Brien* (8) *et O'Reilly* (9) *hoc vocabulum vertunt*) stripper *seu* unbulled cow.

F

in Magaunagh, cujus situs indicatur;

3 *Horum locorum situs bene perspectus nunc est. In Connacia scilicet, quæ occidentalis pars Hiberniæ est, ad occasum brumalem protenditur montuosus comitatus de Mayo, ubi ad orientem æstivum baronia de Tyrawly, olim regio de Tir-Amhalgaigh* (10), *exstat. Illic itaque super viam quæ strata est inter Crossmolina et Dunfeeny, prius habes vicum seu parœciam Moygaunagh seu Magaunagh et dein Kilfian* (11); *quæ posterior est* Kill-Finain, in regione Kera, *ubi S. Corbmacus visitavit S. Finanum, et Magaunagh et* Magh-gamnach, *ubi invenit S.* Dariam. *Sed, ut ex monumentis, quæ ad me dedit Ven. V. Joannes O'Hanlon, constat, nulla illic amplius beatæ virginis memoria superest, neque veteris templi vestigia; licet catholica et protestantica ædes illic sint, plura vetera cœmeteria, atque etiam*

(1) Owen Connellan et Mac Dermott, The annals of Ireland translated, p. 98 et seqq. — (2) Colganus, Acta SS. Hiberniæ, p. 244. — (3) Ibid., p. 248. — (4) Ibid., p. 248 et 755. — (5) Cfr Martyrology of Tallagh, p. xxxviii. — (6) Trias thaumaturga, p. 545, num. 67. — (7) Ap. Colganum, Vitæ SS. Hiberniæ, p. 752. — (8) Focaloir etc., p. 271. — (9) Irish-English Dictionary, V° *Gamhnach.* — (10) Colganus, Acta SS. Hiberniæ, p. 248. — (11) Cfr Carlisle et Lewis, Topographical dictionary of Ireland, verbis *Killfyan* seu *Kilfyan* et *Magaunagh* seu *Moygawna.*

druidicæ

A *druidicæ ætatis reliquiæ. S.* Dariæ *tempora non nisi ex ejus cum S. Corbmaco commercio innotescere possunt; verum in S. Corbmaci Vita nodi difficillimi sunt, quoniam ibidem dicitur vixisse sanctus vir ævo filiorum Amalgadii, qui S. Patricio contemporanei fuerunt, et SS. Geraldi et Adamnani, qui nonnisi post medium sæculum* VII *in Hibernia versati sunt* (1) *: quam posteriorem temporis notam negligendam esse duxit Colganus. Equidem beatam abbatissam ad sæculum* VI *aut* VII *retulerim.*

et posterior honorifice habita est ab Amalgadii posteris.

4 Memoratur etiam in S. Corbmaci Vita S. Derbilia *virgo his verbis* (2) *:* Sedem fixit vir sanctus inter filios et posteros Amalgadii; qui cum sua cognata gente et posteris nempe Dathiæ, filii Fiachrii, (fuit enim hic Dathias Amalgadii frater,) suum piissimum advenam ejusque successores magna animi propensione coluerunt, multisque auxerunt honoribus; donec temporis successu eorum erga ipsum devotio paulatim intepuerit; in alios nempe viros derivata et distracta, et præsertim in S. Cumineum, cognomento Longum, S. Monennocum, S. Mutedacium episcopum, S. Ec-
B taciam virginem, S. Mecharium et S. Derbiliam virginem; quæ fuit filia Corbmaci, filii Breci, ex præfati Dathiæ semine oriunda. Et ab eo tempore, quo eorum devotio erga hunc sanctissimum virum decreverit, fertur et potentia decrevisse. *Hinc etiam liquet S.* Derbiliam *ex Connacia septentrionali, Fiachriorum sede, oriundam esse.*

5 Porro O'Clery in Martyrologio Dungallensi, non ita pridem hibernice et anglice edito ab eruditissimis viris Todd et Reeves, ubi annuntiat ad hanc diem S. Darbiliam, quæ fuit de genere Fiachrii, filii Eochadii, *eam designat apposito loci nomine* Achadh Chuilinn, *scilicet* Darbile, Achadh Chuilinn (3); *quo distinguatur a S. Derbilia de Irros fastis hibernicis ad diem* 3 *augusti inscripta: quæ posterior ex Irros seu Eirros, nunc* Erris, *baronia de Erris, comitatu de Mayo, extrema provincia Connacia septentrionali fuerit oportet; quandoquidem, quum S. Columba ad finem sæculi* VI *in Druimchliabh, nunc* Drumcliff (4), *baronia de Carbury, comitatu de Sligo, provincia Connacia, monasterium fundavit, ea fuerit (ut in Vita hibernica S. Faranni* (5) *atque illinc in secunda appendice ad Vitam S. Columbæ* (6) *legitur) inter* vicinarum regionum antistites, aliosque quam plurimos viros et feminas sanctitate spectabiles, *qui beatum virum* convenerint, in osculo pacis et jubilo cordis excipientes, *et qui eum* comitati sint ultra littus, quod Traigh-Eochuile appellatur, et inde ad regionem de Tyr-Fiachrach. *Verum ubi locorum Achadh Chuilinn situm sit quis dixerit?* E *Certe in Connacia septentrionali; sed accuratiora expectanda sunt ab eruditis Hibernis. Quum autem S. Columbæ temporibus floruerit S. Derbilia de Irros, restat ut ad finem sæculi* VI *aut initia sequentis ejus mors signetur; sed nonnisi divinando ad sæculum* VI *aut* VII *referri potest S.* Derbilia *de Achad Chuilinn.*

AUCTORE V. D. B. *et distinguenda est a S. Derbilia de Irros, quæ comitata est S. Columbam.*

(1) Cfr Colganus, Acta SS. Hiberniæ, p. 755, num. 1. — (2) Ibid., p. 755. — (3) Martyrologium Dungallense, p. 284 et 285. — (4) Carlisle, Topogr. diction. of Ireland, V° *Drumcliff;* Reeves, Life of St Columba, p. 279 et 289. — (5) Colganus, Acta SS. Hiberniæ, t. I, p. 357, num VII. — (6) Trias thaumaturga, p. 465, num. LV.

DE SS. NASADIO, BEOANO, EP., ET MELLANO,

IN COMITATU DUNENSI HIBERNIÆ,

SYLLOGE.

V. D. B.

C F

§ unicus. De pluribus sanctis Beoanis et Mellanis, deque situ ecclesiæ Tamlachta-Humail seu Tamlachta-Menand in Ultonia.

TEMPORE INCERTO. *Memoria sanctorum* Nasadii, Beoani *et* Mellani *in martyrologiis hibernicis ad diem* 26 *octobris.*

In Martyrologio hibernico Tamlactensi legitur ad hanc diem (1) *:* Nasadi, Beoani et Mellain, tres sancti de Britannia et in una ecclesia sunt in h. Echad Uladh i Tamlachtainhumail ic Loch Bricrenn; *quem locum sic vertit Colganus* (2 *:* Festum sanctorum Nassadii, Beoani et Meldani : tres sancti de Britannia et in una ecclesia, nempe in Tamlachtaumhail, in regione Ivechiæ in Ultonia juxta lacum Bricreann; *in Dungallensi autem, prout illud olim vertit demortuus meus collega P. Antonius Tinnebroek hæc habes :* Beoanus episcopus et Mellanus de Tamlacta-menaind ad lacum Bricrend in Ubechach-Uladh. *Eosdem ad hanc diem laudat S. Aengussius in Martyrologio hibernico metrico, ex quo memorias aliquot, anglice versas, misit ad me Rev. Vir Guilielmus Reeves, egregie versatus in elucidandis sanctorum Hiberniæ gestis, licet aliena sacra sequatur. S. Aengussius quidem satis habet duobus versibus de eorum laudibus testimonium dare; verum in annotatis hæc partim hibernice, partim latine illic addita sunt, ex martyrologiis prosaicis desumpta :* Tres sancti ex Britannis in una ecclesia sunt, videlicet in Tamlacht-Menand ad lacum Bricrend in Ui Echach Ultoniæ. *Quibus demum adde in Casselensi etiam Martyrologio hibernico eorum nomina ad hanc diem reperiri, ut testis est Colganus* (3). *Hinc certum est tres hos sanctos natione Britannos*

(1) Matt. Kelly, Calendar of Irish Saints, p. XXXVIII. — (2) Acta SS. Hiberniæ, p. 90, n. 19. — (3) Ibid., loc. cit. — *fuisse;*

AUCTORE V. D. B.

fuisse; S. Beoanum *episcopali dignitate fulsisse; eosque omnes sepultos et singulariter cultos fuisse in una ecclesia Ultoniæ; quæ probe ante oculos habenda sunt ut ab homonymis eos discernamus. Sed prius accuratius inquirendum in designata illic loca, non una verborum forma significata.*

Ubi quærendum sit Tamlachta-humail seu Tamlachta-menand ad lacum Bricrend in Ubechach-Uladh, locus sepulturæ trium illorum sanctorum.
* Ulster
* Down

2 *Imprimis non est ambigendum quin* Uladh, *quod ubique reperitur, sit Ultonia* *, *quæ inter quatuor provincias, in quas universa Hibernia ante hominum memoriam divisa est, maxime ad septentrionem vergit et Ardmacham metropolim habet; aut, si præplacet, pars comitatus Dunensis* *. *Aliquando enim intra angustiores fines conclusa est Uladh, ita ut hujus comitatus terminis fere contineretur. Explicat hanc rem Colganus ad propositum nostrum aptissime.* Tota provincia, *inquit* (1), quæ hodie Ultonia appellatur, priscis scriptoribus sermone patrio nunc *Ulta*, nunc *Ulaidh* dicebatur, et latine *Ultonia*, *Ulidia*, vel rectius *Uladia;* sed postquam primo Dalfiaticii, postea stirps Colleana, ac deinde filii Neill potenti manu eandem provinciam invaserunt et in suam potestatem majori
B ex parte redegerunt, priscis habitatoribus ad angustiores terminos repulsis ; ea ejusdem provinciæ regio, quæ hodie terminis comitatus Dunensis pæne concluditur, cœpit temporis successu *Ulidia* et incolæ *Ulidii* appellari. *Et quidem* h. Echad, Ui-Echach, Ubechia, Ivechia, *quatuor formis ejusdem nominis* Ibh-Each (2) (*quibus significatur* regio *prope lacum* Each, *nunc* Lough-Neagh), *repræsentatur hodierno comitatus Dunensis pago* Iveàgh, *qui in superiorem et inferiorem dividitur, vulgaribus vocabulis* Lower Iveagh *et* Upper Iveagh. *Vult Archdallius* (3) *et cum eo Carlislius* (4) *in baronia superioris Ivechiæ sitam fuisse ecclesiam de Tamlacta-umhail seu humail; verum, quum simul confiteantur se nescire quo hujus regionis loco, non tanti forte faciendum est horum testimonium.* Ad lacum Bricreann, *qui et* Bricrenn *seu* Bricrend, *id fuisse positum ex recitatis martyrologorum verbis constat; sed quis sit ille lacus nemo hactenus reperisse videtur. Quæ res in dies difficilior fit, quum, aquis dilapsis aut arte exhaustis, lacus paulatim commutentur in*
C *agros*; *ita ut in veteribus mappis Blavianis multo plures in comitatu Dunensi indicentur lacus quam in recentioribus. Haud scio an aliquid luminis percepturi sint Hiberni ex ipsius templi nomine, quod* Tamlachtain-humail, Tamlachta-humail, Tamlachta-menaind *et* Tamlacht-menand *scriptum est.* Tamlacht, *quod et* Tavelagh, Tauelagh, Tamlact *et* Taimlacht *scribitur* (5), *cœmeterium significat;* humail, *latine* umalia, *vertitur a Guilielmo Beauford* (6) *quasi veniret ab* hy mal gae *et idem esset ac* pagus prope magnum mare; *atque ipsius lacus nomen Bricreann, immo* Bri-grian *videtur prope fundum maris significare; ita ut, si illa recta sint, videatur Tamlachta in humail in parœcia Kilmegan situm fuisse, siquidem* D *pars sinus Dundrum illic terras incurrat. Verum hæc tam incerta sunt ut satius forte fuerit id unum dixisse id templum in alterutra baronia Iveagh fuisse constitutum. Cæterum, sufficiunt, quibus duo ex ternis illis sanctis* (Nasadius *scilicet cognominem habere non videtur, nisi id nomen idem sit quod* Nessanus, *a pluribus Hiberniæ sanctis, ut Colganus* (7) *ostendit gestum*), *ab homonymis discernantur.*

Plurimi sancti Beoani seu Beani recensentur et distinguuntur;

3 *Quoniam autem SS.* Beoanus *et* Mellanus *hic conjunguntur atque eadem nomina simul occurrunt in Vitis S. Fursei, quas decessores nostri ad diem* 6 *januarii ediderunt, arbitratus est celeberrimus hagiographus Hibernus* (8) *eosdem ac nostros esse; verum qui S. Furseo convixerunt, ex Hibernia, non autem ex Britannia oriundi erant, neque servabantur eorum corpora in Ui Echach Ultoniæ, sed Perronæ in Galliis, ut jam pridem animadvertit Henschenius in S. Medani seu Meldani Perronensis Vita* (9). *Distinguendus idem S.* Beanus *noster a S.* Beano, *filio Nassani cultoque in Feigh-Cullen in Kildaria, ut ad diem* 8 *augusti in Tamlactensi Martyrologio legitur; alius enim omnino est non solum*
E *venerationis seu depositionis dies, verum etiam, quod majoris ponderis est, locus. Neque confundi potest cum S.* Beano *Ultoniæ ulterioris, de quo hæc mira prædicat Giraldus Cambrensis* (10): In ulteriore Ultoniæ partesunt montana quædam in quibus grues et grutæ, avesque variæ suo in tempore abundenidificant propter refugium et pacem, non tantum hominibus, verum etiam pecoribus et avibus ibidem ab incolis exhibitam ob reverentiam scilicet S. Beani, cujus locum illustrat. Sanctus iste miro et inaudito more non tantum aves, sed et avium suarum ova tuetur. Si enim, ut ova capias, manum admoveas, videas protinus pullos marcidos et rubros et tamquam eadem hora jam exclusos. Sin autem manum retrahas cum voluntate, videas iterum, seu miraculose, seu fantastice, contra naturæ cursum, pullos in ova vel conversos vel reversos. Accedant duo, inspector et raptor; hic pullos, ille ova videbit. *Ex qua fabula apparet sæculo* XII *alterum S.* Beanum *in summa veneratione a populo habitum fuisse;* (*aliunde enim non oritur singulare id commentorum genus;*) *verum quum Giraldus hunc sanctum ad ulteriorem Ultoniam expressis verbis*
F *referat; noster vero in citeriore Ultonia jaceret,* (*comitatus enim Dunensis ad orientem jacet et Cambriæ Angliæve proprior est,*) *cogimur et inter hos distinguere. Censet Colganus* (11) *S.* Beanum *ulterioris Ultoniæ eumdem esse qui S. Cadroe, sæculo* X *abbatis Metensis in Lotharingia, ad diem* 6 *martii ab hagiographo Hiberno et a decessoribus nostris illustrati, patruelis fuisse legitur; verum, ut a nostris* (12) *illic ostensum est, nullo fundamento nisi nominum similitudine hæc conjectura nititur, et ne constat, quidem, Beanum, S. Cadroes consanguineum, umquam inter sanctos relatum fuisse; multo minus tanta veneratione, quantam ex Giraldo diximus, duo-*

(1) Joannes Colganus, Trias thaumaturga, p. 109, n. 31. Cfr Vallancey's Collectanea de rebus Hibernicis, The ancient topography of Ireland by W. Beauford, t. III, p. 424 et 425. — (2) Cfr Mappa veteris Hiberniæ Guilielmi Beauford, ap. Vallancey. — (3) Monasticum Hibernicum, p. 129. — (4) Topographical dictionnary of Ireland, V° *Tamlachta Umhail.* — (5) Sam. Lewis, Topogr. dictionary of Ireland, V° *Tallaght.* — (6) Ap. Vallancey, Collectanea, t. III, p. 425. — (7) Acta SS. Hiberniæ, p. 629. — (8) Ibid., p. 21, num. 1, et p. 90, num. 19, et p. 271, num. 1. — (9) Acta SS. t. II Februarii, p. 67. — (10) Tractatus de miraculis Hiberniæ, ap. Messingham, Florilegium insulæ sanctorum, p. 426 ; Topographia Hiberniæ, dist. II, cap. 40, ap. Camden, Anglica, Normannica etc. scripta, p. 730. Francofurti, 1603. — (11) Acta SS. Hiberniæ, p. 503, n. 46. — (12) Acta SS., t. I Martii, p. 476.

bus

A *bus post mortem sæculis fruitum esse. Recensetur etiam in septima S. Patricii Vita inter beati hujus viri discipulos Beoanus* (1), *quem Colganus* (2) *eumdem arbitratur ac S. Beanum, ex stirpe Lugadii Macconii, in australi Mumonia olim præpotente, oriundum, cujus meminit Sanctilogium genealogicum et qui idem sit ac S. Beodus de Ard-charnia qui die* 8 *martii colitur; sed hæc improbabilis sententia : nomina enim non convenire videntur; et quidem, quum ad hanc diem venit ipse hagiographus hibernus, omisit eum S. Patricii discipulum dicere* (3) : *adde non constare S. Patricii discipulum ecclesiastico cultu umquam fuisse honestatum. Alium S. Beoanum, fratrem SS. Assani, qui et Massanus, Cassani et Richellis virginis, reperio in poemate Hibernico de sanctis de Cinel Laeghaire, cujus particulam ex libro de Ballymote non ita pridem edidit eruditissimus Jacobus Hentorn Todd* (4); *verum nil iterum suadet hunc eumdem esse ac sanctum nostrum* Beoanum. *Præter eos quos hactenus attigi, veniunt alii cognomines ad dies* 3, 16 *et* 23 *decembris; de quorum secundo aliquid attigi in sylloge de S. Beano, epi-*
B *scopo Murthlacensi in Scotia, quam ad hanc diem hic habes. Verum hi tres hoc loco omittendi, quoniam suo tempore de eis dicetur, et sane melius quam nunc, quum nondum editi sunt multi hagiographici libri hibernici, qui jam pedetentim in lucem prodeunt mirabili accuratione et doctrina.*

item complures SS. Mellani.

4 *Complures etiam sancti Mellani seu Meldani recensentur inter Hiberniæ cælites. Venit imprimis S. Mellanus seu Meldanus, S. Fursei confessarius, qui in hibernicis fastis ad dies* 16 *januarii et* 7 *februarii annuntiari videtur et ab Henschenio nostro ad posteriorem hanc diem in Actis nostris illustratus fuit. Accedit S. Mellanus, Darii filius, qui cum fratribus et aliis sat multis sanctis sepultus est in monasterio S. Luani, quod Cluain-ferta-Mo-lua appellatur et die* 7 *februarii cultus fuisse traditur* (5). *Tertius est S. Meldanus seu Mellanus de Kill-rois, cujus memoria die* 28 *januarii celebrata fuisse a Colgano* (6) *dicitur; quartus S. Mellanus de Cluain-aoi seu de Cluana-hi, ad diem* 19 *martii Tamlachtensi martyrologio inscriptus* (7); *quintus S. Mellanus, episcopus de Cluain-chremha, et S. Patricii discipulus, qui in regione Delbhna-assuil quietis locum accepit* (8) *et quem Colganus* (9) *vult martyrologiis inscriptum esse diebus* 28 *januarii et* 26 *octobris; manifesto tamen errore, quum qui hac die colitur in Tamlachta-humail sepultus fuerit. Ad quos adde Meldanum episcopum, S. Cuthberti avunculum, de quo nonnulla disputavit Colganus* (10), *nil certi habens quod afferret, arbitratus tamen eumdem esse ac qui in martyrologiis hibernicis ad diem* 7 *februarii dicitur S. Meldanus de insula filiorum Hua Coinn in lacu Oirbsen in regione de Hi-*
E *Oirbsen in occidentali Connacia. Quæ de S. Nasadio addam non habeo : nam quæ in antiquo Glossario ad Festilogium seu Calendarium metricum S. Aengussii, quod non ita pridem cl. v. W. S. Dublinii prelo paravit et Londinii edidit* (11), *ad nominis ejus significationem* (*aliunde constat* Nasad *idem valere ac* celebrem, nobilem) *pertinent; scilicet* Nassad *seu* Nasad *veterem formam esse* Gnathugud : *quod utrum daturi sint eruditi philologi Hiberni vehementer dubito. Ab his cæterum plura et meliora de ternis illis sanctis exspectentur.*

AUCTORE V. D. B.

(1) Trias thaumaturga, p. 156, cap. 32. — (2) Ibid., p. 186, n. 62. — (3) Acta SS. Hiberniæ, p. 562 et 563. — (4) The irish version of the Historia Britonum of Nennius, p. CXVI. — (5) Colganus, Acta SS. Hiberniæ, p. 58, n. 8. — (6) Ibid., p. 271, n. 1. — (7) M. Kelly, Calendar of irish saints, p. XIX. — (8) Colganus, Vitæ SS. Hiberniæ, p. 780, cap. 2; Trias thaumaturga, p. 86, cap. 93; p. 115, n. 104; p. 130, cap. 9; p. 266, col. 1. — (9) Ibid., locc. citt. — (10) Vitæ SS., p. 679, cap. 5; p. 691, nn. 7 et 8. — (11) Three irish glossaries, p. 137.

DE S. GWINOCO, CULTO UT EPISCOPO,

EJUS PATRE S. ANEURIN SEU GILDA,

C F

EJUS FRATRIBUS SS. CENNYDD, MADOG, DOLGAN ET NWYTHON,

SORORE S. DOLGAR ET PATRUELI S. GARCI,

IN WALLIA,

SYLLOGE.

V. D. B.

§ unicus. An S. Aneurinus seu Gildas, S. Gwinoci pater, idem sit ac S. Gildas Sapiens. Illius gesta militaria, carmina, religiosa vita et cruenta mors. Filiorum vita religiosa et cultus.

SÆCULO VI. *Stemma S. Gwinoci genealogicum.*

S. Gwinocus, *qui et* Gwynnoc (1), Gwynog, Gwynawc, Guynnauc, Gwnnog, Gwynnawg *et* Gwyngawr (2), *hac die coli tra-ditur in Martyrologio anglico* (3) *secundum Willisium et in Conatu de sanctis Walliæ Reesii* (4). *Pertinet pro Wallensium sanctorum*

(1) Ap. Rice Rees, Essay on Welsh saints, p. 257. — (2) Bonedd y saint, in Myvyrian archaiology, tom. II, p. 44. — (3) Memorial of ancient british piety, supp., p. 27. — (4) Essay, etc. p. 258.

more

AUCTORE V. D. B.

more ad genus electum, ex sanctis fere constans; cujus accipe schema, ex Reesio (1) *collectum :* D



Præter S. Aneurinum *multo plures adscribuntur Cawo filii, plerosque sanctorum numero accensitos, aut certe quorum nomina pro titulis sunt sacrarumædium et paræciarum in Wallia. Sed aut plures viri nomine Caw inter Wallenses præcipui fuerint oportet, aut monumentis genealogicis, quibus hæc nituntur, fidendum non est: quis enim agmen triginta et plurium liberorum uni patri non melioribus auctoribus adscribat? Verum non facile a genealogiis Wallensibus recedendum esse alibi* (2) *jam docuimus; restat itaque ut plures Cawi admittantur.*

Avum habuit Cawum, ex partibus septentrionalibus in insulam Monam transgressum;

2 *Caw,* S. Gwinoci *avus, in* Bonedd y Saint *seu Genealogia sanctorum Britannniæ* (3) *princeps de* Cwm Cawlwyd *seu* Cowllwg, *regiuncula septentrionali, appellatur : quæ eadem dicenda esset ac Arecluta, nunc* Strath Clyde, *in Scotia, si satis constaret hunc Cawum eumdem esse ac Caunum, patrem celebratissimi S. Gildæ Sapientis, abbatis Ruyensis in Britannia minori; sed ea de re inferius. Juxta genealogiam, cui nomen* Achau y Saint, *dominio suo expulsus est a* Gwyddyl Ffichti ; *quos Pictos et Scotos fuisse interpretatus est Reesius* (4). *Quare cum familia sua appulit ad insulam Monam, vulgo* Anglesea; *ubi, collatis a Maelgwn Gwynedd certis terris, sedem suam fixit in* Twrcelyn; *unde aliquot ejus filii dicuntur terras in Siluria accepisse ab Arthure. Ejus nomen uni codici catalogi sanctorum, scilicet* Bonedd y Saint (5), *inscriptus est; liberi autem ejus constituisse dicuntur tertiam familiam sanctam inter Britones* (6); *qui tamen honor in Triadibus Brano, filio Llyri, tribuitur* (7).

patrem S. Aneurinum, *qui et Gildas; quem aliqui volunt esse S.* Gildam *Sapientem :* C

3 *De* S. Gwinoci *patre multo major difficultas. Ille in variis mss. codicibus* Bonedd y Saint Gildas *dicitur; verum duo eruditi Cambrenses, Eduardus Williams et Owen Pughe, quibus consentit Reesius* (8), *in Biographia Cambrensi docuerunt eumdem hunc Gildam esse, qui abbas Ruyensis, et alio nomine dici Aneurinum ;* Gildam *scilicet esse vocabulum saxonicum quod idem significet quod wallice* Aneurin *et morem vertendi nomina ex una in aliam linguam, maxime inter ecclesiasticos, a pluribus fuisse observatum; præterea in antiquis libris jam Aneurinum, jam Gildam inter Cawi liberos venire, sed ambos numquam simul; legi insuper aliquando* Gildam y Coed Aur, *aliquando* Aneurin y Coed Aur; *et demum Cennydd filium et Ufelwyn nepotem Aneurini. Quod autem ille Gildas alius non est ac S. Gildas Sapiens inde conficiunt, quod hujus pater a Capgravio dicitur* Cau *seu* Can; Caunus *vero in filii Vita tum juxta codicem Floriacensem, editum a Joanne a Bosco in Bibliotheca Floriacensi, tum juxta Ruyensem, qui Mabillonio in primo sæculo sanctorum ordinis S. Benedicti præluxit; et* Nau *a Caradoco Lancarbanensi; præterea S. Gildæ Ruyensis patrem etiam in partibus septentrionalibus prius vixisse* (9). *Ad quæ hæc pauca observabimus : negari non posse* Aneurinum *et* Gildam *idem esse nomen, et reapse mirabile esse ut duo aut plures cognomines viri, ex partibus septentrionalibus ad meridionales transeuntes, patrem habeant* Cawum *dictum; manifestum enim est id etiam nomen fuisse patri S. Gildæ Ruyensis. Verumtamen id genus rerum contingere aliquando nemo non novit; ita ut ex illa conformitate, maxime quod plura obstent, firmum argumentum confici non possit.* E

sed ostenditur plures fuisse Gildas, præclaros viros, et similiter Cawos; neque ambos illos Gildas in unum conflari posse.

4 *Et quidem plures fuisse inter Britones Gildas seu Gildasios perquam illustres ostenderunt plerique omnes, qui de S. Gilda Ruyensi dixerunt* (10); *neque de hac re, licet in secernendis iis virisnon omnino conveniatur, dubitatio excitari potest; sed hoc animadvertendum venit id non videri nomen fuisse, sed cognomen seu titulum, tanta facilitate religiosis et eruditis viris in Hibernia et Wallia concessa, ut millenos saltem eo donatos fuisse tradat cl. v. O'Conor* (11). *Cawos item fuisse complures vel inde ostenditur quod in Vita S. Gildæ Ruyensis, quæ in Britannia minori conscripta est, quatuor tantum fratres ei assignantur, Cuillus scilicet, qui et Hywel seu Hoëlus , Mailocus, Allaecus et Egreas, cum una sorore Pereona; contra, si Cawus ille, qui in Genealogiis sanctorum legitur, unus sit vir, consentiendum est Caradoco Lancarbanensi* (12) *et Capgravio* (13), *qui, Genealogias de uno patre interpretati, scripserunt* Canum *seu Cauum* viginti quatuor filios ex regina sua genuisse; *quibus addendæ sorores quinque, nempe Cwyllog, Cain , Gwenafwy,* F *Peillan et Peithien, omissa Pereona. Sane Vita S. Gildæ, quæ ex Ruyensi monasterio prodiit, non ante iniens sæculum* XI *scripta est; verum ex veteribus monumentis collectam fuisse legenti patet; et certe in sex liberis tribuendis Cawo fide dignior est quam Capgravius et Caradocus: neque cogitandum est Genealogias minoris fuisse factas aut negligentius servatas in Britannia Armoricana quam in Wallia. Adde demum Reesium* (14) *totis manibus concedere, quæ de S. Gilda Ruyensi feruntur sive in Vita Ruyensi secundum documenta Armoricana, sive in Capgravii et Caradoci scriptis juxta Wallenses libros, plane non convenire cum gestis S.* Aneurini *seu Gildæ, filii Cawi de Cowllwg. Superest itaque ut Gildas duos, filios Cawi, diversis pa-*

(1) Essay, etc., p. 224 et seqq , 257 et 258. — (2) Acta SS., tom. X Octobris, p. 763.— (3) Myvyrian archaiology, tom. II, p. 31 et 44. — (4) Essay, etc. p. 224. — (5) Llyfr Bodeulwyn, in Myvyrian archaiology, tom. II, p. 31. — (6) Ibid., p. 29. — (7) Cfr R. Rees, Essay, p. 224 et 225. — (8) Ibid., p. 225 et 226. — (9) Ibid., loc. cit. — (10) Cfr Colganus, Acta SS. Hiberniæ, p. 176 ; Bollandus, Acta SS., tom. II Januarii, p. 953 ; Mabillonius, Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæc. I, p. 138. — (11) Script. rerum Hibern., tom. I, p. 198. Cfr Algernon Herbert, Irish version of Nennius, p. 1. — (12) Ap. Colganum, Acta SS. Hiberniæ, p. 179. — (13) Ibid., p. 177 seu 178. — (14) Essay on Welsh saints, p. 225 et seq.

tribus

A *tribus natos, admittamus. Non enim placet, (quod vult cl. v. Hersart de la Villemarqué* (1)*), S. Gildam et S.* Aneurinum *fratres fuisse, filios unius Cawi, quòniam eo adduceremur ut Cawo præter quinque aut sex filias, filios adscriberemus viginti quatuor; quæ licet coævi bardi seu vatis Liwarci Senis sors fuerit* (2)*, non tamen sine certissimis testimoniis ad alios extendenda est.*

S. Aneurinus *seu* Gildas, *prius miles et insignis poeta Wallensis, post pugnam de Caltraeth, quam cecinit,*

5 *S.* Aneurinus *itaque seu Gildas, filius Cawi de Cowllwg, pugnæ de Cattraeth, immo Caltraeth, adversus Saxones, Pictos, Scotosque pugnatæ, interfuit eamque cladem carmine Wallico, quod* Godolin *a regione Clydiæ, cui auctor dominabatur, dictum est et in Wallensi Archæologia primo fuit editum, illustravit* (3)*. Convenerant scilicet omnes reguli a sinu maritimo Solway usque ad lacum Lomond et ab ostiis Forth usque ad ostia Clydæ (quibus terminis universa fere Scotia meridionalis seu inferior continetur), ut patriam ab adventante exercitu Pictorum, Scotorum, Logriensium atque Anglosaxonum Deiræ seu Dairadiæ et Berniciæ tutarentur : a septentrione enim secundum utrius-*
B *que maris littora progrediebantur, vallum, inter Dumbarton et Edimburgum a Romanis olim adversus Caledonios erectum, transituri. Erant autem illic castella octodecim, quatuor turmarum equitum et quatuordecim cohortum, universim decem millium hominum, capacia. Ea occuparunt fœderati principes Brittones, torquibus aureis ornati, numero trecenti sexaginta tres, Menezoko rege Edimburgensi imperatore. Dies septem duravit oppugnatio et defensio, maxime ad castellum Caltraeth. Prius favit belli fortuna Brittonibus, cæsusque est Scotorum rex atque Ida, regis Anglosaxonum vidua. Verum qui interdiu strenuissime pugnabant, iidem gentis vitio noctem traducebant vinum et cervisiam ex poculis aureis compotantes. Quod eis cessit quam pessime. Quum enim, iterum crapula domiti, humi sterterent, irruit in eos hostis. Arma continuo rapuerunt et processerunt obviam. Sed frustra; quippe qui sui ita compotes non essent ut se disciplina militari cohiberi sinerent. Nil itaque valuit eorum virtus et audacia; cæsique fuerunt omnes et* tres dumtaxat gladiorum furorem evaserunt, Aeron et Cynon
C Dayorawd, ambo bellici canes, atque ego, *inquit S.* Aneurinus (4), qui hanc mercedem benedictæ musæ meæ debeo, sanguinis fluctibus ereptus; *captus tamen et in castelli carcerem conjectus, vinculisque ferreis onustus* (5) : *a quibus aliquando absolutus opera Ceneu, filii Llywarch Hên, seu Liwarci Senis; quem jam diximus celeberrimum tum fuisse vatem seu bardum. De tempore et loco hujus pugnæ inter eruditos non convenit; voluere aliqui eam factam esse anno* 472*, Hengisto adhuc vivo : verum hujus sententiæ auctor, Eduardus Davies* (6)*, concedere coactus fuit poema* Godolin *non ante annum* 510 *conscriptum fuisse; in alias insuper incurrens innumeras difficultates. Plerique itaque censent certamen id referendum ad medium circiter sæculum* VI *et Caltraeth in partibus septentrionalibus fuisse positum, quum Dairadii et Bernicii milites prælio interfuisse legantur* (7)*. Verumtamen demonstrasse mihi videtur cl. v. Hersart de la Villemarqué* (8) *cædem hanc patratam esse inter annos* 572 *et* 580*, in ripa rivi Calder, non procul a Dumbarton, prope pristinum Vallum Romanum; et consentit Ferdinandus Walter* (9)*. Quod hanc cladem gentis suæ carmine prosecutus est S.* Aneurinus*, mirum videri potest; ast id sibi proposuisse videtur ut doceret virtutem Brittonibus non defuisse; sed inopinatam fuisse pugnam, et tot heroes ea de causa cecidisse quod propter ebrietatem ordinem et disciplinam servaverant nullam.*

AUCTORE V. D. B.

aliisque poematibus et viri inspirati laude clarus,

6 *Militari itaque laudi poeticam adjunxit* S. Aneurinus; *qui et alterius poematis auctor est, scilicet* Englynion y Misoedd *seu* Mensium odarum (10)*, quibus præcepta et considerationes de moribus continentur. Atque horum scriptorum tanta fuit olim laus, ut inter præcipuos poetas Britannos recenseretur, teste Nennio, sæculi* XI *scriptore* (11) : Tunc*, inquit* (12)*,* Talhaern Cataguen in poemate claruit et Neirin (*Aneurinus*), et Taliessin et Bluchhard et Cian, qui vocatur Guenith Guaut, simul uno E tempore in poemate Britannico claruerunt. *Quibuscum convenit ipsius Taliessini testimonium, dicentis* (13) : Eadem nobis celebritas est Aneurino panegyrico atque inspirato, atque mihi Taliessino a lacu de Keirionez; *atque inter hos erat sincera amicitia, ita ut vicissim S.* Aneurinus *scripserit* (14) : Ego Aneurinus scio quod scit Taliessin, qui mecum unus est spiritus. *Quod autem S.* Aneurinus *inspiratus dicitur, explicari posse videtur capite* XVI *Cambriæ descriptionis; quod opus Giraldi Cambrensis est, sæculi* XII *scriptoris :* Sunt*, ait* (15)*,* et in hoc Cambriæ populo, quod alibi non reperies, viri nonnulli, quos Awenydhyon vocant, quasi mente ductos. Hi, super aliquo consulti ambiguo, statim frementes spiritu quasi extra se rapiuntur, et tamquam arreptitii fiunt. Nec in continenti tamen, quod desideratur, edisserunt : sed per ambages multas inter varios, quibus effluunt, sermones nugatorios magis et vanos quam sibi cohærentes, sed omnes tamen ornatos, in aliquo demum verbi diverticulo, qui responsum solerter observat, quod petit accipiet enucleatum : et sic denique de F hac extasi tamquam a somno gravi ab aliis excitantur, et quasi per violentiam quandam ad se reverti compelluntur. Ubi et duo notanda reperies, quia post responsum nisi violenter excitati et revocati ab ejusmodi quasi furore reverti non solent, et quod in se reversi nihil horum omnium, quæ ab eis interdum prolata sunt, ad memoriam revocabunt. Unde et si forte super hoc iterum vel ab alio consulti dicere debeant, aliis omnino verbis et alienis enuntiabunt, forsan sicut et per phanaticos et energumenos spiritus interdum loquuntur tamquam ignaros. Solent autem eis hæc dona plerumque in somnis per visiones infundi. Quibusdam enim videtur, quod eis vel lac dulce, vel mel ori infundatur; aliis etiam

(1) Poèmes des Bardes bretons du VIe siècle, p. LIII. — (2) Ibid., p. LXIII et LXIX. — (3) Myvyrian archaiology, tom. I, p. 1-14; 581-584. — (4) Ibid., p. 4. — (5) Ibid., p. 7. — (6) Mythology and Rites of the british Druids, p. 317. — (7) Cfr Sharon Turner, History of the Anglo-Saxons, tom. I, p. 182 et seqq. — (8) Poèmes des Bardes bretons du VIe siècle, p. 238 et seqq. — (9) Das alte Wales, p. 302. — (10) Myvyrian archaiology, t. I, p. 14-17. — (11) Algernon Herbert, Irish version of the Historia Britonum of Nennius, p. 2 et 3. — (12) Hist. Britonum, cap. 32; Cfr Walter, das alte Wales, p. 301. — (13) Villemarqué, Poèmes des Bardes bretons, p. LIII. — (14) Ibid., p. c. — (15) Edit. Camdeni Francofurti, p. 892 et 893.

AUCTORE V. D. B.

quod eis schedula inscripta ori imponatur; et statim erecti se gratiam hanc suscepisse publice profitentur... Faciunt autem inter vaticinia invocationes ad Deum vivum et verum et ad sanctam Trinitatem, ut peccatorum meritis a veri inventione non impediantur. *In quibus quid rerum veritati, quid phantasiæ deberetur hujus loci non est expendere.*

secessit in Llancarfanense S. Cadoci, ipsius poetæ, monasterium;

7 *Ut autem liber recessit ex carcere, videtur in Walliam meridionalem transgressus; ubi reperitur vitam monasticam professus in comitatu Glamorganensi, in parœcia de* Llancarfan *seu potius in* Llanfeithin; *quæ nomina ut continens pro contento indiscriminatim usurpantur. Utrum S. Germanus Antissiodorensis an S. Dubricius episcopus Landaviensis hoc asceterium fundaverit non convenit* (1); *sed primus ejus abbas fuit S. Cadocus, qui et Cattwg, filius Gwynllgw Filwr, a decessoribus nostris omissus tum ad* 24 *januarii, tum ad* 24 *februarii, quibus eum calendariis inscriptum reperio. Non poterat non amare S.* Aneurinus *societatem hujus viri, quippe qui etiam Wallensem poesin, cujus Archæologia Wallensis* (2) *insignia de præceptis*
B *moralibus continet specimina, coluit et prudentia sua tantopere excelluit ut Sapientis cognomen,* Ddoeth, *adeptus sit. Ejus vitam delibavit Reesius* (3); *paulo plura habet præfatio tomi III Archæologiæ Wallensis et Biographia Cambrica. Alii etiam bardi versabantur tum in Llancarfan; quod præcipuum tum erat doctrinæ sacræ et profanæ seminarium. Sanctam illic vitam duxit* Aneurinus; *vitamque finivit, impacta ab homicida nomine Edino securi trucidatus* (4).

quo eum secutus est S. Gwinocus, *ejus filius: quæ huic dicata templa; imago picta adhuc exstans.*

8 *Ut autem aliquando ad S.* Aneurini *seu* Gildæ *liberos veniamus, primo loco illustrandus est S.* Gwinocus, *cujus causa in illas salebras delapsi sumus. Patrem suum secutus est in Llancarfanense S. Cadoci collegium* (5); *ibique tam sancte vixit ut ejus nomen pluribus parœciis datus sit. De prima tamen non omnino constat. Sunt scilicet in Wallia tres parœciæ, quibus nomen est* Llan Trisaint, *seu* Templum trium sanctorum; *prima, quæ in insula Mona, vulgo* Anglesea, *posita est, patronos habere dicitur* (6) *SS. Sanan, cultum die* 1 *martii* (7) *aut* 13 *junii* (8), *Afran et Jeuan; secundæ in comi-*
C *tatu Glamorganensi patroni assignantur a Carlislio* (9) *SS. Iddog, Dyfaenog et Menw, a Reesio* (10) *SS. Illtyd, Tyfodwg et Gwynno; et tertiæ, quam omisit Carlislius, in Monmuthia SS. Petrus, Paulus et Joannes* (11): *res inter Wallenses, quibus omne trinum perfectum, plurimum laudata. Sed, ut id mittam, liquet ex his inter Carlislium et Reesium non convenire de patronis* Llan Trisaint *Glamorganiæ: nisi forte diversæ sint solæ nominum formæ. Verum olim inter quinque capellas, quibus ea parœcia ornabatur, una a S.* Gwinoci *nomine* Llangwynno *dicebatur* (12); *nunc cum plerisque aliis periit* (13). *Tradit etiam Reesius* (14) S. Gwinocum *patronum esse in* Faenor *seu* Y Faenor, *in comitatu de Brecknock; sed, nisi iterum ædicula* D *quædam exstiterit, nunc diruta, denuo refragatur Carlislius* (15), *tradens hunc honorem illic delatum S. Winefredæ, wallice* Gwenfrewi (16). *Certiora habemus de* Llanwnog *in Montisgomerici comitatu, olim* septimæ victricis legionis, *ut ex titulis lapideis constat, statione. Conveniunt omnes S.* Gwinocum *hujus loci patronum esse; ut non solum parœciæ nomen testimonio est, sed ipsa beati viri, in fenestra super altare depicti, imago; qua exhibetur mitra episcopali redimitus et universo pontificali ornatu vestitus et pedum pastorale manu tenens; ad pedes veteribus literis anglicis hac brevi inscripta oratione:* Sanctus Gwinocus, cujus animæ propitietur Deus. Amen (17). *De qua invocationis forma videantur theologi et liturgici, ubi explicant veteres quosdam orientales libros, in quibus Deus rogatur ut misereatur B. Mariæ Virginis et aliorum sanctorum. Nititur scilicet hæc oratiuncula placito theologico animas sanctorum, licet Dei conspectu fruantur, non tamen omnino beatas esse, quod anhelent ad conjunctionem corporis sui, quocum creatæ sunt et unam per-* E *sonam constituunt; quam redintegrari cupiunt, naturæ viribus impulsæ.*

Fratrum, sororis et patruelis sors et cultus.

9 *SS.* Cennydd, Dolgan *et* Nwython, *S.* Gwinoci *fratres et S.* Aneurini *seu* Gildæ *filii, contulerunt se etiam in S. Cadoci monasterium. Illic non remansisse traditur S.* Cennydd; *sed se contulisse in Gowerlandiam, comitatus Glamorganensis pagum, ubi ipsemet monasticum collegium instituit; unde postea prodiit parœcia, quæ ab ejus nomine* Llangennydd *dicitur. Huc porro se contulerunt, ascesim religiosam amplexi, S.* Cennyddi *frater, S.* Madog, *et ejus ex altero fratre Cewyddo patruelis, S.* Garci. *Profecerunt ambo in sanctimonia, ita ut prioris nomine vicina parœcia* Llanfadog *seu* Llan Madog *dicatur* (18). *S.* Garci *quoque templo honestatus fuisse in Glamorgania legitur* (19); *sed inter hujus comitatus parœcias nil hujusmodi reperio* (20). *In* Llangennydd, *quum jam pridem S.* Cennyddi *religiosa societas desiisset, rege Stephano a Rogero de Bellomonte institutus est prioratus de* Langineth *seu de* Longineth, *ab abbatia Ebroicensi S. Taurini dependens; quod vinculum anno* 1441 *a rege Henrico VI, (ut in reliquis fere* F *prioratibus alienigenarum fecit,) ruptum est et beneficium collegio Omnium animarum Oxoniensi concessum. Hujus patronus dicebatur S.* Kennedus, *non alius quam S.* Cennydd (21). *S.* Cennydd *nomen quoque suum communicasse legitur* (22) *pago Glamorganiæ, nomine* Seinghennydd, Senghenydd *et* Caerphilly; *sed nulla hactenus in hoc tractu reperta est ædes sacra, quæ ei dicata sit* (23). *De S.* Dolgano *et* Nwython, *quos in S. Cadoci monasterium secessisse diximus neque novimus exiisse, vix quidquam habemus. Qui initio hujus sæculi in tomo II Archæologiæ Wallensis* (24) *edidit* Bonedd y Saint, *adjecit ad S.* Nwython, *qui et* Noethan, Noe-

(1) R. Rees, Essay, etc. p. 176. — (2) Myvyrian archaiology, t. III, p. 1-99. — (3) Essay, etc. p. 176 et seqq. — (4) Ibid., p. 225. Cfr Villemarqué, Poèmes des bardes bretons, p. LXII. — (5) Ibid., p. 257. — (6) Carlisle, Topogr. diction. of Wales, V° *Llantrisaint;* R. Rees, Essay, etc. p. 324. — (7) Ibid., p. 240. — (8) Memorial, etc. supp., p. 18. — (9) Topogr. dict. of Wales, V° *Llantrisaint*. — (10) Essay, etc. p. 337. — (11) Ibid., p. 344. — (12) Ibid., p. 257 et 337. — (13) Cfr Carlisle, V° *Llan Trisaint*. — (14) Essay, p. 257 et 325. — (15) Dict. of Wales, Glossary V° *Gwenfrewi*, et V° *Faenor*. — (16) Essay, p. 295. — (17) Ibid., p. 257, juxta tomum I Cambrian Quarterly Magazine; et Carlisle, Topog. dict. of Wales, V° *Llanwnog*. — (18) R. Rees, Essay etc. p. 257; Carlisle, v° *Llan Madog*. — (19) Biographia Cambrica, ap. R. Recs, p. 258. — (20) R. Rees, Essay etc., p. 335 et seqq. — (21) Monasticum anglicanum, t. VII, p. 1047. Cfr Wood, History of the colleges and hales of Oxford, p. 261. — (22) Carlisle, V° *Caerphilly*. — (23) R. Rees, Essay etc., p. 257. — (24) Myvyrian archaiology, t. II, p. 49.

then

A then *et* Nothon, *nomen tum prope parœciam* Englwys Llangwm Dinmael, *id est* Ecclesiam *parœciæ* templi vallis Dinmalii, *olim illic reguli, adhuc exstitisse capellas S.* Gwinoci *et* Noethani, *sed conversas in molendinum et clibanum; Dinmalii autem palatium,* Llys Dinmael, *ruinosam domum factam. De S.* Dolgar, *S.* Gwinoci *sorore, nil aliud reperi, nisi quod ejus nomen in* Bonedd y Saint (1) *seu Genealogia sanctorum legitur. Quod qualecumque indicium cultus ecclesiastici est. Abstinemus a S. Tydecho; qui quidem in codice Salisburiensi* Bonedd y Saint (2) filius Gildæ, filii Cawi *dicitur; sed in aliis omnibus* (3) filius Amwn Ddu.

AUCTORE V. D. B.

(1) Myvyrian, Archaiology, t. II, p. 39. — (2) Ibid., p. 55. — (2) Ibid., p. 94. Cfr. p. 24.

DE SS. TUDYR SEU TUDUR,

ARWYSTLI GLOFF, TWRNOG SEU TÈYRNOG, DIER SEU DEIFER, TYFRYDOG, MARCELLA, GWYNODL, MERIN, SENEFYR, TUDGLYD, TUDNO ET TYNEIO,

CONFF. NON PONTT. IN WALLIA,

SYLLOGE.

V. D. B.

B

§ unicus. Memoria illorum sanctorum ex una familia in Genealogia sanctorum, in templis et fastis sacris. E

SÆCULIS VI ET VII. *Sancti ex genere Seithenin Ebriosi.*

In Genealogia sanctorum Britanniæ seu Walliæ, quæ Wallice dicitur Bonedd Saint Ynys Prydain *et in Archæologia Walliæ anno hujus sæculi primo Londini edita fuit et aliquot abhinc annis recusa, legitur S.* Tudyr *seu* Tudur *genus* (1)*; ex quo sequens stemma confieri potest* (2).



Unde factum sit ut S. Tudyr *natalis, olim* 15 *octobris celebratus, nunc undecim diebus post agatur.*

2 *Licet ex his sanctis nullus videatur ad præsentem diem spectare, dicendum tamen est de S.* Tudyr, *quoniam ad diem* 15 *octobris omissus fuit, die vero* 25 *octobris, a Carlislio* (3) *coli dicitur, sed reapse colitur die sequenti; non quidem legitime; sed quia rustici Wallenses, animo tum adhuc catholici et a ministris ecclesiæ Anglicanæ atque a gubernio aversi et veterum suarum consuetudinum tenacissimi, diu nullam rationem habuerunt correctionis calendarii Gregorianæ, etiam postquam Angliæ rex, consentientibus comitiis, eam admisit et mense septembri anni* 1752 *undecim dies omitti jussit. Hinc factum est ut passim in Wallia patronorum et dedicationum templorum festa undecim diebus tardius celebrentur quam par esset* (4) *: quæ res in S.* Tudyr *natali singulariter observatur* (5). *Quoniam itaque aptus locus est de eo dicendi, placet eidem conjungere tres fratres et sororem, cum patre et sex patruis, maxime quod pauca tantum de iis omnibus habemus et suo tempore præteriti fuerunt.*

3 *Traditur a Reesio* (6) *Seithenin, cognomine Ebriosus, simul cum Gwyddno terræ angulum in littoribus comitatuum Cardiganensis et Merionethensis possedisse, nomine* Cantref y Gwaelod; *qui, quum* Cantref *Anglis* hundreda *sit, non videtur hundreda, seu centum villarum territorio (ita Giraldus Cambrensis* (7) cantref *interpretatur) major fuisse. Circa annum* 520 *per incuriam Seithenin maris fluctibus coopertus fuisse hic ager in Triadibus Britanniæ traditur: quæ forte occasio fuit ut ejus filii, S.* Gwynodl, *patronus de* Llangwynodl *in Carnarvonia, die* 1 *januarii cultus, S.* Merin *seu* Merini, *cujus natalis die* 6 *januarii agitur, et qui videtur in* Bodferin *seu* Habitaculo Ferini, *quæ est capella parœciæ de* Llaniestin *in Carnarvonia, vixisse et fundator aut patronus esse in* Llanferin *seu* Llanfetherin *in Monmuthia, — S.* Senefyr *seu* Senewyr, — *S.* Tudglyd, *S.* Tudno, *patronus seu fundator* Llandudno *in Carnarvonia, cujus festivitas die* 6 *junii celebratur, — et S.* Tyneio, *cujus nomine dicitur appellata* Deneio *seu* Pwllheli,

Deperdito patrimonio, SS. Gwynodl, Merin, Senefyr, Tuglyd, Tudno *et* Tyneio *amplectuntur vitam monasticam, in Benchorensi S. Dinoti collegio;*

(1) The myvyrian archæology of Wales, t. II, p. 52, 54 et 55. Edit. 1801. — (2) Cfr Rice Rees, Essay on the Welsh Saints, p. 276. — (3) Topographical dictionary of Wales, v° *Darowain*. — (4) R. Rees, Essay on the Welsh Saints, p. 240. — (5) Ibid., p. 276, not. 1. — (6) Ibid., p. 235 et 236. — (7) Cambriæ descriptio, cap. 4.

capella

AUCTORE V. D. B.

capella in parœcia de Llanfor *in Carnarvonia*, — *vitam monasticam amplexi fuerint in celebri collegio seu monasterio S. Dinothi, wallice* Dunawd, Dunod, *Benchorensi, quod et* Bangor Iscoed, *in Carnarvonia.*

et S. Arwystli Gloff, *sancte educatis liberis, in monasterio de Bardsey.*

4 *Contra S.* Arwystli Gloff, *qui etiam inter Seithenin liberos recensetur, matrimonium iniit cum Tywynwedd, filia Amlawd Wledig, ex qua suscepit liberos quinque, albo sanctorum Walliæ inscriptos, quatuor filios et unam filiam. Quos ubi educavit, secessit in monasterium de* Bardsey, *quæ aliquando etiam* Insula sanctorum *dicta est et quam ad finem sæculi superioris Wallenses nautæ non sine precibus et veneratione prætervehebantur* (1). *Eo secesserat S. Dubricius, episcopus Caerleonensis, circa annum* 516; *ita ut cum eo vivere potuerit S.* Arwystli Gloff. *Templum fundasse dicitur; sed ubi locorum nescitur* (2). *Non plura de ejus liberis novimus.*

Ubi servatur memoria SS. Tudyr, Tyfrodog, Twrnog,

5 *In* Bonedd y Saint *seu Genealogia sanctorum Britanniæ coli dicitur S.* Tudyr *in* Dar Owain, *quod illic* Darewein, Narwain, Arwain *et* Nargwain *corruptis formis appellatur et in Montisgomerici comitatu jacet; sive templi fundator fuerit, sive patronus. Templum de* Mynyddyslwyn *in Monmuthia ejus quoque nomini dicatum esse tradit Ecton; sed dubium id esse censet Reesius* (3); *et quidem ipse Reesius in catalogo parœciarum Walliæ* (4) *affirmat illic honorari S. Tudur, filium Hywel. S.* Tyfrydog *autem, qui in mss. codicibus* Bonedd y Saint (5) *etiam* Tyfrydawc *et* Tyurydavc *dicitur, cultus fuit, ut illic traditur, in insula Mona seu Anglesey, et quidem in parœcia* Llandyfrydog, *cujus fundator nuncupatur; die scilicet* 1 *januarii. Diem festum S.* Twrnog, *qui et* Teyrnog, *et* Tyrnog, *reperi in Martyrologio anglico* (6), *quo ex Willisio inductum : agebatur is die* 3 *aprilis in* Llandyrnog *in comitatu de Denbigh; quæ parœcia, ut patet, ab eo nomen accepit.*

Dier *seu* Deiferi, *qui S. Winefredæ consiliarius fuit*,

6 *De S.* Dier, *qui et* Diheyuyr *et* Diheufyr, *paulo plura nota. In Bonedd y Saint* (7) *coli dicitur in* Modffarry, *nunc* Bodfary, *id est* habitaculum Diheufyri, *in comitatu Flintensi; verum nunc hujus parœciæ templo S. Stephani nomen pro titulo esse legitur apud Carlislium* (8). *Latine dicitur* Deifer, *idem scilicet eremita, qui in Vita S. Winefredæ legitur. Scilicet S. Beunous, qui a decessoribus ad diem* 14 *januarii, qua colitur, omissus fuit, quum S. Winefredam velasset et monasticæ vitæ leges docuisset, ex hac terra ad cælos abiverat; ast noluit Deus ut pientissimæ virgini consilia deessent, sed designavit ipsemet quem magistrum adiret. Itaque sancta mulier* admonitione divina sanctum virum, nomine Deiferum, adiit. Erat quippe vir ille magnus coram Domino; de quo refertur quod fontem de terra erumpere fecit, multis infirmis sanitatem conferentem. Cum autem sancta Winefreda ad S. Deiferum veniret, sancto in oratione nocte illa persistenti vox de cælo insonuit, dicens : Dic charissimæ filiæ meæ Winefredæ, quatenus ad virum, nomine Saturnum, pergens, quid actura sit audiat et in quo loco omni vitæ suæ tempore sit mansura (9). *Dei mandata fecerunt ambo et Witheriacum ad S. Elerium abiit beata virgo. S.* Deifer *autem,* clarus miraculis, *addit Alfordus* (10), in sanctorum numero mortuus ponitur anno 664 et nomen ejus in fastis nostris legitur ad 7 martii; *in martyrologio autem anglico* (11) *die* 16 *martii, stylo novo.*

et S. Marcellæ *sororis.*

7 *In supplemento ejusdem Martyrologii ex Willisio annuntiatur ad diem* 5 *septembris natalis sororis quatuor illorum germanorum fratrum, scilicet S.* Marcellæ, *quæ in* Bonedd y Saint (12) Marchell *dicitur et coli in* Capel Marchell in Llan Rwst, *quæ parœcia est comitatus de Denbigh. An hujus capellæ, cujus meminit adhuc Lelandius in tomo V sui Itineris* (13), *vestigia etiamnum exstent dubium mihi est; sed superest sanctæ virginis memoria in* Ystrad Marchell *in Montisgomerici comitatu; ubi sæculo* XII *exstructa est abbatia Cisterciensis de Strata Marcella; cujus origines explicuimus in tomo VIII Octobris et de qua plura dabunt Dugdalius seu potius ejus continuatores* (14). *Satis nobis esse debet nomina sanctæ hujus familiæ, qua optima potuimus ratione, oblivioni eripuisse.*

(1) Monasticum Anglicanum, t. IV, p. 659 et 660. — (2) Rice Rees, Essay on the Welsh Saints, p. 236. — (3) Ibid., p. 276. — (4) Ibid., p. 344. — (5) Myvyrian archæology, t. II, p. 55. — (6) Memorial of ancient British piety, supp. p. 11. — (7) Myvyrian archæology, t. II, p. 38. — (8) Topogr. Dict. of Wales, V° *Bod Fary*. — (9) Robertus, abbas Salopiensis, in Vita S. Winefredæ, ap. Capgrave et hinc ap. Alford, qui et Griffith, Annales ecclesiæ Anglosaxonicæ, ad an. 660, num. 30, t. II, p. 304. — (10) Ibid., num. 32. — (11) Memorial etc., p. 52. — (12) Myvyrian archæology, t. II, p. 47. — (13) Cfr Memorial etc., suppl. p. 23. — (14) Monasticum Anglicanum, t. V, p. 636 et seqq.

DE

DE S. GAUDIOSO,

EPISCOPO SALERNITANO ET CONFESSORE,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ unicus. Tempus episcopatus; translatum sancti corpus Neapolim; antiquam Officium.

CIRCA MEDIUM SÆC. VII. *S. Gaudiosus Salerni*

Salernum, nobilis regni Neapolitani civitas, ab antiquissimis temporibus sedem episcopalem habuit, quam dein Joannes Pp. XV, anno 986 *evexit ad dignitatem archiepiscopalem. In illa Ecclesia celebratur memoria S.* Gaudiosi *episcopi, quem ad hanc diem laudat Martyrologium Romanum hisce verbis :* Apud Salernum, Sancti Gaudiosi episcopi. *In Martyrologio marmoreo Noapolitano legitur ad diem* XXVII *octobris :* Dep. Gaudiosi epi. (1) *incertum tamen, an hic loci agatur de Salernitano an Africano antistite; nam hujus quoque memoria die* XXVIII *octobris recolitur. Ast de Salernitano* Gaudioso *omnia fere sive originem, sive res gestas, sive ætatem spectes, aut ignota, aut dubia sunt. Densiores etiam tenebras ejus Actis offundit confusio cum Sancto homonymo, episcopo Africano, qui, Vandalicam persecutionem fugiens, Neapolim appulit, ac ibidem sancto fine quievit; cujus quidem res gestæ evolvendæ venient ad diem* XXVIII *octobris. Caput tamen difficultatis circa S.* Gaudiosum *Salernitanum in eo est, ut sciatur, quo circiter tempore sedem Salernitanam tenuerit. Enimvero hac soluta, reliqua cum aliqua saltem verisimilitudine affirmari possent : sed mira est scriptorum in definiendo tempore diversitas.*

sedisse videtur

2 *Etenim Hagiologium Italicum ad hanc diem episcopatum Sancti initio sæculi sexti illigat, his verbis :* Gaudiosus, post S. Valentinum episcopus Salerni, interfuit synodo Romanæ sub Symmacho Papa. Quamvis ejus Acta perierint, perseveravit tamen ipsius sanctitatis memoria, et corpus ejus colitur in crypta inferiori ecclesiæ cathedralis. *Si res ita se haberet, jam solutum esset omne dubium; nam Symmachus pontificatum tenuit ab anno* 498 *ad* 514. *Verum contrarium testantur Acta Conciliorum. Etenim in Synodo Romana, anno* 499 *celebrata pro recognoscenda electione Symmachi, subscriptus reperitur* Gaudentius Salernitanus (3), *qui alius est a* Gaudioso *nostro. Propterea quoque Ughellus inter illum Gaudentium et* Gaudiosum *nostrum decem intercalares ponit antistites, quin definire valuerit,* qua ætate vixerint, qua mortalitatem expleverint, qua re et quantum temporis sederint (4). *Hac ratione S.* Gaudiosus *est decimus septimus in serie episcoporum Salernitanorum. Anton. Mazza in Urbis Salernitanæ Historia cap.* VII (5), *ponit quidem S.* Gaudiosum *post Valentinum, ut habet Hagiologium supra citatum, sed ei successorem dat Gaudentium, nempe Synodo Romanæ anni* 499 *præsentem; atque adeo Sanctus noster pertineret ad sæculum quintum et ordine esset septimus episcopus. Antiquiorem eum etiam faciunt Gaspar Musca* (6) *et Philippus Ferrarius* (7), *utpote quem successorem dent S. Eusterio, de quo actum fuit ad diem* XIX *octobris* (8), *et circa medium sæculum* V *obiisse dicunt : unde et S.* Gaudiosum *ponunt episcopum ordine quintum. Ex his satis liquet, quam intricata sit quæstio chronologica, quæ vix conjecturis quibusdam solvi utcumque potest.*

circa medium sæculum VII,

3 *Omnium tamen probabilissima nobis videtur opinatio, quam edidit Josephus Parsano, canonicus Salernitanus et ipse patriarum rerum solers indagator, in opere de Monumentis Ecclesiæ Salernitanæ, anno* 1846 *typis Neapolitanis excuso* (9). *Hic autem S.* Gaudiosum *ponit episcopum octavo loco, ita tamen ut ejus pontificatus incidat in medium sæculum septimum. Et imprimis quidem Sanctus noster tunc debuit eligi episcopus, quando Salernum societatem civilem habebat cum Neapoli; alioquin antistitem sibi numquam assumpsisset filium, ut habemus in Encomio num.* 2, *eorum,* qui inter proceres habebant primatum *et* in Parthenope tenebant dominium. *Scimus porro Neapolitanos jugum Longobardicum non subiisse toto sæculo septimo, quum usque ad sæculi octavi seu annum* 705 *bellum arserit inter Neapolitanos et Longobardos. Sæculo igitur septimo S.* Gaudiosus *ad cathedram Salernitanam admotus fuit. Sanctum sub Longobardis vixisse, monstrant ejus Acta qualia habemus : ignoramus quidem eorum scriptorem et ætatem. Sunto, si lubet, aliquot etiam sæculis posteriora : tamen istiusmodi sunt, ut imaginem invasionis et occupationis Longobardicæ fidelissime exhibeant, neque ulla occurrit ratio, ut scriptor quiscumque episcopum a tempore Romanorum ad ætatem Longobardicam transferat, ejusque mores referat. Oportet igitur ut scriptor Actorum aut ipse ad eam ætatem pertineat, quo casu valde antiqua esset de ætate S.* Gaudiosi *traditio; aut, quod verisimilius nobis propter intextas hinc inde fabellas videtur, si recentior est, antiquiora coram habuerit monumenta, quæ traditionem confirmant.*

(1) Paesano. Memorie della Chiesa Salernitana, p. 83. Napol. 1846. — (2) Mai. Scriptt. Vet. et Nov. Collect. t. V, p. 64. — (3) Labbe, t. IV, Conc., col. 1315. — (4) Ital. sacr., t. VII, col. 353. — (5) Burman. Thes. antiquit. Ital., t. IX, vol. IV, col. 42. — (6) De Salernit. episc., p. 14. — (7) Catal. SS. Ital. ad XXVI octob. — (8) Acta SS., t. VIII oct., p. 436. — (9) Memorie della Chiesa Salernitana.

AUCTORE J. V. H. *quod utcumque ostenditur ex variis circumstantiis,*

4 *Etenim hanc monstrant varia indicia, quæ in Oratione Encomiastica, infra danda occurrunt. Sic num.* 4 *Salerni fuisse* græci mixti cum multis barbaris *dicuntur, et episcopo proprio prædicante sermone,* omnes barbari... ita plene verbum melliflue intendebant, ac si eorum idiomate fuisset multiformiter educatus. *Quibus certe probatur Longobardos Salernum sub S.* Gaudioso *occupasse. Paulo infra, num.* 5, *refertur imminens pugna Salernitanos inter et Samnites auctoritate sancti antistitis composita. Id denuo cum ævo Romanorum imperatorum aptari non potest, et e contrario apprime convenit cum regno Longobardorum, quando variæ provinciæ regni Neapolitani suos habebant aut cupiebant principes, qui frequenter inter se discordes in apertum bellum prorumpebant. Sed Longobardi provincias regni Neapolitani occuparunt per tercentos circiter et viginti annos, seu ab anno* 570 *ad* 891 *: atqui hac ratione incerta adhuc vagatur ætas S.* Gaudiosi*: propius tamen ad eam accedimus, si attenderimus verba Encomii num.* 12, *nempe,* corpus Sancti post multum temporis spatium virum quemdam, nomine Milum... a Grimoaldo, Salernitano principe, impetrasse, et ad Neapolim civitatem cum omni reverentia transportavisse.

et ex tempore translationis

5 *In his verbis duo præsertim attendenda sunt, nempe translationem factam fuisse* post multum temporis spatium *et quidem eam a* Grimoaldo Salernitano principe *fuisse* impetratam. *Crediderim intra paucos annos circumscribendum esse* multum temporis spatium, *quia non videtur agi de antiquo aliquo Sancto, ab antiquis temporibus in crypta Salernitana composito, sed de recentiore antistite, natalium splendore et sanctitatis fama illustri, quem sibi cupiebant ex speciali pietate Neapolitani. Nam pignora vetera veteribus cumulandi nulla illis erat necessitas, utpote quibus abundabant Sanctorum lipsana. Hisce addendum corpus S.* Gaudiosi *concessum fuisse a Grimoaldo, Salernitano principe, cujus ætatem, si utcumque cognoverimus, jam tempus episcopatus sancti nostri probabili conjectura assequi poterimus. Plures sunt hujus nominis principes, qui maxime Beneventi regni gubernacula tenuerunt. Salernitanus principatus, quatenus distinctus a Beneventano ducatu, incepit anno* 851 (1), *ejusque primus princeps fuit Siconulfus; cujus dein successores enumerantur apud Antonium Mazza in Salernitanæ urbis Historia usque ad Robertum Guiscardum, qui sæculo* XI *Salernitanum principatum tenuit* (2), *quin ullus nomine Grimoaldi veniat. Quod si etiam unus alterve veniret : certum mihi est, neminem Salernitanorum principum opem suam conferre potuisse ad translationem corporis Sancti nostri, utpote quod Neapolim jam advectum erat sub Stephano II episcopo, qui, ut testatur Joannes, diaconus S. Januarii, in Chronico episcoporum Neapolitanæ Ecclesiæ, ad gubernacula istius Ecclesiæ sedit temporibus Romanorum Pontificum Stephani III et Adriani I, qui Romanam cathedram occuparunt ab anno* 768 *ad* 795 (3). *Hic autem episcopus inter alia construxit monasterium S.* Gaudiosi *Confessoris : proinde jam tum Neapoli erant exuviæ Sancti nostri et principes vere Salernitani ad evectionem cooperari non potuerunt.*

sub Grimoaldo I vel II Beneventano,

6 *Quapropter censet Jos. Paesano* (4), *translationem Salerno Neapolim celebratam fuisse sub Grimoaldo I vel II, Beneventanis ducibus, qui ab anno* 646 *ad* 689, *intermedio tamen Romualdo I, principatum tenuerunt. Quia porro supra diximus, corpus S.* Gaudiosi *aliquot post annis Neapolim translatum fuisse, censemus circa medium sæculum septimum obitum ejus contigisse, quod etiam in capite hujus Commentarii notavimus. Sed nunc altera quæstio gravior dirimenda manet, an scilicet S.* Gaudiosi *corpus umquam Neapolim translatum fuerit. Id quidem affirmat Encomiastes num.* 12 *et in hanc opinionem descendit Francisc. de Aste, Hydruntinus archiepiscopus, in Notis ad Martyrologium Romanum sub die* XXVI *octobris, fultus præcipue Lectionariis Neapolitanis antiquis, quæ una voce adstruunt sancti antistitis corpus Salerno Neapolim advectum fuisse. Addit quoque laudatus de Aste, translatum fuisse Sancti corpus anno* 808 *sub Grimoaldo : sed nullus tunc, quem sciamus, Grimoaldus sive Beneventi sive Salerni principatum occupavit. Baronius e contrario in suis Notis ad hanc diem sine ambagibus asserit, Sancti exuvias* reconditas esse Salerni in cathedrali ecclesia, in crypta inferiori. *Certe si Baronii opinio* ex vulgi fama et inani, *ut dicit de Aste,* traditione *excrevisset, validissime impugnaretur Lectionariis antiquis, quæ traditionem confirmant. Sed, ajunt, inter omnes hagiologos convenit, utrumque Gaudiosum, Salernitanum et Africanum sæpe, ut jam diximus supra num.* 1, *confusos fuisse et quasi coaluisse in unam personam. Unde fieri potuit ut S. Gaudiosi corpus, Neapoli asservatum, Salerno asportatum dicatur.*

quæ tamen a Salernitanis negatur.

7 *Hanc confusionem etiam juvit utriusque Sancti diuturna corporum latitatio, quæ sæculo* XV *aut* XVI *inventa fuerunt. Cujus rei testem habemus Sannazarium, in hymnis, pro Officio liturgico compositis, canentem, per longa tempora delituisse sacra pignora :*

Lux, *inquit* (5), clara, quæ fugans nigram
Mundi sator caliginem
Vestri latere gloriam
Patris diu non passus est,
Qua Gaudiosi segmina,
Tot irreperta sæculis
Dives retexit urnula.

Similiter in altero hymno legitur :

Ossa, quæ longa tumuli sub umbra
Abdita, ignaras latuere gentes,
Nocte mox pulsa, redeunt apertas
Lucis in auras.

Josephus de Magistris, qui speciali libro res ecclesiasticas Neapolitanas late descripsit, agens de ecclesia S. Gaudiosi, *refert quidem res gestas antistitis Africani, sed tamen corpus S.* Gaudiosi *Salernitani inter reliquias dictæ ecclesiæ, quarum catalogum texit, recenset his verbis :* Corpus S. Gaudiosi Neap. Salern. episc. (6). *Hæc omnia faciunt, ut incertum sit sepulcrum Sancti nostri hodiernum, quum et Salernitani et hodie glorientur possessione corporis præsulis sui. Unum tamen est, quod Neapoli-*

(1) Vipera. Antiquitat. Beneventanæ, t. II, p. 202. — (2) Burman, Thes. Antiquit. Ital., t. IX, vol. IV, col. 12. — (3) Muratori, Script., t. III, P. II, p. 311. — (4) Memor., t. I, p. 22. — (5) Ap. Ughelli, Ital. sacra, t. VII, col. 357. — (6) Status Ecclesiæ Neap., p. 331.

tanis,

AUCTORE J. V. H.

A *tanis, si verum est, favere videtur, scilicet utriusque Gaudiosi corpus in monasterio S. Gaudiosi, intra urbem constructo, quievisse; donec sæculo proxime elapso, monasterium horrendo incendio destructum fuit, ejusque Reliquiæ magna ex parte ad ædem metropolitanam translatæ fuerunt* (1). *S. Gaudiosus Africanus, ut dicetur ad diem* XXVIII *octobris, alterum monasterium, sed extra urbem construxit, quod a suo fundatore S. Gaudiosi titulum accepit.*

Antiquum Officium Sancti 8 *Quæ porro gesta a nostro S.* Gaudioso *referuntur, exposita habemus in Oratione encomiastica, quam infra dabimus integram, notis opportunis illustratam. Atque adeo nihil superest, nisi ut documenta ejusdem cultus subnectamus. Pro monasterio S. Gaudiosi Africani habetur Officium, ut vulgo dicitur proprium, S.* Gaudiosi *Salernitani, anno* 1568 *typis Neapolitanis excusum. Dabimus quæ in hoc Officio, secundum ritum Ordinis S. Benedicti adornato, specialia sunt. Ac imprimis in utrisque Vesperis non recitantur nisi quatuor primi psalmi consueti in Officio Confessoris Pontificis: Antiphonæ autem sunt sequentes:* Sedenti super cathedram ex-
B sultet cum Ecclesia populus, clamore augens solemnia et jubila præconia, plena devotione. *Ps. Dixit Dominus etc.* Lux exorta rutila cum sacra carnis germina pullulant splendore, sicque doctrina varia cumulat fervida amore. *Confitebor etc.* Rosam rubentem obtulit, finiens per incendium vitam Christo cui credit et puritatis lilium. *Beatus vir etc.* Agmina præ cæteris laudent Salernitani, pro tanti patris culmine voce quotidiana. *Laudati pueri etc. Capitulum : Ecce sacerdos magnus. Responsorium :* Leprosum illum sordidum, putri caduci corpore, qui carne defluebat, factum mundi spectaculum; abstersa cutis sanie. Sanat perfecte languidum, omni propulso vulnere, dum ipsum abstergebat. Abstersa. *Gloria patri.* Abstersa.

recensetur : ad Vesperas, 9 *Hymnus :*

Supernæ lucis claritas
Novum collegam recipit
Irradiata veritas
A diro tetro redimit.
In noctem nempe sæculi
Plenus fulsit virtutibus,
C Clarus director populi
Velut cœlum sideribus.
Cum corpus ejus teritur,
Lymphis ponit edulium,
Lumen e cœlo funditur
Illustrans orbis sæculum.
Hic regulat flagitium,
Pro fide gentis prælium,
Templo tollit supplicium,
Peractis ad exilium.
Quo repletus deifice
Plebi profert Salvifica,
Ubique fatur authentice
Dei præco mirifica.
Dum patitur dispendium,
Datur solerti studio,
Christus ejus ingenium
Suo perfudit radio.
Trinitatis imperio,
Laudes solvamus, modulo
Utriusque paraclito
Munus canamus jubilo.

Ora pro nobis *etc. Ad Magnificat :* O stupor et gaudium, o dator cæcis luminum, o claudis gressum prævium miserorum auriga, consors exsistens superum, specta præsens auxilium et lacrymarum gemitum agentium quadriga, fuisti pastus pauperum, saginatio inopum abjectorum et dæmonum, ad devotum collegium converte mentis oculum, et pietatis viscera nos Christo mente dita. *Postrema verba tantis vitiis infecta sunt, ut sanam interpretationem non admittant. Oratio :* Deus qui clara regis præconia in Beato servo tuo Gaudioso multiformiter demonstrasti, concede nobis famulis tuis ejus semper exempla sectari et assidua illius summi regis meditatione muniri. Per Dominum. *Ad Matutinum Invitatorium :* Exsultet Sion filia jubilo modulando, Gaudiosi suffragia devote gratulando. *Hymnus :*

Jesu lux vera rutilat,
Lucis candori plenius
Se Gaudiosus similat
Vereque lucis filius.
Nam jubar summi sideris
Semper gessit in facie; E
Dum calcat thronum agminis,
Fide pollet in acie.
Pestem mortis exterminat
Fulgore sapientiæ,
Sed pacis dono cumulat
Eos per cultum gratiæ.
Æstum ardoris temperat,
Stillans rorem munditiæ,
Carnem mundumque macerat
Pro vita innocentiæ.
Hic mente sursum habitat,
Quam Angelis parificat,
Luxu jacentes increpat,
Nos spiritu lætificat.
Ergo tu, pater prædite,
Procura tibi subditis
In patria jam inclyte
Nos suffragare meritis.
Cœlorum frangit ostia
Nitens decoris baculo,
Ut per ipsius merita
Crucis salvemur bajulo. Amen.

10 *Secundum ritum Benedictinum, in primo et secundo nocturno recitantur psalmi sex, in tertio autem solum tres; adeoque habentur antiphonæ quindecim, quæ in officio S.* Gaudiosi *sonant, ut sequitur. In primo nocturno :* Hic vir anachoriticæ perfectionis forma, concionis gerarchicæ micuit quasi norma. *Beatus vir* etc. Excelsi dextra copiam charismatum effudit, mentis intelligentiam, Dei secreta diffudit. *Quare fremuerunt* etc. Mansuescit humiliter, dum Christum imitatur, celso throno sublimiter patribus sociatur. *Cum invocarem* etc. Pertractum ad altaria sedule celebrantem, læva monstrat teterrima de cœlis celebrantem. *Verba mea* etc. Jam liber manu mutila fervet devotione, dextra fulva rutilat in consecratione. *Domine Dominus noster* etc. Ductus ad sacrificium, per Angelum monetur, ut sacrum ministerium assensus celebretur. *In Domino confido* etc. Lectiones duorum nocturnorum referunt res gestas S. *Gaudiosi : itaque* lectio prima : Gloriosus Deus in Sanctis suis, *ad Matutinum.* F

(1) Parascandalo, Memorie della chiesa di Napoli, t. II, p. 68.

mirabilis

AUCTORE J. V. H.

mirabilis in majestate, faciens prodigia incessanter, cujus inenarrabilia mundo sunt felicitatis ac sapientiæ præcipua opera, quæ operari, ut operatus est a mundi exordio, non desinit jugiter in Sanctis, qui pectore pio sibi deserviunt, cujus majestas opulenta virtutibus super sacrosanctæ Ecclesiæ gloriosos filios non desinit jugiter in Sanctis, qui pectore pio sibi deserviunt, cujus majestas opulenta virtutibus super sacrosanctæ Ecclesiæ gloriosos filios non desinit in sæcula sæculorum. De quorum beatissimo ac pretiosissimo numero velut athleta, fortissimus, beatissimus Gaudiosus Confessor et pontifex, ut nominis repræsentat vocabulum, alumnus fuit præcipuus ordinis, ut per subsequentia demonstrabitur. Igitur gloriosissimus Gaudiosus, Parthenopensi oriundus civitate, potentum dignissimorum ac religiosissimæ prosapiæ dignam et nobilem duxit originem. Qui quamvis velut sidus emicans terrena, ut diximus genealogia pius effulserit, tamen pietatis et sanctitatis odore mirifico præ cæteris præpollebat. Et licet nobilis fuisset ac strenuus, nobilitatem
B suam non superbiæ fastibus satagebat ostendere, sed illam bonis moribus ac sanctissimis actibus decorabat. Nam cum esset de genere principum, non se dedignabatur parvum ostendere, nunc cujus imitabatur Jesu Christi domini nostri humilitatem, cunctis magnis, parvis, et universis, humilem mansuetum, et pium verbo, et opere se gerebat. Tu autem Domine. *Resp.* Produxit author omnium de stirpe principali mirum clare præludium, de genere regali. Habet tenellum vasculum sanctitate mentali. *Vers.* Paci junctum amabili, orbi monstrat vertibili lucens, et divinali. Habet.

Lectionibus primi Nocturni, prima, secunda, tertia,

11 LECTIO II. O vere beatus, et pius puerulus, nam ab infantia sacris litteris eruditur, sic conversabatur cum sociis suis, non cujus erat alumnus se ostenderet filium, sed despectum ac nobilitatis degenerem corde humili se præbebat, si quidem impune lædebatur a sociis, impune atrocitatis injuriam substinebat; sed Dei puerulus numquam iratum, numquam commotum ejus animum exhibebat, quod in admirationem præcipuam cunctis vi-
C dentibus gerebatur. Traditur igitur a suis charis parentibus Neapolitano pontifici subjectus et famulus; a quo in ecclesia sanctæ genitricis Dei Mariæ ac perpetuæ Virginis clericalem tonsuram suscepit humiliter cum lacrymis, et suspiriis piæ mentis; nam qualem se in suscepto primum honoris ordine quacumque monstraverit, rerum exitus docet. Nam officium sanctæ ecclesiæ tam brevi tempore doctus efficitur, ac artibus mundanæ scientiæ tam brevi tempore honorem ac dignam scientiam adeptus est extemplo felicitus, ut non putares doctorum hoc posse fieri sollicito studio; sed Spiritus Sancti calore ut plenus interius videretur. O beata infantia quæ talem instructorem suscipere meruit, cujus sanctis numinibus sæculi fabrica decernitur, et omne sacri ædificii opus eximium extollitur. Tu autem. *Resp.* Leprosum illum sordidum, putri caduco corpore, qui carne defluebat. Factum mundi spectaculum. Abstersa cutis sanie saliva liniebat. *Vers.* Sanat perfecte languidum omni propulso vulnere, dum ipsum abstergebat Abstersa. LECTIO III. Cum pius infans ad sacros D honores provehitur, non sponte tamen, sed sui antistitis precibus imploratus, cum esset annorum fere viginti et quatuor, diaconatus officio in supradicta Neapolitana Ecclesia est provectus, multis obstrictus suorum parentum arduis precibus, ut sibi condignum erat, incederet, scilicet cum pompa equorum, et copia strenua, solus incedebat pedes uno cum socio, imitans Jesum Christum præceptorem eximium, qui binos suos discipulos ad opus extemplo cælicum ante sui faciem destinabat. Nam ut non absconderetur, quomodo Dominus suis delectabatur operibus, leprosum quemdam dum haberet per Neapolim obvium, confidens in Christi virtutibus, et se parvum ad hoc, et indignum existimans, dum eundem osculatur, humiliter Christi gratia pristinæ restituit sanitati. Dum hæc, et iis similia ægroti quinque aspicerent, copiosa turba ad eumdem confluebat cum lacrymis, quibus ingemiscens, et in cœlum fixos oculos retinens, facto Christi signaculo, sanitatem pristinam revocabat. Tu autem. *Resp.* Optata sapientia venit per abstinentiam ingentis Salomonis; E spernit, et revolgentiam orbicularem gloriam imaginis decoris. *Vers.* Carnem mundumque, conterens : vestem nudatam deferens : tractu devotionis : Spernit etc.

12 LECTIO IV. Nam in illo tempore licet *Lectione quarta;* multis, ut diximus, corruscaret miraculis : cæcum quemdam, ut obvium habuit, sibi, positis super ejus oculos ad modum crucis manibus : his verbis cum lacrymis utebatur : Dominus dirigit justos. Hæc verba dicente, statim illius miselli aperti sunt oculi, et lumen quod per multum tempus amiserat, Dei misericordia recepit. Interea a Salernitana Ecclesia Beatus Bonosus gloriosus prælatus migravit ad dominum, et pro eligendo pastore, qui patris præteriti sequeretur vestigia, capitulum more solito congregatur : dum invocatur divina clementia, ut moris est, ad sancti viri Gaudiosi, cujus jam longe lateque florebant miracula, nullo discrepante, consentit capitulum. In patrem eligitur, et in sancta Salernitana Ecclesia pontifex a clero, et populo clamabatur. Quod dum ad aures sancti Gaudiosi pervenit, velociter fugam parabat arripere F et se indignum vociferabat talis Ecclesiæ pastorem fieri ac rectorem : quod non solum alios regere, sed se ipsum negligere vocitabat. Tu autem Domine. *Resp.* Mundi contemptor extitit : culmen indignum suscipere se fatur subditorum : quem præsul postea recipit : verbo salutis affluit in ordine polorum. *Vers.* Gemens alta suspiria, multiplicat oracula cum pilis camelorum : Quem præsul. Gloria patri : Quem præsul.

secundi Nocturni Lectione quinta,

13 IN II NOC. ANT. Cor pietatis gratia, adplene delibutum : saccum plenum pecunia, ostendit distributum. Ps. *Domine quis habitabit.* Ant. Pacem salutis attulit, famelicis ac stratis : Angelus lucis obtulit sacculum pietatis. Ps. *Domine, in virtute tua.* Ant. Ut novis alimoniis, cessavit famis, pestis, suffecit eleemosinis saccus ille cœlestis. Ps. *Domini est terra.* Ant. Audit hoc sanctissimus pietatis custos : sed agit promptissimus consolator mœstos. Ps. *Cantate Domino* I. Ant. Trahe nos ad sidera, pater invocate : cordis desideria, reples bonitate

A bonitate. *Ps. Dominus regnavit exultet.* Ant. Ponit in cœlestibus, sed non in pertusum, quod datur pauperibus, per nomen diffusum. *Ps. Cantate Domino* II. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas. *Resp.* Et ostendit illi regnum Dei. LECTIO V. Sed quia divinæ potentiæ humana natura non potest resistere, Angelico monitu excitatur a Domino, ut talem sibi concessam cælitus susciperet dignitatem. Accepta igitur pontificali infula, eadem in corde, quam primum habebat, remansit humilitas : eadem in vestitu erat jugiter vilitas : ut jam cum esset strenuus pontifex, non pontifex, sed monachus putaretur. O vere mirabilis, et laudabilis pontifex Gaudiose, cui ita per gratiam affuit Dominus, ut quicunque tristabatur, per Gaudiosum archipræsulem lætus efficitur continuo : quicunque infirmabatur, ad eum currebat devotius, sanus redibat ad propria : unicuiquam non nocere sed proficere voluit : et cum spiritualiter quid ageret, sibi corpus jubebat, deficere ob annorum multitudinem animum nullatenus relaxabat. Quantæ charitatis erat sectator præcipuus : ut cum esset per to-
B tum regnum istud Siciliæ inedia maxima, et fames totum regnum occuparet mortalitate : ipse quicquid de suo et Ecclesiæ suæ habere poterat, sagaciter cunctis egentibus feliciter providebat : Tu autem Domine. *Resp.* Gaudiosus in publicum, verba vitæ ferendo, factus præco cœlestium populum admonendo, stabat ad puerperium mulier pariendo. *Vers.* Supplevit lumen cælicum flagans mentis incendium, sic distans audiendo. Stabat ad puerperium.

Lectione sexta,

14 LECTIO VI. Nam cum quadam die beatissimus Gaudiosus nihil haberet quod pauperibus traderet, dum secum lacrymis nocte humiliter prostratus incubaret : angelico dono sibi Dominus sacculum pecuniæ plenum, dum pernoctaret in orationibus dormiens, destinavit : quem expergefactus, ut vidit, conversus cum lacrymis Domino immensas gratias corde funditus exhibebat. Mane autem facto, sicut fidelis servus et prudens, quem Dominus super suam ordinaverat familiam, pauperibus sacculi universam pecuniam dispensavit con-
C tinuo. Quid dicam sancti viri Gaudiosi immensa miracula? quæ in episcopatu toto vitæ suæ tempore egit humiliter. Nunc si Homerus ille ab inferis, ut ita loquar, resurgeret, nullatenus explicare sermone valeret; non quod Sancti Gaudiosi mira deficiant, sed ne legentibus valeat fastidium generare. Tu autem Domine. *Resp.* Leprosus præstat oscula irradiata plantula servit : et sauciatis frangit domat viciat. Angit superna opera indagine claritatis. *Vers.* Sidus clarum emicuit procul sermo insonuit apice veritatis. Angit. *Ita liber.*

Lectionibus septima et octava;

15 LECTIO VII, De morte autem ejus qualiter de hoc sæculo ad Christum migraverit, Deo concedente, veniamus. Dum beatus Gaudiosus ætatis suæ annum fere quinquagesimum adimpleret, ex hac luce subtractus feliciter in Domino obdormivit. Sed antequam migraret ad Dominum angelica visione in lecto vilissimo dum jaceret dejectus, et vilis multis videntibus extitit visitatus, et non solum angelica sed et Sanctorum antecessorum suæ Ecclesiæ necnon et sancti Agrippini, et Januarii, et sancti Bonosi Salernitanæ Ecclesiæ præsulis asserebat se visitantibus, sociari, ut quorum imitatus vestigia jugiter fuerat, almos socios in exitu a corpore suo sanctissimus episcopus recipere mereretur. Nam media nocte, dum vellet suum hilariter spiritum reddere, ad Dominum nocte voce clara cantans : In manus tuas Domine commendo spiritum meum, et ut erat comitatus Angelorum, et Sanctorum, ut diximus, sacris consortiis, clara cum luce de ergastulo corporis sacratissimus episcopus cœli secreta cum gaudio penetravit. Tu autem Domine. *Resp.* Functus gradu authentico ; vultu nitens angelico in veste pastorali. Spreto pravo consortio, oves redimit munere pontificali. *Vers.* Mulierum nebulam fugit : et ejus oscula pro vita virginali. Spreto pravo. LECTIO VIII. Tanta igitur claritas in corpore remansit et albedinis puritas, tanta odoris suavitas, ut videres non cadaver extenuatum, sed quemdam jam in futura gloria, ut dicit Apostolus, hominem transformatum. Nobilissimæ sibi ab universo clero, et populo fuerunt exequiæ paratæ, et cum cæteris suæ Ecclesiæ prædictis pontificibus, ut dignum erat, sanctissime est humatus, in cujus tumulo mancis E
sanitas redditur, cæcis visus impenditur, dæmones ab obsessis corporibus effugantur. Referunt beati qui affuerunt, ut verissime sunt testati, leprosi mundati, cæci duo, dæmoniaci septem, manci duo die illo, quo sarcofago cum honore tumulatur, ut diximus, fuerunt a Domino suis sacratissimis precibus liberati. Nam post multum tempus a magistro Milo Neapolitanorum civium hujus Parthenopensis civitatis dominus quidem ei oriundus fuit genere ejus Grimaldo principi Salernitano devoto expetitur et fideliter obtinetur. *Sic;* in cujus civitatis supercilio ad laudem ipsius et nomen constructa est ecclesia, in qua mirifice collocatur. Ubi præstat sui festum colentibus immensa beneficia Dominus usque in hodiernum diem cui est honor, et gloria ex nunc, et per infinita sæcula sæculorum. Amen. Tu autem Domine. *Resp.* Cibum, flexis poplitibus, assidue pauperibus non cessat ministrare. Sicque prælatus altus humilitatis actibus nitet prædicare. *Vers.* Quam summi Patris filius peroptat sed in melius pro cunctis laborare. Sicque prælatus. Gloria Patri. Sicque prælatus. IN F
III NOC. ANT. Vernat in miraculis dum esset viator, nunc perfundit singulis existens contemplator. *Cant.* Beatus vir qui in sapientia morabitur. Benedictus vir qui confidit in Domino. Beatus vir qui inventus est sine macula. *Vers.* Justus germinabit sicut lilium. *Resp.* Et florebit in æternum ante Dominum. *Lectiones ex Evangelio :* Sint lumbi vestri præcincti etc. LECTIO IX. *Resp.* Cum sinistram purissimam : mulier osculatur ex tunc per noxam flammineam, sancti menti titillatur : capit cum dextra rompheam, sinistra resecatur. *Vers.* Manum illam obnoxiam, per vocem Evangelicam tollit dum stimulatur. Capit cum dextra. LECTIO X. *Resp.* Dum sanctus hic ut mutilus desiit celebrare, insolitum hoc populus, ceperat mussitare : sed latens mentis gemitus : pavebat revelare. *Vers.* Cum manum nigram Angelus, ferens missus cœlitus jubet sacrificare. Sed latens. *Resp.* Draco ille teterrimus qui virus fundebat noxium : omnem hanc regionem : vastabat ferus pessimus : Flatu necans pesti-

AUCTORE J. V. H.

AUCTORE J. V. H.

fero vomens contagionem. *Vers.* Hunc sanctus celeberrimus, fugat pulsum remotibus per solam jussionem : Flatu necans. Tu autem Domine. *Resp.* Atrox famis inedia exinanitum populum, consumens perimebat, victus omnis inopia : panis tollens edulium, pariter defluebat. *Vers.* Motus misericordia, pro plebis alimonia, cuncta, distribuebat. Panis tollens : Gloria Patri. Panis tollens. *Te Deum laudamus.*

ad Laudes antiphonæ

16 AD LAUDES, *et per horas.* Dum Gaudiosus præviis, orationum studiis, in Domino confisus, intra arma micantia, se ut salutis fœdera est athleta provisus. *Ps. Ordinarii. Ant.* Hic cunctos ad prælium, et ad mortis excidium, cives Beneventanos, flectit ad pacis vinculum per solum jussum cælicum, contra Salernitanos. Tres tenet in prodigiis ordines, miraculis potestates pellit, feritates jaculis, largitate dæmones expellit. Doctus per flamen spiritus, se dedicavit funditus, servire creatori, spernens mundum penitus, donis perfusus cælitus innixus redemptori. Laudans in cordis jubilo, decacordo psalterio, melodi simphonia, hæc
B est plena devotio Gaudiosi præcordio, exultans melodia. *Capitulum.* Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Deo gratias. *Resp. Breve.* Sancte Gaudiose confessor Christi, audi rogantes famulos. *Vers.* Et impetratam nobis cælitus, tu defer indulgentiam. Audi rogantes : Gloria Patri. Audi rogantes.

Hymnus.

17 HYMNUS.

Jam sydus cæli radiat :
Manens in hoc ergastulo
Nutu divino properat,
Id vocitante populo.
funditus ? En gratuletur cunctus *,
Tanto fulgente presule,
Dum sublimatur cælitus, (*sic*)
Superno micante numine.
Nudo tellure carpitur,
Servans carnis munditiam,
Mundus subactus labitur,
Tenens altam clementiam.
Antra deserti petiit,
Substentans pœnalitatem,
C Bella concussa abstulit,
Demonstrans hilaritatem.
Multis clarens miraculis,
Spiratos resuscitavit
Cælum procuret parvulis,
Qui devios recuperavit.
Te deprecante jugiter,
Tuis detur sororibus,
Hostem calcare fortiter
Et cum suis ultoribus.
Laus honor virtus gloria,
Trinitati mirificæ,
Quæ cunctis extat prævia
Sit pro tanto pontifice. Amen.

Vers. Ora pro nobis beate Gaudiose. *Resp.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi. *Ad benedictus Ant.* O præsul fragrans meritis, spretis ad plenum deviis, et abjectis lasciviis, ac mundanis illecebris, carne marceratus, refertus exstas præmiis illis summis collegiis sociatus, et herois, et civibus cælicolis rosis laureatus, nobis adsis miseris, et pressurarum tædiis lacrymarum pro fluviis pater miseratus. *Canticum. Benedictus.* Ad *Magnificat.* D *Ant.* O virum mirabilem : cujus vestis in liquidis undis extat vehiculum, quasi navis perfecta fugiebat a perfidis, deferens sancti pallium, super ipsum stans solidum infra iter prævium, a qua tunc refecta aciem verte luminis ad peccatorum baratrum, et immergens periculum labe precipitium in plebe sit subjecta.

Cultus Sancti hodiernus.

18 *Præter hoc quod attulimus Officium, multis mendis infectum, res gestas* S. Gaudiosi *extollens, habemus alterum in Proprio Salernitano, jussu Marii Bolognini archiepiscopi anno* 1594 *editum. In isto autem omnia sunt de Communi Confessoris Pontificis præter Orationem, quæ est, ut sequitur :* Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die Beatum Confessorem atque pontificem Gaudiosum beatitudinis æternæ gloria sublimasti ; concede propitius, ut cujus mysterium veneramur in terris, intercessionis ejus auxilio apud misericordiam tuam muniamur in cœlis. Per Dominum. *Posterioribus temporibus Officio* S. Gaudiosi *additæ fuere lectiones propriæ, quæ compendio res gestas sancti præsulis exhibebant : ast dolet mihi carere recentioribus libris,* E *istas exhibentibus. Interim hæc lego in Directorio liturgico Salernitano pro anno* 1847, *jussu D. Marini Paglia archiepiscopi edito :* XXVI octobris fer. 3. S. Gaudiosi ep. Salern. et C. Dup. De Com. C. P. II. 1 n. de Scr. occ. reliqua propria. *Restat igitur, ut denuo excudamus Orationem Encomiasticam, quam edidit Ughellus in Catalogo episcoporum Salernitanorum : ejus ætatem nuspiam prodit editor, neque scimus, quo ex fonte derivarit auctor ea, quæ refert.*

ORATIO ENCOMIASTICA

IN FESTO

S. GAUDIOSI, EPISCOPI SALERNITANI,

ORTU ET GENERE NEAPOLITANI *a*. *a*

Ex tom. VII Italiæ Sacræ, Ferdinandi Ughelli. F

CAPUT UNICUM.

Natales illustres; admissio inter clericos; episcopatus Salernitanus; res gestæ et sanctus obitus.

Prologus.

Exivit homo ad opus suum de sinu Patris in uterum matris, tanquam gigas exsultans in via, trabea carnis indutus, naturam nostræ mortalitatis assumpsit, ut cunctos in posterum faceret immortales. Nam qui facit mirabilia magna solus, opus mirificum produxit in lucem, benedictum videlicet Gaudiosum, ut sanctam matrem Ecclesiam redderet novitate tam claræ sobolis lætabundam. Huic enim pretiosum cœli præstant hospitium, quem Deus produxit, ut exemplar præfulgidum a cunctis fidelibus imitandum, cujus normam, et merita crebris miraculis manifestat. In ipsum namque et vere eximium et contritum tanta Christus benignitate respexit, ut non solum de pulvere

A pulvere suscitavit egenum, verum etiam semitam perfectionis ostendens, ducem atque pastorem effectum in lucem dedit hominibus, ut esset alter Angelus veræ pacis. Secure igitur hunc sequantur, qui transeunt per deserta, ut dimissa vallis miseria lacrymarum, ad terram viventium possint feliciter pervenire. Gloriare igitur, cœtus angelice, et ad tam gratum alumnum corda converte; ne si ejus laudum præconia taceremus, timeremus sceleris argui, ut ingrati. Ad hujus tam mira præconia viri curramus, qui dum viveret in medio nebulæ suæ carnis, velut lucifer, omnibus candens lilium ac odoris suavissimi rosa vernans *b*.

b S. Gaudiosus, *nobili genere natus,*

2 Porro, sicut ex claris sententiis comprobatur, ex magnis principibus trahens originem, altitudinem sui generis recusavit, humilia semper diligens et amplectens. Parentes, quoque ejus, quum inter proceres haberent primatum, in Parthenope tenebant dominium, ex quorum progenie puerulus iste natus, in sacro baptismate Cajum cupiunt appellari. Qui fuerit in deliciis educatus, superna tamen
B condescensione præventus, cor semper gerebat senile, nullique animum tradidit voluptati. Hæc vera illa civitas, quæ altero nomine Nea-
c polis nuncupatur *c*, quæ quum esset innume-
ris vallata divitiis, ignis prorumpens de monte
d Summæ *d*, ipsam terram aruit et combussit. Ob hanc enim causam mare resultans magis, magnifica civitas est submersa. Hic autem puer sedulus et devotus debilibus et leprosis serviebat, ut in oculis omnium vilius videretur; quumque esset tam magnus ex genere, totus erat absorptus in Dei amorem, ut et pedes infirmorum detergeret et saniem vulnerum expiaret. Ut autem quadam die leprosum quemdam haberet occursum, tanta circa eum fuit pietate permotus, ut subito irruens in eumdem, omnes illius plagas tergeret cum
e saliva mirum in modum *e*. Statim namque, ut ille æger fuit ab eo contactus, totus ille morbus abscessit, et ita redactus est pristinæ sanitati, ac si antea nihil mali penitus habuisset. Noverat autem, quod id, quod apud homines est superbum, abominatio est coram Deo : excelsus enim Dominus alta de longinC quo cognoscit, humilia respicit e vicino.

episcopatum Salernitanum suscipit,

3 Audita quippe fama istius viri sancti beati, lætanter populus confluebat; quia ipse non solum moribus, verum etiam et scientia præpollebat. Tanto namque ingenio puer bonæ indolis relucebat, ut infra modicum temporis spatium sic divinis litteris fuerit imbutus, ut magis putaretur iis divinitus, quam humanitus acquisitis. Quum igitur esset vocatus ad suscipiendum clericatus honorem, ipse cum fletu id accipere recusavit : antistes vero ad hoc habendum, quasi eum invite coegit : Qui post multam precum instantiam in ecclesia Dei Genitricis tandem cum metu recepit *f*, ibique inventus est vir Dei equorum pel-
f liciam *g* deferre ad carnem. Interjecto autem
g non multo post tempore, Salernitana Ecclesia suo est orbata pastore : cujus clerus, commotione angelica præcedente, Gaudiosum vocitabant in præsulem : mox, mane rumpente
h aurora, famulus Dei, ut qui tunc in remotis agebat, ibidem subito est inventus *h* qui prius incognitus erat, nutu divino ab hominibus nosceretur. Quem suscipientes cum jubilo ad D pontificatus fastigium posuerunt. Nimirum ibidem homo postulatus apparuit gratiæ præditus cœlestis virtute, quæ suo imperio dispersionem congregat Israelis. Fungenti vero pastorali officio, non humanis laudibus est elatus, sed cuncta calcare studuit ex desiderio æternorum.

et strenue gerit,

4 Pervigil erat in orationibus, blandus in admonitione et severus in increpatione. Studebat namque summopere oves sibi commissas defendere, quas suo pretioso commercio Christus sanguinis acquisivit. Licet enim diligenter intenderet pauculas illas oves a luporum furore eripere, tamen eas verbo et exemplo sic fideliter refovebat, ut non tantum suæ, sed etiam alienæ *i* currentes intendebant præci- *i*
pue intelligere verba sua. Quadam autem die, dum secus littus famulus Domini prædicaret Salerni, fuerunt ibidem græci mixti cum multis barbaris involuti. Dum ergo Christi servus de miris crucis mysteriis proprio prædicaret sermone, omnes barbari, qui aderant, universa ora tenebant aperta, et ita pleni verbum melliflue intendebant, ac si eorum E idiomate fuisset multiformiter educatus *k*. O *k*
vere prægrandis mirabilis Gaudiose, qui tuo verbo indomitas gentes convertisti, ut ex omni plebe cognitus, linguis loquereris eorum. Mulier quædam, exsistens in partu, quum esset a longe constituta et quasi per milliare corpore absentata, dum audiret antistitem prædicantem, cœpit respicere de longinquo; unde factum est, ut mulier absens corpore, cum eo mente maneret, et quem spatium dividebat obtutum *l*, propinquis auribus *l*
esset personaliter constituta. Beata es, o talis infantia, quæ talem ac tantum structorem suscipere meruisti, cujus sacris numinibus ætherea fabrica intuetur, et omne ædificii opus per eum extollitur et ornatur. Hæc sunt enim testimonia tua, Domine Jesu, ut in omnem terram exiret sonus eorum et in fines orbis terræ eorum verba ructaverunt *. * ructarent?

maxime tempore famis

5 Moram autem viro Dei faciente Salerni, fames valida regnum intrat, quæ sic atrocitate invasit totum, ut vix pretio victus haberi posset. Hic vero quasi carbo totus ignitus circa pauperes videbatur absorberi. Contuebatur autem eos affectu pio, ut velut mater ipF sos continuo parturiret. Hinc mox, ut potuit, cunctis distractis, famelicos cibo reficiebat solerter. Quumque crescente inopia nihil haberet, ut alter Elias, æmulator exsistens, unam chlamydem erat indutus, eo nudato, pauperibus ministravit, ut nudus cum nudo luctari valeret amore illius, qui pro nobis omnibus nudus in cruce pependit. Nocte quoque sequenti quum se sopori dedisset, Angelus Domini in somnis affuit, et sacculum pecuniæ secum tulit, quem reperiens expergefactus, Deo immensas gratias agens, pauperibus et debilibus elargitus (est). Ex his igitur evidenter intende, qualem fecerit Deus hunc pastorem, qui flamma divina succensus, suo calculo *m* *m*
montes igniret.

et belli civilis:

6 Eo quoque tempore, quo famulus Domini habitabat in antris, certamen Salernum tentat lacessere cum Samnitis *n*. Quod quum sibi *n*
innotuit, primum diriguit, dehinc flevit atque clamavit : Salvum me fac, Domine, quoniam infirmus

A infirmus sum et contremuerunt omnia ossa mea. Interea termino veniente propinquo, die statuta iniebat ad bellum. Quumque innumerabilis populus ad eum locum in unum conveniret certamen, solus campus dividebat eosdem. At vero continuo vir beatus occurrens, sequester et intrepidus se posuit inter eos : ut autem omnibus imperaret silentium, clara voce clamavit et dixit : Ex parte omnipotentis Dei et sui servuli Gaudiosi injungo, ut deposita animositatatis audacia, debeat unusquisque ad propria remeare. Mirum dictu, confestim namque, ut auribus eorum sermo insonuit, cecidit super eos spiritus gratiæ salutaris, ut rejecto mentis livore, ad oscula unus alteri curreret incessanter; qui mox victores reversi, pacem Domini reportantes, gaudentes redirent ad propria, qui tristes venerant ad patriam alienam. Juxta quidem sermonem hominis Dei manus valida obstupescit, qui non armis venerat, sed precibus pugnaturus.

rigidus propriæ castitatis custos;

7 Rigidus in disciplina, circa custodiam suam vigilabat attente, curam habens præci-
B puam de impretiabilis custoditione thesauri circa mentis et corporis integerrimam puritem. Mulieris quoque consortium evitabat omnino et nullo umquam tempore loquebatur solus cum sola. Quadam autem die quum vellet celebrare divina et inter Missarum solemnia mulier quædam manum ejus oscularetur sinistram; nocturno vero tempore veniente, tantum viro Dei osculum illud reliquit ardorem, ut putaret se interesse ludibriis puellarum et exoso tempore fatigato, solis cogitationibus gravaretur : necessitate cogente, manu altera verberavit sinistram, sicque factum est, ut quod fuit ad pravitatem inflexum, ipse ad usum converteret ultionis. Noverat enim illud deificum : Mallem autem una manu vitam intrare; quam duabus gehennam intrare æternam. Veniente quoque solemnitate dominicæ, necessitate coactus, mane debebat Missam celebrare. Quumque de nocte esset nimium anxiatus, manu tundebat pectusculum, lacrymis rigabat cavernam et quid circa hoc ageret, omnino nesciebat. Et ecce Angelus Domini adstitit immenso lumine circumda-
C tus, tetigit manum nigram, quam habebat velut Æthiopis denigratam, quæ quum fuisset ab Angelo palpata, carne reliqua albedini restituta, sola manus illa nigredine exempta est *o*. Tantam autem ex tunc in eum populus devotionem concepit, ut quasi pro Angelo ab omnibus haberetur.

o

serpentem hominibus et agris nocivum,

8 Et licet tyrannorum gladium non sensisset, tamen per vitæ meritum martyrio non privatur; quia non tantum effusione sanguinis, sed absentia a peccatis verus martyr effi-citur. Nam et ad tactum ejus salvificum cæcus quidam luminis claritatem suscepit, ut qui prius fuerat peccati venenum, postmodum a sorde esset penitus alienus. Igitur quum esset potentissimus in miraculis et fama ejus prodigiorum excresceret, vir Dei nulla laude est elatus humana; immo dicebat, se esse indignissimum omnium peccatorem. Eo quoque tempore, quo de famulo Dei agerentur insignia, draco quidam teterrimus et horrendus a radice montis surgebat Neapolis, qui suo morsu damnifico omnia animalia consumebat, et anhelitu fœtido omnes homines morbo D inficiebat. Interdum autem insidiabatur sub aquis, ex quibus fluvius quidam rapidissimus manabat. Quumque per internuntios servus Dei supplex exstiterit factus, protinus exsurrexit et versus draconem aggressus est, soli Domino confisus. At ille dum cerneret virum sanctum, velut mansuetissimus agnus coram eo prostratus dorso se submisit. Ad cujus præceptum mirificum continuo discessit, ac recedens festinus nulli nocuit in pressuris, et ultra ibidem amplius non est visus *p*.

p

virtute orationis domat;

9 Felix almus est iste Confessor, cui non tantum mitia, verum etiam immitia subjugantur, ut verbum impleretur propheticum : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus » : ut videretur fuisse in eo prima innocentia protoplasti. Ut enim ejus merita laudabilia luculenter patescerent universis, inanimata suo verbo ocius famulantur. Nam de monte, qui dicitur, Ad Aspectum *q*, nube nigra ex ipso monte surgente *q* in tempestate grandinis violentæ non solum ipsa blada, verum etiam vineas et homines perimebat. Quum autem plebs deprecaretur hunc Sanctum, ut pro eis ad Deum intecedere dignaE retur, vir sacer et pius propinquius accessit ad locum; quumque regionem signaret signaculo crucifixi, omnes incolas in Christi nomine benedixit, statimque ut ille mons fuit crucis bravio consignatus, grandinis tempestas cessavit, periere fulgura, tonitrua discesserunt, ut ipsa cœli facies plenius declaravit. Ad ejus quoque commonitionis contuitum inde per aerem dæmones fugientes, ululantes clamabant dicentes : Ut quid venisti, serve Dei, ante tempus nobis impendere supplicium sempiternum? Ex prædictis quoque apparet, quod propter ejus merita etiam dæmonia subjiciantur sibi.

ædem sacram exstruit;

10 In ipso quippe supercilio montis ad honorem Salvatoris mundi mira ecclesia est fabricata, ubi exuberantur beneficia petentium populorum. Digne quidem vir iste beatus meruit exaudiri, qui hoste maligno subacto, suum domesticum possidebat. Sane quum jam præ labore corpus haberet collapsum, nec id revocare poterat ad pristinam servitutem, totis cupiebat affectibus in viam pacis
F dirigere gressus suos : quumque diris corporeis angeretur doloribus, omnes illas pœnales angustias, ut alter Job, patienter portabat. Hic dum se videret viribus destitutum, et mortem propinquam imminere putaret, convocato ad se clero, et de suo transitu blandis verbis demulcens, ad divinum, quantum potuit, est hortatus amorem. Eo autem decubante, in terram in strato junceo *r* se poni *r* præcepit. Facta ergo prima vigilia noctis, qua solent homines magis gravari, nihil præter sensum vivi supererat hominis. Quumque omnes in silentio starent, subito clamavit et dixit : Ecce chorus Angelorum cum Sanctis Aggrippino et Januario sociatus. Adsunt nihilominus cum eisdem Beatus Bonosus et alii præsules præcessores, qui cum dulcibus modulis exspectarent, anima illa sanctissima dicente: « In manus tuas commendo spiritum meum, » relicto corporis tabernaculo, quasi stella præfulgida, ad cœli secreta intravit perenne.

sancte obit,

11 Tantæ ergo claritatis in suo corpore fulgorem

A gorem dimisit, ut secunda stola immortalitatis indui videretur. Fragrabat quoque exterius ejus corpus purissimum, ut putaretur unguento fuisse delibutum. Talia namque ipsum decebat habere, ut per vitam bonæ famæ in mundo exstitit conversatus, in odorem post eum currerent unguentorum. Quam vero vir iste beatus in vita clarus exstiterit, in morte quoque eum Deus fecit incomparabiliter clariorem. Nam quum quidam ex devotione præcipua tunicam ejus furatus fuisset, fugam petiit festinanter; quem quum quidam insequerentur ex furto, adversus quoddam flumen ad eum appropinquare cœperunt, et ille, fugiens mœrore repletus, flumen ipsum super tunicam ingressus est confidenter; tangente autem tunica aquas, ita se ei calcabiles præbuerunt, ut non in aquas, sed per aridam putaretur abire. Ecce vide, quod non tantum Judæis, sed etiam Chananæis auxilium opportunum ministrat, ut
s virtus de illo exiret, et sanaret omnes *s*. Cæcis namque et surdis, paralyticis et leprosis per ejus miranda suffragia sanitatis remedium
B impertitur.

et corpus transfertur. 12 Transivit autem venerabilis pater ex hujus mundi naufragio quinquagesimo vitæ suæ anno, ut relicto servili timore, ad æternam perveniret hereditatem. Cujus corpus post multum temporis spatium vir quidam, nomine Milus, homo utique Deo carus, a Grimoaldo,
t Salernitano principe *t* impetravit, et ad Neapolim civitatem cum omni reverentia transportavit; ubi in vertice cujusdam montis in ejus honorem ecclesia fabricata consistit, ibique corpus ejusdem conditum est. Et ibidem magna remedia sanitatum præstantur. Gaude, felix Salernum civitas, et exsulta et gaude, inquam, de tanto pastore et sedulo patrono : Lætetur insuper et civitas Neapolitana, quæ tanto dotata præsule, facta est sacri corporis apotheca. Sed et nunc psallat monachorum ordo conspicuus et in novæ laudis canticum jubilet, qui tam præclarum et idoneum possidet defensorum. O vos, virgines, pulsate patrem precibus, ad ostium inquietetis amicum, ut relicta nuptiali copula, virgines post eum possitis adduci; ut hic excusando, illic impe-
C trando ad montem veri luminis per eum possitis feliciter pervenire: quod nobis concedat Salvator, qui est benedictus per infinita sæcula. Amen.

ANNOTATA.

a *Jam supra num* 18 *Commentarii prævii monuimus, nos ignorare auctorem qui scripsit et qua vixit, ætatem; unde quoque ejus fidem in narrando vindicare non licet : id quidem certe ex ejus lucubratione elucet, scriptorem eatenus esse bonæ fidei, quatenus ab aliis tradita fideliter referat.*

b *Sæpe in textu aliquæ locutiones occurrunt mutilæ, quæ supplementum requirunt. Ex parte credo, eas provenire ex oscitantia typographi Italiæ Sacræ, quæ multis apertisque mendis scatet. Quapropter in Annotatis, quoad fieri potest, aliqua verba addemus, quæ sensum complent. Sic hoc loco legendum propono; velut lucifer* et *omnibus candens lilium ac odoris suavissimi* D *rosa vernans* apparuit.

c *Hoc loco inanem facit eruditionem scriptor, quatenus relata nullatenus ad rem veniant. Parthenopen etiam* altero nomine Neapolim nuncupari, *nihil confert ad S.* Gaudiosi *laudem, quum jam ante Christum natum urbi inditum sit* Neapolis *appellatio, ut testantur passim auctores classici.*

d *Mons Summa est Neapolitanis vernacula appellatio Montis Vesuvii* (1).

e *Teste Plinio Hist. naturalis lib.* XXVIII, *cap. 4 lepra illitu salivæ curabatur. Verum inter varia morborum remedia frequentes sunt superstitiones ibidem expositæ : quamvis pro litura salivæ stet etiam Galenus lib.* X, *cap.* 2.

f *Supple* clericatum, *quatenus eumdem* post multam precum instantiam suscepit.

g *Pelliciam interpretatur Cangius* indumenti genus ex pellibus confectum. *Verum hic significat cilicium, ex equorum pilis contextum.*

h *Hic apponendam censeo voculam* ut : *unde sensus erit, S.* Gaudiosum, *Salerni subito in-* E *ventum,* UT qui prius incognitus erat, nutu divino ab hominibus nosceretur.

i *Hic etiam supplendum videtur :* ut non tantum suæ sed etiam alienæ SALUTIS SOLLICITI currentes *etc.*

k *Satis notum est in regno Neapolitano et Sicilia aliquandiu viguisse ritum græcum, imo jussu Leonis Isaurici, sub pontificatu S. Gregorii II, subtractæ fuere aliquæ Ecclesiæ utriusque Siciliæ patriarchatui Romano CPolitanq throno adnexæ* (2). *Verum inter Ecclesias, quæ ex parte ritum græcum admiserunt, quæque nominatim enumerat Petrus Pompilius Rodota pro utroque regno, nulla tamen fit mentio Salernitanæ* (3). *Ex eo igitur quod S.* Gaudiosus *græce allocutus fuerit barbaros, nullatenus consequitur, ritum græcum Salerni viguisse. Imo barbari, qui magnam partem regni Neapolitani occupabant, ritum latinum conservatum volebant* (4). *Usum itaque græcæ linguæ, quam commercio cum Græco-Neapolitanis addiscere debuit, usurpavit Sanctus noster, quia Græcos alloquebatur; nec ex textu apparet, ritum græcum aliquando apud Salernitanos adhibitum fuisse.* F

l *Existimaverim fere legendum :* et quam spatium dividebat ab obtutu.

m *Melius legitur* calore *pro* calculo.

n *In libris, quos coram habeo, de Samnitis, nihil mihi occurrit, quo definiam, quo circiter tempore bellum istud occeptum fuerit : ista enim contentione ad certam chronotaxin redacta, jam haberemus certius sæculum, quo Sanctus noster floruit.*

o *Aliter hæc referuntur in Officio proprio infra Octavam S.* Gaudiosi. Necessitate ergo cogente, arrepto ferro, manu altera amputavit sinistram; sicque factum est, ut quod fuit ad pravitatem inflexum, ipse ad usum converteret ultionis. Noverat enim illud deificum : mallem una manu ad vitam intrare, quam duabus gehennam adire æternam. Veniente quoque solemnitate Ascensionis dominicæ, necessitate coactus mane debebat Missam cantare : quum-

(1) Cfr Sacco, Dizion. del regno di Napoli. V° *Vesuvio*. — (2) Rodota, Del rito greco in Ital., t. I, p. 139. — (3) Ibid., p. 322 et seqq. — (4) Ibid., p. 87 et seqq.

que

que de nocte esset nimium anxiatus, manu tundebat pectusculum, lacrymis rigabat cavernam, et quid circa hoc ageret, omnino nesciebat. Et ecce Angelus Domini adstitit, immenso lumine circumdatus, portans manum nigram, quasi hominis Æthiopis denigrati. Quæ quum fuisset in brachio applicata, carne reliqua albedinem retinente, sola manus illa nigredine excedebat. *Stupendum sane prodigium, si tamen verum. Nam non paucæ sunt rationes, ut inter fabulas amandetur. Imprimis* S. Gaudiosus, *in interpretatione Scripturarum eruditus, satis noverat allegorice esse sumenda verba Matthæi* v, 30 : Si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam et projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. *Sic S. Augustinus, lib.* I *De Sermone Domini in monte, cap.* 13 (1) : Quidquid, *inquit*, illud est, quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud et projice abs te. *Dein vir, qui castitati et austeritati insuevit, in tantam tentationem carnis*
B *non incidit, ut eamdem neque oratione neque jejunio superare non valuerit. Tandem membro aliquo præcipuo mulctatus rationem habebat canonicam, ut, episcopatu abdicato, solitudinem, quam adamabat, coleret. Hæc sufficiunt, ut monstremus,* S. Gaudiosum *se non mutilasse, adeoque manum abscissam angelico ministerio restitutam non fuisse.*

p *Plerique Sancti, qui feruntur* Ὀφιοκτονοι *fuisse, aut primi in aliqua regione Evangelium prædicarunt, aut idolatriæ reliquias exstinxerunt. Neutrum certe nostro* S. Gaudioso *convenit. Hinc fieri potest, ut opera Sancti antistitis* D *bellua aliqua, hominibus pecudibusque funesta, remota aut etiam occisa fuerit.*

q *Frustra quæsivi in libris et mappis topographicis situm* Montis Ad Aspectum. *Coram tamen habeo lexica specialia pro regno tum utriusque Siciliæ, tum regni Neapolitani. Neque lumen aliquod affundit ædificatio* ecclesiæ in supercilio montis ad honorem Salvatoris mundi, *de qua num. seq. agitur : nam hujus tituli multæ sunt ædes sacræ in variis regni Neapolitani provinciis.*

r Stratum *illud* junceum *in quo S.* Gaudiosus *exspiravit, interpretor stramen, in quo se deponi jussit. Id humilitatis causa factitasse Sanctum, arbitror: sic apud Carthusienses, ut habet liber Statutorum Guigonis cap.* 13 (2), *morti proximus* deponitur super benedictum cinerem *et preces agonizantium recitantur.*

s *Furtum sacrarum Reliquiarum sat frequens antiquis temporibus erat. Sic ablata dicuntur corpora SS. Benedicti et Scholasticæ, e monte Cassino in Gallias transvecta* (3); *S. Sulpicii Gislenopolim in Hannonia* (4); *SS. Luglii et* E *Lugliani Mondiderium* (5) *etc. Infinitus essem si omnia recensere vellem. Licet autem S. Alphonsus de Liguorio, lib. III, Theol. num.* 45 *sacrilegii arguit illum, qui Reliquias, etiam in parva quantitate furatur; tamen agentis bona fides, mentis simplicitas ac pietatis fervor excusant quandoque, imo Deus nonnumquam beneficio agentem cumulat.*

t *Monstravimus supra num.* 6 *Commentarii Grimoaldum, qui corpus S.* Gaudiosi *Neapolitanis concessit, esse ducem Beneventanum, hujus nominis primum vel secundum.*

(1) Migne, Patrol., t. XXXIV, col. 1248. — (2) Holstein, Cod. Reg., tom. II, p. 317. — (3) Act. SS., tom. III Martii, p. 299 et tom. VIII Octobris, p. 151. — (4) Ibid., tom. III Januar., p. 788. — (5) Tom. X Octob., p. 111.

DE S. AMANDO, EPISCOPO WORMATIENSI,

SALISBURGI (UT VIDETUR) CULTO,

C V. D. B. F

SYLLOGE CRITICA.

§ I. Wormatiæ origines civiles et christianæ. Primi episcopi. Amandus I et S. Amandus II. Insignis donatio Dagoberti I. Templum S. Amandi II Wormatiæ. Cessatio cultus.

CIRCA ANNUM DCL. *Quibus tenebris involvatur* S. Amandus, *Wormatiensis episcopus, aut qui Salisburgi colitur, ob confusionem cum S. Amando Trajectensi.*

Quantum in superiori Commentario de S. Amando, episcopo Argentoratensi, laborandum fuerit ut hic alius esse demonstraretur a S. Amando, episcopo Trajectensi, non est quod lectorem moneam; atque illic ea saltem fuit felicitas ut non tantum certum fieret amborum discrimen, verum etiam ut præcipua Argentoratensis præsulis gesta innotuerint. Nunc autem, quum de S. Amando, *qui Salisburgi colitur et episcopus Wormatiensis fuisse dicitur, sermo faciendus est, in multo densiorem silvam incurrimus. Ex qua ut (quantum liceat) nos commode expediamus, hæc in limine notanda videntur. Apparet imprimis ante S. Rupertum in cathedra Wormatiensi duos sedisse episcopos, nomine Amandos, atque unum sanctitatis laude honoratum; deinde in S. Petri Salisburgensi monastico templo corpus cujusdam* S. Amandi *exstare, quod manifesto diversum sit a corpore S. Amandi Trajectensis, in Elnonensi asceterio olim servato. Atqui contendunt Salisburgenses monachi* S. Amandum *suum Wormatiensem esse episcopum, cujus exuvias eo tulerit S. Rupertus, quum, relicta sede Wormatiensi, Salisburgum petiit ibique novam cathedram excitavit. Sed Salisburgi et Wormatiæ templa* S. Amandi *titulo exstiterunt et utrobique ad dies* 6 *februarii et* 26 *octobris* S. Amandi

A S. Amandi *festivitas celebrata est : quæ utrum ad Amandum Trajectensem, an ad Wormatiensem aliumve Salisburgi sepultum spectent, ita disputatum est ab aliquibus, maxime ab Hansizio, ut S.* Amandum *illum, cujus corpus multo honore Salisburgi habitum est, fere inter homines non exstitisse diceres. Quæ itaque certa sint, ad aliquot capita revocemus; ex quibus deinde probabilis sententia ferri possit de his quæ minus luculenta sint.*

In Germania superiori, cujus antiqua fata breviter indicantur, quarta civitas Borbitomagus, qui et Vangiones et Wormatia.

2 *Germania, primis suis circumscripta finibus, in Transrhenanam et Cisrhenanam olim divisa fuit, quod Rhenus, a fontibus ad Oceanum currens, mediam interflueret ac in duas partes secaret. Transrhenanam, etiam Magnam dictam et a dextra Rheni ripa in ortum vergentem, omitto; quippe quæ huc non spectet. Alteram vero, Galliarum partem habitam et a Moguntiaco ad Batavos usque porrectam, domuit Julius Cæsar anno ante Christum natum* 57 *et in provinciæ formam redegit; quam Augustus aut qui ei successit Tiberius (quemadmodum in Commentario de S. Amando Argentoratensi ostendimus) in Germaniam superiorem et inferiorem*
B *divisit. Tum suus utrique præses impositus et Rhenus limes castellis, oppidis et legionum præsidiis munitus; donec tandem, devictis Germanis Transrhenanis, Valerius Martialis ad Rhenum hæc vota destinare potuerit* (1) :

Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci :
Sic et cornibus aureus receptis
Et romanus eas utraque ripa.

Nemetes autem inter et Treviros habitabant in sinistra ripa Vangiones, quibus urbs erat celtico nomine Borbitomagus (2)

Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis (3).

Auxiliares populi Romani, sed infidi sæpe et ad hostes (si arrideret occasio) proni. Medio sæculo IV *occupati eorum agri ab Alemannis; quos tamen amovit Julianus, Galliæ præfectus* (4), *idem qui Apostata. Constitit dein in eorum civitate, quæ Germaniæ superioris seu primæ quarta erat, præfectus militum Flaviæ secundæ sub dispositione viri spectabilis ducis Moguntiacensis* (5). *Quæ civitas, ut reliquæ fere in Galliis, posito Borbitomagi nomine et gentili Vangionum sumpto,*
C *nullis civitatum Romanarum decoribus carebat, aquæductum habens, thermas, amphitheatrum* (6). *Sed initio sæculo* V Vangiones, *ut loquitur S. Hieronymus* (7), longa obsidione deleti. *A Burgundionibus restituta fuisse videntur mœnia et regni caput factum, Wormatiæ nomine. Ab anno deinde* 433 *ad* 496 *Alemannis paruisse videtur* (8); *quibus successerunt Franci, quorum reges sibi ibidem palatium construxerunt, pristinum reducentes splendorem* (9).

Constituta illic re christiana, sæculo IV *episcopi fuerunt Victor et*

3 *Rei autem christianæ origo non minus illic obscura est quam Argentorati. Florebat tamen medio sæculo* IV, *episcopo Victore, qui anno* 346 *concilio Coloniensi, quod alibi pluribus vindicavimus* (10), *interfuit et Euphratem, in Christum contumeliæ reum, deponendum censuit* (11). *Qui dein venit in Catalogis, (quorum tamen nullum novi qui antiquus sit,) propius ad nos pertinet, quippe qui Amandus primus sit; idem ipse, cujus corpus se possidere monachi Salisburgenses opinantur; an recte, dicetur infra: in Chronico itaque Wormatiensi, quod numquam in lucem venisse videtur, sed cujus excerpta anno* 1661 *ad venerabiles illos monachos missa sunt* (12), *legitur anno* 364 *vixisse. Ejusdem meminit Jacobus Scopperus* (13), *Joannes Gualterius* (14), *Demochares* (15), *Bertius, errore Arnoldum scribens* (16), *Bruschius, cujus liber anno* 1549 *in lucem venit* (17), *et Chronicum Wormatiense vernaculum, anno* 1551 *typis excusum* (18); *quos pone sequuntur omnes Galliæ Christianæ, Schannatus in Historia episcopatus Wormatiensis, aliique recentiores. Sed præter communes laudes, nil apud hos omnes legitur nisi hæc pauca, quæ brevibus complexus est Bruschius :* Amandus, pius ecclesiæ Vangionum pastor, concionando ac docendo fideliter præfuit. Ad hunc e Roma venit S. Servatius, Tungrorum episcopus. Exstant de hoc episcopo Amando veteres versiculi, vitam ejus episcopalem egregie depingentes : E

Præsul amavit oves proprias et pavit Amandus ;
Iccirco superis semper amandus erit.
Ille Deum docuit ardenter Amandus amandum :
Et nobis igitur semper Amandus erit.

Quod autem S. Servatius anno 384 (19), *Roma rediens, ad Amandum, Wormatiensem præsulem, deflexit, id primo traditum est ab Jucundo* (20), *qui sæculo* XI *S. Servatii Vitam fabulis inspersit, et secundum eum ab Ægidio Leodiensi, Aureævallis monacho, qui anno Domini* 1240 *floruit.* Appropinquans Wormatiæ, *ait hic* (21), suscipitur magnifice a beato Amando, urbis ejusdem præsule. *Ubi animadvertendus est* beati *titulus, quo* Amandus *condecoratur; quo nullum venerationis indicium novi antiquius. Verumtamen plerique omnes abstinent ab eo sancto nuncupando; nec quidquam habuerunt Salisburgenses monachi unde eum* sanctum *vocarent,* F *nisi quod infra insignia ipsius (recens utique figmentum), quæ ad eos missa erant, scriptum erat :* S. AMANDUS (22). *Qua debilissima auctoritate pronuntiare non ausim Amandum I, Wormatiensem præsulem, umquam legitime inter sanctos relatum fuisse.*

Ante medium sæculum VII *floruit ibidem* S. Amandus *II, cujus laudes celebrantur.*

4 *Sequuntur dein tria nomina Francica: Carolus, S. Crotoldus et S. Rupertus; sed quum S. Rupertus sæculo* VIII *vixerit, ut mirabili sagacitate desideratus meus collega Antonius Tinnebrock in Commentario de S. Vitali ad diem* 20 *octobris* (23) *demonstravit, hæc loco suo mota esse et ad recentiora tempora referenda nul-*

AUCTORE V. D. B. *Amandus I, qui dicitur S. Servatio obviam ivisse.*

(1) Lib. X, epigr. 7. — (2) Ptolemæus, lib. II, ap. D. Bouquet, tom. I, p. 78. — (3) Lucanus, Pharsalia, lib. I, v. 430. — (4) Ammianus Marcellinus, lib. XVI, cap. 2. — (5) Notitia imperii, ap. D. Bouquet, tom. I, p. 128. — (6) Cfr Schannat, Hist. episc. Wormatiensis, tom. I, pag. 4 et 5. — (7) Epist. XCI ad Ageruchiam, ap. D. Bouquet, tom. I, pag. 744. — (8) Pauli, Geschichte der Stadt Worms, pag. 94 et 95. — (9) Ibid., pag. 101 et seqq. — (10) Vide supra, p. 829 et seqq. — (11) Labbe, Concilia, tom. II, col. 616. — (12) Historia de corpore S. Amandi, p. 17. — (13) Chorographia Germaniæ, part. III, cap. 6, fol. 735. — (14) Chronicum chronicorum, p. 1. — (15) De Sacrificio missæ, lib. II. — (16) Commentarii rerum Germanicarum, lib. III, fol. 725. — (17) Magni operis de omnibus Germaniæ episcopatibus epitome, fol. 103. — (18) Cfr Historia de corpore, etc. p. 4. — (19) Cfr Acta SS., tom. III Maji, p. 213. — (20) Ex musæi nostri codice ms. — (21) Ap. Chapeavillum, Gesta pontificum Tungrensium etc., tom. I, p. 41. — (22) Historia de corpore, etc. p. 4. — (23) Acta SS., tom. VIII Octobris, p. 913 et seqq.

lus

AUCTORE V. D. B.

lus dubito. Eos itaque præcessisse mihi dicendus est S. Amandus II, *quem his laudibus cumulat Bruschius :* S. Amandus præfuit archiepiscopatui Wormaciensi temporibus Dagoberti, Galliarum regis christianissimi, ac omnium ad Rhenum sitorum episcopatuum benefactoris ac instauratoris munificentissimi : qui sedem suam regiam extra muros urbis Vangionum eo ipso loco habuit, ubi nunc est Neohusium, celebre canonicorum collegium. Hujus archiepiscopi temporibus obtulit ac dono dedit Dagobertus iste, Galliarum rex, in

* Cuniberti

præsentia Arnolphi Metensis et Huniberti * Coloniensis, episcoporum, S. Petro apostolo, Wormaciensis episcopatus patrono, comitatum Laudenburgensem cum toto adjacente territorio, sexto regni sui anno. Cujus memorabilis donationis originale diploma habetur adhuc integrum in archivis episcopi Wormaciensis, Moguntiæ datum. Iste episcopus Amandus tanta religione ac tantis miraculis etiam claruit, quibus doctrinam christianam confirmavit Deus, ut ei senatus populusque urbis Vangionum mortuo templum gratitudi-

B nis ac pietatis ergo statuerint; quod, hodie adhuc in suburbio situm, S. Amandi parochia appellatur. Extant de eo sequentes versiculi, non omnino infœlices :

Pacis amatorem ferventer Amandus amavit;
Ergo pacificus cœlica regna colit.
Vota, preces, gemitus, lachrymas, suspiria, planctus,
Fer, pater, ad superos : te Deus audit enim.

Unde factum sit ut perperam dicatur archiepiscopus.

5 *Quod S.* Amandus *archiepiscopus dicitur*, ansam inter primos dedisse potuit Othlo (1), scriptor sæculi XI, dum in favorem Bonifacii, ecclesiam Moguntinam, « quæ prius (inquit) alteri subjecta erat, » in metropolim erectam vult; licet subjectionem illam, quæ fortassis respectum aliquem ad Coloniam tunc habuerat, non expresserit; verum anonymus ille, qui gesta Trevirorum usque in annum 1132 complexus est, de eodem supradicto Bonifacio agens, expressis verbis contendit, quod ante hujus tempora « Moguntini episcopi suffraga- « nei erant Wormatiensium episcoporum. » Quam sententiam amplexi deinde Albertus Stadensis abbas, Sifridus presbyter, Theodo-

C ricus Engelhusius, Guillelmus Eysengrein, Franciscus Irenicus, Freherus, Bruschius aliique eam, non tam veritatis quam antiquitatis autoritate suffultam, longa traditione ad posteros transmisere simul cum versu sequenti :

« Ecce Moguntinis almæ dat episcopus urbis
« Culmen metropolis, quod erat tibi Guarmaciensis. »

Verum, cum nulla sat plausibilis appareat ratio cur aut quando prior ex his duabus ecclesiis alteri subjecta fuerit, siquidem adhuc anno Christi 346 in Agrippinensi concilio suum utraque præsentem habuerit antistitem, non dignitate aut charactere, sed solo nomine ab invicem distinctos; hæremus in tenebris, quas nec inter modernos autores satis discussit Cointius (2). Quod enim narrat, Clodovæo regnante, metropolitanum utriusque Germaniæ exstitisse Crotoldum, Wormatiensium D episcopum, hujusque successores reliquos ad usque Amandum inclusive præcellenti hac qualitate effulsisse; Amando autem defuncto, Germaniam caruisse archiepiscopo usque in annum 742, quo Bonifacius ordinatus fuit; debuerat id omne solidis evincere testimoniis; alioquin, si meras adhibere liceat conjecturas iisque inhærendum sit, nemini, qui ante ipsum scripserunt, fides sua in his quoque erit adjudicanda. *Cui gravissimæ historiographi Wormatiensis episcopatus* (3) *censuræ nil addere velim.*

Insigne diploma obtinet a Dagoberto I,

6 *Meliora tradidit Bruschius de Dagoberti I regis diplomate, quod S.* Amandus *anno* 627 *aut sequenti nactus fuit et quod fundamentum quasi est universæ ditionis temporalis, qua deinde potiti sunt episcopi Wormatienses. Eccum diploma juxta Schannati et Academiæ Palatinæ exemplaria* (4) : Dagobertus, rex Francorum. Cunctos nosse volumus, qualiter nos, de remedio animæ nostræ et de futura retributione cogitantes, omnino proposuimus in regno * nostro ecclesias Dei de allodiis nostris cohæredes facere et loca sanctorum augmentare. De hoc tulimus bonum consilium procerum nostrorum Pippini, qui est majordomus, Arnolfi, Metensis episcopi, Cuniberchti *, Coloniensis episcopi *; et inde misericordiam Dei * consequi et ejus sanctorum suffragia promereri confidimus. Ideo, omnes Dei fideles et nostri, præsentes et futuri, cognoscite qualiter omnes res juris nostri in pago Lobedungowe *, et quicquid ad nostrum usum * ambulare visum est, et omne quod ad fiscum nostrum hactenus pertinebat, (excepto stipe et comitatu, nihil ex eo dimittentes,) tradimus totum ex integro, magnum et parvum, ad basilicam sancti Petri et Pauli * apostoli vel cæterorum domnorum, quæ est in Wormatia civitate constructa, cui præest domnus vir apostolicus Amandus. Hoc est quod tradimus : civitatem nostram Lobedunburg, palatium nostrum *, ædificia, mancipia, vineas, terras cultas et incultas, agros, prata, campos, omnem sylvaticum in sylva * Otenwalt, cum omni ustensilitate in omni * pago Lobedungowe *, et undique in Jutraha * in pascuis interamnibus *, aquas, aquarumque decursus cum * piscationibus, et omnibus * quæsitis et inquirendis, omne telonium, mercatum, et quicquid dici aut nominari potest, sicut prius ad nostrum usum ambulare videbatur, sic inantea ad præscriptam basilicam pro æternæ mercedis augmento possidendum donavimus; et sub integra emunitate omnia ad eandem basilicam pertinentia præceptione nostra a novo confirmamus, sicut priori anno emunitatis tuitionem dedimus : et * omnes villas, facultates, seu abbatias, et quicquid ad ipsam civitatem Wormatiam aspicere videtur; ut nullus judex publicus, nec ad causas audiendas *, nec freda exigenda, nec homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam et servientes, distringendos, nullum impedimentum audeant facere; nisi ad partem ipsius ecclesiæ, vel ipse pontifex Amandus aut successores hoc habeant * concessum atque indultum, quieto

* signo *Pal.*

* Huniberti *Pal.*
* archiepiscopi *Sch.*
* Domni *Pal.*

* Lobedunburg *Sch.*
* urbem *Pal.*

* e. P. v. c. d. *om. Sch.*

* n. *om. Pal.*

* silvis *Pal.*

* o. *om. Sch.*

* Lburg *Sch.*

* intrantia *Sch.*

* materiamina *Pal.*

* cum *om. Pal.*

* e. o. *om. Pal.*

* et *om. Sch.*

* audiendo... exigendo... distrigendo *Pal.*

* habentur *Pal.*

(1) In Vita S. Bonifacii, ap. Mabillonium, Sæculum Benedictinum II, part. III, p. 52. — (2) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 455, num. 14, tom. I, p. 83 et 84. — (3) Schannat, Historia episcopatus Wormatiensis, tom. I, p. 637. — (4) Ibid., p. 309; Acta academiæ Palatinæ, tom. VIII, p. 61.

ordine

A ordine possidere atque dominari, quod partibus fisci nostri fuit consuetudo reddendi. Et ut auctoritas hæc firmior sit manu nostra subscriptionibus subditis illam decrevimus roborare. — Dagebertus, rex Francorum. — Godefridus * recognovit. — Dat. * sub die XI kalend. octobris, anno regni nostri VI. Actum Moguntiæ, palatio nostro, feliciter satis *.

* Odefridus *Pal.*
* Dat *om. Pal.*
* satis *om. Pal. quo Wormatiensi ecclesiæ concessus fuit pagus Ladenburgensis cum silvatico in silva Ottonis aliaque dona; quæ singula explicantur.*

7 *Liquet imprimis ex hoc diplomate anno ante alterum diploma, quod amplius non apparet, ab eodem rege concessum fuisse; quo episcopo Wormatiensi suæque ecclesiæ omnes suæ possessiones confirmatæ sint et a civili auctoritate immunes factæ : probum specimen curarum, quas rebus temporalibus et spiritualibus episcopatus sui conservandis et promovendis impenderet S.* Amandus. *Eo tamen valet magis assecutio oppidi Lobedunburgi, nunc Ladenburgi, cum palatio seu villa regia, adjacente pago et silvatico in Otenwalt; quæ ecclesiæ Wormatiensi dedit Dagobertus. Singulari libello scripsit de oppido Ladenburgo Freherus, volens Lupodunum esse, ab Ausonio* (1) *celebratum : sed Cluverius* (2) *manifestum facere tentavit*
B *Ausonianum Lupodunum esse* Lüpff, *septem millibus passuum ab fontibus Danubii versus occidentem. Asserere tamen non ausim Lobedunburgi pristinum nomen etiam Lupodunum non fuisse; ita ut duo cognomina loca fuerint. Proculdubio vetustum oppidum est, in quo anno* 292, *Aurelio et Annibaliano coss., civitas Moguntiacensium aram posuit pro salute Diocletiani et Maximiani imperatorum et Constantii Maximianique cæsarum : de qua commentarium diserte scripsit Schöpflinus* (3). *Repertæ ibidem thermarum seu balnei romani grandes reliquiæ, insigne priscæ magnitudinis indicium; qua occasione Casimirus Hæffelinus* (4) *commentarium edidit non tantum de hoc balneo, verum etiam de ipso oppido, contendens id vetus esse Lupodunum. Positum est in ripa dextra Nicri, inter Mannheimum et Heidelberg, super viam ferream Francofurtensem. Castellum adfuisse burgi nomen indicat; hinc in charta Pippini Laurishamensi* (5) *legitur :* Act. Loboduno castro. *Sæpe dicta* civitas publica, *quasi ad fiscum pertineret, licet data esset jam pri-*
C *dem ecclesiæ Wormatiensi. In pagi fines sedulo inquisiverunt Andreas Lamejus* (6) *et Franciscus Josephus Dumbeck* (7); *quin et mappam topographicam, multo studio confectam, edidit Lamejus* (8). *Jacet autem hic pagus ad Rheni dextram in utraque Nicri ripa, ad septentrionem pago Rhenensi finitima, ad meridiem Craichgoviæ; ad ortum silvæ Ottonis seu Otenwalt. Dumbeckius septuaginta quinque loca, pleraque villas et aliquot monasteria, ordine alphabetico recenset et ex vetustis documentis illustrat; similiter Lamejus, ejus dux, paulo pauciora et alio ordine. Ottonis silva, cujus silvatici seu forestagii donum adjecit etiam Dagobertus, non*
* Bergstrasse *extensa minus; in longitudinem a Via Montana* orientem versus usque ad Franconiam et Tubarum flumen porrecta, ut tradit Tolnerus* (9); *inter Franconiam et Sueviam, fluminibus Mœno, Nicro et Altimula finita, ut tradit Christianus Juncker* (10). *Demum Jutraha, cujus pascua et aquæ data fuerunt, fluviolus est in finibus Ottonis silvæ et pagi Wingartheibæ, in Nicrum inter vicos Igelsbach et Eberbach influens* (11). *Unde apparet, licet rex reservarit sibi stipem seu furcam, superioris justitiæ signum* (12); *et comitatum seu comitis dignitatem et regimen, donationem, S.* Amando *factam, valde præclaram fuisse. Verumtamen multo minus proficua erat et pecuniosa, quam quis crederet, sicuti ex his, quæ alibi* (13) *disputavimus, facile deprehendet lector. Tempus dati diplomatis hinc innotescit, quod Dagobertus anno* 622 *in Austrasia regnare cœperit et S. Arnulfus anno* 629 *Metenses infulas posuerit. Cum anno itaque sexto regni Dagoberti in Austrasia concurrebat annus Christi* 627 *aut* 628. *Quæ varia fuerint illius donationis fata vide apud Palatinatus historicos aut in Schannati Historia episcopatus Wormatiensis.*

AUCTORE V. D. B.

Quæ Dagobertus pontificatu S. Amandi *II Wormatiæ exstruxerit. Templum Wormatiæ exstructum in S.* Amandi *honorem : cessatio ejus cultus.*

8 Res, ab Amando hoc gestas, *inquit Schannatus* (14), ulterius prosequi vetat documentorum penuria; quamquam ex subsequentibus facilis sit conjectura eum et a Sigeberto rege Wimpinam cum attinentiis suis obtinuisse in donum. *Verumtamen non alio fundamento hæc niti videtur conjectura quam quod anno* 858 *jam pridem penes ecclesiam Wormatiensem Wimpina esset, quippe quæ illo anno, novo immunitatis diplomate a Ludovico rege II concesso, a ministrorum regis potestate defensa est* (15). *Dum vero S.* Amandus *Wormatiæ præsset Christi fidelibus,* insigne palatium primarium quasi ad Orientem *construxisse traditur Dagobertus, hoc ipso loco quo deinceps surrexit S. Trinitatis templum; vetus autem, quod prope* Neuhausen *seu Novamdomum exstabat, assignata dote legitima, in monasterium convertit titulo S. Dionysii, dein in S. Cyriaci mutato. Baptisterium insuper seu ecclesiam S. Joannis Baptistæ ædificavit, crypta instructam, et ex præclarissimis Germaniæ fabricis; quæ, quod ruinam minaretur, circa annum hujus sæculi octavum diruenda visa est* (16). *In his autem omnibus partem curarum incubuisse S.* Amando *quis dubitet? Templum vero, in honorem beati* F *viri exstructum, initio cœmeteriale fuisse inde apparet, quod in suburbio constructum erat; deinde parœciale factum est. Sequentia de eo tradit Schannatus* (17) : Hujus parochiæ mentio jam recurrit in litteris anni 1270 spectabatque jus patronatus ejusdem ad præpositos majoris ecclesiæ Wormatiensis; donec ex iis Henricus quidam illud anno 1318 contulit ad opus collegiatæ *S.* Mariæ; *cui anno* 1661 *adhuc erat incorporata* (18). *Sed jam pridem destructum est hoc pristinæ in S.* Amandum *venerationis monumentum* (19); *neque nunc ullum Wormatiæ superesse videtur vestigium ecclesiastici honoris, quo olim beatissimum præsulem prosecuti*

(1) Mosella, v. 423. — (2) Germania antiqua, lib. III, cap. v, p. 12 et 13. — (3) Acta academiæ Palatinæ, tom. I, p. 183 et seqq. — (4) Ibid., tom. III, p. 185 et seqq. — (5) Cod. Laurishamensis, num. 281. — (6) Acta academiæ Palatinæ, tom. I, p. 215 et seqq. — (7) Geographia pagorum vetustæ Germaniæ cisrhenanorum, p. 146 et seqq. — (8) Op. supra cit. — (9) Historia Palatina, p. 42. — (10) Anleitung zu der Geographie der mitlern Zeiten, p. 146. — (11) Cfr Mappa pagi Wingartheibæ, in Actis academiæ Palatinæ, tom VII, p. 41. — (12) Cfr Supplementum ad Glossarium latinum Cangii, V° *Stips.* — (13) Acta SS., tom. IX Octobris, p. 217 et 218. — (14) Hist. episc. Wormatiensis, p. 309. — (15) Vide diploma, ibid. probat., p 8. — (16) Pauli, Geschichte der Stadt Worms, p. 103 et 104. — (17) Historia episc. Wormatiensis, p. 65. — (18) Pachler, Historia de corpore, etc. p. 5. — (19) Pauli, Geschichte, etc. p. 107.

AUCTORE V. D. B.

sunt. Nil mirum : quod enim in S. Amando Argentoratensi deprehendimus, obtinuit etiam in S. Amando *Wormatiensi; prævaluit scilicet ita S. Amandus Trajectensis ut in Breviario, quod anno* 1576 *episcopus Theodericus excudi jussit, ad diem* 6 *februarii officium habeat novem lectionum, quæ ex Communi desumantur, et aliud trium lectionum, quarum tertia propria sit, ad diem* 26 *octobris : ubi hoc notabile est quod S. Amandus Trajectensis* VII kalendas novembris felici transitu migrasse ad Dominum traditur.

§ II. Sæculo XVII bis invenitur Salisburgi sub summo altari templi monasterialis S. Petri corpus S. Amandi.

Anno 1606 *retegitur sub altari summo templi monasterialis S. Petri Salisburgensis corpus* S. Amandi, *quod tribuitur Amando I Wormatiensi;*

W*ormatienses possessione reliquiarum sancti sui* Amandi *gloriatos esse reperi nusquam : an itaque Salisburgum eas transtulit S. Rupertus, ut contendunt S. Petri monachi Salisburgenses? Obscurissimum argumentum. Quare, quæ denuo certa sint, prius proponamus in medium. Constat imprimis jam pridem Salisburgi servari* S. Amandi *cujusdam corpus; quod a S. Amandi Trajectensis exuviis, Elnone olim honorifice habitis, non potest non esse diversum. Quum scilicet Martinus Hattinger, qui ab anno* 1584 *ad* 1615 *admirabili diligentia et summa alacritate abbatiale S. Petri pedum tenuit, auctore et liberalissimo adjutore Wolfgango Theodorico episcopo, monasterium pro antiquitatis suæ gloria renovandum et amplificandum suscepisset, templum quoque mutare voluit et ad pulcriorem revocare formam : quod immane opus intra quadriennium, ab anno nempe* 1606 *ad* 1610, *perfecit* (1). *Dum autem hæc res procuraretur, retecta sunt* S. Amandi *ossa; quemadmodum ex commentario ipsius Martini abbatis de consecratione summi altaris ecclesiæ majoris manifestum est. Accipe monumentum scriptum anno* 1613 (2) : Anno Domini 1606, dum hoc summum altare cum ambitu ejus, qui tunc rotundus erat, loco antiquo sex pedum spatio longius transponeretur, repertum
C est subter illud in lignea arcula, penitus quidem putrefacta et lapidibus quadratis undique contecta, corpus sive ossa, tamen adhuc integra et incorrupta, caput videlicet, dentes maxillæ candidi, spina dorsi cum costis, tibiæ et aliæ juncturæ manuum ac pedum sancti Amandi, ejus nominis primi et in ordine secundi Wormatiensis. (*Dicetur ea de re inferius.*) Quæ sanctus Rupertus, itidem Vagionum seu Wormatiensium episcopus octavus et hujus monasterii ac episcopatus Salisburgensis fundator et pastor, circa annum 580 (*dicetur etiam de hoc anno*) Wormatia in tumba portatili huc secum attulit et in istam ecclesiam deposuit; ubi usque ad hunc annum millesimum sexcentesimum tredecimum æreo loculo inclusa reservantur.

reponitur ibidem multa solemnitate;

10 Altare autem istud post demolitionem prioris antiqui altaris a reverendo in Christo patre ac domino domino Martino, cœnobii hujus abbate, constructum et supra posito D sculptili et deaurato opere exornatum, annuente illustrissimo ac reverendissimo principe ac domino domino Wolfgango Theodorico, sanctæ Salisburgensis ecclesiæ archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, etc., per reverendissimum dominum dominum Franciscum Wennium ordinis Servorum B. M. V., episcopum Scalensem et Ravellensem, prælibati domini archiepiscopi suffraganeum, consecratum est ad gloriam et reverentiam sanctissimæ et individuæ Trinitatis, beatissimæque Dei genitricis Mariæ, specialiter autem in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac sanctorum confessorum atque pontificum Ruperti et Amandi, cujus ossa incorrupta majori ex parte sub hoc altari deposita quiescunt; adjunctis aliis sanctorum reliquiis : de ligno nimirum sanctæ Crucis; de Tunica Christi; item de sepulchro Domini et B. M. V.; de Monte Oliveti; sancti Joannis Baptistæ; Andreæ et Bartholomæi apostolorum; item Alexandri papæ, Urbani papæ, sancti Georgii, Hermetis, Vincentii, Chrisanthi, Dariæ, Hippolyti martyrum; Martini, Ruperti, Gislarii, E Miniati, Justini presbyteri confessorum; Agathæ, Margarethæ, Felicitatis, Anastasiæ virginum; item de capella sanctæ Catharinæ in Monte Sion : et aliæ sanctorum reliquiæ, quorum nomina interciderunt : singulis Christi fidelibus hodie unum annum et in die anniversario consecrationis hujusmodi istud visitantibus XL dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta concedens. Facta est hæc consecratio anno Domini 1607, ipso die translationis sancti Amandi, quæ erat dies dominica 26 octobris.

reliquiis aliquot seorsim servatis,

11 NOTA. Antequam ossa D. Amandi in aereum loculum reconderentur, reservata sunt foris major et longior pedis tibia, et lacertus (die Speindel von dem Arm); quæ postea una cum articulo unius digiti per reverendum in Christo patrem ac dominum dominum Martinum, loci hujus abbatem, anno Domini 1611 in rotundum crystallinum vitrum, argento deaurato et gemmis affabre exornatum et in formam monstrantiæ fabricatum, inclusa sunt. De prædictis etiam ossibus foris retenta, et inferior maxilla ejusdem sancti Amandi, aliquot F adhuc candidis infixis dentibus; quæ postea anno 1612 pereumdem Martinum abbatem in imaginem pectoralem ligneam, unionibus et gemmis satis decenter ornatam et opertam, arculæ pretiosæ inclusa, recondita est.

cum instrumento authentico.

12 *Porro sub hac imagine pectorali* (*intellige hermam*) *schedula pergamena, manu Martini subscripta, reposita est, hæc continens* (3) : D. O. M. Reliquiæ istæ sunt de corpore, sive de ossibus sancti Amandi, ejus nominis primi et in ordine secundi episcopi Wormatiensis civitatis, cujus ossa omnia et integra successor ejus episcoporum Wormatiensium octavus divus Rupertus, postquam ab episcopatu præfato ab impiis hæreticis et gentilibus ejectus fuisset ac episcopatum Juvavensem circa annum Domini 582 fundasset, Wormatia huc Salisburgum attulit et in monasterii istius a se ædificati ecclesiam (*dicetur infra ea de re*) in

(1) Novissimum chronicum antiqui monasterii ad S. Petrum Salisburgi, p. 501. — (2) Historia de corpore S. Amandi, p. 34 et 35. — (3) Ibid., p. 37 et 38.

thecam,

AUCTORE V. D. B.

A thecam, quæ adhuc supra sepulchrum sancti Ruperti conspicitur, deposuit. Quæ tandem successu temporis in lignea arcula subter summum altare, undique quadratis saxis circumdata, translata et recondita fuere: ubi per aliquot sæcula immota permanserunt, donec prædictum altare anno 1606 transponeretur. Tunc etiam supra memorata arcula, jam penitus putrefacta, cum ossibus adhuc integris et incorruptis (quod certe mirum, cum jam ab obitu sancti Amandi duodecim sæcula numerentur) in cupreo loculo sub novam summi altaris structuram inter lapideas tabulas denuo collocata atque defossa. De quibus istæ, quæ hic continentur, inferior scilicet maxilla cum quatuor dentibus, duæ particula majores de costis, item particulæ de summitate majoris tibiæ et articulo majori manus reservatæ, et in istam arculam reclusæ, huicque imagini specialiter ad memoriam et venerationem beatissimi Amandi, episcopi et confessoris, a Martino, hujus cœnobii abbate, confectæ, sunt impositæ. Anno Domini M.DC.XII. in profesto
B Pentecostes.

Quæ causa est ut anno 1661 S. Amandi iterum quæratur et inveniatur,

13 Quæ schedula, *inquit Amandus Pachler abbas libello, anno* 1661 *edito* (1), dum dicit, quod Martinus « in cupreo loculo sub novam « altaris structuram inter lapideas tabulas de- « nuo collocavit, etc. » indicium nobis præbuit inquirendi hujus thesauri. Quamvis enim tantum LIV anni ab ista inventione et depositione transierint, adeo tamen memoria hujus inventionis abolita fuit, ut fere non amplius sciretur, ubi sanctum corpus depositum fuisset. Quare cum antiquum pavimentum ac gradus altaris renovare intenderemus, requisito prius celsissimi ordinarii nostri gratiosissimo consensu, ac petito commissario ex reverendissimo consistorio, adhibitis etiam notario publico ac quinque testibus, 29 martii hujus currentis anni 1661 incepimus circa et subtus summum altare fodere ac, triduo integro labore continuato, denique post altare, duobus fere pedibus sub terra, tabulæ marmoreæ repertæ sunt, quæ indicium fuere sanctarum reliquiarum ibi latentium. Unde tabulis sublatis, sub ipso altari tumba ænea oblonga re-
C perta, et 31 martii, in præsentia dictorum DD. commissarii, notarii, medici et testium, per D. abbatem tumba elevata, atque per sacerdotem religiosum nostri monasterii, cum luminaribus et comitante conventu in floccis, circa horam undecimam meridianam in sacristiam deportata fuit, uti pluribus continetur in publico instrumento, desuper erecto; quod apponimus.

ut constat ex commentario publico,

14 « In Christi nomine. Amen. Tenore præsentis publici instrumenti cunctis, id ipsum intuentibus, pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate ejusdem millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, indictione decima quarta, pontificatus sanctissimi domini nostri domini Alexandri hujus nominis divina providentia papæ septimi anno sexto, reverendissimus in Christo pater et dominus Amandus, abbas monasterii sancti Petri ordinis sancti Benedicti Salisburgi, postquam ex fide dignis documentis variisque aliis antiquis scripturis deprehendisset, jam olim ossa seu corpus sancti Amandi, episcopi Wormatiensis, a divo Ruperto in hanc urbem Salisburgensem delatum fuisse, et ibidem in hunc usque diem religiose asservari, imo anno millesimo sexcentesimo sexto, a felic. recordat. domino Martino ejusdem monasterii abbate (prout in scriptura quadam in membranis exarata, propria illius manu subscripta, videre est) illud ipsum corpus, relictis exterius nonnullis particulis fidelium venerationi exponendis, sub altari majoris ecclesiæ prædicti monasterii conditum fuisse; locus vero ipse diuturnitate temporis ignoraretur: his non parum excitatus pro sua in eum religione, cum alias pavimentum circa summum altare antedictæ ecclesiæ noviter sterni deberet, ad sanctum corpus indagandum animum adjecerit, quo divini cultus augmentum, majorem ipsius sancti honorem provocaret, ac fidelium devotionem accenderet; cujus rei gratia, ut omnia et singula rite procederent, celsissimo et reverendissimo principi ac domino, domino Guidobaldo, archiepiscopo Salisburgensi, sanctæ sedis apostolicæ legato, etc. ceu loci ordinario, humillimas preces porrigendas duxit, ut sibi E et licentiam tam pium propositum exequendi clementissime concedere, et aliquem, qui celsitudinis suæ nomine huic operi præesset, benigne constituere seu delegare dignaretur.

quo tumbæ retectio,

15 « Quibus impetratis, anno supra dicto, die vero vigesima nona martii in nomine Domini sanctum corpus circa et subtus summum altare quæri inceptum, ac triduo labore continuato, denique die trigesima prima antedicti mensis, in præsentia plurimum reverendi prænobilis et clarissimi domini Balthasari Zauchenperger, J. U. doctoris, antefatæ reverendissimæ suæ celsitudinis consiliarii intimi, metropolitici consistorii Salisburgensis directoris, præpositi ad S. Virgilium Frisaci, et B. M. V. ad Nives hic canonici, ceu ad hunc actum specialiter deputati commissarii, nec non mei notarii, et infra scriptorum dominorum testium, post altare duobus fere pedibus sub terra tabulæ marmoreæ repertæ, et his remotis, sub ipso altari inventa est arca seu tumba ex cupro figuræ oblongæ; quæ post- F quam per supra nominatum reverendissimum dominum abbatem elevata, atque per sacerdotem dicti monasterii cum luminaribus et toto conventu in floccis comitante circa horam decimam et undecimam ante meridianam sacristiæ ejusdem ecclesiæ illata, ac statim reserata fuisset, in ea sanctum corpus, panno holoserico, jam penitus corrupto, involutum, repertum fuit; quod deinde cum ipsa arca in superius monasterii dormitorium translatum, ibidem in quadam cella collocatum, ac derelictum, et tam ipsa tumba, quam cella, impresso domini commissarii sigillo munita et obsignata fuit.

et recognitio,

16 « Die postea, quarta aprilis, denuo D. commissarius, ego notarius et domini testes inferius nominati ad præfatum locum nos contulimus: et primo inspecto ac recognito domini commissarii sigillo cellæ januæ impresso, illoque integro et illæso invento, cellam ingressi, alterum etiam sigillum supra tumbam, exi-

(1) Historia de corpore S. Amandi, p. 38.

stens

AUCTORE V. D. B.

stens inspeximus; illud recognovimus, ac integrum pariter ac illæsum reperimus; tumba ipsa aperta fuit, et cum necessarium videretur, sancta ossa, quod humida essent, libero aeri exsiccanda, quo melius manibus tractari, inspici et describi possent, exponere, ex tumba extracta, et per nobilem ac clarissimum dominum Georgium Khienne, medicinæ doctorem, altememoratæ reverendissimæ suæ celsitudinis etc. consiliarium et archiatrum, quantum tunc fieri potuit, in mensa simul composita, cella antiquo sigillo obsignata, ibidem relicta fuerunt.

ossiumque recensio.

17 « Subsequenti die, vigesima ejusdem mensis, denuo dominus commissarius, ego notarius, et domini testes sæpe dictam cellam accessimus, sigillum recognovimus, ac immotum et integrum invenimus, cellam reclusimus, et ut sanctum corpus seu ossa Ordine describerentur, prælibati DD. commissarius et abbas præfatum dominum doctorem Khienne requisiverunt, et rogaverunt; qui, libenter labore suscepto, omnes et singulas partes inspexit et examinavit, et integrum fere corpus
B adesse asseruit, illudque sequentes partes, nimirum : in capite cranium integrum septem ossibus constans, cum utraque maxilla integra, quarum superior omnes sedecim, inferior vero solummodo quatuor dentes maxillares enumerat. In trunco seu thorace et infimo ventre præter os scapulæ et claviculæ utrinque unum, totam spinam, et omnes costas, sex nimirum integras, cæteras vero aliqualiter fractas, una cum XXIV spondilis aut vertebris, atque osse sacro, et utroque laterali coxendicis. In superioribus artubus utramque manum seu brachium, os unum humeri, duo ossa cubiti, una cum singulis extremæ manus seu digitorum requisitis articulis, atque ferme omnibus carpi et metacarpi ossiculis. In artibus inferioribus in quolibet scilicet pede femoris os unum, patellam in utroque genu unam, tibiæ ossa duo, atque os naviforme tali et calcis, cum aliis tarsum et metatarsum constituentibus, digitorumque extremis articulis, ac plurimis et variis aliorum ossium et ossiculorum fragmentis et particulis continere. Quæ partes postea separatim involutæ, numeris signatæ,
C in tumbam sigillo domini commissarii munitam repositæ, et in sacristiam transportatæ et inclusæ fuerunt. Tandem vigesima sexta octobris ejusdem anni, prædicta ossa processionaliter cum omni solennitate circumlata, et in arca ex lignis levigatis nigro colore infectis noviter compacta, composita, ac supra altare, S. Joanni Baptistæ sacrum, in eadem ecclesia existens, collocata, et recondita honorifice fuerunt.

et solemnis exaltatio explicantur :

18 « Acta sunt hæc anno, indictione, pontificatu, loco et tempore, quibus supra etc. Præsentibus admodum reverendis, magnificis, prænobilibus, clarissimis ac honoratis viris, dominis P. Alphonso Stadlmayr, et P. Romano Müller ordinis sancti Benedicti SS. theologiæ doctoribus, altememoratæ reverendissimæ suæ celsitudinis consiliariis intimis, universitatis hujus Salisburgensis rectore et procancellario Joanne Andrea Weickh J. U. doctore causarum advocato hic, Joanne Baptista Mayr, typographo aulico et academico, et Wolfgango Praun-
D müller, universitatis pedello, testibus fide dignis, ad præmissa specialiter rogatis et requisitis. Et ego Joannes Guilielmus Turner J. U. doctor, metropolitici consistorii Salisburgensis consiliarius, ejusdemque nec non publicus notarius, quia præinsertæ resignationi sacrarum reliquiarum susceptioni, exaltationi, recognitioni, omnibusque aliis et singulis, dum sic (ut præmittitur) fierent, et agerentur, una cum prænominatis dominis testibus præsens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi : ideo hoc publicum instrumentum exinde confeci, manu propria subscripsi, et notariatus mei signetum apposui, rogatus et requisitus, tempore et loco quibus supra, etc. Joannes Guilielmus Turner J. U. doctor qui supra. »

quam solemnis fuerit hæc postrema celebritas.

19 *Quæ ultimo loco referuntur breviter, explicatius dabit Novissimum Chronicum monasterii ad S. Petrum Salisburgi :* Demum, *inquiunt ejus scriptores* (1), 26 octobris, in quem diem alias incidit festum translationis ejusdem sancti, magno apparatu in publica processione
E circumlatum et in ara Decollationis B. Joannis Baptistæ depositum. Initium hujus solemnitatis fecit summum officium, quod D. abbas cantavit; sub quo non tantum celsissimus princeps, sed et aliqui de reverendissimis DD. canonicis legerunt missam. Quo officio finito, cum debitis ceremoniis itum est per novum ædificium seu monasterium; nam cælum pluvium ulteriorem exitum (uti propositum erat) non admisit. Comparuerunt major et minor congregatio ex universitate, confraternitas SS. Sebastiani et Rochi, S. Annæ, S. Monicæ, SS. Corporis Christi et Fidelium animarum ; quas sequebantur RR. PP. Augustiniani, Capucini et Franciscani : post quos immediate ibant domini religiosi convictores et professores : post intervallum sequebantur alumni archiepiscopales, templi et chori cathedralis vicarii; exinde musica : demum post crucem conventualem immediate conventus noster, eo quo in festo SS. Corporis Christi solet amictu conspicuus; et post hunc illustrissimi DD. canonici cathedrales, simili modo induti. Tandem S. Amandi sacra tumba,
F a sex sacerdotibus de nostro conventu triumphali veluti in curru sublime portata, comparuit : post quam ibat D. abbas in pontificalibus; deinde celsissimus princeps Guidobaldus, habitu archiepiscopali rubro spectabilis, qui trahebat post se totam aulam ingentemque populi multitudinem. Ubi per cœmeterium deventum est ad ecclesiam et ante summum altare, in medio collocata fuit prædicta tumba; et D. P. Romanus Miller Seonensis panegyrin adornavit; qua finita, per sex religiosos S. Petri sacra lypsana transferuntur ad altare Decollationis S. Joannis, ibique cum debito honore deponuntur. Finiit D. abbas hanc festivitatem ante medium summi altaris inchoando hymnum ambrosianum; sub quo in arce quinquaginta tormenta fuerunt explosa. Et ne huic solemnitati quidquam deesset in majoris templi vestibulo porta triumphalis erecta videbatur. *Solemnissima itaque fuit hæc corporis translatio.*

(1) Historia de corpore S. Amandi, p. 577.

A

§ III. Corpus S. Amandi sæculo XV jam sub summo altari repositum. Officia et statuæ in honorem S. Amandi Trajectensis. Error corrigitur.

Dicitur S. Rupertus Wormatia Salisburgum detulisse S. Amandi *corpus,*

Jam vero ex quo tempore S. Amandi *corpus Salisburgi servatum fuerit, nuspiam in antiquis monumentis scriptum invenitur, quoniam ab incendio, bello aliisque calamitatibus damna multa passa sunt S. Petri tabularia. Inquisitionem instituit Chronographus S. Petri sæculo* XVI; *aliam ante medium sæculum* XVII *Albertus Keuslin abbas; novam Amandus Pachler anno* 1661; *aliamque demum qui in annum jubilarem* 1782 « *Novissimum Chronicum antiqui monasterii ad S. Petrum Salisburgi* » *adornarunt; unde nil fere aliud prodiit quam quæ Albertus abbas in Catalogum suum abbatum S. Petri, anno* 1646 *typis editum, intulit.* Cum Wormatiam, *inquit* (1), desereret S. Rupertus,

B ordine secundi, secum detulit Salisburgum; ubi in ecclesia S. Petri, sub primario altari reconditum, semper in magna veneratione habitum; sanctusque Amandus inter præcipuos monasterii patronos omni tempore numeratus; cujus et festivitas sub duplici sexta die februarii ejusdemque translatio sub titulo festorum abbatialium die 26 octobris ab immemorialibus temporibus in prædicta ecclesia celebrata; nec minus in ecclesia metropolitana S. Ruperti illius festum prænominata die sexta februarii cum novem lectionibus quotannis peractum fuit et peragi adhuc solet; licet per aliquod tempus, interposito errore, non ut sancti episcopi Wormaciensis, sed sub nomine alterius sancti Amandi, nempe episcopi Trajectensis, ut colligitur ex proprio sanctorum Wolfgangi Theodorici archiepiscopi, anno 1598 edito.

quod sæculo XV sub summo altari positum erat;

21 Erat in ecclesia S. Petri supra cancellos sepulchri S. Ruperti theca quædam lignea posita; anno 1627 inde ablata et ad capellam S. Viti (ubi nunc manet) translata; in qua versus murum templi majusculis litteris scriptum

C videbatur : S. AMANDUS; et ex altera parte versus altare S. Crucis, (quod, ut ecclesia fieret capacior, amodo amotum est,) hæc legebantur : CORPUS S. AMANDI EPISCOPI, RECONDITUM IN SUMMO ALTARI HUJUS ECCLESIÆ, PER S. RUPERTUM EST IN HAC ARCHA DE WORMACIA ALLATUM. Et in tabulato antiqui templi supra altare summum versiculi sequentes, per gyrum scripti olim, in chronicis notantur :

Nomina si quorum vis picturasque videre :
Invenies clare, si respicis retro altare.
Pontificis sancti tenet ara hæc corpus Amandi;
Corpora pontificum septem stipant simul illum :

scilicet Ansologi, Savoli, Ezzii, Flobargisi, Joannis, Bertrici et Ammilonii (2). *Apponendos hos versus curavit Petrus, cognomine Klueghamer, qui ab anno* 1436 *ad* 1466 *S. Petri abbatiam gubernavit et cujus temporibus scripta fuerunt Chronica, quæ laudavit Albertus Kueslin* (3).

AUCTORE V. D. B.

ibi (ut videtur) collocatum anno 1443.

22 *Videtur autem in S. Petri illatum et sub ara maxima conditum S.* Amandi *corpus anno* 1443. *Ante enim nullum ibi exstitit altare, ejus nomine dicatum; neque recensentur ejus reliquiæ inter eas, quæ quum summum altare anno* 1443 *consecratum est, illic conditæ fuerunt* (4). *Contra venit ejus nomen in instrumento consecrationis anni* 1443; *quod jam accipe* (5): Anno Domini M.CCCC.XLIII, tertio idus maji, annuente reverendissimo in Christo domino domino Friderico, sanctæ ecclesiæ Salisburgensi archiepiscopo, A. S. L. consecratum est hoc summum altare per reverendum in Christo patrem et dominum dominum Sylvestrum, Chiemensis ecclesiæ episcopum, ob reverentiam sanctæ et individuæ Trinitatis et sanctissimæ Dei genitricis Mariæ : specialiter autem in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac SS. confessorum ac pontificum Ruperti, AMANDI et Vigilii etc. Benedicti abbatis et sanctæ Scholasticæ virg. Dedicatio vero præfati altaris annuatim celebratur proxima dominica post festum sancti Michaelis.

E

Recentiores referunt corpus a S. Ruperto allatum fuisse.

23 *Quod autem abbas Albertus scripsit S.* Amandi *reliquias Wormatia Salisburgum allatas a S. Ruperto, ei præivit sæculi* XVI *Petrensis chronographus his verbis* (6) : S. Rupertus, ejusdem Wormatiensis ecclesiæ episcopus, factus postea Salisburgensium doctor et pastor,... supradicti Amandi episcopi, prædecessoris sui, ossa Salisburgum secum detulit; ubi nunc in ecclesia monasterii S. Petri sub altari majori reposita venerantur; *qui et hæc adjecit:* Sola majorum narratio, veluti de manu ad manum tradita, ejus sacras reliquias hoc in loco conservari contestatur. Et sane antiquitatis hujuscemodi traditio non est adeo facile reprobanda aut rejicienda, quæ multoties certior est quam vanæ autorum conjecturæ : *quibus verbis fatetur nulla a se reperta esse scripta documenta. Similia scripserat anno* 1602 *Joannes Stainhauser in Vita S. Ruperti, quæ Salisburgi ms. servatur* (7). *Nil quod antiquius sit refertur, quo stabiliatur reapse S. Rupertum decessoris sui corpus attulisse Wormatiam.*

F

Duo quotannis S. Amandi festa sæculo XV et XVI agebant Salisburgenses;

24 *S. Amandum quemdam ante hominum memoriam inter monasterii patronos recensitum fuisse et bis quotannis ejus festum celebratum extra controversiam est; sed cuinam Amando hi honores adhibiti fuerint non ita liquet. Habemus in musæo nostro « Partem Breviarii hye- « malem secundum ordinem seu rubricam almæ « Saltzburgensis ecclesiæ, cum diligentia revi- « sam ac fideli studio per Georgium Stuchs, « opificem de Sultzbach, in inclito Nurnbergen- « gensium oppido anno Christi salutifero « MCCCCXCVII; » in cujus kalendario ad diem* 6 *februarii legitur :* DOROTHEÆ V. Simile est regnum cæli thesauro. AMANDI EPISCOPI. IX [lectiones.] Sint lumbi. *Quæ in ipso Breviario ita explicantur :* De S. Dorothea IX lectiones faci-

(1) Catalogus abbatum S. Petri, p. 3. — (2) Pachler, Historia de corpore, etc. p. 32. — (3) Ibid., p. cit. — (4) Ibid., p. 29. — (5) Ibid., p. 30. — (6) Ibid., p. 10. — (7) Ibid., p. 11.

tionem.

AUCTORE V. D. B.

tionem. Ad diem autem 26 *octobris in eodem illo kalendario jubetur* S. Amandi episcopi *festum* cum IX [*lectionibus*]: Sint lumbi *peragi; sed quæ in corpore Breviarii legerentur, quum hac parte caream, dicendo non sum; æstimans tamen omnia iterum depromenda fuisse ex Communi. Certe abbas Amandus Pachler* (1) reperit antiquum Breviarium Salisburgense, editum anno 1518 sub Leonhardo archiepiscopo, impressum Venetiis; cujus titulus Breviarium secundum usum almæ ecclesiæ Salisburgensis : in quo 6 februarii de sancto Amando omnia de communi sumpta; in festo autem translationis ejus 26 octobris unica oratio propria officio imposita fuerat.

sed cogitabant S. Amandum Trajectensem, ut ex officiis liturgicis et maxime

25 *In his itaque nil erat unde dignosceretur utrum S. Amandi Trajectensis, an S.* Amandi *Wormatiensis, aut cujuscumque corpus Salisburgi servaretur, festivitas fieret. Die enim* 6 *februarii anni* 684 *Trajectensis præsul e vivis recesserat, et die* 26 *octobris, quindecim a morte annis, solemniter fuerat translatus* (2); *quæ posterior dies, (quoniam prior, now secus ac S. Benedicti natalis* (3) *in quadragesima aliquando* B *incidens, parum aut nihil celebrari poterat,) longe festivior facta est, quemadmodum S. Benedicti quoque anniversaria translationis dies. Unde primo conspectu videtur illis diebus Salisburgi honoratum fuisse S. Amandum Trajectensem. Accedit quod, quum archiepiscopo Wolfgango Theodorico non amplius visum est intra lectiones de Communi confessorum pontificum consistere, introductæ sunt lectiones propriæ ex Vita S. Amandi Trajectensis: quæ omnia procul dubio momentum et pondus habent, licet tamen ineluctabilia argumenta non sint. Nam passim sanctorum, qui minus noti sint, festa transferuntur ad natales sanctorum perquam celebrium; unde ipsimet cum his paulatim confundantur. Sed eum in errorem incurrere non potuerunt S. Petri monachi, penes quos quippe esset S.* Amandi *corpus! Verum quidni ipsi putarint se habere corpus S. Amandi Trajectensis, quod ipse Hansizius* (4), *vir plane sagacissimus, ab archiepiscopo Arnone, olim Elnonensi abbate, partim Salisburgum translatum fuisse aliquando persuasum habuit? Quid, quod olim cum serpente, manu retento, (quod* C *S. Amandi Trajectensis symbolum est) pingi solebat S.* Amandus *Salisburgi?*

ex antiquis imaginibus manifestum est.

26 *Audi abbatem Pachlerum ipsummet* (5): Denique symbolum apponitur huic sancto nonnumquam serpens, in manu retentus; quod tamen ejus proprium symbolum non est, sed ob nominis identitatem desumptum a S. Amando Trajectensi, cui proprium est symbolum. Quo notatur illa historia, dum serpentem ejecit ex insula Ogia, quam juvenis inhabitavit. Reperio autem duas imagines, in quibus S. Amando nullum symbolum additum : prima est tabella et pictura antiquissima, affixa tumbæ portatili S. Amandi, in qua episcopus depictus cernitur sine ullo symbolo; altera est tabula anno 1613, quæ adhuc in abbatia asservatur, itidem sine omni symbolo facta sub Martino abbate. Sunt autem et aliæ imagines cum dicto symbolo in monasterio : ut in summo altari ex cornu epistolæ D in sublimi una, quæ olim serpentem tenuit, quamvis hodie non amplius; item in primo altari capellæ S. Amandi : quod symbolum sine dubio antiquiores addidere, ut iste sanctus patronus noster a reliquis patronis nostris discerneretur. *Quibus quid manifestius afferri queat ut intelligantur S. Petri monachi olim S. Amandum Trajectensem officiis ecclesiasticis celebrasse et se ejus reliquias habere sensisse, equidem non video.*

Error sæculo XVII omnino retegitur et officia celebrantur in honorem S. Amandi Wormatiensis.

27 *Postquam vero sæculo* XVI *et maxime initio sequentis error retectus fuit, quum annis* 1625, 1644 *et* 1647 *Paridi archiepiscopo Proprium sanctorum Salisburgense denuo in lucem dandum visum est, in medio reliquerunt qui id procurarunt, utrum Trajectensis Amandus an alius coleretur, omnibus ad diem* 6 *februarii pro veteri more desumi jussis ex Communi confessorum pontificum; quin etiam festum diei* 26 *octobris sublatum est. Sed quando anno* 1661 *denuo inventa fuerat tumba et abbas Amandus Pachler « Historiam scripserat de corpore « S. Amandi, hujus nominis primi, in ordine « vero secundi episcopi Wormatiensis, a S. Ru-* E *« perto Wormatia Salisburgum translato, et « hoc currente anno in ecclesia S. Petri Salis- « burgi invento, ac noviter translato die* 26 *octo- « bris, ex antiquis monumentis monasterii « S. Petri collectam a quodam asceta ejusdem « monasterii anno* 1661, *cum licentia superio- « rum editam Salisburgi typis Joannis Baptistæ « Mayr, typographi aulici et academici; » quando hæc, inquam, facta fuerant, Salisburgenses, servato officio de Communi ad diem* 6 *februarii, sed omissa ad diem* 26 *octobris omni S. Amandi Trajectensis memoria, celebrare cœperunt posteriori hac die translationem S.* Amandi *Wormatiensis, sequentem pro quarta usurpantes lectionem:* « Ex antiquis monimentis monasterii S. Petri. » Amandus, hujus nominis primus, Wormatiensium episcopus, cum gregem suum verbo et exemplo ad omnem pietatem instituisset, post felicem transitum de hoc sæculo Wormatiensium patronus electus fuit. Verum cum S. Rupertus, octavo loco episcopus Wormatiæ constitutus, impiorum factionibus in exilium depulsus esset, sublatum occulte corpus S. Amandi F prædecessoris sui, conversa ad fidem catholicam Bavaria ac sede episcopali Juvavii instituta, secum Salisburgum detulit, atque in ecclesia, S. Amandi nomine a se ædificata, honorifice deposuit : quod successu temporis in monasterio S. Petri sub summo altari majoris ecclesiæ collocatum, *anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo denuo solemniter repertum ac solemniter elevatum et translatum fuit ad altare laterale decollationis S. Joannis Baptistæ;* ubi adhuc debito honore colitur et conservatur. « Cætera ex festo ejus 6 februarii. » *Hæc ex Proprio, quod anno* 1689 *jussu Joannis Ernesti archiepiscopi in lucem prodiit, et denuo anno* 1728 *auctoritate archiepiscopi Leopoldi; recentiora exemplaria coram non habeo.*

—

(1) Pachler, Historia de corpore S. Amandi, pag. 44. — (2) Milo, Sermo de translatione corporis S. Amandi, num. 4, in Actis SS., tom. I Februarii, p. 890 ; Cfr p. 842 et seqq. — (3) Martène, De antiquis monachorum ritibus, p. 584 et seqq.; Bernardus, Ordo Cluniacensis, part. II, cap. 29, ap. Hergott, Vetus disciplina monastica, p. 343. — (4) Germaniæ sacræ, tom. II, p. 64. — (5) Historia de corpore, etc. p. 45.

§ IV.

A

§ IV. Initio sæculi IX exstabat Salisburgi ædes S. Amandi, celebrata ab Alcuino; eo videtur delatum a S. Ruperto corpus S. Amandi Wormatiensis.

Ubi Salisburgense S. Amandi *corpus esset ante annum* 1445.

Vincebat itaque omnino S. Amandus *Wormatiensis S. Amandum Trajectensem, Salisburgi multo quam Wormatiæ felicior. Verumtamen anno* 1749 *intercessit Marcus Hansizius noster* (1) *et sanctum Amandum Trajectensem restituere tentavit, et dein alium quemcumque introducere* (2); *cui obstiterunt triginta tribus annis post S. Petri monachi, sed tam molliter ut dissertatiunculam suam finiverint, confessi* neque suæ neque Hansizii sententiæ argumenta certo et authentice constare (3). *Qua in re longius progressi sunt, quum plane fieri non possit ut pro Hansizii placitis Salisburgi servatæ fuerint S. Amandi Trajectensis exuviæ, quæ certissime Elnone usque ad extremum sæculum superius quieverunt* (4). *Quod vero manifestum est, testimonia, quibus nixi sunt S. Petri monachi ut*

B *penes se esse demonstrarent* S. Amandi *Wormatiensis corpus, infirma nimis et debili manu tractarunt. Sed prius ad hoc quæsitum redeundum est, ubi repositum esset Salisburgense* S. Amandi *corpus, priusquam anno* 1443 *in S. Petri templo sub altari conditum est. Censent S. Petri monachi id prius quievisse in ædicula cœmeteriali S. Amandi, quam ædificarit S. Rupertus; postea vero, renovata tumba, ab Arnone supra cancellos sepulcri S. Ruperti fuisse locatum; atque ibi stetisse, donec Petro abbati sub summo altari humandum visum sit. Singula ad examen revocanda sunt.*

Ad ædiculam cœmeterialem S. Amandi *versus Alcuini, quibus constat eam ab Arnone renovatam fuisse,*

29 *De ædicula autem illa omnium primus meminit, qui extremo sæculo* XII *S. Ruperti Acta infelici labore consarcinavit. Narrato scilicet S. Maximi presbyteri et sociorum eremitarum prope Salisburgum martyrio :* Quorum corpora, *ait* (5), ab aliis fidelibus, qui evaserant, eo in loco sunt sepulta, ubi postea per sanctum Rudbertum episcopum capella fuit con-

C structa et sub honore sancti Amandi necnon sacræ virginis et martyris Margarethæ ab eodem consecrata; quam polyandrium, id est cœmeterium sancti Amandi vocari voluit. Et de hoc infrascripti extant versus :

Hæc æquata solo viluit domus inclita quondam :
Non tulit hanc speciem Christi devotus honore
Arnonus, præsul humilis; renovare jacentem
Incipit, et melius totam construxerat ædem;
Consecrans summis intercessoribus illam :
Principis egregii primo Michaelis honore,
Principis ecclesiæ necnon sub nomine Petri,
Principis et fratrum præclari patris Amandi
[Et Margarethæ Christi fidelis athletæ;]
Ut sanctum voluit polyandrum fratribus esset.
Vos in pace Dei chari requiescite fratres,
Donec ab ætheria clamet pius angelus arce :
Surgite nunc prompti terræ de pulvere, fratres :
Vos vocat adveniens judex de culmine cœli :
Cum meritis animas propriis assumite vestras :
Ante Dei Christi magnum modo state tribunal,
Ut condigna suis capiat quis præmia factis.
Vosque timete diem horis, precor, omnibus illum,
Qui legitis versus operis, dum tempus habetis,
Ut vos inveniat veniens lux illa paratos.
Atque mei memores, supplex rogo, semper in ore
Dicite : Christe, tuo famulo pius esto per ævum.
Alcuin dicor ego; jam vos sine fine valete.

AUCTORE V. D. B.

licet aliter alii sentiant,

30 *Hæc carmina Alcuini sunt; sed utrum pro Salisburgensi cœmeteriali æde an pro Elnonensi ea scripserit, non convenit, Mabillonio* (6) *et Hansizio* (7) (*ut alios omittam*) *contendentibus ea ab Alcuino pro Elnone fuisse scripta; Amando Pachler* (8) *et sodalibus suis* (9) *exemplo S. Ruperti biographi ea ad suum cœmeterium referentibus. Quæ controversia ut intelligatur, imprimis sciendum est Arnonem, clericum Frisingensem, deinde Elnonensem monachum et ab anno* 782 *abbatem, triennio post factum esse Salisburgensem episcopum et abbatem S. Petri;*

E *quibus muneribus functum esse, donec anno* 821 *diem obierit* (10). *Retinuisse Elnonense abbatiale pedum censetur; quod omnino admittendum est. Porro, non anno* 809, *quem habent Milo* (11) *et Annales* (12) *et Chronicum Elnonense* (13), *sed priusquam Alcuinus, qui carmen ea de re scripsit* (14), *die* XIV *kal. junias anni* 804 *diem obiit* (15), *propter Scarpæ inundationem renovari jussit cryptam, in qua S. Amandi Trajectensis jacebat Elnone corpus, et superpositam ædiculam S. Michaelis honori consecrari. Sed præter carmen, quod modo indicabam, venit in Alcuini scriptis poeticis alterum, quod cum nonnullis aliis de ædificiis, liquido Salisburgensibus, in codice Salisburgensi repertum est, scilicet id ipsum quod supra ex S. Ruperti biographo recitabam, nisi quod absit versus Leoninus, parenthesi a me inclusus :* Et Margarethæ, Christi

F fidelis athletæ.

reapse referendi sunt, non autem ad ædiculam et cryptam Elnonensem.

31 *Equidem fatebor me, priusquam penitius ambo inspexissem et inter se contulissem carmina, in Mabillonii et Hansizii sententiam pedibus ivisse; sed quum propius examinaveram, recessi inde omnino, nil dubitans quin de duobus diversis fabricis agatur, altera Elnonensi, altera Salisburgensi. Quæ enim carmine XXIX laudatur, uni S. Michaeli sacra erat; quæ carmine CXXIV, S. Michaeli, S. Petro et S. Amando. Prior renovata est, quia,*

Dum sacra præsentis pervasit limina templi
Sæpius accrescens cumulato gurgite flumen *,
Non tulit Arnonus fœdari templa sacerdos;

la Scarpe.

posterior contra, quia

(1) Germaniæ sacræ tom II, p. 61 et seqq. — (2) Ibid. p. 1007 et seqq. — (3) Novissimum chronicum monasterii ad S. Petrum Salisburgi, p. 48. — (4) Cfr Acta SS. tom. I Februarii, p. 841. — (5) Ap. Canisium et Basnagium, Lection. antiq. tom. III, part. II, p. 524. — (6) Acta SS. Ord. S. Bened. sæc. IV, part. I, p. 65. — (7) Germaniæ sacræ tom. II, p. 61. — (8) Historia de corpore etc. pag. 22 et 23. — (9) Novissimum chronicum, p. 47. — (10) Cfr Hansizius, Germ. sac. tom. II, p. 97 et seqq. Noviss. Chronic. p. 117 et seqq. — (11) De elevatione corporis S. Amandi, in Actis SS. tom. I Februarii, p. 891. — (12) Ap. Pertz, Monum. Germaniæ, tom. V, p. 11. — (13) De Smedt, Corpus chronic. Flandriæ, tom. II, p. 10. — (14) Inscriptiones variæ, num. XXIX, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CI, col. 738. — (15) Cfr Vita B. Alcuini per Frobenium, cap. XIII, ibid. tom. C, col. 76 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

Hæc æquata solo viluit domus inclita quondam. *In priore præcipuus labor positus fuit in exstruenda crypta et duodecim firmandis arcubus; in posteriori cryptæ vestigium non occurrit. In priore, quoniam Arno versabatur Salisburgi,* Hlotharius custos fecit, mandante magistro; *atque Milo* (1) *etiam unius Lotharii mentionem injecit: in posteriori Lotharius omittitur, et* Arnonus, præsul humilis, renovare jacentem Incipit:

et ipsemet eam dedicat,

Consecrans summis intercessoribus illam.

Quum autem illa ædicula initio sæculo IX *solo jam æquata esset et renovanda, videtur reapse sæculo ante a S. Ruperto extructa fuisse in honorem S.* Amandi:

32 *Consentio itaque antiquo S. Ruperti biographo, Pachlero aliisque Salisburgensibus carmine Alcuini CXXIV, quod* In cœmeterio *inscribitur, Salisburgense S. Petri cœmeterium celebrari; atque illic proinde jam pridem exstitisse ædiculam, quæ circa annum* 800 æquata solo viluerat. *Accedit quod in Annalibus S. Ruperti Salisburgensibus, medio sæculo* XII *scriptis* (2), *hæc ad annum* 478 *leguntur* (3): Ad sanctum Amandum Maximus presbyter cum sociis suis plusquam 50 passus est, *id*
B *est in loco, ubi sæculo* XII *exstabat S.* Amandi *ædes cœmeterialis. De qua ibidem* (4) *ad annum* 1141 *traditur:* Ecclesia S. Amandi a Romano Garcensi episcopo consecratur: *cujus consecrationis tabulas recitat Amandus Pachler* (5). *Earum initium hoc est:* Anno ab incarnatione Domini M. C. XLI. indict. IV, IV idus julii dedicata est basilica S. Amandi et S. Margarethæ a venerabili Romano, episcopo Garcensi, in honore sanctæ et victoriosissimæ Crucis et S. Mariæ, matris Domini. *Recensentur dein impositæ reliquiæ; quas inter veniunt S. Amandi: unde deducere tentavit Pachlerus tum S.* Amandi *corpus illic exstitisse. Non recte, quum ibi non de corpore sermo sit, sed de pauculis reliquiis, quæ mixtim cum aliis loculo altaris sepulcro inseri solent; et quidem eodem titulo leguntur in tabulis consecrationis ejusdem ædiculæ, anno* 1492 *celebratæ, quando S.* Amandi *corpus in S. Petri templo jam pridem fuisse diximus. Præstat itaque talia omittere. Verumtamen id ex allatis locis certum est circa annum* 800 *renovatam fuisse Salisburgi S.* Amandi *basilicam cœmeterialem, quæ jam*
C *dudum exstaret adeoque tum* æquata solo viluisset domus inclita quondam: *quare valde verisimile est eam reapse sæculo ante constructam fuisse a S. Ruperto; nec quidquam est cur credatur alio titulo quam S.* Amandi: *ita ut in hac parte S. Ruperti (quem supra adducebam) biographo, utut tot annis posteriori, fides accrescat, nedum dematur.*

cujus etiam corpus, ut ex alio Alcuini carmine liquet, illic servabatur.

33 *Quæ ut coronide quadam perficiam atque ostendam reapse S.* Amandi *corpus illic tum exstitisse considerandum est carmen Alcuini XXXIV, quod inscribitur* Ad tumbam sancti Amandi, ab Arnone renovatam; *quippe quod ad S.* Amandum, *Salisburgi servatum, pertinere videatur, non autem (ut vulgo volunt) ad* D *S. Amandum Trajectensem. Ecce enim* (6):

Antistes humilis Domini et devotus honore
Arnonus, sancti tumbam renovavit Amandi,
Non parcens opibus; miseris nam quidquid habebat
Sparserat, et Christi compsit sacra templa sacerdos:
Pro quo, quisque legas versus, orare memento.

Ubi primo adverte Arnonem antistitem Domini humilem et devotum honore *dici, ut in carmine CXXIX, (quod de opere Salisburgensi etiam est,)* Christi devotus honore Arnonus præsul humilis *celebratur: secundo ejus prædicari largitatem, ut (licet omnia sparsisset in bona opera) opibus tamen non pepercerit in renovanda S.* Amandi *tumba; quod eum de thesauro Elnonensi, quum jam pridem abesset, facere non potuisse; tertio Milonem* (7), *licet multis explicet translationem corporis S. Amandi Trajectensis, quæ tempore Arnonis facta sit, plane præterire renovationem tumbæ, ingentes sum-* E *ptus factos aliaque id genus; sed narrare dumtaxat corpus superiori loco, quo aquæ non pertingerent a Lothario custode fuisse collocatum: Corpus, inquit, post triginta dies* in loco præparato recollocavit: urnamque sepulchri, non (ut antea fuerat) in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri et lumen sub illo accendi posset, collocavit atque in eo illum psalmi versiculum « Hæc requies mea *etc.* » suprascripsit. *Adverte demum quarto hoc carmen repertum esse in antiquissimo codice Salisburgensi, ubi aliæ hujus civitatis res celebrantur* (8).

Aliqui scripserunt encomia omnium sanctorum unius ejusdemque nominis;

34 *Restat ut inquiramus quis S.* Amandus *ille fuerit. Hansizius, qui (ut supra vidimus) prius voluit S. Amandi Trajectensis reliquias aliquot Salisburgum asportatas fuisse, postea aliam sententiam amplexus est, statuens* (9) alterius cujuspiam viri sancti, quomodocumque vocati, seu abbatis seu episcopi, corpus illud esse. *Verum enim vero nullus inter sanctos, nomine Amandi notos, venit, cui aptius illud corpus adscribi possit quam S.* Amando *Wormatiensi. Quod ut facilius pateat, recensebo* F *sanctos Amandos omnes, non quidem eo consilio quo verbi gratia Antonius Sanderus* (10) *omnes Antonios collegit; aut quo Arnoldus quidam* (11) *triginta sanctos Arnoldos; Augustinus Oldoiñus* (12) *Clementes quotquot potuit omnes; Ven. Vir D. C. Cavedoni* (13), *in quo Deus dedit huic sæculo singulare exemplum eximiæ doctrinæ cum præclara pietate et vitæ sanctimonia conjunctæ, Georgios viginti quatuor; anonymus quidam, cujus ms. liber in decessorum Musæo servabatur, sanctos, quorum nomen Fortunatus fuit; Franciscus Stiller* (14), *Societatis nostræ sodalis, sanctos Franciscos omnes; Joannes Na-*

(1) De elevatione corporis S. Amandi, num. 3, in Actis SS., tom. I Februarii, p. 891. — (2) Cfr Pertz, Monum. Germ. tom. I, p. 759. — (3) Ibid. p. 766. — (4) Ibid. p. 775. — (5) Hist. de corpore, p. 24. — (6) Ap. Migne, Patrol. lat. tom. CI, col. 740. — (7) Acta SS. tom. I Februarii, p. 892. — (8) Historia de corpore etc. p. 13; cfr Hansizius, Germ. sacr. tom. II, pag. 1007 et 1008. — (9) German. sacr., t. II, p. 1009. — (10) De claris Antoniis libri tres: primus vitæ sanctimonia notos, alter præsules et magnates, tertius literis et eruditione præstantes complectitur. Lovanii, 1627, in-4°. — (11) Fasti Arnoldini, triginta Vitæ sanctitate conspicuis Arnoldis, suum cuique diem, quo in menologiis, martyrologiis etc. coluntur, assignantes; una cum appendice aliorum quatuor, quorum natalis nullibi invenitur. Ex variis autoribus collecti et digesti opera clientis F. A. N. E. A. — (12) De Clementibus titulo sanctitatis vel morum illustribus. Perusiæ. 1675. — (13) Dichiarazione della iscrizione sepolcrale di S. Giorgio, giovinetto martire, Modena, 1840, p. 25 et seqq. — (14) Annus Franciscorum, sive historica eorum ephemeris, eventuum gestorumque variorum memoriis secundum anni dies conscripta. Pragæ, 1680, in-4°.

dasi

A *dasi* (1), *item societatis nostræ vir, omnes sanctos Joannes; quorum etiam omnium effigies ad latera imaginum vitæ S. Joannis Nepomuceni incidendas curavit Boluslaus Balbinus noster* (2); *et demum Theodorus noster Schmal* (3) *sanctos Theodoros, quos reperit, omnes : quo referas etiam Leonis Allatii diatribam de Simeonibus, jam pridem a Combefisio editam* (4), *et tres alias, de Nicetis, de Philonibus et de Theodoris, non ita pridem a cardinali Majo* (5) *in lucem datas : non, inquam, sanctos Amandos ideo conferam ut ingentem numerum recenseam, sed ut confusionem omnem, quantum fieri potest, tollam tenebrasque discutiam.*

alio omnino consilio ordine kalendarii recensentur omnes sancti Amandi;

35 *Ut autem eos omittam, qui in kalendariis et martyrologiis loco* Amantii, Amaranthi *aliorumque similium nominum errore veniunt, sequens laterculus confici potest :*

Die 5 *januarii in auctario Usuardino occurrit S. Amandus, quasi socius esset S. Felicis martyris; sed perperam intrusus videtur.*

Die 6 *februarii S. Amandus, episcopus Trajectensis, omnium longe notissimus.*

Die 14 *februarii S. Amandus martyr in Martyrologio Hieronymiano; ubi juxta quosdam codices Amantius dicitur.* B

Die 19 *martii S. Amandus, socius SS. Amandi Trajectensis et Landoaldi.*

Die 6 *aprilis S. Amandus, comes, Gisalbæ in diœcesi Bergamensi.*

Die 6 *junii S. Amandus, martyr Caunæ in Hispania.*

Die 9 *junii S. Amandus, martyr Niceæ, in Martyrologio Hieronymiano, ubi juxta quosdam codices iterum Amantius dicitur.*

Die 13 *junii S. Amandus, idem qui ad diem* 19 *martii.*

Die 16 *junii S. Amandus, presbyter eremita, Remis cultus.*

Die 18 *junii, S. Amandus, episcopus Burdegalensis.*

Die 25 *junii S. Amandus confessor et eremita, socius SS. Sori et Cypriani, cultus Genuliaci, male sociatus Domnoleno, Lemovicibus honorato, perperamque confusus cum S. Amando Comodoliacensi, magistro S. Juniani; quin etiam in quodam Usuardi auctario* episcopus et confessor *dictus, quasi S. Amandus Trajectensis esset.* C

Die 6 *julii S. Amandus seu Amantius, martyr Neveduni.*

Die 16 *augusti translatio S. Amandi, presbyteri eremitæ; de quo ad diem* 16 *junii.*

Die 26 *augusti S. Amandus, eremita Comodoliacensis, magister S. Juniani.*

Die 20 *septembris Elnone elevatio corporis S. Amandi Trajectensis.*

Die 23 *octobris Elnone restitutio S. Amandi, episcopi Trajectensis.*

Die 24 *octobris S. Amandi confessoris,* [*episcopi Trajectensis,*] *Luciani, Marciani et Flori natalis annuntiatur in uno codice Usuardino, manifesto errore duorum dierum.*

Die 26 *octobris S. Amandi confessoris nudum nomen legitur in aliquot fastis; in aliis* natalis; *in aliis* elevatio; *in aliis* corporis translatio; *in aliis* translatio corporis, et ordinatio episcopatus ejus, et dedicatio ecclesiæ ipsius; *in aliis demum* commemoratio SS. Vedasti et Amandi : *ubi semper unus S. Amandus Trajectensis intelligitur.* AUCTORE V. D. B.

Die 27 *octobris S. Amandi Trajectensis ordinatio legitur in uno codice Usuardino; pertinet ad diem præcedentem.*

Die 3 *novembris S. Amandi episcopi nomen in aliquo kalendario repererunt decessores nostri : intelligitur Argentoratensis episcopus, cujus olim ossa hac die honorifice translata sunt.*

Die 5 *novembris S. Amandi episcopi memoriam repererunt iterum decessores nostri ignoto mihi loco. Videtur Argentoratensis intelligendus.*

Die 13 *novembris Amandus, episcopus Redonensis.*

Die 14 *novembris Amandum, episcopum Redonensem, errore unius diei refert Saussayus.*

Die 15 *novembris Argentinæ S. Amandi, episcopi et confessoris : ita Molanus in auctario ad Usuardum secundæ editionis.* E

Die 17 *novembris Amandus signatur in decessorum notis; videtur idem qui S. Amandus Lirinensis.*

Die 18 *novembris S. Amandus, abbas Lirinensis.*

Atque hos in martyrologiis aliisque fastis sacris beatos viros reperi, nomine Amandos : quos inter (ut patet) nullus episcopus Wormatiensis, aut qui Salisburgi colatur.

scilicet ut innotescat longe verisimillimum esse S. Amandi *II, episcopi Wormatiensis, corpus sub annum* 710 *a S. Ruperto Salisburgum delatum fuisse.*

36 *Verum nulla est hujus omissionis admirabilitas, quum neque Wormatiense, neque Salisburgense ullum umquam editum fuerit martyrologium aut kalendarium, et quum diu S.* Amandi *nostri memoria simul cum sacris reliquiis fere obruta jacuerit, et cum S. Amandi Trajectensis confusa. Utut id est, in universo illo elencho quatuor dumtaxat veniunt episcopi confessores, scilicet Trajectensis, Burdegalensis, Rhedonensis et Argentoratensis; ex quibus solum Trajectensem Salisburgensibus attribui posse nonnulli crediderunt : sed perperam, si admittatur (ut admittendum visum est) ædem cœmeterialem a S. Ruperto S.* Amandi *titulo consecratam fuisse. Quum enim S. Rupertus, ut alibi* F *monuimus* (6) *invitatu Theodonis ducis, sub annum* 710 *Salisburgensis ecclesiæ primordia posuerit et sub annum* 720 *e vivis recesserit, sanctus vero Amandus Trajectensis, anno* 684 *vita functus, nonnisi die* 26 *octobris anni* 699, *quæ dies dominica erat, elevatus seu beatificatus fuerit; non satis magnum intercessisse videtur temporis spatium ut ejus cultus ultra Rhenum propagatus sit et maxime ut ejus nomen tituli loco in dedicandis ædibus sacris adhiberi potuerit. Eo itaque vergunt omnia ut S.* Amandum *Wormatiensem Salisburgi et coli et corpore requiescere concedamus; hoc solum a Salisburgensium placitis recedentes quod velint Amandum I, non autem II, in eorum civitatem olim translatum fuisse. Quemadmodum enim supra intelleximus, non Amandus I, sed II a Wormatiensi-*

(1) Annus Joannis, sive de sanctis nomine Joannis appellatis, Pragnæ, 1664. — (2) Vitæ S. Joannis Nepomuceni... illustrata iconismis XXXIII, Augustæ Vindelicorum, 1730. — (3) Catalogus sanctorum et vitæ meritis illustrium virorum, qui Theodori nomine appellati fuerunt... Collectore Theod. Schmal, S. J. Aquisgrani, 1708. Ms. musæi nostri.— (4) Leonis Allatii de Symeonum scriptis diatriba, Parisiis, 1640. — (5) Nova Patrum bibliotheca, t. VI, part. II, p. 1 et seqq. — (6) Cfr Acta SS., t. VIII Octobris, p. 913 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

bus inter sanctos recensitus est; neque alia de causa Amandum I, qui medio sæculo v *floruit, S.* Amando *II, qui sub annum* 630 *vixit, substituerunt illi, nisi quod arbitrarentur S. Rupertum Salisburgum profectum esse circa annum Christi* 582 (1); *quum eo iverit plus centum annis post. Atque hæc partim certa, partim verisimilia de S.* Amando *Wormatiensi et Salisburgensi disserenda habebamus.* D

(1) Cfr Pachler, Historia de corpore etc., p. 10 et 15; Mezger, Hist. Salisburg., p. 69 et seqq.

DE S. CEDDA SEU CEDDO,

EPISCOPO SAXONUM ORIENTALIUM IN NORTHUMBRIA,

V. D. B.

MONITUM.

Quare hoc loco omittatur S. Cedda.

B *Quoniam Florentius Wigorniensis ad annum* 664 *S. Ceddam, apostolum Saxonum Orientalium in Northumbria, quem plerique episcopum Londinensem fuisse volunt, e vivis recessisse die* 26 *octobris narrat, hinc factum est ut Castellanus in Martyrologio universali ejus ad hanc diem celebraverit memoriam. Verum in Martyrologio Wilsoni anglicano, quod annis* 1608 *et* 1640 *typis excusum est, ejus natalis signatus est ad diem* 7 *januarii; unde receptus est ad eamdem diem in Martyrologium anglicanum Challoneri et in calendarium ecclesiæ catholicæ anglicanæ, quod Harris Nicolas in Chronologia sua historica inseruit. Contra abest omnino a Richardi Smithei Floribus historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum et a Martyrologio anglicano secundum usum ecclesiæ Sarum, quod anno* 1526 *typis Londinensibus anglice prodiit, nisi quod ad diem* 2 *martii, qua frater ejus, S. Ceadda, episcopus Merciorum et Lindisfarnorum, memoratur, ejus nomen forma* Chaddus *cum* sancti *titulo* (Saynt Chadde) *venit. Neque hoc solum indicium est beatum virum inter cælites relatum fuisse ante eversa in Anglia religionis catholicæ sacra. Etenim in Sanctilogio Joannis Tinmuthensis atque inde in Capgravii Nova Legenda Angliæ legitur ejus Vita, incipiens ab his verbis :* Quia enim diem E obitus sanctissimi Cedd, *et desinens in hæc :* Promotus multis in ecclesia utilis fuit, *et altera in ms. codice Lansdowiano cum initio :* De eximiæ sanctitatis viro sancto Ced, *et cum fine :* Ac salutis docendo exhiberet; *quemadmodum videre licet ad annum* 664 *in catalogo rerum historicarum Angliæ, quem mirabili diligentia anno* 1862 *Londini edidit Thomas Duffus Hardy. Ex venerabilis Bedæ Historia edidit Bollandus ejus Vitam in nostris Actis ad diem* 7 *januarii et Henschenius, ejus fratris S. Ceaddæ gesta ad diem* 2 *martii explicans, pauca quædam melius declaravit. Errore itaque elencho sanctorum hujus diei ejus nomen insertum est, quum inter Prætermissos dumtaxat memorandum esset.*

DE S. EATA,

C ABBATE LINDISFARNENSI ET EPISCOPO HAGUSTALDENSI IN ANGLIA, F

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus Sancti stabilitur; ejus Vita; educatio Lindisfarnæ sub S. Aidano; regimen monasteriorum Mailrosensis, Lindisfarnensis et Ripponensis.

ANNO 685. *Sancti* Eatæ *cultus,*

Quamvis præcipua Martyrologia Adonis, Usuardi, Romanum, eorumque Auctaria omnino sileant nomen S. Eatæ, *abbatis Lindisfarnensis et episcopi Hagustaldensis, non est tamen quod de ejus sanctitate et cultu dubitemus. Habemus enim imprimis luculenta testimonia Venerabilis Bedæ, quæ istiusmodi silentium abunde compensant; dein translatio olim tentata ab Eboracensibus, ut* unum saltem corpus sanctum *in ecclesia sua possiderent. Quæ, infra latius explicata, monstrabunt, nullum de sanctimonia et cultu antistitis nostri esse posse dubium. Cæterum Joannes Trithemius lib. IV de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, cap.* 169, *Sanctum nostrum memorat his verbis :* Eata, abbas Mailrosensis, sub quo Cuthbertus monachus factus est, et postea episcopus Hagustaldensis sive Lindisfarnensis ante Joannem, vir omnium simplicissimus ac mansuetissimus, Ecclesiam vita et doctrina nihilominus strenue gubernavit. Claruit anno Domini 670. *Joannes, de quo hic agitur,*

A *tur, est Beverlacensis, cujus Acta ediderunt nostri ad diem* VII *maii* (1).

variis documentis firmatur;

2 *Sancti etiam nostri memoriam recolunt varii hagiographi : ut Dempsterus in Menologio Scotico ad diem* VII *maii* (2): *Claudius Chalemotius, perperam quidem inter sanctos Cistercienses ad diem* VI *junii* (3); *Kalendarium Antverpiense ms. ad* XI *septembris, quapropter majores nostri ad hunc diem promiserunt, acturos se de S.* Eata *ad diem* XXVI *octobris, quorum fidem liberamus. Insuper Sancti memoriam celebrat Hugo Menardus in Martyrologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti:* Haugustaldi, *inquit,* in Anglia, S. Eattæ, ejusdem civitatis episcopi et Confessoris. *Et in Observationibus ad hanc diem* XXVI *octobris eadem feri repetit, qaæ supra retulimus ex Trithemio. Ferrarius autem in suo Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio non sunt, appellat sanctum antistitem* Hetbam, *vitio verisimiliter typothetæ, nam in Notis subjectis vocat illum* Hetham : *sed quocumque modo legerit Ferrarius nomen Sancti, certe nostrum indicavit allegando Bedam, Trithemium, et Rosweydum, qui in Fastis Sanctorum nuspiam memorat aut* Hetbam *aut* Hetham, B *sed* Eatham *ad* XXVI *octobris. Tandem Simon de Peyronet in Catalogo Sanctorum eumdem recolit, scribens,* Eatam, Eattam *et* Eatham *vocari.*

Ejus Vita sæc. XII *describitur;*

3 *Auctor Vitæ infra edendæ nullo prodit indicio, quis fuerit, et quo scripserit tempore. Id certum est, eumdem scripsisse post sæculum* XII *jam inchoatum, siquidem num.* 7 *a Thoma II, archiepiscopo Eboracensi, qui ab anno* 1109 *ad* 1114 *sedem tenuit* (4), *tentatam translationem referat, et numero* 4 *dicat,* modo *in Hagustaldensi Ecclesia* esse canonicos regulares, *quos scimus ibidem monachis substitutos ab eodem Thoma kalendis novembris anni* 1113, *ut narrat Joannes Mabillon, in libro Miraculorum S. Wilfridi seu Sanctorum Ecclesiæ Hagustaldensis* (5). *Quia tamen istius mutationis mentionem facit, credo, biographum scripsisse in decursu sæculi* XII : *si enim serius scripsisset, jam nulla appareret utilitas revocandi memoriam facti jam antiqui. Alium porro scriptorem antiquiorem scripsisse Vitam* Eatæ *non novimus. Certe qui nuper edidit Catalogum Chronicorum et aliorum instrumentorum, ad Historiam Angliæ pertinen-*C *tium, Thomas Duffus Hardy, custos publicus Monumentorum* (Keeper of the public records) *Vitas Sanctorum enumerat, tamquam fontes uberrimos Historiæ antiquiorum temporum* (6). *Inter illas vero occurrit Vita S.* Eatæ *unica, quatenus in variis bibliothecis Angliæ manu exarata et apud Capgravium typis excusa exsistat : etenim in omnibus codicibus iisdem omnino verbis incipit et iisdem fere desinit, ac in exemplari nostro, quod ex monasterio Rubræ Vallis exscriptum habemus et quod cum Capgravii legenda convenit, aliquantulum recedens a codice Eboracensi, quem Surtee Societas in Miscellaneis biographicis anno* 1834 *secuta est. Laudatus Duffus Hardy dicit, Vitam S.* Eatæ *verisimiliter conscriptum fuisse ab Ailrado, Rivallensi monacho, qui anno* 1166 *floruit;* (7) *sed argumentum, quo nititur, non placet. Cæterum quiscumque hujus Vitæ fuerit auctor et quocumque vixerit tempore, manifestum fiet ex infra dicendis, illum nihil protulisse ex penu propria, se fideliter hausisse ex antiquioribus monumentis. Unum addam, in lexico nempe Sanctorum, summa cura ac ingenti labore compilato a R. D. Joanne Stadler, decano Ecclesiæ Augustanæ in Bavaria, obrepsisse errorem, utpote qui duos ponat ejusdem nominis episcopos, quasi unus Hagustaldensis, Lindisfarnensis Ecclesiarum alter episcopi fuissent* (8); *quum unus tantum fuerit utriusque Ecclesiæ episcopus; quod quidem scimus non solum ex Martyrologiis, ut habet Lexicon Hagiographiæ* (9), *sed etiam ex ejus Vita, ab Anonymo conscripta, qui, ut jam diximus, ex Bedæ Historia narrationem suam deprompsit.*

AUCTORE J. V. H.

Sanctus a B. Aidano

4 *Legimus in Vita edenda num.* 2, *S. Aidanum,* duodecim pueros de natione Anglorum in Christo erudiendos suscepisse; ex quibus extitit Eata, puer bonæ indolis; *prout testatur nobis Beda presbyter in Historia sua lib. III, cap.* 26 (10) *dicens,* Eatam unum esse de duodecim pueris Aidani, quos primo episcopatus E sui tempore de natione Anglorum erudiendos in Christo accepit. *Nostri in Actis S. Aidani ad* XXXI *augusti monstrarunt, ordinationem S. Aidani in episcopum incidere in annum Christi* 634 *aut* 635 (11) : *quum autem S.* Eata, *hactenus* puer, *in discipulum S. Aidani assumptus fuit, decennis verisimiliter erat; unde ejus diem natalem ad annum Christi circiter* 625 *statuere possumus, adeoque, quum anno* 685 *obierit, ad ætatem* 60 *annorum pervenisse. Ejus quoque originem indicant citata verba, nempe ex Anglorum gente, ad quorum conversionem S. Gregorius Magnus SS. Augustinum et socios in Britanniam misit. Nihilominus Oswaldus rex, qui, ait Beda in Hist. Eccles. lib. III, cap.* 3 (12), inter Scotos exulans baptismatis sacramenta, cum his, qui secum erat, militibus consecutus fuerat, petiit *a majoribus natu Scotorum,* ut sibi mitteretur antistes, cujus doctrina et ministerio gens, quam regebat, Anglorum dominicæ fidei et dona disceret et susciperet sacramenta. *Atque hinc factum est, ut gens Anglorum in Northumbria aliquandiu ritibus Scoticis adhæserit.*

Lindisfarnæ a pueritia educatus,

5 *S. Aidanus sedem episcopalem constituit in insula Lindisfarnensi, qui* locus, *ait Beda lib. III Hist. cap.* 3 (13), accedente et recedente reumate (*id est, fluxu et refluxu*) bis quotidie instar insulæ maris circumluitur undis, bis renudato littore, contiguus terræ redditur. *Hæc insula seu peninsula, mutato deinceps nomine propter incolatum et sepulturam multorum episcoporum et monachorum, qui sanctitatis famam et publicum Ecclesiæ cultum obtinuerunt,* Insula Sancta, Holy-Island *vocata fuit, et hactenus vocatur* (14). *In ea insula fuerunt clerici sub episcopo et monachi sub abbate, ut monstratum fuit in Actis S. Vitalis episcopi ad* XX *octobris* (15) ; *sed destructa dein insula per Danos initio sæculi* IX, *episcopalis sedes alio translata fuit. Videbatur enim constitutio sedis pendere a*

(1) Acta SS., tom. II Maii, p. 166. — (2) Ibid., p. 133. — (3) Ibid., tom. I Jun., p. 618. — (4) Monast. Anglic., t. VIII, p. 1172. — (5) Acta SS. Ord. S. Bened., sæc. III, part. I, p. 216. — (6) Duffus Hardy, Descriptive Catalogue of materials relating to the History of Great Britain, tom. I, p. 292. — (7) Rob. Walt., Bibl. Brit., V° *Ailred.* — (8) Heiligen-Lexicon, V° *Eata.* — (9) Diction. Hagiograph., V° *Eate.* — (10) Migne, Patrol., tom. XCV, col. 164. — (11) Acta SS., tom. VI Aug., p. 689. — (12) Migne, Patrol., tom. XCV, col. 119. — (13) Ibid., col. 120. — (14) Camden. Britan., t. III, p. 744. (15) Acta SS., tom. VIII Octob., p. 919.

loco,

AUCTORE J. V. H.

loco, in quo depositum erat corpus S. Cuthberti, omnium episcoporum Lindisfarnensium celeberrimi, cujus Acta dederunt majores nostri ad XX *martii* (1). *Quum igitur anno* 793, *ut habent Chronica de Mailros* (2), *Dani, monasterio Lindisfarnensi destructo, monachos occidissent, corpus tamen Sancti non attigerunt. Sed anno* 875 *exercitu Danorum Northumbriam occupante,* Eardulfus episcopus et Edredus abbas corpus S. Cuthberti de Lindisfarnia tollentes per septem annos vagari *ceperunt* (3); *donec anno* 883 instauraja est sedes in Cuncastri *, quæ prius fuerat in Lindisfarnia (4).

*Chester-le-street

S. Cuthbertum

* Durham

6 *Tandem anno* 995 *seu centum duobus annis post Cestriensem fundationem* Aldunus episcopus transtulit de Cestre in Dunelmum * corpus S. Cuthberti (5). *Quod etiam confirmat Simeon in Historia Dunelmensis Ecclesiæ :* Venerandus, *inquit* (6), antistes Aldhunus ecclesiam... solemniter dedicavit, cunctisque gaudentibus et Deum collaudantibus, sanctissimi patris Cuthberti incorruptum corpus in locum, quem paraverat, translatum debito cum honore locavit. Taliter usque in præsens cum
B sancto corpore sedes episcopalis hoc in loco permansit, quæ a rege quondam Oswaldo et pontifice Aidano primitus in insula Lindisfarnensi fuerat instituta. *Satis manifestum fit, fata, ut ita dicam, Ecclesiæ Lindisfarnensis omnimodo conjuncta fuisse cum corpore S. Cuthberti : atque hæc paulo fusius explicuimus, quia Lindisfarnense monasterium locus est, in quo* S. Eata *primitias hausit. Nunc vero gradum facimus ad reliqua Acta Sancti illustranda.*

in monasterio Mailrosensi discipulum habuit,

7 *Post haustam sub S. Aidani disciplina monasticæ vitæ institutionem,* S. Eatas *præpositus fuit monasterio Mailrosensi. Est autem Mailros seu, ut etiam habet biographus noster, Menros, hodie Melrose, locus in Scotia hodierna, in comitatu Roxburgensi ad Twidam fluvium situs, quæ etiamnum* Old Melrose *vocatur, ut docet nos Lexicon geographicum Scotiæ* (7), *constatque unica domo; remanent tamen rudera murorum antiqui monasterii, diciturque omnium antiquissimum*, (8). *Quod quidem probare non possum. Etenim censeo, Lindisfarnense cœnobium, Mailrosensi antiquius esse :*
C *nam si rex Oswaldus Melrosenses monachos habuisset, prædicatores, non quæsivisset ex longinqua Hi seu Jona, aut, ut scribunt recentiores, Jova* (9) *, una ex Hebridibus, in occidentali plaga hodiernæ Scotiæ jacentibus. Dein si post Melrosense monasterium initium habuisset Lindisfarnense, videretur majorem dignitatem inesse Melrosensi quam Lindisfarnensi; adeoque promotio abbatum ex hoc in illud : ast contra omnino accidit : Sic* S. Eata *noster, teste Beda lib. III Hist.* 26 (10), præpositus est abbatis jure, qui erat abbas in monasterio, quod dicitur Mailros : *sic quoque idem Beda lib.* IV, *cap.* 27 (11), *dicit, S. Cuthbertum, prius Mailrosensem abbatem, vocante S.* Eata, *ad regimen Lindisfarnense promotum fuisse. Facile igitur concedendum est, post Lindisfarnense, anno Christi* 635 *fundatum, originem habuisse Mailrosense.*

* *hodie* Colmkill

8 *Opinor tamen, sat diu ante annum* 664 *Mailrosense cœnobium intium suum sumpsisse. Hic denuo ducem accipimus Bedam, qui lib. III cap.* 26 (12) *et lib. V, cap.* 24 (13) *dicit, anno* 664 fratribus, qui in Lindisfarnensi Ecclesia, Scottis abeuntibus, remanere maluerunt, præpositum *fuisse* abbatis jure reverentissimum ac mansuetissimum Eatam, qui erat abbas in monasterio, quod dicitur Mailros. *Jam igitur anno* 664 *justi monasterii formam induerat Melros, in quo Sanctus noster suæ sanctimoniæ argumenta dederat, quibus aptus probabatur sustinendo graviori oneri. Imo anno Domini* 651 *jam floruisse monasterium istud, testis etiam est Beda in Vita prosaica S. Cuthberti. Habita enim visione de obitu S. Aidani, anno* 651 *defuncti, continuo statuit, relicto mundo, monasterium petere cap.* 4 *Vitæ* (14) : *adeoque Mailrosam se contulit, ubi a S. Boisilo exceptus, a S.* Eata abbate, accepta tonsura fratrum consortio junctus est, *cap.* 6 (15). *In priori itaque medietate sæculi* VII *origo Mailrosensis quærenda est, quin accuratius quidpiam definiri mihi liceat.* D

quando illius regimen tenuit :

9 *Rationem autem vivendi in hisce monasteriis describit nobis Beda lib. III Hist. cap.* 26 (16) : Quantæ autem, inquit, parsimoniæ, cujusque continentiæ fuerit ipse cum prædecessoribus suis, testatur etiam locus ille, quem regebant, ubi abeuntibus eis, excepta ecclesia, paucissimæ domus repertæ sunt, hoc est, illæ solummodo, sine quibus conversatio civilis esse nullatenus potest. Si quid enim pecuniæ a divitibus accipiebant, mox pauperibus dabant. Nam neque ad susceptionem potentium sæculi vel pecunias colligi vel domus provideri necesse fuit, qui numquam ad ecclesiam nisi orationis tantum et audiendi verbi Dei causa veniebant. Rex ipse, cum opportunitas exegisset, cum quinque tantum aut sex ministris veniebat, et, expleta in ecclesia oratione, discedebat. Quod si forte eos ibi refici contingeret, simplici tantum et quotidiano fratrum cibo contenti, nil ultra quærebant. Tota enim tunc fuit sollicitudo doctoribus illis Deo serviendi, non sæculo; tota cura cordis excolendi, non ventris. F

genus vitæ monachorum

10 Unde et in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus; ita ut ubicumque clericus aliquis aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur. Etiam si in itinere pergens inveniretur, adcurrebant, et flexa cervice vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant, verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. Sed et diebus dominicis ad ecclesiam sive ad monasteria certatim, non reficiendi corporis, sed audiendi sermonis Dei gratia confluebant : et si quis sacerdotum in vicum forte deveniret, mox congregati in unum vicani, verbum vitæ ab illo expetere curabant. Nam neque alia ipsis sacerdotibus aut clericis vicos adeundi, quam prædicandi, baptizandi, infirmos visitandi, et, ut breviter dicam, animas curandi causa fuit, qui in tantum erant ab omni avaritiæ F

Scotorum describitur,

(1) Acta SS., tom. III Mart., p. 93. — (2) Gale, Rer. Anglic. scriptt., tom. I, p. 139. — (3) Ibid., p. 144. — (4) Ibid., p. 145. — (5) Ibid., p. 152. — (6) Twysden, Hist. Anglic. scriptt., tom. I, col. 29. — (7) Carlisle, Topogr. Diction. of Scotland, V° *Melros*. — (8) Ibid, l. c. — (9) Reeves, Life of S. Columba, p. 413. — (10) Migne, tom. XCV, col. 163. — (11) Ibid., col. 221. — (12) Migne, Patrol., tom. XCV, col. 163. — (13) Ibid., col. 287. — (14) Ibid., tom. XCIV, col. 739. — (15) Ibid., col. 742. — (16) Ibid., tom. XCV, col. 164.

peste

A peste castigati, ut nemo territoria ac possessiones ad construenda monasteria, nisi a potentibus coactus acciperet. Quæ consuetudo per omnia aliquando post hæc tempore in Ecclesiis Nordanhymbrorum servata est. Sed de his satis dictum.

Jam Mailrosæ et Lindisfarnæ

11 *Postquam per tredecim saltem annos* S. Eata *monasterium Mailrosense rexisset, admotus fuit anno* 664 *ad regimen Lindisfarnense. Id enim habet textus Bedæ num.* 8 *citatus, nempe illo anno Lindisfarnam advenisse Sanctum : ast eodem num. monstravimus* S. Eatam *dedisse tonsuram monasticam S. Cuthberto anno* 651 *: quum igitur inter annum* 651 *et* 664 *intercapedo sit tredecim annorum, hanc admittere omnino debemus. Sed eamdem quoque multo majorem facere non possumus : siquidem, ut supra num.* 4 *docuimus, natus fuerit* S. Eata *circa annum* 625, *adeoque anno* 651 *ætatem annorum viginti sex attigerit, non multo citius monasterio Mailrosensi abbas imponi potuit, ne rem tanti momenti, quale est regimen monasterii inchoandi, viro, adolescentiæ limites vix egresso , commisisse S. Aidanus di-*
B *ceretur. Quod etiam aliquatenus confirmatur ex Vita S. Cuthberti, cap.* 6 (1) *: quum enim sanctus juvenis sciret,* Lindisfarnensem Ecclesiam multos habere sanctos viros, *tamen* fama præventus Boisili, sublimium virtutum monachi et sacerdotis Mailros petere maluit. *Erat nempe Boisilus* præpositus monasterii, *qui juvenem* secum retinuit : *et* post dies paucos, adveniente S. Eata, *S. Cuthbertus habitum monasticum induit. Suspicor, tunc primum, anno scilicet* 651, Eatam *gubernaculo Mailrosensia tenuisse. De S. Boisilo agunt nostri ad diem* XXIII *januarii* (2).

quam Rippone,

12 S. Eata *Mailrosæ agente , Alcfridus, filius regis Oswii, ait Beda in Vita S. Cuthberti cap.* 7 (3), locum quemdam regni sui, qui vocatur Inhrypum ad construendum ibidem monasterium *quod* Eatæ abbati donare *constituit:* et tollens idem abbas quosdam e fratribus secum,... condidit ibi quod petebatur, monasterium, atque eisdem, quibus antea Mailros institutis disciplinæ regularis imbuit. *Sed non diu apud Scotos monasterium*
C *perstitit. Nam, ut notat Beda in Vita S. Cuthberti cap.* 8 (4) Eatas cum Cuthberto et cæteris, quos secum adduxerat, domum repulsus est, et locus monasterii, quod condiderat, aliis ad incolendum monachis datur, *nempe imprimis S. Wilfrido, ut laudatus Beda testatur lib. V. cap.* 19 (5) *dicens :* Quem videlicet locum (*Inhripum*) dederat (*Alchfridus rex*) pridem ad construendum inibi monasterium his, qui Scotos sequebantur. Verum quia illi postmodum, optione data, maluerunt cedere, quam pascha catholicum cæterosque ritus juxta Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ consuetudinem recipere, dedit hoc illi (*Wilfrido*). *Si quidem* S. Eatas *in Northumbria remanserit, et a Theodoro Cantuariensi episcopus consecratus fuerit, non est dubium, quin et ipse Anglus ritum Romanum receperit. Sed abscedentibus Scotis, minutus fuit monachorum numerus, quibus deinceps sufficiebant antiquiora monasteria duo, Lindisfarnense et Mailrosense : unde ab Alchfrido rege dari potuit Hripum S. Wilfrido.*

AUCTORE J. V. H.

13 *Cessit imprimis monasterium Hripum* (*hodie* Rippon *in comitatu Eboracensi*) *Ordini S. Benedicti, ac deinceps circa initium regni Normannici evasit ecclesia collegiata; quo in statu permansit usque ad Henricum VIII, qui illius bona ad sæcularem conditionem traduxit. Ast Jacobus I, rex Angliæ, instante Anna regina sua, denuo capitulum, utique Anglicanum, anno* 1604 *instituit pro decano et sex canonicis : quorum reditus annui ad libras Anglicas* 247 *æstimabantur. Erant præterea Ripone duo nosocomia, a catholicis fundata : nam clerus Anglicanus, qui providere debet uxoribus et liberis educandis, dotandis, promovendis, tantum plerumque superesse non potest pecuniæ, ut pia instituta excitet aut collabentia instauret* (6).

cujus varia fortuna exponitur.

§ II. Sancti episcopatus Lindisfarnæ et Hagustaldii; mors sancta; sepultura et translatio.

E

Multiplicatis sedibus episcopalibus.

Q*uæ fuerint causæ multiplicandi per Northumbriam episcopatus, quam una complectebatur Ecclesia Eboracensis, seu Lindisfarnensis in Actis S. Accæ, Hagustaldensis episcopi exposita sunt ad diem* XX *octobris* (7). *Qua ratione* S. Eata *ad episcopatum promotus fuerit, narrat Beda lib. IV cap.* 12 (8). Quo etiam (*inquit*) *anno, nempe* 678 orta inter ipsum regem Ecgfridum et reverentissimum antistitem Vilfridum dissensione, pulsus est idem antistes a sede sui episcopatus, et duo in locum ejus substituti episcopi, qui Nordanhymbrorum genti præessent : Bosa videlicet, qui Deirorum, et Eata, qui Berniciorum provinciam gubernaret : hic in civitate Eboraci, ille in Hagustaldensi sive in Lindisfarnensi Ecclesia cathedram habens episcopalem, ambo de monachorum collegio in episcopatus gradum adsciti... Ordinati sunt autem Bosa et Eata Eboraci ab archiepiscopo Theodoro; qui etiam post tres abscessionis Vilfridi annos horum numero duos addidit antistites, Tunberctum ad Ecclesiam Hagustaldensem, remanente F Eata ad Lindisfarnensem, et Trumvini ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subjecta. *Hactenus Beda.*

Sanctus fit episcopus

15 *Ex dictis manifestum fit,* S. Eatam *per quatuordecim fere annos, abbatis titulo, monasterio Lindisfarnensi præfuisse, antequam episcopatum adiret. Non cessavit tamen monasticam vitam ducere.* Nam, *ait Beda lib.* IV *cap.* 27 (9), a temporibus ibidem (*Lindisfarnæ*) antiquis et episcopus cum clero, et abbas solebat manere cum monachis, qui tamen et ipsi ad curam episcopi pertinerent. Quia nimirum Aedan, qui primus ejus loci episcopus fuit, cum monachis illuc et ipse monachus adveniens, monachicam in eo conversationem instituit; quomodo et prius beatus pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente

(1) Migne, Patrol. t XCIV col. 742. — (2) Act. SS. t. II Januar. p. 540. — (3) Migne, Patrol. t. XCIV col. 743. — (4) Ibid. col. 744. — (5) Ibid. t. XCV col. 265. — (6) Dugdale, Monast. Angl. t. II, p. 131. Edit. Londin. 1817. — (7) Act. SS., t. VIII octob. p. 965. — (8) Migne, Patrol. t. XCV. col. 191. — (9) Migne, Patrol. t. XCV col 221.

ei

AUCTORE J. V. H.

ei reverentissimo Papa Gregorio, quod et supra posuimus. « Sed quia tua fraternitas, inquit, monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet a clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. » *Hæc S. Gregorii responsio reperitur inter ejus opera, lib.* XI *epist.* 64 (1).

Lindisfarnensis.

16 *Liceat hic obiter animadvertere, ex origine monastica variarum Ecclesiarum Angliæ provenisse, ut multæ habuerint capitula regularium, quæ usque ad ætatem Henrici VIII in statu regulari perseverarunt; unde in hujusmodi ecclesiis qui eligebatur abbas monasterii, ipso jure erat simul episcopus totius diœcesis. Tales Ecclesias enumerat Urbanus Pp. VIII, dum præscribit monachis Anglo-Benedictinis (nam hi soli Ecclesias cathedrales possidebant), ut constituerent singularum Ecclesiarum capitula seu collegia, prælatos, citra abbatialem tamen*
B *dignitatem, eligerent, quorum præcipuus esset prima dignitas in ecclesia et diœcesi. Harum Ecclesiarum nomina recenset Urbanus VIII in sua bulla, data* IV *id. julii an.* 1633 (2)*; sunt nempe metropolitana Cantuariensis, cathedrales Wintoniensis* (Winchester), *Dunelmensis* (Durham), *ex Ecclesia Lindisfarnensi enata, Eliensis, Wigorniensis, Nordwicensis, Roffensis* (Rochester), *Bathoniensis* (Bath), *Conventriensis* (3). *Atque hic Ecclesiarum in Anglia status perseveravit, donec Pius Pp. IX per Breve apostolicum, datum XXIV septembris* 1850, *abrogata veteri hierarchia catholica, novam constituit, quæ constat una Ecclesia metropolitana West-monasteriensi, et duodecim episcopatibus suffraganeis* (4) *inter quos est Hagustaldensis, quem olim, ut diximus, episcopus rexit noster S.* Eata.

assistitque synodo Heathfeldensi

17 *Verisimiliter adfuit Sanctus concilio, quod celebravit S. Theodorus in campo Haethfelda anno* 680, *de quo agit Beda lib.* IV *cap.* 17 (5). *Synodus ista jussu Agathonis Papæ coacta fuit, ut videtur ex ejus epistola ad Ethelredum, regem Merciorum et Theodorum archiepiscopum* (6).
C *Quum enim dicatur S. Theodorus, archiepiscopus Britanniæ insulæ illud celebrasse,* una cum eo sedentibus cæteris episcopis Britanniæ insulæ, *vix dubitari potest, adstitisse inter cæteros etiam S.* Eatam. *In hac porro synodo quum audivisset fidem Ecclesiæ CPoli per hæresim Eutychetis multum esse turbatam, voluit Ecclesias Anglorum ab hujusmodi labe immunes servare : proindeque hoc ipso tempore indictum fuit concilium œcumenicum CPoli, quod finem accepit* XVI *septembris* 681 *et in quo Monothelismus damnatus fuit. Suscipiunt autem patres Angli fidem, quam susceperunt concilia œcumenica, nempe Nicænum, CPolitanum I, Ephesinum, Chalcedonense, CPolitanum II.* Suscepimus, *inquiunt,* et glorificamus Dominum nostrum Jesum, sicut isti glorificaverunt : nihil addentes vel subtrahentes : et anathemizamus corde et ore, quos anathemizarunt, et quos susceperunt, suscepimus. D

et Hagustaldium translatus,

18 *Quum autem per annos fere septem, id est ab anno* 678 *ad* 685, *duas Ecclesias Lindisfarnensem et Hagustaldensem gubernasset* S. Eata, *S. Cuthbertus in synodo juxta fluvium Alne, in loco, qui dicitur Altuifyrdi, quod significat* « *Ad duplex vadum* » (Twyford), *cui præsidebat Theodorus archiepiscopus, sub præsentia regis Ecgfridi, omnium consensu ad episcopatum electus fuit.* Electus autem, *pergit Beda lib.* IV *cap,* 28 (7), primo in episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ pro Tunbercto, qui ab episcopatu fuerat depositus. Sed quoniam ipse plus Lindisfarnensi Ecclesiæ, in qua conversatus fuerat, dilexit præfici; placuit, ut Eata, reverso ad sedem Ecclesiæ Hagustaldensis, cui regendæ primo fuerat ordinatus, Cuthberct Ecclesiæ Lindisfarnensis gubernacula susciperet. *Hæc electio S. Cuthberti, ante hyemem anni* 684 *facta, completa est ordinatione ejus,* in ipsa solemnitate, *ait Beda l. c.* (8), paschali, *anno* 685 *occurrente in diem* XXVI *martii,* Eburaci, sub præsentia præfati regis Ecgfridi, convenientibus ad consecrationem ejus septem episcopis, in quibus beatæ memoriæ Theodorus primatum tenebat. E

sancte obit,

19 *Eodem quo consecratus est S. Cuthbertus episcopus, anno obdormivit in Domino S.* Eata; *scilicet anno* 685. *Etenim apud Bedam lib.* V *cap.* 2 (9) *dicitur,* regni *Altfridi* principio, defuncto Eata episcopo, Johannes, vir sanctus, Hagustaldensis Ecclesiæ præsulatum suscepit. *Altfridus autem fratri suo Ecgfrido occiso successit anno* 685, *ut notat Beda lib.* V *cap.* 24 (10). *et secundum Chronicon Saxonicum, prout illud edidit Edm. Gibson Oxonii anno* 1692, *sub anno* 685 *signatur consecratio Joannis, dicti Beverlacensis, cujus Acta illustrarunt nostri ad diem* VII *maji* (11). *Summo gaudio, ut habet biographus noster num.* 5, *a suis Hagustaldensibus exceptus fuit Sanctus* Eatas, *sed morbo dyssenterico correptus, septem post mensibus finem vitæ fecit, defunctus die* XXVI *octobris, quum a die* XXVI *martii seu a consecratione S. Cuthberti menses omnino septem Hagustaldensem recepisset Ecclesiam.*

ac in ecclesia S. Andreæ sepelitur,

20 *S.* Eatam *statim post obitum Hagustaldiæ sepulcrum nactum fuisse, abunde monstrat ejus Reliquiarum sæculo* XII *ibidem inventio.* F *Biographus noster num.* 6 *dicit, illum* sepultum juxta sacrarium ecclesiæ Hagustaldiensis ad plagam meridianam, et parvam capellam lapideam supra tumulum ejus exstructam fuisse. *Addit vero :* De quo loco incertum habetur, a quo translatus sit, ac intra ecclesiam in scrinio condigno honore collocatus. Verisimile tamen videtur, illum translatum fuisse ab Alfredo, presbytero Dunelmensis Ecclesiæ, qui venerabiles ejus successores Actam et Alcmundum dextera levavit, ac intra ecclesiam in feretris honorifice collocavit. *Scilicet hunc Alfridum eumdem credo ac illum, qui in libro de Miraculis S. Wilfridi seu de Sanctis Ecclesiæ Hagustaldiensis num.* 15 *vocatur Alured, filius Westou, quem etiam ob doctrinæ et sapientiæ gratiam, Alured Larwa, id est, Doctorem nomina-*

(1) Migne, Patrol., t. LXXVII, 1183. — (2) Dugdale, Monast. Anglic. t. VIII, p. 1648. — (3) Ibid. p. 1650. — (4) Kersten, Journal hist. et lit. t. XVII, p. 366. — (5) Migne, Patrol. t. XIV, col. 198. — (6) Labbe, t. VI, conc. col. 576. — (7) Migne, Patrol., t. XCV, col. 222. — (8) Ibid. col. 223. — (9) Ibid. col. 230. — (10) Ibid. col. 287. — (11) Act. SS. t. II, maji p. 166 et in Append. maji p. 843.

bant.

A *bant.* Hic *nempe, ait scriptor anonymus, canonicus regularis sæculi* XII, divina revelatione commonitus, per sacra loca, quæ sævitia barbarorum vastaverat, discurrens, multorum Sanctorum Reliquias de tumulis eruens, ad Dunelnensem transtulit ecclesiam. *Atque hæc acta sunt aliquanto antequam Thomas I sedem Eboracensem conscenderet, quod accidit anno* 1070 (1); *nam Aluredi filius ab archiepiscopo Thoma petiit sibi concedi ruinosam ecclesiam Hagustaldensem : quam etiam obtinuit, introductis in eam canonicis regularibus* (2).

et anno 1154 in novo tumulo conditur.

21 *Quum autem eorum industria instaurata esset ecclesia Hagustaldensis,* pretiosis decorata ornamentis et sancti Andreæ aliorumque sanctorum ditata Reliquiis, *statuerunt viri religiosi exuvias domesticorum Sanctorum elevare : cui ritui celebrando constituerunt diem* v *non. martii anni* 1154 (3). *Repertis autem corporibus SS. Accæ, Alcmundi, Fredenberti et Alberti* (*aliis*) *Tilberti,* postremo scrinium, quo venerabilis Accæ episcopi (*perperam pro* Eata, *ut notat Mabillonius* (4)) Reliquiæ tegebantur, aperientes, inveniunt ossa ejus, cælestem odorem
B spirantia. Quem quum omnes, qui aderant, territi et stupefacti hausissent, resoluti in lacrymas, tanti se patroni precibus devotissime commendarunt. Invenerunt in eadem theca vas plumbeum, minutias quasdam ex beati Fredenberti continens, ejusdem odoris fragantiam redolens. Tunc sonuit in ore omnium gratiarum actio et vox laudis. Applicantesque minorem, quam ornaverant, thecam, Beati pontificis Reliquias cum vase plumbeo, quod invenerant, intulerunt... Erectaque secus altare tabula, tribus innixa columnis, sculpturis et picturis decentissime variata, statuerunt in medio scrinium majus, quod quatuor episcoporum sacra pignora continebat; a parte ejus australi illud, quod S. Aatæ (Eatæ) venerabilia ossa tegebat; ad aquilonem tertium cum his, quæ imposuerant, statuerunt. *Nempe scrinium, in quo cum S. Babillæ episcopi et Martyris sacris Reliquiis quædam pars pulveris de corpore S. Aatæ episcopi continebatur.* Quibus rite peractis et Missarum solemniis cum debito gaudio celebratis, populus dimittitur, plebs fratrum solitæ paci
C redditur ac quieti. *Atque hæc fere sunt, quæ Actis S.* Eatæ *præmittenda duximus : reliqua, prout occurrent in ipsis Actis illustrabimus.*

VITA

S. EATÆ, EPISCOPI LINDISFARNENSIS,

Auctore anonymo, ex ms. Rubræ Vallis.

CAPUT UNICUM.

Sancti institutio et monachatus sub Aidano, episcopo Scoto; præfectura monasterii Mailrosensis et Lindisfarnensis; episcopatus Hagustaldensis; obitus et sepultura.

Oswaldus, rex in Northumbriam

Anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo trigesimo tertio, interfecto rege Edwino, rege Northumbrorum nobilissimo *a,* suscepit pro illo regnum Berniciorum filius Ethelfridi, nomine Eansfridus. Si quidem tempore toto, quo regnavit Edwinus, filii præfati regis Ethelfridi, qui ante illum regnaverat, cum magna nobilium juventute apud Scotos sive Pictos exulabant, ubi in fide instructi, baptizati sunt. Mortuo enim rege Edwino, regressus ab exilio Eansfridus et Berniciorum adeptus regnum, ad idololatriam, relicta, quam susceperat, fide, se convertit *b.* Unde justo Dei judicio a Cedwalla, rege Britonum, in brevi interemptus est *c.* Quo mortuo, successit Oswaldus frater ejus, qui regnum Deirorum et Berniciorum suo dominio subjugavit *d.*

AUCTORE ANONYMO. *a* *b* *c* *d*

2 Qui statim Aidanum, venerabilem episcopum, ad convertendum populum sibi subjectum accivit, sedem episcopalem in Lindisfarnensi insula eidem statuit, et ecclesias ac monasteria per loca ædificare curavit *e.* Idem vero sanctus Antistes Aidanus duodecim pueros de natione Anglorum in Christo erudiendos suscepit : ex quibus extitit Eata, puer bonæ indolis ac mansueti animi valde *f.* Doctoris enim sui monitis et exemplis sedulus
E auditor, menteque totus inhærens, omni morum honestate conspicuus enituit. Acceptus itaque Deo et hominibus, et monachus factus, monasticam vitam in vigiliis, jejuniis et cæteris actibus bonis, die ac nocte exequi operam dedit. Erat namque vir patientiæ virtute præcipuus, castitate nitidus, affabilis et jucundus omnibus, et, ut venerabilis Beda testatur, præ omnibus hominibus mansuetudinis et simplicitatis gratia decoratus.

S. Aidanus vocat, qui Eatam *puerum educat, et monachum factum,* *e* *f*

3 Effectus tandem abbas Mailrosensis, id est, Meuros *g,* multo majoris humilitatis et charitatis exempla, quam antea, suis fratribus exhibens, non quasi magistrum, sed (*ut*) pium patrem omnes confratres sui eum diligebant. Potentibus et divitibus hujus sæculi in tantum venerabilis, ut ipsi etiam reges illum ut patrem colerent, terras et possessiones ad construenda monasteria devotis animis largirentur. Pius autem pater ecclesias et monasteria diligenti studio opportunis locis construxit; discipulos, sanctæ conversationis studiis operam dantes, in ipsis aggregare curavit. Inter
F quos Boisilus *h,* Mailrosensis cœnobii præpositus et Cuthbertus, postea Lindisfarnensis episcopus *i,* viri utique miræ sanctitatis nitore lucentes et spiritu prophetiæ mirifice pollentes erant. Post conflictum vero, in monasterio Hildæ abbatissæ de observatione paschæ *k,* Colmannus episcopus, genere Scotus *l,* impetravit a rege Oswis *m,* ut abbas venerabilis Eata Lindisfarnensis ecclesiæ abbatis jure præesset *n.* Multi namque Scoti sanctum Eatam diligebant, eo quod unus de duodecim pueris S. Aidani episcopi esset.

monasterii Mailrosensis præpositum creat. *g* *h* *i* *k* *l* *m* *n*

4 Suscipiens Eata curam Lindisfarnensis ecclesiæ, Beatum Cuthbertum, quem præpositum Mailrosensem post obitum Beati Boisili fecerat, adducens secum in cœnobio Lindisfarnensi præpositum ordinavit *o.* Orta tandem inter regem Egfridum et sanctum Wilfridum episcopum dissensione, illo ab episcopatu

S. Eatas *fit episcopus Hagustaldensis,* *o*

(1) Godwin, De præsul Angl. Epp. Eborac. p. 23. — (2) Mabill. Act. SS. t. III, part. I, p. 215*. — (3) Ibid. p. 216*. (4) Ibid. l. c. not.

pulso

AUCTORE ANONYMO.

pulso *p*, Bosa in regno Deirorum apud Eboracum *q*, et Eata abbas in provincia Berniciorum apud Hagustaldensem ecclesiam, id est, Extoldesham *r*, ubi modo sunt canonici regulares, seu apud Lindisfarnensem ecclesiam, id est, Holy Land, episcopi substituti sunt *s*. Consecrati sunt Eboraco a Theodoro, archiepiscopo Dorobernensi. Post tres annos ejectionis sancti Wilfridi Trumwinus ordinatur episcopus in provincia Pictorum, Anglorum imperio tunc subjecta, et Tumbertus ad Hagustaldensem ecclesiam, remanente Eata ad Lindisfarnensem ecclesiam *t*. Sed post triennium pro culpa cujusdam inobedientiæ depositus est Tumbertus, et loco ejus sanctus Cuthbertus est electus *u*.

relicta S. Cuthberto sede Lindisfarnensi :

5 Sed quoniam plus Lindisfarnensem quam Hagustaldensem dilexit ecclesiam, Eata ad Hagustaldensem, in qua primo ordinatus fuerat, regresso, Cuthbertus Lindisfarnensi ecclesiæ præficitur et episcopus consecratur. Eata cum magno universorum gaudio suscipitur, exultantibus omnibus et Deo gratias agentibus, quod pastorem suum dilectissimum, B quem tristes perdiderant, Dei providente gratia, iterum recipere meruissent. Creber erat in orationibus, opportunus et importunus in exhortationibus, eleemosynarum operibus intentus, disciplinis ecclesiasticis deditus, et quæcumque per Spiritum Sanctum agenda cognovit, sedulus ac devotus administrare curavit. Cumque pius Dominus labores ejus æterna mercede remunerare decrevisset, tactus est morbo intrancorum acerrimo, quem medici dissenteriam vocant *v*.

sancte obit ; ejusque corpus honorifice Hagustaldii conditum,

6 Quo per dies ingravescente, velut aurum per ignem examinatus, decocta omni peccatorum rubigine, diem clausit extremum, et regni cœlestis januam perpetuo victurus intravit. Sepultus est autem juxta sacrarium ecclesiæ præfatæ Hagustaldiensis ad plagam meridianam, et parva capella lapidea super tumulum ejus extructa est *w*. De quo loco incertum habetur, a quo translatus sit, ac intra ecclesiam in scrinio condigno honore collocatus. Verisimile tamen videtur, illum translatum fuisse ab Alfredo, presbytero Dunelmensis ecclesiæ, qui venerabiles ejus successores Actam et C Alcmundum de terra levavit, ac intra ecclesiam in feretris honorifice collocavit *x*.

quod Thomas II Eboracensis surripere tentat.

7 Anno Domini 1113 cum Thomas, Eboracensis archiepiscopus, ad Hagustaldensem ecclesiam venisset, et reliquias S. Eatæ ad sedem suam secum transferre, canonicorum Eboracensis Ecclesiæ ductus consilio, meditaretur, ejusdem ecclesiæ fratres tristes effecti, Sanctum Eatam intentis precibus exorabant, ne locum, quem vivens excoluit et dilexit suaque sepultura honoravit, sua præsentia viduaret ac desereret *y*. Eadem nocte, qua in crastino easdem Reliquias asportare decreverat, intempestæ noctis silentio, archiepiscopo, somno depresso, apparuit quidam veneranda specie, habituque pontificali, virgam pastoralem in manis gerens, et in eum terribiliter aspiciens, sic ait : Quid est, quod facere disponis? Venisti me de loco quietis meæ ad alienam ecclesiam transferre, quod tibi a Domino jussum non est : dico tibi, quia pœnas præsumptionis tuæ lues. Et elevans baculum, D quem manu gerebat, percussit eum bis in humero ; et vehementer comminans disparuit. Et expergefactus archiepiscopus, et præ nimio terrore exclamans, omnes clericos, suis clamoribus turbatos, excitavit ; rem gestam retulit, et fratres illius Ecclesiæ pro sua præsumptione Deum exorare suppliciter imploravit. Asseruit enim voto se obligans, quod illam ecclesiam nullo suorum patronorum amplius spoliare præsumeret. Sicque per tres dies infirmitate depressus, demum convaluit, et infecto negotio, ad suam ecclesiam rediit.

ANNOTATA.

a *Chronicum Saxonicum sub anno* 633 *habet :* Hoc anno Edwinus rex fuit interfectus a Ceadwalla et Penda in Hethfelda secundo idus octobris. Is regnavit XVII annis; ac occisus est filius ejus Ostfrithus cum eo. *Totam tragœdiam exponit Beda lib.* II, *cap.* 20 (1) : At vero, *ait*, Aeduini cum decem et septem annis genti Anglorum simul et Brittonum gloriosissime E præesset... rebellavit adversus eum Caedwalle rex Brittonum, auxilium præbente illi Penda, viro strenuissimo de regio Merciorum genere, qui et ipse eo tempore, gentis ejusdem regno annis viginti et duobus varia sorte præfuit. Conserto gravi prælio in campo, qui dicitur Haethfeld, occisus est Aeduini die IV iduum octobris, anno dominicæ Incarnationis sexcentesimo trigesimo tertio, cum esset annorum quadraginta et octo : ejusque totus vel interemptus vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello, ante illum unus filius ejus Osfrid, juvenis bellicosus, cecidit, alter Eadfrid, necessitate cogente, ad Pendam regem transfugit, et ab eo postmodum, regnante Osualdo, contra fidem jurisjurandi peremptus est.

b *Quæ de Eansfrido refert biographus ad amussim ex Beda lib.* III, *cap.* 1 *exscripsit* (2). *Dicit enim:* Interfecto in pugna Aeduino, suscepit pro illo regnum Deirorum... Osric... Porro regnum Berniciorum, nam in has duas provincias gens Nordanbymbrorum antiquitus divisa erat, suscepit filius Aedilfridi, qui de illa provincia F generis et regni originem duxerat, nomine Eanfrid. Si quidem tempore toto, quo regnavit Aeduini, filii præfati regis Aedelfrithi, qui ante illum regnaverat, cum magna nobilium juventute apud Scotos sive Pictos exulabant, ibique ad doctrinam Scottorum catechizati et baptismatis sunt gratia recreati. Qui ut mortuo rege inimico, patriam sunt redire permissi, accepit primus eorum, quem diximus, Eanfrid regnum Berniciorum. Qui uterque rex, ut terreni regni insulas (*infulas ?*) sortitus est, sacramenta regni cœlestis, quibus initiatus erat, anathematizando prodidit, ac se priscis idololatriæ sordibus polluendum perdendumque restituit.

c *Hic denuo vadem suæ narrationis habet biographus venerabilem Bedan. lib.* III, *cap.* 1 (3) : Utrumque, (*nemque Osricum et Eanfridum reges*) rex Brittonum Ceadwalla impia manu, sed justa ultione peremit. Et primo quidem proxima æstate Osricum, dum se in oppido Mu-

(1) Migne, Patrol. t. XCV, col. 114. — (2) Ibid., 115. — (3) Ibid., col. 117.

nicipio

A nicipio temerarie obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum cum suo exercitu delevit. Dein cum anno integro provincias Nordanhymbrorum, non ut rex victor, sed quasi tyrannus sæviens disperderet, ac tragica cæde dilaceraret, tandem Eanfridum inconsulto ad se cum duodecim lectis militibus, postulandæ pacis gratia venientem simili sorte damnavit. Infaustus, *pergit scriptor*, ille annus et omnibus bonis exosus usque hodie permanet, tam propter apostasiam regum Anglorum, qua se fidei sacramentis exuerant, quam propter vesanam Brittanici regis tyrannidem.

d *De S. Oswaldo rege et martyre egerunt nostri ad diem* v *augusti* (1).

e *De S. Aidano seu Aedano, episcopo Lindisfarnensi, similiter egerunt nostri ad diem* XXXI *augusti* (2).

f *Scimus, Regulam S. Benedicti cap.* 59 *præscribere modum, quo pueri in monasterio suscipi possunt et debent. De hoc puerorum instituto,*
B *quod S. Benedictus jam Sublaci, antequam Cassinum migraret, inceperat, varii auctores agunt: vide, si lubet, inter alios Guilielm. Smith in editione operum Ven. Bedæ in Appendice num.* X, *al.* XIV (3). *Sed et monachi Scoti suas ad institutionem puerorum habuere scholas, quæ sæpissime monasteriales erant. Prima, ut videtur, mentio scholæ monasticæ occurrit in Vita S. Finnani seu Finniani, abbatis Clowardiensis in Hibernia, cujus Acta a nobis dabuntur sub die* XII *decembris* (4). *In ejus autem Vita, cujus nostri fragmentum citant in Actis S. Kierani ad diem* IX *septembris, leguntur sequentia* (5) : In hoc ergo loco (*Clowardia in confiniis Lageniæ et Midiæ sita*) velut sol in medio cœli, radios virtutum et salutaris doctrinæ, atque miraculorum illustrando mundum (*Finnianus*) emisit. Fama enim bonorum ejus ex diversæ terræ partibus viros illustres partim ad Scripturam sacram addiscendam, partim ad ecclesiasticam institutionem percipiendam, quasi ad quoddam totius sapientiæ admirabile sacrarium attraxit. *Recitat dein biographus nomina præcipuorum discipulorum; inter quos etiam S. Co-*
C *lumba seu Columbakille, fundator monasterii Hyensis* (6), *ex quo prodiit S. Aidanus, primus Lindisfarnensis episcopus et S.* Eatæ *magister. Solerter animadvertit Cl. Guilielmus Reeves in Vita S. Columbæ, anno* 1857 *edita* (7), *quamque dono Illust. et Reverend. D. Davidis Moriarty, episcopi Kerriensis accepimus, antiquos mystici quidpiam in duodenario numero constituisse, quatenus bene longum catalogum texit eorum, qui instar collegii apostolici, e duodecim sociis constabant: nempe virorum apostolicorum, qui uno duce, ad exteras terras duodecim profiscebantur; fundatorum, qui duodecim sibi monachos aggregabant; et si quandoque duodenarius numerus excedebat, aliqua tamen ratione iste numerus repræsentabatur : sic in Annalibus Hirsaugiensibus Trithemii refertur*, fuisse sub directione Rabani Mauri abbatis plusquam ducentos septuaginta monachos, inter quos, juxta numerum Apostolorum, duodecim viri erant in omni varietate Scripturarum magistri, præ cæteris doctissimi (8). *Similiter, ut apud Cl. Reeves notatur* (9), *capitula sub uno decano duodecim habebant canonicos, et scholæ singulæ sub uno magistro duodecim habebant discipulos. Sic sanctus noster* Eata, *unus fuit* ex duodecim pueris, *quos S. Aidanus* in Christo erudiendos suscepit. *Statuimus num.* 4 *Commentarii prævii S.* Eatam *fere decennem sub disciplina monastica constitutum fuisse : certe infra istam ætatem pueri in monasteriis instruendi recipiebantur. Beda, ut ipse dicit lib.* V, *cap.* 24 (10), cum esset annorum septem datus fuit educandus reverentissimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido. *Dandum autem censemus S.* Eatæ *decennium propter præfecturas monasteriorum Mailrosensis et Lindisfarnensis, episcopatum Hagustaldensem et reliqua ab eo gesta, uti insinuavimus num.* 8 *Commentarii prævii.*

g *Situm Mailrosensis monasterii describit Gulielm. Smith in Notis ad Bedæ lib.* IV *cap.* 27 (11). Situm illud fuit, *inquit*, in valle Scottiæ hodiernæ, a Berwico, ultimo Angliæ oppido XX
E millibus passuum distans. Deletum antiquum monasterium restituit S. David Scottorum rex, Malcolmi Pii et Margaratæ sanctæ filius, et Cisterciensi Ordini cum pluribus aliis attribuit. *Exstat Chronicum Mailrosense apud Th. Gale* (12) : *sed de rebus monasterii vix quidquam refert ante donationem Cisterciensibus factam, quæ ad fer.* II *paschæ anni* 1136 *refertur* (13).

h *De S. Boisilo, quem nostri dicunt præpositum Melrosensem in Scotia, agunt ad diem* XXIII *januarii* (14).

i *De S. Cuthberto, episcopo Lindisfarnensi, agunt similiter nostri ad diem* XX *martii* (15).

k *Quæstio de paschate, quæ inter Romanos et Scotos movebatur, in eo erat, utrum solemnitas paschalis celebranda esset in Dominica incidente in lunam* XIV *vel in lunam* XV. *Scilicet viri apostolici in Angliam a S. Gregorio Magno missi pascha more Romano celebrabant, seu Dominica die* post *lunam* XIV; *dum e contrario Scoti festum istud agebant, quando dies Dominica incidebat in eamdem lunam. Hoc clare monstrant Verba Vilfridi apud Bedam lib.* III,
F *cap.* 25 (16) : Petrus, *inquit*, a quinta decima luna usque ad vigesimam primam diem paschæ dominicum celebrabat : quod vos non facitis, qui a quarta decima usque ad vigesimam lunam diem dominicum paschæ celebratis. *Quum autem rex Osvius, qui præsens aderat, et plerique clerici morem Romanum accipiendum esse censerent, Colmanus*, videns, *ait Beda lib.* III, *cap.* 26 (17), spretam suam doctrinam, sectamque (*Scotorum*) esse despectam, adsumptis his, qui se sequi voluerunt,... in Scotiam regressus est. *Uterque porro biographus et Beda hanc concertationem appellat* Conflictum, *qui habitus fuit in monasterio Hildæ abbatissæ, quod Strenæshalch seu, ut interpretur Beda l. c.* (18), Sinus Fari (*hodie* Whiby) *ad mare septemtrionale situm est. Destructum dein per Danos monaste-*

(1) Acta SS., t. II Aug., p. 83. — (2) Ibid., t. VI Aug., p. 668. — (3) Migne, Patrol., t. XCV, col. 333. — (4) Act. SS., t. III Septemb., p. 374. — (5) Ibid.. l. c. — (6) Colgan., Act. SS. Hibern., p. 395. — (7) Live of S[t] Columba, p.299 et seqq. — (8) Trithem., Annal. Hirsaug., t. I, p. 5. — (9) Life of S[t] Columba., p. 301. — (10) Migne, Patrol., t. XCV, col. 288. — (11) Ibid., p. 220. Not. g. — (12) Rer. Britann. Scriptt., t. I, p. 155. — (13) Ibid., p. 165. — (14) Act. SS., t. II Januar., p. 540. — (15) Ibid., t. III Mart., p. 93. — (16) Migne, Patrol., t. XCV, col. 161. — (17) Ibid., col. 163. — (18) Ibid., col. 159.

AUCTORE J. V. H.

instauratum fuit per Gulielmum Percy, et Benedictinis incolendum concessum fuit : anno XXVI *Henrici VIII æstimati fuerunt ejus redditus ad libras anglicas* 437. 2. 9 *secundum Dungale; ad* 505. 9. 1 *secundum Speed. Anno autem* VI *Eduardi VI concessus fuit locus Joanni comiti Warwicensi* (1).

l *Quamvis ritus sui scotici retinentissimus fuerit Colmanus, colitur tamen inter sanctos, ejusque acta dederunt nostri ad diem* XXIII *februarii* (2).

m *Osvius seu Oswius fratri suo S. Oswaldo Martyri successit, secundum Bedam lib.* III, *cap.* 24, *anno* 642 *et vivere desiit anno* 670 (3).

n *Monstravimus num.* 11 *Commentarii prævii S.* Eatam *regimen monasterii Lindisfarnensis adiisse anno Christi* 664 *et per annos fere quatuordecim, seu usque ad annum* 678 *abbatis jure tenuisse.*

o *Jam indicavimus, majores nostros de S. Boisilo egisse ad diem* XXIII *januarii : ast sancti viri obitum in margine adscribunt* circiter anno 664 (4); *dum Ephemeridibus Sanctorum ad calcem mensis junii scribunt, eumdem obiisse lato*
B *modo sæculo* VII. *Prudenter quidem : nam, ut supra docuimus, S.* Eatas *regimen monasterii Lindisfarnensis anno* 664 *suscipiens, secum illuc adduxit S. Cuthbertum, qui post obitum S. Boisili, ut ait Beda in Vita S. Cuthberti cap.* 9 (5), *Mailrosæ* præpositi officium suscepit et per aliquot annos spiritali, ut sanctum decebat, exercens industria, non solum ipsi monasterio regularis vitæ monita simul et exempla præferebat, sed et vulgus circumpositum longe lateque a vita stultæ consuetudinis ad cœlestium gaudiorum converti curabat amorem. *Necesse igitur est, ut S. Boisilus* aliquot annis *antequam Lindisfarnam traduceretur S. Cuthbertus, obierit. Neque a vero multum abludimus, si statuamus S. Boisilum defunctum inter annos Christi* 658 *et* 660. *Etenim vix serius ponendus est obitus S. Boisili: deessent nempe nobis* aliquot anni *regiminis S. Cuthberti in Mailros; neque multo citius, quum constet anno* 651, *ut diximus num.* 8 *Commentarii prævii, S. Cuthbertum Mailrosæ* ab ineunte adolescentia, *Beda teste lib.* IV *cap.* 27 (6), monachicum et nomen adsumpsisse et habitum.
C *Oportuit ut anni aliquot effluerent tum ut adolescentia ad virilem excresceret ætatem, tum maxime ut informaretur ad virtutes et scientias, præposito monasterii et homini apostolico necessarias.*

p *In Actis S. Accæ, Hagustaldensis episcopi, ad diem* XX *octobris exposita fuit origo gravissimæ dissensionis, inter viros undecumque sanctos ortæ* (7).

q *Acta S. Bosæ, episcopi Eboracensis, illustrarunt nostri ad diem* IX *martii* (8). *Animadvertit Beda lib.* III, *cap.* 1 (9), *gentem Northumbrorum in duas provincias divisam esse Berniciorum et Deirorum.*

r *Hagustaldia, hodie* Hexham, *sedem episcopalem retinuit, donec corpus S. Cuthberti ibidem remansit. Sed propter hostiles vastationes huc illuc translatum, aliquandiu Cestriæ quie-* D
vit, donec Aldunus episcopus corpus Dunelmum simul cum cathedra episcopali transvexit (10). *Expulsis canonicis sæcularibus substituit Gulielmus de S. Carilepho circa annum* 1083 (11) *monachos Benedictinos; quamvis Edm. Goodwin id potius ejus prædecessori Walchero anno* 1080 *adscribat* (12). *Perseveravit porro monachatus in cathedrali Ecclesia Dunelmensi usque ad tempora Henrici VIII* (13).

s *Canonici regulares Hagustaldiam introducti fuerunt a Thoma II, archiepiscopi Eboracensi: scilicet, jam translata episcopali cathedra Dunelmum, locus cessit Eboracensi sedi* (14). *Thomas II pedum pastorale tenuit ab anno* 1109 *ad* 1114.

t *Ex his manifestum fit, Theodorum archiepiscopum jam ab initio constituisse, ut duplex esset sedes episcopalis apud Bernicios, nempe Lindisfarnæ et Hagustaldiæ.*

u *Ex Chronico Saxonico habemus, S. Cuthbertum, jussu Eigferthi regis, episcopum Hagustaldensem consecratum fuisse anna* 685 *primo die paschatis. Sed brevi hunc episcopatum cum Lindisfarnensi commutavit; si quidem S.* Eatas, E
eodem anno die XXVI *octobris defunctus, relicta Lindisfarnensi sede, Hagustaldensem adierit.*

v *Hæc ad amussim concordant cum iis, quæ Beda refert in Vita S. Cuthberti cap.* 8 (15) : *nam quum S. Boisilus discipulo Cuthberto multa futura revelasset, etiam triennalem pestilentiam prædixit, in qua ipse S. Cuthbertus ejusque abbas* Eatas *nequaquam perituri erant, præmonuit* Eatan *moriturum* morbo, quem dyssenteriam medici appellant, veridico, ut rerum exitus docuit, sermone.

w *In ecclesiam Hagustaldensem S. Andreæ illatum fuit corpus S.* Eatæ; *neque miremur istud compositum fuisse sub* parva capella lapidea. *Etenim templum Hagustaldense magnificentissime ædificaverat S. Wilfridus tunc, quando sedem Eboracensem pacifice gubernabat. Ædem hanc sacram Eddius cap.* 21 *Vitæ S. Wilfridi* (16) *dicit* (*exaggerate credo*) *omnium splendissimam* citra Alpes *fuisse. Enimvero, ut ibidem legitur :* Domum Domino in honorem B. Andreæ Apostoli fabrefactam fundavit : cujus profunditatem in terra cum domibus mirifice politis lapidibus fundatam, et super ter-
F ram multiplicem domum columnis variis et porticibus multis suffultam, mirabilique longitudine et altitudine murorum ornatam et variis linearum anfractibus viarum, aliquando sursum, aliquando deorsum, per cochleas circumductam, non est meæ parvitatis hoc sermone explicare, quod sanctus ipse præsul... opere facere excogitavit. *Liceat hic obiter indicare vocabulum* domus *hic significare* fornices, *quibus parietes firmantur. Certe Adelung in suo Lexico Germanico dicit, vocem* Doma *concameratum, fastigium* (Kuppel) *in infima latinitate indicare* (17). *Scilicet frequentissimum Anglorum cum Galliis atque Italia commercium et adventantes ex hisce regionibus episcopi, presbyteri et monachi ad hanc structuræ elegantiam evexerant ecclesias. Ante*

(1) Carlisle. Topogr. Diction. of Engeland. V° *Whiby*. — (2) Act. SS., t. III Febr., p. 82. — (3) Migne, Patrol., t. XCV, col. 287. — (4) Act. SS., t. II Januar., p. 540. — (5) Migne, Patrol., t. XCIV, col. 746. — (6) Ibid., t. XCV, col. 220. — (7) Act. SS., tom. VIII Octob., p. 965. — (8) Ibid., tom. II Mart., p. 10. — (9) Migne, Patrol., tom. XCV, col. 116. — (10) Twysden. Rer. Anglic. Scriptt., t. I, p. 163. — (11) Ibid., p. 212. — (12) De Præsul. Angl. p. 108. — (13) Carlisle. Topogr. Diction., V° *Durham*. — (14) Ibid., V° *Hexham*. — (15) Migne, Patrol., t. XCIV, col. 746. — (16) Mabillon Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. IV Part. I, p. 688.—(17) Adelung, V° *Dom*.

porro

A *porro hæc tempora in Anglia, et præsertim in Northumbria, vix ad christianam fidem conversa, ædificia, etiam ecclesiastica, erant omnino agrestia. Quum S. Finanus, S. Aidani successor, Lindisfarnæ vellet facere, ut testatur Beda lib. III cap.* 25 (1), ecclesiam *episcopali sedi congruam, more Scotorum, non de lapide, sed robore secto totam composuit, atque arundine texit : quam dein Eadberctus, ab anno* 687 *ad* 698 *Lindisfarnensis episcopus* (2), ablata arundine plumbi laminis totam, hoc est, et tectum et ipsos quoque parietes cooperire curavit. *Similem templorum imaginem exhibet nobis Beda in Vita S. Cuthberti cap.* 46 (3), *quum dicit Ædilwaldum, S. Cuthberti in eremo successorem*, reperisse, quia parietes oratorii, qui, tabulis minus diligenter coaptatis, longa essent vetustate dissoluti, et separatis ab invicem tabulis facilem turbinibus præbuissent ingressum. Sed vir venerabilis, qui cœlestis ædificii magis, quam terreni decorem quærebat, sumpto feno et argilla, vel quidquid hujusmodi materiæ reperisset, stipaverat rimulas, ne quotidianis imbrium B sive ventorum injuriis ab orandi retardaretur instantia. Cum hæc igitur Ædilwaldus, ingressus locum, vidisset, postulavit a frequentantibus se fratribus, pelliculam vituli, eamque illo in angulo, quo et ipse et prædecessor ejus Cuthbertus sæpius orans stare vel genuflectere solebat, clavis affixam violentiis procellarum opposuit. *Videtur porro in Anglia, maxime in partibus septemtrionalibus, perstitisse memoria primævorum ædificiorum : nam etiam hodie, statis diebus, circumferuntur a puellis serta juncea, floribus ornata, et longo solemnique agmine ad ecclesiam, die dominica portantur, ibique statuuntur in medio templo : isque ritus Processio seu Portatio juncorum,* Rushbearing, *appellatur : est festum omnino populare, in quo pueri munusculis donantur* (4).

AUCTORE J. V. H.

x *De hac prima translatione corporis S.* Eatæ *actum fuit a nobis num.* 20 *Commentarii prævii. Secunda vero translatio facta fuit, ut habet Joan. Mabillon* (5) *a Richardo priore canonicorum regularium ab anno* 1143 *ad* 1170 (6), *eamque supra num.* 21 *prævii Commentarii retulimus. Sed aliam difficultatem facessit nobis biographus hoc loco. Dicit enim Thomam juniorem archiepiscopem Eboracensem anno* 1113 *tentasse avectionem corporis S.* Eatæ; *sed concilium frustratos esse* fratres tristes, *qui* intentis precibus Sanctum exorarunt, ne locum desereret. *Quando igitur Thomas hæc molitus est, jam erant Hagustaldii aliquot fratres, qui jus habebant in Reliquias ecclesiæ suæ, et ex altera parte legimus in Historia ms. Richardi Hagustaldensis, in Monastico Anglicano citata* (7), *eodem anno* 1113 *kalendis novembris canonicos regulares Hagustaldium ab archiepiscopo Thoma introductos fuisse. Quomodo igitur conservare poterant, quod necdum habebant? Sed si attendatur narratio in libro Miraculorum S. Wilfridi apud Mabillonium* (8), *omnino* E *manifestum fit, brevissimum fuisse intervallum ab introductione canonicorum ad sacri corporis tentatam avectionem. Dicitur enim tempore* Thomæ junioris, jam introductis in ecclesiam Hagustaldensem canonicis, *clericos Eboracenses doluisse, quod nullum sanctorum episcoporum corpus in ecclesia sua haberent, statuisse proin, ut corpus S.* Eatæ *Eboracum aveheretur.* Considerabant *enim clerici* vulgi Hagustaldensis imbecillitatem, fratrum, *qui nuper advenerant paupertatem: unde* illis vim inferre *non metuebant. Ex his omnino liquet, brevi post canonicorum introductionem fuisse tentatam avectionem, adeoque circa finem anni* 1113 *aut initium sequentis : nam Thomas junior die* XIX *februarii* 1114 *obiit.*

(1) Goodwin, De episc. Eborac. p. 96. — (2) Migne, Patrol. t. XCIV col. 788. — (3) Rose, Westmoreland and Durham illustrated. t. III, p. 96. — (4) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. III. Part. I, p. 216 *. — (5) Monast. Anglic. tom. VI, p. 180. — (6) T. 6, p. 181. — (7) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. III. Part. I, p. 221 *. — (8) Monast. Anglic. t. VI, p. 1172.

C

DE S. SIGEBALDO, CONF. PONT.,

F

METIS IN GALLIIS,

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

ANNO DCCXLI. *S.* Sigebaldus, *episcopus Metensis, die* 26 *octobris celebratur,*

In kalendariis liturgicis Metensibus annorum 1829, 1838 *et* 1844, *quæ coram habeo, celebrari jubetur ritu semiduplici cum missa propria et lectionibus, quæ reperiantur in supplementis Missalis et Breviarii, natalis S.* Sigebaldi, *episcopi Metensis; cujus memoriam etiam facit Castellanus in Martyrologio universali ad præsentem diem et cardinalis de Noaliis in Martyrologio Parisiensi: utrobique hæc pauca leguntur :* Metis, sancti Sigisbaldi episcopi. *Corrupto nomine innotuit decessoribus nostris, quippe qui ad diem* 1 *aprilis inter Prætermissos* (1) *ita de eo disserant :* Sigillator, episcopus Metensis, qui floruit anno salutis DCCLI, *immo qui diem obiit anno* DCCXLI, celebratur in ms. Florario Sanctorum. Est is Sigebrandus aliis, multorum conditor monasteriorum, et mortuus traditur die (quo iterum refertur in Florario) XXVI octobris. *Sed neque* Sigillator *ejus nomen, neque* Sigebrandus, *sed sine con-*

(1) Acta SS., tom. I Aprilis, p. 3.

troversia

AUCTORE V. D. B.

rium troversia Sigisbaldus. Sigibaldus *seu* Sigebaldus, *ut ex omnibus Metensibus monumentis constat.*

laudatores habuit plures, tum veteres, tum recentiores.

2 *Hæc inter venit primo loco Catalogus poeticus episcoporum Metensium, scriptus sub annum* 770 *in Missali Metensi* (1), *triginta circiter annis ab obitu S.* Sigebaldi. *Accedit brevi spatio post Paulus Warnefridi, cujus liber de episcopis Metensibus, toties editus fuit et laudibus celebratus. Auctor scilicet,* Aquilejensis diaconus, vir inter sæculi sui primos, dum genti suæ superstes in Francia degebat, anno 784, petente Angilrammo Mettensi episcopo et Karoli regis archicappellano, Mettis (ut videtur) libellum de gestis episcoporum Mettensium conscripsit (2); *ita ut ejus scriptio vix quadraginta annis sit posterior morte S.* Sigebaldi : *et quidem satis apparet ab eo testes auditos fuisse qui beatum virum vidissent. Venit post Paulum scriptor Vitæ S. Chrodegangi, qui, ut ipsemet profitetur, non solum hujus sancti gesta prosequi cogitavit, verum etiam decessoris ejus S.* Sigebaldi. *Postquam enim in Prologo*
B *dixerat se non veterum episcoporum Metensium laudes celebrare velle :* Sed Sigibaldum, *ait,* cognomento Parvulum, successoremque ejus Grodegangum accipio pro lucubrationis meæ argumento. *Et sane vix parcior est in laudando illo quam in extollendo S. Chrodegango. Quamobrem Vitam, quæ ad finem hujus Commentarii prior venit, non dubitavimus inde sumere. Censet Eckhardus* (3), *qui scriptionem hanc in appendice tomi primi Commentariorum de rebus Franciæ orientalis et episcopatus Wirzeburgensis primus in lucem dedit ex codice Guelferbytano, dein Augustano, sed in fine imperfectam, eam confectam esse sæculo* IX, *quoniam in Prologo de S. Arnulfo dicitur :* Cujus stirpis filii hodieque regno Francorum strenuissime præsident; *sed, quum Carolingici usque ad annum* 987 *monarchiam Francorum obtinuerint, potuit etiam scribi sæculo* X. *Id constat quod anno* 846 *posterior est, quum capite* V *legantur* ossa beati confessoris Adelfi, Mettensium pontificis, digno honore tumulata esse *in Novovillari; quo Drogo, Metensis præsul, ea illo anno transferenda curavit* (4). *Quod probabile est, Pertzius* (5), *qui, eodem illo codice usus, animadver-*
C *tit eum Sigeberti Gemblacensis manu correctum fuisse et qui secundis curis Vitam edidit, censet B. Joannem, abbatem Gorziensem, auctorem esse, qui die* 27 *februarii anni* 973 *e vivis recesserit; nec quidquam est quo appareat hanc opinionem non esse veram. Nixus autem est in S.* Sigebaldo *biographus maxime Pauli Warnefridi Chronico, et sanctimoniæ superstite fama. His multo posterior est prima pars Chronici episcoporum Metensium, scripta sub annum* 1180; *quam cum reliquis partibus edidit Dacherius integram* (6) *et nuper Pertzius* (7). *Alii insuper episcoporum Metensium catalogi editi a Calmeto, Pertzio aliisque; sed non multa inde lux affulget. Scripta etiam fuit beati viri Vita* D *a S. Symphoriani monacho initio sæculi* XII, *occasione inventionis reliquiarum; quam multa miracula secuta sunt. Porro quum scriptor, ubi* veritas lateret, qualiter *aliquid* factum esset prætereundum melius putaret quam aliquid frivolum operi suo intexere, *et pauca tantum de beati viri gestis innotescerent, communibus boni episcopi laudibus fere contentus est. Secunda pars, quæ inventionem reliquiarum et secuta comprehendebat miracula, procul dubio, melior erat; sed in apographo, desumpto ex codice S. Symphoriani, quod olim ad Bollandum destinavit noster Franciscus Lahier, deest fere tota hæc pars, quæ de codice S. Symphoriani medio sæculo* XVII *detracta jam erat; neque integrum codicem, licet alium nonnihil diversum vidisse videantur, offenderunt Calmetus* (8), *François et Tabouillot* (9), *atque etiam Maurini* (10) : *quin quum per amicos in codicem aliquem integrum Metis inquisivissem, nullus amplius, sive mutilus, sive integer, repertus est. Superest itaque, ne potissimum et vetustissimum S.* Sigebaldi *cultus ecclesiastici testimonium pereat, (lecta* E *enim fuit publice hæc oratio die ejus festo,) ut id, qualecumque est, ad finem edamus in lucem. Demum inter recentiores singulari cura ejus gesta prosecuti sunt Meurissius* (11), *Calmetus* (12), *scriptores Historiæ Metensis* (13) *et Galliæ Christianæ* (14), *parcius Cointius* (15) *et Mabillonius* (16), *atque nuperius ven. vir. Pétin* (17); *alios mitto.*

Pauli Warnefridi et chronographi Metensis laudes referuntur;

3 *Qui autem primus S.* Sigebaldi *laudes celebravit sub annum* 770,

. . . . Quo tempore maximus armis
Rex Carolus, sensu, formaque, animoque decorus,
Italiæ accepit Christi de munere sceptrum,

præclaro hoc encomio eum honestavit (18):

Eximius claret factis Sigibaldus opimis.

Qui vero pone venerunt consentiunt in laudando venerabili pontifice; neque putem modum excedere Calmetum, ubi scripsit (19) S. Sigebaldum unum e maximis et illustrissimis antistitibus fuisse, qui ecclesiam Metensem rexerint, *licet inter triginta quinque, qui ibidem ante eum in throno episcopali sederint, novemdecim sanctis accenseantur, et proxime eum exceperit S. Chro-*F *degangus. Et quidem paucos admodum majoribus laudibus prosequitur Paulus Warnefridi :* Dehinc, *inquiens* (20), Sigebaldus, generosis ortus natalibus, religioso cœtui antistes effectus est, vir per omnia utilitatibus ecclesiæ deditus, sacrorum quoque culminum sollertissimus restitutor. Hic, de animarum statu sollicitus, duo monasteria condidit; e quibus unum Eleriacum vel etiam Novacella dicitur, alterum quoque Novum — quod — Villare vocitatur. Hunc dirus podagræ dolor vehementer afflixit; sed ille, in æternis gaudiis mentem figens, dolores corporeos patientissime toleravit. *Quæ sæculo* X *S. Chrodegangi biographus*

(1) Ap. Meurisse, Hist. des Évêques de Metz, p. 685, et D. Calmet, Hist. de Lorraine, tom. I, Preuves, col. CXXVII et seqq. — (2) Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. III, p. 260. — (3) De rebus Franciæ orientalis, tom. I, p. 585. — (4) Gallia Christiana, tom. XIII, col. 714. — (5) Monumenta Germaniæ, t. X, p. 552. — (6) Spicilegium, t. II, p. 227, edit. Labarre. — (7) Monumenta Germaniæ, t. X, p. 531 et seqq. — (8) Hist. de la Lorraine, tom. I, col. 471 et seqq. — (9) Hist. de Metz, t. I, p. 439 et seqq. — (10) Gallia Christiana, tom. XIII, col. 704. — (11) Hist. de Metz, lib. II, p. 140. — (12) Hist. de Lorraine, tom. I, col. 471 et seqq. — (13) DD. François et Tabouillot, Hist. de Metz, tom. I, p. 439 et seqq. — (14) Tom. XIII, col. 704 et 705. — (15) Annales eccles. Francorum, ad an. 716, n. 17; 734, nn. 8 et 9; 738, n. 34; 741, n. 55. — (16) Annales Benedictini, ad an. 709, n. 41; 727, n. 76; 734, n. 23. — (17) Dictionnaire hagiologique, V° *Sigisbaud.* — (18) Ap. D. Calmet, tom. I, Preuves, col. CXX. — (19) Hist. de Lorraine, tom. I, col. 471. — (20) Ap. Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. II, p. 267.

AUCTORE V. D. B.

A *et sæculo* XII *partim explicuit, partim auxit scriptor primæ partis Chronici episcoporum Metensium, posterioris hæc sunt verba* (1) : Sigisbaldus XXXVI Metensi ecclesiæ præfuit XXV annis, sub apostolicis Stephano et Paulo; sub imperio præfati Constantini et Leonis IV. Hic beatus Sigisbaldus ortus generosus natalibus extitit, religionem fidelium ampliavit, per omnia utilitatibus ecclesiæ sanctæ Dei deditus. Duo monasteria construxit, Hilariacum et Novum Villare. Hunc dirus podagræ dolor affligebat; sed quamvis exterior pateretur homo, interior tamen proficiebat de virtute in virtutem, ruinas ecclesiarum instaurando. Et (quod majus miraculorum corporalium virtutibus) animas diversis vexatas vitiis sanabat prædicationis et exempli medicamine, resuscitabatque a spirituali morte. Et cui talia dantur, si præsentium fides indigeret, putasne corporalium sanitas morborum defuisset? Obiit septimo kalendas novembris. Sepelitur in ecclesia beati martyris Symphoriani in suburbio Metensi.

Neque regio genere fuit S. Sigebaldus, *neque frater S. Segolenæ:*

4 *Generosis natalibus seu nobilissimo Francorum genere ortum esse S.* Sigebaldum *modo audivimus: sed*, si pluribus creditur, originem duxit a Francorum regibus (2); *quæ novitia sententia, nullis plane documentis fulta, jure merito a Galliæ Christianæ scriptoribus improbatur et rejicitur.* Acta S. Segolenæ, *addunt iidem*, ab autore æquali scripta et a Mabillonio (3) publicata, alio genere procreatum fuisse tradunt. Juxta hæc Acta, Segolena filia Chramsici, viri natalibus clari in Aquitania, in urbe Albia sub finem septimi sæculi nata, fratrem habuit episcopum, Sigibaldum nomine, quem Mabillonius (4) et scriptores historiæ Occitaniæ (5) eumdem cum Sigibaldo Metensi præsule opinantur. Hæc pia mulier, post matrimonii decem annos orbata Gislulfo marito, viro genere ac divitiis præstante, secessit in cœnobium, quod pater Chramsicus in ejus gratiam construxit in loco amœnissimo, ab Albia aliquot leucis dissito, qui Troclaris dicebatur. Cum in morbum illa incidisset, venit ad eam germanus ejus Sigibaldus episcopus; a quo, jam extremum fere spiritum agens, dominici Corporis et Sanguinis viati-
C cum accepit. *Quamvis caute loquantur hoc loco Maurini, consentire tamen videntur in eamdem opinionem; et quidem aperte propendet in eamdem Calmetus* (6), *eamque sequuntur François et Tabouillot* (7); *sed plane dubii sunt, et disputant in utramque partem Vaissette et socii ejus Historiæ Occitaniæ scriptores* (8).

cujus ætas incerta; dein tum non conveniebat inter Aquitanos et Austrasios.

5 *Verum qui primus eam in Annalibus Benedictinis invexit Mabillonius, antea aliam omnino amplexus erat in Actis sanctorum ordinis S. Benedicti* (9), *animadvertens Metas longius ab Albia distare, quam ut posset Metensis episcopus, maxime podagricus, tam sæpe, quam in S. Segolenæ Vita perhibetur, abbatissam Albiensem visitare : quam rationem plurimum approbat Cuperus noster* (10), *ubi ad diem* 24 *julii S. Segolenæ Acta illustravit. Et quidem, quum S.* Sigebaldus *episcopus creatus jam esset anno* 708, *Metensem cathedram conscenderit oportet, dum Eudo Aquitaniæ dominaretur et Pippinus Heristallius Austrasiæ; atqui rarissime tum assumebantur exteri ad sedes cathedrales. Sed quis credat Sigibaldum, fratrem S. Segolenæ, natione Albigensem, patria Aquitanum, eumque nobili genere, admissum fuisse in sedem Metensem Austrasiæ, quum Pippinum inter et Eudonem, qui ab anno* 688 *Aquitaniam in libertatem adversus ipsummet Pippinum vindicaverat, simultates maximæ essent* (11), *atque universi Aquitani, potissime nobiles, omnino proni essent in Neustrasiorum partes, ita ut anno* 817 *Chilperici II jura etiam armis contra Austrasios tuiti sint* (12)? *Deinde nullo fundamento conjectura illa nititur; nam omnino nescitur quo tempore S. Segolena et Sigebaldus ejus frater vixerint, aliis sæculum* VII, *aliis* VIII, *aliis alterutrum, aliis* IX, *aliis demum animadvertentibus nullum esse in S. Segolenæ Vita nomen, quod certo ævo affigatur* (13). *Propterea vult Cuperus* (14) E *Sigebaldum, ejus fratrem, episcopum Narbonensem fuisse aut Sagiensem, aut alius sedis, Albigensibus vicinæ; Bailletus* (15) *vero aut esse ignotum, aut Cadurcensem præsulem : meo judicio hoc unum verisimile, scilicet S.* Sigebaldum, *episcopum Metensem, nequaquam fratrem esse S. Segolenæ.*

Quum S. Chrodegangus factus sit episcopus non anno 752,

6 *In definiendo autem tempore episcopatus S.* Sigebaldi *multo major est difficultas, quam prima specie appareat. Si Catalogum seu Episcopologium* (16), *quod in Adalberone sub annum* 964 *desinit, adeamus,* Sigebaldus episcopus sedit annos 25 : obiit VII kal. novembris. *Sed multo diutius sedisse manifestum fiet. Continuator tertius gestorum abbatum S. Trudonis ad annum* 743 *scripsit* (17): Circa idem tempus floruit (*quod in Chronicis idem est ac* obiit) Sigibaldus, Metensis episcopus : *quod propius accedit ad sententiam Henschenii* (18), *qui statuit ejus successorem S. Chrodegangum episcopum sacra benedictione constitutum fuisse ad kalendas octobris anni* 742 ; *quam sententiam dein secuti sunt Cointius* (19), *François et Tabouillot* (20), *Galliæ Christianæ novæ scriptores* (21), *aliique. Sed in Florario ms., quod initio produximus,* anno salutis DCCLI floruisse *seu vita functus esse traditur S.* Sigibaldus; *et, quod multo gravius est, presbyter Moguntinus, auctor Vitæ S. Bonifacii, episcopi et martyris, quam primo loco in Supplemento ad Acta S. Bonifacii ediderunt Henschenius et Papebrochius* (22), *narrat S. Bonifacium crimini vertisse Stephano papæ III, anno* 753 *a Pippino in Galliis auxilia petenti, ordinationem S. Chrodegangi seu Rutgangi:* Tunc quoque accidit, *ait ille,* ut dominus apostolicus Rutgangum ordinaret Metensem episcopum. Qua de re venerabilis episcopus Bo-
F

(1) Ap. D'Achery, Spicilegium, tom. II, p. 227. — (2) Gallia Christiana, tom. XIII, col. 703. — (3) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæc. III, part. II, p. 542 et seqq. — (4) Annales Benedictini, tom. I, p. 607. — (5) D. Vaissette, Hist. du Languedoc, tom. I, p. 573. — (6) Hist. de Lorraine, tom. I, col. 474. — (7) Hist. de Metz, tom. I, p. 439. — (8) Hist. du Languedoc, tom. I, p. 373 et seqq. — (9) Sæculum III, part. II, p. 542. — (10) Acta SS., tom. V Julii, p. 629. — (11) Cfr D. Vaissette, Hist. du Languedoc, tom. I, p. 370 et seqq. — (12) Ibid., p. 587 et seqq. — (13) Cfr Acta SS., tom. V Julii, p. 630. — (14) Ibid., p. 629. Cfr D. Rivet, Hist. litt. de France, tom. IV, p. 77 et 78. — (15) Vie des Saints, tom. V, p. 346. — (16) Pertz, Monumenta, tom. II, p. 269. Cfr Calmet, Preuves, tom. I, col. CXVII. — (17) Ibid., tom. X, p. 371. — (18) Acta SS., tom. I Martii, p. 454, num. 7. — (19) Annales Francorum ad annum 742, n. 51 et ad annum 766, n. 2. — (20) Hist. de Metz, tom. I, p. 454 et seqq. — (21) Tom. XIII, col. 703 et 704. — (22) Acta SS., tom. I Junii, p. 475.

nifacius

AUCTORE V. D. B.

nifacius in faciem ei restitit, dicens ei non licere... sine consensu episcopi, ad cujus diœcesim pertinet locus, quilibet ille est, episcopum ordinare; quod tamen se apostolica auctoritate fecisse affirmavit papa Stephanus. *Ad quem locum subjecit Papebrochius* (1) *S. Chrodegangum* a Stephano fuisse ordinatum, sed Romæ anno 752 kalendis octobris, tunc in dominicam cadentibus; *ita ut S.* Sigebaldus *diem obiverit* 26 *octobris anni* 751, *ut legitur in Florario. Quid itaque in hac sententiarum varietate sequendum? Imprimis ratio nulla habenda scriptiunculæ illius Moguntinæ : universus ille locus tot nævis inspersus est, ut eum suppressum voluerit Henschenius* (2), *neque eum retinuerit Papebrochius, nisi quod num.* 7 *Commentarii Henschenii de S. Chrodegango non legerit, sed tantum num.* 13, *ubi manifestissimo sphalmate typographico loco* DCCXLII *impressus est annus* DCCLII : *lege locum. Origo vero erroris presbyteri Moguntini patet : confudit scilicet ordinationem seu consecrationem episcopalem S. Chrodegangi cum collatione pallii et annexæ archiepiscopalis dignitatis; de qua*

B *in altero codice ms. Thuano et in Ambrosiano legitur* (3) : Dum in Francia esset positus *Stephanus papa III*, Rodigango, sanctissimo episcopo, pallium tribuit et archiepiscopum ordinavit; *unde in Chronico Laureshamensi* (4) *dicitur* venerabilis Rutgangus, Metensis ecclesiæ archiepiscopus. *Fieri potuit ut hoc non placeret S. Bonifacio, licet nequaquam novum esset episcopos pallio donari, quo fierent archicapellani et summam in Galliis jurisdictionem nanciscerentur* (5); *sed hoc impræsentiarum nostra non refert, quibus quippe dumtaxat aperienda sit causa erroris biographi Moguntini. Fas itaque est annos* 751 *et* 752, *quorum altero mortuus esset S.* Sigebaldus, *altero episcopus factus S. Chrodegangus, seponere.*

sed anno 742, *mortuus sit oportet S.* Sigebaldus *die* 26 *octobris anni* 741.

7 *Et quidem nil certius quam quod S. Chrodegangus Metensem cathedram ascendit die* 1 *octobris anni* 742 *et vita functus est die* 6 *martii anni* 766. *A morte ducamus exordium. Demonstravit Henschenius* (6) *ex Chronico Laureshamensi et ex Sigeberti ms., quod est inter libros reginæ Sueciæ, beatum virum decessisse anno* 766; *idemque ostendit Eckhardus* (7) *ex*

C *Annalibus Petavianis et Moisiacensibus. Consentit Paulus Warnefridi, qui eum* obiisse *tradit* in diebus Pippini regis, *id est ante annum* 768. *Neque dubia dies est, nam ex festo et scriptis coævis constat eum die* 6 *martii in cælos migrasse. Sed jam audiendus est Paulus, quem modo appellabam; utpote ex cujus testimonio deduci potest quo die et anno S. Chrodegangus episcopus consecratus sit. Ait itaque* (8) : Rexit æcclesiam Mettensem annis viginti tribus, mensibus v, diebus v. Obiit pridie nonas martias in diebus Pippini regis. *Atqui si hos numeros, qui conveniunt cum Catalogo seu Episcopologio Metensi, deducimus a die* 6 *martii anni* 766, *venimus in diem* 1 *octobris anni* 742, *qua S. Chrodegangus episcopus ordinatus sit; et quidem in ejus Vita* (9) *legitur* : Celebrata est ordinatio beati pontificis die kalendarum D octobrium; *sed et annus ex hoc fonte finiri potest. Quum enim vacabat Metensis sedes per mortem S.* Sigebaldi, Pippinus, tunc quidem dux, post autem Francorum rex gloriosus, cum exterarum gentium incursione, Wasconiæ dico ac Hispaniarum, tum civium suorum hostilitate durissime premebatur (10). *Atqui extra controversiam est Pippini expeditionem Aquitanicam ante annum* 742 *non fuisse inceptam, sed hoc ipso perfectam esse. Sequitur itaque S. Chrodegangum die* 1 *octobris illius anni loco S.* Sigebaldi *collocatum fuisse in Metensi cathedra. Re quidem vera tum dies dominica non erat, sed lunæ. Verum in Germania, ubi in electionibus et ordinationibus episcoporum multa fiebant singularia, lex de tempore ordinandi episcopos non semper observabatur : ut videre licet in his, quæ alibi de episcopis Bremensibus et Hamburgensibus disputavi* (11). *Ex hoc itaque capite nil obstat quin S. Chrodegangus episcopus factus sit die* 1 *octobris anni* 742. *Quum vero ejus decessor obierit die* 26 *octobris, ut ex Paulo Warnefridi constat et ex notis chronicis, appositis antiquissimo Cata-* E *logo metrico* (12), *neque videatur ultra modum sedes episcopalis post ejus mortem vacasse, dubitandum non est quin S.* Sigebaldus *mortuus sit, anno priore, id est* 26 *octobris anni* 741. *Quodsi inde subtrahas annos viginti quinque, inscriptos Episcopologio, factus fuerit episcopus S.* Sigebaldus *anno* 715; *et quidem posteriori huic anno annectit Cointius* (13) *episcopatus ejus exordia. Sed jam pridem animadversum est errorem cubare in annis* XXV *Episcopologii; quum constet S.* Sigebaldum *Metenses infulas gessisse* mensis decembris die vicesimo, anno quartodecimo regni domni Childeberti regis, *id est Christi* 708 : *tunc enim* (14) bonum pacis placuit qualiter convenit inter apostolicum virum domnum Sigibaudum, episcopum Metensis ecclesiæ, et inter Wolfaudum comitem ut locella eorum inter se commutare deberent; quod et ita fecerunt. Dedit Sigibaudus episcopus Wolfaudo comiti locellum, Marsupia nuncupatum, in pago Virdunensi, quem Godo et Hærevius pro animarum suarum salute ad ecclesiam sancti Stephani *seu cathedralem* delegaverunt..... E F contra simili modo dedit Volfaudos Sigibaudo episcopo ad partem sancti Stephani locellum nuncupatum Vineaico in fine Ausiniaca villa in pago Fugentense super fluvium Mosellæ,... quantumcumque ibidem de homine, nomine Ægino, dato pretio comparavit, vel quidquid ad præsens possidere videbatur, totum et ad integrum ad partem sancti Stephani condonavit; et quidquid inde de utraque parte facere voluerint, liberam et firmissimam habuerunt potestatem faciendi. *Cui commutationi has adjecerunt conditiones et pœnas :* Si quis vero, quod fieri non credimus, quod aut nosmetipsi aut heredes Volfaudi aut Adalvindæ aut domni Sigebaudi contra has commutationes agere quicquam voluerit, partem quam acceperit

(1) Acta SS., p. c., not. *h.* — (2) Ibid., not. *f.* — (3) Anastasius Biblioth., edit. 1735, tom. IV, p. 233. — (4) Acta SS., t. I Martii, p. 454. — (5) Cfr Examen hist. et canon., p. 204 et seqq. — (6) Acta SS., tom. I Martii, p. 455. — (7) De rebus Franciæ orientalis, tom. I, p. 584. — (8) Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. II, p. 267. — (9) Cap. x, ap. Eckart, De rebus Franciæ orientalis, tom. I, p. 926. — (10) Cap. v, ibid., p. 920. — (11) Acta SS., tom. IX Octobris, p. 376 et seqq. — (12) Ap. D. Calmet, tom. I, Preuves, col. cxx. — (13) Annales eccles. Francorum, ad an. 716, n. 17. — (14) Testamentum Volfaudi de villa Marsupia, ap. Baluze, Miscellanea, tom. III, p. 30 et 31, edit. Mansi.

amittat,

A amittat, et insuper auri libras duas, argenti pondera quinque coactus exolvat, et, quod repetit nihil valeat evindicare, sed præsens hæc commutatio firma et stabilis permaneat, cum stipulatione nixa. *Sequenti anno dedit Marsupiam villam Volfaudus, ut esset prima sedes celeberrimi S. Michaelis monasterii; quod dein loco mutatum est crevitque in oppidum* Saint Mihiel (1); *quo factum est ut illa aliæque antiquissimæ chartæ servatæ fuerint.*

Virtutibus episcopalibus et privatis claret beatus vir.

8 *Sed hæc commutatio singularis actus; quotidianas has laudes celebrat Gallia Christiana* (2): Sacris in literis versatissimus, toto animo gregi suo erudiendo exemplis æque ac verbis incubuit. Delinquentes indulgenter corripiebat, constantesque in virtutibus ad perseverantiam benigne exstimulabat. Numquam domo excessit, nec habens quo egenorum miseriam sublevaret. *Quæ desumpta esse ex vetere Vita monent scriptores Historiæ Metensis* (3); *sed a Vita, inferius edenda, nonnihil diversa sunt. Leguntur et sequentia, ad verbum ex eadem Vita in Galliam Christianam* (4) *translata atque etiam in nostro servata apographo :* Quis adeo deditus et implicitus est terrenis voluptatibus, cui non sordeant sæculares deliciæ, cum audiat hunc (*S.* Sigebaldum), ingenuis ortum natalibus, opibus affluentem, pontificali honore præditum et sublimatum, inter regias epulas non servire gulæ, sed studere commerciis parcimoniæ, nichili pendere vanam ingenuitatem carnis sine animi nobilitate. *Neque se, aut sua, aut generis sui commoda quærebat pius pater; sed quæ Jesu Christi sunt : quocirca a Paulo Warnefridi eximio encomio dicitur* vir per omnia utilitatibus ecclesiæ deditus. *In altera Vita Symphoriniana, ut ex Calmeto* (5) *discimus, traditur, insuper miraculorum gloria vivus claruisse ad sanandos alienos morbos; sed numquam voluisse a Deo postulare ut a podagra, qua eum plurimum laborasse aliunde etiam constat, liberaretur. Verum neque Paulus Warnefridi, neque S. Chrodegangi biographus, neque Chronici episcoporum Metensium auctor quidquam novisse videntur de miraculosis corporum sanationibus, quas vivus patrasset S.* Sigebaldus; *quin etiam scriptor posterior innuit ab eo corporalia facta*
C *non fuisse miracula, sed dumtaxat spiritualia; et certe prædicatione et exemplo plurimum eum valuisse hic idem addit.*

Sartatecta templorum curat; restituit Hilariacum seu S. Naboris cœnobium, olim a S. Fridolino fundatum.

9 *Intelligebat autem sanctissimus antistes quantum imprimis momentum positum sit in ædificiis materialibus ecclesiasticis. Quare a Paulo Warnefridi dicitur* sacrorum quoque culminum sollertissimus restitutor, *scilicet* (*ut explicat episcoporum Metensium chronographus*) ruinas ecclesiarum restaurando : *quæ cura tanto magis erat necessaria, quod pleræque ædes sacræ, maxime rurales, ex materia seu ligno essent. Quum autem potiores suas esse partes duceret eorum curam habere qui, abjectis sæculi deliciis, totos se Dei servitio devoverunt, in eorum gratiam reliquit post se duo insigniora pietatis et munificentiæ suæ monumenta, monasteria scilicet Hilariacum et Novumvillare; quorum prius, licet antea exsisteret, tantis auxit beneficiis ut etiam hoc* condidisse *dicatur a Paulo et a S. Chrodegangi Vitæ scriptore;* construxisse *a Metensi chronographo. De illo autem paulo plura dicere juvat, quod ibidem mortuus sit et primum sepultus beatus vir. Pluribus leucis a Metis ad orientem, super fluviolum Rosellam, loco ubi nunc stat oppidum* Saint Avold, *hujus asceterii initia posuit sub exordia sæculi* VI *B. Fridolinus, natione Scotus seu Hibernus; qui, quoniam in Pictaviensi S. Hilarii monasterio aliquandiu degerat, novis quæ deinde in Austrasia fundavit monasteriis a pristino patrono Hilariaci nomen imposuit. Sed, quod perparvum esset Rosellanum asceterium, ut intellexit Cointius* (6), *aut potius ex sparsis cellis constaret, tuguriis et speluncis, ut illa tempora ferebant* (7), jactis de novo fundamentis, summo decore expolitum a Sigebaldo *est;* qui propter suam munificentiam, *ait ille idem Cointius* (8), ad hanc usque diem loci illius fundator habetur. *Et quidem Pulchronius Lavignon, monasterii illius abbas, in-* E
spectis tabulariis, scripsit ad Meurissium, episcoporum Metensium historiam adornantem (9) : Sigibaldus, [XXXVIII] Mediomatricæ metropolis antistes, præter innumera frugalioris vitæ monumenta, hoc monasterium, quod Novacella sive Hilariacum nuncupatur, ex fundamentis solerti studio condidit, ac in honorem divi Pauli gentium doctoris felicissime dicavit, proventibus, privilegiis, ceterisque monachorum inibi Deo famulantium usui necessariis industrie cumulavit anno Incarnati Verbi trigesimo quarto supra septingentesimum, [Gregorio ejus nominis III et Zacharia piscatoriæ navis temonem apud Romanam urbem moderantibus, sub principe Leone ejus nominis III. Sepultus in hoc monasterio in sinistra altaris summi]. *Quem locum etiam reperit Alexander Wilthemius noster in scriptiuncula, cui titulus :* De fundatione et constructione hujus laudabilis monasterii S. Naboris; *unde, quæ uncinis inclusa sunt, excerpsimus : pone sequebatur abbatum catalogus. Ubi si statuatur S. Zacharias*
operam suam præstitisse S. Gregorio III, conve- F
niunt temporis notæ; quum Leo Isauricus regnaverit a die 25 *martii* 717 *ad* 18 *junii* 741, *et Gregorius Romanæ præsederit ecclesiæ a die* 18 *martii anni* 731 *usque ad* 27 *aut* 28 *novembris anni* 741, *et triduo post successerit S. Zachariæ.* (*Dicendo non sum an sæculo* XVII *fundationis diploma adhuc superesset, aut saltem apographum in Chartulario, quod anno circiter* 1434 *exscribi fecit Didericus abbas* (10).) *Tum Novacellæ nomen accepisse Hilariacum visum est Metensibus historicis* (11); *non male. Sed quum anno* 765, *benevolentia et largitate S. Chrodegangi, eo illatæ fuissent S. Naboris reliquiæ, cœpit paulatim S. Naboris nomen induere* (12); *quod vulgus in* San-Nabor, San-Abor, San-Avol

(1) Cfr Acta SS. tom. IX, Octobris, p. 315. — (2) Tom. XIII, col. 704. — (3) Hist. de Metz, tom. I, p. 439. — (4) Tom. XIII, col. 704. — (5) Hist. de Lorraine, tom. I, col. 473. — (6) Annales eccles. Francorum, ad an. 734, n. 8. — (7) Cfr Lenoir, Architecture monastique, tom. I, p. 7. — (8) Annales, loc. cit. — (9) Ibid. ad annum 716, n. 17 et ap. Meurisse. — (10) Gallia Christiana, tom. XIII, col. 840. — (11) DD. François et Tabouillot, Histoire de Metz, t. I, p. 440. — (12) Cfr libri prædicti et Retractatio de monasterio Helerensi seu Hilariaco, alias S. Naboris, diœcesis Mettensis, Mabillonii Annal. Benedictini, tom. II, ad fin. app. p. 705.

et

AUCTORE V. D. B.

et demum in San-Avolt *seu* Saint-Avolt *pervertit. Sed extremi sæculi superioris impietas hoc religionis institutum sustulit.*

Condit Novumvillare in diœcesi Argentinensi in gratiam S. Pirmini : jura episcoporum Metensium et fata.

10 *Novavilla seu Novumvillare, vulgo* Neuweiler, *quod alterum monasterium* S. Sigebaldus *condidit aut construxit, situm erat in ingressu montium Vosagi, ad pedes Scauri montis, in diœcesi Argentoratensi, ita tamen ut, quum episcopi domini essent feodorum de Bouxwiller, Ingwiller etc. eoque nomine ter mille libras quotannis perciperent ab oppidis Novovillari Maurique monasterio et a S. Quirini vico, ab episcopis Metensibus penderet* (1)*: quam rem reliquias esse arbitror antiquioris disciplinæ. Etenim, sive olim diœcesis Metensis pars fuerint hæc loca, sive non,* (*non enim multum distant a finibus diœcesium Metensis et Argentoratensis*,) *S. Mauri monasterium venit anno* 828 *penes Metenses episcopos commendatione Ludovici Pii* (2)*; quod sesqui sæculo post secuta est cella S. Quirini, anno* 966 *fundata et abbati Maurimonasteriensi tradita* (3). *Novumvillare autem a Metensi cathedra pendebat, quoniam dotationem et impensas fecerat S.* Sigebal-
B dus (4) *in gratiam S. Pirmini* (5), *plurium aliorum cœnobiorum in illis partibus fundatoris; quod si templum consecrarit beatus vir* (*ut S. Chrodegangi biographus perhibet*), *secundum disciplinam Africanam, etiam in Galliis et Germania receptam* (6), *obnoxium erat Novumvillare spirituali Metensium præsulum auctoritati; quamquam et hæc temporalem jurisdictionem, si penes ecclesiasticos esset, frequenter sequebatur. Pro sæculi* VIII *fere consuetudine cælestes patroni acciti SS. Petrus et Paulus; quibus accessit deinceps S. Adelphus seu Adolphus, episcopus Metensis, postquam anno* 846 *Drogo, ejusdem sedis antistes, in ecclesiam transtulerat illius sancti corpus. Anno* 1495 *aut* 1497 *consensu Alexandri papæ VI in collegium canonicorum mutatum est* (7). Anno 1563 S. Adelphi ecclesiæ navis civibus Augustanæ confessionis transactione relicta est : choro quem murus a navi separat, penes canonicos remanente (8). *Oppidani, olim pauci numero* (*nam medio sæculo superiori cives dumtaxat erant centum quinquaginta*), *nunc supra mille septingentos recensentur.*

Monasterium Claustriacum nequaquam fundavit S. Sigebaldus,

11 *Tradidit Meurisse* (9) *a S.* Sigebaldo *etiam fundatum fuisse monasterium Claustriacum, vulgo* Croffthal *seu* Crauffthal, *haud procul a via, qua Metis Argentoratum tenditur, Parvampetram inter et Salisburgum; sed ille idem alibi memorat hoc cœnobium excitatum fuisse a parentibus Folcmari, Metensis comitis, qui initio sæculi* XII *floruit. Quæ posterior sententia probatur Calmeto* (10), *François et Tabouillot* (11), *Schöpflino* (12) *et Galliæ Christianæ scriptoribus* (13), *quoniam ante illud ævum nulla uspiam hujus asceterii occurrit mentio; postmodum autem apparet ut parthenon Cisterciensis; deinde legitur Folcmarus hanc domum concessisse fratri suo Theotgero, prius abbati S. Georgii in* D *Silva Nigra, postea ab anno* 1118 *ad* 1120 *Metensi episcopo : ita ut revera censendum sit in avito fundo constitutum fuisse. Demum non solum Paulus Warnefridi memorat duo monasterio a S.* Sigebaldo *condita fuisse; sed S. Chrodegangi biographus ita adstruit duo dumtaxat ab eo constructa fuisse ut hoc nomine inferiorem eum faciat S. Chrodegango qui tria construxerit.* Nam, *inquit ille in Prologo* (14), de cæteris gestorum tantorum virorum interim ut sileam, unum hoc dicam, ille vir Domini (Sigebaldus), bonorum vigilantia præmaturus, æcclesiasticorum operum studio clarus, in mansuram * mentem sanctam vivificacissime dilatans, ac subditos itidem agere instruens, habitacula servorum Dei gemina totis conatibus elaborans construxit, utique eorum qui corporum mole communi terram inhabitantes, animarum beata conversatione cælo cælestibusque semper interesse maxime curarent... Ut vero lucidum fiat quod dico, beatus Sigibaldus duo, æternæ autem memoriæ Chrodegangus tria nobilia monachorum cœnobia nobillime ædificavit. *E gestis itaque* S. Sigebaldi *eliminanda* E *est Claustriaci fundatio, ab antiquis omnibus ignorata.*

* civitatem

sed florentes Metenses scholas fovit. Epistola ad S. Bonifacium.

12 *Literarum studia egregie fovisse* S. Sigebaldum *idem ille biographus testis est. Narrans enim quomodo S. Chrodegangus partim Metis institutus educatusque fuerit et paulatim cæteris doctrina divina et humana præcelluerit :* Urbs vero, *inquit* (15), qua beatus vir nutriebatur, usque in id temporis adeo virorum sapientium copia erat referta ac decorata, ut vere eam scolam liberalium artium omnes acclamarent. Nec minus certe viri eandem urbem incolentes sanctitati virtutibusque operam dabant, adeo ut pontifex Sigibaldus pro merito pietatis et devotionis tota patria veneraretur et amaretur. Quanti autem ex te, urbium preciosissima ac felicissima, pastores incliti, quanti pastores venerandi, quot duces et rectores accepti ecclesiis per universum orbem diffusis concessi sunt! Hoc tanto ac tali gymnasio cælestium athletarum, hac urbe nobilissima utque ad virilis ætatis robur per incrementa temporum ac virtutum proficiens, jam ipse alios doctus docere, qui cura diligenti F instructus fuerat, Chrodegangus sanctissimus perseveravit. *Quæ quidem laudes, si pro temporibus intelligantur, nequaquam nimiæ sunt : Metenses enim scholæ a medio sæculo* VII, *quo Metis sedebat S. Clodulfus, jam erant celeberrimæ* (16), *et famam suam pristinam adhuc servabant sæculo* IX, *quum Aldricus, scholæ palatinæ antea alumnus et postea Cenomannensis episcopus, eas regebat* (17). *Verum, licet eatum esset barbaries, quacum latinitati pugnandum erat, ut sine S.* Sigebaldi *dedecore concedi possit Centuriatoribus Magdeburgensibus, epistolam minus latinam ab eo fuisse scri-*

(1) Mém. mss. de D. Isidore Fach, ap. François et Tabouillot, t. I, p. 441. — (2) Gallia Christ., t. V, col. 867. — (3) Schöpflinus, Alsatia illust. germ. gal. t. II, p. 479. — (4) Cfr Mabillonius, Annal. Bened. lib. XX, num. 76, t. II, p. 73, et Gallia Christ. tom. V, col. 833. — (5) Cfr fragmentum anonymum ap. Urstitium, Chesnium et Mabillonium, Sæculum Bened. III, part. II. p. 138. — (6) Cfr Examen hist. et canonicum, p. 163 et seqq. et Acta SS., Auctarium ad tom. VI Octobris, p. 46 et 47. — (7) Gallia Christiana, tom. XIII, col. 834. — (8) Schöpflinus, Alsatia illust. tom. II, p. 224. — (9) Hist. des évêques de Metz, p. 151. — (10) Hist. de Lorraine, t. I, col. 473. — (11) Hist. de Metz, t. I, p. 441 et 442. — (12) Alsatia illustrata, t. II, p. 451.—(13) T. XIII, col. 835.— (14) Ap. Eckhart, t. I, p. 912; ap. Pertz, t. X, p. 553. — (15) Ibid., p. 917 et 557.— (16) Mabillonius, Sæc. Bened. II, p. 491, 1075 et 1081 ; Annales, lib. XV, n. 21 ; Gallia Christ., t. XIII, col. 701 ; D. Rivet, Hist. litt. de Fr., t. III, p. 434. — (17) D. Calmet, Hist. de Lorraine, t. I, col. 627 ; D. Rivet, Hist. litt., t. IV, p. 228.

ptam

A *ptam, ab iis tamen hac in re plane recedendum est, ubi inquiunt* (1): Sigebaldus presbyter fuit familiaris Bonifacio: et postea, si idem est, Metensium factus est episcopus, tempore Pipini. Manuscripta quædam epistola ejus satis barbara nobis visa est; in qua indicat se nomen Bonifacii in Missarum catalogo asscripsisse ac pro eo mortuo oraturum... *Scommata, quæ adjecerunt protestantica, quod S.* Sigebaldus *catholicus esset, et alia quæ ex Paulo Warnefridi desumpserunt, libens omitto; sed hæc ipsa Sigebaldi epistola, quam edidit Baronius* (2) *et qui post eum venerunt S. Bonifacii operum editores, nequaquam S.* Sigebaldi, *episcopi Metensis, est, sed alterius Sigebaldi, qui* (*ut ostendit Pagius* (3)) *videtur fuisse monachus et quidem Wintoniensis in Anglia. Quod enim S.* Sigebaldi, *episcopi Metensis, non est, sequitur vel ex hoc solo capite, quod, quum ad S. Bonifacium missa est, scriptor erat presbyter* (*nam de Missis suis loquitur et de* Daniele, *procul dubio Wintoniensi,* episcopo suo); *atqui tamen posterior est anno* 723, *quo Roma redux Germanorum apostolus in Thuringia verbum Dei prædicare*
B *cœpit : quo tempore jam pridem episcopus erat S.* Sigebaldus. *Addunt demum Centuriatores, Vita S. Chrodegangi nixi :* Pipinus eum magni fecit, ac in multis consilio illius usus est. *Verum ejus consilia nonnisi brevi ante ejus mortem expetere potuit Pippinus Brevis, quoniam anno dumtaxat* 714 *in lucem editus est et a S. Willibrordo baptizatus, et nonnisi anno* 741 *cum fratre Carlomanno patri Carolo Martello, magistro palatii, successit : nequit enim intelligi Pippinus Heristalius, qui anno* 714 *diem obiit; adeoque Pippinus Brevis certissime indigitatur.*

S. Sigebaldi *commercium quam utile Pippino Brevi.*

13 *Quum enim autumno anni* 742 *a bello Wasconico seu potius Bituricensi* (*nam non multo longius progressus est*) *redux esset Pippinus Brevis et utriusque reipublicæ restaurationem meditaretur*, accidit, *teste S. Chrodegangi biographo* (4), nuntios Mediomatricæ civitatis adesse, et commune totius regni dispendium nuntiasse, obitum videlicet sui pontificis Sigibaldi. Cujus mors, in conspectu Domini pretiosissima, quanti doloris et detrimenti cum omni patriæ tum maxime suæ urbi attulerit,
C et lacrimæ populorum et verba Pippini principis protestata sunt. Is denique, audita morte illius, cujus nutu et consilio res publica disponi solebat, cujus vita sanctissima sanctæ æcclesiæ ad imitandum proposita quamdiu vixit fuerat, alta ab imo pectore suspiria trahens, dum alios a lacrimis revocare conatur, ipse se temperare non valet, quin dolor mente conceptus regia in facie prorumperet; vixque loqui prævalens, quo potuit conamine consolatur eos qui advenerant plebis nuntios, dicens : Nolite, dulcissimi, nolite tanto animi dolore affici, sed spem magnæ resurrectionis et gloriam, qua pontifex beatus nunc et in sæcula cum Christo regnaturus pollebit, reminiscentes, ei congratulemini et congaudeatis; et bonis actuum remediis, ut sancto patri in beata vita filii dilectissimi et proles paternæ gloriæ quandoque sociari valeatis elaborate. Fateor, siquis umquam lacrimas debite exsolvit huic sanctissimo præsuli, me magis obnoxius fuit nullo modo; mihi flendum ac lugendum, mihi noctes et dies eum lamentando sunt deducendi, qui talem reipublicæ amisi sublevatorem et gubernatorem; qui et vereor ne, tanto cæli janua patre recepto, status regni omnino periclitetur. Et quidem ex ipsis hunc esse verissime novimus, quorum laude dicitur : Quibus dignus non erat mundus, qui in Christo Jesu testimonio fidei probati inventi sunt. Cujus nutu et consultu olim cuncta agere statueram, regni negotia tractare disposueram, ejus absentia mœstus, præsentia semperque hylaris ac jocundus, hic certe cælestia diu cupita bene merita recepit, ut fidelium fides habet. Illo pro dolor! privati, eligite nunc, dilectissimi, unum e vobis boni testimonii, optimi ingenii, hujus loco sine mora subrogandum. *Quæ licet rhetorice potius quam historice proposita sint, inde accipi saltem potest Pippinum doluisse de S.* Sigebaldi *amissione, eumque cum beato viro amice et familiariter egisse, etiam priusquam cum fratre Carlomanno Austrasiæ habenas capesseret.*

AUCTORE V. D. B.

E

Moritur die 26 *octobris* 741 *Hilarici, ubi sepelitur et colitur.*

14 *Morte sua illis laudibus locum fecit S.* Sigebaldus, *quum plus triginta duos annos sacrum ministerium vigilantissime exercuisset. In monasterio Hilariaco, dein S. Naboris, omnium testimonio vitam absolvit.* Ubi sensit ultimam mortis horam instare, fratres ad se evocatos hortatus est ad regularis disciplinæ et antiquarum traditionum observantiam. *Quæ verba Galliæ Christianæ* (5) *mutuata sunt ex mss. codice S. Symphoriani, quo ejus Vita continebatur, ut testes sunt François et Tabouillot* (6); *qui ex eodem fonte addunt non fratres tantum monasterii, sed etiam cleri ab eo accitos fuisse et brevi teneraque oratione admonitos. Accepto dein Viatico, spiritum Deo reddidit* 26 *octobris; qua in re omnes conveniunt; et, ut in Vita codicis S. Symphoriani legitur*, maxima solemnitate sepultus est in templo monasterii, ubi multæ missæ celebratæ sunt et magnæ oblationes factæ (7). *Conservabatur ibidem adhuc quum scripta est Vita S. Chrodegangi; in qua quippe legatur* (8): Sepelitur vir beatus in monasterio Hilariaco;... ubi usque hodie quidem corpus, anima autem in cælum cum beatis spiritibus
F nunc et in æternum læta triumphat; *et quam post medium sæculum* x *a B. Joanne, abbate Gorziensi, verisimiliter scriptam fuisse initio monuimus. Atque tunc jam sanctus habebatur et publico honorabatur cultu; siquidem biographus eum appellet* virum beatum, beatum Sigibaldum, sanctum Sigibaldum, beatum sacerdotem, *aliisque titulis, quibus nonnisi eos, qui ecclesiasticis honoribus fruerentur, ornat.*

Inde postmodum transfertur in Metense S. Symphoriani monasterium.

15 *Illic tamen non manserunt sanctissimi viri ossa, sed in suburbanum S. Symphoriani monasterium translata sunt, aliquanto ante annum* 1107; *quando vero non apprime constat. Si quid tamen video, factum id fuerit sub annum* 991, *quo Adalbero II, Metensis episcopus, sancti Symphoriani cœnobium, ante SS. Innocentium, e ruderibus et ruinis restaurare instituit, adjutore B. Figenio, abbate Scoto seu Hiberno* (9). *Eo*

(1) Centuria VIII, cap. 10, col. 767. — (2) Annales eccles. ad an. 724, num. 13. — (3) Critice ibid., num. 3. — (4) Cap. v, ap. Eckhart, t. I, p. 921; ap. Pertz, t. X, p. 360. — (5) T. XIII, col. 704. — (6) Hist. de Metz, t. I, p. 448. — (7) Ibid., loc. cit. — (8) Ap. Eckhart, De rebus Franciæ Orientalis, t. I, p. 919. — (9) Gallia Christiana, t. XIII, col. 727 et 845.

AUCTORE V. D. B.

certe prius non devenerunt, quum ab anno 882 *Normanni, Metas obsidentes, nil illic nisi parietinas reliquissent* (1). *Imposita illic in marmoreo feretro; quod quare aut quando humi absconsum fuerit non liquet. Certe omnis memoria reliquiarum sancti viri anno* 1107 *perierat, quum casu retectæ fuerunt. Hoc enim anno, quum abbas Garcirius an Herbertus ejusque monachi novum odæum molirentur, parietem evertentes, quo nitebatur columna, magnam Christi cruci affixi lapideam imaginem ferens, inciderunt in illud feretrum, sub fundamentis exsistens. Eductæ statim fuerunt sacræ exuviæ et in novo feretro populari pietati propositæ. Postmodum honeste reconditæ fuerunt partim in theca argentea, subter altare primarium posita, partim in herma* (2), *qui adhuc superest et quotannis exponitur. Ejus officium solemniter ibidem celebratum est, donec stetit abbatia; postmodum intermissum est; sed jam pridem fit, ut initio monuimus, in universa diœcesi Metensi.*

B

VITA S. SIGEBALDI,

EPISCOPI METENSIS,

Excerpta ex Vita S. Chrodegangi, auctore (ut videtur) B. Joanne, abbate Gorziensi, secundum editiones Eccardi et Pertzii, ex Codice Guelferbytano unico, dein Augustano. a.

a

S. Sigebaldus, *sanctimonia præclarus, condit monasteria Hilariacum et Novumvillare;*

Cum... virtutum exercitiis sanctæ ecclesiæ cælestis tyro, beatus videlicet Chrodegangus, instrueretur, imbueretur ac probaretur, sanctus Sigibaldus, spectabilis vitæ vir et sapientissimi ingenii, in augenda quoque sancta ecclesia (quantum ex se erat) acris animi, cathedræ pontificali in Mettensium civitate præsidebat, decorans eam et virtutum magnificentia et vitæ integerrimæ perfectissima gloria. Nam... per omnia utilitati ecclesiæ deditus, sacrorum quoque culminum sollertissimus restitutor, condidit duo monasteria monachorum, quorum unum Hylariacum dicitur, ubi sanctus Nabor, a S. Chrodogango... Roma delatus, requiescit; quod in honore sancti Pauli doctoris gentium dedicavit *b*. Alterum cœnobium vir Domini ædificavit, quod Novumvillare hodie nominatur, Deo et sancto Petro idem consecrans; ubi et ossa beati confessoris Adelfi, Mettensium pontificis, digno honore tumulata sunt; quod et meritis sancti præsulis per universam regionem miraculis gloriose diffamatur *c*.

C

b

c

podagra laborat et fit quasi alter Job;

2 Hic, hujusmodi virtutum præconiis adprime deditus, infirmitatis molestia quam podagram vocant omnino erat afflictus. Cumque hoc languoris camino velut aurum obrizum decoqueretur, quodam die infirmitatis eadem molestia durius ingravescente, ad extrema perductus est. Set cum hujusmodi (ut diximus) doloribus vehementer affligeretur, beatus spiritus, in æternis mentem figens, dolores eosdem corporis patientissime toleravit. Nec incredibile quin, remunerationis beati Job duplicis particeps, felix extiterit, qui utique laboris et patientiæ ejusdem devotissimi particeps perstitit preciosus; nec occasione præsentis mortis (ut speramus) separati sunt, qui probationis et ardoris sancta æqualitate minime disjuncti sunt. D

Moritur pientissime summo mœrore populi,

3 Cum ergo, ut dicere cœperam, bonis operibus et infirmitatis fornace præcoctus, fragilis corporis molem deserere se velociter prædiceret, ipse quidem binis alis caritatis, quas diebus quibus vixit adquisierat, se evolaturum sciens, gaudio ac lætitia perfundebatur, ut fit cum quis ad epulas et convivium regis invitatur. Plebs autem tanto mœrore proprii pastoris egressu replebatur, ut, quo amore quoad sanctus incolumis vixerat amaverat, quem tanto tamque gravi dolore amittebat, immo ad cælos mundi victorem præmittebat, si adesses facile agnosceres. Beatus vero sacerdos blande satis benigneque eam consolabatur, futurorumque præscius, quia non solum non minoris gratiæ et meriti se secuturus esset pontifex, set et talis qui episcopatum Dei adjutorio suaque industria plus umquam dilataturus esset, protestabatur. In his atque hujusmodi verborum incitamentis sancta consolatione refertus, sanctus Sigebaldus diebus suæ infirmitatis perseverans, tandem Deo qui dederat spiritum ejus evocante, Viatico quo cuncti salvamur accepto, VII kalend. novembrium ab angelis in cælum deducitur *d*. Sepelitur vir beatus in monasterio Hylariaco, quod ipse a fundamentis felici et ingenti studio ædificavit; ubi usque hodie quidem corpus, anima autem in cælum cum beatis spiritibus nunc et in æternum læta triumphat. E

d

de successore eligendo maxime anxii.

4 Viduatæ autem plebi, pastore cunctis sui temporis præferendo pro dolor! sublato, anxietate mœroris, lacrimarum ingeminatione adeo affligebatur, adeo dolore premebatur, ut a nemine consolari aliquo modo valeret. Aderat præ oculis memoria benedictionum pristinarum, factorum perfectissimorum recordatio, quibus fidelis populus, ut in fine Domini ac sanctis operibus libere persisteret, corroborabatur ac firmabatur; concutiebatur autem et timore gravissimo, ne, suo pontifice cæli janua recepto, quia mundus totus in maligno positus erat, mercenario alicui subicerentur, qui sua non dominica lucra fortuitu quæreret, quousque prosperitate donaretur; adversante vero mundo et cæca fortuna, relicto grege commisso, fugæ male potito præsidio, occuleretur. Tanto enim pavore dissolvebantur, ut etiam hoc orarent, quod si gladius animadversionis Domini, ad feriendum districte evaginatus, retrahi antequam feriret minime posset, ut visibili et perituro hosti in brevi consumpturi traderentur. F

ANNOTATA.

a *Dictum est de hac Vita in Commentario prævio, num.* 2.

b *De originibus et fatis Hilariaci monasterii, quod et S. Pauli, et dein S. Naboris, vulgo* Saint-Avold, *vide Commentarium prævium, num.* 9.

(1) Gal. Chr. t. XIII, col. 844. — (2) Ibid., col. 704; Hist. de Lorraine, t. I, col. 473 et 474; Hist. de Metz, t. I, p. 448.

De

A *De translatione S. Naboris pauca dicta in Actis nostris ad diem* 12 *junii* (1); *integram narrationem, insertam historiæ translationis S. Gorgonii, continent Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti* (2), *et partim etiam Vitæ S. Chrodegangi, toties a nobis citatæ.*

c *De Novovillari dictum item in Commentario prævio, num.* 10. *De S. Adelpho egerunt decessores nostri ad diem* 29 *augusti* (3); *ubi et habes historiam translationis ejus, inter annum* 823 *et* 840 *factæ, atque etiam miraculorum, quæ hic in memoriam revocantur.*

d *Mortuum esse S.* Sigebaldum *anno* 741 *ostensum est in Commentario prævio, num.* 7.

VITA S. SIGIBALDI,

EPISCOPI METENSIS,

Auctore monacho S. Symphoriani Metensis ex apographo codicis ejus monasterii.

B

INCIPIT PROLOGUS

VITÆ SANCTI SIGIBALDI, EPISCOPI ET CONFESSORIS METENSIS.

Modestiæ professio.

Jamdudum audivi petitionem vestram, fratres et domini mei, qui sub tutela sancti Symphoriani martyris in sancta conversatione suave jugum Domini portare vovistis: audivi, inquam, et recordor vos sæpius admonuisse ut pauca de vita beati Sigibaldi, Metensis antistitis, et quædam de virtutibus ejus, nuper nobis a Deo ostensis, comprehenderem in brevi volumine; sed primo hæsitavi, timens grave onus imponere humeris meis. Tandem salubri et charitativa importunitate evictus, imo ope ipsius confessoris suffultus, suscepi opus, quamvis arduum et difficile, confidens quia quod non habent in se nostræ vires, hoc adimplere valebunt vestræ piæ orationes. Precor autem charitatem vestram ut, antequam hoc opusculum se in palam proripiat, judicium vestrum rimetur et examinet; ut, siquid
C obscurum aut imperfectum fuerit, incudi reddatur et poliatur, usquedum splendeat.

INCIPIT VITA

SANCTI SIGIBALDI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Deus, sanctitatis auctor,

2 Omnia in sapientia fecit omnipotens Dominus, replens terram possessione sua, cujus regnum est omnium sæculorum et dominatio in generatione et generationem. Magna quidem et ineffabili clementia sua, qua regnat in sanctis et electis suis, et idem dux fidelis dirigit gradientes ad se per angustam et arctam viam : non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; quos prædestinavit ab initio, vocat, justificat et magnificat, dans eis post carneæ depositionem sarcinæ hic clarissimos fieri signis et virtutibus, ac induens eos stolam immortalitatis in choris cælestibus. Facit hæc inæstimabili dispensatione sua ad reparationem et renovationem cælestis Hierusalem; quæ, de vivis et electis lapidibus constructa, nunc coruscat in conspectu regis æterni. Olim vero irruperat hostis in portas ejus per superbiam et elationem, et diruerat muros et turres ejus, angelo superbo dicente : Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis altissimo. EX MSS.

3 Hujus destructionis damna non destitit reparare pius et misericors Dominus a primo homine plasmato usque ad hæc nostra sæcula. Unde libet exclamare : Quam incomprehensibilia sunt judicia tua, Domine, et investigabiles viæ tuæ! et cum Psalmista : Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum, et dulciora super mel et favum. Etenim servus tuus ille egregius pontifex Sigibaldus, cujus gratia hæc adorsi sumus, custodivit ea ; et in custodiendis illis assecutus retributionem multam et magnam; quam, Paulo attestante, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quam præparavit Deus diligentibus se. De hoc igitur miræ sanctitatis viro, ultra cælestium spirituum agmina decenE ter gloria et honore coronato, siquid humili stilo memoriæ commendare præsumimus, non tam ex rivulo ingenioli nostri derivari credendum est quam ex charitate et fraterna dilectione ; ut qui audierunt bona de bonis, omnium bonorum authori gratias et laudes referant et ad exemplum ejusdem strenui confessoris de virtute in virtutem gradiendo habeant unde in melius proficiant. Cujus enim ferreum pectus non emolliat (de his præcipue dicimus qui se pastorali cura fungi profitentur), aut non excitet ad virtutem audita vigilantia et sollicitudo tanti patroni nostri, qua ita prudenter circa dominicum gregem usus est, ut et in mansuetudine servaret districtionem, et in districtione non desereret mansuetudinem? Aut quis adeo deditus et implicitus est terrenis voluptatibus, cui non sordeant sæculares deliciæ, cum audiat hunc, ingenuis ortum parentibus, opibus affluentem, pontificali honore præditum et sublimatum, inter regias epulas non servire gulæ, sed studere commerciis parsimoniæ, et nihili pendere vanam ingenuitatem carnis suæ * animi nobilitate. *suscitavit S.* Sigebaldum, *qui omnibus esset exemplo vitæ severitate*

* *supple* sine

4 Itaque beatus Sigibaldus, utriusque testamenti scientia admodum eruditus, præceptorum Dei constantissimus executor extiterat; arguebat delinquentes in spiritu lenitatis; exhortabatur bene agentes exemplis, informans eos admonitionibus assiduis; humilibus humilem se exhibebat; superbis omnibus modis resistere non abnuebat; inter discordes medium se exhibens, pacis fœdera conciliabat; a tramite justitiæ nec gratia, nec timore unquam deviabat; in meditatione sanctarum scripturarum semper intentus, in vigiliis non parcens affligere corpus, pro compassione pauperum nusquam procedens vacua manu. Omnium mandatorum Dei videbatur sibi transgressor existere, si in uno minus ostenderet se insudare. Unde duo monasteria, quorum unum Hilariacum vel Nova-cella dicitur, *et episcopalibus virtutibus. Hic duo monasteria condidit, Hilariacum et Villare.*

(1) Acta SS. tom. II Junii, p. 514 et 515. — (2) Sæculum III, part. II, p. 204 et seqq. — (3) Acta SS. tom. VI Augusti, p. 504 et seqq.

ubi

EX MSS. ubi corpus sancti Naboris requiescit, quod sanctus Grodegangus in honore beati Pauli dedicavit; alterum vero, nomine Villare, in honore S. Petri, principis apostolorum, consecratum, suis impensis condidit, ubi religiosos monachos, qui illic Deo famularentur, felici providentia collocavit *a*. Sed quid plura de sanctitatis ejus exuberantia enumerare molimur? Quia annonam familiæ Domini sui fideliter administravit, et quia talenta sibi credita non in terra abscondit, sed ad usuram dedit, et lucrum fideliter ad Dominum suum reportavit, idcirco audire meruit : « Serve bone et « fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super « multa te constituam, intra in gaudium Do« mini tui. »

a

Metæ habent egregios patronos, B. Mariam, S. Stephanum, S. Glodesindim, S. Serenam et S. Clementem.

5 O Mediomatricum urbs inter omnes urbes nominatissima ubertate glebæ et rerum opulentia famosissima! quot quantisque patrocinantium pignoribus polles feliciter insignita! Quacumque necessitate cives coacti deliberaverint implorare divinum auxilium, in te inveniunt pia intercessorum suffragia, qui fideliter perferant ad aras summi judicis B precum suarum libamina : sive corpora aliquo languore dissolvantur, sive terra indigeat restringi aura siccitatis, sive dissolvi cupiat inundantia imbrium. Nam per merita et intercessionem gloriosæ virginis Mariæ in proxima parte templi protomartyris Stephani *b*, aut optatæ sanitatis recuperatione, aut celeri mortis interventu omnis languor abscedit. Velum etiam B. Clodesindis *c* quotiescumque offertur, salubribus aquis tellus irrigata ad fœcunditatem aperitur ; e contra, corpore sanctæ Serenæ *d* præcedente, noxiam pluviarum inundationem sedari sæpe experti sumus. Sanctus quoque Clemens, missus a B. Petro, principe apostolorum, evangelizare verbum Dei populis Galliæ, maxime his, qui intra muros Metensis urbis commorantur, quomodo rexerit plebem sibi commissam et eam perpetuo liberaverit infestatione draconis, quotquot hominum vel volucrum attingere poterat interimentis, et qualiter sua intercessione pluries ad sacrum ejus sepulcrum excubantes meruerint petita acquirere, quisquis scire voluerit libellum, qui de vita ejus scriptus est, curiose consulat *e*.

b

c

d

e

Huic successerunt plures alii optimi episcopi; quos inter claruit S. Sigebaldus, *monachis amicissimus,*

6 Post multos denique B. Clementis successores, augustæ religionis viros, quorum de bonis actibus, si per singula vellemus currere, laboriosum esset enarrare, subiit in episcopatu Metensi supranominatus et sæpe nominandus venerabilis Sigibaldus, magis decorans suis meritis apicem episcopalis dignitatis quam honoraretur ab ipsa dignitate. Inter curas namque et sollicitudines pastoralis administrationis conficiebat sibi geminas alas charitatis, quarum remigio evolaret ad palatia syderei regni. Quapropter clerus venerabatur eum ut patronum herilem, colebat eum dulcissimum patrem; nec immerito : quippe ita procurabat eos, atque occurrebat cunctis eorum necessitatibus, ut nullum impedimentum necessarium rerum redderet eos segniores in Dei servitio. Plebs nihilominus timebat eum et reverebatur, quia nulla vi aut levi occasione eum opprimebat, sed contra omnium persequentium violentiam tuebatur, tamquam filios, et defendebat. Monachorum vita et habitus ita præcipua et grata erant penes eum, ut quotiescumque aliquis ex eo ordine gratia colloquendi eum conveniebat, assurgeret ei et supplicaret tamquam domino suo, tamquam familiari Deo, tamquam angelo Domini, de terrenis non cogitanti, sed in gradu contemplativæ vitæ jam constituto. D

Pippini regis consiliarius, et Jobo.

7 Hisdem temporibus quibus talis ac tantus antistes circa Dominicum ovile tam solerter et strenue se habebat, judicium regni Francorum de manu regis Pipini pendebat *f*; cui ita in gratiam venerat, audita fama sanctissimi patris, ut de statu regni nihil ageret absque ejus consilio, nec de utilitatibus ecclesiæ aliquid disponeret nisi cum sui auxilio. Nec mirum si hominibus charus erat et amabilis, qui Dominum præferebat in omnibus operibus suis. Hactenus perstrinximus de vigilantia boni ejus pastoris circa ovile Christi; diximus quam fervens fuerit in restauratione ecclesiarum Dei; scripsimus quomodo in dispositione regni sui rex parebat ejus consiliis; nunc autem imputandum erit inertiæ, si non subnectatur quanta extitit tranquillitatis et patientiæ; siquidem dum nulla E eum extollebat prosperitas, sic nulla etiam deprimebat animum ejus adversitas. Nam podagræ molestiam, qua frequenter laborabat, patienti et hilari animo tolerabat ; imo, fixo desiderio in cælestibus, cum B. Job secure dicebat; « Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiamus? » Et bene hunc sanctum beato Job in patientia et timore Domini assimilavimus, quia, etsi tot et tanta damna non pertulerit in direptione camelorum et ovium, aut in nece tot filiorum et filiarum, tamen idem animus erat ei, et labia sua ad vana et inania non resolvit; et, postposito languore, semper in Dei laudes perseveravit.

aliisque sanctis comparabilis.

8 Quia enim spiritus ejus totum se ad captanda cælestia erexerat, ad dolorem carnis se inclinare gemendo, vel conquirendo penitus nesciebat. Non ergo dubitem eum B. Job aut Tobiæ in patientia et humilitate comparabilem facere, in pietate Davidi, in prudentia et æquitate Salomoni, in parsimonia Baptistæ Joanni; quia, etsi corpus in his omnibus pariter non exercuit, tamen ad hæc F omnia perpetranda fortem et virilem animum habuit; in constantia et fortitudine Vincentio martyri, quia, sicut legitur de B. Remigio, licet gladius persecutoris eum non tetigerit, tamen martyrii dignitatem non perdidit *g*. Ista sufficiant nobis, fratres : quæ de vita boni pastoris nostri audivimus, breviter et compendiose tractavimus, ut circa ea liberius liceat immorari, quæ per eum nostris temporibus, in conspectu omnium nostrum, qui adfuimus, pius Dominus dignatus est operari : facilius nempe facit fidem dictis relatio earum rerum, quas intuemur oculis, quam earum rerum, quas ictus aër ad concavitatem aurium transmittit. Hæc tamen, quæ de eo utcumque pro qualitate sensus nostri notata sunt, possum vos admonere, patres ac domini, qui gaudetis præesse, ut etiam studeatis prodesse. Discite ab eo speculatores esse in populo, discite ex adverso murum ascendere, discite contra torrentem brachia dirigere : mementote quia quanto plura vobis credita

g

credita sunt, tanto de pluribus estis rationem reddituri; et, quod scriptum est, « potentes potenter tormenta patientur. » State ergo viriliter contra rabiem luporum sævientium in gregem Domini, sitientium sanguinem ovium Christi. Ut non timeatis pati, si non mortem, vel jurgia, vel opprobria pro eis, habetote illum summum et verum pastorem præ oculis cordis qui animam suam pro ovibus posuit.

Adhortatio ad episcopos ut sanctum virum imitentur.

9 Ex bonis exempla sumenda sunt : sapientioribus minus docti loquimur : sed quia hæc verba non exultatione vel arrogantia procedunt, sed ex charitate, ideo fiducialiter dicamus : « Servus, qui scit voluntatem Domini sui et « non facit, vapulabit plagis multis : » et sicut fides sine operibus mortua est, ita scientia sine executione bonorum operum inutilis est. Legistis Paulum, legistis Gregorium et Augustinum, habetis Vitam priorum Patrum : adimplete vos ipsi, quod in aliis admiramini; expergiscimini ex gravi somno, ne sponsus repente veniens inveniat vos dormientes. Circuite caulas Christi per diœcesim vestram : si quæ oves perierunt vel aberraverunt, requirite, reducite, reportate ad ovile in humeris vestris; si quid confractum inveneritis aut infirmum, alligate et confirmate : si quid forte et pingue fuerit, custodite, servate, fovete. Quod si attentiores estis ad commodum vestrum, quam ad lucrum animarum, terreat vos, et erubescere faciat sententia veritatis improperantis : « Veh vobis pastoribus, qui « pascitis vosmetipsos, et non gregem meum, « qui lacte ovium mearum pasci et lana vestiri « ambitiose petitis, nec de salute earum cu« rare satagitis; » atque alia multa ad hunc modum. Præterea inter artifices hujus sæculi nemo est qui præsumat sibi laudem adscribere de arte quam non didicit. Pictor namque non audet mittere manum in sutoris ministerium : sutor vero non tractat fabrile opus : altus calo non gaudet tibi imponere sambucam; peronatus *h* arator, ignarus astrorum, numquam appetit tenere navis remigium. Vos autem, qui navem ecclesiæ regendam suscepistis inter tanta pericula maris, an nostis vim ventorum, et sydera, quæ sint vel non sint apta ad navigandum? Cynosuram, Bootem, et Hyadas * *i*? Armamentis navis scitis et potestis totis viribus inniti? Hæc cavete; nec procellosi fluctus vos absorbeant, unde emergere amplius non valeatis. Iste quidem sanctus, in cujus solemnitate ad laudem Dei hodie noster intonat chorus, doctus clavum tenere, et cautus contra vim ventorum sibi optime cavere, ratem quassam fluctibus infatigabiliter rexit et ad portum usque, Deo protegente, feliciter perduxit. Denique, fratres, qui sub regula vivere proposuistis, si vultis esse cives et domestici Dei, non hospites et advenæ, subditi et obedientes estote prælatis et pastoribus vestris in omni humilitate; quia hic idem noster patronus, de quo loquimur, prius didicit in subjectione quod postea exercuit in prælatione. Quia scriptum est : « Qui nescit præesse domui suæ, quomodo præerit domui alienæ? »

h

C

* *male* Fadas

i

Podagra laborans, S. Sigibaldus *pie moritur et sepelitur Hilariaci.*

10 Sed ad ea unde digressi sumus citius redeamus. Vos de illorum successu gaudete, illos vero de vestro processu lætari præstet ille, qui, cum Dominus esset omnium, dignatus est fieri servus, Dominus noster Jesus Christus. Ingravescente podagræ ægritudine, qua (ut diximus) vexabatur vir Dei sanctus, et, jam expleto felici cursu in stadio, cum esset comprehensurus bravium æternæ retributionis, convocatis fratribus, tam clericis, quam monachis, habuit cum eis sermonem brevem [et] luculentum de statu monasticæ religionis et regularis disciplinæ, docens numquam esse declinandum a semitis antiquorum Patrum propter novas traditiones. Flentibus autem cunctis qui aderant et lugentibus, felix et beata ejus anima, angelorum cœtibus undique stipata,

Transiit optatæ patriæ cælestis ad aulam VII die calendarum novembrium. Quanta ergo in cælis gaudia sanctis animabus fuerint, exultantibus de tali consorte, nulla hominis lingua valet explicare. Denique devotissime, celebratis exequiis cum cereis et lampadibus, et peractis Missarum sacramentis cum multis oblationibus, sanctissimum corpus humatum est honorifice in templo quod ipse condidit Hilariaco, ut supra memoravimus; ad laudem et honorem Dei, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum *k*.

B

E

k

Clam defertur ejus corpus in S. Symphoriani; ubi post multas visiones et cælestia monita,

l

11 Tandem evolutis multorum dierum circulis, contigit ut thesaurus ille pretiosus de loco, ubi depositus fuerat, occulte, sed non sine Dei voluntate, transferretur a fidelibus viris in basilicam S. Symphoriani martyris, in pago Mosellæ, ante portam urbis Metensis *l*. Porro cum veritas lateat, qualiter hoc factum sit prætereundum melius putamus quam aliquid frivolum operi nostro intexere; nam ad ea, quæ vidimus oculis nostris et scimus, videlicet quomodo reperta sunt sacrosancta pignora ibidem ubi nunc sunt, et quæ signa ibidem Dominus ostenderit gratia famuli sui, malumus stylum convertere. O immensa clementia nostri Conditoris! O admiranda bonitas pii Redemptoris nostri! Multiplicibus [modis] per visionem * maxime audaci [et] fideli homini, custodi domus Dei, apparuit vir quidam cygneo capite, serenissimo vultu, niveis indutus vestibus, dicens :

* et *redundat aut suo loco motum est.*

« Lucifer ut tetras agitarit ab orbe tenebras,
Primaque purpurei surrexerit hora diei,
Aures abbatis, monachis tamen ante vocatis,
Atque metu dempto, sic compellare memento.

F

Nuncium tibi profero, pater et domine, non ab homine, sed ab eo cui omnia vivunt et moriuntur, ut aperias sarcophagum, quod, penes vos multo tempore clausum, putatur continere ossa Sigibaldi episcopi : ac ubi inveneris vacuum, sciscitare a Deo per orationes et jejunia qualiter inde fuerint sublata, et quonam in loco serventur recondita. Quod si neglexeris, et monitis meis non præbueris assensum, procul dubio divina ultione de statu dignitatis tuæ corrues, in subsannationem et derisum et opprobrium omnibus. » Hujuscemodi ergo vaticinium res subsecuta est post breve intervallum : nam cum idem abbas tali admonitioni, bis sibi cælitus missæ, nollet obaudire, culpis suis exigentibus, paulo post convocatus est ad synodale judicium; ubi veritus causam suam credere judicibus, relictis comitibus suis, equis, quos adduxerat, latenter solus fugiens

EX MSS. *m* fugiens ab urbe, rediit ad cœnobium, unde venerat *m*. Ibi vero deinceps vixit tamquam hospes cum fratribus et velut peregrinus cum filiis matris ecclesiæ. Præterea in supradicta basilica sancti Symphoriani longe ante inventionem reliquiarum plerique ex religiosis monachis viderunt in visione tamquam arborem maximam stantem in medio templi, cujus rami circumquaque hac et illac protendebantur, et sub umbra multi ab æstu et pluvia protegebantur. Aliis vero sæpe visum est, quod conventus clericorum fieret, comitante magna populi caterva, et bini procederent per congrua loca cum cereis et crucibus, et tota atria replerentur hymnis psallentium et laudibus. Quod totum præfigurabat hujus sanctissimæ arboris, videlicet venerabilis confessoris, revelationem, sub cujus protectionis umbraculo multi protecti tuerentur a noxio calore suæ ægritudinis, et pariter omnes in mirabilibus, quæ per eum Deus operaretur, referrent gratias et odas Omnipotenti.

diruta templi interiori parte multisque solemnitatibus adhibitis,

12 Cum igitur, ut prælibavimus, instarent cæmentarii ad diruendam maceriam, ecce apparuit lapis porphyriticus, cujus pars affixa erat altari, ac pars sustentabat basim marmoreæ columnæ; quo sublato, statim emicuit sacratissimus cinis in modica urna reconditus; et tanta odoris fragrantia totus ille locus repletus est, ut odoriferas herbas omnes, aut omnia aromatum genera superaret. Stupebant vero qui aderant, nec propius accedere vel experiri quid esset audebant. Tandem convo-
n cati fratres consulunt abbatem suum *n*, utrum inde amovenda essent ossa in tali loco, et tamen honorifice recondita. Tunc exciti recordatione visionum, quas sæpius referri audiverant ab antecessoribus suis, cœperunt ad invicem conferre, quod hoc esset arbor illa, cujus rami videbantur sese extendere ad protegendum subtus commorantes, et in hac complenda essent laudes et hymni, quæ præcedentes clerici visi fuerant per somnum decantare. Hoc confirmato pectoris consilio, unus de fratribus confidens de misericordia Dei, assumpto sacerdotali amictu, cum accensis luminaribus et fumo aromatum accessit ad loculum cum timore et reverentia, et cœpit
C diligenter inquirere si qua monumenta posset investigare, quibus innotesceret quis esset, cujus corpusculum ibi cubabat, vel cujus dignitatis extitisset : sed cum ea frustraque singula scrutaretur, tamen nihil hæsitans, sed in fide et bona spe perseverans prorupit in lacrymas et gemitum, et hanc orationem devotissimam fudit ad Dominum : « Deus qui instantiam deprecationis assiduæ commendare dignatus es, dicens : « Petite et accipietis, « quærite et invenietis, pulsate et aperietur « vobis, » aperi, quæso, secretum tuum, non de se, sed de tua larga bonitate confidentibus, ut nomen, sine quo omnium rerum notitia perit, mereantur scire; et si alicujus ponderis vel momenti sit apud te, ut in eo glorificetur et magnificetur et exaltetur nomen tuum sanctum quod est benedictum in sæcula. » Ad hæc, licet offensus culpis hominum, tamen nobis de morte animæ periclitantibus misericorditer et paterno affectu sæpe propinat vitale antidotum : nam, cum propheta, vel apostolus, vel D aliquod divinæ legis præconium frustra manet in auribus nostris quasi vetus quid et inusitatum, persæpe revelat nobis novi alicujus sancti monimenta, et ostendit per eum signa et mirabilia sua, ut per ea, quæ inpræsentiarum videmus, saltem compuncti trahamur ab errore viæ nostræ ad timorem et amorem cælestis medici : non enim indigent sancti honorari in terris, nec operæ pretium est nos in eorum veneratione attentos invigilare, ut humili nostra devotione mereamur assequi affectum divinæ gratiæ; sed et hoc indubitanter credendum nobis est quod, sicut per merita sanctorum videmus corpora a quolibet morbo sanari, sic etiam, si non desit fidelis supplicatio, possunt animæ a suis plagis putrescentibus curari. Hac eadem enim gratia salutis nostræ irriguus fons cælestis munificentiæ, distillans * nobis rorem suæ misericordiæ in * distillat revelatione reliquiarum pretiosi confessoris Sigibaldi, quem voluit fieri nostrum intercessorem inter pressuras et tribulationes, quas patiebamur, videlicet aeris corruptionis, et E mortalitatis, et membrorum adustionis. Sed ut singula in suis locis exponantur, prius qualiter repertum sit illic charissimum depositum, ubi non putabatur esse, litteris adnotare studeamus.

anno 1107 *fortuito reperitur.*

13 Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septimo, regnante rege romanorum tertio H., episcopo A. præsidente in urbe Metensi *o*, cum fratres sancti Symphoriani, et *o* quibus supra mentionem fecimus, succincte se agerent circa ea renovanda, quæ in ecclesia sua aut ruinam minari aut minus congrua esse videbantur, murum qui conjunctus erat altari sancti Joannis in medio templi, ubi etiam crux Jesu Christi imposita super columnam marmoream eminebat, salubri consilio et consensu abbatis sui deliberaverunt obruere, ut de lapidibus et columnis arte politis construeretur ibidem analogium melius et decentius quam antea fuerat, sicut adhuc hodie patet oculis omnium. Per idem fere tempus in monasterio sancti Naboris Hilarico. *Cætera desunt in antiquissimo ms. cœnobii S. Symphoriani Ordinis S. Benedicti.*

F

ANNOTATA.

a *Utriusque monasterii fundationem paucis explicuimus in Commentario prævio, numm.* 9 *et* 10.

b *S. Stephanus Metensis patronus est; cui dicatum templum majus seu cathedrale.*

c *In ambitu Metensis urbis consurgit S. Glodesindis abbatia, incohata circa annum* 604, *auxiliis Wintrionis, parentis S. Glodesindis; quæ prima abbatissa obiit* VIII *kal. augusti circa annum* 610.

d *Intelligitur S. Serena, martyr Spoletina, cujus corpus anno* 970 *in puellare S. Mariæ Metense monasterium delatum est. Vide ejus Acta in opere nostro ad diem* 30 *januarii. Quod S. Serena ad obtinendum aeris serenitatem invocatur, nil mirum : sæpe patroni propter vocabulorum similitudinem facti sunt. Sic S. Mummolinus patronus est* mussitantium, *theotisce* mommelenden (1); *S.* Clarus *et S.* Clara *aeris* claritatis (2) *etc.*

(1) Acta SS., tom. VII Octobris, p. 979. — (2) Ibid., auctarium, tom. V Octobris, p. 25.

e *De*

A e *De eo dicemus ad* 25 *novembris; neque aliquid additum hactenus volumus his quæ scripsimus tomo VII Octobris, pag.* 817 *et* 818. *Monasterium S. Clementis, quod hoc loco indicatur, olim milliario a civitate distabat; in quam anno* 1552 *translatum est.*

f *Vide Commentarium prævium, num.* 12.

g *Hæc reapse, pauculis verbis mutatis, leguntur in Hincmari S. Remigii Vita* (1). *Sed primum inserta videntur antiphonæ ad secundas Vesperas officii S. Martini Turonensis; qui quum ex primis fuerit confessoribus, qui publico cultu in Occidente honorati fuerint, excusandus fere visus est, quod, si non martyr corpore, mente saltem fuerit.*

h Perones *calcei erant pellicei, usque ad mediam tibiam assurgentes. His utebantur agricolæ et pastores. Hinc* peronatus arator. *Figuram dabit Antonius Rich in Dictionario antiquitatum,* Vis Pero *et* Peronatus.

i Cynosura *est minor ursa;* Bootes *seu bubulcus, signum juxta majorem ursam;* Hyades, *stellæ in capite Tauri. Terna illa signa omnium maxime observabant navigatores.*

k *Divisionem codicis S. Symphoriani integram servavimus; unde liquet Vitam seu sermonem hunc, distinctum in novem lectiones, hactenus in choro recitatum fuisse.*

l *Vide Commentarium prævium, numm.* 14 *et* 15.

m *Alibi nuspiam exstat hujus rei memoria; neque scitur quis indicetur.*

n *Sitne Garcirius intelligendus an Herbertus definiri non potest; quoniam, qui prior anno* 1104 *præerat, nescitur quo anno e vivis recesserit.*

o *Henricus III, qui et IV, intelligitur, et Adalbero ab anno circiter* 1090 *schismaticus episcopus.*

(1) Acta SS. tom. I Octobris, p. 160, num. 112.

B

DE S. MELIAVO SEU ELIAVO, MARTYRE, E

IN BRITANNIA ARMORICA,

SYLLOGE CRITICA. V. D. B.

§ unicus. Acta S. Meliavi desumenda ex Actis S. Melarii, ejus filii. Ejus familiæ adventus in Cornubiam Armoricanam. Comites Cornubiæ distinguendi a Domnoniensibus. Causa cædis S. Meliavi. Cultus.

SÆCULO VIII ADULTO. *Ex Actis S. Melarii, qui initio octobris colitur,*

Quoniam *Ferrarius in Catalogo generali sanctorum et Martyrologium Anglicanum fecerunt sancti Melarii seu Melori annuam memoriam ad diem* 3 *januarii, licet in Actis Capgravianis* (1) *dicatur occisus die* 1 *octobris, quo in Breviario Sarum* (2) *ejus festivitas consignata est, et in Officio Corisopitensi* (3) *die* 2 *octobris, qua natalis ejus inscriptus est in antiquis Leonensi* (4) *et Corisopitensi* (5) *Breviariis, atque ejus Vita ab Alberto Legrand inter Vitas sanctorum Britanniæ Armoricæ edita fuerit ad diem* 3 *octobris,* C *qua nunc etiam post mutationes aliquot* (6), *propter festum SS. Angelorum custodum introductas, Corisopiti agitur* (7); *dedit tamen Bollandus ad diem* 3 *januarii ejus gesta ex Capgravio et Rubeævallis mss. codice; quæ nil aliud sunt nisi lectiones Corisopitenses antiquæ, fabulis aliquot auctæ atque eo maxime deturpatæ ab Anglis, quod ex Cornubia Armoricana beatus martyr transfertur ad Cornubiam insulanam seu Anglicam; ita ut cesset omnino esse Armoricanus. Sed meliora Acta reperit Augustus du Paz, professione Prædicator dominicanus, eaque edidit anno* 1620 *in Historia genealogica regum, ducum et principum Britanniæ Armoricanæ; unde eadem novis curis et inutilibus verbis alicubi resectis edidit Moricius inter Monumenta historiæ Britannicæ* (8). *Atque illic fere omnia continentur quæ de* S. Meliavo, *S. Melarii patre, comperta sunt.*

(1) Acta SS. tom. I Januarii, p. 137. — (2) Cfr Challoner, British martyrology, p. 137; Harris Nicolas, Chronology of History, p. 113. — (3) Cfr Officia Corisopitensia nova, p. 2. — (4) Ap. Lobineau et Tresvaux, Vies des saints de Bretagne, tom. I, p. XXXI. — (5) Ibid. p. XXXIV. — (6) Cfr Kalendaria liturgica Corisopitensia annorum 1834 et 1840. — (7) Officia propria Corisopitensia nova, p. 83. — (8) Mémoires pour l'histoire de Bretagne, tom. I, col. 223 et seqq.

2 *Accipe itaque quæ de eo in Actis Pazianis traduntur :* Quidam nobilis apud transmarinos extitit, cui cognomen erat Lex vel Regula; vir quidem genere regius, terra, familiis, opibus admodum opulentus. Qui quoniam juxta divinum præceptum leges utrique sexui convenienter aptabat, Lex vel Regula nominabatur. Is, post desolationem Frixonum et Corsoldi ducis, nostram audiens desertam Cornugalliam,... classe mare cum maximo comitatu transmeavit, regnum accepit, habitavit, excoluit. Post cujus decessum Daniel, filius ejus, regnum tenuit. Cui successit filius F Budic : huic vero Budic duo extitere filii, Meliavus videlicet et Rivodius. Sed Meliavus fuit animo mansuetissimus, fide catholicus, spe in Domino certus, omnique probitate morum præcipuus. Qui dum post patrem septem annorum curricula in regno peregisset,... a fratre suo Rivodio in quodam colloquio invidiæ causa perimitur. Ac sic malitia remanentium promeruit, ut ille, qui prodesse patriæ poterat, festine subtraheretur; ipse autem, si quodlibet commisit, per agonem martyrii purgaretur : miracula autem ac virtutum insignia, quæ per eum Dominus operatur, patefaciunt cujus meriti vir iste exstiterit, etsi huic operi inserenda minime putavi. *innotuerunt præcipuæ S. Meliavi*

3 *In antiquo autem Breviario Corisopitensi, cujus ad manum habeo exemplar, circa annum* 1500 *typis expressum, in Officio de S. Melario* *laudes et injusta cædes seu martyrium.*

seu

AUCTORE V. D. B.

seu Meloro hæc de ejus patre legi : In exordio christianæ religionis quidam christianissimus rex apud Britannos extitit, nomine Budic; cui exstiterunt duo filii : Meliavus videlicet ac Rivodius. Sed Meliavus fuit animo mansuetus, fide catholicus, omnique probitate morum præcipuus. Qui post patrem septem annorum curricula peregit. Et infra eorumdem septem annorum spacia, nec pluviæ gutta in ipso regno defluxit; nec terram nix infecit, nec gelu decoxit; nec tellus inde proferre copiosissime fructus desiit. Sed ros diutinus quadam temperie terram temperabat; ut æstas * caloribus non æstuaretur, verum plus solito quam in circumadjacentibus regionibus fecundaretur. Heu talis ac tantus vir a fratre suo Rivodio in quodam colloquio invidiæ causa perimitur. Rivodius, bonis omnibus execrandus, regnum invasit ac tenuit. *Quæ in S. Melarii Capgravianis Actis ita referuntur :* Fuit enim *Meliorus seu Melarius* de nobili Britannorum genere; cujus pater Melianus ducatum Cornubiæ tenuit : cujus tempore per septennium pluvia super terram non cecidit. Instigante tandem maligno spiritu, septimo anno ducatus sui, dum consilium primatum ad utilitatem patriæ providendam fuisset congregatum, in ipso concilio Rinoldus veniens, Melianum fratrem suum occidit et pro illo regnare cœpit. *Atque hæc aliquantisper declaranda sunt.*

* æstate

B

Quinam transmarini, *quibuscum in Cornubiam Armoricanam venit ejus familia; quis* Joannes Reeth.

4 *Patet imprimis ex Actis Pazianis* transmarinos *Walliæ aut Cornubiæ insulanæ incolas esse : omnia enim, quæ deinceps narrantur, in Britannia Armoricana acta sunt : v. g. quæ de ministro S. Corentini seu Corisopitensi episcopo, qui S. Melarii curam gessit, et quæ de castello Comori, regis Francorum, quo idem sanctus perductus est, perhibentur. Ut itaque, teste venerabili Beda* (1), *Angli per* transmarinos *intelligebant Scotos occidentales præsentis Scotiæ, et Britanni Walliæ et Cornubiæ Anglicanæ* (*ut ex S. Gilda* (2) *patet*) *Armoricanos, sic ipsi Britanni Armoricani, ut ex Vita S. Judoci* (3) *et ex Genealogia præmissa Vitæ S. Winoci* (4) *manifestum est,* transmarinos *dicebant Britannos insulanos. Nobilis, qui inter hos exstitisse traditur et cum gente sua in Armoricam venisse, in iisdem illis Actis Pazianis* Joannes *appellatur* (5). *Cognomen ei fuisse* lex *vel* regula *ibidem asseritur; immo potius britannica lingua* Reet *seu* Reith : *quo quidem vocabulo Angli, Saxones aliique Germani* jus, legem, regulam *significant, sed Britanni* regem (6); *ita ut* Joannes (Johan, Jawn, Jona) rex *disignetur. Volunt nonnulli eumdem eum esse qui nomine Jonas in Actis S. Samsonis* (7) *et nomine Rigualdus in Actis S. Leonori* (8) *a Conmorro tyranno occisus fuisse dicitur et cujus filius Judualus, devicto oppressore, regnavit deinde in tota Domnonia* (9). *Verum hoc ut stare possit necesse est ut Daniel qui in Actis S. Melarii filius dicitur Jonæ, idem sit ac Judualus, in Actis S. Samsonis aliisque monumentis celebratus; dein ut Budic, Danielis filius, idem fuerit ac Juthaelus, filius Juduali* (10); *verbo omnia pervertere necesse est.*

C

D

Domnonia non videtur cepisse Cornubiam, sed utraque provincia diversos habuisse principes.

5 *Nititur autem violenta hæc interpretatio persuasione quod* Domnonia, *quam universam regis titulo tenuit Judualus, et* Cornugalliæ *seu* Cornubiam, *quam occupavit Daniel, eadem regio fuit iisdemque limitibus circumscripta; et sane Mabillonius* (11) *Domnoniam interpretatus est Cornubiam Armoricanam. Alii adjiciunt Leoniam, ita ut ei includant Leoniam et Cornubiam* (12). *Alii multo magis eam extendunt, quibus quippe videtur universa peninsula Britannica esse, cujus pars fuit Cornubia, diœcesi Corisopitensi conclusa; ita ut Domnonia ceperit diœceses Venetensem, Corisopitensem, Leonensem, Trecorensem, S. Brioci et partim S. Maclovii* (13); *verum sæculo* VI, VII *et* VIII *Britanniam Armoricanam fere universam unam fuisse ditionem, quæ diceretur Domnonia et quæ uni principi pareret, unde id erui possit non video, neque vidit scriptor Armoricanus de Fréminville* (14). *In oppositam plane sententiam abivit Miorcec de Kerdanet* (15), *statuens Domnoniam parvum fuisse regnum, constans ex pagis Arcoüet et Trécoüet, id est Silvania et Transilvania, cujus caput esset Gaël, in cujus vicinia S. Mevenni monasterium promovit et dotavit S. Judicaël, Domnoniæ rex* (16) : *neque ego putem negare posse intra Domnoniam conclusam fuisse hanc pristinæ S. Maclovii diœcesis partem; sed simul persuasum mihi est ei adscribendas esse diœceses S. Brioci, Trecorensem et Leonensem, quum constare videatur Domnoniam usque ad littus occidentale porrectam fuisse; atque alibi* (17) *ipse Kerdanet Domnoniam compositam fuisse affirmat, ex diœcesibus Corisopitensi, Leonensi et Trecorensi : ubi Briocensem Corisopitensi substitue, et partem adde Macloviensis. Et quidem ex Chartulario de Landevenech hæc excerpta sunt* (18) : Hæ literæ conservant quod, cum transiret sanctus Wingaloëus per Domnonicas partes et venisset trans flumen Coulut *, tendens ad occidentalem partem *etc.; atqui Landevenech, ubi abbas erat S. Guingaloëus situm erat ad occasum æstivum Cornubiæ; ita ut nonnisi per solum angulum occidentalem Leoniæ inde ad occidententem iri posset. Ex Vita autem S. Judicaëlis hæc alia deprompta sunt* (19) : *Judaelus* jure paterno tenuit principatum sortis Domnoniæ. Cujus tempore erat quidam homo, Ausochus nomine, in capite littoris maris, a parte occidentali... Contigit autem quadam die, et cum ibi princeps regalis Judaelus exerceret venationem... Beatus igitur confessor Dei Judicaelus in occidentali regione regali ex

E

* Coulent ?

F

(1) Cfr Ven. Beda, Hist. eccl. Anglorum, lib. I, cap. 12. — (2) Liber querulus, part. I, cap. 25, ap. Migne, tom. LXIX, col. 346. — (3) Surius ad 13 decb., p. 253 edit. anni 1618. — (4) Sæculum Benedictinum III, pag. 302; D. Morice, Preuves, tom. I, col. 211. — (5) Cfr D. Morice, Preuves, col. 224, not. 1. — (6) Cfr Gallet, ap. Legrand et Miorcec, pag. 608, not. 6; et de Courson Histoire des peuples bretons, tom. I, pag. 242. — (7) Mabillonius, sæculum Benedictinum I, pag. 179 et 180. — (8) Ap. Le Cointe, Annal. ecclesiast. Francorum, ad annum 529, num. 4. — (9) Sæculum Benedictinum I, p. 180. — (10) Genealogia S. Winoci, locc. supra citt. — (11) Sæculum Benedict. I, pag. 180 ad marginem. — (12) Fréminville, Antiquités des Côtes du Nord, pag. 135. — (13) Cfr de Courson, Histoire des peuples bretons, tom. I, pag. 200. — (14) Cfr Antiquités du Finisterre, tom. II, pag. 279 et 280. — (15) Ap. Legrand, Vies des saints de Bretagne, p. 819. — (16) Chronicum Briocense et Vita S. Judicaëlis, ap. D. Morice, Preuves, tom, I, col. 17 et 205; cfr Hauréau, Gallia Christiana, tom. XIV, col. 1018 et seqq. — (17) Ap. Legrand, pag. 608. — (18) Ibid. col. 179. — (19) Ibid. col. 204.

A prosapia ortus. *Videtur itaque mihi occidentalis Britanniæ Armoricæ pars in duas divisa fuisse plagas; quarum altera seu septentrionalis Domnonia diceretur, altera seu meridionalis Cornubia; utraque habens suos principes. Atque hinc etiam intelligitur quæ esset avita S.* Meliavi *ditio.*

Proprios principes habet Cornubia; pars veteris catalogi.

6 *Jam pridem edidit Hyacinthus Moricius* (1) *catalogum comitum seu regum Cornubiæ ex chartulariis Corisopitensi, Landevenechensi et Kemperlegiensi S. Crucis; et ex duobus posterioribus libris tantumdem fecit de Fréminville* (2): *in tribus autem illis monumentis non aliæ observantur varietates, quam quæ librariorum negligentiæ adscribantur. Accipe Corisopitense apographum* :

1° Ri-Welen Mur Mar-Chou.
2° Ri-Welen Mar-Chou.
3° Congar.
4° Gradlen Mur.
5° Daniel Drum-Rud. Alamanniæ rex fuit.
6° Budic et Maxenti, duo fratres...
7° Johan Reeth.
8° Daniel Unna.
B 9° Gradlen Flam.
10° Congar Ceroenuc.
11° Budic Mur.
12° Fragal Fradleoc.
13° Gradlon Pluenevor.
14° Auffret Alesrudon.
15° Diles Herguer Chebre.
16° Budic.
17° Binidic.
18° Alain Canhiarh.
19° Houel.

Ubi inter Danielem Unna seu Unva et Budicum Mur leguntur Gradlen seu Gradlon Flam et Congar Ceroenuc seu Keroennoc, qui a S. Meliavi *genealogia, supra recitata, absunt, aut quod oblivione omissi fuerunt, aut quod ad lineam cognationis lateralem pertinent; contra vero absunt a tribus catalogis Budici Mur filii, S.* Meliavus *et Rivodius, eorumque loco legitur Fragal Fradleoc seu Frangual Fradleuc : quæ tamen res nullius ponderis est, quum ex veteribus chartis collecti videantnr illi catalogi.*

S. Meliavi *domus, amotis Frisonibus et Gothis, venit in Armoricam.*

7 *Quomodo autem hæc domus Cornubiæ Gallicanæ regimen adepta sit, tam paucis explicuit S. Melarii biographus ut vix aut ne vix quidem intelligi possit. Ex Chronico itaque S. Brioci* (3), *quod hoc loco satis bonis monumentis niti videtur, paulo latius hæc res exponitur. Porro non in hoc solo monumento, verum etiam in aliis* (4) *memoria superest Frisios non multo post Saxones in Britanniam insularem venisse. Quorum pars circa annum* 509 *in Britanniam Armoricanam transiit, aut (si aliis* (5) *fides sit) ex Germania eo accessit, consilio Clodovei I, cogitantis eorum ope hanc regionem occupare. Sed quidquid est, Frisii aliquandiu in Armorica dominati sunt Britonibus, qui post Francorum adventum remanserant, aliis amore libertatis ad patriam insularem regressis. Præerat illis Corsoldus; qui quum gravissimam injuriam a Coarchione, negotiatore Frisio, in Anglia commorante, accepisset, milites suos in Angliam traduxit, contumeliam ulturus. Quum itaque Armorica defensoribus esset vacua, intraverunt in eam Gothi; quo nomine Sueciæ meridionalis incolæ seu piratæ intelligendi sunt; sed restiterunt Armoricani et popularibus Walliæ et Cornubiæ insularis annuerunt, ut sibi auxilio venirent. Postulata audiverunt illi et Rivalus seu Ri-Welen, quem Dericus* (6) *aliique eumdem fuisse censent ac Hoelem seu Reeth Hoelem, cum tertia parte suorum sodalium transfretavit in Armoricam eaque potitus est, circa annum* 523.

AUCTORE V. D. B.

Quare S. Meliavus *a fratre Rivodio*

8 *Causa necis sancti* Meliavi *videtur fuisse plane politica. Licet enim inter Britones filii æquo jure (nisi quod natu minimus familiæ sedem haberet) paternam hæreditatem inter se dividerent* (7), *filii tamen regis nequaquam inter se partiri poterant paternam ditionem seu regiam dignitatem; sed necesse erat ut unus* supremus *esset* rex (8), dominus totius regni, *et ut* alii omnes domini inter se pares *forent* (9). *Sed licet hæc lex jam esset et quasi consuetudo, quum, digredientibus Romanis, pristinam libertatem recuperarunt Britanni* (10), *brevi tamen introducti fuerunt reges complures, quibus unus supremi titulo potius præsset quam re : quod non parum valuit ad Saxonum et Anglorum dominatum stabiliendum. In Gallia præterea continua regni inter regios filios divisi exempla viderant Britanni; ut plane mirum non sit Budicum inter filios S.* Meliavum *et Rivodium Cornubiam partitum esse. Ut ex particula* Ri, *a qua Rivodii nomen incipit, colligi posse videtur, ipse proprie erat rex;* Ri *enim,* Reet, *seu* Reit *regem significat. Sivit tamen fratrem septem annos portionem suam administrare; sed tandem, quum (ut ex his, quæ postea in S. Melarium patravit, manifestum est) sua parte contentus non esset*, in quodam colloquio invidiæ causa *S.* Meliavum peremit. *Quæ res ex legibus Wallicis, consuetudine et communitate originis inter Britannos Armoricanos valentibus, illustrari nonnihil posse videtur.* E

interemptus fuisse videatur. Quo titulo martyr dicatur. Ejus cultus

9 *In his scilicet legibus legitur* (11): Tres sunt res quæ fieri non debent sine concursu patriæ, fœderationes ditionum et clani *seu senatus* supremi : mutare ordinationes breninі *seu regis*, eum throno spoliare, et novas inducere methodos et scientias in cœtum bardorum... Throno autem spoliari non potest breninus nisi per sententiam patriæ et ditionum fœderatarum. Sententia conventus hujus generalis inniti debet sententiæ trecentorum virorum, ex quibus curia singularum ditionum constat, præside rege supremo; et necesse est ut pleræque ditiones in prolatam sententiam consentiant. *Videtur itaque colloquium, in quo* S. Meliavus *a fratre occisus est, comitia illius generis generalia fuisse; quæ quum forte consiliis Rivodii non respondissent, is horrendum facinus patrare non dubitavit. Quoniam autem* S. Meliavus *pius erat et injuste occisus est, in-*

(1) Preuves de l'Histoire de Bretagne, t. I, col. 174 et 175. — (2) Antiquités du Finisterre, t. II, p. 282 et seqq. — (3) Ap. D. Morice, Preuves, t. I, col. 14. — (4) Cfr Turner, History of the Anglo-Saxons, lib. III, cap. 4, ad. an. 559, t. I, p. 188 et 189, Paris, 1840. — (5) Deric, Histoire ecclésiastique de Bretagne, t. I, p. 330. — (6) Ibid., p. 345. — (7) Leges Wallicæ, lib. II, cap. 12, p. 139, edit. Wottoni. — (8) Leges Wallicæ, cod. Demet, t. II, lib. V, cap. 2, § 1, p. 49, edit. Oweni, ap. Courson, Histoire des peuples bretons, t. II, p. 405. — (9) Leges Wallicæ, lib. IV, triad. forenses, num. 140, p. 341, edit. Wottoni. — (10) Cfr Walter, Das alte Wales, p. 75 et seqq.; de Courson, Hist. des peuples Bretons, t. II, p. 78 et 79. — (11) Leges Wall., t. II, l. III, cap. 2, § 63, p. 500, edit. Oweni, ap. Courson, t. II, p. 78.

AUCTORE V. D. B.

ter sanctos martyres, accedente miraculorum gloria, a popularibus relatus fuit; qui enim olim cum pietate injustam sustinuissent mortem, ii facile donabantur hoc titulo, quum nunc necesse sit ut pro pietate aut alia quacumque virtute christiana vitam fortiter posuerint. Propter quam disciplinæ diversitatem alii, quibus accenseatur S. Meliavus, *martyres nunc dicuntur* sensu lato, *alii, ut apostoli Petrus et Paulus,* sensu stricto. *Sed ad singulos fere dies hæc res explicanda est.* Beatus *itaque* Meliavus martyr *vocatur in Actis S. Melarii et die* 26 *octobris ut martyr honoratur in Plou-Miliau, cui nomen suum cum patrocinio templi parœcialis communicavit; quæ parœcia olim in diœcesi Trecorensi, nunc in Briocensi jacet. Similiter patronus est Guic-Miliau et Plonevez-Porzai in diœcesi Corisopitensi et Plou-Miliau in Venetensi* (1). *Ejus memoriam celebravit Castellanus in Martyrologio universali ad diem* 5 *novembris his verbis :* In diœcesi Trecorensi, S. Miliavi (*vulgo Millau*), honorati tamquam martyris.

Ex mera conjectura dicitur sepultus fuisse prope Lannionem, ubi volunt olim sedem episcopalem fuisse.

10 *Sepultum fuisse affirmat Albertus Legrand et Lobinavius in templo cathedrali de Yaudet seu Coz-Gueaudet ad ostia rivi Lannionis, immo ad ostia rivi* le Guer *prope oppidum Lannionis in pristina diœcesi Trecorensi* (2); *sed* (*ni fallor*) *hæc mera conjectura est, non aliud habens fundamentum nisi quod, princeps quum esset S.* Meliavus, *in templo cathedrali sepeliendus fuisse videatur; dein quod Yaudet sæculo* XVII *censeretur olim episcopalis sedes fuisse et quod locus hic non multum distet a Plou-Miliau, ubi quum omnium maxime colatur sanctus martyr, martyrium fecisse haberetur. Sed sedes illa episcopalis ab omnibus fere nunc explōsa est, et certe nulla de ea in medium producuntur bona monumenta. Volunt scilicet ad ostium rivi* le Guer, *ad occasum oppidi Lannionis, exstitisse illustrem civitatem nomine Lexobiam, cujus reliquiæ sint fundamenta aliquot murorum ad ingressum cryptæ prope vicum* Coz-Gueaudet (3) *seu* Coz-Yeaudet (4), *aut nude* Yeaudet *seu* Yaudet ; *quo nomine significatur* Vetuscivitas. *Consentit Hauréau* (5) *Veteremcivitatem monasterium antiquum fuisse, in pago Castello, vulgo* Plou-lech, *aliis* Plou-castel, Plo-gastel, Plu-gastel, *quod S. Tugdualus cœnobio Trecorensi univisse refer-*

C *tur; sed negat pernegatque illic sedisse episcopum. Verum inter Britones tot erant episcopi, ut, si monasterium illic fuerit, vix non potuerit illic non esse episcopus : sed in hoc error positus est, quod episcopis Britannis certam diœcesim circumscriptamque jurisdictionem ut nostratibus episcopis tribuunt. Quidquid id est, præstat fateri S.* Melavii *sepulturam hactenus incognitam esse.*

S. Meliavi *ætas incerta, sed videtur sæculo* VIII *adulto vixisse.*

11 *De tempore autem, quo cruentas manus sustinuerit sanctus martyr, videntur consentire historici. Maurini* (6), *qui Moricii fere chronologiam in comitibus seu regibus Britanniæ Armoricanæ sequuntur, affirmant S.* Meliavum *periisse anno* 792; *quibus consentiunt Miorcec* D *de Kerdanet* (7) *et Garaby* (8); *Lobinavius et Tresvaux* (9) *anno* 791 *ejus mortem innectunt; editor Historiæ ecclesiasticæ Britanniæ Derici anno circiter* 790 (10); *et demum Fréminville* (11), *contendens S. Melarium anno circiter* 740 *aut* 745 *interemptum fuisse, eo ipso S.* Meliavi *martyrium refert ad annum circiter* 735, *quum constet hunc septem annis ante filium e vivis recessisse. Meo judicio perquam obscurum est universum id argumentum. Tria enim dumtaxat sunt nomina, quibus niti posse videatur sanctorum martyrum chronotaxis: Budicus nempe, S.* Meliavi *pater, initio Actorum S. Melarii designatus; et vir nobilis, ejusdem sancti nutritius et occisor, ab Alberto Legrand dictus* Kyoltanus, *in veteribus lectionibus Corisopitensibus* Kaerialcus, *in Actis S. Melarii Capgravianis* (12) Cerialtanus, *et demum in Carmine britannico* (13) Keryoltanus; *cui filium fuisse nomine Justinum, brevi post S. Melarii necem exstinctum, ex Actis Pazianis* (14) *constat. Sed, quod imprimis de Budico est, genealogia SS.* Meliavi *et Melarii tot lacunas habet ut inde definiri* E *nequeat utrum S.* Meliavi *pater, an vero avus seu atavus Budicus fuerit. Dein quod de Kyoltano, Kaerialco, Cerialtano seu Keryoltano est, sensit Galletius* (15), *insignis inter Britannos criticus, eumdem esse qui Custentin seu Constantinus, filius Judonis et pater Argenti, in genealogia, quæ in Chartulario Rotonensi est, occurrit* (16); *atque hujus Constantini filium fuisse Justinum, patrem Alfredi Mactiern, seu filii principis; qui Alfredus in actis Rotonensibus legitur ad annum* 834 (17), 849 (18) *et* 861 (19); *ubi expressis verbis dicitur* Alfret Mactiern, filius Jostin. *Sed hoc me vexat quod nuspiam demonstratum video Justinum Constantini filium fuisse, sed assertum dumtaxat. Fieri itaque potest ut sub annum* 792 *S.* Meliavus *occisus fuerit; sed nil affirmare ausim. Animadvertam solummodo in catalogis principum Cornubensium Budic Mur, qui S.* Meliavi *pater habendus sit, venire undecimo loco; quare si singulis ante S.* Meliavum *principibus anni assignentur viginti quinque, quibus regnaverint, necesse esse ut S.* Meliavus *vixerit sæculo* VIII *adulto ; quandoquidem Rivalus anno* 525 *Cornubia potitus esse feratur.*

F *Omittuntur narrationes, nixæ sola historia generali et confusione nominum.*

12 *Quum itaque sancti martyris ætas tam obscura mihi sit, mitto de iis disserere gestis, quæ nullis antiquis testimoniis contineantur, sed historia generali nitantur dumtaxat et temporum ordine : scilicet sanctum virum anno* 786 *cum reliquis Armoricanis principibus societatem iniisse ut libertatem suam adversus Carolum Magnum tuerentur; a rege* missum exercitum suum partibus Britanniæ, una cum misso suo Andulfo siniscallo, et inibi multos Britones conquisitos una cum multis castellis et firmitatibus eorum in locis palustribus et prævaluisse Francos (20); *et quum tredecim*

(1) Cfr Albert Legrand et Kerdanet, Vies des saints de la Bretagne Armorique, p. 609 ; Lobineau et Tresvaux, Vies etc., t. II, p. 248; Deric, Hist. eccles. de Bretagne, t. II, p. 260. — (2) Ibid., locc. citt. — (3) Fréminville, Antiquités de la Bretagne, Côtes du Nord, p. 17 et 18. — (4) Hauréau, Gallia Christiana, t. XIV, col. 1136. — (5) Ibid., loc. cit. et col. 1119 et 1120. — (6) Art de vérifier les dates, tom. II, p. 893. — (7) Legrand, Vies, etc. p. 609, not. 1. — (8) Vies des bienheureux, etc. p. 275. — (9) Vies des saints de Bretagne, t. II, p. 247 et et seqq. — (10) Hist. ecclés. de Bretagne, tom. II, p. 260. — (11) Antiquités de la Bretagne, Côtes du Nord, p. 134. — (12) Acta SS., tom. I Januarii, p. 136. — (13) Ap. Legrand et Miorcec, p. 611, not. 2. — (14) Ap. D. Morice, Preuves, tom. I, col. 225. — (15) Ap. Legrand et Miorcec, p. 616, not. — (16) Ap. D. Morice, Preuves, tom. I, col. 304. — (17) Ibid , col. 269. — (18) Ibid., col. 295. — (19) Ibid., col. 307. — (20) Annales Nazar., ap. D. Bouquet, Recueil des historiens, tom. V, p. 21.

annis

A *annis post nova tentaretur rebellio*, Widonem comitem, una cum sociis comitibus Britanniam ingressum, totam perlustrasse, in ditione accepisse et regi de Saxonia reverso arma ducum, qui se dedissent, inscriptis singulorum nominibus, præsentasse; nam his se et terram et populum uniuscujusque illorum tradidisse, et totam Britannorum provinciam, quod numquam antea fuerat, a Francis subjugatam esse (1); *eaque acta esse anno* 799. *Sed nullum vestigium superest quasi in his partem habuerit ullam S.* Meliavus. *Alii, puta Albertus Legrand* (2) *et Fréminville* (3), *arbitrantur verum ejus nomen fuisse* Macliau *seu* Macliauc; *idemque Albertus et Garaby* (4) *addunt ei fratrem fuisse non solum Rivodium, sed etiam Theodoricum; quorum patruum, Maxentium nomine, regnum eripuisse fratris filiis; sed Theodoricum, quum vir factus sit, debellato hoste, sibi fratribusque vindicasse paternam hæreditatem. Ast, ni fallor, nomina Macliauc et Theodoricus huc invecta sunt ex libro V, num.* 16, *Historiæ ecclesiasticæ Francorum S. Gregorii Turonensis* (5). *Verum quæ illic narrat beatus vir, anno* 577 *acta sunt; dein Macliavus ille spoliator est, propterea cum filio Jacob juste interemptus.* AUCTORE V. D. B.

(1) Annales Francorum Bertiniani, ap. D. Bouquet, tom. V, p. 52. — (2) Vies des saints, etc. p. 608. — (3) Antiquités des Côtes du Nord, p. 135. — (4) Vies des bienheureux, etc. p. 274. — (5) Ap. D. Morice, Preuves, tom. I, col. 198.

DE SS. ALBINO SEU WITTA ET MEGINGAUDO,

EPISCOPIS BURIBURGENSIBUS,

B E

ET DE S. HUMBERTO, PRIORE FRITISLARIENSI,

SYLLOGE HISTORICA. V. D. B.

§ I. S. Albini cultus, nomen duplex, patria et adventus in Germaniam.

ANNO DCCLXXXVI ET DEINCEPS *S.* Albini *nomen, recentioribus fastis inscriptum,*

Wion in libro III Ligni vitæ, qui quasi Benedictinum martyrologium est, singulari cura multaque eruditione conscriptum, hac die : Frislarii, *inquit*, sancti Albuini, episcopi et confessoris, qui multos verbo et exemplo populos ad Christi adduxit ovile. *Paulo brevius Ferrarius in Catalogo generali sanctorum memoriam ejusdem facit præsenti die, his nempe verbis :* Burbaci in Thuringia S. Albuini, episcopi primi Frislariensis; *Hugo Menardus in Martyrologio Benedictini his aliis :* Frislarii sancti Albuini, episcopi et confessoris; *quæ fere descripsit Bucelinus, in Menologo Benedictino :* Frislariæ, *inquiens*, S. Albuini episcopi et confessoris; *atque similiter alii menologi Benedictini. Verum quum omnes illi recentiores sint, neque S.* Albini *festum in ullis, quos habeamus, libris liturgicis occurrat ejusque natalis plane omissus sit in copiosis Solleriani Usuardi auctariis, caute scripsit collega meus, qui S. Lulli acta ad diem* 16 *octobris illustravit*, dubium valde *sibi* videri S. Albuini cultum, aut saltem intra angustissimos limites coarctatum; *sed* hanc porro quæstionem ad diem 26 octobris examinatum iri (1). *Et quidem non putem uspiam adhuc in S.* Albini *honorem celebrari divinum officium; neque olim valde late propagatam fuisse ejus venerationem. Verumtamen supersunt testimonia, quibus manifestum fit centum annis ante Urbaniana decreta publice cultum fuisse beatum virum. Quod si veteres libros Fritislarienses et maxime Hersfeldenses haberemus (nam Hersfeldiæ quieverunt ejus ossa), non dubito quin inde demonstrari posset mille abhinc fere annis sanctum præsulem cælitum honores nactum esse. Sed accipe illa testimonia.*

C

2 *In kalendario sanctorum ordinis S. P. Benedicti, quod Ferdinandus de Valey, Cistercienses leges in Antverpiensi S. Salvatoris monasterio anno* 1527 *professus, scripsit, ad diem* 26 *octobris celebratur natalis* S. Albwini, episcopi in Burbach, (quod non est modo episcopatus,) prius monachi in Hibernia. *Habebant dein decessores nostri Breviarium aut alium hujusmodi librum, quem* Hibernicum *ab eis dictum reperio, ubi etiam S.* Albuini *festivitas ad præsentem diem indicabatur. Dein in libro ms. de rebus Moguntinis, quem passim adducit Serarius, hæc legebantur* (2): In oppido Buraburch juxta Fritzlar, sedi episcopali post suum recessum ordinat *S. Bonifacius* episcopum Albuinum, discipulum suum Hiberniensem, monasterii urbis *seu Fritislariæ* monachum; CUJUS FESTUM AGITUR VII KALENDAS NOVEMBRIS. *Bonus etiam testis est et quidem cæteris præivit Joannes Trithemius, qui magnam vitæ partem in Spanheimensi diœcesis Moguntinæ asceterio degit et anno* 1506 *S. Jacobi in suburbio Wirzeburgensi cœnobio abbas factus est. Etenim in libro III de Viris illustribus ordinis S. Benedicti, cap.* CCLXVII, *hæc* de sancto Albuino episcopo *tradit* (3) : Albuinus, monachus in Hybernia, vir sanctæ conversationis, flagrans amore peregrinationis, deseruit dulce natale solum; veniensque in Germaniam, multos sua prædicatione po- *in antiquioribus etiam libris locum nactum est; ut constat ex anonymo Moguntino et Trithemio :* F

(1) Acta SS., t. VII, Octobris, p. 1080 — (2) Ap. Serrarium, Moguntiacarum rerum lib. III, not. XXIX, edit. Johannis, tom. I, p. 312 et 313. — (3) Jo. Trithemii, Opera pia et spiritualia, edit. Busæi, p. 105.

pulos

AUCTORE V. D. B.

pulos Christo acquisivit : deinde, ut ampliorem prædicationis fructum faceret, Romani pontificis authoritate Frislariensis ordinatur episcopus in oppido Burbach. Sed dudum cessavit episcopatus ibidem. FESTUM EJUS AGITUR SEPTIMO CALENDAS NOVEMBRIS. *Dubium itaque profecto est nullum quin ineunte sæculo* XVI *in aliquot diœcesis Moguntinæ ecclesiis aut cœnobiis, certe Fritislariæ et Hersfeldiæ, ageretur* S. Albini *festivitas die* 26 *octobris. Testis est anonymus Serarianus, testis Trithemius : qui posterior in prologo libri tertii protestatur* se de sanctis et canonizatis habiturum sermonem, *non autem de hominibus piis et venerabilis dumtaxat memoriæ ; neque* se sanctorum omnium sui ordinis facturum mentionem, *sed* vix paucos signasse e pluribus, quorum certam ad manum notitiam haberet (1); *et quoniam notitiam habuit ex calendariis et ex officiis ecclesiasticis, passim propterea indicat quo die natalis sanctorum ageretur.*

qui posterior male eum facit Hibernum natione et monachum Hiensem.

3 *Sed ne scindamus Trithemii de* S. Albino *testimonia, aliud excitemus ex libro quarto, quo recensentur Romani pontifices, cardinales et episcopi, qui olim regulam Benedictinam professi fuissent. Caput itaque* CXC, de Albuino, episcopo Frislariensi, *inscriptum, sic sonat* (2): Albuinus, monachus Huensis insulæ, egressus de Hybernia, prædicationis causa venit in Thuringiam; ubi cum prædicatione dulcissima multos ad Christum convertisset gentilium, a summo pontifice Frislariensis episcopus ordinatus est; ubi multis virtutibus et signis clarus effulsit. Episcopatus autem illius gentis dudum cessavit. *Quod monachus Hiensis illic dicitur, traxit eum ad Scotos Britannos Dempsterus et in Menologio Scotico fecit ejus memoriam ad diem* 15 *martii. Errorem in die esse vidit Colganus, sed noluit primum tomum de Actis sanctorum Hiberniæ in lucem ire, quin Scotis Hibernis eumdem virum vindicaverit : quare ejus etiam memoriam celebravit ad diem* 15 *martii* (3). *Ferrarius, a Dempstero in devia deductus, nuntiavit ad eamdem diem* 15 *martii* in insula Huyensi S. Albuini abbatis *festum, quasi sanctissimus vir in insula Hia mortuus fuisset, postquam abbatiale illic gessisset pedum. Wion etiam in notis ad præsentis diei*
C *natales* (4), *Usherius in præfatione ad Epistolarum Hibernorum syllogen* (5), *Ware et Harris in Bibliotheca hibernica* (6) *atque ipse Joannes Lanigan* (7) *Hibernis asseruerunt* S. Albinum.

Anglosaxo fuit S. Albinus *ut primitivum* Wittæ *nomen*

4 *Sed plane fabulosa videtur* S. Albini *hibernica seu scotica origo, et adscripta inter Scotos seu Hibernos in insula Hia commoratio et abbatialis officii impletio. Quum scilicet Ratisbonnæ, Herbipoli aliisque vicinis locis monasteria duodecim, quorum novem adhuc nota sunt* (8), *a monachis scotis seu hibernis et certe in eorum gratiam excitata fuissent, paulatim multa, quæ* D *ab Anglis et Saxonibus patrata erant, cœperunt adscribi Hibernis et Scotis. Quid? Ipse S. Bonifacius, quem Anglum seu Saxonem natione fuisse primitivum nomen* Winfrid, *biographi atque historici coævi, quin etiam ejus epistolæ testimonio sunt* (9), *a Mariano Scoto* (10) *Scotus seu Hibernus dicitur, atque etiam a Trithemio alicubi* (11) natione Scotus *appellatur, alibi* (12) *tamen* in Britannia Angliæ natus. *Neque alia fuit sors S. Lulli, similiter Anglo-Saxonis* (13). *Cavendum itaque est ab antiquo Scotorum Hibernorumque studio, non solum inter se de multis sanctis disputantium fuerintne Scoti an Hiberni, verum etiam alios sibi vindicantium, qui neque Scoti, neque Hiberni fuerint. Quod autem* S. Albinus *Anglus seu Saxo fuit, ipsum gentile suum nomen manifestum facit : vocabatur enim* Witta, *quod nomen etiam avo Hengisti et Horsæ fuerat* (14) *et quod in Germania* (*ut ex Willeramo* (15) *constat*) *pronuntiabatur* Wiz; *nunc* Weiss *in Germania, in Belgio* Wit, *in Anglia* White. *In antiquis itaque historiis* S. Albinus *cum variis ejusdem nominis formis comparet :* Witta *a Zacharia papa vocatur,* Witta, E et Wittanus *ab Othlono, et* Wizo *a sanctimoniali Heidenheimensi, natione Anglo-Saxonica. Hoc nomen idem esse quod* Wigbertus *contendit Eckhardus* (16), *statuens* Wittam *ex* Wigberto *contractum esse. Sed ita non est. Non enim proprie contrahebant Germani aliique affines populi nomina ; sed, quum hæc pleraque ex duobus vocabulis juxtim positis constarent, sæpius satis habebant unum efferre, potissime primum. Sic* S. Leob-gyta, *abbatissa Bischofsheimensis et* S. *Bonifacii popularis et socia, frequenter* Lioba *seu* Leoba *dicitur;* Cuon-radus *dicitur* Cuono, Brune-childis Bruna, Gundi-char Gunzo *etc. Sed sæpius hoc jam monui, etiam in hoc tomo* (17). *At vero* Witta *et* Wig *neque idem verbum sunt, neque idem significant ; quum priori voce* albus, *posteriore* bellum *indicetur. Nil itaque erat cur Eckhardus occasione* S. Wittæ *seu* Albini *tam diligenter Wigbertos a se invicem distingueret* (18). *Quidquid id est, quemadmodum S. Winfridus latinum* Bonifacii *nomen assumpsit, S. Willebrordus* Clementis *et B. Alcuinus* Flacci Albini (*exemplis celeberrimis*
utor), *sic* S. Witta Albinus *dici voluit, verso ex* F *anglo-saxonico in latinum nomine. Quod* Albini *nomen dein detorserunt in* Albuinum *seu* Albwinum, *quo formam germanicam indueret* (19); *exemplo utique non unico :* Albinus *enim, adscititium Alcuini nomen, in* Albuinum *mutatum reperitur* (20), *et* Albinus, *episcopus Merseburgensis, etiam* Albuinus *vocatus fuit* (21); *item* S. Albinus *seu* Albuinus, *episcopus Brixinensis* (22); *utut est,* Witta, Wizo, *etc. vox anglo-saxonica est, nequaquam hibernica aut scotica; verti poterat in* Album *seu* Albinum :

(1) Jo. Trithemii Opera pia et spiritualia, edit. Busæi, p 63. — (2) Ibid., p. 141. — (3) Acta SS. Hiberniæ, tom. I, p. 610. — (4) Lignum vitæ, part. II, p. 531. — (5) Ap. Lanigan, Eccles. history of Ireland, tom. III, p. 180. — (6) Writers, V° *Albuin*, ap. Lanigan, loc. cit. — (7) Eccles. hist. of Ireland, tom. III, p. 178. — (8) Die Kongregation der Schottenklöster in Deuthschland, im Zeitschrift für Christliche Archäologie und Kunst. Leipzig, 1856, et anglice versum a cl. v. W. Reeves, The Irish monasteries in Germany, Ulster Journal of Archæology. — (9) Seiters, Bonifacius der Apostel der Deutschen, p. 26. Cfr Acta SS., tom. I Junii, p. 454. — (10) Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. V, p. 545. — (11) De viris illustribus ord. S. Benedicti, lib. II, cap. 24, edit. Busæi, p. 35. — (12) Ibid., lib. III, cap. 171, p. 93. — (13) Cfr, Acta SS., tom. VII, p. 1053. — (14) Anglo-Saxon Chronicle, edit. Thorpe, tom. I, p. 21. — (15) Ap. Adelung, Wörterbuch, V° *Weiss*. — (16) Francia Orientalis, tom. I, p. 357. — (17) Acta SS., tom. X Octobris, p. 823 ; tom. XI Octobris, p. 681. — (18) Francia Orientalis, tom. I, p. 357 et 358. — (19) Cfr. Beyer, Urkundenbuch der mittelrheinischen Territorien, tom. I, Personen-Register, V° *Albuinus*, *Albewin*, p. 737. — (20) Cfr Serarius et Joannis, Res Moguntiacæ, tom. I, p. 396. — (21) Acta SS., tom. III Octobris, p. 173. — (22) Ibid., tom. I Febrnarii, p. 712.

quod

A *quod per vocabulum* Can *Britanni Wallenses et Armoricani* (1), *et per* Geal *Scoti et Hiberni significant* (2).

et Olhtoni testimonium certum faciunt; nequaquam Scotus aut Hibernus.

5 *Sed operæ pretium est Laniganum videre sese hinc expedientem :* Conjectura fieri potest, *inquit* (3), verum ejus nomen fuisse *Albuinum;* quod ut bene sonaret in Germanicis auribus, in respondens *Witta, White,* mutatum fuerit. *Et dein subdit in notis :* Etiamsi admittatur primum nomen *Vitta, Witta* seu *Wettan* fuisse, potest id hibernicum fuisse, non tamen *Album* hibernice significans. Comites ejus Angli, quum id vocabulo *White* proximum viderent, potuerunt id latine in *Albuinum* convertere. *Sed hæ meræ divinationes sunt, omni fundamento destitutæ.* Albuinus *et* Witta *nomina plane ignota sunt in kalendariis hibernicis et scoticis* (4); *atque unum* Ailbhe *aliquantisper ad* Albinum *accedit. Dein quod interserit Laniganus præter Wittæ nomen nihil esse quo suadeatur S.* Albinum *anglo-saxonem fuisse, verum non est : exstat enim vetus testimonium quo appareat S.* Albinum *anglo-saxonem fuisse. Othlonus scilicet S. Bonifacii bio-*
B *graphus aperte dicit* ex provincia et patria *sanctissimi Germanorum apostoli venisse S.* Wittam (5). *Re quidem vera Othlonus coævus non est, sed sæculi* XI *scriptor; verumtamen longe præcellit auctoritate eos omnes qui post venerunt.*

Accitus fuit a S. Bonifacio S. Albinus, *ut alii plures, ex Anglia ; licet aliqui etiam ex finibus Hiberniæ venerint :*

6 *Sed ipsum Othloni locum recitemus, unde discamus quomodo in Hassiam devenerit S.* Albinus *seu* Witta : Prædicans ergo, *inquit* (6), et baptizans sanctus præsul Bonifacius in Turingorum et Hessorum regionibus, perspexit messem quidem esse multam ibi, sed operarios paucos ad copiosam multitudinem credentium instruendam; unde in provinciam patriamque suam mittens, exinde tam feminas quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures venire fecit, suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui viri Burchardus et Lullus, Willibalt et Wunnibalt frater ejus, Witta et Gregorius : feminæ vero religiosæ, matertera scilicet S. Lulli, nomine Chunihilt, et filia ejus Berathgit, Chunidrut et Tecla, Lioba et Waltpurgis, soror Willibaldi et Wunnibaldi. Sed Chu-
C nihilt et filia ejus Berathgit, valde eruditæ in liberali scientia, in Turingorum regione constituebantur magistræ; Chunitrud in Bagoariam destinata est, ut verbi divini semina ibidem spargeret; Thecla vero juxta fluvium Moin, in locis Kikhingen * et Ochsnofrutt * nuncupatis collocavit; Liobam quoque ad Bischofeseheim, ut illic multitudini virginum congregatæ præesset, constituit. *Narrat hæc Othlonus postquam Ordorfensis * in Thuringia cœnobii fundationem, quæ ad annum* 724 *pertinet, declarasset; sibi præeuntem habens Willibaldum, primarium S. Bonifacii vitæ scriptorem* (7); *nisi quod hic nomina virorum et feminarum omisit. Contra anonymus Monasteriensis S. Bonifacii biographus aperte perhibet accitos fuisse auxiliatores, postquam sanctus vir, Gewelibo anno* 745 *exauctorato, Moguntinus antistes factus esset: Karolomannus, inquit* (8), *et Pippinus* synodum adunaverunt et B. Bonifacium archiepiscopum metropolitanæ civitatis Moguntiæ præsidere fecerunt. Sanctus vero Bonifacius, circa se cernens paucos esse divini verbi propagatores,... elegit sibi quam plurimos medicos animarum. Alios etenim ex gente sua, alios ex parte Franciæ, nonnullos etiam de finibus Hiberniæ, quatenus adessent sibi cooperatores in vineam Domini : ex quibus fuerunt hi : Wigbertus ex parte Anglorum, beatus Gregorius ex nobili prosapia Francorum, Sturim vero venerabilis, et Lul, Memgoz, Willibaldus suusque germanus Winibaldus, et alii quam plures; quorum nomina perlongum esset dinumerare per singula.

AUCTORE V. D. B.

7 *Atque hæc si acciperentur prout proposita sunt, profecto inter se non convenirent : sed neque Othloni, neque anonymi Monasteriensis mens fuit lectori suadere uno tempore eos omnes fuisse advocatos, atque uno tempore venisse; verum quæ per vices contigerunt et intra multos annos, uno tenore unaque oratione proponere. De singulis tamen valde difficile est* E *definire quando ex Anglia in Germaniam transierint. Quod de S.* Albino *est, nihil affirmare licet nisi quod inter annum* 723 *et* 740 *e patria discessit; quamquam a veritate non longe aberit, qui dixerit eum medio circiter tempore has in partes migrasse. Ut enim mox videbimus, anno* 742 *episcopus in Hassia constitutus jam erat; ad quam dignitatem eum profecto non promoverit S. Bonifacius, nisi postquam aliquandiu probavisset atque inter Hassos fructus facientem bonos expertus esset. Neque videtur anno* 723, *quum Hessorum conversio primum tentata est, exteros in messis partem vocasse, sed sub annum dumtaxat* 724, *quum Romæ creatus fuisset episcopus et ex iterata profectione transalpina redux esset. Quid ante in Anglia ageret S.* Albinus *incompertum est; ne quidem an monachus esset, ut nunc passim traditur. Ex nullo autem capite eorum, quæ in Germania egisse noscatur, apparet eum disciplinæ monasticæ obnoxium fuisse; et licet plerique, qui S. Bonifacii labores participarint, vestem monasticam gestarent, non tamen omnes eo censu fuisse indicat Rudolfus, S. Liobæ,* F *abbatissæ Biscofsheimensis, biographus. Narrans enim secundum S. Bonifacii iter Romanum, episcopalem ordinationem et commissum munus prædicandi verbi Dei Germaniæ populis :* Ubi, *sic pergit* (9), cum messem quidem multam et pronos ad fidem populos reperisset, operarios autem, qui sibi collaborarent in agro dominico, paucos haberet; in terram Anglorum, unde ipse ex parentibus ortus erat, legatos et epistolas misit, atque ex diverso clericorum ordine nonnullos accersivit doctos lege divina et ad prædicationem verbi vitæ merito morumque probitate idoneos; quorum adminiculo injunctam sibi legationem non segniter administravit. *Verumtamen, licet pii advenæ* ex diverso clericorum ordine *essent,*

in Germaniam se contulit circa annum 730. *Non constat eum monachum fuisse.*

* Kitzingen
* Ochsenfurt

* Ohrdruf

(1) Cfr de Courson, Hist. des peuples bretons, t. I, p. 432. — (2) O'Brien, Focaloir Gaoidhilge-Sax-Bhearla, p. 273; O'Reilly, Irish-English Dictionary, V° *Geal.* — (3) Eccles. hist. of Ireland, tom. III, p. 178. — (4) Cfr indices Colgani; item Martyrologiorum Tamlactensis et Dungalensis; Tria glossaria, edita a W. S. Londini, 1862. — (5) Cap. 25, ap. Mabillonium, Sæculum Benedictinum III, part. II, p. 42. — (6) Vita S. Bonifacii episc., lib. I, cap. 25, ap. Mabillonium, Sæculum Benedict. III, part. II, p. 42. — (7) Acta SS., tom. I Junii, p. 467. — (8) Ibid. p. 482. — (9) Mabillon, Sæculum Bened. III, part. II, p. 250.

id

AUCTORE V. D. B.

id observandum est non tantum tunc temporis inter clericos sæculares et monachos discrimen fuisse, quantum impræsentiarum deprehenditur.

§ II. Hassiæ, in qua laboravit S. Albinus, fines; conditio civilis et religiosa; labores S. Bonifacii; duplex Amanaburgum, alterum in Thuringia, alterum in Hassia; instituta pia Amanaburgi, Fritislariæ et Seelheimii; oratoria passim sparsa.

Hassiam, cujus fines indicantur,

In Hassia potissimum laborasse S. Albinum *res certa est; licet errore vulgari et nimia Thuringiæ extensione sæpe dicatur* Thuringorum apostolus. *Ut autem verbis utar Georgii Christiani Crollii, qui post Besselium* (1), *accuratissimum in definiendo Hassiæ ambitu, in pristinis hujus pagi terminos inquisivit* (2), his fere
B finibus provincia Hassorum circumscribenda est; ut primum ex fluviorum originibus et decursibus inter Dimolam et Adranam *, atque post conjunctionem Adranæ et Fuldæ, Fulda deorsum ad Mundam sive confluentes Fuldæ et Wirrahæ fines Saxonum et Hassorum terminentur, deinde hos a Thuringis septentrionalibus et australibus Wirraha seu Visurgis disjungat; tum silva Speshard limes fuerit erga Franconiam, usque in Vederoviam pertinens, cujus partem mons Fugalesberg * Hassiæ adjungit, ipseque ad Loganensem pagum superiorem porrigitur. Trans Loganam Loganensis pagi partem superiorem complexa Hassia ad silvam Westerwald, quæ Longaviæ inferiori adscribenda est, pertingit. Tandem silvæ huic conterminus mons Rothauer atque fluviorum versus Rhenum et Visurgim decursus eo usque, unde cœpimus, Hassos disjunxerunt a Saxonibus Westphalis. Quæ quidem finium descriptio quum enumeratione locorum Hassis attributorum, *quam summa diligentia fecit Besselius*, nitatur, facile longiori probatione supersedemus... Ve-
C rum Hassia a Ripuariis distracta, his tamen quæ trans Loganam ad Saxones et Rhenum usque pertinebat regio, quatenus diœceseos Trevirensis fuit, remansisse videtur, usque quo veteri in regna Austrasiæ et Neustriæ divisioni nova, quæ versus sæculum IX medium obtinere cœpit, derogatum est. *Pagos itaque minores complectebatur plures, scilicet Bernuffe, Melisungen, Liesi ad Adranam prope Franckenberg, Germeramarcam, magnam partem pagi Loganensis superioris et majorem partem pagi Weitereibe seu Wetterau;* quamvis, *addit Besselius* (3), plane accurata limitum descriptio pagi Hassorum, tam versus occidentem ad Lohnam et Adranam, quam versus septentrionem ad Saxo-Westphalicos pagos D Wessiga, Wentsga, Nitherga definiri nequeat, propter confusionem, de qua poeta *Saxo* anonymus ad annum 772 etiam conqueritur, dum canit :

.....Saxonum proxima Francis
Adjacet ad boream tellus *; vix limite certo
Divisi gentis fines utriusque cohærent.

* Eder

* Vogelsberg

* Hassia

9 *Incolebant illam provinciam sæculo* VIII *Catti; quorum nomen abiit in* Chattos, Hattos, Hazzos, Hassos, Hessos, *etc. consueta literarum flexione* (4). *Francis, quos ex multis Germaniæ tribubus constitisse firma sententia est, jam pridem accensiti Hassi* (5); *ut fere bonam et malam fortunam communem habuerint* (6). *Obnoxii scilicet erant Hassi Francis et* jure Francorum fruebantur et potiebantur (7); *quamobrem cecinit poeta ille Saxo* (8) :

Saxones sibi contiguos invadere fines
Ausi, Francorum pagum qui dicitur Hessi.

habitabant pristini Catti, legibus Francorum tum viventes, singulari tamen proprioque regimine. Quanta Caroli Martelli protectione illic defenderetur S. Bonifacius, ejus subditus factus.

Similiter S. Ludgerus episcopus (9) *in Vita S. Gregorii, episcopi Trajectensis,* Hassos *et* Thuringos *appellat* regiones orientales Francorum. *Sed acriter tuentur Hassi suam Hassiæ fuisse formulam, id est distinctam fuisse regimine ab adjacentibus pagis, atque imprimis Hassos sub Thuringorum nomine nequaquam latuisse* (10), *neque eorum terras Franconiæ finibus comprehensas fuisse* (11) *et ne partem quidem fuisse Franciæ Rhenanæ aut ducatus Austra-*
E *siorum Rhenani* (12). *Et sane tot locis, maxime in quibus S. Bonifacii et sociorum gesta explicantur, Hassi distinguuntur a Thuringis, ut non potuerint non esse diversi. Quæ ratio etiam valet ne Franconibus adscribantur, quum hi nonnisi Thuringi sint cis Weram, a jugo Saxonum per Carolum Magnum liberati et legibus Francorum simul cum liberatoribus vivere jussi, atque hinc* Novi Franci *appellati* (13). *Similiter multo verisimilius est Hassiam, quæ passim ut singularis regio prodit, Franciæ Rhenanæ finibus non fuisse conclusam. Quod vero de ducatu Francorum Rhenano est, quum S.* Albini *temporibus nondum exstaret, definiendum hoc loco non est an Hassia pars ejus esset : interea vide Crollii dissertationem. Tenendum hoc itaque Hassiam distinctam provinciam fuisse, jure Francorum utentem, Francorum regibus*
F *obnoxiam, gubernatamque a magnatibus suis; quos licet promiscue* comites, duces, marchiones *aliisque nominibus appellare, quum tunc in his nominibus gradus certi non essent, et auctoritas civilis et politica cuicumque dignitati inhæreret, neque a militari potestate, neque a judiciali officio umquam esset separata. Quoniam vero Hassia, sicut et Thuringia, in ditione Francorum erat, propterea S. Bonifacius, quum secundum Roma rediit atque iterum ad Hassos regressus est, id fecit, ut loquitur Willibaldus* (14), cum consensu Caroli ducis, *qui et Martellus,* seque illius dominio atque patrocinio subjiciens, *ut addit Othlonus* (15). *Quod præsidium quam utile esset inculcat ipse S. Bo-*

(1) Chronicum Gotwicense, p. 627 et seqq. — (2) De ducatu Franciæ Rhenensis, part. I, § VI, in Actis academiæ Theodoro-Palatinæ, tom. III, p. 346. — (3) Chronicum Gotwicense, p. 628. — (4) Cfr Estor, De antiqua Hassiæ formula, ap. Kuchenbecker, Analecta Hassiaca, tom. II, p. 348 et seqq. Seiters, Bonifacius, Apostel der Deutschen, p. 123. — (5) Cfr Scriptores ab Estore recensiti, p. 352. — (6) Cfr Eckhart, Francia orientalis, tom. I, p. 6 et 16. — (7) Cfr Crollius. Dissert. cit. in Actis acad. Theod. Palat. tom. III, p. 374. — (8) Ap. Besselium, Chron. Gotw. p. 628. — (9) Acta SS. t. I Junii, p. 484. — (10) Cfr Estor, De ant. Hassiæ formula, ap. Kuchenbecker, tom. II, p. 354 et seqq. — (11) Cfr Crollius, Diss. cit. in Actis acad. Palat. tom. III, p. 345. — (12) Ibid., p. 375. — (13) Cfr Eckhart, Francia orientalis, tom. I, p. 377. — (14) Acta SS. tom. I Junii, p. 467, num. 33.— (15) Lib. I, cap. 22, ap. Mabillonium, Sæc. Bened. III, part. II, p. 40.

nifacius

AUCTORE V. D. B.

A *nifacius tribus locis in epistola* XII *ad Danielem Wintoniensem. Ecce quid in media epistola* (1) : Sine patrocinio principis Francorum, nec populum regere, nec presbyteros vel diaconos, monachos vel ancillas Dei defendere (*immo coercere*) possum, nec ipsos paganorum ritus et sacrilegia idolorum in Germania, sine illius mandato et timore, prohibere valeo.

In Thuringia et forte in Hassia olim prædicata fuerat christiana religio, sed sæculo VIII *fere perierat.*

10 *Quoniam ex S. Bonifacii et sociorum Vitis perquam manifestum est ab eis Hassos, Thuringos, aliosque Germaniæ populos ea omnia doctos fuisse, quæ credit sancta Romana ecclesia catholica, insurrexerunt olim protestantes complures adversus eos incredibili vehementia asserentes injuria eum vocari Germanorum apostolum; jam ante eum divinum verbum sparsum fuisse in Germania; et ab eo seminata dumtaxat fuisse zizania. Omitto postremum hoc scomma. Sane quum super Rhenum et aliquot locis super Danubium veteres essent ecclesiæ; quum S. Goar et S. Lubentius aliquam operam in illis ad veram fidem convertendis posuissent; quumque multum commercium esset Germanos inter et*
B *Francos, jam pridem Christo insertos, non potuerant Hassi, Thuringi, Bavari aliique nil de Evangelio audivisse. Quid, quod S. Gregorius Turonensis testis est* (2) *Thuringos, quum a Theodorico, Chlodovei I filio, subacti fuissent, etiam christianas leges suscepisse? Et quidem, si Willibaldum* (3) *audiamus,* sanctus vir Dei *Bonifacius* in Thuringia, *quum primum eo advenit,* senatores plebis, totius denique populi principes verbis spiritualibus affatus est; eosque ad veram agnitionis viam et intelligentiæ lucem provocavit; quam olim ante, maxima siquidem ex parte pravis seducti doctoribus, perdiderunt; sed et sacerdotes et presbyteros... omiserant. *Neque Hassiæ, non ita procul a Moguntia Treviris et Colonia positæ, alia procul dubio erat conditio, quum illuc venit S. Bonifacius.*

Ecclesiam cum monasterio condit S. Bonifacius Amanaburgi inter Hassos, quod a cognomine loco inter Thuringos distinguendum est.

11 *Ast hic beatissimns vir, divino spiritu adjuvante, eam brevi tempore mutavit. Volunt autem eum hunc pagum adiisse, quum, post incohatam Thuringiæ conversionem et visitatos S. Willibrordum et Frisios, anno* 723 *in Germaniam rediit : quo trahunt quæ Willibaldus, Frisico ejus itinere narrato, subjicit :* Statim, *inquiens,* proficiscens, pervenit ad locum, cui nomen inscribitur Amanaburch... Et supradictum locum, cui gemini præerant germani, Deldic videlicet et Dierolf, Domino auxiliante, obtinuit, eosque a sacrilega idolorum censura, qua sub quodam christianitatis nomine male abusi sunt, revocavit; ac plurimam populi turbam, rectæ patefacta intelligentiæ via, errorum deposito horrore, a malevola gentilitatis superstitione retraxit; et monasterii, collecta servorum Dei congregatione, cellam construxit. *Hæc posteriora ad Hassiam pertinere, atque hinc intelligi posse quæ esset ante provinciæ hujus religiosa conditio et quæ exordia conversionis gentis, quam dein primus episcopali officio excoluit S.* Albinus, *communis sententia est; atque in hanc me prius etiam abivisse non diffitebor. Verumtamen hæc dicta adhuc ad Thuringiam pertinere manifestum est. Nam primo continenter subdit Willibaldus :* SIMILITER, (*de alia ergo gente prius loquebatur*), et juxta fines Saxonum, Hessorum populum, paganicis adhuc ritibus oberrantem, a dæmoniorum, evangelica prædicando mandata, captivitate liberavit. *Non aliter Othlonus, postquam illius Amanaburgensis cœnobii fundationem narraverat, adjicit :* TUNC ETIAM ALIAS GERMANIÆ PARTES prædicandi causa adiit, Hessones videlicet, in Saxonum confinio positos. *Secundo exstat in Thuringia, Bavariam versus, ad Salam Francicam, locus, nunc* Hamelburg *dictus, olim* Hamulo castellum, Hamulanburgum, Amœneburgum, Hamanaburgum, Adamanaburgum *et* Ameneburc (4); *atqui hic datus fuerat ab illustri viro Hedeno, qui cogitabat ibi monasterium constituere, S. Willibrordo* (5), *et quidem locus ille reapse sæculo* VIII *cella facta est, titulo S. Joannis Baptistæ, dependens a Fuldensi monasterio* (6). *Tertio Willibaldus* (7) *multo tardius narrat a sancto apostolo in Hassia ecclesiam fabricatam fuisse in Hamanaburch, quam in honorem S. Michaelis archangeli dedicaverit : ita ut duo distinguenda sint loca, dicta Hamanaburg, quæ religionis pietatisque S. Bo-* E *nifacii servaverint monumenta, alterum in Thuringia, alterum in Hassia; quæ primus vidit et diligenter explicuit Seiters* (8).

Multa millia Hassorum, a quos bis adit S. Bonifacius, baptizat et confirmat; oratorium construit in Geismar prope Fritislariam;

12 *Postquam itaque secundo aliquandiu in Thuringia laboraverat S. Bonifacius, Hassos juxta fines Saxonum adiit;* multisque millibus hominum, *ait Willibaldus* (9), expurgata paganica vetustate baptizatis, idoneum nuntium ac fidelem suarum literarum portitorem, nomine Binnam, Romam direxit, patrique venerabili apostolicæ sedis pontifici Gregorio II universa... revelavit, *consilia simul et institutiones postulans. Sed ipse Romam accitus est et in festo S. Andreæ apostoli, eodem illo anno* 723 *episcopus ordinatus est sine certa sede et ad prædicandum Evangelium remissus. Sine mora dein se dedit in viam, flectens ad Carolum Martellum iter;* ejusque dominio ac patrocinio subditus, ad obsessas antea Hessorum metas, cum consensu Karoli ducis, rediit. Tum vero Hessorum jam multi, catholicæ fidei subditi ac septiformis Spiritus gratia confirmati, manus impositionem acceperunt : et alii quidem necdum animo confortati, intemeratæ fidei do- F cumenta recipere renuerunt; alii etiam lignis et fontibus clanculo, alii autem aperte sacrificabant. Alii vero aruspicia et divinationes, præstigia atque incantationes occulte, alii quidem manifeste exercebant : alii quidem auguria et auspicia intendebant, diversosque sacrificandi ritus incoluerunt; alii etiam, quibus mens sanior inerat, omni abjecta gentilitatis profanatione, nihil horum commiserunt. Horum consultu atque consilio arborem quamdam miræ magnitudinis, quæ prisco paganorum vocabulo appellatur Robur-Jovis *, in loco qui dicitur Gicesmere (*nunc vicus Geismar in pago* [Amte] *Gudensberg non procul a Fritislaria* (10),) servis Dei secum adstantibus, *non sine prodigio succidit et ex ejus ligno oratorium construxit,*

* Thunars Eiche

(1) Ap. Migne, Patrologia latina, tom. LXXXIX, col. 702. — (2) Vita S. Bonifacii, Acta SS., t. I Junii, p. 464. — (3) Hist. eccl. Franc., lib. V, cap. 4, 7 et 9. — (4) Seiters, Bonifacius, Apostel der Deutschen, p. 120. — (5) Vide Chartam donationis ap. Martenne et Durand, Eckhart et Seiters, Bonifacius, etc., p. 103. — (6) Seiters, p. 122. — (7) Acta SS., t. I Junii, p. 467. — (8) Bonifacius, etc., p. 117 et seqq. — (9) Acta SS., t. I Junii, p, 466. — (10) Seiters, Bonifacius, etc., p. 155 et 156.

AUCTORE V. D. B. *cooperatores accipit; monachorum numerum auget; monasteria ædificat Fritislariæ et Amanaburgi in Hassia; residere solet in Seelheim :*

construxit, in honorem S. Petri dedicatum (1).

13 *Interea vero peribat omnino in Thuringia res christiana; ita ut coactus fuerit beatus vir eo accurrere et collapsam pietatem restaurare. Quo tempore*, cum credentium paulatim pollesceret multitudo, prædicatorum quoque multiplicatus est et catalogus;... monasteriumque, congregata servorum Dei unitate et monachorum sanctitate, constructum est in loco qui dicitur Opdorp, *nunc Ohrdruf*; qui propriis sibi more apostolico manibus victum vestitumque instanter laborando acquisierunt (2). *Sub annum* 731 *denuo legatos Romam misit sanctus vir; qui sine mora a Gregorio papa III* (*decessor non ita pridem obiverat*) *gratum responsum accepit cum pallio archiepiscopali et reliquiis*. Advenientibus ergo nuntiis ac spontanea viri apostolici referentibus responsa, jam gratulabundus, apostolicæ sedis nimium confortatus devotionis suffragio, opeque divinæ misericordiæ inspiratus, duas ecclesias Domino fabricavit *in Hassia, ubi tum consistebat;* unam in Fridislar, quam in honorem sanctorum Petri et Pauli principis apostolo-
B rum consecravit; et alteram in Hamanaburch, hanc etiam in honorem S. Michaelis archangeli dedicavit. Duo quoque monasteriola duabus injunxit ecclesiis, hisque non minimam servientium Deo multitudinem subrogavit; ita ut (*addit mirabundus Willebaldus*) usque hodie gloria, et benedictio, et gratiarum actio Domino Deo devote conferatur (3). *Unde liquet cardinem quasi missionis Hassiacæ Fritislariæ et in vicinia constitutum fuisse. Nam Hamanaburgum seu Amanaburgum Hassiacum, quod a Thuringico diversum esse supra docuimus, est præsens oppidum Amöneburg , ad Amanam* (*vulgo* Ohm) *fluvium, in Hassia superiori, non procul a Thuringiæ finibus , prope Seleheim* (Gross-und-Klein-Seelheim) *et Bretten-Brunum, Breittenbrunon seu Breidenborn, vicum olim inter Ebsdorf et Beltershausen* (4) : *quæ loca simul conjunguntur in testamento* cujusdam clerici, nomine Adalgeri, bonæ conversationis viri, S. Bonifacio adhærentis; *qui*, infirmitate gravi captus, cum consilio viri Dei quæcumque prædia ex hæreditate paterna habuit in locis subternominatis, id est ad
C Amanaburg, ad Brettenbrunum et Seleheim, ad S. Martinum *seu templo cathedrali Moguntino* tradidit (5). *Et quidem* (*ut obiter de Seelheim hoc moneam*) *ex Vita S. Sturmii apparet S. Bonifacium solitum fuisse illic residere; ubi quippe bis eum adiverit futurus Fuldensis abbas:* Vir Dei Sturmi, *inquit Eigil ejus discipulus et biographus* (6), statim profectus est; arreptoque itinere, ad Seleheim, ubi sanctum comperit episcopum, properavit; die autem secundo, quo profectus est, ad episcopum ambulando pervenit et in loco eum superius dicto Frideslar invenit; *atque alia vice*, subito ipse, petita a fratribus oratione, ad Selehim, petiturus episcopum, profectus est (7).

Amanaburgensis et Fri-

14 *In Seelheim itaque, Amanaburgi et Fritislariæ maxima vis et religionis præsidium* D *tislariensis cœnobiorum præcipua fata.*
erat. Verumtamen Amanaburgense monasteriolum numquam magnis auctum fuisse videtur incrementis; sub annum quidem 1062 *adhuc exstabat; sed medio sæculo post desiit, bonis Moguntinæ ecclesiæ adjunctis. Quum tamen ecclesia adhuc superesset, ab archiepiscopo Gerlaco collegiata facta est anno* 1360, *titulo S. Joannis Baptistæ* (8). *Sæculo* XV *fere perierat, quum anno* 1417 *nova dotatione instructum est, neque tamen magnopere floruit. Latius ejus fata prosequi non lubet. Fritislariensis instituti celebrior fuit fama, fortuna vero non multo beatior. Anno* 774 *vastatum a Saxonibus, rediit aliquantum ad vitam; sed ad finem sæculi* VIII *evanescere videtur e memoriis historicis, donec anno* 1085 *appareat præpositum habens et canonicos, mox sæcularium clericorum leges secutos. Qui perstiterunt ibidem usque post Lunævillanum anni* 1803 *fœdus, quo Fritislaria a jure archiepiscopi Moguntini in ditionem principum Hassiæ subiit; qui nil prius habuerunt quam ut specie melioris usus, suppresso canonicorum collegio, bonorum reditus ad alia opera* E *adhiberentur. Perstat tamen S. Petri templum, grande, pulcrum, licet diversissimis architectorum consiliis exstructum. Quæ vero præcipua veterum canonicorum laus fuit, admirabili constantia obstiterunt semper, etiam quum Moguntini archiepiscopi cederent, ne Fritislariæ lutherana placita jure civitatis fruerentur. Profecto non potuerunt non tolerare multas blasphemias, sed bello tricenario victrix tandem fuit præclara eorum longaque fortitudo* (9).

15 *Sed cave ne credas alias ecclesias a S. Bonifacio non fuisse procuratas;* (*monasticas solum memoravit Willibaldus, quod eximia religionis seminaria essent et quasi fidei castra, et Geismarensem, quod in dejicienda quercu prodigium visum esset;*) *hæc ejus singularis cura et sollicitudo ut passim in agris, vicis et villis, in Frisia, Thuringia et Hassia oratoria excitarentur : quod ut tot alia diligentissimus S. Bonifacii biographus Seiterus* (10) *non animadvertit solum, sed collatis ex Willibaldo et Othlono locis demonstravit. Sed quum una Hassia ad nos pertineat, satis erit ex Willibaldo ea verba recitare, quibus indicet quæ esset hujus provinciæ conditio, quum S. Bonifacius tertium* F *anno* 738 *sexagenarius Romam profectus est :* Cumque, *inquit* (11), ecclesiarum esset non minima in Hessis et Turingia multitudo extructa, et singulis singuli providerentur custodes ; tum etiam tertio propter familiarem sancti apostolici pontificis totiusque clericatus communionem, discipulorum comitante cœtu, Romam venit. *In his autem procurandis strenuum adjutorem habuit in Hassia S. Bonifacius S. Gregorium* (12), *natione Francum; quem anno ætatis* XIV *aut* XV *discipulum admiserat et qui postea factus est Trajectensis episcopus. Verum hæc ut bona semina erant, jacta in fertili Hassiæ agro, sic non deerant zizania, aut sponte pullulantia aut superseminata ab inimico ho-*

Alias multas ecclesias condit S. Bonifacius : sed non deerant scandala et pericula. Hæc Hassiæ conditio, quum ejus episcopus factus est S. Albinus.

(1) Willibaldus, Vita S. Bonifacii, Acta SS., tom. I Junii, p. 467. — (2) Ibid., loc. cit. — (3) Ibid., loc. cit. — (4) Seiters, Bonifacius, etc. p. 229. — (5) Othlonus, Vita S. Bonifacii, lib. II, cap. XIX, ap. Mabillonium, Sæc. Bened. III, part. II, p. 272. — (6) Vita S. Sturmii, ap. Mabillonium, Sæc. Ben. III, part. II, p. 83. — (7) Ibid., p. 274. — (8) Seiters, Bonifacius, etc., p. 231 ; Hirsching, Stifts-und-Closter-Lexicon, tom. I, p. 111 et 112. — (9) Falckenheiner, Geschichte Hessischer Städte und Stifter, tom. I, p. 73 et seqq. ; 270 et seqq. ; tom. II, p. 41 et seqq. — (10) Bonifacius, der Apostel der Deutschen, p. 165. — (11) Acta SS., tom. I Junii, pag. 468, num. 41. — (12) Ibid., p. 485, num. 9, ex Vita S. Gregorii, scripta a S. Ludgero.

mine.

A *mine. Nulli autem infestiores erant quam presbyteri et diaconi, qui sanctissimi viri, acerrimi sacerdotalis pudicitiæ exactoris, severitatem ferre non possent; et monachi et moniales, qui, disciplinæ regularis jugo excusso, in libidinum barathrum se projecissent; et quorum complures aut ad hæreticos transirent aut priscos gentilitatis ritus denuo amplexarentur. Supererant itaque, ut S. Bonifacii in epistola* XII *ad Danielem Wintoniensem verbis utar,* cum paganis, et cum permista, et cum plebeja multitudine pugnæ forasticæ; intimæ vero, quando quis de gremio matris ecclesiæ presbyter, vel diaconus, ecclesiasticus vel monachus, discedebat a fide et veritate : tum deinde prorumpebat cum paganis in contumelias filiorum ecclesiæ et est obstaculum horrendum Evangelio gloriæ Christi. *Quibus periculis accedebant continuæ vicinorum Saxonum minæ et invasiones; quas Carolus Martellus annis* 718, 724 *et nuperius anno* 738 *repulerat; ita ut, licet per postremam cladem firma jam videretur in Thuringia meridionali et in Hassia Francorum potestas, concuti tamen posset et populi turbari.*

B

§ III. Fundatio Wirziburgensis, Erfortensis et Buriburgensis episcopatuum. S. Albinus episcopus Buriburgensis.

S. Bonifacius erigit tres novas sedes, scilicet Wirziburgi, Erforti et Buriburgi, pro Franconia, Thuringia meridionali et Hassia;

Verumenimvero in difficili hac et ambigua rerum constitutione nil satius erat, quam ut episcopales erigerentur cathedræ et eximii seligerentur præsules, qui proximius negotia inspicerent; presbyteris, monachis et neophytis invigilarent; aliorum stimularent, aliorum dirigerent ardorem; sustentarent confirmarentque debiles, pervicaces vero obstinatosque conterent; religionis demum propagarent ambitum et ab internis externisque hostibus defenderent. Anno itaque 739, *Roma reversus, mandato pontificio, Bavariam, in quam curas suas etiam extenderat et quæ unum hactenus habuerat episcopum, in quatuor diœceses divisit, singulis suo præposito antistite. Biennio post, immo ad*

C *finem anni* 741, *eadem auctoritate fretus, australem missionis suæ partem, quæ de Carlomanni ditione erat, in tres divisit diœceses : episcopali sede constituta in ducatu Franconiæ Wirziburgi seu Herbipoli; in Suththuringia seu Thuringia meridionali, quæ et nude Thuringia deinceps*

* Erfort *dicta est, Erpesfurti*, cujus loco post longam temporis intercapedinem erecta est cathedra Naumburgensis; et in Hassia Buraburgi. Quoniam itaque sanctissimus vir præclaro mentis studio* optabat catholicam fidem et unitatem Romanæ ecclesiæ servare, et quantoscumque audientes vel discipulos in ista legatione sibi Deus donasset ad obedientiam apostolicæ sedis invitare et inclinare non cessabat, *voluit hanc suam constitutionem, licet ex communicata jam pridem potestate eam fecisset, a Zacharia papa confirmari. Quapropter scripsit ad eum in hæc verba* (1) : Necesse quoque habemus indicare paternitati vestræ quia per Dei gratiam, Germaniæ populis aliquantulum percursis vel correctis, tres ordinavimus episcopos; et provinciam in tres parochias discrevimus; et illa tria oppida sive urbes, in quibus constituti et ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestræ confirmari et stabiliri precantes desideramus. Unam esse sedem episcopatus decrevimus in castello, quod dicitur Wirzaburg; et alteram in oppido quod nominatur Buraburg; tertiam in loco, qui dicitur Erphesfurt, qui fuit jam olim urbs paganorum rusticorum : [*immo legendum est* : Et alteram in oppido, quod nominatur Buraburg, quod fuit jam olim urbs paganorum rusticorum; tertiam in loco qui dicitur Erphesfurt.] Hæc tria loca propria charta et auctoritate apostolatus vestri roborari et confirmari diligenter postulamus, ut (si Dominus voluerit) per auctoritatem et præceptum sancti Petri jussionibus apostolicis fundatæ et stabilitæ sint tres in Germania episcopales sedes, et ut præsentes vel futuræ generationes non præsumant parochias corrumpere, vel violare præceptum apostolicæ sedis.

AUCTORE V. D. B.

quas approbat S. Zacharias papa :

17 *Gaudio perfusus est Zacharias, quum audivit gremio ecclesiæ insertos novos populos :* Ubi et tres episcopos, *ait in responsis ad S. Bonifacii postulata* (2), per loca singula secundum seriem syllabarum tuarum te ordinasse cognovimus, qui eidem populo, quem sibi Dominus Deus noster per tuam sanctitatem aggregare dignatus est, præesse debeant, et petisti ut per auctoritatem nostræ sedis episcopales ibi sedes firmentur. Sed tua sancta fraternitas mature pertractet et subtili consideratione discernat, si expedit, aut si loca vel populorum turbæ talia probantur, ut episcopos habere mereantur. Meministi enim, charissime, quid in sacris canonibus præcipimur observare, ut minime in villulas, vel in modicas civitates episcopos ordinemus, ne vilescat nomen episcopi. Sed nos tuis sincerissimis atque a nobis dilectis syllabis provocati, quæ poposcisti absque mora concedi patimur; et statuimus per apostolicam auctoritatem episcopales illic esse sedes quæ per successionem episcopos mereantur, et populis præsint, atque in quibus prædicationis verbum subjectis insinuetur : id est, in castello quod dicitur Wirzburg, et alterum in oppido quod nominatur Buraburg, tertium F in loco qui dicitur Erphesfurt; ita ut nulli post hæc liceat cuiquam hæcquæ a nobis sancita sunt quoquo modo violare, quæ auctoritate beati Petri apostoli firma esse decrevimus.

E

præpositi fuerunt Wirziburgensi S. Burchardus, Erfortensi forte S. Adelarius et S. Witta *seu* Albinus *Buriburgensi :*

18 *Ex presbytero Deneardo, cui literas suas Romam perferendas crediderat S. Bonifacius, intellexit S. Zacharias trium episcoporum nomina; quorum nunc duo tantum certo cognita sunt. De Erfortensi multa enim disceptatio est. Alii enim volunt consilium quidem fuisse S. Bonifacii Erforti episcopalem cathedram constituere, sed id ab eo non fuisse perfectum; alii mendum esse : in omnibus quidem exemplaribus S. Bonifacii et S. Zachariæ epistolis, quin etiam in eo, quod Othlonus sæculo* XI *in sua S. Bonifacii Vita descripsit, legi* Erphesfurtum, *sed substituendum esse* Eichstetum, *cujus primus episcopus fuerit S. Willibaldus : sed* (*ut paulo post demonstrabimus*) *tardius episcopus*

(1) Epist. S. Bonifacii XLIX, ap. Migne, Patrol. lat., tom. LXXXIX, col. 744. — (2) Epist. S. Zachariæ papæ II, ap. Migne, t. LXXXIX, col. 918 et 919.

AUCTORE V. D. B.

consecratus fuit S. Willibaldus; alii itaque Erfortum retinendum esse suadent, ejusque primum episcopum fuisse S. Adelarium, qui cum S. Bonifacio occisus sit; et demum alii certissime sedem episcopalem Erforti constitutam fuisse, sed eam non diu perseverasse, neque certo sciri quis primus fuerit episcopus, licet verisimile sit fuisse S. Adelarium : quæ postrema sententia longe mihi videtur prudentissima. S. Burchardum Wirtzeburgensi cathedræ fuisse impositum et S. Wittam *seu* Albinum *Buraburgensi indubia res est.*

ad quorum singulos literas dedit S. Zacharias anno 745 ; et conciliumGermanicum eodem anno 745 celebratum est.

19 *Ad tres episcopos simul literas dedit S. Zacharias papa, quibus denuo et singulariter confirmavit singularum sedium institutionem et quibus singulos excitavit ut strenue officio suo fungerentur :* De cætero, *inquit* (1), petimus divinam clementiam ut confirmet et corroboret hoc quod operatus est Dominus in vobis. Charitas Dei, et pax, atque gratia sit cum spiritu vestro, sanctissimi et dilectissimi nobis. Toto conamine elaborate pro fide Christi, et ad ministerium ejus perficiendum decertate, ut cum egregio apostolo mereamini
B dicere : « Bonum certamen certavi, cursum « consummavi, fidem servavi. De reliquo re« posita est mihi corona justitiæ, quam red« det mihi Dominus in illum diem justus « judex (I Tim. IV). » Salutantes vos in Domino valere optamus. Bene valete. Data kalendis aprilis, imperante domino Constantino magno imperatore anno XXIV, imperii ejus anno II, indictione XI. *Quæ notæ, quibus dies 1 aprilis anni* 743 *designatur, omnino retinendæ sunt; tum quod tribus S. Zachariæ epistolis, eodem tempore missis, inscriptæ leguntur, tum quod conveniunt cum tempore ordinationis presbyteralis et episcopalis S. Willibaldi : quod tempus certissimum esse inferius apparebit. Frustra itaque annum imperii II tollendum esseet legendum* anno XXII, indictione X *voluit Pagius* (2), *quoniam literæ, datæ ad S. Bonifacium et in eadem desinentes verba, manifeste scriptæ fuerint, antequam concilium* anno ab incarnatione Domini 742, videlicet XI kalendas maji, *in Germania a S. Bonifacio celebratum sit. Sed in hæc non consentit Mansius, statuens concilium Germanicum anno* 743 *fuisse habitum,*
C *atque tribus hebdomadibus ante scriptas fuisse literas S. Zachariæ.* Celebratur, *inquit* (3), concilium hoc die IX kal. maji. Porro dies illa anno sequenti (743), non vero præsenti (742), in Dominicam incidit. Scitum est autem concilia nonnisi diebus Dominicis cogi per hæc tempora consuevisse. *Quæ sententia bona est, licet argumentum bonum non sit, quum certum sit juxta antiquiorem disciplinam conciliis initium datum fuisse omni feria* (4); *nisi quod conventibus nationalibus* (*ut hæc concilia erant*) *dies Dominica cæteris opportunior erat. Omitto Binterim* (5) *et S. Zachariæ epistolas et concilium illud Germanicum ad annum* 744 *trahere.*

Buriburgum indicatur ut sedes S. Albini.

20 *Sedes S.* Albini *in literis S. Bonifacii ad S. Zachariam et in hujus responsoriis vocatur* Buraburg; *quod nomen retinendum est, licet in* D *editione Serarii literæ, ad S.* Albinum *datæ, hanc inscriptionem præferant :* Dilectissimis nobis Wittanæ sanctæ ecclesiæ Barbarenæ Zacharias papa; *et in editione Binii :* Dilectissimo nobis Wittæ sanctæ ecclesiæ Barbarenæ Zacharias papa; *et in notatione* 29 *Serarii ad Vitam S. Bonifacii ex tertio codice :* Dilectissimo nobis Wittæ sanctæ ecclesiæ Birburgensis Zacharias papa (6). *Quod nomen* oppidum rusticorum *significat :* bur *enim* bura, buro, giburo, u *sonum ubique habente græcæ diphthongi* ου, *theotisce eodem sono* boer, *germanice* bauer, *anglice* bower, *est* colonus, *seu vir rure habitans et ex propriorum seu censualium agrorum cultura vitam sibi comparans* (7); burgum *autem castrum seu oppidum est, qualibuscumque mœniis firmatum. Locus itaque tutus fuerit, quem agricolæ vicini* (*alias in partibus germanicis vix umquam intra mœnia degentes*) *sibi selegerint et munierint adversus Saxonum incursiones. Quamobrem in S. Bonifacii epistola de eo dicitur* quod fuit jam olim urbs paganorum rusticorum; *quæ verba quam absurde librarii ad Erfortum* E *transtulerint in oculis situm est.*

Buriburgi situs prope Fritislariam accurate indicatur;

21 *Quis vero ille nunc locus sit seu ubi jaceat, non una fuit eruditorum sententia; licet nunc melius consentire videantur. Serarius* (8) *et Würdtwein* (9) *voluerunt esse Warburg, qui locus sit inter Fritislariam et Paderbornam : sed id nititur eo fundamento quasi Barbarenæ episcopus fuisset S.* Albinus. *Aliis vero placuit ut Büren, qui similiter diœcesis Paderbornensis locus est, sedem sancti episcopi fuisse diceret* (10); *sed licet* Büren, *uti et* Beuern *in* Ottenbeurn, Blauenbeurn *etc.* (11), vicum rusticum *significet et ad sensum vocabuli* Buraburg *eatenus accedat, hoc tamen ipso quod de vico, non autem de oppido dicitur, pro sede episcopali admitti nequit. Præterea Büren et Warburg non in Hassia, sed in Saxonia erant. Convenit nunc itaque, maxime postquam anno* 1717 *Joannes Hermannus Schminckius Marburgi edidit Dissertationem suam historicam de episcopatu Buriburgensi in Hassia inferiori,* (*quam tamen nonnisi ex aliena relatione cognovi,*) *sed convenit Buriburgum prope Fritislariam fuisse, in ripa rivi Adranæ* ; qui locus vul-* F *gari sermone dicatur* Buraberg, *et in mappis Hoffmannianis* Bierberg. *Graphice eum describit Falckenheiner in Fritzlariæ descriptione historica* (12) *: priusquam scilicet Adrana, ex montibus principatus de Waldeck lapsus et fines Hassiæ electoralis ingressus, in fertilissimam vallem, cui nomen suum communicat, influit, surgit mons ex tribus lateribus abruptus, ante annos quadraginta in clivis silva arborum tectus, nunc calvus omnino et ingenti metulæ similis. Ascenditur duabus semitis difficillimis, occursus et recursus habentibus innumeros : altera meridiana, qua venitur ex Fritislaria, altera septentrionali, quæ ex vico Ungedanken ducta est. In summo monte sacellum exstat; atque*

* Edder

(1) Epist. III, ap. Migne, Patrologia latina, tom. LXXIX, col. 923. — (2) Critice in Annales Baronii ad an. 742, num. 7. — (3) Ibid. in notis et in dissertatione singulari de synodis in Germania, Gallia et Italia a S. Bonifacio et Zacharia papa habitis et de litteris mutuis Zachariæ papæ et S. Bonifacii, ap. Migne, Patrologia, tom. LXXXIX, col. 837 et seqq. — (4) Cfr hic ipse t. XI Octob., p. 841 et 842. — (5) Geschichte der deutschen Concilien, t. II, p. 18 et 19. — (6) Cfr Patrologia latina Migne, tom. LXXXIX, col. 921 et 922. Cfr edit. Würdtwein, p. 117 et 118. — (7) Cfr Adelung, Wörterbuch, V° *Bauer*. — (8) Rerum Mogunticarum tom. I, lib. III, not. XXIX, p. 313. — (9) Epist. S. Bonifacii, p. 118, not. — (10) Cfr Seiters, Bonifacius der Apostel der Deutschen, p. 317. — (11) Adelung, Wörterbuch, V° *Bauer*. — (12) Geschichte Hessischer Städte und Stifter, tom. I. p. 7 et 8.

inde

A *inde prospectus patet in amplissimam pulcherrimamque vallem. E regione autem ferme illius montis, ad ortum æstivum, in sinistra Adranæ ripa, inter Ungedanken et Geismar, consurgit alius mons, etiam excelsior, neque minus abruptus, in cujus summitate adhuc apparent multi secti lapides, veterum mœniorum reliquiæ. Volunt illic stetisse quercum seu Robur-Jovis, quam arborem mirabiliter a S. Bonifacio excisam supra docuimus* (1). *Sed factum hoc prodigium in Geismar; cujus nominis posterior pars non montem, sed paludem significat. Neque juvat quod mons ille vicinus est, atque nunc Geismarii pars haberi potest; nam olim a Geismario certissime distinctus erat, quippe in quo consurgeret singulare oppidum. Quoniam autem in posteriori hoc monte munitum castrum stetit, cujus appareant parietinæ, noli contendere in illo monte potius positum fuisse Buriburgum. Ex Vita enim S. Wigberti, cujus reliquiæ anni* 774 *Fritislaria Buriburgum timore Saxonum delatæ sunt, liquet hoc castellum in dextra Adranæ ripa fuisse ædificatum. Quum enim Fritislaria, quod in sinistra ripa consurgit, eas asportarent Buriburgum,*
B *seu (ut illic legitur) Buriburch, prius* in vallem non adeo depressam ventum est, quæ ex adversum est oppido; *deinde* flumen Adranam trajecerunt, *atque ita* pertulerunt in oppidum *Buriburgum* beati viri pretiosas reliquias (2). *Oculos in mappam topographicam conjice; nec quidquam dubii supererit. Deinde ipsum nomen* Bürberg *proxime ad* Buriburg *accedit; et tertio demum, hic etiam cernuntur veterum mœniorum vestigia : de quibus in fine dicemus, quum explicanda erunt hujus oppidi postrema fata.*

§ IV. Tempus consecrationis S. Willibaldi, episcopus Eichstetensis et concilii germanici primi, quorum particeps est S. Albinus. Translatio S. Wigberti. Mors et sepultura S. Albini Hersfeldiæ.

Die 21 *octobris anni* 742 S. Albinus *simul cum SS. Bonifacio et Burchardo consecrat S. Willibaldum, qui presbyteratum acceperat inter* 22 *et* 23 *julii anni* 741.

Incidimus jam in vexatissimas quæstiones de consecratione episcopali sancti Willibaldi, primi episcopi Eichstetensis, de tempore celebrati primi concilii Germanici aliisque hinc pendentibus nodis chronologicis, quibus implicantur etiam S, Albini *gesta. Sed ex his nos breviter expedire licet. Supra docuimus Concilium Germanicum* XI *kalendas majas, seu die* 21 *aprilis, quæ Dominica erat, anno* 743 *fuisse habitum; cui interfuit S. Willibaldus, Witbaldus in Actis appellatus : ita ut episcopus jam tum fuerit. Atqui asserendum mihi videtur eum manuum impositionem accepisse a S. Bonifacio, Moguntino antistite, a S. Burchardo, episcopo Wirzeburgensi, et a S.* Albino, *qui et* Witta *et* Wizo, *die* 21 *octobris anni* 742, *quæ Dominica erat. Scilicet quum verno tempore anno* 738 *Romam ivisset S. Bonifacius et reliquam anni partem illic degeret, cognovit duos fratres S. Wunebaldum et S. Willibaldum, natione anglos, et ex diuturna Hierosolymitana peregrinatione reduces, illum Romæ, hunc Cassini sanctissime vivere. Qui ut secum in Germaniam venirent, novæ plantationi operam daturi, obtinuit.* Posthæc, tunc finitis oraculorum fabulis, pergebat inde S. Willibaldus in Pascha *anni* 739, *ut loquitur Heidenheimensis monialis* (3), *quæ S. Willibaldi gesta et maxime itinera literis tradidit. Perrexit prius in Bavariam ad Odilonem ducem; inde ad Suitgerum, comitem Hirspergensem, qui* regionem Eystet tradiderat S. Bonifacio (4), *apud neutrum plus unam hebdomadam moratus; et demum ad ipsum S. Bonifacium, Roma similiter reducem, qui* misit illum ad Eystet, ut videret quomodo sibi placeret. *Quæ facta sint circa medium annum* 739. *Antequam presbyter consecratus sit S. Willibaldus,* aliquantum temporum inducium *mansit in Eichstet.* Postea iterum pergebant ad S. Bonifacium ad Frisingam. Et ibi erant cum illo, usque dum omnes simul iterum veniebant ad Eystet. Et ibidem tunc
E S. Willibaldum consecravit sanctus Bonifacius in presbyteralis dignitatis gradum. *In illis itaque plus integrum biennium positum est, quum S. Willibaldus certissime presbyter factus sit diebus* 22 *et* 23 *julii anni* 741. *Addit enim Heidenheimensis monialis :* Ipsa die, qua episcopus noster S. Willibaldus consecratus est in presbyteratum, undecimo kalendas augusti fuit ad natalem sanctæ Mariæ Magdalenæ et sancti Apollinaris (5). *Quibus postremis verbis manifestum indicium temporis continetur : quod miror non vidisse Mabillonium* (6), *Sollerium* (7), *Bueum* (8), *Eckhartum* (9), *Falckenstenium* (10), *Luidlium* (11), *Crammerum* (12), *Hartzheimium* (13), *Binterim* (14), *Seiterum* (15), *Saxium* (16) *aliosque.*

S. Bonifacius in ordinandis presbyteris non servabat aliquando Quatuor tempora,

23 *Imprimis enim certum est S. Bonifacium in ordinandis presbyteris sæpius rationem habuisse necessitatis quam sacrorum canonum. In capitulari quidem, Martiniano episcopo et Georgio presbytero, in Boariam ablegatis, dato, præscripserat Gregorius papa II, ut* ordinationes presbyterorum seu diaconorum nonnisi quarti, septimi et decimi mensis jejuniis, sed et in
F ingressu quadragesimali atque mediano vespere sabbati celebrarentur (17). *Verum hæc non servaverat sanctus vir; et quamvis, quod licitum non est in lege, necessitas faciat licitum* (18), *anxius erat quod ea necessitate aliquando prætergressus esset; scripsitque ea de re ad S. Zachariam papam; qui anno* 751 *in hæc respondit verba* (19) *:* De ordinatione etiam presbyterorum et diaconorum, qui, cogente necessitate et paupertate rogantium, non legitimis temporibus et diebus ad te pervenerunt, si aliquam ex hoc haberes offensionem insinuasti. Dicimus autem tibi, frater, bene nosti quod sacri canones docent aptis temporibus sacerdotes

(1) Geschichte Hessischer Städte und Stifter, tom. I, p. 9. — (2) Vita S. Wigberti, auctore B. Servato Lupo, capp. XIII et seqq. ap. Mabillonium, sæculum Bened. III, part. I, p. 677 et 678. — (3) Acta SS., t. II Julii, p. 510. — (4) Ibid., p. 511. — (5) Ibid., p. cit. — (6) Acta SS. Ord. S. Bened. sæc. III, part. II, p. 390 et 391. — (7) Acta SS., t. II Julii, p. 489 et seqq. — (8) Ibid., t. VI Octobris, p. 562. — (9) Francia orientalis, t. I, p. 379 et alibi passim. — (10) Antiquitates Nordgavienses, t. I, p. 11 et seqq. — (11) Eichstättisches Heiligthum, diss. I, passim. — (12) Heiliges und gottseliges Eichstädt, p. 23 et seqq. — (13) Concilia Germaniæ, t. I, p. 346. — (14) Geschichte der deutschen Concilien, t. II, p. 50 et 51. — (15) Bonifacius, der Apostel der Deutschen, p. 541 et seqq. — (16) Versuch einer Geschichte der Hochstiftes und der stad Eichstädt, p. 7 et seqq. — (17) Hartzheim, Concilia Germaniæ, t. I, col. 36; et Epistola Gregorii II ad Germaniæ clerum, inter Bonifacianas, ap. Serrarium, CXXIV; ap. Würdtwein, X. — (18) Regula juris, Decret. lib. V, in fine. — (19) Inter epistolas Bonifacianas ap. Serrarium, CXLII; ap. Würdtwein, LXXXVII.

AUCTORE V. D. B.

ordinandos. Attamen in eo, quod a te propter zelum fidei actum est, a Domino Deo nostro indulgentiam postulemus. *Duo itaque præcepta continebantur lege de ordinationum tempore: ut Quatuor temporibus fierent et ut mediano vespere sabbati celebrarentur; dein constat hæc non semper servata fuisse a S. Bonifacio : cujus rei exemplum est ipsamet S. Willibaldi ordinatio presbyteralis facta mense julio, extra Quatuor tempora.*

sed propterea non negligebat præscriptam noctem sabbati et dominicæ;

24 *Sed quod mensem aut statutam hebdomadam non servavit, quoniam neque ipse tum ad S. Willibaldum venire poterat, neque S. Willibaldus ad ipsum, ideo poni non potest eum non servasse diem hebdomadæ, maxime quod dies proximi essent, neque paupertas urgeret, Suitgero affatim omnia ministrante. Certum itaque sit ordinationem presbyteralem S. Willibaldi incohatam fuisse* undecimo kalendas augusti *seu die* 22 *julii*, ad natalem S. Mariæ Magdalenæ, mediano vespere sabbati, *et perfectam die* 23 *julii*, ad natalem sancti Apollinaris. *Nam ex multis testimoniis, quæ maxime ex S. Leone I papa congessit Martenius* (1), *con-*
B *stat* sacerdotalem vel leviticam ordinationem *non potuisse celebrari* nisi in die resurrectionis Dominicæ, *id est die Dominica*, cui a vespera sabbati initium constat adscribi (2), *seu* mane ipso dominico die, continuato sabbati jejunio, a quo tempore præcedentis noctis jejunia non recedunt (3). *Quæ lex in Germania adhuc servabatur sæculo* XII, *quo Rupertus Tuitiensis scripsit* (4) ordinationum sacramenta Dominicæ diei deputari, cujus in vespera fiunt, et tam vespera sabbati quam prima sabbati mane posse et licere jejunis a jejunantibus celebrari. *Hinc, ut Condeluc monachus legitur in Gestis sanctorum Rothonensium* gradum sacerdotii in die dominico suscepisse (5) *in Britannia Minori, sic S. Conradus* sabbato ante dominicam Indulgentiæ *seu Palmarum*, *monasterium S. Galli* ingrediens, honorifice susceptus (ut dignum erat), crastinum diem,... missas spiritualiter celebrando, plures... diversis gradibus salubriter ordinando,... exegisse *perhibetur* (6). *Jam vero anno* 741, *litera dominicali* A, 22 *julii concurrebat cum sabbato, et* 23 *cum dominica : ita ut omnia conveniant; dum contra,*
C *si dicatur* (*ut plerisque placet*) *S. Willibaldus presbyter ordinatus anno* 740, *manuum impositionem inceperit S. Bonifacius die veneris et perfecerit die sabbati; quod profecto credibile non est.*

hinc sequitur S. Willibaldi presbyteratum et episcopatum uno anno ocius passim consignari. Episcopatus Eichstetensis erectus fuit non anno 745, *sed* 742.

25 *Inde autem sequitur S. Willibaldum episcopum creatum esse die* 21 *octobris anni* 742. *Monialis enim Heidenheimensis, ut ejus presbyteralem ordinationem narravit, sic pergit* (7) : Et postquam unius anni transibat circulus, sanctus Bonifacius præcepit ut in Thuringiam ad se veniret. Statimque venerandus ille vir Dei sanctus Willibaldus... veniebat... Illud fuit autumnale anni tempus, quando sanctus Willibaldus veniebat in Thuringiam. Statimque, posteaquam illuc veniebat, sanctus D Bonifacius archiepiscopus, atque Burchardus et Wizo sacræ episcopatus authoritati illum ordinando consecraverunt. Ast ibidem tunc cum summo sacerdotalis infulæ ditatus erat honore, unam hebdomadam erat, et postea iterum AD PRÆDESTINATUM MANSIONIS SUÆ LOCUM remeabat, *scilicet ad Eichstet. Unde ruunt, ut id in transitu animadvertamus, quæ in singulari dissertatione de anno conditi episcopatus Eichstetensis excogitavit Luidlius noster* (8) *et quæ avidissime amplexi sunt Crammerus* (9), *Seiterus* (10) *et Saxius* (11), *scilicet S. Willibaldum prius ab anno* 741 *fuisse episcopum regionarium seu sine certa sede, anno vero* 745 *promotum fuisse ad sedem Eichstetensem, tunc primum erectam; tum quoniam, quum anno* 739 *ad* illam regionem *advenit*, adhuc tota erat vastata, ita ut nulla domus ibi esset, nisi illa ecclesia sanctæ Mariæ, *ait monialis Heidenheimensis* (12), quæ adhuc stat ibi, minor quam alia ecclesia, quam postea B. Willibaldus ibi construxerat; *ita ut tum nondum episcopali cathedræ aptus esset locus; tum quoniam in Libro pontificali Eichstetensi, quem sub annum* E 1071 *Gundecharus seu Gunzo, episcopus illius sedis, conscribi procuravit, ad nomen S. Willibaldi adscribitur* : Sedit a. 36. Anno inc. Domini 781. Non. Jul. obiit (13); *et quod altaribus hæc aut similia inscribi jussit idem Gundecharus* (14) : Anno ab incarnatione Domini 1060, anno autem constitutionis hujus episcopii 317 *etc.; ab Hermanno Contracto autem, Mariano Scoto et Annalista Fuldensi uno etiam aut altero anno post* 745 *referri aut S. Willibaldi consecrationem episcopalem aut Eichstetensis cathedræ institutionem* (15). *Verum hæc omnia documenta tribus fere sæculis Heidenheimensis monialis coævo testimonio posteriora sunt; deinde S. Zacharias, qui ex Deneardo presbytero intellexerat episcopales sedes erectas fuisse in opportunis quidem locis et magnæ plebi aliquando capiendæ accommodis, sed hactenus parum populosis, non frustra in suis literis renovaverat veterum ea de re legum canonicarum memoriam.*

Quoniam ordinatio S. Willibaldi incidit in 21 *octobris anni* 742. *quæ erat dominica, hinc omnia conveniunt et sequitur S.* Albinum *episcopum factum esse anno* 741.

26 *Sed ad monialem Heidenheimensem ex hoc diverticulo redeamus :* Sanctus Willibaldus, *sic pergit,* quando in episcopatum consecratus erat, habebat quadraginta annos et unum. Et tunc erat autumnale tempus : circa illam fere horam tribus hebdomadibus ante natale sancti Martini in episcopatum consecratus est in loco, qui dicitur Sallpurg. *Quum autem sancti Martini Turonensis festum celebretur die* 11 *novembris, sequitur S. Willibaldum episcopali dignitate auctum esse die* 21 *octobris; atqui anno* 741 , *quo nunc ab omnibus id factum fuisse traditur, litera dominicali A, concurrebat dies* 21 *octobris non cum dominica, episcopis consecrandis præstituta, sed cum sabbato : contra anno* 742, *quo reapse S. Willibaldum episcopum initiatum fuisse non ex hoc tantum*

(1) De antiquis ecclesiæ ritibus, lib. I, cap. VIII, art. IV, t. II, p. 283 et seqq., edit. 1700. — (2) Epist. XI ad Dioscorum Alexand. — (3) Epist. X ad episc. prov. Viennensis. — (4) De divinis officiis, lib. III, cap. 8. — (5) Lib. II, cap. 3, ap. D. Morice, Preuves de l'Hist. de Bretagne, t. I, col. 246. — (6) Ap. Goldastum, Rer. Alemann. t. II, p. 183. — (7) Acta SS., tom. II Julii, p. 511. — (8) Gründliche Erörterung der Frag : Ob das Bissthum Eichstätt in dem Jahr Christi 741 oder 745 gestifft und errichtet worden, in opere : Eichstättisches Heiligthum, p. 1 et seqq. — (9) Heiliges, etc. Eichstädt, p. 23 et seqq. — (10) Bonifacius, etc. p. 341 et seqq. — (11) Versuch, etc. p. 7 et seqq. — (12) Acta SS., tom. II Julii, p. 511. — (13) Ap. Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. VII, p. 245. — (14) Ibid., p. 246 et seqq. — (15) Vide hæc loca ap. Falckenstein, tom. I, p. 12.

capite,

A *capite, verum etiam ex presbyteratus collati tempore sequitur, litera dominicali G, dies* 21 *octobris dominica erat. Quæ lex aut consuetudo de creandis episcopis diebus dominicis aut festis potioribus vigebat etiam in Germania, ut Amalarius Metensis* (1) *testimonium est. Re quidem vera ab ea recedebatur aliquando, quemadmodum in Vita S. Willehadi, episcopi Bremensis* (2), *deprehenditur; sed raro usuveniebat et singulare habebatur. Conveniunt itaque omnia: ad finem anni* 741 *episcopum Buriburgensem creavit S. Bonifacius S.* Albinum, *S. Burchardum Wirtzeburgensem et tertium, forte S. Adelarium, Erfortensem; aliquot mensibus post Deneardum presbyterum Romam misit, qui a S. Zacharia trium harum sedium confirmationem obtineret; re diligenter multoque tempore examinata, consensit Romanus pontifex et literas dedit die* 1 *aprilis ejusdem anni* 743; *abfuisse itaque videtur Deneardus menses minimum decem, ab æstate scilicet anni* 742 *usque ad vernum tempus anni* 743; *interea autem die* 21 *octobris anni* 742 *S. Bonifacius simul cum SS.* Albino *et Burchardo manus imposuit S. Wil-*
B *lebaldo eumque episcopum Eichstetensem sacravit; atque anno demum* 743 *die* 21 *aprilis, quæ dominica erat, vix aut non vix receptis S. Zachariæ literis, nimium procrastinatis, concilio Germanico præsedit, cui interfuerunt præter alios episcopos SS. Burchardus,* Witta *seu* Albinus *et Willebaldus; sequitur inde etiam concilium Liptinense*, kalendis martiis *coactum, integro fere anno post concilium Germanicum, referendum esse ad annum* 744 (3), *quo etiam dies* 1 *martii cum dominica concurrebat; atque nonnulla alia etiam SS. Bonifacii, Willebaldi sociorumque gesta uno anno differenda esse: quæ quidem res nos movit ad inhærendum tam diu notis illis temporalibus.*

Consecrationi S. Willibaldi interfuit S. Albinus *Salzburgi ad Salam Franconiæ;*

27 *Dicendum superest quis locus sit Sallpurg, ubi S.* Albinus *cum S. Bonifacio et S. Burchardo autumno anni* 742 *convenit et S. Willebaldo manus imposuit. De ejus situ multæ olim divinationes et conjecturæ propositæ fuerunt; quarum memoriam ne renovare quidem volo, quum Eckhartus, qui tot alias Franciæ Orientalis res non minori felicitate quam eruditione explicuit, hoc quoque castrum accurate designa-*
C *vit. Non enim cogitandum est de Salisburgo, civitate episcopali, multo nimium dissita; neque de Salburgo ad Thuringicam Salam, sub oppido Hoff sito, quum ea regio tum habitaretur a Slavis Sorabis, nondum domitis; sed de Salzburgo, ad Salam Franconiæ condito. Qui fluvius, in Mœnum labens ad Gemundam Franconiæ, supra Königeshovam in pago Grabfeld Orientali oritur, et post Königeshovam Neu-Stadium, olim Salz nuncupatum, et ex adverso castrum Salzburgum, cujus rudera veterem magnificentiam sæculo superiori adhuc ostentabant, Kissingam ac Hammelburgum præterfluit. Salzburgo ingens adjacebat silva, Salzforst dicta, atque universa regio tam amœna erat ut in fluvii insula palatium regium exstructum fuerit. Sed vide de his Eckharti observationes in Commentariis de Francia Orientali* (4), *multo autem magis ejus singularem dissertationem, anno* 1751 *Lipsiæ editam* (5).

item interfuit concilio Germanico, die

28 *Volunt nonnulli, quos inter Eckhartus,*

(1) De officiis ecclesiasticis, lib. II, cap. 2. — (2) Cfr Acta SS., tom. IX Octobris, p. 378. — (3) Cfr Mansi in Observat. ad criticen Pagii super Baronium, ad an. 743, not. 1. —

tum Salzburgi concilium celebratum fuisse; sed, nisi lubeat omnem episcoporum conventum hoc nomine vocare, nil est cur hic episcoporum cœtus concilium appelletur. Primum itaque concilium Germanicum dicendum est, quod, præsente S. Albino, XI *kalendas maji seu die* 21 *aprilis anni* (*ut demonstravimus*) 743 *habitum est ignoto loco.* (*Nam quod alii Wormatiæ, alii Augsburgi, alii Ratisbonnæ, alii Francofurti, alii alibi id celebratum fuisse dicunt, conjecturæ et somnia sunt.*) *Cujus occasionem et causam S. Bonifacius, anno* 742 *ad S. Zachariam papam scribens, his aperit verbis* (6) : Notum similiter sit paternitati vestræ, quod Carlomannus, dux Francorum, me accersitum ad se rogavit, ut in parte regni Francorum, quæ in sua est potestate, synodum facerem congregari : et promisit se de ecclesiastica religione, quæ jam longo tempore, id est non minus quam per sexaginta vel septuaginta annos, calcata et dissipata fuit, aliquid corrigere et emendare. Quapropter si hoc, Deo inspirante, veraciter implere voluerit consilium, et præceptum vestræ auctoritatis, id est, apostolicæ sedis habere [debeo] et sapere. Franci enim, ut se- E
niores dicunt, plus quam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt : nec archiepiscopum habuerunt : nec ecclesiæ canonica jura alicui fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates episcopales sedes traditæ sunt laïcis cupidis ad possidendum, vel adulteratis clericis, scortatoribus et publicanis ad perfruendum. *Et pergit beatus vir cleri populique depravatos mores describere et sacrorum canonum prolapsionem proponere.*

AUCTORE V. D. B. 21 *aprilis anni* 743 *rogatu Carlomanni*

29 *Probavit quam maxime S. Zacharias concilii celebrationem; sed responsa ejus ad proposita dubia videri tardius aut extremo tempore advenisse supra monui. Religioso conventui interfuerunt non episcopi solum, abbates et clerici, verum etiam optimates: ita ut regni conventus publicus fuerit, præside Carolomanno; neque legibus ecclesiastica dumtaxat auctoritas insita sit, sed et politica. Ejus autem initium hanc habet formam :* In nomine Domini Jesu Christi. Ego Carlomannus dux et princeps Francorum, (*Austrasiæ major domus,*) anno ab Incarnatione Domini DCCXLII[I], XI videlicet kalendas maii. F
cum consilio servorum Dei et optimatum meorum, episcopos qui in regno meo sunt, cum presbyteris ad concilium et synodum pro timore Christi congregavi, id est Bonifacium archiepiscopum, et Burchardum *Wirzeburgensem*, et Regenfridum *Coloniensem*, Wintanum *Buriburgensem*, et Witbaldum *Eichstetensem*, et Dadonum *sine certa aut nota sede*, et Eddanum *Argentinensem*, ac reliquos episcopos, cum presbyteris eorum, ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei et ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum principum dissipata corruit, et qualiter populus Christianus ad salutem animæ pervenire possit, et per falsos sacerdotes deceptus non pereat. *Ex decretis hæc solummodo referam, synodum in singulos annos indictam fuisse, regulam S. Benedicti omnibus monasteriis præscriptam et ab expeditione militari liberatos*

et approbatione S. Zachariæ papæ propter diuturna mala et scandala coacto :

(4) Tom. I, p. 389 et 741. — (5) Alte Saltzburg und das Pallast Saltz in Franken. — (6) Epistola Bonifaciana, ap. Serarium, CXXXII, ap. Würdtwein, LI.

clericos.

AUCTORE V. D. B.

clericos. Reliqua in tollendis abusibus cleri et populi versantur.

item verisimillime concilio anni 745; cujus occasione gravissimam epistolam cum S. Bonifacio et aliis episcopis scripsisse videtur ad regem Merciorum.

30 *Dubitandum non est quin aliis quoque conciliis interfuerit* S. Albinus, *seu* Witta *et* Wittanus; *sed quum nulla hujus rei certa notitia supersit, permittimus eam lectoris arbitrio et conjecturis, monentes tamen Serarii* (1) *et Eckharti* (2) *sententiam valde probabilem esse,* Weræ *loco, (quod monstrum nominis legitur in capite literarum, quas ante annum* 747 *ad Ethibaldum, regem Merciorum, dedit S. Bonifacius cum aliis pluribus episcopis, rogans eum ut castius viveret et monachos sacerdotesque a comitum violentia defenderet,) legendum esse* Wittam; *ita ut hoc earum sit exordium* (3) : Domino charissimo et in Christi amore cæteris regibus præferendo, inclyta Anglorum imperii sceptra gubernanti, Ethibaldo regi, Bonifacius, archiepiscopus legatus Germanicus Romanæ ecclesiæ, et Witta (*loco* Weræ), *Buriburgensis,* et Burckart, *Wirzeburgensis,* et Warbeth *seu Hartbertus, Senonensis,* et Abel, *Remensis,* et Wilibald, *Eichstetensis,* coepiscopi, perennem in Christo charitatis salutem. *Quæ literæ, scri-*
B *ptæ ab octo episcopis, qui ad unam synodum convenerant, certissime anteriores sunt anno* 747, *quo Herefridus presbyter, qui eas regi tradere rogatus est, diem obierit; adeoque, ut censet Eckhartus* (4), *missæ fuerunt anno* 745, *quo celebratum est concilium, in quo Aldebertus et Clemens hæreseos crimine damnati sunt et Gewiliebus, Moguntinus episcopus, homicidii aliorumque facinorum reus, de gradu depositus fuit. Verumtamen animadvertendum est de tempore omnium conciliorum, quæ S. Bonifacius celebravit, diversissimas esse sententias; quarum elenchum Hartzheimius* (5) *ob oculos ponere conatus est. Neque hanc litem ullus facile finierit, si excipias primum concilium Germanicum, quod anno* 743 *convenisse a me superius demonstratum esse puto.*

Anno 774, Saxonibus Fritislariæ incumbentibus atque etiam Buriburgum tentantibus,

31 *Sequentibus annis diœcesim suam continuo fere expositam vidit* S. Albinus *vicinorum Saxonum direptioni et vastationi* (6); *et quidem anno* 774 *proxime accesserunt ad Buriburgum. Quum enim anno priori in Italiam profectus esset B. Carolus Magnus, velut opportunam de absentia regis nacti occasionem, contiguos sibi*
C *Hassorum terminos ferro et igne populati sunt. Scilicet, ut loquitur Eginhardus in Annalibus Laurissensibus* (7), Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum, pervenerunt usque ad castrum, quod nominatur Buriaburg; attamen ipsi confiniales, de hac causa solliciti, cum hoc cernerent, castellum sunt ingressi. Dum igitur ipsa Saxonum gens cœpisset sæviens domos forinsecus incendio cremare, venerunt ad quamdam basilicam in loco qui dicitur Fricdislar; quam sanctæ memoriæ Bonifacius novissimus martyr consecravit, atque per spiritum prophetiæ prædixit quod nunquam incendio cremaretur. Cœperunt autem idem præfati Saxones cum nimia intentione adversus eandem certare basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium igni cremare potuissent. Dum hæc igitur agerentur, apparuerunt quibusdam D christianis, qui erant in castello, similiter et quibusdam paganis, qui in ipso aderant exercitu, duo juvenes in albis, qui ipsam basilicam ab igne protegebant, et propterea ibidem non potuerunt neque interius neque exterius ignem accendere, nec aliquod damnum eidem inferre basilicæ : sed nutu divinæ majestatis pavore perterriti, in fugam conversi sunt, nemine persequente. Inventus est autem postea unus ex eisdem Saxonibus mortuus juxta ipsam basilicam, genibus curvis adclinis supra pedes, habens ignem et ligna in manibus, velut ore flando eandem basilicam igni tradere voluisset. *Atque eadem, sed plerumque multo brevius, a multis aliis narrantur chronographis; sed frustra eos adduxerim, quippe quibus Eginhardus præluxerit.*

transfert S. Albinus S. Wigberti, abbatis Fritislariensis et olim sui socii, corpus in castrum Buriburgense.

32 *Contra B. Servatus Lupus, qui quum studiorum gratia Fuldæ versaretur, S. Wigberti, abbatis Fritislariensis, vitam scripsit, multo latius eamdem rem prosequitur; adeoque innuit non unam tum fuisse Saxonum irruptionem, neque unum tentamen spoliandæ aut incendendæ S. Petri ecclesiæ; quare locus non defuit translationibus, quæ S. Megingaudo abbati tribuuntur, ut infra apparebit. Et quoniam beatus Wigbertus* S. Albino *convixit, eo episcopo ministerium sacrum exercuit et ab eo tandem Hersfeldiam translatus est, juverit paucis ejus res recensere* (8). *S. Wigbertus itaque, in Anglia monachus et presbyter, a S. Bonifacio in auxilium prædicationis accitus et paulo post annum* 732 *Fritislariensi monasterio præpositus est, qui laxam fratrum conversationem ad normam suæ vitæ coerceret. Qua provincia quum aliquandiu functus esset, ad Ordorfiense cœnobium eodem fine missus est. Sed, senio et morbo fractus, aliquot post annos precibus obtinuit ut Fritislariam redire posset; ubi jejuniorum frequentia facile enituit.* Hæc vero, *ait B. Lupus, (unde cognoscas beatum virum in ministerio sacro versatum fuisse,)* hæc vero semper Wigberchto illi sollemnis fuerat consuetudo, ut cum a fideli aliquo rogatus confessionem auditum pergeret,... non temere cum aliquo sermonem consereret;... ac sicubi conventum hominum offenderat, qui salutaribus indigeret consiliis, continuo, posthabitis temporalibus, quæ ad F animæ perpetuam salutem conducerent ad medium deducebat... Perseveravit autem B. Wigberchtus in præfato monasterio, divinis ministrans præceptis;... diem obiit *anno* 747. *Quum itaque anno* 774 *in illas partes irrupissent Saxones, cum sancti viri reliquiis Buriburgum trans Adranam confugerunt Fritislariæ inquilini et de mœnibus Buriburgensibus fortiter repulerunt omnia Saxonum adversus munimenta molimina; quin, eruptione facta, magnam ediderunt stragem. Verumtamen impedire non potuerunt ne quadriennio post, quum omnia usque ad Rheni Mosellæque confluentes vastassent, per Hassiam redirent; ubi tamen prope Lihesi in Adarnæ vado a supervenientibus Francis occupati sunt et magno numero occisi* (9). *Nulla itaque illic erat certa quies et securitas*

(1) Serarius et Joannis, Rerum Moguntinarum, tom. I, p. 300. — (2) Francia Orientalis, tom. I, p. 466. — (3) Epistola Bonifaciana juxta Serarium XIX, juxta Würdtwein LXXII. — (4) Francia Orientalis, tom. I, p. 466. — (5) Concilia Germaniæ, tom. I, p. 342 et seqq. — (6) Hartmann, Historia hassiaca, tom. I, p. 47 et seqq. — (7) Ap. Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. I, p. 152. — (8) Sæculum Benedictinum III, part. I, p. 673 et seqq. — (9) Cfr Annales Laurissenses Egenhardi ad an. 778, ap. Pertz, Scriptores, tom. I, p. 158 et 159.

corpori

A *corpori S. Wigberti.* Cæterum postquam in opidum (*ita appellat B. Servatus Lupus Buriburgum ut distinguat a Fritislaria monasterio*) ossa illius transposita sunt; ut unguentum pretiosissimum, quando est agitatum, gratissimos late spargit odores, ita viri hujus motæ reliquiæ ubertim miraculorum spiravere fragrantiam... At interjectis aliquot annis, Albuino, præsuli Fritislariensis ejusdem opidi (*en ut Buriburgum Fritislariense oppidum appellatur, ut olim multa oppida littorea portus vicinarum civitatum dicebantur et munimenta extra urbium ambitum ipsarum urbium castra et castella*), *sed Albuino* per quietem aliquis observatur, qui se divinitus missum diceret ad monasterium, cui est vocabulum Herolfesfeldt *seu Hirsfeldt in Hassia ad Fuldam amnem :* quo et ossa beati viri transferri præcepit. Id memoratus episcopus Lullo, Moguntiacensis ecclesiæ pontifici, revelavit; isque rem ad Magnum Carolum detulit ac ejus adsensum protinus impetravit. Ita Lullo jubente, suffraganeus ejus Albuinus tribus monachis præfati cœnobii, Ernusto scilicet, Baturico, *qui*
B *postea videtur conscendisse Ratisbonensem cathedram,* Wolffu, noctu sacros B. Wigberti cineres tradidit clam perferendos ad monasterium. Siquidem id facere interdiu veritus est, ne tanti viri populus amore devinctus, fratres memoratos cæca seditione convexaret, vel quibuslibet injuriis incesseret; viribusque superior sibi tam insignis thesauri privilegium vindicaret... Ergo præfati fratres munus amplissimum sibi ab episcopo traditum monasterio Herolfesfeldt celeres invexerunt; et, a reliquis Dei servis illic exceptum, magnifice primo loco est in ecclesia conditum. *Narrantur illa eadem in Vita S. Lulli* (1), *nisi quod hic sanctus, qui Hersfeldensis monasterii incrementa plurimum promovit, ter angelica voce monitus dicitur, universoque negotio præfuisse; dein Buriburgum illic* Buriburc *appellatur Quam translationem sub annum* 780 *factam fuisse arbitratus est Mabillonius* (2); *non improbabiliter.*

In itinere cum S. Lullo archiepiscopo constitutus, subito post Missam moritur S. Albinus

33 *Ex eadem S. Lulli Vita intelligimus S.* Albini *felicissimæ mortis tempus modumque.* Habebat secum, *inquit biographus* (3), eximiæ (ut creditur) sanctitatis virum, nomine Albewinum, episcopalis officii negotia post episcopum obire solitum, quem appellatione vulgata corepiscopum vocant; eoque in divinis rebus et privatim et publice adjutore ac suffraganeo utebatur. (*Ex omnibus his quæ vidimus, maxime ex literis S. Zachariæ, manifestissimum est S.* Albinum *chorepiscopum non fuisse; sed quum Buriburgensis cathedra non amplius exsisteret et Moguntinæ diœcesi inclusa esset, quando biographus scripsit, harum rerum ignorantia inductus fuit ad mutandum beatum virum in chorepiscopum.*) Huic ad se accersito : « Causam, inquit, incidi, quæ ad Herveldense monasterium profectione maturare me exigat : tui sit officii, celebratis prius missarum solemniis, me protinus insecuturum antecedere, et quæ mihi mecumque venientibus sint receptui providere. Ille morarum impatiens jussa ocius capescit; quæ proficiscentibus usui forent, disposuit. Missam celebrat, quid tali commento strueretur penitus ignorans; cumque incolumis adhuc corpore sacramentis dominicis participasset, repente spiritum exhalavit; eodem quippe momento et vitam finivit et missam. Archiepiscopus, tantæ rei miraculo nihil permotus, sed industrium mortis suæ præcursorem pronissimo favore amplexatus, navi jussit imponi et per Renum (*immo Mœnum seu Moganum*) amne secundo devectus, in loco qui dicitur Hohstedi (*nunc Höchst, media via inter Francofurtum et Moguntiam,*) exponi, *ut ibidem missa defunctorum celebraretur et terrestri dein itinere corpus S.* Albini *Hirsfeldiam transferretur.* Ubi, (*scilicet Hochstedi,*) cum ad funeris officium frequens de toto episcopatu populus occurrisset, magnifice susceptus, per terram in Herveldense monasterium est translatus. Nec ulla funebrium honorum ambitione caruit :

Si quis honor tumuli, si quod solamen humandi est; E

transmissa in omnes fide solida, quod magni momenti apud Deum sint ejus merita. At B. Lullus eodem quo instituerat ordine in monasterium Herveldense contendit; ubi protinus morbo attactus, cum ordinationis suæ annum ageret trigesimum secundum, septimo decimo kalendas novembris, honestissima morte perfunctus, naturæ concessit, suumque præcursorem dextro tramite insecutus cælestis curiæ senatoribus est annumeratus.

anno 786 aliquot diebus ante 16 octobris. Sepultus fuit Hersveldiæ.

34 *Anno* 786 *obiisse S. Lullum demonstravit unus ex collegis meis ad diem* 16 *octobris* (4) *et quidem hac ipsa die* 16 *octobris : unde sequitur festum S.* Albini *non agi die suæ mortis, quippe qui aliquot dies ante obierit. Quare quod die* 26 *octobris ejus natalis agitur, id factum est vel propter corporis elevationem vel propter aliam minus notam causam : equidem nil definire possum, quum Lambertus in ea parte Annalium Hersfeldensium, quæ hactenus edita est* (5), *de S.* Albino *seu* Witta *verbum faciat nullum; neque alia de hoc monasterio, quod ab exordiis Lutheranarum perturbationum penes Protestantes factum est, antiquitatis monumenta in publicum prodierunt. Bucelinus, recensens hujus asceterii decora :* Sepulti ibidem, *inquit* (6), BB. Albuinus et Lullus magnum insuper loco nomen peperere. *Verumtamen non putem his verbis significare voluisse Bucelinum corpus elevatum fuisse et singulari feretro servatum : nuspiam enim hujus rei consignata mihi occurrit memoria; et, quod præcipuum est, edidit Browerus* (7) *veterem indicem corporum sanctorum, quæ olim gremio suo Hersfeldensis ecclesia continuit; atque hæc inter non recensetur S.* Albini *seu* Wittæ *corpus vel ossa. Atque hæc de beato viro colligere utcumque potui, dolens tamen quod pristini Breviarii Hersfeldensis aut Fritislariensis exemplar nullum nactus sum. Lubens autem volensque omisi Vitam, quæ in Vitis sanctorum ordinis S. Benedicti ab*

F

(1) Acta SS., tom. VII Octobris, p. 1089. — (2) Annales Benedictini, lib. XXV, num. 12, tom. II, p. 238. — (3) Acta SS., tom. VII Octobris, p. 1090. — (4) Ibid. p. 1078 et seqq. — (5) Pistorius, Scriptores rerum Germanicarum, tom. I, p. 301 et seqq.; Pertz, Monumenta Germaniæ, tom. V, p. 134 et seqq. — (6) Germania sacra, part. II, p. 44. — (7) Antiquitates Fuldenses, lib. II, cap. 12, p. 153 et 154.

Antonio

AUCTORE V. D. B.

Antonio de Heredia conscriptæ fuerunt; partim enim efficta est ex una alteraque S. Bonifacii epistola, mirum in modum amplificata; partim ex Regula et veteribus Benedictinorum consuetudinibus, quas servasse censendus est sanctus vir; partim demum ex male feriati hominis somniis : ut ne adolescentulo quidem digna sit lucubratio.

§ V. S. Megingaudus successor S. Albini. Non confundendus cum Megingaudo, episcopo Wirzeburgensi. Ejus olim officia in monasterio Fritislariensi. S. Humbertus, diaconus Fritislariensis. Buriburgi interitus.

S. Albino successit S. Megingaudus diaconus, qui in monasterio Fritislariensi tempore S. Wigberti

B*uriburgi S.* Albini *successorem fuisse S.* Megingaudum, *qui et* Meingotus *seu* Meyngotus, Megingozus, Mengozus, Megingus *et forma corruptiori* Meginbodus, *plurium est sententia; quam equidem veram arbitror. In martyrologio enim Fritislariensis abbatiæ seu capituli, quod Schminckio præluxit, ad* XVII *kalendas aprilis seu diem* 17 *martii legitur* (1) : Meyngotus, episcopi loci ipsius, *id est Fritislariæ seu Buriburgi. Cujus hæc pauca gesta innotuerunt. Prius in Fritislariensi monasterio operam suam S. Wigberto abbati præstitit, quo* monasticæ illic religionis normam statumque componeret. *Ut enim loquitur B. Servatus Lupus* (2), *S. Wigbertus* ibi cum Megingo suo, qui postea culmen episcopale subiit, diu conversatus est, et laxam antehac ac fluidam fratrum conversationem ad normam suæ vitæ coercuit, qui proculdubio sanctarum Scripturarum regebatur auctoritate. *Quo officio quum egregie functus esset S.* Megingaudus, *voluit S. Bonifacius ut illud post mortem sanctissimi abbatis implere pergeret cum alio Wigberto presbytero; atque tum S.* Megingaudus *diaconatus honore auctus erat : quæ omnia manifesta sunt ex epistola, quam S. Bonifacius anno* 747, *paulo post mortem S. Wigberti, Fritislariensis abbatis, ad monachos hujus asceterii dedit et ex*
C *qua liquet eum sibi, licet S.* Albinus *ordinario jure diœcesim regeret, magnam in cœnobium reservasse auctoritatem.*

atque etiam post hujus mortem jussu S. Bonifacii magister regulæ, cantus et puerorum fuit.

36 *Quæ epistola quum brevis sit, videtur hic loci edenda* (3) : Charissimis filiis Tatwino et Wighberto presbyteris, Bernhardo et Hiedde, Hunfritho et Stirme Bonifacius, servus servorum Dei perennem in Domino salutem. Paterno amore dilectionem vestram obsecro ut eo majore cura monasterialis normam vitæ custodire studeatis, quo pater vester Wighbertus defunctus est. Wighbertus presbyter et Mengingordus diaconus regulam vestram vobis insinuent, et speciales horas, et cursum ecclesiæ custodiant, et cæteros admoneant, et magistri sint infantium, et prædicent verbum Dei fratribus. Hiedde sit præpositus et servos vestros admoneat; et Hunfridus adjuvet illum, ubicunque opus sit; Stirme in coquina sit; Bernardus operarius sit et ædificet domunculas vestras, ubi opus sit; et de omnibus, ubicunque vobis necesse sit, insinuet. Tatwinum abbatem interrogate; et quodcumque vobis insinuet, hoc facite; et unusquisque studeat secundum vires suas et proprios mores in castitate conservare, et in communi vita vos alterutrum adjuvare, et in fraterna charitate permanere, usque ad præsentiam reversionis nostræ in Dei voluntate. Et nunc simul laudantes Dominum in omnibus ei gratias agamus. Valete in Christo. *Jussus est itaque S.* Megingaudus *regulam suam monachis insinuare, scilicet Benedictinam, quæ a patribus concilii Germanici anno* 743 *sola præscripta est :* Decrevimus quoque, *ajunt* (4), ut monachi et ancillæ Dei monasteriales juxta regulam S. Benedicti cœnobia vel xenodochia sua ordinare, gubernare, vivere studeant; et vitam propriam degere secundum prædicti patris ordinationem non negligant. Speciales horas et cursum ecclesiæ, *seu officium monasticum docere debebat S.* Megingaudus; *quæ res, quum psalmi et nonnullæ aliæ partes a monachis memoriter fere canerentur, quumque insuper in musica exercendi essent tirones, multo operosior erat quam prima specie videatur; ei quoque uti et presbytero Wigberto, (duo enim debebant esse infantium magistri,) commissa puerorum oblatorum cura : quæ quum assidua esset et literarum eruditionem amplecteretur, vere onerosa erat* (5). *Demum ei mandatum* prædicare verbum Dei fratribus *scilicet in capitulo, loco explicationis regulæ aut lectionis homiliæ, quotidie post Primam aut Tertiam faciendæ a priore aut a quo hic jusserit* (6).

Volunt etiam abbatem fuisse; cui asserto favet translatio S. Wigberti, ei adscripta.

37 *Atque in his ita suis satisfecisse volunt beatum virum, ut post obitum abbatis Tatwini, qui S. Wigberto successit, ipsemet abbas Fritislariensis creatus fuerit : quod tamen neque affirmare ausim, neque negare. Nititur enim hæc opinio Trithemii dictis, a quibus certissime error non abest. Libro enim* III *de Viris illustribus ordinis S. Benedicti, quo (ut supra animadvertimus) eos solum conclusit, quos probe norat cultu ecclesiastico frui, cap.* CCLXI, *in hæc loquitur verba* (7) : De sancto Meginbodo abbate. Meginbodus, monachus Frislariensis et
F abbas in Burbach Moguntinus, vir doctus et sanctus, qui suis sanctis exhortationibus et exemplis multos ad bonæ conversationis viam revocavit, magnis fertur virtutibus claustralem ornasse disciplinam. Ejus autem festum agitur XVII calendas aprilis. *Sed, quoniam suo tempore nulla amplius supererat memoria sedis Buriburgensis (quod ubique Burbach appellat) atque locus diœcesi Moguntina contineretur, propterea* abbatem *substituisse videtur* episcopo; *adeoque dicere debebat :* Meginbodus, *immo* Megingodus, monachus Frislariensis et episcopus in Buriburgo. *Ex hoc itaque capite deficere videtur omne testimonium. Verum aliud alibi exstat, quod quidem mihi obscurum est, multo tamen firmius. Scilicet tres S. Wigberti translationes distinguendæ sunt; quarum una in codice ms. Fritislariensi*

(1) Antiquitates Fritislarienses, § 38, p. 42 ; de Episcopatu Buriburgensi, § 23, p. 19, ap. Serarium et Joannis, Rerum Moguntinarum, tom. I, p. 313. — (2) Vita S. Wigberti, cap. V, Sæc. Bened. III, part. I, p. 675. — (3) Epistola Bonifaciana ap. Serarium XVII, ap Würdtwein LXXIX. — (4) Ap. Würdtwein, Epist. S. Bonifacii, p. 123. — (5) Cfr Martene, de Antiquis monachorum ritibus, p. 703 et seqq. — (6) Cfr ibid. p. 60. — (7) Opera pia et spiritualia, p. 104, edit. Busæi.

A *riensi* (1) *consignata est* VII *idus februarii, quæ vel prima corporis elevatio sit, vel reliquiarum fuga ex Fritislaria Buriburgum; secunda occurrit in Fritislariensi Necrologio* (2) *ad diem* 15 *maji, ubi additur eam a Megingaudo peractum fuisse et corpus Buriburgo Fritislariam fuisse delatum; demum tertia, Hersfeldiæ solemniter a S. Lullo celebrata, cujus occasione quotannis adhuc beati viri natalis agitur idibus seu die* 13 *augusti* (3). *Quum itaque tres illæ translationes tempore episcopatus S.* Albini *factæ sint, non alio titulo nisi abbatis videtur secundæ ita præesse potuisse S.* Megingaudus, *ut ab eo facta fuisse dicatur. Sed doleo ipsa Necrologii verba mihi non prælucere, neque ex ipso Schminckio mihi innotescere, sed dumtaxat ex Falckenheinero.*

S. Megingaudus *episcopus fuit non Wirzeburgensis, sed Buriburgensis :*

38 *Utut est, quum anno* 786 *diem obiisset S.* Albinus, *successit ei S.* Megingaudus ; *quemadmodum ex citato supra Fritislariensi martyrologio certum est. Ad quod accedit novamque fidem addit Vita S. Wigberti, in qua* (*ut supra vidimus*) Megingus *diaconus, id est* Megingaudus *noster, qui S. Wigberto operam suam in reformando Fritislariensi cœnobio dabat, dicitur* postea culmen episcopale subiisse. *Quæ verba multi atque etiam præstantissimi scriptores eo trahere voluerunt ut S.* Megingaudus *fuerit episcopus Wirzeburgensis. Primus adversus hanc opinionem surrexit Eckhartus* (4), *distinguens duos Megingaudos; alterum qui, ut jam intelleximus, anno* 747, *paulo post S. Wigberti abbatis mortem, diaconus Fritislariensis erat, alterum qui mense martio ejusdem anni presbyter erat; chartæ enim de finibus monasterii Fuldensis, quam tum scripsit S. Bonifacius, appositum ad finem legitur signum* Megingozi presbyteri (5); *quem presbyterum Wirzeburgensem fuisse affirmat Eckhartus* (6), *minus firmo argumento, nempe quod cum S. Burchardo, qui etiam subscripsit, comes et socius advenerit. Præterea contendit ille idem* (7) *Megingaudum, qui a S. Bonifacio circa annum* 752 *episcopus Wirzeburgensis creatus est, numquam fuisse monachum, quemadmodum erat diaconus Fritislariensis, quoniam episcopi regulares, qui conventui*

C *Altiniacensi anno* (*ut videtur*) 765 *interfuerunt, subscripserunt hac ratione* (8) : Willibaldus, episcopus de monasterio Aichstadi; *qui vero sæculares* (*venia sit recentioribus illis verbis*) : Megingozus episcopus civit. Wirziaburgo. *Sed ita non esse videtur; nam, ut proximo exemplo utar, S.* Lullus, *qui a prima pueritia monachus fuit, legitur ibidem :* Lullo, episcopus civit. Moguntiaci : *neque vis ulla in vocabulo* monasterii *est; tum enim templa quæcumque, maxime si splendida essent aut ampla*, monasteria *dicebantur.*

alius est Megingaudus Wirzeburgensis.

39 *Hoc itaque certum sit duos anno* 747 *in illis partibus Megingaudos fuisse, alterum diaconum, alterum presbyterum; duosque deinde hujus nominis episcopos, alterum Buriburgensem seu Fritislariensem, et quidem hunc ipsum diaconum, alterum Wirzeburgensem, qui sub initium octobris anni* 785 *officium deposuit et* VI *kalendas octobris anni* 794, *ut tradit Eckhartus in Chronico Wirzeburgensi* (9), *et anni* 799 (*nisi mendum typographicum sit,* IV *mutato in* IX,) *ut habet Eckhartus* (10). *Quum autem decessores nostri ambos inter se confunderent, et Megingaudus Wirzeburgensis in sua ecclesia minime ecclesiasticis honoribus coleretur* (*appellat eum quidem in fine Eckhartus* beatum Megingaudum, *sed sensu* bonæ memoriæ : *a qua appellatione cæterum abstinet Æmilianus Ussermann* (11), *qui res episcopatus Wirceburgensis postmodum explicuit*), *sed propter hanc confusionem S.* Megingaudum, *episcopum Buriburgensem, ad diem* 16 *martii inter prætermissos collocarunt decessores nostri* (12); *quæ confusio quum jam pridem sublata sit, amplectenda est auctoritas Trithemii, affirmantis suo tempore* ejus festum actum fuisse XVII kalendas aprilis; *quocum convenit martyrologium Fritislariense, quod supra produximus. Merito itaque Wion, Menardus, Dorgainus aliique Benedictini et martyrologi aut menologi ejus memoriam celebrarunt ad* 16 *martii.*

AUCTORE V. D. B.

E

40 *Alia S.* Megingaudi *acta ignoramus. Volunt plerique eum, postquam electus est episcopus, Fritislariense abbatiale pedum non posuisse; quod nonnisi Trithemii verbis, quæ supra correximus, niti videtur : adeo ut nobis parum credibile sit. Licet doctus esset et aliorum magister, plane incertum est an aliqua ejus adhuc supersint scripta. Inter epistolas S. Bonifacii veniunt num.* LXXX *apud Serarium, et num.* CXI *apud Würdtwein literæ cum hac inscriptione :* Domino in Christo summopere venerando Lullo episcopo Magingaoz optabilem supplex in Domino sempiternæ beatitudinis salutem; *quibus beatum virum rogat ut providere velit monasteriolo, quod propter proximum abbatissæ, sororis suæ, obitum facile dissolvetur, nisi opportune nova abbatissa adsit; quoniam filiæ fratris suæ, illic velatæ, ex quibus aliqui seligere vellent præpositam, annis et mente juniores sunt pro hoc officio et temporum necessitate. Piæ sunt hæ literæ, carnem et sanguinem nequaquam sapientes et plane dignæ* Megingaudo *diacono, qui Fritislariæ alios salutis vias docebat; sed quum Megingaudus presbyter et forte alii cognomines* F *tum vixerint, definiri nequit a quo scriptæ sint. Idemque dixerim de aliis literis, a Serario num.* LXXXVII, *a Würdtwein num.* XC *signatis, cum hac inscriptione :* Sacerdoti Christi magnifico, reverentia pariter et amore amplectendo, Lullo episcopo Magingoz, servus servorum Dei, perennem in Domino salutem : *in quibus quæritur de dissolutione matrimonii propter adulterium. Multo tamen verisimilius est has epistolas Megingaudi, episcopi Wirzeburgensis, esse, qui videtur familiariter cum S. Lullo egisse : certe Willibaldus presbyter Vitam S. Bonifacii inscripsit* Dominis sanctis et vere in Christo carissimis Lullo et Megingozo coepiscopis (13), *et ab eis corrigi voluit, priusquam in lucem ve-*

An exstet illius epistola ad S. Lullum; an venerit ipse ex Anglia.

(1) Nunc in bibliotheca Casselensi, ap. Falckenheiner, tom. I, p. 74, not. 3. — (2) Schminckius, Antiquitates Fritisl. § 28, p. 29, ap. Falckenheiner, tom. I, p. 75, not. 5 et 6. — (3) Cfr Vita S. Wigberti, cap 25, Sæculum Bened. part. I, p. 681; Acta SS., tom. III Augusti, p. 133. — (4) Francia orientalis, tom. I, p. 481, 525 et 577. — (5) Inter Epist. Bonifacianas ap. Würdtwein LXVI. — (6) Francia Orientalis. tom. I, p. 525. — (7) Ibid. p. 577. — (8) Ibid. p. 576. — (9) Ap. Pertz, Monumenta, t. VI, p. 27. — (10) Francia Orientalis, t. I, p. 710. — (11) Episcopatus Wirceburgensis sub metropoli Moguntina, t. I, p. 9 et seqq. — (12) Acta SS., t. II Martii, p. 416. — (13) Acta SS., t. I Junii, p. 460.

AUCTORE V. D. B.

niret (1). *An demum diversus sit a Memgoz, immo Meingoz, qui ab anonymo Monasteriensi S. Bonifacii biographo* (2) *cum aliis multis in Germaniam prædicationis gratia venisse traditur, prima specie ambiguum est; verum ex S. Ludgero, biographo* (3) *S. Gregorii, discipuli et comitis S. Bonifacii, manifestum est Meningaudum, episcopum Wirzeburgensem, illic designari. Quidni investigari saltem potest quo anno vitam suam S.* Meningaudus *clauserit? Sed de eo ne conjecturas quidem factas fuisse reperi.*

S. Humberti *prioris Fritislariensis, memoria.*

41 *In omnibus martyrologiis et menologiis, quibus SS.* Albini *et* Megingaudi *memoria celebratur, laudatur etiam ad diem* 7 *octobris S.* Humbertus, *monachus et prior Fritislariensis, præeunte denuo Trithemio. Hic scilicet libro III de Viris illustribus S. Benedicti, quo* (*ut jam bis monui*) *nullos capi voluit qui cultu ecclesiastico carerent, cap.* CCLXXI, *hæc* de sancto Humberto monacho *prodidit* (4) : Humbertus monachus et prior cœnobii in Burbach prope Frislariense oppidum, vir sanctus atque eruditus, atque regularis disciplinæ zelosus amator, sua sanB ctissima conversatione Deo valde complacuit; cujus festum agitur nonis octobris. *Ubi Trithemius in solitum suum errorem incidit, Burbach, immo Buriburgum, cum Fritislaria permutans. Quidni aliquando editur vetus martyrologium Fritislariense, quo olim Schminckius usus est et cui non possunt inscripta non esse SS.* Albini, Megingaudi *et* Humberti *nomina? Quidni aliquando prodeunt in lucem aliorum ex illis partibus monasteriorum kalendaria, quæ verisimillime alios continent sanctos, siquidem manifestum sit Spiritum Domini cum sancto Bonifacio ejusque discipulis fuisse et passim sanctimoniæ fructus maturasse? Interea nil superest quam ut stetur Trithemio, qui libros, quos lutheranæ seditiones disperdiderunt aut disturbarunt, vidit usurpavitque.*

Buriburgi fata et interitus.

42 *Quoniam autem in hoc commentario multus fui in exponendis Buriburgensis diœcesis originibus, placet pauca addere de ejus interitu; licet* (*ut sæpius monui*) *desit mihi Schminckii dissertatio et unus fere dux mihi futurus sit Falckenheiner. Buriburgi itaque episcopalem cathedram non diu substitisse adeoque ab ipso* C *S.* Albino *Fritislariam translatam fuisse sentit Schminckius* (5), *tum quod B. Servatus Lupus S.* Albinum *appellet* præsulem Fritislariensis opidi, *tum quod Fritislariæ adhuc supersit locus, dictus* curia episcopalis (Bischofshof) *et* platea episcopalis (Bischofsgasse) : *sed neutra ratio magnum momentum ad persuadendum habet : nam,* (*ut supra vidimus*) *B. Servatus Lupus appellat ipsum Buriburgum* Fritislariense opidum; *et nomina* Bischofshof *et* Bischofsgasse *multo verisimilius orta sunt ex domo archiepiscopi Moguntini, quam ex SS.* Albini *et* Megingaudi *ædibus. Post hos sanctos præsules nullus reperitur, qui Buriburgensis aut Fritislariensis episcopus fuerit : cujus rei ego arbitror non unam fuisse causam. Imprimis nuspiam legitur dotem aliquam novæ sedi assignatam fuisse;* D *quum contra reliquæ episcopales sedes, a S. Bonifacio erectæ, ab initio prædiis non caruerint et paulatim ditissimæ factæ sint. Pronum itaque erat, ut, siqua exsurgeret causa, interiret Buriburgensis sedes ejusque diœcesis vicinæ Moguntinæ metropoli adjungeretur. Ex altera autem parte Buriburgum oppidum perseverare non poterat, quam primum a Carolo Magno domiti erant Saxones et fidem christianam amplexi. Locus enim plane saxosus erat, utens asportata aqua aut diligenter in cisternam collecta; qui locus numquam habitatus fuisset, nisi necessarium præsidium visum erat adversus hostium irrumpentium impetum. Quando itaque nullus amplius a Saxonibus timor erat, non poterat non fieri ut rustici, qui eum incolebant, descenderent in fertilissimam vicinam regionem et vicos crearent novos, maximeque Fritislariensium augerent numerum. Verum, ut Buriburgum partem inquilinorum amisit, nova oriebatur causa, non quidem necessaria, potens tamen et efficax, ut simul interiret nova cathedra. Paulatim itaque incolæ deseruerunt oppidum, ita ut initio sæculi* XIV *superesset tantum* E *ecclesia, plebani et mansionarii domus et exigua aliquot adjecta ædificiola; quorum ne hæc quidem superesset memoria, nisi ab anno* 1311 *usque ad annum* 1314 *lis de Buriburgo exarsisset inter Henricum, comitem de Waldeck, et Ottonem, Lantgravium Hassiæ : cui liti abbas Fuldensis etiam immixtus fuit. Ipse plebanus anno* 1323 *domum suam ruinosam et plane solitariam deserere coactus fuit aliamque Fritislariæ coëmere. Quæ mutatio stravit viam ut Henricus III, qui ab anno* 1328 *ad* 1353 *sedem Moguntinam occupavit, plebanatum Buriburgensem cum præbenda scholastici Fritislariensis univerit, onus tamen imponens instituendi vicarii perpetui, certis iisque non exiguis reditibus ei assignatis. Divisionem bonorum, anno* 1344 *archiepiscopo Henrico probatam, dabit Falckenheiner. Usque ad bellum tamen tricenarium perstitit ecclesia, prius titulo solius S. Brigittæ et ab anno* 1338 *simul S. Bonifacii et postea S. Wigberti nuncupata; quin et matrix erat vicorum Holzheim, Braunau, Menzigerode, Weiga et Mandern; quibus deinde accesserunt Ungedanken et Nothelmshausen, olim prædia rustica ; in Holzheim dumtaxat capella erat. Quum autem bello tricenario protestantes diruissent fatiscentem ædem catholicam Buriburgensem, parœcia in Ungedanken translata est. Exstruxerunt postea viri pii in monte exiguum oratorium, loco tam sancto prorsus indignum. Anno autem* 1737 *canonici Fritislarienses annuam instituerunt supplicationem seu processionem; quæ postremis hisce annis nondum desierat : collata etiam aliqua pecunia ut cultus divinus illic redintegraretur. Ad orientem cernuntur aliquot veterum mœniorum reliquiæ; nec quidquam aliud superest oppidi, sudore SS. Bonifacii, Gregorii,* Albini *seu* Wittæ *et* Megingaudi *irrigati.* F

(1) Acta SS., tom. I, Junii, p. 476. Cfr Mabillonius, Sæculum Bened. III, part, II, p. 27. — (2) Ibid., p. 482. — (3) Ibid., p. 486. — (4) Opp. pia, p. 106, edit. Busæi. — (5) Ap. Falckenheiner, t. I, p. 16, et ap. Serarium et Joannis, Rer. Mogunt. t. I, p. 313 et 314.

A

DE S. ATHANASIO, CONF. NON PONT.,

OECONOMO MEDICIENSI IN BITHYNIA,

SYLLOGE HISTORICA.

V. D. B.

§ unicus. Nomen in Fastis sacris. Vita nota ex gestis S. Nicetæ, hegumeni Mediciensis. Ejus officium in logothesio Byzantino; fuga in monasterium Symbolorum; patris violentia; secessus Medicium; œconomi et diaconi officium; arbor crescens ex pectore sanctitatis signum.

CIRCA ANNUM DCCCXIV. S. Athanasius, *œconomus Mediciensis, cujus nomen paucis fastis inscriptum est,*

Quum Daniel noster Papebrochius, in illustrandis S. Nicetæ, hegumeni Mediciensis, Actis versans, in S. Athanasium, *œconomum ejusdem monasterii incidisset, miratus est eum* sanctum *appellatum fuisse a Ferrario in Topographia Romani Martyrologii, quod* eum sacris fastis nullis adhuc inscriptum invenisset (1) : *et quidem, licet incredibili diligentia innumera kalendaria græca et slavica excussa et examinata fuerint in conficiendo Anno ecclesiastico slavico, qui huic præit tomo, nuspiam tamen ejus nomen repertum est nisi in kalendario Mosquensi, anno* 1818 *dato in lucem, et in Menologio Demetrii Rostoviensis seu Vitis sanctorum omnium, qui ab ecclesia græco-russica coluntur : quarum nova editio anno* 1852 *Mosquæ prodiit. In kalendario autem isto et Menologio recte ejus natalis præsenti die annuntiatur; sed in Menologio neque Vita ejus, neque laudatio inserta est, tum quod ejus gesta, immixta S. Nicetæ laboribus, ad diem* 3 *aprilis narrata fuerant, tum forte quod cultus parcior visus sit. Qui tamen cultus (ut inferius apparebit) statim post mortem incohatus fuit. Quare non dubitavit Castellanus, licet fontes slavicos ignorarit, ejus nomen inscribere Martyrologio suo universali.*

atque Acta excerpenda ex Actis S. Nicetæ, ejus magistri et secundi Medicii patris,

2 *Ut modo innuebam, ex S. Nicetæ, hegumeni Mediciensis, Vita notæ sunt potissimæ* S. Athanasii, *discipuli ejus, laudes. Vita autem hæc summæ auctoritatis est, quippe quæ accurate scripta sit græce a Theostericto, altero S. Nicetæ discipulo, intra quinque a magistri obitu annos* (2); *atque ex hoc præcipue fonte sequentia hauriemus. S. Nicephorus nempe, cujus vitæ breviarium Actis nostris insertum est ad diem 4 maji, sæculo* VIII *labente, monasterium, Mediciense nomine, in Bithyniæ parte maritima ad Propontidem fundaverat. Quo quum se contulisset S. Nicetas, domo Cæsarea Bithyniæ, ante ecclesiæ ædituus et dein, relictis omnibus, Stephani anachoretæ socius, a sancto fundatore admissus est et minimo suo gregi adjunctus. Virtutibus autem ita profecit bonus vir ut,* quamvis necdum septimum in monasterio annum explevisset, ad presbyterii gradum *voluntate S. Nicephori, hegumeni sui, promotus sit a S. Tarasio, qui ab anno* 784 *ad* 806 *patriarchicum Constantinopolitanum thronum tenuit* (3) : *quin et monasterii administrationem ei commisit S. Nicephorus. Quæ mutatio, quum summa esset S. Nicetæ fama, valuit ut undique accurrerent novi discipuli; ita ut* intra paucos annos ad centenarium usque numerum aggregati sint fraternitati.

prius rationalis fuit in logothesio Byzantino; dein se abdidit in monasterio Symbolorum, unde vi a patre extractus est.

3 Qualis porro, *sic pergit Theostericus,* quoad virtutem erat pater noster sanctissimus Nicetas, talem quoque, qui locum ab ipso secundum teneret, ei submittere Dominus universorum curavit; Athanasium, inquam, virum reverendum et admirabilem, cujus non est possibile in transitu exponere virtutem, et cujus amorem erga Deum, quem abdicato recens sæculo statim a principio demonstravit, ipsi (ut puto) angeli sunt admirati. Cum enim esset patri suo carissimus et literas apprime edoctus atque ad logothesion *seu ærarii publici* * *administrationem participandam Constantinopoli* receptus, tamquam publicarum chartarum scriptor; existimabat parens haud vulgares per filium honores sese in sæculo consecuturum. Ubi autem intellexit quod adolescens, contemptis omnibus et trajecto Bosphoro, in unum cœnobiorum, a Symbolis nominatum, *atque in Bithynia, ad orientem Prusiæ* * *situm,* sese abdidisset; violenter eum inde retraxit, abjectoque monastico habitu pretiosis induit vel invitum. Tunc ille ad patrem : « Existimasne, o pater, sericis vestimentis impediendum me, quo minus animi propositum sequar? Totus mundus despectui mihi est : quid enim proderit homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » Pater vero includens eum putabat abduci posse ab optima mente. Sed animos ibi majores sumens intrepidus juvenis, discerpsit in partes indumenta serica; aliisque jussu patris amictus, his quoque idem fecit. Unde iratus parens adeo inclementer cecidit filium, ut dorsum ejus ex plagis intolerabilibus computruerit et medicorum cura indiguerit. Illo autem dicente fieri non posse ut a sententia dimoveretur, quantumvis eum pater membratim conscinderet; compunctus animo lacrimisque suffusus genitor : « Abi, inquit, fili, et viam bonam quam elegisti prosequere, duce Christo, qui te eruat ex omnibus diaboli laqueis. »

* ministère des finances

* Brousse

F

Redit ad monasterium Symbolorum;

4 In hunc modum præclarus juvenis ad istud quod supra nominavi monasterium re-

(1) Acta SS., tom. I Aprilis, p. 260. — (2) Ibid., p. 253. — (3) Art de vérifier les dates, tom. I, p. 264 et seqq.

diit,

AUCTORE V. D. B. *ubi pauperrime vivit. Invitatur Medicium, ubi sub S. Nicephoro et S. Niceta cathegumeno fit œconomus:*

diit, monastica certamina impigre in eodem aggrediens. Adeo autem se abjecit, ut nihil eorum, quæ in sæculo sunt spectabilia, induci sibi pateretur. Vos ipsi plerique, usu cognitum virum habentes, hoc quod dico potestis ex vilissimis illius vestibus confirmare; quibus nemo abjectioribus usus est umquam, quamvis ex genere secundum sæculum valde nobili natus esset, ut dixi. Talis autem cum esset, a sanctis patribus nostris ad hoc nostrum cœnobium est invitatus, atque ab inclyto Nicephoro persuasus, sanctissimo patri nostro Nicetæ secundus adjungi. Erant igitur ambo cor unum et anima una in diversis corporibus, tranquillo in statu continentes omnia : ipsique, a S. Nicephoro directi, regebant totam fraternitatem; et in utroque, tam inter se mutuo quam suo cum præside, caritate vinciebantur indissolubili; adeo ut nulla umquam inter eos contentio, nulla existeret disceptatio. Erant autem veri pastores et spinitualium ægritudinum periti medici, curam gregis gerentes cum omni sollicitudine et cautela; hic quidem secans, (erat enim ad hoc a
B natura pronior,) iste vero, mellifluis quibusdam verbis plagam leniens, curabat sectionem, cum esset ingenio mitiori; et rursus hic quidem eorum, quæ ad corpus pertinent, gerebat curam; iste vero præcipue attendebat spiritualibus : sic tamen ut uterque utrorum satageret.

quæ singulorum essent in hac administratione partes.

5 *Atque hoc regimen a communi lege nonnihil recedebat. S. Nicephorus nempe archimandrita numquam fuit*; (*qui titulus apud orientales majorum monasteriorum præfectis dari solet et respondet fere latinorum* abbatibus;) *sed* hegumeni *seu prioris titulo contentus fuit; adeoque Vita ejus, Monachii inter codices græcos num.* 366 *servata* (1), *inscripta est* Βίος ἤτοι πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νικηφόρου ἡγουμένου γενονότος τοῦ Μιδικίου. *Verumtamen, quietis piique otii avidior, curam fere omnem in SS. Nicetam et* Athanasium *derivaverat; ita ut, quemadmodum Theostericus testis est* (2), *sæpius rogatus fuerit S. Nicetas* ut nomen pariter consecrationemque hegumeni susciperet; *sed* quamdiu in vivis Nicephorus fuerat, eam suscipere recusarat. *Cathegumeni itaque seu sub-*
C *prioris titulum gessit S. Nicetas, donec vixit S. Nicephorus; et œconomi nomen datum S.* Athanasio. *Quod posterius munus in parthenonibus plurimum usitatum erat* (3), *minus autem in monasteriis virilibus. Si itaque res secundum ordinem exactæ fuissent, abdicasset S. Nicephorus hegumeni munus, quod nonnisi nomine gessit, et S. Nicetas dictus fuisset hegumenus et S.* Athanasius *cathegumenus : nam hæc revera impleverunt officia. Apud Græcos scilicet, quæcumque adhibeantur nomina, pendet monasteriorum gubernium a duobus fere capitibus, quorum alter omnino subest alteri atque ab eo pendet. Prior, sive archimandrita, sive hegumenus vocetur, similis est rectoribus aut superioribus, qui collegiis et domibus Societatis Jesu præsunt; posterior, qui cathegumenus vocatur aut œconomus, ministri simul et procuratoris partes implet, ejusque cura tum ad disciplinam* D *domesticam, tum ad res temporales extenditur* (4). *Hinc intelligitur quo jure alios increparet S.* Athanasius. *Adverte etiam virum, antea rationalem, rei temporali non improvide præpositum fuisse.*

S. Athanasius, qua diaconus, pientissime ad altare assistit S. Nicetæ.

6 *Sub tantis itaque spiritualibus medicis mirum in modum florebat disciplina et monasticus decor.* Quando, *itaque, verba sunt Theostericti*, divina peragebantur mysteria, stabat magnus pater noster Nicetas ad sacram mensam, velut si ipsius throno Dei assisteret, sacrificium offerens atque perficiens. Sanctus vero Athanasius intento ad rem animo assistebat, liturgicum tenens flabellum (*Goar in Euchologio* (5) *dabit figuram*); (erat enim diaconus, postea autem et presbyter.) Cum timore et tremore et venerabiles suas genas et pectora lacrymarum imbre rigans, sic perficiebat universam sacram liturgiam. Cum autem sic pure atque irreprehensibiliter intemeratis immortalibusque mysteriis essent operati, eorumdem communione sanctificabant populum universum atque in pace dimittebant (6).

E

Sancte moritur et gloria post mortem coronatur, maxime quod cupressus ex ejus pectore creverit.

7 *Interea sollicite curabat S. Nicetas ut omnes et singulos in virtutis semita regeret et promoveret; ita ut Medicium quasi paradisus quidam terrestris videretur.* Magnus porro Athanasius, *iterum Theostericti dicta adduco* (7), fidelis ac prudens noster œconomus, postquam annis multis rem monasterii temporalem optime curavisset, multa cum sancto patre Niceta exantlasset certamina, plurima in cœnobio egregia facinora patravisset, infirmitatem incurrit; ex qua et mortuus est. Cumque sub extremum illius spiritum, circumfusi strato, precaremur, ut nostri meminisset apud eum, ad quem assumebatur, Deum, ad ultimum dixit: « Omnino scietis utrum ego aliquid apud eum possim et fruar quæsito studiose bono. » His dictis, pedes decenter extendens, spiritum tradidit in manus Domini vigesima sexta mensis octobris. Cujus sepulturam curantes, recondidimus eum in proprio tumulo, ut moris est nostri, (neque enim, ut in aliis monasteriis, defunctis omnibus unum commune apud nos monumentum est, sed placitum unicuique aptamus locum, ibique monumentum illius facimus,) terramque ingessimus, secundum quod dictum est: « Pulvis es et in pulve« rem reverteris. » Ibi igitur beati istius viri reliquias deposuimus. Ut autem obscurum non esset illius monumentum, sed omnibus fieret manifestum; cupressi germen ex venerandi viri pectore supra ipsum enasci fecit universorum Deus; unde fit ut multi, magna cum fide advenientes, amplexentur plantam istam, foliaque exinde accipientes secum auferant in remedium morborum.

Mortis tempus; situs Symbolorum et Medicii. An is sanctus idem qui S. Athanasius *in arbore.*

8 *Ex his quæ illic sequuntur definiri qualitercumque potest quo tempore S.* Athanasius *diem obierit :* Pater vero noster Nicetas, *ait dein Theostericus*, ejusmodi separatione haud parum afflictus, geminato deinceps onere laborabat, invigilans fratrum utilitati. Deinde haud multo post mortuus est etiam communis

(1) Hardt, Catalogus codd. mss. bibl. reg. Bavaricæ, tom. IV, p. 85. — (2) Acta SS. tom. I Aprilis, p. 259. — (3) Typicum Irenes augustæ, ap. Maurinos, Analecta græca, p. 178 et seqq. — (4) Cfr Vincentius, archiep. Carlovicziensis, Epistola de monasteriorum ordinatione, p. 48 et seqq. — (5) Pag. 137. — (6) Acta SS. tom. I Aprilis, p. 257; cfr textus græcus, ibid., p. XXIV. — (7) Ibid., p. 259.

omnium

A omnium pater Nicephorus. *Quare S. Nicetas* ordinationem appellationemque hegumeni acceptare *coactus est;* istam ei per manuum impositionem contulit S. Nicephorus, qui tunc (*scilicet ab anno* 806) patriarchale solium Constantinopoli tenebat. *Mortuus itaque sunt S.* Athanasius *et ejus pater S. Nicephorus Mediciensis post annum* 806*; quin etiam quum hic, ut in Basiliano Menologio aliisque id genus libris dicatur pro cultu sanctarum imaginum sub Leone Armeno, qui anno* 814 *persecutionem adversus catholicos renovavit, multa passus esse, necesse est ut ad hunc annum pervenerit. Sed, quum anno sequenti seu* 815 *in exsilium actus fuerit S. Nicephorus patriarcha, atque hic deinceps procul a Constantinopoli duxerit vitam usque ad annum* 828*, quo excessit e vivis; oportet ut ante S. Nicephori patriarchæ profectionem SS.* Athanasius *et Nicephorus Mediciensis vita functi sint : secus enim a sanctissimo hoc præsule non potuisset S. Nicetas hegumenus ordinari post S. Nicephori Mediciensis mortem. Signavimus itaque initio S.* Athanasium *ad cælos abivisse anno* 814*. De monasterio Symbolorum, ubi idem beatus vir vitam monasticam auspicatus est, et de Mediciensi, ubi eam feliciter finivit, nolumus quidquam addere; quum in superiori operis nostri tomo* (1) *quanta licuit accuratione eorumdem situm significavimus. Propter cypressum quæ ex pectore S.* Athanasii *excrevit, conjecit Martinovius noster* (2) *hunc sanctum eumdem esse, qui in triptycho Cplitano, initio Maji in Actis SS. edito* (3), Athanasius in arbore *dicitur; sed nonne potius intelligendus est aliquis Athanasius, qui in arbore vixerit stylitarum more? Plura de S.* Athanasio *Mediciensi non reperimus.*

AUCTORE V. D. B.

(1) Acta SS. tom X Octobris, p. 917 et 918. — (2) In præsenti tomo, p. 261. — (3) Acta SS. tom. I Maji, p. LXII.

B

DE S. BERNWARDO, EPISCOPO CONFESSORE, E

HILDESIÆ IN SAXONIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. V. H.

§ I. Sancti memoria in Martyrologio Romano, dies cultus Hildesiæ; Acta omni fide digna; compendium vitæ.

PROBABILITER ANNO 1022. *Duobus præsertim diebus S.* Bernwardi,

Sub hoc die seu vigesima sexta octobris Martyrologium Romanum hodiernum recenset S. Bernwardi *festivitatem his verbis :* Hildesheimi in Saxonia sancti Bernuvardi episcopi et confessoris, a Cælestino Tertio inter Sanctos adnumerati. *Elogio concinunt Auctaria Usuardi, ad diem, qua vita functus est,* XX *novembris; et ejus nomen vario scribunt modo. Sic Matricula Carthusiana Ultrajectina S.* Bernwardum *vocat* Bernardum Nordensem episcopum : *editio Lubeco-Coloniensis,* Berwardum : *Grevenus,* Berwaldum, *additque,* qui tempore Ottonis III præfatam (*Hildesiensem*) Ecclesiam verbo pascens et exemplo, miraculis clarus quievit. *Molanus autem cum Greveno in omnibus convenit, nisi quod sanctum antistitem* Bertwaldum *appellet. Nos vero scriptores patrios secuti, sanctum episcopum* Bernwardum *vocabimus.*

C

qui cum suo successore Bernhardo confundendus non est,

2 *Non est tamen confundendus noster S.* Bernwardus, *hodie in Martyrologio celebratus, cum alio sancto viro, pariter episcopo Hildesiensi, et medio sæculo* XII, *seu anno* 1153 *defuncto. De isto sancto, qui a nostris Bernhardus appellatur, agitur sub die* XX *julii; sed simul indicatur hunc Bernhardum cultum publicum in universali Ecclesia non obtinuisse, sed, ut videtur, in solo monasterio Hildesiensi, quod fundaverat Bernhardus sub titulo S. Godehardi, cujus canonizationem apud Innocentium Pp. II procuraverat* (1)*., Nec enim ejus memoria occurrit in kalendario pro ipsa Ecclesia Hildesiensi confecto. Cæterum moris nostri est, in Acta nostra referre illas personas, sanctitate insignes, quæ signa aliqua certa cultus, licet in speciali loco, consecutæ sunt. Neque per hæc elogia, quidquam derogatum volumus, ut in capite singulorum tomorum protestamur, constitutionibus Romanorum Pontificum, præsertim Urbani Pp. VIII; sed meram historiam conscribimus, quæ, ut omne opus mere humanum, obnoxium est errori. Sed e diverticulo ad nostrum S.* Bernwardum *revertamur.*

F

celebratur in Martyrologiis memoria :

3 *Diximus supra S.* Bernwardi *nomen recenseri in Martyrologio Romano hodierno : nam in antiquis editionibus hujus Sancti elogium omittitur. Primum reperitur intercalatum a Benedicto XIV, ut ipse fatetur in epistola ad Joannem V Portugalliæ, quæ editioni Martyrologii ab ipso adornatæ passim præponitur. In ea porro, expositis fine, ratione et utilitate novi operis, dicit Pontifex num.* IV *novam fecisse se Sanctorum accessionem : inter quos recenset etiam ad diem* XXVI *octobris S.* Bernwardum Hildesheimensem episcopum. *In sanctorum Lexico, ab cl. viris Joan. Stadler et Franc. Heim germanice conscripto, dicitur S.* Bernwardus *die* XXVI *octobris notari, quamvis dies obitus ad diem* XX *novembris notetur* (2)*. Errore verisimiliter typothetæ scribit Arnoldus Wion in libro Lignum vitæ* (3)*, Trithemium in Viris illustribus Ordinis S. Benedicti signasse obitum S.* Bernwardi XIV *kal. novembris seu* XXI *octobris. Sed aut male exscripserit Arnoldus, aut typotheta sua*

(1) Act. SS., tom. V Julii, p. 100 et seq. — (2) Heiligen Lexicon, V° *Bernwardus.* — (3) Tom. II, p. 374.

AUCTORE J. V. H.

sua oscitantia kalendas novembris pro decembribus posuerit; nam Trithemius lib. III de viris illustribus cap. 232 (4) *dicit Sancti festum coli* XIV *kal. decembris. Et id quidem eatenus male, quatenus S.* Bernwardi *obitus in* XII *kal. decembris seu* XX *novembris reponitur. Certum itaque est diem Sancti emortualem in* XX *novembris consignari, quo et in Ecclesia Hildesiensi ejus festivitas quotannis celebratur. Quæ vero fuerit causa, ut annuntiatio ejus sub* XXVI *octobris poneretur, hactenus ignoramus. Verum plerumque Martyrologium Romanum in festis sectamur; quapropter sub hac die S.* Bernwardi *Acta illustranda suscepimus.*

Vitam Sancti coævus Tangmarus, magister,

4 *Vitam S.* Bernwardi *habemus et infra edemus non solum coævam, sed ab ipso ejus præceptore, imo et confessario conscriptam. Erat is Tangmarus, Ecclesiæ Hildesiensis presbyter, bibliothecarius et notarius, postmodum ejusdem Ecclesiæ decanus. Ipse de se dicit num.* 31 *Vitæ,* a primæva ætate seu juventute usque ad canitiem scholari studio intentus, nutriendis pueris operam dedisse : *unde quum S.* Bern- B wardum *puerum in schola sua educaverit, eidemque, jam ætate maturo et episcopatu annis viginti functo, superstes fuerit, recte concludi-*

omnium conscius scripsit, et Theodoricus initio sæc. XIII *florens;*

tur, Tangmarus ad decrepitam senectutem vixisse. Quod etiam S. Bernwardus *magistrum suum conscientiæ arbitrum habuerit, manifestum est ex verbis Prologi, quibus testatur :* Quia a puero mecum ad juvenilem ætatem conversatus, quasi filius patri familiarius adhæsit et convixit, nec aliquid in omni studio ejus vitæ meam conscientiam fraudare potuit, quin plenissime scirem. *Cæterum biographiam occepisse Tangmarum, vivente S.* Bernwardo *patet ex eodem Prologo :* Magnifica, *ait,* gesta memorabilis viri, domini scilicet Bernwardi nostri episcopi, colligere agressus sum, non vanitatis fastu provocatus, Deo teste, sed si quid imitabile Dei clementia in illis eluceret, divinæ pietatis gratiam, de cujus rore fluxit, posteris prædicarem, et illos tali exemplo ad profectum virtutum incitarem. Et quia hoc, ipso ignorante, subire temerarium scivi, diu cunctatus, hæc publice cum illo confabulari, tandem opportunitate nacta, aditum tentavi. C Primo itaque forti auctoritate adversabatur mihi; nam in cunctis jactantiam et popularem favorem, ceu mortiferum venenum, vitabat. Tandem cum sæpius ingererem, esse grave peccatum, bona opera celare, ne alii tali exemplo proficiant, cum Dominus dicat : « Luceat lux vestra coram hominibus » etc. cessit meo arbitratu.

5 *Omnia igitur concurrunt, ut fidem omnimodam habeamus Tangmaro, viro gravi, pio, docto, qui quæ narrat, coram recognovit, et cæterum nihil refert, quod non undequaque cum reliqua historia istius ævi concurrat. Præter hanc Vitam coævam exstat altera, sæculo* XIII *ineunte a Theodorico II, monasterii S. Michaelis Hildesiensis abbate XII, idiomate Saxonico, quod proxime ad Flandricum accedit, conscripta.* Fuit *autem, ut habet Chronicum monasterii Hildesiensis apud Meibomium* (2), magister artium, filius civitatis, vir per omnia providus, laudabiliter rexit spiritualia. Ipse multa clenodia in casulis et cappis monasterio suo D contulit pro ampliatione divini cultus : et obtinuit infulam et sandalia cum cæteris libertatibus per privilegia cum multis indulgentiis, anno 1194. Sub isto abbate Theodorico S. Bernwardus canonizatur a Cœlestino III (qui regens cœpit sedem apostolicam anno 1193 et sedit annos tres) elaborante hoc Bernone, præsule Hildesiense, et Theodorico, abbate S. Michaelis. Resignavit abbatiam Theodoricus anno 1204, anno regiminis 24. *Quamvis autem in citato chronico nihil dicatur de Vita S.* Bernwardi, *a Theodorico abbate germanice edita, satis pronum est judicare, Theodoricum usum fuisse canonizatione sancti antistitis, ut ejus cultum propagaret et popularibus suis traderet lucubrationem, patria eorum lingua consarcinatum. Hactenus inedita jacet hæc opella, quæ utilissima nobis videtur ad monstrandam indolem linguæ Germanicæ sæculo* XII *ineunte.*

ejus compendium, ex antiquo,

6 *Ut autem clariorem imaginem dicendorum habeamus, opportunum judicamus exhibere breviorem Vitam S.* Bernwardi, *quam ex Leibnitzii scriptoribus rerum Brunswicensium mutuamus.* E *Moguntinis aliquantisper favere videtur scriptor anonymus, utpote qui omnino prætereat controversiam habitam inter antistitem nostrum et Willegisum, Moguntinum archiepiscopum, circa monasterium Gandersheimiense, in qua Hildesiensis Ecclesia victrix fuit, quamque infra latius evolvemus. Videtur porro compendium istud fragmentum esse alicujus Martyrologii; quoniam ejus initium consuetam formam Martyrologiorum refert, ut liquet ex sequentibus* (3) : Hildensem, civitate Saxoniæ, natalis S. Berwardi, episcopi et confessoris. Hic Sanctus, claris ortus natalibus fuit, ex filia A(*del boronis*) palentini comitis Saxoniæ, in timore Domini in Ecclesia Hildensemensi est educatus, et sacris litteris arteque sculptoria apprime instructus. Ipse jam adolescens factus, domum avi senis fideliter gubernavit, eique sicut castus et humilis fideliter ministravit. Tandem famæ ejus bonæ opinione comperta, Otto imperator ad palatium eum vocavit, compertaque ipsius sagacitate eum in aula, licet invitum, detinuit. Qui propter puritatem et sapientiam, quæ in eo refulgebat, aulicis F omnibus acceptus erat.

ut videtur, Martyrologio desumptum

7 Defuncto autem beatæ memoriæ Gerdago, Hildensemensi episcopo, communi voto ab omnibus S. Berwardus est electus, et a Willigiso, archiepiscopo Moguntino, devote consecratus. Factus episcopus cœpit omnimodo utilitati Ecclesiæ invigilare, et curam subditorum non segniter agere, omnibus omnia factus. Cum vacabat, imo semper quando præsens aderat, hora capituli ad fratres intrabat, eosque de religione vitæque proposito ad obedientiam salutarem adhortabatur; seipsum formam vivendi præbens. Stipendia fratrum plurimum adauxit, ecclesiam palliis sacris, vestibus, aureis et argenteis calicibus vasisque diversis, quæ propriis manibus fabricavit, et libris, ditavit et ornavit. Plurima etiam ex hereditate paterna contulit, episcopo prædia multa, etiam de fisco imperiali, ex largitione imperatorum acquisivit. In oratione assiduus, in eleemosynarum exhibitione profusus, humilis,

(1) Trithem., Oper. spirit., p. 101.— (2) Rer. Germ., tom. II, p. 519. — (3) Scriptt. Rer. Brunsw., tom. I, p. 481.

A milis, affabilis, mansuetus. Præter pietatis ejus opera, quæ referre longum est, in civitate, cui præfuit, ad septemtrionalem ejus plagam monasterium in honorem S. Michaelis omniumque cœlestium virtutum, miroque opere decoratum construxit, dedicavit et dotavit, ibique monachos religiosos congregavit, quibus larga stipendia, ut Deo sine sollicitudine militare possent, contulit. Defuncto Ottone hujus nominis secundo, ipse ei filium suum adhuc parvulum, scilicet Ottonem Tertium cum matre Theophana adhuc vivens, imperiumque totum consensu principum commendavit, ut filium educaret et regnum suo providentia gubernaret. Quod ipse non segniter, licet cum invidia magnorum pontificum, Moguntini scilicet et Coloniensis, adimplevit.

exhibetur. *Erkenbaldum

8 Ipse etiam Herbenbaldum * Moguntinæ sedis electum, suum secundum carnem cognatum, in archiepiscopum consecravit. Post consummatum S. Michaelis cœnobium, post labores, quos in imperii provisione pertulit, post tribulationes, quas pro libertate et liberatione Hildensemensis Ecclesiæ pertulit, sub
B felicissimo imperatore Henrico Secundo, fundatore Babenbergensis Ecclesiæ, quem ipse nutrivit et in Ecclesia sua imbui fecerat literis sacris, diuturno languore fatigatus, in suo monasterio habitum monachi suscepit, et appropinquante hora mortis, se in oratorium B. Martini, quod ipse construxerat, ferri præcepit; ibique cilicio, cinere asperso, superpositus, sumpto viatico, inter assistentium manus transivit ad Angelorum requiem. Sepultus est B. Berwardus in ecclesia S. Michaelis, in sepulchro, quod sibi antea foderat, ubi post ejus obitum ad ejus sacram tumbam cæci illuminati, dæmoniaci curati, infirmi sanati sunt. Hujus venerabilem memoriam exaltavit Cœlestinus Papa Tertius, eumque transferri præcepit, promovente hoc Theodorico abbate. Cujus translatio celebrata est decimo septimo kalend. augusti, præsidente Romanæ Ecclesiæ Cælestino, imperante Henrico, hujus nominis sexto; administrante pontificatum Hildesemensis Ecclesiæ Bernone,
C venerabili episcopo, a quo idem Sanctus translatus est.

§ II. Familia Sancti paterna et materna; dignitas comitis palatini explicatur; familia paterna exstinguitur.

Sanctus e gente Saxonica

Ortus est, *inquit Tangmarus biographus num.* 1, egregiæ indolis puer Bernwardus claro nostræ gentis sanguine ex filia Athelberonis palatini comitis. *Clare omnino indicatur genus Sancti maternum, nempe matrem fuisse filiam Adalberonis comitis palatini. Ast paternum genus eatenus tacetur, quatenus dicitur,* ex claro gentis nostræ (*Saxonicæ*) sanguine *ortus. Nihilominus valde verisimile est, Sanctum originem paternam traxisse ex familia Sommerschenburgica, cujus sedes erat ad meridiem ab oppido Helmstadio quinque chiliometris distans. Nam in Vita Teutonica, quam num.* 5 *diximus sæc.* XIII *ineunte compositam, S.* Bernwardi *pater appellatur Theodoricus comes Sommerschenburg.* Syn vader eyn edel grave to Sommerschenborg in Sassen, Dietrich genomt (1). *Auctor vero hujus lucubrationis est Theodoricus II abbas S. Michaelis, monasterii sciliceta* Bernwardo *nostro fundati, penes quem erant varia documenta, quæ familiam Sancti explicabant; nec quasi temere quidpiam addidisset textui Tangmari, qui rem incertam relinquit, accusandus est Theodoricus abbas.* AUCTORE J. V. H.

verisimiliter ex stirpe

10 *Præter hoc argumentum undequaque probabile, alia affert D*r *Joan. Michael Kratz in sua descriptione ædis cathedralis Hildesiensis, quæ expositam sententiam omnino corroborant. Ac primo quidem exstabat olim in ecclesia S. Michaelis Hildesiensis, a S.* Bernwardo *fundata, tabula, circa finem sæculi* XII *aut initium sequentis sculpta, et a civibus anno* 1543 *destructa, cujus tamen delineatio in tabulario monasterii servabatur. In ea autem erant quinque* E *circuli: medius autem sequentem referebat inscriptionem* (2): Est dux Beatus Bernwardus canonizatus, comes de Sommerschenborg natus; Angelis associatus: præsul pacis, succurrens turbatis. *In reliquis autem circulis decussatis celebratur memoria Tangmari, Goderammi primi abbatis, Sigeberti tertii et Theoderici decimi. Et certe in monasterio Michaelensi asservari debuerunt plura documenta, quæ fundatoris familiam recensebant: adeoque vix credi potest, monachos post octoginta ab ejus obitu annos, errasse tam turpiter in erigendo monumento. Titulum Sommerschenburgense tumulo sororis S.* Bernwardi, *Judithæ abbatissæ Ringelheimensi, die* I *martii* 1000 *insculptum fuisse, testatur D*r *Kratz* (3). *Tandem in ipso castro Sommerschenburgico erat altare sub invocatione Sancti antistitis, in ejusque finibus oratorium sub ejusdem nomine, ad quod Michaelitæ Hildesienses quotannis confluebant, et quorum prædia in vicinitate jacebant, nempe sub parochia Sommersdorf, cujus ecclesia sub nomine quoque S.* Bernwardi *dedicata erat* (4).

F *Sommerschenburgica prodiit*

11 *Verum traditionem hanc spuriam habet Joan. Fridericus Falken in libro Traditionum Corbejensium* (5). *Admittit quidem patrem S.* Bernwardi *vocatum fuisse Theodoricum; sed comitem fuisse Olesburgicum, non vero Sommerschenburgicum. Apud Browerum* (6), *Mabillonium* (7) *et Leibnitzium* (8) *legitur, Tammo, S.* Bernwardi *frater, occupasse castellum Sommerschenburg. Verum id glossema dicit laudatus Falcken* (9), *quod facile concedimus. In eadem enim Vita S. Bernwardi, a cl. Pertz edita vox* Sommerschenburg *omittitur* (10). *Textum proferimus ita ut, quæ uncinis inclusa sunt, apud Browerum et reliquos reperiantur, omittantur in textu Pertziano:* Eodem tempore, quibusdam jussis imperialibus obnitentibus, frater Bernwardi Tammo comes, imperatori gratus, vir certe omni morum probitate præclarus,

(1) Dreyhaupt. Beschreib. des Saal-Kreises, tom. I, p. 686. — (2) Kratz. Der Dom zu Hildesheim, part. III, p. 96. — (3) Ibid. p. 3. — (4) Ibid., l. c. — (5) Pag. 237. — (6) Sidera illust. de S. Bernwardo p. 32. — (7) Act SS. Ord. S. Bened. sæc. VI, Part. I p. 221. — (8) Rer. Brunsw. t. I, p. 456. — (9) Trad. Corbej. p. 237. — (10) Monum. Germ. Scriptt. t. IV. p. 774.

ad

AUCTORE J. V. H.

ad regis imperium (de Sommerschenburg) paternum munitum valde castellum insedit. *Annotatum textui subjicitur, in quo dicitur,* in loco raso fuisse scriptum Sommerschenburg paternum : *additurque :* correctio insipientis librarii, qui Paternum in Italia ignorans, hic de castello Tammonis, quod Sommerschenburg fuisse credidit, sermonem esse putabat.

ut adstruunt monumenta Hildesiensia,

12 *Varia sunt in Italia loca, quorum nomen est Paternum* (Paterno). *Tria mihi occurrunt in statu pontificio, nempe in diœcesibus Fabrianensi, Spoletina et Anconitana : insuper est in diœcesi Civitatis Castellanæ qui dicitur Paternum* (1), *ubi Otto III anno* 1005, IX *Kal. februarii obiit* (2). *Nihilominus hujus nominis plura sunt etiam castra in regno Neapolitano, inter alia unum ad lacum Fucinum* (Lago di Celano) *in Aprutio, atque hunc locum Ottoni funestum fuisse scribunt nostri in Actis S. Heriberti ad diem* XVI *martii* (3). *Inter tot igitur ejusdem nominis loca, difficile dictu est, qualis sit proprie locus, cui secundum præceptum imperatoris sui insederit Tammo comes. Verum* B *si textum Tangmari consideremus, conjicere licet Paternum, de quo sermo fit, jacuisse in vicinitate Tudertinæ civitatis, seu in diœcesibus, Fabrianensi aut Spoletinæ conterminis Tuderto. Quæ vero me maxime movet ratio hæc est, quia secundum Tangmarum num.* 34 *qui ipse S.* Bernwardi *legatus fuit, imperatorem reperit in* Spoletanis partibus, *et istic Papam exspectavit, qui* synodum apud Tudertinam civitatem in natali Domini *indixerat habendam. Enimvero num. sequenti refertur synodus coacta* in festo S. Joannis Evangelistæ, *seu die* XXVII *decembris. Atqui inter duo, nempe convocationem et celebrationem synodi Tudertinæ, ponitur, Tammo, S.* Bernwardi *frater* Paterno, munito valde castello insedisse, *profecto ad defensionem synodi Tudertinæ, in qua controversia* Bernwardi *ventilanda erat. Recte igitur in Vita sancti nostri expungitur male ominata vox* Sommerschenburg.

quæ frustra impugnat Joan. Falcken;

13 *Omnino itaque consentimus cum collectore Traditionum Corbejensium Joannne Falcken in expungendo nomine* Sommerschenburg *in* C *textu Tangmari; sed eum nullatenus sequi possumus, quando patrem S.* Bernwardi *facit Theodoricum Olesburgicum* (4). *Nam imprimis nullo alio, quod sciam, argumento ostendere potest, patrem S.* Bernwardi *vocari Theodoricum, quam Chronico Sammichaelensi, citato supra num* 9. *Quum igitur Theodorici nomen ex hoc Chronico mutuetur, consequens est, ut et reliqua, nempe agnationem Sommerschenburgicam admittat. Esto interpolatus Tangmari textus : genus Sancti maneret incertum, si nullum aliud esset argumentum : sed supra ostendimus, multiplices esse rationes, ob quas Sancto nostro originem Sommerschenburgicam tribuere debemus. Pro sententia sua vero firmanda nihil affert Joan. Frid. Falcken : monstravit quidem, Tangmari textum esse corruptum, adeoque nullius ponderis; sed nullo modo veram familiam Sancti indicavit. Defendimus itaque, donec certiora edocti, S.* Bernwardum *ex familia Sommerschenburgica originem traxisse suam.*

D *ad quam stirpem palatinatus Saxoniæ devenit :*

14 *Porro eodem, quo Sanctus noster vixit, sæculo familia Sommerschenburgica palatinatum Saxoniæ obtinuit. Nam Dedo comes palatinus dicitur in Chronico Teutonico Goslariensi, cæsus in ecclesia Goslariensi anno* 1057 *occasione electionis discordis imperatoris* (5) : Dedo ein palantgrave van der Sommerschenborch blef dar ock dot, unde licht in deme myddele des munsters; Dedo comes palatinus de Sommerschenburg etiam ibi (in ecclesia) occisus est et jacet sepultus in media ecclesia. *Minus accurate igitur loquitur Meibomius in Chronico Marienthalensi quando dicit* (6), *Fridericum I, comitem Sommerschenburgi seu seniorem,* primum ex hac familia palatinum : *erat nempe Fridericus iste, anno* 1115 *defunctus, filius Alberti, dicti* Seveke *Cribelli, qui uxorem duxit Odam, palatinam Saxoniæ, filiam Dedonis, comitis Wethini et Merseburgensis* (7). *Sed Dedo iste, præter Odam, filium habuit Fridericum ex quo posteri. Inter quos ejus pronepos Fridericus V, canonicus Magdeburgensis, qui mortuo fratre, abdicatoque canonicatu, paternam hereditatem adiit et uxorem duxit, ex* E *quibus nuptiis prodiit Sophia, conjux Hermanni Thuringici, mater Ludovici et socrus S. Elisabeth Hungaricæ. Dicitur quidem, Fridericus Barbarossa* palatinatum tradidisse *huic Ludovico; quia nempe et spuria habenda erat Sophia, quasi ex presbytero nata* (8), *quæ proin palatinum comitatum jure suo in maritum non poterat transferre. Scimus autem tum maxime bellum indictum fuisse clericis concubinariis. Nunc ad genus S.* Bernwardi *maternum gressum facimus.*

juvenis S. Bernwardus *sub cura matris fuit,*

15 *Notatu dignum est, quod, tacito nomine patris, solius matris mentionem faciat Tangmarus n.* 1 *dicens, S.* Bernwardum ortum claro gentis nostræ sanguine, ex filia Athelberonis palatini comitis : *additur quoque a Folcmaro, avunculo suo, seu a fratre matris suæ traditus Osdago, episcopo Hildesiensi, ac tandem num.* 4 *presbyter factus, avo materno ad mortem usque astitisse : citatur etiam num* 67 *Rothgardis, Hildewardensis Ecclesiæ abbatissa, ejus* matertera, *adeoque matris soror. Cur igitur de sola stirpe materna agit biographus? Equidem crediderim patrem in ipsa pueritia* Bernwardi F *fuisse mortuum. Quod etiam confirmatur ex eo, quod num.* 1 *mater et avunculus Folckmarus eum Tangmaro* literis imbuendum, moribus etiam instituendum *tradiderunt : nam partes quasi tutoris* Bernwardi *minorennis agere videtur Folckmarus, quum potius in patrem incumberet cura et educatio liberorum. Unum hic difficultatem facessit; nempe Folcmarus, avunculus erat, adeoque ad stirpem maternam spectabat quod ex num.* 1 *constat, ubi narratur* Bernwardum *juvenem inter avum Athelberonum ejusque* filium *episcopum amicitiam firmam conciliasse. Jam vero jure Saxonico mundium seu tutela, mortuo patre familias, pertinebat ad* proximum paterni generis consanguineum (9). *Esto igitur Folckmarus stricto jure tutor non fuerit, erat certe matri a consiliis, quibus hæc obtemperabat.*

(1) Cfr Muratori, Scriptt. tom. IV p. 82. n. (2) Cfr Act. SS. t. I Junii, p. 514. — (3) Ibid. tom. II Mart. p. 470. — (4) Trad. Corbej. p. 334. — (5) Leibnitz. Rer. Brunsw. t. III, p. 427. — (6) Script. t. III, p. 254. — (7) Ibid., p. 253. (8) Ibid l. c. cfr Falcken. Trad Corb. p. 335. — (9) Cfr Eichhorn. Deutsch. Staats- und Rechtsgeschichte § 56.

AUCTORE J. V. H.

A *quia patre orbatus.* 16 *Cl. A. Fr. Gfrörer, olim professor Historiæ in universitate Brisgoio-Friburgensis, censet, patrem S.* Bernwardi *post obitum filiæ Athelberonis, superduxisse secundam uxorem, Rothgardem, dein abbatissam monasterii Hildewardensis, adeoque Sanctum habuisse novercam : sed nuspiam dicitur Rothgardem fuisse novercam, imo num.* 7 *vocatur matertera, seu soror matris. Nihil igitur est, cur secundas nuptias patri tribuamus; et ex hactenus dictis, verisimile est, eum conjugi, filiæ Athelberonis, præmortuum fuisse* (1). *Sed aliud nobis oggerit jam sæpe citatus Joan. Frid. Falke in libro traditionum Corbejensium* (2) : *nempe Athelberonem, avum maternum, fuisse ex* familia Sommerschenburgica. *Sed id sine ullo idoneo testimonio profert : quinimmo leges ista ætate vigentes sententiæ huic omnino contradicunt. Vult quidem opinationem suam firmare ex bonis a familia Sommerschenburgica possessis : sed hic omnino impingit in leges ista ætate vigentes : nam lex Saxonum* § VII *expresse præcipit* (3) *:* Pater aut mater defuncti filio, non filiæ, hereditatem relinquant. *Atqui Athelbero, num.* 2 prole utriusB que sexus felicissime abundabat : *nulla igitur hereditatis pars, quatenus in terris et prædiis consisteret, matri S.* Bernwardi *obvenire potuit. Manet proin etiam ex hoc capite inconcussum, sanctum antistitem ad stirpem Sommerschenburgicam per patrem pertinere.*

Palatinorum officium exponitur ; 17 *Comitatus porro palatinus, quem tenebat Athelbero, Sancti avus maternus, erat, ut videtur, prima dignitas aulæ. Nam imprimis possessiones principis administrabat, ac per ejus ministerium tradebantur prædia, si quem forte princeps donare volebat. Sic anno* 1012 *S. Henricus II tradit Ecclesiæ Merseburgensi* vinarium unum juxta Merseburg, jam olim per advocatum nostrum Burchardum, comitem palatinum ad ecclesiam in antiqua urbe sitam et in honore S. Petri... consecratam tradi fecimus, nunc quoque... corroboramus (4). *Habebat itaque tutelam omnium possessionum principalium. Sed erat etiam palatinus judex supremus causarum civilium, ut testatur Hincmarus Rhemensis in Opusculo de Institutione Carolomanni seu de Ordine palatii* § XXI (5) : Comitis palatii, inC cætera pene innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones regales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium palatium aggrediebantur, juste ac rationabiliter determinaret, seu perverse judicata ad æquitatis tramitem reduceret, ut et coram Deo propter justitiam et coram hominibus propter legum observationem, cunctis placeret. Si quid vero tale esset, quod leges mundanæ hoc in suis statutis definitionibus tum non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset, quam christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas merito non consentiret, hoc ad regis moderationem perduceretur, ut ipse cum his, qui utramque legem nossent, et Dei magis quam humanarum legum statuta metuerent, ita deeerneret, ita statueret, ut ubi utrumque servari posset, utrumque servaretur : sin autem, lex sæculi merito comprimeretur, justitia Dei conservaretur.

nam videntur plures simul fuisse. 18 *Nullum autem est mihi dubium, quin ordinem palatii Carolovingici, etiam servaverint illi, qui provinciarum duces, imaginem aulæ regiæ exhibere ambiebant; quique in Saxonia sæculis* X *et* XI *ad summam potestatem imperatores eluctati sunt. Verumtamen videntur in Saxonia plures comites palatini simul fuisse : id monstrat laudatus Gfrörer. Nempe Theodoricum,* S. Bernwardi *patrem et Fridericum Gozecensem simul comitatum palatinum administrasse; idque explicat, quia Saxonia erat divisa in antiquam et novam; antiqua erat devicta per Carolum Magnum, nova per Ottones : ita ut antiqua Carolovingica, nova Ottoniana vocari posset* (6). *Quinimmo aliquos, forsan honoris solum causa, palatinatus dignitatem obtinuisse, facile crediderim. Certe in charta fundationis cœnobii Gozecensis, data* III *kal. Octobris* 1053 *dicit Adalbertus, archiepiscopus Bremensis, se una* cum fratribus suis Dedone et Friderico palatinis præsidibus in nomine Domini Jesu Christi cœnobium Gozeka ex patrimonio suo conE struxisse (7). *Erat etiam eodem tempore alter Dedo de Sommerschenburg, pariter palatinus, de quo jam egimus supra num.* 13. *Jam itaque habemus tres palatinos : nam uterque Dedo in unam personam confundere non possumus, si genus mortis attendimus. Dedo, fundator Gozecensis, anno* 1056 *occiditur apud pagum Polethe a quodam clerico, quem frater ejus Adalbertus Bremensis ei custodiendum tradiderat* (8). *Alter vero, ut supra diximus, in electione discordi imperatoris post Henrici III cæsaris obitum, eodem anno Goslariæ tumultuarie cæditur, et ibidem sepelitur. Quod autem censet Gfrörer patri Sancti nostri obvenisse et palatinatum et comitatum Sommerschenburgicum ex nuptiis cum filia Athelberonis, nobis probari non potest, quatenus ad Sommerschenburgum pertinet : quia, ut monstravimus supra num.* 16 *hereditas ista per fœminas accrescere Theodorico non potuit.*

Sæc. XII *extinguitur familia Sommerschenburgica.* 19 *Tandem familia Sommerschenburgica extincta fuit circa finem sæculi* XII, *quando defuncto anno* 1188 *Alberto palatino, ejus hereditas ad Adelhaidem seu Alheidem, vulgo hujus nominis III, Quedliburgensem abbatissam, devoluta est* (9). *Verum Alheidi contradixit Henricus Leo, dux Brunswicensis, princeps id temporis potentissimus, qui se palatinorum proximum agnatum, atque ex eo jure heredem dicebat. Alheidis, sive sua sponte sive ab aliis persuasa, comitatum Wichmanno, qui ab anno* 1152 *ad* 1192 *Magdeburgensem sedem tenuit, vendidit certo pretio, Henrico Leone acriter se opponente : sed tandem Sommerschenburgum penes Magdeburgenses archiepiscopos remansit. Pretium vero, ex venditione redactum, Alheidis abbatissa partim in instauratione destructi monasterii, partim in presbyteros, viduas aliosque tenuioris sortis homines erogavit. Scribitur obiisse anno* 1190 *ultima stirpis Sommerschenburgicæ* (10).

F

(1) Pabst. Greg. VII, t. I, p. 184. — (2) Pag. 334. — (3) Lindenbrog, Codex legum antiq. p. 476 — (4) Pertz, Monum. t. X, p. 175. Cfr Gfrörer. Pabst. Greg. VII, t. I, p. 186. — (5) Migne, Patrol., t. CXXV, col. 1001. — (6) Pabst. Greg. VII t. I, p. 190. — (7) Pertz, Mon. Hist. Germ., t. X, p. 143. — (8) Ibid., p. 144. — (9) Meibom, Scriptt., t. III, p. 254. — (10) Ibid., p. 252. Cfr Voigt, Geschichte des Stifts Quedlinb. t. I, p. 297.

AUCTORE J. V. H.

§ III. Locus et tempus nativitatis Sancti : ejus educatio in Schola Hildesiensi ; indoles scholarum istius ævi.

Natus videtur in castro Sommerschenburg,

Exposita stirpe, e qua S. Bernwardus *prodiit, inquirendum venit tempus, quo Sanctus in lucem editus fuit. Atque in hac quæstione utcumque elucidanda conjecturis aliquantisper indulgeamus, oportet. Tangmarus, qui cæterum accurate Vitam Sancti conscripsit, minorem ejus ætatem aliquantulum neglexit : omisit enim nomen patris, locus et tempus nativitatis : quapropter hæc conjecturis assequi debemus. Et quod ad locum natalem imprimis spectat, censemus* S. Bernwardum *in paterno comitatu Sommerschenburg natale solum nactum fuisse, quod in ipsis confinibus utriusque episcopatus Magdeburgensis et Hildesiensis situm est : unde certo mihi definire non licet, ad quam ex duabus diœcesibus pertineat. Verisimilius tamen est, in diœcesi Magdeburgensi* S. Bernwardum *nactum fuisse natale solum : nam*
B *paulo supra vidimus, Alheidem abbatissam, ultimam e stirpe Sommerschenburgica vendidisse hereditatem Wichmanno, archiepiscopo Magdeburgensi, quatenus ad suam diœcesim pertinebat. Quod autem episcopo Hildesiensi educandus traditus et ab eodem clericali militiæ adscriptus fuerit, non magnopere ostendit, Sanctum ex Hildesiensi Ecclesia oriundum fuisse. Facile enim juvenis ab una ad alteram diœcesim traducebatur. Cujus rei exemplum luculentissimum ejusdem et temporis et regionis habemus in S. Meinwerco, episcopo Paderbornensi, cujus Acta dederunt nostri sub die* v *Junii* (1). *Nam in ejus Vita num.* 4 *dicitur natus* in septemtrionali tractu Trajectensis diœcesis (2), Halberstadii ad clericatus officium a parentibus oblatus, ubi tenerioris ætatis rudimenta, provectioris vero in Ecclesia Hildeneshamensi peregiit. *Peractis studiis, Halberstadium rediit, ibique* vixit sub præposito canonicæ legis. *Porro Meinwercus et* Bernwardus *coævi fuerunt sub eadem provincia Moguntina, ille Paderbornæ, hic Hildesiæ, ac proin nihil obstat, quin* S. Bernwardus, *etiamsi in diœcesi Magdeburgensi ortus fuerit, ad Hildesiensem transierit.*

C

circa annum 960 :

21 *Similiter nihil certi habemus de tempore nativitatis : ignoramus enim quot annis in hoc sæculo vixerit. Tria tamen sunt, quæ suadent* S. Bernwardum *sexagenarium obiisse. Imprimis Tangmarus, ejus simul magister et biographus, ei superstes fuit; dein anno* 993 *Hildesiensem cathedram conscendit, ac tandem anno* 1022 *vitam clausit suam. Ex hisce vero deducimus,* S. Bernwardum *ad provectam omnino ætatem non pervenisse, si quidem vitæ scriptorem habuerit suæ pueritiæ magistrum. Dein anno, ut diximus,* 993 *episcopus consecratus, ætatem quasi triginta annorum habere debuit; quum concilium Aquisgranense anni* 816 *lib I cap.* 9 (3) *requirat, ut ad exemplum Chrisi anno ætatis trigesimo prædicare incipiat. Quod* autem, *ait,* a triginta annis sacerdos (*episcopus*) efficitur, ab ætate scilicet sumptum est, ex qua idem orsus est prædicare. *Sacerdotis porro nomine hic venire episcopos manifestum est,* D *quia capite præcedenti agit concilium* de presbyteris (4). *Tandem non diu post ætatem canonicam sedem Hildesiensem consecutus est* S. Bernwardus ; *nam in ejus vita num.* 4 *legitur :* cum plerique nobiles clerici, palatina militia diu certantes, missionem (*episcopatum Hildesiensem*) optarent, consensus tamen omnium in hunc Deo electo juvenem concordabat : *loquitur dein scriptor de* juvenili corpore, *quod* ad virtutum culmen coegit. *In episcopatu autem triginta annos* (*a* 993 *ad* 1023) *exegit. Ex quibus omnibus conficitur sexagenarium ætatem attigisse* S. Bernwardum ; *ac proin circa annum Christi* 960 *in lucem hanc editum fuisse.*

Schola Hildesiensis, in qua

22 *Tangmaro, qui* primicerius scholæ puerorum præerat, litteris imbuendus, moribus etiam instituendus deputatur. *Hæc ipse Tangmarus num.* 1, *qui deinceps exponit, qua ratione puerum* Bernwardum *ad omnes scientias et artes excoluerit.* Primicerius, *qui* scholæ puerorum præerat, *idem est, qui etiam Scholasticus vocatur. Instar seminariorum hodiernorum habebantur scholæ episcopales, quarum* E *imaginem accuratissimam nobis exhibet auctor Vitæ S. Meinwerci, qui* S. Bernwardo *coævus, Hildesiensis scholæ etiam alumnus fuit, cap.* 11 (5) *:* Studiorum, *ait,* multiplicia sub eo floruerunt exercitia ; et bonæ indolis juvenes et pueri strenue instituebantur norma regulari, proficientes haud segniter in claustrali disciplina, omniumque litterarum doctrina. Claruit hoc sub ipsius sororio Imado episcopo, sub quo in Patherbrunnensi Ecclesia publica floruerunt studia. Quando ibi musici fuerunt et dialectici, enituerunt rhetorici, clarique grammatici : quando et magistri artium exercebant trivium, quibus omne studium erat circa quadrivium : ubi mathematici claruerunt et astronomici, habebantur physici atque geometrici, viguit Horatius magnus et Virgilius, Crispus ac Sallustius, et urbanus Statius ; ludusque fuit omnibus insudare versibus et dictaminibus, jocundisque cantibus. Quorum in scriptura et pictura jugis instantia claret multipliciter hodierna experientia ; dum studium nobilium clericorum usu perpenditur utilium librorum. Præfatus quoque F Imadus episcopus tempore suæ pueritiæ tanto disciplinæ claustralis rigore ibidem est nutritus, ut numquam patrem suum videre extra conventum specialiter vel ei colloqui fuerit permissus : dicente episcopo, pueros et adolescentes cum districtione debere erudiri, et non nocivis blandimentis deliniri ; quoniam audaciæ et ferociæ nutrimenta eis ministrarent blandimenta. Adolescebant quoque secum tirones militiæ cœlestis Anno, archiepiscopus Coloniensis, Frithericus Monasteriensis et perplures alii, strenui postmodum in vinea Domini operarii.

educatur,

23 *Hactenus prolata ex S. Meinwerci Vita, explicatione aliqua indigent. Primo Imadus qui sororius sancti antistitis dicitur, quatenus ejus mater erat soror S. Meinwerci fuit tertius ab ipso Paderbornensis episcopus, quam cathedram tenuit ab* 1051 *ad* 1076 (6) *: adeoque ipse Imadus, licet ex nobilissima stirpe progenitus,*

(1) Act. SS., t. I Jun., p. 508. — (2) Ibid., p. 512. — (3) Harzheim. Conc. Germ. t. I, p. 440. — (4) Ibid. p. 438. — (5) Acta SS., t. I, Jun. 537. — (6) Schmid, Die Säkularirzirten Bisth. Deutschlands, t. II, p. 110.

austeram

A *austeram vivendi regulam professus est. Animadvertamus obiter, etiam in scholis ecclesiasticis, excultos fuisse juvenes lectione scriptorum profanorum, ac inter auctores recensitos unum solum fuisse, qui soluta oratione scripserit, nempe Sallustium. Hic etiam videre licet supellectilem librariam scholæ Paderbornensis, quatenus scripta profana complectebatur. Satis autem notum est, quanto pretio hujusmodi codices comparandi erant: præsertim quum summa sæpe arte et conscripta et picturata essent. Quapropter in scholis istius ætatis maxima cura exercebantur juvenes in* scriptura et pictura, *quarum* jugis erat instantia *et monumenta exstabant. Luxus, qui in exscribendis libris explicabatur, ortum forsan suum a S. Bonifacio Moguntino accepit: in ejus enim epistolis, ut ostensum fuit in Actis S. Lulli ad diem* XVI *octobris* (1), *frequenter agitur de libris ex Anglia in Germaniam mittendis; sic ab Eanfleda abbatissa petit, ut* cum auro conscribat epistolas domini sui sancti Petri Apostoli ad honorem et reverentiam Sanctarum Scripturarum (2). *Ex eo verisimiliter fonte manavit in Ecclesiis et scholis*
B *Germaniæ consuetudo exercendi juvenes in scribendo et pingendo. Quantus vero fuerit in istis artifex S.* Bernwardus, *infra docebimus.*

describitur; 24 *Quas pueri docebantur, scientias profanas Trivium et Quadrivium complectebatur.* Trivium, *autem, ut habetur apud Cangium h. v. dicitur Grammatica, Dialectica et Rhetorica, quasi triplex via ad eloquentiam.* Quadrivium *vero quatuor artes complectebatur, scilicet Arithmeticam, Musicam, Geometriam et Astronomiam. Disciplinæ hactenus enumeratæ viam sternebant ad graviores scientias Theologiæ, Jurisprudentiæ et Medicinæ. Non est dubium quin illi, qui Ecclesiastico ministerio deputandi erant, in theologicis disciplinis exercerentur: sic noster S.* Bernwardus *in Sacra Scriptura et Ecclesiæ patribus pervolvendis excultus fuit. Qui vero, maxime inter nobiles, civilibus negotiis gerendis destinabantur, ii ad jurisprudentiam incumbebant: ut testatum nobis facit Chronicum Eberspergense de Udalrico comite ineunte sæculo* XI, *qui dicebat, quod* si quis potens ac nobilis legem (*jura*) ignoraret, ignominiosus
C videretur, sicut, *ait,* in me coævisque apparet, qui jura didiscimus (3) : *sed mos iste, ut ibidem dicitur, paulatim in desuetudinem abiit.*

qua occasione sermo fit 25 *Præter scholas episcopales, fuerunt etiam, fundatis monasteriis, scholæ in cœnobiis. Fulserunt præ cæteris in Germania scholæ Sangallensis* (4) *et Fuldensis* (5), *antiquitate potiores, ad quarum normam reliquas scholas episcopales et monasteriales ordinatas fuisse, existimo. Meridionalem Germaniam excoluere præsertim Sangallenses, septemtrionalem Fuldenses. Et quidem ante domitam per Carolum Magnum Saxoniam, Fuldenses præcipua evangelici verbi semina agro Saxonico commiserunt, quæ dein in uberrimas fruges excreverunt. Jam anno* 787 *aut sequenti Carolus præceperat, ut* episcopia et monasteria præter regularis vitæ ordinem, atque sanctæ religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus, eis, qui, donante Domino, discere possunt, secundum unicujusque capacitatem, docendi studium debeant impendere: qualiter sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi et discendi instantia ordinet et ornet seriem verborum; ut qui Deo placere appetunt recte vivendo, etiam ei placere non negligant recte loquendo (6). *Hinc etiam erecto episcopatu Osnabrugensi, Carolus præcipit anno* 804, *ut ibidem* græcæ et latinæ scholæ *habeantur, ita ut semper reperiantur* clerici utriusque linguæ gnari : *quapropter dum rex clericos eximit* ab omni regali servitio, *vult tamen,* si forte contingat, ut imperator Romanorum et rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant, tunc Ecclesiæ *Osnabrugensis* episcopus, omni sumptu a rege vel imperatore adhibito, laborem simul et honorem illius legationis assumat (7).

AUCTORE J. V. H.

de scholis monasterialibus: 26 *Multum etiam excolendis bonis literis contulit fundatio Novæ Corbejæ in Saxonia, quæ anno Christi* 815 *incepta est. Nam in Chronico Corbejensi legimus sub anno* 846, Scholam maxime floruisse cum incremento Saxoniæ (8). *Enimvero scientiarum studium ibidem ista ætate floruisse idem Chronicum testatur,* E *quum dicit,* Wimonem anno 885 lectorem ob expeditam doctrinam et accuratam informationem magni habitum ubique (9) : *similiter* anno 952 Unwanus Corbejensis fit lector S. Theologiæ in monasterio S. Pantaleonis Coloniæ (10). *Verum non unum solum lectorem seu magistrum mittit Corbeja ad alia monasteria, sed novas etiam fundat scholas, ut legitur in eodem Chronico sub* anno 961 floruisse schola in Nova Ecclesia cum tota congregatione, certando, *ait,* quasi cum nostra. Sic mater dilexit filiam, et filia matrem honorabat (11). *Idem tamen non dixero de cœnobiis monialium. Jam alibi, nempe in Actis S. Hedwigis ad diem* XVII *octobris, numm.* 35 *et seqq.* (12), *monstratum fuit, sanctimoniales non habuisse, sicut monachi, scholas exteriores, sed solum interiores seu claustrales pro puellis nempe aut velatis aut velandis.*

in quibus omnibus artes liberales exercebantur. 27 *Quum igitur studium litterarium supra expositum S.* Bernwardus *decurreret et* vivacissimo, *ait biographus num.* 3, igne animi in omni liberali scientia deflagraret, nihilominus tamen in levioribus artibus, quas mechaF nicas vocant, studium impertivit. *Neque hoc valde mirabile est. Nam clerici istorum temporum et istarum gentium ejus erant conditionis, ut artes etiam barbaros docere cogerentur: quemadmodum hodierni viri apostolici, dum prædicatione silvestrium hominum indolem emolliunt, ad vitam civilem artesque congenitas illos informare debent. Et hoc porro series actorum antistitis nostri ostendet. S. Bonifacius Moguntinus, cujus disciplina Ecclesiæ Saxonicæ informatæ erant, in Anglia viderat, episcopos et presbyteros vere fuisse civitatum* Δημιουργους, *utpote qui gentem Anglosaxonum ad omnem humanitatem instruxerant. Certe canones editi ab Edgaro rege id præcipiunt. Can.* XI (13) *legimus :* Docemus etiam, ut sacerdos quilibet ad augendam scientiam, opificium

(1) Act. SS., t. VII, Octob. p. 1075 et seqq. — (2) Migne, Patrol. tom. LXXXIX, col. 712. — (3) Oeffel. Rer. Bojic. scriptt. tom. II, p. 10. — (4) Cfr V. Arx, Geschichte von St Gallen, t. I, p. 183. — (5) Schannat. Hist. Fuld., p.55. — (6) Sirmond. Conc. Gall., t. II, p. 121. — (7) Harzheim. Conc. Germ., t. I, p. 387. — (8) Leibnitz, Rer. Brunswic., tom. II, p. 297. — (9) Ibid , p. 298. — (10) Ibid., p. 301. — (11) Ibid., l. c. — (12) Act. SS., tom. VIII Octob., p. 205. — (13) Labbe, tom. IX, Conc., col. 683.

AUCTORE J. V. H.

discat diligenter : *nempe quando populus, adhucdum agrestis, videbat duces suos spirituales ad opificium aliquod incumbere, tali exemplo ad imitationem provocabatur, et paulatim artium cultura promovebatur. Cæterum in antiquis monasteriis omnia opificia et artes omnes exercebantur. S. Dunstanus, archiepiscopus Cantuariensis, erat faber, organorum musicorum factor, fusor campanarum* (1) : *abbates monasterii Solemniacensis in Lemovicibus initiarunt et promoverunt artem cælatoriam et encausticam, quæ tantam famam Lemovicensi civitati conciliavit* (2). *Thiemo quoque, archiepiscopus Salisburgensis, sæc.* XI *Martyr, sculpendi, pingendi, fingendi, cælandi arte excellebat, imo industria, hactenus deperdita, callebat artem,* fundendi lapideas statuas (3). *Igitur quum S.* Bernwardus artibus mechanicis studium impertivit, *nihil fecit, quod a moribus suæ ætatis abludebat.*

Ordines minores accipit :

28 *Videtur S.* Bernwardus *in ipso flore adolescentiæ ab episcopo Hildesiensi exorcistatus ordinem accepisse : qui quum tertius sit inter Ordines Minores, verisimiliter et præcedentes ab eodem episcopo acceperit. Legimus dein*
B *S.* Bernwardum *a B. Willigiso, Moguntino archiepiscopo, subdiaconum fuisse ordinatum : Ista vero ætate hic ordo inter sacros seu majores non computabatur, quod demum factum est exeunte sæculo* XII ; *nam Petrus Cantor, nempe Parisiensis, eodem sæculo vita functus in suo Verbo Abbreviato cap.* 60 (4) *scribit :* De novo institutum est, subdiaconatum esse sacrum ordinem. *Nihilominus Card. Bona Rer. Liturg. lib. I, cap.* 25, § 16 (5) *licet inter Minores Ordines haberetur subdiaconus,* docet, post sextum *tamen* sæculum *vix aliqua memoria subdiaconorum reperiri, qui non fuerint continentiæ voto adstricti. Et Romæ quidem jam ab his continentia servabatur tempore Pelagii II, Pontificis ab anno* 578 *ad* 590, *qui subdiaconis Siciliæ prohibuit, ne uxoribus miscerentur, ut testatur S. Gregorius Magnus lib. I, epist.* 44 (6) : *simul tamen vult, ut deinceps subdiaconi ordinandi,* se victuros caste promittant ; *quod si post prohibitionem a Pelagio Papa factam se* continere noluerint, pervenire ad sacrum ordinem *minime possint. In Ecclesiis Angliæ, a quibus disciplina clericalis ad Germanicas, teste Beda*
C *lib.* I, *cap.* 27 (7), *derivata est, solis clericis in sacris ordinibus constitutis interdicendum erat matrimonium, quod inferioribus permittebatur. Ex dictis liquet, S.* Bernwardo, *clerico sæculari, post susceptum subdiaconatum liberum fuisse pro arbitrio ad sæcularia vota transire* (8).

avo materno adest

29 *Ante tamen quam ad B. Willigisum commearet S.* Bernwardus, *licet adhuc* primis auspiciis pubescentis decoris florens, *jam ab avo materno Athelberone assumptus est in consilium* (*Vita num.* 1.). *In eo enim adolescente avus* salutaris consilii stationem reperit, familiarius sibi adjunxit, ut ne minimum quidem sine ejus consultu ageret. *Incolatus vero in domo avi habuit aliquam temporis intercapedinem, qua ad antistitem Moguntinum migravit, a quo post subdiaconatus ordinem, diaconatum et presbyteratum accepit. Et recte quidem dixi intercapedine temporis ordinationem Sancti nostri celebratam fuisse. Nam presbyter factus,* D reversus est ad præfatum comitem, suum videlicet avum (*Vita num.* 2.). *Revertendo quippe monstratur Sanctus, illic jam habitasse. Arbitror autem S.* Bernwardum *presbyteratus Ordinem accepisse, factum annorum circiter viginti quinque. Nam supra ex conjecturis probabilibus num.* 21 *statuimus illum natum circa annum Christi* 960, *et jam presbyterum et regis capellanum, ut monstrabimus infra, anno* 987 *aut* 988 *minorennis regis, Ottonis III, institutorem fuisse. Unde deducimus, illum anno* 985 *presbyterum ordinatum fuisse. Si enim uno alterove anno anticipamus ordinationem, impingimus in defectum ætatis in ordinando ; si tardius prorogamus, non potest presbyter educationem Ottonis procurasse : itaque anno circiter* 985 *illiganda est ordinatio S.* Bernwardi, *qui tunc ætatis erat annorum circiter viginti quinque.*

totius familiæ columen.

30 *Quo tempore S.* Bernwardus, *jam presbyter, morabatur apud avum, curam præcipuam posuit in conservanda pace familiæ.* Pro paterno *ait biographus num.* 4, affectu ad filios (*suos nempe avunculos*) totum se profudit, magnam- E que gratiam inter illos conciliabat... Inter patrem quoque et filium, dominum episcopum internuntius sæpe discurrebat, magnamque inter illos familiaritatis gratiam conciliabat. Ipsi ergo episcopo tantum complacuit, ut Daventriensi cœnobio sua vice illum præponere vellet : fitque inter episcopum et comitem de tantæ indolis juvene religiosa concertatio, ut uterque pro morum gratia illum sibi adoptare intenderet. Sed ipse imbecillis avi infirmitatem sustentare, quam episcopales delicias appetere malebat. *Satis intelligitur episcopus, de quo hoc loco, esse Folcmarus, Sancti avunculus, qui sedem Trajectensem seu Ultrajectinam occupavit annis* XIII, *nempe ab anno* 977 *ad* 990 (9). *Daventriense cœnobium, de quo in textu agitur, est collegium canonicorum, ut habetur in Vita S. Ludgeri ad* XXVI *martii, ab Altfrido ejus in episcopatu Monasteriensi successore, qui sæculo* IX *floruit, conscripta. Ibidem enim legitur* (10), *S. Ludgerus instaurasse ecclesiam Daventriensem, sæpe a paganis destructam, in eamque collocasse corpus S. Lebuini seu Liaf-*
wini, ubi etiam nunc, *inquit Altfridus,* cœno- F bium est canonicorum, Domino famulantium. *Quod autem ista Daventriensis præpositura Sancto procuratura erat* episcopales delicias, *ideo dictum existimo, quia Daventria erat ex oppidis primariis episcopatus Trajectensis, imo tunc temporis omnium primum ; quod conjicere licet ex Vita S. Joannis, Gorziensis abbatis, ad diem* XXVII *februarii edita, in qua auctor Joannes, abbas S. Arnulphi Metensis, dicit se animatum fuisse ad scriptionem continuandam a Poppone,* qui, *ait* (11), tunc *erat* Trajectensis seu Daventriensis Ecclesiæ pontifex clarissimus atque in grege doctorum admodum celebratus. *Hæc ipsa confusio sedis monstrat principalitatem Daventriæ : qua episcopales delicias explicamus. Verum quidem est, Popponem hunc non reperiri in Catalogis episcoporum Trajectensium : ideo forsan quia brevissimus fuerit ejus episcopatus :*

(1) Cfr Lingard, Les Antiquités de l'Eglise anglo-sax., p. 179. — (2) Lenoir, Archit. monast., tom. II, p. 478. — (3) Metzger, Hist. Salisburg., p. 335. — (4) Migne, Patrol., tom. CCV, col. 184. — (5) Pag. 483, edit. Antv. 1677. — (6) Migne, Patrol., tom. LXXVII, col. 506. — (7) Ibid., tom. XCIV, col. 58. — (8) Cfr Moroni, Dizion. di Erud., V° *Subdiacono.* — (9) Van Heussen, Hist. Ultraj., t. I, p. 10. — (10) Act. SS., t. III Mart., p. 645. — (11) Ibid., t. III Febr., p. 699.

Quidquid

A *Quidquid sit, temerarium esset erroris arguere auctorem coævum, doctum, fide dignum. Sæculo* XVI, *ut scimus, Daventriensis præpositura in episcopatum erecta fuit.*

§ IV. Ottoni III, imperatori minorenni, datur magister; multorum invidiam incurrit; eligitur episcopus Hildesiensis secundum formam, quæ explicatur, sæculo X usitatam.

Magister Ottonis III minorennis,

Otto II *imperator anno* 983 *die* VII *decembris reliquit moriens filium minorennem, qui regnavit sub tutela matris suæ, Theophaniæ. Hæc autem filium septennem S.* Bernwardo litteris imbuendum, moribusque instituendum, consensu cunctorum procerum, commendavit. (*Vita num.* 5). *Qua vero solertia impositum munus obierit exponit dein biographus his verbis :* In quo (*munere*) ita excelluit, licet quorumdam
B invidia morderetur, ut puer imperialis in discendo mirifice proficeret, et tamen ad cuncta foris obeunda liberalissimo negotio ejus ingenium feriaret. Et cum alii regi puero adulando obsequerentur, adeo ut ludicra et quæ tenera ætas poscebat, illi persuaderent, imperatrix etiam, verita affectum filii sibi præripi, in ejusmodi favore in tantum emollita esset, ut ad omnia, quæ puerilis ætas illum impelleret, ipsa gratissimo affectu consentiret : hic solus tanta arte institit, ut a non faciendis metu illum prohiberet, et tamen plenissimo affectu ejus animum sibi colligaret... Hujus consilio examinabat quodcumque alii adulando persuadebant; quia quamvis in puerilibus auspiciis otiaretur, altiori tamen industria quorumdam simulationes prævidebat. Præcipua itaque familiaritate magistrum suum amplectebatur, nec ab ullo inferius tractari patiebatur, quem universali virtutum decore respersum venerabatur.

multorum invidiam,

32 *Hunc institutionis regiæ tenorem, quem tenuit S.* Bernwardus, *exposuimus, ut respondeatur iis, qui jam tunc inter duos pontifices sanctos,* Bernwardum *et Willigisum, discordiarum semina jacta fuisse existimant. Certe, ut jam diximus,* consensu cunctorum procerum *constitutus fuit regis pueri magister : dein mortua matre, imperatrice Theophania, Neomagi* XV *junii anni* 991 *defuncta, ut habent Annales Quedlinburgenses* (1), *puer regius, utroque orbatus parente, vix undecim annorum natus, aliorum ope et consilio imperium, quod universam fere Germaniam ac Italiam et partem non parvam Galliæ complectebatur, administrare debuit. Summa vero imperii erat penes Willigisum, archiepiscopum Moguntinum, ut docet nos Dodechinus in sua Appendice ad Marianum Scotum.* Temporibus, *inquit* (2), Ottonis imperatoris hujus nominis Tertii, præfuit Ecclesiæ Moguntinæ Villigisus, archiepiscopus memoria dignus, qui ipsum Ottonem adhuc valde puerum et imperatorem educavit et interim per XVI annos rexit imperium. *Fuerit igitur inter Willigisum et* Bernwardum *in administrando imperio opinionum dissensio, quæ vix quando res graves et arduæ in deliberationem adducuntur, abesse potest. Adeoque pro familiaritate, qua, ut dicit Tangmarus num.* 3, *utebatur* Bernwardus *cum puero imperatore, fieri debuit, ut non idem esset semper utrique antistiti in agendo consilium : quæ dein dissensio, artibus muliebribus aucta, in simultatem exarsit.*

AUCTORE J. V. H.

præsertim simultatem

33 *Dicitur quidem, causa discordiæ fuisse male instituta educatio Ottonis pueri, quam neglectam exprobrabat imperatoris soror, Sophia, abbatissa dein Gandersheimensis* (4). *Hæc quantum ad Willigisum spectant, nullo testimonio nituntur : nullus enim antiquorum tale quid retulit. Altius certe repetenda est inimicitia, inter S.* Bernwardum *et Sophiam, Ottonis sororem, enata. Postquam, inquit Tangmarus num.* 25, luxus et superfluitas accessit, morum insolentia subintravit, obedientia torpuit, repulsa est episcoporum reverentia. Quod cuique erat placitum, faciebat licitum. *Sophia autem, abbatissa sua* Gerburga invita et renitente, *ad palatium se contulit; ibique* annum vel bien- E
nium commorata est. *Pro officio suo S.* Bernwardus *episcopus,* blandius illam admonitam, ad monasterium redire persuasit. *Sed perstitit in palatio Sophia, quia, ait Bodo Clusinus in Syntagmate de constructione monasterii Gandersheimensis* (5), litteris imbuta et leges quoque callens humanas, frater ejus imperator eam petivit concedi sibi ab abbatissa. *Atque hoc quasi exordium mihi videtur simultatum, quas Ganderheimiensis controversia latius propagavit. Cæterum curam a S.* Bernwardo *impensam educando Ottoni III, testatur Tangmarus, numero* 31 *citatus, quando dicit, adulatoribus, imo ipsi matri Theophaniæ, quasi solum restitisse : quod vero non multum religiosa fuerit pueri educatio, non continuo culpa est magistri; præsertim si attendimus, Ottonem, vix tredecim annos natum, aliis præceptoribus tradendum fuisse, nempe quando anno* 993 Bernwardus *noster Hildesiensem cathedram conscendit.*

cum Willigiso Moguntino subit.

34 *Suspicantur aliqui, ordinationem S.* Bernwardi *ad Hildesiensem sedem fuisse factam opera maxime Willigisi, qui rivalem minus gratum in administrando imperio passus non fuerit : unde sugillant etiam Tangmari simplicitatem existimantis, num.* 6, *magnum* Bernwardo *impensum fuisse honorem, quod inter tot tantosque, ipse juvenis ad infulas episcopales destinatus fuerit* (6). *Nempe ajunt, longe honoratius erat, imperatoriis consiliis assidere, quam episcopatum regere peculiarem, in angulo imperii positum. Esto quis ita judicet. Sed aliæ sunt cogitationes Sanctorum ; qui sæpe artes aulicas veriti, aulam et splendida officia dereliquerunt. Dein Tangmarus supra num.* 31 *citatus clare insinuat, sanctum præceptorem habuisse adversarios multos, qui rectam severitatem magistri emollire in detrimentum regis pueri contendebant. Tales incommodum censorem infulis pontificalibus redemisse facile intelligo. Sed Willigisum, virum gravem, prudentem, sanctum in istiusmodi consilio non admittam,*

(1) Pertz, Monum. Germ., t. V, p. 68. — (2) Pistorius, Script. Rer. Germ., t. I, p. 677. — (3) Gfrörer, Pabst Gregor VII, t. V, p. 558 et 908. — (4) Ibid., p. 908. — (5) Meibom. Scriptt., t. II, p. 498. — (6) Gfrörer, Pabst Gregor VII, t. V, p. 557.

AUCTORE J. V. H.

mittam, nisi idoneus adducatur testis, qui hactenus abest. An forsan Tangmarus, ut alumni sui gloriam magnificaret, Ottonis pueri institutionem ita adornarit, ut oblique insinuatur (1)? *Verum in ipsa persona scribente, in modo scribendi, in rebus narratis nihil est, quod talem suspicionem ingerere potest. Admittamus narrationem Tangmari, prout scripta est, donec meliora edocti fuerimus non per meras conjecturas, sed per testimonia idonea. Ad alia progrediamur.*

Ab Otwino educatus S. Bernwardus,

35 *Tangmarus num.* 1 *nos docet, S.* Bernwardum *traditum fuisse educandum Osdago, Hildesiensi, episcopo : quod cum serie gestorum nequaquam consentaneum est. Osdagus enim sedem occupavit ab anno* 985 *ad* 989 (2); *eique successit Gerdagus ab anno* 990 *ad* 992 (3), *quem dein S.* Bernwardus *anno* 993 *excepit. Monstravimus autem supra num.* 20, *Sanctum natum fuisse circa annum* 960. *Osdago igitur traditus fuisset jam annos* XXV *factus, adeoque annos pubertatis jam longe prætergressus, quod cum reliqua narratione Tangmari nullatenus quadrat. Quod si Osdago Othwinum substituimus, jam*
B *omnia recte procedunt. Etenim Othwinus, Hildesiensis episcopus ab anno* 954 *ad* 984, *recte potuit suscipere puerum* Bernwardum, *circa annum* 960 *natum. Error porro in nomine episcopi educatoris Tangmaro adscribi non debet : satis notum est, antiquos nomina non raro expressisse per primam literam; unde librarii, historiæ et episcoporum ignari, Othwino Osdagum substituerunt. Est et alterum argumentum, quod mutationem nominis omnino necessariam facit: nempe dicitur puer* a suo avunculo religioso diacono Folcmaro, post quoque Trajectensi episcopo traditus : *ergo traditio præcessit aditionem cathedræ Ultrajectinam, quæ, ut diximus supra num.* 30, *anno* 977 *contigit.*

Gerdago in sede Hildesiensi succedit :

36 *Gerdagus qui proxime præcessit S.* Bernwardum *obiit, secundum Annales Hildesienses* (4) *anno* 992. *Sic enim habent :* Eodem anno (992) Gerdagus episcopus Romæ limina sancti Petri orationis causa adiit; inde revertens Cumis (*Comi Annales Quedlinbergensis dicunt :* in Longobardia (5)) obiit VII id. decembris. *Addunt Annales Quedlinbergenses* (6) :
C *obierunt etiam* presbyter suus Suiteboldus et diaconus suus Bodo ejusque frater Hioprecht et camerarius suus. Successit autem sibi Bernwardus episcopus. *Lue contagiosa periisse episcopum Gerdagum suspicor, si quidem cum eo ejus quoque comitatus exstinctus est. Nam manus violentas illi injectas fuisse non censeo; quia istiusmodi violentiæ aliquod vestigium apud historicos reperiretur. Statim vero Gerdagi obitus Hildesiæ innotescere debuit, quia inter mortem Gerdagi et S.* Bernwardi *consecrationem quadraginta dies interfuerunt, nempe a die* VII *decembris usque ad diem* XIV *januarii.*

qua occasione forma electionis,

37 Per idem tempus, *inquit Tangmarus num.* 6, *nempe post mortem Theophaniæ imperatricis, quæ obiit Neomagi* XVII *kal. julii* 991 (7), venerabili domino Gerdago decedente, hic religiosus juvenis Bernwardus votis omnium ad pontificatum eligitur : et cum plerique nobiles clerici, palatina militia diu certantes, missionem optarent, consensus tamen omnium D
in hunc Deo electum juvenem concordabat. Communi igitur electione sanctæ Hildensemensi Ecclesiæ ordinatur episcopus a Willegiso archiepiscopo XVIII kalendas februarii anno Incarnationis dominicæ nongentesimo nonagesimo tertio, indictione sexta. *Vaga sunt hæc verba in quantum agunt de modo electionis. Imprimis videtur clericis palatinis liberum non fuisse, quærere sibi prælaturas extra aulam sine licentia principis : vox* missio *alludit ad servitium militare; interpretor enim tamquam facultatem, a rege concessam, ut clericus palatinus quærat sibi dignitatem ecclesiasticam, aut oblatam acceptet. Interpretationi favet, quod clerici dicantur* palatina militia diu certantes, *et occasione oblata* honestam missionem *petentes. Invidiosi erant sæpe reliquo clero palatini : illos avaritiæ arguit Lupus Ferrariensis, sæc.* IX *scriptor epist.* XXV (8) : Fama, *inquit,* versatur inter nos, clericos palatii diversorum cœnobiorum sibi dominium optare et poscere, quibus nulla sit alia cura, nisi ut tunc avaritiæ oppressione servorum
E Dei satisfaciant. *Plura de his habet Cangius in suo Glossario voce* Capellanus. *Verum satis intelligitur, missione honesta, data clerico palatino, esse efficacissima commendatio dignitatis acquirendæ.*

sæc. X *usitata,*

38 *Hæc dicta non sunto, ut vel oblique carpatur S.* Bernwardus, *capellanus palatinus : multi certe e palatio prodiere viri, omni sanctitate et doctrina insignes, inter quos primo subsellio sanctum nostrum antistitem collocamus : sed ubi plures sunt ejusdem conditionis homines, fieri non potest, ut humana fragilitas non se prodat aliquando. In omni certe sanctimonia se gessit in palatio S.* Bernwardus, *sed remanet tamen quæstio, quæ fuerit electio, aut quis* omnium consensus, *quo ad Hildesiensem cathedram evectus fuit. Tangmarus quidem dicit,* votis omnium ad pontificatum *electum fuisse,* consensum omnium in hunc juvenem concordasse : *sed qui sint isti omnes, nequaquam explicat. Quænam v. g., imperatoris ejusve matris Theophaniæ in hac electione fuerunt partes? An propositus principis nomine* Bernwardus, omnium votis electus fuit? *Certe exsistebat sæculo* X *exeunte jus patronatus, seu jus præsentandi ad beneficium ecclesiasticum pro fundatore ejusque heredibus, quod sibi arrogare poterant imperatores præsertim pro Ecclesiis Saxonicis, quas Carolus Magnus fundaverat. Sic S. Adalbertus, cujus Acta illustrarunt nostri ad diem* XX *junii* (9), *eligitur ab Ottone I seu Magno archiepiscopus Magdeburgensis anno* 968, *ut constat ex ejus diplomate* (10), *in quo dicit* omnibus fidelibus suis, virum venerabilem Adalbertum episcopum, Rugis olim prædicatorem destinatum et missum, archiepiscopum et metropolitanum totius ultra Albiam et Salam Sclavorum gentis, modo ad Deum conversæ vel convertendæ, fieri decrevimus pariter et elegimus, quem et Romam
F pro pallio a domno Papa suscipiendo direximus. Et ut hæc nostra electio firmior et subnixior fiat, eum vestræ caritati dirigimus, et

(1) Gfrörer, Pabst Gregor VII, t. V, p. 927. — (2) Sakular. Bisth. Deutschland, t. I, p. 228. — (3) Ibid., l. c. — (4) Pertz, Monum., tom. III, p. 69. — (5) Ibid., l. c. — (6) Ibid., l. c. — (7) Ibid., p. 68. — (8) Migne, Patrol., tom. CXIX, col. 475. — (9) Acta SS., tom. IV Junii, p. 30. — (10) Pertz, Monum. Legum, tom. II, p. 561.

ut

A ut a vobis omnibus et vocum acclamatione et manuum elevatione electus, suæ sedi inthronizetur, omnimodis desideramus. *Præscribit dein ut episcopi comprovinciales, nempe Merseburgensis, Citicensis postea Naumburgensis, Misnensis, Havelbergensis et Brandeburgensis* electioni subscribant et fidem subjectionemque illi promittant.

describitur; ast dein clero Hildesiensi committitur :

39 *Habemus hic formam electionis* X *et* XI *sæculi in Germania. Imperator eligebat aut designabat clericum, quem populus* vocum acclamatione et manuum elevatione acceptabat : *ipsorum etiam episcoporum erat,* electioni subscribere *et siquidem ageretur de archiepiscopo, fidem subjectionemque illi* promittere : *agitur tamen de* præsentia legatorum domni Papæ, *cujus auctoritate constituenda erat sedes metropolitana Magdeburgensis. Hæc etiam confirmantur formulis Marculfi lib. I, cap.* 5 (1). *Utrum vero secundum hanc aut similem formam electus fuerit S.* Bernwardus *non dicam: id tamen certum, sanctum antistitem obtinuisse a S. Henrico imperatore liberam electionem episcopi Hildesiensis, ut liquet ex diplomate, dato* V *non. martii anni* 1013 (2) : *postquam enim,* Bernwardo episcopo ex oppido, quod vocatur Hildenesheym, quod est in pago Astfala *petente, istam Ecclesiam omnesque possessiones ejus* sub sua defensione et immunitatis tuitione accepit, *pergit dicens :* Jam prædictæ Ecclesiæ etiam concedimus, ut habeant ejusdem sedis clerici canonice et ecclesiastice, seu inter se, sive aliunde, digne ad hoc et convenientes, eligendi episcopum liberam et propriam facultatem, æquo consensu regis. *Diploma igitur citatum præcipuas partes in electione episcoporum Hildesiensium clero ipsius Ecclesiæ defert: neque ullo indicio significatur, jam olim istiusmodi privilegium exstitisse. Verisimile itaque est, S.* Bernwardum *ab imperatore electum,* votis omnium *et* consensu omnium *acceptatum fuisse. Quia tamen, ut tum res erant, libertati ecclesiasticæ perniciosa evadere poterat istiusmodi forma electionis, eam immutare sategit sanctus antistes.*

cujus disciplina

40 *Et certe istius ætatis clerus Hildesiensis dignus erat, cui tantum officium committeretur, utpote cujus integritas in Ecclesiis Germanicis celebraretur. Annalista Saxo de eo testimonium fert sub anno* 1044, *quod ad tempora S.* Bernwardi *commode traduci potest.* Hactenus, *inquit* (3), Hildenesheimensis clerus tam districta religione obsequio Dei se mancipaverat, ut in professione canonica districtione gauderet monachica. Nam ut taceatur, quam severe animadvertebatur, si quis choro, mensa, dormitorio non dico deesse, sed tardius adesse, nisi aut gravi necessitate irretitus, aut licentia animatus, præsumpserat; scolari disciplinæ jugo absoluti, arctiori habena in claustro frenabantur, et quotidianam scripturam decano præsentare, Evangelium cum lectione, cantum quoque, et ipsos etiam psalmos reddere exigebantur, ut timidius in claustro quam in scolis manum ferulæ subducere viderentur. Delicatioris etiam vestitus tam nulla illis cura, ut gulas, quibus nunc ardet clerus, nescirent : linguas pelliciales ac manicas non pallio sed nigrato panno ornarent; linguas autem claustralium pelliciarum non minus quam tunicarum equestrium fibularent. Sic igitur rusticalem justitiam curiali facetiæ prætulerant, sic fortunam annullando, nec altiora quam de claustro administrando affectando, tam exterius quam interius claustrali districtione clausi, renuntiato nondum sæculo, sæculum nescirent. Hujus claustri statum Secundo Henrico imperatori, Bavenbergensis scilicet Ecclesiæ constructori, qui ibidem natus et a parentibus eidem Ecclesiæ in canonicum promissus fuerat, et ob id ibi sæpius morabatur, referunt in tantum placuisse, ut ab exterioris eorum hominis compositissimo habitu interioris hominis religionem sibi experto credendam protestatus, suæ Babenbergensi Ecclesiæ cum studio Leodiensi Hildinsheimensis claustri rigorem optaret. Hæc censura claustri usque ad hujus Azelini, XVI præsulis, tempora permansit. Eo præsidente, irrepsit ambitiosa curialitas, quæ dum in victu lautior, in vestitu mollior, in omni cultu accuratior, amari maluit quam timeri, disciplinæ mollito rigore, claustri claustra E laxavit.

AUCTORE J. V. H.

et vitæ gravitas exponitur

41 *Tali clero S.* Bernwardus *juvenis præpositus fuit episcopus. Verba sunt clero Hildesiensi sane honorifica : quæ tamen, ut melius intelligantur, explicatione et interpretatione indigent. Azelinus, sub quo intepescere cœpit disciplina clericalis, fuit decimus sextus in serie episcoporum, sedemque Hildesiensem occupavit ab anno Christi* 1044 *ad* 1054 (4), *ac pontificatus sui tempore solertem operam ecclesiæ impendit : nam exustam cathedralem instaurare cœpit, et insignem fundi campanam jussit.* Gulæ, *quas suo tempore ambivisse clericos scribit Annalista, sunt pelles rubricatæ, quæ instar chirothecarum seu collarium ferebantur. Textum nostrum allegat Cangius in suo Glossario* V° Gula. *Similiter* linguas pellicales *idem* V° Linga *seu* lingua *interpretatur* tænias *ex pellibus confectas, quæ* V° Pallium, ex pretiosiori materia *sed ex simplici* panno nigrato *ornatæ erant. Pelliciæ erant genus vestimenti, quod pro rigore aeris septemtrionalis induebant passim homines; tunicam equestrem interpretor,* F *breviorem, quæ equestribus motibus commodior erat. Ex toto vero textu liquet, austerum fuisse vivendi modum in clero Hildesiensi, nempe juvenibus erat vacandum disciplinæ scholasticæ; provectiores autem habebant pensum quotidianum in discendo, scribendo, explicando Sacram Scripturam.*

desumpta præcipue

42 *Tandem silentio prætereundum non est, S. Henricum imperatorem optasse suæ Ecclesiæ Bambergensi* cum studio Leodiensi Hildensheimensis claustri rigorem. *Ista scilicet ætate sedem Leodiensem occupabant Eraclius et Notgerus. Eraclius quidem, ab anno* 960 *ad* 971 *episcopus, construxit et dotavit imprimis collegiatam ecclesiam S. Martini Leodii, in qua sæculo* XIII *incœpit primum celebrari festum Corporis Christi, quod dein ad orbem universum manavit. Ast insignis fuit bonarum artium promotor. De eo enim habet Gallia Christiana* (3) : Tantum pro sacris litteris dilatan-

(1) Migne, Patrol., tom. LXXXVII, col. 704. — (2) Scheid., Orig. Guelf., tom. IV, p. 433. — (3) Pertz, Monum., tom. VI, p. 686. — (4) Schmid, Säkular. Bisth. Deutschl., t. I, p. 228. — (6) Tom. III, col. 843. Cfr Foullon, Hist. Leod., t. I, p. 183. Chapeaville, Gesta Pontt. Leod., t. I, p. 188.

dis

AUCTORE J. V. H.

dis ardorem concepit, ut factus Leodicensis episcopus circa annum 960 totam Leodicensem Ecclesiam, imo totam provinciam, nullis hactenus litteris illustratam, ad studium accenderit, peritos undequaque collegerit; eosque magistros instituens sua ope liberaliter paverit, scholasque per omnia tum sæcularis tum regularis cleri claustra instituerit. Eas vero frequentare sua dignitate nullatenus indignum judicabat, animos tyronum accendebat, sapientioribus difficillimas quæstiones proponebat enodandas, si minus possent, ipse enodabat.

ex Ecclesia Leodiensi.

43 *Eraclium in sede Leodiensi excepit Notgerus ab anno* 972 *ad* 1008 *et ipse miræ variæque eruditionis vir. Scholas, a decessore institutas, magna solertia promovit.* Ex ejus *enim* disciplina omnes tantæ diœcesis clerici doctiores evaserunt, et non pauci religione sapientiaque adeo illustres prodierunt, ut longe lateque pietatem et scientiam disseminarint : inter hos recenset Anselmus (*scriptor coævus*) Otbertum, Huboldum, Durandum, Wasonem, Rothardum, Erluinum etc. qui varias Ecclesias vel docendo illustrarunt, vel ut episcopi gubernarunt. *Quoniam vero S. Henricus ad studium Leodiense respexit, quando Ecclesiam suam Bambergensem fundavit, consequens fit, ut scholarum ab Eraclio et Notgero episcopis institutarum rationem habuerit. Nam Bambergensis episcopatus fundatus fuit anno* 1006, *ut monstrant nostri ad diem* XIV *julii* (1). *Itaque studium Leodiense, quod tamquam normam introductum volebat Bambergam S. Henricus imperator, ad pontificatum maxime Notgeri pertinet. Falso igitur Georgius Schmid, in descriptione episcopatuum Germaniæ, dicit molliores fuisse episcopos decessores Notkeri, et maximam grassatam fuisse in clero morum corruptelam* (2) *: nam certe proximus Notkeri decessor, Eraclius, vir erat, sive mores sive scientiam spectes, omni exceptione major.*

B

§ V. Diœcesim suam et urbem munit contra barbarorum incursiones; artes liberales, præsertim sculpturam, summa solertia exercet.

C

Vigilantiam episcopalem exercet

Vitæ tenorem, quem episcopatus sui tempore inviolabiliter servavit S. Bernwardus, *exponit Tangmarus num.* 6 *et* 7 *Vitæ : imprimis explicat maximum ejus in Dei cultu fervorem, summam in gregis custodia et defensione curam, solertissimam in bonis artibus exercendis industriam. Sed ante omnia episcoporum istorum temporum et istarum provinciarum præcipuum officium erat, populos sibi commissos ab incursu barbarorum defendere : nam inanis fuisset in reliquis labor, nisi reipublicæ tranquillitas partos labore fructus conservasset. Scimus autem Saxoniæ gentes sæc* VIII *et* IX *a Francis, et præcipue a Carolo Magno jugo subditas fuisse, quæ episcoporum maxime cura ad fidem christianam conversæ sunt. Sed Saxonibus jam magna ex parte christianis, finitimi erant Slavi, adhuc in tenebris idololatriæ sedentes, et populo Saxonum infensi : atque hinc incursiones et vastationes frequentes. Diœcesis porro Hildesiensis proxime Slavis adjacebat; quippe qui regionem inter Albim et Oderam incolebant. Vidimus supra num.* 38 *ab Ottone I anno* 968 *S. Adalbertum constitutum fuisse* archiepiscopum et metropolitanum totius ultra Albiam et Salam slavorum gentis; *quæ donec, mitigata barbarie, mansuetiores per episcopos effecti fuissent, ingentes in Saxonia strages edebant.*

D

imprimis Bernwardus,

45 *Enimvero* Saxonia, *inquit Tangmarus num.* 9, magna ex parte piratarum, cæterorumque barbarorum feritate depopulata, continuis latrocinantium incursionibus sine intermissione patebat, quam pestem reipublicæ depellere magno sui suorumque periculo semper instabat; et nunc cum aliis, interdum quoque cum suis solus super eos irruens, fortiter illos attriverat. *Sed ad præcavendas frequentes irruptiones duo castella erexit, opportuno milite instructa. Unum, ut dicit Tangmarus num.* 10, in extremo sui episcopatus, ubi flumina Alara et Onekara confluunt, *scilicet septemtrionem versus, ubi Slavi habitabant.* E *Castrum istud* Mundburg *appellabatur, quod in mappa, a Joan. Falcke Traditionibus Corbejensibus adjecta in sinistra ripa Onekaræ reperitur. Satis autem intelligitur, fuisse munitissimum, utpote quod in angulo duorum fluminum esset constructum. Sed ex Tangmaro et Theodorico abbate habemus, alterum castellum constructum fuisse in loco, qui dicebatur* Wirinholt, *hodie* Wahrenholz, *ad orientam castri Mundburg* (3). *Hisce propugnaculis et* Dei gratia, *ait Tangmarus num.* 10, tanta securitas pacis per illum in locis illis fidelibus condonata est, ut nihil damni vel periculi postea a barbaris paterentur.

in arcibus ædificandis

46 *Liceat hic fragmentum textus Theodorici abbatis, quem supra num.* 5 *laudavimus afferre ad monstrandum, quam prope idioma Saxonicum sæculi* XIII *ad Flandricum accedat. Interspergimus aliquas voces Flandricas ad faciliorem intelligentiam.* Dar de Alre unde de Onker tho hope vleten (*te hoop vloyen*), buwede hi dar sulvest (*selfs*) eyne vestinge odder eyn blockhus, dar de hilge biscop inlede eyn hup (*hoop*) soldenere mit nothhafftigen were und koste, unde verlosede also syn volck van avervalle (*overval*) und walth (*geweld*) der uncristen. An eyner anderem stede, gheheten Worinholtz, da nu de juncker van der Lippe syne gebede (*gebod*) hath, do vellen (*vallen*) se noch grimmiger in dat lant, se hadden her (*hier*) eynen wissen (*zekeren*) inganck unde utganck tho vormorden de cristen : dar sulvest buwede de hilge biscop sunte Berwardus eyne borch mit watergraven unde makede de gans vaste, unde lede dar up ritters unde soldeners mit nothaftiger koste unde were. *Locus igitur Wormholtz, ex quo piratæ liberum in pagum Hildesiensem habebant ingressum et egressum, opportunis munimentis et militibus armatus, potentissime consulebat tuitioni totius provinciæ et ejus pacem sartam tectam servabat.*

F

ad defensionem populi sui,

47 *Tanti porro momenti fuerunt arces, a* S. Bernwardo *constructæ, ut imperator S. Henricus*

(1) Acta SS., t. III Jul., p. 734. — (1) Die Säkulariz. Bisth. in Deutschl., t. I, p. 255. — (3) Lutzel, Die ält. Diöz. Hildesh., p. 55. Kratz, Der Dom zu Hildesh., part. III, p. 17.

ricus

A *ricus non dubitaverit sancto antistiti tradere totum comitatum, qui arcem Mundburg ambiebat. En diploma, cum Scheidiana editione collatum, cujus variantes lectiones in margine adjicimus* (1) : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Omnium fide nostrorum præsentium videlicet ac futurorum notitia sciat, qualiter Bernnuuardus, Hideneshemensis Ecclesiæ venerabilis antistes nostram regiam clementiam adiit, dicens, ab antecessore nostro piæ memoriæ Tertio Ottone jus speciale castellum
* Mukelborch ædificandi, quod Mundburg * vocatur, in ripa Aleræ fluminis permissum fuisse ad munimentum et tuitionem contra perfidorum incursionem et vastationem Sclavorum. Id ipsum vero castellum, quia magis rogatione quam jussu domni imperatoris libenti animo ad defensionem totius regionis nostræ in illis
* quod partibus construxerat; et quia * domnus imperator eumdem episcopum pro suo intimo ac jugi famulatu omni pietatis benevolentia ac gratia excolebat; mercedis causa comitatum circumjacentem illud castellum, in pago Astvala situm, quod olim Thiedericus palatinus
B comes, postea quoque filius ejus Sibertus * habuerat sibi, in beneficiarium jus concesserat.
* Sirus. Nunc vero quia nostram regalem clementiam, ut ipsum affirmaremus et corroboraremus, precatus est : et quia æqua gratia parique devotione nobis postea servivit, eumdem comitatum scriptis regiis nostri præcepti illi in finem dierum præstitimus : ita ut nullus judiciaria potestate quid in eo contra illius jussum seu votum agere præsumat : verum quidquid ipse velit, quicumque eundem comitatum nostra largitione habeat et regat, præcipientes jubemus, ut id ratum firmumque consistat. Et ut hæc nostra donationis seu confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat tempore, hoc præceptum exinde conscriptum propria manu corroborantes atque confirmantes, sigilli nostri impressione insignire præcepimus. Guntherius cancellarius vice Erkanbaldi archicapellani recognovit. Data indict. XI, anno dominicæ incarnationis MXIII, anno vero domni Henrici secundi regn. XI. Actum Werla feliciter. Amen.

C *et in exstruendo muro Hildesiensi;*

48 *Episcopi præterea, barbaris gentibus finitimi, non solum arces ad avertendas incursiones ædificabant, sed urbes etiam episcopales muris cingebant. De sancto antistite nostro testatur Tangmarus num.* 13 *et* 48 *eum Hildesiam* murorum ambitu vallare summa instantia aggressum, dispositis per gyrum turribus, tanta prudentia opus inchoasse, ut decore simul ac munimine velut hodie patet, simile nihil in omni Saxonia invenias. *Hac occasione forsan* lateres, *ait Tangmarus num.* 9, ad tegulam propria industria, nullo monstrante, composuit. *Olim enim tecta aut ligno aut stramine operiebantur, adeoque pabulum facile frequentissimis incendiis præbebant. A* Bernwardo *igitur nostro ars coquendi tegulas manavit et per universam Germaniam propagata est* (2). *Legimus quoque de S. Meinwerco, eum* murum in circuitu urbis in civitate Patherbrunnensi construxisse (3) : *eodem modo, Arnulphus anno* 996 *ordinatus* (4), *anno sui pontificatus secundo,* Halberstadensem civitatem, quam ex antiquitate collapsam invenit, cœpit studiosius reparare (5). *Episcopi igitur fautores fuerunt earum præsertim artium, quæ populos, hactenus barbaros, ad humanitatem informabant : et civitatibus Germaniæ septentrionalis maximum splendorem affuderunt.*

AUCTORE J. V. H.

dein instruit pueros in artibus

49 *Præter architectonicam artem, etiam alias et didicerat sanctus antistes et exercebat. Ab adolescentia enim, ait Tangmarus num.* 3, in leviori-bus artibus, quas mechanicas vocant, studium impertivit... Fabrili quoque scientia et arte clusoria, omnique structura mirifice excelluit, ut in plerisque ædificiis, quæ pompatico decore composuit, post quoque claruit. *Clusoria ars, inquit Cangius h. v.* quæ gemmas auro concludit. *Sed proprio artificio non contentus,* ingeniosos, *ait idem biographus num.* 8, pueros et eximiæ indolis secum vel ad curtes ducebat, vel quocumque longius commeabat, quos quidquid dignius in illa arte occurrebat, ad exercitium impellebat. *Theodoricus abbas, jam sæpe laudatus, servavit nobis eorum juvenum nomina, qui Sanctum comitabantur, videlicet : Reynardus de Palati, Dithmarus de Walme, Wolbrechtus de Kramme, Dithmarus de Hudessen, Fridericus Winkelmann, Poppo de Harlessheym, Christophorus Broiger, Theda de Turiken, Kastus de Dotzen* (6). *Hi juvenes erant laici : nam paulo infra dicit Theodoricus, illos, siquando uxorem ducerent, a S.* Bernwardo *adjutos fuisse, in componenda domo.* E

liberalibus;

50 *Addit etiam Theodoricus, fuisse alios juvenes, quos similiter sanctus antistes, quamvis, ut ait, non in præcipuo registro, sed in aliis commentariis reperiantur, atque inter eos nominat, quasi ad familias Vresiorum, Wyrthinensium, Werdensium, Bohzemiensium, Frisbergiorum, Berneriorum, Rutenbergensium, Barveltiorum, Mecteshusiensium et Westfaliorum pertinerent. Hinc satis liquet, quanta fuerit S.* Bernwardi *impulsio ad artes civiles excolendas et promovendas, quæ necessario ad finitimas provincias derivatæ fuerunt. Non immerito igitur aurifabri Hildesienses, quum anno* 1576, *in unam communitatem coalescere cuperent, præcipuum artis suæ patronum adsciverunt S.* Bernwardum, *ejusque imaginem sigillo communitatis suæ insculpi jusserunt, in quo exhibetur Sanctus, conficiendo sacro calici ex auro vacans. Circumscriptio Sigilli est.* SIGILLUM COMMUNITATIS AURIFABRORUM HILDENS (7). *Apographum reperitur in jam sæpe laudato opere doctoris Kratz Tab,* XII. F

ipse autem conficit 1° *portas fusiles etiamnum exstantes;*

51 *Exstant porro etiam hodie varia monumenta, manu summi nostri artificis aut ejus alumnorum confecta. Inter ea autem, si massam, si raritatem, si artem spectes, eminent valvæ aeneæ ædis cathedralis Hildesiensis. Nam anno* 1824, *teste Friderico Adelung, scribente de valvis aeneis cathedralis ecclesiæ S. Sophiæ Novogardiæ* (Newgorod) *in Russia, viginti solum recensentur ecclesiæ, tali ornamento decoratæ, ex quibus quinque exstant in Germania. Hildesiensis valvæ habent circiter altitudinem*

(1) Falcke, Tradit. Corbej., p. 236. Cfr Scheid., Orig. Guelficæ, tom. IV, p. 435. — (2) Kratz, Der Dom zu Hildesh., tom. III, p. 12 et seq. — (3) Acta SS., tom. I Jan., p. 537. — (4) Leibnitz, Rer. Brunsw., tom. II, p. 129. — (5) Ibid., p. 120. — (6) Kratz., Der Dom zu Hildesh., tom. III, p. 15 et seq. — (7) Ibid., p. 57 et seq.

AUCTORE J. V. H.

8 *metrorum, duorum metrorum latitudinem, et spissitudinem* 0m,75 : *in mediis valvis legitur :* AN DOMINC MXV B EP DIV. MEM. HAS VALVAS FUSILES — IN FACIE ANGELICI TEMPLI OB MONIM SUI FEC SUSPENDI : *id est in una valva :* anno dominicæ incarnationis MXV Bernuardus episcopus divæ memoriæ has valvas fusiles *in altera :* in faciem angelici templi ob monimentum sui fecit suspendi. *Utraque valva divisa est in octo areas, quæ singulæ singulas exhibent historias Veteris et Novi Testamenti et a creatione hominis ejusque lapsu usque ad ascensionem Domini in cœlum gradatim decurrunt* (1). *Qua ratione succurrebatur hominibus, legendi imperitis, quique aut pœnitentium more ad valvas sua crimina expiabant, aut etiam transeuntes, uno quasi ictu oculi, memoriam præcipuorum mysteriorum refricabant. Valvas exhibet laudatus* Dr *Kratz Fab.* VI (2).

2° *columnam æneam imaginatam,*

52 *Secundum monumentum, sua mole et arte stupendum, est columna ænea, quæ Christi appellatur, hodieque in aula cathedrali exstat. Repræsentat vero varia miracula Christi, prout referuntur in sacris Evangeliis. Diximus supra*
B *num.* 49, S. Bernwardum *secum continuo habuisse juvenes, quos in bonis artibus exercebat, quique omnia imitatione digna observare debebant. Nullum autem est dubium, quin columna Hildesiensis exemplaria habuerit columnas Trajanam et Antoninam; ascendit enim, sicut Romanæ, per spiram ab imo ad summum : variaque prodigia,* XXVIII *numero, ex ordine exhibentur, quemadmodum res gestæ militum in columnis Romanis. Columna Hildesiensis habere videtur altitudinem septem circiter metrorum, diametrum vero trium. Scribit Joan. Dirkinck, e Collegio Hildesiensi societatis Jesu ad Danielem Papebrochium sub die* 14 *julii* 1691 *columnam æneam habere altitudinem pedum circiter viginti quatuor;* opus *addit* rarum et talis artifice dignum (3). *Erecta olim die* XXIX *septembris* 1022 *pone altare maximum ecclesiæ monasterii S. Michaelis, a S.* Bernwardo, *ut monstrabimus infra, constructi. Per quinque autem sæcula stetit columna, venerationis et eruditionis documentum, quando plebs Hildesiensis, Lutheri sarcasmis imbuta et in furorem acta, die* XII *novem-*
C *bris* 1543 *universum monasterium S. Michaelis susdeque vertit, et imaginem Christi crucifixi, quæ columnam coronabat destruxit; hanc quidem intactam reliquit, sed anno sequenti,* fer. VI post festum S. Viti *seu die* XX *junii nova vastationem confregit, ac fragmenta simul cum quinque campanis ad magistratum detulit in tormenta bellica conflanda. Permansit tamen columna : ast anno* 1650, *die* X *junii, jussu magistratus civilis eversa fuerunt in eadem ecclesia S. Michaelis plures aræ, quasi inutiles, simulque capitellum columnæ, opus insigne, fusum fuit, ejusque loco ligneum suffectum. Verisimiliter eamdem calamitatem sortita fuisset reliqua columna, nisi abbas istius temporis Joannes Jaccenius* (4), *prolatis litteris imperatoriis, repagulum objecisset, quod dejicere magistratus ausus non est* (5).

quam magistratus aca-

53 *Controversiæ istæ circa columnam Bernuardinam plerumque enascebantur aut sede vacante aut initio novi principatus. Sic anno* 1650 *obiit Ferdinandus episcopus : et anno* 1723, *quo Josephus Clemens diem clausit, jussit magistratus columnam everti et anno* 1737 *eamdem ad ædem civilem, quæ Pondus Urbanum vocabatur, transferri; sed imperatoris verbis denuntiata mulcta* XX *marcarum auri, relata ad ecclesiam, erecta tamen denuo non fuit. Quapropter mense augusti* 1760 *pactum venditionis initum fuit pretio* XXX *scutorum imperialium in centumpondium : sed intercessit abbas monasterii et venditio rescissa fuit. Jacuit tamen celebris columna, per medium sæculum omnium oculis subtracta et ignobili pulvere sordida; donec anno* 1810 *opera præfecti Hildesiensis Francisci Ant. Blum et plurimam pecuniam conferente Franc. Egone de Furstenberg episcopo, denuo erecta fuit columna, ut diximus, in aula cathedrali : et hactenus stat monumentum artis S.* Bernwardi. *Columnam exhibet Dr Kratz, Tab.* VII.

D *tholicus frustra in tormenta bellica conflare voluit;*

3° *crucem pretiosam*

54 *Tertium industriæ suæ actuosissimæ monumentum sanctus antistes dedit, crucem pretiosam hactenus conservatam. Operis occasio fuit*
E *donatio Ottonis III. Rem narrat Tangmarus num.* 14 : Sacellum, inquit, splendidum valde... in honore mirificæ crucis exstruxit, cujus etiam aliquantam partem, largiente domino Ottone augusto imperatore, ibidem clarissimis gemmis auroque inclusam, condidit : ubi etiam divina pietas plurima suæ pietatis indicia, apertis signorum miraculis per virtutem sanctæ crucis ostendit. *Crucem auream, apud laudatum Kratz, Tab.* IV *exhibitam, hactenus Hildesiæ servatur in æde S. Mariæ Magdalenæ. Undequaque cooperta est lamina aurea valde spissa, ejusque altitudo est sexaginta circiter centimetrorum, latitudo autem seu brachia transversa centimetrorum quadraginta. Hanc crucem* bipedalem *dicit Joan. Dirkinck mox laudatus et Sancto plerumque in manu ponitur, qua ab aliis Sanctis distinguatur. Præter lapides pretiosos quibus crucem ornavit, in eadem etiam inclusit sacras Reliquias; quarum præcipuæ erant particulæ vivificæ crucis in medio monili positæ cum verbis:* LIGNU DNI DE, lignum domini dei. *Cum vero anno* 1787 *renovatum fuit lignum interius, edacitate* F *sæculorum corrosum, cæteræ Reliquiæ earumque nomina perierunt : siquidem in antiquo ligno inventa fuit scedula, in qua dicebatur :* Anno 1733, 15 septembris hæc crystallus aperta fuit; Reliquiæ SS. sub ea inclusa, comminuta. *Crux hæc quotannis in festis Inventionis, ac Exaltationis S. Crucis et S.* Bernwardi *publicæ venerationi exponebatur; et in solemnitate Corporis Christi circumferebatur ante sarcophagum S.* Bernwardi. *Merito igitur in codice quodam manuscripto Sammichaelitarum Hildesiensium legitur* (6) : In monasterio S. Michaelis est crux magni pretii, ipsius S. Bernwardi manibus elaborata, unde etiam ipsi appingi solet. Fuit ea crux olim certum remedium contra febres, pestem, aliosque morbos, si aqua, illius contactu consecrata, ægris propinaretur (7).

(1) Kratz, Der Dom zu Hildesh., tom. II, p. 46. — (2) Cfr Augusti, Denkwurd. aus der Christl. Archeol., tom. XII, p. 380 et seqq. — (3) Act. SS. Biblioth. regia Brux. n. 8950. — (4) Leibnitz. Rer. Brunsw. tom. II, p. 403. — (5) Kratz, Der Dom zu Hildesh. tom. II, p. 62 et seqq. — (6) Ibid., p. 29. — (7) Ibid., p. 26.

55 *Præter*

AUCTORE J. V. H.

A 55 *Præter auream, duas alias cruces fabricavit sanctus artifex, argenteam et deauratam. Hæc autem ejusdem fere est formæ et magnitudinis, quam aurea : ac continebat quoque particulam S. Crucis, quæ hodie invisibilis est propter depressionem crystalli illam operientis. Crucem hanc dedit S.* Bernwardus *parthenoni SS. Petri et Pauli Henningensi, quem Dr Kratzius fundatum dicit anno* 999 (1) : *ast Joan. Anton. Zunggo* (2) *annum ponit millesimum : priori magis credendum censeo, utpote qui annum fundationis eruerit ex antiqua membrana. Henningensem parthenonem fundaverat Hildesvita pro filia sua Walburgis. Heineccius in suis Antiquitatibus Goslariensibus, omisso Walburgis nomine, dicit monasterium conditum ab Hildeswinda, quam* suspicatur *conjugem fuisse Brunonis Saxonis* (3). *Quidquid sit de tricis hujuscemodi, quas altius scrutari instituti nostri non est, quum ad Acta S.* Bernwardi *nihil faciant, id certum et ex ipsa pretiosæ crucis donatione elucet, S.* Bernwardum *et consilio et opera cœptum monasterium fovisse : quod vel ab initio videtur fuisse cœnobium canonicarum regularium, quod dein in collegium sæculare mutatum fuit, et ad sæculum usque* XVIII *opibus et fortuna, ait laudatus Heineccius, florens permansit.*

4° *tres alias, duas cruces argenteas et unam deauratam;*

5° *dua candelabra, affabre facta, sed ignoti metalli;*

56 *Tertiam crucem argenteam confecit S.* Bernwardus, *hactenus inter cimelia cathedralis ecclesiæ servatam, quam Dr Kratz exhibet delineatam in Tabula* IV *descriptionis ejusdem ecclesiæ. In ea cruce est imago ipsius Christi Domini, et est intrinsecus cava et oppleta Sanctorum Reliquiis: pes crucis est recentioris operis. In summitate habetur tabella, cum inscriptione consueta :* JHS NAZAREN' REX JUDEORU : *in parte postica insculpta sunt sequentia :* BERNWARDUS PRESUL FECIT HOC. S. LAURENT. M. S. JONIS EV. S. MARIE V. S. PETRI S. STEPHANI PTM. S. ANDREE. S. JONIS B. S. DIONISII M. S. PAULI. DE LIGNO S. CRUCIS. S. MARIE MAGD. MARTHE. S. JACOBI FRIS. D. S. LAZARI. *Deaurata tamen sunt in hac cruce, pars antica, caput et barba, imaginis, ac succinctorium et suppedaneum* (4). *Præterea quum anno* 1194 *die* XVI *augusti Berno, Hildesiensis episcopus, elevaret corpus sancti viri, anno* 1192 *a Cœlestino Pp. III in Album Sanctorum relati, reperta sunt in ejus sepulcro duo* C *candelabra non magnæ molis, sed metalli ignoti, cum hac inscriptione :* BERNWARDUS PRESUL CANDELABRUM HOC PUERUM SUUM PRIMO HUJUS ARTIS FLORE NON AURO NON ARGENTO ET TAMEN UT CERNIS CONFLARE JUBEBAT. *Color eorum albus est, quin tamen albedinem argenti puri attingat. Chimici existimant materiem esse mixturam quamdam argenti valde deaurati cum aliquantula quantitate ferri. Ex allata inscriptione liquet, jussu magis quam manu S.* Bernwardi *conflata fuisse candelabra : scilicet unus ex iis, quos ad omnem artem exercebat, ut diximus num.* 49, *sub ejus directione ea confecit. Artem et materiem tantum admirabatur Ernestus Bavarus, qui simul Coloniensem, Hildesiensem et Leodiensem sedes occupabat circa finem sæculi* XVI, *et artis chimicæ scientissimus erat, hæc artis monumenta a monachis Sammichaelitis sibi aliquantisper petiit, tum ut Leodii eorum compositionem accuratius indagaret, tum ut tutius ibidem custodiret. Verum quum postmodum repeterentur, moræ ex moris, nectebantur : sed tandem Maximilianus Henricus Bavarus, tertius ab Ernesto in sede Hildesheimiensi successor ab anno* 1650 *ad* 1688, *candelabra infra Quadragesimam anni* 1652 *restitui jussit, ac in crypta ad altare S.* Bernwardi *reposita fuere* (5).

57 *Inter tres calices ex auro puro, in thesauro ædis cathedralis Hildesiensis hactenus servatos, unus est, qui ad pontificatum pertinet S.* Bernwardi. *Affectus aliquando sanctus vir infirma valetudine, tum ut dolores levaret, tum ut vires corporeas exerceret, mechanicis, ubi tunc vocabantur, artibus vacabat. Atque hinc prodiere summa illa opera quæ hactenus recensuimus. Chronicum Hildeshemense refert* (6) *Otwinum episcopum* pretiosum aurum et gemmas et lapides et margaritas in constructione calicis et patinæ collegisse, sed infirmitate præventum, sub sigillo et fide Christi successori suo reservavisse : *fidem datam liberavit S.* Bernwardus. *Paulo enim infra idem Chronicum dicit :* Ab exordio promotionis suæ quidquid acquirere E potuit (Bernwardus), utilitati suæ Ecclesiæ fidelis dispensator prudenter impertivit : aurum namque et lapides, quos beatæ memoriæ Othwinus, ut prædictum est, reservavit, iste in calicem et patinam magnæ pulchritudinis et pulchræ magnitudinis, sicut modo videtur, fabricavit, et plurima utensilia, ut inter vitæ suæ opera inscribitur, suæ Ecclesiæ contulit. *Videtur tamen calicem hunc, opificum sive industria sive oscitantia, variis mutationibus fuisse obnoxium. Imprimis Theodoricus abbas testatur sæculo* XIII *adhuc inscriptum fuisse nomine Otwini, quod in hodierno calice nuspiam legitur : itaque post Theodorici ætatem donatoris nomen erasum fuit.*

6° *calicem aureum cum gemmis,*

58 *Dein in inferiori parte cuppæ seu crateris leguntur sequentes versus litteris, ut vulgo dicitur, gothicis sculpti :* REX SEDET IN CENA, TURBA CINCTUS DUODENA : — SE TENET IN MANIBUS, SE DAT IPSE CIBUS. *Istiusmodi scripturæ genus diu post S.* Bernwardum *introductum fuit; quas vero ipse sculpsit litteras, formis romanis quam simillimæ sunt. Imo citati versus omnino resonant hymnum S. Thomæ Aquinatis* Pange F lingua, *in quo habemus :* Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus. *Quapropter censemus hæc verba calici adscripta fuisse sæc.* XIII *jam multum provecto. Eadem ratio valet pro patena, similiter ex auro puro confecta cujus diameter est circiter* 0m,30. *In postica habetur in medio Agnus cum cruce triumphali, in quatuor angulis animalia evangelica cum nominibus Evangelistarum litteris gothicis, inter quos sunt quatuor Angeli, thus Agno offerentes; tandem in limbo extremo, versus, gothice quoque exsculpti :* VICTIMA, QUE VICIT, SEPTEM SIGNACULA SOLVIT : — UT COMEDAS PASCHA, SCANDES CENACULA CELSA. *Et suas habuit fortunas Calix S.* Bernwardi; *nam in vastatione Succica, quum anno* 1632 *urbs Hildesiensis vi militari occupata esset ab exercitu Georgii, ducis Luneburgensis magistratus civilis ecclesiis civitatis tributum*

imaginatum et literatum;

(1) Kratz, Der Dom zu Hild., t. II, p 34. — (2) Hist. canon. Regg. S. August. p. 446. (3) Script. Rer. Germ , tom. I, p. 22. — (4) Kratz, Der Dom zu Hildesh., t. II, p. 35. — (5) Ibid., p. 31 et seqq. — (6) Leibnitz. Rer. Brunsw., t. I, p. 745 et seq.

imposuit

AUCTORE J. V. H.

imposuit 30,000 *scutatorum imperialium : solvendo impar capitulum cathedrale, inter alias res pretiosas, pro* 600 *scutatis cuidam judæo Davidi Schaien calicem S.* Bernwardi *oppignoravit. Ast canonicus Nicolaus Eberhard. de Schnetlage, de tanto thesauro sollicitus, quam primum potuit, aere proprio pignus solvit, et calicem cathedrali restituit. Anno* 1809 *Hieronymi Napoleonis jussu, ne, ut dicebatur, calix majora detrimenta pateretur, Cassellam deportatus fuit custodiendus : sed anno* 1813 *in thesaurum Ecclesiæ Hildesiensis relatus fuit* (1).

7° calicem ingentem deperditum.

59 *Quatuor alios aureos calices, a S.* Bernwardo *confectos recenset Theodoricus abbas in Vita Germanica : inter quos eminet ingentis magnitudinis pro monasterio Hersfeldensi. Theodoricus dicit, quintum fecisse stupendum :* den vefften makede he (hy) enen onmogelyken groten kelcke van claren golde unde edelen stenen, dede is tho Harfsfelde by Stade. Quintum confecit stupende magnum calicem ex puro auro et lapidibus pretiosis. *Calix iste in monasterio conservatus fuit usque ad sæculum* XVII, *nempe ad annum* XXX, *quando divenditus*
B *fuit pretio* 600 *florinorum aureorum : venditionem tribuit D*r *Kratz archiabbati Davensberg Hamburgi in exsilio defuncto* (2). *Atque hic errorem subesse suspicor. Imprimis non reperi aliud monasterium Hersfeldense, quam quod in Thuringia ad Fuldam fluvium situm est : atque idem quoque censuisse doctorem Kratz existimo, quum præposito monasterii Hersfeldensis tribuat titulum* archiabbatis (Erzabt), *qui certe nullatenus convenire obscuro monasterio juxta Stadam ad Albim, si quod exstitit, potuit. Dein nullum abbatem inveni, qui nomen Davensberg gessit. Nam Gallia Christiana abbates et administratores recenset, qui sæc.* XVII *monasterio præfuerunt, donec tractatu Monasteriensi domui Hassiacæ cessit, et ultimum administratorem, a sede apostolica nominat, Leopoldum Gulielmum Austriacum, episcopum Argentoratensem, qui anno* 1628 *possessionem capessivit per procuratorem suum, Georgium Fridericum, archiepiscopum Moguntinum, cujus etiam opera anno* 1629 *disciplina monastica instaurata, et tota ditio ad fidem catholicam reducta fuit* (3).

In scriptoria quoque excellens,

60 *In omni opere fabrili eximius, etiam in scribendi arte excelluit S.* Bernwardus. *Id testatur Tangmarus ejus biographus dicens num.* 3 : In scribendo apprime enituit, picturam etiam limate exercuit : *Et num.* 8 : Scriptoriæ non in monasterio tantum, sed in diversis locis studebat : unde et copiosam bibliothecam tam divinorum quam philosophicorum codicum comparavit. *Verumtamen ex copiosa bibliotheca, a Sancto collecta, vix quidquam superest. Multa enim periere incendio anno* 1013, *quo* principale, *inquit Annalista Saxo* (4), templum Hildinsheimensis Ecclesiæ, diabolo insidiante, per noctem igne succensum, sed solo divinæ miserationis subsidio velociter est exstinctum. Sed hoc nobis restat lugendum, quare in eodem incendio, cum pretiosissimo missali ornamento, immensa periit copia librorum, XII kal. februarii. *Enimvero unus hodie superest codex, propria manu S.* Bernwardi *exaratus, quique olim in monasterio Hildesiensi S. Michaelis asservabatur. Titulus codicis est :* D
Liber mathematicalis, *quem S.* Bernwardus *composuit pro pupillo suo, Ottone III, cujus erat institutor. Liber, in duas partes divisus, continet arithmeticam et geometriam; ex parte est mutilus, utpote cui plura capita desint. Litteris planis conscriptus, ita tamen ut tituli singuli capitum minio effulgeant.*

multos libros conscribi

61 *Servantur hactenus Hildesiæ alii codices, qui a S.* Bernuardo *nomen habent, non quidem ab ipso exarati, sed quos Ecclesiæ suæ dono dedit. Est videlicet* Codex Evangeliorum, *variis figuris præsertim Evangelistarum exornatus : In fine codicis legitur :* Anno heroice nativitatis millesimo undecimo, indict. VIIII, domino scdo (*Secundo*) Heinrico sceptris regni pfulgente, Bernwardo quoque venerabili Hildeneshemensi ecclie jure pontificali psidente, Guntbaldus indignus et peccatur diaconus hunc librum quattuor evangelioru̅, jubente pro̅minato pontifice, di̅ pietate consummavit. *Jussu itaque S.* Bernwardi *conscriptus liber, quem obtulit monasterio S. Michaelis, a se fundato; quapropter in prima pagina leguntur sequentes versiculi, propria manu exarati :* E

Hunc ego Bernwardus codicem conscribere feci,
Atque meas, ut cernis, opes superaddere jubens,
Dilecto Domini dederam sancto Michaheli.
Sit anathema Dei, quisquis sibi dempserit illum.

Alius quoque diaconus, Guntpoldus nomine, scripsit Sacramentarium seu librum missalem, anno 1014, *ut constat ex versiculis, in calce codicis positis :*

Contulit hunc librum, divinis usibus aptum
Presul Bernwardus, virtutum stemmate fultus,
Ecclesiæ ad gazas Michahelis in ordine summi :
Quo quicumque legat, devoto pectore dicat :
Premia pro studii meritis huic xpe repende.

Codex olim panno pretioso coopertus, in parte antica ex more emblematis aureis et argenteis ornatus erat : sed bello Suecico direpta fuerunt (5). F

jussit, portim monasterio S. Michaelis,

62 *Hildesiensis Ecclesia hactenus possidet duos alios codices Evangeliorum, ad sæc.* XI *pertinentes : quorum unus in capite Evangelii S. Matthæi exhibet imaginem ipsius S.* Bernwardi, *pontificaliter induti, sed sine mitra. Genuflexus coram altari, in quo jam habentur liber et calix cum patena, offert librum, quem ambabus manibus tenet. Imago includitur margine aurato, sequentes versiculos ferente :*

Hoc evangelicum devota mente libellum
Virginitatis amor prestat tibi, Virgo Maria,
Presul Bernwardus, vix solo nomine dignus
Ornatus tali vestitu pontificali.

Altera etiam est imago, qua B. Virgo Maria depingitur cum filio suo ab Angelis coronata : quia templum Hildesiense cathedrale sub invocatione B. Mariæ dedicatum est. Secundus Evangeliorum codex, eadem fere continet, quæ superior; sed ornatur monogrammate S. Bernwardi. *Uter-*

(1) Kratz, Der Dom zu Hildesh., tom. II, p. 37 et seqq. — (2) Ibid., p. 39. — (3) Gall. Christ., tom. V, col. 572. — (4) Eccard., Scriptt. med. ævi, tom. I, col. 425. — (5) Kratz, Der Dom zu Hildesh., tom. II, p. 113.

que

AUCTORE J. V. H.

A *que autem codex tegmina artificiosissima habet, quæ Sanctum nostrum aperte loquuntur* (1).

partim cathedrali ædi donatos.

63 *Ast ultimus tandem codex, qui duce* S. Bernwardo *exaratus restat, continet universos libros Veteris et Novi Testamenti, qui adhuc in thesauro sacro Hildesiensi conservatur. Forma est, ut vulgo dicitur in Folio majori, constatque paginis pergamenis* 485. *Codex sane pretiosus sæculo* XVII *monasterio S. Michaelis surreptus fuit. Nam quum die* XIV *augusti* 1634 *jussu Friderici Udalrici, Brunswicensis ducis, monachis Sammichaelitis indicta fuisset migratio, abbas Joannes VI Henrico Strickmann custodienda tradidit pedum pastorale, calicem cum sua patena et Biblia S. Bernwardi, cum pacto, ut quandocumque depositum repeteret, restitueretur. Itaque anno* 1643 *Joannes abbas, in monasterium suum redux, commissi depositi memorem fecit dictum Strickmann. Ast hic post multiplices tergiversationes tandem anno* 1645 *remisit abbati pedum, icunculo tamen S. Michaelis spoliatum: reliquorum autem depositum negavit. Demum abbas, ut furtum redimeret, pretio dato, codicem pretiosum* XX *februarii* 1649
B *recuperavit. Atque hæc sunt, quæ ingenii et artificii sui reliquit posteris monumenta, hactenus conservata,* S. Bernwardus. *Insuper nec viro tantarum artium, defuit scientia medecinæ. Nam Waltherdo, archiepiscopo Magdeburgensi, graviter ægrotanti, ejusque peritiam imploranti occurrit Hildesiensis antistes, non solum* causa, *inquit Ditmarus* (2), benedictionis, *sed* et quam sciebat, curationis gratia.

§ VI. Mortuo Ottone III, Sanctus post aliquam tergiversationem S. Henricum regem habet et cum eo variis synodis interest.

Controversia de jurisdictione in monasterium Gandersheimense,

Tanta licet præstaret S. Bernwardus *in bonis artibus exercendis, ea tamen sine detrimento officii episcopalis confecit; imo tunc præcipue, quando mala valetudine affectus erat, opificiis vacabat. Vitæ tenorem optime exponit Tangmarus num.* 6 *et* 7, *ex quibus omnino manifestum fit, illum totam fere diem impendisse in ministerio episcopali et solum animi causa, post absolutas causas forenses et dimissum clericum,*
C qui eleemosynis et pauperibus præerat, officinas, ubi diversi usus metalla fiebant, circumiens singulorum opera librabat. *Enimvero Sanctum negotiis multiplicibus, ecclesiasticis et civilibus, implicitum fuisse, totius vitæ series aperte demonstrat. Magister Ottonis III, septennis, qui, mortuo patre Ottone II, imperator salutatus fuit, præcipuam curam regio puero impendit, quando post obitum matris Theophaniæ,* XVII *kal. julii anni* 991 (3), *ut habent Annales Hildesienses, Quedlinburgenses et Lamberti Aschanaburgensis* (4), *regiminis magna pars in* Bernwardum *nostrum incubuit: nam, ait Tangmarus num.* 3, rex utroque parente desertus, totum se regendum in tuitione fidissimi magistri contulit. *Omnimoda hæc Ottonis pueri erga magistrum suum fiducia, ut jam supra num.* 31 *monuimus, seminarium fuit dissensionum, quæ in controversia Gandersheimensi inter* Bernwardum *et Willigisum exarserunt* (5).

ante S. Bernwardum *incepta, recrudescit;*

65 *Sed controversia Gandersheimensis et ante* Bernwardum *incepta fuit, et post ejus obitum fuit continuata, ut infra exponemus; unde si quæ exstitit inter utrumque antistitem rerum agendarum diversitas, nec causa nec occasio fuit diuturnæ litigationis. Non enim diffitebor, etiam præter negotium monasterii puellaris, alia occurrere potuisse ad simultatem quamdam acuentia: etenim ipse Tangmarus num.* 32 *dicit :* Hanc iram et indignationem archiepiscopi adversus venerandum præsulem creavit maxime præcipua familiaritas domini imperatoris, qua illum speciali devotione pietatis cæteris familiarius percoluit. Affectuosissimo namque obsequio devinxit sibi imperatorem, qui cuncta, quæ ad gratiam illius competere sciebat, vigilantissimo studio obibat : et ob hoc animositatem et invidiam plurimorum in se commovebat; apprime quoque Moguntini episcopi, qui indignabatur, aliquem
E præter se familiaritatis locum apud imperatorem habere. *Paulo ante idem biographus num.* 9 *dixerat:* Fidelis dominicæ familiæ dispensator conservis suis necessaria subsidia fideliter ministrabat;... non minus tamen cæsari sua, juxta Evangelium, persolvebat. Nam Tertio Ottoni imperatori affectuosissimo animo pro scire et posse obsequebatur : unde multorum invidiam in se commovebat, qui indignabantur, illum vigilantiori studio reipublicæ negotia obire. *Hæc omnia monstrant,* S. Bernwardum *magnam partem habuisse in republica administranda: ipsa controversia inter Sanctum nostrum et Willigisum, agente S. Henrico imperatore, composita fuit, et deinceps, ut dicit Tangmarus num.* 70, *archiepiscopus præsulem* Bernwardum omni honore et caritate dilexit.

præsertim regnum capessente S. Henrico

66 *Variis synodis et placitis interfuit* S. Bernwardus, *sed initio pontificatus sui, multus fuit in officio apud Ottonem III, alumnum suum: et dein præcipuum negotium, quod ante imperium Henrici II tractandum habuit et propter quod synodis adesse debuit, est controversia Ganderheimensis, quam jam sæpe promisimus infra*
F *tractandam. Primus igitur conventus, cui præsens adstitit* S. Bernwardus, *est celebratus Merseburgi anno* 1002, *quo episcopi et optimates Saxoniæ convenerant ad novum regem Henricum II, Ottonis III successorem, salutandum : id officii Franconici cum suis optimatibus jam præstiterant, quando, ut habet Adelboldus in Vita S. Henrici ad* XIV *julii* (6), VIII *id. julii* 1002 *electus et coronatus S. Henricus a Willigiso Moguntino : pergens igitur Moguntia Merseburgum venit* IX *kal. augusti, ut habet Annalista Saxo apud Eccardum* (7) : *Quo loco occurrerunt illi* archiepiscopi Lievizo Bremensis et Gesilerus Magdeburgensis cum episcopis Patherbrunnensi, Arnolfo Halberstadensi, Bernwardo Hildenshemensi, Ramwardo Misnensi, Bernhario Ferdensi, Hugone Cicensi : ducibus autem Bernhardo Saxoniæ, Bolislao Poloniæ,

(1) Kratz, Der Dom zu Hildesh., t. II, p. 117 et seqq. — (2) Leibnitz, Rer. Brunsw., tom. I, p. 392. — (3) Ditmarus Merseburg, ap. Leibn., Rer. Brunsw., tom. I, p. 350. — (4) Migne, Patrol., tom CXLI, col. 522. — (5) Gfrörer, Pabst Greg. VII, tom. V, p. 557. — (6) Acta SS., tom. III Julii, p. 746. — (7) Scriptt. med. ævi, tom. I, col. 385.

cum

AUCTORE J. V. H.

cum marchionibus Luthario et Gerone, ac Palatino comite Frederico, aliisque quam pluribus tam episcopis quam comitibus, quorum nomina longum est enarrare per singula. Ili omnes regem supplici devotione suscipiunt.

cui ab initio minus favere visus est Sanctus episcopus

67 Crastina itaque die, id est, VIII kal. augusti, Bernhardus dux cum consensu omnium coram rege voluntatem plebis confluentis aperiens, omniumque necessitatem ac legem specialiter exponens, quid eis misericordiæ dictis promittere seu factis velit impendere, diligenter inquirit. Tunc rex : Deo, inquit, primo, vobisque condignas grates persolvere nequaquam sufficio. Notum enim mihi est, quam fideliter vestris regibus semper ubique obaudientiam et solatium præstare studueritis. Ideo vos magis in omnibus libet honorare, diligere, et ad regni provectum conservare, quia non renuentibus vobis, sed quasi invitantibus, hac regali dignitate honoratus appareo. Legem igitur vestram non in aliquo corrumpere, sed in omnibus malo clementer adimplere, et vestræ rationabili voluntati, in quantum valeo, ubique animum adhibere : et
B certi de his sitis, quantum vobis placet, salvo honore regni, affirmo. Protinus vox una omnium levatur, laudes illi et grates referentium. Tunc Bernhardus dux, accepta in manibus sacra lancea, ex parte omnium curam regni illi fideliter committit. Rursus tolluntur voces omnium, laudes Deo referentium. Omnes igitur, qui priori imperio servierant, Ludigero solo remanente, regi manus complicant, fidele auxilium per sacramentum confirmant.

ob metum competitorum,

68 *Hæc ideo enucleate dedimus, quia S.* Bernwardus *in partes, S. Henrico oppositas, videtur inclinasse* (1). *Quam rem non solum præterit Tangmarus biographus, sed contrarium magis insinuat, dum num.* 61 *dicit :* Interea, *mortuo Ottone III*, vota principum in diversa rapiuntur, plerisque regni fastigium sine respectu timoris Dei usurpare nitentibus. Unde princeps quidam, Bruno nomine, sciens venerabilem Bernwardum episcopum domino Henrico, duci reverentissimo, esse fidissimum, timens, ne cœptis ejus adversaretur *etc. Animadvertamus S.* Bernwardum, *teste Tangmaro num.* 61
C *fuisse Henrico* duci, *adeoque necdum* regi *fidissimum. Nihilominus Ditmarus Merseburgensis in suo Chronico lib. V* (2) *dicit Ekkihardum, marchionem Thuringiæ, convocasse Werlam amicos suos regnum affectans. Spe sua frustratus, postera die optimum duxit* ut Occidentales visendo regiones, Hermannum ducem (*Alemanniæ*) cum cæteris optimatibus de reipublicæ suique commoditate alloqueretur. Salutatis postera die suis familiaribus, inimicisque caute notatis, cum Berwardo antistite Hildesheim venit, ubi, ut rex suscipitur, honorificeque habetur. Deinde ad Pathabrunnam pergens, clausas invenit portas, et jussu venerabilis Rhetarii præsulis intromissus, primo ecclesiam causa orationis intrat, postque ad domum, ubi episcopus cœnabat, veniens, caritative susceptus est. Ibi tum dictum est huic, quod colloquium in Duisburg, cujus gratia hac venerat, fieri nullo modo potuisset. Insuper animadvertit, multum displicere antistiti de
D incepto ejus inconvenienti. *Paulo post interficitur a conspiratoribus Ekkihardus. Ex his satis elucet, quod Ditmarus coævus censuerit,* S. Bernwardum *partes Ekkihardi aliquantisper secutum fuisse. Num vero ex animo, an ex coactione præstiterit antistes noster, quis hodie definire certo valeat? Crediderim tamen, eodem modo egisse episcopos Hildesheimensem et Paderbornensem, ac eorum collegas Constantiensem et Curiensem, qui Hermannum, S. Henrici competitorem, regem acceperunt.*

qui diœcesi imminebant :

69 *Rem breviter explicat Adelboldus, circa annum* 1028 *defunctus episcopus Ultrajectinus* (3). *Scripsit Vitam S. Henrici imperatoris, cujus fragmentum, a majoribus servatum ad diem* XIV *julii* (4), *hæc habet :* Episcopi Curiensis et Constantiensis cum Herimanno erant, non tantum illum ex corde ad regem eligentes, quantum ejus vicinitatem timentes et de termino litigii dubitantes. *Eadem prudentia ductus S.* Bernwardus, *processit cum Ekkihardo marchione Thuringiæ : qui, ut ait Ditmarus* (5), *erat* vir domi militiæque laudabilis,
E *utpote qui, teste Scheidio in Originibus Guelficis* (6), non modo per Thuringiam auctoritatem ducis exercebat, verum etiam Marchiam contra Bohemos Polonosque tenebat, ita ut Misnia et Lusatia Superior ei subesset... Hac rerum affluentia elatus, affinium quoque et necessariorum studiis adjutus, ad regnum, mortuo Ottone III, aspiravit. *Quis igitur vitio vertet episcopo, si gregi suo consulens, viro potentissimo, in re hactenus litigiosa, se accomodaverit? Dein nullo verbo prodit Ditmarus,* S. Bernwardum *partibus Ekkihardi favisse : nam Hildesiensis profectio et regalis ibidem susceptio non probant antistitem horum auctorem fuisse; quinimmo si Tangmari verba attendimus, quibus* duci *Henrico* fidissimus *pronuntiatur, proptereaque Brunoni principi, regnum ambienti adversarius dicitur, verisimile fit id accidisse Hildesiæ, quod* Bernwardus *impedire non potuit. Demum tantum interfuit Moguntinam inter et Merseburgensem inaugurationem, quantum temporis necessarium erat, ut Moguntia Merseburgum cum aula sua procederet rex Henricus.*

F *nihilominus cum rege Henrico interest concilio Tremoniensi*

70 *Eodem S. Henrico præsente, anno quarto regni ejus, Tremoniæ* (Dortmond), *in civitate hodiernæ Borussiæ in Westphalia, celebrata fuit anno* 1005 *Synodus, cui interfuerunt Heribertus Coloniensis, Lievizo Bremensis, Thagino Magdeburgensis archiepiscopi, simul cum variis episcopis, inter quos recensetur quoque noster S.* Bernwardus. *Quod vero de ista synodo novimus, ex Ditmaro habemus, nempe indictionem Missarum et precum in obitu tum ipsius regis ejusque conjugis, tum episcoporum præsentium; insuper assignationem dierum et modi, quibus jejunia ecclesiastica servanda sunt* (7). *Neque aliud statutum fuisse, videtur, adeoque hujus synodi acta non aliunde, quam ex Ditmaro fonte hauriri posse. Unde miror, quomodo Adolphus Schaumann, Gottinganæ bibliothecæ præfectus, in sua Historia Gentis Saxonicæ* conjicere *potuerit, in hac synodo Tremoniensi jacta fuisse*

(1) Gfrörer, Pabst Greg. VII, t. V, p. 6. — (2) Leibnitz, Rer. Brunsw., t. I, p. 365. — (3) Joan. de Baka, De episc. Ultraj., p. 38. — (4) Act. SS., t. III Julii, p. 746. — (5) Leibnitz, Rer. Brunsw., t. I, p. 366. — (6) Tom. IV, p. 409. — (7) Ditmar, apud Leibnitz. Rer. Brunsw., t. I, p. 280. Cfr Würzheim, Conc. Germ., t. III, p. 31.

semina,

A *semina, ex quibus* αὐτονομια, *ut vulgo dicitur, cleri excreverit, nempe ipse statum in statu, ut passim loquitur, creaverit* (1). *Vere oportet habere oculos lynce acutiores, ut autonomiam ex ordinatione aliqua precum et jejuniorum, communi consensu regis et episcoporum facta, extundere vel conjectura quis possit. Ex istiusmodi divinationibus sua et dignitate et veritate spoliatur historia; et homines levioris indolis, quales certe multi sunt, similes conjecturas paulatim, ut res certissimas, accipiunt, quia neque otium neque diligentiam habent, ut eas introspiciant penitius.*

et Goslariensi; 71 *Anno dein* 1009 *Synodus habita fuit Goslariæ, coram Henrico rege, ad electionem novi episcopi Paderbornensis : et mortuo Ratherio successit S. Meinwercus. Synodus celebrata fuit, ut habent Acta S. Meinwerci* (2), *præsente rege Henrico et* ascitis episcopis et principibus, qui aderant. *Ad Sancti electionem concurrerit verisimilius S.* Bernwardus, *utpote in cujus diœcesi situm erat oppidum Goslaria. Ast undecumque certa est Sancti nostri præsentia in synodo, eodem loco celebrata, anno* 1018 *: nam*
B *in Annalibus Hildesheimensibus dicitur* (3) *:* Regnante (*Henrico anno*) v sui imperii, ind. I, 1018, domnus Bernwardus episcopus, tempore quadragesimæ, Goslare, præsente imperatore cum episcopis cæterisque regni primoribus, synodo habita, Godescalcum, Eggihardi præsidis filium et Gerdrudam, Egberdhi comitis filiam, separavit. *Quæ vero fuerit causa dissolutionis istius matrimonii, nuspiam reperi. Non enim credo, errorem irrepsisse in utriusque conjugis nomine afferendo sive in Annalibus Hildesheimensibus mox allegatis, sive in Ditmaro, qui aliquantisper similem historiam, mutatis nominibus, refert. Nam narrat, Ekkihardum, nobilem Thuringum, habuisse filiam Luidgerdam, cujus amore deperibat Werinharius comes. Patre absente, commissa fuit puella custodiæ Mathildis, parthenoni Quedlinburgensi præpositæ. Werinharius autem, assumptis sociis, Virginem* reluctantem et clamantem *rapuit. Ad tantum crimen ulciscendum, indicitur conventus Magdeburgum; sed, ait Ditmarus, id consilium*
C *præventu sabitaneæ mortis interruptum est.* Namque post paucos dies, quum hæc ad locum, a Domino sibi paratum veniret, continuo infirmata, Bernwardum sanctæ Hillemessemensis Ecclesiæ tunc pastorem vocavit, et accepta ab eo, quam postulavit indulgentia, VIII id. februarii, hominem exuit interiorem, sepultaque est in ecclesia ad caput avi, suimet, regis Henrici (4). *Occurrebat hic certe impedimentum raptus puellæ invitæ, utpote* reluctantis et clamantis. *Sed, ut diximus, alia omnino sunt nomina personarum et locorum. Nihilominus factum præcipue retulimus, quia pertinet ad gesta S.* Bernwardi, *qui morienti puellæ adstitit.*

ab aliis sæpe abfuit verisimiliter; propter infirmitatem corporalem.

72 *Tempore episcopatus S.* Bernwardi *aliæ quoque synodi celebratæ fuere, quibus astitisse non videtur. Sic abfuit a synodis : anni* 1012, *Bambergensi, quando dedicatio hujus ecclesiæ facta fuit, præsentibus plus quam* XXX *episcopis : Confluentina, in qua actum fuit de restituenda Ecclesia Merseburgensi : et tandem Moguntina, in qua eliminati fuerunt judæi et hæreticorum quorumdam perfidia damnata* (5). *Quum anno* 1017 *conventus haberetur* pro finibus herciscundis *inter diœceses Merseburgensem, Magdeburgensem et Misnensem : adfuerunt cum imperatore, Gero, archiepiscopus Magdeburgensis, episcopi Meinwercus Paderbornensis, Wigo, cujus diœcesis ignoratur, Ericus Harvelbergensis, Hildewardus Misnensis et Ditmarus Merseburgensis : abfuit denuo S.* Bernwardus, *quamvis finitimi convenissent episcopi* (6); *sicut eodem anno abstinuit a conventu in loco, qui dicitur Lietzgo. Causam frequentioris absentiæ duplicem suspicor; malam valetudinem, qua sæpe utebatur, et præsentiam Willigisi, Moguntini archiepiscopi, quocum gravissimam controversiam habuit pro parthenone Gandersheimensi : dum autem ea lis, cæterum diuturna penderet, ipse S.* Bernwardus, *quamvis tractaretur de re sua, maluit legatos mittere, quam ipse interesse. Hæc fusius § sequenti tractabimus.*

AUCTORE J. V. H.

E

§ VII. Controversia monasterii Gandersheimensis explicatur; fundatio monasterii S. Michaelis Hildesiæ.

Agapetus Pp. II Gandersheimense monasterium

Tangmarus numm. 16 *et seqq. prolixe enarrat controversiam, inter duos sanctissimos viros* Bernwardum *et Willigisum ventilatam, quæ salva utriusque sanctimonia, toto fere tempore pontificatus Willigisi duravit. Hanc igitur hic loci non repetemus. Sed originem indicabimus, nempe bullam Agapeti II, qui ab anno* 946 *ad* 956 *Romanam sedem occupavit. Hæc, quoniam a Tangmaro omissa est, ponimus et eo maxime, quia exemptionem a jurisdictione episcopali continet. Est igitur tenoris sequentis* (7) *:* Agapetus episcopus, servus servorum Dei, Windilgardi, abbatissæ venerabilis monasterii Ganderheimensis, constructi ab Ottone, comite de Saxonia, aliisque suæ sortis abbatis-
F sis in perpetuum. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationalibus congruunt desideriis, oportet, ut devotioni conditoris piæ conservationis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulavit a nobis Hathumarus venerabilis abbas, ut per ejus interventum atque deprecationem vestrum monasterium Ganderescheim, situm juxta fluvium Aternam, apostolica auctoritate vobis confirmaremus, sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes (per) hanc nostram auctoritatem id, quod exposcitur, effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere, auctoritate nostra, præter sedem apostolicam, prohibemus.

(1) Geschichte des Niedersächsch. Volks, p. 367. — (2) Acta SS. tom. I, Junii p. 516 — (3) Migne, Patrol., tom. CXLI. col. 565. — (4) Leibnitz. Rer. Brunsw. tom. I, p. 556. — (5) Hartzheim, Conc. Germ. tom. III, p. 42. — (6) Ibid. p. 48. — (7) Migne, Patrol. tom. CXXXIII col. 896.

AUCTORE J. V. H. *a jurisdictione episcopali exemerat :*

74 Auctoritate namque Beatorum Apostolorum Petri et Pauli jubemus, ut nullus rex audeat, præter licentiam vestram, monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto juxta id, quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse ditatum permaneat locis ac rebus, tam his, quæ tempore moderno habet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere, et donis, oblationibus, decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Quando autem abbatissa ipsius monasterii de hoc sæculo migraverit, nulli sit licitum, aliquam ibidem ordinare abbatissam, nisi ex ipsa congregatione, si talem invenerit, quæ digna Deo sit. Et si fortasse ibidem inventa non fuerit, tum rex habeat potestatem talem ibidem ordinare abbatissam, quæ digna Deo placere possit. Constituimus etiam per hujus decreti nostri paginam, ut quacumque dignitate prædita persona hanc nostri privilegii chartam, quam auctoritate Principis Apostolorum firmamus, B temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens, a coetu Sanctorum omnium extorris exsistat, ut nihilominus præfati monasterii dignitas, a nobis indulta, perpetualiter inviolata permaneat, apostolica auctoritate subnixa. Scriptum per manus Stephani, scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense januario, indictione sexta. Bene valete. Datum III non. januarias per manus Andreæ, divini respectus gratia arcarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus Agapeti summi Pontificis, junioris Papæ, in sacratissima sede Beati Petri Apostoli secundo.

quod male interpretatæ

75 *Circa istam constitutionem Agapeti aliqua, ante aliam inquisitionem, observanda sunt. Mensis januarii anni secundi pontificatus Agapeti concurrit cum anno vulgari* 948 *: electus enim fuit inter diem* V *et* XIV *martii* 946. *Dein Joan. Harenbergius in Historia Gandersheimensi eamdem bullam referens, dicit* (1), *Ecchardum docere, quis ille Hatuhmarus fuerit, nempe episcopus Paderbornensis. Ast hic est error : nam Hathumarus, de quo agit Ecchardus,* C *ex clerico Wirceburgensi factus episcopus Paderbornensis, obiit circa annum* 815 (2) *: adeoque anno* 948 *Agapetus ad ejus petitionem, ut bulla habet, privilegium dare non potuit. Tandem privilegium Agapeti in duobus præsertim capitibus consistit, nempe in exemptione ab auctoritate episcopali et proin in plena subjectione sedi apostolicæ, atque in libera electione abbatissæ, quamdiu e gremio capituli assumeretur. Hinc abbatissæ Gandersheimenses liberum sibi esse censuerunt, pro libitu suo petere velationes Virginum, benedictiones abbatissarum et ecclesiarum dedicationes, præterito episcopo Hildesheimensi, a quolibet alio antistite. Atque hinc nata est lis inter archiepiscopos Moguntinos et Hildesienses episcopos, quæ ante S.* Bernwardi *pontificatum jam exarserat. Verum quamvis exemptum exstiterit monasterium Gandersheimiensi ab omni episcopali jurisdictione, utpote quod soli Romano Pontifici subesset; nihilominus in iis quæ pontificalem exigebant ordinem, ut sunt consecratio Virginum, benedictio abbatissæ et his similia, diœcesanum episcopum requirere debebat abbatissa, ut ostendit Tangmarus factum numm.* 21. *Sic quum, ut legitur in Actis S. Bercharii abbatis ad diem* XVI *octobris* (1), *Berthoendus Catalaunensis episcopus, monasterio puellari, a Sancto fundato omnimodam jurisdictionem abdicat,* retinet *tamen* sibi benedictionem abbatis et abbatissæ, confectionem chrismatis, collationem ordinum et pœnitentiales. *Et quamvis illic merito impugnatum fuerit ipsum diploma Berthoendi, alia tamen exhibentur instrumenta, quæ et concessionem et retentionem confirmant, ut de neutro dubitari possit.* D

76 *Etenim quum, ut dicit Tangmarus n.* 21, *episcopi Hildesienses fuissent* fere per ducentos annos *in pacifica possessione jurisdictionis in monasterium Gandersheimense, concordiam turbavit Sophia, Ottonis II filia. Hæc, pergit biographus eodem numero, fuit* fomes, ut pace omnium dicam, hujusmodi dissensionis; dum a suo episcopo, domino videlicet Osdago, sacrum velamen accipere spernit, Willigisum appetit : indignum æstimans, nisi a palligero E consecrari. Quod ipse libens annuit, haud considerans, quanta antiqua canonum statuta temeraverit : nec fraterna caritate aditum quæsivit, sed fratri et coepiscopo diem imperavit, ut ad relationem ancillarum Dei, in festivitate sancti Lucæ Evangelistæ illi occurreret. Nactus igitur opportunum tempus, dominus Osdagus archiepiscopum secretius, qua auctoritate id ageret, requisivit : cui ille minaci vultu mordacius ad suam parochiam pertinere respondit, et statuta die se ancillas Dei velaturum, omnemque episcopalem potestatem in illo loco se adepturum, promisit. *Causa igitur ingratæ controversiæ et ante S.* Bernwardum *exstitit et post illum sub S. Godehardo ejus successore perseveravit. Supersedemus autem diuturnam litem prolixius exponere, utpote quæ late explicata est in Vita infra edenda : quamque, si operæ pretium est, pro opportunitate illustrabimus.*

moniales,

ad Willigisum archiepiscopum consecratione

77 *Nolim tamen omittere, qua ratione Georgius Joannis in opere Rerum Moguntinarum excusat pertinaciam Willigisi* (3) : 1° *Quia, quæ* F *in monasterio illo degebat, Ottonis imperatoris III soror, velamen non nisi ab archiepiscopo, qui pallio uteretur, vellet accipere.* 2° *Quod ad ejus loci dedicandam ecclesiam honorificentissime invitatus ter fuerit.* 3° *Quod cognita hujus postea culpa, dimisso admodum animo, veniam supplex petierit.* 4° *Tandem quod absque simultate ulla sinceram postea cum eo, qui ei restiterat, amicitiam coluerit, Hildesiensi episcopo, S.* Bernwardo. *Ut autem prætensæ jurisdictionis opinio firmaretur, duo præcipue occurrebant : nempe privilegium Agapeti Papæ, supra relatum, quo interdicebatur* cujuslibet Ecclesiæ sacerdoti *qualemcumque in Gandersheimense monasterium jurisdictionem; adeoque Willigisus existimare potuit, sanctimonialibus liberum fuisse, quem vellent episcopum advocare tum ad velationem virginum, tum ad ecclesiæ suæ dedicationem. Dein erat Gandersheimium situm in extremo limite inter diœceses Moguntinam et Hildesiensem, nempe ad fluvium*

(1) Pag. 57 — (2) Hist. Franciæ, Orient. tom. II, p. 121. — (3) Tom. I, p. 454.

Eternam,

A *Eternam, qui utramque diœcesim dividit* (1). *Quapropter Willigisus, ut narrat Tangmarus num.* 37, productis viris, quos adduxerat, requisivit episcopos, si liceat homines illos banno suo ad sacramenta constringere, ad cujus diœcesim illud cœnobium pertineat. *Bannum, ut dicit Cangius h. v., triplicem præcipue significationem habet : ac primo quidem accipitur pro edicto publico, dein pro mulcta pecuniaria, ac tertio pro districtu et jurisdictione. Bannum autem, de quo agit Tangmarus, est edictum publicum, quod si, consentientibus episcopis, promulgare licuisset, jam controversia composita erat : nemo enim extra terminos jurisdictionis suæ bannum seu edictum dare potest. Episcopi itaque,* quamquam metum illius veriti, ajunt, legitime fieri non posse, absente episcopo.

ecclesiæ suæ recurrunt.

78 *Hac spe delusus archiepiscopus, et ab aliis episcopis derelictus, cum suis, quos adduxerat, tandem cavillatione quadam eos induxit, ut alii terminum diœcesis Hildesiensis Ethrinam, fluvium Frideslariensem, qui occidentalem limitem, alii Eternam, qui meridionalem*
B *alluit dicerent. Hinc sponte sua nascebatur dubium, quæ rem, cæterum claram, faciebat litigiosam : adeoque secundum speciem constituebat Willigisum propriæ Ecclesiæ defensorem intrepidum. Sed parum juvit subtilitas excogitata; nemini fucum fecit alterni nominis ambiguitas. Nemo enim vel ex iis, qui Willigisum maxime laudant, litigium istud probant, sed errorem excusant. Adduximus supra sententiam Joannis, scriptoris Moguntini. Sunt etiam in musæo binæ lucubrationes, quæ totam controversiam sub silentio premunt. Prior quidem est Officium B. Willigisi, anno* 1675 *typis excusum, quod, ut dicitur in proœmio,* a pluribus sæculis ceu rari pretii ceimelium fuit asservatum. *Idem dixerim de altera Vita, centonibus antiquiorum scriptorum fere compacta, in qua studiose omittuntur, quæ ad controversiam Gandersheimensem pertinent. Quod si recentiores eamdem attingant, errorem Willigisi non tam propugnant, quam excusant* (2). *Plura dicere supersedemus, quoniam, ut præfati sumus, tota controversia*
C *nitide et abunde in Vita edenda exponitur.*

Bonis hereditariis

79 *Devenimus nunc ad celebrem fundationem monasterii S. Michaelis, quam sanctus antistes jam ab initio episcopatus meditatus videtur, toto tempore pontificatus exsequi salegit, ac tandem morti proximus perfecit. Chronicum monasterii S. Michaelis in Hildesheim sic orditur* (3) : Anno dominicæ Incarnationis 993 Berwardus (Bernwardus), regius capellanus, decimus tertius Ecclesiæ Hildesiensis episcopus constituitur. Hic in septemtrionali parte civitatis Hildesiensis, in loco squalido, feris et brutis animalibus coaptato, monasterium in honorem S. Michaelis ædificavit de suo patrimonio; in quo et abbatem et congregationem monachorum, viventium sub Regula S. Benedicti, instituit. Quorum utilitati prædia, curtes et familias ad 300 mansos condonavit de suo patrimonio et quæ emere poterat de thesauro, relicto sibi ab Ottone Tertio felicis memoriæ. *Igitur, ut habent Annales Hildesheimenses* (4), anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 1015, Henrico XIV annos regnante, II jam Dei gratia imperante, cripta nostri monasterii (*S. Michaelis*), indict. XIII, III kal. octobris dedicata est a Bernwardo ejusdem Ecclesiæ venerabillimo præsule, et Tidericho, Mimigardivurdensis Ecclesiæ dignissimo antistite et ab Ekkihardo, Slieswicensis civitatis venerabili episcopo, in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et ejus Genetricis perpetuæque Virginis, et ad singulare patrocinium Beati Archangeli Michaelis totiusque militiæ cœlestis. *Dies* III *kal. octobris seu* XXIX *septembris est sacer, ut scimus, S. Michaeli : atque ita festum patroni anniversario dedicationis conjungitur.*

AUCTORE J. V. H.

fundat Sanctus, primum sacellum Smæ Crucis,

80 *Septem post annis ipsa ecclesia dedicata fuit, ut referunt iidem Annales* (5) : Anno incorporati Verbi 1022, regni vero Henrici imperatoris XXI, ordinatione autem domni Bernwardi, hujus Ecclesiæ præsulis venerandi XXXI, indictione V, III kal. Octobris, hujus monasterii oratorium a præfato antistite cum summo decoris studio ad utilitatem monachicæ vitæ
E constructum, foras muros Hildinesheimensis urbis situm, dedicatum est, insuper cum omni devotione ecclesiasticæ religionis consecratum in honore Salvatoris D. N. J. C. ejusque Genetricis semperque Virginis Mariæ, ac salutiferi ligni adorandæ et vivificæ Crucis, et ad speciale patrocinium Sancti Michaelis Archangeli, totiusque militiæ cœli, et ad laudem venerationis omnium Sanctorum Dei, a venerando ejusdem Ecclesiæ provisore Bernwardo et ab honorabili Unewano, archipræsule Hamaburgensis Ecclesiæ, ab Ekkihardo quoque Slieswicensi episcopo, ab Bernhardo quidem Aldenburgensis Ecclesiæ reverentissimo antistite, ad ecclesiasticæ pacis munimen et ad christianitatis salutem et defensionem. Et in tantum prædia et res eodem loco pertinentia sunt banno auctoritatis eorum stabilita, ut si quis inde vi aut sponte aliqua diriperet, perpetua damnatione subjaceret, et perpetuo anathemate damnatus, et de terra viventium deletus, qui huic loco esset in aliquo obnoxius et contrarius. Fiat, fiat, fiat.

F *dein magnum monasterium*

81 *Uno fere post peractam dedicationem mense, S.* Bernwardus, *chartam fundationis edidit, quam ex instrumento originali edidit Hermannus Luntzel, et est tenoris sequentis* (6) : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum esse cupio cunctis Ecclesiæ nostræ filiis, immo quoque omnibus Christi fidelibus, qualiter ego Bernwardus, humilis et indignus hujus sanctæ Hildenesemensis Ecclesiæ episcopus, divina tactus gratia, reatus mei superflua perhorrescens, Deique gratiam concupiscens, distraxi animum in diversa, quomodo æternæ satisfacerem misericordiæ; sicque remedium meæ obtinerem animæ. Tandem itaque portum salutis inveniens, elegi et statui Christum heredem mei, qui esset pars et hereditas mea et requies. Unde ad laudem ipsius et gloriam, ejusque piæ Matris Mariæ et ad speciale patrocinium Sancti Michaelis Archangeli et omnium cœlestium virtutum cœpi

(1) Lüntzel, Die ältere Diocese Hildesheim, p. 344. — (2) Cfr Werner, Der Dom von Maintz, tom. I, p. 504. — (3) Meibom., Scriptt., tom. III, p. 517. — (4) Migne, Patrol., tom. CXLI, col. 566. — (5) Ibid., col. 567. — (6) Die ältere Diöz. Hildesh., p. 352.

AUCTORE J. V. H.

summa cum devotione novum ædificare monasterium foris murum civitatis, nostræ videlicet sedis ad aquilonem. Verum ego sortem naturæ, cunctis incertam, pertimescens, ac ne prolixitate tanti operis mea spe in agendis divinis forte tardarer nimis aut negligerer, feci festinato et consummavi sacellum quoddam valde splendidum prope ipsum monasterium, jactis jam ex aliqua parte fundamentis ipsius basilicæ, in honorem scilicet Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, atque sanctæ et vivificæ Crucis, perpetuæque Virginis Mariæ et Sanctorum, quorum ibi Reliquiæ continentur : statuique, ut esset baptismale, inunctionis et sepulturæ, non autem synodale: synodus vero ut vel in porticu agatur vel in cimiterio.

S. Michaelis, quod, dato

82 Coadunatis igitur quibusdam religiosis, Christo Domino interim ibi servituris, cuncta quæ habui et Sancto Michaeli me daturum deliberavi, tam in auro et argento et multiplici ornatu, quam in prædiis et diversis utilitatibus huic sacello, donec idem monasterium perficeretur, adsignavi. Quo Dei gratia et magna
B mei instantia honestissime consummato, et ab humilitate mea, cooperante Spiritu Sancto, gloriose consecrato, statim ibi secundum Regulam Beati patris Benedicti monastici Ordinis indidi personas. Quibus consecrato in abbatem venerabili viro Goderammo, ea ratione ipsos coadunavi, ut sicut juxta monasticam normam sunt a sæculi actibus alieni, ita essent ab omni impedimento sæcularis servitii liberi; atque ut defuncto ipsorum abbate, si condigna inter eos fuerit persona de suis, sin infra nostri episcopatus terminos, seu aliunde concessu domni Heinrici serenissimi imperatoris ac mea, liberam sibi eligendi patrem habeant facultatem. Pari modo ut super prædia sua sibi utilem advocatum consilio ejusdem loci episcopi eligant, et inutilem et gravem reitiant, ab eadem imperiali majestate obtinui, meaque id auctoritate roboravi. Facta igitur per me solemni donatione, sicut in privilegiis jam dicti imperatoris domni Heinrici satis expressum est, et tam sigillo ipsius, quam etiam meo potiori, hoc est, aureo sigillo, ab ipso videlicet cum aliis pluribus regalis munificen-
C tiæ muneribus mihi dato, et jubente ipso bullato, quasi gemino gladio munitum, dotavi illud pro paupertatula mea, consensu et conlaudatione legitimi heredis mei, videlicet dulcissimi germani mei, Tammonis comitis, non minus quadringentis LXVI mansis, decimis X, molendinis X, ecclesiis autem XIII cum decimatione, et demidia in Holthusen cum XVI mansis, quæ postea imperatoris privilegio monasterio superaddita est; non utique annumeratis inter has ecclesias sanctæ Crucis et Beati Martini capellis, quæ esse claustrales censui. Ipsum enim sacellum vivificæ Crucis, quod feci baptismale, inunctionis et sepulturæ, sicut dudum deliberaveram, consilio Ecclesiæ meæ in monasterium ita transtuli, eique incorporavi cum personis rebusque omnibus et cum omni jure suo, ut prædictus abbas noster Goderammus, omnesque successores ejus curam illam jure perpetuo habeant, et quos jusserint de fratribus divina ibi persolvant. Ita dumtaxat ut de primitivo jure suo tantum re- D
tineat, quantum consilio fratrum pro temporum et rerum varietate abbas decernat. Hic autem numerus ecclesiarum et hic situs earum etc.

diplomate, dotat

83 *Enumerat dein antistes varias ecclesias et loca, in quibus prædia donata, sita sunt; quæ quidem plurimum juvant ad cognitionem topographicam Saxoniæ Inferioris et præsertim diœcesis Hildesiensis, quam late explicat Hermannus Lüntzel in sua descriptione ejusdem episcopatus* (1). *Prolixius esset, in latum campum excurrere, quem laudatus Lüntzel solerter percurrit. Quoniam vero textum diplomatis interrupimus, paucis explicabimus aliqua in allato textu obscura. Imprimis* S. Bernwardus *dicit, capto consilio ædificandi magni monasterii timuissse, ne mors consilium præverteret; adeoque* fecisse festinato et consummavisse sacellum quoddam valde splendidum. *Tempus ejus dedicationis accurate recenset Tangmarus num.* 15. Ipsum vero, inquit, sacellum, sanctæ Crucis, vario decore perfectum, Bernwardus dedicavit IV idus (X) Septembris, anno
E Incarnationis dominicæ nongentesimo nonagesimo sexto, indictione nona, regni vero gloriosissimi Tertii Ottonis imperatoris decimo tertio, imperii primo, ordinationis autem suæ quarto. *Insuper Sanctus voluit sacellum istud* baptismale, inunctionis et sepulturæ, non autem synodale; *nam jubet ut* synodus vel in porticu agatur vel in cimiterio. *Manifestum est,* S. Bernwardum *sacello SS. Crucis tribuisse jus parochiale, siquidem istic baptismum, extremam unctionem et sepulturam sumere licebat. Noluit autem, ut sacellum esset* synodale, *sed* synodus ageretur vel in porticu vel cimiterio. *Erant, ut videtur, ecclesiæ synodales, idem quod ecclesiæ matrices seu archidiaconales; has voces synonimas habet Lüntzel* (1), *quatenus in istis ecclesiis archidiaconus tribunal suum haberet. Quoniam autem* S. Bernwardus, *dum sacellum S. Crucis perficiebat,* jecerat jam ex aliqua parte fundamenta ipsius basilicæ S. *Michaelis, statuit quidem ut sacellum haberet jus parochiale, sed synodalem dignitatem reservavit ecclesiæ principali monasterii* (2). *Ædificato dein templo* incorporavit *sacellum, sub cautione,* ut
F de primitivo jure suo tantum retineat, quantum consilio fratrum pro temporum et rerum varietate abbas decernat. *Hac igitur significatione dicitur ecclesia aliqua synodalis. E diverticulo ad textum, omissis locorum nominibus, redimus.*

multis prædiis :

84 Hæc omnia cum eorum pertinentiis, terris videlicet cultis et incultis, mancipiis utriusque sexus, villis, pascuis et pratis, vineis, silvis et venationibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus quæsitis et inquirendis, cæterisque omnibus, quæ aut hereditario jure possedi aut sæculari coemptione adquirere potui; exceptis pluribus, quæ altari S. Mariæ in principali ecclesia contuli, scilicet in prædiis, coronis, aureis calicibus, candelabris, palliis aliisque ecclesiasticis ornamentis, totum usibus fratrum per manus advocati mei tradidi Deo et S. Michaeli Archangelo pro animabus prædictorum seniorum meorum impe-

(1) Die ältere Diöz. Hildesh , p. 187, not. 28. — (2) Ibid., p. 197.

ratorum

A ratorum et mea, omniumque successorum meorum et eorum, quorum patrimonia adquisivi; quatenus servitores Christi ab omni terreno servitio liberi, sub defensione ac patrociniis successorum meorum episcoporum præmuniti, in pace et misericordia quieta tempora ducant et in salutem viventium beatæ contemplationi inhæreant. Si quis autem aut mei ordinis successor, aut aliqua sæcularis persona hoc infringere voluerit et hæc tyrannice sibi usurpare præsumpserit, gladio verbi Dei a Deo et Sanctis ejus illum submoveo, et incumbente super illum omni maledictione, careat benedictione; sicque exterminatus a cœlo et terra, partem habeat cum Juda et cum his, qui in hereditate possident sanctuarium Dei. Et ut hoc firmum et in convulsum permaneat, Dei gratiam omnis circumstans plebs exorando semper obtinere studeat. Actum in Hildenesheym kalendas novembris, anno Incarnationis Domini MXXII, domini autem Bernwardi, hujus Ecclesiæ venerabillimi pontificis ordinationis anno XXX, indictione V. Adstantibus uno cardinali, videlicet legato
B domini Papæ et undecim episcopis una mecum hæc banni sui auctoritate roborantibus. Testes horum tota Ecclesia mea cum aliis multis fiidelibus. Ekkehardus, Sleswicensis eps., Adelgerus præpositus, Lindwardus decanus, Thangmarus, Hildewardus, Swikkerus, Wikerus, Thongmarus, Thadilo, Aido, Thiebaldus, Wikkerus, Bodo, Hareth, Hays, Wolbrecht, Berenwarht, Vebbi, Wino presbyteri. Vulfarius, Wulcaradus, Wicbertus, Awrardus, Allia, Bodo, Wulferius, Thietmarus, Reinwardus, Osdagus diaconi. Rothierus, Simon, Reinbertus, Dede, Thietmarus subdiaconi. Benedictus acolytus. Hunaldus, Hildewardus, Godescalcus, Bodo, Allia, Rothartus, Edelricus, Wulfarius, Gero, Ernust, Thongmarus comes. Thiatmarus advocatus. Wolbrecht, Thietmarus, Poppa, Fridericus, Christophorus, Dede, Christianus et multi alii, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Amen.

fundationem confirmat S. Henricus imperator.

85 *Cartam fundationis confirmavit auctoritate sua S. Henricus II : et quidem* III *non.* (III) *novembris* 1022; *adeoque biduo post confectum*
C *S.* Bernwardi *diploma. Atque hinc suspicatur Hermannus Lüntzel errorem obrepsisse in mense indicando et legendum pro* novembri decembrem, *quo reipsa Henricus Gronæ moratus est* (1). *Grona videtur ad Leinam seu Loynam fluvium jacuisse secundum Chronicum Gottwicense* (2) : *proin Hildesiæ, ejusdem fluvii rivali, proximum est oppidum Grona; ut infra biduum et carta* Bernwardi *confici, et ab Henrici diplomate confirmari potuerit. Quæstionem itaque in medio relinquimus. Imperator diploma suum dicit* datum novemb. III non. indictione V, anno Dominicæ Incarnationis MXXII, anno vero domni Heinrici sedi regnantis XXI. Actum Gruonaha in Dei nomine. *In eo diplomate Henricus imperator declarat, se monasterium S. Michaelis* in suum mundiburgium *tuitionemque suscipere; et enumeratis mansis et prædiis, monasterio attributis, pergit, dicens:* Sub imperialis igitur banni nostri interdictione præcipimus, ut nullus suus successor (Bernwardi), neque alius episcopus, sive dux, neque comes aut vicecomes, sive aliqua judiciaria potestas eidem monasterio, rebusque sibi concessis seu concedendis, aliquam violentiam sive rapinam ulla temeritate inferre præsumat. Si quis autem, quod absit, istius imperialis nostri præcepti violator exstiterit, primum Dei omnipotentis, sancti Michaelis Archangeli atque omnium Sanctorum iram incurrat; auri quoque optimi centum libras componat, medietatem cameræ nostræ et medietatem monasterio. *Eodem anno* MXXII, *omisso mense et die, S.* Bernwardus *secundo adiit imperatorem, fundationem monasterii sui denuo impetraturus* (3).

AUCTORE J. V. H.

Sed sæc. XVI *monasterii status miser,*

86 *Res monasterii pacifice satis processerunt sub abbatibus suis, quorum nomina et res gestas breviter narrat Chronicum monasterii S. Michaelis apud Leibnitzium* (4). *Medio sæculo* XV *admiserunt monachi reformationem Bursfeldensam et cum centum quadraginta uno aliis monasteriis Ordinis S. Benedicti in unam coaluerunt congregationem, Bursfeldensem dictam. Ast anno* 1543, *ut habet idem Chronicum* (5), *Lutherani* parochialem S. Lamberti (*olim sacellum S. Crucis*) et monasterii S. Michaelis ecclesias E occuparunt: abbatem cum fratribus incluserunt et magnam summam pecuniarum ab illis extorserunt, cum annuo salario 150 florenorum pro prædicantibus. *Hanc coactionem subire debuerunt Hermanus Dick, abbas trigesimus tertius ejusque successores per solidum fere sæculum. Ast pactione Goslariensi, die* XVI *januarii* 1642 *inita* (6), *monasterium tandem suum, excepta ecclesia majori, quæ penes Lutheranos mansit, recuperarunt Sammichaelitæ, atque in eo perseverarunt usque ad initium sæculi nostri. Tunc enim episcopatus Hildesiensis cessit regi Borussiæ Friderico Gulielmo III, vi, ut dicitur, decreti deputatorum imperii* (Reichs deputation) *Ratisbonæ, omniaque bona ecclesiastici juris fisco regio, adscripta fuerunt. Nempe decreto regio, dato die* XXII *januarii* 1803 *supprimebatur monasterium S. Michaelis, ejusque bona procuratoribus laicis administranda tradebantur : totum vero negotium committebatur consiliario aulico Malchus, qui cæterum istiusmodi negotiorum erat actor generalis.*

pejor evasit sæc. XIX.

87 *Hic igitur die* XVIII *februarii* 1803 *ad monasterium S. Michaelis se contulit, et abbati* F *Gulielmo Roehren notum fecit, quod in mandatis acceperat, nempe abolitionem monasterii. Itaque convocato monachorum capitulo, manifestavit, vi supremæ sententiæ comitiorum imperii Germanici, monasterium ipsum omnesque ejusdem possessiones irrevocabiliter pertinere ad dominium regis Borussiæ, ac proin ipsum monasterium esse et manere suppressum. Ex hoc principio deducit actor seu commissarius regius, monachos omnino solutos esse* a Regula ordinis et choro, *ac deinceps esse vere et unice personas privatas, in quas* simpliciter incumbunt obligationes civiles. *Mirum sane, principem acatholicum, a votorum et Regulæ obligatione solvere monachos catholicos vel invitos. Sed ea erat illa ætate præpotens, quam sibi fingebant, regum auctoritas, ut nihil esset sanctum, licitum et legitimum, nisi quod ipsi sancivissent, nec in rebus religiosis aliquid esse,*

(1) Die ältere Diöz. Hildesh., p. 358, not. . — (2) Pag. 478. — (3) Cfr Lüntzel, Die ältere Diöz. Hildesh., p. 358. — (4) Rer. Brunsw., tom. II, p. 399. — (5) Ibid., p. 402. — (6) Du Mont, Corps diplomat., tom. VI, part. I, p. 234.

quod

AUCTORE J. V. H.

quod principes sæculares pro libitu violare non possent. Cæterum in documentis nobiscum communicatis, nihil reperi quod aliquam sive renitentiam sive protestationem monachorum indicaret.

quando fisco regio Borussico addicta fuit universa possessio;

88 *Abbati pendebatur quotannis pecunia ad bis mille florenos rhenenses, reliquis monachis ad tercentos florenos : eorum vero numerus cum iis, qui extra claustrum ecclesiis parochialibus deserviebant, ascendebat ad monachos* XXV, *fratres conversos* IV, *cum quinque novitiis. Horum vero singulis dati fuerunt semel floreni* 750. *Cautum simul erat, ut qui pensione uti frui vellet, intra provincias Borussicas, excepto semestri spatio, degere deberet, et qui diutius in aliena regione moraretur, omne jus ad pensionem amitteret. Igitur monachus Benedictinus, qui pericula sæculi refugiens, ut arctius Deo adhæreret, in monasterium alius regionis concessisset, spoliabatur, quasi in omni casu indemnis servari non deberet civis quilibet, quales declarantur monachi, quando privatur jure suo. Permittitur tamen monachis incolere monasterium, imo ad dies* XIV *continuatus* B *victus quotidianus et usque ad* 1 *aprilis propinantur ligna ad combustionem. Tandem quia nulla Hildesiæ exstabat tunc ecclesia parochialis pure catholica, S. Michaelis templum in parochiale assignatur, præcipitque rex, ut ejus dotatio curetur. Non dubito quin scribæ Borussici, dum hæc pharmaca leviusula gravissimo vulneri applicabant , ipsi sibi magnanimam munificentiam gratulati fuerint.*

quæ tandem regno Hannoverano

89 *Una interea est difficultas quam facile solvet is, qui acta publica comitiorum Germanicorum coram habuerit, nempe quomodo rex Borussiæ die* XXX *januarii* 1803 *dicat vi decreti comitiorum imperii ad se pertinere monasterium cum omnibus bonis, dum tamen hoc decretum primo sancitum fuerit* XXV *februarii ejusdem anni. Sed jam anno* 1802 *convenerat Borussis cum republica Gallicana de indemnitate pro provinciis, in ripa sinistra Rheni Gallicanæ reipublicæ adnexis : adeoque circa finem mensis julii Borussi vi armata occuparunt episcopatum Hildesiensem et adjacentes regiones. Brevi post coaluerunt comitia ad indemnitates, singulis debitas, componendas,* C *nempe* XXIV *augusti* (1) *: fieri itaque potuit, ut quæ Borussiæ attribuenda erant, ante finem ejusdem anni erant definita. Et reipsa articulo* III *instrumenti, Ratisbonæ pro indemnitate confecti, conceditur regi Borussiæ, inter alia episcopatus Hildesiensis. Omnia igitur bona ecclesiastica et jura politica deinceps ad rationes regis pertinuerunt : atque hinc processerunt suppressiones monasteriorum et capitulorum.*

accrevit, monasterio in manicomium mutato.

90 *Armis obtinuerant Borussi Hildesiensem episcopatum, armis etiam eumdem amiserunt. Nam post Ieniense prælium, anno* 1807 *die* IX *julii, pace cum Francis inita, magnam provinciarum partem amiserunt, quæ cum aliis provinciis in unum coaluerunt regnum, Westphaliæ dictum, cujus rex fuit Hieronymus, frater Napoleonis, Francorum imperatoris. Quo regnante, monasterium in usus nosocomii militaris conversum est. Erat autem in dicto monasterio, præter ecclesiam majorem, quæ ab anno* 1542 *penes Lutheranos mansit, altera quæ Minor dicebatur* D (kleine klosterkirche) *usibus monachorum ab anno* 1709 *accommodata, quæque a rege Borussiæ catholicis attributa erat. Verum an.* 1812 *abolita parochia S. Michaelis, translata fuit ad ædem S. Magdalenæ, olim suppressarum monialium S. Augustini. Tandem instrumento pacis Viennensis, signato die* IX *junii* 1815 *episcopatus Hildesiensis ejusque bona ecclesiastica accreverunt regno Hannoverano. Nova igitur destinatione, monasterium anno* 1827, *destructo veteri ædificio, in manicomium commutatum fuit, attributa cultui catholico et Lutherano ecclesia minori. Ecclesia major, sub rege Westphaliæ fœnile militari, lutheranis reddita fuit anno* 1857 *: ejus autem hypogeum occidentale, nam duplicem chorum habet, vulgo dicitur Crypta S.* Bernwardi, *et hactenus ad catholicos pertinet. In ea autem legato* M *thalerorum Seraphini Wächter, monachi Sammichaelitæ fundatum est sacrum hebdomadarium. Atque hæc sunt fata monasterii olim celeberrimi.*

§ VIII. S. Henrici in conjugio virginitas paucis defenditur; ejus donationes et diplomata pro Ecclesia Hildesiensi; soror et matertera S. Bernwardi moniales. E

S. Henricus, cujus in conjugio

Quamvis munificentissimus fuerit S. Bernwardus *in fundando monasterio S. Michaelis, pari solertia sategit, ut sedis suæ propria ecclesia haberet, unde sustentaretur, immo ut una cum episcopo suo Religionem christianam adversus finitimos barbaros defenderet aut inter illos propagaret. Curavit imprimis, ut quod antecessores jam ab antiquis imperatoribus obtinuerant, et ipse consequeretur, nempe ut ipsa Ecclesia Hildesiensis ejusque bona temporalia essent sub directa defensione majestatis imperialis. Proin anno* 1013 V *non. martii Werlæ concessit Henricus* Bernwardo episcopo ex oppido quod vocatur Hildenesheym, quod est in pago Astfala, in honore S. Mariæ super fluvium Indisthra (*Germanice* Innerste), ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate seu aliquis ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, in ecclesias, loca vel agros, seu reliquas F possessiones, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur, *ingrediatur*... Liceat illi, subjectisque Deo servientibus clericis sub nostra defensione et immunitatis tuitione, quieto tramite ibidem residere et pro nobis et conjuge proleque nostra, seu pro stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam exorare... Jam prædictæ Ecclesiæ etiam concedimus, ut habeant ejusdem sedis clerici canonice et ecclesiastice, seu inter se sive aliunde, digne ad hoc et convenientes, eligendi episcopum liberam et propriam facultatem, æquo consensu regis. Datum V non. martii, indict. XI, anno Dominicæ Incarn. MXIII, an. vero Henrici II regnantis XI. Actum Werlæ (2).

virginitas obiter vindicatur,

92 *Ad diem* XIV *julii Joan. Bapt. Sollerius in Actis S. Henrici imperatoris* (3), *omnino de-*

(1) Martens, Rec. des Traités tom. VII, p. 439 et seqq. — (2) Scheid., Origg. Guelficæ, tom. IV, p. 433. — (3) Act. SS., tom. III Jul., p. 727.

fendit

A *fendit virginitatem in matrimonio servatam ab SS. Henrico et Cunigunde adversus Kœhlerum, qui in Litaniis paschalibus Bambergensibus legens post suffragia pro salute Henrici et Cunigundis etiam* nobilissimæ proli regali salutem et vitam *apprecari* (1), *fabulosam habet sanctorum conjugum virginitatem. Kœhleri sententiam suam quoque facit Scheidius. Nixus præcipue diplomate mox citato, in quo Henricus preces fundi vult* pro nobis, *inquit*, et conjuge proleque nostra, *quod et altero diplomate ejusdem anni corroborat, in quo pariter Henricus Ecclesiæ Hildesiensi consultum vult pro* regni, *ait*, stabilitate, pro conjugis prolisque regalis incolumitate. *Ex quibus verbis concluditur, fuisse aut proles aliqua aut certe ejusdem spes; adeoque ab eo matrimonio abfuisse virginitas. Sollerius autem noster invicte monstrat, nisi mendacii et fraudis accusare velimus S. Henricum, virginitatem in matrimonio servatam fuisse. Quid ergo? Diplomata interpolata, Litanias falsiloquas dicemus? Nequaquam : sed prolem dicemus, non quæ ex eorum conjugio prodierit, sed quæ ex consanguinitate processerit;* B *scilicet familiam collateralem. Neque porro hanc interpretationem sine teste accipimus. Ad diem* XVI *aprilis in Vita S. Contardi Broniensis legimus* prolem *pro* familia *omnino assumi* (2): Incipit beati Contardi historia, qui natione et prole dicitur fuisse de Ferraria. *In Vita vero ibidem descripta, explicatur, quomodo servus Dei reliquerit cum eorum licentia parentes suos, ut sepulcrum S. Jacobi Compostellæ adiret et in via mortem obierit. Similiter paulo infra* (3), *dæmonica cœpit* prolem, patriam, et rem gestam *Beati palam* prædicare. *Aliquando igitur ætate media proles pro familia ponebatur, quod etiam confirmat Cangius h. v.*

1° confirmat donationem, olim ab Ottone III factam de loco Trathe :

93 *Hæc dicta sunto, quia Sollerio nostro, Acta S. Henrici scribenti, non innotuerunt diplomata citata, quæ sicut et Litaniæ Bambergenses, prolis regiæ mentionem faciunt. Nunc e diverticulo ad acquisitiones ecclesiasticas S.* Bernwardi *redimus. Anno* 1013 *Werlæ diploma pro Ecclesia Hildesiensi edidit S. Henricus,* datum indictione XI, anno Dominicæ Incarnationis MXIII, anno vero domini Henrici C Secundi XI (4). *In eo, nullo verbo de regia prole facto, confirmat rex Henricus donationem olim S.* Bernwardo *factam ab Ottone III* prædii de sua propria hereditate, quod Trathe nominatur; ad septem videlicet mansos in pago Marstiem in comitatu Bernhardi ducis (5). *Concessum autem fuit prædium* ad capellam, quæ dicitur Sanctæ Crucis, sitæ extra murum ad aquilonarem plagam urbis. *Cessit dein donatio monasterio S. Michaelis* (6); *quia, ut diximus supra, Oratorium S. Crucis ideo statim S.* Bernwardus *construxerat, ut in eo monachi laudes Deo decantarent, donec perficeretur justum monasterium sub invocatione S. Michaelis dedicandum, quod anno* 1022 *perfectum fuit.* Trathe *hodie* Drote, *est villula, quæ adjacet fluvio Loynæ e regione villæ Ruthe.*

2° prædii in Ledhi;

94 *Eodem anno* 1013 *idem rex Henricus S.* Bernwardo *ejusque Ecclesiæ dedit* prædium in villa Ledhi, in pago Gudinge in comitatu Luidolffi comitis, pro remedio, *inquit*, animæ nostræ et dilectissimæ contectalis nostræ Cunigundæ. *Donationem autem facit* confratribus ecclesiæ Hildensemensis, in honore sanctæ Mariæ constructæ : isto tamen modo, ut per singulos annos cum dies ordinationis nostræ recurrat; communiter eis in refectorio, quanto melius possit, in cibo atque potu debitum obsequium impendatur. Si quando autem Dominus de ergastulo hujus corporis nos evocare dignetur, volumus, ut pro intermisso tunc ordinationis die, obitus nostri terminus annuatim in posterum parili obsequio eisdem fratribus ad memoriam revocetur... Datum VII kal. aprilis, indictione XI, anno Dominicæ Incarnationis MXIII, anno vero domini Henrici Secundi regnantis XI. Actum Hildenesheym feliciter. Amen. *Operæ pretium fuerit animadvertere, postremum diploma, in quâ nulla fit mentio* regiæ prolis, *datum fuisse* VII *kal. aprilis seu* XXVI *martii : dum diploma num.* 87 *citatum, verbum faciens de* prole regali, *signatum est* V *non. martii seu* III *ejusdem mensis. Si igitur* E *aliquid valet argumentum, ex priori charta contra virginitatem S. Henrici desumptum, oportet, ut medio tempore proles aut saltem ejus spes perierit : quod quidem nuspiam reperimus.*

3° prædii in Duisburg;

95 *S. Henricus S.* Bernwardo *confirmavit donationem, olim factam ab Ottone III, prædii in Duisburg* (7), *id est,* unius mansi cum tribus areis et mancipiis, quorum primus Wigo nominatur, illiusque fratre et cum uxoribus et filiis eorum, qui etiam adhuc supersunt et cum omnibus utensilibus, ad ipsum prædium pertinentibus. Indictione XI, anno Incarnationis MXIII, anno vero domini Henrici Secundi XI. Actum Werla. Regnante *porro, ut referunt Annales Hildesheimenses* (8) Henrico XII anno, indictione XI, MXIII (*post*) Incarnationem Domini, XII kal. februarias, peccatis agentibus principale templum Hildenshemensis Ecclesiæ, diabolo insidiante per noctem igne succensum, sed solo divinæ miserationis subsidio velociter, Deo gratias, est exstinctum. Sed hoc ah! ah! nobis restat lugendum, quia in eodem incendio cum pretiosissimo missali ornamento F inexplicabilis et irrecuperabilis copia periit librorum. *Hisce adjungit Tangmarus num.* 66, eo ipso anno, Beatum Bernwardum, sanctæ Hildeneshemensis civitatis patronum, sequenti omnium Sanctorum festivitatis die, altare summum Sanctæ Dei Genitricis, quod, proh dolor! peccatis nostris promerentibus, valida, ut dictum est, ignis inundatione confractum erat, devotissima mentis intentione, IV non. novembris in melius restauravisse et benedixisse; Deoque acceptius, hominibusque laudabilius, auri argentique ac gemmarum claritate effecisse. *Inter libros autem, qui incendio perierant, etiam fuerunt instrumenta litterarum, quibus Ecclesia Hildesiensis constituebatur : adeoque S.* Bernwardo *curæ fuit, ut nova diplomata conficerentur.*

AUCTORE J. V. H.

(1) Acta SS., tom. III Julii, p. 729. — (2) Ibid., tom. II April., p. 448. — (3) Ibid., p. 450. — (4) Scheid., Orig. Guelf., tom. IV, p. 434. — (5) Cfr Lüntzel, Die ältere Diöz. Hildesh., p. 100. — (6) Ibid., l. c. — (7) Migne, Patrol., tom. CXLI, col. 565. — (8) l. c.

AUCTORE J. V. H. *Renovat privilegia Ecclesiæ Hildesiensis.*

96 *S. Henricus illo anno Werlæ* in Quadragesima, *ait Annalista Saxo* (1), quinque hebdomadarum spatio, *habent Annales Hildesheimenses* (2), *cholica* passione laboravit; *festum vero paschale, saluti restitutus,* Paderbrunæ cum S. Meinwerco episcopo celebravit. *Quum vero anno* 1013 *pascha incideret in diem* V *aprilis, quod Paterbornæ obivit, consequitur, regem Henricum Werlæ egisse a dominica prima quadragesimæ ad hebdomadam sanctam, seu circiter a* XXII *februarii usque ad initium aprilis. Isto itaque tempore confectum fuit diploma; sed, ut censet laudatus Lüntzel* (3), *expeditum non fuit : quia sigillum eidem appositum non fuit, nec ullla ejus vestigia reperiuntur dein vacuum relinquitur spatium pro die et mense. Sic nempe exhibetur clausula* (4) : Guntherius cancellarius vice Erchambaldi archicapellani recognovi. Data.... indictum XI, anno Dominicæ incarnationis millesimo XIII, anno vero domini Heinrici secundi regnantis XI. Actum Werla feliciter. Amen. *Suspicatur laudatus scriptor, impeditam fuisse diplomatis promulgationem artibus archiepiscopi Moguntini* (5). *Verum istiusmodi suspicio nullum habet fundamentum : amicissimi semper fuerunt Erkambaldus archiepiscopus et* Bernwardus *noster : sed si in definiendis limitibus diœcesis Hildesiensis aliqua difficultas enasci potuisset, ex controversia Gandesheimensi derivanda esset : verum, vivente Erkambaldo, omnino sopita fuit quæstio, ut docet Tangmarus, num.* 70, *et demum sub Aribone, Erkambaldi successore et Godehardo, qui post* Bernwardum *Hildesiensem sedem occupavit, recruduit, sed brevi exstincta fuit.*

Concurrit S. Bernwardus *ad fundationem*

97 *Ad S.* Bernwardi *fundationes pertinet, saltem ex parte, monasterium Hildewardeshushensis, quod etiam Helmwardhusense dicitur. In eo namque cœnobio abbatissam habebat Rothegardem materteram, ait Tangmarus num.* 52, *qui dein num.* 67 *pium ejus obitum in Natali Domini refert. Erat autem Helmwardusense monasterium inter monasteria imperialia accensitum et ab Ekkihardo comite* in proprietatis suæ fundo constructum, *ut legitur in Vita S. Meinwerci, Paderbornensis episcopi, in cujus diœcesi situm erat* (6). *Itaque, ait Tangmarus num.* 52, Beatus Bernwardus, sperans Dei gratia et utrorumque principum clementia, summa pace se conversaturum, abbatiam Hildewardeshusensis ecclesiæ, sibi ab imperatore traditam et solemni ab ipso dedicatione devotissime consecratam et divino servitio excultam, pluribusque beneficiis ac donis ab eo ditatam, ubi etiam sua matertera matris regimen agebat, in præcipua festivitate illarum adire disponebat, præmisso omni apparatu, ad tantam solemnitatem confluentibus necessario. *Ex hoc textu manifeste elucet, S.* Bernwardum *ecclesiam istam solemni ritu consecrasse. Sed hic occurrit difficultas breviter enodanda.*

parthenonis Hildeswardeshusensis, in quo monialis erat sancti matertera :

98 *In Vita nempe S. Meinwerci, sæculo* XIII *conscripta dicitur num.* 18 (7) *hunc beatum antistitem nonis junii* 1011 *dedicasse monasterium* in honore sanctæ et individuæ Trinitatis, Sanctique Salvatoris et victoriosissimæ crucis, et S. Mariæ perpetuæ Virginis, sanctique Petri apostolorum principis et omnium Apostolorum et Sanctorum omnium. *Hic igitur duplicem habemus dedicationem monasterii Hildewaldeshusensis, eodem fere tempore factam. Crediderim, duplex fuisse Helnewardeshusii monasterium, virorum scilicet et mulierum. Et quidem sanctimoniales ibidem habuisse cœnobium, aperte nos docet Tangmarus mox citatus, dicens, Rothegardem materteram in monasterio* matris regimen egisse : *forsan (nam origines, deficientibus instrumentis, indagare non licuit) Rothegardis fuerit fundatrix, unde ad ejus familiam jus patronatus pertinebat; quapropter Tangmarus docet,* abbatiam *S.* Bernwardo ab imperatore traditam fuisse. *Ex altera pariter parte certum est, fuisse ibidem monasterium virorum : nam anno* 1033 *ab imperatore Conrado, instante Meinwerco episcopo, conceditur Winoni, Helmwardehusiensi abbati* jus mercatus et telonei. *Exstat carta in Annalibus Paderbornensibus, a Nicolao Schaten conscriptis* (8). *Quum igitur constet, tum S.* Bernwardum, *tum S. Meinwercum, coævos, monasteria Helmwardeshusii consecrasse, dicendum est duplex ibidem fuisse monasterium. Neque juvat dicere, biographum S. Meinwerci esse duobus sæculis juniorem; nam quam narrat dedicationem, tot circumstantiis vestita est, ut omne errandi periculum excludat.*

et Ringesteinense, cujus abbatissa fuit Sancti soror,

99 *Præter materteram habebat quoque S.* Bernwardus *sanctimonialem sororem, Judith nomine, quæ monasterii in Ringelstein abbatissa fuit, quamque certe indotatam non reliquit sanctus antistes. Regale erat monasterium, ut docet diploma Conradi II anni* 1150 *qui tamen illud episcopale fecit, tradendo Bernardo episcopo Hildesiensi ejusque successoribus* (9). *Hujus parthenonis compendiosam historiam edidit Joan. Georg. Leuckfeld; in qua legimus, Brunonem, ab anno* 1154 *ad* 1162 *Bernardi in cathedra Hildesiensi successorem, statuisse, ut eliminatis cum honesta pensione monialibus, viri Ordinis Benedictini monasterium incolerent. Causam mutationis affert Bruno episcopus in carta,* IX *kal decembris* 1154 *edita, quam nobis servavit Leuckfeldius* (10). Quia, *inquit,* fœminæ sanctimoniales eumdem (*locum Ringelheim*) tunc temporis inhabitantes, ab ordine suo partim deviæ secundum instituta sacrorum canonum et speciale decretum domini Papæ Eugenii III strictius conservari et cœnobio claustraliter includi ad normam suæ professionis abnuerunt, Ecclesia nostra communi suo, multorumque Domini fidelium consilio, easdem submovens, concessis tamen illis victualibus, monachos in eodem loco posuit, quibus et abbatem, Rodigerum nomine præfecit. *Exin Ringelheimensi monasterio, abbates præfuerunt, varia tamen fortuna : nam post exortam Lutheranam hæresim, integro sæculo abbatis titulo acatholici, præfuerunt, ut docet laudatus Leuckfeldius.*

Judith, anno 1498 *integra reperta in tumulo.*

100 *Qui dicit* (11), *nomina abbatissarum, præter Emmiholtæ et Eilikæ, nota non esse. Habemus autem sæculo* XI *abbatissam Judith, S.* Bernwardi sororem : *cujus corpus incorruptum et*

(1) Pertz, Monum. Germ., t. VI, p. 664. — (2) Migne, Patrol., t. CXLI, col. 565. — (3) Die ältere Diöz. Hildesh., pp. 9 et 349. — (4) Ibid., p. 351. — (5) Ibid., p. 9. — (6) Acta SS., tom. I Jun., p. 518 et seq. — (7) Ibid., l. c. — (8) Tom. I, p. 492. — (9) Harenberg, Hist. Gandersh., p. 325. — (10) Antiquit. Ringelheim., p. 203. — (11) Ibid., p. 198.

repertum

A *illæsum repertum fuit anno* 1497, *ut liquet ex sequenti instrumento* (1): Fr. Nicolaus, abbas in Ringelhem immeritus, vester totus, patri Joanni Hauwenschildt, viro religioso et optimo ad S. Michaelem, hæc scedula præsentetur. Jesum. Cum plurima salute, dilectissime frater Joannes. Ante dies paucos apud parvitatem meam constitutus, plenus eram mœrore, quia invaserat me inexplicabilis tristitia et nimia cordis anxietas, spiritusque pusillanimitas me vehementer perturbaverat, quod quasi mei ipsius inscius, nesciens, quo me diverterem. In hac autem extrema mentis desolatione diutius perseverans, datum est desuper permodicum consolationis, de quo peto, mi frater carissime, mihi congratulari. Nam optatum thesaurum dudum nimio zelo pio desiderando desideravi et non sum defraudatus a desiderio meo : nam quærens quæsivi et inveni statim post discessum vestrum me in plurima tristitia cordis. Ecclesiam nostram interius, clausis januis perambulante, venit mihi ad memoriam de corpusculo dilectæ sororis sancti patroni nostri Bernwardi : cupiens certi- B ficari, an ejus sanctum corpus apud nos in veritate contineretur. Altera die in capitulo in simplicitate aperui fratribus meis capitulariter desiderium cordis, et ordinatis orationibus et Missis, jussi aperire unum sepulcrum in crypta juxta scripta, quæ aliquoties legeram ad S. Michaelem in antiquo Martyrologio vestro, similiter et uno antiquo Missali. Terra effodiata, ad fundum quasi trium pedum invenerunt fratres nostri sepulcrum, multum solemne ad instar S. Bernwardi, sed non concavatum, sed planum et quadratum. Sublato denique, me præsente, lapide, cum timore et tremore vidimus quondam abbatissam, dilectam sororem sanctissimi patroni nostri Bernwardi, ita honeste jacentem, baculatam, calceatam, albis vestitam, facie nigro panno æstivo serico textam. Verum fateor, quasi hesterno die fuisset in eo locata. Supra pectus habuit unum singulare genus albi panni, auro puro textum. Nunc scio vere et certus sum, quod non solum sepulcrum ejus, sed ipsum * *add.* sororis absque dubio sanctum corpus illius sanctissimi C Bernwardi nostri patroni habemus. Quare ab hodie et deinceps ardentius me diligent omnes fratres et filii sancti Bernwardi, amore sororis ejus, cujus corpus virgineum illæsum, sanum, integrum, inconsumptum apud me habeo : quare beatum me dicent omnes Hildensemenses. Datum Ringelem, anno Christi incarnati millesimo CCCCLXXXXVII.

§ IX. Sanctus sancte obit; agitatur ejus canonizatio, quam Cœlestinus Pp. III perficit; elevatur corpus; ritus festivus in ejus honorem; variæ translationes.

S. Bernwardus, *accepta veste monastica*

Jam *per annos viginti quinque laboriosissimo præsulate functus erat S.* Bernwardus, *quando quinquennali infirmitate tentari cœpit* (2). Anno ordinationis suæ, *ait Tangmarus num.* 79, trigesimo primo, quum jam transitus sui diem, quem semper optaverat, imminere prævideret, capellam, inter sacellum sanctæ crucis et monasterium suum constructam, in honore beati Christi confessoris Martini a venerabili viro Eggehardo, Sleswicensi episcopo, dedicari fecit : ibidem pro augmento religionis ipso die habitum priorem mutans, monachicæ professionis jugum suscepit. *Capella S. Martini dedicata fuit post dedicationem ecclesiæ S. Michaelis, quam celebratam scimus die* XXIX *septembris* 1022; *quum id factum dicat biographus, quando Sanctus* transitus sui diem imminere prævidebat, *consequitur, brevi ante obitum tempore consecratam fuisse capellam S. Martini. Accensetur porro S.* Bernwardus *Ordini S. Benedicti, quia instante morte habitum monasticum induit : unde habendus est tamquam* monachus ad succurrendum, *utpote qui, ut habet Canguis h. v.,* urgente mortis periculo monachicam vestem induerit, quo monachorum orationum particeps fieret. *Libere susceptum habitum, redeunte pristina valetudine, dimittere non licere passim arbitra-* E *bantur. Res tamen undequaque certa non erat. Nam Marbodus, Rhedonensis episcopus, interrogatus ab Hildeberto Cenomanensi, an liceret uxori, quæ et viro monasticum habitum induenti consenserat et ipsa castitatem voverat, negat id juris uxori esse : verumtamen in fine epistolæ addit* (2) : Et hæc beatitudini vestræ scripsi, in eorum sententiam sine disceptatione transiturus, quibus id, quod melius est, Dominus revelabit. *Unde sententia scriptori non erat certa.*

AUCTORE J. V. H.

102 *Dies Sancti emortualis omnino certa est. Tangmarus dicit num.* 80, *Sanctum* XII *kal. decembris seu* XX *novembris obiisse; quam etiam diem indicant antiquissima Hildesiensis Ecclesiæ Kalendaria et Martyrologia, ut infra, quando de ejus cultu explicitius agemus, monstrabimus. Cæterum jam supra num.* 3 *hujus Commentarii reddidimus rationem cur sub die* XXVI *octobris Acta S.* Bernwardi *illustramus. Verum minus certus est annus Sancti emortualis. In Vita coæva S. Godehardi,* Bernwardi *nostri successoris, ad diem* IV *maji legitur S.* Bernwardus *obiisse anno Christi* MXXII, *et paucis interjectis diebus, S. Godehardus fuisse electus et consecratus* (1) *: eumdem annum assignant quoque Annales Quedlinburgenses* (2), *Hildesheimenses* (3), *Lamberti* (4). *Hisce testibus aliisque plurimis, qui afferri possent, unum opponit Mabillonius argumentum, nempe S.* Bernwardum trigesimo primo anno *sui regiminis diem obiisse suum; adeoque anno* 993 *ordinatum, non potuisse diem suum ante annum* 1023 *claudere* (5). *In alterutro itaque testimonio coævo error in numeris obrepsit; sive fefellerint qui triginta annos integros episcopatui tribuerint, sive qui anno* 1022 *mortem illigaverint. Inquirendum proinde est, utra ex parte stet error. Equidem censeo biographum S.* Bernwardi *errasse, seu potius ejus scriptum vitiatum fuisse. Trahit me in istam sententiam multitudo eorum, qui annum* 1022 *Sancto emortualem dicunt, quum nullum* *pie obit* XX *novembris, verisimilius anno* 1022 : F

(1) Kratz, Der Dom zu Hildesh., part. III, p. 114. — (2) Ibid., p. 39. — (3) D'Achery, Spicil. t. III, p. 430. — (4) Act. SS., t. I Maji, p. 508. — (5) Migne, Patrol., t. CXLI, col. 555. — (6) Ibid., col. 567. — (7) Ibid., col. 568. — (8) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, pars I, p. 201.

habeatur

AUCTORE J. V. H.

habeatur testimonium antiquorum pro anno 1023. (*Nam liber miraculorum infra edendus, assignans num.* 3 *annum* 1023 *toto sæculo recentior, utpote qui agat num.* 11 *de Conrado, S. Michaelis abbate, initio sæculi* XII *florentis. Imo eo ipso loco num.* 3, *quo dicit sanctum obiisse anno* 1023, *simul declarat, eum latuisse sub terra annis centum et septuaginta duobus : adeoque liber scriptus non fuit ante annum* 1194, *et tamquam recentius additamentum e sua editione rejecit Cl. Pertz* (6)). *Et id vel maxime me movet, quod in Lamberti Annalibus S. Godehardus dicatur ordinatus* IV non. decembris *seu die* II *decembris* (7). *Quoniam porro consecrationes episcoporum fiebant die dominica; dies* IV *non. decembris incidebat in dominicam anno* 1022, *notato litterali dominicali G.*

initium cultus accipit ab archiepiscopo

103 *In Vita S.* Bernwardi *late describitur ejus sepultura, cui proin referendæ super sedemus. Statim post mortem Sancti tumulum frequentare cœpere populi, beneficia sanationum ibidem percepturi. Non tamen statim publicum cultum in Ecclesia obtinuit : et primum anno* 1192, *seu centum septuaginta post annos Cœlestinus Pp. III sancto antistiti cœlestes honores* B *decrevit. Sed jam ab anno* 1149 *inceperat episcopali auctoritate publicus S.* Bernwardi *cultus. Nam vir cl. Joan. Mich. Kratz, litteris ad bonæ memoriæ Anton. Binterim datis, et nobiscum communicatis, dicit se invenisse in archivio Hannoverono codicem sæculi* XII, *in quo p.* 131 *sequens decretum reperitur :* H(*enricus*), Dei gratia Moguntinæ sedis provisor licet indignus, venerabili fratri B(*ernhardo*), Hildesemensi episcopo cum filiis dilectissimis, clero et populo ejusdem Ecclesiæ salutem et dilectionem. Misistis ad nos in conventu Erpesfordiæ, cum fratribus habito de causa Wormaciensis electi, literas per B. præpositum, obsecrantes pro canonizatione beatæ recordationis viri B(ernwardi) præsulis vestri, quia ut et liber memoriæ illius conscriptus et relatio fidelium attestatur, plurimis illum Dominus et viventem in hoc sæculo et post hujus excessum vitæ decoravit virtutibus. Nos igitur considerata rationabili ac justa petitione vestra, communicato eorum, qui convenerant virorum venerabilium consilio, videlicet Pa- C thelbrunensis, Halverstadiensis episcoporum, abbatum etiam plurimorum religiosorum et Ecclesiæ totius, quæ collecta fuerat, benedeximus Dominatorem Dominum, qui in diebus nostris specialiter virum talem glorificans, nos per ejus merita lætificare dignatus est. Itaque voluntati vestræ, imo Domini, ut confidimus, concurrentes pari voto decernimus, mandantes, ut pontificem tantum, quem signis evidentibus inter Sanctos glorificatum cognoscimus in cœlis cum eisdem, officio ecclesiastico per omnia, excepta dumtaxat translatione, solemniter honoretis in terris. *Sine anno et die.*

in synodo Erfordiensi circa annum 1050,

104 *Aliqua in citato decreto occurrunt, quæ explicatione indigent. Imprimis ista Synodus Erfordiensis, aut, si lubet, conventus aut colloquium, apud Synodographos, etiam Germaniæ, non recensetur. Celebratum tamen Erfordiæ fuit aliquod concilium, ut testatur Henricus Moguntinus archiepiscopus in epistola sua ad Wibaldum seu Wiboldum :* Juxta, *inquit,* petitionem legati vestri actionem quorumdam negotiorum, quæ ex præcepto domini Papæ, præsentibus suffraganeis nostris Erfordiæ tractavimus, vobis innotescere curamus (3). *Quæ vero fuerit* causa Wormatiensis, *exponit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1149 : His temporibus, *ait,* magna inter clerum et cives Wormatienses dissensio fuit exorta in multarum periculum animarum. Nam bona Ecclesiæ in direptionem fuerant exposita. *Igitur ad componendum arduum negotium conventus Erfordiensis celebratus fuit. Præterea Burchardus II, episcopatum Wormatiensem* VIII *id. decembris* 1149 *morte relinquens, successionem litigiosam fecit, si quidem per* menses non paucos *vacua fuerit : tandem successit Conradus I anno* 1050 (4), *quo crediderim, conventum Erfordiensem coaluisse, ut* causa Wormatiensis electi, *adeoque non consecrati, ventilaretur. Tandem in allato decreto animadversione dignum est, quod, quum omnia publici cultus signa exhiberi permitterentur, una excipiatur corporis translatio, quæ* E *demum post canonizationem, a Cœlestino Pp. III peractam, celebrata fuit. Idem fere habent duo alia decreta, hactenus inedita ex codice archivii Hannoveri, olim cathedralis ecclesiæ Hildesiensis desumpta, quæ hic exhibemus.*

ut docent varii diplomata;

105 *Primum hæc habet.* H(*enricus*) Dei gratia Moguntinæ sedis archiepiscopus dilectis in Christo filiis Ecclesiæ S. Michaelis in Hildensem, universo fratrum collegio salutem et paternam dilectionem. Litteras venerabilis fratris nostri, antistitis vestri, accepimus, obnixe deprecantis, ut nostræ auctoritatis concessu beatæ memoriæ Bernwardum antistitem, loci vestri fundatorem, vobis liceat commemoratione publica, officio Sancti, congruo, honorare. Idem quoque dilectus filius noster, reverendus abbas vester B, ad nostram veniens præsentiam vivæ vocis officio, intima devotione a nobis postulavit. Nos ergo, communicato consilio fratrum nostrorum episcoporum et Ecclesiæ nostræ, tam pro petitione fratris nostri Hildens. episcopi B, et venerabilis abbatis vestri B, quam pro vera dilectione, qui monasticum ordinem decorantes F bono odore conversationis vestræ et disciplinæ universam Ecclesiam, quantum fama vestra pertingere potuit, respersistis, auctoritate nostra et licentia vobis concedimus, ut antistitem beatæ memoriæ B(ernwardum), quem Deus in cœlis glorificavit, in terris mirificavit, absque translatione, omni honore et reverentia excolatis. *In transsumpto, quo utor, nomen abbatis Sammichaelensis indicatur prima littera B, quæ inter uncinos compleri potest* Borchardus. *Si accuratum est complementum, corrigendus est Catalogus abbatum S. Michaelis apud Meibomium, qui habet Borchardum, octavum abbatem, defunctum anno* 1143 (5). *Forsan in prima littera scribenda aliquis obrepserit error. Sed divinatio est.*

probata etiam ab Octaviano cardinali legato :

106 *Quia Henricus archiepiscopus cultum,* excepta translatione, *S.* Bernwardo *decreverat,*

(1) Monum. Germaniæ Hist., t. VI, p. 782. — (2) Migne, Patrol., t. CXLI, col. 568. — (3) Martene, Ampliss. Collect., tom. II, col. 294. — (4) Schannat., Hist. episc. Wormat., tom. I, p. 354 et seq. — (5) Rer. Germ. Script., tom. II, p. 519.

apud

A *apud Octavianum Cardinalem, legatum sedis apostolicæ, institit abbas, ut ad translationem procedere sibi liceret. Petitioni quidem non assensit Octavianus, sed moderatione utens, permisit, ut* altare super pontificis sepulturam ædificaretur et consecraretur. Octavianus Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis et apostolicæ sedis legatus, dilecto fratri Bernhardo, Hildensemensi episcopo, salutem. Venerabilis frater noster B. abbas monasterii S. Michaelis piæ devotionis desiderio a nobis postulavit, quatenus reverentissimum Sancti Bernwardi præsulis, sui monasterii patroni, corpus transferretur et auctorizaretur, et in Sanctorum Catalogo ipsius memoria haberetur. Super quo ad præsens sibi plenarie respondere nequivimus. Interim autem secundum ipsius petitionem ad honorem Dei et beati Confessoris Christi altare super ejusdem pontificis sepulturam ædificari et consecrari concedimus. *Octavianus Cardinalis diaconus S. Nicolai in Carcere creatus, anno demum* 1150 *presbyter tituli S. Cæciliæ evasit. Hinc sequitur, hoc decretum, in quo* presbyter
B *dicitur, ante hunc annum editum non fuisse* (1) *et Octavianum jam sibi illicitum censuisse, majores honores alicui sanctitate insigni conferre. Paucis dein post annis Alexander Pp. III sedi apostolicæ canonizationes Sanctorum reservavit.*

tandem a Cœlestino Pp. III per bullam

107 *Tandem quod Cardinalis legatus concedere non potuit, obtinuerunt Hildesienses a Cœlestino Pp. III. Infra dabimus Historiam istiusmodi canonizationis et translationis corporis S.* Bernwardi, *a coævo conscripta. Suffecerit hic referre ipsam bullam pontificiam, qua liquebit, Cœlestinum Papam concessisse Hildesiensibus quæ frustra a legato obtinere nitebantur. En bulla* (2) : Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Hildeneshemensi episcopo et dilectis filiis clero ejusdem civitatis, universis etiam fidelibus, per suam diœcesim constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Quum universorum conditor et creator mirabilis et gloriosus in Sanctis suis frequenter appareat, et dignetur per eos ejus opera suis fidelibus revelare, dignum
C duximus et Omnipotenti pariter honorificum, quæ in celebris memoriæ Bernwardo, quondam Hildeneshemensi episcopo, per suam voluit gratiam demonstrare, suscipere humiliter et audire, ac præterea eum in Sanctorum collegio numerare. Inde est, quod de meritis ipsius ac vita laudabili ac miraculis multiplicibus per dilectum filium nostrum Cencium, tituli S. Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, et venerabilem fratrem nostrum Moguntinum archiepiscopum Conradum et alios episcopos, ac dilectum filium Thidericum abbatem Ecclesiæ S. Michaelis in Hildenesheim, et honestas personas ac religiosas ejus provinciæ certiores effecti, et famam illius celebrem et commendandam memoriæ plenius cognoscentes, fratrum nostrorum deliberatione habita diligenti, prædictum reverendissimum virum in Sanctorum Catalogo duximus numerandum, et venerandum corpus ejus de terræ gremio erigendum, et inter Sanctorum Reliquias collocandum; ut ibi a Christi fidelibus assidua devotione officium debitæ venerationis accipiat, et ipsi per intercessionem ejus felicem et Domino complacentem suorum delictorum veniam consequantur. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus quod de Sancto ipso a nobis tam celebriter institutum est, vos publicantes, eumdem Sanctum debitis obsequiis amodo prævenire curetis, ut vestras votivas preces, quas omnium Creatori porrexeritis, per intercessionem ejus placabilem dignetur per suam misericordiam exaudire. Data Romæ apud S. Petrum VI idus januarii, pontificatus nostri anno secundo.

AUCTORE J. V. H.

datam VIII *januarii* 1192 *solemniter canonizatur :*

108 *Cœlestinus III in pontificatu vixit a* XXX *martii* 1191 *ad* VIII *januarii* 1198 : *adeoque* VI *idus januarii anni secundi concurrit cum* VIII *januarii anni vulgaris* 1192. *Verumtamen ipsa solemnitas canonizationis aliquot diebus bullæ citatæ præcesserat. Nam in laudata Historia Canonizationis num.* 15 *dicitur,* beatus Confessor in Sabbatho ante natale Domini solemniter canonizatus. *Pertinet igitur celebritas ad annum Christi* 1191, *notatum littera dominicali F, quo Sabbathum ante festa natalitia incidebat in diem* XXI *decembris, festum S. Thomæ Apostoli. Errant igitur tum Baronius tum ejus annotator Pagius, dum canonizationem S.* Bernwardi *sub anno Christi* 1194 *referunt, quos bene multi recentiores secuti sunt. Qui tunc Ecclesiam Hildesiensem regebat, erat Berno,* vir, *ait Chronicum Hildesiense* (3), prudens et providus et literali scientia præditus, *qui dein, ut habet Historia Canonizationis, num.* 17, *anno* 1094 *elevationem sacri corporis magna celebritate et coram frequentissimo populo, undique confluente, mense augusto peregit. Thidericus autem seu Theodoricus, hujus nominis Secundus, rexit monasterium S. Michaelis annis* XXIV, *quod resignavit anno Christi* 1204 (4).

E

et anno 1194 *elevatur sacrum corpus :*

109 Litteris, *ait auctor Historiæ Canonizationis num.* 17, testimonialibus de his (*nempe de canonizatione S.* Bernwardi) impetratis, aliisque suis negotiis expeditis, licentia et benedictione a summo Pontifice accepta, memoratus abbas (*Theodoricus*) ad propriæ habitationis locum redire maturabat. *Quia tamen provinciæ Saxonicæ necdum sopita esset*
F *turbatio, censuit Berno episcopus in annum sequentem* 1194 *suspendendam esse solemnitatem translationis, quæ demum isto anno die* XV *augusti peracta fuit. Erat autem corpus sancti antistitis inclusum sarcophago lapideo,* satis admodum idonee sculpto. *Exstat etiamnum hodie sarcophagus in crypta ecclesiæ S. Michaelis. Lapidi superiori, cujus imaginem videre est, in libro cl. doctoris Kratz, inscripta erant verba prophetæ Job.* XIX, 25 : Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Longitudo sarcophagi est* 7 *pedum et* 2 3/4 *digitorum : latitudo digitorum* 24 1/4 : *profonditas seu altitudo tandem* 12 1/2 *digitorum. Ad caput*

(1) Ciaccon., Vitæ Rom. Pontt. et Cardd., tom. I, col. 996. — (2) Mabillon, Act. SS. Ord. S. Ben., Sæc. IV, part. I, p. 251, — (3) Leibnitz, Rer. Brunsw., tom. I, p. 749. — (4) Meibom., tom. III, p. 519.

AUCTORE J. V. H.

sarcophagi in margine superiori insculpta erant verba : BERNWARDUS EPS SERVVUS SERVORUM XPI. *Ad idem caput exterius videbatur Agnus cum nimbo crucifero et cruce triumphali, ad pedes vero simplex signum crucis. In ipsa crypta scaturit fons aquæ limpidæ, quæ vulgo* fons S. Bernwardi, Aqua S. Bernwardi *appellatur, et infirmis dicitur salutaris* (1).

ac deinceps solemni ritu sancti festivitas celebrata fuit,

110 *Celebrata autem elevatione corporis* S. Bernwardi, *Ecclesia Hildesiensis cœpit ritu solemni ejus festum peragere. Luculentum cultus testimonium exstat in codice sæculi* XII *aut* XIII, *olim bibliothecæ cathedralis Hildesiensis, nunc Guelferbytanæ : in eo enim legitur ad* XX *novembris, fol.* 118ª : Berenwardi episcopi et confessoris natalicio : *et in fol.* 174ª : Festum depositionis Beati Bernwardi, quod in crastino Beatæ Elisabeth mense novembris occurrit, sub Officio seu Ordine duplici, cum historia ejus speciali peragetur : et psalmi « Laudate » per omnia ad Vesperas primas solemniter legentur; et in suffragio de S. Elisabeth ante « Exultet » cum collecta « Tuorum corda » dicetur. Et quum præfatum S. Bernwardi festum die dominico evenerit, circuitus circa curiam episcopalem fiet, et extunc ante descensum ad monasterium, « Asperges me » more solito dicetur : ac deinde in processione, quæ per medium monasterii transibit, duo Responsoria, videlicet « Justum deduxit Dominus » et « Sint lumbi vestri » cum versibus suis et in claustro hymnus « Votis supplicibus » ; nec non in statione in monasterio de præfata historia Responsorium « Hierarchiæ Angelorum » : et in ascensu « Alma Redemptoris » : ad Missam autem « Alleluia. Hic præsul » cum Sequentia, « O beata beatorum Angelorum » laudabiliter decantentur. In prædicto festo de duobus mansis in Wakenstede duas libras et VIII solidas monetæ Hildensemensis more et modo servitii magni inter dominos canonicos Ecclesiæ nostræ et alios, qui in magno servitio partem non habent : scholaribus duos solidos pro symellis emendis; quatuor solidos camerariis et campanariis pro pulsu majorum campanarum : duos solidos subcustodi pro candelis in corona et in choro incendendis : sex denarios
B
C campanariis pro labore eorum ; duos solidos ad vinum refectorii summus præpositus Ecclesiæ nostræ ministrabit. Et quia idem præpositus etiam antea censum annuum a litonibus, qui dictos mansos jure litonico a præposito habuerunt, de eisdem mansis percipere consuevit, ipse in compensam illius census percipiet censum de tribus hortis in Nova Civitate, propter hoc redemptis. Quorum unus juxta ipsius præpositi allodium; et alii duo juxta quondam domini Guntheri de Bertenflue allodium sunt siti. Et etiam post institutionem dicti festi pro ministratione prædictorum fuerunt duo alii mansi assignati; eo modo quod ipsi duo mansi post mortem Rikelen, relictæ Henrici Osterrode, qui Henricus ipsos in feodum habuit, non infeodabuntur, sed ad præpositum perpetuo pertinebunt. Quorum mansorum unus in campis Betmer, et alius in Campis Eynem siti sunt, ut etiam de præ-

dictis perfectius patet in literis capituli super his confectis.
D

instituta ad hoc dote

111 *Idem decretum, fere ad verbum, si proœmium excipias, renovatum fuit anno* 1339 *in capite jejunii. Cæterum præsto non habemus cantica, Antiphonas et Hymnas, quæ in festo* S. Bernwardi *decantabantur.* Litones *porro erant* homines glebæ *adscripti, unde* jus litonicum, *quod nuspiam definitum inveni et de quo agitur in utroque decreto, crediderim esse complexum earum legum, quæ relationem inter dominos terræ et glebæ adscriptios ordinant. Dicitur autem in secundo decreto, quum duo mansi* per mortem *possessoris* sine heredibus vacaverint, *licere præposito cathedralis ecclesiæ Hildesiensis* cuique litoni Officii Lusbeke, *in quo mansi siti erant,* sub censu solito vendere. *Ast sæculo* XII, *quo primum decretum latum fuit, longe duriorem fuisse litonum conditionem, manifestat auctor Vitæ S. Meinwerci,* S. Bernwardi *coævi, ad diem* V *junii* (2) : Duram, *inquit,* antiquæ servitutis litorum justitiam, per novam paternæ pietatis relevavit gratiam; constituens a villicis adminiculari eis in cibi potusque necessariis, quod antea
E
non fiebat tempore messis. *Plus cibi potusque administrare operariis in messe, non videtur magna correctio severitatis : verum ex ipsa mitigatione intelligimus, quam dura adhuc sæc.* XI *esset litonum seu litorum conditio, quæ tamen paulatim mansuevit. Sic sæc.* XIV, *quando secundum decretum confectum fuit, jam licebat litoni, quem vellet mansum seu fundum litonicum* sub censu solito *sibi emere.*

et obtentis Roma indultis :

112 *Lapsu temporis refrigueratpartim in populo memoria et cultus* S. Bernwardi : *et ecclesiæ, ubi ejus festivitas agebatur, desertæ plerumque erant. Qua propter anno* 1763, *die* XII *februarii capitulum cathedrale in deliberationem adduxit, qua ratione laici concurrere possent ad solemnitatem* SS. Bernwardi *et Godehardi, patronorum secundariorum* (*nam primaria patrona cathedralis et diœcesis est B. V. Maria*) : *statutum vero fuit, ut a sede apostolica obtineretur facultas celebrandi utriusque Sancti festum die dominica. Piis precibus annuit sedes apostolica decreto Sacræ Congregationis Rituum, quod hic exhibemus* (3) : Quum reverendissimus episcopus Hildesiensis (*is erat Fridericus Guillielmus de Furstenberg, qui sedem ab anno* 1763 *ad* 1789 *occupavit*) humillime sacrorum Rituum Congregationi supplicaverit, ut ritus Duplex majus, quo ab immemorabili coluntur SS. episcopi Godehardus et Bernwardus, patroni minus principales Ecclesiæ Hildesiensis, elevaretur ad Duplex secundæ classis cum octava, et eorum dies festi transferrentur, videlicet S. Godehardi a die quarta maji ad dominicam quintam post Pascha, S. Bernwardi vero a die vigesima sexta octobris ad dominicam tertiam novembris : Sacra eadem Congregatio, ad relationem Emi et Revmi domini cardinalis Alexandri Albani ponentis, ritum SS. Godehardi et Bernwardi elevandum esse a Duplici majori ad Duplicem secundæ classis sine octava, eorumque dies festos transferendos esse arbitrio Ordinarii, benigne concessit. Romæ die XXI januarii 1766. Joseph Maria
F

(1) Kratz, Der Dom zu Hildesh. part. III p. 40. — (2) Acta part. II, p, 139. SS., tom. I Jun. p. 535. — (3) Kratz, Der Dom. zu Hildesh.

Card.

A Card. Feroni præfectus, S. archiep. Theodosiæ S. R. C. secretarius. *Proinde canonici actu capitulari diei* IX *martii* 1767 *ratam habuerunt assignationem factam ab episcopo, nempe ut celebraretur festum S. Godehardi die dominica quinta post Pascha, et S.* Bernwardi *die dominica tertia novembris, simulque petierunt, ut episcopus hisce duabus festivitatibus Missam pontificali ritu cantare dignaretur. Et hæc utriusque solemnitatis conditio hactenus permansit.*

Sancti exuviæ annis

113 *Atque hæc quidem circa solemnem ritum, quotannis fieri solitum, dicta sunto : quæ fere omnia habemus benevolentia Cl. virorum Joan. Kratz et J. Koch, seminarii præsidis. Statim vero post peractam sacri corporis elevationem, S.* Bernwardi *Reliquiæ honore summo haberi cœperunt. Corpus sancti antistitis, in monasterio S. Michaelis primitus tumulatum, istic permansit usque ad initium hujus sæculi* XIX. *Sæculo* XIV *in finem vergente, Albertus Gripetan, abbas* XXIV *Sammichaelensis ab anno* 1396 *ad* 1430 (1), *jussit fieri sarcophagum S. Bernwardi* a domicellis de Gallen aurifabris, *quod deauratum fuit* pro magna pecunia. *Extractæ exuviæ e veteri monumento, in novam depositæ fuerunt : deinceps ipsa die depositionis,* XX *novembris quotannis, Reliquiæ Sancti viri per vasallos monasterii solemni supplicatione per urbem Hildesiensem circumlatæ fuerunt. Anno* 1542 *magna pars populi Hildesiensis una cum magistratu urbano errores Lutheri secuta est : unde ad spoliationem ecclesiarum et monasteriorum devenerunt : die* XVI *augusti* 1546, *humi projectis ossibus S.* Bernwardi, *argenti et auri marcæ* LXXVII, *quibus capsa ornabatur, in domum civicam delatæ fuerunt, sustinendo bello Smalcaldico servituræ. Monachi Sammichaelenses dispersa ossa pie nocturno tempore collegerunt et in Oratorio interiori absconderunt, donec, pace restituta, Jacobus Dedeken,* XLII *abbas eadem in thecam ligneam, argento et lapillis pretiosis decoratam,* XX *novembris* 1698 *reposuit* (2).

1398 et 1750 in novas capsas translatæ fuerunt ;

114 *Ast tertius a Jacobo abbate Ludovicus Hatteisen, ejusdem monasterii antistes, circa annum* 1748 *agitare cœpit consilium magnificentioris feretri pro patrono suo S.* Bernwardo : C *quod tandem anno* 1750 *executioni mandatum fuit ab aurifice Augustano Gulielmi Rauner. Pondus capsæ est* 244 *marcarum seu* 122 *pondo argenti puri. In ea jacens exhibetur S.* Bernwardus, *pontificali ritu vestitus, cujus mitra et vestium limbi multis lapidibus pretiosis decorantur. Circumstant sex argenteæ statuæ, altitudini, unius pedis cum dimidio, nempe SS. Michaelis , Gabrielis , Raphaelis , Benedicti , Scolasticæ et Bennonis. In ipso sepulcro inventum fuit sequens instrumentum :* Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, gloriosi in sanctis suis : in honorem sancti Bernwardi, XIII episcopi Hildesiensis, monasterii ad sanctum Michaelem fundatoris munificentissimi ac tutelaris primarii : ut sacræ Reliquiæ, hactenus in cista lignea a Jacobo abbate XLII argento obducta decenter asservatæ, pro dignitate honorificentius requiescant, tumbam hanc ex toto argenteam scil. CCXLIV marcarum, devotionis et gratitudinis ergo, Augustæ Vindel. magno studio fieri fecit reverendissimus, perillustris ac amplissimus dominus D. Ludovicus Hatteisen, hujus monasterii abbas XLIV dignissimus. Prætactæ autem Reliquiæ, prævie benedicto solemniter sarcophago, in præsentia R. P. prioris et totius venerabilis conventus magna cum devotione, fer. III Pentecostes, quæ erat I junii anni millesimi septingesimi quinquagesimi primi (1751) repositæ : et pro majori certitudine panno serico albo involutæ et duplici sigillo, scilicet revmi D. abbatis et conventus obsignatæ sunt. *Feretrum istud cum aliis sanctorum Reliquiis in processione Corporis Christi circumlatum fuit usque ad annum* 1803, *quo, suppresso monasterio S. Michaelis, S.* Bernwardi *corpus, una cum cruce aurea et candelabris, de quibus egimus supra numm.* 54 *et* 56 *ad parthenonem S. Mariæ Magdalenæ, in parochiam erectum, translatum fuit* (3).

AUCTORE J. V. H.

caput autem et brachium in cathedrali asservantur.

115 *Quando anno* 1194, *ut habet Historia Canonizationis num.* 19, *elevatum fuit corpus S.* Bernwardi, *dicitur,* ad ecclesiam principalem deportatum *ibique* Missarum solemniis pro præsentia tanti patris celebratis, incredibili sexus utriusque stipatum caterva, denuo ad monasterium fuisse relatum. *Verumtamen partem corporis, scilicet caput et brachium dexterum retinuerunt sibi canonici ecclesiæ cathedralis, ut refert Chronicum Slavorum* (4) : Peractis igitur Dei laudibus, cum gloria caput et brachium dextrum in scriniis ejusdem ecclesiæ est repositum ; et caput quidem exquisitissimo opere gemmis pretiosis et auro fulvo adornatum : corpus vero reliquum ad ecclesiam S. Michaelis Archangeli fuit relatum. *Caput igitur S.* Bernwardi, *rubro serico involutum, hermæ argenteo et spisso auro obducto, inter cimelia ecclesiæ cathedralis Hildesiensis etiamnum asservatur. Olim corona aurea redimiebatur; sed sæculo* XVII *mitra deaurata imposita fuit : et anno* 1780 *hermam, temporis lapsu resolutum novo opere reparare jussit capitulum* (5). *Quotannis vero in festo sancti antistitis ipse, qui celebrat, pontifex in processione hermam venerandum portat. Suus quoque honor est brachio dextro, in cathedrali, ut diximus, asservato. Nam in principio brachio ligneo, argento obducto, inclusum fuit : ast anno* 1717 F *Ferdinandus a Lippia, canonicus Hildesiensis, ad similitudinem prioris brachii confici curavit novum ex argento deaurato, in quo episcopus suffraganeus Revmus de Weichs reposuit sacras S.* Bernwardi *Reliquias* (6). *Tandem hoc sæculo* XIX *nulla facta fuit aut translatio aut visitatio sacri corporis. Suppresso, ut jam diximus, S. Michaelis monasterio, sacra supellex una cum corpore S.* Bernwardi *ad parochialem S. M. Magdalenæ transiit. Ultimus abbas Sammichaelensis, Gulielmus Röun testamento suo, die* XVIII *decembris* 1820 *confecto, legavit ecclesiæ S. Magdalenæ capitalem summam scutorum Borussicorum mille, pro cujus canone annuo parochus feriis quartis singularum anni hebdomadum cantare debet unum, privatim celebrare alterum sacrum : cui hactenus frequentes adsunt cives Hildesienses.*

(1) Meibom, Scriptt., t. III, p. 522. — (2) Kratz, Der Dom zu Hildesh., part. II, p. 155 et part. III, p. 46 et seqq. — (3) Ibid , p. 47 et seqq. — (4) Leibditz, Rer. Brunsw., tom, II, p. 702. — (5) Kratz, Der Dom zu Hildesh., part. II, p. 154. — (6) Ibid.,p. 157.

VITA

AUCTORE TANGMARO.

VITA

S. BERNWARDI,

EPISCOPI HILDESHEIMENSIS,

a *Auctore Tangmaro, presb. æquale* a, *ex Mabillonii Actis SS. Ord. Bened., sæc.* IV, *part.* I, *collata cum editione Pertziana, tom.* VI *Monum. historica Germaniæ.*

CAPUT I.

Sancti natales; discipulatus in schola Hildesiensis; presbyteratus; magisterium apud Ottonem III; episcopatus.

Prologus. B Divinæ providentiæ sapientem admirabilemque dispositionem ratio humana, nec liquide intueri, nec digne suppetit admirari. Miris enim divinæ clementiæ beneficiis, quotidianis successibus sustentamur; ut gravis culpa videatur esse, Dei laudes tacere, cum manifestissime scriptum sit : « Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est *. » His itaque angelicis oraculis persuasus, immo compulsus, ego peccator et indignus presbyter Tangmarus, humillimus quoque sanctæ nostræ ecclesiæ bibliothecarius et notarius, magnifica gesta memorabilis viri, domini scilicet Bernwardi nostri episcopi, colligere aggressus sum, non vanitatis fastu provocatus, Deo teste, sed si quid imitabile Dei clementia in illis eluceret, divinæ pietatis gratiam, de cujus rore fluxit, posteris prædicarem, et illos tali exemplo ad profectum virtutum incitarem. Et quia hoc, ipso ignorante, subire temerarium scivi, diu cunctatus, hæc publice cum illo confabulari, tandem oportunitate nacta, aditum tentavi. C Primo itaque forti auctoritate adversabatur mihi; nam in cunctis jactantiam et popularem favorem, ceu mortiferum venenum vitabat. Tandem cum sæpius ingererem esse grave peccatum, bona opera celare, ne alii tali exemplo proficiant, cum Dominus dicat : « Luceat lux vestra coram hominibus etc. * », cessit meo arbitratu, quæ compingerem relinquens, quia a puero mecum usque ad juvenilem ætatem conversatus, quasi filius patri familiarius adhæsit, et convixit, nec aliquid in omni studio ejus vitæ meam conscientiam fraudare potuit, quin plenissime scirem.

* Tob. XII, 7.

* Matth. V, 16.

VITA INCIPIT.

Bernwardus *genere Saxo* 1 Ortus est igitur egregiæ indolis puer Bernwardus claro nostræ gentis sanguine, ex filia Athelberonis palatini comitis *b* et traditur domino Osdago *c* nostro episcopo a suo avunculo religioso diacono Folcmaro, post quoque Trajectensi episcopo, et amborum diligentia, meæ parvitati, qui primicerius scholæ puerorum præeram, litteris imbuendus, moribus etiam instruendus deputatur. Quem, omni devotione susceptum, intellectus illius capacitatem primo divinæ paginæ leviore lacte tentandam existimavi. Mox itaque, ut de sancto Daniele legitur : « Inveni in illo decuplum in omni intelligentia super coævos ejus * ». Mirum nempe in modum tenera ætas cælesti irradiata lumine, subtili meditatione interiora divini sophismatis jugi studio rimabatur. Nunc communi studio cum aliis, nunc quos diligentiores in sancto meditamine cernebat, seorsim familiarius assumens, propositis quæstionibus scrupulosa quæque ad medullam eventilabat, more prudentissimæ apis singulas lectiones, quas in scholis, in diversis libris exponebam, remotiori loco sedens, intento auditu captabat : quæ tamen postea pueris considens felici furto perfecte docebat, et illorum scientiæ imprimebat. Gratani denique affectu amplectebar felici furto lectionis puerum insudare, multoque vigilantius institi ingenium illius ad scientiam veri sophismatis excitare.

* Dan. I, 20.

D'

E

ab Osdago in exorcistam ordinatur;

2 Nihilo minus ergo venerabilis dominus Osdagus, quodam meriti præsagio, magnum quid futurum in illo prævidens, exorcistam ordinavit, diligentius me adhortatus, item itemque curam illius agere, quem etiam mecum interdum in servitium domini episcopi extra monasterium *d* excedens, ducebam; ut illius ingenium, quod in multitudine epheborum discernere, et ad votum meum discutere non potui, illis remotis singulari studio subtilius diligentiusque eventilarem, mirumque in modum vario virtutum pigmentario, ultra id ætatis respersum reperirem. Nam sæpe totum diem inter * equitatum studendo attrivimus; nunc legendo non minus prolixam lectionem, quam si in scholis ad hanc vacaremus : nunc poetizando per viam metro collusimus; inde ad prosaicam palæstram alternantes exercitium; interdum simplici contextu rationem contulimus, sæpe syllogisticis cavillationibus desudavimus. Ipse quoque me crebro, etsi verecunde, acutis tamen et ex intimo aditu philosophiæ prolatis quæstionibus sollicitabat. Tanta ergo facilitate cupitum ejus ingenium mihi applaudebat : pæne enim nulla F hora, nec refectionis quidem, desidiæ illum arguebat.

d

* *F.* equitandum

et artes mechanicas callet.

3 Et quamquam vivacissimo igne animi, in omni liberali scientia deflagraret, nihilominus tamen in levioribus artibus, quas mechanicas vocant, studium impertivit. In scribendo vero apprime enituit, picturam etiam limate exercuit. Fabrili quoque scientia, et arte clusoria, omnique structura mirifice excelluit, ut in plerisque ædificiis, quæ pompatico decore composuit post quoque claruit *e*. In negotiis vero domesticis, et ad usum familiaris rei pertinentibus vivacissimus exsecutor, ac si a puero in eis innutritus calluit. Hujusmodi Deo gratæ et hominibus acceptæ indolis gratia, domino episcopo apud quem versabatur, omnique congregatione dignus et familiaris efficiebatur, propinquorumquc dilectioni probatissimus habebatur. Avus quippe ejus Athelbero palatinus comes, vir plurima virtutum laude insignis, qui commissæ præfecturæ exactionem magis ex debito, quam ex intentione

e

AUCTORE TANGMARO.

A tentione gerebat, cum prole utriusque sexus felicissime abundaret, hunc præclarum adolescentem primis auspiciis pubescentis decoris florentem, in affectum filii adoptavit. In quo, quia salutaris consilii stationem saluberrimam reperit, familiarius sibi adjunxit, ut ne minimum quid, sine hujus consultu ageret.

Ordines suscipit et avo suo adhæret. *f*

4 Adeptus ergo a Willegiso *f* venerabili archiepiscopo subdiaconatus gradum, aliquamdiu cum illo conversatus est, et cum propter morum honestatem ac vitæ probitatem, religionis profectum in illo sentiret, diaconum illum ordinavit, interjectoque non longo spatio, presbyterii eum honore sublimavit. Reversusque ad præfatum Comitem, suum videlicet avum, affectuosissime ab illo est susceptus, plurimumque rogatus ne ab eo discederet, facile acquievit. Cui tanta humilitate ac instantia famulabatur, ut ceteris refrigerandi causa interdum remotis, ipse dies noctesque continuans, indefessus ei adhæreret, ægri senis et ævo pleni imbecillitatem patientissime moresque supportaret; inter ipsum et familiam medius
B incederet, salutaribus monitis quotidie illos ad agenda informans, curam illorum apud Comitem, vigilanti benignitate frequentans. Pro paterno quoque affectu ad filios totum se profudit, magnamque gratiam inter illos conciliabat. Et quamvis in hujusmodi familiaritate invidia facile subrepat, hanc maxima cautela in plerisque declinabat. Inter patrem quoque et filium, dominum videlicet episcopum Folcmarum, internuntius sæpe discurrebat, magnamque inter illos familiaritatis gratiam conciliabat. Ipsi quoque episcopo tantum com-
g placuit, ut Daventriensi cœnobio *g*, sua vice, illum præponere vellet, fitque inter episcopum et comitem de tantæ indolis juvene religiosa concertatio, ut uterque pro morum gratia illum sibi adoptare intenderet. Sed ipse imbecillis avi infirmitatem sustentare, quam episcopales delicias appetere, malebat. Cum quo, usque ad diem sui exitus, fideli devotione desudabat.

Ipsi Ottonis III educatio commendatur: *h*

5 Quo defuncto, ad palatium se contulit, in servitium videlicet tertii Ottonis Imperatoris *h*,
C qui septennis adhuc puer, cum venerabili et sapientissima matre domina Theuphana
i Augusta *i* rebus præerat; a qua hic venerabilis juvenis benignissime suscipitur, atque in brevi summæ familiaritatis locum apud illam obtinuit; adeo ut dominum regem, fidei illius litteris imbuendum, moribusque instituendum, consensu cunctorum procerum, commendaret: in quo ita excelluit, licet quorumdam invidia morderetur, ut puer imperialis in discendo mirifice proficeret, et tamen ad cuncta foris obeunda liberalissimo negotio ejus ingenium feriaret. Et cum alii regi puero adulando obsequerentur, adeo, ut ludicra, et quæ tenera ætas poscebat, illi persuaderent, imperatrix etiam verita affectum filii sibi præripi, in ejusmodi favore in tantum emollita esset, ut ad omnia, quæ puerilis ætas illum impelleret, ipsa gratissimo affectu consentiret: hic solus tanta arte institit, ut a non faciendis metu illum prohiberet, et tamen plenissimo affectu ejus animum sibi colligaret. Interea domina Theophana imperatrix apud Neomagum maximo dolore totius regni rebus excessit, unde dominus rex utroque parente desertus, totum se regendum in * stationem fidissimi magistri contulit. Hujus consilio examinabat quodcumque alii adulando persuadebant: quia, quamvis in puerilibus auspiciis otiaretur, altiori tamen industria quorumdam simulationes prævidebat. Præcipua itaque familiaritate magistrum suum amplectebatur, nec ab ullo inferius tractari patiebatur, quem universali virtutum decore respersum venerabatur.

f. tuitonem

Gerdago, episc. Hildesheim. succedit. *k*

6 Per idem tempus venerabili domino Gerdago decedente *k*, hic religiosus juvenis Bernwardus votis omnium ad pontificatum eligitur: et, cum plerique nobiles clerici palatina militia diu certantes missionem optarent, consensus tamen omnium in hunc Deo electum juvenem concordabat. Communi igitur electione sanctæ Hildensemensi ecclesiæ ordinatur episcopus a Willegiso archiepiscopo XVIII Kalendas Februarii *l* anno Incarnationis *l*
Dominicæ nongentesimo nonagesimo tertio, indictione sexta. Adeptus itaque pontificatum, quanta continentia juvenile corpus ad virtutum culmen coegerit dici non potest, modum in cunctis præcipue amplectens, juxta illud viri E
sapientis: « Ne quid nimis ». Morum quoque gravitate mirifice senes ipsos superabat; adeo ut subditos severitatis censura ad agenda in plerisque institueret. Frugalitatem vero in appetendis ciborum deliciis in eo laudare vix ullus sufficit. Tempore vero nocturnæ quietis stratis compositus, lectioni interdum circa galli cantum intendebat; sæpe somnum interrumpens, furtive orationi, donec clerici ad matutinos hymnos consurgerent, vacabat; hymnis expletis, multoties psalmodiam in diurnum usque crepusculum extendebat.

Regularis vita.

7 Deinde aliquantulum pausans, corpusculum recreabat, donec item diluculo canonicum cursum primæ horæ persolvebat, quo expleto, quasi regulariter sub disciplina constitutus, Capitulum cum fratribus, qui secum conversabantur, adiit; feriam quoque et lunationem, nomina etiam fratrum, quorum annualis memoria instabat, quotidie recitari jubebat. Oratione vero peracta, circa tertiam horam ad Missarum solemnia festiva celebratione procedens, magna animi contritione, se
F ipsum Domino profudit. Inde in publicum progressus, forenses causas et oppressorum negotia breviter examinabat: quia ingenio, ac facundia apprime callebat; sicque operiebatur clericum dispensatorem, qui eleemosynæ et pauperibus præerat, quorum multitudinem, centenos videlicet et eo amplius, dietim abundantissime refecit, plerosque etiam vel argento, vel ceteris subsidiis, prout facultas concessit, sublevabat. Inde officinas, ubi diversi usus metalla fiebant, circumiens singulorum opera librabat, donec circa Nonam, omnibus rite peractis, cum timore et benedictione Domini ad mensam, fratrum populique stipatus frequentia, consedit non pompatice quidem, sed religioso silentio cunctis ad lectionem honestissima disciplina intentis, quæ inter cœnandum non brevis legebatur. Infirmis quidem fratribus, et senio confectis benedictionem *m* de manu sua *m*
hilariter dirigebat, cum tamen nullum egenum in urbe vel suburbio, quem scire posset, hujusmodi pietate privaret. Ita quippe, juxta Apostolum,

AUCTORE TANGMARO.

Apostolum, « Omnia omnibus esse desiderabat, ut omnes in Christo lucrifaceret * ».

* I Cor. 9.

ANNOTATA.

a *De Tangmaro, magistro et biographo* S. Bernwardi *egimus Commentarii prævii num.* 4 *unum addemus, eum sancto suo discipulo superstitem vixisse, si quidem referat, num.* 71 *Aribonem, anno* 1021 *archiepiscopum Moguntinum, controversiam circa monasterium Gandersheimense redintegrare voluisse : sed* S. Bernwardi *responsione fractus*, super hac re nec mutire quidem ausum fuisse in vita venerabilis Bernwardi episcopi. *Audaciam resumpsit Aribo sub S. Godehardo.*

b *De palatinatu Adalberonis, avi* S. Bernwardi *egimus in Commentarii prævii, numm.* 17 *et seq.*

c *Error certe est in nomine Osdagi episcopi, qui sedem Hildesiensem ab anno* 985 *ad* 989 *occupavit. Nam S. Bernwardus, qui anno* 993 *episcopus consecratus est, intervallum annorum vix octo inter pueritiam litteris addiscendis impendendam et præsulatum posuisset. Eruditi omnes errorem agnoscunt : alii enim putant Osdago,* nondum *episcopo traditum fuisse educandum a Folckmaro,* jam *Trajectensium antistite* (1). *Sed quid causæ, ut Osdago, hactenus privato traderetur, præsertim quum adesset* primicerius scholæ puerorum, *Tangmarus? Dein Folckmarus Trajectensem sedem tenuit ab anno* 977 *per duodennium usque ad annum* 989 (2) *: sed anno* 977, Bernwardus, *quem circa annum* 960 *natum monstramus Commentarii prævii num.* 21, *jam annos omnino viginti septem factus fuisset; adeoque ab avunculo Folckmaro puer litteris informandus Tangmaro tradi non potuisset. Quapropter pro* Osdago Oswinum *legendum censeo : hic enim Hildesiensis episcopus fuit ab anno* 954 *ad* 984; *et, ut sæpe fit apud antiquos, nomina personarum prima litera indicantur, quæ divinatione quasi librariorum spuria sunt.*

d Monasterium *hic sumitur pro ipso capitulo canonicorum seu loco, habitationi canonicorum assignato, in quo erant scholæ puerorum.*

e *De artibus liberalibus, a* S. Bernwardo *exercitis, egimus Commentarii prævii num.* 31 *et seqq.*

f *De Willigiso, archiepiscopo Moguntino, sæpius sermo recurret, præsertim in quæstione Gandersheimensi. Willigisus ab anno* 975 *ad* 1011 *pontificatum gessit* (3). *Ejus nomen inter fastos sacros non retulerunt nostri ad diem* XVIII *aprilis; dicunt tamen ejus casulam inter sacras Reliquias Moguntiæ in veneratione haberi* (4). *Sunt etiam, qui Sancti aut Beati titulum ejus nomini præfigunt.*

g *De Daventriensi cœnobio seu capitulo egimus Commentarii prævii num.* 30.

h *Otto III, Ottonis II filius, successit septennis patri suo, et ab anno* 983 *ad* 1002. *Sunt chronologi, qui Ottonem III, utpote anno* 980 *natum, triennem solum habent, quando ad regnum accessit. Obiit autem secundum Annales Quedlinburgenses* (5) IX *kal. februarii.*

i *Theophana seu Theophanu filia fuit Romani II seu Junioris. Aliquandiu, mortuo conjuge suo Ottone II, tutelam gessit filii infantis : demum anno* 991, *die* XVII *kal. julii.* Theophanu, *narrant Annales Quedlinburgenses sub anno* 991 (6), imperatrix cum filio suo tertio Ottone paschale festum imperiali gloria apud Quedlinburgensem peregit civitatem. *Inde Neomagum profecta, ibi,* dum quadam quasi compede tota sua ditione colligasset imperium, consummato in bonis vitæ suæ cursu, proh dolor! quod est miserabile dictu, immatura dissolvitur morte, XVII kal. julii : indeque lugubri imperatoris, filii scilicet sui, cæterorumque suorum fidelium comitatu evecta, ad urbem defertur Agrippinam, inque ecclesia S. Pantaleonis Martyris, ut ipsa decreverat, stipante episcoporum, monachorum virginumque cœtu, astante etiam omni clero ac populo, ultimo flebiliter tumulatur honore.

k *Gerdagus sedem Hildesiensem tenuit ab anno* 990 *ad* 992. *Annales Hildesienses docent* (7), eodem anno (992) Gerdagum episcopum Romæ limina S. Petri orationis causa adiisse; indeque revertentem Cumis obiisse VI id. decembris. Qui sedit in episcopatu annos duos, menses 2, dies XIV. *Error hic est typothetæ : nec accurate Monumenta Germaniæ, a cl. Pertz edita, quæ habent annos duos, menses* II, *dies* 14. *Gerdagus, ordinatus fuit episcopus die* XIV *kal. februarias* (XIX *januarii*) (8) *incidente in dominicam nam annus* 990 *litera dominicali E signatus erat : obiit autem, ut jam diximus,* VII *id. decembris* (VII *Decembris*). *Sedit igitur Gerdagus annos* II, *menses* X, *dies* XIX.

l *Anno Christi* 993 *dies* XVIII *kal. februarii* (XV *januarii*), *signatus littera dominicali A incidebat in dominicam, qua consecrationes episcoporum plerumque celebrabantur.*

m Benedictio *hic delicatius ferculum significat, quod* S. Bernwardus ad fratres infirmos et senio confectos *de sua mensa mittebat. Cfr Du Cange h. v.*

n *Crux ista, olim in monasterio S. Michaelis asservata, hodie in ecclesia S. Mariæ Magdalenæ colitur.*

o *Chronotaxis undequaque cum reliqua chronologia concordat. Mense januario anni* 993 *consecratus S. Bernwardus episcopus, mense septembri anni* 996 *decurrebat annum quartum pontificatus sui.*

CAPUT II. Summus est artifex; curat res ecclesiasticas et civiles; status controversiæ circa monasterium Gandersheimense exponitur.

Diversis artibus vacat

Arduum et difficile est quotidianum ejus studium verbis perstringere, quia, Deo teste, omni nisu inter diem, noctemque perstabat in divinis. Nihilominus quoque cunctos sibi adhærentes ad hujusmodi negotium, ut ita dicam, ultra vires impellebat, nec aliquid artis erat, quod non attentaret, etiam si ad un-

(1) Pertz, Monum. Germ. Scriptt., t. IV, p. 758 *n.* — (2) Mabillon., Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. IV, part. I, p. 202. — (3) Werner, Der Dom von Maintz, t. I, p. 494. — (4) Act. SS., t. II April., p. 521. — (5) Migne, Patrol., t. CXLI, col. 538. — (6) Ibid., col. 522. — (7) Ibid., col. 523. — (8) Ibid., col. 521.

guem

AUCTORE TANGMARO.

A guem pertingere non valeret. Scriptoriæ namque, non in monasterio tantum, sed in diversis locis studebat : unde et copiosam Bibliothecam tam divinorum, quam philosophicorum codicum comparavit *a*. Picturam vero et fabrilem, atque clusoriam artem, et quidquid elegantius in hujusmodi arte excogitari, vel ab aliquo investigari poterat, numquam neglectum patiebatur : adeo ut ex transmarinis et Scotticis vasis, quæ regali majestati singulari dono deferebantur *b*, quicquam rarum vel eximium reperiret, incultum transire non sineret. Ingeniosos namque pueros, et eximiæ indolis secum, vel ad curtes ducebat, vel quocumque longius commeabat, quos quicquid dignius in illa arte occurrebat, ad exercitium impellebat.

et curis civilibus.

9 Musivum præterea in pavimentis ornandis studium, necnon lateres ad tegulam propria industria, nullo monstrante, composuit *c*. Et ut breviter perstringam, nec punctum temporis in otio supersedebat : sed fidelis dominicæ familiæ dispensator conservis suis necessaria subsidia fideliter ministrabat :

B et cum in Christi gazophylacio, quæque idonea scivit, fideli devotione congereret, non minus tamen Cæsari sua, juxta Evangelium persolvebat. Nam tertio Ottoni imperatori affectuosissimo animo pro scire ac posse obsequebatur : unde et multorum invidiam in se commovebat, qui indignabantur illum vigilantiori studio reipublicæ negotia obire *d*. Saxonia quippe magna ex parte piratarum, ceterorumque barbarorum feritate depopulata, continuis latrocinantium incursionibus sine intermissione patebat, quam pestem reipublicæ depellere magno sui suorumque periculo semper instabat : et nunc cum aliis, interdum quoque cum suis solus super eos irruens, fortiter illos attriverat.

Barbaros suam diœcesim infestantes

10 Sed cum hujusmodi irruptiones sedari nullo modo possent, quippe cum barbari, qui utrumque litus Albiæ, et naves omnes sua ditione tenebant, navali evectione per omnem Saxoniam facillime se infunderent, vigilantissimus Dei pontifex curam commissæ sibi plebis agens, quomodo populum Dei de

C sævitia barbarorum eriperet, animo fluctuabat. Furorem namque sui impetus pæne Hildensem usque intentabant : et ipsum sanctum locum prædam sibi promittebant. Divino itaque instinctu, in extremo fere sui episcopatus, ubi flumina Alara et Onekara confluunt, munitiunculam admodum munitam extruxit, in qua copiis militum dispositis, barbarorum impetum repulit, populumque Dei ab hostili feritate liberavit. Dei namque gratia tanta securitas pacis per illum in locis illis fidelibus condonata est, ut nihil damni, vel periculi postea a barbaris paterentur *e*.

e constructis arcibus repellit.

11 Hac industria Christi sacerdotis barbarico tumultu in illis locis eliminato, acrius in circumsita loca debacchati sunt, unde vigilantissimus divini gregis pastor, typo Christi sui Domini, adversariis Ecclesiæ, exsultans ad currendam viam ut fortis gigas, se opposuit, et in rure Vorinholt nuncupato, ubi tutissima illorum statio fuerat, liber quoque latrocinii excursus, quocumque suæ fraudis insidias intentarent, præsidium munitissimum instituit : fossis quoque, aquarumque meatibus, per rivum influentibus tutissimum reddidit, copias quoque militum victu et armis, ceterisque necessariis instructas, abundantissime collocavit. Divina itaque gratia periculosissimum locum populo Dei pacificum fecit et tranquillum in tantum, ut omni spurcitia diabolicæ, ac barbaricæ fraudis eliminata, baratrum irruptionis et hostilis incursionis locum faceret orationis, et oraculum sancti Lamberti pontificis et martyris Deo consecraret : atque ab illo die, summa pace Ecclesiæ Christi reddita, ab omni hostili impetu Dei populus vivacissimi provisoris industria quietissime feriaret.

Multa ab invidis patitur.

12 Pro his et ceteris beneficiis, quæ devotissimo studio in rempublicam populumque fidelem exercuit, multorum, et maxime Principum in se invidiam et indignationem commovit, unde et a Moguntino archiepiscopo plura et miseranda apertis inimicitiis est perpessus, cujus animositatem patientissime ferens, divina ac regalia benignissime administrabat. Et licet plura copiosissimis impensis ad repellendam sævitiam barbaricam foris impenderet, dici non potest quanta in epi- E scopatu ad usum ecclesiæ suæ contulit. In prædiis namque tanta congessit, ut triginta, vel plures præcipuos curtiles cum litorum ac colonorum famulis, clarissimis ædificiis prænitentes, compararet, cum in aliis innumerabilibus locis decem mansos vel octo, aut minus, aut plus, prout casu acciderat, in possessionem ecclesiæ suæ conferret. Antiqua quippe loca ab antecessoribus suis possessa, quæ ille inculta reperit, optimis ædificiis collustravit : inter quæ quædam elegantiori schemate, albo ac rubro lapide intermiscens, musiva pictura varie pulcherrimum opus reddidit.

Ecclesiam suam ditat et exornat :

13 Quid dicam, quo studio sanctum locum nostrum vel principalem ecclesiam nobilitaverit? cum seipsum, et cuncta quæ habere potuit, in ejus usum impertiri maluerit. Testantur ejus opera, quæ futuro ævo pium illius animi votum apertis loquuntur indiciis. Ecclesiam namque miro studio decorare ardenter instabat : unde exquisita ac lucida pictura tam parietes, quam laquearia exornabat, ut ex veteri novam putares. Fecit et ad sollem- F nem processsionem in præcipuis festis, Evangelia auro et gemmis clarissima : thymiamateria quoque pretii et ponderis magnifici : calices nihilominus plures, et unum ex onychino, alterum vero crystallinum mira industria apposuit. Adhuc autem unum aureum, valentem libras viginti publici ponderis ex purissimo auro, in usum ministerii conflavit. Coronam quoque argento auroque radiantem miræ magnitudinis, in facie templi suspendit, et alia perplura, quæ supersedenda putavimus, ne fastidium prolixitate ingeramus. Sanctum quoque locum nostrum murorum ambitu vallare summa instantia aggressus, dispositis per gyrum turribus, tanta prudentia opus inchoavit, ut decore simul, ac munimine velut hodie patet, simile nil in omni Saxonia invenias.

construit sacellum S. Crucis;

14 Sacellum etiam splendidum valde foris nimirum in honore mirificæ crucis exstruxit, cujus etiam aliquantam partem, largiente domino tertio Ottone Augusto imperatore, ibidem

AUCTORE TANGMARO.

ibidem clarissimis gemmis auroque inclusam, condidit; ubi etiam divina pietas plurima suæ pietatis indicia, apertis signorum miraculis per virtutem sanctæ crucis ostendit. Inter quæ illud unicum, quo Dominus antistitis nostri devotionem consolari dignatus est, inserere libet. Nam venerabilis pontifex Bernwardus, thecam auro gemmisque lautissimam, in qua vivificum lignum includeret, paravit, et cum ex tribus particulis sancti ligni, quartam si fieri posset, excidere tentaret, ut per singulas absides singulas conderet portiones, ne gracilitas, vel parvitas, quacumque ex causa sectionem admitteret : cum devotissimus Dei famulus animo fluctuaret; ecce subito inter manus ipsius antistitis, quarta pars sacratissimi ligni, angelico ut creditur ministerio sibi delata, apparuit. Mox igitur præsul Christi, lætus lignum sanctum per quatuor absides paravit. O quanti inde potantes ardorem vehementissimæ febris sæpius, virtute sanctæ crucis restinguebant!

et per S. Crucem suorum incolumitati consulit.

15 Multotiens ortam aeris inæqualitate pestilentiam fideles hoc vivifico ligno se suaque lustrantes sedaverunt. Nimiam etiam siccitatem, prolato in publicum hoc singulari ligno, pluviis imperantes, repulimus; multaque virtute sanctissimi triumphi, fiunt quotidiana remedia, dum quisque mærens ibi prostratus promta percipit solatia. Ipsum vero sacellum sanctæ Crucis vario decore perfectum dedicavit quarto Idus Septembris, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo nonagesimo sexto, indictione nona, regni vero gloriosissimi tertii Ottonis imperatoris decimo tertio, imperii primo, ordinationis autem suæ quarto: locumque quondam dumis et vepribus horridum vicinis incolis, gloria tibi Christe, ex tuis datis, baptismi, sepulturæ, unctionis æternum fecit solatium.

De lite Gandersheimensi

16 Pro talibus igitur aliisque piæ devotionis actibus, quibus ad ecclesiæ utilitatem omni nisu mentis et corporis insudabat, tam Deo, cordi interius præsidenti, quam ecclesiæ operis effectum exterius approbanti, felicis memoriæ præsul acceptissimus erat : et ideo consequens fuit, ut vir beatus, cui, sicut de sancto Job legitur, tunc temporis in terra similis non fuisse putabatur, per tentationis incommoda, sicut aliarum virtutum, etiam humilitatis et patientiæ præconio mirabilis cunctis ostenderetur. Anno itaque ordinationis suæ octavo, gravibus insecutionum molestiis pro territorio Gandensemensi ab archiepiscopo Willegiso, plane contra ecclesiasticas sanctiones impetitur; sed eis minime a solitæ humilitatis et patientiæ tenaci observantia movetur. His tamen, quæ archiepiscopus non tam justæ rationis exsecutione, quam liberæ potestatis peæsumtione attentabat, auctoritatis constantia, non temeritatis audacia sagacis ingenii vir obviabat : et secundum illud Pauli, « quamdiu gentium Apostolus sum, ministerium meum honorificabo », quoad usque Ecclesiæ Christi pastoris vice præfuit, episcopatus sui jura in proprii honoris statu conservari, summa solicitudine procuravit, quod et Deo annuente, laboriose licet, obtinuit. Sed ne similis controversia de ipsa Gandesemensi ecclesia valeat oboriri, omnem disceptationis ordinem, inter Moguntiensem archiepiscopum, et venerabilem virum dominum Bernwardum, hic inserere commodum duxi. Necessarium autem reor ista paullo altius indagando repetere, quod tamen lectori minime debet esse onerosum, quia posteris fortasse in multis erit profuturum. D

exponitur controversiæ status.

17 Territorium Gandesemense, situm in pago Flencchi * *f*, cum adjacentibus villis ad provisionem Hildesemensium episcoporum, ex quo primum episcopia per Saxoniam sunt disterminata, certum est pertinere. Quod ex hoc cunctis scire cupientibus liquido apparet, quia ab ipso principio novellæ christianitatis nostræ gentis, etiam ante constructionem præfati monasterii, ad curam nostri episcopii pertinebat. Temporibus namque domini Altfridi *g*, qui quartus ecclesiæ nostræ antistes exstitit, Luidolfus Saxoniæ dux cum religiosa contectrice * sua Oda *h*, magno studio in divino cultu accensi, consilio antistitis præscripti, Romam perrexit, ibique a domino Sergio Papa *i* magnifice suscepti; cum votum illorum in divinis agnovit, datis reliquiis sanctorum præsulum Anastasii et Innocentii *k*, cum benedictione a se demisit. Ad patriam itaque Dei gratia pervenientes, consilio domini Altfridi, cœnobium virginum Dei primo Brunesteshusen adunarunt : filiam quoque dominam Hathumodam duodecim annos habentem *l*, præfato episcopo in regimen intromittendam assignarunt, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quinquagesimo secundo, Rabano Moguntiæ præsidente *m* : omnem autem provisionem prædicti loci et congregationis domino Altfrido commiserunt.

* Flenithi *P.*

f

g

contectali *P.*

h

i

k

E

l

m

Gandeneshemensis monasterii origo.

18 Unde evolutis aliquot annis Karolo Rabano succedente *n*, anno singularis nativitatis Christi octingentesimo quinquagesimo-sexto, auspicatus est ipse quemdam locum super fluvium Gande, quem a fluvio Gandeneshem nominavit : ibique consentiente Duce, fabricam monasterii majori ambitu inchoavit; Lutberto Moguntino episcopo exsistente *o*, qui post Carolum subintravit. Locus namque pratorum, ac nemorum amœnitate aptior, tutior quoque silvarum densitate ac palustri immunitate ad habitationem Deo militantium, visus est. Defuncti itaque sunt ante consummatam fabricam Gandesemensis ecclesiæ, et dux ac domina Hathumod, sepultique in antiqua ecclesia Brunesteshusen : positaque in regimen Gerburgis prima, soror domnæ Hathumod, Altfrido venerabili episcopo mediante, Lutberto quoque Moguntino archiepiscopo, qui Carolo successit *p* : nec multo post discessit, biennio tantum emenso, venerabilis dominus Altfridus. Consedit autem cum Moguntinis episcopis Rabano et Carolo et duodecim annos cum Lutberto.

n

o

F

p

Series episcoporum Hildesheimensium.

19 Consummata quoque cum decore Hildensemensi ecclesia, quam ipse a fundamentis construxerat, et Dei gratia consecrata, plenus operibus bonis decessit : cui successit Marcwardus quintus præsul nostræ ecclesiæ *q*, quatuorque annos tantum sedens trabes ecclesiæ composuit. Post hunc subintravit dominus Wigbertus sextus episcopus *r*. Hic fabricam consummavit, et ecclesiam nihilominus consecravit. Hic omnem religionem et disciplinam cum domina Oda et Gerburga abbatissa in præfato loco inchoavit et perfecit *s*; ejus

q

r

s

A ejus consilio omnia disponebant et agebant. Præerat autem domina Gerburgis congregationi viginti duos annos; positaque est in nova ecclesia juxta dominam Hathumodam, sororem autem ejus Christinam dominus Wigbertus in regimen intromisit, et consecravit. Domina quoque Oda centesimo septimo ætatis anno omnibus filiis præmissis decessit, Christina tantum superstite; positaque est juxta filias suas. Sed et ipsa Christina sex tantum annos matri supervivens, felici decessu migravit ad Dominum. Dominus quoque Wigbertus consedit cum Moguntinis episcopis

t Lutberto, Sunderaldo *t* et Hattone.

per annos cc, 20 Post hunc Walbertus succedens septimus episcopus, Roswitham venerabilem feminam, de ipsa congregatione electam, in regimen in-

v tromisit *v* : consecrationes quoque in ecclesia prædicta, et ancillarum Dei velationes, et cetera ad ecclesiastica ministeria fecit pertinentia. Post Walbertum Sehardus venerabilis vir

w pastor octavus nostræ ecclesiæ ordinatur *w*. Hic absque omni contradictione, quæcumque ad ecclesiasticum ministerium pertinebant,

B in præfato loco ministravit. Nonus post Sehardum Thiothardus antistes nobis præficitur, Friderico archiepiscopo Moguntiæ præsi-

x dente *x*. Hic consecravit novam ecclesiam, ubi monachæ nunc Christo militant, et omnia episcopalia in præfato loco rite procuravit, nullo obviante. Decimus post Thiothardum dominus

y Otwinus præfuit *y*. Hic dominam Gerburgam secundam in regimen constituit et consecravit; et omnia episcopalia fideliter providit, domino Wilhelmo magni Ottonis filio in nullo

z sibi adversante : similiter Hatto et Robertus *z* in nullo sibi adversantes amicissimum habuerunt. Willegisus quoque illi succedens, veritus tanti viri senectutem et morum gravitatem, publice illum percoluit; occulte vero paullo mordacius, quadam animi indignatione illi adbellicabat : nil tamen in regimine præfati cœnobii asperum nec verbis, nec factis ostendit.

Sophia, soror Ottonis III 21 Hæc itaque ideo proposui, ut cuncti intelligant, quanta levitate, ac temeritate sit violatum, quod fere per ducentos annos tot venerabilium Patrum utriusque loci antistiti-

C tum concordia roboratum, omni canonica auctoritate fixum, atque ratum duravit. Sed se-

aa cundi imperatoris Ottonis filia *aa*, fomes, ut pace omnium dicam, hujusmodi dissensionis, dum a suo episcopo, domino videlicet Osdago, sacrum velamen accipere spernit, Willegisum appetit; indignum æstimans, nisi a palligero consecrari, quod ipse libens annuit : haud considerans, quanta antiqua canonum statuta temeraverit : nec fraterna caritate aditum quæsivit, sed fratri et coepiscopo diem imperavit, ut ad relationem ancillarum Dei, in festivitate sancti Lucæ evangelistæ illi occurreret. Nactus itaque opportunum tempus dominus Osdagus, archiepiscopum secretius, qua auctoritate id ageret, requisivit : cui ille minaci vultu mordacius ad suam parochiam pertinere respondit, et statuta die se ancillas Dei velaturum, omnemque episcopalem potestatem in illo loco se adepturum, promisit.

22 Cum itaque ad diem ventum est, restitit illi plena auctoritate dominus Osdagus, præsente rege domino tertio Ottone, cum matre imperatrice domina Theophanu, assidentibus quoque episcopis, Rhetario Patherbrunnensi episcopo, Milone Mindensi episcopo, Hildewaldo Wormaciense episcopo, cum aliis principibus, qui ad sollemnitatem velandarum Virginum convenerant *bb*. Cum ergo longa disceptatio esset, dominus Osdagus simplicis animi vir, divino monitu incitatus, episcopalem cathedram ad absidem altaris poni præcepit, hac tuitione locum ac regimen sibi defendens *cc*, faventibus illi fere omnibus; quia archiepiscopi animositas, etsi metu illius dissimularetur, cunctis tamen displicebat. Destitutus itaque archiepiscopus multitudinis favore, qui prius suo juri omnia promisit, vix domina Theophanu et episcopis obtinentibus, ipso quoque ultra quam credi potest supplicante, obtinuit ut ad principale altare mysteria ipsa die ageret; ita videlicet, ut dominæ Sophiæ velationem simul agerent, ceterarum vero dominus Osdagus solus prospiceret : factumque est insolitum, nec ante a nobis visum, ut duo episcopi ex latere altaris pariter sederent, pontificalibus paramentis festive infulati.

AUCTORE TANGMARO.

bb

cc

E

23 Ventumque est ad ancillarum Dei consecrationem, cum episcopus qui antea a pontificali jure timebatur dejectus, subito Dei gratia est erectus. Inter Missarum sollemnia primo dominum regem si in velationem suæ sororis consentiret, humiliter requisivit, deinde ceteros mundiburdos. Quibus consensum fatentibus, primo dominam Sophiam, si ad Hildensemensem sedem sibi suisque successoribus subjectionem et obedientiam profiteretur, interrogavit, deinde alias velandas : quæ unanimi consensu religionem et subjectionem professæ sunt, publiceque denunciatum est omni clero et populo, archiepiscopum nil juris sibi in illa ecclesia vendicare præter consensum et permissum Hildensemensis episcopi. Omnibus quoque rite peractis, summa pace et concordia discessum est; stetitque illa unanimitas sub domino Osdago, et Gerdago, et aliquot annis domini Bernwardi, adeo ut ecclesias aliquas præsente archiepiscopo ibidem consecraret. Synodum etiam magnam haberet, præsente domino rege tertio Ottone, assidente nihilominus præfato archiepiscopo, F cum tamen nil sua auctoritate decerneret, præter quod assensum æque ut alii fratres, beato Bernwardo, qui synodo præsidebat, præbuit. Interfuerunt Islarius Magdeburgensis archiepiscopus, Ludolphus Trevirensis archiepiscopus, Milo Mindensis episcopus, Hildewaldus Wormatiensis episcopus, Hugo Citiensis episcopus *dd*.

velari vult ab archiepiscopo.

dd

ANNOTATA.

a *Inter alios Codices, a S.* Bernwardo *monasterio S. Michaelis donatos, unus erat, qui de Alchimia tractabat, id est de compositione et combinatione metallorum, cujus specimen exstat in candelabris, de quibus actum Commentarii prævii num.* 56. *Istius codicis titulus erat :* Secretum secretum, *quod* sub pœna æternæ damnationis relinquo meis successoribus. *Anno* 1634 *in Vigilia Assumptionis, expulsis monachis, commissarius ducis Brunswico-Luneburgensis monasterium occupavit :*

AUCTORE TANGMARO.

quo tempore codex disparuit, nec deinceps visus fuit. Quod testatur Joannes abbas Sammichaelensis XVI *novembris* 1666 (1).

b *Vasa transmarina interpretor ea, quæ ex Oriente afferebantur, quocum frequens erat Germanis commercium; præsertim quum Theophana, Ottonis II conjux et Ottonis III mater, aulæ imperatorum Occidentis imperabat. Quid sibi velint* Scottica vasa, *nuspiam inveni : Leibnitzius et Pertzius in Indice rerum et Verborum nomen indicant, sed ab omni explicatione abstinent.*

c *Quando dicitur, S.* Bernwardus *musivum in pavimentis et lateres ad tegulam*, propria industria, nullo monstrante, *composuisse; ea verba ita interpretari non licet, quasi ipse utriusque opificii inventor exsisteret : sed solum sanctum, rerum et artium novarum curiosum, eas coluisse et informasse alios ut easdem exercerent.*

d Studium reipublicæ, *quod invidiæ suæ causam prætendebant S.* Bernwardi *æmuli, forsan etiam scintilla fuit, quæ tantum inter Sanctum nostrum et Willigisum excitavit incen-*
B *dium; quamvis, ut Commentarii prævii num.* 76 *docuimus, et ante S.* Bernwardi *episcopatum incœperit et post ejus obitum accruduerit.*

e *De arcibus et munimentis egimus Commentarii prævii num.* 46.

f *Rectius pro* Flencchi *scribunt Monumenta Germaniæ* Flenithi : *est enim Flenithi extremus pagus meridionalis diœcesis Hildesiensis versus archiepiscopatum Moguntinum* (2).

g *Altfridus Hildesiensis episcopus fuit ab anno Christi* 851 *ad* 874 (3).

h *De Luidolfo, duce Saxoniæ ejusque uxore Oda multis disserit Joan. Harenberg* (4) *qui, si libuerit, adiri poterit.*

i *Sergius Papa II ab anno* 844 *ad* 847 *Romanam cathedram occupavit : si igitur Altfridus consiliarius fuit Ludolfi ducis pro itinere Romano, ante episcopatum, adhuc presbyter aut diaconus id officii præstitit : et vox* antistes *indicat non tam quod erat tunc, quam quod futurus erat.*

k *S. Anastasius, pontifex ab anno* 398 *ad* 402, *colitur die* XXVII *aprilis, qua ejus pontificatum illustrarunt majores nostri* (5). *S. Inno-*
C *centius I, S. Anastasii successor, Romæ sedit ab anno* 402 *ad* 417, *colitur die* XXVIII *julii : ejus Acta habes ad hanc diem apud majores nostros* (6). *Præter duo corpora integra Sanctorum, dedit etiam Sergius Papa, si genuinum est diploma*, Reliquias Domini ac Salvatoris nostri, sanctæque suæ Genitricis Mariæ, atque duodecim Apostolorum. *Quæ Reliquiæ Gandersheimii, ad castra licet Lutheranæ transfugæ fuerint abbatissæ et conventus, ad annum saltem* 1734 *quo scribebat Harenbergius, religiose asservabantur* (7).

l *Hathumodam, quam inter Beatos reponit Castellanus in suis Auctariis Martyrologii Romani ad* XXIX *novembris, habuisse aliquem cultum ecclesiasticum, incertum est. Viderint po-*
steri, utrum ejus Acta in opere nostro aliquando D
illustranda occurrent. Vitæ ejus seriem summarie exhibet Joan. Harenberg, dicitque obiisse anno Christi 874 (8). *Primo quidem cœnobium, ut infra dicitur, in Brunesteshusen, hodie* Brunshusen *ad orientem Gandeshemii, constructum fuit. Sed, ut habet Chronicum Hildesiense*, quarto post anno in Gandesheim inchoatum fuit, *nempe ut Tangmarus habet anno* 856 *: quoniam vero, obeunte Hathumoda, nempe anno* 874, *necdum esset consummata fabrica ecclesiæ Gandesemensis : manifestum est, Gandesemium vel ab initio ingentis molis ædificium fuisse.*

m *B. Rabanus, cujus Acta dederunt nostri ad diem, quo obiit,* IV *februarii* (9), *sedem Moguntinam occupavit ab anno* 847 *ad* 856 (10).

n *Karolus Moguntinus episcopus fuit ab* 856 *ad* 863 (11).

o *Lutbertus, qui etiam Lundbertus et Luitbrathus vocatur, successit Carolo, episcopus ab anno* 863 *ad* 889 (12).

p *Gerberga venerabili sorori suæ, Hathumodæ, successit, ineunte anno* 875, *et anno* 897 E
obiit. Res ejus gestas narrat jam sæpe laudatus Joan. Harenberg (13). *Illud memorabile ex Henr. Bodone refertur* (14) : Erat quidem ipsa Gerburgis potenti cuidam Bernhardo desponsata, et ut sponsa, quantum honestas expostulavit, vestita quidem fuit; sed animo non hæsit illi sponso. Unde nuptiis renuntians, se Deo devovit. Quod ubi sponsus rescivit, Gandeshemiam veniens, sponsæ requirit colloquia : recusat illa; importunius ille agit. Matris illa tandem mandatis obtemperans, ora præbet. Ad quam ita exorditur : Fama, et ut videre videor, non mentiente, didici, te niti nostrum disrumpere pactum, atque fœdi fragam solvere promissum. Id te scire volo, quod quum sospes revertar e bello, ad quod senioris nostri regis jussu accelero, te mihi sociabo etiam invitam et tuum pessumdabo votum. Dixerat et mente leviuscula caput jactans et ora, per suum et gladium et candidulum jurat collum, verba quæ dixisset, ad rem se collaturum. Cui voce submissiori Gerburga respondit : Christi et voluntati et protectioni me committo : sic mihi eveniat, ut ipse decreverit. Abscessit, bellum intravit : F
cito sensit, non recte se locutum. Qui enim virginem alto voluit detrudere proposito, equo dejectus, finem illic vitæ accepit. Sicque virgo, Christi amori juncta, in illius desponsatione permansit, mater et magistra illis facta, quæ ad Gandesianum fluxerant cœnobium.

q *Marquardus, episcopus ab anno* 874 *ad* 880, IV anno ordinationis suæ, *ut habet Chronicum Hildesheimense* (15), occisus est a Slavis : *ejus sociorum passionem referunt nostri ad diem* II *februarii* (16).

r *Wigbertus Hildesiensem cathedram tenuit ab anno* 880 *ad* 903. *De eo Chronicum Hildesiense dicit* (17), *illum* in suo tempore medecinæ artis peritissimum fuisse, et bibliothecam, quæ adhuc in monasterio servatur, propria

(1) Kratz, Der Dom zu Hildesh., part. III, p. 12. — (2) Lüntzel, Die ältere Diöz. Hildesh., p. 147. — (3) Schmid, Die Säculariz. Bisth. Deutschl., tom. I, p. 228. — (4) Hist. Gandersh. diplom., p. 28 et seqq. — (5) Acta SS., tom. III April., p. 491. — (6) Ibid., tom. VI Julii p. 548. — (7) Harenberg, Hist. dipl. Gandersh., p. 49. — (8) Hist. Gandersh., p. 50. Leibnitz, Rer. Brunsw., tom. I, p. 743. — (9) Act. SS., tom. I Februarii, p. 522. — (10) Werner, Der Dom von Maintz, tom. I, p. 445. — (11) Ibid., p. 456. — (12) Ibid., p. 458. — (13) Hist. Gandersh., p. 578. — (14) Leibnitz., Rer. Brunsw., tom. III, p. 704. — (15) Ibid., tom. I, d. 743. — (16) Act. SS., tom. I Februarii, p. 315 — (17) Leibnitz., Rer. Brunsw., tom. I, p. 743.

manu

A manu elaboravisse, et pluralem utilitatem suæ Ecclesiæ providisse.

s *Christina sorori suæ Gerbergæ, anno* 897 *defunctæ, abbatissa successit, vivere desiit anno* 919 *: nam annis viginti duobus monasterio præfuit, ut ipse nos docet Tangmarus.*

t *Sonderaldus seu Sunzo ab anno* 889 *ad* 891 *et Otto seu Hatto I ab anno* 891 *ad* 913 *Moguntinam Ecclesiam gubernarunt.*

v *Roswitha seu Roswida, quæ Christinam excepit, et ab anno* 919 *ad* 927 *monasterii gubernacula tenuit* (1), *non est confundenda cum homonyma sua poetria Gandersheimensi sanctimoniali, exeunte sæculo* x *florente : cujus opera videre est in Patrologia latina, cl. Migne, tom.* CXXXVII. *Walbertus autem, qui Roswitham abbatissam instituit, episcopus fuit ab* 903 *ad* 919.

w *Sehardus Hildesiensis episcopus rexit ab* 920 *ad* 928.

x *Thiothardus seu Dithardus Hildesiæ ab anno* 928 *ad* 954 *et Fridericus Moguntiæ ab anno* 937 *ad* 954 *sederunt* (2).

y *De Otwini Hildesiensis ætate supra locuti sumus, Annotato* c *ad caput* 1. *De Gerberga,*
B *quæ etiam Gepta vocatur, agit Harenberg* (3). *Tandem Wilhelmus archiepiscopus fuit Moguntinus ab anno* 954 *ad* 968 (4).

z *Hatto II et Robertus seu Rupertus Moguntiæ sederunt, ille quidem ab anno* 968 *ad* 969; *hic autem ab anno* 970 *ad* 975. *Deinceps ad annum usque* 1011 *Willigisus, de quo frequens occurret in Vita sermo, Moguntinam Ecclesiam administravit. Cfr quæ jam diximus Annotato* f *ad caput* 1.

aa *Filia Ottonis II, Sophia, primum monialis, dein abbatissa Gandersheimensis, altos gerebat animos, propter quos a palligero id est ab archiepiscopo Moguntino sacrum velamen accipere voluit. Idem in Vita S. Godehardi ad diem* IV *maji legitur, consentiente, licet forte ægre, episcopo id factitatum. En verba* (5) : Vix obtentu regis ejusque matris licentiam ab eodem episcopo (*Osdago*) obtinuit (*Willigisus*), ut ibi (*Gandersheimii*) in natali S. Lucæ Evangelistæ Missam celebraret archiepiscopus et prædictæ Sophiæ velationem simul cum eo ageret; de cæteris vero velandis virginibus noster præsul suo jure provideret. *In hoc igitur Willigisi error*
C *erat, quod istam velationem tamquam jus suæ sedis vindicaret.*

bb *Retharius Paderbornensem sedem ab* 981 *ad* 1009, *Milo Mindensem ab anno* 969 *ad* 996 *et Hildewaldus seu Hildeboldus Wormatiensem ab anno* 979 *ad* 998 *tenuere* (6).

cc *Locus dignitatis in ecclesiis erat olim sedes posita in media absidæ* (7). *Propterea Osdagus, quamvis cæterum non liceret episcopis in monasteriis sedem ponere, ut jus suum defenderet, id fieri jussit.*

dd *Islarius seu Gislarius Magdeburgensis archiepiscopus fuit ab anno* 981 *ad* 1004; *Ludolfus Trevirensis ab* 993 *ad* 1008; *Hugo II episcopus Citiensis ab anno* 984 *ad* 1002 (8). *Citio Naumburgum translata fuit sedes episcopalis anno* 1029 *sub ejus successore Hildewardo* (9). *De Hildewaldo diximus supra Annotato* bb.

(1) Migne, Patrol., tom. CXLI, col. 495. — (2) Schmid, Die Säcular. Bisth. Deutschl., t. I, pp. 228 et 390. — (3) Hist. Gandersh., p. 604. — (4) Schmid, p. 390. — (5) Act. SS., tom. I Maji, p. 509. — (6) Schmid, tom. II, p. 110, tom. I, p. 434 et tom. II, p. 549. — (7) Binterim, Denkwurd., tom. IV, part. 1, p. 54. — (8) Schmid, tom. I, p. 355, tom. II, p. 512. Ibid., p. 18. — (9) Ibid., p. 6.

AUCTORE TANGMARO.

CAPUT III.

In media controversia de Ganderheimensi parthenone Sanctus Romam adit; ibique Ottoni III consiliarius adest, et synodis assistit.

Gandesemensis abbatia sensim deficit a regula.

Non tamen rata permansit hujusmodi concordia : quia in medium quædam emerserunt, quæ orientem caritatem falsitatis lolio peremerunt. Odiosum quippe est nostro tempore, veritate aliquem notare, sicut a quodam dictum est : « Veritas odium parit. » Sed scribentibus gravis est culpa, vel falsa dicere, vel vera intermittere, unde pace cunctorum liceat dicere, quod scelus est celare. Illa quippe præclara ancillarum Dei congregatio, tanto studio et devotione dominorum nostrorum, patrum patriæ, ducum, ac regum, per Altfridum ejusque successores instituta est, ut in principio omnibus imitabiles, exemplar humilitatis et caritatis florerent; episcopum suum a Deo sibi præpositum, quasi Dei nuntium, ac patrem audirent, colerent et amarent; E
omnes adventantes, prout cuique personæ competebat, præcipua benignitate susciperent. Hic illis usus, hoc studium fuit, hoc sancto loco reverentiam, et illis apud omnes gratiam exhibebat : hoc humilitatis privilegio, cum pro causis ecclesiæ ad palatium citabantur, habitu non admodum nitido, vel abjecto venientes, ut veræ Dei ancillæ habebantur, ac venerabantur.

Quæ disciplinæ labefactandæ radices.

25 Sed postquam luxus ac superfluitas accessit, morum insolentia subintravit, obedientia torpuit, repulsa est episcoporum reverentia : quod cuique erat placitum, faciebat licitum. Addita est quoque ad augmentum mali, diutina infirmitas dominæ Gerburgæ ejusdem cœnobii venerabillimæ matris, in quam Dominus plurima virtutum insignia contulit : discessus quoque religiosarum sororum, quæ sub nutrimine antiquæ disciplinæ institutæ fuerant. Numerosa autem juventus virginum fructificaverat in tyrocinio Christi; quæ delicatius enutritæ, metam prioris disciplinæ ac severitatis ignorantes, ut est humaF
num, post sua desideria declinabant. Sophia quoque, domina Gerburga invita multumque renitente, ad palatium factione Willegisi archiepiscopi se contulit : ibique annum, vel biennium commorata, dissolubilis vitæ tramitem incedens, varium de se sparsit rumorem, quod venerabilis non ferens Bernwardus, quippequi illam semper summo amore et gratia percolebat, blandius illam admonitam, ad monasterium redire persuasit.

Bernwardus *Sophiæ luxum damnat, unde ejus offensam incurrit.*

26 Cumque illa exteriori auditu vix verba illius admitteret, sæpius eadem repetens, ad cœnobium eam repedare familiarius admonuit. Illa autem ejus accessum et confabulatum primo declinavit; deinde ad archiepiscopum, velut ab illo patrocinanda confugit, amarioribus verbis ejus animum exasperavit; pactum fœdus in sua velatione inanibus verbis annullavit, dicens ab illo se velatam, non ab

AUCTORE TANGMARO.

Hildensemensi episcopo; ad provisionem beati Bernwardi episcopi se minime pertinere, ad suam diœcesim cœnobium Gandensemense respicere; plures se invenisse, qui hoc veraciter testentur. His et ejusmodi verbis archiepiscopum adversus beatum Bernwardum graviter commovit. Post hæc Gandesem repetit, varia de ipso episcopo inter sorores disseminavit, nisu quo potuit, illum loco repellere, atque abalienare parabat.

Ad monasterium accedit, sine honore excipitur :

27 Interea episcopus cognoscens talia circa se moliri, Gandesem venit; graviter tulit se abalienari, nec aliquid honoris, vel caritatis sibi, ut antecessoribus suis, exhiberi, sed infra extraneos episcopos se tractari; cum tamen ab antecessoribus suis ad sanctum locum innumera bona collata sunt : decimæ quoque ex sua parte plures et antiquitus, et moderno tempore impensæ: et pro his beneficiis injuriam et contumeliam recompensari : tributa, quæ pro decimis solvenda essent, imminuta, sæpe quoque fraude negata; obedientiam, qua nulla victima Deo gratior est, cum humilitate in ara cordis persuadet im-
B molari; patienter se omnia posse sustinere; paveant tamen Christum, cujus vice fungatur, in se offendere; nec quicquam ingerant pro meritis sibi suppetere : obedientiam tamen, caritatem et reverentiam suis antecessoribus ab illorum majoribus exhibitam, non ausint sua levitate negligere. Hæc cum paterno animo perorasset, majori odio, peccatis stimulantibus, illas in se concitavit, Sophia utrobique, ex parte archiepiscopi ac congregationis perurgente. Instabat autem hora, qua domina Gerburgis ecclesiam, quam construxerat, consecrari deposcebat. Unde quia ipsa diutina infirmitate fatigata, ad obeunda tantæ festivitatis sollemnia minime suffecerat, Sophia, domina et matre consentiente, studium tanti laboris assumserat; et more suo proprium episcopum postponunt et abjiciunt. Archiepiscopus accersitur, quo ordinante, cuncta ad dedicationem pertinentia disponuntur. Consecrationis diem statuunt, Exaltationis videlicet sanctæ crucis solemnitatem *a*. Mittitur autem et legatus ex latere
a dominæ abbatissæ, qui beatum Bernwardum
C ad dedicationem invitet, diemque denunciet. Sed quamquam plures illum anticipatum archiepiscopi advocatione objicerent, leni tamen animo sufferens, ad præscriptum diem se venturum promisit.

Dedicatio ecclesiæ a XIV *septembris*

28 Interea, incertum qua de causa, archiepiscopus statutum mutat, diem abdicit, atque eamdem dedicationem in festivitatem sancti Matthæi Apostoli indicit; Beato quoque Bernwardo pari potestate, ut olim in velatione Sophiæ venerabili domino Osdago, legationem dirigit, mandans ut incunctanter illi ad dedicationem in præfata festivitate occurrat. Ipse vero suum legatum, atque scripta archiepiscopo remittit, astruens imperialibus jussis obstrictum, seriis quibusdam occupari; nec posse ad dedicationem, ut jussum est, ipsa die illi occurrere. In exaltatione tamen sanctæ crucis Gandesem venit ecclesiam dedicaturus, sicut domina abbatissa a principio disposuit : nil paratum reperit; immo aliquos collectos qui illi resisterent, et cum injuria ejicerent, si forte cum suis ecclesiam consecrare violenter appeteret, hanc enim famam D
illæ disperserant, cum Deo teste nihil hujuscemodi attentaret, vel mente conciperet. Jam enim tota mente ad archiepiscopum confugerant, se atque locum ejus tuitioni devoverant. Sophia namque illi assidue cohærens et cohabitans, hæc interdiu, noctuque ambigebat.

ad XXI *ejusdem mensis translata*,

29 Missarum vero sollemnia dominus episcopus ipsa die ibidem celebravit, licet maxima congregationis indignatione; easdem tamen ut oblationes offerrent, benedictionemque perciperent, admonuit *b*. Plebs quoque *b*
comperto sui episcopi adventu, quasi ad sollemnitatem convenit, mærens, et ultra quam credi possit, ægre ferens episcopum insolentia atque inobedientia loco detrudi. Quos et omnes adventantes limato sermone consolans, lacrymabili quæstu publice commemorabat, se ipsa die ad dedicationem ecclesiæ invitatum, nil sibi honoris exhibitum, immo exclusum : unde consecrationem ecclesiæ, quæ ad se pertineat, omnibus sine suo consensu canonica auctoritate interdicit. Qua de re congregatio sororum indignata, igne majo- E
ris indignationis accenditur : verum cum ad oblationem ventum est, oblatas incredibili furore et indignatione projiciunt, sæva maledicta episcopo ingerunt.

impeditur

30 Quo insolito tumultu perculsus, lacrymis perfusus antistes, non suam injuriam, quam parvi ducebat, pensans, sed veri pastoris pro persecutoribus orantis exemplo, ignorantiam seu potius malevolentiam furentium feminarum deplorans, ad altare rediit, missam suo ordine, magna animi contritione peragit, deinde populum alloquitur, benedicit, et corroborat; deductusque honorifice ab illis unde venerat, repedabat. O dignæ memoriæ virum, omnium ore celebrandum, cunctorum devotione intime amplectendum, apud se quidem incredibiliter humilem, sed apud Deum inspectorem, ejusque fideles, vere sublimem! Quis eum crederet in tanto pontificalis dignitatis honore, generis nobilitate, ministrorum multitudine, contra irrogatas sibi injurias patientiæ potius, quam potentiæ clypeo maluisse muniri? Sed vir beatus humanæ abjectionis probra non curabat, qui to- F
tus divino amori mancipatus, illius tantum oculis, quem singulariter diligebat, placere summopere gestiebat. Hæc pro commendando magnæ humilitatis exemplo ad imitationem audientium inserere libuit, nunc ad ordinem redeamus.

a Sleswicensi episcopo

31 Interea archiepiscopus et Sophia omnem apparatum ad novellæ ecclesiæ consecrationem necessarium diligenter præparant, inconsulto beato Bernwardo episcopo : quem tamen adjungere tentat, sed verita archiepiscopum, votis ejus obviare pertimescit. Præterea archiepiscopus in vigilia sancti Matthæi ad præfatum monasterium venit cum episcopis, Rethario Patherbrunnensi episcopo et Berengero Verdensi episcopo *c*,. Bernhardo *c*
quoque duce, cum aliis plurimis, consecraturus sequenti die ecclesiam; mittuntur quoque beato Bernwardo episcopo, qui eum ad sollemnitatem ecclesiæ invitent. Postera vero die adest diluculo vice domini nostri venerabilis episcopus Ekkehardus *d* cum majoribus *d*
natu

A natu nostræ congregationis, et aliquibus primariis de nostro monasterio. Cui fandi licentia data, archiepiscopum cum omni honore ex nomine beati Bernwardi episcopi devoto obsequio salutavit, dicens : Imperiali illum obsequio detentum adesse non posse; mirari tamen vehementer, in sua parochia et ecclesia, ab antecessoribus suis absque omni contradictione semper possessa, sine suo consensu ecclesiæ consecrationem indici, fraterna caritate deprecari, ut ab hujuscemodi invasione desistat : nec se intromittat, nisi quantum canones concedunt : si suo juri, singulari privilegio quiddam suffragari æstimet, ipsum non defuturum, quin communi consilio fratrum, ubicumque delegerit, justitiam plenissime exsequatur.

nomine Bernwardi

32 Archiepiscopus autem acerbiori indignatione inflammatus, mandat, ut primo mane sequentis diei, quæ tunc Dominica illucescebat, ad consecrationem præfatæ ecclesiæ incunctanter properaret; si venire tardaverit, nihilominus ecclesiam dedicaturum. Hanc autem iram et indignationem archiepiscopi
B adversus venerandum præsulem creavit maxime præcipua familiaritas domini imperatoris, qua illum speciali devotione pietatis ceteris familiarius percoluit. Affectuosissimo namque obsequio devinxit sibi imperatorem, qui cuncta, quæ ad gratiam illius competere sciebat, vigilantissimo studio obibat; et ob hoc animositatem et invidiam plurimorum in se commovebat, apprime quoque Moguntini episcopi, qui indignabatur aliquem præter se familiaritatis locum apud imperatorem habere. Dominica itaque irradiante, adest prædictus episcopus Ekkehardus, cum venerando fratrum nostrorum cœtu et senatu, vice domini nostri directis, qui canonica auctoritate et Patrum sanctorum prisca consuetudine objecta, fortiter archiepiscopi cœptis restiterunt; atque sic consecratio præscripti monasterii intercepta est.

agente et prohibente.

33 Ipse vero episcopus, inter missarum sollemnia facto ad populum sermone, synodum suam biduo ante sancti Andreæ natale, cum banni approbatione denuntiat *d* : deinde ad

d

altare regressus, in cathedra sedens, privile-
C gia quædam ante incognita mandat recitari : in quibus continebatur, ut nemo de jure illius ecclesiæ auferret quicquam, hinc in decimis, vel prædiis, vel ulla re investitura contineret : hoc quoque banno roboravit, sicque discessum est. Episcopi autem qui aderant, ægre admodum archiepiscopi animositatem conquesti, fratri et coepiscopo per nos mandant, pertinacem ipsius et temerarium incœptum se coercere non posse; id unum suppetere, ut Apostolicum, imperatoremque adeat; illius causam illorum esse communem; nec se defuturos, quin de eisdem utrisque, Apostolico videlicet atque imperatori, scriberent.

Lis ad Papam et imperatorem delata.

34 Venerabilis itaque Bernwardus ultra modum sollicite ferens quantulumcumque schisma in ecclesia grassari, sciens quoque infusum venenum, nisi Apostolico et imperiali antidoto comprimi non posse, quamquam gravi corporis molestia lassaretur, et tantum iter imbecilli ejus corpori omnimodis esset contrarium, tamen ut pacem reformaret, contra vires suas subire non recusavit. Nam jampridem ardebat miro desiderio dominum imperatorem, quem unice amabat, videre. Paratis itaque tanto itineri necessariis, per vallem Tarenti *f*, quia ea via commodior est visa, ire procuravit, habens secum omnium cisalpinorum episcoporum scripta. Porro anno incarnationis Domini millesimo*, nonas novembris, nimio mærore totius congregationis plebisque a monasterio egressus, magna cum punctione deducitur; Dei gratia comitatus ad votum rebus cedentibus, secundo nonas januarii Romam ingressus est.

AUCTORE TANGMARO.

f

* *al.* MI

Bernwardus *Romam petit.*

35 Quod humillimus ac piissimus imperator audiens, miro affectu dilectum magistrum videndi flagrans, ad suam præsentiam tamen eum fatigare nolebat; sed festinus a palatio fere duo miliaria ad sanctum Petrum illi occurrit, benignissimeque susceptum, inter amplexus familiarissime deosculatum ad hospitium deduxit; diuque cum illo confabulatus, sequenti die illum ad palatium venire rogavit Hoc præmisit, ut quantulumcumque de suo proprio ministerium suum impenderet, sed per sex septimanas, quibus apud illum mora-
E batur, sufficienter in usum sui, suorumque cuncta indiga largiter ministrari præcepit. Mane vero dominum Apostolicum convocavit in occursum carissimi hospitis; venientem quoque foris in atrium obviam procedentes libentissime susceperunt; nec permissus est ad suum domicilium reverti, sed juxta, ubi ipse dominus imperator habitabat, splendidissimum illi habitaculum exhibebat *g*. Vicissim quoque nunc imperatoris cubiculo, interdum episcopi confidentes, et forenses causas et reipublicæ necessaria conferebant. Nam de archiepiscopo et tumultu Gandensemensi oborto, ante accessum domini episcopi fama præcurrens, cuncta divulgaverat : unde non opus habebat singula evolvere, sed breviter strictimque imperatore interrogante, pauca contexuit.

g

Archiepiscopus non desistit.

36 Sed archiepiscopus, quod mente perceperat, actu perfecerat. Quidam enim maligni illum impulerunt, Sophia nihilominus institerat. Venit itaque biduo ante sancti Andreæ festum Gandensem ad synodum, ut disposuerat, habens secum venerabilem episcopum Rhetarium, aliosque complures extraneos, vi-
F delicet de Thuringis et Hassis, quorum id nihil intererat, nonnullos etiam de sua diœcesi, infra Saxoniam. Sed in principio actionis, venerandus præsul Ekkehardus archiepiscopum commonet, ut a synodo desistat, nec in aliena ecclesia talia præsumat; præcipue cum dominus episcopus, ad quem ecclesia pertineat, absit, et cum domino Apostolico et imperatore consistat. Ad hæc incredibili furore archiepiscopus succensus, torvo vultu ac minaci jubet, ut sileat; nil ad se talium pertinere, ut propriam ecclesiam habeat, illam gubernet. Contra Ekkehardus : Peccatis, inquit, agentibus termini episcopatus mei barbarica sunt feritate depopulati, civitas deserta, ecclesia desolata *h*; sedem non habeo, servum me sanctæ Mariæ et Hildensemensis * recognosco, et in cunctis, quoad potero, loco sancto prodesse studebo.

h

* *P. addit:* Ecclesiæ

37 Archiepiscopus itaque productis viris, quos adduxerat, requisivit episcopos, si liceat homines illos banno suo ad sacramenta constringere,

AUCTORE TANGMARO.

stringere, ad cujus diœcesim illud cœnobium pertineat. Illi, quamquam metum illius veriti, aiunt legitime fieri non posse absente episcopo. Ekkehardus itaque præsul et fratres nostri, populus quoque orant instanter sacramenta suspendi. Qua unanimitate cleri et plebis archiepiscopus commotus, prædicto episcopo minatur, ut sileat, vel cum injuria foras eum ejiciendum. Super hoc plures indignati, et aliquanti quos archiepiscopus adduxerat, cum propemodum tumultus oriretur, Ekkehardus præsul ab episcopis rogatus, secessit, cunctosque Gandesemenses et omnes ad Hildensemensem diœcesim pertinentes ad suam synodum invitavit. Ad cujus bannum unanimiter omnes egressi illum secuti sunt, tantummodo cum archiepiscopo suis propriis, quos adduxerat, relictis. Cum vero de diœcesi sacramentis examinarentur, alii Ethrinam Frideslarensem fluvium terminum Hildensemensis parochiæ affirmabant *i*; errorem faciente nomine Edernæ fluminis, quod Gandensem alluit; alii certum nil se scire, nisi quantum aliorum relatu didicerint approbant, nullus B aliquid vel memoria dignum asseruit. Archiepiscopus tamen, ac si veritate cuncta fixa constarent, banno, ne quis illi sacramento retentum cœnobium auferret, munivit, sicque libero errore discessum est. Populus vero quicquid ab Hildensemensi senatu jubebatur, obedienter obivit.

i

ANNOTATA.

a *Anno Domini* 1001, *signato littera dominicali E, festum Exaltationis S. Crucis seu dies* XIV *septembris incidebat in Dominicam, qua frequenter celebrabantur dedicationes ecclesiarum, quia facilior et numerosior erat populi ad solemnitatem accessus. Idem judicium esto de festo S. Matthæi Apostoli seu* XXI *septembris.*

b *Moris erat vel ab antiquis Ecclesiæ temporibus, ut fideles oblationes præsertim panis et vini facerent, quæ deinde populo fideli ex parte distribuebantur. Ad hunc morem alludere videtur Tangmarus hoc loco : nempe moniales Gandesienses nihil obtulerant, et quum, peracto Missæ sacrificio, ab aliis oblata etiam illis distribuerentur, istæ* incredibili furore et indignatione projecerunt, et sæva maledicta episcopo ingesserunt. *Antiqui istiusmodi ritus testimonium reddit decretum Pii Pp. I, quod licet spurium, antiquissima consuetudinis imaginem refert* (1) : Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo et consecrationibus, quæ supersunt vel de panibus, quos deferunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido et convenienti, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die dominico et in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.

B

c *Berengerus seu Bernarius aut Bernerius, hujus nominis Secundus, Verdensem Ecclesiam rexit ab anno* 993 *ad* 1013 (2).

d *Ekkehardus aperte dicitur episcopus Sleswicensis num.* 73, *pulsus autem e sede sua a barbaris, et hospes a S.* Bernwardo *admissus, deinceps in multis negotiis ejus vices supplevisse : nam infra num* 36 *Ekkehardus causatus suam a propria sede absentiam, dicit :* Sedem non habeo, servum me sanctæ Mariæ et Hildesemensis Ecclesiæ recognosco et in cunctis, quoad potero, loco sancto prodesse studebo. *Ex altera vero parte Joannes Cypræus, in suis Annalibus episcoporum Sleswicensium, eodem tempore ponit Popponem ab anno* 984 *ad* 1029 (3). *Adeo ut Ekkehardo nullus relictus sit locus. De Poppone, de cujus cultu non constitit majoribus nostris, agunt tamen ad diem* X *julii* (4) *et ad* XIX *ejusdem mensis* (5), *quin illum Sleswicensem vocent pontificem, sed simpliciter* episcopum Danum. *Sleswicum olim metropoli Lundensi in Dania obnoxium erat : sed illæ sedes modo ab hæreticis occupantur. Cæterum major fides habenda coævo biographo, quam recentiori scriptori, qui nullo documento ostendit, Popponem suum Sleswici sedisse.*

D

e *Episcopus Ekkehardus synodum diœcesanam* biduo ante S. Andreæ *natale, seu* XXVIII *novembris celebrandam indicat, in quam etiam diem Willigisus archiepiscopus convocat, num.* 36, *populum ad dedicationem Gandersheimensem : an forsan ideo indicta synodus in hanc diem, quia archiepiscopus jam in eamdem præstituerat ad dedicationem procedere? certe hac ratione excusabatur absentia episcopi et cleri Hildesiensis.*

E

f *Recte existimo cl. Pertz interpretatum esse* Vallem Tarenti *per* Vallem Tridentinam. *Nam Tarentum civitatem in extremos fines meridionales Italiæ situm esse, adeoque commodiorem non præbere viam, satis notum est.*

g *Codex unus apud Cl. Pertz textui addit sequentia :* naturales quoque cibos, quibus in patria illum usum noverat, pius conviva exhibebat; medum quoque et cervisam, fama præcurrente, in adventum amantissimi hospitis præparabat, vasa etiam picarios ac nitidas scutellas, candelas quoque inter prandendum providit. *Picarii sunt cyathi ad bibendum, gallico antiquato* Pichier, *italice* Bichiare. *Addit annotator :* sæculi undecimi mores a nostris haud multum diversos cernis.

h *Hujus desolationis testimonium nobis facit Helmoldus in Chronico Slavorum cap.* XV (6) : In diebus illis (*scilicet circa finem sæculi* X) permittente Deo propter peccata hominum, perturbata est apud Danos et Slavos tranquillitas, et pulchris divinæ religionis incrementis inimicus homo superseminare zizania conatus est... Suein, regno potitus in sua crudelitate sævire cœpit, gravissimam in christianos persecutionem exercens. Consurrexerunt omnes iniqui in finibus aquilonis, gaudentes vel tunc patere locum malitiæ suæ, bellis scilicet et perturbationibus, cœperuntque finitima regna vexare terra marique.

F

i *Ederwa fluvius* (Die Innerste), *Gandershemium alluens, terminus erat inter episcopatum Hildesiensem et Moguntinum archiepiscopatum : quo admisso, jam nulla esse poterat controversia ad utram diœcesim pertineret parthenon. Quod si Ethrina* (die Eider) *fines episcopatus Hildesiensis*

(1) Labbe. tom. I, Conc. col. 578. — (2) Schmidt tom. II, p. 524. — (3) p. 78 et 84. — (4) Act. SS. tom. III Jul. p. 131. — (5) Ibid. tom. IV Jul. p. 578. — (6) Leibnitz, Rer. Brunsw. tom. II, p. 551.

A *siensis constituebat* (1) *nihil contra arrogatum jus Moguntini efficiebatur, quia, si quos fines Ethrina disterminat, ii magis episcopatus Osnabrugensem et Monasteriensem dividebant. Proin incerti manebant termini inter* Bernwardum *et Willigisum.*

CAPUT IV.

Plures in Germania celebrantur conventus episcoporum in causa Gandersheimensi quam ubique vincit Sanctus, sed sine fructu.

Archiepiscopi gesta Romæ improbantur.

Interea legatus Romam super his domino episcopo dirigitur; scripta quoque domino Apostolico et imperatori lacrymoso admodum stylo ferebantur. Unde tam Apostolicus quam imperator, et omnes Romani graviter commoti, canonum auctoritatem, Patrum nihilominus traditionem violatam; contemtum quoque maximum Romanæ sedi, et Apostolico, imperatori etiam tali præsumptione irB rogari, periculosum scandalum in Ecclesia hac insolentia scientes posse generare, hujusmodi virus penitus extirpandum decreverunt. Per idem tempus mansit cum imperatore unicum
a decus imperii, dominus Henricus *a*, tum temporis dux potentissimus, in proximo quidem Dei pietate rex futurus, in quem Dominus thesauros divinæ humanæque sapientiæ contulit.

in synodo, ibidem coacta,

39 Hic graviter semper ferebat Gandensem obortam controversiam, atque ardenter instabat Ecclesiam pacificare, et sub signis Christi militantes ad caritatem et gratiam reformare. Hujus itaque suasu, cleri plebisque coadunata est synodus viginti episcoporum de Romania. Aliquanti etiam aderant de Italia et
b Tuscia *b* : de nostris quoque Sigefridus Augustensis, Henricus Wirciburgensis, Hugo etiam
c junior Ciciensis *c*, præsidente domino Ger*d e* berto apostolico *d* cum imperatore in palare *e*, in ecclesia sancti Sebastiani martyris, præsente nihilominus singularis meriti viro Henrico duce pacatissimo, et abbatibus, adstanC tibus quoque presbyteris et diaconibus, omnique romana dignitate. In fronte itaque actionis, post Evangelia lecta et quædam Patrum capitula, benedictione data, cum sedissent, facto silentio, venerabilis episcopus Bernwardus de loco sessionis suæ modicum progressus, humiliter domno Apostolico et imperatori, et domino Henrico duci, omnique synodo causam ecclesiæ suæ elimato sermone exposuit. Cunctis itaque questu ejus compunctis, sapientissimus Papa interrogavit concilium, si synodus habenda vel vocanda esset, quam archiepiscopus cum suis quos adduxerat collegisset in ecclesia ab Hildensemensibus semper possessa episcopis; præcipue cum episcopus defuerit, et ad Romanam sedem pro eisdem causis confugerit : vel, quo nomine tale conventiculum vocitandum sit.

et rescinduntur,

40 Sanctum concilium secessum petit, ut secretius inter se de his inquirant. Quod piissimus Papa libens annuit. Egressique sunt soli romani episcopi, et postmodum introgressi, cum iterum consedissent, Apostolicus ait : Quid sancitis, fratres, de synodo? Sanctum concilium respondit : In aliena ecclesia, et ab aliis possessa nil juris habuit; neque canonice ibi synodum celebrare, aut aliquid constituere sine consensu proprii episcopi potuit, nec omnimodis synodus dici potest. Sapientissimus Papa dixit : Ergo quo nomine rite vocari potest? Sanctum concilium respondit : Schisma concilians discordias. Sapientissimus Papa dixit ; Abjicienda sunt, quæ ibi gesta sunt? Concilium respondit : Canonica auctoritate et sanctorum Patrum exterminanda sunt, quæ ibi adinventa, vel statuta sunt. Apostolicus ad hæc inquit : Apostolorum potestate, sanctorumque Patrum auctoritate, dissipamus et effringimus et annulamus, quæ absente fratre et coepiscopo Bernwardo Gandesem in sua diœcesi ab archiepiscopo Willegiso, et suis complicibus adinventa, et sacramentis statuta sunt. Et adjecit : Frater et episcopus Bernwardus petit sibi restitui sublatam vestituram ab archiepiscopo; quid sancitis, fratres? Sanctum concilium respondit : VestituE ram, quam archiepiscopus non potuit auferre, non est necesse illi reddere. Sed quia hoc ipse petendo instat, si domino imperatori placeat, Apostolatus vestri ferula *f* vestitura ei redin*f* tegretur, et corroberetur. Papa respondit : Fiat juxta placitum vestri. Et tradidit illi Apostolicam ferulam dicens. Gandesemense cœnobium cum adjacentibus villis et terminis tuo juri redintegro, et corroboro; et Apostolica sanctorum Petri et Pauli auctoritate interdico, ne aliquis, nisi quantum canones permittunt, tibi obsistat.

ac Ecclesiæ Hildesiensis jus confirmatur.

41 His finitis, dominus Apostolicus quid faciendum esset concilium requisivit. Responsum est : Si utriusque principibus id conveniat, scriptis archiepiscopum *, quod tam audax incœptum canonibus, Patrumque regulis contrariumque, vir summæ gravitatis attentarit; simul quoque, ut in posterum a tali controversia desistat, nec aliquid se intromittat, nisi canonice emancipet. Synodum quoque episcopis per Saxoniam indici, vicarium nihilominus ex parte domini Apostolici destinari, qui synodo præsideat, complacitum est. LoF cus Palati habendæ synodi disponitur *g;* dies, *g* undecimo Kalendas julii denunciatur, Frithericus Cardinalis Presbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ, postea Ravennæ archiepiscopus, Saxo genere *h*, juvenis ætate, sed senior mo*h* rum probitate, vicarius domini Apostolici eligitur atque dirigitur. Apostolicis paramentis, atque insigniis non minus infulatus, quam si ipse procedebat.

* *supple* monendum

Otto Tiburtinam urbem obsidet,

42 Illis quippe diebus, dominus imperator Tiburtinam civitatem arcta obsidione vallavit *i*. Machinis autem et plerisque instrumentis ad expugnationem paratis, fossis etiam miræ magnitudinis, ut aquam a meatu deducerent, cum magnam vim civibus ingererent, nec ad deditionem cogere possent, imperator invitatur. Nec mora, adest cum Apostolico, et venerabili Bernwardo episcopo. Cumque, ut in talibus fit, alii augere obsidionem suaderent; alii, diuturno, ac grandi labore parum se profecisse dicerent, bonum videri, tantum

i

(1) Hydrograph. Lexicon Deutschlands.

ut

AUCTORE TANGMARO.

ut cum honore fiat, obsidionem solvi, imperator beatum Bernwardum præsulem seorsim abducens, quid agat, consulit; ægre admodum ferre se cum injuria cœptis desistere. Ad quem ille : Non patior, ait, super his vos, anima mi, quem vita cariorem habeo, commoveri. Sed nunc præcipite arctiori obsidione urbem vallari, nam, etsi reditum ad patriam desidero, non ante a Majestate vestra diverto, quam urbem populumque, vestro juri subactam, Dei pietate videbo. Ad hæc imperator lætus, dilecto gratatur magistro, locum arctiori obsidione munit, milites ad expugnationem instruit, intrandi vel exeundi licentiam omnibus imperiali auctoritate interdicit.

et cum ea pacem componit:

43 Aliquot diebus exactis, dominus Bernwardus et Apostolicus præfatam urbem adeunt. Cives læti adventantes servos Dei honorifice excipiunt, urbi intromittunt; nec prius desistunt, quam omnes pacatos imperatoris ditioni, Dei gratia adjuti, subdunt. Postera namque die, nobili triumpho subsequente, episcopi imperatorem adeunt : nam cuncti primarii cives prædictæ civitatis ad-
B sunt nudi, femoralibus tantum tecti, dextera gladios, læva scopas ad palatium prætendentes : Imperiali jure se subactos, nihil pacisci, nec ipsam quidem vitam : quos digne judicaverit ense feriat, vel pro misericordia ad palum scopis examinari faciat; si muros urbis solo complanari votis ejus suppetat, promptos libenti animo cuncta exsequi, nec jussis ejus Majestatis, dum vivant contradicturos. Imperator pacis mediatores, Papam et venerabilem Bernwardum episcopum magnifice gratando extollit, atque ad illorum nutum reis veniam tribuit; placitoque habito, urbem non destrui in commune deliberant. Urbani gratia imperatoris donantur, ut se pacifice agant, nec ab imperatore deficiant, admonentur.

Romani adversus imperatorem rebellant.

44 Romani denique indigne ferentes Tiburtinos cum imperatore pacatos, urbis quoque suæ portas seris muniunt, vias obstruunt, libere intrandi vel exeundi Romam facultas negatur; vendendi, vel emendi mercimonium interdicitur; nonnulli quoque regis amicorum injuste perimuntur. Palatini autem a beato Bernwardo episcopo salutaribus monitis instructi, confessione nihilominus purgati,
C sacro etiam viatico inter missarum sollemnia muniti, contra egredi, et hostes impetere conantur. Bernwardus episcopus Dominicam
k hastam *k* subiit : se quoque atque omnes vivificæ crucis munimine signat, benedictione publice data, ac vitalibus monitis consolans et corroborans, signifer ipse cum sancta hasta in prima fronte aciei egredi parat. Sequenti autem mane imperator cum suis post missarum sollemnia, a venerabili Bernwardo sacramentis cælestibus, ac divinis exhortationibus consolati, adversus hostes certamen instruunt, ipso antistite cum sancta hasta terribiliter fulminante, cordis vero instantia pacem ab auctore pacis suppliciter flagitante. Unde contigit devoti militis sui precibus exoratam pacifici regis Christi mox adesse præsentiam, cujus et in nativitatis ortu primum pacis gaudia nuntiantur, et postmodum ejusdem pacis amatores, evangelica veritate, filiorum Dei appellatione censentur.

Oratio Ottonis ad Romanos.

45 Ipsius itaque pietate, totius discordiæ rebellione sopita, hostes pacem poscunt, D arma projiciunt; in crastinum se ad palatium venturos promittunt. Mane, Dei clementia, adsunt; pacem petunt, sacramenta innovant, fidem se imperatori perpetuo servaturos promittunt. Interim piissimus imperator, turrim quamdam ascendens, ad illos concionabatur, dicens : Auscultate verba patris vestri et attendite, et ea mente diligenter reponite. Vosne estis mei Romani? propter vos quidem meam patriam, propinquosque reliqui amore vestro; meos Saxones, et cunctos Theotiscos, sanguinem meum projeci; vos in remotas partes imperii vestri adduxi, quo patres vestri cum orbem ditione premerent, numquam pedem posuerunt; scilicet ut nomen vestrum et gloriam ad fines usque terræ dilatarem. Vos filios adoptavi, vos cunctis prætuli. Causa vestri, dum vos omnibus præposui, universorum in me invidiam commovi; et nunc pro omnibus his, patrem vestrum abjecistis, familiares meos crudeli morte interemistis, me exclusistis, cum tamen excludere non potestis : quia, quos paterno animo complector, numquam ab affectu meo exsulare patior. Scio equidem, et E nutu oculorum seditionis principes assigno; nec verentur, dum publice omnium oculis notantur, nihilominus etiam fidissimos meos, de quorum innocentia triumpho, sceleratorum admixtione commaculare; nec posse distingui monstro simile arbitror. Hac oratione imperatoris, ad fletus usque compuncti, satisfactionem promittunt; duos corripiunt, Benilonem, et alium quemdam, quos crudeliter cæsos, nudos pedibus per gradus tractos, semivivos in præfata turri ante imperatorem projiciunt. Hac autem seditione sedata, venerabilis pater Bernwardus ad sanctum Paulum orationis causa accessit; apertoque sarcophago sancti Timothei, de quo in vita sancti Silvestri legitur, adstante custode, quem ipse imperator ibi posuerat, de integro brachium sancti Martyris abstulit *l*. Presbyter quoque ejus non *l*
minimam partem de eisdem reliquiis secum asportavit.

Bernwardus *reliquiis ditatus Roma egreditur*

46 Egressi itaque Papa et imperator Dominica Exsurge (*m*), immensis lacrymis civium, non longe ab urbe castra ponunt. Beatus quoque Bernwardus episcopus, jampridem antequam *m*
urbe excederent, accepta licentia ad patriam F
redeundi, præmissis omnibus suis, simplici tantum veste, imperatorem ad duas mansiones comitatus, quinta feria ejusdem ab eo dimissus est. Dici non potest quanto mærore, quantis utrorumque lacrymis fusis, ut in publicum procedere vererentur. Mitissimus imperator, quæ stylo, vel legatario intimare dubitaverat, fido magistro in arcanum mentis secretarium sapienti trutina libranda commendat. Reliquias nihilominus, integrum videlicet corpus sancti Exsuperantii martyris, diaconi sancti Sabini episcopi *n*, Goslariæ per *n*
illum direxit, ibidem sua industria in celebri loco reponendas.

quas partim Goslariam transfert.

47 Episcopus quoque mellito affamine, magisteriali moderamine, ut quondam puero alludebat, agenda quæque commemorabat. Fugienda suadebat vitia, mores omnium æquitatis lance pensare, patientiam familiarissimam in cunctis vernaculam sibi conciliare, ante omnia, ne quid nimium pertinaciter intentet.

A tentet. His gestis, unanimem magistrum in hospitium ducens, exquisitis donis remunerat; deinde Apostolico convocato, benedictione data, carissimum magistrum inter oscula flentes Dei gratia in pace dimittunt. Socios quoque viæ ex suis imperator cum illo dirigit, qui eum deducant, et ad se remeantes ipsius salutem, atque itineris prosperitatem exponant. Rebus itaque Dei clementia ad votum cedentibus, Papiam devenit; ubi ejus adventum præsules, ac comites totius Liguriæ exspectabant. Quibus legationem imperatoris dedit, atque in placito considens, plura cum illis de reipublicæ utilitatibus contulit. Illius namque consilio cuncti parebant; quia quantum ab imperatore diligeretur sciebant.

A Rodulfo, rege Burgundiæ muneribus donatur.

48 Leo quippe Vercellensis episcopus, vir litteris eruditus *o*, fandi quoque copia exercitatus, ad suam civitatem maximo cum honore et affectu invitavit; vix quoque obtinuit: præveniensque, collecto maximo cleri populique cœtu, in laude Dei cunctis psallentibus, campanis etiam personantibus, non minori ambitu quam si Papa adveniret excepto, omniaque in ministerio ejus opulentissimo luxu, quantum imperatum est, impendit, donis quoque eximiis honoravit : socios etiam cum illo misit, qui sequenti die hospitium plenis copiis providebant. Inde per diversa loca, et civitates veniens, plurimorum benignitate in multis locis usus, Clusas excedens, Alpibus Dei misericordia superatis Octodorum prætergressus Agaunum abiit *p;* ibique a Rodulfo rege Burgundiæ *q* liberalissime excipitur; qui tradidit episcopo in proprietatem infra Papiam cum manuscripto tres curtiles, et sua subscriptione anulique impressione roboravit. Inde Dei gratia munitus, divertens prospero, Deo auxiliante, itinere, Hildensem cum maximo cleri plebisque tripudio, in sancta festivitate heroicæ Cœnæ intravit *r*. Reliquias quoque sanctorum, quas advexit, magno honore in ecclesia condidit; immensamque pecuniam in altaris servitium atque in usus pauperum expendit. Totum æstivum tempus in exstructione murorum civitatis, quam Hildensem inchoaverat, institit, interdum etiam gravi stomachi molestia laboravit.

B

C

p

q

r

o

ANNOTATA.

a *De S. Henrico, primum duce Bavariæ, dein imperatore late egere nostri in ejus Actis ad diem* XIV *julii* (1).

b *Triplicem divisionem exhibet Tangmarus : nempe* Romaniam, *quæ hodie la Romagna vocatur, olim provincia Æmiliæ;* Italiam, *sub qua voce præsertim Italiam meridionalem intelligit scriptor;* Tusciam, *ad quam, præter Etruriam hodiernam, etiam partes patrimonii Ecclesiæ Romanæ pertinent* (2).

c *Sigefridus I Augustæ Vindelicorum episcopus fuit ab anno* 1000 *ad* 1006 (3); *Henricus I Wirciburgi ab anno* 995 *ad* 1018 (4); *Hugo II Citici ab anno* 984 *ad* 1002 (5).

d *Gerbertus, ante Remensis et Ravennatensis episcopus, sedem Romanam tenuit ab anno* 999 *ad* 1003.

AUCTORE TANGMARO.

e Palare *interpretatur Cangius h. v. locutorium : additque etiam nostris usitatum* paller *pro* parler.

f *De Ferula papali erudite scripsit Cl. Moroni* (6). *Dicit aliquando sumi vox ferula pro pedo pastorali. Sed quoniam Papa pedum non defert, ferula papalis erat virga, quæ significabat magis temporalem quam spiritualem jurisdictionem Romani Pontificis, in* signum regiminis et correctionis. *Benedictus* VIII *anno* 1012 *per virgam confert abbati Farfensi Castellum Buccinianum, de quo diuturna fuerat lis.*

g *Locus* Palati, *secundum mappam majorem Chronici Gottwicensis, in antiqua diœcesi Leodiensi, quatenus in hodiernam Neerlandiam se extendebat, situs est. Ideo forsan designatus locus, quia sub neutro litigante constitutus : Leodium enim subjectum erat metropoli Coloniensi. Alii tamen, inter quos Leibnitzius* (7) *multo melius, præsertim si cum num.* 49 *conferatur et Cl. Kratz* (8), *censent, synodum convocatam fuisse Poldam* (*Germanice* Pölde) *in ditione Hanoverana, in quo loco fuit olim monasterium et palatium, in quo frequens erat conventus nobilium ad majora festa per annum. Iste autem locus apud scriptores sæpe venit nomine Palithi.*

h *De Friderico, quatenus archiepiscopo Ravennatensi, agit Ughellus* (9), *sed nuspiam indicat, illum fuisse cardinalem. Ejus quoque nomen præteriit Ciacconium et Oldoinum.*

i *Adnotat Cl. Kratz, in antiquissimo codice pergameno, olim ad S. Michaelis, nunc in bibliotheca regia Hanoverana servato, legi* Tyberinam civitatem *pro* Tiburtinam (10) : *quasi Otto imperator in ipsa urbe rebellibus vallatus fuisset : censetque illam Tyberinam civitate esse forsan hodiernum castellum S. Angeli; nisi tamen fuerit insulam, quam in ipsa urbe cingit undique Tyberis, in quo hodie exstat monasterium S. Bartholomæi. Sed recte scribi* Tiburtinam civitatem, *sequentia docent. Parta enim victoria,* Romani, *ut dicitur infra num.* 44, indigne ferentes, Tiburtinos cum imperatore pacatos, urbis suæ portas seris muniunt *etc. Si autem ageretur de loco aliquo intra urbem, non esset ratio* portas seris muniendi *et reliquorum quæ ibidem referuntur.*

k *Lancea, qua latus Christi Salvatoris apertum fuit, religiose servatur Romæ in basilica Vaticana. Sed est altera lancea, qua usus fuit Constantinus imperator, ad formam sacræ lanceæ et partim cum clavo crucifixionis confecta : hanc acquisivit Henricus I seu Auceps, qui imperium tenuit ab anno* 918 *ad* 936, *deinceps inter cimelia imperii servatam* (11), *et a S.* Bernwardo *in conflictu portatam.*

l *Timotheus, cujus brachium pro Ecclesia sumpsit S.* Bernwardus, *colitur in Breviario Romano ad diem* XXII *augusti, ad quam nostri ejus Acta examinant* (12).

m *Dominica* Exurge *est dominica sexagesima, quia hac voce Missa inchoatur. Quoniam vero anno* 1001, *littera E dominicali signato, pascha*

E

F

(1) Acta SS., tom. III Julii, p. 711. — (2) Cfr Baudrand, Lexic. Geograph. — (3) Schmid, tom. I, p. 12. — (4) Ibid., tom. II, p. 575. — (5) Ibid., p. 18. — (6) Dizion. di Erud. eccles., V° *Ferula*. — (7) Rer. Brunsw., tom. I, p. 200. — (8) Der Dom zu Hildesh., part. III, p. 24. Cfr Acta SS., tom. II Mart., p. 364. — (9) Ital. Sacr., tom. II, col. 559. — (10) Der Dom zu Hildesh., part. III, p. 21. — (11) Moroni, Dizion. di Erud., tom. XXXVI, p. 91. — (12) Act. SS., tom. IV Aug , p. 550.

AUCTORE TANGMARO.

die XIII *aprilis occurrebat, sexagesima ad diem* XVI *februarii signatur, qua Pontifex et imperator Urbe excesserunt.*

n *Acta S. Exsuperantii, diaconi S. Sabini, illustranda venient die, quo colitur et in Martyrologio ejus memoria celebratur,* XXX *decembris.*

o *De Leone,* XLIX *episcopo Vercellensi, agit Ughellus : ejus episcopatus duravit ab extremo fine sæculi* X *annis fere* XXV (1).

p *Octodurum* (Martigny), *olim sedes episcopi Valesiorum, dein Sedunum translatæ : et Agaunum* (S. Maurice) *ad pedes Alpium sita sunt oppida.*

q *Rudolfus III, dictus Piger, Burgundiæ imperavit ab anno* 993 *ad* 1032.

r Festivitas heroicæ Cœnæ *est feria quinta majoris hebdomadis in Cœna Domini : paschate die* XIII *aprilis, ut diximus supra, occurrente, Cœna Domini die* X *aprilis celebrabatur.*

CAPUT V.

Lis Gandersheimensis pendens, frustra definitur, Willigiso obstinate resistente.

B

Fridericus Cardinalis advenit,

Interea affuit ab Apostolico et imperatore vice Papæ directus cardinalis presbyter Fridericus, omnibus insigniis Apostolicis, ac si Papa procedat, infulatus, equis Apostolica sella romano more ostro instratis. Scripta quoque a Papa et imperatore, episcopis et ceteris principibus mittuntur, ut Romanum legatum digno honore suscipiant, ejusque legationi indubitanter omnes, quasi Apostolicus præsens cernatur, obediant. Convenerunt itaque Palithi ad synodum decimo kalendas julii, juxta decretum Apostolici præscriptum. legatum vero, vario affectu excipiunt. Archiepiscopus autem et qui ei favebant, mira indignatione et exsecratione illum spernebant; episcopus vero Bernwardus, et Lievezo Hammenburgensis archipræsul *a*, aliique quamplures reverenter eum tractabant, præcipuoque honore colebant, sed postquam ad concilium ventum est, vix dici poterit, quanta seditione et tumultu agitetur. Nam nec locus sessionis vicario Apostolici idoneus conceditur; horribilis strepitus ingeminatur, jus fasque contemnitur, canonica disciplina annullatur.

a

C

et interest synodo.

50 Vicarius inter episcopos Lievezonem et Bernwardum sedens, Apostolici scripta et legationem ad episcopos se habere, facultatem exsequendi, quæ ferat, sibi exhiberi orabat. Imperato denique silentio, primo dulci affamine episcopos de pace et caritate et concordia commonet; deinde epistolam Papæ archiepiscopo specialiter directam profert, publiceque in auribus omnium recitari precatur, quam cum archiepiscopus tangere vel videre dedignaretur, episcoporum judicio palam est recitata, in qua ipse episcopus aperte corripitur, et de fraterna concordia et obedientia admonetur. Vicarius autem, quamvis archiepiscopum irritare magno studio parceret, tamen miti affatu, quæcumque illi objiciebantur, obedienter fratrum consultu satisfacere, Apostolica auctoritate commonet. Super his, etsi indignatus, consilium a fratribus et præcipue ab archiepiscopo Lievezone quærit. Ad hæc ille : Bonum sibi, quia læsus frater dominorum nostrorum Apostolici et imperatoris suffragia petiit, coram vicario illorum episcoporum judicio satisfaciat.

D

Archiepiscopus Moguntinus e synodo egreditur, tum ex ipsa urbe.

51 Januæ interim Ecclesiæ panduntur, laici intromittuntur : fit strepitus, tumultusque validus, Moguntinis exsultantibus, arma exposcunt, immensas minas ingerunt adversus Apostolici vicarium et beatum Bernwardum episcopum. Legatus autem et præfatus episcopus, nec tumultu moti, nec minis territi, licet numerosiores haberent militum copias, non arma fremunt, sed seditionem compescunt. Episcopi autem negotium in posterum diem protelandum suggerunt in fidem suam suscipiunt archiepiscopum adventurum, justitiamque obedienter exsequuturum. Interea archiepiscopus nimio furore succensus egreditur, quem infra coronam fratrum vicarius insequitur, et banno Apostolicæ auctoritatis ad synodum in eamdem ecclesiam sequenti diluculo invitat, sicque illa actio soluta est. Matutino itaque crepusculo clam archiepiscopus, omnibus ignorantibus, cum suis abscessit. Vicarius autem secundam actionem synodi sequenti die adorsus, in principio actionis archiepiscopum inquirit : quem, quia non aderat, ab omni episcopali ministerio usque ad præsentiam Papæ suspendit; cunctis vero episcopis synodum in natali Domini ad præsentiam Papæ, Apostolica auctoritate indicit : archiepiscopo nihilominus scripta in hunc modum dirigit. « Quia synodo te substraxisti, et jussis Ro« mani Pontificis inobediens fuisti, auctori« tate sanctorum Apostolorum Petri et Pauli « et illorum vicarii Papæ Silvestri, ab omni « sacerdotale officio scias te usque ad præ« sentiam illius suspensum. » Sic secunda actio terminata est.

E

Altera synodus indicitur;

52 Vicarius autem cum beato Bernwardo aliquantum moratus, præcipuis muneribus ipse et omnes sui remunerati, in pace dimissus est : perveniensque ad Apostolicum et imperatorem, legationis ordinem aperuit. Super quo graviter indignati, jubent universos Theotiscos episcopos circa natale Domini ad illorum præsentiam festinare, non solum ad synodum, sed cum omni suo vasatico *b* ita constructos, ut ad bellum quocumque imperator præcipiat, possent procedere. Præfatus quoque Fridericus non multo post episcopalem cathedram Ravennæ obtinuit. Propterea beatus Bernwardus sperans Dei gratia, et utrorumque principum clementia, summa pace se conversaturum, abbatiam Hildewardeshusensis ecclesiæ *c* sibi ab imperatore traditam, et solemni ab ipso dedicatione devotissime consecratam, et divino servitio excultam, pluribusque beneficiis ac donis ab eo ditatam, ubi etiam sua matertera matris regimen agebat, in præcipua festivitate illarum adire disponebat, præmisso omni apparatu ad tantam sollemnitatem confluentibus necessario.

F

b

c

52 Cum jam omnia parata essent, ipseque in proximo futurus, supervenientes nocturno

sed per homines Willigisi

tempore

(1) Ital. Sacr., tom. IV, col. 772.

AUCTORE TANGMARO.

impetitur Bernwardus.

tempore homines archiepiscopi, cuncta invadentes dissipaverunt, aliquantos vero domesticos episcopi crudeliter cæsos dimiserunt. Hac injuria exacta, venerabilis præsul Gandesemense cœnobium adire, et quæque emendanda essent corrigere disponebat, ne quid sua culpa esset neglectum. Cui obstitit immensa multitudo, non minus armis instructa, quam si ad publicum bellum cogerentur. Hos conscivit Sophia, cunctos videlicet quos de vasatico archiepiscopi, vel familia illius convocare poterat, omnes suos notos et familiares, manum validam, turres, et munitiora loca circa ecclesiam armato complent milite; et contra unum hominem, suum videlicet episcopum inermem, et benedictionem illis portantem, ita castellum muniunt, quasi barbarico procinctu se defendere parent, ut veraciter illud Apostoli impletum in illo videatur: « Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur * ».

* II Tim, III, 12

Nova indicitur synodus apud Francofurtum,

54 His sanctus præsul auditis, suos quid agat, consulit. Cuncti periculo cedendum statuunt, dirigunt quoque qui veritatem diligenter investigent; qui omnia quæ sparserant, vera et his majora annunciant. His hoc modo gestis, episcopi hujusmodi controversiam in Ecclesia grassari cernentes, super quam tanti viri, tam inauditis et intolerabilibus injuriis nimium dolentes, conventum Franconovord post assumtionem beatæ Mariæ expetunt. Invitantur etiam archiepiscopi, Coloniensis et Trevirensis. Ventum est ad diem concilii, præsidentibus archiepiscopis Willegiso Moguntiensi, Heriberto Coloniensi, Ludolpho Trevirensi, cum aliis servis Dei Rhetario Patherbrunnensi, Rotberto Spirensi *d*, Beringero Verdensi, Ekkehardo Sleswicensi. Sed, quia Ekkehardus Hildensem hospitabatur, barbarico tumultu sua civitate et ecclesia depopulata, beatus Bernwardus episcopus molestia corporis impeditus, ad conventum vice sua illum direxit, addens illi notarium Tangmarum presbyterum et monasterii decanum, qui succenturiatus adesset, si quid forte adversi ex parte archiepiscopi emersisset.

d

in qua nihil definitur.

55 In principio itaque primæ actionis archiepiscopus mitiori relatu fratribus absentiam domini Bernwardi conqueritur, justitiam fraterno judicio, si adesset, se illi facturum asserit. E contra, non temeritate vel inobedientia deesse refellitur, sed gravi corporis molestia impeditum; quæcumque sacer conventus, divino * statu illustratus deliberet, statuat, vel imperet, obedienter se obsequuturum ac servaturum. Sic quoque mutua benedictione data, ipsa die actio finita est. Sequenti die archiepiscopus, quibus impellentibus incertum, mordacior ad sessionem progreditur. Aliqui namque et quidam de episcopis favore illius adducti, beatum Bernwardum episcopum publice in synodo requirendum suadent. Tangmarus autem presbyter episcopos commonet, ut archiepiscopum pertinaci animositate compescant. Denique Dei pietate mitior archipræsul efficitur, instantibus tamen cunctis, ut vestituram Gandesemensis cœnobii beatus Bernwardus possideret; nullo modo episcopus consensit, sed ut neuter illorum, donec ad octavas Pentecostes Fridislare ad palatium conveniant, se intromittat. Sicque concilium Dei gratia solutum est.

* *f.* flatu

S. Bernwardus Tangmarum in Italiam vice sua mittit.

56 Beatus perinde Bernwardus gemina gratia Italiam ardebat adire, præcepto videlicet Apostolici satisfacere, et carissimum dominum regem videre, quem vita pretiosiorem colebat. Direxit autem Tangmarum presbyterum vice sua, qui et priori anno comes itineris, et peregrinationis ejus apud imperatorem fuerat, qui a primæva ætate seu juventute usque ad canitiem scholari studio intentus, nutriendis pueris operam dabat. Hic ad præsentiam Papæ et imperatoris cum epistolis ac mandatitiis missus, plurimorum benevolentia per viam gratia domini sui usus, imperatorem in Spoletanis partibus reperit, a quo merito domini episcopi benignissime susceptus, Apostolici adventum præstolabatur. Quibus convenientibus, legationem et scripta tradidit, imperatore clementer apud Apostolicum episcopi causam prosequente. Deinde jubetur synodum exspectare, quæ apud Tudertinam civitatem in natali Domini futura erat, bonis omnibus ex parte utriusque principis opulentissime sustentatus. Eodem tempore quibusdam imperialibus obtinentibus, frater beati præsulis Bernwardi Tammo comes imperatori gratus, vir certe omnium morum probitate præclarus, ad regis imperium de Sommerschenburg * *e* paternum munitum valde castellum incedit; cujus solertia atque industria in illis locis et vicis bene tuebatur respublica.

E

* *Permittit* Somerschenburg

e

Concilium Tudertinum,

57 Anno singularis nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo secundo, Indictione decima quinta, Apostolicus cum imperatore Tudertino natale Domini celebravit *f*. Ubi in festo sancti Johannis Evangelistæ concilium coadunatur episcoporum per Romaniam, et aliquorum de Tuscia et Italia. De nostris quoque consederunt, Notgerus Leodiensis, Sigifridus Augustensis, Hugo Citiensis *g*. Inter missarum sollemnia itaque considentibus ad triginta patribus, præsidentibus quoque dominis ac principibus urbis, Papa, atque imperatore. Post Evangelium, recitatis ex decretis sanctorum Patrum aliquibus capitulis, ad præsentiam synodi per oblationarium *h* legatus venerabilis Bernwardi episcopi statutus est. Ad quem Apostolicus ait : Dic, qua causa ad nostram præsentiam veneris, vel quid ad synodum habeas? Mox legatus, toto corpore ad terram prostratus, et erectus faventium manibus, pedibus utriusque principibus provolvitur; consurgensque, sic ait. « Dominus meus Apostolatus vestri auctoritatem, imperialem quoque Majestatem magnifice gratatus est, pro cunctis in quibus pro sua Ecclesia clementer laborastis. Quid autem legatus vester profecerit, aut quid in sua legatione occurrerit, ipse, quia præsens est, melius exponet. Post discessum autem illius, episcopi dolentes litem et controversiam diutius bacchari, conventum Franconovorti statuunt: ad quem cum venerabilis Præsul noster venire non posset, gravi corporis infirmitate impeditus, vice sua me direxit.

f

g

h

F

in quo suspensa lite,

58 Tandem in communi reverendi patres decreverunt, ut neque archiepiscopus, nec senior noster de Gandesemensi cœnobio se intromittant, usque post octavas Pentecostes; et

AUCTORE TANGMARO.

et tunc Frideslare ad Synodum pro hac causa conveniant. Et quia hic ad Apostolatus vestri sedem delata *... vestris scriptis multotiens est * annulata, vestrum expetit judicium, ut vestra auctoritas jubeat, in quo foro, vel sub quibus judicibus, causam terminare debeat. Ad præsentiam nihilominus hujus sanctissimi conventus, gratia sancti Spritus hic per vos aggregati, parvitatem meam destinavit, ut omnis senatus Apostolicæ Ecclesiæ publice cognoscat, illum devotissimo affectu domino Apostolico et Romanæ sedi obedire et consentire, et vestro judicio adinventa, vel decreta poscere, et pro posse perpetuo servare. » Ad hæc dominus Apostolicus obedientiam beati antistitis, et devotionem ac studium magnifice collaudavit. Prosequitur quoque venerabilis Ravennatis ecclesiæ metropolitanus Fridericus, et qui Palithi, atque in tota legatione sua illi occurrerint, contexuit. Archiepiscopi inobedientiam, injuriam, contemtum etiam Romanæ sedis; et e contra beati Bernwardi benignitatem, caritatem exponit; et quod ab illo præcipuo honore sit habitus, et affluentia
B omnium bonorum opulentissime refectus.

causa

P. sunt

Fridericus legationis suæ ructum exposit.

59 Ad hæc animositas archiepiscopi palam ab omnibus Romanis episcopis improbata, temeritas præsumtionis illius carpitur. In commune tamen cuncti deliberant, Coloniensem archipræsulem, ceterosque episcopos, qui proxime venturi erant, exspectandos. Mittuntur etiam nuntii, qui in Epiphania Domini, ad præsentiam utriusque principis illos venire jubeant. Sed cum minime venirent, exspectantur ad tres inducias *i*. Cum autem nullo modo fieri posset, ut convenirent; presbyter Tangmarus ut absolveretur omni nisu institit. Tertio itaque idus januarii imperator dimisit a se legatum cari sui magistri sæpe dictum presbyterum, largissime remuneratum. Episcopo quippe munera præcipua direxit; inter alia onychinum vas magni pretii, species quoque medicinales diversas, pigmenta etiam diversa.

ANNOTATA.

C a *Lievezo seu Lubentius I Hamburgensem Ecclesiam gubernavit ab anno* 988 *ad* 1013 (1). *Anno* 1001, *signato, ut jam diximus, litera dominicali E, decimus kal. julii concurrebat cum die dominica, in qua initia synodorum celebrabantur.*

b Vasaticum *interpretatur Cangius* id quod pro navibus aut apibus solvitur; *qua quidem significatione, vox hic loci accipienda non est. Videtur potius indicare apparatum bellicum, ut sequentia monstrant; imo conferendo cum num.* 53 *videtur significare convocationem vassorum.*

c *De parthenone Hildewardeshusensi egimus Commentarii prævii num.* 93.

d *S. Heribertus Coloniensem cathedram occupavit ab anno* 999 *ad* 1021 *: cujus Acta illustrarunt nostri ad diem* XVI *Martii* (2). *Ludolfus Treviris sedit ab anno* 993 *ad* 1008 (3) : *Rotbertus seu Rupertus Spiræ ab anno* 987 *ad* 1005.

e *Commentarii prævii num.* 10 *exposuimus rationes, quæ suadent, vocem* Sommerschenburg *esse omittendam; et quomodo* Paternum castellum *est intelligendum.* D

f *Initium anni erat festum Nativitatis D. N. J. C. Hinc igitur incipit annus vulgaris* 1002.

g *Sederunt Leodii Notgerus ab anno* 972 *ad* 1008, *Sigifridus I Augustæ Vindelicorum ab anno* 1000 *ad* 1006 (4). *De Hugo Citiensi egimus supra. Notgerus, gente Suevus, plurimum splendoris et utilitatis Ecclesiæ Leodiensi adjecit : unde poeta, Legiam alloquens, recte dixit :* Notgerum Christo, Notgero cætera debes (5).

h Oblationarius *est subdiaconus, qui accipit oblationes in Missa. Cfr. Macri Hierolex. h. v.*

i *Induciæ sunt aliquot dierum intercapedo : proin tres inducias existimo esse trinam monitionem quæ solemne ecclesiasticum judicium præcedere debet.*

CAPUT VI.

Ottoni III defuncto succedit in regno S. Henricus, cujus opera pax inter Sanctum et Willigisum redintegratur. E

Ottonis III obitus.

Jam vero imminebat miserabilis dies obitus videlicet mitissimi imperatoris; confessus namque est prædicto magistro, cum ab illo interrogaretur, leviter se febricitare. Ingravescente ergo quotidie morbo, adstantibus Episcopis, communitus sacramento corporis et sanguinis Domini, inter verba puræ confessionis, decimo calendas februarii, mitissimus ac humillimus imperator, cum ingenti dolore omnium bonorum, spiritum efflavit *a*. Quis valet stilo exprimere, fando disserere irremediabilem dolorem undique ad exsequias confluentium? Funera itaque Teutonum legio præparatis cunctis ad iter indiguis, corpus mitissimi domini * Aquis portabant; susceptumque est sancto die Palmarum festivo *b* obsequio totius regni, cunctisque principibus, præcipuo affectu ad exsequias famulantibus, sepultusque est in medio choro. F

a

* Aquisgranum

b

61 Interea vota principum in diversa rapiuntur, plerisque regni fastigium sine respectu timoris Dei usurpare nitentibus. Unde princeps quidam, Bruno nomine *c*, sciens venerabilem Bernwardum episcopum domino Henrico duci reverentissimo esse fidissimum, timens, ne cœptis ejus adversaretur, si quid inciperet, quoscumque in exitium illius, vel in damnum Hildensemensis ecclesiæ armare poterat, pro viribus institit : hinc prædis et rapinis passim bacchatus in loca et homines episcopi. Sed ille more suo nusquam de fide desciverat, quamvis multis sæpe lacessitus injuriis. More autem sapientissimi architecti, prudentissimus præsul fundamina novi regni precum initiis inchoavit. Omnes namque fratrum et sororum catervas, quæ divinis sceptris sub ejus vexillis militabant, intenta supplicatione, intenta rerum necessitate, ad-

Bruno, princeps frustra S. Bernwardum ab Henrici amicitia retrahere conatur.

c

(1) Hodenberg, Die Diöz. Bremen, part. III, p. 15. — (2) Act. SS., t. II Mart., p. 464. — (3) Schmid, t. II, p. 512. — (4) Ibid.. t. I, p. 292 et p. 12. — (5) Fisen. Flores, Eccl. Leod., p. 209.

vigilare

A vigilare monebat. Ipse quoque, quod tamen cunctos celabat, arcta Domini clementiam abstinentia exorabat. Unde fit mirabilis Dei misericordia in electum adunatio, ut popularium vota primorum prævenirent studia. Nam sicubi publici conventus cogebantur, vox una vulgarium, dominum Henricum debere imperare, ipsum, non alium quemlibet, rebus debere præesse. Omnibus ergo pari voto in electione illius concordantibus, Willigisus archiepiscopus, et beatus Bernwardus, cum ceteris regni principibus, dominum Henricum Moguntiam cum summo honore ducentes, Dominica octava Pentecostes regimen et regiam potestatem, cum Dominica hasta *d* illi tradiderunt, ac deinde omnibus rite peractis, cum maximo tripudio universorum, sollemniter eum Dei gratia unxerunt.

d

Sophia a Willegiso benedicitur.

62 Novus autem rex Paderbrunni, sancti Laurentii natale celebravit, ibique domna Cunigunda regalem coronam et benedictionem a Willegiso archiepiscopo accepit *e*. Sophia vero ad Gandesemense cœnobium electa, more suo velut in sacro velamine, proB prium repudiata est episcopum; ita nunc quoque dedignata a suo pastore et patre regiminis et consecrationem percipere, tumore fastuque vanitatis a palligero benedici, obtentu regis et principum, expetiit; beatus autem Bernwardus non valens resistere, annuit.

e

S. Henricus ecclesias visitat

63 Anno incarnationis Domini millesimo tertio rex orationis causa episcopia et abbatias, sancta videlicet loca circuiens, ubi servi Dei, vel ancillæ religiosius in divino servitio excubabant, ut se, regnumque divinitus sibi collatum, illorum precibus tueretur, Hildenensem adire magnifice desiderabat. Sed, quia nullus regum ante illum religione loci id aggredi tentabat, beatum Bernwardum convenit; qua ratione sanctum locum visitare audeat, consulit *f*. Licentia quoque ab illo accepta, ante sanctum diem Palmarum præfatam ecclesiam adiit; susceptusque est solemni honore. Ipse quoque in altaris ac fratrum ministerium præcipuam pecuniam largitus, locum ditare et honorare promisit, atque ex magna parte perfecit.

f

C

et expeditionem facit in Galliam.

64 Tertio post hoc anno, occidentalibus Gallis rempublicam infestantibus, idem imperator expeditionem adversum illos movit *g*; cujus arma beatus pontifex, juxta præceptum Domini, quæ Dei erant Deo, quæ cæsaris cæsari fideliter restituens, cum immensa manu militum, vigilantissimo obsequio ad gratiam militabat. Expeditione vero soluta, quod prius voto decreverat, ad sanctum Martinum tetendit, non tamen absque regali licentia, fraternaque episcoporúm munificentia. Suos itaque omnes iter quod disposuerat, diligentissime celabat, quia illorum lacrymas, ne posset sufferre, timebat. Regi tamen commendatus, non multis comitatus iter aggressus est. Parisiis apud sanctum Dionysium aliquot dies consistens, loca sancta lustrando, animi magna contritione totum se Domino mactavit. Inde Turonis tendens, magna sedulitate Rotberti regis in via usus est, ibi etiam septimana conversatus, coram pio patrono, sua suorumque commissa quotidianis ubertim lacrymis deflet. Honoratus denique a rege et episcopis pretiosissimis beati Martini de sacro corpore reliquiis (nam maximum æstimabatur, si cui aliquantula particula de casula, sive de ceteris paramentis sancti Confessoris posset contingere) ipse cælesti thesauro remuneratus, et aliorum plurimorum sanctorum cum benedictione omnium inde digressus, Parisios perveniens, aliquot dies consueto exercitio precum intentus, nihilominus etiam a præfato principe et episcopis pretiosissimi martyris Dionysii sociorumque ejus sacro-sanctis pignoribus perceptis, cum benedictione et gratia ab illis digressus, felici cursu ad patriam repedabat.

g

S. Bernwardus reliquiis S. Martini donatur.

65 Et quamquam post tanti itineris difficillimum laborem, celerem reditum vota omnium præoptarent, vicit tamen affectus, quo semper dominis obsequebatur, et benignissimum regem Aquis positum adiit : a quo affectuose suscipitur, quia jamdiu ægre illum videre cupiebat. Nam Bavenberch regali loco, qui sibi hereditario jure a majoribus suis competebat, episcopalem sedem noviter cupiebat instituere, unde synodum omnium episcoporum in Franconovord adunavit, ut E scripta Romani pontificis super hoc et decreta communi judicio comprobarent, cui taxationi insignem Dei servum et antistitem Bernwardum primo regalis majestas, tum episcopalis dignitas interesse magnis precibus postulabant *h*. Nec abnuit; quin promptissima obe-

h

dientia regem honoravit. Reversus vero Hildenensem, delatas sanctorum reliquias veneratione condigna servandas locavit semetipsum in sanctimonia solita sollicitius exercuit, episcopatus sui terminos antiquitus præfixos labore nimio, et sollicitudine custodivit.

Hildeneshemensis ecclesiæ et monasterii incendium :

66 Illis diebus miserabilis, cunctisque sanctæ matris Ecclesiæ filiis perpetuo lacrymabilis luctus, peccatis nostris exigentibus, exortus est : ita ut duodecimo kalendas februarii nobile monasterium sanctæ Hildenensemensis ecclesiæ, diabolicæ fraudis faculis, nostrorumque criminum flammis pæne incendio perditum est. Nam in eadem nocte primæ quietis tempore, cunctis infra urbem commorantibus, magis peccatorum pondere sopitis, quam somni alterius quieti deditis, F grandis ille dolor nobis miseris supervenit. Verum sanctæ Dei Genitricis interventu, sanctorumque nostrorum pio precatu, dominique nostri venerabilis Bernwardi episcopi acerbissimo ploratu, omnis ille vehemens ardor divini roris infusione exstinctus est, et illud venerabile templum mansit incolume, servatum Dei gratia, nisi quod nobis perpetuo est lugendum, quod cum pretiosissimo missali ornamento inexplicabilis librorum copia periit; nosque spiritualium nostri armorum inermes reliquit. Ipso quoque anno, beatus Bernwardus sanctæ Hildenensemensis civitatis patronus, sequenti omnium sanctorum festivitatis die, altare summum sanctæ Dei Genitricis, quod, proh dolor, peccatis nostris promerentibus, valida, ut dictum est, ignis inundatione confractum erat, devotissima mentis intentione quarto nonas novembris in melius restauravit et benedixit; Deoque acceptius hominibusque laudabilius, auri argentique, ac gemmarum claritate effecit *i*.

i

67 Interea

AUCTORE TANGMARO. *Rothegardis, abbatissæ obitus :*

67 Interea domina Rothegardis, dignæ memoriæ Hildewardeshusensis ecclesiæ abbatissa, venerabilis Bernwardi episcopi matertera, diutina corporis infirmitate castigata, resolutionis suæ diem sibi semper optabilem, divino, ut creditur, instinctu instare cognovit *k*; unde in sacratissima nocte Dominicæ nativitatis ad missam, « Dominus dixit », in ecclesiam se ferri præcepit; ibique Dominici corporis et sanguinis viaticum percepit. Inde, rite omnibus peractis, denuo ad lectum reportata, convocatis sororibus, ita exorsa est. « Ex hac vita me hodie, carissimæ, quo Deus « jusserit invitari vobis denuntio : sed hoc, « quia infra majoris missæ sollemnia futu- « rum esse non ignoro, ne qua divini famu- « latus fiat interruptio, vos, audita mea morte « minime turbari deposco. Dei namque tanto « mihi largius auxilium affuturum esse con- « fido, si modo nulla ejus servitii, mei causa, « facta fuerit intermissio. Divinis itaque sol- « lemniis ex more completis, ad communien- « dum exitum meum quantocius occurrere « festinate; suoque Creatori animam precibus B « attentius commendare curate; vestrumque « semper finem suspectum habentes, in illo « tremendo judicio, dum licitum est, per bona « opera Deo dignæ inveniri satagite. » His dictis, eas stupentes nimium pariter ac mirantes, abire permisit. Quod, quia spiritu prophetico præviderit, rei patenter exitus ostendit. Nam, ut prædixerat, infra majorem missam, incipiente sequentia, sancta illius anima carnis est ergastulo soluta *l*. Unde manifeste datur intelligi, beatam hanc feminam plus aliquid ceteris mortalibus divinæ gratiæ concepisse, cui non solum suæ carnis absolutionem tam evidenter concessum est præscire potuisse; verum etiam eo die, præsentis vitæ miseriam feliciter evasisse, quo ad eam pro totius mundi salute tolerandam, Redemtor humani generis inviolatæ Virginis utero ineffabiliter prodiens creditur advenisse.

k

l

S. Henricus Willigisum cum S. Bernwardo *conciliat :*

68 Anno autem Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo septimo rex venerandus Henricus totius Romani imperii potentissimus, Palithi natale Domini cum maxima gloria celebravit. Quocumque vero C sapientissimus imperator ora sui sanctissimi vultus circumtulit, si quos forte dissidentes reperit, aut statim reconciliabat : vel si quicquam obstitit, ut id non posset efficere, numquam mente feriabat, donec violatam caritatem reformabat. Quod etiam tunc in ipso festo singularis Nativitatis facere prudenter instituit. Nam vetus odium, quod archiepiscopus Willegisus ad Hildenessemensem episcopum, beatum videlicet Bernwardum, levibus de causis conceptum, sævis irarum stimulis irremediabiliter sub mente nutriebat, sæpius delinire cupiens, animositate illius victus destitit. Verumtamen coram multis episcopis, aliisque principibus, qui ad palatium affluxerant, conveniens archiepiscopum, tanta auctoritate pertinaciam animi illius digna invectione confregit, ut se, totamque controversiam illius judicio, vel fratrum votis * obstaret. Deinde sapientissimus rex sæpius interceptam Gandesemensis ecclesiæ dedicationem in vigilia Epiphaniæ Domini indixit, quæ tunc prima feria Dominicæ resurrectionis accidit, velationem etiam ancillarum Dei in ipsa sacra D die Epiphaniarum *m*. Venerabilis igitur Bernwardus episcopus Willegisum archiepiscopum et ceteros fratres in auxilium sui ad consecrationem prædictæ ecclesiæ invitavit. Nec mora adest sacra sollemnitas : consecrationis mysteria ex præcepto beati Bernwardi episcopi disponuntur; fiunt omnia fraterna caritate, ita ut archiepiscopus in aspersione primum locum teneret, et cum ipso beatus Bernwardus episcopus, In ecclesia vero ipse, cujus parochia erat, mysteria consecrationis fratribus dispensabat : primum namque gradum ille obtinebat.

m

et uterque ecclesiam Gandersheimensem consecrat.

69 Expletis itaque Dei gratia omnibus fraterna caritate, rex cum archiepiscopo et ceteris ad populum progressus, sic locutus est. Diuturnam, peccatis agentibus, controversiam, carissimi, hodie deponere et terminare dignum duximus. Agnosco enim, et scio hanc ecclesiam et adjacentes villas Hildensemensibus episcopis semper pertinere, et ab illis absque contradictione possessam esse. Ad hæc verba imperatoris Willegisus archiepiscopus tandem Dei misericordia in se rediens, et quicquid E proprio reatu, vel aliorum instinctu, in Deum et sanctam ejus Genitricem exercuisset, videlicet injusta invasione parochiæ Gandesem ad titulum Hildesemensis ecclesiæ pertinentis publice confitens, juri et repetitioni ejusdem loci abrenunciavit, et in testimonium hujus abrenuntiationis, ferulam episcopalem *n* beato Bernwardo tradidit, dicens : Frater carissime, et coepiscope, abrenuntio juri hujus ecclesiæ, et hanc pastoralem ferulam, quam manu gesto, tibi sub testimonio Christi et domini nostri regis et fratrum nostrorum trado in testimonium, ut hoc, neque ego, neque ullus successor meus, aliquam interpellationem, vel repetitionem de hac re possit habere. Sicque officium missæ ab archiepiscopo, consensu beati Bernwardi, sollemniter peractum est. Sequenti autem die Epiphaniæ Domini, velatio virginum sollemni celebratione, præsente rege omnibusque episcopis, a Bernwardo venerabili episcopo facta est; sicque gratia Dei rebus in pace et caritate, sapientia mitissimi principis compositis, discessum est. F

n

Willegisi obitus; ejus successorem Bernwardus *consecrat.*

70 Archiepiscopus autem, hac lite sedata, præsulem nostrum omni honore et caritate dilexit, et in nostro monasterio fraternitate honorifice acquisita, summam dilectionem et loco et fratribus providit. His itaque se habentibus, idem archiepiscopus, quinto post hoc anno, plenus dierum bonorumque operum, septimo kalendas martii migravit ad Dominum : post quem Erkenbaldus subrogatur Moguntino regimini, prius abbas Fuldensis cœnobii; cui nihil deerat catholicæ fidei : quem beatus præsul Bernwardus kalendis aprilis Moguntiæ consecravit *o*. Divino itaque respectu surrexit in archipræsulem, qui a tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Qui quoad usque vixit, prioris discordiæ lenocinia non habuit : insuper ordinatorem suum, consanguinitate etiam sibi propinquum, debita devotione ut patrem coluit, et paterna caritate tractavit *p*.

o

p

* *P.* submitteret

—

ANNOTATA.

ANNOTATA. AUCTORE TANGMARO.

a *Obiit Otto III die* x (*secundum alios*, IX) *kal. februarii* 1002. *Ejus mors a biographo S. Meinwerci ad diem* V *junii his verbis narratur* (1) : Anno illo (1001) rex in partibus Italiæ commoratus, mortis periculo est præventus; quo profecto illo tempore carnisset, si B. Heriberti, Coloniensis archiepiscopi monitis obtemperare voluisset. Mortis autem illius occasio hæc fuit. Ante quinquennium, dominicæ Incarnationis videlicet annum nongentesimum nonagesimum sextum, rex ad mitigandam sævitiam Crescentii Romam venit, et tumultu oborto decenter sedato, Joanne Papa defuncto, Brunonem, cognominatum Gregorium, Ottonis ducis filium, in sedem ejus locavit, et ab eo imperialem unctionem accepit. Imperatore autem Romam egresso, proximo anno, consiliante Crescentio, Joannes, Placentinus episcopus, contra velle imperatoris, sedem apostolicam invasit. Unde iterum imperator Romam veniens, proximo anno prædictum Joannem invasorem cæcatum et naso truncatum deposuit, et Crescentium cum duodecim suis decollatum ante urbem suspendi jussit. *Interfacto per venenum Gregorio V substitutus est Papa Silvester II.* Rex ergo cum isto Silvestro Papa, Natali Domini Tudertinæ celebrato, quum confusionem, tam in B. Petri Ecclesia, quam in republica factam decenter composuisset, incidit in insidias mulieris malæ; ejus videlicet, cujus virum Crescentium, sibi rebellantem, captum jusserat capitalem subire sententiam : quam formæ elegantissimæ nimis insipienter thoro suo socians, ab ea non præcavens, quamvis a sancto viro Heriberto sæpius esset admonitus, veneno intra cubiculum dormiens, infectus est. Et sequenti die, B. Heriberto pestem, quam perceperat, confessus est, quum se mori sensisset, ut corpus suum Aquisgrani sepeliendum transferret petiit. Et sic Paternum ingressus, cum generali omnium dolore, nono kal. februarii obiit. *Venenum lentam tabem attulisse videtur : propterea recte dicitur Tangmaro magistro dixisse Otto*, leviter se febricitare, ingravescente quotidie morbo, extrema sacramenta communitus; inter verba puræ confessionis spiritum efflasse. *Quod si venenum fuisset violentum, hisce omnibus tempus non erat.*

b *Anno* 1002, *signato littera dominicali D, paschate in diem* V *aprilis occurrente, dies Palmarum celebrabatur* XXIX *martii.*

c *Quis iste princeps Bruno fuerit, sat incertum est. Censet Mabillonius* (2), *hunc Brunonem esse fratrem S. Henrici, dein imperatoris. Nam ex Vita S. Henrici scitur habuisse fratrem Brunonem, sed* episcopum; *unde, quamvis conspiraverit contra fratrem, non tamen imperium affectasse videtur* (3). *Dein qui de isto Brunone competitore imperii agunt, nuspiam fratrem Henrici indicant : sed solum dicunt, fuisse* principem quemdam *et his similia.*

d *Octava Pentecostes, quam hodie dominicam SSmæ Trinitatis vocamus, incidit anno* 1002 *in diem* XXXI *maji. De dominica lancea, actum supra Annotato* k *ad cap.* IV.

e *De S. Cunigunda, conjuge S. Henrici egerunt nostri ad diem, quo colitur,* III *martii* (4).

f *Ex textu nostro manifestum fit, magnæ religionis fuisse cathedralem ecclesiam Hildesiensem, utpote quam* nullus regum aggredi tentaverit, *quam ipse Henricus rex solum* cum licentia *episcopi S.* Bernwardi *adire ausus fuerit.*

g *Agitur de bello Lotharingico, seu Brabantino, a S. Henrico gesto. Nempe anno* 1006, *seu* tertio anno *post* 1003, *Otto dux Brabantiæ sive Inferioris Lotharingiæ, sine prole defunctus, hereditatem vacuam reliquit, quam Henricus contulit in Godefridum, comitem Virdunensem. Sed collationem reprobarunt mariti sororum Ottonis defuncti, Gerbergæ et Hermengardis; et lis ad arma devenit, quorum varia fuit fortuna: sed tandem vicit Godefridus, quamvis contrarium habuerit Balduinum, Flandriæ comitem, quem Robertus, Galliarum rex, tamquam vasallum adjuvit* (5). Occidentales Gallos *Lotharingos interpretor.*

h *De fundatione Ecclesiæ Bambergensis late agit Æmilian. Ussermann in sua Historia hujus episcopatus* (6). *Synodo Francofordiensi subscriptus legitur S.* Bernwardus *sub nomine* Berenwardi (7).

i *Totum numerum de incendio ecclesiæ Hildesiensis omittit Pertz. Videntur certe a Tangmaro quædam non fuisse conscripta, utpote qui voces,* beatus, *ac* sanctæ Hildeneshemensis civitatis patronus, *omisisset : hæc enim ad posteriorem ætatem pertinent, et desumpta sunt ex Annalibus Hildesiensibus, ut docuimus Commentarii prævii num.* 91. *Verumtamen existimamus omissum esse aliquid in Pertziano exemplari : incendium enim præcipuæ ecclesiæ ejusque restitutio tanti est momenti inter res ab episcopo gestas, ut biographus, ejusdem ecclesiæ filius, illa omittere non potuerit.*

k *De Rothegardi abbatissa locuti fuimus Commentarii prævii num.* 93.

l *Prima Missa in Natali Domini incipit verbis :* Dominus dixit ad me. *Rothgardis igitur media nocte sacram Communionem percepit. Quæ fuerit in* majori Missa *seu tertia sequentia ignoro. Judocus Clichtoveus in Elucidatorio ecclesiastico pro singulis Missis sequentias singulas elucidat : dicit vero S. Bernardum verisimiliter tertiæ fuisse auctorem* (8) : *adeoque ad ætatem S.* Bernwardi *seu ad initium sæculi* XI *referri non potest. Sed quia olim is ritus observabatur, fieri potest, ut antiquior aliqua sequentia seu prosa fuerit.*

m *Annus* 1007, *littera dominicali E signatus, paschale festum celebrabat die* VI *aprilis. Mabillonius ad hunc locum animadvertit,* medii ævi auctores quamlibet diem dominicam « Resurrectionis dominicæ diem » frequenter appellari. *Triplici itaque significatione sumitur* dies Resurrectionis Domini : *nempe,* 1° *sicut passim hodie, pro ipsa solemnitate paschali :* 2° *pro memoria ipsius mysterii, quatenus in Martyrologiis ad diem* XXVII *martii inscribitur :* 3° *tandem pro qualibet die dominica, quia Christus Dominus, feria* VI *crucifixus et mortuus, tertia die seu dominica resurrexit. Opportunam occasionem nacto liceat respondere censuræ, factæ in*

(1) Acta SS., tom. I Junii, p. 514. — (2) Acta SS. Ord. S. Bened., Sæc. IV, part. I, p. 222. — (3) Rer. Brunsw., tom. I, p. 436. — (4) Act. SS., tom. I Mart., p. 266. — (5) Calmet, Histoire de Lorraine, tom. II, col. 39. — (6) Prolegom., p. XVIII. — (7) Labbe, tom. IX, Conc. col. 785. — (8) Fol. 156.

quodam

AUCTORE TANGMARO.

quodam Diario anglico (1). *Censor, vulnus quasi medicaturus, causam erroris in Adsonem refundit, qui commentatorem decepit. Sed si error est, commentatoris, nequaquam Adsonis est; cujus verba perperam interpretatus est commentator. Sed an aliquis error commentatoris sit, propius examinemus. In Commentario prævio ad Acta S. Bercharii sub die* XVI *octobris num.* 72 (2) *dictum fuit, S. Bercharium obiisse in ipsa die solemnitatis paschalis,* VII *kal. aprilis seu* XXVI *martii : adeoque anno* 685 *pro* VI *kal. legendum esse* VII *kal. aprilis. Quia vero* VII *kal. aprilis celebratur memoria Resurrectionis Domini, erroneam putat censor opinionem reponentis obitum S. Bercharii in ipsam solemnitatem paschalem. Sed pace viri dixerim, duo non attendit : nempe quod paulo ante Adso dixerit, sanctum virum* paschali instante solemnitate, feria quinta, qua Cœna Domini habebatur,... monasterium puellarum devote adiisse pro more fidelium præcepta Domini expleturum. *Quando proin paulo infra idem Adso docet, sanctum obiisse* mane dominicæ Resurrectionis, *obvia interpretatio est, obiisse* in ipsa solemni-
B tate paschali. *Unusquisque libenter fatebitur, verba :* mane dominicæ Resurrectionis, *duplicem habere significationem, scilicet :* mane die dominica Resurrectionis *et* mane die Resurrectionïs Domini. *Utra vero interpretatio admittenda sit, ex contextu desumi debet. Hic autem loci, ubi actum est* de feria quinta in Cœna Domini, de paschali instante solemnitate, *sensus obvius est, verba Adsonis intelligenda esse de* paschalis diei solemnitate. *Est et alterum, quod censorem præteriit; fragmentum Dervense, nobis a Mabillonio servatum* (3), *et textui Adsonis præferendum : in eo autem clare scribitur,* mane dominica ipsius sacrosanctæ ab inferis Resurrectionis carne solutus cœlestis vitæ gaudia, exsultanti spiritu, felix petivisse *S. Bercharius. Hactenus dicta sunto.*

n *Supra Annotato* f *ad caput* IV *diximus, quid significet* ferula papalis : *hoc autem loco, censemus* ferulam episcopalem *ipsum pedum significare, præsertim quum paulo infra eadem etiam* pastoralis *appelletur.*

o *Obiit Willigisus* VI *kal. Martii,* XXIV *februarii, ejusque successor Erkenbaldus kalendis*
C *aprilis, in dominica in Albis Moguntinus archiepiscopus consecratus fuit.*

p *Post hæc verba, procedit Mabillonius dicens :* Quinto dein anno Erkenbaldus... XV kal. septembris *obiit. Recte animadvertit errorem esse in textu, quem vitat Cl. Pertz, quia ejus textus alium habet ordinem in narratione. Hunc igitur Mabilloniano substituemus.*

CAPUT VII.

Ædificatio et dotatio monasterii S. Michaelis; Sanctus habitum monasticum sibi imponit; obit.

S. Bernwardus *monasterium a*

Interea venerabilis præsul Bernwardus, ampliare studens divinæ servitutis obsequium in parochia sui præsulatus, ob recompensationem futuram Christum heredem elegit, et quod præcipuum habuit, se ipsum cum omni- D
bus acquisitis seu acquirendis rebus Patri omnipotenti, sicut jam dudum in secreto mentis statuerat, in sacrificium obtulit. Monasterium itaque in septemtrionali parte civitatis Hildenesheimensis, in loco quondam squalido, feris quoque seu brutis animalibus coaptato, tota devotione et apparatu decenti instituit, quod prædiis sufficientibus dotatum, cœnobitis Deo famulantibus ibi collectis delegavit. Anno vero Incarnati Verbi MXV, regni autem Henrici piissimi imperatoris XIV, ordinationis domini Bernwardi, venerabilissimi præsulis XXIII, indictione XIII, tertio kalendas octobris, crypta ejusdem monasterii magno decore Dei gratia consummata, dedicatur a præfato antistite Bernwardo et honorabili Sleswicensi episcopo Ekkihardo atque venerando Mimigardevordensi Ecclesiæ pastore Thiderico *b*, in *b*
honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et ejus beatissimæ et gloriosissimæ Genitricis, perpetuæque Virginis Mariæ, sanctique Michaelis Archangeli, totius quoque militiæ cœlestis et simul sexaginta sex Reliquiarum, ab eisdem venerabilibus præsulibus ibidem E
digna veneratione reconditarum.

in honorem S. Michaelis dedicat,

72 Quinto deinde anno Erkenbaldus Moguntiæ metropolitanus, plenus dierum et meritorum XV kalendas septembris pacem Ecclesiæ Dei dereliquit, et animam in manus Angelorum efflavit. Huic Aribo, regius capellanus, successit in regimine *c;* per quem re- *c*
diviva restaurantur arma discordiæ, quæ sub prædecessore suo sopita quieverunt, prævalente gratia concordiæ. Quem futurum pontificem, quum in sacerdotem consecrare deberet Deo dignissimus Bernwardus gladio verbi Dei adstrinxit et anathematizavit, præsente domino Henrico, benignissimo imperatore et diversis episcopis, cum adstantibus populis et clericis, ne post susceptum regimen sanctæ Hildensemensi Ecclesiæ inferret injuriam super parochia, Gandenesheim dicta. Quod ipsum iterum repetiit et confirmavit, dum illum vice sua in archiepiscopum venerabilis Ekkehardus consecravit episcopus. Sed quod tunc subdole promisit, grassante stultitia, post fefellit. In ipsa enim promotione sua do- F
minum Bernwardum episcopum ficta pace per legatum suum convenit, et per falsa salutaria * querimoniam super Gandesem tentavit. Cui Beatus Bernwardus, divina inspiratione doctus, non ejus vaniloquio attendens, obligationis suæ anathema retexit, dicens : Nil sibi commune cum illo esse, si bene vellet nisi ea, quæ Dei essent : de parochia vero sua absque dubio nihil sibi cessisse. Hac ratione obstruitur machinatio archiepiscopi; et super hac re nec mutire quidem ausus est in vita Beati Bernwardi episcopi.

* salutatoria

cui donat

73 Anno perinde secundo, hoc est incarnationis Dominicæ millesimo vigesimo secundo, regni autem domini Henrici imperatoris vigesimo primo, ordinationis vero beati Bernwardi trigesimo, indictione quinta, tertio kalendas octobris, supradictum monasterium ad utilitatem monasticæ vitæ constructum, multiplicique, velut hodie patet, ornatu per-

(1) Home and Foreign Review, October 1862, p. 533. — (2) Acta SS., tom. VII Octob., p. 1002. — (3) Acta SS. Ord. S. Bened., Sæc. II, p. 842.

fectum

A fectum, dedicatum est cum omni devotione ecclesiasticæ religionis a venerando ejusdem ecclesiæ provisore Bernwardo pontifice, et ab honorabili Unewano archipræsule Hammeburgensis ecclesiæ, ab Eggehardo Sleswicensi antistite, et a Bennone Aldenburgensis ecclesiæ reverendissimo antistite *d*, in honore salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et ejus sanctissimæ genitricis semperque virginis Mariæ, ac salutiferi ligni adorandæ et vivificæ crucis, et ad speciale patrocinium sancti Michaelis archangeli, totiusque militiæ cæli, et ad laudem venerationis omnium sanctorum Dei. Sed mox ejusdem monasterii habitaculum commissum est ad regendum, abbatis officio, Goderammo cœnobii sancti Pantaleonis præposito *e*.

d

e

diplomate ad hoc confecto

74 Tandem vero sancti Michaelis ecclesiam vir beatus, postquam prædiis opulentissime dotavit, præsente Apostolici legato, uno videlicet cardinalium, cum undecim episcopis, necnon et diversarum professionum personis, banni sui auctoritate roboravit. Hoc autem piæ devotionis opus quam mature animo intenderit, quo fervore, nacta opportunitate
B aggressus sit, qua vigilantia et assiduitate institerit, qua caritate sufficientiam exteriorum ei providerit, qua libertate construxerit, qua auctoritate firmaverit, quantum et ipse interim, divino tactus verbere, profecerit, ipsius verbis melius proferemus. Dicit enim in privilegio eidem cœnobio dato. « Omnis « creatura, homo, nonne ideo a suo condita « est Creatore, ut juxta ritum naturæ, potius « suo serviat Creatori, quam creaturæ? Cujus « habitudinis status dum sit rerum discolor « usus, animum tamen rationis compotem « semper reflectit ad suæ conditionis tramitem. Sed quo amplius quemque correxerit « divinus haustus, tanto divinius se Deo « quisque obligat in omnibus rebus. Et hoc « fieri nequit, nisi ubi valida Dei manus « quemque sibi attraxerit. Unde in apppetitu « gratiæ se cui imaginat, et conformat protectio divinæ misericordiæ.

75 « Cujus rei experimentum dum consu-
« limus, e vestigio nobis occurrit divinum « responsum, quod peccante Adam, et inde
C « longa exsilii dispendia perferente, credi-« disse Abraham Deo, et hoc illi reputatum « esse ad justitiam. Cumque, et divina præ-« veniente clementia, tum et exigentibus me-« ritis accipimus legislatorem Moysen, du-« cem ac præceptorem exstitisse populi Israel. « Pari examine sanctitatis, miramur miracu-« lorum factorem Heliam humani ævi non-« dum cognovisse metam, sed curru igneo « sublatum esse, ultimo sæculorum judicio. « Excedit mentem, nec capiet finem, si de his, « et horum similibus nostra ratio ulterius se « tendere voluerit. Satis indicio est, quantus « assurrexerit in prœliis David Manu-fortis : « et sole lucidius est, structo tabernaculo Dei, « quantis religionum ritibus et libaminum « mysticis cultibus se Deo approximaverit « sanctus Salomon, cujus pœnitentiæ meritis
f « nullus umquam repertus est similis *f*. Qui-« bus omnibus ad habitudinem factorum re-« velavit Deus secreta meritorum, ut tempo-« raliter merito et opere, omnibus semper « essent dispares, insuper æternaliter angelicis spiritibus fierent coæquales.

76 « Hæc ego Bernwardus considerans, Dei « præelectione non meritis dictus episcopus, « et diuturna meditatione volvens, qua meri-« torum architectura, quove rerum pretio « possem mercari cælestia, cum essem auli-« cus scriba doctus, et beatæ memoriæ tertii « imperatoris Ottonis didascalus, simul pri-« miscrinius *g*, divina tactus gratia, reatus « mei superflua perhorrescens, divinamque « gratiam concupiscens, distraxi animum in « diversa, quomodo æternæ satisfacerem mi-« sericordiæ, sicque remedium meæ obtine-« rem animæ. Sed in tenuitate tunc meæ qua-« litatis, quicquid animo proponebam, aut vix « inchoandum, aut numquam perficiendum « timebam. Animus tamen magis ac magis « ardore sancti propositi desudabat, licet tunc « temporis fortuna quid inchoasse vetabat; « cum ecce Dei electio, senatuumque decla-« matio, me pontificalis gloriæ solio inthro-« nizandum præeligunt; et ne grex Domini « turbaretur sine pastore, ne ecclesia mater « nostra esset quasi vidua, in electione novi « pontificis, cor unum et animam unam omni-« bus fecit habere spiritus pacis. Inthroniza-E « tus Bennopolitanæ ecclesiæ *h*, quod diu « animo conceperam, opere complere vole-« bam, scilicet beatæ memoriæ tradere titu-« lum nominis mei, ecclesias struxisse, ac « officia Deo servientium inibi ordinasse, « omnemque facultatulam meam Domino lu-« crasse, qui esset pars et hereditas mea.

AUCTORE TANGMARO. *omnem hereditatem propriam,*

g

h

77 « Et, quia sunt occulta Dei judicia sem-« per tamen justa, consensu et hortatu Chri-« sti fidelium, novam Dei ecclesiam condere « cœpi, in qua ad laudem et gloriam nominis « Domini, et voti mei propositum adimplevi, « et sanctæ christianitati, adhibitis Deo dile-« ctis fratribus, consului. Fundato enim no-« vello opere, et designatis eo loci locorum « qualitatibus, ne occasio terrenæ vagationis « esset dilatio cœpti operis, gloria tibi Chri-« ste, tactus febris incommodo, ægrotare « cœpi quinquennio : et dum nihil fit in ter-« ris sine causa, castigans castigavit me Do-« minus et morti non tradidit me, ut credo « et confido in Domino, ne absentia meæ præ-« sentiæ fieret quædam intermissio spei meæ. « Cui loco, Deo, sanctæque cruci, perpetuæ-F « que Virgini Mariæ, sanctoque Michaeli « archangelo titulato, monastici ordinis indidi « personas, quas ea ratione coadunavi, ut « sicut juxta monachicam normam sunt a « sæculi actibus alieni, ita essent ab omni « impedimento sæcularis servitii liberi.

ac in ea monachos constituit.

78 « Consilio itaque senioris mei imperatoris Henrici, et magistri mei Erkenbaldi « archiepiscopi, quem ego confratrum meo-« rum conventu in archiepiscopum conse-« cravi, quicquid terrenarum facultatum, in « curtis, curtilibus, terris, pascuis, aquis, sil-« vis, pratis, ecclesiis, sanctorum pignoribus, « libris, argento et auro, et quidquid, id est, « quod hereditario jure possedi, aut sæculari « coemptione acquirere potui, exceptis pluri-« mis, quæ altari sanctæ Mariæ in principali « ecclesia in coronis aureis, calicibus, cande-« labris, palliis, aliisque ecclesiastici ordinis « ornamentis contuli, totum usibus fratrum, « per manus advocati mei, tradidi Deo et « sanctis ejus, pro animabus prædictorum « seniorum

AUCTORE TANGMARO.

« seniorum meorum imperatorum, et mea, « omniumque successorum meorum, et eorum « quorum patrimonia acquisivi, quatenus « servitores Christi, ab omni terreno servitio « liberi, sub defensione et patrociniis succes- « sorum meorum episcoporum præmuniti, « in pace et misericordia quieta tempora du- « cant. Si quis autem mei ordinis successor, « aut aliqua sæcularis persona hoc effringere « voluerit, et hæc tyrannice sibi usurpare « præsumserit, gladio verbi Dei a Deo et san- « ctis ejus illum submoveo, ut, incumbente « super illum omni maledictione, careat be- « nedictione, sicque exterminatus a terra et « cælo, partem habeat cum Juda, et cum his, « qui in hereditate possident sanctuarium « Dei. Insuper heredes, Dei et nostra licentia « in suos usus sua studeant repetere, dum « vident alienum invasorem in suis patrimo- « niis debacchare.

quorum habitum ipse

79 Hæc beati viri dicta consideranti facile patebit, quanta vel ipse in Deum devotione profecerit, vel quanta superni respectus dignatio eum assumserit. Qui enim insistens operi
B cælesti verbere merebatur eliquari, manifestis indiciis probatur a Domino diligi. His itaque piæ devotionis studiis Deo digne et hominibus laudabiliter omni vitæ suæ tempore conversatus, anno ordinationis suæ trigesimo primo, cum jam transitus sui diem, quem semper optaverat, imminere prævideret, capellam inter sacellum sanctæ crucis, et monasterium suum constructam in honore beati Christi confessoris Martini, a venerabili viro Eggehardo Sleswicensi episcopo dedicari fecit : ibidem pro augmento religionis ipso die habitum priorem mutans, monachicæ professionis jugum suscepit. Tactus deinde infirmitate ultima, cum adesse exitus sui horam sensisset, in eamdem capellam se ferri præcepit, justum esse asserens, ibidem vitæ terminum sortiri, ubi sæcularis abrenuntiationis habitu se contigisset insigniri. Sic itaque beatus vir diutina corporalis molestiæ infirmitate tritus, bonum certamen certans, cursum consummans, fidem servans, viam universæ carnis ingressus, ut credimus, certumque tenemus, divinis admixtus spiritibus, duce Michaele archangelo,
C beatæ immortalitati est præsentatus.

infirmus suscipit,

80 Qui quoadusque vixit, Domino se sacrificium justitiæ sacrificavit; sicque plurimis mirificatus insigniis cælesti pace quiescit. Obiit duodecimo kalendas decembris; sedit autem in cathedra triginta annis *i*, cujus discessus ad Deum fecit nos pupillos absque patre, matrem nostram Hildensemensem sanctam ecclesiam quasi viduam. Nam mox tanti patris excessu tota civitas commota congemuit, et tam cleri quam plebis cœtus omnis doluit. Ubique vociferatio lugubris exoritur, mæror inconsolabilis cujusque professionis auditur; et quem secum manentem communi affectu semper amplectebantur, hunc non immerito decedentem lamentatione communi prosequuntur. Hinc pauperum, hinc viduarum, orphanorumque turba miserabili ejulatu patrem se amisisse proclamat : hinc patriæ defensorem, pacis amatorem, ac totius reipublicæ sagacissimum provisorem tam nobilium dignitas, quam plebeiorum humilitas concordi dolore subtractum esse deplorat. Mirum nempe in modum, vir iste omnibus omnia fa- D
ctus, inter divites et pauperes, inter elatos et humiles, auctorabili quadam modestia incedebat medius; et utrobique juste providus, nec mitibus intractabilis, nec protervis despicabilis apparebat. Communi ergo, ut dictum est, querimonia defunctus plangebatur, qui communi dilectionis honore colebatur. Sed ne irrationabiliter, more illorum qui spem non habent, contristemur, si consolantem perdidisse dolemus in terris, patrocinantem habere gaudeamus in cælis; et sic corpori compassionis officia impendamus, ut etiam spiritui feliciter cum Deo regnanti congratulationis debita persolvamus.

i

et moriens in cilicio condi voluit,

81 Præceperat autem adhuc vivens, ut feretrum, quo ad tumulandum corpus ejus efferebatur, non pallio, ut moris est in talis personæ funereo obsequio, sed cilicio operiretur, quod ideo hic inserendum putavimus, ut cunctis legentibus pateat, quanto vir iste a Domino etiam temporali honore sublimatus, semetipsum humilitate depresserit, cujus viventis spiritus devotio tam humile obsequium defunctæ quoque carni providerit. More ita- E
que ecclesiastico exsequiis rite celebratis, corpus Deo dilecti præsulis in crypta cœnobii, quod ipse fundaverat, ante altare sanctæ Mariæ, maxima cum Christi fidelium devotione sepelitur. Sepulcrum autem sancta sibi devotione præparaverat, et tale solæ humilitatis epitaphium superscripserat.

Pars hominis Bernwardus eram, nunc claudor in isto
Sarcophago diro, vilis et ecce cinis.
Proh dolor! officii culmen quia non bene gessi,
Sit pia pax animæ, vos et amen canite.

sub titulo Resurrectionis carnis.

82 Quid hac re beati viri mansuetudine dulcius, quid abjectione laudabilius? quo enim se vilius sub humilitatis deprimit modio, eo lucidius in Ecclesiæ apparet candelabro; et quantum suo judicio sacerdotali honore indignus deputatur, tantum laudabilis vitæ testimonio dignus per omnia comprobatur. Pie denique consideranti modum conversationis ejus, et sanctæ a puero institutionis, magni
F meriti luce clarius apparebit, quamvis longe aliter se ipse æstimaverit. Valles enim secundum Psalmistam frumento abundant *, hoc est humiles spiritu, potioribus divinæ largitatis muneribus exuberant. Sed pius pater Deo plane et Ecclesiæ dignissimus, et inter ceteras virtutes, quibus adornatus erat, humilitatis cultor præcipuus, quid pro ipsa cordis humilitate consolationis, quid fidei, ac spei conceperit, manifestat in titulo, quem his verbis interioris sarcophagi inscripsit loculo. « Scio quod Redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum : quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo* ». Quæ nimirum dicta eo spiritu ab ipso creduntur repetita, quo primum ea constat fuisse prolata : ac si aliis verbis apertius diceret : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ * ».

* Ps. LXIV, 14.

* Job. XIX, 15.

* II Tim. IV, 8.

ANNOTATA

A ANNOTATA.

a *Annotato* p *superioris capitis diximus, alio ordine Pertzianum codicem referre Acta exposita, proptereaque nos eumdem Mabilloniano substituisse. Existimamus porro et ipsum textum Pertzianum esse undequaque luxatum. Nam infra num.* 73 *habetur consecratio majoris ecclesiæ S. Michaelis Hildesiensis : orditur autem biogaphus narrationem suam dicens :* SUPRADICTUM monasterium *consecrasse S.* Bernwardum : *ast proxime egerat de monasterio Gandersheimensi, quin agatur tamen de ejus consecratione. Hæc melius procedunt in textu Mabilloniano; consecratio enim ecclesiæ majoris subsequitur consecrationem cryptæ S. Michaelis. Ex altera autem parte informis est etiam textus Mabillonii, qui, relata electione Erkenbaldi Moguntini, dicit* quinto dein anno *hunc archiepiscopum defunctum : quod cum chronotaxi episcoporum Moguntinorum non quadrat, quæ decem fere annorum pontificatui Erkenbaldi tribuit. Quod si ejus ordinatio consecrationi cryptæ et ecclesiæ intercalatur : recte dicitur* quinto B *dein post consecrationem cryptæ* anno *completo cum aliquot mensibus obiisse Erkenbaldus. Quæ lectio, si admittatur, reducit priorem difficultatem. Unde censemus immedicabilem esse luxationem. Id etiam animadvertendum est, in textu Mabilloniano, ante descriptam fundationem et consecrationem monasterii S. Michaelis, scribi alio charactere :* Hic desinit Tangmarus. *Quæ verba ex Browero nostro descripsit Mabillonius. Verum Cl. Pertz cum Leibnitzio hæc verba rejicit, nixus auctoritate scriptoris* de Translatione S. Bernwardi, *quam infra exhibemus, ubi num.* 1 *expressis verbis dicit, Tangmarum* de conversationis sanctitate, gestorum magnificentia et TRANSITU plenissime narrasse. *Adeoque totam Vitam conscripsit Tangmarus : nec stylus ipse alium prodit auctorem.*

b *De dedicatione tum cryptæ tum ecclesiæ S. Michaelis egimus in Commentario prævio numm.* 79 *et seqq. Thidericus seu Theodoricus sedem Mimigardevordensem seu Monasteriensem occupavit ab anno* 1012 *ad* 1022 (1).

c *Aribo Moguntiæ sedit archiepiscopus ab anno* 1021 *ad* 1031. *Defuncto S. Bernwardo,* C *controversia Gandersheimensis recruduit sub ejus successore S. Godehardo, ut videre est in hujus Actis ad diem* IV *maji* (2).

d *Unewanus Hamburgensem et Bremensem Ecclesiam ab* 1013 *ad* 1029 *gubernavit* (3) *: Benno Aldenburgensem sedem, ex qua postmodum excreverunt episcopatus Lubecensis, Ratzeburgensis et Schwerinensis* (4), *tenuit usque ad annum* 1022 *: nam, ut habent Chronica Slavorum* (5), *pertæsus inutilis laboris ad S. Bernwardum confugit, ac in dedicatione S. Michaelis* a populo compressus et attritus, post paucos dies defunctus est.

e *Seriem abbatum S. Michaelis exponit Chronicon ejusdem monasterii. Primus fuit Goderammus, qui præpositus S. Pantaleonis Coloniæ, a S.* Bernwardo, *Hildesiam vocatus fuit* (6).

f *Non undequaque certa est salus æterna Salomonis; est tamen communior opinio. Consule, si lubet, Menochium ad cap.* XI, *v.* 43, *lib.* III *regum.* AUCTORE TANGMARO.

g *Didascalum seu magistrum fuisse Ottonis III, satis notum est : minus vero, eumdem cancellarium seu primiscrinium fuisse.*

h *Hildesia etiam Bennopolis appellabatur, verisimiliter a fundatore suo Bennone. Qui a S. Bennone, Misnensi episcopo, Hildesiæ nato et educato nomen derivant, ii certe non attenderunt, sanctum antistitem ad sæculum duodecimum pertinere, et vix puberem fuisse, quando hæc scribebat S.* Bernwardus (7).

i *Monstravimus Commentarii prævii num.* 98 *Sancti annum emortualem esse* 1022, *quocum accurate concurrit annus* XXXI *ordinationis.*

MIRACULA SANCTI BERNWARDI,

EPISCOPI HILDESHEIMENSIS *a*. a

CAPUT I.

Sanctus dono prophetiæ utitur; visio de ejus sanctimonia; varia miracula.

E

Transitus viri Dei sanctissimi præsulis nostri *Futura prævidit :* Bernwardi nonnullis divinitus ostensus est, sed ista prosequendo libet priora paullulum attendere. Sedebat aliquando vir Dei Bernwardus adhuc vivens cum hospitibus suis in aula sua. Scholaris vero quidam pauper ante fores eleemosynas petendo, pium præsulem, ut sui misereretur, invocavit. Quod audiens homo propheticus, et Spiritu Dei plenus, jussit ut episcopus Coloniensis foris stans mox introduceretur. Currentes ergo ministri renuntiaverunt neminem foris esse præter illum scholarem pauperem; sanctus autem Bernwardus affirmans ipsum esse Coloniensem episcopum, festinanter adduci præcepit; adductumque benigne suscipiens, in capite mensæ pauperem renitentem collocavit. Cui, post mensam rubore perfuso et verecundo, pro reverentia sibi a tanto præsule exhibita, vir beatus quod ipse F Coloniensis episcopus esset futurus, prædixit; humiliter exorans ut primam missam, quam in Colonia celebraret, pro paupere Bernwardo decantaret. At ille, cum summa devotione precibus ejus annuens, benedictione petita, et accepta recessit ab eo. Factus igitur archiepiscopus, juxta vaticinium viri sancti, regnante domino Henrico de Bavenberch, anno Domini millesimo vigesimo tertio, duodecimo kalendas decembris, ad altare missam celebraturus accedens, ipse Coloniensis episcopus, cantoresque præveniens, missam pro defunctis, omnibus qui aderant stupentibus, inchoavit; nec immemor interpretis sui, beati scilicet Bernwardi, cum venisset ad canonem, devotissime, sicut promiserat, memoriam ipsius egit inter vivos. Sed inter salutaris victimæ consecrationem, transitus viri Dei divini-

(1) Schmid, t. I, p. 487. — (2) Act. SS., t. I Maji, p. 511. — (3) Hodenberg, Die Diöz. Bremen, part. III, p. 15. — (4) Schmid, t. I, p. 233. — (5) Leibnitz., Rer. Brunsw., t. II, p. 554. — (6) Ibid., p. 599. — (7) Act. SS., t. III Junii, p. 146.

tus

AUCTORE TANGMARO.

tus ei revelatus est; unde mox etiam in memoria defunctorum nominis ejus mentionem fecit; et omnia quæ acciderant, finita missa, fidelibus publicavit. Qui cæleste miraculum curiosius investigare cupientes, missis exploratoribus in Hildensem, certissime cognoverunt, quod eadem hora, quando archiepiscopus hostiam nostræ salutis immolavit, anima sanctissima fidelis et prudentis servi Domini nostri Jesu Christi cæleste gaudium introivit *b*.

b *Ejus gloriam videt Anselmus eremita :* *c*

2 Fuit nihilominus in remotis partibus a civitate Lunda *c* ad duodecim milliaria, viginti sex annis quidam inclusus in quadam silva, devotus eremita, Anselmus nomine, qui solitas Deo preces fundens, statim fuit in spiritu: et vidit ipsa die, qua anima viri Dei cælestia claustra petivit, cælos apertos cum ingenti lumine, et audivit inter dulcem melodiam beatorum spirituum, hoc carmen ab Angelis iterari : O felix anima Bernwardi, cujus merita hominibus adhuc sunt incognita, Deo autem et nobis valde nota : Hæc tribus vicibus continuis die depositionis vidit, et audivit.

B Prædictam revelationem vir Dei dum sæpe cum devotione revolveret, ubi tamen illius nominis vir tam beatus habitasset, ignoraret; ecce adstitit ei venerabilis persona proceræ staturæ, venusta facie, respersa canis, et operimentis pontificalibus vestita, dicens ei : Ego sum Bernwardus episcopus Hildensemensis, quem trina visione in choro Angelorum collaudari audisti. Ego templum in Hildensem Angelis construxi, et Virginis Filium patrimonii mei successorem feci, cunctisque sæculi voluptatibus renuntiavi, habitum angelicum suscepi : nunc quoque centuplum omnia recepi; ac in tali jubilo, sicut vidisti, vitam æternam possideo. His sibi cum aliis quibusdam revelatis, cum ingenti lumine disparuit, et pro gloria sancti viri solitarius, quæ audierat et viderat, fidelibus revelavit.

Ejus sepultura. *d*

3 Obiit itaque sanctus præsul anno Domini millesimo vigesimo tertio *d*, ut dictum est, et sepultus in crypta ecclesiæ suæ, quam construxerat. Latuit autem sub terra annis centum et septuaginta duobus. Cernitur nihilominus ad dextram partem sepulcri super columnarium conscriptio talis.

C

Hac tumuli fossa clauduntur præsulis ossa
Bernwardi, miri magnificique viri.
Qui patriæ stemma, radians ut gemma serena,
Acceptus populo, complacuit Domino.
Nam fuit ecclesiæ condignus episcopus ille,
Quem Deus Emmanuel diligat et Michael.
Tandem bis senis undeno mense kalendis,
Felix hanc vitam mutat in angelicam.

Miraculis post obitum claret. Puella contracta erigitur. *e*

4 Quantis post hæc miraculorum insigniis confessorem suum Dominus glorificaverit, non est nostræ parvitatis explanare. Sed ne cuncta præteriisse videamur, pauca de pluribus explicamus. Puella quædam de Erpesford *e* oriunda, Hildegardt nomine, cum multa languentium turba, diversis ægritudinibus vexata Hildensem advenit, miserabilem in modum contracta, ita ut genibus pectori inhærentibus, manu dextra incurvata cubitali mensura, vix a terra surrecta, se rependo traheret. Quæ per sex menses et eo amplius circa loca sanctorum reptando, mendicans a Deo salutem, a populo stipem, admonita, ut ipsa referebat, per somnium, ad tumulum beati Bernwardi reptando pervenit; et supposita eidem tumbæ cerea effigie, continuo coram populo, cujus eodem tempore multitudo forte convenerat, nervorum distentione durius cruciari cœpit. Quid plura? Infra biduum erecta est, et sanitati restituta. Testis est civitas nostra, cui, miseria prodente, erat notissima. D

Sanationes, præsertim oculorum.

5 Fuit in nostra civitate miles quidam ministerialis habitans, cujus filia ægritudine pressa, ac desperata, pater anxius ne sine baptismi sacramento migraret, infantula enim erat, beato viro se devovit; ut si meritis ejus ægra spatium ad nostræ salutis sacramentum percipiendum obtineret, ipse memoriam ejus cum oblationibus visitaret. Nec mora, juxta votum sepulcrum beati præsulis adiit, inde rediens, infirmam plene convaluisse reperit. Alia puella de * Hannovere *f*, tanto cruciabatur oculorum dolore, ut penitus elici orbibus suis ipsi oculi putarentur vi doloris. Promissa igitur oblatione ad tumbam sancti præsulis, ilico, sospitate redeunte, conquievit vis doloris. E Simili passione quidam in Runebech *g* vexatus, cum jam penitus oculorum salutem desperaret, invocato sancti præsulis auxilio, in somnum resolutus est. Facto autem diluculo, penitus omni dolore fugato, surrexit; eademque die cum testibus suæ sanitatis ad tumulum beati viri gratias acturus venit.

* *P. add.* vico *f*

g

Fabro usus membrorum redditur; mulier a dæmone liberatur; *h*

6 Faber quidam de Bokenen *h*, Bodo nomine, tactus est infirmitate gravi per tres septimanas, ita ut manus et pedes jam præmortuos occasuros a sua compage arbitraretur. Vocatus ergo sacerdos, cum jam desperaretur, advenit; cujus consilio ceterorumque propinquorum, vovit ut si intra triduum meliorari cœpisset, sepulcrum beati præsulis gratias acturus visitaret. Hæc cum agerentur, feria quarta ante dominicam Rogationum, sequenti die ac nocte adeo convaluit, ut proxima sexta feria nudipes Hildensem veniret, sic tamen luridus ore, ut ipsa facies conspecta viri, audientibus fidem faceret miraculi. Mulier quædam Goszlariensis, Elmot nomine, a dæmone possessa, cum venisset ad beati Bernwardi memoriam per aliquot dies ibidem horribili F modo vexata, precibus sancti præsulis curata est; septem aut plures dies postea nobiscum mansit, quotidie sepulcrum pontificale cum devota gratiarum actione visitavit. Crebro ibidem corpori et sanguini Domini communicavit *i*. Inde digrediens, post septimanas sex rediit, et ceream duobus denariis comparatam tumbæ supponens, pro sanitatis suæ perseverantia gratias retulit. Testis est tota Goszlaria, ubi pro mercimonii sui negotio probatur fuisse notissima.

i

Item juvenis quidam.

7 Juvenis quidam in Bohemia, in sacratissima nocte Nativitatis Dominicæ cum duobus fratribus suis ceterisque coævis, ludis quibusdam invigilans, dirissimo dæmoni vexandus est traditus; fratribus utrisque subitanea morte præfocatis, ceterisque omnibus, qui eisdem infaustis intererant ludis, a morte subtractis, aut dæmonum vexationi contraditis. Itaque post triennium, durante infelici passione, juvenis idem ignaris parentibus huc illucque cursitans, tandem Hildensem pervenit.

A nit. Ibi, dum Completorium caneretur, monasterium Sancti Michaelis ingressus, tam dire ante altare Sanctæ Crucis vexatus est, ut omnes qui aderant, horrore nimio stupidi, et miseratione compuncti redderentur. Introducitur itaque vi impellentium, nimium ipse renitens, in cryptam ad beati Bernwardi tumbam. Ubi diutius furore rotatus, et verba blasphema garriens, ut quidam linguam ejus intelligentes, qui tunc forte aderant, cum stupore pavidi retulerunt, tandem concidit, apertoque ore inhians, liquorem spurcissimum cum fœtore nimio eructans, incolumis surrexit. Postera die populo præsentatus est sanus : et ex eo per quindecim ferme dies sepulcrum frequentans, et pavimentum per circuitum assidue lambendo exosculans, devotissime cum lacrymis liberatori suo gratias egit.

Mercatores a tempestate liberati.

8 Quidam mercatores Bremenses, cum in mari versus Angliam navigarent, tempestate gravissima præventi sunt, ita ut rupto fune anchoræ, et navi tota concussa, jam vicinum cunctis pelagus intentaret interitum. Cumque B supplicatio communis, et clamor lacrymabilis concreparet ad sanctorum patrocinia, repente quidam intulit, quemdam sanctum pontificem, Bernwardum nomine, Hildensem coruscare miraculis. Ejus ergo communi voto suffragium postulantes, continuo inter medios undarum vortices, sine labore, insolita tranquillitate portum petierunt; et in minori navicula redeuntes, anchoram suam in mari elapsam retulerunt. Exinde domum reversi duos ex comitibus suis cum navicula cerea, ad tumbam beati viri in feria tertia post dominicam Lætare, Jerusalem *k*, pro gratiarum actione transmiserunt. Iidem quoque postea simili periculo per eum liberati, argenteam anchoram per semetipsos obtulerunt.

k

ANNOTATA.

a *Jam diximus Commentarii prævii num.* 98 *librum miraculorum toto fere sæculo posteriorem esse ætati* S. Bernwardi. *Quinimmo si librum Miraculorum, prout illum edidit Mabillonius, admittamus, vix ante initium sæculi* XIII C *eum prodiisse dicemus. Etenim num.* 3 *legitur sanctus* latuisse sub terra annis centum et septuaginta duobus : *qua ratione ab anno obitus* 1022, *si computentur* 172 *anni, devenimus ad annum* 1194. *Quapropter Cl. Pertz* (1) *e libro Miraculorum eliminat tres priores numeros, et orditur dicendo :* Quantis post hæc miraculorum insigniis *etc.*

b *Dicitur in textu, Piligrinus factus episcopus* XII kal. decembris (XX *novembris*) anno Domini MXXIII. *Passim tamen mors S. Heriberti, adeoque electio ejus successoris Piligrini ad annum* 1021 *refertur. Vita S. Heriberti ad* XVI *martii habet* (2) *:* Migravit ad Dominum (*S. Heribertus*) XVII kal. aprilis, ordinationis suæ XXIII, ab Incarnatione vero anno MXXI. *Michael Morckens Carthusianus, in suo Conatu Chronologico archiepiscoporum Coloniensium, mediam init viam, et S. Heriberti mortem ad annum* 1022 *reducit. Hæc enim habet : anno* 999 *in vigilia Nativitatis Domini in sede sua Coloniensi collocatur, in eaque sedit annis* 22, *mensibus duobus et diebus viginti duobus* (3). *Quod si hinc computemus tempus pontificatus* S. *Heriberti, devenimus ad annum* 1022 *et ad* XVI *diem martii. Dein intelligitur, quomodo Piligrinus ejus successor potuerit primum sacrum in sede sua celebrare* XX *novembris ejusdem anni; ac proin in ipsa missa habere revelationem de ejus morte, quæ sub ipso sacrificio accidit.*

AUCTORE ANONYMO.

c *Lunda* (Lund), *etiam Lundinum Batavorum, secundum Mabillonium urbs hodiernæ Sueciæ, olim metropolis ecclesiastica totius Scandinaviæ. Verum Cl. Pertz est vicus ab oriente civitatis Hannoveræ. Vide cap. seq. Annot.* e.

d *Jam supra in Commentarii prævii num.* 98. *diximus, minus accurate expressum* S. Bernwardi *annum emortualem* 1023 *a scriptore Miraculorum.*

e *Erpesford oppidum, hodie Erfordia,* Erfurt. *Est hodierni regni Borussici in provincia Saxoniæ.*

f *Pertzianum exemplar habet* de Vico Hannovere, *ad quem locum sequens nota apponitur:* E antiquissima patriæ mentio, quam sæculo XI et XII ineunte vicum fuisse hinc constat. *Hannoveræ enim excuduntur Monumenta historiæ Germaniæ, ex quibus variantes lectiones damus.*

g Runebech *interpretatur Pertzius* Ronnenberg *prope Hannoveram.*

h Bokenen, *hodie* Bokenem, *vicus, ut in textu dicitur, prope Hildesiam.*

i *Hinc liquet, istis etiam sæculis frequentissimum fuisse sacræ communionis usum : quandoquidem infra septimanam* crebro corpori et sanguini Domini communicaverit.

k *Dominica Lætare est quarta Quadragesimæ.*

CAPUT II.

Continuatur relatio miraculorum.

Thus amissum recuperatur.

Negotiatoris cujusdam Hildensem habitans conjunx, cum die Parasceve loca sanctorum more, quampluribus consueto, annuatim nudipes circuiret, thuris partem comparavit, quam ad beati Bernwardi tumbam ferre destinavit. Ergo via, quæ tendit ad monasterium sancti Michaelis in aqua lutea, quæ per civitatem versus urbis murum decurrit, pedes lavit, inde ad monasterium tetendit. Cumque cœmeterium ejusdem ecclesiæ conscendisset, agnovit elapsum esse thus, quod emerat. Unde graviter animo consternata, excussis vestimentis sicubi adhæsisset, eadem via qua venerat, usque ad aquam qua prius pedes laverat, quærendo reversa, nihil invenit; mœstaque nimium ad monasterium rediit. Inde cryptam ingressa, ante tumbam pontificis in oratione cum largo fletu procubuit, reputans apud se, ideo sibi oblationem elapsam, quod quasi indigna fuerit eam proferre ad sancti viri memoriam. Finita oratione humili et lacrymosa, surrexit, thus F

(1) Monum. Germ. tom. VI Hist. p. 782 — (2) Act. SS. tom. II, Martii 475. — (3) P. 84.

perditum

AUCTORE ANONYMO.

perditum in manu sinistra reperit; quod tumulo superponens, cum ingenti pavore abscessit, quod gestum erat sub silentio abscondit, donec quinto aut sexto die a familiaribus ejus proditum innotuit. Quæ postmodum, cum rei gestæ veritatem a quodam fratre nostro promere peteretur, non sine lacrymis narrare potuit.

Puer a fistulæ morbo curatus; * *P.* Hogen *a*

10 Miles quidam, Thietmarus nomine, ministerialis regis, in vico Hoya * *a* juxta Wiseram fluvium habitabat. Hujus filius annorum circiter octo, cum per quinquennium fistulæ incommodo in maxilla sinistra vexaretur, omnisque medicorum operatio in illo frustraretur, tandem ad tumulum sancti antistitis oblationem suam, cereum videlicet caput, ferre devovit, si infra novem dies incolumitas illi meritis beati viri redderetur. Igitur infra triduum ante tempus præoptatum puer remedium accepit; et tertia feria infra hebdomadam Pentecostes, cum patre, matre et avia in testimonium receptæ sanitatis, cum votis promissis, ad memoriam beati viri sospes pervenit.

abbas S. Michaelis a tibiæ fractione. b

11 Abbas etiam cœnobii sancti Michaëlis, Conradus nomine *b*, dum quadam die causa utilitatis monasterii iter ageret, forte accidit, ut equo labente cui insederat, tibia collisa, prorsus debilis, et cruciatus in sella gestatoria referretur. Jussit itaque se ad sepulcrum beati pontificis deferri; ubi in oratione prostratus, cum vovisset se, quoad viveret candelam nocte et interdiu ibi provisurum, incolumis continuo surrexit : quique alienis manibus est illatus, propriis est pedibus egressus. Neque hoc reticendum videtur, quia plures Deo devoti, tam viri quam feminæ, nocturæ quietis tempore, ad sepulcrum beati præsulis psalmodiæ cantus se audisse, et luminaria divinitus accensa vidisse, et miri odoris fragrantiam sensisse testati sunt *c*.

c

Item contracta, * *P.* Marchern *d*

12 Mulier quædam provinciæ Marahen, * de civitate Olomusz *d*, non infimis parentibus oriunda, septem annis sinistræ manus digitis in volam contractis, ejusdem brachii ulna concreta pectori pæne cohærente, debilis aruerat; quæ multa sanctorum loca sanitatis gratia frequentare consueverat. Venit ergo multo itineris labore fatigata, mane septimo kalendas B junii, ad sepulcrum beati Bernwardi, ubi infra priorem missam posita, populo inspectante, pristinam sanitatem recepit. Cujus rei testes idonei plurimi tunc temporis affuerunt, qui prius illam se debilem agnovisse testati sunt. Mox ergo omnes, qui huic affuere miraculo, multique de civitate accurrentes, Deum, qui tantis famulum suum glorificat, in hymnis et laudibus benedicebant.

et quidam manum habens aridam.

13 Quidam in Thuringia manum habens aridam, omnique operis officio privatam, cum se ad beati viri memoriam cum oblationibus ire vovisset, si meritis ejus sanitatem conseqeretur, inopinata celeritate, quod optaverat, adeptus est. Ille autem tantam gratiam parvipendens, et votum implere dissimulans, ejusdem manus, itemque brachii simul debilitate multatus est. Qui nimio dolore cogente, licet sero in se reversus, et cur hoc pateretur haud ignarus, cum promissis oblationibus ad sancti præsulis auxilium invocandum ire cœpit, nondumque peracto itinere, perfectam sospitatem recepit. Ut ergo ad locum pervenit ubi D sancti præsulis corpus requievit, condignas sanatori suo gratiarum actiones persolvit; nobisque, qualiter hoc gestum sit, cum pluribus suæ sanitatis testibus enarravit.

Item alius.

14 Alter quidam, Volcquardus nomine, omni civitati nostræ notissimus, simili passione vexatus, quodam tempore, cum in beati Michaëlis ecclesiam introductus fuisset, corporalesque medicinas sibi adhiberi petiisset, quidam presbyter a Deo potius sibi sanitatem petendam admonuit, et ad beati Bernwardi memoriam spe sanitatis ire persuasit. Quo facto, vix hora dimidia transacta, cryptam lætus exivit, seque sanatum fuisse cunctis in ecclesia consistentibus evidenter ostendit. Qui post septem dies revocatus, et de perseverantia sanitatis interrogatus, cum se nihil doloris habere fuisset professus, populo, cujus multitudo aderat, est præsentatus; Deusque ab omnibus magnis est laudibus glorificatus.

Varii curati : * *P.* Liuline *e*

15 Rusticus quidam * Lunignæ *e* habitans, E Romam ad sanctum Petrum orationis causa tendens, in eodem itinere gravi cœpit infirmitate detineri. Qui, cum omnimodis a carnium esu abstinere se vovisset quoadusque ad beati Bernwardi sepulcrum, gratias acturus venisset, si per eum a mortis se contigisset periculo liberari, continuo sanitati pristinæ restitutus est. Puella quædam parvula, Machtildis nomine, de Bavaria nata, sed apud nos a primis fere annis in vico * Fossem *f* * *P.* Tosseim *f* conversata, religiosi cujusdam viri Ecberti nomine sustentata eleemosynis, manum habens contractam venit ad beati Bernwardi tumbam, quam mox ut attigit, optatæ salutis remedium invenit. Fuit quoque Bremis mulier, non ignotæ inter suos opinionis, cujus facies, ingravescente morbo, adeo intumuerat, ut narium et oculorum discretionem pene funditus ademisset. Cumque noti ejus beati Bernwardi compassionem implorassent, super nimiam ejus afflictionem voventes, eam sepulcrum ejus visitaturam, dolor illico cessavit, et inopinata celeritate sanitas pristina rediit.

paralytica, * *P.* Nitelogon *g*

16 Fuit in * Ritelogon *g*, qui est vicus duobus milliaribus distans a civitate Hildensem, puella quædam, ita diversis per quinquennium passionibus et molestiis corporis affecta, ut novissime nervis ac membris pene omnibus contracta, et sibi esset inutilis, et suis efficeretur gravis. Hæc igitur sexto nonas maii, vehiculo adducta, cryptam basilicæ nostræ difficillimo labore, duobus innixa baculis, irrepsit, ac se super beati viri tumbam inclinavit; ibique ab omni, quo laborabat, incommodo, mira celeritate convaluit. Die sequenti convenit incredibilis multitudo populi nostræ civitatis, peregrinorum quoque et aliorum, qui de diversis locis ad sollemnitatem Sanctæ Crucis eo die confluxerant, non modica turba; acceptoque testimonio a parentibus et civibus puellæ, de eo quod acciderat, Deum publicis laudibus in sancto suo devotissime glorificaverunt. Puella vero eodem die ad sua incolumis reversa est *h*.

h

et paralyticus ac puer mole contritus;

17 Vir quidam de civitate Lubeck, Adelwardus nomine, ita paralysis morbo longo tempore dissolutus jacebat, ut nec in lecto semetipsum erigere,

A erigere, nec ad os manum propriam potuisset adducere. Hujus uxori beatus pontifex Bernwardus in visione apparuit, eamque, ut pro salute viri candelam juxta longitudinem ac latitudinem sepulcri sui factam, Deo vovere debere edocuit. At illa de somno evigilans, et visionem retractans, ilico surrexit, et assumptis duabus fœminis in vestibulo domus suæ solo prosternitur, postque orationem, et votum promissum, ad maritum reversa est, invenitque eum pro recuperata jam sanitate Deo gratias agentem. Qui ab illa hora tam plene convaluit, ut non longe post, ad votum persolvendum cum uxore, sancti viri sepulcrum visitaret, ac patrati in se miraculi relator certissimus exsisteret. Alio quoque tempore, jam dicti patrisfamilias filius adhuc infantulus, cujusdam molis desuper venientis ruina oppressus, atque contritus, cum jam pene videretur exanimis, ejulabunda mater ad sancti Bernwardi patrocinium confugit; nec spe sua frustrata est. Nam continuo post preces et lacrymas ejus ad Deum fusas, sub invocatione sancti præsulis puer tamquam ab ipsis mor-
B tis faucibus ereptus, vitæ redditus est.

miles curatus; infidelis, iterum cruciatus, sanatur.

18 Miles quidam Herebordus de villa * Hornsen *i*, diutina infirmitate consumtus, ad extrema pervenerat. Cognatis autem et amicis illius, pro amissione carissimi sui nimium dolentibus, sacerdos ejusdem loci suggessit, ut pro eo patrocinium beati Bernwardi implorarent, votum facientes, ut si vitæ restitui et salutem consequi potuisset, ad sepulcrum sancti laneis indutus, et discalceatus de domo sua incipiens venire debuisset. Omnibus ergo id fideliter .voventibus, æger melius habere cœpit; et proficientibus meliorationis suæ augmentis, in brevi ad plenum convaluit. Qui postmodum alterius causæ occasione Bruneswich civitate consistens, ex eodem loco ad persolvendum votum iter arripuit, eo quod brevioris viæ compendio usus, in ambulando minus esset laboraturus. Perveniens itaque ad civitatem Hildensemensem graviter infirmari cœpit. Sed tamen cœptum adimplere desiderans, ecclesiam sancti Michaelis, in qua sanctus præsul requiescit, expetiit; sed ante
C atrium ecclesiæ, tamquam ab aliquo impulsus corruit. His autem, qui comitabantur eum, apprehendentibus atque ducentibus; ut ad januam basilicæ ventum est, horrore nimio perculsus, et pavore inter manus eorum collapsus est, nec ullo modo assurgere, aut intrandi ecclesiam vires habere potuit, usque dum publica confessione, omnibus qui aderant, pro quo reatu hac pœna multaretur, aperiret. Receptis ergo viribus, ad sua revertens, et inde procedens, voti sui ordinem tanto jam devotior, quanto divino verbere eruditior, explevit.

* *P.* Horbusen *i*

Mulier moribunda;

19 Matrona quædam Bremensis, in infirmitate posita, vidit assistere sibi quemdam reverendi vultus in habitu sacerdotali interrogantem eam, utrumnam agnosceret, quem aspiciebat. Quæ respondens, ut poterat, vix enim in solo pectore vitalis spiritus anhelabat, dixit, eum sibi prorsus incognitum esse. At ille benignissimo affatu, quod ipse esset Bernwardus Hildensemensis episcopus, indicavit; et, quia salutis causa advenisset, asseruit. Admonuit etiam, ut ad sepulcrum ipsius nummatam vini *k* ad celebrationem missarum, recuperata sanitate, offerret : atque hoc dicto disparuit. Mulier vero, quæ morti vicina putabatur, nam solo prostrata, more fidelium ex hac vita migrantium jacuerat *l*, erigens se paullisper, omnibus qui ad exitus ejus exspectationem convenerant, visionem enarravit; atque ab eadem hora salva facta est. Postmodum visitans sepulcrum Sancti, oblationem præscriptam fideliter obtulit, aliisque fidelibus ad sequendam hujusmodi devotionem, exemplo fuit. Nam multi postea tam pium factum imitantes, suffragantibus meritis beati Bernwardi, a variis languoribus et calamitatibus sunt liberati.

AUCTORE ANONYMO.

k

l

rusticus et miles febricitantes.

20 Miles quidam de ducatu Mekelenborch, febre acriter correptus, ad exhortationem aliquorum admonitus, ut sancto Bernwardo Hildensemensium patrono votum faceret, et sine dubio relevamen et sanitatem recipere non dubitaret, faciliter acquievit; et voto facto, mox ut verba ejus ore exierunt, sanatus est; in cujus evidens testimonium misit idem mi- E
les florenum aureum per duos sacerdotes ad sepulcrum sancti præsulis, qui prædicta sic contigisse fideliter testati sunt. Rusticus etiam quidam de diœcesi Hildensemensi, cum diu febricitaret, aquam de tumba sancti præsulis sibi afferri petiit, quam mox ut bibere cœpit, febris abscessit; et post illum diem non comparuit, et, ut ipse dixit, in sanitate perseveravit.

ANNOTATA.

a *Ipse Cl. Pertz, quamvis secundum suum codicem scribat* Hogen, *in nota tamen, paginæ subjecta, dicit locum nominare* Hoyam, *oppidulum scilicet in regno hodierno Hannoveræ ad Weseram fluvium situm, ut videre est in mappis topographicis.*

b *Duo, sibi succedentes, fuerunt hujus nominis abbates; Conradus I, qui monasterium S. Michaelis rexit ab anno* 1102 *ad* 1124 : *et Conradus II, in ordine abbatum VI, qui solum annis* IV *regimen tenuit* (1). *Uter vero beneficium a Sancto obtinuit, nobis definire non licet.* F

c *Satis notum est, similia prodigia de variis Sanctis narrari. Interea tamen omittuntur in textu Pertziano, quamvis tres citentur codices, qui illa referunt.*

d *Agitur hic loci de Olomutio civitate, quæ est primaria provinciæ Moraviæ* (Mähren).

e Lühnde *oppidulum in diœcesi Hildesiensi, nomen dat archidiaconatui ejusdem nominis, jacet ad septemtrionem archidiaconatus Hildesiensis* (2).

f Tosseim, *perperam* Fosseim, (*hodie* Tossum) *parochia ruralis in archidiaconatu Veteris Monasterii* (3), *jacet, inquit Cl. Pertz, inter meridiem et orientem civitatis Hildesiensis, in loco, qui dicitur Marienburg.*

g Ritelogon, *melius* Nitelogon, *hodie* Nettlingen, *parochia ruralis, caput archidiaconatus ejusdem nominis, jacet ad Orientem Hildesiæ* (4).

h *Hic desinit codex primarius, quo usus est*

(1) Meibom., Rer. Germanic. Scriptt., tom. II, p. 518. — (2) Lutzel, Die ältere Diöz. Hildesh., p. 226. — (3) Ibid., p. 118. — (4) Ibid., p. 242.

Cl.

AUCTORE ANONYMO.

Cl. Pertz; attamen et exstabant aliquot folia vacua et alii codices, quos indicat, seriem miraculorum continuant.

i *Recte animadvertit Cl. Pertz, nominatum locum non esse* Horsum, *qui in diœcesi Hildesiensi reperitur : tunc enim punitus non fuisset, quasi Brunswico peregrinationem piam auspicatus, breviorem sibi viam fecisset. Oportet igitur, ut iste locus Hildesia satis distans fuerit; quin tamen accuratius eumdem determinare possimus.*

k *Hic ipse textus affertur in Cangio h. v. quasi significaret certam pecuniam, necessariam pro sacrificio Missæ celebrando.*

l *Ex hisce verbis elucet, in more fuisse positum, etiam apud laicos, ut morti proximi in solo deponerentur.*

HISTORIA

CANONIZATIONIS ET TRANSLATIONIS

S. BERNWARDI, EPISCOPI *a*.

a

B

PRÆFATIO.

CAPUT I.

Cardinalis Cincius suscipit causam Canonizationis S. Bernwardi; cum eo Theodoricus II, abbas S. Michaelis Hildesiæ proficiscitur; varia itineris pericula.

Proœmium. Cum ad laudem et gloriam Creatoris et Reparatoris universorum, et ad proximorum profectum, quilibet, quod potest, in domum Domini jubeatur offerre; cavendum est, ne quis intra sanctam Ecclesiam fidelium in conspectu Dei sui vacuus appareat, sed unusquisque secundum collatam sibi a Deo gratiam de bonæ voluntatis thesauro, quantum valet, fideliter proferat, et in nostri Salvatoris gazophylacio, saltem cum vidua paupercula, duo minuta voluntarie reponat. At nos exigui et imperiti
C sermone, quid ad decorem domus Dei digne possimus exhibere non habentes, valde pertimescimus, ne inter servos pigros et inutiles numerari debeamus. Considerantes tamen, quod ante Dei oculos numquam vacua est manus a munere, si arca cordis repleta sit bona voluntate; quia multis non possumus, vel saltem paucis prodesse volentes, ad utilitatem eorum, qui se sacris lectionibus occupare consueverunt, et quorum meditatio in lege Domini die ac nocte consistit, gloriosam sacri corporis Deo dilecti præsulis Bernwardi translationem, quam nostris diebus sollemni fidelium devotione celebratam gaudemus, explanare proponimus, de illo utique præsumentes, qui aperuit os muti, et linguas infantium fecit disertas. Verum cum de con-
b versationis ejus sanctitate, gestorum magnificentia, et transitu laudabili, bonæ memoriæ Tangmarus presbyter, diserto satis sermone, plenissime narraverit *b*; nos hoc prætermittentes, ad ea tantum stilum vertimus, quæ vel ipsi de miraculis ejus vidimus, aut eorum, in quibus patrata sunt, probabili relatione cognovimus, vel quæ adhuc publica fama celebrante didicimus. D

2 Anno igitur ab Incarnatione Verbi Dei millesimo centesimo nonagesimo-tertio, Cælestinus Papa Tertius sanctæ Romanæ præsedit ecclesiæ, vir sacrarum litterarum documentis eruditus, habens utique, unde proferret nova et vetera, ætate grandævus, colloquii suavitate blandus, et, ut paucis dicamus, ipsum cum ætate matura morum adornabat maturitas *c*. Hic discretorum communicato consilio, venerabilem virum Cincium, presbyterum cardinalem, in partes Daciæ *d* destinandum duxit, ut terram speciali privilegio Apostolorum principi subjugatam, Apostolorum principis vicarii vice reviseret, et provinciæ illius principes, gravi ab invicem discordia divisos, ad tranquillitatis statum, et pacis unitatem revocaret. Quod Apostolicæ legationis mandatum animo promto, Deo favente, prudenter exsecutus. Cum esset in redeundo, ad civitatem Hildensemensem, quæ se itineri ejus offerebat, declinavit, et in monasterio beati Michaelis a domino Theodorico, qui tunc E temporis ejusdem cœnobii curam gerebat *e*, pariter et a fratribus hospitio benigne collectus est.

Cælestini III Pp. encomium.

c

d

e

3 His diebus sancta civitas Jerusalem, de qua per Prophetam a Domino dicitur: « De Jerusalem civitate quam elegi, veniet vobis auxilium »; civitas nostri Redemtoris præsentia simul et sacræ passionis ejus ac resurrectionis dedicata triumpho, inscrutabili divinæ permissionis judicio, violenta Saracenorum manu tenebatur captiva; et cuidam Saladino, ipsius nefariæ gentis principi, misera servitute subjugata; illud etiam vivificum Sanctæ Crucis lignum, in quo Salvator pependit, et quod sui sanguinis effusione sacravit, per manus sceleratorum de sanctuario sancti templi sublatum, et in terram alienigenarum asportatum est *f*. Sepulcrum nihilominus, in quo Redemptor quievit, et in quo mulieribus angelicæ visionis ostensa est gloria, sic a Christianorum alienatum est potestate, ut ipsis custodibus, qui ad hoc observandum fuerant deputati, exclusis, nulli penitus fidelium ad F hoc visitandum accessus pateret, qui tributa reddere Saladino recusaret. Sed quis hujus calamitatis miseriam per singula enumerare sufficiat? tota terra illa, cui benedixit Dominus, et in qua Filius Dei dignitatus est nasci, inter homines conversari, pati, mori, resurgere, cælos adire, et super discipulos gratiam Paracliti mittere, ac plura visibiliter operari miracula; terra, ubi Prophetarum et Apostolorum sacra viguere præconia, cædibus, rapinis, et variis oppressionibus, quæ a supradicto tyranno exercebantur, laborabat, sola civitate Tyro superstite, quæ propter sui firmitatem et propter adjacentis maris latitudinem spatiosam, expugnari non potuit. Verumtamen miserator et misericors Dominus, misericordiam suam in ira sua non continens, qui numquam obliviscitur misereri cum populo suo, quem diligit, corripit et castigat, in hac severitate pie ac misericorditer egit; multa fidelium millia, magnorum principum et nobilium catervas innumeras, ad agendum pœnitentiam de commissis, plures eorum ad vitam præsentem

Jerosolyma a Sarracenis capta.

f

A præsentem termino laudabili concludendam, terræ illius amissionis occasione clementer invitans. In hoc utique facto ad illius evangelici Samaritani exemplar, Christiano populo propter varias plagas criminum, in illis partibus Jerosolymitanis quasi semivivo relicto, conveniens antidotum cælestis medicus renovavit, severitatis vinum simul et oleum pietatis apponens; ut qui in arca tabernaculi virgam, et manna poni præceperat, unde plebem suo charactere insignitam in amissione terræ sanctæ virga percuteret, inde in agnitione suæ fragilitatis, ac cognitione proprii Creatoris, eam quasi baculo sustentaret.

Saxoniæ miser status.

4 Hæc ideo huic opusculo credidimus inserenda, ut facilius clarescat, quantis malorum perturbationibus illo tempore totus ubique pene concussus fuerit orbis, cum neque regio aliqua, vel provincia, nec civitas quidem exsisteret, quæ non bellis vel seditionibus coram positis laboraret, vel venturas formidaret. Nam sicut omnia corporis membra solo capite reguntur, et infirmato capite cetera membra ægritudinis incommoda sentire necesse est : ita postquam civitas Jerusalem, ubi Christianæ religionis exortæ sunt primitiæ, prophani principis tyrannidi subjacuit, per omnes fere fines, in quibus unius Dei frequentatur cultus, et maxime apud Saxoniam provinciam, rapinarum, incendiorum, aliarumque enormitatum exercebatur impietas *g*, ut duris passionibus capiti suo gravato, reliqua sanctæ Ecclesiæ membra non immerito condolere viderentur. Tunc igitur data est libertas, et resoluta legum frenis ira ruit, ut si vir ille facundissimus ab inferis emergeret, aptius hoc ævo quam suis diebus exclamaret, O mores, ô tempora! Hac igitur inexplicabilis adversitatis instantia totus fere Hildensemensis episcopatus destitutus jacebat.

B

g

Legati Romani vita probissima :

5 Verum supra memoratus Romanæ sedis legatus, tam diræ cladis violentia coactus, in præfato monasterio per dies aliquot commoratus est. Nam quidam saniori usi consilio, illum affectuose præmonebant, ne sine potentis personæ conductu procederet, ne forte per quosdam malitiæ ministros, insidiarum jacula et laqueos absconditos, qui sibi tenderentur incurreret. Eorum igitur monitionibus et consiliis acquiescens, legatos ad imperatorem pro litteris conductitiis ab eo impetrandis direxit; quia Hildensemensis episcopus in multis imperialibus obsequiis detentus erat, et ideo ei in talibus auxilio esse non poterat. Quibus ad imperatoriam majestatem profectis, vir honorandus in loco jam sæpe nominato persistens, amplius quam trium hebdomadarum spatium complevit, nullis aliis nisi sacræ lectionis studiis invigilans, ut jam illius orthodoxi nostri, magnæ videlicet sanctitatis viri Hieronymi, spiritalis exercitii videretur imitator, aut legendo semper aliquid aut scribendo. Ad hunc quotiescumque, qui publicis sceleribus implicati essent, veniebant rogantes, quatenus de injuncta eis pœnitentia ex concessa sibi auctoritate aliquid relaxaret, in his discrete et prudenter se agebat : et primo causam modumque delicti diligentius perquirens, juxta culparum quantitatem condonationis gratiam temperabat. Sæpius etiam ad conventum fratrum accedens, eos, ut erat vir mitissimus, humiliter salutabat : cum quibus monasterium ingressus, huc illucque deambulando situm ejus et honestam per omnia dispositionem mirabatur.

C

AUCTORE ANONYMO.

6 Accidit ergo, ut una dierum oratorium solito ingressus, a fratribus qui præsentes erant requireret, qui tam magnifici operis fundator exstitisset, cui a fratribus responsum est, quod a quodam episcopo, magnitudine virtutum egregio, qui ante tempora sanctæ recordationis Gothehardi, episcopi Hildensemensis, ecclesiæ regimen tenebat, idem locus constructus, consecratus, et de possessionibus, quæ sibi hereditario jure cesserant, dotatus esset. Præterea quod in crypta ejusdem cœnobii sacræ corporis ejus essent reliquiæ reconditæ : adjicientes, quod quædam, quæ de probata ipsius conversatione conscripta essent, apud eos haberentur volumina *h*. Qui dum super tanti viri nomine studiosius requireret, audivit quod Bernwardus ei nomen fuerit, et quod de claro Saxonum sanguine exstiterit oriundus. His auditis, Deum qui sanctos suos glorificat benedicens; quædam de potioribus ejus miraculis in præsentia sui recitari præcepit, diligentius inquirens, si in eadem congregatione fratres exsisterent, qui aliqua de miraculis ejus celebrata vidissent. Cui plures e fratribus multa se de his frequenter vidisse responderunt. Ad hos apostolicæ sedis legatus : Si hæc, ait, quæ dixistis virtutum insignia in præsentia summi pontificis audirentur, non dubium, quin rationabilem et honestam petitionem optatus prosequeretur effectus, si ab eo beati viri translationem *i* peteretis. Aliquantis dehinc evolutis diebus, cum fratribus capitulum ingressus, post dulcia exhortationis ejus verba, universi, genibus ipsius advoluti, supplicabant attentius, ut quia sua inducti persuasione, pro translatione beati Confessoris promovenda, legatos ad Romanam destinare proponerent Ecclesiam, eis apud summum pontificem pius cooperator exsisteret. Illorum precibus admissis, consuluit, ut hi qui certius aliquid de miraculis sancti viri vidissent, aut vera comperissent, relatione in præsentia sui et domini Bernonis, qui eo tempore pontificatus culmen gerebat, juramento confirmarent *k* : impossibile dicens, ut Ecclesia Romana facilem in hujusmodi negotiis assensum præbeat, nisi de veritate rei plenius antea fuerit instructa. Hic dum in audientia omnium proposuisset, paratos eos et unanimes inveniens, cum ipsis pariter ad episcopum accessit : ubi in facie ipsorum et totius ecclesiæ, fratres quæcumque de virtutibus et signis beati viri viderant, aut per idoneos testes didicerant, sacramento præstito in sacrosanctis Evangeliis, vera esse contestati sunt. Quam attestationem præfatus Cardinalis in scriptum redigi, et tam suo quam episcopali sigillo diligentius consignari, mandavit.

in S. Bernwardi memoriam inquirit, et suadet Roman. Pont. ea de re adeundum.

h

E

i

F

k

7 His ita de consilio rationabiliter ordinatis, dominus cardinalis valedicens fratribus, et de impenso sibi ab eis puræ dilectionis obsequio quam plurimum regratiatus, profectus est, domino episcopo debita ipsum conducente reverentia, et in castro suo Wincenburch illum hospitio excipiente *l*. Cum quo pater

Ob id Theodoricus abbas Romam mittitur.

l

AUCTORE ANONYMO.

pater monasterii usque ad idem castrum processit; et die sequenti cum ab eo benedictione petita, ad monasterium redire pararet, fideliter consuluit, ut rebus et impensis præparatis, si forte pro sæpedicto negotio Romanam visitare vellet ecclesiam, eum, quam citius posset, subsequi non differret. Qui ad conventum rediens, omnem consilii formam, quam ex ore viri venerabilis audierat, in communi proposuit. Deliberatione dehinc habita, quis ad hoc negotium exsequendum mitteretur, universis visum est, ut is, qui pater congregationis, legatione fungeretur, congruum esse dicentes, ut super tam celebris negotii promotione persona celebris et idonea mitteretur: qui primo infirmitatis suæ considerationem et itineris difficultatem opponens, ac imparem se huic labori per omnia judicans, quod petebatur humiliter recusavit. Tandem ad ipsorum cohortationem et precum instantiam, quod virium suarum robur sciebat excedere, concordi et pia petitione devictus, non dubitavit assumere.

Videtur S. Bernwardus e sepulcro procedere.

8 Ne quis autem ea, quæ de sacri corporis elevatione tunc temporis tractata sunt, casu, et non potius Dei præordinatione acta fuisse affirmare præsumat; non illa casu, sed ex divinæ dispositionis nutu, et de beati viri voluntate processisse, declarat revelatio cuidam religiosæ conversationis ostensa matronæ, quæ merito vitæ, bonæ apud omnes opinionis, bonoque virtutum flagrabat odore. Hæc Sancti Spiritus edocta unctione, quamvis habitu sæculari tegeretur, sæcularem tamen animum nullatenus gerebat, sed potius jejuniis, vigiliis, eleemosynis, aliisque Deo acceptis vacabat operibus. Hæc beati viri memoriam continuis orationibus frequentabat. Accidit ergo, ut nocte sanctissimæ Resurrectionis Dominicæ, dum solito precibus intenta noctem pervigilem duceret, tandem defatigata, sicut erat in facie prostrata, juxta pontificale sepulcrum leniter obdormiret: vidit ergo, quasi aperto sanctuarii tecto, et lapidum oppositione deposita, super sepulcri locum olei liquorem cælitus descendere largissimum, adeo exuberantem, ut magnum cryptæ spatium suo stillicidio videretur infundere. Quæ de rei
C novitate mirata, subito quod esset mirabilius aspexit, personam videlicet reverendi vultus, pontificalibus præparamentis adornatam, de eadem tumba procedere, et talibus eam verbis affari: Tempus adest mea de terra quo membra leventur. His dictis expergefacta, quæ viderat et audierat, non passim omnibus, sed paucis Deumque timentibus ipsius cœnobii fratribus retulit. Quam visionem omni veritate subnixam, subsequens visio comprobavit.

Alia visio.

9 Anno eodem, quo sæpius dicta sancti præsulis translatio celebrata est, quidam de ipsius monasterio seu collegio vir vita laudabilis, vidit per visum, quasi cryptam ejusdem cœnobii adoraturus intraret: cui apparuit qualiter de loco in quo sacri corporis reliquiæ servabantur, fons scaturiret purissimus, qui jam adeo excreverat, ut ad ostium cryptæ suo cursu processisset. Miratus ergo, et de ipso manibus hauriens, et ore degustans, mellis dulcedinem sensit. Qui currens ut abbati et fratribus visa nunciaret, ipsum monasterii patrem in conventu fratrum stantem D reperit. Cui dum de novi fontis eruptione narraret, nondum finito sermone, fons ipse, ut sibi videbatur, effluxionis suæ largitate ante faciem ipsorum apparuit, quem videns is qui abbati referre venerat: Ecce, ait, domine, fons ille de quo dixi vobis. Qui utrique lacrymati præ gaudio, flexis genibus, Deum a quo quicquid sanctis virtutis datur venit, et quasi a lucidissimo fonte procedit, benedixerunt. Dehinc post longas gratiarum actiones, talem abbas prorupit in vocem: Merito, frater, Deum de universis donis ejus benedicimus, quia indubitanter scio, quod de gratia largitatis ejus, qui dives est in omnes, meritis dilecti patroni nostri suffragantibus, nil nobis de reliquo, si Deum timuerimus, deesse poterit. Evigilans, quæ viderat, utpote vir humanæ laudis favorem omnino declinans, paucis e fratribus retulit, rogans quatenus audita silentio tegerent, donec certius cognoscerent, quid de suæ visionis mysterio divinæ ordinationi fieri placeret. Nos vero, qui hominem novimus, et hæc de se ipso referente audivimus, fidenter quæcumque vidit, litteris mandamus, et cum ipso quasi cum viro, in quo dolus non erat, rei veritatem contestamur. Hæ geminæ visiones, sicut pene uno et eodem ordine prodierunt, ita sub uno interpretationis tenore intelligi possunt, quia unus et indissimilis ex his processit effectus. Nam sive olei largitas, vel fontis ubertas largitatem signabat miraculorum, quæ Salvatoris gratia, et ejus electi merito sic exuberasse videmus; ut non jam tantum in sola Saxonia provincia, verum etiam in multis mundi partibus celebris ejus frequentetur memoria, de quibus, quia nos ad cœptum orationis ordinem properamus, in sequentibus plenius dicemus. E

Captivus S. Bernwardi meritis liberatur.

10 Cum ergo, ut superius retulimus, de sacri corporis elevatione crebro fratres conferrent, paucis diebus post discessum cardinalis evolutis, meritis beati præsulis accidit res mira pro sui magnitudinis dignitate, silentio nullatenus occultanda. Juvenis quidam, non ignobiliter natus, in episcopatu Hildensemensi erat notissimus. Hic in ea, quam præmisimus, bellorum instantia captus ab hostibus, in civitatem Bruneswich adductus est. Qui dum ab eo, quam non habebat, extorquere vellent pecuniam, pedes ejus compedibus onerantes, manus vinculis vinxere ferreis, non quidem eas constringentes, sed longius a se quasi in equulei suspensione ab invicem extendentes, et clavis quibusdam solidis parieti domus tenacius affigentes, quem sic absque cibi exhibitione per triduum stare coegerunt, diligenter ne fuga elaberetur adhibentes custodes. Anxius ergo quid faceret, cum humano destitutus nullum nisi divinum præstolaretur subsidium, Deus cujus misericordiæ non est numerus, qui erigit elisos, et solvit compeditos, notis et amicis suis hoc inspiravit, quatenus cum eo qui tenebatur in vinculis, voverent, ut si a præsentis instantia periculi mererentur absolvi, beati confessoris memoriam in habitu pœnitentiali visitaret; et tantum inopiæ pauperum largiretur, quantum appensum in statera proprii corporis pondus pensaret, eleemosynæ. Voto facto, et sancti patris auxilio F

A auxilio implorato, multa celeritate ruptis vinculis, et solutis compedibus, mirum in modum custodibus, ut olim Helisæi hostibus, cæcitate percussis, beati viri patrocinio, et fugæ confidens præsidio, die medio abscessit incolumis. Gratiæ dehinc circa se in tantæ necessitatis articulo exhibitæ non immemor, vota fideliter exsolvit; et taliter, ut diximus, rem circa se fuisse gestam, coram fratribus, aliisque qui aderant fidelibus, in sacris reliquiis jurejurando contestatus est, qui clero et populo præsentatus, uno et eodem narrationis ordine, divinæ virtutis opus, diligentius et sæpius de mera veritate requisitus, palam omnibus enarravit. Omnes igitur in communi Salvatoris gratiam, qui tali civitatem ipsorum dignatus est illustrare patrono, collaudantes, hanc optabilem sancti viri translationem ulterius non debere differri clamabant, præsertim cum illud Deo, qui in sanctis suis honoratur, et ejus electo gratissimum esse, tam evidentis ostensio miraculi declararet. De hujus miraculi patratione fratres vehementer in Domino gavisi, decreverunt, quatenus
B hoc celebre factum litteris mandatum, et suo signatum sigillo apostolicæ sedis legato præsentaretur, ut tanto ferventius ipsorum negotiis insisteret, quanto illud sancto Dei gratissimum fore novitate miraculi non dubitaret.

ANNOTATA.

a *Liber Translationis et Miraculorum S.* Bernwardi *non unum habet auctorem, sed plures. A pluribus enim continuatus est, ut constat ex numeris* 31 *et* 32. *In priore quidem agitur de cæco illuminato anno* 1315, *in posteriori autem meretrix anno* 1431 *narrat quomodo intercessione sancti ad meliorem vitam traducta fuerit. Habetur igitur intervallum centum sedecim annorum inter utrumque miraculum. Dein nuspiam indicat scriptor anonymus, se monachum fuisse S. Michaelis; constanter enim de isto monasterio loquitur quasi de quocumque alio loco, neque ulla significatione prodit aliquam necessitudinem se cum monasterio habuisse. Tandem num.* 1 *profitetur, se aliqua*
C *miracula* vidisse, *sed spectatorem Translationis se fuisse omnino tacet. Ex hisce omnibus deducimus plures anonymos libro allaborasse, eosque omnes sat diu scripsisse post Translationem, quæ vox hic loci significat solemnem canonizationem, quæ pontificia auctoritate erat facienda, ut vidimus Commentarii prævii num.* 99 *et seq.*

b *Annotato* a *ad caput* VII *ex hoc loco monstravimus, Tangmarum* totam *Vitam, etiam* transitum *S. Bernwardi litteris consignasse; adeoque male assutum fuisse glossema :* Hic desinit Tangmarus.

c *Cœlestinus III sedem apostolicam occupavit ab* 1191 *ad* 1198. *Vir erat, ait Ciacconius* (1), ob humanitatem, prudentiam, comitatem et mite ingenium omnibus gratissimus. *Præter S.* Bernwardum *nostrum, etiam SS. Joannem Gualbertum, Ubaldum, episcopum Eugubinum sanctis adscripsit.*

d *Duo hujus nominis cardinales, a Cœlestino III creati, occurrunt apud Ciacconium : nempe in prima creatione, die pentecostes anni* 1191 *facta, est Cynthius, variis legationibus functus* (2) *: et in secunda aut quarta, Cencius Sabellus, cujus memoria exstat hactenus in basilica Lateranensi* (3). *Uter fuerit legatus in Dania, discernere facile est. Nam in textu nostro habemus Cencium legatum fuisse* presbyterum cardinalem : *ast Cencius Sabellus mansit* diaconus cardinalis *usque ad pontificatum Innocentii III, qui illum transtulit a titulo S. Luciæ in Silice ad presbyteralem SS. Joannis et Pauli seu Pammachii. Cynthius, qui etiam Censius vocatur, titulum presbyteralem S. Laurentii in Lucina (quam dedicari curavit* (4).) *ab initio obtinuit, et præterea aliis legationibus functus fuit. Unde nullum mihi est dubium, quin de hoc in textu nostro agatur. Quæ porro fuerit causa legationis in Daniam (quæ hic Dacia more scriptorum istius ævi vocatur) a scriptore nostro exprimitur. Forsan etiam pro concordia sancienda inter varias Ecclesias hactenus in Officiis divinis, quæ circa hoc tempus facta fuit sub Absalone, Lundensi* E *archiepiscopo* (5) *divisas.*

e *Theodoricus II, auctor Vitæ Germanicæ S.* Bernwardi, *monasterium S. Michaelis Hildescense rexit, ut dictum fuit Commentarii prævii num.* 5.

f *Anno* 1187, IV *kal. octobris, Saladinus Hierosolymitanam urbem occupavit* (6). *Recte animadvertit Pagius* (7), *quasdam loquendi formulas, ut sunt :* his diebus, eo tempore *etc. viros eruditos in errorem impulisse; quum tamen sat magnam latitudinem habeant. Exemplum esto capta Hierosolyma jam a sexennio, quando anno* 1193 *Cencius legatus, Hildesiam appulit.*

g *Eodem fere modo interpretari nos oportet, quæ hic dicit scriptor noster de misero statu Saxoniæ, videlicet circa ista tempora fuisse provinciam cædibus, rapinis, incendiis vastatam; quin propterea reportanda sit calamitas ad pontificatum Bernonis. Nam sub episcopatu Adelogi et Bernonis, secundum Chronicum Hildesheimense* (8), *omnia pacifice videntur processisse. Sed Conrado utriusque successore ad Herbipolensem cathedram translato, Harbertus seu Heribertus circa finem sæculi* XII *electus* F *fuit* totius capituli et cleri consensu, omnibus laicis omnino contradicentibus : propter quod, *ait scriptor*, Ecclesia nostra multos et graves labores, expensas, pericula, tam communium quam privatarum rerum dispendia et episcopalium possessionum alienationes perpessa est. *Atque hinc vehementer dubito, an Berno Episcopus, ut dicitur infra num.* 16, *propterea negotium solemnis Translationis suspenderit, quia* totius provinciæ necdum sopita esset turbatio.

h *Inter scripta, legato oblata, erat certe Vita S.* Bernwardi, *a Tangmaro confecta, et documenta miraculorum.*

i *Jam supra Annotato* a *monstravimus, vocem* Translatio *æquipollere solemni canonizationi.*

k *Berno episcopatum Hildesiensem rexit ab anno* 1190 *ad* 1194 (9).

(1) Vitæ Rom. Pontt. tom. I, col. 1151. — (2) Ibid. col. 1161. — (3) Ibid. col. 1164. — (4) Cfr Baron. ad an. 1195 § VI, Cfr Pagium ad eumd. an. 7. — (5) Pagius, Critic. Baron. ad an. 1193 § XI. — (6) Cfr Baron. ad ann. 1187 § VII et seqq. — (7) Crit. Baron. ad an. 1194 § XII — (8) Pertz, Monum. Germ. Hist. tom. VII, p. 857 et seq. — (9) Schmid, tom. I, p. 228.

AUCTORE ANONYMO.

AUCTORE ANONYMO.

1 *Villa in extremis finibus meridionalibus diœcesis Hildesiensis.*

CAPUT II.

Post varios casus canonizatio Romæ decernitur et Hildesiæ celebratur.

Abbas Romam petit, et in itinere cum legato spoliatur;

His gestis, dominus abbas rebus et impensis quæ ad præfatam legationem erant necessariæ, præparatis, fratrum se orationi attentius commendans, peregrinatione assumta, præcedentem subsecutus est Cardinalem; eumque jam in confiniis Alpium apud monasterium Schaphus, quod latine Luxovium dicitur, reperit; ubi venerabilis pater Columbanus *a*, ut ex gestis ejus colligitur, Deo dignam, paucisque imitabilem conversationem duxit, cujus adventu comperto gavisus valde, in occursum ejus processit, et in amplexibus ejus diutius immoratus, gratissimum se viæ comitem habere protestatus est. Qui pariter inde digressi, versus montem Septimium iter direxerunt, B quem cum transituri essent, Andreas quidam Marmoracensis castri *b*, quod huic monti vicinum erat, habitator, armata eis manu occurrens, publicam itineris viam occupavit, eos et res ipsorum hostiliter invasit; mandatum se ab imperatore fingens accepisse, ne personam ecclesiasticam Romanum adire pontificem, quæ litteras illo deferret, nullatenus pateretur. Omnibus dehinc sub gravis juramenti interpositione comminatus est, nisi scripta quæ apud se habebant, ipsius præsentiæ incunctanter exhiberent, eos mutilare non formidaret. Litteris ergo in communi prolatis furorem furore cumulavit; et, quod dictu nefas est, Vicarium ejus, cui ligandi solvendique potestas concessa est, captivare non timuit : quo in castrum Marmoracense contumeliose abducto, rebusque suis adversaria manu distractis, qui in comitatu ejus erant, eo relicto, montem Septimium pedites transierunt. At memoratus abbas montem in quo castrum idem situm est, difficulter ascendens, dictumque malefactorem de suæ legationis C causa humiliter expediens, vix obtinuit, ut rerum suarum partem reciperet; data sponsione ne ad partes adiret Italiæ, verum ad natale solum sine retractatione rediret.

a

b

sed Rotholfus princeps ablata legato et abbati restitui jubet :

12 In tantorum igitur malorum positi discrimine, dum penitus quid facto opus esset ignoraret, tandem his qui cum eo erant visum est, ut ad Curiensem episcopum *c*, in cujus diœcesi jam dictæ crudelitatis minister degebat, accederent, si forte ipsius auctoritate ad satisfactionem et rerum suarum restitutionem inclinari potuisset. Qui non longe a castro digressi, quosdam præcipuos ejusdem ecclesiæ fratres, et ministeriales obvios habuerunt, qui eos fama vulgante, sinistro casu turbatos audierant; et, ut ea quæ relatu didicerant, oculata fide cognoscerent, ad locum patrati sceleris properabant. Hi compassione moti super eos, ad virum exsecrabilem cum ipsis accedentes, Romanæ sedis legatum jam custodia ejectum repererunt, quem scelerati raptores instanter urgebant, ut celerius abscederet, paucis equis et rebus in parva quantitate sibi restitutis. Zelo igitur Dei vehementer accensi firmum se pro domo Israel contra adversarios D murum opposuerunt, graviterque nefariis invasoribus comminati sunt, quia nisi viros, quos in animæ suæ periculum turbaverant, satisfactione competenti placarent, excommunicationis in eos non differrent promulgare sententiam. Verum cum obstinatam ejus, ut bestialem, per omnia mentem, nec lenitas monitionis, nec correptionis asperitas permoveret, præpotens quidam, Rotholfus nomine, ex eadem provincia, audiens quæ gesta sunt, commotus valde, præfato prædoni mandavit: quia nisi rebus eorum restitutis, eos in pace quo vellent pateretur abire, ipse tam enorme scelus non pateretur inultum; adjiciens, si jussis ejus non pareret, diu cum ipso habitum fœdus rescinderet, et castrum, de cujus munitione confidebat, funditus eversum, solo adæquaret. Qui contrario sibi accepto nuntio, importabile præsentiens, si gratiam sui demereretur domini, prudenter apud se deliberans, quæ violenter abstulerat, magna ex parte restituens, eos ulterius detinendo molestare non præsumsit.

E

Mediolanum veniunt.

13 Rebus suis ergo receptis, post dies paucos Mediolanum venientes, apud ecclesiam beati Ambrosii hospitium habuerunt : ubi certius eis innotuit, quod gravis inter Romanæ sedis pontificem, et imperatorem verteretur discordia; per totam etiam Italiam imperatoris edictum pendere, ut quicumque reperti fuissent, qui cujuslibet causæ obtentu, Romanam adire præsumerent ecclesiam, contumeliis affecti, rebusque nudati, aut vinculis arctari debere, aut ad propria redire compelli *d*. Quæ persecutionis procella in tantum efferbuit, ut Ostiensis episcopus a Francia rediens, apud Senam oppidum, a satellitibus imperatoris, omnibus suis antea distractis, in custodia teneretur *e*. Hoc nuncio satis exterriti, ratum duxerunt ut ab invicem divisi, alius per Papiam, et alter per Placentiam transitum haberent, cautius esse judicantes hac separatione, si fieri posset, manum declinare adversariam, quam pariter juncti hostiles denuo experirentur insultus. Qui cum lacrymarum et singultuum amaritudine segregati, post dies paucos cum senior memoratus Lucam venisset, et F nulli ei ulterius procedendi daretur facultas, a publico peregrinorum declinans itinere, Pisam civitatem opulentissimam adiit; ubi cum nobilioribus civitatis de conductu locutus, ab eo aliisque diversarum provinciarum clericis accepta pecunia, fideliter polliciti sunt, securum et nullius auctoritate infringendum se ipsis præbituros conductum. Hos per loca maritima pariter dierum quatuor subsecuti sunt. Verum cum nec per loca illa ulla penitus esset eundi securitas, eo quod dolo et proditione unius eorum ductoris, a domino provinciæ ipsis insidiæ tenderentur, habito consilio, consultius visum est propriæ habitationis larem revisere, quam feritate gentis illius, et rerum suarum amissione periclitari. Quid autem contrarietatis et molestiæ in redeundo pertulerint quam difficulter multitudinem militum, quam a tergo imminentem viderunt evaserint, lectoris parcentes fastidio, sub silentio transeundum putavimus.

d

e

Romam tandem perveniunt :

14 Post diversos tandem sinistrorum eventuum casus, post solutam cujusdam castri, in quo

AUCTORE ANONYMO.

A quo se ut hostiles devitarent impetus receperant, obsidionem, Pisam reversi, plures eorum causis, pro quibus jam plurimum laboris et rerum expenderant, renunciantes, infectis negotiis ad propria repedabant. Verum jam sæpe dictus senior, juxta illud viri Sapientis eloquium : Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet *, spem omnem et fiduciam in Deo figens, et sacri Præsulis, ob cujus honorem in terris ampliandum, exsul in ignotis errabat partibus orbis, sese credens protectioni, dum quod sibi faciendum restaret, anxio corde revolveret, nutu Dei negotiatores quosdam ejusdem civitatis mercimonii sui gratia in proximo versus Neapolim civitatem Apuliæ navigaturos audivit *f*. Ad hos accedens, et causam suæ peregrinationis aperiens, tutissimum sibi exsistere affirmabant, ut labore navigationis assumto, eorum societati se jungeret, eo quod per vicina Romanæ civitatis, pæne ad ipsas Tiberis fauces applicare deberent. Qui gavisus, Deoque, qui non derelinquit sperantes in se, grates exsolvens uberrimas, eorum acquiescens consilio, primo quidem periculis latronum, periculis fluminum, periculis in falsis ductoribus, postremo periculis in mari pæne usque ad defectum corporis attritus, Deo tandem duce, urbem Romanam ingressus est. Sed, quia sedis apostolicæ Legatus, de quo supra retulimus, necdum adhuc redierat, ipse litteris ejus, quas ad Cardinales dederat, qui ei specialis amicitiæ vinculo annexi erant, exhibitis, ubi ex earum serie intellexerunt, quantum ei præfatus Abbas dilectionis ac reverentiæ impenderat, quam plurimum regratiati, polliciti sunt se causam, pro qua Romanam visitasset ecclesiam, omni qua possent instantia promoturos. Dehinc post paucorum dierum cursum, idem Legatus, Dei cooperante gratia, totius pæne Romanæ civitatis exceptus occursu, cum in audientia summi Pontificis diligentius exposuisset, quanto dilectionis fervore in monasterio ipsius Abbatis a fratribus tentus fuisset, maximum ex hoc favorem adeptus, non modicum, ut post patuit, honoris a domino Papa consecutus est. Statuta postmodum die, summus Pontifex de adventus ejus causa inter Cardinales librum proponens, qui de vita et miraculis beati viri conscriptus est, in audientia ipsorum recitari præcepit. Qui, ubi sanctam ejus conversationem et virtutum insignia compererunt, Deum qui in sanctis suis mirabilis et gloriosus est, benedicentes, facilem in tam rationabili Deoque accepta petitione præbuere assensum.

* Ps. LIV, 23.

f

B

C

Ubi Actis recognitis, Catalogo sanctorum inscribitur.

15 Ad hæc, dominus Apostolicus præfatum Seniorem taliter alloquitur : Cum te, frater honorande, tibique subjectos in religionis fervore, et monastici ordinis observantia laudabiliter audiamus proficere ; et cum venerabilem virum Bernwardum, quondam Hildensemensem episcopum, cœnobii vestri fundatorem, gloriosam et memoratu dignissimam in terris vitam duxisse, et multis coruscasse miraculis, textu vitæ ejus inspecto, indubitanter sciamus, auctoritate Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli, dilecti quoque filii nostri Cincii cardinalis interventu mediante, qui legationis suæ tempore multa, ut asserit, a vobis benignitatis expertus est argumenta, jam dictum reverendissimum virum in catalogo Sanctorum amodo numerandum decrevimus, et sacratissimum corpus ejus de terræ gremio erigendum, et inter sanctorum memorias veneratione condigna collocandum. Ad hæc Senior lacrymatus præ gaudio, pedibus ejus gratias acturus prosternitur ; sed assistentium manibus erectus, in oratorium beatæ Mariæ semper virginis ducitur, ibique Deo laudibus exhibitis, tam a summo Pontifice, quam a Cardinalibus, et maxima Cleri populique frequentia, beatus confessor in Sabbato ante natale Domini sollemniter canonizatur *g*.

g

Abbas monasterium lætus repetit : varia miracula

16 Litteris dehinc testimonialibus de his impetratis, aliisque suis negotiis expeditis, licentia et benedictione a summo Pontifice accepta, memoratus Abbas ad propriæ habitationis locum redire maturabat. Cujus adventu civitas tota spiritali exhilarata gaudio, jucundissimi negotii exsecutorem jucundo satis excepit occursu, personæ dilectæ sospitati, et prospero ad vota successui multo congratulata favore. Verum, cum ea, de qua supra retulimus, totius provinciæ nec dum sopita esset turbatio, propter multam rerum penuriam, et angustiam temporis, usque in annum sequentem placuit suspendi negotium. Sub hac dilatione, meritis beati Præsulis, ab antiquorum miraculis patrum non differens accidit miraculum, eximiæ sanctitatis ejus et pietatis immensæ manifestum satis præbens argumentum. In ipsa civitate Hildensemensi, puer non ignotis ortus parentibus, subita ægritudine præventus immatura morte decessit ; ut est moris in talibus, funeri exsequiæ parabantur. Parentes carissima orbati sobole, post gemitus et lacrymas interni doloris indices, vicinorum qui aderant instinctu voverunt, ut si suffragio in proximo transferendi Antistitis defunctus vitam reciperet, ipsi cum oblationibus ejus honorabile sepulcrum, una cum suscitato gratias acturi visitarent. Quid plura ? parentes paruere consilio : vitæ redditur exanimis, vota solvuntur, et beatus Confessor debitis ab utroque sexu laudibus extollitur. Qui de facto hæsitaverit, multitudinis quæ aderat accipiat testimonium.

E

F

messe maturius quam aliis annis facta, omnia ad Translationem disponuntur.

17 Neque hoc reticebimus, quod anno eodem sic mature frugum aliorumque seminum accessit maturitas, ut solita metendi tempora longe prævenisse viderentur, in tantum ut centenarii senes numquam segetes adeo tempestive suo collectas ævo faterentur : hoc nimirum Deo, cujus omnia nutu reguntur, procurante, ut ad imminentem beati Præsulis festivitatem, actibus exoneratus necessariis, longius latiusque liberior populus occurreret et expeditius feriaret. Frequentes etiam anno toto a fratribus aliisque fidelibus orationes ad Deum porrectæ sunt, ut ea quæ pro electi sui glorificatione facienda erant, ad honorem et laudem sui nominis benigno prosequeretur effectu. Jamque sacratissimæ Virginis aderat Assumtio, cum non solum propter specialem Hildensemensem festivitatem *h*, verum etiam pro sanctarum reliquiarum sublevatione, quæ proxima die celebranda erat, cum diversarum ecclesiarum prælatis inæstimabilis multitudo, non tantum de propinquis et cognitis, sed etiam de remotis terrarum provinciis

h

AUCTORE ANONYMO.

provinciis certatim confluxerant. Qua die in Dei laudibus ob venerationem piæ Matris ejus rite peracta, dominus Berno episcopus, cujus auctoritate et ministerio res erat promovenda, sub ipsius noctis crepusculo, secretius ad monasterium, ubi sacra pignora servabantur, venit; quonam ordine in re divina procedendum esset, cum fratribus aliisque gravibus personis deliberaturus. Verum, cum pro nimietate popularis frequentiæ, qui præoptatam sacræ translationis horam diligentius observabant, nulli penitus ad ipsum sepulcri locum aditus pateret, placuit, ut remotis omnibus ipse pater monasterii cum aliquantis fratribus aliisque viris religiosis assumtis, lapidem, qui eidem tumbæ superpositus erat, facerent removeri, ne postmodum in sacri corporis elevatione maximus ille concursus mora detineretur invita. Quo facto, januis ecclesiæ firmissime seratis, et lapide sublato, sarcophagum satis admodum idonee sculptum viderunt; quo præmissis orationibus patefacto, spiritalem et antea incognitum exhalans odorem cælestis ille thesaurus, regalibus utique divitiis incomparabiliter præferendus, apparuit.

B

Levatur et transfertur sacrum corpus.

18 Nec defuit ille, qui in suo nomine congregatis numquam deesse consuevit Jesus noster, Jesus bonus, cujus gratia visitante cæcitatis humanæ caligo detergitur; cujus illustratione cordis impœnitentis, quo in spiritum ejus peccatur, duritia mollitur. Videres enim nonnullos eorum, qui aderant, dum suas examinant conscientias, in lacrymas resolutos; dumque se cognoscunt a meritorum ejus longe distare præconiis, artus cælestium præceptorum olim jugo exercitatos vix audere contingere. Sciebant enim virum nobilitatem carnis, quæ superbiæ fomentum est, intuitu Conditoris et propriæ conditionis humilitate, calcasse. Accedebat memoriæ hominem castitate Angelicum, nam castitas cum humilitate Angelicæ puritatis est particeps, adeo pudicitiam carnis intra cordis hospitia inviolatam conservasse, ut ab annis tenerioribus usque ad vitæ transeuntis occasum, casus nivei pudoris inexpertus, merito cum eis qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sequatur agnum sine macula, quocumque ierit *. Legerant nihilominus, pastorem piissimum, pauperem quidem spiritu, æternitatis amore manus ad pauperes extendisse largissimas. Adverterunt geminæ caritatis in qua lex pendet et prophetæ, sic in ejus pectore convaluisse vigorem, ut non fratrum affectum tenerrimum, nec propinquorum lineam clarissimam, non affinium aut amicorum nobilitatem, sed cæli Dominum, sui heredem statuerit. Et nunc jure cum illis, quorum Dominus pars hereditatis eorum et quorum funes ceciderunt in præclaris *, centuplum accipiens, immortalitatis dote vestiatur. Sed quid multis moramur? Quod Deus faciendum præordinaverat, hominis erat devotione adimplendum. Excipiuntur tandem de tumulo membra loco celebriori collocanda, et ad instar Dominici corporis, famuli sui corpus syndone munda involutum, mane sequenti, ecclesia, prælatorumque præsente frequentia, reverenter de terræ pulvere sublevatur, et ea

* Apoc. XIV.

C

* Ps. XV.

(1) Sidera illust., Vita S. Bern., p. 102. — (2) Eichorn., Episc. Curiensis, Probat. p. 55. — (3) Ibid., p. 83. —

hora qua Spiritus veritatis in linguis igneis discipulos visitasse affirmatur *i*, per medium deportatur ecclesiæ, et tam cleri quam populi universitas in ejus laudem accenditur : casula etiam serica beati præsulis, in qua tot annis, scilicet centum septuaginta duobus sepultus fuerat, adhuc recens et incorrupta apparuit, cujus etiam tactu multi infirmi curati sunt.

D

In cathedralem defertur, et inde ad monasterium.

19 Affuit statim quædam, ut præmisimus, per olei stillicidium præsignata circa languentes larga sanitatum operatio. Nam dæmone dirissimo mulier quædam vexata, dum ad tumulum Deo digni Antistitis a viris octo spiritu renitente maligno, vix deprimitur, illius mediante suffragio, multis præsentibus et rei eventum præstolantibus, hoste fugato femina mundatur, ut liquido pateret, quod is qui spiritu semper mundo, quo Deus videtur, pollebat, spiritibus potenter imperaret immundis. Corpore dehinc sacro cum laudibus et canticis spiritualibus ad principalem ecclesiam deportato, ibique missarum solemniis pro præsentia tanti patris festive celebratis, incredibili sexus utriusque stipatum caterva, denuo ad monasterium refertur.

E

ANNOTATA.

a *Browerus suspicatur* scaphus *esse vocem Saxonicam, quæ idem sonat ac Luxorium* (1). *Sed lingua Saxonum non potest differre in radicibus suis, ut patet, a communi lingua teutonica, quæ certe nihil exhibet, quo hæc vox explicari possit.*

b *Castrum Marmoracense, quod hodie* Marmels *dici censeo, viginti novem circiter chiliometris meridiem versus Curia, urbe episcopali in Rhætia, distat, ac monti Septimio* (*Septimerberg*) *adjacet. In carta Curiensi, data* XXV 1160, *traditur S. Adelgotto episcopo* Andreas de Marmorea, *ita ut* ipse Andreas castrum debeat habere in beneficio : quod si filios non habuerit, filiæ debeant habere (2). *Hic igitur Andreas aut ejus filius homonymus legatum spoliatum retinuit.*

c *Isto tempore Curiensem sedem occupabat Henricus II ab anno* 1180 *ad* 1193 (3) : *ex præcedenti Annotato satis liquet, cur ad Curiensem antistitem recurrerit legatus : erat enim Andreas Curiensis Ecclesiæ beneficiarius.*

F

d *Hoc anno* 1192 *plures civitates Laudensium, Cremonensium, Bergomatium, Comatium in ruinam Mediolani conjuraverant : hinc omnia suspicionibus erant plena, in hisce controversiis partes etiam suas agentibus imperatoribus Germanicis* (4). *Adeoque quam maxime impeditus commeatus hominum et rerum.*

e *Ab anno* 1189 *ad* 1206 *Ostiensis episcopus fuit Octavianus, multis legationibus, pro sede apostolica obitis, clarus* (5).

f *Apulia, ut liquet, hic sumitur pro hodierno regno Neapolitano, saltem magna ex parte.*

g *Anno* 1192, *littera dominicali D notato,* sabbathum ante Natale Domini *concurrebat cum die* XIX *decembris.*

h *Ecclesia cathedralis olim et hactenus consecrata fuit sub invocatione B. Mariæ Virginis.*

i *Nempe quando in choro canitur hora tertia, seu circa horam nonam matutinam.*

(4) Giulini, Memor. di Milan, t. VI, p. 97. — (5) Ughelli, Ital. sac., t. I, col. 67.

CAPUT III.

A

CAPUT III.

Varia enarrantur miracula.

Cæci illuminati;

Interea munerum divinorum erga ægrotos multiplicantur beneficia. Nempe anus quædam, multo tempore visu privata, ob spem recuperandi luminis beati viri præconium interpellabat attentius, statimque sanie ab oculorum loco largius prorumpente, multis intuentibus, et testimonium de diuturna cæcitate perhibentibus, visum recepit. Miles quidam Udalricus de villa Blithenem, principalis ecclesiæ ministerialis *a*, cnm in oculo altero ex igne sacro tumescente, nihil eo videns gravisssime torqueretur, ipso die translationis, aquam beati pontificis brachio benedictam et intinctam sibi afferri devotius petivit, eaque oculi tumorem liniens, mira celeritate visu recepto, et tumore laxato, sedavit dolorem. Postmodum de rei veritate requisitus, eo quo diximus ordine remedium consecutum, lacrymis ubertim præ gaudio B fluentibus, protestatus est. Item alius majoris ecclesiæ ministerialis, Gerungus nomine, ad idem sollemne festivitatis gaudium, scilicet translationis, cum uxore et liberis advenerat. Qui cum post divinæ servitutis officia redire domum pararet, in silva quadam hostium, quos plures habebat, incautius feritatem incidit, a quibus captus et in interiora silvæ deductus, ferro ponderoso satis ad arborem eximiæ magnitudinis constrictus est. Cum ergo de viro arctissime vincto ne se ullatenus effugere posset securiores exsisterent, et ipsi per nemus liberius passim vagarentur, captivus ille, cum beati patris, cui se attentius ea die commendavit, patrocinium obnixius imploraret, subito ferro quo vinctus fuerat divinitus confracto, et vinculis quibus manus ejus a tergo ligatæ fuerant disruptis, incolumis abscedens, uxorem suam, quæ pro sui absentia nimia erat amaritudine confecta, ad propria rediens sua ereptione consolatus est.

a

Presbyter incredulus punitus.

21 Eadem die ad horam vespertinam, puer septennis a nativitate cæcus, ad tumulum C sæpe memorati præsulis lumen recepit. Sed cum fratribus et pluribus qui aderant ecclesiarum prælatis de facto non constaret, parentibus pueri, et eis qui rem noverant ad medium deductis, eorum testimonio plenius certificati sunt. Sacerdos quidam, Gerlacus nomine, canonicus sancti Mauricii *b*, cum nimium esset incredulus eorum, quæ de sanctitate et virtutibus sancti Bernwardi resonabant ex divina dispensatione incidit in languorem. Tandem cum peritissimi medici circumstantias morbi iuvestigassent, suaserunt ut potius de animæ quam corporis sanitate curam ageret, asserentes quod hæc species morbi, aut vix, aut nullatenus decidi posset. Presbyter itaque præfatus, mortem cum ante oculos audiret adesse, beatum cœpit invocare Bernwardum, ut ei a Deo spatium vivendi obtineret. Cumque hac precum instantia defatigatus obdormisset, ecce postquam evigilavit, invenit se ab omni infirmitate liberatum.

b

Miles captivus liberatus;

22 Quidam miles devotus de Padelburne, Odalricus nomine, ab inimicis suis captus, et in castrum quoddam sublimissimum, quod Ravensberch *c* dicitur, perductus, custodiæ, ac vinculis mancipatus est. Qui videns se in magno vitæ discrimine positum, nec ullum patere effugium, toto corde confugit ad divinum adjutorium, sanctum Bernwardum specialiter invocans, lacrymis et suspiriis obsecravit, ut eum de præsenti liberaret angustia, quatenus per hoc amplius mundo innotesceret ejus beneficia. Quadam itaque nocte, ubi custodes obdormisse advertit, compedem manu tentavit, experiri volens, si qua arte vel industria eximi posset ab illa; invenitque ferri duritiem, velut plumbi laminam præter spem emollitam. Tunc nemine sciente, et absque difficultate dissolvens omnia vinculorum retinacula, cœpit quærere unde facilius evadere posset, agnoscensque omnes exitus diligenter obseratos, committens se omnipotenti Deo, cum beati Bernwardi patrocinio murum scandit, et ab alto desiliit, sed in nullo penitus eum vel vallis profunditas, vel saxorum subterjacentium asperitas læsit. Liberatorem ergo suum alacriter et sine mora E expetens, Hildensem venit, peractum circa se miraculum palam omnibus enarravit, atque in testimonium peractæ virtutis compedem secum delatam super beati pontificis tumbam pependit.

AUCTORE ANONYMO.

c

cloudi et contracti sanati.

23 Ortus quidam puer in Hildensem Ezici filius, distortum habens pedem, ita ut longior pedica curvata plantæ videretur contigua, pro quo cum parentes votum fecissent beato Bernwardo, puer recepto pedum officio, patrem ad sepulcrum sanctissimi Præsulis est secutus. Contigit aliquando ut reliquiæ beati Bernwardi ad villam Brandesleve *d* deferrentur, in qua quædam virgo fuit, quæ ab ortu nativitatis unius cruris officio erat privata. Quæ cum pro spe sanitatis ante reliquias prosternitur, cœperunt contracti cruris nervi tanta vi distendi, ut sonitus audiretur a multis. Ipsa vero doloribus nimiis cruciabatur, sed post unius horæ spatium integram recepit sanitatem. Erat quidam miles in eadem villa, qui habebat filium, qui propter alterius cruris brevitatem, sine sustentamine impotens fuit ad eundum. Hic ad beati viri tumbam adduF ctus, crure debili alteri coæquato, salutem recepit.

d

dæmoniaca

24 Obsessa multo tempore a dæmone mulier quædam, de Trajecto *e* ad beatum Bernwardum ducebatur, diabolus autem cum Hildensem appropinquaret, clamavit se Bernwardi domum non intraturum, eo quod ipse hostis esset acerrimus magistri sui. Fideles vero, cum hæc audissent, trahendo et impellendo nihil penitus potuerunt proficere, donec ipsa de manibus trahentium se excutiens, in lacum luto repletum desiliit, ut dæmon ibi feminam suffocaret. Quam extractam ut mundarent extrinsecus, intellexerunt mundatam interius, et cum ingenti gaudio cum suis comitibus ad beati Præsulis sepulcrum pervenit. Notificatur hoc miraculum plurimis per sequens.

e

purgatæ;

25 In Lubeck quidam, Henricus nomine, sedit in mensa cum conjuge sua Mecthilda; hæc mox in furiam conversa a multis funibus est ligata, sacerdotes vero et clerici reliquias apportantes

AUCTORE ANONYMO.

apportantes exorcismos et conjurationes legebant. Tunc dæmon prorumpens in vocem, clamavit : Clerice, quid te fatigas? propter te hinc non recedam; quia in furore suo vir ejus mihi ipsam tradidit ad inhabitandum. Nam et ego decem et octo annos in alia muliere mansionem habui, sed quidam me ad quemdam Bernwardum trahere volebant, unde me relinquere eam oportebat. His auditis, necessaria pro itinere ad beatum Bernwardum paraverunt. Omnibus itaque præparatis, dæmon clamare cœpit : Bernwardum non audire, nec videre audeo, unde me fugere oportet, et hoc dicto abscessit, statimque mulier sensum recepit, et gratias suo liberatori egit. Erat in
f Thuringia in Denstede *f* vidua quædam, Adeldrud nomine, per viginti annos a dæmone fatigata; quæ ad patrocinium beati Præsulis confugiens liberata est.

mulier ægrota et sacerdos curati;

26 Matrona quædam in Magdeburch fuit, cujus filia cum in ultimo vitæ spiritu agonizaret, ex divino instinctu quædam devota inclusa eidem persuasit, ut in beati Bernwardi memoriam pro filiæ sanitate faceret Missam
B decantari. Cum autem Missa decantaretur, ipsa infra Missam beati Præsulis sedulo imploravit auxilium, cui ab ecclesia revertenti filia læta et incolumis occurrit; et continuo cum matre ad beati Bernwardi sepulcrum procedens, quam celeriter esset liberata patefecit. Venerabilis quidam sacerdos in Solschen *g* fuit, Reinerus nomine, qui cum quadam die pecora minaret de domo, virgæ particula oculo ejus infixa tanto eum dolore affecit, quod oculum se posse retinere minime credebat; qui abiens in aliam villam ad quamdam Dei famulam, ut pro eo oraret, et votum beato Bernwardo faceret. Completo itaque voto ad villam suam cum rediret, pristinam sanitatem est in via consecutus.

g

pauper a sanguinis fluxu, alius a submersione,

27 Erat in civitate Mindensi pauper quidam, Henricus nomine, qui quadam infirmitate, scilicet sanguinis fluxu, graviter tactus, ita ut ex hoc mortem sibi jam vicinam adesse formidaret, tandem meritis beati antistitis Bernwardi, qui pastor et pater pauperum communi vocabulo vocabatur in vita sua, cui se hic pauper cum devotione et oblatione ce-
C rei commendaverat, gratiose sanatus est. Qui beneficii accepti non ingratus, hoc quod voverat ad altare sancti viri, scilicet Bernwardi,
h cujus in brachio argenteo servatur particula *h*, cum debita reverentia cereo accenso, multis videntibus et Deum laudantibus, fideliter persolvit. Civis quidam Mindensis in vigilia sancti Johannis-Baptistæ ad devastandum castrenses de Vorenholte in dominio de Lippia, Wiseram fluvium cum magna populi multitudine per vadum transiens ab aquis rapitur, et pæne sicut alii septem ex suis per aquam suffocatis submergitur. Ipse vero sentiens sibi mortem imminere, beatum Bernwardum, cujus reliquiæ apud sanctum Paulum in Minda servantur, invocans, et suum humiliter implorans auxilium; et ecce subito rota de curru exsilivit, per cujus adminiculum et beati viri meritis, homo prædictus mortis horrorem et periculum evasit. Domum igitur reversus, statuam sive imaginem ceream, rotam manibus tenentem, ad altare supradictum, prout voverat, devote et humiliter portavit.

28 Vir quidam de Oldendorp *i*, de hac felici festivitate rediens, in foveam profundam lapidei montis cecidit, quo extracto, et in curiam delato, crus in partes confractum apparuit, qui nimio dolore cogente se ad patrocinium beati præsulis contulit; et ecce mox divinitus remedium sentit. Et quarto die ad tumbam rediens, Deo et beato Bernwardo gratias et laudes egit. Quidam in cellario Hildensem ferro constrictus habebatur, qui sub invocatione nominis sancti Bernwardi ferrum rupit, et surgens ostium quo clausus fuerat aperiri vidit; et nemine se prohibente, vel vidente ac detinente, prædicta die liberatus, ad tumbam sancti Præsulis cum laude processit. Infirmitate valida quædam femina per biennium fatigata, et ex sacro igne *k* in tribus locis tantum infestata, ut auditu jam penitus esset privata : quæ voto facto ad beatum pontificem Bernwardum una parte recepit auditum. Sed cum votum persolvere cœpisset, in altera etiam parte est servata.

D *alii a crure confracto, a captivitate, a sacro igne,*

i

k

29 Uxor cujusdam pauperis apud sanctum Michaelem in Hildensem porcellos octodecim dierum sub strue lignorum sine matre per E hebdomadam amiserat, quæ voto facto beato Bernwardo, sine nutrimento porcellos per tot dies manentes, in domum suam sanos et incolumes recepit. Miles quidam in Elze habitabat, qui per aliquot annos urinæ incommodo
l laboravit, nec medicorum remediis poterat adjuvari. Cujus uxor plena fide et spe, ad Translationem novam ob spem salutis ab eo mittitur, et ecclesiam sancti Michaelis ingrediens, se ad patrocinium beati Bernwardi contulit; quæ post preces devotas domum rediens, ab omni priori incommodo reperit maritum penitus liberatum. Duæ mulieres ipso die translationis spe recuperandi visum adductæ sunt; sed una in præsulem sanctum quasi durius invecta, pro eo quod diutius clamanti spem parvam haberet, et propterea in uno oculo sanie prorumpente, quasi rupta vena, visum recepit : alia autem, multis videntibus et orantibus, illuminata est in oculis ambobus.

a dysuria,

a carcere liberati;

30 Vir quidam satis famosus et annosus, Henricus nomine, de Hassia, civis Caslensis, pro negotiis suis civitate exiens, equester ad prædium quoddam quod suum erat visitandum in messis tempore. Hic ex improviso irruit in hostes civitatis nominatæ; et ab illis capitur, et captivus ducitur ad castrum incarcerandus. Sedit igitur mærens in carcere, cippo reclusus, et multum famelicus, quia in quinque diebus nihil sibi potus aut cibi ministrabant; debebat enim fame mori. Hic sic anxius consolatorem nullum habuit; sed et mortem anxius exspectavit. Venit autem eidem ad mentem, qualiter sanctus Bernwardus, noviter tunc canonizatus, consolatus est quamplures tribulatos ipsum invocantes. Ideo etiam ipse devotione qua potuit voto prius emisso, quod cum oblatione notabili nudipes sepulcrum suum visitare vellet, si eum de carcere dignaretur liberare, et nec carnes comedere proposuit, nisi votum esset adimpletum. Facto igitur hoc voto, dormire cœpit in mærore suo, et sic quievit nocte illa. Denique evigilans, invenit se in campo peroptime sibi noto non longe a Casle civitate sua, cujus erat civis,

F

A vis, et compedes pedum ipsius prope eum. Unde lætus surrexit, et civitatem gaudens intravit, et narravit omnibus, qualiter per merita sancti Bernwardi Hildensemensis episcopi esset de carcere mirabiliter et miraculose liberatus : et omnes qui audierunt, cum eo Deum benedicebant et sanctum Bernwardum, cujus meritis restitutus erat pristinæ libertati.

mortuus resuscitatus. Epilepticus sanatus.

31 In Drispenstede *m* puer quidam, unicus filius parentum suorum, in foveam cecidit profundam, totoque corpore collisus, et mortuus extrahitur, unde parentes multum doluerunt. Mater autem ipsius sepulcrum sancti Bernwardi maxima cum festinatione et devotione petiit, et ibidem se prosternens, humiliter supplicavit sanctum Bernwardum, ut filium suum defunctum precibus et meritis suis resuscitare dignaretur : et facta oblatione ad domum rediit; et filium, quem mortuum planxerat, vivum invenit et sanum. Deinde parentes una cum puero resuscitato ad sepulcrum venerunt, et dominis sancti Michaelis, nec non et aliis utriusque sexus hominibus, rem gestam in puero plane narraverunt, et
B Deum in sancto suo laudaverunt. Vir quidam civis Brunswicensis, dictus Henricus de Bulzem, illo tempore quo reliquiæ sancti Bernwardi ad ecclesiam fratrum Prædicatorum ibidem sunt delatæ, filium habuit morbo caduco valde conturbatum. Hic audiens prodigia et signa, quæ Deus meritis sancti Bernwardi operari dignatus est in mortuis et infirmis, venit cum filio suo infirmo ad ecclesiam antedictam; et ante reliquias sancti Bernwardi prostratus in oratione, petiit ab eo cum lacrymis filii sui sanitatem. Denique surgens ab oratione, obtulit super altare argenti partem non exiguam; sicque cum filio suo ad propria reversus, numquam deinde morbum caducum passus est. Quapropter parentes ipsius grates maximas Deo et sancto Bernwardo retulerunt.

Cæcus illuminatur;

32 Eodem etiam tempore, scilicet anno Domini millesimo trecentesimo decimo quinto, erat quidam prædives in Brunswich, nomine Johannes Grube : hic oculorum dolore sic turbatus est, ut cæcitatem incurreret, et in quatuor annis manus suas minime videret. Hic
C ut percepit quia reliquiæ de corpore sancti Bernwardi ad fratres Prædicatores delatæ essent, vocato ad se priore, informari petiit, qua reverentia vel honore ad sanctum Bernwardum accedere posset, ut lumen oculorum recipere mereretur, qui a priore informatus, illuc altera die cum uxore et filiis coram reliquiis sancti præsulis humiliter opem suam flagitabat. Mira res et stupenda! Cum enim prædictus cæcus in annis quatuor manus suas non vidisset, nunc ab oratione surgens clare vidit omnia, et clarius quam umquam ante cæcitatem viderat; et fratres ibidem præsentes sine baculo visitans, sine ductore, et loquebatur singulis, et unumquemque salutavit et nomine appellavit proprio. Unde omnes admirati sunt, laudantes Dei clementiam, qui meritis sancti Bernwardi signum fecerat tam evidens atque mirificum. Ipse etiam qui cæcus fuerat, sanctum Bernwardum omnibus diebus vitæ suæ in reverentia habuit et honore : et quicquid in eleemosynarum largitione et aliis piis operibus ob honorem sancti Bernwardi expen-

AUCTORE ANONYMO.

meretrix ad pœnitentiam adducitur :

dere poterat, numquam patiebatur neglectum.

33 Femina quædam fornicaria Hildesheim in lupanari fuerat aliquibus annis, cui, Deo inspirante, in festo translationis sancti Bernwardi ad mentem venit, ut prandio peracto visitaret ecclesiam, et audiret verbum Dei : quod et fecit. Compuncta autem in illo sermone, de peccatis suis cœpit amarissime flere. Sed et finito sermone, surrexit, et flens ad sepulcrum sancti præsulis properavit, et prostrata ibidem flet uberius, rogans sanctum Bernwardum, ut eam de flagitiosa illa vita eripere et avertere dignaretur, possetque se cum emendatione in melius commutare. Et completa oratione surrexit, et prostibulum more solito est ingressa, et parvo post tempore elapso, quadam nocte, ipsa dormiente, videbatur sibi adstare quidam in pontificali habitu, vultu decoro, sole splendidior; qui ait ad eam : Surge filia, et exi civitatem hanc in locum quo te Deus direxerit. Quæ surgens mane, exivit per portam indaginis, versus Hannover properavit, et ultra per civitates interjacentes pergens venit ad regalem civita- E
tem Lubeck, et inde dirigens viam versus Yuclandiam se convertit *n*; habebat namque *n*
fratrem in una civitatum Yuclandiæ, quæ dicitur Hadersleve, quem visitare proposuit, ut ejus consilio ad vitam meliorem se disponeret. Venitque tandem in quamdam villam non longe ab Ulenseborch distantem, et pernoctans ibidem, cum quodam divite villano permansit. Qui videns eam obsequiosam, cœnam ei præparavit, et mane facto eam alloquitur, et pro pretio satis competenti in suo ministerio retinuit. Hic autem villanus privatus erat uxore, eratque ei substantia non modica. Qui videns eam virilem et fidelem, in uxorem eam accepit, diligensque eam dedit ei omnia quæ habuit, et sic bono fine senio confectus quievit. Quæ post anniversarium viri sui, juvenem opulentum accepit maritum, cum quo habuit omnem caritatem. Sed et meritis sancti Bernwardi hoc in se factum novit, qui eam etiam ab infamia fornicariæ suæ vitæ quam prius habuerat, penitus præservavit. Prædicta autem femina hoc de se retulit cuidam sacerdoti in confessione anno Domini millesimo qua- F
dringentesimo trigesimo primo, sequenti sancti Michaelis die, ad quod festum causa devotionis venerat, ut omni anno facere consuevit, ut Deo et consolatori suo sancto Bernwardo debitas solveret gratiarum actiones.

Puer pæne suffocatus liberatur.

34 Cum puer quidam denarium in ore haberet, et more puerili ludendo vel in ore volvendo deglutiret, repente præ nimio dolore et anhelitus diminutione in gutture quasi suffocatus, morti appropinquare cœpit. Cumque candela pro exitu ejus accenderetur, et mortem protinus exspectarent, statim femina quædam subintulit dicens : Sanctum Bernwardum invocate, et offertorium ei promittite, et procul dubio relevamen percipiet. Quid plura? Mater pueri tali admonitioni acquievit. Sanctus Bernwardus invocatur, et statim puer de clade mortis liberatus, denarium ejecit. *Complura sequebantur in codice miracula, sed ea describere neglexit Browerus, ea sufficere ratus quæ olim facta sunt.*

AUCTORE J. V. H.

ANNOTATA.

a Blithenem *interpretor* Bledelem *vicum ad septemtrionalem plagam urbis Hildesiensis, novem circiter chiliometris distantem. Porro ministeriales erant plurimum inferioris ordinis homines* (1)

b *Erat Hildesiæ ecclesia collegiata S. Mauritii, sedecim capitularibus anno* 1793 *constans, ut liquet ex Kalendario Hildesiensi istius anni.*

c *Satis nota Paderborna, hactenus sedes episcopalis, hodie sub metropoli Coloniensi.* Ravensberga *est oppidum Westphaliæ triginta fere, si fides mappis habenda est, chiliometris a Paderborna septemtrionem versus distans.*

d *Nuspiam inter libros topographicos, quos consulere licuit, inveni locum* Brandesleve. *Si accurate hæc descripta sunt, non videtur locus multum distans ab urbe Hildesiensi; quandoquidem in eodem numero dicitur miles* de eadem villa *adduxisse filium* ad beati viri tumbam, *quatenus corpus Sancti e monasterio S. Michaelis, pietatis ergo, circumlatum fuerit, quod genus supplicationis plerumque tractus* B *non longos percurrit. Cæterum quoties citantur loca, extra diœcesin Hildesiensem posita, toties indicatur simul provincia aut episcopatus, ad quæ pertinent : hic nihil simile habetur.*

e *Duplex est Trajectum, nempe ad Mosam* (Maestricht) *et ad Rhenum* (Ultrajectum, Utrecht). *Crediderim hic potius agi de Trajecto ad Rhenum; quoniam erat major cum hac Ecclesia necessitudo Hildesiensium : scimus enim avunculum S.* Bernwardi *Folckmarum hujus sedis fuisse antistitem.*

f Denstede Denstadium *aut* Tenstedt *oppidulum in media quasi Thuringia ad Ilmum fluvium jacet.* D

g Solschen, *villa quæ inter orientem et septemtrionem Hildesiæ jacet, caput banni seu decanatus ejusdem nominis; jam anno* 1290 *occurrit* Nicolaus sacerdos plebanus matricis ecclesiæ (2).

h *Hoc numero ostenditur, Reliquias S. Bernwardi, nempe particulam brachii, in summo honore habitas, etiam prodigiosas fuisse.*

i Oldendorp, *in decanatu seu banno* Barum, *ad orientem Hildesiæ. Est et alia villa* Oldendorpe *in banno cognomine, ad occidentem civitatis episcopalis sita.*

k Sacer ignis *seu* Igneus morbus *est erisipela conjuncta cum febre urente, quæ magnam hominum partem abstulit aut eos membris mutilavit, ut habet Lexicon Trivultianum sub verbo* ardent. *De morbo isto, ad cujus medicationem S. Genovefa Virgo præcipue invocabatur, agit Baronius ad annum* 1089 § XVIII *et Pagius in Critica ad an.* 1131 § VIII.

l Eltze, *villa in finibus occidentalibus diœcesis, caput est banni ejusdem nominis.* E

m Drispenstedt *quam proxime adjacet urbi Hildesiensi : nam antiquis temporibus incolæ parochialem ecclesiam habebant S. Andreæ intra ipsam urbem* (3). *Hinc facile intelligitur, quomodo mater pueri collisi :* cum festinatione *petierit* ipsius sepulcrum Sancti.

n Yuclandia, *est* Jutia, *cujus pars meridionalis Sleswicum hodiernum efficit : in eo est* Hadersleve, *itemque* Ulenseborch, *hodie Flensborg, ex nupero bello notissimum oppidum.*

(1) Du Cange, Glossar. V° *ministerialis.* — (2) Lüntzel. Die ält. Diöz. Hildesh. p. 256. — (3) Ibid. p. 196.

DE S. BEANO,

EPISCOPO MURTHLACENSI, DICTO ABERDONENSI, IN SCOTIA,

SYLLOGE HISTORICA.

V. D. B.

C **§ unicus. S. Beanus, episcopus Murthlacensis, distinctus a S. Beano, episcopo hiberno, provinciæ Lageniæ. Erectio sedis Murthlacensis, dein translatæ Aberdoniam. Culdeorum institutio. Laudes S. Beani, mors, cultus.** F

CIRCA ANNUM MXXXII. *Confudit Molanus S.* Beanum, *episcopum Murthlacensem, cum S. Beano, episcopo hiberno, provinciæ Lageniæ; cui errori novum errorem addidit Baronius in Martyrologio Romano.*

Reperit Molanus tum in editione Usuardi Greveniana anni 1515, *tum in altera anni* 1521, (*quam utramque Carthusianorum Coloniensium vocat* (1),) *ad diem* 26 *octobris consignatam* S. Beani episcopi *memoriam et ad* 16 *decembris* in Hibernia Beani episcopi et confessoris : *quibus verbis utrobique, licet ingenti spatio separentur dies, eumdem sanctum significari arbitratus est eruditissimus vir. Et quidem, quum incidisset in librum XI Boethii Scotorum historiæ* (2), *ubi Murthlacensis, dein Aberdonensis cathedræ origines indicantur, arbitratus est se reperisse quis esset ille S.* Beanus, *scilicet primum Aberdonensis, immo Murthlacensis, ecclesiæ præsulem; unde, præmissa littera C, qua ex Carthusianorum seu Greveniano Usuardo sanctum desumptum fuisse demonstrare solet, scripsit in utraque sua Usuardi editione ad diem* 16 *decembris :* In Hybernia Beani, episcopi primi Aberdonensis et confessoris; *hac annuntiatione nequaquam testificans Aberdoniam in Hibernia esse, sed Aberdonensem seu potius Murthlacensem præsulem singulari eximiaque ratione in Hibernia coli. Qua quidem in re manifestissime erravit, ut mox videbimus; verumtamen tantum non peccavit quantum Baronius, qui tum in prima Martyrologii Romani anni* 1583 *editione, tum in sequentibus, jussit excudi :* Aberdone in Hibernia sancti Beani episcopi; *in notis remittens lectorem ad Molani Usuardum : ubi novus additus est error, scilicet Aberdoniam esse in Hibernia, quum sit civitas episcopalis Scotiæ. Qui error ad hanc usque diem, licet sæpius correctum jam fuerit Martyrologium Romanum, in eo deprehenditur. Porro Grevenianæ editiones solæ rectæ sunt, alius enim sanctus*

(1) Usuardi Martyrologium, edit. prior anni 1568, præf. cap. XIII. — (2) Editio princeps anni 1526, fol. v. CCLIII. —

A *sanctus* Beanus *colitur die* 26 *octobris, alius* 16 *decembris. Prior episcopus fuit Murthlacensis in Scotia, quæ sedes Aberdoniam postmodum translata est; unde dictus fuit primus Aberdonensis episcopus; alter episcopus fuit in Hibernia et quidem in provincia Lagenia seu* Linster, *ut ex collectaneis mss. Colgani collegit eximius hagiographus Anglus Butler* (1).

Distinguuntur ambo SS. Beani, a multis confusi.

2 *Neque dubitari potest quin, qui die* 26 *octobris a Greveno annuntiatus est S.* Beanus, *Murthlacensis sit seu* (*ut vulgo fertur*) *Aberdonensis episcopus. Imprimis constat Greveno alibi quoque calendarium Scoticum præluxisse. Deinde in Martyrologio secundum usum ecclesiæ Aberdonensis, quod sæculo* XVI *descriptum fuisse videtur pro choro ecclesiæ cathedralis Moraviensis seu de Murray in Scotia et ex quo cl. v. David Laing nomina et encomia sanctorum Scotiæ, Usuardino illi Martyrologio assuta, in commentariis archæologorum Scotiæ* (2) *edidit, hæc ad* VII *kalendas novembris, quæ est præsens* 26 *octobris dies, occurrunt:* Eodem die natalis beati Beani episcopi apud Fowlis in Stratherne; *similiter in Breviario Aberdonensi,*
B *quod, anno* 1509 *primum typis excusum, anno* 1854 *Londini summa diligentia repetitum est, legitur ad hanc diem :* Sancti Beani, episcopi et confessoris. Ad matutinum IX lectiones. Fiant omnia de communi unius confessoris et pontificis cum hac oratione : Deus, qui prope es omnibus invocantibus te, in veritate doce nos per intercessionem sancti Beani, confessoris tui atque pontificis, te sincero invocare corde ut a te digne mereamur exaudiri. Per Dominum. *Nihil autem illic ad diem* 16 *decembris de S.* Beano *reperitur : unde corrige quod Chalonner, scriptor Martyrologii Anglicani* (3), *ad diem illam* 16 *decembris signavit, nempe in Breviario Aberdonensi æque ac in Martyrologio Romano S.* Beani, *Murthlacensis seu Aberdonensis episcopi, memoriam die* 16 *decembris celebrari. Quin etiam Robertus Keith, episcopus Fifensis, licet in Calendario Scotico, quod historiæ episcoporum Scotiæ* (4) *inseruit, ad diem* 26 *octobris* S. Beanum, primum Murthlacensem episcopum, cujus sedes dein Aberdoniam translata est, *secundum Scotica monumenta consignaverit, alibi* (5) *tamen, errore Martyrologii Romani deceptus, literis mandavit* Beanum
C *Murthlacensem seu Aberdonensem præsulem, ad diem* 16 *decembris sanctorum albo inscriptum esse. Admisit hunc errorem Challoner etiam in Britannia sancta* (6), *ubi ad* 16 *decembris eumdem sanctum laudavit; item Ferrarius, qui dedit quidem in Catalogo generali sanctorum ad* 26 *octobris* S. Beani *Murthlacensis nomen, perperam dixit eumdem esse ac qui* 16 *decembris honoretur; neque etiam unum ab altero distinxit Lingard in Calendario Anglicano* (7). *Melius Harris Nicolas, qui in Calendario alphabetico* (8) *S.* Beanum, *episcopum Aberdonensem, immo Murthlacensem, ad diem* 26 *octobris retulit et homonymum Hibernum ad* 16 *decembris. Error autem Baronii in libro hibernico speciem multo magis mirabilem induit. Quum scilicet in Martyrologio Dungallensi, quod O'Clery, minorita Hibernus, scripsit, ad diem* 16 *decembris hibernice legeretur* (9). Mophiog de Ard-Camrois in margine Loch (*sinus*) Carman, in Ui-Ceinnsealaigh; et de Ros-caoin, in Cluain Fergaile, in Dealbhna de Fir-dá-loch, *addidit recentior manus :* Mobheog in Ængussio, i. e. Beanus; (vide in Martyrologio Romano; vide in Usuardo Molani;) primus episcopus Aberdonensis seu Ardonensis, i. e. de Ard; unde error, quasi AB-ARDO *episcopus*, i. e. *de Ard*, atque hinc ABARDONENSIS. *Rectissime traditur* Mophiog *seu* Mobheog *idem nomen esse ac* Beanum, *præfixa particula venerationis* Mo. *Sed quod* Aberdonia *Usuardi et Baronii veniat ab* Ard, *præfixa præpositione* Ab, *somnium est; quod merito non placuit Dungallensis Martyrologii editoribus : in quibus tamen hoc non probo, quod S.* Beanum *Murthlacensem volunt eumdem esse ac S. Beanum seu Beoanum, socium SS. Nassadii et Mellani, de quibus dixi supra pagg.* 803 *et seqq. Cave demum ne tres tantum esse sanctos* Beanos *seu* Beoanos *existimes; multo plures sunt, Hiberni* (*ni fallor*) *omnes : de quibus vide Giraldum Cambrensem* (10), *Vitam S. Fursei* (11), *indices Actorum sanctorum Hiberniæ et Triadis thaumaturgæ Colgani, vetus poema Hibernicum, editum a doctissimo viro Jacobo H. Todd* (12), *Martyrologia Hibernica et alia id genus monumenta; de quibus quum ad hanc ipsam diem alio loco locuti simus, non est quod his diutius immoremur.*

AUCTORE V. D. B.

E

3 *Scriptam numquam fuisse Vitam S.* Beani *suspicatus est Challoner* (13); *et forte non immerito. Secus enim si esset, quidni lectiones propriæ in Breviario Aberdonensi legerentur? Quid quod Hector Boethius, qui Vitas pontificum Aberdonensium edidit* (14), *tam jejunus est? Quid quod Camerarius, qui beatum virum laudare conatus est, ad locos communes confugit? Quid quod Keithius, qui nil quod supersit intactum reliquisse dicitur, satis habuit Camerarii dicta sua facere? Neque ipse in catalogis bibliothecarum Angliæ aliarumve regionum, qui in musæo nostro exstant, ullum vestigium reperi Actorum S.* Beani *Murthlacensis. Restat itaque ut quæ pauca superent in Syllogen redigam. Convenit inter omnes rerum Scoticarum peritos S.* Beanum *primum fuisse Murthlacensem episcopum et ineunte sæculo* XI *hanc cathedram occupasse* (15); *cujus hæc est origo et causa. Jam duo fere sæcula Dani et reliqui Normanni vexarant Scotiam; quum multo sævior tempestas ingruit. Sueno Barbafurcata, Haraldi filius Danorumque rex, regno suo extorris, prius ab Olavo, Norvegorum et Eduardo, Anglorum regibus, suppetias postulaverat, quibus in throno suo restitueretur; sed frustra. Inde animum verterat ad Scotos; quorum auxilio, sacris christianis initiatus, paternum regnum recuperaverat. Hinc cum iisdem Anglos adortus erat; sed brevi, exorta discordia, duces duos in Scotiam misit qui, victo rege Milcolumbo seu Malcolmo II, universam fere Mo-*

F

S. Beanus primus fuit episcopus Murthlacensis; quæ sedes anno 1010 occasione victor de Danis reportatæ, a Malcolmo II

(1) Lifes of saints etc. ad 16 decembris in fine. — (2) Proceedings of the society of antiquaries of Scotland, p. 270. — (3) Memorial of ancient British piety or a British martyrology p. 172, Londini 1761. — (4) Historical catalogue of the Scottisch bishops, p. 378, edit. 1824. — (5) Ibid., p. 101. — (6) Britannia sancta, t. II, p. 319. — (7) Cooper, Account of the most important public records, t. II, p. 483. — (8) The chronology of History, p. 137, edit. 1838. — (9) Todd et Reeves, Martyrologium Dungallense, p. 337. — (10) Topographia Hiberniæ, dist. II, cap. 40, ap. Camden. — (11) Acta SS., t. II Januarii, p. 39 et seqq. — (12) The irish version of the historia Britonum of Nennius, p. CXVI. — (13) Britannia sancta, loc. cit. — (14) Scotorum historiæ, lib. XI, fol. CCLIV. — (15) Leslæus, De Origine etc. Scotorum, lib. V, § 83, pag. 193.

raviam

AUCTORE V. D. B.

raviam obtinuerunt. Qua clade perculsus Milcolumbus, iterum belli fortunam tentare statuit. Occurrit eis ad Murthlacum; pugna diu anceps fuit; demum, ultimis in prælio urgentibus periculis, voti sponsione sese obstrinxit ædem sacram se Deo sub S. Moloci tutela excitaturum, si victor evaderet. Audivit Deus pias preces; pedem referre coacti Dani et in pacis conditiones consentire : Dani, Moravia Buchaniaque relictis, e Scotia discedunto; neuter populus, Milcolumbo et Suenone vivis, alterum bello lacessito aut hostibus auxilium ferto; ager, in quo pugnatum est, in sepulturam mortuorum, æde sacra imposita, consecrator (1). *Hæc anno* 1010. *Quo discrimine Milcolumbus perfunctus, totus fuit in procurandis publicis negotiis; neque immemor solemnis sponsionis et fœderis pactorum, ingenti sumptu templum construxit, S. Moloci nomine imposito : quam ædem, inquit Boethius,* sive quod voto ita se adstrinxerat, sive quod regionum, quas Dea Speaque flumina claudunt, flumina [*immo lege* incolæ] majori quam par esset intercapedine eorum ab episcopo disjungerentur, episcopalem sedem factam,
B prædiis agrisque de Murthlaco, Cloveth et Dummeth cum eorum ecclesiasticis reditibus ad pontificios sumptus donavit.

non autem a Malcolmo III, in ipso victoriæ loco, dato diplomate, quod recitatur, erecta est et anno 1126 *a S. Davide, rege Aberdoniam translata.*

4 *Sed loci hujus positio propius definienda est. Jacet itaque hic locus, quem* Murtilacum, Marthilacum, Murthelach, *nunc autem* Morthlach, Morthlech *et* Mortlich *nuncupatum reperio, in Scotia septentrionali, olim in Buchania, nunc autem in Moravia, in comitatu Banfensi, ad dextram Speæ fluminis, a cujus ripa tribus distat milliaribus, et ab ostiis duodecim, rusticus nunc pagus, incolas habens circiter bis mille* (2). *Superest adhuc fundationis diploma* (3) : Malcolmus, rex Scottorum, omnibus probis hominibus suis, tam clericis quam laïcis, salutem. Sciatis me dedisse et hac charta mea confirmasse Deo et beatæ Mariæ et omnibus sanctis et episcopo Beyn de Murthelach ecclesiam de Murthelach, ut ibidem construatur sedes episcopalis, terras meas de Murthelach, ecclesiam de Cloveth cum terris, ecclesiam de Dulmeth cum terris, ita libere sicut eas tenui, et in puram et perpetuam eleemosynam; teste meipso apud Forfar, VIII octobris, anno regni mei sexto;
C *qui cum anno Christi* 1010 *concurrit.* Forfar *autem seu* Forfar-Restenet *oppidum etiam nunc est regium in cognomine comitatu. Voluit Nicholson* (4) *Murthlacensem episcopatum a Malcolmo III, qui ab anno* 1056 *aut sequenti ad annum usque* 1093 *regnavit, erectum fuisse; et quidem, teste rev. M. Russel* (5), *in Chartulario Aberdonensi legitur fundatio Murthlacensis sedis ad annum* 1070. *Verum hic annus certe mendosus est, quippe qui cum anno* VI *regni nullius Malcolmi conveniat. Dein alio loco in in eodem Chartulario hæc occurrunt* (6) : Tempore Malcolmi, regis Scotiæ, filii Kenethi, per eum Malcolmum constituta est primo sedes episcopalis apud Murthlac, cui dotavit ecclesiam de Murthlac *etc.; jam vero Malcolmus II Kenethi IV filius erat; Malcolmus autem III Duncani; ita ut etiam illius Chartularii auctoritate* D *Malcolmus II fundator dicendus sit Murthlacensis cathedræ. Neque omittenda est Murthlacensis pugnæ memoria, non a Malcolmo III, sed a II pugnatæ. Sedit illic post S.* Beanum *S. Donortius seu Barnocius, anno Christi* 1098 *vita functus; et dein Cormacus, qui anno* 1106 *locum fecit Nectano; quo episcopo, Murthlacensem cathedram a sancto Davide I rege, Aberdoniam translatam fuisse constat inter omnes. Quo anno id contigerit non omnino liquet. Centum viginti annos Murthlaci episcopalem fuisse sedem* (*quo ad annum ducimur* 1139) *perhibet Carlisle* (7). *Verum rex David a die* 27 *aprilis anni* 1124 *ad* 24 *maji anni* 1153 *regni habenas tenuit; atqui mense junio, anno regni ejus decimo tertio, qui cum anno Christi* 1126 *concurrebat, Nectanus Aberdonensis episcopus jam dicebatur. Audi ipsum regem Davidem* (8) : David, Dei gratia rex Scotorum etc. Sciant præsentes et futuri me dedisse, concessisse et hac præsenti charta confirmasse Deo, et beatæ Mariæ, et beato Machario, et Nectano, episcopo Aberdonensi, totam villam de vetere Aberdon etc. teste meipso apud Forfar, anno regni mei decimo E tertio, tricesimo mensis junii. *Quum tamen hæc* charta primaria ecclesiæ cathedralis Aberdonensis *dicatur et donationem villæ de vetere Aberdone contineat, non videtur dubitandum quin confecta sit quum illuc translatus est Nectanus.*

Consensu episcopi S. Andreæ et forte archiepiscopi Eboracensis hæc erectio facta est. Videtur S. Beanus *illic constituisse Culdeos seu* servos Dei, *vulgo dictos monachos,*

5 *In Murthlacensi constituenda sede an Romanus pontifex partes ullas habuerit mihi perquam dubium est. Re quidem vera Fordunus, Scotorum vetus chronographus, tradit S.* Beanum *a Benedicto papa VIII promotum fuisse; sed quomodo hæc stare possunt? Ut ex regis Malcolmi diplomate constat anno* 1010 *episcopus jam erat S.* Beanus; *Benedictus autem* VIII *S. Petri cathedram non ascendit nisi medio anno* 1012. *Accessisse tamen consensum S. Andreæ episcopi, qui tum solus infulas in Scotia gessisse habetur, et forte etiam Eboracensis archiepiscopi, de cujus provincia Scotia esse censebatur, atque aliorum etiam præsulum consilium* (*a pluribus enim episcopis consecrandus erat S.* Beanus) *pro certo accipiendum est : neque mirum hæc secundum veteris disciplinæ institutiones peracta esse, quum tam procul ab Italia posita sit* F *Scotia. Quin dari potest Fordunio hæc dein a Benedicto papa VIII approbata fuisse et confirmata. Censet Jamieson* (9) *Culdeos, quos vocant, non autem canonicos, Murthlaci a S.* Beano *constitutos fuisse, quoniam Adrianus papa IV, qui ab* 1154 *ad* 1159 *in S. Petri cathedra sedit, in bulla, qua Eduardo, episcopo Aberdonensi, suæque ecclesiæ bona confirmavit,* monasterium de Cloveth *dixit et* villam et monasterium de Murthlach (10); *et quod, teste Boethio* (11), *ille idem episcopus* Eduardus regularis vitæ viros (quos vocavit canonicos) veluti confratres ad divina cum sacellanis exequenda primus omnium in Aberdonensi ecclesia instituit; *unde sequi Murthlaci fuisse monasterium et proin religiosos viros; hos autem canonicos regulares non fuisse, si quidem secus partem eo-*

(1) Boethius, Hist. Scot. lib. XI, fol. CCLIII; Buchanan, Rerum Scotic. lib. VI, p. 203; Gesta et vestigia Danorum extra Daniam, t. II, p. 250 et seqq. — (2) Camden, Britannia, edit. Gough, tom. III, p. 418 et 430; Nic Carlisle, a Topographical dictionary of Scotland, V° *Morthlach.* — (3) Keith, Scottish bishops, p. 559 et 560; Jamieson, Historical account of the ancient Culdees, p. 160 et 161. — (4) Scotorum Hist. p. 210. — (5) Ap. Keith, Scottish bishops, p. 560. — (6) Ibid. loc. cit. — (7) Dictionary of Scotland, V° *Morthlach.* — (8) Ap. Keith, Scottish bishops, p. 560. — (9) Historical account of the ancient Culdees etc., p. 159 et 160. — (10) Ibid., p. 161. — (11) Aberdonensium episcoporum Vitæ, fol. 3.

rum

A *rum secum duxisset Nectanus, quum Aberdoniam sedem suam transtulit; neque dicendum vocabulum* monasterii *sæpe adhiberi de quocumque majori templo, maxime episcopali, quum ibidem* monasterium de Cloveth *memoretur. Jamiesonio eo facilius assentior, quod aliter omnino sentio ac ipse de Culdeis. Hi scilicet propago mihi sunt veterum presbyterorum, quos primus S. Eusebius Vercellensis simul voluit esse monachos; quod institutum S. Augustinus in Africam induxit aut extendit. Suadet id imprimis ipsum nomen, de quo disputatum plurimum fuit, sed quod sine controversia* servum Dei *significat; qua nuncupatione priscos monachos et quicumque severius vitæ genus sectarentur dictos fuisse norunt omnes :* Ceile *enim seu* Keile *hibernice, et* Gille *gaëlice* servus *est, et* De *seu* Dia Deus (1); *qua ratione compositum etiam est hibernicum nomen proprium* Celicrist *et scoticum* Gillicrist, *quod est* servus Christi.

qui a reliquis religiosis eo solum diversi erant quod retera monastica et canonica instituta profitebantur, quibus non omnimoda exigebatur paupertas.

6 *Et licet auctor anonymus, qui Historiam beati Reguli et fundationis ecclesiæ S. Andreæ circa annum* 1140 *scripsit, multus sit in carpendis Culdeis sui ævi et in extollendis canonicis, dicere non ausim illorum instituta a primævis diversa fuisse. Audi scilicet* (2) : Habebantur tamen in ecclesia S. Andreæ, quota et quanta tunc erat, tredecim per successionem carnalem quos Keledeos appellant, qui secundum suam æstimationem et hominum traditionem magis quam secundum sanctorum patrum statuta vivebant. Sed et adhuc similiter vivunt, et quædam habent communia, pauciora scilicet et deteriora; quædam vero propria, plura scilicet et potiora, prout quisque ab amicis suis aliqua necessitudine ad se pertinentibus, videlicet consanguineis et affinibus, vel ab iis quorum animæ charæ sunt, quod est amiciarum amici, sive aliis quibuslibet modis, poterit quis adipisci. *Qui totus locus eo pertinet ut culpentur quod religiosæ paupertatis leges non recte custodirent. Sæculo scilicet* XII *atque etiam ante multa fuit disputatio de paupertate canonicorum. Anno nempe* 816 *concilium Aquisgranense ita canonicorum res ordinaverat ut in uno eodemque monasterio alii viverent ex suis bonis, alii partim ex suis, partim*
C *ex bonis monasterii, et alii demum, omni proprietate abdicata, ex communi monasterii penu res omnes sibi necessarias acciperent; neque hæc disciplina omnino nova erat, quandoquidem S. Augustinus aliique non omnimodam paupertatem ab omnibus suis monachis exegerant. Verum quum sæculo* XI *B. Nicolaus papa II et alii dein pontifices multas curas impendere cœpissent, quibus canonici ad vitam omnino communem inducerent, et maxime postquam S. Norbertus et alii canonicis suasissent ut Benedictinam paupertatem sectarentur, paulatim factum est ut ii solum sanctorum patrum statuta implere censerentur, qui pauperes Christum pauperem imitarentur seu ex communi mensa viverent; alii vero qui veteribus institutis adhærerent a recta regula deflectere haberentur* (3) : *ita ut nil in his adversus Culdeos dictum sit, quod non reperias multis aliis locis eo ævo tortum contra canonicos, Aquisgranensia capitula aut alia vetera instituta sequentes. Sed his inhærendum non est, quum qui de veteribus canonicis egerunt exhauserint id argumentum. Quodsi dicas Culdeos canonicos non fuisse, nihil est : antiquitus enim canonici et monachi a se invicem non distinguebantur, sed unus erat ordo monasticus, quo omnes continebantur; et ut ab his, qui soli deinde canonici dicti sunt, non perfectæ paupertatis observatio petebatur, sic etiam non ab aliis. Hæc enim vita communi et stabilitate domicilii nititur, quam primus suis indixit S. Benedictus : unde quum hæc firma lege præscripta non esset antiquioribus ascetis, quorum instituta retinuisse Culdeos jam diximus, frustra in iisdem plenam rerum omnium abdicationem requires.*

AUCTORE V. D. B.

Neque aliquid singulare est quod plerique, uxoribus relictis, ad Culdeos accederent.

7 *Addit deinde idem ille Historiæ S. Andreæ scriptor sequentia :* Postquam Keledei effecti sunt, non licet eis habere uxores suas in domibus suis; sed nec alias, de quibus mala oriatur suspicio : *in quibus nil est quod a legibus communibus ecclesiasticis alienum sit. Omni enim tempore licuit atque etiam nunc licet conjugatis, altera consentiente parte, ad vitam monasticam transire et solemniter castitatem profiteri, ea tamen conditione ut ab invicem separentur seu etiam, quemadmodum nunc communiter ab ecclesiæ præpositis præcipitur, ut ambo conjuges vitam religiosam amplectantur aut certe ut uxor suo non relinquatur arbitrio et pientissimæ matronæ commendetur. Videtur tamen inter Culdeos hic abusus irrepsisse ut certis tantum familiis præbendæ conferrentur et* successio carnalis, *ut supra dictum est, observaretur. Quod vel ita intelligendum est ut plerique matrimonium prius inirent et, quum filios educassent, claustrum peterent; quum autem obiissent, filii, uxore etiam sua et liberis relictis, eorum occuparent locum : aut si cælibes intrassent claustrum, fratris aut sororis filii vel alii consanguinei demortuis succederent : qua ratione nunc etiam in Oriente inter schismaticos plurimi episcopatus tenentur, adeo ut certa lege ex eadem familia assumantur præsules; a quibus institutis non plane alieni fuerunt ipsi Hienses, ut ex tabula genealogica abbatum hujus monasterii, quam diligentissime construxit Guilielmus Reeves* (4), *facile deprehenditur. Sed nolim hæc longius prosequi, id unum dicere satis habens Walteri Goodallii dissertationem*
F *de Culdeis, quæ Keithii Historiæ episcoporum Scotiæ præmissa est et adjectum Russelii supplementum mihi longe magis placere quam Jamiesonii librum, meque plane consentire laudato Guilielmo Reevio* (5) *Culdeos non fuisse ordinem distinctum, sed commune nomen Scotorum, Hibernorum aliorumque ejusdem linguæ monachorum, neque eos singularem doctrinam habuisse aut singulares leges.*

E

S. Beani *laudes, mors, cultus apud Fordunium in Stratherne, Murthlaci, etc.*

8 *Nil nisi communes laudes de S.* Beano *prædicari jam diximus. Fordunius* (6) *scilicet eum vocat* virum sanctum et episcopatu dignum. *Hector Boethius* (7) *hæc habet :* Murthlaci sacrum magistratum omnium primus gessit Beanus vir pietate et eruditione insigni; inter divos, sed aliquot post annos, relatus. *Challo-*

(1) Cfr Jamieson, Historical account, p. 4. — (2) Ibid., p. 383. — (3) Cfr de universo hoc argumento part. II et III Veteris disciplinæ canonicorum regularium Eusebii Amort. — (4) The Life of St Columba, p. 342. — (5) Ibid., p. 368. — (6) Scotorum historiæ, fol. CCLIII. — (7) Britannia sancta, tom. II, p. 319. — (7) Scottish bishops, p. 101 et 102.

ner

AUCTORE V. D. B.

ner (1) *et Keith* (2) *Camerarium describunt, scilicet S.* Beanum *annos triginta duos ea prudentia, integritate aliisque boni animarum pastoris virtutibus administrasse novam diœcesim, ut numquam passus sit episcopalis gradus honores damno esse humilitati suæ suique despectui, neque se externis negotiis avelli a conversatione et sancta cum Deo familiaritate. Quod si plures annos episcopale pedum non gessit, non potuit diem obire anno* 1047, *ut tradit Keith* (2), *sed anno dumtaxat* 1142, *quippe qui anno* 1010 *Murthlacensis præsul creatus sit. Ut Murthlaci diem obiit, sic ibidem sepulcrum nactus est ad templi pseudothyrum, ubi ejus effigies, lapidi insculpta, in vicino muro conspiciebatur Keithii ævo, atque nunc etiam forte conspicitur. Quæ quum ita se habeant, quomodo factum sit ut in Martyrologio Moraviensi secundum Aberdonensis ecclesiæ usum nuntietur ejus* natalis, *non Murthlaci, sed* apud Fowlis in Stratherne, *parœciam diœcesis Dunblanensis, mirabundus inquiret forte lector. Verum id imprimis considerandum venit, quod est error vocabulo* natalis *semper indicari obitum seu initium vitæ cælestis; sæpe* B *enim eo depositionis, aliquando exaltationis aut translationis reliquiarum dies anniversarius, item aliquando templi dedicatio aut alia quæcumque festivitas indicatur; porro inde non tollitur difficultas; sed ingens campus conjecturis aperitur. Verum is definiri posse videtur. Quoniam scilicet hoc templum condiderat ipse S.* Beanus, *uti etiam vicinum Kinkelliæ, atque singularis deinde patronus creatus fuerat et nuspiam forte majori hominum concursu colebatur, hinc accidit ut* apud Fowlis in Stratherne *ejus* natalis *a martyrologis indictus fuerit; et quidem ineunte sæculo* XIII *dicebatur jam hæc* ecclesia sancti Beani Foulensis. *Quæ omnia mihi certa sunt ex literis, quas multa benignitate ad me dedit Rev. Vir J. Hardy, minister protestans Foulensis; quarum particulam hic referam :* Hujus parochiæ divus patronus est; constituit enim non solum hanc ecclesiam Foulensem, sed etiam illam alteram Kinkelliæ; quæ non procul hinc abest. Quum annales Inchaffrayenses adiissem, inveni comitem Gilbertum anno millesimo ducentesimo hanc (*Kinkelliensem*) abbatiæ Inchaffrayensi do- C nasse (3). Aliquot annis post idem comes eidem abbatiæ tradidit « ecclesiam sancti « Beani Foulensis cum omnibus justis pertinentiis suis etc. » Hujus exemplar primum seu originale in arca apud ducem Atholiæ adhuc servatum est. Mercatus annuus in Foulis habetur VIII idus novembris; qui dies se- D cundum rationem veterem temporis spatia finiendi cum die VII kalendas novembris congruit, id est cum die S. Beani. Non dubito quin hic dies æque ac multi alii ex nostratibus mercatus diebus sancti patroni natalis fuerit. *Contra, quum anno* 1752 *mense septembri computus Gregorianus in Anglia et Scotia receptus est, diebus omissis undecim,* VIII *idus seu dies sexta novembris juxta vetus kalendarium concurrit cum* XV *kalendas decembris seu die decima septima novembris secundum novum kalendarium; quare ut mercatus illius annui origines ex S.* Beani *pristino cultu populique ad ejus festivitatem concursu repetantur, ponere necesse est eos, qui postea rerum turbationem tollere voluerint, errore dies undecim addidisse, quum totidem supprimendi essent.* Potest fieri, *subjicit idem Rev. Vir,* ut fons inclutissimus in hac parochia, cui nomen Bannochiæ sive Beannuchiæ est, ad sanctum virum respiciat; *et certe mos olim erat, (qui etiamnum in aliquot Galliæ locis obtinet), ut quotannis presbyteri in patronorum natalibus fontium aquas benedicerent, Deum precantes (quemadmodum quotidie* E *ante prandium et cœnam solemus) ut, intercedentibus sanctis, iis qui illis usuri essent hanc faceret gratiam ut nil inde perciperent quod in animæ et corporis salutem non cederet. Fowlis autem in Stratherne, quod et* Wester-Foulis *et* Kirk-Foulis, *distinguendum est ab* Easter-Foulis; *quod jacet in finibus orientalibus comitatus Perthensis, super viam qua Dundee itur Cupar, (quæ comitatus Forfarensis oppida sunt), ubi anno* 1142 *pulcherrimum templum erectum est, et quo Andreas Gray de Fowlis medio circiter sæculo* XV, *Jacobo II rege, canonicos induxit. Contra Fowlis in Stratherne, ad occasum Perthi situm et ad viam, quæ inter Perthum et Crieff strata est, fuit prisca Strathernensium comitum sedes; nunc nil singulare habens, nisi crucem literis peregrinis inscriptam* (4). *Verum, quum olim illic singulariter celebraretur S.* Beani *memoria, necesse est ut alia ejus esset conditio. Templum Murthlacense S.* Beano *dedicatum esse errore scripsit Carlislius; S. Moloco, de quo egerunt decessores ad diem* 25 *junii* (5), *id dedicavit ipse S.* Beanus, *ut testis est Hector Boethius et Keithius. Fieri tamen potuit ut, S.* Beani F *cultu crescente, hic tandem aliquando, quod sæpe alibi factum est, patronus habitus fuerit. Plura nos latent, nisi quod apud Scotos catholicos cultum ecclesiasticum amplius non habet.*

(1) Menologium Scoticum, p. 261. — (2) Scottish bishops, pag. cit. — (3) Annales Inchaffrayenses, p. IV. — (4) Cfr Carlisle, Topogr. Diction. of Scotland, Vis *Foulis* (*Easter and Wester*); Leig's Roadbook of Scotland, p. 278; Spottiswoode, Account of all the religious houses that were in Scotland, post Keith, p. 468; Camden, edit. Gough, tom. III, p. 402. — (5) In append., p. 204.

DE

A

AUCTORE B. B.

DE S. FULCO, CONFESSORE

APUD ITALOS,

IN TERRITORIO BONONIENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

§ unicus. S. Fulci res gestæ ignorantur. Quæ de eo circumferuntur, partim falsa aperte sunt, partim valde dubia. Cultus ejus certis demonstratur testimoniis. De corpore sancti Viri, illiusque translatione.

FORTE SÆC. XI VEL SEQ. *Cur de S.* Fulco *hodie agamus.*

B

De sancto Fulco *agimus, quod hac die occurrat in Ferrarii catalogo sanctorum Italiæ, nec videamus quo alias loco commodius illum poneremus in opere nostro. Festum ejus, ut docet Mellonus et ipse etiam Ferrarius, celebratur in pago Saleto, Dominica intra Octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis; mense proinde Septembri; at cultus* (*de quo, ut deinceps liquebit, nullum moveri potest dubium*) *inter arctos unius prædicti pagi limites diu circumscriptus permansit. Hinc ne vel in Prætermissis a prædecessoribus nostris reperitur signatus. An forte hunc elegit Ferrarius diem, ut beatum Virum adderet alteri Sancto cognomini, episcopo nempe Paviensi* (*cujus acta dabimus in sequenti volumine*), *de quo proxime mentionem fecerat; idque tanto magis, quod non adeo ab invicem remotæ essent utriusque sedes?* Fulcum *enim nostrum episcopum dicit Ravennatensem; quo autem hoc jure affirmet, infra expendemus. Cæterum, si cultum excipias, vix est quod de S. Confessore, vel dubia solum nixi ratione, proferamus. Unde Ferrarius in Annotatione ad encomium :* Quæ supra narrata sunt nullo scripto commendata leguntur, sed solum nituntur traditione incolarum.

Pauca, eaque valde incerta de S. Fulco *traduntur.*

2 *Cæterum pauca sunt, quæ de vita et rebus S.* Fulci *gestis, a scriptoribus memoriæ commendata habemus. Ferrarium audiamus loc. cit. Incipit :* De S. Fulco, episcopo Ravennate, in territorio Bononiensi. *Deinde subdit :* Fulcus episcopus Ravennas, quo tempore Gothi Italiam bello premebant, maxime vero Ravennam; Mutinam fugit, indeque in agrum Bononiensem se recepit, in pagum cui nomen Saletum est; ibique aliquamdiu vitam ignotus duxit.... Claruit post mortem miraculis etc. *Eadem fere Antonius Masini in Bononia Perlustrata tradit sed paulo distinctius; nempe* Fulcum (*quem* Folco de' Folchi *vocat et Bononiensem patria dicit*) *archiepiscopum Ravennatensem circa annum* 470; *cathedræ renuntiasse metu barbarorum, atque secessisse in pagum Saletum, ubi vitæ solitariæ operam dedit usque ad annum circiter* 510, *quo diem obiit supremum. Ast hæc vix non omnia, ut recte monet Melloni* (1), *vel nullis, vel falsis vel saltem non satis probatis nituntur documentis. Et primum ne vel levissima firmatur ratione, patria Bononiensem fuisse. Merum hoc assertum est Masini.*

Num episcopus fuerit?

E

3 *An vero episcopis Ravennatensibus sit annumerandus, saltem dubium valde est. Illius non meminit Ughellus nec alius quivis scriptor, ut testatur Mellonus, qui diligentissime minutissimèque collegit quæ ad S.* Fulcum *spectant. Censet Hieronymus Fabri, canonicus theologus metropolis Ravennatensis, in Memorabilibus sacris* (Memorie sacre), *fieri potuisse, ut tabulis S.* Fulcus *inscriptus non fuerit, propterea quod ingratiis cleri et populi sedem reliquisset. Ast conjecturam hanc rejiciendam existimat Mellonus* (2), *saltem si ætas a Masino et Ferrario signata admittatur, qui, ut ex prædictis constat, S.* Fulcum *Ravenna discessisse volunt* metu barbarorum, *sive, ut Ferrarius loquitur,* quo tempore Gothi Italiam bello premebant, *sæculo proinde quinto vel sexto. Masinus, teste Mellono, arctiores etiamnum figit limites, initium episcopatus innectens anno* 470, *obitum anno* 510. *Ast observat Mellonus* (3), *nomen Fulci, utut usui aliis in regionibus, in Italia haud reperiendum ante sæculum* XI. *Unde Muratorius, ubi de Fulco seu Fulcone marchione, progenitore ducum Estensium* : Cum nomen hoc sit Normannicum seu Francicum, parum tunc (*sæculo* XI) usurpabatur in Italia (4). *Sæculo* XI *progrediente et sequentibus, Fulci nomen haud infrequenter occurrit, nec solum apud magnates sed etiam in populo. Præterea sæculis* V *et* VI *nullum, quod episcopatui S.* Fulci *prudenter tribuatur, reperitur spatium in catalogis, quos Mellonus completos accuratosque existimat* (5). *Et revera Fulci nomen penitus desideratur sive in* Libro pontificali *seu* Vitis Pontificum Ravennatum *Agnelli, qui sæculo* XI *scripsit, sive in* Dissertationibus et Observationibus, *bene multis valdeque eruditis, quibus Benedictus Bacchinius librum Agnelli illustravit; quas una cum Libro Pontificali novis auctioribusque typis recusit Muratorius in Scriptoribus rerum Italicarum* (6). *Quare autumat Mellonus* (7), *S.* Fulci *præsulatum* (*si quis tamen admittendus*) *adeoque etiam vitam aptius exeunti sæculo* XI *et sequenti illigari. Itaque lapsum suspicatur Masinum, quod*

F

(1) Atti e memorie degli uomini illustri in santita nati e morti in Bologna. Classis 2ª, tom. I, p. 57 et seqq. Bologna 1773. — (2) Ibid., p. 63. — (3) Ibid., p. 58. — (4) Muratori, Antichita Est. part. I, cap. 27. — (5) Ubi supra. — (6) Tom. II, part. I, p. 1-220. — (7) Atti p. 60 et seq.

traditionem,

AUCTORE R. B.

traditionem, quæ haud absurde supponi potest suo tempore obtinuisse, male sit interpretatus; hancque tulisse S. Fulcum *mortuum, non anno Christi* 510 (*ut habet Masinus*) *sed* ante *annos quingentos et decem. Cum igitur scriberet Masinus circiter annum* 1640; *ab hoc numero subtrahendo præfatos annos quingentos et decem, obtinetur annus Christi* 1130; *qui si emortualis supponatur S.* Fulci, *utique evanescunt supra positæ difficultates tum ex nomine desumptæ, tum ex catalogis Ravennatensium episcoporum sæculo* XI *et* XII *antiquioribus. Verum inter illius ecclesiæ antistites non magis apparet S.* Fulcus *sæculo* XII *vel* XIII, *quam præcedentibus et subsequentibus. Atque ex hoc iterum capite episcopatus illius æque vacillat. Attamen existimat Mellonus non omnem præcludi aditum quominus sæculo* XI *et* XII *alius præter nominatos in catalogis introducatur. Scilicet labente sæculo* XI, *S. Gregorius VII abstinuerat Wibertum archiepiscopum Ravennatensem, partibus Henrici IV imperatoris inverecunde studentem. Wibertus, cæsaris præsidio insolens, in Brigiensi conciliabulo contra Gregorium sententiam depositionis*
B *ferre non est veritus, seque ejus loco substituit, assumpto nomine Clementis III. Hinc schisma, quod annos duravit præter propter quadraginta.* Nullus, *infert Mellonus* (1), dubito, quin toto illo temporis spatio, Gregorius ejusque legitimi successores... sedi Ravennatensi legitimos nominarint præsides, quos electis a perduelli capitulo opponerent. *Erant itaque tunc duo episcopi: legitimus alter, alter schismaticus, licet hic solus inscriptus catalogis reperiatur: ideo sane quod civitas una cum clero staret pro imperatore. Notat insuper Mellonus, recens, ut constat ex Muratorio, detectas esse cartas in quibus occurrunt archiepiscopi Ravennatenses, Rossio et Ughello penitus ignoti; quales* Petrus *quidam,* Bernardus, *item* Sembaldus, *singuli ad sæculum* XI *spectantes. Concludit Mellonus :* Ecce tibi, durante schismate, opportunum tempus canonicæ electioni S. Fulci. Et ecce forte etiam ratio ob quam sedi facilius renuntiavit (*vir cæteroquin solitudinis amans*) videns se per turbas impediri ab adimplendis boni pastoris muneribus. *Itaque quæ*
C *ad natales et episcopatum S.* Fulci *pertinent, parum solidis nituntur fundamentis, seu potius nullis, nisi vaga quadam traditione.*

Saleti moratur.

4 *Aliud est de cultu in pago Saleto : hic enim claris indubiisque probatur monumentis. Est autem* Saletum, *quod latine scriptum quoque reperitur* Salectum *et* Salictum (*probabiliter a Salicibus, quibus locus consitus erat*) *pagus haud ignobilis in comitatu et diœcesi Bononiensi, decem circiter milliaribus distans Bononia; qui jam a primis æræ nostræ sæculis et cultus et habitatus fuisse videtur; quod effici censent nonnulli ex inscriptione, lapidi incisa atque non ita pridem defossa. Ethnica illa apparet, favetque opinioni eorum, qui S.* Fulcum *existimant vixisse sæculo* V *et* VI. *Ast in Inscriptione nulla loci cujuscumque habetur designatio vel mentio* (2). *In altera, quæ certo Christiana est sed nonnihil mutilata, inter alia leguntur verba : Leonis...* papæ, *quem Mellonus putat esse hujus nominis undecimum. Certe fidis ex documentis innotescit Saletum a sæculo* XIV. *Sic in instrumento, quod se vidisse testatur Mellonus, et rogatum fuit* 10 *junii* 1308, *mentio fit* curie sancte Marie in Donis et Salicti: *item in* libro beneficiorum Antonii *de Paleottis ms. sæculi* XV *et seq. inter beneficia curata recensetur :* De plebatu Salecti. Plebs S. Marie de Salecto. *Eo itaque loci, si fides traditioni, se contulit S.* Fulcus, *vitam ut duceret solitariam; quanto autem tempore ibidem demoratus et quando diem obierit supremum, incomperta omnia. Autumat Mellonus mortem adscribi posse anno circiter* 1130 *Conf. n.* 3. *Ad ætatem quod pertinet; si si supponatur sanctus Vir initio schismatis* (*quod cœpit anno* 1080) *infulas adeptus, quo proinde anno saltem tricenarius erat,* (*cum citius ordinari per canones non liceret;*) *igitur si vere vita excessit anno* 1130, *octogenarius ad Dominum migraverit oportet. Sed meræ sunt hæ conjecturæ, ut ipse fatetur Mellonus.*

Sepultura.

5 *De prima sepultura scribit Masinus, traditione nitens populari :* Mortuo sancto Confessore, orta contentio est inter vicinos pagos, dum unusquisque sua in ecclesia condi vult pignora sacra; tandem convenit inter eos, ut
E corpus vehiculo imponeretur, quod a duobus indomitis frenoque privatis animalibus duceretur eo, ubi placeret Deo esse sepulchrum. Cum perventum esset ad locum, in quo solitariam B. Fulcus exegerat vitam, substitit vehiculum, ibique conditus primum fuit. *Hæc Masinus apud Mellonum* (3). *Mox, ut rursus fert traditio, tumulus inclaruit; quare incolæ erexerunt ecclesiam seu oratorium, ædi parochiali contiguum; idque non ita multo post obitum S.* Fulci, *auctore Masino; estque verisimile tum primam contigisse sacri corporis sive elevationem sive translationem.*

Oratorium.

6 *Ansam præbuit sequens prodigium* (4). *In confiniis pagorum Saleti et sancti Marini effossum forte fuit vas marmoreum haud spernendæ magnitudinis, quod ad suam transvehere ecclesiam cum suscepissent incolæ posterioris pagi, extra limites prioris progredi non potuerunt, licet plaustro altera boum paria junxerint. Inter hæc apparuit S.* Fulcus (*paucis ante annis defunctus*) *duas secum adducens juvencas, quas cum bona venia bubulcorum vehiculo alligavit, jubens ut, quo magis Deo placeret, tenderent; et*
F *continuo ex oculis evanuit. Ita non sine portento vas ad ecclesiam Saleti pervenit; quod et hodiedum ibidem cernitur, impositumque habet vas alterum minoris formæ, et adhibetur tamquam baptisterium. Porro quotquot aderant sanctum* Fulcum *facile agnoverant; quapropter ejus effoderunt corpus, in arca marmorea recondiderunt, ejusque nomine ædificaverunt oratorium, contiguum præfatis ædibus S. Mariæ. Addit Masinus* (5) : Scriptor extraneus quia rem non satis bene perspectam habebat, diverso modo narrat. *Alludit Masinus ad Ferrarium, qui in Catalogo sanctorum Italiæ ita habet ad præsentem diem : S.* Fulcus, Ravenna derelicta, Saleti aliquamdiu ignotus vitam duxit, eo miraculo apud incolas in honore habitus, quod cum incolæ pagi sancti Martini (*imo sancti Marini*) baptisterium vi ex Saleto pago abstulissent, illud in itinere sic immobile constitit, ut nulla ratione posset dimoveri. Cum autem, sic Fulco consulente, duas juvencas plaustro vinxissent,

(1) Atti, p. 64. — (2) Mellonus Atti, p. 69. — (3) Pag. 72 et 73. — (4) Pag. 74. — (5) Apud Mellonum, ubi supra.

A vinxissent, ut ubi illæ cum plaustro substitissent, ibi baptisterium dimitteretur, essetque locus ille plebs pagorum vicinorum, statim plaustrum cum baptisterio in Saleti ecclesiam, ubi sublatum fuerat, sponte revexerunt. Claruit etiam post mortem miraculis, multis ad ejus tumulum sanitatem consecutis. Cujus dies festus Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. agi in ea ecclesia consuevit. *Concludit Mellonus* (1) : *Quidquid denique judicarit lector de præfatis prodigiis, id certum sæculo* XIII *et sequentibus nomen Fulci in illo tractu haud raro baptizatis impositum; et anno* 1331 *exstitisse in pago Saleto oratorium S.* Fulco *dicatum, siquidem matrona, nomine Adelasea, testamento legat viginti solidos Bononienses* ecclesiæ S. Fulci in terra Saleti.

et ecclesia. 7 *Præfatum oratorium perstitit usque ad medium ferme sæculum* XVI; *tunc, cum vetustate fatisceret, solo æquatum fuit et unitum ecclesiæ parochiali, quæ ipsa etiam a fundamentis est renovata. Audiamus rursus Masinum* (2). *Spectatur in templo S. Mariæ de Saleto imago picta B. Virginis. Exigua illa est, et primum arbori*
B *affixa populeæ; quam, utpote arefactam, dejecit comburendam agricola nomine Matthæus Rabetellus, nulla imaginis habita ratione; quæ humi jacebat promiscue inter conscissæ arboris fragmenta. Sed ecce, die quadam Dorothea, uxor Matthæi, audit ex improviso se nomine suo vocari; conversa videt matronam valde speciosam candida amictam veste, accipitque in mandatis ut imaginem affigat fraxino, moneatque his de rebus Bartholomæum Bernardi capellanum. Quibus dictis disparuit matrona. Contigerunt hæc circiter annum* 1557. *Exinde vicini incolæ aliique fideles remotiores cœperunt ad memoratam pietatis ergo confluere fraxinum, ita ut una die ad quatuor millia hominum ferantur convenisse; nec spernendæ ex hujusmodi concursu colligebantur eleemosynæ; quas RR. DD. Joannes Campeggius, episcopus Bononiensis, voluit servari in ædificandam novam ecclesiam parochialem, cum antiqua et parva esset et ruinosa. Mortuo Campeggio anno* 1563, *jussu S. Caroli Borromæi, pro tempore legati Bononiæ, media eleemosynarum pars concessa fuit pauperibus mendicantibus; media adhibita extruendo templo, quod ad fastigium perductum est circa annum* 1567. *Itaque loco duarum ædium (altera B. Virgini, altera S.* Fulco *sacra) unica exsurrexit, sub titulo* S. Mariæ et S. Fulci, *et præfata tabella, quondam arbori affixa, in altari reposita fuit. Hæc ita Masinus, cujus narrationem contraximus. Mentio novæ ecclesiæ occurrit in* Libro (*latine conscripto*) visitationis apostolicæ, *jussu Gregorii XIII susceptæ in civitate et diœcesi Bononiensi, a RR. præsule Ascanio Marchesini anno* 1573 : Pervenit postea (*visitator*) ad ecclesiam parochialem S. Mariæ et Fulci de Saleto, et cujus rector existit R. D. Laurentius Butrigarius, canonicus collegiatæ S. Petronii, quem invenit residentem, sed habet etiam capellanum D. Gabrielem de Parianis *etc.* (3). *Notat Mellonus ecclesiam septem habere sive altaria sive sacella : majus nulli proprie Divo sacrum, asservandæ SS. Eucharistiæ destinatur; primum ad cornu Evangelii nomen habet a Crucifixo; secundum a B. V. de Rosario, ubi spectatur tabella seu imago de qua diximus; tertium continet baptisterium. Ad cornu Epistolæ, primum venit sub titulo S.* Fulci, *cujus effigies ex gypso altari imposita est, alta pedes fere septem; veste pluviali circumdatus S. Confessor, mitram in capite, pedum fert manu sinistra, dextera benedicit populo; sub altari ejus corpus (de quo redibit sermo) repositum est; secundum altare S. Martino, tertium Matri dolorosæ dicatum. Olim in summa fronte ædis eminebat statua lapidea S.* Fulci; *eadem probabiliter, quæ antea stabat in altari seu oratorio, quod solo æquatum labente sæculo* XVI *vidimus.* Hodie, *subdit Mellonus* (4), loco præfatæ statuæ, ferrea crux conspicitur.

AUCTORE B. B.

Alia de cultu testimonia, nempe festum, etc.

8 *Recenset Mellonus* (5) *alia, præter ecclesiam de qua diximus, signa seu testimonia cultum probantia. Nempe Festum ab antiquo celebratum, atque pridem jam affixum Dominicæ infra Octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis. Circa festum sequentia recitantur apud Mellonum* (6) *ex libro ms. Petri Jacobi Facchini, archipresbyteri ecclesiæ Saletensis labente et ad finem vergente sæculo* XVIII : In ecclesia archipresbyterali de Saleto celebratur festum hujus E
Sancti, Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V., sed modo longe solemniori quam olim : nam antiquitus paucæ solum missæ dicebantur; et præterea nihil. Ast matrona quædam, nomine Clemenza Leoni, cum hæredes non haberet consanguineos, testamento legavit bona sua Collegio dicto « della S. Umilta, » hac lege ut præfatum collegium propriis suis expensis et non aliter, advocaret in Saletum singulis annis tres sacerdotes Societatis Jesu, qui triduanas ibidem ad populum conciones haberent, feria scilicet sexta, sabbato et Dominica intra memoratam octavam; his initium factum anno 1700; ex quo deinceps et festum celebratum majori cum pompa et numerosior accurrit ex vicinis locis populus. Postquam autem anno 1755 inventum et translatum corpus, ut traditur, S. Fulci fuit, crevit magnopere fidelium in S. Patronum pietas et devotio, atque ab hinc ad hunc usque diem (*circa annum* 1780) splendidior adhibitus est agendo festo ornatus. Plures præsto sunt sacerdotes, ad audiendas confessiones; plurimæ dicuntur
C missæ, quas excipit una solemni ritu cantata. F
Post meridiem fit publica supplicatio, habeturque concio panegyrica. *Atque hæc de festo. Lampas quoque ante altare ab omni retro hominum memoria ardebat; frequens illud visitari solitum, nec raro ibidem sanctum missæ oblatum sacrificium; dona quoque multa a fidelibus collata. Testatus est Mellono archipresbyter Facchini, rector ecclesiæ de Saleto, tabellas votivas magno numero appensas altari; quæ, utpote vetustate corrosæ atque deformes igni traditæ, aliis denuo locum dedere. Duarum in specie fit mentio : altera exhibet viros duos sibi invicem ense minitantes; altera sacerdotem coram imagine S.* Fulci *orantem. Memorantur quoque beneficia populo universim præstita. Sic anno* 1748 *lues pestifera in circumjacentium pagorum animalia dire sæviebat, in Saleto autem vix unum occubuit; anno* 1763 *agri vicini locustis vastati, salva iterum terra Saleti; anno sequenti vineæ alibi rubigine exustæ hic optatos*

(1) Apud Mellonum, p. 75. — (2) Ibid., p. 76. — (3) Ibid., p. 77. — (4) Pag. 79. — (5) Pag. 79 et 80. — (6) Pag. 315.

AUCTORE B. B.

tulere fructus; addunt incolæ seniores, ab ómni memoria vineas suas numquam vel grandine vel procellis fuisse admodum læsas. Hinc nemo mirabitur frequentem populi illius ad præsidium S. Patroni sui recursum. Ex his nata quoque sunt incolarum vota, ut tandem S. Fulci *recognoscerentur reliquiæ, quo piæ eorum venerationi publice exponerentur.*

Anno 1755, die 17 jan. cardinalis Malvetius

9 *Atque votis istis satisfactum partim fuit ineunte anno* 1755, *ut ex sequenti instrumento constabit, quod a sæpius laudato Mellono mutuamus* (1), *et hic in extenso adscribimus :* In Nomine Dei. Amen. Cunctis ubique pateat et notum sit, quod anno a salutifera nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia, die vero Veneris, decima septima mensis Januarii, tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Benedicti XIV, divina providentia summi Pontificis, occasione sacræ pastoralis visitationis per eminentiss. et reverendiss. D. D. Vincentium S. R. E. presbyterum cardinalem Malvetium Bononiæ archiepiscopum et Sac. Rom. imperii principem, in
B loco Saletto nuncupato suæ Bonon. diœcesis habitæ, ad instantiam admod. rev. D. Antonii Squarcina, archipresbyteri ecclesiæ archipresbyteralis sanctor. Mariæ et Fulci dicti loci Eminentiæ suæ inibi existentis una cum illustriss. et reverendiss. D. Roderico Zanchini, ecclesiæ metropolitanæ canonico et convisitatore, infrascriptoque adm. rev. D. prosecretario supradictæ visitationis, reverenter exponentis ex antiqua traditione, asserta etiam in libro intitulato « Bologna perlustrata » D. Masini, reperiri in dicta archipresbyterali ecclesia corpus S. Fulci confessoris atque pontificis subtus altare eidem Sancto dicatum, quod est primum a cornu Epistolæ altaris majoris, proptereaque reverenter instantis, ut Eminentia sua reverendissima mandare dignaretur fieri necessarias observationes ad effectum recognoscendi, an hujusmodi traditio subsisteret, hujusmodique observationibus adsistentiam præstare.

operam dat investigandis reliquiis S. Fulci :

10 Cui instantiæ Eminentia sua reverendissima benigne adhærendo, eaque ita expresse mandante, per Dominicum Duosi caputmagistrum fabrum murarium Bononiensem, habitantem in Communi S. Petri in Casali nuncupato, comitatis et diœcesis Bononiæ, ac cum continua præsentia et adsistentia Eminentiæ suæ reverendissimæ, aperta fuit pars anterior dicti altaris S. Fulci; subtus quod reperta fuit capsa marmorea longitudinis pedum duorum cum quadrante unciæ, latitudinis vero pedum unius, unciarum octo cum quadrante, ab intra excavata in forma rotunda de diametro unciarum decem et octo cum tribus quadrantibus, ac profunditatis unciarum duodecim, cooperta lapide albo pariter marmoreo, quod lateraliter excedit latitudinem ipsius capsæ uncias quinque cum quadrante in duobus lateribus unciarum viginti cum quadrante, latitudinis ut erat capsa ipsa; quæ colligata erat quattuor ferreis, vulgo « fittole, » plumbo firmatis in cooperculo, ac in ipsa capsa, duabus nempe in parte anteriori, ac duabus in posteriori hujus capsæ, quæ, attenta scissura in ea existente in actu amotionis dicti ejus cooperculi, in parte posteriori, fracta remansit in diversis D petiis, ac etiam in aliquibus petiis in parte anteriori, ac intus eam inventa fuere bene disposità cranium et alia ossa cadaveris humani.

quas inventas deponit in capsulam ligneam ;

11 Et fracto muro posteriori dicti altaris correspondente sacristiæ dictæ ecclesiæ, præfatus eminentiss. et reverendiss. D. D. Cardinalis archiepiscopus et princeps cum stola alba manu propria extraxit cranium et alia omnia dicta ossa, eaque tela linea alba involuta immediate reposuit et collocavit intus capsulam ligneam longitudinis unciarum viginti trium cum tribus quadrantibus, latitudinis unciarum decem cum dimidio, altitudinis unciarum septem cum dimidio; hancque bene clausam cum vitta linea rubri coloris ad modum crucis colligatam sigillo proprio Eminentiæ suæ reverendiss. ejus stemma exprimente in cera rubra liquata impresso quinque in locis, adeo ut absque sigillorum hujusmodi remotione adaperiri nequeat, obsignavit, eamque successive consignavit prædicto D. Archipresbytero instanti, ad effectum in dicta ecclesia asservandi, donec aliter per Eminentiam suam reverendissimam ordinatum fuerit. E

atque de his rogatur instrumentum.

12 Ex relatione mihi notario (*Josepho Nanni*) infra scripto, sacræ pastoralis visitationis cancellario, facta per adm. Rev. D. Joannem Antonium de Cardinalibus, ejusdem sacræ visitationis prosecretarium, acta fuere prædicta modo et forma supra expressis ac in dicta ecclesia archipresbyterali SS. Mariæ et Fulci de Saletto, præsentibus ibidem adm. R. D. Josepho Cuppini, cive et sacerdote Bononiæ, prælibati eminentiss. et reverendiss. D. D. Cardinalis archiepiscopi cæremoniarum præfecto, et adm. rev. D. Josepho Favelli, sacerdote Mutinensi modo capellano supradicti D. Archipresbyteri, testibus ad prædicta etc. *Atque hæc præfato die* XVII *januarii MDCCLV. Res in eodem statu permansit usque ad sequentis Julii mensem, quando cardinalis Malvetius rediit ad pagum de Saleto, et pridem detectas reliquias diligenter recognovit, jussitque in novam transferri thecam, opportuno tempore sub altari S.* Fulci *deponendam. Nec tamen definire voluit, an essent nec ne ossa sancti Viri, sed inscribi illis solum jussit hæc verba :* corpus quod dicitur S. Fulci. *Quæ omnia clariora fient ex altera parte instrumenti, quam ex eodem Mellono subjungimus* (2). F

Mense Julio, redit card. Malvetius in Saletum,

13 Die Lunæ 21 mensis Julii ejusdem anni 1755. Emmentissimus et reverendiss. D. D. Vincentius S. R. E. presbyter cardinalis Malvetius, Bononiæ archiepiscopus et S. R. I. princeps accessum habuit ad ecclesiam archipresbyteralem SS. Mariæ et Fulci de Saletto nuncupatam, suæ Bononiensis diœcesis; quo perventus (*sic*), adm. rev. D. Antonius Squarcina, modernus dictæ ecclesiæ archipresbyter, Eminentiæ suæ reverendissimæ reverenter præsentavit capsulam ligneam bene clausam, vitta linea rubri coloris ad modum crucis colligatam, et sigillo Eminentiæ suæ reverendissimæ quinque in locis munitam, intus quam sub die 17 mensis Januarii currentis anni, ad instantiam ejusdem Dom. Arpresbyteri, per Eminentiam suam reverendissimam reposita fuere cranium et omnia ossa, extare reperta intus capsam marmoream,

(1) Ubi supra in Appendice, p. 309 et seqq. — (2) Ubi supra.

existentem

A existentem subtus altare S. Fulco dicatum in dicta archipresbyterali ecclesia, ut in documento aperitionis (*quod supra numeris præcedentibus recitatum a nobis est*) dictæ capsæ marmoreæ, extractionis dictorum ossium illorum contextualis repositionis intus prædescriptam capsam ligneam, modo supra expresso immediate sigillatam, dictoque D. Archipresbytero consignatam in dicta ecclesia custodiendam usque ad novum ordinem Eminentiæ suæ reverendissimæ, ad quod documentum etc.

recognoscitSS. Reliquias.

14 Instititque ac petiit præfatus D. Archipresbyter per Eminentiam suam reverendissimam recognosci dictam capsulam ligneam, deindeque aperiri, declararique dicta cranium et ossa, quæ dicuntur S. Fulci episcopi, cui dicatum est altare, subtus quod reperta existere, ut in enunciato documento, esse eadem cranium et ossa, ut supra extracta, ac intus dictam capsulam ligneam reposita, successiveque ex illa extrahi et collocari intus alteram capsulam reliquiariam decentiorem sexangularis formæ ad hunc effectum paratam, colore aquæ maris depictam, ex ligno elaboratam
B cum ornamentis eleganter incisis et deauratis, opportune aptatis, lamina crystallina in parte anteriori compactam, hancque pro assecuranda dictorum ossium identitate claudi, sigilloque Eminentiæ suæ reverendissimæ obsignari. Cui instantiæ prælibatus eminentissimus et reverendissimus DD. Cardinalis archiepiscopus et princeps benigne annuens, primo dictam capsulam recepit et attente inspexit, eaque bene clausa et sigillis, quibus munita erat, penitus intactis repertis, eandem apperuit recognovitque, ac declaravit cranium et ossa intus illam existentia fuisse et esse eademmet, quæ per Eminentiam suam reverendissimam sub dicta die 17 Januarii currentis anni ex dicta capsa marmorea subtus dictum altare S. Fulci in dicta ecclesia existente, extracta ac intus dictam capsulam ligneam reposita sigilloque munita extitisse, ut (in) enunciato documento; attenteque observatis de mandato Eminentiæ suæ reverendissimæ omnibus et singulis dictis ossibus per illustrissimum et excellentissimum D. Bartholomæum Beccari, philosophiæ ac medicinæ
C doctorem, in publico archigymnasio Bononiæ lectorem ac anatomiæ professorem; iisque judicio ejusdem D. doctoris Beccari recognitis et declaratis ossibus integrum scheletrum componentibus, ea omnia ministerio adm. Rev. D. Aloysii Dardani, sacerdotis et perinsignis collegiatæ S. Petronii Bononiæ mansionarii, in præsentia Eminentiæ suæ reverendissimæ, dicti D. doctoris Beccari, infrascriptorum testium, meique Notarii decenter aptata atque opportune disposita fuere intus dictam capsulam reliquiariam sexangularem et ab intra decenter ornatam cum cruce desuper, altitudinis in totum unciarum quatuordecim, longitudinis vero ac in angulis unciarum viginti. Verum quia nonnulla superfuere parva dictorum ossium fragmenta, hæc quoque ministerio ac in præsentia, ut supra, collocata fuere intus aliam ligneam capsulam capacem subtus tabulam inferiorem ejusdem capsulæ reliquiariæ eique connexam.

AUCTORI B. B.

atque in novam transfert thecam sub altari S. Fulci reponendam.

15 Quibus peractis, in præsentia semper ut supra, eadem capsula reliquiaria cum altera subtus eam ut supra connexa, parvo sigillo Eminentiæ suæ reverendissimæ, stemma ejus gentilitium exprimente, in cera rubra hispana impresso, obsignata exstitit decem et octo in locis absque sigillorum fractione non aperibilibus, apposita intus eam inscriptione sequenti : CORPUS QUOD DICITUR S. FULCI; adeo ut per prædicta asservetur * quidem identitas dictorum ossium, non tamen illa canonizentur, ut ossa sancti corporis, minusque ullum dubium inducatur an sint vel non sint talia. Demum Eminentia sua reverendissima hanc capsulam reliquiariam cum altera subtus eam ut supra, connexa, modo supra expresso clausam et sigillo obsignatam consignavit dicto adm. Rev. D. Archipresbytero ad effectum illam reponendi subtus dictum altare S. Fulci E
ejus ecclesiæ prædictæ cum et quando hujusmodi locus decenter aptus fuerit effectus, et interim, prout decet, custodiendum omni etc.

* asseveretur?

coram testibus.

16 Quibus omnibus supra peractis in dicta archipresbyterali ecclesia continue præsentes extitere tam supradictus illustrissimus D. doctor Beccari, quam excellentissimus adm. Rev. D. Josephus Vaccari sacerdos, Bononiæ civis jurisque doctor, adm. Rev. D. Jo. Antonius de Cardinalibus, civis et sacerdos Bononiæ, ecclesiæ metropolitanæ Bonon. mansionarius et adm. Rev. D. Aloysius Dardani perinsignis collegiatæ ecclesiæ S. Petronii mansionarius, testes etc. *Erat signatum :* Antonius Nanni Not. *Monet Mellonus* (1) *constructam deinceps sub tabula altaris S.* Fulci *fornicem lapideam in eaque depositam tum antiquam capsam marmoream, tum novam ligneam de quibus in Instrumento habetur mentio; additque sub dicta translatione nonnullas ossium particulas detractas atque variis donatas ecclesiis.*

De cultu post translationem.

17 *Præ manibus habuit sæpius laudatus Mellonus libellum manuscriptum et ab archipresbytero Saletensi Petro Jacobo Facchini, compositum circiter anno* 1766, *adeoque decennio fere post antedictam translationem. Porro in libello isto describitur accurate ecclesia, S.* Fulci *festivitas etc.; recensentur plurima beneficia cœlitus devotis impertita per intercessionem sancti Confessoris* (2). *Concludit auctor his fere verbis* (3) : Sufficiat notasse nullum esse diem, quo non manifestetur quam efficax sit S. Fulci, invocantibus se, patrocinium; unde et indies crescit fidelium ad ejus præsidium recursus, idque non solum Saleti sed etiam dissitis ex regionibus; *testaturque se hæc omnia scripsisse, nixus traditione populi vel probatis auctoribus vel testimonio illorum, quibus collata fuere beneficia.*

F

SUPPLEMENTA.

SUPPLEMENTA.

DE S. LEONARDO DUNENSI SEU SILVÆ LONGINQUÆ.

ADDENDA AD PAG. 644 ET 645.

Ad finem num. 4 *et maxime ad finem num.* 6 *commentarii de S. Dulcardo, eremita Bituricensi, innui aut S. Leonardum, Vendeporensem eremitam et die* 15 *octobris Corbiniaci cultum, aut S. Leonardum, Lemovicensem seu Nobiliacensem anachoretam, S. Dulcardi socium fuisse, aut etiam ambos simul; quum in Carminibus de laudibus Miciaci, ubi recensentur sanctissimi prisci eremitæ sancti Maximini socii, hæc legantur* (1) :

Suntque Leonardi duo, sit Constan-que-tianus. *Alterum ex eis esse S. Leonardum Nobiliacensem constat, ut ad diem* 6 *novembris, qua colitur, demonstrabitur. In recentiori Vita Vendeporensis seu Corbiniacensis item dicitur Miciaci degisse. Sed hæc non exstat in Vita coæva et ex S. Leonardi Nobiliacensis Actis ad illum (ut alia multa) translata sunt, ut ad diem* 15 *octobris decessores nostri demonstrarunt* (2). *Et quidem (ut alios omittam) tertius exstitit in Galliis S. Leonardus, qui prius Miciacum et dein Silvam Longinquam seu Longam aut Silvaloniam in pago Dunensi inter Vindocinam et Aurelianum incoluit, cujus nomen pluribus auctariis Usuardinis ad diem* 8 *decembris inscriptum est et cujus Vitam non ita pridem gallice edidit præsens S. Leonardi parochus, V. V. A. Mouzé. Ut autem manifestum sit hunc sanctum in S. Maximini Vita, ex qua num.* 4 *locum adduxi, indicari, satis est invenisse quæ sit* Silva Longinqua, *de qua illic legitur :* Silva etiam, quæ Longinqua dicitur, quam beatus Leonardus spiritualibus suis exercitiis et corporis hospitio et celebrem reddidit et propinquam. *Atqui præter alia multa, quibus appareat* Silvam Longam *seu* Longinquam *in pago Dunensi, vulgo* le Dunois, *esse positam et, quum integra adhuc esset sæculo XIV, continuisse præsentes silvas* de Marchenoir *et* de Fretteval, *misit ille ad me particulam testamenti, quod anno* 1015 *ab Adela, comitissa Blesensi, conditum est atque nunc in probationibus historiæ Blesensis (qui liber in bibliotheca publica Blesensi asservatur) descriptum est :* Ego Adela comitissa... dono igitur et concedo beato Launomaro et fratribus cœnobii Blesensis pro charissimi sponsi mei comitis Stephani et pro anima patris et matris meæ, pro salute quoque mea partem quamdam boscheti mei, quæ Silva Longa dicitur, a loco, qui vocatur Olchia Grandis *(nunc* Oucques, *sex chiliometris distans a parochia S. Leonardi)* usque ad terram Guillehelmi, filii Fredonis, in longum; ex traverso autem, a quadam calle, quæ vocatur Via festi, sicut ipse porrectus est ab Olchia Grandi et cadit in vallem S. Victoris, *(qui locus sex chiliometris distat a S. Leonardi parochia et septem a Marchenoir ;)* quantum silva durat, usque ad planam de parte, qua Montem Foleti *(nunc* Montfollet, *partim in parochia de Viévy, partim in parochia S. Leonardi,)* respicit, et Blesensem Belsiam, *(scilicet eam partem cultam Belsiæ, vulgo* Beauce, *quæ inter silvam jacet et Blesam.) Quæ, si qualemcumque mappam topographicam spectas, non possunt non esse clarissima. Plura addere nolim, quum ad diem* 8 *decembris ipsa S. Leonardi, pagi Dunensis eremitæ, acta declaranda sint. Id unum significabo, quod ad S. Dulcardum pertineat, a Saussayo in Martyrologio suo Gallicano ad diem* 28 *junii tradi* in cœnobio Miciacensi prope Aureliam dominica infra octavas sancti Sacramenti suo tempore factam esse festivitatem sanctorum Maximini Junioris, abbatis quinti illius monasterii, sanctique Viatoris levitæ, Constantii, Frambaldi, Florentii, Ruffini, Euchardi, Leonardi, Ducati, Linentii et nonnullorum aliorum monachorum illius cœnobii. *Plura illic nomina distorta esse nemo non videt; et quidem patet* S. Ducatum *illic venire loco* S. Dulcardi.

(1) Ubi supra p. 83. — (2) Atti, p. 312 et seq. — (3) Ibid., p. 314. — (1) Acta SS. Ord. S. Benedicti, sæc. I, pag. 581.

DE BREVIARIO PRÆMONSTRATENSI.

MUTANDA PAG. 727, COL. 2, LIN. 31.

Quod in Monito, præmisso Missali anni 1736, *legitur* Novæ huic editioni *loco* Novæ hujus editionis, *perperam totum locum intellexi. Expetierant scilicet circariæ anno* 1717 *ut, quum libri chorales deessent, nova fieret editio; et quidem anno* 1725 *Breviarium, paucis mutatis, editum fuit ad normam Breviarii anni* 1709. *Atque hæc sunt* Breviaria moderna, *quorum dispositioni conformanda erat nova editio Missalis. Mutationes itaque non ad ritus pertinebant, sed ad alia. Videlicet capitulum generale anni* 1717 *evexerat festa Epiphaniæ et Ascensionis ad secundam classem et concesserat officium S. Leopoldi celebrari ritu duplici die* 15 *novembris. Et alia id genus mutanda erant.*

DE ANNO ADVENTUS S. NORBERTI PRÆMONSTRATUM.

MUTANDA PAG. 737, COL. 2, LIN. 33, ANN. 6.

Legatur : *S. Norbertus videtur Præmonstratum venisse ineunte anno vulgari* 1120; *qui biographo juxta computum Trevirensium, annum die* 23 *martii incohantium,* 1119 *erat; ita ut ante hiemem finitum Præmonstratum venerit S. Norbertus. Hac ratione conciliantur biographi dicta cum aliorum testimonio.*

DE ANTIQUIORIBUS STATUTIS PRÆMONSTRATENSIBUS.

ADDENDA PAG. 792, COL. 2, LIN. 2.

Antiquissima statuta Præmonstratensia, quæ noscantur, edidit Martene tomo III secundæ editionis Antiquorum ecclesiæ rituum, col. 891—926 *impressionis Mediolanensis, quæ et Antverpiensis, et pag.* 325—336 *Venetæ; pone venit codex Heylissemensis, medio sæculo XIII anterior; tertio sequitur loco exemplar statutorum, editum a Pagio, sed neque integrum, neque a glossematibus purum.* Fratres laïci *et* servitores, *exclusis servis, aliquoties memorantur in primis illis statutis; et* provisor exteriorum, *quod munus gessisse videtur B. Ludovicus, innuitur esse posse vir non literatus, adeoque conversus. Aliæ autem nullæ adsunt regulæ speciales aut singularia de conversis capita.*

DE S. ATHANASIO, ŒCONOMO MEDICIENSI.

MUTANDA AD PAG. 963 ET 964.

In sylloge de S. Athanasio consensi perperam Papebrochio, statuenti λογοθεσιον, *cui ille san-*

(2) Acta SS., tom. VII Octobris, pag. 46.

ctus

ctus olim adscriptus fuerit tamquam δημοσιων χαρτων γραφευς, *consistorium ærarii publici fuisse; eumque propterea non improvide rei temporali Mediciensi fuisse præpositum, quippe qui antea rationalis fuisset. Sed, re maturius examinata, videtur intelligendum consistorium magni logothetæ, cujus officium proprium erat chartas publicas scribendas curare, seu imperatoria jussa, et bullas aureas ad reges, sultanos et toparchas, aliasque imperatorio sigillo obsignatas literas : quo qui inter latinos ornati fuerunt officio, archicancellarii dicti sunt.*

DE ORIGINE PROVINCIÆ NARBONENSIS.

ADDENDA PAG. 879, COL. 1, N. 46.

Nuper (circa mensem Augustum hujus anni 1864) *in lucem Lipsiæ prodiit* Galliæ Narbonensis, provinciæ Romanæ historia, *auctore Ernesto Herzog, scriptore diligenti et erudito. In Proœmio agitur summatim* de Galliæ meridionalis ante Romanorum dominationem historia. *Deinde Part. I continetur* Historia Galliæ Narbonensis continua ab initiis constitutæ provinciæ usque ad imperatoris Diocletiani ætatem. *Ulterius non progreditur auctor. Pars II exhibet* Provinciæ Narbonensis, qualis ab Augusto usque ad Diocletianum erat, administrationem. *Additur* appendix epigraphica *(haud parum copiosa)* ad Provinciæ Narbonensis descriptionem pertinens. *Initium fundatæ provinciæ Narbonensis repetit auctor ab anno circiter ante Christum* 120*; ejusque originem sic explicat* (*pag.* 45): Cn. Domitius Ahenobarbus consul, qui anno 122 Sextio in Gallia successerat, bellum Allobrogibus indixit. Deinde ubi Allobroges, suis viribus diffisi auxilio vocarunt Bituitum, Arvernorum regem, Romani (*anno* 121) consulem Q. Fabium Maximum in auxilium Domitii mittunt... Occurrerunt Arvernis, ut Plinius tradit, a. d. VI Idus Augustas, ad confluentes Isaræ et Rhodani, atque adeo splendida fuit Romanorum victoria, ut cum in ipsa pugna tum in transitu Rhodani Gallorum cæsa dicerentur milia centum viginti... Rex autem Arvernorum (*Bituitus*) cum... de continuando bello desperans et suis et Allobrogibus ut Q. Fabio se dederent persuasisset, Cn. Domitii perfidia interceptus, Romam missus est... Interea Q. Fabius... bellum finitum putans rediit in Italiam, permittens Domitio, ut quidquid ad pacandam Galliam opus esset institueret. At Arverni exacerbati Romanorum in regem suum injuria rebellarunt et denuo Rhodanum transgressi usque ad Sulgam fluvium, qui haud longe ab Avenione in Rhodanum influit, pervenerunt. Ibi vero prope oppidum Vindalium iterum cum Domitio confligentes... profligati sunt atque coacti, ut, quoscumque trans Rhodanum et trans Cebennam montem habuerant clientes, Romanorum committerent imperio. *Nec dubitari potest, quin illa tempestate Romani* usque ad Pyrenæos progressi sint, *atque agrum Volcarum Tectosagum occuparint, nec proinde* devictis Arvernis neminem jam in illo Galliæ meridionalis limite Romanis obstitisse. *Ex his concludit eruditus vir, Domitio* tribuendum constitutæ in provinciæ formam Galliæ transalpinæ honorem; *idque post ultimam Arvernorum cladem contigisse, scilicet circa annum ante Christum* 120. *Eumdem annum habet Joachim Marquardt* (1). *Sigonius initium belli Allobrogici repetit a Coss. Plautio et Fulvio* (*an.* 125)*; finem innectit consulatui Opimii et Fabii* (*an.* 121)*; atque subjungit :* Hoc bello Narbonensis Gallia in provinciam redacta, atque ut quotannis in eam Roma prætores mitterentur, institutum. *Nec proinde ab aliis multum discedit (si tamen discedit) Sigonius* (2), *saltem quod ad tempus spectat : nam alibi negat bellum Allobrogicum a Domitio confectum :* Neque vero ille (*Domitius*) finem bello imposuit, quamvis victoriæ monumentum viam Domitiam reliquerit...; sed qui ei successit Q. Fabius, qui Allobrogibus et Arvernis ad Isaram superatis, et gente in deditionem accepta, sibi cognomen Allobrogici peperit, atque omnes in provinciam retulit præter Arvernos atque Rutenos, quibus populus Romanus ignovit. *Ita Sigonius de antiquo jure Italiæ lib. I, cap.* VI (3). *Malim adhærere priori narrationi. Reliquam* Provinciæ Narbonensis historiam *synoptice exhibeo. Part. I, cap.* I *agitur de* Provinciæ initiis *et* usque ad Julium Cæsarem historia; *Cap. II* de Provinciæ forma a Julio Gæsare et Augusto constituta. *Forma a Julio data circa annum ante Christum* 46, *perseveravit usque ad annum* 22, *sub Augusto. Cap. III* de rebus in Narb. inde ab anno a. Ch. 22 usque ad Diocletiani ætatem gestis. *Pars II, ut supra jam monui, tractat de* Administratione.

DE NARBONE MARTIO COLONIA.

ADDENDA IBIDEM.

